A M. Kir. Ferenc József Tud. Egyetem Kor- és nemikortani klinika Könyvtára - Kolozsvár

# APHRODISIACUS,

SIVE

# DE LUE VENEREA,

VEL

# MORBO GALLICO

OPUS.

# APHRODISIACUS,
SIVE
# DE LUE VENEREA;

*IN DUOS TOMOS BIPARTITUS,*

Continens omnia quæcumque hactenus de hac re ſunt ab omnibus Medicis conſcripta.

*Ubi de Ligno Indico, Salſa Perilla, Radice Chynæ, Argento vivo; cæteriſque rebus omnibus ad hujus luis profligationem inventis, diffuſiſſima tractatio habetur.*

Opus hac noſtra Ætate, qua

## MORBI GALLICI

vis paſſim vagatur, apprimé neceſſarium:

*AB EXCELLENTISSIMO*

## ALOYSIO LUISINO

Utinenſi, Medico celeberrimo noviſſimé collectum.

*Indice rerum omnium ſcitu dignarum adornatum.*

Editio longè emendatior, & ab innumeris mendis repurgata.

*TOMUS PRIMUS.*

h522
52.499



*LUGDUNI BATAVORUM,*

Apud { JOHAN. ARNOLD. LANGERAK, ET JOHAN. & HERM. VERBEEK, } Bibliop.

MDCCXXVIII.

1728

Bibliothek

MEDICINAE CULTORIBUS

# HERMANNUS BOERHAAVE.

Poſtquam artem incepi exercere medicam, fecit quotidiana rerum tractandarum varietas, ut ſaepius optarem illos tandem auctores noſſe, qui fida morbis examuſſim deſcriptis remedia exhiberent. Quum enim quam plurima quotidie nova medicinam facientibus occurrant in uno tamen, eodemque morbo; quin & conſueta quoque morborum effecta ſaepenumero mirifice aliena à ſe ipſis apparcant; fieri haud poteſt, quin Medicus, cui ſanare commiſſum ſibi aegrum cura eſt, anceps crebro haereat & anxius. Maxime vero, ſi neglecta parum tempeſtive ſanandi occaſio irreparabile damnum adfert, vel quoties tractata male aegritudo, aegro peſſima, & obſcoena, monumenta relinquit, ipſi Medico turpia opprobria & ignominioſa. Quae quidem omnia in nullo morbo crebrius occurrere, quam in eo, quem Gallicum vulgo vocant, periti omnes Medici uno ore aſſerent. Enimvero in tractando hoc malorum foediſſimo talia quandoque accidere notantur, qualia annoſa pridem obſervatio alias non viderat; prorſus ut vel exercitatiſſimus quiſque veteranus artifex novitius quandoque in hac diſciplina tiro evadat, faterique cogatur invitus, ignorari ſibi modum morbi, neſciri bona ad hunc praeſidia. Neque minus frequens eſt hac in aegritudine cernere leve quoddam, atque animadverſione fere vix dignum habitum, incidens, ex quo tamen brevi poſtea horrendum, late ſerpendo, monſtrum naſcitur, & indomitum. Vah quoties in faucium, linguae, palati, narium, ulcuſculis viliſſimis, vel prudentiſſimi caeterum Medici errores ſuos doluere! fateor, ultra triginta jam & ſex annos verſor in hoc morbo curando, neque toto hoc tempore mihi defuit occaſio, neque ſane omiſi ea oblata ſedulo uti, ut diſcerem penitus indolem heterocliti hujus mali. Vidi tamen ultimis hiſce annis quaedam prius haud conſpecta mihi. Quare etiam ſolitus fui ſemper, urgente neceſſitate, recurrere ad Auctores, qui de variis eventibus aphrodiſiacorum commentati olim fuerant, maxime tamen Eos ſemper ſectatus, qui minus remoti ab origine naſcentis mali ſcripſerunt. Occurrebant circumſpicienti olim Auctores hi antiqui, qui Venetiis quondam ſimul evulgati fuere. Gaudebam impenſe: reperiebam enim, dum ſinguli ſuo more eundem morbum deſcribunt, univerſos ſimul perfectiſſimam mali hiſtoriam dare, atque radicalem curationem tam morbi principis, quam variorum ſymptomatum, quae eundem concomitantur. Pulchre memini, quanto perfuſus gaudio Huttenii libellum his inſertum quondam perlegerim, quum ea

forte tempeſtate curationi meae ſe dederet nobilis aegēr, qui in caſſum Optimorum Medicorum conſilia ſequutus, atque fruſtra hydrargyri vim expertus, pro deſperato relictus fuerat, tamen recte dein hoc methodo convaluit. Quin etiam ad varia ſaepe, & ſingularia penitus, mala, appoſitiſſima hic remedia reperi. Utique vere dixero, quidquid recentiores ſparſim jactaverunt arcani, ſive in via curandi, ſive in medicamento ipſo, id vero omne hoc in libro inveniri jam olim deſcriptum, commendatumque. Quum itaque ante plures abhinc annos publicas lectiones Medicinae Studioſis traderem de utiliſſimis Auctoribus, quos ſibi comparare omnino deberent Auditores, ſcriptores hos de lue Venerea inprimis propoſui neceſſarios propter cauſas modo relatas; indicavi ſimul modum utendi hoc opere lautiſſimo cum fructu. Evenit inde, ut neglectum pridie opus, atque flocci habitum, quaereretur avide, caro valde vaeniret pretio, brevique deſideraretur ubique. Itaque vaſti operis novam editionem molirentur Typographi Noſtri, auctor fui. Neque dubito, quin Editores, operiſque evulgati emptores, utrique ſatis contenti futuri ſint: quum enim editiones Italicae tot mendis ubique foedarentur, ut ſaepenumero quis & impediretur inde vel ſenſum Auctoris eruere, atque in allegandis citatorum auctorum locis ſumma oſcitantia eſſet actum, data jam fuit ſedulo opera, ut & impreſſionum vitia emendarentur, atque ex ipſis allegatis ſcriptoribus loca reſtituerentur propria. Remedia quoque, horum praeſcriptae formulae, quaeque eo faciunt, alio excuſa charactere Lectorem juvabunt. Denique locupletiſſimum, & uſu vere pulchrum Indicem ingenti operi ſubnexum laudabis: ex eo quippe continuo reperire dabitur, quidquid inveſtigare juvat de quacunque demum re hoc multiforme malum ſpectante. Ita ſcilicet inde protinus diſces abſque ulla taedioſae inquiſitionis faſtidio oblata experimenta, atque alieno partam labore ſcientiam facile in Te derivabis. Abſolverem Vos, Lectores Optimi, niſi oportunum ducerem hac occaſione publicare pauca, quae protracta per tot annos intenta obſervando mens mea hoc de malo didicit: forte haud diſplicebunt illis in arte noſtra Judicibus, qui ſolis, ſemperque iiſdem compertis, experimentis, niti volunt omnes opiniones, juxta quas de genio mali cujuſque & curatione conſilia capiuntur.

Eſt igitur illa humorum noſtrorum, vel dum athletice valemus, indoles, ut à minimis, iiſque pauciſſimis ſaepe, corpuſculis in venas infuſis, adeo mirifice mutetur tota natura noſtra, ut & omnes corporis actiones prorſus aliae evadant, atque ipſum ſingulare ingenium cujuſque humoris penitus à priſtina ſua natura alienum fiat. Adeo ſemper varium & mutabile homo! nonne aſpis morſu blandum per lethargum necat? dipſas ſiti exurit? quum ſeps gangraena putreſcen-

ti inducta adipi tabefactum depascatur corpus priusquam necet? quam stupendum est, levem Physeteris ictum inflare omnem toto sparsam corpore membranam, quam hodie cellulosam appellamus, tantoque emphysemate distendere, ut intra propriam molem assurgentem compressus, sepultusque, suffocetur homo? At vipera ictero foedissimo totum corpus deturpans occidit. Effuso per arterias cruore in omni corporis plaga haemorrhous trucidat. rabies canis sparso per vulnusculum vel minimum veneno, heu, quam horrenda patrat! Hellebori albi, Tabaci, Phthorae, succus, copia vel minima immistus sanguini, vix quidquam non mutatum relinquens in corpore mortem certo, cito, infert. Infinita sunt, quae vitali immista liquido, singula alios primo morbos, universa dein mortem, creant. Taceam caetera, unum dicam. Robustissimi Agricolae sanissimo sanguini pus de papula variolae particula vix conspicua apice aciculae infigatur, quis mortalium credat? En febrim omnino singularem, sui semper genii tenacem, suo definitam tempore, propriis stipatam symptomatibus; mox erumpentes admiraris papulas certae formae, naturaeque, intra determinatum tempus in abscessus purulentos, qui degenerant, quorum tanta saepe glomeratur frequentia undique, ut omnis fere sanguis efficacia mali in malignum pus conversus sit, totumque aliquando corpus pessumdet, atque minima rursum particula virus idem gerat, sanumque corpus valeat inficere simillimo contagio. En obnoxium corpus! Neque tamen necessarium, ut vulneris via in venas eat contagiosum virus. Imo vero solo halitu, attactu solo, tabus lethalis saepe se insinuat per invisibiles corporis meatus injectis manantibus corpusculis. Ne alia memorem, nonne vides putres, qui de corpore variolis laborante effunduntur, halitus per aëra se ferre, atque occurrentes forte hominum sanissimos inficere, ut omnia omnino eadem accidant his, quae evenire videmus hominibus, queis insititia hodiernorum ars venenum inseverat? Usque adeo, ut experimento hoc sciamus certissime, vapore tenui contagia publica idem prorsus prodere, quod de industria institutum humanum efficit ipso pure sanguini immisto. Unde & addiscimus, non crassam puris intrusi matsam, sed halituosum tenue, quod illi inhaeret, morbum efficere. Pariterque novimus iisdem exemplis, subtile virulentum, in venas nostras venire posse aeque facili via, si cum aëre inspirando in pulmonem ducitur, aut cum saliva deglutitur, aut & applicatum corpori, inprimis calore, motu, sudore, magis patulum postquam redditum fuit. Unico tandem experimento conficitur, idem saepenumero venenum, deglutitum, exhalans, applicatum, infusum venis, eosdem mirabiles, terribiles, atque infinitorum symptomatum productrices, mutationes parere. Argentum vivum deglutitum crudum in catapotiis Barbaros-

ſae; idem affrictum cum pinguibus in unguento Carpi ad luem, cuti externae; applicatum in emplaſtro Vigonis de Ranis ad ipſas pedum plantas; multo uſu tractatum manibus calidis; in vapores ſolutum ad ignem in inauratione, deſtillatione, ſuffitu; nonne perfecte idem praeſtat in corpore ſano, juvenili, robuſto? Licet itaque de dictis liquido colligere, corpus humanum ſanum deglutitu, inſpiratu, applicatu, infuſu, plurimos, maximeque mirabiles, ſaepe diuturnos, morbos ſuſcipere poſſe. Animadvertendum vero eſt, quo acutiores febres, vel alia violenta, & praecipiti curſu velocia mala materies ſuſcepta excitat, eo citius aegrum mori, vel naturae incitatae virtute maturius liberari. Contra rurſus reperiri alia, quae corpore accepta, nulla quidem inſueta valde, aut violenta, creant effecta, ſed lenta quadam mutatione humores corrumpant, atque ſerpendo ſemper latius vicinos iterum ſimili inficiant labe, quodque in his maxime admirabile pariter & formidoloſum, quidquid ſemel hoc tabo foedatum eſt, ilico vim adquiſivit ſincera iterum eodem imbuendi veneno. Scabiem ſpecta vulgarem! Pruriens hac tentigine calida ſua manu ſani calentem comprehendit dexteram, integer mox totus ſcabioſus redditur primo ea parte, quae contacta fuit, mox diffuſo per univerſum corpus contagio contabeſcit, omnesque, quos attingit ſinceros, pari malo infectat. Chirothecae, lodicum, veſtium, lecti, imo, quod experiundo didici, nummi calefacti, ope contagioſa lues haecce ſe propagat. De fera pſora, de lepra Graecorum, Arabumve, quid memorem? Utique & hanc humani corporis proprietatem diſcimus, dolemus, quod ſolo ad cutim attactu ingredi queant particulae, nullo ſenſu comprehendendae prae tenuitate ſua, unde tamen liquida corporis mutantur in naturam peregrinam, atque ſanitati, inde & ſaepe vitae noſtrae, inimiciſſimam, lento gradu infeſtam, vi contagioſa prolifera ſemper omnia corrumpentem, dum quaelibet particula infecta novae, infectionis cauſa evadit.

Ad hanc ultimam morborum claſſem venereum luem reducendam arbitror. Haec enim ſolo externo attactu frequentiſſime primo gignitur. Inficit autem tabo ſuo illam corporis partem in principio, quam contigit. Sive haec cute tegitur, ſive hac carens ſola obvolvitur cuticula. Hinc baſiis, linctu, ſuctu, labia & papillas ulcuſculis deturpat; Linguae impurae, infectaeve ſalivae, commercio gingivas, linguam, palatum, uvulam, tonſillas, fauces, horrendis foedat abſceſſibus. Verenda ſi attigerit, & ibi facit ulcera. Atque in prima hac infectione hanc unicam obſervamus differentiam, quod ſi loca primo laeſa, cute obtecta ſint, uti v. g. ſi in dorſo membri virilis id acciderit, tum & natum ibi ulcus peſſimi moris, difficillime ſanabile, & plerunque corpori toti ab hoc contagio metuendum erit: quoniam videtur efficaciſſimae malignitatis venenum, quod ſolidam cutim

tim penetret, & exurat. At ſi loca dermate nuda, ut interiora muliebrium, glandem penis, interiora praeputii, primo laeſerit, tunc non ſemper adeo formidoloſa mala ſunt, ſi caetera habentur paria: quia ſola tenuiſſima cuticula hic penetrari debet. Ubicunque oculi acie ſua obſervare potuerunt conditionem partis illius in corpore, quam contagium primo obſedit, ibi ſemper maculam rubellam viderunt, quae variolae naſcituraе, aut morbilli, ſtigma, vel morſum pulicis, ferme refert. In hac aeger pruritum levem, calorem moleſtum, vix dolorem, ſentit. Elevatur papula haec, ſquamulamque cuticulae attollens bullulam elevat, quae ſi latice tenui, pellucido, diſtenditur, rupta dein facile ſanari, abſque ulteriori malo, ſolet. Hoc enim caſu, quod omnino notari quam maxime meretur; contagioſa particula, aquoſae lymphae immiſta, rupta pellicula, protinus eluitur, nec veſtigium ſaepe mali relinquit. Unde patet, cur bullulae hae, cryſtallina Chirurgorum vulgus appellitat, felici adeo ſucceſſu ad integram ſanationem perducantur, neque remedia, neque molimina magna, efflagitent. Si quid enim datur colligere ex cognita hodie corporis fabrica, contagium bibulis venulis minimis hauſtum per venam pure lymphaticam deductum creditur in cavum cryptae minimae ſubcutaneae, ibidemque lympham infeciſſe, tuberculum feciſſe, rupiſſe, iterum expuliſſe ſuſceptum, abſque haereſcente contagii tenacitate.

Quoties vero macula modo deſcripta in tuberculum aſſurgit repletum materie ſubalbida flaveſcente; ſpiſſa inſtar cremoris lactis recentis; vix cohaerente, ſed inſtar ejuſdem cremoris defluente quaſi, quando intercepta digitis horum à ſe invicem abductione lenta remittitur; quae exſiccata ex viridi flaveſcens indureſcit cum linteis, quibus inhaeret; tunc ſemper ſiniſtri magis ominis erit malum, ſuſpectum prudenti medico, neque adeo prompte ſanabile. Cancrum ſuo idiotiſmo Chirurgi jam vocare ſolent. Hoc mali genus ſemper inveni ſedere in illo humore pingui corporis humani, qui naturaliter in bene ſanis replet eam partem, quam adipoſum panniculum Veteres, hodierni & celluloſam membranam, vocant. Hujus compages vaſculoſa ſubtiliſſima habetur, fabrica cellulis minimis, at numeroſiſſimis, omnibus per communes vias in ſe invicem patentibus, atque exigua diſtendente vi mirifice dilatandis; hae cellulae in tabe, & maraſmo exinaniuntur, ut ne veſtigium ſui relinquant, in emphyſemate aëre inflatae monſtroſe turgent, in Leucophlegmatia aqua repletae tumeſcunt. Haec celluloſa membrana omnes inveſtit partes mobiles; quare toti cuti ubique ſupponitur, cunctis incumbit muſculis; unde interpoſita cutis interiora inter & exteriora muſculorum, facit, ut cutis nobis ſupra quieſcentes muſculos mobilis ſit. Atque ea lege hic naſcitur; ut, ubi muſculi maxime, plurimumque

agentes reperiuntur, ibi naturaliter craſſiſſima haec membrana, & opima magis pinguetudine infarcta ſit, ut hinc ad pectus, abdomen, dorſum, lumbos, nates, femora, crura, humeros, brachia, tempora, cervicem, videre eſt. In illis autem locis, ubi muſculi minimi, minuſque agentes, membrana haec adeo pauco pingui inſtruitur, ut ibi adipoſam negent fere omnes, celluloſam tantum admittat Ruyſchius. Ita in capite, palpebris, facie, ſcroto, ajunt abeſſe; ſed falſo: adeſt quippe, at tanto parcior ibi quam ad nates, quantum elevator palpebrae ſuperioris, vel corrugator frontis, minor eſt glutaeis. Sed ut interpoſitu ſuo membrana haec lubricam mobilitatem cuti & muſculis ſubſtratis conciliat, ita eadem haec propagines ſuas ſuperficiei muſculorum undique circumapplicat, muſculos omnes omnino univerſi corporis majores, minores, inviſibiles, minimos, inveſtit, ſeque muſculis interponens facit, ne ullus uſquam alium contingere queat, verum, ut ſuperficies cujuſque muſculi ſic inveſtita aequa lubricitate maneat mobilis ſupra alterius ſic pariter inveſtiti muſculi ſuperficiem. Hinc eandem ob cauſam à muſculo muſculus ope panniculi adipoſi tam ſollicite diſtinguitur, quam cutis à ſubjectis muſculis. Nec muſculos modo ita ſed tendines horum ambiens vaginas illas lubricas, mobiles circumdat intra quas trahi, retrahi facillime abſque remora, moveri queant. Inde & tendinum ope & capitum muſculorum ad perioſtei exteriora deductus adipoſus idem ille, qui ſubcutaneus fuerat, panniculus, ſupra perioſtei exteriora & ad oſſa, & ad juncturas ſupra ligamenta ſe expandit, omnia involvit, ipſa tandem & viſcera ſub meningibus, membrana thoracis ſuccingente, peritonaei expanſu, ſe inſinuat. Denique propago illa hujus, quae datur uni muſculo, rurſum inſinuat ſe inter diſtinctas illas minores muſculares partes, ex quibus major componitur, in quas arte reſolvitur: ut iterum & ſingulae hae quoque partes commodiſſima facilitate, diſtincto tamen motu, inter ſe moveri queant. Quod idem tandem & in harum partium partibus, uſque ad ultimum ſingularem villum muſculoſum obtinet. Ut ita pateat incredibilis expanſio hujus membranae, ſpectetur uſus diffuſiſſimus, cognoſcatur commercium nunquam intellectum hujns effectu inter omnes corporis, vel remotiſſimas à ſe invicem, partes. Quum nimirum & ad perioſtea uſque iter ejus à cute demonſtratum ſit, medullae vero materies à perioſtei vaſis advecta, intra cava oſſis confecta, per perioſtei vaſcula partim revecta, ad haec vaſa perveniat, & hinc facile commercium hoc quoque intelligitur. Haec ego hic praemittere coactus ſum, ut explicem meam de venereo malo ſententiam. Haec ego invictis à mera experientia depromptis argumentis demonſtrare poſſum. Haec non modo in hoc malo, ſed in inflammatione, ſuppuratione, gangraena, ſcirrho, cancro, carcino-

cinomate, atheromate, ſteatomate, meliceri, ſphacelo, hydrope, omnibus denique morbis fere, recte intelligendis, curandiſque, adeo cognitu neceſſaria aeſtimo, ut quod quam maxime. Unum patiamini dicam. Si ſubcutanea ſuppuratio, panniculum adipoſum perfecte conſumſerit in aliqua corporis plaga; cutis vero, id enim fieri viſum eſt, ſupra exeſum cavum viva ſuperſit, muſculi autem ſubjacentis tegumentum adipoſum pariter conſumtum fuerit, carne ejus integra, tum cutis carni brevi accreſcit, ſed ea lege, ut poſtea cutis moveri libere nequeat ſupra muſculum hunc, nec muſculus ſub hac accreta cute, ſed ambo moveantur, ingenti cum impedimento, ſimul. Videre memini plagam, ubi vagina mucilaginoſa, vel celluloſa, tendinum ſuppurando tota perierat, tendinem nudatum relinquens, qui contiguis partibus accretus deinde penitus immobilis haeſit tota vita. Neque dicas, quorſum haec? Statim enim apertum erit mirabilia inprimis tabis aphrodiſiacae effecta, ex paucis his intelligi.

Si ergo contagioſa labes per poros epidermidis ingreſſa, trans cutis vaſcula uſque ad cellulas membranae adipoſae pervenerit, ibidemque occurrenti pingui permiſcuerit ſe, tunc oleum hoc tenax virulentia ſua inquinat, rurſumque lentore illius oleoſi retinetur, fovetur, atque calore, motu, mora, aſſiduo magis magiſque incenditur, cutim & cuticulam ſuperpoſitas rodit, corrumpit, interimque ſub his circumfuſas per ambitum cellulas oleoſas contaminat; unde ſemper latior plaga in panniculo adipoſo corrupta reperitur, quam ſupra in cute ſuperpoſita perdita & exeſa eſt. Senſim elatum magis, tentum, jamque dolens, tuberculum hoc, in apice eminente rumpitur; materiem fundit, qualem ſupra deſcripſi; haec deterſa aſſiduo manat iterum, nec ſiſtitur, nec ſeparationem à ſanis ſuppurando facit; contra vero vicina trahens, eandemque virulentiam propagans in his, novam ſemper ſuppeditat materiem, unde hocce eodem modo lata ſenſim ulcera, quae ſemper in adipoſa membrana haerent, integumenta ſuperiora tarde corrumpunt, muſculos ſuppoſitos, denudatos, integros, & colore ruberrimo nitentes, oſtendunt. Labia horum ulcerum in locis hiſce, cute tectis, nunquam elata, vel retorrida, ſed contracta, plana, quaſi polita, ſunt, & pallida, materies exiens adeo diverſa ab ea, quae in aliis abſceſſuum generibus occurrit, ut morbi peritus extemplo diſtinguat ab ichore, ſanie, pure, lympha carcinomatum: nam in lue hac materia genita ſplendet inſtar ſevi fuſi, lentore vix cohaeret, colore eſt ſingulari albo ſubluteſcente virideſcente; vix acris ſentitur, ardore, dolore, morſu, ſed rubro tabo ſolam membranam hanc putrefaciens, abſque ingentis doloris ſenſu. Si contigerit, ulcus tale ſanari; tunc ſemper, foedo ſpectaculo cutis ibidem ſuppoſitis muſculis accreſcit; cavitas manet;

immobilitas muſculorum, partis hinc rigiditas, ſupereſt; color lividus in rubellum vergens ſemper locum foedat; tegumenta enata valde tenta, arida, vix perſpirantia, ſed prae forti tenſione quaſi ſplendentia utcunque apparent. Poſt ſanationem hanc falſo putatam, continenter alia in plaga vicina ſimile priori malum oritur, eandem ſemitam decurrens, ſimilia iterum relinquens. Quandoque multis locis corporis ſimul teterrima ulceroſa mala infelix corpus urgent, tandem & depaſcuntur. Vidi in nobili, pulchro, juvene, totum, qua late patet, dorſum, latis palmum manus ulceribus hujusmodi excoriatum, zonis cutaneis hinc inde inter oras ulcerum relictis intactis: unde, ſanatione perfecta, mira deturpati corporis apparebat facies. Atque ſedulo tamen animadverti hoc in caſu, muſculos nudatos quam vividiſſimos, pulcherrimoſque, apparuiſſe; neque in profundum ſe penetraſſe ulcera, ſed tantum ſolam pinguem tunicam depaſta fuiſſe, quin imo nec cuti nocuiſſe, niſi quatenus conſumtis vaſis cuti ſuppoſitis, ſubducto pabulo, haec ipſa quoque tandem peribat. Ego hoc ex caſu didici ſingulare hujus morbi ingenium; vidi ex eo luem, ut in principio ſui exortus in Europa ſe manifeſtaverat, atque à primis Auctoribus hoc in libro deſcribitur; conſpexi rationem, qua variolas vocaverant Hiſpanicas primo oriundum in Europa morbum; ſed ſimul intellexi, quam ingens ſit diſcrimen inter malum hoc, quod tum apparebat, & illud, quod nunc pervulgatum Europaeos affligit. Si hujuſmodi ulcus remediis tentas exploratiſſimae ad alia efficaciae, nihil fere proficis, niſi uno quaſi impetu omne pingue infectum ſuſtuleris ſimul per ferrum, ignem, erodentia. Ubi vero acribus ulceris os in cruſtam exuſſiſti, ſub eſchara dura retentum virus furit, ſerpit latius, propinqua afficit maligna ſua virulentia, & ſaepe luem peſſimam creat. Unde calamitoſiſſimus hodie uſus damnandus ſerio, dum Medici ulcuſcula haec lapide infernali, aqua divina Fernelii, Vitrioli aqua, mercurio praecipitato, vel quibuſcunque demum talibus, cuique lucri petenti Agyrtae jactatis, ſuperficie tenus tangunt, cruſtamque imponunt; unde creberrime natam poſtea luem vidi. Sed rectius ulcera haec mollioribus, ſaponaceis, aquoſis, foventur: ut diu aperta retenta & emollita, exhalent, extrorſumque allectam, mobilemque redditam, materiem per patulas vias de corpore expurgent. Profecto, ſi ulla, haec tuta eſt, haec efficax, methodus ad ſanandas peſſimas haſce exulcerationes. Hanc ſalubrem expertus ſaepe fui, quando alia infauſto ſucceſſu adhibita fuerant aliquoties. Hanc methodum gonorrhoeae vivulentae, diuturnum Sc. largumque ſtillicidium, remediis ipſis longo tempore continuatum, ſummum à lue praeſervans auxilium hactenus cognitum, docet; ubi contra intempeſtive cohibita materiae hujus effluxio certiſſima ſit brevi tabis venereae origo. Credo

me

me expoſuiſſe liquido mali hujus, quando ſimplex habetur, indolem, modumque curandi: qui in eo ſolo eſt, ut virus pingui ſuſceptum radicitus exſtirpetur, quod ſi infectio recens uno loco, facile fit, ſed ubi inveteravit, lateque ſe diſperſit, inque locis corporis interioribus, atque remotis ab applicandis fomentis, difficillime peragitur.

Conſiderari debent porro ulcera haec, quoties occupaverint loca cute carentia, quae multiplicia planc ſunt; adeoque meum haud facio omnia haec perfecte excutere: magnum implerem, ſi huic darem operam, volumen. Ponamus itaque glandem penis ulcuſculo tali affici. Hujus admirabilis fabrica, tenta aeſtu venereo, papillis nervoſis tentiginem conciliat voluptatis ſummae cauſam. Conſtat haec producto ſpongioſo urethrae corpore uſque ad finem hujus emiſſarii, ubi ſupra fines binorum corporum ſpongioſorum penis retroflexum ad coronam glandis terminatum hujus eminentem limbum facit. Componitur ergo propria haec glandis compages primo eadem ſtructura, qua corpus urethrae; unde ſanguine arterioſo affuſo; perque venas reverti impedito ope muſculorum libidinoſorum, bulbo urethrae ſub collo veſicae applicatorum, impleri, tendi, ad crepaturam uſque diſtendi poteſt; quod in actu venereo jamjam ad effectum ſpectante, tantum contingit: hinc eo tempore valide inflammatur. Semine autem emiſſo prima flacceſcit, hocque momento temporis valde bibula, facile in ſuas cellulas jam inanitas rapit, quod penetrabile applicatur ferventi illius ſuperficiei. Inde primo capitur, cur adeo frequens hac parte contagium fiat? Cur tam crebro fungoſa glandis pars plena turgeat materie, quam ſupra deſcripſi, ut preſſa glans hanc ſudet? Cur ulcera hic nata in ſpongioſa hac fabrica, depaſta omnem hanc compagem, & in tabum venereum convertentia, glandem totam ſiderari, decidere, à reliquo veretro ſaepe caeterum intacto ſeparari, faciant? Denique & palam eſt, à capite penis, ope corporis ſpongioſi urethrae continuatum commercium habere uſque ſub collo veſicae: quum totum hocce unum ſit idemque continuatum celluloſum corpus quum ſuperficies cellularum harum inungatur ſemper unctuoſo pingui humore, ut lubrica ſimul & expanſilis facile ſit, vel inde iterum liquet, quare concepta hic ſemel contagio tanta ſemet luxurie alat, ſuſtineatque? Altera pars, quae ad glandem conſtituendam cum corpore ſpongioſo urethrae concurrit, eſt numeroſa ſeries papillarum nervoſarum ſentientium, quae à corona glandis, uſque ad urethrae orificium, ordinatis ſtratis ſuperficiei fabricae ſpongioſae incumbit, atque exteriorem ita glandis ambitum facit, ut extremi hic nervi, voluptatis & doloris inſtrumenta propria, ſub tenerrima glandis membrana extima coërciti, ſibi mutuo incumbentes, jaceant: hinc penis glans, ſi deglubitur hoc extremo involucro, li-

 beris,

beris, ſolutis, aſſurgentibus his papillis hirta tota, & villoſa, apparet. Omnes rurſum & hae papillae tenui membranula celluloſa diſtinctae ſunt à ſe mutuo. Quid ſi ergo tenuiſſimam transgreſſum membranam externam glandis virus venereum hanc ipſam exederit, en nudatas papillas has. Sed vah quantus tum dolor. Utique intolerabilis: neque inter ſymptomata venerea, vix aliud atrocius excrucians. Si tum celluloſa tenuis fabrica abſumitur tabo venereo, ſolutae papillae excreſcunt, faciuntque verrucas venereas, horrendum ſymptoma, inprimis horreſcens circa coronam glandis: quia plurimae ibidem papillae. Spectavi, & exhorrui, terribile hoc malum, quod, echini inſtar glandem deformans, praeputii motum fere omnem impediebat. Si autem imprudens rerum chirurgus, nudatam tenui ſua membranula ſuperficiem vivam papilloſam glandis acribus irritaverit, contigit ſaepe, ut totum penis corpus diriſſimum in modum inflammaretur, turgeret, priapiſmo exquiſitiſſimos dolores pariente laboraret. Unde & ad hoc mali genus emollientia, humectantia, laxantia, anodyna, extrorſum allicientia, ſecuriſſima praeſidia ſunt; quae vel ſero applicare cogeris, ubi turbas per rodentia excitatas compeſcere debebis. Lacte & Althaea praeſtiti hic, quae argentum vivum nequiverat. Unguento Altheae, aut nutrito perfeci, quod Aegyptiaco, & mercurialibus negabatur. Denique ultima pars, quae ad glandem conſtituendam venit, eſt memorata jam aliquoties membranula tenuiſſima, quae glandem operit: haec propago interioris cuticulae praeputii ſupra coronam glandis, hinc omnem illius ſuperficiem, expanſa, atque ſupra cutim praeputii, hinc totius penis derma, epidermidis vice fungens, commercium facit inter epidermidem & ſuperficiem glandis. Inde viſum fuit, mala ulcera penis ad glandem perveniſſe, glandiſque damna ad penis externum corpus communicaſſe labem. En exemplum unum, quo docemur mirabile, & rarum, naturae inſtitutum in generandis tot diverſis malis ex eodem veneno pinguetudini corporis miſto, ſed agente in diſtincta loca corporis. Putarem ergo ideam totius hujus morbi me dediſſe, imo & curationis; niſi requireretur, ultra paucis conſiderare, quod, ſi contagium pinguia medullae intra oſſa occupat, hic omne oleum corrumpat brevi, inque rancidiſſimum putre, totum virulentum, convertat: quum vero exitus acri veneno haud detur hic loci, vaſcula tenerrima hic ſint, omnes humores mere oleoſi, facile patet, brevi omnia oſſibus contenta in mortuum putridum reſolvi, &, propter tardiſſimum hic humorum circuitum, fere ſtagnare. Quare nulli medicamento etiam vis idonea, ut inceptam putredinem cohibeat, aut factam expellat, ſeparetque. Vaſa jam, quae à perioſteo per os in cava ſolebant afferre vitalia liquida, exeſa impediuntur adducere, renovare, ſeparare humores; quae vero ex medulla pingue

oleum

oleum inter laminas ossium affundere solebant, aut periostei vasculis reddere, consumta quum sint, per meatus relictos osseos nihil nisi foetidissimum, cuncta brevi corrumpens, atque inficiens, rancidum emittitur, hinc ossis in cariem corruptela, ejusdem lamellis à se mutuo elevatis & secedentibus, periostei ad ossa naturaliter arctissime applicati distentio, exesio, dolor acutissimus, maxime vesperi ad mediam usque noctem, in gummi, topho, exostosi; hinc omnium partium, ossi infecto circumpositarum similis corruptio, inprimis ope membranae adiposae, cujus tunc cellulae omnes usque ad cutim inflantur, tument, fungosae redduntur, degenerascunt, ulcera fistulosa, foetida, ichorosa, insanabilia, faciunt. Hoc mali genus omni medicamento, omni methodo, inexpugnabile, ubi cousque invaluit. Sed quando una forte ossis cujusdam singularis pars, inter lamellas quasdam medullosum pingue affectum habens, ibidem corruptelam patitur, tum semper & ibidem lamellae à se invicem discedentes osseum tumorem faciunt sensim increscentem, hinc & periosteum vasa ex hac affecta ossis parte accipiens infestant, inflammant, tendunt; excruciant, hinc & rursum panniculi adiposi continuatum corpus corrumpendo absessus format. Hi arte ad os usque aperti ubi fuere, ut os nudatum sit, tum quandoque vasa adhuc vegeta sub lamella infecta haerentia corruptum ossis depellunt, separantque, tumque novum ibidem texunt periosteum, locusque perfecte sanatur. Aut ars scalpro, igne, vel corrodente, abradit corruptum ad sincerum usque, facitque ita similem sanationem. Non est nota usque ulla alia ars ad sanandum hoc malum. Unde evidenter liquet, quando, & quomodo, contagio haec ossa ipsa obsidens tolli queat, quando & cur incurabilis alias sit. Miramini forte, rem hanc, intricatam adeo habitam, ad simplicitatem hanc reduci: sed id fit; quia intentissima cum cura toties felices, atque infortunatos, horum malorum exitus vidi. Ajo ergo, omnem spem sanandi ossis affecti in eo positam, ut sub lamella inquinata bona medulla, & vasa arteriosa viva, vegeta, vim habeant corruptum sursum depellendi folii, vel frusti, separati forma, dum interim os nudatum sit in parte superiore. Ars autem aliud non promittit, nisi os nudando, vires vasorum adhuc sanorum augendo, separationem naturalem promovere, aut partem ossis perditam manu separare à sanis. Hinc rursum summi momenti observationem apponere fas est. Quotiescunque tabo venereo corrumpitur periosteum ossis medulla carentis, tenuis, lamellati, per quod pauca, & debilia valde, vasa decurrunt, ita ut membrana haec exedatur, toties neque arte, neque natura, hos os servari poterit, sed caries illud occupans procedet usque ad futuras, quibus osficulum hoc vicinis committitur, totumque corruptum simul, aut minutatim corruptas

per partes, excidet: quum ſcilicet oſſicula haec à perioſteis ſuis omnem vitam accipiant, omnia vaſa, atque in propria ſua fabrica vix circulum liquorum admittant, manifeſtum erit, perioſteo deſtructo oſſicula haec mori, pinguia in cellulis horum ranceſcere, putreſcere, carie tabeſcere. Talia ſunt oſſa palati, naſi, vomeris, ethmoides, ſpongioſa naſi, unguis os, planum, caetera orbitae oſſa, laminae oſſis maxillae ſuperioris cavi, apophyſes tenues oſſis ſphenoïdis, hujus cellae ſub ephippio, inferior lamina ſinus cavi in oſſe frontis. Infandum ſcribenti renovat dolorem ſaeva commemoratio atrociſſimorum incidentium, quae in hiſce dolui contingere, etiam in iis, qui priuſquam meae ſe curae committerent negantis ſanare poſſe, jam ſummorum in arte noſtra, & variis quidem in regionibus, magiſtrorum ſapientia, & fide, uſi fuerant. Novi ſane, atque ipſemet haud perfunctorie colui, jactata ad hos oſſium morbos remedia, ptyaliſmum, ſudoris expreſſiones; Mercurii, cinnabarisve ſuffitus; errhina mercurialia. At incaſſum omnia. Ubi enim inveterati tabi lues Schneiderianam oris, naſi, laryngis cartilaginei membranam profunde occupavit, atque, ubi oſſicula haec ſubtiliſſima inveſtit, exedit, in rei natura ſupereſt nihil quidquam boni quid promittens, niſi forte ſi oſſiculum involucro ſuo privatum excidere queat, reliquis intactis. Sed ut ſimul tota reliqua membrana ſana ſervetur omni molimine. Quod in lenta, mucoſa, pingui, in mille plicas, rugas, ſinus, convoluta membrana, nudo aëri ſemper expoſita, efficere non levis eſt laboris. Qui ergo praeter id, quod artis poteſtas habet, promittere non vult, cavebit inania jactare, quando foedum, putrem, rancidum, ichorem, naribus emungi copioſe videt, aut ulcera lardo ſimilia faucium poſteriora, velum pendulum palati, tonſillas, membranam craſſam palati anteriorem, depaſci cernit. Sed omnia bona ſedulo applicans, negligens nihil, varia tentans, ſemper interim de exitu ſollicitus, in prognoſi prudens, ſtentores ſecurus ridebit, dum interim miſereſcit aegri. Quae hactenus candidus enarravi, verus vobis dixi & ſimplex, forte & ſufficiunt, ut capiatis, quid de malo propoſito ſentiam. Supereſt ut de ſanatione aperte dicam, quidquid novi.

Si recens contagium naſcitur applicatum parti cute tectae, haec vino, melle, & ſale, calidis abluatur fortiter, diu. Dein fomentum ex his paratum, linamentis exceptum obvolvatur parti, ſemper in calore aequali ſuſtentatum. Si diutius adhaeſit, priuſquam advocatur medicus. Ablutae iiſdem valde calidis parti, protinus veſicans de cantharidibus applicetur, fomento eodem ſuprapoſito tamen; exulcerato loco molle unguentum aureum, vel tetrapharmacum, applica, cum pauxillulo mercurii praecipitati rubri, ut apertus maneat locus, atque idem fomentum ſuperponatur; ſicque

duo-

duodecim, aut ultra diebus tractetur: jubebo ſecurum eſſe aegrum, qui interim pinguia, calida, cavit. Si recens labes partem affecit cute nudam, intima praeputii, glandem, labia, os, aut ſimilia loca; Ilico peni, reducto praeputio, balneum ſuadeo, ex iiſdem, vel ſimilibus, quae nimis emollientia ſumi non poſſunt; ſummum enim hic remedium eſt, ut laxentur pori, ſicque extrorſum pellatur inquinans materies: ſemper itaque tepentes, humidae, emollitae, fotae, teneantur partes. Hiſce ipſis utendum etiam ſi jam locus infectus apertus ſit: tunc enim materies libere extrorſum ducatur vix introrſum ibit, adeoque praeſens ſanatur, praecavetur futurum. Conducunt ſimul ad haec purgantia hydragoga interim crebro adhibita. Balſamus autem ex Terebinthina, vitello ovi, & Mercurio crudo, linamentis exceptus, ipſi ulcuſculo applicatus, penitus emolliens, valde prodeſt. Ita quidem, ut hac methodo plena fere ſanatio hujus mali promittatur, unde tamen, ſi negligitur, teterrima lues creberrime exoritur. Neque miretur quis, ſimplici hac methodo, atque abſque mercurio quidem, utendum me ſtatuere: quum omnes fere artifices ſtatuant ſolum argentum vivum hic valere, ſolum neceſſario requiri ad hanc curationem. Sciat modo, me hic tantum hucuſque agere de uno, externo, loco affecto, recenti, & ubi labes inquinandi unice haeret in tali ulcuſculo. Tum ſcilicet promitto ſanationem perfectam ex praeſcripta curationis via, certuſque ſum illam ſufficere. Quid autem argentum vivum praeſtet ad ſanandum, id vero modo conabor experimentis definire: ideoque nunquam probabo temerarios auſus eorum, qui conſulenti ſuper hoc malo juventuti, ilico ſuadent uſum argenti vivi, quod ſemper corpori nocet, nec neceſſarium ſaepe habetur. At quoniam mulieres inficiuntur plerunque hujusmodi ulcuſculis ad cryptas mucilaginoſas intra pudenda natis; hinc & illis eodem morbi gradu nihil magis prodeſt, quam fotus, ablutiones, balnea, ex emollientibus, laxantibus, detergentibus, putredini reſiſtentibus. Acetum, vinum, mel, ſal, ad duo poſtrema refero, omnes emollientes herbas eligo ad priora. In multis ſaepe caſibus brevi ſanatas gaudebam, quae recens infectae nondum alia mala habebant. forte roget quis, quanam ratione certus ſit, ea conditione malum eſſe, ut audeat confidere laudato conſilio, ſine metu neglecti fortioris requiſiti remedii. Sed tempus applicati contagii, locus apparens affectus, abſentia omnium aliorum ſymptomatum poſt rigidiſſimum examen prius inſtitutum, certum Te facient. Id unum moneam, ſi plaga primo affecta in palato, uvula, tonſillis, faucibus viſa ſit, nunquam audere me credere ulli auxilio, niſi fortiſſimo ptyaliſmo ocyſſime excitando. Eſt enim adeo fallax & inſidioſa horum locorum affectio, eſt tam enorme, quod ex minima hic cauſa enaſci-

 tur

tur malum, eſt adeo difficilis tabi inquinantis expurgatio, eſt impoſſibilis quoque externorum remediorum applicatio, ut hic extremo ſtatim remedio utendum omnino ſit, aut dolendum ſero. Atque hinc fas eſto veram quoque gonorrhoeae ſanationem trahere. Eſt haec contaminans materies, ſorpta meatibus in ſuperficie glandis inflatae oeſtro venereo dilatatis, primo momento, quo flacceſcere incipit. Locat ſe labes tabi in cellulis corporis ſpongioſi glandis, continuati intra duas membranas uſque ad collum veſicae. Et facit continuatae fabricae commercium, ut facile propagetur toto hoc tractu minimum adſperſi mali contagium. Ubi vero admiſſum ad tenerrimam hic pinguetudinis membranulam, extemplo creat ulcuſculum, quale deſcripſi prius, & in eo materiem & ibidem recitatam. Ulceroſa haec nata foeditas, in loco ſtructurae tenuiſſimae, ſubpingui, ſcrobiculum capacem format ſemper, in qua illa fit, accumulatur, retinetur, lente inde exit, aut ubertim exprimitur. Si cavum exeſum in fungoſa glandis fabrica ſiſtitur, atque per ſuperficiem ejus dilatata ſibi emiſſaria paravit, tum ſpurciſſimus tabus hac parte transfudat, glandem & praeputium corrumpit, tabefacit quandoque & ſiderat. Haec mihi prima eſt gonorrhoeae Venereae, virulentae, ſpecies. Cognoſcitur foedo madore, minus craſſo quam in caeteris hujus nominis morbis, aſſiduo, genito intra glandem & praeputium, tum materia hac per glandem preſſam extrinſecus transſudante, caeterum poſt ablatum contagium facili ſanatione. Curaturus praeſcribo ſaepe iteratam interdiu ablutionem harum partium, atque inprimis accuratiſſimam deterſionem vel minimi madoris, ſub praeputii latebris abſconditi; ablutioni mel, ſal, vinum, aqua ſerviant; myrrhae in vino igne eliquato ſolutae liquor; acetum aqua dilutum multa cum pauca aloë; plurimaque alia ſimilia. Depuratione ſollicitiſſima rite perfunctus, reducto praeputio, nudatam glandem obvolvat circumpoſito cataplaſmate emolliente, laxante, alliciente, anodyno, ſemper ſimul paululum antiſeptico. Gnaro haud deerit abundantis materiae varietas. farina rad. altheae. Lini ana unc. j. flor. Altheae. Sambuc. ana unc. ſſ. fol. marrub. alb. ſcordii ana m. $\frac{1}{4}$ ſalis ammoniac. ſcrup. j. F. S. A. pulticula craſſior, cui circa finem parum olei lini admiſce, hoc linamentis appoſitum ſufficit. fit enim, ut, per dilatatos meatus, materies vitae vi extrorſum eat, ſeparetur, impediatur retrorſum fugere. Huic frigus, & exſiccatio caventur omnium maxime, ne pori contracti fluentem materiem repellant. Toto tempore, quo curatio haec peragitur abſtinendum praecipue ab omni omnino pingui. Quae prudentiſſima cautela hic. Dein vitanda, quae acri mobilitate in venerem incitant, aromata, bulbi, carnes, ova, piſces, vina. Conſtat enim, nihil eſſe, magis quod obſtat felicitati citae curationis gonorrhoeae, quam inflatus

tus membri virilis: quum tunc dilatatae ad rupturam fere usque cellulae, arterioso fervente sanguine distentae, laesam fabricam plus rumpant; contagium excitent, acuant, moveant, misceant sanguini; & collapso dein pene retrorsum adigant. Vidi hinc saepe vanos fuisse hoc in malo vel probatissimos sanandi modos, si quacunque demum de causa, quae hercle multiplex hic nimis, homo arrigit; imo sanatas jamjam gonorrhoeas, unico incitatae libidinis impetu actutum recruduisse, novamque denuo sanationem de integro exegisse. Quidquid ergo prurientem imaginationem titillat, in cibo, condimento, potu, medicamento, vel per conversationem cum amabili sexu, tabularum adspectum, sermones, lectionem, cane pejus & angue fugiendum. Aquae potus, vel seri lactis, Cerealia, horaei fructus, conducunt. Verum, si usquam, hic purgantia hydragoga, praestant; Jalappa, Hermodactyli, Scammonea, Sena, inprimis: haec crebro usurpata potestatem habent dissolvendi sanguinem in aquam, hanc depellendi deorsum, & evacuandi per intestina; haec agunt valide semper & in urinae vasa, vesicam, urethram. Hinc & laudatissimus horum usus in locis huic malo nativis, Africa, America; quin & probatissimus quoque apud optimos fere nostrorum in arte Magistrorum. Neque crediderim temere excultam usque methodum palmam huic propositae praeripuisse: novi quippe alias pleraque, tentavi, cum hac comparavi. Fateor incommoda est aulicis, in celebritate versantibus, vel munera publica gerentibus. Sed tuta saepe ardua sunt & molesta. Novi promissa Agyrtarum, se curaturos vel in regali natantes luxu, equitantes, voluptatum omnia genera exercentes. Sed mihi, & haec conanti, haud licuit esse tam beato. Quin & dolui saepe, dum sic tractatos Illustres Viros vidi per annos vitam agere reliquiis veteris mali obnoxiam. Interim fomenta, cataplasmatum loco substituta, minus incommodant. Imo vero, urgente necessitate, & molliissima quandoque emplastra vicem suscipiant priorum. Quale illud de mucilaginibus, de meliloto, & similia. Primae tamen debentur cataplasmati & balneo. Altera mihi censetur gonorrhoeae species, quando virus venereum, per poros glandis se insinuans, penetrat usque in fabricam cellulosam superiori parti urethrae circumnatam, ulcusculum ibidem format, quod meatus in urethrae ductum hiantes exedit, hinc ulcerosam materiem hac via effundit, assiduo quidem destillantem hoc exitu, sed inprimis ubi veretrum hac parte premitur, pressu ab inferioribus partibus sursum versus adacto. Qua in re memorabile id inprimis, quod si presseris mane, post somnum, lotio nondum reddito, ad unciae distantiam ab apice penis retro, antrorsum, notabilis copia foedae materiae exprimatur; quae modo prodeundi, & pressionis, spectato, docet, eam non haesisse in ure-

thra, ſed preſſu in eam derivatam fuiſſe ex fungoſo urethrae corpore. Et manifeſto videbis in hac gonorrhoeae ſpecie nil talis materiae ultra ex toto pene à collo veſicae preſſo ad glandem uſque proditurum. Quare infectus locus ſolus hic eſt. Eoque dirigenda omnis curatio. Haec eſt frequentiſſima in initio gonorrhoea, quotidie occurrens; ingentem plerumque copiam tabi venerei gignens; diu ſatis durans praecipue in laxis hominibus; atque, ſi modo materies libere excernitur, licet diu, raro luem generans; imo fere ab ea praeſervans. Verum id praecipue incommodi habet, quod in ſinuoſis iſtis celluloſae membranae ambagibus diu haerens, diuturna ſtillicidia, vix ulla arte ſananda, pariat. Curo hoc malum ut primam gonorrhoeam. Sed balneum peni, ſcrotoque, applicandum ſemihorii ſpatio, ter quaterve interdiu ſuadeo. Materies huic balneo eadem, quam in fomentis commendavi. Quae ſiphone injiciuntur, raro in cellulas iſtas pervenire queunt: hinc vix juvant, niſi in primo ſtatim initio; vel ubi fungoſa illa fabrica intus vix exeſa eſt. Quoties vero uſque ad glandulas Cowperianas urethrae virus intravit, has obſedit, per emiſſaria harum in cavum meatus urinarii ſe exonerat materies, tertiam gonorrhoeae ſpeciem appellito. Haec ingentes ibidem erodit ſinus cavos, fiſtuloſos, plurimo hoc pure aſſidue manantes, difficillimae deterſionis, hinc & ſanationis. Si genitus hic ichor quacunque cauſa impeditur exire, ulcera quandoque peſſima generat ad latera urethrae, ubi partes hae à nobili Inventore harum glandium deſcriptae. Unde ulcera pertinaciſſima, moleſtiſſima curanti & patienti, in annos ſaepe excurrentia. Difficultas inſuperabilis ad ſanationem ducendi hoc malum in eo eſt, quod ubi ad interiora harum glandularum immiſit ſe contagioſa materies, inde vix extricari queat, ſed haerens, ipſaque mora pejor aſſidue facta, vicina inquinet, inde quandoque & ſubcutanea penis poſterioris pinguia vel celluloſa occupet: unde quae damna oriri queant, & viſa ſint, norunt periti. Modus, quo hoc genus mali tractari debet, idem plane eſt, qui in gonorrhoeis prioribus commendatus; ſed omnia hic impigre applicanda; atque partes continenter molliſſimis fovendae, materies confeſtim elicienda: omnis quippe felicitas curae pendebit inde, ut conceptum inquinans effluat totum cum pure facto. Aliter nimirum metuenda lues eſt. Quare etiam ſubinde hic recurrendum erit ad graviſſima remedia ptyaliſmi. Quamvis enim gonorrhoeae priores eo nunquam curentur; tamen poſterior haec ſpecies in parte ſolidiore glanduloſa nidulans, in qua vaſa arterioſa & cordis impetus magis actuoſa deprehenduntur, mercurii vim longe promptius excipit. Sed & quartam recenſeo gonorrhoeae formam, poſtquam virulentus tabus viis jam memoratis uſque ad proſtatas perductus, has tabefacit, inque abundantiſſimum pus virulen-

ſentum reſolvit. Id mali alias ex durantibus diu, aut inprimis repetitis ſaepe, gonorrhoeis oritur. Cognoſcitur vero tumoribus in perinaeo, interceptionibus ſaepe peſſimis urinae, rejectu copioſo parulentae, ſubputridae, materiae; inſanabili fere ſuppuratione ad partes; ſaepenumero ulcere maligno, nec ſanabili, in perinaeo, nato; aliquando vero ulceribus peſſimis circumquaque ad loca proſtatarum prodeuntibus, & vicina depaſcentibus ſpectaculo foediſſimo; ſed inprimis hoc in caſu miſeri hi ſubito, abſque manifeſta ulla cauſa, ſentiunt ſaepe lotium intercipi, unde diriſſimi, at inanes, ad exonerandam veſicam teneſmi, neque catheteri inducendo via datur, donec ita excruciatis diu ſubito purulenti quid urethra dimittitur, nec ita diu poſtea urina ſatis libere redditur, donec ſimile denuo malum infeſtat. Cernis quidem, quam ſit difficile malum hoc, quod aliquoties vidi percurare; atque & hic ſalivatio locum obtinet una cum ſedula adhibitione eorum omnium ſimul, quae in ſanandis primis gonorrhoeis prius ſuadebam. Denique poſtremam, illamque profecto abominatiſſimam gonorrhoeam habeo, quae infectu proſtatarum emiſſaria vaſculorum ſeminalium inter exeuntes meatus proſtatarum hiantia, à Clariſſimo Morgagni deſcripta, erodit, hincque venenum ſuum per hos ductus uſque in veſiculas ſeminis communicat, illarumque liquidum & vaſa ſpurce contaminans, profluvium foediſſimum creat & largiſſimum, loca interim ſinuoſa, atque Labyrinthi inſtar intorta exulcerat: hui quanta inde mala! Vidi totum illum apparatum celluloſum, qui has veſiculas ſpermaticas, veſicam urinariam, inteſtinum rectum, perinaeum, ambit, atque interjacet, exulceratum, putrefactum, exeſum, in hiatus fiſtuloſos ad ſcrotum, perinaeum, anum, deſiiſſe, ut per cuniculos ſimul & fiſtulas, omnes hae partes conſumerentur. Nec balneis, fomentis, injectis medicaminibus, emplaſtris, unguentis, cataplaſmatibus, inciſionibus, dilatationibus, aliquid profectum; quin tandem & urina ipſa, de his ipſis ulceribus demittebatur. Imo & cura abſtinentiae, decoctorum, ſudoris per ſpiritus vini accenſos expreſſionis, ptyaliſmi accuratiſſimi, juvaminis nihil miſerrimis adferre potuerunt. En, mi Lector, haec ego mala vidi, tractavi. Neque finis mehercle eſſet, ſi omnia proſequerer, haec dixiſſe mihi, legiſſe Tibi, ſufficiat, ut ſingulare ingenium hujus veneni, miros inde pendentes eventus, atque proprium ejus ſtabulum pingue humani corporis, recte intelligas. Unum hoc tandem ſupereſt, dicam, quomodo ſanari queat malum hoc, quoties cognoſcimus illud haerere ſparſum per pinguia corporis, atque intricatum ibidem turpi foetura maligne ſe propagare. Id vero ſcimus fieri; quando poſt commercia ſuſpecta; geminatas ſaepe gonor-

norrhoeas, omnium maxime poſt ulcera externa neglecta verendorum; praecipue, ſi haec cito exſiccantibus, eſcharoticiſve ſubitanea inducta cruſta, abire viſa ſint; ſi unquam omnibus his, vel quibuſdam praemiſſis, apparent maculae variolarum inſtar in cute; ulcuſcula ad labia, gingivas, linguam, palatum, velum palatinum, uvulam, tonſillas, linguae radicem, laryngem, pharyngem, intra nares; certiſſimo conſtat, veram luem Veneream corpus aegrum obſidere, ocyſſimamque efflagitari curationem. Quando autem in oſſibus cranii mediis, vel in media parte craſſiſſima oſſium majorum, quibus artus fiunt, oriuntur dolores, enormes, quaſi compages tabulata horum finderetur, vel diſſilitura eſſet, atque hi, poſt occaſum ſolis inchoati, ſenſim lento gradu procedunt, donec media nocte intolerabiles evaſerint, coegerintque extortum aegrum lectum deſerere, verſus auroram ſponte quieſcentes; tum certi ſumus malum in pinguetudine oſſium ipſa jam haerere. Tumores dein ad eadem media oſſium loca orti, molles, lenti, tenaces, tophoides, oſſei, id ipſum quam maxime confirmant. Praecipue dum & ſuperappoſitae molles partes jam in maligna ulcera corruptae palam clamant oſſium meditullia perdi. Aut & ubi paſſim toto corpore lacerae, ulceroſae, jam primo deſcriptae plagae foedo adſpectu terrent, ſuamque indolem, denunciant medico. De medullis occupatis jam prius dixi; notetur modo diploem oſſium cranii medullae officio fungi, morbis iiſdem obnoxiam eſſe. Age igitur conſideremus in quonam puncto ſtat vera ſanatio mali in gradus modo deſcriptos provecti? Si quid ego hic videre queo, in eo ſolo certe, ut omne illud virus, quod oleo pingui corporis haeret inde extra corpus ducatur, uſque ad minimam particulam, ſine ullo omnino reſiduo: quia ſi quid ſupermanet, utcunque parvum id fuerit, recidivae urget recens, idemque metus. Atqui tenacitate lenta olei inviſcatum virulentum temere haud dimittitur: hinc una difficultas; neque vero olea ſuis de cellulis excutere, per vaſa movere, de corpore ſubducere, facile eſt: unde & altera naſcitur haud minus ardua difficultas. Ajo tamen, niſi olea corporis ſolveris penitus, ſoluta vero una cum concreto diu veneno, expurgaveris prorſus, nunquam radicitus exſtirpabis, ubi inveteratus eſt, hunc morbum; ſed ſanaſſe viſus, recrudeſcentem vel decies dolebis. Igitur reperienda erit methodus tam efficax, ut reſolvat omne adipoſum, medulloſum, aliudve tenax cui tabida adhaeſit affectio in meram, penetrabilem, perque minima vaſcula de corpore facile educendam aquam. Undenam ergo inſtrumentum tale inveniemus? Argentum vivum praeſto eſt: id enim quacunque via immiſtum ſanguini vitali, quum ſit ſanguine ipſo decies & ter

pon-

ponderoſius, agetur vi cordis & arteriarum contractione tanto majore impetu in compagem ſanguinis, ut eam penitus deſtruat, globos rubros reſolvat, ſeroſas flavas ſphaerulas imminuat, reliquaſque etiam partes ejuſdem in minutiſſimas frangat, & ita in laticem ſubtilem, putridum, vaſis exeuntem, convertat. Sed & noviſti, elementa argenti vivi incredibiliter exigua cognoſci, utique globis ſeroſis ſanguinis longe tenuiora, ſane dum poros cutis intacta virtute ingreditur, cognoſcitur, quod elementis majoribus ſanguinis longe ſit penetrabili. Dum vero in meatus denſiſſimi corporum auri tam facile ſe inſinuat, ipſa forte aqua magis diviſis in tenuitatem particulis conſtare colligitur; licet attractione ingenita ſuarum partium ad certum gradum tenacitatis ſe colligat. Tandem & maxime immutabile hoc ipſum foſſile videmus omniumque forte cognitorum corporum omnium minime rodens vel acre. Quibus ſane cunctis rite expenſis apparet vera vis qua ad expugnandum hoc malum ſolus efficax, ſufficiens ſolus Mercurius habetur. Vera ratio, quia omnes corporis humores in ſubtilitatem aquae convertit, olei tenacitatem dividit, facit hinc, ut evadant omnes adeo diſſoluti, ut ſpecie ſalivae, ſeri diarrhoici, urinae citae, vel ſudoris, ſponte de corpore eliminentur, veteres ita univerſi expellantur; unde niſi nova liquida commodo ſubſtituantur in locum perditorum, brevi moriuntur ſic tractati, exhauſto omni fere liquido. Nec ſane actioni Mercurii confidere in tractanda hac inveterata aegritudine fas eſto; niſi prius, ne gutta quidem intacta univerſos corporis humores, qui ullo modo pingues ſunt, in aquam redegeris, expuleris de corpore, ſicque ſimul immiſtum his tabum Venereum ablueris quam perfectiſſime de corpore affecto. Aliter, ſi quid reſtitit, ſtatim ac novi ex alimentis ſucci, qui ſemper tum renaſcuntur magis quam olim pingues perfecte vaſa repleverint, ilico novus recrudeſcit morbus. Unde deducitur, rite non curari malum, niſi palleſcat inſtar mortui aeger, niſi emacietur prorſus, niſi alimentis inter curandum quam minime pinguibus nutriatur, niſi tamdiu protrahatur ipſa curatio donec antiqui humores omnino de corpore migraverint. Neque ideo uniuscujuſque eſt, fortunato dirigere argentum vivum in felicem exitum: niſi enim monita haec fideliter obſervaveris, atque in magno ſatis, & perpetuo calore, aegrotantem continueris, poſtremo niſi & curatum jam hominem per menſem unum, alterumve, à pinguibus arcueris pabulis, atque à putreſcentibus facile cohibueris, dolebis fruſtra Te diſcruciaſſe miſerum crudeli duriſſimi remedii tortura: quum fere ſemper poſtea aliquid haereat unde ſepultus reſurgat morbus, novaſque vires capiat. Plurima pertinent porro ad lucem affundendam li-

quidam dictis. At meum hoc jam non eſt. Unum nimis edoctus addam. Argentum vivum ſola vi vitae actum hoc malum ſanat, motu expellit. Ideo & ejus medicata poteſtas haud valet corrigere, venereum tabum, quando ille figitur in locis, ad quae actio cordis, & arteriarum, vix pertingit. Hinc caricm diploës, cranii non ſanat; ſed in cellulas ejus oſſeas conſumto pingui vacuas, iners, effuſus, ſtagnat. Inde & oſſium medullam inquinatam hoc malo vix repurgat. Gonorrhoeas in ſola celluloſa penis fabrica haerentes, per quas vix ullus circumeuntium humorum impetus, nunquam ſanat; licet luem ſimul dominantem perfecte eo tempore tollat. Officula tenerrima, ſolis tenuibus tecta membranis, ut jam ſupra monui, ſervare nequit, ne excidant. Omnia haec calamitoſa mala praeſens vidi. Sed mala Venerea, quae latitant in locis, per quae arteriae rubrae, flavae, ſeroſae, pellucidae, caeteraeque, per quas liquida cum idonea velocitate ruunt, argentumque vivum admittere in ſe poſſunt, atque illud fortiter urgere vitali poteſtate, perfecte ſanari queunt Mercurii virtute. Quae profecto obſervata proderunt medico, ne diffidat in his, ne vanus ſit in illis. An igitur in malis Venereis, ubi aeger conditione loci ab argento vivo juvari nequit, deſperatus relinquendus? Nequaquam! quid ergo juvare poterit, ubi deficit Mercurius. Dicam. Lege Huttenii inſertum hic tractatum, ſed relege cum cura, videbis ablui poſſe acri lixivio Guajaci intricatiſſimum contagium. Conſiſtit artificium in eo, ut rurſum omnia pinguia reſolvantur, corpuſque ita emacietur, nihil ut olei retineat; unde hanc exſiccationis curationem vocant. Hic ſc. aeger loco calidiſſimo includendus, ut fere ſponte ibidem ad ſudandum pronus ſit. Abſtinere toto debet tempore ab omni potu, ciboque, in quo vel minimum pinguis. Unico macilento biſcocto pane, uviſque paſſis, nulla alia re, alendus. Nullo omnino reficiendus potu, niſi ſincero, at paulo leviori, Guajaci decocto. Quater interim interdiu potet decocti meraciſſimi ejuſdem tantum, quantum poteſt; utique in ſingulas vices ut minimum uncias ſorbeat octo, ſi plures, tanto rectius. Poſtquam ergo continuato aliquot dierum decurſu impletus hoc liquore fere quaſi hydropicus evadere incipit; jam cogitandum, corpus hoc plenum liquore ligni, cujus penetrabilis acrimonia, & acuta balſamica virtus, talis eſt, ut omnem fere pituitam ſolvat, pingue diluat, tenax attenuet, putridum à fracedine ulteriore condiendo praeſervet, cohibeat. Tum medicatus ille liquor fovit, maceravit, malos humores; reſtat dein, ut velociſſime motus, perque omnia vaſa trajectus celeriter, intima quaeque abluat, detergat, repurget, atque ita pinguia corporis infecta de corpore quam accuratiſſime eliminet, ſicque

que continuata hac expurgatione ſanet. Igitur vacuo jejunus ventriculo mane impleat ſe, qua poteſt, maxima copia aeger, ut turgeat; dein in ciſtella erectus ſedens lignea, vel in lecto ſub craticula, ad incenſorum ſpirituum vini flammam ardentem ſudet nudatum aegri corpus adeo diu, tamque fortiter, quam ferre poterit. Spatium dimidiatae horae ſumma fere menſura eſt; tum in lecto, remota flamma, continuet ſudorem ultra per horulam. Dein unciae octo vel decem juris macilentae vitulinae cum pauca oryza cocti calide exhibeatur. Corpus accurate pannis calidis, ſiccis, ex lana contextis, detergeatur. Surgat aeger. Qui ſic quatuordecim tractatus diebus, & mane & veſperi ita ſudet, ita à ſingulis ſudationibus reficiatur, detergeatur, repleatur decocto. Tum denique quatuordecim diebus iterum ſudet mane. Interea vero dum hac arte in ſudores reſolvitur corpus, ſi quae pars oſſis malo infecta venereo, haec eo tempore obvolvenda pannis calidiſſimis, fortiſſimo Guajaci lixivio madentibus, quin & praecipua ardentium ſpirituum flamina inter ſudandum eam verſus partem dirigitur. hac arte intima oſſium, & reconditiſſimarum partium abdita purgantur penitus, etiam quo mercurii virtus cum efficacia haud pertingebat. Etenim videre memini, juvenem penitiſſime ad oſſa uſque infectum, hac tractatum methodo tanto impetu ejeciſſe ſudores, ut in vigore operationis, ſubviridis à Guajaco ſudor elevaret, ſepararetque, ulcerum eſcharas vacillantes jam, & inferne labefactatas. Reminiſcor laetus, quod juvenem ſanaverim, jam ſaniſſimum virum, & patremfamilias, cui diverſis corporis locis oſſa tabefacta adeo, ut in digito manus articulus unus exciderit, in crure plurima loca carioſa ſpectarentur. Hac methodo rite exculta, atque obſervata, oſſicula narium, fragmenta palati, ſeparata, caetera ſincera reliquerunt. Quum vero ad ſumma haecce mala, ut plurimum ptyaliſmus, & haec decoctorum methodus, ſolent adhiberi, ſemper obſervanti conſtitit, ptyaliſmo, feliciter ſudoris expulſionem ſuccedere; ſed quoties liquore Guajaci humores corporis penitiſſime prius diſſoluti fuerant, ut ad hanc curationem deſideratur, tum ſalivatio poſtea mercurio excitanda praeſcripta, vix boni quid praeſtitit, quin imo vel maxima datus copia, aut per frictiones corpori applicatus, nihil quidquam ſalivationis excitavit. Credidi inde poſtquam idem illud aliquoties videram, argentum vivum in attenuatos penitus humores nihil fere agere, ſed ſine offenſa dilabi, atque iterum exire vix turbato ſanguine. Ut enim ſupra dixi in argento vivo nihil acris. Atque haecce quidem ea ſunt, quae inprimis commentari ſuper hoc malo, hac occaſione volui: ut aperirem publico, quid ſingularis triſti in malo

 de-

deprehenderim. Neque rectius mihi videbar locare posse tempus, quod resurgenti à fatali fere morbo domi fallendum erat, dum languor virium vetabat in publicum prodire. Fastidiosae certe aegrimoniae sensum levabat tristem laeta cogitatio, quod haec humano generi, cui propitia quaeque flagrantissime cupio, forte quandoque prodessent. Vale! Lugd. Batav. $17\frac{1}{12}27$.

NI-

# NICOLAO MASSÆ, *VENETO,*

*PHILOSOPHO PRÆSTANTISSIMO, AC MEDICO INTER OMNES ÆTATIS NOSTRÆ CLARISSIMO,*

## ALOYSIUS LUISINUS,

*Utinenſis Medicus.*

Humani generis auxiliandi ſtudio ad ſcribendum compulſos fuiſſe Græcos omnes, Arabas, ac Latinos videmus, ut ſcilicet morbos illos everterent, qui partes noſtri corporis infeſtare conſueverunt, nihil illis deterius rati, quos ipſi noſſent. Sed quod longe deterior ſit illis omnibus, qui proavorum noſtrorum temporibus cepit morbus Gallicus, tres potiſſimum rationes probant: quarum prima ea eſt, quia unam ſæpius prædicti affectus partem corporis obſident, at Gallica lues, ex quo primum per contagium virus ſuum effudit, partes omnes primarias corripit, nempe cor, hepar, cerebrum. Altera, quia non adeo illi imprimuntur, at illata ſemel venenoſa morbi Gallici noxa, ſanguis, & ſpiritus ita plerunque corrumpuntur, ut pro vitæ functionibus deſervire nequeant amplius. Tertia, quia non ita magnis illi indigent remediis, at Gallica labes nonniſi vehementibus cedit, communibus contemptis. Hinc factum, nec ſine optima quidem ratione, eſt, ut inſignes ſcriptorum phalanges tam novæ calamitatis miſertæ, ſtudioſe admodum contra tam immanem belluam ſuppetias tulerint, velut Herculis clava, ac face uſæ, id eſt, dicatis ad hunc tollendum morbum commentariis. Neque eſt ut impræſentia ſcriptores hos (ut multorum ſcio eſſe deſiderium) comparemus invicem, non ſolum quia non ita unquam vitam noſtram inſtituimus, ut cujuſquam in nos odium concitaremus, ſicut modo palam contingeret, de tantis viris judicium ferre dum vellemus: ſed eo etiam nomine, quod ex authorum iſtorum lectione, non minus certos, integrosque judices futuros eſſe lectores ſpero, qui quibus cultiores, & meliores ſint, quam qui in amœniſſimos hortos deducuntur: hi namque dum florum, herbarum, fructuumque pulchritudinem paſſim mirantur, facile ſolent ipſi ſecum, quidnam ex omnibus, quæ intus conſpexere pulchrius ſit, taciti dignoſcere: haud ignari ſi quædam laudent de cæteris ſilentes, dominum præſentem ſeſe offenſuros, qui cuncta æque laudabilia, & eſſe, quæcunque in hortis ſunt, fortaſſe cenſeat. Sed quid de te ipſo in hoc negotio ſentiam fortaſſe petes NICOLAE CLARISSIME. In quo non eſt ut aliud à me hercle exſpectes, niſi ut cum his, qui veritatem præ cæteris rebus omnibus colunt, exclamem, talem te eſſe in profligandâ peſte hac Gallica, uti mundo donatus de induſtria à Deo optimo maximo in calamitates noſtras demum reſpiciente, videaris: qui arte tua mirifica, & ingenio ſolertiſſimo tam pertinacem, efferamque ægritudinem de medio tolleres. Neque ego credi mihi ita dicenti velim, ſed nobilibus hujus Urbis, totiuſque fere Europæ viris quamplurimis magni nominis, qui nomine tuo audito partim per literas te conſuluerunt tanquam alterum Æſculapium, partim ipſi ad te undecunque pervenere, & ad priſtinam ſanitatem, ad quam recuperandam non ſat erant cæterorum medicorum præſidia, te duce revocati, læti in ſuas quiſque regiones rediere, maximam tibi, ob rem bene geſtam, argenti atque auri vim donantes, ita ut quicquid poſſides (quod quantum ſit omnes norunt) Heroum, Principumve largitione perveniſſe ad te conſtet, non ex nummo paulatim ex populo coacervato, ut eſt diteſcendi mos plurium hujus Urbis medicorum. Hæc de te pauca dixiſſe impræſentia ſatis eſt, quem puto certe regulam eſſe in natura quandam, & exemplar ab ipſa natura unicum inventum ad demonſtrandam ultimam (quod de Ariſtotele ſenſit Averroes) perfectionem in qualibet materia humanam. Venio modo ad negotii noſtri tractationem, ut cauſam, qua ad id ſuſcipiendum commotus ſum, explicem, id eſt, utilitatem hujuſce tractationis doceam. Ordinem qui authoribus his in hoc volumine aſſignatus eſt, demonſtrem. Nomina authorum ipſorum proferam. Proportionem horum librorum ad cæteros medicinales conſiderem. Diviſionem, quam in ſcribendo dicti obſervarunt authores, tradam. Nam quod ad utilitatem ſpectat, duplex ſane futura ea eſt, altera quidem, quod cum in ſuperioribus omnibus impreſſionibus omnes inſignium iſtorum virorum lucubrationes fœdis admodum, innumerisque fere conſpurcatæ errorum maculis in ſitu jacerent, lectorum animos à ſui lectione omnino avocantes, ita ſunt noſtro labore ab omni injuria ſuperiorum impreſſionum vindicatæ, ut quos antea ſui fœditate nauſeabundos reddiderant, eoſdem modo avidiſſime allecturæ procul dubio ſint: altera ea eſt utilitas futura, quod cum pauci reperirentur, qui plusquam unum, aut alterum hujusmodi authorum haberent, parum etiam fortaſſe illis aſſentiebantur. At in nobiliſſimo

 hoc

hoc Συναθροίσμω, seu congerie, omnes qui de morbo Gallico hactenus scripsere viri alicujus nominis sunt, ita ut omnium voluntati satisfieri posthac posse in hac materia minime diffidam: si quis enim sermonis in scribendo elegantiæ cupidus est, habet inter hos authores qui cultis admodum verbis rem tractant. Siquis illis magis adhæret, qui neglecto verborum lenocinio rem propriis contenti, licet crassioribus vocabulis, optime docent, non desunt quos hic sequi possit: siquis brevitatis amans est, habet qui breves sunt, si prolixitatis, qui prolixi. Ordinem porro sortiti sibi sunt authores duplicem, primum quidem in primo indice per literarum elementa, alterum in tractatione, prout quisque per tempora scripsit: Quod si quis non adamussim observata à nobis tempora ipsa objiciat (quod in paucis contigit, qui serius ad manus nostras pervenere quam locus postulabat,) Agesilai exemplo eum consolari facile possumus, ille enim puer adhuc, in gymnicorum ludorum celebratione, loco minus honesto à chori magistro collocatus (licet jam Rex foret declaratus) obtemperavit, dicens. Euge demonstrabo non locis viros, sed viris loca effici honorata. Proportionem librorum istorum ad libros medicinales reliquos non est facile statuere, de natura nanque morbi Gallici magnum est dissidium, ita ut discuti à nobis hoc loco nequeat, nunquid opus hoc redigendum sit ad tractationem intemperiei præter naturam, an ad vitium in compositione, an ad unitatis solutionem, an potius (ut aliorum est opinio) ad morbos in tota substantia. Circa divisionem illud observandum, quod omnes ad tria præcipua capita reducunt totam suam de morbo Gallico conscriptionem, nempe ad morbi Gallici originem, & causas, ad signa, demum ad curam. Redeo modo ad te Vir præstantissime, quem rogatum etiam atque etiam velim, ut quod sub tuo felicissimo nomine volumen apparuit, fovere memineris, ac tueri. Fovebis autem, ac tueberis, si magnam te partem esse hujus voluminis agnoveris, tu enim inter hos omnes scriptores unus es pro mille, & velut inter astra lucidus Sol, sed non est ut ego tua tibi pluribus commendem. Vale Medicorum Hippocrates, & sæculi splendor. Venetiis MDLXVI.

# JORDANUS ZILETTUS

## CANDIDO LECTORI.

*Quoniam unaquæque disciplina exactius omnino comparatur ab addiscente, ubi is plura perlegerit, quæ ad illam disciplinam pertinent, ob id non sine ratione factum esse à nobis puto, qui in suscepta ad profligandum morbum Gallicum provincia, omnes qui ad hanc usque diem de eo scripsere, in unum veluti corpus cogere desideravimus, ut unicuique studioso, optima admodum, ad morbi Gallici cognitionem & curationem, ex tot authorum lectione, pateret via. Factum est igitur ALOYSII LVISINI Vtinensis Medici eximii, virique solertissimi indagine, atque studio, ut magnum authorum, qui de hoc affectu scripsere, numerum habuerim. Quos in duos divisimus Tomos. Primus eos complectitur qui impressi alias fuere, sed non omnes, nam ne corpus ejus admodum excresceret, rejecimus nonnullos eorum in alterum Tomum, in quo sunt & hi pariter qui manuscripti duntaxat antehac fuere. Cæterum ne tuam Lector Candide amplius expectationem frustraremur, primum tibi exhibendum in præsentia Tomum constituimus, propediem mox alterum dabimus, atque ita tempestive, ut ante fortasse imprimi eum posse speremus, quam tu primi lectionem Tomi compleveris. Interim vale, & consilium nostrum boni consule. Ex officina nostra.*

IN-

# INDEX AUCTORUM

## Quorum integri Libri, vel Epiſtolæ, vel Capita duntaxat, habentur

## TOM. I.


A.

Almenar (*Joannis*) *Hiſpani, de morbo Gallico liber. pag.* 359
Amati, *Luſitani, de morb. Gall. & Scabie Gallica Epiſtolæ duæ*, 651
—— *ejuſdem methodus propinandi Chinam*, 654
Aquilani (*Sebaſtiani*) *de morbo Gall. liber*, 2

B.

Bayri (*Petri*) *Taurinenſis, de doloribus Gallicis caput unum*, 654
Benedicti (*Joannis*) *Germani, de morbo Gall. liber*, 167
Benivenii (*Antonii*) *Florentini de morb. Gall. caput unum*, 399
Braſſavoli (*Antonii Muſæ*) *Ferrarienſis de morb. Gall. liber*, 658
——— *ejuſdem cum* Alexandri Fontanæ, *Mutinenſis de morb. Gall. & ligno ſancto quæſtionibus*, 706
——— *ejuſdem Braſſavoli de Radicis Chinæ uſu liber*, 711

C.

Cardani (*Hieronymi*) *de China Radice libellus*, 755
Catanei (*Jacobi*) *de morb. Gall. liber*, 139

F.

Fernelii (*Joannis*) *Ambiani de lue Venerea Dialogus*, 610
——— *ejuſdem de lue venerea caput unum*, 614
Ferrandi (*Conſalvi*,) *de ligno Guajaco caput unum*, 355
——— *ejuſdem de Ligno Sancto caput alterum* 358
Ferri (*Alphonſi*) *Neapolitani de Ligno Sancto liber*, 404
—— *de morbis à capite ad pedes curandis per Lignum Sanctum liber*, 415
—— *de morbo Gallico liber*, 434
—— *de exhibendo vino ex ligno Sancto liber*, 446
Fracaſtorii (*Hieronymi*) *de morbo Gall. poematum libri tres*, 183
—— *Proſaica Lucubratio de morbo Gall.* 199
Fuchſii (*Leonardi*) *der morb. Gall. caput*, 598

G.

Galli (*Antonii*) *de ligno Sancto non permiſcendo, liber*, 455
Gilini (*Conradini*) *de morb. Gall. libellus*, 342

H.

Hock (*Wendelini*) *de Brackenau de morbo Gall. opus*, 310
de Hutten (*Ulrichi*) *de morb. Gall. liber*, 275

L.

Leoniceni (*Nicolai*) *de morb. Gall. liber*, 15
Loberæ (*Aloyſii*) *de morb. Gall. liber*, 370

M.

Macchelli (*Nicolai*) *de morb Gall. liber*, 730
Manardi (*Joannis*) *de morb. Gall. epiſtolæ*, 599
—— *de ligno Indico epiſtolæ duæ*, 606
Maſſæ (*Nicolai*) *de morb. Gall. liber*, 39
Matthæoli (*Petri Andreæ*) *de morbo Gall. liber*, 246
Maynardi (*Petri*) *de morbo Gall. liber*, 390
Montani (*Johannis Baptiſtæ*) *de morbo Gall. liber*, 554
—— *de eodem morbo Epiſtolæ*, 566
Monteſauri (*Natalis*) *de morb. Gall. liber*, 114

P.

Paſchalis (*Johannis*) *de morbo Gallico liber*, 219
Phriſii (*Laurentii*) *de morbo Gallico liber*, 346
Pollo (*Nicolai*) *de morbo Gallico liber*, 242

S.

Scanaroli (*Antonii*) *de morbo Gall. liber*, 123
Schmai (*Leonardi*) *de morbo Gall, liber*, 383

T.

Torellæ (*Gaſparis*) *de Pudendagra liber*, 491
—— *de dolore in Pudendagra Dialogus*, 502
—— *de Ulceribus in Pudendagra liber*, 527
—— *Conſilia quædam adverſus Pudendagram*, 546

V.

Vellæ (*Georgii*) *de morb. Gall. liber*, 206
Veſalii (*Andreæ*) *de Radice Chinæ Epiſtola*, 586
—— *ejuſdem Scriptum Italicum Latinum factum de modo propinandæ Chinæ*, 595
Victorii (*Benedicti*) *de morb. Gall. liber*, 615
—— *de eodem Conſilium*, 650
de Vigo (*Joannis*) *de morb. Gall. cap. duo*, 450.

# INDEX AUCTORUM,

Qui TOM. II. comprehenduntur.


B.

Bayri (*Petri*) *Taurinenſis*, *de Doloribus Muſculorum Caput*, 850
Borgarutii (*Proſperi*) *de morbo Gallico Methodus*, 1118
Botalli (*Leonardi*) *Aſtenſis*, *Luis Venereæ curandæ Ratio*, 859
Brocardi (*Marini*) *Veneti*, *de morbo Gallico Tractatus*, 966

C.

Chametei (*Antonii*) *Vergeſaci*, *de morbo Gall. liber.* 850

F.

Fallopii (*Gabriëlis*) *Mutinenſis*, *de morbo Gall. liber*, 762
Ferrerii (*Augerii*) *Toloſatis de Pudendagra libri duo*, 906
Fontanini (*Dionyſii*) *Cephalalgiæ*, *à Gall. morb. curatio*, 954
Fracantii (*Antonii*) *Vicentini*, *de morbo Gall. liber*, 831
Frizimelicæ (*Franciſci*) *Patavini*, *de morbo Gall. Tractatus*, 980
—— *adverſus defluvium pilorum lucubratiuncula*, 998

H.

Haſchardi (*Petri*) *Inſulani*, *de morbo Gall. Tractatus*, 930

L.

Langii (*Joannis*) *Lembergii*, *de morbi Gallici tuberibus epiſtola*, 847
Leonis (*Dominici*) *Lunenſis*, *de Zuccano de morbo Gall. caput*, 903

M.

Maggii (*Bartholomæi*) *Bononienſis*, *in morbo Gall. Conſilium* 1155
Montagnanæ (*Bartholomæi*) *Junioris*, *in morbo Gall. Conſilium*, 958

P.

Paſchalii (*Michaëlis Joannis*) *Valentini*, *de morbo Gall. Tractatus*, 1114
Petronii (*Alexandri Trajani*) *de morbo Gall. Lib. VII.* 1167

R.

Rinii (*Benedicti*) *Veneti*, *de morbo Gall. Tractatus*, 971
Rondeletii (*Guillelmi*) *de morbo Gall. liber*, 935

S.

Strutii (*Joſephi*) *Bononienſis*, *de morbi Gall. pulſibus caput*, 955
Sylvii (*Joannis*) *Inſulenſis*, *de morbo Gall. Tractatus*, 1107

T.

Tomitani (*Bernardini*) *Patavini*, *de morbo Gall. libri duo*, 1015
Trapolini (*Petri*) *Patavini*, *de morbo Gall. Tractatus*, 1002


SE-

# SEBASTIANI AQUILIANI,

*Medici Præſtantiſſimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS.

*Ad Excellentiſſimum Mantuæ Marchionem,*

## *LUDOVICUM DE GONZAGA,*

*Eundemque Reverendiſſimum Epiſcopum.*

## PROOEMIUM.

*Etſi Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Ludovice, omnia quæcunque ingenio ac ſtudio conſequi poſſumus tibi facile ſuppetant, tamen ab adminiſtratione Coſmici noſtri non alienum arbitratus ſum ad te ſcribere ea, quæ diebus elapſis de ægritudine quam Morbum Gallicum vocant, apud principes noſtros diſputata ſunt, non tamen ut aliquid tua celſitudine dignum adducerem, ſed ut illa quæ de illo morbo ego ſentirem, quæque reliqui arbitrantur exactiſſimi iudicii cenſuræ apponeres examinanda. Non enim temerarium viſum eſt principi bonarum omnium diſciplinarum ſtudioſo, aut in notitiam venire, aut eundem ſuarum quarumcunque lucubrationum participem voluiſſe. Quandoquidem ſi integerrimo Coſmici judicio credendum eſt; neque in quibuslibet diſciplinis diligentiorem, neque eruditionum omnium amantiorem iſta hæc audiat ætas. Quare (niſi hanc noſtram audaciam in bonam partem accipere dedignaris,) & me differentem, & antiquorum ſententias medicorum afferentem tuo humaniſſimo ac luculentiſſimo ingenio facile feras. Quocirca ne mihi aliquando confuſa oratio haberetur, in tria capita volui præſentem materiam dividere. Declaratur primo quo nomine debeat appellari hæc ægritudo, & quod in Galen. operibus memoria habeatur. Decrevi namque ex hujus principis medicorum ſententia verba facere. Quare ſat mihi erit, ſi ex illius doctrina oſtendero ſub quo propinquo genere talis ægritudo collocetur. Ille enim vere in medicina ſe profeciſſe ſciat, cui Galen. placebit: ut Quintiliani verbis de Cicerone utar. Secundo vero an talis morbus ſit unus vel plures. Tertio ex declarati morbi definitione veniam in rationalem curam.*

### Cap. I.

*De Nomine hujus Ægritudinis.*

Primum itaque ſufficienter abſolvam, ſi per exactiſſimum modum declarandi Galen. procedam, quem ſecundo microtechn: exercuit, videlicet per eſſentialiter inhærentia rei. per ea quæ à proprio. & tertio per ea quæ ſymptomata, ſive caſus appellantur. Dicamus igitur quod ubi concederetur hunc morbum nunquam apparuiſſe in noſtra regione, nec aliqua apud antiquos memoria haberetur, non propter hoc tum tollitur inveſtigandi modus, & tandem veniendi in veram cognitionem ad minus ſubalternorum generum, unde fit apertum iter venandi appropriatam ſpeciem, quamobrem accipiamus communem omnium medicorum confeſſionem, morbum ſcilicet eſſe diſpoſitionem præter naturam, qua corpus ſenſibiliter in operationibus læditur, ut colligitur primo de morbo, & primo ſanativorum. Quot igitur modis diſponetur primo præternaturaliter corpus ut actioni noceat, tot erunt prima morborum genera: hoc autem ſcietur, ſi quæ integrant corpus ad naturalem actionem cognoverimus. Hæc autem ſunt corporis complexio, compoſitio, & conveniens unitas. Tria igitur erunt prima genera ſub morbo repoſita ad modum loquendi medicorum: & ne longior quam conveniat procedat ſermo, videndum eſt primo an compoſitionalis debeat dici ægritudo. Hoc autem commode fit, ſi talem naturam in ſuas partes reſolverimus, ipſam integrantes. Hæc vero ſunt quæcunque exiguntur ad morbi compoſitionem, ſi compoſitum membrum ſuam debeat facere actionem. Illa ad quartanarium numerum reduxit Galen. primo de morbo, videlicet ad debitam membri formationem, ad convenientem partium numerum, ad laudabilem quantitatem & bonam diſpoſitionem. quæ quidem ſi præternaturaliter ſe habuerint, quatuor facient genera morborum in compoſitione, quibus habitis, videndum eſt an Gallicus ſub aliquo iſtorum morborum quatuor generum reponatur. hoc autem ſtatim innoteſcet, ſi accipiatur unum, quo omnes conveniunt, ſcilicet per hunc morbum lædi principaliter organica membra, quod & ſenſus ipſe declarat. Nam in hac ægritudine multæ partes corporis extenuantur, aliquæ craſeſcunt: quæ quidem non ad ſimplicia, ſed compoſita membra referuntur. quo fit ut manifeſte concludere poſſimus, hanc ægritudinem eſſe compoſitionalem. Primum quidem compoſitionalis naturæ genus diximus plaſma, ſive formationem. Ad hoc autem ut membrum fit bene plaſmatum, hæc neceſſario concurrunt, debita membri figura, conveniens porus, cum debita aſperitate, & condecente lenitate. Si igitur membrum propter hoc recedit, vel propter aliquod iſtorum à debita cœqualitate cadet in morbum, qui fit in plaſmate. Et cum dictum ſit ex hoc morbo multa membra macrefieri, aliqua ingroſſari (exaſperatur enim cutis quæ deberet eſſe lenis in multis partibus corporis, unde debita ſive naturalis forma corrumpitur) inferri poteſt eſſe morbum in forma concluſum. itaque patet hucuſque eſſe compoſitionalem morbum in forma: quem etiam morbum tetigit Galen. 2. de morbo. Ex quibus via eſt jam agilis ad inveniendum appropriatam ſpeciem ægritudinis hujus per eſſentialia huic morbo inhærentia. Dictum etenim eſt formam naturalem membri ex debita figura, concavitate pori, aſperitate, & lenitate componi. Quæcunque igitur ſigna ſumuntur ab iſtis, aut ab aliquo iſtorum, erunt ſigna ſumpta à rei ſubſtantia. Ab iſtis igitur arguendo, ſtatim deveniemus in cognitionem propriæ ſpeciei, quam ſedulo quærebamus, verum ingroſſantur membra per hunc morbum, puſtuloſa fit cutis & tantæ groſſitiei, ut ſimilitudinem habeat ad pellem elephantis, ſubtiliantur & multæ corporis partes, & intumeſcit facies, adeo ut ſatyrica corpora videantur: quæ omnia tribuit Galen. elephantiaſi morbo, ut ſtatim ex diverſis locis declarabimus. Nam ut certior fiat proceſſus, adducam verba Galen. ſecundum propriam ſeriem. unde manifeſtum erit quantum ad hoc, hunc, qui ſerpit in populum morbum, eſſe elephantiaſim. In libro autem de cholera nigra inquit. Apparent autem & aliter abſque febriendo plurimis puſtulæ ſecundum cutim factæ ingroſſatam & exſiccatam, abundantem melancholico humore ipſum expellente foras, nam ex hujus genere eſt elephantia-

tiasis. Item Galen. in libro de deffinitionibus. Elephas est passio crassa, & inæqualis. Item in secunda parte introductorii antequam loquatur de divisione curationis, quæ sit per pharmacum in capitulo de elephantiasi. Cutis enim hac passione contentorum & crassior est, & durior, similitudinemque habet ad pellem elephantum. Rursus secundo de morbo. Siquidem & elephas nominatur & tabes: manifeste autem permutant formam: & postea subdit. Et universum, similes satyricis elephantes fiunt. Formantur satyrici, rubicundi, ridentes apertis labiis, dentes ostendentes, facie quemadmodum inflata, alia aliter, reliqua habentes subtilia, quorum alia expressit Philostratus in imaginibus. Inquit enim inspectant adolescentem rubicundi, & ridentes apertis labiis, dentes ostendunt, & ob id aliquando morbum appellant satyricum, unde & in libro de tumoribus præter naturam. Quibusdam vero eorum ultra adinveniunt hanc passionem: cum incipit, consueverunt vocare satyriasim: satyris enim facie similes fiunt. & parum infra. Fiunt & secundum alias particulas carnium eminentiæ. Item sexto de morbo Et similiter nigram choleram alias carnem, atque apertam elephantiasim ab elephante dictam. Et quia causæ morbi, reducuntur ad substantiam morbi, cujus sunt causæ, ideo signa sumpta à causis hujus morbi dicantur quomodo sint sumpta ab essentialiter inhærentibus, quod Galenus exercuit secundo de crisi. Cognoscitur autem causa faciens morbum ex ratione exeuntium, ut docuit secundo de crisi: ratione coloris ut in libro de phlebotomia. Inquit enim, albiores fœminæ albiorem sanguinem coacervant. Nigriores vero grossiorem, & melancholiorem. Item in decimo meminit. Rursus in decimoquarto therapeuticæ. Differentibus tandem aliter demum tumoribus, non in colore solum, sed in differentiis quæ secundum calidum, frigidum, duritiem, & mollitiem. ideo ruber quidem tumor, manifeste indicat hic existere sanguinem. Item & figura pustularum facit ad caulæ cognitionem, ut Galen. in commento xvi. particulæ Aphor. ponit ibi. Latæ pustulæ incipientes. Ergo ad exeuntia, apparet tales pustulas emittere aliquantulam saniem lividam non bene olentem. sed his temporibus humorem quemdam album, qualis est albedo oculi. interdum subrubeum cum quadam lividitate videmus, quæ omnia ostendunt materiam talis ægritudinis esse aut ipsum sanguinem melancholicum, aut nigram choleram, aut crassum phlegma. De phlegmate autem non est dubium. Nam contigit paulo post dum hæc disputata fuerant etiam facta quod anatomia cujusdam qui in vita patiebatur talem ægritudinem cum doloribus, & aliis quæ huic morbo sunt solita complicari, inventaque est mirabilis copia phlegmatis viscosi in junctu-ris genu per spatium fere octo digitorum supra juncturam, separatisque præterea cannis facientibus junctura exivit major copia, adeo ut judicatum sit repletam esse medietatem unius cyathi. Nec poterat esse ros futurum nutrimentum, quia in illo, & nullo alio consimili? Nec ros est illo modo coadunatus, sed est aliquid irrorans membrum nutriendum ut colligitur primo naturalium virtutum à Galen. Similiter ossibus ibi existentibus advenit nutrimentum per concavitates, musculis per propria vasa. Similiter membranæ quamvis carnes, & membranam se ipsa regentia appellaverit Galen. 2. techni. hoc tamen eodem modo quo de interioribus primo declaratum est. Diceretur fortasse causa humectandi loca illa, quia sicca, & in nimio motu. hoc tamen non negatur. attamen falsum est quod tanta humectatione indigeat. Nam cur in aliis juncturis hoc sub tanta quantitate non est inventum? In genu namque sinistro invenimus de eodem humore in subdupla quantitate, nec obstat si dicatur quod dextrum latus debet esse humidius ratione hepatis: quia dextra pars matricis est calidior & siccior, ut in libro de spermate ostensum est. Sed redeat nunc sermo noster unde discessit; attendendo colorem pustularum subalbidum, aliquando subnigrum aliquando aliquali subrubedine: quæ prædictos humores ostendunt. Item figura pustularum plana est & ad sensum patet, quæ frigidam ostendit materiam ut habetur in comm. Aphor. sextæ particulæ superius adducto. Has omnes easdem causas, & omnia alia ascripsit Galen elephantiasi. Nam ait in libro de tumoribus præter naturam. Melancholica vero passio est, & elephas propriam quidem generationem habens ex sanguine melancholico. in tempore vero fit nigra. Item in lib. de cholera nigra. Ubi etiam ait quando qualitates obtineat mitiores niger humor sanguini commixtus subrubeam elephantiasim operatur. Similiter secundo ad Glauc. Rursus in secunda parte introductorii. Similitudinem habent ad pellem elephantis. Causa autem passionis est phlegma grossum, & nigra cholera. Item undecimo de simp. medicina capite de carne. Et veluti quidam cortex excidit à cute, in qua detinentur maxime grossi, & viscosi humores, delati in cute, in quibus scabies, & lepra, & elephantes fiunt. Præterea in libro de

A definitionibus. Cujus color lividus est secundum colorem album oculorum. Causam vero materialem, sive subjectivam primo de differentiis febrium ex Hippoc. sententia in libro Epidemiarum manifeste retuli in ea quae sumuntur ab essentialiter inhaerentibus. Si quis vero subjectivam hujus morbi causam requirat certum est quod cutim inveniet. Vidimus namque in anatomia pustulas istas vix penetrare cutim, plurimas vero in ipsam superficiem. Sed quia ista ad sensum cognosci possunt, probatione non indigent. Consimiliter Galen. elephantiasim cutaneum morbum voluit in libro de cholera nigra, ubi morbum secundum cutem appellat. Similiter in libro de tumoribus præter naturam inter melancholicas & cutaneas passiones reposuit. Secundo ad Glauc. dixit elephantiasim fieri ex humore diffuso per cutem, maxime ad faciem. Similiter xi. de simp. medicina. Item in suo introductorio allegato capitulo. Elephantia, lepra, impetigo, & scabies, alphos, lence, ponuntur morbi cutanei cum manifestis aliquando cutis exulcerationibus. Ex quibus omnibus summatim concluditur quantum ad essentialiter B inhærentia hunc morbum esse elephantiasim secundum Galenum, quare &c. Expediendum est modo quam brevioribus poterimus quo modo concludi possit à necessario consequentibus propositum nostrum. Hoc autem ad duas differentias reduxit Galen. in libro de constitutione artis medicativæ, scilicet ad necessario consequentia dispositionem, & necessario consequentia differentiam, sive modum dispositionis: sed prima nunc accipientur à nobis. Illorum vero quædam in initio morbi apparent, quædam vero in processu morbi, ut ex allegatis superius locis colligitur à Galen. Et quia compositio, de qua nunc est sermo noster, in organicis consistit, hæc autem aliquando æqualia habentur, primo modo sanitas secundum compositionem judicabitur, alio modo diversimode lapsa secundum quod diversimode in sensus fit impressio, ut alias dictum est. Ad debitam autem coaequalitatem sequitur necessario pulchritudo, sed ad indebitam deformitas. Signa igitur sumpta à pulchritudine, aut deformitate dicentur accepta ex necessario consequentibus compositionem. Idem erit judicium de quocunque alio necessario consequente quocunque illorum, quod essentialiter con- C currebat ad integrandam compositionalem naturam. Dicamus igitur quod tales hoc genere morbi laborantes, & si non statim à principio, saltem in processu temporis fiunt, ut quisque sensibiliter cognoscere potest. Consimilem proprietatem attribuit Galen. elephantiasi in locis allegatis. expresse tamen in libro de tumoribus præter naturam, & in simplici medicina. Inquit enim, quandoque horribiles sunt ad videndum. Item, ipse autem factus deformis. Sed ut adhuc distinctius ista videamus, & brevius non recedentes à modo procedendi Galen. suppono quod ab ipso notatur primo de ingenio sanitatis videlicet accidens, quod convenit humano corpori duobus modis ad summum esse: aut quia actioni virtutis contingit, & dicitur nocumentum ejus, aut alio modo immutavit corpus, sicut colores primo modo dicimus propria accidentia, secundo modo communia. His acceptis, dicamus cum eodem tertio de morbo & accidente, quod actio quæcunque nostri corporis, tribus modis læditur, corrupte, diminute, ablate. Consimiliter est in genere, tot etiam modis variabuntur accidentia. virtutis autem differentias multi plures faciunt, multi vero unum, ut xii. therapeut. tangitur. Sed quomodocunque sit, tot modis primo variabitur proprium accidens, quot modis & ipsa virtus recepta. Postea & illa trimembri divisione discurrentes, præterea per nocumenta, quæ accidunt actioni virtutis, descripta à Galen. in patiente elephantiasim omnia illa inveniemus, & in talibus qui hoc genere morbi laboraverunt, quo fit, ut manifeste concludi possit per argumenta scilicet à proprio, hunc morbum esse elephantiasim secundum Galen. quare &c. Restat ultimo inquirere quantum ad ea quæ casus vocantur, & proprie accidentia, quæ aliter contingunt corpori quam prædicta: illa autem actioni contingunt ut dictum est. Casus autem reducentur aut ad qualitatem mutatam, aut ad exiens mutatum, aut ad utrunque, non sic intelligendo quod omnia quae ab istis sumuntur dicuntur proprie accidentia: sed hoc sane intelligentibus relinquatur: sed ad qualitatem mutatam, accidentia ad quatuor modos reduxit Galen. (nam talia accidentia ut comprehenduntur visu, aut odoratu, aut gustu, aut tactu) tertio de morbo hoc. Discur- E rendo igitur per ista inveniemus Galen. ut supra tactum est, elephantiasi tribuere colorem quendam lividum, ut in libro de definitionibus. similiter & horribilitatem ad videndum: similiter & de his quæ olfactu percipiuntur. Unde xi. de simplici medicina. ipse autem jam foetebat factus deformis. sentitur autem talis foetor ab istis. unde multoties volens hoc experiri, ego, factus prope, percepi illos male olere: imò & unusquisque qui tali morbo la-

bo-

borabat ex hoc videbatur esse sibi majori fastidio. ubi vero per consimilia alia discurramus, hunc modum sectantes, inveniemus omnia uniformiter corruere. Similiter etiam & per exeuntia mutata possemus discurrere: sed reliqua haec dimittamus volenti ulterius considerare: & qui exactiori experientia premeretur, imitando semper processum artificialem Galen. III. de morbo. Mihi vero satis sit, summatim ex omnibus istis ita collectis aperte ostendisse propositum nostrum ex Galen. intentione fuisse sufficientissimum, ut nostræ fuerat intentionis. Tamen ad propositi nostri confirmationem adducam Cornelii Celsi autoritatem. libro namque tertio, ubi de elephantiasi facit mentionem sic inquit. Ignotus autem pene in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem elephantiasim Græci vocant. isque longis annumeratur. totum corpus inficitur, ita ut ossa quoque inficiantur, summa pars corporis crebras maculas crebrosque tumores habet cum his quæ sequuntur. hoc idem sentit Plinius. si quidem XXVI. c. I. tribuit elephantiasi omnia quæ cernimus in hoc populari morbo. Nec mirandum est: quia dixerat ipsam à facie sæpius incipientem in nare primo veluti lenticula: nam tales cutanei morbi apud diversos diversis modis possunt incipere ex dispositione partium subjecti patientis, ut nos in hoc morbo hodie videmus. Non enim apud omnes in pudendis incipit, imò alias is morbus erat lethalis, etiam cita morte. Quod Serenio medico referente, ex malignitate materiæ facientis morbum. hoc tamen hodie raro accidit, ut in tertia parte dicetur. Ex quibus jam clarum est omnibus, qui animo non perturbato hanc rem trutinarent, morbum dictum vulgo Gallicum, esse elephantiasim. Etiam primæ parti finem imposuissem, nisi Conciliatoris dicta aliquantulum me retinuissent. Differentia namque. CLXXVII. ex plurium virorum illustrium sententia, quos longum esset enumerare, innuit elephantiasim esse nefandam lepræ speciem. Item etiam Galen. ipse vitus est hoc concedere, ut ex suis verbis elici potest secundo de morbo, ubi agitur de causis morbi in forma sub hac serie. In leprosis enim dilatatur nasus, auricilius grossius efficitur, aures subtiliantur, & fiunt quasi illud quod appellatur elephas. Rursus VI. ejusdem, ubi est sermo de his quæ digestioni contingunt, & nutritioni, sic habet. Et inde in hujusmodi carne lepra generatur, quam Helleni appellant leuchim, quod albedo interpretatur: & similiter carnem nigram atque asperam elephantinam, atque leoninam nominant. Item secundo ad Glauconem circa finem, videtur concedere elephantiasim quasi universalem cancrum. Adhuc ibidem ait quod eradicatas & inveteratas reprimere licet magis quam sanare, isti autem sanantur. Paulus namque Ægineta, qui dicta Galen. in compendium redidit, in principio quarti libri ubi de elephantiasi agit, voluit elephantiasim quasi universalem cancrum: imò & Cappadocem Aetium scio fuisse hujusmodi sententiæ. Sed quia locus ab autoritate debilis est, nisi rationibus fortificetur, justum erit & aliquas rationes subnectere, quarum hæc sit prima. Si apud Galen. elephantiasis non esset morbus a nobis dictus lepra, sequeretur eum insufficientem, & inartificiosum in dando nobis medicinam, quod nefas est dicere in medicorum regem, patet hoc: nam nullibi fecit mentionem de cura lepræ. Præterea quæcunque tertia quarti dicit Avic. de lepra, dicit Paulus de elephantiasi. Similiter quæcunque Galen. de elephantie, Avic. de lepra, quo fit ut elephantiasis apud Paulum & Galen. sit lepra apud Avicen. Præterea Plinius quem dixi nostri parti favere, aperte mihi est contrarius: nam in allegato loco voluit hunc morbum Ægypto peculiarem, exitialemque Ægyptum habitantibus. Si quandoque tali genere morbi rex vexaretur, utebatur balneis ex sanguine hircino. Consimile remedium legimus in historiis consuluisse medicos Constantino Imperatori qui lepra laborabit, quare &c. Alia possent adduci argumenta, quæ causa brevitatis relinquentur, cum inferius ponatur universalis solutio. A talibus autem brevi me expediam cum nec apparentem habeant difficultatem secundum nostrum Galen. secundum quem erat propositum nostrum præsentem materiam declarare: quare quicunque alii oppositum dicerent, propositum nostrum non destrueretur, sed posset in hoc calumniari. Dicerent nonnulli, temerarium fore tantum mihi arrogare, me his melius dicta Galeni intelligere, eo maxime cum Paulus Ægineta dictis nostris contradicat. Sed unum rogo, ut, qui hæc nostra dicta aliquando, dum otiosi sunt, percurrent, æquo adsint animo, nec me repente indefensa causa condemnent. Ostendam proculdubio ex dictis Pauli & Galen. elephantiasim apud Paulum esse longe diversum morbum ab exulcerationibus dictis modo. Ex quibus omnibus summatim concluditur quantum ad essentialiter inhaerentia, hunc morbum esse elephantiasim appellatam. Paulus itaque in principio quarti libri laudat authoritatem Aetii qui voluit elephanta curationem attingere non posse: & ut omnia meliori modo procedat, ponam prius verba Pauli secundum propositum ordinem. Inquit ille, recte puto Cappadocem Aetium dixisse oportere videlicet virorum auxiliorum impetum esse ipsis ægritudinibus, & facilius curari non posse elephantem. non enim reperi modo inveteratum ipso validius, nam si cancer cum sit elephas existens in una particula incurabilis & apud ipsum Hippolytum existimatus est, quomodo non magis elephas quasi cancer quidam existens in toto corpore penitus incurabilis erit? hæc ipse ad verbum. Ex quibus sic formatur ratio secundum Paulum: nulla elephantiasis recipit curationem: sed elephantiasis secundum Galenum recipit curationem, igitur elephas secundum Galen. non est elephas secundum Paulum. Sed dicet quis, minorem assumpti syllogismi non esse veram, nam ibidem Paulo inferius inquit. Quamobrem de his qui tali morbo vincti sunt, desperandum est, sed in principio morbo existente, ita ut neque aliquod extremum exciderit, neque superficies exulcerata sit, nec etiam tumores ad plurimum elevati sint, sed turpior quodammodo solum facies (scilicet ut hæc non valde dedecens appareat) curare tentabimus &c. Ex quibus dicet ille, secundum Paulum in principio morbus curati potest, in quo Galen. curavit elephantiasim, & ita syllogismus non procedit. Sed hæc nobis non obstant, primo. Nam Paulus non dicit in principio non posse curari, sed quod ipse conabitur curare, ac si diceret extra principium ægritudo hæc non recipit curationem, sed si possibile sit aliquando hanc ægritudinem curare, in principio conemur. Ex his potius arguitur impossibilitas; iterum his omissis arguatur sic, elephas secundum Paulum non recipit curam extra principium, sed secundum Galen. elephas recipit curam extra principium &c. Minor facillime deducitur. Nam undecimo de simplici medicina, ubi de carne loquitur, referens causalem quandam experientiam de elephantioso, quem dicit aliquandiu conversatum cum hominibus, deinde quia jam foetebat factus deformis, constituta est illi humilis casa, postea dierum intervallo illi cibos afferebant, canicularibus præterea diebus senatus est. Quis diceret hanc esse in principio suæ aegritudinis, foetor namque cum deformitate ostendit illum exivisse principium, quod apparet ex his quæ dicit in libro de tumoribus praeter naturam, inquiens, elephantiasim proprium generationem habere ex sanguine melancholico: tempore vero fit nigra cholera, quando scilicet foetidi sunt & horribiles visu, ac si diceretur procedente tempore quando non sunt in principio fit nigra cholera. Consuevit namque Galen. cum ægritudo est in principio, dicere illam esse in principio, ut eodem capitulo de illo quem quarto loco ponebat, inquit. Is in principio passionis erat, de primo hoc non, sed quod foetebat cum deformitate, significat namque confirmatum fuisse illum in ægritudine. Rursus in illomet capitulo ubi de philosopho illo quem excellentis doctrinæ prædicat, inquit, quod potius desiderabat mori quam sic flebiliter vivere. Quis diceret, tales leprosos in principio flebiliter disponi: sed cum aliquod extremorum excidit aut superficies exulceratur aut partes corporis plurimum elevantur, tunc appellantur flebiles, & tunc non potest aliqua species secundum Paulum curationis haberi. Præterea ex argumento Pauli de facto concludamus hunc morbum aut penitus incurabilem esse aut cum magna difficultate. imò hoc non affirmat, sed dicit se conaturum. Arguit enim autoritate Aetii. nam si cancer, quasi quidam elephas, existens in una particula, incurabilis &c. quanto magis elephas cum quasi cancer existat in toto corpore penitus incurabilis erit? quem arguendi modum tetigit Avic. cap. de lepra. Quæratur modo quot cancros ipsa curavere, imo arguatur sic: magis videtur quod deberet curari cancer quam elephas secundum Paulum & Aetium, sed ille aut non curatur aut maxima cum difficultate. igitur elephas penitus incurabilis existet ex Pauli sententia. at secundum Galen. tales morbos videor facilis curæ, ut patet in V. exemplis in allegato capitulo. Item mirandum est de sic dicentibus, nam qui semper apparent Graecos extollere (qui vere in omni doctrinarum genere laudandi sunt) eosdem mirabiliter deprimunt. Faciunt enim Aetium valde puerum in medicina, quem Paulus tantopere laudat. Nam dicunt ipsum non invenire tali morbo medicinam potentiorem, quem Galen. ex modica exhibitione viperati vini ejecisset. nonne & Paulus viderat XI. de simplici medicina? cur tantum laudasset Aetium, ni forte dicerent tempore Pauli & Aetii non haberi copiam viperarum: migraverunt fortasse ad Fortunatas insulas. Gravor hercle illa amplius declarare: sed ut omnia in contrarium fortius vincant, iterum instabimus. nam ille morbus, à quo cum curatur aliquis, currit in alium, non debet denominari morbus ille in quem transit ad bonum sensum. Sed Galen. ex elephantioso fecerat lepro-

ſum ut patet in libro dicto. ſcil. xi. de ſimplici medicina, in tertio & quinto exemplis. igitur elephantiaſis apud Galen. non eſt lepra. loquens igitur Galen. de Philoſopho qui patiebatur elephantiaſim, inquit. Habens vinum ſic toxicatum effectus eſt leproſus. & parum infra de alio. In elephantioſo converſa eſt paſſio non poſt multos dies in lepram. Diceretur forte, quod ex una ſpecie lepræ fecerat tranſire in aliam, veluti ſi ex ſecunda ſpecie ethicæ tranſiret in primam, unde poſtea facile curaretur. Sed hæc reſponſio ſtare non poteſt, nam concedatur gratia diſputationis diverſa animalia poſſe ad invicem tranſmutari, ut in fabulis ſcribitur, & accipiantur homo & leo, ſi quis diceret hominem converſum eſſe in animal, ſi in leonem fuiſſet tranſmutatus: ſignificaret certe hominem prius non fuiſſe animal. A pari ſi ponamus elephanta eſſe ſpeciem lepræ, non diceremus elephantioſum, ſed eſſe leproſum. Sed dicet alius, me recte non tenere Galen. ſententiam, nam lepra ſecundum Galen. eſt morbus cutaneus, importans quandam exſquammationem, ut vocabulum oſtendit: lepis enim ſquammationem ſignificat. quare decipiuntur qui credunt Galen. per lepram intelligere morbum quem hodie intelligimus lepram. & ita text. Galen. optime conſonat. nam morbus ille nefandus converſus eſt in lepram, i. e. in hujuſmodi exſquammationem, ut verba Galen. in primo exemplo videntur manifeſtiſſime importare. Contra quem ſic arguitur ſecundum Galen. una ſpecies eſt lepræ in qua non fit talis exſquammatio: ſolum igitur non ſemper apud Galen. lepra accipitur pro tali exſquammatione. antecedens patet. nam in libro definitionum (ut ſupra inductum eſt) definiendo lepram, ſic inquit. Lepra eſt mutatio cutis, ad id quod præter naturam cum aſperitatibus & pruritibus & doloribus & ſquammis abjicit, interdum quidem non, ſed interdum plures partes corporis depaſcitur. Ecce manifeſte dicit Galen. quod non ſemper in lepra abjiciuntur ſquammæ, & ex conſequenti quod lepra non ſemper clamitet talem exſquammationem. Nam quæratur ab iſtis quid intelligat Galen. per hæc verba, interdum quidem non, ſed plures partes corporis depaſcitur. ubi unuſquiſque ſanæ mentis, diceret Galen. intelligere morbum à nobis dictum vulgo lepram. Ex quibus advertendum eſt quod ex tali definitione declaravit nobis Galen. duas ſpecies leprae, primam, in qua exſquamantur, vel velis dicere, cortices abjiciuntur: quædam ut accidit dum nominantur cancri, quæ ſpecies eſt facilis curationis, quæ quidem eſt paſſio ſolius cutis, & de hac intelligit Galen. ubicunque dicit lepram eſſe paſſionem ſolius cutis, in quam etiam ſpeciem tranſmutabat Galen. elephantioſos. ſecundam ſpeciem, in qua inſenſibiliter conſumuntur carnes, excidunt particulæ, quæ prius plurimum elevabantur &c. & talis eſt aut difficilis curationis, aut longe difficilioris prima. imò qui hac ſpecie laborant, nonniſi duriſſimam ſpeciem curationis poſſent habere, & hanc in principio ſolum, quia poſt principium ſolis prognoſticis ſunt relinquendi, quam etiam ſpeciem poſuit Avicenna tertia quarti, cum voluit antequam ingroſſaretur ægritudo ut adhibeantur curationes & mundificationes, quo fit ut ſecunda reſponſio ad mentem Galen. ſtare non poſſit. Sed cum ad hoc pervenerit ſermo noſter, Arabes multi differentiam fecerunt inter lepram, & elephanta, ut patet ex Avicenna tertio & quarto canone. Et credendum eſt vitio tranſlatorum eſſe tranſlatos tales terminos, elephanthiaſim, lepram. Similiter bonus Meſue tractatu de medicinis ſolutivis capitulo de confectione hamech inquit. Confert aegritudinibus cutis, ſicut eſt ſcabies, morphea, lepra, cancer, elephantia, & impetigo. Avenzoar etiam tractatu ſeptimo libri ſecundi ponit differentiam ut patet. xi. & xxv. capitulis. Et quam ſpeciem lepræ ſecundam dicimus ſecundum Galen. ſimiliter ut ille. Nam lepram cancrum peſſimum in corporibus hominum appellat, quemadmodum & Avicen. Similiter Rhaſis quinto & nono ad Almanſorem differentiam facit inter elephantiaſim & lepram. lepramque appellat quam nos vulgo dicimus lepram. De antiquioribus vero noſtris Plinius xxv. cap. i. ille loquens de elleboro, medetur inquit elephantiæ albæ, & lepris. Præterea de elephantiaſi dixit xxvi. capitulo primo, hunc morbum uſque ad tempora magni Pompeji nunquam fuiſſe in Italia, deinde brevi reſtinctum fuiſſe, ut etiam gemurſa obliterato nomine credo quidem, quam nos dicimus lepram, nunquam fuiſſe reſtinctam in Italia, ſed bene de morbo Gallico, adeo ut hæc paſſio nec à noſtris proavis, nec ab aliis longe antiquioribus unquam viſa fuerit: hoc idem Lucretius ipſe teſtatur: nam temporibus ſuis nondum talis popularis morbus in Italia apparuerat, ut patet libro vi. ſub his verſibus. *Eſt elephas morbus qui propter flumina Nili naſcitur & Ægypto in media neque pereirt unquam* &c. Plura alia adduci poſſent, quæ gratia compendioſioris proceſſus relinquo. Et quia res hæc in ſe clariſſima eſt, modo in oppoſitum adducta reſponſione poſtpono illos qui oppoſitum tenuerunt. & quicunque dixerunt elephanta lepram, niſi hoc probaverint ex Galen. aut Hippoc. ut noſtræ fuerat intentionis à principio. Sunt tamen qui favent nobis longe celebriores, ut viſum eſt quantum ad negativam concluſionem, videlicet lepram non eſſe elephanta, eſto quod Arabes plurimi per elephanta aliud intelligant quam Galen. ut patet ſen. xxii. ab Avicenna: licet volenti ulterius conſiderare concordia appareat inter Galenum, & allegatos Arabes. aliis tamen hoc derelinquatur. Adverte pro iſtis qui dixerunt Galen. non tractaſſe hanc materiam, videant ipſum tertio interiorum tertio. Ad primam Galeni autoritatem dicitur literam eſſe depravatam: nam debet ſic jacere: ſi quidem elephas nominetur & phtiſis, manifeſte autem permutant formam: tumeſcit enim naſus, & poſtea concluditur, & in univerſum ſimiles ſatyris elephantes fiunt. nulla hic fit mentio de lepra. ſimiliter litera ſexti libri debet ſic jacere. & inde in hujuſmodi carne leuce generatur, quam Helleni appellant leucem quod albedo interpretatur. & ſimiliter nigram carnem atque aſperam in elephantiaſim ab elephanto dictam. Item ad Glauconem ſic debet eſſe ſeries. & quandoque ad cutem totus expellitur, ſitque is morbus quem elephantem nominant. nec in Græcis exemplaribus eſt illud, Inveteratas &c. Sed quia aliquis in hoc me reprehenderet quod negem illa eſſe Galen. dicta, cum jam per plures annos fuerint ſic impreſſa, & in manibus tam illuſtrium virorum: Attamen rogo illum abſque aliquo gravi animi affectu, videat ipſe Graecam literam: ſunt namque Galen. text. in propria lingua in manibus multorum. & Deus ſit mihi teſtis, quod ſi haberemus Galen. libros ut decet fideles, omnes alii ſuperfluerent in medicina ſcriptores, præter Hippoc. omnium magiſtrum, eſto quod multi alii recte ſcripſerunt. At Paulum, dictum eſt, fuiſſe contrariae opinionis, ut latius declaratum eſt. Ad primam inductarum rationum dicitur, quod illa manifeſte peccat in forma. eſt enim conditionalis falſa, ut probatum eſt, elephas namque non eſt lepra: nec Galen. eſt diminutus: & ad probationem, negatur aſſumptum. imò in ſecunda parte introductorii in loco toties allegato ponit, quod cura lepræ eſt per ducentia phlegma, & exterius inunctiones: unde dat præterea nobis intelligere, quod ſi qua eſt ex melancholia, curatur per ducentia melancholiam & exterius inunctiones. dixerat ſexto de morbo & accidente lepram generari ex multiplicatione choleræ nigræ in toto corpore: pro quo advertendum eſt ex ſententia Galen. quod illa ſecunda ſpecies lepræ fit ex nigra cholera: prima vero, ut plurimum eſt ex falſitate. & ideo ſecunda ſpecies vel omnino incurabilis eſt: vel maxima cum difficultate poteſt curari. Eſto quod Rhaſis curaverit juvenem iſtum ut refert quinto ad Almanſorem. prima vero difficillime curatur. Cum igitur ſecunda ſpecies apud Galen. judicata ſit fere impoſſibilis curae, voluit illos potius prognoſticis derelinquere. tamen ſi aliqua curabilis eſſet ſpecies, quia jam dixerat ad cauſam attendendum, in tali educentia melancholiam & exterius inunctiones juvabunt. Ulterius, ad manus noſtras nondum pervenerunt Galen. opera omnia in medicina, & ſicut multos fecerat particulares libellos de diverſis aegritudinibus: ut de cura lapidis, ictericiæ &c. ita forte de lepra fecit. Ad aliam rationem dicitur, quod argumentum concludit verum: ſed non illud quod intendit, ſic arguens. nam licet concedatur quod lepra ſit elephantiaſis apud alios & maxime apud Galenum. Si vero intelligeretur quod Graeci omnes ſic exiſtiment palam quod hoc falſum & falſum eſt. nam Galen. in libro de definitionibus. poſtquam dedit definitionem lepræ, poſuit definitionem elephantiaſis longe diverſam ab illa quam de lepra, in qua dixerat quod depaſcitur carnes. ſimiliter & in libro introductorii primo ponit definitionem elephantis, deinde lichenis, præterea lepræ, ergo ſi definitiones ſunt diverſæ, neceſſe eſt etiam definita diverſificari. Avicenna enim capitulo & ſen. dicta, per lepram intelligit ſecundam ſpeciem poſitam à Galen. nec mirum ſi Avicenna tribuit leproſo quæ Galen. elephantiaſi multis de cauſis. Primo, nam ſicut ſuperius dicebam, multoties ubi Galen. elephantiam nominabat, tranſlatum fuit lepra, quod patet ab Avic. capite de lepra. ubi referens fortuitam illam experientiam quam ponit Galen. undecimo &c. inquit. Sicut quidem accidentaliter ſanati ſunt ex intentione interficiendi ex eo qui in potu tribuit ut moreretur ille leproſus. ubi Galenus habet elephantioſus. Secundo quod inconveniens eſſet diverſis ægritudinibus convenienter unicam medelam applicare, quemadmodum Galen. vi. interiorum de paſſione renali & colica dicit, & vii. Meimir de diac. in libro namque de interioribus dicit quod licet in principio ſint difficiles ad cognoſcendum, non tamen tunc diverſæ medicinæ ſunt neceſſariæ. & hoc idem primo interiorum. ſed in hoc non oportet tempus conterere, nam boni ſciunt

Practici quomodo una simplex medicina diversas sanat aegritudines, & maxime provenientes ab una causa, imò & à diversis, ut de melle dicitur. similiter de agarico, aloë &c. ut à Galen. & Mesue accipitur: & ita de multis aliis medicinis quas longum sit enumerare. patet jam quantum valeat hæc forma arguendi. Quæcunque laudat Galen. in elephantiasi, laudat Avicenna in lepra. Igitur elephantiasis apud Galenum est lepra apud Avic. Sed quia apud istos habetur difficultas de viperis: nam extraneum videtur illas prodesse huic ægritudini, quas tantum laudat Galenus in elephantiasi, nisi elephantiasis sit lepra. ideo videant & attendant ad proprietates carnium viperarum, & desinant admirari. xi. namque de simp. medic. allegato capitulo, excalefacientem & exsiccantem habent virtutem, & summopere diaphoreticam, præparaturque ad cutem materia per ipsas. Præterea similiter evacuando. xiiii. therapeuticæ. ubi de curatione multæ carnositatis est sermo, mirabiliter subtiliandi proprietatem tribuit istis carnibus, imò & sali ipsarum: & ideo arthriticis doloribus provenientibus à grossis humoribus sunt convenientissimum remedium: quo fit ut sint multum destructivae cutanearum passionum. Ad ultimum & historicum argum. dicitur primo quod ipsum peccat in forma, arguit enim sic. sang. hircinus opitulatur elephantioso, & idem opitulatur leproso. igitur unus est opitulans leproso & elephantioso. Quod concessimus. Et ex hoc non sequitur quod unus sit alius, concesso illo, quod in tertia figura accipiantur omnes particulæ ne videamur sophistæ, nam ut paulo ante dicebamus, una & eadem medicina diversis prodest ægritudinibus: & si fit sermo de medicinis compositis, instantia est de theriaca, quæ multis ægritudinibus prodest, ut scit unusquisque, etiam parum in medicina eruditus. sed istis longe melior esset inquisitio quomodo sanguis humanus & theriaca diversis prosint ægritudinibus. sed certi respondebunt à proprietate occulta. & si mihi liceret exclamare ob medicorum infamiam omnia convertentem in occultam proprietatem: facerem itaque &c.

Item bonum esset quærere modum præparationis humani sanguinis. & tunc manifeste viderentur multa etiam in fabulis scripta aliqua fulciri veritate. sed de his alias. nam secunda hujus tractatus pars nostras personat aures: quare primo capiti finem impono. Deo sit laus, gloria & honor. Amen.

## CAP. II.

### *De unitate, & pluralitate hujusmodi morbi.*

Dimittens fere omnes illos compositionis modos præter unum quem tetigit Galen. 1. de morbo, de illa tantum compositione loquar quam communiter medici intelligunt. Nam ipsi quærentes an talis morbus sit compositus, quærunt an plures morbi de facto ad invicem complicentur: omittendo similiter illud quod aliquando contingit, quia nulli dubium est quod interdum febricula quædam suboritur, & taliter aliquando consuevimus dicere pleurefim morbum compositum. Similiter nec nunc sermo sit de compositione respectu læsarum operationum. Et quia plures actiones in uno aut pluribus morbis manifestissime impediuntur, ideo morbi plures accipiantur. Secundo differentiam esse inter morbum & passionem qualem ponimus inter viam & terminum, sicut diffuse declaratum est à Galen. 3. de morbo, & secundo de ingenio sanitatis: licet aliquando terminis abutamur. Item accipiatur & tertio quod aliquid dum est in via potest & debet à termino accipere denominationem, patet hoc etiam aliquantulum exercitato in philosophia naturali. Adhuc quarto supponatur quod accidentia, quæ competunt ipsi passioni recipiantur à medico ac si competerent ipsi morbo: patet de doloribus multoties accidentibus dum in fieri sunt apostemata. Ex quibus infertur elephantiasim esse unum morbum, doloresque ibi accedentes non facere morbum distinctum: ut diceremus ibi conjunctam esse arthriticam passionem: imò tales dolores consequuntur elephanta ut passio, licet propter hoc non destruatur quin ipsam elephantiasim aliquando sequatur ut morbus est. Et esto quod sequerentur ipsum ut passio, nihilominus elephantiasim sequerentur, patet per tertium & quartum præsuppositum. Et propter hoc solvitur dubitatio multorum, videlicet si elephas est is morbus, unde est quod multoties existunt dolores, & tamen nulla apparet in cute deformitas. Patet responsio ex tertio præsupposito: est enim in via ad terminum acquirendum, ideo elephantiasis appellatur, esto quòd tales pustulæ nunquam exeant, vel appareant in dato homine, stante tamen tali materia sic expellenda ut diximus, quemadmodum si quis moveretur ad albedinem, & nunquam efficiatur albus, ex impedimento contingente, contingens autem ex duabus principalibus causis inæqualiter se habentibus fit in proposito impedimentum ne hujusmodi pustulæ eveniant, præsentious tamen doloribus, aut enim a natura expellente per aliquam aliam viam quàm per cutem materiam pustularum, aut beneficio artificis extrinseci educentis materiam. Si vero quis vellet aliam viam tueri, dicereque hunc morbum esse compositum, non reputo ejus sententiam dignam vituperio: licet alia pars me plus delectet. Non enim nunc is animus mihi est alicui contradicere, sed potius partes nostras defendere. Sed quæret amplius, esto quòd tales dolores non faciant compositum morbum: unde provenit quòd tales ægrotantes a tam sævis doloribus cruciantur? Respondeo ob id quod natura semper tentat mundificationem sanguinis, ut in libro de cholera nigra dicit Galen. excernens quod pravum est aliquando ad ventrem & intestina, quandoque ad eam quæ extrinsecus superficiem. Et earum, quæ expelluntur, aliqua sunt subtilia, aliqua sunt grossiora. quædam vero non, si enim sunt subtiliora, hæc per insensibilem transpirationem resolvuntur, aut per sudores. Si vero crassiora, aut tanta crassitie quod cutis densitatem transire non possint: tunc sic operantur aut carbones si calida fuerint, aut cauteros si non calida. Si vero crassa sed non tantæ crassitiei sed medio (ut ita dixerim) modo posita, licet cum difficultate, pertranseunt cutem & talia operantur elephantiasim. Natura igitur, ut dicebant, cupida mundificationis sanguinis, & totius corporis, transmittit in proposito ad superficiem exteriorem conatu quo potest nocivam materiam. At cum grosso corpori opus sit ampliori via, dum ea fit necesse est causari continuitatis solutionem, & tanto majorem quanto corpus fuerit strictiorum meatuum, aut sensibiliora membra habuerit, quæ grandis sequitur dolor: vel quia natura, quæ fuerat consueta transmittere humiditates ad articulos corporis humectatione indigentes, mittat nunc hujusmodi superfluitates in abundantiori copia, ex quibus dolor causatur, ut tertia particula aphoris. declaratur a Galen. Hæc breviter dicta sint quantum ad caput 11. tanquam excitamenta quædam, cum jam tempus sit ad ultimum propositum accedere, scilicet ad curam.

## CAP. III.

### *De modo curationis cum aliqui ali præservatione.*

Quicunque animum induxerint ad curam alicujus aegritudinis, necessarium est illud præ oculis semper habeant quod Galen. 2. de ingenio sanitatis magnopere commendavit. videlicet quòd ingenium perfectæ curationis morbi haberi non possit nisi curandi morbi definitio conveniens habeatur, illa scil. in qua communiter conveniunt omnes. Ex locis igitur allegatis & maxime ex libris de definitionibus colligemus definitionem elephantiasis. Dicamus igitur quòd elephantiasis est passio crassa, & pustulosa dispergibilis, præcipue secundum corporis extrema, colorem habens secundum oculorum albedinem, emittens aliquantulam superfluitatem lividam & male olentem, ex phlegmate grosso aut ex nigra cholera proveniens, dictaque ad similitudinem pellis elephantis. Ex qua quidem notificatione, primum omnia signa apparent, sive illa sint propria, sive accidentalia, quæ omnia suo ordine deducta sunt in prima particula, & ideo illa amplius non repetitur; sed potius ad earum determinationem procedendum. Et quia ex phlegmate grosso aut nigra cholera evenire hunc morbum dixerat definitio, sciendum quod causæ secundum medicos, & maxime Galen. in triplici differentia consistunt, ut ad præsens attinet negotium: quasdam namque procatarcticas dicamus; quasdam autem antecedentes: tertias (quibus magis nomen causæ competit) conjunctas. Si vero hujusmodi morbi causas procatarcticas quærimus, quas sub alio termino principiativas dicimus, nulli dubium quòd multis modis contingit assignare, secundum quòd hæc ægritudo potest diversimode in populum serpere: nam aliquando ex ipsa aëris infectione, aliquando vero non ex infecto aëre, sed ex ea quam medici contagionem dicunt, & breviter ex omni eo quod sub tali causa continetur: quorum omnium in diversis locis inter antiquos meminit Galen. 1. complexionum autoritate Hippoc. 2. epidemiarum, & tertia particula aphorismor. commento xii. & xxii. maxime ubi tempora humida præcesserint, flantibus etiam australibus ventis, & moderato superveniente calore de facili corrumpente quem inspiramus aërem. Ex istis namque dispositionibus summopere causatur putrefactio, ut prima quarti Avic. & 1. de diff. febrium. & xi. therapeuticæ declaratum est. quam pestilentialem constitutionem olim accidisse memorant in Cranonia civitate vexata ægritudinibus memoratu horribilibus, quarum qui notitiam desiderant, percurrant prædi-

ctu loca, cum mihi animus ſit pro viribus prolixitatem evitare. Si vero de contagione loqui velimus, ſicut de eo quod in converſatione contrahitur, ut de elephantiaſi. xi. de ſimplici medicina, dicit Galenus quòd iſta ad tactum principaliter reducenda ſunt ſive mediate ſive immediate. Et illo modo coitus, dormire aſſidue prope elephantioſum, & ipſum tunc temporis tangere, ſumere lac à patiente elephantiaſim, poſſunt eſſe primitivæ cauſæ per contagionem. Et ſi quæratur hæc quæ jam invaſit ad quod horum magis reduci debet, an ad ipſam aëris infectionem vel ad modum quem contagioſum diximus? Dicitur quòd magis ad contagioſas diſpoſitiones, quod etiam modus propagationis declarat manifeſtiſſime. Nam fere omnes qui hanc ægritudinem paſſi ſunt, aut illam per coitum cum elephantiaſim patiente, aut cum illo dormiendo ut dictum eſt, vel lac ſugendo contraxerunt, aut aliquo alio contagioſo modo.

Aliter accidit ex infecto jam aere. & ipſe Hipp. dicit de habitantibus Cranonem urbem. Qo hoc tamen non negatur hunc epidemicum morbum poſſe ex aëris infectione cauſari ut diximus. Et credo hac tempeſtate aliqualem infectionem aëris concurrere. Nam præcedentia tempora (ſi recte meminimus) minus humida præceſſere, ut patet in longis, & frequentibus alluvionibus, & caliditate ſequente, licet non immoderata extitiſſet, quæ ſi modum nimis exceſſiſſet cum tanta humiditate, non eſt dubitandum quin aliqua nefanda & lethalis peſtis ſequuta fuiſſet. Sed quæſtio eſt à qua magis cauſata eſt talis paſſio, qua de facto nunc Italia vexata eſt. Iterum quæret aliquis unde apud antiquos extet memoria quandoque incepiſſe ægritudines aliquas à pudendis, ut nunc majori parti ægrotantium accidit. Reſpondetur quòd quicunque Galen. & Hipp. dogmatibus diligenter ſtuduerint nullam hac in re controverſiam habebunt. ſiquidem in primo de complexionibus, dum refert nefandas illas ægritudines gentis Cranoniæ, inquit. Et pervenerunt in pudendis carbunculi in æſtate, & morbi alii hujuſmodi generis qui putredine naſcuntur. quanquam verba ſint Hippoc. circa principium ſecundi epidemiarum. Item iii. aphoriſmorum particula xxii. ait: Genitalium verò putredines non ſimplici abſolutaque ratione eveniunt, ſed ſi aër humectior ſit. Et ſi adhuc quæratur quæ cauſa eſt cur tales ægritudines per corpus ſerpentes ex putredine genitæ, quas ſudamina dixit Hippocrates, ſic incipiunt a pudendis. Reſpondet ibidem Galenus ex caliditate ſcil. & humiditate illarum partium, quæ ex parva etiam cauſa putredinem gignunt. Et ſi adhuc quæratur cum illa loca ſint nervoſa, videtur deeſſe ibidem materia. ſolvit Galen. propter humiditatem ad illa loca emanantem, non quòd ſuapte naturæ humida ſint. Ex quo patet quod commode hinc incipiat talis morbus, deinde percurrat ſemitam corporis. Sed ſi adhuc quæratur quæ cauſa eſt cum hujuſmodi puſtulæ incipiunt ut plurimum in facie aut anteriore parte capitis apparere. Reſpondetur ex humiditate reſidente in capite. Nam Galen. dicit in hepate abundat cholera, in corde ſanguis, in cerebro phlegma, vel ſi rectius quis vocare velit pituitam magis quàm phlegma, ut 2. naturalium virtutum dicitur, abundantiori igitur exiſtente phlegmate non mirum ſi ibi prius appareant. Adhuc & anterior pars capitis humidior eſt poſteriore, ut ſecundo complexionum, & ſecundo techni. ſcriptum eſt. unde ad faciem, & ad alias ibi apparentes particulas citius humiditates deſluunt. Rurſus ſi quis quærat cur per coitum iſta lues facilius contrahitur. Reſpondetur quod ſtante in pudendis humiditate nimia, ut dictum eſt ex motu qui fit in coitu, tunc illa loca magis calent, quo fit ut major copia humiditatis trahatur, quæ citius putrefit. Item etiam & propter aperitionem pori membri virilis, quia tunc vapores corrupti citius à matrice elevantur, ut bene tangit Conciliator differentia ſuperius inducta. Quibus ſic ordine declaratis facillime hujus ægritudinis habetur cauſa antecedens pariter & conjuncta. Siquidem antecedens cauſa à procatarctica conſtituitur, ut ex introductorio Galen. habetur: hæc autem & quantitate & qualitate eſſe poteſt, ut abundantia melancholici ſanguinis aut phlegmatis, quæ a multitudine nutrimenti, aut his quæ ſecundum magnam ſui partem in tales humores habitudinem habeant ut tranſmittantur, cauſata ſunt, vel præfati humores qui talem contraxerunt diſpoſitionem, ut quamvis quantitate non multi ſint, tamen quales ſint facilius poterunt in conjunctam tranſire, ut ſcilicet malignitate ſua ad extrema corporis tranſmittantur. Conjuncta vero cauſa elephantiaſis eſt, ut ſupra patuit, cholera nigra, aut phlegma groſſum actualem ægritudinem facientia. ex quo multoties Galen. nominat melancholicum ſanguinem. ubi eſt advertendum quod merito hujuſmodi cauſae conjunctae ex intentione Galen. venari poſſumus elephantiaſis differentiam. Nam ſi ex ipſo phlegmate proveniat, elephantiaſis alba generatur. Et propterea apud autores multoties invenitur helleborum mederi elephantiaſi albae. Ubi vero à nigra cholera admixta ſanguini eveniant, ſubrubeæ elephantiaſis ſpecies accipientur, ut in de cholera nigra Galen. Inquit enim, quando niger humor qualitatibus ſobrius fuerit, ſanguini commixtus ſubrubeam elephantiaſim operatur. Itidem dicamus, ſi à nigra cholera proveniant, tunc ſubnigram ægritudinem operatur.

Iſtarum autem ægritudinum, & ſpecierum prima eſt minus, ut ita dixerim, maligna exiſtens: licet craſſiores & pinguiores efficiat puſtulas: quæ ut alias dictum eſt, tunc temporis plurimum invadit. Reliquæ vero maligniores exiſtunt. Sed apud Paulum ſit elephas ex melancholico & fœculentiori, & quaſi luto ſanguinis, flava aut cholera aut bile utriſque ultra modum adultis; nec mentionem facit de phlegmate, quo ſit ut diverſimode accipiat elephantiaſim. Sed de his ſatis: nam tempus eſt jam ad curam accedere. Dicamus igitur curam tripartitum actum eſſe, ut Galeno placuit, in diætam, pharmaciam, & chirurgiam. per diætam autem non ſolum intelligere debemus adminiſtrationem potus & cibi, verum & debitam adminiſtrationem omnium quæ ſub rebus non naturalibus continentur, quemadmodum primo ad Glauconem accipit Galenus: & propterea dicebat diætam, quam vivendi regulam dicimus, eſſe medicinæ partem. Inventionem autem horum omnium rei ipſius natura denuntiat. Continens nos igitur aër de quo medicus magnam debet habere ſolertiam, ut xii. continentis & xi. therapeut. ſcriptum eſt, ad calidum declinare debet, nam cauſa faciens hunc morbum frigida eſt. Et quia opus eſt tractione ad exterius, ne patientes infeſtentur à tam ſævis doloribus. Et quia talis materia eſt groſſa & compacta, & quæ poſtquam venerit ad extrinſeca exſiccatione indiget, ideo ad ſiccitatem aer tendere debet. Confirmat hoc experientia, nam omnes qui tali morbo laborant, longe deterius ſe habent in hyeme quàm in æſtate: licet in actu præſervativo ad temperamentum aerem alterare debemus, ubi inæqualis fuerit, & tantum quantum poſſibile eſt, & tandem ad illas qualitates debet declinare, ſi declinaverit, quæ minus ſint generativæ materiei facientis hanc ægritudinem. Exercitia pariter, ſive ſint exercitia ſolum, ſive exercitia & opera, meliora ſunt quæ vehementia dixit Galenus, ſervatis tamen conditionibus dictis ab eo in primo & ſecundo ſanativorum. hoc autem eſſe dicunt cum lætitia, ut ſunt venationes. Nam quemadmodum dicit Galenus in libro de ludo parvæ ſpheræ, multi liberati ſunt ab ægritudinibus gaviſi ſolum. Quare illa exercitia maxime commendanda ſunt, in quibus corpus & anima ſimul exercetur cum lætitia: & propterea ludus parvæ pilæ multum ibidem commendatur. Idem dicatur etiam in præſervativo actu, niſi quod non ita vehementia fieri debent. Somnus autem eligatur quantum naturæ patientis convenit, ne ex longitudine ſomni ſuperfluitates augmentarentur in corpore, ſicut dormitio in mane, aut in meridie, quando ſufficienter dormierit in nocte, niſi conſuetudo multum invaluerit. Eſt enim conſuetudo ſecunda natura, ut ad Glauc. ſcripſit Galen. licet etiam ſi ex inconvenienti ſomno ſuperfluitates reſolvantur, & natura confortetur. Itidem de vigiliis dicatur, quæ in hoc morbo eligibiliores ſunt. Opus namque potius eſt inanitione & extenuatione, quam econtrario, omnia tamen moderato uſu. Cibaria vero cum in triplici differentia conſiſtant, quædam enim groſſa ſunt, quædam ſubtilia, & aliqua mediocria. Evitentur autem quæcunque phlegma, aut choleram nigram generant. Similiter quæcunque indigeſtibiliora ſunt, & breviter omnia quæ cacochymica à Galeno dicuntur, ut carnes agnorum, anſerum præter alas, avium in aqua degentium, & quorumcunque animalium noviter natorum. Carnes bovinæ, leporinæ, hircinæ quæ malæ ſunt, quia groſſum generant humorem. Caprinæ autem mali ſunt chymi, & pinguitatem quandam habent, & digeſtionem gravant: ut ad Glauc. dicit Galen. Porcinæ carnes non laudantur propter viſcoſitatem, merito cujus faciliter cauſaretur oppilatio, maxime in hepate aut renibus. Et propterea bene dixit Galen. in de euchymia & cacochymia, quod edaces nimio uſu carnium porcinarum ſemper ſentiunt quandam gravem & triſtem ſenſationem in prædictis locis. Salita autem licet diaphoreticam & ſubtiliativam virtutem habeant, ut quinto dicitur alimentorum, tamen in hac ægritudine fugienda ſunt, quemadmodum ſecundo ad Glauconem Galen. ſcribit. Porcorum autem ſalita caro poterit aliqualiter concedi, dum quis ea rariſſime utatur, & in modica quantitate. Laudantur phaſiani, perdices, gallinæ, carnes vitulinæ, hœdorum, caſtratorum juvenum, & breviter omnium, quæ laudabile generant nutrimentum: partes autem laudatorum animalium à quibus eſt fugiendum, breviter ſunt inteſtina, ventres, matrix, aures, oculi, caudae, & ſanguis ſecundum

dum omnem modum adminiſtrationis. Et piſces quicunque paludoſis, & ſtagnoſis locis capiuntur fugiendi ſunt, & horum, qui pinguiores ſunt: anguillæ autem ſive in bonis ſive in malis locis capiantur, ſemper fugiendæ ſunt, quas Galenus ſemper vituperat, ſive ſanitatis, ſive ægritudinis tempore. Qui vero piſces capiuntur in puro mari, & ſuperagitato à ventis, non vituperantur, & maxime ubi pingues non fuerint, & qui viſcoſitate carent. Similiter de his qui in dulcibus capiuntur aquis mundis atque currentibus: ſaxatiles vero, vel volueris petrinos piſces dicere, ſummopere laudantur. Legumina vero omnia fugienda ſunt, peſſimæ autem ſunt lentes, & frixæ fabæ, quo circa dixerat ſecundo ad Glauconem, quod habitantes Alexandriam abundant tali genere morbi, exiſtente multitudine materiæ in corporibus illorum: aere vero excedente, de facili fit motus humorum verſus cutem. Nec obſtat, quia dixerim ſupra, aerem declinare ad calidum, quia genito jam morbo materia ſubtiliabitur, & quæ erant in via, citius traherentur ad extra, quam pharmaca exhibita trahere non poterant. In actu vero vere præſervativo aliter ordinarem ut tactum eſt ſupra. Caſei uſus omnis malus eſt. eſto quod antiquus quandam vim ſubtiliandi habeat, butyrum etiam ſuperfluificum cum ſit pinguiſſimum bovini lactis uſus laudatur ſecundo ad Glauconem, & propterea Scythæ lactis potatores nunquam fere hanc ægritudinem paſſi ſunt. Melius tamen eſt quod aſinarum præter humanum lac, & ſimilitudine & cognitione quam habeat ad humanam naturam, ut tertio de ingenio ſanitatis dicitur, & poſtea caprarum &c. Adminiſtretur autem lac, ſecundum quem modum docet Galenus ſeptimo Therapeuticæ decimo & quinto. Et licet caprarum lac ſit magis temperatum, excipiendo humanum, tamen ut dixi convenientius eſt patientibus hanc ægritudinem, quam aſinarum. In actu vero præſervativo caprarum eſſet ad propoſitum. Inter fructus concedunturficus, & uvæ bene maturæ, ſed moderato uſu. Uvarum paſſarum aliquantulus uſus ejus naturæ, licet dicatur, quod impinguant hepar: tamen immoderatus uſus earum ardorem faceret. & ad Paternianum dixit Galen. Conſilia ſervent qui cupiunt ſe à tali morbo præſervare. Quantum ad potum ſive ſermo fuerit de potu tantum qui per accidens dicitur nutrieus, ſive de potu & cibo, dentur vina aquoſa uſu & virtute, etiamſi febris conjungatur, tum quia digeſtioni auxiliantur, tum quia ſudores provocant, ut 8. therapeut. & quarto ſanativorum dicitur. Una namque ex intentionibus in ſanando eſt alteratio, ut ibidem dicitur. Talia autem ſive alba ſive nigra ſint, non refert, dummodo aquoſa ſint, ſed quia nigra non ita diaphoreticam virtutem habent & magis nutritiva, ideo magis laudantur. *Mellicrati* uſus laudabilis eſt aut *aqua in qua decocta ſit borago aut bugloſſa*, & hujuſmodi omnibus nota. Hæc autem ad melius ſummatim ſint dicta, quia longe plura fuiſſent dicenda, ſed brevitati indulgendum eſt. Tamen unum moneo ut tales hac ægritudine laborantes utantur tenui diæta, & quanto commodius fieri poteſt, tanto ſubtilietur magis, inſpectis ſemper ætate maxime, & virtute ac conſuetudine. Quantum autem faciant animi accidentia, patet cuicunque legenti libros Galen. de ſequela potentiarum animæ, & libellum de ludo parvæ ſphæræ. Quam potens autem ſit phantaſia ad immutationem tam exterius quam interius, patet manifeſte his, qui divi Jamblichi aut Sicareſii operibus incubuere, pariter & qui ſciverunt intelligere quid Galen. per virtutem regitivam, ſive naturalem calorem intelligit; ſed de his ſilentio me expedio ad præſens, alia aliis relinquendo. Admoneo ut coitum ſummopere evitent ex cauſis ſuperius aſſignatis, & qui volunt ſe præſervare ſimiliter abſtineant, & maxime cum patientibus hanc ægritudinem. Sed de hoc ſatis, cum jam conveniens ſit & laudabile ad convenientes pharmacias accedere, quas ſimiliter ex rei natura inveſtigabimus, retinentes commune principium in medicina, ad ægritudines curandas videlicet ægritudinibus contraria exhibendo. Dicamus igitur quod cum ægritudines craſſæ in multiplici differentia conſiſtant. (nam aliæ ſunt intrinſecæ, aliæ vero extrinſecæ, & quædam medio modo ſe habentes, ſicut multæ earum quæ in cura apparent intrinſecus cauſam habentes ad interius affligentes) cujus generis ſit elephantiaſis, quo fit ut duplici genere pharmaciæ ad ejus curam, intrinſeca ſcilicet & extrinſeca opus ſit. Intrinſeca pharmaca ad duodecim genera reducuntur, extrinſeca vero ad undecim, ut in ſecunda parte introductorii à Galen. declaratur. Sed quia in definitione dicebatur (craſſa & puſtuloſa) ſtatim declaratur nobis quibus medicaminibus uti debemus. Habitum eſt enim in parte ex tali craſſitudine lædi naturalem formam. Exaſperatur enim & puſtuloſa fit cutis: ideo illo genere pharmaciæ exterius eſt opus quod ſineticum dixit Galen. 1. purgativum eorum quæ in ſuperficie floreſcunt. At cum talis ſuperficies, aliter craſſities, ſic dura proveniat ex craſſo phlegmate ut plurimum aut ex nigra cholera, patet jam qualia dicuntur hujuſmodi pharmaca, quia mollitiva. Similiter quia dicebatur (puſtuloſa) hinc manifeſte cognoſcimus materiam ad cutem à natura tranſmitti, adjuvante hoc, quia craſſa dicebatur, quo fit ut prius abſciſſa cauſa apponi debeant quæ talis materiæ ad cutim à natura transmiſſæ habeant attractivam potentiam: materia attracta exſiccari debet, & inde cutis abſtergi, quo fit ut talia exterius applicanda, & mollitiva, & attractiva, & diaphoretica cum digeſtione & abſterſione exſiccativa ſint, tandem bonum colorem in cutem inducant. Sed quia ulterius in data definitione dicebatur, quod ex phlegmate groſſo, & nigra cholera proveniret: tranſitus autem talis materiei ad cutim fieri non poteſt abſque aliqua ſolutione continuitatis, ut in ſecunda parte dictum eſt, ex qua ſecundum quandam proportionem cauſabatur dolor. Ex his intentionibus ſic faciemus convenientem unctionem. Accipiantur *ſaponis albi & minuti & in parva folia redacti unc.* III. *multoties loti in ſucco endiviæ & plantag. deinde bulliant in ſucco lapathi acuti uſque ad levem ſpiſſitudinem.* Præterea. Recipe *maſtichis, thuris ana. dr.* III. *aromatici, ſulphuris vivi, nitri ana. dr.* I. *unguenti communis ad ſcabiem, quod dicitur unguentum de quinque. unc.* VI. miſceantur omnia ſimul. Modus autem adminiſtrationis eſt ut una die utantur hac unctione, & alia die laventur cum *aqua in qua decocta fuerit malva, & excorticatum hordeum, aut farina amarorum lupinorum.* Sed quia dixerimus iſta fieri non debere niſi prius fuiſſemus exercitati circa abſciſſionem cauſæ: hoc autem commode fiet, quando data materia fuerit expulſioni parata. Quæcunque igitur digerunt phlegma groſſum aut nigram choleram, & huic rei convenientia: talia ſunt, *borago, bugloſſa, fumus terræ, aſparagus, lupulus, ſcolopendria, pimpinella, lavandula, & hujuſmodi.* Si igitur fiat decoctio omnium iſtorum, aut aliquorum cum injectione optimi ſacchari, & accipiantur per ſeptem dies unc. v. in mane, bonum erit. Et multi cum prædictis herbis faciunt bullire *myrobalanum chebulum aut indum.* Multi vero abſque *myrobalanis* immittunt *folliculos ſenæ.* Alii vero magis expedite procedunt, & ſic ordinant pharmacum. Recipe *ſyrupi de fumo terræ, mellis roſati an. unc.* I. *aquarum lupulorum, bugloſſæ, & endiviæ an. unc.* I. *miſce.* deinde adminiſtretur hoc ſolutivum. Recipe *myrobalanorum indorum, chebulorum, hermodactylorum ana. dr.* I. *florum boraginis, & bugloſſæ ana. M. ſem. bulliant in ſeptem unciis aquæ lupulorum*, vel ſi aliqua affuerit febricula, *endiviæ & cichorei, & facta condecenti decoctione.* Recipe *agarici electi. dr.* I. *ſalis gemmæ ſcrupulum, ſed boni ponderis, & infundantur condecenti tempore in unc.* II. *prædictæ decoctionis. Præterea fiat expreſſio, cui addantur diacatholiconis. dr.* IIII. *diaphœniconis. dr.* III. *mellis roſati colati. dr.* I. miſceantur ſimul cum prædicta decoctione. Poterimus uti *electuario hamech*, & aliis quibuſcunque phlegmatis groſſi, aut nigræ choleræ eductivis. Similiter & uti poterimus hac purgatione & potione Galen. nam accipiuntur *myrobalani indi, chebuli, abſynthium, flores violarum, turbith, carthamus, fumus terræ, fructus ſebeſten, capilli veneris, quæ omnia bulliant in unc.* VIII. *aquæ longa decoctione & lento igne uſque ad conſumptionem duarum tertiarum: deinde addatur diagrydii. dr.* I. *Doſis ejus eſt. dr.* III. *cum aqua calida*, conſideratis omnibus, quæ circa ægrotantem conſiderari debent, admonentes quod iſta dentur in majori aut minori doſi, ſimiliter iſta, aut alia, ſecundum quod bonus medicus judicaverit, ne incidamus in illud, quod 9. *therapeuticæ* ſcriptum eſt, videlicet, ut omnes una forma velimus calceari. Advertendum tamen eſt, quod hanc evacuationem debet phlebotomia præcedere, ætate, & virtute conſentientibus. In magnis namque ægritudinibus ſive præſentibus ſive incipientibus, vel expectatis, ſemper expectanda eſt phlebotomia, ut in *libro de phlebot.* dixit Galen. & propterea *ſecundo ad Glauconem* præcepit phlebotomiam in hac ægritudine, & aliis de cauſis, quas hic enumerare non eſt locus. Et ubi, judicatum fuerit materiam in aliqualem aduſtionem tendere, optima eſſet ex ſiniſtro latere, ut in quartanis præcepit Galen. & quanto copioſior tanto melior, conſideratis in phlebot. examinandis. Iſtis autem factis evacuationibus, applicanda ſunt illa quæ dolorem auferant: talia autem ſunt in multiplici differentia, nam aut mitigant apparenter, ſenſus hebetando (quæ ſtupefactiva dicuntur à quibus fugiendum eſſe optime docuit 12. *therapeut.* niſi in urgentis neceſſitatis caſu. Et tunc accedendum eſt ad illa quorum praxim exercuit *Galen.* 10. *decem tractatuum*, & in aliis locis) quædam mitigant vere, & horum quædam per abſciſſionem cauſæ immediate ſive per ſequelam, ut verbo utar Galen. talia autem interdum ſunt calefactiva, interdum infrigidativa. Et licet horum aliqua tacta ſint ſupra, ubi poſuimus medicinas evacuativas: tamen ultra illas inveni mirabiles pillulas à Galen. compoſitas, quas licet ipſe mirabiles appellet, ego mi-

mirabiliores inveni, & ſunt. Recip. *myrobalanorum, chebulorum, indorum, corticum cucumeris aſinini, vel loco ejus elaterii, gingiberis, colocynthidis, ſalis nitri, hermodactylorum, hieræ picræ, Satyrionis ana partes æquales. Serapini ad duplum unius prædictorum, & non omnium. piſtentur piſtanda ſubtiliter, & rediguntur in formam, aut maſſam pro pilulis cum aqua endiviæ, & aliquantulo mellis roſ. & fiant pilulæ ad modum ciceris.* uſus quarum ſit de tertio ad tertium ſecundum virtutem patientis. Ego vero aliquando tres, aliquando duas, aliquando unam exhibebam. Quædam vero proprie tollunt dolorem, per ſolam ſcilicet reſolutionem vaporum & ſuperfluitatum concurrentium ad dolorotum locum, hujuſmodi autem ſunt temperatæ, ut ita dixerim, caliditatis, vel velis dicere in gradu primo, & ſubtilis ſubſtantiæ ut 5. *de ſimp. medicina* Galen. dicit. & ideo dicuntur reſolutiva, & rarefactiva, ſubtiliativa, maturativa, & quæ faciant procedere omne quod coarctatum eſt & retentum in doloroſo membro: ut ibidem late Galen. qualia ſunt *chamomilla, oleum anethinum*, *caſſiæ* autem *fiſtula* multum valet in mitigando dolores exterius applicata, & ſervatis ſuis conditionibus. *Oleum antiquum* maximi inveni juvamenti propter ſuam citam penetrationem, & reſolutionem, non quod recenti magis ſit mitigativum doloris ut 6. *de ingenio* & 6. *de ſim. medi.* ſcriptum eſt. Item *farina puri frumenti*, & multa alia, quia uſus eorum poterit eſſe vel ex eorum oleis, vel faciendo *emplaſtrum* ſive *ceratum* ex his, immiſcendo aliquid de *nova cera* cum aliquantulo *cinnamomi*. Item appoſitio *bonæ theriacæ* ad loca doloroſa ut 4. *therapeut.* ſcribitur. Et ſi quis haberet *echiglas*, quas Marſi populi *maraſſos* dicunt, ſale ipſorum illiniret doloroſa membra. Similiter & *viperatum vinum* bibitum ex cauſa in prima parte aſſignata, cujus rei fecimus experientiam. Nam tunc temporis adhortante Gregorio Spoletino in Galen. operibus diligentiſſimo, ex utraque lingua optime habita, accepimus à Patavinis montibus *maraſſos*, mortuos deinde in vino, quod poſtea tribus exhibuimus, & vidimus notabile juvamentum. Sunt tamen multi qui volentes citius evadere, in hac ægritudine utuntur infraſcripta unctione, per quinque dies cooperientes ſe in lecto, quoad plurimum ſudent, utentes tamen ſupraſcripta diæta. Recipe *reſinæ pini, thuris, maſtichis, tartari albi, lithargyrii auri, argenti vivi, olei laurini, olei vulpini, olei abietis, cnicutæ, ſuccipomorum arantiorum ana unc.* II. *axungiæ porcinæ colatæ unc.* VI. *rediguntur omnia ſimul miſcendo in formam unguenti.* Ab hac tamen unctione caveant qui ſunt debilis complexionis, etenim potius ſophiſtica invenitur quam vera, nam vidi fere omnes recidivaſſe ut prius. Sed ſi quis hoc pati poteſt, curatur, poſtea prædictas pilulas cum bona diæta credo prodeſſe multum, factis prius evacuationibus. Ulterius ne quid deficiat, ſuccurrendum cenſeo, ne maculæ quædam rubeæ remaneant in illis locis, unde puſtulæ abſceſſere. Ad hoc inveni unguentum, vel velis dicere lutum, quod fit ex *finiſſimo cryſtallo*, & bene poſtea trito: deinde accipiatur *fructus cujuſdam ſpeciei pentaphylonis, quos fraxulas dicimus, & redigatur in aquam, quæ permiſceatur cum prædicto præparato cryſtallo quouſque accipiant formam luti*, & inunguntur ex eo loca maculata, dixi autem *calcinatum cryſtallum*, ne fiat error, quia aliter eveniret. Ultra hæc expertus ſum ad hoc mirabilem aquam, quæ non ſolum delet hujuſmodi maculas, ſed quaſdam alias turpiores adhuc, quam medici dicunt aquam metallorum omnium; ſed quia modus faciendi eam à multis medicis diligentiſſime notatus eſt, idcirco ſupra illam amplius non me extendam; ſed potius aura benigna in tranquillo portu navicula noſtra firmetur.

A

B

HAbes, Reverendiſſime Domine, lucubratiunculas meas, morſibus vitilitigatorum, mea quidem ſententia, obnoxias, auribus non antiquas, ſed noſtri temporis elocutionem expectantibus blandientes: quæ tamen perinde erunt, quanquam fortaſſe apud aliquos tanquam hoſpites, & à communi ſententia aliena, videbuntur accipienda. Sed ut qui antiquos legerint noſtræ opinioni non adverſantur, ſic tu, quoniam has tuæ clementiæ vigilias dedicavi, tribue his quantum voles; voles autem quantum licebit: nihil enim niſi illa dignum abs te deſideramus. Vale. &c.

# NICOLAI LEONICENI, *Vincentini*,

# IN LIBRUM DE EPIDEMIA,

## Quam Itali MORBUM GALLICUM vocant,

## *Ad Illuſtrem virum*

## JOAN. FRANCISCUM, *Mirandulenſem*,

## Concordiæ Comitem,

## PRAEFATIO.

*HAbitam nuper Ferrariæ de morbo, quem Gallicum vocant, diſputationem, atque à me poſtmodum mandatam literis, cui magis quam tibi, Joannes Franciſce, Mirandulenſis, dedicaverim? Qui cum ſuperioribus diebus Ferrariæ adeſſes, atque ante diem ad eandem diſputationem conſtitutum, tibi ex cauſis urgentibus eſſet diſcedendum, non parum dolere mihi viſus es, quòd eidem diſputationi non poſſes intereſſe. neque diſſimulanter tuliſti gratiſſimam rem me tibi facturum, ſi quæ non potuiſſes præſens accipere, haberes abſens ex meis literis, vel potius volumine ad id dedicato legendi facultatem. Et quoniam non te latebat magnæ contentionis diſputationes a medicis atque philoſophis pertractatas non veritatis inventione, ſed jurgijs, atque clamoribus plerunque terminari, illud inſuper a me expectare videbaris, ut non ſolum quænam inter diſputantes opinio tandem eſſet pro vera recepta tibi ſignificarem, ſed mei quoque judicii calculum inter ambigentes ſententias manifeſtarem. Quid plura? Ego qui tibi propter tua eximia in me beneficia omnia debeo, pollicitus ſum factu-*

*rum me, quod optabas, arduum quidem opus, ac pene temerarium, niſi ipſum excuſaret obſequium. Ecce igitur jam tibi fidem promiſſam exſolvo quanto tardius, quam tu forte cupiebas, tanto maiore cum fœnore. non ſolum enim eam, quæ præcipue defendebatur Ferrariæ, opinionem, ſed quaſcunque alibi plurimum vigere intellexi, conatus ſum pro mei ingenii imbecillitate confutare, meamque poſtremo loco, exemplis, rationibus, ac nobiliſſimorum medicorum auctoritatibus confirmare. Multa præterea Avicennæ dicta, quæ ad propoſitam contemplationem pertinebant, duximus in controverſiam. Quare qui hæc lecturi ſunt, quæſo, boni conſulant, neque me propterea impudentem, aut inſolentem judicent, qui auſim magni nominis auctores inceſſere. Facimus hoc multorum veterum, ac præcipue Ariſtotelis, ſummi philoſophi, exemplo, qui tanti fecit veritatem, ut pro ea aſſerenda ſcripſerit etiam contra præceptorem. neque vero hanc apud te præſumur veniam, qui hoc meum circa antiquorum ſcripta examinanda ſtudium, adeo non improbas, ut in ea, quam nuper Ferrariæ habuimus de literis confabulatione, mirari te mihi dixeris, quòd in illo, quem ſuperioribus annis edidi* de medicorum erroribus libro, *Plinium tam leviter perſtrinxiſſem, in cujus auctoris libris tu multo plures, quàm qui a me*

*fuere*

*fuere notati errores animadvertiſſes. Dicimus iſta maligmis atque impudentibus, quorum alii ea etiam, quæ tacite probant, quia tamen ipſi non ſcripſerunt, aut invenerunt livore ducti aperte calumniantur, alii vero more pecudum alienis ſemper veſtigiis inſiſtentium, nihil ſuo, omnia aliorum judicio tribuunt, & ſi cui ſe ſemel auctori addixere, ejus auctoritatem ſine ratione rationem eſſe arbitrantur. Utcunque tamen hi de noſtris ſcriptis judicaverint, quanto minorem apud ipſos gratiam ſumus habituri, tanto majorem apud probos, ac doctos ſperamus conſequi, apud te præſertim, qui Joannis Pici, patrui tui, per omnium gradus virtutum veſtigia imitaris, quique eam, quæ in ejus intempeſtiva morte facta eſt litterarum, atque omnium bonarum artium jacturam, ita reſarcis, ut ad te reſpicientes Virgilianum illud Æneid.* VI. 143. *omnes uno ore pronuncient.*

——— Primo avulſo, non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

*Tibi itaque, & paucis cecinimus, vobis placuiſſe contenti, reliquorum autem vel invidorum, vel imperitorum judicia contemnentes.*

## NICOLAI LEONICENI, *Vincentini*,

# DE EPIDEMIA,

## Quam Itali MORBUM GALLICUM, Galli vero NEAPOLITANUM vocant, LIBELLUS.

Novos Italiæ adveniſſe morbos prioribus ſæculis ignoratos antiqua ætas credidit, ſiquidem Plinius, vir eruditiſſimus, non modo Italiæ, ſed univerſæ terè Europæ lichenas ante Claudii principatum incognitos fuiſſe teſtatur *vigeſimo ſexto de hiſtoria naturali libro*. Ego vero de aliis Europæ partibus non planè habeo ſtaturum quid ſentiam. Illud pro certo affirmare auſim, multis antè, quàm Claudius imperaret annis lichenas fuiſſe Græcis familiares, quando Hippocrates auctor Græcus vetuſtiſſimus cum multis aliis in locis, tum præſertim in *tertia particula aphoriſmorum*, in morborum æſtivorum mentione lichenum commeminit, ut mihi magis fiat veriſimile vexaſſe id malum etiam Italiam, quamvis forte longo temporum intervallo ante Claudium, ſed nondum Romano imperio ad exteras nationes propagato, atque ideo minus à Græcis medicis Roma frequentata, defuiſſe eidem morbo nomenclatores: idcirco donec ſine nomine perſtitit, fuiſſe interim obſcuriorem, ſicuti poſtea, Claudio imperante, jam Græcis artibus, ac præcipue medicina vigente in civitate, lichenas atque mentagram vocitantes, fecere illuſtriorem. Simile quoddam noſtro hoc ævo accidit, jam enim inſolitæ naturæ morbus Italiam, & multas alias regiones invaſit. Puſtulæ ſunt à partibus obſcœnis incipientes, mox totum corpus, atque ipſam præcipue faciem occupantes, præter fœditatem, magnum inſuper cruciatum plerumque afferentes. Huic tamen morbo nondum noſtri temporis medici verum nomen impoſuere, ſed vulgato nomine Malum Gallicum vocant, quaſi ejus contagio à Gallis in Italiam importato, aut eodem tempore & morbo ipſo, & Gallorum armis Italia infeſtata. Non defuere quidem, qui eundem cum illo putarint, quem priſci elephantiaſin nominarunt, ſicuti alii morbum Gallicum eſſe antiquis lichenas, alii aſaphati, alii prunam, ſive carbonem, alii ignem Perſicum, ſive ſacrum exiſtimarunt. Quæ quidem ambiguitas nominum, & de re ipſa quoque diſſenſio multos ſuſpicari fecit novum hanc eſſe luem, nunquam à veteribus viſam, atque ideo à nullo medico vel Græco, vel Arabe inter alia morborum genera tactam. Ego ſicuti neque illis aſſentior, qui varias huic morbo indidere appellationes, haudquaquam ejus naturæ congruentes, ita ubi conſidero eadem natura præditos homines, ſub eodem cœlo natos, ſub eiſdem ſideribus educatos, eiſdem etiam ſemper fuiſſe morbis obnoxios, cogor exiſtimare (neque mihi poteſt in captum mentis aliter pervenire) natam hanc repente labem noſtram ita infeciſſe ætatem, ut nullam ſuperiorem. Quod ſi quis aliter quàm ego ſentiat, quid tandem hoc eſſe dixerit, aut quam Deorum vindictam? Nam ſi cauſæ naturales inſpiciantur, millies poſt mundi initia eædem extitere. Quare ſimilem morbum ex cauſis ſimilibus etiam ſuperioribus ætatibus contigiſſe parati ſumus oſtendere, ubi prius illorum opiniones, qui morbum Gallicum fuiſſe à priſcis elephantiaſin nominatum, ſive quid aliud à noſtra opinione diverſum credidere, confutaverimus. Sed antequàm diſputationem ipſam aggrediamur, illud in primis admonendum eſt, aliud morbi genus ſignificari verbo elephantiaſis in libris Arabum, aliud in libris Græcorum. Rhaſis ſiquidem, atque Avicenna elephantiaſin pro morbo accipiunt, in quo pedes, & crura ſupra modum intumeſcunt. Galenus, ac Paulus, omnesque Græci auctores in eodem verbo morbum intelligunt, quem Avicenna, & medici juniores lepram appellant. De primo verbi elephantiaſis apud Arabes ſignificato neminem ambigere arbitror, de ſecundo apud Græcos uſitato longius eſt à nobis diſſerendum. nam ſi oſtenſum fuerit, nihil aliud eſſe Græcis elephantiaſin, quam morbum illum, quem vulgato nomine lepram vocamus, tunc id quoque proba-

*Elephantiaſin aliter apud Græcos, aliter apud Arabes capi.*

A tum erit morbum Gallicum non eſſe elephantiaſin, quando & qui contrarium ſentiunt, morbum Gallicum plurimum à lepra diſtare concedunt. Ut igitur ad rem ipſam propius accedamus, elephantiaſin apud Græcos, eſſe apud Arabes, & juniores medicos lepram ita demonſtratur. *Elephantiaſis* auctore Paulo Ægineta, *eſt cancer totum occupans corpus*, unde idem Paulus inquit. Si cancer unum tantum membrum infeſtans, tamen ſecundum ſententiam Hippocratis inſanabilis eſt, quanto magis elephas, qui cancer quidam eſt univerſalis, omnem curationem ſuperabit? Eandem ſententiam ſcribit *libro quarto* Avicenna his verbis. *Et cum cancer, qui eſt lepra membri unius, ſit de illis, quibus non eſt ſanatio, quid dicemus de lepra, quæ eſt cancer totius corporis?* Idem dixerat Avicenna circa initia ejus capitis, in quo agit de lepra, quod videlicet lepra eſt, ſicuti cancer communis toti corpori. Sed & eorundem humorum vitio generari elephantiaſin Paulus cenſet, & Avicenna lepram, & quemadmodum Paulus minus malam elephantiaſis ſpeciem ſtatuit, quæ ex quadam veluti fæce ſanguinis ſuperaſſata ortum habet, alteram, quæ à flava bile æquè retorrida fit, deteriorem. fic & de duabus
B lepræ ſpeciebus, quarum altera itidem ex fæce ſanguinis, altera ex flava bile in atram propter aſſationem converſa generatur Avicenna decernit. Neque vero aliam Paulus elephantiaſi, aliam lepræ Avicenna adhibet curationem. Neque etiam Galenus ſcribens de elephantiaſi *ſecundo libro artis curativæ ad Glauconem* minus, quam Paulus cum Avicenna ſcribente de lepra concordat, immo vero omnia illa Avicennæ verba, quod lepra multiplicatur in Alexandria propter caliditatem aeris, & malitiam cibi, & ejus eſſentiam ex genere piſcium & carne ſalita, & carne groſſa, & carnibus aſinorum, & lentibus, (liceat enim mihi ipſius Avicennæ verba, quamvis barbare ſcripta, majoris tamen fidei gratia referre) omnia inquam hæc Avicennæ verba ſunt ex Galeno de elephantiaſi eo, quo nuper diximus libro loquente tranſlata. Quid quod niſi Galenus per elephantiaſin morbum, quem diximus intellexerit, illud ſequetur abſurdum, Galenum medicorum facile principem, qui tot de medicina volumina tam accurate, tam copioſe conſcripſit, nullam de eo morbo, qui reliquos omnes magnitudine ſuperat, quem nos vulgo lepram appellamus,
C in ſuis libris feciſſe mentionem. Galeni autem libros intelligo, quos idem auctor in propria lingua ſcriptos reliquit, nam in his, quos vel ex Græca, vel ex Arabica lingua tranſlatos habemus, plutima eſt in hoc verbo lepra ambiguitas, quoniam aliquando tranſlator ubi elephantiaſin in Græco Galeni Codice ſcriptum invenit, lepram eſt interpretatus, ubi vero lepram, nihil immutavit, ſed eodem uſus eſt verbo, cum tamen apud Græcos auctores alius morbus ſit lepra, alius elephantiaſis. *Lepra* enim (ut inquit Galenus in *libro de tumoribus contra naturam*) *paſſio ſolius cutis eſt*, quod de elephantiaſi dici non poteſt, cum in eo morbo, qui ἐλεφαντίασις à Græcis nominatur, non modo cutis, ſed carnes etiam, atque oſſa, ut Celſus quoque teſtatur, plerumque vitientur. Quod ſi quis pertinaciter tueri velit eundem eſſe morbum quem Græci λέπρα, atque Arabes itidem nominent, videat quid ipſum concedere oporteat, hoc ſcilicet, etiam viperarum, quo nullum eſſe præſtantius remedium adverſus lepram medici omnes uno ore conſentiunt, quòdque inter nobilia medicamenta contra lepram Avicenna numerat, non modo non ſanare
D id malum, ſed inſuper generare. Galenus enim *libro undecimo de ſimplici medicina* duorum meminit elephantiaſi morbo laborantium, qui ex eſu carnium viperinarum in lepram inciderunt, quare neceſſarium eſt dicere aliud eſſe morbum, qui a Galen. & cæteris Græcis λέπρα vocetur, alium qui ab Avic. ac medicis junioribus eodem nomine

*Lepram aliud significare apud Græcos, aliud apud medicos juniores.*

nuncupetur. Quid lepræ nomen ſignificet apud Arabes, & medicos juniores, qui Arabum doctrinam magna ex parte ſequuntur, nemo niſi hebes, atque omnino obtuſus ignorat, quid vero apud Græcos, ſive Latinos, veteres Græcos imitantes, multi etiam neſciunt eruditi, unde data eſt errori occaſio, ut diverſarum linguarum ſignificata diſtinguere neſcientes, vel elephantiaſin non eſſe lepram, de qua ſcribit Avic. vel non ſimpliciter lepram, ſed quandam lepræ ſpeciem exiſtimaverint. Nos vero elephantiaſin idem eſſe, quod lepra, de qua agit Avic. atque ab altero morbo diverſam, quem Galenus λέπραν nominat, exiſtimamus. idque videmur multis rationibus ex ipſius morbi ſumptis eſſentia demonſtraſſe. Age vero etiam ex vi nominum quibus idem morbus nuncupatur, argumentemur, neque enim tantum elephantiaſis, ſed præterea σατυρίασις apud Græcos nominatur, licet verbum ſatyriaſis pro priapiſmo quandoque apud eoſdem Græcos accipiatur.

*Unde tractum sit nomen elephantiasis.*

Nomen autem elephantiaſis tractum eſt à ſimilitudine elephantis, quoniam (ut inquit Galen. VI. *de cauſis accidentium*) qui hoc morbo laborant, carnem habent nigram & tuberibus plenam, qualis eſt cutis elephantum. Nonnulli elephantiaſin ob morbi magnitudinem, qui nulli ferè remedio ſuccumbit, dictam exiſtimant. Quidam ob id quod ſicut elephas præ cæteris animalibus diutiſſime vivit, ita humor hic longiſſimus eſt, quæ quidem omnes proprietates nulli alii morbo magis conveniunt quam illi, quem nos vulgo lepram nominamus.

*Satyriasis.*

Sed & σατυρίασις idem morbus à Græcis vocatur, quoniam eo affecti faciem ſimilem ſatyris habent, naſum ſimum, craſſa labra, aures lævigatas, ut ſcribit Galen. *lib.* 2. *de cauſis morborum*, ac præterea alio *libro qui de tumoribus contra naturam* inſcribitur, quo etiam in loco aſpectu horribiles & male olentes ſatyriaſin patientes oſtendit, quæ omnes notæ morbum illum, quem lepram vulgo dicimus, minimo minus ante oculos ponunt. Quanquam vero efficacibus rationibus, tum ex morbi eſſentia, atque appellatione, tum etiam ex ſenſu ſumptis probaverimus, nihil aliud eſſe elephantiaſin apud Græcos, quam morbum, quem Arabes nominant lepram, ſive quid aliud, quod ipſis lepram ſignificet. Iidem tamen Arabes, ut antea admonuimus, per elephantiaſin non eundem, quem Græci morbum, ſed crurum potius, ac pedum tumorem immodicum intelligunt, quod facile eſt ipſis permittendum, quandoquidem, ut ſæpe Galenus præcipit, non eſt de nominibus á medicis litigandum, niſi iidem auctores non ſolum nomina, ſed res ipſas quoque confunderent, cum videatur Avicenna *libro tertio* ubi agit de elephantiaſi ſumpta pro tumore pedum nonnulla dicere, quæ etiam Galenus de elephantiaſi in eo accepta, quo Græci capiunt, ſignificatu, *libro* ſiquidem qui *de nigra cholera* apud Latinos inſcribitur, Galenus inquit ex eodem fieri humore elephantiaſin, atque varices, qui quidem humor primum rubidus apparet, deinde nigreſcit.

*Confusio Arabum in morbo qui elephantiasis nominatur.*

*Avicenna.*

Idem de ſua elephantiaſi refert Avicenna, & ſicuti Galenus, ac Paulus elephantiaſin ad rubidum colorem declinare minus malam arbitrantur, ita Avicenna ſubrubram elephantiaſin nigra cenſet eſſe incolumiorem, & quia Dioſcorides ſcribit cedream, (hoc eſt gummi illud ex cedro arbore fluens, quod Arabes vocant alchitram, licet Simon Genuenſis id verbum Arabicum picem liquidam Latine interpretetur) quia inquam Dioſcorides auctor eſt cedream juvare elephantiacos, ſi lingatur, aut inungatur, poſtmodum Avicenna de eodem remedio contra elephantiaſin, hoc eſt tumorem (ſic enim ipſe id verbum accipit) crurum, vel pedum ita ſcribit. Dicitur quod alchitran confert inviſcatum, & linitum.

*Cedrea.*

*Simonem male alchitram picem liquidam interpretari.*

*Rhasis.*

Rhaſis quoque, qui elephantiaſin in eodem, quo Avicenna accipit ſignificatu, nam & in Almanſore, & in diviſionibus, ſeorſum de lepra, & ſeparatim de elephantiaſi tanquam de morbis differentibus tractat, idem tamen auctor *libro duodecimo Continentis*, in quo agit de crurum vitiis, quibus annumerat elephantem, de vitio elephantis plurima ſcribit, quæ etiam Galenus variis in locis de elephantiaſi, immo vero Rhaſis ipſe Galenum allegat in *libro de cholera nigra* ita ſcribentem. Vitium elephantis & varices fiunt ex humore nigro, quod niſi fuerit cum eis caliditas, non erunt intenſæ malitiæ. ex vehementi quoque declinatione ad choleram nigram puram fit vitium elephantis. Similem fere ſententiam, ut antea ex parte notavimus, ſcripſit Avicenna *libro tertio capite illo*, quo unà de elephantiaſi, ac de varicibus agit, qui quidem Avicenna partim Galen. partim Rhaſim in eodem capite videtur imitatus. Multa autem remedia, quæ Græci tradunt contra elephantiaſin pro lepra ſumptam ſcribit Rhaſis *libro*, quem diximus *contra vitium elephantis*, ubi de pedum, aut crurum vitiis tantum differit, veluti ex Galeni auctoritate *plantaginem*, quam etiam Celſus ad elephantiaſin præcipue commendat. Ex Dioſcoridis itidem auctoritate ad vitium elephantis laudat Rhaſis *fel hircinum*, atque *menthaſtrum*. Longum eſſet, ſi multa alia vellem enarrare, quæ Græci,

*Celsus.*

A atque Arabes, quamvis de morbi eſſentia differentes, de elephantiaſi tamen ſimiliter tradiderunt. Quod ſi quis forte tam Avic. quam etiam Rhaſim ea ratione tueatur, quod crurum pedumve tumorem, quem elephantiaſin nominarunt, non lepram, ſed tantum lepræ principium judicaverint, atque ideo diverſis nominibus, alio ſcilicet lepram, alio lepræ principium nuncupare voluerint, ut morbi in ſua tempora diviſionem non improbamus, ita illos duas ejuſdem morbi partes non debuiſſe diverſas facere ſpecies, vel etiam genera omnino contendimus, quod maxime feciſſe videtur Avicenna, qui *de elephantiaſi libro tertio*, *de lepra* vero egit *in quarto*, tanto ſcilicet intervallo, ut videatur elephantiaſin diſtinctum omnino genus à lepra putaviſſe, cum præſertim idem Avicenna elephantiaſin, non uti Galenus inter figuræ morbos, ſed quantitatis potius *libro primo* collocaverit. Et hæc quidem de prima opinione longius forte, quam decuit, quia tamen eſt in ipſa præcipue Ferrariæ diſputatum, nos hoc in loco abundantius, diſſeruimus.

*Avicennam ponere elephantiasin inter morbos quantitatis, Galenus, vero Figuræ.*

B Jam ad alteram opinionem, quæ morbum Gallicum eſſe lichenas aſſerit confutandam veniamus. Hanc opinionem eſſe falſam ita colligitur. Lichen eſt morbus ille, qui latine dicitur impetigo, vulgo autem volatica. Morbus Gallicus non eſt impetigo, ſive volatica, igitur morbus Gallicus non eſt lichen. Quod morbus Gallicus non ſit impetigo, ſive volatica, quæ fuit noſtri ſyllogiſmi minor propoſitio, tam imperiti, quam etiam periti ipſo ſenſu monſtrante noverunt. Quare id ſolum oſtendere oportet, quod malum Græci λειχῆνας vocant, non Latino vocabulo impetiginem nominare, & quod docti impetiginem, vulgus volaticam nuncupare. Qui vero poſſumus melius iſta probare, quam Caſſii Felicis auctoritate? cujus auctoris hæc ſunt, quæ ſunt, quæ à Simone Genuenſi allegantur, verba. Impetigines Græci λειχῆνας dicunt, Latini zernas, naſcuntur ex melancholico humore, rotundo ſchemate, in ſuperficie cutis cum ingenti pruritu. quis non videat his verbis morbum, quem vulgato nomine volaticam vocitamus, deſignari? plures quoque medici juniores, in quorum numero Nicolus eſt, atque etiam Gentilis, ſive quicunque is eſt, cujus expoſitiones in *Fen ſeptimam libri quarti* Avicennæ habentur impreſſæ, ſentire

*λειχῆνα apud Græcos eſſe morbum, qui a Latinis impetigo nominatur, vulgo autem volatica dicitur, Caſſius Felix.*

C videntur impetiginem eſſe volaticam, & allegant alios idem ſentientes, quamvis videatur Rhaſis *vigeſimo quinto Continentis* putaviſſe impetiginem eſſe tineam ſiccam, de qua opinione poſtea dicetur. Eundem vero morbum eſſe apud Latinos impetiginem qui ſit λειχὴν apud Græcos præter Caſſii Felicis auctoritatem, etiam ratione probatur. Quæ enim remedia Galenus, & Paulus, omneſque Græci auctores contra lichenas notavere, eadem fere contra impetiginem à Quinto Sereno, Rhaſi, atque Avicenna ſcribuntur, neque hi Arabes auctores aliter generari impetiginem, quam Græci lichenas docuerunt. Sunt autem lichenes & lepra (ſi lepram eo modo, quo ante à Græcis capi docuimus, intelligamus) ſolius cutis paſſiones. Pejor tamen eſt lepra, quam lichenes. nam (ut Paulus, & Galen. teſtantur) lichenes ſi diu perſeveraverint, tandem in lepram convertuntur. major enim eſt cutis fœditas, & deſquammatio in lepra, quam in lichenibus. Tantam habent lichenes, & lepra naturæ cognationem, ut credere poſſim hos duos morbos apud diverſos auctores invicem nomina mutuari. Nam quæ de impetigine ſcribit Celſus,

D ea potius lepræ conveniunt. Videtur enim idem Celſus ſicuti lepram, impetiginem, ita lichenas, papulas Latine nominaſſe, quod ex quamplurimis, quæ alii de lichenibus, ipſe de papulis retulit, colligere poſſumus. Quemadmodum enim à Caſſio Felice ſcribitur, lichenas naſci rotundo ſchemate i. e. figura in ſuperficie cutis, cum ingenti pruritu, & aſperitate, atque ubi id malum ſerpere cœperit, ſerpiginem dici, ita & Celſus ait alterum papularum genus per minimas puſtulas cutim exaſperare, rodere, & eandem ſerpere, atque ut id vitium rotundum incipit, ita in orbem procedere, & quod Græci dicunt ex lichenibus diuturnis fieri lepram, Celſus de quadam ſpecie papularum idem pronunciat, quod niſi cito auferatur in impetiginem vertitur, & ſicuti Græci quoſdam lichenas ἀγρίους id eſt feras nominant: eodem modo Celſus alteram papularum ſpeciem ἀγρίαν id eſt feram ab eiſdem Græcis appellari teſtatur. Denique quod levi papulæ Celſus remedium præcipit, ut ſcilicet jejuna ſaliva quotidie defricetur, idem Græci adhibent lichenibus puerorum. qui quidem curationis modus argumento eſſe poteſt lichenas eſſe morbum, quem vulgo volaticam nominamus, ad-

E verſus quam noſtro quoque tempore mulierculæ circa puerorum mala ſananda præcipue ſollicitæ, nullam magis præſentaneam novere medicinam, quam jejunam ſalivam. Sed & eodem Celſo auctore major papula *murali herba* commodiſſime tollitur, quam quidem herbam Græci, ut Celſus quoque *libro*. 3. teſtatur παρθένιον, & περδίκιον nominant, Latini vero, quia in parietibus naſcitur, alio nomine

*Herba muralis, & altera ejuſdem effectus, quæ à Græcis*

λειχὴν appellatur.

nomine *parietariam* appellant. vulgus ob eum, quem in vasis vitreis abſtergendis exhibet uſum, *vitriolum*. ut minus mirandum ſit hanc ipſam herbam lichenas ſua vi abſterſoria ſanare. Eſt tamen & altera herba ipſa quoque in muris, ſed maxime ſaxis humectis proveniens à ſimili, vi, effectuque λειχὴν à Græcis nominata, quam noſtri temporis medici, neſcio qua ducti ratione, vel uſu *hepaticam* vocitarunt. neque enim uſquam apud celebrem auctorem, vel Græcum, vel Arabem legitur lichenem herbam hepati utilem eſſe, unde præ cæteris hepatica dici meruerit. Quod vero Pandectarius ſcripſit ex Serapionis, atque Galeni (ut videtur) auctoritate, valere hanc herbam contra ſplenis, atque hepatis obſtructiones, & contra omnem hepatis ægritudinem, hi quidem lichenis effectus neque à Galeno, neque à Serapione uſquam ſcripti leguntur. ſi vero Pandectarius illos ex ſua protulit opinione, minus illi hac in parte credendum, quoniam hanc ipſam herbam, quam Græci λειχῆνα vocant, tanta nominum confuſione obſcuravit, ut quæ tandem herba ſit, neque alii ex verbis ejus ſcire liquido poſſint, neque ipſe ſciviſſe videatur. cum enim de lichena, ſive lichene egiſſet in littera A. ubi eam Arabice *ainec*, Latine *muſcum*, vel *uſneam* vocari docet, poſtmodum in ſequenti ferè capite agens de eadem herba lichene, (licet videatur non animadvertere) eam Arabice *azemalſaret* inquit appellari, Latine vero *hepaticam*. Eandem vero eſſe hanc ipſam *hepaticam* cum ea, quam Græci λειχῆνα nominant, indicant illæ vires, quæ *Azemalſaret*, ſive (ut Pandectarius interpretatur) *hepaticæ* à Serapione ex Galeni, ac Dioſcoridis auctoritate tribuuntur. ſunt enim quas iidem auctores in ſuis de ſimplici medicina libris *lichenis herbæ* ſubſcripſere. Neque vero contentus Pandectarius ex una herba feciſſe duas, poſtmodum in littera L. eandem herbam tergeminavit. De lichene ſiquidem ſub proprio vocabulo egit, & *limum terræ* Latine vocavit. Judicent ergo legentes quanta ſit homini fides habenda, qui herbam eandem, modo *muſcum*, modo *hepaticam*, modo *limum terræ* Latine nominat, non ſolum varia nomina, ſed rem quoque, quæ tamen una erat, diverſam opinatus. Quod ſi quis lichenem herbam prodeſſe hepati ea ratione contendat, quoniam de ipſa ſcribit Serapio ex Dioſcoridis auctoritate, quòd ictericis confert, morbus autem, qui icterus nominatur plurimum hepatis vitio oriatur, is etiam Dioſcoride docente diſcat non in tra ſumptam ad vitium ipſum tollendum, ſed extra adhibitam potius ad colorem ſcilicet naturalem ictericis reſtituendum herbam lichenem à medicis peritioribus commendari, quod verba ipſa Dioſcoridis aperte demonſtrant. neque enim cum melle confectam, atque comeſtam, ut verba Serapionis male Dioſcoridem interpretantis, videntur innuere, ſed cum melle illitam potius lichenem juvare ictericos idem Dioſcorides ſcribit. Non eſt autem à ratione alienum hanc ipſam herbam, quæ (ut inquit Galenus) plurimum valet abſtergendo, ſicuti lichenas, ita alteram cutis in ictericis fœditatem delere. Sed poſtquam de vera hepatica hoc in loco diſputatur; ſimilis error Gentilis, medici noſtra quoque ætate celeberrimi, haudquaquam eſt diſſimulandus, qui hanc juvandi Hepar prærogativam cuidam Herbæ in littoribus maris naſcentis, quam alii *ſoldanam*, alii per diminutionem *ſoldanellam* nominant, in quodam conſilio, tribuit, in quo autem herbam à pluribus *ſoldanam* vocatam ſcribit *cakilem* ab Arabibus nominari, de qua itidem *cakile* refert Serapio ex Iſaac Ebenaram auctoritate, quod debilitati hepatis confert. Sed (quod tanti viri pace dicere liceat) fallitur ſua opinione Gentilis, neque enim herba vulgo *ſoldana*, ſeu *ſoldanella* vocata eſt apud Arabes *cakile*, ſiquidem *herba cakile folio naſturtii*, vel *uſneæ* deſcribitur a Serapione. Neutra autem ſimilitudo *ſoldanæ* convenit, quam ſcimus habere folia hederæ foliis fere ſimilia, quæ quantum à *naſturtio*, atque *uſnea* diſcrepent, judicent illi, qui haſce herbas aliquando oculis ſunt contemplati. *Naſturtium* quidem cum ſit herba hortenſis vulgo *agriti* nominata puto omnibus notum. *Uſnea* autem (ut inquit Serapio) eſt *herba kali*. Simon vero de *kali* ita ſcribit. *Cali eſt planta in littoribus maris naſcens ſimilis vermiculari pinguis & ſalſa.* Ego hanc puto à Græcis τηλέφιον nominari, licet Auctor Pandectarum *antiphyllon* pro *telephio* corrupte ſcripſerit, quo etiam ductus errore *uſneam* facit *anthyllidis* ſpeciem, cum tamen *anthyllis* alia herba ſit à *telephio*, vel *uſnea*. Si qua vero herba ſit, ut ad propoſitum noſtrum revertamur, quæ ob excellentem juvandi hepar proprietatem nomine hepatica deberet inſigniri, illa profecto eſt *eupatorium*, quæ etiam inde apud Græcos videtur nominata, quod bona ſit hepati, quanquam Plinius ab Eupatore potius inventore dictam exiſtimat, de hac enim ſcribit Galenus *libro ſexto de ſimplici medicina*, quod hepatis obſtructiones expurgat, atque inſuper hepar ipſum corroborat. In *libro* vero qui *de antidotis* inſcribitur idem Galenus ita de eadem herba ait. Affectum hepar ſæpius *herba eupatorium* efficaciter juvit, licuti *myrobalanus* lienem. *Saxifraga* autem, atque *Betonica*, renes. Non tamen quod & alibi monuimus ad hunc effectum ſumenda eſt herba illa vulgaris paſſim in foſſatis naſcens, quæ magno noſtræ ætatis errore pro vero *eupatorio* recipitur, neque enim illi hæ notæ conveniunt, quibus nobis verum *eupatorium* Dioſcorides deſignavit. Quod ſiquis forte á me exigat, ut, quænam ſit vera herba eupatorium, aperiam, quod in priore *libello de Plinii, ac medicorum erroribus* inſcripto diſtuli manifeſtare, dicam tandem quid ſentiam, ſi prius illud, quod in eodem libello etiam antea oſtendi, declaravero, ſemper fuiſſe aliquos in veris medicinarum nominibus etiam prioris ſæculi errores, qui uſque ad noſtra tempora ſunt propagati, nam quia plures ſuperiore quoque ætate imperiti, colore decepti, metallum id, quod peritiores Cinabarim nominarunt, eſſe draconis ſanguinem crediderunt, atque ideo non Cinabarim, ſed potius draconis ſanguinem idem metallum nuncuparunt, nos quoque priſcam ſervantes conſuetudinem ita vocamus, idem in herba eupatorio contigit, hanc enim multi veteres, quos Dioſcorides notat, putarunt eſſe veram *Argemonium*, cum tamen hæc ſit ab eupatorio diverſa, qui error ad nos etiam permanavit: herba enim, quæ eſt vera *eupatorium* à pluribus creditur eſſe *Argemonium*; atque ideo corrupto vocabulo paſſim *Agrimonia* nominatur. Quam quidem rem miror à multis non fuiſſe animadverſam, cum (ut alio ſcripſimus loco) *herba eupatorium* paſſim naſcatur, ſic vero à Dioſcoride, & Plinio Dioſcoridem imitante deſcribitur, ut pene ſub aſpectum poni videatur. Hæc eſt Dioſcoridis in eadem herba Deſcriptio. *Eupatorium herba eſt fruticoſa, virgam unam attollens rectam, lignoſam, tenuem, nigram, hirſutam, cubitalem, vel etiam majorem, folia per intervalla, diviſa in quinque maxime partes, vel plures, ſimilia foliis pentaphylli, vel cannabis potius, & ipſa quoque ſubnigra ſerratim inciſa per ambitum. Semen vero medio caulì adnaſcitur ſubhirſutum vergens ad inferiora, ita ut exſiccatum veſtibus adhæreſcat.* In qua quidem deſcriptione ea herba pingitur, quam aliqui, ab illa adhæreſcendi natura, quam fructui tribuit Dioſcorides, *lappulam* nominarunt, nos vulgo *agrimoniam* vocitamus. Sed & alia, quæ in eupatorio deſcribuntur, caulis ſcilicet lignoſus, nigricans, hirſutus, cubitalis aliquando altitudinis, folia ſimilia cannabi, vel pentaphyllo, ita herbæ vulgo vocatæ *agrimonia* quadrant, ut hanc eſſe veram *eupatorium* nemo niſi ab ortu naturæ cæcus non agnoſcat, unde etiam duplex ſæculi noſtri error deprenditur, alter, quod herbam a veteribus *eupatorium* nominatam pro vera *argemonio* recipimus. Alter quod pro *eupatorio* herbam vulgarem, de qua nulla fit à priſcis auctoribus mentio, nulla nixi vel ratione, vel auctoritate, ad uſum medicinæ frequenter adhibemus. Sed hæc quidem, quamvis forte à noſtro propoſito, qui morbum Gallicum potius, quam herbas intendimus explanare, longe aliena, juvandæ tamen mortalitatis gratia, quæ hactenus in veris remediis dignoſcendis hallucinatur, obiter ſint exarata. Jam ad propoſitum revertamur quo probare intendebamus, quod malum Græci λειχῆνας dicunt, à Celſo papulas nominari, ſicuti quod iidem Græci λίχηνα dicunt à Celſo etiam impetiginem nuncupari, hoc enim poſſit vel ex ipſorum morborum definitionibus demonſtrari. nam lichen in *libro* qui περὶ ὁρισμῶν. id eſt *definitiones medicinales* inſcribitur ita definitur, ſive liber ille Galen. fuerit, ut titulus præ ſe fert, ſive alterius, non multum à Galen. placitis diſſentientis. *Lichen eſt aſperitas cutis cum magno pruritu.* Lepra vero hoc pacto. *Lepra eſt tranſmutatio cutis ad contrarium naturæ habitum cum aſperitate, dolore, atque pruritu, & ſquamarum reſolutione, & quandoque plures corporis partes depaſcitur.* Celſus quoque tam in papulis, quàm etiam impetigine cutim exaſperari innuit. Impetigini vero hoc proprium tribuit, quòd in ea ſquamulæ reſolvuntur, & hoc quidem fieri in qualibet impetigine, ſicuti etiam omnem ejus ſpeciem oriri in pedibus, & manibus, atque ungues quoque infeſtare idem Celſus teſtificatur. quod poſtremum dictum vel ipſum probare queat nihil aliud ſignificare impetiginem apud Celſum, quam lepram, cum non ſolum Græci auctores, ſed Plinius quoque auctor Romanus ungues leproſos ſæpiſſime nominet. Avicen. & ipſe impetiginem ita dividens, quod alia ſit non excorticata, alia excorticata, per impetiginem non excorticatam papulas apud Celſum, λειχῆνας vero apud Græcos videtur ſignificare. ſicuti per impetiginem excorticatam id, quod Celſus vocat ſimpliciter impetiginem, Græci vero λίχηνα. Sunt autem hæc Avi. de impetigine excorticata verba. *Et de impetigine eſt excorticata propter vehementiam ſiccitatis, & multitudinem profunditatis, & eſt ſicuti albaras nigra, & ſicuti cortices.* Eſt autem hic dubitatione dignum, cur Avic. hoc in loco impetiginem excorticatam dixerit eſſe, ſicuti albaras nigram, qui tamen in alio capite ſuperiore albaras nigram ita definierat. *Albaras nigra eſt impetigo excorticativa, & eſt ſcabioſitas accidens,*

*Pandectarius hoc loco improbatur.*

*Errare Pandectarium.*

*Dioſcorides.*

*Mala tranſlatio Serapionis.*

*Error Gentilis, qui herbam vulgo ſoldanam vocatam putavit eſſe eandem apud Serapionem.*

*Naſturtium vulgo agriti. Uſneam eſſe herbam Kali, Græce τηλέφιον dictam.*

*Error Pandectarii.*

*Quanam ſit vera hepatica. Galenus libro 6. de ſimplici medicina, & libro de antidotis.*

*Argemonium corrupto vocabulo agrimonia.*

*Deſcriptio eupatorii apud Dioſcoridem, & quo nomine eadem herba a noſtris vocetur manifeſtatio.*

*Morbum a Græcis λειχῆνας dictum, a Celſo papulas nominari.*

*Quid lichen & lepra.*

*Quid Avicenna intelligat per impetiginem excorticatam & non excorticatam.*

*Albaras nigra.*

*dens, aſpera, vehemens, & facit ſquamas ſicuti piſcium cum pruritu, & eſt propter humorem melancholicum imbibentem de eo, quod eſt juxta ea imbibitione fortiore, quàm in colore imprimat tantum*, hæc quidem Avic. Eſt autem (ut dixi) dubitandum, ſi albaras nigra eſt impetigo excorticativa, ut hoc in loco inquit Avic. quo pacto erit ſicuti albaras nigra, quemadmodum ſcribit inferius, quod enim eſt ſicut alterum, non idem videtur eſſe. Nos vero hanc dubitationem ita ſolvimus. Græcos à quibus Arabes omnia iſta acceperunt duo habere vocabula germanos morbos ſignificantia, lepram ſcil. & pſoram, atque ideo hæ duæ paſſiones propter naturæ proximitatem à Paulo Aegineta ſimul deſcribuntur in hanc ſententiam. Lepra, & pſora ſunt in ſuperficie cutis aſperitates cum pruritu, & reſolutione ex melancholico humore ortum habentes, ſed lepra quidem cutem profundius depaſcitur in orbem procedens, atque in ea quædam veluti ſquamulæ reſolvuntur. Pſora vero magis in ſummo conſiſtit variisque modis figuratur, & furfuracea corpora abjicit. Lepra igitur apud Paulum eſt impetigo excorticativa apud Avic. ſicuti impetigo non excorticata apud eundem Avic. eſt λειχὴν apud Græcos, ut etiam ſupra monſtravimus. Albaras autem nigra eſt Paulo Aeginetæ pſora, quam quidem albaras nigram Avic. ab impetigine excorticativa ſeparavit, cum loco quaſi differentiæ adjunxit, & eſt ſcabioſitas accidens, & reliqua, quod verbum adjunctum indicio eſt tantum importare Avicennæ albaras nigram, quantum Græcis auctoribus ψώρα, hoc enim verbum Arabes in ſua lingua baras interpretantur, quod patet ex verbis Rhaſis, quæ *libr. 25. Continentis capite illo*, quo agit *de paſſionibus unguium*, in hunc modum ſcripta leguntur. Dixit Galenus expertus ſum cantharides, & inveni, quòd ſanant unguium baras ſi de eis fiat illinitio cum ceroto. Hujus vero remedii ſufficientem ſe habuiſſe experientiam ad ungues pſoram patientes ſcribit Galenus *libro undecimo de ſimplici medicina*. Ut vero primum noſtri inſtituti propoſitum tandem abſolvamus. Cum lepra, ac pſora ſolius ſint cutis affectus, ut ex earum definitionibus conſtat, ac ferè ſine dolore, in quibus ſquamulæ tantum, & cortices, furfuri ſimiles emittuntur, non autem puſtulæ eminentiores quoddam veluti virus ſtillantes, quantæ ac quales in morbo Gallico apparent, excitentur, morbum Gallicum non eſſe lichenas (ſi etiam lichenes cum lepra, ut apud Avicennam, atque ipſum forte Plinium confundantur) tam ratione, quam ſenſu ipſo adſtipulante demonſtratur.

Poſtquam ſatis (ut apparet) probavimus morbum Gallicum non eſſe lichenas, ſive impetiginem, magnam etiam ejus opinionis partem, quæ eundem morbum eſſe aſaphati aſſerit, unà videmur deſtruxiſſe, quando Arabes aſaphati atque lichenas pro eodem morbo nonnunquam accipiunt, eſt enim (ut inquit Avic.) impetigo non longinqua à ſaphati niſi cum re occulta, & pertranſit ut ſit aſaphati ſicca impetigo malignior. Rhaſis quoque, quod & antea notavimus, ſcribit in *vigeſimoquinto Continentis* putare ſe impetiginem eſſe tineam ſiccam, quaſi diceret ſaphati ſiccam: videtur enim hoc verbum ſaphati apud Arabes duo tineæ genera ſignificare, alteram ſiccam, alteram humidam. Non diſtinguunt autem iidem Arabes tineam ſiccam ab impetigine ea ratione fortaſſis, quòd ſimiles impetigini diſpoſitiones ſicuti faciem, ac collum, ita ſummam capitis partem frequenter infeſtant. Idcirco Avic. iiſdem remediis utitur etiam ad ſaphati quibus Paulus ad lichenas, ſive impetiginem, ſtercore ſcilicet lacerti, & ſtercore turdorum proprie comedentium oryzam, quamvis Paulus aves illas veſcentes oryza, non turdos, ſed ſturnos potius nominet, de quo Arabum, ac præcipue Avicen. errore turdos pro ſturnis ſæpe ponentium alibi diximus. Quod vero Avic. etiam ſaphati pro tinea non modo ſicca veluti aliquando Rhaſis, ſed etiam humida accipiat, illæ oſtendunt medicinæ, quibus utitur Avicenna ad ſaphati humidam, *tutia ſive climia, & cimolea; & charta combuſta cum aceto, & gummi pini cum balauſtiis, & aceto, & oleo roſaceo*, hæc enim omnia ferè Paulus Aegineta ad favi, id eſt, cujuſdam ſpeciei tineæ humidæ ita nominatæ adhibet curationem. Meſue quoque Gal. allegat ſcribentem multos ſe ſanaſſe, qui ſaphati patiebantur linimento chartarum combuſtarum tritarum, & cum aceto temperatarum. Hoc autem medicamento Galenus *libro primo decem tractatuum* qui *memiri* inſcribitur apud Arabes, ad achoras, id eſt, alteram humidæ tineæ ſpeciem uſum ſe fuiſſe teſtatur, quam etiam tineæ ſpeciem Rhaſis in *libro diviſionum* ſaphati nominat, ſcribens enim de altera quam Græci κηρίον nos favum appellamus, ait quòd ejus foramen eſt latius, & majus foramine ſaphati, quæ ſunt Galeni, ac Pauli verba achoras, & favum ex foraminum magnitudine diſtinguentium. Idem Rhaſis in *libro de ægritudinibus puerorum* alteram tineæ ſpeciem, quæ favus, ſive (ut ipſe inquit) favoſitas mellis vocatur, etiam ſaphati nomine Arabico nuncupavit, hæc enim ſunt ejus verba. *Paſſio, quæ dicitur favoſitas, eſt ſpecies ſaphati.* In Almanſore etiam habetur capitulum de ſaphai, vel ſaphati, quæ ſunt ut ibi exponitur ulcera capitis habentia cruſtas. Uſque adeo autem Rhaſis ſaphati capitis morbis addixit, ut *vigeſimoquinto continentis*, quod etiam teſtatur Nicolus, ſaphati capitis impetiginem nominaverit, qui itidem Nicolus de ſaphati, & tinea una agit, & ſaphati, id eſt, tineæ ut ipſe etiam exponit plures modos enumerat ex Galeni in *primo memiri*, & *lib. de apoſtematibus* auctoritate. Apud Avicennam etiam omnes ſaphati ſpecies ſunt cutis capitis paſſiones. nam ſaphati incipiens, quæ eſt (ut Avi. inquit) bothor parvæ, fixæ, leves, diviſæ in numeratione locorum, deinde exulcerantes nihil aliud ſunt niſi exanthemata, id eſt, puſtulæ, quas ſcribit Paulus rubidi eſſe coloris, & aſperas, ſummam capitis partem exulcerantes. Sirengi vero, quæ eſt ſpecies ſaphati humidæ apud Avicennam eſt κηρίον id eſt favus apud Græcos, ad quam (ut diximus antea) Avic. ſcribit eadem remedia, quæ Paulus, ut videatur verbum Græcum κηρίον in ſirengi apud Avicennam eſſe depravatum, ſicuti forte ψυδράκια in balciati, ſive ut alii ſcribunt raciati alteram ſaphati ſpeciem. Sunt autem ψυδράκια, ut Paulus, atque Alexander exponunt, puſtulæ ſuper cutem capitis eminentes. Verbum autem balciati puſtulas tales apud Avic. ſignificare indicant ipſius Avicennæ verba ſequentia, quæ ita ſe habent. *Et balciati quidem eſt de genere ſaphati malæ, & quandoque eſt cauſa ejus morſus ſicuti ſcinifes maligni.* eſt autem verbum ſcinifes æque hoc in loco a verbo Græco conopes deformatum, cujus quidem verbi quantumlibet vitiati ſignificatum Pandectarius intellexit, non tamen ſcripturam emendavit, ſed corruptum vocabulum ita ut invenit, expoſuit hoc modo. *Scinifes, id eſt, quædam muſca parva quaſi effingiens viſionem, habens aculeum acutum, & alio nomine vocatur culex culicis, & idiomate noſtro vocatur ſenzala, unde declinatur hoc ſcinifes genitivo hujus ſcinifis indeclinabile.* Hæc Pandectarius non magna cum elegantia, ſed fide tamen, nam quod nomen ſcinifes ſit indeclinabile, oſtendit modus ipſe loquendi Avic. cum inquit morſus ſicuti ſcinifes maligni, eſt enim ſcinifes caſus genitivi. Quod vero conopis, ſeu culicis morſus in cute verticis vel faciei tales puſtulas excitet, quales diximus à Paulo atque Alexandro medicis phydracia nominari loca habitantes, in quibus plurimus eſt ejus infecti proventus, magno ſui tædio plerunque experiuntur. Tantam autem fieri Græcorum nominum, vel morbos, vel animalia ſignificantium in *lib.* Avic. *transformationem*, quantam hoc in loco inſinuavimus, unuſquiſque mihi facile credet, qui in ſecundo ejuſdem auctoris volumine æqualem, vel etiam aliquando majorem in nominibus medicinarum factam animadverterit. Cum ibidem chochium pro phoca, id eſt, vitulo marino, Cheichem pro cancamo id eſt gummi quodam odorato. aſtratifus pro after Atticus id eſt, herba inguinaria. baeche pro bechio, id eſt tuſſilagine, bilonium pro pelio. beblifi pro peplo herbis earundem virium. altera tamen portulacæ hortenſi, altera rutæ ſimilibus. gueguers pro cenchro, id eſt, milio. ſucutum pro ſymphito, id eſt, conſolida herba. tefilie pro taplia, & mille aliæ Græcorum verborum corruptiones inveniantur, quas vix puto poſſe intelligi ſine auctorum Græcorum, qui medicinam poſteris tradidere, cognitione. quando & Avic. tantus alioqui medicinæ magiſter in eis caligat aliquando, ut cum refiſie, id eſt, gummi rutæ agreſtis, quod nuſquam invenitur exponit, ſcutum vero ſempervivam, vel ſpeciem ſeminis mandragoræ ſecundum duas opiniones, utranque tamen falſam interpretatur. Qua quidem nominum obſcuritate neſcio quid poſſit eſſe in medicinæ opere periculoſius, quando ex ea non modo alterum pro altero morbum curari, ſed alia etiam pro aliis remedia exhiberi contingat. Quocirca, nunquam ſatis laudari poſſet Aldus Manutius Romanus Vir non minore ingenio, quam doctrina, qui ſua induſtria, atque labore omnem Græcorum ſapientiam, grammaticam, poëticam, oratoriam, philoſophiam, & medicinam etiam innumeroſis voluminibus curat imprimenda, qui tot doctiſſimorum hominum lucubrationes, quæ non multis poſt annis erant interituræ, ita reficit, atque reſtaurat, ut nulla unquam poſſint temporum veteſtate aboleri, dignus profecto immortalitate, qui tam multis viris præſtantibus dat æternitatem. Alluatim vero de quo poſt ſaphati ſpecies Avic. facit mentionem, quoniam crurum non capitis ulcera eſſe dicuntur, ideo neque ſaphati ab eodem Avic. cognominantur, quare neque ad præſentem diſputationem videntur pertinere, qua tantum probare intendimus morbum Gallicum non eſſe ſaphati. Illud tamen à nobis obiter dicetur alluatim verbum eſſe Arabicum corrupte hoc loco pro albotim ſcriptum, ſic enim legitur, & non alluatim in codice Arabico Avic. Significat autem albotim in Arabum lingua arborem terebinthum, ex qua naſcitur reſina terebinthina, unde & gluten albotim nomine partim La-

*Impetigo excorticativa.*

*Lepra & pſora.*

*Rhaſis.*

*Lepra & pſora ſolius cutis paſſiones.*

*Rhaſis.*

*Error Arabum ac præcipue Avic. ponentium turdos pro ſturnis.*

*Meſue.*

*Apud Avic. omnes ſaphati ſpecies eſſe cutis capitis paſſiones.*

*Paulus & Alexander.*

*Multa nomina herbarum depravata apud Avic.*

*Errores Avic. in thapſia, & ſymphyto herba.*

*Laus Aldi Romani.*

*Alluatim*

*Duo ſignificata verbi albotim apud Arabes.*

Latino partim Arabico à medicis junioribus eadem refina nominatur. Sed & iidem Arabes albotim vocant quædam genera puſtularum ſimilium fructui arboris terebinthi, a qua pariter ſimilitudine Græci quoque antequam Arabes eaſdem puſtulas πεμφίξους vocavere. Sunt autem veluti ulcera parva lentis magnitudine, vel non grandiora faba, colore inter nigrum ac viridem, quantus & qualis eſt etiam fructus, a quo nomen tam apud Græcos, quam etiam apud Arabes habuerunt. De his autem ut arbitror una cum ſpeciebus ſaphati egit Avicenna, quoniam hæ quoque ſicuti ſaphati in ſumma corporis cute naſcuntur, ut Paulus Aegineta, qui de terminthis ſcripſit ex Dioſcoriis Alexandrienſis auctoritate, teſtatum reliquit. Sed de eiſdem etiam *libro tertio capite de bothor* nominatis bothim ipſe Avicenna plenius erat executus his verbis. *Hæc bothor apparent in crure nigræ quaſi ipſæ ſint fructus tamaricis, aut grana viridia magna, & materia earum ex materia varicum, & cura earum ex parte mundificationis eſt cura varicum ulcerum melancholicorum*, quæ quidem verba Avicennæ nihil aliud oſtendunt quam quod *lib.* 4. *cap. de ſaphati* circa finem de alluatim idem Avicenna ſpiritualiter ſcribit, quod videlicet alluatim ſunt ulcera melancholica, quæ apparent in crure ex eadem materia, ex qua fiunt varices, & appropinquat cura ejus curationi earum, illud etiam luce clarius manifeſtat verbum alluatim *libro.* 4. male pro albotim poſitum, & has puſtulas botim nominatas eaſdem eſſe cum illis quas Græci πεμφίξους appellant à ſimilitudine, ut diximus, fructus arboris terebinthi, qui fructus apud Arabes granum viride nominatur, hoc enim eſt quod dicit Avicenna *capite libri tertii* nuper *allegato* eſſe eas quaſi fructus tamaricis, aut grana viridia magna. ideo autem Avicenna addidit magna, quia ſicuti duplex eſt arbor terebinthus fructifera fœmina utraque. (nam maſcula eſt ſine fructu) ita fructus diverſificatur, alter enim eſt magnitudine lentis, alter non grandior faba (ut diximus) hic autem eſt quem Avicenna magnum vocat ad alterum æqualem lenti comparatum. Hæc igitur ſi vera ſunt (ut certe vera eſſe exiſtimamus) non parum illi decipiuntur, qui alluatim quartam faciunt ſaphati ſpeciem, quique ſaphati non tam cutis caput integentis, quantum faciei morbum eſſe arbitrantur. quo etiam errore ducti videntur qui morbum Gallicum ſaphati eſſe opinantur, quoniam hic morbus cæteris partibus ſub veſte latentibus vultus hominum evidentius oſtendit. Ejuſdem vero erroris auctores ajunt ex 1. *libro* Galeni *de decem tractatibus* ſuos ſe ſermones ſumpſiſſe, neque animadvertunt, quod idem auctor de morbis faciei non *primo libro*, ſed *quinto* tantum *illorum tractatuum* ediſſerit, ſic enim rectus ordo exhibet, ut primum à calvariæ morbis inchoaret, de quibus ſolis in 1. *libro* pertractat, deinde ad ea, quæ in auribus, in oculis, atque in tota facie oriuntur mala deſcendens ſingula in propriis tractatibus declararet, ut vel ex iis quæ ipſi concedunt illud probari poſſit ſaphati eſſe ſolius vertigis paſſionem, quando à Galeno in 1. *lib. decem tractatuum* de ſaphati agitur. Sed & achores, & favi, & pſydracia, & exanthemata, & quicunque in eodem libro capitis morbi a Galeno connumerantur, vel tinea ſunt, vel tineæ ſimiles fœditates, ſumpto tamen tineæ vocabulo in eo, quo medici juniores capiunt, ſignificatu. Quod niſi Avicenna hæc omnia ſub ſaphati nomine in ſuis libris comprenderit vanè videbitur gloriatus quicquid ſuo operi fuerit ſuperadditum eſſe incomprenſibile, cum nuſquam aliter de tinea, aut his tineæ affinibus affectibus egerit. Quanquam vero ſaphati proprium capitis morbum ſtatuerimus, non tamen ignoramus morbum etiam certæ parti corporis peculiarem poſſe aliis aliquando communicari, quod etiam innuit Avicenna, inquiens ſaphati plurimum in capite fieri. Nos quoque ut medici de iis, quæ magna ex parte, non autem raro, aut ſemper eveniunt hoc in loco differimus. Poſſumus ergo ita colligere. Cum morbus Gallicus non ſit impetigo, ut etiam antea probavimus, neque vero tinea, quoniam hic & ei compares morbi, ut in capite fiunt, ita à capite incipiunt, morbus autem Gallicus primum ſui ortum habet ab obſcœnis, tam morbum Gallicum differre à ſaphati quantum caput ab inguine, aut quacunque alia corporis parte eſt exiſtimandum.

Contra vero illos, qui dicunt morbum Gallicum eſſe prunam, vel ignem Perſicum, ſive ſacrum, non eodem modo, ut contra cæteras opiniones poſſumus argumentari, cum tanta ſit apud Arabes, & medicos juniores de pruna, & igne Perſico, vel ſacro ambiguitas, quanta fere de hoc ipſo morbo, de quo in præſentia diſputamus. Alii enim prunam, atque carbonem non idem malum, ſed diverſa potius opinantur, cum tamen, quod ab Avicenna pruna dicitur, à Galeno *lib.* XIV. *artis curativæ*, & multis aliis in locis carbo Latine, ſicuti ἄνθραξ Græce nominetur Alii quamvis ἄνθραξ idem Græcis ſignificet, quod carbo Latinis, differre tamen anthracem à carbone ea ratione arbitrantur, quoniam anthrax fiat ex materia maligniore, & magis aduſta, quam illa, ex qua carbo generatur. nec deſuere, qui ita deſiperent, ut verbo Græco Latinam darent derivationem, anthracem ab antro dictum exiſtimantes, quoniam (ut inquiunt) intra concavitatem habet abſconſam. Non abſque omni tamen ratione quidam moti videntur, ut inter anthracem, atque carbonem, ſive prunam differentiam ſtatuerent, cum viderent inde Avicennam de Altoim, quem ipſi anthracem interpretantur, uno capite agentem, poſtmodum altero capite de pruna tractantem tanquam de morbo ab altoim, ſive anthrace diverſo, inde Rhaſim in *lib. diviſionum* de igne Perſico primum, mox de anthrace ſeorſum ſcripſiſſe, Ego tamen illos, qui inter carbonem, ſive prunam, atque anthracem faciunt differentiam libenter interrogarem, nunquid Galenus de anthrace in eo, quem ipſi ſub hoc verbo intelligunt ſignificatu, uſquam fecerit mentionem, tantum enim morbum, ac magis, quam cæteros exitialem latuiſſe Galenum, atque ideo neque in *libro quartodecimo artis curativæ*, neque in *ſecundo ad Glauconem*, neque in *libro de tumoribus contra naturam*, nuſquam denique ab ipſo fuiſſe nominatum pene ridiculum eſt ſuſpicari. Quod ſi Galenus & de pruna, de qua agit Avicenna, & de anthrace peſtifero ſub eodem nomine Anthrace videlicet *lib.* XIV. *artis curativæ* tractaſſe dicatur, quoniam anthracem fieri aliquando in epidemia eodem in loco Galenus teſtatur, nonne hoc idem de pruna, & igne Perſico refert Avicenna his verbis? Et quandoque acciaunt iſta, cauſa peſtilentiæ. Talis ergo pruna, atque altoim, ſive anthrax minime different, atque hoc pacto Avicenna de eodem tumore peſtifero ſub variis nominibus pruna ſcilicet, atque altoim fruſtra in duobus egiſſe locis judicabitur, niſi forte dixerimus altoim quidem eſſe anthracem non omni tempore, ſed ſolum peſtilente, neque in omni parte corporis, ſed tantum in glanduloſa, ac præcipue inguinibus ortum, quando & ipſe Avicenna hoc idem videtur inſinuare ita ſcribens. Antiquiſſimi antiquorum nominaverunt nomine, quod tranſlatum eſt in Arabico altoim omne apoſtema eveniens in membris glandinoſæ carnis aut alibium, hæc enim eſt verior lectio, quàm altera alibi, ſiquidem verbum alibium ſignificat apud Arabes inguen, unde & herba inguinaria, quam Græci βουβώνιον nominant apud Arabes alibium nuncupatur, licet pandectarius ſecutus Serapionis errorem heringium à bubonio, ſive herba inguinaria non diſtinguentis, alibium heringium interpretetur. Voluiſſe autem Avicennam *libr.* 4. ubi de altoim ſcribit de hoc tumore agere, qui præcipue in inguinibus naſcitur, facile conjecturabit unuſquiſque, qui invicem verba Avic. de altoim, & Pauli de bubone contulerit, ſunt enim quaſi eædem medicinæ, quibus Avic. curat altoim, & Paulus bubonem, niſi quod Paulus multo rectius eandem curationem diſtinxit. nam cum duplex ſit βουβών id eſt, bubo alter, qui fit à cauſa primitiva (ut utar verbo apud medicos juniores peruſitato) atque ideo ex ſanguine non neceſſario maligno, alter, qui fit ex materia venenata tempore præſertim peſtilentiæ, in primo quidem bubone inchoante Paulus utitur refrigerantibus atque adſtringentibus medicamentis, veluti *ſpongia ex poſca, & lana ex vino, & oleo acerbo, vel roſaceo, vel melino, id eſt, pomo vel lentiſcino vel myrtino*, nullum enim ex his in tali bubone periculum imminet, ut quilibet medicæ artis peritus intelligit. Avicenna vero nulla adhibita diſtinctione hæc eadem remedia quamvis ex reprimentibus adhibet in principio altoim, id eſt, bubonis peſtiferi, quibus nihil poſſit eſſe in hoc malo periculoſius. Neque vero illud ſatisfacit, quod nonnulli de hoc genere medicandi dubitantes dicunt in Avicennæ excuſationem, quod videlicet Avicenna voluerit non ſuper ipſum altoim, ſed potius partes ipſi vicinas, ne corruptio perambulet, eas, quas diximus, imponi medicinas reprimentes. Ego enim in hoc genere morbi præſtare ſemper opinor, non ſolum ad locum affectum, ſed etiam proxima tabem peſtiferam quantum fieri poſſit evocare. Si enim à locis circumſtantibus repercutiatur quantum extrinſecis partibus hoc eſt ignobilioribus mali depelletur, tantum ad intrinſeca, & plerumque lethalia detrudetur, cum illud quoque in peſtilentia ſit obſervatum, quanto plures cutis exterioris partes afficiuntur, tota vi noxia foras prodeunte, tanto minus ſubeſſe periculi, ſicut ubi unum ſolum locum carbunculus occupaverit, ægri ſalus penè eſt deſperata. quanquam vero Avicenna etſi non in curandi ratione, ſaltem in eo cum Paulo conveniat, quod ſicuti hîc bubonium ab anthrace, ita ipſe altoim à pruna ſejunxit, non tamen æque conſtat apud Avicennam ex qua materia pruna, vel ignis Perſicus oriatur, cum videatur quandoque Avicenna non ſolum à Paulo, atque Galeno, ſed a ſe ipſo pariter de hiſce morbis ſcribens diſſentire. Galenus enim, quem Paulus etiam ſequitur, ait, anthracem ex ſanguine melancholico fervente generari, atque ideo à puſtula aliquando incipere, aliquando ſine



*Terminthus.*

*Altoim.*

*Hic notatur Bartholomæus cognomento Montagnana.*

*Error Pandectarii & Serapionis ſimul in herba inguinaria.*

*Duplex bubo.*

*Achores, favi, pſydracia, exanthemata.*

*Error Avicennæ in curatione Altoim.*

*De pruna igne Perſico & anthrace diſputatio.*

hac, deinde quandam attolli pustulam, qua disrupta similiter ulcus crustosum fit. Eadem ferè de pruna, vel igne Persico quodam in loco scribit Avicenna *libro scilicet quarto inter initia sen tertiæ capite de apostematibus, & pustulis* in hunc modum. *At vero ex sanguine grosso malo fiunt species exiturarum malarum, nam si ejus malitia vehementis sit, & ipsius ambustio proveniet erysipelas & eveniet combustio, & crusta, & deterior est ignis Persicus.* Hoc in loco Avicenna de igne quidem Persico videtur cum Galeno consentire, siquidem ignis Persicus idem genus coit cum anthrace, de quo Galenus agit *libro* 14. *artis curativæ*, quemadmodum ex ipso constat Avicenna qui *libro* 4. *capite de ulceribus* ait; ulcus corrosivum ignem Persicum à Galeno nominari. ut etiam ex multis translationibus constat, quæ anthracem ignem sacrum, vel Persicum interpretantur. De erysipelate vero idem Avicenna aperte à Galeno discordat, qui vult erysipelas non ex sanguine crasso, qualis est melancholicus, sed potius tenuissimo generari, ut constat ex ejus verbis *libro secundo artis curativæ ad Glauconem* de vero erysipelate scriptis. Postmodum vero Avicenna in eo *quarti libri capite*, quo *de pruna*, atque *igne Persico* tractat, licet easdem ferè notas in pruna, & igne Persico scribat, quas Galenus, ac Paulus in anthrace, sive carbone, pustulas scilicet corrosivas facientes escharam, qualem facit accidere combustio, & cauterium. vult tamen tam prunam, quam ignem Persicum ex cholera citrina generari, quæ, si verba ejus attendimus, ex sanguine cholerico originem traxerit. Sit autem mihi quod etiam ab initio expostulavi hoc in loco concessum ab iis, qui nihil nisi eleganter dictatum audire patiuntur, & verba potius, quàm sententias consectantur, ubi de Arabum medicorum opinionibus disputatur, servare eundem aliquando modum loquendi, quo medici passim juniores utuntur, ac pro flava bile choleram, pro atra melancholiam, pro erysipelate heritipelam, & plura alia nomina barbara usurpare, ne si aliis quam ipsis vocabulis uti voluero, non tam videar latinitatem affectasse, quantum verborum studio bonos auctores oppugnare tentasse. Materiam itaque prunæ, vel ignis Persici apud Avicennam esse choleram citrinam ex cholerico sanguine genitam indicant ipsius Avicennæ (ut nuper diximus) verba, quæ ita se habent. Et unusquisque amborum tam scilicet pruna, quàm ignis Persicus est de cholera citrina adurente permista melancholiæ. Et paulo post in curatione eorundem morborum Avicenna præcipit fieri phlebotomiam aliquando usque ad syncopen, ut sanguis cholericus evacuetur, qui quidem curationis modus nescio quantum rationi, vel etiam ipsi Avicennæ conveniat, qui sanguinem esse froenum choleræ ubique insinuat, & *primo libro* cavendum esse admonet, ne superflua sanguinis missione ægrum ad humorum cholericorum ebullitionem perducamus. Quare si ejus aliis in locis doctrinam sequimur, in morbo ex cholera superante, seu sanguine cholerico facto phlebotomia non competit, vel non tanta, ut ad syncopen usque perducat, nam & Galenus ipse, qui tam audaci remedio adstipulatur, non nisi in tribus dispositionibus usque ad animi defectum sanguinem detrahit, vel scilicet in maximis phlegmonibus, vel febribus ardentissimis, vel doloribus vehementissimis. Quarum nulla adest in eo, de quo disserimus morbo, si enim sanguis cholericus sit superabundans, quod esse in igne Persico innuit Avicenna, non phlegmones faciet, sed potius erysipelas & exquisitas, ut inquit Galenus *libro* 2. *artis curativæ ad Glauconem*, ubi inter phlegmonem, atque erysipelas ponit differentiam. Veri autem erysipelatis calor immodicus, ut idem Galen. sentit *libro* 9. *artis curativæ*, non aliter quam aqua frigida epota curatur. Sic & quæcunque aliæ febres ex choleræ, vel per se, vel sanguini mistæ fervore generantur nullum magis præsentaneum habent remedium, quàm frigidæ aquæ potionem. Unde Avicenna tam in curatione erysipelatis quam etiam causonis visus est dubitare, an in eis sanguinem mittere oporteat, nedum jusserit ad syncopen usque profundi. hoc enim remedium in his solum febribus convenit, quæ ex multo sanguine vel ebulliente, vel putrescente generantur, quales illæ sunt, quæ proprio nomine synochi nominantur, sed neque propter intolerabiles dolores (hi enim in hoc morbo non adsunt) tanta sanguinis detractio est facienda. quod si etiam adessent, distinguendum foret, ut inquit Galenus in *expositione aphorismi*. Quae egeruntur non multitudinem considerare oportet. an phlebotomia, vel potius purgatione sedari deberent, nihil aliud ex his verbis insinuans, nisi quod ubi humor allus à sanguine faceret sua vel qualitate vel quantitate dolorem, purgationem esse præferendam, quod videmus eundem Galenum in omnium morborum præcipue cholericorum curatione ubique observasse, adeo ut in commentariis *libri secundi de humoribus* etiam in pleuritide, cum fit ex humore cholerico, damnet phlebotomiam, quam tamen plus in hoc quam in ullo altero morbo alioqui videtur probare. Apparet enim & ipsum quemadmodum etiam Avicennam nimiam humorum cholericorum inflammationem ubique evitare, quamvis hanc in ignis Persici curatione Avic. non caverit, docens aliquando in ea usque ad syncopen sanguinem evacuare. Quid quod etiam Avicenna in pruna vel igne Persico prohibet scalpellationem profundam quando materia est declivis ad choleram. his enim & ipse utitur verbis, & tamen capite superiori, ubi agit de formica suaserat ex Galeni consilio exstirpare formicam cum aliquo, quod sit sicuti embula, & extremitas pennæ, aut alterius rei, cujus extremitas sit acuta, quam possibile sit deglutire formicam. Atqui haec exstirpatio formicæ, si diligenter inspicimus, multo est violentior, quam scalpellatio, ut si hanc timet Avicenna, quando materia est declivis ad choleram, multo magis tale aliquid facere debuerit formidare in morbo ex materia non declivi ad choleram, sed mera cholera ut ipse opinatur procreato. Ego quidem puto Avicennam, modo salva tanti viri reverentia dicere liceat; morbos etiam natura distantes, atque eorundem curationes plerunque confundere, vel (ut eisdem utar verbis, quæ ipse solet aliquando in aliorum reprensione usurpare) capitulum in capitulo ponere, quam quidem confusionem videtur in tribus capitibus de erysipelate, de formica, & de igne Persico se consequentibus præcipue feciisse. nam ut nos etiam eundem servemus ordinem capite, quo agit de erysipelate inter cæteras hujus morbi notas hanc etiam ponit, quod comburit, & sua virulentia vesicat. Hæc autem (ut ita dixerim) vesicatio magis propria est alteri morbo, de quo agit in sequenti capite, quem ipse formicam miliarem, Galenus vero, ac Paulus herpetem cenchriam, id est, miliarem ea potissimum nominant ratione, quod serpit, atque in cute vesicas, sive pustulas milio similes excitat. sed etiam medicinæ ipsæ, quas adhibet Avicenna ad erysipelatem super cutem existentem sunt quæ à Paulo scribuntur ad formicam miliarem, sive (ut ejus utar verbis) ad herpetem vesicosum, vel pustulosum. Hæc enim sunt Pauli verba. Ad herpetem vesicosum scoria plumbi ex vino austero contrita mox illita cataplasma ex foliis betæ in vino decoctis super impone. Avicenna autem ad Pauli (ut videtur) imitationem ita scripsit. Et si fuerit erysipelas super cutem, curetur ex scoria plumbi cum vino Ponticò cum foliis siclæ bullitæ cum vino. Modus autem loquendi Avicennæ non parvam potest diligenter inspicientibus facere dubitationem, cum enim inquit. *Si fuerit erysipelas super cutem.* videtur ex his verbis innuere posse etiam aliter quam super cutem fieri erysipelatem. Atqui Avicenna superius inter phlegmonem atque erysipelatem faciens differentiam, ita scripserat. *Et apostema erysipilæ non fit nisi in eo quod apparet de cute.* Quare nisi hæc dubitatio solvatur, non parva suspicio relinquitur, quod medicinæ, quas hoc in loco ad erysipilam scribit Avicen. alteri potius morbo, hoc est formicæ miliari conveniunt. Sed & verba sequentia Avicen. hoc ipsum apertissime monstrant, nam statim subinfert. *Et curetur cum eo, in quo est resolutio & exsiccatio fortis cum infrigidatione.* Nemo autem nescit nisi qui tritum illud in medicina principium etiam ignorat, contraria scilicet contrariis curari, erysipilæ morbo calido, & sicco fortiter exsiccantia non competere. Quod ipsum Gentilis animadvertens inquit Avicennam hic dupliciter intendere, primo quod ponit absolute medicinas quæ competunt in statu, secundo quod hic ponit medicinas, quæ competunt in erysipila ulcerata, quæ sunt nimis fortis exsiccationis. Nos vero ex hac ipsa responsione illud confessum habemus, quod contra Avicennam probare nitebamur eas scilicet, quæ hic ponuntur ab ipso, medicinas non erysipilæ, de qua agit in hoc capite, sed alteri potius, de quo tractat in sequenti, formicæ scilicet vel miliari, vel corrosivæ convenire. nam erysipila ulcerata nihil aliud est, nisi herpes exedens apud Galenum, ut idem Galenus *libro decimo quarto artis curativæ* testatur, herpes autem comedens est formica corrosiva sive ulcerata apud Avicennam. Quod vero non differat herpes comedens, de quo agit Galenus à formica corrosiva de qua scribit Avicenna, videre licet ex his, quæ Avicenna quidem de formicæ corrosivæ, Galenus vero de herpetis comedentis curatione eadem ambo præcipiunt, hæc enim sunt Avicennæ verba. *Via autem secundum quam curatur formica est, ut ea, quæ ex ipsa est corrosiva alienetur ab humectatione, quam jam administrasti in erysipila, humectatio enim non est conveniens in ulceribus.* Galenus quoque, à quo sumpsit Avicenna in eandem fere sententiam, scribit *libro secundo artis curativæ ad Glauconem* in hanc sententiam, *Herpetes quidem quantum ad totius corporis curationem simili modo, quo erysipelata curare oportet, quantum vero ad locum ipsum affectum non etiam similiter omnes, qui enim exesi sunt refrigerari quidem desiderant, sicuti & alii, atque erysipelata, non tamen ea medicamenta, quæ præter id, quod refrigerant, etiam humectant, patiuntur, sed ea sola ex refrigerantibus, quæ simul exsiccare possunt, admittunt.*

*Avicennam in eodem morbo aliquando Galenum sequi, aliquando discedere ab eo.*

*Avicennam discordare a Galeno de erysipela.*

*Tres dispositiones in quibus licet facere phlebotomiam usque ad syncopen.*

*Avicennam morbos etiam natura distantes confundere.*

*Gentilis.*

*Erysipila ulcerata & herpes exedens idem.*

*Galenus.*

Hic

Hic Galenus ſicuti Avicenna in cura formicæ corroſivæ, ita in curatione herpetis comedentis prohibet humectationem, quam tamen in eryſipelatis probat, atque ideo idem Galenus ſubjungit. *Non igitur neque lactucam, neque polygonum, neque ex ſtagnis lenticulam, vel paluſtrem lotum, vel anthylium, vel pſyllium, vel portulacam, vel intybum, vel ſempervivum, vel tale aliquid, quod poſſit humectare, quæ eryſipelatis erunt opportuna, oportet adhibere.* Sed hic non parvus remanet ſcrupulus, quia has ipſas herbas, vel magnam earum partem in principio formicæ corroſivæ probat Avicenna ita ſcribens. *Et adminiſtra in principiis ejus ſcilicet formicæ corroſivæ* (de ea enim ſtatim ſupra locutus erat) *ſicuti lactucam, & nenufarem, & ſempervivum, & volubilem, & portulacam*, ut videatur Avicenna ſibi ipſi manifeſte repugnare. ſi enim ut ipſe paulum ſupra dixerat ea, quæ debetur eryſipilæ humectatio fugienda eſt in curanda formica corroſiva, cur poſtmodum *lactucam, ſempervivum, & portulacam*, quas Galenus *libro decimo quarto artis curativæ* ad eryſipilæ quidem laudat curationem, *libro* vero *ſecundo ad Glauconem* propter earum humiditatem in herpete exedente cenſet evitandas ſtatim Avicenna in formicæ corroſivæ principio commendat, vel jubet adminiſtrari. Non ſolas inquit Gentilis, qui hanc in verbis Avicennæ repugnantiam vliſus eſt animadvertere, ſed cum aliis exſiccantibus mixtas, ut puta *lenticulam*, quæ eſt frigida & humida, cum *ſempervivo*, quod eſt frigidum, & ſiccum, quanquam idem Gentilis non de formica corroſiva, ſed ambulativa, in qua ſicuti in qualibet alia formicæ ſpecie ſecundum ipſum aliqua eſt ulceratio, atque ideo humiditas, quæ debet exſiccari moveat dubitationem. Sed cur obſecro ad formicam, ſive corroſivam, ſive ulceratam talis mixtio ſit neceſſaria? quaſi non inveniantur herbæ ſimplices, quæ ſimul habeant cum exſiccandi, tum etiam refrigerandi poteſtatem, aut quaſi ea ſola, quæ humectant poſſint refrigerare. Ipſe quoque Avicenna poſtmodum, ſicuti etiam Galenus eas, quæ utrumque præſtant effectum, quæ ſcilicet æque exſiccant, atque refrigerant, memorat, ſicuti *arnogloſſam, rubum*, & *lentem*, quibus mille aliæ poſſint ſimiles reperiri. Quod ſi etiam eædem formicæ corroſivæ, ſive ulceratæ competunt medicinæ, quæ etiam eryſipilæ, frigidæ ſcilicet modo non poſſint humectare ſicuti neque calefacere, cur Avicenna *volubilem herbam* ad caliditatem declinantem, ut ipſe ſcribit *ſecundo ſui operis libro*, aliis refrigerantibus adnumeravit? Ut tamen hæc competat, quoniam à quibuſdam cenſetur frigida, non video ſi (ut inquit Gentilis) hæ, quas ſcribit Avicen. medicinæ non per ſe ſolæ, ſed miſtæ cum aliis recipiantur, quomodo ex mixtura humectantium ac refrigerantium, fiat medicina, quæ tantum frigefaciat & exſiccet, qualem exigit formica corroſiva, vel ulcerata, quæ ut morbus calidus frigida ſolum ſine calidis quærit, ut vero ulceratus ſolum ſicca ſine humidis, in quo quidem morbo Gal. etiam *ſtrychnum id eſt ſolanum* reſpuit, quia non habeat ſufficientem ſiccitatem. Avic. vero eandem herbam non probat niſi ſiccam, quaſi viridis poſſit humectare. Si ergo humida cavebat, cur *lactucam*, & *nenufar*, & *lenticulam aquæ*, ſimilesque herbas humidas etiam aliis ſiccis admiſtas approbavit? Neque tamen puto quod Gentilis credidit eum fuiſſe Avic. intellectum, ut *ſempervivum* pro herba ſicca, quæ aliis humectantibus debeat adjungi hoc in loco nominaverit, quoniam eandem herbam Gal. *libro ſecundo artis curativæ ad Glauconem* aliis adnumerat, quæ herpetem comedentem non ſolum poſſunt refrigerare, ſed etiam humectare. quamvis enim idem Galenus *ſexto de ſimplici medicina libri volumine* ſempervivam frigidam, ac ſiccam ſtatuerit, plurimum tamen illi tribuit frigiditatis, minimum vero ſiccitatis, immo in ea vigere aquoſum ſubſtantiam plane aſſeverat, cujus ratione, ut arbitror, in *ſecundo libro*, quem diximus *artis curativæ ad Glauconem*, quando herpes fuerit ulceratus ſempervivam unà cum aliis humectantibus improbat, ſicuti ipſam eryſipelatis convenire fatetur. Nam licet facta ad corpus temperatum, ſicuti fit in cæteris medicinis collatione, *libro*, quem diximus *de ſimplici medicina ſexto*, *ſempervivum* frigida & ſicca herba dicatur, eadem tamen ad eryſipelas morbum calidum, ac ſiccum comparata, *ſecundo libro ad Glauconem* frigida, atque humida reputatur, ſicuti *oleum roſaceum*, & refrigeratos calefacere, & calefactos refrigerare ab eodem Galen. ſcribitur *libro tertio de ſimplici medicina*. quæ quidem effectuum diverſitas, ut etiam inibi ſcribitur, his præcipue datur medicinis, quæ parum à temperamento receſſerunt, qualem eſſe diximus *ſempervivam herbam* in ſiccitate, auctore Galen. *ſexto libri de ſimplici medicina*, *volumine*. Hanc vero ad diverſa corpora comparationem non animadvertens Rabbi Moyſes, auſus eſt notare Gal. quaſi *libro ſecundo artis curativæ ad Glauconem* contraria de *ſemperviva* ſcribentem, quæ *libro* (quem diximus) *ſexto de ſimplici medicina* ſuper eadem herba aſſeruerat. Nos vero de hac repugnantia ſententiarum falſo objecta Galen.

*Magnus ſcrupulus apud Avic. Avicennam videtur ſibi ipſi repugnare.*

*Gentilis.*

*Herba volubilis.*

*Gentilis expoſitionem improbat.*

*Galenus libro 4. de ſimplici medicina.*

*Rabbi Moyſen ex ignorantia comparationis medicinæ*

A plenius alibi diximus, ubi eundem Galen. defendimus contra Rabbi Moyſen principi medicorum etiam in pleriſque aliis infeſtum. Aliud vero Gentilis ſuffugium dicentis, quod in principio principiante formicæ frigida & humida competunt, quia licet ibi ſit aliqua ulceratio, non tamen corroſio adeſt, eiſdem quas ſupra poſuimus rationibus improbatur, atque eo magis, quoniam à Galen. in *ſecundo artis curativæ libro ad Glauconem*, quælibet ulcera etiam in ſumma cute exiſtentia egere exſiccantibus Hipp. auctoritate monſtratur. Sed ut etiam antea innuimus, cum Avic. his verbis utatur, & adminiſtra in principiis ejus, hoc verbum, ejus, nihil aliud poteſt referre niſi formicam corroſivam, de qua ſtatim ſupra fit ſermo. Neque vero illa ratio convincit, quam quidam adduxerunt probare volentes Avic. intelligere de principiis formicæ ambulativæ, non autem corroſivæ, quoniam poſtea ſubjungit, & cum timetur ſuper eam corroſio, cum in formica corroſiva, ut inquiunt, non timeatur corroſio, quæ jam adſit, ſed potius in ambulativa, quaſi non potuerit Avicenna prius ſcribere curationem formicæ corroſivæ, deinde docere antequam formicæ corroſio ſuperveniat, quibus remediis ſit occurrendum. Mihi vero majorem faciunt dubitationem remedia quædam, quibus utitur Avic. ad prohibendam corroſionem ſicuti aqua, quæ currit ex ligno vitis humido cum aduritur, & ſtercus ovium cum aceto, & ſtercus vaccinum cum aceto, quæ Dinus ipſe extranea eſſe confitetur neque multum ad prohibendam corroſionem proficere. Ego vero multo magis extranea exiſtimo, quæ ſtatim poſt ab Avic. ſuper corroſionem jam apparentem inponuntur, ſicuti *ſuccum cucumeris aſinini*, & *ſal*, & *fel hirci*, & *rutam cum nitro & pipere*, & *nitrum cum urina pueri*, quæ omnia tam priora, quam etiam ſequentia non formicæ vel ambulativæ, vel jam corroſivæ, ſed tollendis potius verrucis conveniunt, ut patet ex Paulo ciſdem utente ad tollenda quædam genera verrucarum, quæ Græci, *μυρμηκίας*, & *ἀκροχορδόνας*, appellant, ut etiam ex Avicenna conſtat, qui de nonnullis eorum in curatione verrucarum meminit, & variis in locis, ubi de earundem medicinarum proprietatibus agit, valere eas ad verrucas, non autem formicam ambulativam, vel corroſivam inſinuat. Sed hoc quidem capitulum de verrucis in capitulo de formica male fuiſſe ab Avicenna poſitum, & cauſam etiam hujus erroris in ſequentibus plenius aperiemus. Illud nunc probaſſe ſufficiat Avicennam eryſipilam pro formica, & formicam pro eryſipila non ſine magna confuſione accepiſſe, quandoquidem, quæ erant eryſipilæ remedia, refrigerantia ſcilicet atque humectantia, eadem formicæ corroſivæ accomodavit. quæ vero formicæ competebant vel corroſivæ, vel miliari, multum ſcilicet exſiccantia, hæc retulit ad eryſipilam. Sed quoniam ſupra monſtravimus medicamenta fortiter exſiccantia ſcripta ab Avic. ad eryſipilam ſupra cutem exiſtentem à Paulo fuiſſe tranſumpta, an etiam fideliter tranſlata fuerint videamus, ſic enim non ſimplex, ſed multiplex potius error indicabitur. Unum ex his remediis fortiter exſiccantibus, de quibus ſupra facta eſt mentio, ita habetur apud Paulum. *Lanæ antiquæ illotæ circa tædam combuſtæ drag.* XII. *ceræ drag.* XXV. *ſcoriæ plumbi acetabulum medium, ſevi caprini purgati, & loti in aqua dragm.* XXV. *olei myrtini unc.* V. altera huic correſpondens apud Avicen. ſcribitur in hunc modum, *Lanæ veteris aduſtæ non lotæ pondus dragm.* XII. *ſ. carbonis de cortice arboris pini tantundem, ceræ dragm.* XX. *ſcoriæ plumbi dragm.* V. *ſevi caprini veteris abluti cum aqua dragm.* XV. *olei myrtini unc.* V. ſi pondera quidem medicinarum notata in Avicennæ compoſitionibus non omnino quadrant cum alteris, quæ in ſimilibus apud Paulum compoſitionibus inveniuntur, non eſt, ut arbitror, magnipendendum. Illud multo magis eſt conſiderandum ab his præſertim, qui quandam veluti divinitatem tribuunt Avic. in cujus libris de medicina præſertim nullum poſſe inveniri errorem arbitrantur, quo pacto Avic. in nuper dicta compoſitione miſceat *carbonem de cortice pini*, quem tamen Paulus in ſua compari omnino prætermiſit. Eſt inquam ut exiſtimo diligentius examinandum, an Avic. vel alius deliquerit, nova atque inaudita medicamenta, veterum compoſitionibus adjungendo, veluti *carbonem de cortice pini*, de quo quidem carbone nuſquam ſcriptum invenitur, quod ullam habeat in medicinis ad eriſipilam, vel formicam efficaciam. Nunc autem non eſſe tranſlationis errorem, teſtem facio miro ingenio, ac ſingulari doctrina præditum juvenem Paridem Ceſarcum Mantuanum, qui ut ſemper fuit omnium bonarum artium ſtudioſiſſimus, ita nunc medicinæ totus inſiſtit, ad quam fideliter percipiendam non modo Latinos, & Græcos, ſed etiam Hebræos, atque Arabes adhibet præceptores, qui à me, eodem Paride præſente, ſæpius requiſiti in his locis præſertim in quibus Avic. à Galen. ac Paulo non parum diſſentire videbatur; ut verba Avic. ſicuti in eorum jacent lingua mihi interpretarentur, eundem ferè ſenſum rettulerunt, quem etiam nos

*rum ad diverſa corpora, male Galenum tanquam ſibi ipſi contradicentem notare.*

*Extranea remedia quibus utitur Avic. in formica curatione.*

in

in noſtro habemus Avic. unde in eam veni ſententiam, ut multos, qui non ſolum in noſtris, ſed etiam Hebræorum, atque Arabum libris inveniuntur errores Avic. ex prima Græcorum auctorum, quorum ſententias idem Avic. undequaque collegit facta in Arabicam linguam converſione ſumpſiſſe occaſionem. Nam & hunc ipſum, de quo paulo ante loquebamur, errorem, non aliunde quàm ex verbis Pauli male intellectis traxiſſe originem, facile poteſt unuſquiſque perpendere. Cum enim Paulus ita ſcribat. *Lanæ veteris circa tædam comóuſtæ dragm.* XII. credidit Avicenna vel potius ille, qui male Paulum in Arabicum ſermonem transferendo dedit Avicennæ errandi occaſionem, tædam quoque, ſive carbones ex tæda exuſta derelictos in eandem venire compoſitionem, atque ideo ita notavit. Sumantur *Lanæ veteris aduſtæ non lotæ pondus drachmarum* XII. *& ſemis, carbonis de cortice pini tantundem*, errore ſanè ſatis ridiculo, atque aliquando futuro periculoſo, ſi medicinæ etiam quæ devorantur, vel bibuntur poſtquam fuerint ſuper ignem quandoque paratæ, carbones, qui ex eodem igne remanſerint in ſuam quoque ſocietatem receperint, tale enim quoddam fiet in compoſitione relata ab Avic. ſi ut ipſe docet ad lanam exuſtam æqua portio carbonum ex tæda, circa quam fuerit exuſta, adjiciatur. Nemo autem admiretur eam præcipue lanam, quæ circa tædam fuerit exuſta, a Paulo in ea, quam diximus compoſitione probari, fuit enim quoddam apud veteres in comburenda lana, quæ nonniſi combuſta ad uſum medicinæ veniebat, artificium, cujus etiam Galen. ſed multo plenius Dioſcorides meminit, qui inter cæteros lanam comburendi modos, hunc quoque tradit. Alii diſponentes obeliſcos ſuper vas fictile latum os habens invicem diſtantes, & ſuper imponentes ſcandulas, & lanas alternatim leviter ex tædis parvis ſuccendunt, ubi vero lanæ fuerint combuſtæ tollunt, & ſi quid pingue, vel pix ex tædis parvis defluxerit, ſimul tollunt, atque reponunt, & hoc eſt quod Paulus vult lanam, ſcilicet ita ut docet Dioſcorides, uſtam, non autem carbones de cortice pini in ea, quam ſcribit ad herpetem veſicoſum compoſitione commiſceri. Nunc ad reliqua explananda tranſeamus, in quibus videtur Avicenna aliquanto majorem, vel etiam periculoſiorem feciſſe confuſionem, mox ad ignem Perſicum, de quo præcipue diſputabamus, in quo morbo pluſquam in cæteris fuit Avic. perplexus, reverteamur. Scio tamen me non credenda ſcripturum his præſertim, qui poſthabitis rationibus ſola nomina, ac ſcribentium auctoritatem ſequuntur, qui ſe alicui ita addicunt auctori, ut proprios ſenſus deſtruentes malint alteri, quàm ſuis oculis credere. Nos ſupra cum ex ſenſu ipſo, tum etiam Dioſcoridis auctoritate, cui etiam ex parte conſentit Avicenna probavimus, eupatorium habere folia cannabis, vel pentaphyllo ſimilia, fructum parvum, qui exſiccatus veſtibus adhæreſcit, eſſe denique eupatorium herbam illam, quam nos vulgo agrimoniam nominamus. Avic. vero idem eupatorium aliud quam agrimoniam eſſe ſignificat, cum ait eupatorium eſſe herbam aromaticam habentem folia cannabis, & florem ſicuti nenufar. Conſtat enim herbam vulgo agrimoniam nuncupatam neque eſſe odoratam, neque habere florem ſicuti nenufar, immo ita exiguum, ut vel nenufari, vel ejus flori collatus nullam ipſius habeat ſimilitudinem. Cui igitur plus inquies, hac in parte credemus Dioſcoridine, an Avicennæ? Avic. inquies, cui noſtra ætas dedit medicinæ principatum. Atqui Galen. unaque ipſe Avic. in hac parte medicinæ, quæ de medicamentis ſimplicibus agit, primum locum Dioſcoridi tribuunt. Sed fac auctoritatem eſſe parem. Ubi tu mihi Avic. patrone herbam invenies aromaticam foliis cannabis, flore nenufaris, quæ ſit verum eupatorium? ſicuti ego tibi alteram aſſignavi, ita Dioſcoridis, Plinii, Serapionis ſuper herba eupatorio deſcriptionibus congruentem, ut niſi malis videri cæcus, quam fateri Avic. in veris eupatorii notis deſignandis aberraſſe nullo modo negare poſſis herbam, quam nos vulgato nomine Agrimoniam vocamus, eſſe veteribus eupatorium. Quod ſi forte mihi conceſſeris id, quod multi etiam ex medicis junioribus non diffitentur, Avicennam non multam habuiſſe ſimplicium medicamentorum notitiam, non advertes fortaſſis te eadem conceſſione dimidiam ſcientiæ medicinæ partem Avic. detrahere, quæ tota ut inquit Galenus *libro ſecundo de Criſi*, ex duabus conſtat notitiis altera ſubjecti, circa quod medicus operatur, altera illorum, quibus veluti inſtrumentis in ſuo opere utitur. Cur vero ſi in his, in quibus veritas ipſa ſe ipſam contemplantibus offert, ubi vigent ſenſuum judicia Avic. erraſſe concedis, non æque in rebus magis abſtruſis, atque reconditis labi illum potuiſſe fatearis. Tu tamen crede quod lubet, nos paucis iſta ſcribimus, & ſolis amatoribus veritatis. Si non apud malignos, atque imperitos, ſaltem apud probos, ac doctos gratiam, ut ſperamus conſecuturi, forte etiam apud ægrotos, quos fortuitæ medicinæ periculo liberamus. cum herbam in foſſatis naſcentem, quæ quid ſit à medicis ignoratur hactenus, tamen credita eſt à pluribus eſſe eupatorium, ne ſyrupo ex eupatorio, atque aliis compoſitionibus adjungatur, modo ſint, qui nobis fidem velint præſtare, prohibemus. Sed & altero multo ſane majore periculo, vel etiam tormento, miſeros mortales liberemus, quod audio malo ſuo fato ſenſiſſe nonnullos, qui hac tempeſtate morbo Gallico laborarunt. Neque enim defuere medici, qui puſtulas illas, quæ in eodem morbo totum aliquando occupant corpus, quibuſdam ferreis inſtrumentis exſtirpare tentarint, nixi (ut arbitror) Avic. auctoritate formicæ ambulativæ, & corroſivæ puſtulas embula & pennæ extremitate, ut ſupra quoque notavimus, evellentis. Quod etiam magiſterium, ſi Diis placet, neque Dinus in tali curatione improbavit, & Franciſcus de Pedemontium, pluresque alii Avic. ſequentes ſuis ſcriptis inſeruere, ajuntque ipſi unà cum Avic. id eſſe conveniens ſecundum Galeni opinionem. Sed ubi obſecro unquam Galen. puſtulas ex humore acuto cholerico factas talibus inſtrumentis juſſit exſtirpari? Galen. inquam qui ubique medicos crudeliter, atque imperite medicantes vocat humanæ naturæ perniciem. Quid vero ſævius, aut rudius medendi genus poſſit excogitari, quàm morbum non alio magis nomine, quàm quia exulcerat infeſtantem etiam vehementius exulcerare? Falſo igitur inquiet aliquis Avic. Galen. allegavit, neque vere, neque falſo, ſi tamen locum conſideremus, ubi allegavit dicere auſim falſo allegaſſe. Galen. enim id artificium ait eſſe conveniens non ad tollendam formicam, vel miliarem, vel corroſivam, ſed quoddam potius genus verrucarum, quas Græci μυρμηκίας id eſt formicas appellant. Natus eſt ergo error Avic. ex nominis ambiguitate, quia enim Græci puſtulas quaſdam ex humore cholerico genitas ſolam cutem occupantes, atque etiam ſerpentes ab hac ſerpendi natura ἕρπητα vocant. Arabes quoque à ſimili proprietate eaſdem puſtulas formicam nominarunt. Sunt vero etiam quædam genera verrucarum, quæ Græci μυρμηκίαι nomine ſumpto à formicis appellant, quia ſenſum, quaſi ſint morſus formicarum, patientibus inferunt, has quoque verrucas Arabes ad Græcorum imitationem formicas nuncuparunt. quo fit ut verbum formica apud Arabes duorum morborum generibus, quamvis natura differentibus, accommodetur. Avic. ergo utramque formicam, tam pro puſtulis cholericis, quàm etiam pro verrucis acceptam, atque utriuſque morbi curationem in uno capite copulavit, licet alter ex humore tenui, ac cholerico fiat, alter ex craſſo, ac melancholico. atque ideo ut genere diſtinguuntur, ita diverſum genus curationis expoſcant. Puſtulæ ſiquidem cholericæ, vel ſola totius corporis purgatione, vel etiam emplaſtris ſuper locum affectum impoſitis, nunquam autem manu curantur: verrucæ vero, ut docet Galen. *libro quartodecimo artis curativæ*, cum aliis inſtrumentis, tum etiam penna ita adaptata, ut totam verrucam ſua cavitate comprehendat, atque adeo firmiter hæreat, quod ea de ſubter acta verruca radicitus evellatur. quem etiam modum docet Avic. *lib.* 4. *capite de verrucis*, quem pariter modum vere loco illo potuit ad Galen. auctorem referre, ſed ubi oportuit Galen. citare teſtem, ibi ejus teſtimonium prætermiſit, ubi vero reticere, quoniam non de verrucis, ſed formica potius corroſiva curanda agebatur, perperam allegavit. Huc vero tam multa, quæ diximus de Avic. multos in unum morbos confundente omnia tendebant, ut oſtenderemus ipſum ſimili, atque aliquanto majore in pruna, atque igne Perſico uſum fuiſſe confuſione, nequis forte ſuſpicetur nos in tam longis digreſſionibus ea, quæ nihil ad propoſitum noſtrum pertinerent, conquiſiviſſe, cum enim probare intenderemus morbum Gallicum non eſſe ignem Perſicum, omnis vero de quacunque re ſumitur diſputatio debeat à definitione, ut ait Cic. proficiſci, neceſſarium habuimus antea oſtendere, quod non conſtaret apud Avic. quid eſſet ignis Perſicus. aliquando enim ipſum ex ſanguine craſſo, & melancholico inquit generari, ut etiam antea admonuimus, aliquando vero ex cholera permiſta melancholiæ, & nunc ignem Perſicum idem genus facit cum pruna, ut cum inquit, haec duo nomina fortaſſe abſoluta ſint ſuper omnem puſtulam corroſivam veſicantem, adurentem, faciuntem accidere eſcharam, qualem facit accidere combuſtio, & cauterium. nunc vero diverſificat, ut cum inquit prunam eſſe magis melancholicam, ignem vero Perſicum magis cholericum. quandoque trahit ipſum ad formicam comeſtivam, ut cum ita ſcribit, & quandoque abſolvitur, nomen ignis Perſici de illis, ſuper quo eſt illic puſtula de genere formicæ comeſtivae adurens, veſicans. quandoque ad formicam transfert miliarem, ut cum ſcribit in hunc modum. Et quandoque ſunt cum formicæ ſpeciebus & miliares malæ febres vehementis caliditatis perniciosæ. Quaſi apud ipſum Avicennam ignis Perſicus, & formica miliaris non differant, neque multum referat utrum ignis Perſici vel formicæ miliaris

*Arabum interpretem male Paulum interpretando dediſſe Avicenna errandi occaſionem.*

*Modus comburendi lanam ſecundum Dioſcoridem.*

*Dinum & Franciſcum de Pedemontium una cum Avicenna docuiſſe.*

*Avicennam male Galenum allegaſſe.*

*Totam medicinam conſtare ex duabus notitiis, altera ſubjecti, altera medicamentorum.*

*Avicennam de igne Perſico modo unum modo aliud ſentire.*

liaris ſigna manifeſtet, & ſane diligentius intuenti formica miliaris & ignis Perſicus nihil, aut parum admodum differunt apud Avicen. ſunt enim in utroque veſicæ milio ſimiles, veluti Rhaſis, Paulus, atque Galen. *libro* 14. *artis curativæ* conſentiunt. Quod ſi Avic. ſequimur non modo forma, ſed etiam materia eadem in ambobus morbis reperitur, quoniam tam ignis Perſicus quàm etiam formica miliaris ſecundum Avic. fiunt ex cholera permixta melancholiæ, niſi forte quis dixerit ad faciendam formicam miliarem non ſolam ſufficere melancholiam choleræ adjunctam, ſed inſuper etiam phlegma requiri. hoc enim videtur innuere Avicen. *capite de formica miliari* ex verbis illis. *Neceſſe eſt illic eſſe ex melancholia, & phlegmate, quæ admiſcentur choleræ.* Sed cum idem Avicenna ſicuti Galenus ex ſolo phlegmate miſto cum cholera eandem formicam miliarem generari aliquando fateatur, cur non itidem melancholiam abſque phlegmatis ſocietate junctam cum cholera poſſe eundem facere morbum conceſſerit? Multi quoque medici juniores opinantur æque ex una, ſicuti ex altera mixtione formicam miliarem procreari. Quare & ignis Perſicus, & formica miliaris in eadem non modo forma, ſed etiam materia ſecundum Avicennæ ſententiam conveniſent. Quanquam forte quiſpiam illam aſſignabit diverſitatem, quod in igne Perſico materia cholerica ſit magis adusta, quam in formica miliari. Cur vero hoc cum ipſa etiam ſua caliditate veſicas excitet, & ut inquit Avicenna febres faciat vehementis caliditatis, atque ideo pernicioſas, febris autem & alia accidentia, quæ in formica miliari Avic. nominat, ſunt ignis ſacri, ſeu Perſici propria, quem etiam prunam appellat Avic. ad imitationem Galeni, qui eundem morbum & *quartodecimo artis curativæ volumine*, & multis aliis in locis anthracem vocat, quo in loco idem Galenus omnia hæc de anthrace refert. quæ etiam hic ſcribit Avic. de formica miliari, quod videlicet febres habet vehementis caliditatis, & quòd ſit aliquando ex eiſdem cauſis ex quibus ſit peſtilentia, & quod aſſimilatur in colore phlegmoni, magis tamen ad atrum declinante. Quare non temere hoc in loco Dinus dubitavit, cur cum Avic. in hoc capite intenderet de pruna, & igne Perſico agere, ſigna tamen formicæ miliaris, & non ignis Perſici, ut cuiquam non abſque ratione videretur, expreſſerit. Solvit autem verba Avic. in hunc modum exponendo. *Et quandoque ſunt cum ſpeciebus formicæ miliaris, id eſt, cum pruna, & igne Perſico, quæ poſſunt abſolvi ſuper ſpecies formicæ miliaris malæ.* Hæc vero ſolutio mihi non placet, neque videtur ipſi Dino eſſe conſentiens, nam cum quatuor ponat Avicenna modos, ſuper quos abſolvitur nomen prunæ, & ignis Perſici, ex quibus quartus eſt magis proprius ſecundum Dini expoſitionem, cur hunc tacuit Avic. & alium minus proprium memoravit? volens tamen ea, quæ tam ignem Perſicum proprie ſumptum, quam etiam prunam comitantur oſtendere. Quare cum Avicenna ſub nomine formicæ miliaris ſcribat propria accidentia ignis Perſici, & prunæ, vel non differre, prunam, & ignem Perſicum à formica exiſtimavit, vel magis cum hoc quàm cum alio aliquo morbo convenire. Idem tamen Avicenna ſuperius capite de apoſtematibus, & puſtulis ignem Perſicum non formicæ miliari, ſed potius eryſipelæ in naturæ vicinitate conſociat. ubi ita ſcribit. At vero ex ſanguine groſſo malo fiunt ſpecies exiturarum malarum, nam ſi ejus malitia vehemens ſiat, & ipſius aduſtio, proveniet eryſipela, & eveniet combuſtio & cruſta, & deterior ea eſt ignis Perſicus. Hic Avic. facit ignem Perſicum non modo in materia, ſed etiam in forma cum eryſipela communicare, licet ignem Perſicum dicat eſſe deteriorem. Torquent autem hæc verba Dinum, atque Gentilem expoſitores Avic. coguntque ipſos multa imaginari, forte à veritate aliena. Dinus ſiquidem tale apoſtema factum ex ſanguine groſſo non veram eſſe eryſipilam arbitratur, ſed potius phlegmonem, qui aſſimilatur eryſipelæ in accidentibus, quod etiam videtur ſentire Gentilis, qui nomen eryſipilæ hic ſumi improprie fatetur. Sed cur tale apoſtema factum ex ſanguine groſſo malo aduſto (ut inquit Avic.) eryſipelæ, quæ ſit ex cholera pura ſecundum eundem Avic. ſimile judicatur, & non magis anthraci, qui (ut inquit Galenus primo de differentiis febrium & pluribus aliis in locis) ſit è ſanguine melancholico ſuper aſſato? Idcirco neque cum Dino neque cum Gentile conſentio, quorum alter vult eryſipelam, & ignem Perſicum eſſe apoſtemata cholerica, alter ſanguinea quidem, ſed ad naturam choleræ declinantia, cur enim non magis ad melancholiam, cum ſanguis, ex quo generantur, ſit melancholicus, qui tandem procedente aduſtione convertitur in melancholiam. Mihi quidem eryſipela atque ignis Perſicus hoc in loco ab Avicenna nominati, non aliter differentes, niſi quia alter eſt altero deterior, nihil aliud eſſe videntur quàm anthrax, de quo Galenus multis, ut dixi, in locis facit mentionem, atque ideo non eryſipelæ, vel igni Perſico ſimiles diſpoſitiones, ſed vera pruna, vel ignis Perſicus potius, quæ enim hic Avicenna in eryſipela, & igne Perſico ſcribit, combuſtionem ſcilicet & cruſtam, eadem tribuit Galenus anthraci, vultque ipſum è ſanguine groſſo aduſto, ſicut etiam Avicenna hoc in loco eryſipelam & ignem Perſicum, procreari. Sed & eryſipelam eundem eſſe morbum aliquando apud Arabes, qui ſit apud Galenum anthrax evidentius oſtendamus. *libr.* XIII. *Continentis* apud Rhaſim iſta verba leguntur. Dixit ſcilicet Galenus *ſecundo libro artis curativæ ad Glauconem*, quem etiam Rhaſis paulo ante citaverat. Quoties ſanguis ſuperveniens ad membrum, fuerit ſuperabundans, groſſus, & calidus, generabit cicatricem ad modum coctura ignis, etiam ſecus ulcus erit apoſtema calidum bulliens & vehementis doloris & morbus ille appellatur eryſipela. Quod ſi ipſe ſanguis fuerit in diſpoſitione ſui in ſuperabundantia groſſi bulliente, & caliditate, & tamen in ſe habuerit æruginem ſubtilem, infert ampullas ad modum illarum, quæ accidunt ad combuſtionem ignis, & emanantibus ipſis ampullis, ſub eis apparebit illud ulcus habens cicatricem, & appellatur eryſipela ſimiliter. Hæc quidem omnia de eryſipila verba ſumpta ſunt è *ſecundo lib. artis curativæ ad Glauconem*, ubi Galenus duplicem modum, quo anthrax generatur, exponit. Sed & idem Rhaſis *libro diviſionum* eryſipelam & ignem Perſicum quaſi pro eodem morbo videtur accipere, ita inquiens, *Quandoque in corpore egrediuntur bothor, & incipiunt velociter pervenire ad hoc, ut fiant cruſta nigræ, aut virides, & fiat illud quod eſt in circuitu earum rubrum, & coloris pavonis, tunc illud nominatur eryſipila, & ignis Perſicus.* Pluribus tamen in locis Rhaſis *libro tertiodecimo Continentis* facit ignem ſacrum vel Perſicum non ſolum eſſentia, ſed etiam accidentibus ab eryſipela differre. nam *libro.* XIII. *Continentis* ſcribit in hunc modum, de igne ſacro. *Hic morbus accidit e ſanguine groſſo ebulliente, ſed in majore parte incipit cum puſtulis præcedentibus eum, & quandoque accidit ſine puſtulis, veruntamen omnino erit cum eo aliqua excitatio in loco, in quo fieri incepit, & ex pruritu egredientur puſtulæ, & poſt emanationem ipſarum efficiunt ulcus cum cicatrice imminenti ad ſimilitudinem combuſtionis ignis, & quandoque accidit una puſtula, quandoque plures parvulæ ad modum pannici, & cum eis accidit febris vehementior febre phlegmonis & eryſipilæ.* alio autem ejuſdem libri loco ſcribit ignem ſacrum non ſolum febre acutiore, ſed etiam colore ab eryſipela differre. Hæc vero omnia fere etiam ſcribuntur à Galeno & *libro quartodecimo artis curativæ*, & pluribus aliis in locis de anthrace, ſæpiſſime enim ubi Galenus ſcribit anthracem, Rhaſis ignem ſacrum, vel Perſicum interpretatur, quanquam ut etiam antea admonuimus, Arabes & paſſim medici juniores, qui Arabum doctrinam ſequuntur, aliud per anthracem, aliud per ignem ſacrum vel Perſicum intelligant, atque ideo etiam prunam ab anthrace diſtinguant: cum tamen anthrax verbum Græcum ſignificet Latine carbonem, vel prunam, ut Avicennæ interpres dicere maluit. Cur vero Avicenna, atque Rhaſis anthracem de quo Galenus loquitur, non modo prunam, vel ignem Perſicum, ſed etiam eryſipelam aliquando nominarint, neſcirem aliam reddere rationem, niſi, quam etiam ſuperius multorum, qui in Avicennæ libris inveniuntur, errorum aſſignavi, malas ſcilicet Græcorum auctorum in linguam Arabicam tranſlationes, in quibus non modo herbarum, ſed etiam morborum nomina plerunque diverſa notantur, unde ſicuti eadem herba ſæpius apud Avic. ſub variis nominibus ſcripta, ita idem morbus diverſimode nuncupatus reperitur. Poſſem multarum herbarum, in quibus hic error accidit apud Avicennam exempla proferre, ſed unum tantum vitandæ prolixitatis gratia hoc in loco commemoraſſe ſufficiet. In volubili herba, de qua etiam eſt facta mentio ſuperius inter medicamenta, quæ in curatione formicæ ſcribit Avicenna. Hæc ſi quidem herba aliquando in littera C. cuſſos pro ciſſos, id eſt, hedera nominatur. aliquando in littera V. volubilis major, & tunc quoque pro hedera ſumitur, omnes enim quæ volubili magnæ ab Avicenna tribuuntur proprietates, ut quod lac eius abradit pilos, & interficit pediculos, & quod folia ejus recentia convenientia ſunt ulceribus magnis, & quod conſolidant decocta in vino: & ex eis emplaſtrum factum ſuperpoſitum aduſtioni ignis & proprie cum ceroto, & quod diſtillatur ſuccus ejus in aurem doloroſam, & confert ulceribus antiquis in ea, & quod juvet ſpleneticos cum aceto, hæc inquam omnia hederæ à Galeno aſſignantur. Quod ſi quis mihi hoc in loco objiciat nullo modo poſſe volubilem pro hedera apud Avicennam intelligi, quoniam idem Avicenna inquit volubilem magnam ſuo lacte abradere pilos, & pediculos interficere, & aquam ejus eſſe ſolutivum, cum tamen hedera non habeat lac, neque ſolvendi, ſed adſtringendi potius, ut de ea ſcribit Galenus, poteſtatem, facilis eſt adiſta reſponſio. Nam ſicuti Avicenna in *capite de cuſſos hederæ* vires cum alterius herbæ, quæ ladanum fert, virtus miſcuit, ut alibi oſtendimus: ita etiam hic hederæ proprie-

*Solutionem Dini non placere.*

*Dinus & Gentilis expoſitores Avicennæ.*

*Opinionem Dini & Gentilis non placere.*

*Eryſipelam apud Arabes eſſe eundem morbum aliquando qui apud Galenum anthrax.*

*Avicennam atque Rhaſim anthracem apud Galenum aliquando nominare ignem Perſ. cum aliquando eryſipelam.*

*Volubilis herba.*

tates cum alterius herbæ propietatibus, quæ volubilis major à Meſue, & pluribus aliis nominatur, manifeſte confudit, quæ quidem volubilis major a Græcis κυσάμπελος id eſt hedera vitealis, à Plinio convolvolum, vulgo campanella (quod etiam alias manifeſtavimus) nuncupatur. Hæc autem hedera vitealis, ſive volubilis major, ſive convolvolum, vel quocunque alio nomine libeat appellare, lacte plurimo manat, & alvum ciet. Idcirco Avicenna, qui viſus eſt neſciiſſe veram hederam ab hedera viteali diſtinguere, ſicuti pro hedera volubilem, ita lac pro lachryma poſuit, eſt enim vere hederæ lachryma non autem hederæ vitealis lac, cui tam à Galen. quam etiam à Dioſcoride is datur effectus, quod pilos abradat, & pediculos interficiat. Quare Avicenna mixtis ambarum herbarum, etiam natura diſtantium, poteſtatibus magnam peperit confuſionem, & ſicuti in morborum, ita etiam in herbarum tractatione capitulum in capitulo poſuit. Quos maxime errores inde arbitror habuiſſe occaſionem, quia varii interpretes Arabes eaſdem non modo herbas, ſed etiam morbos variis nominibus nuncuparunt, qui enim Dioſcoridem è Græca lingua in Arabicam tranſtulit, hederam Græco vocabulo, corrupto tamen cuſſos nominavit, qui autem Galenum convertit, pro hedera leleb id eſt volubilem poſuit, quoniam hedera vitealis eodem nomine apud Arabes appellatur. Idem arbitror in verbo anthrax contigiſſe, quod in quibuſdam Galeni libris, ſicuti *quarto decimo artis curativæ*, ignis ſacer, ſeu Perſicus apud Arabes interpretatur, in quibuſdam vero ſicuti forte in *ſecundo artis curativæ ad Glauconem* eryſipila, unde factum eſt, ut tam Avicenna, quam etiam Rhaſis eundem morbum aliquando ignem ſacrum, ſeu Perſicum, aliquando eryſipelam nominaverint, atque ita ſibi ipſis quandoque contradixerint, ſicuti Rhaſis qui modo inter ignem ſacrum, atque eryſipelam ſtatuit differentiam, modo, quæ ſunt ignis Perſici proprietates, eaſdem tribuit eryſipelæ. Avicenna vero nonnunquam ignem ſacrum, atque unà eryſipelam ſcribit è ſanguine groſſo generari, nonnunquam eryſipelam quidem ex cholera pura. ignem autem ſacrum ex cholera permixta melancholiæ, majore tamen choleræ portione. Quæ quidem contradictiones, expoſitores Latinos coëgerunt nova morborum genera præter illa, quæ nimis multa natura mortalis hominibus dedit, falſa ſibi imaginatione confingere phlegmonem ſcilicet eryſipelæ ſimilem, quaſi non ſufficeret phlegmon eryſipelatodes, hic enim alius eſt ab eo, quem Gentilis imaginatur, & phlegmonem igni Perſico ſimilem, quaſi ignis Perſicus non multas habeat apud Avicennam aliorum morborum (de quibus antea diximus) ſimilitudines. Huic tamen morbo adeo multiplici Avicenna penè ſimplicem adhibet curationem, illam ſcilicet, quam Galenus, ac Paulus ſcribunt ad anthracem, ut mihi non parvam faciat admirationem Avicennam non modo à Græcis, ſed etiam à ſeipſo in hoc morbo diſcordem, in uno tamen curandi genere eſſe concordem. Sed neque Romani auctores inter ſe de eodem morbo conſentiunt, Plinius enim quemadmodum & Servius in expoſitione carminis Virgiliani. Tempore contractos artus ſacer ignis edebat. per ignem ſacrum morbum intelligit, quem Græci vocant ἐρυσίπελας. Celſus diverſum putavit, & cum ignem ſacrum deſcribit per minimas puſtulas aliquando ſerpentem, aliquando ſummam cutem exulcerantem videtur herpetem tam comedentem, quam etiam miliarem, de quibus antea diximus, ſignificare, licet idem Celſus capite antecedente ulcus quod ſerpendo penetrandoque uſque ad oſſa corpus vorat ἕρπης ἰοθώδης à Græcis nominari aſſeruerit. Sed hoc genus ulceris Graeci medici peritiores, Hippocrates ſcilicet Gal. ac Paulus ab eodem vorandi corpus effectu φαγέδαινα nominant, ſicuti alterum quod carnem non attingit, ſed cutim tantum exulcerat ἕρπης ἰοθώδης ſive comedentem appellant. Viderint ergo qui ſolum cultum atque nitorem ſermonis attendentes Celſum faciunt medicinæ deum, malint ne Celſo homini Romano, an Hippocrati & reliquis celebris nominis Græcis auctoribus in Græca morborum credere appellatione. Tantam vero de pruna, igne ſacro, vel Perſico opinionum diverſitatem non modo longum opus foret improbare, ſed etiam ſupervacuum, quando & ſine alia confutatione ipſæ ſua ſe contrarietate proſternunt. Quod ſi ex omnibus illam, quæ verior eſſe videtur, velimus capere tum à Galeno, ac Paulo, tum etiam à Rhaſi *tertiodecimo Continentis* approbatam, quæ ignem ſacrum, aut Perſicum, ſive carbonem, vel prunam ita deſcribit, una etiam ipſius cauſam explicando. Cum ſanguis melancholicus fervens in aliquod membrum incubuerit, contingit fieri eos, quos carbones nominamus, qui ſunt ulcera cruſtoſa magna quidem ex parte à puſtula incipientia, qualis in igne aduſtis apparet, quandoque vero ſine ea, ſed ſcalpitur quidem membrum omnino ab initio, deinde nonnunquam una puſtula, aliquando plures excitantur, tenues veluti milium, quibus diſruptis ſimiliter ulcus cruſtoſum fit, ſimile his quæ à cauteriis fiunt, cruſta nonnunquam colorem cinerittium præ ſe ferente, aliquando nigrum cum eo quod baſi ſua firmiter adhæret, ac veluti clavo fixa videtur, alia carne circunſtante veluti inflammata, & nigricante, vel etiam ſplendente ſicuti aſphaltum, & pix, talis enim eſt quæ vere atra bilis nominatur, ſi inquam ita ignem ſacrum aut Perſicum, ſive carbonem, vel prunam (hæc enim omnia nomina eundem morbum apud diverſos auctores ſignificant) deſignemus, veluti etiam videtur voluiſſe Avicenna prunam & ignem Perſicum *libro quarto* deſignare, licet, ut multis aliis in locis, ita & hic barbare, & obſcure loquatur. Talem morbum differre ab eo quem Gallicum nominamus, tum ex multis aliis notis, quæ alteri inſunt, alteri deſunt, demonſtratur, tum etiam ex puſtulis, quæ ſunt in morbo Gallico longe milio grandiores, ac præterea ex febre acutiſſima, atque aliquando mortifera, quæ ut ſcribit Galenus *quartodecimo artis curativæ libro*, & *libro* etiam *de tumoribus contra naturam*, & Rhaſis pariter *tertiodecimo Continentis* carbonem, ſive ignem ſacrum neceſſario comitatur. quod etiam ex parte ſentit Avicenna, qui ſub nomine formicæ miliaris ignem Perſicum afferre aliquando febres pernicioſas inſinuat. *altero* autem *libri quarti capite*, ubi agit *de ulceribus corroſivis, & putrefactivis*, qualia innuit eſſe ſecundum Galeni ſententiam ignem Perſicum, & formicam ambulativam, in hujuſcemodi ulceribus febrem multiplicari, aut inſeparabiliter adhærere aſſeverat. licet Dinus in ejus loci expoſitionem nolit ſecundum Galeni opinionem ignem Perſicum eſſe ulcus putrefactivum, ſed tantum corroſivum, atque ideo plurimum febre vacare, neſciens forte Galen. nunquam in ſua lingua de igne Perſico, nili ſub hoc nomine anthrax fuiſſe locutum. in cujus ulceris curatione idem Galenus *libro quartodecimo artis curativæ* damnat cataplaſmata, quæ vim habent concoquendi, & pus movendi, ne major putredo ſuperveniat, ulceri quoque ignis ſacri, ſeu Perſici adjunctam eſſe febrem, atque putredinem teſtatur Rhaſis *lib. xiij. Continentis* ita ſcribens, *Ignis ſacer eſt ulcus, in cujus loco accidit ampulla ſimilis ampullæ factæ ex igne cum cicatrice maligna, ſed in loco attinente ei erit apoſtema inflammatum provocans febrem violentam valde.* Idem Rhaſis in *alio ejuſdem libri* loco ita ſcribit. *Apoſtema calidum accidens è ſanguine calido, & groſſo, quod appellatur ignis ſacer cum ulcere ejus erit putrefactio.* Dinus ergo vel iſta non vidit, aut differre ignem ſacrum à Perſico apud Rhaſim, ſeu ignem Perſicum ab anthrace apud Galenum exiſtimavit. Quare ut diximus morbus Gallicus vel hac potiſſimum nota ab igne Perſico ſeparatur, quoniam, qui Gallico morbo tentantur febrem magna ex parte non habent, vel ita exiguam, ut vix ſentiant. Si quæ vero puſtulæ in hoc morbo apparuere ſubnigræ, & cruſtis ſimiles, quales in igne aduſtis viſuntur, eas puto potius ex eo fuiſſe genere puſtularum, quas ſcribit Galenus *libro*, qui *de cholera nigra* inſcribitur, ex atra bile citra febrem oriri, quæ hoc ipſo ab anthrace, ſive à carbone diſtinguuntur, quoniam hic cum febre, illæ ſine febre fiunt. Non tamen morbum Gallicum ſimplicem morbum, qui cum ejuſdem naturæ puſtulis omnibus eo laborantibus morbo accidat, atque ideo vel puſtulæ melancholicæ, vel eryſipelas, vel herpes, ſive formica, vel aliquo uno nomine ſpeciali in cunctis poſſit appellari, judicamus, cum pro variis hominum, quos morbus iſte male habet compoſituris aliæ aliis puſtulæ eveniant, in quibuſdam atram bilem, in quibuſdam flavam, in nonnullis pituitam ſalſam præſertim, & varias præterea ſuperfluitatum muſturas ſuo colore repræſentantes. Quare ut tota hujus morbi natura, non autem una ſolà particula facilius veniat in notitiam, cauſas, à quibus habuit originem paulo altius repetemus. Sic itaque dicimus. Milium hoc, quod morbum Gallicum vulgo vocant inter epidemias, hoc eſt morbos populatim vagantes, debere connumerari. Hæ vero aut divina ira, ut theologi ſentiunt, aut vi aſtrorum, ut aſtrologi opinantur, vel ex certa aëris intemperie, quemadmodum medici arbitrantur, eveniunt. Nos Medicos hac in parte ſequentes cauſas naturæ proximiores aſſignabimus. Illud ſatis conſtat eo anno, quo morbus Gallicus cœpit pullulare, magnam aquarum per univerſam Italiam fuiſſe exuberantiam. Teſtis eſt Roma, quæ prima id malum ſenſit, in qua Tiberis ita inturnuit, ut tota ſit facta navigabilis. quam rem Pomponius noſtri temporis poëta celeberrimus eleganti tetraſticho publicæ columnæ impreſſo deſignavit.

*Tempore Alexandri ſexti noniſque Decembris*
*Intumuit Tybris bis ſenas circiter ulnas.*
*Inſula quæque domus facta eſt. mediiſque repente*
*Circunducta viis æquabat cymba feneſtras.*
*Deucalioneo vix tantum tempore tellus*
*Diluvium paſſa eſt, latuit cum tota ſub undis.*

Nos

*Rhaſim atque Avicennam ſibi ipſis aliquando contradicere.*

*Romanos auctores de igne ſacro deſentire.*

*Vera deſcriptio ignis ſacri, vel Perſici.*

*Opinio ſcribentis de morbo Gallico.*

Nos vero duobus poſtremis verſibus additis hexaſtichon ex tetraſticho feciinus, ut non modo eam, quæ Romanam urbem, ſed quæ præterea magnam Europæ partem circa eadem tempora oppreſſit aquarum multitudinem comprehenderemus, non aliter enim quam in Romano Tibris, in agro etiam Bononienſi Rhenus, in Ferrarienſi & Mantuano Padus, in Venetia Atheſis extra ſolitos limites exundarunt. Tantis denique imbribus annus ille ubique maduit, ut terris exinde humentibus atque ſtagnantibus, minus mirandum ſit æſtivum aërem ad illam veniſſe intemperiem calidam ſcilicet & humidam, quam medici, atque philoſophi omnium putredinum matrem eſſe confitentur. Similem, vel etiam pejorem aliquando fuiſſe ea ſcilicet tempeſtate, qua Gothi Italiam bellis infeſtabant, ex qua ingens orta eſt peſtilentia Blondus Forliviensis hiſtoriarum ſcriptor diligentiſſimus *primæ Decadis volumine octavo* memoriæ prodit his verbis. *Imbribus namque multos dies continuantibus diluvium fore apparuit. Tybris tunc menſe Octobri prope exactu adeo aquis intumuit, ut Romæ mœnia alicubi ſuperaverit, unde regiones urbis fluvio proximæ maxima acceperunt incommoda. Per Italiam vero ubique latuerunt campi, & ex montibus, collibusve omnis mota aratro gleba in cœnum liquefacta ſimul cum aquis in ima eſt delapſa, ut fluminibus poſtmodum intra ripas coactis campi aqua deſtituti limo nihilominus manſerint obtecti, & ſata, quæ tunc primas jecerant radices, putrefacta ſint, nec eo autumno, obtinente omnia luto, aliud ſemen terræ potuerit mandari, unde fames maxima brevi eſt ſecuta. Sed non ſolum famem ea attulit aquarum inundatio, verum etiam aëra ſicuti & terram corrumpens, peſtilentiam oriri fecit adeo ingentem, ut maximam populorum partem ubique per Italiam abſumpſerit. Qua tactus labe Pelagius pontifex Romæ obiit.* Hæc Blondus. Sed non longo poſt temporum intervallo Bonifacio IV. Romæ pontificatum gerente (ut ſcribit Platina in *libro de vitis Pontificum*) fame, peſte, & inundatione quoque eſt laboratum. Adeo fere ſemper inundationis comes eſt fames, ac peſtilentia, ut non temere priſci crediderint immodicas fluviorum excreſcentias non ſolum ad præſens inferre damna, ſed alia inſuper mala futura portendere. nam & his adhuc vigentibus malis, Bonifacius eſt ſublatus è vita, & quædam eorum reliquiæ uſque ad Deus dedit, qui ſucceſſit in pontificatu, tempora pertigerunt, terræ motus ſcilicet, quos (ut Ariſtoteles docet in *libro qui metheora inſcribitur*) multitudines imbrium non minus quam ſiccitates ſoleat generare, & quædam præterea ſcabies. quæ (ut ſcribit idem Platina) ita tendebat ad elephantiam, ut deformitate cognoſci homines non poſſent. Nonne magnam horum malorum partem, immo vero omnia in variis Italiæ locis noſtra hac tempeſtate perſenſimus? aquarum diluvia, (ut diximus) annonæ ubique charitatem. in quibuſdam civitatibus peſtilentiam, ac præterea terræ motus, quorum nullam aliam cauſam niſi nimiam aquarum exuberantiam poſſumus aſſignare, cum hi maximi illis contigerint civitatibus, quæ ſub cœlo ſunt humidiore, veluti Ferrariæ & quibuſdam oppidis circunſtantibus, quæ nunquam adeo tremuerunt ſicuti eo anno, quo aquarum inundationes inceperunt. Scabies vero, ſi ſcabies eſt appellanda, per univerſam apparuit Italiam, & adhuc perſtat adeo fœda, ut plerique medici quadam decepti ſimilitudine, elephantiaſin eſſe putaverint, ſunt enim puſtulæ partes primum obſcœnas, deinde reliquum corpus atque ipſam præcipue faciem (ut ab initio operis diximus) occupantes, quarum primi ortus cauſam, ſi ſufficienter expoſuerimus, magnam morbi Gallici naturæ partem explanaſſe videbimur. Sed ut hoc commodius, & majore etiam cum fide faciamus, duos medicorum Principes Hippocratem ſcilicet atque Galenum in medium adducamus. Hippocrates *tertia particula Aphoriſmorum*, illo Aphoriſmo, quo morbos æſtivos connumerat, ita pronunciavit. *Æſtate vero quædam horum, & febres continuæ ardentes, & tertianæ plurimæ, & vomitus, & alvi profluvia, & oculorum, atque aurium dolores, & oris exulcerationes, & pudendorum putredines, atque ſudamina.* Galenus vero partem illam Aphoriſmi, qui ad noſtrum propoſitum attinet, in hunc modum exponit. *Liquet autem quod oris ulcera fiunt ex humore biliuſo. Pudendorum vero putredines non ſimpliciter accidunt, ſed quando magis humida æſtas, vel ſine flatibus, vel auſtro flante contigerit.* Ubi enim plurimum naturæ modo ad humiditatem, & flatuum carentiam receſſerit, non modo pudendorum, ſed cujuſlibet partis alterius putredines facit, qualis fuit ille temporis ſtatus; qui & in *tertio epidemiarum libro*, & in *ſecundo* circa initia deſcribitur. *Exiguæ vero aëris everſiones ideo attingunt pudenda, quoniam hæc propter caliditatem, atque humiditatem ſuapte natura ex qualibet occaſione ſunt apta putreſcere. adeo, ut quando etiam ſuam æſtas ſervaverit temperaturam, qui multis infeſtantur ſuperfluitatibus, cum hæ aliquam ob cauſam ad pudenda defluxerint, ipſorum putredinem patiuntur. Sudamina vero ſunt ex genere puſtularum quæ veniunt in ſuperficie, & cutem ulcerum inſtar exaſperant. Fiunt autem, ut etiam ipſum indicat nomen, ex multis ſudoribus, quando hi vel omnino mordaciores extiterint, mordent enim cutim, & pruriginoſam reddunt, atque in modum ulcerum aſperam.* Jam ex iſtis Gal. verbis Hippoc. ſenſum interpretantis unicuique patere arbitror cauſam ejus effectus, de quo homines plurimum ſunt admirati. Si enim puſtulæ, quas morbum Gallicum nominamus, nihil ſunt niſi quædam ſuperfluitatum ſua multitudine corpora humana infeſtantium germina, eas partes, quæ ſunt magis putredini obnoxiæ ſunt autem hæ præcipue obſcœnæ propter earum (ut inquit Galenus) caliditatem atque humiditatem) priores ſentire putredinem, deinde illas, quæ non æque ſunt ſuapte natura ad patiendum aptæ, non modo ſit veriſimile, ſed propemodum neceſſarium. Cauſa etiam in promptu eſt, cur eædem puſtulæ non pudenda tantum, ſed etiam reliquum corpus infecerint, nimia, ſcilicet æſtivi aëris in humiditate intemperies, quæ (ut inquit Galen. in expoſitione Aphoriſmi nuper allegati) non modo in pudendis, ſed in qualibet alia corporis parte putredines facit, qualem etiam aëris ad nimiam caliditatem, atque humiditatem everſionem, & *ſecundo*, & *tertio* pariter *libro epidemiarum* fuiſſe ab Hippocrate tactam, Galen. etiam in nuper dicta expoſitione teſtatur. Cum vero hanc, quæ noſtro tempore contingit, intemperiem, illi de qua ſcripſit Hippocrates fere ſimilem fuiſſe arbitremur, an etiam mala ſimilia genuerit, videamus. Hoc autem liquido videri non poteſt, niſi, quæ de ſuæ ætatis intemperie Græce ſcripſit Hippocrates, Latine proferantur, cum ut multis aliis Hippocratis libris, ita præcipue ejuſdem auctoris epidemiis fideliter tranſlatis, careamus. Hæc ſunt *ſecundo libro epidemiarum* Hippocratis verba. Carbones in Cranone æſtivi, pluebat in æſtibus aqua exuberante continue. Fiebant autem magis auſtro flante, & ſuberant quidem in cute humores quidem liquidiores, qui intercepti incaleſcebant, & pruritum faciebant. Deinde veſicæ veluti in igne aduſtis excitabantur, ac ſub cuti exuri videbantur. Sed hæc quidem aëris intemperies uno tantum tempore æſtate ſcilicet contingit. quæ vero in *tertio libro epidemiarum* ab eodem Hippocrate ſcribitur, totum annum, ſicuti hæc noſtra fere, ſuperflua humiditate maculavit. Audiamus igitur Hippocratem ita de hac anni totius infectione loquentem. *Annus inquit erat auſtralis abundans pluviis.* Deinde non multo poſt. Cum autem totus annus auſtralis, & humidus, & mollis factus eſſet, mox quæ ex eadem totius anni intemperatura ob ſuperfluitatum putredinem hominibus mala evenere connumerat, atque inter cætera eryſipelata, oris ulcera, gutturis paſſiones, pudendorum puſtulas, carbunculos, oculorum inflammationes, ventris perturbationes. Deinde quales eſſent fluxiones enarrans, ita ſcribit. *Erat autem fluxio conſiſtens non puri ſimilis, ſed quidam alius putredinis modus.* poſtremo inferius volens oſtendere omnimode putredinis mala ita inquit. *Pluribus erant ora affecta ulceribus, quæ ἄφθας vocantur.* Fluxiones exulcerantes. Plurimæ exulcerationes circa pudenda, tubercula intrinſecus & extrinſecus, quæ multorum intuitus corrumpebant, quales ſunt quæ ficus appellantur. Oriebantur & in aliis ulcera plurima, & in pudendis carbunculi multi æſtivo tempore, & alia, quæ putredo vocantur, magna enthymata, herpetes plurimis magni. Quis non ſimilem noſtri temporis epidemiam ex verbis Hippocratis recognoſcat? quot enim fuerint, qui & oris ulcera & herpetes labra aliquando exedentes, & nigras puſtulas carbunculis ſimiles pruritum nonnunquam intolerabilem ingerentes, & multa alia tubercula, quandoque etiam oculos infeſtantia pertulere, non expedit commemorare, quando hæc inſigniora fuerunt, quam ut egeant enarratione. Ut igitur tandem morbi Gallici naturam ſummatim comprehendamus, hic non unus ſpecie, ſed tantum genere exiſtit, poſſumuſque ipſum hoc pacto deſcribere. Morbus Gallicus eſt puſtulæ ex varia humorum corruptione generatæ propter nimiam aëris in calore, atque humiditate præſertim intemperiem, pudenda primum, deinde reliquum corpus cum magno plerunque dolore occupantes. Cur pudenda primum, deinde reliquum corpus obſederint, cauſam antea ex Galeni expoſitione aſſignavimus. Sed neque difficile eſt cur idem morbus ſævum quibuſdam dolorem intulerit, reddere rationem, cum præſertim id prius fuerit obſervatum illos majorem ſenſiſſe cruciatum, quibus vel nullæ, vel paucæ admodum puſtulæ in cute exteriore apparuerunt. Humor enim noxius, quem natura imbecillior tentavit quidem, non tamen potuit ad exteriora propellere, tandem in articulorum nervos incubuit, ibique ingentem dolorem excitavit. duobus etiam inter cæteros modis ut inquit Galenus in expoſitione aphoriſmi tertiæ particulæ qui ita incipit Vere enim

*Blondus Forliviensis hiſtoricus.*

*Cur morbus Gallicus à pudendis inſipit.*

*Hippoc. & Galenus.*

*Deſcriptio Morbi Gallici.*

atræ bilis ægritudines, atque furores, & morbi comitiales, ſolet ſe natura oppreſſa relevare, vel ſcilicet materiam inutilem à membris intimis ac principalibus ad extimam cutim emittendo, vel ad partes ignobiliores, quales ſunt glanduloſæ, & articulorum compagines detrudendo, ſunt enim hæ præ cæteris ad ſuſcipiendas aptæ ſuperfluitates, ut conſtat ex Galeni expoſitione in aphoriſmum quartæ particulæ ita dicentem, *Quicunque in febribus laſſitudinem habent, iis ad articulos atque maxillas abſceſſus fiunt.* Primum inuit Hippocrates modum, cum in altero aphoriſmo lichenas, lepras, & puſtulas ulceroſas inter morbos vernales, quorum nonnulli juxta eundem Hippocratem æſtati communicantur enumerat. ſecundum vero cum phymata quæ ſunt tubercula proprie in partibus glanduloſis, ut Paulus atque Galen. ſentiunt, orientia, ac præterea articulorum dolores adjungit. Quare in morbo Gallico una, eademque materia & puſtulas facere, & dolorem in articulis creditur excitare. ac quantum ad hoc attinet, non duo morbi, ſed unus tantum, cujus dolor eſt ſymptoma, reputatur. Illi enim ipſi qui nullas habent puſtulas in ſuperficie exteriore, ſimiles tamen abſceſſus habere intrinſecus poſſunt cum majore aliquando (ut diximus) cruciatu. Immo nonnulli medici in quibuſdam mortuis, quos morbus Gallicus viventes infeſtârat, ejus morbi explorandi gratia diſſectis, ita eſſe deprehenderunt. cui quidem rei, præter ſenſum, etiam ratio adſtipulatur. quoniam (ut inquit Galenus) *in libro qui de cholera nigra* inſcribitur) haud quaquam credendum eſt partes interiores eſſe adamantinas, ut non eiſdem, quibus videmus exteriores, affici, noxis ſubjiciantur. Hæc habui, quæ de morbi Gallici natura, cauſiſve cum morbi ipſius, tum caſuum eidem morbo aſſidentium, ſcriberem. Quod ſi quis forte à me expectabat, ut morbum Gallicum uno aliquo nomine apud antiquos uſitato tanquam ſimplicem ſpeciem deſignarem, non potuiſſe me aliter, quam ipſius morbi natura multiplex exigebat, explanare, tandem intelliget ſi animadverterit Hippocratem tantum in doctrina virum ſimilem epidemiam ex ſimili cauſa ſuo tempore factam per varia ulcerum, atque tumorum genera deſcripſiſſe. Quod ſi quis plus ſe Hippocrate ſapere arbitratur, is morbum Gallicum tenter melius definire. Nos quæ de eodem morbo ſentiebamus pro noſtri ingenii imbecillitate præſenti opere in medium contulimus. Si quis vero etiam illud à me poſtremo exigebat, ut, quibusnam eidem morbo remediis ſuccurratur, edocerem, qui ut multiplex eſt, ita multiplicem curationem deſiderat, id me non ſine multa operis prolixitate facere potuiſſe quiſque peritus judicabit, cum in ſingula puſtularum genera ſingula medicamenta ſcribenda fuerint, quibus tamen plena ſunt omnium fere volumina medicorum. Quare eadem hoc in loco repetere non modo longus, ſed etiam ſupervacuus forte labor fuiſſet. Illud tamen in univerſum volo admonere, cavendum eſſe a medicis, ne more mali ſutoris eodem calceo pedes omnes induere laborantis, ipſi quoque morbum Gallicum eadem in omnibus medicina ſanare ſtudeant, neve etiam, quod plurimi faciunt deceptores, parum puro corpori unctiones ex reprimentibus ſuperinducant. Hæ enim ut cutem aliquando liberant, atque in præſentia levant, ita morbum vertunt ad interiora, & faciunt priore periculoſiorem. Quare ut etiam aliqua ex parte curandi viam ac rationem attingam, nihil adeo expedire in hoc morbo puto, quàm plenis venis multum ſanguinis mittere, ſicuti ubi flava bilis in corpore redundaverit, hunc præcipue humorem convenienti pharmaco evacuare. Ubi atra invaluerit, hanc quoque idonea educere medicina, ita ſalſam pituitam, & quaſcunque alias totius corporis ſuperfluitates propriis medicamentis expurgare. Et quoniam ut ſentit Galen. atque etiam Avicenna, raro humores ſimplices puſtulas ſimplices faciunt, ad morbos compoſitos compoſita etiam medicamenta ſint adhibenda, quæ curationis ratio non modo in his, quæ intra ſumuntur, ſed & in illis, quæ extrinſecus imponuntur, eſt (ut arbitror) obſervanda, quoniam ſicuti non eædem omnibus purgationes, ita neque unctiones proſunt, quantum vero ad victus attinet modum, in eo ſervando duorum præcipua aphoriſmorum, qui ſecunda particula ſcribuntur ab Hippocrate debemus meminiſſe, quorum alter corrupta corpora quanto magis nutriuntur, tanto plus lædi pronunciat, alter vero & hoc ipſum inſinuat, & præterea corrupta ab integris dignoſcere docet. Ubi enim fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore conſideranda eſſe excrementa proponit. ſi enim biliosa fuerint, indicio ſunt corpus male ſe habere, ſi ſanis ſimilia, poſſe corpus ſine periculo ali. Qualia etiam debeant eſſe quæcunque offeruntur alimenta ex iis, quæ ſupra diximus conſtare arbitramur, talia, ſcilicet quæ humores minime malos, aut ad putreſcendum paratos ſint apta generare, quæ denique cauſis morbum facientibus contrarium omnino habeant naturam. Hæc ſunt, quæ de morbi Gallici curatione ſummatim, breviterque pertranſeo, forte altero volumine latius executurus, ſi hanc primam noſtram contemplationem gratam fuiſſe legentibus intellexero. Tantum tamen abeſt, ut quæ vel ad aliorum opinionum confutationem, vel ad propriæ opinionis ſcripſi corroborationem, loco ſententiarum haberi velim, ut ultro omnis Medicæ artis Profeſſores horter, ac rogem, me in meis ſcriptis diligenter examinent, corrigant, atque redarguant, paratum, quæ me male fuiſſe opinatum demonſtraverint, ut Philoſophum decet, retractare.

*Curatio morbi Gallici ſummatim & breviter tradita.*

# NICOLAI MASSÆ, *Veneti*,

## *Philoſophi, & Medici Præclariſſimi*,

## DE

# MORBO GALLICO,

## LIBER.

### Ad CAROLUM BORROMÆUM, Cardinalem Ampliſſimum.

*Quod tibi antea per literas ſum pollicitus de operibus meis, id nunc præſtare incipio, Ampliſſime Borromæe. Mitto igitur ad te opus de morbo Gallico multis additamentis jam tertio auctum, quod ego jam tum conſcripſi, cum hæc lues pullulare cœpit, ſi non primus omnium, certe inter primos, qui quidem pauci admodum extiterunt, & mutila ſcripſerunt. Quod morbi genus medicamentis novis, & inuſitatis curandum eſſe docui, quæ antequam à me invenirentur, & ſcriberentur, quam multi perierunt ignoratione medentium! Hæc, ut juvarem homines, & opitularer non modo præſentibus, ſed iis, qui poſtea venturi eſſent, fuerunt ſcripta. quæ tibi propterea vel maxime debentur, quod in eodem ſtudio ipſe es, cum tua voluntate, tum juſſu etiam Pontificis Maximi avunculi tui, qui te ſemper in maximis negotiis detinet, quæ quidem eo ſpectant ut juves humanum genus, & à juventute tua te in hac laude exerceas. Quare ſperare debeo hæc mea ſcripta tibi, cum ob hanc cauſam non eſſe futura injucunda, tum quod ea proficiſcuntur ab homine colente divinas virtutes tuas, tibique propterea deditiſſimo; Accipe igitur hæc, & alia expecta, quæ quantulacunque erunt, certe erunt ejuſmodi omnia, ut ſigna obſervantiæ ſint in te meæ.*

*Vale, Venetiis.* MDLXIII.

### Cap. I.

### PRIMI TRACTATUS PROOEMIUM,

*In quo deſcriptio morbi Gallici aſſignatur; & eſt pars Theorica.*

ADjutor meus, & protector meus eſto Domine. Scripturus de morbo Gallico pro bono univerſali, in quo A proximorum ſalus continetur: rogo fratres, ut benigne verba mea audiant, ex eis enim multa bona accipient, quæ, & ego ab aliis accepi, & diu laborans in ſanandis ægris, legendisque antiquis & modernis auctoribus experientia, & ratione didici, tam de morbi hujus eſſentia, quàm de curatione. Et quoniam, ut inquit Galenus *ſeptimo de morbis curandis*, apud vulgum fama non parvum impedimentum

tum doctis est, non alia de causa hoc opusculum compo- A
sui, quam ob charitatem erga ægros, & novos medentes
motus, non cupiditate gloriæ, quæ Deo optimo maximo
attribuatur: ideoque iterum rogo fratres post me scribentes,
si quid melius in hac ægritudine invenerint, scribant, &
addant, quoniam si hoc non fuerit complementum, erit
tamen materia complendi. Et quia apud Arist. *posteriorum primo*, cognitio quid nominis præcedit cognitionem quid
rei, idcirco in primis talis sit nominis morbi Gallici de-
claratio. Morbus Gallicus est ægritudo nobis nova, in
qua sæpissime apparent pustulæ diversæ, & aliæ infectio-
nes cutaneæ, & dolores membrorum, & apostemata dura,
& ulcera maligna, & in aliquibus sunt omnia, & in ali-
quibus non, sed sunt pustulæ tantum, aut infectiones,
aut dolores tantum, aut apostemata tantum, vel sunt pu-
stulæ cum doloribus, aut dolores cum apostematibus, vel
cum ulceribus, quæ fiunt á pustulis, aut apostematibus,
ut dixit Avicen. *quarta, quarti*. Causam autem diversi-
tatis istorum dicam post. Nomen tamen hoc, est nomen
vulgi, eo quia quando priores homines passi sunt hanc in
Italia ægritudinem, Rex Gallorum Neapolim Italiæ oc- B
cupabat, & fuit anno Domini millesimo quadringentesi-
mo nonagesimo quarto. Et cum consuetudo jam invа-
luit sic nominare hanc ægritudinem, ego sub hoc nomine
ipsam declarabo, ut nobis sic nominare assuetis nihil igno-
tum sit. Sed antequam ejus completam ponam descri-
ptionem, ad ipsius declarationem, quæ sequentur audies.

## CAP. II.

*In quo declaratur quod non solum per contactum coitus, sed per alios contactus, & per intrinsecam alterationem fit morbus Gallicus.*

Quoniam scribentes doctissimi, & etiam medentes, in
tam mala, & difficili ægritudine diversa afferunt,
& in essentia morbi, & in minera, longe inter se dissen-
tientes, ideo utilissimum fore duxi, si aliquid de minera
& basi istius morbi dixero. Et in primis visum est aliqui-
bus, quod omnes qui tali morbo laborant, per contagio-
nem coitus infecti sic ægrotarunt. Sed hoc est contra C
experimentum, bene tamen conceditur, quod ægritudo est
contagiosa, & multi per contagionem coitus inficiuntur,
non tamen est dicendum, quod omnes qui sunt infecti, per
pudendas partes, tam maris quam femellæ, infecti sint,
& ibi sit basis, & minera istius ægritudinis, cum multi la-
borent, & laborarunt tali ægritudine, qui nunquam in vi-
rili membro, aut in vulva quicquam passi sunt, & nihilo-
minus omnes fere ægrotabant partes corporis, ut in mul-
tis vidi, qui erant infecti ulceribus, doloribus, apostema-
tibus, & pustulis, quorum pudendum nihil patiebatur. quod
si verum esset id quod dicunt, cum in pudendis putrescant
magis humores, ut ipsi dicunt, & est veritas ob loci dis-
positionem, quoniam sunt membra humida, & via ducens
superfluitates, ut ait Galenus *quinto Therapeuticæ*, ipsa
pudenda utique magis læderentur. Neque valet dicere,
quod iste humor dum est mordax, ulcerat, & quando non
est, occulte procedit, & sic inficit totum corpus, & ob-
scœnum non inficiens, quoniam si inficit loca alia corpo-
ris minus præparata ad putredinem, deberet etiam inficere
& locum magis præparatum; Sed quid dicemus de pueris D
non lactentibus; tres hoc anno curavi ego pueros, unum
ætate trium annorum, alterum ætate sex annorum & erat
puella, tertium undecim annorum; isti non sumpserunt
lac infectum, quod, ut dicunt, fit ex sanguine infecto,
a matrice ad mammillas à natura transmisso, neque coi e-
runt, cum non sint potentes ad coitum. possem afferre in
medium & multa alia exempla, quæ brevitatis gratia di-
mitto. dico ergo, quod ut in aliis evenit ægritudinibus
contagiosis, aliquando fit ista ægritudo ab intrinseca alte-
ratione, & sæpissime ab extrinseca contagione, quæ qui-
dem contagio est per exhalationem malorum vaporum, ab
una enim quaque ægritudine materiali malus vapor exha-
lat, ut dixit Galen. & scribitur à Conciliatore *septima par-
tic problem*. Et cum ægritudo ista sit materialis toti corpo-
ri communicata, inde est, quod vapores elevati à qua-
cunque parte corporis, possunt inficere alium, maxime si
ille erit præparatus ad talem infectionem, quoniam, ut
inquit Arist. *secundo de anima*, actus activorum fit in pa-
tiente bene dispositio. Et etiam aër per os inspiratus, & E
aliqui alii contactus, aut cibi & potus, aut vestimento-
rum inficiunt multos. curavi inter alios amicum meum,
qui per contactum linteaminum, in quibus dormierat qui-
dam, qui habebat ulcus Gallicum in crure, captus fuit.
& dormivit in illis per noctem unam tantum. Habet
etiam morbus iste duo, quæ sunt requisita in contagione,
& sunt viscositas adhaerens, & fixio propter malam qua-
litatem materiæ. Quomodo autem corpus intrinsece al-
teretur, medicis notum est, & ex dicendis apparebit, qua-
re ne in istis plus quam par sit immorer, de modo con- A
tagionis hæc sufficiant, nunc de morbi minera dicam.

## CAP. III.

*In quo minera morbi ostenditur, & modus contagionis declaratur.*

Melius est dicere cum illis qui dicunt, quod minera
morbi Gallici est hepar: cum hepar, ut dicit Prin-
ceps *prima primi, cap. de generatione humorum*, sit
membrum generativum malæ humoralis: per bonum cu-
jus temperamentum boni humores generentur, & per non
bonum mali. Præterea ab ipso hepate procedunt virtutes
omnes naturales pro nutritione, & per omnes corporis
partes demandantur, ut scribitur ab ipso Avi. *in summa
de virtutibus*, in qua *cap.* 2. ponit defectus virtutis natu-
ralis, dando exemplum de atrophia, & hydropisi carnosa,
& albara, & morphea, qui quidem defectus sunt secun-
dum trium operationum defectus ipsius virtutis, quod fa-
cile potest adaptari ad propositum, & maxime ultimum B
exemplum de albara, & morphea, cum sint ægritudines
cutaneæ diversæ secundum diversitatem admixtionis, ut
dixit Princeps, septima quarti, capitulo de morphea, quam-
vis enim non est idem morphea cum morbo isto, tamen
minera morpheæ est hepar, hoc etiam attestante Avenzoar,
*secundo Theisir, capitulo de morphea*, dicit enim ibi, *causa
hujus est debilitas mutativa hepatis, ex qua corrumpitur mu-
tatio in aliis membris*. Et quamvis hepar taliter sit infe-
ctum, ut generet materiam morbi Gallici, non tamen
propter hoc est necessarium ipsum in aliis operationibus
deficere, cum operationes nonnisi à diversis prodeant tem-
peramentis, ut dixit Galenus *sexto de accidenti & morbo,
capitulo tertio*. Sed forte quis quærat, quo modo per
contagionem, puta potus, aut vestimentorum, vel quem-
vis aliorum modorum fiat in hepate ista mala dispositio;
hoc autem facile est declarare siquis scorpionis exemplum
à Galeno *tertio de interioribus, cap.* 7. legat; quia parti-
cula aliqua corporis infecta potest aliam particulam infice-
re, & alia, aliam, usque ad hepar, quod postea sic infe-
ctum per generationem novæ materiæ fovet ægritudinem, C
& diuturnam sive chronicam ipsam facit. Et notare opor-
tet, quod causa recidivationis in his qui fuerunt curati,
sæpissime est, quia aliqua minima, aut notabilis particula,
quæ non fuit evacuata, aut à virtute rectificata, de novo
serpit, & propinquas partes inficit, & illæ alias partes in-
ficiunt usque ad suam mineram, quæ est hepar, & isti in
deteriorem cadunt dispositionem, ut experientia docet, &
ab Avicen. habetur, *prima quarti, capitulo ultimo*, ubi in-
quit, *recidiva est deterior sua radice, & secundum pluri-
mum est sæva*. Sic etiam causatur ægritudo ista ab alte-
ratione intrinseca (cum possibilitas sit res ampla, ut testa-
tur idem Avicen.) concurrentibus aliquibus dispositioni-
bus corporis & regimine in cibo & potu, & aliis rebus non
naturalibus ducentibus corpus ad talem infrigidationem.
Concurrentibusque causis terrestribus, & super cælestibus
fiunt ægritudines, ut idem attestatur quarta primi de febre
pestilentiali. Et cur sæpissime & magis in coitu hoc fiat,
sensus declarat, cum pudenda sint porosa, mollia, in qui-
bus facile imprimitur, & etiam defertur talis contagio us- D
que ad hepar, & in aliquibus fit cito, & in aliquibus cum
longitudine temporis secundum majorem & minorem vir-
tutem inficientis, & resistentiam suscipientis talem infectio-
nem; fovet etiam aliquando malam istam hepatis qualita-
tem membrum aliquod debile, aut plura membra non na-
turaliter disposita, utputa stomachus debilis non debite præ-
parans, aut splen non mundificans, aut renes, vel etiam
cerebrum, quod membrum sæpe fovet ægritudinem. Et
hinc est quod aliqui decipiuntur credentes, quod origo
morbi sit membrum aliud ab hepate debilitatum. Sed
ista dicta pro mineræ morbi declaratione satis sint. De
humore modo, qui basis hujus est ægritudinis, audies.

## CAP. IV.

*In quo de humore prædominante, sive de basi morbi Gallici, & modo generationis ipsius disputatur.*

Non minores, at difficiliores de humore, qui basis di- E
citur hujus ægritudinis, quamplurimorum doctissimo-
rum Doctorum sunt opiniones, quas, ne nimis prolixus
sit sermo iste, dimitto. Et dico, quod basis morbi Gal-
lici est humor phlegmaticus, non naturalis à tali mala qua-
litate frigida, cum aliquali siccitate condensante ipsam ma-
teriam. & hoc est clarum, cum virtutes per operationes
cognoscantur, ut dicit Avicen. *summa de virtutibus*, ge-
neratur enim phlegma naturale à frigiditate hepatis, ut
idem attestatur Avicen. *prima primi*, sed non à frigiditate

ſimpliciter, ſed à diminuta caliditate, & ſic phlegma dicitur ſanguis diminute decoctus, & hoc, ut ipſe dicit, eſt aptum aliquando converti in ſanguinem, & facere nutrimentum, & tranſit etiam cum ſanguine ad nutrienda membra phlegmatica, & junctura humectandas, & cum hoc phlegma ſit naturale, non cauſat ægritudinem iſtam, ut quidam dicunt, niſi quantitate ſua faceret aliquam ſimilitudinem pinguedinis, ut contingit in ſenibus, & mulieribus; vel putreſcendo faceret febrem, vel apoſtema non putreſcendo; quod ſi hæc fiunt, non ſunt ita maligna ut eſt morbus iſte. Melius eſt ergo dicere ſtante fundamento Principis, quod virtutes per operationes cognoſcuntur, & effectus arguit cauſam, ipſum non naturale eſſe, neque decipior in hoc de effectu accidentali à contraria cauſa. Et ideo ab intrinſeca alteratione concurrentibus cauſis ſuperius dictis, vel à contagione coitus, vel quovis alio modo, fit aliqualis caloris hepatis diminutio, quæ non tollit generationem ſanguinis, cum diverſæ operationes diverſis indigeant temperamentis, ut dixit Galen. *loco prædallegato*, & ita multiplicat phlegma cum gradu frigiditatis, ultra naturalem curſum, & aliquali ſiccitate condenſante: addita à tali forma qualitate occulta. Et cum phlegma demandatum per totum corpus, ſit aliquantiſper infrigidatum, infrigidat & inficit etiam ſanguinem, & ſpiritus ab ipſo hepate genitos, ita quod non ſufficit pro tali appoſitione, & aſſimulatione nutrimenti, ut clariſſime apparet in patientibus morbum Gallicum, qui in dies macreſcunt, & male nutriuntur, & hoc propter multitudinem phlegmatis non naturalis, & diverſam quandam admiſtionem, quæ vix cognoſci poteſt, & aliqualem ſpiritus infrigidationem, ſanguiniſque alterationem, ut dixi. Non tamen propter hoc quod aliquis humor, ſive ſit ſimplex, ſive miſtus, ſit frigidus reſpectu ſui ipſius naturaliter diſpoſiti, tollitur, quin habeat partes calidas, cum ſit miſtum ex quatuor elementis in eo quod corpus, & etiam evaporando ſecum ducat talem frigidam qualitatem cum corpore aliquo vaporoſo, & ſic inficiat alias partes uſque ad principale membrum. Et ideo recidivantes, aut male ſe habentes in regimine ſex rerum non naturalium, ob longitudinem ægritudinis cum totius corporis debilitate non ſolum inficiunt hepar, ſed etiam ſpiritus cordis, ita quod qui taliter cordis ſpiritus habent infectos, aut nunquam ſanantur, aut cum maxima difficultate, qui pati videntur hecticam ſenectutis ob pulſus debilitatem cum duritie, & aliis conditionibus, aut maraſmum, ſive conſumptionem totius corporis, ut ſenſu apparet in multis, quos vidi, & omnes viderunt. Et aliquando propter additam corruptionem virtutis hepatis & membrorum in tali ægritudine, iſti fiunt cachectici & hydropici, & ratio hujus patet. Neque propter hoc poteſt dici, quod baſis ſit humor melancholicus, niſi accipiendo melancholiam largo modo pro humore alterato alteratione mala diverſa: quod autem materia, ſive baſis dicta, ſit phlegmaticus humor, ſenſus declarat, qui non decipitur in proprio objecto, ut dicit Ariſtot. *ſecundo de anima*. Ego ſæpe ſtudioſe aperui puſtulas dicti morbi, & quamvis extra apparebant rubicundæ, vel alterius coloris, apertis tamen, in baſi & in profundo erat quædam materia alba, denſa, viſcoſa, quae nil aliud quam phlegma, ex quatuor humoribus, dici poteſt. Hanc eandem materiam videmus quotidie in apoſtematibus duris, quæ vulgares gummata appellant, nam quando inciduntur, aut ex ſe rumpuntur, ſunt plena materiæ albæ, viſcoſæ, & aliquando cum lividitate, quandoque vero cum rubedine aliqua ſecundum diverſam admiſtionem. Vidi etiam ſæpiſſime in anatomiis corporum mortuorum, patientium (dum viverent) morbum Gallicum cum doloribus, multam quantitatem materiæ albæ, viſcoſæ, in locis ubi erant dolores, quam quandoque vidi duram, & aliquando molliorem: Ut in anatomizato MDXXIIII. qui laborabat tali morbo cum doloribus crurum, ut affirmabant eorum vicini, & hæc in locis dolorum, quando fuerunt inciſa, inventa eſt iſta materia alba, viſcoſa, quæ adhærebat panniculo cooperienti crus, & in multis aliis, in juncturis, & prope ipſas reperi quantitatem maximam iſtius materiæ albæ, viſcoſæ. Quare ſecundum materiam, & colorem, & alia conſequentia, oportet dicere, velimus nolimus, iſtam eſſe materiam phlegmaticam ſecundum ipſius baſim. Dico hoc propter alterationes, & diverſas admiſtiones in tali morbo repertas, quæ ſæpe mutant aliquantiſper multum colorem, & ſubſtantiam materiæ. Contingitque quandoque particula aliqua, aut quantitas notabilis iſtius materiæ putrefieri, & hoc ſecundum diſpoſitionem patientis, & regimen, ex qua putrefactione, febricula quædam iſtis accidit, quæ amphimerina dici poteſt, & major, & minor. Vel alia erit febris ſecundum quantitatem materiæ, & aliqualem admiſtionem aliorum humorum cum iſto, ut ſi cum admiſtione cholerae, exaſperatur de tertio in tertio. ſic cum admiſtione aliorum humorum, ſecundum naturam humoris erit periodicatio & diverſitas febris, & ſic à caliditate febrili contingit iſtam materiam alterari, & exſiccari, & aliquando à caliditate innata membri, (quæ non poteſt eam ex toto reſolvere) exſiccatur, & ſic fit durior, ſive terreſtrior. Et diverſæ aliæ poſſunt accidere mutationes ſecundum diverſas cauſas, quod erit ex diverſitate admiſtionum, & membrorum, & totius corporis alterationum, ex quibus apparet, quod materia, quæ baſis dicitur, accidentaliter tamen, poteſt dici, & calida, & frigida, & etiam melancholica, ut patet. His ego declaratis, ne nimis ſit taedioſus ſermo iſte, eo unde diſceſſi revertar, & definitionem iſtius morbi tradam &c.

## CAP. V.

*In quo deſcriptio definitionis morbi Gallici aſſignatur, & etiam multa problemata reſolvuntur.*

Morbus itaque Gallicus, eſt diſpoſitio mala hepatis ad frigiditatem, & aliqualem ſiccitatem declinans cum qualitate occulta, per venas, & poroſitates toti corpori communicata, & eſt contagioſa, cum qua fiunt ſæpiſſime puſtulæ malæ per totum corpus, vel in aliquibus membris, & quampluribus apparent inprimis in capite, & fronte circa originem capillorum, & in virga, & vulva in illis qui per coitum inficiuntur, & hoc fit ſi materia mala fuerit ſubtilis, & virtus expulſiva fortis: quæ quidem puſtulæ ſunt diverſæ, ſecundum humorum diverſorum admiſtionem, nam purus humor raro datur, ut ſæpe dixit Avicen. & Galen. *primo de accidenti, & morbo cap.* 12. immo tanta eſt diverſitas miſtionis, ut occulta fere dici poſſit, ſemper tamen de aliquo prædominante humore in miſto eſt judicium. Quare cum in puſtulis materia admiſta eſt ſanguinea, apparent rubeæ, elevatæ, magnæ, tumidæ, & humidæ: quod ſi cum amiſtione choleræ fuerit, ſunt rubicundiores, ſine magno tumore, cum pruritu, & ſiccitate: quod ſi cum admiſtione fuerint humoris melancholici, erunt puſtulæ pravæ, lividæ, oſtracoſæ, ſine ſanie, ad modum eſcharæ, quæ non occultantur. quod ſi materia fuerit ſimplex phlegmatica, vel ſimplicitati propinqua, ſecundum tamen alterationem dictam genita, erunt puſtulæ albiores, latiores, expanſæ, molles, ſine pruritu. Et omnes iſtæ diverſificantur ſecundum diverſas admiſtiones, ita quod aliquando ſunt corroſivæ, ſi cum humore baurachiali erit admiſtio, & ambulativæ, ſi cum humore acuto calido. Et ſecundum diverſas qualitates etiam fiunt diverſæ, aliquando enim ad impetiginis, & ſerpiginis modum apparent, & quandoque in modum ſcabiei, & aliarum diverſarum cutanearum infectionum. Fiuntque ante apparitionem puſtularum ſæpe dolores in capite, & aliquando in aliis membris in adventu talis ægritudinis, qui dolores fiunt mitiores apparentibus puſtulis, & quandoque non ceſſant, ſed ſparguntur, vel ſtant ibi, ſi materia eſt groſſa, & pauca, quod ſi eſt multa, procedunt ad alia membra, & ſæpe dolor eſt in fronte, & quandoque per totum caput, & ſunt diverſi, extenſivi, pungitivi, ſecundum diverſas miſtiones; fiunt vero, aut quia materia eſt multa non regulata, vel quia virtus expulſiva eſt debilis, aut quia materia eſt diverſa maligna. quare cum retinetur, ſua mala qualitate & extenſione ſolvendo continuum cauſat dolorem. nam dolor fit, ut inquit Avic. *ſecunda primi de cauſis doloris*, à mala complexione diverſa, & à ſoluta continuitate. quod ſi materia ſubtilietur & à virtute expellatur, fiunt puſtulæ, & ceſſant dolores, & aliquando non ceſſant ſi materia eſt plurima. Et in proceſſu multiplicantur dolores membrorum, puta ſpatularum, brachiorum, & crurum, & aliorum membrorum materia multiplicata, & ſunt mali, diverſi etiam ſecundum diverſa tempora, & diverſitatem membrorum, & locorum ſentientium, ut ſunt nervi, cordæ, & membra ſenſibilia. Et pulſativi fiunt, ſi in loco ſunt venæ aut arteriæ, & ſunt mali clamoſi, in cruribus maxime, propter membrorum debilitatem, & ad receptibilitatem cum ſint prona, longinqua à fonte caloris, qui eſt cor, & incipiunt affligere in ſero in occaſu ſolis, & procedunt uſque poſt mediam noctem, poſtea declinant, & raro aliter affligunt, & affligunt magis in nocte, quoniam humiditates plus multiplicantur in nocte, & faciunt extenſionem, aut aliud, & in adventu diei reſolvuntur. Et quandoque prolongantur, cum materia eſt multa, aut groſſa. quod ſi virtus expulſiva eſt fortis, tunc poſt diuturnos dolores fiunt tuberoſitates, ſive apoſtemata dura mala, quæ vulgaria gummata appellant, quoniam expellitur materia quæ retinebatur. quæ quidem gummata ſæpe apparent à principio nullo præcedente dolore, ſed raro; & aliquando ſveniunt cum parvo dolore, ſi non ſit in loco ſenſibili materia neque profunda, quæ apoſtemata quandoque adhærent panniculis, & oſſibus, & corrumpunt oſſa corruptione mala. fiunt etiam in gutture, & ſæpe ulcerantur, & ſunt maligna valde, & quandoque fiunt in membris intrinſecis.

&

& ſequuntur accidentia mala, ut eſt aſthma, & fluxus ventris. Apoſtemata præterea iſta, in quocunque membro fuerint, ſunt mala, inobedientia digeſtioni, reſolutioni, & maturationi, propter ejus viſcoſitatem, & qualitatem malam occultam, quæ hanc concomitatur ægritudinem cum virtutis membrorum debilitate; ſimiliter ſunt ulcera, quæ ab hujuſmodi apoſtematibus fiunt, & mala, & inobedientia. fiunt etiam ab iſtis puſtulis, & apoſtematibus, cum rumpuntur, ulcera diverſorum generum in malignitate ſecundum cauſas dictas, in quibus reperiuntur materiæ albæ, viſcoſæ, adhærentes cum tenacitate, & maxime in apoſtematibus, quæ quidem materiæ in aliis ulceribus non reperiuntur. quæ materia ita alba eſt cum pauco ſenſu dura ad incidendum, & frangendum, quæ ſæpe adhæret membro. Et ulcera iſta, cum prolongantur, fiunt profunda, virulenta, livida, corroſiva, ſordida, cum duritie labiorum, & carne oſtracoſa, & aliquando fiunt ambulativa, & aliquando omnia fere genera malorum ulcerum inveniuntur; in quibus ſæpe ſunt oſſa corrupta, denigrata, & aliquando ſunt alba, ſed ſunt ſicca ſine humiditate, rorida propter nutrimenti defectum, & aliquando ſunt perforata multis perforationibus cum corruptione maligna, propter malam materiæ qualitatem. Et patientes talem ægritudinem ante dictorum accidentium apparitionem macreſcunt in dies, vertuntque colorem à naturali ſua diſpoſitione ad pallorem, & ſunt pauci, qui non mutantur, & ſunt ſanguinei habentes puſtulas rubeas valde, & iſti fiunt rubicundiores cum horribilitate quadam. Et aliquando accidit febricula ante adventum cum aliquo dolore capitis, vel frontis, quæ fit ab aliqua materia putreſcente, & cum expanditur materia fiunt graviores, & pigri non prompti. Et aliquando apparet aliqua dictarum infectionum in aliquo membro, reliquis membris apparentibus ſanis, maxime ſi virtus eſt fortis, aut materia pauca, & hoc aliquando à debilitate talis membri, non potentis regulare, aut reſolvere materiam illam, accidere ſæpe poteſt, nam virtus fortis, cui nihil reſiſtit (ut dicit Galenus) corrigit malignitatem humoris, & cum eſt debilis ſequuntur ægritudines. Et cum iſta ægritudo prolongatur, apparent in aliquibus fiſſuræ, & ſquamæ in volis manuum, & plantis pedum, & ſunt albæ, duræ, ſine humiditate, & aliquando invadunt alias partes corporis. Et hoc fit ſæpe à natura poſt ſanationem, à natura, vel ab arte factam, quoniam materia non fuit ex toto reſoluta. quæ reliquiæ, cum ſint paucæ, ad tales partes expelluntur. dixit namque Galenus in *libello de cholera nigra. Semper natura ſanguinem mundificare tentat*, &c. quandoque vero propter materiæ malignitatem, & humiditatem ad nervos tranſmiſſæ, & dolorem reſolventem ſpiritus, accidit paralyſis, aut ſpaſmus ſive contractio membrorum, quæ aliquando fiunt uſque ad junctura rum diſlocationem, & oſſium plicaturam ſine incurvatione. Fitque ſæpe in inveteratis aſthma, & eſt malum, & mortale, & tuſſis mala propter ſiccitatem, & materiam deſcendentem ad pectus, & quandoque fit à principio: quamvis ſit raro. Et in pluribus undecunque fit iſte humor, & rebellis, & inobediens medicaminibus. Et ſæpe poſt curationem hæc ægritudo recidivat, & recidiva quandoque eſt cita, & ſæpe ſtat per annos, quæ in multis eſt deterior: ut inquit Avic. *loco prælegato*, & cauſa hujus eſt; quoniam materia iſta ob diuturnam hepatis indiſpoſitionem fit groſſior; & virtus membri redditur debilior, coadjuvante maxime malo regimine ſex rerum non naturalium; & etiam propter malum regimen curæ ſæpe, & cum ad ultimam deveniunt malignitatem hepatis, ad hydropicam deveniunt diſpoſitionem. Jam ex his omnibus luce meridiana clarius apparet unitas iſtius ægritudinis; à qua diverſa prodeunt accidentia, quæ non perfecte curantur, niſi tollatur prima hepatis, & totius indiſpoſitio, à qua iſta pendent. dixit enim Galenus *tertio de accidenti & morbo*, quod quæ ſequuntur morbum ſicuti umbra corpus, accidentia dicuntur, & non morbus. Et ideo qui morbum Gallicum plures ægritudines poſuere, decipiuntur, & in maximo verſantur errore, multiplicantes entia ſine neceſſitate contra philoſophi regulam, nam ea, quæ ab aliqua prima prodeunt diſpoſitione, illius diſpoſitionis accidentia vocantur, ut teſtatur idem Galenus *loco prælegato*, & Avic. *ſecunda primi, capit. primo, infine capituli*, in exemplo de phtyſi & febre hectica. Neque huic poſitioni obſtant argumenta, ex dictis enim reſponſio patet. Neque etiam propter hoc negarem, quin aliquando aliquod accidens uni ægritudini fiat per aliquam ultimam malignitatem ægritudo per ſe, quæ poſtea non curatur cura primæ ægritudinis, ut de corruptione mala oſſis apparet. quare ut negotium iſtud expediam, paucula ad clariorem doctrinam in epilogi modum ſcribam, quæ de cauſis & ſignis erunt, nam decies repetita placebunt. Et Galenus *ſecundo de ſimplici medicina* auctoritate Platonis inquit, *in principio, & radice plurimum oportet eſſe ſerenitatis.*

## CAP. VI.

### *De Cauſis morbi Gallici.*

Cauſas ex dictis collige, quæ ſecundum medicos ſunt tres, videlicet, primitivæ, antecedentes, & conjunctæ. Primitivæ quidem ſunt, ſicut diſpoſitio aliqua aëris, vel corporum ſuperiorum, ut dicunt aſtronomi, cum conjunctione illa Saturni, Martis, & Veneris in Scorpione &c. ut contigit anno illo in quo populari cœpit iſta ægritudo: aut cibi generantis malum chylum, præparantis & moventis intrinſecam alterationem, aut contagio coitus, vel cibi & potus, vel aliqua mora cum hominibus infectis, vel contactus veſtimentorum, ut dixit Avic. *ſecunda primi, cap.* 6. Antecedentes vero ſunt humores intrinſeci ab alteratione extrinſeca, vel intrinſeca mala, ad talem malignitatem. Conjunctæ autem ſunt humores ita diſpoſiti, ab hepate geniti, qui poſtea impediunt debitas actiones corporis. Et etiam ſunt accidentium cauſæ, ut puſtularum, dolorum, & aliarum. Materialis, efficiens, formalis, & finalis, & aliæ accidentales ſapientibus ex dictis apparent. Dicam igitur de ſignis.

## CAP. VII.

### *In quo de Signis morbi Gallici, & accidentium tractatur.*

Signa quæ ex dictis eliguntur ſunt in duplici differentia, quoniam quædam ſunt demonſtrativa, & quædam prognoſtica: demonſtrativa ſunt puſtulæ cum quadam duritie, aut eminentia, & malo colore in capite toto, vel fronte circa originem capillorum, vel in aliis corporis partibus, & maxime in angulis oris, & hoc ſæpe in infantibus accidit, & in adultis quandoque, quæ ſunt eminentes humidæ, quibus puſtulis apparentibus non eſt ambigendum de eſſe ægritudinis, maxime ſi poſt reſurrectionem à ſomno ægri percipiunt membrorum gravitatem cum dolore, gravativo, vel confractivo. Anteceditque dolor capitis, qui incipit in occaſu ſolis, & declinat ante ortum ſolis, qui ſæpe ad ſpatulas, & aliarum junctura rum partes extenditur. Et patientes fiunt pigri, ſomnolenti, & mutatur color ad pallorem. nutrimenti defectus ſenſibilis ſæpe eſt, & multotiens non manifeſtus niſi expertis, & illis qui cognoſcunt differentiam membrorum à naturali ſua diſpoſitione. Et aliquando eſt febricula, & ſæpiſſime apparent ulcera virgæ, quæ ſunt mala cum duritie calloſa quæ tarde ſanantur, & puſtulæ fiunt circa pectinem, ex quo ſæpe à principio, in his qui per coitum inficiuntur, eſt ſignum demonſtrativum morbi Gallici ſine fallacia. Et ſequuntur apoſtemata inguinum, quæ ſi ſuppurantur removent ægritudinem maxime à principio, quoniam inguina ſunt emunctoria hepatis, per quæ expurgantur materiæ, quæ in hepar imprimebant malam qualitatem, quandoque à principio apparent in gutture mollificatio uvæ, & apoſtemata ſclerotica mala, quæ non maturantur niſi raro, & ulcerantur ulceratione maligna, quæ apoſtemata in recidiva ſæpe apparent, & in ægritudine antiqua, & à principio raro. Sunt etiam dolores articulorum, capitis, & crurum, & aliquando in omnibus, & ſæpe in aliquibus membris, & maxime in cruribus. Præterea ſunt apoſtemata dura, adhærentia panniculis & oſſibus, ut ſunt oſſa furculæ pectoris, crurum, & frontis, quæ à vulgaribus gummata appellantur. Sequuntur præterea, ulcera maligna cum maximo dolore dum de novo fiunt, & corroſio mala oſſis. Apparent etiam fiſſuræ in volis manuum, & plantis pedum cum ſquamis ficcis. Et aliquando in aliquibus partibus corporis aliis fiunt cruſtæ, ſive infectiones, in modum impetiginis & ſerpiginis. Fitque durities junctura rum cum tumore in morbo inveterato. Et qui malo utuntur regimine ſæpe in proceſſu fiunt aſthmatici, & aliquando à principio, ſed rariſſime. Signa autem prognoſtica ſunt in primis, ſi aliqua præceſſerit mora cum infectis, aut aliter. Et in hoc prodeſt conſiderare cauſas primitivas, ut fugiamus talem infectionem, evitando coitus cum mulieribus infectis, aut in quibus ſit ſuſpicio de infectione, ſimiliter evitando contactus moram, aut dormitionem cum infectis, aut in locis infectis, quoniam cauſæ primitivæ movent antecedentes. Præterea morbus Gallicus cum paucis puſtulis ſine doloribus, aut cum paucis in juvene bonæ complexionis, cito ſanatur, ſi debita adhibeatur cura. quod ſi cum multis puſtulis, & doloribus, & aliis malis accidentibus, tarde & difficulter ſanatur. Et ſi in puſtulis, aut apoſtematibus fiat color malus in toto corpore ultra diſpoſitionem morbi Gallici, corpus habet ſanguinem totum infectum humore melancholico, & iſti raro ſanantur. Adhuc puſtuloſi tantum facilliime

ſanan-

ſanantur. Sed patientes dolores & apoſtemata dura cum difficultate maxima, & quanto invenietur cum pluribus doloribus, aut gummatis, erit difficilior cura, & magis ſi tempus perlongatum fuerit. Etiam poſt dolorem in aliqua parte apoſtema durum expectatur ſi virtus fortis eſt. Præterea ulcera maligna, & acutiſſimi dolores arguunt maximam materiæ malignitatem, vel multitudinem, & virtutis debilitatem, aut impedimentum. Puſtulæ, apoſtemata, dolores, aut ulcera, niſi principale membrum cum totius corporis communitate curetur per intrinſeca, ſive extrinſeca medicamina, ad deteriorem recidivant ægritudinem, maxime ſi ſunt inveterata. In duritie apoſtemoſa ſi fiant puſtulæ, ſæpe reſolvitur apoſtema, quoniam materia ſubtiliatur, & ſic melius expellitur. Infecti infectione mala, in qua ſpiritui cordis communicatur infectio, non ſanantur aut cum maxima difficultate. Similiter habentes apoſtemata magna, quæ ſunt unita oſſibus; quoniam in iſtis videtur fere tota materia nutrimenti corrupta, & virtus debilitata. Præterea gulоſi, bibuli, & multum coëuntes, & ſine regula omnia comedentes, & male ſe habentes in regimine reliquarum rerum non naturalium, non ſanantur, niſi raro, & niſi ſint bonæ complexionis juvenes, & exercitentur exercitio forti. Præterea qui maraſmum natura patiuntur, ſi incidunt in talem diſpoſitionem rariſſime evadunt, & ſimiliter qui aſthmatici ex hac ægritudine fiunt. Mulieres vero facilius à tali morbo occupantur propter ſymboleitatem materiæ, cum ſint phlegmaticæ; dixit enim Avicenna ſecunda primi, quod converſio in genere proportionali eſt facilior. Si multa apparent accidentia, ut ſunt puſtulæ, dolores, & alia, multitudinem materiæ ſignificant, contrarium vero, contrarium ſignificat. Non tamen omnia ſigna, aut accidentia ſunt neceſſaria, ſed ſufficit, quod ſint aliqua, ut dolores, & puſtulæ, aut unum tantum, ut puſtulæ, aut ulcus in virga tantum, vel in aliquo alio membro, vel apoſtema, vel ſquamæ in volis, & ideo, quando plura, aut omnia ſigna apparent, audacter ægritudinis eſſentiam pronuncia. Luxurioſi cum ſint infrigidati infrigidatione per ſpirituum reſolutionem, ſunt magis ad hanc ægritudinem parati, ſimiliter male ſe habentes in regimine ſex rerum non naturalium ob diverſitatem, & malam humorum miſtionem. Cura hujus ægritudinis eſt difficilis, quoniam eſt chronica, & cum malignitate occulta. Et qui evadunt ſæpe fiunt pingues, cum ante fuerant macri, & hoc quia ſanguis redditur purior, ab evacuationibus, ſive medicaminibus. Multi etiam poſt ſanationem fiunt rauci, aut contracti in aliquo membro, & remanent veſtigia ulcerum profunda, & turpia. Quibus omnibus finem ponam, ne ſermo, ita protractus ſit animi confuſionis, & non doctrinæ cauſa. igitur tempus eſt, ut de cura aliquid dicamus.

## CAP. I.

## SECUNDI TRACTATUS PROOEMIUM,

*In quo ordo futuri proceſſus declaratur, & eſt pars Practica.*

Laboravere, feſſique laborant adhuc doctiſſimi, ac experti medici in vaſto, fluctuoſoque pelago hujus morbi, de modo, quo quis canonice hanc ægritudinem curare poſſit. Et hoc ob diverſam, malamque miſtionem humorum in ipſa ægritudine repertam, nam talis eſt, ut vix comprehendi poſſit, niſi ab expertiſſimo in hac re medico, unde ortæ ſunt diverſæ de modo curandi opiniones, ut noſtra tempeſtate omnibus notum eſt. Sunt quidam blaſphemantes illinitiones, & alia, quæ in uſu ſunt, auxilia, ut ſunt potiones, & alia. nullum tamen novum, aut antiquum afferentes remedium, neque aliquem cum doloribus, gummi, aut ulceribus ſanant, ſive ſanare poſſunt, quæ res ægris nihil prodeſt, qui quotidie afflicti auxilium à medicis poſtulant. Sed ne cum iſtis in ſuis fluctibus naufrager, quonam pacto hæc ægritudo curari poſſit remediis, quibus uſque nunc utuntur medici, infra ſcribam, divino in primis poſtulato auxilio. Neque me ab antiquorum canonibus, Galeni videlicet, & Avicennæ, aliorumque doctorum diſtare videbis, ſed eorum ſemper rationibus, & auctoritatibus, veluti clypeo lumineque quodam utar, tam in ordine, quam in medicaminibus. inquit enim Avicenna *quarta primi*, quod medicationis res ex una trium rerum completur, una quarum eſt reginen, & nutrientia, alia eſt medicinarum exhibitio, & tertia eſt manualis operatio: quare cum ſanitas, quæ finis eſt medicinæ, ut teſtatur Hali Abbas, *primo practicæ cap. primo*, quæ in amiſſæ ſanitatis reaſſumptione, & habitæ conſervatione conſiſtit, tribus his inſtrumentis perficiatur, ideo in ipſis totam ægritudinis curam ponam. Et quoniam ut ait Galenus *ſexto de accidenti*, & *morbo*, impoſſibile eſt comprehendere ea, quæ actionibus ſunt contraria, niſi prius intelligamus, quæ ſunt actiones pertinentes ſanitati; ideo conſideratis in primis rebus naturalibus, ut ſunt complexiones per membrorum principalium graduationem, ut docuit Galenus *ſecundo techni*, & per ætatem, ſexum, regionem, tempus, & conſuetudinem, ut idem Galenus dixit *primo ad Glauconem cap.* 1. Sic regimen ſex rerum non naturalium modo quodam univerſali diſpones; quoniam particularem modum ſecundum diverſitatem actualis curæ habebis.

## CAP. II.

*De regimine aëris naturalis, & artificialis.*

Primum ex rebus non naturalibus occurrens cum ſit aër, ſiquis igitur ægrum, aut convaleſcentem cura præſervativa, aut curativa regere intendat, aërem in primis moderetur oportet, qui ſecundum hominis naturam, & morbi qualitatem declinet per caliditatem temperatam, ſine ſuperflua vel corruptibili humiditate; quare aër autumnalis, hyemis, & veris ineuntis non eſt conveniens; nam inquit Averrois *ſecundo colliget. cap. ultimo. conveniens eſt medico cognoſcere naturam quatuor temporum, quoniam propter ipſa ſtat magis ſanitas quam per alias cauſas.* Præterea ex ſententia Pauli Aeginetæ in *libello de regimine ſanitatis*, regiones, domus, & habitationes, quæ ſunt frigidæ, & pluvioſæ, in quibus ſunt tontes mali, ſtagna, lacus, flumina inundantia, & paludes, maxime illæ in quibus nubes obumbrant radios ſolares, ut contingit Venetiis ſæpe, Ferrariæ, & aliis locis tempore autumni, & hyemis, fugiendæ ſunt: nam ex malis vaporibus humidis putridis inficitur aër, & ab ipſo aëre, qui ſemper nos circundat, cauſantur ægritudines diverſæ, teſte Hippoc. in *libello de aëre, & aqua.* inquit enim ipſe, ex varia non ſolum temporum inter ſe, ſed ex alteratione diverſa fieri ægritudines, & ſanitatem; contrario tamen modo; & hoc affirmat ipſe *tertia particula Aphoriſmorum.* Et ideo Leonicenus doctiſſimus non ſine ratione dixit ægritudinem iſtam ab inundatione aquarum, & pluviæ contractam fuiſſe, veluti à cauſa primitiva. Si ergo aër à tempore anni, vel aliquo accidenti alteretur, & fiat diſproportionalis, artificioſe rectificetur, ut exſiccando ipſum cum igne in cubili, vel cum ſtuphis, aut humectando cum decoctionibus, & ſuffumigiis bene redolentibus, ut ſunt *roſæ, chamomilla, ſalvia*, & ſic de aliis ſecundum indigentiam loci, & temporis, & hominum; & eſt doctrina Galeni *nono de ingenio ſanitatis*, ſive *de morbis curandis, cap* 14. Nota tamen, quod frigiditas ſimpliciter nocet cauſæ, ægritudini, & accidentibus. Contrariatur etiam nimia caliditas, quoniam reſolvendo calorem innatum infrigidat, & debilitat virtutes, quæ ſunt principia omnium operationum. quare, qui timent iſtam malam diſpoſitionem, fugiant loca putrida, & clauſa plena malis vaporibus, & maxime ubi ſunt patientes talem ægritudinem, & tactum ipſarum puſtularum ſive ulcerum, & lotionem in aquis ubi iſti lavantur; vel abſterſionem cum eodem ſudario, deoſculationes, & reliquos contactus. Et regantur ægri, vel convaleſcentes per aërem temperatum cum veſtimentis, & coopertoriis, ſuper lectulum cum dormiunt, & cuſtodiantur à ventis malis, ut ſunt auſtrales, & frigidi frigiditate congelativa, quoniam ex nimio frigore non ſolum ingroſſatur materia, verum etiam congelantur ſpiritus. Et cum dico convaleſcentem, intelligo non ſolum illum, qui paſſus eſt iſtam ægritudinem, ſed & illum, qui timet incidere in ipſam; tu vero ex dictis collige, & intellige alia, quæ conſequuntur; quoniam de aëre hic ſatis dictum eſt.

## CAP. III.

*De regimine per cibum & potum.*

Non minori diligentia utimur in cibando recte, quam in regimine aëris dictum ſit, cum cibus & potus ſecundum qualitatem, & quantitatem ſit de cauſis maximis ſanitatis, & ægritudinis. inquit enim Hali Rodohan, *tertio techni, cibus & potus mutant corpus multis ſpeciebus mutationis.* quare ſint cibi declinantes per caliditatem, ſine ſuperflua, ſine corruptibili, aut indigeſtibili humiditate, boni nutrimenti, & facilis digeſtionis, & paucarum ſuperfluitatum. dixit nanque Damaſcenus, *diæta eſt primum inſtrumentum curæ, cum quo ſi curari poteſt, proſpera evenient.* Igitur in primis, ſicut docet Avic. *capitulo de eo quod comeditur, & bibitur.* Sit panis ex bono tritico, ab extrancis rebus purgato, bene fermentatus, non multum ſalitus, & mediocriter coctus, qui ſaltim per diem coctus quieverit, niſi ſit aliqua particularis intentio, ut in loco de cura per aſſumptionem decoctionis ligni Indici dicam.

cam. Carnes etiam eo calle incedant, ſint recentes, & juvenes, non multum humidæ, maxime humiditate indigeſtibili, ut ſunt porci, & agni, neque multum ſiccæ, ſiccitate terreſtri, ut ſunt boves antiqui, & cervi &c.

Sint ergo carnes, vitulinæ, hœdinæ, vel caſtrati duorum annorum, paſcentis paſcua ſicca, ut ſunt montes, & loca non paludoſa, leporinæ juvenes, capreolinæ ſimiliter juvenes, gallinarum, caponum, aut pullorum parvorum ſecundum tempus, aut ſint perdicum, turturum, phaſianarum, turdorum, & avium nemoralium, quæ capiuntur viſco, vel aliquo alio ingenio. quæ carnes ſint conditæ ſecundum indigentiam, aſſæ videlicet, vel elixæ, vel alio quovis modo, cum ſaporibus temperatis, ut ſunt pruna cum omphacio quod dicitur agreſta, & modico cinnamomi. Nota tamen quod melius digeruntur cibaria elixa quam aſſa, & maxime carnes. Reliqua vero genera carnium ſunt dimittenda, ut carnes porcinæ, quæ ſunt malæ ſemper, bovinæ, caprarum, hircorum, & aliorum animalium terreſtrium, quoniam nocent, tam recentes quam ſalitæ: omnia genera præterea avium degentium in aquis ſunt mala, ut ſunt anſeres, & anates, & aliæ. palumbes, ut experientia compertum eſt, in habentibus dolores multum nocent. auget palumbarum comeſtio dolores ſua ebullitione dum digeruntur, materiam ſcilicet ſubtiliando, quæ poſtea facilius penetrat loca illa, aliamque ſecum ducit materiam. præterea piſces omnes non ſunt boni, quia ſunt frigidi cum humiditate indigeſtibili, & etiam ſaliti ſunt mali, quoniam ſalita omnia nocent hepati. quod ſi aliquando comedantur piſces, ſint ſquamoſi, degentes in aquis claris, ut ſunt lucii, trutæ aquarum dulcium. ex aquis marinis ſint auratæ, dentales, ſcarpenæ, & alii hujuſmodi piſces. Et melior modus coctionis eſt aſſatio. Lacticinia non ſunt laudata, ut caſeus propter ſuam viſcoſitatem; ſunt enim duræ digeſtionis. Ova vero quocunque modo præter indurata ſunt bona, ut ova ſorbilia, & in brodio contuſa, quod à vulgaribus dicitur brodetum, & ſit cum modico agreſtæ, vel etiam ſint cocta in aqua integra, & deſuper ponatur parum agreſtæ, & ſaccharo. Nota tamen quod carnis quantitas minus nocet ſi repleatur, quam aliorum cibariorum; dicit Avicen. *capitulo de eo quod comeditur & bibitur; carnis nocumentum eſt minus nocumento panis cum non digeritur.* Fercula, quæ conveniunt, ſunt ut far decoctum in brodio carnis, vel conditum cum amygdalis tritis, niſi adſit dolor capitis (quoniam amygdalæ evaporant ad caput,) & panatella aut panis infuſus in brodio, & *meliſſa*, & *ſpinachia juvenis*, & *borrago*, *bugloſſa*, *endivia*, *lupulus*, & *cichorea*; omnia vero fere alia olera & legumina ſunt mala, ut ſunt caules cujuſcunque generis, ſive virides, ſive rubeæ, ſive albæ ſint, quoniam generant malum ſanguinem, & corrumpunt maſſam humoralem, & excitant dolores, ut experientia patet, & ratione, dicant antiqui quicquid de ejus uſu velint; & legumina ſunt mala, quoniam inflant, & generant ſanguinem melancholicum, viſcoſum, non bonum. dantur aliquando cappares non ſaliti, & ſi ſint ſaliti extrahatur ſalſedo per infuſionem aquæ dulcis, & melius per ebullitionem, ſintque conditi cum agreſta, & ſaccharo, quoniam acetum nocet nervis magnifice, & cauſæ ægritudinis. Sapores convenientes ſint facti ex *amygdalis*, *mentha*, *cinnamomo*, *agreſta*, & aliis æquivalentibus, nam cinnamomum ſecundum omnem modum adminiſtrationis confert ſtomacho, vigorando digeſtivam virtutem, prodeſt frigiditati, & opilationibus hepatis. Sed alii ſapores, ut facti ex *ſinapi* vel *alliis*, &c. non ſunt boni, quoniam faciunt ebullitionem humorum. confectiones, & condita, quæ ſunt bona erunt, ut *amygdalæ*, *pineæ*, *coriandri*, *aniſi*, *myrobalani chebuli*, & de aliis ſecundum diverſas intentiones. Fructus omnes ſunt mali, quoniam generant ſanguinem aquoſum aptum corruptioni, ſed meliores ſunt ut *amygdalæ*, *avellanæ* aliquando recentes, & *piſtachia*, *uvæ maturæ*, *pruna damaſcena*, *ceraſa acetoſa*, *mala granata dulcia & mitia*, *paſſulæ*, & alia juxta tempus, & indigentiam. Comedendi autem tempus fructuum eſt ante cibum, quoniam facile digeruntur. Sed alii fructus ſunt dimittendi, & maxime *poma*, quoniam ut teſtatur Averrois auctoritate Avenzoar, poſſunt generare hecticam, & phtiſim. Et Avicen. *ſecundo canonis* dicit quod generant malos humores, & febres malas, & aſſiduatio eorum comeſtionis facit incidere in dolores nervorum, quare ſunt dimittenda. Uſus vero aliorum fructuum ſecundum judicium neceſſitatis eligantur. Huic diſpoſitioni potus conveniens eſt vinum mediocre, non vinoſum, neque aquoſum multum, medii coloris ſit quod vulgares aurelum appellant. ſit etiam ut docet Avicenna *primo can. cap. de regimine aquæ*, & *vini*, medium inter antiquum & novum, clarum, non album, boni odoris, & ſaporis, non multum dulce, neque ponit cum & hoc quoniam dulce generat oppilationem, novum perducit ad ebullitionem humorum, & dyſenteriam: vetus vero eſt pauci nutrimenti. quod ſi non poſſet haberi, ut contingit, in regionibus in quibus omnia vina ſunt magna, lymphetur cum aqua dulci non paludoſa, ſed ſit à flumine claro, aut ex bono puteo. & ſi ſit ſuſpicio de aliqua mala conditione aquæ, coquatur ad ignem, quoniam ignis conſumet eam. Vel fiat vinum tempore vindemiarum cum medietate aquae. Neque audiendi ſunt empirici, & ſine ratione loquentes, & dantes vina vinoſa quantitate maxima, quoniam ſunt caeci, eſt ideo parcendum ipſis, quia neſciunt quid faciunt Et ne credas verba mea ſine ratione, & auctoritate prolata. Audi Galenum *libello de phlebotomia*, *ſumma ſecunda*, *cap.* 2. Inquit, *intemperatos vini potatores*, & *gulo-ſos*, *nullo juvabis magiſterio pharmacans*, *vel phlebotomans*, *acervant enim cito multitudinem humorum intemperate diætati.* Hora vero comedendi eſt electiva pro aliqua cauſa, aut pro regimine univerſali. De prima hora, dico, detur cibus ſecundum indigentiam, anticipando vel poſtponendo. quod ſi non eſt impediens, dixit Avic. *cap. de eo quod comeditur*, & *bibitur*, quod tunc eſt hora comedendi cum appetitus inſurgit. Sed ſi eſſet mala aliqua diſpoſitio ſtomachi: ita quod aut nihil, aut multum appeteret, eligatur hora tertiarum, quoniam tunc eſt judicium; quod ſtomachus ſit à ſuperfluitatibus heſterni cibi emundatus, & ſatis ad novum recipiendum diſpoſitus, quia in nocte virtus unitur, & melius digerit, & cum in mane nondum ſit ſparſa, fit melior digeſtio, quam ſi tardetur, tamen in hoc etiam attendendum eſt conſuetudini, docente Hippocrate & Avicenna *primo canonis*, quod affirmat Aver. *primo phyſicorum*, quia conſuetudo eſt altera natura: ordinate præterea comedendum eſt, ut quæ ſunt facilis digeſtionis præcedant, & quæ duræ ultimo comedantur, & potus non ſit ante cibum, neque poſt, ſed comedendo bibant, ut cibus reddatur aptior ad digerendum. dixit Avicenna, potus poſt cibum facit oppilationem, quoniam facit cibum indigeſtum penetrare. Et poſt comeſtionem, comedatur aliquod ſigillans, & confortans ſtomachum, ut ſunt coriandri, & ſimilia, & omnia comeſta bene maſticentur, ſuaviterque & paulatim potus ſugatur. ſint etiam cibaria uniformia quantum poteſt, quoniam ut dixit princ. loco præallegato, nihil tam contrarium digeſtioni, ut ſunt cibaria ſimul ſumpta, quæ ſint diverſarum virtutum, pugnant enim inter ſe, quoniam, ut ipſe atteſtatur, à duabus impediuntur partibus, una eſt diverſitas in digerendo, quia quod ex eis eſt indigeſtum admiſcetur ei quod digeſtum. Altera quia ſic diverſa comedendo plus comeditur quam par ſit. Quare cibaria unius virtutis laudat Avicenna, & hoc tam in mane quam in ſero. Præterea coena ſit brevior prandio, & ſpatium inter prandium, & coenam ſit ſaltim octo, vel decem horarum. Et coena ſit ſimplicior. Sed comeſtio cum patientibus talem morbum eſt fugienda, & potus in eodem cyatho, & maxime reliquiæ, quæ ſuperabundant infirmis.

## CAP. IV.

### *De regimine repletionis & inanitionis.*

Summopere repletio & inanitio fugienda ſunt, tam cibi quam potus, docente Hippocrate, *ſecunda partic aphoriſmorum*. Et Avicenna *ſecunda primi*, *cap. de his quæ proveniunt ex his quæ comeduntur & bibuntur*. Nutriens mutat corpus & qualitate & quantitate, ſed ex quantitate proveniunt oppilationes, & putrefactiones & faſtidium, & ſi diminuatur, provenit phthiſis. Ratio horum clariſſima eſt, cum ex nimia repletione occupetur virtus quæ eſt inſtrumentum naturæ, ſine quo vana eſſent alia inſtrumenta medicinalia. Et ex nimia etiam abſtinentia fit conſumptio radicalis humiditatis, & per conſequens caloris innati, & hæc ducit ad maraſmum, ſive ad phtiſim. & tamen cum ægritudo ſit materialis, & de repletione, debemus potius minus cibare quam ſuperflue, niſi eſſet aliquod ita poſtulans. Quomodo autem diæta ſubtiliſſima in aſſumptione aquæ ligni ſit conveniens ſine iſto timore in regula aſſumptionis ligni intelliges. Sint ergo diligentes infirmi, & convaleſcentes in qualitatibus & quantitatibus, & horis cibariorum, & potus tam vini quam aquæ. dico aquæ, quoniam ſi aqua ſola ſumatur, huic diſpoſitioni multum nocet, & hoc ſecundum omnem modum adminiſtrationis, maxime in balneis. & potus nimius nocet ſtomacho, & nervis, infrigidat hepar, ſanguinem & ſpiritum, quare nimius aquæ ſolæ uſus eſt dimittendus. Et ut breviter me ab iſtis expediam, à nimia quovis modo repletione, & inordinata cibatione, qui timent hanc diſpoſitionem, caveant, quoniam ex cauſis prolongantibus ipſam ſunt cibaria nimia, & malus ordo. dixit enim Galenus *ſecundo de accidenti & morbo*; *cauſa frigidi morbi eſt plenitudo cibi & potus.* Studere oportet etiam in lenitione quotidiana ventris, & ſi non eſt naturaliter, fiat artificioſe cum ſuppoſitoriis, vel clyſtere communi, aut cum pillulis maſtichinis, de fumo terræ, vel aliquo alio ingenio

n ...uali. Et ego cognosco multos homines, & mulieres, qui in hanc ecciderunt dispositionem, qui à malis accidentibus dictæ ægritudinis, ex bono regimine cibariorum, & per assumptionem quarundam pillularum, aut aliarum rerum lenientium & evacuantium ventrem secundum naturam morbi & complexionem & sexum prætervati sunt usque in hodiernum diem: verbi gratia, cum pillulis de rumo terræ, vel fœtidis, aut mastichinis, aut nostris infra scribendis, vel ex infusione sennæ & aliis secundum necessitatem.

## CAP. V.

### *De somno & vigilia & motu, & quiete insimul.*

Somnus cum sit pro restauratione defatigationis necessarius ex sententia Arist. *de somno & vigilia*, ut melius post somnum vigilemus, ideo eum regulare oportet. Et cum Galenus *tertio techni*, & Hali in *commento* somnum & vigiliam contraria privativa esse dixerint, ut ab ipso Galeno *tertio interiorum* colligitur, superfluus somnus humiditatem generat, & nimia vigilia exsiccat corpus. Sit igitur somnus temperatus, non minus octo horarum, nam virtutes per somnum acquirunt fortitudinem, ut dixit Avicenna, *tertia primi*. neque nimis prolixus, quoniam ex nimio somno fiunt humiditates malæ catharrales, humectatur & infrigidatur corpus. quæ res valde contrariantur huic ægritudini. neque sit somnus immediate post cibum, sed sit per duas horas post. diurnus etiam somnus, & maxime meridianus, nocet magnifice, quoniam generant rheumatismos, & ægritudines frigidas, ut dixit Avicenna *loco prælegato*. Tamen si à doloribus, nocturna quies impediatur, sive somnus, ut fere in omnibus istis contingit, dormiant in die, verbi gratia in mane usque ad horam sextæ, vel in alia hora secundum necessitatem, & in aliis observetur regula medicorum. Notabis tamen quod laudavit Avicenna summopere inceptionem somni super ventrem, & in ista ægritudine multum confert, quoniam digestio, sive cibi in stomacho præparatio fit melior. Fugienda est etiam dormitio cum laborantibus tali morbo, aut in lecto ubi ipsi dormierunt, quoniam multi sic infecti sunt. Et quamvis somnus, qui quodammodo quies est, conferat patientibus, non tamen quies simpliciter prodesse videtur, sed magis vidimus laborem & exercitationes conferre, quare patientes talem ægritudinem vel timentes nullo pacto sint otiosi, sed ambulent, vel ludo parvæ pilæ exercitentur si sunt juvenes, nam laudatur à Galeno mirum in modum, quoniam in ipso totius corporis partes moventur, & sic fit resolutio, & rectificatio partium crudarum malarum. Et multi solo exercitio, qui fuerunt robusti, liberati sunt perfecte ab ista ægritudine, cum bono tamen regimine in aliis rebus non naturalibus. & ideo tales sunt exercitandi, aut domestice ambulando, sive laborando, vel ludo aliquo ludendo, quo corpus exercitetur, ut excitata virtute ab istis morbi materia, aut expellatur, aut rectificetur. Neque balneis aut fricationibus loco exercitii in ista ægritudine cum malis accidentibus utendum est, quoniam fit provocatio materiæ ad membra exteriora, & sic redditur ægritudo difficilioris curæ, cum sit materia ista inobediens ad membra longinqua sparsa.

## CAP. VI.

### *De animi Passione, & coitu.*

Passiones animi postremo loco regulare oportet secundum Galeni doctrinam *loco supra allegato* causam assignantis, nam ex malis saepenumero animi accidentibus fiunt ægritudines chronicæ, malæ, ob mortificationem, sive infrigidationem spirituum, vel suffocationem caloris innati, qui est naturæ instrumentum. Et idem *tertio techni* dixit, oportet ab animi passionibus abstinere, quoniam mutant corpora ab ea quæ est secundum naturam constitentia, & sunt ut ipse enumerat, ira, tristitia, furor, invidia, & timor. & Auic. *cap. de eo quod expeditur & bibitur*, quando sunt animi accidentia horribilia impediunt digestionem. Lætentur igitur & sint jocundi, fugiant plorantes, & loca tristia, sint in jocis, cantilenis, & fabulis, quæ sint delectabiles & jocundæ. Audiant sonos, & voces suaves. Et stent in viridariis, & cum amicis charis, &, si sunt studiosi, legant historias, neque multum studeant, maxime materiæ difficili. Medicus vero ægris certam salutem promittat, astantibus vero veritatem dicat. Prodest multum videri à medico gravi, famoso, docto cum veritate, in quo infirmi confidant, non ut sunt deceptores sine arte, dicatque medicus quot sunt sanitati restituti, qui deterius se habebant. Quantum vero confidentia de medico in mala ægritudine conferat, testis est Conciliator *differentia.* cxxxv. auctoritate fere omnium antiquorum. Non prætermittendam consideationem de coitu in tali dispositione esse putavi, cum patientibus talem ægritudinem de facto nullo pacto conveniat, cum ex nimia materiæ repletione per totum corpus, & ex defectu virtutis hepatis, non nisi à coitu, nova quædam debilitas membrorum, & infrigidatio exspectetur, & ideo est dimittendus, & quamvis Galenus dixerit quod coitus temperatus confert, dicendum tamen est non quibus deficiunt conditiones sanitatis, fugiant etiam ipsum convalescentes, & qui timent talem ægritudinem, & maxime coitum cum mulieribus menstruatis de novo, & infectis ista ægritudine: quod si forte quis cum muliere infecta coiverit, laventur partes illæ post coitum cum vino albo calido, vel cum aceto, quod magis mihi placet, ut fiat confortatio membri, & prohibitio corruptionis ad illam malam qualitatem, & sic stet in suo robore membrum confortatum. Si vero quis cum infecta muliere coire voluerit, quod fatuum est, lavetur vulva cum vino aut aceto, & membrum virile cum aceto, quoniam non finit imprimere malam illam qualitatem, & non moretur in coitu; & post lavetur membrum virile ut supra. & econtra, si mulier cum viro infecto coiverit, lavet viri membrum, & vulvam, ante & post coitum, & non morentur in coitu. Et quomodocunque sit coitus non sit super repletionem, neque corpore resoluto à quacunque causa: nam extenuatis semper est malus, & causa recidivationis, ut experientia patet. Et præparat si est superfluus ad novam receptionem talis dispositionis, quare nimius dimittendus est in quocunque tanquam quid nocuum, & mortiferum, quia corpus infrigidat, & resolvit virtutes cordis, hepatis, & cerebri, quare de regimine in rebus non naturalibus satis dictum sit.

## CAP. VII.

### *De modo evacuandi secundum diversitatem ægritudinis, qui modus est una sanandi regula.*

Secunda & tertia res cum quibus actus medicationis completur, est medicinarum exhibitio, & manualis operatio, ut supra dictum est. hac in parte igitur de pharmaciis, quæ faciunt ad curam istius morbi, tractabo. Sed multi sunt modi, quibus medici hanc ægritudinem curant, ut quotidie in modis curationum apparet: nam quidam hanc ægritudinem solis evacuationibus sanant, maxime si ægritudo est nova, & virtus ægri fortis. Non sanant quidem si antiqua est, aut nova cum multa materia, & debilitate virtutis, quoniam cum materia sit admista per totum corpus in tota massa humorali, non potest eam evacuatio per pharmaciam eradicare. Neque cum sit viscosa virtus digestivorum, ut sunt syrupi, potest eam digerere, & ideo indiget fortioribus medicaminibus, de quibus dicam infra. Nunc vero de illis quæ faciunt quando materia pustulosa, aut dolorosa pauca est, cum admistione humorum subtilium, qui sunt faciles ad evacuandum. Neque propter hoc dico quod istæ evacuationes non sint etiam necessariæ ante usum aliarum medicinarum fortium, quoniam quacunque utimur curatione, semper necesse est corpus in primis purgationibus convenientibus huic morbo purgare. Et etiam aliquando phlebotomia. Sermo itaque iste erit de curatione quæ fit per evacuationem pharmaciæ, phlebotomiæ, & ventosarum. Neque alicui sit grave, si syruporum, decoctionum, electuariorum, & aliarum medicinarum virtutes, & descriptiones particulares, ab aliis etiam doctoribus scriptas, hic ponam; quoniam mea est intentio novos edocere medentes, qui carent cognitione virtutum medicaminum. His vero qui sciunt, & cognoscunt, nil nocere putavi. Rem ipsam igitur aggrediar. Sed quia expedit digesta medicari, & mota, non cruda, ut dixit Hipp. *prima particula Aphorif.* & digestio in calida materia est ingrossare, & in frigida est subtiliare, digeratur ergo, sive præparetur materia in primis istius morbi, si est pustulosa, vel cum multa admistione humorum subtilium, ut haberi potest ex signis dictis, cum *syrupo de fumo terræ*, vel *de endivia* sive *de lupulis*, addito *syrupo rosato saccharino, vel mellino, aut de stœchade*, si materia fuerit grossa, & si dolor fuerit capitis, & humerûm, & junctarum; quod sæpe fit à principio, & lymphentur syrupi cum aquis appropriatis, ut est *aqua de fumo terræ, de endivia, de borragine, de bugloſſa, de solano, de andarocha, quæ est trifolium*, si adsunt dolores, vel cum *aqua ...ræ*, si non est idem *cum andarocha*, vel *cum de coctione epithymi Mesuæ*, aut cum *decoctione nostra magistrali* infra scribenda, vel cum *decoctione sennæ in aqua lactis*, modus quarum infra ponetur. Et in hujusmodi digestivis addatur plus de uno syrupo, & minus, vel æqualiter secundum necessitatem (quæ cognoscitur per fortitudinem accidentium): idem dico de admistione aquarum cum syrupis, ut faciunt practici. Et ut melius verba mea apprehendantur, ordinetur syrupus verbi gratia sic.

Reci-

Recipe *syrupi de fumo terræ unc. i. de endivia unc. ſ. aquarum lupulorum, boraginis, ſolan:, ana. unc. i. miſce* & ſumatur in aurora, actu calidus, & ſit ſpatium quinque horarum uſque ad prandium. quod ſi fuerit dolor capitis, aut aliorum membrorum, *fiat digeſtivum cum ſyrupo roſato, de ſtœchade, aut de epithymo* ſi apparent puſtulæ cum livore, & ſic etiam adde aquas, ut *aquam vvæ, trifolii, fumi terræ*, & decoctiones ſecundum indigentiam v. g. ſi ſunt dolores nervorum R. *ſyrupi de fumo terræ, de ſtœchade, roſati, aa. unc. ſ. aquarum bugloſſæ, lupulorum, vvæ, ana. unc. ſ. miſce*, vel potes loco aquarum ponere *decoctionis epithymi. un. iij. vel decoctionem noſtram*, & ſic ſecundum accidentia hujus aut alterius morbi regulare. & hoc non ſolum cum medicaminibus hic à me poſitis, ſed cum aliis etiam in libris medicorum ſcriptis. Sed ut proceſſus tuus in curatione ſit rationalis, ſcribam ſyrupos, aquas, & decoctiones cum ſuis virtutibus, & proprietatibus: & primo *ſyrupus de fumo terræ* major deſcribitur à Divo Meſue in *ſuo antidotario, diſtinctione ſexta*, & ejus virtus eſt, ut ipſe refert, confortare ſtomachum, & hepar, & curare morbos cutaneos, ut ſunt ſcabies, lepra, impetigo, & B aliii qui pendent à materia ſalſa. Aperit etiam oppilationes membrorum nutritivorum, & ſummopere confert puſtulis, & ulceribus morbi Gallici, ſi ponatur in medicinis, & digeſtivis. *ſyrupi autem de endivia* deſcriptiones ſunt multæ, ſed mea quidem ſententia confert in hoc caſu ſyrup. de ſucco endiviæ, & eſt magiſtralis, deſcriptio vero eſt iſta. R. *ſucci endiviæ depurati libras. viij. ſac. fini lib.* v. *s. fiat ex eis ſyrupus ſecundum artem.* virtutes cujus ſunt iſtæ, confert ſtomacho calido, confortat hepar, & febrilem caliditatem extinguit. & ideo quando cum iſta ægritudine eſt febris complicata, eſto memor de *ſyrup. de endivia.* hoc idem dico *de aqua endiviæ*, ut colligitur ab Avic. *ſecundo canone cap. de endivia.* Deſcriptio ſyrup. de lupulis, credo quod ſit magiſtralis, nunquam memini me legiſſe apud veteres ipſam, ſed deſcriptio poſita ab auctore Luminaris majoris eſt iſta. R. *ſucci lupulorum libras ii. ſucci ſumi terræ libram. ſ. ſac. lib. iij. purificentur ſucci*, & *cum ſac. fiat ſyrupus.* Et virtus eſt mundare ſanguinem, & choleram, & ſic extinguit caliditatem hepatis, & removet ictericiam, & cutaneas ægritudines, C confert aſthmati, & aperit oppilationes ſplenis, ut colligitur ab Avinc. *ſecundo can.* & à Meſue *cap. de nolubili*; quare multum confert huic diſpoſitioni. *Syru. roſatus mellinus* & dicitur à Nicolao *melroſatum*, ſive *rhodomel, vel ſyrup. roſatus ſaccharinus*, & dicitur *jeleniabin de ſaccharo*, & eſt etiam ſyrup. ex infuſione roſarum, & deſcribitur à Divo Meſue *loco dicto*, ſunt fere ejuſdem virtutis. nam mel roſatum confert ſtomacho debili, digerit materiam phlegmaticam groſſam tam in ſtomacho quam in hepate, & rectificat membra nutrientia, auget calorem digeſtivum, & confortat cerebrum. conſimiles ſunt virtutes ſyrupi roſati de ſaccharo, niſi quod ſunt debiliores, quare confert, materia non ita groſſa exiſtente. Syrupus de ſtœchade deſcriptionis Meſuæ loco ut ſupra, confert ægritudinibus frigidis nervorum, confortat ſtomachum & caput, digerit materiam phlegmaticam & melancholicam, & valet ad omnes ægritudines nervorum frigidas. Syrupi de epithymo deſcriptio etiam ponitur à Meſue *ſexta diſtinctione antidotarii*, & confert ſcabiei, & ſaphati, & ulceribus malis melancholicis, in quibus ſunt humores mali aduſti, & D digerit materiam groſſam, in qua diverſa eſt miſtio, melancholica, & maligna. & ideo confert multum huic diſpoſitioni. Virtutes autem aquarum, endiviæ, fumi terræ, & lupulorum ex virtutibus in ſuis ſyrupis dictis habere potes, ſed virtus bugloſſæ, & borraginis, eſt confortare cor, & rectificare ſpiritus, qui eſt inſtrumentum naturæ, cum quo expellitur nocuum. Solanum confert huic ægritudini prohibendo ebullitionem humorum, & ideo ubi materia movetur, facta ebullitione, ad membra, ſive ſint juncturæ, ſive partes cutaneæ, ſi ſolani aquam cum aliis conferentibus huic ægritudini dabis, erit notabile præſidium: andacocha, ſive triſolium ſua proprietate confert doloribus nervorum, confortando virtutem naturalem membri, & ideo dixit Meſues *ſumma ſecunda ſui grabadin*, auctoritate Dioſcoridis, quod ſecundum omnem modum adminiſtrationis confert ægritudinibus nervorum, & appellat ipſum ziniam, ut quidam expoſitor ſentit, ſed de hoc non facio vim cum illis qui dicunt quod eſt yva, nam yva confert doloribus nervorum à materia frigida, & aperit oppilationes hepatis à materia cruda, & ipſum digerit, ut dicit Avicenna *ſecundo canonis*, *cap. de chamæpity*, & ideo ſi cum dictis aquis lymphentur ſyrupi, erunt digeſtiva convenientia. Nota tamen quod ſunt multi alii ſyrupi, & aquæ convenientes huic ægritudini, tam primariæ quam correctivæ, ſed iſti dicti ſunt uſuales. Tu vero ſecundum indigentiam utere iſtis, & aliis, adde in quacunque qualitatem, quoniam particulares proprietates individuorum particulari indigent judicio. Poſſumus etiam A in digerendo materiam iſtam dare decoctiones doctorum & magiſtrales, inter quas ſummopere laudo *decoctionem epithymi Meſuæ* in *ſuo antidotario diſtinctione vij.* & *ponere uncias iij. dictæ decoctionis cum unc. i. ſ. ſyrupi rum, aut uncias duas* ſecundum neceſſitatem, ut dixi ſupra, quoniam mirabiliter confert, hepar confortando, ſanguinem mundificando, & ipſum rectificando. Et ſic erit digeſtivum nobilius præ aliis in tali ægritudine, & maxime quando eſt cum multis puſtulis, in quibus prædominium humoris melancholici apparet, ſed aliquando poſſumus dictam decoctionem tribuere in majori quantitate, utputa *uncias vj.* vel plus, & erit ſolutivum ſatis domeſticum evacuans ab hepate, & venis materiam malam permiſtam, quæ baſis iſtius ægritudinis eſt. Et ego multos ſanavi in principio iſtius ægritudinis, ex potu quotidiano iſtius decoctionis, digerendo ut ſupra, & evacuando, & quando volebam augere virtutem ſolutivam admiſcebam electuarium aliquod, utputa *confectionis hamech. drach. vij.* & ſic mihi, & ægrotantibus bene fuit, & aliquando ego addo, & minuo res ingredientes ſecundum indigentiam, ſæpe uſus ſum *decoctione epithymi ſine agarico*, & ſæpe addo in ultimo *pulverem hermodactylorum*, exiſtentibus doloribus juncturarum, deſcriptionem cujus ponam infra, & bene fuit, cum bono regimine dicto, & phlebotomia, bis & ter facta, intervallo unius hebdomadæ inter unam, & aliam poſito. Et ubi multa quantitas puſtularum malarum apparet, cum ventoſis ſcarificatis ſæpe appoſitis procedo, & aliquibus interpoſitis diebus reitero ipſas. Sic enim in materia groſſa paulatim digerendo, & paulatim evacuando jubent antiqui procedere, maxime Avic. *prima quarti, cap. de febre phlegmatica.* ſed quoniam hic ſermo de digeſtivis eſt, dicta iſta incidentaliter ſufficiant. Ad digeſtiva alia devenio, & eſt decoctio ex inventione noſtra mirabiliter conferens huic ægritudini novæ, & antiquæ, digerit enim & evacuat materiam heterogeneam & diverſitate malignam exiſtentem in hepate & aliis membris, rectificat virtutem membrorum nutritivorum, & deſervientium, mundificat ſanguinem à phlegmate crudo, & ipſum rectificat, removet defœdationes cutaneas, & exſiccat materiam frigidam in membris exterioribus longinquis, confortat cerebrum, & corroborat omnes virtutes corporis. Cujus hæc eſt deſcriptio. Recipe *foliorum ſenæ unc. j. s. fumi terræ unc. j. capillorum veneris unc. s. ſcolopendriæ unc. s. epithymi, thymi ana drach. vij. polypodii unc. iij. florum bugloſſæ, borraginis ana drach. vj. liquiritiæ raſæ. drach. iij. colocynthidis. drach. ij. hellebori nigri. drach. i. s. mirobalanorum Indorum drach. vij. prunorum damaſcenorum numero xij. ſebeſten numero x. tamarindorum. unc. j. ſucci fumi terræ libram unam, aquæ fumi terræ. q. ſ. miſce*, & fiat decoctio ſecundum artem, & facta diligenti colatura cum expreſſione ſumatur pro digeſtivo cum ſyrupis jam dictis, quæ etiam eſt domeſticum evacuativum. Vel cum ipſa diſſolvantur electuaria ad ſolvendum, & ejus doſis pro digeſtivo cum ſyrupis eſt unc. iij. & ſi datur ſola pro evacuativo ſint unc. v. & plus & minus ſecundum diſpoſitionem patientis, & virtutem, & tempus, & cum electuariis ſit quantum pro diſſolutione ſufficit. Multos etiam cum iſta decoctione ſanavi, dando ipſam pro digeſtivo in pauca doſi cum ſyrupo roſato, vel alio ſecundum neceſſitatem, & pro ſolutivo in majori doſi, & tu eſto prudens, & nunquam errabis dando ſecundum indigentiam. Alia etiam utor decoctione quæ digerit materiam groſſam, & ſolvit ventrem leniendo, & confert juvamento notabili huic ægritudini, & eſt iſta. Recipe *ſenæ unc. ij. aquæ lactis libras. ij. s. infundantur per diem & noctem, deinde bulliant bullitione una, & coletur:* quæ colatura eſt in pauca quantitate, puta unc. iij. digeſtivum bonum, & in majori quantitate ſolvit ventrem ſolutione levi, & potes in iſtam etiam ponere ſyrupos, & diſſolvere electuaria, ut dictum fuit in aliis. Valet etiam multum, & eſt experta decoctio facta cum polypodio, epithymo, & hordeo ana partes æquales, & decoquantur in quantitate ſufficienti aquæ, lactis, vel cum jam dictis decoquantur ſecundum diverſas intentiones. Et ſic ex dictis habebis medicamina diverſa digeſtiva, tam materiæ antecedentis, quam conjunctæ, experta in iſta ægritudine. quæ ſi convenienter adminiſtrentur proculdubio præparabunt corpus ad reſolutionem eradicativam, cum qua fit perfecta morbi ſanatio, ut etiam per ſimplicia in dictis ingredientia facillime perſuaderi poteſt. Facta igitur aliquali ſubtiliatione, digeſtione, ſive præparatione, E cum ægritudo ſit materialis, & ex repletione, quod evacuare oportet nulli dubium eſt. quamvis plenitudo non ſit cauſa primaria. quod autem ægritudo repletionalis indigeat evacuatione teſtatur Galenus *commento illius Aphoriſ. quæcunque ægritudines fiunt ex repletione* &c. Sed quoniam evacuationes aliquando minorativæ, & aliquando eradicativæ fiunt, in iſta igitur ægritudine convenit prima evacuatio minorativa, cum non ſit ægritudo ſervans materiam ad unam criticam, ſive eradicativam expulſionem, ſed chro-



52.499

nica, in qua de novo regenerantur materiæ, & ideo paulatim digerendo, & paulatim medicus evacuando alleviat naturam, & prohibet multitudinem iſtius humoris facientis diverſa accidentia, ut ſunt puſtulæ, dolores &c. Sed nota, quod qui fortiter evacuant in iſta ægritudine ſæpe exterminant calorem naturalem, & evacuant materiam ſubtilem, & groſſæ remanent, & ſic ægritudo deterior redditur. Quare minorativa evacuatio erit in primis cum aliquo electuario benedicto, verbi gratia, *cum electuario lenitivo, de ſebeſten, confectione hamech, electuario de dactylis, de pſyllio Montagnanæ, de ſucco roſarum, & aliis*, utputa cum uno iſtorum, aut cum pluribus ſimul miſcendo ſecundum neceſſitatem, & virtutes eorum, de quibus dicam infra. & hoc ſi materia fuerit cum dominio humorum ſubtilium, & puſtuloſa. quæ electuaria potes dare in forma boli cum ſac. vel diſſoluta cum aquis appropriatis jam dictis, vel cum decoctionibus ſecundum ægri voluntatem. Vel loco eorum utere pillulis, ſi aliqua cauſa ipſas poſtulabit, aut ægri, vel morbi. Et ſunt *pillulæ de fumo terræ, vel aggregativæ, vel pillulæ Indæ, cum aureis, aut cum pillulis fœtidis, vel cochiis, vel cum agarico trochiſcato*, ſecundum diverſas intentiones dando de ipſis ſolis & miſtis duabus aut pluribus ſecundum earum virtutes, vel fiat cum aliquo alio pharmaco æquivalente, quod ſit ſecundum naturam morbi, & virtutem patientis. Sed ne te decipiant nonnullorum evacuationes fortiſſimæ, quæ non ſolum ſunt horribiles, ſed in veritate ſunt cauſa augmenti iſtius morbi, quoniam debilitant ſtomachum, & hepar, ex qua debilitate ſequuntur majora accidentia, & cauſæ iſtius ægritudinis corroboratio. Et ideo debemus cum evacuantibus benedictis correctis procedere. Quod ſiquis dicat, materia iſta, ut diximus, eſt viſcoſa groſſa, quare indiget evacuantibus fortibus, hoc, reſpondeo, eſſe verum, ſed debemus exhibere, ut docet Avic. *prima quarti*, ſecundum neceſſitatem medicinam debilem fortem, & fortem debilem. ut, ſi damus *electuarium de ſucco roſarum*, quod eſt medicina fortis, debemus dare in pauca quantitate, ita quod educat bis, aut ter ad plus, & dare cum ipſo *electuarium lenitivum*, vel aliud non laborioſe evacuans, ſicuti eſt hiera picra. inquit Avenzoar *primo theiſir, cap. de ſciſſuris labiorum*, omnia laxativa quæ violenter, & impetuoſe laxant, trahunt humorem à toto corpore, ad ſtomachum, & purgant totum corpus, ſtomacho repleto remanente, & cum hoc etiam talis medicina debet totum corpus deſiccare, quare humor malus in ſubſtantia ſtomachi debet remanere. quod ſi ita eſt, vides quantus ſit error illorum, qui accipiunt pillulas à quibusdam aromatariis quæ laxant uſque ad ſanguinem, & iſti aromatarii male faciunt, dantes hujuſmodi medicinas laborioſas ſine conſilio medicorum, in quacunque ætate, in quocunque ſexu, & tempore, & ſic ſunt in cauſa quod multi toto tempore ſuæ vitæ cum iſta peſſima ægritudine remanent. Non minor error illorum eſt qui decoctionem colocynthidis, & aliarum rerum quæ naturam veneni habent, ſine aliquo correctorio tribuunt, addentes ſuper cauſam primam ægritudinis, quæ eſt hepatis debilitas. Quare ne fini nimis prolixus, dimitto hos, & ſufficiat me medentes excitaſſe, ut ab iſtis fugiant, & mitiora ſequantur medicamina. Et ut clarius me intelligas, modus evacuandi à principio ſit talis medicinæ ordinatio, verbi gratia. Rec. *electua. lenitivi. unc. j. confectionis hamech. unc. ſ. miſce, & cum ſac. fiat bolus, vel cum aquis endiviæ, fumi terræ, & lupulorum. q. ſ. fiat potio, vel fiat cum decoctionibus noſtris*, ut melius tibi videbitur. Et ſumatur in aurora per quinque horas ante prandium, vel loco iſtius ſi neceſſitas aliqua te cogit, aut propter melius, vel materia ſic poſtulante, potes dare pillulas, verbi gratia. Recipe *pillularum aggregativarum, de fumo terræ. an. ſcrup. ij. fiant pillulæ quinque*, & ſumantur in aurora, & tempus comedendi ſit per ſpatium quinque horarum, ut ſupra admonuimus. Quod ſi æger fuerit ſtiptici ventris, adde doſim electuariorum, vel pillularum, & augeatur virtus pillularum *cum diagrydio*, ad grana duo exhibendo, vel tria, & plus. Et ſi quæratur major penetratio tantundem da *ſalis gemmæ*, & ſic procede, & evacua ut dixi. quod ſi aliquando contigerit, ut pharmacum non educat, adjuva cum clyſteri communi. Facta iſta prima evacuatione, cum materia non ſit una vice eradicabilis, iterum dentur digeſtiva, ſive ſyrupi per tres, aut quatuor dies, vel ſex, ſecundum tolerantiam infirmi. & iterum dentur medicamina ſolutiva dicta in forma potionis, vel boli, vel dentur pillulæ, & ſic procede ad ſanitatem perfectam, dico quando ægritudo eſt nova & puſtuloſa. Sed nota, quod ſi æger eſt cum puſtulis multis, ſemel in hebdomada apponere decem, vel plures ventoſas, eſt ſingulare præſidium, quoniam ex documento Hipp. undecunque natura repit, inde educere oportet, & cum natura ad cutaneas partes hoc faciat, apponantur ſæpe, utputa quater, aut quinquies antequam perfecta ſit pharmacorum purgatio, & ego illo regimine multos ſanavi. verum, eſt quod ſi corpus eſt plethoricum, ego facio phlebotomiam, poſt primam evacuationem cum pharmaco, à vena baſilica dextri lateris. Et quantitas ſit ſecundum diſpoſitionem ægri, puta quinque unciæ, & ſex, & plus & minus. Et aliquando reitera ipſam poſt decem dies, neque hoc eſt inconveniens, quoniam multi fuerunt ſanitati reſtituti, qui noviter ægrotarunt, ex ſola phlebotomia cum bono regimine, & duos juvenes vidi, qui ex apertione venæ ſaphenæ tantum uſque ad ſyncopem fuerunt liberati. Sed eſto prudens, quia non competit omnibus, & tutior via, eſt via media. An phlebotomia conferat, diſputabimus poſt, revertamur unde diſceſſimus, & deſcribamus electuaria, & pillulas cum ſuis virtutibus, ut canonica ſemper ſit cura, & exhibitio cujuſcunque medicinæ, & primo deſcriptio electuarii lenitivi eſt magiſtralis, & eſt iſta. Recipe *paſſularum unc. ij. capillorum ven. violarum, hordei ana man. j. jujubarum, ſebeſten ana numero xx. liquiritiæ unc. ſ. prunorum, tamarindorum, ana drach. vj. folliculorum ſenæ, polypodii an. unc. ij. miſce, fiat decoctio in aqua fontis, ad conſumptionem tertiæ partis, deinde addatur, mercurialis manip. j ſ. bulliant bullitione una, & coletur, & diſſolvantur pulpæ caſſiæ, tamarindorum, prunorum, ſacchari fini, ſacchari violati ana unc. vj. coquendo lento igne, & agitato ſemper cum baculo, & in fine adde pro qualibet libra electuarii unc. j. & drach. iij. folliculorum ſenæ pulverizatorum, & fiat electuarium ſecundum artem; doſis eſt uſque ad unc. ij.* & eſt medicina benedicta, educens utramque materiam leniendo, & confortando membra naturalia, & ducit etiam choleram minoris famæ, confertque multum ægritudinibus cutaneis, quare cum eſt febris cum iſta ægritudine da electuarium lenitivum cum aliis, quoniam multum confert. Electuarium de ſebeſten deſcribitur à Domino Bartholomæo Montagnana in *ſuis conſiliis, in antidotario*, & doſis ejus eſt uſque ad unc. j. confert febribus, & leniendo educit utramque materiam, & aliquando melancholiam, mundificat ſtomachum, hepar, & renes à materiis viſcoſis groſſis, mundificatque ſanguinem, & ideo huic ægritudini multum confert. Confectio hamech deſcribitur à D. Meſue *diſtinctione tertia ſui antidotarii*, & eſt prima; ejus doſis eſt uſque ad unc. ſ. valet ad ægritudines ex cholera, & phlegmate ſalſo, & maxime cutaneas, ut ſunt ſcabies, & aliæ infectiones, mundificat ſanguinem, & educit materiam groſſam heterogeneam, cum qua multos ſanavi, qui à puſtulis, & ulceribus malis vexabantur, quare ſemper in iſta ægritudine cum cæteris in evacuatione adde aliquid de confectione hamech. Electuarium de dactylis deſcribitur à Meſue *loco allegato*, & dicitur medicina ſecuritatis; doſis ejus eſt uſque ad unc. j. evacuat materiam phlegmaticam groſſam, & putridam, non à remotis ob viſcoſitatem dactylorum; à viis communibus, ut eſt ſtomachus, hepar, & inteſtina, quare convenit à principio. Electuarii de pſyllio deſcriptio ponitur à Domino Bartholomæo Montagnana *in ſuo antidotario*; ejus doſis eſt uſque ad drach. vij. evacuat leniendo materias omnes cujuſcunque permiſtionis, extinguit calorem febrilem, mundificat ſanguinem, & confortat omnes virtutes corporis, maxime naturales. Electuarium de ſucco roſarum deſcribitur à Nicolao in *ſuo antidotario*, & ejus doſis eſt uſque ad drach. iij. & confert doloribus junecturarum, evacuat utramque materiam phlegmaticam videlicet, & cholericam, & maxime à remotis, quare eſt conveniens dare quando ſunt dolores nervorum, & junecturarum. Ex dictis collige ſecundum neceſſitatem componendo unum cum alio in forma boli, vel fiat potio cum aquis in *cap. de digeſtione*, vel cum decoctionibus, ſecundum quod tibi melius apparebit. Et crede mihi, quod ſi materia eſt puſtuloſa, & in principio ægritudinis cum bono regimine, & cum phlebotomia, & ventoſis ſæpe poſitis cum ſcarificatione ſanabis abſque dubio, domino auxiliante. Sed ut pilulae etiam canonice des, eorum virtutes ſcribam. Deſcriptio pillularum de fumo terræ ponitur ab Avic. *quarto canonis, ſen ſeptima. cap. 7. tertii tractatus*, doſis ejus eſt, drach. i. ſ. evacuant materiam corruptam heterogeneum cum admiſtione humoris adusti, & phlegmatis ſalſi, & ſanant infectiones cutaneas, aperiunt oppilationes ſplenis, & hepatis, conferunt multum huic ægritudini, & eſt medicina, ſive ſolutivum forte. Pillularum aggregativarum deſcriptio ponitur à Meſue *diſtinctione decima ſui antidotarii*, & eorum doſis eſt uſque ad drach. i. ſ. virtutes quarum ſunt evacuare utramque choleram, & phlegma, mundificando hepar, & ſtomachum, & educere iſtas materias à capite, & aliis membris. Pillulæ Indæ deſcribuntur à Meſue *loco dicto*, & doſis earum eſt uſque ad drach. ij. valent ad ægritudines cutaneas, ut eſt lepra, ſaphati, & morphæa, & ad ægritudines melancholicas, & evacuant humores corruptos malæ permiſtionis, & ſunt mirabiles huic ægritudini, quas multoties ſum expertus, & maxime noviſſime in quodam juvene ætatis 25. annorum cholericæ complexionis ſuis

adultæ,

nasiæ, qui ex contagione mulieris patiebatur hanc ægritudinem cum ulceribus in virga profundis, & corrosivis, cum doloribus junctvrarum, & aliquibus pustulis in capite, & hinc inde per corpus sparsis, quæ ex colore ad nigredinem ostendebant adustionem humorum per admistionem humoris melancholici, cum quibus patiebatur in occasu tolis dolorem intensissimum capitis, qui non solum extrinsecus ipsum infestabat, verum etiam communicabatur ventriculis ipsius cerebri, ita quod in augmento ipsius doloris deveniebat ad insaniam, & maniam, furebatque, & ab omnibus maniacus dicebatur, & vulgares dicebant quod vexabatur à dæmonibus. unde vocatus ad ipsum, statim visis dictis accidentibus, judicavi materiam malam melancholicam ex cholera, admistam cum materia morbi istius, quæ vaporabat tempore paroxysini, ad cerebrum (nam ægritudo ista in doloribus est paroxysinalis, & patet ipsam esse causam horum accidentium) quare his visis, inprimis facta aliquali digestione cum *syru. de fumo terræ, endiviæ, & rosato. an. unc. s. cum aquis borraginis, fumi terræ, solani ana. unc. j.* dedi evacuationem istam minorativam. Recip. *electuarii lenitivi, de sebesten an. drach. vij. confectionis hamech. drach. ij. s. succi rosarum puri unc. s. aquarum buglossæ, borraginis, fumi terræ. an. q.s. misce, & fiat potio*, quam jussi sumi in aurora, & quinque horis post accipi prandium, & iterum sequenti mane dedi digestivum magis appropriatum, & fuit tale. Recipe *syrupi de endivia, de fumo terræ, de stœchade. an. unc. s. aquarum lupulorum, fumi terræ, vvæ. an. unc. j. misce*, quod sumpsit per duos dies. tertia die feci ipsum phlebotomare à vena basilica dexteri lateris, & extrahere unc. vj. sang. in sequenti mane jussi dari digestivum dictum, & sic feci per tres alios dies, postea dedi illi in sero hora xxij. in adventu paroxysmi has pillulas. Rec. *pillularum Indarum drach. j. aurearum scrup. ij. fiant pil.* v. institui cœnam transacta hora tertia noctis, & in mane dedi digestivum per tres dies, quarta die feci apponere ventosas xij. scarificatas, hoc pacto, sex super spatulas & dorsum, quatuor super nates, & duas inter coxas propter ulcera virgæ, sequenti mane accepit suum syrupum. Et in sero iterum accepit hora dicta pillulas dictas. postea iterum per quatuor dies accepit syrupos, postea quinta die pillulas, & sic perseveravit usque ad xxv. dies, & iterum feci apponere ventosas, ut supra, postea iterum accipere pillulas in vespere tertii diei post ventosas. Et sic fuit ab ista ægritudine & accidentibus malis, & mania liberatus, ulcus vero fuit curatum cura ulcerum malorum, cum unguento nostro mastichino infra scribendo, quod valet ad ulcera mala virgæ, & aliorum locorum. verum est tamen quod ipse accepit dictas pillulas in aurora per duos menses, interposito spatio quindecim dierum inter unam, & aliam acceptionem. Ista incidentaliter volui dixisse, ad clariorem doctrinam istius partis, (quæ est curæ per pharmaca, & phlebotomiam, & ventosas,) ut scias virtutem pillularum Indarum multum conferre huic ægritudini. Et ego utor ipsis quando est opus, & ægrotantibus bene conferunt, sed nunc de aliis dicam. Et sunt pillulæ aureæ, quæ ponuntur à Nicolao in *suo antidotario*, & ejus dosis est usque ad drach. ij. & sunt nobiliores aliis. In sua operatione purgant phlegma, & choleram, & ducunt à capite, mundificant stomachum, & hepar. Pillulæ fœtidæ describuntur a Mesue in *decima distinctione antidotarii*, & dosis est usque ad drach. ij. evacuant materiam grossam, & crudam in stomacho, hepate, & intestinis existentem, & educunt à membris longinquis, ut sunt junctvræ, musculi, & nervi, conferuntque ægritudinibus cutaneis, ut sunt albara, morphæa, & lepra. Pillulæ cochiæ describuntur à Rhasi in *nono ad Almansorem. cap. de cephalæa, & hemicrania*, & dosis est usque ad drach. j. s. Evacuant materiam phlegmaticam grossam, & crudam à capite, & stomacho, & intestinis, & conferunt ægritudinibus nervorum frigidis. Modus conficiendi agaricum præparatum elicitur ex dictis à Mesue *cap. de agarico*, dosis ejus est usque ad drach. iij. & est medicina benedicta familiaris, purgans materiam grossam, & subtilem, ab hepate & splene mundificando sanguinem, & aperit eorum oppilationes, mundificat renes, pectus, matricem, & cerebrum à superfluitatibus viscosis putridis malis, confert omnibus ægritudinibus nervorum, & defœdationibus cutaneis, febribusque; quare huic ægritudini mirabiliter convenit. Et sic habes medicamina tam digerentia, quam evacuantia, cum suis virtutibus, cum quibus potes in ista ægritudine procedere. Verum quoniam multa est diversitas tam in ægritudine quam in accidentibus propriis, & communibus aliis ægritudinibus, ideo verum erit ultra dicta medicamina secundum quod necessitas postulabit, cum aliis etiam additis, vel solis procedere. Hæc autem dicta sunt, ut valeas per ipsa ultra procedere, secure & moderate, semper tamen habendo oculum ad prædominium humoris. Et ideo ex dictis jam infero, quod vomitus multum confert facta aliquali digestione, & hoc tam ratione materiæ antecedentis quam materiæ conjunctæ. Et mirabiliter accidentibus prodest, nam divertit, & evacuat, & ideo opitulatur doloribus, ulceribus, & pustulis. sed quia dictum fuit quod aliquando sunt membra alia ab hepate, foventia istam ægritudinem propter aliquam malam qualitatem, vel ægritudinem, utputa stomachus, renes, splen, cerebrum, vel alia membra, quæ possunt inficere massam sanguineam, quare rectificare, ultra id quod dictum est, & confortare dicta membra erit vera, & completa cura. De confortatione, quæ post curam convenit in capitulo de præservatione a recidiva dicam.

## CAP. VIII.

*In quo de convenientia phlebotomiæ, ventosarum, & sanguisugarum disputatur.*

Sed quoniam dictum fuit, quod phlebotomia in cura istius morbi convenit, & sunt alii dicentes, quod nullo pacto convenit, ideo rationes ipsorum primo gratia indagandæ veritatis audies, prima quarum est ista. Phlebotomia non convenit in ægritudinibus frigidis, quoniam est sanguinis evacuatio, qui sanguis habet sua caliditate digerere, & regulare humores frigidos, ergo, &c. Præterea ista ægritudo non cognoscitur nisi ex signis, signa autem sunt, dolores, pustulæ, apostemata dura, ulcera &c. Sed quando ista apparent jam materia est sparsa, sed siquis faceret phlebotomiam sparsa materia, operaretur contra operationem naturæ, ergo, &c. Achue auctoritate Avic. *cap. de phlebotomia primo canonis, fen quarta.* Nemo est phlebotomandus nisi propter malitiam sanguinis, aut propter quantitatem, vel propter utrunque, modo cum basis sit materia phlegmatica, quæ sapit quoquomodo melancholiæ naturam, non convenit phlebotomia. Præterea, ut accipitur ex verbis Galeni, in *libello de phlebotomia, summa secunda, cap. primo.* Non sunt phlebotomandi qui à multitudine humorum per corpus totum gravantur quando timetur de eorum cruditate, & cum iste humor sit frigidus, & per totum corpus, ergo &c. Ultimo arguunt quidam experientia sibi compertum esse quod semper phlebotomia in ista ægritudine nocet, quare &c. Ad solutionem quorum primo est sciendum, quod phlebotomia est evacuatio universalis, quæ multitudinem evacuat, & multitudo est augmentum humorum super æqualitatem ipsorum in venis, & hæc sunt verba Avic. *fen quarta primi cap. de phlebotomia.* Quare quando ægritudines sunt materiales ex diversitate humorum, & maxime in massa sanguinea communicatæ per venas toti corpori, convenientissima evacuatio est phlebotomia, considerata complexione, ætate, & regimine. Et ista est doctrina Galeni in *libello de phlebotomia.* Sed ne nimis hic sermo noster prolixus sit. Ad rationes respondeo. Et primo ad primam dico quod ægritudo ista non est simpliciter frigida, sed est ab aliquali diminuta caliditate, tanquam à causa agente, causata. Neque valet dicere quod à superabundanti fit denominatio, quoniam quid nominis cognitio, est vulgarium cognitio, sed considerata admistione cum quantitate aliorum humorum, erit denominatio secundum quid, & non simpliciter. Præterea locus generationis, qui est hepar & venæ, sunt de illis quæ nos omnino cogunt ad apertionem venarum, cum per venas facilius fiat hepatis, & venarum evacuatio. Præterea jubet Avic. *cap. de cura febris phlegmaticæ, prima quarti*, ex solo rubedinis urinæ signo phlebotomare, quanto ergo magis in ista, cum sint alia signa à dicto. Et hoc idem in aliis frigidis ægritudinibus, ut in cura scrofularum tertia quarti, & in quampluribus locis. Ad secundum, dico quod non operatur contra operationem naturæ, quoniam per phlebotomiam non evacuatur materia pustularum, & aliorum accidentium, sed evacuatur ab ipso hepate, & venis materia, quæ stat sub causa antecedente, & conjuncta, & sic est conveniens, quoniam est cura per remotionem causæ. Ad tertium dico, quod auctoritas Avic. est pro illis qui faciunt phlebotomiam ubi basis est in materia phlegmatica, at in ista ægritudine est talis malitia in massa sanguinea. Ad quartum dico, quod Galen. loquitur de illis, quorum virtus non sustinet phlebotomiam; nam eodem cap. & in sequentibus, quando materia est in venis, quamvis sit cruda, jubet phlebotomare, & quando est ægritudo fortis præsens, aut futura, & si nullum apparuerit accidens, sed tantum sit suspicio, quod autem ista sit fortis ægritudo, sciunt qui passi sunt, & qui patiuntur, & etiam qui curant ipsos. Ad ultimum dico, quod experimentum sine ratione est fallax, auctoritate Hipp. & ideo dicebat Galen. *libello de phlebotomia, cap. 3. proœmii*, quod organa inventionis sunt duo, videlicet experientia, & ratio, quare iste non est expertus cum ratione. Sed ne decipiatur quis in phlebotomando, audiat conditiones phlebotomandi à Ga-

len. in *dicto libello*. Et sunt istæ. Ætas juventutis, & per juventutem removetur pueritia, & senectus. Complexio calida cum amplitudine venarum. Ægritudo timorosa facta vel fienda. Malitia in massa sanguinis. Regio calida non resolvens virtutem. Et tempus anni non frigidum, neque in diebus canicularibus. Et *nono de morbis curandis, cap.* 11. dicit, phlebotomia fit quando sanguis est inutilis, & est dupliciter, vel quia non habet propriam qualitatem, & nutrire impotens est ut prius nutriebat, vel quia sua quantitate occupat virtutem, & causat oppilationes. De quantitate vero phlebotomiæ non datur mensura, quoniam est in bono judicio medici, secundum tolerantiam, & necessitatem ægritudinis. Et ideo non est mirum si aliqui cum evacuatione, & phlebotomia usque ad syncopem, qui sunt fortissimæ virtutis, juvenes, in principio ægritudinis in bono tempore anni fuerunt liberati, quoniam fuit facta eradicalis illius sanguinis evacuatio, in quo erat mala qualitas, cum qua non erat aptus nutrire. Sed isti fuerunt pallidi, & macilenti per multos menses, & postea facti sunt cum bono colore. Et hoc fuit quoniam per evacuationem phlebotomiæ, vel aliam tota materia contagiosa remota fuit, & hepar ad aliam qualitatem mutatum. Tamen hoc non est tutum, nisi in fortissima virtute cum aliis conditionibus. Ventosæ, quoniam sunt vicariæ phlebotomiæ cum evacuatione per phlebotomiam coincidunt, & etiam sanguisugarum applicatio, si aliqua necessitate apponantur, puta super hæmorrhoidas, vel in alio loco. Sed ventosæ ut dicit Avic. mundificant magis partes cutaneas quam phlebotomia, & extrahunt plus de subtili quam de grosso sanguine, & minus debilitant. Et ideo conferunt quando sunt infectiones cutaneæ dicti morbi. Idem est dicendum de operatione sanguisugarum, nisi quod operatio est profundior. Possem & alia quamplurima argumenta adducere, sed quoniam non militant, brevitatis gratia dimittantur.

## CAP. I.

## TERTII TRACTATUS PROOEMIUM,

*Et est secunda pars practicæ, in qua de medicina ligni Indici, falsæ perillæ, atque etiam radicis Chinæ sermo erit.*

Aliam sanandi hanc ægritudinem viam postremo medentes laudaverunt, quæ est per assumptionem decoctionis cujusdam ligni quod fertur ex India, & hac de causa vocant vulgares hoc lignum, lignum Indicum. quæ ligni medicina, cum sit quædam species pharmaci, in secundo isto loco non sine ratione scribere eam decrevi. Sed quoniam maximam observantiam in tali potione, & ligni quovis modo assumptione, & ratio suadet, & experientia comprobat, ideo omnia quæ necessaria ad curam per assumptionem dictæ decoctionis, vel medicaminis, hac in parte scribam, & nequid medentibus ad medelam deficiat, in primis descriptionem hujus ligni ponam, ut à fide dignis scribentibus, & ratione experientia comprobata habere potui &c.

## CAP. II.

*In quo lignum Indicum cum suis conditionibus describitur.*

Est igitur lignum Indicum arbor, quæ in insulis ultra marinis nascitur, & vocantur, insulæ illæ, aut continens, à modernis Calecut. Et magnitudo arboris est sicut magnitudo arboris quam fraxinum appellamus, habens folia ad similitudinem plantaginis in venis, quæ non sunt ita magna, sed parva, rotunda, & fortiora, fructus istius arboris est castaneis in forma similis. Cortex arboris est cineritius, tendens ad nigredinem, sed illud quod est cineritii corticis tantum, non est ita bonum, sive virtuosum in ista cura. Grossitudo istius arboris ad plus est hominis, sive humani corporis grossitudo, sed non omnes, quoniam quædam est quantum cruris ossis grossitudo, & aliæ minus, color exterius post corticem, est albus, tendens ad citrinitatem, & in medio ligni est nigri coloris. Et lignum quod plus habet de substantia intrinseca nigra est melius. Et quod est ad pallorem, non est ita bonum. estque durissimæ substantiæ, ita quod vix incidi potest; est etiam ponderosum. sed habens pinguedinem majorem, sive plus de humiditate, est melius, & ejus odor est satis suavis tam in ebullitione, quam super ignem lignum ponendo, quam etiam ipsum odorando quando de novo inciditur, & ad gustum est cum aliquali amaritudine, sed non manifesta multum. Et dicunt quidam, quod fructus ejus est solutivus. Sed ne te nomina decipiant. Nota quod Hispani appellant ipsum Guajacum. Alii vero appellant ipsum lignum sanctum, sed major pars appellat lignum Indicum, Et est difficultas non parva, an de ipso antiqui aliquam fecerint mentionem, & multi tenent quod non. tamen ego reperio apud Avic. *secundo canonis, in littera K. de Karon*, ubi dicit quod est lignum quod fertur ex India, & confert juncturis & nervis. & lignum hoc similatur multum ebeno in substantia, duritie & colore, & forte quod est aliqua species ebeni. Decoctio ejus, quando decoquitur, est similis fero lactis, & tinctura ipsius est lazuli coloris. Electio ejus, melior est lignum novum à tempore incisionis, & vetus ab ejus ortu, grossum in substantia, & in colore nigrum, cum gummi, sive pinguedine, & ponderosum, boni odoris, coloris corticis subnigri, & cum maxima medullari parte nigra, sine alteratione aliqua, aut corruptione tarmarum sive vermium, vel ab humiditate corruptum, aut tempore, neque sit nimis exsiccatum, ut post incisionem supernatet in aqua. Verum siquis haberet ipsum viride, esset longe melius, neque esset cum ipso tantus labor in sanando. Et dicunt qui ab illis insulis reversi sunt, quod nulla est memoria apud ipsos sine ægritudine, quam nos morbum Gallicum appellamus, & ita omnibus fere accidit, sicut apud nos variolæ accidunt. Et omnes ex medicamine istius ligni solius liberantur, nullusque unquam fuit, qui ab isto ligno non liberaretur. Ex quibus elici potest, quod ægritudo non est nova simpliciter, sed nobis tantum, & forte nec nobis, siquis recte caput de olibano ab Avic. *secundo canonis* intelligat.

## CAP. III.

*De qualitatibus, virtutibus, & proprietatibus ligni Indici.*

Non mediocrem utilitatem fore putavi, si hujus ligni qualitatem, & naturam rationibus antiquorum medicorum, & experimento dilucidabo, cum nondum ab aliquo medico id factum sit, quibus postea, operationes, & virtutes facilius cognoscere poterimus (ut docet Galen. v. *de simplicibus, distinctione prima, cap.* 3.) & sic etiam rectius inde morbo & accidentibus, isto medicamine succurrere. Notum est igitur medicis omnibus, in qualitatibus medicinarum, quod medicina non dicitur calida, aut frigida, humida, vel sicca, nisi quia talem qualitatem potest imprimere in Corpore nostro. & cum hoc sit, ut docuit Galen. in *libello de simplicibus*, istæ qualitates non tantum experimento, sed etiam ratione venandæ sunt. ideo juxta Galeni doctrinam in *dicto libello*, ut ipse aperte declarat per experimentum, quod medicina quæ procedit calefaciendo, semper dum occurrit corpori usque in finem, & semper addit in caliditatem dum permanet, ipsa est calida per se, & non per accidens, & quod dico de caliditate, de aliis qualitatibus etiam intelligendum est. Quare ut ab experimento incipiamus, lignum hoc semper procedit alterando per caliditatem, ut patet. siquis enim lignum in ore ponat, percipit manifestam caliditatem, percipiunt etiam qui decoctionem dicti ligni bibunt, dum manet in stomacho, inflammationem, non incensivam, sed satis manifestam. Et hoc non tantum ad intra percipitur, sed etiam extra, siquis enim lavet ulcera, aut membrum sanum, dicit se percipere caliditatem satis notabilem, quæ remanet in substantia membri post lotionem, & etiam bibendo, in gutture sentiunt inflammationem per aliquod spatium. Et hoc non debile est signum virtutis calidæ istius ligni, hoc idem attestantur accidentales qualitates, ut est sapor, & odor, quamvis non sit necessarium experiri per istas, ut est sententia ipsius Galeni, *secundo de simplicibus, distinctione secunda, cap.* 4, attamen est utile, ut in aliis dixi. Et ipse etiam docet in *dicto libello*, cum dicit res quibus sunt odores, proculdubio esse calidas. Nam odores fiunt à fumali evaporatione, sive exhalatione, quæ arguunt caliditatem, ut dicit Arist. *secundo de anima*, neque huic rationi argumentum de camphora obstat. Sapor, ut dixi, est cum aliquali amaritudine, & ideo testante Galeno *eodem libello* debemus caliditatem per amaritudinem arguere, neque decipior de rebus frigidis quæ sunt amaræ. Et cum omnes istæ conditiones non sint excessivæ, declarant caliditatem non excessivam, sed temperatam cum aliquo excessu, ita quod omnino transcendit secundum gradum, non enim accedit ad tertium. Et cum ex dictis etiam siccitas aliqua sibi inesse appareat, non tamen transit multum gradum primum ut colligitur à Galeno *quinto de simplicibus, cap. ultimo*, in quo de gradibus medicinarum agit. Inquit ibi, medicina secundi gradus est illa quæ manifeste imprimit suam qualitatem, scilicet caliditatem & frigiditatem, & medicina primi gradus, sensibilis est aliqualiter, sed non manifeste, sed eget demonstratione, quare cum caliditas istius ligni sit manifestissima, secundum gradum transit. Et siccitas cum non sit manifesta ex toto,

toto, propter hoc dico esse versus secundum gradum in siccitate. Neque propter hoc spoliatur lignum ab aliis qualitatibus, & maxime ab humiditate, per partes pingues, & viscosas, per quas solvit leniendo, quoniam ut inquit Galenus in *dicto libello*, apertio fit per caliditatem, & lenitio per humiditatem, quapropter ut summatim verba dicta colligam. Virtus istius ligni est calida in secundo versus tertium, & sicca in primo versus secundum, cum humiditate temperata. Et ne me nunquam à medicis dicta docere putes, audi Galenum *libro tertio de simplicibus, distinctione tertia, cap. primo. Unaquæque medicinarum, quamvis in speculo oculi sit una, simplex, singularis, tamen in natura sui secundum plurimum est composita, & fortasse sunt in ea virtutes contrariæ valde.* Et paulo post dicit. *Non est in hoc aliquid admirationis cum invenimus in una & eadem medicina propter aggregationem earum virtutum in eis virtutem quæ calefacit, & quæ infrigidat, & quæ humectat, & exsiccat, & virtutem subtilem & grossam. Et si virtutes activæ propriæ non essent permixtæ hac permixtione, nec permiscerentur virtutes secundæ quæ sunt post eas.* hæc Galenus. Est igitur ut docuit experientia, calidum, aperitivum, diureticum, & sudoris provocativum, cstque malarum humiditatum diversarum resolutivum, & exsiccativum, & est lenitivum & absterssivum & ventris solutivum si ex pulvere ipsius drach. iiij. vel plus quis sumpserit. Et sæpissime est restrictivum, maxime cum multum sudoris, aut urinæ ex ipso quis emiserit, vel si cum rebus stypticis sumpserit, vel torrefecerit, & confert stomacho ex multo phlegmate læso, corrigit vitia hepatis & splenis, mundificat sanguinem, & per ventrem educit materias diversæ corruptionis, & maxime frigidas. Et credunt quidam ipsum esse singulare præsidium calculosis. Et quod etiam frangat lapidem. Prodest podagricis à materia frigida, & est leprosis magnum præsidium. Confertque omnibus cutaneis infectionibus, doloribus, & aliis ægritudinibus nervorum, & aliorum membrorum, & fistulis, ulceribusque malis cum qualitate occulta, & sanat dispositionem morbi Gallici antiquam, & novam cum omnibus accidentibus, nam removet pustulas, & vestigia earum, dolores in quacunque parte sanat, resolvit apostemata dura, & si ad exituram devenerint, maturat, & aperit, digerit, & mundificat, & cicatrizat ulcera, & insimul corruptionem ossis rectificat, nervos contractos & exsiccatos mollificat, & paralysin sanat. Infrigidatos & stupidos ab isto morbo calefacit, & marasmum impinguat, maleque olentia corpora ad bonum odorem dirigit, oris malum odorem tollit, asthmaticos sanat, squinantiam malignam resolvit, cerebri & aliorum membrorum vitia omnia ab isto morbo sanat. Et, ut cuncta unica dictione perstringam, quæcunque vitia & accidentia ab ista sive nova sive antiqua ægritudine evenire possibilia, paulatim sanat. Quare bene dicunt qui lignum sanctum appellant. Et, vere sancta est ejus operatio, si quis consideratis viribus & reliquis, ipsum ægris propinet, mirabilis sequitur effectus in quocunque sexu & ætate, atque etiam anni tempore, cum ratione & regimine sex rerum necessariarum administrata fuerit; est enim medicina securitatis, quæ etiam senibus auxiliatur, & prægnantibus, & lactantes mulieres morbo Gallico laborantes sine discrimine sanat, si à prudenti medico administrata fuerit. datur etiam pueris, & mulieribus lactentibus pueros laborantes morbo Gallico, & sanantur. Et silcant maledici. Hæc satis de natura, & virtutibus ligni dicta sint. nunc de modo administrationis audies.

## CAP. IV.

### *De regimine observando si quis cum ligno Indico curet morbum Gallicum.*

Regimen, si quis cum ligno Indico vult curari à morbo Gallico, in sex rebus non naturalibus, & per medicinas sit iste. In primis caveat ab aere frigido, à ventis malis, & locis ubi sunt vapores humidi, & putrescibiles, ut sunt paludes, & aquæ mortuæ, & valles, & alia, de quibus in regimine in sex rebus non naturalibus dictum est ante, & si non aliter, saltem alterando locum habitationis secundum tempora anni. & primo ante omnia oportet purgare corpus ægrum convenientibus purgationibus, & non ut mulierculæ & imprudentes faciunt, sed canonice procedendo, ut dictum est in regimine universali, in primis digerendo, considerata conditione ægritudinis, & aliis, & hoc cum syrupis. postea facta aliquali digestione evacuare non laboriose, sed suaviter, cum solutivis, & lenitivis appropriatis. & cum apparuerit aliquod, vel plura ex signis de emissione sanguinis, extrahatur juxta virtutem patientis, & ægritudinis qualitatem, dicant in hoc garruli quicquid sibi placuerit. Scio & nemo doctus medicus ignorat, quod sanatio fit à virtute intrinseca, remoto impedimento à medicamine, sæpe etiam natura fortis sine aliquo auxilio expellit quodcunque nocumentum. Nec propter hoc, cum homo sit distinctus à belluis, debet dimittere proprium hominis, quod est ratio. quare si medicus ante assumptionem decoctionis istius ligni cognoscit per signa corpus plethoricum, & maxime in viis communibus, nullo pacto debet hanc medicinam diureticam dare, nisi prius viæ istæ communes à superfluitatibus emundentur. Et ego vidi aliquos, ex crapulosis, qui nullo accepto medicamine evacuativo acceperunt istam decoctionem ligni, qui in deteriorem devenerunt ægritudinem, & etiam moderatissime in regimine se habentes, & pavidos in pharmacis sumendis, qui decoctionem sumpserunt pluries, & tamen adhuc laborant, quare sileat qui aliter credit; & rationi & experimento, si est rationalis, credat. Digeratur igitur materia secundum quod per accidentia, & signa diversa cognoveris mistionem, ut si est ægritudo nova pustulosa cum rubedine, *cum syrupo de endivia, rosato, & de fumo terræ, an. unc. s. lymphentur cum aquis puta buglossæ, lupulorum, & solani an. unc. j.* vel si est signum quod materia sit magis grossa, *lymphentur cum decoctione epithymi Mesuæ, vel cum decoctione senæ*, vel cum aliis infra scribendis, & hoc variando secundum diversa signa, tam in ægritudine, quam in patiente in complexione, & aliis. utputa si æger fuerit mulier, & habuerit aliquod vitium matricis, ut sæpe mulieribus accidit, pone *syrupum de matricaria* vel si patiatur dolores intestinorum, addatur *aqua chamomillæ*, & sic in aliis juxta indigentiam. Quod si ægritudo fuerit antiqua cum doloribus junctarum, & apostematibus, & ulceribus, addatur *syrupus de stœchade, vel de epithymo, & lymphetur cum aqua vitæ, vel de anadhoca, aut cum decoctionibus nostris.* Et sic secundum judicium boni medici digeratur per quatuor, aut quinque dies, sumendo in mane calidum, & tempus prandii sit per quinque horas post assumptionem. Nota tamen quod quando est dolor capitis, utilissimum est sumere syrupum post cœnam per tres horas ad minus, quoniam ultra quod digerit & reprimit, confortat cerebrum sua evaporatione, & sic fit alleviatio doloris, assumptis syrupis evacuetur pharmaco, aut phlebotomia. quod si phlebotomare vis, à basilica in primis incipiendum est, & sit dexteri lateris, extrahanturque unc. v. minus & plus, ut postulabit necessitas. consideratis dictis in capitulo de phlebotomia, quiescat postea æger per duos, aut tres dies, & accipiat pharmacum ex benedictis, ut dictum est. quod pharmacum sit forte debile, verbi gratia, si ægritudo est nova & materia pauca subtilis, ut supra dictum fuit, *cum electuarii lenitivi unc. ß. confectionis hamech. drach. v. dissolutis cum aquis dictis, vel cum decoctione epithymi.* M. & si ægritudo fuerit cum doloribus, addatur *electuarium Indum, aut de psyllio Montagnanæ, vel de succo rosarum*, quod si magis diligis pilulas, procede cum *pilulis de fumo terræ, vel aggregativis*, & aliis. Et si non indiges phlebotomia, post digestionem evacuabis vias communes, necessariis evacuationibus. & cum ægritudo est cum pustulis, pone ventosas sacrificatas in locis ubi plus apparent, præterquam in capite, & locis ubi non ponuntur. & hoc fiat semel vel bis secundum quod ratio, & res ipsa dictat. Corpore sic evacuato semel bis aut ter secundum prædicta, æger præparet sibi cubile, in quo, si fuerit hyems, ignis accendatur ex bonis lignis non putridis, neque ex carbonibus; possumus etiam cum stupha ipsum calefacere, & fenestræ claudantur non dico à lumine solis, sed ne frigus ingrediatur, aut malus vapor, quod si æstas fuerit, temperare aerem oportet aperiendo fenestras bis aut ter in die, vel cum sparsione foliorum temperatorum, quæ sint boni odoris, ut sunt *chamomilla, mentha, folia salicis, & vitis, & spargantur per cubile.* Et si fuerit necessarium propter nimium calorem aspergatur aqua. Nota tamen quod frigus huic ægritudini nocet magnifice, & nihil prodest, neque tutum est cum frigidis procedere, sed semper cum temperatis. Inquit enim Galen. quod caliditas temperata confert omni rei, & hoc est clarum, cum anima utitur calido temperato pro instrumento ad omnia quæ sunt corpori necessaria. cubili itaque sic præparato, lignum modo infra scribendo præparetur.

## CAP. V.

### *De modo præparationis ligni Indici ad curam morbi Gallici.*

Lignum Indicum cum sit durissimum, per limam aut rasparam sive cum aliquo alio instrumento, in subtilissimum pulverem convertatur. Et *de isto pulvere accipe libras duas, & pone in olla nova n tida, & vitreata, & desuper pone aquam fontis, sive fluminis, vel putei libras xvj. & aquæ sit clara sine malo odore & sapore, & dimittatur sic infundi per diem & noctem, vel per duos dies; postea sic infusa,*

*ſa, ponatur ad ignem, qui ignis ſit lentus, & bulliat olla cooperta uſque ad conſumptionem medietatis*, ollaque ſit magna, ita quod remaneat quarta pars vacua, ut poſſit libere bullire, paulatimque bulliat cum parva flamma ſine fumo, & inundatione, & bulliendo oportet aſſidue deſpumare, ſpumamque ſervare, quoniam eſt medicamen juvativum quando ebibitur aqua, ſi cum ipſa ſpuma ulcera & tumores, & dolores & puſtulæ inungantur, & quando non potes habere ſpumam, aqua prima hoc idem facit, ſi cum ipſa ulcera lavabis. *Conſumpta igitur medietate aquæ per ebullitionem dictam, remove ipſam ab igne, & dimitte ſic quieſcere per diem, deinde diligenter coletur per colatorium, & in vaſe vitreo ſervetur.* Et iſta eſt aqua, ſive decoctio prima, de qua ſumere oportet bis in die, videlicet mane, & ſero, & dicitur decoctio prima, ſive majoris virtutis, & efficaciæ. poſtea *ſuper idem lignum quod prius ebullierit pone totidem libras aquæ ſicut prius, videlicet xvj. & iterum cooperta olla ponatur ad ignem, & bulliat, ut ſupra, ad conſumptionem tertiæ partis, & cola ut dictum eſt*, ſervaque in alio vaſe vitreo, de qua detur ægro ad libitum ſemper quando bibere voluerit, videlicet quando comedit, quoniam, ſi poſſibile eſt, vinum dimittere oportet. bibatur etiam de iſta ſecunda inter diem & noctem, ſi opus fuerit, ut quando adeſt ſitis, & iſta appellatur aqua, ſive decoctio ſecunda pro potu diurno. Nota tamen quod non eſſet bonum ſine potu iſtius aquæ diem aliquem tranſire, quoniam operatio iſta eſt continua, ſucceſſiva, & paulatina. Et ne ſit tempus regenerandi novam materiam. Ideo antequam prima decoctio epota ſit, duæ aliæ libræ dicti pulveris ligni, cum quantitate ſupra dicta aquæ infundantur, & bulliant ut ſupra. tu vero primam & ſecundam ſerva, ut quando prior bibita fuerit, aliam habeas præparatam, & procede uſque ad finem curæ, quod erit ad minus, ut experientia docet, ſpatium quadraginta dierum. Et qui majorem habent ægritudinem & antiquiorem per ſpatium majoris temporis hanc decoctionem bibant, verbi gratia per duos menſes, vel per tres ſi ultimam malignitatem ægritudinis habent. Neque unum prætermittam, hoc eſt quod quanto plus hæc decoctio ebulliverit, decoctionem virtuoſiorem, & excellentiorem in operatione habebis, & citius ægros liberabis. Tamen omnia ſint moderata, & modo quodam medio præparata. Sic etiam ſcies quod quanto plus de iſta decoctione, ſive prima, ſive ſecunda biberint, tanto citius evadent. multum etiam confert ſi non habent beneficium ventris facere clyſtere cum dicta decoctione ſecunda vel prima.

## CAP. VI.

### *De modo ſumendi decoctionem ligni Indici, & de alio regimine tempore aſſumptionis obſervando.*

Factis evacuationibus dictis, præparatoque cubili, æger ſumat mane in aurora cyathum unum primæ decoctionis majoris virtutis, & ſit pondus dictæ decoctionis unc. vj. & minus ſi non tolerat diſpoſitio, & plus puta unc. xij. ſecundum ægri virtutem, & tolerantiam, & ipſam bibat calidam, & poſtea cooperiatur bene cum pannis, ſive coopertoriis in lecto, & ſtet ſic per duas horas, & ſudet ſi eſt poſſibile, quod ſi ſudaverit, abſtergatur pannis calidis, & ſubtrahantur panni, ſic quieſcat uſque ad horam prandii, quod dare oportet per quinque ad minus vel ſex horas poſt aſſumptionem decoctionis, & ejus prandium ſint unciæ quatuor panis bene fermentati non ſaliti, & unciæ tres carnis vitulinæ, vel hœdinæ, ſive pullorum gallinarum parvorum, aut perdicis, aut ſint duæ merulæ, vel turdi, vel ſint quatuor aves nemorales, ex illis quæ capiuntur viſco, & ſint conditæ iſtæ carnes ſine ſale, ſive lixæ fuerint ſive aſſæ, & bibat aquam, ſive decoctionem ſecundam quantum libet, & quamvis non ſitiat, bibat, ut cibus adminiſtus cum dicta aqua, efficiatur nutrimentum medicinale, & ſic quieſcat per ſeptem, aut octo horas poſt prandium. Et iterum accipiat cyathum unum primæ decoctionis calidæ, ut ſupra, & cooperiat ſe in lecto coopertoriis per duas horas, & ſudet ſi poteſt, & nihil comedat, & ſic dormiat, quod ſi ſitis adeſt tam in nocte quam in die bibat aquam, ſive decoctionem ſecundam ad libitum, & ſic facere oportet omni die mane, & ſero uſque ad vigeſimum diem, & plus; ſi virtus ægri toleraverit. tranſactis viginti diebus, ſi virtus ægri non ſuſtinet cum unica comeſtione inter diem & noctem ſpargatur cibus, & non multum augmentetur, ſed dabis tres uncias panis in prandio, & duas carnis, in ſero autem ad cœnam unciam unam, & mediam panis, vel duas, & unciam unam carnis, vel unam & ſemis, & cœna ſit per ſpatium ad minus quinque horarum poſt aſſumptionem decoctionis in ſero. Quidam tamen aliter etiam dant aquam, quoniam incipiunt dare prima die duos cyathos, & ſecunda tres, & tertia quatuor, & procedunt uſque ad decem, omni mane uſque ad integram curam, & præcipiunt ſudare in lecto, ut dictum eſt, & obſervant diætam in aliis, ſed hoc non debet fieri, niſi in robuſtiſſimo homine, quoniam ex nimio ſudore fit maxima virtutis reſolutio. Sed modus ſumendi decoctionem ſit iſte, vel ille, quoniam multos alios rationales poſſumus docere modos, ſemper tamen, ſi poſſibile eſt, vinum dimittere oportet, & nullo pacto bibere, niſi aliqua complicata fuerit ægritudo, cum quæ potus nimius aquæ eſſet ultimum nocumentum, vel quod non toleraret æger ſine potu vini, & in tali caſu dandum eſt vinum cum cibo lymphatum cum ſecunda aqua, ut ego feci in quodam ſene, quem liberavi ab iſta ægritudine per potum dictæ decoctionis, ſed quoniam erat cachecticus, quæ eſt prævia diſpoſitio ad hydropiſin, dabam vinum lymphatum cum aqua ſecundæ decoctionis quando comedebat tantum. Nota tamen quod regula eſt menſuranda ægris. Dico hoc ne aliquando decipiaris, ſunt enim multi homines non tolerantes famem, ſtomachi, aut conſuetudinis defectu, quare eſto prudens, & iſtis dabis plus de pane, & etiam de carne, ut puta uncias ſex panis, & quatuor carnis. Et potes etiam aliquid, non valentibus ſine cibo dormire, dare, aut aliqua alia de cauſa, ſine cibo in ſero quieſcere, quoniam ſunt multi qui ex fame in ſyncopen cadunt, & ideo iſtis in ſero aliquid dabis, verbi gratia duos, aut tres bolos panis, & poſt bibant de ſecunda decoctione. Et ſic unumquemque ſecundum judicium æſtimativum regulabis, quoniam in omnibus certa regula dari non poteſt. Semper tamen ſive ſemel comederit ſive bis in die, mane & ſero accipiat decoctionem primam, ut dictum eſt ſupra, ad minus uſque ad quadrageſimum diem, neque dies aliqua ſine potione dictæ decoctionis ſit, & obſervetur regula in aliis, in regimine univerſali dicta, quoniam multi qui male ſe habuerunt, in coitu & in aliis, & dimiſerunt hoc medicamen ante perfectam mundificationem membrorum, & ſanguinis ab iſta materia, & ante perfectam hepatis rectificationem, ad deteriorem diſpoſitionem devenerunt. Quare eſt neceſſarium procedere, & poſt ſanationem etiam, quæ cognoſcitur per remotionem accidentium, & quod æger melius in dies ſe habet, & hoc per duos menſes ad minus cum bono regimine in omnibus, & maxime in cibo & potu & in coitu, nam coitus in convaleſcentibus debilibus, eſt cauſa deterioris recidivationis, non ſolum in iſta, ſed in omni ægritudine. Et hæc de modo aſſumptionis dictæ decoctionis, qui maxime eſt in uſu. Verum ut dicunt qui ad nos modum iſtum medendi aſportarunt, poſſumus etiam cum iſto ligno aliter curare iſtam ægritudinem, & facere ex pulvere ſubtiliſſimo, & bene per ſetonem cribellato electuarium, utputa accipe, *pulveris ligni Indici ſubtiliſſime pulverizati libram unam, ſyrupi de fumo terræ q. ſ. vel cum paſſulis fiat, electuarium, de quo ſumatur ab unc. ſ. uſque ad unc. ſ.* in mane in aurora, & cooperiat ſe ut ſudet, & in omnibus ſervetur regimen ut in aſſumptione decoctionis, & ſic in ſero accipiat etiam eandem quantitatem, & ſudet, ſed in potu ſumat aquam decoctionis, quando ſitit, & poteſt etiam pro potu facere ſic. Recipe *pulveris ligni Indici libram* 1. *aquæ fontis libras xij. infundantur per diem & noctem, & poſtea bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & colentur ut ſupra dictum*, & ſerva lignum ſemel decoctum: pro alia decoctione, tantundem aquæ adhibens ut ſupra, & in reliquis ſervabis ordinem ſupraſcriptum. Potes etiam conficere pillulas ex dicto pulvere, cum ſyrupo appropriato, ut puta ſi ſunt dolores junctiurarum cum *ſyrupo de ſtœchade*, quas pillulas dabis patienti mane, & veſpere cum regimine dicto, quantitas vero ſit ad minus drach. iij. hoc idem dico de conficiendo electuario, quoniam ſecundum diverſas diſpoſitiones ultra *ſyrupum de fumo terræ* potes addere alios, ut ſi eſt ulcus cum *ſyrupo de epithymo*, & cum aliis ut neceſſitas poſtulat. Hoc etiam ſcito quod quando corpus eſt ſtypticum, debes uti clyſtere communi, vel ex iſtamet decoctione, aut dare aliquod medicamen ex dictis, aut aliquas pillulas ſemel in hebdomada, aliqui vero dant pro ſolutivo drach. iij vel iiij. & plus pulveris dicti ligni cum ſua decoctione, & eſt bonum. Nota quod poſſumus etiam per alembicum, poſito in ipſo pulvere dicti ligni, extrahere aquam, & ipſam propinare eo modo, quo decoctionem, videlicet mane & ſero, ſed erit medicamen valde debile, tu vero compone diverſa medicamina cum iſto, & ſerva ordinem comedendi, & bibendi, & aliarum rerum in omnibus dictum vel propinquum dicto. dico hoc, quoniam ſunt qui ſine carne dant decoctionem iſtam, & pro cibo panem biſcoctum ad uncias quatuor ſemel in die porrigunt cum uncia una paſſularum, quod non eſt extra rationem. tu vero judicio æſtimativo ſecundum diverſas regiones, & tempora, potes variare cibaria, non variata tamen qualitate, vel quantitate, & erit laudabile ſemper, ſi ultra experimentum rationibus procedes.

CAP.

## CAP. VII.

*In quo declaratur quod diæta ſubtilis, & jam dicta ſit conveniens in hac ægritudine, & alia neceſſaria ad curam.*

Quoniam in regimine univerſali dictum eſt quod non debemus in iſta ægritudine, cum ſit chronica, ſubtiliare multum diætam cibi, & potus, & hoc docente Hippoc. Et tamen hic ſupra dictum fuit, quod in cura per iſtam decoctionem oportet ſubtiliſſima, vel ſaltem multum propinqua ſubtiliſſimæ diæta uti, ut ex dictis liquet. Ex hoc non ſolum videtur contrarietas in ſermone, verum etiam antiquorum medicorum regularum deſtructio, nam extat regula Hippoc. in multis locis libri aphoriſmorum, quod tenuis diæta in chronicis ægritudinibus à virtute non toleratur, eſtque Galeni etiam dicentis, oportere medicum habere duos oculos, dexterum ad virtutem, ſiniſtrum ad ægritudinem, & Avicenna dixit, oportet ad id quod magis ſuſpectum eſt, redire, & eſt virtus. & mille ſunt auctoritates, quapropter dicunt adverſarii quod iſte modus curæ in illa parte ſaltem eſt irregularis. Quare ut veritas clarius appareat, nota in primis quod adverſantes bene dicunt, ſed male applicant poſtea dicta auctorum in actu practico, & hoc quomam iſta non eſt ultima, neque multum tenuis diæta. qui enim bibunt iſtam decoctionem, ſumunt in die libram unam aquæ decoctionis primæ, quæ aqua eſt ſpiſſa corpulenta, & ſimilatur (quando lignum eſt bonum) ſero lactis, à quo non extractum fuit butyrum, neque partes illæ caſei, quæ remanent. Quare cum ſit ita, iſta potio eſt nutritiva, & facilis digeſtionis propter ſuam ſubtilitatem, & potius dicenda eſt medicina cibalis quam aliter. deinde iſti bibunt per diem & noctem de ſecunda decoctione ad libitum, quæ etſi non ſit ita pinguis, eſt tamen corpulenta, & nutritiva, & hoc docet experientia. neque propter hoc dico, quod diæta non ſit mediocris. quam diætam laudans medicinalem Galenus in *commento ſecundo quartæ particulæ aphoriſmorum*, dixit, quod abſtinentia totum corpus æqualiter purgat. & in *prima particula aphoriſmorum commento nono* dixit, taliter diætandus eſt infirmus, ut virtus conſervetur, & non nutriatur morbus. & in alio loco, infirmis non debet virtus augeri, ſed conſervari, ſed diæta mediocris conſervat virtutem, & tu adde, quod cum medicamen iſtud ſit leve, & paulatim per venas tranſiens, rectificat, reſolvit, & omnes dictas operationes facit. quare ſi multa quantitas cibi cum dicta decoctione admiſceretur, extingueretur ejus vis, & ſic, aut multum debiliter operaretur, aut nihil. & multa alia dicenda ſunt, quæ omnia ſiquis recte inſpiciat, nihil contra dicta prius, vel antiquorum dogmata ſunt. igitur conſiderata virtute, & aliis audacter diætabis. Nota etiam quoniam propter ſudoris, aut urinæ à dicta potione emiſſionem, ſæpe fit conſtipatio ventris, quam rem ſecundum majorem partem non timent medici, ſed bene ſuccurrunt dando quando conſtipatio ventris accidit *pilulas de ſumo terræ, vel aggregativas*, & de aliis ſecundum quod neceſſitas exiget, vel cum electuariis dictis, puta cum *electuario lenitivo, de ſebeſten, de dactylis*, & reliquis, ut dictum fuit in cura per pharmaciam, nam ibi virtutes eorum ſcripſi, ut recte ſecundum opportunitatem ipſis uti poſſis. potes etiam cum clyſtere communi, & aliis, vel cum iſtamet decoctione facere clyſterem, ut in alio cap. dixi, & ſic lenire ventrem, vel cum pulvere dicti ligni movere ventrem, ut ſupra dando drach. iij. aut drach. iiij. vel plus, cum dicta decoctione, vel cum pauxillo brodii diſſolvendo pulverem, & hoc fiat in mane, per quinque horas ante prandium, & in die quo accipitur pharmacum ſolutivum, aqua primæ decoctionis non debet mane ſumi, bene ſumatur in ſero. Et ſic oportet procedere, uſque quo ſigna perfectæ curæ appareant, ſed communiter hoc fit in quadraginta diebus, & plus, ut dictum eſt, ſi ægritudo eſt antiqua, aut virtus debilis. Quod ſi aliquando ægrum cito reſtaurare ſine cibo vis, potus cito reſtaurat, ſed citiſſime boni odores reſtaurant, & hoc affirmat Galenus *ſecundo Aphoriſm. commento* XI.

## CAP. VIII.

*In quo declaratur quod virtus ligni eſt illa, quæ ſanat, & non abſtinentia cibi, & docet perficere curam tam in accidentibus, quam in aliis.*

Multi, qui ad pauca reſpiciunt, auſi ſunt dicere, quod ſanitas quæ ſequitur per potionem dictam, non eſt ab ipſa virtute ligni, ſed à tenuitate diætæ, qui etſi ſine ratione, & experimento hoc dicant, non tamen ſine auctoritatibus antiquorum, una quarum eſt Galeni jam dicta *quarta Aphoriſmorum commento ſecundo*, quia inquit ibi abſtinentia totum corpus æqualiter purgat, & confirmatur hoc auctoritatibus aliis quamplurimis, Averrois *colliget. viij. cap.* 1. dicit, abſtinentia eſt ſpecies evacuationis, & multæ aliæ ſunt auctoritates, quare ne in iſtis nimis ſit prolixus ſermo, ſciendum eſt, quod, etſi diæta æqualiter corpus purget, non tamen omnes humores corporis purgat, ut bene declarat Averroes loco allegato, quoniam unuſquiſque humor per propriam viam evacuatur, & per propria medicamina, non enim quodlibet agit in quodlibet. Immo dico, quod nimia tolerantia cibi ſola eſt mala, quoniam exterminat virtutem, & auget materias frigidas, quæ ſunt baſis iſtius ægritudinis. Sed quid opus eſt rationibus? nonne ego pluries hoc expertus ſum, videlicet regens patientes morbum Gall. ſubtiliſſima diæta per menſem, & per duos menſes, & abſtinere feci multos à vino, & tamen potius deterius ſe habuerunt, quam melius. Virtus igitur ligni ſanat cum cibariis admixta, quoniam aſſidua dictæ decoctionis aſſumptio paulatim maſſam ſanguineam rectificat, & chylum, ex quo ſanguine ita rectificato & per venas tranſeunte, habet infectum rectificare, & ſuperfluitates expellere, & alia facere, ut dixi; quare, &c. Tranſacta ergo quadrageſima die, vel plus in ægritudine antiqua ut dictum eſt, & hic æger non amplius biberit decoctionem iſtam, vel ſi etiam biberit, incipiat paulatim groſſius diætari, id eſt, cum majori quantitate carnis, & panis, ſumatque ovum ſorbile, & bibat vinum pauciſerum lymphatum aqua cocta ſimplici, vel cum re aliqua confortativa ſtomachi, ut ſunt *coriandri*, & ſic paulatim procedat in dies, & revertatur ad naturalem uſum. dico hoc, quoniam ſi per primas dies poſt tempus potionis, comederet quantitatem magnam cibi, & biberet, ſequeretur omnino nocumentum propter duo, unum quorum eſt debilitas ſtomachi, ſecundum quoniam natura non tolerat repentinas mutationes, ut dicit Ariſtoteles. Et quoniam hanc ægritudinem patientes, non omnes ſemper manent in lecto, ſed major pars ambulant, & exercentur, ideo dum bibunt iſtam decoctionem, ſi non poſſunt manere in lecto, ſtent in camera, ambulent, vel ſedeant, poſtquam per tres horas ſumpſerint decoctionem, neque oportet multum corpus laborando defatigare, ſed ludant ludis domeſticis, & gaudeant cum amicis, & in die non dormiant, niſi in nocte propter dolores vel aliquod aliud non dormierint. Conceditur etiam ſomnus diurnus ad provocandum ſudorem, vel ſi haberent ſtomachum debilem, ad revocandum calorem poſt cibum, ſed non ſit nimis longus, & hæc ſatis de regula univerſali ſunt. Puſtulæ vero, dolores, & apoſtemata, & ulcera ungantur circa cum ſpuma dictæ decoctionis primæ, nam confortat membra, digerit materiam, & rectificat, & ſpuma ſit calida, unganturque bis aut ter in die etiam loca dolorosa, quoniam mitigat dolorem. Verum quia medicus eſt adjutor naturæ, ſi aliquando eſſet ulcus cum corroſione, alteratione, vel corruptione oſſis, partem corruptam oportet removere cum inſtrumentis aptis, videlicet, ſcalpro, vel fricatorio, ſi corruptio fuerit ſuperficialis, vel cum melle roſato, ſi tantummodo eſſet minima alteratio, vel denigratio. Hoc idem etiam in ſanandis ulceribus fiat, nam ſæpe ulcera ſunt mala, non obedientia, plena gummi ſive duritiebus albis, quæ dum corrumpuntur, partes ſanas etiam corrumpunt, & ideo procurandum eſt de abſtractione, & mundificatione cum inſtrumentis, ſive unguentis appropriatis, de quibus dicam in cura particularium accidentium, ubi de ulceribus, & unguentis dicam, & ibi docebo modum ſuccurrendi omnibus accidentibus, videlicet puſtulis, doloribus, apoſtematibus, & ulceribus. Et ſcribam etiam de confortatione poſt curam perfectam. Expedit tamen poſt ſanationem per quindecim, aut plures dies confortare ſtomachum, puta cum *aromatico roſato*, vel aliquo alio. Poſtea ſumere pillulas ſecundum accidentia præterita, vel aliquod electuarium cum ſyrupis digeſtivis, ſicut videbitur prudenti medico. Et ſic ego multos ſanavi per iſtam decoctionem, & ulcera aliquando cum unguentis in cura per unctionem dictis, & aliquando cum ſpuma curavi. Immo poſt aſſumptionem dictæ decoctionis per aliquos dies, quoniam non fuerunt ex toto à materia iſta mundati, cum unctionibus junctura rum proceſſi, & ſanati fuerunt. quare tuum erit, cum ſis medicus, ſecundum neceſſitatem omnia moderari cum experimento, & ratione; & hæc ſufficiant.

## CAP. IX.

*De plurimis dubitationibus, & hæſitationibus, quibus viris doctiſſimis de ligni Indici decoctionis exhibitione, ac aliis reſpondit, adjectis inſuper miraculis quibuſdam hujus ligni, quæ hic in calce noſtris antea ſcriptis addi volui.*

Supereſt ſuperius à me antea ſcriptis ad languentium utilitatem, & medentium commodum plurima utilia hic addere; & primum reſponſiones quæſitorum, & dubitationum doctiſſimorum doctorum annotabo, quoniam plurimum languentibus prodeſſe potuerunt, initium ſumens à quæſitis jam antea per multos annos mihi factis; an potio ſcilicet ligni Indici catarrhalibus diſpoſitionibus uſui eſſe poſſit, nulla de morbi Gallici complicatione habita ſuſpicione, præſertim in illis qui habent cerebrum humidum. Ac etiam nunquid hæc medicina ex ligno Indico præparata patientibus podagram ex defluxu materiæ catarrhalis à capite cum cerebri humiditate, & ſenſuum fere omnium obtuſione, prodeſſe poſſit. Quibus reſpondi duos eſſe modos operationis iſtius medicinæ; priorem qui per qualitatem manifeſtam operatur; poſteriorem vero per propriam & complexionalem virtutem. Equidem ſuperius dixi lignum Indicum eſſe calidæ temperiei ſupra ſecundum gradum non plurimum, ſiccæ vero ſupra primum, non tamen ab aliis qualitatibus exſpoliatum, cum ſit mixtum, præſertim à manifeſta humiditate: cui etiam dicebam ineſſe virtutem propriam à forma complexionali, quam virtutem occultam propriam à proprio ſubjecto vocant, cum qua agit occulte in materiam, ſive qualitatem diſpoſitionis morbi Gallici: tametſi apud rationales medicos per manifeſtas ſemper agat qualitates, ex quibus, ut dixi, duos eſſe modos operationis dictæ medicinæ apparet, prior eſt per qualitatem manifeſtam, poſterior per propriam formam. Quare per manifeſtam virtutem medicina ex ligno facta non agit adjuvando niſi in materiam à prædominio frigidam & humidam; quod fit, quoniam in frigida & ſicca (ut eſt melancholia pura, vel non pura, ut in ſephiros & cancro) nullam habet actionem utilem, vel contrariantem, imo exſiccando reddit duriorem, & per conſequens maligniorem; & tametſi lignum Indicum non exſpolietur ab humiditate, cum tamen aliæ qualitates prævaleant, hæc minus agit, ex ea potiſſima cauſa, quia duricies iſtæ primo humiditatem contrariam habent una cum conſervante caliditate. Sed quoniam hæc quæſtio aliam ingreditur quæſtionem, dicta ſatis erunt; & de operatione qualitatis inſequentis propriam formam, quam occultam vocant, dicam; quæ, ut experientia docet, agit contra materiam, & qualitatem morbi Gallici occultam. quæ quidem ligni qualitas cum qualis ſit ignoretur (ſed manifeſtum eſt non ſine caliditate operari) ideo poteſt & in alias qualitates contrarias agere, & diverſos effectus producere, ut eſt provocare ſudorem, & materiam ad vias urinæ dirigere, inteſtina ad excrementorum ventris expulſionem proritare, & alios alterando diverſos effectus producere, atque etiam diverſis ægritudinibus conferre, morbi Gallici conſideratione ſemota. quæ tamen ægritudines cum non pendeant ſimpliciter à materia calida, vel à qualitate tali, ſed materia ſit frigida à prædominio ſi materiales ſunt, vel ſecundum qualitatem ſi immateriales fuerint, hoc idem de conſequentibus tam materiam quam qualitatem dicendum erit, quoniam recte ſentientes in rebus medicinalibus non concedunt ex quatuor humoribus aliquem purum cum pura qualitate alterari, (etſi hoc poſſibile ſit) & ratio eſt, quoniam lignum Indicum præter caliditatem, ſiccitatem etiam ſibi aſſociat, quare primum frigidæ & humidæ tam materiæ quam qualitati contraria eſt medicina; hoc etiam, ſi ſpeculaberis alias qualitates combinando ſecundum proportionis ligni qualitates, ſcies rationale eſſe, lignum Indicum conferre omnibus ægritudinibus phlegmaticis, in quibus non aſſociatur plurima quantitas ſiccorum humorum, ut puta melancholiæ, vel choleræ adurentis, & nimium exſiccantis, & ipſam ad naturam melancholiæ convertentis, vel alia quavis cauſa indurante, ut contingit in ſcrophulis. Sic etiam de immateriali morbo dicere rationale eſt; neque decipior à quibuſdam cauſis calidis materiam frigidam & pituitoſam multiplicantibus, calorem naturalem alicujus membri deſtruendo, ut contingit in hydrope, quomodo hujuſcemodi materiæ & ſi frigidæ ſint, non tamen ab omnibus calidis medicinis regulantur. quippe cum, ut ajebat Ariſtot. non quodlibet agit in quodlibet, ſed determinatum in determinatum cum conditionibus terminatis; & hoc lignum non conferre dictis morbis experimento didicimus. His itaque ſic prælibatis, dico lignum ex ſuis manifeſtis qualitatibus conferre catarrhoſis, ſi materia catarrhalis à prædominio à frigido & humido humore proveneA rit, in quo non alii humores fuerint, vel qualitates calefacientes, & exſiccantes, ſive materiam ad contrariam humorum naturam mutantes. quod ſi caput excrementoſum ex humido humore dominante aliquando fuerit, optimum erit auxilium, purgato corpore, bibitoque decocto per aliquot dies, bis aut ter in hebdomada lavare caput cum ſecunda, aut tertia ligni decoctione, copioſe ſuper caput calida cadente, ad modum duciæ thermarum, ſicque membrum particulare corrigendo procedere oportet, neque in tali decoctione eſt vis, aut qualitas nocens capiti. ex quibus colligere oportet hanc medicinam poſſe aliquibus conferre, & aliquibus obeſſe ex humorum & ſuarum qualitatum diverſitate, atque podagricis opitulari, & obtuſioni ſenſuum prodeſſe, ſi membra cum dicta decoctione lavantur, non tamen podagram, aut ſtuporem membrorum ſanare valet. Et quoniam petunt, ac ſcire volunt, an potio ligni Indici noceat pectoralibus diſpoſitionibus, & etiam ſtomacho & jocinori calido, & quærunt quoque an poſſit dari egredientibus domo, vel clauſis tantum, & B etiam aliquam majorem cibi quantitatem petentibus & vinum, iſtis quæſitis alias ſic reſpondi, videlicet nuſquam vidiſſe decoctum iſtius ligni nocuiſſe capiti, pectori, ſtomacho, aut jocinori, tametſi ſupra dicta membra calida fuiſſent, & eſt rationi etiam conſentaneum, nam cum lignum non ſit in caliditate à temperamento inſigniter elevatum, & ab aliis qualitatibus non exſpoliatum, decoquanturque in ſatis inſigni aquæ fontis quantitate, ita ut ſi aliquam haberet relevationem in gradu caliditatis, ab aqua jam obtundi poſſet, præterea in decocto ligni vis eſt, quæ poteſt vias hepatis obſtructas aperire, quæ obſtructiones ſæpiſſime ſunt in cauſa majoris ipſius caliditatis ſanguine retento, & prohibita ipſius reſpiratione. Idem de pectoris diſpoſitionibus dicendum erit, ſi à craſſis, frigidis, & humidis humoribus gravetur, quoniam ſua caletactione ſubtiliando materiam ad expurgandam eam adjuvat. Eadem ratio erit de ſtomacho, nam ex obſtructionibus, & farctis cruditatibus in venis ipſius, ſi fiat prohibita eventatio ſeu tranſpiratio, humores in venis calefiunt, & membra eos continentia, cui diſpoſitioni ſi detur decoctum hoc, meatus & vias obſtructas aperiet, ſicque erit medicina proC ficua, & minime nocens. bibunt etiam & bibere poſſunt ſine diſcrimine hanc ligni decoctionem qui infecti tali morbo domo egrediuntur, præſertim ſi anni tempus, ut æſtas, & juventus, & infirmorum vires tolerant, & quoque illis qui non tolerant inediam ex ſtomachi diſpoſitione, vel ex conſuetudine, aut alia quavis cauſa, poſſunt medici uſum carnium optimarum concedere, & ova exhibere, moderate tamen, & ubi maxima ventriculi imbecillitas fuerit, vinum dilutum cum ſecunda, aut tertia decoctione, aut cum decocto paſſularum, & cinnamomi exhibeant. quod ſi aliquando vel capitis, vel pectoris, vel ventriculi, vel jocinoris aliquid mali ſupervenerit, ſuccurrant cum medicinis vel ſalſæ perillæ, aut radicis Chynæ. Equidem plurimos ſanavi cum exhibitione electuarii de paſſulis ex ligno Indico confecti ex noſtra inventione, non tantum à diſpoſitionibus capitis, pectoris, ventriculi, jocinoris, & aliorum exteriorum membrorum, verum etiam ab ipſa mala hepatis intemperie; quam in hac lue Gallica morbum primarium recte ſentientes eſſe dicunt, quod hoc modo componi poteſt. Recip. *ligni Indici in ſubtilem pulverem redacti*, D *ac per cribrum ſetaceum cribrati unc. vj. infundatur per noctem in aliqua quantitate decoctionis ligni Indici, & ſit ea quantum lignum per ſe ſugere poſſit, ita ut tota quantitas dictæ decoctionis inbibita in ligno ſit. deinde adde pulpæ paſſularum per ſetaceum cribrum extractæ lib. 1. & pone in lebete lapideo ad lentiſſimum ignem, cum baculo ſemper agitando, donec perfectam electuarii formam acquiſierit*, de quo ſumatur mane, & veſperi quatuor horis ante prandium & cœnam, & à cœna per duas horas ad quantitatem unc. ij. per menſem, aut per xlv. dierum ſpatium. ſiquidem iſta eſt medicina ſanans morbum Gallicum, & etiam accidentia ab eo provenientia, ut ſunt dolores capitis, colli, ſpatularum, & aliarum corporis partium. confert etiam ulceribus faucium, gulæ, & cannæ pulmonis, ſi ſæpe lambendo ſumatur, ſed animadvertant qui eo uti voluerint, vel qui eam ægris dare jubent, quod ſecundum naturam & diſpoſitionem membrorum affectorum melius operabitur ſi cum dicto electuario aliquod medicamen miſceatur, quod membrum affectum reſpiciat, ut puta in dolore capitis addatur *ſach. roſaceum, vel ſyrupus de betonica*, & in pectoris affectibus addatur *ſyrupus de liquiE ritia, vel capillorum veneris*, & in ſtomachi mala diſpoſitione addatur *mel roſaceum, vel conſerva anthos*, ſimiliter in aliis membrorum affectibus præter naturam; atque bis in hebdomada accipiat patiens aliquas pillulas, puta in dolore junCturarum & nervorum, dentur pillulæ à me ſcriptæ, ubi de ſuccurrendis accidentibus morbi Gallici ſcripſi, quoniam

niam ſunt mirabiles, nam dolores antiquiſſimos iſtius morbi ſine controverſia ſanant. in capitis dolore ſint pillulæ aggregativæ, aureæ, Indæ, & ſimiles, & in pectoris affectibus detur *agaricus*, vel *pillulæ de agarico Meſuæ*. Sed in ventriculi malis diſpoſitionibus ſint *pillulæ aloephanginæ*, *maſtichinæ*, *vel de hiera*. præparatur etiam hoc electuarium alio modo, nam *accipiunt lignum Indicum in ſubtiliſſimum pulverem redactum, & per cribrum ſetaceum expurgatum, atque per duodecim horas in decoctione dicti ligni quantum pulvis exſugi poteſt, maceratum, & dimidiam partem ſacchari pulverizati commiſcent, poſtea in cacabo lapideo ponunt ad ignem lentum, baculo ſemper agitando, donec perfectam electuarii formam recipiat*; & ut ſuperius dixi, cum exhibitione dicti electuarii plurimi liberantur à morbo Gallico, & ſuis ſymptomatibus, & ut omnia præ manibus ſint, fingamus patientem morbum Gallicum cum doloribus, & aliis ſymptomatibus qui vult liberari à morbo per exhibitionem hujus electuarii. Primo igitur operæ pretium erit patientem debitis expurgationibus expurgare, ut ſuperius viditi, poſt quam diligentem expurgationem, electuarium ſic præparabis. Rec. *Conſervæ ligni Indici, eo modo quo dixi præparatæ lib.* 1. *paſſularum per ſetaceum cribrum præparaturum unc. iij. ſyr. de betonica unc. iiij. miſce cum piſtillo in mortario ad perfectam permixtionem, & optimam electuarii formam*, de quo ſumat patiens in mane & veſperi ad unam & uſque duas uncias per quatuor horas ante cibum uſque ad terminum quadraginta dierum, addendo ſecundum morbi & accidentium diverſitatem ea medicamina, quæ hepati, & aliis membris affectis præter morbi Gallici conſiderationem opitulari poſſint, ut ſuperius dixi; Et quoniam plurimi ſunt qui ab aliqua apparenti ratione decipiuntur, dicentes quod non eſt utile, neque rationi conſentaneum bibere decoctum ligni Indici, niſi bis in die, mane ſcilicet, & veſperi, & in prandio & cœna; & ratio eorum talis eſt, nam non poteſt ſtomachus decoctionem hanc præparare ſi pluries in die eam accipiant, & etiam ſi ex ea inſignis quantitas ſumatur, ſed potius eam corrumpet, ideo advertant iſti, quod non in omnibus eſt ſtomachi partium componentium ſubſtantia, & robur, unde poſſit quantitatem ingeſtarum rerum tolerare, aut non tolerare, ita ut poſt aſſumpta re calor eam regulare minime valeat, ſed potius non regulata corrumpitur; & è contra ſunt qui ſemper & omnem quantitatem ingeſtarum rerum, & quocunque tempore regulare ſine aliqua alteratione poſſunt; prioribus modeſte exhibenda eſt ligni decoctio, poſterioribus quantum tolerare poſſunt ſine aliqua controverſia, & ſecundum quantitatem, & ſecundum temporis dici partes; ſiquidem potus iſtius decocti agit imprimis per caliditatem & ſiccitatem, & ad vias jocinoris penetrando, urinamque ciendo, atque etiam ſi ad meatus exteriorum partium penetraverit ſudorem provocando, & multa ſuperflua excrementa in vapores converſa per inſenſibilem evacuationem expurgando; neque hic potus eſt tantæ craſſitiei ut neceſſum ſit per plurimas horas in ventriculo forti illum manere, ſi à calore regulari debet, immo cum ſit calidus auget ſtomachi caliditatem, & quamprimum à ſtomacho egreditur, & ad hepar attrahitur, ut id ad mundificationem ſanguinis adjuvet; tranſit etiam cito de ſtomacho ad hepar quoniam fluxibilis eſt materia, quod facile perſuaderi poteſt. ſi quis enim bibentes in comeſtationibus aliquando vidit, utique non ſentiunt ventriculi gravedinem, aut vini intolerantiam, ſed ſedentes bibunt, & urinam emittunt, quoniam à venis meſeraicis ad jecur, & à renibus ſanguinis colamentum ſine temporis multo intervallo fit; id etiam vidimus in bibentibus aquam thermarum, qui ſtatim poſt ejus potum per ſeceſſum, & urinam eam evacuant; & ego etiam in pertinacia diuturni morbi Gallici, dedi decoctionem ligni mane ad decem uſque vitreos cyathos, & quoque inter prandium & coenam quantum bibere potuerunt ad virtutis tolerantiam, & tandem liberati fuerunt, qui non potuerunt ex communi illo modo bibendi liberari; verum in debilioribus oportet caute agere, ſed ſi quis experimento & ratione operatur, non errabit. Ego vero ſæpiſſime dedi decoctum ligni conſumptis, & macilentis, qui tunc temporis à doctis illis, & ſenioribus medicis deſtituti fuerant, utpote quod hecticam ſecundæ ſpecici crederent illos pati, & ſane ratione, etſi enim febris eos non dimitteret, non tamen valida erat, neque arteriæ caliditas ex mora à manu tangentis percipiebatur, neque ab aſſumpto cibo calor augebatur, hi tamen plurimi ex potu decoctionis ligni liberati fuerunt tam à morbo Gallico quam ab aſſidua febre, & etiam ab atrophia, ſive maraſmo, & facti pingues & ſani per multos annos incolumes vixerunt. dedi etiam ligni decoctum pueris, & prægnantibus. Nolo etiam id præterire, vel ſilentio pertranſire, quod morbus Gallicus novus non poteſt nec cito, nec bene cum decoctione ligni ſanari, præſertim ſi cum puſtulis rubeis, & capillorum & pilorum caſu fuerit, vel cum aliis accidentibus ſanguinis mali & choleræ multæ permixtæ apparuerit, vel etiam ſi patiens ſanguineæ fuerit complexionis cum plurima humiditate mala, aut ſaltem calidi jocinoris, inflammabilisque fuerit; etenim in iſtis decoctio hæc nonniſi poſt multum temporis ſpatium prodeſt, puſtulæ, & papulæ, ex potu iſto non exſiccantur, ſed in dies multiplicantur ſubtiliata materia à virtute decoctionis, ex quo quidam auſi ſunt affirmare decoctionem ligni Indici non levare novam hanc ægritudinem, ſed videant iſti ne ſibi id, quod dixit Ariſt. accidat, videlicet quod ad pauca reſpicientes facile enuntiant, ſiquidem ſi qualitatem & virtutem decoctionis cognoviſſent, utique ex qua cauſa puſtulæ, & papulæ multiplicentur, dum dictam decoctionem bibunt, ſciviſſent. Dicatur igitur, quod quoniam decoctio per qualitatem calidam operatur, ſanguinem ſubtiliat, & alios ſibi commixtos humores, qui ſequeſtrati poſtea ad cutaneas partes pelluntur, & quanto decoctum fortius fuerit, ut eſt prima decoctio, tanto magis materiam ſubtiliat, præſertim ſi cum humore cholerico permixta fuerit, aut ſanguineo, nam vehiculum frigidorum humorum bilis eſt, quæ eos ad extremas partes corporis ducit. etenim materia morbi Gallici ut plurimum à prædominio frigida & craſſa eſt, ſubtiliatur autem vel ab humore calido cum ea permixto, vel à virtute calidi medicamenti, ſicque ad cutaneas partes detruditur, unde fiunt puſtulæ, & papulæ, diverſæ ſimiliter à potu aquæ decoctionis ligni Indici ſubtiliantis humores, & mutantis maſſam ſanguineam à proprio temperamento. quare in talibus duæ inſurgunt intentiones, prior eſt humoris bilioſi permixti expurgatio, poſterior ſanguinis per venæ apertionem evacuatio, ita ut poſſint medici judicio exiſtimativo judicare multitudinem malorum humorum bilioſorum, & ſanguinis mali pro majori parte evacuatam fuiſſe, quam ſequatur calidorum humorum imminutio, & hepatis melior temperies; poſt quam ſine hæſitatione exhibere decoctum ægris poſſunt, quod ſit ex duplici quantitate aquæ paratum, & in reliquis ſervent regulam acris, cibi, & potus, & aliarum rerum neceſſariarum, ſiquidem ſic procedendo, omnia recte ſuccedent, ſecus vero facientes in novo morbo cum puſtulis, papulis, & caſu capillorum, aut dentium, vel gingivarum corroſione, vel conſimilium accidentium plurimum laborant & cum maxima difficultate, & temporis longitudine laborantes ad ſanitatem ducunt, neque ex hujus decocti potu jocinoris ſupercalefactionem timere oportet, quoniam temperata eſt medicina, fovens ventriculi, jocinoris, & aliorum naturalium membrorum calorem, atque materiam frigidam cum ſanguine admixtam ad expulſionem præparat, membraque reliqua ſua qualitate humectat humectatione ſubſtantifica; quibus ſic macilentis, & male affectis dandi ſunt cibi ex carnibus & reliquis bene nutrientibus & minime excrementoſis; dandum etiam vinum, quoniam præterquam quod ſpiritus omnes recreat, corpus etiam humectat; ſed in omnibus attendendum erit corporis robori, conſuetudini, & aliis naturalibus ipſius ægri diſpoſitionibus, etenim individuales hominum conditiones non cadunt ſub ſcientifica cognitione. Unum etiam adnotare hic volo, & eſt, quod non ſemper macies eſt ex accenſa in radicalibus membris præternaturali caliditate, ſed aliquando (& ſæpe) fit à craſſa & lenta materia in hepate genita, & per vaſa univerſo corpori communicata, prohibens quo minus cibus, vel alimentum ad nutriendum diſtribuatur, atque in membri ſubſtantiam convertatur, ſicque venis obſtructis, & prohibita reſpiratione facta, putreſcit materia parata, unde calor febrilis ſequitur; & ſæpe non putreſcit, ſed cruda in venis remanet, & ob malam qualitatem ejus à prædominio frigidam & lentam ſequuntur duo mala, prius eſt, quod ſpiritus ab ipſo ſanguine refrigeratus à mala hepatis qualitate cum à corde attrahitur ut ibi perficiatur, eſt minus calidus, & per conſequens minus pro operationibus naturalibus idoneus, tametſi pro aliquibus melior, inſpecta hominis temperatura, ætate, & aliis, ſiquidem ſecundum diverſitatem graduum caliditatis diverſæ à ſpiritibus operationes prodeunt. Poſterius malum eſt quod ſanguis craſſior & frigidior factus, non poteſt aſſimilari, & in ſubſtantiam membri converti, ſed in venis ita excrementoſus manet, donec ſenſim ad aliquas partes corporis natura excrementoſum humorem pellit, & diverſas cauſat diſpoſitiones; quare decoctio hæc optima eſt medicina dictis malis, quoniam imprimis hepar & ejus calorem roborando, & etiam materiam craſſam ſubtiliando, obſtructioneſque aperiendo poteſt lentam illam materiam ad vias ductuum, puta urinæ, vel ſudoris, aut per inſenſibilem quandam evacuationem ducere, ut ſæpe in illis qui decoctionem ligni bibunt videre eſt, qui corpore à ſuperfluis, & malis excrementis expurgato, & obſtructionibus adapertis, atque membris naturalibus roboratis ſanitati reſtituti ſunt, qui poſtea pingues evaſerunt. & quoniam non pauci ſunt homines qui inediam, vel cibi, & potus præcipitam abſtinentiam minime ferre poſſunt, ideo ii non ſunt in mediocri cibi quan-

titate detinendi, ſed dentur illis carnes optimæ, & vinum mediocre iſta decoctione dilutum, etenim plures liberati ſunt ex tota permiſtione decoctionis ligni Indici tam prima quam ſecunda bibita in prandio, & cœna copioſe ſeu liberaliter, comedentes etiam optimas carnes, & exeuntes ad propria munia; ſed qui hac via ſanati ſunt, non brevi tempore, ſed per aliquot menſes uſi ſunt hac regula. Notandum etiam eſt quod infecti ultima infectione morbi Gallici non ſanantur niſi fortiſſimis & ultimis remediis, ut eſt potus dicti decocti cum tenuiſſimo victu, ſcilicet cum abſtinentia à carnibus, & vino; & ideo tam in prandio quam in cœna biſcoctum panem ad uncias tres, & paſſularum uncias duas comedant, modo virtus toleret. Sed quid mihi cum aliquibus ægris aliquando acciderit audi. Homo quidem non dives per plurimos annos paſſus fuit morbum Gallicum cum doloribus, & tumoribus plurimis, neque ullo auxilio unquam potuit ſanari, cum vero ad nos veniſſet, atque percunctaretur nunquid per aſſumptionem decoctionis ligni Indici ſanari poſſet, reſpondi, quod poſſet, qui cum non eſſet dives, emit libram unam tantum iſtius ligni undecim ſcutatis aureis, etenim tunc temporis non erat copia ligni, & ideo plurimi venundabatur; empto igitur ligno, & in pulverem redacto, præparavit decoctum ex aqua, ut fit. quam decoctionem primam & ſecundam cum bibiſſet, non erat illi commoditas aliam ligni ad opus quantitatem emere, quare juſſi ut tertio lignum bulliret, & decoctum biberet, & poſt potum tertiæ decoctionis, juſſi ut iterum lignum ter bullitum decoqueret cum eadem aquæ quantitate, ſicque cum una tantum libra ligni pluries quam duodecim vicibus bullita per ſpatium quadraginta dierum proceſſit, & ſic Dei auxilio cum una tantum libra dicti ligni pluries ebullita ſanitati reſtitutus fuit; fuerunt & alii plures pauperes qui non ſemel, bis, ter, aut quater decoquendo unam libram ligni, aut duas, vel tres, & ejus decoctum bibendo, ſanitati reſtituti fuerunt. Ex dictis colligere poſſumus quod lignum ſuſtinet ut pluries bulliat, & decoctio ex eo virtutem ſanandi etiam habeat, tametſi pluries cum una tantum ligni quantitate facta fuerit; & ſcito quod tanto operatur, vel eſt lignum quod operari poteſt, quanto in decocto, & ſaporem, & odorem aliquem primæ decoctionis ſentimus. at quoniam, ut dictum etiam ſuperius fuit, ultimus hic morbus pertinax eſt, & non poteſt niſi maximis auxiliis ſanari, cum ultimi morbi ultima cura egeant, ſcire te volo, quod ultima cura eſt inunctio juncturarum, eo modo quo ſcripſi, ubi de cura morbi Gallici per unctiones ſanare hunc morbum docui, ad quem redire oportet; & quanquam inunctio ſit fortis cura, poteſt tamen medicus in novo, & levi morbo, cum unctione levi ſanare, ut ſæpe feci in quibuſdam qui devenerant ad caſum capillorum, & barbæ, quos juſſi inungere alternis diebus, vel quarta quoque die, & præſervati à pilorum caſu fuerunt, & multi etiam à corroſionibus dentium, & palati meo conſilio cum levi unctione juncturarum liberati ſunt; neque unguenta cum quibus ſanantur patientes morbum Gallicum ſunt medicamen tanti diſcriminis, ut non poſſimus cum ipſis & prægnantes inungere ſine diſcrimine, ut ſæpe ego feci. Poſtremo hic in calce hujus capitis, viſum eſt mihi optimum fore, ſi ad languentium utilitatem, & juvenum medentium inſtructionem aliquid de decoctione ligni ex vino & aliis rebus additis, ut eſt *cortex ipſius*, *ſtœchas*, *betonica*, & aliæ ſimplices non paucæ medicinæ, ſcripſero, cum non deſint difficultates an rationabiliter talis ex vino decoctio dari poſſit. quibus hæſitationibus ſic alias reſpondi, lignum decoctum ex vino, & aliis additis dari poſſe in morbo Gallico antiquo in aliquibus ægris robuſtis, non conſumptis conſumptione ultima, nec febrem patientibus, aut anhelitus difficultatem ex nimia ſiccitate; Sed in morbo recenti, & novo nullo modo tuto dari poteſt, cum nimis materiam morbi ſubtiliet, & ad cutaneas partes moveat, ex qua cauſa augentur aliæ, & aliæ puſtulæ, & materia pilorum corrumpitur. itaque citius ad caſum capillorum, & pilorum deveniunt, & aliorum accidentium, quæ ex cauſa acuente maſſam humoralem ſuperveniunt, ſed datur tuto in morbo antiquo cum doloribus, tumoribus, & malis ulceribus. Modi vero præparandi decoctum ligni ex vino, & aliis, diverſi ſunt, & ideo diverſos modos præparationis dictæ decoctionis ſcribam, & primo. Recipe *ligni Indici in pulverem redacti unc. vj. corticis ipſius unc. iij. vini albi montani medii ſaporis, aquæ fontis vel putei an. lib. vij. infundantur per diem, & noctem, deinde bulliant in cacabo lapideo cooperto ad conſumptionem tertiæ partis, & refrigerata per pannum lini coletur, ſerveturque in vaſe vitreo ſeu vitreato, deinde iterum ſuper pulverem, qui ſemel ebulliverit, tantundem vini, & aquæ pone, quantum in prima decoctione poſuiſti, & iterum bulliat ad conſumptionem tertiæ, & refrigerata coletur, ſerveturque in alio vaſe vitreo.* Modus vero ſumendi hanc decoctionem eſt talis, mane in aurora bibat cyathum unum, octo, aut decem unciarum ex prima decoctione calida, & immediate poſt comedat paſſulas ad quantitatem unius, aut duarum unciarum, & in lecto manens coopertus culcitra, vel aliis pannis ſi fieri poteſt ſudet per duas horas, deinde tranſactis quinque, aut ſex horis, ſumat prandium, quod erit ex tribus, aut quatuor unciis panis biſcocti, & duabus unciis paſſularum; & potus ſit ex ſecunda decoctione ad libitum, bibatque ſi libuerit ex ſecunda decoctione ante prandium cyathum unum per tres horas poſt primam, & quieſcat poſt primam decoctionem per tres horas: A prandio vero ſeptem horis detur iterum cyathus ex prima decoctione calida, & paſſulas poſt potum, ut ſupra dixi, comedat, atque in lecto cooperto pannis maneat, & ſudet per duas horas, deinde tribus, aut quatuor horis poſt cœnet, & ſit cœna levior prandio, ut puta portio panis biſcocti ad duas uncias, & paſſularum ad unciam unam, cum dimidia, & bibat ex ſecunda decoctione cyathum unum octo unciarum, plus etiam ſi libuerit; ſed in omnibus modus obſervandus eſt, tempus vero bibendi ſit menſis, qui, ſi morbus pertinax fuerit, bibat uſque ad quadraginta dierum terminum. at ſi interim, dum hæc decoctio bibitur, alvus adſtricta fuerit, utatur clyſtere communi horis matutinis ante prandium, vel ſumat ſemel in hebdomada *decoctum dimidiæ unciæ ſenæ, & duas uncias paſſularum* quatuor horis ante prandium, aut ſumat pillulas noſtras in cura accidentium ſcriptas, maneatque domi, & caveat ab aëre frigido, & à corporis laboribus. qui modus ſumendi decoctum vini ex ligno eſt levis, & etiam ſine diſcrimine dari patientibus poteſt. quod ſi patiens & morbi diuturnitate, & malitia, & propriarum virtutum imbecillitate præſcriptam diætam tolerare non poterit, detur ei tam in prandio quam in cœna portio carnis pullorum, aut vituli, vel hœdi lactentis, vel dentur turdi, aut merulæ, vel perdix. ſimiliter ſi à pane biſcocto ex conſuetudine abhorruerit, detur panis ſemel coctus ex jure parvi pulli, vel dictarum carnium, ſicque omnia moderentur ſecundum ægri tolerantiam. Alia ligni Indici præparatio ex vino, & aliis quæ ſanant morbum Gallicum antiquum cum doloribus, & duris tumoribus, atque malis ulceribus & reliquis accidentibus. Rec. *ligni Indici pulverizati lib.* I. *corticis ipſius unc. iiij. Aquæ fontis lib.* X. *infundantur per viginti quatuor horas, deinde in lebete lapideo bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, poſt quam ebullitionem adde in ea yvæ, betonicæ, cardui benedicti, ſtoechados, hypericonis ana manipulum medium, calami aromatici, radicis lauri contuſæ ana unc. s. radicis arthanitæ contuſæ unc. j. & iterum bulliant ad conſumptionem ſextæ partis. poſtea adde lib.* VI. *vini albi optimi, & iterum bulliant bullitione una, & refrigerata colentur, colaturamque in vaſe vitreo ſerva*, de qua patiens ſumat mane in aurora ad quantitatem octo, aut decem unciarum, ita ut calida ſit, & poſt potum comedat duo cochlearia paſſularum, ſtetque quinque horis, deinde prandium ſumat, ſimiliter & veſperi quinque horis ante cœnam, & in lecto coopertus maneat per duas horas ut ſudet, ſi fieri poteſt. ſed ſuper res quæ ſemel bullierunt *pone de novo lib.* X. *aquæ fontis, ac vini albi optimi lib.* VI. *& iterum bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & poſt refrigerationem cola, & in vaſe vitreo ſerva*, de qua bibat æger in prandio, & cœna ad libitum, pro modo conſuetudinis, & tolerantiæ, cibus vero ſit, ut dictum fuit, ex pane biſcocto ad uncias tres, vel quatuor, una cum unciis duabus paſſularum, quod ſi æger non poterit ſine carnis comeſtione tranſire, detur portio aliqua carnis parvi pulli, aut aliarum optimarum carnium, in reliquis vero ſervetur regula, & ordo, quem ſervant bibentes decoctionem ligni Indici factam ex aqua tantum. Alius modus præparationis decoctionis ligni Indici ex vino, quæ eſt medicina ſolutiva ſanans morbum Gallicum antiquum cum doloribus & apoſtematibus duris, atque malignis ulceribus. Rec. *ligni Indici ſubtiliſſime pulverizati unc. viij. corticis ipſius uncias iiij. vini albi montani lib.* XXIII. *miſce & confundantur per vigintiquatuor horas, poſtea bulliant in cacabo lapideo cooperto ad lenem ignem ad conſumptionem tertiæ partis, & poſt refrigerationem, & colaturam ſervetur in vaſe vitreo, in quo pone foliorum ſenæ pulverizatæ, hermodactylorum ana unc. iij.* & dimitte ſic omnia in dicto vaſe, & utere ea hoc modo videlicet concuſſo, vel agitato vaſe, ut pulveres cum decoctione permiſceantur, accipiat patiens uncias quatuor, vel ſex dictæ decoctionis mane in aurora calide, & ſex horis poſt ejus aſſumptionem, prandium accipiat, quieſcat reliqua diei parte, veſperi quatuor horis ante cœnam tantundem dictæ decoctionis bibat, non tamen veſperi vas agitetur, ut decoctio non ſit ſolutiva, ſed clara, ſine permiſtione pulverum horis veſpertinis bibatur, cibus autem ſit, ut ſupra, ex pane biſcocto cum paſſulis, deturque quotidie in morbo magno difficili per menſem, & ſi opus fuerit etiam per ſpatium quadraginta dierum, vel quinquaginta etiam in morbo pertinaci. Alia ligni Indici decoctionis deſcriptio, quæ & ipſa ſolutiva eſt valens ad morbum Gallicum antiquum cum doloribus, tumori-

moribus, ulceribus, & reliquis accidentibus morbi Gallici antiquis. Recipe *ligni Indici pulverizati lib.* I. *cyperi, calami aromatici, ſtœchados, yvæ arthriticæ, polypodii ana unc. ſ. colocynthidis drach. iij. vini montani albi lib.* XXVI. *conſundantur per horas xxiiij. deinde bulliant in lebete lapideo cooperto lento igne ad conſumptionem tertiæ partis, & poſt refrigerationem cola, & ſerva in vaſe vitreo*, de qua dentur patienti mane unc. iij. vel unc. vj. ſi patiens fortis fuerit. empirici vero hanc, & conſimilem decoctionem exhibent bis in die ſcilicet mane in aurora, & veſperi quinque horis ante cœnam, quod mea quidem ſententia non eſt ſine maximo diſcrimine, ſed ſatis, & non ſine ſuſpicione erit ſolutivum ſemel in die bibere, veſperi vero bibat ligni decoctum ſine colocynthide, comedat æger ex optimis carnibus, bibatque vinum dilutum cum aqua decoctionis cinnamomi, & hoc per menſem, vel in maximo morbo per quadraginta dies, vel per duos menſes. Sunt & alii quamplurimi modi præparandi ligni Indici decoctum, ſed non omnes hic annotare volui, etenim unusquiſque rationalis medicus poterit diverſa ſimplicia ſecundum diverſorum accidentium exigentiam cum ligno imponere, ut puta *cichoreum*, & *endiviam*, ubi timuerit ne hepar à caliditate medicamentorum, vel ab alia cauſa patiatur. & ſi refrigerationem timuerit, *eupatorium*, *abſinthium*, & *agrimoniam cum ligno bullire poterit*, & in ſplenis tumore *ceterach*, & *tamariſcum*, & in anhelitus difficultate *ſcabioſam*, *byſſopum*, & *mel*, ſicque ſuccurrere poterit, ſeu contraoperari diverſis accidentibus. Sed ſi quis plurimas alias præparationes medicinæ ex ligno Indico factæ, ſcire deſiderat, legat noſtras medicinales epiſtolas, præſertim illam quam ad Excellent. D. Joannem Baptiſtam Pantinum ſcripſi, in qua de depilationibus, & gingivarum corroſionibus, atque caſu dentium in tali morbo & aliis diſpoſitionibus diverſa remedia inveniet. legat etiam in *ſexto tractatu* ea quæ *de remediis caſus pilorum*, *gingivarum eroſionibus*, & *de caſu dentium* ſcripſi. Hæc itaque dicta ſatis erunt de medicinali ligni Indici præparatione, & ad dubitationes reſponſione, quæ ſummatim hæc continent, decoctum ligni Indici dari poſſe ſine tenui victu, & egredientibus ad communia munia, pueris, & prægnantibus. item diverſos eſſe præparationis modos diverſis cum ligno quibusdam ſimplicibus additis, atque loco aquæ in vino coqui, ita ut poſſit medicus ex ligno, & aliis diverſas medicinas componere ut dixi, ſed non dictas tantum, verum & alias, ex ligno & ſalſaperilla, & radice chynæ, ac etiam cum rebus ſolventibus ventrem potum facere. de qua ſalſa perilla, & radice ejus quæ ad hunc morbum proficuæ inventæ ſunt noſtris iſtis temporibus, poſt hac ſermo erit, ſed cum plurima ſuperius ſcripta ex literis quas ad Excell. Petrum Carnicerium, & alios celebres medicos à me ſcriptis fuerunt, ſelegiſſem, & videam proceſſum illarum plurimum initiatis medicinæ prodeſſe poſſe, & etiam plurimæ inſtructionis fore, ideo univerſum proceſſum illarum hic ſcribere ſtatui, & tametſi plurima ſuperius dicta repetita erunt, non ingrata tamen fore judicavi, etenim in ardua, & difficili hac lue, decies repetita juvabunt. ſeries igitur ſcriptarum literarum hæc eſt. „ Legi, & quidem libentiſſime, quas ad me dediſti literas, „ quæ mihi non (ut ſcribis) admirandi, ſed lætandi, gra- „ tulandique occaſionem dederunt, etenim amari, coli, „ complecti, ac denique à viro literatiſſimo laudari jucun- „ diſſima (ut ait Cicero) laus eſt, ſed, mi Petre doctiſ- „ ſime, veniam dabis, ſi tuis tumultuariis literis, inſtan- „ te clariſſimi Cæſareæ majeſtatis oratoris à ſecretis ſcri- „ ba, quamprimum non reſpondi, eo maxime cum te „ non ignorare credam, me in negotioſiſſima urbe nego- „ tiis medicinalibus detentum, negotioſiſſimum ſine tem- „ poris intermiſſione medicum eſſe, omitto familiaria ne- „ gotia, quæ quantum literis contrarientur, doctis aper- „ tiſſimum eſt. ſed illud magis animum ab hoc ſcribendi „ munere revocabat, quod circa anatomicas quaſdam ag- „ greſſiones his præteritis diebus fuerim, & cadavera quæ- „ dam diſſecaverim, ut quibuſdam à me ſcriptis anatomi- „ cis aggreſſionibus ultimas manus imponerem, inſtantibus „ quamplurimis amicis, ſed quicquid de his ſit, quantum „ in me erit, tuis petitionibus ſatisfacere quam breviſſime „ potero conabor. Primumque te deſiderare ſcire ſcribis „ quam habeam experientiam ligni Indici decoctionis in „ catarrho, nulla habita ſuſpicione de morbi Gallici com- „ plicatione, & maxime in illis, in quibus cerebrum à „ temperamento per humidum declinat, cum duas con- „ trarias opiniones de hac materia adiveris, quarum alte- „ ra multum capiti illam conferre affirmat, altera ipſi ca- „ piti nocere aſſerit, idemque ſcire cupis in podagra ex „ defluxu catarrhi cum cerebri humiditate, & ſenſuum „ fere omnium obtuſione, quali etiam regimine tales re- „ gendi ſint. Quod vero ſecundo te deſiderare oſtendis, „ eſt an potio ligni Indici danda ſit egredientibus domo, „ vel clauſis tantum, & qualem ordinem in victus ratio- „ ne, in ſudore, & tempore debere eſſe credam. Poſtre- „ mo non ſine hæſitatione quæris nunquid decoctio ligni „ Indici noceat hepati, ſtomachoque calido, & quo pa- „ cto præcavendum ſit in talibus, ne iſta lædantur mem- „ bra, quomodo etiam conferat pectori, experimento à „ me petis. Quæ dubia etſi majorem doctrina, experi- „ mentoque virum expoſtularent, attamen ut tuis juſtis „ petitionibus morem geram, quid in ipſis ſentiam au- „ dies, quibuſdam imprimis ad hoc facientibus poſitis an- „ notationibus, quarum prima eſt. Lignum Indicum ex „ noſtris annotatis in libello de morbo Gallico eſſe com- „ plexionis calidæ ultra ſecundum gradum non multum, „ ſiccæ vero ſupra primum, non exſpoliatum ab aliis qua- „ litatibus, cum ſit miſtum, & maxime ab humiditate ma- „ niteſta, cui etiam ligno ineſt virtus à propria forma, ſi- „ ve complexione formali, quam virtutem à tota ſubſtan- „ tia proprietatem appellant, cum qua agit occulte in ma- „ teriam, ſive qualitatem Gallicæ diſpoſitionis, quamvis „ per manifeſtas certiſſime apud rationales agat. Ex qui- „ bus infertur duos eſſe modos actionis dictæ decoctionis, „ priorem per qualitatem manifeſtam, poſteriorem per pro- „ priam, & occultam qualitatem, quare per manifeſtam „ virtutem decoctio non agit adjuvando niſi in materiam „ à prædominio frigidam & humidam, & hoc eſt verum, „ quoniam in frigida & ſicca (ut eſt melancholia pura, vel „ non pura) ut in ſephiros, & cancro, nullam habet a- „ ctionem contrariantem, immo exſiccando reddit illam „ duriorem, & per conſequens maligniorem. quoniam „ etſi non exſpolietur ab humiditate, attamen cum aliæ „ qualitates prævaleant, iſta minus agit, cum iſtæ duri- „ ties habeant contrariam humiditatem primo, cum cali- „ ditate conſervante. ſed quoniam iſta quæſtio ingreditur „ aliam quæſtionem, ideo ne ſim tuæ excellentiæ meis „ ſcriptis moleſtus, de operatione qualitatis propriæ con- „ ſequentis formam, quam occultam dixi vocari, reli- „ quum eſt dicere de illa, quæ experimento agit contra „ qualitatem, ſive materiam morbi Gallici occultam. quæ „ quidem qualitas ligni cum ſit ignota qualis ſit, ſed be- „ ne notum, illam non ſine caliditate agere, ideo poteſt „ & in alias qualitates contrarias agere, & producere di- „ verſos effectus, ut eſt provocare ſudorem, & materiam „ ad vias urinæ dirigere, & ſic de aliis, & etiam diverſis „ ægritudinibus conferre, morbi Gallici conſideratione „ ſemota, quæ tamen ægritudines non pendeant ſimpliciter à materia calida, aut qualitate tali, ſed ſint frigidæ „ ſecundum prædominium materiæ, ſi materiales ſunt, „ & ſecundum qualitatem ſi immateriales fuerint. ſic etiam „ dico de conſequentibus tam materiam quam qualitatem, „ quoniam recte ſentientes in reous medicinalibus non con- „ cedunt ex quatuor humoribus aliquem purum cum pu- „ ra qualitate alterari, & ſi hoc poſſibile ſit, & hoc ideo „ quoniam lignum ultra caliditatem ſibi etiam ſiccitatem „ aſſociat, quare primum frigidæ, & humidæ tam mate- „ riæ quam qualitati contraria eſt medicinæ. ſic etiam ſpe- „ culaberis combinando alias qualitates ſecundum propor- „ tionem ligni qualitatum, & ſic ſcies rationale eſſe li- „ gnum Indicum conferre omnibus ægritudinibus phlegma- „ ticis, in quibus non aſſociatur multa quantitas ſiccorum „ humorum, utputa melancholiæ, vel choleræ adurentis, „ & nimium exſiccantis, & ipſam ad naturam melancho- „ liæ convertentis, vel alia quavis cauſa indurante ut con- „ tingit in ſcrophulis, ſic etiam dicere de immateriali æ- „ gritudine libet. Neque decipior, à quibuſdam cauſis ca- „ lidis multiplicantibus materias frigidas deſtruendo calo- „ rem naturalem alicujus membri, ut contingit in hydro- „ pe, quoniam tales materiæ, etſi frigidæ ſint, non re- „ gulantur ab omnibus medicinis calidis, cum teſte Ari- „ ſtotele, non quodlibet agat in quodlibet, ſed determi- „ natum in determinatum, & experimento etiam comper- „ tiſſimum non conferre ſit. Iſtis breviter prælibatis, Pe- „ tre doctiſſime, cogitoſces primo lignum Indicum ex ſuis „ qualitatibus manifeſtis conferre catarrhoſis, ſi materia „ catarrhalis à prædominio ex frigido, & humido humo- „ re provenerit, in quo non alii humores, vel qualitates „ exſiccantes, aut inflammantes, ſive mutantes materiam „ ad contrariam naturam humoris conveniunt. quod ſi ca- „ put humidum quandoque invenio, jubeo lavari ipſum „ ad modum duciæ thermarum bis aut plus in hebdoma- „ da cum tertia decoctione ligni dicti, facta cum minori „ aquæ quantitate, ſicque membrum articulare fovens „ ipſum corrigere ſtudeo. de victus autem ratione cum „ ſis medicus, & ut audio celeberrimus, non ignoras „ quantum conſuetudo poſſit, quantumque immutatio „ ipſius noceat ex Hippocratis dictis in *libello ſecundo de ratione victus*, & ideo quandoque plus cibi, & vini ali- „ quantulum aliquibus multum comedentibus bibentibus- „ que, aut aliqua cauſa movente concedo, quibusdam „ minime, inſpecta & vini humectatione, & vaporatione „ ad caput. quod vero hæc decoctio humido capiti confe-

„ rat, rationale eſt, & etiam expertum, cum ſiccitas humiditati contrarietur. Sed fortaſſe petis nunquid noceat capiti, ut allium, & cepæ faciunt, quod non poſſum credere, cum nulla acuitas, vel evaporatio in tali decoctione reperiatur. ſimiliter dico de pectore, cum non exſpolietur ab aliqua humiditate leniente, & ejus caliditas non multum tranſcendat temperamentum. neque te doctiſſimum latere credo catarrhales ægritudines chronicas eſſe, quæ non ſervant materiam ad unam criticam evacuationem, etſi quandoque ſymptomatice permutet ipſam natura. Ideo eget ipſa materia aſſidua alteratione, diuturnaque, ut præparata à virtute poſſit aliquo modo expelli, ſive ſenſibilis fuerit expulſio, ut per urinam, & ſudorem, vel feceſſum, aut per evaporationem inſenſibilem, quare laudo etiam in iſtis ſudorem, dummodo corpora ſint robuſta tolerantia ipſum, neque ſequatur ſpirituum reſolutio, ſed, quod & mihi ſemper mirabile fuit, petis, videlicet de podagricis, nam deberet certe ratione materiæ in frigida podagra conferre podagricis, ut ſæpe experientia vidi contuliſſe, ſed non ab ea liberare. quare anxius ſæpe in hoc, cogitavi B nunquid hoc in aliquam cauſam manifeſtam poſſem reducere, cum data podagricis decoctio ligni allevet dolorem, abbrevietque paroxyſmos, non tamen ex toto liberet. quare dicebam ego in podagra duplicem eſſe materiam, videlicet frigidam & humidam phlegmaticam, quæ ſparſa per meatus tendit ad juncturas, & imbibitur in ipſis, & materiam aliam phlegmaticam magis exſiccatam & alteratam alteratione contraria, puta ad calidum & ſiccum, vel ad ſiccum tantum cum frigiditate quæ etiam reſidet in membro doloroſo, & à membro alio mittitur, quare pro parte competit ratione contrarietatis, & pro parte minime contrariatur, cum à ſimili non fiat actio notabilis, quanquam ſimile non in omnibus ſit ſimile, & ideo poteris dare ipſam, & ego darem, ſi illum cum ſenſuum fere omnium obtuſione regerem, ut fecerunt quamplurimi ex ſenioribus noſtræ urbis medici, qui conſuluerunt cuidam nobili viro Veneto ipſam ligni aquam bibere, inter quos, & ego interfui, dum de tali aquæ aſſumptione ſermo factus eſt, non tamen mea fuit opinio ipſum poſſe liberari. Caſus C talis fuit. Clariſſimus, nobilis', ætatis conſiſtentiæ, complexionis ſanguineæ, à juventute enim cœpit labi in auditus, viſus, & odoratus defectum, qui lapſus tractu temporis deterior apparuit. qui cum audiſſet lignum Indicum conferre chronicis quibuſdam ægritudinibus, voluit in hoc medicos conſulere, qui, ut ſim brevis, ipſi conſuluerunt, ut omnimodo acciperet iſtam ligni decoctionem, ſperantes pro majori parte ex ipſa bene illum ſe habiturum. quidam tamen nullo pacto ipſam aſſumi debere ajebant, quoniam maximi mali ex ipſa potione periculum imminebat. ego vero (ut dixi) dicebam minime poſſe nocere, immo opitulari, ſed non credebam poſſe ex toto liberari. qui tamen audita concluſione de aſſumptione pro majori parte ſine diſcrimine, bibit ipſam decoctionem cum tenui diæta, & domi manſione, & tranſacto tempore potus, non abſolutus, ſed allevatus ſibi ipſi viſus eſt, videlicet ſe melius audire, videre, & odorare affirmabat. qua allevatione viſa, iterum dicebat ſe velle decoctionem aſſumere. Poſſem & ſcribere quæ acciderint domino Galeot- D to Malateſta militi nobili & ſtrenuo, qui poſtquam reverſus eſt ex caſtris Viennæ contra Turcarum Imperatorem, mecum conqueſtus eſt de quodam brachii dolore, & alterius cruris, quem dolorem ſibi accidiſſe affirmabat ex æris loci frigiditate, cum alioqui ſanus fuiſſet, etenim Juvenis triginta annorum circiter erat, calidi & ſicci cordis, & hepatis, ſed humidi & calidi cerebri. qui cum multa ſe egiſſe in evacuando, conſilio plurium medicorum, quæ nihil contulere, dixiſſet, me conſuluit, nunquid bonum ſibi eſſet, aquam ligni ſumere in tali, ſine ſpe, dolore, cum indicaſſem ipſum etiam frigidi ſtomachi, multiplicantis multum de phlegmate vaporante ad caput, & ad nervos illarum partium doloroſarum tranſmiſſo, juſſi factis evacuationibus quibusdam, illum ſumere aquam, etſi nullam haberem morbi Gallici ſuſpicionem. in quo potionis tempore & tenuiſſima uſus eſt diæta, manens in lectulo, nihilominus per menſem nihil contulerat. quo viſo juſſi ex tertia ligni decoctione illum lavare bis in die membra doloroſa ſcilicet mane & ſero, & ad modum duciæ ſuper membra calida exiſtente decoctione cadere. qua lotione facta cœpit melius ſe habere, & tandem liber receſſit ab urbe Veneta. & ne te in iſtis morer, ad id quod tota mente petis, redeo, quod erat an egredientibus domo aquam exhibeam. cui dubitationi reſpondeo, quod cum non diverſa ſit ratio in aëre ab aliis non naturalibus rebus, cum ſæpe dixerit Galenus, quod regimen debet proportionari in omnibus, ideo cum aqua calefaciat, moveatque per ſudorem & urinam & feceſſum quandoque ſenſibiliter, & etiam inſenſibiliter per evaporationem, & hoc aër frigidus conſtipans, & obturans eſt contrarius operationibus dictis. quamobrem quando ægritudo eſt magna, corpusque ſtrictorum poſorum, & tempora frigida, aut aër conſtipans, ſive obturans, nullo modo exire illum domo conſentio, imo in lectulo manere jubeo. quod ſi ægritudo parva fuerit, & corpus ſit bonæ habitudinis, tempusque calidum, utputa in æſtate, do ipſam etiam illis qui domo egrediuntur, obſervata tamen regula in ſudore, & diæta, quibus etiam quantum poſſunt bibere ut bibam præcipio, maxime inter diem. & ſic multos liberavi, qui etiam ſumpſerunt aquam exercentes omnia negotia prætorii, forique, & manualia exercitia, neque unquam vidi ipſam decoctionem nocere hepati, aut ſtomacho, aut pectori, tametſi calidiſſima iſta fuiſſent membra, quod rationale eſt, etenim ex mea rationali ſententia audiſti non multum à temperamento elevatam eſſe ligni virtutem, neque expoliatam ab aliis qualitatibus. Et cum lignum decoquatur in aqua, ſi aliquam haberet elevationem caliditatis in gradu aliquo, aqua ipſam retunderet, deinde aperit vias hepatis obſtructas. quod accidens ſæpe eſt in cauſa majoris caliditatis ipſius, retento ſcilicet ſanguine. ſic etiam de pectore dicendum erit ſi pectus gravetur quibusdam materiebus craſſis frigidis, nam ſua ſubtiliatione cum calefactione, lenitioneque, & actuali humectatione, ipſi prodeſſe ſæpe expertus ſum, & maxime cum electuario de paſſulis ex dicto ligno facto, quo frequenter utor in Gallica diſpoſitione. quod cum ita ſit, nullam unquam præcautionem feci, etenim ſi aliquando ſuſpicio hæc mihi contigiſſet, optima præcautio fuiſſet mihi, hepar & ſtomachum epithemare cum *decoctione aut ſucco endiviæ, cichorei & labruſcæ*, vel ex æquivalentibus, utputa inungere hepar, & ſtomachum cum *unguento ſantalino, & oleo roſaceo*. Verum quoniam ſæpiſſime viſum eſt, decoctionem ligni datam patientibus ægritudinem Gallicam novam cum puſtulis, in quibus ex rubore & aliis ſignis, ſanguinis mali & choleræ admixtio multa apparet, vel etiam ſi patientes ſanguineæ complexionis cum humiditate mala ſunt, aut ſaltem calidi hepatis, inflammabilisque, non conferre ipſis niſi poſt multum temporis ſpatium, immo viſum eſt in talibus, puſtulas non exſiccari, ſed potius multiplicari quotidie. Ideo aliqui auſi ſunt affirmare decoctionem ligni non ſanare ægritudinem novam, ſed hæc iſtis acciderunt, ut dixit Ariſtoteles, videlicet quia ad pauca reſpicientes de facili enunciant. etenim ſi cognoviſſent qualitatem decoctionis, & virtutem, ſciviſſent rationem afferre, quænam ſit cauſa cur puſtulæ multiplicantur in habentibus puſtulas dictas morbi Gallici, dum bibunt dictam aquam decoctionis ligni. quare notare convenit, quod cum decoctio iſta calida ſit, acuit ſanguinem malum, & ipſum ſubtiliat, & quanto aqua fortior eſt, utputa prima decoctio, tanto magis ſubtiliat, & materiam morbi Gallici choleramque, & ſanguinem, qui eſt vehiculum materiei venientis ad cutem, cum materia, quæ eſt baſis, ſit frigida & craſſa, & per ſubtiliationem aliorum humorum, vel medicamina ſubtiliatur, ita quod ad cutim ducitur, unde fiunt puſtulæ. ſic etiam contingit ex potu dictæ decoctionis in puſtuloſis, quoniam ſanguis mutatus eſt à proprio temperamento. & ideo ego in iſtis duo ſemper intendo, videlicet evacuationem choleræ malæ per pharmacum, & ſanguinis per venæ ſectionem, ita ut poſſim judicio aliquo conjecturabili, & ſanguinis multitudinem, & choleræ etiam evacuatæ cognoſcere. ad quas evacuationes (quas multis vicibus facere oportet) ſequitur hepatis temperamentum. Et tunc do eis ligni decoctionem debilem, puta factam cum dupla majori aquæ quantitate, quam communiter in aliis faciam, obſervoque regulam in omnibus, videlicet in aëre, cibo, & aliis, & ſic bene ſemper mihi ſucceſſit. qui vero dant ipſam decoctionem fortem, & ſine iſtis evacuationibus, tam ſanguinis mali, quam choleræ in nova ægritudine cum puſtulis, vel aliquo tali, laborant incaſſum, aut parum infirmis proſunt, vel ſi ſanant in maximo temporis ſpatio id faciunt. quare nullam aliam alterationem in hepate ex ipſa decoctione calefaciente cognovi, niſi id quod dixi de puſtulis, & ulceribus inflammatis in nova ægritudine, E quæ in talibus ex potu multiplicantur ex rationibus dictis. Hæc ſunt mi Petre doctiſſime, quæ tibi negotioſus Maſſa morem gerens, currenti calamo ſcribere breviter, ſuffurato tempore, volui, exiſtimans me ingenuum ingenuo viro ſcribere, quod ſi quid non adamuſſim expreſſerim, tua Excellentia non dedignetur aut ex ſe corrigere, aut mihi per literas ſignificare, ut clarius ſcribendo mentem meam tibi ſignificem. vale, & tuum Nicolaum Maſſam, quem cognitum, & non viſum tan-

„ topere

„ topere amare ex tui ingenui animi bonitate ſcribis, ama-
„ re non deſiſtas. Hæc mihi ſcribenti, viro doctiſſimo dubitanti, tumultuario ſtylo occurrerunt, ſed quoniam paucæ aliæ dubitationes extant in tali cura morbi Gallici, quæ ſæpiſſime inter medicos dubitationes non paucas, & quæſtiones ſuſcitare conſueverunt. Ideo ne amplius noviter medentes ancipites ſint, ex eis quaſdam utiliores huic noſtræ epiſtolæ adjungere non ingratum fore judicavi. Quarum prima eſt, nunquid danda ſit aqua patientibus ægritudinem Gallicam cum totius corporis maraſmo, ſive carnis conſumptione, ut ſenectutis hecticam poſſet quis hos pati credere, cum in iſtis (ut ſæpiſſime vidi) non ſolum ex ipſa carnis conſumptione hoc ambigendum ſit, verumetiam ex conditionibus pulſus hoc idem judicare ſuadeamus, cum ſit parvus, frequens, durus, debilis, manens ſecundum unam diſpoſitionem, ſed in iſtis non eſt illa caliditas major ſucceſſiva, dum manus ſuper pulſum per aliquod tempus notabile moratur, nec etiam in talibus vidi eos poſt cibum per duas horas, & plus, & minus ſupercalefcere, quæ omnia accidentia hecticam febrem inſequi ſolent. Cui dubitationi reſpondere ſæpiſſime ſoleo, dandam proculdubio eſſe aquam decoctionis ligni, quoniam etſi non ſine caliditate agat, caliditas ejus tamen non excellens eſt, ſed eſt parum ſupra naturalem caliditatem, & ideo fovet calorem innatum, qui eſt naturæ inſtrumentum, digeritque materias frigidas ſanguini admixtas, & per quantitatem potionis membra humectat humectatione ſubſtantifica, & non madida. Et ideo in iſtis oportet aperire oculos & facere iſtam ligni decoctionem cum majori aquæ quantitate. dare etiam oportet cibaria boni nutrimenti, & paucarum ſuperfluitatum, reſtaurantia, & augentia humiditatem naturalem. dandum eſt etiam vinum, quoniam eſt de illis quæ humectant, naturalem humiditatem reſtaurando, ſed in omnibus conſuetudo, & corporis robur, & alia conſideranda ſunt, quoniam individuales conditiones non cadunt ſub ſcientifica cognitione. Neque turbentur ex dictis rationales medici, quoniam tametſi macies, & alia enarrata in aliquibus patientibus morbum Gallicum ſæpe inſpecta à medicis ſint, non tamen ſunt ex caliditate accenſa in membris radicalibus, ſed ex materia craſſa multiplicata in hepate, & per venas, & arterias toti corpori communicata, quæ quandoque ex prohibita tranſpiratione putreſcit, unde ſequitur calor febrilis, & ſæpe non putret, ſed manet ſic, quæ frigiditate, ſive (ut rectius dicam) complexione per frigidum temperamento ſanguinis declinante, & etiam ſua viſcoſitate cauſat duo, primum quorum eſt, quod ſpiritus ab ipſo ſanguine genito in corde eſt minus calidus, & ex conſequenti pro operationibus minus perfectus, quamquam pro aliquibus ſit melior inſpecta hominis complexione, ætate, & aliis, nam ſecundum diverſitatem graduum caliditatis fiunt à ſpiritibus diverſæ operationes in animali. Poſterius vero eſt, quod ſanguis ita declinans eſt craſſior, & ſic non ita ad bene nutriendum bonus, & faciendas oppilationes, ſua craſſitie per minutas venas nutrientes partes corporis aptior, unde ex defectu nutrimenti proveniente ex cauſis jam dictis, ſequitur macies, & aliæ pulſus conditiones, ſcilicet debilitas, quoniam ſpiritus non eſt ita calidus, neque bonus, frequentia autem ex impotentia dilatandi cor eſt ex materia frigida ſpiritui admiſta, unde id, quod non poteſt una ampla dilatatione facere in exſpiratione aëris, pluribus parvis conſequitur. Duities vero fit ex defectu nutrimenti membrorum, quoniam frigidi eſt indurare, ſcio enim quod frigiditas, major quam oporteat, corpus humectat, ſed iſta frigiditas in hepate, ſive in maſſa humorali, non eſt frigiditas ſimpliciter, ſed eſt remiſſio quædam caliditatis, à qua multiplicantur plures humores phlegmatici, ſive pituitoſi in maſſa ſanguinea. Et ideo videant juvenes aquam decoctionis ligni convenire in iſtis, rectificando hepar, ſubtiliando materiam & oppilationes aperiendo, unde materiæ craſſæ in ſanguine evacuantur (ut eſt videre in iſtis) aut per ſudorem, vel per urinam & quandoque per ſeceſſum, & inſenſibilem etiam evacuationem, quare poſt potum pingueſcunt, & ſanantur ab accidentibus morbi Gallici. hoc idem vidi ſæpe ex illinitione facta juncturis cum unguentis dictis in tractatu de cura per illinitionem, quoniam ſubtiliata materia, apertisque oppilationibus, rectificatum eſt hepar, & ſanati ſunt & pingues facti fuerunt. Hanc aquam ego dedi etiam quandoque patientibus maraſmum abſque morbi Gallici ſuſpicione, ſed ex oppilatione univerſi corporis, vel meſaraicarum à materia phlegmatica, ſive pituoſa prædominante, qui facti ſunt pingues cum bono totius corporis colore, & robore, ita ut viſi ſint rejuveneſcere. Secunda quæſtio quæ non ſolum inter medicos extat, verum etiam inter patientes morbum Gallicum, eſt, nunquid aqua decoctionis ligni liberet à morbo Gallico, ſumpta ſine illa diæta tenui ab omnibus prædicata. Cui dubitationi non ſine ſuperciſii elevatione in hac diſceptatione reſpondere poſſum, A cum, ut dixi in *tractatu de modo curandi morbum Gallicum* per aſſumptionem aquæ ligni, ſint multi ita ignavi in re medica, quos non puduit dicere, in potione aquæ ligni homines ſanari non virtute ligni, ſed tenuitate diætæ, quam fatuitatem ibi reprobavimus, & ideo quoniam ibi hoc non addidimus, videlicet aquam decoctionis liberare etiam a morbo Gallico ſine diæta ſubtili. Ideo ſciant iſti, decoctionem ligni datam comedentibus moderate ſecundum conſuetudinem bonas carnes, bibentibusque vinum mediocre, & lymphatum iſta decoctione, ſive prima, ſive ſecunda, & cœnantes etiam, liberari à morbo Gallico, immo ego liberavi quosdam ex ſola lymphatione vini cum aqua decoctionis ligni, videlicet miſcendo æqualiter vinum cum decoctione. Verum hoc fuit in pluribus menſibus, ſimiliter etiam qui ſanantur, comedentes ſecundum conſuetudinem, & cœnantes, & vinum bibentes, non ita cito ſanantur, ſicuti utentes mediocri ſive tenui diæta, & hoc rationale eſt, inſpecto modo operationis aſſumptionis ligni, ſive ſit per decoctionem (qui modus melior eſt) ſive componendo ex ipſo electuarium, B ſive bolos, ſive pillulas, ſive quovis alio ingenio aſſumendo ipſum, ut confectiones faciendo ex ipſo, & alia, quoniam modus ſanandi per aſſumptionem ligni, quomodocunque ſit, eſt, quia ſubſtantia decoctionis, aut ipſius ligni ſubſtantia recipitur à venis in hepate, & ibi tranſmutatur in maſſam ſanguineam & per venas omnes ad totius corporis partes defertur, non exſpoliata ex toto à virtutibus jam dictis, quemadmodum dicunt medici de lactuca, quæ generat ſanguinem frigidum, quoniam eſt frigidæ complexionis. ſimiliter ex aſſumptione aquæ ligni, vel alio modo, generatur ſanguis proportionatus ſuæ complexioni, & proprietati, & ideo primo recepta in hepate, agit calefaciendo calefactione dicta, rectificando complexionem ipſius, aperiendoque oppilationes, & mundificando ſanguinem a frigido humore, & phlegmatico, ipſum ſubtiliando. ſimiliter tranſmiſſo ſanguine per omnes partes corporis facit, calefaciendo, ſubtiliando, mundificando, aperiendo, ultra propriam virtutem quam occultam appellant, cum qua agit etiam in occultam materiæ qualitatem, quæ nil aliud eſt, niſi reſiſtentia ex complexione C talis admiſtionis humoris a prædominio pituitoſi, ſive phlegmatici, ita in corpore ægri alterati, ſed ſemper in omnibus geometricam proportionem neceſſariam eſſe judicavi, etenim qui ſunt infecti infectione ultima, cum ultimis accidentibus, & antiquatis, non ſanantur certe iſtis levibus remediis, ſed ut docte dicebat Hippocrates *ultima ægritudo eget ultima curatione*, ideo in iſtis, & ultimus modus potionis, & ultima diæta eſt neceſſaria, niſi ſit aliquod contradicens, ut eſt virtus debilis, ad quam dicebat Galenus oportere oculum dextrum dirigi, & ſiniſtrum etiam quandoque. Quod dico de modo curandi per ligni decoctionem, intelligere opus eſt etiam de cura quæ fit per illinitionem, quæ erat tertia dubitatio, etenim qui levem ægritudinem habent, & ſunt fortis virtutis, ſanantur ſæpiſſime leviſſima illinitione, ſine manſione in lectulo, exercentes omnes ſuas operationes. Et ego plures ſanavi cum leviſſima illinitione unguenti pro ſcabie Meſuæ, quoniam levis erat ægritudo, ſed ægritudo fortis eget, & aëris cuſtodia, & aliarum rerum non naturalium. Multa quidem alia ad hæc addi poſſent ad diverſa accidentia D facientia, quæ cum minus neceſſaria ſint, & à medicis rationalibus intellecta, ſilentio pertranſire ſtatui. Ex iſtis igitur habebunt juvenes quæ poſſint & audacius, & canonice non ſolum morbum Gallicum, ſed alias ægritudines dictas curare. ſed ante quam ad ſaſſæ periliæ, & radicis Chynæ deſcriptionem, & præparationem veniam, ſcribam prius quaſdam mirabiles curas quorundam nobilium, qui diu morbo Gallico laborantes, non potuerunt ſanitati reſtitui, tametſi aqua à plurimum doctis, & expertis medicis ſibi pro medela præſtita fuerit. at qui tandem ſanitati reſtituti fuerunt ſcribam.

Diximus in ante ſcriptis capitibus virtutes & operationes ligni Indici, & ejus decoctionis, multis modis antea, ſed quoniam tunc temporis omnes operationes ligni Indici non fuerunt notæ, (etenim non ſemper & in omnibus eodem modo operantur) ideo ut homines qui arte & ratione vivunt, plus videant & intelligant quam antea viderint & intellexerint, operæ pretium duxi, quædam de virtutibus ligni Indici (quæ miracula in re medica fuerunt) & ejus decoctionem dictis & ſcriptis à me antea ad languentium utilitatem & credentium inſtructionem, addere; primumque ſcribam quæ contigerint ſtrenuo Viro Domino Franciſco de Plaſentiis, Civi & Nobili Cremenſi, qui cum eſſet temperaturæ calidæ, & ſiccæ, ætatis ſupra triginta annos, vir plurimorum laborum, incidit tandem in morbum Gallicum, qui nullis unquam auxiliis medicorum tam purgantibus quam alterantibus potuit liberari, ſed per multos annos infelicem vitam ducebat. nam cum eſſet ex proprio temperamento corpus gracile, ex diuturno morbo

gra-

gracilior fœtus, me convenit, narravitque plurima, quæ ipsum die noctuque molestabant, inter quæ erant dolores in omnibus articulis, & musculis membrorum, præsertim in parte anteriori capitis: aderant quin etiam tumores duri non solum in capite, sed in pectore, brachiis, & cruribus, ex quibus quidam exulcerati erant; cumque strenuum, & nobilem militem audivissem, dixi posse illum ab hoc morbo liberari, tametsi diuturnus esset, sed non lenibus illis medicamentis, quibus ipse ab aliis medicis exhibitis recte usus fuerat; nam quampluries Viri docti illi medelam præstiterant, & non semel, sed pluries decoctum ligni tradiderunt, atque etiam linimenta ad morbum Gallicum, administrarunt, neque (ut dixi) liberari potuit, sed in deterius semper malum processit. quare, cum corpus universum labefactatum esset, præsertim jecur, necessum erat jecur refrigeratum ad contraria alterare, & universa membra, referta plurima materia pituitosa, expurgare, atque etiam ad proprium redigere temperamentum, sicque eum sanitati restituere; verum, cum antea audisset, quod non levibus medicaminibus sanitati restitui posset, sciscitabatur qualenam essent medicinæ quæ illi prodesse possent; respondi eadem esse, quas ab aliis medicis jam habuerat, videlicet decoctum ligni Indici, sed in majori quantitate, & cum alia victus ratione sumptum; qui tandem post multa promisit se omnia facturum. quare expurgato prius corpore à communibus excrementis cum levibus medicinis, jussi, ut biberet decoctum ligni Indici hoc modo, & quoniam æstas erat, mane hora nona vel decima sumebat quinque calices vitreos dicti decocti calidi, qui calix sex uncias decocti continebat, post quem potum passulas comedebat ad quatuor usque uncias, & in lectulo coopertus per duas horas manebat, quo in tempore plurimum sudabat, plurimumque mingebat, nam & per alia tempora decoctum ligni bibit, minimeque potuit sudare, quinque autem horis post prandium ex pane optime decocto, loto in jure parvi pulli sumebat, & aliquid etiam carnis dicti pulli comedebat, una cum passulis, bibebatque ex secunda decoctione ad libitum, sed deinde horis à prandio iterum quinque cyathos primæ dictæ decoctionis calidæ bibebat, & passulas post comedebat, & in lectulo per duas horas manens cum sudore, & plurimo mictu quiescebat, quatuor postea horis à potu cænabat, cœna tamen semper fuit lenior prandio, bibebatque secundam decoctionem ad libitum, qui ante xx. diem ita bene habuit, ut, & dolores recesserint, & tumores dissoluti fuerint, & exulcerationes sanatæ fuerint, volui tamen cum dicta regula hominem usque ad quadragesimum procedere diem, sicque sanus factus, incolumis per multos annos vixit.

Dominus Joannes Broila vir generosus Magnificus, dives, & nobilis vir, temperaturæ calidæ & siccæ, cum plurimos annos laborasset morbo Gallico cum tumoribus per universum corpus, præsertim in capite, ex quibus plurimi exulcerati erant, cum ossium corrosione & in capite & facie magis, ita ut non hominis, sed monstri cujusdam speciem præ se ferret. Hic cum tam Turini, quam Mediolani, & Papiæ plurimos medicos ad sui curam accersisset, nunquam potuit liberari, neque potu decoctionis ligni Indici pluries sumpto, neque inunctionibus plurimis factis, neque postremo suffumigiis universo corpori administratis, tandem in Galliam, Lugduni scilicet ad quotidam famigeratos medicos se contulit, qui & ipsi plurimum laborantes nihil fecerunt. hic cum esset sine spe futuræ sanitatis admonitu quorundam medicorum ut me Venetias conveniret, Venetias se contulit, mihique domi narrans omnia præterita, & ostendens omnes tumores, ulcera, & ossium corruptiones, rogabat ut sibi opem ferre vellem, promittens non ingratum se in me futurum esse. Ego vero postquam hominem solatus essem, & jussissem esse bono animo, cum esset hyems & frigidissima quidem, jussi ut maneret domi, & custodiret se ab aëre frigido, quiescens donec tempus mutaretur, non tamen interim defuerunt auxilia quæ ulceribus subvenirent. superveniente autem Februario mense hominem expurgavi, jussique ut biberet decoctum ligni Indici cum mediocri diæta, quoniam excarnis, & macilentissimus erat. ille tamen credens per cibi abstinentiam citius & melius posse curari, abstinebat, & parum aut nihil, me inscio, comedere volebat, sicque processit bibendo usque ad quinquaginta dies, nec tamen convalere potuit, nam & tumores, & ulcera omnia male se habebant. res denique dimissa fuit naturæ cum optimo regimine cibi, & potus & aliarum rerum necessariarum usque in finem Augusti, quo in tempore expurgato corpore, iterum jussi decoctum ligni illum bibere mane & vesperi usque ad duas libras cum comestione passularum, & in prandio concedebam carnis portionem, & vini pauciferi cum secunda decoctione diluti potum, qui tamen, cum esset severus, & audivisset victum tenuem plurimum prodesse morbo Gallico, non parebat, sed abstinebat & ab esu carnis, & à vini potu. qui & si per duos menses bibisset, non propterea convaluit, sed una cum tumoribus, & malis exulcerationibus languebat. superveniente vero hyeme volui illi aliquid præter regimen resumptivum injungere. sed una dierum, Famulus quidam sibi carus mihi significabat id esse in causa cur ille non fuerit sanitati restitutus, quoniam non paruit meis mandatis in regimine cibi, & potus. nam cum decoctum ligni bis assumpsisset, nec carnem comedere, nec vinum bibere voluit, & hoc quoniam cæteri medici semper & à vino & à carnibus eum abstinebant. Cum vero Magnificum virum de futura cura alloquerer, dixi illum minime posse sanari, at ille cum audivisset verbum, turbatus quærebat qualis esset causa, respondi quod ipsemet esset causa, quoniam me decipiebat, cum se minime obedientem præberet meis mandatis, aperuique quæ dixerat mihi famulus. cumque ego sibi meam visitationem negarem, promisit se omnia, quæ imponerem facturum. cumque ego hominem obedientem in futurum esse credidi, in principio veris exhibui iterum decoctum ligni Indici, usque ad tres libras mane, & vesperi cum comestione passularum, & in prandio dedi jus pulli, vel vitulinæ carnis, & portionem carnis ad comedendum, jussique ut biberet vinum dilutum ad libitum cum secunda decoctione tam in prandio quam in cœna, neque volui ut ullo pacto sudaret, sed contentus esset copiosa urinæ evacuatione. qui hac ratione bibens decoctum per duos menses, liberatus fuit à tumoribus, & ulceribus, atque sanus & pinguis ex vini potu distribuentis nutrimentum factus, incolumis ad suos consanguineos in patriam reversus est.

Item Illustrissimus ac strenuus Princeps D. M. temperaturæ calidæ ac humidæ, cum subdominio alicujus siccitatis, facientis ad subtiliationem sanguinis, ætatis consistentiæ, cum passus esset morbum Gallicum per multos annos, non potuit ex toto liberari quin relinqueretur ulcus magnum in capite bronchi, cum quo erant corrosæ cartilagines omnes partis capitis bronchi anterioris, ut posset unusquisque interiorem partem asperæ arteriæ inspicere, & tangere. ulcus quidem erat antiquum ostracosum multorum annorum, os cujus tantæ latitudinis duo digiti simul conjuncti potuissent facillime ingredi. & cum sapientissimi, ac expertissimi medici ejus consolidationem plurimis remediis tentassent, incassum tandem omnia acta fuere, nam Mediolanenses primarii medici, cum esset Vicedominus in arce, ei medelam præstiterunt, similiter & Januenses primarii medici, nomine inclyti Regis Gallorum, Januæ plurima fecerunt, sed ipsi frustra laborarunt. postremo reversus est ad Regem, Senioresque, & famigerati medici Lugduni eum in curam susceperunt, nec propterea ulcus sanari potuit, ulcus vero tali erat rationis, quod si sine penicillo, vel magno licinio ex bombace facto adapertum fuisset, Illustrissimus Princeps per illud spatium temporis sine voce & dearticulata locutione manebat, appolito vero licinio sive penicillo ex bombace obstruente ulcus, recte, distincte, & sine aliqua difficultate loquebatur. erat quidem vir ruffi coloris, habens barbam prolixam, coloris flavi, tendentis ad auri colorem, quæ ulcus perbelle tegebat, & occultabat. & tametsi plurimi essent assistentes nobiles Milites, nemini tamen ulcus erat notum, præter uni, qui secreto ipsi inserviebat. Accersitus igitur ab Illust. Principe, ut eum viderem, sic ille me alloquutus est. *Sunt quam plurimi anni quod te videre pro quadam mea mala dispositione desideravi, à qua usque in hunc diem nemo potuit ex medicis me sanitati restituere, audiveram tamen & Mediolani, & Papiæ, & Januæ, & Lugduni, ac etiam in castris Nicolai Massæ nomen, & plures sanatos ab illo. postea quam igitur pro negotiis Inclyti Regis cum Illustrissimo hoc Dominio huc me contuli, rogo te, ut me in tuam tutelam suscipias, donec Venetiis manebo, nam vere non possum tempus aliquod determinatum meæ moræ tibi assignare. scio equidem id malum quod nunc ostendam tibi, non cito sanari posse, tu vero quid agendum sit jubebis, & ad omnia me obedientem præstabo.* Post quam præfationem, vocavit illum qui ei inserviebat, & ostendit mihi ulcus superius dictum, quo viso cum essent corrosæ cartilagines anteriores capitis bronchi, sic orsus sum, *Illustrissime Princeps non est mirum si tot sapientes, & illustres medici plurimum laborarunt, neque ulcus hoc sanare potuerunt, cum pars quæ deperdita est, sit pars membri quod à femine ortum habet, namque membra à semine orta, si deperdita fuerint, nequaquam instaurari in adultis possunt, in pueris parvis, & adolescentulis aliquando hoc visum est, in adultis vero minime; Cæteræ partes quæ à sanguine fiunt, facile renascuntur si aliqua de causa deperdantur.* At ille, *rogo*, inquit, *ut quotidie huc accedas, & aliquid, ut tibi videbitur, faciendum inunges, nam ulcus hoc est derelictum postquam plurimis à medicis factis remediis à morbo Gallico evasi.* Ego vero cum vidissem Illustrissimum Principem paratum, bonæ habitudinis, & in reli-

reliquis corporis partibus sanum, & tempus esset acceptabile, (erat enim post pascha in principio veris, in fine mensis Aprilis) expurgavi corpus à communibus intestinorum & propinquorum membrorum superfluitatibus, bisque sanguinem aperta vena jecoraria misi, deinde jussi, ut aquam decoctionis ligni Indi biberet. qui cum esset assuetus plurimo potui, ut solent Domini Galli facere, cœpit prima die bibere mane duas libras primæ decoctionis ligni, ac post pastillas comedere, & in lectulo manens per duas horas sudare, sed ante prandium per duas horas bibit ex secunda decoctione libram unam, post quam duabus horis prandium accepit, & fuit ex pane biscocto & passulis simul, bibitque unam phialam aquæ secundæ decoctionis; inter prandium & cœnam ex secunda decoctione ad libitum bibebat; quatuor postea horis ante cœnam iterum primæ decoctionis calidæ tres libras bibit, & in lectulo coopertus manens per duas horas sudavit, cœna fuit minor prandio, videlicet ex pane biscocto & passulis, & potus ex secunda decoctione ad libitum, processit Illustris Dominus semper potum primæ decoctionis tam matutinum quam vespertinum augendo, & etiam secundæ decoctionis in prandio & cœna, ut tandem ex prima decoctione octo phialas biberet, & ex secunda decem & duodecim, aliquando cum plurimo sudore, & copiosissimo mictu & secessu; & hoc fuit per spatium quinquaginta dierum, in quo tempore sexaginta & plus libras ligni Indici ad magnam stateram consumpsit: super ulcus vero capitis bronchi quater in die apponebatur coton madefactum ipsum primæ decoctionis, nam dum coquerent lignum, ipsum ad hanc medelam servabant; sicque Dei omnipotentis gratia, & auxilio præter aliquam spem, Illustrissimus D. evasit sanato & consolidato ulcere epiglottidis, ex toto callo, loco cartilaginis, supergenerato; res profecto mira, & digna ut literis ad hominum languentium utilitatem, & medentium instructionem mandetur: Possem & plura alia miracula, quantitatis operationis decoctionis ligni Indici, quæ in medendo in dies à me visa sunt, scribere, sed ii tres casus a me recitati, satis erunt, ut homines aliquando in maximo morbo Gallico se convalere posse confidant. quod si quis alios ægrotos cum sævissimis accidentibus, maximis & fortibus remediis, sanitati restitutos esse scire desiderat, illud assequetur facile, si universum processum istius libri legere voluerit.

## CAP. X.

### *De radice salsæ periliæ, & ejus virtutibus, & operationibus tam in morbo Gallico, quam in aliis præter naturam dispositionibus.*

Placuit etiam mihi posteaquam superius diversis & plurimis dubitationibus respondi, ac etiam ligni Indici diversos & plurimos modos præparationis docui, radicis salsæ periliæ, seu zarzæ perigliæ huic nostro de morbo Gallico opusculo historiam addere, & modum ipsius virtutis, & operationem ad languentium utilitatem, & medentium commodum scribere: Est igitur Salsa perilia, Radix cujusdam plantæ, quæ, ut dicunt qui ad nos eam asportarunt, (& sunt illi qui ex Lusitania ad novas Indias navigant, ac etiam de navigatione ad illas partes scripserunt) nascitur in insula, quam Punam vocant, quæ non plurimum à civitate, quam Guaya quidam nominant, distat; quæ planta, ut quidam ajunt, dum viridis est, assimulatur volubilibus quibusdam, ut sunt lupuli ascendentes sepes, & ut est vitis tam alba, quam nigra, & similes serpentes super arbusta in eorum extremis ramis ascendentes; & habet radicem prope stipitem insigniter crassam, à qua plurimæ radices tenues procedunt, quarum crassities seu grossities non excedit anseris pennæ crassitiem, quando etiam viridis existit, sed tenuior est, & insignis longitudinis, ita ut aliquando repertæ sint dictæ radices quantitatem sex pedum excedere. Color exterius est nigricans, seu cineritius, interius vero manifestam albedinem, & etiam citrinitatem habent: caules vero, à quibus folia rotunda ut hederæ folia admodum parva enascuntur, rotundi sunt, habentes racemos flores albos producentes, qui racemi post casum florum referti sunt baccis minutis, & rotundis, cujusmodi radicum substantia lenta & viscida satis est, & ad frangendum contumax: Ejus odor quoniam ad nos eam siccam asportant, non percipitur, sed percipitur quidem, si minutim radix incisa in aqua bullierit, nam in tali ebullitione, & post etiam percipitur odor, qui potius ingratus odoratui est, quam suavis, ita ut sit quoquomodo male olens: Similiter si quis masticando, & in ore detinendo, ejus gustum scire voluerit, manifestam amaritudinem cum aliquali stipticitate sentiet, & qualitatem gustum offendentem cognoscet, & ideo sileant qui eam insipidam ex omni parte, & inodoratam esse dicunt, experientia enim & sensus contra eos pugnant. ex dictis igitur collige salsam periliam esse calidam supra secundum gradum, siccam vero supra primum versus secundum, non privatam à manifesta subdominante humiditate, quod temperamentum tale esse non solum ex dictis, sed ex aliis multis credere possumus. si quidem, ut ex Galeni doctrina, & ex superius dictis, ubi de ligni Indici qualitatibus scripsi, colligi potest, virtutes medicaminum non solum cognoscuntur per odorem, & saporem, sed etiam experimento, ratione, & discursu. Dicamus itaque, cum ut dictum fuit, hæc radix non careat odore, neque manifesto amaritudinis sapore, ipsam habere caliditatem, (ut dixi) excedentem secundum gradum, & siccitatem propinquam secundo gradui, cum aliquali stipticitate, non privatam levi humiditate. quapropter crediderim ego, quod, si eam viridem habere possemus, de hoc nulla esset dubitatio, sed dictis sic stantibus, videamus nunquid per virtutes, & operationes hujus radicis complexionem ejus calidam esse confirmare possimus, cum dixerit Avicenna in *summa de virtutibus*, quod virtutes per operationes cognoscuntur. liquidem cum hæc potio in ventriculo recipitur, alterat, & manifeste calefacit, & ejus calorem auget, atque humidas superfluitates quoquomodo exsiccat, movetque sudorem, & urinam, & super ulcera sordida posita terget, & mundificat ea, similiter si supra tumores duros posita fuerit, eos resolvit, & si membra refrigerata cum ea decoctione lavaveris, calefacit ea, & dolorem sedat, cum non sit ab humiditate expoliata; & dicunt etiam tam flores, quam fructus ejus, solvere ventrem, & educere materiam permixtam plurimo humori pituitoso, quod experimento comprobatum est. Quare ex istis omnibus operationibus præter odorem, & saporem, dicendum erit, radicem hanc esse calidam, & siccam cum subdominio humiditatis. His sic prælibatis, dicamus medicinam ex tali radice factam, esse modeste calidam & siccam, & ejus operationes sunt, ut imprimis possit stomachum refrigeratum ex præsentia plurimarum cruditatum, vel ex alia causa calefactre, & ejus obstructiones aperire. similiter potest hepar aliquo modo refrigeratum, ut est in patientibus morbum Gallicum, calefacere, & ad naturale ejus temperamentum reducere, atque ejus obstructiones aperire una cum siccitate, renesque roborare & urinam, atque sudorem largiter provocare, & omnia tam pectoris, quam capitis, & naturalium membrorum, (ut sunt intestinorum omnium) vitia corrigere, si à refrigeratione facta fuerunt, ita ut etiam appetentiam ex ejusmodi causa deperditam restituat, dolorem junctcurarum, nervorum, musculorum, & aliorum membrorum sanet, si à frigida causa fuerit, semota etiam morbi Gallici qualitate; confertque omnibus cutaneis dispositionibus, ut est scabies, & aliæ morbi Gallici infectiones; sanat etiam tumores duros, & ulcera antiqua dicti morbi, & omnia vitia, & mala in quacunque corporis parte, quæ in morbo Gallico accidere consuevere, & quæ solent sanari ex ligni Indici bibita decoctione, quoniam fere omnes virtutes, quæ in ligno Indico sunt, in hac radice reperiuntur, debiliores tamen, liquidem qui cum hac medicina sanantur, ex facili causa, & non multum post tempus in eandem ægritudinem reverturtur, ita ut etsi sit medicina morbo Gallico proficua, conferens omnibus tam maribus, quam fœminis, prægnantibus, lactentibusque etiam tam pueris quam juvenibus, & senibus, & in quocunque anni tempore dari possit, non est tamen talis & tantæ virtutis ut est lignum Indicum, neque membra naturalia ita roborata relinquit ut ligni Indici medicina cum ratione data, est tamen salsa perilia sicuti lignum Indicum, medicina securitatis, & fine discrimine dari potest, quæ ex novis Indis ad nos asportatur. Non desunt tamen qui asserant ipsam esse similacem asperam, scriptam à Dioscor. *lib.* IV. *simplicium medicamentorum*, nihilominus si quis, quæ de similace aspera scripserit Dioscorides, attendere voluerit, cognoscet similacem asperam cum salsa perilia non convenire, nisi quis dissimilitudinem esse dixerit ex loco, in quo una & altera nascitur, ut contingit in multis aliis plantis divertis in locis nascentibus, quæ etsi speciei ejusdem sint, non tamen in omnibus similimæ existunt.

## CAP. XI.

### *De regulis observandis ab illis qui decoctum salsæ periliæ bibere voluerint, ac etiam de præparatione decocti ipsius.*

Si Quis igitur à morbo Gallico ex potu decoctionis salsæ periliæ sanari desiderat, primum sex rerum non naturalium rectum regimen illum observare necessum erit; caveat igitur ab aëre frigido, ventoso, & pluvioso, præsertim nocturno; caveat etiam à forti, & laboriosa exercitatione, quoniam in loco calido quiescere oportet; caveatque à cibi & potus quantitate & qualitate, & studeat ut sit quotidiana ventris inferioris excrementorum evacuatio; in die, sive à prandio, non dormiat, sed nocte horis congruis; ab omni venereo amplexu se abstineat, &

de futuro rei ſucceſſu (ſcilicet de recuperanda ſanitate) bene ſperet; propterea ante dictæ decoctionis exhibitionem, operæ pretium eſt, corpus convenientibus medicamentis expurgare, & etiam per venæ apertionem, ſi opus fuerit, ſanguinem mittere, vel per appoſitionem cucurbitularum cum ſacrificatione, aut per applicationem ſanguiſugarum ad venas hæmorrhoidales per illam regionem ſanguinem evacuare, & hoc fiet ſecundum regulam & modum dictum, ubi de regimine & modo evacuationis illorum qui decoctum ligni Indici bibunt, ſcripſi; ſed omnia fient ſecundum ægritudinis tenorem, & infirmi virtutem, ætatem, & anni tempus, ut ſcilicet omnia neceſſaria ſint parata, & etiam corpus expurgatum ſecundum rei neceſſitatem ſemel, bis, & ter ſi opus fuerit: quibus factis, præparatoque cubili, in quo aër nullo modo ſit frigidus, ſed modeſte calidus, decoctionem falſæ periliæ ſic præparare ſtudebis. Recipe *Salſæ periliæ optimæ & recentis minutim inciſæ, & in mortario contuſæ unc. iiij. Aquæ fontis, ſive putei lib. xvj. ponantur in olla nova, nitida, lapidea, vel in lebete lapideo, & infundantur per viginti quatuor horas, deinde bulliant in olla cooperta lento igne ad conſumptionem medietatis & ſpumentur, ſpumaque in aliquo vaſe lapideo ſervetur*, quoniam ipſa medetur doloribus, tumoribus, ulceribus, & aliis affectionibus cutanеis, & exterioribus, *& poſtquam refrigerata fuerit decoctio, coletur, & in vaſe vitreo ſervetur*, & hæc erit prima decoctio, de qua detur calida patienti mane in diluculo cyathus ad quantitatem octo, vel decem unciarum, plus minuſve, ſecundum morbi exigentiam, & ægri tolerantiam. poſt quem potum, comedat ex paſſulis duo cochlearia, ſtetque in lecto, & coopertus ſudet, ſi fieri poteſt, per duas horas, deinde quatuor horis poſt, accipiat prandium, quod ſit ex quatuor unciis biſcocti; & duabus unciis paſſularum; bibat ex ſecunda decoctione ad libitum, ad ſtomachi tolerantiam, quæ ſic præparari debet. Accipe *ſalſam periliam, quam ſemel ebullijſti, & deſuper pone libr. xij. aquæ fontis, vel putei, & iterum pone ad ignem, & bulliat ad conſumptionem medietatis, & refrigerata, & colata ſervetur in alio vaſe vitreo*, de qua tam in prandio quam in cœna bibat, & etiam inter prandium & cœnam, ſi opus fuerit, tranſactis à prandio octo horis, iterum primam decoctionem bibat calidam ad dictam quantitatem, comedat poſt paſſulas, & in lecto ſe cooperiat, ut ſudet per duas horas, & poſt aſſumptam decoctionem quatuor horis cœnet, & cœna ſit minor prandio, videlicet ex pane biſcocto ad tres uncias, & ex paſſulis ad duas uncias, deinde nocte dormiat ad libitum coopertus, ſicque procedat per novem, aut decem dies hanc potionem bibendo, & regimen cibi, & potus, & ſudoris obſervando; quod ſi non allevatus fuerit, venter vero non fluxerit ita ut excrementa cibi non vacuentur, detur aliqua levis medicina quæ alvum ſubducere poſſit ſecundum morbi inæqualitatem, & virtutis tolerantiam, utputa in morbo novo cum papuliis *electuarium lenitivum, vel pillulæ de fumo terræ*: quod ſi cum doloribus nervorum, & junęturarum fuerit, addantur *pillulæ de hermodactylis, vel fatidæ* mane in aurora, vel detur *decoctum dimidiæ unciæ ſenæ, & duarum unciarum paſſularum ex jure pulli factum*; nec propterea à potu dictæ decoctionis ceſſare oportet, ſed continue bibat ut dictum fuit. quod ſi poſt decem dies, morbus & accidentia, non allevata fuerint, fiat decoctum fortius hoc modo, videlicet bulliat aliquantulum plus, ita ut plus dimidiæ partis per ebullitionem abſumatur, deturque tam mane, quam veſperi major decocti quantitas, puta ad duodecim unciarum pondus & plus, ſicque procedat uſque ad terminum viginti dierum. ſimiliter tam in prandio, quam in cœna, majorem quantitatem ſecundæ decoctionis bibat, & tranſactis viginti diebus iterum cum *electuario lenitivo*, vel cum dictis pillulis expurgetur æger, & præter panem biſcoctum & paſſulas, comedat etiam optimas carnes, puta pullorum gallinaceorum, perdicum, tardorum, vituli, vel hœdi lactentis, bibat etiam *vinum pauciſerum dilutum aqua decoctionis cinnamomi, & paſſularum*; ſicque regatur, donec vires inſtaurentur; caveat etiam poſt dictos dies ab aëre frigido, & comeſtione craſſorum cibariorum, ut ſunt carnes porcinæ, agninæ, bovinæ, leporinæ, & ſimilium, dimittatque caſeum, & omnia lacticinia, dimittat etiam piſces, & ſalita omnia; caveat præterea à nimio ſudore, & nimia inedia, & præſertim ab omni complexu venereo, ut forte poſt corporis inanitionem ex dictis virtutes vel impediantur à proprio munere, vel reſolvantur. ſiquidem ſi virtus vel impedita, vel reſoluta fuerit, nullum auxilium ſanare poteſt, ſed aut impedimentum amovere oportet, aut virtutem roborare, quoniam virtus eſt illa, quæ ſanat, auxilia vero medicinalia, vel corroborando, & augendo virtutem ipſam adjuvant, vel removendo impedimenta, ipſam ad operationem dirigunt. Sunt tamen plurimi qui diverſas præparationes falſæ periliæ præter jam dictam ſuperius, docent, quæ tamen non plurimum à ſupradicta differunt: ideo ne aliqua ex parte ægris, & medentibus deficere videar, quoſdam alios præparationis modos ſubſcribam, cteniin primi illi, qui falſam periliam ad nos aſportarunt, ſic eam præparare docuerunt. Recipe *falſæ periliæ minutim inciſæ, & contuſæ unc. iiij. & infundantur in libris octo aquæ fontis, ſeu putei horis viginti quatuor, in olla lapidea nova, nitida, & poſtea proficiatur aqua illa, & iterum ſuper dictam falſam tantundem aquæ fontis pone, & bulliat ad conſumptionem medietatis ad lentum ignem, olla cooperta, & poſt refrigerationem coletur, & colatura in vaſe vitreo, ſeu vitreato ſervetur*, & hæc erit prima decoctio ſumenda mane in aurora, & veſperi quatuor horis ante cœnam ad quantitatem ſex, aut octo unciarum, poſt quam cochlear paſſularum comedat, & coopertus in lectulo ſudet, & ſic procedat per novem continuos dies. Cibus vero ſit quatuor horis poſt potum, & ſit ex pane biſcocto cum paſſulis, & amygdalis, bibatque ex ſecunda decoctione ſic præparata. Recipe *falſæ periliæ unc. ij. & pone in olla lapidea, quæ ſit ſatis ampla, deinde pone deſuper aquæ fontis libr. viij. & conſundantur per 24. horas, poſtea projice hanc aquam, & iterum pone tantundem aquæ & bulliat ad conſumptionem medietatis olla cooperta, quam refrigeratam, & colatam in vaſe vitreo ſervabis*, de qua tam in prandio quam in cœna bibat ad libitum pro ſtomachi tolerantia, & ſic continuo bibendo per ſpatium viginti dierum procedat, donec æger ſanitati reſtitutus fuerit. etſi venter non ſponte egerat, accipiat *pillulas de fumo terræ* ad ciendam alvum, & poſt viginti dierum ſpatium comedat carnes pullorum, vituli, hœdi juvenis, & alias optimas carnes. bibat etiam vinum dilutum cum ſecunda decoctione, & ſit pauciſerum, ſicque procedendum erit uſque ad quadrageſimum diem, ſi non poſt vigeſimum bene habuerit. Alii vero aliter hunc falſæ periliæ decoctionem præparant, non tamen plurimum differunt à ſupra ſcriptis. Rec. *falſæ periliæ contuſæ & minutim inciſæ unc. iiij. Aquæ fontis vel putei libr. x. conſundantur per diem, & noctem in olla lapidea nitida, & pone ad ignem, ut bulliat ad conſumptionem medietatis, & refrigerata coletur, atque in vaſe vitreo ſervetur*, & iſta erit prima vocata decoctio, de qua exhibent mane in aurora, & veſperi quinque horis ante cœnam, deinde *ſuper illam falſam, quæ ſemel decocta fuit, iterum ponunt lib. xij. aquæ, & iterum bulliunt ad conſumptionem medietatis, & poſt refrigerationem colant, & in vaſe vitreo ſervant*, & eſt ſecunda decoctio, de qua dant patienti ad bibendum tam in prandio, quam in cœna. ſed ſi quis hanc decoctionem fortiorem facere voluerit, *ponat unc. vj. falſæ periliæ, & libr. x. aquæ, & bulliat ad conſumptionem medietatis, & faciat ſecundam decoctionem, ponendo ſuper falſam ſemel ebullitam libr. xij. aquæ & bulliendo uſque ad conſumptionem medietatis*, ex quibus datur prior mane, & veſperi calida ad quantitatem octo unciarum, & plus ſecundum modum ægritudinis, & ægri tolerantiam, ſecundam vero bibat in prandio, & cœna ad libitum: quod ſi ægri debilis natura fuerit, vel ex morbi longitudine talis, comedat carnes optimas vel vituli, vel hœdi lactentis, pullorum, aut perdicum, & conſimilium, bibatque ſecundam decoctionem; Prandium ſit ſex horis poſt primam decoctionem, quinque vero horis à prandio ſumat iterum primam cum paſſulis, & manens in lecto coopertus ſudet. Alius hic eſt modus præparationis. Recipe *Radicis falſæ periliæ unc. viij. Aquæ fontis, vel putei lib. xv. infundantur per diem & noctem, & in lebete lapideo cooperto bulliat ad conſumptionem medietatis*, de qua datur in aurora, & veſperi ante cœnam, ac etiam ex eadem in prandio, & cœna dant, & exhibetur ad libitum; & tranſactis duodecim diebus, cibetur largius, dentur ſcilicet carnes optimæ, & vinum dilutum, ſicque procedendum erit uſque ad vigeſimum diem. ſed eſto memor ſemper decoctum exſpumare, quoniam hæc ſpuma ſi poſita fuerit ſuper membra dolentia, dolorem mitigat, & mulcet, ſimiliter ſuper apoſtemata dura impoſita pannis lineis in ipſa madefactis, mollit ea, & ulcera ſanat, ut ſummatim dicam in falſa perilia ſunt omnes virtutes ſicut in ligno Indico ſunt, ſed debiliores, & ideo medici non pauci ejus virtutem augere conantur cum permixtione ligni Indici, & corticis ipſius ligni, atque aliarum medicinarum, & aliorum ſimplicium permixtione. & ut omnia medentibus nota ſint, ponam quoſdam modos præparationis falſæ periliæ cum aliis ſimplicibus medicinis quibus utuntur in ſanando morbum Gallicum, & alias difficiles ægritudines, & primum, Accipe *falſæ periliæ inciſæ, & contuſæ unc. iiij. Corticis ligni Indici unc. ij. Aquæ fontis lib. xvj. infundatur per diem & noctem, & bulliat ad conſumptionem tertiæ partis, vel medietatis ſi eam fortiorem facere deſiderant, & colatam ſervant in vaſe vitreo*, & eſt prima decoctio. *poſtea tantundem aquæ ſuper res, quæ primo ebullitæ fuerunt, ponunt, & iterum ad conſumptionem tertiæ par-*

*partis bulliunt, & poſt colaturam in vaſe vitreo ſervant,* & eſt ſecunda decoctio, & ex prima exhibent mane & veſperi, & ex ſecunda in prandio, & cœna, cum regimine ſudoris, cibi, & potus, & aliis dictis ſuperius per ſpatium viginti dierum ad minus. Sunt præterea qui hanc decoctionem ſic præparant. Rec. *ſaſſæ periliæ unc. iiij. corticis ligni Indici unc. ij. Aquæ fontis, ſive putei lib. x. vini albi optimi lib. v. infundantur, per xxiiij. horas, deinde bulliant ad conſumptionem tertiæ partis & coletur, & in vaſe vitreo ſervetur,* & eſt prima decoctio ſumenda mane, & veſperi ad quantitatem octo, vel decem unciarum. *deinde ſuper ſaſſam periliam, & corticem ligni, quæ ſemel bullierint, pone tantundem aquæ, & vini quantitatem, & bulliant ad conſumptionem tertiæ partis,* & eſt ſecunda decoctio, quæ datur in prandio, & cœna. in reliquis ſervetur ordo ſicut in ligni Indici potione dictum fuit, & etiam in decoctionis potu ſaſſæ periliæ ex ſimplici aqua præparatæ, ſed cum pane biſcocto & paſſulis, ſudore, & reliquis dictis. Præparant quoque ſæpiſſime ſaſſam periliam cum ſimplicibus quibuſdam reſpicientibus diverſa membra, & ægritudines, ut in febribus cum *cichoreo, cadivia, & boragine,* & *in* B *papulis cum fumo terræ, in capitis dolore cum betonica,* & *in aliis membris cum ſtœchade, yva,* & in difficultate urinæ, & multis obſtructionibus cum *agrimonia,* & exhibent, ut dictum fuit, ſine vino, & ſine carne, ſed biſcoctum panem cum paſſulis comedunt. Nec deſunt qui etiam decoctionem ſaſſæ periliæ ſolutivam faciunt hoc modo. Rec. *ſaſſæ periliæ minutim inciſæ, & in mortario contuſæ unc. ij. paſſularum unc. iiij. ſenæ unc. ij. Aquæ fontis lib. xij. infundantur per diem, ac noctem, deinde bulliant in lebete lapideo, cooperto, lento igne ad tertiæ partis conſumptionem, de qua exhibeantur, mane unc. vj. & plus etiam ſemel in die.* quæ continua exhibitio non eſt ex omni parte tuta, quoniam timoroſum eſt ſolvere ventrem ſuper ventris ſolutionem. Porro ſunt, & qui in exhibitione cujuſcunque decoctionis, ſive illa fuerit ligni Indici, ſive ſaſſæ periliæ, ſive radicis Chinæ (de cujus præparatione paulo poſt dicam) ſingula quoque hebdomada, vel bis in hebdomada exhibent ægris medicinas ventrem ſolventes, ut eſt ſena, & alia compoſita electuaria, & pillulæ. quod quantum ſit rationi conſonum judicent qui ex methodo artem exer- C cent, ſiquidem omnes prædictæ decoctiones, aut ſudorem, aut urinam provocant, ſed ſolvere ventrem contraria eſt operatio, quare qui rationales ſunt iſtos regulare poſſunt, & volui hoc adnotaſſe ad languentium utilitatem, ut rationales medici poſſint cum experimento rationabiliter procedere, & ægris ſecundum neceſſitatem ſuccurrere, modo cum una, modo cum alia medicina procedendo ſecundum morborum magnitudinem & pertinaciam. Dixi ſuperius ſaſſam periliam habere virtutes plurimas, & eſſe medicinam ſecuritatis, non tamen eſſe ita validam ſicut lignum Indicum, nam longe majores, & fortiores ligni Indici virtutes invenies, multique, & plurimi ſanitati reſtituuntur, & non in recidivam tam cito deveniunt, ſicuti qui ex decocto ſaſſæ ſamtati ſunt, nam ligni Indici decoctum præterquam quod diverſas diſpoſitiones morbi Gallici removet, ſanat etiam quaſdam alias diſpoſitiones præter naturam, quæ ſunt ſoboles morbi Gallici, membra quoque naturalia ita roborat, & roborata relinquit, ut nonniſi à forti cauſa ſanati recidivare poſſint, & hæc de ſaſſæ periliæ conditionibus, præparatione, & operatio- D nibus in præſentia dicta ſatis erunt, ſi prius quæ quidam medici in aliis ægritudinibus facere ſolent, ſcripſero. ſiquidem in quibuſdam morbis ſanatu difficilibus exhibent decoctum ſaſſæ periliæ cum illis ſimplicibus, quæ illis morbis opitulari ſolent, puta in febribus diuturnis, pendentibus ab humore putreſcente cum admixtione plurimæ pituitæ craſſæ ſic præparatur. Recipe *Radicis ſaſſæ periliæ unc. s. foliorum cichorei, boraginis, betonicæ, vel agrimoniæ an. M. j. Aquæ fontis, vel putei lib. 2. infundantur per xij. horas, & bulliant ad conſumptionem tertiæ partis,* de qua bis in die ſumunt, videlicet mane, & veſperi quatuor horis ante cibum, & in aliis morbis antiquis, & ſanatu difficillimis addunt ea, quæ illis ægritudinibus proficua ſunt, puta in junctura rum doloribus, & articularibus morbis admiſcent *betonicam, yvam, ſtœchada, ſalviam,* & ſimiles. quod ſi eam ſolutivam facere volunt, bulliunt *hermodactylos, ſenam, turpethum, & ſimilia* ſimplicia. quo annotato ad declarationem radicis Chinæ, & ejus virtutes, præparationes, & uſum in ſequenti capite ſermonem convertam.

## CAP. XII.

*In quo de radice Chinæ diſſeritur.*

Qui de Radice Chinæ hiſtoriam ſcribunt, ac etiam ii, qui ad nos ex China Indiæ inſula ſic nominatam ad noſtras regiones aſportant, plurima narrant, & dicunt, A quæ, quoniam ad noſtrum inſtitutum minime faciunt, ea pro majori parte ſilentio pertranſire decrevi, ſed tantum ea, quæ legentes ad rectam curam morbi Gallici & aliorum morborum, quibus hæc radix auxiliatur, inſtruere poſſunt, ſcribere conabor. Eſt itaque China Radix quædam, quæ in ultima inſularum Indiæ (quam inſulam Chinam vocant) reperitur, & ut ajunt, naſcitur in locis ſabuloſis prope mare, ut plurimum, habetque figuram ad ſimilitudinem radicis noſtri vulgaris acori, vel radicis arundinis, ſeu cannæ hortenſis, aut radicis ireos, ſiquidem tam in figura quam in ſubſtantia plurimum iſtis affiniatur, nam geniculata, & nodoſa eſt, & color corticis ipſius ſuperioris ſubruffi coloris eſt cum livore, & citrinitate, intus vero rupta radice ruffeſcit cum quadam levi albicatione, & roſeum colorem præ ſe fert cum albedine mixtum. Ejus ſubſtantia non eſt dura admodum, ſed mediam quandam ſubſtantiam inter duritiem, denſitatem, mollitiem, & raritatem tenet, & odorem habet non ſuavem, nec plurimum tamen olfactum offendentem, non tamen caret omni odore, ut quidam dicunt, cum poſt ebullitionem, & in ebullitione manifeſtus aliquis levis odor ſentiatur ſi decoctum ad nares admovetur, aut ſi radicis decoctum manibus contractes. Sapor vero in maſticatione ipſe manifeſtiſſime amarus guſtui eſt, ſiquis fruſtum radicis maſticare voluerit, & maſticatum in ore per aliquod ſpatium temporis detinuerit, nam amarum ſaporem ipſam manifeſte habere cognoſcet, cum manifeſta etiam ſtipticitate, quare ex odore, & ſapore, una cum ſuis virtutibus, & operationibus, ejus temperiem calidam in ſecundo gradu, & ſiccam in primo eſſe neceſſarium eſt dicere, quæ tamen vero exſpoliatur ab aliis qualitatibus ſubdominantibus in ea exiſtentibus ex elementorum permixtione, ex quibus proprium temperamentum cum prædominio caliditatis acquiſivit. ex quo apparet error illorum qui hanc radicem inodoratam, & inſipidam dicunt, & ſcribunt, cum ſenſus illos redarguat, ego verò non ſemel tantum fruſtum iſtius radicis volui mandere, & dentibus confregi, & aliis ſenſatis & doctis viris ad maſticandum dedi (ne forte in proprio ſenſu deciperer) qui omnes, ut ego etiam, affirmant, poſt maſticationem ſaporem aliquem amarum ſentiri manifeſtum, & ſtipticitatem quandam, ſimiliter poſt ebullitionem odoravi, & aliis ad olfaciendum dedi, qui mecum omnes, odorem aliquem levem percipi affirmant, & cognoſcunt, ut ego cognovi. quem odorem melius percipiet, ſi radicem ebullitam calidam manibus tractare quis voluerit. qui odor neque gratus, neque horrendus eſt, ſed quoquomodo inſuavis. quare cum dicta ab omnibus experiri poſſint, non ulterius in ejus manifeſtatione laborabo, ſed ſatis erit locum aliis aperuiſſe, ut veritatem, & cauſam, virtutum & operationum iſtius radicis habere poſſint, quæ virtutes iſtæ ſunt; nam hæc Radix imprimis modeſte calefacit, & exſiccat exſiccatione levi; & non exſpoliatur à partibus aëreis, quæ ipſam radicem aliquo modo raram reddunt, & in primo guſtu linguam mulcet cum aliquo ſubdulci ſapore, ex quo non caret virtute humectandi, contraoperante aliquantulum ſiccitati, quæ talis eſt, ut ſine controverſia operari poſſit, neque hoc repugnat illuſtrium Antiquorum veritati, ut videre eſt ubi de virtutibus ligni Indici indagandis clare ſcripſi. quam temperaturam, & prædominantes primas qualitates ſequuntur operationes, quæ tales exiſtunt, ſiquidem (ut dixi) modeſte calefacit, & aperit vias urinæ & ſudoris, atque malas ſuperfluitates frigidas à prædominio in venis & ambitu univerſi corporis infarctas reſolvit, & in vapores convertit, ventriculi & inteſtinorum lentos & frigidos humores lenit, tergit, & diſſolvit; eſt & aliquando ventris lenitiva, præſertim ſi paſſulæ una cum ipſa potione comedantur; educit etiam diverſitatem excrementorum, eſtque medicina ventriculo ex præſentia plurimæ pituitæ laboranti, vel à mala frigida temperie alterato; corrigitque frigida vitia jecinoris, lienis, & renum, & ejus obſtructiones aperit, mundificat ſanguinem à craſſis & lentis excrementis cum eo admiſtis; prodeſt nephriticis, & calculoſis, atque etiam articularibus doloribus; confertque ulceribus novis, & antiquis malis, & ſanat diſpoſitionem morbi Gallici tam novam quam antiquam, cum puſtulis & aliis cutaneis infectionibus: prodeſt depilationibus, & corroſionibus gingivarum & caſui dentium à morbo Gallico provenientibus; ſanatque dolores, tumores, ulcera, & nervorum contractio- E nes ab eodem morbo prodeuntia; & ut ſummatim dicam, infrigidatos, ſtupidos, reſolutos, maraſmos, difficulter ſpirantes, & quæcunque vitia dicti morbi occaſione contingere ſolent, ſanare valet, ſi debitus tamen ejus decocti præparationis modus, ut ex ſequentibus videbis, ſervetur.

## CAP. XIII.

*De modo præparandi radicem Chinæ in cura morbi Gallici, & de ejus exhibitione.*

Primum deligenda illa radix eſt quæ recens ſit, ſi fieri poteſt; quod ſi recens haberi non poteſt, ſit illa ſaltem quæ non plurimum exſiccata ſit, neque à carie corroſa, ſed ſit ſubſtantiæ denſæ & ponderoſæ, & in colore intus rubens appareat, habens etſi non manifeſtam humiditatem, ſaltem lentorem, ut minime fungoſa, aut frangibilis facile ſit. ſed cum per ſpatium viginti quatuor dierum ejus decoctionem bibere operæ pretium ſit, procuret habere ægrotus libras duas dictæ radicis, quæ dividendæ erunt in viginti quatuor uncias ſeparatim, ex quibus diviſis partibus accipe *unciam unam*, & *eam in ſubtiliſſimas laminas unguium ſimillimas cultro incidito*, & *inciſam in olla lapidea nova, ſeu nitida ponito*, & *deſuper libras duodecim aquæ fontis, vel putei optimæ, non paludoſæ, nec ſalitæ aut amaræ ponito, ſicque per vigintiquatuor horas confundi ſeu macerari ſinito, olla cooperta coopertorio, ut minime ſpirare poſſit. quæ olla ſit majoris continentiæ quam duodecim librarum aquæ ſaltem ad tertiam partem ut libere poſſint cooperta olla ſimul ebullire, ita ut ſenſim ebulliendo, tertia pars aquæ abſumatur, poſt quam tertiæ partis conſumptionem, olla ab igne amoveatur, & coopertam dicto operculo lapideo, vel ligneo, & in loco plurimæ frigiditatis, & in quibuſdam pannis involutam refrigerare dimittito.* dixi opertam, ne ejus vis aërea ſubtilis nimium diſſolvatur. quæ decoctio eſt illa quantitas, quam in una die, videlicet in ſpatio 24. horarum bibere neceſſum eſt; & quoniam decoctum hoc minime ad plures dies ſervari poteſt, quin aut aceſcat, vel aliam corruptionem recipiat, ideo quotidie modo ſuperius dicto hanc decoctionem præparare operæ pretium erit, ſcilicet unciam unam radicis in ſubtiliſſimas laminas incidendo, & duodecim libras aquæ deſuper ponendo, ut per vigintiquatuor horas macerentur, & poſtea in dicta olla ad tertiæ partis conſumptionem bulliant, ſicque ſingulo quoque die decoctionem facere neceſſarium erit uſque ad vigintiquatuor dies. Radices vero in laminas inciſas, quæ indies ebullierint poſt colaturam, ſervare oportet, & in loco umbroſo ſuper tabulas ſparſas, ut exſiccentur, dimittito, & ſervato, ut poſt potum vigintiquatuor dierum, facta decoctione ſecunda, ſi æger non ex toto à morbo, & ſuis accidentibus liberatus fuerit, eam bibere poſſit, ut perfectam ſanitatem conſequi valeat. Sed antequam hanc decoctionem æger bibere incipiat, operæ pretium erit convenientibus medicaminibus communes ſuperfluitates ventriculi, & inteſtinorum, & propinquarum venarum expurgare ſecundum ægri indigentiam, & virium, & anni temporis tolerantiam, ut dictum fuit ubi de exhibitione decoctionis ligni Indici ſcripſi, ut exempli gratia, ſi corpus fuerit cacochymum expurgetur cum *electuario lenitivo, aut diacatholicone, vel de ſebeſten*, facta prius præparatione, ſeu digeſtione cum *ſyr. de ſumo terræ, de betonica, vel roſato, dilutis cum aquis ſtillatitiis lupulorum, endiviæ, & ſimilium, vel cum decocto paſſularum, boraginis, bugloſſæ, betonicæ, & lupulorum*; *vel fiat cum decoctione epithymi Meſuæ.* Quod ſi corpus plethoricum fuerit ex abundantia ſanguinis mali, aperiatur vena jecoraria, & poſtea iterum expurgetur eisdem electuariis addita *confectione Hamech*; quibus factis evacuationibus decoctionem Chinæ ſic bibere incipiat. Mane in aurora in lectulo manens aſſumat quartam partem ſuperioris decoctionis calidam, vel ſaltem illam quantitatem quam ſumere ſine ſtomachi offenſa poterit, deinde cooperiat ſe pannis laneis, vel culcitra, ita ut ſudet, ſi fieri poteſt, ſicque per duas horas maneat coopertus in lectulo, toleretque egreſſum ſudoris quantum tolerare poterit, quoniam ſic & citius & melius ſanitati reſtituetur. Verum enim vero ſunt, qui præter potum, quem mane biberunt, etiam tantundem dictæ decoctionis ſeptem horas poſt prandium bibunt, & in lectulum ſe recipiunt, cooperiuntque ſe pannis ut ſudent, & poſt duas horas cœnam accipiunt; attamen major pars mane tantum bibunt, ſed animadvertendum eſt quod ſi æger ſudaverit, non debet manere ſemper in uno loco, ſed mutet in eodem lectulo locum, & locus, ad quem mutatur, nullo modo frigidus ſit, tergantur ſudores linteis & pannis lineis calidis, & poſt duas horas à lectulo ſurgere poterit, ea tamen lege, ut neque aëri frigido, neque ventis, vel aliquo nocuo loco ſe exponat; induatque veſtimenta ſecundum temporis opportunitatem, & ſi fieri poteſt, nullo modo domum egrediatur, ſi quidem plurimum nocet exponere ſe aëri frigido poſt ſudorem, præſertim primis illis diebus uſque ad quartumdecimum, interdiu vero aliquam partem dictæ decoctionis calidam, ſi poterit, bibat; quod ſi calidam bibere noluerit non ſit tamen frigida ut à ſtomacho actuari poſſit; ſicque per vigintiquatuor dies bibendo procedere oportet, & quotidie novum decoctum facere, & omnem alium potum dimittere ſive ſit aquæ, ſive juris, ſive aliquod aliud genus potionis.

## CAP. XIV.

*De ordine, & modo cibandi, ac de aliis regulis in hoc curationis modo obſervandis.*

Sequitur, ut in hujus decocti radicis Chinæ exhibitione cibi & potus qualitates & modum, quem bibentes obſervant, ſcribam, qui talis eſt. Dum hanc decoctionem bibunt, in primis ut comedant optimas carnes gallinarum ſcilicet, vel caponum juvenum, aut pullorum, vel vituli, vel hœdi, & ſimilium jubent, quæ tamen elixæ ſint ſine ſale: quod ſi aliquid admiſceant ut gratiores reddantur guſtui, apponunt dulcia, ut ſunt *paſſulæ, ſaccharum, mel*, & ſimilia dulcorantia; abſtinent à piſcibus, ab acidis, & frigidis omnibus comeſtibilibus, ut eſt *acetum, omphacium*, (*agreſtam vocant*) *poma aurantia, limonia*, & ejus generis quæ refrigerare poſſunt, ut ſunt *poma, pruna, ceraſa, amarenæ*, & reliqui tam fructus quam herbæ, & radices refrigerantes; præſertim à coitu & amplexu venereo; comedunt igitur panem optime fermentatum & coctum, ex jure dictarum carnium lotum, aut bullitum una cum dictis carnibus tam in prandio quam in cœna, modeſta quantitate, ſecundum hominis conſuetudinem, & virtutis ventriculi tolerantiam: comedunt etiam una cum pane in jure loto, & carnibus aliquid quod poſſit ventum diſcutere, & diſſipare, ut ſunt *ſemina anſiorum, fœniculorum ex ſaccharo conditorum, & cinnamomum*, & ſimilia, atque etiam dulcia quæ cum *ſaccharo, & melle* præparantur, quæ tamen ventoſitatem diſſipare valeant, ut ſunt *cortices citri, & zingiber, & reliqua talia*: Abſtinent ab omni potu vini, & aquæ, vel juris per totum ſpatium viginti quatuor dierum, ſed loco potus bibere oportet decoctionem dictæ radicis Chinæ, tam in prandio quam in cœna. Sed quoniam aliqui ſunt, qui ex conſuetudine, vel ex aliqua alia cauſa, puta ventriculi imbecillitate vel alia, ſine vino plurimum languent, & anguſtantur; ideo in iſtis dandum erit aliquid vini permixti cum dicta Chinæ decoctione, de qua decoctione tam in prandio quam in cœna, & inter prandium & cœnam ad libitum bibere poſſunt: tranſacto termino viginti quatuor dierum, tametſi domum æger egrediatur, optimum erit ad perfectionem curæ decoctionem ſecundam bibere mane ad quantitatem tolerantiæ ſtomachi; quæ ſecunda decoctio ſic præparatur. Accipe *quantitatem omnem radicis inciſæ, & ſemel bullitæ, atque in umbra exſiccatæ optime contuſæ, & quotidie ſuper unam unciam dictæ radicis optime contuſæ tantundem aquæ ſuperponito, ſicut in prima decoctione feciſti, & iterum ad ignem ad conſumptionem tertiæ bulliant, ſicut prius factum fuit*, & ex eo mane, & inter diem bibat, & hoc donec perfectam ſanitatem acquiſierit, quod cognoſcitur ex omnimoda accidentium remotione, & ex operationum bonitate: ſicque, ut dixi, procurandum erit ſine intermiſſione. Sunt etiam aliqui alii modi præparandi hujus radicis decoctum, nam accipiunt hujus *unc. iiij. cultro ſubtiliſſime inciſæ, & in ſubtiliſſimas laminas redactæ, & in vaſe amplo lapideo impoſitis ſuperponunt aquæ fontis lib. x. Vas ſit amplum ut xv. etiam libras aquæ capere poſſit, habens os aliqualiter ſtrictum, & dimittunt per vigintiquatuor horas in infuſione, poſtea ponunt ad ignem coopertum, ut ad conſumptionem tertiæ partis bulliat, & poſt refrigerationem per pannum lini colant, & vaſe vitreo ſeu vitreato ſervent*, & fruſta radicis ſemel ebullitæ & ipſa ſerventur, & in umbra exſiccentur; & hanc decoctionem ſic colatam in mane, in aurora calidam bibant quantum tolerare poſſunt patientes ad quantitatem octo vel decem unciarum: ſimiliter & veſperi horis quatuor ante cœnam, tantundem dicti decocti ſumere oportet cooperiendo ſe in lecto ut ſudent ſi fieri poteſt, & per duas horas maneant: In prandio vero & cœna bibant ex eadem decoctione quantum bibere voluerint, & etiam inter prandium & cœnam, & in aliis horis, vinum quoque tam in prandio quam in cœna cum dicta decoctione lymphetur, & ſic dilutum ſumatur. Notandum tamen erit quod ſi tranſactis vigintiquatuor diebus æger bene ſe habuerit, ita ut ſanetur, & ab accidentibus morbi liberatus fuerit, & ſecundam dictam decoctionem radicis Chinæ bibere voluerit, poteſt illam bibere, quoniam perficiet curam, ſed calida ſit, & maneat in lecto per duas horas coopertus ut ſudet, & quantitas potus ſit moderata ſecundum præteriti morbi, & præſentis virtutis exigentiam. Decipiuntur utique qui credunt, quod ſi quis tam iſtius quam aliarum medicinarum plurimo, & longiori tempore uſum frequentaverit pertinacia quadam magis prodeſſe poterit, cum ſecus ſit, nam medicinæ præterquam quod virtutem ad malorum humorum conſumptionem dirigunt &

adju-

adjuvant, lædunt etiam corpus, alterando illud sua pharmacali operatione: unde sæpe fit, ut exinanito corpore, & virtute imbecilli facta, neque ex toto mala morbi temperie remota, medicamentoque continuato, quod purgando, vel alterando est, novæ malæ materiæ regenerentur, prioribus deteriores ob virtutis debilitatem, unde sequuntur dolores, vel alia deteriora accidentia; & ideo cauti sint medentes, modeste in omnibus agendo, usque ad terminum sanitatis, ita ut si post assumptionem dictæ decoctionis æger non ex omni parte bene habuerit, non sit propterea de salute desperandum, etiam si accidentia non ex toto remota fuerint, dummodo mitiora & leviata sint, ut jam virtus postquam roborata fuerit, possit reliquum corrigere, & absumere, debito in sex rebus non naturalibus regimine observato; & quoniam in tali morbo & pustulæ, & tumores, & ulcera, & dolores, & pilorum casus, atque dentium & gingivarum corrosiones sæpissime apparent, & non sine labore sanantur; ideo, ubi fuerint pustulæ, lavabis illas isto decocto bis in die saltem, & pannum lini in eo madefactum, si locus tolerat, superpones; similiter super tumores pannum lini in dicta decoctione madefactum pones; quod etiam in ulceribus faciendum erit, tamen prius ulcus lavando, & à sorde tergendo cum dicta decoctione, postea pannum madefactum in ea superponendo; & in casu capillorum, & barbæ conducit caput, & barbam bis in hebdomada dicta prima, vel secunda, vel tertia decoctione lavare, conducit etiam in gingivarum corrosione, & dentium casu sæpe in die os dicta decoctione calida colluere, sicque succurri pustulis, doloribus, tumoribus, ulceribus, casui pilorum, & dentium corrosionibus potest: Sed notabis quod in hoc modo curationis morbi Gallici, sæpe post quintum, aut sextum, vel septimum diem à prioridie assumptionis decoctionis, dolores in locis debilibus, & dolorosis, augeri contuevere, & indies augentur fere usque ad undecimum diem, & etiam quartumdecimum; nec propterea sistendum ab inceptis erit, quoniam si æger recte se gerere in regimine cibi, & potus, & aliarum rerum non naturalium voluerit, evadet tandem sanus, nam augentur dolores, & alia accidentia, quoniam ex potu dicti decocti alteratur materia morbi virtute ab ipsa adjuta, sed non potest omnem materiam pellere, aut absumere, quæ in membris rarefacta dolores extensivos auget, & ad ulcera pulsa ea deteriora reddit, sed roborato calore, & virtute operante, mitiores fiunt dolores, & accidentia reliqua, unde virtute minus postea impedita, & à medicamine adjuta, sanitati pristinæ æger restituitur ad terminum præscriptum vigintiquatuor dierum, ut docet rerum magistra experientia; & quanquam communes modi præparandi radicis Chinæ sint super dicti, attamen sunt plurimi tam empirici quam rationales medici, qui hanc radicem decoquunt, & præparant addendo diversa simplicia ad morbum Gallicum, & ad alias difficiles sanetu ægritudines facientia. si quidem sunt qui in morbo Gallico antiquo, accipiunt *radicem Chinæ pulverizatæ, ligni Indici pulverizati, corticis ligni Indici pulverizati, salsæ perilie pulverizatæ an. unc. j. Aquæ fontis vel putei lib.* xvi. *& dimittunt per vigintiquatuor horas simul macerari in lebete lapideo, deinde bulliunt ad consumptionem tertiæ partis, & refrigeratam, & colatam in vase vitreo servant. deinde tantam aquæ quantitatem super res, quæ prius ebullierunt, ponunt, & iterum decoquunt ad ignem ad tertiæ partis consumptionem, & refrigeratam in vase vitreo separatam servant:* & priorem decoctionem exhibent in aurora, & vesperi ante cœnam ad quantitatem octo, vel decem unciarum calidam, immediate post *cochlear passularum* mandunt, & cooperti in lecto dormiunt, & quatuor horis post comedunt *panem biscoctum cum passulis*, & bibunt ex secunda decoctione ad libitum; transactis postea septem horis iterum tantam quantitatem primæ decoctionis calidam bibunt, & quatuor horis post cœnant, quæ cœna minor prandio est; dormiunt postea per universam noctem, & in reliquis servant modum, & regulam, quam, qui decoctum ligni Indici bibunt, servare solent, & hoc per spatium quadraginta dierum: Sunt etiam qui decoctum radicis Chinæ cum medietate vini montani, & medietate aquæ præparant, quod exhibent in morbo Gallico antiquo difficilis curationis. Neque desunt qui simplicia ventrem solventia una cum tali radice bulliant, & exhibeant, ut est *sena, polypodium, turbith, hermodactyli, & similia.* sunt qui alterantia simplicia cum radice Chinæ bulliunt, ut est *betonica, yva, stuchas, agrimonia, cichorea,* & similia secundum diversorum accidentium indigentiam, qui non ex omni parte reprehendendi sunt, si cum ratione & experimento ea simplicia addant, siquidem in magnis & difficillimis ad sanandum morbis, licet omnia cum ratione experiri, cum præsertim cæteris aliis morbis sanandis non contulerint. neque enim ego illius sententiæ sum, non posse sapientium inventis addi, quoniam sic credere, fatui hominis esset, sicut eos, qui levibus medicaminibus sanari non possunt, nefas esse cum fortibus sanitati restitui, & quærere ut omnino sanentur, etiam si medicamina fortissima, & non ab omnibus cognita fuerint, nam crudele, & impium est, languentes omnino sine aliquo auxilio relinquere. quare si à morbo Gallico magno non potuit æger curari alterantibus medicinis, cum expurgantibus malos humores in morbo materiali procedere oportet, aut cum sanguinis missione, si copia aderit sanguinis, apertis venis, vel, ut faciunt nostri temporis medici experti, dentur decocta tam ligni Indici, quam salsæ periliæ vel radicis Chinæ sola, vel cum aliis simplicibus, ut supra dictum fuit, permixta, & vino etiam præparata. Postremo quando ex dictis medicaminibus morbus sanari non potest, & res est in discrimine deterioris mali, omnia, ut dixi, facienda sunt, ut sæpissime ego feci, & plurimos liberavi à malis præsentibus fortibus, & pernicioris, ac etiam multos præservavi à futuris malis, & accidentibus deturpantibus, ut est casus capillorum, barbæ, & aliorum malorum beneficio medicinarum fortium tam interius, quam exterius propinatarum, plures sanitati restituti fuerunt ab aliis medicis tum rationalibus, tum etiam empiricis cum unctionibus factis ex pinguedinibus, argento vivo, & aliis corrigentibus malignitatem argenti vivi, si qua est, qui nullis aliis auxiliis potuerunt sanitati restitui. Plurimi quoque à morbis desperatis cum ulceribus & ossium corruptione, & maxima macie, sive marasmo per fumigia sanati sunt, tametsi hæc duo remediorum genera, à quibusdam medicis, qui non ex omni parte bene discurrunt, neque experimentis discursum confirmant, sed ab apparentibus nominibus decepti, remedia reprobant, accusantur, & tanquam perniciosissima increpantur, illi tamen nullum auxilium afferunt talibus, præter quædam millies exhibita, & nihil proficientia, sicque ægros in deterius, & perniciem procedere sinunt. sed audiant, & sciant quod in magnis morbis non obedientibus fortibus medicinis, ad fortiores, & ultimas medicinas confugere, si credimus Hippocrati, oportet, & credere expertis, ut sæpe Galenus testatus est. quoniam, ut dixit Aristoteles, negare sensum propter rationem est imbecillitas intellectus. quare si isti non habent de aliquibus rebus experientiam, saltem expertis, & fide dignis credant, cessentque à maledictis, & discant etiam usque ad ultimum senium, & si meliorem viam sanandi in difficillimis ægritudinibus habent, illam ostendere non dedignentur, nam pium est humano generi prodesse, & omnibus benefacere.

## CAP. I.

## QUARTI TRACTATUS PROOEMIUM,

*In quo declaratur quod unctiones junctvrarum, in quibus argentum vivum ingreditur, rationabiliter fiunt patientibus morbum Gallicum, & complexio argenti vivi calida ostenditur, omniaque argumenta resolvuntur.*

His visis, tempus est ad aliam sanandi hanc ægritudinem viam descendere, quæ etsi multis ingrata sit, profecto tamen si cum observatione ipsa & conditionibus dicendis quis utatur, est infallibilis, & securissima via sanandi hanc ægritudinem. Et est cum junctvrarum unctionibus, in quibus *argentum vivum* ingreditur; quæ unctiones, sive unguenta non sunt (ut multi credunt) à modernis, & empiricis inventa, sed ab antiquis in suis libris scripta, & laudata, & nos posteri secundum etiam necessitatem aliquid addendo, & alia consimilia conficiendo, ipsa extollimus, & laudamus, quoniam virtutes ipsorum sunt laudibus dignæ in ista ultima & prava ægritudine. Neque audiendi sunt qui dicunt quia unguenta ista nocent nervis, ideo non debemus cum ipsis procedere, & ægros ungere. Et ratio est, quoniam ipsi forte non sciunt quod in unoquoque medicamine hoc principale attendendum est (quando medicamen melius non invenitur.) An sit majus nocumentum juvamento, quod si juvamentum fuerit majus, debemus procedere, & applicare medicamen factis aliquibus correctivis, & præparationibus, ad expellendum nocumentum, ut faciunt boni doctores in istis unguentis, in quibus ponuntur correctoria, ut est *axungia, theriaca,* & ponitur *stœchas* in aliquo, vel *salvia,* & in aliquo *oleum de junipero, vel de terebinthina*; & de aliis, quæ omnia habent confortare nervos, & extinguunt malignitatem argenti vivi, &, ut breviter me expediam, apud omnes medentes est, & recitatur à Gentili in *expositione quinti canonis*, quod medicina quarti gradus, efficitur secundi gradus per admixtionem aliarum medicinarum, remittitur etiam malignitas venenosa per suum bezoar, quod est sibi contrarium. Quare cum à doctoribus diversa ponantur ad extinguendam malignitatem argenti vivi, diversa essent dicenda, sed cum hoc de facto rationales practicantes faciant, & succurrendo, si aliquod vident no-

cumentum ab iſtis unctionibus, dicendum eſt, quod nullum eſt in applicando inconveniens. & quoniam majus eſt juvamentum nocumento, ideo recte procedimus cum iſtis correctivis, uſque quo aliquid melius inveniatur. Alii vero aliter improbant iſtam viam, & dicunt quod eſt fortis, & quod cum unctionibus iſtis ſequuntur mala accidentia, & ulcerationes oris, & gingivarum cum fluxu continuo materiæ phlegmaticæ die, noctuque fluentis, & ob hoc ſequitur vigilia laborioſa, & impotentia comedendi, dolores maxillarum, & alia, ut ſunt fluxus ventris, paralyſis &c. quare cum iſta ſint accidentia, & ægritudines malæ, non debet medicus ſanitatem iſtius ægritudinis, cum introductione iſtarum malarum diſpoſitionum quærere. Quibus facile reſpondeo. dixit namque Hipp. quod ad ultimas ægritudines ultimæ curationes ſunt potentes. & quamvis Galenus in *commento de diæta* expoſuerit, & in alio loco de phlebotomia, tamen aphoriſmus ampliatur ad alias ægritudines, utputa ad ulcera maligna cum corruptione oſſis, procedimus cum cauterio actuali, quod eſt fortiſſimum medicamen. quis enim ignorat combuſtionem ignis eſſe corpori humano crudeliſſimum medicamen, tamen omnes medici jubent procedere cum ipſo, ita quod Princeps quarta primi laudans cauteria eminenter dixit. Cauterium eſt medicamen valde nobile, &c. Et phlebotomia nonne fit per inciſionem venarum, & purgatio cum *helleboro*, *ſcammoneo*, & *elaterio*, quæ nocent ſtomacho, & aliis membris? quare ſæpe medici etiam curant ægritudinem unam introducendo aliam, ut paralyſin introducendo febrem, & ſcabiem malam Avic. cum evacuatione uſque ad dyſenteriam, poſtea curant febrem, & ſanant dyſenteriam, & ſic non ſine ratione & auctoritate faciunt qui utuntur unctionibus, facta evacuatione ſenſibili, vel inſenſibili illius materiæ ultimæ in malignitate, ſanant poſtea ulcera oris, & ſuccurrunt aliis accidentibus, ſecundum neceſſitatem. & cum iſte, vel conſimilis proceſſus fiat in aliis, non eſt malum etiam in iſta facere. Sunt etiam dicentes quod cura non eſt vera, cum non ſit per contrarium, immo cum iſtis unguentis fit potius conſtipatio, & quædam ſtupefactio. Et dicunt auctoritate Avic. *ſecundo canone*, quod argentum vivum eſt frigidæ complexionis; & ad confirmandum, adducunt exemplum de ſimia mortua ex aſſumptione argenti vivi, & de quodam aromatario qui credens potare aquam, caſu argentum vivum bibit, & ſic mortuus eſt, quæ res non eſt credibilis, cum ſit ponderoſum, & non potabile. Præterea apertis, ſive anatomizatis, inventa fuit prope cor maxima quantitas ſanguinis coagulati. quare dicunt hoc à frigiditate argenti vivi provenire, & confirmant, iſtam non eſſe veram curam, quia ex ejus fumo ſequuntur, paralyſis, & aliæ ægritudines frigidæ. Quibus reſpondeo dimiſſo Conciliatore differentia. CLI. Et dico quod argentum vivum eſt calidæ & humidæ complexionis, ut bene notavit doctiſſimus Platearius in *ſuo de ſimplicibus*, & hoc confirmant verba Hali abbatis *ſecundo practicæ cap.* 48. & Rhaſis *tertio ad Almanſorem cap.* 34. & Galen. *lib.* 4. *de ſimplicibus*, dicentis quod virtus argenti vivi eſt calida (quamvis in nono de ſimplicibus fatetur ſe nullam ejus habere experientiam) hoc idem atteſtantur operationes & virtutes quas ponit Avic. dicens quod eſt ſubtiliativum, nam ſubtiliatio fit à calido, neque propter hoc negarem diverſitates partium, quoniam, ut dixi in tractatu de *ligno Indico*, auctoritate Galeni, una medicina ſingularis cum ſit ex quatuor elementis, habet plures partes, à quibus diverſi prodeunt effectus, neque verba Avic. qui fuit tantus vir, in medicina, ſuperficialiter intelligenda ſunt, quia cum dixit, quod eſt frigidæ complexionis, oportet intelligere quod operationes cauſant effectus frigiditatis, & ultimo infrigidant, & eſt reſolvendo ſpiritus, & ſic reddit corpus infrigidatum, quoniam ſua caliditate ſubtili, penetrativa, & eliquativa, habet diſſolvere membra, quæ ſunt ſubjecta detinentia ſanguinem. Et ſic fit inanitio ſpirituum, & mollificatio nervorum, & ſanguis redditur trigidus, & ita coagulatus fuit in ſimia, & aromatario conceſſa potatione argenti vivi, quia ſua caliditate nimium reſolvit, & ſanguis ita exinanitus converſus ad principale membrum intentione naturæ, quærebat forte calefieri à corde, & ſic fuit facta ſuffocatio (forte reſidui caloris) vel etiam à malignitate ſpecifica ipſius argenti, ad intra occidente, quare &c. Quod cum ſit ita, boni medici qui adminiſtrant argentum vivum in iſta cura corrigunt cum temperatis, ut eſt *axungia*, *oleum liliorum cum ſalvia*, *olibano*, *myrrha*, & *theriaca*, ut dictum eſt, & paulatim applicant junctoris tantum, utputa ſemel in die, & quantitas eſt parva, quia *duæ unciæ unguenti* ſufficiunt ungere pro vice, in quibus non ſunt *drach. iij. argenti vivi*. Ex his patet reſponſio brevis ad hoc, nocumentum ut dixi, eſt minimum quid, & juvamentum eſt maximum, & ejus virtus eſt calida ut dictum eſt, & ideo non reprimit, ſed digerit, & evacuat cauſam ægritudinis, ſenſibiliter ſæpe, ut apparet, & aliquando inſenſibiliter, quæ cauſa eſt materia illa viſcoſa. quod ſi à medicamine iſto aliquod nocumentum imprimitur, natura, & medicus prudens corrigit, & confortat membra, & ad omnes iſtas rationes adde, quod non ſemper res, quæ nocent corpori, ſive membro ſano, nocent etiam ægro, ut quotidiana experientia teſtatur in febrientibus, & in ægritudine particulari. verbi gratia, eryſipelati frigida conferunt, quæ ſunt notabiliter frigida & ſanant, tamen frigida nocent, & deducunt corpus ſanum, & membrum extra temperamentum proprium. Quare applicando, dico, quod ſi argentum vivum nocet corporibus ſanis, vel nervis nocumento magno, non tamen nocet quando ſunt infecti infectione iſta. Et ſi aliquid nocet, magis juvat, & nocumenta ſunt corrigibilia, ut experientia patet. Multaque alia poſſem adducere de cauſis compoſitionis medicinæ, ſed quia ſunt nota medicis, dimitto. Et ſummatim revertendo, dico, ſiquis habuerit ægrum patientem morbum iſtum, ſive novum, ſive antiquum, ſecure procedat cum unctionibus infra dicendis, obſervato regimine infra ſcribendo, & dicto in ſex rebus non naturalibus; ſiquidem linimenta, & inunctiones ex axungia & argento vivo, & aliis factæ, mirabile ſunt præſidium, & ſunt medicina ſecuritatis, cum qua, ut ſæpiſſime viſum eſt, omnes patientes morbum Gallicum ſanantur, & poteſt in omnibus corporibus, & iſtius morbi accidentibus adminiſtrari, in quocunque tempore, & ætate, & etiam in prægnantibus, & pueris, ut ego ſæpe feci, & illis bene ſucceſſit. ſed adverte (ne temere aliquid facias) omnia eſſe moderanda intermittendo in aliquibus unum, vel alterum diem, & iterum revertendo, ita ut ſines ſine ægri diſcrimine.

## CAP. II.

*De regimine quo uti oportet in illis, qui per unctiones ſanantur, & de modo adminiſtrationis ipſarum unctionum in quacunque morbi Gallici diſpoſitione.*

In primis corpus cum medicationibus convenientibus evacuare oportet, utputa, ſi ægritudo eſt nova, & æger multas habuerit puſtulas, & paucos dolores, digeratur materia, verbi gratia, *cum ſyrupo de endivia*, *de lupulis*, & *de fumo terræ*, & aquæ cum quibus lymphentur, ſint *aquæ endiviæ*, *ſcabioſæ*, *lupulorum*, *vel ſolani*, aut aliæ dictæ. Sed ſi ægritudo fuerit antiqua cum doloribus, apoſtematibus, ſive ulcerious, digeratur cum *ſyrupo*, *verbi gratia*, *de fumo terræ*, *de ſtœchade*, *melle roſato*, *ana unc. s.* vel cum aliis ſyrupis jam dictis, & lymphentur cum *aquis fumi terræ*, *yvæ*, *endachochæ*, *ana unc. una*, *vel cum decoctione epithymi Meſuæ*, *vel cum decoctione noſtra*, *vel de ſena*, & ſic digeratur per aliquos dies, puta quinque, vel ſex, ſumendo in aurora. & ſi quærat quis reprimere materiam, propter dolorem capitis, ſumat ipſum poſt cœnam per tres, aut quatuor horas. Et facta aliquali digeſtione, purgetur *pharmaco lenitivo* cum aliquali electione, ad materiam dominantem, ut in ægritudine nova cum *electuario lenitivo*, *de ſebeſten ana drach. vj. confectionis hamech drach. ij. vel plus*, *ſecundum neceſſitatem infirmi*, & *fiat bolus cum ſacharo*, *vel potio cum aquis dictis*, *vel cum decoctionibus*. Aut dentur *pilulæ de fumo terræ*, & *aggregativæ ana ſcrup. ij. ſ. vel minus ſecundum indigentiam*, & *fiant quinque*, quæ evacuationes ſumantur in aurora, niſi ſit aliqua particularis intentio, aut aliquod impediens, vel febris principium, vel aliud, & in tali caſu eligant horam magis quietam, & cibus ſit ad minus per quinque horas poſt, tam in digeſtione quam in evacuatione, & ſemper adde & minue, ſecundum diverſitatem ægritudinis in accidentibus, & complicationibus. quod ſi ægritudo fuerit antiqua cum doloribus, & reliquis, evacuabis cum aliquo ex dictis, puta *lenitivo addito electuario de pſyllio Montagnanæ*, *vel agarico præparato*, & de aliis quorum virtutes dictæ ſunt. Et facta prima evacuatione, ſi æger eſt fortis cum aliis conditionibus in cap. de phlebotomia dictis, phlebotoma eum à vena baſilica, quantitate convenienti in mane, niſi ſit aliqua res impediens. factaque phlebotomia, iterum digerendo cum ſyrupis appropriatis procede, & iterum cum pharmaco benedicto evacua, quod ſit electivum. & ſi fuerint puſtulæ, appone ventoſas ſcarificatas ſuper ſpatulas, nates, & alia membra, ubi plus abundant puſtulæ, & reitera ipſas, bis vel ter ſecundum neceſſitatem, & judicium ex plenitudine ſumptum, & etiam ex multitudine puſtularum, interponaturque inter unam, & aliam applicationem, ſpatium quatuor, aut quinque dierum, & ſumat quotidie digeſtivum, vacuantiaque reiterentur, ſive ſint potiones, ſive pillulæ. Et facta diligenti, ac canonica evacuatione minorativa, reſiduum materiæ remanentis digeratur unctionibus infra ſcribendis ut natura adjuta reſiduum poſſit, per os (ut

in

in pluribus contigit,) vel per fecessum, aut per sudorem, vel per urinam, aut insensibilem evacuationem, ut sæpe vidi evacuare, & expellere. Et hoc fiat verbi gratia cum isto unguento, vel cum alio ejusdem virtutis. Rec. *axungiæ porcinæ libram unam pingued. gallinæ. unc. iij. olei liliorum alborum unc. j. s. mercurii unc.* v. *& plus si oportet, olibani, mastichis pulverizati, salviæ, stœchados, lithargyrii, cerussæ ana unc. j. aquæ vitæ unc. ij. misce, & in mortario lapideo tam diu ducantur donec ad perfectam formam unguenti reddantur.* Modus autem istius compositionis est iste. imprimis axungiæ non sint ad ignem colatæ, sed à pelliculis emundatæ, & per setonem, eo modo, quo extrahitur flos cassiæ, colatæ: postea pone argentum vivum in mortario cum dicta axungia, & ducantur cum pistillo. Et iste erit modus mortificandi, & incorporandi argentum vivum. quibus incorporatis, addantur aliæ res successive, tamen semper cum pistillo ducantur usque ad perfectam omnium rerum dictarum (ut dictum est) admixtionem, & dimittatur per duos dies, ut fermentetur, vel plus. postea æger, ut supra, purgationibus purgatus, ungat seipsum, &, si potest, junctura B post cœnam per tres horas, & sit ante focum, & cubile sit clausum, & incipiat à junctura clavicularum pedum, postea ad genua deveniat, deinde cubitos ungat, postremo junctura manus, & si virtus est fortis, & ægritudo magna, unge etiam junctura inguinum, ancharum, & spatularum. Postea junctura stupa cannabina calida cooperiantur, & ligentur, & ingrediatur lectum, cooperiaturque coopertoriis, ut sudet per duas horas; quod si per sudorem nimiam patiatur lassitudinem, detur cyathus unus brodii gallinæ, vel carnis Et sic procedere oportet ungendo singulo vespere usquequo medicus videat exitum manifestum materiæ phlegmaticæ ab ore, aut fluxum ventris notabilem, vel sudorem, & ultra hoc videat diminutionem manifestam (si sunt pustulæ) pustularum (& si sunt dolores) dolorum mitigationem (& si apostemata) resolutionem ipsorum (& si ulcera) digestionem, mundificationem, incarnationem, & cicatrizationem. Et quoniam sæpissime accidit quod in aliquibus nullus apparet fluxus materiei ab ore, neque aliqua alteratio, sive dolor dentium, neque fluxus ventris, aut aliquod signum C evacuationis manifestæ, etsi ægritudo sit materialis quæ sanatur evacuatione, dubitat medicus, nescions se regulare de quantitate unctionis, & dierum numero, quæ sint sufficientes in cura, ut sanetur æger. Et ego multos annos in hac ambiguitate fui, usquequo cognovi, quod in istis ungendo procedere oportet usque ad aliquam manifestam pustularum, dolorum, apostematum, & ulcerum sanationem, & virtutis tolerantiam, quod signum est mihi infallibile, & maxime quando accidunt lassitudines quædam syncopales, ultra dieta; & tunc est judicium quod virtus agit circa materiam, sive humiditatem bonam, in qua humiditate reservatur calor naturalis, & cum hoc apparet, dimitte unctiones, & conforta virtutem cum cibariis bonis, ut sunt ova sorbilia, contusa ex pulpis gallinarum, & caponum, & cum vino aromatico, & aliis bene nutrientibus. Et ita ego multos sanavi, qui ab aliis sæpe inuncti, non fuerunt sanati, eo quia nullam alterationem oris, cum evacuatione faciebant unctiones, & medentes non cognoscebant quando perfecta erat eradicatio materiæ, quæ quoniam non fuerunt eradicatæ, iterum morbus D deterior priore recidivabat. Sed ut melius me intelligas, ego procedo in istis cum unctione usque ad lassitudinem dictam semisyncopalem. Sanavi inter alios unum (qui à pluribus jam fuerat inunctus, & non sanatus) quem per triginta septem dies inunxi, & liberatus fuit, & nunquam recidivavit, & ab omnibus incurabilis dicebatur, & sanus adhuc vivit, & multos alios, ut dixi, signumque fuit mihi ut supra. Quare dico quod non potest dari certa regula de numero dierum unctionis, & quantitate, sed oportet procedere secundum fortitudinem patientis cum judicio bono existimativo. Sanavi etiam multos marasmos debiles cum ægritudine magna per plures reiterationes unctionum, & ungebam per quatuor dies omni vesperâ, deinde dimittebam ipsos per hebdomadam quiescere sine unctione, sed cum bono regimine, & postea iterum ungebam per quinque dies vespere secundum eorum virtutes, iterumque dimittebam quiescere, & sic sanitati restituti sunt. Vidi etiam in aliquo virtutem debilem, & dolores acutissimos indigentes maxima unctione, & feci ungere per E quatuor aut quinque dies, usque quo dolores fuerunt mitigati. postea per mensem feci ipsum bonis cibariis nutriri, & iterum inunxi per multos dies, & sic sanatus fuit. Tua ergo erit secundum ægritudinem, & virtutem cum istis mitius, & fortius ungere, continue, & interpolatim, cave tamen ne pectoris partes inungas, ut docet Avicenna. Æger tamen cum bonis cibariis semper nutriatur, & cum vino optimo, non vinoso, sed mediocri, & inter prandium & cœnam da scutellam brodii, semperque attende A virtuti, & ægritudini, & omnino à ventis, & ab aëre frigido patiens abstineat læteturque. Et quando apparet fluxus humiditatum manifestus ab ore, cum dolore, & inflatione gingivarum, & accidentia morbi remittuntur, ab unctionibus cessare oportet, & removere stupas cooperientes junctiras. Neque lavare oportet loca inuncta, nisi ex nimia resolutione ægro syncope accidat, aut subita, & magna oris ulceratio præfocativa, vel fluxus ventris cum excoriatione intestinorum, vel aliquod aliud accidens, quæ si accidunt, remove unguenta, & stupas, quod si ex toto quæris abscindere virtutem unguenti, ne ultra procedat, junctiras lavabis, locaque alia, ubi cum dicto unguento illinitum fuit cum *vino calido simplici*, vel in quo *chamomillam* ebullire feceris, aut *salviam*, succurreque ad accidentia cum remediis infra scribendis.

## CAP. III.

*In quo ponuntur diversæ descriptiones unguentorum cum virtutibus mirabilibus suis, & modo suæ operationis.*

Quoniam multa sunt unguenta & diversificata secundum diversitatem accidentium in tali ægritudine, ideo utilissimum fore judico, si descriptiones diversas dictorum unguentorum, cum suis virtutibus, scripsero. Et primo unguentum ad scabiem domini Mesuæ in suo antidotario, distinctione undecima, quod confert scabiei malæ, & pustulis morbi Gallici, si factis purgationibus, & aliis dictis, junctiræ ungantur cum ipso, vespere, per aliquot dies, usquequo appareant signa dicta, quo aliquando usus fuit cujus hæc est descriptio. Rec. *olei laurini unc. iij. thuris albi, ceræ mundæ, ana drach. ij. argenti vivi mortificati cum saliva unc. ij. pinguedinis porcinæ mundatæ à suis pelliculis unc.* v. *salis communis unc. viij. succi plantaginis, & fumi terræ ad libitum, misce, & fiat unguentum.* Aliud unguentum quod dicitur Saracenicum in cura scabiei in additionibus domini Arnaldi de Villa nova descriptum, & ab antiquis, & sanat scabiem malam, & cancrum, & pustulas morbi Gallici, dolores, apostemata, & ulcera mala, educendo materiam phlegmaticam, & curat etiam leprosos in principio, & confert arthritidi, & podagræ à materia crassa; descriptio cujus est. Rec. *salis nitri, salis petræ, plumbi usti, euphorbii ana drach. ij. panici marini, chamœleontis, ana drach. j. s. cerussæ, argenti vivi ana unc. ij. confice cum axungia veteri, & oleo antiquo, & post addatur pulvis, & fiat ung.* & modus administrationis est iste. Sedeat infirmus inter duos ignes, & inungatur à genibus inferius usque ad pedes, & supra genua per tres digitos, caveatque à frigiditate. Et cum phlegma incipit dissolvi, recedat ab unctionibus, & si per multa sputa & nimiam asperitatem dolor in gutture & ore sentiatur, lavetur os *aqua hordei simplici*, & in processu cum *melle rosato.* Possem & multa alia unguenta (in libris antiquorum scripta) hic etiam scribere, sed ne sermo nimis sit tædiosus, vide Avic. & alios antiquos, de cura scabiei, quoniam multa ponuntur ab ipsis. Ista duo ab antiquis scripta posui, ut sint testimonia dictorum meorum, videlicet, quod ista unguenta non sunt ab empiricis inventa, ut multi credunt, neque modus usus ipsius, quare ex dictis jam apparet, quod antiqui, antequam ad nos fuisset devectus morbus iste, ungebant etiam ipsi junctiras, ex qua unctione fluxus materiæ phlegmaticæ per os eveniebat. sed quoniam unusquisque sua libentius utitur clava, ideo multa unguenta à modernis usitata, & probata infra annotare decrevi. Et primo unguentum meum à me benedictum completum dictum in ista ægritudine, quod sanat pustulas morbi Gallici, doloresque, & resolvit apostemata dura, sive gummas, & ulcera mala sanat, si cum eo ungantur junctiræ, & pustulæ, ut dictum est supra. Esto tamen memor documentorum Avic. de scabie, & pruritu, quod removere oportet unctionem à partibus pectoris, & stomachi. Cujus unguenti ista est descriptio, Rec. *axungiæ porcinæ mundatæ à suis pelliculis, & per setonem colatæ sine igne libras ij. argenti vivi librum j. olibani unc. iij. cerussæ. unc. ij. lithargyrii unc. misce,* & fiat unguentum in mortario lapideo, extinguendo in primis argentum vivum cum axungia, postea adde res alias, semper cum pistillo bene agitando. Et apud me istud unguentum est materia, sive instrumentum omnium curationum, quoniam ego addo ipsi diversas medicinas, secundum diversitatem ægritudinis, & patientis, verbi gratia, si ægritudo est cum tumoribus, addo *pinguedinem gallinæ, vel anatis, vel anseris,* & quandoque omnes, & aliquando unam, quoniam istæ multum sua caliditate, & humiditate resolvunt duricies & tumores, confortantque membra læsa, & aliquando si cum tumoribus sunt dolores, in ipso *oleum de lilio, de terebinthina, de baccis lauri pono,* & unum ipsorum vel plura, ponoque ad vigorandam ejus operationem, ubi virtus est

eſt fortis, & ægritudo maligna (ſi patiens non alteratur A à levi unctione) plus de quantitate argenti vivi, & addo *aquam vitæ*, *& ſalviam & ſtœchadem*, *& theriacam* pro correctivis, ſive *myrrham & maſtichem*, & in iſtis procedo ungendo etiam junctúras ſpatularum, & ancharum, ut dixi ſupra. quod ſi tinco excoriationem à virtute calida corroſiva argenti vivi, corrigo unguentum cum *lithargyrio*, *& ceruſſa*, ut in unguentorum receptis vides. Et ſic cum iſto unguento diverſis rebus ipſi additis, diverſificatam in ſuis accidentibus ægritudinem, removeo. Aliud unguentum ſanans morbum Gallicum cum puſtulis, doloribus, apoſtematibus, & ulceribus, junctúris veſpere inunctis cum ipſo ad ignem. Recipe *axungiæ porcinæ unc. vj. anatis*, *unc. iij. gallinæ unc. ij. olei roſati*, *liliorum alborum ana unc. unam*, *argenti vivi unc.* v. *lithargyrii auri*, *olibani ana unc. j. myrrhæ unc. s. miſce*, *& fiat unguentum in mortario lapideo*, *ut dictum eſt ſupra.* Aliud ejuſdem virtutis, & intentionis. Recipe *axungiæ porcinæ lib. j. s. mercurii unc. viij. olei laurini unc. j. thuriacæ*, *maſtichis*, *olibani*, *myrrhæ ana unc. j. ſucci fumi terræ*, *unc. j. s. lithargyrii*, *ceruſſæ*, *ana unc. ij. miſce*, *& fiat ung. in* B *mortario ut ſupra.* Aliud ejuſdem virtutis. Rec. *axungiæ porcinæ. unc. iiij. argenti vivi. unc. ij. olibani. unc. j. olei de junipero. unc. x. aquæ vitæ. unc. j. miſce & fiat unguentum in mortario ut ſupra.* Aliud ejuſdem virtutis. Rec. *axungiæ porcinæ*, *gallinæ*, *anatis ana unc. vj. argenti vivi unc.* v. *olei liliorum alborum*, *roſati*, *laurini*, *ana unc. j. olibani*, *maſtichis*, *myrrhæ. ana unc. s. ſalviæ*, *ſtœchados ana drach. viij. lithargyrii auri unc. j. unguenti dialtheæ. unc. ij. aquæ vitæ. unc. j. miſce & fiat unguentum ut ſupra.* & iſtud valet quando tumores ſunt antiqui, ſclerotici, ſi ultra unctionem junctúrarum, tumores etiam ungas, & ſtupa cooperias cannabina ut dictum eſt. Aliud ejuſdem virtutis pro divitibus, & delicatis, & eſt odoriferum. Rec. *macis*, *cinnamomi*, *cariophyllorum*, *ana drach. iiij. granorum paradiſi. drach. iij. roſarum rubrarum*, *corticum citri ana drach.* v. *nuces muſcatas numero iij. contundantur omnia*, *& infundantur in aqua fontis*, *per diem naturalem*, *poſtea in dicta aqua pone libras* v. *axungiæ porcinæ recentis*, *& bulliant ad conſumptionem aquæ*, *& colentur.* deinde Recipe *dictæ axungiæ ſic bullitæ*, *lib.* 2. *argenti vivi. unc. vij. olibani unc. ij. ceruſſæ*, *lithargyrii*, *ana unc. j. s. ſtœchados*, *myrrhæ*, *ana unc. s. & in fine moſchi reſoluti in oleo roſato. ſcrup. s. & ſemper miſcendo fiat unguentum in mortario ut ſupra*, & eſt odoriferum, & mirabilis operationis. Poſſem multo plura, & non probata, hic ſcribere unguenta, quæ omnia eſſent ejuſdem intentionis cum iſtis, ſed ne ſermo noſter nugatorius ſit, dimittantur. Medenteſque admoneo quod tota materia eſſentialis, eſt *axungia*, & *argentum vivum*. Quare ex dictis, alii ſecundum diverſas intentiones (cum iſta tamen baſi) componere poſſent. Virtutes quorum cum ſint mirabiles, & ſupra alia medicamina in hac ægritudine nobiliores, non ipſas ſilentio pertranſire decrevi, ſed quantum in me erit, & quantum ingenium meum valebit, cum veritate eas extollere intendo, cum per talia unguenta plurimos, qui ab aliis medicaminibus nunquam ſanati fuerint ſanitati reſtitutos viderim. Sunt igitur unguenta ex *argento vivo*, & *axungia*, & aliis facta, medicina digeſtiva materiæ phlegmaticæ diverſæ admiſtionis per totum corpus ſparſæ, & inobedientis multis medicaminibus, eſtque evacuationis ſenſibilis, vel inſenſibilis præparativa, malignitatis dictorum humorum contemperativa, dolorum mitigativa, puſtularum ſanativa, apoſtematum reſolutiva, & maturativa, ulcerum ſanici digeſtiva, & mundificativa, & malarum qualitatum remotiva, aliorumque quovis modo accidentium correctiva, & ultimo omnium ſolutionum continuitatis ſanativa; eſt etiam virtutis expulſivæ expergefactiva & vigorativa, ita quod iſto adminiculo, ab omnibus ſuperfluitatibus, inobedientibus membra mundantur, & ad naturalem diſpoſitionem redeunt, ſanguinemque ab iſto humore infectum mundificant, per totum corpus, & materiam ad convenientes regiones expulſionis dirigunt indefinenter evacuando, die noctuque per vias notas naturæ, donec totum corpus mundum ab iſtis ſuperfluitatibus remaneat, quæ ab antiquarum evacuationum virtute minime evacuabantur, confortantque virtutem intèriorum membrorum deſervientium naturalibus, aliiſque, membra enim exteriora illinita communicant virtutem linimenti cæteris membris. Et hoc clariſſime apparet ab effectibus, cum per extremitatum illinitiones conſolidentur ulcera, reſolvantur apoſtemata, & reliqua, in quacunque parte intrinſeca, vel extrinſeca, ut experientia teſtatur. Nam iſta illinitione, natura adjuta phlegma per os indigeſtum ſucceſſive expellit, & etiam per ſeceſſum diverſas materias corruptas, in quibus male virtus hepatis, & ſtomachi elaboravit, per ſudorem quoque ſuperfluitates quartæ digeſtionis, & aquoſitatem ſanguinis per urinam, & ultimo per inſenſibilem evacuationem, quæ in vaporem convertuntur, expellit. Quare niſi calor ſive anima ab ipſo actuaretur, vel incitaretur, aut coadjuvaretur, non tot & tanta bona ſequi viderentur. Sileant ergo qui corpus, ſive virtutes exterminari, ab iſtis dicunt, experientia, & ratione contra ipſos pugnante. Quod ſi multos ſe errores vidiſſe dicant, ignavorum applicationem malam, & irregulatam accuſent, & non medicamen, cui nullum in tali morbo æquatur, cujus baſis eſt *argentum vivum*, ejus correctoria ſunt *axungia*, *myrrha*, *ſalvia*, *& alia*, operatio cujus eſt per caliditatem ejus, quæ materiam phlegmaticam puram, vel mixtam in quacunque parte corporis diſſolvit, & ideo curat ſcabiem malam, & ulcera maligna, ut dicit Serapio de ſimplicibus, & Avicenna, & Hali Abb. & Rhaſis. xxxvii. *continentis cap.* 75. auctoritate petita, ab omnibus antiquis, ut omnia unico verbo complectar. Modos autem operationis iſtius unguenti ſiquis ſcire deſiderat, hoc facile eſt ſolvere, cum colligantiæ corporis declaratione, nam cor per arterias, hepar per venas, cerebrum per nervos, toti corpori colligantur. Et ex putredine aliquando in ulcere, ubi arteriæ ramus notabilis fuerit, cauſatur ſyncope, & in nervo ſpaſmus, & in vena febris, ſi fuerit quantitas magna, aut prohibita tranſpiratio. Sic etiam virtus calefactoria unguenti quæ maxime activa eſt inunctis junctúris, & cum ibi arteriæ, venæ, & nervi manifeſtentur, & loca ſint excarnata, virtus tranſit ad alia membra, & ſic in iſta ægritudine curantur diverſa, ut ego vidi, accidentia, ut eſt tuſſis ex ulcere Gallico in pectore, & ſquinantia, & teneſmus, & aliæ intrinſecæ paſſiones ab eadem cauſa. Sanat ſæpe illinitio iſta etiam alias frigidas, & chronicas ægritudines, quæ pendent à materia phlegmatica à prædominio, ut ſunt dolores podagrici, nodi, & cutaneæ infectiones, & alia. Quæ omnia ſi diligenter applicabis, conſiderata ægritudine, ut ſupra dictum eſt, & virtute, Domino auxiliante, ſanitatem introduces. Cave ne te diminuta illinitio decipiat, vel nimia audacia in hoc, & non ſolum inungendo, ſed in regimine aëris, & cibi, & potus, & aliis, quoniam ex hoc multi non fuerunt ſanati, ſed poſt aliquos dies in eandem ægritudinem reverſi ſunt, & etiam in deteriorem. Hæc ſatis de unguentorum virtute. Sed C notare oportet quod in aliquibus poſſumus loco unctionis componere unguentum in forma ſolida in modum cerati, & extendere ſuper corium, aut pannum lini, & ponere ſuper junctúras omnes, & de tertio in tertium diem, ipſa cerata removere, & perſeverare uſque quo appareat alteratio gingivarum, vel aliquod ex ſignis dictis in ſuperioribus, & tunc erunt removenda, ut dictum eſt ſupra. quod ſi oris ulcera, vel fluxus phlegmatis ab ore, vel accidentia videris, remediis jam dictis corrigere oportet. Et demum omnia quæ dicta ſunt ante unctionem digerendo, & evacuando obſervabis, tam cum pharmaco, quam cum phlebotomia, & ventoſis, regimineque toto rerum non naturalium. Modus compoſitionis iſtius cerati eſt iſte. Recipe *pinguedinis porcinæ mundatæ à pelliculis*, *& per ſetoucm colatæ*, *mercurii*, *ana libram j. s. incorporentur cum piſtillo in mortario*, *& in fine adde thuris pulverizati unc. vj. lithargyrii*, *ceruſſæ*, *aaa unc. ij. s. & fiat in mortario dicto perfecta incorporatio*, deinde Rec. *ſerapini*, *ammoniaci*, *ana*, *unc. viij. reſinæ pini*, *terebinthinæ ana unc. x. diſ-* D *ſolvantur in aqua ardenti adignem*, *ut fiat ſolidum*, *ita quod ponendo unam guttam ſuper lapidem frigidum*, *ſit frangibilis*, *& tunc dimitte infrigidari ſemper agitando baculo*, *& cum fuerit uſque ad tepiditatem*, *adde ſupraſcriptum unguentum factum in mortario ſemper agitando*, *donec perfecte incorporentur. poſtea adde in fine ceræ albæ*, *unc. iij. paulatim*, *& ſemper agitando*, *& in fine pulveriza lithargyrii deſuper unc. vj. bene agitando*, *& incorporando*, *& fac magdaleones*, *& ſerva.* Quod ceratum valet ad removendum dolores, & reſolvendum apoſtemata dura, ſanatque ulcera maligna, in ipſis duritiem reſolvendo, incarnat, & ſigillat, maxime ſi à principio poſitum fuerit, præmiſſis evacuationibus. Et ſi ſuper junctúras omnes applicatum fuerit, ut dictum eſt, liberat totaliter ab iſta ægritudine cum eſt nova, & in corpore bonæ complexionis, & eſt medicina ſatis ſecura, & mitis reſpectu unctionis. quod ſi fortius ceratum componere volueris, adde plus de *mercurio*, uſque puta libras duas, & plus, ſecundum neceſſitatem, & reliqua ſint ut dictum eſt. ſed unde diſceſſi revertendi tempus eſt, ut tibi completam hujus morbi curam tradam. E

## CAP. IV.

*De modo ſuccurrendi oris*, *gingivarum*, *& aliarum partium gutturis alterationibus*, *& aliis accidentibus malis ab unctionibus factis.*

Dixi ſupra quod ex illinitione unguentorum diverſa ſequuntur accidentia, quæ ſunt iſta, ulcera oris, & gin-

gingivarum excarnatio, cum caliditate maxima, & inflatione gutturis, linguæ, & faucium, syncope cum totius corporis lassitudine, fluxus ventris aliquando diarius, & alienando cum excoriatione, sive dysentericus, ventris etiam nimia constipatio, nimia vigilia, cum dolore maximo illarum partium, quæ omnia indigent cura, & moderatione quando superfluunt. Igitur si ex nimio fluxu materiæ phlegmaticæ, vel à caliditate medicaminis, oris sequatur excoriatio, cum dolore, & inflatione, vel sine inflatione, in primis fiat assidua oris ablutio, & gargarizatio cum *aqua hordei mediocris ebullitionis*, & hoc per aliquot dies. quod si fuerint ulcerationes cum caliditate, adde in dicta aqua parum *diamoronis*, vel *syrupi violati*, quoniam extinguit caliditatem & confortat locum. deinde procede cum *aqua plantaginis*, & *melle rosato*, ad mundificandum, hoc modo. Rec. *aquæ plantaginis*, *lib.* i. *mellis rosati. unc. iij. misce*, & cum isto sæpe os abluatur, potes etiam à principio, & in augmento facere gargarismum. Rec. *aquarum bugloss.æ*, *violarum*, *endiviæ ana unc.* x. *sacchari fini unc.* xv. *fiat in modum juleb ad ignem*, cum quo sæpe laveur os. quod si in aliquo tempore maximus fuerit color, utere *lacte ovino*, *vel vaccino*, à quo non extractum butyrum sit, & duc ipsum per os calidum. quod si hoc non removet dolorem, unge genas, & partes circunstantes cum *oleo rosato*, & da *butyrum* patienti ut teneat in ore, quoniam mirabiliter mitigat dolorem. quod si hoc non removet, & materiæ fluant incessanter, ita quod dolor sit magnus, appone ventosas super spatulas, & nates ad divertendum, & sint in primis sine scarificatione, postea (si opus fuerit) cum scarificatione. quod si dolor augeatur, & magnam oris timueris apostemationem, & forte esthiomenationem, ut vidi in quodam, quem empiricus quidam inunxerat, qui ad miserabilem totius faciei putrefactionem, & ultimo ad mortem devenit. ne ergo ista tibi accidant, phlebotomiam administrabis, si virtus est constans ad divertendum, & hoc à vena cephalica, vel mediana, vel à basilica, si hoc à nimia caliditate hepatis fovente cognoveris, & sic remoto dolore in fine cum dictis gargarismis, adde mel rosatum, ut dictum est, cum aqua plantaginis, quoniam oris ulcera mundificat, & sanat. postremus etiam cum ista decoctione lavare os. Recipe *hordei*, *rosarum*, *myrtil. rum*, *salviæ*, *ana manip. j. decoquantur in vino stiptico*, *vel etiam cum vino solo*, quoniam confert, & sanat ulcera. Sed quia dictum fuit de phlebotomia, Nota quod quando virtus tolerat, & reliqua, factis invectionibus per aliquot dies, ita inter ungendum, antequam fluxus manifestus ex ore appareat, utilissimum est phlebotomare venam medianam dexteri brachi, vel basilicam, secundum diversas intentiones, ut dictum est in cap. de Phlebotomia. Quod si videris lassitudinem, & debilitatem, succurre cum *brodio capon.um*, *ovis forbilibus*, *contusis*, & *vino aromatico*. quod si syncope sequatur, auxiliaberis cum bonis odoribus, ut est *vinum malvaticum cum aqua rosata*, & *acetum rosatum*, & cum epithematibus cordis, vel cum mistura cordiali, & aliis dicendis, verbi gratia. Recipe *sacchari bugloss.ati*, *boraginati*, *violati*, *rosati*, *ana unc. j. fragmentorum de gemmis drach. j. s. margaritarum præparatarum. drach. s. fiat mistura cum syrupo de pomis*, de qua detur sæpe patienti, & aliquando dabis *vinum malvaticum* ad bibendum, quoniam mirabiliter succurrit virtuti resolutæ, sed epithema pro cordis confortatione sit tale. Recipe *aquæ bugloss.æ*, *melliss.æ*, *boraginis*, *ana unc.* v. *rosat.e unc. iij vini malvatici unc. j. s. specierum cordialium temperatarum drach. ij. croci. scrup. s. misce*, & *cum panno infuso sub mamilla sinistra sæpe applicabis*. Et nota quod boni odores cito instaurant virtutem, ut dicit Galenus *commento undecimo secundi Aphorismorum*, auctoritate Hipp. Quod si fluxus fuerit, cum quo fit nimia virtutis resolutio, ægro dabis cibaria dicta boni nutrimenti, & vinum rubrum lymphatum cum *aqua chalybeata*, *vel decoctione berberorum*, *vel seminum sumach.* & si fuerit cum excoriatione, inunge ventrem cum *oleo rosato*, *sive myrtino*, & utere clystere laxativo, in quo utilissimum est ponere *oleum rosatum*, *pinguedinem hirci*, *vel capr.e*, & *ovum cum suo albumine*, & *brodium intestinorum castrati*. Non est tamen stringendus fluxus si virtus ipsum tolerat, quoniam liberat ab ista ægritudine absque dubio. Si nimia vero vigilia ægrum infestat succurrendum est (maxime si resolvit virtutem) cum unctione temporum cum *unguento populeo*, vel cum odoramentis, ut est odorare spongiam madefactam in *decoctione papaveris albi & nigri*, *corticum mandragor.æ*, *seminum hyoscyami*, *florum nenupharis*, *violarum*, *foliorum lactucæ*, & *de consimilibus in aqua dulci*. quod si ista non conferunt, possumus cum *emulsione seminum papaveris albi* in panatella, sive in suo contuso imposita succurrere, vel cum *uncia una*, *vel una & dimidia syrupi de papavere*, & *unc. ij. aquæ lactucæ* post cœnam per duas horas. & quia ob dentium, & gingivarum dolorem & inflationem oris non possunt ægri comedere masticando, ideo cibi ipsos panatella, sive contuso, vel jusculo hordeaceo, vel ovo in brodio agitato, & vini parcitero boni odoris, aut cum æquivalentibus. Constipatio vero ventris si acciderit, clystere communi illi succurres, addita aliquando *unc. j. s. benedictæ*, *vel buglossæ*, vel purgetur cum pillulis appropriatis, scilicet cum *terræ*, *fœtidis*, *aggregativis*, & *de hermodactylis*, *cum electuariis* secundum quod diversa exigit dispositio. Laudo etiam multum inter ungendum accipere aliquam evacuationem appropriatam, quoniam non fuit materia omnes currere per os, & ego sæpe hoc pacto procedo, & mihi bene succedit. Sunt quidam aliter in hoc sentientes, videlicet quod non oportet inter ungendum evacuare, sed male, medicus enim est adjutor naturæ, & ipsi, ubi necessarium est, succurrere debet, ut in multa repletione minorando. quod si vis oris fluxui nimio infestanti singulare præsidium apponere, *pillulæ cochiæ* post cœnam sumptæ hoc suaviter faciunt. Et sic procedere oportet usque ad oris perfectam sanitatem. Non mutatis linteaminibus tamen, & camisia, usque quo signum aliquod materiæ ægritudinis causantis principium evacuationis notabilis apparuerit, quæ ex dictis nota sunt. Relinquitur modo ne æger ita sanitati restitutus, in recidivam redeat, & in hoc est tota virtus medici, &, ut Virgiliano utar hemistichio, *hoc opus*, *hic labor est*, ideo diligenter attende, quoniam sunt quidam qui omnes indifferenter post unctionem cum balneo, in quo præcipiunt ægro sudare, totum corpus lavant, quæ res (ut ostendam) est penitus contra intentionem dictæ curæ, quoniam per unctionem diriguntur humores, qui sparsi per totum corpus à natura regulari non possunt, ad vias proprias evacuationis, naturæ notas ut dixi, quæ quidem evacuatio cum sit successiva, & cum accidentibus satis malis, resolvit virtutem propter spirituum inanitionem, ut dixi. Et balnei operationes sunt, in primis humores concentratos per totum corpus ducere, & residuum caloris ex evacuatione depauperati, sua caliditate resolvere, aut spargere, qui postea sunt minus potentes ad corporis operationem, teste Aristot. qui dixit, quod virtus unita est fortior seipsa dispersa, & sic in eandem ægritudinem iterum, & deteriorem deveniant. Ego vero istis rationibus dictus, nullum post unctionem patienti balneum facio, sed ipsum cum linteamine, sive sudariis abstergi præcipio, & sic non fit apertio porositatum, neque sparsio, aut resolutio virtutis, sive spiritus debilis, ex quibus sæpe recidiva sequitur.

## CAP. V.

*Et est disputatio de balneis artificialibus, & naturalibus in ista cura, & de quibusdam qui per diversas medicinas fuere sanati*

Non ingrata hic cadit speculatio, videlicet, an balnea thermarum vel artificialia in ista cura sanent istam ægritudinem, vel aliquid conferant. cui dubio respondeo inprimis, quod experientia sæpe hoc nobis notum fecit, paucos, aut nullum ex toto per assumptionem aquarum thermarum, aut per lavacrum, sanitatem recepisse, quod si aliqui per alicujus temporis spatium, à balneis sanati viii sunt, non tamen diu permanserunt, sed de novo in eandem ægritudinem, & etiam aliquando deteriorem devenerunt, & ratio clarissima hujus non latet, quoniam thermarum aquæ non sunt operativæ per unam qualitatem, aut duas, sed quandoque per plures, & primas, & secundas, nam sulphureæ non carent nitrositate ratione sulphuris, humiditate ratione aquæ, siccitate ratione terræ; quare dico, quod istæ virtutes in thermis non sunt multum activæ, & dissolutivæ, immo imprimunt primo siccitatem, quæ hujus curæ est contraria, deinde sua caliditate debili, si agit non ex toto dissolvit, & ideo facta clausura ab aqua quando calor fortificatur, iterum sparguntur materiæ, & sic causant novam ægritudinem deteriorem prima. hoc idem dico de artificiali, cum aqua primo per se noceat nervis, & basi hujus materiæ, ut supra. Adde etiam, ut dictum est, quod virtus resolviter à frequenti, & longa mora in balneo, quare dico non conferre, quod si confert aliquod est sulphureum. Et multi sulphuris usu liberati sunt, & maxime quidam amicus noster ex potu sulphuris pulverizati bis in die tres aut quatuor dragmas sumens pro vice, sero & mane, videlicet per multos menses, tandem à doloribus & ulceribus cum gummi ab antiqua ægritudine liberatus fuit, sine aliquo alio medicamine ulceribus appositio. Scio etiam quosdam qui ex diuturna potione *decoctionis aloës* hoc modo liberati fuerunt. Recipe *aloës bonæ. unc. s. mellis*, *unc. vj. aquæ fontis*, *sive putei. lib.* v. *bulliant bullitione bona ad ignem lentum*, *spumando semper*, *ita ut fiat quartæ partis consumptio*, & *quantitas sumenda pro vice sit drach. vj. calida in aurora*, & *sumatur ter in hebdomada*. Scio etiam quod ex potu decoctionis *absinthii* quotidiano per plures menses alii evaserunt. Etiam ex

assumptione *glutinis albotoim*, *sive olei abietis*, multi ab A ista ægritudine cum doloribus, tumoribus, & ulceribus, fuerunt liberati. Et cum possibilitas sit res ampla, possibile est cum aliquo alio medicamine talem ægritudinem sanare, sed adhuc non inventum, vel non divulgatum est. qui vero de cura per comestionem serpentum dixit, cum sine ratione, & experimento hoc credidit, non laudatur. De sanitate vero quæ ab intrinseco fit, nihil dico, cum mea sit intentio, per medicinalia instrumenta, quo pacto quis ab ista ægritudine evadere possit, docere. Ego plures vidi sine aliquo medicamine liberatos, & hoc non repugnat, cum virtus teste Galeno, sit contraria morbo tanquam antagonista; virtute igitur existente forti, & ægritudine nova, & parva, dictis non contrariatur.

## CAP. VI.

*De hora convenientiori unctionis.*

Unum præterire nolo, an conveniens sit ungere post B cœnam ut dixi, & dico quod sit, & ratio est, quia inunctio ista est multum resolutiva, cum qua resolutione etiam aliquid caloris innati resolvitur, nocetque membris nervosis, ut est stomachus &c. quare cum per cibum & potum virtus confortetur, & fortificata restauretur, ideo melius est virtute restaurata (ut est per duas, aut tres horas post cibum) inungere, quam resoluta (ut est mane stomacho jejuno) est etiam melius vespere post cibum quam mane, quoniam in nocte virtus contrahitur intra, & unitur, quæ est fortior ad omnes naturales operationes, & etiam tempore somni fit fortior, & est magis prona ad sudoris provocationem, urinæ, & aliarum superfluitatum. quod si quis magis mane hoc facere voluerit, accipiat (per duas horas ante) quatuor buccelias panis in vino optimo, vel duo ova sorbilia, & per quinque horas post accipiat suum prandium, nam sic natura confortata, virtus melius contra morbum insurgit, meliusque digerit, & evacuat materiam conjunctam, & sparsam in membris, quare &c. Verum quia oportet confortare, ne in recidivam quis incidat, confortentur membra omnia secundum necessitatem, ut stomachus, & hepar cum *diarrhodone Abbatis*, *vel* C *aromatico rosato*, de quibus sumat rotulam unam mane, caput confortetur cum *coriandris*, vel cum *diacoro*, pectus cum *jusculo hordeaceo*, *vel penidio*, *vel syrupo violato simplici*, & *composito*, membra exteriora cum *salvia*, & *absinthio* decoctis in vino, cum qua lotione confortabis junctiuras, & non multum ipsas humectare oportet, in quo potes etiam ponere *cortices granatorum*, & *stœchadem*, & de aliis secundum necessitatem. & ultimo utatur patiens aliquibus evacuationibus, ut sunt pillulæ mastichinæ, vel de fumo terræ, ut dicam post.

## CAP. I.

## QUINTI TRACTATUS PROOEMIUM,

*In quo ostenditur quod suffumigia in cura morbi Gallici inveterati, in quo alia non conferunt medicamina, sanant, eorumque virtutes manifestantur.*

Postrema cum suffumigiis cura, qua etiam in hac ægri- D tudine medentes utuntur, etsi non sit ita tuta & verax, tamen quia multi robusti & inveterati cum ista cura evadunt, ideo de modo curandi cum suffumigiis ex cinnabari factis sermo iste erit. Qui quidem modus (ut de unctionibus dictum est) non est à modernis inventus, sed quidam antiquorum in scabie mala utebatur ipso. verum est quod moderni suffumigia ista diversificarunt, quidam addentes correctoria, alii odoramenta ad confortandum cerebrum, & alia membra principalia, quæ odoramenta sunt aliquando *myrrha*, *benzoin*, *storax*, *olibanum*, *lignum aloës*, *gallia muscata*, & *ambra* in divitibus, & alia confortantia bona. sunt etiam addentes coadjuvantia, ut sunt *auripigmentum*, *marcasita* &c. tamen eadem est intentio, & laudabile est simul correctoria, & illa odoramenta bona ponere, & hoc quonium hæc membra principalia confortata resistunt malignitati suffumigii, & morbi. sed antequam ad declarationem modi hujus suffumigii accedam, oportet in primis medentes admonere, quod iste modus non est sine timore nocumenti membrorum principalium, E immo sæpe recidivant, & ad malas ægritudines complicatas cum ista deveniunt, quæ sunt, ut asthma, tussis, hydropisis, & marasmus, quare non est administrandus, nisi in inveteratis, & in virtute forti cum ægritudine mala, in qua alia remedia non conferunt, & cum maxima observantia aëris, & aliarum rerum non naturalium. Cave etiam ipsum in corporibus quæ asthma patiuntur, aut consumptionem hecticam, aut febrem cum acuitate, vel prædominio humoris calidi, aut debilitatem naturæ habent, vel alio quovis modo. Scias etiam quod omnes virtutes unctionis possumus suffumigio attribuere præmissa securitate, ut supra, & ratio est nota, cum basis sit virtus argenti vivi operans, quapropter dico quod digerit & præparat ad omnia sicut unctiones. Et cum sint administrandi cum majori timore, ideo si quis ipsis pro cura uti voluerit, præparet in primis ægrum præparationibus superius dictis in cura per unctionem, purgando corpus diligenter, & paulatim confortando stomachum. Et si opus fuerit phlebotomabis, vel appones ventosas, & reliquis uteris, quæ cordi opitulantur ad intra & extra, ut sunt confectiones cum gemmis, & epithemata, unctionesque infra dicendæ in cura accidentium.

## CAP. II.

*De modo administrationis suffumigiorum, & de regimine observando in ipsorum administratione.*

Ægro purgato, & in cubili clauso cum igne, vel stu- B pha celefacto, si frigus, aut aër multum humidus fuerit, accipiat mane in aurora ova duo sorbilia, & bibat parum vini aromatici boni, vel accipiat buccellam panis infusi in vino optimo, & bibat, vel cyathum unum brodii caponis cum *rotula una trageæ perlarum aut aromatici rosati*, vel cum *uncia una sacchari rosati*, & quiescat per duas horas, aut unam cum dimidia, deinde præparato coopertorio, vel tentorio, & aliquo tali, in quo æger possit ingredi, & se totum cooperire sine respiratione, Aeger ingressus sedeat super scamnum, aut cathedram; & ponatur intra tentorium catinum plenum ignis, in quo igne hoc suffumigium pone. Recipe *cinnabaris pulverizati unc. s. olibani. drach. ij. misce*, & pone ut dictum est super prunas ignis dicti, & æger sit nudus, & recipiat suffumigium per totum corpus, & stet secundum dispositionem virtutis usque ad sudorem, quod si æger fortis tolerat, plus temporis moretur, si debilis, minus, quod si odorem non tolerat suffumigii, nares, & partem anteriorem faciei extra tentorium teneat, & claudatur undique, ne fumus respiret, & consumpto suffumigio exeat, cumque exierit, C ingrediatur lectulum, & cooperiat se pannis, ita ut compleat sudorem per horam, si virtus tolerat. Et attendatur virtuti, quoniam suffumigia ista dissolvunt calorem naturalem, quare, si æger indiget, quando sudat in lecto, da ipsi cyathum brodii caponis cum *rotula trageæ perlarum*, vel buccellam panis in bono vino, vel ova sorbilia, & sic per quatuor horas stet, accipiatque prandium. In aurora vel bonum est, si accipiat syrupum unum pro stomachi, & cordis confortatione. Et accepto brodio, vel aliquo alio, ut dictum est supra, suffumigium ingrediatur, sive tentorium, & moretur ut dictum est. Syrupusque accipiendus mane sit talis. Recip. *syrupi rosati unc. j. de buglossa unc. s. aquarum buglossæ*, *fumi terræ*, *melissæ*, *ana unc. j. misce* & quiescat per duas horas, & in aliis procedatur sicut in unctione dictum fuit quotidie, videlicet dum appareat fluxus materiæ phlegmaticæ ab ore, vel alia signa dicta ibi. apparentibus vero signis, ab suffumigiis cessandum est, & attendatur virtuti, & malis accidentibus, ut est ulceratio oris, syncope, &c. quod fit cum rebus & remediis in cura unctionis dictis, & dicentur etiam ubi de accidentibus in fine loquar. quod si æger non tolerat quotidianam suffumigii administrationem, fiat alternatim, videlicet de tertio, vel de quarto in quartum diem, ut ego sæpe facio, ubi virtus non tolerat, vel fiat cum minori quantitate suffumigii. quod si ægritudo fuerit antiqua mala, & æger robustus, & alia medicamina non conferant, & cum ista dosi non alteretur, duplicetur dosis supradicta, videlicet postquam prima ab igne consumpta est, iterum aliam ejusdem ponderis pone, & sic continuabis. Quod si ab ore nihil egrediatur, procedendum est usque dum signa alia consumptionis materiæ appareant. ego vero inter alios cum suffumigiis duos curavi, qui nunquam ab aliis medicaminibus sanati fuerunt, qui inuncti fuerunt pluries, sed nunquam ab ore aliquid miserunt, & erant juvenes, & ego cum suffumigiis processi usque ad resolutionem omnium apostematum, habita ratione virtutis, & ita fortis fuit resolutio, quod ad nervorum mollitiem, & paralysim devenerunt, & sic sanati ab isto morbo fuerunt. postea per aliquot menses etiam à paralysi liberati fuerunt, & hoc non est malum, cum minus sit nocumentum in tanta morbi malignitate paralysis, quam ulcerum, & dolorum nocumentum, ut fuit in illis, qui cum corrosione ossium, & perforatione palati, & totius gulæ ulceratione manebant. & ut possis diversis diversa auxilia applicare, in sequenti capitulo multas alias descriptiones suffumigiorum scribam.

CAP.

## CAP. III.

*De deſcriptionibus ſuffumigiorum diverſorum valentium in tali ægritudine.*

Supra poſita fuit una deſcriptio ſuffumigii exemplariter loquendo, hic vero diverſas alias deſcriptiones ſuffumigiorum quæ ejuſdem ſunt virtutis, fortiora tamen ſunt, & primo. Rec. *cinnabaris pulverizati. unc. vj. auripigmenti, unc. ij. thuris, myrrhæ, ſantali rubri, ana unc. ſ. miſce, & pulverizentur ſubtiliſſime, & quantitas ponenda pro qualibet vice in igné eſt, unc. j.* Aliud ſuffumigium. Rec. *cinnabaris, unc. iij. auripigmenti. unc. j. marchaſitæ, unc. ſ. olibani, myrrhæ, ligni aloës, ana unc. ſ. pulverizentur ut ſupra, & quantitas ponenda in igne eſt ab uncia ſemis uſque ad unc. j.* Aliud ſuffumigium ejuſdem virtutis, quod eſt magis conſolatum. Rec. *cinnabaris unc. ij. olibani unc. j. galliæ moſchatæ drach. ij. miſce, & pulverizentur, ut ſupra & iſta quantitas eſt pro tribus vicibus ponenda in igne.* Poſſumus etiam ex dictis rebus formare B trochiſcos hoc pacto. Rec. *cinnabaris unc. ij. olibani, myrrhæ, benzoin, ana drach. iiij. galliæ moſchatæ, drach. j. ſ. theriacæ unc. ſ. aquæ meliſſæ quantum ſufficit, miſce, & fiant trochiſci, & utere ipſis, ut dictum eſt, ponendo ſuper ignem pro vice uſque ad unc. j. pro quolibet mane, quando fit ſuffumigium.* Poſſumus etiam multa alia componere addendo, & minuendo ſecundum ægri virtutem, & morbi malignitatem, & cum adminiſtraveris dicta, cibetur æger bonis cibariis, & cuſtodiatur ab aëre frigido, poſtea in fine confortetur ſtomachus, & hepar cum rebus dictis, & dicendis ubi de cura cujuſcunque accidentium tractabo, quæ hujus opuſculi ultima pars erit. Sed ut audacter in cura accedas, audi quod mihi pluries evenit. Ego ſæpe aliquos patientes morbum Gallicum cum unctionibus non potui ſanare, quoniam ſic non eram ſufficiens evacuare ſive dirigere naturam ad evacuationem totalem hujus humoris, & hoc videns, ultra unctionem dicta ſuffumigia ſuperius feci. Inter quos fuit quidam juvenis ætate viginti annorum nomine Dominicus de Confinio ſcilicet Petri, qui à multis empiricis, & barbitonſoribus, C & mulieribus ſæpiſſime unctus nunquam ſanatus eſt. Sed ad tantam malignitatem iſtius ægritudinis devenit, quod tota gula interior cum palato ulceribus malis infecta erat, neque loqui poterat, & vix comedere, & cum maxima difficultate bibere poterat, brachiisque, & cruribus ſpaſmo deprehenſis, & contractis in lecto jacebat, ita quod ad beneficium corporis duo ipſum ferebant, & quando comedere volebat, neceſſe erat quod aliquis ipſi cibum in ore poneret, & ultra hoc ulcera hinc inde per corpus erant, & gummi, ſive apoſtemata dura cum doloribus junctararum, quæ ipſum, vel parum, aut nihil dormire permittebant cum maxima conſumptione totius corporis, & profecto caſus maximus erat, quoniam cum iſtis omnibus ſemper febriebat. Et cum rogaret me ſæpe mater mea, ut vellem ipſum ſanare, ſi erat poſſibile, ad ipſum acceſſi, & quamvis omnes dictæ conditiones ſic erant malæ, ut nullam ſpem ex eis haberem; tamen pulſus erat cum aliquali fortitudine, de quo confiſus, facta aliquali digeſtione, & parva evacuatione, cœpi ipſum inungere cum unguento, quarto in ordine ſcripto in tractatu de cura per D unctionem, additis *olei roſati, unc. ij.* & ſic proceſſi ungendo per decem dies interpolatis diebus, ita quod ex tali unctione dolores remiſſi fuerunt, qui cœpit dormire in nocte, & ego ceſſavi tunc ab unctione, cibavique ipſum bonis cibariis bene nutrientibus, ut ſunt ova ſorbilia, contuſum, & vinum bonum. Virtute ſic confortata per viginti dies iterum cœpi inungere ipſi junctaras crurum, & brachiorum, & factis tamen multis unctionibus, ulcera non conſolidabantur, neque apoſtemata reſolvebantur, quare cum ſuffumigiis decrevi reſiduum materiæ reſolvere. Et ſic proceſſi, videlicet in ſero ungebam junctaras cum unctione. Et mane ipſo ſub tentorio poſito, cum ſuffumigio primo in ordine in itto cap. ſcripto ipſum ſuffumigavi, & ſic per multos dies proceſſi, & ulcera erant fere conſolidata, ſed proſtrata erat virtus, & ideo dimiſi per menſem cum dimidio ipſum cum bonis cibariis, bonoque regimine quieſcere. Poſtea iterum cœpi ipſum inungere, & ſuffumigare, ut ſupra dixi, & iſtis factis, per quindecim dies continuos liberatus fuit. Sed quia erat in E ultima conſumptione, ideo poſt ſanationem cibavi ipſum juſculo hordeaceo mane loco ſyrupi, & ſemper ultra alias res comeſtibiles, in prandio, & cœna dabam juſculum hordeaceum, qui adhuc vivit, & eſt ſanus. Sic dico quod aliquando oportet procedere (quando medicamen debile non prodeſt) cum fortiori, ut ſi non potes cum purgationibus, fac cum potione decoctionis ligni Indici, vel cum unctionibus, quod ſi unctiones non ſanant, fortiſſimum medicamen eſt ſuffumigium. Sit igitur benedictus A Deus trinus, & unus. Et tu ſecure procede habita virtutis, & ægritudinis cognitione, quoniam, ut dixit Galenus, virtuti forti nihil reſiſtit, neque, ſic faciendo, errabis. Et hæc de cura per ſuffumigia ſatis, modo de cura particularium accidentium dicam.

## CAP. I.

## SEXTI TRACTATUS PROOEMIUM,

*In quo quæ dicenda ſunt, de cura accidentium, in ſequentibus manifeſtantur.*

Viſis, & declaratis modis dictis eradicalis curationis iſtius morbi, ad completam doctrinam, hic particularium accidentium curam deſcribere non inutile erit, quoniam particularia accidentia, applicatione particulari indigent; ſi quis ipſis ſolis intendat, vel etiam ſi ad primariam ægritudinis curam fiat intentio; quæ accidentia, ut dictum fuit ſuperius, fuerunt puſtulæ, dolores, apoſtemata dura, ulcera maligna. Sermo igitur iſte erit de modo ſuccurrendi puſtulis, doloribus, apoſtematibus, & ulceribus morbi Gallici cum medicinis particulariter applicatis, ſecundum diverſitatem eorum, cum ſigillatione iſtius ſermonis per modum confortationis membrorum, & præſervationem à recidiva.

## CAP. II.

*De cura puſtularum, in quo unguenta, & alia pulcherrima remedia magiſtralia ponuntur.*

A puſtularum igitur curatione particulari incipiam, quæ cura diverſis medicaminibus perficitur, quorum primum eſt, unguentum benedictum meum completum, in cura per unctionem ſcriptum, cum quo puſtulæ ungantur ſigillatim mane, & ſero, vel cum alio ex dictis, & ſic ſanabis unamquamque puſtulam, in quacunque parte corporis. quod ſi contigerit ex dicta puſtularum unctione quod gingivæ alterentur, & phlegma ab ore fluere incipiat, ſiſtendum ab unctione ipſarum erit, & ſuccurratur modo dicto in cura nocumenti oris per unctionem. Et nota quod *aqua hordei* in hoc eſt multum proficua, cum *diamorone, & melle roſato* ut dictum eſt. Quod ſi ſine unguento puſtulas removere, ſive ſanare volueris. Recipe *aquæ ardentis, aquæ roſatæ ana unc. vj. ſublimati. drach. ij. bulliant lento igne uſque ad diſſolutionem ſublimati in vaſe vitreo, ſive vitreato, & ſerva*, cum qua aqua poſtea tange unamquamque puſtulam, ſero & mane, quoniam ſanat ipſas in quacunque corporis parte. Alia aqua ejuſdem virtutis delens videlicet puſtulas dicti morbi. Recipe *aquæ cum qua fit ſapo unc. iiij. aquæ roſatæ unc. ij. ſalis armoniaci, aluminis rochæ, ana. drag. ij. bulliant parum lento igne, & ſerva*, cum qua aqua bis in die puſtulas tanges. Alia aqua ejuſdem virtutis. Recipe *aquæ maris, aquæ roſatæ, ana unc. iij. ſublimati, viridis æris. ana drach. j. ſ. bulliant ad conſumptionem quartæ partis. & cum iſta aqua puſtulæ bis in die tangantur.* Alia aqua ſanans puſtulas, ut ſupra. Recipe *aquæ roſatæ unc. vj. arſenici albi. ſcrup. j. ſ. ſalis armoniaci, ſalis gemmæ, ana ſcrup. iiij alu-* D *minis rochæ. ſcrup. ij. bulliant ut ſupra, & tange puſtulas.* Alia aqua delens & ſanans puſtulas morbi Gallici, cum qua etiam mulieres, quæ habent cutem groſſam, nigram & ſquammoſam, ſubtiliant, dealbant, & mundificant ipſam, & eſt bona ad removendum veſtigia puſtularum, & aliorum ulcerum. Recipe *argenti vivi drach. iiij. decoquatur in ovo hoc pacto, facto foramine in ovo crudo, pone intus argentum vivum, poſtea obturabis foramen cera, ſive aliqua alia re, deinde ſub cinere, vel in aqua ad ignem, uſque ad ovi indurationem coque, deinde accipe dictum argentum vivum, & argenti ſublimati unc. j. aluminis drach. ij. incorporentur ſimul in mortario lapideo cum baculo ligneo nitido ſemper agitando, & ponendo parum aquæ roſatæ, vel violarum, aut cucurbitæ, & fiat hoc mane per multos dies, veſpere vero dimittatur quieſcere, & ſic fiat donec albeſcat ſicut nix, & hoc totum pone in phiala vitrea, & deſuper pone aquæ pluvialis claræ libras duas, & coque lento igne ad conſumptionem medietatis, & quieſcat donec reſideat in fundo ad minus per noctem. Et abjecta aqua iterum pone tantundem aquæ, & iterum bulliat, ut ſupra, dimitte quieſcere, & reſidere, & poſtea cola per colatorium, iſtamque colaturam ſerva* pro uſu ad puſtulas ſanandas, quæ eſt mirabilis, crede mihi. Alia aqua fortior quæ non ſolum valet puſtulis exterioribus, ſed ſanat ulcera mala intrinſeca oris, palati, & gulæ, ſanatque ulcera virgæ, & vulvæ, ſi cum ea tangantur diſcrete, cujus hæc eſt deſcriptio. Recipe *aquæ ſeparationis auri ab argento*, (deſcriptionem cujus ponam, ubi modum conficiendi pulverem rubeum, à me angelicum dictum, docebo) *unc. ij.*

*aquæ roſatæ unc. j. miſce*, & utere tangendo, ut dictum eſt in aliis, quod ſi fuerit nimis acuta, adde *aquam roſatam*, & erit mitior. Ego iſto medicamine, ulcera mala oris, & gutturis multa ſanavi, & eſt mirabile præſidium. quod ſi contingat aliqua oris inflammatio, vel indignatio, utere *aqua hordei tepida*, vel *lacte ovino*, *ſive vaccino*. potes etiam alias lotiones componere, & aquas pro puſtulis fortiores, & mitiores ſecundum neceſſitatem, & quando vis majorem ſtipticitatem, pone plus de *alumine rochino*. quod ſi propter acuitatem *ſublimati* accidat dolor, aut excoriatio, vel tumor, unge puſtulas cum *butyro*, vel lava cum *aqua hordei*, aut cum aliis ex extinguentibus, & mitigantibus dolorem. Nota quod iſtæ tamen aquæ & unguenta dicta valent ad manuum & pedum fiſſuras, & ad alia ulcera calloſa iſtius morbi, ſi quis cum ipſis tangat ulcera, & fiſſuras, vel ſuaviter lavet; & hæc de remediis puſtularum ſufficiant. Sed quoniam aliquando apparent in cruribus, & circa ulcera etiam aliquæ parviſſimæ puſtulæ, à materia acuta iſtius morbi, quæ excoriant & maximum cauſant dolorem, has cum iſto linimento ſi inunxeris, ſanabis. Recipe *unguenti de tutia*, *populeonis*, *roſati Meſuæ*, *ana unc. unam*, *lithargyrii argentei*, *cretæ cimoliæ*, *acaciæ*, *ana arach. ij. ſucci plantaginis*, *ſolani*, *ana quantum ſufficit*, *miſce*, *& ducantur in mortario plumbeo*, *donec perfecte incorporentur*, cum quo unge excoriationem, & parva ulcera, & ſanabis; & hæc ſatis de puſtulis.

## CAP. III.

*De his quæ opitulantur pilorum caſui, gingivarum roſionibus, & quoque dentium caſui.*

Et quoniam inter quamplurima morbi Gallici accidentia depilationes capillorum, barbæ, aliarum partium corporis, ac etiam gingivarum corroſiones, & dentium caſus, evenire ſolent, ideo in hac parte remedia proficua ad præcavendum & curandum non ſine ratione addere volui, primum quibuſdam prælibatis de cauſis horum accidentium, ſi quidem cum materia morbi Gallici à prædominio frigida & humida ſit, cum ad univerſum corpus meat, & ſpargitur, utique refrigerat, humectat, obſtruit, & omnes partes naturales vitiat, & cum ſit permiſta ſæpe cum materia corroſiva, duo facit, ſcilicet calorem naturalem obtundit, atque etiam corroſivam qualitatem in parte, ſeu membro inducit, & ex hac cauſa non tantum pili decidunt, verum etiam illæ particulæ quoquomodo exuruntur, quæ non ex omni parte aridæ ſunt, ex aſſociata ſibi dicta humiditate, quæ humiditas ſubtumida membra depilata, & corroſa reddit, quippe cum ea materia ſic permiſta ad gingivas tranſmiſſa, & corroſionem gingivarum & caſus dentium cauſat. & quoniam de hac re longam epiſtolam ad Excell. D. Joannem Baptiſtam Pantinum antea ſcripſi, quam in primo mearum medicinalium epiſtolarum volumine invenies, ideo ſi omnia in hac materia ſcire deſideras, eam te legere non pigeat, in qua etiam invenies remedia proficua ad præcavendum, & ad curandum tam depilationes quam gingivarum corroſiones, & caſus dentium. Prima itaque, & univerſalis regula erit tam in præcautione dictarum diſpoſitionum, quam in curatione cum factæ fuerint, ut ante omnia corpus à ſuperfluitatibus communibus evacuetur, & in repletione etiam per venæ apertionem, poſt quam corporis mundificationem, ex melioribus eſt, uti levibus illinitionibus, præſertim ſi morbus novus fuerit. Quod ſi quis abhorreat ab illinitionibus, & ſanari *decocto ligni*, *ſaſſafras*, *perſiliæ*, *vel radicis Chinæ* deſiderat, primum operæ pretium erit, corpus univerſum exinanire per miſſionem ſanguinis, & medicinas ventrem ſolventes, poſt quam evacuationem, leve decoctum, tam *ligni Indici*, quam *ſaſſafras*, *perſiliæ*, vel *radicis Chinæ*, ægro exhibendum erit, deinde remedia localia locis & membris depilatis, & gingivis corroſis applicare conducit tam in præſervando quam in curando. Prohibet itaque caſus pilorum, & gingivarum corroſiones regimen cibi & potus, & aliarum rerum neceſſariarum, & etiam localia remedia membra roborantia, ut puta in caſu capillorum, atque barbæ, & aliorum membrorum piloſorum uti decocto aliquo, ſive lixivio ex levibus cineribus, qualis eſſet *cinis ex junipero*, *pino*, *lentiſco*, *larice*, *myrto*, & conſimilibus, ſed *decoctum pineorum majorum* plurimum auxiliatur, & poſtquam membra lavaris, ungantur iſto unguento quod roborat membrum, prohibet depilationem, & pilos regenerare facit. Recipe *favi mellis cum ſuis apibus unc. iij. pinguedinis urſi. unc. ij. ladani. unc. j. abrotani unc. ſ. miſce & diu in mortario cum piſtillo ducantur*, *donec formam linimenti recipiant*, cum quo bis, aut ter in die caput, barbam, & alia loca depilata; (vel quæ times ne depilentur) inungantur, & cum lavare caput, barbam, vel alia membra illinita neceſſum fuerit, laventur ſupraſcripto lixivio, vel inunguntur cum iſto quod prohibet depilationem, & pilos renaſci facit. Rec. *ſucci myrtillorum*, *ſucci abrotani*, *ſucci capillorum veneris ana. unc. ij. olei ſeſamini*, *ladani ana unc. ij. ſ. ſpicæ unc. ſ. bulliant ſimul lento igne*, *miſcendo donec ad formam linimenti deducantur*. Ad idem plurimum conducit hoc unguentum. Recipe *ladani unc. ij. olei de abrotano*, *mellis optimi ana. q. ſ. ducantur in mortario cum piſtillo*, *donec formam perfectam linimenti recipiant*, confert etiam lavare ſæpe caput cum *decocto ligni Indici*, confert etiam lavare ſæpe cum *decocto abrotani*, *myrtillorum*, *ſenæ*, *& radicis cannæ minutim inciſæ*. ad idem valet *decoctum lapathi*, *fumi terræ*, *& myrtillorum*, ſed quoniam in ea jam ſuperius dicta epiſtola ad Excell. Dominum Joannem Pantinum ſcripta plurima, quæ tam ad theoriam quam ad praxim ſpectant ſcripta à me fuerunt, ideo ſiquis plura iis deſiderat eam legat, & omnia ſibi in promptu erunt.

## CAP. IV.

*De his quæ opitulantur doloribus.*

Cum dolores fiant in omnibus partibus corporis, ut experientia ipſa teſtatur & de eorum cauſis jam dixerim, ſuccurratur illis ſecundum diverſitatem dolorum, & membrorum, qui vero ſunt intenſi cum fortioribus, & quando ſunt remiſſiores, cum mitioribus medicaminibus ab intra & extra applicitis. Et quoniam verior cura eſt removendo cauſam. Ideo in primis de his quæ ab intra ſumuntur dicam, qui etſi non tollunt totalem cauſam, tamen removent eam ſecundum partem, & ſic mitigant dolores per aliquod tempus. De quibus ſunt electuaria jam dicta in cura per pharmaciam, & etiam ſunt pilulæ ibi dictæ, ad quam partem oportet redire. Sed ultra illa ſcribam remedia alia per me ſæpiſſime experta in multis, & in primis ſunt pillulæ ex inventione noſtra, quæ evacuant materiam antecedentem, & conjunctam accidentium morbi Gallici inveterati, & ſic mitigant dolores per tempus, in quacunque parte corporis exiſtentes, quarum hæc eſt deſcriptio. Recipe *ſatyrionis*, *drach. unam*, *hermodactylorum*, *drach. ij. myrobalanorum chebulorum*, *citrinorum*, *Indorum*, *ana*, *drach. ſ. agarici*, *maſtichis*, *ana*, *drach. ij. ſ. zinziberis*, *drach. ſ. ſpecierum hieræ picræ unc. ſ. aloes bonæ unc. unam*, *& ſemis*, *diagrydii ſcrupul. ij. fiat maſſa cum ſucco cucumeris aſinini*, *& ſucco roſarum*, *doſis quarum eſt uſque ad dragmam unam*. Aliæ pillulæ expertæ, ut ſupra valentes, & ſunt fortiores, quæ mirabiliter tollunt dolores. Recipe *ſpecierum hieræ picræ*, *maſtichis*, *myrobalanorum citrinorum*, *chebulorum*, *Indorum*, *ana drach. ij. interioris colocynthidis*, *elaterii*, *hermodactylorum*, *ſatyrionis*, *zinziberis ana drach. ſ. ſcrapini*, *arach. iij. ſ. ſalis Indici dr. ij. fiant pillulæ cum ſucco cucumeris aſinini*, *& ſucco roſarum*, *& doſis earum eſt uſque ad drach. unam*. Educunt materias crudas à quacunque parte corporis, & maxime à juncturis, & capite. Aliæ pillulæ, quæ anodynæ dicuntur, mitigant enim dolorem evacuando, ut ſupra. Recipe *pillularum cochiarum Almanſoris*, *drach. viij. aloes bonæ drach. vij. hermodactylorum*, *arach. iij. diagrydii*, *drach. unam*, *roſarum rubrarum. arach. ſ. ſ. fiant pillulæ cum ſucco roſarum*, *& doſis eſt drach. ſ.* Aliqui vero ſedant dolores, evacuando cum *pulvere hermodactylato*, *& ſumendo drach. ſ. ſ.* deſcriptionem cujus nullibi me legiſſe memini, ſed credo eam eſſe magiſtralem ab aliquo innominato, & ideo ponam ejus deſcriptionem, etſi aromatarii fere omnes eam componant, & confert doloribus podagricis à materia frigida, & aliorum membrorum, & maxime doloribus morbi Gallici, cujus hæc eſt deſcriptio. Recipe *hermodactylorum*, *turbith*, *an. drach. diagrydii*, *drach. ij. ſ. zinziberis*, *drach. unam*, *maſtichis*, *drach. ſ. ſaccbari fini*, *drach. vj. miſce*, *& fiat pulvis ſubtiliſſimus*, *doſis eſt uſque ad drach. ij.* Et quoniam ſunt quidam abhorrentes electuaria, pillulas, & pulveres, ideo ego ſæpe jubeo hoc ſolutivum in forma ſolida, ſive in rotulis ſumi. Recipe *diatragacanthi frigidi*, *ſucci cydoniorum ana unc. ij. hermodactylorum*, *zinziberis*, *ana unc. ſ. turbith electi. unc. j. diagrydii*, *drach. iij. geneliabin*, *ſucci roſarum*, *ana unc. unam. mucilaginis ſeminum carthami unc. ſ. ſaccbari fini. unc. xvj. miſce*, *& fiat confectio in rotulis*, *& doſis eſt unc. ſ. uſque ad drach. vj.* Et nota quod hora convenientior aſſumptionis ſolutivi pro doloribus eſt veſperi ante tempus, ſive adventum paroxyſmi, ſive ante tempus principii doloris, & eſt circa horam vigeſimam ſecundam, & hoc quoniam materia iſta viſcoſa melius educitur per pharmacum quando movetur à natura, & etiam cum minori moleſtia, ut in multis experientia mihi notum fecit, & iſta ſufficiant per intrinſecas applicationes. Et ad ea quæ extrinſecus applicata conferunt devenio, quæ cum ſint diverſa, dolorem diverſimode mitigant, ſtupefactiva vero etſi dolorem mitigant, non tamen in iſto morbo applicanda ſunt, quoniam

niam augent malignitatem frigiditatis materiæ ſua frigiditate, deſtruuntque calorem innatum membri, & materiam ineraſſant, & ipſam difficilionis reſolutionis reddunt, quare nullo pacto applicanda ſunt, niſi in caſu mortis. Anodyna medicamina, quæ & ſine dolore dicuntur, applicata, ali quantiſper conferunt, quoniam ſunt ſatis ſimilia calori naturali, aut parum excedentia, ut omnes medici docent, quæ ſunt ut *oleum anethinum*, *de chamomilla*, *roſatum*, *de andacocha*, *de lilio*, & alia quæ confortant virtutem membri, & ſubtiliant materiam conjunctam, & præparant eam ad reſolutionem, vel evaporationem, cum qua fit mitigatio doloris, ſi loca doloris cum iſtis calidis ungas. hoc idem flores in dictis, & herbæ ingredientes faciunt, ſi in emplaſtris, aut fomentationibus ponantur, vel alio modo applicentur. verum oportet medicamen diverſificare ſecundum diverſitatem humoris prædominantis, & membri patientis, ut docuit Galenus tertio techni, & aliquando cum materia eſt multum frigida, & viſcoſa, adde calefacientia ſecundum neceſſitatem, ut *ſtœchas & oleum liliorum*, & alia experta, de quibus ſtatim, per me multa medicamina bona ponam. De eradicativis ex toto in iſta ægritudine ſermo iſte non eſt, quoniam prædicta ſunt in aliis modis curæ eradicativæ, ſed de expertis mitigantibus, quorum iſta eſt una emplaſtri deſcriptio. Recipe *farinæ ſeminum lini*, *hordei*, *florum chamomillæ*, *meliloti*, *ana unc. j. ſalviæ*, *abſinthii*, *ſtœchados*, *ana unc. s. vini montani dulcis quantum ſufficit*, *pulverizanda pulverizentur*, *& fiat ex eis emplaſtrum*, & pone ſuper locum doloris, quoniam reſolvit, & mitigat dolorem quando materia eſt nimis rigida, & groſſa. Aliud emplaſtrum ejuſdem virtutis. Recipe *florum chamomillæ pulverizatorum*, *ſtœchados ana unc. s. hermodactylorum. unc. j. olei chamomelini*, *vini aromatici*, *mellis optimi*, *ana unc. ij. mucilaginis ſeminum lini*, *fœnugræci*, *& radicum althææ*, *ana unc. j. bulliant ad ignem uſque quo emplaſtri formam recipiant*, *& pone ſuper locum doloris calidum*. Aliud emplaſtrum pro pauperibus & confert. Recipe *furfuris*, *florum chamomillæ ana partes æquales*, *bulliant cum ſapa quantum ſufficit*, *vel cum vino dulci*, *& fiat emplaſtrum*, & pone ſuper locum doloris: quidam etiam cum *abſinthio calefacto* ſuper lapidem ignitum extinctum cum vino, calidum ponendo ſuper locum ſuccurrunt doloribus. Et ali cum *furfure* in caldario calefacto, & in ſaculo poſito, ſuper locum doloris deinde applicato, mitigant dolorem, & ego ſæpe expertus ſum, & inter remedia quæ aliquid conferunt (quoniam pauca ſunt quæ conferunt) eſt de melioribus. Poſſumus hoc idem facere cum fomentis, verbi gratia. Recipe *florum chamomillæ*, *meliloti*, *anethi*, *ſalviæ*, *ſtœchados*, *abſinthii*, *ana man. j. bulliant in vino aromatico*, *& in illo in ipſo calido ſpongiam*, *quam bene expreſſam pone ſuper locum doloris*, *continuando unam applicationem poſt aliam*. Et tu potes lavare, & etiam cum aliis ingeniis ſic procedere, ut cum cerato noſtro in cura per unctionem ſcripto hoc idem facere; & hæc de ſedantibus dolorem ſatis dicta ſint.

## CAP. V.

### *De modo reſolvendi, maturandi, & aperiendi apoſtemata dura, ſive gummi.*

Apoſtemata dura, ſive gummi ſuccurrantur ſecundum diverſas intentiones ipſorum apoſtematum, videlicet ſecundum propriam intentionem, & laudabilem; ex laudabilibus quoddam melius eſt, namque apoſtema uno quatuor modorum terminatur, ſcilicet reſolutione, ſuppuratione, corruptione, & induratione, ex ſententia principis. tertia quarti cap. ij. ex quibus duo ſunt laudabiles, videlicet primi, & duo mali, ſcilicet ultimi, de quibus nihil dicam, ne ſermo ſit longus. Si igitur vis à principio reſolvere, procede cum mollientibus calidis, in quibus ſit aliqua ſiccitas, & non tranſcendat primum gradum, ut docent omnes doctores, quæ ſunt multa, videlicet *pinguedo gallinæ*, *anatis*, *oleum chamomelinum*, *de lilio*, de *Kerva*, *& Serapio laudat multum gummi ammoniacum*, & eſt mirabile, ut dicit, quamvis excedat in caliditate, quare ex iſtis potes componere, & ungere tumores, vel gummata dicti morbi, vel etiam pone ceratum noſtrum ſcriptum in fine curæ per unctionem, quoniam eſt medicamen mirabile in reſolvendo. Vel pone hoc emplaſtrum ſi dicta non conferunt. Recipe *hyſſopi cerati domini Meſuæ*, *diachylonis parvi*, *emplaſtri de meliloto*, *ana unc. j. pinguedinis gallinæ*, *equi*, *medullæ crurum vituli*, *ana unc. s. miſce & ad ignem fiat emplaſtrum* & pone ſuper durities, reſolvit enim & mitigat dolorem. Aliud emplaſtrum ejuſdem intentionis. Recipe *diachylonis cum gummi*, *unguenti mollitivi*, *ana unc. j. gummi ammoniaci diſſoluti in aceto. unc. s. pinguedinis anſeris*, *terebinthinæ*, *an i unc. s. mercurii unc. j. miſce*, *& fiat unguentum in bona forma*, quod diſſolvit duritiem morbi Gallici ſi ſupra apponatur. Aliud unguentum, ſive linimentum reſolutivum. Recipe *pinguedinis gallinæ*, *anatis*, *anſeris*, *ana unc. j. medullæ crurum vituli*, *& cruram porci*, *ana unc. s. olei de chamomilla*, *drach. vj. miſce*, *& fiat linimentum*, cum quo unge duritiem ſæpe. Aliud linimentum reſolutivum bonum. Recipe *unguenti dialthææ unc. j. olei liliorum albo-rum*, *pinguedinis gallinæ*, *butyri recentis*, *ana unc. s. miſce*, & unge locum actu calidum. Aliud unguentum reſolutivum, quod ponitur ſuper duritiem, extenſum ſuper corium, vel pannum lini. Recipe *ammoniaci*, *bdellii*, *galbani*, *ana unc. j. diſſolvantur in aceto*, *deinde adde mucilaginis ſeminum lini*, *fœnugræci*, *althææ*, *ana unc. s. lithargyrii unc. ij. bulliant usque quo formam cerati recipiant*, *ſemper cum baculo agitando*, *& utere*. Ad idem multum confert *diachylon cum gummi*, quod ſæpe expertus ſum; reſolvit enim, & mollificat omnem duritiem. quare utere remediis dictis ſecundum neceſſitatem. Nota tamen quod ſi in linimentis prædictis aliquando pones portionem unguenti noſtri benedicti deſcripti in cura per unctiones, melius, & citius reſolves unamquamque duritiem. His igitur factis, ſi durities ſive apoſtema gummoſum non reſolvatur, ſed potius ad maturationem declinare videbis, tunc cum maturativis ipſum adjuvare oportet, cum medicus ſit adjutor naturæ, & non impediens, ut dixit Hippocr. de quibus ponam deſcriptiones multas, & primo emplaſtrum maturativum, quod omne apoſtema durum, & maxime morbi Gallici maturat. Recipe *mucilaginis althææ*, *fœnugræci*, *ſem. lini. ana. unc. vj. fermenti*, *axungiæ gallinæ*, *radicum liliorum albo-rum ſub prunis coctorum*, *ana unc. iij. Radicum althææ elixatæ*, *& bene piſtatæ. unc. iiij. ficuum pinguium bene piſt. unc. ij. incorporentur*, *& fiat emplaſtrum ſecundum artem*, & pone ſuper apoſtemata. Aliud emplaſtrum maturans apoſtemata dura Recipe *rad. althææ bullitæ*, *axungiæ porcinæ*, *gallinæ*, *ana unc. iij. pinguedinis cervi*, *reſinæ pini*, *terebinthinæ*, *ana unc. j. s. miſce & fiat emplaſtrum ad ignem*, & valet multum, maturans apoſtemata dura. Aliud emplaſtrum maturativum. Recipe *radicum liliorum alborum*, *althææ*, *ana unc. vj. decquantur in aqua communi*, *poſtea piſtentur ſubtiliſſime*, *& adde farinæ fœnugræci*, *ſemin. lini*, *tritici*, *ana unc. ij. s. & cum decoctione dictarum radicum fiat emplaſtrum ad ignem & in fine adde pinguedinis gallinæ*, *porcinæ*, *butyri recentis*, *ana unc. ij. miſcendo bene*. Aliud emplaſtrum maturativum, & reſolutivum. Recipe *radicum althææ unc. vj. incidantur*, *& bulliant*, *& ſubtiliſſime piſtentur*, *poſtea accipe tantundem pinguedinis porcinæ per ſetonem colatæ*, *& in mortario incorporetur*, *& pone ſuper apoſtema*. Ad hoc aliquando valent *diachylon magnum*, & *unguentum mollitivum*, ſeu *de mucilaginibus* ſuper locum retentum, quoniam maturant, & reſolvunt. valet etiam hoc emplaſtrum. Recipe *radicis bryoniæ elixæ*, *& piſtatæ*, *axungiæ porcinæ colatæ. ana partes æquales*, *incorporentur*, *& utere*, quoniam maturat & reſolvit, & eſt de ſecretis. Ex dictis potes multa alia componere reſolutiva, & maturativa, & ipſis addere. potes etiam facere fomentationes maturativas, & reſolutivas cum rebus adpropriatis, quam rem tibi dimitto. Facta maturatione, aperiatur apoſtema cum ſagittella, vel alio inſtrumento incidente, & hoc ſecundum inceſſum villorum, præterquam in fronte & in ſumine & in aliis locis, quæ contrario modo aperiuntur, cauſam vide *tertia quarti* ab Avicenna. quod ſi aliquod nocumentum per inciſionem timueris, vel ſi magis diligis cauterium actuale propter ejus confortationem, aperi cum ipſo, & ſit gladiale. verum quia multi timent actuale, & ſi potentiale non ſit ita tutum, faciendum tamen eſt ſi non habes aliam viam, urgente neceſſitate, & cauterium potentiale ſit domeſticum, & correctum. Et cave ne ipſum ſuper junctúras, vel nervos ponas, ne deſtruatur membri operatio, & hoc debemus, ita in actuali, quam in potentiali animadvertere. Ego ſæpe utor iſto in apoſtematibus dicti morbi, & in bubonibus aperiendis, & eſt tale. Recipe *ſublimati drach. ij. ſ. unguenti populeonis drach. iij. opii*, *gran. v. lapidis hœmatitidis ſcrup. ſ. miſce*, *& fiat unguentum*, & pone ſuper apoſtema maturum ſecundum quantitatem foraminis quod facere intendis, quoniam aperit, ſi per ſex horas ſupra ſteterit, & poſtea elevato cauterio, pone, ad procurandum caſum eſcaræ, *butyrum cum folio caulis* uſque dum eſcara cadat, vel potes loco dicti cauterii uti *oleo de vitriolo*, & eſt mirabile ſine dolore cauterizando. Et fit hoc modo. Recipe *vitrioli romani*, *ſive cyprini*, *unc. xxx. ſalis nitri*, *aluminis rochæ*, *ana unc. iiij. miſce & pulverizentur omnia*, *& calcinentur ad ignem ſecundum artem. poſtea pone hoc calcinatum in bocia curva lutata ad ignem fornacis alchemiſtarum*, *& per ignem auctum habebis in recipienti oleum*, quod eſt cauterium mirabile, & ſine pari in quacunque operatione, & maxime in ſcrophulis & verrucis magnis levandis, ſed recipiens ſit magnum ſi vis facere dictum oleum. Nota tamen quod quando compono cau-

terium cum *ſublimato*, & volo ipſum ſine dolore, dimitto ipſum quieſcere per aliquot menſes, & pono etiam duplicatam dolim *opii*, quia cauteriſat ſine dolore, vel cum minimo. quod ſi ipſum potentius deſidero, addo plus de quantitate *ſublimati*. Aliud cauterium valde mirabile aperiens apoſtema, & ſcrophulas ſine dolore notabili. Recipe *cineris lignorum montium libras decem, aquæ fontis libras triginta, bulliant ad conſumptionem tertiæ partis: deinde accipe calcem vivam integram quantum ſit ſufficiens, ita ut aqua ſupernatet per duos digitos, & pone in dictam aquam, ſive lixivium, & ſic dimitte per dies octo miſcendo ſemel in die, poſtea cola per colatorium, & in colatura adde aluminis fezæ (ut ajunt) ſive tartari, unc. vj. & dimitte fermentari dies octo & cola ut ſupra.* Deinde Recipe *libram unam dictæ colaturæ, aquæ cum qua fit ſapo libram ſemis. pone in cacia ad ignem, & bulliant uſque ad ſpiſſitudinem mellis*, & habebis cauſticum mirabilis operationis, vel fiat hoc idem in aperiendo apoſtema cum *trochiſcis calidicon* in antidotario Dini, in *expoſitione tertiæ*, & *quartæ ſen quarti canonis*, vel cum *trochiſcis alcadicum* Domini Meſuæ *cap. de polypodio*, vel cum aliquo alio deſcripto ab antiquis & modernis. Semper tamen ſive cum actuali, ſive cum potentiali cauterio apoſtema aperire intendis, ſecuriſſimum eſt ſupra locum per quatuor digitos ponere defenſivum ad retinendum, ne nova materia propter dolorem currat ad locum. Et hoc potes cum iſto facere, Recipe *boli armenæ, ſanguinis draconis, cretæ cimoliæ, acaciæ, ana unc. s. unguenti de plumbo unc. j. albuminis ovorum, aceti, ana quantum ſufficit, miſce, & fiat unguentum in mortario*, & pone ut ſupra, quoniam mitigat etiam dolorem. Aliud unguentum defenſivum. Recipe *unguenti noſtri benedicti unc. iij. ſanguinis draconis, cretæ cimoliæ, boli armeni, acaciæ, ana unc. s. camphoræ ſcrup. s. miſce*, & pone ut ſupra, & ſic unumquodque apoſtema aperies.

## CAP. VI.

### *De cura omnium ulcerum morbi Gallici.*

Aperto igitur apoſtemate, reliquum eſt de curatione ulcerum dicere, ſed cum in tam maligna ægritudine, tot diverſitates ulcerum ſint, & ut omnia unico verbo complectar, omnia genera malignitatum ulcerum in tali morbo appareant, ideo non ficco pede hac in parte ambulare decrevi, ſed aliquantiſper expergefacere medentes. Rememorandum id quod dictum eſt in capite de eſſentia iſtius morbi, videlicet de occulta & maligna qualitate in iſto morbo reperta, quæ non ſolum radicalem impedit curam, ſed etiam accidentium, inter quæ enumerata fuerunt ulcera, quæ diverſimode impediuntur, ut teſtatus eſt Galenus. quarto de morbis curandis contra Theſſalum, & alii doctores etiam. quæ impedimenta ſunt multa, & primo ex parte ulceris, in eo enim quod eſt ſoluta continuitas, eſt figura, quæ vel eſt circularis, vel fiſtularis. impeditur etiam ex parte ſaniei, quoniam aut eſt nimis ſubtilis, vel nimis groſſa, aut nimis calida, frigida, & de aliis qualitatibus, à quibus ſequitur corroſio, mollificatio, exſiccatio &c. aut quia habent occultam qualitatem ut dixi, quæ in iſtis eſt peſſima cauſa impedimenti conſolidationis. Sunt etiam ex parte membri in quo eſt ulcus, aut quia naturaliter eſt debile ut crus, aut quia multa humiditas naturaliter in ipſo abundat, ut in vulva, & gutture. ſunt etiam aliquando, ex parte membri demandantis, ut eſt epar in iſtis, quoniam quotidie novas ſuperfluitates ad ipſa ulcera hepar tranſmittit, vel ex parte totius, quoniam corpus eſt cacochymum, complicationes etiam cum aliis ægritudinibus materialibus, & immaterialibus ſunt impedientes, & multi alii ſunt modi, ut eſt oſtracoſitas labiorum, corruptio oſſium &c. per quos omnes fit impedimentum conſolidationis. Sed quoniam in iſtis tota vis eſt, ideo in primis regulas quaſdam univerſales pro iſtis ponam, poſtea ad particulares deveniam. Et primo ſi figura fiſtularis eſt impedimentum, & ſit in loco, ubi poſſibilis ſit apertio, ſine patientis particulæ diſcrimine, aperiatur inſtrumento, vel cauterio. ſi autem non eſt poſſibile, ponantur per ſyringam lotiones, & unguenta diſſoluta, ut dicam ſtatim. Quod ſi figura circularis in cauſa fuerit, reducatur ulcus ad aliam figuram, aliquando levi medicamine domeſtico ſecundum medici judicium. Quod ſi groſſities ſaniei impediat, ſubtilietur cum digeſtivis in quibus ſit virtus digeſtiva cum inciſione. quod ſi ſaniei ſubtilitas fuerit, ingroſſetur cum conſervantibus calorem, in quibus ſit viſcoſitas aliqua, ut ſunt glutina. Et ſi caliditas, vel frigiditas, & aliæ qualitates impediant, procedatur, cum ſuo contrario, & removebis conſequentia, quæ fuerunt corroſio, & dicta ſupra, & qualitas occulta removenda eſt cum his quæ habent proprietatem, & ſunt experta, ut ſunt unguenta in quibus ingreditur *argentum vivum*, & etiam pulvis à me angelicus dictus propter ejus angelicam in tali morbo operationem, qui eſt medicina mirabilis, cui non eſt par. ſi vero à membri debilitate conſolidatio impediatur, confortetur cum calidis, in quibus ſit proportio cum membro, quoniam ut inquit Avicen. *ægritudo ſuo medicatur contrario, & conſervatur ſanitas ſuo ſimili*, & Galenus dixit *calidiora calidioribus applicanda* &c. ſi autem hoc ab humiditate, ad membra naturaliter fluente, fuerit, utere exſiccantibus fortibus. quod ſi impediens membrum tranſmittens fuerit ut hepar, aut renes, vel cerebrum, purgentur membra illa, & rectificentur, ſi eſt poſſibile, ſic etiam in corpore cacochymo facies, malos purgando humores. quod ſi propter complicationes alterius ægritudinis, curetur ægritudo complicata impediens, non tamen dimiſſa ex toto ulceris curatione, ut docet Avicen. *quarta quarti*, & *quarta primi. cap. ult.* Et ſic removendo unamquamque cauſam omne genus ulcerum ſanabis, ut removendo duritiem oſtracoſam cum medicamine acuto, vel cum inſtrumento apto, & oſſium corruptionem, ſive denigrationem remove cum medicamine faciente relaxare ſquammas, & fruſta oſſis corrupti, & cum appropriatis, vel cum inſtrumentis, ut tricatorio, ſcalpro, & trepano, vel aliquo alio inſtrumento ſecundum neceſſitatem membri, & quantitatem corruptionis oſſis, & hæc dicta ſufficiant. Et remedia quæ univerſaliter ſuperius tetigi, particulariter hic ſcribam, & primo unguentum digeſtivum ulcerum morbi Gallici, quando ſanies eſt cruda & groſſa. Recipe *axungiæ porcinæ, terebinthinæ, ana unc. ij. butyri. unc. j. olei liliorum alborum, unc. j. mercurii. unc. s. ſucci arantiorum, drach vij. miſce & fiat unguentum*, cum quo licinia ungantur ponenda in ulcus, & etiam pannum, cum quo cooperies ulcus, dicto unguento illinies, & ſecundum membri conditiones ligabis. Aliud unguentum digeſtivum valet ut ſupra. Recipe *unguenti baſiliconis Domini Serapionis, dialthææ. ana unc. j. terebinthinæ, unc. s. miſce, & fiat unguentum*, & utere, ut ſupra. Aliud unguentum digeſtivum ejuſdem virtutis Recipe *terebinthinæ, butyri, ana unc. j. unguenti reſini, unc. j. vitelli ovorum. num. ij. croci, drach. s miſce, & fiat unguentum.* Aliud unguentum digeſtivum, quando ſanies eſt virulenta, ſubtilis, & corroſiva. Recipe *terebinthinæ lotæ, unc. iij. vitelli ovorum numero ij. olei roſati, lithargyrii, ana unc. j. imprimis ducatur lithargyrium cum oleo roſato, ita ut fiat perfecta mixtio, poſtea adde terebinthinam, & ova, & fiat unguentum*, & utere ſuper liciniis, ut dictum eſt. Aliud unguentum, ut ſupra digeſtivum. Recipe *unguenti de plumbo, terebinthinæ, ana unc. j. butyri, unc. s. axungiæ porcinæ, unc. j. s. argenti vivi unc. j. fiat unguentum ſecundum artem dictam, & utere.* Potes etiam cum iſto procedere. Recipe *olei roſati, terebinthinæ claræ, vitelli ovorum, ana, unciam unam, miſce, & fiat unguentum, & utere.* Facta digeſtione quæ cognoſcitur per bonitatem ſaniei, in albedine, lenitate, & æqualitate, oportet cum mundificativis procedere, & hoc ſecundum diverſitatem ſaniei, ulcerum & membrorum. Et in primis ſcribam unguenta mundificativa communia, poſtea particularia notabo; unguentum igitur mundificativum commune eſt hoc. Recipe *terebinthinæ, uncias duas, mellis roſati, unc. j. farinæ hordei quantum ſufficit, miſce, & fiat unguentum*, quod mundificat ſaniem laudabilem in quacunque parte corporis. Aliud unguentum mundificativum commune cum pulveribus. Recipe *terebinthinæ uncias duas, mellis roſati, unc. j. farinæ hordei, myrrhæ, olibani, maſtichis, ana drach. ij. miſce, & fiat unguentum*, & utere ſuper liciniis, ut dictum fuit. Et ne pars iſta ex multorum unguentorum deſcriptione fit nimis tædioſa, utere unguentis communibus ab aliis auctoribus ſcriptis, ſecundum neceſſitatem. verbi gratia, in ulceribus capitis utere *unguento de gummi elemni, unguento de betonica, unguento de matriſylva*, & in aliis membris ſecundum membri naturam, & ulcerum, ut *unguento Apoſtolorum* in ulceribus putridis ſordidis, malis & profundis, vel fiſtuloſis. quod ſi non potes alio modo, diſſolve unguenta cum vino, vel aliquo alio appropriato, ut cum *lixivio*, & *aceto*, & multum confert diſſolvere *unguentum Ægyptiacum cum aceto, vel vino*, in fiſtulam injicere, quoniam removet duritiem, ſive carnem calloſam, potes etiam uti *unguento Cæſareo magno Domini Meſuæ.* Et in minus malignis miſcendo dicta unguenta cum *unguento baſilicone*, vel *cum unguento reſino, aut cum aureo Domini Meſuæ.* Et quando ulcus eſt calidum, poſſumus applicare mundificantia alterius ordinis, ut eſt *unguentum de tutia*, & *de pompholyge, unguentum de ceruſſa, cum camphora*, & *ſine camphora* ſecundum majorem, & minorem inflammationem, & etiam factum magiſtraliter cum *ſucco ſolani*, & *decoctum, vel unguentum de plumbo*, & in aliquo caſu *unguentum de minio cum camphora* & ſine, & alia quamplurima mundificantia, quæ ſunt ejuſdem virtutis cum extinctione, & aliquando miſcere unum cum alio, ut dictum

eſt,

eſt, ſecundum alias complicationes ægritudinis, vel accidentium cum ipſo ulcere, & ſic extinguere caliditatem, aut prohibere corroſionem, & alia removendo accidentia, prohibentia conſolidationem. Et habita ſic conſideratione omnium tam accidentium quam aliorum impedientium, recte procedes in iſta ægritudine, in qua tanta malignitas reperitur quanta ſenſui apparet, taliter quod medicamina ſcripta ab antiquis non ſemper conferunt, ſed potius quandoque irritant hujuſmodi ulcera morbi Gallici. Et cum ſit ita, experta per me & alios ſæpe medicamina hic ſcribere intendo, cum eorum virtutibus, ut ipſa canonice unicuique ulceri, & loco applicare valeas. Et in primis pulvis angelicus à me dictus propter mirabilem ejus operationem, & angelicam in iſto morbo, nam eſt medicina exſiccativa cum aliqua vi domeſtica, & ſine dolore corroſione carnis mollis, & ſuperfluæ, & eſt removiva malæ qualitatis occultæ ulcerum, & maxime morbi Gallici, eſtque digeſtiva cujuſcunque ſanici & mundificativa, removens deambulationem, & corroſionem, & prohibens deambulationem gangrænæ, diſſolvensque ſaniem groſſam, ſive duram indigeſtam poſt apertionem gummatum. Et huic medicamini non eſt par in tali morbo, quoniam ſi cum ipſo procedes, uſque ad perfectam cutis generationem ducit, ut ego ſæpe expertus ſum, & eſt nobile in virgæ ulceribus malignis. Et modus conficiendi ipſum eſt iſte. Recipe *argenti vivi libram unam, pone in cucurbita parva vitrea, deinde pone deſuper aquæ cum qua ſeparatur aurum ab argento, libram unam, & pone cucurbitam in olla, & in ſpatio inter cucurbitam, & parietem ollæ, pone cinerem, ut conſervetur olla, ne ex immediato contactu ignis rumpatur, quæ olla cum cucurbita intus ponatur ad ignem inprimis lentum, poſtea augeatur modo quodam medio, & ſic cum forti igne dimittatur, uſquequo tota aqua conſumpta ſit, quod cognoſcitur, quia non evaporat aliquid ab ipſa cucurbita, & ſi habebis mercurium calcinatum rubeum, pulveriza ipſum, etſi intus aliqua portio argenti vivi remanſerit, pone dictum pulverem in cacia abenea nitida ad ignem, & ſic miſcendo dimitte uſque dum tota argenti vivi pars ſit conſumpta*, & iſto pulvere utere ad omnia dicta, & maxime ad ulcera virgæ, & aliorum locorum, ubi putredo, & ſanies mala prohibet conſolidationem, & in fiſtulis diſſolve ipſum cum vino, & projice per ſyringam, quoniam mirabiliter operatur. Modus faciendi aquam ſeparationis auri ab argento eſt iſte. Recipe *vitrioli Romani libr. ij. aluminis rochæ, unc. xvj. ſalis nitri, libram unam, pone in cucurbitam curvam lutatam, vel ſi vis pone in rectam cum capello ſuo, & recipiente ad ignem fornacis, ut faciunt alchymiſtæ, & habebis aquam cum qua ſeparatur aurum ab argento, & cum qua fit pulvis angelicus*, quæ aqua eſt mirabilis ad removendas verrucas in quacunque parte, & maxime in ano, & vulva: cauterizat etiam iſta aqua ulcera maligna ambulativa ubicunque, & in gutture, & prohibet deambulationem ulcerum, ubi ſunt, ut puta virgæ, & vulvæ. Sed cum eſt nimis acuta, oportet lymphari ipſam cum *aqua roſacea*. Et ego ſæpe ſanavi ulcera mala gutturis, tangendo bis in die cum aqua dicta cum medietate aquæ roſatæ admiſta, & eſt de ſecretis noſtris. Et quamvis Joannes de Vigo vir doctiſſimus ipſum pulverem doceat componere ſub nomine pulveris rubei, nihil ei debeo in hoc, quoniam antequam ipſe ſcriberet, ego ipſum componebam, & habui à quodam viro alchymiſta ſene, qui erat mirabilis experimentator, & multa alia ipſe docuit me, cujus anima requieſcat in pace, quoniam mortuus eſt. Hoc viſo, de unguentis ſcribam, & primo unguentum mundificativum ulceris morbi Gallici expertum, removens malam qualitatem occultam, & diſſolvens duritiem gummoſam, reducendo ad bonam ſaniem, & mitigat dolorem, carnemque laudabilem generat, cujus deſcriptio eſt iſta. Recipe *maſtichis, thuris, colophoniæ, ceruſſæ, argenti vivi, olei roſati, ana unc. i. ſ. axungiæ porcinæ, libr. j. ſuccі arantiorum, unc. j. cum quo argentum vivum mortificabis, poſtea pone axungiam, & reliqua in mortario, & cum piſtillo ducendo fiat unguentum*, cum quo ulcera ſuper licinia & pannum ponendo mundifica. Aliud unguentum mundificativum optimum. Recipe *unguenti reſini, axungiæ porcinæ, ana unc. vj. argenti vivi uncias duas, maſtichis, olbani, ceruſſæ, ana unciam unam, lithargyrii unc. ſ. olei de myrto uncias. ij. miſce & fiat unguentum in mortario, utere ut ſupra.* Aliud unguentum per me maſtichinum dictum, (& eſt de ſecretis,) mundificat ulcera profunda ſordida mala, & removet malam qualitatem occultam, ſanat quodcunque ulcus virgæ, & vulvæ, aliorumque locorum humidorum, cui non eſt par. Recipe *unguenti reſini unc. iiij. unguenti damaſceni unc. ij. mercurii, maſtichis. an. unc. j. ceruſſæ, lithargyrii, ana drach. vj. olei myrtini quantum ſufficit, fiat ex eis unguentum in mortario, in bona forma, & extenſibile*, quo utere, quoniam ægris utilitatem, & tibi honorem dabit. Unguenti damaſceni deſcriptio eſt iſta. Recipe *unguenti re-*

*ſini unc. ij. viridis æris. drach. j. diſſolve in cacia ad ignem unguentum, poſtea pone viride æs bene pulverizatum in fine, ſemper bene cum baculo agitando, donec perfectam habeat admixtionem*, & eſt mundificativum ulcerum profundorum, & putridorum, eſtque exſiccativum malarum humiditatum, & cicatrizativum, & hæc de unguentis ſufficiant. Cerata quæ ad hanc ægritudinem conferunt ſunt diverſa, ſicut eſt diverſitas in diſpoſitionibus membrorum. Ego vero in ulceribus capitis nunquam à *cerato de betonica* diſceſſi, & quamvis de ipſo multæ ſint deſcriptiones, tamen unam tantum ponam, & eſt iſta. Recipe *terebinthinæ, reſinæ pini, olei roſati ana unc. vj. ceræ unc. v. betonicæ, matriſylvæ, ana unc. vj. infundantur herbæ per tres dies in vino moriano, dulci, & omnia alia ſimul decoque ad vini conſumptionem, poſtea per colatorium cola, & abjectis herbis pone ad ignem & adde gummi elemni, ſarcocollæ, olibani, ana unciam unam pro libra, & ad ignem ſecundum artem fiat ceratum*, quod eſt mirabile cuicunque ulceri capitis, & morbi Gallici, quoniam cicatrizat poſt incarnationem omnia capitis ulcera. verum quando indigeo majori exſiccatione, pono cum iſto tertiam partem *unguenti de minio*, & eſt mirabilis operationis. In aliis corporis partibus optimum eſt *ceratum de minio uſuale*, quoniam mundificat, & cicatrizat unumquodque ulcus poſt incarnationem, vel poſt regenerationem carnis. Sed & ultra uſualia aliqua alia habeas cerata. ſcribam *ceratum de minio*, quod confert ut ſupra. Recipe *minii unc. vj. lithargyrii aurei uncias duas ceruſſæ unciam unam, olibani unciam unam, olei roſati, liliorum alborum, ana libram unam, ſevi hircini, unc. iij. fiat ceratum ad ignem ſecundum artem*, & utere ſecundum neceſſitatem. Aliud ceratum quod cicatrizat quæcunque ulcera fraudulenta mala, & mollificat labia oſtracoſa, & occultam qualitatem removet, maximumque eſt præſidium tibiarum ulceribus antiquis, quoniam ſanat ipſa ſine dubio. Recipe *lithargyrii aurei, uncias vj. boli armenæ uncias duas, olibani, opoponacis ana unciam, ceruſſæ, minii, ana unciam unam. ſ. camphoræ. unc. ſ. ceræ albæ unc. viij. ſevi caſtrati, olei laurini, unc. ij olei communis uncias quinque, fiat ex iſtis ceratum ſecundum artem*, & utere, quoniam eſt de ſecretis expertis ad ulcera morbi Gallici maligna. Nam removet deambulationem & cicatrizat, ſorditiemque, & alias malas ſanies digerit, & maxime in ulceribus cruruni. Ad eandem intentionem valet, & mirabiliter confert ceratum ſcriptum in cura per unctionem, & ego ſæpe utor ipſo, quoniam incarnat, & cicatrizat mirabiliter. Sed quia aliquando loca ulcerum, & aliæ conditiones, alias formas medicaminum requirunt, ideo his viſis, diverſa alia medicamina quæ diverſis membris & ulceribus conferunt, ſcribam. Et primo aquam conſolidativam ulcerum gutturis, palati, gingivarum, & labiorum, ſi cum ea bis in die cum radio, in cujus capite cotum ſit, in ipſa madefacto, ulcera tanges. Recipe *aluminis rochæ drach. iiij. ſacchari fini drach. ij. viridis æris ſcrup. j. aquarum plantaginis, roſarum, ana un. iiij. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & cola*, & utere. Alia aqua quæ eſt fortior, & nobilioris operationis. Recip. *aquæ ſeparationis auri ab argento partem unam, aquæ roſatæ partes tres, miſce & tange ulcera ut dictum eſt*, quoniam ſanabis ulcera dicta, quia ultra exſiccationem, removet deambulationem, & prohibet deſcenſum materiæ. Aqua ſive decoctio cum qua fit gargarizatio in ulceribus malignis gutturis, & oris, vel gingivarum, reſolvitque apoſtemata, & prohibet deſcenſum materiæ, mundificat ſaniem, & ulcera ad cicatrizationem dirigit. Rec. *roſarum, myrtillorum, arnoglоſſæ, bislinguæ, plantaginis, ana drach. iiij. balauſtiarum, gallarum, ana drach. v. aluminis rochæ. drach. iiij. aquæ plantaginis, libr. ſ. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, & cola, & in ipſa colatura pone unc. iij. ſyrupi acetoſi, vel diamoronis, vel mellis roſati, & de aliis ſecundum neceſſitatem.* Alia decoctio lavativa ejuſdem virtutis, & majoris efficaciæ, & eſt incarnativa, confortativa loci ulcerati, & cicatrizativa ulceris. Recipe *roſarum rubrarum, balauſtiarum, myrtillorum, berberorum, ana manip. j. gallarum numero vj. myrrhæ, aluminis rochæ, antimonii, ana drach. iij. aquæ plantaginis in qua ferrum decies extinguatur, vini ſtiptici non vinoſi, ana libras ij. decoquatur ſecundum artem*, & laventur cum eis iſta ulcera tempore neceſſitatis in quocunque membro, & ſi ulcera ſunt in gutture fiat cum truſto ſpongiæ in capite radii, vel cum alio ingenio, ut in vulvam jaciendo per ſyringam, & etiam in fiſtulis. quod ſi iſto ingenio ulcera dicta non potes ſanare, & majorem exſiccationem volueris, utere iſto pulvere. Recipe *tutiæ præparatæ, terræ ſigillatæ, acaciæ, corallorum rubrorum, ana dr. ſ. ſanguinis draconis, thuris, ſeminum plantaginis, myrtillorum ana ſcrup. j. pulverizentur, & ſimul incorporentur, & per cannulam in ulcere fiſtuloſo, vel alio loco inſufflabis*, & hoc bis vel ter in die ſecundum rei indigentiam. Alia lotio, ſive deco-

ctio

ctio lavativa, valens ad inflationem membri genitalis, & vulvæ præcipue, ſanatque eorum ulcera mala. Recipe *roſarum rubrarum ſiccarum, foliorum myrti, corticum granatorum, balauſtiarum, tartari vini albi, aluminis rocheæ, hordei, ſeminum caulium, ana partes æquales, aquæ plantaginis quantum ſufficit, fiat decoctio in olla lapidea ſecundum artem, & cola, & in quacunque libra decoctionis ponantur unc. iij. mellis roſati, & utere.* quoniam mirabiliter ulceribus confert, ut dixi. Poſtremo cicatrizabis cum *unguento maſtichino* ſupra ſcripto, unum tamen non prætermittam, quoniam jam dictum fuit inter enumerando ſigna, & accidentia, quod aliquando poſt curam fiſſuræ in volis manuum, & plantis pedum remanent, & etiam quædam ſquammoſitates, quæ ſunt malæ non ſolum propter deſœdationem, verum etiam quoniam ſunt aliquando cum dolore, quare ſuccurrentur ſic in primis purgato corpore, ſuffumigentur ſeu laventur manus, vel pedes cum iſta lotione calida. Recipe *malvæ, fumi terræ, parietariæ, ana man. j. radicis althææ, conſolidæ, ana unc. iij. hordei unc. iij. bulliant in aqua dulci, cum aqua laventur ut ſupra.* Poſtea ungantur cum *unguento noſtro benedicto*, iſi cura per unctionem ſcripto, vel cum iſto. Recipe *albuminis ovorum numer. ij. pinguedinis hirci unc. ſ. ſublimati ſcrup. ij. alumninis combuſti. drach. ſ. miſce, & fiat unguentum in mortario cum piſtillo ligneo.* quod ſi aliqua fiſſatio, vel mordicatio ſequatur ex dicto unguento, unge locum cum butyro recenti ſæpe. Et ſi propter ſubiiimatum times hoc unguentum, unge poſt lotionem manus & pedes cum unguento noſtro hircino, cujus hæc eſt deſcriptio. Recipe *olei roſati, ceræ, ana unc. iij. ſevi hircini, unciam unam, ſuccı rapæ vel napi unc. vj. bullant ad conſumptionem ſuccı, & fiat unguentum*, & utere, quoniam mirum confert in fiſſuris manuum, & pedum morbi Gallici, & etiam in ulceribus à vulgaribus bugiace, dictis, & valet fiſſuris manuum à frigore hyemis factis, & eſt medicina dicta mirabilis. Et hæc de remediis ulcerum morbi Gallici ſecundum eorum diverſitatem in figura, ſanie, & aliis. Sed quoniam ſæpe corrupto, putrefactio, aut alteratio aliqua oſſium eſt in cauſa ne ulcera conſolidentur, ut dixi ſupra, ideo ſecundum quantitatem cum inſtrumentis tota quantitas tollatur, utputa cum cauterio ignito, vel cum fricatoriis, & ſcalpro. Quod ſi non fuerit magna, ſed ſuperficialis, & parva, cum diverſis medicinalibus ingeniis removebis. Et primo valet pulvis iſte, ſquammas oſſa ſuperficialiter corrupta in quocunque ulcere. Recipe *radicis iridis ſylveſtris, ariſtolochiæ, ana drach. ij. corticis pini. drach. ſ. miſce & pulverizentur ſubtiliſſime*, de quo pone ſuper os alteratum, ſive corruptum, quoniam removet ſuperficiem oſſis corrupti, ſive denigrati. Potes etiam ex dicto pulvere, & melle facere unguentum, de quo ponatur ſuper os ut dictum eſt. Ad eandem intentionem valet *aqua vitæ cum melle roſato, & chalcantho adufto*, in qua infundantur licinia, & ponantur ſuper os corruptum, vel ponatur *pulvis euphorbii* ſuper os, & eſt ultimum, aut fiat cum jam dicto pulvere ana partes æquales mixtio, & imponatur, vel remove cum *unguento Ægyptiaco* ſuper os poſito. tamen ſemper bonum eſt munire carnem circum circa cum aliquo unguento defenſivo, maxime quando cum acutiſſimo medicamine procedimus, ut eſt euphorbium, & alia. Remoto igitur oſſe corrupto ad perfectam conſolidationem cum incarnantibus, & reliquis ut dictum eſt, venies. De cura morbi, & accidentium hæc tatis dicta ſint, quam de caſu capillorum, barbæ, & aliarum partium corporis, nec non de caſu dentium, & gingivarum corroſionibus ſatis ſuperque à me ſit ſcriptum, & in quadam *epiſtola ad Excellentiſſ. Dominum Joannem Pantinum* ſcripta, ſi quis cauſas, & curam talium accidentium ſcire deſiderat Epiſtolam illam legat. Reliquum eſt de præſervatione à recidiva, quæ rationi conſona ſunt, & experimento probata, dicere.

## CAP. VII.

### *De præſervatione à recidiva: & de aliquibus confortantibus.*

Viſum eſt ſæpe, & ſæpius qui tali morbo laboravere, poſt ſanationem & totalem accidentium remotionem, poſt aliquot menſes, immo poſt annos aliquot in recidivam peſſimam incidere, tum ob diſpoſitionem ſubjecti, tum etiam ex malo regimine in reliquis, quare ſi aliquas regulas ad præſervationem dicti morbi poſuero, non ingratas fore putavi. Rem igitur aggredior, quæ in tribus magnis intentionibus conſiſtit, prima quarum eſt regimen in ſex rebus non naturalibus, de quibus jam ſpartim dictum eſt, & ideo poſt ſanitatem, regimen illud, quod jam dictum eſt, confert, ſi quis à recidiva præſervari voluerit, & maxime regimen contactus in coitu, & aliis contactibus, fugiendo dormitionem cum infectis, & maxime cum muliere ſi eſt homo, aut cum homine infecto, ſi eſt mulier, faciendo lotionem cum vino, membro virili, vel vulvæ cum vino calido ſimplici, vel cum aceto non vinoſo quod magis mihi placet, quoniam conſervat humores ab alteratione mala, vel fiat lotio dictis membris cum iſta decoctione. Recipe *roſarum, myrtillorum, ſalviæ, abſinthii, ana man. j. bulliant in vino, & aceto pauco. quod ſi ſunt fortia adde tantundem aquæ, & lava poſt coitum immediate.* hoc etiam facito quando cum vino ſolo, aut aceto lavabis, & etiam ante coitum, ſi quis fatuus cum infecta coiverit ſciens, &c. Secunda intentio eſt confortare membra non ſolum intrinſeca, ſed etiam extrinſeca, maxime ſi paſſa ſint, puta dolores, apoſtemata, vel ulcera. Sed cum dictum ſit quod intrinſecum membrum eſt hepar, à quo tota quantitas materiæ tranſmittitur. Ideo ipſi primo attendere oportet, non obliviori dimittendo ſtomachum, quod eſt membrum ſerviens hepati immediate. hoc idem dico de aliis membris ſi fuerint membra læſa, per quæ hepatis nocumentum fovetur, ut eſt matrix in mulieribus in retentione menſtrui, dicente nanque Hippocr. *menſtruis evenientibus, & non evenientibus fiunt ægritudines.* Confortantia in primis hepar, & ſtomachum ſunt iſta, *Diarrhodon Abbatis, Aromaticum roſatum, Triajantali, Diamoſchum dulce, Pleres archonticum, Latificans Almanſoris, vel Galeni*, vel cum unctionibus ab extra, & maxime cordi, & ego utor iſta quando ſyncope accidit ægris a quacunque cauſa. Recipe *theriacæ bonæ, vel mithridatii drach. iij. ſucci bugloſſæ unc. ſ. olei roſati nenupharini, ana drach. v. fragmentorum de gemmis, corallorum rubrorum, ana drach. ſ. miſce & fiat unguentum*, vel fiat cum epithemate cordiali temperato. Et multa alia ſcripta à doctoribus fieri poſſunt, & extra & intus dando dictas confectiones. Et dabis de uno iſtorum rotulam unam, vel duas in mane ſecundum neceſſitatem, per quatuor horas ante prandium. Et hoc fiat per ſpatium unius menſis ad minus poſt ſanationem. Sed ego utor ſæpe confectione Diarrhodon Abbatis. De tertia intentione utaris ſecundum patientis virtutem, aliqua evacuatione levi, reſpiciente materiam phlegmaticam, de quibus jam ſuperius dictum eſt, & virtutes evacuantium in diverſis formis, videlicet in electuariis, pillulis, & confectione in rotulis, & ad hoc multum valent *confectio hamech*, & *pillulæ noſtræ* (ſiquis magis pillulas diligat,) vel etiam *confectio noſtra in rotulis ſcientiæ*, in *cap. de his quæ doloribus opitulantur* dicta, & ſic tuum erit ſecundum neceſſitatem evacuare. Inter cætera ſummopere laudo provocationem vomitus ſemel ad minus in hebdomada, ſi fieri poteſt ſine patientis diſcrimine, quoniam evacuat materiam propriam ægritudinis, & præſervat à doloribus junctiurarum, & ipſos mitigat, immo aliquando ſanat divertendo materiam, qui vomitus provocetur per impoſitionem digiti, vel pennæ in ore, vel cum vomitivo domeſtico, verbi gratia, cum *aqua tepida, & ſyrupo acetoſo*, vel aliquo alio, ut eſt *aqua raphani*, ſemper tamen membra intrinſeca confortando, tam principalia quam foventia. Puta ſi fuerit ſplen, aut renes, vel matrix, aut caput confortetur cum appropriatis ipſis membris, aperiendo ſplenis oppilationem, & menſtrua ducendo, & reliqua faciendo ſecundum neceſſitatem. Eſto tamen memor ſemper de hepate quod eſt minera iſtius morbi. Et, ut completam doctrinam habeas, utere iſto electuario experto pro hepatis confortatione, quoniam mirabilis eſt ejus virtus, nam confortat hepar diſcraſiatum per frigiditatem. Malas humiditates ab ipſo genitas conſumit, ſtomachum corroborat, ſanguinem mundificat, & digeſtionem perfectam procurat, cujus talis eſt deſcriptio. Recipe *cinnamomi electi. drach. ij. macis drach. j. caſſiæ ligneæ drach. j. ſ. florum granatorum agreſtium drach. v. croci. ſcrup. j. roſarum rubrarum. drach. ſ. ſantali rubri unciam unam, paſſularum. drach. v. mivæ cydoniorum quantum ſufficit, miſce, & fiat electuarium ſecundum artem*, de quo detur in mane ad quantitatem caſtaneæ, aut drach. iiij. vel dentur iſtæ rotulæ per me ſæpe expertæ. Recipe *ſpecierum Diarrhodon Abbatis unciam unam, myrobalanorum citrinorum, Chebulorum, Indorum, rhabarbari, ana drach. ſ. epithymi, polypodii, ſucci fumi terræ exſiccati, ana ſcrup. j. ſucci eupatorii ſcr. ij. ſpicæ, ſchœnanti, ana drach. ſ. ſacchari albi quantum ſufficit, fiat confectio in rotulis cum aqua roſata, de qua ſumat æger rotulam unam, aut duas in mane ut dictum eſt ſupra.* Et ſic præſervabis hominem à recidiva iſtius ægritudinis. Sed quoniam interdum ſunt diſpoſitiones occultæ decipientes medicos, ita quod iterum redit ægritudo, quamvis ſit omnis obſervatio, & in regimine diligentia, quare non oportet deſiſtere, ſed cum iterum in dictam ægritudinem veniunt, audacter procede cum regulis in primis curationibus dictis, videlicet evacuando, aut cum potione *aquæ ligni Indici*, vel cum *decocto ſaſſafræ perſicæ, aut radicis*

*Chinæ,*

*Chinæ*, vel cum unctionibus, ſive cum ſuffumigiis, & aliis ingeniis jam dictis, quoniam ſunt removentia iſtas occultas proprietates, & tic Domino auxiliante, à quo cuncta bona procedunt, unamquamque Gallici morbi diſpoſitionem ſanabis. Dicta itaque hæc à me ſatis ſint in negotioſiſſima urbe morante. Reliquum eſt ut quæ cœpta jam ſunt de aliis ægritudinibus, & curis expectes, quæ Domino favente perficiam. Adeſto igitur, Domine, ſupplicationibus famuli tui, & huic noſtri opuſculi ſigillationi, ut ea quæ tuo nomine, tuaque protectione cœpi, tuo nomine & protectione finiantur.

# NATALIS MONTESAURI, *Veronenſis*, DE DISPOSITIONIBUS *Quas vulgares* MAL FRANZOZO *appellant*, TRACTATUS.

## PRÆFATIO.

*Noſter nunquam fuerat animus hujuſmodi diſpoſitionum eſſentias inquirere, turpe enim exiſtimabam fore homini, jam nomen medici conſequuto, ægritudinum, quæ ſeſe exterioribus offerunt ſenſibus, quidditates inveſtigare, eo magis quia didiceram auctore Galeno & Abolai tales facile cognoſci poſſe. quomodo enim quis membrorum interiorum ægritudines poterit concipere, ſi exteriorum ignorabit? at quoniam his proximis diebus libellus novus ad manus noſtras pervenit, quem quum primum legere cœpi, diſputationem de his Ferrariæ habitam intellexi, plurimaque objecta contra Abolai vidi. quæ quia male objiciuntur, neque quantum attinet medico auctorem illum ſcripſiſſe unuſquiſque medicinæ tirunculus intelligere poterit, mihi non inutile viſum eſt, cum hoc tempore lectionibus ſim abſolutus, una cum manifeſtatione harum diſpoſitionum oſtendere, Abolai minime peccaſſe, omnibus adverſarii objectionibus ſigillatim reſpondendo.*

## CAP. I.

*De eſſentiis harum diſpoſitionum in generali.*

Hæ diſpoſitiones, cum per ipſas per ſe & proventu primo operationes lædantur, ſunt ægritudines. tenet conſequentia per locum à *definitione ægritudinis ſecunda ſen primi canonis.* antecedens autem per ſe eſt manifeſtum. omnis autem ægritudo aut eſt complexionalis aut compoſitionalis, aut ex his compoſita. & amplius, unaquæque aut alteri conjuncta, aut non, ſive ſub aliis verbis, aut ægritudo una, aut plures. iſtæ omnes diviſiones colliguntur ab Abolai *prima & ſecunda ſen primi canonis.* iſtæ autem diſpoſitiones nullo pacto poſſunt eſſe una ægritudo. quoniam ipſæ ſunt dolor & apoſtemata parva in cute, ex quibus non poteſt fieri ægritudo una, quod probatur, quoniam in unica ægritudine compoſita ex pluribus quæcunque operatio læditur ab una illarum læditur etiam ab alia, & unicum nomen eſt ei impoſitum, quamvis non cuilibet ægritudini uni & compoſitæ, propter nominum penuriam, nomen ſit impoſitum. iſtæ autem diſpoſitiones diverſas lædunt operationes, nec eis nomen unum alicujus ægritudinis recte poteſt imponi, ergo &c. conſequentia nota eſt, & minor colligitur ab Abolai *ſecunda primi capitulo quinto.* minor autem probatur, quoniam illa apoſtemata parva lædunt operationem virtutis aſſimilativæ, & non ſenſitivæ. dolor autem ille e converſo. ſimiliter etiam illa apoſtemata parva in medicina dicuntur bothor. dolor autem qualiſcunque ſit, dolor dicitur, licet aliquando addatur ſuum adjectivum, puta in colica dolor colicus, in iliaca iliacus, & ita de aliis etiam ſecundum ſpecies dolorum, puta extenſivus, gravativus &c. Ex his ergo patet quod ibi plures conjunguntur ægritudines. quando autem plures conjunguntur ægritudines, aut unaquæque eſt per eſſentiam aut una per eſſentiam, & aliæ per colligantiam, ut patet per Abolai *ſecunda primi doctrina tertia capitulo de ſignis diſtinguentibus inter ægritudines proprias, & appropriatas.* iſtæ autem diſpoſitiones nunquam poſſunt eſſe per eſſentiam. nam reperi quod aliqui patiuntur puſtulas abſque dolore, & aliqui quibus dolor & puſtulæ ſimul inceperunt. & aliqui reperti ſunt in quibus prius apparuit dolor & poſtea ſequutæ ſunt puſtulæ. non reperi autem quod prius apparuerint puſtulæ & poſtea dolor ſit cauſatus. Ex quibus ſequitur primo quod quælibet illarum poteſt eſſe per eſſentiam. ſequitur ſecundo quod materia cauſans illum dolorem poteſt eſſe cauſa illarum puſtularum. ſequitur tertio quod illæ puſtulæ non poſſunt eſſe cauſa illius doloris. ſequitur quarto quod hic ſunt plures ægritudines quarum una nomine generali dicitur bothor, alia etiam nomine generali dicitur dolor.

## CAP. II.

*Inquiruntur in ſpeciali eſſentiæ harum diſpoſitionum.*

Bothor apud antiquos quandoque ſumitur generaliter, quandoque ſpecialiter. generaliter enim dicitur de omni apoſtemate parvo in cute, ut patet ab Abolai in *ſynonimis & ſecunda primi capite de ægritudinibus compoſitis* in fine. ubi inquit. *amplius bothor ſunt de numero apoſtematum. eorum enim aliæ ſunt ſanguineæ ſicut variolæ* &c. ſpecialiter vero pro una ægritudine oculi, de qua dicit Abolai in *tertia tertii*, quod illud quod in conjunctiva tendit ad rubedinem, & quod apparet de cornea tendit ad albedinem, etiam à quibuſdam aliis ſumitur ſpecialiter alio modo qualiter in præſenti non eſt ſermo. bothor autem generaliter ſumptum per ſe dividitur in variolas, morbillos, eſcharas, ſcabiem, verrucas, plantam noctis, deſudationes, formicam, clavum, prunam, & ignem Perſicum, velicam, inflationem, venam medeni, puſtulam glandoſam, vel eſt bothor lenis, ſaphati ſive impetigo ſive ſerpigo. hanc diſtinctionem tangit Abolai *ſecunda primi capitulo* ſuperius allegato dum dicit *amplius bothor ſunt ſecundum numerum apoſtematum. earum enim aliæ ſunt ſanguineæ, ſicut variolæ. aliæ ſunt ex cholera pura, ſicuti eſcharæ cholericæ, & deſudationes, & aliæ ſunt ex eis mixtæ, ſicuti morbillus, & formica, & clavi, & ſcabies, & verrucæ, & plerumque ſunt aquoſæ, ſicuti ampullæ, & quandoque ventoſæ ſicuti inflaturæ.* non poſſumus autem dicere quod hic ſint variolæ aut morbilli, quoniam variolæ aut morbilli ſecundum plurimum ſequuntur febres, iſtæ autem utplurimum ſine febre. nec poſſumus dicere quod ſint eſcharæ. quoniam eſcharæ ſecundum plurimum ſubito eveniunt, iſtæ autem paulatim. nec poſſumus dicere quod ſit ſcabies, quoniam ſcabies ſecundum plurimum incipit & multiplicatur in manibus & locis arteriarum, iſtæ autem rariſſime in manibus accidunt. nec poſſumus dicere quod ſint verrucæ, quoniam verrucæ quando ſcinduntur aut ſeparantur emittunt ſanguinem, iſtæ autem emittunt virulentiam. nec poſſumus dicere quod ſint planta noctis, quoniam planta noctis ſequitur ſudores, nec emittit virulentiam. ſudor autem plurimus ſequitur has diſpoſitiones. Et propter eandem cauſam non poſſumus dicere quod ſint deſudationes, neque poſſumus dicere quod ſit formica, quoniam formica habet colorem tendentem ad citrinitatem & inflammationem, quod non apparet hic. nec poſſumus dicere quod ſint clavi propter eandem cauſam quæ dicta eſt de verrucis. neque videtur quod ſit pruna, vel ignis Perſicus, quoniam ſive pruna, & ignis Perſicus ſumatur pro anthrace vel bubone, ſive pro alia ægritudine ut videtur Rhaſi vij. *Almanſoris* & in *libro diviſionum*, ſive *pro formica miliari*, ut aliquando videtur Abolai in *proprio capitulo*, non poteſt dici hic eſſe aliquam illarum ægritudinum, quoniam cum illis diſpoſitionibus nonnunquam conjunguntur febres ſatis acutæ perniciosæ, quæ in illis diſpoſitionibus non apparent. nec poteſt dici quod ſint inflaturæ ſive inflationes, quoniam inflaturæ non proveniunt niſi ab aquoſitate, aut ſanguine, iſtæ autem manifeſte proveniunt à cholera, & melancholia, & phlegmate ſalſo. neque videtur quod ſit vena medeni, quoniam in vena medeni egrediuntur res admodum animales. & hæc eſt illa ægritudo, quæ plurimum advenit infantibus, & vulgares dicunt pedeſelli. neque dicendum eſt quod ſint puſtulæ glandoſæ, quoniam in

puſtula glandoſa egreditur res groſſa viſcoſa quæ non apparet in iſtis. neque dicendum quod ſit bothor lenis, quoniam bothor lenis apparet ſicut puncta lactis & à vulgaribus dicuntur coſſi. neque videtur quod ſit impetigo, quoniam impetigo tantum in ſuperficie cutis apparet. iſta autem ſatis ad intra profundatur. & per eandem rationem non eſt ſerpigo, quoniam ſerpigo impetigo eſt ſquamoſa. neque videtur quod ſit ſaphati, quoniam ſaphati ſecundum plurimum fit in capite. iſta autem ſecundum plurimum in partibus pudendis. præterea, ut quidam aſſerunt, ſaphati eſt tinea, iſtæ autem non ſunt tinea, ergo &c. Quapropter videbitur fortaſſe alicui novus morbus, aut à medicis prioribus non fuiſſe cognitus quorum utrumque oſtendemus in capitulo ſequenti eſſe falſum.

## CAP. III.

### *Declarans qualis ſit dolor in iſtis diſpoſitionibus & ſpecierum bothor.*

Supponamus primo duas eſſe cauſas doloris, ſcilicet malam complexionem diverſam & ſolutionem continui. nec curemus nunc, utrum dolor ſit qualitas ſecunda, vel triſtis ſenſatio. & utrum ſit actus virtutis ſenſitivæ vel appetitivæ, & utrum ſenſitivæ exterioris vel interioris. hæc enim hoc anno ſatis declaravimus ſuper illum paragraphum microtechni (dolores ſecundum quem incumbunt locum) &c. ſupponamus ſecundo dolorum ſpecies ſive modos eſſe quindecim. ſupponamus tertio (quemadmodum patientes hos dolores teſtantur) quod hi dolores magis affligunt nocte adveniente & ſentiuntur perinde ac ſi oſſa frangantur, & extendantur cum quadam difficultate movendi membra voluntaria. Ex tertia ſuppoſitione ſequitur per locum à definitione cauſæ doloris extenſivi & frangitivi quod non poſſunt cauſari niſi à materia multa, vel à ventoſitate, vel ab utraque. ex quarta ſuppoſitione ſequitur quod iſti non ſunt dolores junctura rum, ſicut multi putaverunt, quoniam dolores junctura rum non occultantur quando ſol oritur, immo multotiens magis affligunt. Ex his omnibus concludo quod hi ſunt dolores lacertorum, panniculorum, & nervorum, de quibus tractat Abolai *tertia quarti tractatu ſecundo capitulo* XIX. & proprio vocabulo dicitur æſtuatio quando fit a vapore levi. cauſa autem quare magis affligunt de nocte quam de die & luce advenente recedant, inferius dicetur. Ex prædictis ſequitur quod hæ diſpoſitiones non ſunt una ægritudo, ſed plures, quarum una nomine proprio dicitur dolor lacertorum, nervorum, & panniculorum. Alia autem licet nomine generali dicatur bothor, quia tamen non ſat eſt medico ſcire in univerſali, deſcendendo ad particularia, dico quod plures ſpecies puſtularum ibidem aggregantur ut plurimum eſt ſaphati, ut minus vero tuſius, quod eſt puſtula ſimilis verrucæ, & has ægritudines alias fuiſſe viſas ab antiquis patet legenti apud Abolai *ſecundo canonis capitulo de olibano in areola decorationis* ubi inquit. Et *cortices thuris conferunt cum aceto & oleo dolori qui nominatur compoſitus, & eſt dolor ex quo proveniunt in corpore ſicut verrucæ cum quadam re, quæ eſt ſicut ambulatio formicæ.* Sic ergo in hac diſpoſitione quæ dicitur *mal franzoſo* plures ſunt ſpeciales ægritudines ſcil. dolor jam dictus, ſaphati, & tuſius. quod autem ibi ſit ſaphati, oſtenditur ex definitione ejus. nam ſi ſaphati eſt de ſumma bothor ulceroſarum, & incipiens eſt bothor parva fixa diviſa in numeratione locorum, deinde exulceratur ulceribus cruſtoſis & ad rubedinem declivibus, valde ſimilatur in principio formicæ. & ideo in *ſecundo canonis* dixit Abolai *cum quadam re quæ eſt ſicut ambulatio formicæ.* nec verum eſt quod quidam exiſtimant quod ſub ſaphati apud Abolai contineatur tinea. licet fortaſſe Galen. id exiſtimaverit. nam Abolai facit unum capitulum quod inſcribitur de alopecia & tiria, quæ tiria idem eſt quod tinea apud Arabes, ut patet ex Zoar & Rhaſi *lib. diviſionum capitulo primo.* ubi inquit. *primum ex eis itaque eſt capitulum de alopecia quæ eſt caſus capillorum, & tinea.* idem confirmatur auctoritate Sim. Januen. qui in ſynon. tineam remittit pro declaratione ad ſynonima de alopecia. nec Nicolus aſſerit quod ſub ſaphati comprehendatur tinea, niſi apud vulgus, ſed recitat diverſas opiniones quarum quæ vera ſit non curo, ſed ſat in præſenti quod apud Abolai ſub ſaphati non continetur tinea. peccavit ergo auctor qui dixit quod ſub ſaphati apud Abolai comprehendatur tinea. & quod Abolai nunquam de tinea, aut tineæ affinibus alibi determinaverit, cum ipſe faciat capitulum de alopecia, & tiria, quæ apud ipſum nihil aliud eſt quam tinea. facit etiam capitulum de furfuribus, qui ſunt affines ipſi tineæ, qui tamen non comprehenduntur ſub ſaphati. Et ex hoc apparet ſolutio cujuſdam inſtantiæ ſuperius adductæ quod ſaphati non poſſit attribui diſpoſitioni, quam dicunt *mal franzoſo.* quod autem objiciebatur quod incipit in partibus pudendis, dico quod niſi contingat per contagionem in coitu quod hoc eſt falſum. plurimos enim vidimus has malas diſpoſitiones patientes quibus in partibus pudendis nullum erat nocumentum, at quoniam hæc bothor eſt contagioſa (ut colligitur ab Avicen. *ſecunda primi capitulo VIII.* ubi inquit quod apoſtemata putrida tranſeunt de uno ad alium) ſaphati autem eſt hujuſmodi, ergo &c. Cauſa autem quare in coitu magis inficiuntur partes pudendæ cæteris, tangitur ab Abolai. XXJ. *tertii, tractatu ultimo capitulo* XX. *de ulceribus teſticulorum, & virgæ in locis ani*, dicente id eſſe quoniam iſta loca ſunt protecta ab aëre, & declivia ad caliditatem, & humiditatem, & approximant meatibus ſuperfluitatum. Ad illud autem quod objicitur quod ſaphati ſecundum plurimum fit in capite, iſtæ autem diſpoſitiones in aliis membris, dico quod non eſt intelligendus textus, ut verba ſonant, quod ſecundum plurimum fiant in capite quia raro fiunt in aliis membris, quia aliter male dixiſſet Abolai & ſimiliter Nicolus alvatim & melius albotim eſſe ſpeciem ſaphatic cum illa ſolum fiat in cruribus. debet ergo intelligi ſecundum plurimum, id eſt ſecundum majorem partem. ad quod non advertens auctor ille, dixit alvatim ſeu albotim non eſſe ſpeciem ſaphati, cum tamen in dictis ſuis negando illam eſſe ſpeciem ſaphati implicet contradictionem. nam cum ſit, ut ipſe fatetur ex confirmatione capituli verſus finem tertii canonis, quod debet dicere albotim & non alvatim, & quod ſunt bothor quaſi fructus tamariſci aut grana viridia de quibus Abolai ibidem pollicetur ſe dicturum in *quarto.* nullibi autem appareat præterquam in capitulo de ſaphati, in quo dixit quod ſunt ulcera, & in *tertio* appellat bothor. habemus ergo intelligere per ulcera, bothor ulceroſas, & conſequenter ſaphati per locum à definitione. & quando dicitur ſecundum plurimum fit ſuper caput, non intelligo verticem, ſicut idem auctor Abolai *prima ſen capitulo de anatomia capitis.* & ita debemus intelligere tempora & frontem, & ſecundum majorem partem ita apparent in iſtis locis. Ad id vero quod objicitur pro confirmatione, quia eiſdem medicaminibus. *ſcil. tutia, cimolea creta, & charta* utitur Abolai ad ſaphati humidam. & Galen. ad tineam, argumentum nullum eſt. non ſolum enim diverſi auctores ad ægritudines propinquas, quales ſunt tinea & ſaphati, eiſdem utuntur medicaminibus, ſed etiam idem auctor ad ægritudines ſatis differentes eodem utitur medicamine, ut patet legenti & antidota & ſimplicia. Et ad auctoritatem Rhaſis in *libro diviſionum* dico quod nunquam in *capitulo de ſaphati* nominat tineam, & quod ſaphati apud ipſum & alios Arabes non eſt tinea, licet ſit tineæ proxima. Ad id vero quod objicitur de Rhaſi in Almanſorem in rubrica, dico quod ſolum accipit partem rubricæ & non totam, quia in tota rubrica dicit quod ſaphati ſunt ulcera in capite, & in facie. quare illa rubrica potius eſt contra ipſum quam pro ipſo. Procedam igitur ad definitionem ſaphati, & dico ſicut dicit Abolai, quod eſt de ſumma bothor ulceroſarum. & quid ſit bothor ſatis ſuperius dictum eſt. & per τὸ ulceroſarum debemus intelligere inferentium ulcus. quid ſit ulcus ſatis notum eſt apud medicos cum omnes dicant quod eſt ſolutio continuitatis in carne, faciens ſaniem, aut pus. Et quod per bothor ulceroſarum debeamus intelligere inferentium ulcus, patet ex textu ſubſequenti, ubi dicit deinde exulcerantur ulceribus cruſtoſis. patet etiam conſideranti cauſas ulcerum quæ ponuntur ab Abolai *ſecunda primi doctrina ſecunda ſumma ſecunda capitulo XVII.* Deinde dicit quod ſaphati quidem incipiens eſt bothor parva fixa levis, ſupple quantum ad tactum, & quantum ad accidentia principii. Deinde ſubdit diviſæ in numeratione locorum, id eſt, in locis manifeſte diſtinctis. Demum ex dictis ejus colligimus iſtam diviſionem penes cauſam, quod alia eſt ſaphati humida, alia eſt ſicca. Quidam autem ſubdiſtinxerunt humidam in tres ſpecies. primam vocaverunt achoras ſubtilibus foraminibus perforatam quandam humiditatem, cum pauca viſcoſitate emittentem, ſecunda eſt prædictæ ſimilis, ſed ejus foramina ſunt latiora, emittentia humiditatem favo mellis ſimilem. & tertia inter has media, & quantum ad foramina & quantum ad humiditatem quæ fluit ex illa. aliam diviſionem ſaphati ponit Abolai, quæ judicio meo eſt ſecundum accidentia, ſeu penes res quibus ſimilatur, ſeu à quibus nomina his diſpoſitionibus fuerunt impoſita, ſcilicet quod alia eſt ſaphati balchiati, & aliqui textus habent raciati, quæ eſt de genere ſaphati malæ. & quidam addunt in textu ſicut novus libellus & quandoque cauſa ejus eſt morſus ſicut ſcinifes maligni, quæ verba in textu impreſſo non reperiuntur. nec puto eſſe verba textus. quoniam à tali morſu ſcinifes maligni non cauſatur ſaphati mala, cum à tali morſu facile quis liberetur. ideo puto illam literam eſſe corruptam, & fortaſſe ab aliquibus poſita in margine pro declaratione illius vocabuli balchiati, & poſtea textui inſerta, ſicut ſcimus in aliis locis ejuſdem libri idem factum fuiſſe, & judicio noſtro illa littera debet dicere balchiati, id eſt, ſicut morſus ſcinifes maligni, & fortaſſe hæc eſt

illa

illa quam Haly abbas. viij. theoricæ appellat uberosam, quia assimilatur papillis uberum. & vidi in patientibus has dispositiones de quibus principaliter scribimus plurimas bothor similes papillis uberum valde malignas. Aliud membrum divisionis apud Abolai est, alia bothor saphati est alvatim, & melius albotim, id est, sicut grana viridia magna. & hæc videtur mihi illa species quam Haly. viij. theoricæ dicit lupinosam, quam etiam vidimus quæ assimilatur in figura, & colore lupinis. nec valet evasio negantis apud Abolai alvatim esse speciem saphati. & postea dicentis, causam esse, quia Abolai determinavit de ipsa in capitulo saphati, quamvis non sit ejus species, quoniam in cute nascitur, sicuti saphati. bona certe evasio. sed dicat cur similiter de tusio, & furfurious, quæ in cute nascuntur, & ex eadem materia ex qua saphati, fecit capitula distincta?

## CAP. IV.

### *De causis saphati & tusius.*

Causæ saphati & tusius quædam sunt extrinsecæ, & quædam intrinsecæ. & extrinsecarum quædam sunt de consideratione medici, quædam vero non. quæ sunt de consideratione medici sunt regimen in cibo & potu multiplicativum phlegmatis salsi, choleræ adustæ, & melancholiæ, & dispositio aëris, sicuti aër multum pluviosus, cui succedit caliditas intensa, ut colligitur ab Hippocrate & Galeno *secunda particula epidimiæ*, ubi recitat quod in civitate Craton tempore æstatis ex nimia pluvia nascebantur in corporibus quædam pustulæ, quas Galenus ignem sacrum vocat. talis autem fuit dispositio anni. Mccccxcvi. & pro parte Mccccxcvii. licet alias putredines in corporibus humanis causaverit his temporibus propter diversitatem dispositionum humorum, actio enim activi non fit nisi in passo & disposito. & quia in istis corporibus magis humores melancholici & phlegmatici salsi erant parati putrescere quam cholerici, ideo alias pustularum species causaverunt hoc tempore quam illo. & forte quod hæc dispositio provenit ab influentia stellarum quæ sunt causæ quæ ad medicum non attinent. dicunt enim astronomi quod causa harum pustularum est conjunctio Saturni cum capite arietis. Causa autem intrinseca est duplex scilicet antecedens & conjuncta causa. antecedens est mala complexio calida hepatis in aliquibus. in aliquibus mala complexio humida cerebri in aliquibus mala complexio calida splenis. & in aliquibus una tantum istarum malarum complexionum est in causa; in aliquibus vero plures. de causa autem conjuncta inquit Abolai quod causa ejus, supple quæ est humida, est humiditas mala acuta corrosiva. & intelligo phlegma salsum quod permiscetur sanguini una cum melancholia. & postea dicit, etiam quandoque causa ejus sunt humores grossi. & ego exponо grossos scilicet per viam adustionis aut separationis partis subtilis, ideo subdit, quasi grossum fit apostema & exsiccatur subtile. & causa ejus est humor melancholicus, cui permiscetur humiditas acuta, quare expellitur ad cutim, & eam corrumpit. Causa vero albotim est materia varicum scilicet sanguis grossus melancholicus, aut phlegmaticus, cui tamen aliquid humiditatis ulcerativæ est permixtum, aliter non causaret ulcus. Quod autem cum istis dispositionibus sit etiam tusius, quæ est pustula similis verrucis patet, quia sunt quædam res duræ, aliqualiter longæ, habentes sub se saniem, & quando removetur sanies quæ est sub eis, separantur, & cadunt à corpore. propterea dixit Abolai quod tusius numeratur in verrucis, licet sit necessarium ut discernatur ab eis, & scinduntur quando scinduntur à sanie, quæ est sub eis, quod non contingit in verrucis, cum non habeant sub se saniem, neque si haberent saniem separarentur à corpore quando removeretur sanies sub eis. Causæ autem propinquæ ipsius tusius, sunt humor grossus melancholicus, & remotæ sunt fere consimiles causis saphati.

## CAP. V.

### *De signis.*

Signa istarum dispositionum quædam sunt prognostica, & quædam demonstrativa, & prognostica sunt duplicia, quædam e longinquo sicut dispositio temporis multum pluviosi ad quod sequitur caliditas excessiva, & regimen præteritum multiplicativum humorum jam dictorum. quædam autem sunt prognostica prope, & non magis istarum bothor quam aliarum, sed attento dominio humorum & dispositione anni facile poterit judicari qualis species bothor proveniet, & illud signum ponitur ab Abolai *secunda primi summa secunda doctrinæ tertiæ capitulo tertio*, ubi inquit quando dolor & gravitas uni membro proprio non fuerint sed communes, significabit tenuitas urinæ, bothor & variolas, & apostemata, quæ corpori erunt communia. signa autem significantia essentiam harum dispositionum latis habentur ex descriptione saphati. signa autem dominii uniuscujusque humoris licet Abolai non posuerit illa in hoc capitulo, possunt tamen haberi ab eodem ex dictis ejus in *secunda primi*, si enim erunt cum dominio sanguinis, erit inflatio venarum, & caliditas & rubedo. sin autem ibidem dominans erit cholera adusta, erit caliditas multum intensa, & color tendens ad citrinitatem obscuram, & vehemens pruritus. sin autem erit ex phlegmate salso exibit ex pustulis res alba subtilis cum ingenti pruritu. sin autem erit ex melancholia, pustulæ erunt magis cum colore tendente ad nigredinem, neque facient pruritum vehementem. sin autem erunt ex humoribus diversis ad invicem mixtis (quod fere semper contingit) signa erunt composita. ex his & dictis in præcedenti capitulo patere potest qualiter terminentur tales dispositiones, & à quibus causis proveniant, nam quædam proveniunt per viam crisis, quædam symptomatice, similiter quædam terminantur per viam resolutionis, quædam per viam corruptionum membrorum. ex prædictis etiam patere potest qualiter non possunt curari nisi in longo tempore, & cum difficultate, quia ut plurimum causantur ab humore melancholico aliis humoribus permixto, qui humor melancholicus non potest rectificari nisi in longo tempore, & quando permiscetur cum aliis humoribus insurgunt in cura intentiones contrariæ, quæ faciunt difficultatem in cura, ut habetur à Gal. *prima particula in commento illius aphorismi. humida d. &c.* &c.

## CAP. VI.

### *De cura.*

Cura harum dispositionum, cum sint plures ægritudines, ex pluribus medicinis illis ægritudinibus appropriatis erit composita. dico tamen quod in cura tres principales intentiones habendæ sunt. *prima* est humorum, qualescunque fuerint, evacuatio. *secunda* est debitum regimen in iis rebus non naturalibus. *tertia* est debitus localium usus. Quantum ad primam dico quod habitis signis dominii sanguinis aut quod tales humores sint sanguini mixti, aut quod sanguis fluere consuetus est retentus, sine mora à phlebotomia incipere debemus. & si repletio fuerit, & sanguis de naribus sit consuetus fluere, phlebotomabimus à cephalica, sin autem urina fuerit rubea, grossa, & in splene nullum fuerit nocumentum, neque hæmorrhoides quæ fluere solebant, aut sanguis menstruus fuerint retenti, phlebotomabimus de basilica partis dextræ, sin autem in parte splenis fuerit aliqua duritiés, phlebotomabimus à basilica, vel salvatella sinistra, sin autem hæmorrhoides, aut sanguis menstruus fuerint retenti, phlebotomabimus de saphæna domestica reliquis consentientibus ad evacuandum. unum tamen super omnia observandum quod in principio fiat phlebotomia copiosa, si fuerint conditiones prædictæ, & virtus observetur, sin autem tempus multum præcessit, & phlebotomia sit necessaria, paulatim sanguis extrahatur, & non multus in unica vice. de evacuatione autem per pharmaca dico quod considerare oportet id quod dixit Hippocrat. & Galen. illo aphorismo ubi fauces ægrotant aut in corpore latæ pustulæ nascuntur, considerare oportet egestiones &c. sumpto itaque signo ab egestionibus, & urina, & aliis superfluitatibus, puta quæ expelluntur, per palatum & nares evacuentur humores peccantes secundum repletionem virtutis. insuper consideretur membrum transmittens has diversitates humorum, si enim fuerit cerebrum à quo ut plurimum transmittuntur hujusmodi materiæ ad membra quæ sunt sub eo per viam defluxus, hæc est una de causis istorum dolorum, nam hujusmodi materiæ magis moventur in tempore noctis, propterea quia natura minus divertitur ab operationibus circa humores in tempore noctis quam in tempore diei. qui humores cum sint satis propinqui melancholiæ sunt facile ventosabiles, sicuti etiam ipsa melancholia. quæ ventositas propter clausionem pororum in tempore noctis non potest exhalare, neque à vi caloris naturalis, magis ad partes interiores uniti, potest resolvi, ideo tali tempore magis causantur dolores, adveniente autem die minus fluit de materia ad membra, & pori aperiuntur & calor naturalis, qui ad partes exteriores movetur, resolvit illas ventositates, ideo tunc dolores aut removentur, aut sedantur. ex hoc sequitur quod in omnibus in quibus sunt isti dolores habenda est principalis intentio in evacuando à capite, & in hac evacuatione primo considerandum est ut non subito multam faciamus evacuationem, maxime ubi iste bothor tendat plus ad siccitatem, quam ad humiditatem. faciemus itaque evacuationem per intervalla. secundo advertendum est ut evacuativum non sit nimis excellens. tertio quod cum solutivis permiscеamus medicinas lenitivas, & humectativas, & in hoc ca-

ſu magis mihi placerent evacuantia à capite in forma pilulari, quam in forma liquida, & ubi prædominaretur phlegma ſalſum componerem *pillulas de turbith Meſuæ cum pillulis de fumo terræ*. ubi autem humores eſſent groſſi adderem aliquid de *pillulis cochiis Almanſoris*, vel *Galeni*. quod ſi adeſſet de cholera, adderem *pillulas aureas Nicolai*, nunquam tamen prætermitterem *pillulas de fumo terræ aut pillulas Indas Regis Sabor*, & ſemper iſtas pillulas exhiberem per horam poſt cœnam cum *decoctione epithymi*, *aut ſeri caprini*. quibus autem non placerent pillulæ, poſſemus exhibere talem medicinam. Recipe *folliculorum ſenæ, epithymi Cretenſis, fumi terræ, florum boraginis, bugloſſæ, ſtœchados Arabicæ, polypodii quercini, turbith præparati ana drach. ij. prunorum Damaſcenorum ſebeſten ana unc. v. paſſularum enucleatarum unc. j. fiat decoctio ſecundum artem in aqua communi, poſtea fiat expreſſio, & cum colatura diſſolve confectionis hamech drach. iij. vel hieræ Ruffini. drach. v. caſſiæ noviter tractæ. drach. v. vel plus vel minus* ſecundum fortitudinem & debilitatem patientis, qui dormiet per horam, & completa evacuatione, ſi poteſt, loco lavativi bibere communem cyathum *ſeri caprini, aut ovini, vel vaccini* (melius tamen eſſet caprinum) erit optimum. poſtea differat prandium ſuum per horam. ſin autem materia fuerit tranſiniſſa ab hepate, evacuabimus cum *infuſione myrobalanorum Indorum & citrinorum*, maxime ubi materia fuerit mixta ex melancholia & cholera. fiat autem talis infuſio in *ſero caprino*, cui etiam poſſumus addere *caſſiam noviter extractam & electuarium de pſyllio*. in forma autem pillulari addemus *pillulas Indas Regis Sabor & pillulas de fumo terræ cum apozemate de epithymo*, vel aliquo ſero prædicto, & modo prædicto pro laxativo, & ſimiliter dico de *pillulis de hiera Ruffini*. in diebus autem intermediis inter unam purgationem & aliam pro digeſtivis, *aqua caſei cum ſucco fumi terræ recentis*, ſi poteſt haberi, exhibebitur. ſin autem non, poteſt dari *ſyrupus de fumo terræ, & ſyrupus de epithymo*. & ſi materia deſcenderet à capite, addemus aliquid *de ſyrupo de ſtœchade cum aquis lupulorum, fumi terræ, bugloſſæ, & hujuſmodi* ſecundum humores peccantes appropriatis. & in iſtis diebus ſi bothor fuerint ſiccæ, nolumus quod fiat inunctio, ſed fiat *decoctio ex malvis, laupulo, fumo terræ, blito*, & cum decoctione illa fiat ablutio ſemel in die per horam ante prandium, aut talis ablutio fiat cum *decoctione naporum, ſeu raparum*. ſin autem fuerint humidæ, & emittentes virulentiam, non apponatur ſuper ipſis aliquid conſtringens, ſed virus extrahatur cum appoſitione *foliorum bliti, aut caulium, aut plantaginis* ſuper ipſis. Sin autem ſint corrodentes carnem, circa ipſas ponatur unguentum prohibens corroſionem, ſicut *unguentum factum ex lithargyrio, bolo armeno, ceruſſa, cum ſucco ſempervivi, & aliquid aceti cum modico ceræ*. Sin autem ſplen fuerit in cauſa, evacuabimus ab ipſo cum *confectione hamech, Hiera Ruffini, cum aquis aut decoctione tamariſci, ſcolopendrii, & caſſia*, & hujuſmodi ſpleni appropriatis. & cum digeſtivis ſemper admiſcebimus aliquid de *ſyrupo acetoſo*. & hæc quantum ad primam intentionem, quæ licet diffuſius potuiſſet explicari, quia tam facile poſſunt inveniri remedia, pertranſeo. De ſecunda intentione primo quantum ad cibum & potum dico, quod cum in his diſpoſitionibus abundet multus humor melancholicus, plus debet diæta declinare ad humiditatem quam ad ſiccitatem (licet quando ſaphati eſſet multum humida, carnes & cibi participantes de aliqua ſiccitate competerent) & etiam debet declinare ad caliditatem temperatam. ſit ergo regimen humectativum tale tamen, ut non faciat cadere in oppilationes. Dicit enim Abolai *quarta primi. cap. j.* quod regimen ſubtiliativum plures chronicarum ægritudinum reſolvit, præter febres, quod etiam verbum ſcribitur. vj. *Continentis c. iiij.* memores ulterius ſimus quod virtus ſemper cuſtodiatur, & non minuatur, nec augeatur juxta ſententiam Abolai loco jam dicto, & Galen. *prima particula, aphoriſmo illo, Tenues & certæ diætæ.* memores etiam alterius aphoriſmi. *Dandum eſt aliquid ætati, tempori* &c. his ergo ſervatis, deſcendendo ad particularia, panis ſit bene fermentatus, ex optimo frumento, bene coctus, & non comedatur in prima die, ſed ſecunda, & tertia, & non tranſcendat quartam. carnes autem ſint vitulinæ, hœdinæ, gallinaceæ, caponum, agninæ, caſtrati unius anni, cum quibus non ſit pinguedo, immo magis ſint macræ quam pingues, quoniam pinguedo facile in putredines convertitur, & inflammatur. Carnes autem porcorum ſive recentes, ſive ſalitæ, & ſimiliter anatum, qualearum, anſerum, ſive habitent in aquis, ſive in campis, malæ ſunt propter humidum groſſum & viſcoſum ipſarum. ubi autem cum dictis puſtulis eſſet multa humiditas, mihi placerent carnes avium habitantium montes, & dumos, & nemora, ſicuti turdorum, perdicum, phaſianorum, avicularum &c. De piſcibus, nullum genus piſcium laudo. De lacte, multi doctores negaverunt lac, & ſimiliter ova. Mihi tamen videtur quod ubi puſtulæ multiplicatæ ſint in toto corpore lac ſit convenientiſſimum. inquit enim Abolai *de cura impetiginis*, quæ eſt eadem cum cura ſaphati, quod quando multiplicatur ſuper totum corpus, tunc cura ejus eſt cura lepræ. & idem Abolai in ea *de cura lepræ* inquit quod lac eſt de convenientoribus medicinis. de ovis recentibus non video quin aliquando competant, licet magis laudem carnes quam ova. De ſale autem, & rebus ſalitis, nihil ſumendum eſt. de acetariis autem laudo *lupulos, cichoreum coctum, rapas, fumi terræ flores, boraginis, & bugloſſæ*. & quia male poſſunt condiri ſine oleo & aceto, loco olei communis apponerem *oleum recens amygdalarum dulcium*, & loco aceti ponerem *ſuccum granatorum*, vel *acetum factum ex vino granatorum paſſulatum modicæ acetoſitatis*, & ubi in cauſa eſſet ſplen concederem *cappares*, & aliter non. De ferculis autem, omnia genera leguminum mala ſunt, ſed *far, milium, panicum* cocta in brodio carnium jam dictarum, & ſimiliter *ſpelta*, & ſimiliter *rapæ* abjecta prima aqua & poſtea coctæ in brodio dictarum carnium, ſunt optimæ.

De aromatibus, omnia aromata valde acuta, ſicuti *piper, zinziber, cariophylli*, & hujuſmodi, ſunt mala. ſolum autem *cinnamomum* laudo.

De fructibus, omnes fructus præter *amygdalas & piſtachia, paſſulas, & pruna damaſcena, & granata*, ſunt mali.

De ſaporibus, nullus ſapor in quo ponuntur aromata valde acuta, ſicuti *ſinapi* & hujuſmodi eſt conveniens. ſapor autem factus ex *cinnamomo, amygdalis, & ſucco granatorum* eſſet conveniens.

De *oleo & butyro*, nos indicamus *oleum & butyrum* eſſe peſſima.

De exercitio jubemus ut quieſcant quantum eſt poſſibile in lecto molli.

De aëre, volumus ut potius declinet ad caliditatem quam frigiditatem. & ubi eſſet ſiccitas & conſumptio in corpore, quæ has diſpoſitiones ſolet aſſociare, aër plus declinet ad humiditatem quam ſiccitatem.

De accidentibus animæ, lætetur & ſtet in cantilenis & focis quantum eſt poſſibile.

De evacuationibus, procuret aut arte aut natura habere evacuationes conſuetas, adeo quod ſi fuerit aſſuetus coitui, quamvis nihil ſit magis contrarium quam error accidens in coitu, attamen jubemus ipſum aliqualiter, & moderate aſſuetis uti, & non ea in totum derelinquere, ne ſperma in coitu conſuetum emitti convertatur in naturam veneni, & corrumpat complexionem membrorum principalium. & qui ſunt aſſueti coitui & nolunt coire, tanto eis magis ciæta eſt ſubtilianda, & de evacuatione per ſeceſſum cogitet, ita ut ad minus ſemel in die evacuetur. etſi non à natura, ſaltem ab arte id habeat, aut cum ſuppoſitorio levi aut clyſtere hujuſmodi. Recipe *brodii carnium ſæpenumero dictarum cyathos duos communes, in quo bulliat parum florum chamomillæ, poſtea colatur, deinde adde caſſiæ tractæ, ſacchari rubei ana unc. ſ. olei communis unc. iij.* imponatur tepidum per horam medium ante prandium vel ante cœnam, ſervatis omnibus iſtis, ac iteratis multis evacuationibus, & digeſtivis ut dictum eſt. ſi vero adhuc in capite ſunt ſigna materiei peccantis, utendum eſt caputpurgiis, & per caputpurgia intelligo ſternutamenta attrahentia à capite ad nares, & non placent mihi caputpurgia evacuantia per palatum ſeil. gargariſmata. quoniam cum materia iſtarum diſpoſitionum ſit corroſiva ſi derivatur ad fauces, periculum eſt corroſionis uvulæ, vel uvæ ſicuti in pluribus vidimus ipſum totaliter corroſam. qualia autem debeant eſſe hujuſmodi caputpurgia, unuſquiſque etiam parum inſtructus in medicinis intelligit. His expeditis veniendum eſt ad localia. ſi vero eſt adhuc in corpore bothor, conſiderandum eſt nunquid in illa parte venæ ſint inflatæ, & tunc bonum erit incidere venam imbibentem illud membrum, aut apponere ſanguiſugas. & hoc facto ſi non removeantur, veniendum eſt ad unguenta in quibus ponitur *thus* & proprie *cortices*, & *myrrha, & ſuccus vini, lithargyrium, ceruſſa, cimolia, tutia, ſulphur, vinum cum oleo roſato* ſi pruritus fuerit multus, aut cum *oleo communi & lardo porci* ſi pruritus non fuerit multus, & in corporibus duris poſſumus addere *viride æris*, maxime ubi intendimus removionem malæ carnis. & in quibuſdam *argentum vivum ſublimatum*. nonnulli autem ponunt cum prædictis rebus *argentum vivum*, quoniam extinguit pruritum, quod nobis non placet. immo ſi volunt ipſum adminiſtrare in unguentis, jubemus ut talia unguenta adhibeantur partibus ſtomachi, & cordis, & aliorum membrorum principalium. & cum iſtis omnibus aliqui (& maxime antiqui) ponunt, *acetum* tum ad penetrandum, tum ad exſiccandum, quod nobis non placet, quoniam etſi *acetum* faciat illa duo juvamenta, lædit tamen nervos, & panniculos. nobis autem

inter

inter tot diverſitates unguentorum magis placet *unguentum Nicolai ad phlegma ſalſum* permiſcendo cum eo *unguentum marſtati*, aut *unguentum aureum* ex deſcriptione ejuſdem.

Unguentum ex inventione noſtra quo ipſe uſus ſum, & inveni (ſervato ordine prædicto) attuliſſe optimum juvamentum eſt hujuſmodi. Recipe *maſtichis*, *corticum thuris*, *myrrhæ*, *ſulphuris vivi ana drach. ij. lithargyrii aurei lotı cum aqua lapathi*, *ceruſſæ*, *pulveris ireos ana drach. vj. ſuccı arantiorum*, *vel limonum*, *vel ſuccı acetoſæ drach. iij. olei roſati*, *pingnedinis aſini*, & *ceræ quantum ſufficit*, *ut fiat unguentum*.

*Solutiones ad objecta contra Abolai.*

Ad objectiones autem contra Abolai, prius quæ pertinent ad medicum ſolvemus. demum quæ ad herbarios & ſervitores medicorum. Pro principio igitur ſuppono ægritudines multis modis ſortiri nomina, ut inquit Abolai *ſecunda primi capitulo* VIII. aut enim à membris in quibus ſunt, ſicuti illa quæ eſt lateris, & illa quæ eſt pulmonis, aut à ſuis accidentibus ſicut epilepſia. aut à ſuis cauſis, ſicuti dicimus ægritudinem melancholicam. aut à ſui ſimilitudine, ſicuti dicimus ægritudinem leoninam, & elephanticam. aut comparando eam ei cui primo accidiſſe dicuntur, ſicuti dicimus ulcera balathiæ. aut comparando ipſum ei cujus fama fuit quod curabat eas, ſicuti dicimus ulcera chironia. aut à ſui eſſentia, ſicuti dicimus febres, & apoſtemata. tunc igitur dicemus, quod licet id quod medici Arabes lepram dicunt, medici Græci dicant elephantiaſin, hoc nullum eſt inconveniens, nam Arabes faciunt id ab accidente conjuncto illi ægritudini ſcil. ærumna. quia patientes hanc ægritudinem ſe habent ſicut exiſtentes in ærumna. nam teſte Sim. Jan. hoc nomen lepra duo importat & ſquamam & ærumnam. & ubi importat ſquamam nos dicimus quod eſt una ſpecies impetiginis. Ubi vero importat ærumnam, eſt illa ægritudo apud Arabes, quæ apud Græcos dicitur elephantiaſis, propter ſimilitudinem ad elephantes, & propter hanc ſimilitudinem potuerunt Abolai, & alii Arabes illam excreſcentiam pedum appellare elephantiam, propter ſimilitudinem ad pedes elephantum, & ſic Abolai & Galenus non diſcrepant in eſſentia, ſed in nomine, quoniam id quod eſt elephantiaſis apud Galen. eſt ægritudo in figura apud Abolai, ſicut id quod eſt elephantia apud Abolai, eſt etiam ægritudo in quantitate apud Galenum. & (ut idem auctor teſtatur) quidam Græcorum id quod Galenus dicit elephantiaſin, appellat ipſum ſatyriaſin, eo quod patientes illam ægritudinem habent faciem ſimilem ſatyris. & tamen hi tales non differunt in eſſentia ægritudinis à Galen. itaque nec Abolai, nec alii Arabes loquentes de hac diſpoſitione differunt à Galeno pluſquam nomine ſolo.

Ad ſecundam autem objectionem Arabum, & præcipue Abolai, quia ponunt turdos pro ſturnis, dico quod non bene legit Abolai. legat enim *ſecundo canonis cap. de ſtercore in areola apoſtematum*, & *bothor*. & videbit quod per turdos comedentium oryzam, Abolai intelligit ſturnos ſicuti Paulus, & non turdos abſolute. inquit enim Abolai ibidem, quod ſtercus avis turdæ valet impetigini, & ſimiliter ſtercus turdorum comedentium orizam. ſi enim per turdos intellexiſſet ſturnos, non addidiſſet comedentium orizam, nec repetiſſet.

Ad tertiam autem objectionem, ubi quærit numquid anthrax, pruna & althoim (de quibus Arabes faciunt diſtincta capitula, ſicut Rhaſis in *diviſionibus*, & ſimiliter Abolai *tertia quarti*) differant à carbunculo, vel anthrace, de quo tractat Galenus, nos dicimus quod apud Arabes prima eſt ſicut commune. althoim autem ſive anthrax eſt ſicut particulare ſignificans carbunculum in locis laxis. Inquit enim Abolai *ſecunda primi capitulo 5.* quumque exitura ſit in carnibus laxis, & ſub axillis, & poſt auriculas, & in ingdinibus & eſt ex genere corrupto, quod in ſuo particulari loco nominabimus, vocatur tum.

Ad id vero quod objicit contra Abolai, quia in principio althoim utitur reprimentibus, quæ non videntur competere in apoſtemate peſtifero, dico ſicuti dicit Abolai in *loco dicto de cura althoim* quandoque eſt cum febre & quandoque ſine febre, & quod althoim, niſi præcaveatur, ſpargit veneno ſitatem per totum corpus, ideo Abolai in cura althoim ſine febre præmiſſa defenſione cordis & per interiora & per exteriora, ad prohibendum multiplicationem ſuæ veneno ſitatis, apponit non ſolum circa ipſum levia infrigidantia, ſed etiam ſuper ipſum. & ex hoc non ſequitur nocumentum partibus intrinſecis nobilioribus, quia jam facta erat defenſio.

Ad id vero quod objicit quod Abolai diſcrepat à Galeno de eryſipelate, quia Galen. vult quod eryſipelas non fiat ex groſſo ſanguine, qualis eſt melancholicus, ſed potius tenuiſſimo, Abolai vero in principio *tertiæ ſen. cap. de apoſtematibus* in generali dicit quod ſit ex groſſo ſanguine, dicimus quod iſte auctor non recordatur dictorum Abolai. inquit enim Abolai in principio *cap. de eryſipelate* jam ſciviſti cauſas ejus & ſpecies ejus in *lib.* 1. & dicit Abolai *in* 1. *lib. ſen ſecunda*, *cap.* 5. & ſanguineum quidem purum phlegmonem appellare conſueverunt, & quod de cholera pura eryſipelas, quomodo ergo dixit quod advertatur dictis Galen. cum cholera pura permixta ſanguini faciat ipſum ſubtilem? At quis objiciet dicendo aut Abolai contradicit ſibimet, aut diſcrepat à Galen. quia in principio *tertiæ ſen quarti* dicit quod ex ſanguine groſſo malo fiunt ſpecies exiturarum malarum. nam ſi vehemens malitia ejus fiet, & ex ipſius aduſtione proveniet eryſipelas, videtur ergo contradictio. Ad quod dicimus quod nec ſibi contradicit, nec diſſentit à Galen. in hoc. Pro quo nota quod eryſipelas quandoque accipitur pro apoſtemate in cute ex cholera pura citrina, quæ permixta ſanguini reddit ipſum tenuiſſimum, aliquando pro igne ſacro, teſte Caſio Felice, & tunc poteſt cauſari ex ſanguine groſſo (non quia ſit melancholicus talis ſanguis, ſicut idem objector ſentit) ſed groſſo per viam aduſtionis, qui magis debet dici cholericus quam melancholicus. & ideo dixit Abolai quod ſi ejus malitia vehemens fiat, & ipſius aduſtio, tunc provenit eryſipelas ſive ignis ſacer. Ex quibus apparet quod & eryſipelas (diverſimode ſumendo ipſum) poteſt cauſari à ſanguine tenuiſſimo, & à ſanguine groſſo. Ad illud quod objicit contra Abolai in *cap. de pruna*, & *igne Perſico*. Quod materia prunæ & ignis Perſici eſt cholera citrina genita ex ſanguine cholerico, dicimus illud non eſſe verum, quoniam ex cholera citrina genita ex ſanguine cholerico non generantur illæ ægritudines. ſed Abolai inquit, quod generantur ex cholera citrina adurente, permixta melancholiæ, per quæ verba Abolai intelligit choleram aduſtam minoris ſamæ, ut patet per Abolai *prima primi*, *cap. de humoribus*, quæ fit duobus modis. unus eſt ut cholera in ſe aduratur & accidat in ea cinereitas, ſed ejus ſubtile non ſeparetur ab ipſius cinereitate, immo ejus cinereitas in ea contineatur, & hæc eſt pejor, quoniam (licet id non dicat Abolai) cauſa eſt, quoniam eſt illa quæ bullit ſuper terram, & comburit ipſa membra. & propterea mixta ſanguini reddit ſanguinem malum, & groſſum. & ideo poteſt cauſare prunam, & ignem Perſicum. cholera autem citrina, cum non ſit multæ malitiæ, non poterit cauſare illas ægritudines, quare objectio illa procedit ex malo intellectu verborum Abolai. de altero modo generationis choleræ aduſtæ nihil dico, quoniam non eſt ad propoſitum. ſed qui cupit ſcire legat Abolai loco immediate dicto.

Ad illud vero quod dicit etiam contra Abolai quod male operetur in cura prunæ & ignis Perſici faciendo phlebotomiam prope ſyncopem cum illa cura videatur & contra Abolai, & contra rationem, cum ſanguis ſit frænum choleræ. & ipſe in *quarta primi* docuerit cavere ne æger ad alteram duarum rerum perducatur ſcil. humorum cholericorum ebullitionem, & crudorum infrigidationem, dicimus quod illa cura eſt coacta non regularis. Similiter Galen. *ſecundo regiminis acutorum in cura pleureſis*. quæ ut plurimum fit à cholera aut à ſanguine cholerico, præcipit fieri phlebotomiam adeo copioſam, quouſque ſanguis mutetur in colore, & niger exeat. quomodo ergo ſalvabimus Galen. niſi dicamus illam curam eſſe coactam, non regularem? & ſi ita dixerimus, poterimus evadere à contradictione ejuſdem in dictis ſuis in *commentariis de humoribus libro ſecundo*, dicendo quod ibi damnat phlebotomiam ex cholera, regulariter operando, & maxime ubi fit ex cholera aduſta. ſicut etiam ſentit Rhaſis *quarto Continentis*. nec Abolai in eryſipelate, & cauſone hæſitat in phlebotomia, quia hæſitat an ratione materiei cauſantis tales ægritudines competat, ſcit enim quilibet parum etiam inſtructus in re medica quod ratione materierum illarum ægritudinum non competit phlebotomia. ſed Abolai dubitat in eryſipelate, quia non eſt certus utrum materia eryſipelatis ſit expulſa inter duas cutes vel non. quia ſi inter duas cutes materia eryſipelatis eſſet expulſa phlebotomia magis noceret quam juvaret. ſi vero non eſſet expulſa inter duas cutes, juvaret ratione diverſionis. & ideo talis eſſet cura coacta, non regularis. dubitat etiam in cauſone, non quia dubitet ex parte materiei quod ei non conveniat phlebotomia, ſed quia talis febris eſt fere tota ſtatus, in quo terminatur aut per viam fluxus ſanguinis narium, aut per viam ſudoris, aut vomitus, aut ſolutione ventris. dubium eſt autem qualiter terminetur. ideo ſi deberet terminari alio modo quam per fluxum ſanguinis, tunc noceret nocumento magno faciendo phlebotomiam. ſin autem deberet terminari per fluxum ſanguinis narium, tu poſſes juvare in phlebotomando. & ideo dixit, & fortaſſe juvabit, & proprie ſi fuerit illic turbiditas, & rubedo, & tu ſupple. quia illa ſigna ſignificant dominium humorum mixtorum cum ſanguine, quibus

natura non perfecte dominatur. & ita faciendo phlebotomiam, fortasse juvabis naturam.

Ad illud etiam quod dixit contra Abolai in cura erysipelatis quia Abolai dicit, curetur ex *scoria plumbi bullita cum vino &c.* ille auctor novi libelli dicit quod illud remedium magis competit herpeti comedenti, sive vesicoso, ut constat ex Paulo, qui est idem morbus cum formica corrosiva, ergo non competit erysipelati. Ego aliter respondeo quam Gentilis, & dico sicuti patet ex *cap de pruna, & igne Persico*, quod Abolai propter diversitatem nominum non vult relinquere veram curam, ubi ponit diversa significata prunæ & ignis Persici. & tandem dicit, inest tibi ut des unicuique intentionem, & jam fecerunt totum illud, & non est plurima differentia in eo. Sciebat autem ex Hipp. *in v. part. aphor. xxij.* quod duplex erat erysipelas, scilicet ulcerata, & non ulcerata. & similiter quod erysipelas dicitur de igne sacro, ut patuit superius. sciebat idem ex 13. *Continentis*. noluit ergo contendere de nominibus, sed voluit ponere etiam medicinas competentes erysipelati ulcerato, quamvis Galen. dicat quod sit herpes comedens, sive formica corrosiva. Ejus enim intentio non fuit solum transferre Galen. sed etiam dicere veras sententias aliorum approbatorum medicinæ auctorum, nec facere contentionem in nominibus.

Ad id etiam quod objicit contra Abolai cum dixit. Et si erysipelas fuerit super cutem, per illa verba videtur dubitare quod erysipelas possit alibi quam in cute generari, dicimus, quod per illa verba non plus voluit nisi quod materia causans erysipelas totaliter sit expulsa. Ad ultimum quod objicit contra Abolai in *cap. de formica*, primo quia apponit humectantia in cura formicæ, quæ non videntur competere, secundo quia de mente Galen. curat formicam cum embuba, dico quod si nomina imponantur ægritudinibus propter similitudinem ut dictum est, invenies secundum divitionem vocis in sua significata formicam primo dividi in verrucalem & non verrucalem, deinde subdividi secundum rem non verrucalem in corrosivam, & non corrosivam, seu ulcerosam, & non ulcerosam, & tunc dico quod curatio cum penna vel embuba est competens formicæ verrucali, & curatio cum humidis est competens formicæ non ulcerosæ. & ita intelligendo non invenies Abolai falsum dixisse, neque contra sententiam Galen. Scriptum est enim, littera occidit, spiritus autem vivificat.

*Solutio ad objectiones, quæ attinent ad servitores medicorum sicuti sunt herbarii.*

Ad objectiones autem in quibus arguit Abolai in cognitione, & maxime in nomine medicinarum simplicium, erravisse nos sine dubio illum concedimus, & scimus quod in multis aliis simplicibus præter illa quæ auctor novus assignavit, sunt errores in secundo canonis ejusdem Abolai, quas impræsentiarum, aliis negotiis impediti, non possumus manifestare. sed cui erit cura illos cognoscere, ubi major debitur requies vel viva voce vel scriptura eos aperiemus. neque volumus excusare Abolai sicuti audivi quosdam ipsum excusantes quod illud vitium provenit ex translatore ex lingua Arabica in Latinum male transferente ex translatione mala de lingua Græca in Arabicam, imo dato quod ipsemet Abolai ex propria ignorantia herbarum & aliorum simplicium, vel nominum peccaverit, ipsum tamen in scientia medicinali tam practica quam speculativa non dico peccasse, existimo enim illam partem in qua simplicia & eorum nomina declarantur non esse partem scientiæ medicinæ, sed esse artem medicinæ, & maxime parti practicæ administrantem, Rhasi teste. xxiiij. *Continentis cap.* 1. dicente. Dixit Bubixer Maumeth filius Zachariæ Rhasis ad discretam notitiam medicinarum bonarum, & malarum, purarum & non purarum, quod licet non teneatur medicus necessario, prout imperiti credunt, tamen melius est & venustius scire quam non scire. Ex quo dicto patet quam male loquuntur illi qui dicunt quod si medicus non est simplicista, non est bonus medicus, neque enim hi tales legerunt Gal. vj. epidemiæ dicentem. servitores medici sunt herbarii, confectarii, emplastratores, speciales, barberii &c. neque legerunt Galen. primo regiminis acutorum commento xij. dicentem quod vulgus non discernit meliorem medicorum à viliori, quia eædem sunt medicinæ quibus utitur melior medicorum & vilior. at dices, quis medicorum est melior? dicam, ille qui bene scit species, & causas ægritudinum cognoscere, quique scit distinguere an sint per essentiam vel colligantiam, & qui bene scit cognoscere tempora & universalia & particularia morborum, & secundum omnia illa debitam ordinare diætam, & qui scit bene distinguere signa occultæ, manifestæ, & completæ digestionis, & signa digestioni contraria privativa vel positiva cognoscit, scit quoque distinguere signa certa salutis, vel mortis à signis timoris, & à signis bonis vel malis aut absolute aut cum conditione, scit etiam qualiter ægritudo debeat terminari scilicet an per viam crisis, an per viam resolutionis, & per quam speciem crisis, & hic erit ille medicus verus quem definiens Hipp. Galen. & Abolai dixerunt quod est minister & adjutor naturæ. nam qui prædicta ignoraverit, nunquam quod erit opportunum ipsi naturæ poterit administrare. hæc autem omnia licet & ab Hipp. & Gal. & multis aliis antiquis doceantur, nullus tamen adeo distincte aperit illa sicut Abolai, quia ex his solis bene in principio libri sui dixit, quod vero super ipsum additum est, incomprehensibile est, & ideo ipsum inter antiquos, & modernos principatum tenere judico, & qui sequitur præcepta ejus rationem suam muniet ita, ut in singulis valetudinibus præsentia, præterita futuraque cognoscat. quæ omnia mandavit Hipp. prognosticorum primo, medicum debere cognoscere. qui ergo habent aures audiendi, audiant FINIS.

# ANTONII SCANAROLI, *Mutinensis*,

*Ad Excellentiss. Medicum*

## NESTOREM MORANDUM, *Bononiensem*,

# DISPUTATIO UTILIS

DE

# MORBO GALLICO,

Et opinionis NICOLAI LEONICENI confirmatio contra NATALEM MONTESAURUM, Veronensem, eandem opinionem oppugnantem.

## PRAEFATIO.

*Nicolaus Leonicenus, quo ego in arte medicinæ usus sum præceptore, primus medicorum Italorum libellum de Morbo, quem vulgus Gallicum appellat, composuit & publicavit, in quo (ut non te latet) disputationem quandam Ferrariæ habitam super eo morbo inseruit, ita eleganter, ita erudite, ut delectare possit & prodesse. Hunc libellum ab omnibus præclaris medicis, & præcipue à præstantia tua accepi, ac vidi laudari, meritoque approbari, tanquam multorum super eo morbo falsas opiniones destruentem, & veras morbi causas, à quibus originem contraxit, patefacientem. Unus tamen adversarius eum non modo non approbavit, verum quibusdam ejus dictis contradicere scribendo tentavit, & quosdam Avicennæ errores manifestarios purgasse se arbitratus est: Hujus ego scriptoris responsiones cum legissem, levesque & admodum frivolas comperissem, & sibi ipsi sæpissime repugnantes, decrevi non odio motus, non præceptoris defensione, cujus ille non indiget, & si indigeret, tanto ingenio, doctrinaque tanta pollet & abundat, ut rationes & dicta sua omnibus valida & vera esse possit demon-*

*demonſtrare. Sed veritatis, cujus ſemper ſtudioſiſſimus fui, defendendæ cauſa, & præcipue quoniam me quoque ab eodem adverſario læſum & quodammodo taxatum in ſaphati expoſitione eſſe perſpexi, omnes illius reſponſiones confutare, deſtruere, ac proſternere, & noſtras ſuper hac materia rationes validiſſimis argumentis confirmare: Ad te igitur vir eruditiſſime hæc paucula ſcripta direxi, tanquam ad eum, qui veritatis ſemper fueris amantiſſimus & propugnator acerrimus, & qui quicquid theorica ac practica medicina comprehenſum eſt, ingenio ac memoria ita perceperis & docueris, quotidieque publice doceas ac exerceas, ut te facile ſuper hac re verum judicium ferre poſſe non dubitem. Ne igitur longum faciam rem ipſam jam aggrediar.*

Primum illud ſtatim in proœmio adverſarii notandum cenſeo, qui ſcribit ſe non habuiſſe aliàm ſcribendi cauſam de diſpoſitionibus, quas vulgares *mal franzoſo* appellant, niſi libellum à Leoniceno de iiſdem diſpoſitionibus ſcriptum legiſſet: quoniam alioqui turpe exiſtimabat fore homini jam nomen medici conſequuto ægritudinum, quæ ſeſe exterioribus offerunt ſenſibus, quidditates inveſtigare: quaſi vel ex hoc ſtatim Leonicenum reprehendens, qui circa rem omnibus manifeſtam laboraſſet. atqui de hujuſcemodi diſpoſitionibus tot fuerunt excellentiſſimorum medicorum totius Europæ diſſenſiones, ut adhuc ſub judice lis ſit: Veriorem tamen fuiſſe præ cæteris Leoniceni præceptoris opinionem inde conjector, quia & morbi univerſalis, quem merito vocat epidemiam, cauſam explicat univerſalem & non remotam, ut forte theologi vel aſtrologi, ſed immediatam & talem qualem decuit afferre medicum aëris ſcilicet ambientis qualitatem ad nimiam caliditatem & humiditatem vergentem, quam etiam contradictor aſſignavit, ut mirandum ſit hominem qui in principiis cum Leoniceno concordavit, tamen in concluſionibus diſcordaſſe. Viſus eſt vir ille profecto ſtudio contradicendi Leoniceno etiam propriam opinionem impugnaſſe: quam tamen ex Leoniceni libello antea edito acceperat: Leonicenus enim cauſam hujus morbi, qui Gallicus vocatur, ait fuiſſe nimiam aëris in caliditate & humiditate intemperiem: Adverſarius autem aërem multum pluvioſum cui ſucceſſit caliditas intenſa, Leonicenus allegat Hippocratem referentem ſimilem diſpoſitionem in civitate Cranone fuiſſe, ex qua ſimiles puſtulæ contigerunt; adverſarius etiam allegat Hippocratem de ſimili aëris diſpoſitione in eadem civitate loquentem: volens autem aliquam differentiam inter puſtulas quæ apparuerunt tempore Hippocratis ab his quæ apparuerunt tempore noſtro ponere, dicit quod in hominibus noſtri temporis humores melancholici & phlegmatici ſalſi magis erant parati putreſcere quam cholerici, & ideo aliæ ſpecies puſtularum fuere cauſaræ. tandem quaſi diffidens propriæ opinioni, confugit ad influentiam ſtellarum, quod eſt refugium medicorum cauſas manifeſtas aſſignare neſcientium. Sed ego libenter ſcirem ab ipſo, nunquid etiam tempore noſtro non ſint in corporibus humanis omnis generis humorum ſuperfluitates, ſcilicet cholericæ, melancholicæ & phlegmaticæ, & ex iſtis permixtæ, quæ potuerunt ita ætate noſtra, ſicuti tempore Hippocratis ad putredinem promoveri: & ipſemet adverſarius hoc ipſum fatetur, qui ponens ſigna iſtarum diſpoſitionum ait ex auctoritate Abolai in *ſecunda primi*, ſi erunt cum dominio ſanguinis, erit inflatio venarum, & caliditas, & rubedo: ſin autem ibidem dominans erit cholera aduſta, erit caliditas multum intenſa, & color tendens ad citrinitatem obſcuram, & vehemens pruritus. ſin autem erit ex phlegmate ſalſo, exibit ex puſtulis res alba ſubtilis cum ingenti pruritu: ſin autem erit ex melancholia, puſtulæ erunt magis cum colore tendente ad nigredinem, neque facient pruritum: ſin autem erunt ex humoribus diverſis ad invicem mixtis (quod fere ſemper contingit) ſigna erunt compoſita ex his. Quid aliud ſonant hæc verba niſi opinionem Leoniceni eſſe veram: qui voluit morbum Gallicum ex varia humorum putredine generari ſcilicet cholericorum, melancholicorum & phlegmaticorum, atque invicem & cum ſanguine ſæpiſſime permixtorum. Quanquam tamen in hujus morbi eſſentia adverſarius convenit cum Leoniceno, in quibuſdam tamen partim de nomine partim de morbi pluralitate diſcordat: Leonicenus putat unam, eandemque materiam & puſtulas facere & dolorem in articulis excitare: adeo quod propter unitatem materiei poſſumus unum morbum judicare: cui dolor annectitur non tanquam alter morbus, ſed potius veri morbi ſymptoma vel accidens: Adverſarius partim idem ſentit, partim diſſentit: nam in quibuſdam ſuis corollariis utitur his verbis: Sequitur ſecundo quod materia cauſans illum dolorem poteſt eſſe cauſa puſtularum. Sequitur tertio quod puſtulæ non poſſunt eſſe cauſa illius doloris. Sequitur quarto quod hic ſunt plures ægritudines, quarum una nomine generali dicitur bothor, alia nomine generali dicitur dolor. In ſecundo corollario cum Leoniceno convenit: in tertio diſcordat, dicens quod illæ puſtulæ non poſſunt eſſe cauſa illius doloris. Sed oportuit adverſarium reſpondere rationibus & auctoritatibus & experientiæ, quas allegat Leonicenus & maxime Galeni in *libro de cholera nigra*, qui ait non eſſe credendum partes interiores eſſe adamantinas ut non eiſdem quibus exteriores noxis ſubjiciantur: Sentit enim Galenus quod eædem puſtulæ quæ in cute exteriori generantur, poſſunt etiam in membris interioribus generari: immo hoc idem ſentit Avicenna *de variolis*, & *de exituris*, & *de pruna*, & *igne Perſico*, de quo ita ſcribit in *libro quarto, capitulo proprio:* & quod ex eis accidit in carne eſt velocioris reſolutionis, & quod ex eis accidit in nervis eſt fixius & tardioris reſolutionis: De variolis vero ſic: Et variolæ non accidunt in cute ſolum, & in eo quod ſequitur illud quod apparet; immo accidunt in omnibus membris ſimilium partium apparentibus, & occultis; quod velaminibus & nervis. Ponamus igitur quod puſtulæ tales, quæ apparent extrinſecus, fiant etiam intrinſecus, ut in quibuſdam anatomizatis viſum fuit in locis nervoſis vel junc turis: nonne neceſſario ſequetur dolor? qui non erit morbus per eſſentiam, ſed potius accidens alterius morbi ſcilicet illarum puſtularum intrinſecarum, ſua vel mala qualitate, vel ſoivendo continuitatem lædentium, & ideo melius eſt dicere dolorem eſſe accidens quam morbum per ſe; quia in ſcientia reali quando poſſumus ſervare diſtinctiones reales melius eſt quam facere diſtinctiones rationis: dolor autem etiam ſecundum adverſarium eſt triſtis ſenſatio ex auctoritate Avicennæ: quæ triſtis ſenſatio cum ſit actio corrupta virtutis tactivæ, non poteſt dici eſſe ægritudo: niſi velimus Avicennam in *primo libro* definiendo ægritudinem definire idem per idem, cum ita dicit: ægritudo eſt diſpoſitio ex qua provenit nocumentum in operatione proventu primo: ſit enim per adverſarium nocumentum in operatione tactiva: ſicuti dolor, ægritudo: tunc ſequetur quod ægritudo per ægritudinem definitur: & tantum dixit Avicenna, ac ſi dixiſſet ægritudo eſt diſpoſitio ex qua provenit ægritudo; ſed quia hujus rei quæſtionem à Leoniceno habemus compoſitam, in qua multis validisque rationibus ac fortibus auctoritatibus hoc ipſum contra Avicennam & Jacobum Forilivienſem optime demonſtrat, ideo non longius in hujus probatione me extendam. Hoc ſolum objiciam, adverſarium nullo modo poſſe negare, dolorem eſſe accidens, cum concedat eundem dolorem fieri ex materia faciente puſtulas, nam talis materia non facit dolorem, niſi inprimendo malam qualitatem in membris ſentitivis, vel ſolvendo continuum, quæ mala qualitas vel ſoluta continuitas eſt ægritudo ipſa, dolor autem qui ſequitur, eſt accidens, qui neſcio quomodo poſſit eſſe manifeſtus, atque ideo habere rationem morbi: ſicuti putavit Avicenna, quandoquidem ſemper ad remotionem vel malæ qualitatis, vel ſolutæ continuitatis, quæ diſpoſitiones veræ ſunt ægritudines, dolor removetur.

*Adverſarium in principiis cum Leoniceno convenire, in concluſionibus autem diſcordare.*

Nunc oſtendemus quomodo adverſarius in nomine hujus morbi Gallici à Leoniceno diſcordaverit, quamvis in eſſentia concordaverit. probat Leonicenus morbum Gallicum non eſſe ſaphati, quia ſaphati incipit à capite & fit plurimum in capite, tum auctoritate Arabum, qui ſemper tractant de ſaphati inter diſpoſitiones ægritudinales capitis, & ſi bene animadvertimus vocant ſaphati illas diſpoſitiones capitis, quas Græci achoras, & ceria, id eſt, favos appellant, quæ ſunt duæ ſpecies tineæ humidæ, hoc autem inevitabili argumento probat Leonicenus; quia Meſue allegat Galenum, ſcribentem multos ſe fanaſſe, qui ſaphati patiebantur, *linimento chartarum combuſtarum tritarum & cum aceto temperatarum*. hoc autem medicamento Galenus in *libro primo decem tractatuum* (qui *Memiri* inſcribitur apud Arabes) ad achoras id eſt alteram tineæ humidæ ſpeciem uſum ſe fuiſſe teſtatur: quam etiam tineæ ſpeciem Rhaſis in *libro diviſionum* ſaphati nominat. Quod argumentum fortaſſis ſolvere neſciens adverſarius aſtute præteriit: niſi quod inquit falſum eſſe quod ſub ſaphati apud Abolai contineatur tinea: licet fortaſſe Galenus id exiſtimaverit. quæ verba (quod bona pace adverſarii dicere liceat) mihi videntur digna deriſione: neque enim unquam Galenus, quid verbum ſaphati (quod proculdubio eſt barbarum) ſignificet, conſideravit: neque etiam utrum ſub ipſo tinea comprehendatur; ſed res ipſas hoc eſt morbum quem nos vocamus tineam, ipſe achoras & ceria nominavit, Arabes eoſdem achoras & ceria ſaphati nominaverunt, ut antea probavimus ex Meſue auctoritate

Ga-

Galenum allegantis. quare tota quæſtio tandem ad id revertitur, nunquid morbus occupans cutim capitis (quem nos tineam appellamus) fuerit vocatus achores à Græcis & ſaphati ab Arabibus, ut ſentit Leonicenus, vel potius alopecia & tiria, ut ſentit adverſarius. Pro Leoniceno eſt Nicolus *ſermone ſeptimo*, qui facit capitulum de ſaphati & tinea & aliis puſtulis capitis, & poſtea ex auctoritate Galeni ponit tres ſpecies ſaphati humidæ, duas in *primo memiri* à Galeno tactas, & dicit primam vocari à Galeno achores. exponit autem Nicolus, quod quæ à Galeno vocatur achores, eſt tinea cutis capitis ſubtilibus foraminibus perforata quandam humiditatem ſubtilem cum parva viſcoſitate emittens. alia eſt prædictæ ſimilis, cujus foramina ſunt majora & latiora emittentia humiditatem favo mellis ſimilem. tertia inter prædictas media. Quomodo ergo dicit adverſarius quod Nicolus non aſſerit quod ſub ſaphati comprehendatur tinea niſi apud vulgus, cum luce clarius appareat quod Nicolus vult achores tanquam unam ſpeciem ſub ſaphati comprehendi, & eandem à Latinis tineam humidam nominari: idem Nicolus eodem *ſermone ſeptimo*, *capitulo de alopecia & tiria*, utitur his verbis: & ex dictis ſupra capitulo de ſaphati & ex hoc apparet quod alopecia & tiria non ſunt idem quod tinea, quamvis dicant quidam quod tinea ſit tiria, differens ab ea ſolum in hoc quod in tiria excoriatio cutis eſt ſuperficialis, & cum ſanatur iterum ſuper ea renaſcuntur pili: tinea vero eſt excoriatio profunda aliquando uſque ad os, in qua poſt conſolidationem non renaſcuntur pili: Pro Leoniceno etiam in parte eſt auctoritas Gordonii atque Conſtamini, qui diſtincta capitula de tinea à capitulo de alopecia fecerunt: quam alopeciam Galenus in *primo Memiri capitulo primo* non differre à tiria (quam ipſe ſerpiginem vocat) niſi ſola figura demonſtrat, & ideo prædicti auctores unum tantum de alopecia capitulum faciunt, ſub ea tiriam comprehendentes: ceſſet ergo contra tot ac tantos viros ſola Simonis Januenſis auctoritas, qui certe non fuit allegandus contra Leonicenum tam multis in locis eundem Simonem in *libro de Plinii ac reliquorum medicorum erroribus* caſtigantem. Aliam rationem qua Leonicenus probat morbum Gallicum non eſſe ſaphati quia ſaphati ſicuti in capite fit, ita à capite incipit, hic autem morbus incipit à pudendis, adverſarius evitat negando ſenſum & rationem, dicit enim, quod niſi contingat per contagionem in coitu, hoc eſſe falſum: nos tamen vidimus, & omnes hoc ſciunt, quod & plurimi atque puellæ virgines atque etiam ſenes qui nunquam coitum tentaverunt, cum hoc morbo correpti ſunt, primum in pudendis cepiſſe pati, propter quem frequentiſſimum eventum Vir excellentiſſimus Gaſpar Torrella Epiſcopus ſanctæ Juſtæ Valentinus in *libro ſuo de hoc morbo* non minus docte quam luculenter ſcripto, hunc ipſum morbum eleganti ſane nomine pudendagram vocavit, quod ſi etiam ex centum duo vel tres inveniantur. quibus aliunde hic morbus incipiat, nihil hoc facit contra Leonicenum, qui in capitulo quo probat morbum Gallicum non eſſe ſaphati, fatetur ſaphati poſſe etiam in aliis corporis partibus, præter quam in capite, incipere, ſe tamen ut medicum de his loqui quæ ut plurimum eveniunt, nam ſi medicina eſſet de his quæ ſemper eodem modo contingunt, non contnuniter (ut ſentit Galenus in *primo techni*) ſed proprie ſcientia diceretur. Sed adverſarius etiam non advertit ſe ſibi ipſi contradicere, qui fatetur hanc diſpoſitionem proveniſſe ex caliditate & humiditate acris, & ſcribit auctoritate Abolai XXI. tertii quod partes pudendæ declinant ad caliditatem & humiditatem: & approximant meatibus ſuperfluitatum, & non vidit ſequi illud quod concluſit Leonicenus auctoritate Galeni in tertia particula aphoriſmorum commento illius aphoriſmi. Æſtate vero &c. propemodum eſſe neceſſarium ut illa putredo quæ fit in corporibus plenis ſuperfluitatibus ex tali aeris mala diſpoſitione in pudendis incipiat etiam ſine coitu magis quam reliquæ partes aptis putreſcere. & jam apparet verum eſſe quod ab initio ſignificavi, non poſſe adverſarium cum Leoniceno in principiis concordantem diſcordare in concluſionibus ſine repugnantia ad ſe ipſum. Rationem etiam ſumptam ex Aviceu. qui dicit ſaphati fieri ſecundum plurimum ſuper caput, mirabili gloſſa adverſarius ſubterfugit, exponendo hæc verba Avicennæ, ſecundum plurimum fit ſuper caput, id eſt ſecundum majorem partem capitis; ſed non advertit adverſarius verba Avicennæ ſequentia, quæ deſtruunt ejus expoſitionem: ſubjungit enim Aviceu. & ſi fuerit in membris inferioribus: non enim dixit, & ſi fuerit in minori parte capitis: Nicolus quoque allegat Galenum in *ſexto epidemiarum* dicentem quod ſaphati plurimum fit in capite: poſtea ſubjungit, aliquando tamen, ut dicunt, accidit in aliis membris, & præcipue inferioribus, & maxime in cruribus: inconveniens autem ad quod deducit adverſarius quod ex hac expoſitione ſequitur alvatim non eſſe ſpeciem ſaphati, Leonicenus non habet pro inconvenienti: immo expreſſe in libro ſuo ſignificavit alvatim non poni ab Avicenna tanquam ſpeciem ſaphati: forte autem in eodem capitulo ab Avicenna fuiſſe nominatam: quoniam hoc quoque ſicuti ſaphati in ſumma corporis cute oriatur: eſt enim titulus illius capituli apud Avicennam de eis quæ accidunt in cute, & non in colore ejus: neque tenetur reſpondere Leonicenus, cur non ſimiliter tractaverit Avicenna de tuſio & furfuribus, qui in cute naſcuntur, & ex eadem materia ex qua ſaphati, quandoquidem putat Avicennam in pluribus aberraſſe. Ego tamen poſſum pro Avicenna reſpondere quod diſtulit tractare de tuſio ad capitulum de verrucis: quoniam majorem habet convenientiam tuſius cum verrucis, quam cum ſaphati: de furfuribus autem ſupra tractaverat, quoniam magis conveniunt cum diſpoſitionibus capillorum: & ideo titulus *tractatus primi ſen ſeptimæ libri quarti* apud Avicennam ita ſe habet: de diſpoſitione capillorum, & in ipſo ſunt furfures: Quod autem dicit adverſarius Leonicenum non advertere in dictis ſuis implicari contradictionem, nollem hanc contradictionem Leoniceni, ut putat adverſarius, ab homine jam nomen medici conſequuto tam leviter fuiſſe probatam, ita enim ipſam deducit adverſarius, Alvatim ſecundum Leonicenum ſunt albotim de quibus ſcribit Avicenna in tertio quod ſunt bothor, quaſi fructus tamariſci, aut grana viridia magna, de quibus Abolai ibidem pollicetur ſe dicturum in *quarto* ſcilicet in *capitulo de ſaphati*, ſed in *hoc capitulo* dicit Abolai quod ſunt ulcera, & in tertio appellat bothor, habemus ergo intelligere per ulcera bothor ulceroſas, & conſequenter ſaphati per locum à definitione. hæc ſunt verba adverſarii, quibus probat Leonicenum fuiſſe inadvertentem, dicendo Alvatim vel Albotim non eſſe ſpeciem ſaphati, & tamen in verbis ſuis idem antea conceſſiſſe ſcilicet quod ſit ſaphati, & ita ſibi contradicere. Sed facillimum eſt Leoniceno ſe ab hac contactione defendere, dicet enim quod hæc eſt definitio ſaphati ſecundum Avicennam, ſaphati ſunt bothor ulceroſæ quæ plurimum in capite eveniunt. & hæc erit vera definitio ex verbis Avicennæ ſumpta, ex qua ſequitur propoſitum Leoniceni, & oppoſitum ejus quod vult adverſarius, ſcilicet quod alvatim non ſit ſpecies ſaphati, quandoquidem Alvatim ſemper fit in cruribus (ut vult etiam adverſarius) vel ſi non ſemper, ſaltem ut plurimum. Sed viderit adverſarius quomodo ſe tueatur ab illa abſurditate quæ ſequitur ex dictis ejus: poſſum enim ex ipſis ita argumentari, ſcabies ulcerata eſt bothor ulceroſæ, ergo ſaphati per locum à definitione, item eryſipelas, vel formica ulcerata eſt bothor ulceroſæ, ergo ſaphati per locum à definitione, omnes denique puſtulæ exulceratæ in quacunque corporis parte eveniant, ſicuti variolæ, morbilli, veſicæ, pruna, & ignis Perſicus, nam has omnes puſtulas exulcerari contingit ſecundum Avicennam in locis propriis, omnes inquam tales puſtulæ ſive bothor ulceroſæ erunt ſaphati ſecundum adverſarium, ſed ipſe dixit atque probavit ſuperius quod non ſunt ſaphati, quia cum teneat quod morbus Gallicus ſit ſaphati, & ſecundum ipſum morbus Gallicus non ſit aliqua illarum puſtularum ulceratarum dictarum, ſequitur neceſſario quod neque ſaphati eſt aliqua ex ipſis, quare adverſarius in ſuis dictis implicavit contradictionem, non autem Leonicenus ut objecit. Argumentum autem Leoniceni, quo confirmat ſaphati & tineam humidam eſſe eundem morbum, quoniam eiſdem remediis utitur Galenus ad achoras id eſt unam ſpeciem tineæ humidæ, & Avicenna ad ſaphati humidam, non eſt ita contemnendum, ut putat adverſarius, quoniam ſimili argumento utitur Avicenna in quarto ad probandum quod febris de putredine ſanguinis ſit febris cholerica ſecundum Galenum, quoniam curat eam cura cauſonis. poſſem enim ego reſpondere ſicuti reſpondet adverſarius, argumentum Avicennæ nullum eſſe, quoniam ægritudinibus ſatis differentibus eadem conveniunt medicamenta. Dicit etiam adverſarius quod Rhaſis in *libro diviſionum* nunquam nominavit tineam in *capitulo de ſaphati*, ſed quid hoc contra Leonicenum? qui non ſcripſit in libro ſuo quod Rhaſis in *libro diviſionum* nominet tineam, ſed ſolum quod ſub hoc vocabulo ſaphati intelligit unam ſpeciem tineæ humidæ, quam Græci achoras appellant, propter hoc quia diſtinguit favum à ſaphati per latitudinem & ſtricturam foraminum, ſicuti Galenus in *primo memiri* cerium ab achoribus. has autem diſpoſitiones his nominibus nuncupatas apud Græcos eſſe ſpecies tineæ humidæ probatum eſt ſuperius auctoritate Nicoli, & ipſemet adverſarius videtur hoc concedere, cum dicit ſaphati humidam dividi à quibuſdam in tres ſpecies, ſcilicet achoras ſubtilibus foraminibus perforatas, & reliquas. Rubrica etiam Rhaſis in Almanſore, quæ dicit ſaphati eſſe ulcera in capite & facie, facit potius pro Leoniceno quam contra ipſum: quandoquidem fatetur Leonicenus in libro ſuo ſaphati poſſe aliquando contingere in aliis partibus, & non in capite tantum: licet hoc raro eveniat in partibus inferioribus; ſed in

*Laus libelli Gaſparis Torrellæ epiſcopi Sanctæ Juſtæ.*

*Contradictio in dictis adverſarii.*

*Contradictio in dictis adverſarii.*

in facie quæ eſt proxima cuti capitis frequentius: ſicuti videmus in pueris illam diſpoſitionem quæ vocatur lætitium (quæ eſt etiam ſpecies ſaphati ſecundum Nicolum) fieri maxime quidem in cute tegente caput: nihilominus communicari frequenter partibus facici: Reprehendit tamen Leonicenus illos qui voluerunt probare ſaphati eſſe bothor, vel ulcera facici auctoritate Galen. in *primo meniri:* cum Galen. de bothor vel ulceribus naſcentibus in facie agat in *libro quinto:* ſicuti in *primo de his quæ cutem capitis inficiunt:* Poſtquam oſtendimus adverſarium non ſatis ſufficienter refelliſſe rationes & auctoritates quibus Leonicenus in libro ſuo probavit morbum Gallicum non eſſe ſaphati: omnes etiam rationes quibus ipſe adverſarius utitur ad probandum oppoſitum ſcilicet quod morbus Gallicus ſit ſaphati, mihi ſimul videntur deſtructæ, & tanto magis quia ipſe concedit ſubdiſtinctionem ſaphati humidæ in achoras & favum, quæ procul dubio non ſunt morbus Gallicus: ſiquidem in puſtulis facientibus morbum Gallicum non apparent illa crebra foramina quæ videntur in favis apum, ex quibus crebris foraminibus fluat humor paulum viſcoſus, vel melli ſimilis: à qua ſimilitudine tam foraminum quam etiam humoris cerium, id eſt, favus appellatur apud Græcos talis tineæ humidæ ſpecies: neque poteſt dicere adverſarius quod morbus Gallicus ſit ſaphati ſicca: quoniam ſecundum Avicennam non differt impetigo à ſaphati ſicca niſi in re occulta: ipſe autem probavit ſuperius quod morbus Gallicus non eſt impetigo: præterea ſecundum Rhaſim. xxv. *Continentis* impetigo eſt tinea ſicca: adverſarius autem non vult morbum Gallicum eſſe aliquam ſpeciem tineæ: Adverſarius etiam qui aliquando mordet Leonicenum quaſi non diligenter legerit libros Abolai, neſcio quomodo in ſimilem negligentiæ errorem incidit, cum putat illa verba quæ allegat Leonicenus ex auctoritate Avicennæ in illa ſpecie ſaphati malæ (quæ nominatur balkiati) eſſe ſuperaddita textui Avicennæ. Sunt autem verba hæc: *& quandoque eſt cauſa ejus morſus ſicut ſinifes maligni:* quæ ideo putavit textui inſerta & male Leoniceno allegari, quia ipſe ſolum legit Avicennam in *capitulo de ſaphati*, ubi theorice tractat de omnibus ſpeciebus ſaphati, & dicit quod balkiati eſt de genere ſaphati malæ, & nihil amplius; ſed non legit capitulum, in quo ponit Avicenna medicinas locales ad ſaphati ſiccam & antiquam: in quo capitulo Avicenna utitur his verbis: *& albalkiati quidem eſt de genere ſaphati malæ:* & quandoque eſt cauſa ejus morſus ſicuti ſinifes maligni: Subjungit autem adverſarius quod forte hoc balkiati eſt illa quam Hali Abbas *octavo theoricæ* appellat uberoſam, adeo iſte bonus vir allegat auctores & Græcos & Arabes qui ſunt contra ipſum: nam ſaphati uberoſa, quam ponit Hali Abbas, in qua ſunt puſtulæ ſimiles papillis uberum, & omnes aliæ ſpecies ſaphati ab eodem auctore nominatæ, ſunt diſpoſitiones quæ in cute capitis eveniunt, & ſunt ex Paulo Ægineta acceptæ, qui in principio *libri tertii* promittit ſe tractaturum *de paſſionibus quæ in ſummitate capitis naſcuntur:* & ibi loquitur de alopecia & tiria, & calvitie, & de achoribus, & favis, & puſtulis ficoſis, & ſimilibus papillis uberum, quas omnes paſſiones Hali Abbas ſaphati nominavit, & primam ſpeciem dixit eſſe favoſam, de qua exit humiditas favo melli ſimilis: ſecundam ficoſam in qua continetur quoddam ſimile granis ficuum: & tertiam aquoſam ex qua exit humiditas aquæ carnis ſimilis per foramina minora quam ſit in aquoſa: & quartam uberoſam ſimilem papillis uberum mulierum cum rubore, à qua humor fluit ſanguini ſimilis: quintam lupinoſam ſimilem in colore & figura lupinis, à qua quaſi cortices ſquamæ fluunt albæ & ſiccæ: hanc ultimam vocat Paulus furfuroſam: & ideo dixit Nicolus quod ſub iſta comprehenditur furfuroſa, à qua fluunt corpora ſecundum plurimum furfuri ſimilia: inter quæ ſunt aliquando quædam corpora aliquantulum groſſiora. conſideret iſte doctor quomodo allegat textus qui ſunt contra ipſum: neque enim poteſt negare, quin ſaphati favola, quæ inter alias ſpecies ſaphati ab Hali Abbate numeratur, ſit paſſio cutis tegentis caput: quia ſi non habet Paulum, qui tamen latinus habetur ſaltem habet Galenum, qui in primo *libro memiri* ita ſcribit: Una quidem earum quæ in cute capitis paſſionum fiunt, eſt vocata achor, ex genere quidem tumorum præter naturam exiſtens, propriam autem & præcipuam nuncupationem ſortiens ex proprietate ſymptomatum: ſubtilibus enim valde foraminibus perforatur, humiditatem ſubtilem habentibus liquoris parum viſcoſi: appropinquat autem eis ſecundum ſpecies alia paſſio quam vocant favum: habet autem foramina majora, humiditatem continentia melli, quod eſt in favo, conſimilem.

Poſtquam luce clarius probavimus etiam ex auctoritatibus allegatis ab adverſario morbum Gallicum non eſſe ſaphati, nunc etiam demonſtremus quod non eſt neque illa paſſio quæ vocatur ab Avicenna *tertia quarti tractatu ſecundo capitulo decimo nono* proprio vocabulo (ut inquit adverſarius) æſtuatio quando fit à vapore levi: Primum enim errat adverſarius dicendo quod proprio vocabulo dicitur æſtuatio: quia apoſtema illud ventoſum quod fit à vapore levi, de quo loquitur Avicenna *capitulo de inflatione* ſecundum expoſitionem Dini, Nicolai, & Gentilis, non vocatur æſtuatio, immo elevatio, & eſt ſimile excitationi, ſive (ut alia littera habet) æſtuationi: tale autem apoſtema nominatum elevatio ſecundum Avicennam, & ejus expoſitores, non fit à pura ventoſitate; ſed à ventoſitate permixta cum humiditate phlegmatica, & de tali apoſtemate loquitur Avicenna in *capitulo de undimia:* & etiam à Galeno 14. *therapeutices*, & 2. *ad Glaucon.* dicitur quod undimia eſt duplex. Una quæ fit ab humore phlegmatico, alia quæ fit à vento vaporoſo, & iſta ſecunda eſt quam Avicenna & ejus expoſitores vocant elevationem: & ideo dicit Avicenna currit curſu ejus ſcilicet undimiæ, ut Dinus exponit, ſed ſecundum Galenum nullum infert dolorem: dicit enim *ſecundo ad Glauconem* quod undimia generaliter eſt apoſtema laxum ſine aliquo dolore Illa vero ſpecies undimiæ quæ fit ex vento vaporoſo, eſt veluti accidens aliarum ægritudinum ſicuti hydropiſis & phthiſis, & ad curationem illarum ægritudinum curatur, vel removetur: cum ergo morbus Gallicus pro dolore, vel apoſtemate faciente dolorem ſumptus, non ſit accidens talium ægritudinum, & ſit dolor læviſſimus, non erit elevatio facta à vapore levi, ut opinatur adverſarius: Nunc vero reſtat ut oſtendamus, quod neque in puſtulis morbi Gallici continetur tuſius: immo quod in hoc ipſo adverſarius ſibi ipſi contradicit; quia ſuperius probavit quod morbus Gallicus non eſt verruca; quoniam verrucæ quando ſcinduntur, aut ſeparantur, emittunt ſanguinem, iſtæ autem emittunt virulentiam: nam tuſius, qui non eſt verruca, ſed ſimilis verrucis, teſte Avicenna, eſt illa quæ à Cornelio Celſo vocatur thimus ſive thimion, quam idem Cornelius Celſus *lib. v.* dicit non eſſe verrucam, ſed ſimilem verrucis, & quando ſcinditur cruentatur; ſi ergo morbus Gallicus non eſt verruca, quia puſtulæ ejus quando ſcinduntur non cruentantur, ſive emittunt ſanguinem, eadem ratione non erit tuſius. Si vero reſpondeat adverſarius quod quando tuſius ſcinditur emittit ſaniem, & non ſanguinem, ut dicit Avicenna, ſciat quod ſicuti tuſius pro thimo corrupte ponitur apud Avic. ita ſanies pro ſanguine: Non debet autem adverſarius admirari quod facta ſit iſta corruptio nominis, & etiam ſententiæ apud Avicennam, ponentis tuſium pro thimo, & ſaniem pro ſanguine: quandoquidem ex ſimili corruptela, vel obſcuritate verborum, & etiam ſententiarum in *ſecundo libro* apud Avicennam *capitulo de olibano* adverſarius motus eſt ut opinaretur morbum Gallicum eſſe verrucam, vel aliquid ſimile verrucæ, puta tuſium: quia ſcil. *libro* & *capitulo* ſuperius allegatis Avicenna utitur his verbis: *& cortices thuris conferunt cum aceto & oleo, dolori qui nominatur compoſitus: & eſt dolor ex quo proveniunt in corpore ſicuti verrucæ cum quadam re, quæ eſt ſicuti ambulatio formicæ:* In iſtis ambagibus & verborum obſcuritatibus nihil aliud (ut puto) voluit ſignificare Avicenna, niſi quod Dioſcorides & Paulus & Serapio, ſcilicet quod olibanum cum aceto confert formicæ verrucali: nam ut omittam gratia brevitatis verba Dioſcoridis & Pauli: Serapio *capitulo de olibano* ita ſcribit. *Et quando olibanum miſcetur cum aceto & oleo, & fit linimentum formicæ in principio ejus, aufert eam:* intelligit autem de formica verrucali: quia iſtud nomen formica, eſt æquivocum apud Arabes, quæ æquivocatio fuit cauſa erroris Avicennæ in capitulo de formica corroſiva de quo poſtea dicetur: Miror autem de adverſario quomodo cum legeret apud Avicennam hanc proprietatem olibani poni in areola decorationis, hoc eſt contra diſpoſitiones quæ non ſunt propriæ ægritudines, quamvis numerentur inter ægritudines, exiſtimaverit unquam talem dolorem ſæviſſimum, vel verrucas, quæ ex eo fiunt, pertinere ad areolam decorationis: Conſideret quantum errorem adſcribat Avicennæ, qui in *primo libro ſen ſecunda, capitulo ſexto* dicit, quod ea quæ in decoratione ingrediuntur ſunt extra ægritudines: & poſtmodum in *ſecundo libro capitulo de olibano* voluerit morbum Gallicum ingredi areolam decorationis: Similis error poſſet imputari Avicennæ ſi ſub nomine ſaphati etiam prædictum morbum comprehendere voluiſſet, quoniam *libro quarto* dicit currere conſuetudinem ut in pluribus libris dicatur de ſaphati in capitulo decorationis, & ipſemet ponit *tractatu tertio ſen ſeptima de decoratione:* Ut autem intelligat adverſarius quid ſit ille dolor compoſitus ex quo proveniunt in corpore ſicuti verrucæ cum quadam re, quæ eſt ſicuti ambulatio formicæ, & quomodo poſſit talis diſpoſitio ingredi areolam decorationis, legat Nicolum *ſermone ſeptimo tractatu ſexto de decoratione capitulo decimo:* qui inter ſpecies verrucarum unam nominat earum

Error in dictis adverſarii.

Contradictio in dictis adverſarii.

quæ cum premuntur, dolorem inferunt similem morsibus formicarum, & ob hoc vocantur mirmiciæ, id est, formicæ. Idem puto voluisse significare Avicennam, cum dixit dolorem compositum & ambulationem sicuti formicæ: hoc est talem dolorem qualis sentiretur si multæ formicæ ambulantes super cutem eam leviter morderent: & talis dolor, vel potius tales verrucæ, recte ponuntur in areola decorationis, quia potius est quædam cutis fœditas quam ægritudo, potest autem esse dubitatio in verbis Avicennæ, quia dicit ex dolore fieri verrucas, & non ex verrucis dolorem: Sed ego puto hanc verborum, vel sententiæ transmutationem, esse errorem translatoris: quod si etiam textus Avicennæ verus esset, nihil faceret pro adversario, qui vult non ex dolore pustulas morbi Gallici, sed potius ex pustulis, vel saltem ex materia faciente pustulas sive ex vapore elevato ex eadem materia fieri dolorem: in quo dicto etiam sibi contradixit: cum talem dolorem fientem ex vapore levi nominavit æstuationem, vel, ut rectius dixisset, elevationem: ille enim vapor (ut supra ostendimus) potius est à phlegmate, quam ex melancholia, seu materia simili melancholiæ: Similem falsam imaginationem facit adversarius de passione illa quam vulgares vocant pedesselli, quam putat describi in *quarto* ab Avicenna *capitulo de vena medeni.* volens enim probare morbum Gallicum non esse venam medeni, ita inquit: neque videtur quod sit vena medeni, quoniam in vena medeni egrediuntur res admodum animales: & hæc est illa ægritudo quæ plurimum advenit infantibus: & vulgares dicunt pedesselli: propter verba Avicennæ qui in *capitulo de vena medeni* dicit quod vena medeni est quædam pustula inflans, deinde vesicans: ex qua egreditur res, cui fortasse est motus voluntarius, ac si esset motus animalis, quasi in veritate sit vermis: Existimavit iste bonus vir quod vena medeni sit pedesselli, sed tamen debuerat ex aliis verbis Avicennæ in eodem capitulo, & aliorum autorum comprehendere tantum distare venam medeni ab animali dicto pedesselli quantum formica à dracone. nam Galenus, & Paulus vocant talem passionem dracunculum, & dicit Galenus *sexto de interioribus capitulo primo*, quod audivit quosdam dicentes hanc ægritudinem nasci in quadam regione, sed nunquam se vidisse eam, & ideo nunquam investigasse quomodo fiat. idem quoque de Galeno recitat Avicenna in capitulo superius allegato: Quis autem crederet Galenum nunquam vidisse passionem dictam pedesselli, quæ ubique gentium reperitur, & non solum in determinata regione? quis etiam non miraretur de homine putante illud animal esse pedesselli, quod scribit Albucasis prolongari & egredi in longitudine quinque palmorum, aut quatuor. & quod jam pervenit ad ipsum vir ex quo egrediebatur in longitudine triginta palmorum? quis etiam non rideret videns aut legens remedia quæ ponit Avicenna ad extirpandam istam venam sive vermem ex cruribus sicuti plumbum & alia, si illa vena esset pedesselli? Ego profecto si audissem aliquem referentem de adversario quod talem haberet de vena medeni opinionem, putassem fore mendacium in hominis alioqui docti calumniam confictum. ego etiam non auderem talem ipsi opinionem imputare ne pariter viderer calumniator. sed quia liber in quingentis voluminibus impressus est, si quis mihi non credat, verba ejus à me in hoc loco & in aliis fideliter recitata legens inveniet. utinam ipse tam fideliter recitasset objectiones quas facit Leonicenus contra Avicennam, sed partim eas male recitat, partim male solvit, ut statim probabimus.

*Contradictio in dictis adversarii.*

*Falsa adversarii imaginatio.*

Prima objectio Leonicени contra Avicennam & pariter Rhasim est ista quod illa ægritudo quam Arabes vocant lepram, Græci nominant elephantiasin. sed nihilominus Arabes capiunt elephantiasin non pro lepra sed pro tumore pedum. de hoc autem non reprehendit Leonicenus Arabes, immo allegat Galenum, dicentem de nominibus non esse curandum, & concedit Arabibus quod tumorem pedum nomine elephantiasin quandoquidem nomina imponuntur ad placitum. reprehendit autem Avicennam, atque Rhasim, qui ubi agunt de elephantiasi, id est tumore pedum, allegant Dioscoridem, & Galenum de elephantiasi id est lepra loquentes, cum tamen apud istos auctores nunquam elephantiasis pro tumore pedum capiatur. & quod pejus est quam falsa allegatio, utuntur eisdem remediis ad elephantiasin, id est tumorem pedum, quibus utuntur Græci ad elephantiasin, id est lepram. Quod si quis diceret quod elephantiasis, sive tumor pedum fit etiam ex humore melancholico, sicuti altera elephantiasis pro lepra sumpta, & ideo non debere reputari inconveniens quod eadem medicamenta utrique ægritudini adhibeantur, si ista responsio aliquid valeret, sequeretur, quod idem modus esset curandi & lepram & quartanam. & quæcunque remedia convenirent uni convenirent alteri: quod tamen falsum est. nam hæc convenit lepræ secundum Avicennam, & tamen non convenit quartanæ. Sed ostendamus in proposito quod remedia quæ faciunt pro lepra non faciunt pro tumore pedum, scribit Avicenna in *cura elephantiasis* id est tumoris pedum quod dicitur à quibusdam, scilicet à Dioscoride (ut recte exponit Nicolus) quod *alchitran* confert elephantiasi invisceatum & illinitum, hoc quidem remedium ponit Dioscorides ad elephantiasin, id est lepram, & est rationabiliter juvativum: ad tumorem autem pedum omnino evitandum, nam si *alchitran* est (sicuti exponit Gentilis in expositione hujus loci) *pix liquida*, quomodo non augebit potius elephantiasin, id est tumorem pedum quam sanabit: cum secundum Avicennam, & *libro tertio* ubi loquitur de *virga magnificanda*, & in *quarto capitulo de extenuatione*, ponatur *pix* pro efficacissimo remedio ad membra magnificanda. Adversarius tamen hanc Leonicени objectionem non solvit, immo respondet ac si ille imputasset Arabibus, quod non in eodem significato accepissent vocabulum elephantiasis in quo acceperunt Græci, & quasi solum voluisset contendere de nominibus, quam tamen contentionem de hac materia loquendo sicuti & in aliis locis ubique recusavit.

Secundam objectionem, quæ tamen leviter tacta est à Leoniceno, (quia alibi diffusius de simili errore Arabum pro sturnis turdos sæpe ponentium loquutus erat) satis ridicule solvit adversarius, respondendo Avicennam etiam in remedio illo contra saphati, cum dicit quod confert *stercus turdorum comedentium oryzam*, intellexisse sturnos sicuti Paulum, volens per hæc verba addita comedentium oryzam, ita debere intelligi, scilicet turdos, id est, sturnos, quasi cibus possit mutare animal ab una specie ad aliam: & cum turdi comederint oryzam efficiantur sturni: Paulus tamen ideo addidit comedentium oryzam, & ita etiam Avicenna, ut ostenderet, quod stercus cum sit superfluitas primæ digestionis, variatur in qualitatibus secundum diversitatem ciborum appositorum animalibus, & ideo laudant medici *stercus canum comedentium ossa:* quoniam propter talem escam fit siccius; sic Paulus *stercus sturnorum comedentium oryzam* propter similem rationem. Ideo adversarius qui hortatur Leonicenum ut legat Abolai secundo canone capitulo de stercore in areola apostematum & bothor: debuit & ipse legere Avicennam dicentem in eodem capitulo in areola membrorum expulsionis, & *stercus canis comedentis ossa*, confert solutioni & ulceribus intestinorum; quia Avicenna non addidit, comedentis ossa, ut daret intelligi per ista verba magis unum animal quam aliud, sed solum propter causam quam supra diximus; sed quid dicet adversarius, ubi simili errore Avic. ponit turdos pro sturnis, & non addit illa verba comedentes oryzam? nam Avicenna in *quarto, fen sexta, capitulo secundo de venenis quæ bibuntur*, allegat Galenum dicentem quod *alsarfas* venenum ita appellatum (quod Avicenna, quamvis falso, opinatur esse *napellum*) interficit hominem, & non interficit turdos: hoc enim Galenus scribit *libro tertio de simplici medicina* non de turdis sed de sturnis qui comedunt *cicutam*, quæ tamen interficit homines: est ergo duplex error Avicennæ, quos Leonicenus notavit in *libro suo de Plinii, ac reliquorum medicorum erroribus:* alter quod ponit *napellum* pro *cicuta:* alter quod ponit turdos pro sturnis: neque potest fingere aliquis quod alio in loco, vel libro quam in superius allegatis Galenus loquutus fuerit de turdis *napello* vescentibus: quia nusquam hoc scriptum reperitur in veris libris, & translationibus Galen. Et etiam ratio illa quam assignat Avicenna, cur *napellus* non interficit turdos, & tamen interficit hominem (quia videlicet non pervenit in turdis ad cor nisi post spatium in quo jam passus est à corpore passionem, post quam non remanet nisi passio conversionis cibi) ista inquam ratio est illa quam affert Galenus locis supra allegatis, cur *cicuta* non interficiat sturnos, & tamen interficiat homines.

Tertia autem objectio nusquam facta est à Leoniceno: immo idem dicit in libro suo quod adversarius in responsione scilicet Altoim esse carbonem evenientem in membris glandosis, prunam autem in aliis membris: tamen differt Leonicenus ab adversario qui vult anthracem & Altoim idem esse, scilicet carbonem fientem in partibus glandosis: quod tamen falsum est, quia tam pruna quam anthrax sive carbo idem significant: ubi enim Avicenna dicit pruna, Galenus 14. *therapeuticæ* dicit anthrax seu carbo: sed hæc est de nominibus quæstio, & non mota à Leoniceno, nisi ut ostenderet difficultatem in re ipsa, quæ difficultas oritur apud Arabes, facientes diversa capitula de anthrace, & igne sacro, vel Persico: cum tamen idem sit morbus diversis nominibus nuncupatus, sicuti in multis translationibus Arabicis apparet, dicentibus ignem Persicum, ubi Galenus dicit anthracem.

Quarta vero objectio est multo majoris ponderis & utinam, pro honore Avicennæ salvando, melius fuisset ab ad-

adverſario ſoluta, qui ut Avicennæ abſcondat errorem, adhibentis repercuſſiva in altoim, facit ipſum dicere ea quæ non dixit, puta quod præmittenda ſit defenſio cordis per interiora & exteriora, & ſic ſecure adhiberi poſſunt levia infrigidantia, & non ſolum circa ipſum, ſed etiam ſuper ipſum altoim, ne altoim venenoſitas multiplicetur; ſed Avicenna nulla facta de tali prævifione mentione dicit: Altoim vero ipſum curetur in principio (& notandum eſt iſtud verbum in principio) cum his quæ conſtringunt, & infrigidant cum *ſpongia infuſa in aqua & aceto, aut in oleo roſato, aut oleo de pomis, & arbore maſtichis, aut oleo de myrto:* ex quibus medicinis quædam ſunt non leviter infrigidantes, ut putat adverſarius, ſicuti *ſpongia infuſa in aqua & aceto:* quædam vero fortiter conſtringentes, ſicuti oleum maſtichinum, & oleum myrtinum: quod ſi etiam talis prævilio, licet non ſcribatur ab Avicenna: tamen ſubintelligatur, neque hoc ſecuros nos facit, quin talia vel infrigidantia vel repercutientia multum noceant in cura altoim: cum videamus homines ſanos tempore peſtilentiæ quantuncunque utantur omnibus prævifionibus & defenſionibus, tamen incidere in ipſum altoim, & ex eo mori: quanto magis quando jam patientur altoim etiam cum iſtis defenſionibus præmiſſis erunt in periculo, ſi apponantur & circa altoim & ſupra talia infrigidantia & reprimentia qualia apponit Avicenna: Verum quidem eſt quod per talem prævifionem periculum minorabitur, non tamen ex toto auferetur, & ideo ſecurius eſt cavere reprimentia.

In quinta objectione in qua Leonicenus reprehendit Avicennam & pariter Rhaſim confundentes eryſipelas cum anthrace: quoniam dicunt aliquando eryſipelas fieri ex ſanguine groſſo, & ideo diſcordant à Galeno, qui vult eryſipelas quod ſit ex ſanguine non ex groſſo ſed potius tenuiſſimo generari. reſpondet adverſarius quod auctor iſte videlicet Leonicenus, non recordatur dictorum Abolai, qui in principio *capituli de eryſipelate* utitur his verbis: jam ſciviſti cauſas ejus & ſpecies ejus *libro primo:* & ait dicere Abolai in *primo libro ſen ſecunda cap.* v. ſanguineum quidem purum phlegmonem, & quod de cholera pura eryſipelas: Sed quomodo poteſt dicere adverſarius quod Leonicenus non meminit dictorum Abolai dicentis in primo eryſipelas fieri ex cholera pura, cum in libro ſuo alleget Avicennam hoc ipſum dicentem ſcil. *eryſipelas fieri ex cholera pura:* hæc enim ſunt verba Leoniceni. Sed cur tale apoſtema factum ex ſanguine groſſo malo aduſto (ut inquit Avicenna) eryſipelatis quod fit ex cholera pura ſecundum eundem Avicennam ſimile judicatur &c. neque tamen ſequitur ex tali dicto Avicennæ quod eryſipelas fiat ex ſanguine tenuiſſimo, quia ſcilicet fiat ex cholera pura, quæ permixta ſanguini, ipſum ſubtiliet, immo hæc eſt quædam contradictio fieri ex ſanguine tenuiſſimo facto ſubtili per permixtionem choleræ, & fieri ex cholera pura: nam ſi eſt pura, quomodo eſt permixta cum ſanguine: non advertit autem adverſarius, quod iſte locus Abolai in *libro primo* eſt potius contra ſe quam pro ſe: in eodem enim loco innuit Avicenna quod ſi fuerit cholera pura facit eryſipelas purum, ſicuti ſanguis purus facit phlegmonem purum: ſi vero miſceatur cholera cum ſanguine, vincente quidem cholera in illa mixtione, facit eryſipelas non ſimpliciter, ſed eryſipelas phlegmonodes: vincente vero ſanguine facit phlegmonem eryſipelatodem: Galenus autem *ſecundo ad Glauconem* & ipſe facit differentiam inter eryſipelas quòd ex ſanguine tenuiſſimo ex natura propria, & non permixtione choleræ generatur, & illud quod fit ex ſanguine permixto choleræ vel cholera permixta ſanguini, & vocat eiſdem nominibus quibus Avicen. ſecundum prædominium utriuſque humoris: de tali autem eryſipelate, de quo loquitur Galenus, ſcil. de facto ex ſanguine ſubtiliori quam ſanguinis naturæ conveniat, nullam Avicenna in *primo libro* facit mentionem, ſed eam innuit in *quarto libro ſen tertia tractatu primo capitulo primo*, ubi utitur his, & à ſanguine ſubtili malo accidit phlegmone quæ declinat ad eryſipelas cum malitia & fraudulentia, ſi autem fuerit ſubtilior erit eryſipelas phlegmonodes, differt autem à Gal. in hoc, quia Galenus tale apoſtema factum à ſanguine ſubtiliſſimo non vocat phlegmonem vel eryſipelas phlegmonodes, ſed eryſipelas ſimpliciter, & melius profecto quam Avicenna propter evitandam æquivocationem in eryſipelate phlegmonode, quam æquivocationem incurrit Avicen. qui in primo dicit eryſipelas phlegmonodes eſſe nomen compoſitum ex humore ſuperante qui eſt cholera, & ideo poſtponitur eryſipelas & ex ſanguine in minori quantitate, & ideo poſtponitur phlegmonodes. in quarto autem dicit quod eryſipelas phlegmonodes ſit ex ſanguine ſubtiliore, ſed major videtur error, quia Avicen. in *eodem c. ſen vii.* dicit eryſipelas fieri ex ſanguine groſſo malo, & poſtea ſtatim poſt dicit ex ſanguine ſubtiliori fieri eryſipelas phlegmonodes. talem autem contradictionem volens excludere adverſarius, non advertit alteram contradictionem, quam ipſe facit in dictis ſuis quaſi in eadem linea, hæc enim ſunt verba adverſarii, nota quod eryſipelas quandoque accipitur pro apoſtemate in cute ex cholera pura citrina, quæ permixta ſanguini reddit ipſum tenuiſſimum, aliquando pro igne ſacro, teſte Caſſio Felice, & tunc poteſt cauſari ex ſanguine groſſo, non quia ſit melancholicus talis ſanguis, ſed groſſo per viam aduſtionis, qui potius debet dici cholericus, quam melancholicus, & ideo dixit Abolai quod ſi ejus malitia vehemens fiat & ipſius aduſtio, tunc provenit eryſipelas & ignis ſacer. Primum in his verbis notandum eſt quod adverſarius fatetur ſanguinem per admixtionem choleræ effici ſubtiliorem, quomodo ergo ſanguis groſſus potius debet dici cholericus quam melancholicus? ex hoc enim videtur ſequi quod cholera ſit groſſior melancholia: quod eſt contra ſententiam omnium auctorum, & implicat contradictionem in dictis adverſarii, qui vult ſanguinem per choleram ſubtiliari: cur etiam debet eſſe ſanguis groſſus per viam aduſtionis? cum ſecundum Galen. & Avicen. in multis locis quando aduritur ſanguis, pars ejus ſubtilior vertatur in choleram, pars vero groſſior in melancholiam: certum eſt autem quod cholera quæ fit ex parte ſubtiliore ſanguinis, eſt multo ſubtilior quam fuit antea eadem pars ſanguinis: quare ſi per talem aduſtionem ſanguis eſt factus groſſus, ſequitur quod in ipſo plus remanſit de humore melancholico quam cholerico: & ideo potius melancholicus quam cholericus dici debet: & hæc eſt ſententia omnium auctorum, & maxime Gal. in 1. *de diff. feb. c.* 3. circa finem, quod ſanguis groſſus per viam aduſtionis eſt melancholicus: hæc enim ſunt verba Galen. febris autem in omnibus his accenditur ratione communicationis, caleſcit enim ſemper & in carbunculis id quod contineum eſt, in calido quidem ſufficienter ſanguine, melancholiori vero, quia aduſtum eſt, generationem habent.

Sextam objectionem à Leoniceno factam non intellexit adverſarius, neque fundamentum ipſius, & ideo non ſolvit Leoniceni rationem, quæ talis eſt in virtute: Avicenna jubet fieri phlebotomiam uſque ad ſyncopem ut ſanguis cholericus evacuetur, ergo iſta evacuatio fit quia talis ſanguis eſt cauſa antecedens, vel conjuncta, ſed non conjuncta quia illa eſt cholera citrina, quæ ſive per ſe, ſive mixta melancholiæ debet evacuari per pharmaciam potius quam per phlebotomiam: ſicuti patet per Galenum in multis locis, & maxime *ſecundo ad Glauconem*, & 14. *Therapenticæ:* ergo talem ſanguinem cholericum evacuat Avicenna in pruna tanquam cauſam antecedentem, ne per viam putrefactionis, vel aduſtionis tranſeat in conjunctam: & ideo recte Leonicenus ex his verbis Avicennæ collegit quod cholera citrina faciens prunam, vel ignem Perſicum ex ſanguine cholerico generatur: quare ſicuti adverſarius dicit quod iſta objectio proceſſit ex malo intellectu verborum Abolai, ita ego dico quod ſolutio adverſarii pendet ex malo intellectu fundamenti objectionis.

In ſeptima objectione contra Avicennam à Leoniceno factam jubentem fieri phlebotomiam prope ſyncopem in pruna & igne Perſico, in quibus peccat cholera permixta melancholiæ, cum tamen ſanguis ſit frœnum choleræ: & in *quarta primi* idem Avicenna docuerit, ne ægrum perducamus ad humorum cholericorum ebullitionem, Adverſarius protegit Avicennam auctoritate Galeni *ſecundo regiminis acutorum:* quia Galenus eodem in loco in cura pleureſis, quæ, ut dicit adverſarius plurimum fit ex cholera aut à ſanguine cholerico, præcipit fieri phlebotomiam adeo copioſam quouſque mutetur ſanguis in colore & niger exeat: Sed iſte protector Avicennæ non videtur animadvertere quod multum refert fieri phlebotomiam prope ſyncopen & uſque quod ſanguis mutetur in colore. videmus enim ipſum multoties mutari in colore abſque ulla phlebotomati debilitate. Sed quoniam adverſarius tangit quandam apparentem contradictionem in dictis Galen. *libro ſecundo de regimine acutorum*, & in *commentariis de humoribus:* quam contradictionem adverſarius conatur ſolvere: dicimus quod in dictis Galeni hic & ibi nulla eſt contradictio: immo in *ſecundo libro regiminis acutorum* ſecundum doctrinam Hippocratis, ſi dolor vergit ad partes ſuperiores verſus claviculam, & infirmus ſentiat gravitatem in brachio vel circa mammillam, vel ſupra diaphragma, jubet incidere venam quæ eſt in interiore parte brachii, & non veretur tantum auferre, donec ſanguis multo rubicundior fluat quam prius, vel ubi antea fuit rubeus & purus exeat, lividus vel niger: dicit autem Galen. in expoſitione iſtius loci quod gravitas in brachio ſignificat plenitudinem ſanguinis: & ideo jubet Hipp. & Galen. ſequens Hippocratem non ceſſandum ab extractione ſanguinis donec ſanguis exeat rubicundior quam prius: & hoc ſit ſicut dicit Galenus in homine, cujus totum corpus ſit plenum ſanguine phlegmatico, qui tendit ad albedinem: & tamen ſanguis qui eſt in membro apoſtemato propter conculcationem & caliditatem eſt ru-

bicundior: in tali igitur casu sanguis exeuns rubicundior quam prius est signum quod evacuatur causa conjuncta apostematis: quod si in reliquo corpore fuerit sanguis rubicundior, ille qui est in loco apostemato propter exustionem quæ fit in eo ex causa prædicta denigrabitur: & hoc dictum bene notet adversarius, qui vult sanguinem per adustionem fieri cholericum: hunc tamen locum male allegavit adversarius; sed ignoscendum est ei quoniam etiam apud nos est male translatus, ut docuit nos Leonicenus in quadam quæstione habita Romæ, utrum fiat phlebotomia in pleuresi ratione causæ antecedentis vel conjunctæ: quæ quæstio dissolvitur à Leoniceno ex doctrina Hippocratis & Galeni in hoc loco, qui Galen. vult in pleuresi sanguinea fieri phlebotomiam donec evacuetur causa conjuncta, & hoc constante virtute: quia si virtus non constiterit, tunc non debet exspectari mutatio sanguinis, id est, evacuatio sanguinis in loco apostemato contenti, sive sub aliis verbis causæ conjunctæ: erit ergo semper hæc cura regularis, & non coacta ut dicit adversarius: & maxime quia in eodem loco dicit Galenus, quod quando humores fluentes ad loca infra diaphragma causaverint ibi dolorem, tunc debemus uti pharmacia: nulla est ergo contradictio in dictis Galeni in hoc loco, & in *commentariis de humoribus:* Debuit autem adversarius exprimere causam propter quam Avicenna cogitur facere phlebotomiam proximam syncopi in pruna, quæ fit ex cholera citrina permixta melancholiæ: & respondere dictis Leoniceni in libro suo, ubi narrat ex auctoritate Galeni omnes causas propter quas contingit fieri phlebotomiam usque ad syncopem: quare nullam declarat esse in pruna, vel igne Persico ab Avicenna determinato. Idem adversarius quando loquitur de phlebotomia, quæ fit vel non fit in erysipelate secundum Avicennam dicit quod Abolai fuit certus quod non conveniret phlebotomia in erysipelate ratione materiæ, sed dubitavit utrum materia esset expulsa inter duas cutes, quia tunc phlebotomia magis noceret quam juvaret: si vero non esset expulsa inter duas cutes, juvaret ratione diversionis, & ideo talis esset cura coacta, & tamen totum oppositum dicit Avicenna, qui ita scribit. Et phlebotomia quidem non multum confert, nisi quando est materia inter duas cutes, si autem profunda fuerit, tunc ejus juvamentum minoratur: ideo adversarius dum vult defendere Avicennam eidem Avicennæ contradicit. ostendit etiam paulo post Avicennam fuisse rudem medicum, qui nesciret quomodo deberet fieri crisis in statu causonis, utrum per viam fluxus sanguinis narium, aut per viam sudoris, aut vomitus, aut solutionem ventris; quando dicit adversarius quod Avicenna dubitat in causone an debeat facere phlebotomiam, quia nescit qualis crisis sit sequutura: Galenus tamen *tertio de crisi*, & ipse Avicenna in *quarto sen secunda* docuerunt nos signa per quæ possemus discernere, quo modo crisis ægritudo foret terminanda: quod etiam Avicenna hæsitaverit in ista phlebotomia in causone facienda propter dubitationem de humore sive materia faciente causonem patet ex ejus dictis *prima quarti capitulo de cura causonis:* ubi ita scribit. *Et non phlebotometur, fortasse enim inflammabit eos, & fortasse juvabit eos, si fuerit illic turbiditas & rubedo:* ex quibus verbis dicit Gentilis solvi quæstionem an in causone competat phlebotomia, & ait Avicennam velle, si materia sit sanguini mixta (cujus signum est quia illic, id est, in urina est turbiditas & rubedo) potest phlebotomia fieri: quod si non phlebotomia facit furere choleram & inflammabit: quomodo ergo dicit adversarius Avicennam non dubitare ex parte materiei, cum Avicenna non aliud dubitet in facienda phlebotomia in causone, nisi utrum materia sit mixta sanguini, vel non: ut admoneat medicos in hac phlebotomia debere esse advertentes.

*Adversarium Avicennæ contradicere.*

Octavam objectionem quæ stat in hoc quod male Avicenna utitur remediis ad erysipelas quibus utitur Paulus ad herpetem vesicosum vel pituitosum quæ remedia sunt fortiter exsiccantia: & ideo non congruentia erysipelati morbo calido & sicco, adversarius male recitat: & ideo non solvit ad propositum dicens quod Abolai propter diversitatem nominum non vult relinquere veram curam, & quod sciebat ex Hippocr. in *quinta particula aphorismorum* quod duplex erat erysipelas scilicet ulceratum & non ulceratum, & similiter quod erysipelas dicitur de igne sacro: & ideo non voluit contendere de nominibus, sed voluit etiam ponere medicinas competentes erysipelati ulcerato: quamvis Galenus dicat quod sit herpes comedens, sive formica corrosiva. Ista mihi videtur calumnia adversarii adversus Leonicenum (qui tamen ubique fugit contentionem de nominibus, quia hoc est contra Galenum, cujus doctrinæ fatetur se professorem) imputantis eidem Leoniceno quod voluerit de vocabulis cum Avicenna contendere: Vocet Avicenna herpetem comedentem si libet ipsi erysipelas ulceratum vel formicam corrosivam: si ista nomina tam apud Galenum quam apud Avicennam significant eandem dispositionem (ut etiam fatetur adversarius) cur Avicenna confundit capitula & ponit curam erysipelatis ulcerati in *capitulo de erysipelate*, & eandem curam postea ponit in *capitulo de formica*, nam si idem significabat apud ipsum erysipelas ulceratum & formica corrosiva, non debuit curationes illarum dispositionum ponere in diversis capitulis: & ideo bene objecit Leonicenus Avicennæ, quod docendo curare erysipelas ulceratum in *capitulo de erysipelate*, capitulum in capitulo posuit, quia ista curatio potius pertinebat ad sequens capitulum, ubi agit de curatione formicæ corrosivæ: & ita ista quæstio non fuit de nominibus ut opinatus est adversarius; sed de confusione capitulorum. Dubitationem etiam illam quam movet Leonicenus in dictis Avicennæ dicentis, & si erysipelas fuerit super cutem, quasi videatur nunc dubitare, nunquid alibi quam in cute fiat, cum tamen supra dixisset quod non fit nisi in eo quod apparet de cute, mirabili glossa solvit adversarius, exponendo illa verba, si erysipelas fuerit super cutim, id est, si materia totaliter fuerit expulsa, quæ expositio est valde extorta: & si peteretur quomodo scietur utrum materia totaliter foret expulsa, neque adversarius, neque alius sciret respondere: & ideo in tali sensu frustra illa verba ab Avicenna fuissent posita.

In ultima objectione videtur adversarius omnino concedere Avicennam errasse quia in ista levius se expedit quam in omnibus aliis: ubi tamen debuit magis pro vera solutione laborare: nam cum Leonicenus objiciat Avicennæ qui curam cum ferro vel cum penna quæ competit cuidam speciei verrucarum, quæ nomine æquivoco appellatur formica, ipse tribuerit formicæ corrosivæ ægritudini, scilicet omnino à verrucis differenti: respondet adversarius quod duplex est formica, altera verrucalis, altera non verrucalis, quæ non verrucalis, dividitur in ulcerosam seu corrosivam & non corrosivam, & quod curatio cum penna vel embuba competit formicæ verrucali: & curatio cum humidis competit formicæ non ulcerosæ: & ita intelligendo Avicennam non invenimus ipsum dixisse falsum, neque contradixisse Galeno, certe iste gallus bene cantat; sed vox ejus non consonat verbis Avicennæ, qui si ita cantasset bene cantasset & Galeno consone; sed primum Avicenna nihil dixit de formica verrucali in hoc capitulo: immo statim à principio dixit quod omne apostema in cute ambulativum quod latitudinem non habet est formica, & alia corrosiva, & alia est miliaris: insuper si tractatio de verrucis & earum curatione pertinet ad tractatum de decoratione (sicuti postmodum Avicenna *fen septima de decoratione tractatu tertio* posuit *capitulum* separatum *de verrucis* in quo etiam scripsit similem eradicationem verrucarum vel cum penna vel cum ferro) quid oportuit eam dispositionem scilicet formicam verrucalem, quæ non est ægritudo proprie; sed extra ægritudines communicare inter ægritudines, & eandem curam in duobus locis repetere: neque Avicenna in capitulo de formica facit aliquam divisionem formicæ tanquam vocis in significata, si adversarius diligenter legit expositionem Gentilis & Dini in expositione formicæ: immo Dinus videtur animadvertisse errorem Avicennæ in hoc *capitulo de formica & cura ejus*, quia fatetur quod remedia quæ ponit Avicenna ad formicam corrosivam sunt valde extranea, & Leonicenus dicit in *libro suo* quod illa remedia ponuntur à Paulo ad formicam verrucalem: quamquam Dinus in aliis quidem remediis formicæ corrosivæ quodammodo damnet Avicennam ponentem remedia extranea & parum prohibentia corrosionem, quæ tamen potius sunt augentia corrosionem, errorem autem in curatione manuali ejusdem formicæ corrosivæ Dinus non animadverterit: dicit enim super illa verba Avicennæ & Galenus quidem &c. quod Avicenna ponit curam formicæ corrosivæ cum operatione manuali, & quod hæc curatio debet fieri quando curatio ejus est difficilis per medicinas. Gentilis vero fatetur quod hæc curatio manualis competit formicæ verrucali, & allegat Galenum ponentem ipsam 14. *therapeuticæ:* sed sicuti antea notavimus istud non excusat Avicennam, qui nullam facit neque debuit facere in hoc loco de formicæ verrucalis curatione mentionem, & ipsemet Avicenna statim post illa verba, cum ergo corrosio & ulceratio apparet tunc administra *trochiscos asdaron cum vino stiptico aut aceto commixto aut succo cucumeris asinini & sal & fel hirci & rutam cum nitro & piper & nitrum cum urina pueri*, quæ plurima sunt remedia extranea à Dino notata, posita autem à Paulo contra formicam verrucalem: statim subjungit & Galenus quidem &c. adeo quod non potest Avicenna excusari neque à Gentili neque ab adversario quod quando allegat Galenum in curatione manuali formicæ intelligat de formica verrucali; quia immediate antea posuerat ad formicam super quam apparet corrosio & ulceratio, quæ proculdubio non est formica verrucalis, remedia competentia formicæ verrucali: ita ut

unus

unus & idem error continuetur incipiendo ab illis verbis Avicennæ: cum ergo corrosio & ulceratio apparet usque ad illa verba. Illorum autem formicæ &c. Simili ratione probatur quod etiam Avicenna non applicat humida sicuti *lactucam & nenuphar*, & reliqua formicæ non ulcerosæ, ut respondet adversarius; quia hæc cura continuatur cum præcedente, quæ est curatio formicæ corrosivæ: dicit enim Avicenna & administra in principiis ejus scilicet formicæ corrosivæ (de qua statim suprà loquutus erat) *lactucam & nenuphar:* Quod si adversarius contra leges grammaticæ velit exponere ejus id est formicæ non ulcerosæ, incidet in alium errorem majorem illo quem vult evitare: nam cum formica non ulcerosa sit morbus siccus, cur Avicenna statim postea ad eam formicam non ulcerosam adhibet exsiccantia? ubi dicit, & si fuerit necessarium, tunc quod sit sicuti *solatrum* & proprie siccum tritum: in eo enim est exsiccatio: & sicuti *aruogloſſa & rubus & lens & post ipsam farinæ hordei, & cortices granatorum, & rami vitis:* quæ remedia omnia excepto solatro ponuntur à Galeno *secundo ad Glauconem* in cura formicæ ulcerosæ, & valde rationabiliter. quia tales medicinæ exsiccantes competunt ratione ulcerationis. Quia vero, ut inquit Plinius, *ingenui est animi fateri per quos profeceris*, non inficior me has omnes rationes contra Avicennam & adversarium defendentem Avicennam excerpsisse partim ex libro Leoniceni *de morbo Gallico*, partim ex quibusdam recollectis, & quæstionibus, quas sub eo ego cum quibusdam aliis condiscipulis scripsi, dum ipse publice legeret librum Galeni *de accidenti* & *morbo*, & *de febribus*, & *apostematibus ad Glauconem* in almo gymnasio Ferrarienſi: & inter legendum multos Avicennæ errores aperiret, male Galenum, cujus se fatetur interpretem, referentis: ipse enim dicere solebat totum fere Avicennam esse Galenum & Paulum male translatum: & nullam aliam esse viam intelligendi Avicennam & ubi bene & ubi male scribat, nisi conferendo libros ejus cum libris medicorum Græcorum à quibus Avicenna sumpsit.

Ad objectiones in quibus Leonicenus arguit Abolai in cognitione maxime & non in nomine (ut fingit adversarius) medicinarum simplicium, idem adversarius respondens ingenue fatetur Abolai aberrasse non solum in his simplicibus quæ notavit Leonicenus; sed in multis aliis: in qua re satis concordat cum Leoniceno, qui in *libro suo de erroribus Plinii* & aliorum medicorum utitur his verbis: *in cujus auctoris*, scilicet Avicennæ, *erroribus explicandis exspatiari si velim, nullus huic operi terminus futurus est, cum omnes ejus de medicina libri, ac secundus præsertim in quo de simplicibus medicaminibus tractat* (de quibus hactenus sermo habitus est) *innumeris scateant erroribus:* in eo autem opere Leonicenus solum de simplicibus tractat medicamentis, in quorum cognitione plurimum Avic. aberrasse demonstrat: hanc tamen ignorantiam adversarius Rhasis & Galen. auctoritate defendit: Rhasis quidem dicentis *vigesimoquarto Continentis capitulo primo: Bubixer Maumeth filius Zachariæ erasis. ad discretam notitiam medicinarum bonarum & malarum purarum & non purarum, licet non teneatur medicus necessario prout imperiti credunt, tamen melius est & venustius scire quam non scire:* Galeni autem *sexto epidemiæ* dicentis, *servitores medici sunt herbarii, confectarii, emplastratores, speciales, barberii: & primo regiminis acutorum*, dicentis, *quod vulgus non discernit meliorem medicorum à viliori, quia eædem sunt medicinæ quibus utitur melior medicorum & vilior*; sed istæ auctoritates nihil Avicennam defendunt: quoniam Rhasis ipse quamvis forte voluerit similem ignorantiam simplicium medicamentorum in se ipso qualis fuit in Avicenna excusare, tamen non ausus est omnino scientiam talium simplicium medicamentorum à scientia medicinæ excludere; sed dixit ex auctoritate cujusdam Bubixer, quod non est necessaria discreta notitia talium medicinarum: quasi diceret, tenetur medicus habere eorum notitiam quamvis non omnino exactam atque discretam, & in fine subjungit quod tamen melius est & venustius scire quam non scire: Galenus autem quomodo potuit dicere illa verba quæ allegat adversarius in *sexto epidemiæ*: nisi sibi manifeste contradiceret, qui in *secundo de crisi* dicit totam medicinam ex duabus constare notitiis, altera subjecti circa quod medicus operatur, altera illorum quibus veluti instrumentis in suo opere utitur. Sed videat adversarius, ne ista verba sint potius Alexandrini commentantis sextum epidemiarum, quam Galeni: quæ tamen verba etiam si à Galeno scriberentur, nihil facerent ad propositum, quia verum est quod herbarii, confectarii, emplastratores, speciales, barberii, sunt servitores medicorum, scilicet herbarii in colligendis herbis quas illi præcipit medicus, & speciales in compositione medicinarum puta syruporum vel pilularum & aliorum solutivorum secundum artem quam præcipit medicus: & ita barberii phlebotomando venam hepatis & splenis & aliorum membrorum qualem ipsis monstravit medicus: alioqui si harum rerum scientia non pertineret ad medicum; sed ad ministros medicorum, frustra Galenus, Dioscorides, Avicenna, Serapio, Mesue, tot volumina de simplicibus medicamentis & eorum compositione scripsissent: frustra Galenus tot *libros de anatomia* scripsisset, si soli barberii scire tenerentur venarum ad diversa membra propagationem: Verum harum rerum scientia sicuti herbarum & omnium plantarum & partium animalium præcipue hominis, non solum pertinet ad medicos; sed etiam ad altiorem disciplinam puta philosophicam: quoniam de ipsis & Aristoteles & Theophrastus summi philosophi multa scripsere volumina, ut mirandum sit adversarium tam nobilem cognitionem à medicis atque philosophis ad speciales & barberios relegare: Sed ego nolo longius hanc ejus absurdissimam opinionem confutare, ipse audiat suum Simonem Januensem, ita contra ipsum pronunciantem: *Quid das languenti: & à te vitam speranti quod nescias? cum exhibes pro salutari mortiferum: putas ignaviam excusaturam refugium? non est tam parvi humana conditio, ut è manu incuriæ vita dependeat:* nescio in opere medicinæ cujus magis necessaria cognitio quam quod humanis prosit vel obsit corporibus: hæc à simplicibus medicinis & cibis habet originem, & veluti à primis elementis fundamina. Auctoritas autem Galeni quam adducit adversarius in *primo regiminis acutorum* dicentis quod vulgus non discernit meliorem medicorum à viliori; licet non sit Galeni, sed Hippocratis, nihil facit ad propositum; quia ibi Hippocrates loquitur tantum de *regimine dietativo in morbis acutis:* in quibus omnes medici adhibent vel *succum ptisanæ*, vel *melicratum*, vel *vinum* tale vel tale: & in hoc est parva differentia inter medicos doctos & indoctos; quia tam docti quam indocti novere quid sit *ptisana*, quid *melicratum*, quid *vinum aquosum*, *vel vinosum*; sed quibus & quo tempore danda sint, & in quanta mensura, soli periti medici sciunt: itaque nihil hoc facit ad præsentem quæstionem, nunquid bonum medicum oporteat esse simplicistam: ego enim credo quod antiqui exiſtimaverunt oportere optimum medicum habere cognitionem simplicium: jubere autem herbariis & speciariis ut hæc ex agris vel montibus quærant: alioqui si hæc quæ ipsis ministrantur non agnoverint, sæpissime ab hominibus imperitis & lucrum quærentibus decipientur: pauper autem infirmus propter talem deceptionem quæ imputabitur speciario, cum potius medico sit imputanda, animam exhalabit: & ita qui habet aures audiendi audiat: quia si semel ægrotus fuerit interfectus, non erit litera quæ ipsum occidet, sed medici imperitia, & nullus spiritus eum vivificabit. Utrum autem Abolai partes illas in medicina principales scilicet species & causas ægritudinum, & cætera quæ enumerat adversarius, in quibus Avicennam longe cæteris medicis præstare contendit, recte tradiderit, scietur ex opere Leoniceni, in quo Avicennam in omnibus illis medicinæ partibus plurimum aberrasse, & multum Galeno inferiorem fuisse, demonstrat.

FINIS.

JACOBI CATANEI DE LACUMARCINO, *Gemenſis*,

*Egregii Artium, & Medicinæ Doctoris*,

D E

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS.

### CAP. I.

*De origine, & nomine morbi Gallici.*

Cum in omni ſcientia de ſubjecto quid eſt, & quia eſt, prægnoſcendum ſit, *poſteriorum primo*, inanis profecto rudiſque ſermo noſter haberetur, niſi quid nomine morbi Gallici ſignificetur, ipſumque morbum Gallicum ens eſſe poſſibile in natura prænarraremus. Qui anno Virginei partus Milleſimo Quadringenteſimo nonageſimo quarto, invadente Carolo octavo, Francorum Rege, regnum Partheniopæum, Alexandro vero Sexto ea tempeſtate ſummum pontificatum gerente, exortus eſt in Italia monſtroſus morbus, nullis ante ſæculis viſus, totoque in orbe terrarum incognitus, fœditate magna innumeris puſtulis, ulceribuſque per totam faciem, univerſumque corpus, mulieres, viroſque deturpans, magna etiam ſævitia dolorum, noctu præſertim humanum genus affligens, laceranſque nodoſitatibus inſtar lapidum, per membra, & juncturas exortis, pleroſque debiles, & mancos effecit, & taliter in humanum genus graſſatus eſt, ut quodcunque genus mortis potius eligendum ſit, contagioſus quidem, nec ſexui, nec ætati, regionive parcens. Quin per univerſum orbem morbus hic hiſce temporibus irrepſerit, principes, nobiles, ac plebejos pariter invadens. Quidam pudendagram vocavit, quia à pudendis membris incipit per coitum cum fœmella infecta. Galli vocavere morbum Neapolitanum, quaſi morbum peculiarem illi provinciæ, quod falſum eſt. Itali vero morbum Gallicum vocavere, quia exiſtentibus Gallis in Italia, morbus hic natus eſt, cum prius non adeſſet. Id etiam forſan priores enunciaverunt, arbitrantes morbum hunc Galliæ peculiarem, hujus inſuper, & carbunculi parem originem, perſuaſi auctoritate Pliniana. ait enim *vigeſimi ſexti naturalis hiſtoriæ capite primo. L. Paulo. Q. Martio cenſoribus primum in Italiam carbunculum veniſſe, annalibus conſcriptum eſt, peculiare Narbonenſis provinciæ malum.* Quo duo conſulares obiere, nec id credimus, ſed novum morbum affirmamus, quo Juppiter ipſe, Turbatus meritas in nos exercuti iras. Et hæc de origine, & nomine hujus morbi dicta ſufficiant.

### CAP. II.

*De morbi Gallici definitione*

Morbus Gallicus eſt paſſio oriens ab univerſali infectione in maſſa ſanguinea, à veneno menſtruali dependente, ad quam eſſentialiter duo accidentia ſubſequuntur, cutis videlicet defœdatio, & dolores per univerſum corpus. Morbus inſuper inſolitus, communis utrique ſexui, omni ætati, mundumque omnem pervadens. & hæc vera exiſtit definitio, quia convertitur cum definito, & facit differre definitum à quocunque alio. Cum autem dicitur, eſt paſſio naſcens ab univerſali infectione in maſſa ſanguinea, hoc totum ponitur ut genus. Omnis enim morbus Gallicus eſt paſſio exoriens ab infectione univerſali in maſſa ſanguinea, & non econtra. Animadverte haud ab re infectionem me dixiſſe, etſi enim dictio ipſa hac in definitione ſe habet ut genus, vim tamen etiam poſſidet differentiæ. Quandoquidem per eam differt à lepra, cum qua quandam ſuperficialem habet ſimilitudinem, quæ eſt univerſalis in maſſa ſanguinea corruptio. Corruptionem vero vocamus, cum ſanguis ad hoc devenerit, ut non poſſit digeri, & ad ſuam naturam reverti. Verba ſunt Galeni in *fine commenti illius aphoriſmi ſecundæ part. ubicunque cibus præter naturam intrat* &c. Sanguis enim in hoc morbo extra naturam mutatus digeri poteſt, & ad ſuam naturam reverti, ut ipſa experientia docet. Recte ergo vocabitur infectio, & non corruptio. Cum autem dicitur à veneno menſtruali dependente, cauſa ejus generationis explicatur, de qua capite immediate ſequenti plene agemus. Nec præter rationem etiam dicitur, ad quam duo eſſentialiter ſubſequuntur accidentia &c Ad differentiam ſcabiei, ſaphati, ſerpiginis &c. qui morbi quamvis ex infectione in ſanguine exoriantur, non tamen dolores eſſentialiter ipſos comitantur, ut ab hoc morbo affectis omnibus evenit. Dicitur etiam morbus inſuetus, ad differentiam morbi epidemialis, qui, ut colligi poteſt à Joanne Alexandrino ſuper epidemias Hippocratis, ſic poteſt deſcribi. Morbus epidemialis eſt morbus communis ſuperveniens, & conſuetus ambulans per mundum. Hic autem morbus non eſt conſuetus, ut patet. Ex quo infertur illum erraſſe, qui hunc morbum epidemialem vocavit. Cæteræ particulæ per ſe patent. Et hæc in præſenti de definitione hujus morbi, & ejuſdem definitionis explanatione dicta ſufficiant. pleniorem tamen ejuſdem definitionis explanationem inferius, Deo dante, accipies.

### CAP. III.

*De cauſis morbi Gallici.*

Cauſæ morbi Gallici aliæ ſuperiores, & incorporeæ. Incorporeas autem voco, quæ per influxum, & non per contactum in hæc inferiora agunt. Aliæ ſunt inferiores, & corporeæ per contactum in humana corpora agunt, ea inficiendo, eaſque inferius ſigillatim enarrabimus. Cum enim, ut dictum eſt, hic morbus communis ſit, totum mundum perambulans, neceſſario debemus aſſerere ejus cauſam eſſe univerſaliſſimam, quam, niſi cœleſtem influxum, appellare non convenit. Dico autem univerſaliſſimam, quia omnibus mundi climatibus influxus iſte ex ſiniſtris ſtellarum aſpectibus, & figuris cœli malevolis, pluſquam dimidium mortalium, hoc novo morbo correptos vexavit, laceravit, mundumque perterruit. & huic cauſæ univerſaliſſimæ omnes mortales æque ſubjacent, licet ſecundum influxum proprium, & particularem, qui ſumitur ab ortu cujuſque individui ſecundum aſcendens proprium ex ſitibus, & aſpectibus ſeptem errantium ſtellarum &c. à quo complexiones & mores vim non mediocrem accipiunt, ut hic magis, ille minus huic morbo obnoxius eſſe dicatur, vir tamen ſapiens aſtris dominabitur. Licet enim aſtra nos fortiter inclinent ad bonum, & ad malum, non tamen cogunt. libero enim arbitrio poſſumus nos indifferenter ad omnia concurrere. Quapropter à ſummo Deo morbum hunc ad mortales ob ſcelera eorum demiſſum credimus, ut eos puniat, qui adulteria, & vetitos à lege concubitus aſſidue paſſimque ſequuntur, & more belluarum vivunt, &, ut ait propheta, *Qui facti ſunt ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus.* Hæc opinio cum fidelis, & catholica ſit, dictis etiam gentilium corroboratur, ut habetur à poëta lyrico in carminibus. *Neque per noſtrum patimur, ſcelus, Iracunda Jovem ponere fulmina.* Nec id tantum ævo noſtro accidit, ſed, & priſcis temporibus. ut enim in bello Peloponenſi Thucydides ſcribit, *quoddam genus peſtilentiæ inſuetum & atrociſſimum, primum Æthiopiam, quæ eſt ſupra Ægyptum. deinde Ægyptum, Libyamque mox Athenas invaſit.* Idipſumque bellum comitante peſtilentia Athenienſibus ab oraculo hoc prænunciatum fuerat carmine. *Doriacum veniet Limo comitante duellum.* Cujus peſtilentiæ meminit Galenus 3. *De Morbo. cap.* 3. Tiberii etiam Cæſaris principatu quoddam genus mali incidiſſe, Colum appellatum, primumque ipſum imperatorem invaſiſſe ex Plinii XXVI. *naturalis hiſtoriæ cap. primo* conſtat, ita dicentis. *Quid hoc eſſe dicemus? aut quas Deorum iras? Parum enim erant homini cætera morborum genera, cum ſupra trecentum eſſent, niſi nova timerentur.* Has autem cauſas cæleſtes longinquas, & ex parte ipſarum neceſſarias tanquam medicum latentes, & operibus artis non ſubjacentes per particulares ſitus, & aſpectus aſſignare congruum non duximus. Nobis autem impræſentiarum, cum medicum agamus, tantum cauſas proximas, & inferiores, reſpectuque cauſarum cœleſtium agentium paſſivas, reſpectu tamen generis humani activas, à quibus immediate

mor-

morbus hic dependet, figillatim narrare sufficiat. Et dicamus, quod, sicut dictum est, talis morbus contagiosus est, & ut plurimum per coitum cum infecta, vel cum infecto contrahitur. Virile membrum, vel vulva primo inficitur ex contactu ulceris, in eisdem membris existentis, & hæc est prima causa, vel ex mala qualitate ulcerativa in vulva existente sine ulcere, & erit secunda causa. Vel a spermate fœmellæ, quod dicitur gutta, quod à venis totius corporis decidit, & membrum virile si contingat, ipsum inficere poterit. Quod in pluribus experti fuimus. Ac vice versa pluries vidimus viros, secundum membrum virile sanos, & partes cutaneas totius corporis mundas, sanguinem tamen ad hunc morbum mala qualitate dispositiva propensum habentes, cum sana coëuntes illam inficere, & id non evenit, nisi ex contactu seminis, mala qualitate ulcerativa infecti, & hæc erit tertia causa. Latet enim quandoque venenum in sanguine, velut fermentum quoddam. Quarta causa poterit esse coitus cum sana, cum qua de proximo coiverit infectus, semine adhuc in matrice existente. Quinta causa est longa mora, & assidua dormitio cum infecta, vel cum infecto sine coitu. Vidimus enim quamplurimas genitrices, filios suos tali morbo infectos, tractantes, & eis ministrantes, post aliquod tempus infectionem hausisse. Hoc etiam modo vidimus plures infantulos lactentes, tali morbo infectos, plures nutrices infeciisse. Sexta causa poterit esse, & de facto est, potus lactis mala qualitate infecti, dato quod nulla cutanea infectio appareat. Lac enim cum ex sanguine generetur, malam sapit qualitatem in sanguine præexistentem. Quapropter consulo ne infantuli præbeantur nutricibus, talem morbum perpessis, nisi optime curatæ fuerint; & si possibile est, omnino vitentur, morbus enim est ad recidendum aptissimus. Hæ causæ fortiores, & debiliores erunt, secundum variam dispositionem individuorum. Actus enim activorum non fiunt, nisi in patiente disposito. Vidi enim complures, concubitus immundarum non recusantes, & in sordes venereas se se præcipitantes, qui tamen nullam inde infectionem hauserunt. Accidit enim in hoc morbo sicut in epidemia, fortasse corpora sana, & munda non patiuntur ab eis, ut dicit Princeps. Tutius tamen est abstinere, & cavere, Quia scriptum est. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et, ut dicit poëta lyricus *Raro antecedentem scelestum, deseruit pede pœna claudo.* Dicamus igitur de prima causa, quæ principalis est, & potissima causa generationis talis morbi, & est, cum ex concubitu cum infecta membrum virile primo inficitur, ulceraturque à veneno quodam menstruali ex matrice fœminæ ipsi membro virili infuso. Quod quidem virus paulatim inficiendo corporis membra corripit, & ad venas usque perveniens, sanguinem cum quo similitudinem habet, totamque massam humoralem tali veneno menstruali subjectam, in sui similitudinem, naturamque melancholicam convertit, heparque, & cerebrum lædens, suaque vi superiora petens in palato desinit, rheumatismos generat, nervos & junctiuras lædit, vique sua pernicioſa sic agit, & quæ petit membra graviter offendit. Sicut enim cernimus quod ex corpori humano infuso ex morsibus diversorum veneno animalium, aut ex potu diversorum venenorum, diversa in corpore humano membra læduntur, & varia inde insequuntur accidentia, secundum varias proprietates venenorum ad membra corporis humani. Sic ex isto veneno, tali modo corpori humano infuso, membra prædicta læduntur, & massa sanguinea inficitur. Propterea dictum est in definitione, ad quam duo essentialiter consequuntur accidentia &c. Ex quo infertur hunc morbum esse unum, & non plures, ut nonnulli credidere, cum unam habeat causam inferiorem, ab influxu cœlesti hisce temporibus sic affectam. Membra enim sanguinem eo modo infectum pro suo alimento deputatum, cum ad ipsa nutrienda venerit, spernunt, & ad cutem tanquam ad emunctorium totius corporis à natura expellitur. Unde primum gignitur accidens, cutis videlicet defœdatio. & hinc est quod exoriuntur pustulæ, saphati, & cutis asperitates, defœdationesque, secundum ubertatem humoris in sanguine peccantis, & numerum mortalium. & tales pustulæ, defœdationesque, præsertim in facie apparent. Quos malos affectus ægritudines in forma appellari convenit ut habetur 3. *Techn.*, & 1. *de accid. & mor. c.* 7. & *coll.* 7. c. *pen.* Unde tales homines fœdi, & turpes appellari merentur, & non deformes, ut paulo inferius declarabimus. A venis etiam ad junctiuras, tanquam ad propria emunctoria, varii confluunt humores, hincque secundum efficitur accidens, dolores videlicet in universo corpore. Sanguis itidem melancholicus, qui in talia patientibus abundans est ad nutriendum ossa, cartilagines, nervos, panniculosque deputatus est. Ex puriori vero sanguine, & temperatiori nutriuntur carnes, & membra principalia, & organa sensuum, ex crassiori autem ossa, &c. Cum itaque ad hæc nutrienda venerit, ab ipsis repelliter ob ejus superfluam quantitatem, & tanquam ipsis inimicus sua mala qualitate venenosa. nec non crassitudine sua immodica, impediente transitum in porositates prædictorum membrorum, ut in eisdem iterum concoquatur, & multis conversionibus in similitudinem eorum convertatur. Et cum hæc membra exsanguia, & debilia existant, propriaque emunctoria non habeant, sequitur quod talis humor ipsis membris adhæret, infigiturque, dolores varios concitans secundum majorem vel minorem ipsius homogeneitatem, vel heterogeneitatem, & secundum ipsius veneni menstrualis inficientis diversam specificationem. Quotidiano etiam defluxu, non cessante actione ipsius veneni menstrualis in ipsa membra principalia, & massam sanguineam augmentum & deseccationem suscipit, & fiunt nodositates instar lapidum. Adjuvat etiam ad hoc rheumatismus, ex multitudine vaporum ascendentium proveniens, & ex debilitate cerebri ipsos vapores digerere, & consumere non valentis. De morbi hujus causa hæc dicta sufficerent, hicque huic capitulo finem imponeremus, nisi esset quod superius diximus, quod in hoc morbo in corpore toto, & præsertim in facie exoriuntur pustulæ, saphati, impetigines, &c. Qui mali affectus morbi in forma appellantur Talia tamen patientes fœdi, turpesque appellari merentur, & non deformes. quod patere potest. Nam de his malis affectibus Avicen. 7. 4. *tractatu de decoratione* tractat. Nec Galen. cum de his agit morbis, talia patientes, deformes appellat. Confirmata vero elephantiasi laborantes consuevit Galen. deformes vocare. Deformitas enim apud Galen. privatio formæ dicitur naturalis, cum impossibilitate reditus ad eandem via medicinæ. A privatione enim ad habitum impossibilis est regressus. Deformitas etiam, & corruptio formæ idem important. Quod enim corruptum est, impossibile est redire. idem num. 2. de generatione, & corruptione. Quod apparet, quia exsiccantur, & corrumpuntur musculi, & membra spermatica, quorum restauratio est impossibilis. Et propterea patet Sebastianum Aquilanum erratse, qui hunc morbum elephantiasin credidit, & elephantiasin non esse eum morbum specie quem Arabes lepram vocant. Primum ejus dictum probare intendens potissimum à deformitate argumentationem sumit. Alterum duabus conatur probare rationibus quæ tales sunt. Iste enim contra Paulum Aeginetam qui tenet, ut verum est, quod elephantiasis sit is morbus, quem Arabes lepram vocant, probare vult per dicta ejus, & Galen. elephantiasin apud eum esse longe diversum morbum ab eo, quem Galen. elephantiasin appellat, & argumentatur sic. Elephas post principium secundum Paulum non recipit curationem, sed elephas post principium secundum Galen. recipit curationem, igitur elephas secundum Paulum, non est elephas secundum Galen. major hujus rationis affirmatur à Paulo, minorem probat auctoritate Galen. 11. *De simplici medicina. cap. de carne.* ubi Galen. ponit plures casuales experientias de elephantiasi. Iterum intendens probare quod elephantiasis non sit lepra, argumentatur sic. Ille morbus, à quo cum curatur aliquis, currit in alium, non debet denominari morbus ille in quem transiit, sed Galen. ex elephantiaco fecerat leprosum, ut patet loco præallegato, ergo elephantiasis non est lepra. Ad primum. iste enim falsa recipit, ut patet. Non enim patientes morbum Gallicum deformes sunt, nec horribiles ad videndum, nec cutis eorum similitudinem habet pellis elephantinæ, immo in quibusdam patientibus hunc morbum nulla sensibilis apparet in forma alteratio, ut in tertia patuit causa. Vir quidem iste nec vivum, nec pictum ostendit se elephantem vidisse. Hæc autem habitudo fœda in ipso morbo Gallico eveniens, quam iste deformitatem appellat evenit in ipso morbi Gallici initio magis, quam in processu, in elephantico vero morbo in processu, & non in initio deformitas apparet, ut vir iste, & cæteri medicinæ auctores affirmant, & rei veritas est. Et, ut effectus in suas reducamus causas, hoc contingit propter malam complexionem calidam, & siccam valde, & præsertim hepatis in malos cibos agentem, quo fit, ut digestiva non bene concoquat, unde incrementum humoris melancholici adusti in toto consequitur corpore, errorque immutativæ sequitur virtutis, unde lepra generatur, quam deformitas, ut accidens proprium, comitatur, & ideo in processu tumores in universo corpore, caro, pellisque elephantina apparent, & aures attenuantur, nares dilatantur, labia contrahuntur, & veluti ridentes dentes ostendunt. & fit quasi ut in cadaveribus ex longo tempore exsiccatis per extractionem caloris naturalis, & humiditatis, & tandem extrema corrumpuntur, & cadunt, fœtentque. Nihil vero horum in patientibus morbum Gallicum apparet. Et ideo Galenus 2. *artis curativæ ad Glauc.* postquam curationem elephantiæ per evacuantia, & phlebotomiam, & echidnarum esum posuit, dixit. *Et hæc omnia dixi in principio his*

*his cauſis utiliter facies, inveteratas autem & eradicatas reprimere magis quam ſanare poteris.* Et Paulus ad id alludens dixit. *Oportet virtutem remediorum majorem eſſe ipſis ægritudinibus.* Idcirco curari non poſſe elephantiaſin, cum nullum medicamentum ea validius inveniatur. Subdit tamen, exiſtente morbo in principio, ita quod neque ſuperficies exulcerata ſit, neque tumores multum elevati, neque etiam aliquod extremum exciderit, ſed turpior quodammodo ſolum facies ſit, curare conabimur. Ecce quod alteratio facici, quæ in principio lepræ, ſive elephantis apparet, non corruptio formæ, non deformitas vocatur, ſed turpis diſpoſitio, & hæc curari poteſt, ſumma tamen cum medici diligentia, & labore non parvo. In proceſſu autem ad eam diſpoſitionem deducto morbo, ita ut ſuperficies exulcerata ſit, & extrema exciderint (quam diſpoſitionem Arabes corruptionem formæ vocant, Gal. vero deformitatem) impoſſibilis tunc eſt ſanatio. Iſte autem non admittit ſeriem textus ſcil. *& hæc omnia dixi in principio inveteratas autem*, &c. Quia pro ipſo non facit more cauſidicorum. Et dicit quod in exemplaribus Græcis non invenitur. Cur magis codices illi falſi quam illi? Credendum eſt, quod interpretes plura tunc habuerint exemplaria. Fortaſſis dicet. Translatio eſt ex Arabico in Latinum, quæ falſa eſt, & corrupta. O maxima inſania. Credendum eſt Rhaſim, Avicen. Hali abbatem, Avenzoar, Averroim, Galeni opera habuiſſe corrupta, & non cognoviſſe? Tanti enim fuere in medicina viri iſti, ut ſi illa quæ poſt divinum Hippocr. volumina à Galen. in medicina optime compoſita ſunt, non inveniſſent, quiſque eorum talia effingere valuiſſet. Quod ſi hæc propria adjunxerint ſententia, ut reſpondere poſſet, nos potius illis quiete aſſentiri volumus (præſertim cum Galen. non contradicant, Fidelis enim extat gloſſa) quam ſermonum Galen. iſtius calumniam comprobare. Et quia dictum eſt morbum Gallicum ortum habere à ſanguine menſtruo, cujus complexio, etſi frigida & ſicca ſit, multam tamen ſuperfluam humiditatem indigeſtam continet, quæ aduſtioni obſiſtit, non permittens hos languentes ad tantam ſiccitatem devenire, quantam in elephantiaſi cernimus, per quam ſuperfluam humiditatem ſumme hepar læditur, & malo diſponitur affectu, quo hydrops gigni ſolet, carnoſum quidem, & aquoſum hydropem dico, tranſitus tamen ex morbo Gallico ad elephantiaſin poſſibilis eſt. Vidi enim duos ex morbo Gallico ad elephantem tranſiviſſe. Nec tantum morbus Gallicus, & elephas ſecundum magis & minus differunt, verum etiam ſpecie. Quod clare patet ex diverſitate operationum eorum morborum in corpore humano. Longe enim diverſa operatur accidentia elephas ab eis accidentibus, quæ morbus Gallicus operatur, ut manifeſtum eſt. Jam igitur exploratum haberi poteſt, hunc non tantum falſa recipere, aſſerendo morbum Gallicum eſſe elephantiaſin, verum etiam falſa recipere, dum fatetur elephantiaſin apud Galen. & Græcos, non eſſe eum morbum ſpecie, quem Arabes lepram vocant. Licet enim quidditates ſive eſſentiæ rerum inter ſe ſint differentes, non expedit tamen in cognitionem differentiæ ipſarum devenire, niſi per operationes proprias ipſarum, & accidentia quædam propria. Unde philoſophus, & Commentator ſuper proœmium de anima dicunt, quod accidentia propria magnam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt. Sic igitur formetur ratio, operationes morbi apud Galen. & Græcos elephantiaſis dicti, & operationes morbi apud Arabes lepra dicti eædem ſunt, & non diverſæ; ergo elephantiaſis apud Galen. & Græcos, & lepra apud Arabes idem morbus ſpecie ſunt, & non diverſi. Conſequentia patet. Quia ſecundum unitatem, vel diverſitatem operationum habemus arguere unitatem, vel diverſitatem ſpeciei, à qua tales dependent operationes, & non ſecundum unitatem, vel diverſitatem nominum. Major inductive patet per ſingulas operationes eorum morborum in corpore humano. Hæ autem operationes, ut morbos conſequentes, accidentia vocantur. Quorum cauſa morbus ipſe exiſtit, & ſignificationes dicuntur reſpectu conſiderationis medici, eſſentiam morbi inquirentis. Et ideo Galen. *interiorum 5. cap.* 7. monet nos ut ſtudeamus in cognoſcendis propriis accidentibus cujuſque morbi, & in eis, quæ aliis communia ſunt paſſionibus, quod cum fecerimus facultatem verum judicandi nobis pollicetur. Hanc ſi iſte, in inquirenda morborum eſſentia Galen. ab Ariſt. traditam ſectatus fuiſſet viam, talia non ſcripſiſſet. etſi enim iſte, complureſque hujus noſtræ ætatis, medicinæ doctores Arabes, & ignorantes, & negligentes arguunt, poſt tamen Hippocr. & Galen. hos præcipuos auctores ego habeo, & (ut illo utar Terentiano dicto) *quorum æmulari exopto negligentiam, potius quam iſtorum obſcuram diligentiam.* Reliquum eſt, ejus reſpondere argumentationibus. Ad primam reſpondetur negando minorem. Ad probationem dicitur, illam ſecutam fuiſſe per accidens, & non per ſe. A Major enim illa, elephas ſecundum Paulum extra principium non recipit curationem, intelligitur per ſe, & non per accidens. & ideo Avicen. *tertia quarti* dicit ſicut ille, qui accidentaliter ſanatus eſt, &c. Ignorat quidem iſte in medicina monſtra evenire, quemadmodum & in *natura. 7. Coll. c.* 91. & ſi illa, de quibus meminit Galen. exempla. 11. *de ſimp. med. c. de carne*, cæterique medicinæ autores de ſimilibus meminere, ſecuta ſunt, eadem non evenere ut in pluribus, & frequenter, ſed raro, & ut monſtra. Finis enim medicinæ habendus eſt ſecundum plus, & ſecundum plurâ individua, & plura tempora. Averrois eodem loco. Et ideo Galen. tanquam memoranda ſuis inſeruit codicibus cæterique itidem fecere. Deus etiam ipſe omnipotens, & bonorum omnium largitor talia nonnunquam concedit bonis & rectis corde, in mercedem, pravis in confuſionem. Sed hoc non videtur verum, quia iſta eſt propoſitio in quarto modo dicendi per ſe, qui proprie dicitur modus cauſandi. Elephantiacus potatus viperato vino ab elephantiaſi curatus eſt. Subjectum enim eſt cauſa, quare prædicatum ſibi ineſt, & talis eſt. quartus modus dicendi per ſe, poſteriorum primo. B Niſi eſſet, quod ad hoc, quod aliqua propoſitio ſit per ſe, requiruntur plures conditiones. prima quod propoſitio ſit directa. ſecunda quod habeat de ſignificatione terminorum, quod non poſſit eſſe falſa. tertia quod ſic ſe habeat, quod qualitercunque per ſuum contradictorium ſignificatur, impoſſibile eſt ita eſſe. Ad propoſitum dico, quod deficiunt omnes iſtæ conditiones. Deficit enim prima, quia illa facit primum modum dicendi per ſe. Deficit etiam ſecunda. non enim habet ex ſignificatione terminorum, quod non poſſit eſſe falſa, immo de facto eſt falſa, quia elephantiacus potatus vino viperato ab elephantiaſi non fuit curatus. Deficit etiam tertia. non enim quod ſignificatur per ſuum contradictorium, impoſſibile eſt ita eſſe, & ſi aliqui curantur, hoc tamen eſt de raro contingentibus. Finis enim medicinæ habendus eſt ſecundum plus, & ſecundum plura individua, & plura tempora ut dictum eſt. Pro reſponſione ad aliam ejus argumentationem. Advertendum eſt, quod Sebaſtianus Aquilanus in *tract. ſuo*, C quem fecit de *morbo Gallico*, poſuit definitionem lepræ, quam dicit eſſe Galen. *in lib. defin.* qui liber Galen. definitionum ad manus noſtras nondum pervenit, quæ talis eſt. *Lepra eſt mutatio cutis ad id, quod eſt præter naturam, cum aſperitatibus & pruritibus & doloribus, & ſquammas abjicit, interdum quidem non, ſed interdum plures partes corporis depaſcitur.* Hanc lepræ definitionem ſecundum omnes ejus partes declarare, negotio noſtro non alienum eſt. Cum enim bona definitio eſſentiam exprimat definiti, eaque ex genere & differentia conſtet propria, cum dicitur. Lepra eſt mutatio cutis ad id, quod eſt præter naturam, hoc totum ſe habet, ut genus, omnis enim lepra eſt mutatio cutis, ad id quod eſt præter naturam, & non convertitur, nam in ictericia eſt mutatio cutis ad id, quod eſt præter naturam, & tamen ictericia non eſt lepra. Cum autem dicitur, cum aſperitatibus, & pruritibus, & doloribus & ſquammas abjicit, differt ab ictericia, morphea alba, & nigra. Utique adeo tamen hæc definitio communis eſt lepræ, & licheni. & propterea animadvertendum circa hanc particulam, & ſquammas abjicit, quod lepra ex D vi nominis aſperitatem dicit, & ſquammas. Unde hæc lepis lepidos & ſquamma ſquammæ idem important. Tamen quia bona definitio, non tantum nomina, ſed eſſentiam exprimit, hanc ſquammarum abjectionem lepram non neceſſario comitari Galenus affirmat. ideo dixit interdum quidem non, ſcilicet ſquammas abjicit. Et ſubiunxit. Sed interdum plures partes coporis depaſcitur, id eſt non tantum cutem, verum etiam carnes, &c. Animadvertendum eſt etiam circa iſtum partem, quod depaſcere proprie eſt comedendo conſumere. inde ager depaſtus, id eſt, comedendo conſumptus. Lepra igitur quandoque unam partem corporis, puta cutem ipſum depaſcitur, id eſt, comedendo, vel corrodendo conſumit. Exulceratur igitur, & corroditur cutis, quandoque vero plures partes corporis depaſcitur, id eſt, non tantum cutem, verum etiam & carnes, & oſſa depaſcitur. Exulcerantur ideo & carnes, & oſſa corrumpuntur, & corruunt. & per hanc particulam differt à lichene qui carnes non depaſcitur. Lepra igitur genus eſt ad omnes morbos cutem tantum ad aſperitatem cum pruritibus, & doloribus immutantes, etiam ſi tales morbi ſint cum abjectione ſquammarum, vel ſine abjectione ſquammarum. Lepra etiam genus eſt ad omnes morbos, qui non tantum cutem aſperam reddunt cum pruritibus, &c. verum etiam ad illos, qui & cutem ipſam, & carnes depaſcuntur, oſſaque vitiant, etiam ſi tales morbi ſint cum reſolutione ſquammarum, vel ſine reſolutione ſquammarum. Quapropter ſciendum eſt, quod Sebaſtianus Aquilanus, & Nicolaus Leonicenus in *libris ſuis de morbo Gallico*, Galen. allegantes in *lib. definit.* tres

defini-

definitiones à Galen. eo lib. datas commemorat. Liber enim ille ad manus noſtras, ut dixi, hactenus non pervenit. Primo Galen. lichenis ponit definitionem, quæ talis eſt. *Lichen eſt aſperitas cutis cum magno pruritu.* Secundo lepræ ponit definitionem, quam ſupra ad verbum poſuimus. Tertio definitionem poſuit elephantis, quæ talis eſt. *Elephas eſt paſſio craſſa, & inæqualis.* Ex his definitionibus, ut comprehendere poſſum, Gal. ipſe eo libro eſſentiam morborum à materia melancholica exorientium, per quos cutis ipſa præternaturaliter ad aſperitatem alteratur, cum doloribus &c. pertractans, hos morbos generali nomine, lepram vocavit. Cujus definitionem poſuit, ut ſupra diximus, Quod quidem genus in duas voluit dividi ſpecies, hoc modo, Lepra aut fit in cute tantum, & hanc lepræ ſpeciem lichenem vocavit, qui tantum cutem afficit, ut ejus exprimit definitio, aut fit in carne, & venis, & hanc lepræ ſpeciem elephantiaſin nominavit, cujus tertio ponit definitionem, lepram vero in medio poſuit, ut genus, quemadmodum fit in linea prædicamentali. Subſtantia, alia corporea, alia incorporea. Lepra alia in cute tantum, alia in carne, & venis. Lichen ergo, ut à Galen. eo libro definitur, non tantum definitur, ut impetigo eſt, contra Nicolaum Leonicenum, ſed ut eſt morbus communis ad omnes malos affectus, qui tantum cutem afficiunt, eam aſperam reddentes, ſive ſint cum exſquammatione, ſive non, & omnes tales morbi non differunt ſpecie, ſed tantum ſecundum magis, & minus. Dum enim materia non tantum aduſta eſt, non abjicit cortices, cum vero de aduſtione magis participat, cortices, & ſquammas abjicit, & propterea admirationem deponat Nicolaus Leonicenus, ſi Doctores medicinæ etiam celeberrimi, mutatis remediis à capitulo in capitulum horum morborum curationes perficiunt. Eadem enim eſt materia tantum ſecundum magis & minus differens, in eodem tamen gradu perſiſtens. Cum vero materia ſuperaſſatur craſſior, & pravior effecta, gradum ſuperat, tunc cutem & carnes depaſcitur, & lepram in carne generat, à morbis prædictis ſpecie diſtinctam, comitantibus propriis accidentibus, quæ ſupra enarravimus. hanc Galen. elephantiaſin vocat, quam ortum habere à ſanguine dicit melancholico. Cum enim videmus hos prædictos morbos, jam lepræ principium, ſive elephantiaſis adeſt, ſuſpicarique debemus de ejus complemento, & præſertim cum mala complexio calida valde in ægrotante adfuerit. Cum verò materia retorrida fit, & in nigram verſa eſt choleram, jam confirmatam conſpicis elephantiaſin, accidentibus propriis clare comitantibus. Quantum enim materia ſuperaſſatur, tanto ſpecies ipſa generatur, & accidentia ſpeciem conſequentia, quæ in principiis debiliter apparebant, in fine ab omnibus clariſſima judicantur. & ideo Galenus *libro de tumoribus præter naturam*, poſtquam ſcabiem, & lepram dixit fieri ab humore melancholico, *capite* immediate ſequenti *de elephantiaſi* egit, quaſi hi morbi elephantiaſis principium ſint. dicit enim *Melancholica* vero *paſſio eſt, & elephas, propriam quidem generationem ex ſanguine habens melancholico, in tempore vero fit nigra cholera, dum ſcil. fœtidi ſunt, & horribiles ad videndum.* Nicolaus Leonicenus in *lib.* ſuo, quem compoſuit *de morbo Gallico*, dixit, quid nomine lepræ apud Arabes ſignificetur, nemo niſi hebes, & omnino obtuſus ignorat, quid vero apud Græcos, & Latinos, veteres Græcos imitantes, multi etiam neſciunt eruditi. Is cum Græcam, & Latinam calleat linguam, hoc tamen lepræ ſignificatum tacuit, quod nos ſuperius diximus. Dixit etiam iſte, elephantiaſin idem eſſe quod lepra, de qua agit Avicen. quod concedimus, idque adverſus Sebaſtianum Aquilanum probare intendimus. Hanc tamen ſcil. lepram de qua agit Avic. diverſam ab eo morbo, quem Galen. lepram nominat, affirmat, hunc errare ex his quæ diximus, patere poteſt. Nam ſecundum eum, lepra, de qua agit Avic. & elephantiaſis idem ſunt. Sed lepra prout accipitur à Galen. & ab eo definitur, eſt genus ad elephantiaſin, ergo eſt etiam genus ad lepram, de qua agit Avic. patet, quia lepra, de qua agit Avic. & elephantiaſis idem ſunt. Ulterius ſic. Lepra, de qua agit Galen. eſt genus ad lepram, de qua agit Avic. &c. Ergo lepra de qua agit Avic. non eſt diverſa à lepra, de qua agit Galen. Patet conſequentia, quia genus & ſua ſpecies idem ſunt realiter. Species enim actu continet genus. Unde iſta eſt vera propoſitio. Omnis elephantiaſis eſt lepra, & non e converſo. Plura enim continet lepra, quam contineat elephantiaſis, potentia quidem dico, & non actu. Convenientias autem, & differentias generis, & ſpeciei, ſi placet, in *lib. prædicabilium Porph.* perquirendæ ſunt. hunc etiam errare aperte cognoſcitur, cum dixit. Lepram paſſionem eſſe ſolius cutis, & id ex definitione ejus conſtare. Oppoſitum enim lepræ definitio notat, ut declaratum eſt. Quid igitur Galen. dicere voluit aſſerendo lepram eſſe paſſionem ſolius cutis? Dicimus quod Galen. *lib. de tum. præter naturam* dixit lepram fieri ab humore melancholico, & eſſe paſſionem ſolius cutis, ſubintelligendo ſi totus talis humor ad cutem pellitur, idque declarans, ſubjunxit, quæ ſi in venis & carne fiat, cancer nominatur. Ecce quod Galen. non negat lepram in carne fieri, ſed dicit, quod dum fit in carne, cancer vocatur. Quoniam dum in carne fit, tumorem præter naturam generans apoſtematis nomen ſortitur, & quia eſt materia melancholica, cancer nominatur. Cancer enim eſt apoſtema à materia genitum melancholica. quod ſi talis materia ad particulare membrum pellatur, cum morbum generat, quem cancrum dicimus, qui quaſi lepra particularis membri eſt. Si vero talis pellatur humor ad univerſum corpus, cancrum univerſalem generat, quem Galen. elephantiaſin vocat. Lepra tamen eſt ſecundum Galen. ut etiam ex definitione ejus patuit, & iterum inferius patebit. Quid refert, ſi lepram quam Galen. in carne fieri dixit, ipſe elephantiaſin vocet, lepra eſt utcunque. Lepram Galen. paſſionem ſolius cutis eſſe dixit, quia lepra ex vi vocabuli aſperitatem, & duritiem dicit. Quod & ratio ipſa demonſtrat, cum ab humore fiat melancholico. Hanc autem aſperitatem, & duritiem in carne fieri Galenus affirmat in 6. *de morbo cap.* 1. dum dicit *Carnem duram, aſperam, elephantinam, & leoninam.* Et cum durum & aſperum qualitates ſint tangibiles, de quibus tactus ipſe habet judicare, & cum cutis ipſa immediate tactui occurrat, ideo talis malus affectus proprie dicitur paſſio cutis, & ſolius cutis, quia ex ſola cute à tactu immediate cadente ſuper ipſam talis paſſio judicatur. In elephantico enim morbo, etſi, ut apparet, caro ipſa inæqualis, dura, aſperaque reddatur (quod Galen. ipſe 6. *de morbo cap. primo* teſtatur, ut ſupra dictum eſt, quod etiam ſenſu vilus capere poſſumus) tamen cum qualitates ſint tangibiles, perfectius tactu ipſo judicantur, & quia tactus immediate ſuper carnem ipſam non cadit, ſed ſuper cutem, quæ carnis cooperimentum eſt, ideo ex cute ipſa duritiem, inæqualitatem, aſperitatemque in carne corporis humani ſuſcipiente, judicium ſumimus, taliter ut talis malus affectus, ſolius cutis paſſio eſſe dicatur. Et ideo Galen. *libro de cholera nigra*, elephantiaſin morbum cutaneum vocavit, non quod tantum cutis afficiatur, ut patet, ſed à cute ipſa, quæ cuti elephantium ſimilatur, nominavit. Lepra igitur paſſio ſolius cutis à Galeno vocatur, vel quia tantum in cute fit, ſubintelligendo, dum totus talis humor ad cutem pellitur, vel dum in carne fit ab ipſa cute, quæ carnis cooperimentum eſt, immediate tactui occurrente, judicium ſumitur, & ab ea morbus denominatur. & ideo Galenus *libro de tumoribus præter naturam*, poſtquam dixit, lepram gigni ab humore melancholico, & eſſe paſſionem ſolius cutis, ſubjunxit, *Quæ ſi in venis, & carne fiat, cancer nominatur.* De qua lepra in carne, & venis, quam ipſe elephantiaſin vocat, à ſimilitudine pellis elephantis, capite immediate ſequenti agit, dum dicit. *Melancholica vero paſſio eſt, & elephas propriam quidem generationem ex ſanguine habens melancholico, in tempore vero fit nigra cholera.* Ex verbis enim Galeni non tantum cortices, ſed nucleum, & ſuccos haurire debemus. Jam tempus adeſt, ut ad ipſum Sebaſtianum revertamur, qui ex definitione lepræ, duas lepræ ſpecies elicit, primam, quam ſolius cutis paſſionem eſſe dixit, alteram, quam non tantum cutem lædere, verum etiam carnes depaſci, & corporis particulas corrumpere affirmat, & de hac ſecunda ſpecie lepræ dixit etiam ipſe Sebaſtianus Avicennam *tertii quarti* tractaſſe. Totum hoc concedamus, quia ſecum hoc rimari intendimus negotium. Ad argumentum, conceditur major. Ad minorem dicitur, quod certum eſt, quod elephantiacus curatus non fuit effectus leproſus, accipiendo lepram pro ſecunda ſpecie, ut iſte dicit, quia talem lepræ ſpeciem, in principio difficillimam curatu, extra principium, penitus incurabilem affirmat, elephantiaſin vero inveteratam, facilem curatu dixit. Modo removere unam ægritudinem, & inducere deteriorem, non eſt curare. nec etiam ſequendo viam rectam & veritatem dicendum eſt elephantiacum illum curatum, effectum fuiſſe leproſum, accipiendo lepram pro ſecunda ſpecie, quia talis lepræ ſpecies, & elephantiaſis idem morbus ſpecie ſunt, ut ſupra clare monſtratum eſt, & iterum monſtrabimus. Relinquitur ergo quod in primam lepræ ſpeciem mutatus ſit, quæ eſt paſſio ſolius cutis. Materia enim melancholica retorrida, quæ carnes depaſcebatur, & oſſa vitiabat, per potum vini viperati, tota ad cutem evocata & ſquammis reſoluta, oſſa ſana, & carnes incolumes reliquit. & ſic paſſio in lepram mutata eſt, id eſt in exſquammationem, quam quidem exſquammationem vis ipſa nominis lepræ exprimit, ut patuit, & ſic, ut apparet, non procedit argumentum. Videamus modo an elephantiaſis, & lepra pro ſecunda ſpecie, idem morbus ſpecie ſint, & erit rationis ſuperinductæ declaratio. Quæramus à Sebaſtiano quid patiebatur ille elephantiacus, qui curatus effectus eſt leproſus? Dicet forte morbum cutaneum. Nam Galenus pluribus in

locis elephantiasin morbum secundum cutem posuit, ad similitudinem pelliis elephantis, asperæ & duræ. Hæc autem dispositio, quid aliud est, quam lepra pro prima specie? Nihil ergo factum est. In elephantiaco enim illo per potionem vini viperati, leprosus erat, & leprosus remansit. Relinquitur ergo, quod aliud patiebatur. Quid ergo patiebatur? Respondebit Sebastianus elephantiasin. Quid est elephantiasis? Ejus definitionem superius posuimus & est. *Elephas est passio crassa, & inæqualis.* Hanc definitionem rimari in præsenti negotio expediens est. Quæramus à Sebastiano quid per passionem crassam Galenus intelligat. Respondebit. Elephas est passio crassa id est materialis à materia crassa. Quæramus à qua materia crassa, à phlegmate ne vitreo, vel gypseo, vel hujusmodi? Dicendum, quod non. A qua ergo materia crassa? Melancholica dicendum est. Nam Galenus *libro de tumoribus præter naturam* dicit. *Melancholica vero passio est, & Elephas, propriam quidem generationem ex sanguine habens melancholico, in tempore vero fit nigra cholera.* Crassa etiam, quia per hunc morbum crassescunt membra, & facies inflatur, non quidem æqualiter, sed inæqualiter, quod est proprium humoris melancholici. Unde cutis elephantina, aspera, & dura, deformitas, & horribilitas ad videndum causatur. Ideo Galenus quod est inæqualis dixit. Quæ inæqualitas etsi hujus morbi accidens sit proprium, eam tamen loco differentiæ posuit proprie, nominisque lepræ proprium significatum expressit. Celsus quoque dixit, *summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet.* Quærendum est modo in hoc elephantiaco morbo, in quibus corporis particulis talis contineatur materia? non in cute tantum, ut visum est, in carne etiam dicendum est. Nam Galenus loco allegato dixit; fiunt autem & secundum alias particulas carnium eminentiæ. Ulterius quærendum est an talis materia figatur in carne, ita quod cæteras corporis particulas non lædat? Respondendum, quod non, immo ad ossa penetrat, ea corrumpendo. Nam Galenus loco eodem tales in carne eminentias exostationes vocari dixit. Ideo Celsus dixit, *totum corpus afficitur ita, ut ossa quoque vitiari dicantur.* Ulterius quærendum est, an elephantiasis in corpore humano aliud operetur. Respondendum, quod sic. exulcerationes enim etiam efficit. Nam Galen. eodem loco dixit. *Quibusdam enim eorum, & ulcera adveniunt.* & Avicenna dixit *capite de lepra. Fortasse enim ulceratur, & fortasse non ulceratur* Quærendum est, qualia elephantiasis ulcera operetur? Sebastianus Aquilanus respondebit levia. Quia Galenus facillime elephanticos fœtentes, & jam deformes curabat. O Sebastiane tu dicis levia? cholera nigra retorrida, lucida, sicut acetum pungitiva, quæ terræ injecta ebullit, sicut acetum, levia infert ulcera? Talia enim ulcera à cancro ulceroso non differunt, ut Galeni extat sententia *quarta Aphor. aphorismo.* 24. Et ideo ipse Galenus *secundo artis curativæ ad Glauconem cap. de curatione elephantiæ* dixit. *Elephanticos autem eodem modo ut cancros curamus, quia, ut dixi, ex eadem causa humoris fiunt.* Tales insuper carnium eminentias Galenus exostationes vocat, quasi ossium detractiones. O Sebastiane ista tibi levia videntur? Tu dicis elephantiasim inveteratam curatu facilem? Quid dicit Celsus, quem tibi in hac parte favere dixisti? Is enim post plurimorum malorum accidentium, hanc morbum comitantium assignationem, dixit, *febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit, & hoc in fine evenit.* Lepra enim sive elephantiasis incipit ab interioribus, & manifestatur in exterioribus, in fine vero cedit ad interiora, tunc febricula oritur, & æger emoritur. Dic mihi o Sebastiane, is morbus elephanticus, cujus modo definitionem explanavimus, quid aliud est, quam secunda lepræ species, quam tu posuisti de sententia Galeni? quam ut dicis in principio difficillimam curatu, post principium penitus incurabilem, de qua, ut dicis, Avicenna *tertia quarti* tractat. Dic mihi apud te quid est carnes depasci, & corporis particulas excidi? carnium eminentia, exostationes, ulcerationes apud te idem non sunt? Equidem apud recte sentientes idem sunt, & si idem sunt, ergo ab una quidditate, sive essentia proveniunt, quod fuit nostrum principale propositum. Nos igitur essentiam rerum scrutantes parum de nominibus sollicitamur, quibus tantummodo utimur, ut res notatas per illa ostendamus. Sat igitur sit demonstratum fuisse morbum Gallicum non esse elephantiasim, & elephantiasim apud Galen. & Græcos, & lepram apud Arabes, essentialiter esse eundem morbum, quem Galen. ipse, nomina contemnens, modo elephantiasim, modo lepram appellat, elephantiasim à similitudine carnis, pelliisque elephantinæ inæqualis, asperæ, & duræ. & quia in elephantico morbo cutis asperior, & durior est, quam in cæteris passionibus, ut Galeni est sententia in *libro definitionum*, ut ipse dicit Sebastianus, quod & sensu experimur, & cum ex vi vocabuli, ut dictum est, lepra asperitatem, & inæqualitatem dicat, ideo elephantiasis non abre à Galeno nonnunquam lepra vocitata est, & merito, cum omnes particulæ definitionis de lepra datæ à Galeno in *libro definitionum* elephantico morbo conveniant, ut patet. Et propterea Arabes, id malum, quod Galenus elephantiasim vocat, lepram dixerunt, & quasi cancrum universalem, tumoremque in tibiis & pedibus elephantiam vocaverunt, non tamen omnem tumorem in pedibus, & tibiis elephantiam dixerunt, sed eum tantum qui à nigricante carne aspera, dura, inæqualique causatur, pelle elephantina comitante. & sic passio talis, inter morbos in forma collocatur, unde patere potest hoc in loco Nicolai Leoniceni redargutionem in Avicennam frivolam esse. Varices autem etsi in pedibus tibiisque tumorem faciant, non tamen pellem inducunt elephantinam, sed tantum inæqualitatem in venis illis, in quibus talis sanguis melancholicus continetur. Dictum enim est proprium esse humoris melancholici inæqualitatem facere. Fortassis etiam tempore Galeni talis particularis elephantiasis non aderat, sed progressu temporis apparuit, quæ etiam temporibus nostris rara est. Ego tantum unum talem particularem elephantiam patientem vidi, qui adhuc vivit. Quod si hæc particularis elephantiasis tempore Galeni adfuisset, absque dubio eam non tacuisset. Admirari etiam desinat Nicolaus Leonicenus, si remedia, quæ Galenus, & Græci adversus elephantiasim commemorant, eadem Arabes in curatione hujus particularis elephantiasis exerceant. Eadem enim est materia. Quod & Galenus ipse exercuit in morbis ab eadem materia genitis. *Libro* enim *secundo artis curativæ ad Glauconem capite de curatione elephantiæ*, dixit, *elephanticos autem eodem modo, ut cancros curamus, quia, ut dixi, ex eadem causa humoris fiunt.* Nec etiam rationi alienum est, si ubi de vitiis pedum, & crurum agitur, illic Arabes, & hanc particularem locaverint elephantiasim. Nec loci distantia morborum distinctionem præ se fert. Etsi plura in hac materia dici possent, in præsentiarum tamen hæc, quæ diximus sat sint, quæ reticere voluimus, ne Galeni optime dicta calumnia inficiantur, neve Arabum labor fructuosus, pinguisque eorum doctrina indignis contumeliis afficiatur. Plurimum profecto Hippocrati, & Galeno tanquam prioribus debemus. Non parum tamen Arabibus obnoxii sumus, qui admonitionibus Hippocraticis in *prima part. aphorismorum aphorismo primo* innixi, quæ à Galeno sparsim, & per longos sermones dicta sunt, in breves codices, & admirando ordine collegerunt, sermonesque & Hippocratis & Galeni obscuros, & succi plenos illustrarunt. Nec quæ diximus, ea superbe dicta quis existimet velim. Novi enim me medicorum minimum. Quod si ea quæ diximus, & quæ dicemus, bene dicta probentur, omnis laus omnipotenti Deo tribuatur, eique ingentes gratias ago, quod talia me docuerit, & me eorum sermonum præconem elegerit. Si vero male dicta probentur, id totum meo imbecilli ingenio tribuatur, posterioribusque ea pro libito corrigenda relinquimus. Tertium itaque deferentes capitulum, ad quartum accedamus.

## CAP. IV.

### *De morbi Gallici signis.*

Signa hujus morbi tripliciter distinguemus primo signa morbi in se, & absolute, secundo signa ipsius veneni inhausti, & inficientis, tertio signa complexionis, & dispositionis ipsius haurientis, sive patientis. Signa hujus morbi in se, & absolute, de se sunt manifesta, & per se liquido patent. Cum enim aliquis cum infecta concumbit, & post coitum in virga ardorem senserit, dubitandum est ne ab hoc morbo corripiatur. Cum autem post secundum, aut tertium diem ardor non remittitur, immo potius virga ulceratur, jam venenum ipsi membro virili affixum est, timendumque vehementer ne per totum diffundatur corpus. Cum autem pustulæ per corpus, & præsertim in facie, & capite apparent, rheumatismusque, & inde exulceratio gutturis, & palati, doloresque per universum corpus, patientem noctu magis infestantes, hæc ubi affuerint signa, morbum perfectum judicabis, nam talis est ejus proprietas. Multi insuper oris, & gutturis exulceratione columellam perdidere. Signa vero ipsius veneni inficientis dupliciter distinguemus. Primo considerando ipsum venenum in se absolute, generaliterque, secundo specialiter, & respectu ad ipsa corpora humana quantum ad ipsius activitatem, & modum affligendi. Quantum igitur ad considerationem ipsius veneni inficientis generalem, & absolutam, cum dictum sit venenum tale ortum habere à sanguine menstruo, cujus natura, etsi heterogenea existat, multamque humiditatem superfluam, & indigestam contineat, complexio tamen ejus frigida, & sicca melancholicaque existit. Licet in tali sanguine menstruo in diversis mulieribus, secundum diversita-

ſitatem alimentorum, & ſecundum diverſas complexiones eorum in eodem ſanguine menſtruo manifeſtetur aliquando humor cholericus, in quibuſdam melancholicus, in aliis phlegmaticus (per hos enim humores in comparatione ad medium ſui generis, denominantur menſtrua calida, vel frigida, quandoque per hos etiam magis, & minus agentia redduntur.) ejus tamen complexio frigida, ſicca, melancholicaque exiſtit. & propter hoc morbus iſte frigidus, & ſiccus appellari debet. Et hinc exſurgit ſecunda conſideratio ipſius ſpecialiter, & reſpectu ad ipſa corpora humana quantum ad ipſius activitatem, & modum affligendi. & eſt, ut ſi poſſibile eſt, inſpiciantur menſtrua fœmellæ, à qua aſſumpta eſt infectio. & ſi videas talia in rubedine non nimis excedentia cum quadam opacitate, ad albedinem quandam declinantia, judica talia menſtrua in ſuo genere fore temperata. Si vero videris rubedinem valde inflammatam, & colorem citrinum, & reliquos colores choleræ peculiares, judica talia menſtrua fore acuta, & calida. Similiter ſi videris menſtrua ſicca nigra valde, dic menſtrua adulta, melancholicaque fore. Si vero videris menſtrua alba aquoſa, judica talia fore frigida phlegmatica. Et cum videris in patiente poſt coitum in infecta virga, vulnus valde inflammatum, & corroſivum cum ardore, & dolore vehementi, & infectionem cito apparere, & cum acriter affligi, judica virus aſſumptum fore calidum, & acutum. Si vero videris in patiente poſt coitum in infecta virga, vulnus parvum cum pauco ardore & dolore, & infectionem diu latere, judica virus hauſtum frigidam & obtuſam qualitatem habere. Hanc autem latentiam, citamque apparentiam, ex qualitate ipſius viri menſtrualis inficientis, complexione, victuque ſuſcipientis, utplurimum provenire non ignorandum eſt. Evenit in hoc morbo quod in morſu canis rabidi, in aliquibus enim cito apparet, quid noceat, in aliquibus vero occultatur ad menſes, & annos. Signa vero complexionis, & diſpoſitionis hunc morbum haurientis, ſive patientis enarrare ſuperfluum viſum eſt, cum hæc copioſe à medicis præſtantiſſimis prioribus, & poſterioribus ſcripta reperiantur. Nobis in præſentiarum memorare ſufficiat, quod ſi complexio patientis fuerit calida, & ſicca, & repletio cholerica, deſœdationes cutis cholericæ erunt, & dolores ex eadem materia excitati aderunt. non ab re dicitur repletio cholerica. Quis enim complexionis cholericæ exiſtens, repletionem pati poteſt phlegmaticam, & hoc in eſu ciborum immo dico, qui pituitam generant? Si vero complexio fuerit frigida, & humida, & repletio phlegmatica, deſœdationes phlegmaticæ, & dolores ex eadem materia inſurgentes aderunt, & ſic de cæteris complexionibus dicendum eſt. & propter hoc dictum eſt in capitulo præcedenti, quod ſecundum variam complexionem, diſpoſitionemque, & ſecundum dominium humoris in ſanguine peccantis, ſecundum pluralitatem individuorum varia genera infectionum cutis in hoc morbo eveniunt, ac etiam ſecundum quod morbus novus, vel vetuſtus fuerit. Adjecto etiam quod te latere non debet, quod ſi patientis complexio calida fuerit, & venenum aſſumptum fuerit frigidum, vel è contra, non parum cutis infectiones, & dolores variabuntur. Virus nempe tale totam maſſam humoralem in ſui convertit ſimilitudinem, ideo exoriuntur ſcabies, puſtulæ, ſaphati, impetigo, ſerpigo, ſalſum phlegma, morphea, & cætera. Quorum morborum eſſentiam ample à medicinæ auctoribus traditam reperies. Cumque ſuper hæc diligenter perſcrutatus fueris, an ſanguis ipſe, an cholericus humor, an phlegmaticus, an melancholicus, an ſalſus, an plures in ipſo patiente peccent humores, veneni inſuper inficientis notitiam ſpecialem habueris, poteris eidem opportune opem ferre, ut late inferius, Deo concedente, dicemus. itidem de doloribus dicendum cenſeo. Et hæc de ſignis dicta ſufficiant.

## CAP. V.

### *De prognoſticis morbi Gallici.*

Adulteri, & lenones, & quicunque in Venerem proni, huic morbo magis obnoxii ſunt. ſecundo habentes hepar calidum, & ſiccum naturaliter, & cerebrum humidum, & frigidum, ſi à tali morbo correpti fuerint, graviter ab eodem moleſtantur, & cum difficultate ſanantur. tertio juvenes facilius curantur, cæteris paribus, quam ſenes. quarto morbus hic dum recens eſt, ſi remedia opportuna, quæ dicemus inferius, adhibeantur, & æger obediens fuerit, faciliter & brevi curatur tempore. cum autem inveteraſcit, tardioris, & difficilioris eſt curationis, & quandoque curationem non admittit, & præſertim in ſenibus, & debilibus. Quinto, quidam dixit quod huic morbo magis obnoxii ſunt melancholici, & maxime per aduſtionem, quam omnes alii propter ſimilitudinem, ſecundum philoſ. 2. *de generatione, & corruptione. In hac-* A *bentibus ſymbolum, facilior eſt tranſitus.* & per Avicennam *ſecunda primi. Doct. tertia capitulo* 3. *de ſignis complexionum. Converſio in genere proportionali facilior eſt converſione ad contrarium.* Ego vero aliter ſentio, propter quod primo ſciendum eſt, quod complexio melancholica duplex exiſtit, una eſt à generatione contracta, altera eſt acquiſita per decidentiam calidæ, & ſiccæ apud tranſitum ætatis ſtatus, ad eam quæ eſt ſenectutis. & talis complexio eſt alia ab ea quæ acquiritur ex decurſu temporis, ſive ætatis in quocunque homine. In omni enim ſene eſt complexio frigida, & ſicca, reſpectu ejus quam habuit in ætate ſtatus. Licet enim in principio ſenectutis talis frigiditas & ſiccitas adveniant, quædam tamen frigiditas & ſiccitas contingit tali complexioni propria, non ex debito decurſus ætatis, ſed ex debito complexionis calidæ & ſiccæ innatæ præcedentis. Et propter hoc Galen. 2. *Techne* dans ſigna talis complexionis, dicit, *veruntamen cholera nigra vincit ſuper ipſum, quæ melancholia innaturalis appellatur, quæ non per viam hypoſtaſivæ fæculentiæ generatur. Et propter hoc differt à complexione naturaliter tali.* Se- B cundo notandum, quod cauſarum corpus noſtrum alterantium quædam ab extrinſeco corpori noſtro adveniunt, quædam ab intrinſeco. Tertio notandum quod facilitas compaſſionis ſive alterationis, infrigidationis, vel calefactionis ex duobus dependet. Primo ex parte complexionis. Nam membrum naturaliter calidum, citius calefit, & membrum naturaliter frigidum, citius frigeſcit. 2. ex parte compoſitionis, ut ſi corpus ſit raræ texturæ, & habeat poros latos, dicemus illud facile pati à calido, & à frigido. Contra ſi corpus ſit durum, & denſæ texturæ, tunc dicemus ipſum difficilius pati. His ſtantibus, dicamus ſic, quod, ſicut dictum eſt, morbus hic contagioſus exiſtit, & ab extrinſeco, ut puta, coitu cum infecta, vel cum infecto corpus occupat. Licet corpus melancholicum reſpectu affinitatis, vel ſimilitudinis ad hunc morbum magis paratum ſit, tamen, ut viſum eſt, in tertio notabili, facilitas compaſſionis non ſolum dependet ratione ſimilitudinis, & complexionis, verum etiam ex parte compoſitionis. Sed cum corpus melancholicum naturaliter tale, ut habetur à Galen. 2. *Techne* de ſignis ejus ſit natura durum, propter caliditatem exſiccantem, & frigiditatem in- C ſpiſſantem, & inde poris privatum non piloſum, ſequitur quod tale corpus difficilius patietur à cauſis ab extrinſeco venientibus, & per conſequens ad hunc morbum non erit magis paratum. & hoc ſentit Galen. *lib. de optima conſtructione*, ſive *compoſitione corporis capitulo* 4. *Conſeſtim autem quod durius eſt, eo corpus difficilius paſſibile eſt omnibus quæ exterius ſunt cauſis.* & parum inferius dicit & de eo quod denſius. De corpore autem melancholico, per decidentiam tali, dicendum adhuc quod tale corpus durum exiſtit, ut eodem loco aſſerit Galen. & durius; etiam reſpectu ſui ipſius, quando erat in ſtatu, & per conſequens difficilius paſſibile à cauſis extrinſecis. Plus enim facit duritia, & denſitas corporis in reſiſtendo cauſis extrinſecis, quam ſimilitudo in recipiendo. Patet per Galen. loco ſupra allegato. Dico tamen quod ſi morbus hic tale corpus occupet, vehementer in idem ſævit, ad ulcera enim maligna, & nodoſitates, ut plurimum tale corpus deducit, quibus maxima cum difficultate curatur. Propoſitio Avicen. loco ſupra allegato, *converſio* &c. intelligenda eſt, ſuppoſito quod reſiſtentia non adveniat ex parte compoſi- D tionis. Dicamus itaque cum Galen. quod ſicut duities & denſitas difficultatem faciunt paſſionis à cauſis extrinſecis, ita mollities, & raritas facultatem inducunt paſſionis ab eiſdem, & cum morbus hic ab extrinſeco veniat, corpora mollia, & rara ad hunc morbum magis parata erunt. Si in talem cauſam inciderit, caveant taliter compoſiti. Ex hoc loco poteſt ſolvi quæſtio, quis magis ad hunc morbum paratus ſit, an vir, an fœmina, & dicendum quod vir, eo quia calidor eſt, per conſequens poros virgæ magis apertos habens, per quos virus tale faciliter per corpus diſcurrere valet, & maſſam ſanguineam inficere. Fœmina autem cum ſit viro frigidior, non ita faciliter inficitur, niſi crebro uſu coitus cum infecto, eo quod matrix frigida, & ſicca, denſaque exiſtens, magis reſiſtit cauſis, quæ exteriores ſunt. Plures tamen vidimus mulieres unico coitu cum infecto infectionem hauſiſſe, ut affirmabant, & hoc fuit, quia complexio earum, & præſertim ſecundum matricem, calida erat, ac etiam, quia in eo coitu agitatæ, & calefactæ fuerant, tunc equidem ſui ſceleris pœnas dedere. Sexto qui poſt coitum cum infecta frigidum virus aſſumpſerit, tardius infectio in E eo apparebit, & tardius curabitur, cæteris paribus. Septimo, qui calidum virus aſſumpſerit, cito infectio apparet & cito curatur cæteris paribus.

## CAP. VI.

*De remediis morbi Gallici, & primo de præservatione.*

Accedentes itaque ad hujus morbi curationem, eam bifariam dividemus, in præservativam videlicet, & curativam, à præservativa sermo noster exordium sumet. Præservativa enim ars curativam excludit, & dicamus. Quod si quis velit ab hoc morbo præservari, videat causas productivas ipsius morbi, & eas quantum potest, effugiat, quas diffuse superius memoravimus. Et quia morbus hic, utplurimum ex concubitu cum infecta contrahitur, ideo summopere cavendum est à coitu cum mulieribus infectis, & publicis. Quod si contigerit cum talibus coire, & post coitum in virga ardorem sentire, vel inde in ea ulcus apparere, non subveniendum est, ut omnes faciunt chirurgi, qui volentes curare, summopere nocent, propinantes medicamina exiccantia, frigida, stiptica, quorum natura est impingere, & figere materiam, eamque ad interiora propellere, sed potius ingenio elaborandum est, ne virus tale ad interiora impingatur, sed ad exteriora sensim educatur, & eductum resolvatur. Confestim itaque, & repente *accipiatur lutum armenum & sanguis draconis, & dissolvatur cum succo arnoglossæ, vel aqua ejus cum modico aceto nigro acri, & fiat mistura*, ex qua linea fascia operi accommodata liniatur, & ex ea virga circumligetur in radice ejus prope pectinem cum decenti strictura, & hoc, ne materia illa venenosa libere per corpus spargi possit, immo viis claudis, ac constipatis retrocedat, & cum sicca fuerit, iterum madefiat, & applicetur. Subsequenter pullum gallinaceum, vel columbum habeat, & eum per medium scindat, virgamque ulceratam in carnem illam calescentem immittat, & tam diu teneat, donec caro actu calida sentiatur, iterando sæpius priorem abjiciendo. Hoc enim est de melioribus auxiliis in tali casu. Venenum enim ipsi membro virili affixum: cum ortum habeat à sanguine menstruo, ut dictum est, per quandam similitudinem movetur, afficitur, dispergitur, & hebetatur in carne illa sanguinolenta. Adjuvat etiam ad hoc caliditas actualis cum virtute sua attractativa. Deinceps talis conficiatur aqua, quæ recipit *salis communis drach. j. s. Argenti sublimati ser. j. Aquæ plantaginis, & fumi terræ una unc. iiij. Bulliant omnia ad ignem in vase vitreo ad consumptionem decimæ partis*, & ex hac ulcus madefiat, & continuo supra illud tale ponatur unguentum, quod recipit *Aristolochiæ rotundæ, radicum lilii, viridis æris, gummmi ammoniaci temperati in aceto, myrrhæ ana drach. ij. terebinthinæ, picis, olei communis ana drach. v. conficiatur unguentum ad ignem.* Hæc in ipso morbi principio statim expediunt. Post dies autem aliquot, talis non expedit curatio. Ab ipso etiam principio singulo mane jejuno stomacho capiat patiens. *drach. j. theriacæ antiquæ cum unc. iiij. aquæ fumi terræ.* Senibus tamen, & debilibus in parva mensura ea danda est. Caveas etiam ne eam æstivo tempore præbeas, & præsertim cholerico, sed potius *trochiscos de tyro, & carnes viperinas* propinabis. Expediens etiam est, per phlebotomiam sanguinem mittere, si ætas, complexio, & virtus tulerint. *Syrupis, & cassia fistula sluphaque, quæ vapore aquæ in qua lapathum acutum, fumus terræ, & scabiosa ebullierint, calefit*, sanguinem purgare necessarium probamus. Diætam vero in cibo, & potu observet, prout infra dicemus. Si vero interea in corpore patientis oriri videas pustulas, & eundem doloribus torqueri, in hac curatione non amplius laborandum, immo ab hoc opere quiescendum. Jam enim diffusum est venenum per corpus, peractus est morbus, tunc præservativam deferentes, curativam amplectemur. Hoc adjecto, quod curatio prænarrata, post membri virilis ulcerationem, & præsertim si in ipso initio ulceris non exerceatur, fortassis sistere non valebit tale virus, quin per totum spargatur corpus, & morbum perfectum inducat. Tunc satius esset ab ipso principio tuæ visitationis, facta phlebotomia, si expediat, & convenienti pharmaco mundificato corpore, unctionem exercere, de qua, Deo dante, inferius agemus. Hæc enim unctio absque dubio tale destruit virus: Quod enim unam sanat ægritudinem, ab eadem præservat.

## CAP. VII.

*De Curatione morbi Gallici.*

Ut integra, & perfecta curatio, Deo Duce, de hoc morbo habeatur, necessarium arbitramur, novem discuti. Primum diæta existit, Secundum phlebotomia, Tertium Digestio, Quartum Evacuatio. Quintum administratio viperarum, Sextum administratio balnei, Septimum administratio malagmatum, quæ vulgus unguenta dicit. Octavum accidentium, quæ unctionem subsequuntur, remotio. Nonum accidentium, quæ hunc morbum sequuntur, correctio.

## CAP. I.

*De Diæta.*

Repetere oportet ea quæ dicta sunt superius *cap. de signis hujus morbi*, dicentes quod indicatione sumpta, ab ipso morbo, qui frigidus, & siccus est, diæta calida, & humida competit, cum omnis curatio fiat per contrarium, *aphor. secunda & 3. Technes.* Indicatione autem sumpta ab ipso veneno menstruali quantum ad specialem ejus considerationem, ac etiam à complexione, & dispositione patientis, non eadem diæta semper competit, immo eam variare oportet, secundum ipsius veneni menstrualis inficientis diversam specificationem & secundum variam patientis complexionem, dispositionemque. Nam quandoque calida, & sicca, quandoque frigida, & humida diæta, &c. indigemus. Qualitercunque sit, si calida diæta opus erit, non exhibenda est intense calida, ne nimis siccet. Morbus enim siccus est, similiter de frigida dicendum. Quantum ad accidentia, quæ semper hunc morbum comitantur, & sunt rheumatilimus, & dolores in membris junctura libus, & panniculosis. (hæc enim membra, cum frigida sint, & exsanguia, calidis gaudent, & frigidis tristantur) propter hoc aer frigidus, & humidus, & præsertim nocturnus, radiique lunares nocent talia patientibus. Et propterea si diæta frigida, & humida opus erit, omnis in his excellens qualitatibus diæta vitanda est. Corrigenda itaque sunt cibaria ad has qualitates declinantia cum cinnamomo, & cassia lignea. Mirabile enim hæc duo præstant juvamentum in hoc morbo, ut colligi potest *decimaquarta tertii tractatu. 2. cap. 3.* Temperatis itaque potibus, cibariisque frequentius utendum est. Exercitium ad roborandum calorem naturalem, & ad resolvendum superfluitates in membris junctura libus, & panniculosis existentes, multum juvat patientes, & debet temperamentum excedere. Cavendum tamen est, ne taliter excedat, ut ex eo corpus substantialiter deficeretur. sit etiam factum hora convenienti, ut mane ante prandium, emissis prius superfluitatibus, egestione, & urina, & vesperi ante cœnam. & de speciebus exercitii est ascensus super montem, & ludus parvæ sphæræ. Hæc enim duo genera exercitii hoc in morbo convenientia sunt. Cæteræ res non naturales, illa prænarrata temperata mensura pro viribus ministrandæ sunt.

## CAP. II.

*De curatione morbi Gallici per phlebotomiam.*

Secundum considerandum est phlebotomia, de qua Gaspar Torrella Episcopus Sanctæ Justæ, qui *libellum de hoc morbo* composuit, dixit, quod apparentibus multis pustulis, phlebotomia non competit, immo pessima est, quia convertit, & attrahit materiam ad interiora. & hoc de mente Principis se dicere affirmat. Is enim videlicet in principio sui operis pustulas in hoc morbo evenientes, variolas fore negaverit, hoc tamen in loco oppositum videtur sentire, & ideo phlebotomiam damnat, & decoctiones aperientes, & ebullitionem in sanguine facientes, quæ ubi natura expellere non sufficiat, convenienter in curatione variolarum administrantur, in hoc morbo optimas fore asserit, canoneique hujus morbi curativos à cap. de curatione variolarum elicere voluit. Hunc vero maxime errare aperte cognoscitur. Pustulas enim cutisque defœdationes in hoc morbo evenientes eas nec variolas appellare, nec eis prorsus similes dicere licet, ut sensui patet. Etiam Princeps volens investigare modum generationis variolarum fecit hoc per viam ebullitionis in sanguine, secundum semitum cujusdam putredinis, quia in omni generatione variolarum fit ebullitio. hujus ebullitionis signum, febris est concluſa, & hanc ebullitionem innatus calor efficit, ut reliquum sanguinis menstrui expurget, quod ex utero retinuit materno. Hæc autem expurgatio, & separatio fieri non potest nisi forti cum motu. & ideo Zoar dixit quod variolæ, & morbilli exeunt cum febre valde impetuosa, & maligna. Similis enim est exitus variolarum extractioni butyri a lacte, quæ quidem extractio non fit nisi cum labore magno, atque motu forti valde. Constat autem hunc morbum hoc modo non generari. Pustulæ enim hunc morbum comitantes non per viam ebullitionis & putrefactionis fiunt, quia febris concluſa adesset. ii autem febre non molestantur. Causam vero ejus generationis jam diximus. Præterea variolæ utplurimum fiunt ab intrinseco, ut puta, ex principiis generationis, hic autem morbus semper ab extrinseco venit. Ulterius hic

auctor

auctor intendens per cutim materiam ducere, femina fortiter provocantia exhibet, quorum proprietas eſt humores adurere, & in naturam lapidem convertere. ut Princeps, 22. 3 *tractatu* 2. *cap.* 7. aſſerit. Hoc autem deterrimum in hoc morbo exiſtit, & quantum fieri poſſit, vitandum. Nos vero rationalem medicinam ſectantes, quam ratione, & experimento conſtare Aver. commento. 1. canticæ aſſerit, & omnes itidem affirmant, languenti mittendum eſſe ſanguinem affirmamus. Is enim morbus ex corrupto ſanguine, ut viſum eſt, gignitur. In omni autem morbo, cum vitium eſt in ſanguine, à phlebotomia inchoandum eſt. Hæc enim tritiſſima eſt in medicina propoſitio, & ab omnibus tam antiquis, quam neotericis medicinæ auctoribus comprobata, experientia quoque ipſa idem aſſerimus. Vidimus enim generaliter quod mulieres, quæ tali morbo infectæ fuerunt, quia ſingulo menſe menſtrua fluebant, citius liberatæ fuerunt, nec ita acriter ab eodem moleſtabantur, ac illæ, quæ ex aliquo impedimento menſtruis ipſis carebant, tunc & ipſæ acriter affligebantur, cum morbi longiore mora. Inſtituas itaque cum à principio videris ſigna exuberantis ſanguinis, & robur, & ætas ipſa conſentiant, antequam indureſcat ſanguis, ut fiat phlebotomia de vena nigra, vel baſilica dextri lateris, quam videris tumentiorem, & extrahatur de ſanguine prout oculus, certior arbiter, ipſius ſanguinis infectionem majorem vel minorem te docuerit. In mente tamen habeas quod princeps dixit, *quarta primi cap. de phlebotomia.* Melius eſt infra ſubiiſtere, quam exquiſitiſſime evacuare. Ejus etiam canonis memor eſto, qui ait. Cave ne ad humorum cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem ægrum deducas. In hoc enim morbo humor melancholicus multus aptus eſt generari, cujus temperamentum eſt ſanguis. In hoc enim morbo adhibenda non ſunt ea, quæ humores, & corpus exſiccant, ut ſupra dictum eſt, cum de diæta ageremus. Phlebotomia enim copioſa potenter corpus & humores exſiccat. Apertio hæmorrhoidum, & præſertim in conſuetis, provocatio etiam menſtruorum, ſi diminuta exirent, vel penitus deſinerent, maximum adjumentum in hoc morbo afferre conſueverunt, ex 17. & 21. *fen* 3. *can.* Avicennæ. Inveterato autem morbo, & ſanguine indurato, facto frigido, & craſſo, phlebotomia ſuſpecta eſt, maxime copioſa, per quam dolores augentur, & ulcera malignitatem acquirunt, ſuſpecta etiam eſt propter virium imbecillitatem. hi enim neceſſario debiles ſunt. (Longitudo quippe morbi, & præſertim infeſti, vires omnino proſternit). Deinde ex malignitate ſanguinis, quam ſequitur defectus nutrimenti. Membra enim ut viſum eſt, ſanguinem malum reſpuunt, eam quoque malignitatem ſanguinis ſequitur maligna complexio, & penuria ſpirituum difficiliſque eorum inſtauratio, quæ omnia vires debilitant. In his autem quid agendum ſit, docet Princeps eodem cap. Minuendi ſunt, & parum de ſanguine extrahendum, cibiſque bonis nutriendi ſunt. Deinde poſt dies iterum minuendi, ut malus ſanguis ab eis extrahatur, & bonus reſtauretur. Per inſtaurationem enim intermediam ſanguis malus à corpore extrahitur, ſine virium dejectione. Hos tamen, & eorum ſanguinem ante phlebotomiam præparare docet eodem capitulo authoritate antiquorum tribus modis, primo balneo aquæ dulcis calidæ. Hoc enim balneum corpus mollificat, humores, & ſanguinem diſſolvit, & æquat. Sed de balneo inferius, Deo dante, dicemus. ſecundo quod non ſtent otioſi, immo moveantur, & in ſuis officiis, & miniſteriis exerceantur. Exercitium nanque corpus calefacit, ſanguinem & humores diſſolvit, & attenuat. tertio potatione ſyruporum inciſivorum, de quibus capite proximo dicemus. Quidam tamen hoc in morbo ſanguiſugas, & ventoſas ſalubriores, quam phlebotomiam exiſtimant. Quos non parum errare manifeſtum eſt. Sanguis enim factus frigidus, & craſſus aptius per phlebotomiam, quam per ventoſas, & ſanguiſugas educitur.

## CAP. III.

### *De curatione morbi Gallici per digerentia.*

Repetendum eſt, quod dictum eſt in *cap. de cauſis hujus morbi.* videlicet quod virus ipſum menſtruale inficiens ſanguinem, & humores, ad naturam melancholicam eos convertit, hoc tamen non facit ſubito. Agens enim naturale non agit in inſtanti, ſed in tempore, & ideo dictum eſt, hunc morbum in principio eſſe curatu facilem, tunc enim humores adhuc indurati non ſunt, nec mala complexio fixa eſt, inveteratus autem cum difficultate curatur, & quandoque curationem non admittit, & hoc quia humores in naturam tranſiere melancholicam, cum debilitate membrorum principalium, qui humores melancholici, ut cuilibet in arte medica perito apertum eſt, cum difficultate coquuntur, eradicanturque: detrimenta etiam membris principalibus cæteriſque ab illis humoribus illata, vix emendari, corrigique poſſunt. His præmeditatis, dicimus quod eligenda ſunt digeſtiva, prout cognoveris qualitatem ſpecificam veneni menſtrualis inficientis, & exuberantiam humorum in patiente malignorum, contraria ſemper applicando. Et ſuper hoc meminiſſe oportet eorum, quæ dicta ſunt ſuperius, cum de diæta ageremus, hoc eſt, ſi calidis opus eſt, ne nimis calefacientia adhibeamus, quibus ſubtilia reſolvantur, & melancholicus humor augeatur, vel generatus craſſior fiat. & quod nimium frigida evitemus, ne meatus claudantur, & materia reſolvi prohibeatur. Servanda eſt etiam regula, ut à debilioribus inchoandum ſit, ad validiora aſcendendo. Nec in hoc morbo expectanda eſt perfecta digeſtio, immo paulatim digerendum, & minorative evacuandum. Advertendum quod ad opus perfectum in hoc morbo, & in pluribus aliis, non ſufficit tantum materiam per ſyrupos convenientes digerere, ut pharmaco competenti poſſit educi, ſed & aliud agendum eſt, ut balneo materiam, & corpus aptes, ſeu diſponas, præpareſque, & hoc eſt quod dicitur. 2. *practicæ cap.* 56. Volentis ſumere medicamentum, oportet prius diſponi corpus. utendo ſcil. antequam accipiat laxativum, duobus, aut tribus diebus balneo temperati caloris, ac dulcis, ſuaviſque aquæ ſuperfuſione tepidæ ſuper corpus. Et hoc eſt etiam quod dicere voluit Hip. 2. *Aphor.* corpora ubi quis vult purgare oportet fluxa facere. Corpora enim purganda, oportet mollia facere, ac fluida, meatuſque aperire, per quos natura pharmacis adjuta, ſolet humores noxios educere, quæ quidem optime balneo perficiuntur. Unde quarta primi balneum quoque ingredi, antequam fiat ventris ſolutio aliquot diebus, eſt ex eis quæ bene præparant, niſi aliquid prohibuerit. Sit itaque balnei uſus inter evacuationem, & evacuationem, non tantum aquæ dulcis ſimplicis, ſed in ea decoquantur *malvæ*, *radices althææ*, *ſalvia*, & ſimilia, ut materia hujus morbi dura, & craſſa, compactaque, attenuari, & diſſolvi poſſit, ut aptius per pharmacum educatur. Meatus etiam aperiantur, ut ſine torminibus, & faſtidio, maligni educantur humores. Syrupi convenientes ſunt. *Syrupus violaceus. Syrupus de ſucco endiviæ*, *Syrupus de lupulis*, *Syrupus de ſucco fumi terræ*, & *Syrupus de fumo terræ major & minor.* & *Syrupus de epithymo*, *mel roſatum*, *oxymel*, & *ſimplex*, & *compoſitum.* Hos aromatizare debes cum modico *cinnamomi*, & *caſſia lignea*, & *croco.* Poteris etiam modo tuo conficere ſyrupum magiſtralem, prout malignitas humoris in ægrotante exuberare videbitur, ſemper aromatizando cum *cinnamomo*, & *caſſia lignea*, & *croco.* Et hæc de digeſtione in hoc morbo dicta ſufficiant.

## CAP. IV.

### *De curatione morbi Gallici per evacuantia*

Evacuationem hoc in morbo commode exercebimus cum medicina lenitiva, minorativa, & eradicativa. Per medicinam autem lenitivam intelligo ea quæ materias communes, ut puta fœces, ventoſitates, & mucoſas materias in ſtomacho, & in inteſtinis repertas leniendo educunt, quæ medicina à proprietate hunc, vel illum humorem non reſpicit, nec educit, niſi fortaſſis aucta in menſura. Hanc autem lenitionem in primis exercebimus altero ex his modis, ut puta, clyſtere lenitivo, & id tuo modo conficies, aut exhibitis *caſſia fiſtula*, *catholicone*, &c. in forma potabili, vel ſolida, ut tibi, & ægro magis expediens videbitur. De medicina autem minorativa dicamus primo quod minoratio materierum in hoc morbo, & in reliquis, multis modis perfici poteſt, ut phlebotomia, ſanguiſugis, ſcarificatione, hæmorrhoidum menſtruorumque provocatione, de quibus dictum eſt ſuperius. Hæc etiam exercetur per balnea, & unguenta, de quibus inferius ſuo loco, Deo concedente, dicemus. Hic autem tantummodo narrabimus eam quæ fit cum medicina ſolutiva ebibita, clyſteribuſque. Per medicinam minorativam intelligenda eſt ea, quæ materias morbi proprias cum antecedentes, tum etiam conjunctas reſpicit, & partem illarum educit, & non omnes, & hanc in hoc morbo, & in reliquis cum plethoram ſuffocantem dignoſcimus, à principio nulla etiam præcedente in materia digeſtione, bonum eſt præmittere, naturam enim excitat, & potentiorem reddit ſupra reliquum. A principio autem ſi morbus ſit recens, ſi non adſit plethora ſuffocans, quæ raro contingit, facta digeſtione in humoribus antequam indurentur, & in naturam melancholicam convertantur, evacuentur. tunc enim obedientiores ſunt, & ad evacuandum aptiores exiſtunt. Accedat deinceps ad unctionem quo modo inferius explicabitur. Videndum eſt quis humor peccet, proprioque ſolutivo educendus eſt. Simplicia ſolutiva in hoc

morbo conferentia ſunt. *aloë*, *rhabarbarum*, & *agaricus*. efficax præbent auxilium, in hoc morbo *polypodium*, *epithymum*, *myrabolani*, & *præſertim Indi* morbo jam vetuſto, quo tempore etiam confert *elleborus niger*, & *lapis lazuli*, qui ſalubrior eſt elleboro, & *ſena*: cujus uſus perutilis eſt in hoc morbo. Compoſita vero ſolutiva ſunt *diaphœnicon*, *electuarium Indum majus & minus*, & hæ quidem confectiones magis accommodantur morbo adhuc recenti. Cum autem vetuſtus fuerit, & humores jam ad naturam melancholicam tranſierint, ad fortiora pharmaca, & humoribus melancholicis magis accommodata, accedere oportet. & hæc ſunt *diaſena*, *confectio hamech primæ & ſecundæ deſcriptionis*, & *hieræ magnæ*, & *pillulæ de ſumo terræ*, & *pillulæ Indæ*, & *pillulæ de lapide lazuli*. Tu vero ea præbebis, quæ humoribus duris, craſſiſque in ægroto malignis magis accommodantur, ea menſura, prout cognoveris naturam, viresque ægrotantis. De minoratione materierum per clyſteres, dicendum, ſi enim clyſteres debeant materias tales educere, oportet eos fortes eſſe, at hepar lædunt, ut quarta primi dicitur. Cum autem dictum ſit hepar hoc in morbo non parum lædi, evidenter inferri poteſt eoſdem in hoc morbo non conferre. Sed quia nonnunquam contingit materias craſſas multiplicari in nutritivis membris, non parva nocumenta minitantes, ideirco probo clyſteres, qui conficiantur ex *foliis*, & *floribus boraginis*, & *bugloſſæ*, *betæ*, *mercurialis foliis*, & *radice althææ*, *ſena*, *epithymo*, *polypodio*, *thymo*, *agarico*, *carthamo non multum contuſo*, & *ſimilibus*. in prædicta decoctione diſſolvendo *de diaſena*, & *de hieris*, ut tibi magis expediens videbitur. De eradicatione autem materierum in hoc morbo dicendum, quod per medicinam eradicativam intelligendum eſt omne quod materiam cum antecedentem, tum etiam conjunctam ita evacuat, ut per id morbus removeatur. Et ſuper hoc advertendum, quod medicinæ ſuperius poſitæ, tum ſimplices, tum etiam compoſitæ, in certa menſura exhibitæ ſunt potentes in minorando tales materias. Profecto eædem auctæ in menſura convenienti poterunt tales materias eradicare. nam in majori quanto major eſt virtus quæ inſequitur multitudinem formæ. Similiter ſi medicinæ ſupra dictæ in certa menſura ſunt potentes in minoratione materierum hujus morbi, eædem in eadem menſura crebro exhibitæ interpoſita digeſtione convenienti in materia, & pariter interpoſita membrorum confortatione, prout inferius, Deo concedente, dicemus, potentes erunt ad eradicandum materias tales. Quod enim adjumentum producere poteſt agens potens in brevi tempore, non repugnat illud produci poſſe ab agente minus forti in multo tempore frequentatis vicibus circa evacuationem eradicativam, quæ fit medicina forti aucta in menſura. Advertendum quod cum morbus hic, & præſertim vetuſtus, dependeat ab humore melancholico, qui durus eſt, & pharmacis non obediens, multoties per eadem fortia pharmaca commovetur, agitaturque, & non educitur, unde morbus augmentum in materia, & qualitate ſuſcipit, & ægroti debiles exiſtunt, non valentes pharmaca terre fortia. Unde conſulo ut vitentur medicinæ venenoſæ, quod ſi exhibeantur, cum timore, & cautela id fiat. Et circa eradicationem talium materierum, potius inſiſtatur ſecundo modo dicto, ut puta medicina forti debili, interpoſita tamen digeſtione materiei, membrorumque confortatione, hoc enim modo ægrum tuto gubernabis, & tandem ad optatam optimam valetudinem, nutu Dei, eum deduces. Nec putes te eradicationem materierum hujus morbi tantum pharmacis ſolutivis poſſe perficere, ſed oportet alia quoque, quæ inferius dicentur, exercere, & ſunt balnea, & malagmata, non enim exiſtimandum eſt materiam duriſſimam nodoſitatum prope lapidoſarum in hoc morbo vetuſto evenientium poſſe convenienter pharmaco ſolutivo educi. Et hæc de evacuatione materierum in hoc morbo dicta ſufficiant.

## CAP. V.

### *De curatione morbi Gallici per adminiſtrationem Viperarum.*

Uſus Viperarum hunc morbum patientibus plurimas præſtat commoditates. Primum quidem vi earum carnium mundificativa totius corporis per cutem (ut Galen. xj. *de ſimplici medicina*, *cap. de carne* placuit) Cum maxime, ut vitum eſt, morbus hic ex ſanguine infecto, craſſoque proveniat, natura talem ſanguinem per cutem expellente, procul dubio carnes earum in hoc morbo conferre aſſerendum eſt, cum per eaſdem partes evacuandum ſit, per quas natura evacuat, ſi convenientes extiterint, aphor. 1. A quibus autem humoribus per cutem totum corpus mundificent, & quibus maxime aptentur, dixit Serapio in tractatione de ſimplicibus, capitulo Jabame alfabay, id eſt, de carne Tyri, quæ caro adhæret humoribus, & educit eos ad cutem. Maxime quod ex eis craſſum, & terreum eſt, ex quibus generatur ſcabies, & ægritudo, qua elevatur cutis, talis autem hæc exiſtit, ut patuit. Et ob id dixit Iſaac, quod jam certificatus eſt de eo quod plurimi antiquorum de eis carnibus dixere. Et notum eſt eas valere in quibuſcunque paſſionibus duris & melancholicis. Iterum auctoritate Dioſcoridis, necnon & Principis 2. *can. cap. de ſerpente*. Ejus jus cum ſorbetur, & ejus caro cum comeditur, conferunt doloribus nervorum. In hoc enim morbo, ut notum eſt, & nervorum, junctura rumque dolores adſunt, quare eas in hoc morbo conferre non ambigendum eſt. Inſuper hoc in morbo hepar vehementer lædi reperitur. Quo taliter affecto, & diſpoſito, ad generationem ſanguinis craſſi, & melancholici oppilationes diuturnæ gigni ſolent. Jus autem ſerpentum, & carnes eorum hos malos corrigunt, & curant affectus. Ille etiam morbus, ex inductione frigiditatis, & ficcitati, quas affert in corpore toto, ſeneſcere facit. Serpentum vero carnes juveneſcere faciunt, ut Meſue *de conſolatione medicinarum intentione. 2. cap. 2.* placuit. Præterea virtute earum veneni deſtructiva, & præſertim ſanguinis menſtrui hauſti. Et cum morbus hic a ſanguine menſtruo ortum habeat, ut patuit, concludendum eſt, eas in hoc morbo excellentes eſſe. Operationes autem prædictæ in corporibus noſtris an complexione earum elementari, an virtute cœleſti exſurgant pereret aliquis. Meſue ubi ſupra, non complexione elementari, ſed virtute cœleſti aſſerit, ſerpentem juveneſcere facere, ſubſtantia tamen carnium, & complexione earum adjuvantibus. Ad praxim igitur ipſam deſcendentes, ita dicamus. *Sume viperam ex locis non aquaticis*, *ſed montanis*, *colore quidem non nigram*, *hæc enim prava eſt*, & *perimit*) *ſed albam*, *vel*, *ut ipſe dicit Rhaſis*, *cum paucis lentiginibus ad albedinem declinantem*, & *abſciſſis capite*, & *cauda ad menſuram digitorum quinque excurietur*, *exviſcereturque non extracto adipe. Caveto tamen ne fel rumpatur*, *quia perimeret*, *optimeque lavetur*, & *in aqua plurima ad coquendum ponatur*, *cum ciceribus*, & *modico dictamno*, *ac pauco ſale*, & *tam diu coquatur*, *donec tota diſſoluta fuerit*, & *abjectis oſſibus caro ejus comedatur*, & *jus ſorbeatur*, *ſuperaſperſo*, & *juri*, & *carnibus cinnamomo*. In principio tamen non multum de carnibus comedendum, neque de jure earum ſorbendum eſt, ſed paulatim ad debitam earum quantitatem deveniendum eſt, prout experto medico ſatis eſſe, juxta vires ægroti, videbitur. Et tamdiu ſingulis diebus de eis ſumendum eſt, donec ſcotomia, mentis permiſtio, corporisve tumor apparuerint, tunc enim ab earum uſu abſtinendum eſt, non quidem ex toto, ſed ad tempus. Cum vero accidentia prædicta ſedata fuerint, ad uſum earum redire commodum eſt, hoc enim modo ipſius viri menſtrualis inficientis deſtructionem, & ſanguinis, ac totius corporis mundificationem perficies. Uſus etiam vini in quo necata fuerit vipera, & in quo quodammodo computruerit, excellentis in hoc morbo remedii eſt. Et quia hyemis tempore propter occultationem earum in cavernis, non facile viperas habere poſſumus, & quia eo tempore non ita utiles ſunt (venenum enim earum frigore hebetatur) ideo commodum duximus, Syrupum de viperis deſcribere, qui congruo tempore confici poteſt, & per totum annum in ſuo robore ſervatur, qui hoc modo fit. *Sume ſumi terræ*, *ſcabioſæ*, *lapathi acuti ana manip. j. folliculorum ſenæ*, *myrobalanorum Indorum ana drach. vj. citrinorum*, *chebulorum*, *polypodii*, *epithymi*, *ana unc. ij. violarum*, *unc. j. dictamni*, *cinnamomi*, *ana drach. ij. carnium viperarum præparatarum*, *ut ſupra*, *lib. ij.* & *coquantur in ſufficienti quantitate aquæ*, *cum pauco ſale*, & *non excedat quantitatem ejus*, *qui poni ſolet in carnibus*, *quæ comeduntur*, & *tam diu coquantur*, *donec totæ diſſolutæ ſunt*, & *juris remanentis ſint libræ tres*, & *ejectis oſſibus*, *totum coletur*, *fortiter exprimendo*, & *cum ſachari albi libris tribus fiat ſyrupus*, *de quo ægrotus ſumat ſingulo mane uncias duas*, *cum unctis tribus aquæ bugloſſæ vel ſumi terræ*. Hic Syrupus (ut ex quibus conficitur conſtat) convenit digeſtioni cujuſcunque humoris melancholici. Poterit etiam peritus medicus ſecundum quantitatem qualitatemque humoris melancholici in ægrotante, hunc moderari, vel, ſi videbitur, alium confiecre. Et hæc de adminiſtratione viperarum dicta ſufficiant.

## CAP. VI.

### *De curatione morbi Gallici per adminiſtrationem Balnei.*

Balneum in curatione hujus morbi à nobis utile eſſe, ſuperius dictum eſt. Vitium enim ſanguinis hinc demitur, & ipſum unum eſt ex iis quæ ſuperfluitates evacuant, *colliget* 6. Et eas præſertim ſuperfluitates, quæ

cuti

cuti viciniores ſunt. Et id maxime quod cum exſiccatione earum naturam juvat, attrahendo humores à veneno menſtruali infectos, per eadem loca, & convenientia per quæ ipſa natura conatur expellere. Nec ignorandum eſt quod Averrois eodem loco dicit, & eſt, quod balneum in nobis diverſas imprimit operationes, primas, ſcilicet, ſecundas, & tertias. Nam ipſum humectat, & exſiccat, &c. Harum autem diverſitatum, contrarietatumque, dixit Averrois unam ex tribus exiſtere, una eſt diverſitas partium balnei, alia eſt diverſitas corporum ægrotantium, tertia eſt diverſitas moræ in balneo. Qua propter noſſe oportet partes balnei, & ſunt, ut dicit Averrois, aqua calida, domus balnei, & aër ipſius. Noſſe etiam convenit, quod ſecundum intenſiorem, vel remiſſiorem caliditatem ipſius aquæ diverſæ operationes in corporibus noſtris imprimuntur, & ſunt, quod aqua, quæ temperamento proxima eſt, corpus refrigerat, & humectat, parumque corpora diſſolvit, & in illa pauca diſſolutione, abſtergit ſordes, quæ cuti adhærent. Aër etiam temperatus balnei à prædicta aqua immutatus, ad levem ſudorem corpus inducit, tantum ſuperfluitates ſubtiles ejus expurgans. Quod ſi aqua, & aër ad ſecundum, & tertium gradum caloris devenerint, ut in ſecunda, & tertia balnei domo, corpora calefaciunt, & exſiccant, inflationes carminant, ſuperfluitates diſſolvunt, & ab imo corporis eas per ſudorem copioſum expurgam, & id magis minuſve ſecundum quod ad ſupremum gradum caloris aqua & aër balnei accedunt. De diverſitate autem corporum ægrotantium advertendum eſt, quod corpora balneo utentia, quandoque diſſimilia in complexione, & compoſitione exiſtunt. quis enim ambigit corpora temperata, ſanguinea, cholerica &c. balneo æqualiter utentia, diverſimode ab eo immutari. Gibboſus etiam aliter per balneum immutabitur, ab illo, qui non fuerit gibboſus, ſervata tamen paritate in quibuſcunque aliis. Corpora etiam denſa, balneum intenſi caloris, & longiorem in eo moram ſine nocumento tolerant. Corpora autem mollia, & rara non ſuſtinent. Itidem qui fatur eſt, aliter immutabitur balneo, & aliter famelicus. Corpora etiam ægrotantia, quandoque munda, aut prope munda, & quandoque repleta ſunt. In corporibus autem mundis, vel non repletis, bonas efficit balneum operationes. In corporibus autem repletis, & ſuperfluitatibus plenis ſecus operatur. Nam propter multam materiam ad cutim attractam, pori clauduntur & ſuperflua egredi non poſſunt, diſcurrentiſque materia horripilationes gignit, motaque ad membra, dolores exiſtentes adauget, vel novos generat. Et ob id dixit Averrois balneum non eſſe utile habentibus repletionem totius corporis, aut unius membri. De diverſitate vero moræ in balneo, neminem latere puto quod ſecundum breviorem, longioremve moram in balneo, balneo utens, aliter & aliter immutabitur, ſervata etiam paritate in quibuſcunque aliis. Nec nos etiam latere debet, quod magna pars operationum balnei procedit ab ejus aqua, ipſius enim etiam aër ab aqua mutatur, & diverſas inde recipit impreſſiones. Et quandoque in balneo, aëre ſolo utimur, quandoque aëre & aqua, prout corporibus affectis commodius, & utilius judicatur. Cum vero aëre ſolo utimur, id ſtupha proprie appellatur, quæ quandoque vapore aquæ ſimplicis calidæ calefit, ſimplexque vocatur, & humida. Nonnunquam vero calefit vapore aquæ non ſimplicis. Sed in dicta aqua ferventi ſunt ſimplicia intentioni quæſitæ accommodata, idque balneum arte compoſitum appellatur, ad differentiam balnei naturaliter, ut ſulphurei, aluminoſi &c. Aliquoties etiam calefit lapidibus ignitis, vel ferro candenti, potenti vino aſperſis, ſecundum quod exigit diſpoſitio, ad fortem reſolutionem, diſſolutionemque, idque ſtupha ſicca appellatur. Neque ſilentio prætereundum eſt, balneum, quantum propoſito noſtro conducit, etiam tripliciter diſtingui. Quoddam enim eſt præparativum ad evacuationem per pharmaca, & ſanguinis emiſſionem, de quo ſuo loco diximus, & præparativum etiam ad eam evacuationem, quæ per unctiones fit, de quibus in *cap. ſequenti* agemus. Aliud eſt balneum prohibitivum, ut in hora operationis pharmaci, & in tempore quo unctiones exercentur. Tertio modo ſumitur balneum, ut perficiens, & hoc dupliciter, incomplete, & complete. Incomplete autem cum adminiſtratur, poſtquam ceſſavit operatio pharmaci, reſolvit enim aliquid partibus cutaneis proximum, quod non potuit pharmacum educere, non tamen curationem omnino perficiens. Complete autem, cum poſt perfectam ipſius viri menſtrualis inficientis deſtructionem, ad accidentia removenda exercetur, ut inferius patebit. Dicamus igitur ab initio naturam ſanguinem infectum ad partes cutaneas depellentem juvandam eſſe, non tantum remediis prænarratis, ut puta ſyrupis, & cæteris, verum & balneo, ſtupha humida dicto, non tantum ſimplici, ſed & arte compoſito, quod in caſu noſtro validius eſt. Ut puta in aqua coquendo *lapathum acutum*, *fumum terræ*, *ſcabioſam*, *borraginem*, & ſimilia, & hoc ſi non fuerit repletio magna, tunc enim ſummopere nocet, ut ſupra dictum eſt. Id enim balneum, cum hoc quod juvat naturam attrahendo ad partes cutaneas, exſiccat etiam id quod cuti proximum eſt. Nec tale balneum debet multum temperamentum excedere, nec diutius ægrotans in eo commorari. Cujus rei argumentum eſt, quod, ut viſum eſt, morbus hic corpus & humores exſiccat. ab eo itaque quod vehementer exſiccat cavere debemus, quale eſt balneum intenſi caloris, & longa in eo mora. Inſuper balneati munire ſe debent pannis, ne ventus, & aër frigidus per poros apertos ſubintrantes eos lædant, nec poſt balneum ea die domum exeant, præſertim ſi malus urgeat aër. Hora autem ineundi balneum ea eſt, qua completa eſt digeſtio cibi in ſtomacho, & in hepate, & eſt hora matutina, emiſſis prius excrementis egeſtione & urina. Veſpere autem non laudo balneum. Ea ſiquidem hora, morbus hic magis infeſtat. Venenum enim inficiens cum proprietate ſua, ea hora humores ad motum inducit, unde dolores augentur. Abſtinendum igitur tunc eſt ab eo, quod humores commovet, deſcendere enim eos tunc faceret ad læſa membra, doloresque augeret. Conſideranda eſt complexio ægrotantis, & ſecundum eam paranda eſt ſtupha, quantum ad gradum caloris, moraque in ea limitanda. Itidem quandoque balneo utimur ad ſedandos dolores, & eo caſu *in aqua bulliant flores chamæmeli*, *meliloti*, *ſemen lini*, *malvæ*, *& althæa*. Nonnunquam eo indigemus ut præparativo ad malagmata, quæ vulgus unguenta dicit, præſertim cum in membris prope lapidoſæ exiſtunt nodoſitates. *Tunc in aqua coquantur radices althææ*, *radices lilii*, *iridis & ſerpentariæ*, *& fœnugræcum*, *& ſemen lini*, & per plures dies ante unctionem irrigetur infirmus, itidem membrum læſum per magnam horam embrocetur, balneetur, foveaturque, ut membrum ipſum, & materia in eo exiſtens rarefiat, mollificetur, diſſolvaturque ut perinde aptiora fiant ad vires malagmatum ſuſcipiendas. ſtuphas autem quæ vapore ſublato ex aſperſione vini potentis, ſuper lapides ignitos, vel ferrum candens calefit, propter ejus validam exſiccationem non laudo. Multos enim vidi ægrotos ex uſu ejus in febres putridas incidiſſe, licet aliqui hac ſtupha uſi, aſſerant ſe ipſos à nodoſitatibus, & doloribus incolumes evaſiſſe, quorum complexio, naturaque fortior fuerat, membrorumque non facile diſſolubilium, morboque fere jam reſoluto, & corporibus eorum non repletis. oppoſito autem modo ſe habentibus, minime tale balneum concedi debet. Pariter de balneis naturalibus dicamus. Quod ſi experto medico viſum fuerit, talia in caſu conferentia fore, oportet, dixit Avicenna, ut balneetur in ejus quiete. Primum quantum ad paſſiones animales, præſertim ab eis quæ corpus exſiccant, hæc autem balnea, ut patet, fortiter exſiccant, ideirco ægrotum læderent, ſiccitatem ſiccitati ſuperaddendo. Cavendum eſt etiam ab intemperie earum animæ paſſionum, quæ ex nimia animæ, & ſpirituum dilatatione, à centro ad circunferentiam pauperiem ſpirituum educentia, virtutem debilitant. Balneum etiam tale cum hæc operetur, corpora iis animæ paſſionibus taliter affecta, eo utentia vehementer offendet. Quieti etiam ſint corpore, otio enim incumbere debent. Per quietem enim corpus refrigeratur, & humectatur, & ſic per eam nocumentum per balneum corpori illatum corrigitur. Suaviter etiam dixit: quia non debent in eis ſtare cum anguſtia, eo enim caſu periculum eſſet, ne ſyncope, & putrida febris eos invaderet. Dixit etiam ordinatim, & non ſubito, quia natura non tolerat repentinas mutationes, & ab extremo ad extremum non fit tranſitus, niſi per medium. Introire itaque prius debent balnea longe à fonte poſita, deinde gradatim ad balnea fonti proxima accedere, caliditora exiſtentia, hoc enim modo corpora balnea hæc utiliter tolerant. Et hæc de balneorum adminiſtratione ſatis dicta ſufficiant.

## CAP. VII.

### *De curatione morbi Gallici per adminiſtrationem malagmatum.*

Septimum in ordine quod conſiderare decrevimus, fuit adminiſtratio malagmatum. Quæ ſecundum genus diverſa ſunt, ſecundum diverſas intentiones in opere requiſitas. quare ut intentio noſtra generi proprio accommodetur, aſſerimus de illis malagmatis ſermonem facere, in quibus magna quantitas argenti vivi ſubintrat. Et ſuper hoc movetur iſta quæſtio. An talia malagmata conveniant in curatione hujus morbi, negative arguitur ſic. Malagmata hæc frigida ſunt, ergo non convenienter in curatione hujus morbi adminiſtrantur. Conſequentia tenet, cum omnis curatio fiat per contrarium ſecunda aphoriſmorum, & tertia techines. Morbus autem iſte frigidus eſt, ut patuit. Quod autem malagmata hæc frigida ſint, patet

patet ratione multæ quantitatis argenti vivi ſubingredientis, quod argentum vivum frigidum extat vehementer, interficit namque ſua frigiditate congelando, ut patuit in illo apothecario, de quo ſermonem facit Petrus Apponenſis in *ſuo de venenis capitulo ſecundo*, qui noctu ſitiens vas plenum argento vivo hauſit loco aquæ, mane vero repertus eſt mortuus, & videntes argentum vivum exire per anum, diſſecuerunt eum, invenerunteque cor ejus, & ſanguinem circa ipſum coagulatum. Etiam quo maxime natura vergit eo ducere oportet per convenientia loca, *aphoriſmorum prim.* Medicus enim imitator eſt naturæ, ſed hæc per cutem ab humoribus infectis corpus expurgat, & hæc via laudabilis extat, malagmata autem hæc oppoſito modo operantur, repellunt enim materiam interius ad membra principalia, cum tamen oppoſitum recte agendo deberemus facere, quoniam eryſipelas intrinſecus factum, extra converti bonum, *aphoriſmorum ſexta*, quod non de ſolo ſecundum Galen. videtur erysipelate, ſed de omni paſſione ab interioribus membris ad ignobilia ſe convertente, quare, &c. Præterea quod nervis, juncturis nocet, non convenienter in curatione hujus morbi adhibetur, hujuſmodi autem malagmata id operantur (paralyſim enim & tremorem inducunt, 2. *can.*) Igitur & cætera. Amplius, quod ulcera gutturis, & oris, fœtoremque ejus inducit, non recte in curatione hujus morbi adhibetur. Malagmata autem talia accidentia prædicta inducunt, igitur & cætera. Pro parte affirmativa arguitur ſic. Quod incidit, penetrat, & nodoſitates diſſolvit, & virus menſtruale, atque humores ab eo infectos per eandem viam, & convenientem per quam virus ipſum menſtruale movetur, naturaque agit, expellit, cutimque mundat, & malam in ea qualitatem exiſtentem corrigit, convenienter in curatione hujus morbi admittitur, qualia ſunt hæc malagmata, in quibus magna vis argenti vivi admiſcetur. Igitur ea ſummopere conferre in hoc morbo fatendum eſt.

In hac quæſtione ſic procedemus. Tractaturi enim de curatione per malagmata, quæ ad ſcientiam medicinarum compoſitarum ſpectat, neceſſarium duximus notitiam ſimplicium pertractare, & præſertim ejus partis, quæ in ea compoſitione ſe habet, ut ratio, ſeu forma, & eſt ipſe liquor æthereus, de cujus compoſitione, complexione, & virtute, mentes philoſophorum, & medicorum antiquorum, & juniorum labare videntur. Scientia enim ſimplicium medicinarum prior eſt, quam ſcientia ingenii curativi, & medicinarum compoſitarum. tertio de ingenio ſanitatis. Primum itaque de eſſentia ipſius argenti vivi, pariter & complexione agemus. ſecundo veritas quæſiti pro parte affirmativa diluc dabitur. tertio modum ponemus obſervandum in adminiſtratione talium malagmatum. quarto ad rationes oppoſitas reſpondebimus. Quantum ad primum, ſciendum eſt, quod cum intentio noſtra ſit eſſentiam miſti mineralis explanare, imprimis de ipſis elementis, ex quibus non ſolum miſta mineralia, verum etiam omnia corpora generabilia, & corruptibilia conſtant, ſermonem noſtrum inchoare commodum eſſet. Cognitio ſiquidem noſtra à magis communibus uſque ad ipſa elementa procedit, tunc enim arbitramur nos quidquam cognoſcere, quando ejus prima principia cognoſcimus, & cauſas ejus, & elementa, ex quibus componitur, primo de Phyſico auditu. Sed quia hoc non eſt præſentis ſpeculationis, ſed ad alium ſpectat artificem, ideo ne opus noſtrum monſtruoſum quid contineat, & inde deforme appareat, hæc à philoſopho diſcuſſa ſupponamus, unum videlicet eſſe elementum arctiſſime ſumendo illud, cujus deſcriptionem habes quinto Metaphyſicorum, & id nihil eſt aliud quam prima omnium materia. Quia tamen elementum dicitur de cauſis intrinſecis, apparet & alterum eſſe elementum & illud nihil eſt aliud, quam forma ipſa, quæ altera pars eſt eſſentialis entis naturalis, per quam ipſa prima materia actu exiſtit, cujus deſcriptionem habes primo phyſicorum. Alterum etiam eſt principium extrinſecum, & illud eſt privatio. Hujus trinarii numeri neceſſitatem, ſufficientiam, & eorum proprietates habes primo phyſicorum. hæc enim tria elementa, ſive principia ſunt ad generationem cujuſcunque entis naturalis neceſſario concurrentia, aliter tamen & aliter. Nam materia, & forma, ut principia intrinſeca, & proprie elementa dicta, privatio autem ut principium extrinſecum, à quo motus incipit, forma autem tanquam terminus ad quem motus ipſe tendit, materia autem tanquam ſubjectum utriuſque, privationis videlicet, & formæ. Supponamus etiam quod (largius elementum ſumendo, & more metaphorico) quatuor ſunt quæ elementa vocantur, ignis, aër, aqua, & terra, ex quibus omnia miſta componuntur, & ita ſumendo elementum, definitionem ejus habes 2. cœli, & mundi. Et hæc quatuor ex prima materia, & forma compoſita ſunt, & ad ipſam generationem elementorum concurrunt illa tria prænarrata principia, ut apparet ex ſecundo de generatione & corruptione. Porro contingit ſimul miſceri, & per qualitates eorum primas (quæ ſunt calidum, frigidum, humidum, & ſiccum) ad invicem agere, patique ſi æquata ſint in potentia, & virtute. ſed non intelligendum eſt, quod hæc tantum agant, & hæc æqualiter reſiſtant. (tunc enim non fiet altera forma) nec quod ſit æquatio ponderis ipſorum elementorum. Sed eſt intelligendum quod ſit æquatio proportionis, quam requirit forma generanda, propter quam fit miſtio. Tunc enim excellentiæ qualitatum corrumpuntur ad invicem, & generatur quoddam medium, quod nec eſt ſimpliciter calidum, nec ſimpliciter frigidum, nec ſimpliciter humidum, nec ſimpliciter ſiccum, ſed quodammodo naturam participans ſingulorum. His univerſalibus rationabiliter præſuppoſitis, proceſſus enim ab univerſalibus ad particularia major eſt via cognitionis in natura, ad particulare noſtrum propoſitum accedamus, & dicamus, quod, ſicut ſupra terram duplex eſt exhalatio, ſic & in viſceribus terræ duplex exiſtit, una quidem calida, & ſicca, & proprio nomine vocatur exhalatio fumoſa, altera vero calida, & humida, & proprio nomine vocatur vapor. & cum ignis, & aër non ſint materia vaporum, ideo efficiens erit caliditas ignea, puta ſolis, aquam vel ipſam terram calefaciens, vapores prædictos ſegregans. Hic, autem qui ab aqua ſegregatus vapor eſt, humidus exiſtit, & madefacit, naturamque ejus, à quo ſegregatus eſt, participans, ſubſtantia aquea dici poteſt. Alter vero quia terreſtri ſicco elevatus eſt à calido igneo ſegregante, ſiccitatem terream, & igneam caliditatem, humiditatem etiam aëream, & unctuoſam continet, naturamque ejus, à quo elevatus eſt, ſapiens, terreum ſubtile dici poteſt. Hi autem in viſceribus terræ commiſti mediantibus qualitatibus primis, quibus agunt, reſtant ut aqua, & patiuntur ad invicem, calore ſolis, ac influxibus aſtrorum longo tempore decoquuntur, frigido etiam terræ conſtringente ita quod pluribus converſionibus, tandem forma argenti vivi generatur. Et ſic verificatur illa propoſitio Averr. 1. *phyſicorum*, *comm.* 2. quod inter materiam primam, & ultimam formam, mediant materiæ compoſitæ, & formæ compoſitæ, ut in hac narrata doctrina compoſitiva facile perſpicere poteris. De argento vivo duæ reperiuntur celebres definitiones, una eſt Alberti Magni in *libro de Mineralibus*, quæ talis eſt. *Argentum vivum eſt ſubſtantia aquea miſta terreo ſubtili miſtione forti.* Quantum vero valeat hæc definitio, inferius patebit. Altera de Argento vivo definitio eſt Ieberis, quam ſecundum omnes ejus partes explanare volumus, quia eam veriſſimam eſſe tenemus, & talis eſt. *Argentum vivum quod mercurius appellatur antiquorum uſu, eſt aqua viſcoſa in viſceribus terræ, ſubſtantiæ ſubtilis albæ terreæ per calorem temperatiſſimum unita totali unione per minima, quouſque humidum temperetur à ſicco, & ſiccum ab humido æqualiter, ideoque fugit ſuperficiem planam de facili propter ſuæ aquæ humiditatem, & non adhæret, etſi viſcoſam habeat humiditatem, propter ſiccitatem illius, quæ illum contemperat, & non adhærere permittit.* Cum autem dixit, eſt aqua viſcoſa, non intellexit quod vapor ipſe, vel aqua ſola manens incraſſeſcat, & viſcoſa fiat, ut contra ipſum Ieberem argumentatur Conciliator, nam aqua minime inſpiſſatur ſola manens, cum incraſſatio, & inſpiſſatio, nil aliud ſint, niſi admiſtio partium terreſtrium vel aërearum cum aqueis. Id autem perbelle fit, cum duæ exhalationes commiſceantur modo jam dicto. & hanc commiſtionem Ieber intellexit, cum dixit, *Argentum vivum eſt aqua viſcoſa.* Id declarans, ſubjunxit, *ſubſtantiæ ſubtilis, albæ, terreæ*, ita, ut per ſubtile album terreum ipſa exhalatio viſcoſa fiat, hoc modo. cum enim vapor ipſe in viſceribus terræ ipſi exhalationi calidæ, igneæ, ſiccæque, humiditate etiam aerea ac unctuoſa participante commiſcetur, tunc exhalatio ipſa, quia levior eſt, ſurſum aſcendit, vapor vero gravior exiſtens ſub exhalatione manet, ut materia, & hic patiendo calore proprio, ſive natura propria ipſius exhalationis, quæ ſulphurea exiſtit, coagulatur. Sicca enim eſt exhalatio, humidum vaporis ebibens, omne enim ſiccum naturaliter ebibit humidum, & ſic fit veluti aqua viſcoſa, circumſtans etiam terra frigore proprio ad hoc juvat, & ſymboleitas ipſius vaporis ad illud. Hæc etiam videlicet exhalatio, quæ vapor eſt ſulphuris albi puri non urentis, eſt illud, per quod ipſum argentum vivum, vel tale miſtum imperfectum, puta talis aqua viſcoſa, per ſe ſubſiſtit, & individuum ſubſtantiæ fit. Talis autem coagulat, & congelat, ut dictum eſt. Itaque exhalatio, ipſa ſubſtantia, ſive formale erit in ipſo argento vivo. ſubſtantiam dico 2. modo dictam, quinto, ut apparet, metaphyſicæ, non autem ſubſtantia, ſeu forma ſubſtantialis. talis enim inſenſibilis eſt, & nobis ignota, ſed in ſimilitudinem ſubſtantiæ ſeu principii formalis, ut dictum eſt, & ad formam ſubſtantialem ipſius argenti vivi ſe habens, ut præparativum. Ignea inſuper eſt exhalatio, ut dictum eſt. Ignis enim cum activus magis ſit, atque formalior inter elementa, ideo præcipua, & princi-

palis

palis cauſa erit miſtionis, eo quod eſt operans in illa, & vincens illa, & in miſtis in gradu formæ ſe habens Meteororum. 4. *In viſceribus terræ*, dixit locum ſuæ generationis explicans. Locus enim eſt principium generationis ſicut tradit Porphyrius *libro prædicabilium*. Eſt enim principium generationis, per quod virtus generantis principalis recipitur in omni generante ſecundario. Dixit, *per calorem temperatiſſimum unita*, ut calore proprio ipſius exhalationis, ſolis præcipue, ac ſiderum omnium errantium caloribus, per radios rectos, ad ipſam terræ molem, quæ quaſi punctum eſt ad ipſum cœlum, delatos, à quibus nempe qualitas quædam ad caliditatem & humiditatem declinans exſurgit. Id per qualitates planetarum à Ptolemæo *in Quadripartito* deſcriptas colligi poteſt. Hæc frigore & ſiccitate terræ contemperatur, ſitque temperatiſſima. Quod dictum eſt de planetis, de ſtellis etiam fixis intelligendum eſt. hæ enim ſimiles ſunt illis, ut omnes aſſerunt aſtronomi. Dixit, *totali unione ad minima*. Contactus enim ad minima neceſſarius eſt in omni miſtione, & tranſmutatione ſubſtantiali. Dixit, *Quouſque humidum temperetur à ſicco, & ſiccum ab humido æqualiter*. Dictum fuit ſuperius, quod humidum, & ſiccum ſunt paſſiva. Hoc autem loco auctor hic activa aſſerere videtur, nam ſequitur, humidum temperatur à ſicco, & ſiccum ab humido, ergo ſiccum temperat humidum, & humidum temperat ſiccum. Dicamus bene dictum eſſe, calidum, & frigidum eſſe activa, quia virtute propria agunt. Humidum vero, & ſiccum paſſiva. Et cum dicitur humidum temperatur à ſicco, & ſiccum ab humido, ergo ſiccum temperat humidum, & humidum temperat ſiccum. Dicamus verum eſſe, non virtute propria, ſed virtute caloris, & frigoris. Et ideo Ieber hoc paſſive dixit. *Quouſque humidum temperatur à ſicco, & ſiccum ab humido æqualiter*. Hoc declarans dixit, *ideoque fugit ſuperficiem planam de facili propter ipſius aquæ humiditatem*. Aqua enim, quia humida, fluxilis eſt. humidum enim eſt quod facile alieno terminabile eſt termino, proprio vero nequaquam. quia tamen temperatum eſt humidum ſicco, dixit *non adhæret, etſi viſcoſam habeat humiditatem propter ſiccitatem illius quæ illum contemperat, & non adhærere permittit*, non autem adhæret propter ſiccitatem, illius ſcilicet exhalationis. Sicca enim eſt exhalatio, ut viſum eſt. Siccum enim fuit inventum ut cum recipiatur incorporatio, & ſtatio in ſe. Humidum itaque, & viſcoſum in ipſo argento vivo, temperatum eſt ſicco, id eſt, modificatum, ipſum enim argentum vivum fugit de facili ſuperficiem planam, & figuram retinet ſphæricam propter ipſius aquæ humiditatem, non autem adhæret, nec madefacit ſicut aqua, quia temperatur, id eſt, modificatur ſicco. Siccum etiam in ipſo argento vivo temperatur, id eſt, modificatur humido. Siccum enim fuit inventum, ut cum eo recipiatur incorporatio, & ſtatio in ſe. Non enim ipſum argentum vivum vel humidum in ipſo argento vivo, ita ſicco terminatum eſt, ut in ſe ipſo ſtet, & quieſcat in ſuperficie plana, ſicut glacies, lignum, vel lapis, nec adtantam duritiem venit, ut cum difficultate ſcindatur, ut reliqua metalla, immo ab humido, in ipſo argento vivo exiſtente, retinet fluxibilitatem ſuper ſuperficiem planam, à ſicco vero ipſius habet, quod non adhæreat. Humidum itaque & viſcoſum in ipſo argento vivo, temperatum eſt ſicco, pariter & ſiccum temperatum eſt humido æqualiter, virtute caloris, & frigoris. Claritatem habet ab aqua, & aëre incluſis, fluxibilitatem ab humiditate aquæ, pondus à denſitate ſuæ ſubſtantiæ, albedinem ab exhalatione ſulphurea alba, non adhærere habet, quia humidum ejus temperatum eſt à ſiccitate illius exhalationis. Cauſa vero materialis ejus, ſunt ipſa elementa vel vapores ipſi dicti. Cauſa vero formalis ejus eſt complexio ſeu commiſtio media in ipſo, ex qua reſultant accidentia prænarrata, & quæ dicentur, non quod proprie complexio, ſeu commiſtio media, ſit cauſa formalis, ſive ipſa forma ſubſtantialis (talis enim eſt nobis ignota, quia inſenſibilis) ſed antecedens, & præparativum quoddam ad ipſam formam ſubſtantialem generandam, propter quam fit miſtio, ut inferius patebit. Efficiens vero cauſa ſunt ipſa elementa, vel vapores ipſi commiſti, mediantibus qualitatibus primis quibus agunt, & patiuntur ad invicem, & ſol, & corpora cœleſtia, finis vero ipſa forma, vel nos mortales, ſumus enim omnium finis quæ in hoc mundo genita ſunt, & generantur. Ex his patere poteſt Conciliatorem non recte damnaſſe Ieberem, nec ipſum, nec modum generationis argenti vivi intellexiſſe. Patere etiam poteſt, quod altera de argento vivo definitionum falſa eſt. Prima enim dicit, *argentum vivum eſt ſubſtantia aquea*, altera quod eſt *aqua viſcoſa, ſubſtantiæ ſubtilis, albæ terreæ*, multum enim differunt, ut patet. Supereſt ut de complexione ipſius argenti vivi differamus. Primum quidem quid ab antiquis ſuper hoc exiſtimatum ſit, dicemus, deinde noſtra opinio rationibus fulta adducetur. argenti enim vivi natura mirabilis, multorum ingenia in ſtuporem adduxit. Plurimi enim auctores medicinæ complexionem ipſius non aperte pronunciant. Complures etiam, ex his non ſolum alteram ſecundum gradum, verum etiam penitus, & omnino contrariam affirmant, nullo fere idem de eo dicente. Quidam etiam ipſum venenoſum, & mortiferum dicunt. Quidam vero nequaquam. Dioſcorides *libro de ſimplicibus cap. de Argento vivo*, virtutem homicidialem ipſi ineſſe aſſerit, pondere ſuo inteſtina comedendo. Plinius *naturalis hiſtoriæ lib.* XXXIII. *cap. de Argento vivo* inquit, ex quibusdam lapidis venis vomitur liquor æthereus, argentum vivum appellatus, qui venenum hominum eſt. Rhaſis octavo Almanſoris cap. de iis qui ſumpſerunt argentum vivum, aſſerit ex potu ipſius nullum ſævum ſequi nocumentum, præter dolorem fortem in ventre, & inteſtinis. Hali abbas. 8. *practicæ cap.* de eo qui bibit argentum vivum, dicit quod ei non ineſt interficere, ſed in ventre & inteſtinis torſionem, & moleſtiam facere. Galenus. 9. *de ſimplicibus cap. de argento vivo*, dicit ſe nullam ejus experientiam habere, nec occidendi ſi bibatur, vel exterius apponatur. Accedunt & alii complexionem ejus variam referentes, & non ſolum variam, verum etiam contrariam, inter quos Conſtantinus in *Pantechni. 2. practicæ tractatu de virtutibus metallorum cap. Azoc. j.* argentum vivum calidum & urens in 4. gradu affirmat. Joannes autem Platearius in circa inſtans ponit ipſum calidum, & humidum in quarto gradu. Dicit etiam in quibusdam libris reperiri ipſum eſſe frigidum, & humidum in eodem gradu. Avicenna *ſecundo canonis* ponit ipſum frigidum, & humidum in ſecundo gradu. Pariter & Albertus magnus in *libro de mineralibus*, eundem gradum frigiditatis, & humiditatis ipſi argento vivo attribuit. Nos autem primordia argenti vivi iterantes, dicamus, quod cum quatuor elementa ad miſtionem veniunt pro argenti vivi poductione, id fit mediantibus vaporibus prædictis hoc modo. Primo quidem ab aqua, vel terreſtri humido, pariter à terra, vel terreſtri ſicco, virtute ſolis in viſceribus terræ, duo prædicti vapores, vel ſpiritus producuntur, & in tali productione eſt vera generatio ſubſtantialis, & corruptio, ita quod tales vapores non amplius ſunt aqua, vel terreſtre humidum, pariter nec terra, vel terreſtre ſiccum. Aqua enim & terra non poſſunt tantum rarefieri, vel levifieri manente aqua, & terra, ſine ipſius ſcilicet aquæ, & terræ corruptione. Hic autem qui ab aqua, vel terreſtri humido, virtute ſolis ſegregatus eſt, proprio nomine vapor appellatus, calidus, & humidus dictus eſt. Alter vero quia terra, vel terreſtri ſicco, virtute ſolis producitur, proprio nomine exhalatio vocatur, hæc calida, & ſicca dicta eſt. Deinde cum ii in eiſdem viſceribus terræ commiſceantur, generatur quoddam miſtum imperfectum, imperfectum quidem dico, non per carentiam aliquorum elementorum. In his enim duobus vaporibus quatuor elementa continentur, ſed imperfectum forma ultima ipſius argenti vivi generanda, propter quam fit miſtio. Et hinc ex actione ad invicem, & paſſione, quatuor primarum qualitatum in elementis repertarum, generatur quædam qualitas quæ complexio dicitur. patet *prima primi doctrina tertia capite primo*. Et hæc qualitas, ſive complexio, non abjicitur, ſive corrumpitur, ſed perficitur per adventum formæ ſpecificæ ipſius argenti vivi, & proprietatibus ipſam formam conſequentibus. Talis autem qualitas an calida, an frigida nominanda ſit, dicamus. Miſtum tale imperfectum genitum Ieber aquam viſcoſam appellavit, & hanc ſubſtantiæ ſubtilis, albæ, terreæ dixit. Et idem eſt, ac ſi diceret naturæ ſulphureæ, albæ. Subſtantia enim & natura idem important, ut quinto apparet Metaphyſicæ. Sed cum natura ſit primorum elementorum complexio, *Aphoriſmorum ſecunda*, *aphoriſm.* 34. Supereſt tale miſtum imperfectum ex commiſtione prædictorum vaporum modo & loco dictis genitum, aqua viſcoſa à Iebere vocatum, talis complexionis exiſtere qualis & ipſum ſulphur album purum exiſtit. Quod quidem calidius extat vulgari ſulphure, quod apud nos reperitur, eo quod eſt immundum, terreum, & fœtidum. Nec perquiras ſulphur album ſuper terram ſolum, tale enim in ipſo argento vivo conſiſtit. Sulphur vero vulgare calidum eſt, ad quartum gradum perveniens 2. *canonis*. Id etiam ratione monſtratur ſic. Quod effectus caliditatis inducit, id calidum exiſtit. Argentum vivum autem id operatur, igitur calidum eſt. conſequentia patet cum majori, & minor declaratur, nam incidit, penetrat, mollificat, & diſſolvit, hi enim caloris ſunt effectus, ut intelligenti patet, igitur, &c. Præterea, cuicunque definitio calidi competit, id recte calidum dicitur. Sed ipſi argento vivo definitio calidi competit, igitur recte calidum appellabitur. Conſequentia patet cum majori. Homo eſt animal rationale, convertitur enim animal rationale eſt homo. Minorem probo. Calidum enim eſt quod heterogenea ſegregat, & homogenea congregat. 3. *de Generatione*, & *corruptione*. Id autem operatur argentum vivum, quod experimur in doloribus evenien-

nientibus in ipſo morbo Gallico à ſoluta continuitate, cauſa humoris craſſi imbibiti in muſculis, nervis, ligamentis; & ſimilibus, ut palpamus in duritiebus quodammodo lapidoſis, in hoc morbo evenientibus, per applicationem enim talium malagmatum, in quibus magna vis argenti vivi ſubintrat, humor membro heterogeneus diſſolvitur, ſeparatur, ſegregaturque, & membri partes homogeneæ, & diſcontinuæ congregantur. Nec valet ſi dicatur id non evenire virtute argenti vivi, ſed virtute aliorum ſimplicium ſubingredientium. falſitatem hujus rei experimur, ſublato enim à prædictis malagmatis argento vivo, nihil ipſa tale operantur. & ſi quid tale operantur id debiliter, & imperfecte, & longo temporis ſpatio, quod perfecte, valenter, celeriterque cum argento vivo operantur. Præterea argentum ſublimatum calidum eſt in quarto gradu, ergo argentum ipſum vivum ante ſublimationem calidum eſt in eodem gradu. Antecedens patet experimento, interficit enim adurendo. Conſequentiam probo ſic. Argentum vivum ſublimatum redit in verum argentum vivum, ergo non erat corruptum, quod enim corruptum eſt, impoſſibile eſt redire idem numero. Non erat corruptum, ergo eadem forma, à qua provenit omnis actio, quæ prius erat in ipſo argento vivo, ineſt in ipſo argento ſublimato, & è contra, ergo & eadem complexio, quæ tanquam prævia diſpoſitio formam ipſam antecedit. Miſtio enim fit propter formam, & ipſa complexio eſt inſtrumentum agens, quo utitur ipſa forma, dum in ſuas exit operationes. Quod autem argentum ſublimatum redeat in verum argentum vivum, ipſa experientia docet. Sublimatio ergo ipſa non corrumpit formam ſubſtantialem, quia non rediret ad illam. Potentia enim materiæ non eſt ad præterita. In adventu enim forma potentia corrumpitur, & reducitur omnino ad actum, ut primo apparet Phyſicorum. Sed per ipſam ſublimationem ipſum argentum vivum depuratur, & vitia in eo exiſtentia ab igne tolluntur, juxta illud Naſonis in *Faſtis*. *Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis Excoquit.* Unde 2. *de Generatione & Corruptione*, calidum eſt quod heterogenea disgregat, & homogenea congregat. Argentum ergo vivum ſublimatum poſtquam rediit idem numero, purius, perfectius, & validius exiſtit, & operationes perfectiores inducit, quam ante ſublimationem. Per ipſam etiam ſublimationem fit corruptio in formis accidentalibus, nec proprie debet dici corruptio, ſed alteratio, & eſt ſimile ſicut de urina, quando dicitur quod eſt corrupta, & ad ignem reducitur, non enim proprie corrupta eſt, ſed alterata. Siccum enim in ipſo argento vivo ita temperatum eſt humido, ut ejus operationes inde impediantur. Sublimatio autem ipſa hoc tollit impedimentum, inducens formam accidentalem, ut apparenter videatur corruptum, cum re vera non ſit. Quæ forma accidentalis per artificium corrumpitur, dum ipſum argentum vivum ſublimatum redit in verum argentum vivum. Facit etiam ipſa ſublimatio ipſum argentum vivum in actus, ſive operationes ſuas celerius, & validius exire. Simile & ars facit in ipſo argento vivo, dum ponitur in malagmatis, cum ad minima deducitur, & ex illis actu calidis, corpus perungitur, tunc enim facilius valet in poroſitates noſtri corporis penetrare, & opera calidi, jam dicta, potenter inducit. Illud autem quod Dioſcorides dicit, quod potatum pondere ſuo perforat inteſtina, hoc non credimus. Quia, ſi per poſſibile, quis deglutiret lapidem, vel aurum in majori quantitate, & pondere, non perforarentur inteſtina, hoc experimur in lapide veſicæ. Sed dicimus quod quando aliquis bibit argentum vivum, cum natura ſua ſit fluxibile, ſi deſcendat, & è corpore exeat, ut in multis accidit, nullum ſævum ſequitur nocumentum. Si autem propter aliquod impedimentum, figatur, & retineatur actuatum à calore naturali, perforat inteſtina, corrodendo non pondere, ſed caliditate ſua, & acumine. Tarde tamen & longo temporis ſpatio id operatur, quod celerius, & valentius ipſum argentum ſublimatum operatur, quia impedimentum humidi in ipſo amotum eſt. Et hæc eſt noſtra de argento vivo opinio, primum claudens articulum. Quantum ad ſecundum articulum. Sciendum eſt quod Gaſpar Torrella Epiſcopus ſanctæ Juſtæ, qui tractatum de hoc morbo compoſuit, malagmaticam hanc curationem damnavit, & talem curationem exercentes ſicarios appellat, nec tamen contra hos rationibus invehitur, imuno tanquam nefariam curationem, & irregularem dimittit. Hæc opinio, quia contradicit ſenſui, non eſt bona. Experimentum enim ſermonum veorum eſt non niſi ut conveniant ſenſatis, & non è converſo. 8. *Phy. commento.* 22. Inſuper deſtruit artem medicinæ. Ars enim medicinalis magis experimento conſtat, quam ratione, etſi in arte medicinæ non ſufficiat ratio ſine experimento, neque experimentum ſine ratione, ſed utrunque exigatur ſimul commento primo canticæ. Experimentum tamen vincit rationem *quarta primi capite de Phyſionomia.* Nos autem experimento innixi, dicamus cum Philoſopho. 2. *Poſteriorum.* Ponentes triplicem gradum animalium, primus eſt habentium potentiam ſenſitivam tantum. Secundus eſt habentium potentiam ſenſitivam, & memoriam. Tertius eſt habentium potentiam ſenſitivam, memoriam, & ratiocinativam, & hic eſt gradus generis humani. Et cum omnes homines natura ſcire deſiderent, quod oſtendit ſenſuum dilectio, ex proœmio Metaphyſicorum. non enim à nobis ſolum diliguntur ſenſus, quia vitæ afferant utilitatem, verum etiam propter ſeipſos in quantum apti ſunt ad cognoſcendum. Et ideo præ cæteris ſenſum viſus diligimus, quia aptior eſt ad cognoſcendum, & plures nobis rerum differentias demonſtrat. Ex ſenſu igitur in nobis fit memoria, ex frequenti autem memoria experimentum fit. multæ enim memoriæ unum ſunt experimentum. Ulterius, ex multis experimentis univerſale fit, tunc ex experimento, & univerſali uno præter multa quieſcenti in anima, generatur in nobis id quod eſt principium artis, & ſcientiæ. Artis quidem ſi circa operabilia. Scientiæ autem ſi circa neceſſaria noſtra verſatur conſideratio. Cum igitur hiſce temporibus viderimus talia malagmata, in quæ magna vis argenti vivi ſubintrat, curaſſe tali morbo affectos, materiam per oris excrementa, & corruptos humores ex axillis in modum rivuli educendo, & id ſæpius, tunc ex multis ſenſatis generantur in nobis multæ memoriæ, & ex multis memoriis generatur in nobis experimentalis cognitio. Et ulterius, ex hujusmodi pluribus experimentalibus notitiis intellectus noſter excitatur, cogitans aliquam unam naturam ineſſe omnibus talibus particularibus malagmatis, unde habent talem vim, & tunc fit in intellectu noſtro cognitio unius univerſalis, præter multa ſcilicet particularia malagmata, quia conſiderat naturam illam univerſalem, præter hoc particulare malagma, & præter illud, & præter omne particulare malagma, & tale univerſale, quia ex omni particulari abſtractum eſt, erit unum præter multa, & quieſcens in anima, quia à particularibus abſtractum, & à variatione ſemotum. In ſingularibus enim eſt motus, & hic eſt verus modus, & recta ad artem, & doctrinam via, omnis enim doctrina, & omnis diſciplina intellectiva ex præexiſtenti fit cognitione. *Poſteriorum primo.* Nec ſpernenda ſunt talia malagmatum genera, nec ab arte medicinæ excludenda, quin immo ab ipſa prima rationalis medicinæ origine auctore & inſigni inventa, inſtitutaque. Propterea non ignorandum ante Aeſculapium, & Aſclepium ejus filium homines arte medicinali caruiſſe. Rudem vero, & incultam etiam ab his traditam, ideo deperditam. Notitiam tamen confuſam herbarum, & quorundam Pharmacorum illos tunc habuiſſe aperte conſtat. Quandoquidem, ut recitat Herodotus, & cum eo Galenus *libro*, qui intitulatur *Introductorius medicorum*, allegat, quod ætate illa languentes deferebantur in forum, nec licebat cuiquam ſilentio præterire, explorabant enim prius omnes quo laborarent morbo, ut ſi vel ipſe eundem paſſus fuiſſet morbum, vel alium noviſſet patientem, poſſet quæ aut ipſe, vel alius expertus eſſet, in medium afferre. In tabella etiam genus mali, & ipſius remedia notabantur, parietique templi ejus, qui auxiliatus fuerat, Dei figebatur, ut exemplum poſtea proficeret, qui mos uſque ad tempora perduravit Hipp. Is autem, ut Plinius *vigeſimo nono naturalis hiſtoriæ* narrat, exſcripſiſſe ea fertur, medicinamque clinicam inſtituens, & rationalem, languentes lecto jacere juſſit. Hæc ratione conſtat, & experimento, ad quam acquirendam triplici inceditur doctrinæ ordine, reſolutivo ſcil. compoſitivo, & definitivo, rerum naturalium, non naturalium, & contra naturam, ut in ea perito arte notum eſt, cognitionemque neceſſariam, curationemque ipſam triplici inſtrumento perfici aſſeruit, diæta ſcil. potione, & chirurgia. Deinceps Prodicus Silembriæ natus ipſius Hipp. diſcipulus, dum forſitan homines ejus ſæculi diuturnam moram in lecto trahere recuſarent, vel ſe ipſos eo ſpernerent victu regi, ac potiones crebro ſumere horrerent, eam medicinam tanquam expeditiorem, quam iatralepticen, id eſt, medicinam malagmaticam vocant, inſtituit. Quæ hujuſcemodi malagmatum generibus & cæteris pluribus per volumina antiquorum medicinæ auctorum repertis, prout genus morbi, & natura ægrotantis exigit, perficitur, publicam domum inſtituens operi accommodatam, medicis reunctoribus, ac mediaſtinis vectigal invenit. Hæc ob artis inconſtantiam ab uſu medentium plurimum excidit, nulla enim artium inconſtantior hac fuit. Poſt primam enim rationalem medicinam, duæ numerum trinarium conſtituentes, exortæ ſunt medicorum ſectæ, empirica ſcil. & methodica. unde Auſonius poëta. *Triplex quoque forma medendi, Quæ logos, aut methodos, cuique experientia nomen.* Empirica enim ab ipſa experientia nomen ſumpſit. Cujus auctores diſciplinam rationalem nihil ad medicinam pertinere naturæ, & cauſarum occultarum cognitionem

nem, quam rationales neceſſariam tenent, vanam affirmant. quoniam incomprehenſibilis ſit natura. Cauſarum primitivarum uſus, experimentorumque cognitionem neceſſariam, & ſufficientem affirmant. Methodici vero nullius cauſæ notitiam ad curationes pertinere, ſed ſatis eſſe quædam communia morborum inſpicere, ut ſi corpus ſtrictum ſit, vel lubricum, vel miſtum. Noſſe etiam oportere morborum genera, an acuta ſint, an chronica, ac morborum tempora. His cognitis ſi corpus ſtrictum ſit, lenitivis inſiſtendum. Si lubricum, ſtipticis utendum eſt. Si miſtum morbum habeat, obviandum vehementiori. Aliter acutis morbis medendum, aliter chronicis, aliter in morborum principiis, aliter in augmento, ſtatu, & declinatione. In horum communi obſervatione perfectam medicinæ artem conſiſtere affirmant. Hanc methodicen vocant, quaſi viam quandam eorum quæ in morbis communia ſunt contemplatricem. His vero temporibus apparente hoc novo in Italia morbo, plurimi medicorum inſignes hæſitavere, & à curatione ipſius refugerunt. Jure quidem. In curandis enim morbis prima intentio, ut Galeno placuit, ab eſſentia morbi ſumenda eſt, quæ cum nulla hujus morbi memoria extaret, incognita erat. Non deſuit tamen ſuccurrendi via, ad ipſum enim iatralepticen acceſſus patuit. Quem, via tamen empirica, ſimilitudo monſtravit compertis quibusdam malagmatum generibus, deſcriptis à Theodorico *capite de malo mortuo*, & ad verbum recitantur ab Arnaldo de Villa nova, *capitulo de ſcabie*. Sub hoc titulo continetur malagma Saracenicum, quod ſanat ſcabiem, cancrum, malum mortuum, ſalſum phlegma, educendo per os materiam, & dicitur curare leprosos in principio, & confert arthritidi, & podagræ. In hoc morbo adeſt infectio cutis, inſtar ſcabiei fœdæ, quæ affectio lepræ ſimilis eſt. Adſunt etiam dolores in univerſo corpore, quaſi quædam arthritis, & hæc malagmata non ab imperito, ſed ingenioſo medico in uſum producta fuiſſe crediderim, quæ ad imperitos etiam devenere, qui illis abutentes, omnes indifferenter perungunt, & in qualibet corporis particula, omni etiam tempore, nullam evacuationem præmittentes, nullam materiæ, corporumve præparationem facientes. Hinc eſt quod multi non perfecte curantur, & ſi apparenter curantur, paulo poſt in deterius recidunt. Et ideo multi probati medici hanc curationem improbarunt, arbitrantes per hujuſcemodi malagmata materiam ad interiora compelli, augerique cum debilitate principalium membrorum, non reſpicientes quod in his malagmatis quædam virtus ſolutiva inſit, veluti in cæteris ſolutivis, tam ſimplicibus, quam compoſitis, diverſo tamen modo. Nam, ut dicit Theodoricus, materiam per os educunt, ſputum provocando. Similiter materiam fluere faciunt per axillas inſtar rivuli, in aliquibus etiam ſecundum diſpoſitionem individuorum, materiæque alvus movetur, ſudoresque exeunt copioſi, peculiari tamen, & aptiori modo per ſputum, nos vero actionem iſtam ab ipſa forma ſpecifica argenti vivi fieri, non à complexione, affirmamus. Argentum enim vivum ſanguini menſtruo adverſatur, illud reſolvendo, & è corpore educendo per eandem viam, ad quam ipſe ſanguis menſtruus natura ſua movetur, ſuperiora enim petit, ut dictum eſt, rheumatiſmos generans. veritatem hujus rei experimur in mulieribus menſtruatis, quæ ſuo vitu ſpeculum inficiunt, & infantulos faſcinant. Jam igitur patuiſſe potuit hanc malagmaticam curationem, rationalem eſſe, & non prophanam, ut auctor ille aſſeruit. A ſecundo igitur articulo ad tertium accedamus dicentes, quod morbus iſte vel novus eſt, aut vetuſtus. Si novus, facilior, ſi vetuſtus, difficilior eſt curatu. Recenti itaque morbo, habita prius notitia ſpecifica ipſius viri menſtruatis inficientis cognita, & complexione, ac diſpoſitione ægrotantis, ſi plenitudo adſit, tollenda eſt, vel phlebotomia, vel pharmacis, ut neceſſarium judicaveris. & in his omnibus fiat ut *ſecundo tertio & quarto capitulis de curatione* dictum eſt. Deinde ægrotus ungatur, dixit Arnaldus, inter duos ignes, ab adjutoriis brachiorum uſque ad manus, & à mediis coxis uſque ad pedes, unctorque manibus calidis optime fricare debet, ut vis malagmatum imprimatur in membris. Id mane, & veſpere fiat, ante prandium, & ante cœnam, & ſingulis diebus, donec dentes dolere cæperint, tunc ceſſandum ab unctione. Significatur enim quod virus ipſum menſtruale, & humores ab eo infecti, tunc ſuperiora petunt, ut per gingivas, & palatum expellantur. talis enim horum malagmatum eſt proprietas, ut dictum eſt. Caveat ægrotus hoc tempore à frigore, ut mulier in puerperio, ne frigus per poros apertos ſubintrans, lædat illos, neve malagmatum impediatur operatio. & ſic ſtare debet in illis linteis quouſque ceſſet fluxus phlegmatis per gingivas. Hoc tempore parum dormiat, immo procuret purgare totam illam materiam per ſputum, ſedens ſuper lecto, vel inclinatus. Hoc etiam tempore ægrotus vino levi decenter diluto utatur, pulmento ex capo, vel gallina illius anni nutriatur, quia hi ægrotantes mandere non poſſunt, & ut virtus, quæ tunc lædituir, cuſtodiatur. Caveat, ne aliæ partes corporis ungantur, & ſemper ante unctionem ſtomachus *oleo nardino, & maſtichino calido* ungatur, faſciaque circunderur, argentum enim vivum, ſtomachum, & membra omnia principalia lædit. Idcirco hoc tempore commodum eſt interius, & exterius cordi adhibere fomenta. Si alvus aſtricta fuerit, ſuppoſitorio, vel lenitivo enemate utatur. Si fluxus phlegmatis per gingivas ſuperfluereт, auctore Arnaldo, *accipiatur lutum armenum cum ſanguine draconis, & cum ſucco plantaginis incorporetur, & fiant pilulæ, quas ægrotus in ore teneat.* Ad hoc etiam, valeret collutio oris ex decoctione rerum ſtipticarum. Quia tamen qui bene purgantur per ſputum, optime curantur. Conſulo ut talis opera omittatur, vel differatur. Morbo namque inveterato, ſanguine, humoribusque craſſis, durioribusque factis, ad unctionem feſtinare non oportet, quia id fruſtra fieret, & in ægrotantis perniciem, cujus tunc complexio, diſpoſitioque perſpicienda eſt. Quod ſi ſanguis ſuperet, fiat in omnibus ut in ſecundo capite de curatione dictum eſt. Quod ſi alii humores exſuperent, ut in pluribus evenit, digerantur, & minorative evacuentur juxta vires ægrotantis. Nec digeſtionem tantum per ſyrupos agere, ſed & balneo humores digerere, & præparare corpus expedit, ut facilis fiat illorum competenti pharmaco eductio, & id ſæpius agas interpoſita membrorum confirmatione, optime ſemper regendo ægrotum diæta reſumptiva. Cum autem cacochymicam ſubſtuleris diſpoſitionem, quod ex vivido ægrotantis colore, corporis levitate, bonoque appetitu cognoſces, tunc ad unctionem accede modo ſupradicto. Nec id agas tempore brumali, nec in principio veris, quia ea pars anni ad hyemem ſpectat, ſed in medio, vel in fine ejus, vel æſtate ipſa. Aptius tamen tempus eſt ver. & hæc de tertio articulo dicta ſufficiant. Quantum ad Quartum articulum, ad primum dicendum, negando majorem, ad probationem dicendum quod argentum vivum non eſt frigidum, immo calidum, ut patuit. Ad experientiam dicendum id ſecutum fuiſſe ſua ipſius actuali frigiditate, & non complexionali. Ad aliud conceditur totum, & dicitur quod talia malagmata non debent exerceri in ipſo initio morbi, ne materia retrocedat, & membra lædat interiora, ſed prius iſti pharmacis purgandi ſunt, & ſi expediat, per phlebotomiam ſanguinem oportet mittere, balneo etiam materia ad exteriora ducenda eſt, & minuenda. Deinceps unctio exercenda. Nec omnino ad appoſitum talis unctio ducit materiam, immo eam per palatum & gingivas potenter educit, per quam viam virus ipſum menſtruale movetur, illud & deſtruit, ut ſupra monſtratum eſt. Cutim etiam infectam, & partes ei vicinas mundat, & rectificat. Ad aliud negatur minor, immo talia malagmata podagræ conferunt. Ad Avicennam dicendum, quod fumus argenti vivi cum ſublimatur propter fortem diſſolutionem aliquando materias facit ipſas præcipitare ad nervos, & ſic inducit paralyſim, & tremorem, adminiſtratus vero in malagmatis, educit materias diverſas per ſputum, & potenter, ut experimento patet, & non lædit nervos, nec juncturas, immo dolores eorum tollit. Ad aliud negatur major, cum difficile ſit invenire, quod ex omni parte proſit, & nihil noceat. Talia autem ulcera non diu permanent, immo ſedato fluxu materierum per gingivas ſanantur. Vel aliter negatur minor, immo talia malagmata curant ulcera gutturis, columellæ, & palati, virus menſtruale deſtruendo, & malam materiam ulcerantem præcipitando per gingivas, eamque per ſputum educendo, nec fœtorem oris inducunt, niſi per accidens, educendo humores corruptos per illa loca, quibus eductis fœtor oris abjicitur.

## CAP. VIII.

### *De Curatione morbi Gallici per remotionem accidentium, quæ unctionem comitantur.*

Accidentia, quæ unctionem comitantur ſunt, caloris extinctio, debilitas ſtomachi, oris fœtor, & dentium commotio. Primo itaque accidenti hæc afferr auxilia, ægrotum in balneum mitte, & cum *aqua decoctionis fumi terræ, acuti lapathi, ſalviæ, roſmarini, foliorum lauri, eum lavari jube, & vino odoriſero aqua admiſto roſacea faciem ablnere item & caput ex optimo lixivio, in quo decocta ſint roſmarinus, ſalvia, roſa, ſenaque, ac ligno aloës, muſco, ambraque totum corpus, veſtesque ſuffire.* hæc enim corroborant ſpiritus, & colorem efficiunt bonum. Priſtinæ vires his auxiliis ſtomacho reſtituendæ ſunt. Animadvertendum utrum bilis, an pituita ſtomachum repleat. Si bilis, & calor ejus hepatis adſit, eam vomitu in jejunio excutere, prius ventrem inferiorem clyſteri purgare, & *rhabarbaro* in parva doſi adminiſtrato alvum ducere, crebro ta-

men ci offerre *triasantalon*, & *syrupum de cichoreo ex descriptione Gulielmi*, *syrupum* & *rosaceum*, & *rosaceam conservam* ægrotanti ministrare convenit, hæc enim stomachum roborant, & hepatis calorem reprimunt. *Sume rosam*, *coriandrum*, *absinthium*, *corallum*, & *spicam nardi*, & *ex his sacculum construe*, *quem stomacho extrinsecus applicabis.* Hunc prius calefacito super tegula, vino aqua rosacea admisto aspersa. *Ex oleo mastichino*, *rosaceo*, *cydoneorum*, *nardino stomachus etiam fovendus est.* Quod si pituita stomachum repleverit, post cibum plurimum, præsertim incilivum, vomitu, navigatione, vel alio ingenio procurato, ut excutiatur. *Pilulas mastichinas ex descriptione Conciliatoris*, *pariter* & *alnephanginas unam aut duas*, *vel tres vespere præbebis ægrotanti ante cœnam*, ut ejus dispositio tibi exigere videbitur. Mane vero *mel rosatum*, *vel syrupum de absinthio*, *vel aromaticum rosatum ex descriptione Gabrielis ministrabis.* Remedia etiam alia curativa exercebis, si ea probaveris necessaria, ea late scripta in libris medicorum tum antiquorum, tum modernorum reperies, illuc igitur recurrere molestum non sit. Fœtor oris, etsi pluribus de causis contingere possit, hoc tamen in morbo ut plurimum evenit propter gingivarum putredines ex defluxu materiæ corruptæ ad gingivas, cui etsi subveniatur phlebotomia, scarificatione, alvique ductione, quia tamen hæc ante unctionem peracta fuere, & unctio ipsa totum ab humoribus corruptis potenter corpus mundificat, eos per gingivas expellendo, & utplurimum cessante tali fluxu hæ putredines seipsis curantur, ideo tali ab operatione ad tempus quiescendum censeo. Quod si insideant, significatur tunc corporis immundities, prodestque materiæ corruptæ in gingivis tunc pharmaca exhibere. Significatur etiam virus ipsum menstruale nondum esse destructum. Et hoc in casu non præter regulam arbitramur confirmata virtute, tales iterato ægrotantes perungere, quod contulisse sæpissime non ignoramus. Deinde collutionibus utere, quas causæ accommodabis, contraria semper applicando. Commotio dentium in casu nostro, utplurimum fit propter humiditatem relaxantem, cui supposita corporis mundificatione oris, stipticis collutionibus subveniendum est, cæterisque hujuscemodi auxiliis. Horum accidentium curationes exquisitas ferre superfluum duximus, quia his sæpissime non indigemus; quod si necessitas urgeat tales exercere curationes, non sit molestum ad volumina medicorum confugere.

## CAP. IX.

*De curatione morbi Gallici per correctionem accidentium, quæ hunc morbum sequuntur.*

Accidentia, quæ hunc sequuntur morbum, duo posita fuere, primum fuit cutis defœdatio, alterum vero dolores in universo corpore. Sunt & alia accidentia, ut nodositates, & ulcera. Defœdationes, ut visum est, in ipso initio morbi in interiora pellendæ non sunt, imo balneo juvanda est natura, attrahendo ad partes cutaneas. Sed quia, ut in pluribus hæ in facie exoriuntur, mulieres, virosque deturpantes, ideo aquam constituimus, quæ tales fœdos emendat affectus, cujus receptio talis est. *Sume succi plantaginis uncias tres*, *succi fumi terræ tantundem*, *succi endiviæ uncias quatuor*, *succi uvæ acerbæ uncias duas*, *aceti nigri unciam unam*, *cerussæ drachmas tres*, *argenti sublimati drachmam unam*, *salis communis tantundem*, *succos depuratos reliquis miscето rebus*, & *in ampulla ad ignem bulliant ad consumptionem decimæ partis*, *qua crebrò illine in facie quæ fuerint defœdationes.* Dolores, etsi malagmatica prænarrata curatione tollantur, nonnunquam tamen anni tempus, pariter & ægrotantis dispositio, eam prohibent exerceri. Sed quia hoc in morbo dolores acerrimi noctu invalescere consueverunt, somnum auferentes, unde eorum vires dejiciuntur, hoc igitur in casu, in ipsis sedandis laborandum est, fovendo membra ipsa dolentia rebus anodynis, & oleo ejusdem virtutis eadem perungendo membra, & ad ultimum, magna cogente necessitate, ad narcotica devenire oportet, non exterius super membra dolentia ea applicare, sed interius, exhibendo *de Philonio Romano in parva quantitate*, *puta drachmam mediam*, *vel drachmam unam ad summum.* Nonnunquam etiam in capite dolores eveniunt acerrimi, die, noctuque ægrum quiescere non permittentes, quibus subveniendum est crebra humoris maligni evacuatione, in debili dosi pharmacum exhibendo, præposita digestione convenienti, & ægrotantem balneare, & in balneo caput ejus ex alto embrocare ex decoctione rerum anodynarum, naribusque caput-purgium imponere, cujus receptio hæc est. *Sume succi cucumeris agrestis uncias tres*, *succi iridis uncias duas*, *succi majoranæ tantundem*, *succi betæ uncias sex*, *bulliant*, & *depurentur*, & *colentur*, & *cum pluma naribus immittantur.* Magnifice enim educit superfluitates ex capite, & id fiat singulo mane & vespere ante cœnam. Balneum, & embroca alternis exerceantur diebus, & ea die qua balneum non exercetur, *clysterizetur ægrotus decoctione capitis vervecis*, *senæ*, & *agarici*, *adjecta uncia una hieræ picræ.* Hoc quidem modo tales, nutu Dei, pelles dolores. Nodositates etsi optime per malagmata superius exposita dissolvantur, commodum tamen est ante unctionem membra ægrotantia fovere, emplastrare, inungere, ac balneare, ministrando medicamenta mollificativa, ut duo resolutiva, ut unum, ut membra ipsa ægrotantia aptius virtutes malagmatum suscipere valeant. Ulcera non solum in virga, verum etiam in universo corpore exoriuntur, & præsertim in morbo inveterato. Ulcera virgæ in initio morbi evenientia, qualiter curentur diximus, cum de curatione ageremus præservativa. Inveterata autem ulcera non tantum in virga, verum etiam in reliquis partibus corporis curatione ipsa malagmatica tolluntur. Quod si talem non admitterent curationem, tunc cauterium exercendum est actuale, id enim perfecte talia curat ulcera.

*Malagma sanans morbum Gallicum.*

Sume *axungiæ porci libram unam*, *adipis viperæ uncias tres*, *olei laurini uncias tres*, *argenti vivi extincti uncias quatuor* & *semis*, *lithargyrii argentei* & *aurei ana uncias duas*, *mastichis*, & *thuris ana unciam unam* & *semis*, *terenda terantur subtiliter*, & *misceantur*, & *fiat malagma ad usum*, *quomodo dictum est.* Quidam in curatione horum languentium, vice malagmatum *suffitionibus ex cinnabari*, *ex argento vivo*, & *sulphure constante*, *utuntur*, & mirabilia quandoque operantur, sed malagmata salubriora sunt. Et hæc de morbo Gallico dicta sufficiant, ad laudem summi & æterni Dei, qui sit benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

# JOANNIS BENEDICTI, *Germani*,

*Artium & Medicinæ Doctoris*,

DE

# MORBO GALLICO

# LIBELLUS.

## CAP. I.

*Quo ostenditur quid sit morbus Gallicus.*

Tametsi hæc dispositio mala, quam Gallicum, aut sancti Mævi morbum nos appellamus, Severine Baner doctissime, non possit recte à quoquam capitulari, quum probabiliter loquendo nec divino Hippocrati, nec Galeno, nec Avicennæ, aliisve medicis antiquissimis cognita fuerit (alioqui nomen morbi proprium, & capitulum sicut in cæteris morbis procul dubio posuissent.) Attamen apud Arabes ad capitulum Asaphati, cum quo habet affinitatem, & apud Græcos ad rubricam de Achorios, apud nostros ad capitulum scabiei juste reduci potest. Utcunque visa morbi, & accidentium suorum atrocitate, visa etiam Empiricorum indoctorum, & illiteratorum truculentia, impietateque, visa etiam scribentium varietate, non potui me continere, quin in hoc tractatulo ponerem modum non solum sanis ad præservandum utilissimum, verum etiam & curandis, & curatis gratissimum, quo quisque etiam mediocriter in arte nostra

ſtra edoctus omnes morbos vel incurabiles mirabiliter ſanare poterit: Nec multum de nomine hujus morbi (ut celerius huic malo provideatur) curabimus ſecuti ſententiam principis Abolai *prima primi. doct. 19. cap.* v. & Galeni *ſecundo therapeuticæ. cap.* 7. verſus finem ſic dicentis: *Sed quod ſemper dicimus ſequentes divinum Platonem, contemnere quidem oportet nomina, non contemnere vero rerum doctrinam: nam hæc quidem ad ſalutem hominum proficit, ſine qua ejus in perniciem res deſinit.* idem 1. *prognoſticorum: primo* item *de criſi:* quoniam non verbis aut vocibus, ſed rerum eſſentiis, teſte Arnaldo, ægritudines curantur. Vocetur ergo hæc diſpoſitio morbus Gallicus, aut Neapolitanus: ſit Elephantia, ſit lepra aut ejus ſpecies, nihilominus eſt diſpoſitio mala Epidemialis in membris corporis humani, & præſertim in Hepate, & venis exiſtens, ex qua dolores & puſtulæ tanquam accidentia per univerſum corpus concomitantur: dixi eſſe diſpoſitionem malam utpote ægritudinalem læſivam operationum eſſentialiter proventu primo. Epidemialem utpote ex aëris mutatione ab influxu cæleſti factam, pro quo intelligendo ſcias quod aër propter cauſas ab Hali abbate *quinto theoricæ* narratas poteſt tripliciter immutari: ſcilicet in qualitatibus, in ſubſtantia & natura propria, & utroque modo ſimul. In qualitatibus ut ſcilicet alteretur ad caliditatem, vel frigiditatem, humiditatem vel ſiccitatem, ſubtilitatem vel groſſitiem, magis quam naturæ ſuæ conveniat: de qua immutatione intelligit Hippocrates *tertia particula aphoriſmorum Aphor. viij.* & in aliis pleriſque ejuſdem particulæ aphoriſmis. Et Hali abbas *quinto theoricæ. cap.* 111. In ſubſtantia autem, & natura propria immutatur aër per corruptionem, ut ſcilicet ejus ſubſtantia convertatur ad malignitatem: etiam ſi non ſit temperato humidior, nec calidior, nec frigidior, nec ſiccior, ſaltem notabiliter, & de hac intellexit princeps. 2. *primi doc.* 2. *cap.* 9. In qualitatibus vero & ſubſtantia ſimul dicitur aër mutatus, quando ultra corruptionem ipſius in ſubſtantia, alterantur ſimiliter ipſius manifeſtæ qualitates, de qua immutatione Hali abbas *quinto theoricæ cap.* xi. mentionem fecit, cum dixit, porro aëris intemperantia in ſubſtantia eſt, ſi aër ipſe in ſua immutatur ſubſtantia & qualitate in corruptionem & putredinem, facitque in hominibus morbos & accidentia peſſima. Epidemia igitur ſecundum Gentilem ſpeculatorem v. *canon.* dicitur quando ex aëris immutatione ad corruptionem fit in pluribus hominibus determinatum genus ægritudinis ſubito irruentis, ut quando omnes fiunt phrenitici, aut tertianarii, aut fluxu ventris laborantes, ita quod in modico tempore in una domo ſex interdum, aut novem, aut plures moriantur. Commentator autem Alexandrinus in *proœmio libri epidemiarum* morbos epidemicos vocat, qui fiunt ex immutatione aëris ſecundum qualitatem. Sicut anno 1423. dicunt aſtrorum periti ex conjunctione Saturni in capite Arietis in ſcorpione factam eſſe aëris immutationem ſecundum ſubſtantiam propter qualitatem occultam malam & venenoſam, concurrente certa proportione caliditatis & humiditatis præter naturam, quemadmodum ad alias occultas proprietates qualitatum primarum certa proportio requiritur, ut colligi poteſt ab Avicen. 2. *primi. doc.* 2. *cap.* 4. ubi vult calidam, & humidam complexionem aëris putredini paratiorem. Endemia autem eſt quando ex aëris immutatione, quæ fit aut ratione loci habitabilis, aut ex diverſitate & malitia terræ aut aquarum, fit in multis idem genus ægritudinis paulatim. Sicut in pleriſque locis Stiriæ, & Pannoniæ præſertim prope Rivulam dominarum, ſeu novam civitatem, plurimi reperiuntur habentes botium gulæ. Et in Livonia plurimum nephritides & coliçæ, apud Januenſes catharri & tuſſes multiplicantur: Neapolitanis autem plurimis ob terræ humiditatem, & ejus auſteritatem evenit podagra. *Peſtis* vero ſecundum Hyſidorum. 4. *etymologiarum, eſt contagium quod cum unum apprehendit celeriter in multos tranſit:* dicta contagium à contingendo, quia quem tangit polluit, ex quibus dictis clare patet morbum Gallicum potius epidemialem quam aliter eſſe appellandum. Et quia in regimine curativo, ex Rhaſi *primo Continentis*, debet primo invetigari cauſa, qua cognita cura eſt abſciſſio ejus, cum iſta ſit cura dependentis morbi, ut colligitur *tertio techni tex.* 95. ubi dicit Galen. quod oportet unamquamque cauſam abſcindere prius, deinde venire ad eam, quæ facta eſt, diſcratiam: vera namque cura eſt per remotionem cauſæ ut 16. *tertii de cura colicæ:* hinc Galenus in *lib. de locis affec.* dicit, *Medice quid curas cum cauſam ægritudinis ignoras?* unde & *primo reg. acutorum* voluit prius intendendum eſſe ad ægritudinem cognoſcendam, quæ ſtat in ſua cauſa, & poſtea ad judicandum.

## CAP. II.

*De cauſa morbi Gallici.*

Quia cauſæ primitivæ movent antecedentes, ideo primo ordiar à primitivis cauſis quæ multæ ſunt hujus morbi. Quidam enim dicunt eſſe ultionem divinam ad delicta hominum punienda, ut colligi poteſt per Avicennam 10. *ſuo metaph. cap.* 1. ubi inquit, *intende ergo, & attende diſpoſitionem iſtorum omnium, & crede quod dicitur de divinis flagellis, quæ deſcendunt ſuper civitates flagitioſorum, & ſuper homines injurioſos.* Et ideo qui ab hoc malo volunt præſervari vivant ſancte & precentur Deum, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Nonnulli (quia ex primo meteor. neceſſe eſt hunc mundum inferiorem ſuperioribus lationibus eſſe contiguum, ut omnis virtus inde gubernetur) inter primitivas cauſas enumerant certos aſpectus, vel conſtellationes ſuperiorum corporum, facientes in terra evenire indiſpoſitionem, & intemperiem aëris in caliditate & humiditate cum qualitate occulta mala! quam induxerunt in corporibus humanis impreſſioni diſpoſitis hunc prædictum morbum magis debilitantem nervos, & panniculos, quam alias partes, & magis partes oſſibus propinquas quam cæteras partes propter oſſium frigiditatem, unde hic morbus ut plurimum eſt cum doloribus, ſive tales ſint intenſi, ſive remiſſi. ſed quia medicus ut medicus non multum curat de his cauſis (cum corpora ſupercœleſtia ſint ſigna, & non cauſæ rerum, ut doctor ſanctus *ſecunda ſecundæ. q. x. art. ultimo*, & Archidiaconus *in canone, non licet.* xxvi. *q. v.*) ſed potius conſiderat de cauſa intrinſeca corporali, ad cujus remotionem tollitur morbus, propterea coitus, tactus, oſcula, lactis aſſumptio in pueris, converſatio cum infectis, ad hanc primitivam cauſam optimo quidem jure reducuntur. Antecedentes autem cauſæ hujus morbi, & ſuorum accidentium ſunt quatuor humores, & ut verius dicam, omnis materia humoralis cujuſcunque generis, dummodo ſit mala, venenoſa, acuta, corroſiva, & ſanguini permixta, præſertim tamen ſunt humores melancholici multiplicati in hepate & venis propter malam complexionem in ipſis impreſſam ab aëre mutato ſecundum ſubſtantiam, qui ſua mala qualitate occulta, omnia membra corporis, præcipue hepar & venas, reſpicit, ea diſponens ad humorum melancholicorum generationem, quare plures contra eam medicinas in cura dirigam. Multiplicatio autem melancholiæ in corpore ut habemus *prima primi doc.* 4. *cap.* 2. fit aut propter hepatis caliditatem fortem adurentem humores, aut propter ſplenis debilitatem quando virtus attractiva ſplenis in attrahendo & mundificando melancholiam à maſſa ſanguinea eſt debilis, aut propter frigoris vehementiam congelantis, aut propter conſtrictionis perſeverantiam, aut propter ægritudines, quæ multæ & prolixæ fuerunt, quare propter illud humores facti ſunt cineres, unde ſubdit. Cum melancholia multiplicatur, & inter ſtomachum & hepar ſtat, ſanguis & bonorum humorum generatio cum ea minoratur. Eſt enim humor ſanus, ut primo *tract. canticorum cantico.* 287. cum hepar ſanum fuerit: cum vero hepar fuerit diſcraſiatum, membra non proportionantur hepati, & ideo homo vel non vivit, vel cum malis diſpoſitionibus, & detentionibus ægritudinum vivit, ut voluit Gentilis ſpeculator *prima primi doc.* 4. *cap. de qualitate generationis humorum.* Et ideo non erit minimum in cura rectificatio hepatis, quam in fine quintæ intentionis docebo inferius. Conjuncta autem cauſa ſunt humores jam prædicti, in materiam hujus morbi converſi propter malam affectionem in ipſis humoribus, propulſis ad muſculos & panniculos & nervos & partes cutaneas. Non enim poſſunt ad corporis ſuperficiem à debili virtute expelli, aut propter humorum ineptitudinem, aut propter pororum oppilationes aliquales, facientes malam complexionem diverſam, aut ſolutionem fabricationis, aut utrunque. Et hinc elicitur modus curæ hujus morbi, cujus tota vis conſiſtit in expulſione materierum à centro ad circumferentiam, quod eſt opus naturæ, quæ ſemper tentat ſanguinis mundificationem, ut Galen. tradit in *libro de cholera nigra*, expelleus quod pravum eſt, interdum ad ventrem & inteſtina, interdum ad ſuperficiem, id enim quod ſubtile eſt per inſenſibilem tranſpirationem reſolvitur, aut per ſudores, id autem quod groſſum deorſum propellitur, & nonnunquam carbones, ſi calida fuerit materia, aut cancros, ſi frigida, operatur: ſi mediocris mediocrem inter hæc cauſat morbum. Natura igitur cupida mundificationis ſanguinis, & totius corporis, directa ab intelligentia, ut 12. *metaph. comment.* 18. & 2. *de Criticis. cap. ij.* tranſmittit ad ſuperficiem exteriorem (quoquo modo poteſt) materiam nocuam, ſubtilem ad caput, ubi permiſcetur cum phlegmate quo cerebrum abundat, & tandem aliqua pars deſcendit ad juncturas, ratione primi apparent puſtulæ in facie, & capite, magis tamen in par-

te anteriore, quia humidior eſt poſteriore, ut 2. *techni*, & 2. *complexionum*. Ratione ſecundi cauſatur dolor junĉturarum, quia etiam pars ſubtilis aliqua cadit inter oſſa & panniculos, hinc fit dolor extenſivus. Groſſam autem ab hepate ad ejus emunĉtoria tranſinittit, itaque ad virgam, in qua ut plurimum hic morbus incipit aut propter caliditatem & humiditatem illius partis facile cauſantis putredinem, aut merito influxus cæleſtis, ut ajunt Aſtrologi, & hic relinquo ſpeculationem docto lectori, cur interdum à naſo incipiat, interdum à virga, nonnunquam a brachiis. Pars groſſior tendit ad tibias, ubi nonnunquam gummata generantur, ſeu nodi duri, & difficilis reſolutionis, qui ſi antiquantur, contrahunt ſaniem, & poſt hoc ſua ſponte rumpuntur, generantes ulcera difficillimæ curationis, & cum corpori groſſo opus ſit via ampliori (quæ cum fit neceſſe eſt cauſari continuitatis ſolutionem, & tanto majorem quanto meatus fuerint ſtrictiores, aut membra ſenſibiliora, ad quæ grandis ſequitur dolor, qui potius extenſivus quam frangitivus appellandus venit. Dicitur enim. 2. *primi* cauſam doloris extenſivi eſſe ventoſitatem, aut humorem, qui nervum aut muſculum extendit perinde ac ſi ipſum ad ſuas trahat extremitates.) Et ideo in hoc morbo conqueruntur dolorem eſſe in oſſibus, cum tamen oſſa non ſentiant, quia cum oſſa, & panniculi, & nervi ſanguine melancholico nutriantur, qui poſtquam eſt mala qualitate affectus, non bene tranſmutatur in ſubſtantiam nutriti, ideo plurimæ ſuperfluitates accumulantur, quæ inibi ſtantes ſunt cauſa præfatorum dolorum. Qui plus in nocte moleſtant quam in die, plus hyeme quam æſtate, quia in nocte calor naturalis fortis factus quærit materiam morbi antecedentem digerere, & expellere, & ſic eam in vapores multos convertit, qui ad locum doloris pervenientes, condenſantur, & in naturam humoris reſoluti convertuntur, & ſic dolorem cauſant. Avicenna etiam 2. *quarti tractat.* 1. *cap.* iiij. dicit ægritudines, & accidentia fortiora nocte quam die fieri, quia natura occupatur in digerendo materiam. Inſuper, quia materia dolorum minus in nocte propter noctis frigiditatem & pororum clauſiones reſpirat. Ad quod Luna, quæ domina eſt humiditatum, plurimum cooperatur.

## CAP. III.

### *De ſignis morbi Gallici.*

Signum eſt ſenſibile, quod ſenſui ſe offerens in intellectu aliquid relinquit, ſigna ergo hunc morbum monſtrantia in genere ſunt nota ad viſum & tactum, ſicut nocumentum, ſeu corroſio in virga, ponderoſitas capitis, & colli, dolor in ſpatulis expanſus uſque ad junĉturas, incipiendo à brachiis, deveniendo ad tibias, nonnunquam fit in muſculis & lacertis & aliis nervis qui ſunt in iſtis membris. Nocte augetur dolor hic & in die quieſcit, cujus cauſam in fine ſuperioris capitis ſciviſti. Signa autem cauſarum ſive materierum diſtinĉtiva ſumuntur ab exeuntibus, ut 2. *de criſi*, & *ratione caloris*, ut in *lib. de phlebot.* & ratione figuræ puſtularum, ut docuit in *com.* 16. *ſextæ particulæ* ibi. Latæ puſtulæ incipientes. Sed ut ſigna ad manum abſque multorum librorum revolutione habeas ſi à principio puſtulæ ſunt rubeæ parvæ, & cum aliquali duritie, cum dolore pauco, materia harum erit ſanguis aduſtus. Si puſtulæ ſunt parvæ tendentes cum rubore ad citrinitatem, & velociter exeuntes, & ulcerantes, facientes in cute aſperitatem & dolorem fortem ſeu acutum, à cholera aduſta proveniunt. Si puſtulæ fuerint latæ, ad albedinem tendentes, cum dolore extenſivo, aut gravativo paulatim evenientes, à phlegmate fiunt: Quod ſi iſta ſigna apparent & ſunt cum notabili pruritu, & aliquali ardore, tunc à phlegmate ſalſo permixto cum ſanguine melancholico proveniunt, quod phlegma ſalſum plus adurit quam ferrum ignitum. Si ſunt parvæ duræ ad nigredinem tendentes cum privatione doloris, ſunt à melancholia. Nihilominus quia raro reperitur humor ſolus peccans, teſte Galeno. 2. *prognoſticorum commento.* 38. *primo de accidente & morbo cap. ultimo: primo reg. acutorum.* & Avicenna 3. *quarti: cap.* 1. Ideo ſigna iſta quandoque, immo ut plurimum, confunduntur propter diverſorum humorum permixtionem. Quare opus erit ſigna in mente colligere, & ea ad invicem comparando deprehendere, quæ magis dominantur, & tunc per eorum cognitionem humor non ſolum dominans, ſed etiam ſubdominans comprehenduntur. Idem fiet de cognitione materierum facientium dolores ex colore particulæ doloroſæ, & per cognitionem ſpecierum doloris, & intenſionem, & remiſſionem eorum, & velocis & tardi eventus eorum, quemadmodum ſupra de puſtulis dictum fuit, inſuper à juvantibus & nocentibus.

### De prognoſticis.

Primum, hæc paſſio eſt chronica, durans annos, cujus cauſa non ſolum eſt multitudo materiæ, & groſſities; ſed & malitia & venenoſitas: quare bonum erit omni hebdomada partim digerere, partim evacuare aut miſcere ſimul digeſtiva cum ſolutivis, non prætermittendo cordis confortationem. Ulterius collige materiam hujus morbi eſſe frigidam: ex *prima tertii de cura Hemicraniæ:* & ex Galeno, *commento.* 19. & *commento* 39. *ſecundæ particulæ:* ubi inquit, *morbi enim diuturni ſemper ſunt frigidi.* Et quia omnis morbus frigidus ægre digeritur *commento* 34. *ſeptimæ particulæ:* pluries ergo illum digerere oportet, ut prædixi.

Secundum, Senes difficilius quam Juvenes curantur, quia in ipſis multum, ex ſententia Khaſis, de humore ſalſo generatur: In eis etiam eſt virtutis expulſivæ debilitas, & oppilatio pororum & materia groſſa, & ideo Rex medicorum *prognoſticorum* 2. dicit non eſſe poſſibile, illos, qui in ætate plus proceſſere, magis ſalvari quam adoleſcentes, qui facilius curantur, cæteris paribus.

Tertium, hæc paſſio eſt contagioſa, tranſiens de homine in hominem: eſt enim ſpecies ſcabiei, quæ eſt contagioſa, ut 2. *primi*, *doc. 3. cap.* VIII. *de diſpoſitione ægritudinum*, & *problemate* 7. dicitur ſcabiem cauſari per modum lepræ. Et ideo refert quod fumi putridi corrupti (ſicut in phthiſi & febre peſtilentiali) ex ſcabie elevantur, & ex eadem mittitur humor groſſus adhærens ſuperficiei, cito evaporans, ideo maxime inficit ejus contaĉtu, quare ſicut videmus per experientiam, non modo per coitum contrahitur, ſed & per veſtem infecti, ſi quis eam ſuo applicuerit corpori. Et hinc erravit ille bonus magiſter dicens, hunc morbum ſolummodo eſſe contagioſum in principio, ſed cum antiquatur tunc non eſſe amplius contagioſum, nec mihi id propoſui ratione comprobare, cum experientia notum ſit: dimittere enim ſenſum, & ſequi rationem eſt debilitas intellectus. Poſſibile tamen eſt aliquod corpus etiam melancholicum inordinati regiminis vivens cum infectis non infici, aut propter ſuæ compoſitionis denſitatem, aut propter individualem proprietatem, aut propter ſcabiei diverſitatem. Reperitur enim monſtruoſitas in morbis, ſicut in naturis ex 7. *Colliget.*

Quartum, melancholici tales per aduſtionem facti, ſunt parati ad hunc morbum. Converſio enim in genere proportionali facilior eſt quam converſio in contrarium, ut 2. *primi:* & 2. *de generatione & corruptione* in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. Et actus activorum ut 2. *de anima*, ſunt in patiente diſpoſito. Unde Galenus 2. *de differentiis febrium. Paſſuri*, inquit, *corporis diſpoſitio eſt principaliſſima particula generationis ægritudinum.* Secundo Cholerici, Sanguinei minus, Phlegmatici adhuc minus ſunt ad hunc morbum diſpoſiti.

Quintum, hæmorrhoides huic paſſioni accidentes, cum fluxu moderato, accelerant ejus curam: dicit enim Avic. 2. *primi: doc.* 1. *cap.* 8. ani venarum apertio omnibus confert melancholicis ægritudinibus. Idem 1. *tertii cap. de melancholia.*

Sextum, Corpus perfecte per puſtulas hujus morbi purgatum, à lepra & cancro & ſimilibus morbis non minus præſervatur quam per exitum variolarum, quemadmodum vidi accidere in Martino Saver, cui propter ſuſpicionem lepræ patria Schofhouſen interdicta erat, qui Venetiis morbum hunc à ſcorto contraxerat, caſuque in hoſpitium meum & curam veniens, perfecte ſanitati reſtitutus, in patriam lætus conceſſit. Et hic volo eſſe abſolutus à dubiolo, quo quærunt utrum morbus ille ſit curabilis necne: Dico quod morbo in principio exiſtente facile, extra vero principium exiſtente, quando tumores ſcilicet & gummata apparent, difficulter curatur. & ideo principiis obſta ſero medicina paratur, dum mala per longas invaluere moras. Cur autem tempore iſto non reperiuntur, diceret quis, gallicantes cum tam ſævis accidentibus, ſicut apparuerunt ante aliquot annos, & in morbi hujus principiis. Ratio eſt in promptu, quia homines nunc ſibi melius cavent ab infectis, vel quia medici docti melius cognoſcunt nunc cauſam morbi, & melius applicant remedia quam tempore anteacto. Cum enim ſcientiæ creſcant per additamenta, ab initio hujus morbi medici videntes eſſe totam maſſam ſanguinariam corruptam & infectam præcipiebant phlebotomiam, quaſi per totum tempus ægritudinis, nunc de hac, nunc de illa vena, unde ferme omnes ſuos patientes, tanquam propriis manibus interemerunt, & plura nocumenta quam juvamenta ſequuta ſunt illorum phlebotomiam: ideo ego ea non utor niſi in principio ante apparitionem puſtularum, & antequam materia ſit egreſſa ad loca doloris, & ideo non quæras, ſi phlebotomia competat in hoc morbo, an non.

## CAP. IV.

### *De cura morbi Gallici.*

Et ut facilius ad curam accedamus, eam per ſequentes intentiones diſtribuendam propoſui tanquam ſufficientes ad curæ perfectionem, primo per lenitionem ventris; ſecundo per minorationem materiæ; tertio per digeſtionem; quarto per evacuationem ipſius; quinto per alterationem membrorum; ſexto per confortationem eorundem; ſeptimo per correctionem accidentium. Et quia debita ſex rerum non naturalium adminiſtratio, non modo in præſervando, ſed etiam curando maximam habet efficaciam, ut colligi poteſt ex. 4. *primi cap.* 1. Amplius ſcire oportet quod non omnis complexionis malitia ſuo medicatur contrario ex alteratione & oppoſitione: immo multotiens ſufficit multa regiminis bonitas. Et ante Avicennam Serapio vir ſummæ experientiæ & auctoritatis, à quo medicorum princeps multa accepit, & inſeruit in ſuo *libro* tanquam probatiſſima, voluit 5. *practicæ cap. ſecundo* errorem in ſex rebus non naturalibus plus nocere, quam ſit juvamentum medicinarum. Ideoque ab earum debita ordinatione incipiamus, & primo ab aëre ſine quo non eſt poſſibile eſſe ſanum, nec ægrum: ut 9. *de ingenio ſanit.* & 12. *Continentis* voluit Rhaſis medicum de aëre habere magnam ſolertiam, & eam ob rem Hippocrates *primo prognoſticorum* dixit eſſe quoddam cæleſte, in quo medicus prævidere debet. cujus ſi tanta fuerit prudentia, mirabilis eſt, nimiumque ſtupenda. Sed quoniam omnis cura ſit per contraria juxta ſententiam principis Abolai. 4. *primi cap.* 1. & Galeni. 3. *techni tex.* 85. *commento* item 56. *ſeptimæ particulæ*. Cum hic morbus ſit ſiccus, quia ex humoribus frigidis & ſiccis, & per eſſentiam calidus quia aduſtivus. Ideo aër eligatur temperatus, parum per caliditatem & humiditatem ab æqualitate elevatus, ex quo temperatum naturam habet medii: medium autem reſpectu unius extremi ſuſcipit naturam alterius: ideoque ſi fuerit temperatus, convenire poterit cuicunque materiæ peccanti, ut patet apud intelligentem. Eligatur ergo aër boni odoris & bene eventatus: poterit autem æſtivo tempore præparari artificialiter, ſternendo res boni odoris in loco ſuæ habitationis. In æſtate eligat etiam montana, in hyeme autem plana loca, ut habeat aërem temperamento magis propinquum. Circa cibum & potum panis ſit de ſimila, ſeu de puriſſima farina, non calidus, bene coctus, & fermentatus, non pluris trium dierum: diæta autem tendat ad humidum, & non ſit ſubtilis. In ægritudinibus enim chronicis plus de virtute ſolliciti ſumus. 4. *primi cap.* 1. Et Hippocrates inquit *primo ſeparatorum ſermonum* quod tenues & certæ diætæ in diuturnis ſemper paſſionibus (& poſt Hippocratem Galenus *commento* 50 *ſecundi prognoſticorum*) quando prolongatur infirmitas, tunc non ſit ſecuritas ſuper virtutem, quin cadat, & devincatur in hoc ſpatio in quo recipit digeſtionem: errant ergo qui ordinant diætam tenuiſſimam: vinum ſit medii ſaporis, album, quia minus calidum, clarum, non dulce, non ponticum, debite cum *aqua bugloſſæ*, *aut borraginis*, *aut aqua cocta* permixtum, & hoc præſertim in declinatione. Et ideo ſi adſunt plures dolores potius vinum rubeum laudarem uſque ad declinationem. Dicitur enim 2. *primi cap. de cura paralyſis*, quod vinum materias in nervis penetrare facit, & plurimum quidem ipſius quandoque in corporibus eorum fit acetum, quod eſt nocentius nervis. Nec obſtat dictum Rhaſis. 7. *Continentis*, quod vinum nutrit, digerit, confortat, & corrigit putrefactionem. Cereviſia autem, quæ verſatur in partibus Germaniæ, in quam lupuli vis ingreditur, ſi eſt bene defæcata, mediocris ſubſtantiæ, non poteſt niſi laudari. Pragenſis autem in Bohemia, & Suinicenſis in Sileſia, Pyontzouſzxe in Polonia, propter nimiam groſſitiem non admittatur. Carnes ſint ex pullis gallinarum abjectis collo & capite quia obſunt viſui, ut Avenzoar *primo Theyſir cap. de debilitate viſus*, ſint ex caponibus, hædis juvenibus, vitulis lactantibus: ſint phaſianorum, perdicum, avicularum parvarum, ſicut carduelli, meruli, turdi, & potius ſint elixæ quam aſſæ: aſſa enim acquirunt quandam cruſtam in ſuperficie, ſub qua continetur humiditas, in qua digerenda ſtomachus multum laborat: meliores ſunt carnes domeſticorum, plus de humiditate participantes. Caro hircina, bovina, porcina, leporina, vaccina mala, groſſum generans humorem, vitentur interiora omnium animalium, & proprie pulmo, cor, hepar, ſplen, inteſtina, renes, & teſticuli, præter pullorum teſticulos, & hepata, partes nervoſæ & oſſuoſæ animalium dimittantur. Caveat accipere diverſa cibaria, aut potus diverſos in eadem menſa, & indigeſtum ſuper indigeſtum, & in hora non conſueta, quia hæc prohibent bonam digeſtionem: corruptio autem digeſtionis eſt mater ægritudinum, & origo chronicorum infirmitatum. 13. *tertii cap. de corruptione digeſtionis*. Piſces ſint petroſi, ſquamoſi in aquis laudabilibus viventes, de ferculis laudatur brodetum factum ex ovis & brodio pulli & pauco agreſtæ & factum ex *branca urſina*. Ptiſana hordeacea cum lacte amygdalarum, & far eſt conveniens, panis & panata in brodio carnium prædictarum laudantur. De ſaporibus vinum granatorum muzorum, vinum cydoneorum, & ſapor amygdalarum poſſent exhiberi, ſed rarius. herbæ convenientes ſunt, *ſpinachia*, *betæ*, prima aqua ſuæ decoctionis abjecta, quæ deinde in brodio laudabilium carnium imponantur, & coquantur: melior tamen ex herbis eſt *bugloſſa aut borago*, quia gaudia ſemper agit. *Legumina autem & lentes & phaſeoli*, *oryza*, *fabæ*, *præter caules*, & *ciceres*, vitentur, caſeus ſimiliter antiquus, & cætera lacticina fugiantur: attamen lac (niſi eſſet hepatis & ſtomachi ardor) propter conformitatem quam habet hic morbus cum lepra admitteretur: præſertim aſinarum, & caprarum ſecundum modum quem dat Galenus. 7. *therapeuticæ*. Ova ſorbilia, longa, parva, nova, aut in aqua decocta concedantur. Ex aromatibus *macis* poteſt concedi, & *cinnamomum* electiſſimum in parva quantitate: fructus, ſi qui exhibentur, ſint ſub prunis decocti, & ſicut *pomacappia*, *muſcata*, *myrobalana* laudantur: ita *mala Cydonea* vituperantur, cum à tota proprietate habent præparare dolores arthriticos, ut Arnaldus & cæteri moderni aſſerunt: *pruna Damaſcena*, & *Perſica deſiccata*, *avellanæ* & *amygdalæ* concedantur. Somnus, quem natura adinvenit propter duos fines principaliter: primo ut animalis virtus & ſpiritus ei ſervientes qui reſolvuntur per exercitia conſequenter reſtaurentur, quod patet ex eo quia animales operationes & motus voluntarii tempore dormitionis naturalis auferuntur: licet pulſatilis virtus, & anhelitum complens, & nutriens à ſuis non deſiſtant operationibus. Alter finis ſomni eſt ut bona fiat ciborum digeſtio, & humorum æquatio propter caloris naturalis revocationem, quæ melior fit in ſomno quam in vigilia: ut 13. *tertii de cura debilitatis ſtomachi*: Somnus inquam ſit nocturnus, & ad minus ſeptem horarum: meridianus autem perinde ac hoſtis vitetur: at ſi quis noctu dormire non potuiſſet, aut ex conſuetudine illum haberet, eo in caſu conceditur: ab aſſuetis enim non infertur paſſio. 4. *primi cap.* 1. multa alia & quidem pulcherrima de ſomno ſcire cupiens, legat. 3. *primi doc.* 2. *cap. de regimine ſomni & vigiliæ*. De motu: Motus ſit temperatus, factus ante cibum, ſuperfluitatibus primæ & ſecundæ digeſtionis: Exercitium enim temperatum, ut Averrois tradit. 7. *colliget*, conſervandi ſanitatem mirabilis cauſa exiſtit: unde Galenus 2. *aphoriſmorum commento*. 38. dicit exercitium eſſe utile, quia commoveat naturalem calorem, & validas faciat, quæ in corpore ſunt, virtutes naturales, animales, & vitales: & Fulgentius inquit. ſolus ab exercitio abſtineat qui vult ſanitatis gaudio carere. Immoderatum autem exercitium ſubtiliat humores, & ponit eos in motum: ideo præcipitantur ad nervos jam ex dolore debilitatos: ſatius tamen eſt, præſertim tempore acceptionis medicinarum, ad ſuperfluam quietem quam motum declinare, quia tunc virtus totaliter eſt attenta ad morbi expulſionem. & hinc eſt quod Empirici ægros ſuos cogunt jacere multos dies in lecto. De animæ accidentibus vitet iram, furorem, ſollicitudinem, & alias triſtes animi paſſiones, quia exterminant & permutant corpora ab ea quæ ſecundum naturam eſt conſiſtentia: ut 3. *techni tex.* 34. Et. 2. *primi cap.* 7. Accidentia horribilia animæ digeſtionem fieri prohibent. Et *proverbiorum* 17. *ne videar legiſta*: Spiritus triſtis exſiccat oſſa: convenit autem lætari, gaudere, bene de ſalute ſua ſperare, & converſari cum delectabilibus amicis. Juxta illud Galeni in *libello de ludo parvæ ſphæræ ad Epigenem*: ubi ait quod multi ex perniciouſiſſimis ægritudinibus liberati fuerunt gaviſi ſolum: quare tu medice promittas ægro ſemper ſalutem, licet ipſe deſperet, complexio enim corporis animi affectui ſemper inhæret: ut Damaſcenus in *aphoriſmis*, & Commentator Alexandrinus *commento* 38. *libri epidemiarum*: Quamvis autem coitus apud plurimos communiretur in ſpeciebus exercitii propter motum ad illud expellendum, quod eſt utplurimum neceſſarium, & ab aliis fiat ſermo ſub evacuatione & inanitione, eo quod per ipſum evacuatur ſuperfluitas ultimi alimenti utilis: tamen quia in coitu percipitur delectatio vehemens, conveniens viſum eſt mihi de ipſo ſub accidentibus animæ tractare breviter tamen: cum enim ſperma generetur ex claro & puro ſanguine, quo principalia paſcuntur membra, ſic etiam complexionis calidæ & humidæ & ex meliori ſubſtantia eorum quæ ſunt in corpore ut 5. *theoricæ cap.* 36. ſitque omni ſpiritu vitali, animali, & naturali multum ſpirituoſum ut 21. *tertii* apparet, non eſt mirum ſi per ipſum in corpore vel robuſtiſſimo incredibilis ſequatur debilitas quum effrenus eſt: quare coitus ſit temperatus, celebrata prima & ſecunda digeſtione, cum mediatur diſpoſitio in dige-

digestione tertia, juxta documentum Abolai. 20. *tertii cap. de horis coitus.* Hora vero usus est, ut Galenus ait. 3. *techni tex.* 36. quando perfecte medium fuerit earum quæ extrinsecus omnium circumstantiarum : neque super repletum corpus, nec indigens, nec super infrigidatum, nec super calefactum, aut exsiccatum, aut humectatum immoderate : si vero peccet aliquando, parvum esto peccatum : melius autem est calefacto magis quam infrigidato, & repleto magis quam inanito, & humectato magis quam exsiccato corpore uti venereis. Nec ab re hæc adduxi, quia sicut immoderatus coitus, ita ejus dimissio in assuetis interdum ad graves perducit ægritudines. ut Hali abbas. 5. *theoricæ : cap.* xxxvj. & Galenus, 6. *interiorum penultimo*, & *finali capitulis. De inanitione & repletione*: vitet multam cibi & potus repletionem : surgat ergo cum reliquiis famis à tabula, quot enim homines superflue se repleverunt, & suffocati interierunt ? 3. *primi c. de regimine cibi & potus :* & Rhasis 25. *Continentis cap. primo :* Et assumat potum cibo proportionatum : ne cibus natet aut fluctuet in stomacho, hic autem essent multa dicenda de ordine & tempore ciborum, tamen ea relinquo. Procurabit etiam æger ut naturales evacuationes sint secundum quod oportet, videlicet urinæ, menstruorum, hæmorrhoidarum fluxus, munctiones per nares, & palatum cum quibus connumeratur ab Hali abbate. 5. *theoricæ. cap.* 1. *balneum & coitus :* assuefaciendum est ergo corpus, ut prædictæ naturales evacuationes sint secundum naturalem cursum saltem arte, quod visus est Galenus *primo de differentiis febrium*, *cap.* 111. sensisse, cum dicit : Quæcunque vero superfluitatibus erant plena, purgationibus sanabamus, oppilationes aperiebamus, & expurgabamus. Si vero fuerint ultra solitum, reprimantur : quia defectus & superabundantia ducunt ad easdem differentias, ex. 3. *techni* : Ventrem itaque teneat lubricum, juxta illud Hippocratis : *Corpora ubi quis vult purgare :* & illud Principis : *mollificare naturam antequam venter solvatur est competens regula, in qua existit securitas.* 4. *primi :* si non natura saltem arte, & hoc diebus interpositis faciendo clysterе, licet ipsum Ultramontani abhorreant : cum tamen sit medicamen nobile ut. 4. *primi cap. proprio*, & Mesue dicit : *Non condemnes clysteria, sed fiducialiter in eis confide :* & paulo post. *Expecta majus juvamentum ex clysteribus veniendo*, ergo ad regimen medicinale dispositionis Gallicæ.

PRO prima intentione fiat hoc modo. Recipe *foliorum malvarum, mercurialis, fumi terræ, ana ma. j. violarum ma. ʒs. fiat decoctio de qua Recipe lib. 1. ʒs. olei violati unc. iij. sacchari rubei unc. j. vitellum.* 1. *ovi : salis communis triti. drach.* 1. ʒ. & *interdum unc. j. cassiæ, aut unc. ʒ. electuarii lenitivi : fiat clyster, qui stomacho jejuno imponatur.* Lenitivum per os fiat *bolus cum saccharo ex unc. j. cassiæ tractæ : & unc. ʒ. electuarii lenitivi, assumendo ipsum per horam ante prandium.* Aut distemperentur ista cum *aqua lupulorum, aut fumi terræ, aut decoctione communi :* sed siquis abhorreret *cassiam*, detur *de diapruni*, non scilicet in eadem dosi. divitibus detur *unc. j. diamannæ.* Et si uteretur vomitu bis in mense una die post aliam (nisi sint quæ prohibeant) & proprie post & ante cibum, si vomitus ei fuerit facilis, erit summi juvamenti : cum sit thesaurus in præservando à doloribus ut colligitur. 2. & 22. *tertii :* & 4. *primi cap. de vomitu.* de ægritudinibus dignioribus ut in eis fiat vomitus, sunt chronicæ, ut hydrops, epilepsia, melancholia, lepra.

Pro secunda intentione, quæ est materiæ minoratio. Recipe *electuarii lenitivi unc. j. confectionis hamech, præsertim in materia melancholica adusta : aut electuarii Indi majoris. unc. j. ʒ. sacchari fini. q. ſ. fiat bolus*, & *assumatur in mane : aut dissolvantur in decoctione florum & fructuum q. ſ. cui adde folliculorum sennæ, epithymi ana drach. j.* si vero in forma pillulari malueris. Recipe *pillularum de fumo terræ, fœtidarum ana drach. j. & fiant pillulæ numero v. cum melle rosato & dentur post cœnam.* & in doloribus utaris *pilulis de hermodactylis & aureis*, sive sint descriptionis Mesuæ, sive Nicolai. *Pilulæ etiam helleboricæ* positæ à Mesue in *cap. de elleboro* sunt ultimæ in hoc morbo. Divertatur post hoc materia cum provocatione hæmorrhoidum, & erit præsentissimum remedium huic dispositioni & similibus, ut supra in prognostico quinto auctoritate Principis.

Pro tertia intentione : digeratur deinde materia cum digestivis infrapositis, aut altero ipsorum secundum quod videbitur materiæ peccanti magis proportionari, juxta sententiam senis Hippocratis : *Digesta medicari & movere non cruda :* &. 4. *primi cap.* iv. antequam fiat ventris solutio aut vomitus, præmittenda est humoris subtiliatio, qui evacuandus est, & amplificatio canalium, & ipsorum apertio : quoniam hoc est ex eo quod corpus à pœna securum reddit. fit ergo sic. Recipe *syrupi de fumo terræ, de bugloſſa simplicis, geneneliabin cum saccharo ana unc. j. aquarum endiviæ, lupulorum, cichorei ana unc. j. & continuetur per* v. dies : aut per tot donec videbis digestionem materierum. quod scies ex colore & substantia urinæ, & ab hypostasi laudabili : deinde exhibeatur solutivum infra ponendum : postea iterum redeas ad alium syrupum v. g. Recipe *syrupum de ſtœchade scilicet unc. j. de fumo terræ unc. ʒ. aquarum boraginis, lupulorum, cichorei, aut endiviæ ana unc. j. tamen aqua cichorei* magis est aperitiva quam endiviæ. Continuando per sex aut septem dies. Tandem iterum detur solutivum. Deinde redeas ad syrupum fortiorem, ut puta *de epithymo cum aquis fœniculi, & petroselini :* & sic procedendum est per quatuor, aut quinque dies digerendo, postea evacuando, tandem confortando, & iterum biduum quiescendum. Considera etiam si materia faciens dolorem est subtilis valde aut grossa : secundum hoc enim variabis syrupum. Ego sum solitus exhibere de *epithymi decoctione posita à Mesue in Antidotario gratia exempli unc. ij. cum totidem unc. aquæ cichorei, aut bugloſſæ.* Et pro arcano in dispositione hac cum ulceribus teneo exhibitionem mixturæ ad vulnera sananda divi Mesue, dando *unc. iiij. cum unc. j. ʒ. infusionis hellebori*, est enim res mirabilis. Ne autem patienti ex assumptione assidua syruporum facerem fastidium, exhibeo per aliquot dies aquas aut decoctiones ad propositum servientes cum saccharo. Et quia hic morbus adeo protervus est, ut intus duntaxat exhibita medicinâ nequaquam naturæ obediat. Ideo operæ pretium est, inventione nova, applicatione videlicet medicaminum ab extra ipsum aggredi : ex quo digestio non solum fit cum digestivis intra assumptis ; sed etiam cum unctionibus, embrochis, & emplastris digestivis extra appositis : ut colligi potest *prima tertii in aureo illo cap. Cum materiam evacuare voluerimus :* & à Gilberto in *cura tertianæ compositæ.* Accipiat ergo æger prima & secunda die syrupum : tertia autem die quando vadit patiens dormitum unguento infra ponendo inungat (leniter & parum de eo apponendo) omnes partes domesticas tibiarum, & brachiorum, & plantas pedum, & palmas, seu volam manuum. Et de mane syrupum suum accipiat, ubi vero sexta die sint accepti sex syrupi & etiam unctiones ordinatæ non prætermissæ : tunc dabis solutivam medicinam ea intentione, ut materia, quæ deberet pelli ad os, ne fiat nocumentum in ore, per loca inferiora ducatur. In diebus autem sequentibus medicinæ exhibitionem idem fac, fortificando digestivum, & etiam unctionem, plus de *arg. viv. & theriaca* ponendo. Adverte tamen in hoc dictum Mesuæ *cap. de pleuresi* auctoritate Alexandri : oportet autem metiri medicamina secundum mensuram virtutis cujuslibet : teneris enim corporibus debiliora, duris autem fortiora adhibenda sunt medicamina : quare in debilibus, & fortibus oportet ut vires consideres. Unguentum autem taliter ordinetur. Recipe *butyri. unc. iij. axungiæ porci mediæ inter recentem, & antiquam lib. j. theriacæ bonæ unc. j. ʒ. mithridatii unc. j. arg. vivi unc. ij. ʒ. lithargyri auri, salis communis ana. unc. j. fiat unguentum ex istis : incorporando tantum de aqua scabiosæ & fumi terræ quantum potest incorporari :* hæc enim est medicina hujus morbi secretissima, & perfectissima extra applicanda. Conciliator enim allegans in quadam differentia Avenzoar *de mente Hermetis* dicit in vegetabilibus & mineralibus esse tantas virtutes, quas si homo sciret, operaretur id quod per artem magicam operaretur : omnia autem metalla sunt (ut Raymundus habet *in theorica testamenti. cap. lxij.*) ab arg. viv. creata : & cum illo omnia resolvuntur, & in sulphur convertuntur. Ergo non mirabere de natura sua, & mirabilibus operationibus quas facit positum in unctionibus. Clamabunt forte periisse pudorem, si dixero quod morbus Gallicus habet canonice curari unctionibus, præmissis universalibus digestivis, & evacuativis prius : clament dumnodo habeam pro me auctoritates & rationes, & præsertim Hippocratis : ad ultimas ægritudines ultimæ curationes ad perfectionem sunt potentes : forti enim infirmitati fortis medicina occurrere debet 16. *quartæ particulæ : & vij. de ingenio sanitatis cap.* xv. quia forte agens idem faciet parvo tempore quod debile in multo, ut. 4. *de simplici medicina.* Et in ægritudinibus timorosis à forti medicamine primo incipere debemus. 4. *primi cap. ij.* Nonne est hæc ægritudo fortis? nonne timorosa? quæ nasum interdum, interdum oculos corrodit, & instrumenta gignendi penitus absumit, & vitam ærumnosam facit ? ut homines eo infecti potius mori quam sic flebiliter vivere desiderent. Si non es contentus istis auctoritatibus nobilissimorum & primorum medicorum, legas Albucasim in *c. scrophularum :* Avicennam *de cura scabiei :* Arnaldum de Villa nova *cap de scabie :* Nicolum Florentinum *cap. eodem in medio capituli.* Guidonem *eodem*, & *de malo mortuo.* Theodoricum *de malo mortuo*, Rogerium *cap. eodem :* Rolandum in *primo* c. xv. *de rufa capitis.* Etiam divus Mesue, pater veritatis, *cap. de asafati :* & *cap. ultimo de unguentis ad scabiem*, in *unguento de Cerussa & unguento alsericon* posuit argentum vi-

vivum. Et ſi interdum malus effectus præfatas unctiones mercuriales ſequatur, hoc fit errore Empiricorum, & præſertim alchimiſtarum, qui poſtquam omnibus abſumptis non inveniunt lapidem philoſophorum, nec reſtat quo fornaculam inſtruant, profitentur medendi artem, juxta illud protritum, *omnis alchimiſta aut medicus aut ſaponiſta:* & totum corpus vel cervicem perungunt. Ignorantes quod eſt ſuper venenum pernicioſum, & ignorantes læſionem quam faciunt poſſidere membra, quæ ſunt mineræ virtutum cum ipſis virtutibus, & ignorantes quod minima læſio in principali, facit magnam læſionem in toto, ex 13. *terapeuthicæ cap.* xviii. & 7. & 4. *colliget. de cura hepatis.* Ideoque Avicenna 7. *quarti, cap.* vii. *de cura ſcabiei.* Et elonga, inquit, illud in quo ponitur arg. viv. extinctum quantum poteris à partibus ſtomachi, & membrorum nobilium. Ego autem magnatibus, & divitibus qui abhorrent unctiones, exhibeo ſyrupum de pomis compoſitum Meſuæ factum meo modo, cum quo compleo totam curam. & non vidi rem mirabiliorem. liberat enim à puſtulis, & ſcabie, & à doloribus in paucis diebus. & ideo in eo, quia non me fallit, plurimum confido, & multos perfecte non modo Romæ, verumetiam Venetiis curavi etiam à gummis abſque unctionibus, ſed tota ejus vis conſiſtit in debita ordinatione, quæ alia eſt pro ſcabie, alia pro nodis, alia etiam pro doloribus, & debet aromatizari cum ambra. Alter huic non inferior quo ſæpe uſus ſum, eſt talis. Recipe *polypodii quercini recentis lib. ij. folliculorum ſenæ unc. j. s. pulpæ inyrobalanorum chebulorum, indorum, ana unc. s. liquiritiæ raſæ unc. j. granorum ſebeſten numero* xx. *prunorum damaſcenorum* xv. *paſſularum enucleatarum unc. ij. Rhapontici electi drach. x. aut loco ejus accipe de Rha Lithuanico*, (radice inquam, tempore invictiſſimi Sigiſmundi Regis Poloniæ in montibus Lithuaniæ reperta, quæ ſolvit, & evacuat citra moleſtiam choleram & phlegma) *Tamarindorum unc. ij. ſem. acetoſæ ſcrupul. iiij. Epithymi unc. j. florum boraginis, bugloſſæ, lupulorum ana man. s. Incidantur incidenda, & contundenda contundantur groſſo modo, & infundantur per totam noctem in lib.* xii. *aquæ fontis, & ebulliant ad duarum partium conſumptionem, & coletur, & fortiter exprimatur.* Deinde Recipe *decoctionis ſupraſcriptæ lib. ij. ſucci fumi terræ depurati, ſucci lupulorum depurati, ſucci ſcabioſæ depurati ana lib.* i. *s. & cum ſaccharo finiſſimo q. ſ. fiat ſyrupus ſpiſſus bene coctus ſecundum artem, & aromatizetur cum ſpica, & pauco moſchi, & cinnamomo. Doſis eſt uſque ad unc. v.* ſecundum æſtimativam medici: melior enim medicorum eſt cujus æſtimatio artificialis (ut inquit Halyrodoan. 3. *techni*) eſt veritati vicinior: & idem ſenſit Avicen. 4. *primi cap. pen. paragrapho illo:* & oportet ut habeat menſurationis fortitudinem: debet autem uti iſto ſyrupo tempore extenſo diebus interpolatis: etiam poterit confici ſolum medietas hujus compoſitionis, & hucuſque de tertia intentione.

Pro quarta intentione, quæ erit materiæ digeſtæ evacuatio. Et primo in forma potabili pro pauperibus: Recipe *decoctionis communis cui folliculorum ſenæ, epithymi, flœchados arabicæ, florum nenupharis addantur ana drach. j. q. ſ. ad diſſolvendum electuarii lenitivi drach. v. diaphœniconis drach. j. s. electuarii ſucci roſarum drach. j. confectionis hamech drach. ij. fiat potus, & dulcoretur cum unc. s. ſyrupi violati.* aut ſi non poteſt expendere, diſtemperentur prædicta cum *aquis bugloſſæ, & fumi terræ q. ſ.* Pro divitibus vero Recipe *florum boraginis, bugloſſæ, violarum, epithymi ana ſcrup. s. myrobalanorum citrinorum, & nigrorum, ſenæ ana drach. j. polypodii quercini drach. s. bulliant in aqua bugloſſæ, & ſcabioſæ ana q. ſ. fiat decoctio ſecundum artem:* de qua Recipe *unc. iij. in qua infundantur rhabarbari electi drach. j. ſpicæ gra. iij. Agarici trochiſcati ſcrup. ij. ſtent per octo horas in infuſione, tandem fiat expreſſio, cui addantur infraſcripta:* Recipe *electuarii de caſſia drach. vj. electuarii Indi, confectionis hamech ana drach. j. s. miſce, & fiat potus*, quem accipiat ſummo mane, tardando cibum ad minus per quinque horas: In materia autem groſſiore poteris addere *diaſenæ, aut electuarium de epithymo*, aut quod Venetiis ſervatur *de ſebeſten completum* ſecundum materiæ exigentiam, & virtutis tenorem. In omni enim purgatione virtus conſideretur, & ſic tandem abundantia pro tolerantia purgetur, quod ſi virtus defecerit, oportet ut pharmacum cohibeatur, etſi non tota exierit abundantia. Deinde ſi bene operata fuerit medicina, aſſumantur pro laxativo *unc. iiij. brodii pulli juvenis macri cum ſaccharo:* deponet enim medicinam, & fortificabit ejus vigorem, quemadmodum colligere potes. 16. *tertii de cura fluxus a medicina facti*: quamvis ibi loquatur de aqua calida, tamen brodium pulli habet proprietates æquandi humores, ut 3. *primi cap. de regimine cibi & potus:* Aliam autem utilitatem laxativi ſumes ex *ſecundo reg. acutorum, commento. xij.* ubi Galenus dicit hæc verba: *Naturæ medicinarum ſolutivarum ſunt contrariæ corporibus, quæ ipſæ ſolvunt, & ſunt univerſaliter interimentes & pernecantes ea, quia cum tranſeunt per partes pectoris, & meri, derelinquunt in eis malam qualitatem, quæ nocet nocumento magno, quare juſſit Hippocrates ut poſt pharmacum exhibeatur aqua hordei aut alteret, abſtergat, & educat. Omne enim laxativum ſecundum ſe eſt cal. & ſiccum: commento* xxiiij. *primæ particulæ. q.* 4. *primi cap. iij.* In defectu autem brodii pulli accipere potes *aquæ hordei unc. iiij. ſacchari pulverizati unius coctæ unc. j. miſce & detur ut ſupra.* & maxime convenit hoc laxativum, quando exhibetur medicina *ſcammoneata, aut turbith aut agaricus*, aliæve medicinæ fortes; ſed ſi exhiberetur *rhabarbarum* ſolum, aut *myrobalani, aut caſſia ſola*, non eſt neceſſitas iſtius laxativi: ſuper quo dormiat, & cum à ſomno expergefactus fuerit fiat *enema laxativum ex brodio pulli, ſale, vitello ovi, & unc. s. ſacchari rubei, aut melle roſato col. unc. ij. & oleo violato* ad abſtergendum materierum reliquias à medicina relictas: ut 4. *primi cap. de enematibus* Princeps voluit.

Intentio quinta: quæ die ſequenti poſt purgationem omnibus videlicet ſex diebus reiteranda eſt, fiat cum balneatione aquæ dulcis, in qua bulliant herbæ infra poſitæ, aut ſimiles: *fumus terræ, lapathum acutum, biſmalva, chamomilla, melilotum, roſæ, violæ:* ad hoc ſequetur humectatio, quæ maxime in hoc morbo requiſita eſt, & cum ſudare inceperit des *unc. iij. aquæ infra deſcriptæ cum unc. ij. aquæ meliſſæ. Aqua theriacalis.* Recipe *radicum dictamni, betonicæ ana unc. j. altheæ, enulæ, ſcabioſæ, fumi terræ, lupulorum, lapathi ana lib. s. tormentillæ unc. j. incidantur minutim, & ponantur in lib. iiij. vini malvatici ad remolliendum per diem & noctem unam: poſtea addatur theriacæ veteris xij. aut xj. annorum unc. j. s. ponatur ad alembicum, & diſtilletur aqua* quæ obtinet in hoc morbo principatum inter intrinſecus juvantia. Nam *theriaca & mithridatium* conferunt ad omnes ægritudines nervorum, ut eſt ſententia Galeni, & conferunt in omni tempore ægritudinis, & in principio ante purgationem, quia digerunt, & ſubtiliant materiam, & permutant malitiam complexionis frigidæ, & conferunt poſt purgationem; quia reſiduum materiei reſolvunt, & nervos confortant

Sexta intentio eſt confortare cor: primus enim occurſus omnium accidentium occurrentium corpori, ut Meſue tradit *de rectificatione medicinarum canone ij.* eſt ad cor, tanquam ad baſim vitæ: ideo confortetur in omni evacuatione, cum omnia membra permaneant per moderantiam complexionis cordis, ut 5. *interiorum:* In quo ultima elaboratione ſanguis elaboratur, & ſine cujus influxu cætera membra in operationes exire nequeunt: ut à Conciliatore *differentia.* 139. in tertio dicendorum colligitur. Et quia hæc ægritudo dependet à materia melancholica principiis vitæ contraria, ideo theſaurus curæ erit confortare cor, cum rebus cordialibus generantibus in eo mineram gaudii, & cum adminiſtratione omnium quæ ad gaudium pertinent. De confortantibus autem cor mihi expertis eſt *letificans* quod ponit Guilielmus Placentinus in ſua Guillelmia, & *Electuarium Gentilis* deſcriptum ab eo in *ſecunda particula ſui tractatus de corde:* quod poteſt exhiberi in omni ætate, & omni tempore: clarificant enim mirabiliter ſpiritus & ſanguinem, & reſtaurant confortando omnia nutritiva membra: *aſſumendo de altero eorum unc. j. ſacchari violati bugloſſati ana unc. j. s. ſeminum citri unc. s. ſmaragdi ſcrup. j. & cum ſyrupo de pomis fiat mixtura, de qua cochlear unum ſumatur per iiij. horas ante prandium: bibendo deſuper parum vini albi odoriferi cum aqua roſata, aut meliſſæ temperati.* Sed quoniam iſta electuaria non ſunt pro pauperibus, ut & illorum ſaluti conſulamus Recipe *diamoſchi dulcis drach. vj. Electuarii regum drach.* i. *Conſervæ bugloſſæ, boraginis ana unc. j. & cum ſyrupo acetoſitatis citri aut de pomis fiat electuarium.* Poteſt etiam fieri tale conditum, Recipe *diaboraginis, diabugloſſati, Conſervæ roſarum ana unc. j. ſyrupi de ſucco boraginis, de ſucco fumi terræ, de pomis ana unc. j. s. Confectionis hamech. unc. j. electuarii Indi majoris drach. iiij. myrobalanorum Indorum pulverizatorum, & infuſorum per noctem cum pauco aquæ lupulorum drach. iij. miſce & fiat conditum.* Ad eandem intentionem poſſunt fieri ſaculi, & ephitemata cordialia, quæ hic non pono, brevis enim eſſe volo, quod ſi fuerit valde debilis fiat confectio reſtaurativa. Recipe *pulpæ perdicis unc. j. amygdalarum dul. unc. iij. avellanarum, piſtachiorum præparatorum ana unc. j. ſacchari finiſſimi unc.* ix. *diſſolvatur ſaccharum in aqua roſata & fiat confectio ſolida in morſellis, & deaurentur.* Sed quia interdum propter ulcerationem gingivarum non poſſunt os aperire, nec recipere quicquam duri, ideo pro talibus fiat paſta regalis, talis. Recipe *carnium caponis bene coctarum unc. vj. carnium perdicum coctarum unc. iij. paſ-*

*fularum, piſtachiorum, amygdalarum mundatarum, pinearum collectarum in aqua tepida ana unc. ij. pulverum diatragacanthi frigidi, cinnamomi electiſſimi ana drach. ij. ſacchari finiſſimi diſſoluti in aqua florum violarum. q. ſ. fiat paſta, & reponatur in vaſe vitreo, de qua capiat per horam ante cibum cochlear unum.* Et quia oportet corrumpere malam hepatis diſpoſitionem in hepate & venis impreſſam, & mundificare ipſum ab omni virulentia in ipſo exiſtente, & confortare ipſum ut laudabiles generet humores, pro hoc fiat electuarium iſtud. Recipe *cinnamomi electi, caſſiæ lignæ ana ſcrup. ſ. roſarum rub. ſcrup. iij. croci gr. iij. balauſtiarum ſylveſtrium ſcrup. ſ. ſantali rub. drac. ij. boli arm. ſeminis citri ana drach. ſ. ſpodii de canna drach. ſ. margaritarum, corallorum rub. ana ſcrup. ij. paſſularum cum arillis non bene maturarum unc. ſ. ſ. conſervæ roſarum antiquæ unc. iij. & cum ſyrupo roſato fiat mixtura, doſis vero ſit cochlear unum in mane.* Bartholomæus vero Montagnana junior, doctor certe nunquam ſat laudatus, utitur ad eandem intentionem ſequenti mixtura. Recipe *electuarii regum unc. ſ. ſed ponit loco pinearum in hujus deſcriptione avellanas: mithridatii electi drach. ſ. boli armenæ, ſemin. citri ana. drach. i. conſervæ cydoneorum unc. ſ. & cum miva cydon. ſyr. de endivia fiat mixtura, & doſis eſt ut præcedentis mixturæ.*

Quantum ad ſeptimam intentionem: quia accidens ſequitur morbum ut umbra corpus ex primo de accidenti & morbo, erit accidentium quoque inſtituenda correctio: & in primis pro doloribus fiat hoc electuarium, expertum ex inventione Dominici de Raygoſa, diſcipuli Conciliatoris, Recipe *juniperi, piperis longi, aniſi ana ſcrup. i. ambræ ſcrup. ſ. pulpæ caſſiæ unc. ij. turbith, euphorbii ana drach. iij. hermodactylorum unc. ſ. ſacchari roſati unc. ſ. ſ. cinnamomi drach. i. coaguli hœdi drach. ſ. ſ. omnia ſimul miſce in forma electuarii: doſis eſt à drach. ſ. ad ij.* in dolore junkturarum, & etiam colico dolore mirabiliter valens. Quod ſi bene ingredientia conſpexeris, dices hoc electuarium habere proprietatem ſingularem evacuandi materias mixtas dolorem cauſantes: *hermodactyli* enim cal. & ſic. in principio ſecundi, conferunt junkturarum paſſionibus, quia materiam phlegmaticam groſſam de eis evacuant, & conſtringunt vias illas ne recipiant, & ſunt medicina magna arthritidis & podagræ, ſed nocent ſtomacho: ex 22. *tertij*, *cap viij. piper* autem & *zinziber* corrigunt ejus nocumentum. *Juniperi* natura calida eſt & ſubtiliativa carminativa cum aliquali ſtipticitate: *Piper* calefacit nervos & lacertos: nec eſt in hoc aliud ei par. *Aniſum* calidum in ſecundo, ſiccum in tertio eſt aperitivum cum aliquali ſtipticitate, & ſedativum doloris, & ventoſitatum reſolutivum. *Ambra* quæ calida & ſicca eſt ratione ſuæ calefactionis, ſicut cerebro, & ita nervis confert. *Caſſia fiſtula* eſt lenitiva, ſtomachi mundificativa, & choleræ & phlegmatis eductiva ſine nocumento. *Turbith* enim in tertio calidum, in rei veritate educit de phlegmate quod ſubtile eſt tantum, confortatum vero cum *zinzibere* proprie educit humores phlegmaticos groſſos viſcoſos, & crudum chymum à remotis, & à junkturis proprie. *Euphorbium* eſt gummi calidum & ſiccum in quarto, ſolutione educens phlegma viſcoſum, & groſſum à locis profundis corporis, mundificans vacuitatem junkturarum ab humoribus groſſis difficilis eradicationis, nec eſt ei res ſimilis ad hoc: ponuntur autem hic plura evacuantia phlegma, quia ejus excreſcentia in corpore eſt ſuper utranque choleram: ut Meſue *in canonibus univerſalibus* voluit. Poſtea utaris ſedativo iſto doloris à cauſa calida provenientis. Recipe *pinguedinis pulli & anatis, butyri, adipis porci recentium, ceræ albæ ana unc. ſ. olei chamomelini, anethini, amygdalarum dulc. ana unc. ſ. mucilaginis altheæ & ſeminis lini, & fœnu græci ana unc. ij. miſce, & fiat unguentum* quo locus dolens inungatur calide. In frigida autem cauſa Recipe *ſucci radicum urticæ, ſucci radicum ebuli, ſucci herbæ gratiæ dei ana lib. ſ. axungiæ catti, urſi, aut vulpis, aut porcinæ, unc. vij. ceræ rubræ unc. iiij. miſce & fiat unguentum* quod interdum etiam tumorem removet. Aut Recipe *radicum cucumeris aſinini & hyoſcyami per longum diviſa ana lib. iiij. olei communis antiquiſſimi lib. xij. lumbricorum terræ numero centum in vino ſuffocatorum, & lotorum, vini rubei libr. ſ. coquantur hæc omnia ad vini conſumptionem, & quartæ partis olei, coletur, & ſervetur uſui,* cum quo actu calido loca dolentia inungantur ante prandium & cœnam, eſt enim expertum. Pro puſtulis à principio uſque ad finem communiter utuntur unguento magiſtrali de olibano, quod facit cito cadere puſtulas. Recipe *reſinæ mundæ unc. iij. ceruſſæ drach. vj. aluminis uſti, argenti vivi extincti, lithargyrii ana drach. ij. thuris albi unc. ſ. cum oleo communi fiat unguentum: poteris addere unc. ſ. ſucci arantii, aut lapathi acuti, aut parum aceti:* Aut Recipe *thuris, maſtichis ana drach. ſ. argenti ſublimati ſcrup. ſ. aluminis rochæ drach. ij. medullæ panis in quantitate duarum nucum, bulliant omnia ſimul in ſ. q. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem, & coletur:* ſerva, & in neceſſitate balnea locum. Pro fiſtulis & malignis ulceribus aqua. Recipe *nucis moſchatæ, caryophyllorum, cubebæ, cinnamomi, zinziberis, cardamomi, galangæ, macis, piperis longi, ſpicæ nardi ana drach. ij. ſint omnia electa, ſimul contrita: poſtea ponantur in lib. ij. aquæ rutæ electæ, & ſtent in infuſione dictæ aquæ tribus diebus, poſtea pone in alembicum, & diſtilleatur, & utere ubi oportet:* prima autem aqua eſt melior quam ſervabis: alia autem quæ circa finem diſtillationis egreditur, parum valet: differentiam ſcies ex guſtu, quia ultima eſt inſipida. Ad idem Recipe *ſucci ſalviæ. unc. ſ. ſucci chelidonii unc. ſ. ſucci aſphodelorum unc. ij. ſucci agrimoniæ unc. iij. ſublimati drach. ij. ſalis armoniaci, ſalis communis ana drach. iij. floris æris, aluminis rochæ ana drach. ſ. ſ. aquæ vitæ electæ drach. x. bulliant ſimul ad conſumptionem medietatis ſuccorum, & aqua poſtea utere,* quia omnem fiſtulam interficit. Cognoſces autem fiſtulam eſſe interfectam per remotionem callofitatis, per præſentiam bonæ ſaniei, per regenerationem bonæ carnoſitatis. Contra Cancrum: Recipe *pulveris cancrorum exſiccatorum in furno, & ſuper ponantur cancro, deinde hoc unguentum:* Recipe *galbani, reſinæ albæ, terebinthinæ, diachylonis albi, ceræ ana unc. ſ. thuris unc. ſ. olei communis unc. iiij. fiat unguentum.* Si autem cancer eſſet occultus, aquam diſtillationis cancrorum infunde. Pro nodis ſeu gummi, quæ interdum in hoc morbo in tibiis, brachiis, fronte, aut aliis partibus corporis remanent, & ad tantam duritiem deveniunt, ut videantur quidam lapis, cum dolore tamen remiſſo, & cum colore livido; ſi fuerit nodorum materia melancholica groſſa, & interdum cum colore non variato à colore particulæ ſanæ (quod materiam phlegmaticam groſſam arguit cum humore melancholico permixtam, remittentem humoris melancholici nigredinem) quamvis poſſint curari, aut per viam putrefactionis, aut per viam inciſionis, tamen incolumior modus non relinquens veſtigia, eſt per viam diſſolutionis, quæ fit partim mollificantibus, partim reſolventibus: Quod ingenium curandi trahi poteſt ex *tertia quarti cap. de apoſtematibus duris:* quorum curatio completur cum lenificatione per tres dies: deinde per tres alios videlicet dies cum reſolutione annexa lenitati: & iterum redeundo ad lenificativa, & ſic pluries faciendo. Illud autem quod reſolvit, & exſiccat admodum non convenit, quia id perducit ad lapideitatem propter exſiccationem groſſi, & reſolutionem ſubtilis. Et hoc idem videtur aliqualiter dicere 18. *tertii cap. de cura apoſtematis auris in renibus.* idem dicit. 4. *primi cap. de apoſtematibus*, quare recurras ad Avicennam, ne ſim prolixior, exempli cauſa Recipe *mucilaginis ſeminis lini & altheæ ana drach. ij. olei de ſpica, amygdalarum, chamomelini ana unc. ſ. butyri unc. ſ. pinguedinis urſi unc. ſ. gummi arabici, tragacanthi ana drach. ſ. cum cera fiat unguentum* partim reſolutivum partim mollificativum. Sed quia experta medicina melior eſt non experta ut 5. *canonis, tracta.* 1. ideo nota bene ſequens Cerotum. Recipe *olei chamomelini, anethini, de ſpica, de lilio ana, unc. ſ. olei de croco unc. ſ. pinguedinis porcinæ lib. ſ. pinguedinis vituli unc. iij. euphorbii drach. ij. ſ. thuris drach. vj. olei laurini unc. ſ. pinguedinis viperæ unc. ſ. drach. ij. ranarum viventium numero iij. lumbricorum lotorum unc. ſ. ſ. ſucci radicum ebuli, & enulæ ana unc. ſ. ſchœnanthi, ſtœchados, matricariæ. ana man. ſ. vini odoriferi lib. 1. bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem vini, deinde colentur, cui colaturæ adde lithargyri auri lib. ſ. terebinthinæ claræ unc. ſ. & cum cera alba ſufficienti fiat cerotum ad modum ſparadrapi, addendo in fine cochleare floracis liquidæ drach. vj. deinde auferatur ab igne baculo agitando, donec tepefiat: poſtmodum adde argenti vivi extincti cum ſaliva unc. ij. iterum baculo agitando, donec argen. viv. optime incorporetur, & fiat cerotum.* Aliqui vero faciunt linimentum *ex aqua fortis, ſublimato, alumine uſto, ſale nitri, & arſenico ſubtiliter trito*, quo ego nunquam volui uti. Callofitates, ut ſcabroſitates in volis manuum, & plantis pedum remanentes removeas cum confricatione *parietariæ, aut ſucco limoniorum:* & poſtea mollificatione præmiſſa cum butyro fac unguentum ad propoſitum ex pinguedine ſerpentis, aut utaris iſto: Recipe *hordei man. ij. ſalis communis man. ſ. alum. rochæ unc. ſ. bulliant in aqua, & teneatur manus ſuper fumum illius.* Nocumentum ſi quod virgæ poſt coitum accidat, removebitur tali modo. Recipe *betonicæ, chamomeli ana man. ſ. bulliant in vino albo: coletur, & colaturæ adde mellis roſati unc. ſ. & drachmas ij. vini granatorum: cum quo madefiet locus leſus, & poſtea aſpergatur aloë hepatica, & nux cupreſſi, & parum myrrhæ, omnibus pulverizatis, ut alcohol.* Et cum tali diſpoſitione non eſt ludendum; quia facile pervenitur ad virgæ, & teſtium totalem amiſſionem, quemadmodum accidit Venetiis cuidam impreſſori dicto herczok: nec verecundia eſt habenda, cum boni medici ſint, ut boni confeſſores, qui non revelant occulta eis commiſſa. Et ideo mox peracto coitu optime abſtergas pudi-

bunda

bunda cum tua camisia, aut panno lineo: deinde lava cum vino albo, aut cum aqua calida, non autem cum frigida; quia compingeres materiam illam in foco. Pro cura ulcerum malorum oris, & linguæ evenientium in hoc morbo, *selegendi sunt canones Principis Abolai, 6. seu tertii*: & deinde redeas ad hæc remedia mihi sæpius experta. primo itaque oportet prohibere fluxum humiditatum ad os: quod fiet cum *decoctione gallarum non perforatarum in vino*, si materia ad frigidum tenderet: aut in aqua, si ad caliditatem, sæpe abluto ore: aut matticetur assidue *lactuca cruda*: postea colluatur os ex *decoctione radicum pentaphylli in vino montano usque ad tertiæ partis consumptionem*: aut colluas os ex *succo plantaginis*. vel Recipe *vini granatorum lib. s. succi rosarum drach. ij. aquæ plantaginis lib.* i. *s. aquæ rosatæ unc. j. diamoronis unc. ij. mellis rosati col. unc. j. misce pro gargarismate oris*. Aut fiat aqua artificialis. Recipe *thuris albi, piperis longi, nucum cupressi, viridis æris ana scrup. iiij. mellis rosati unc. vj. aquæ plantaginis unc. vj. aquæ hordei lib.* i. *aceti squillitici unc. ij. aluminis unc.* i. *misce omnia & distillentur per alembicum & utere. sel* etiam *testudinis* est comprobatum cum *melle*, positum, & dissolutum in aqua teneatur in ore, & sine aqua linatur exterius, quia est utilissimum. In declinatione vero eorum butyrum est summa medicinarum. Quare autem hæc ægritudo per os terminatur? hoc potest esse a forma specifica *argenti vivi*: aut ratione qualitatis manifestæ, caliditatis scilicet & humiditatis cum sit ex sententia Pauli calidum & humidum in quarto: ratione ergo caliditatis humores frigidos calefacit & subtiliat, & ponit eos in motu, qui ad superiora propulsi, ratione suæ putredinis & adustionis causant ulcerationes, & fœtorem oris. Si autem adhæres graduationi Principis, tunc dic hoc accidere quia propter frigiditatem argenti vivi materiæ salsæ præcipitantur ad os, quæ corrodunt gingivas, & partes oris sua bauracitate. Sed dices cur alia frigida id non faciunt applicata corpori? respondeo, quod non quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum in determinatum. Hinc etiam liquet cur in hoc morbo saturnino frigido & sicco, qui pro majore parte est in nervis, argentum vivum magis cæteris medicinis (aqua theriacali excepta) conferat. Non obstante quod perhibeatur ledere nervos, qui ex quo sunt ad frigidum & siccum discrasiati, per caliditatem & humiditatem argenti vivi illa mala discrasia removetur, & ad suam eucrasiam reducitur: & esto quod noceat, nocumentum tamen hoc corrigitur: ergo erit admittendum, cum difficulter aliquod reperiatur auxiliorum absque nocumento.

Curam autem fœtoris ipsius oris à causa intrinseca quæ potest provenire à stomacho, à pulmone, etiam ab ore? perficies cum masticatione *apii*, ubi non esset suspicio de motu epileptico: dico ergo quod aqua frigida mixta cum modico vini, *Persica* etiam, præcipue parva, fœtorem à stomacho provenientem removent: *fios etiam vitis sylvestris bibitus cum aqua & vino* removet. Idem faciunt *cyperus, calamintha, melissa: pulvis etiam corticum meloatis bibitus cum vino odorifero*. Ad idem, *cinnamomum, cortex citri, folium reservatum sub lingua, vel masticatum*, est expertum. *Aurum* etiam & *argentum* in ore servatum, aut mixtum cum medicinis prædictis ad idem facit.

Quia vero nasus amissus totam hominis faciem quantuncunque formosam deformat: ideo de cura ulcerum pustularum & apostematum nasi deberem esse prolixior; sed Jo. Damasceni secutus sententiam, pauca ponam, quibus sæpius expertus & tu confidere possis: dico ergo phlebotomiam esse præmittendam ex cephalica primo, consequenter ex vena nasi si fieri potest; sin autem, fiat scarificatio, nec fiat cum digitis fricatio aut tactus ullo modo. Si ergo illa humida fuerint, liniantur isto unguento. Recipe *lithargyrii, cerussæ, cadmiæ argenti, vel auri ana drach. iij. acaciæ, gallarum, santali rub. gummi arabici ana drach. s. fiat unguentum cum oleo rosato, & cera quo utamini.*

A Si autem illa ficca fuerint, *fiat unguentum ex oleo violato, & humectantibus frigidis dulcorum, psyllii, tragacanthi, & cer.* Vel ad idem Recipe *ceræ albæ unc. s. medullæ bovinæ, drach. ij. tragacanthi, gummi arabici, ana drach. s. olei violati, sesamini, amygdalin. q. s. seminis cydoneorum, psyllii ub. q. s. unguntur mireæ inicias & extra*. Si autem quæ alia accidentia supervenerint, recurratur ad propria ipsorum capitula.

Ingenia autem curandi hunc morbum licet multa sint, utpote per cerota, pe. suffumigia, per cometionem serpentum: tamen melior & regulator modus est quem superius notavi, & suadeo ut caveas ab Empiricorum suffumigiis, in quibus ponitur cinnabaris, tanquam à præsentissimo veneno, ex cujus ego fumo vidi periisse quendam nobilissimum pictorem Bononiæ, & mulierem devenisse ad apoplexiam. sis itaque cautus aliorum periculis. Laudo sudatoria facta secundum modum qui elici potest ab Avicenna *quarta primi cap. vij.* ubi inquit, *fac ipsum sudare in balneo, aut vapore aquæ calidæ sub pannis suis capite exterius tracto*: accipiendo verbi gratia *seminis lini, apii, calamenthæ, cumini, hederæ terrestris, ebulorum, majoranæ, betonicæ, foliorum lauri, parietariæ, pyrethri, seminum urticæ ana quantum sufficit, calami aromatici drach. j. s. ex quibus fiat decoctio, & tandem balneum*, quod requirit multorum mensium continuationem. Nec mireris super hoc, quoniam videmus sudatorio sancti Germani, Capuani Episcopi post cryptam Neapolitanam locato, ubi animam (ut Gregorius *quarto dialogorum* scribit) Pascalii Cardinalis invenit, infinitos Gallicantes sanari; si purgati eo utantur. Nec vitupero stuphas siccas ad sudandum, quæ fieri possunt cum tina, aliove vase habente solaria duo, inter quæ ponatur arena, super quam lapilli igniti ponantur: cum hoc quod secunda cooperta sit in multis partibus perforata, cum quadam tripoda etiam perforata ad modum necessarii, in qua infirmus sedeat, quæ cooperiatur cum tentorio de panno lineo, in qua stupha sudet quantum sufferre poterit, & hoc in mane jejuno stomacho: postea exiccetur & ingrediatur lectum mundissimum, ubi stet per horam, & interea caput exiccetur, & meliorem effectum cernes, & velociorem; si ei, quando incipit sudare, propinaveris de *aqua theriacali* superius descripta actu calida aliquid in tanta dosi quæ tibi videbitur. Continuetur autem hæc stupha hebdomada una, aut pluribus; quia evacuat aperiendo poros non modo antecedentem, sed & conjunctam morbi causam. Verum antequam aliquod horum exerceas, universalia non obliviscaris, nam postea per ea poteris particularia operari, quemadmodum est documentum Galeni *de ingenio sanitatis* De esu serpentum coctorum in olla, etiam Anguillæ sunt mihi in hoc, & in aliis morbis experientiæ: sed ne videar tibi recensere fabulas, vide Arnaldum in tractatu *de venenis cap. de theriaca*: Theodoricum *lib. tertio cap. de lepra*: Rogerium *tractatu secundo de lepra*. illi enim dant modum coctionis. Galen. *de simplici medicina: cap. de elephantiasi* & 11. *therapeuticæ de curatione multæ carnositatis*: Mesue etiam dicit quod in quibusdam morbis competit venenum, sicut serpentes in lepra post tractionem malitiæ ejus ultimam, si possibile est, vel saltem ut melius fieri potest. Ideoque Avicenna: 3. *quarti cap. de cura lepræ. Et scias*, inquit, *quod caro viperæ & illud in quo est virtus ejus, est de nobilibus medicinis ei*. Tamen non sis audax in ipsorum exhibitione, niti prius ab aliis videris modum præparandi. *Continentis* etiam *primo* voluit Rhasis carnem viperæ dolori nervorum esse optimam medicinam: quare discas modum præparandi ab aliis, ut securius exhibere possis tuis ægrotis, non fine & tuo honore, & ipsorum utilitate, quod tribuere dignetur Deus optimus maximus omnium gubernator, qui solus languores curat, à cujus laude omnes linguæ deficiunt, qui sit benedictus in secula.

FINIS.

# HIERONYMI FRACASTORII, *Veronenſis*,

# SYPHILIS, SIVE MORBI GALLICI

## LIBER I.

## AD PETRUM BEMBUM, *Patritium Venetum.*

Qui caſus rerum varii, quæ ſemina morbum
Inſuetum, nec longa ulli per ſecula viſum
Attulerint: noſtra qui tempeſtate per omnem
Europam, partimque Aſiæ, Libyæque per urbes
Sæviit: in Latium vero per triſtia bella
Gallorum irrupit, nomenque à gente recepit:
Nec non & quæ cura, & opis quid comperit uſus,
Magnaque in anguſtis hominum ſolertia rebus:
Et monſtrata Deum auxilia, & data munera cœli,
Hinc canere, & longe ſecretas quærere cauſas
Aëra per liquidum, & vaſti per ſidera olympi
Incipiam, dulci quando novitatis amore
Correptum, placidi Naturæ ſuavibus horti
Floribus invitant, & amantes mira Camœnæ.
Bembe decus clarum Auſoniæ, ſi forte vacare
Conſultis Leo te à magnis pauliſper, & alta
Rerum mole ſinit, totum qua ſuſtinet orbem:
Et juvat ad dulces paulum ſecedere Muſas:
Ne noſtros contemne orſus, medicumque laborem:
Quicquid id eſt, Deus hæc quondam dignatus Apollo eſt:
Et parvis quoque rebus ineſt ſua ſæpe voluptas.
Scilicet hac tenui rerum ſub imagine, multum
Naturæ, fatique ſubeſt, & grandis origo.
Tu mihi, quæ rerum cauſas, quæ ſidera noſcis,
Et cœli effectus varios, atque æris oras,
Uranie, ſic, dum puro ſpatiaris olympo,
Metiriſque vagi lucentes ætheris ignes:
Contentu tibi divino cita ſidera plaudant)
Ipſa ades, & mecum placidas Dea lude per umbras:
Dum tenues auræ, dum myrtea ſylva canenti
Aſpirat: reſonatque cavis Benacus ab antris.
Dic Dea, quæ cauſæ nobis poſt ſæcula tanta
Inſolitam peperere luem? num tempore ab illo
Vecta mari occiduo, noſtrum pervenit in orbem:
Ex quo lecta manus ſolvens de littore Ibero
Auſa fretum tentare, vagique incognita ponti eſt
Æquora: & orbe alio poſitas perquirere terras?
Illic namque ferunt, æterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, paſſimque vagari
Perpetuo cœli vitio: atque ignoſcere paucis.
Commerci ne igitur cauſa acceſſiſſe putandum eſt
Delatam contagem ad nos: quæ parva ſub ipſis
Principiis, mox & vires & pabula ſenſim
Suſcipiens, ſe ſe in terras diffuderit omnes?
Ut ſæpe in ſtipulas cecidit quum forte favilla
De face, neglectam paſtor quam liquit in arvo,
Illa quidem tenuis primum, ſimiliſque moranti
Incedit: mox, ut paulatim increvit euntdo,
Tollitur, & victrix meſſem populatur, & agros,
Vicinumque nemus, flammaſque ſub æthera jactat.
Dat ſonitum longe crepitans Jovis avia ſylva:
Et cœlum late circum, campique relucent.
At vero, ſi rite fidem obſervata merentur,
Non ita cenſendum: nec certe credere par eſt
Eſſe peregrinam nobis, tranſque æquora vectam
Contagem: quoniam in primis offendere multos
Poſſumus, attactu qui nullius hanc tamen ipſam
Sponte ſua ſenſere luem: primique tulere.
Præterea & tantum terrarum tempore parvo
Contages non una ſimul potuiſſet obire.
Aſpice per Latii populos, quique herbida Sagræ
Pateua, & Auſonios ſaltus, & Iapygis oræ
Arva colunt: ſpecta Tyberis qua labitur, & qua
Eridanus centum fluviis comitatus in æquor,
Centum urbes rigat, & placidis interfluit undis.
Uno nonne vides ut tempore peſtis in omnes
Sæviit? ut ſortem pariter tranſegimus unam?
Quin etiam externos eadem per tempora primum
Excepiſſe ferunt: nec eam cognovit Ibera
Gens prius, ignotum quæ ſcindere puppibus æquor
Auſa fuit: quam quos diſterminat alta Pyrene,
Atque freta, atque Alpes cingunt, Rhenuſque bicornis:
Quam reliqui, quos lata tenet gelida ora ſub Arcto.
Tempore non alio Pœni ſenſiſtis, & omnes
Qui lætam Ægyptum metitis, fœcundaque Nilo
Arva: & Palmiferæ ſylvas tondetis Idumes.
Quæ quum ſic habeant ſeſe: nempe altius iſti
Principium labi, rerumque latentior ordo,
(Ni fallor) graviorque ſubeſt, & major origo.
Principio quæque in terris, quæque æthere in alto
Atque mari in magno, Natura educit in auras:
Cuncta quidem nec ſorte una, nec legibus iiſdem
Proveniunt: ſed enim quorum primordia conſtant
E paucis, crebro ac paſſim pars magna creantur.
Rarius aſt alia apparent, & non niſi certis
Temporibuſve, locisve, quibus violentior ortus,
Et longe ſita principia: ac nonnulla, priuſquam
Erumpant tenebris & opaco carcere noctis,
Mille trahunt annos, ſpatioſaque ſæcula poſcunt.
Tanta vi coëunt genitalia ſemina in unum.
Ergo & morborum quoniam non omnibus una
Naſcendi eſt ratio: facilis pars maxima viſu eſt.
Et faciles ortus habet, & primordia præſto.
Rarius emergunt alii: & poſt tempore longo
Difficiles cauſas, & inextricabile fatum,
Et ſero potuere altas ſuperare tenebras.
Sic Elephas ſacer Auſoniis incognitus oris,
Sic Lichen latuere diu: quibus accola Nili
Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.
De genere hoc eſt dira lues, quæ nuper in auras
Exiit, & tandem ſe ſe caligine ab atra
Exemit, duroſque ortus, & vincula rupit.
Quam tamen (æternum quoniam dilabitur ævum)
Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe
Ducendum eſt: quanquam nobis nec nomine nota
Hactenus illa fuit: quoniam longæva vetuſtas
Cuncta ſitu involvens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum ſeri videre nepotes.
Oceano tamen in magno ſub ſole cadente
Qua miſera inventum nuper gens incolit orbem,
Paſſim oritur, nulliſque locis non cognita vulgo eſt
Uſque adeo rerum cauſæ, atque exordia prima,
Et cælo variare, & longo tempore poſſunt.
Quodque illic fert ſponte aër, & idonea tellus,
Huc tandem annorum nobis longa attulit ætas.
Cujus forte ſuo ſi cunctas ordine cauſas
Noſſe cupis: magni primum circumſpice mundi
Quantum hoc infecit vitium, quot adiverit urbes
Quumque animadvertas, tam vaſtæ ſemina labis
Eſſe nec in terræ gremio, nec in æquore poſſe:
Haud dubie tecum ſtatuas, reputeſque neceſſe eſt,
Principium, ſedemque mali conſiſtere in ipſo
Aëre, qui terras circum diffunditur omnes:
Qui nobis ſe ſe inſinuat per corpora ubique.
Suetus & has generi viventum immittere peſtes
Aër, quippe pater rerum eſt, & originis author.
Idem ſæpe graves morbos mortalibus affert,
Multimode natus tabeſcere corpore molli,
Et facile affectus capere, atque inferre receptos.
Nunc vero quoniam ille modo contagia traxit,
Accipe: quid mutare queant labentia ſæcla.
In primis tum Sol rutulus, tum ſidera cuncta
Tellurem, liquidaſque auras, atque æquora ponti
Immutant, agitantque: utque ipſo ſidera cœlo
Mutayere vicem, & ſedes liquere priores:
Sic elementa modis variis ſe grandia vertunt.
Aſpice ut hibernus rapidos ubi flexit in Auſtrum
Phœbus equos, noſtrumque videt depreſſior orbem,
Bruma riget, duratque gelu, ſpargitque pruina
Tellurem, & gelida glacie vaga flumina ſtiſtit.
Idem, ubi nos Cancro propior ſpectavit ab alto,
Urit agros: arent nemora, & fitientia prata:
Siccaque pulvereis æſtas ſqualleſcit in arvis.
Nec dubium, quin & noctis nitor, aurea Luna,
Cui maria alta, omnis cui rerum obtemperat humor:
Quin & Saturni grave ſidus, & æquior orbi
Stella Jovis, quin pulchra Venuſque, & Martius ignis,
Ac reliqua aſtra etiam mutent elementa, trahantque
Perpetuum: & late magnos dent undique motus.
Præcipue ſedem ſi quando plurima in unam

Con-

Convenere: suo vel multum devia cursu
Longe alias tenuere vias, hæc scilicet annis
Pluribus, & rapidi post multa volumina cœli
Eveniunt: Dis fata modis volventibus istis.
Ut vero evenisse datum est: numerumque, diesque
Exegere suos, præfixaque tempora fatis,
Proh quanta Aërios tractus, sulsa æquora quanta,
Telluremque manent. alibi quippe omnia late
Cogentur spatia in nubes: cœlum imbribus omne
Solvetur: summisque voluti montibus amnes
Præcipites secum sylvas, secum alpera saxa,
Secum armenta trahent: medius pater impete magno
Aut Padus, aut Ganges super & nemora alta, domosque
Turbidus, æquabit pelago freta lata sonante.
Æstates alibi magnæ condentur: & ipsæ
Flumina speluncis flebunt arentia Nymphæ.
Aut venti cuncta invertent: aut obice clausi
Excutient tellurem imam, & cum turribus urbes.
Forsitan & tempus veniet, poscentibus olim
Natura, fatisque Deum, quum non modo tellus
Nunc culta, aut obducta mari, aut deserta jacebit:
Verum etiam Sol ipse, novum (quis credere possit)
Curret iter: sua nec per tempora diffluet annus.
Aut insueti æstus, insuetaque frigora mundo
Insurgent: & certa dies animalia terris
Monstrabit nova: nascentur pecudesque feræque
Sponte sua, primaque animas ab origine sument.
Forsitan & majora audens producere Tellus
Cœumque, Enceladumque feret, magnumque Typhœa,
Ausuros patrio superos detrudere cœlo:
Convulsumque Ossan nemoroso imponere Olympo.
Quæ quum perspicias: nihil est cur tempore certo
Admirere, novis magnum marcescere morbis
Æra: contagesque novas viventibus ægris
Sidere sub certo fieri, & per sæcula longa.
Bis centum fluxere anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno tristi immiscente, per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Insolita exarsit febris: quæ pectore anhelo
Sanguineum sputum exagitans (miserabile visu)
Quarta lucc frequens fato perdebat acerbo.
Illa eadem Assyriæ gentes, & Persidos, & quæ
Euphratem, Tigrimque bibunt, post tempore parvo
Corripuit, ditesque Arabas, mollemque Canopum,
Inde Phrygas: inde & miserum trans æquora vecta
Infecit Latium, atque Europa sæviit omni.
Ergo age, jam mecum, semper te se æthera circum
Volventem, superumque domos, ardentiaque astra
Contemplare: animumque agitans per cuncta, require
Quis status illorum fuerit, quæ signa dedere
Sidera, quid nostris cœlum portenderit annis.
Hinc etenim tibi forte novæ contagis origo
Omnis, & eventus tanti via prima patescet.
Aspice candentes magni qua Cancer olympi
Excubat ante fores, & brachia pandit aperta.
Hinc diræ facies, hinc se diversa malorum
Ostendent portenta: una hac sub parte videbis
Magna coisse simul radiis ardentibus astra,
Et conjuratas sparsisse per æra flammas:
Flammas, quas longe tumulo Sirenis ab alto
Prospiciens senior vates, quem dia per omnes
Cœlicolumque domos duxit, docuitque futura
Uranie: miseras, inquit, defendite terras
O superi, insolitum video per inania ferri
Illuviem, & magnos cœli tabescere tractus.
Bella etiam Europæ miteræ, bella impia, & agros
Ausoniæ, passim currentes sanguine cerno.
Dixit: & illa etiam scriptis ventura notavit.
Mos superum est, ubi sæcla vagus sol certa peregit,
Ab Jove decerni fata, & cuncta ordine pandi,
Quæcunque eventura manent terrasque, polumque.
Quod tempus quum jam nostris venientibus annis
Instaret: rerum summus fator, & superum Rex
Juppiter, acciri socios in rebus agendis
Saturnum, Martemque jubet. bipatentia Cancer
Limina portarum reserat, Ditisque atria pandit.
Conveniunt, quibus est fatorum cura gerenda.
Impiger ante alios flammis, ferroque corusceans
Bellipotens Mavors, animis cui prælia, & arma,
Vindictæque manent, & ovantes sanguine cædes.
Post placidus curru invectus rex Juppiter aureo
Insequitur (ni fata obstent) pater omnibus æquus.
Poltremus, longaque via tardatus, & annis
Falcifer accedit senior, qui haud immemor iræ
In natum veteris, nato & parere recusans
Sæpe etiam cessit retro, & vestigia torsit,
Multa minans, multumque animo indignatus iniquo.
Juppiter at solio ex alto, quo se solet uno
Tollere, percenset fata, & ventura resolvit,

A Multum infœlicis miserans incommoda terræ:
Bellaque, fortunasque virûm, casusque rerum
Imperia, & prædas, adapertaque limina morti:
In primis ignota novi contagia morbi:
Morbi, qui humanæ nulla mansuescat opis vi.
Assensere Dei reliqui: concussus olympus
Intremuit: tactusque novis defluxibus æther.
Paulatim aërii tractus, & inania lata
Accepere luem, vacuasque insuetus in auras
Marcor iit, cœlumque tulit contagia in omne.
Sive quod ardenti tot concurrentibus astris
Cum sole, è pelago multos terraque vapores
Traxerit ignea vis, qui misti tenuibus auris
Correptique novo vitio, contagia visu
Perrara attulerint: aliud sive æthere ab alto
Demissum, late aërias corruperit oras.
Quamquam animi haud fallor quid agat, quove ordine cœlum,
Dicere, & in cunctis certas perquirere causas,
Difficile esse. adeo interdum per tempora longa
B Effectus trahit: interdum (quod fallere possit)
Miscentur fors, & varii per singula casus.
Nunc age non id te lateat: super omnia miram
Naturam, & longe variam contagibus esse.
Solis nam sæpe arboribus fit noxius aër,
Et tenerum germen, florumque infecit honorem.
Interdum segetem, & fata læta, annique labores
Corripuit, scabraque ussit rubigine culmos:
Et vitiata parens produxit semina Tellus.
Interdum pœnas animalia sola dedere,
Aut multa, aut certa ex ipsis. memini ipse malignam
Luxuriem vidisse anni, multoque madentem
Autumnum perflatum austro, quo perditus omne
Caprigenum genus è cunctis animantibus unum
Corruit. à stabulis lætas ad pabula pastor
Ducebat: tum forte alta securus in umbra
Dum caneret, tenuique gregem mulceret avena:
Ecce aliquam tussis subito irrequieta tenebat:
Nec longe mora mortis erat. nanque acta repente
Circum præcipiti lapsu, revomensque supremam
C Ore animam, socias inter moribunda cadebat.
Vere autem (dictu mirum) atque æstate frequenti
Infirmas pecudes, balantumque horrida vulgus
Pestis febre mala miserum pene abstulit omne.
Usque adeo varia affecti sunt semina cœli,
Et variæ rerum species: numerusque vicissim
Inter mora subest, interque moventia certus.
Non ne vides, quamvis oculi sint pectore anhelo
Expositi, molleque magis: non attamen ipsos
Carpere tabem oculos, sed sese immergere in imum
Pulmonem? & pomis quanquam sit mollior uva,
Non tamen iis vitiatur, at ipsa livet ab uva.
Nempe alibi vires, alibi sua pabula desunt:
Aut alibi mora certa: nec ipsa foramina multum
Non faciunt, hinc densa nimis, nimis inde soluta.
Ergo contagum quoniam natura, genusque
Tam varium est: & multa modis sunt semina mirisi.
Contemplator & hanc, cujus cœlestis origo est:
Quæ, sicut desueta, ita mira erupit in auras.
D Illa quidem non muta maris, turbamque natantum,
Non volucres, non bruta altis errantia sylvis,
Non armenta boum, pecudesve, armentave equorum
Infecit: sed mente vigens ex omnibus unum
Humanum genus, & nostros est pasta sub artus.
Porro homine è toto, quod in ipso sanguine crassum
Et sordens lentore foret, fœdissima primum
Corripuit, sese pascens uligine pingui.
Tali se morbus ratione & sanguis habebant.
Nunc ego te affectus omnes, & signa docebo
Contagis miseræ. atque utinam concedere tantum
Musa queat, tantumque velit defendere Apollo,
Tempora qui longa evolvit, cui carmina curæ:
Hæc multas monumenta dies ut nostra superstent.
Forte etenim nostros olim legisse nepotes,
Et signa & faciem pestis novisse, juvabit.
Nanque iterum, quum fata dabunt, labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atra sopita jacebit
Interitu data: mox iterum post sæcula longa
Illa eadem exsurget, cœlumque auraque reviset;
Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.
E In primis mirum illud erat; quod labe recepta,
Sæpe tamen quater ipsa suum compleverat orbem
Luna prius, quam signa satis manifesta darentur.
Scilicet extemplo non se se prodit aperte
Ut semel est excepta intus, sed tempore certo
Delitet, & sensim vires per pabula captat.
Interea tamen insolito torpore gravati,
Sponteque languentes animis, & munera obibant
Ægrius: & toto segnes se corpore agebant.

Ille etiam ſuus ex oculis vigor, & ſuus ore
Dejectus color haud læta de fronte cadebat,
Paulatim caries fœdis enata pudendis
Hinc atque hinc invicta locos, aut inguen edebat.
Tum manifeſta magis vitii ſe prodere ſigna.
Nam ſimul ac puræ fugiens lux alma diei
Ceſſerat, & noctis triſtes induxerat umbras:
Innatuſque calor noctu petere intima fœtus
Liquerat extremum corpus, nec membra fovebat
Obſita mole pigra humorum: tum vellier artus
Brachiaque, ſcapulæque, gravi ſuræque dolore.
Quippe ubi per cunctas ierant contagia venas,
Humoreſque ipſos, & nutrimenta futura
Polluerant: Natura malum ſecernere ſueta
Infectam partem pellebat corpore ab omni
Exterius. verum craſſo quia corpore tarda
Hæc erat, & lentore tenax, multa inter eundum
Hærebat membris exanguibus, atque lacertis:
Inde graves dabat articulis extenta dolores.
Parte tamen leviore magiſque erumpere nata,
Summa cutis, pulſa, & membrorum extrema petebat.
Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant, faciemque horrendam, & pectora fœde
Turpabant; ſpecies morbi nova: puſtula ſummæ
Glandis ad effigiem, & pituita marcida pingui.
Tempore quæ multo non poſt adaperta dehiſcens,
Mucoſa multum ſanie, taboque fluebat.
Quin etiam erodens alte, & ſe funditus abdens
Corpora paſcebat miſere, nam ſæpius ipſi
Carne ſua exutos artus, ſquallentiaque oſſa
Vidimus, & fœdo roſa ora dehiſcere hiatu,
Ora, atque exiles reddentia guttura voces.
Tum ſæpe aut ceraſis, aut Phyllidis arbore triſti,
Vidiſti pinguem ex udis manare liquorem
Corticibus, mox in lentum dureſcere gummi.
Haud ſecus hac ſub labe ſolet per corpora mucor
Diffluere: hinc demum in turpem concreſcere callum.
Unde aliquis ver ætatis, pulchramque inventam
Suſpirans, & membra oculis deformia torvis
Proſpiciens, fœdoſque artus, turgentiaque ora,
Sæpe Deos, ſæpe Aſtra miſer crudelia dixit.
Interea dulces ſomnos, noctiſque ſoporem
Omnia per terras animalia feſſa trahebant:
Illis nulla quies aderat: ſopor omnis in auras
Fugerat; iis oriens ingrata Aurora rubebat:
Iis inimica dies, inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
Munera, non dulces epulæ, non copia rerum,
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas.
Quamvis ſæpe amnes nitidos, jucundaque tempe,
Et placidas ſummis quæſiſſent montibus auras.
Dis etiam ſparſæque preces, incenſique templis
Thura, & divitibus decorata altaria donis:
Dî nullas audire preces: doniſve moveri.
Ipſe ego Cænomanum memini qua pinguia dives
Paſcua Sebina præterfluit Ollius unda,
Vidiſſe inſignem juvenem, quo clarior alter
Non fuit, Auſonia nec fortunatior omni:
Vix pubeſcentis florebat vere juventæ,
Divitiis, proaviſque potens, & corpore pulchro.
Cui ſtudia aut pernicis equi compeſcere curſum,
Aut galeam induere, & pictis ſplendeſcere in armis,
Aut juvenile gravi corpus durare palæſtra,
Venatuque feras agere, & prævertere cervos.
Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ
Optarunt, nemorumque Deæ, ruriſque puellæ:
Omnes optatos ſuſpiravere hymenæos.
Forſan & ultores ſuperos neglecta vocavit
Non nequicquam aliqua, & votis pia numina movit.
Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Invaſit miſerum labes, qua ſævior uſquam
Nulla fuit: nulla unquam aliis ſpectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ
Diſperiit, vis illa animi: tum ſquallida tabes
Artus (horrendum) miſeros obduxit, & alte
Grandia turgebant fœdis abſceſſibus oſſa.
Ulcera (Proh Divum pietatem) informia pulchros
Paſcebant oculos, & diræ lucis amorem:
Paſcebantque acri corroſas vulnere nares.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flêrunt.
Illum omnes Ollique Deæ, Eridanique puellæ
Fleverunt, nemorumque Deæ, ruriſque puellæ:
Sebinuſque alto gemitum Lacus edidit imo.
Ergo hanc per miſeras terras Saturnus agebat
Peſtem atrox, nec ſæva minus crudelis & ipſe
Miſcebat Mavors, conjunctaque fata ferebat.
Quippe lue hac naſcente, putem ſimul omnia diras
Eumenidas eciniſſe fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam Barathro (dira omina) ab imo
Exciviſſe lacus, Stygiaque ab ſede laborem,
Peſtemque, horribilemque famem, bellumque, necemque.
Dî patrii, quorum Auſonia eſt ſub numine, tuque
Tu Latii Saturne pater, quid gens tua tantum
Eſt merita? an quicquam ſupereſt dirique graviſque,
Quod ſit inexhauſtum nobis? ecquod genus uſquam
Averſum uſque adeo cœlum tulit? ipſa labores
Parthenope dic prima tuos, dic funera regum,
Et ſpolia, & prædas, captivaque colla tuorum.
An ſtragem infandam memorem, ſparſumque cruorem
Gallorumque, Italumque pari diſcrimine: quum jam
Sanguineum, & defuncta virûm, defunctaque equorum
Corpora volventem, criſtaſque, atque arma trahentem
Eridanus pater acciperet rapido agmine Tarrum?
Te quoque ſpumantem, & noſtrorum cæde tumentem
Abdua, non multo poſt tempore, te pater idem
Eridanus gremio infelix ſuſcepit, & altum
Indoluit tecum, & fluvio ſolatus amico eſt.
Auſonia infelix: en quo diſcordia priſcam
Virtutem, & mundi imperium perduxit avitum.
Angulus anne tui eſt aliquis, qui barbara non ſit
Servitia, & prædas, & triſtia funera paſſus?
Dicite vos, nullos ſoliti ſentire tumultus,
Vitiferi colles, qua flumine pulcher amœno
Erethenus fluit, & plenis lapſurus in æquor
Cornibus, Euganeis properat ſe jungere lymphis.
O patria, ò longum felix, longumque quieta
Ante alias, patria, ò Divum ſanctiſſima tellus,
Dives opum, fœcunda viris, lætiſſima campis
Uberibus, rapidoque Atheſi, & Benacide lympha,
Ærumnas memorare tuas, ſummamque malorum
Quis queat? & dictis noſtros æquare dolores,
Et turpes ignominias, & barbara juſſa?
Abde caput Benace, tuo & te conde ſub amne,
Victrices nec jam Deus interlabere Lauros.
En etiam, ceu nos agerent crudelia nulla,
Nec lachrymæ, planctuſve forent: en dura tot inter,
Spes Latii, ſpes & ſtudiorum, & Palladis illa
Occidit. ereptum Muſarum è dulcibus ulnis
Te miſerum ante diem crudeli funere Marce
Antoni, ætatis primo ſub flore cadentem
Vidimus extrema poſitum Benacide ripa:
Quam media inter ſaxa ſonans Sarca abluit unda,
Te ripæ flevere Atheſis, te voce vocare
Auditæ per noctem umbræ, maneſque Catulli,
Et patrios mulcere nova dulcedine Lucos.
Tempeſtate illa Auſoniam rex Gallus opimam
Vertebat bello, & Ligurem ditione premebat.
Parte alia Cæſar ferro ſuperabat, & Igni
Euganeos, placidumque Silim, Carnumque rebellem
Et totum luctus Latium, mœrorque tenebat.

## LIBER II.

Nunc age quæ vitæ ratio, quæ cura adhibenda
Perniciem adverſus tantam: quid tempore quoque
Conveniat (noſtri quæ pars eſt altera cœpti)
Expediam, & miranda hominum comperta docebo.
Quippe nova quum re attoniti, multa irrita primum
Tentaſſent: tamen anguſtis ſolertia major
In rebus, creſcenſque uſu experientia longo
Evicere, datumque homini protendere longe
Auxilia, & certis peſtem compeſcere vinclis:
Victorem & ſe ſe claras attollere in auras.
Credo equidem & quædam nobis divinitus eſſe
Inventa, ignaros fatis ducentibus ipſis.
Nam quanquam fera tempeſtas, & iniqua fuerunt
Sidera, non tamen omnino præſentia Divûm
Abfuit à nobis, placidi & clementia cœli.
Si morbum inſolitum, ſi dura & triſtia bella
Vidimus, & ſparſos dominorum cæde Penates,
Oppidaque, incenſasque urbes, ſubverſaque regna,
Et templa, & raptis temerata altaria ſacris:
Flumina dejectas ſi perrumpentia ripas
Evertêre fata, & mediis nemora eruta in undis,
Et pecora, & domini, correptaque rura natârunt:
Obſeditque inimica ipſas penuria terras:
Hæc eadem tamen hæc ætas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit ſulcare carinis
Id pelagi, immenſum quod circuit Amphitrite.
Nec viſum ſatis, extremo ex Atlante repoſtos
Heſperidum penetrare ſinus, Praſſumque ſub Arcto
Inſpectare alia, præruptaque littora Rhapti,
Atque Arabo advehere, & Carmano ex æquore merces,
Auroræ ſed itum in populos Titanidis uſque eſt
Supra Indum, Gangemque ſupra, qua terminus olim
Catygare noti orbis erat: ſuperata Cyambe,
Et dites ebeno, & felices Macere ſylvæ.

Deni-

Denique & à noſtro diverſum gentibus orbem,
Diverſum cœlo, & clarum majoribus aſtris
Remigio audaci attigimus, ducentibus & Dîs.
Vidimus & vatem egregium, cui pulchra canenti
Parthenope, placidusque cavo Sebethus ab antro
Plauſerunt, umbræque ſacri maneſque Maronis.
Qui magnos ſtellarum orbes cantavit, & hortos
Heſperidum, cœlique omnes variabilis oras.
Te vero ut taceam, atque alios, quos fama futura
Poſt mutos cineres, quos & venientia ſæcla
Antiquis conferre volent: at Bembe tacendus
Inter dona Deum nobis data non erit unquam
Magnanimus Leo: quo Latium, quo maxima Roma
Attollit caput alta, parerque ex aggere Tibris
Aſſurgit, Romæque fremens gratatur ovanti.
Cujus ab auſpiciis jam nunc mala ſidera mundo
Ceſſere, & læto regnat jam Juppiter orbe,
Puraque pacatum diffundit lumina cœlum.
Unus qui ærumnas poſt tot, longosque labores
Dulcia jam profugas revocavit ad otia muſas,
Et leges Latio antiquas, rectumque, piumque
Reſtituit, qui juſta animo jam concipit arma
Pro re Romana, pro religione Deorum,
Unde etiam Euphrates, etiam late oſtia Nili,
Et tantum Euxini nomen tremit unda refuſi:
Atque Ægæa ſuos confugit Doris in Iſthmos.
Ergo alii dum tanta canent, dumque illius acta
Inclyta component, dum forte accingeris & tu
Condere, & æternis victurum intexere chartis:
Nos, quos fata vocant haud tanta ad munera, luſus
Incœptos, quantum tenuis fert muſa, ſequamur.
Principio, quoniam affecti non ſanguinis una
Eſt ratio, tibi ſit morbo ſpes major in illo,
Sanguine qui inſedit puro: verum quibus atra
Bile tument, ſpiſſoque reſultant ſanguine venæ,
Major in iis labor eſt, peſtiſque tenacius hæret.
Quare operæ pretium eſt valid's atque acribus uti
Omnibus hos contra, miſeris nec parcere membris.
Quin etiam meliora ſibi promittere cuncta
Ille poteſt, qui principiis noviſſe ſub ipſis
Serpentem tacite valuit per viſcera labem.
Namque ubi paſta diu, vires per pabula longa
Auxerit, & jam ſe vitium firmaverit intra:
Heu quanto tibi libertas ſperanda labore eſt.
Ergo omnem impendes operam, te opponere parvis
Principiis: memorique animo hæc præcepta reconde.
In primis ego non omni te aſſueſcere cœlo
Exhorter. fuge perpetuo quod flatur ab Auſtro,
Quod cœno, immundæque grave eſt ſudore paludis.
Protenti potius campi mihi liber & agri
Tractus, & apricis placeant in collibus auræ,
Et molles zephyri, pulſuſque Aquilonibus aër.
Hic (jubeo) tibi nulla quies, nulla otia ſunto.
Rumpe moras: agita aſſiduis venatibus apros
Impiger, aſſiduis agita venatibus urſos.
Nec tibi ſit labor aërii curſu ardua montis
Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum:
Et longa luſtrare altos indagine ſaltus.
Vidi ego ſæpe malum qui jam ſudoribus omne
Finiſſet, ſylviſque luem liquiſſet in altis.
Sed nec turpe puta dextram ſummittere aratro,
Et longum trahere incurvo ſub vomere ſulcum:
Neve bidente ſolum, & duras proſcindere glebas,
Et valida aëriam quercum exturbare bipenni,
Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.
Quin etiam, exercere domi quo te quoque poſſis,
Parvam mane pilam verſa mihi, veſpere verſa.
Et ſaltu, & dura potes exſudare palæſtra.
Vince malum: nec te fallat, quod deſidis oti
Aſſidue deſiderium, lectique ſequetur.
Tu lecto ne crede, gravi ne crede ſopori.
His alitur vitium, & placidæ ſub imagine pacis
Decipit, è dulcique trahit fomenta quiete.
Nec non interea effugito quæ triſtia mentem
Sollicitant. procul eſſe jube curaſque, metumque
Pallentem, ultriceſque iras, omnemque Minervæ
Addictum ſtudiis animum: ſed carmina, ſed te
Delectent, juvenumque chori, miſtæque puellæ
Parce tamen Veneri, molleſque ante omnia vita
Concubitus. nihil eſt nocuum magis, odit & ipſa
Pulchra Venus, teneræ contagem odere puellæ.
Quod ſequitur: victus ratio tibi maxima habenda eſt:
Nec ſit cura tibi, neve obſervantia major.
Principio, quoſcunque amnes, quaſcunque paludes,
Quoſque lacus liquidi paſcunt, quoſque æquora piſces,
Omne genus procul amoveo. ſunt quos tamen uſus
Liberius, quum res cogit, concedere poſſit.
Omnibus his eſt alba caro, non dura, tenaxque,
Quos petræ, & fluviorum adverſa, mariſque fatigant.

A Tales nant pelago Phycides, rutilæque per undas
Auratæ, Gobique, & amantes ſaxea Percæ.
Talis dulciſluum fluviorum Scarus ad ora
Solus ſaxa inter depaſtas ruminat herbas.
Sed neque quæ ſtagnis volucres, quæque amnibus altis
Degere amant, liquidiſque cibum perquirere in undis
Laudarim. tibi pinguis Anas, tibi crudior Anſer
Vitetur, potiuſque vigil Capitoſia ſervet.
Viteturque gravi Coturnix tarda ſagina.
Tu teneros lactes, tu pandæ abdomina Porcæ,
Porcæ heu terga fuge, & lumbis ne veſcere aprinis:
Venatu quamvis toties confeceris Apros.
Quin neque te crudus Cucumis, non tubera captent:
Neve famem Cinara, Bulbiſve ſalacibus exple,
Non placeat mihi lactis amor, non uſus aceti,
Non fumoſa mero ſpumantia pocula baccho.
Qualia Cyrnæi colles, campique Falerni,
Et Pucinus ager mittunt, aut qualia noſtris
Rhetica dat parvo de collibus uva racemo.
Nempe Sabina magis placeant, diluraque tellus
B Quæ tulit, & multo domuerunt Najades amne.
At tibi ſi ex horto victus, menſæque Deorum
Sunt animo, atque olerum ſimplex & inempta voluptas.
Non Menthæ virides, non læta Siſymbria deſunt,
Intybaque, & toto florentes frigore Sonchi.
Et Sia fontanis ſemper gaudentia rivis.
Et Thymbræ ſuaves, & odoriferæ Calaminthæ.
Læta Meliphylla, & riguo Buglotſus ab horto
Carpantur: pleniſque ferax Erucula palmis,
Atque Olus, atque Rumex, & falſi gramina Crithmi.
Ipſa Lupum dumeta ferent, hinc collige primos
Aſparagos, albæ aſparagos hinc collige vitis,
Quum nondum explicuit ramos, umbracula nondum
Texuit, & virides juſſit pendere corymbos.
Singula ſed longum eſt, nec percenſere neceſſe.
Jamque aliud vocor ad munus. juvat in nova Muſas
Naturæ nemora Aoniis deducere ab umbris:
Unde mihi ſi non è lauro intexere fronti
Serta volent, tantaque caput cinxiſſe corona:
At ſaltem ob ſervata hominum tot millia, dignum
C Cenſuerint querna redimiri tempora fronde.
Vere novo, ſi quem morbus tenet, aut & in ipſo
Autumno, ſi firma ætas, ſi ſanguis abundat,
Regalem, mediamve lacerti incidere venam,
Proderit: atque extra fœdatum haurire cruorem.
Præterea, quocunque habeat te tempore peſtis,
Corruptum humorem, & contagem educere turpem
Ne pigeat, facilique luem deponere ab alvo.
Ante tamen ducenda para, concreta reſolve,
Et craſſa attenua, & lentore tenacia frange.
Ergo Coryciumque Thymum ſit cura, Thymumque
Pamphylium, Thymbræ ſimilis qui durior exit
Prima tibi coxiſſe, Lupique volubile gramen,
Fœniculumque, Apiumque, & amari germina Capni.
His Polyporum hirtos imitata Filicula cirros
Additur, & nymphis tangi renuens Adiantus:
His ſterile Aſplenium, his pictam Phyllitida junge.
Quorum ubi decoctum pertinultis ante diebus
Ebiberis, crudumque humorem incoxeris omnem,
Tum Scylla medicare acri, & Colocynthide amara,
D Helleboroque gravi, nec non quæ in littore ſurgens
Qua ludit maris unda, ter evariata colorem,
Ter flores mutata die, rem nomine ſignat,
Herba potens radice, ſuum cui zinzibar addo;
Adde etiam anguineum Cucumin, Nabathæaque Thura,
Myrrhamque, Bdelamque, Hamminoniacique liquorem,
Et lacrymam Panaceam, & dulci Colchica bulbo.
His actis, ſi forte tibi frigentia corda,
Et molles animi fuerint, nec acerba placebit
In primis tentare, brevique extinguere peſtem:
Sed placidis agere, & per tempora lenibus uti,
Tum ſuperest tibi cura animum ad fomenta relicta
Vertere, contagiſque ad tenuia ſemina cæcæ.
Illa quidem conſueta modis inſerpere miris.
Profuerint igitur quæque exſiccantia, quæque
Marcori reſinoſa ſolent obſiſtere putri.
Tales ſunt Myrrhæ lacrymæ, ſunt talia Thura,
Cedrusque, Aſpalathuſque, inmortaliſque Cupreſſus.
Et bene cum Calamo ſpirans redolente Cyperus.
Ergo nec deſint Caſiæ, nec deſit Amomum,
E Macerve, Aggalocumve tibi, nec Cinnama odora
Eſt etiam in pratis illud, juxtaque paludes
Scordion, omnigenis quod tantum obſtare venenis,
Contagique ſolet: parvo quærenda labore
Herba tibi, viret ipſa comis imitata Chamædryn,
Flore rubens, referenſque Allî cum voce ſaporem.
Aurora naſcente hujus frondemque comantem
Radiceſque coque, atque hauſtu te prolue largo.
Sed neque carminibus neglecta ſilebere noſtris

Heſpe-

Heſperidum decus, & Medarum gloria Citre
Sylvarum: ſi forte ſacris cantata Poëtis
Parte quoque hac medicam non dedignabere Muſam.
Sic tibi ſit ſemper viridis coma, ſemper opaca,
Semper flore novo redolens, ſis ſemper onuſta
Per viridem pomis ſylvam pendentibus aureis.
Ergo ubi nitendum eſt cæcis te opponere morbi
Seminibus, vi mira arbor Cithereia præſtat.
Quippe illam Citherea, ſuum dum plorat Adonim,
Munere donavit multo, & virtutibus auxit.
Quorundam inventum eſt, vitrei intra concava vaſis,
Cui collum oblongum eſt, venter turgeſcit in orbem,
Aut Hederæ folia, aut Ida mittente maniplos
Dictamni, Illyricamve Irim, Thamnive nigrantem
Radicem, aut Inulas coquere. in ſublime ſolutus
Effertur vapor, & tenuis vacua omnia complet.
Aſt, ubi frigenti occurſavit ab aëre vitro,
Cogitur, & rorem liquidus denſatur in udum,
Decurritque vagis per aperta canalia rivis.
Deſtillantis aquæ cyathum ſub lumina prima
Luciferi potare jubent, ſtratiſque parare
Sudorem, nec certe ab re. vis utilis olli eſt
Relliquias morbi tenues diſpargere in auras.
Interea ſi membra dolor convulſa malignus
Torqueat, œſypo propera lenire dolorem,
Mattichinoque oleo, lentum quibus anſeris unguen,
Emulſumque potes Lini de ſemine mucum,
Narciſſumque, Inulamque, liquentiaque addere mella,
Coryciumque Crocum, & vilem componere Amurcam.
At fauces, atque ora malus ſi eroſerit Herpes,
Tange Nitro, & viridi medicata Ærugine lympha
Semina inure mala, & ſerpentem interfice peſtem.
Verum ipſos ope non alia conſumere Achores
Urentum quam vi poteris, quibus addere debes
Pingue aliquid, quod ſecum intus ſiccantia portet.
Hæc eadem & miſeros artus ſi qua ulcera paſcunt,
Tollere, concretoſque valebunt ſolvere callos.
Si vero aut hæc nequicquam tentaſſe videbis:
Aut vires, animique valent ad fortia quæque:
Nec differre cupis, quin te committere acerbis
Feſtines, diramque brevi conſumere peſtem:
Hinc alia inventa expediam, quæ triſtia quanto
Sunt magis, hoc tanto citius finire labores,
Ærumnaſque mali poterunt. quippe effera labes
Inter prima tenax, & multo fomite vivax
Ne dum ſe haud vinci placidis, & mitibus, at nec
Tractari finit, & manſueſcere dura repugnat.
Sunt igitur Styracem in primis qui, Cinnabarinque;
Et Minium, & Stimmi agglomerant, & Thura minuta,
Quorum ſuffitu pertingunt corpus acerbo,
Abſumuntque luem miſeram, & contagia dira.
At vero & partim durum eſt medicamen, & acre,
Partim etiam fallax, quo faucibus angit in ipſis
Spiritus, eluctanſque animam vix continet ægram.
Quo circa totum ad corpus nemo audeat uti
Judice me. certis fortaſſe erit utile membris,
Quæ papulæ informes, Chironiaque ulcera paſcunt.
Argento melius perſolvunt omnia vivo
Pars major. miranda etenim vis inſita in illo eſt:
Sive quod id natum eſt ſubito friguſque caloremque
Excipere, unde in ſe noſtrum cito contrahit ignem:
Quodque eſt condenſum, humores diſſolvit, agitque
Fortius, ut candens ferrum flamma acrius urit:
Sive æres, unde id conſtat compagine mira,
Particulæ, nexuque ſuo vinciſque ſolutæ
Introrſum, ut potuere ſeorſum in corpora ferri,
Colliquant concreta, & ſemina peſtis inurunt.
Sive aliam vim fata illi, & Natura dedere.
Cujus & inventum medicamen munere Divum
Digreſſus referam. quis enim admiranda Deorum
Munera prætereat? Syriæ nam forte ſub altis
Vallibus, umbroſi nemora inter glauca ſalicti
Callirhoë qua fonte ſonans decurrit amœno,
Fama eſt, cultorem Dîs ſacri agreſtibus horti
Cultorem nemorum, ſectatoremque ferarum
Ilcea labe gravem tanta, dum molle Cyperum,
Et Caſiam, & ſylvam late fragrantis Amomi
Irrigat, hæc oraſſe Deos, & talia fatum.
Dî, quos ipſe diu colui: tuque optima triſtes
Callirhoë quæ ſancta ſoles depellere morbos,
Cui nuper ramoſa ferens ego cornua cervi
Aëria victor fixi capita horrida quercu:
Dî mihi crudelem miſero ſi tollere peſtem
Hanc dabitis, quæ me afflictat noctesque dieſque;
Ipſe ego purpureas, ipſe albas veris & horti
Primitias, vobis violas, ego lilia vobis
Alba legam, primaſque Roſas, primoſque Hyacinthos;
Veſtraque odoratis onerabo altaria ſertis.
Gramen erat juxta viridans. ſic fatus, ut æſtu
A Feſſus erat, viridi deſedit graminis herba.
Hic Dea vicino, quæ ſe ſe fonte lavabat,
Callirhoë liquido ex antro per lubrica muſco
Saxa fluens, juvenî dulci blandita ſuſurro,
Lethæum immiſit ſomnum, ſparſitque ſopore
Graminea in ripa, & Salicum nemus inter opacum:
Atque illi viſa eſt ſacro de flumine tollens
In ſomnis coram eſſe, pia & ſic voce locuta.
Ilcea in extremo Dîs tandem audite labore
Cura mei, tibi nulla ſalus quacunque videt Sol
Speranda eſt terram magnam ſuper, hoc tibi pœnæ
Dat Trivia, & precibus Triviæ exoratus Apollo,
Ob ſacrum jaculo percuſſum ad flumina Cervum,
Et noſtris affixa tibi capita horrida truncis.
Nam poſtquam illa feram exanimem per gramina vidit
Abſciſſo capite, & ſacro ſparſa arva cruore:
Omnibus ingemuit ſylvis, dirumque precata eſt
Authori. oranti Latous tanta ſorori
Affuit, & peſtem miſero immiſêre nefandam
Durus uterque tibi. quin & quacunque videt Sol,
B Interdixit opem. quare tellure ſub ima,
Si qua ſalus ſupereſt, cæca ſub nocte petenda eſt.
Eſt ſpecus arboribus tectum, atque horrore verendum
Vicina ſub rupe, Iovis qua plurima ſylva
Accubat, & raucum reddit coma Cedria murmur.
Huc, ubi ſe primis Aurora emittet ab undis,
Ire para, & nigrantem ipſis in faucibus agnam
Mactato ſupplex, atque Ops tibi maxima, dic, hanc,
Dic, ferio. nigram tum Noctem, umbraſque ſilentes,
Umbrarumque Deos, ignotaque numina Nymphas
Et Thia venerare, atræ & nidore Cupreſſi,
Hic tibi narranti cauſam, auxiliumque vocanti
Haud aberit Dea, quæ cæcæ in penetralia terræ
Deducat te ſancta, & opem tibi ſedula præſtet.
Surge age, nec vani ſpeciem tibi concipe ſomni.
Illa ego ſum, quæ culta vago per pinguia fonte
Dilabor, Dea vicinis tibi cognita ab undis.
Sic ait, & ſe cœruleo cita condidit amne.
Ille autem ut placidus ceſſit ſopor, omina lætus
Accipit, & Nympham precibus veneratur amicam
O ſequor, ô quocunque vocas pulcherrima fontis
C Vicini Dea Callirhoë. Tum poſtera primum
Exſurgens Aurora ſuos ubi protulit ortus,
Monſtratum Iovis in ſylva ſub rupibus altis
Antrum ingens petit: & nigrantem tergora primo
Veſtibulo ſiſtit pecudem, magnæque trementem
Mactat Opi: tibique, inquit, ego hanc Ops maxima macto
Tum Noctem, noctiſque Deas, ignota precatur
Numina. jamque ſimul Thian, atramque Cupreſſum
Urebat, quum vox terræ revoluta cavernis
Longe audita ſacras Nympharum perculit aures:
Nympharum, quibus æra ſolo ſunt condita curæ
Extemplo commotæ omnes, ac cœpta reponunt
Sulfureos forte ut latices, & flumina vivi
Argenti, mox unde nitens concreſceret aurum,
Tractabant, gelidoque prementes fonte coquebant
Centum ignis ſpiſſi radios, centum ætheris uſti,
Bis centum concretorum terræque mariſque
Miſcueram, noſtros fugientia ſemina viſus.
At Lipare, Lipare argenti cui ſemina & auri
Cura data, & ſacrum flammis adolere bitumen,
D Continuo obſcuræ latebroſa per avia terræ
Ilcea adit, firmanſque animum ſic incipit ipſa.
Ilceu (nanque tuum nec nomen, nec mihi labes
Ignota eſt, nec quid venias) jam corde timorem
Exue. nequicquam non te huc cariſſima mittit
Callirhoë, tibi parta ſalus tellure ſub ima eſt.
Tolle animos, & me per opaca ſilentia terræ
Inſequere, ipſa adero, & præſenti numine ducam.
Sic ait: & ſe antro gradiens præmittit opaco.
Ille ſubit, magnos terræ miratus hiatus,
Squallenteſque ſitu æterno, & ſine lumine vaſtas
Speluncas, terramque meantia flumina ſubter.
Tum Lipare. hoc quodcunque patet, quam maxima terra eſt,
Hunc totum ſine luce globum, loca ſubdita nocti,
Dî habitant. imas retinet Proſerpina ſedes,
Flumina ſupremas, quæ ſacris concita ab antris
In mare per latas abeunt reſonantia terras.
In medio dites Nymphæ, genera unde metalli,
Æriſque, argentique, aurique nitentis origo,
E Quarum ego nunc ad te miſerans ipſa una ſororum
Advenio, illa ego, quæ venas per montis hiantes,
Callirhoæ haud ignota tuæ, fumantia mitto
Sulfura. ſic ibant terra, & caligine tecti.
Jamque exaudiri crepitantes ſulfure flammæ,
Concluſique ignes, ſtridentiaque æra caminis.
Hæc regio eſt late variis ubi fœta metallis,
Virgo ait, eſt tellus: quorum vos tanta cupido

Exer-

Exercet, ſuperas cœli qui cernitis auras.
Hæc loca mille Deæ cæcis habitamus in antris:
Nocte Deæ & Tellure ſatæ, queis munera mille,
Mille artes: ſtudium eſt aliis deducere rivos,
Scintillas aliis rimari, & ſparſa per omnem
Semina tellurem flammarum, igniſque coruſci.
Materiam miſcent aliæ, maſſamque coërcent
Obicibus, multa & gelidarum inſpergine aquarum
Non procul eruptis fumantia tecta caminis
Ætnæi Cyclopes habent, verſantque, coquuntque
Vulcano ſtridente, atque æra ſonantia cudunt.
Læva hæc abſtruſum per iter via ducit ad illos.
Dextera ſed ſacri fluvii te ſiſtet ad undam,
Argento fluitantem undam, vivoque metallo:
Unde ſalus ſperanda. & jam aurea tecta ſubibant,
Roranteſque domus ſpodiis, fuligineque atra
Speluncas varie obductas, & ſulture glauco.
Jamque lacus late undantes, liquidoque fluentes
Argento juxta aſtabant, ripaſque tenebant.
Hic tibi tantorum requies inventa laborum,
Subſequitur Lipare: poſtquam ter flumine vivo
Perfuſus, ſacra vitium omne reliqueris unda.
Sic fatur: ſimul argenti ter fonte ſalubri
Perfundit, ter virgineis dat flumina palmis
Membra ſuper, juvenem toto ter corpore luſtrat
Mirantem exuvias turpes, & labe maligna
Exutos artus, peſtemque ſub amne relictam.
Ergo age, quum primum cœli te purior aër
Accipiet, nitidamque diem, Solemque videbis:
Sacra para, & caſtam ſupplex venerare Dianam,
Indigenaſque Deos, & numina fontis amici.
Sic Virgo: & juvenem tanto pro munere grates
Solventem è nocte ætherias educit in oras,
Dimittitque alacrem, atque optata in lumina reddit.
Accepit nova fama fidem: populoſque per omnes
Prodiit haud fallax medicamen. cœptaque primum
Miſceri argento fluitanti axungia porcæ.
Mox etiam Oriciæ ſimul adjuncta eſt Terebinthi,
Et Laricis reſina aëriæ. ſunt qui unguen equinum
Urſinumve adhibent, Bdelæ, Cedrique liquorem.
Nonnulli & Myrrhæ guttas, & maſcula Thura
Adjiciunt, Miniumque rubens, & ſulfura viva.
Haud vero mihi diſpliceat, componere ſi quem
Trita Melampodia, atque arentem juverit Irim,
Galbanaque, & Laſſer grave olens, oleumque ſalubre
Lentiſci, atque oleum haud experti ſulfuris ignem.
His igitur tôtum oblinere, atque obducere corpus
Ne obſcœnum, ne turpe puta. per talia morbus
Tollitur, & nihil eſſe poteſt obſcœnius ipſo.
Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita.
Tum ſuper & vittas adſtringe, & ſtuppea necte
Vellera. dein ſtratis tegmento imponere multo,
Dum ſudes, fœdæque fluant per corpora guttæ.
Hæc tibi biſquinis ſatis eſt iteraſſe diebus.
Durum erit, at quicquid tulerit res ipſa, ferendum eſt.
Aude animis. tibi certa ſalus ſtans limine in ipſo
Signa dabit. liquefacta mali excrementa videbis
Aſſidue ſputo immundo fluitare per ora,
Et largum ante pedes tabi mirabere flumen.
Ora tamen fœda erodent ulcuſcula: ſed tu
Lacte fove, & cocto Cytini, viridiſque Liguſtri.
Tempore non alio generoſi pocula bacchi
Annuerim ſumenda tibi, purumque Falernum
Et Chia, & pateris ſpumantia Rhettica largis.
Sed jam agè vicinæ victor gratare ſaluti.
Ultima adeſt tibi cura, eadem & placidiſſima: corpus
Abluere, & luſtrare artus, ac membra piare
Stœchade, Amaraciniſque comis, & Rore marino,
Verbenaque ſacra, & bene olentibus Heraclæis.

## LIBER III.

Sed jam me nemora alterius felicia mundi,
Externique vocant ſaltus. longe aſſonat æquor
Herculeas ultra metas, & littora longe
Applaudunt ſemota. mihi nunc magna Deorum
Munera, & ignoto devecta ex orbe canenda
Sancta arbos, quæ ſola modum, requiemque dolori
Et finem dedit ærumnis. age Diva beatum
Uranie venerare nemus, crineſque revinctam
Fronde nova, juvet in medica procedere palla
Per Latium, & ſanctos populis oſtendere ramos:
Et juvet haud unquam noſtrorum ætate parentum
Viſa prius, nullive unquam memorata referre.
Unde aliquis forſan novitatis imagine mira
Captus, & heroas, & grandia dicere facta
Aſſuetus, canat auſpiciis majoribus auſas
Oceani intacti tentare pericula puppes.
Nec non & terras varias, & flumina, & urbes,
Et varias memoret gentes, & monſtra reperta,
Dimenſaſque plagas, alioque orientia cœlo
Sidera, & inſignem ſtellis majoribus Arcton.
Nec taceat nova bella, omnemque illata per orbem
Signa novum, & poſitas leges, & nomina noſtra.
Et canat (auditum quod vix venientia credant
Sæcula) quodcunque Oceani complectitur æquor
Ingens, omne, una obitum menſumque carina.
Felix, cui tantum dederit Deus. at mihi vires
Arboris unius ſatis eſt, uſumque referre:
Et quo inventa modo fuerit, noſtraſque ſub auras
Advena per tantum pelagi pervenerit æquor.
Oceano in magno, ardenti ſub ſidere Cancri,
Sol ubi ſe nobis media jam nocte recondit,
Hac ignota tenus, tractu jacet inſula longo:
Hiſpanam gens inventrix cognomine dixit:
Auri terra ferax, ſed longe ditior una
Arbore. voce vocant patrii ſermonis Hyacum,
Ipſa teres, ingenſque, ingentem vertice ab alto
Diffundit ſemper viridem, ſemperque comantem
Arbuteis ſylvam foliis. nux parva, ſed acris,
Dependet ramis, & plurima frondibus hæret.
Materia indomita eſt, duro & pene æmula ferro
Robora, quæ reſinam ſudant incenſa tenacem.
Diſſectæ color haud ſimplex. in cortice lauri
Exteriore viret levor, pars altera pallet
Buxea, at interior nigro ſuffuſca colore eſt,
Juglandemque, Ebenumque inter. quod ſi inde ruberet
Jam poterat variis æquare coloribus Irim.
Hanc gens illa colit, ſtudioque educere multo
Nititur: hac late colles campique patentes,
Hac omnis veſtitur ager, nec ſanctius illis
Eſt quicquam, aut potiore uſu. quippe omnis in illa
Spes jacet hanc contra peſtem, quæ cœlitus illic
Perpetua eſt. validos abjecto cortice ramos
Multa vi tundunt, aut in ſegmenta minuta
Elimant, puroque ſcobes in fonte reponunt,
Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor.
Inde coquunt, nec non illos ea cura fatigat,
Vulcano ne forte furens erumpat aquæ vis,
Et ſuperundantem ſpumam projectet in ignes.
Spuma quippe linunt, ſi quicquam è corpore toto
Abſcedit, ſi quicquam ægros depaſcitur artus.
Dimidia abſumpta, ſupereſt quodcunque reponunt
Divini laticis. quin & ſegmenta relicta
Rurſus, ut ante, coquunt, addentes ſuaveliquens Mel.
Scilicet hunc unum menſis accedere potum,
Et lex ipſa jubet gentis, mandatque ſacerdos.
Servatum at laticem, & decocti pocula primi
Bina die quaque aſſumunt, quum ſurgit ab ortu
Lucifer, & fero egreditur quum Veſper olympo.
Nec prius abſiſtunt potu, quam menſtrua curſum
Luna ſuum, & totum peragrans perfecerit orbem
Fraternaſque iterum convenerit æmula bigas.
Interea cæcis ſeſe penetralibus abdunt,
Quo neque vis venti, non halitus aëris ullus
Inſinuet ſe ſe, & gelidis afflatibus obſit.
Quid mirandum æque memorem ſuper omnia victum
Quam tenuem, quam magna ſibi jejunia poſcant?
Quippe ſolet ſatis eſſe, ipſum dum corpus alatur,
Dum ſuperet vita, & tantum ne membra fatiſcant.
Ne tamen ah ne tanta time, ſacer ilicet hauſtus
Ille modo Ambroſiæ, vires reficitque fovetque,
Inque occulta gerit jejunis pabula membris.
Nectare ab epoto binas, non amplius, horas
Imponunt ſe ſe ſtratis, medicamen ut intro
Large eat, & calido ſudorem è corpore ducat.
Interea vacuas peſtis vaneſcit in auras,
Et (dictu mirum) apparet jam puſtula nulla,
Jamque Nomæ ceſſere omnes, jam fortia liquit
Membra dolor, primoque redit cum flore juventa:
Et jam Luna ſuum remeans nova circuit orbem.
Quis Deus hos illis populis monſtraverit uſus?
Qui demum & nobis caſus, aut fata tulere
Hos ipſos? unde & ſacræ data copia ſylvæ?
Nunc referam. Miſſæ quæſitum abſcondita Nerei
Æquora in occaſum Soliſque cubilia pinus,
Littoribus longe patriis, Calpeque relictis,
Ibant oceano in magno, pontumque ſecabant
Ignaræque viæ, & longis erroribus actæ.
Quas circum innumeræ properantes gurgite ab omni
Ignoti nova monſtra maris Nereides udæ
Adnabant, celſas miratæ currere puppes,
Salſa ſuper pictis volitantes æquora velis.
Nox erat, & puro fulgebat ab æthere Luna,
Lumina diffundens tremuli per marmora ponti:
Magnanimus quum tanta heros ad munera fatis
Delectus, dux errantis per cærula claſſis,

Luna, ait, ò, pelagi cui regna hæc humida parent,
Quæ bis ab aurata curvasti cornua fronte,
Curva bis expleſti, nobis errantibus ex quo
Non ulla apparet tellus: da littora tandem
Aſpicere, & dudum ſperatos tangere portus.
Noctis honos cœlique decus Latonia virgo
Audiit orantem Phœbe, delapſaque ab alto
Æthere, ſe in faciem mutat, Nereia quali
Cymothoë, Clothoque natant, juxtaque carinam
Aſtitit, & ſummo pariter nans æquore fatur.
Ne noſtræ dubitate rates, lux craſtina terras
Oſtendet, fidoque dabit ſuccedere portu.
Sed vos littoribus primis ne inſiſtite dudum.
Ultra fata vocant, medio magna inſula ponto
Eſt Ophyre, huc iter eſt vobis, hic debita ſedes
Imperiique caput. ſimul hæc effata, carinam
Impulit: illa levi cita diſſecat æquora curſu.
Aſpirant faciles auræ: & jam clarus ab undis
Surgebat Titan, humiles quum ſurgere colles
Umbroſi procul, & propior jam terra videri
Incipit. acclamant Nautæ, terramque ſalutant,
Terram exoptatam. tum portu & littore amico
Excepti, Dis vota piis in littore ſolvunt,
Quaſſataſque rates, defeſſaque corpora curant.
Inde ubi quarta dies pelago, crepitanſque vocavit
Vela notus, remis inſurgitur, altaque rurſum
Corripiunt maria, & læti freta cœrula ſulcant.
Linquitur incerto fluitans Anthylia ponto,
Atque Hagia, atque alta Ammerie, execrataque tellus
Cannibalum, & ripa Cyane nemoroſa virenti.
Protinus innumeræ panduntur turribus altis
Inſulæ oceano in vaſto, quas inter, opacis
Undantem ſylvis unam, curſuque ſonantem
Fluminis aſpiciunt: magno qui ſpumeus alveo
In mare fulgentes auro ſubvectat arenas.
Hujus in ora placet pronas appellere puppes.
Invitant nemora, & dulces è flumine lymphæ.
Jamque ſolo viridante alacres, ripaque potiti
In primis terram ignotam, Nymphaſque ſalutant
Indigenas, geniumque loci, teque aurifer amnis,
Quiſquis in ora maris nitida perlaberis unda.
Tum duram Cererem, & patrii carcheſia Bacchi
Aggere in herboſo expediunt: dein quærere ſiqui
Mortales habitent. pars ſulvam fluminis undam
Mirari, miſtamque auro diſquirere arenam.
Forte per umbroſos ſylvarum plurima ramos
Aſſidue volitabat avis, quæ picta nitentes
Cæruleo pennas, roſtro variata rubenti,
Ibat nativo ſecura per avia luco.
Has juvenum manus ut ſylvas videre per altas,
Continuo cava terrificis horrentia bombis
Æra, & flammiferum tormenta imitantia fulmen
Corripiunt, Vulcane tuum, dum Theutonas armas,
Inventum, dum tela Jovis mortalibus affers.
Nec mora: ſignantes certam ſibi quiſque volucrem,
Incluſam, ſalicum cineres, ſulphurque, nitrumque,
Materiam, accendunt ſervata in reſte favilla.
Fomite correpto diffuſa repente furit vis
Ignea circumtepta, ſimulque cita obice rupto
Intruſam impellit glandem: volat illa per auras
Stridula, & exanimes paſſim per prata jacebant
Dejectæ volucres. magno micat ignibus aër
Cum tonitru, quo ſylva omnis, ripæque recurvæ
Et percuſſa imo ſonuerunt æquora fundo.
Pars avium nemus in denſum conterrita, & altos
Se recipit ſcopulos, quorum de vertice ſummo
Horrendum una canit, (dictu mirabile) & aures
Terrificis implet dictis, ac talibus infit.
Qui Solis violatis aves, ſacraſque volantes,
Heſperii, nunc vos, quæ magnus cantat Apollo,
Accipite, & noſtro vobis quæ nuntiat ore.
Vos, quanquam ignari, longum quæſita, ſecundis
Tandem parta Ophyræ tetigiſtis littora ventis.
Sed non ante novas dabitur ſummittere terras,
Et longa populos in libertate quietos,
Molirique urbes, rituſque ac ſacra novare:
Quam vos infandos pelagi terræque labores
Perpeſſi, diverſa hominum poſt præſia, multi
Mortua in externa tumuletis corpora terra.
Navibus amiſſis pauci patria arva petetis.
Fruſtra alii ſocios quæretis magna remenſi
Æquora, nec noſtro deerunt Cyclopes in orbe.
Ipſa inter ſeſe veſtras diſcordia puppes
In rabiem ferrumque trahet: nec fera manet vos
Illa dies, fœdi ignoto quum corpora morbo
Auxilium ſylva miſeri poſcetis ab iſta,
Donec pœniteat ſcelerum. nec plura locuta
Horrendum ſtridens denſis ſeſe abdidit umbris,
Ollis oſſa rigor ſubitus percurrit, & omnis
A Palluit, ac gelida fugit formidine ſanguis.
Tum vero ſacras volucres, Divoſque precati,
In primis Solem, & ſanctum ſervantia lucum
Numina ſupplicibus venerantur agreſtia votis:
Pacem orant, rurſumque Ophyren, fluviumque ſalutant.
Interea è ſylvis nigrum genus ora comaſque,
Ad naves nova turba virûm concurrit inermis,
Pectora nudi omnes, evincti frondibus omnes
Paciteris, tanta qui celſas mole carinas
Mirati, veſteſque virum, fulgentiaque arma,
Vix ſatis expleri poſſunt: &, ab æthere miſſi
Sive homines, ſive Heroës ſint, ſive Deorum
Numina, adorantum ritu, precibuſque ſalutant:
Ante alios ipſum Regem, cui munera læta
E ripis collectum aurum, & cerealia dona,
Et patrios fructus, & mella liquentia portant.
Veſtibus ipſi etiam noſtris, & munere multo
Donati, exceptique mero nova gaudia miſcent.
Non aliter, quam ſi menſis, dapibuſque Deorum
B Mortalis quiſquam adſcitus, felixque futurus
Hauriat æternum, cœleſtia pocula, nectar.
Ergo ubi amicitiæ ſecuros fœdere utrinque
Firmavere animos, habita & commercia gentis:
Ipſi inter ſeſe reges in littore læti
Complexu jungunt dextras, & fœdera firmant.
Alter goſſipio tenui pectuſque femurque
Præcinctus, viridi limbum pingente Smaragdo,
Ora niger, jaculo armatur cui dextera acuto,
Squammoſi ſpolium ſuſtentat læva Draconis.
Alter at intexto lænam circundatus auro,
Quam ſubter rutila arma micant: capiti ærea caſſis
Inſidet, & pictæ volitant in vertice criſtæ.
Fulgenti ex atro torques cui candida colla
Cingunt, atque enſis lateri dependet Iberus.
Et jam commiſti populi, hoſpitioque recepti,
Hi tectis domibuſque, altis in navibus illi,
Lætitia ludiſque dies per pocula ducunt.
Forte loco lux feſta aderat, Solique parabant
Ultori facere umbroſo ſacra annua luco.
Heſperiæque Ophyræque manus convenerat omnis:
C Hic convalle cava, ripæ viridantis in herba,
Selectorum ingens numerus, matreſque virique,
Confuſi, plebs atque patres, puerique ſeneſque,
Aſtabant, animis triſtes, & corpora fœdi,
Squallentes cruſtis omnes, taboque fluentes.
Quos circunfuſos albenti in veſte ſacerdos
Pura luſtrat aqua, & ramo frondentis Hyaci.
Tum niveum ante aras cædit de more juvencum.
Et juxta poſitum paſtorem ſanguine cæſi
Reſpergit pateraque rigat. Solique potenti
Ad numeros pæana canit: nec cætera turba
Non ſequitur, mactantque ſues, mactantque bidentes:
Viſceribuſque veru toſtis epulantur in herba:
Obſtupuit gens Europæ rituſque ſacrorum,
Contagemque alio non uſquam tempore vitam.
At dux multa animo tacitus ſecum ipſe volutans,
Hic erat ille, inquit, morbus, (Di avertite casum)
Ignotum interpres Phœbi quem dira canebat.
Tum regem indigenam, (ut ſermo fandique facultas
D Jam communis erat) cui ſint ſolennia Divum
Scitatur? quid tanta affert convalle ſub alta
Languentum miſeranda manus? quid paſtor ad aras
Sacra inter, cæſi reſperſus ſanguine tauri?
Quem contra, Heſperiæ ò heros fortiſſime pubis,
Rex ait, hi gentis ritus, hæc ſacra quotannis
Ultori de more Deo celebramus. origo
Antiqua eſt, veteresque patrum fecere parentes.
Quod ſi externorum mores, hominumque labores
Audiviſſe juvat, primæva ab origine cauſam
Sacrorum, & peſtis miſeræ primordia pandam.
Forſitan Atlantis veſtras pervenit ad aures
Nomen, & ex illo generis longo ordine ducti.
Hac & nos, longa ſerie, de ſtirpe profecti
Dicimur: heu quondam felix & cara Deum gens!
Dum cœlum colere, & ſuperis accepta referre
Majores ſuevere boni: ſed numina poſtquam
Contemni cœptum eſt, luxu faſtuque nepotum:
Ex illo quæ ſint miſeros, quantæque ſecutæ
Ærumnæ, vix fando unquam comprendere poſſem.
E Inſula tum priſci regis de nomine dicta
Ingenti terræ concuſſa Atlantia motu
Corruit, abſorpta oceano, quem mille Carinis
Sulcavit toties, terræ regina mariſque.
Ex illo & pecudes & grandia quadrupedantum
Corpora, non ullis unquam reparata diebus
Æternum periere, externaque victima ſacris
Cæditur, externus noſtras cruor imbuit aras.

Tum

Tum quoque & hæc infanda lues, quam noſtra videtis
Corpora depaſci, quam nulli, aut denique pauci
Vitamus, Divum offenſis, & Apollinis ira
De coelo demiſſa, omnes graſſatur in urbes.
Unde hæc ſacra novo primum ſolennia ritu
Inſtituere patres, quorum hæc perhibetur origo.
Syphilus (ut fama eſt) ipſa hæc ad flumina paſtor
Mille Boves, niveas mille hæc per pabula regi
Alcithoo paſcebat oves, & forte ſub ipſum
Solſtitium urebat ſitientes Sirius agros,
Urebat nemora, & nullas paſtoribus umbras
Præbebant ſylvæ, nullum dabat aura levamen.
Ille gregem miſeratus, & acri concitus æſtu,
Sublimem in Solem vultus & lumina tollens
Nam quid Sol te, inquit, rerum patremque Deumque
Dicimus? & ſacras vulgus rude ponimus aras?
Mactatoque Bove, & pingui veneramur acerra?
Si noſtri nec cura tibi eſt, nec regia tangunt
Armenta? an potius ſuperos vos arbitrer uri
Invidia? mihi mille nivis candore Juvencæ,
Mille mihi paſcuntur Oves. vix eſt tibi Taurus
Unus, vix Aries cœlo (ſi vera feruntur)
Unus, & armenti cuſtos Canis arida tanti.
Demens quin potius Regi divina faceſſo?
Cui tot agri, tot ſunt populi, cui lata miniſtrant
Æquora, & eſt ſuperis, ac Sole potentia major.
Ille dabit facileſque auras, friguſque virentum
Dulce feret nemorum armentis, æſtumque levabit.
Sic fatus, mora nulla, ſacras in montibus aras
Inſtituit regi Alcithoo, & divina faceſſit.
Hoc manus agreſtum, hoc paſtorum cætera turba
Exequitur: dant thura focis incenſa, litantque
Sanguine taurorum, & fumantia viſcera torrent.
Quæ poſtquam Rex, in ſolio dum forte ſederet
Subjectos inter populos, turbamque frequentem,
Agnovit, Divûm exhibito gaviſus honore,
Non ullum tellure coli, ſe vindice, numen
Imperat, eſſe nihil terra ſe majus in ipſa.
Cœlo habitare Deos, nec eorum hoc eſſe quod infra eſt.
Viderat hæc, qui cuncta videt, qui ſingula luſtrat,
Sol pater: atque animo ſecum indignatus, iniquos
Intorſit radios, & lumine fulſit acerbo.
Aſpectu quo Terra parens, correptaque ponti
Æquora, quo tactus viro ſubcanduit aer.
Protinus illuvies terris ignota profanis
Exoritur. primus, regi qui ſanguine fuſo
Inſtituit divina, ſacraſque in montibus aras,
Syphilus, oſtendit turpes per corpus Achores.
Inſomnes primus noctes, convulſaque membra
Senſit, & à primo traxit cognomina morbus:
Syphilidenque ab eo labem dixere coloni.
Et mala jam vulgo cunctas diffuſa per urbes
Peſtis erat, Regi nec ſæva pepercerat ipſi.
Itur ad Ammericen ſylva in Carthefide Nympham,
Cultricem nemorum Ammericen, quæ maxima luco
Interpres Divum reſponſa canebat ab alto.
Scitantur, quæ cauſa mali, quæ cura ſuperſit?
Illa refert. ſpreti vos ô, vos numina Solis
Exercent. nulli fas eſt ſe æquare Deorum
Mortalem. date thura Deo, & ſua ducite ſacra,
Et numen placate: iras non proferet ultra,
Quam tulit, æterna eſt, nec jam revocabilis unquam
Peſtis erit. quicunque ſolo naſcetur in iſto,
Sentiet. ille lacus Stygios, fatumque ſeverum
Juravit. ſed enim, ſi jam medicamina certa
Expetitis, niveam magnæ mactate juvencam
Junoni, magnæ nigrantem occidite vaccam
Telluri, illa dabit felicia ſemina ab alto:
Hæc viridem educet felici è ſemine ſylvam,
Unde ſalus. ſimul obticuit: ſpecus intus, & omne
Excuſſum nemus, & circum ſtetit horror ubique.
Illi obeunt mandata. ſua ipſi altaria Soli
Inſtituunt, niveam Juno tibi magna juvencam,
Nigrantem Tellus mactant tibi maxima vaccam.
Mira edam. (at Divos juro, & monumenta parentum)
Hæc ſacra, quam nemore hoc toto vos cernitis, arbor,
Ante ſolo nunquam fuerat quæ cognita in iſto,
Protinus è terra virides emittere frondes
Incipit, & magna campis pubeſcere ſylva.
Annua confeſtim Soli facienda ſacerdos
Ultori nova ſacra canit. deducitur ipſe
Sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram
Syphilus, & jam farre ſacro, vittiſque paratis
Purpureo ſtabat tincturus ſanguine cultros.
Tutatrix vetuit Juno, & jam mitis Apollo,
Qui meliorem animam miſeri pro morte, juvencum
Suppoſuere, feroque ſolum lavêre cruore.
Ergo ejus facti æternum ut monumenta manerent:
Hunc morem antiqui primum ſtatuere quotannis
Sacrorum. ille tuum teſtatur Syphile crimen,
Victima vana, ſacras deductus paſtor ad aras.
Illa omnis, quam cernis, inops miſerandaque turba
Tacta Deo eſt, veterumque luit commiſſa parentum.
Cui votis precibuſque piis numeriſque ſacerdos
Conciliat vates Divos, & Apollinis iras.
Luſtrati ingentes ramos, & robora ſanctæ
Arboris advectant tectis, libamine cujus
Vi mira infandæ labis contagia pellunt.
Talibus, atque aliis tempus per multa trahebant
Diverſis populi commiſti è partibus orbis.
Interea Europæ fuerant quæ ad cara remiſſæ
Littora, jam rurſus puppes freta lata remenſæ
Mira ferunt: late (proh fata occulta Deorum)
Contagem Europæ cœlo crebreſcere eandem,
Attonitaſque urbes nullis agitare medelis.
Quin etiam gravior naves it rumor in omnes:
Illo eodem claſſem morbo, juvenumque teneri
Haud numerum exiguum, & totis labeſcere membris.
Ergo haud immemores, diras ceciniſſe volucres,
Affore, quum ſylva auxilium poſcatur ab illa:
Continuo faciles Nymphas, Solemque precati
Intacti nemoris ramos, & robora ab alto
Convectare parant luco, medicataque ſumunt
Pocula, pro ritu gentis, quo munere tandem
Contagem pepulêre feram. quin dona Deorum,
Haud patriæ obliti, & felicem ad littora ſylvam
Noſtra jubent ferri, cœlo ſi forſitan iſto
Affimilem pellant labem, nec fata ſecundos
Ipſa negant Zephyros, faciliſque aſpirat Apollo.
Munera vos Divum primi accepiſtis Iberi,
Præſens mirati auxilium: nunc cognita Gallis,
Germaniſque, Scythiſque, orbe & gaviſa Latino
Jam nunc Europam vecta eſt Huyacus in omnem.
Salve magna Deum manibus ſata ſemine ſacro,
Pulchra comis, ſpectata novis virtutibus arbos,
Spes hominum, externi decus, & nova gloria mundi:
Fortunata nimis, natam ſi numina tantum
Orbe ſub hoc, homines inter gentemque Deorum
Perpetua ſacram voluiſſent creſcere ſylva.
Ipſa tamen, ſi qua noſtro te carmine Muſæ
Ferre per ora virum poterunt, hac tu quoque parte
Noſceris, cœloque etiam cantabere noſtro.
Si non te Bactra, & tellus extrema ſub Arcto
Non Meroë, Lybiciſque Ammon combuſtus arenis,
At Latium, at viridis Benaci ad flumina ripa
Audiet, & molles Atheſi labente receſſus.
Et ſat erit, ſi te Tiberini ad fluminis undam
Interdum leget, & referet tua nomina Bembus.

FINIS.

# HIERONYMI FRACASTORII, *Veronenſis*, DE SYPHILIDE, SEU MORBO GALLICO LUCUBRATIO,

*Ex Lib. II. de Morbis Contagioſis deſcripta.*

## CAP. I.

Nunc ad eas contagiones pertranſeamus, quæ extrinſeca magis tentant, incipientes à Syphilide morbo. quippe novum & diu noſtro orbe incognitum morbum inter alia admiranda noſtra tempeſtas vidit, qui Europam fere omnem, Aſiæ vero atque Africæ partem non parvam occupavit. In Italiam vero iis fere temporibus erupit, quibus Galli ſub rege Carolo regnum Neapolitanum occupavere, annos circiter decem ante 1500, à quibus nomen Morbo inditum fuit, Gallicus enim eſt appellatus. Galli vero nominis injuriam in nos retorquentes morbum Italum vocant, Hiſpani Paturſam, Germani nunc Mevium, nunc Gallicum dicunt. nonnulli novo impoſito nomine Pudendagram appellavere, quod à pudendis inciperet, ſicuti & Mentagram, quod à mento inciperet, novum morbum apud antiquos appellatum fuiſſe Plinius eſt author. Nos Syphiliden in noſtris luſibus appellavimus. Hunc autem morbum noſtro orbi adeo novum, familiariſſimum tamen certis regionibus ferunt, qui per Hiſpanas navigationes novum mundum comperere. ubi vel plurimum abundat ea contagio, non ſecus illic domeſtica, ac apud nos ſcabies. principio igitur quum is apud nos apparuiſſet, hæ fere notæ conſpiciebantur in eo morbo. oriebatur in quibuſdam ſine ulla ab alio concepta contagione. in quibuſdam (quæ maxima pars erat) è contage excipiebatur, verum non ex omni contactu, neque prompte, ſed tum ſolum, quum duo corpora contactu mutuo plurimum incaluiſſent, quod præcipue in coitu eveniebat, quo maxima mortalium pars infecta fuit. viſi tamen infantes nonnulli fuere, qui è ſuctu lactis à matre, aut nutrice infecta conſimiliter affecti ſint. fomitem autem non relinquebat ea contagio, aut nonniſi maxima quadam occaſione, neque ad diſtans etiam ſeſe propagabat. ſed neque ſtatim manifeſtabatur, verum certo tempore deliteſcebat, interdum quidem per menſem, interdum per duos, ſæpe & per quatuor menſes. Interea tamen ſigna nonnulla aderant conceptæ labis, animum triſtitia quædam detinebat. corpus laſſitudo, pallor faciem. tandem, quod in majori parte inerat, ulcuſcula quædam circa pudenda oriebantur, iis non diſſimilia, quæ ſolent ex fatigatione contingere, quam cariem vocant, ſed natura longe impar, nam hæc & emori contumax erat, & victa una parte, alia regerminabat immortali propagine. poſt hæc cruſtoſæ quædam puſtulæ per cutem erumpebant in quibuſdam quidem à calvaria incipientes (quod utplurimum erat) in quibuſdam in aliis locis, parvæ primum cæ apparebant, mox augebantur paulatim ad magnitudinem cooperculi glandis & ſimilitudinem etiam, iis non abſimiles, quæ in pueris Achores vocantur. differentiæ earum multæ viſebantur, quibuſdam parvæ & ſicciores, quibuſdam majores & pinguiores, nonnullis lividæ, aliis exalbidæ leviter pallentes, aliis duriores & ſubrubentes. omnes autem paucis poſt diebus aperiebantur, ac mucore quodam mucilagineo fœtido manabant, nec dici poteſt quantus ille mucor perpetuo effluebat, quanta ſordities. exulceratæ deinde exedebant more eorum ulcerum, quæ phagedenica appellantur, atque interdum non ſolas carnes, ſed & oſſa etiam ipſa inficiebant. quibus autem circa ſuperiora vigebat malum, iis diſtillationes pravæ contingebant, quæ modo palatum, modo gargareonem, modo fauces & tonſillas erodebant. labia quibuſdam conſumpta ſunt, quibuſdam naſus, quibuſdam oculi, aliis pudenda tota. ad hæc autem magna ex parte gummoſitates quædam per membra concreſcebant magna deformitate. nam ſæpe ovi, ſæpe panis magnitudinem æquabant, quibus apertis mucor ſuberat albus mucilagineus. tenax is callus maxime in brachiis, & cruribus accidebat, qui interdum ulcerabatur, interdum integer uſque ad mortem perſeverabat. Præter prædicta omnia, quaſi parva illa forent, ingentes lacertorum dolores accedebant, ſæpe cum ipſis puſtulis, interdum ante, nonnunquam poſt, & ipſi quidem diuturni, quibus nihil crudelius aderat. affligebant præcipue noctu. dolor autem non proprie in juncturis inerat, ſed circa lacertos ipſos & nervos. Verum quibuſdam nihilominus ſine dolore ullo oriebantur puſtulæ, quibuſdam ſine puſtulis dolores, major pars utriſque affligebatur. Interea languebant membra omnia, macies corpus detinebat, nullum aderat deſiderium cibi, nullus ſomnus, ſed mæror, & iracundia aſſidua, & amor decubitus, facies & crura turgebant. quandoque & febricula quædam concomitabatur, ſed raro. dolebat quibuſdam caput, dolor is erat diuturnus & nullis medicaminibus parens. ſanguis ſi hauriebatur, is fincerus, mucoſuſque. ſpectabatur. urina craſſior pinguis divulſa & ſubrubens. quo ſolo ſigno, quum non adeſſet febris, multos prænovimus eo teneri morbo, egeſtiones ægre reddebantur, & illæ mucoſæ ſiccæ. His ergo notis tenebantur, qui tum eo morbo laborabant. Loquimur autem de his, quaſi de præteritis. quoniam tametſi nunc quoque ea contagio viget, poſt tamen illa prima tempora immutata videtur. ab inde enim annis fere viginti cæperunt pauciores videri puſtulæ, gummoſitates vero plures, quum è contrario primis annis fuiſſet. Factæ item fuere puſtulæ (ſi quæ apparebant) ſicciores, ac dolores (ſi qui accedebant) ſunt acerbiores. porro & annis labentibus, annis jam fere ſex, in quibus nunc ſumus, magna rurſus mutatio facta eſt ejus morbi. quippe quum in valde paucis puſtulæ jam viſantur, & dolores fere nulli, aut multo leviores, gummoſitates vero multæ, & quod mirum omnibus viſum eſt, capillorum & reliquorum pilorum caſus homines fere ridiculos facit, aliis ſine barba, aliis ſine ſuperciliis, aliis glabro capite in conſpectu venientibus. quod infortunium prius putabatur ex medicaminibus evenire, præſertim ex argento vivo. mox certiores facti omnes, ſciunt ex ipſo morbo immutato procedere, quin immo (& quod pejus eſt) jam nunc multis videntur labefactari dentes, quibuſdam etiam cadere.

## CAP. II.

*De cauſis.*

Igitur quum primum tam novus apparuiſſet morbus, magna ſtatim inter medicos oborta controverſia fuit. aliis contendentibus nullam ab antiquis factam de eo mentionem fuiſſe, aliis contra fuiſſe factam. his quidem Elephantiam exiſtimantibus, illis vocatum ab Arabibus ſaphati, aliis lichenas. primus Nicolaus Leonicenus vir doctiſſimus & gravis eam difficultatem ſuſtulit, aperte monſtrans nullum horum eſſe, ſed prorſus apud antiquos innominatum fuiſſe morbum, quanquam poſteriores quidam obſtinate quidem magis, quam rationabiliter tanto viro non plane aſſenſere, Elephantiaſim omnino aſſerentes eſſe, de quo mox pauca quædam & nos dicemus. Cæterum quicunque hactenus de eo morbo ſcripſere, alii quidem quid non eſſet, magis dixiſſe videntur, quam quid eſſet. alii eam rationem quæſiviſſe magis, quæ circa formam verſatur, quod eſſet ægritudo partim in compoſitione, partim in complexione & unitate, & id genus. materiam vero, & principia, quæ magis fuerant perquirenda, reliquere. alii materiam quidem attigere, principia vero, & rationem eam, quæ è contagione dependet, non ut par erat, ſunt proſecuti. Nos vero in iis luſibus quos ad PETRUM BEMBUM nunc Cardinalem ſcripſimus, quo forte tempore à peſtilentia rus pulſi multum otii nacti eſſemus, de his omnibus quædam certe attigimus. verum quantum Poëtica concedere potuit. quæ quum non admittat omnia, multa quidem prætermitti à nobis neceſſe fuit pro toto negotio, quæ ſi nunc proſequamur operæ pretium facturos eſſe nos exiſtimamus. quod igitur ad primam morbi originem attinet, arbitrati ſunt aliqui contagionem hanc è novo illo mundo delatam ad nos fuiſſe, quem Hiſpanæ navigationes adinvenere, ubi ea labes quamplurimum viget, cujus ſignum id afferunt, quod tum & morbus hic apud nos primum apparuit, quum & navigatio illa facta fuit, & commercia habita illius gentis. propter

pter quod & primum apud Hiſpanos viſus primum fuit. quare totam labem hanc conſiſtere putant in contagione unius ad alium. ſed profecto tametſi maxima mortalium pars è contagione morbum hunc contraxit, obſervatum eſt tamen innumeros alios ſine ulla contagione per ſe infectionem eam perpeſſos fuiſſe. Impoſſibile præterea fuiſſet tam parvo tempore contagionem, quæ per ſe ſegnis eſt, nec concipitur facile, tantum terrarum peragraſſe ab una claſſe ad Hiſpanos primum delatum, quando conſtat aut eodem tempore, aut fere eodem, & in Hiſpania & Gallia, & Italia, & Germania, & tota fere Scythia viſam fuiſſe. adde quod prædixiſſe illam aſtronomos certis ante annis non parvum indicium eſt, aliud ſubeſſe illi principium, quam ſimplicem contagionem. primum igitur illud mirum videri non debet novos, atque inſolitos morbos certis temporibus apparere, non quidem delatos ab una regione ad aliam, ſed ſuis cauſis exortos. Anno 1482. pleuritidis genus quoddam erupit, quod totam fere Italiam affecit. noſtris vero temporibus illæ prius non viſæ in Italia febres apparuere, quas lenticulas vocant, de quibus ſupra egimus. vidimus & annis ſuperioribus lippitudinem contagioſam quaſdam civitates invaſiſſe. vidimus & peſtem illam ſolis bobus communem, de qua ſupra meminimus. quam ob rem nec mirum eſſe debet, ſi & Gallicus morbus non prius cognitus in noſtro orbe per multa ſecula, nunc primum eruperit. venient & ægritudines aliæ novæ, inuſitatæque, quum tempus feret. ſicuti & mentagra apud antiquos, quæ poſtea amplius nunquam viſa eſt. hic idem morbus interibit, & extinguetur, mox etiam & nepotibus noſtris rurſus videndus renaſcetur, quemadmodum & præteritis ætatibus viſum à majoribus noſtris fuiſſe credendum eſt, de quo non pauca indicia etiamnum ſunt. Tonſor quidam amicus noſter libellum habebat experimentorum quorundam antiquum ſatis, inter quæ unum inter alia ſcriptum erat, cui titulus erat ad ſcabiem craſſam, quæ cum doloribus junćturarum accidit. is ergo quum primum recentiſſimus eſſet morbus, memor medicaminis conſuluit medicos quoſdam, num uti eo medicamento deberet in nova illa contagione, quam per ſcabiem craſſam ſignificari exiſtimabat. medici autem inſpecto medicamine acriter prohibuere, quod ex argento vivo conſtaret, & ſulphure. felix, niſi medicos illos conſuluiſſet, incredibili quæſtu dives futurus. paruit autem, nec auſus eſt experiri medicamentum, quod demum expertus, atque optimum agnoſcens, valde indoluit, quod ſero uſus eo fuiſſet, quæſtu jam per alios ſibi arrepto. ex quo videre profecto poſſumus aliis etiam ætatibus viſum eum morbum fuiſſe. Sunt qui putent, & Avicennam illum ſignificaſſe *capite de olibano*, quum dixit Thus valere dolori compoſito illitum ex aceto & oleo, & eſt dolor, inquit, cum quo proveniunt in corpore ſicut verrucæ cum deambulatione ſicut formicæ. ſed certe hoc nihil eſt, quoniam Avicenna illic transfert, quod Dioſcorides ſcribit *de Thure*, quum dicit. Formicantes verrucas inter initia, impetigineſque ex aceto & pice illitum tollit, per quæ Mirmecia intelligit. Ut ergo ad propoſitum revertamur, inter novos morbos & eos, qui raro in lucem veniunt, collocandus eſt morbus Gallicus. quare & cauſas illius ac principia oportet ex iis eſſe, quæ raro & ipſa contingant. eſſe autem talia ut communia ſint non ſolum multis mortalium, ſed & regionibus multis. quod certe in nullam aliam cauſam referri poteſt, quam in aëris conſtitutionem. qualis autem ea fuerit, & ex quibus principiis exorta, nunc eſt inquirendum. Quoniam igitur analogiæ ſuæ ſunt in contagioſis, & principia oportet eſſe. analoga (ut dictum eſt) ad ea quæ affectum recipiunt, manifeſtum eſt, principia hujus contagionis ad phlegma craſſum & ſordidum analogiam habuiſſe. ſi enim ad puſtulas reſpiciamus, quæ eo in morbo apparuere, ſi ad gummoſitates, ſi ad lacertorum dolores, ubique quidem videbimus nonniſi mucorem & ſorditiem, & demum phlegma lentum, mucilagineum, craſſum, quare & ſeminaria, à quibus contagio per ſe omnis dependet, talia quoque ſuo modo fuiſſe cenſendum eſt. quo circa & aërem, unde origo fuit morbi, diſpoſitionem ejuſmodi contraxiſſe, cujus ſeminaria lenta quoque & phlegmati conſimili analoga eſſent, & in eo aliorum rurſus ſeminariorum productiva talium, qualia & prima fuere. quoniam autem & erodit, atque exeſt contagio hæc, oportet & ſeminaria illius aëria eſſe, quanquam in lentore multo obſepta, ſepultaque. Talia igitur principia habuiſſe infectionem hanc putandum eſt, atque in aëre ſordidam quandam obrepſiſſe putrefactionem, quæ mox ad craſſum & ſordidum phlegma in nobis habuiſſet analogiam. quo autem pacto, & quibus de cauſis in aëre ejuſmodi diſpoſitio facta fuerit, difficile quidem eſt certo ſcire. ſi quid tamen rationabiliter conjici poteſt, hoc certe erit. quæcunque enim cauſa & principium id fecerit, oportet illud ex iis eſſe, quæ raro eveniunt. ſiquidem & diſpoſitio illa in aëre, quæ raro viſam contagem hanc peperit, ex iis eſt quæ raro contingunt. quoniam igitur (ut ſupra diximus) quæ hic ſunt, maxime à ſuperioribus, cœlo ſcilicet & ſideribus alterantur, & variis afficiuntur modis, nihil aliud eſſe poſſe videtur, quod in tot regiones per tantum ſpatii potuerit aërem tam male afficere, niſi cœli & ſiderum conſtitutiones, & eas quidem, quæ & raro accidunt, & magna, quum accidunt, poſſint efficere. Supra autem monſtratum eſt, tum magna & portentoſa poſſe hæc ſidera inducere, quum plura eorum in unum coëunt, ac talem certè coitum, & conventum ſiderum vidit tempeſtas noſtra, trium ſuperiorum Saturni, Jovis, & Martis. qui conventus & raro accidere ſolet, & quum accidit, magna ſemper apportare conſuevit. tum quod ea ſidera potentiſſima ſunt, tum quod unio illa diu perdurat, propter motus tarditatem, præſertim Saturni, & Jovis, quam conjunctionem videntes Aſtrologi, novas magnaſque ægritudines portendi prædixere. Si quid igitur probabiliter dici poteſt de principio tantæ contagionis, ita certe exiſtimandum eſt. Ergo facto eo ſiderum conventu ingentem vaporum tractionem fuiſſe factam credendum eſt, qui commiſti aëri, diverſimodeque agitati, tandem ſordidam putrefactionem intulerint, a qua ſeminaria illa in nos importata fuere, quæ ad ſordidos & mucoſos humores, quale eſt phlegma craſſum, & mucoſum, habuerant analogiam. unde tandem contagio illa enata eſt, quæ mox tot mortalium, tot regiones male affecit, partim quidem aëre ipſo principia & ſeminaria immittente, partim de uno in alium contagione pertranſeunte. Ac de origine morbi & principiis ejus ita traditum ſit. quod vero & materia ejus, ad quam ea principia habuerunt analogiam, ſit phlegma ſordidum & craſſum (ut diximus) manifeſtiſſimum eſſe poteſt. ſi enim puſtulas inſpiciamus, illæ omnes pingues mucore incredibili manantes fuere. ſi vero gummoſitates, & illæ concreto phlegmate conſtabant, quod ſi & ad dolores ipſos lacertorum, & illi quidem idem oſtendent. erant enim diuturni, extenſivi, noctu affligentes, factis item diſſectionibus lentor quidam per nervos & lacertos coëxtentus cernebatur. quare nemini dubium eſſe debet, materiam ejus contagionis eſſe mucoſum phlegma & ſordidum. videntur autem puſtulæ ex minus craſſa materia originem habuiſſe, gummoſitates ex craſſiſſima, dolores vero ex media quadam. quippe ſerpente contage per maſſam ſanguinis, & pabulum ſibi faciente in phlegmate, pars quidem quæ minus craſſa, minuſque ſegnis erat, extra pellebatur ad cutim, atque illic ſenſim concreſcebat in puſtulas, quæ vero craſſior aliquanto fuerat & minus apta uſque ad cutim expelli, reſidebat circa nervos, & lacertos, ubi coëxtenta dolores acerbiſſimos excitabat. Craſſiſſima vero circa partes quaſdam coagulabatur, & in gummoſitates concreſcebat. non erat autem prompta contages ut exciperetur, propter lentorem in quo ſepulta erant ſeminaria, ſed indigebat concalefactione quadam corporum. ſic enim quodammodo actu fiebant ſeminaria, & alteri agglutinari poterant, & ſeſe ex analogo ſibi pabulo propagare, quod non calefacta facere quidem non poterant, quaſi coagulato. propter eandem cauſam & diu latebat contages intra corpus antequam ſeſe manifeſte oſtenderet, quoniam ſegniter ſerperet, propter frigiditatem & craſſitiem materiæ. mox tamen excedebat, & ſolida etiam carpebat, propter acuitatem ſeminariorum in denſa materia, quum actu fiebant, & putrefactio procedebat. apparebant autem primum ulcuſcula circa pudenda, quoniam inde prima origo contagionis initium capiebat in majori parte ex coitu. erant autem & male morigerata ea ulcera, tum quod locus ille per ſe ſatis putidus eſt, tum quia ſeminariis hinc inde diſperſis, jam fiebat ut parte una ſaneſcente propter remedia, alia regerminaret. at puſtulæ utplurimum à calvaria occipiebant, partim quidem quia pars illa propter ſorditiem & craſſitiem humoris, ex quo nutritur, quodammodo analoga eſt ad contagem, partim quod omnis evaporatio ſurſum fertur. in omni autem putrefactione evaporatio plurima fit. quibus autem puſtulæ aderant multæ minus dolorum accedebat, quod materia multa excerneretur, ac ſimul ſignum id eſſet materiam eſſe ſubtiliorem. Contra vero quibus craſſior erat, dolores quidem multi inſurgebant, ac puſtulæ pauciores. materia vero quæ dolores dabat, non erat in junćturis ipſis infixa, quod craſſior eſſet, quam penetrare in junćturas poſſet, quare ſuper nervis & lacertis maxime reſidebat, affligebat autem noctu magis, & ſole condente ſe, quoniam interdiu calor naturalis ſolet exteriora petere, ad quæ moveri ſolent membra, demandatus à natura ad vigiliæ opera exercenda, necnon à lumine ſolis excitus, quam ob rem fovebat quodammodo ea membra & ventoſitates exſolvebat, quæ lacertos & nervos extendebant & vellicabant. ac ſimul & materiam concoquebat, noctu vero introrſum recurrere calor ſolet, & membra ea deſerere, ad quæ per diem demandatur à natura, qua de cauſa dolores tum excitabantur, & diſtentiones ma-

jores accrescebant, destituta materia à calore fovente, & dissolvente ventositates. Annis vero labentibus mutatio quædam ejus morbi facta est. quoniam dispositio prima quæ in aëre fuerat, jam cessaverat, nec morbus aliam sui propagationem habeat quam è contagione unius ad alterum, propter quod perseverabat. omnis autem contagio quanto magis abest à principio & prima origine, tanto ficcior fit, & terrestrior, propter adustionem, quæ continenter conjungitur. qua de causa primi temporis contagiones, quasi ortui & principio propinquæ, sordidiores, pinguioresque vitebantur, & pustularum plurium, minorum vero dolorum, quæ vero annis post sequentibus contigere, ut pote aduſtæ & crassæ magis, pauciores quidem pustulas, majores autem dolores dedere. nam & à principio ubi plus erat pustularum, illic minus erat dolorum, ubi minus pustularum plus dolorum cernebatur. porro & annis hisce ultimis, quasi in senio existente contage & materia facta crassissima, major adhuc mutatio facta est, nam gummositates multæ apparent, pustulæ autem paucissimæ, & illæ ficciores, dolores autem fere nulli, aut longe minores, quod materia propter crassitiem facillime concrescat in gummositates, extra autem non faciliter propellatur ad cutim, vel resideat circa lacertos. quod si quid tamen ad cutim pervenit, id tenue quoddam phlegma est, quod salsedinem quandam acquisivit ex adustione, quare ad radices pilorum latum pabulum eorum absumit, unde & ipsi mox cadunt, sicuti in porrigine, Alopecia, & achoribus siccis accidit. Fortasse autem & idem fit in hoc morbo nunc, quod & in Alphis accidit, in quibus decidunt pili, materia quadam alba mucilaginosa coëxtenta ad radices eorum. nam vidimus quosdam, quibus barba deciderat, consimilem quendam sub cute coëxtentum humorem habuisse. quod facillime potest nunc evenire in evaporatione & secretione quæ fit ab ea materia jam pene vitrea, coagulatis vaporibus ubi ad pilorum radices pervenere. quocunque igitur modo id fiat, existimandum est senium jam hujus morbi incepisse, nec longe post futurum, ut ne per contagem quidem se propaget. quoniam materia in dies frigidior fit, & terrestrior, in qua & seminaria tum pauciora, tum & debiliora in dies gignuntur. propter quod nec jam facile concipitur nunc ea contagio, uti prius solebat, quare & tandem fiet, ut nec se se possit propagare, sed desinat, reversura mox, quum eadem principia, & eædem causæ revertentur. est autem certis regionibus familiaris contages, ut in Hispana vocata insula, & vicinis aliis, quoniam (ut diximus) ea dispositio quam ad nos temporis longitudo attulit, illic connaturalis viget huic morbo gignendo. quemadmodum Elephantiæ Ægyptus, Judæaque familiaritatem quandam habent. Quæ igitur principia & causæ fuerint novæ hujus contagionis, & quo consistat, & quam habeat analogiam, & quæ sint ejus accidentia, & notæ, per hæc hactenus determinatum sit.

## CAP. III.

### *De Elephantia.*

Non esse autem Gallicum vocatum morbum eum, qui Elephantia, vel Elephantiasis interdum, & Elephas à Græcis appellatur, sufficere quidem ad ostendendum ea possent, quæ Leonicenus vir tantus scripserat. Veruntamen si & nunc quoque pauca quædam eadem de re adjiciantur, non inutile fuerit (ut promisimus, quando posteriorum quidam plus æquo obstinati scriptis mandavere, eundem esse morbum Elephantiam, & morbum Gallicum atque eisdem etiam remediis curari oportere. quod autem eos præcipue decepit, id fuit, quod videntes ipsi antiquos seorsum de Lepra scribere, & seorsum de Elephantia, tum existimantes per lepræ nomen ab iis intelligi, illud quod vulgo lepram vocamus, nescierunt quidnam esset Elephantia, nisi morbus hic, qui mox Gallicus est appellatus. Sed certe hæc monstrant antiquorum scripta parum fuisse considerata ab obstinatioribus hisce hominibus. neque enim ita est uti ipsi putant, per lepram à Græcis eum morbum intelligi, qui vulgo lepra dicitur, sed aliam quandam longe leviorem dispositionem, de qua simul cum psora, hoc est scabie, agunt, quæ via quædam est ad Elephantiam, quæ proprie passio illa est, quam non solum vulgus, sed & recentes medici tum Latini, tum Arabes lepram vocant. Paulus de lepra agens una cum psora, horum inquit morborum uterque summæ cutis asperitas est, cum pruritu, & corporis attenuatione, ex melancholico humore ortum habens. Galenus in *libello de tumoribus*. sunt autem psora & lepra melancholicæ passiones solius cutis, quæ si in venis, & carne invalescant, cancer nominatur & Elephas. item quosdam dicit ex Elephantiosis factos fuisse leprosos, ægritudine in melius conversa, manifestum igitur esse potest leviorem multo esse lepram apud antiquos, quam Elephantiam. quod autem & Elephantia ea proprie sit, quæ vulgo lepra dicitur, ex his manifestum simul fiet. nam ut primum à nostris incipiamus, Plinius *libro* 28. novos quosdam ponit morbos Elephantiasim & Lichenas, quos sine dolore ullo, sine vitæ periculo contigisse scribit. *Diximus*, inquit, *Elephantiasim ante Pompeji Magni ætatem non accidisse in Italia, & ipsam à facie sæpius incipientem in nare prima veluti lenticula, mox invalescente per totum corpus maculosa, & variis coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura ceu scabie aspera, ad postremum vero augescente intumescentibus digitis in pedibus, manibusque. Ægypto peculiare hoc malum, & quum in reges incidisset, populis funebre. quippe in balneis solia sanguine temperabant, ad medicandum eam.* quis non videt per hæc non Gallicum morbum significari, qui dolores vel ingentes afferat, sed vocatam vulgo lepram, quæ sine dolore accidit, quæ à nare incipit, ut & Paulus, & Avicenna, & alii recentiores tradunt, quam Ægypto familiarem omnes dicunt, & ipse præsertim Galenus, quam demum unam humano leniri sanguine consuevisse libri omnes pleni sunt. Arabes vero per Elephantiam non plane id intelligunt, quod Græci, & Latini, sed tumorem quendam pedum ex humore melancholico, ceu è varicum genere, quasi speciem eam lepræ intelligant, in qua pedes more Elephantum tument, per lepram autem id accipiunt, quod & vulgo lepra dicitur, à Græcis Elephantia. notæ autem Elephantiæ, & accidentia hæc sunt, oritur primo sine dolore ullo, sine febre, ac delitet ipsa quoque certo tempore priusquam se prodat. mox prima utplurimum indicia dat, à nare obortа parva veluti lenticula subnigra. cutis deinde varia fit colore, duritie, asperitate, attenuatione, quippe alibi livida fit, alibi alba, alibi in atro ruffa, dura hic, illic lenior, alicubi aspera & squamnosa, alicubi crassa, & veluti corium igne induratum, pustulæ simul per totum corpus enascuntur duræ, & utplurimum purpurascentes, quæ tractu temporis exulcerantur, & pus emittunt, verum non multum, ac siccius, quam in syphilide. circum tumescunt vicina membra, & alia contrahuntur, alia extenduntur. propter quod multis excavatur nasus, os utrinque contrahitur versus aures, oculi rotundantur, & similes satyris (qui pinguntur) fiunt. unde & satyriasis etiam hic morbus appellari consuevit. quanquam sunt, qui satyriasim dictum putent, propter tentiginem nimiam veneris, quæ eo in morbo contingit. Tument deinde digiti in pedibus, ac manibus, ac pedes similes fiunt Elephantum pedibus, unde quidam volunt esse Elephantiasim appellatum. quanquam Archigenes à magnitudine morbi ita vocatum dicat. Adhæc autem & venulæ, quæ sub lingua sunt, ceu varicosæ fiunt, pruritus adest, & cum eo tentigo veneris vehemens. fœtent mox, & tolerari jam non possunt, & multis alba per totum fit cutis, quæ insanabilis habetur. Contagiosus porro est morbus non contactu solo, sed & fomite, & anhelitu etiam, quamquam tarde irrepat, & sese propaget. in viros autem grassatur magis, quam in mulieres. quin & eunuchi pauciſſimi visi sunt eo malo correpti, propter quod & nonnullos legimus sese castravisse, ne eo tentarentur. Nationum vero aliæ familiarem habent, ut Ægyptus, & Judæa, aliæ vix novere. simpliciter autem extremæ calidæ, & frigidæ regiones eam labem sentiunt magis quam mediæ, ut Aëtius authoritate Archigenis refert. propter quod Germani, & Scythæ, & Ægyptii, & Arabes maxime illi obnoxii sunt. quamquam Galenus contradicere videtur Archigeni, qui Germanos, & Scythas carere hoc morbo dicit. Itali vero & Græci minus. & certe semper apud nos visus raro fuit is morbus, quamquam per civitates, domus (quæ hospitalia vocantur) supellectiles sumptibus publicis paratæ structæque videantur Elephantiacis suscipiendis. Verum quos ego hactenus vidi, nemo quidem, aut pauci è susceptis Elephantiaci mihi visi sunt, sed leprosi solum, aut impetigine quadam fera detenti. atque hæc fere signa sunt, quæ in Elephantia videri solent. ex quibus unusquisque videre potest, longe alium esse morbum, qui Gallicus appellatur, qui non in melancholico humore sedem habet, sed in phlegmate sordido, qui non fomite afficit, non anhelitu, in quo tentigo in Venerem omnis abest, dolores autem vel acerbissimi adsunt. quoniam autem & hic contagiosus est morbus, manifestum est includere ipsum seminaria contagionis, sicuti & alios. eorum vero analogia non ad mucosam, & sordidam pituitam est, quemadmodum vocati Gallici, sed ad humorem melancholicum magis. quod pustulæ ipsæ maxime monstrant, duræ, ficcæ, purpureæ, tum & cutis durities, & inæqualitas, quod & omnes quoque qui eo de morbo scripsere, attestantur, ut dictum est. Elephantiosos inquit Galenus eodem modo curabis, sicuti & cancrum. ex eadem enim materia sunt. in libello de Tumoribus, passio est Elephas propriam habens generationem in melancholico sanguine, tractu vero temporis nigra cholera fit. ea de causa pustulæ ficciores sunt, ulcera vero

ra vero minus mucosa, habent tamen sorditiem suam, quoniam putrefactio omnis per se sordida est, viros autem magis quam mulieres tangit hæc contagio, quod melancholici sanguinis plus habent viri, sed cur frigidæ regiones & Germani, & Scythæ magis ea tenentur, quam Itali & Græci, humidiores existentes, causa est (ut mihi videtur) quod ii sanguine multo abundant, & eo quidem pingui & unctuoso, quare multa in eo exhalatio fit, quæ cum ad cutim pervenit, ob densitatem ejus, & frigiditatem regionis, non evaporat tota, sed solum quod tenuius est, crassius vero sub cute coit, atque illic exuritur, quod facile fit, propter unctuositatem, unde non transpirans putrescit, & labem hanc gignit, cujus seminaria analogiam habent ad partes sanguinis crassiores, & melancholicas unctuosas. propter quod & porcorum carnes maxime aptæ sunt ad Elephantias inducendas. ex iis enim multus fit sanguis exuri idoneus. quod vero Galenus scribit non est, quod regiones comparet nisi in victu. Cujus causa Ægyptus familiarem habet eam labem, Germani vero, & Scythæ minus ex hac causa, Scythæ autem minime, propter lactis usum. qui vero in calidis regionibus degunt, crassum quidem & ipsi sanguinem habent, & densam cutem, sed alia de causa, quare & ipsis maxime exuritur sub cute sanguis, & putrescit. mediis autem in regionibus temperatior est sanguis, & bene transpirabilis caro. Mulieres vero, & Eunuchi, qui mulieribus similes sunt, propter frigiditatem sanguinis, & aquositatem, minus eo tenentur morbo. Dolores vero non excitat Elephantia, nec convulsiones, uti in Gallico morbo spectantur, quoniam in sicco magis consistit, & materia si qua est, non residet circa nervos & lacertos, sed circa summa consistit magis, propter quod nec febrem facit. Quærat autem fortasse quis, cur furorem non facit hæc passio, nec amentiam, quum in melancholia exusta consistat, causam inde esse censendum est, quod in furore & amentia exustio præcipue circa cor, & cerebrum versatur, in Elephantia autem circa cutim magis. quod si sanguis forte & introrsum uratur, non ita tamen exuritur, ut furorem faciat, natura semper ad summa pellente quod vitiatur. tument autem membra, quoniam materia multa sub cute collecta calefit non transpirans, & coëxtenditur. porro & nutrimentum in iis locis non plane concoctum, sed vitiosum in tumorem concrescit. pruritus vero fit propter acrimoniam adustionis. propter pruritum autem tentigo circa genitalia, ad quod non parum facit natura melancholiæ, quæ spirituosa maxime est, ut Aristoteles docet. à facie vero id malum incipit, quoniam exhalatio omnis facillime sursum fertur, præsertim ad faciem, ad quam venulæ multæ terminantur, quæ & spongiosa est, unde & aliæ multæ infectiones faciem præcipue tentant, ut Jonthi, & id genus. tarda vero est ea contagio, quoniam in humore crasso consistit. Cur autem fomitem ipsa relinquat, Gallicus autem morbus non, quum lentore majori abundet, dubitationem habet. dicendum seminaria in Gallico morbo, propter lentorem & frigiditatem statim coagulari, & aut non agglutinari in fomite, aut si agglutinantur, non inficere alium, frigida & coagulata existentia, nisi valde calefiant. propter quod viri quidam sunt, qui è linteis, ubi dormierant Gallico morbo sordidissime exulcerato affecti, conceperint infectionem. Cæterum fomitem non relinquit utplurimum ea contages. quæ autem in Elephantia sunt seminaria, calidiora multo existunt, ut pote in adustione quadam constituta. propter quod non coagulantur, lentorem autem habent tantum quantus sufficit, ut in fomite agglutinetur. fit porro Elephantiasis aliquando quidem per se in aliquibus, & primo in quibus melancholicus est sanguis, & multus, & unctuosus, & cutis densior, quandoque ab alio concipitur, in quibus non necesse est sanguinem esse per se male affectum, sed male afficitur à seminariis contagionis, corrumpentibus crassam & ficcam sanguinis partem, ad quam habent analogiam. atque ita se habet Elephantiasis passio, quæ vulgo lepra dicitur.

## CAP. IV.

### *De lepra proprie dicta & scabie.*

Lepra vero ita ab antiquis vocata in duobus præcipue differt ab Elephantia, loco, & materia. quippe profundius agitur Elephantia, quanquam & ipsa circa summa versatur. lepra vero in superficie magis est. materia porro Elephantiæ crassior esse videtur, & exusta etiamnum magis, propter quod profundatur magis, utraque tamen ex melancholico humore fit. nihil autem prohibet, & in utraque interdum conjungi aliquid salsæ pituitæ, unde fit, ut nec Elephantia, nec lepra uno semper visantur modo. quod si diuturnior fiat lepra, & tractu temporis malignior, tum in Elephantiam transit. sunt autem in lepra suæ pustulæ atque interdum crebræ, cæterum ficciores, quam in Elephantia & squammantes magis, quam exedentes. pruritus quoque plurimum infestat, macies corpus tenet, & ut uno verbo dicatur, delicatior quædam Elephantiasis lepra est. oritur autem ut plurimum primo in nobis vitio humorum & complexionis & regiminis. nihil autem prohibet & contagione ab alio concipi. contrahitur autem & à nativitate, sicuti & Elephantia. psora autem, quam nostri scabiem vocant, levior adhuc dispositio est, quam lepra, transiens & ipsa in lepram, sicuti lepra in Elephantiam, quum gravior utraque fit. videntur autem Græci per psoræ nomen tantum eam scabiei speciem significare, quæ siccior est, & melancholiæ non nihil sapit, quare contractius psoram capiunt, quam nos scabiem.

FINIS.

# GEORGII VELLÆ

*Brixiensis Physici,*

DE

# MORBO GALLICO

## OPUSCULUM.

## CAP. I.

### *Morbi Gallici originem, & naturam à phlegmate naturali proficisci.*

Avicenna in *prima primi*, *doctrina quarta, capitulo primo* scriptum reliquit phlegma naturale esse illud quod est aptum ut in aliquo tempore fiat sanguis, quia est sanguis diminute concoctus. dixitque illi naturam non fecisse membrum proprium, quemadmodum duplici fecit choleræ: hoc namque phlegma propinquam habet similitudinem cum sanguine, & egent eo membra omnia. Ideo fecit natura ut cum sanguine vadat: adjecit autem, quod sicut calor innatus ipsum digerit, & rectificando facit ipsum sanguinem, sic calor extraneus ipsum plerunque putrefacit, & corrumpit. Gratia igitur indagandæ veritatis hujus ægritudinis consideremus verba Principis loco, & capitulo prælegato: quia ex his cognitio ægritudinis diu desiderata pullulare videtur. Sed antequam ulterius procedatur, præsuppono unum fundamentum, quod scilicet origo hujus ægritudinis, quoad ejus subjectum, fuit corpus mulieris secundum ipsius pudendum: Quod fundamentum patet ex quotidiana experientia illorum, qui inficiuntur tali morbo, nonnisi fere propter ipsorum coitus cum mulieribus tali infectione infectis: etsi autem hoc non sit universaliter verum, est tamen pro majori parte: concedatur igitur hoc gratia declarationis nostræ opinionis cum intentione satisfaciendi dubitationibus hac in materia nobis occurrentibus. Isto igitur præsuppositio stante volo probare phlegma naturale, de quo Avicenna loco citato dicit, esse causam hujus ægritudinis: an vero in genere causæ materialis, aut efficientis, non curo pro nunc de ista differentia: & arguo sic, ille humor quo membra virilia infici solebant per coitum cum mulieribus fœdis, ille idem dicitur causare istam ægritudinem: sed phlegma naturale est ille humor, quo membra virilia infici solebant per coitum cum mulieribus fœdis, ergo phlegma naturale dicetur causare istam ægritudinem. major patet, quia idem modus, quo inficiuntur isti ægrotantes, est idem cum eo

eo, quo membra virilia inficiebantur antequam talis ægritudo esset; scilicet per actum coitus & per idem membrum, & per eadem pustulas quoad sensum visus. quare & periti in arte non distinguentes inter unum, & aliud, in cura earum, eo calle procedebant, quo solebant ante. quantum igitur ad hæc, habemus potius affirmare eundem humorem peccare nunc in casu nostro, qui tunc peccavit. nam frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene. Nam si nos habemus humorem solitum putrescere in tali loco, & in simili casu, quorsum alium novum humorem fingere debemus? & solitum putrescere amplius non putrescere? minor probatur, quia phlegma naturale est illud, ratione & abundantia cujus menstrua solent advenire mulieribus: etenim propter frigiditatem muliebrium complexionum, paucumque earum exercitium, multiplicatur in eis superfluitas aquosi sanguinis, quæ apparet in exeuntibus ipsarum ad sensum, quæ superfluitas nihil aliud est quam phlegma naturale, (ut ex dictis Avicennæ jam manifestum est) cui facile solet advenire putredo, dum ab eis effluit sub forma sanguinis menstrui. Et cum in transitu detinetur in secretis pudendis, & transpiratio prohibetur: patet quod cum tale membrum sit ut cloaca talis materiæ superfluæ, & putridæ, facile inficitur à tali humore ibi detento, & putrido tali contagiosa infectione, ergo phlegma naturale dicetur causare istam ægritudinem, quod erat probandum. sed quare talis infectio transierit in pudendum virile, cum ab eo non effluat talis materia, neque illud sit cloaca per quam transeant superfluitates, dicerem quod ideo transit in illud, quia ibi, sicut etiam in omni parte corporis, reperitur talis humor aquosus, & tale phlegma, testante Avicenna cap. jam præallegato. hoc namque phlegma propinquam habet similitudinem cum sanguine, & egent eo membra omnia, ideo fecit natura ut cum sanguine vadat. Vigore igitur istius humoris, etiam in membro virili ejusdem naturæ existentis, cum eo qui ex abundantia putruit in pudendo mulieris, facile ex symboleitate humoris una cum humoribus corruptis transit talis putredo, aut similis in specie, de pudendo mulieris in pudendum virile: & quia etiam raritas, & spongiositas magis reperitur in tali membro, ideo etiam ratione talis raritatis efficitur facilioris passibilitatis: & ibi talis putredo, sicut esca à scintillis ignitis, accenditur, dicente etiam Avicenna *vigesima tertii cap. vigesimo*, Loca ista esse secundum formam ad quorum partes festinat putrefactio.

Et propterea volo excusari ab illis, qui hanc ægritudinem elephanticam, aut ignem Persicum, aut paturſam, aut inpetiginem, aut mentagram, aut aliter appellarunt: nam si considereamus dicta Principis *secunda primi, cap. illo: Ægritudines multis modis sortiuntur nomina:* judicabimus illam potius sortiri nomen à sua causa, & à sanguine menstruo aquoso quam a similitudine elephantica, vel quam ab aliqua alia imperfecta & voluntaria derivatione. Et similiter volo excusari ab illis, qui mineram ægritudinis posuerunt in hepate, aut in cerebro, imo teneo illa minus inici, quia natura est magis sollicita de eorum conservatione, cum sint nobiliora ex principatu suo, & eo magis quod non apparet læsio in operationibus illorum membrorum, & si apparet in virtute motiva, erit id propter causam infra dicendam, & non ex nocumento cerebro illato: quare missi videtur, quod sic dicentes derelinquant sensum propter rationem, nam manifestum est hanc ægritudinem magis traxisse originem suam à partibus obscænis, tanquam à propria minera: causa vero erroris omnium istorum judicio meo potest comprehendi ex dictis Avicennæ *secunda primi, capitulo de Signis distinguentibus inter ægritudines proprias, & associatas eis*, cum dixit, & est error cum non percipitur nisi accidentalis tantum, & principalis, vel origo, oblivioni traditur, & paulo ante dixerat. dicemus igitur quod oportet nos considerare quod prius accidit, & existimabimus quod ipsa est principalis, & altera ab associata: isti igitur sic opinantes occupabant se in ægritudine associata, quia nova, & dolorosa & etiam admiratione digna, magis postponentes, aut oblivioni tradentes considerationem de principali ut principalis est, quia antiqua, & consueta.

Sed contra instatur de origine morbi. quia si sic esset, sequeretur, quod omnes infecti tali morbo, primo inficerentur secundum obscæna membra, quod tamen est falsum, & contra experientiam, nam multi ægrotant tali morbo, qui nunquam ægrotarunt secundum obscænas partes. Præterea sequeretur, quod infantes carentes omnino actu, & appetitu libidinis non possent inici, quod tamen est falsum, & contra experientiam. Quibus rationibus proculdubio dicendum, omnes tales, exceptis lactentibus, primo inici secundum obscænas partes sensibiliter, aut insensibiliter, & hoc sufficit, nam si talis infectio non est de putredine corrosiva, aut propter dispositionem passi, aut A agentis, non est necesse membrum illud pati solutionem continuitatis, nam mala complexio putredinalis non corrosiva potest insensibiliter, & furtive ingredi in porositatibus carnis, & post certum tempus imprimere ægritudinem talem, totum corpus manifeste lædentem. imo novimus, mulieres sanas coivisse cum infectis, in quas tale genus ægritudinis non transivit, & tamen transivit in viris aliis coëuntibus cum illis, & hoc non fuit propter aliud, nisi quia remanserunt istæ virtualiter, & insensibiliter infectæ saltem per aliquod spatium temporis. immo etiam major pars corporum infectorum, dum per illa sana inficiuntur, non sunt secundum pudendum sensibiliter infecta, licet sint insensibiliter talia: & ideo in regimine præservativo cave ne tibi contingat dicere, *Non putabam.* Præterea dicta Galeni *secundo, & tertio epidemiarum:* & Avicennæ *vigesima tertii capitulo* xx. non continerent veritatem, cum tamen unanimes sint in affirmando aptitudinem pudendorum ad putredinem ex qualibet occasione: quod non dixerunt de aliis particulis corporis, & si nulla ratio aut auctoritas me convinceret ad mineram morbi hujus inve- B stigandam, satis me convincit exemplum à simili, nam mihi sufficit, quod qui tali morbo infestantur, sunt similes in ægritudine, & in accidentibus, cum illis qui à principio passi fuerunt in obscænis. & sic per hunc modum facile subducor ad credendum etiam omnes alios sensibiliter aut insensibiliter in pudendis primo & principaliter laborasse: Quare crimine ab uno disce omnes. & ne videar illa ex me comminisci, audi Avicennam *secunda primi, doctrina tertia, capitulo secundo*, est tamen cum ex hoc provenit error, & hoc est quoniam ægritudo principalis non erit percepta sensu, neque dolorosa in principio sui; sed postea sentiemus ipsius impedimentum postquam associata ægritudo apparuerit, quæ pro certo est illa, quæ post ipsam sequitur, existimabitur ergo quod associata & accidentalis sit principalis ægritudo: & subjungens paulo post, dixit, semita vero servandi se ab hoc errore est, ut sciat nocumenta quæ unicuique accidunt membro, quorum quædam sunt sensu percepta, & quædam non percepta, quare considera: neque in hoc volo molestari à physicis argumentationibus, de cognitione nostra intellectiva dependente ab ali- C qua sensitiva præcedente, & similiter, quod non potest esse corpus, aut membrum aliquod ægrum, quin sensibiliter lædatur in operationibus, cum hæc sit differentia per quam differt ægritudo à neutralitate, nam intelligenti ad hæc patet solutio.

Ad secundum dicendum, quod infantes inficiuntur ex suctione lactis à nutrice infecta, quod lac per ulteriorem decoctionem generatur ex sanguine illo aquosiori & phlegmatitiori, qui solebat effluere omni mense ab ea, testante Avic. *tertia primi, cap. de regimine infantium*, ubi inquit, omnibus modis quibus est possibile lac matris infanti ad sugendum dandum est: ipsum enim est nutriens, quod magis simile existit substantiæ nutrientium præteritorum, quibus alebatur dum in ventre erat scilicet menstruorum matris, quoniam ipsa sunt quæ convertuntur & fiunt lac, in quibus menstruis seu in quo sanguine menstruabili aquoso ex causa supercœlesti aut terrestri corporum infectorum cecidit talis infectio, ex qua etiam lac restat infectum, cum generetur immediate ex materia infecta. quod postmodum lac dum transit in nutrimentum D infantis, inficit phlegma naturale infantis, seu sanguinem aquosum propter symboleitatem, in humore incipiens inficere venas magnas sanguificas usque ad parvas, & ad minores tendens, & tandem ad capillares. Quare autem isti non generant prolem infectam, cum materia quæ subjicitur pro generatione spermatis sit infecta? Nisi esset quod si subjicitur, non subjicitur immediate; sed mediate, & per plures transmutationes purificatur, & à malitia illa exspoliatur. Alii vero modi, quibus talis infectio dicitur transire de uno ad alium, multi dicuntur, qui, ut puto, sunt de possibilibus longinquis.

## CAP. II.

### *Phlegma naturale non esse causam morbi Gallici.*

Restat modo nobis, ut veritas nostræ opinionis melius eluceſcat, contra eam instare quinque argumentis: & primo contra illam rationem, qua dicebatur phlegma naturale esse causam hujus ægritudinis, primo sic, quia novitas in effectu arguit novitatem in causa, sed ista ægritu- E do est novitas in effectu, ergo arguit novitatem in causa, ergo erit novitas in humore, & in materia, major patet, minor similiter, quia à tempore Hippocratis usque in hodiernum diem non reperitur in tam vasto pelago medicinæ aliquem nec de antiquis, nec de recentioribus explicite de tali materia tractasse.

Præterea, diversitas curæ arguit diversitatem ægritudinis, sed cura, qua procedebant chirurgici antequam talis

ægri-

ægritudo aliquo nomine nota foret circa pudenda, nunc A est cassa in illis, & vana, ergo illa ægritudo non est illa: & per consequens nec illa materia est illa à qua prima infectio particularis membri dependebat.

Præterea, indicatione sumpta ab accidentibus, seu ab extrinsecis apparentibus, materia istius ægritudinis videtur potius frigida, & sicca, nam materia ex qua generantur nodi dolorosi, seu gummata super eorum ossa, est dura fere sicut os, quæ attestatur humori melancholico, phlegmatico autem nequaquam.

Præterea, pustulæ siccæ in eis genitæ, & similiter ulcera corrosiva ambulativa rubea arguunt super materiam calidam, adustam, oppositam in activis & passivis qualitatibus phlegmati naturali, nam frigidius quod est in corpore nostro est phlegma, dicebat Avicenna, & cum ita sit, quomodo ex tam frigida materia possunt generari pustulæ & ulcera tam adusta?

Præterea, si materia peccans esset frigida, & humida sicut phlegma, per quem modum potest convenire eis in cura argentum vivum, quod est frigidæ & humidæ complexionis secundum communem opinionem, & secundum B veritatem? cum per sensum tactus percipiatur in eo excellens frigiditas: nam sensus non decipitur circa proprium objectum. insuper est experimentum Conciliatoris libello de venenis, de aromatario qui ex potu argenti vivi propter errorem mortuus est, & per ipsius anatomiam inventus fuit sanguis circa cor coagulatus, & ipsum cor similiter.

## CAP. III.

*Solutio argumentorum in superiori capite adductorum.*

Ad hæc argumenta est dicendum, & primo ad primum, quod talis ægritudo quoad ejus esse particulare, & quoad ejus materiam, non est novitas in effectu, nam idem est humor à quo talis ægritudo dependet, & idem esse particulare cum eo qui præerat ante adventum Gallorum, verum in gradu malitiæ est diversus, eo quia est intensioris malitiæ solito, qui intensior gradus dependet à novitate causæ, & illa fuit mutatio aëris occulta ex influxu cœlesti faciente pro corruptione intensiori talis materiæ determinatæ, & ideo bene dicebat Avicenna *prima quar-* C *ta* sic. Et principium omnium horum sunt formæ ex formis cœli facientes esse necessarium illud, cujus adventus ignoratur à medicis, in quantum medici sunt. verum notitia quadam a posteriori arbitrantur effectus universales dependere à causis universalibus, quales autem sint, debuit novisse peritus astrologus. De qua etiam mutatione aëris occulta morborum generativa meminit Hippocrates *tertia particula aphorismorum*, & Galen. *in commento*, & Arist. *prima particula problematum problemate tertio*, & Avicenna *secunda primi*, & Rhasis *decimoseptimo Continentis*.

Dicamus igitur de novo, quod in tali materia de sanguine menstruo, aut menstruabili aquoso introducti sunt intensiores gradus putredinis ultra pravitatem actualem consuetam caloris nostri extranei putredinalis, per geminatas & triplicatas in ea putredines, ex quibus putredo hæc effecta est intensior, pravior, & potentior, inficiens per partem post partem totum corpus mediante delatore phlegmatis naturalis: cui intensæ putredini latenter serpenti calor naturalis noster non potuit amplius resistere, neque D residuum phlegmatis cum sanguine mixti præservare à tali intensa putredine, ubi bonis temporibus, non excedens suos terminos, inficiebat phlegma, seu sanguinem aquosum duntaxat in pudendis dispersum. & gratia exempli, nonne etiam per gradus putredinis geminatos introducitur malignitas in materia febrium pestilentialium? & per gradus putredinis triplicatos introducitur adhuc deterior? & si ex aliqua forti causa amplius contingat gradus putredinis quadruplicari, pessima in eis introducetur malignitas: de qua puto fuisse sævissimam illam pestilentiam civitatis Graton tempore Hippocratis, per quam pedes, & brachia cadebant ab hominibus pestilentia infectis putredine illa cadaverali. hoc namque non fuit novum genus pestilentiæ, neque novum genus putredinis, verum fuit novus gradus & intensissimus putredinis cadaveralis, & denique nulli dubium, quod una, & eadem materia potest etiam atque etiam putrefieri. Et si aliquis quæreret de quantitate temporis qua talis infectio expandatur in totum corpus, dicerem quod ista quantitas non est limitata, nam quidam capiuntur per dies, & quidam per menses, & novi aliquos, qui per multos menses steterunt cum solis pustulis in membro illo antequam perciperent membra sua ligari, & à suis motibus solitis quovis modo impediri, & antequam aliæ pustulæ manifestarentur in residuo corporis, & istam tarditatem maxime puto evenisse ex fortitudine caloris innati diu resistentis tali putredini, & ista resistentia pro parte est causa ulcerationis pudendorum, coarctando humorem jam putridum putredine tali maligna in membro illo obscæno, qui coarctatus amplius supercalefit, & ebullit, & per consequens putrefit magis, & non inveniens humorem sibi contiguum intrinsecum ex resistentia caloris innati, in quo humore ista infectio sustentatur, rumpit membrum ad exteriora pustulis, & ulceribus malignis incurabilibus, donec, malignando, & continue quærendo intrinsecum humorem quem devoret, & corrumpat, invenerit: & exinde ægritudinem talem monstruosam nobis postremo possidere fecerit. & quia natura eligit de possibilibus quod melius est, coacta pravitate infectionis humoris, eligit potius humorem totum (in quem principaliter infectio introducta est) putrescere, quam perdere substantiam membri, & quod hoc testatur, est, quod ulcera corrosiva, & ambulativa nunquam desinunt communiter à corrosione membri illius, donec patiens intercepto brevi tempore perceperit se arreptum ab ægritudine Gallica dicta, & tunc consolidatur membrum infectione illa tamen insensibili humoris in eo postremo latitantis: si vero talis infectio invenerit promptam humoris corruptibilis dispositionem, ad deferendum illam infe- B ctionem, ex pauca etiam resistentia caloris innati, debentis illi putredini resistere, acquiritur illi infectioni liber introitus, unde obrepens latenter brevi tempore humorem dispersum in universo corpore non lacerando aliquo pacto substantiam carnis pudendorum: & hic est modus secundum quem multi arrepti fuere tali morbo absque principio læsionis sensibili, & manifesto in membro illo. de numero quorum puto fuisse, qui ex solo influxu malevolo infirmati fuerunt, & ex sua promptissima dispositione ægritudinem talem facile susceperunt.

Ad secundum dicendum, quod diversitas ægritudinis est duplex, specifica, & gradualis. cum igitur dicebatur diversitas curæ arguit diversitatem ægritudinis, ibi intelligitur de diversitate graduali, per quam etiam diversificatur cura, sicut est videre in febre putrida, & pestilentiali, dependentibus ambobus ab eadem materia, & non differentibus nisi secundum intensum & remissum gradum putredinis. Vel dicatur, quod licet cura antiqua non sit in hoc casu proficua, tamen cura recens esset opportuna in cura ulcerum, non tam prava materia præditorum, nam quæ conferunt alicui materiæ malignæ, conferunt eidem non malignæ, & non è converso.

Ad tertium argumentum, ex quo nullus est humor præter naturam, qui sit aptus generari ex corruptione omnium aliorum humorum nisi melancholia nonnaturalis tum ex superfluo calore per viam adustionis, tum ex superfluo frigore per viam congelationis, dicerem durities, & nodos super eorum ossa esse tales per viam congelationis, nam ex agente frigido, quod est os, in passum frigidum, quod est phlegma, resultat effectus congelationis, dicente etiam Avicen. *prima primi Doc. quarta capitulo secundo: & frigiditas quidem phlegma generat, & multum superflua generat melancholiam per viam congelationis.* tenendo igitur durities tales esse de materia peccante, dicimus quod origo earum fuit materia phlegmatica, sicut origo nodorum, & scrophularum, licet completive sint de materia melancholica, & terrestri: Vel dicatur quod istæ durities non generantur ex materia mera peccante, sed ex sanguine grossiori, & melancholitiori, ex quo debet nutriri os, qui sanguis ex commixtio- D ne cum humore infecto principaliter peccante, est etiam infectus, quia quod tangitur à putrido putrefit, modos autem generationis duritierum dicemus problemate quarto.

Ad quartum similiter dicerem, ex quocunque humore corrupto fieri posse melancholiam per viam adustionis, nam à materia phlegmatica putrescente contingit decidi aliquid adustum siccum, ex quo fiunt pustulæ adustæ, & per consequens ex eis ulcera calida ambulativa, dicente Avic. *quarta quarti*, quod ulcera generantur à vulneribus & ab exituris eruptis, & à pustulis, in quibus, supple, quandoque accidit ambulatio, & corrosio in membro ex multiplicata humiditate in eis, quæ in casu nostro in tantum quandoque multiplicatur, quod est causa deperditionis membri organici, aut partis ejus, & non facit pus, nisi propterea quod cibus qui venit ad ipsum convertitur ad corruptionem propter debilitatem membri, resolvunturque ad ipsum, & attrahuntur versus ipsum superfluitates membrorum vicinantium ei, dicebat ille, radix vero à qua decisæ sunt pustulæ, fuit materia essentia- E liter frigida & phlegmatica, & calida accidentaliter, dicente etiam Avic. *cap. præallegato: sed caliditas æqualis sanguinem generat, & superfluens gignit choleram rubeam, multumque superflua melancholiam generat propter superfluitatem adustionis.* Vel dicatur quod pustulæ istæ non sunt de mera materia peccante, sed de humore cholerico putrido ex commixtione cum humore phlegmatico principaliter infecto, tendentes ad citrinitatem, aut ad albedinem, aut ad fuscedinem, secundum quod in eis prædominatur

plus de cholera, aut phlegmate, aut melancholia.

Ad quartum dicerem, breviter transeundo responsiones communes, quod argentum vivum est in triplici differentia, sed quantum spectat ad propositum est in duplici, una est quod haud dubie argentum vivum est frigidæ complexionis, sicut declarat sensus, & experimentum. aliud est argentum vivum extinctum, & istud indubitanter est calidæ complexionis. quam sententiam Avic. *sexta quarti cap. de significatione specierum venenorum* affirmabat dum dixit, significatur quandoque per ea quæ eveniunt in corpore de ægritudinibus. nam si evenit simile mordicationi, & incisioni, & punctura, & corrosioni, scitur quod venenum est de genere medicinarum calidarum acutarum, mordicantium, sicut arsenicum & argentum vivum extinctum, de quo etiam extincto innuitur differentia à conciliatore loco præallegato cum dixit, de eo quod est deterius quam purum, & minus malum quam sublimatum, nam purum sua gravitate posset subterfugere à stomacho, & visceribus absque notabili in eis nocumento, at extinctum potatum aut comestum induceret mordicationem, incisionem, & corrosionem in viscera: neque propter hoc volo dicere, quod argentum vivum in isto casu operetur à qualitate manifesta, solum scilicet calefaciendo, nam etiam operatur ab occulta, neque inconvenit aliquid operari à qualitate manifesta, & à tota specie simul, sicut arsenicum, quod à tota substantia interficit, & à qualitate manifesta corrodit. dotatum est enim omne duplici virtute, elementali scilicet & cœlesti, omne namque calefactivum est calidum, solutivum autem non, quia calidum, sed quia cœlesti virtute dotatum, dicebat Mesue.

## CAP. IV.

*Quinque problematum solutiones ex fundamentis positæ opinionis circa Morbi Gallici originem.*

Ex ista opinione solvuntur quinque problemata, quorum primum est, propter quid est quod patientes hanc ægritudinem, adeo difficulter, vel nunquam sanantur? & dicerem hoc ideo esse, quia talis ægritudo fundata est in radice, & fundamento multum intrinseco, & essentiali nobis, nam tale fundamentum est naturaliter & semper à principiis generationis nostræ nobis insitum, à quo nunquam contingit nos separari, sicut nec à sanguine stante vita, & ideo isti impostores temerarii promittentes magna, ignorant materiam quam pertractant, sed mallem istos de genere lapidis molendini ad lignarias artes accessisse aut ambulasse in viam, in quam vocati sunt a teneris annis.

*nam læva in parte mamillæ*
*Nil salit Arcadico Juveni.*

Secundum problema est, propter quid est quod patientes hujusmodi videntur liberari & per menses, & per annos, & postmodum iterum recidivant recidivatione non minori priore? & dicerem hoc ideo esse, quia in aliqua portione phlegmatis remansit aliquis gradus putredinis, qui non complete potuit à pharmacis evacuari, aut ab unctionibus, & aliis remediis penitus mundari & tolli, quia est humor à natura nobis insitus, neque potuit vinci, & digeri à calore naturali, digestione faciente cessare putredinem manente substantia, aut quia calor naturalis non fuit fortis respectu materiæ digerendæ, aut quia fuit obsessus ab indebito regimine sex rerum nonnaturalium, ut à nimio potu, aut cibo, aut otio, aut tristitia, aut à libidine, & si aliquis diceret hunc affectum non recidivare merito reliquiæ humoris infecti, sed potius merito malæ qualitatis immaterialis derelictæ ab aliquo ex quatuor humoribus præter naturam, reaggregantis novam materiam, hoc mihi non consonat, si sententia Avicennæ vera sit, cum dixit quod mala complexio sine materia non diu durat, quin secum associet materiam, nam aut ista mala complexio per se immaterialis ex toto tandem sublata fuisset, aut non tandiu duraret, quin secum materiam associasset, neutrum vero istorum duorum fit, signum igitur quod remansit portio materiæ infectæ sufficiens iterata vice totum inficere corpus, juxta versum proverbialem:

*Morbida facta pecus totum corrumpit ovile.*

Et Juvenal. *Sat.* 2. vers. 81.

*Uvaque contacta livorem ducit ab uva.*

Sed ubi est locus aptior reservationi talis materiæ infectæ? Dicerem (salvo semper meliori judicio) quod locus idoneus magis est locus originis & minceræ, per quem etiam communiter totum corpus solet infici, & pariter loca circunstantia vicina, nam illa sunt loca, ad quorum partes festinat putrefactio, quia sunt protecta ab aëre & declivia ad caliditatem, & humiditatem, & approximant meatibus superfluitatum; dicebat Avicenna *vigesima tertii, capitulo vigesimo*, quæ omnia habent tardare, & impedire sanitatem & mundificationem illarum partium: Imo fovere superfluitatibus humorem infectum ibi derelictum. & si vero jam multis rationibus, & autoritatibus satis probavimus locum ist[illegible]m ægrotare per essentiam, habemus etiam credere illum eundem ultimate sanari, nam de natura principalis ægritudinis est, ut remaneat postquam associata finitur.

Tertium problema est, propter quid est quod multi sanati sunt à tali ægritudine beneficio solius exercitii? Dicerem quia humor peccans est humor naturalis, cui supervenit talis infectio, qui potius subjacet dominio rectificationis caloris naturalis, quam evacuationi, aut digestioni, accipiendo digestionem pro præparatione humoris ad expulsionem: de quo humore conservando natura est magis sollicita & de infecto quantum potest ad benignum reducendo, quia naturalis erat, cui sententiæ favit Avicenna, cum dixit, & sicut calor innatus ipsum digerit, & rectificando facit ipsum sanguinem, sic calor extraneus ipsum plerumque putrefacit & corrumpit. nam calor noster naturalis vigoratus per exercitium, calefacit corpus calore consurgente ex ipsomet corpore, augmentando spiritum intrinsecum, & expellendo superfluitates, & membra corroborando: & mihi videtur quod usque in hodiernum diem non sit inventa medicina sibi compar, & hac de causa rustici laborantes facile sanantur, quare Virgilianum illud non fuit vane dictum, 1. *Georg.* 145.

*labor omnia vincit*
*Improbus, & duris urgens in rebus egestas.*

Quartum problema est, propter quid est quod nodi, & dolores generantur super eorum ossa? Dicerem, quia transitus humorum per secundas humiditates in ossa est difficilis, & tardus, quia eorum digestiva, vel nutritiva est debilis, quia exsanguia sunt, & frigida in complexione, tarde suum nutrimentum digerentia, & ex altera parte phlegmati convertendo in sanguinem gratia nutritionis ossis supervenit hæc infectio addens ulteriorem difficultatem objecti convertibilis in substantiam ossis ex dulcedine humoris jam deperdita, qua voluptuabantur ossa in nutriendo se, quo fit ut humor destitutus à regimine naturæ, tanquam odiosus, & horribilis non convertitur in nutrimentum ossis, sed multiplicatus super eorum ossa, & adhærens eis, illa facile apostemat, & maxime cum superfluit nutrimentum, & extendendo panniculos tegentes ossa, causat dolorem frangitivum, ac si eorum ossa præcise frangerentur, & hoc modo ventosando, modo sua materia panniculum extendendo, modo sua frigiditate illum condensando, dicente etiam Avic. cap. de Causis [cujuslibet doloris, & doloris frangitivi causa est materia, aut ventositas quæ interponitur media inter os, & panniculum qui tegit ipsum, aut frigus quod illum panniculum fortiter stringit] & exemplum de dissecto per egregios doctores Ferrarienses in junctura genuum, & supra cujus inventa fuit notabilis copia phlegmatis grossi, arguit humorem phlegmaticum innaturalizatum principaliter, & sub forma causæ conjunctæ peccare, & ibi coacervatum non potuisse converti in sanguinem ut nutriat os quoad partem grossiorem, cum ipsi deficit nutrimentum. quod phlegma genitum fuit ex longa mora in carceribus, & nimio otio, & tristitia, & aliis causis. quod fortasse per exercitium liberum potuisset resolvi, vel à junctiris expelli: & circa ossa duritiem solitas adhærentes causare ex resolutione partium subtilium cum remanentia grossarum, & hoc à calore naturali non sopito. Sed quia transitus humorum per secundas humiditates in membra carniformia est facilis & brevis, ideo in eis virtus nutritiva est fortis, propter caliditatem, & humiditatem, & propter symbolcitatem sanguinis cum carne: Ideo in membris carniformibus raro vel nunquam congeruntur ista apostemata dura dolorosa, & ideo ossa cooperta carne minus dolent, & minus coacervant materias tales apostemantes dolorosas: quia ex carne ea ossa tegente sicut culcitra viget eorum nutritiva virtus propter caliditatem cernis circunstantis: verum in membris carniformibus propter caliditatem eorum potius generantur ulcera & pustulæ.

Quintum problema est, propter quid est quod aliqui molestantur a nodis, & à doloribus & aliqui non? Dicerem, quod illi in quibus viget digestiva membrorum, & similiter expulsiva superfluitatum quartæ digestionis est potens, hi tales non coacervant materias pro doloribus, neque nodos, qui dicuntur gummata super eorum ossa. illi vero in quibus hæ virtutes sunt sopitæ, & debiles & expultiva superfluitatum maxime quartæ digestionis est tarda, & sicut ancilla ignava in expellendo superflua à domo, hi tales facile coacervant materias dolores ingerentes, & similiter nodos. quandoque etiam in istis generantur inflationes undimiales molles & maxime in crapulosis, & otiosis valde, in quibus ob hoc solet impediri motus progressivus eorum penitus, & hoc ex multitudine humoris imbibiti in porositatibus musculorum, & nervorum, qui sunt instrumenta motus mediata, & immediata.

Signa

Signa ex dictis sunt manifesta, & ex dicendis notificabuntur.

## CAP. V.

*De regimine corporis Gallicosi in sex non naturalibus rebus.*

Regimen igitur istorum ex parte omnium sex rerum non naturalium declinet ad exsiccandum, & calefaciendum mediocriter. nam licet dispositio in se considerata exigeret etiam regimen calefactivum notabiliter, tamen quia in hac ægritudine solent complicari ulcera calida, corrosiva, & ambulativa, ideo distrahimur à regimine excellenti calidorum, quare cum moderate calidis est procedendum.

De aëre itaque primò est considerandum, cum ab aëre ipso humanum corpus varias recipiat mutationes. nam videmus communiter habitantes in locis altis esse vivaces in colore, at incolas terrarum imarum & maxime paludstrium impallescere. loca igitur humida, vallosa, & paludosa, sunt evitanda, & similiter maritima. nam ab aqua maris etiam elevantur vapores aquei reddentes aërem humidum, salsedine in grossioribus & terrestrioribus partibus residente, aëre enim humido corpora talia amplius humectantur, & prohibetur in eis resolutio superfluitatum, quibus abundant, & eorum humores disponuntur amplius ad putrefactionem, humiditas enim est mater putredinis, aer etiam frigidus est inconveniens, quia compingendo prohibet vapores resolvi, & humores sufficienter eventari. debilitans etiam naturales offium virtutes, quasi extinguendo proprium innatum calorem in eis exilem & debilem, juxta illud Hippocratis *Aphor quinta*, *Frigidum inimicum nervis*, *ossibus*, *dentibus*, *cerebro*, & *spinali medullæ*, *calidum vero utile*, & *amicum*.

De motu vero id est exercitio & quiete est amplius diligentissime considerandum, cum exercitium in hac ægritudine maximam habeat prærogativam, quod in multis patientibus nullo alio adhibito medicamine est comprobatum. nam (ut habetur à Principe) exercitio prohibentur materiæ congregari, & pariter ossa corrumpi. membra etiam nutritioni apta redduntur, quoniam ab ipsis superfluitates expelluntur, & calor innatus renovatur, & corpori agilitas acquiritur, & chordæ & juncturæ efficiuntur duræ, duritie quidem moderata, qua prompte & leviter suas operationes efficere valeant, & causis infirmantibus resistere possint, & maxime cum reliquum eorum regimen in cæteris conveniens fuerit, & rectum exercitium etiam, liquefaciendo suo calore congelatas humiditates, & insuper trahendo ad membra indurata subtiles humiditates, quibus perfusa molliscunt, est causa resolutionis illarum duritierum, ut docet in casu multotiens experientia, & licet exercitium appropriatur nervis & musculis tanquam propriis instrumentis, nihilominus his mediantibus communicat etiam omnibus aliis membris, dicente Galeno secundo de regimine sanitatis capitulo octavo quod voluntarii motus actiones musculorum & nervorum & chordarum sunt proprie. sin autem & vehementiores fiant, prædicta membra his principaliter exercentur, secundum accidens vero, & arteriæ, & ossa, & venæ, & carnes, & colligationes, & alia omnia membra. solus igitur ille desinat ab exercitio, qui sanitatis gaudio vult carere. Ineat autem medico diversa exercitia diversis corporibus instituere secundum eorum diversitatem in fortitudine, & debilitate, & secundum eorum diversitatem in complexione. nam exercitium corporis phlegmatici debet esse longius, & magis resolutivum, & magis calefactivum nisi fuerit aliquid quod prohibeat, cum superfluitates in eo sint plures, & difficilioris resolutionis, quam in corporibus aliarum complexionum, natura eorum pigritante in resolvendo superfluitates multas coacervatas ex debilitate caloris. nam corpora talia sunt tarde suum nutrimentum, & humores digerentia, ideo plurimo exercitio, adjuvante digestionem, sunt indigentia. & hac de causa corpora talia nonnisi difficulter, vel nunquam sublevantur à tali morbo, & pro ampliori declaratione eorum quæ dicuntur de exercitio & de speciebus exercitii, & de hora inchoandi, & mensurandi, & dimittendi illud sunt dicta Galeni in de regimine sanitatis, & pariter Avic. *tertia primi*, *doctrina secunda*, *capitulis primo*, *secundo*, & *tertio*. De quiete autem dicitur, quod semper est infrigidans propter privationem vivificationis caloris, quia non libere effunditur vivificus calor, & propter suffocationem ejusdem ab humiditatibus in quiete paulatim congestis coangustantibus vias & meatus, quos motus aperit, & ab eis superflua excutit, quies etiam humectat propter defectum resolutionis superfluitatum. Et dixit Averroes sexto collectaneorum (& malitia, quæ propter privationem exercitii accidit incarceratis manifestatur, quia illorum facies citrinæ fiunt, & eorum color est impurus, & omnes operationes eorum A sunt læsæ) & licet quies sit semper infrigidans, non tamen est semper humectans, & de hoc Aristoteles sexta particula problematum problemate primo dixit, propter quid sedes hos quidem hominum impinguant, hos vero macros faciunt, & hoc est, quia corporum quædam sunt calida, in quibus non multum prohibetur cibus, & calor & spiritus transire ad membra propter vias non multum recluſas, & talia corpora impinguantur, & quiete amplius humectantur. quædam autem sunt frigida, in quibus multum prohibetur cibus & spiritus & calor ad membra transire ad præstandam vegetationem, ex coangustatione viarum oppilantium, & talia corpora demacerantur, & ethicantur juxta illud Principis *sen tertiæ primi*, *doctrina secunda*, *capitulo primo exercitium autem relinquens*, *ethicam scilicet senilem*, *frequenter incurrit*. & ideo graviter laborantes tali morbo quidam sunt extenuati, & quidam impinguati, imo potius (ut vulgo dicimus) inflati, à quiete igitur superflua cavendum est tanquam ab inimico interficiente.

B De cibo autem & potu est etiam diligenter considerandum, cum per debitum ipsius regimen corpus humanum maxime conservetur, & per indebitum infirmetur, & corrumpatur. de regimine igitur istorum in cibo & potu dicamus cum Avicenna *quarta primi*, *capitulo primo*, in ægritudinibus namque chronicis minimus, sed minus quam in acutis, nam ex tali minutione calor naturalis melius se occupabit in digerendo, & rectificando humorem peccantem, quam si occupetur superfluo cibo, aut potu suffocantibus calorem innatum, aut ipsum obtundentibus. Et ex hoc patet error fere omnium ægrotantium tali morbo, qui nedum diætantur diæta media, imo etiam utuntur diæta grossa, peccante in quanto, & quali, & singulis fere diebus intromittunt indigestum super indigestum, faciendo etiam breve intervallum (ut septem aut octo horarum) inter prandium & cœnam, quo raro vel nunquam completur digestio prima. Unde Avicenna *decimatertia tertii*, *tractatu tertio*, *capitulo octavo*, dixit: & *quantitas quidem æqualis remanentiæ cibi in stomacho*, & *egressionis ejus*, *est illud quod est inter xij horas usque ad xxij horas*. de quo errore maximo etiam non contentus est dixisse à C principio *capituli de regimine ejus quod comeditur & bibitur: Oportet præterea ne aliquis comedat nisi post desiderium*. id est veram famem, nam iterum, ut fortiter hoc documentum mentibus imprimatur, dixit: *neque omnes qui sanitatem habere volunt aliquid comedant nisi desiderium fuerit certum*, & *stomachus & superiora intestina à primo nutriente evacuata fuerint*, *quod enim in corpore est deterius est nutriens super nutriens quod non est digestum mittere*. nam ex hoc impeditur digestio cibi præassumpti in stomacho, & tardatur ipsius permansio in eo, & insuper digestio prioris cibi jam inchoata ante complebitur, qui digestus transiens ad hepar, ducet secum cibum super assumptum indigestum, unde crudi humores multiplicabuntur, & coacervabuntur in venis, & sic in dies regenerabuntur de novo humores crudi, obtundentes calorem innatum, & ipsum à digestione materiæ peccantis continue impedientes, & ægritudinem talem usque ad mortem perpetuantes. quare fere hinc pendent leges, hic jacent insidiæ. hoc opus hic labor est. nam ægrotantes ex mala consuetudine sunt indulgentes concupiscentiæ, & voluD ptati magis quam propriæ saluti, & bono simpliciter. Neque in hoc altera sententia Avicennæ *capitulo præallegato* est postponenda: & *est etiam aliquis hominum*, *in cujus stomacho cibus corrumpitur subtilis*, *qui cito digeri solet*, & *fortis qui tarde solet digeri in ipso digeritur*, & *hic quidem est cujus stomachus est igneus*, & *ex eis est qui huic existit contrarius*, *quorum quisque secundum suum stomachum est regendus*. & ideo corpora laborantium, quorum ut in pluribus stomachus est calidus & igneus, prævalent aliis nobilioribus, & delicatis habentibus stomachum frigidum continue phlegmatizantem, in superando hanc ægritudinem, nam virtutes naturales eorum in digerendo nutrimento & humoribus sunt robustæ, & hujusmodi cibaria grossa sunt præbentia nutrimentum stabile, & permanens resolutioni etiam ex fortibus exercitiis magis resistens, minus quoque cholerizans, ex tali etiam nutrimento venæ eorum non adeo replentur sanguine corpus aggravante, & amplius ipsum pigrum reddente. cibaria vero ut in pluribus nocentia sunt frigida, cruda, & humida, & viscosa, & unctuosa, & dulcia, & corruptibilia, & salsa, E & acuta, & ventosa. verum gratia delectationis appetitus, aut consuetudinis in eis, aut in via medicinæ ex toto non abnegantur. omne etiam faciens penetrare cibum indigestum in venas est inconveniens valde. de pane autem eligatur recens, & bene conditus, qui facilius transmutetur à stomacho debili, & si omnino non fuerit depuratus à furfure, erit melius, & maxime si stomachus patientis phlegmatizaverit, & cibus ab eo tarde descenderit, nam in furfure est virtus abstersiva, provocans ad egestionem,

& segregationem cibi à stomacho, & ab intestinis, ut habetur à Galeno primo de alimentis capitulo secundo. Vinum etiam rubeum rubedine remissa, subtilis substantiæ, & vetus, erit opportunum, nam hujusmodi corpora sunt depauperata naturali caliditate, & quasi mortificata, ideo vinum tale erit correctivum lapsus frigiditatis eorum, & aperiet oppilationes eorum, & erit digestivum conveniens humorum phlegmaticorum, cooperando ad conversionem eorum in sanguinem, & spiritus in eis plurimos generando, si tempus & mensura in eo scilicet fuerit conveniens. Aqua vero debilitando calorem innatum, quo digestio plurimum fit nec non & incrudando cibum vel humorem in stomacho & in venis contentum, est detestanda, juxta illud Ovidii I. *Metam. vs.* 6.

*pereat Thetis, & sua proles*
*Quæ manet in stomacho, rudis, indigestaque moles.*

De somno autem & vigilia, cum somnus quieti assimiletur, de ipso idem erit judicium, somnus nanque superfluus, & maxime diurnus generat ægritudines humectantes, & rheumatismos ex retentione humiditatum, quæ in vigiliis plus resolvuntur, ex porositatibus corporis magis apertis, sub forma vaporis, qui retenti per somnum diurnum ad caput tendunt, & ibi condensati liquefiunt, & ruunt, seu inferius rheumatizant, & membra jam prædebilitata foventur, & humectantur, & amplius aggravantur. nam licet in cerebro non sit minera hujusmodi ægritudinis, ab eo tamen contingit fluere materiam foventem talem ægritudinem & eam augmentantem. Ille tamen, qui in die dormire consuevit, ab eo subito se abstinere non debet, quia ex multo tempore consueta & si fuerint deteriora insuetis minus molestare consueverunt, oportet igitur ad non consueta transire, paulatim vero certum est id debere fieri, dicebat Hippoc. *apho. secundar*, nam consuetudo est altera natura, & natura non sustinet repentinas mutationes. Somnus vero temperatus & in hora convenienti est ab eis inquirendus propter juvamenta multa, numerata ab auctoribus, & præcipue ab Avic. *tertia primi, doctrina secunda, capitulo nono*, non enim dormimus, nisi ut melius fortificentur spiritus pro melioribus operationibus vigiliarum exercendis, & quia in somno calor occultatur, & frigus manifestatur, membra exteriora remanent depauperata, & patientes cum excitantur à somno, percipiunt membra sua gravata, & quodammodo contracta, & ligata, & hoc est unum de signis istius ægritudinis quasi inseparabile, quandoque etiam ex eis graviter dolentes quum primum capiuntur à somno, maxime diurno, incurrunt dolores, excitantes eos, & iterum somno devicti coguntur dormire, & ideo bonum est extrema eorum calefieri, & pannis bene cooperiri, ut digestio in toto corpore melius perficiatur, & materiæ doloris existentes in exterioribus à calore debili non ventosentur. de vigiliis vero non aliter, cum de exercitio, cui proportionantur, satis dictum sit.

De inanitione & repletione est etiam utiliter indagandum, dicente Hippocr. *aphor. secunda*, non plenitudo, non indigentia, neque aliud quicquam bonum, quodcunque magis natura fuerit. & cum ista ægritudo sit materialis de repletione, cum qua etiam superfluitates multæ communiter complicantur ex diminuta digestione, & pariter corrupta ex odiosa corruptione humoris infecti, qui naturalis præesse solebat, ideo à superflua repletione summa cum diligentia cavendum est, cum repletio saltem quoad virtutem ex causa prædicta (scilicet ex odiositate humoris infecti ad ipsum corpus) istis facillima existat, a superflua etiam inanitione cavendum est, ne calor naturalis resolvatur, & humidum eorum radicale irreparabili damno superflue depascatur. Et quia coitus sub inanitione comprehenditur, ideo ab immoderato ejus usu tanquam à veneno pestifero fugiendum est, & eo magis ab his qui habent stomachum debilem, de cujus juvamento magno est dimissio coitus, coitus enim velociter facit pervenire illum, qui plurimum eo utitur, ad infrigidationem sui corporis, causa sui, & ad resolutionem caliditatis innatæ, & mortificationem virtutis. coitus etiam superfluus evacuat de substantia cibi postremi, quare debilitatem affert, cujus simile aliæ non afferunt evacuationes, propter delectationem, & propterea qui plus eo delectantur, plus sunt cadentes in debilitatem, & Princeps non contentus de prædictis *vigesima tertii, capitulo undecimo*, iterum *tertio animalium* dixit: *Quando de homine exit sperma multum, discoloratur & debilitatur corpus, magis quam si quadrageties exiret de corpore suo sanguis tantus, quia sperma jam res est habilitata, ut transeat in membra.* hinc est quod apud antiquos dicebatur

*Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora nostra,*
*Et vitam faciunt balnea, vina, Venus.*

De accidentibus animæ postremo est etiam habenda consideratio, dicente Galeno *tertio techni*, abstinendum vero ab intemperantia omnium harum animæ passionum, iræ, tristitiæ, furoris, invidiæ, timoris, & sollicitudinis, exterminant enim omnia hæc & immutant corpora ab ea, quæ secundum naturam est, consistentia, multi namque hominum ex ingentibus curis graviter infirmati, & tandem mortui sunt. nam ex tristitia & similibus moventur spiritus ab exterioribus ad interiora ex apprehensione de malo fugiendo, qui retracti ad cor suffocant quasi innatum ipsius calorem, non permittentes illum iterum redire, & diffundi ad exteriora, imo tenentes eum quasi in carcere quodam, & maxime cum debilis fuerit homo, ut communiter contingit in affectis hac ægritudine, in quibus eorum calor est sicut parvus ignis sub multis lignis viridibus suffocatus, & ideo ex tristitia, & timore magis infrigidantur interiora, quam calefiant, dicente Aristotele *tertio ethicorum capitulo ultimo: & tristitia quidem stupefacit, & corrumpit naturam habentis.* corpus etiam humanum multotiens patitur propter imaginationes animæ diversas. quod declaratur ab Avicenna quinque exemplis *secunda primi, doctrina secunda, capitulo xiiij.* & Arist. *septima particula problematum problemate octavo* dixit, *congelantur autem dentes cum videmus acetosa comedentes, & congelatos quidem videntes infrigidantur.* & denique videmus pusillanimos ex solo aspectu alicujus atrociter vulnerati, mente condolentes, syncopizare, & ideo dicebat Damascenus: *oportet te infirmis semper salutem promittere, nunquam illos à spe deponere, etsi ipse desperes, complexio enim corporis affectioni animi semper inhæret.* nullus igitur de propria salute desperet, nam si ut multoties præmonuit nos experimentum multos liberatos fuisse à tali morbo merito solius exercitii, quanto magis liberabuntur illi qui præcepta illustrium medicorum pro peragendo exercitio observabunt? stat namque sententia Principis *quarta primi, capitulo primo*, quod non omnis repletio, neque omnis complexionis malitia suo medicatur contrario, ex evacuatione & oppositione scilicet contrarii alteratis, sed multoties sufficit multa regiminis bonitas in repletione & malitia complexionis: nam ex hoc virtus non impedita cum suis instrumentis unicuique morbo & unicuique veneno effective contrariabitur.

## CAP. VI.

*Proponitur casus personæ Gallicosi hominis.*

EGregius artium doctor Aloysius Mantuanus jam multis annis præter modum conqueritur de ægritudine tali, nam ex inordinato regimine imprimis coacervavit tantam materiam in nervis, & musculis, & partim in juncturis, ut factus sit impotens ad exercitium, quamobrem tum ex fludio, tum etiam ex ægritudine gravantem degit in multo otio: utitur præterea regimine humectativo ex jure & multiplicativo sanguinis, sicut vino potenti, & multo, & carnibus. delectatur etiam cibariis pinguibus, & unctuosis, & dulcibus, licet caliditas ipsius hepatis sit superflua. Quibus de causis in hepate tali generatur cholera rubra in quantitate notabili, quæ delegata ut puto ad partes cutaneas una cum sanguine illo aquoso infecto, & putrido, acquirit majorem caliditatem, & adustionem putredinalem, non tantum ratione humoris præinfecti fortiter imprimentis eam: quantum etiam ex dispositione multa humoris subtilis adustioni valde dispositi. nam in isto hepate non comprehenditur ex urina, neque ex aliis signis tantus gradus caliditatis adurentis, quantus apparet in ulceribus. & quod persuadet hoc, est, quod ulcera talia solent consolidari unctionibus factis toti corpori, nullo adhibito medicamine refrigerativo hepati. nam exsiccato, & quasi consumpto humore principaliter infecto, cessat etiam adustio in humore cholerico subtili. & ex quo iste est stomachi frigidi, qui est bonus quidem ad appetendum, tardus vero ad digerendum: pro majori parte anni replet se usque ad saturitatem in prandio, cum abstinentia postea cibi omnimoda vespertina. quem modum damnavit Avicenna. *cap. de regimine ejus quod comeditur & bibitur*, cum dixit: *Nutrimento multo & superfluo licet accidat ut in stomacho digeratur, raro tamen digeritur in venis, immo in ipsis remanet crudum, & extendit eas, & generat pigritiam, & laborem, & alices, & oscitationes.* & quod deterius est in isto corpore, augetur difficultas digerendi secundum digestionem quartam, cujus errore crevit hujusmodi in humano genere ægritudo. nam existente nutrimento multo, & superfluo, venæ sui parvitate sunt ineptæ ad digerendum illud, cum neque digestioni venarum assistant membra digestionem earum adjuvantia, sicut stomacho. constat igitur quod laudabilior modus sumendi cibum est mane & vespere moderate, & cum debita distantia temporis, competente pro digestionibus perficiendis, dicente etiam Avicenna *capitulo præallegato, sed qui digerendi debilitatem habet, bis comedere debet, & raro comedat semel in die.* Prætermisso igitur debito regimine, ut ei expedit, intentio nostra

ſtra principalis eſt, evacuare humores in iſto corpore prædominantes, tales autem ſunt phlegmatici, craſſi, & viſcoſi, quod declaratur ex colore ejus mutato ad albedinem, ſeu palliditatem perſeverantem, & ex frigiditate corporis ex rigiditate humoris phlegmatici inviſcati imporoſitatibus carnis, & ex ſuffocatione caloris innati ob multitudinem phlegmatis, & ex debilitate digeſtivæ membrorum propter dominium humoris phlegmatici, hebetantis calorem digeſtivum, ex pigritia quin etiam, & impotentia ad motum ex pondere humorum plegmaticorum gravantium, & liberum tranſitum motivis ſpiritibus impedientium.

Sed prognoſticum de ſalute perfecta iſtius videtur difficile ſatis, nam imprimis eſt debilis in ſua complexione radicali, & ex longa ægritudine attritus, eſt etiam depauperatus naturali caliditate: quare virtutes omnes naturales ſunt notabiliter læſæ, tamen quia jam pervenit tempus curæ opportunum, niſi excedat menſuram convenientem in potu tempore æſtivo, ex conſuetudine ipſius inveterata, ex officio artis ei ſuccurrere conabimur.

## CAP. VII.

### *De cura Morbi Gallici.*

Cura igitur iſta quinque intentionibus eſt exſequenda, quarum *prima* eſt materiæ peccantis minoratio. *ſecunda* digeſtio. *tertia* evacuatio. *quarta* accidentium correctio. *quinta* reſidui humoris infecti rectificatio. *Prima* igitur intentio perficitur cum medicinis leviter ſolventibus humores contentos in viis ductuum. ſed quia patiens eſt ſtiptici ventris, conveniens erit cum iſtis permiſcere ſolutivum aliquod, & *electuarium de dactylis* erit conveniens, de quo dixit Meſue quod eſt ſolutivum facile, & eſt medicina ſecuritatis, non trahens à remotis propter viſcoſitatem dactylorum, ligantium vim medicinarum ſolventium. *Secunda* intentio eſt expedienda cum digeſtivis calefacientibus ſubtiliantibus & incidentibus, à debilioribus ad fortiora aſcendendo, & *oxymel ſquilliticum* eſt valde efficax, eradicans omnem materiam viſcoſam, tenacem, & craſſam quantumcunque profundam & inviſcatam, niſi fuerit aliquid quod prohibeat, neque poſtponenda digeſtiva humoris cholerici ſunt ſtantis ſub forma cauſæ antecedentis, & adufti ſtantis ſub forma cauſæ conjunctæ ipſorum ulcerum. *Tertia* intentio completur cum ſolutivis reſpicientibus humores phlegmaticos viſcoſos & craſſos, ut ſunt *pilulæ fœtidæ & cochiæ* &c. non poſtponendæ etiam medicinæ reſpicientes humores cholericos, & aduſtos. nam quia forma pilularis eſt trahens a remotis, in hoc caſu erit conveniens magis. & ſi timetur earum caliditas propter hepatis caliditatem, tunc cum aliquo ſuplente locum apozematis erunt temperanda. Si vero in alio patiente non aderint ſigna arguentia ſuper dominium phlegmaticorum humorum, ſed aliorum, baſis ſyruporum, & ſolutivorum pariter erit pervertenda. Sed quia patiens noſter infeſtatur quibuſdam accidentibus, ideo factis purgationibus convenienter, intentio principalis erit circa quoddam ulcus profundum, ſanioſum, putridum & antiquum non negligendo correctionem aliorum accidentium. Cura igitur iſtius ulceris quadruplici de cauſa poteſt reddi difficilis, quarum prima eſt mala complexio frigida & humida in toto. ſecunda eſt malitia complexionis ſanguinis. tertia eſt multitudo ſanguinis humectantis ſuperflue totum corpus. quarta eſt corruptio oſſis. & quia videtur caro corrupta in eo apparere, ideo imprimis iſta eſt amovenda, jubente Avic. *quarta primi, capitulo vigeſimo octavo*, & in illud ſcilicet ulcus quod ex eis putridum fuerit medicinæ acutæ corroſivæ mittantur, ſicut *calchantum, & arſenicum:* & medicina quæ eſt compoſita ex *flore æris & cera & oleo* in hac re exiſtit temperata. & pater meus utebatur *arſenico* pondere unius grani multum refracto, & cum eo cauſticabat ſine dolore, & corruptum ab incorrupto ſeparabat re poſtea putreſcente, corruptum auferebat. Mundificato igitur ulcere cum talibus certiores facti ſumus hodie non adeſſe corruptionem oſſis, ex ſoliditate carnis ipſius in fundo non ſpongioſa, & ex ſanie laudabili in colore albo & ſubſtantia æquali &c. reſtringitur igitur difficultas curæ in aliis prædictis tribus cauſis, quibus eſſe ſuccurrendum tribus ingeniis exiſtimamus. Prima igitur cauſa, quæ eſt mala complexio frigida & humida in toto, imprimis eſt rectificanda, aut ſaltem melior reddenda, & hoc fit cum unctionibus, quarum numerus eſt infinitus. igitur capiatur *axungia* & *argentum vivum* cum debita proportione aliis æquivalente, & ſi ei aliquid addatur *mellis*, & *terebinthinæ*, erit conveniens, ut ſimul confortatio in nervis & digeſtio in materia acquiratur. quo unguento inungatur patiens à quatuor extremitatibus corporis uſque ad axillas, & inguina excluſive per decem dies, vel circa ſecundum tolerantiam virtutis. non negligendo etiam aſſidua clyſteria, divertentia vapores à partibus ſuperioribus ulcerare ſolentibus. & licet conſiderata adhuc in eo multitudine materiæ, conveniret notabilis quantitas argenti vivi, tamen quia eſt in calore debilis, conveniet magis ei unguentum debile, tanquam inſtrumentum proportionatum magis agenti debili. nam medicina non agit in corpus, niſi corpus agat in eam. poſtea abluatur cum *aqua decoctionis ſalviæ, ſtoechados, roriſmarini*, & hujuſmodi. deinde inungantur membra prædicta omni mane oleo aliquo anodyno, aut *olivarum dulci maturo*. nam omnes oleorum ſpecies confortant corpus & motum allevant, & ſunt extenſivæ, ſicut habet Avicenna *ſecundo canonis, capitulo de olivis*. Secunda vero cauſa difficultatis curæ ipſius ulceris removetur evacuationibus prædictis, & ſubtractione nutrimenti, & maxime multi nutrimenti, ſicut vino, & carnibus, venas ipſius ſanguine plurimo implentibus, ex quo ſanguine in ulcere generatur ſanies, ſicut cinis ex lignorum incenſione. nam facilius erit exiguo calori regere parvam quantitatem ſanguinis, quam multam. Tertia cauſa eſt malitia complexionis ſanguinis, cui ſuccurritur cum generatione boni chymi & etiam cum extractione ipſius corrupti non per phlebotomiam, quia nocua eſt, ſed ſcarificatione aut aliter, circa ulcus ipſum, nam ſanguis corruptus cum tendentia ad nigredinem circunſtans ulceri, eſt multoties cauſa ruptionis iteratæ ulceris conſolidati. De reſolutione vero quarundam duritierum adhuc reſtantium cum aliquali dolore, ultra ea quæ dicuntur de exercitio, *emplaſtra ex radicibus althææ & pinguedinibus, & farina fænugræci, & terebinthina, & argento vivo, & melle* conveniunt, & ſimiliter *cerata mollitiva cum argento vivo*. dixit enim Serapio, quod ſi ligetur lamina ſubtilis plumbi ſuper enodationes, diſſolvit eas cito, & curat. dixit & Hippocr. ut ſtringatur ſuper locum ægritudinis, & non in partibus circunſtantibus. dixit & Averroes 5. *Colliget, capitulo de plumbo*, & hoc quod diſſolvit ſignificat quod habet virtutem diſſolutivam, comparando ipſum carni hominis, quanvis dominetur ſuper ipſius complexionem frigiditas, & exiſtimatur hoc provenire merito argenti vivi in eo prædominantis. plumbum enim minus omnibus aliis metallis addit ſuper materiam argenti vivi, propter quod dicit Ariſtot. & Avic. cum fluit videtur eſſe argentum vivum: de compoſitione igitur plumbi pro certo creditur quod ſuum argentum eſt multum reſpectu ſui ſulphuris. & iſti ſunt ſermones Alberti magni *quarto mineralium cap. tertio*, & experimentum de hac re verificatur in corporibus exercitatis, quorum ſuperfluitates in dies non coacervantur. & ſi interim natura iſtius pigritaverit in expellendo ſuperfluitates, omni hebdomada ſemel, aut bis poterit aſſumere aliquid de medicinis benedictis, & *aloë* eſt de ſublimioribus. quanquam enim intentio ſolutivi ſecundum plurimum ſit debilitare virtutes, & membra, cadit hæc intentio ab *aloë* dicebat Meſue, nam cum medicinis naturæ violentiam inferentibus, non eſt bonum habere familiare commercium, dicente Avic. autoritate Hippocratis quod medicina purgat, & inveterat: & præter hoc totum, cum humore ſuperfluo evacuat aliquid etiam ex humiditatibus naturalibus, & ſpiritu qui eſt vitæ pars magna: & hoc quidem totum eſt ex eo, quod virtutem principalium membrorum, & eis ſervientium debilitat. hinc eſt quod fertur: quicunque in juventute ſæpius pharmacantur, cito deflebunt incommoda ſenectutis. *Quinta* intentio, quæ eſt reſidui humoris principaliter infecti rectificatio, perficitur cum medicinis temperantibus complexionem, quales ſunt theriaca, & mithridatium: nulla enim compoſitarum medicinarum æquiparatur eis in temperando complexionem humanam, & conferendo ei ac lætificando cor, & triſtitiam auferendo, necnon in obviando venenis, ac morbis venenoſis, ſicut eſt præſens ægritudo, ut colligitur ab Avic. *libello de viribus cordis*. non poſtponendo etiam regimen conveniens, & maxime exercitium (ſecundum modum ſuæ qualitatis, & in hora ſua) toti corpori, cum ægritudo ſit etiam univerſalis. at in exercitio anima exhilaretur, ſi ei poſſibile fuerit. paulatim vero à debilioribus ad fortiora exercitia aſcendendum erit, obſervato ſemper debito regimine in cæteris rebus non naturalibus, ſicut ſatis diffuſe narravimus, prout Chriſtus redemptor noſter nobis largitus eſt, qui non ad detrahendum, ſed ad melius ſcribendum alterum inſpirare dignetur.

FINIS.

# JOANNIS PASCHALIS, *Sueſſani*,

## DE

# MORBO QUODAM COMPOSITO:

*Qui vulgo apud nos GALLICUS appellatur,*

## LIBER.

### CAP. I.

*De ordine ſcribendi.*

Quum eſſentia morbi primam curandi ſignificationem oſtendat, ut Galenus tradit *libro de ingenio*, ubi reprehendit Theſſalum *de cauſa vulnerum peſſimorum:* & docet quod per cauſas primitivas non datur ſcientia curandi vulnus, quia nullam ſignificationem curationis oſtendunt, quum ab eſſentia morbi, & natura infirmi membri, & ab aëris complexione nos circundantis, & ſimilibus ea denotetur. Qua de re præmittit quaedam communia pertinentia ad accidentium remotionem: quia monſtratum eſt quod ex ægritudinibus indicatio fit curæ: ſimiliter & *lib. de conſtitutione artis medicinæ*. Prima quidem eſt ſignificativa, cujus ſunt partes duæ, hæc quidem dignoſcitiva præſentium, hæc vero futurorum prognoſticativa, neque enim abſque dignotione paſſionis, curam eſt poſſibile invenire: neque abſque præcognitione termini criſeos curare convenit: Et ratio eſt, quia ab illa ſignificatione, omnium quæ fieri oportebit, ſcientiam perſcrutamur. Modo quod fieri oportet, eſt cauſam inveſtigare: oportet enim initium ab eſſentia curandi morbi conſiderari, & cauſam inveſtigari, cujus remotione indigemus in omni morbo, quia omnes antiqui præceperunt cauſam eſſe auferendam, & prohibendam, ſecundum quod etiam tertio microtechni tradit Galen. Quod aliæ quidem cauſæ ſalubres jam ſunt factæ diſcraſiæ, id eſt, ſunt factæ ægritudines. Aliæ vero adhuc cauſæ: Nam quædam morbi cauſa eſt quæ adhuc fit, quemadmodum & futuræ ſcilicet ægritudines: Modo quum duplex ſit ægritudo ſcilicet, vel facta vel futura: utriuſque remotio cauſæ ſcilicet factæ, & prohibitio, ſcilicet futuræ, curatio eſt: & primo de futuræ prohibitione intentio eſſe debet, dum dicit: *ſed hujus quidem* (ſcilicet futuræ) *hæ quidem in præſervante parte artis ſunt: hæ vero in ſalubri*, de conjuncta vero, ſeu facta ſimiliter dicit. Primæ vero id eſt factæ omnium in ſola parte curante ſcilicet ſunt: utrarumque vero mediæ dictæ in præſervante & curante, hoc eſt, partim factæ & partim in fieri. Jam ſiquidem factam & exiſtentem ægritudinem medicari oportet, nondum vero exiſtentem: futuram vero diſpoſitionem corporis, prohibere fieri, ejus vero quæ adhuc fit, quod jam factum ſanare, quod autem futurum eſt, prohibere: quare cujuſlibet morbi tam facti quam futuri curatio, remotio eſt cauſæ. Convenit ergo primo, ut recte morbum, de quo ſermo hic habetur, curemus, eſſentiam ejus, & deinde cauſam declarare, & ultimo curam ejus pernotare. Medicus enim à fortuna curat ægritudinem, cauſam ejus ignorans, ut habemus in *lib. ad Glauconem*.

### CAP. II.

*De eſſentia Morbi.*

Et quia morbus eſt lædens operationes, & actiones tam naturales quam voluntarias, ſub aliquo, vel aliquibus, vel omnibus tribus generibus morborum, videlicet mala complexione, mala compoſitione, & continui ſolutione: nec aliter, nec alio modo, ut habemus in *cap.* 11. *prim. de accidenti & morbo:* Etiam & *cap.* 2. *doctrinæ primæ ſecundæ ſen. prim.* Ideirco perſcrutemur, quo vel quibus generibus dictorum morborum, iſte morbus prædictas operationes lædat: an cum uno tantum, & ſic diceretur morbus ſimplex, an cum pluribus, vel omnibus, & ſic diceretur compoſitus, quia ſecundum quod lædit tam ſimplex quam compoſitus, ita nuncupabitur, quia, ſicut patet ſupra, omnis ægritudo quæ unam harum ſcilicet dictarum trium ægritudinum ſequitur, & per eam exiſtit, id eſt, lædit, ei comparatur: nam vel complexionalis eſt vel compoſitionalis, vel unitatis ſolutivus, ſi ſimplex, vel ſimul complexionalis & compoſitionalis, vel ſimul compoſitionalis & unitatis ſolutivus, vel ſimul omnibus tribus concurrentibus, ſi compoſitus. Attamen quia morbus talis plerunque corpus humanum, & ejus operationes ratione omnium trium lædit, ideo morbus compoſitus merito dici habet: conſideratis enim eſſentialiter inhærentibus morbo tali, nec non & ipſius ſymptomatibus, mediantibus quibus (ſicuti, & cæteri morbi) declarari habet (ut 2. & 3. *microtechni*) patet. primo talis eſſe re vera comprehenditur ob malam complexionem, & non ſolum cum egreſſu ſimplici, ſcilicet quod ſecundum unam tantum contrarietatem excedat ab æqualitate debita illius individui ægri: ut puta quod caliditas vel frigiditas & id generis, ſint aliter quam naturaliter eſſe deberent, v. g. quod caliditas naturalis ipſius ſit cum lapſu ad majorem caliditatem, vel quod ſit alterata ſeu permutata ad aliam qualitatem. omne enim corpus complexionem ſibi ſolummodo propriam habere habet: ut *cap. prim. doctrinæ prim. ſen. prim. primi.* Verum etiam cum egreſſu compoſito, ſcilicet ſecundum duas contrarietates, ſeu alterationes ab æqualitate, quæ ſibi propria eſſe deberet: ut puta, quia caliditas & humiditas, vel caliditas & ſiccitas & id generis, aliter ſint, quia vel cum lapſu ultra, vel ad contrariam naturam alterentur, ut Galen. ſupra. Corpus enim ægrum (gratia exempli) non plus debito exſiccatur, quin caliditas ſit major, nec humectatur (humiditate ſcilicet extranea) niſi frigiditas ſit major: minimeque infrigidatur, niſi ſiccitas ſit major: vel quod humiditas ſit ſatis valde ſuperflua, quæ reddit corpora multo frigidiora, & citius quam ſiccitas major ut ſupra. & dixit humiditate extranea, propter naturalem. quæ quanto fuerit minor, tanto frigiditas augmentabitur, ſicut de pura aqua dignoſcitur, quæ à congelatione & ingroſſatione frigoris præſervatur propter humiditatem, quam habet mixtam cum ſua frigiditate, quare fit fluxibilis. ita quod quanto talis humiditas eſt minor, tanto minus facit aquam (cum ſit primo frigidiſſima) fluxibilem, ut in *cap. de aqua, de elementis, ſecundæ doctrinæ ſen. primæ prim.* tradit Avic. ita etiam & de alteratione, ſeu permutatione ad naturam contrariam, ſive ſimplicem, ſive compoſitam ſimiliter, gratia exempli, dicatur, & ſic nullus ſit morbus, ſcilicet complexionalis, quin ſecundum iſtum modum fiat. Similiter & quod mala compoſitio cum eodem morbo reperiatur, nulli dubium, & non ſolum quidem ſecundum unum, verum etiam & ſecundum omnia quatuor genera ægritudinum compoſitionis, videlicet creaturæ, quantitatis, numeri, & ſitus, quia tot modis & non pluribus, ipſa organicorum compoſitio lædi valet, ſicut ſupra & *cap.* 3. *primæ ſummæ primæ doctrinæ, ſecundæ ſen. prim.* ſic & genus ægritudinum creaturæ, quia non ſolum ſecundum unum vel plura; ſed etiam ſecundum omnia ipſius quatuor genera morborum videlicet figuræ, viarum, receptaculorum, & ſuperficierum ipſius creaturæ, lædi poteſt ut ſupra. Et primo nocumentum figuræ repertum cum morbo prædicto patet: lædit enim creaturæ figuram in ejus operatione, quia quandoque rectum torquet, & quandoque tortum reddit rectum. ſimiliter longum minuit, & quandoque curtum elongat & his ſimilia: ſimiliter & de nocumento viarum ſe habet, quia facit varices, oppilat venas hepatis, & ſplenis, nervos opticos qui ſunt via virtutis viſivæ, & ſimilia his, & etiam in receptaculis nocumentum in dicto morbo declaratur, quia ex mœroze & triſtitia multa ſanguinem à venis evacuari & exſiccari videmus. ſimiliter & in ſuperficiebus nocumentum in dicto morbo ſane apparet, quia cutim foedam, aſperam, & furfuream, vel cruſtoſam apud talem morbum reddi videmus. De nocumento ſimiliter in quantitate tam magna quam parva ipſius figuræ nemo dubitat, quia quandoque apud talem morbum adeo augmentantur tibiæ, ut fiat elephantia & his ſimilia, & ſic aliquando adeo minuuntur & demacerantur membra, ut fiat phthiſis, & ſimilia his. De nocumento autem in numero & tam magno quam parvo, in dicto morbo apparente non eſt qui dubitat, quia cum ipſo puſtulas, ampullas, tuberoſitates, glan-

*Quo genere morborum vel quibus iſte morbus lædat.*

glandulas, & apoſtemata melancholica, ſicut ſephiros, ſcirrhos, lapides in renibus & in veſica & ſimilia his palam ſpectare licet. ſimiliter membra corrodit adeo ut ea cadere faciat, maxime extrema, ſicut naſum, labium, digitum, penem, & ſimilia. Etiam & de nocumento ſicus ſimiliter dicto morbo declaratur, quia membra à ſuo loco movet, & ipſa lapidat, & ab eorum debito motu prohibet. Et in ſocietate etiam, quia manum aperire & aliquando claudere impedit, digitum aliquem vicino adhærere, vel eo elongari vetat, & ſimilia. De unitatis autem ſolutione in eodem morbo exiſtente nemo anceps eſt, quia cutim excoriat, carnem ulcerat, oſſa & cartilaginem corrodit. nunquam enim, vel ut in pluribus, morbus talis ſine ſolutione continui, ſaltim intrinſeca exiſtit, quia ſicut diximus facit ampullas & tuberoſitates, ſcirrhos, ſephiros, apoſtemata, & morpheam, albaras, impetiginem, ſerpiginem, lepram, cancrum, & cæteras ægritudines ſimiles his, extremaque corrodit, unde patet ex dictis morbum talem dici & nuncupari debere morbum compoſitum. Qua re ſane declaratum exiſtit præceſſores noſtros, & medicorum principes, ſat non tantum de iſto, verum etiam & de quovis alio quamvis incognito morbo, dixiſſe, quia ſemper cum adveniret, ſecundum modum dictum, nec alio modo lædere habelit. Ad quid ergo perditio tanta? & cur à garrulis, loquacibus, procacibusque, carnificibus, & torpidiſſimis Medicis de hujuſce morbi novitate & ſumma potiſſimum admiratione elaboratur? cur ergo canonicos, rationalesque medicos inſimulantes eos nullam hujus contagioſæ labis notitiam habuiſſe aſſerere? ò, quam torpida eſt ipſorum medicandi via, ut nomen ejus & non morbum nec cauſam morbi curent. Itaque ſi ex iſtorum ſententia, & authoritate, morbo, & ajunt, Gallico, mederi volumus, quovis Hiſpano indigemus, quum ſint Gallici & Hiſpani invicem contrarii & inimici, ſi Italo tamen exteri ſunt advocandi. omnis enim cura perfectior habetur contrario ſibi adhibito. Sed extra jocum dicendum eſt quod licet de Morbi Gallici, Hiſpani, Italici, vel quovis alio nomine, in antiquorum & primorum medicorum libris nullam mentionem factam adinvenianus, ſat eſt per canones, & ipſorum præcepta, eſſentiam ejus nobis declarari, & illa mediante nobis cauſam ſignificari, ita ut poſtea ſecundum proceſſionis, alterationiſque modum ipſum morbum curare recte valeamus parum curantes de nominibus ipſis. nomina enim ſunt ad placitum, & tantum in aliquibus certa, propter firma loca, ſicut ſquinantia, pleureſis, colica, ſciatica, peripneumonia, & hujuſmodi talia, & quandoque propter ſimilitudinem quandam morbi alicujus cum aliquo animali vel cum aliqua re, ſicut lepra dicta leonina, elephantia, tympanites, teſtudo, glandula, & hujusmodi talia. & aliquando propter ſimilitudinem quandam in natura ſeu moribus cum aliquo animali, ſicut cancer, ſupa, bubo, anthrax, & ſic de ſimilibus: ſicut pruna, ignis Perſicus, ſephiros, ſcirrhus, nodus, ſcrophula: idem & de ſimilibus ut *cap. 6 ſecundi de differentiis febrium*, & *cap. primo vi. de ingen.* aliter enim quum diverſæ & quamplures ſint nationes multitudine medicinarum, & remediorum diverſitate eſſet opus, quum unus & idemmet morbus diverſis nominibus apud diverſas nationes denominetur. Immo forſan aliqui ſub uno tali nomine intelligunt diſpoſitionem aliquam omnino contrariam alicui alteri diſpoſitioni etiam ſub eodem nomine ab aliqua natione perceptæ. nihil enim prohibet binas diſpoſitiones ſub unico nomine à pluribus enominari. Qua de re licet primates ſpecialia capitula plurimorum morborum ſcripſerint, unicuique ſuum nomen imponendo, hoc tamen tantum gratia exempli fecerunt: quum poſtea non nomen, ſed cauſam talis morbi conſiderant, quæ nonniſi modo, vel modis prædictis, videlicet mala complexione, vel mala compoſitione, vel continuitatis ſolutione, ſive cum aliquibus, ſive cum omnibus corpus humanum læsit: fecerunt etiam ita ut ſimilitudinem prædictam pernotarent pro morbi ſenſata magis declaratione, & non ob aliud. Modo ſi (ſecundum quod torpidi medici opinantur) priores medicinæ principes de tali morbo cognitionem non habuere: morbus talis cauſam non haberet, quia non cum aliquo trium dictorum generum ægritudinum, quod eſſet falſum omnino, & ſi dicerent quod bene habet cauſam, tunc ſibi ipſis contradicerent: dicere enim, quod principes de eo cognitionem non habuere, & quod bene morbus talis ſecundum aliquod dictorum morborum genus lædat, contradictio eſt: quum principes de omni genere morborum ſat dixerint. Dicamus ergo primates bene & ad complementum de tali morbo dixiſſe, contra garrulos, procaceſque, & torpidos medicos. Et quia, ut dictum eſt, omnis intentio curativa ſumitur ab eſſentia morbi quum ipſa oſtendat cauſam, cujus remotione indigemus: expedito de cap. 2. hoc eſt, de eſſentia, quia morbus compoſitus eſt, ob id ad tertium, hoc eſt ad cauſam ejus, per conſiderationem eſſentiæ præ-

*Quod priſci de tali morbo dixerint.*

A dictæ, venire par eſt.

## CAP. III.

### *De cauſa morbi.*

Et quia talis morbi ſicut & cujuslibet pro curatione oportet cauſam abſcindere: ut legitur ſecundo microt. perſcrutemur ergo cauſam & cum morbus iſte dicatur compoſitus ex triplici genere morborum, & uniuscujuſque morbi non ſit una & eadem cauſa, ſed alia eſt cauſa morbi complexionalis & alia morbi compoſitionalis & alia morbi ſolutionis continuitatis, ideo primo omnes tales cauſas perſcrutari neceſſe eſt, quot enim modis alteratur corpus humanum, totidem & genera curationis habet: ut ibidem, libro tamen tertio, unde pluralitas cauſarum in modo curativo diverſitatem facit: omnis enim cauſa ad aliquid eſt ut ſupra: quapropter primo cauſam malæ complexionis, ſecundo cauſam malæ compoſitionis, ultimo cauſam ſolutionis continui perſcrutemur, ex B quibus talibus morbus talis componitur: quibus habitis, quia morbi cauſa præcedens curam offendit (ut ſupra) ad talis morbi curationem per conſiderationem cauſæ ejus veniemus, ſed de primo, quia cauſa morbi eſt id quod primo eſt, & ex quo provenit intentio, aut ipſius fixionis cauſa, malitia complexionis erit egreſſus complexionum ab eſſe naturali talis individui tam ſimplici quam compoſito egreſſu: ut in capitulo ſecundo, & de egreſſu ſimplici quatuor modis ſecundum ſcilicet quod quatuor ſunt ſimplices complexiones, videlicet caliditas, frigiditas, humiditas & ſiccitas: unde & quatuor erunt cauſæ talis egreſſionis, ut puta quod caliditas vel frigiditas vel humiditas vel ſiccitas fiat major in tali individuo quam naturaliter eſſe debeat, aut quod ad contrariam naturam naturali qualitati ipſius permutetur ut dicitur ſupra in ſecunda prim. ſi vero dictæ qualitates non ſimplici, ſed compoſito egreſſu egrediantur, eo quia ſecundum duas qualitates, ab eſſe naturali talis individui egrediuntur. ita & cauſa talis egreſſus compoſita eſſe debet, & ſecundum quod quatuor modis quatuor ſimplices qualitates naturaliter compoſitæ exiſtunt in individuo, C videlicet calidum cum ſicco, calidum cum humido, & frigidum cum ſicco, & frigidum cum humido: ita & ſecundum quatuor modos à tali eſſe naturali tam verſus majus quam ad contrarium egreſſus fieri poteſt, ſicut ſi calidum & ſiccum, vel calidum & humidum & hujuſmodi fiant, vel majora quam eſſe deberent, aut quod ad contrarias naturas permutentur ut ſupra, unde octuplex eſt cauſa malæ complexionis, ſeu egreſſus complexionum ab eſſe naturali ſuo, ſecundum quod octo modis qualitates ipſæ ab eſſe naturali egredi poſſunt, videlicet quatuor ſimplices & quatuor compoſiti, ut diximus, cauſa vero talis egreſſionis quandoque eſt antecedens & quandoque primitiva & quandoque conjuncta, ſed quæ & quot earum ſint, hoc medicus convenienter ſcit, ægrum ipſum & ejus familiares examinando, quo pacto toto tempore, vel pro majori parte vitæ ſuæ in ſex rebus non naturalibus ſe habuit, ſcilicet an cibum vel potum in aliqua quatuor ſimplicium vel compoſitarum qualitatum aſſumpſerit? an in magno & continuo motu vel quiete ſtetit? an multum dormiens, vel vigilans fuerit? an inanitioni vel repletioni vacaverit? an in aëre intemperato & verſus quam intemperiem vixerit? an cogitabundus, melancholicus, cholericus, triſtis, vel iratus extiterit? quia iſta omnia, quæ narravimus ex generibus cauſarum ſex non naturalium ſunt tolerantia permutationis, quia quando adminiſtrantur ſecundum quod oportet, fiunt tunc conſervantes ſanitatem, & quando pertranſeunt ad inæqualitatem, fiunt cauſæ ægritudinis: cibus enim vel potus in natura nimis calidus, ſanguinem & ſpiritus ultra modum calefacit, ita quod ipſos acuit & corrodentes & ad naturam choleræ reddit cos, & choleram ultra modum adauget, & id tanto magis, quanto major fuerit. Propter talem enim caliditatem caliditas naturalis ipſorum augetur & à ſua naturalitate elongatur, humiditas conſumitur, & ſiccitas major acquiritur, & tanto fortior & pravior, ſi complexio illius non calida, ſed frigida fuerit, qui tanto plus naturam talem, quum ſit frigida, divertit à ſuo naturali eſſe, & multo plus quam ſi fuiſſet calida, quia reducunt eam in primis ad æqualitatem cum illo calido extraneo, & deinde convertunt eam à tali qualitate ad malitiam complexionis calidæ, unde fit ægritudo prava magis quam ſi complexio illius fuiſſet naturaliter calida: quia ſi fuiſſet calida & nimis alteraretur à calido, cum facilitate infirmaretur, quia minus divertereturà natura ſua calida. non enim eſſet remota à complexione naturali frigida prius, & deinde effecta calida nimis, ſicut illa prima, & ſic in ſingulis alterationibus, videlicet tam in ſicco quam in humido dicatur. Idem & ſi in compoſitis qualitatibus fuerit alteratio. & ſic ſimiliter, ſi cibus

fuerit

fuerit frigidus nimis, augmentum phlegmatis facit. Propter enim nimium frigus removetur corpus ab esse naturali ad lapsum humiditatis extraneæ: ut in capitulo secundo fuit dictum, & si nimis siccus fuerit, melancholiæ augmentum facit. Propter enim siccitatem nimiam corpus ab esse suo redigitur ad lapsum frigiditatis. Et si talis cibus, vel potus secundum duas naturas intemperatus fuerit, ita dupliciter, ut superius dictum est, augmentabuntur humores prædicti, & ab ipsorum esse naturali ad innaturale trahentur, secundum majorem nempe vel minorem alterationem tam simplicem quam compositam, ut antea diximus. Signa vero declarantia dispositiones prædictas, per considerationem cibi & potus in natura eorum habentur, coadjuvante ad hoc idem colore totius, quia eidem humori assimilari habet in colore, ut puta si conversio fiet in cholera, color totus citrinus appareret, similiter & in ore amaritudo, in lingua asperitas, & siccitas, nares aridæ, sitis multa, pulsus festinus, veneris mordicatio, horripilationes per totum ad instar puncturæ acuum percipiuntur, & æger talis frigido potius delectatur, ut *capitulo septimo doctrinæ secundæ in de cognitione signorum dominii cuiuslibet humoris* inquit Avic. Et si in phlegmate, ad albedinem erit declivis color totius, & laxitas superflua, mollities, & frigiditas membrorum corporis, pauca sitis (nisi falsum phlegma fuerit) eo maxime si senex fuerit, virtus digestiva debilis, somnus multus, otiositas, pigritia multa, & pulsus lenis percipietur, & similia etiam, & ut plurimum æger talis de locis articulosis & juncturis conqueritur, quia ipsa sunt loca phlegmatis secundum quod ex dictis ejusdem capitulo tertio doctrinæ tertiæ secundæ sen. primi in de signis complexionum. quare humor talis quum extraneus fit, merito ibi cumulatur. Si in melancholia, macilentus, niger, vel cineritius color erit, secundum scilicet majorem vel minorem incinerationem, est enim de melancholia sicut de ligno combustibili, quod primo tingitur, & nigrum sicut carbo fit, & postea incineratur, vigilia & sollicitudo multa, ardor oris stomachi, desiderium pravum, & similia eis percipiuntur etiam, & quia plus de ossibus quam de aliis corporis membris (ut plurimum) æger conqueritur: ossa enim propter suam siccissimam naturam, extraneationi humoris similiter sicci resistunt: quare plus ab eo, dum extraneus fit, lædunturcoadjuvantibus etiam ad eandem significationem exeuntibus ipsis, sicut maxime sunt feces, urina, sudor, vomitus, sputum, & sanguinis exitus, quæ omnia, vel aliqua eorum cum dicta dispositione & morbo apparere habent, vel cholerica, vel phlegmatica, vel melancholica. sunt enim sedimenta prædominantis humoris in corpore sicut serum lactis: ut *in de regimine sanitatis libro quarto.* Etiam quandoque fiunt excrescentiæ cholericæ, sicut ulcera corrosiva, vel phlegmaticæ, sicut glandulæ, vel melancholicæ, sicut scirrhus, sephiros, cancer, lepra, morphea, ægritudines splenis, ventositas spinæ & similia eis secundum scilicet naturam extraneam humoris ad extraneum conversi. Idem & si in motu continuo multo vel quiete longissima extiterit: motus enim talis (in quantum motus) licet primo calefaciat, & secundo infrigidet: tamen ultimo multum exsiccat, ut capitulo secundo & quarto summæ primæ Doctrinæ secundæ secundæ sen. primi habetur, ubi de causis calefacientibus infrigidantibus & exsiccantibus tractatur, quia calorem naturalem superflue resolvit, & consumit, & in melancholiam innaturalem ipsum convertit. si vero quietem longam tenuerit, similiter calorem naturalem claudendo, primo frigiditatem, ultimo postea humiditatem multam augmentabit, quare phlegma augmentabit ut legitur *capitulo secundo & capitulo tertio summæ secundæ in de causis humectantibus:* Quæ significationes significari habent & certiores fieri per signa prædicta investigatione, & consideratione circa cibum & potum facta. Idem apud multum, & longum somnum, & apud longam vigiliam dicatur. somnus enim admodum longus, quies similiter, & vigilia longa, idem quod motus prædictus operantur, quorum operationes simili modo sicut distemperantia cibi & potus, motus & quietis, declarari & certiores reddi habent, ideo ibi pro necessitate recurras. De inanitione autem & repletione multa, idem dictum puta: quia inanitio multa, vigiliæ multæ, & repletio multa, somno multo æquipollent. Ideo ibidem pro necessitate recurras: quia nutrimentum multum & maxime humectativum, multum humectat, & ibidem capitulo quarto de causis exsiccantibus paucitas nutrimenti, & præsertim sicci, multum desiccat. Modo si nutrimentum paucum exsiccat, quanto magis si nullum modo aliquo detur: quia nec in quanto nec in quali nec in substantia. Sed aër quum sit elementum corporum & spirituum nostrorum, & sit causa salubritatis ipsorum, non solum ut elementum, verum etiam & ut faciens seu temperans eos, ut habetur *capitulo secundo summæ primæ de affectione aëris qui corpora nostra circundat:* Quare ipsum maxime considerare necesse est, an sit intemperatus, & sub qua intemperie? quia sicut ibidem, aër non temperatus, & clarus, substantia extranea complexioni spiritus contraria ei non admiscetur, sed est sanitatem efficiens, & ipsam conservat, & quum mutatur, operatur contrarium suæ operationis, ideo talem intemperiem consideremus, & idem (sicut de cibi & potus consideratione) dicamus, coadjuvantibus ad hoc judiciis & significationibus ex loco habitationis ægri sumendis. Talis enim æger à natura loci non erit elongatus, unde tanto plus læderetur, si habitatio cum intemperie aliqua fuerit, & econtra si temperata ut supra *cap.* 11. similiter, & quia sanguis & spiritus tam exterius quam interius omnia accidentia & motiones animi sequuntur, & eis associantur, ut supra *cap.* 14. in de eis quæ ex motu & quiete animi proveniunt: ideo talia animi accidentia, & maxime iram, timorem, tristitiam, & talia hujus generis, & ipsarum motiones considerare perutile erit: omnia enim talia naturam humoris melancholici sapere & eis assimilari habent, quum in omnibus talibus spiritus & sanguis exsiccentur, & resolvantur: unde melancholia innaturalis generari habebit, & tanto magis quanto æger naturaliter melancholicæ complexionis fuerit, & secundum quod regimen universale ipsius multum, vel parum à natura simili distractum fuerit: quia sicut supra *cap. primo summæ primæ doctrinæ secundæ in de causis.* Non omnis causa quæ corpori advenit in ipso operatur: immo ultra hoc tria requiruntur, fortitudo suæ virtutis agentis seu causæ, fortitudo virtutis corporis præparativæ, & possibilitas præmittendi unum tangere aliud tanto tempore in tali, ut possit ex uno provenire operatio in aliud. Istis omnibus sic sufficienter declaratis, sciet medicus an istarum talium dispositionum causæ sint antecedentes, aut primitivæ, & quæ sint causæ conjunctæ, & adinveniet omnium ipsarum causas nonnisi ex malo vitæ regimine in sex rebus non naturalibus esse, quæ nonnisi causæ primitivæ talium dispositionum dici habent, tales enim sex res extra corporis substantiam sunt ut supra: aut ex parte extrinsecorum corporum eveniunt, sicut quod ex verberatione accidit, & ex aëris caliditate, & ex cibo calido, & frigido, quæ corpori adveniunt, aut ex parte animæ. Anima enim aliud est à corpore, sicut quod propter iram aut timorem & similia his accidit, & ibidem de causis primitivis exemplificans supplet, causarum primitivarum exemplum est, solis caliditas, aut motus fortitudo, aut tristitia, aut vigilia, aut comestio rei calefacientis, sicut allia &c. verum nota quod talium causarum quædam sunt primitivæ omnino, eo quia ultra quod extra corporis læsi substantiam sunt, extra ipsum etiam corpus læsum remanent, sicut baculus, ensis, lapis, & similia. Quædam similiter sunt primitivæ, quum similiter extra substantiam corporis læsi sint, nihilominus ab eis differunt, quia non remanent extra corpus post effectum nocumentum sicut remanent primæ antedictæ, immo tale corpus subintrant: ita quod tales causæ, licet sint primitivæ, non tamen omnino sunt primitivæ, sicut cibus & potus, & similia. At causæ conjunctæ sunt dispositiones provenientes ex dictis primitivis causis tam primo quam secundo modo dictis. Sunt enim causæ conjunctæ causæ corporales, ex quibus proveniunt dispositiones seu effectus adventu primo absque medio, ut supra patet exemplum, sicut illa distemperantia, vel calida, vel frigida, vel humida, vel sicca. Ægritudines vero sunt effectus provenientes ex causis dictis, exemplum est sicut sunt excrescentiæ antedictæ, & similia. Expedito modo de causis malæ complexionis, expedit nunc dicere de causis malitiæ compositionis, quæ similiter cum dicto morbo, ut diximus, reperitur; & quia sicut in cap. 2. nocumentum in compositione potest esse quadruplex, videlicet creaturæ, quantitatis, numeri, & situs, & quod nocumentum creaturæ similiter quadruplex, videlicet figuræ, viarum, receptaculorum, & superficierum. Primo de causis ægritudinum creaturæ: & primo de causis nocumenti figuræ ejus, & postea de cæteris causis dicamus. de primo asserimus, quod causa nocumenti figuræ creaturæ licet sit multiplex & multis modis, tamen causa, quæ cum tali morbo quandoque reperitur, erit omnino ægritudinalis: quia vel ex matre aut patre, tali morbo infecto, si scilicet filius infectus natus erit, originem habet. licet enim figura à spermate informari habeat, & ipsum sperma non à juncturis, sed à cerebro, corde, & hepate exeutiatur, tamen quum in coitu maxime concutiantur juncturæ, multum debilitantur, & quod provenit deinde ex membro debili, ut plurimum debile esse habet, unde podagricus ut plurimum podagricum gignit, ut in *secunda primi doctrina prima capitulo octavo in de dispositionibus ægritudinum*, quod sint ægritudines quædam quæ in semine hæreditantur, sicut albaras, tinea, podagra, phthisis, lepra, & similes, & talis causa quoad

tale

tale corpus dicetur ægritudinalis primitiva : quum extra talis corporis ſubſtantiam exiſtat, & ex parte corporum extrinſecorum adveniat. Non tamen primitiva omnino, quum tale corpus ſubintret, & remaneat cum eo, ſicut ſupra in fine de cauſis malitiæ complexionis. Si vero æger talis non fuerit natus ab infectis parentibus, ſimiliter cauſa ægritudinalis erit. quia propter maciem multam, ſequentem talem morbum, ſecundum quod in de ægritudinibus in quantitate dicemus. Multoties enim contingit quod una ægritudo ſit cauſa alterius ægritudinis, ut in de accidenti & morbo, & *cap.* 31. *quartæ primi*, in quo præcipit, à quibus curationibus incipiamus, ita quod macies ipſa, quæ eſt cauſa nocumenti figuræ, in quantum eſt ægritudo facta poteſt dici eſſe cauſa conjuncta, ex qua iſta alia ægritudo figuræ fit. At quia eſt res corporea, & intra ſubſtantiam ejuſdem corporis, cauſam antecedentem ſecundi nocumenti eam appellabimus : contingit enim ex ipſa macie, figuram corporis, quum ſit recta curvari, & torqueri, & econtra, quia ſtat quod corpus tale antequam infirmaretur ſit pingue, & curvum, deinde ob morbum in quantitate diminuta macrefactum à tanta pinguedine, quæ erat cauſa (gravando) curvitatis, exoneratumque à pondere tali, erigatur, & de curvo fiat rectum, licet etiam contingat quandoque curvari, ita quod de recto fiat curvum, quia, ſecundum quod diximus, cum tali morbo fiunt ægritudines viarum, ut puta varicis, ſplenis, & ſimiles, quæ gravando ſunt cauſæ curvationis, & contorſionis figuræ, & ſimiliter propter humorem extraneum imbibitum intra muſculos, lacertos, vel nervos ſpaſmetur, contrahatur vel laxetur, ſeu extendatur membrum, ita quod de curvo fiat rectum, & de recto curvum, ſicut & ſi apoſtema contingens in junctura aliqua corporis faciat ipſum rectum permanere, & plicari non poſſe : ut *cap. v. ſummæ primæ doctrinæ ſecundæ ſen. pri. de cauſis corrumpentibus figuram.* De cauſis vero nocumenti creaturæ (in viis tamen) dicendum ſimiliter quod ſunt quam plures, ut ſupra *cap.* VI. tamen cauſæ nocumenti viarum, quod talem conſequitur morbum, erunt aut humor groſſus extraneus melancholicus, ſicut in caſu noſtro, claudens vias per quas ſplen recipit ; & tribuit, ita quod ipſum oppilat, aut erit humor phlegmaticus groſſus & viſcoſus, retentus in vacuitate viarum, verbi gratia nervorum opticorum oculi, ita ut virtus viſiva ad oculum venire impediatur, aut erit aliqua alia res extranea ſimiliter vias & cannalia figuræ oppilans, ſicut maximè ſunt puſtulæ, verrucæ, & ſimilia ſequentia morbum talem, quæ verrucæ generantur multoties intra dictas vias & cannalia verbi gratia in gulam, naſum, virgam, aures, & in loca ſimilia, ſicut etiam eſt aliquod apoſtema, vel ſimilis tuberoſitas propter ſimilem morbum eveniens in partibus adjacentibus, circundantibus vias & cannalia illius membri. v. g. ſi apoſtema phlegmaticum intra lacertos cannæ ſeu gulæ vel ſupra cannali virgæ & colli veſicæ evenerit, quod ratione quantitatis magnæ vias & cannalia circundantis adeo gravet & conſtringat ea ut etiam claudat, & apoſtema ſimiliter ſeu tuberoſitas hunc morbum ſequens, veniens in domeſtica parte brachii per directum ſcilicet venarum, & arteriarum magnarum brachii, quia dictas venas & arterias gravat, & eis ſimile nocumentum adducit ut ſupra : ſed quæ cauſa ſit iſta ſcilicet an antecedens, an primitiva, an conjuncta? de ipſa dicatur ſicut de cauſa ægritudinum figuræ diximus. De cauſis autem nocumenti receptaculorum in tali morbo jam ſufficienter in præſenti capite in de cibo & potu nimis calido & in de accidentibus animi dictum eſt, & ideo ut diſcas cauſas ægritudinum receptaculorum, ut puta minutionis & exſiccationis ſanguinis & ſpirituum, & etiam quæ ſit cauſa antecedens vel primitiva aut conjuncta, ibi recurras. ſed de cauſis nocumenti ſuperficierum dicimus, quod quum ſecundum duos modos ſuperficies ipſa lædi poſſit, videlicet vel quia aſperatur quæ eſt lenis, aut e contra, videlicet quia lenitur quæ eſt aſpera, ſic & morbus talis ſuperficiem ſecundum omnem dictorum duorum modorum lædit, quia ſuperficiem lenem aſperat & aſperam reddit lenem. Cauſa vero antecedens talis aſperitatis & lenitatis poteſt eſſe triplex, ſecundum ſcilicet quod humor in tali morbo & nocumento tribus modis extraneus fieri habet, videlicet aut quia caliditas eſt intenſa, aut quia ſiccitas eſt multa, aut quia frigiditas eſt magna, ut in *capite tertio*, caliditas enim talis, quia humidum radicale conſumit, & choleram, hoc eſt rem aſperam adauget, lenem ſuperficiem aſperat, ſimiliter & frigiditas magna poros & ſuperficiem membri conſtringendo, humidum radicale ab eo exprimit ut ſupra. Etiam ſiccitas multa quia infrigidat, tum etiam quia ſiccum aſperat ſuperficiem. De ſtiptico autem eſt dicendum, quod quum exſiccet ſimiliter aſperat, & ſic de cauſis ægritudinum creaturæ, ſecundum unumquodque ejus ægritudinum genus, quæ cum tali morbo reperiuntur, ſat dictum. De cauſis vero ægritudinum quantitatis eſt dicendum, quod ſecundum quod mala quantitas duobus modis dicitur, videlicet vel quia magna vel quia parva, ita & duplex erit cauſa ægritudinum ejus, ut puta una malæ quantitatis magnæ verbi gratia elephantiæ & hujus generis, cujus cauſa antecedens erit multitudo humoris melancholici, vel phlegmatici groſſi nimis, ex regimine tali in ſex rebus non naturalibus geniti, ut ſupra *cap. xiiij. de cauſis augmenti & magnitudinis*, quod talis cauſa eſt materiæ multitudo, & *vigeſima ſecunda tertii cap. xvj. primi tractat. de elephantia* quod ſecundum quod humor talis poteſt eſſe duplex, ita & duplex nocumentum malæ quantitatis magnæ facere habebit, quia vel melancholicum vel phlegmaticum, quorum nocumentorum unum ab alio diſcernitur, ſecundum quod ſupra in dicto regimine dictum fuit, in *de ſignis diſpoſitionum malarum complexionum :* tum etiam quia melancholicum eſt grave, ad caliditatem, & quandoque ad ſiccitatem, & ulcerationem tendens : phlegmaticum vero ad lenitatem eſt declive, ut ſupra *cap.* XVII. Altera vero eſt cauſa nocumenti malæ quantitatis parvæ. v, g. phthiſis, macies, & hujus generis, cujus cauſa antecedens erit excrementum, & degeneratio choleræ nigræ, ſanguinem & ſpiritus & humidum corporis, in quo vita conſiſtit, exſiccantis ut *ſeptima quarti cap. primo tertii tractat. de extennationis ablatione.* ſed cauſa primitiva erit regimen tale in ſex rebus nonnaturalibus præcedens, ſecundum quod in de cauſis talis malæ complexionis in *præſenti capite* diximus. Cauſæ autem nocumenti in numero, & primo in quantitate magna, licet ſint quam plures ut in *ſecunda pri. cap.* 14. *de cauſis magnitudinis & numeri*, tamen (ut hic) cauſa antecedens erit aut phlegma groſſum, ita quod fiunt excreſcentiæ phlegmaticæ, aut cholera rubea, & fiunt excreſcentiæ cholericæ, aut cholera nigra, & fiunt excreſcentiæ melancholicæ, de quibus omnibus ſat in *capite. ij. in de ægritudinibus numeri.* De nocumento vero numeri in quantitate parva, licet cauſæ ſimiliter ſint quamplures, ut ſupra *cap.* 15. in *de cauſis diminutionis*, tamen (ut hic) maxime eſt humor ad naturam choleræ vel rubeæ vel nigræ convertus ſimiliter ſecundum modum proceſſionis ut ſupra in *præſenti capite.* talis enim humor, ratione qua ſanguinem, ſpiritus, & humidum radicale exſiccat, tum etiam quum ſit acutus mordicativus, propter elongationem ab humido mordicando adeo corrodit, ut niſi ſiſtatur totum membrum amputet, & ipſum à numero partium corporis minuat, ſicut in *capite ij.* de tali nocumento in *de ægritudinibus numeri* exemplificavimus. De cauſis autem nocumenti ſitus dicamus, quod ſecundum quod ſitus duo importat, videlicet locum & ſocietatem ut *cap.* 3. *doc. primæ ſecunda pri.* in *de ægritudinibus compoſitionis*, ita & ſecundum duos modos in ſitu nocumentum fieri habet, videlicet vel in ſitu, ut locus : vel in ſitu ut ſocietas, ita & cauſæ ejus duæ eſſe habent, ſed primo de cauſa nocumenti ſitus ut locus, quæ cauſa membra à ſuo loco movet & ipſa lapidat & ab eorum debito motu prohibet (ſicut in *primo cap. in de ægritudinibus ſitus*) quæ cauſa licet ſit ſimplex, ut ſupra, videlicet *cap. x. doc. ij. de cauſis diſlocationis, & ſeparationis a ſitu*, tamen (ut hic) cauſa antecedens erit vel humiditas multum extranea, quæ humectando juncturas laxat, & à ſuo loco egredi facit, & ipſa in tali loco imbibitur, ubi poſtea propter naturam loci frigidam ingroſſatur, & induratur multo magis, qua indurata membrum tale, ad ſuum proprium & primum locum (unde egreſſum fuit) redire & ſuas debitas operationes operari nequit, ut conſideranti patet. Erit & alia cauſa, videlicet humor corroſivus, qui ſubſtantiam ligamentorum ligantium juncturas & unum membrum cum alio corrodendo, ligamenta corrumpit, quibus corruptis membrum unum ab alio, cum quo prius alligabatur, elongatur, & ſic ſuum locum ut egrediatur contingit. De cauſis vero nocumenti ſitus ſocietatis eſt dicendum, quod ſecundum quod tale nocumentum poteſt eſſe duplex : videlicet vel quia membrum unum ad ſibi vicinum, ut convenit, adhærere non valet : vel quod ab illo, ut convenit, elongari minime poteſt, ſicut in *capite primo* in *de talibus ægritudinibus*, ita & duplex habet eſſe, cauſa antecedens talis nocumenti, una eſt prohibitionis ſeparationis, & altera prohibitionis approximationis. prima prohibet unum membrum ſeparari & elongari elongatione & ſeparatione debita & naturali ab alio ſibi vicino, verbi gratia unum digitum à digito ſibi vicino, ita quod conjuncti & uniti ſimul remanent, aut humor groſſus viſcoſus ratione viſcoſitatis ipſos unitos, ſeu inviſcatos conſervat, & ratione groſſitiei impedit, aut ſpaſmus talem ſequens morbum digitos ſpaſmando unitos conſervat, aut eſt humor nimis mollis, qui ratione mollitici digitos in ſe ipſos & unum alteri coincidere facit, & moveri & erigi, & unum ab altero debita elongatione ſeparari impedit : Aut eſt humor ſiccus, juncturas talium digitorum & membrorum ingreſſus, ubi ex-

exficcatus lapidatur, & ſic ipſos ſimiliter moveri & unum ab altero elongari vetat, ut ſupra *cap* 11. *doc. ſecunda de cauſis malitiæ vicinitatis quæ ſeparationem & elongationem prohibet.* Sed de cauſa ſecunda nocumenti ſitus ſocietatis, quæ unum alteri debita approximatione approximari vetat. v. g. dvorum digitorum unius cum altero ad invicem, vel capitis cum pectore, vel cruris cum coxa, & ſimilium eſt dicendum, quod licet ſit multiplex ut ſupra *cap. xij. de cauſis mal.tiæ vicinitatis quæ debitam approximationem vetat:* tamen (ut hic) erit aut humor groſſus aut ſpaſmus, ut ſupra, faciens tale nocumentum ſecundum eundem modum dictum in de cauſa nocumenti elongationis, ideo ibi pro neceſſitate recurras. De cauſis modo ægritudinum unitatis eſt dicendum, quod licet cauſæ tales ſint quamplures & plurium modorum, ut ſupra *cap. xvj. de cauſis ſolutionis continuitatis:* tamen (ut hic) cauſæ antecedentes ſunt hæ maxime, ſcilicet aut humiditas extranea, ut in *capite ſecundo*, unitatem partium laxans & ſolvens, frigiditas enim extraneans ipſam talem humiditatem, quum ipſam exprimat, eſt cauſa quod talis ſolutio continui fiat, & ſic ulcera mollia phlegmatica fiant, niſi cum humiditate tali aliquid ſalſedinis adſit. Aut erit ſiccitas extranea, dictam humiditatem findens, & ſolvens. aut erit humor acutus mordicativus dictam unitatem ratione ſuæ acuitatis & mordicationis ſolvens. Secundum ergo iſtos tres modos, & cauſas, continuum partium in tali morbo (nec aliter) ſolvi poteſt, & ſic patet quomodo morbus talis dicatur compoſitus, quia cum ipſo omne morborum genus componitur, & qui morbi ſint iſti, & ſecundum quem modum, ſeu cauſam fiant. De eſſentia igitur & cauſa talis morbi hæc dicta ſufficere, & ad caput quartum de cura ejus tranſire volo.

## CAP. IV.

### *De cura morbi Gallici.*

Et quia ſecundum quod in principio præſentis tractatus diximus, id quod in cura morbi tam facti quam futuri requiritur, eſt cauſam morbi abſcindere, quum duplex ſit cauſa morbi, ſecundum ſcilicet quod duplex eſt morbus, videlicet cauſa morbi facti & cauſa futuri, ut ſupra, & diverſitas cauſarum faciat modum diverſum curationis, Abſciſſio enim facti eſt remotio cauſæ ipſius, futuri vero eſt prohibitio cauſæ ejus ut tertio microtechni) modo ſecundum quod duplex poteſt eſſe cauſa: ita & duplex erit ſermo curativus, ut puta prohibitio futuri, & curatio ſeu remotio facti, dum futurum vetari non poteſt. Tertio poſt hoc dicendum de quibuſdam conſiderandis poſt facti curationem. Quarto & ultimo ſalutem vel curabilitatem & incurabilitatem talis morbi prognoſticemus, unde primo de primo, videlicet de prohibitione futuri eſt dicendum.

## CAP. V.

### *De prohibitione talis morbi.*

Et cuia morbus prohibetur ablata diſpoſitione, in qua natus eſt fieri, ut ſupra, modo quum talis morbus natus ſit fieri tam à cauſa antecedenti quam primitiva, ut in *ſecundo capite*, à cauſa quidem primitiva, ut puta à malo regimine omnium, vel aliquarum ſex rerum non naturalium, ſecundum modum dictum in *capite tertio in de cauſis malitiæ complexionis*, à cauſa vero antecedenti, ſicut ibidem in de cauſis malitiæ complexionis, & unitatis ſolutionis, oportet ergo cauſas illas, videlicet tam primitivam quam antecedentem prohibere, ne in conjunctam veniant & morbum talem faciant. Primitiva ut ne malitia in complexione cauſetur, & antecedens ne in compoſitione, nec in unitate nocumentum faciat, ſed de modo talis prohibitionis dicamus: quum enim cujuſlibet morbi cura tam facti quam futuri per contrarium fiat ut *cap.* 1. *quarta pri.* (In ægritudinibus enim cujuſcunque ſuperfluitatis ſperatur quod convertatur in contrarium ſuperfluitatis ipſius, ut *cap.* 8. *doc. prima ſecunda pri.*) ideo inſtituatur regimen contrarium regimini malo omnium ſex rerum non naturalium, quod poteſt eſſe cauſa talis morbi, ut in *cap.* 3. *de tali malo regimine.* v. g. ſi regimen tale ob nimiam caliditatem ſit aptum protrudere corpus verſus ſiccitatem nimiam, medicus prohibeat vetando ægrum ab hoc, ſimiliter & ſi propter multam frigiditatem verſus humiditatem nimiam, ſic & ſi propter maximam ſiccitatem verſus frigiditatem magnam. ſecundum enim iſtos tres modos humores à debita & naturali complexione egrediuntur ut in *cap.* 2. à quo egreſſu ſi prohibentur, malitia in eis acquiri vetatur, & ſic corpus à tali morbo defenditur, idem dicendum & de cauſa antecedenti, à qua eſt apta nata fieri malitia in complexione & in unitatis ſolutione. ipſa enim ſi prohibeatur augmentari & exiſtens ſeu effecta removeatur, quia in quantum effecta evacuatur, & futura fieri prohibetur, malitia in compoſitione & in unitatis ſolutione, fieri ſimiliter prohibetur, & talis evacuatio cauſæ antecedentis, ſimiliter & prohibitio ejus fiunt ſecundum quod cauſa ipſa poſtulat, ut cum evacuantibus phlegma: quæ maxime exempli gratia ſunt: *agaricus, ſal gemmæ, colocynthis, zinziber, ſal Indum, epithymum, helleborus, eupatorium, hermodactylus, iris, maſtiche, ſtoechas, turbith, hiera, caſſia fiſtula, diacatholicon, polypodium, apium, chamædrys, calamintha, mel roſatum, ſcolopendria, liquiritia,* & ſimilia eis, tam ſimplicia quam compoſita, quorum doſis & forma, verbi gratia, erit. Recipe *aquæ ſcolopendriæ vel ſcabioſæ, vel lupulorum & etiam endiviæ* (& maxime ſi quid febris adfuerit, ſicut utplurimum, quaſi enim ſemper æger talis ad minus febricula quadam febricitat:) *unc. vij. florum boraginis, bugloſſæ, capillorum veneris ana man. s. paſſularum enucleatarum, liquiritiæ ana drach. ij.* & facta ex eis decenti coctura. Recipe *agarici albi electi drach. j. ſalis gemmæ ſcrup. s. epithymi drach. s. infundantur per noctem in unc. iij. dictæ decoctionis,* & *fiat fortis expreſſio cum qua diſſolvantur diacatholiconis unc. s. diaphoeniconis drach. ij. s. mellis roſati colati. unc. j. miſce* & *fiat potio* conſideratis ſemper conditionibus ad evacuationem faciendam requiſitis, inferius in præſenti capite dicendis. Nam dicit Galenus *cap.* 3. *libri quarti de ingen. ſan.* quod illud, quod non poteſt patefieri, nec in libro ſcribi, eſt quantitas determinata uniuſcujuſque particularis. Pillulæ vero, quæ ſuppleant vices medicinæ antedictæ, ita quod vice ejus dari poſſunt: verbi gratia *zinziberis, myrobalanorum Indorum, Chebulorum, corticum cucumeris aſinini:* vel loco ejus interioris *colocynthidis, ſalis Indi, hermodactylorum, hieræ picræ, ſaxyrionis, agarici electi, verb. gratia eorum de quolibet ad libitum drach. j. diagrydii drach. s. rhabarbari drach. j. s. cinnamomi, caryophyllorum, macis, nucis muſcatæ ana ſcr. j. ſalis gemmæ. ſcr. s. ſerapini drag. iij. piſtentur ſubtiliſſime, pulviſque jervetur in vaſe vitreo:* & ubi opus eſt ſumatur de dicto pulvere à *drach. j.* uſque ad *drach. ij.* & cum *melle rojato* vel *ſyrupo de ſtoechade formentur pillulæ. vij.* ſimiliter cum conſiderationibus prædictis: & ſimiles iſtis, ſicut ſunt *pillulæ de agarico, de hiera cum octo rebus, de turbith,* & ſimilibus, vel cum evacuantibus choleram rubeam, quæ ſimiliter. v. g. maxime ſunt *rhabarbarum, ſcammoneum, manna, myrobalani citrini, caſſia, ſena, epithymum, diaprunum, diaſena, pruna damaſcena, jujube, tamarindi, ſemina communia frigida, lupuli,* & ſimilia eis tam ſimplicia quam compoſita. Quorum doſis & forma. v. g. Recipe *aquæ lupulorum vel endiviæ, vel ſcabioſæ lib. j. prunorum damaſcenorum numero. vij. jujubarum numero v. tamarindorum unc. s. florum violarum drach. ij.* & *facta decoctione ad conſumptionem medietatis dictæ aquæ colatur,* cujus colaturæ Recipe *unc. ij. ubi infundatur per noctem rhabarbari electi. v. g. drach. j. cum ſpica ſua, deinde coletur,* & *cum dicta colatura diſſolvantur manna electæ. v. g. unc. ij. pulpæ caſſiæ. drach. vij. diaprun ſolutivi drach. iij.* & *fiat potio,* vel cum evacuantibus choleram nigram quæ ſimiliter. v. g. ſunt *ſcammoneum, confectio hamech. epithymum, polypodium, gallitrichum, polytrichum, chamædrys, chamæpitys, ſcabioſa, folliculi & folia ſennæ, epithymum, fumus terræ, cepulus, hiera ruſſi, pulvis diaſena, pilulæ de fumo terræ* & ſimilia eis tam ſimplicia quam compoſita quorum doſis & forma. v. g. Recipe *ſeri caprini vel aquæ lupulorum, vel fumi terræ, vel ſcabioſæ lib. j. epithymi drach. ij. rhabarbari electi, ſcru. ij. cum ſpica ſua, turbith electi & mundi drach. s. pulveris ſennæ ſcrup. ij. florum boraginis, bugloſſæ & violarum ana. pug. 1. polypodii. unc. s. corticum myrobalanorum Indorum drach. iij. terenda terantur, pulverizanda pulverizentur,* & *per noctem infundantur, deinde bulliant ad conſumptionem medietatis ſeri, vel aquæ,* & *colentur. cujus colaturæ* Rec. *unc. iiij.* & *diſſolvantur mannæ electæ unc. j. s. confectionis Hamech. drach. iij.* & *fiat potio.* Præcedentibus tamen digeſtionibus ſeu maturantibus phlegma ſubtiliantibus iſtud intelligitur, ſicut ſunt *ſyrupus de epithymo, ſyrupus acetoſus tam ſimplex quam compoſitus, oxymel tam ſimplex quam compoſitum, mel roſatum colatum.* Quorum v. g. per ſeptem dies quolibet mane Recipe *ſyrupi de epithymo unc. s. acetoſi ſimplicis unc. j. s. aquæ ſcabioſæ capillorum veneris & endiviæ ana unc.* 1. & detur tepidus. vel Recipe (& maxime ſi phlegma fuerit ſalſum) *radicum apii, jæniculi, petroſelini, polypodii, endiviæ,* & *bugloſſæ ana unc. ij. chamædryos, calaminthæ ana ma. j. capillorum veneris man. iij. agarici albi electi* & *intrapetium ligati. drach. j. bulliant ſimul in aquis fumi terræ, lupulorum,* & *ſcabioſæ ana lib. j. ad conſumptionem medietatis aquarum,* & *colentur. cui colaturæ addantur ſuccorum depuratorum fumi terræ, ſcabioſæ,* & *endiviæ ana unc. iij. ſaccari ut ſufficientiam,* & *ſecundum artem fiat ſyrupus, cujus doſis eſt ab unc. ij. ad iiij.* cum eiſdem aquis, & detur ſicut primus, & ſic de ſimilibus choleram rubeam ingroſſantibus, ſicut etiam

exempli

exempli gratia, ſunt *ſyrupus de endivia*, *de roſis*, *de jujubis*, quorum per quatuor vel quinque dies hora ſua Recipe *ſicut ſyrupi roſati unc. j. s. ſyrupi de endivia unc. s. aquarum endiviæ*, & *lupulorum ana. drag. j. s.* vel (& maxime ſi ebullitio choleræ fuerit maxima, ita quod de aduſtione eſſet dubium.) Recipe *ſuccorum endiviæ*, *lactucæ*, *boraginis*, *bugloſſæ*, *fumi terræ*, & *lupulorum depuratorum ana. lib. s. aquæ emulſionis ſem. comunium frigidorum lib. s. foliorum & ſeminum portulacæ lib. j. jujubarum drag. iij. prunorum damaſcenorum numero. xv. epithymi. drag. iij. violarum*, *roſarum rubearum*, *ana. man. ij. rhabarbari electi* & *intra petiam ligati ſcrup. ij. terantur & ad conſumptionem medietatis bulliant*, & *colentur*, *cui colaturæ addantur ſaccharı albi lib.* 11. & *ſecundum artem fiat ſyrupus acetoſus. doſis erit ab unc. j. s. ad. ij. cum unc. iij. aquæ endiviæ*, *vel lupulorum*, & ſimilium dictarum. nigram vero humectantes & remollientes, ſicut *ſyrupus de fumo terræ*, *de lupulis*, *mel roſatum colatum*, *ſyrupus de epithymo*, & *endivia*, *oxymel ſimplex* & ſimiles eis. quos per ſpecies dies accipies ſingulo mane. v. g. Recipe *ſyrupi de fumo terræ. unc. j. mellis roſati colati*, *ſyrupi de endivia ana un. s. de eiſdem aquis unc. iij.* vel Recip. *ſyrupi de fumo terræ*, *mellis roſati colati. ana unc. j. aquæ endiviæ*, *lupulorum*, & *bugloſſæ ana unc. j.* vel Recip. *radicum boraginis*, *bugloſſæ*, *polypodii*, *corticum radicum capparum*, & *tamarindorum ana unc. ij. cuſcutæ*, *chamædryos*, *chamæpityos*, & *ſcabioſæ*, *ana man. j. folliculorum & foliorum ſenæ*, *roſarum rubrarum*, *violarum ana drag. s. epithymi drag. iij. aquarum ſcabioſæ*, *fumi terræ*, & *lupulorum ana lib. j. jeri caprini lib. s. conterantur & infundantur per noctem*, *deinde bulliant ad conſumptionem medietatis*, & *colentur*, *cui colaturæ addantur ſaccharı albi lib. ij.* & *ſecundum artem fiat ſyrupus acetoſus*, *cujus doſis eſt ab unc. ij. ad unc. iij. cum eiſdem aquis*, & ſic de ſimilibus dictum puta. Cum enim humor aliquis in loco collectus fuerit, nullo modo moveatur, nec ipſum medicus evacuare præſumat, niſi maturetur, & digeratur prius, ita quod eſſentiam habeat temperatam ſeu æquatam, ut æquæ & pari eductioni, vel evacuationi recipiendæ aptetur, ut *cap. iij. quartæ ſen. pri.* ſecundum quod in cauſa fuerit talis vel talis humor: ſecundum enim iſtos tres modos in morbo tali humor extrancari habet: ut in *capite iij.* obſervatis obſervandis in unaquaque evacuatione facienda, videlicet repletione, virtute, complexione, accidentibus convenientibus, ſicut ſi contingeret ut naturam ſolvere vellemus, deinde acciderct ventris ſpontanea interim ſolutio, tunc ventrem ſolvere ſuper ventris ſolutionem eſt timoroſum, & figuram conſiderare oportet, ætatem, tempus anni, aërem, regionem, diſpoſitionem totius, & conſuetudinem evacuandi: hæc namque quando fuerint contraria ſignificationi, propter quam evacuatio facienda eſt, prohibent evacuationem ut ſupra. Præſervando corpus à ſimili regimine: ut ne iterum in ſimilem morbum coincidat: hæc de prohibitione talis morbi dicta ſufficiant.

## CAP. VI.

### *De curatione Gallici morbi jam facti.*

Et quia morbus talis factus à futuro differt, quia in facto, cauſa primitiva, vel antecedens, vel ambo ſimul quia prohiberi non potuerunt, ut in *v. capite* in *de prohibitione talium cauſarum*, effecta eſt vel effectæ ſunt conjuncta in aliqua corporis parte, ita quod ſicut in morbo futuro cauſa antecedens vel primitiva vel ambo ſimul, erant tantum in diſpoſitione, ut ex eis fieret morbus prædictus, in jam facto, dictæ cauſæ ſunt cum effectu, ſimul cum cauſa conjuncta. modo ſecundum quod in morbo plures cauſæ, plures intentiones curativæ ſunt neceſſariæ: quia oportet prohibere tam antecedentem quam primitivam, & a proprio loco evacuare antecedentem, ne in conjunctam tranſeat. At quum de prohibitione & evacuatione tali ſat dictum in *v. capite*, ibi quum opus fuerit recurras, tantum hic de eductione cauſæ conjunctæ dicendum, ſic quod præcedentibus univerſalibus ex prædicto capite, ad ipſam cauſam conjunctam cum convenientibus localibus accedendum. cauſa enim conjuncta niſi tangatur, & ſecundum quod ipſa poſtulat à proprio loco, ubi conſidet, non propellitur, non curatur: & maxime ſi multa vel groſſa, quia aliter incedendum ſi phlegma tantum, aliter ſi melancholia, & aliter ſi mixtus fuerit humor ille in cauſa conjuncta, & ſi mixtus aliter ſi prædominante phlegmate, & aliter ſi melancholia. ſecundum enim iſtos quatuor modos humor cum cauſa conjuncta nocet, quia licet in cauſa antecedenti vel primitiva ſit etiam extraneatio choleræ rubeæ, tamen quum efficitur conjuncta, & in ipſam tranſit, ſit nigra. propter enim motum exſiccatur aduriturque, quare de rubea fit nigra. Ita quod ſemper cum cauſa conjuncta erit phlegma, vel melancholia, ſed quod iſtorum per dicta in *capite iij.* in de ſignis uniuſcujuſque humoris cauſa conjuncta adinvenietur: modo merito contra ipſos laborandum ut extrahantur, & à loco collectionis educantur. ſed ſicut de cauſa antecedenti ſeu humore tali, ita & de cauſa conjuncta dicitur, quia ſicut humor in cauſa antecedenti evacuari non eſt aptus niſi maturetur & digeratur prius, ita & humor in cauſa conjuncta prius dirigendus & eductioni præparandus eſt. ſic enim & ordine tali, reſolutio, & eductio ejus æqua fit, & laudabilis, & hoc non ſolum ſe habet de reſolutione, & eductione inſenſibili, verum etiam de ſenſibili. humor enim talis (& primo ſi phlegmaticus) niſi à tanta frigiditate & humiditate reſtauretur & digeratur, reſolutioni cuilibet quam maxime rebellis redditur, quia propter groſſitiem, & etiam viſcoſitatem frigidi & humidi, omni reſolutioni contrariatur, & quia ſic ut reſolutioni diſponatur ſubtilietur, incidatur & liniatur prius. digeſtio enim rei groſſæ eſt ſubtiliatio, & viſcoſæ inciſio, ſimiliter & ſi fuerit cholera nigra, ſive melancholia, quæ cum ſua nimia ſiccitate cum frigiditate, reſolutioni omni repugnat, & contradicit, ut diſponatur, humectetur oportet primo. digeſtio enim rei ſiccæ humectatio eſt. Aliter enim quum reſolutio fiat a calido, reſolveretur ſubtile, & groſſum ſeu ſiccum ejus lapidaretur magis, & etiam qualitas mala tam phlegmatis quam melancholiæ (ob quam ut plurimum æger à febricula quadam non abſolvitur) infigeretur & acquireretur in renibus, & hepate, & ubique partium corporis, quæ ad tempus eſſet cauſa recidivationis, & propter hoc ſecundum modum talem bene digerantur & maturentur humores prædicti & deinde reſolvantur: verum nota, quod ſi complexio innata ægri fuerit ad minus à prædominio ſanguinea, & morbus minime confirmatus fuerit (ut in *capite ultimo de morbi talis confirmatione*) ipſum exquiſite à baſilica phlebotomare (etiam ante aſſumptionem digeſtivi prædicti) non parum utilitatis habebit. in caſu autem fortis doloris phlebotomia non convenit, etiam ſignificationibus poſtulantibus phlebotomiam exiſtentibus, propter cauſam notam. De medicinis vero, & ordine procedendi, in illis exhibendis, primo ſi cum cauſa conjuncta fuerit humor phlegmaticus, præponantur medicinæ digerentes, ſeu maturantes groſſitiem, & incidentes viſcoſitatem ejus, ſicut ſunt *adeps anatinus*, *vitulinus*, *leoninus*, *leopardinus*, *caprinus*, *hircinus*, *phaſianinus*, *taurinus*, *anſerinus*, *urſinus*, *gallinaceus*, *dialthæa*, & eis ſimilia. quibus omnibus vel aliquibus ipſorum calefactis & conſideratis conſiderandis (ut dicetur inferius) forti & ſtrenua manu per iiij. vel v. dies mane & ſero inungantur loca ægra cum conſequenti ſuperpoſitione panni linei calefacti: tum ut ne medicinæ ipſæ in ſuperficie infrigidatæ remaneant, tum etiam ut aliqualiter humor talis groſſus, & viſcoſus, agitetur, & diſrumpatur. quod ſi dum fit inunctio, teneretur (ut ita dicam) teſtum calefactum, nonniſi utiliſſimum erit. At quum humor talis & quantitate & qualitate (quia frigidus humidus) poros claudat adeo, ut forſan medicinæ prædictæ in ingreſſu fatigentur, convenit tum quia loca talia propter malitiam in complexione, & unitatis ſolutione à dolore moleſtantur, & debilitantur, ut diſponatur, & præparetur ab antedictis medicinis: videlicet poros aperiendo & etiam dolorem mitigando, quantum fieri poteſt. & membra aliqualiter confortando, & hoc maxime cum anodynis, ſicut ſunt *oleum chamæmelinum*, *anethinum*, *de ſemine lini*, *pulpa caſſiæ fiſtulæ*, & hujuſmodi talia, quæ (ut anodyna) id quod dictum eſt operantur. Quibus talibus, vel aliquibus ipſorum ſimiliter calefactis, perque tres dies adhibitis in locis ſupradictis, deinde adminiſtrentur medicinæ adipoſæ prædictæ, ſubinde exhibeantur medicinæ reſolventes, & ſic medicus nocumentum reſolutionis ſubtilium partium & lapidationis groſſarum devitat: fiet enim reſolutio æqua, & laudata, quia materia conjuncta talibus præcedentibus medicinis bene digeritur & reſolutioni pari, & laudabili diſponitur: Medicinæ vero ad talem reſolutionem, ſunt, ſicut *olibanum*, *galbanum*, *ammoniacum*, *lutum alvearıorum apum*, *oleum de olibano*, *de maſtiche*, *de lauro*, *ſerapinum*, & eis ſimilia. At quum humor talis utplurimum colligatur & coadunetur intra juncturas (loca enim phlegmatis ſunt juncturæ) ut in *capite* iij. medicinæ tales reſolutivæ, & ratione profunditatis & tortuoſitatis locorum talium, ex quo minime talis humor valet ultimo digeri & reſolutioni præparari, ſuam optatam operationem in reſolvendo perficere nequeunt: unde oportet cum eis aliquid permiſceri, quod viam paret, & loca talia, quæ medicinas hujuſmodi tolerent, diſponat, non enim ob aliud medicina podagram, & ſimilem arthriticam paſſionem ſolvere nequit: quam quod locus, & humor maxime curationi rebelles ſunt, modo ad id quam maxime valet *argentum vivum* meis propriis conſiderationibus extinctum, quod honorificum, & lucroſum ad curam talis morbi continue ſum expertus:

*De argento vivo.*

de ejus vero extinctione, quum venenositatem sapiat, gingivas ulceret, dentes limosos reddat & fœdos, corrodatque, & eorum ligamenta relaxet, suffocet, & mentis alienationem faciat eiumando sursum, dum non rationali ordine servato ad ipsius extinctionem tamen pervenitur, cujus præparationis modum, artem, & medicinam præparantem ipsum, silere esset operæ pretium, nostratium bilinguium empiria, & latratu canino considerato, quia omnem medicinam quamvis canonicam, ita inconsiderate in usum adducunt, ut si aliquando quid boni faciant, nonnisi per accidens faciant. Quare eis minime prodest scire hoc: & similiter, si meus hic tam laboratus ordo, ars & modus extinguendi ipsum argentum vivum ad manus peritorum medicorum pervenerit, sicut ignaris ut diximus incassum traditur, ita peritis supervacaneus est. Ad amicorum contemplationem igitur, & libri perfectionem hoc molior: & est Recipe, verbi gratia, *argenti vivi lib. j. ponatur in mortario marmoreo: salivæ, sive sputi hominum juvenum, complexionis calidæ, bonæ habitudinis, & stomacho jejuno, sive mane, sive sero omni die ad sufficientiam collectæ, & cum pistillo per decem dies continuos fortiter terendo extinctio ejus sedulo procuretur, & deinde servetur in vase:* & per mensem immediate sequentem ad minus quater visitetur, & per diem singula vice simili modo & cum simili sputo fortiter conteratur: hoc autem perfecto administretur ut infra: quia cum tali sputo & tali ordine servato, & per tantum temporis spatium extinctum, à venenositate exsolvitur, exsiccat, resolvit, abstergit, subtiliat, & incidit: quia natura aquea & terrea stris ipsius consumitur & sulphurea vigoratur: Quare ad nostram intentionem multum confortatur, quia cum debitis medicinis bene incorporatur, unde illas ad debitum locum adducit. licet enim ipsum operetur, ut diximus, tamen in aliquibus indiget auxilio aliarum medicinarum: quare necessaria est medicinarum in cura talis morbi compositio, ut una alteri auxilietur, & omnes simul ad unum finem concurrant, etsi autem alio modo & cum alia re extingui videam ipsum *argentum vivum* ut plures faciunt, nempe vel cum *axungia porcina*, vel cum *butyro*, vel cum *succo limaciarum*, non tamen habetur perfectio tanta ejus, sicut cum sputo prædicto: quemadmodum medico rationali naturam & bonitatem sputi prædicti, & dictarum rerum consideranti, non erit obscurum. tale enim sputum quanto perfectius, est proprium veneni remedium, & cæteras dictas operationes bene operatur: unde ciarauli, quos serpentes quamvis venenosissimi mordent, fugendo cum sputo loco morsu affecto occurrunt. verum notandum quod licet operetur ut diximus, tamen oportet ipsum non sine magna consideratione usurpare, & cum opportunis medicinis permiscere: quia cuum violenter incidat, medicinas cum impetu & violentia ad fundum adduceret, ita quod licet non omnimodam, tamen aliqualem lapidationem causarent: quælibet enim medicina natura auxiliante, & debito intervallo bene curat: animadvertatur modo quantum de eo sit apponendum in tota medicinarum compositione, & an de ipso plus adhibendum sit in principio, vel in fine, vel in medio usus medicinarum: est enim de ipso sicut de cæteris medicinis, dum ultra modum & inconsiderate offeruntur, quia cum sit naturæ prædictæ, & proprietatis, qua violenter incidit, partem subtiliorem materiæ conjunctæ cum violentia resolveret, & grossiorem exsiccando lapidaret, & forsan in partibus sanis, ubi obviat, ulcerationem faceret. Qua de re cum talis humor sic inobediens sit exsiccationi & pari resolutioni, circa prædicta de argento vivo accurate attendatur, ut operatio & cura laudabilis fiat & par. reddam igitur medicum attentum ut propter dicta de ipso argento vivo gradatim & passim ad appositionem ejus perveniat, sicut v. g. pro ij. unctione, quam ipsum argentum vivum ingreditur. Recipe *lib. j. axungiæ porcinæ sine sale:* ipsa enim naturæ humanæ est amica, & ponitur loco illius, confortandoque membra, symptomata mulcendo, vias leniendo, lenit & similiter asperitatem formæ & substantiæ medicinarum siccarum talem compositionem ingredientium. verum ut incorporatio bona fiat, tum ut subtilietur, & ingressus ejus habilitetur, præterea aut acuitas aliqua quam habet remittatur, præparetur prius fortiter, videlicet in mortario marmoreo conteratur per tres dies, & conterendo cum aqua frigida pura continuo abluatur, & in fine contritionis cum *aquarosata*, & tandem cum *aqua fumi terræ*. Hoc facto. Recipe *argenti vivi extincti extinctione prædicta unc. ij. olei trium vel quatuor annorum antiqui unc. iiij. olei de olibano unc. ij. olei mastichini unc. j. olei laurini unc. j. s. fecis ceræ vel luti alveariorum apum unc. ij. dialthææ unc. j. thuris, mastichis, olibani, ana unc. s.* quia olibanum (ut in ejus cap. Princeps) huic morbo maxime opitulatur, *serapini unc. j. s. liquefactis liquefaciendis & pulverizatis pulverizandis in mortario prædicto cum axungia prædicta fortiter incorporetur unguentum, addendo in fine parum ceræ albæ liquefactæ* (ipsa enim cera tale unguentum diu super locum conservat) quo unguento per quatuor dies circiter omni mane ante cibum & post assellationem ad minus cum enematibus vel suppositoriis, strenuis manibus, fricationibus, per horam mediam circiter mediante calido testo singula membra calefaciente omnes corporis artus inungantur: deducto tamen dorso spinali, videlicet per directum renum tantum, propter scilicet rationem notam & manibus tum pro decore, tum etiam pro ægri politicis servitiis. post hoc quum modo materia sit magis digesta, & sit resolutioni, & exsiccationi magis obediens, idem remedium vigorare contra eam bene expedit: in residuo igitur unguenti medicinis quæ fortius exsiccant opus erit addere, videlicet *lithargyrii auri, olibani, sulphuris ana sicut unc. s. cerussæ, unc. j. argenti vivi similiter extincti unc. iij. olei de olibano unc. ij.* quibus omnibus modo prædicto cum dicto residuo in simili mortario incorporatis, eadem loca, & eodem modo per tres dies circiter omni mane inungantur: ultimo & tandem addantur iterum in residuo talis unguenti circa. *unc. j. s. de eodem argento vivo*, & simili modo similia loca per alios duos dies fortiter ad certam & indubitatam sanitatem recuperandam fricentur inunganturve, ægro tali per omnes illos circa. xvi dies conservato in camera: non dico stuphata obscura, sed calida tantum: mutando etiam omni die interulam ad libitum. Jam enim unctio apud fortem illam frictionem, interveniente calido testo, & subsequentibus petiis lineis calefactis, bene penetrat, eo maxime quum loca sint jam per anodyna prædicta apta & disposita citissime sustinere tales medicinas: Hæc de tali inunctione, si scilicet in causa conjuncta humor fuerit phlegmaticus. Si vero (ut in *cap.* iij.) in causa conjuncta humor fuerit melancholicus: licet eisdem medicinis esset opus, tamen quum ille humor ob suam nimiam siccitatem, & magnam frigiditatem sit multo plus (quam humor phlegmaticus) incuneatus: tum etiam & ratione membrorum ubi jam considet: quia in ossibus, quæ sunt siccIora membris junctorosis, ideo medicinæ prædictæ considerentur bene: quia quum sint secundum magis & minus tam in humiditate quam in siccitate (in humiditate sicut in secunda unctione: in siccitate sicut in ij. iiij. & v.) non debent neque possent similes in cura utriusque humoris recte adhiberi: sed in cura humoris melancholici, quoad secundam unctionem, eligantur quæ de eis sunt minus humidæ. est enim humor talis in fundo magis, & in locis minus porosis, modo multum humida medicina, poros angustiores citius oppilando, resolutionem prohibet humoris melancholici: ita quod licet humida medicina absolute competeret ex parte morbi sicci, tamen ratione membrorum læsorum magnum faceret nocumentum, quum secundum modum dictum resolutionem impediret: quare merito de eisdem adiposis medicinis eligantur quæ sunt minus humidæ, videlicet *caprinum, hircinum. deinde ursinum, leoninum, leopardinum, taurinum, pullinum, & phasianinum.* nam ut dicit Galen. *cap.* xi. *de cura tumoris schirotizati. sevum caprinum, & hircinum* siccIora sunt cæteris aliis prædictis, scilicet ex quibus arte & modo prædicto fiat inunctio: & simili modo ad dictam intentionem conveniant, extendendæ tamen sunt manus quibus fit inunctio, etiam in partibus adjacentibus junctoris, utputa per crura & tibias & brachia ab uno ad aliud caput, & non in junctoris tantum, sicut in præsentia phlegmatis, ut antea: quo vero ad alias inunctiones, similiter medicinæ siccIores propter idem eligantur, considerata enim utriusque humoris alienatione, quia unus ad humiditatem vergit, & alter ad siccitatem, licet in humido quoad primam intentionem sit opus medicinis siccis multum, in sicco licet similiter quoad primam intentionem sint necessariæ medicinæ exsiccativæ, non tamen exsiccatione tanta indigent quanta in humido, quia oportet eas esse minoris humiditatis, non dico valde parum, quia sic magis siccarent & constringerent, sed dico medio modo, ut supra. consideratis igitur medicinis iij. & iiij. & v. unctionis & naturis earum, dimittantur de eis siccIores, vel misceantur cum parum humidis gradatim, scilicet quousque siccitas superflua ipsarum remittatur, secundum quod *cap. secundo quartæ quarti tract. iij. de canone curationis ulcerum* Avic. docet. Qua de re pro iij. unctione, verbi gratia, Recipe *pinguedinis porcinæ modo superiori præparatæ lib. s. argenti vivi similiter extincti unc. ij. olei similiter parum antiqui unc. iij. olei de olibano, olei de ladano ana unc. j. s. olei mastichini unc. j. fecis ceræ unc. j. s. dialthææ unc. s. thuris, mastichis, olibani ana unc. s. serapini unc. ij. galbani & ammoniaci secundum artem dissolutorum in aceto ana unc. s. quarum medicinarum omnium liquefacienda liquefiant, & pulverizanda pulverizentur subtilissime, & arte & modo & forma antedictis in simili mortario fiat unguentum.* Quo secundum eundem modum & observantiam & per idem temporis spatium utitor,

*Operationes & proprietates argenti vivi extincti.*

*De sputo hominis.*

*Tertia unctio cum argento vivo.*

*Quarta unctio.*

*Quinta unctio.*

*Pro prima & secunda unctione.*

*Tertia unctio.*

utitor, & tunc reſiduo ejus ſimili ratione addantur *argenti vivi taliter extincti unc. iij. ſulphuris, lithargyrii auri, olibani, ceruſſæ ana unc. ſ.* quibus debito modo cum dicto reſiduo incorporatis utaris, ſimiliter per tantum temporis ſpatium, ut ibidem in de cura phlegmatis in unctione quarta, & tandem & ultimo iterum reſiduo tali addantur prædicti *argenti vivi extincti circa unc. ij.* miſce, & ſimiliter per alios duos dies circiter finem inunctionibus talibus ponas: Hæc de tali curatione dum in cauſa conjuncta fuerit humor melancholicus tantum. Si vero in cauſa conjuncta humor fuerit mixtus, nempe phlegma & melancholia, per conſiderationem curationis, & medicinarum dictarum in utriſque præcedentibus curationibus, videlicet unius dictorum humorum, curatio compoſitionis amborum de facili habetur: quia, ſicut in ſolo phlegmate, medicinæ, ſcilicet pro ſecunda unctione, debent eſſe plus humidæ, quam in ſola melancholia, modo propter amborum præſentiam medicinæ tales ſecundum compoſitionem, & dominium, ſeu ſuperantiam alicujus iſtorum ita & conſiderari habent, quia ſicut phlegmate vincenti ſupra melancholiam, licet ratione phlegmatis deberent eſſe plus humidæ, ratione tamen præſentiæ humoris melancholici ſint minus humidæ, & econtra, videlicet ſi melancholia dominabitur: quia licet ratione melancholiæ deberent eſſe minus humidæ, ratione tamen præſentiæ phlegmatis non ſint ita minus humidæ propter dictas rationes in ſingulis dictis curationibus dictorum humorum. Idem de medicinis tertiæ, quartæ, & quintæ unctionis conſideretur, & dicatur, quod ſicut in ſolo phlegmate pro curatione medicinæ habent eſſe plus ſiccæ quam in humore melancholico, & in ſolo melancholico non tantæ ſiccitatis eſſe debent ſed medio modo, ita dum ambo componuntur humores, ſicut phlegmate prædominante medicinæ ſint plus ſiccæ, ita prædominante melancholia ſint non tantæ ſiccitatis, ſed cum conſideratione ſecundum rationem dictam in ſingulis prædictis amborum curationibus. Exempli gratia & primo pro ſecunda unctione (quia circa primam nil refert, intentio enim ipſius ambobus eſt par) & primo dum vincit in compoſitione tali humor phlegmaticus. Recipe *adipis cervini, gallinæ, anatis, & vitulini ana partes æquales, miſce, & fiat unctio* modo ſuperiori. pro tertia vero, quarta, & quinta. Recipe *pinguedinis porcinæ antedictæ lib. ſ. argenti vivi prædicti extincti unc. j. ſ. olei parum antiqui unc. ij. olei laurini unc. j. olei maſtichini unc. ſ. ſecis ceræ unc. j. ſ. dialthææ unc. ſ. thuris, maſtichis, olibani ana unc ſ. ſerapini unc. ij. quibus ſecundum eandem artem & modum fiat. iij. unguentum.* pro quarta vero unctione. Recipe *argenti vivi ſimiliter extincti unc. iij. ſulphuris, olibani, & lithargyrii auri ana unc. ſ. ceruſſæ unc. j. galbani & ammoniaci ana drag. vj.* & eodem modo cum reſiduo quartæ unctioni prædictæ miſce, & utere pro unguento quarto. De quinta vero & ultima unctione ſimiliter, verbi gratia Recipe *argenti vivi extincti circa unc. ij. ſ. miſtis cum reſiduo quartæ unctionis utere*, & ſat ſi in cauſa humor (ut diximus) phlegmaticus vincat: ſi vero vincat humor melancholicus. v.g. pro ſecunda unctione Recip. *adipis caprini, hircini, taurini, gallinacei, & vitulorum, & anatis ana partes æquales, miſce*, & utere: ſed de iij. unctione in compoſitione tali Rec. *pinguedinis porcinæ prædictæ unc. viij. argenti vivi extincti unc. ij. olei parum antiqui unc. iij. olei maſtichini, & laurini ana unc. j. ſecis ceræ unc. j. dialthææ, unc. ſ. thuris, maſtichis, olibani ana unc. j. ſerapini unc. ij. ex quibus omnibus ſimiliter fiat unguentum* & utere: cujus reſiduo pro iiij. unctione addantur *argenti vivi ſimiliter extincti unc. ij. ſ. ſulphuris & olibani ana unc. ſ. galbani, & ammoniaci extinctorum ut ſupra ana unc. j. & miſce, & utere:* reſiduo cujus pro v. & ultima unctione addantur *argenti vivi extincti unc. ij. ſ. miſce*, & erit finis operis noſtri cum argento vivo: habitis ſemper (quicunque humor & ſive ſolus ſit ſive compoſitus) conſiderationibus, & primo circa complexionem & naturam totius, ſi ſcilicet vel phlegmatica vel melancholica ſit, quia ſi phlegmatica & extraneatio in phlegmate fuerit, medicinæ pro ij. unctione humidiores eſſe poſſunt, & debent, quam ſi corpus fuerit naturæ melancholicæ: In melancholico enim licet ratione morbi convenirent minus ſiccæ, ratione tamen naturæ ſeu complexionis ſiccæ, medicinæ eſſe debent minus humidæ propter rationem dictam, & ſimiliter ſi complexio totius melancholica fuerit, & extraneatio ſimiliter melancholica, medicinæ ſint minus humidæ, quam ſi corpus naturæ fuerit melancholicæ, & extraneatio fuerit phlegmatica, & ſic è converſo: circa virtutem, ſi ſcilicet fortis vel debilis fuerit, conſiderandum eſt, quia ſi fortis, medicinæ ſine timore ſecundum morbi eſſentiam, ut requiritur, approximari poſſunt & debent: virtuti enim forti nihil reſiſtit: & ſi debilis, licet morbus ratione ſui ipſius tales petat medicinas, ratione tamen virtutis debilis talis medicina eſſet ultra modum fortis, itaque debilitetur: medicus enim dum curat, duo neceſſaria obſervare habet, videlicet virtutem totius & fortitudinem, vel debilitatem morbi, ut in *cap. 1. quartæ pri.* ſicut mihi contingit quando quendam excellentem ſenem & naturæ & virtutis debiliſſimum eodem morbo cum unguentis prædictis curavi: fuit enim opus longam digeſtionem per primam & ſecundam unctionem (in cauſa phlegmatis dicta) facere: Et in iij. & iiij. & v. unctione parum admodum de dicto argento vivo apponere: & illas ſic debiles per longum temporis ſpatium exhibere, etiam cum interpollatione alicujus diei: medicina enim debilis longo tempore, & frequenter ſine interpollatione adminiſtrata, ſupplet vices medicinæ fortis: lento tamen modo: ut *cap. xv. ſummæ pri. doct. ſecundæ ſecunda pri.* ibi [& gradus quidem primus] ſicut tu ipſe dum curas conſiderare potes, dum hæc tibi contingunt. Animadvertendo inſuper, quod ſi aliqua talis humoris portio in aliqua corporis parte conjungatur & coadunetur: & niſi inde vel ſenſibiliter vel inſenſibiliter extrahatur, & ulcus tale, ſi ſcilicet ſenſibiliter extrahatur, niſi digeratur & mundificetur ante quam unctiones prædictæ adminiſtrentur; laboratur incaſſum, quia quum unctiones prædictæ operentur ad ultimam intentionem: videlicet ut ſanent, quare ſiccæ exiſtunt & ulcera ſanari non poſſunt, niſi prius ab omni indiſpoſitione mundentur, ut *cap. j. & ij. tract. tertii quartæ quarti de ſermone univerſali, & cura ulcerum.* Sunt & duo alii modi ejuſdem morbi curativi, ſine tamen appoſitione argenti vivi. unus eſt Galeni ſupra. Alter eſt experimentatorum torpidorum. Modus Galeni eſt præcedentibus adhuc etiam duabus primis inunctionibus prædictis. Recipe *olei ſabinæ, vel loco ejus anethini. q. ſ.* calefiat, & cum eo omnes corporis artus ſcilicet doloroſe manibus fricando inungantur, deinde ægrum intra dolium vel commodam tinam bene coopertam intrare permittas, ubi duos vel tres vel plures lapides molares vel pyrites ſeu focarios bene ignitos intromittas (ſupra quibus dum ſic igniti & ardentes ſervantur) cum petiis vel ſcopa aliqua de acerrimo aceto ſupereffundatur: adeo, & tandiu quouſque indifferenter totum corpus exquiſite ſudaverit; renovando lapides alios ignitos ad extinctionem ſcilicet primorum, & conſequuto ſudore corpus totum pannis calefactis abſtergatur, & in lecto ponatur, ubi (ſi ſimiliter ſudore occurrerit) nihil mali continget, & hinc ad horam aſſumat prandium æger bene reſumptivum & digeſtibile, vinum bibat ſubrubeum convenienter lymphatum & cœna ſit ſicut prandium, & ſic facito fomentationem, ſeu ſtupham per ſeptem dies circiter animadvertendo tamen, quod corpus intra tinam adeo aptetur ſuſpenſum, & ita altum ſedeat ut corpus totum, & pedes elevati à fundo exiſtant, & corpore toto bene cooperto caput & facies extra coopertorium conſerventur propter notam rationem, præcedentibus adhuc etiam crebris aſſumptionibus infraſcripti ſyrupi, & aquæ omni mane & toto tempore prædicto, videlicet à die primæ inunctionis uſque ad ultimam tinam. verum quum inungitur, aſſumat ſyrupum facta inunctione, ſed quum ſtuphatur, aſſumat eum antea ad minus per duas horas, cujus deſcriptio hujuſmodi eſt. Recipe *radicum enulæ, & hederæ ana unc. iiij. florum anthos, capillorum veneris, menthaſtri, pulegii, gallitrichi, polytrichi, matricariæ ana m. j. radicum fœniculi, apii, & petroſelini ana unc. ij. radicum cichorei unc. iiij. folliculorum ſenæ unc. j. ſ. polypodii quercini, liquiritiæ raſæ ana unc. j. croci grana iij. agarici trochiſcati unc. j. ſ. bulliant omnia in lib. x. aquæ & in lib. j. mellis optimi & in lib. j. ſ. ſacchari ad conſumptionem duarum partium ex tribus, ita quod remaneant lib. iiij. & coletur & reſervetur in vaſe, cujus doſis eſt circa unc. vj. tepidè*, & ſic erit finis modi curativi Galeni cum ſtupha, & ſine argento vivo, cui maxime confido: eſt enim miræ efficaciæ in reſolvendo materiam morbi, immo membrum aliquod ſclyrotizatum & immobile mobile (ut Galen. ait) & ad ſuas debitas operationes reſtituit, ſi tali ſtupha ſtupharetur ita quod potius magicæ artis quam ex vi ſua hoc operari videtur, ut ipſemet ſupra. Modus vero ſecundus experimentatorum torpidorum & ſimiliter ſine argento vivo eſt, qui adhuc etiam præcedentibus debitis univerſalibus *recipit circa lib. vj. cujuſdam ligni* quod nominatur lignum ſanctum, ſive indicum, quia inde ductum eſt, *recens, ſubtiliſſime elimetur, & infundatur de eo per diem naturalem ſingula vice lib. ſ. j. in lib. xv. aquæ ciſternæ, vel optimæ fontis, ſeu fluviatilis. deinde bulliat ad conſumptionem tertiæ partis dictæ aquæ, ita quod remaneant lib. v. ſpumetur & coletur ſpuma, fricanda in ulceribus, & tuberoſitatibus cum dicto morbo quandoque repertis*, iſti enim ut dicunt ſanantur: ſervetur itaque iſta aqua, & dicatur aqua prima. Hoc facto iterum. Recipe *idem lignum decoctum & colatum ab aqua prima, & bulliat iterum in lib. xxiij. ſimilis aquæ ad conſumptionem lib. iij. ita quod remaneant lib. xx. coletur & ſervetur aqua iſta*, quæ dicetur aqua ſecunda:

*Modus curandi alius ſine argento vivo & iſt Galeni.*

*Syrupus.*

*Modus curandi experimentatorum ſimiliter ſine argento vivo ſed cum ligno quodam dicto ſancto.*

*Præparatio dicti ligni.*

*De ſpuma.*

*Aqua prima.*

*Aqua ſecunda.*

*Secunda unctio ſi vincat phlegma. Tertia unctio.*

*Quarta unctio.*

*Quinta unctio.*

*Secunda unctio ſi vincat melancholia. Tertia unctio. Quarta unctio.*

*Quinta unctio.*

istis aquis sic perfectis bibat æger omni mane per horas quattuor circiter ante prandium lib. s. de aqua prima tepida, & ponatur ut sudet, & transactis horis quattuor sumat prandium, videlicet circa unc. quattuor boni biscocti, & circa unc. ij. pallularum enucleatarum, vel seminum communium sacharatorum. potus ut de aqua secunda similiter tepida: & transactis horis circa ix. à prandio & per circa horas tres ante cœnam, iterum assumat lib. s. de aqua prima similiter tepefacta, & ægro cooperto in lecto procuretur iterum sudor, & cœna deinde sit, sicut prandium, & sic tacito per quinque dies continuos: & tunc iterum Recipe *aliam lib. j. ejusdem ligni elimati, & simili modo primam & secundam aquam facito:* quas aquas secundum eundem ordinem per alios quinque dies æger assumat, sic & prandium & cœnam recipiendo: quibus decem diebus cum ordine prædicto expeditis, iterum Recipe *aliam lib. j. dicti ligni elimati, & injusi similiter per diem naturalem in lib. xx. similis bonæ aquæ, bulliat ad consumptionem lib. xij. s. ita quod remaneant lib. vij. s. & facta colatura similiter servetur pro aqua prima,* & deinde *idemmet lignum iterum bulliat in lib. xxiiij. similis aquæ ad consumptionem lib. iiij. ita quod remaneant lib. xx. quæ serventur, & erit aqua secunda:* quas aquas æger eodem ordine observato assumat per dies septem, & tunc iterum & secundum eundem modum cum alia lib. j. dicti ligni pro aliis septem sequentibus diebus primam & secundam aquam coquito, & sic omnibus singulis septem diebus cum una lib. dicti ligni facias: pro complemento. xl. dierum, ubi erit finis assumptionis aquarum dictarum, & ordinis prædicti: animadvertendo quod si aqua secunda aliquando deficeret quoniam æger multum biberet, tunc in eo casu recipias *de dicto ligno biscocto, expanso secato in umbra, circa lib. j. & ipsam iterum & tertio coquito, cum circa lib. xx. aquæ ad medietatis aquæ consumptionem, de qua æger potet loco aquæ secundæ.* Prandium & cœna usque ad xx. dies sint sicut in primis decem diebus in aliis vero diebus xx. ultimis sit ad minus semel in die vel prandium vel cœna resumptiva cum pullo, aliaque carne digestibili, & potet vinum optimum, decenter lymphatum, cibus vero alius sit similiter tenuissimus de biscocto & de aqua secunda prædicta: similiter & per omnes dictos. 40. dies medicus ventrem ægri lenem conservet, ad minus mediante clysteri omni tertio die. Quod recipit. v. g. *cassiæ circa. drach. xij. agarici albi circa. dr. j. salis gem. circa. dr. j. olei violati. unc. iij. mellis violati unc. ij. sacch. rubei unc. j. decoct. com. q. s. & fiat clyster*, & omnibus x. diebus hora magis electa loco lyr. seu aquæ primæ ad materiam & humorem peccantem. R. v. g. *diacathol. circa unc. s. agarici trochisc. circa scr. ij. elect. ros. Mes. circa. dr iij. elect. indi circa. dr. j. & bolus cum sacch. vel potio cum decoct. florum & fructuum cordialium detur*, & non obstificatur medicus renum, & hepatis partes ab extra inungere cum alterantibus & a discrasia dubia provenientes ex curatione tali conservantibus sicut modus & regimen tale consideratibus non est occultum & ignotum, talia sunt sicut ceratum album Galen. & ceratum santalinum & hujus generis: Quod si vel ob pororum obstructionem, vel quoquomodo si apud assumptionem dictarum aquarum pro syrupis mane & sero non sudaverit: tunc eo casu, transactis primis xx. diebus æger submergatur in balneo (hora magis medico electa) *decoctionis. v. g. chamæmeli, mellilоti, anethi in quo sit parum hyssopi siccæ*, & dum egreditur balneum, aquam primam assumat, & abstersо corpore cum pannis calidis, ponatur in lecto similiter calefacto, & bene cooperto ut sudet, & fiat balneum omni die quousque sudet: in adventu vero sudoris recedat à balneo. Est etiam nonnisi utilissimum mane & sero pro omnibus dictis 40. diebus per horam mediam circiter ante cibum parum & levi manu corporis extrema fricare, & si medicus similiter amaret tam circa antedictum ordinem Galen. quam etiam apud istud regimen cum ligno per quinque dies circiter antea primam & secundam unctionem in de regimine cum argento vivo prænarratas, operari, nonnisi valde proficuum erit, quia poros aperiendo, & materiam aliqualiter digerendo, eam expulsioni, exsiccationi, & resolutioni maxime accommodaret: sunt enim ordines prædicti cum stupha & cum ligno prædicto exsiccativi valde: sed multo fortius regimen prædictum cum ligno, quam secundum omnem modum exsiccet, nempe tam ratione regiminis in sex rebus nonnaturalibus huic concernentibus, quam ratione proprii ligni: coadjuvantibus etiam ad exsiccationem crebris evacuationibus & per secessum, & per sudorem, & quandoque per vomitum, & per urinam: Videretur autem dicendum modum istum curativum cum ligno prædicto potius conferre ratione regiminis tenuissimi & siccissimi quam ratione aquarum decoctionis ligni prædicti. Non enim à proprietate confert, non à qualitate, nec occulta, nec manifesta, non à forma specifica: quia hæc ignoratur. quocunque enimmodo lignum veluti tale operaret, non esset opus talis & tam sicci & tam tenuis & subtilis regiminis: nec tantæ crebræ evacuationis, per omnes convenientes regiones, videlicet per secessum, per urinam, per vomitum & per poros cutis minimæ opus esset tam crebræ assumptionis dictarum aquarum, sed conveniret, & sufficeret de dictis decoctionibus ad tempus & cum mentura, sicut se habet de cæteris medicinis sicut sunt syrupi, aquæ cæteræ, & subsequentes evacuationes ad unumquemque morbum, videlicet assumere ter, quater, septies, decies de syrupis, & sequenti mane lenitivum evacuativum, minorativum, vel eradicativum illius febris vel alterius specialis morbi cum intermedio acquito regimine: etiam resumptivo mane & sero multoties, & quanto magis fuerit morbus chronicus, & tardius curabilis, quare vanum est credere à tali ligno istud fieri quod fit à regimine isto, quamvis enim lignum aliqualiter auxilietur, sat est regimen prædominari. immo tale auxilium ab omni ligno & arbore in natura sicco sicut esset *tamarindus, ebenus, lignum aloes, & quercus*, præstabitur, si illis mediante tali & tanto regimine & eodem modo æger utatur. quia sicut dixi, si lignum veluti tale hoc faceret, juvaret ut dixi, & eo uteremur ad tempus, & cum debito regimine resumptivo, sicut cæteræ medicinæ juvant, sicut *cassia, rhabarbarum, elect. condita*, & cæteræ tam simplices quam compositæ medicinæ, similiter & omnibus tali morbo infectis prodesset, si remedium (veluti tale) talis morbi esset, sicut dictæ medicinæ unumquemque morbum reipiciunt, & illum determinate curant, & tamen videmus multos à dicto ordine cum ligno plus lædi, & si aliquem curet, vel curare videtur, non obstat id præstat, nisi quia occurrit cum dicto regimine alicui plethoræ, cacochymiæve, & replecioni causatæ maxime à cibo & potu: quare corpus tale quum esset ita plethoricum ab inanitione curari maxime habet: morbum enim ex repletione inanitio sanat: Unde antiqui, sicut maxime erant Ægyptii, cæteros morbos jejunio curabant, vel (& maxime in exquisita plethora, ubi forsan jejunio non durentur inducæ) cum vomitu curabant, autore Diodoro Siculo *hist. riarum priscorum l.b. ij.* ubi dicit, quod Ægyptii morbos vel jejunio curant, vel vomitu, idque aut quotidie, aut tribus diebus aut quatuor intersectis. asserunt enim ex ciborum superfluitate omnes creari morbos: eam ergo ad valitudinem curam esse optimam, quæ morborum principia auferat. Hinc equidem talem novum nobis modum curandi denuo deductum esse credo, abusive tamen, quum secus se habeat res temporibus istis apud nos & in regione nostra, & in nostro vivendi usu & ritu, quia Ægyptii omnes sex res nonnaturales ita temperatas habebant, ut toto tempore vitæ incolumes, & ab omni morbo diu remoti conservarentur: dumque aliquando ægrotarent ita se ægrotare & recundabantur, ut mori, patienter voluntarie non curarent, maxime dum morbo incurabili lædebantur. exercebantur autem in sanitate antiqui, lætabantur, spatiabanturve, dormiebant quantum sat erat: cibus eorum & potus sine confusione deferebantur in mensa: non enim carnem cum piscibus non pinguia cum oleis miscebant: nam, ut dicit idem autor *lib. ij.* in *de insula ab Jambone & ejus socio reperta:* Antiqui certum diu vivendi ordinem servant, nam unico cibo contenti certo die pisces, alio aves, quandoque terrestria animalia edunt, oleo aliquando, simplicique menta utuntur, diversis sunt exercitiis dediti. Circa potum simiiter parci: immo, ut ibidem habetur, de antiquis quidam erant, qui toto tempore vitæ nunquam, & quidam qui tantum quinta quaque die bibebant, & in tali die nihil edebant, & sic ab omni passione semoti, autore prædicto, conservabantur. similiter & aerem habebant temperiei tantæ, ut nec ab æstivo calore, nec ab hyemali rigore læderentur, sed totum tempus anni obtinebant temperatissimum: quare terra bis in anno sponte & sine cultura suos præbet uberes fructus: immo ob aëris temperiem tantam & puritatem, ita conservantur fructus, ut anno integro in arbore conserventur incorrupti, quousque fructus novi adveniant, autore prædicto ibidem. Et, ut paucis agam, ita ob dictam omnium temperiem & puritatem ab omni morbo semoti servabantur, ut dum aliquo infirmarentur morbo, (ut dixi) incurabili, mori contenti erant tanquam indigni vita: & quod nihil amplius quid in vita agere valebant. verum de his hactenus. si quis vero lector, aut propter rerum novitatem, aut mirabilem eorum qui describebantur vitam, nostræ forsitan historiæ fidem abrogabit, Scytharum, Troglodytarumque aërem comparans, quantum inter se is differat pensitans, scribentium verbis credet. Tantum enim noster differt aër ab eo, qui in historiis aliquando narratur, ut diversitas eorum incredibilis videatur aliquibus in regionibus adeo maxima frigoribus congelantur flumina, ut currus & exercitus super immobilem glaciem tranſeant, congelatur & vinum, reliquaque humida adeo ut glacio abscindantur, quodque his est mira-

bi-

bilius, & extremitates vestium, quas homines ferant, frigore attritæ decidunt, obfuscantur oculi, ignis splendorem non reddit, æreæ statuæ disrumpuntur. Similiter, & in Ægypti ac Troglo'itarum finibus propter immensam solis circa meridiem caloris vim nequaquam se respicere invicem prope stantes queunt ab aëris craffitie: has tamen qui incolunt oras tanta vitæ incommoda nolunt effugere; sed ultro potius eam diligunt vitam, quam alio cogantur more vivere. Ita patriæ amor quidam ingens natura singulis innatus est, & aëris malitiam consuetudo à teneris annis cepta superat: has vero rerum varietates haud magna locorum intercapedo aliquando continet. stante modo in dictis rebus non naturalibus tanta temperie & puritate in partibus antedictis, merito ab omni morbo conservari valent, immo debent, & dum infirmantur similiter pudere: quum non nisi ex nauseativa satietate lædantur, de qua habent maxime verecundari: tamen perfectior cura jejunare est, & cum consideratione adhuc ad virtutem, ut ipsi, interjiciendo tres vel quatuor dies faciebant, cibum resumptivum pro virtute assumendo. At nos, ut dixi, quum de sex rebus non naturalibus decem ut ita dicam, intemperatas habeamus, & ab unaquaque per se lædi valeamus etiam, considerare debemus quod si lædimur ab ea re, quæ humiditate lædit, sicut nauseativa satietas, otium, somnus, & hujus generis aliquid aliud tale, ligni regimen aptum est juvare: si ab ea re lædimur quæ caliditate vel siccitate & etiam frigiditate nocet, tale regimen nocumenti ad augmentum potius quam decrementum facit: sicut naturam rei lædentis & morbum & modum curandi & regimen curativum bene consideranti declarabitur, & istud est quod aliquem curari & aliquem fortius lædi à tali regimine, & modo curandi videmus. quare ut circa talem modum curandi, errorem non committas, o Medice, si cum isto modo talem morbum curare amas, super procatharticis morbi causis discurrendo ad hunc morbum venias, & si ab humiditate ipsum lædi reperies, sine dubio cum tali sicco modo curativo & subtili (non autem cum ligno) curabis: non ergo (ut nostrates nunc) facias, qui inconsiderate usum ligni adhibent, & nolunt videri correctores talis regiminis. quum vero sic existiment ab infamia & erroribus excusari, faciunt id potius quia rationem aliquam medendi reddere nesciunt: & ideo ad modum curandi experimentatorum torpiddrum se transferunt: & dicunt experimentum est tale, o utinam antiquos in observantiam haberemus. ipsi enim medicos sine lege curantes (dum æger moriebatur) interficiebant impune: sicut lege curantes in tali casu carebant omni crimine: o utinam sic hodie esset, quia raritate potius quam multitudine medicorum ætas nostra peccaret. Hactenus de curatione talis morbi secundum omnem modum curationis.

## CAP. VII.

### *De considerandis tam intra quam post curationem quocunque modorum dictorum.*

Et quia quandoque etiam secundum omnem modum talis morbi, tam infra quam post curationem, accidunt dispositiones quædam mirifice considerandæ, & primo circa modum curandi cum argento vivo, inter quas maxime sunt ulcera gingivarum, oris, linguæ, & palati, & dentes denigrantur, & relaxantur, & nocumentum tam animatis quam spiritualibus membris quandoque circa talem curandi modum efficitur (licet enim per antedictam meam extinctionem ipsum argentum vivum à sua venenositate purgetur, tamen accidit quandoque ut non purgetur ab ea omnino, sed remaneat adhuc pars aliqua talis venenositatis, licet minima, quæ non valet in ultimo extingui, quæ apud agitationem ejus tricando, dum unctio administratur, sursum versus effumat, & exitum petendo viam largiorem, hoc est os invadit, pariens dictas indispositiones cum venenositate sua, partesque oris tenelliores ulcerat, duriores vero, hoc est dentes, tingit, maculat & in eis limositates aggregat eorum ligamenta relaxando) Qua de re modo, si cum dictum argentum vivum operatur, os cum infrigidantibus & sistentibus, talem sursum effumationem prohibentibusque abluereturr, fumi illi venenosi ad intra revocati, & effumare sursum, ut resolverentur per largiorem viam, prohibiti, nobiliores tunc partes ut puta cor & cerebrum peterent, & sic cordis tremores, & mentis alienationem adducerent, secundum quod millies vidimus per torpidos medicos fieri, qui à prima die inunctionis cum prædictis os abluere ægrum præcipiunt, comprimuntque fumos illos ad intra, ut partes ulcerentur, alterentur, tumefiantve nobiliores, hoc est guttur, quare multoties ægrum ultra dictas indispositiones suffocare contingeret, nisi cum lenitivis tam intus quam extra, de quibus maxime est cassia, succurreretur, quare medicus ratio-

A nalis talia loca cum frusto auri intra os retento confortata conservet, ad hoc ut possit æger alicui nocumento futuro ab expulsione talis venenositatis ab intra ad partes ipsas ignobiliores resistere, secundum quod natura sagax semper dum potest operatur. Inunctionibus vero expeditis si adhuc ulcerari ægrum contigerit, tum ratione ulcerum ut ulcera sunt, tum ratione ulcerum talium venenoforum, siccis abstergentibus erit opus, cum præsentia tamen alicujus infrigidationis ob malam qualitatem calidam cum dictis ulceribus compositam, sicut. v. g. Recipe *foliorum olivastri summitatum rubi. ana man. j. lentium, rosarum rubearum, sumach. ana man. j. s. foliorum plantaginis. man. j. vini rubei stiptici. lib. j. s. bulliant simul ad consumptionem tertiæ partis dicti vini, & colentur, cui colaturæ addantur mellis rosati colati. unc. ij. diamoroas unc. iij. aluminis rochæ prius combusti, & contriti. unc. j. aristolochiæ, radicum iridis, ana drach. ij. mastichis. drach. s. nucis muschatæ parum, caryophyllorum num. 4. quibus contritis & in dicta decoctione projectis iterum bulliant, & fiat gargarismum* crebris vicibus quia sic mundificari habent ul-

B cera talia, & deinde consolidari, coadjuvante ad hoc sputo ægri, & semper ultra gargarismum cum infrascripto pulvere mediante digito dentes abstergantur. Recipe *spumæ maris, salis adusti, salis gem. utriusque piperis, cineris ostracorum, cineris radicum cannæ, aristolochiæ iridis, hordei adusti, gypsi adusti, cornu cervi adusti, cyperi, rosarum rub. sicc. ana drach. j. carbonis radicum anthos drach. ij. mastichis. drach. iij. spicæ scr. ij. sacchari rubei unc. j. s. fiat ex eis pulvis sicut alcohol*, & adhibeatur pro dentium absterfione à limositate, nigredine & maculis prædictis. si vero contigerit ipsorum etiam relaxari ligamenta, Recipe *gallarum immaturarum combustarum, cyperi, balaustiarum, granorum myrti, granorum lentisci, vel loco eorum carbonis radicum ejus, myrobalanorum citrinorum enucleatorum, hordei adusti ana drach. s. sanguinis draconis drach. ij. s. rosarum rubearum & siccarum. drach. j. mastichis. drach. j. s. cinnamomi drach. ij. sacchari albissimi unc. j. s. fiat ex eis pulvis sicut alcohol*, & fricando adhibeatur supra gingivas, quia ligamenta eorum firmat. Et quia quandoque infra

C unctiones prædictas cum argento vivo, spurum sequitur copiosissimum, tanquam una de evacuationibus dictum curationis modum sequentibus, ut fiat permittatur, quia natura operatur in materiam morbi resolvendo per omnes convenientes regiones, & per secessum, per urinam, per vomitum, & per sudorem: unguentum enim tale materiam aptam jam exsiccat, exprimit, & ad extra per suas regiones expellit: similiter & circa modos alios curativos sine argento vivo quandoque dispositiones quædam sequuntur non spernendæ, ita ut resolvi debeant. contingit nanque tam post stuphan prædictam quam post assumptionem aquarum ligni prædicti, renes calidam discrasim acquirere (sicut tales curandi modos considerantibus non erit dubium) & hepar & tandem totum corpus: & quanto magis inepti erunt ægri talibus curari modis, ut antea diximus, modo in tali casu cum interius & exterius debite concessis provideatur. per interius quidem. Recipe *sacchari buglossati, boraginati, de rosis, & violis, & de fumo terræ ana*

D *turæ*, Recipe *syrupi lupulorum, de endivia & de fumo terræ omnium unc. ij. aquarum cichorei, endiviæ, & lupulorum ana unc. j. mellis rosati colati unc. s.* quibus syrupis per idem temporis spatium assumptis, dicta discrasis regimine in sex rebus non naturalibus ad eandem intentionem concernente alterabitur: coadjuvante exterius omni vespere ante cœnam inunctione super hepatis & renum regiones facta. Recipe *pro hepate v.g. ceroti albi Galeni unc. ij. ceroti sandalini unc. j. misce & cum succo cichorei fiat ablutio foris.* Pro renibus vero Recipe *ceroti albi Galeni unc. ij. olei rosati omphacini unc. s. misce & utere.* quibus diebus elapsis & dicta mixtura, vel syrupis assumptis. Re-

E cipe *corticum myrobalanorum citrin. unc. s. conterantur & per noctem infundantur in aqua endiviæ, & colentur: cum qua colatura dissolvantur mannæ electæ circa unc. ij. rhabarbari in substantia scrup. ij. diacatholiconis drach. iiij. & fiat potus.* vel Recipe *fulpæ cassiæ n. t. per setam drach. xij. electuarii rosati Mes. circa drach. iij. rhabarbari similiter in substantia drach. j. aquæ endiviæ. q. s. & fiat potus.* considerationibus circa unamquamque medicationem & evacuationem faciendam non neglectis, sed semper præ oculis habendis, & transactis diebus circa v. ab assumptione dicti lenis pharmaci, per mensem assumat morsellum. v. g. Recipe *diarrhodonis abbatis, aromatici rosati ana unc. iij. cujus dosis est circa drach. ij.* singulo mane cum pauco vino albo optimo, vel aqua cichorei, ubi erit finis & convalescentia à discrasi prædicta à toto morbo, Deo duce.

*Gargarismum ad ulcerationis post inunctionem.*

*Pulvis adgentes relaxatos ab unctione.*

*De evacuatione per sputum post unctionem.*

*Conditum ad renum & hepatis discrasiam propter unctionem acquisitam.*

*Syrupus ad idem.*

*Unguentum pro hepate ad idem.*

*Unguentum pro renibus ad idem.*

*Pharmacum post dictum conditum vel syrupos.*

*Aliud ad idem.*

*Morsellus post dictum pharmacum.*

CAP.

## CAP. VIII.

*De cuſtodia & præſervatione à tali morbo poſt curam antedictam quocunque modo.*

Et quia morbus iſte, ut in ij. & iij. *cap.* dictum eſt ſecundum plurimum ex omnibus tribus generibus morborum compoſitus reperitur, & habet pro minera vel phlegma vel melancholiam & quandoque ambo ſimul, igitur tali morbo ſic ſtante dubium erit ſemper de recidiva, non obſtante curatione ejus debita & ita canonica ut tradita eſt in vij. cap. quia quaſi ſemper remanet ad minus in hepate diſcraſis quædam, quæ in dies vel ratione alicujus alterius novæ cauſæ, vel quia ex ſe ipſa creſcit ſecundum quod millies videmus, & in tantum quod recidivat, ſi enim corpus fuerit jam per talem morbum paſſum: etiam quod bene & apparenter per longum tempus curatum fuerit, quum poſt alteri morbo occurrit, & præſertim morbo ſolutæ continuitatis (quum plus aliquo alio morbo ſenſui tactus & viſus ſubjiciatur, quamvis minime) ſanationi utique plus debito reſiſtit, eo quia ſenſate nocumentum à dicta diſcraſi acquirit, ſecundum quod etiam manifeſte judicari habet, dum ab aliquo incidente ſupra oſſibus talium olim curatorum corporum operari contingat, quæ conſumpta & arida ſicut lignum ſiccum reperimus: re itaque modo ſic ſtante, quo pacto poterit tale corpus ſimpliciter eſſe à tali morbo abſolutum, quin ad minus in hepate, ut diximus, derelinquatur diſcraſis, ut in vero fonte? Quapropter expedit tale corpus etiam à diſcraſi tali abſolvere, & quouſque novum & bonum humorem & ſanguinem adipiſcatur, ipſum curare: curatio enim talis diſcraſis per regenerationem boni ſanguinis habetur, & ſic ex conſequenti prohibitio recidivæ hoc modo habetur, ut per duos annos continuos à die curationis antedictæ primo uſus omnium ſex rerum non naturalium ad hunc tendat finem: ex bono enim uſu circa res prædictas & præſertim circa cibum & potum, fit bonus chylus, & ex bono chylo fit bonus ſanguis, & cæteri humores ſequentes ſanguinem, ſed quæ ſint hæc: medicum doctum invoco: pro ſecundo debitas ad hoc medicinas per idem temporis ſpatium aſſumere non prætermittat. & primo ſi curatio morbi fuerat tempore autumnali expedita per totam ſequentem hyemem recipiat *turbith præparati, agarici trochiſcati, hellebori nigri ana drach. j. s. zinziberis, polypodii, mithridatii ana drach. iij. diagrydii drach. j. cinnamomi, caryophyllorum ana ſcrup. ij. galangæ, piperis longi, nucis muſchatæ, macis, cubebæ, ana drach. s. ſacchari albiſſimi lib. ij. miſce, & ſecundum artem cum ſyrupo acetoſo, vel de fumo terræ fiat confectio, addendo confectionis hamech unc. s. diacatholiconis unc. j.* dotis ſit omni mane per ſeptem dies continuos circa drach. ij. in octavo vero die de mane hora debita aſſumat ad circa inſtar magni lupini paſtæ quæ Recipe *myrobalanorum Indorum, chebulorum, zinziberis, corticum cucumeris aſinini, vel loco earum interioris colocynthidis, ſalis Indi, hermodactylorum, hieræ picræ, ſatyrionis ana drach. s. ſerapini drach. j. piſtanda piſtentur ſubtiliſſime & cum ſyrupo de epithymo fiat paſta*, de qua aſſumat ut dixi: & à die ſequenti iterum per ſeptem alios dies eodem modo, & ordine aſſumat confectionem antedictam; ſic & in octavo die ſimiliter ſicut prius aſſumat de antedicta paſta, & ſic omnibus ſingulis ſeptem diebus quatuor vicibus (ubi ingreditur numerus quaſi triginta dierum) aſſumat de confectione prædicta & omni ſingulo octavo die intermedio aſſumat antedictam paſtam: verum in octavo ultimo (ubi numerus triginta duorum dierum perficitur) loco paſtæ Recipe *pill' aloephanginarum, pill. de hiera cum octo rebus, pill. de turbith, pilularum maſtichinarum ana circa ſcr. j. mellis roſati ad complendum pillulas, v. vel vij. q. s.* & dentur hora de mane debita: & per dies circiter quinque acceptis pilulis quieſcat, & ad eundem ordinem revertatur, videlicet aſſumat quater confectionem prædictam & ter paſtam antedictam, & quarto poſtea pillulas eaſdem, & ſimiliter per circiter dies quinque quieſcat, & iterum ad paſtam & pillulas aſſumendo revertatur, & hoc fiat per totum hyemale tempus uſque ad Aprilis menſem incluſive: ubi æger evacuatione & pharmaco univerſali pharmacetur, & toto tempore æſtivo ſubſequenti interpollatis vicibus aſſumat *ſyrupum de myrob. Indis, vel citrinis*, vel conditum aliquod, ut medico rationali non eſt ignotum, & adveniente autumno, iterum univerſali purgatione purgetur, quo facto omni. xv. die de mane hora electa ſumat has *pilulas* videlicet *myrobalanorum, emblicorum, bellericorum, Indorum ana drach. ij. ſ. ſpecierum pillularum de hiera cum octo rebus, pillularum maſtichinarum ana unc. ſ. ſtœchados, folliculorum & foliorum ſenæ, epithymi, croci ana drach. ſ. gentianæ, ſeminum aniſi ana drach. j. polypodii quercini, hellebori nigri, ana drach. ij. turbith optimi. drach. j. ſ. diagrydii ſcrup. iiij. zinziberis, ſerapini, cinnamomi, nucis muſcatæ, ligni aloës, tormentillæ, biſtortæ, dictamni, caraui benedicti, colocynthidis ana ſcrup. ij. agarici trochiſcati, rhabarbari electi, aloës lotæ ana drach. ſ. theriacæ optimæ drach. vj. de quibus omnibus ſecundum artem & cum ſyrupo acetoſo fiat magdaleon:* de quo quando aſſumet dotis ſit pro ſingula vice circa drach. j. s. reducta cum *ſyrupo de ſtœchade* pro pillulis v. hoc facto per totam hyemem & uſque ad Aprilis menſem cum univerſali purgatione finem tali regimini imponat. Si vero attendatur curatio dicti morbi in vij. *cap.* dicta: in vere, ita quod curatione perfecta, tempus ſubſequatur æſtivum: tunc per totum tempus æſtatis uſque ad autumnum, excluſive tamen, aſſumat ſyrupos prædictos de myrobalanis, & conditum aliquod, & autumno veniente & corpore pharmaco univerſali purgato, aſſumat confectiones, paſtam, pilulas, & ordinem præcedentem in obſervantiam habeat: ubi Deo duce ſanus erit à morbo, & à diſcraſi prædicta.

*Ad recidivæ prohibitionem.*

*Confectio.*

*Pillulæ.*

*Syrupus.*

*Magdaleon.*

## CAP. IX.

*De prognoſticativa parte curabilitatis talis modi.*

Et quia morborum quidam curabilis, & quidam incurabilis exiſtit, curabilem toto ſtudio & congruis medicinis medicus omnino curare & ægrum ab eo interveniente ſibi debita mercede ſolvere habet (quod enim non venditur vilipenditur) ſicut ab incurabili (quum incaſſum laboret) lucrum ſpernendo aufugere debet: ut habetur *cap. x. ſecundi ad Glauconem:* ubi de morbo quum incurabilis redditur medico præcipit Galenus, & dicit [quod ſi tumor antiquus & inveteratus ſcliroſim fecerit, & ſi penitus ſine ſenſu fuerit, id eſt, quod nec tactum nec punctum ſentiat, hunc talem morbum moneo relinquas, ne incaſſum labores, quia inſanabilis eſt.] Quotieſcunque enim medicinas minime conferre putas mercedem petere peccas, & ut reſtituas juſtitia mandat: ægrum igitur ſaltim parentibus incurabilem eſſe enuntiare teneris, ut in ipſorum poteſtate ſit, ſi ægrum prout incurabilem à medico volunt viſitari, & ei ſolummodo mitigativa, palliativa, & à majori lapſu præſervativa, approximari ament, ut ait *Galen. lib. de Dynamidiis*, & ſic mercedem non ſolum non recuſare, immo petere debes. Non tamen facias ſicut & ſtolida medicorum cohors hodie facit, quæ quum alium luctandi & vivendi modum non habeat, minimeque doctrinæ & medendi arti confidat, ſpeſque lucri ejus ſuperet ignorantiam & honorem, quemlibet indifferenter pro curabili habet: unde certam & determinatam ſanitatem, etiam publico inſtrumento mediante, cæteris animo multoties fraudulento & doloſo, promittit. Sed ut ne aliquo pacto ab ignorantia tales excuſari valeant, curabilitatem & incurabilitatem hujuſce morbi affatim declarare erit opus, & dicam quod morbus talis (ſicut & cæteri morbi) duobus modis curabilis vel incurabilis reddi poteſt, videlicet vel ratione propriæ cauſæ ipſius, vel ratione originis, ſeu adventus ejus: incurabilis ratione cauſæ, puta quia cauſa ab origine tantæ, & talis malæ diſpoſitionis fuerit, magisque in lædendo perſeverat: cum tamen quoquomodo tam mediante regimine huic cauſæ contrario quàm mediante aliquo alio adjutorii modo nec evacuata nec minorata ſit, immo continuo à ſimilibus nocentibus adjuta, de quibus talibus dictum eſt in *cap.* 3. coadjuvantibus etiam ad ejus cauſæ incurabilitatem: quia ut plurimum ut in cap. 2. cum omnibus tribus morborum generibus lædere hic affectus reperitur, & eo magis ſi à cauſa fiat antecedenti: ipſa enim multo fortius quam primitiva lædit, cæteris ſcilicet paribus, quia licet cauſa primitiva intenſive, cauſa tamen antecedens extenſive fortius lædit: ex quibus ſic dictis habetur ſecunda cauſa incurabilitatis ejus: nempe quanto plus, per longius temporis ſpatium, corpus invaſerit, cujus temporis perdurationis ſpatium, & terminus ad incurabilitatem incluſive, erit ſecundum majorem vel minorem fortitudinem, & ſecundum diverſitatem cauſarum ejus, quia videlicet fuit plurimæ malignitatis, & à cauſa antecedenti, nullo habito, nec obſervato debito regimine, immo malo & peſſimo, & minime, ut dixi, quoquomodo minorata: quare infra ſpatium anni unius incurabilem fieri ſine dubio dicemus, quia citius & fortius invaſit quam ſi cauſa primitiva & qualis & quantacunque fuerit, quia ipſa plus incurabilitati reſiſtit, infra enim ſpatium anni unius cum dimidio, ita quod apud cauſam antecedentem cæteris dictis concurrentibus morbus talis apud primum annum & apud cauſam primitivam apud annum cum dimidio, incurabilis redditur, & tunc ut dixi medicinis tantum mitigativis indiget. ſi vero infra tempus dictæ incurabilitatis, videlicet infra ſpatium primi anni, vel primi anni cum dimidio, quoquomodo cauſa minorata fuerit, ſemper durante dicta crebra quam-

*Morbus Gallicus incurabilis.*

vis

vis pauciſſima minoratione, vel ad minus majoris lapſus prohibitione, pro curabili dictus morbus reputatur, etiam pluribus uno annis vel uno cum dimidio decurſis, ſecus vero, & è contrario, in diverſificatis ab iſtis, ut dixi, & ſic expedita parte prognoſticativa tam curabilitatis, quam incurabilitatis, confirmationis, & non confirmationis dicti morbi, Deo omnipotenti, cujus nomen ſit benedictum de hoc opere gratias agendo: Ipſum pro meis in Avicen. futuris contextibus de ſanitate quieta rogo, oroque, & finem facio. FINIS.

# NICOLAI POLL.

*Medicinæ Profeſſoris, & Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Phyſici,*

## In libellum de cura MORBI GALLICI per lignum Guayacanum.

### PRÆFATIO.

*Accerſiti fuere, Excellentiſſime ac Illuſtriſſime Princeps, in diætarum deſcriptionum principiis quam plurimi ex Hiſpaniarum tum primariis tum plebejis haud mediocris quidem exiſtimationis, quia nimirum propter abominabilem deformationem per dicti Gallici morbi tabificam deturpationem omnes fere pro deploratis habebantur, ubi in quibuſdam nulla alia Medicinarum, (etſi innumeris utebantur) aliquid efficere potuerat, in aliis vero deſperationis cauſa nihil medicinarum applicatum fuerat, quorum poſtea omnium per Guayacanum lignum curatio quaſi pro miraculo ab omnibus habita fuit, hæc enim uno quaſi & eodem tempore tria fere hominum millia ad bonam valetudinem reduxerat, qui poſt convaleſcentiam ſibi ipſis renati videbantur, nedum priſtinæ, innatæque complexioni reſtituti, quam ob rem cum hujuſmodi curationem ſcribere, eamque. D. T. tanquam meæ in illam obſervantiæ certiſſimum teſtimonium mittere decreverim, omiſſis omnibus, quæ mihi ſuperflua videbantur, quonam pacto ſeptentrionalia corpora per lignum Guayacum curentur breviter pertractabo, ipſos tamen Hiſpanos, unde medicina hæc primum perfecta eſt, imitatus, qui quidem non ex cognitione cauſæ morbi, ſed ab experientia eam ſibi ex India delatam receperunt, quam nos ſimiliter certam credentes (cum Hiſpanorum regiones, corpora, complexiones &c. ab his quæ Indorum, & Alemanorum, ac ipſorum etiam Hiſpanorum ſunt, differre compertum ſit) pro corporibus Alemanorum ſanandis proportione veluti quadam tranſſumere pro ingenio noſtro, Deo auxiliante, conabimur.*

#### CAP. I.

*De præparatione ægroti ad curationem per lignum.*

In primis igitur qui ab hoc morbo exitioſo liberari percupiverint, etiam quantumvis male per ipſum deturpati fuerint, purgari debent ab humoribus peccantibus, præmiſſis tamen (ſi opus fuerit) digeſtivis appropriatis juxta Medici periti conſilium, qui quidem Medicus in primis virtutis robur, membrorum principalium operationem, complexionis innatæ ab acquiſita diſtantiam, & ipſius humoris abundantis, peccantiſque qualitatem, bene penſitaverit. quamvis etiam dixero aliquos inveniri, qui ad tantam, tamque extremam reſolutionem reducti ſunt, ut in eis nullus fortaſſis humor purgari queat, niſi ille qui per lignum Guayacanum educi ſolet, & talibus non videtur competere evacuatio. Certas præterea ponere deſcriptiones digerendi, purgandique quemlibet humorem, ſupervacaneum exiſtimo, tum quia ægrotus vel puer, vel juvenis aut ſenex, vir vel mulier, tum quia regionis conſuetudo, proprietas individua, &c. quæ ſapiens medicus novit, modum diverſificant digerendi, purgandi, atque diætandi. Inſuper advertendum eſt, (in quo etiam plurimi Medicorum convenerunt) dictum morbum fomentum ſuum habere à phlegmate falſo innaturali, necnon melancholico humore, quare non incongruum judico, imo neceſſarium hujuſmodi humorum rationem habere una cum aliis humoribus purgandis.

#### CAP. II.

*De diætandis Alemanis, aliter quam Indis, aut Hiſpanis.*

Obſervare oportet volentem curari à prædicto morbo in cuſtodienda diæta ſupra dictas conditiones, ut ſexum, ætatem, regionem, conſuetudinem, & ſimilia, aliter enim diætandi in virtute debili, quam forti, aliter in ægritudine acuta, quam in chronica, aliter in aſſuetis uti cibo pauco, quam non aſſuetis, aliter in adoleſcentia, quam in ſenectute, aliter in regionibus frigidis quam in calidis & aliis id genus, id quod fit, aut propter corporum, aut propter complexionum, aut propter morborum diverſitatem. Indi enim habentes regiones calidiſſimas, tenui diætæ & ſubtili aſſueti ſunt tempore ſanitatis, & ideo tenuiſſima diæta aliquando in ægritudinibus ſuis utuntur, quamvis etiam nimis tenui reſpectu degentium in Europa, quemadmodum in eorum curationibus conſcriptis videri poteſt. Has igitur tenues diætas in corporibus Alemanorum non laudamus, tum propter operationes naturales, corporaque robuſtiora, tum etiam propter climata frigidiora, conſuetudines, proprietates, & ſimilia. Verum experientia talium, & quæ ſequuntur in corporibus Alemanorum verificabuntur apud omnes honeſtos, & maxime doctos medicinæ profeſſores, quibus, ut veritatis amatoribus, ea moderari, & quatenus illis conſcientia dictaverit, hanc noſtram lucubrationem augere vel minuere, liceat.

*Non eſt conſultum, ut in nimia licentia alimenti, cum neceſſitatem hujus cura conſiſtat in victus moderatione, & quandoque victu.*

*tis conſervationem, quæ in medica nutritione ſit teſte Galen. prima Aphoriſm.*

#### CAP. III.

*De obſervationibus in tempore quo ſumitur aqua ligni.*

Examinatis diligenti ſtudio conditionibus, quas omnino pro fundamento, & regula noſtræ digreſſionis ab Hiſpanorum diæta ſtatuimus, & cum æger (ut ſupra dictum eſt) purgatus fuerit, aut non purgatus, ſi minus indiguerit, ſequenti poſt purgationem die pars quarta cibi, & potus, quem in ſanitate ſumere conſueverat, ſubtrahatur, tertia die dimidium, quarta die partes tres aut plus minuſve ſecundum judicium aſtantis Medici non negligentis illam Hippocraticam monitionem, tenues, & certæ diætæ ſunt fallaces &c. eadem quarta die aut ſequenti mane ante diem ſumere incipiat potum ligni Guayacani, de quo infra, maneatque in lecto coopertus & ſuperdormiat, & cum ſudare inceperit, conſervet ſe in ſudore ab aëre extraneo, & cum panno calido lineo ſemper interim ſudorem abſtergat, patiaturque illum, donec virtus toleret, ſufficiat tamen in primis diebus per duas, aut tres horas, deinde innovet linteamina, maneatque in lecto uſque ad horam prandii, aut ſi vult, ſurgat, manendo tamen ſemper in ſtupha vulgo dicta, aut in alio loco tepido, potius quam calido die noctuque ſe cuſtodiendo ab aëre frigido aut ventoſo, atque calore ſuperfluo, ne ſiti nimia incendatur, hora x. vel xi. ſumat in prandium, partem duntaxat tertiam, aut quartam cibi, ut ſupra dictum eſt, ita ut ſemper cum multa fame ſurgat à menſa, ſitque in menſa contentus uno ferculo, & rariſſime duobus, potius enim cibi quantitas fugienda eſt in hac coratione, quam qualitas, cæteris paribus. Neque primis novem diebus, aut xii. aliquid dandum eſt de carnibus, niſi debilitas virtutis poſtulaverit, tunc enim detur caro, aut ſuccus ejus, ut Medico videbitur, hora v. veſpere cœnet, ſitque cœna minor prandio, & cibus facilioris digeſtionis, à cœna ad iiij. horas digeſto cibo iterum ſumat potum dicti ligni, quemadmodum mane fecit, & meminerit, quod utrobique potus ſemper ſumatur calidus, deinde vadat in lectum, & dormiat, non tamen adeo cooperiatur, ut ſudet, ne ſomnus impediatur, ſi vero ſudor ſua ſponte fluxerit, patiatur, quoniam id forte à ſagaci fit natura, mane revertatur ad potum, & cætera omnia ſervando ordinem ſudandi, abſtergendi, præſervandi ſe ab aëre, & cæteris omnibus ſupradictis, & hoc reiteret ſingulis diebus uſque ad viii. vel ix. vel x. dies, ut videbitur, non exeundo domo, neque exponendo ſe aëri frigido aut calori nocuo, neque interim augendus eſt cibus. Expletis vero ſupradictis diebus pluribus etiam, vel paucioribus pro modo virium, ſequentibus aliis x, augeatur cibus parum-

*Immo ſequenti ſtatim à purgatione die, tunc enim viſcera mundata ſunt, nec timenda eſt virtutis reſolutio, cum quia diæta, quæ pullus, panis paſſula, concedunt, ſatis eſt ad virtutis conſervationem, tum quia decoctio ipſa vim etiam habet confortandi, ut clara experientia docet.*

*Si tamen virtus toleret, contentur ſit primis xx. die. bus, 9. uſque ad iij. hunc, panis biſcoctus cum uncia j. paſſulas tunc in prandio, ſero vero paſſulis ſine pane, aut cum modicula panis, ſi vero debilitas affuerit, edat in prandio parvulum pullum.*

per, deinde aliis x. diebus usque ad xxx. auctior etiam administretur, & sic deinceps usque in finem curationis, etiam si pluribus quam xxx. vel xl. diebus duraverit, quod cognoscet ex vehementia, & malignitate morbi, si vero non tandiu morbus perduraverit, ut fieri solet, cum recens est, aut ægrotus nondum à morbo nimium molestatur, tunc similiter, velocius, tardiusve pro morbi vehementia, & virium robore cibus erit augendus, hoc item observandum est de aëre, ne ei subito se exponat frigido vel calido nimium, sed paulatim, ut dictum est de diæta, potum vero ligni sine intermissione sumat usque in finem curationis, nisi constipatus fuerit, aut alias purgari oportuerit, de quo infra dicemus. Post finem primorum dierum, aëre existente temperate calido atque quieto, poterit aliquando exire domo, & post parum temporis iterum redire, aëri vero frigido aut ventoso, nequaquam per totum tempus curationis se exponat, abstineat penitus interim à coitu, etiam ad duos usque menses post perfectam curationem, quæratque voluptates, & gaudia honesta, fugiat iram, tristitiam, solicitudinem, & similia, unde bonum erit apud se continue aliquem habere ex caris suis, utputa liberos, affines, cognatos, musicos, & id genus alios, utaturque per aliquot menses bona, & convenienti diæta, caveat semper à satietate nauseativa, à potu vini superfluo, à piscium usu, & rerum generantium phlegma salsum, aut melancholiam, ut sunt carnes antiquæ salitæ, pisces itidem saliti, porcinæ carnes, & avium degentium in aquis, quoniam ea ad recidivam disponunt, procuret etiam singulis diebus habere beneficium ventris, quod si natura fieri nequit, fiat arte, ut inferius dicemus, interdiu nequaquam dormiat, & ideo conandum est semper habere sodales apud se, quemadmodum Alemani faciunt tempore phlebotomiæ.

*Immo nec à potu per xv. dies, cum enim totius corporis pori sint aperti, quæcunque levi causa potest contingere lasio.*

## CAP. IV.

### *De cibis convenientibus durante curatione.*

Restat ut cibos, & potus enumerem, quibus nutriendi sunt per tempus curationis.

Sunt igitur convenientes carnes animalium omnis speciei aptæ humano esui, item volatilium, præter degentium in aquis, ut sunt pulli, capones, gallinæ juvenes & similia, quæ omnia vel assa, vel elixa, præparari possunt, habita tamen ratione appetitus patientis. Item ova tremula, aut ex cortice sorbilia, uvæ passæ, pruna pulla, avenata, hordeata, cichorium, spinachia, betæ, caules romanæ, similiter rapæ, si convenire possunt, si vero ex aliquibus prædictis cibis fastidium, aut nausea subsequatur, corrigantur cum tollente fastidium, sicut in carnibus cum succis malorum granatorum muzorum, arantiorum, succo acetosæ, & similibus. Et pro plebejis est acetum bene saporosum: hæc enim prohibere solent putrefactionem cibi in stomacho, & maxime si ex carnibus fuerit: alios cibos quoscunque prædictis oppositos durante ligni potione omittant: nisi individua proprietas, aut aliqua supradictarum conditionum aliud expostceret, ut si fuerit mulier prægnans, id quod judicio Medici astantis relinquo.

*Non approbantur nisi pulli parvuli, absque alio quocunque ferculo, nisi moderatis bori-ginis bullita cum pullo.*

*Summe cavenda sunt acetosa tempore cura, quia ledunt ossa, & nervos, nec opus est alio probo bene putrefactionem quam aqua ligni.*

## CAP. V.

### *De potu convenienti.*

Potus ipsorum per tempus curationis est multiplex, primus est, ut sumatur lignum quod remansit post decoctionem, & colationem primam, & supponantur lib. xij. aquæ simplicis, & bulliant ad consumptionem medietatis, mox coletur, & colatum reservetur in potum cum aliis cibis sumendum, aut inter eos: si adsit necessitas bibendi, hic potus est principalis, & omnino observandus durante curatione secundum quosdam, quem similiter commendo, si aliud quodpiam non impediverit, quare & alios superaddidi potus propter Alemanorum diversitatem: secundus est: bulliat aqua simplici *anisum*, aut *marathrum*, *cum modico cinnamomi:* tertius ut bulliat *mastiche* & parum *galangæ*, similiter in aqua simplici: quartus (& est potus, qui tantum debilioribus, aut assuetis, conceditur,) bibat vinum clarum, album, odoriferum, lymphatum cum aqua simplici, hic potus potest concedi post x. aut xij. dies durante etiam sumptione aquæ ligni usque in finem. Quintus est ut bibat aquam simplicem, electam, & nulla mala qualitate infectam, in qua remollita sit mica panis, & illam concedimus illis, qui sentiunt rugitum, & longam ciborum veluti fluctuationem in stomacho propter usum aquarum decoctarum, sicut per experientiam novimus, quod in eis ideo contingit, quia cum bonæ aquæ decoquuntur, redduntur aptiores corruptioni, quod non evenit aquis malis, ut quotidie experiuntur qui præparant cervisias: quoniam aquæ malæ per decoctionem fiunt meliores, & hoc innuit Avic. *tertia primi in cap. de regimine aquæ, & vini*, sic inquiens: *& aquæ quidem electionem jam demonstravimus, & similiter emendationem ejus ex ea quæ mala est:* ubi expresse insinuat, tantum malarum aquarum esse emendationem, non electarum: similiter in secunda primi cap. de dispositionibus aquarum, ubi tantum aquas malas docet rectificare, & nullibi bonas per totum caput. Hæc autem hac tantum de causa adduximus, quia quidam ex modernis sibi persuadent omnem aquam crudam esse, & per consequens decoquendam, quasi omnes aquæ indigeant rectificatione, aut maturatione, cum tamen cruditas non nisi vegetatis insit, ex quibus minime est aqua, cum sit elementum simplex non nutriens, sed tantum nutrimentum penetrare faciens, & subitantiam ejus rectificans, quemadmodum ponit Avicenna *secunda primi cap.* nunc allegato.

*sunt aperti, & frigus tam actuale, quam potentiale ad incurabilem totius corporis lapsum perducere posset.*

## CAP. VI.

### *De modo solvendi ventrem ægri, cum constipatus fuerit*

Cæterum sumptio dictæ aquæ solet quam plurimis inducere stipticitatem ventris puta in viij. vel x. diebus, aut etiam in xv. & tunc ventris solutio hoc modo procuranda est. Omittat patiens bibere uno, vel duobus diebus, & loco aquæ, suaque hora, sumat pulverem dicti ligni Guayacani præparati hoc modo: accipiatur Guayacanum, & teratur bene, quousque in pulverem redigatur, qui exeribretur subtiliter, atque ex hoc pulvere capiat æ-ger in aurora pondus unius ducati cum dimidio, & dissolvat modica aqua decoctionis aniti, bibatque calidè, deinde quiescat, non dormiendo, neque sudando in loco temperate calido & tardetur cibus ad v. vel vj. horas, sumat etiam dictum pulverem, si opus fuerit, tertia die, nam omnino purgabit, ego in corporibus Alemanorum darem pondus duorum ducatorum, habita ratione conditionum supradictarum, puta virtutis, consuetudinis, regionis &c. & in sumendo hunc pulverem nullam dicunt esse difficultatem, neque pericula. Si vero acciderit aliquem ægrum hoc modo non posse laxari, recurrendum erit ad enemata, & medicinas lenitivas, aut etiam evacuativas humorum secundum consilium Medici astantis. His demum peractis, redeundum est ad potionem ligni, sudores &c. si necessarium fuerit: & hoc faciat usque ad perfectam curationem, quæ si prolongata fuerit, & iterum constipatus est, post certos dies purgandus, aut leniendus erit iterum, modo & ordine supradictis: tempore tamen purgationis nequaquam immutet diætam.

*In paucis aliquid operatur hujusmodi pulvis, & ideo consultius est, uti suppositoriis, & lenibus clysteribus, & omnino iterum purgari oportet post quam per xv. dies potum sumpserit, & iterum post finem potus juxta judicium Medici astantis.*

## CAP. VII.

### *De præparatione decoctionis ligni Guayacani.*

Nunc ad præparationem decoctionis veniendum est, accipiat igitur in nomine Jesu Salvatoris nostri *ligni Guayacani*, (quod sanctum plurimi Hispanorum cognominant) *nigro aut croceo colore tincti lib. j. & comminuatur in rustula minima, quantum possibile fuerit, & invase mundo posito super injundantur aquæ simplicis, & electæ lib. xij. & bulliant lento igne, quousque consumpta fuerit medietas*, ita enim sufficit pro mediocriter infectis, pro multum vero infectis bulliat ad consumptionem duarum partium, aut plus etiam, si extreme infectus fuerit, nam quanto plus in decoctione consumitur, tanto fortior operatio est: servata igitur mediocritate decoquendi, ut supra dictum est, & colata aqua, remanebunt xij. doses pro sex diebus continuis, cum dosis ejus decoctionis sit lib. media, unde oportet singulis sex diebus novam decoctionem fieri, & procedere modo, & ordine prædictis. iterum vero dum decoquitur, spuma quæ supernatat, colligatur, & in vase mundo servetur, exsicceturque, nam in pulverem redacta, & ulceribus, quæ in morbo Gallico fieri solent, superpositа, est mirabilis, in consolidandis illis, lignum autem, quod post colaturam, aut expressionem remanserit, servetur, nam cum penuria ligni fuerit, tunc libræ uni talis ligni addatur libra media ligni recentis, & fiat decoctio cum tanta quantitate aquæ quantam prius diximus, coquendo ea quousque medietas aquæ sit consumpta, deinde sumatur decoctio, quemadmodum superior, quæ pro rei necessitate idem quasi operabitur.

*Lima falsi atteri.*

*Illud tanquam venenum fugiendum est, ne aqua simplex potetur, quia pori*

tur. Eſt præterea illius modus præparationis dicti ligni per modum ſyrupi, quo ſimilem efficaciam, quam decoctio habet, plurimi Hiſpanorum experti ſunt, cujus præparatio talis eſt. ſumatur *Guayacani ligni redacti in fruſtula minutiſſima, ut ſupra lib. j. & ſuperfundantur aquæ ſimplicis electæ lib. vj. & bulliat ad conſumptionem duarum partium, poſtea coletur cum expreſſione, deinde accipiatur mellis boni lib. j. aquæ fontis, ſive ſimplicis lib. una cum dimidia, & coquantur ſimul, & ſemper deſpumentur, quouſque aqua evaporata fuerit.* hoc mel deinceps ita deſpumatum ponatur ſimul cum decoctione jam ſervata, bene movendo ſimul cum ſpatula lignea, quouſque veniat ad modum ſyrupi, cujus erunt ſumendæ unc. iiij. vel v. in mane, & totidem in nocte poſt horas quatuor à cœna, & operabitur idem quod decoctio ſupradicta, operatur autem magis per urinam & egeſtionem, quam per ſudorem. ſi vero quis voluerit, ut per ſudorem magis operetur, accipiat de ſyrupo unc. vj. vel vij. ſecundum ægroti virtutem, ut Hiſpani dicunt ſe eſſe expertos.

## CAP. VIII.

### *De inæqualitate temporis curationis.*

Tempus curationis morbi Gallici per Guayacanum valde inæquale, & diverſum eſt, nam ut experti referunt ex India venientes, Indi plebeji multum etiam infecti in x. diebus plus uno die, aut minus, curam perficiunt ſervantes diætam tenuiſſimam: nobiliores vero, & reguli, curam perficiunt in una lunatione ſervantes etiam tenuem diætam, licentiorem tamen plebeja. Hiſpani autem curantur aliquando xv. diebus, aliquando xx. aliquando xxx. aliquando xl. pauci tamen prolongarunt curam ad lx. dies, cauſam hujus inæqualitatis non judico eſſe aliam, niſi vel fortitudinem morbi, vel debilitatem virtutis membrorum principalium non potentis tam facile actuare medicinam ligni, aut ſimile quid, puta iram, aut triſtitiam, quam profecto extreme perniciosam in hujuſmodi morbo homini eſſe experientia ipſa rerum magiſtra comprobavit. unde concludendum erit eouſque miniſtrandam eſſe medicinam, quouſque æger viderit ſe ſanum evaſiſſe: ſunt enim multa Alemanorum corpora adeo per argentum vivum, ſive aliud malum regimen deſtructa, ut illa parum, aut nihil in eis operari poſſit, quare meo judicio, etiam non ſine fructu ægri, medico aſtanti, & fideli, rem omnem puto eſſe committendam. Habet igitur Sereniſſime Princeps Reverendiſſima D. T. regimen curationis morbi Gallici ex multiplici Hiſpanorum experto regimine in unum redactum, atque eo modo immutatum, quo mea ſententia veteres Medicos imitando judicabam Alemannis prodeſſe, atque toti fere Europæ, in quo quamvis ſtylus ipſe ſcaber ſit, & tanto Principe minime dignus, humanitas tamen & ſapientia ejuſdem clementis, ac pientiſſimi Principis excuſabunt illum, atque defendent, quem Deus omnipotens tueatur, ac valere jubeat, in eo qui omnium valor reparatorque exiſtit, cui quoque me, meaque omnia ſubdo, atque commendo.

## CAP. IX.

### *De aſſumptione ligni Guayacani ſecundum modum ex Hiſpania allatum.*

*Accipe lignum Guayacanum, atque illud ita rade ut ex ejus minutiſſimis raſuris impleantur cyathi duo, quas deinceps raſuras pone in olla nova cum xv. cyathis aquæ, & fac ut bulliant, quouſque conſumentur tres aquæ partes, reliquum vero, poſtquam fuerit refrigeratum, coletur,* & ex hoc bibe unum cyathum mane, alium in meridie, & alium in nocte, & cave à frigore, ac ab aëre, nec egredere lectum: præterea ægrotans tenui diæta debet uti, nec aliud comedere, quam panem biſcoctum, pruna paſſa, vel uvas paſſas, nec bibere vinum, nec aquam, quod ſi à ſiti vexaretur, parum decoctionis ſupradictæ, quæ propter malum ſaporem, quem habet, auferet voluntatem bibendi. Itaque patiens utatur hoc regimine per viij. vel ix, dies, poſt quos per vj. vel vij. dies ſequentes poterit comedere vitellum aliquem ovi coctum in aqua cum pauco ſale, poſtea vero per xx. aut xxv. dies ſuccedentes comedat in prandio, & cœna, quæ tempeſtiva ſint, pullos parvos, ſicque agendo ulcera etiam ad ipſa oſſa profunda conſolidabuntur & dolores tollentur, poſt ſumptam autem aquam ligni caveat à frigore, & à comeſtione rerum acrium, & ciborum malorum, & in primis a coitu, nec bibat vinum aut aquam puram, ſed vinum bene lymphatum, & cum hoc regimine bibendo dictam aquam, etiam ſi per decennium vexatus fuiſſet patiens à morbo Gallico, & haberet ulcera profundiſſima, evadet. ſi forte autem ulcera non conſolidentur per totum tempus, quo ſumitur aqua, non eſt timendum, quia ita etiam poſt tempus ſumptionis operatur virtute ſua, ut ulcera omnia conſolidet. Sed notandum eſt, hujuſmodi decoctionem eſſe faciendam ſingulis duobus vel tribus diebus, quia melius eſt, ut recens bibatur, purgat enim per feceſſum, vomitum, urinam, & ſudorem, ut in Hiſpania expertum eſt.

FINIS.

# PETRI ANDREAE MATTHIOLI,

*Senenſis, Doctoris, ac Medici præſtantiſſimi,*

DE

# MORBO GALLICO,

## OPUSCULUM.

## PRÆFATIO.

*Cum Valle quadam ſecreta, locisque deſertis ab omni ſequeſtratus penitus medicorum convictu fato me continerem, cenſuiſſemque, ſicut olim Philoctetes, diutius in ſolitudine mihi permanendum, per hyemem noſtræ diſciplinæ memoriam literis propagare non alienum putavi, ut & nobis ſolatium, & lectoribus pro virili utilitatem pararemus, ne quando non ſolum vitæ in obſcuro tranſactæ, ſed etiam temporis amiſſi reddenda ratio foret. Nam dum tempus ferebat, & Herbæ, Arbores, Virgulta, cæteraque id genus in collibus, pratis, & convallibus germinabant, quæ aliquid medicinæ conferre videbantur, ea conſectabar, ſolatiique loco mihi tunc erat, hæc vacuum partim ſub umbra, ut flacceſcerent, collocare, partim æneis, & vitreis organis igne ſubdito in puriſſimas aquas redigere. Sicut ardente jam Syrio domi ſubtiliſſimæ naturæ liquorem, ſummoque pretio comparatos medicamentorum potus, conficiebam. Longum eſſet Antidota, Collyria, Cataplaſmata, quibus tunc inſudabam, ſigillatim connumerare. Nec ab induſtria vacuus Autumnus erat, per altiſſimos namque Montes ſedulo gradu radices utriuſque Veratri, quod Helleborum Græci dicunt, Dictamnique Bezoardici perſcrutabar, Herbarumque ferme omnium, quarum apud Medicos nomen eſt celebre, paſſim gramina radicitus extirpabam. Nec minus prout occaſio ſeſe ingerebat & abietis oleum ſummo odore præditum, vulneribusque conglutinandis aptiſſimum, & ex Larice cum Agaricum, tum gummi liquidum, ex quibus ſummam male habentibus Medicina ſalutem promittit, colligebam. Nunc vero cum Hyems in Autumni locum ſucceſſerit, per brumam, quid aliud agendum ſupereſt, quam, quæ à diverſis auctoribus de medicina tradita fuerint, memoriæ commendare, ſive aliquid ſcribere? Sed cogitanti mihi aliunde mortuorum memoriam*

*minime pendere, niſi ex monumentis literarum, dubius diſtrahebatur animus, Commentariane conſcribere in eminentiſſimos medicinæ profeſſores, an aliquid meo Marte cudere deberem, nec ſane quid potius eſſet præſtandum ſuppetebat; nam primum ſatis vulgare videbatur, ab altero deterrebat negotii magnitudo. Quæ dum egomet mecum diſquiro, forte fortuna in manus inciderunt quædam de morbo, quem Gallicum dicunt, à neotericis conſcripta, quibus cum multa mihi comperta adjici, & pleraque meliora fieri poſſe viderentur, accepiſſemque jam calamum exaraturus opuſculum, quod meo iudicio poſſet non nihil laborantibus opis afferre, Franciſcus Aliger præſto fuit, in quo præter fidem, mirificamque in me animi inductionem, ſumma inerat comitas. Mutua igitur data acceptaque ſalute, confectisque tribus, aut quatuor ſpatiis in tepidario ſedimus, atque ubi poſt familiarem ſermonem friget, Franciſcus huc evaſit.* FRAN. *Et otium tuum, & hyemis ſolitudo hortantur, ut te, pro ſumma inter nos benevolentia, quod jam dudum concupieram, ſed pudore pene ſubruſtico deterritus non audebam, tot alioqui negotijs diſtrictum diutius, interpellem nunc, & obteſter, de morbo Gallico diligenter ut diſſeras. Nam hæc opuſcula, quæ circunferuntur, potius aliquando infirmitatem, quam ſanitatem patientibus pariunt, quæ quidem tanquam deterrima deteſtor. Nec mehercule injuria. Quid etenim præter ſuffitus, illinitionesque vivi Argenti (extinctum, quod vivum eſt, dicunt) quibus mea ſententia nihil eſt deterius, in ſe habent? A te vero cum primis originem, cauſam, cognationem, principium, qualitatem prædicti mali, deinde victum, abſtinentiam, quam ſuſtinere debeat affectus, tum potiones, medicamenta, pharmaca, fomenta, quibus hujuſmodi noxa fere plerunque ſolet expugnari, deſidero, nulla alia de cauſa, niſi, ut ubi primum talia fuero diligenter expiſcatus, tanquam planus, improbiſſimus & ſecundarum nunc partium, ſtatim tunc primarum fiam. Proinde vide quid agas. Hæc te prius ſcire volui, ne poſtea dicas non prædictum.* ANDREAS. *Bene profecto & ex uſu noſtro id ſermonis nunc incidit, quippe de iis me percunctaris, quæ, iam dudum ſcribere conceperam animo, calcaria igitur equo ſponte currenti (ut ajunt) addidiſti, nam quod tu perplexe minitaris, poſtea videro, quanvis (vere dicam) nimium oneris nobis imponis, quaſi vero cæteros in hac cura medicos excellamus. Tu quidem mi Franciſce, qui tantum mihi tribuis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis amice. Tametſi vellem aliquando id fore, quod credis eſſe, aut futurum brevi ſperas. Sed certe (ingenue dicam quod ſentio) nihil in me video ſigni, quo poſſim quandoque id futurum mihi promittere. Sed de his hactenus. Verum antea quam ii ſermones ſe altius efferant, ut viva tantum Veritas, cœleſtis ſpiritus gratia ore noſtro proferatur in lucem, imprimis Deo Optimo Maximo invocato, colloqui incipiamus.*

## N A R R A T I O.

OMnipotens pater (ut ait Heſiodus) antiquorum pervicaciam perſpiciens, Pandoram cum dolio malis referto terris immiſit. Denuo memoria patrum, ut effrenatam mortalium luxuriam debitis afficeret pœnis, aut propoſitis contineret ſuppliciis, morbo quem Gallicum vocamus, Italiam bellorum procellis concuſſam, confecit, qui poſtea contagione vulgatus eſt. Quidam Deo, cum ſit ſumma bonitas, mala tribui non debere contendunt, proinde gentium colluvione aërem infectum produnt. Habes originem, nunc cauſam cognoſce, de qua Medicorum præſtantiſſimo cuique diverſa ſententia eſt, ut non poſſis, quis vero propius acceſſerit, facile conjicere. Quippe quoniam Philoſophantes plerique in Saturni, Martiſque aſpectum cum retrograda Venere, cauſam conjiciunt. Cujus conjunctionis tanta fuerit malitia, ut non immerito morbus inde proceſſiſſe fit viſus. Fuere, qui corruptum cœli tractum, ſanguinem in atram bilem convertentem, caulati fuerint. Nonnulli Morbum Gallos, cum per montem Salvium iter facerent, à fœminis leproſis per coitum primitus contraxiſſe, eorum poſtea intemperantia atram bilem pituitamque procurante, memoriæ prodiderunt. Inde putarunt medicinam plerique profitentes malum Elephantiæ non abſimile, qui Cornelii Celſi, Galeni, Paulique Æginetæ ſententiis videbantur inniti. Nonnulli melancholicos Varos, quos etiam morbillos dicunt, aut malum mortuum dixerunt. Nos autem multis, eiſdemque potentioribus argumentis convincemus hunc morbum ab Elephantia plurimum diſtare. Cæterum morbillos melancholicos, ſive malum mortuum quis ſanæ mentis dixerit, qui noverit Morbum Gallicum ſævas nervorum diſtentiones, junctvrarum dolores, oſſium putreſcentium corruptiones, & ulcera ſequi malignitatis ſuprema? Quibus omnibus ſane convincitur nobis acceſſiſſe ægritudinem novam. *Fran.* Agis perplexe mecum, tardiuſculus ſum, quamobrem cum hæc abs te diſſeri verboſius velim, tum illud imprimis, quod minus eſt triviale, quibus ſcilicet ſignis Medicus ille, qui laborantem ſit ſuſcepturus, hunc morbum à ſanguine, aut à bili, aut à pituita, aut ab atra bili cognoſcet procedere, quoniam mihi ſatis compertum eſt à quatuor humoribus hunc foveri poſſe. *Andre.* Recte tu quidem Franciſce, & vere, neque enim ab illo morbo, ni ita eſſet, ut dixi, tanta contagio, tanta nobis impenderent mala. Quoquo te verteris, hæc noxa præſto eſt, nullo pacto excluditur, ſemper intempeſtiva, ſemper moleſta eſt. Verum tibi mos geratur. Nonnullos plerunque vidimus puſtulis, & tuberculis exilibus ſubrubeis totum corpus aſperſum gerentes, quibus ſub alis, & in inguinibus, abſceſſus corporis turbinati quadam malignitate ſubito emerſerunt. Quod Galenus cum à ſanguine, tum à bile fieri credidit his verbis. vj. *Aphor. libro, Sublimiores puſtulæ, atque tubercula ab humore calidiore* A *generantur.* Hæc ille. Sed is Morbus, cum à ſanguine fovetur, humoris benignitate levioribus curatur remediis. Sunt qui maculas tantum rubeas in luteum tendentes colorem monſtraverint, quibus & in faucibus, & circa pubem, nunc Eryſipelas, nunc Perſicus Ignis, & Phthyriaſis nova quadam ſpecie ſe efferant. Ii fere bilioſi circa frontem dolore conflictantur. Pituitæ vero, & atræ bilis ſigna ſunt, dolor in occipite, diſtentio nervorum, crurum vexatio, liventes, & verrucoſæ ſuppuraciones, è Gypſo præterea concretis nodis affecti, nocte magis, quam die torquentur, unde non abnuerim morbum Gallicum à quocunque foveri humore, præſertim cum viderimus omnes ſpecies apoſtematum, cutiſque exulcerationis, & malorum ulcerum ab expertis Chirurgicis, eiſdemque doctiſſimis viris, eorundem monumentis annotatæ, huic complicari, quibus rarius, aut nunquam fortaſſe remedia monumentis literarum prodita Gallicæ malignitati contulerunt. Omnia itaque (ut uno verbo dicam) morborum genera, quæ à Medicis deſcribuntur, B poſſunt cum Gallico concurrere, tantum etenim ineſt virus, & ubi primum jecur occupaverit, mortales illico, in morbos paratos fieri, detrudat. Si quod etiam corpus occupaverit, infeceritve aliqua ægritudine prius imbutum, in ſuam malitiam brevi convertit eam, ut ob ſcelerum multitudinem nobis tam virulentam peſtem divinitus miſſam non immerito videar dixiſſe. Sed nunc quod pollicitus ſum. Nonnulli medicinæ interpretes, non contemnendi tempeſtate noſtra, pluribus priſcorum monumentis innixi, morbum Gallicum eſſe Elephantiam omnino volverunt. Quorum ſententiæ non accedentes dicimus teſtimonio eorum, qui de Elephantia conſcripſerint, ſemper ex ea pedes ægrotantium intumeſcere. Celſus etenim iis verbis utitur, ſumma ejus cutis inæquabiliter craſſa, tenuis, dura, molliſque quaſi ſquamulis quibuſdam exaſperatur, corpus emacreſcit, & pedes intumeſcunt. Galenus etiam de medicis definitionibus ſic autumat. Elephas eſt affectus, qui cutem craſſam, & inæqualem red- C dit, tum colorem lividum in albo oculorum facit, exeduntur pedum, manuumque ſummæ partes, ſanies defluit livida, & male olens. Plin. etiam *lib. xxvj. cap.* 1. *naturalis hiſtoriæ* ſic. *Diximus Elephantiaſim ante Pompeji Magni ætatem non accidiſſe in Italia, & ipſam à facie ſæpe incipientem, in nare primo veluti lenticula, mox invaleſcente per totum corpus, maculoſa, variis coloribus, & inæquali cute, alibi craſſa, alibi tenui, dura ceu ſcabie aſpera, ad poſtremum vero nigreſcente, & ad oſſa carnem apprimente intumeſcentibus digitis in pedibus manibuſque.* Hæc equidem dicta ſi recte perpendimus, maximum diſcrimen inter hos innuunt, cum dicant, quod ſumma cutis eſt inæqualiter craſſa tenuiſque. Quod morbo Gallico laborantibus fere non evenit, nam quamvis ſint tubercula, puſtulæve in corpore fere toto, ſumma tamen cutis æqua-

lis

lis apparet. Addunt Elephantiam prope nares ſemper oriri, at Gallicus colem, teſticulosque quamprimum infeſtat. Poſtremo Elephantiaci maximos in pedibus patiuntur tumores, ſicut etiam pedum, manuumque ſummæ partes exeuntur, at in Gallicis ſecus eſt. *Fran.* Quid tu hæc mihi? quaſi vero cum imperitiſſimis rerum omnium ſermonem habeas, nam quotus quiſque eſt, qui tibi talia differenti tacitus aſſentiatur? Verum ut ad me redeam, quod ex auctoribus veterum perſuadere conaris, aliter eſſe experientia compertum habeo. Romæ dum eſſem, nonnullos vidi turbæ prætereuntium expoſitos in Aurelio Ponte, juxta Molem Hadriani, Morbo Gallico male affectos manibus exeſis, naribuſque, tum detritis omnibus articulis, inæquali ſumma cute, quo fit, ut aut hunc morbum Gallicum non fuiſſe dicas, aut Elephantiam Gallicum morbum fatearis præter ſententiam. *Andr.* Noli tam ſuperbe, ne dicam ſubabſurde, dicentem compellare, cum tu, ſi recte memoria teneo, ſuperius cum omnibus humoribus conglutinari, ego cum omnibus ægritudinibus habere cognationem dixerimus. Quod cum ita ſit, qui fieri poteſt, ut annuat, Elephantiam, pedum potius quam aliarum corporis partium malum? Quod ſi ſuperioribus verbis parum credideris, adducam Galenum *ad Glauconem libro 2. cap. de Cancro*, talia dicentem. *Sæpius Cancer ad varices decurrit, & quandoque ad cutim univerſam expellitur, fitque is morbus quem Elephantem nominant.* Quid igitur obſtat, cur non iis Gallicis, quos adduxiſti, tum humoris admiſtione melancholici, tum Medicorum præterea negligentia, Elephantia acceſſerit? Quin etiam Avicenna iij. *ſui Canonis, Elephantia*, ait, *eſt additio in pedibus, ſecundum modum qui accidit in venis Varicum.* Item Rhaſis in libro *diviſionum* ſic, *Elephantia accidit in pede, & crure, ita quod quando confirmatur non habet curationem.* ſubſequitur hos Avenzoar, *Dicitur Elephantia quia taliter diſponuntur pedes, ut aſſimulentur pedibus, vel tibiis Elephantis*, Cauſas autem ejuſmodi ægritudinis paucis: vj. *Aphoriſm. lib. commen. xxj.* aperuit Galen. cum dicit, *Varix autem eſt, cum venæ latiores fiunt in coxis, & cruribus, quod ex craſſo, & melancholico humore contingit.* *Fran.* Hoc me judice nihil ad rem, nam Galenus, de Varicibus tantum non de Elephantia loquitur. *Andr.* Sat tibi erit audire Avicen. Galen. interpretem aſſerentem. iij. *Can.* Elephantiam eſſe in pedibus augmentum, ſecundum modum, qui accidit in venis Varicum, quod non aliter à Galeno ſuperius percipi videtur, cum dicit, fitque is morbus, quem Elephantem nominant. Ejuſdem ſunt ſententiæ Neotericorum plerique, quorum rationes pluribus explicare longum foret. Elephantia igitur cum in cruribus, & pedibus plerumque verſetur, & morbus Gallicus cum in pudibundis particulis, tum deinde per totum corpus emergat; idem eſſe non poſſunt. Non tamen inficias eo, Gallicum morbum Elephantiæ accedere poſſe, ſicut etiam contra. Nam ſecundum Galenum Elephantiæ duæ ſunt ſpecies, cum enim aſſerit Cancrum ad varices decurrere, pedum Elephantiam excitare comprehendit: cum vero ad cutim univerſam Elephantiam in toto corpore, quam ab Arabia Auctores Lepram appellant. Verum cum ab eiſdem cauſis, atque humoribus non minus una, quam alia eveniat, de his tecum indifferenter ſum locutus. Nam de ægritudinum nominibus parum curandum cenſemus (ut Galenus) cum aderit morborum bona curandi ratio. Iſaach enim in ſuo Viatico: *Conſtantinus ac plerique alii excellentiores unam tantum lepræ ſpeciem Elephantiam dixerunt: cum quatuor lepræ à quatuor humoribus ingruant. Prima cauſatur ex ſanguine combuſto, quæ alopecia dicitur. Secunda à pituita corrupta non abſimilis Tyri ſerpentis, à quo nomen accepit, excoriationi. Tertia ex bile combuſta fit leonina, calidior aliis, oris diſtinctionem terribilem tanquam faciem leonis efficiens. Quarta & ultima ab atra bili, qua cum ægrotantium crura ad Elephantium ſpeciem tumeant, Elephantia dicitur.* Quibus liquido patet Elephantiæ duas eſſe ſpecies, Aegritudinem ſcilicet pedum peculiarem, tum etiam Lepram, de qua Plinius & Celſus dixerunt: Quia cum iſta complicantur maculæ per totum corpus, oſſa corrumpuntur, & articuli decidunt. ideoque bene Galen, *Exeduntur ex ea manuum, pedumque ſummæ partes.* Quamobrem liquido patet cum unaquaque Elephantia manuum pedumque tumorem articulorumque caſum complicari, ac alteram in cruribus, & pedibus, alteram prope nares oriri. Non igitur recte morbum Gallicum Elephantiam dixerimus. *Fran.* Cogor auctoritatibus, rationibuſque, quas attuliſti mihi, omnino aſſentiri, Quo fit, ut te facile patiar iſto modo differentem. *Andr.* Atqui res maxima agitur, quæ pluribus indigeat auctoribus, neque mihi tantum tecum eſſe ſermonem judico. volo igitur, ut ſe ſe efferant ii ſermones noſtri, quamobrem me pluribus ratiocinantem feras. Nunc, ut ad rem redeam. Rhaſis *libro diviſionum.* Quando ait cum Elephantia magnificantur eminentiæ, non recipit curationem. Item Almanſoris *nono: hæc paſſio poſtquam inveterata fuerit, ad ſanitatem omnino redigi non poteſt:* cui aſtipulatur Avicenna inquiens *Elephantiam malignam eſſe, quæ parum ſaneſcit, & oportet ut dimittatur cum diſpoſitione ſua.* Quibus omnibus ſit comprobatum, inveteratum Elephantiacum morbum nullis medicamentis ſaneſcere, liquido patet Gallicum ab hoc plurimum diſcrepare, utpote qui tam vetus, quam recens à nobis recte curetur. *Fran.* Confundis, me judice, neque poſſum recte conjicere, an de Elephantia Arabum, an Græcorum loquaris. *Andr.* De utraque profecto mi Franciſce loquor: neque Arabum, neque Græcorum morborum Gallicum eſſe Elephantiam puto. *Fran.* Cur igitur Galen. xj. *de ſimplici medicina cap. de carne*, quem Elephantia jam dudum torſerat, hauſtu vini, in quo forte fortuna Vipera quædam vitam cum morte commutaverat, diebus caniculæ curatum fuiſſe memoria prodidit, cum tu inveteratum elephantiacum, nullis medicamentis ſaneſcere contendas? *And.* Hoc totum nihil ad me. Quippe quod aſſerit, prodigii loco habetur. Nam Galen. idem *lib. ij. ad Glauc.* videtur aliter ſentire cum dicit, *Viperas etiam decoctas ex oleo, ſale aſperſas modico, perinde ac anguillas in cibum recte dabis, quæ morbi initio omnia tentabis. Quippe inveteratam Elephantiam, radicibuſque innixam reprimes potius quam curabis:* iterum 6. *Apho. com.* 46. inquit. In altero Elephantem inchoantem, primo per venæ ſenectionem, & purgationem ſe curaſſe, & ſingulis deinde annis hunc purgaſſe una tantum purgatione, qua tamen omiſſa ſtatim morbum redivivum fuiſſe. Nos autem plerosque à morbo Gallico, tum recenter contracto, tum cum malis perniciosisque accidentibus inveterato curavimus, qui poſtquam convaluerunt, purgativam potionem nunquam acceperunt. Et iis tamen nequaquam morbi accidens aliquod redivivum fuit. Quo argumento iſtorum morborum differentia aperte conjicitur, nec hoc tantum dixiſſe ſufficit, ſed alia eſt addenda ratio Galen. auctoritate nixa, qui *lib. de tumoribus* aſſerit: Elephantiam à melancholico ſanguine in atram bilem temporis intervallo converti, cujus os fœtidum argumentum fuerit, & horribilitas in vultu: Morbus igitur Gallicus cum à quocunque humore defluat, & Elephantia ſit tantum morbus ſanguinis melancholici, longe ab eo diverſa comprobatur. Et quoniam præmiſimus medicorum multorum ſententia, morbum, quem Gallicum dicunt, cum pituita & atra bile tantum habere conſortia: propterea multi ab ejuſmodi morbo non emergunt, quippe quoniam ſanguineus humor aliter, quam bilioſus curatur, & diſcrepat in curatione pituita ab atra bili, ut inferius docebimus, nam ſi bilioſum, & melancholicum iiſdem medicamentis, quibus ſanguineum, & quem pituita male habet curaveris, magis mortem quam valetudinem promittemus. Quod nonnullorum Empiricorum, uno pharmaco omnes homines curantium, inſcitia, ſive dementia potius deprehenditur, teſte Galeno, qui *primo Aphoriſmorum* ſic ait, *Quod ſi aliorum humorum fiat evacuatio, & non eorum qui corpora noſtra moleſtant, contrarium evenit, neque enim conſert, & graviter ferunt.* Quamobrem morborum cauſas altius inveſtigandas recte patet. Quod aſſerit idem Galenus *primo Aphoriſ. libro, Morbos* ait *imprimis maxima diligentia indagandos, quoniam ſi recte conjiciantur, quæ ſit adhibenda proprie medela, facile conjicietur.* *Fran.* Bene ſane, & ex ſententia dixiſti, quo fit, ut non poſſim iſtorum non detectari judicium, qui nunquam ſe ſatis evaſiſſe vim morbi ducunt, niſi in Empiricorum manus inciderint, qui nullo diſcrimine ætatis, habitudinis, ſexus, eodem medicamento mortales curant, ſive potius urunt. *Andre.* Quod minitaris, non eſt abſurdum, nam & ejuſmodi hominum genus, ea promittunt ſe præſtituros, quæ unquam ne ſomniarunt quidem, ne dum præſtiterint, paucisque pecuniis conducuntur. Eſt etenim tanta morbi malitia, graveolentia, contagioſa vis, ut non injuria medici, quorum exiſtimationem plurimi faciunt, id empiricis condonent, id eſt tonſoribus, Judæis, & circumforaneis pharmacopolis nihil omnino purgationis agnoſcentibus, præter unam colocynthidem, quam ut filiolam ſemper amplexantur. Sed ad propoſitum revertamur, memoria teneo nonnullos me legiſſe, qui morbum Gallicum pituitæ tantum dixerint complicari, idque aſtruere non dubitarunt hoc argumento. Hominem quemdam defunctum membratim incidebant, cujus junctura magna vis pituitæ ſuberat. Quod quamvis dederim fuiſſe, nihil eſt tamen, nam præmiſimus cum quovis humorum Gallicum morbum conglutinari. Huic igitur cum multa laboraſſet pituita vivens, quæ ſuapte natura ad junctura ſemper defluit, mortuo id eveniſſe non eſt mirum. Nam Galen. 6. *Aphor. Semper*, inquit, *in articulis compagibuſque humor pituitoſus acervatur, quem Mucorem appellant.* Quod ſi dixiſſent ex viginti incilis eodem morbo confectis hæc omnibus apparuiſſe ſigna, ſatis id apud me ponderis

deris haberet. At ego dum eſſem Romæ à Sancti ſpiritus diverſorio curationi ægrotantium conductus, mecumque eſſet Bernardinus Hiſpanus, Bartholomæuſque quem noveras, ad Zenodochium incurabilium ſancti Jacobi ſæpius acceſſimus, ubi multos morbo Gallico jam defunctos articulatim obtruncavimus, ex quibus pleroſque, nulla penitus inventa pituita deprehendimus. Sed ut procedat oratio, ſub idem fere tempus, ligno, quod Indicum dicunt, iis prudentiores medici temere medebantur. Quod meo judicio, experientia magis quam ratione procedebat. Nam lignum, ut inferius explanabimus, biliosis & melancholicis minime competit, cum ſanguineis, & phlegmaticis, maxime conveniat, Galen. 6. *Aphor.* ſic dicente, *Carnes habentibus humidas famem adhibere convenit, fames enim exſiccat corpora.* Unde nec audiendi ſunt à Germania Medici, qui morborum generibus fere cunctis, hoc ex aqua decocto medentur. Nam apud Germanos apprime ventri deditos, plerumque quod hoc curæ genus ſucceſſerit, non eſt mirum, cum cuncti eorum morbi fere ventris indulgentia eveniant. Verum quod ſupereſt videamus. Hunc morbum ætate patrum, ſicut diximus, irrepſiſſe conſtat, nec miremur, cum ſæpe alias in aliis morbis idem uſu evenerit. Nam Plin. 26. *natur. hiſt. cap. primo*, *Senſit*, inquit, *& facies hominum novos, omnique ævo priore incognitos non Italiæ modo, verum & fere univerſæ Europæ morbos, tunc quoque nec tota Italia nec per Illyricum. Galliaſve, aut Hiſpanias magnopere vagatos.* Celſus etiam ſæpe ait incidere genera morborum, quorum cauſæ & naturæ ignorantur. Cæterum fons hujuſce mali ab hepate eſt, namque cum eo gradatim aſcenderit, omnes inficit humores, ſed magis atram bilem, & pituitam, quod cum ita ſit, nunc nomen ejus unde primum defluxerit diſſeramus. *Fran.* Iſtud abs te tacitus deſiderabam, nam quamvis quæpiam ſupra dixeris, pluribus tamen verbis ſigillatim nomen explanandum videtur, ut cum vigilantiam patrum mirificam cognoverimus, qui nobis induſtria ſumma comparaverint hoc malum, quo nomine appellarint etiam non neſciamus. *Andr.* Jocaris tu quidem, ſed me hercule extra jocum hoc unum ſcias, ante Caroli Francorum Regis adventum, nec morbum noviſſe Italiam, nec nomen audiviſſe. Tunc primum Gallorum intemperantia, victorumque temeritate conjuncta ſuperbiæ, ſacra, prophana juxta habentium, hic morbus invaſit, præſertimque cum per Campaniam populabundi vagarentur, nam (ut noſti à Saluſtio dictum) *victoria non ſolum inſolentes effert, verum etiam ſapientiores corrumpit.* At eorum furor, vecordiaque proceſſit eo, ut non ab intactis, non à religioſis, non ab infectis injuriæ vim abſtinerent, ſanæ infectæque mulierculæ juxta habebantur, nihil ſibi officere poſſe ducentes. Quæ eſt ejus gentis mira ſuperbia, innataque vanitas. Forte fortuna dum mœchantur, inciderunt in quaſdam morbo confectas contagioſo, quem (ut par erat) contrahentes, nec à meretricibus abſtinentes, tum in deterius prolabebantur, tum ſanas, quod deterius, inficiebant, inde vulgari morbus cœpit, ut veluti continens incendium provincias totius orbis momento temporis invaſerit. à Gallis igitur quoniam primum emerſerat, dici Gallicus jure is morbus ab omnibus eſt cœptus præterquam, quod Galli nomen hoc patriæ infame non aguoſcentes, Parthenopeum à loco dixerunt. Porro quocunque nomine appelletur, coitu imprimis, & unius lecti conſortio contagioſus primum pene viris inficit colem, ſcrotum, & inguina inteſtat. Os autem vulvæ fœminarum quibuſdam cruſtis, & exulceratione, ſtatim corrumpit, ex quo gravis odor, & pus virulentum maxime defluit, ut nares ſint propius accedentibus non immerito continendæ. Nam ſunt qui crediderint contrahi noxam non ſolum coitu, ac lecſtuli conſortio, verum etiam ſolo odore. Quibus refragatur Nicolaus Maſſa, nulla aliquando contagione Gallicum fieri ducens, ſed evenire ex affectis humoribus aliisque cauſis nonnullis, ut febres, cæteræque ægritudines indies eveniunt, unde non immerito ſibi videtur, quo magis ſuam aſtruat ſententiam, exempla puerorum non lactentium, quos ipſe curaverat, ne totum hoc ſcilicet lacti infecto aſcribatur, appoſuiſſe. Addidit etiam pleroſque hoc morbo affectos, quorum colem, & ſcrotum neque puſtulæ, neque exulcerationes unquam aggreſſæ ſunt. Quam ſententiam nos improbantes, aſſerimus duplici de cauſa fieri potuiſſe: tum quod materia non mordax primo jecur occulte ſerpens invaſerit, inde diffuſa totum corpus ſævis accidentibus corripuerit, parva temporis intercapedine: nam ex ſubagitatione verendorum pori laxantur, & commode ingrediens inde virus Hepar occupat, ut Conciliatori *differ. clxxvij. de lepra* differenti placuit: tum vero fieri potuiſſet, ut oſculo complexuque, dum venerem exercerent, inhærentes, haud difficulter inficerentur. Nam mirum non eſt, ex anhelitu poſſe quempiam noxam contrahere, Si Plinio credimus, qui *lib. xxvj. cap.* 1. ſic ſcribit de morbo lichene: *Graviſſimum ex his lichenas appellavere Græco nomine, Latine quoniam à mento fere oriebatur, joculari primum laſcivia, ut eſt procax natura multorum in alienis miſeriis, mox & ujurpato vocabulo Mentagram, occupantem multis, & intuitus, totosque utique vultus, oculis tantum immunibus, deſcendentem vero & in colla, pectuſque ac manus ſæpe cutis furfure. Non fuerat hæc lues apud majores patreſque noſtros, & primum Tib. Claud. Cæſaris principatu medio irrepſit in Italia, quodam Perſino equite Romano, quæſtorio ſcriba, cum in Aſia apparuiſſet, unde contagionem ejus importante. Nec ſenſere id malum fœminæ aut ſervitia, plebisque humilis, & media, ſed Proceres veloci tranſitu oſculi.* Id ſiquis dederit paucis oſculis fieri potuiſſe, tanto magis continuo complexu, jugique oſculo dabit. Nam & pueros familiariter cognati deoſculantur, ulnis geſtant, ſecum habent, inde tenelli, delicatique, tum pituita multa imbuti contagioni ſunt obnoxii. Conſentaneum fuerit igitur morbum Gallicum ſola contagione per mortales graſſari. Nam Aſtronomorum apud me jam dudum eſt exploſa ſententia, qui conſtellationibus hoc totum tribuunt, quippe quoniam ſi vera dicerent, cum magis, atque magis in dies invaleſcat hoc malum, neceſſe eſſet quoque quotidie fere eoſdem fieri ſtellarum concurſus, Quod quam conſentaneum ſit, ipſi viderint. Certe ſanctiſſimus ille vir Damaſcenus quo cum libentius erraverim, quam cum iis vera dixerim, in *Aphor.* ſic contra Mathematicorum ſententiam, ſuperius enarratum teſtatur. *Nulla res ſub cœleſti globo, vel circulo poſita, quocunque gradu mutetur circulus, ultra revocatur in æternum ad illud qualitatis, & quantitatis, in quo fuerit in ipſo circuli motu.* Hæc ille. *Fran.* Vere meo judicio nonnulli morbum Gallicum non eſſe ægritudinem novam aſſerentes à veritatis via penitus diverterunt, nam diebus elapſis Aggregatoris cujuſdam Lugdunenſis *de Medica materia* opus ad manus meas devenit, quod dum lego, quædam de morbo Gallico oculis meis ſeſe offerunt. Quamobrem novi aliquid addiſcere deſiderans, quod de re ipſa ibi ſcriptum inveni, diligenter excerpſi. Omnibus igitur deinde perſcrutatis, maxime aberrare mihi videbatur. Nam & morbum Gallicum appellare Mentagram auſus eſt eadem Plinii auctoritate, quam tu contra Maſſam adduxiſti. Nam ſi Mentagra (quod morbi genus Græci lichenas appellant) fœminas, ſervos, plebemque humilem, ac mediam non invaſit, verum Proceres tantum veloci tranſitu oſculi, Aggregator ipſe viderit, quomodo rectius dicatur Gallicus. Nam tempeſtate noſtra, nullis immunibus relictis, per mortales graſſatur. *Andr.* Ingenue tu quidem, quamvis etiam alia ratione ejus opinio confutari poſſit. Præmiſimus enim Gallicum ſæpius in verendorum particulis oriri, at lichen quoniam mentum invaſerat, Mentagræ nomen ſibi vendicaverat. *Fran.* Laurentium quendam Phriſium diebus iſtis offendi, qui Auguſto menſe præterito, *de morbo Gallico* ſuum opuſculum omnibus aperuit. Quo fere tantum ſiderum aſpectibus morbum eveniſſe fatetur, ac deinde digeſtivis, ſolutivisque pharmacis, non omiſſis linimentis, argento vivo carentibus, iſtum ſe pellere morbum teſtatur, quod quidem mihi perpulchrum videtur, cum omnes fere Medici in Mercurium invehant. *Andr.* Hic etenim, quem affers, penitus ignorantia refertus dici par eſt, nec una tantum veritas ab eo elici poteſt. Nam ea quæ ſcripſit, potius ſomnia, quam experta dici poſſunt. Putat enim ſuis linimentis Gallicum morbum fugare, quo nihil eſt deterius, quibus quidem pene levis ſcabies curari poterit. Semel ejus tantum perlegi librum, qui mihi poſtmodum tantam nauſeam evocavit, ut ipſum è domo noſtra perpetuo exulare decreverim. Quod ſupereſt, ſicut arbores plerumque ſolent primo vere frondeſcere, variisque florum generibus ornari, ita diverſicoloribus puſtulis humanum corpus fœdabatur. Quas ſi Medicorum cura pervigil expulerat, denuo nihilominus repullulabant, ſine certo temporis intervallo, continuis ulceribus diffundebantur, aut glandulas ſtantes, & rubera ex ſe gignebant, aut oſſa penetrantes vitiabant, quamquam ſine his etiam ſuperiora nonnunquam fiebant. Multi, quos morbus male habebat, noctu magis quam interdiu intolerabili frontis dolore, nervorum, compagumque, ac tibiarum diſtentione torquebantur. Nunc omnia ſe mitius habent, tum quod non ita morbus ſit noxius, tum quod jam à Medicis vera monſtrentur huic excogitata remedia. Nam ut in *Aphor.* Damaſcenus, ex mutatione ſtellarum in longitudinem, & latitudinem vitia, & conſuetudines mutantur. *Fran.* Satis quæ abs te primo loco petieram, explicaſti. Supereſt, ut de medicinis ejus agamus. Attentum interea auditorem me præſtabo. *Andr.* Fiat ut vis. Jam dudum morbum Gallicum quatuor humorum oriri ex aliquo tenes, aut enim in ſanguine, aut bile verſatur, aut pituita, aut cum atra bile commiſcetur. Quæ quatuor, quanquam inter ſe colligata, atque implicita

ſint

sint genera, tamen ex singulis certæ medicamentorum species nascuntur: Hæc omnia sigillatim cum decreverimus agere, latius declarabimus. Tamen videtur altius, quædam prius repetere consentaneum.

*Divisio Medicinæ.*

Dividitur Medicina in tres partes, cujus prima διαιτητική. Secunda φαρμακευτική. Tertia χειρουργική. à Græcis recte dicitur, secundum Celsum, ex Dioclis Caristii, Praxagoræ, Herophili, Chrysippique sententia, ut esset quæ victu, quæ medicamentis, quæ manu mederetur. Hæc in hujusmodi curatione, nobis omnia necessaria sunt. Nam nequaquam, meo quidem judicio, recte curatur is, qui maxima abstinentia, longioribus medicamentis, & solerti manuum cura morbos non oppugnaverit, quoniam vix supradicta sufficiunt, sed quoniam quadrifariam, id est per quatuor humores, hunc divisimus, sigillatim medicinas iis applicabimus.

*De morbo Gallico sanguineo.*

Morbus itaque Gallicus cruori admixtus sine compaginum dolore plerumque exulceratis pudendis, abscessus corporis, quæ Græci Apostemata dicunt, interdum in dextro, nonnunquam in sinistro inguine, aliquando utrinque gignit, qui rubentes calidique, & nonnihil intumescentes, continuam febrem sæpius gignunt. Nonnunquam per totum fere corpus, circa collum potissimum, frontemve pustulæ subtumidæ rubeo colore subfusæ solent emergere, oculi rubent, venæ intenduntur, præter consuetudinem dulcescit os, cætera membra torpent, à nona noctis ad tertiam dici horam, malum ingravescit, Arteriæ sive pulsus concitatius moventur, Urina vero subrufa, admodum spissa deprehenditur, præsertimque consideravis ætatem, corporis habitudinem, regionis tractum, anni tempestatem, præcedentem victum, & iis similia. Quæ si sanguinis dominium præ se tulerint, fies certior. Enimvero, cum morbum misceri cum sanguine cognoverimus, triplici via curationi insistemus. Quippe diæta, potioneque non omissa, per unctiones, suffitusque primo loco tentabimus. Ligno deinde ab Indis accersito, quod Guajacum dicimus. Postremo Aqua nostra Philosophica curationem perficiemus. Qui tamen modus medendi verbosius infra patebit, nunc alias curationes explanabimus.

*Fran.* Hoc abs te expeto. *Andr.* Tacitus omnia citius audies. Aër primum omnium sit frigidus, & siccus, hunc *rosacea, plantaginis, acetosæ aquis, aceto commixtis, suffitu præterea santalorum, camphoræ, myrtillorum, rosarumque* salubriorem reddes. Cibus sit boni succi, id est ex obsoniis bonum procreantibus, malum vero sanguinem puriorem facientibus. Similæ panis fermentatus, sale conditus, diligenter in clibano tostus. Carnes vitulinas affectus edat, hœdos non aspernetur, pullos denique gallinaceos appetat, aucupii omne genus ex montibus, pratis, & sylvis petitum, præter coturnices, quibus (si Plinio credimus) ex veneno sumitur cibus. Horum carnes tum assas, tum elixas, prout ejus appetit stomachus, recte dabis, conditas Amygdalis, medulla panis, acrique vino, hordei cremore, alica, tum pane intrito ex aqua, vel carnium jure fruatur, iis adjici potest lac Amygdalinum aqua ex hordeo, succoque malorum aureorum, quæ hodie Aurantia dicimus, sive vino acri confectum. Quandoque Pisces huic etiam conferunt parvi, Saxatiles, sabulosi ex aceto elixi. Trunculi etiam, cum petiolis hœdorum, vitulorumque ex vino punicorum malorum, & polca decocti, congelatique, ut provocetur appetitus, recte dantur: Ex oleribus, *spinachia, borago, lactuca, intybus, lupulus, cichoreum, scariola, acetosa, portulaca, cucurbita* etiam ex vino acri, vel succo arantiorum condita. Legumina vero lacte confecta, lac, bulborum omne genus, & obsonia pipere aspersa, ut piper linguam adurentia vitanda sunt omnia. Fructus ferme omnes fugiat, præter pruna Damascena. Pyra etiam, & poma decocta, tollendæ nauseæ gratia saccharo aspersa in cibum itidem non negaverim. Conferunt tamen cydonia prunis tosta, quippe quæ & stomachi exhalationes prohibeant, & concoctionem adjuvent. Quod si æger sine febre fuerit, ova sorbilia ex aqua decocta, cortice libera cum acri succo dabis. Evenit plerumque, ut affectus oris exulceratione non mediocri, cibum conficere non possit, huic pullulorum gallinaceorum intritum, medulla panis addita, lac amygdalinum, & jus carnium imbecillarum, ex cyatho propinabis. Potio sit vinum album, sive rubeum lene, decocta aqua dilutum, sive berberorum, sive punicorum malorum succus. Quod si post hanc siti male torquebitur, Recipe *tamarind. prunorum Damascenorum, sebestem; hordei, florum lupulorum, sem. quatuor frig. major. singulorum unciam, florum violarum manipulum. Hæc omnia in aquæ libris x. coquantur ad quartam, post hæc exprimantur, expressionique, succi citri, vini granatorum, vini berberorum singulorum unc. j. s. addantur, & fiat cum saccharo potio longa.*

A At si patientis innatant, quæ confecerit, stomacho, tunc is illiniatur *oleo cydoniorum malorum, nardino, ac etiam mastichino.* Sex horis, aut ad summum septem per noctem dormiat. Die vero, si fieri potest, somno abstineat. Pilæ ludus ante prandium per horam hunc exerceat, deambulatio sit concitatior usque ad sudorem, quippe quoniam curationi Morbi Gallici exercitatio plurimum confert. Bis die cibum capiat, à prandio septem horarum decurso spatio, exilior sit cœna. Pro virili tristitiam exspuat ægrotus, & lætitiam complectatur. *Fran.* Quid tandem causæ esse dicam, quamobrem medicamentorum pondera, etiam juxta præscripta antiquorum, præsertimque Corn. Cels. quem semper in manibus habes, quem tantopere miraris, & pro viribus æmularis alioqui, non dirigas? *Andr.* Quasi vero e media Suburra sermones nostros expectes, non est ita. Hæc enim quamvis tecum agam, Consentinis tamen, & Brutiis Luciliano more arbitramur eloqui. Pingui igitur (ut ajunt) Minerva, cum præsertim si volueris nimis obsoleta, quæ tu requiris, denuo in lucem proferre, miræ, (non obscuritas modo)

B sed tenebræ etiam sint secuturæ, nam quibus vulgo Medici nominibus iis componendis utuntur, & nos uti quis vetat? Sed nos ad propositum: iis ita se habentibus urina si erit admixtione biliosa, non admodum spissa, ante venæ incisionem, accipiat pro Alvi lenitione *floris cassiæ drach. x. sive electuarii lenitivi tantundem*, si fuerit spissior, & subrufa, *violarum, malvarum, betæ, mercurialis singularis accipiatur manipulus, & ex aquæ tribus libris omnia decoquantur, & per clyst. infundantur, quibus additæ prius fuerint cassiæ cribratæ drach. x. olei violacei unc. ij. sacchari rubei unceola, ovique vitellus.* Clystere deinde reddito ex vena Hepatis quantum sufficit sanguinis extrahatur. *Fran.* Quæso me interpellantem sustineas, quippe nunquam satis attendi; quis modus sit mittendo sanguini, quis cruor sincerus, quis infectus? Nam si Cornelio credimus, crassus, & niger vitiosus, pellucens autem, & rubeus est integer. idemque præcipit, tam diu sanguinem

C mittendum, quoad is pellucere incipiat. Sed vereor ne nostrorum corporum imbecillitas ferre possit. Quamobrem hæc abs te differi latius velim. *Andr.* Mos geratur. Recte quidem Cornelius Celsus, nam si fuerit niger sanguis, & crassus, donec colorem immutaverit, recte mittetur. Quod si diutius idem perseveraverit, supprimendus est, ne patientis deficiat anima. Nam dicit hæc Averroes. vij. *Colliget cap. de cura synochæ.* Ars imitatur naturam, sed ipsa nunquam in laudabili crisi usque ad syncopem evacuat. Propterea Clinicus Chirurgo missuro sanguinem semper astistat, ne, hæsitatione timidius demittentis scalpellum, fiat ut summa cute tantum lacerata exiliat sanguis subtilior, subsidatque crassior. Adhæc illud accedit, quod si pelluceat, est statim supprimendus, etiam præter quod jusserit absens Medicus. Nam operarii chirurgi non recte agunt, qui à mandatis ne transversum quidem unguem nunquam audent aberrare, sua ignorantia haud sanguinem agnoscentes. Nam Hippocratem ii quidem non attendunt *primo Aph.* dicentem. *Et vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, & confert, & bene tolerant. Sin minus contra.* Hinc deterior habitudo, Medicorum dedecus, & ægrotantium mors. Si vero ætas, & vis corporis ejusmodi venarum incisionem tergiversantur, cucurbitulas (cute prius incisa) scapulis, & clu-

D nibus admovebimus. Cæterum, ut materia digeratur, qua plerumque sanguis putrescit, hic syrupus recte septies propinetur. Qui conficitur ex *Rhabarbari electi drach. ij. florum violarum, boraginis, buglossæ, capillorum veneris, lupulorum, radicum intybi singulorum manipulo, hordei semuncia, seminum comm. frig. minorum sing. drach. ij. tamarindorum, prunorum, sebestem, singulorum drach. vj. Contundantur hæc omnia leviter, macerenturque ex aqua fumi terræ, lupulorum, & intybi triduum: Deinde bulliant ad decoctionem quartæ partis, tum colentur, & prælo diligenter exprimantur, cremoris sacchari, quantum sufficit, addatur, postea defæcentur, & fiant syrupi septem.* Qui plurimum jocinori conferunt. Quod si impendiæ voluerimus parcere. Recipe *Syrupi de cichoreo compositi, de fumo terræ, rosati singulor. unc. ij. s. aquarum lupulorum, intybi, fumi terræ: singulorum unc. v. & fiant syrupi septem.* Qui etiam sic fieri possunt. Recipe *syrupi de succo citri, de lupulis, de fumo terræ, de succo intybi, sing. unc. ij. aquarum portulacæ, intybi, lupulorum, violarum, singularum unc. v.* Digesta materia hoc potu

E securius evacuari poterit. Recipe *electuarii lenitivi drach. iij. de succo rosarum, de psyllio: singulorum drach. ij. syrupi rosati solut. unc. j. s. & cum decocto florum, & fructuum cordialium fiat potus.* Vel sic. Recipe *Mannæ electæ unc. ij. dissolvantur ex decocto florum, & fructuum cordialium. & indantur diacatholiconis drach. iiij. s. electuarii rosati Mes. drach. iij. syrupi de cichoreo compositi unceola: & fiat potus.* Vel sic. Recipe *rhabarbari electi*

drach.

*drach. ij. ſpicæ nardi dimidium ſcrupuli, nocte una macerentur ex aquis lupulorum, & intyborum, accedatque pauxillum vini aromatici albi, deinde factæ vehementi expreſſioni Mannæ maſtichinæ unc. ij. ſ. addantur, Diacatholicónis præterea, electuarii de ſebeſten ſol. ſing. drach. iij. de pſyllio drach. ſ. ſyrupi violati unc. ij. & fiat potus.* Aegro ſic perpurgato, cucurbitulæ, quæ ſanguinem inter cutem exhauriant, ferro prius ſcarificata cute, conveniunt, juxta illud Galen. cap. *de hirudinum curatione, & cucurbitulis.* Eæ (inquit) *purgatis prius corporibus utiles quidem, ſed in repletis* (quæ phlethorica Græci vocant) *prætermittendæ ſunt:* debent itaque ſcapulis apponi utrinque prope ſpinam, natibus, & fœminibus. Poſtremo die cubiculo ſe contineat æger. *Fran.* Quid tu? Quantum video ægro pro ægroto pro libidine uteris: quod ſi reſciverit Grammaticorum turba, tanquam Judæi cogent te in verba ſua jurare: Namque præcipiunt, ac jubent ægrotum corpore affectum dici debere, ægrum vero, cujus animus ſit perturbatus. *Andr.* Quaſi tu ſis ex Grammaticis unus, ita videris eorum partes ſuſcipere, quod ſi mihi ſtomachum feceris, adducam vel ſexcenta in te Poëtarum teſtimonia, quibus ſi minus crediderís Ciceronem citabo, quid hoc? credis tibi cum imparatis rem eſſe? Sed uno ero contentus ne tibi multitudine verborum ſim moleſtior, Virg. *lib. iij. Æneid. aut ægra trahebant corpora.* quem teſtem ſi tanquam Poëtam repudiaveris, Cic. *in familiaribus ad Pætum, ſtatui ne ægro tibi quidem parcere*, cum is ſcilicet Pætus podagra laboraſſet. *Fran.* Perge qua cœpiſti. *Andr.* Quieſcat igitur æger in lecto, locus, quo cubat, eodem ſuffitu, quem ſuperius expoſuimus, foveatur, ſemelque, vel bis ad ſummum quotidie pro viribus iſto linimento tibiæ, dorſum, & brachia inungantur. Recip. *Unguenti roſacei Meſ. Unguenti triapharmaci, in mortario plumbi ex oleo, & aceto roſato ſubacti, ſingulorum libram. Mercurii extincti unc. vj. ſublimati drach. ij. camphoræ drachmam. ſ. & fiat in mortario linimentum.* Sive. Recip. *adipis porcini, butyri recentis ſing. lib. liquefiant omnia lento igne, ex aceto poſtmodum & aqua roſata tum plantaginis cum ſpatula lignea, unius horæ momento ſubagitentur. Deinde electis aquis, & aceto, addantur ung. triapharmaci (ebullito prius lithargyrio ex aceto) unc. vj. unguenti ſantalini unc. iiij. Mercurii extincti unc. viij. camphoræ ſcrup. ij. & fiat unctio.* Quam ſi efficaciorem volueris, ſic efficies. Rec. *unguenti roſacei Meſ. libræ pondo, butyri recentis unc. vj. unguenti triapharmaci ſuperioris unc. iiij. ſantalini unc. ij. ſaponis nigri unc. ij. olei amygdalini dulcis unc. ij. Mercurii extincti unc. vij. ſublimati drach. ij. ſuccí braſſicarum, ſcabioſæ, fumi terræ, ſingulorum drach. iiij. & conficiatur in mortario linimentum.* Porro haud ſis inſciens patientem tantiſper ſuperioribus unctionibus inungi debere, quoad putaverimus omnino materiam conſumptam. Quod cum ita ſit dictum numero definire qui poſſumus? Signa tamen certiſſima dabimus, quibus certo ſcias illinitum ſatis, cum dentes dolent, os exulceratur, lingua intumeſcit, dolores medicamentis cedunt, diſtentio nervorum deficit, & totum corpus laſſatur, ſatis illinivimus. quibus perceptis cibo ſuperius dicto, potuque liberalius affectum fovebimus, quod tamen ad peritioris medici aſſiſtentis ſententiam rejicio. Interea ſi cor ægri deficere videbitur, hoc remedio obviam ibis. Rec. *aquæ roſaceæ, violaceæ, bugloſſæ, boraginis, acetoſæ, meliſſæ ſingularum unciam, aceti roſ. vini malorum punicorum ſing. ſemuncia, pulveris cordialis temperati drachmam, croci ſcrupulum, & fiat cataplaſma cordi applicandum.* Sed evenit ex hujuſmodi unctionibus propter humorem, qui ex toto corpore ad eos redundat, ut fauces exaſperentur, guttur exulceretur, & gingivæ male habeant, tametſi ſanguineis minus id fiat. Primis igitur diebus id diligenter per os ejiciatur, nam ſi malignitatem peccantis materiæ retinuerit æger, nunquam ſaneſcet. Colluat ergo os *aqua ex hordeo; melle roſaceo* admixto, ſive *aqua hordeacea & diamorone*, ſive *aqua intybi, & ſyrupo roſacco.* Sed ſi dolor cum rubore, & inflammatione non mediocri circa guttur, ægrum male torſerit: *lacte caprino, in quo ex igne candens Chalybs deſerbuerit*, fiat gargarizatio, nam mirifice dolorem ſedat, ac incendium extinguit. A ſeptima die *ſyrupo roſaceo cum aqua plantaginis lactucæque* totum os foveat: Mundabimus, & ad cicatricem perducemus exulcerationes, *ex aqua plantaginis, admixto melle roſaceo, & alumine.* Poſtremo poteris idem perficere gargarizatione tali. Recipe *aquæ ſabrilis lib. viij, plantaginis, vini cydoniorum malorum, ſing. unc. iij. balauſtiarum, myrtillorum, ſumach, roſarum, ſing. manipulum, caudæ equinæ man. ij. aluminis unciam, & bulliant hæc ad tertiæ partis conſumptionem: poſt colentur, & addantur diamoronis, mellis roſacei, ſingulorum unc. ii. & fiat gargarizatio.* quibus remediis ſi morbi malignitas nequaquam parebit, ſcapulis, & natibus, inciſa cute, per cucurbitulas materiam divertes, quin etiam (ſi neceſſitas compulerit) ex vena capitis, ſive brachii protinus ſanguis mittatur. *Fran.* Bene ſane, & ex uſu ægrotantium gargarizationes addidiſti, quibus exulcer. tum guttur, & os ſaneſceret. Empiricorum enim turba, cum ſibi traditum perunxerint, faucibus illico morbos emergentes nullis medicamentis diſcutiunt. Quorum inſcitia plerunque evenit, ut momento temporis edentuli penitus fiant. *Andr.* Hoc nihil eſt: Vidimus enim multos edentulos, inſuper lientericis dyſentericis paſſionibus miris jugiter male torqueri, quibus etiam ſuccubuerint, quamvis non negaverimus, hæc ſi in corpore Athletico fiant, corrigi ſtatim recte non debere, inde enim ſæpe ſequitur perfecta ſalus in validis: At exiliori cibos valentes ſæpius unoquoque die recta dabis. Vinumque rubeum dilutum fabrili aqua propinabis, ſtomachum, & alvum *oleo cotonei mali, roſaceo, myrtino, nardino, ſpinamque hircino, cervinove adipe* perunges: *lac* præterea *chalybeatum, ſive jus capitis vervecini, addito melle, & oleo roſaceo, adipeque hircino per clyſt. infundes:* quod ſi calus ejuſmodi deliperationi proximus fuerit, *Athanaſiam*, vel *Philonium* affectus bibat: Somni præterea difficultas vim maxime deprimit. Sic igitur affectis ex *ſemine papaveris contrito lactucæque aqua cremorem* in potum recte dabis. Accedet temporibus, & brachiis ſpongia, ex collyrio ejuſmodi. Recipe *Vini Cretici cyathum medium, ſuccí hyoſciami. unc. ij. croci electi drachmam:* quæ ſubigantur in unum corpus omnia, rectius tamen ex eo ſpongiam naribus appoſueris. Cæterum donec laboraverit, nec e lectis, nec veſtes, in quibus cubuerit, unquam mutaveris. At ſi nihil venter excreverit, per clyſteres lenitivos alvus ducatur. In priſtinam ſanitatem redactus æger, hac lotione calida totum ſibi corpus lavet. Recip. *Vini albi odoriferi lib. x. lixivii lib. v. roſarum, myrtillorum, chamæmeli, florum ſalicis ſing. man. ij. quæ decoquantur ad tertiam.* Deinde ſtrigilibus puris bene ſiccatum, per illam diem conquieſcere jubebis. Eidem gallinaceis pullis, & carnibus boni ſucci vires priſtinas, parvo temporis intervallo, revocabis. Solet plerunque medendi genus hoc morbum Gallicum non ſolum recenter contractum, verum etiam inveteratum diſcutere. Sed quoniam nonnunquam ulcera putrida, exeſa, carcinomati proxima, quæque ſerpunt more phthyriaſis, morbum Gallicum ſequuntur, cum eo etiam oſſa vitientur, manus operam male affectus etiam deſiderat, ſine qua fruſtra remedia omnia tentabimus. Quam, ne deſideres, multis in calce tractabimus.

Jam ſatis de morbo Gallico ſanguineæ qualitatis dictum puto, reliquum eſt, ut agamus de bilioſo, qui cum pudenda cujuſpiam invaſerit, ulcere ſtatim virulento, ſerpenti, carioſo, cum rubore, & inflammatione non mediocri debacchatur. Puſtulæ ſe extrinſecus ingerentes citreum colorem referunt. Pus tertur ex his fœtidum, admixta ſanie citrina, virulentaque. Accedit pruritus, dolorque, qui non mediocriter affectum pungit. Frons à dextro tempore, magis quam ſiniſtro, à tertia potiſſimum ad nonam diei horam, ſummo tentatur dolore. Guttur ut plurimum tumet Eryſipelate: nonnunquam vero is morbus in Phthiriaſim commutatus, adeo palatum male habet, ut cibus, & potus, per nares aſcendendo defluat. Macies totum inficit corpus, fiuntque tabificis haud diſſimiles, vultus, & oculorum album, croceum contrahunt colorem: accedit febricula, quæ tertianæ tenorem, ſive ethicæ modum referens, ſolet affectos exercere; at urina ad citrinum tendit. Brachii vena pulſu veloci, frequentior, & durior deprehenditur, amaror & ſiccitas mira ineſt ori. quod ſi corporis habitudo, præcedens victus, ætas, regio, & tempeſtas anni concurrerint, materiam bilioſam facile conjicere poteris. Porro curatio morbi prædicti ad frigidum & humidum tendentia poſtulat, quæ, ne tibi multitudine verborum ſim moleſtior, prætermitto. *Fran.* Non adeo ſimplicium Medicinæ rerum ſum expers, ut quæ morbo iſto bilioſo in regimine victus, ac ſex rerum non naturalium conveniant, facile non agnoſcam, nam & multa, immo fere cuncta, quæ ſanguineo conferre hodie mecum es locutus, huic etiam adhiberi poſſunt. Perge igitur recto tramite. *Andr.* Bene profecto, igitur cum bilem deprehenderis, medicamentum quod leniat, hujuſmodi poteris conficere. Recipe *floris caſſiæ unciam, electuarii lenitivi, de ſebeſten ſolut. ſingulorum drach. ſ. addatur iis ſaccharum, & in trochiſcum redigantur.* Vel ſi delicatius per potionem volueris agere. Rec. *ſyrupi roſacei ſolutivi unc. iij. Mannæ electæ unc. ſ. ſ aquæ violarum unc. ij. & fiat potio.* At ſi urina ſpiſſior fuerit, hepatica vena utiliter ſcindetur, eo modo, quo ſupra. At ſi tenuior, pro libidine ſanguinis miſſionem poteris prætermittere, quamvis per urinam non poſſimus id recte judicare. Nam quoſdam bilioſos curavi, quibus etſi ſubtilior urina, tamen craſſior ſanguis, & niger facta inciſione, ferebatur. Non igitur fuerit abſurdum fortaſſe ſemper iis ſic affectis ſanguinem mittere, cum, teſte Avicenna, Phlebotomia ſit evacuatio univerſalis. Nam ſanguinem bonum ſtatim

ſupprimemus, infectum vero tandiu ſinemus defluere, quandiu eundem retinuerit colorem. Quod teſtatur Albucaſis *cap. de utilitate phlebotomiæ* dicens. *Nam ſanguis ſi eſt niger, tunc dimitte ipſum exire, donec rubeat, & ſimiliter ſi vides ipſum groſſum, tunc dimitte eum, donec ſubtilietur, & ſimiliter ſi eſt acutus, donec arferatur acuitas ejus*, Hæc ille. Poſt venarum inciſionem, ut materia concoquatur, quinquies, vel potius ſepties, ſyrupus is hauriatur. Recipe *ſcariolæ, intybi, cichorei, lactucæ, portulacæ, acetoſæ, florum violarum, ſingularum manip. j. ſ. ſeminum comm. frig. majorum unciam, rhabarbari electi ſcrup. ij. radicum centaurii majoris ſcrup. ij. ſpicæ grana tria, ſeminis papaveris albi, florum nenupharis ſing. drach. ij. ſ. ſantalorum omnium ſcrup. iiij. Contundantur una rhabarbarum, ſpica, radices, ſemina, ſantalaque in aqua libræ unius ponderis, intybi autem & fumi terræ, & lupulorum, per dies continuos tres macerentur. Poſtmodum ex libris tribus aquæ hordeaceæ, & libra una vini malorum punicorum, cum prædictis herbis, ad mediam concoquantur. Addantur iis flores ad finem fere decoctionis, poſtea colentur, & exprimantur prælo, expreſſioni ſacchari unc. viij. addantur, inde ſint ſyrupi vij.* Vel. Recipe *ſyrupi acetoſi ſimplicis, ſyrupi roſarum ex infuſione, ſyrupi de fumo terræ, ſingulorum unc. ij. ſ. aquarum intybi, acetoſæ, lupulorum, fumi terræ ſing. unc. vi. miſceantur hæc omnia, fiantque ſyrupi vij.* Qui ſic etiam fieri poſſunt. Recipe *ſyrupi de acetoſitate citri, de ſucco intybi, oxyſacchari ſing. unc. iij. violati unc. ij. aquarum cichorei, intybi, portulacæ, fumi terræ, lactucæ, ſing. unc. v. & fiant, ſyrup. vij.* Enimvero poſt cognoſcens materiam jam digeſtam. Recipe *ſeminum quattuor. comm. frigidorum. maj. ſing. drach. ij. ſem. papaveris albi drach. iij. Contuſis deinde in mortario lapideo ex unciis duabus aquæ egelidæ intybi, & fumi terræ, exprimas cremorem*, cui *ſyrupi roſacei ſolutivi, unc. ij. electuarii roſ. Meſ. Diacatholiconis ſingul. drach. iij. addes*, quam potionem affecto propinabis. Vel Recipe *diacatholiconis drach. iij. elect. de pſyllio, conſ. hamech ſing. drach. ij. ſ.* & cum infuſione *drach. j. rhabarbari præparati ex aqua intybi, & fumi terræ, fiat potus.* Sic aliter fieri poteſt. Recipe *ſyrupi roſacei ſolutivi, ſyrup. de cichorei compoſiti, mannæ electæ ſing. unciam, elec. lenitivi drach. iij. de ſucco roſarum, drach. ij. ſ. rhabarbari ſubtiliter pulverizati drach. mediam, ſpicæ gran. vi. & cum decoctione florum & fructuum cordialium fiat potio longa.* Reliqua poteris eſt ſuperioribus recte conjicere. Cæterum tibiæ, tum cæteræ corporis compagines hoc unguento illiniantur. Recipe *unguenti roſacei Meſ. libram, ex aquis florum pomorum heſperidum, quæ hodie aurantia vocant, ſive florum myrti, roſarumque damaſcenarum ſing. q. ſ. Hæc ſpatula lignea per horam ſubagitabis. Poſtremo projectis aquis, in mortario marmoreo Pomatæ tum odoriferæ, tum recentis unc. vj. ſaponis damaſceni odoriferi minutim inciſi unc. ij. Unguenti triapharmaci ex oleo roſaceo omphacino, & aceto roſato unc. iiij. muſci ex aqua roſacea ſcrup. ſ. camphoræ ſcrup. ij. pulveris cypri drach. iij. Mercurii extincti unc. vj. ſublimati drach. iij. ſantali albi drach. j. adjectis, in unguentum rediges*, ſi vero pauperibus conſulere volueris. Recipe *axungiæ porcinæ libram, butyri recentis unc. ij. liquefiant ſimul ad ignem, ex aqua poſtea ſolani, portulacæ, ſempervivi, & aceto roſato, ex vaſe fictili ligneo baculo ſubagitentur, dehinc projectis aquis, addantur unguenti triapharmaci ſuperius dicti unc. iiij. ceruſſæ lotæ uncia, Mercurii extincti unc. v. ſublimati drach. ij. & fiat diligenter linimentum.* Reliqua ſuperius diximus. Hoc etiam morbi Gallici contractam recenter noxam ſine unctionibus diſcutiet. Recipe *aquæ roſarum lib. ij. plantaginis, ſolani, ſing. lib. i. ſ. vini granatorum, ſucci uvæ acerbæ, aquarum ſcabioſæ, fumi terræ ſing. uncias tres, Mercurii ſublimati unc. ii.* Mercurius in pulverem tenuiſſimum redactus, prædictis aquis maceretur, hæc deinde omnia ex vaſe vitreo, igni ſuccenſo, ferveant non alio mehercule pacto, quam decocta aqua ex hordeo fieri ſolet. Hoc quidem egelido omnes corporis compages laventur, brachiaque, cum tibiis, à genu, & à cubitu donec dolores cum cæteris evaneſcant. Diebus lotionis è cubiculo pedem male affectus non efferat, ſed caveat omnia, perinde ac ſi inungeretur. Huic etiam, quæ præmiſimus accidere ſolent, oris ſcilicet ulceratio, defectus animæ, ventris deductio, ſomni difficultas. Quibus omnibus quo pacto fuerit occurrendum, declaravimus. Enimvero non ab re fuiſſet oſtendere, quantum hoc morbo affectis invehat detrimenti curatio per lignum, quod ſuperius declaravimus, præſertim ſi Gallico affectus mane confectus fuerit, niſi id inferius aſſerere decreviſſem. *Francis.* Satis ſuperque, te diſſerentem de ſanguinis, biliſque qualitate tulimus. Quamobrem jam pituita ſe ingerat. *Andreas.* Omnibus igitur ægrotantibus, quos pituita male habet, rarius puſtulæ per totum corpus emergunt, niſi fortaſſe ſanguinis aliquid adjectum fuerit, quia pituitæ natura (ut dixit Galen. vi. *Aph.*) ad junctiuras potiſſimum decurrit. Unde omnium non ſolum junctiurarum, verum etiam articulorum intoleraudi dolores fiunt, qui occipit potiſſimum, tibiaſque male afficiunt, noctu magis, quam interdiu, id eſt à tertia hora noctis, ad nonam potiſſimum torquentur. Horror eſt in capite, cæteriſque membris, at cum materia ſaltior accedit, tota inguina cum coleis, vultumque, tum volas manuum, pedumque Impetigo arripit. Quod ſi cum ſanguine complicatur (ut plerunque vidimus) circa collum, gulamque ſub alis, inguinibus, & pedum compagibus quædam glandulæ ſtrumis haud diſſimiles emergunt, Os albeſcit, ſenſus obtunduntur, bucca multo fluore inſulſo, acri, nonnunquam ſalſo redundat. Nares mucoſæ, ſtomachus male concoquit, Urina alba, ſpiſſaque fertur, Vena ſubſidit. Quod ſi corpus, ætas, cæteraque ejuſmodi à pituita fuerint, morbum admixtum eſſe phlegmati conjicies. Requiritur huic ergo curationi primo loco ſex rerum non naturalium regula ad ſiccum, & calidum declinans. Cubiculum ſit meridiano, ſive exorienti ſoli expoſitum, cujus aër præter ætatem, quotidie bonis odoribus ſuffiatur. Nec abſurdum fuerit, hæc omnia in pilam redacta per hyemem manibus affectum geſtare. Recipe *ladani electi unciam, ligni aloës unc. ſ. amoræ. ſcrup. ſ. gallicæ miſcatæ, ſtyracis calamitæ. Benzoin. ſing. unc. ij. ſ. ſerpilli, amaraci, ſatureiæ, ana ſcrup. ij. quæ terantur omnia, & ex aqua lavenduſæ in pilam ſubigantur.* Cum vero inedia, teſte Damaſceno, Celſoque, Medicina potiſſima dicatur, de ea primum erit ſermo, nec diverſis cibis pro libidine uti decet affectum, neque nimia inedia torqueri, nam Avic. *primo Can. ſen. iij. cap. vij. Nihil deterius eſſe* ait, *quam diverſa nutrientia ſimul adjungere, & cibi ſumendi tempus prorogare. Nec cum ſumpſeris poſtremum, primus jam incipiat concoqui cibus.* Hæc ille. Nos enim imprimis præcipimus famis tempus ſemper expectandum, cum eo tamen, ne deſiderium cibi nimis urgeat, quoniam, teſte Principe loco citato, *Inedia nimia ſtomachum malis humoribus inficit, & imbuit.* Panis ſit ab omni mixtione, gravitate, humiditate, aſperitate, graveolentiave ſequeſtratus: ideo jubemus fieri ex farina pura boni tritici, & quod ſit fermentatus, bene coctus, biduanus, triduanus, quatriduanus, & ſale mediocriter conditus, neque recoctus ab re fuerit: quem, cum de ligno Guajaco tractabimus, paucis abſolvemus, niſi fortaſſe ventris nimia ſubductio obſtiterit. Carnes edat vitulinas, hœdinas, vervecinas. Agninas vero fugiat, quod pituitoſum ſanguinem reddant, nec à venatione abſtineat, utpote cui damæ, hinnuli, lepuſculi, maxime ſint ex uſu. Nec aucupium ſpernat, nam Perdices, Porphiriones, Attagenæ, Phaſianæ, Turdi, Ficedulæ, Palumbuli, Merulæ conferunt. Quamvis Grues, Anates, Anſeres, Querquedulæ, Aucupiique omne genus in ſtagnis, & paludibus degentis noceant, in cibis etiam caveat piſces, quoniam, teſte Principe, comedendi non ſunt, quod facillime corrumpantur, & humores corrumpant, & pituitam gignant, præſertim poſt exercitium. Ova etiam recentia ex juſculo ſumpta proficiunt, ſicut abhorrent eadem, frixa, duraque. Lac, lactaque confecta fugiat. Ex leguminibus *cicerum* decocto tantum pertruatur, additis *amaraci, menthæque* foliis. Ex oleribus *petroſelino, fœniculo, ſerpillo, ſalvia, mentha, roremarino, meliſſa, amaraco, tanaceto, ſatureja, artemiſia, origano, calamintha, pulegio*, & ſi qua alia calida fuerint. Ex radicibus, *haucia, paſtinaca, rad. petroſelini, fœniculi*, recte in cibum ſumuntur, *allium* autem, *capas, bulborum omne genus, radiculam, raphanum, erucam, ſinapi*, quod inflent, & innatent ſtomacho, & ſanguinem adurant, fugiat. Ex juſculis, amygdalatum, panem decoctum ex jure carnium conducentium, dare poteris. Ex fructibus conferunt *Palmulæ, ficus, nuclei pinei, piſtachia, amygdala, cydonia decocta, additis fœniculo, & coriandro, ficuti poma, pyra, chryſomela, ceraſa*, cum ſint humiditatis, & frigiditatis maximæ: non mediocre his inferunt nocumentum. Ex conditis conferunt *Myrobalani chebuli, cortices citri, gingiber, eryngii, & acori radix, Nux myriſtica, cubebe, carpobalſamum, crocus, lignum aloës.* Utatur in potu vino albo, ſive ſubrubeo leni, juxta illud Avicennæ *primo Can. cap. de eo quod comeditur, & bibitur*, qui ſic inquit, *Scias etiam quod ex vinis illud eſt melius, quod inter vetuſtatem, & novitatem, eſt æquale, & quod ad rubedinem trahit, bonum habens odorem, æqualis ſaporis, & quod non eſt acre, neque dulce, dulcia enim ad faciendas oppilationes ſunt velocia, quoniam natura attrahit ea, antequam digerantur.* Nec poſt cibum hoc bibendum eſt, quia eſt ex rebus magis impedientibus concoctionem, quoniam digeritur velociter, & facit penetrare cibum indigeſtum, & facit hæreditare oppilationes, & putrefactiones. Quod ſi Gallico affectum ſitis male habuerit, is poſt cibum talem potionem potiſſet. Recipe *ligni aloes ſcrup. ij. cinnamomi ſcrup. j. coriandrorum præparatorum drach. iij.*

*ſingularum, ſebeſten, ſing. unciam, liquiritiæ raſæ drach. j. flor. m cordialium man. j. Hæc omnia ex aqua librarum decem ponderis, uſque ad tertiam concoquantur, inde colentur, & addantur ſacchari unc. vj. & fiat juleb longum.* Nec audiendi ſunt noſtrates Empirici, qui quoties ægrotis viſum fuerit, vinum rubeum, necnon album ſubauſterum iiſdem propinant, ſed ſuæ ſententiæ rationem viderint. Nobis vero, qui traditus eſt æger, nec nimium cibo repleri debet, nec nimium fame torqueri, teſte Hipp. *Aphor. ij.* ſic aſſerente, *Non ſatietas, non fames, nec aliquid quicquam, quod modum naturæ exceſſerit, bonum*, Galeno quoque aſſipulante *primo de regimine ſanitatis*, qui duæ, ait, ſunt intentiones ſanativæ diætæ, una ſcilicet repletio evacuatorum, altera vero evacuatio ſuperfluitatis. Magna igitur cum diligentia horum affectibus ſuccurrendum cenſeo, quamobrem ſi major appetitus extiterit, quam pro viribus ſtomachi, adhuc etiam fameſcentibus cibo finis eſt imponendus, ut intemperantia comedentis à cibo neque venarum pulſus invaleſcat, neque ſpiritus difficulter reddatur. Nec edendum prius, quam bene concoctum fuerit, id enim ſeptem horarum intervallo plerunque fit. Porro cibus, niſi lenitas inteſtinorum acceſſerit, ſit liquidior: Si quis debilitate ſtomachi bis quotidie comedere ſat non habet, pro portione tribus vicibus voret. Prandium ſit prolixius, quam cœna. A ſomno ſurgentibus ſuperfluitates corporis expellantur. Laventur manus, & facies, ex *aqua ſatviæ, primulæ veris, amaraci, lavendulæ, ſive vino odorifero.* Corrigatur alvi nimia ſubductio, clyſteribus lenientibus, & balanis ex melle confectis, aut æger aliquando *unc. ij. uvæ thymine ex ſyrupo violaceo contritæ*, addendo non nihil *olei dulcium amygdalarum* tribus ante cibum horis ſumat. *Fran.* Sol jam columnas Herculis ſpectans exhauſta clepſydra nos admonet, ut vela jam contrahamus, remos inhibeamus & portum reſpiciamus. quæ ſequuntur igitur in pauca conferas. *Andr.* Libero te iſta cura, nam quod times propulſabo facile. Quippe abiturum detenturus, cubiculum, culcitras, veſtesque tibi jam paravimus, ſed ut redeam, unde diverteram, huic opus eſt pila, ſimilibusque corpus exercere, nam Galenus uno libro inde confecto pilam ſummis laudibus extulit. Corn. etiam Celſus illam non prætermiſit, cujus exercitii laudes ſi ſigillatim coner connumerare, dies me profecto defecerit. Ad hoc illud accedit etiam, quod plurima non ſolum Galen. verum etiam plerique alii, multis in locis de pila monumentis literarum commendata non immerito reliquerunt. Nam per Deos immortales quid dici poteſt conducibilius? Hæc ſuperflua quæque digeruntur, Pila naturæ vim provocat, eadem virtutes amiſſas reficit, corpus exiccat, ſpiritus exhalationibus noxiis liberat, poros corporis aperit. Plurimos denique vidi morboſos, qui exercitio tantum ſanitatem receptam referre merito poſſent. Morboſi igitur corpus pilæ, aut quovis alio tali ludo exercendum eſt, donec citra laſſitudinem concaleſcat, & hoc eo tempore, quo mundius ſit, quod, teſte Principe, tum videtur eſſe, cum jejunum eſt, ne mali ſubſidentes humores exercitio tali diffuſi, venas, atque inteſtina corrumpant. Qui ſi forte eo tempore ſubſidere deprehendantur, evacuatione aliqua primitus depellantur. Poſteaquam ſe ſatis exercuerit æger, cibum capiat, ſecundum quem conquieſcat quo uſque ſatis concoxerit, ea tamen lege, ne poſt cœnam ſtatim cubitum ſe recipiat, quippe tres horas ad minus ægroto præſtolandum. Cum vero lecto ſe dederit, horis ſeptem, ſive octo ad ſummum dormiendum. *Somniculoſos* etenim (ut inquit Princeps. ij. *canticæ*) *ſequitur animæ torpor.* At ſi jejunus obdormiverit repletur fumo caput, & vaporibus à fecibus, & ſuperfluitatibus elevatis. *Fran.* Quid hoc? ergo nec ſaturo, nec jejuno dormiendum? Nam quæ eſt hæc fabula? eo rediges me tuis ſermonibus, ut nunquam, aut ſaltem parum conquieſcam. Mori me hercule ſatius eſt, quam ſomno toto illo tempore non conquieſcere. *Andr.* Atqui ſomnum non prohibeo, niſi qui nimius, nam cum dico neque jejuno, neque repleto dormiendum, perinde eſt, ac ſi dicam quieſcendum, quando id tempus poſtulat. Ita præcipiente Cornelio Celſo, & Avic. qui *tertia primi cap. vij.* ſic inquit. *Non illico poſt comeſtionem eſt dormiendum. Fran.* Quid hoc monſtri eſt? Avicenna ſibi ipſi diſſidet quantum video. *Secundo* enim *canticæ* dicit, *poſt cibum eſt dormiendum, immediate accumbendo, donec ad locum digeſtionis pervenerit cibus aſſumptus. Andr.* Recte tu quidem, nihilominus duobus modis hoc explanare non dubitabo, primo quidem ſcias hoc Principis dictum (ſi recte ex Arabica in Romanam linguam tranſlatum eſt) quadam lege intelligi debere, quippe quando à ſomno abſtinere omnino non poſſumus, dicit accumbendo nobis dormitandum. Quæ quidem fuit Averrois ſententia, ſecundo modo poteſt hæc contradictio tranſlatorum, autimpreſſorum errore evenire, nam ſi legeris novum canticæ textum ab Andrea Bellunenſi recognitum, qui Arabicæ linguæ fidus fuit interpres, leges profecto. *Non eſt quoque poſt cibum, & comeſtionem dormiendum*, quod unuſquiſque ſanæ mentis credere poteſt. Hinc igitur eſt, ut plerique Avicennam exponentes in aliquibus locis maxime dubitaverint. Quod vero tu cavillaris neque ſaturo, neque jejuno dormiendum canones comprobant. Princeps *tertia primi capit. ix.* habet quod ſuper vacuitatem dormire, eſt malum, quia eſt dejiciens virtutem, & ſuper repletionem eſt malum antea quam à ſuperiori ventre fiat deſcenſio, quoniam replet caput vaporibus, & ſomnus erit cum frequenti revolutione de latere, ad latus. *Franc.* Aſſentior tibi tantum in præſentia, verum alias hoc totum videro, tu die hoc primum, quomodo ſit corpus ſomno componendum. *Andre.* Bis Avicenna, quod quæris, explanavit *tertia primi, ſeptimo cap. ac. ix.* In ſeptimo ſic, *oportet præterea ut ſuper dextrum latus dormiat pauxillo tempore, deinde revolvatur ſuper ſiniſtrum, & poſtea revolvat ſe ſuper dextrum. Nono* vero: ſed quæ ex figuris ſomni eſt melior? eſt, ut ſuper dextrum incipiat latus, & deinde ad ſiniſtrum revolvatur, quod ſi ejus inceptio ſuper ventrem fiat, auxilium fert magnum in digerendo, propterea quod calorem retinet naturalem. *Fran.* De die, poſtea quam concoxerit, poteritne ſomni tantillum capere? *Andr.* Nihil minus, nam dicit Princeps *tertia primi, in die quoque dormire eſt malum, generat enim ægritudines humectantes, & rheumatiſmos, & corrumpit colorem, & generat ſplenem, laxat nervos, & generat pigritiam, debilitat deſiderium, & generat apoſtemata, & febres.* Quo fit ut dies vigiliis, nox quieti ſit nata, nam Paulus Aegineta in *præceptis de tuenda valetudine, capite xcvij.* dixit, *Nocturno autem ſomno haud alius melior eſt, ſiquidem nox ſuapte natura, tum humore, tum tranquillitate, ſomnum alliciens, concoctionem perfectam efficit*, & Averroes in *commento Canticæ, Tempus matutinæ refectionis eſt totum tempus ſomni*, Cornelius Celſus *libro primo*, nocte dormiendum, die vero vigilandum ſuadet. *Franc.* Hujus argumenti nihil reliquum mihi videtur eſſe, niſi quæpiam de contingentibus animæ volueris addere. *Andre.* Haud invitus mi Franciſce, Gaudium igitur, Angor, Iracundia, Odium, Furor, Mœſtitia, Sollicitudo, Metus, Invidia, Luxuria, Avaritia, hæc quidem omnia affectus animæ ab auctoribus recte dicuntur: iis etenim cum mortales ſe intemperantius extulerint, in perniciosos corporis morbos penitus converturtur. Nam Galen. *primo regiminis ſanitatis* dixit, oportere Medicum qui ſanitati mortalium ſtudet, pro virili operam dare, ne mores animi corrumpantur, quibus aditus ægritudinibus corporis pateat: quippe furor, fletus, ſollicitudo, cæteraque id genus magis quam par eſt, febrium, morborumque cæterorum ſunt principia. Quin etiam Princeps *tertia primi* (ſi recte memoria teneo) dicit, Accidentia animi horribilia, & motus corporei fortes, digeſtionem fieri prohibent: cum multi proficiſcantur ex cruditate morbi. Galen. etiam *lib. artis medicinalis* inſcripto huic aſtipulatur dicens, omnes animi immoderatos affectus, iram, furorem, mœrorem, metum, invidiam à naturali gradu corpus dejicere. Deinde inferius, omnes animi motus (ſive perturbationes malarimus dicere) corpus humanum exticcare. *Franc.* Sed quid iram dicemus? *Andr.* Ariſt. in *primo problematum. Iram nihil aliud eſſe* ait, *niſi acceſſionem ſanguinis circa cor:* Quin etiam Cicero *libro Tuſculanarum quæſtionum* idem ex auctoritate Homeri videtur dicere, ſic enim in Latinum verſus traduxit: *Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris: Cum decore, atque animi me orbatum laude recordor.* Galen. etiam *libro de differentiis febrium* ſic, *Ira eſt æſtuatio quædam. & motus vehementior virtutis ad iraſcendum prone, quæ cordi inſidet, cum caleſcit ipſa ſubſtantia.* Et in *ſecundo* quoque *de accidenti & morbo, Ira eſt furor caloris in corde propter motum animæ.* & in *quinto, Ira eſt magnus, ac fortiſſimus motus*, & propterea valde corpus perturbat, & permutat à naturali conſiſtentia. *Fran.* Apud Hali Ab. eandem ſententiam vidimus, ſuæ *Theor. lib. v.* cum dicit. *Ira eſt ſanguinis cordis ebullitio, naturalisque motus caloris:* & ejus ad exteriora exitus, ſimul ſubitoque ad ulciſcendum: ſed heus tu? Quidnam inter odium, & iram differentiæ eſſe dicemus? Nam differre ea inter ſe ex Valerio Maximo didici: qui *lib. nono c. 3. memorabilium ſuorum* ſic: *Ira quoque, aut odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant, procurſu celeriter illa nocendi cupidine, hoc autem pertinacius, ac nunquam ſine tormento ſui violentius. Andre.* Princeps *libro de viribus cordis ſic.* Eſt quidem ſciendum, quod ira quando ceſſat velociter, non perdurat in imaginatione, ſeu phantaſia forma nocivi, ſed cito deletur, & ideo non cauſat odium, ſive rancorem: odium enim eſt perſeverantia formæ nocivi in imaginatione, ſeu phantaſia, & perſeverantia ſive imaginationis affectus ad vindictam ſumendam ex eo. Dicemus ergo, quod ex odio accenditur ira. Quod quidem odium poſt iram confirmatum rancor appellatur. Quod forſitan rectius non intellexit Valerius. Ex ira etiam nonnunquam, cum bilis concitatur, melancholicæ oriuntur paſſiones ſicut Hali Ab. v. *Theor.* nam inquit, qui omnibus

ira-

trascuntur ex causis, solliciti fiunt, & tristes. *Franc.* Quid autem timor? *Andr.* Arist. x. *problematum. Timor est infrigidatio exteriorum, & caloris contractio ad partes interiores sub corde: & frigesima particula* eorundem ait. *Timor quidem infrigidat manifeste:* & manifestant hoc terrefacti, tremunt enim. *Fran.* Quid enim noxii in se habet? *Andr.* Galen. v. *de acciden. & morbo. Timor sanguinem, calorem, ac spiritum reportat ad interiora.* scilicet ad suam originem, & ad cor, atque exteriora corporis infrigidat, & in timore virtus animæ non confortatur. Et *libro de typo: timor est terror, qui turbat virtutem, & debilitat ipsam non minus aliis causis. Fran.* Inde processit illud Avicen. in *cant.* dicentis. *Timor incitat frigiditatem,* qui quandoque magnificatur in tantum, donec lædat in ultimo. *Andr.* At mœror exitiosior, ex quo plures sibi necem conciverint, Galeno *de accid. & morb.* sic asserente. *Quibus accidit tristitia frequenter mortui sunt, & hoc pusillanimibus solet evenire, nam eorum anima, debilis, atque defecta extinguitur.* Princeps etiam *decima tertia tertii* sic ait. *Tristitia est causa corruptionis digestionis.* & Galen. v. *de Meth. medendi. Tristitia, & iræ, & agoniæ, & sollicitudines quolibet modo nocent, dissolventes virtutem. Franc.* Frons semper igitur est exporrigenda quoad ejus fieri potest. *Andr.* Modus omnium rerum est optimus: nam non minus nimia lætitia gestiens (si Ciceroni credimus) quam mœror exitio est. Princ. iij. *primi,* multum gaudium tradit pernicioſum: nam ex eo ventriculi cordis sanguine evacuantur. Et Aver. super Can. Magnum gaudium est ex rebus impinguantibus corpus quod si magnificetur valde, & contingat subito, necat, & interficit, & maxime valde pingues. Monumenta literarum, Romanique cum primis annales id nos docent: Titus enim Livius post illam Cannarum cladem memorandam, mulierculas duas, quibus falso nunciata filiorum mors fuerat, statim sospitibus eisdem visis, lætitia expirasse memoria prodidit. Animæ igitur affectibus temperandum, teste Principe sic dicente *tertia primi cap. iiij. In temperamento morum custodia sanitatis animæ, & corporis, simul consistit:* Hali Ab. etiam in v. *Theoricæ cap. ultimo* sic. *Gaudium naturalis est exitus caloris corporis ad exteriora, ejusque diffusio, si quasi paulatim facta fuerit, animam habet confortare, caloremque naturalem in omni corpore, & humores temperare, & sanguinem caloris naturalis temperantia, & calorem augere, nisi quod, quando semel subitumque fit, aliquando interficit naturalis dissolutione caloris.* Et Galen. v. *de accidenti, & morbo: ex ira nullus unquam mortuus est, ex gaudio autem quamplurimi pusillanimes. Francisc.* Supereſt, ut de invidia differamus. *Andreas.* Invidia nil aliud esse manifestum est quam bonis alterius angi. Boni igitur hominis est invidia omnino abstinere. Luxuriæ etiam tanta est fœditas, ut nihil supra: quamvis aliquando aliquibus corporibus opem præstare videatur: nam Cor. Cel. neque nimium indulgendum Veneri, neque nimis ab ea abstinendum præcipit, sed nos qui morbolis consulimus, ne sibi ipsis, ac fœmellis etiam maxime noceant, hac omnino abstinendum censemus. Nam Galenus *Aphor. vj.* ait: *Coitus est fortis causa in generanda podagra. Franc.* Atqui *trigesimo Problematum* Philosophus: *post Venerem* inquit *plurimi magis læti fiunt,* & Hali Ab. v. *Theoricæ: si spermatis superfluitatis suis aucta in vasis coitu non purgatur, nec poterit eam expellere natura, in inguinibus fit, & aliis simul extensio, omnique in corpore gravitas, sæpeque suis sperma calefit in vasis, fitque febris, nonnunquam autem ejus ascendunt ad cerebrum vapores: ubi & pessimos generant morbos.* Et Haly Ab *rod. iij. Techni: superfluitas aggregata in corpore ex spermate quod non egreditur per coitum, coarctatur in corpore, & generantur ex ea ægritudines malæ, & vapores mali, qui ascendentes ad cor, & cerebrum, & stomachum, corrumpunt sanitatem illorum membrorum, & generant ægritudinem. Andr.* Sed hoc totum superfluitatis est retentæ: inde dicit Haly. *superfluitas aggregata. Franc.* Princeps *in canticis,* commendavit etiam Venerem juveni dicens. *Coitus commendatur juvenibus:* quatenus per eum à nocumentis pernicioſis liberantur. *Andr.* Dixit ergo tantum juvenibus convenit, eo quod juvenes exuberent spermate, sed de superflua Venere ne verbum quidem ullum fecit, nam *prima tertii* sic. *Quandoque accidit homini, ut in vasis seminalibus aggregetur sperma plurimum, & corrumpatur, & infrigidetur, & convertatur ad qualitatem venenosam,* & quia fit hoc pluries juvenibus, eisdem dixit Venerem convenire, nam cum quis appetit, non nocet: ut Almansoris. iiij. voluit Rhasis dicens: *Viri præterea, ac mulieres, cum appetunt, coire debent.* quod quidem faciant naturæ non repugnantes *Fran.* Modo ais, modo negas Veneri indulgendum, quo usque patiar te isto modo differentem? Quin tu uno verbo dic quid est, quod me præstare velis? *Andr.* Ita faciam, primum in hac re illud edico tibi, mulierosi corpus in deterius semper labi, teste Conciliatore *diff.* CXXIII. sic asserente. *Coitus superfluitas, & frequentia, omnem pravam corporis acquirit dispositionem.* Arist. quoque, iiij. *prob. Coeuntes ex solvuntur, & infirmiores fiunt.* Galen. *secundo de spermate.* Non solum à serosa humiditate privari omnes animales particulas accidit ex superfluo coitu, sed & vitali spiritu. Et Prin. XIII. *tertii, Coitus est ex rebus magis nocentibus stomacho, & dimissio ejus est ex rebus maxime conferentibus.* Arist. etiam. IIII. *prob.* plurimo coitu u tentes manifeste in oculis, & anchis patiuntur. & Princeps *tertia tertii cap. quinto, multiplicatio coitus est, res nocibilior oculo.* & Almansoris *quarto, Qui coitu sæpe utitur, oculorum habet concavitatem.* Post repletionem superflua est Venus, Hali Ab. v. *Theo. Si cibo homo repletus aut potu, coitu utatur, debilitas ejus fit corpori, enervatio nervis, dolor in genubus, viscerum opilatio, generanturque exinde humores grossi.* Cujus usus si hoc fiat modo frequens, & assiduus, Hydropisis sequitur, asthma, & tremor. Nam nihil obstat quod Paulus Aegineta, *libro de tuenda valetudine,* post cibum, & ante somnum præcipiat concumbendum, nam nonnullam vult esse inter eos distantiam, qua corpus neque repletum, neque vacuum dici possit. Idem etiam voluit Galen. *in arte medicinali,* cum dicit. Tempus autem ad coitum opportunum est, cum in excessuum omnium mediocritate corpus fuerit constitutum, cui assentitur Avicenna XX. *tertii* dicens. Et oportet etiam ne coitus fiat super repletionem, quia prohibet digestionem & debilitat, neque coëat aliquis cum adest vacuitas, hoc enim est nocibilius, & onerosius naturæ, & magis pernecans calorem innatum. *Fran.* Sat habeo, sed dicas quæso, quanta temporis intercapedine inter coitus uti nobis par est, nec ab re te percunctor, scimus etenim quosdam singulos, noctis unius spacio, fœmellas singulas iniisse decies, citra noxam *Andr.* Abeant ii, quos attulisti mihi, in malam crucem, cum hac sua intempestiva Venere, nam mihi consilium non placet aliorum explere luxuriam, mihi dum noceam, cum creberrimam ægrotationes pernicioſæ, senectusque matura subsequantur. Unde Cicero, *luxuriosa juventus maturam tradit senectutem.* Item lib. *de senectute. Libidinosa etenim & intemperans adolescentia affectum corpus tradit senectuti,* Galenusque in *arte medicinali* sic inquit. *Venereorum vero, juxta Epicuri sententiam, nullus est usus salubris, re autem vera confert, si tantum intervalli in eorum usu adhibeatur, ut neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse se homo quodammodo levior factus melius spirare videatur.* Quod caput est tandem sic habeto, nullam capitaliorem pestem esse, quam corporis insatiabilem voluptatem. Sed ad curationem morbi Gallici redeamus. Servatis igitur sex rebus non naturalibus, materia pituitosa digerenda videtur hoc syrupo. Recipe *amaraci, salviæ, origani, menthæ, absinthii, eupatorii, fumi terræ, baccharis, lavendulæ, calaminthæ, pulegii, thymi, satureiæ, stœchados, sing. man. j. calami aromatici, zedoariæ, dictamni albi, hermodactylorum, hellebori nigri singul. scrup. ij. rhabarb. electi drach. ij. spicæ, schœnanthi, sing. scrup. s. ex aqua usque ad medium decoquantur, inde colentur, addanturque syrupi de fumo terræ, de stœchade, mellis ros. sing. unc. iij. & fiant syrupi vij.* Sunt qui errant, mea quidem sententia, nolentes haurire decoctionem, sed appetentes syrupos ex aquis elaboratis. quippe majorem decoctionis vim comperi. Verum, ut & illis morem geramus. Recipe *syrup. de stœchade, oxymellis compositi, mellis rosati simp. unc. ij. s. aquarum salviæ, lavendulæ, amaraci, sing. unc. ix. & fiant syrup. vij.* vel Recipe *oxymellis simp. syr. de stœchade, de prassio, de absinthio sing. unc. ij. s. aquarum absinthii, prassii, ivæ, melissæ, & fiant syrup. vij.* facta digestione, ut ad extrahendam materiam procedamus. Recipe *rhabarbari electi drach. ij. agarici præparati drachmam, aloës hepaticæ lotæ drach. j. s. turbith gran. x. hermodactylorum grana vj. gingib. gran. iij. spicæ gran. iij. hæc simul ex aquæ salviæ libra macerentur per noctem, deinde ad mediam concoquantur, postea colentur, & accipiantur decoctionis istius unc. v. vel vj. secundum virtutem ægrotantis. Dulcorenturque cum uncia oxymellis. s. & fiat potio.* vel sic. Recipe *rhabarbari electi, agarici præparati, turbith albi, & gummosi, sing. drach. semis, spicæ grana tria, gingiberis, hermodactylorum singulorum scrupulum, contundantur hæc omnia leviter, & infundantur inde aquæ lavendulæ, vel amaraci unc. vj. decem horarum spatio, inde comprimantur, expressioni addantur electuarii lenitivi dr. ij. diaphœn. electuarii Indi singulorum drach. ij. s. & fiat potio, additis mellis rosacei drach. iiij.* Tertius iis etiam accedit modus. Recipe *rhabarbari electi drach. j. schœnanthi gran. v. contundantur hæc in pulverem, cui addas agarici præparati scrup. ij. turbith gran. v. gingiberis gran. iij. aloës lotæ scrup. j. electi. lenitivi drach. ij. diaphœniconis drachmam, & cum saccharo fiat pastillus.* Ex quibus primum medicamentum validius comperi, quamvis difficilius sua amaritudine hauriatur. *Fran.* Quid autem de phlebotomia nobis faciendum videtur, nunquid

iis etiam adhibebimus Avic. teſtimonium dicentis? Phlebotomia eſt evacuatio univerſalis, quæ multitudinem evacuat humorum, multitudo vero eſt augmentum humorum ſuper æqualitatem ipſorum in venis. *Andr.* Recte tu quidem ex Avicenna, nam ſubſequitur Ugo de Senis, Quod iſta evacuatio univerſalis intelligi debet ex humore, qui continetur cum ſanguine in ipſis venis, & de his locutus eſt Princeps. Quoniam humores extra venas ſecus naturam procedentes, potione potius ſunt elidendi. Morbus igitur Gallicus à pituita, cum magis in juncturis, quam in venis exiſtat, ſanguinis miſſio per inciſionem venæ videtur ſupervacanea. Dicitur enim phlebotomia evacuatio univerſalis, quod omnes univerſaliter educat humores, & neque aliquem eligat, pharmacum vero à forma ſpecifica evacuans eligit illum, quem ſibi proprium eſt evacuare, cum enim pituita ſit in membrorum compagibus coacervata, & indigeat potione particulariter elidi, phlebotomiam penitus relinquam. *Fran.* Sententiæ tuæ non acceſſerim, tametſi ſexcentos adduxeris auctores, quippe in te ipſum hæc omnia militant, cum ſuperius totius mali fomitem jecur dixeris. Jecur igitur, cum ſit totius ſanguinis purioris hoſpitium, utiliter in his morbis nimirum exhauritur. *Andr.* Nihil agis, nam hæc omnia minimo (ut ajunt) digito proſternam, nam quod tu dicis recte fieret, ſi materia calida foret, nam Rhaſis *vij. Alm.* ſic atteſtatur. *Oportet autem cavere quantum poſſibile eſt, ne phlebotomia in tempore calidiſſimo, aut frigidiſſimo fiat, neque phlebotomentur ii, quorum ſtomachus, & hepar in frigiditate diſtemperata exiſtunt.* Præterea multos offendimus, qui diutius morbum ignominiæ cauſa diſſimulaverunt, quibus minime ſanguis mittendus eſt. Nam Princeps in corporibus, quæ prolixas perpeſſa ſunt ægritudines, cavendum eſſe à phlebotomia affirmavit. *Fran.* Quamvis mea te exagitem ſententia, aſſentior tamen, nam apud Galen. legitur, quod ii, qui per totum corpus humorum multitudine gravantur, minime ſanguinis miſſionem pati debeant. *Andr.* Utiliter igitur, ſi puſtulæ per totum corpus emerſerint, ſanguinem intercutem pituitoſum poteris per cucurbitulas extrahere. Nunc autem ad linimenta, quæ huic conferunt morbo. Recipe *Radicum chebuli, hederæ, dictamni, gentianæ, enulæ, bryoniæ, hermodactylorum, ſing. manipulum. Contundantur hæc omnia leviter, & ex vini Cretici lib. xij. ad tertiam decoquantur. Inde addantur amaranthi, baccharis, chamomeli, abſinthii, hypericonis, lavendulæ, origani, thymi, nepetæ, pulegii, calaminthæ, ſing. M. j. ſ. iterum ferveant ad medium, inde accedat, florum roriſmarini, primulæ veris, ſalviæ, ana manipulus, & bulliant leviter una parvo temporis intervallo: poſtmodum colentur, & prælo expreſſis indantur, olei roſacei, chamomelini, anethini, hypericonis, de coſto, ſing. unc. j. ſ. olei terebinthinæ unc. vj. reſinæ pineæ unc. iij. & bulliant uſque ad perfectam vini conſumptionem, denuo addantur, cum tolluntur ab igne, croci. drach. ij. cinnamomi, calami aromatici, ligni aloës, ſtyracis calamitæ, ladani, benzoin. ſingulorum drachma, cinnabaris uncia, Mercurii extincti unc. vj. axungiæ porcinæ libra, ceræ, quantum ſufficiat, ſublimati drach. iij. & fiat, fortiter agitando, linimentum. Fran.* Hæc tametſi congruant, tamen quidpiam brevius deſiderarem. *Andr.* Mos gerendus eſt tibi. Igitur. Rec. *axungiæ porcinæ colliquatæ lib. j. butyri recentis unc. vj. olei laurini unc. iiij. olei vulpini, hypericonis, terebinthinæ ſing. unc. v. ſtyracis liquidæ eloæ cum aquâ chamomeli, & vino Cretico unc. ij. olei de ſulphure, drach. iiij. cinnabaris. unc. j. ſ. Mercurii extincti, unc. vj. ſublimati drach. j. ceræ quantum ſufficiat, & fiat unctio.* Quod ſi compendium magis affectas. Recipe *axungiæ colliquatæ libram, unguenti Agrippæ, Martiati, olei laurini, terebinthinæ, ſing. unc. iij. Mercurii extincti unc. vj. ſublimati drach. ij. & fiat in mortario linimentum*, ſed iſtorum primum laudabilius, meo quidem judicio, ſemper fuerit. *Fran.* Memini, quoſdam ſe dicentes ſuffitu, laconicoque tantum ſanatos. *Andr.* Quamvis nonnullis id evenerit, multi tamen ſuccubuerunt. Ideo quod niſi cum de ægroto deſperatum fuerit, ſuffitus omnino ſunt excludendi, teſte Galen. ſic dicente. *Ægritudo, quæ non habet niſi unam viam ad curandum, velit, nolit infirmus oportet quod per eam tranſeat.* Et *primo Aph.* Hipp. *extremis morbis extrema exquiſite remedia optima ſunt.* Quamvis non negaverim, ſuffitus me tentaſſe ſucceſſu laudabili in hominibus videlicet Athleticis, Qui quidem ſuffitus fuerint hujuſmodi. Recipe *cinnabaris unc. iij. myrrhæ, thuris, ſing. unciam, aloës hepaticæ, ſandarachæ, ſtyracis calamitæ, benzoin. ſing. drach. iij. miſce, & fiat pulvis craſſior.* Item aliter. Recipe *cinnabaris unc. iij. myrrhæ, thuris, aloës, ladani ſing. unc. j. contundantur in pulverem, & cum ſtyrace liquida ſubigantur, inde fiant trochiſci juglandis magnitudine, qui ſinguli ſuo tempore ſigillatim prunis ſubditi colliqueſcant.* Item Recipe *cinnabaris. unc. ij. ſ. auripigmenti, cadmiæ argenteæ ſingul. drach. iij. thuris, aloës, myrrhæ, ſtyracis, calamitæ, ladani ſing. unciam, miſceantur hæc omnia, & in pulverem craſſum redigantur.* Erit enim hoc aliis potentius. Et ſi ſuperius in Athleticis tantum hoc fieri debere affirmaviimus, accidit mihi tamen aliquando hoc feciſſe felici ſucceſſu etiam in corporibus delicatis, & debilibus, & fuit ejuſmodi. Recipe *Cinnabaris unc. ij. auripigmenti drach. ij. dictamni albi, tormentillæ, gentianæ, behen albi & rubri, angelicæ ſing. drach. iiij. ſem. citri, ſem. acetoſæ, ocimi, doronici, ſing. drachmas ij. cinnamomi, caryophyllorum, calami aromatici, croci, ſing. ſcrup. ij. thuris, ſandarachæ, ſtyracis calamitæ, benzoin. ſingulorum drachmam. ſ. aloës drachmas. iiij. rediguntur hæc omnia in pulverem, vel cum theriaca formentur trochiſci.* Poſteaquam male ſe habentes perpurgati fuerint, cubiculo claudantur, & ſub conopæo nudi carbonibus accenſis incumbentes altius ſedeant, quos ſemuncia pulveris prædicti, ſive unius trochiſci fumus, niſi vis ægroti difficilius patiatur, per horam torqueat, nec ſatis decidi poteſt, quoties id tentandum. Ideo non alio me hercule pacto, quam ſi eundem inunxeris, id obſervare poteris. *Fran.* Quid ſi anima defecerit? Poterit ne æger conopæo tantillum caput educere? *Andr.* Recte quidem, modo ne ſæpius id fiat, ſed pergamus qua cœpimus, quoties ſuffitus per diem ſit tentandus, corporis habitus, anni tempus, ætas decurſa, ſexuſque poterunt nos edocere. Sed ut fortius hoc ferant, initio cataplaſma, quod ſuperius enucleavimus, eſt applicandum cordi, horaque ante ſuffitum ova bina recentia ſorbeant affecti, aut cochlear unum *ſyrupi de corticibus citri* liguriant, aut trochiſcum confectionis ejuſmodi vorent. Recipe *pulveris electuarii Conciliatoris, pulveris diamoſchi dulcis, diamargaritonis ſingul. ſcrup. ij. inde cum aqua meliſſæ, & ſaccharo fiant cum igne trochiſci.* Evenit etiam plerunque ut tam ſuffitu, quam unctionibus utentium bucca exulceretur, quibus ea poteris applicare remedia, quæ ſuperius diximus, quamvis hoc addere non alienum putaverimus. Recipe *rad. prunellorum ſylveſtrium m. ij. cymarum rubi, roſarum, myrtillorum, ſumach, caudæ equinæ, ſorbariæ, piloſellæ, caryophyllatæ, millefolii, florum trinitatis, foliorum oleaſtri, hordei, balauſtiarum ſing. manip. ireos, rubiæ ſullonum, conſolidæ utriuſque, centaurii majoris ſing. drach. iij. myrobal. citrinorum, conorum cypreſſi ſing. unciam. Contundenda leviter contundantur, & bulliant ex lib. x. aquæ ferrariorum fabrorum, vini granatorum, ſucci cotoneorum, aquæ plantaginis ſing. lib. ad medium concoquantur, inde addantur, cum jam pene concoxerint, aluminis rochæ unc. ii. nitri drach. ij. diamoronis, mellis roſ. ſing. unc. iiij. lycii unc. ij. hæc colentur, inde expreſſum ſervetur in vaſe vitreo, ex quo ſubinde ſivi colluat os affectus.* Verum enimvero pleroſque vidimus ægrotantes, quibus os totum adeo depravatum Empiricorum incuriacrat, ut cancri ſpeciem acceſſiſſe unuſquiſque ſanæ mentis dixerit, illis etenim quamvis ſuperior gargarizatio conſentanea fuerit, hoc tamen conducibilius arbitramur. Recipe *decoctionis prædictæ lib. iij. unguenti Ægyptii unc. ij. ſ. diſſolvantur que ſimul, inde frequentius os colluatur.* At ſi gingivarum acceſſerit exulceratio, unguento prius Ægyptio perungantur eædem, mundificat enim cum primis, & ut ſæpius experientia comperi, redundantem malitiam reprimit. Quod ſi materiæ ſuperfluitas medicamentis ſuperius enarratis, haud facile ceſſerit cucurbitulis, clyſteribus, lotionibus, frictionibus, fibulis non parum doloris ingerentibus, & cæteris id genus, eſt ab ore divertenda malitia. *Franciſcus.* Poſt oris exulcerationem accedunt dentibus gingivarum mira diſſidia, ut ii parum à caſu abeſſe videantur. Adde ſpectaculum, quod etiam ſputorum fœditatem contuentibus nauſeam commovent, ut non immerito tale ſpectaculum fugiant omnes. *Andre.* Ita eſt, tunc hoc pulvere non erit eis abſurdum ſuccurrere. Recipe *ſquillæ aſſatæ, pulveris leviſſimi teſtacei, cornu cervini uſti, oſſis ſepiæ, oſſium dactylorum combuſtorum, conſolidæ utriuſque, roſarum; ſumach, ſing. drachmam, cinnamomi, thuris, maſtichis, ſandarachæ, ſing. drach. j. ſ. aluminis exuſti ſcrup. ij. corallorum rubeorum, & alborum, ſingulorum drach. iij. muſci gran. vj.* Omnia rediguntur in pulverem, ex quo frequentius cum gingivæ, tum dentes fricentur. Superfluum fuerit de reliquis differere, de quibus ſatis dictum ſuperius &c.

A pituitoſo igitur ad melancholicum nunc deflectat oratio, quamobrem tibi perſuadeas velim, malum hoc atrabili commixtum, modo ſupercilia, modo cranium, necnon brachia pernaſve, tuberibus duriſſimis ab apoſtematibus, quæ Græci ſephiros appellant, non diſſimilibus, infeſtare: quinetiam per totum corpus emergunt liventes puſtulæ verrucarum ſpeciem repræſentantes. Siniſtrum tempus per noctem male habet: inde vigiliæ, color plumbeus, inflammatio thoracis, debilitas ſtomachi, ſplenis gravitas, aut dolor, aut durities urget: Urina fertur alba, plumbea,

sive subruffa, tendens ad nigrum colorem, vena brachii exilis, & tardior, nigra excrementa dejiciuntur, excreatio plenior, ructus sunt acidi, crura varices, tumor pedes invadunt, ut elephantiacos referant, quibus eadem fere confert vivendi formula, quam superius, cum de pituitoso differeremus, explicavimus. Ut tamen non sit alienum, quæ sequantur, annectere, si perspexeris, à fæce sanguinis in melancholicum verti, hoc fieri finistræ manus venam, quam salvatellam recentiores appellant, sive varicum, sive quam saphenam vocant, recte scindes. Prodest etiam sanguisugarum ad ora venarum, quas hæmorrhoidas Græci vocant, applicatio. Quod si à bilicsa adustione pendere videatur: sanguinis missio penitus fugienda decernitur. Cucurbitulæ etiam cum balneo, quando est error sanguinis crassioris, convenire possent: quanquam Princeps *quarta primi* dixerit, Cucurbitularum quidem juvamentum in corporibus grossum habentibus sanguinem esse parvum, quoniam ex istis non extrahitur sanguis sicut oportet, immo qui ex eo vehementer est subtilis. Et hoc accidit, quia resolvuntur spiritus illius membri, & sic calorem naturalem debilitando, resolvendo etiam de humido substantifico membra debilitant. Huic obstat sententiæ Hali abbas, cum *nono Practicæ capite*. viij. cucurbitulas melancholiæ conferre testetur. Hæc quidem ratio bifariam distrahitur, quippe & sine scarificatione, capitis humores derivando, cucurbitulæ melancholiæ conferre possunt, & ex balneo cutis incisione subtiliatum sanguinem, qui prius fuerat crassior, recte exhauriunt, cum ægritudines melancholicæ per totum fere corpus vertentur. Unde Germani ganeis confecti, propterea que varicosi, ac elephantiaci, hypocaustis inclusi, quibus sanguis crassior plerunque subtilior fit, iis utiliter curantur, quo fit, ut ex balneo non negaverim melancholicis potissimum, (si tamen purgatis corporibus id fiet) scarificata prius cute, cucurbitulas remedium. Optime sic ergo eos purgabimus. Recip. *epithymi Cretensis, follicularum sennæ, capillorum Veneris, florum borraginis, bugl. viol. rorismarini, melissæ sing. man. radicum centaurii majoris, polypodii, rhabar. sing. drach. j. succi scabiosæ uncias. iiij. radices contundantur, & ex aqua ad mediam decoctæ diligenter exprimantur, instillentur inde syr. epithymi, & sumi terræ quantum sat est, fiantque syrupi. v. aut septem*, vel Recipe *syrupi de fumo terræ, mellis rosacei, de lupulis, de epithymo singulorum unc. iij. aquarum fumi terræ, bugloss æ, lupulorum, melissæ, singul. quantum sufficiat, & fiant syrupi. v. vel septem.* Quin etiam Rec. *syrupi intybi compositi, de epithymo, de fumo terræ, singulorum unc. ij. s. aquarum fumi terræ, cap. Veneris, bugloss æ, lupulorum, melissæ, sing. unc. iiij. & fiant syrupi numero. v. Fran.* Recte tu quidem, verum, quod magis concupiscit animus meus, id retices. *Andr.* An dicis syrupum, quo plerunque sine ullis unctionibus, aut aliis ejusmodi medicamentis ad sanitatem perduximus quosdam male affectos? *Fran.* illum ipsum. *Andr.* Quamvis in intimo cordis mei delituerit hactenus (ut ita dicam) te tamen jubente protrahatur in lucem, nihil etenim meum tibi reconditum fuerit unquam. *Viventibus igitur adhuc anguibus, postea quam extremitates utrinque per quatuor digitos à cætero corpore gladio secueris, permittes totum sanguinem defluere, mundatas inde carnes lotasque ter in aceto, tum liquore bugloss æ, citrariaque, suscipies theriacæ optimæ unc. viij. succi fumi terræ, lupulorum, intyborum, bugloss æ singul. lib. ij. polypodii recentis, corticum citri sing. unc. ij. aloës hepaticæ unc. v. hæc omnia ex vitreo vase, per balneum Mariæ, in cujus fundo quantitas arenæ resideat, subito vapore ignis, in aquas purissimas rediges, quarum tres uncias æger, addita uncia syrupi de corticibus citri, vel de epithymo, quotidie diluculo sumat.* Iis syrupis per xl. dies acceptis multos (ut prædiximus) Deo duce curavimus. Est etiam (quod imprudens silentio pene præterieram) non prætermittendum, quo minus æger septimo quoque die catapotia voret ellebori, quæ constabunt inferius, cum purgationes humoris melancholici te docuero. Recip. *igitur myrobal. Indorum drach. ij. florum bugloss æ, epithymi sing. manipulum, polypodii recentis semunciam, contundantur hæc prius, deinde ex fero caprino decem horarum spatio macerentur, sedulo expressis omnibus addantur expressioni confectionis Hamech. drach. iiij. diacatholiconis, diasenæ sing. drach. ij. succi fumi terræ, unc. j. syrupi de epithymo unc. v. fiat potio.* Secundo modo. Rec. *electuarii lenitivi, conf. Hamech. sing. drach. ij. pulveris sennæ drachmam, succi fumi terræ uncias, syrupi de bugloss a, unc. v. ex aqua fumi terræ fiat potio.* Vel Rec. *myrobalanorum Indorum drach. j. s. Epithymi Cretensis, rhabarbari sing. drachmam. contundantur hæc leviter, deinde die nocteque in aqua fumi terræ, bugloss æque macerentur, exprimantur, expressioni addas electuarii lenitivi, Diacatholiconis sing. drach. ij. conf. Hamech. drach. iij. elect. Indi. drachmam, syrupi de epithymo unciam, fiat potio.* Nunc quoniam satis de potionibus est dictum, superest ut de catapotiis agamus, quæ superius tibi pollicitus sum. Rec. *igitur radicum nigri Veratri recentis drach. iij. dauci, anisorum, piperis, singul. drachmam, florum bugloss æ drach. s. musci gran. vj. epithymi. scrup. ij. contundantur hæc omnia leviter. Inde diem, noctemque, ex vini Cretici. lib. s. macerata potenter exprimantur. Hujus expressionis drach. iij. pulveris pillularum fumi terræ, cochiarum, aurearum sing. drach. ij. s. suscipias, subagitesque, inde permittas exsiccari, porro siccas & iterum in pulverem redactas, ex eodem vino Cretico macerabis, ut supra. Et hoc quater.* Catapotia autem ejusmodi sumenda sunt drachmæ pondere. Quinetiam potest ingeri Catapotium, quod ex præcipitato conflatur. *Fran.* Quidnam hoc verbi est? *Andr.* Est quidam pulvis Mercurio conflatus hoc pacto. Rec. *Aquæ, qua unum ab argento dividitur, lib. iiij. Argenti vivi lib. j. s. Hæc in vase vitreo, ore angusto, collo obtorto, undique argilla præmunito, quod ab altero recipiatur, imponantur, compagines inde vasorum luto figulino sedulo obturentur. Adhæc subdatur ignis ex carbonibus conflatus, ut semper ingraveat eo, usque quo tota defluxerit aqua. Posthæc phialam frangas, in cujus fundo residentem placentulam rubeam, leviter extrahens, quod album inhæserit, projicias, rubeum vero in pulverem redigas.* Verum enimvero, quoniam ex pulvere isto plurimæ possent contingere noxæ assumentibus ipsum, nisi prius debita fieret præparatio. Rec. *unc. ij. prædicti pulveris, & macerentur per noctem ex aqua plantaginis, & acetosæ, singularum. unc. ij. Inde summo mane aquas exhauriens, & novas superinfundens, adignem in vase æneo, sive testaceo colloces, ferventesque ferrea, vel lignea spatula non cesses agitare, quousque in pulverem non difficulter omnia redigantur*, ex quo poteris cum libuerit in morbum Gallicum tam pituitosum, quam melancholicum, Catapotium tale componere. Rec. *elect. Conciliatoris. scrup. s. margaritarum, hyacinthorum sing. gran. vj. pulveris præcipitati gran. v. pulveris diamoschi, diamargaritonis, sing. scrup. s. & fiant catapotia quinque numero*, quæ hora ante diluculum sumantur, inde lecto se contineat æger horas quinque. Brevi (mihi crede) Gallici dolores hoc catapotio elidentur, pituita etiam & atrabilis vomitu, necnon alvi dejectione, evanescent. Ad hæc sunt plurima morborum genera, quæ curavimus tali pulvere. Nam non solum saniem carnemque putridam delet aspersus, verum etiam non difficulter ulcera ad cicatricem deducit, Pestilentiam etiam, pauxillo theriacæ addito, succoque tunecis herbæ, quam Carduum benedictum vocant, sive electuario de gemmis, ante ejus confirmationem mirum in modum fugat. Multos etiam lymphaticos, melancholicosve, quos à Cacodæmonibus incursari vulgo credebant, eodem curavimus. Quid pluribus immoror? Quartana confectos, saccharo bugloss ato, sive theriaca, Mithridathiove, additis, facta digestione aliqua, hora ante accessionem. v. vel vij. granorum pondere, spro ætate, & vi corporis affecti, hoc pulvere liberavimus. Quinetiam valet coli, & Iliorum doloribus adhibitus, nam quosdam stercus per os ejicientes sanavimus, Pauli Æginetæ monumentis innixi, qui ait aliqui quidem Medicorum Argentum vivum extinctum dederunt in Ileo. Quam quidem auctoritatem Princeps. ij. *Can. cap. de Argento vivo* annotavit. Falcino idem adversaturi, pluribus adhæc virtutibus est insignis, quas cum plus otii nactus fuero, tibi figillatim connumerabo, fortasse tunc jucundissimum fuerit, etiam explicare quo nam pacto pulverem cum auro, vivoque argento, sine aqua superius explanata, possis conficere; nunc quoniam tempus urget, unctiones virium maximarum deferam. Rec. *Fumi terræ recentis. man. iiij. rad. ebuli, bugloss æ, melissæ sing. m. ij. terantur omnia cum libris duabus axungiæ porcinæ: unc. x. butyri recentis additis, inde in vase figulino vitreato loco uliginoso dies xv. reserventur, computrescant. Inde liquefiant igne subdito, demum liquefacta colabis omnia ex linteolo.* Postmodum. Recip. *olei rosacei, chamomelini, terebinthinæ sing. unc. ij. styracis liquidæ ex aqua fumi terræ elotæ unc. iij. lithargyrii argentei. unc. v. resinæ albæ unc. iij. Mercurii extincti unc. vij. sublimati drach. iiij. & fiat ex mortario unguentum:* vel Recip. *rad. ellebori nigri recentium libram, ellebori albi unc. iij. rad. arthanitæ unc. vij. contundantur cum axungia, & butyro:* & ut supra denique omnia fiant. Inde *accipe hujus adipis libram, olei rosacei, cappar is, terebinthinæ sing. unc. j. s. sulphuris drach. iiij. hellebori nigri redacti in pulverem drach. iij. lithargyrii aurei unc. iiij. styracis calamitæ liquidæ ex succo fumi terræ lotæ, ladani sing. unc. j. s. resinæ pineæ unc. ij. Mercurii extincti unc. viij. sublimati drach. iiij. Inde fiat ut supra.* Vel Rec. *quatuor aut quinque nigros Angues excoriatos, eviscer atosque, decisis utrinque extremitatibus, minutim concisos, quos vas vitreum oris anguisti capiat, quod postea obturato ore ponas in caldario aqua referto, hoc finas diem, noctemque fervere, postmodum repertum liquorem colabis ex-*

*extractum, qui fluxerit & commisce libris. ij. illius adipis* A *confecti ex radicibus hellebori, & arthanitæ, addasque Mercurii extincti unc. viij. cinnabaris unciam, sublimati drach. iiij. theriacæ unc vj. & fiat ut supra.* Servabis hoc diligentissime, majoris etenim ponderis est, quam tu fortasse reris. Propterea consentaneum omnino fuerit olei sulphurati, cum aqua melissæ, nonnihil ægrum diluculo bibere: quippe quoniam, ut superius explicatum fuit, magnum ex eo percipitur juvamentum. *Fran.* Nimirum nolo ut oleum hoc, quod tantopere collaudasti, intactum relinquas: in hoc etenim in præsentia mihi sunt omnia. *Andr.* Tibi nihil invitus dixerim. Vitreum igitur vas tintinnabulo (campanam hodie appellant) non absimile, illitum figulari luto à terra unius cubiti mensura, æneo, vel ferreo filo suspendes, sub quo metretam vitream majoris circunferentiæ, cujus medio inversus fuerit cyathus, statues. Porro cyathi fundus ferream bracteam digitorum quatuor latitudinis ex igne candentem sustineat, ex qua sulphur accendatur. Hoc vero ipsum dum comburitur, recentius superaddatur, inde fiet, ut ex fumo ascendente suspensum vas brevi temporis intervallo guttatim in inferiorem paropsidem distillet oleum. Quod diligenter collectum, vitrea conservabis ampulla, nam plurimi semper apud me ponderis fuit, nec mehercule injuria: quippe non solum confert huic morbo, sed haustum per hebdomadam, stomachi, intestinorumque torminibus ex materia ventosa frigidiorive provenientibus medetur, splenis vitia corrigit, vulvæ, urinæque difficultatibus succurrit ex aquæ tamariscí, vel cap. veneris quantitate guttarum sex. Quinetiam tres vel quatuor guttæ ex aqua absinthii, lumbricos fugant. Item contra scabiem, impetiginem, lichenes, strumasque illinitum valet. Doloribus quidem podagricis frigidis mirum in modum fert opem. Præterea male curatis ex morbo Gallico ad extrahendum virus, hujusmodi potum, ut dicimus, plurimum prodest. Nunc autem Mercurii, quem vivum Argentum dicunt, vires tibi paucis absolvam. Avicenna *secundo Can.* frigidum & humidum esse dixit in secundo gradu, Paulus vero Ægineta calidum, & siccum asserit in quarto. Verum nos cum Gebere, qui de rebus metallicis optime conscripsit, dicemus, Mercurium humidum & frigidum palam caliditatem, siccitatemque clandestinam in se habere. Probatur hoc ab eodem Gebere *cap. de essentia Mercurii*, cum dicit, in Argento vivo similiter necesse est superflua demi, habet enim corruptionis causam terream, & adustibilem. Item *libro secundo cap. de coagulatione Mercurii.* Habet similiter sulphuris partes naturaliter sibi mixtas, quas removere per artificium non est possibile. quam quidem sententiam nobilis etiam Arnaldus agnovit, *libro* qui dicitur *Rosarius Philosophorum*, dicens. Manifestum est igitur quod Argentum vivum continet in se sulphur suum bonum fixum, ex quo coagulatur in aurum, & argentum secundum diversum disponendi modum: & Arist. *in Meteoris.* Argentum vivum est aqua, quæ admiscetur cum terra nimis subtili sulphurea admixtione forti, ut non quiescat in superficie plana, & hoc est ex siccitate magna, quæ inest illi, & ideo non adhæret tangenti. quibus omnibus satis constat, terram talem, sive sulphur esse calidæ, & siccæ complexionis. cognoscitur etiam hoc sua dissolutione, incisione, penetratione, atque corrosione, quæ quidem omnia caliditatem & siccitatem maximam ostendunt. Nam de eo Dioscorides proprio capite sic autumat, Virtus, inquit, Argenti vivi est homicidialis corrodendo intestina. & Aggregator, Argentum vivum corrodit omnia cui obviat ex membris intrinsecis. Quod autem sit frigidum, & humidum, licet per Avicennam comprobari possit, apparet hoc etiam experimento. cognoscitur imprimis mira ejus frigiditas per tactum ejus, deinde per operationes, quibus agit in humanum corpus, nam non legitime extinctus maxime repercutit, ac nervis (ut Avic. asseruit) dum tremorem, stuporem, convulsionemque atque paralysim causat, magnum affert discrimen, quæ quidem omnia à frigiditate maxima, quæ inest illi eveniunt. Humiditatem vero ejus ostendunt superiores auctoritates, cum dicant quod est aqua viscosa, nam & hoc non sufficeret, nisi quotidie ipsum videremus ossa corrumpere, carnemque & nervos putrefacere eorum scilicet ægrotantium, quibus Empiricus aliquis Mercurium ipsum inunxit. *Fran.* Hanc quidem sententiam aliqui minime comprobant, & putrefactionem non tantum Mercurio, verum totam morbi venenositati tribuunt. *Andr.* Falsa quidem ratio ista mihi videtur, nam si mulieres inspexeris, quæ ex eo pigmenta conficiunt, ut pulchriores hominibus appareant, eis quidem dentes fere omnes tum carioso, tum denique putrescentes invenies. Concordia tamen hac Geberis auctoritate inter discrepantes est de Mercurio imponenda. Inquit enim ipse, Argentum vivum manifestum est, quod Mercurius appellatur. Antiquorum usu est aqua viscosa, substantiæ subtilis, albæ, tinctæ, per calorem temperatissimum, unita tali unione per minima, quousque humidum contemperetur à sicco, & siccum æqualiter ab humido, & quousque calidum contemperetur à frigido, & frigidum æqualiter à calido. Galen. tamen in viij. *simplicium* sibi nil de eo cognitum fuisse testatur, non alia mehercule de causa, nisi quod tanta in eo difficultas ipsi comperta erant, ut non facile quid potissimum de eo scriberet inveniret. Inde Sapientes Mercurio Planetarum instabilissimo propter variam ipsius ostentationem, instabilitatemque compararunt. Unde recte Plato, dotavit res natura proprietatibus, omnino enim quodlibet, secundum quod meretur, à specie sua agit, quod proprium est, utique enim nullius rei est actio propria, nisi quam species regulat. Verum hoc totum certificare (Mesuæ sententia) non est Medici, sed illius qui se altius agit. *Fran.* Sat habeo, verum quid ita in Mercurium omnes medicinæ professores veluti conjurati, ityli acerbitatem distrinxerunt? *Andr.* Nihil dictu facilius est, hunc namque doctores compertis noxiis viribus, de quibus superius, merito videntur abdicasse, quanvis re vera B sit innocens, modo recte extinguatur, nam de qua superbiunt Circumforanei, ac plerique alii, non extinctionem, sed occultationem recte illam dixeris, quippe cum horum unguentum, in quo erit admixtum Mercurii nonnihil, ex vase lento liquefeceris igne, in fundo coëuntem Mercurium liquido deprehendes. Inde fit, ut si quis unguento tali fuerit imbutus, ad interiora progressus rursus coëat, nam naturalis calor facile in priorem vivacitatem ipsum restituit, quo fit, ut prava corporibus accidentia eveniant. *Fran.* At vide quam insolenter se jactitent isti pharmacopolæ, quanto molimine circunferantur, diceres, in his sitam mortalium sanitatem, quorum inficiam nuper Chirurgus quidam summus meus aperuit, restatus est enim ex cruris osse corrupto Pt milionis cujusdam, qui decies à diversis Empiricis inunctus fuerat, argentum vivum non semel emanasse. *Andr.* Hoc mihi novum non est, nam & operanti mihi sæpius accidit. *Fran.* Quo nam igitur pacto extinguitur? *Andr.* Quanvis satis superius quod petis insinuarim me tibi crediderim, tamen non erit incommodum, hæc eadem vel C uberius explicare, tantum igitur tibi persuadeas velim, veram Mercurii extinctionem non aliunde pendere, præterquam à præcipitatione, hac etenim via frigiditatis, & humiditatis fit expers, quarum causa, quas superius diximus ægritudines procedunt, nec fieri potest ut præcipitatione mortuus semel, Mercurius reviviscat. Hac etenim arte frigiditate & humiditate privatus in calcem rubicundissimam vertitur. Ideo dicebat Rhasis Almansoris. v. Argentum vivum quando extinguitur ardens est & corrosivum, & tale est cum præcipitatur, nam male olentia ulcera corrodit, & mundificat sine dolore, quod si alioquin extinguatur, idem non efficit, sed potius repercutit. *Franc.* Quid ergo cum Argenti vivi extincti memineris, utique de præcipitato intelligi vis. *And.* Etenim non repercutere morbos ad interiora molior, sed omnino purgationibus prius diducere, tum unguento mundare, verum dum istis immoror, cataplasma sparadrappum imprudens præterieram, quod brachiis & tibiis decem diebus applicatum, sine ullis unctionibus morbum Gallicum delet. *Fran.* Expecto quid hoc sibi velit. *Andr.* Rec. *igitur emplastri* D *de pelle Arietina quod inguinariæ herniæ doctores applicari præcipiunt unc. iiij. emplast. triapharmaci ad ignem confecti, diachylonis majoris sing. unc. vj. resinæ pineæ unc. ij. liquefiant hæc ad ignem, & cum infrigidari cœperint, mercurii extincti unc. v. cinnabaris unc. ij. sublimati unc. iij. addantur, & longo temporis intervallo spatula citra ignem commisceantur &* (ut mos est) *ex linteolis fiat* (ut ita dicam) *sparadrappum*, hoc tibiis à genu, brachiis verò à cubito, donec signa remotionis advenerint, applicetur.

*Franciscus.*

Etsi diffusius hucusque de hujusmodi morbo unicuique humorum admixto disseruisti, vellem tamen, ut potum illum, quem tibi secretum adscribis, quo quidem etiam unumquemque morbum Gallicum recenter contractum fugas, mihi propalare digneris. Hoc te tamen ægre ferre non permittas, cum ego tibi non solum corpus ipsum, verum & vitam jam dudum dicaverim. *Andr.* Decreveram omnino mi Francisce nemini secretum hoc unquam aperire. Tibi tamen, virtutum tuarum munere, etiam majora dicere non dubitabo. Cum igitur a- E liquem ab ejusmodi morbi jaculis recenter ulceratum offenderis, ipsum ejusmodi pharmacum, quadraginta dies absorbere jubebis. Assumitur enim calidum in aurora, pondere sex unciarum pro vice. Recipe *igitur myrobalanorum emblicorum, belliricorum, Indorum, sing. unciam. florum boraginis, buglossæ, radic. ipsarum, florum violarum, cichorei, chamomeli sing. manipulum, succorum fumi terræ, boraginis, endiviæ, buglossæ, lupulorum sing uncias. iij. succi pomorum dulcium uncias viij. uvæ thymine,*

*juju-*

*jujubarum, prunorum ſebeſten ſingul. drach. decem liquiritiæ mundæ unc. ij. polypodii quercini, florum ſtœchados, radicis acori, ſingulor. m. ſ. ſ. feminis fœniculi dulcis drach. iij. ſcolopendriæ, capillorum veneris, gallitrichi, polytrichi, ſing. manipulum, folliculorum ſenæ, epithymi, fumi terræ ſing unc. ſ. Agarici boni drach. xviij. hellebori nigri drach. xviij. aquarum intybi, cap. veneris, fumi terræ, bugloſſæ ſing. lib. iij. vini granatorum lib. ſ. radicum enulæ, hederæ, fœniculi, apii, cichorei, ſing. unc. j. ſ. chamæpyteos, ſtœchados, chamædryos ſing. unciam, ſchœnanthi drach. ij. eupatorii drach. iij. rhabarb. drach. iiij. Addita aquâ pluviali quantum ſufficiat, arte & igne bulliant omnia, poſtmodum linteolo ſpiſſiori colentur, præloque exprimantur, & addito ſaccharo. q. ſ. fiat potus longus.* Unaquaque tamen x. die dum pharmacum hoc aſſumpſerit æger accipiat ad materiam expellendam unc. ſ. iſtius conf. Recipe *Turbith, hermodactylorum, rutæ agreſtis ſing. drach. iij. diagrydii drach. iiij. caryophyl. gingib. cinnamomi ſing. drach. ſ. piper. gran. ij. ſchœnanthi, ſpicæ, epithymi, ſalis gemmæ ſing. drach. ſ. ſantali. citrini, albi. rubri, croci. ſing. ſcrup. ſ. mannæ electæ unc. ſ. rhabarb. drach. ij. zedoariæ ſcrup. ij. ſaccharı unc. viij & cum aqua bug. ad ignem fiant trochiſci*, ſcias enim pro certo multos hoc remedio fuiſſe ſanatos. Reliqua vero ſuperius explicavimus.

Sed quoniam quemadmodum medelæ ducerentur, ab extincto Mercurio, atque ab omni genere Pharmacorum, ſatis explicatum arbitror verbis ſuperioribus, ſequitur ut hæc Ligni Indici medicamenta perſequar, quæ pertinent ad novos Medicos, quibus utuntur homines nunc potiſſimum, ſe tutius curari ſic arbitrantes. LIGNUM igitur, quod alii Indum, alii vero Guajacum nominant, ex Taprobana, America, Indiaque petitum noſtratibus medicis intervallo locorum minus coopertum eſt. Quidam putarunt Avic. *ſecundo Canonis* in dictione karon, hoc lignum rememorare, dicentem, karon eſt lignum Indum, cujus allatio ad terram noſtram multiplicatur, & eſt magni juvamenti in negotio fracturæ, torſionis, & diſlocationis, non ab re fortaſſe, nam Princeps ex Arabia genti Indorum propior erat. Quamvis Romæ, mihi ſub Hadriano VI. Pont. Max. degenti, fratres ab India cucullati exulceratarum tibiarum remedium quærentes, affirmarint jurejurando lignum duodecim cubitorum altitudinem explere, craſſitudine ulnarum duarum, folia plantagini non diſſimilia, corticem cum nigrum, tum ſubcinericium, flores luteos, fructus rotundos, acidos, quorum ſpecies olivæ figuram redderet, habere. Præterea morbum Gallico ſimilem, Medicos illius oræ diſcutere viridi liquo, ex quo, quod nigrum corticem gereret, palmam haberet. Nos quoniam viridi caremus, carioſum dimittentes, id eligimus, quod aquæ non innatet, propinquius radicibus. Medicis valentius compertum eſt, quod in ſuperficie ſantalorum citrinorum colorem medio nigreſcente referat: Idem croceum debilius admodum, fœminis, & pueris reſervant, cujus naturam vimque cum nemo ſatis recte deſcripſerit, ad unguem cognoſcere quis poteſt? quamvis ab uſu caliditatemque, manifeſto deprehenderimus, cum ejus decoctum bibentium guttur, & ſtomachus patiantur incendium. Superioribus etiam diebus ficcioris habitudinis homines vidi morbo Gallico laborantes, ligni potatione cum ethicam febriculam, tum tabem incurriſſe. Reſinæ præterea guimmi non abſimile ab eo in igne projecto, flammis obnoxium, emanare videtur, necnon decoctio prima ejus pinguis, & craſſa, colorem lactis referens, magnum corpori nutrimentum præſtat. Unde bibentes, quamvis inedia torqueantur, rarius fame vexantur. Poſtremo per evaporationem ab eo non modicum manat oleum. Cum ſit igitur omnibus perſuaſum, reſinas omnes, oleumque fundentes arbores caliditatis, & ficcitatis eſſe non expertes, idem de hac arbore poſſumus aſſignare. At hoc (utcumque ſit) non laboro modo, nam à proprietate (ut aſſeruimus) in ejuſmodi morbo videtur agere. Novi enim medicum quendam, dicentem ægrotos potius medicinæ mediæ, quam ligno ſanitatem receptam referre debere. Qui tamen fruſtratus eſt, cum quercus decoctionem eadem inedia nullo ſucceſſu cuidam dediſſet. *Franciſcus.* Diebus iſtis, ſicut jam prius, non videtur hujuſmodi lignum male habentibus conferre, nam plerique ejus decoctum aſſumentes, non ſanantur. *Andre.* Evenit hoc exhibentium incuria, nam fere omnes, ut male affecti inediam arduam abhorrentes decocto hoc perfruantur, quotidie carnes, citra canones eis exhibent. Perverſo igitur ordine ruunt omnia. *Franc.* Ex eo olei conficiendi rationem, quam jamdudum pollicitus es, expecto. *Andr.* Hoc igitur ligno teſſeratim conciſo, novum fictile refertum vas, operculo teſtaceo punctim pertuſo obturetur. Quod diligenter argilla circunlitum excipiat altera teſta vacua, terra defoſſa ad os uſque, ſuperiori deſuper incumbente luto conglutinata, ut per operculum flamma-

A rum vi circuncirca æſtuante, in vacuam quatuor, aut quinque horarum ſpatio defluat oleum, & poſteaquam deferbuerit, aperiens offendes obrutam refertam aquam oleo innatante, quo ſi papulas, exulcerationes, tubera, compagum, & nervorum doloribus inunxeris, juvamentum non modicum præſtabis. Aqua vero oleo ſubſidens, diluculo, veſpereque pota loco decoctionis, unciarum quatuor pondere, quatuor horis ante cibum mirum in modum confert, magis tamen ſi ſyrupus acceſſerit ejuſmodi. Recipe *rhabarb. electi unc. ſ. radicum centauris majoris drach. ij. ſpicæ. ſchœnanthi ſing. ſcrup. ſ. ligni aloës, ſantali rub. ſing. drach. j. ſ. radicum eryngii unciam, herbæ card. bened. manip. ij. ſemin. ebuli drach. iij. hellebori nigri drach. florum cordialium, ſtœchados ſing. manipul. ij. Omnia contundantur leviter & ex vini Cretici, aquarum intybi, & fumi terræ ſing. lib. iij. dies octo macerentur, poſtmodum decoquantur ad tertiam, inde prælo exprimantur, expreſſioni ſacchari, quantum ſufficiat, addatur, & fiat ſyrupus, cum quo prædictæ diſtillationis unc. iiij. ſive ligni decoctionis (de qua dicemus) unc. v. bis in die ſummo mane ſolli-*

B *cet, & inclinato jam ſole bibat affectus* ante cibum quatuor horis, quod ſi decoctionem volueris audire, paucis abſolvam. Recipe *Guajaci conciſi lib. ij. ſ. aquæ pluviæ lib. xxx. ex quibus fruſtula biduum macerentur. Quæ nova vitrea teſta cooperculo prædicta capiat ad bulliendum lento igni, ſpuma vero calida, quæ interea fit, patientis ulcera curantur, membrorum enim compagibus dolore percitis eadem utiliter adhibetur, ac etiam tuberibus, puſtulisque opem afferre videtur.) Facta deſpumatione lignum prædictum decoquas, quouſque ſuperſit tertium. Cum autem tepuerit linteolo ſpiſſiore coletur, conſerveturque, quod inde fluxerit, urnula vitrea bene obturata,* ne ſcilicet vis evaneſcat, hujus vero decocti pro ſyrupo xl. dies, diluculo quatuor horis ante prandium, nec minus inclinante jam ſole, quatuor horis ante cœnam uncias pro quinque vice tepidas bibat. *Ad hæc libræ triginta cœleſtis aquæ ligno primæ decoctionis accedant, ut ferveant eadem olla tecta cooperculo, quouſque libræ viginti tantum fiant,* & ritu primæ decoctionis in vaſe oris obducti ſervato, hanc enim poterit affectus, cum ſitiverit, ſive tepidam, ſive frigidam ſumere, quod ſuper-

C eſt, ſi primam decoctionem cum *ſyrupo rhabarbari* prædicto biberit affectus, citius valebit. At ſi vino lignum incoquere placuerit, majori cum utilitate curam efficies. Nam in pituitoſis felici ſucceſſu, ego ſæpius periculum feci. *Fran.* Quid hoc? Percepi à peritioribus Medicis ligno iſto curantibus, affectos in hac cura vinum bibentes nullo pacto ſanitatem adipiſci. *Andr.* Recte tu quidem, at non minus ego, cum decoctionem ex aqua morboſi biberint. Verum enimvero vinum decoctionis ejusmodi nullo pacto obeſſe poterit, efficitur enim ex concoctione medicina valentior, quod adhuc neminem tentaſſe puto, at ego ſæpius in frigido morbo felici ſucceſſu periculum feci. *Fran.* Sequere igitur. *Andr. Guajaci recentis lib. ij. conciſi, & electi, Rhab. elec. drach. ij. radicum centaurii majoris drachmam, folliculorum ſenæ manipulum ſchœnanthi ſcrup. ſ. contuſa hæc omnia, ex libris. xx. vini albi odoriferi, & ejus aquæ dimidio, biduum macerentur. Inde decocta colentur* non alio mehercule pacto, quam quod ſuperius eſt dictum, hoc ſine præcedenti ſyrupo uti poteris. Adhoc. Recipe *Guajaci recentis lib.*

D *j. ℈ cum ex vini albi levioris lib. xv. per diem macerabis, ita ut poſtea bulliant omnia quo uſque reſcat lib. x. tunc infundas deſuper aquæ ferventis lib. xv. quæ ſimul cum vino bulliant, quouſque libræ viginti tantum reliquæ ſint. Poſtmodum colentur,* ſerventurque in potu prandentis, cœnantiſque affecti. Hoc modo curabis, quos non ſolum victus tenuitas, ſed etiam aquæ auſteritas terret, neque abſurdum fuerit Autumni tempore conciſum lignum quindecim diebus cum uvis ad bulliendum ponere, nam nonnullos ex ejuſmodi potu ſanatos percipies. Iis etiam optime conſultum fuerit, ſi poſt decocti potionem ante prandium ſpatio unius horæ, cochlearis dimidium iſtius electuarii ſumpſerint. Recipe *Ligni prædicti ſubtiliter pulverizati unciam, ſantal. rub. ligni aloës, thymi, flor. bugloſſæ, boraginis, ocymi ana ſcr. j. pulveris diarrhodonis abbatis, Diamoſchi. d. diambræ ſing. gran. x. & cum ſyrupo de corticibus citri in pituitoſa materia, vel cum ſyrupo de*

E *cichoreo compoſito in ſanguinea, quantum ſufficiat, ex arte tum fiat electuarium.* verum ut res, quam tractamus, ad calcem tandem decurrat, de regimine ſex rerum non naturalium ſummatim dicemus. Hos igitur oportet diebus xx. bis die tantum comedere, nil aliud aſſumentes, quam panis recocti binas uncias, accedat uvæ thyminæ præterea tantundem, bibant aquam, ſive vinum decoctionis ſecundæ prædicti ligni. tranſactis hiſce diebus, panis albi bene fermentati ſine ſale clibano toſti. unc. ij. tantundemque carnis, aut aſſæ, aut elixæ pulſorum gallinaceorum, ſive aucupii ex ſylvis, & montibus petiti prandeant, cœnent vero thyminas uvas, recoctumque panem, ad trigeſimam di-

Qua

Qua transacta, duas uncias panis albi, carnesque prædictas ponderis ejusmodi, & prandere, & cœnare recte poterint. Cubiculum, quo se continet æger, per æstatem orienti sit expositum. Per hyemem tepidarium vel locus maxime clausus, ubi continue lignorum boni odoris fiat ignis. Nec inde egrediatur nisi à quadragesimo die, nocte dormiat horis sex aut ad summum septem. Diluculo primam ligni decoctionem ex aqua cum illo syrupo, sive ex vino absque syrupo bibat, statimque lecto cubans peristromate, vestibusque sudorem provocet. quem calescentibus linteolis, postea quam satis superque desudaverit, abstergat. Inde subucula, vestibusque pelliceis munitus, linteo capite obvoluto, præcedens horæ spatio prandium, surgat, tum lotis manibus, facieque mundata decoctione prima ligni, nares, & aures purget deambulans per cubiculum. cui si alvus suppressior fuerit, *balano mellis, clystereve ex prima decoctione ligni, addito sale, oleoque chamomelino, & violaceo* poteris eandem ciere; quo reddito statim prandeat. Pransus quiescat, legat, aut sudat, meridianum somnum pro virili declinans. Angorem, nec minus reliquos animi morbos, fugiens, exhilaretur. *Fran.* Recoctum panem jamdudum narrasti mihi, nec, quis sit, satis explicasti. *Andr.* Imprudens prætereram. Recipe pollinis farinæ triticeæ quantum volueris, non sine fermento congruo, quam subactam quatuor digitorum crassitudinis quoquo versum, longitudinis duarum spithamarum in pastillos formabis, decoques in clibano usque ad non completam coctionem, extrahes deinde, & postea quam deferbuerint quam acutissimo cultello poteris in tenuissimas partes secabis, quas ex aqua ros. & saccharo prius maceratas, in tabula sigillatim collocabis, furnoque iterum mandabis, ut legitime concoquantur, porro prius quam prædicti ligni decoctum sumant, pro morbo pharmacis, & syrupis superius enarratis, sunt muniendi, quin etiam si morbus expostulaverit, sanguis prius erit mittendus. Verum postea quam ad quartum decimum diem perventum fuerit, sumat pituitosus, postridie ejus diei purgationem hanc. Recipe *Agarici præparati, turbith electi, Hermodactylorum, sing. scrup. j. Gingiberis. scrup. s. Hellebori nigri, gran. v. Contusa per noctem ex aqua absinthii, melissæ & fumi terræ exprimantur, expressioni sorbeantur electuarii lenitivi drach. iiij. confect. hamech. diaphœnic. sing. drach. j. & fiat potio addita rhodomellis, unc.* Vel Recipe *Polypodii quercini. drach. iij. sem. ebuli contriti. drach. j. follicularum sennæ, epithymi, thymi, stœchados, amaraci, asari, florum salviæ sing. pugillum. fiat decoctio in qua colliquescant electuarii lenitivi drach. iiij. confectionis hamech, electuarii Indi sing. drach. j. s. agarici præparati. scrup. s. trypheræ persicæ, scrup. j. syrupi de fumo terræ, unc. s. & fiat potio.* Quam trigesimo etiam die iterum dare tibi erit expediens. Quod si Gallicus morbus adhæserit sanguini, hoc pharmaco poteris uti. Recipe *rhabarbari electi, drach. ij. s. ex aqua intybi & vino Cretico, cum nardi spica, permaneant sex horas hæc omnia superioribus liquoribus infusa, deinde facta forti expressione, Diacatholiconis addantur drach. iij. elect. ros. Mes. drach. iiij. de succo ros. drach. s. & cum decoct. florum & fructuum cordialium, fiat potus addita syrup. viol. unc.* quam hauriat cum quintadecima, tum etiam trigesima luce. Qua die purgationes æger exhauserit, carnes elixas prandeat, ejusdemque ponderis, ejusdemque qualitatis, nec minus pane vescatur, ex jure carnium prædictarum, bibat jus tantum earundem. die vero sequenti iterum redeat ad ligni potationem, de qua supra sæpius meminimus. Transacta quadragesima luce liberalius poteris hunc habere. Postridie parum è cubiculo procedat. Qua sequetur, die, domo pedem efferre poterit, statim cubiculo se tamen restituens, in sequentibus diebus, gradatim sic se habens, negotia sua brevi peraget: cum eo tamen, ne diutius cibos sanguinem adurentes, in stomacho putrescentes, pituitamque gignentes, usurpet. Sed quoniam cum his, qui ligno curantur, actum fuerit optime, si in ethicam, aut in tabem non inciderint, non esset absurdum, diebus exactis quadraginta, restaurandarum virium gratia per mensem quotidie duabus horis ante prandium cochlearis dimidium illius electuarii assumere. Recipe *Nucis Indicæ recentis unc. vj. Nucleorum pineorum præparatorum, Amygdalarum dulcium, pistachiorum, sing. unc. j. seminis peponis mundati. unc. v. sem. papaveris albi unc. j. s. uvæ thymina ex aqua violacea. unc. ij. penidiorum, sacchari viol. nenupharini sing. unc. iij. hæc omnia terantur optime lapideo mortario, & ex syrupo violaceo compositio fiat electuarium*, at nonnunquam fit, ut non ita exacte curentur, ergo catapotium tale poterunt tribus, vel quatuor mensibus post assumptionem ligni semel in hebdomada duabus horis ante crepusculum drach. j. pondere sumere. Recipe *myrobalanorum omnium trochisc. colocynthidis, mastichis, diagrydii, hermodactylorum, turbith, agarici præparati sing. drach. j. origan. cyanni sing. drach. s. rhabarbari drach. j. s. spicæ nardi, gingiberis sing. scrup. j. salis gemmæ scrup. s. hellebori nigri scrup. ij. polypodii quercini aruch. j. seminis ebuli sing. drach. ij. pulveris hieræ simpl. diamoschi dulcis, singularum scrup. ij. aloes elotæ unc. ij. theriacæ drach. ij. Contusis contundendis, cum syrupo de fumo terræ fiat catapotiorum trochiscus.* Verum, ut mea consilia tibi credam omnia, si etiam per aliquot menses electuarium cum pulvere ligni confectum quotidie, vel alternatim affecti assumerent, ab omni derelicta malignitate liberarentur.

Reliquum est (cognita ingenii tui mira facundia, cognitoque amore, ac fidelitate quibus me semper prosecutus es) ut ea, quæ alicui nunquam dicere volui, tibi condonare non detrimam. Morbum igitur Gallicum sanguineum, cholericumque recenter contractum, poteris hac aqua Philosophica discutere. Recipe *Aloës hepaticæ lotæ ex succo intybi lib. j. Rhabarbari electi, radicum centaurii majoris (rhapunticum vulgus appellat) singul. unc. ij. semin. quatuor communium frig. maj. excorticatorum sing. unc. iiij. capillorum veneris recentis manip. iij. uvæ thymina unc. vj. pulpæ sebestен, cassiæ extractæ sing. unc. vij. pulveris trium santalorum, aromatici rosati sing. unc. j. succi rosarum puri, intybi, cichoreæ, fumi terræ, lupulorum, scabiosæ, sing. unc. vj. liquoris malorum punicorum, berberorum sing. libram unam, succi boraginis uncias octo, syrup. de cichoreo compositi, de buglossa, de fumo terræ sing. libræ pondo: contundenda contundantur, & in vase sublimationis vitreo, conflato è succis, vino, & liquoribus prædictis, dies octo macerentur, porro per balneum ferventis aquæ, cui arenæ quantitas sit commixta, sublimetur aqua.* Verum vas ipsum operculo rostrato sit tectum, cui phialam vitream diligenter, ne quid ex commissuris exspiret, copulabis, accedente ex ligni, seu potius carbonibus igne, ex quo cum clara tota defluxerit aqua, & rubentior apparebit, Phialam removens, huic simílem vacuam statue, quod fluxerit totum serva, nam sanguineo, biliosoque recenti malo plurimum liquores ejusmodi prosunt. At in morbum pituitosum, melancholicumque, quo valentius est nihil, accipe *Agarici præparati unc. iiij. aloës elotæ ex succo fumi terræ unc. ix. catapotii de aromatibus unc. iiij. myrobalanorum omnium, singul. unc. j. sennæ, epithymi, melissæ recentis, florum cordialium sing. unc. iij. hermodactylorum, turbith sing. unc. iiij. ivæ arthriticæ, baccharis, stœchados, chamædryos, salviæ, primulæ veris, origani, satureiæ sing. man. iiij. radicum centaurii majoris, Rhabarbari sing. unc. j. rad. hellebori nigri recentis unc. vj. gingiberis, nucis myristicæ, caryophyllorum, cinnamomi, cubebæ, carpobalsami, calami aromatici, croci sing. drach. j. succi rad. ebuli, succi radicum enulæ, succi arthanitæ, succi absinthii, succi eupatorii, succi bugloss æ, succi fumi terræ, succi melissæ, aceti squillitici singul. de unx, vini Cretici libras x. theriacæ optimæ libras. ij. pulpæ sebestен libræ pondo, contundenda contundantur, & cum succis, & liquoribus in vase vitreo magno, commisceantur, & sic dies octo permaneant, inde sublimentur sicut superius diximus.* Quod si efficacius quiddam in atram bilem desideraveris, tres, aut quatuor angues, longos, nigros, excoriatos, exenteratosque, tum multo sale, temporis aliquo spatio, tum aceto perfricatos, ut una colliquescant, addere poteris. Nam hoc non solum morbo Gallico, sed lepræ, multisque aliis ægritudinibus, quas nunc prætermittendas diximus, maxime confert. *Fran.* Aveo scire, quonam pacto sublimatio talis sit ægrotantibus exhibenda. *Andr.* Cum recte cognoveris aliquem morbo Gallico calidiori confectum, sex rebus non naturalibus observatis, ut diximus, factaque prius phlebotomia, si necesse fuerit, non minorem huic inediam imperabimus, quam iis, quos illinimus. Post hæc æstate potest hand assumens per domum deambulare. Bruma vero urgente cubiculo se continere: nec interdico quo minus pila unius horæ spatio ante cibum, loco clauso se exerceat, sumat singula quaque die luce apparente sanguineus, sive biliosus *syrupi rosati, de succo citri sing. unc. s. olei de sulphure gran. x. quibus addantur primæ sublimationis limpidæ unc. ij. semis, rubentis vero drach. iij.* Quod egelidum bibat decem diebus. Inde unoquoque die provocet sudorem. At si cognoveris humores non evocari potione hac decimo die. Recipe *elect. lenitivi drach. iiij. rosacei Mes. diaphœn. sing. drach. ij. & ex rhabarbari drachmæ infusione pauxilloque syrupo de succo citri, fiat potio.* Postridie vero rursus ad syrupos redeat, ad alios decem dies, quæ omnia si nihil eduxerint, voret æger diluculo *rhabarbari drachmam, addita thymina uva*, dehinc sublimationem prædictam bibat, extendatque syruporum hausum in trigesimum diem, ex quo denuo solutiva potione purgetur. Si vero sublimationi parere humores videbuntur (quod in multis sæpe deprehendi) alterum purgationis genus supervacaneum fuerit. Idem præstare poteris in trigida quaque materia: si prædictam aliam sublimationem cum *syrup. de fumo terræ & de stœchade* non omisso tamen

sul-

*ſulphuris oleo* propinabis. Si autem res poſtulaverit, decimo quoque die peculiaribus pharmacis evacuentur ab humoribus affecti. *Fran.* Quid, ſi ante trigeſimum diem ſanatus fuerit, debet ne potionem ad ſtatutam diem extendere? *Andr.* Neutiquam; quippe quoſdam decimo potu curavi: ſed corruptiores ad eam diem poſſunt accedere, corruptiores autem dico, qui longiori tempore hoc morbo fuerunt affecti.

*Andreas.*

Quoniam nunc de purgationibus his, quæ tum inedia, tum etiam potionibus fiunt, ſatis diximus. Reliquum eſt, ut de chirurgia agamus. Manus etenim operam ab antiquis maxime cultam, Homeri, Corneliique Celſi teſtimonio comprobatur, ſine qua Gallicoſi perpauci poſſunt ſaneſcere. Nam corporis abſceſſus ab hoc morbo, qui verendorum, inguinumque partes infeſtant, duabus de cauſis minime ſunt repellendi, nam inguen jocinoris, & ſplenis emiſſarium recte dicemus: Apoſtemata ergo inibi tumentia repercutere quin poſſumus? Quum Avicenna *quarta primi* ſic aſſerat, Si vero membrum apoſtemoſum membri principalis emunctorium fuerit, ſicut loca glandoloſa in collo, quæ ſunt emunctoria cerebri, aut axillæ, quæ ſunt cordis, aut inguina, quæ ſunt hepatis, nullo modo erit applicandum aliquod quod refrenet. accedit materiæ malignitas, quam (ſi noſtratibus credimus) cataplaſmatibus cohibere minime conari debemus. *Fran.* Quid igitur erit præſtandum? *Andre.* Pro virili laborandum, ut malagmatibus matureſcentia, ſecanti ferro, ac etiam aliquando actuali cauterio aperiamus, feci totius corporis tanquam feneſtram patefacientes, quod ſi prædictum malagma quæris eſt ejuſmodi. Recipe *foliorum malvæ, brancæ urſinæ, violarum ſing. manipulum, radicum bryoniæ recentis. unc. ij. bulbos liliorum binos. Hæc aqua recte coquantur & terantur incernanturque, quibus accedant adipis porci. unc. ij. butyri recentis. unc. ſ. olei de lilio, hyperſonis, viol. ſing. unc. j. fœnigræci. unc. vj. & ex jure herbarum radicumque prædictarum ſubactum cataplaſma calidum applicetur:* quod cum in calidis, tum etiam in frigidis corporis abſceſſibus valere conjecimus. at ſi materia ſclerotica eſſe videbitur, ejuſmodi alterum conficies. Recipe *radicum altheæ, unc ij. radicum bryoniæ recentium, unc. i. ſ. bulbos liliorum tres, chelidoniæ. man. ſ. ficuum ſiccarum, unc. ij. bulliant hæc omnia in aqua q ſufficiat, poſtmodum conterantur & incernantur. Indantur deinde axungiæ porcinæ, olei de lilio, butyri recentis, ſing. unc. ij. frumenti tritici, vel ſiliginei, unc. iij. allis decocti ſub prunis unc. j. ſ. farinæ frumenti, fœni græci, ſeminis lini ſing. unc. iij. ammoniaci diſſoluti in aceto, unc. iij. & conficiatur emplaſtrum*, nec expectandum quo uſque cutis ſummæ per ſe deducatur, tanta etenim eſt morbi malitia, ut affectum locum in carcinoma plerunque ſua malignitate præcipitet. ſatius igitur fuerit ſcalpello jam nigreſcens aperire, quod præparabimus facta inciſione prima die albumine ovi, ac pulveribus conducibilibus, inde per tres vel quatuor dies digeſtivo de terebinthina, & ovorum vitellis, Inde hoc utemur mundificativo. Recipe *terebinthinæ claræ ex aqua fumi terræ, unc. iv. vitellos ovi binos, mellis roſacei, ſyrupi de ſumo terræ ſing. unc. ij. farinæ orobi, unc. iij. Thuris, maſtichis, aloës hepaticæ, ſing. drach. ij. rad. peucedan: drach. j. & fiat mundificativum*, ſi volueris virium majorum mundificationem, accedat *unguentum apoſtolicum*, vel ſi adhuc maximam, *Ægyptium*, attamen hoc unum ſcias, *præcipitatum Mercurium* cum æquali pondere *aluminis exuſti* commiſtum mirifice mundificare. *Fran.* Quid? ad cicatricem obducendam valebit idem? *And.* Non, ſed *triapharmacum ceratum* opem præſtabit, vel hoc, quo valentius nihil eſt, adminiſtrabis. Recipe *roſarum, myrtillorum, balauſtiarum, caudæ equinæ, ſem. plantaginis, ſiag. manip. j. myrobalanorum citrinorum, conorum cypreſſi ſing. unc. mediam, acaciæ, hypociſtidos, ſing. drach. iij Hæc omnia prius contuſa tribus diebus macerentur in aceto fortiſſimo, poſtmodum in eo bulliant quouſque medietas evaneſcat, tunc quidem prælo exprimantur, expreſſum deinde cum oleis roſaceo & myrtino copulabis, lithargyrio minioque additis, ceratum ad ignem conficies, addita tutiæ ſemuncia. Fran.* Plerunque fieri ſolet, ut à morbo Gallico exulcerationes ſordidæ corrodentes ſpongioſæque oſſa corrumpant. his igitur quibus remediis obviam eundum fuerit, explana mihi. *Andr.* Bifariam procedit hæc curatio, nam, ſi ligno ab Indis petito curare fuerit conſilium, pluribus diebus præcipitato pulvere, munificanda ſunt ulcera. Nam quamvis ipſius potione materia peccans evertatur, tanta eſt tamen materiæ ulceribus conjunctæ malignitas, ut niſi quis optimus operarius acceſſerit, vix poſſint ad cicatricem deduci. at ſi per unctionem, ſuffitumve procedis, ea tamen prius, quæ oſſa penetraverint, curare oportet ulcera: corroſiva enim, cavernoſa, quæque his ſimilia, ad oſſa non accedentia, unguento, ſuffituve delentur; ſed os corruptum omnino abradatur, cauterioque inuratur juxta illud Avicen. iiij. *quarti cap. de corruptione oſſis* ſic dicentis, *neceſſe eſt fricare ipſum, & radere, aut cauterizare, perveniendo ad ultimum corruptionis ejus, ut cadant cortices corrupti, & remaneat ſanum.* Itaque cum certiſſimis argumentis oſſis vitium deprehenderis, aut inciſione, & cauterio poteris operari, aut cauterio tantum, ſane in obducti oris ulcere, ſpongioſo, corruptiorique, novacula penetrandum erit uſque ad os incidendo carnem affectam, quæ diligenter utrinque poſtea diducta, linimentis ex albo ovorum, & pulveribus obducentibus cicatricem per vim infarciatur; inde fiet, ut poſtridie ejus dici ſubjiciatur os totum noſtris oculis vitiatum, quod cum videris, bene ſecanti ferro putredinem carioſam diduces, & ſanum, à vitiato ſepares. Inde candenti ferro, carne madidis ſtuppis præmunita os uſtulabis, ſi vero latius patebit ulcus, carnem prius incidere fuerit inconveniens, nam, cute deficiente, non poterit niſi fruſtulatim (idque difficulter) ab oſſe diduci, non ſine maximo ſanguinis fluxu. Sat erit igitur candenti ferro, quod minima fiet ſanguinis miſſione, carnem ad os uſque vitiatam comburere, tunc enim ex linamentis ejuſmodi medicamentum curabit, quod combuſtum fuerit. Recipe *vernicis liquidæ drach. iij. ex aqua ſolani, ſive plantaginis, vitellos ovi tres, butyri recentis. unc. ij. olei roſacei omphacini, violati, nenupharini ſing. drach. ij. Miſce ſimul omnia hæc, & fiat unguentum*, quod locis uſtulatis mirum in modum confert. At ulceris circunſtantes particulas triapharmaco ex oleo acetoque roſaceo, ac lithargyrio in mortario plumbeo ſubacto; ad reſtringendam cauterii vim illinies, quam operationem ſi quis reformidaverit, poteris quorundam ſententia per euphorbii pulverem eodem pervenire, ſed mihi quidem non fit verilimile ut in profundo ulcere valeat is, aut ejuſmodi quippiam præter cauterium. Quod curans D. Angelum Illuſtriſſ. Reverendiſſimique Cardinalis Tridentini ærarii Fiſcalem, deprehendi, qui quamvis hoc morbo minime teneretur, ex calce tamen equi plurimo temporis ſpatio contracto & inveterato ulcere laborabat ſiniſtro crure. Multa medicorum manus ſatis honeſto conducta ſtipendio ex circumvicinis civitatibus ad eum fruſtra conſluebat, quo factum fuit, ut is ſalutem pene deſperans, mihi ſe curandum tandem tradiderit. Poſtridie ejus dici, quoniam ulcus ejuſmodi à cute, & carne fere exſpoliatum erat, quinque mediis aſtantibus, vitioſam carnem cum oſſe corrupto cauterio concremavimus, difficile dictu eſt inter curandum quanta fuerit viri conſtantia conjuncta prudentiæ. Enimvero (quod dictum citra invidiam fuerit) C. Mario præſtantiſſimo viro æquavimus non ſolum Angelum, verum etiam merito prætulimus. Quippe qui non ſolum teneri ſe noluerit, ſed crus immotum nullo doloris argumento præbuerit. Sed ut ad rem redeamus, patuit quamobrem remediis cæterorum nunquam ceſſarat malum, ad medullam namque pervenerat vis morbi, circumvicina quæque corrumpens, quod tamen omne, quidquid erat in eo noxii, Deo dante, duorum menſium ſpatio curavimus. *Fran.* Hujus ſane curæ argumento innixus tantum mihi polliceor brevi fore, ut noſtrates non ſolum, verumetiam præſtantiſſimos quoſque Medicos antecellas *Andr.* Agnoſco miram animi tui in me inductionem, qua fit, ut noſtra tibi majora videantur, quibus (ingenue dicam) laudari à laudato viro, virtuteſque, quas ne agnoſcam quidem, mihi tribui facile patiar. *Fran.* Sæpius fauces palatumque vidimus affectorum malignis ulceribus, ſerpentibus, exeſisque teneri, quæ quo pacto ſint oppugnanda vellem libentius abs te audire. *Andr.* Fiat, ut vis. Recipe *Igitur aquæ, cujus virtute Aurum ab argento dividitur, unc. ij. roſaceæque, & hyoſciami, ſing. drach. iij. Inde miſceas: aut* Recipe *aquæ Japonis unc. ij. vitrioli romani drach. iiij. ſalis armoniaci drach. j. vitriolum, & ſal diluantur optime & fiat aqua. Fran.* Qui fieri poteſt ut aquæ, quas dixiſti, partes ulceribus circunſtantes non lædant? *Andr.* Styli lignei ſummitatem tomento circumligabis, qua madefacta ex aquis ſuperius enarratis illinies ulcera, quæ cum cœperint mundari, os affecti ſibi colluant, ex aquis conſolidantibus, quas ſuperius tibi pluribus explicavimus: Quinetiam putiulis verrucoſis ejusdem morbi plurimum confert, nam decidunt ſtatim reſolvunturque. *Franc.* Solent plerunque duriſſimæ ſtantes glandulæ ægrotos male habere, cuibus quid apponendum ſit, ſcire deſidero. *And.* Imprimis illud ſcias, iſtorum tuberum duas eſſe ſpecies, quarum altera carni adhæreſcens *diachylone magno cum gummi*, aliiſque diſcutientibus emplaſtris cum per reſolutionem, tum quidem per ſuppurationem curatur nonnunquam. Altera procedens ab oſſe, difficillime ſaneſcit, niſi cauterium adhibueris, quam curationem cum plerique averſentur, cauterium potentiale adhibeas, quo quatuor horarum, aut quinque ſpatio dolore modico urgente macerabitur, ac

deſtructur caro. Recipe *Igitur aquæ primæ, qua ſit ſæpe, libr. iij. vitrioli romani, nitri, ſalis armoniaci ſing. unciam. Quæ diligenter una diſſoluta, ex teſta decoquantur ad ſordium craſſitudinem, tunc adde opii thebaici unc. ß. deinde torreantur igne tandiu, ut lapideſcant, effracta aula, lapillos adhærentes obturato vaſe vitreo conſervato*, quippe noxius eſt aër adventitius, quo ſtatim in aquam convertuntur. *Fran.* Apicem tuorum in me immortalium meritorum hoc addidiſti, quo fit, ut nihil aliud abs te nunc expetam, niſi, ut ſæpius ad te accedam, quo tempore omnes circa morbos ex viridario tuo fructus colligere poſſim. *Andr.* Libentiſſime quidem, ut prius cognovero auditorem attentum te præſtitiſſe mihi. At nunc reliquum eſt tantum, ut curandi corporis neceſſitate, ad cœnaculum accedamus.

FINIS.

# ULRICHI DE HUTTEN, *Equitis Germani*,

DE

# MORBI GALLICI,

## CURATIONE

Per adminiſtrationem LIGNI GUAJACI,

LIBER UNUS.

*Ad Reverendiſſ. in Chriſto Patrem Illuſtriſſimum Principem, ac Dominum*

# D. ALBERTUM.

S. Romanæ Eccleſiæ Tituli Sancti Chryſogoni Presbyterum Cardinalem, Moguntin. & Magdeburgen. Archiepiſcopum, Principem Electorem, Primatem per Germaniam, Sacri Romani Imperii Archicancellarium, Haberſtadienſis Eccleſiæ Adminiſtratorem, Marchionem Brandenburgenſem, Stetinen. Pomeraniæ Ducem, Sclavorum, Caſſubiorumque Rhugiæ, Principem, D. ſuum colendiſſimum, in librum ſuum de Guajaci medicina & Morbo Gallico,

## ULRICHI DE HUTTEN, Equit.

### PRÆFATIO.

*Hoc novo ineunte anno, nequid à more in tantum paſſim antiquato, ut legis jam loco ſit, diſceſſiſſe videar, ecce Saturnalitium tibi munus,* ALBERTE *Cardinalis, ac Princeps omnium optime, non tale quidem, iſti qualia mittunt circa divitiarum oſtentationem ambitioſi homines, ſed quale ipſum me dare poſſe & intelligis & gratum habes, Libellum de magnifica Guajaci ac virtute, quem compoſui, non tam ut ejus medicinæ, cujus ope ex morbo omnium peſſimo convalui, teſtatum meis literis præconium eſſet, quam ut tibi, ſic de me, ſic de optimo quoque merito, gratificarer. Jam tu ſoles enim (ut cum bono Poëta dicam.)*

Meas eſſe aliquid putare nugas.

*Atque ita me habes, ut non ſolum tua dignum Aula, quod præter vulgarem principum ſententiam, ſatis ſuperque fuerat, exiſtimes, ſed meum etiam qualecunque id eſt obſequium, veluti rem tibi honorificam, verbis glorioſe jactes. Tantumque abeſt, meam tibi præſentiam gravem videri, ut tibi pulchri etiam aliquid acceſſiſſe, quod domeſticum Huttenum habeas arbitreris. Novi quos apud viros, qua me prædicatione extuleris, ſummo per Chriſtum bonitatis tuæ argumento, ex qua vel una re intelligere licet, quanta fortunam hanc humanitate temperes, & tuum conſilium quam non ſit vanum, quo decreviſti, ut iſtos armatos juxta te ſtipatores habere, ita hominibus literatura præditis cinctus & inſtructus, hinc auream Moguntiam, invictos iſtinc Saxones gubernare, nec te adhuc perdidiſſe quod in me contuleris aliquid exiſtimas. Verum jam adhuc exporrectam adverſum me utramque manum habes, cum ego ſentiam majora tua eſſe beneficia, quam ut ullum meum poſſit hæc demereri obſequium. Ob idque petere abs te aliquid vix auſim, quum tu ea prius dederis, quæ rogare verecundia erat, adeo in me liberaliter, benefice adeo effundi ſoles, non Cardinalis primum aut Archiepiſcopus, ſed olim etiam his hauddum poteſtatibus prædictus. Hinc ego non exultem? hinc me non fortunatum judicem? Aut cum ille dixerit.* Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt.

*Ego non eximiam meam felicitatem agnoſcam? quod tibi non Principi modo, ſed ſummo etiam, non Epiſcopo tantum, ſed & Archiepiſcopo, id eſt epiſcoporum Principi, & Cardinali, ideſt è paucis in quibus tanquam neceſſariis quibuſdam cardinibus Romana vertitur Eccleſia, uni, ſic placeam, ut me placere intelligant multi? Quod faxit DEUS OPT. MAX. ut nobis perpetuum ſit, quo videant homines, nec ineptum fuiſſe hoc tuum judicium, nec me indignum quem tu ſic complecteris, ut iſtis ilia rumpantur indocte doctis, qui nos, qui literas, non tam publico ſtudiorum incommodo, quam fædo Principum Germanorum dedecore, tot jam annos impune perſequuntur, quando tibi aures, tibi oculos eſſe videbunt, quam extremum periclitari barbariem, ſe, ut ignavum pecus, prædatores fucos, ideſt non inutiliter tantum ſtudioſos, ſed ſtudiorum adhuc perniciem à melliferarum apium alveariibus, ideſt à fructuoſiſſimarum diſciplinarum cultu, & fortiter arceri, & longum exulare cognoſcent. Poſſumus enim non optime proſpectum nobis dicere, cum tu tantus patronus, tam benigne nobis arridcas? cujus rei primum Germaniæ documentum ex me prodiit, quem tu in familiaritatem & in ſinum adeo tuum cum acciperes primum, obſcure ſentiebas, quæ doctorum hominum expectatio, quæ opinio, quod judicium eſſet? & non tacite muſſitabas tecum ipſe Virgilianum illud?*

Feret

Feret hæc aliquam tibi fama ſalutem,

*Sic eſt profecto, fuitque non minus jucundum tibi, quod videres haud indigno loco poſitum tuum beneficium, quam mihi plauſibile quod ex illa communi ſtudiorum jactatione, tuum & ſalutarem inveniſſem ſtio meo portum. Atque inter cætera, quæ familiari ſæpe vultu confers mecum, bene ſperare nos jubes, hoc promittens quantum in te ſit, munitam hanc nobis ad id quo tendimus viam eſſe, qua tua gratia fretus, auſus jam ut inſultare barbaris, ita ad res pulcherrimas excitare æquales, & quoties aliqua incumbit perſecutio, ad te, veluti ad commune quoddam bonorum aſylum, voco ex bonis aliquem, hoc magni iterum Poëtæ ingeminans.*

Huc tandem concede, hæc ara tuebitur omnes,

*Tanto, quod videmus, fructu, ut jam multos hinc erexerim, quoſdam illinc impatientiſſimo ſuo fremitu abjecerim ac depreſſerim. En te unum igitur omnino, aut certe ex pauciſſimis unum, cui ego oculos, cui intellectum eſſe dicam. Quod de te ſcribere, quia neque pro tempore eſt, atque is eſt tuus candor, ut quamlibet etiam laudem immodicam exiſtimes, facile ad præſens ſuperſedeo, quod caput eſt inculcans tibi, hoc munuſculum gratanter ut accipias, quod etſi exiguum eſt, tanti à me fit tamen, ut magnum quid perdidiſſe me, ſi de vulgo amicorum dedicem id alicui, arbitrer. Nam cum rem ibi tractem meo judicio permagnam, non niſi magni illam viri auſpiciis egredi volebam. An non præclarum exiſtimare licet, quicquid id eſt, quod non mihi tantum, ſed aliquot præterea millibus, ex ſumma deſperatione manifeſtam peperit ſalutem? Niſi ita colendus eſt animus, ut corporis adminiculum pro neglecto penitus habeatur. At ille Apollinis oraculo ſapiens judicatus Socrates, inter pauca bonam corporis habitudinem in voto habuit. Pyrrhus clariſſimus Epirotarum Rex, idem à diis precatus legitur, & communi omnium conſenſu ſapienter orare creduntur qui orant.*

Ut ſit mens ſana in corpore ſano.

*Proinde hunc maxime campum mihi delegi hoc tempore, in quo hæc, qualis qualis eſt, vena procurrat, ſi non ut debet, ſaltem ut poteſt, cum illius te præmoneam, vulgo triti.*

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

*Si quo impetu quæras, hac dico ratione, ut cum atrocis jam pridem inimici, crudelis Tyranni, immane facinus, deteſtabilem injuriam, iniquiſſimum factum, ſtylo illuſtraverim idque miſerrimo meo tempore, nefas eſſe putem, hoc committere, ut divinum hoc beneficium, hoc cœlo delapſum auxilium, jam reſtitutus mihi, famque valens ac vegetus, quacunque poſſim ingenii ope, ab oblivionis injuria non vendicem. Ubi quid refert ſæpe declamatum à me prius dicere, quantam ego pecuniam curando hoc morbo elocaverim? Quas torturas, quæ ſupplicia ſub Chirurgicis exhauſerim? quas cruces tulerim? Quantum mihi virium ex medicorum inſcitia deperierit, cum tuo hæc gemitu teſtatus jam ſæpe & apud multos ſis. Non igitur immenſum hoc mihi exiſtimandum eſt, potuiſſe reſtitui ex morbo, in quo non ſolum dolores paſſus ſum acerbiores, quam ut in his vivendum fuerit, ſed fœditate etiam tanta fui, ut omnium prope rerum ipſum me ægerrime tulerim? Age autem, quod fuit vitæ ibi periculum? Quam putabant homines actum de Hutteno? Tu vero quam non fruſtra dicebas te, ſi commodius valerem, uti mea poſſe opera? quod effectum cum ſit, & depulſa omni invaletudine, vires ita receperim, ut de novo factus ac renatus homo videar, non applaudam ipſe mihi, in ejus rei commemoratione, quæ hanc ſalutem præſtitit? Non jucundum hoc mihi opuſculum erit, qui fa io, & non chariſſimus, cui illud dono? Ubi quidem unum hoc hæſitabam, ut acciperent homines hanc deſcriptionem. Verebar enim ne eſſent quibus monſtra nuntiare viderer, & cum ea ſit hæc medicina, ut multorum eam fides reſpuat, medicorum placita non agnoſcant, metuebam poſſe fieri ut non fabulam putarent aliqui effingi hanc à me, aut dum rem incognitam tracto, hoc credant, in reſtitutæ mihi valetudinis jactationem effuſius progredi. Neque ita curioſe quenquam hæc tractaturum puto, ut neget in Guajaci deſcriptione librum à me fieri oportuiſſe, cum* Braſſicæ volumen *dicaverit Chryſippus, eamque immenſo plus, ut inquit Plinius, laudaverit M. Cato, &* de Raphano librum *ſcripſerit Marchion Græcus,* de Scylla *Pythagoras. Quod ſi pro Diis olim coluerunt Allium & Cepas Ægyptii, ego non adorem Guajacum? Profecto indignum nihil facio, immoderatum nihil, ubi facere apud te judicem poſſum illum mirabiliter probum, & quo alius ſincertor fieri non poteſt, Henrichum Stromerum, eum enim patior libelli hujus Ariſtarchum abs te conſtitui, non tamquia, mihi conſentientibus per omnia ſenſibus, virum eſſe ſcio, quam tui charitate, qua mirifice flagrat, & quia hoc in viro ut integritas eſt eximia, ita judicium eminet ſupra vulgarem Medicorum ſortem. Quibus etiam virtutibus, in intimis eſſe tibi meruit, novo iterum humanitatis tuæ documento, magna virtutis opinione. Quid reſtat igitur, niſi ut ob hæc officia, hanc pietatem, ſanctiſſimorum virorum Calendario, immortalium Heroum albo inſeramus te? Sed jam ad meum munuſculum revertar, hunc librum, quo perſcribendo, ita ſcias me tractare ſtudium Medicinæ, non ut diſcipulum Medicorum agnoſcas, ſed ut exploratorem in his literis verſatum ſuſpicari poſſis. Quod cujuſmodi ſit ut intelligas, amabo te Optime Princeps ab iſtis pauliſper magnis diverſus curis, huc animum adverte.*

## CAP. I.

### *De morbi Gallici ortu & nomine.*

Viſum Deo eſt, & noſtra ætate morbos oriri majoribus, ut exiſtimare licet, incognitos, Annus fuit à Chriſto nato poſt milleſimum & quadringenteſimum nonageſimustertius aut circa, cum irreptit peſtiferum malum, non in Gallia quidem, ſed apud Neapolim primum, nomen vero inde ſortitum eſt, quod in Gallorum exercitu, qui illic Caroli Regis ſui auſpiciis belligerabat, apparuit prius quam uſquam alibi. Qua occaſione Galli ominoſam ab ſe appellationem amolientes non Gallicum hunc, ſed morbum Neapolitanum vocant, & contumeliam agnoſcunt cognominem ſibi peſtem fieri. Pervicit tamen gentium conſenſus, & nos hoc opuſculo Gallicum dicemus, non invidia quidem gentis clariſſimæ, & qua vix alia ſit hoc tempore civilior aut hoſpitalior, ſed veriti ne non ſatis intelligant omnes, ſi quolibet alio nomine rem ſignemus. Mira cum ſtatim ſuperſtitio excepit, quibuſdam divi nescio cujus à nomine Mevium vocantibus. Aliis ab Jobi ſcabie originem ejus repetentibus, quem credo in Divos retulit hæc lues. Haud alio creditus tunc eſt languiſſe morbo Evagrius olim Monachus cum per deſerta frigus immoderate ferens, & cruda manducans, papulis afficeretur. Itaque petitus & ipſe maximis itineribus, magno ad ſacellum ejus quod in Veiterichis eſt, facto hominum concurſu, offerentium munera affatim. Idque ignoto ejus adhuc in vulgo per Germaniam nomine, Fiacrium enim dicebant pro Evagrio. Neque ut viviſſet quærebant, poſſe tantum juvare credebant. Tales fuerunt hoc in terrore, ſic ortæ hominum opiniones. Suſpenſa & ad Rochum ſigna, ac omnium ab antiquo refricata ulcera. Si ſtudio pietatis, non improbo, ſin ut aliquid expiſcarentur, qui qui fuerunt, commentores, miror tanta in publica conſternatione, in tam miſerabili humani generis calamitate, communi dolore, fraudi locum fuiſſe. Ibi tum Dei iram interpretari ſunt Theologi, quem hanc malorum à nobis morum pœnam exigere, hoc ſupplicium ſumere, ac ſi in ſupernum illud concilium admiſſi aliquando didiciſſent, publice docuerunt, quaſi nunquam pejus vixerint homines, aut non aureo illo Auguſti & Tiberii ſæculo, quo Chriſtum quoque verſari in terris contigit, peſſimi etiam morbi cœperint.

rint. Vel hanc vim natura non habeat, ut novos ſubinde morbos invehat, maximam interdum in rebus etiam aliis mutationem adferat. Aut vero noſtra ſtatim tempeſtate, atque hoc biennio demum, quia morati optime homines ſint, ægritudini remedium inveniatur Guajacum. Adeo inter ſe pugnant, quæ illi, mentes, ut ſibi videtur, Deorum exponentes, nobis concionantur, factum deinde Medicis negotium, non quid tolleret morbum, ſed quid faciat inquirentibus. Fugiebant ejus porro aſpectum, nedum contactu abſtinebant, ut morbi præterea nullius. Quippe tanta fuit cum primum oriretur, fœditate, ut qui nunc graſſatur vix illius generis eſſe putetur. Ulcera in quernæ glandis ſpeciem & magnitudinem, aſpera, exporrecta, ſpurcus ab his profluens humor, fœtor vero tantus exhalans, ut cujus nares contigiſſet odor ille, infici mox crederetur, color puſtulis ex nigro virescens, ipſo aſpectu magis ægros quam dolore cruciabant. Quanquam cruciabant etiam ſi qua inflammari contigiſſet. Invaſit non multo poſt ortum in Germaniam, ubi latiſſime, quantum alibi nuſquam, divagatus eſt. Quod ego intemperantiæ noſtræ tribuo. Qui tunc aſtra conſulebant, ſeptem non amplius annos graſſaturum hoc malum prædicebant, ſi de morbo & ejus in univerſum appendicibus, falſi. Sin de fœciſſimo illo, & qui ſponte non tantum ex contagio, ſed aut cœli vitio, aut ordine fati proveniebat, veri. Neque enim ſeptimum multo annum ſupra ejus impetus fuit. Qui ſecutus eſt, & nunc paſſim vagatur, ut fœditate tolerabilior, quippe ulcuſculis interdum, haud multum eminentibus, & præduris, interdum lata quædam ac ſerpens ſcabies, arenti ſquamma carnem obducens perniciosior, ut qui altius penetrante veneno complures ſecum morbos trahat. Hunc nulli hoc tempore adnaſci, niſi contagio qui ſe polluerit, credibile eſt, quod in concubitu maxime ſolet evenire. Unde pueros rarius & ſenes, aut alios qui coitus ſunt expertes, occupat. Facilius quanto quis ſalacior, & in Venerem promptior. Jam quos corripuit, ut quiſque vivit, ita eum aut cito deſerit, aut diu tenet, aut in totum conſumit. Omnibus in Italia & Hiſpania, ac ſicubi præterea ſobrii ſunt homines, mitior, nobis propter crapulam & victus intemperantiam, ut diutius inhæret, ita comprehenſos infeſtiſſime torquet, acerbiſſime adfligit.

## CAP. II.

### *De cauſis Morbi hujus.*

Latentium ejus cauſarum nondum definita à medicis quæſtio eſt, at miſere diu jam agitata, & ſumma diſcordia converſata. In hoc convenere omnes, quod intelligere promptum eſt, quodam inſalubri aëris, qui eo tempore fuerit, adflatu, corruptos lacus, fontes, fluvios, ac ipſa etiam maria. Inde terram contraxiſſe venenum, infecta paſcua, venenatum demiſſum ab aëre vaporem inde hauſiſſe ſpiritum animalia. Repertus eſt enim in quibuſdam aliis etiam animantibus hic morbus. Huc Aſtrologi ex ſiderum motu ratiocinati in conjunctionem, quæ fuit paulo ante Saturni & Martis, ac binas ſolis eclipſes, cauſam ejus rejecerunt, oportuiſſe dictitantes præſagire hæc, morbos pituitoſos, & bilioſos, longos, tenaces lentos. Quales ſunt Elephantia, lepra, impetigo & quælibet peſſima ſcabies, ac puſtulæ, & ſi qua alia ſunt corpus deformantia, & Podagra ac Chiragra, Paralyſis, Iſchia & articulorum dolores, ac ſimilia incommoda. Magis autem Septentrioni id deſtinatum, propter Aquarii ſignum, quo prior eclipſis inciderit, & Occidenti propter piſces, quod poſterior attigerit, dicebantque Medici ægritudinem eſſe à malo intus ſucco & vitioſis humoribus, melancholicis, aduſtis, aut flava bile, vel pituita, ſive ſalſa, ſive aduſta, & ipſa, aut aliquot horum vel omnibus etiam ſimul permixtis, quorum acore extra ad corporis ſuperficiem eunte, aduri cutem & exulcerari, aut vero à crudis, lentis & craſſis in artus propelli, eiſque dolorem concitari, tumores ſurgere, tubera innaſci, nodos colligi & ſinuari cutem, ſupra etiam caput infeſtari. Univerſim priſtinam corporis conſtitutionem alterari. Quidam breviter ex infecto ſanguine, corruptoque & aduſto, luem hanc oriri dictitabant. Atque hæc, incomprehenſibili ejus adhuc natura, diſputabantur ambigue, nunc comperta ratione approbantur etiam. Juvatque morbum hunc putare aliud nihil eſſe, quam depravati ſanguinis quandam ſuppurationem, quæ poſt in tumores & nodos conficcata induretur, & cujus ſcaturigo quaſi quædam à male affecto pullulet jecinore. Amplius quæ ſit ejus natura, qui ſtatus ac qualitas, quantæ jam diu, quam odioſæ ſunt quæſtiones? Quæ concertationes? Quot opiniones? quam anxie diſputatæ? Atque hoc præcipue in morbo, quantum noſtra ætate laboret Medicina, compertum eſt. Silebant ab ejus ortu, totum in Germaniam biennium Medici. Inde in prima me tum pueritia conſtituto, curam cœperunt, qua fruge, docuit eventus. Auſi tamen ſunt exotica miſcere nobis, & multa, quæ minime oportuit, inculcare. Memini tunc à Piſorum eſu interdictum quibuſdam locis, quod in his vermiculi naſcebantur alati, unde infici crederetur, & carnis porcinæ, quod illud potiſſimum animal, aut hoc, aut quodam huic non abſimili ulceris genere laborabat.

## CAP. III.

### *In quos morbos derivetur Gallicus.*

Levem hanc luem faciunt, quæ conſequuntur eam, atrociora. Ita enim in multa derivatur hoc malum, ut in uno ineſſe morbos omnes videri poſſit. E quibus eſt acris articulorum dolor, primum quidem ſimplex, deinde quæ dolent extumeſcentibus membris, nonnullis quæ intumuerunt collectiones & tubera, ubi paulo poſt obcalluerunt, dici non poteſt, quos intra ſe cruciatus alant, peſſima hæc enim morbi hujus pars eſt. Nam hanc ſibi veluti arcem deligit, ubi diutiſſime perſiſtat, ac unde in univerſum corpus omnia dolorum genera diſpergat, & jaculetur, tanto majore cum affectione, quanto ſuppurationem tardius accipiunt hujuſmodi tumores, omniumque miſerrime torquet ac lacerat hic cruciatus. Mihi tale quoddam tuber ſupra talum ſiniſtri pedis introrſum, poſtquam ſemel callum induxerat, octo totos annos, nulla perunctionum vi, nullis fomentis emolliri, aut ut ſuppuraret cogi potuit. Videbaturque os id eſſe, donec Guajaci nuper medela diſſipatum evanuit. Manent & mulieribus intra pudendas partes ulcuſcula, miri diu veneni fomenta, atque ea tanto perniciosa magis, quanto minus oculis eorum, qui caute mulieribus congredi volunt, ſubjici patiuntur. Et vel iccirco peſtilentiſſima eſt hæc morbi pars, quòd in ea vitare morbum non licet, cum hujuſcemodi mulierum nonnunquam immundiſſima ſint corpora. Contrahuntur & nervi, ac indurantur. Nonnunquam diſtenduntur & laxi fiunt ac rigent. Interdum morbus in meram Podagram exit. Quibuſdam in paralyſin ſolvitur & Apoplexiam, quæ dicitur, multis Lepram induxit, creditumque eſt finitimos inter ſe morbos eſſe, tum quibuſdam ex cauſis, quæ utrique malo communes ſunt, tum vero ex eventu, quod in hac ille frequenter tranſmittat ægrum. Sæpe etiam quaſi febricitaturi, ita inhorrent homines ex doloris acerbitate. Naſcuntur & Vomicæ, quæ in Cancrum aliquando & Fiſtulam abeunt, aut manantia diu ulcera, quæ in tantum frequenter putreſcunt, ut oſſa etiam denudent primum, quæ deinde cariem contrahunt, & magno cum periculo vitiantur. Quinetiam lentiſſimæ cum ſint morbi hujus reliquiæ, ita emacreſcunt aſſiduitate mali homines, ut intima oſſa, omni conſumpta carne, laxa cutis tegat. Hinc Phtiſici fiunt, interaneis tabo jam tum defluentibus. Generatur & cachexia plurimis, & aquam inter cutem ægri contrahunt, nonnullis exulceratur veſica, & utplurimum jecur ac ſtomachum in totum perdit hæc ægritudo. Verum ibi falſum hoc eſt, quod videtur quibuſdam tubera, collectiones, ſinus & nodos non eſſe hujus morbi propria, aut neceſſario eum conſequi, ſed provenire his, qui peruncti ſint, ex argenti vivi malitia. Quanquam in hac opinione magna per Germaniam medicorum pars, in hunc uſque diem pertinaciſſime hæret. Sed hi quotquot ſunt, ut in aliis de hoc morbo multis turpiter falluntur, ita hoc temere perſuadere conati ſunt. Nam contigiſſe hæc, quos nulla unquam tetigerit perunctio, ipſe vidi multis, & in his Ulricho de Hutten patri meo.

## CAP. IV.

### *Qua primum Medicina reſtitum huic morbo ſit.*

In hac Medicorum conſternatione, his erroribus ingeſſerunt ſe Chirurgici, manum admolientes, ac primum cauſticis exurere ſcabiem conati ſunt, deinde quia immenſum erat ſingula contingere, toties admoto medicamine, ulcera, excogitaverunt unguento reſtinguere eum. Hoc aliter faciebant, verum nullo quiſquam effectu, argentum vivum qui non addidiſſet. Cedebant in hunc uſum *pulveres Myrrhæ, maſtichis, Ceruſſæ, baccarum lauri, Aluminis, boli Armenæ, Cinnabaris, Minii, Corallii, Salis uſti, Viridis æris, Scoriæ plumbi, plumbi uſti, Rubiginis ferri, Reſinæ vulgaris, & Terebinthinæ, Olcorum optime omnium laurinum, deinde ſimplex Roſaceum, Terebinthinum, & magno effectu Juniperinum, ac Nardinum, Adipes, Suillus, Anſerinus, Urſinus, humanus, melinus. Item pingue ex ungula bovilla, Butyrum præſertim quod menſe Majo coactum eſſet, medulla cervi, ſevum hircinum,*

cer-

*cervinæ, mel Roſaceum, & quod virgineum vocant. Vermes terreni in pulverem piſti: aut oleo macerati, ac contuſi, Camphora, Euphorbium & Caſtoreum.* Atque harum rerum tribus aut quattuor, aut pluribus nonnunquam mittis ungebant brachiorum & crurum junctiones, aliqui & ſpinam ac cervicem, nonnulli tempora etiam, item & umbilicum, atque iterum alii univerſum corpus: Quibuſdam ſemel die, quibuſdam bis, nonnullis tertio iterum die, aut quarto. Claudebantur ægri in æſtuario quod calebat aſſidue atque intenſiſſime, alii viginti, triginta alii totos dies, nonnulli plures, perunctum lecto, qui intra æſtuarium ſternebatur, apponebant, ac multa ſuperinjecta veſte ſudare cogebant. Ille vix iterum accepto unguento cœpit langueſcere, mirum in modum, tanta unguenti vis erat, ut intra ſtomachum quod in ſummo corpore morbi fuiſſet, compelleret, inde ſurſum ad cerebrum unde per gulam & os defluebat morbus, tanta, tamque violenta injuria ut dentes deciderent, qui non accurate ori intendiſſent. Omnibus certe exulcerabantur fauces, lingua & palatum, intumebant gingivæ, dentes vacillabant, ſputum per ora ſine intermiſſione profluebat, omni protinus fœtore olentius, tanto contagio, ut quicquid olluiſſet, ſtatim inquinaret ac pollueret. Unde & labia ſic contacta ulcus trahebant, & intus buccæ vulnerabantur. Fœtebat omnis circa habitatio, atque adeo durum erat hoc curationis genus, ut perire morbo complures, quam ſic levari mallent. Quanquam vix centeſimus quiſque levabatur recidivo utplurimum ægro, cum vix paucos ad dies duraret ejus juvamentum. Quo argumento intelligere licet hac in ægritudine, quid ego tulerim, undecies curationem eam expertus. Tanto periculo, tam acerbo diſcrimine, cum hoc malo nonum jam annum luctor, non ſegnius interim & alia, quibus obſiſti morbo putabatur, aggreſſus. Nam & balneis curabamur, & herbarum potu ac potionibus, & eroſione ulcerum. Ad quem uſum adſumebatur *Arſenicum, Atramentum, calchantum, viride æris, aut aqua, quæ ſortis vocatur*, tanta cum doloris acerbitate, ut credi poſſint nimis vivendi cupidi, qui non mori maluerint, quam ſic vitam proferre. Sed acerbiſſima omnium fuit, quæ per unctionem fiebat curatio, & in ea miſerrimum hoc, quod, qui ſic medebantur, medicinam ipſi non callebant. Neque enim chirurgici hac tantum utebantur, ſed ut audaciſſimus quiſque, aut in aliis viderat, aut ipſe tulerat, ita circuibat, medicum agens. Uno quopiam ad omnes unguento utebantur. Et ut ille ait. Uno calceo omnes calceabant. Uno collyrio omnes ſanabant. Si quid acciderat interim ægro, conſilii inopia, quid ſuaderent non habebant. Ferebanturque latrones, ut in publico errore, cum, obmuteſcentibus medicis, experiri omnibus, quid vellent, liberum eſſet. Itaque nullo ordine aut præſcripto, niſi quod æſtu ac vapore cruciabant ſimiliter omnes, nullius neque temporis, neque corporum qualitatis habita ratione, curabantur ægri. Neque inſcii perunctores, materiam, quæ morbi cauſa eſſet, ducta alvo ſubtrahebant, aut circa eſum ac potum temperantiam, aut ullum victus diſcrimen indicebant. Tandem eo incommodi res veniebat, ut dentium uſus adimeretur, ipſis vacillantibus. Os alioqui totum uno occupante ulcere, cibi appetentiam, frigefacto ſtomacho, & turbante fœtore, amitterent ægri. Cumque ſitis eſſet intolerabilis, tamen, quod ad ſtomachum faceret, potionis genus nullum inveniebatur. Multis ad vertiginem, quibuſdam ad inſaniam uſque infeſtabatur cerebrum. Tremebant inde non manus tantum, ſed pedes etiam, & univerſum corpus ac lingua balbutiem trahebat, nonnullis immedicabilem. Multos in media curatione interire vidi, & quendam novi ſic medentem, qui tres una die viros agricolas, cum intra hypocauſtum plus æquo æſtuans concluſiſſet, ac illi ſalutis, quam ſic adepturos ſe ſperabant, ſtudio patientius quam par erat conſiſterent, donec defectis per caloris vehementiam cordibus, mori non ſentirent, miſere jugulavit. Alios vidi intumeſcente ad fauces gutture, quum exitum non haberet ſanies primum, quam in ſputo dejici oportuit, deinde ipſe etiam ſpiritus ſuffocari, quoſdam cum mejere non poſſent, mori. Omnino pauci convaluerunt, atque illi hoc periculo, hac amaritudine, his malis.

## CAP. V.

### *Quibus ego præſidiis fretus hoc in morbo ſim.*

Uſus ipſe ſum, quoties quidem perungerer, propulſandis quæ ori accidere poſſent, ſolo *Alumine*, quod in bucca continebam, hinc inde volutando dum colliqueſceret. Ubi vero obligandis ulceribus, & fovendis artubus, danda opera, fomenta uſurpabam herbis, *Abſinthio, Chamæmelo, hyſſopo, pulegio, Artemiſia, Salvia*, & hujuſmodi ex vino & aqua decoctis. Ad ulcera vero, olim quidem Eytelvolfo ſuadente, unguento, quod *alumine, viridi æris, melle puriſſimo & aceto partibus per omnia æqualibus* componebam. Nuper (quod à gregario in Italia milite didiceram) *aqua calcis*, quam ſic parabam. Aquam puteanam aut fluvialem puram in vaſe nondum alio liquore imbuto coquebam, eam, cum ferventiſſime bulliret, calci vivæ (ea eſt quam aqua nondum contigit) ſuperfundebam, in labro aut cupa lignea munda, necdum inquinata. Sic diſſoluta primum calce, deinde quieſcere permiſſa, ubi ea in fundo conſederat, quæ in ſummo natabat, ſpumam exemi, Calcem non movi, in medio relictam aquam limpidiſſimam defudi & ad uſum repoſui. Cum uti vellem ſpongia aut linteolo intincto nonnunquam ut potui & plerunque calida fovebam ulcera, eluendo, ac ſaniem detergendo. Deinde linteoli partem ſic commadefactam appoſui, ac ulcera colligavi, vi hujus aquæ ceſſabant dolores, & tumor reſidebat. Vulnera emundabantur & calores, ac inflammationes arcebantur, quodam cum miraculo, cum incendat alioqui caloris ſui vehementia calx viva. Quod apponi his in caſibus poſſet efficacius inventum nihil habui. Viſumque eſt uno hoc præſidio fultum me, ſæviſſime graſſante jam tum morbo, imminentem perniciem declinaſſe. Utebar & *Caſſia* alvum ſubducere ſi quando liberet, & ſudabam non raro, ac ſanguinem mittebam, detracto eo per cucurbitulas ſæpe. Monitus etiam in Italia miræ hoc eſſe efficaciæ, ſolitus ſum reſinam Terebinthinam edere mane nucis Juglandis magnitudine. Hoc emendari ſanguinis vitia clamabant, quod neſcio quale ſit, & ventrem emolliri, ac ſtomachum juvari, quod utrinque experiebar. Ajebant & nervis mederi eam non modico effectu, & artus confirmare. Atque his modis, ſimul cibi & potus abſtinentia, & vitæ parſimonia, multa effugi, quæ me tanto tempore, tamque iniquo peregrinantem, utplurimum & rerum penuria adverſa multa adire coactum, nunquam mihi conſtantem, inquietum ſemper, ac turbatum, conficere poterant. Idque effeci, ne quis mihi adhuc nervus, cum tot profundis ac malignis ulceribus adderentur tibiæ, læſus ſit, ne quod os vitiatum, ne quando faciem corripuerit morbus, in ore & lingua ne quid vitii contegerit, interanea ſervata ut ſint. Nam & à ſtomacho injurias propuli, & jecur alia rariſſime ope defendi. Sed his auxiliis ſuſtinere morbum potui, extinguere non potui. Et lenire dolores, non cauſam doloris exſcindere, hoc erat differre perniciem, non auferre. Præſentius habui è Guajaco, cui nunc deſcribendo animum adjeci, remedium, immo ex uno ſalus.

## CAP. VI.

### *Guajaci deſcriptio, & ejus inventio, ac nomen.*

Quod ſi bonorum pariter malorumque ſurſum imputanda ratio eſt, quantum ſuperis de Guajaci beneficio debemus? Aut quanto hæc benignitas lætior, quam illa triſtis pœna? Tranſlatus ejus è Spagnola inſula ad nos uſus eſt. Ea in occidente, juxta Amaricam, atque adeo ea parte ſita eſt, qua Amarica longitudine in Septentrionem definit, ſimul cum illa ſuperioribus annis, inter novas terras, & antiquis incognitas reperta. Ipſius Inſulæ omnes morbo Gallico aliquando laborant accolæ, quemadmodum variolis nos. Neque alio contra remedio utuntur. Nobilis quidam Hiſpanus cum Quæſtor in provincia eſſet, ac morbo ipſo graviter affligeretur, monſtrata ab Indigenis medicina, uſum ejus in Hiſpanias attulit, primum anxius, ne non trans mare, qualis in inſula, eſſent ejus effectus. Nolebant commendare ipſum Medici, tantum videntes quæſtui ſuo decedere, donec ſe intruſerunt ultro & ipſi hanc in curam, tanta ſtatim arrogantia, ut negent reſtitui, qui tranſitis eorum præſcriptis Guajacum inſumat. Quod miror quomodo alicui perſuadeant, cum ſit cognitum nullos fuiſſe unquam illa in inſula medicos, Guajaci vero uſum ſemper fuiſſe. Sed quid negotii medicis hac in curatione eſſe conveniat, poſt paulo dicam. Nunc de re propoſita. Nomen ei fecerunt Guajacum. Sic enim litteris illud Latinis, quod cum hiatu HUJACUM pronunciant Inſulares, ab ipſorum idiomate exceperunt Hiſpani. Nam mihi narravit Auguſtæ Paulus Ricius auditum ſibi ab Hiſpano, qui in inſula fuiſſet, primam nominis ſyllabam non Gua proferri à Spagnolenſibus, ſed exigere hoc gentis linguam, ut quæ Latini ſic ſcribant, ipſi non *g* litera ſed *u* cum flatili pronuntient, ut ſit Huajacum apud eos, triſyllaba item dictio, non Guajacum. Poſſumus & magnificam aliquam indere illi appellationem quemadmodum Philon Medicus, Alexipharmaca ſua Deorum manus appellavit, & hodie medici magna compoſitiones ſuas jactatione, vocant manus Chriſti, Apoſtolicon, gratia dei, Antidotum Paulinum, id genus ſuperſtitioſe inditis vocabulis. Ajunt

crescere, qua apud nos Fraxinus, proceritate, arborem teretem, ac nuces gignere castanearum forma. Materia ejus unguinosa est. Color qui buxo, sed nigrescens. Atque id optimum putant, in quo quamplurimum nigri est. Verum ita, quod buxeum est, ab eo quod nigrum differt, ut hoc intus, illud extra sit. Aut planius dicendo, ut medulla nigrum sit. Ponderosissimum est ipsum lignum. Itaque nulla ejus quamquam minutissima pars in aqua fluitat, sed continuo mergitur & subsidit. Duritie robur omne superat. Tum prædurum est, ut quam minime hiet. Neque enim adhuc vidimus, quod rimas traxisset, & qui vendunt, satisfacere negant. Uritur ac inflammatur, odore non insuavi. Ab accenso gummi profluit, quod, nondum scimus, quem in usum cedat. Subnigrum est, & statim postquam deciderit perdurum, Cortex haud ita densus, sed immodice durus. Quibus indiciis animadversis, fieri posse haud credo, ut qui id adulterent, lateant emptorem. Nam ut coloris discerniculo fallatur quis, in quo uno omnia hæc convenire possunt? Pinguetudo resinaceum quiddam spirans? pondus quale nulli præterea liguo? deinde hoc quod defluit ab inflammato? Et vix secabilis ejus durities? Et quod in aqua minutissime etiam incisum non supernatat? Et sapor qui semel cognitus nunquam errare sinet? Nequaquam ingratus est ille omnibus, mihi etiam jucundus. Non durare ajunt & decoctum ejus in æstate, post tertium statim diem mucessit, in hyeme paulo serius. Itaque eligendum, quod quam maxime pinguescit, & pondere valet. Ejus est enim senecta levitas & macretudo. Efficaciæ ab hac descriptione causas, longa disputatione, si videtur, medici trahant. Ego potius quod sic gaudeo, quam quale sit, inquiro. Quamquam multum fateor illos mereri, qui primum cognitam ejus per omnia naturam, nobis tradent. Nunc vero sunt nonnulli, qui quasi omnia rei indagarint vestigia, ita ab his notis, virium statim ejus rationem expendunt. Id quod immature fieri ab illis reor, sic existimans, ut in omni universum medicina, sic in hac etiam, post inventam eam, cognitumque ejus usum, deinde quærendam rationem. Sed jam de usu, & quomodo præparari ad medicinam ipsum conveniat.

## CAP. VII.

### *De præparatione Guajaci in Medicina*

Præparatur hunc in modum. Lignum oportet primum in frusta, quantum licet, pusilla comminui, quidam ad tornum hoc faciunt, deinde ramentum ipsum statim commadefaciunt. Alii quod deratum est prius terunt, aut pistillo tundunt ut in scobem plane & pulverem redigatur, quo penetratu facilius sit, ut ejus excoquatur vis. Quod nescio an aliquid referat. Vidi qui serra conscinderent prius, deinde partes dissectas lima attererent, ipsam tandem limaturam aqua miscerent. Verum, quicquid id est, aut comminuta frusta, aut elimatam scobem, aut contusum pulverem, pondere unius libræ, in aquæ fontanæ, aut fluvialis, aut (ut ego) puteanæ, libris octo, diem & noctem macerant, deinde percoquunt lento vapore in olla vitreata nova, & diligenter clota, ad prunam horis amplius sex, dum ad dimidiam partem se imminuat, magna cura & attenta custodia, ne nimio calore ebulliat. Nam quod exundaverit, multum de vi perdere ajunt, & minus esse efficax. Ob idque ad flammam coqui non sustinet, & prunam quoque modicam petit, ac ollam quæ non repleatur, sed cujus tertia prope pars vacet. Spuma, quæ inter coquendum innatat, detrahitur, ulcerum, quibus obungitur, medicamento. Nam vim ei inesse deficcatoriam efficacissimam comperimus. Sic decoctum ubi percolaverint, in ampullam vitream defundunt, deinde ex relicta denuo scobe cum libris octo percoquunt. Hoc tenue ad cibum potui dant, prius illud medicinæ loco sorbetur. Atque adeo totum hoc quod nos tanto ac tam gravi morbo liberat, decoctum illud est. Hoc rei caput, hic cardo, in quo salus nostra vertitur. Neque tantum non indiget alterius permixtione ullius, sed misceri etiamnum, ut paulo post ostendam, non sustinet. Cæterum aquam ad hoc quæri, levem & limpidam volunt quidam. Alii dulcem omnem admittunt indifferenter, quod in coquendo, qualis qualis sit, depuretur. Custodiam eam circa coctionem, ne exæstuet, aut efferveat, adhuc necessariam omnes putant, jubentque bene obturatam esse ollam, ne quid etiam despiret. Ea, ubi sentitur provenire spumam, leniter aperitur, illa exempta reciuditur. Quod in vitro reponendum curant, tantum est, in perspicuo ut sit, & melius, quia emundantur vitrea. color decocto est, qui aquæ ex limo modicum turbatæ. Intinctum linum virides cit, mira specie. Sapor primum gustantibus subacidus, paulatim assuescenti jucundus. Ausi sunt mellis indere in libram uncias iiij. mediti. Quod ut non improbo, ita necessarium esse nego. Velimque ubi non oporteat, nihil addi rei per se tantæ. Quid enim navare operam, ubi non opus est, juvat? Neque ita gravis Guajaci sapor est, ut melle temperari postulet. Immo si per medicos liceat, nulli non gratus. Quanquam quid oportet medicos dicere, ubi de nugatoribus sermo est. Nam qui docti sunt, quique periti, qualis o Princeps tuus ille amicitiæ causa meus etiam Stromer, atque item Coppus, & ipse à medicinis tibi qualis, hi intelligunt, quàm non conveniat, aut incognita tractare mutando, aut his addere, quibus nondum deesse aliquid compertum est. Id quod Stromer, sermonem habentibus nobis de Guajaco Augustæ, cum multi ante fuissent, ut me curationi huic commiterem, neque ulli ego crederem propter rei novitatem, multis graviter, ut solet, verbis detuper habitis vereri se dixit, salutarem Guajaci virtutem, ne qua supervacua indoctorum Medicorum additio infamaret, quod si non fuerit, tamen exploratum habere se, nihil posse adversus hunc morbum salutarius inveniri, effecitque ut me incunctanter & nulla interposita mora in Guajaci experimentum præcipitem statim abjicerem. Quare hoc semel jam prædictum in universum satis esse volo, de Medicis hoc in opusculo quoties conquerar, hos me putare, qui nulla eruditione, nulla peritia solo se titulo, & empto Doctoris nomine vulgo vendicant. Qui Græcas pariter ac Latinas ignorant literas, cum in nulla magis professione, opus sit literis ac eruditione, qui cum indoctissimi sint, facile Germanorum simplicitate abutuntur, quando ne nullius quidem doctrina in dubium venit, qui quidem Doctoris sit nomine insignitus. Quorsum hæc tam multis? Ut me tuerer apud te, Princeps optime, contra eos, qui hac animadversa occasione possent ut æquo plus mordacem apud te deferre. Quod cum nuper facerent, de jureconsultis & Theologis, quorum in studia ajebant immodestius invectum me, cum ego indoctos ibi tant m, & eos adhuc malos etiam ac literarum studiis infensos & acerbissime inimicos, momordissem, id effecerant ut me boni multi iniquum sibi putarent, cum id à majoribus primum meis, deinde ab instituto etiam eo, in quo versabar, longissime abesset. Quod cum te non ignorare sciam, missos facio circumforaneos perunctores, Iatrones Medicos, atque illos etiam indoctos doctores, ad Guajacum redeo, cujus in medicina usus sic habet.

## CAP. VIII.

### *Quis sit curationis hujus Modus.*

In conclavi resideat æger, aëri minime, nedum ventis obnoxio, ubi ignis continuo sit, aut ut in Germania, intra æstuarium, non quod semper quidem caleat, sed ab aëre tantum quod munitum & occlusum sit, ne quis eum omnino adspiret aër, toto curationis hujus tempore, cavendumque etiam frigus. Itaque in hyeme si experiatur quis, vel autumno, curare eum oportet, antelucano præsertim tempore ignis ut sit, quod tunc intensius est frigus, fenestrarum si quæ sunt rimæ, gypso aut calce explendæ, ostio cœnaculi, velum aut tapetes obtendantur intus & foris, ne ingrediatur aër. Sic instructo, paulatim cibus subtrahitur, primo quarta pars ejus, quem sumere consueverat, deinde tertia, post paulo dimidium, ut esurire discat, & vinum detur aqua valde dilutum, ibi tum alvus ducitur, medicina indita purgatoria, sive cum delectu ea sumatur, quæ satis putetur ad præscindendam cautam, aut ex mendam materiam, quæ morbum fovet, sive simpliciter talis, ut inanem reddat ventrem. Nam hoc tantum quæri video, quo curato statim opus hoc auspicari licet, hunc in modum. Prius illud & valentius decoctum bis die propinatur, tepidum, cyatho uno, mane quidem ad quintam vel juxta horam, noctu octava. Porro cyathum vocamus, dimidii libræ unius capax poculum. Qua ratione colligere datur, ut cum ad decoctionem unius ligni libræ, infundantur aquæ octo, & inter coquendum ejus dimidium consumptum oporteat, ac libræ quatuor supersint, bisque de una potetur, ut unius libræ Guajaci decoctio in quatuor dies sufficiat. Inolevit hoc enim apud Medicos, liquores etiam ad pondus ut metiantur, obliteratis in totum mensurarum nominibus. Bibitur raptim, sine interspiratione, post bibitum interquiescendum horis amplius quatuor, & duabus quidem primis contectum esse oportet, ut caloris ope, digesto in artus medicamento, noxium quid exludet æger, quod quanti momenti sit, dicam suo loco. Quin etiam hora, antequam bibat, tota jubetur contegi ut calescat. Sunt qui negent ante quintam post acceptum poculum horam, è lecto surgendum, cibus sumitur medio non prius die quantum fieri potest exiguus. Nam inanem imprimis ventrem

quæ-

quærit hoc medicamentum. Itaque ſumendus cibus, non A qui vacuum ventrem vel ex parte impleat, ſed deficere quì non ſinat, ac ut tantum ſuſtentet, non vires qui augeat, neque ibi periculum metui debet, quandoquidem vis inclt Guajaco reficere, & confirmare, ſed nonniſi inanes, & omnino ajunt neminem deficere, quantumcunque parum edat, modo decoctum id fideliter bibat. Interim, niſi ulcera ſint aut vulnera, nihil foris illinitur, his vero *unguentum album*, quod crudum vocant, ex *Ceruſſa & oleo roſaceo cum camphora*, imponitur linteolo adlitum. Quidam ſola ſpuma obungunt, aut deſiccatam eam in pulviſculum adſpergunt. Sane præter ſpumam nihil decocti hujus forinſecus adponitur. Atque aliqui breviore tempore ſaneſcunt, quidam ſerius. Tricenis magna pars diebus. Quindecimo die alvum duci iterum jubent. Iccirco arbitror, quod (ut Alexander Aphrodiſiacus putat) fameſcentes ſolito cibi uſu prætermiſſo, bileſcunt, & materiam aggregant acriorem. Itaque de purgatione, quod ſic collectum eſt extrahitur, ut vacuum maneat ægri corpus. Et tunc quidem mane non bibitur, ad noctem ſtatim reditur ad potionem, ac poſt cum diem B largius adſumitur cibus. Iterumque vigeſimo liberalius. Quanquam debet & hoc liberalius, & illud largius, parum quiddam eſſe, ut ſequenti capite oſtendam. Quod caventes quidam, ne quod medicinæ operationi impedimentum inde accederet, totos æqualiter triginta dies, unam edendi legem tenuerunt, omnino tanto melius celeriuſque provenit juvamentum hoc, quanto quis fortius eſuritionem ferre potuit. Urget autem magis ac magis indies edendi aviditas, ſed continere ſe quiſque, certus ſalutis ſi id faciat, meminerit. Sic decoctum enim & exinanitum corpus, non fame tantum, ſed ſudoribus etiam ſemi mortuum diu, morbi infeſtatione ad cibi ac potus appetentiam redit. Ubi jam ad finem curationis perventum eſt, ut prope egredi velit æger, ſumendum iterum quod purget medicamentum, ſed ita ut poſt purgationem quatuor aut ſex rurſum diebus ut prius bibatur. Quem curationi huic Colophonem quaſi imponere jubent. Sunt qui præcipiant conclave, ubi æger cubat, non excedendum, prius quam omnis in totum morbus ſit abactus, & reſtituta valetudo. Alii triginta dies ſatis eſſe putant, C quibus concludatur quis, poſt exire poſſe, ſed caute, & longius ac longius, nec in apertum ſtatim, ſed primum intra parietes, & de uno cœnaculo in aliud inambulandum, deinde ad vicinam aliquam non longius domum, donec ferre aërem adſueſcat. Nihil enim repente mutari debet ibi, omnibus paulatim adſueſcendum. Quod ſupereſt morbi poſt egreſſum celerrime ſaneſcere ajunt, idque ita eſſe, in me ipſe comperi. Nam triginta dies cum abiiſſent, nec dum ulcera, quæ in tibia erant, cicatricem obduxiſſent omnia, continui me alios adhuc decem dies, quibus & ipſis peractis, nondum tamen convalueram. Quamobrem metu frigoris, quod incipiebat hyems, adjicere alios rurſum dies decrevi, verum medici adactus perſuaſione, ut egrederer, periculum feci, nec male inceſſit, quanquam eſſent tunc ulcera non alta quidem, aut quæ tumerent, ſed in ſummis cute & quibus illud tantum deeſſet quod non contegeretur caro, quod in tantum ægre aſſecutus ſum, ut vix quadrageſimo poſt egreſſum die, ex toto, obducta iit, cum ego interim acri jam tum hyeme, e Vindelicis in Francos iter facerem. Moræ ejus D cauſas ipſe conjiciebam, quod medici permiſſu, plenius quam oportuiſſe poſt cognovi, cibum aſſumpſiſſem, & quod is mihi tenuius, quam debuit, decoxiſſet potionem. Uſus ſum enim ligni pondere quinque non plene librarum: cum alii octo, nonnulli decem inſumerent, deceptо in hoc medico, quod cum gracile mihi natura corpus eſſe, deinde morbi diuturnitate etiam extenuatum videret, parum quid ſatis eſſe, cui vis morbi cederet putavit, ob idque etiam largius paverat, cum vereretur nimium viribus ne deſtituerer, duplici errore. Quod & non quale jam tum corpus eſſet, verum quale eſſe ſoleret, videndum erat, & ea medicinæ hujus natura eſt, neminem deſtitui ut ſinat. Quare etiam infirmiſſimis non minus, ſed aliquanto plus etiam dandum eſt, quia nihil cum impetu facit, cum ejus juvamentum ſit paulatim ſanare. Atque igitur illud decoctum magis probo. quod ad ignem diutius fuit, & quod à multo ligno paucum provenit, ita ut ſuadeam, quo efficacius fiat, ad tertiam ſæpe partem decoquere. Porro alvum quæ aſtringi ſolet, ſolvere ſi volet quis, pulviſculum è ſcobe Guajaci decoctum ex aqua E bibere ad ſemunciam ſuadent in aurora. Idque ſi ſemel non moveat, repetendum eſſe volunt. Mihi ne repetitum quidem ceſſit hoc.

## CAP. IX.

*De ratione victus in curatione hac.*

Circa victus rationem adhuc pugna eſt. Quidam ſolo pane, quod ſimpliciſſimum nutrimentum vocat Galenus, cum paſſularum modico, vivendum cenſent, cumque dant quatuor unciarum, ſine ſale aut condimento, omnique in univerſum obſonio arbitrantur abſtinendum, niſi quod à pullo gallinaceo jus aliquod ſorberi patiuntur: aut cum pane inibi madefacto edi ſemel die. Nam veſperi præter paſſulas & panis unciam, nihil dant. Alii dimidium pulli gallinacei adhuc molliuſculi, aut ſi is adoleverit, quartam partem, in aqua pura elixi, cique non ſalem, non condimentum aliquod apponunt, niſi quod ſaccharum indunt aliqui. Panis vero teruntium dant. Veſperi, ut prius, paſſulas cum panis uncia. Obſervandum autem toto curationis hujus tempore, ne quis ſalem omnino deguſtet, panem probant triticeum, album, è bene cribrata farina, quem ad hoc parantes ſaccharo condiunt, quod non abhorret. Sunt qui huic menſæ adjiciant, non tam cibi vice, quam medicinæ loco, parum Boraginis aut foliorum tantum: aut ſi ſint, florum etiam, quod in aqua decoctum aut cum pullo eſtur ut olus, atque hanc circa victum obſervationem perpetuo tenent aliqui. Nonnullis videntur quindecim dies ſatis eſſe, deinde levius famem ſuſtineri volunt, & vigeſimo quidem die bis cibum dant, quod viderint qui ſequentur. Certe enim hoc fert medicina hæc, ut inedia, quanta poſſit maxima, extenuetur æger. Quanquam nonnullis contigit intra quindecim dies in totum reſtitui, qui tamen poſtea adjecerunt aliquos ultro dies. Bibitur ad cibum de ſecundario decocto, ut ſit non tepidum, ſed frigefactum, atque hæc mentæ ſumma eſt. Nam ſupra hanc menſuram progredi adhuc nemo auſus eſt. Quanquam non contemnam diſputantes ibi medicos, in corporibus ſiccæ & calidæ temperaturæ periculum fore, ſi ad hoc victus adigantur genus, & Galenum cum Hippocrate adducentes, qui locis multis contra exquiſitum hunc victum ſentire videntur. Sed ego ex his qui adhuc uſi Guajaco ſunt, periclitari neminem vidi, & ab experientia monitionem colligo, non ex libris doctrinam: Quinetiam calidæ & ſiccæ temperaturæ ipſe ſum, nec in phthiſin, aut hecticam adegit hæc fames, quod metuere illi videntur. Quia autem non imprudenter omnia provideri putantur, jubeo, ſi quis ibi ſollicitus ſit, cuſtodes medicos adhibere ſibi, quod dictum ſatis ſit, ut reliqua proſequar. Omnia interim negotia ablegare oportet ægrum, omnes circuncidere graviores cogitationes, ab omni cura conquieſcere. Quare & à conſultationibus & à ſtudiis etiam vacationem indicunt, jubeturque animus ab omni penitus operatione ſecurus eſſe, & in profundum otium vindicari, ac à turbis & ſollicitudinibus laxari, cum omnium, tum vel maxime eorum melancholico habitu qui ſunt. Cavendum & ab iracundia, quod ea, ut Galenus inquit, biliоſas imprimis materias accendit. Quinetiam curandum, ne quid hoc tempore, quod mœſtitiam movere poſſit, accidat. Audiat æger cantores & citharœdos, ac muſicis operam det, aut jucundis ſe interdum confabulationibus oblectet. Porro venerea quantum vitanda, poſt oſtendam. Ipſe legendis jucundis rebus, & elucubrandis etiam oblectamenta quæſivi, cum reclamarent medici, nec temere monebant, niſi haud credidiſſent me, dum hæc agerem, citra negotium agere. Et oblectationis cauſa, non ſtudii, in literis verſari, quanquam in exemplum venire hoc nolim. Interea fames ingruit, aliis poſt ſextum ſtatim diem, ego ad decimum uſque nihil grave tuli. Unicum ibi ſolatium eſt, non videre edentes, non videre cibos, & nidorem non ſentire: Tamen ubi deficere ſibi quiſpiam videbitur per inediam, ſubtractis corpori alimentis, qui corroboret, aut vires reducat, cibo quidem ut utatur haud ſtatim velim, nec condimento exotico ſed forinſecus admotis ut adjuvetur, ſpirantibus odoramentis, languentem excitantibus ſpiritum. Nimirum odore putat Galenus, ſpiritum vitalem & animalem nutriri, atque foveri. Ubi tamen ut cujusque fert habitudo, incunda ratio eſt, ne ſiccis, & calidis ſimilia, & humidis ac frigidis, aut utcunque conſtitutis, conſonæ qualitatis res adhibeantur. Ipſe ut in omnibus vernacula magis, ut nobis cognata probo, ita Democriti exemplo, qui vapore calidi panis fugientem jam totos tres dies moratus eſt ſpiritum, aut illo, aut cepe aſſo (nam & illi quandam ineſſe iſtiuſmodi vim comperi) admoto ori, languentibus adminiculum viribus quærendum putem. Quod idem vini quoque odore effici in comperto eſt. Nam hoc, ut apud Q. Curtium videre eſt, torpentem Alexandrum excitavit Philippus Medicus, ejuſque in hoc genere vim ex veterum medicorum traditionibus nulli non videmus præferri. Porro modis omnibus,

bus, odoris suavitate alendus est spiritus, quod ex hoc A vita est, probatur in ea re, ante omnia vini suavis, antiqui odor. Deinde mellis etiam, rosacei maxime. Item malorum, de quibus nunquam monere me Stromer desinit, compertum sibi dicens, quanta vi, quam præsentaneo ibi juvamento sint. Quidam ex his *persica* præferunt. Alii *cotonea*. commendatur & *acetum*, *rosis conditum magis*, & *sinapi*. Nam & hæc sensus efficere, ac vires sustentare ajunt. At vero *cinnamomum*, *nucem odoratam quæ Muscata vulgo*, *styracem*, *citri fructum*, *crocum*, *caryophyllon*, *muscum*, *camphoram*, & id genus impendii majoris res, delicatioribus relinquo. *Cyminum*, *anisum*, *coriandrum*, *nardos*, *amaracum*, *rosas*, *mentham*, *rutam*, *rorem marinum*, *violas*, *salviam*, *castoreum*, nostra omnia, vim habere maximam, ex medicis qui judicium habent, nemo improbat. Utorque præsidiis ego hujusmodi magna salubritatis opinione frequenter. Potest & frictionibus toto decubitus hujus tempore uti æger, sed lenibus, quas ut ubique, ita ibi quoque conferre plurimum credo, & calidis pannis exercendum caput præbeat, ac eburneo pectine pervertendum.

## CAP. X.

*Quod admixtionem non ferat Medicina hæc.*

Præterea nullam fert admixtionem medicina hæc, attonitis ob id istis vulgo Medicis, qui nihil admirari nos volunt, nisi quod à tribus orbis partibus conquisita in se venena recipiat, & qui authoritatem sibi omnem desperant, nisi in pharmacorum synthetis Indiam nobis, Æthiopiam, Arabiam & illos extreme Garamantas conjungant. Quod probant enim ubi sumptui quis faciendo non est, quid agat? Et faxit deus Opt. Max. ne unquam audiatur eorum circa Guajaci usum consilium, utque accipiatur vates in hoc negotio Stromer judicio meo verus, prudentissime, ne aliquando manus apponant illi, metuens. Proinde experto mihi credant homines, satis esse hoc remedium, quod istum tollat morbum, & solum satis esse, neque præterea quærendum aliquid, nisi quod dixi, & à principio expurgandam alvum, & quintodecimo iterum die leviter, rursumque in fine curationis. Idque simplici aliquo, aut non à multis admodum compositio medicamento. Valde existimo enim lucro ibi consulere suo medicos, non hominum saluti, quando dicunt, quærendum, quod causam morbi auferat, quasi hoc non faciat Guajacum. Atque evidenti rursus argumento est, ob aliud nihil utendum purgatione, quam ut inanis sit venter, quod corpus præterea omne, inedia & fame exhauriendum curatur. Quid? quod in illa barbarie, ubi Guajacum nascitur, nulli sunt Medici, nulla exotica, nulli canones, nulli aphorismi. At forte aliqua ibi herba, aut radice alvum purgante utuntur homines, atque una re similiter omnes utuntur. Non ut morbum tollant, sed ut inani ventre locus sit faciliori Guajaci juvamento. Quare consilium ibi meum est, nullis magnopere apparatis ventrem divexari medicinis. Illasque in primis fugere, ex compluribus concinnatas compositiones. Qua pertinacia, præter unam simpliciter Cassiam ego nihil inculcari mihi passus sum, cum illi multa cupide offerrent, & ego solitus essem, non illud tantum Rhabarbarum, sed & si quid rhabarbaro adhuc barbarius est, ingurgitare. Sed eventus consilium meum sequutus est optimus. Quod qui imitari volet, exemplum habet, præceptum non habet. Neque enim edocti docemus hæc, sed experti monemus. Id quod meminisse omnes velint, nihil me hic temere, sed quod proprio periculo didicerim, aliis per manus quasi tradere. Quod si aliud didicissem etiam latere non paterer. Nunc igitur cum diligenti investigatione, studiosa indagine compererim Guajaci vim (quam siquidem non bene intellexi, error est, sin ut oportuit rem accepi, neque præmium, neque laudem magnopere affecto) fideliter omnia tradam, idque medicamenti hujus merito, ne tantis beneficiis ingratus videar. Itaque sic sentio, cum alioquin varietate medicamentorum corrumpantur optime habiti homines multi, nonnulli intereant etiam, nullam ad hoc remedium aliunde accersendam opem, ipsum exstirpando huic morbo unum satis esse, siquid addatur, maxime eorum, quæ intra accipiuntur, ab hoc juvari nihil ipsum, posse autem fieri, ut impediatur ac vitietur. Huc illud addendum, quod à Guajaco qui bibunt, utcunque affecti sint, hoc in morbo, his in tantum balneis opus non esse interim, ut etiam vetent naturæ ejus periti, curationis hujus tempore caput ablui, raro etiam, neque unquam frigida, manus permittant.

## CAP. XI.

*Quomodo adhibendi sint in curatione hac Medici.*

Sed jam suspicari aliquos scio, id me sentire, ne quis omnino medicus adhibeatur hac in curatione, quod multum absit. Existimo enim quærendum doctum aliquem & prudentem, quique infarciendis medicinis audax non sit, ne liberalis quidem, ejus utendum custodia, etiam si administrandi Guajaci usum didicerit præscripto. Illos vero perdite moratos, qui cupidissime illa nobis propinant exotica, aut si quod a Nili fontibus advectum medicamentum est, quod tanto majoris ab his fieri solet, quanto in ipsum impendii plus erogatur, procul arcendos moneo, & ne per cancellos quidem conspici ab his ægrum patiar. Jam enim hoc ipsum comperi ita esse ut Asclepiades sensit, qui medicamentorum potus stomacho inimicos censuit, & Celsus ait medicamenta stomachum fere lædere. Quinetiam contigit mihi, quod idem author B fore prædixerat, ut infusæ medicinæ, cum alvo continerentur, in caput rejectæ, immensos dolores facerent. Quod meminerint omnes curationem hanc auspicaturi, ne se istius generis carnificibus temere committant, non tantum ob id, quod rei natura hauddum innotuit, verumetiam quia mos est illis nunquam fateri ignorantiam, semper aliquid jubere, aliquid propinare, quibus nemo quocunque tempore lotium ostendit, quantuncunque etiam suæ sponte, & sanus, quin pharmacopolis scribant Recipe, aut aliquid contractum jam morbi suspicari se, aut præveniendum imminentem, dictitantes. Nisi hoc deglutias inquiunt, aut illud bibas, febrem habes. Perditi homines, & imprimis odio digni. At quales, quales sunt, multa sibi nuper circa Guajaci administrationem tribuere ausi sunt, in opus illud ultro intrudentes sese, etiam qui vendunt ipsum suffragantibus quodam credo inter se pacto, & mutua conventione. Nam illi cum viderent rudem hanc & contemptibilem medicinam efficere, ne posthac tot suis disceptationibus opus sit, nec auderent tamen (voluisse autem aliquos scio) tam favorabili sese rei opponere, vicissimque metuerent mercatoC res, ne si non probarent medici, quia nemo facile aditurus tam aliunde petitam medicinam esset, & cujus tam præter vulgarem medendi usum esset administratio, parum ipsi venderent, convenisse inter utrosque credo, ut in vulgus ederetur, necessariam ibi esse medicorum operam, quo & illi quæstum ut prius facerent, probatum à medicis remedium divendentes, & de suis interim stipendiis nihil decederet medicis, ascitis in curationem hanc & ipsis. At quosdam novi probiores medicos, qui nomine Cæsaris, & cujusdam hic Episcopi percontandi causa Hispanias adierunt, hique cum ab ipsis, qui in Spagnola rem cognovissent, edocti essent, nihil fere secus, quam nostra tenet experientia, retulerunt, nisi quod addiderunt de suo, quæ medicamenta, quibus diebus, qua cum observatione accipienda sint, & ex Ephemeride mathematica quomodo vivendum, non mala credo voluntate, sed suo quodam more, & consueta bonis etiam quibusdam medicis superstitione, qui tanta juvandi cupiditate feruntur, ut plus etiam quam oporteat nonnunquam ingerant. Quorum voluntatem probo, periculosum tamen puto, in omnia D omnibus consentire. Sed ad illos redeo iterum malevolos. Convenisse ipsis puto cum mercatoribus, in lucri partem ut admittantur. Itaque vidi ipse medicum quendam, si indoctum & imperitum asinum hoc nomine dignamur, qui reclamavit Guajaco magna contentione, ut rei vanæ & nullius momenti, & quam mentirentur negotiatores, hæc posse. At paulo post idem ille vociferator ascitus in curatione divitis cujusdam, atque iterum alterius, cum subolusset homini aurum, remque videret ingentis lucri, propter multitudinem ægrotantium, cœpit primo mitior esse, & minus minusque sævire, deinde etiam laudare, ac magnis præconiis extollere rem, quia inquiens, nunc tandem expertus ejus virtutem ipse sum. Immo quia & tuum ibi lucrum invenisti asine. Atque iis fere moribus, quemadmodum aliæ omnes medicinæ, sic ista quoque concedere in canones videtur. Quod si sanis illis & doctis medicis authoribus, fiat, non improbo, quanquam ut meum fert judicium, & nondum ab illis fieri posse credo, & valde necessarium esse non arbitror. Aut enim in Spagnola ubi medici non sunt, deest aliquid medicamento isti, aut hic quoque citra superstitionem adE ministrari ipsum oportuit. Potest autem esse ita credulus quispiam ut concedat medicis, peritius eos, quam qui experti in se callent, negotium hoc tractare? cum videamus, brevius duravisse apud nos Guajacum, quam ut tempus esset illis perscrutandi ac discendi naturam ejus. Nam ut paucis dicam, intra admirationem res versatur adhuc, ad scientiam nondum pervenit. Tantum abest, ito-

iſtorum canonibus ut ſubjici poſſit hoc ſtatim tempore, aut aliquæ ejus cauſæ prodi. Inſideat hoc igitur omnibus, ut ſimplici hac, quam experti nos tradimus, diæta curari ſatis ducant. Sanis interim medicis aſpiciendos ſe præbeant ſæpe, ſpecies iſtorum & aromata dimittant, immo longum valere dicant his, qui nos diſputationibus reſtituere à morbis geſtiunt. Hi ſunt, qui ut dixi vile nihil probant, quique fabulam me narrare putant, cum dico octies amplius repuliſſe febres ſtatim ab initio, proprio ebibito lotio, haud alio medicamento. Et in Saxonia vidiſſe homines, qui omnis generis interaneorum morbos, cerevilia cum butyro ſuffervefacta & ebibita, reſtinguerent. Rurſumque fidem non habent referenti, quendam nobis eſſe paternum villicum, qui tribus quibuſdam herbis è vino decoctis, contuſum hominis cranium conſanaverit. Et contemptibile medicamentum exiſtimant, peſſima utplurimum vulnera, percoctis in vino aut aqua paucis iterum noſtris herbis, inter decimum aut duodecimum diem, citra febris metum coaluiſſe. Non fieri ſecundum canones iſta dictitantes. Et de Guajaco nunc idem ſentiunt, cujus vim quam acute intelligant, & quos de eo ſermones habere ſoleant, ex nobili cujuſdam (non juvenis jam dum, ut experiri incipiat, ſed pene decrepiti, ut Avicennam, Meſuen & reliquos medicinæ authores, ut ungues ſuos callere ipſum probabile fuerit) reſponſo, cognoſcere datur. Is enim cum maxime hæc annotarem, & Francofurto, ubi Recipe ſcribit ille, iter facerem, interrogatus ab amico quodam meo de Guajaco quid ſentiat: Non vidi, inquit, ſed qualecunque eſt, oportet ejus conſiderare pondus, calorem, odorem in qualitate & quantitate. Ibi tamen ego: At pondus ei eſt pergrave, & in aqua mergitur quantuncunque minutim inciſum, color qui buxo fere, oletque obſcure reſinaceum quiddam. Jam tu ſcis igitur, Guajaci natura quæ, & quæ vis? Ille verbis me obtundere adortus, neſcio quid ex prædicamentis Ariſtotelis garriebat. Tum ego, fieri poteſt ſenex, ut cum novus ſit morbus, novaque hæc medicina, incognitum totum adhuc nobis negotium ſit? Erras inquit, non novus eſt morbus, cum de illo ſcribat Plinius. Cupide id mihi accidebat, audire volenti apud Plinium quid intelligeret ipſe, quod me lateret. Quæſitoque Plinius quo nomine morbum hunc appellet, Mentagram inquit, quia vexat mentem. Tum alii morbi dicebam, non vexant aut perturbant mentem igitur? Aut non magis faciunt hoc, phrenetis, mania, comitialis, & reliquæ mentis capturæ, quam morbus Gallicus. Illo neſcio quid interpretante, ſubdidi. Diſce o ſenex cautius reſpondere, in his præſertim in quibus humanæ incolumitatis periculum vertitur. Quod ſi Plinium legiſſes, non à mente, ſed à mento, unde incipiebat morbus ille, mentagram fuiſſe dictum, vel hoc argumento alium à Gallico. Atque huic jam pernicioſe inſanienti belluæ, tam patiens eſſe quis, convicium qui non faciat, poſſet? Sed mittamus iſtiuſmodi medicorum vulgus, è quibus magnam partem videmus abundare quidem verbis, rerum autem ſcientia miſere interdum egere, ac ad inſtitutum redeamus, cujus ſumma eſt hac in curatione, ut cuſtodes adſumendos medicos, non ut curatores. Eoſque ut ſæpe jam dixi delegendos ſanos & perdoctos, quique experti plurima ſint, & ſic animati, ut ſoli ſapere malint quam communiter errare. Et qui fabarum eſu curare ægrum ſi poſſint, non quærant ſumptuoſiſſimum aliquid, & in primis exoticum.

## CAP. XII.

*An ulla circa Medicinam hanc habenda ſit ætatis, vel ſexus, aut corporum qualitatis ratio.*

Quos ajebam percontandi cauſa Hiſpanias adiiſſe, cum quærerent, pueris etiam ne poſſet & confecta jam ætate hominibus hoc ſubveniri remedio, quod dubitabatur, utriuſque ſexus imbecillitas an ferret diætam hanc, reſponſum acceperunt ab iis, qui in inſula fuerant, pueros quidem hac medicina liberari à morbo non vidiſſe ſe ut reliquos, ſed retuliſſe inſulares, ſolere & ipſos ſic curari, ac citra diſcretionem mulieres etiam, ſenes autem utplurimum, quod reputanti mihi venit in mentem, nota Hippocratis ſententia, Senes facillime jejunium ſuſtinere, mox in robuſta & firma conſtitutus ætate, minus adoleſcentes qui ſunt, pueros minime, animo præſertim qui ſunt propenſiores, magiſque vegeti. Quanquam ibi non ultime ſenes intelligi velit Galenus. Jam & ſanguinea corporis qualitate qui cenſentur, magis ac diutius inediam ferre conſtat quam cholericos. Quoniam in illis corpus qui alunt, humores uberius adſunt, calor temperatur, minuſque adurens, quippe humido commixtus ut fit remiſſior. In his vero tenuia & ſicca omnia, ac humoris indiga. Deinde pituitoſos, quando hi pluſquam oportet humecto abundant, tolerare optime famem quis dubitet? Quibus animadverſis conſilium non deerit, quacunque in ætate utcunque conſtituto cuilibet, negotium hoc qui volet experiri, ſcietque unuſquiſque ut attenuanda victus ratio, utque ſit dilatanda, & ut arctius inducendum jejunium, utque laxius indulgendus ægro cibus. Neque id tantum, ſed & Guajacum ut plus minuſve infumi oporteat. Quanquam ibi parum habendum differentiæ cenſeo, quod non eſt hujuſmodi decoctum illud, ut in præcedentibus dixi. Item, quod impetu curet, aut perrumpendo ſalutem acceleret, ſed quod lente ac paulatim pœne ſine ſenſu det effectum, ita ut metuendum non putem, ſive ſeni adminiſtretur, ſive puero, aut puellæ, ne plus ingeratur, dum ne quis nimio quem præſcripſimus modum excedat. Tantum abeſt ut pinguibus quam macilentis plus dandum moveam. Quinetiam ait Celſus, inter valens corpus & obeſum intereſſe, rurſumque inter tenue & infirmum. Tenuiores enim magis ſanguine, pleniores carne abundare. Id quod ſæpe, ut in me dixi evenille, fallit medicos, dum gracile corpus infirmum continuo exiſtimant, at obeſum ac procerum, robuſtum. Jam illud obiter admonendum judico, meum patrem ſexagenarium prope convaluiſſe Guajaci remedio, nihil graviter ferentem, & diætam hanc rigide obſervantem, cum nullo interim conſulto medico, ne viſo quidem, meis tantum uteretur præſcriptis.

## CAP. XIII.

*An ubilibet idem ſit ejus uſus.*

Ad hoc quæri jam ſcio, credendum ne ſit ubique eundem eſſe Guajaci uſum, atque idem juvamentum. Et cum maxime externa res ſit, an putetur ſic Germanis convenire ut Hiſpanis, & illis ſobrie viventibus populis, deinde quomodo cæteris? Neque enim dubitabile videri debet, ſicut in aliis, ita circa hujus quoque medicinæ adminiſtrationem, aliquam haberi naturæ locorum rationem oportere. Nam ut anni tempus, quod ſit, animadvertendum ibi eſt, ita cœli conſiderandum eſſe tractum videtur, cum ob alias rationes complures, tum vero quia aliter famem in denſo, aliter in tenui cælo ferimus. Quo loco reliqua quidem huc quæ pertinent, phyſicis æſtimanda diligentius relinquo, ipſe quæ didici, & quantum ad Germanos videtur attinere, non ſinam ignorare quempiam. Primum igitur putant exploratores Hiſpanienſes unam eſſe hanc in his morbis ubique medicinam, tam quia nihil habeat, quo non indifferenter uti ubique omnes poſſint, quam in quinque diverſiſſimarum nationum hominibus, facto periculo, quia cognitum hoc ſit. Quarum in Hiſpaniam quidem primum venit, ex Spagnola, arrectis in eventus expectationem aliis circa nationibus, ubi cum feliciter ea uſos eſſe multos contigiſſet, acceperunt eam Siculi. Deinde in Italiam tranſiit, ſtatimque Germani, & ipſi experimento vim ejus didicimus. Nuper & apud Gallos audivimus ejus ope conſaneſcere plurimos. Quod cum ita eſſe cognoverimus, & ſub eo nos degamus cælo, quod haud ita, quemadmodum Italiæ, Hiſpaniæ, & id genus ſubtilioris cœli regiones, obnoxium morbis eſt, quo minus in metum veniant ea, quæ aliunde accidere mala poſſunt, ut febres, laterum dolor, & hujuſmodi, deinde fortia ſint nobis, & laborum patientia corpora, ſitis denique ac eſuries, quanta præterea nuſquam, ac hilariter utplurimum affecti ſint Germanorum animi, quid aliud putare debemus, quam aptiſſimum huic medicamini hoc cœlum, aptiſſimoſque eſſe noſtros homines, id quod Paulus Ricius, ſani judicii medicus, ac eruditionis probæ & ſingularis, autumat hoc adhuc afferens, experimento cognitum ſibi, nullam eſſe ferendæ iſti diætæ aptiorem quam hanc nationem. Quod ſi non contigiſſet etiam plurimos videre hic reſtitui per Guajacum, & jam adhuc faciundum nobis periculum eſſet, tamen haud ita eſſe averſa ab hac patria numina, ut ſalutare hoc medicamentum non accipiat, credendum erat. Aut cum è Spagnola in Hiſpanias tranſportatum, vim ſuam retinuerit, & tam externæ ſibi genti, ac moribus etiam disjunctæ patriam communicaverit opem: nos ea tandem ut ſui non compares fraudare velit, atque huc maxime, niſi mutato genio advehi dedignetur, & ad ſolos Germanos potentem illam medendi vim ac virtutem, ubi demigrarit, ab ſe avelli patiatur. Scilicet compertum eſt, præſentiſſimum eſſe ejus hic juvamentum, fortaſſe etiam præſentius quam uſquam: Noſtros vero homines, ut alioqui crapulæ ſint imprimis diditi, ita ſi neceſſe ſit, famem ac ſitim ſtrenue & quam longiſſime dubio procul laturos: quinetiam ut calore abundant corpora noſtra, ob idque robuſtiora ſunt (nam ut Ariſtoteli videtur, qui loca colunt frigida, inſito abundant calore, & quibus caloris eſt multum, ii robore ut plurimum pollent.) Quare conſultus nuper Ricius, an ſibi videatur, quia conſueti ſint Germani largius epulan-

do se implere, aliquid eis de victus, in curatione hac, tenuitate remittendum putet, ne tantum quidem inquit. Atque illud adjecit, non solum indulgentius quam Italici generis aliquem habiturum se ex ventricolis illis & in crapula consuetis Germanum hominem, sed arctius etiam, & exigue magis multo. Dixitque mihi ipse, quod crassis illis quendam, decem amplius quam oportuisset dies, fame cruciasset nuper, quo nequid superesset, Guajaci operationes quod morari posset, & talia hujusmodi quidem vel ob id de Ricio promptius commemoro, ac de Stromero sæpius moneo, ut intelligant qui legent, quos ego viros recte medicos dici, & quam istos vulgo tortores infra appellationis hujus dignitatem locandos existimem, utque videant exteri, Germaniam habere sanos & ipsam medicos, cognoscantque omnes tam me teneri bonorum, & imprimis doctorum studio & amicitia, quam istos odisse vulgo indoctos pariter ac improbe audaces homines, qui postquam doctoris emerunt titulum, jam statim mortuos excitare se posse profitentur, & sepultis vitam reddere. verum, ad duos illos longe super hanc constitutos sortem redeo. Quorum hic, poscenti mihi anno superiori medicinam quo alvum expurgarem, noli inquit hac ætate, in qua naturam efficere melius omnia in proclivi est, venenis dilacerare stomachum, ille ut infundendis medicamentis parcissimus est, ita sub rigidissimam diætæ regulam cogit, quibus medetur, ægros. Quamobrem quendam Augustæ curandum hac via cum accepisset, atque ille prædiceret, vereri, ne haud posset à venereis continere se, quando igitur mori decrevisti ait, non me indiges ibi adjutore, dimisitque hominem ut intemperatiorem, quam qui intra suæ præscriptioni modum tenere se posset. Huc duos addo, excellentis & ipsos notæ, alterum à mediciuis tibi Princeps Opt. ALBERTE Gregorium Coppum, qui me conscribentem haud parum juvit, alterum in Archiepiscopi Colonienlis degentem Aula, Jacobum Ebellium quatuor ante annos tantæ authoritatis, ut ei publicum valetudinarium decerneretur, cedentibus ei peritissimis ibi medicis. Illum à doctissimis Papiæ, ubi maxime floret studium hoc, summa in admiratione habitum olim, cum quia in medicina constat esse egregium, tum vero quia cum professione illa optimas mirifice conjunctas habet literas, verum haud est hic locus doctissimorum hominum catalogum contexere, sed meam de Guajaco experientiam mandare literis institutum, proinde hoc loco Epilogi vice repeto, valde opinari me, nullis non hominibus ubi ubi nati, aut versati sint, pari prodesse salubritate.

## CAP. XIV.

*Quod ad usum Guajaci tempus deligendum.*

Esse autem melius æstate curationem hanc experiri, quam hyeme, his fere modis colligitur. Primum quod ut Galeno videtur succi eo tempore toto se extendunt ac diffundunt corpore, euntque ac redeunt, itaque facile secerni à bonis humoribus pestilentes possunt, atque ita hi expelli & ablegari, salubres vero & boni vendicari. Deinde quia fieri hac ratione putatur, ut morbi hyeme omnes altius radices agant, ac tenacius hærcant, æstate contra humores in motu sint, & corpus commutationi obnoxium plurimum, sed hæc in omnibus universim curationibus considerationem habent, quæ vero ad Guajaci remedium sigillatim pertinent, quia inibi magnum à fame & victus tenuitate adjumentum petitur. In partem quidem unam æstate magis quam hyeme provenire eam, argumento est, quod tunc magis famescere convenit corpus, utpote fervens & æstuans, quod si cibo insuper oneretur, in morbos facile dissolvatur. Vel igitur, ut Hippocrates scribit, nativus intus calor hyeme abundat, foris deficit, quod tunc ob instantem extrinsecus frigoris acorem refugit, & ad interiora se, tanquam in arcem recipit & abstrudit, æstate contra calor in humanis corporibus, affinem, ut Aristot. videtur, sentus aërem, ad exteriora se diffundit ac evolat. At medicinæ hujus est, reducere deperditos in corpus calores, ob idque videtur incongrue experimentum hoc adiri, quod tunc periculum esse putant ne si ad intranea convocetur extremorum calor, artuum extra vis nimis desoletur & exhausta sit his præsertim, qui natura frigent, quibus alioqui hyeme calor pro extincto est, & corpus vi frigoris enectum, ac demortuo persimile. Sed hic prætereundum minime est quod Coppus monet, cum sudores moveat Guajacum, sic malos excutiens succos, & à nocuo corpus humore levans. Imprimis aptam ad hæc æstatem, in qua subtiliores sint humores, cutis rarior, contra obstructi hyeme sudoris meatus, & succi in corpore concreti. In aliam rursus & contrariam sententiam, quia in curatione, quæ per Guajacum fit, majus nihil patiuntur ægri quam sitim, atque ea per æstatem quia acrius infestat jejunantes, difficillime tunc à potu abstinere ægrum arbitrantur. Quære in Hispanis, & ubi vehementior æstate calor, non adhuc fere auti sunt hoc temporis experiri eam. Adde quod per hiemem nascitur pituita, augeturque propter largius assumptum tunc cibum, ut Alexandro Aphrodisiæo videtur, at curatione hac, in qua famescere convenit, si tunc adeatur, caveri hoc poterit. Quæ quidem de duobus istis anni temporibus dici possunt, intensius calorem & frigus adferentibus, quæ media inter illa sunt, eorum videri potest ineptissimum esse autumnale, quod tunc maximus ægritudinum omnium proventus est, & ad pejus moventur humores. Quia puto, inæquale est hoc tempus, inordinatum, & nunquam sibi constans, atque igitur multiformes inducens morbos. Quinetiam plurimos opprimit, Celsus inquit, autumnus propterea, quia Gallicus morbus nervos in primis afficit, atque idem author docet, omni nervorum resolutioni ad medicinam, minus idonea esse tempora, hiemem & autumnum, sed hæ disputationes universim contendentium sunt, non de Guajaci tantum in medicina usu differentium, quare sic puto, in Germania saltem, melius æstatem deligi, sed ea incipiente statim ac desinente jam tum vere, quod mense puta Majo fuerit, quia neque tantus hic calor ut sitim non possint sustinere ægri, & trigus in hieme intensissimum, idemque vere etiam, & autumno vehementius quam in curatione hac ferre æger debeat, cum inter præcipua sit, qui per Guajacum restitutus est, fugere omne magna cura frigus. Quod vero ad ea pertinet, quæ æstate etiam accidere incommoda possunt, quominus metuenda sint, dixi jam ante, & suo quodam loco repetam, potionem hanc mirum in modum excitare virtutem nativam, & ne quis præsumat infirmationem majorem, quam cui post mederi liceat, vim esse ei inopia caloris debile corpus & exhaustum vegetandi & ad vigorem perducendi. Quæ nisi ut dixi ita haberent, & Hippocrates quodam, si recte memini, loco diceret, ver & autumnum aptissima esse ad venarum incisiones, & pharmacorum exhibitionem tempora. tunc optimum videbatur Celsi consilium, ad medicinam adeundam salubberrimum esse ver, proximam ab hoc hiemem, periculosiorem æstatem, autumnum longe periculosissimum.

## CAP. XV.

*A vino & venere quod in totum abstinendum, hac in curatione ægro sit.*

Et non ausim dicere divinitus hanc nobis contingere medicinam, quæ non aliter morbum adimit, quam ut vitæ quis sanctimoniam auspicetur? Cumque ut Christiana ferunt instituta, per duas maxime virtutes Deo conciliamur, corporis scilicet castimoniam, & cibi & potus abstinentiam, qui se non arctissimis his constrinxerit vinculis, curationem hanc non frustra tantum aditurum se sciat, sed citra periculum etiam haud prosequuturum. Adeo ut compertum sit, qui ante quadragesimum diem, ab inita ea, concumbat, mori eum necesse sit, sive non ferente injuriam coitus, exinanito jam corpore, sive hoc volente Deo, ne quis non sancte utatur tanto suo beneficio. Itaque omnium qui in Germania Guajacum experti sunt, unum adhuc quendam mori contigit jurejurando affirmantibus qui aderant hanc ob culpam. Proxime vini usum pestilentem ibi esse notum habetur, naturaliter alioqui fugiendum in hac ægritudine, quod corporis compagines solvat, nervos adficiat, cumque ejus vehemens sit penetrandi artus, & corpus quatiendi vis, putant fieri non posse, ut vino qui utatur, ejus in corpore aliquid efficiat Guajaci decoctum. Neque id tantum, sed cum res ibi convenerint diversissimæ, discrimen esse, & mortis metum in promptu dicunt. Qua re etiam sunt qui toto mense post exactum curationis ipsius tempus, à vino abstinendum moneant, quoniam medicina hæc in multos, post bibitam ipsam dies, effectus sui cursum prosequitur, cui nequid se objiciat, neu quod impedimentum occurrat, vini usum adimunt. Porro venerem qui fugit, is cogitet gulæ ne quid tribuat, illi fomentum ut sit. Sic habet vetus proverbium. *Nunquam fames aldulteria genuit.* Et aliud: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Ælianus scribit Zaleucum Locrensem legislatorem vinum ægris prohibuisse injussu medici, pœna capitis indita. Quod si non foret etiam Guajaci natura venerem non pati, & à vino abhorrere, tamen intensissimam esse eam, hujusmodi ægritudinibus correpto corpori, pleni sunt medicorum libri, propter articulos in primis, male ibi semper adfectos. Quare etiam refert Celsus *in artuum doloribus*, quosdam cum uno anno à vino, mulso & venere, sibi temperassent, securitatem totius vitæ consequutos. Atque idem colligit, raro vel castratos, vel pueros ante fœminæ concubitum, & mulieres, nisi quibus menstrua

ſtr… ſuppreſſa ſint, tentare eum morbum. Illud non A
præterea…dim, quod eſt in problematis Alexandri, …am qui bibant, ſenſibus eſſe quam alios omnibus acutiores. Nam vinum ſpiritales maxime vias obſtruere, & ſenſus obtundere. Et Cicero *lib. 3. de Natura Deor.* ait. *Vinum ægrotis quia prodeſt raro, nocet ſæpiſſime, melius eſt non adhibere, quam ſpe dubiæ ſalutis in apertum periculum incurrere.* At venus utcunque habito homine ventrem refrigerat, & exſiccat, teſte Ariſtotele, quoniam in concumbendo excernitur calor, & ex evaporatione quæ fit ibi, ſiccitas redit. En ſobrietatem & caſtimoniam, duo ſanctiſſima vitæ inſtituta, principem hæc in re obſervationem, ſummum præceptum, rei caput, extra quod periculum non eſt. Nam de aliis ibi fugiendis haud perinde metuendum, quod medicinam morantur quidem, aut omnino etiam impediunt: vitæ tamen diſcrimen non inducunt.

## CAP. XVI.

### *De ſale non adhibendo.*

Inter quæ de ſale quoſdam ſollicitos video; cur eo per tempus diætæ hujus uti vetitum ſit, cum ſalubrius alioqui nihil humano corpori perhibeatur, nec intelligere ſe dicunt, quomodo nocumentum ex eo ſit hac in ægritudine, quæ ex ſanguinis corruptione ejusque putrefactione tota proficiſcitur, cum ab utraque harum unus omnium maxime ſal præſervet ac vindicet? Quinetiam aſtringit ſal, exſiccat, alligat, & depurgat, quæ omnia eradicando hoc morbo, ſumme quærenda putabantur, ac neceſſario adhibenda. Primum quidem, quia corpus ibi diſſolutum & concuſſum eſt, deinde quia in fluctiones corrivati humores. Ad extremum (quod rei caput eſt) quia vitiatus, ac ſorde infectus ſanguis, ex toto impuratus ibi habetur, quoniamque nihil aliud eſt morbus hic, quam quædam propter turbatum ſanguinem immutata corporis conſtitutio. Haud aliter, atque ubi invaſit rempub. aliquam ſeditio, ſævitque animis ignobile vulgus, dirimuntur connexa omnia, ac loco moventur, nec ſibi cohærent, nihil ſtat, nihil ſibi conſiſtit, nulla tranquillitas, ſedatum nihil, turbata omnia. Quam corporis immutationem, membro- C rum concitationem, ac compaginis hujus quaſſationem, omneſque has turbas quodam quaſi ſuperveniente pietate gravi ac meritis viro ſene, ac prudente & primariæ in republica authoritatis, tolli contingit, dum regat dictis animos & pectora mulceat; ſic intercedentem commotis omnibus ſalem, qui concitata ſedet, dirempta uniat, ac connectat, diſtracta revinciat, turbata tranquillet, omnibus quietem, ſecuritatem omnibus inducat, aſtringendo ut dixi, deſiccando, alligando, & depurgando. Jam Plinius quantam & quam neceſſariam ſalis vim arbitratus eſt: *Sine ſale* inquit *vita humanior degere nequit.* Ergo igitur ajunt illi, quod alibi omnia conſervat, quomodo hoc in morbo corrumpere aliquid poteſt? Et cum hac in curatione danda præcipue opera ſit, corrupti humoris ne quid abundet, ſal vero ſordentes omnes humectationes reſolvat ac emendet, & fluxionem corporis compeſcat, credibile erat, copioſius quam alibi indulgendum ſali. Verum alia circa tractationem hanc habenda ratio eſt. Et primum quidem in totum quod ad morbum hunc pertinet, quomodo à ſalſis non omnibus, D ſed ab his quæ copioſius acuta ſunt, temperandum ægro ſit, à medicis petatur rem eam ad plenum multo jam ante proſequutis, de qua & nos re ad præſens, quod & Guajaci medicamentum quæritur, poſſumus dicere, quanquam in omnibus alioqui nervorum paſſionibus, & in his, qui ex ſanguinis depravatione pullulant, morbis, quæque ex flava vel atra bile, aut ſalſa pituita ſunt ægritudinibus, adverſum ſalis uſum, niſi exiguum admodum, ſciunt omnes, quod is acumine ſuo bilem acuit, ſanguinemque adurit, & nativa ſiccitate humores illos, corporis fomentum, areſcere facit, & idcirco omnia valetudinis ſubſidia everſit & interimit: tamen circa Guajaci adminiſtrationem totum univerſum ſalis uſum interdicunt ea ratione, qua acuta, præterea & facile penetrantia omnia, & in his aromatica, & vinum, quod omnia hujuſmodi acredine ſua & vi penetrativa, meatus omnes patefaciunt, altiuſque pertingunt, quo graſſante per corpus impetu, Guajaci interim operi locus eſſe minime poteſt. Quod ſi cui hæ minus ſatisfaciant rationes, ei ego dixerim quod de Magnete ferunt phyſici, ſi allio perungatur, non attrahere ferrum, ſic quandam ſubeſſe occultam & haud dum ſatis cognitam Guajaco vim, & hoc maxime proprium, ſalis uſum ut abhorreat, peſſumque eat, inducto eo. Atque hæc de ſalis fugiendo hic uſu. Nunc de eo, unde omnis diætæ hujus ratio dependet, victus ſcilicet tenuitate, & inedia quemadmodum emacerandum ſit corpus.

## CAP. XVII.

### *De victus tenuitate & fame ibi neceſſaria.*

Et de victus quidem exiguitate, ac ſubtrahendis ægro cibis, & inducenda fame, quamquam dictum erat prius, tamen peculiariter hoc iterum loco admonendum duximus. Non quidem alia ejus quia cauſa ſit, quam quod corpus quærit medicina hæc exinanitum, & ab omni repletione liberum: ſed ut oſtendam, aliquem fuiſſe etiam apud veteres hujuſmodi curandi ægros modum, atque apud Diodorum quidem legere eſt, *Ægyptios vel jejunio, vel vomitu, ægros ſuos curare.* Aſſerunt enim ut inquit ille, ex ciborum ſuperfluitate imprimis creari morbos, eam ergo ad valetudinem curam eſſe optimam, quæ morborum principia auferat. Proinde deſinant quidam impatientius hanc ferre diætam, illi inquam ebrii, illi crapulæ dediti intemperantes homines, quibus, ut Perſius ait: Summa boni eſt, uncta vixiſſe patella, quibus vel unum ſine cibo B ſemidiem vivere graviſſimum eſt, quorum ut ille ait, Deus venter eſt, quibus & ars & vita ſagina, quandoquidem tantillo labore, tanto depulſo malo, tam ingens conciliatur bonum. Ac periculum ibi jactare deſinant, quod ex imbecillitate, quam inducat fames, proveniat, quaſi qui ſic cœnet, poſſit unquam deficere, cum Plinius dicat, *intra ſeptimum diem inedia neminem mori, pleroſque ultra undecimum quoque duraſſe.* Et Albertus ſcribat, ſuo tempore in Germania fuiſſe fœminam, quæ ſine cibo dies quandoque viginti totos egerit, ſæpe etiam triginta. Et virum ſe vidiſſe, qui ſine cibo ſeptem perſeveraverit hebdomadas, alternis tantum diebus aquam ſorbentem. Iterumque Plinius dicit, *compertum ſibi, Scythas in duodenas nonnunquam dies fame & ſiti durare, quaſdam ſolum herbas in ore habentes.* Ammonium philoſophum Chriſtianum nunquam ediſſe niſi panem aſſum ferunt. Quod ſi reputet quis, & illud etiam meminerit, ab hiſtoricis traditum, ex Magnis olim quoſdam, præter farinam & olera in cibum nihil adſumpſiſſe. Et Diodorum ſcribere, priſcis Ægyptiis herbas radiceſque victum fuiſſe, ac Heſiodum monere, malva & aſphodelo victitandum, quo C item victus genere contentum interdiu Epimenidem, Plato *in legibus* meminit. Si quis hæc ſibi proponat inquam, & conſideret, tum vero inveniet, laute nos ex hac diæta vivere, & pœne plus quam opus ſit adſumere. Quod ſi magnum eſſet etiam tantillum abſtinere à cibo, quis eſt ita tamen inimicus ſibi, qui non hac moleſtia ſalutem ſibi comparandam ducat? qui non malit triginta dies famem, quam in omni vita morbum ferre? aut potius tot dieculas eſurire, ut in reliquum vitæ tempus incolumis & ſanus exiſtat, quam perpetuo magnis ut doloribus crucietur, ac ſanie & tabo diffluat, exiguam fugere moleſtiam? Duxi autem non novum eſſe hoc curationis genus, ſemper enim optimi medici abſtinentiam indixerunt ægris, inter quos Aſclepiades, ut Celſus prodit, ipſa præcipue ad remedium febris uti ſe profeſſus eſt, convellendas putans ægri vires luce, vigilia, ſiti ingenti, ſic ut ne os quidem abluere primis diebus ſineret. *Continentia* inquit Euſebius, *corporis valetudinem conſervat, & animi pudicitiam.* Quo argumento carni ſimul, & animæ utilem eſſe modicum D & temperatum cibum cognoſcitur, teſtante Timotheo, qui cum apud Platonem cœnaſſet aliquando, atque is ſuo more cibum appoſuiſſet, ad ſuos poſt converſus, dixiſſe fertur: *Quos cœna exceperit Plato, in poſterum etiam bene habent.* Hoc innuens ſcilicet, nimiam repletionem, aut ferculorum varietatem & copiam, ac opipare conditos illos cibos crudam conſequi percoctionis moleſtiam. Unde poſt obvius forte Platoni, *Vos o Plato* dixit, *in ſequentem magis diem bene cœnatis, quam in præſentem.* Porro apud Lucianum Pythagoricus ille Gallus ut magnum deorum beneficium Mycillo imputat, quod omnem ſemper febrem inedia repellere ſciat. Ob idque hujuſcemodi morbo remedium inediam vocat. Jam quale putandum hoc, quod divus Hieronymus ſcribit, morbo articulari & podagra laborantes quoſdam proſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam, & pauperes cibos redactos convaluiſſe? *caruerant enim ſollicitudine*, inquit, *diſpenſandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt & animam.* Et paulo poſt: *Nihil ita obruit animum ut plenus venter, & æſtuans, & hinc & illinc ſe ver-* E *tens, ac in ructus & crepitus ventorum efflatione reſpirans.* Illa autem quam multis documento erit hiſtoria, quæ legitur de ventricoſo quodam & obeſo Abbate. Is cum veheretur ad quaſdam thermas, obvium habuit nobilem quendam, qui percontatus, quo proficiſceretur, reſpondit Abbas, *in balneas ire ſeſe.* Tum ille quam ob cauſam quæſivit, & an aliquo laboraret morbo? Abbas morbi quidem eſſe ſibi nihil, niſi quod edendi appetentiam quæreret, eam nuper deperditam ut recipiat, adire calidas

equas, in hoc remedium salubres. Cui tum ille. At in hanc rem melior ipse ego medicus sum inquit, abductumque Albatem in profundum, ac tenebricosum quendam demissum carcerem, aliquot dies inedia maceravit, post interrogans, num jam appetat cibum? Illo adnuente: Dignum est igitur ait, mercedem mihi pro medicina ut solvas, & ducentis aureis nummis mulctatum dimisit, sanum jam, & in tantum cibum appetentem, ut fabis etiam & oleribus vesci posset, cum prius delicatissima quæque respueret, bellum facinus in eum, qui non esuriendo cibum, sed satur esuriem quærebat. Sed hæc longius forte quam oportebat. Igitur ad alia, si hoc claudendo prius dixero, medicamentum Guajaci ventrem requirere, in quo nulla ciborum varietas intestina tumultu agitet, non impletum temere, ab omni vaporum eruditate mundum.

## CAP. XVIII.

*Fame quo etiam pacto ferri facile possit.*

Atque hæc ciborum parcitas non ferri tantum potest, sed facile etiam potest, ob vim quæ adest Guajaco, attenuato corporis robore, vitam conservandi & efficiendi, ne omnino comedat æger. Recte igitur monui, quantum fieri possit, abstinendum à cibo ægrum, eique si deficiat, non cibo quidem, sed illis succurrendum esse, quæ dixi, quantum possit odoramentis ori admotis, & illo imprimis calenti pane. Quod si defluere & collabi sentiat aliquis se omnino, quod nescio quomodo fieri possit in quopiam, cum mihi in tantum nihil tale contigerit, tunc ad illa recurrendum suaserim, quæ Plinius putat, exiguo etiam gustu famem sedare, ac sitim restinguere, butyrum & glycirrhizam, aut sequendum ibi Celsum, qui sic ait, unum illud est, semper quod ubique servandum, ut ægri vires subinde assidens medicus inspiciat, & quandiu vires supererunt, abstinentia pugnet. Si imbecillitatem vereri cœperit, cibo subveniat. Nisi hoc sequi aliquis malit, quod Gellius tradit, scripsisse Erasistratum, Scythas, ubi ex quavis causa sit usus famem diutius tolerare, latioribus fasciis ventrem strictissime cohibere, & circumligare. Ea ventris compressione esuriem posse depelli, aut patientius ferri credentes, nam cum, ut idem tradit, ex inanitate sit fames, eamque patentes intestinorum fibræ, & cava intus hiansque ventris vacuitas efficiant, constricto autem ventre expleatur eo, ut vacuum coëat, famem esse non posse, ubi ista non sint, & inediam facile ferri. Quanquam inediam quid dico, quæ in hac curatione non est? famem dicere potui, quantulumcunque est hoc, quod ferre quidam gravantur. Tolerabilis est enim, etiam si aliunde opem quis accersat penitus nullam. At illis molliculis ægrotis quid potest esse leve, cum non tantum famis impatientes sint, sed etiam non appetere cibum intolerabile sibi ducant. Qui, à diis immortalibus petendum est, si quando ægrotant, nunquam ut convalescant, quandoquidem tantillo impendio, valetudinem emere gravissimum quiddam opinantur, de quibus meo more fecero, si latius admoneam, præsertim ut plurimum in Germania nostra errari sic cum videam.

## CAP. XIX.

*Contra luxum, parsimoniæ laus.*

Quod faxit Deus Opt. Max. aliquando se ut noscat hæc natio, non tam quia indignum est, orbis imperatore populo sic vivere, quam vel potissimum, quod magnorum nobis sæpe malorum summi passim contemptus causa est hæc crapula. Atque alii quidem, si quantum possunt edant ac bibant, transire se legem naturæ putant. Nos quantum ferimus dum ingurgitamus laudem etiam quærimus. Quid ista sibi volunt enim potatorum certamina? istæ pugnæ? quando, qui plurimum bibit, maxime apud convivas applausu excipitur. Quando vicisse bibendo gloria est, inebriari ac evomere nonnunquam haud turpitudo. O patriam, O imperium. Nihil illos miror Polonos, aut si qui alii sunt, magis etiam quam nos ebrios, hanc dico nationem dignitatis suæ rationem habere oportuisse, nisi credibile est ludibrio nostri, non virtutis majorum nostrorum reverentia & opinione, concessisse sub imperium hoc reliquas nationes. Certe profecto alii fuerint illi, quibus hic habitus honor est, quam hi qui sic contemnimur, necesse est. An puer in Italia est, qui alio nos, quam ebrietatis cognomento discernat? Nos igitur illi cum simus, quorum prius flagitium in ore exteris est, quam in mente humanitatis suspicio, aut non hanc mutamus vivendi consuetudinem, aut illud nullo pudore, tanquam indigne refugimus honestamentum? Vel non aliquando futurum metuimus, ut turpius imperii titulum pariter & fructum amittamus, quam glorioſe imperandi munus oblatum nobis ultro accepimus? tunc scilicet propter sobrios illos, & ratione vincentes homines, nunc vero decet nos sub ebriosa & humanitatis experte barbarie, pati dominium? Quod si in nostrorum hominum sensum non cadit suum intelligere dedecus, at perniciem agnoscamus tandem. Et si tanti gloriæ jacturam, animorumque dedecus non facimus, quo minus perdite vitam degere libeat, saltem ibi sapiamus, ut corporum sit integra nobis salus, quæ in his conviviis, hac crapula, his comportationibus quas, ut Satyricus inquit,

*Circumsilit agmine facto*
*Morborum omne genus,*

esse non potest, nisi adflicta & misera, sed mentem exuit Germania, ac sui obliviscitur, non tota illa quidem, sed in Germania plurimi. Hi sunt qui in cœnam producunt prandium, cœnam in plurimam adeo noctem. Hi sunt, quorum flagitio factum est, ut magna hujus patriæ infamia cecinerit externus poëta, non malus ille quidem, vel ob id, quia odisse malos videtur.

*Arce sedet Bacchus, languet neglectus Apollo,*
*Hic nihil est aliud vivere, quam bibere.*

Quanquam ebrioſi illi per insaniam errantes contemni poterant. Illi vero, qui laute cœnando, ac molliter vestiendo, in medium se diliciarum pelagus præcipites conjecerunt, communi omnium odio digni cententur. Hi sunt, qui in coacervatis pulvinaribus supini cubantes, quicquid terra marique conquirere licet, non ut vitam sustentent, sed ut gulam oblectent, insumunt, qui nonnisi molliſſimo vestiuntur lino, quos purpura tegit, qui tenellulis murium pellibus, non contra frigus muniuntur, sed per delicias fulciri gaudent. Hi sunt, qui ad vulgaris panni attractum offenduntur, sericum aliunde petunt, quorum cutis non fert nisi Milesium aliquod vellus, aut si qua sunt Milesiis adhuc teneriora, qui in compotationibus consultant, in consultationibus potant, qui serium nihil tractant, omne in conviviis ævum agunt. Non in tota hæc iterum dico Germania fiunt, sed tamen quod extreme pudendum sit, apud illa fere Germaniæ capita, illos nobiles, qui cotidianis saginati epulis, ad illas sese accommodant, pontificales cœnas, in illis deliciantur ganeatis propinationibus, unde prius omnia tulerint, quam aversos se trahi patiantur. Quibus vitæ scopus est, ventris indulgentia, in quos solos, si unquam tales in Germania belluas futuras suspicatus esset, dicere potuit Sallustius hoc suum. *Multi mortales dediti ventrique somno, indocti incultique vitam, sicuti peregrinantes transeunt.* At secum aliquis reputet, quæ fuit illa tempestate de Germaniæ populis Romanorum opinio, & sibi ante oculos ponat, quale monstrum, quam invisum haberi tunc potuerit ista nostra, quæ hodie est gulæ demulcentia. In qua ubi bonam vitæ partem egimus, tunc ea inde retulimus, quæ necessario hoc vitæ genus sequuntur, innumeras scilicet morborum species. Ibi tum non culpam nostram agnoscimus, sed Deum quoque crudelitatis accusamus, & cum morborum semina tanto nobis impendio, tam magnis sumptibus comparaverimus ipsi, & clades ultro nostras alamus, ac patrimoniorum nostrorum dispendio foveamus morbos, tamen in aggeribus cervicalium prostrati, ubi manibus ac pedibus capti tenemur, incusamus naturam, & dolores nostros Deo imputamus. Neque enim aliud faciunt tunc gulones hi, quam illi apud Juvenalem, qui,

*Missum ad sua corpora morbum*
*Infestu credunt à numine, saxa deorum,*
*Hæc & tela putant.*

Atque utinam aliquando ad illas redeamus ex avena pultes, & istis ut prius amiciamur laneis indumentis, ut vestibus singulos prope artus exprimentibus, ut hujus pigeat sericî, has odio persequamur infinite sinuosas togas. Quid aliud sunt enim ista omnia, quam patrimoniorum prius nostrorum dilapidationes, deinde morborum quoque propagines? Sane majores nostri, cum parcissimam vitam observarent, maximas res magna cum gloria gesserunt. Nos, qui ut jucunditatis affectationem impleamus, venena quoque cibi vice usurpamus, quanto jam tempore quam nihil facimus Germania dignum? Præstabat barbaros & dici & haberi, in illis ut tunc sordibus, quam in hac luxuria, hoc dedecore ingeniorum palmam aucupari. Quid dicat igitur Magnus Carolus, si ad nos redeat, & illos videat byssina uti summa veste principes nostros, cum ipse lorica vestiretur interula? Aut ex Otonibus illis, qui in pulvere & luto virtutem extendebant, cum nostrates unguenta sibi illinant, exquisitissime apparata. Insigne est Chrysippi maledictum in eos, qui unguentis uterentur ad libidinem, & alienam voluptatem. Male sit istis inquit delicatis qui rem tam bellam intamaverunt, atque hoc molles olim populi factitabant, de Germanis nemo suspicatus est, fore unguenta ut oleant. At jam thyoma-

ta

ta & myromata & xeromata & odorum genus omne, tanquam vitæ neceſſariam rem adſciſcimus, & olemus exotica illa ambitioſiſſime. Neque mulieres tantum ſic errant, ſed & viri, principes maxime & ſacerdotes. At in Græcula civitate Solon divendi unguenta vetuit, & unguentarios civitate pellebant Lacedæmonii, oleum corrumpere eos dictitantes. Apud eoſdem conviviorum apparatum, & lautiores menſas ſuſtulit Lycurgus. Graviter etiam iſtiuſmodi luxus genus increpuit apud Xenophontem Socrates. Profecto alienum fuit ab antiquis Germanis, omne voluptatis ſtudium, remque putabant maxime externam, utcunque molliter ſe habere. Quoſdam ego audivi ſenes, qui dicebant juvenibus ſibi togam fuiſſe ſuſpectam, cum nos purpuram adoremus hodie, igitur o depravata ſæcula. Tegebantur illi inexcultis ferarum pellibus, & ſub divo, ac in caſtris pernoctabant, & laboribus confirmabantur, cum nos molliter veſtitos, & ſub peregre elaboratis illis gauſapinis deliciantes, omne luxus genus enervet, ac interimat. Et poſſit ſperare quis finem habituram facile hanc vivendi in Germania conſuetudinem, cum exemplum ejus ab his, qui ſacerdotes vocantur, emanet præcipue? Hi non in celebritatibus tantum & epulis ſacrorum, ſed unuſquiſque domi ſuæ in patinarum paludibus innatant, ac vitam vocant edere & bibere, aut ſi non vocant, certe exiſtimant, atque inde alii nihil non licere ſibi putant, cum hæc illi faciant. Quo fit ut ſuus a Germanis patrius & genuinus mos exulet, in tantum inclinatis hic moribus ut perditiſſimas quaſque luxu gentes provocare poſſimus. Quin potius foras propellere iſta conveniebat, & quemadmodum placentæ Diogenes, ita externo iſti luxui dicere, ò hoſpes, hinc cito proficiſcere. Aliquando nos enim vel externa erudire exempla debebant. Et cum hodie regium imprimis putetur profuſiſſime crapulari, audite Menedemum philoſophum Antigono, an luxurioſum convivium adeat percontanti, reſpondentem. Memento Regis te eſſe filium, aut vero Antiſthenem, qui delicias laudante quodam, Inimici inquit delicate vivant. Inſcriptum cordibus noſtris debet eſſe Pauli oraculum. Eſcæ ventri ait & venter eſcis, Deus autem & hunc & illas abolebit. Idem cum opera carnis damnaſſet, inter quæ ebrietatem & comeſſationem poſuerat, ſubdit, de quibus prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quod qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt. At illi hæc agunt nunc, qui in regnum Dei duces nobis eſſe debent, ſacerdotes, canonici, epiſcopi & pontifices, in tantum ut per Germaniam proverbii vice ſit, ſacris initiari debere eum qui velit ſuaviter vivere, quaſi hæc illos inprimis vita deceat. Avi mei Laurentii Hutteni in literas referenda frugalitas, magno nobis ad gloriæ ambitum incitamento eſſe debet. Is cum locuplete eſſet cenſu, ac in magnis etiam Principum noſtrorum negotiis, domi pariter, ac militiæ verſaretur, in ſuam domum, piper, crocum, zinziber, & id genus peregrina condimenta, nunquam admiſit, nec alio ipſe, quam ex noſtra lana veſtimento uti ſolitus eſt, cum ob bene geſtam rem, pretioſæ illi quandoque veſtes donarentur. Idque non tantum faciebat ipſe, ſed magno etiam apud æquales ſuos, convicio mores hominum inſectabatur. Quaſi non apud nos inquiens naſcatur, quo, ſi gulæ oblectamentis opus ſit, condiri noſtra poſſint, aut veſtimentorum corporis pretium, animi qualitatem arguat. Sed de hoc viro ne meam ibi gloriam captare videar, loqui deſinam, ſi hoc prius dixero, ita ſentire me non perinde pulchrum eſſe ex hac familia, ubi quædam alioqui jactationis materia invenitur, quam illius nepotem, qui ſic vixerit, naſci. Et majores quidem noſtri, ac illi quos adhuc vidimus pueri, ſenes, cum ſic cœnarent, ſic veſtirentur, bene conſtitutis corporibus fuerunt, & contra famem ac ſitim, frigus & æſtum per laboris patientiam induratis, cum nos ad primas ſtatim pruinas, manus ac pedes contrahamus, ac incipiente ſtatim hieme, triplicibus muniamur pellibus aut intra illa nos recondamus tepidaria, unde non eximus niſi ad mediam jam æſtatem, torrente & caloribus omnia adurente ſole. Cum inquam vix decimus quiſque nunc reperiatur in Germania nobilium, qui non aut podagra laboret, aut articulari morbo crucietur, aut hydropiſi infeſtetur, iſchia, lepra, aut illa maxima ſecum mala invehente morbo Gallico divexetur. Aliquando igitur ad nos redimus? & illam hac natione, hoc imperio dignam ingredimur vitam? Quam etiam qui, ut hi quos dixi, molliter nimis vivunt, tamen laudari apud ſe patiuntur. Neque enim quemquam fere iſtorum eſſe puto qui, etiam ſi ſtudio omni mollitiem colat, & indulgentiſſime circa luxum vivat, non in aliis tamen oderit eam vitam. Niſi eſt adeo per incontinentiam excæcatus quis, ut iſtos amet perdite moratos Sardanapalos, & Heliogabalos, aut multorum diverſi inſtituti parſimoniam oderit. Profecto amabilis eſt virtus, etiam apud eos à quibus poſtergatur. Vetus Catonis condimentum eſt, pultem miſcere caſeo & ovo. Illis autem vere Germani, olim, ut adhuc hodie multis, pultem ex avena cibum fuiſſe Plinius refert. At nos tranſmarina cœnamus tanta neceſſitatis opinione, ut decretum omnibus paſſim patribusfamilias ſit, quæ hic proveniunt vendere, ut illa emantur. Quæ res una locupletavit Fucheros, qui donec nos ſic curamus corpora, ſoli pecunias habent in Germania, ſoli magnificas ædes ac ſpecioſa ædificia. Quippe in tantum creverunt, illi voluptatis noſtræ miniſtri, ut eorum opes, ante cujuslibet ex his principibus, cenſum habeantur. Adeo extra nos peregrinamur, adeo non intelligimus quæ modo decoquat Germania. Quare ſic puto prudentiſſimum fuiſſe, ſi quis omnino, qui ſuperiori ætate hunc metuit nationi noſtræ luxum, has vitæ illecebras, unde tot peſtes, tot pullulant morbi, omnibus palam videntibus, ab his ſecurus agat, quia illis æquo animo careant. Et qui noſtris herbis, (ſunt adhuc aliqui enim Germani tales, bene habitis utplurimum corporibus) vivat. Illos contra, qui digitos habent croco infectos, & cinnamomum ructant, ac cariophyllum ſpirant, & in veſtium luxu deliciantur, omnibus paſſim obnoxios ægritudinibus. Quam proprie igitur locupletem podagram appellat Satyricus, quod egentes fugiat, & abſtemios, apud divites ut plurimum hæreat, crapulones, ebrios, & deliciarios, qui ut idem poëta inquit.

*Interea guſtus elementa per omnia quærunt.*

Itaque cum affatim producat hæc terra vitæ neceſſaria, tamen quaſi a natura derelicti, ad externa confugiunt veſtes, cibos, medicinam, ab Herculis columnis, a Taprobana, inſula, a Gange fluvio, aut quæ loca iſtis adhuc longinqua magis ſunt, & a Nili prope ortu, petentes. Dii mortuis iraſcantur, qui hoc in Germaniam malum admiſerunt primi. Rem fecerunt enim indignam Germana gravitate. Nam tales haud fuerunt illi veteres, id quod mecum increpare decet optimum quemque, & qui potiores

*Herculis ærumnas credat, ſævosque labores,*
*Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.*

At o Chriſte quam delicata, quam ſalubria alimenta ſunt, ex ſiligine aut tritico panis, ex milio, oryza, ptiſana, & avena pultes. Adde olerum tot ſpecies, adde hortenſia condimenta, aniſum, coriandrum, cyminum, fœniculum, adde ſinapi, erucam, cepe, porrum, allium, & quod, ſi Plinio crederemus, peculiarem in condimentis gratiam habere debuit, apium, & potus vice cereviſiam. Adde etiam pro divitibus vinum, ſimplicem & ſinceram, ut Apollonius ſentit, terræ potionem. Idque parce bibatur, ſive in Francis natum, ſive ad Rheni ripas. Adde ex noſtris animalibus carnes, hinc cicurum, inde ferinas, injucundo nequaquam ſapore. Nec arborum contemnendi fructus, quam enim dives eſt Germania, quam abundat vitæ alimentis, quam affatim ſuggerit neceſſaria? Meum igitur ſummum votum eſt, ne unquam podagra, unquam morbo Gallico careant, qui pipere carere non poſſunt. Et ut aliquando miſere famem ferre cogantur, qui nunc undique, non cibum quo vivant, ſed quibus gulam irritent, ac appetitum invitent, illecebras quærunt. Atque his quam ſanctè invidit Galenus, quando ab ebrioſorum & gulæ deditorum hominum, (ſi quando ægrotarent) curatione, interdixit medicis. *Redacervant enim cito*, inquit, *per vitæ intemperantiam, crudos humores, ut fruſtra evacuentur iſti. Cito expletur*, Hieronymus ait, *naturæ neceſſitas, frigus ſimplici veſtitu & fames cibo expelli poteſt.* Anaxerxes Perſarum Rex, ad eam aliquando neceſſitatem redactus, ut ficubus aridis & pane hordeaceo veſceretur, rerum varietatem ſimul & ſuam fortunam contemplatus, cujuſmodi, inquit, voluptatis expertem me regalis fecerat affluentia? Quo exemplo intelligere datur, quod hi qui parce vivunt & ſobrie, ſoli in luce verſantur, & vivere ſe intelligunt, qui contra indulgent corpori, ac omnia ſibi ingurgitant, in quibuſdam quaſi tenebris errantes, non ſentiunt ſuam ipſi vitam. Tantum abeſt jucunde ut vivant, quanquam ſentiunt paulopoſt, in morbos, ubi inciderunt, & tunc quidem cognoſcere incipiunt, quam vitam, quo præmio delegerint. Nam ut Perſius vſ. 58. ait,

*Cum lapidoſa chiragra*
*Fregerit articulos veteris ramalia fagi,*
*Tum craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem,*
*Et ſibi jam ſeri vitam ingemuere relictam.*

Ergo dubitamus, quæ tot morborum cauſa Germanis ſit, cum meminerimus adhuc, cum illo luxu has invaſiſſe corporum clades. Jam enim ita ganeæ, ita deliciis ſtudemus hic, ut videamur quaſi propoſito præmio, cum aliis extra populis de turpiter vivendi principatu contendere. Habemusque hanc ad rem non imperitos quoſdam miniſtros. Hi ex ultimis terris conquiſita ad nos gulæ irritamenta convehunt. Hi quod edamus atque bibamus & quo veſtiamur, miro ſtudio peregre important. Quod

eum diu jam magno ſuo, ut prius dixi, commodo fecerint, adeo quoſdam delicatos reddiderunt, ut hic viventes Curſicum bibant, & ab Italis petita cibaria inſumant, contra Romæ quando ſunt, eo, quod apud Rhenum naſcitur, aut quod Neccarus gignit, vino utuntur. O perverſam vivendi conſuetudinem. O rem odio dignam, vel idcirco magis quod Epiſcopi ſunt qui faciunt iſta, quales ego homines à dis immortalibus cum Philoxeno illo, ut eſt apud Ariſtotelem, optare credo, collum gruis dari ſibi. Ariſtophanes Syracuſanorum menſas, & Sybaritarum luxus notat, ſuggerebant hoc ſua illi tempora. At nunc idem ille ſi vivat, quo ore, quo ingenio ſatis iſta culpare poſſit noſtra prandia, noſtram ingluviem, noſtras compotationes? Audiant igitur omnes, qui virtutibus excellere volunt, & ingenio qui volunt, Pythagoram dicentem, hominem ex homine nihil altum cogitare. Id eſt incontinentem & luxu diſſolutum, donec quidem in ea vita ſit, nihil poſſe ingenio, nihil animo uti. Homini cibus utiliſſimus eſt, inquit Plinius, ſimplex, acervatio ſaporum peſtifera, & condimenta pernicioſiora. Hæc Perſius II. 42. intellexit, cum ſic trenderet

*Poſcis opem nervis, corpusque fidele ſenectæ,*
*Eſto, age, ſed grandes patinæ, tuccetaque craſſa*
*Adnuere his ſuperos vetuere, Jovemque morantur.*

Apud Ciceronem Cato inquit, *libidinoſa & intemperata adoleſcentia, effœtum corpus ſenectuti reddit.* Atque idem ſuadet, tantum cibi & potionis adhibendum ut reficiantur vires, non ut opprimantur, ac hominis menti (quod divinum munus ac donum vocat) nihil tam eſſe inimicum quam voluptatem putat. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe, nec omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. Magnamque habendam ſenectuti gratiam cenſet, quæ effecerit ut non liberet, quod non oporteret. Impedit enim inquit conſilium voluptas, rationi inimica, ac mentis perſtringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Igiturque bene cum ſenibus agi putat, quod cum careant epulis, extructisque menſis, & frequentibus poculis, interim vinolentia quoque careant, cruditate & inſomniis, quæ iſtam conſequuntur mollitiei indulgentiam, morbi ex ſatietate nimia concitantur inquit Hieronymus. Scitum eſt hoc cujuſdam noſtratis medici, qui cum ægro cuidam, qui veteres in tibiis fluxiones patiebatur, mederetur, atque is crapulæ eſſet deditus, & fortiter biberet, nec minus tamen quereretur nihil proficere medicamina, quin multo etiam, quam à principio magis fluere ulcera. *Iſta quidem*, inquit, *fluere deſinent, ſi tu infundere deſinas.* Galenus athletas, quorum vita & ars ſagina eſt, nec vivere poſſe diu, nec ſanos eſſe dicit, animasque eorum, ita nimio ſanguine & adipibus quaſi luto involutas, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnibus & ructu, ac ventris ingluvie cogitare. Antiqui Romani menſam neceſſariam vocabant, quæ tenuis eſſet & frugi. Et apud Græcos literis clarorum virorum decantata eſt ἀλιγοσιτία. Eſſei, quoddam apud veteres Judæos Philoſophorum genus, ab Joſepho laudantur, quod jejunium cotidianum vertiſſent in conſuetudinem & alteram naturam. Phariſæorum idem continentiam effert. Qui nos perditos voluit olim, hanc credo vivendi conſuetudinem imprecatus eſt. Itaque tam ſollicite M. Cato, ut eſt apud Plinium, cum timuerit, ne quando, cum ſua mollitie, ſuoque luxu, in Italiam invaderent Græci, quis ex noſtris majoribus cavit, ne quid unquam iſtorum venderetur in Germania condimentorum? Pereat piper, pereat crocus, ac ſericum pereat. Aut ſi quis apud alias gentes iſtorum uſus eſt, ſaltem ea neſciat hæc natio, aut nunquam videat. Noſtratibus vero hanc mentem indat Chriſtus Opt. Max. ut antiquorum ad ſe revocent frugalitatem, & majorum ſe parſimoniæ conforment. Quanta animi magnitudine barbarus Anacharſis jactat vitæ inſtitutum: Mihi pulpamentum inquit fames, cubile ſolum, veſtis Scythicum tegmen. Ebrium Æſchinem, abſtemius Demoſthenes, civitate expulit. Socrates aliquando exoſus ganeæ deditos, & quibus in ſolo vivendi eſt cauſa palato, *multi idcirco ut edant*, ait, *& bibant, vivunt, ego ut vivam edo & bibo.* O vere ſapientem & dignum Apollinis commendatione virum. Memorabile & hoc eſt Græci poëtæ.

*Ventris habenas oportet tute regas.*

Quid ille? qualis fuit, quem omnes ut voluptarium inceſſunt, Epicurus? qui in voluptate poſuit ſummum bonum? Certe hoc quicquid eſt, quod tanti faciebat, ſimplici panis & aquæ uſu conſtare putavit, & victum laudavit tenuem ac parabilem. Scribensque ad amicum. Et mitte inquit mihi caſei Cithridi paululum, ut cum epulari pretioſius voluero, poſſim. Anaxagoras dicebat, qui ſuaviter edit, minimum eget obſonii. Porphyrius animum jejunio expurgari debere præcipit. Apud Philoſtratum Porus Indorum Rex corporis firmitate & membrorum fortitudine ſuſpicitur, aqua & pane vitam degens. Maſiniſſa ad nonageſimum uſque annum ſine pulmento victitavit. Mithridates Ponti Rex, qui annis XL. cum Pop. Romano bellum geſſit, ſtans veſci ſolebat, tantum abtuit, noſtro more in plumis ut adcumberet. Titus Livius de Annibale ſcribens. *Cibi* inquit *potioniſque deſiderio naturali, non voluptate modus finitus. Vigiliarum ſomnique, nec die nec nocte diſcriminata tempora. Id quod gerendis rebus ſupereſſet quieti datum, ea neque molli ſtrato, neque ſilentio accerſita.* Inter laudes Auguſti Cæſaris præcipuum eſt, cibi ac potus fuiſſe parcum. Hæc tam præclara, tam ſalubria vitæ exempla, ut mente & corpore valeamus, proponere nobis non malimus, quam utrinque ut ægrotemus, ad iſtorum contra naturam viventium gulonum, molliculorumque hominum mores, vitam inſtituere? Agite autem, Turcæ & reliqui extra religionem hanc populi, volent unquam effici Chriſtiani, cum nos ſic vivere videant? Sed futurum credo, ut ſuis edocta malis, reſipiſcat gens noſtra. Nunc ad inſtitutum redeo, & quia de victus tenuitate ſermo erat, dicam an qui circa victum ſic habet, cum vel ſine Guajaci, quod putant aliqui, potione reſtitutum iri putem.

## CAP. XX.

### *An ſola hac diæta poſſit reſtitui quis?*

De probis nulla debet eſſe mala opinio, ne ſuſpicio quidem. Hi certe vulgo medici diſrumpuntur, tantum poſſe medicamentum hoc, & ſolum poſſe, ac præter ſuam operam poſſe. Ita fremunt, multos paſſim repente ſanari, à quibus perpetuum ſibi ſtipendium conceperant, jugeque lucrum deſtinaverant. Quare etiam pertinaciſſime pugnant, ne unquam ſuis placitis (quod futurum timent) fidem abroget. Nuper quidem nugalia quædam prædicaverunt, ſi ex animo, errori imputanda, ſin vero invidia, flagitio, ſola hac diæta, &, quæ in curatione per Guajacum præſcribitur, victus ratione, quamvis neque Guajaci decoctum bibat quis, neque ullam omnino medicinam adſumat, poſſe reſtitui ægrum. Vidique ipſe qui promitterent juniperi ſcobem, & quercus, aut fraxini, vel pini, aut omnium ſimul limaturam, decocturos ſe, neque ſi id faciant dubitare, quin eoſdem contra morbos, eodem effectu mederi velint. Quod ad opus quanquam valde ſuſpicor, malevole conari eos, tamen optimam, & è ſuo voto fortunam precor. Quid poſſet enim felicius evenire nationi huic, quam in noſtris hoc ſylvis naſci, quod tam peregre alioqui petitur, tantoque nobis remedio eſt? Sed valde metuo, temere promiſſum hoc ab ipſis, eosque fruſtra conari, cum quia graviorem eſſe morbum hunc exiſtimo, quam fame, qui non etiam adhibito medicamento, præſertim altiſſime, ut plerunque, radices ubi fixerit, repelli poſſit, tum vero, quia ſi hæ quas dixi arbores, tale quid ipſæ poſſent, tam diu incognitam vim, utpote vernacularum arborum nobis futuram haud fuiſſe experiantur illi tamen. Quod enim eſt aliud medicorum officium, quam cotidie indagare aliquid & experimento cognoſcere, ac unicuique morbo quid medeatur inquirere? Verum ego omnes interim admonitos velim, quod in præcedentibus dixi, id credant, magnum eſſe quidem ſicut in aliis morbis, ita vel præcipue contra Gallicum, frugalitatis præſidium, verum haud tale, ut poſſit infectum jam ſanguinem, & morbi veneno corruptum, emendare, niſi quorum hæc vis eſt, medicamenta acceſſerint. Ut ſi bellum gerant duo aliqui, & hoc apud me alter obtineat, inimicum ſuum ne adjutem, imputare illi quidem poſſim quod non nocuerim, quod adjuverim etiam haud debeam. Ita cibi ac potus abſtinentia non tollit ipſa quidem morbum, ſed non alit. Quaſi dicat quis ſe neque vincire captum cum poſſit, neque ſolvere cum non poſſit. Dixi de podagra, & de articulari morbo dixi, reſtitutos ſibi, qui ad frugaliorem ſe victum tranſtuliſſent, aut à vino & venere qui temperaſſent, de hac ſcabie, & quæ illam conſequuntur mala, in mentem idem nunquam venit. Altius enim inſedit, quam ut cito avellatur, ac latius vires ſpargit, quam parvo negotio ut colligi poſſit, atque ita totum occupat, quem invaſit, ut à nulla ſeorſum parte amoveri ſuſtineat, niſi ſimulatque uno quaſi impetu à toto expellatur. Mihi ſane magno meo incommodo multa experto ibi, fides ſit, ſobrie & parce vivendo ſi cui evadere malum iſtud liceret, jam ante effugiſſe me, qui totos tres annos, ad ſummam maciem extenuavi corpus, cum interim non tenerem quidem morbum, ſed non etiam ejicerem. Agite tamen o magnifici promiſſores, coquite fraxinum, apparate juniperum & pinum nobis, ac, ſi videtur, buxum adhibete etiam, & cornum aut platanum, magni apud omnes beneficii gratiam inibitis, ſi per vos hic adſequamur, quod alioqui tam longe petendum erat. Majusque multo erit hoc veſtrum meritum, quam ſi efficiant Fucheri piper ut gignat hæc terra, aut

cinnamomum ut hic naſcatur. Ipſe ut cupidiſſime hoc à vobis, ſi unquam dederitis, accipiam, ita priuſquam dederitis, nihil credam in vobis tale eſſe, ne ſperabo quidem ſæpe jam fruſtra hiare juſſus, illos expectare aureos montes.

## CAP. XXI.

*Quomodo ventris, in curatione hac, rationem habere conveniat.*

Toto curationis tempore parum reddit venter, idque & ægre & durum, non tam quia parum editur, quam propter medicamenti vim, quæ ineſt illi exſiccatoria, & aſtrictiva. Quamquam audierim, non æqualiter omnibus accidiſſe hoc. Quoſdam enim dicunt ſtatim à principio, liquida fuiſſe alvo, quoſdam perpetuo etiam. Quod mirabar certe, cum mihi quadragiuta dies ipſos, ne ſemel quidem, niſi coacta, tranſmiſerit. Poteſt autem contineri excrementum, ut in hac diæta, in quintum aut ſextum diem, ſine periculo. Deinde limatura Guajaci, in aqua decocta bibitur ſemiuncia in aurora. Quod ſi primo nihil moverit, datur ſequenti iterum die, aut tertio, ſi ne ſic quidem reſponderit, tum infundendi ſubtus clyſteres, aut balani, eum in uſum apparati, imponuntur, nam ducere omnino ventrem oportet. Quem ſi quis caſſiæ potu, aut etiam victu ſolvat, nihil erraſſe crediderim valde, dum ne pluſquam ſemel hoc contingat, & eo mane non bibatur Guajacum. Vomitu levandum non cenſeo, frigidiora enim facere corpora vomitiones, & inimicas oculis eſſe, dicit Plinius, maximeque dentibus. Potro quæ alvum ſiſtant, multa in hoc negotio conveniunt. Primum quod exinanitum jam ante de purgatione corpus eſt, deinde quia cibi parum adſumitur. Sed ut hic clauſus ejectionibus locus eſt, ita non nihil interim excernitur, aut per ſudores propellente nocumenta & ſuperflua Guajaco, aut in urina, quod liquidius eſt à cibo. Magnoque aliud hoc ſolatio eſt, quod interim nec inflatio accidit, nec tormina infeſtant, neque guſtus amaritudo eſt, vel nauſea ſurgit, aut in caput facile exhalant, ut alibi, aſcendentes à ſtomacho vapores. Et ut mictu quidem purgetur æger, intelligere facile eſt, neque, ut hoc fiat, invitamentum aliunde quærendum. De ſudore dicam pauca.

## CAP. XXII.

*De ſudore ibi movendo.*

Sudorem, ſi non ultro exeat, quærendum aliqui putant. igitur copioſiori ſuper impoſita veſte, in tertiam, aut quartam interdum horam contecto ægro eliciunt. Quod & ſi inter difficillima eorum quæ patimur omnium ſit, ſenſi tamen ad laſſitudinem uſque, non ita defectionem contingere, qui mecum curabantur ægerrime ferebant omnes, atque unum hoc in curatione hac durum eſſe dicebant. Quod ſi liceat mihi dicere quid exiſtimem etiam, non tantum quid didicerim, pene auſim docere, neminem cogendum ut ſudet, niſi hoc quod res ipſa habet, patiatur quis, ut tres aut quatuor horas contineat ſe quidem in lecto, neque excedat, & contegatur, ſed neque multo obrutus veſtitu, neque immobilis penitus jaceat, in ſumma nihil magnopere angatur. Multaque hic, ut alibi, temere & ſolita noſtratium medicorum ſuperſtitione fieri credo, quæ non oporteat. Nam ut per ſe movet ſudorem medicina hæc, ita cogi non ſuſtinet. Cujus rei vel hoc fuerit argumentum, quod nihil maturius ſudationem mihi, ternis aut quaternis contectus pellibus, provenire ſenſi, quam ſub una, quotles decubui ſtragula. Verum hæc intelligi volo, exſudandum omnino velim, & ſi id nulla ſponte fiat, citatione opus videri, ſed leviter. Quippe violentum nihil probo. Fugiendosque ignes qui torrere corpora ſolent, aut copioſius æſtuaria calefacere, moneo. Frangunt enim corpora & humores, virium fomenta exhauriunt. Quod vero leviter dixi, hoc ſic capiendum, quod qui una ſe ſub ſtragula aliquantiſper contineat, etiam ſi ad moleſtiam uſque non oneretur, aut indignationem, ſatis eum, Guajaco intus operante, ſudaturum putem.

## CAP. XXIII.

*Quomodo juvet medicina hæc, & paulatim an repente ſaneſcant homines.*

Sed jam tempus eſſe reor medicinæ hujus effectus, quomodo ſentiatur, & quando tandem incipiant conſaneſcere ægri, citumque ejus juvamentum ſit & velox, an tardum & lentum, dicere. Ubi ut in aliis, ea dicam quæ vidi ipſe, & cognovi, hoc jam præmonens, iſtam in me culpam ne conjiciat aliquis, ſi cui, aliter atque ego ſcripſerim, eveniat. Didici autem juvamentum ejus paulatim intelligi, non repente, ſenſim procedere, non impetu ferri. Tantum abeſt enim ſtatim juvare eam, aut cum libérat, cito lenire dolores, ut etiam à principio, in quintum decimum plerumque diem, acerrime intendat morbum & cruciatus augeat, ac ulcera dilatet, in tantum ut ejus quis per eos dies, quam unquam prius habere ſibi videatur, ſive tunc ab intimis eruitur morbus, & eruendo dolor eſt, ſive ea, quæ tunc fit in corporis habitu, alteratio, cum quodam fragore & concuſſione perrumpens torquet. Certe enim radices mali hujus extrahit medicamentum hoc, idque nonnullis haud longe ab ingreſſu facere incipit, quibuſdam interpoſita mora. Nemini ante ſeptimum diem, multis, ut mihi, poſt vigeſimum, ſed longioris moræ vitium eſt ab ipſis aliquando ægris, quando circa victum ſibi pluſculum indulgent. Apud me quod prius dixi, peccatum eſt in coquendo Guajaco, quia enim tenuius illud apparaverant medici, quam oportebat, ſerius vim ejus ſum expertus. Audivi medicos dicere, quia ſit alia aliorum corporum ratio, mature, aut ſero provenire. Certum eſt hoc enim quod identidem mihi crebro inculcat Stromerus, nobis qui ſubtiliori agimur ſpiritu, & in ſtudiis literarum attentius verſamur, morbos plerumque, ſi accidant, vehementiores eſſe & longiores. Referri præterea hic ut alibi multum putant, quibus in corpore locis morbus ſit, & dextra quidem pars ſanabilior eſt quam læva. Quoniam Alexander inquit, per exercitationem ampliorem materiæ compeſcuntur, redduntur que ſanitati opportuniores. Ajunt & extrema difficilius ſanari, quod remota à corpore, alimentum accipere non niſi tandem poſſent. Ibique animadvertendum, aſcendat an deſcendat malum. Celſus ait, *quiſquis dolor deorſum tendit, ſanabilior eſt:* atque iterum: Dolor omnis medicinæ minus patet, qui ſurſum procedit. Porro in pudendis quæ innaſcuntur, ut doloris ſunt propter inflammationem (cui obnoxiæ imprimis ſunt hæ partes) intenſiſſimi acerrimique, ita ſtarim & cum primis ſaneſcunt. Qui ut in aliis moveri medicinis omnibus poſſunt, ita propter recens inductum Guajaci uſum, haud ſcio an ſic habeant ſemper. Hoc omnibus curæ fuerit, ubi ubi doleant, & quacunque ægritudinis hujus ſpecie infeſtentur, bene Guajacum ut apparent. Cujus decoctum ubi tanto jam tempore potum eſt, quantum in venas ſe diffundat, ſatis creditum, paulatim decreſcit dolor aliquando etiam acrior ſubinde revertitur, ac decedit. Nam ubi ſemel minui cœperit, ſi recrudeſcat etiam, non durat multum. Ulcera vero quibus ſunt, his quam latiſſime caro circunadeditur. Atque hoc eſt incipientis tamen ſanitatis argumentum. Mihi quidem, ut nunquam antea, nudari in tibia os contigit, latitudine unguis humani, idque vigeſimoquinto tandem die, meo magno terrore, ſed nulla reparandæ carnis difficultate. Adcrevit enim paucos intra dies. Itaque video naturam ei eſſe, ſubtus depurare ulcera, & ſub carne vim prius ſuam experiri. Adhuc paucos vidi, item quibus conſanuiſſent in totum ulcera, incluſi donec tenerentur. Atque igitur audivi quoſdam multa ibi expertos, dicere, tum demum finem effectui ſuo imponere Guajacum, ubi jam ad cibum redierit æger, & per omnia priſtinam reſumpſerit vivendi conſuetudinem. Dixi prius ad quadrageſimum juxta diem ab exitu negotium fuiſſe mihi. Quæ omnia, utcunque æſtimanda veniunt, intelligo, ut plurimum differri in longum ejus opus. Neque enim abrumpere eſt hujus medicinæ, ſed paulatim corrigere ſanguinem, in quo vitiato, univerſa morbi vis ineſt, & humores noxios, mali ipſius alimenta, arcere à corpore, & derivare, aliis quidem in urinam & ſudores, in ſedis excrementa aliis. Omnino autem, ad ſanitatem inclinante jam morbo, opus ejus primum eſt, ſudores extrudere, proximum per urinæ meatus depurgare, unde miras eluit ſordes. Et tunc quidem incipiunt manus ac pedes frigeſcere in mirum modum, atque adeo, ut deſertæ à calore penitus hæ partes videantur. Quod medici ajunt idcirco fieri, quod tunc ab extremis trahat calorem hoc medicamentum ad interanea, quibus calefactis & ipſis, tum ſe diſpergat extra. Certe enim qui à Guajaco convaluerunt, calidiſſimis eſſe membris in comperto eſt. Ac mihi cum hyemes proximas ſex aut ſeptem, in tantum frigerent crura ac pedes, ut ſatis nunquam, multis etiam inductis veſtibus calefieri poſſent, adeo calent nunc, ut ſimplici ut primum indumento frigus arceam. Quibus ſic cognitis, ad illud tandem eundum eſt, quod ſit Guajaci opus, & contra quos morbos juvamentum.

## CAP. XXIV.

*Quæ ejus vis, & quos contra morbos qui effectus.*

Opus ejus præcipuum eſt & peculiare, tollere in univerſum, & à radice morbum Gallicum, ſed magis vetuſtum jam & antiquatum. Vidimus enim qui ex inveterato languerent citius his, qui recenti adhuc ſcabie tenebantur, & melius reſtitutos. Non quod etiam in his quippiam inſanabile relinqueretur, ſed quia difficilius procedit curatio, & diutius inhæret morbus, ac ægrius avellitur. Itaque tumores, & collectiones ac durities, & ſinus, & tubera, quæ multos jam annos ſteterunt, ſolvit ac diſſipat, cum miraculo. Fluxiones ſive conſumat, ſive avertat, penitus aufert. Ulcera ad ſuppurationem deducit, gratiſſimo per omnia ſenſu. Et ſiquid in intimis latet, eruit. Itaque aliis, ut mihi, oſſa denudat, aliis nervos oſtendit & venas perrumpit, aut altiſſime exedit, infectas morbo partes tanto cum fœtore ac fœditate, ut ferri odor ille non poſſit. Porro vim ei eſſe colligunt phyſici excalefactoriam, deſiccatoriam, & vitia ſanguinis emendare ac jecinoris dicunt, ſed hæc omnia tanto temperamento, ut indifferenter ex calida & frigida languentes cauſa levet. Quare & fluxus moratur, ſiccitate ſua nocentes humores, qui profluunt, perimens, aut ortum eorum eradicans, & intermiſſum bonum corporis habitum reſtituit. Pituitam extenuat, obſtrictos urinæ meatus (quod cum ex perunctionibus frequenter accidit, tum vel alias etiam hoc in morbo) aperit, eamque ſtimulat & impellit. Quo argumento, juvare calculoſos credunt, & è veſica lapides ejicere. Exquiſitum habeo, bilem, quæ atra dicitur, vehementiſſime detrahere eam. Itaque & hilariorem reddit, & iracundiam compeſcit. Omnino enim magna ei vis eſt contra melancholiam. Neque non interim diſtillationes abripit, & à fluxionibus caput liberat, ejuſque gravitatem recalfacto, ut putare licet, cerebro levigat. Fertur & emendare male curata prius vulnera, quoquo ea inflicta ſint, reſciſſa eorum cicatrice. Diuturniorem in corpore maciem corrigit. Itaque à curatione hac in reliquum tempus, valde pinguescunt homines. Mirabili virtute exhibetur contra oris graveolentiam, & emendat, quæ & ipſa, ex perunctionum vitio venit, animæ gravitatem. Juvat interanea, imprimis ſtomachum, quem renovat ex toto, alvumque facit, ut unquam prius bonam. Egregius eſt ejus ad membra extenuata & imminuta effectus, auget ea & explet, contractos nervos extendit, laxos ſolidat & confirmat. Compertum eſt & ſtupida hoc ex morbo quæ ſint, excitari, & ad ſenſum, vigoremque priſcum revocari, ac motum recipere. Dixi prius, circa alvum eſſe variam hanc vim, aliis enim aſtringere eam, aliis ad laxitudinem uſque ſolvere. Rurſus quibuſdam primo ſtatim cohibere, deinde laxare & emollire, & dari ad ciendum eam ramentum ipſum minutiſſime confractum ad ſemunciam in potu. Dixi item non dari, pro virium portione ejus modum, neque enim infirmat datum. Jam hoc autem quarta nondum decoctione exhauriri ejus virtutem, haud aliis credo, ſed ipſe comperi. Quanquam priorem quamlibet valentiorem eſſe non negem. Sunt qui magna fiducia credant, ad fiſtulas ipſum & cancrum & gangrænas proficere. Medetur ſuſpitioſis & anhelantibus, ſi hoc à morbo, aut ex perunctione ſit vitium. Sed quia prius expoſui, quæ mala ſecum invehat morbus, ſupervacaneum eſt hic ea repetere. Tollit omnia & perimit ac extinguit, ut prius dixi, ſi vetuſtiſſima ſint facilliime, jam & podagricis datur pari juvamento. Duos vidi ipſe convaluiſſe, cum acerbiſſime affecti pedibus eſſent. Sed medici differenter hoc fieri putant, & ſolum prodeſſe his, ex frigida cauſſa quibus ſit ægritudo, quod cum illis expoſtulandum relinquo. Salutare eſt hoc etiam remedium contra paralyſim. Reſtinguit recentem eam ac diſcutit, quod ex relatione gravium virorum qui hoc cognoverunt, ſcribo, nam ipſe nondum vidi, qui ſic liberatus eſſet. Accedebat ad leproſum quendam Ricius, mihique dixit poſtea, non ex toto levatum quidem, ſed factum tamen multo meliorem, ac non parum eſſe mundiorem jam, & talem ferri qui poſſit. Ita ut ſibi videatur tegere omnino ac remorari lepram hoc medicamentum poſſe, auferre fortaſſe non ita. Quod ſi iteretur, aut ſæpe etiam adeatur curatio, tum ſe credere, diutiſſime differri ſummum morbi nocumentum, quanquam ſpes ſibi permagna ſit, recenti jam malo ſi hac via occurſum fuerit, poſſe illud abſtergi penitus, & reſtitui ægrum. Conantur jam etiam, quia vis ſit ei ſiccifica, ad aquam inter cutem dare ipſam, cujus rei eventum expectamus. Cognitum eſt ad comitialem morbum utiliter ſumi, ut medici dicunt, frigida morbo ſpecies ſi fuerit. Vidi ex aliorum etiam morborum nocumentis qui intus laborarent, & ſtomachis eſſent corruptis, ac depravatis, præterea male qui perficerent cibum, & qui ex longa ægritudine recolligere ſe vellent, vires reparare, huic curationi accingere ſe, non dehortantibus medicis, Ricio etiam probante in aliquibus quod cognoſcere ſe diceret, à ſanis etiam aut non magnopere adfectis adiri circa nocumentum eam, pertinaciter enim credere ſe bonam corporis conſtitutionem ſi ſit, ſervare eam, tueri & confirmare. Atque hæc de juvamentis Guajaci dixiſſe ſufficiat, quorum ſi cauſas à me percontetur aliquis, tunc ad medicos eum remitto expertos. Nam ipſe nihil tale profiteor, neque ita ingreſſus ſum, ut eorum quæ ſcriberem, continuo rationem quoque redderem, ſed hoc promiſi, quicquid de Guajaco comperiſſem, aut in me, aut in aliis, & quæ vel ipſe vidiſſem, vel ex aliis auditu accepiſſem, optima in literas fide referrem, relicturus anſam poſt me multis, qui rem pro ſua dignitate explicabunt. Et jam, ne cui incognitum ſit, in me quid effecerit Guajacum, dicam, quibus corporis partibus, & quomodo affectus fuerim.

## CAP. XXV.

*Quos mihi morbos ademerit hoc remedium.*

Vel uno hoc eventu cognitum eſt, in nullo nos corporis malo, quantuncunque conclamato, deſperare oportere, eramus enim à medicis deplorati jam, qui ſubita & quaſi cælitus interveniente Guajaci ope reſtitimus. Quendam novi vere amicum mihi qui acerbiſſime dolxante me tum morbo, cum per dolores nec quieſcere noctu liceret, nec interdiu cibum capere, ſuaſit mortem mihi, quandoquidem remedium non inveniretur, & defluere corpus tabo, ingenti cum dolore & nulla inclinationis ſpe videretur, conſciſcerem. Jam te invito huic malo cripi decet inquiens. Atque is quidem Chriſtianos nos eſſe oblitus erat, amicos eſſe plus etiam quam oportuit meminerat. Omnia in illis olim martyribus qui ſtrenue cruciatus pro Chriſto pertulerunt ſuſpicienda ſunt, ſi quis tamen deficere poſſit, ac animo labi, certe hoc torquente morbo potent. Nego tale aliquid paſſum etiam Licinii Cecinnæ patrem, cum ſe papaveris ſucco interimeret. Nec ita in patibili fuiſſe valetudine alios qui hoc idem fecitarunt. Certe enim hæc lues, vel ſola fœditate, nedum cruciatibus, qui ſuper omnes immenſi ſunt, vitæ odium gignere potis eſt. Speuſippo philoſopho paralyſi ad deſperationem uſque convulſo olim, cum veheretur obviam Diogeni, atque illi ſalve diceret, reſpondiſſe Diogenem ferunt, tu quoque nequaquam ſalve qui ejuſmodi cum ſis, vivere ſuſtines. Idem ille ſic rigide philoſophari ſolitus, quid dixiſſet me conſpicatus, cum & pariter illis, qui paralyſi tenentur, cruciarer, & ita eſſem aſpectu ac odore fœdus, ut omnibus eſſem gravis, quibuſdam odio etiam, vivebam tamen, nonnulla adhuc ſpe, quanquam toties fruſtratus, magnificis medicorum promiſſis. Et ne quis una aliqua parte ægrotaſſe me putet, aut leviter, dicam ut affectus fuerim. Primum ſiniſtro pede eram inutilis jam, hærente ibi octo plus annis morbo, & in media quidem tibia, qua parte tenuiſſima cruri obducitur caro, ulcera erant cum inflatione carnis inflammata, putreſcentia, ingenti cum dolore, & hujuſmodi ut uno ſaneſcente, erumperet ſtatim alivd. Erant enim complura ſparſim, nec ope medicorum fieri poterat, in unum omnia ut redigerentur. Supra ea tuber erat, ut os crederetur ita induratum, & in eo ſuppurgens citra intermiſſionem dolor immenſus, inmodicus, fuit & ſupra dextrum proxime talum collectio, & ipſa in oſſis modum dura, ex recentis olim morbi reliquiis vetuſtiſſima. Hanc mihi ferro, hanc igni & cauſticis omnibus adaperire cum molirentur medici, nihil profecerunt. Illa autem modo vehementer intumeſcebat, ac ſummo cum dolore, modo reſidebat mitior, dolebatque minus igni admoto pede, nec ſuſtinuit tamen multiplici veſte contegi. Eo fluxus erat vehemens, qui inexſtinguibilis plane videretur. Ac quoties pedi inſiſterem, dolore afficiebar impatibiliter. Deinde ſuperius coxa & genu penitus confrigerant, attenuato ibi ad ſummam uſque macretudinem femore, atque ita imminuta carne, ut præter cutem vix eſſe videretur, quo ſe os contegeret. Præterea in tantum luxata utraque junctura fuit, ut diu ægerrime liceret inſiſtere, tandem non amplius etiam evanida omnino ex clunibus altera. Dolebat item lævus humerus, & levari jam brachium non poſſet, debilitata extrema ſcapula occalluerat, & in medio muſculo tuber ovi magnitudine, imminuto aliis partibus ad miram tenuitatem brachio, ad ipſam uſque manum, & in dextero latere, ſub infima ſtatim coſta, ulcus erat ſine dolore quidem, ſed fœdum quoddam pus efferens & ſpurca manans ſanie, fiſtulæ in morem anguſto exterius ore, at ampla intus cavitate. Supraque ipſum aliud iterum tuber quaſi ſupernato coſtæ quodam ibi oſſe. Denique

nique à ſummo retro vertice fluxus ibat ad omnia iſta manifeſto ſenſu. Qua incipiebat is ad leniſſimum etiam tactum, quaſi pertuſo cranio dolebat caput, nec verti in tergum, niſi cum ipſo una corpore facies potuit. Adde, quod ſolum ſi illud mihi ademiſſet Guajaci medicina, tamen permaximam ejus vim prædicare debueram. Somnum meridianum, quem perdite appetebam & cui ita deditus eram, ut nullo intermitterem die, totos pœne ſex annos, cum mihi acclamarent medici fere unam hanc eſſe omnium mihi morborum cauſam, ego tamen refragare deſiderio non poſſem, in tantum ſuſtulit ut credo ſi me nunc invitem etiam dormire interdiu, non poſſum. His tot tantiſque infeſtatus malis, cum deſperaſſent omnes, me tamen bonus credo meus Genius quiddam adhuc expectare juberet. Ecce ad Guajaci ſuccurſum reſpirare auſus ſum. Quam Deus mentem bonis omnibus indat, nunquam ut ſperare deſinant. Me quidem nihil pœnitet mei, & ſi hoc alioqui conceſſum ſit diu, incolumem etiam & validum victurum, magna ſpe teneor. Ac de morbo quidem, & ex Guajaco, quod illi remedio eſt quæ occurrebant ſcripſi, optima certe fide, & ut mea tulit facultas, facturus hic finem, niſi & poſt curationem hanc, ut ſe habere in victus ratione ægrum conveniat, admonendos putarem qui hæc legent. Id quod breviter & ipſum præſtabo.

## CAP. XXVI.

### *Quæ circa victum poſt curationem hanc obſervare conveniat.*

In præcedentibus monui totos tres menſes at ſaltem duos poſt curationem hanc, & ubi egreſſus jam eſt medicinæ hujus clauſtrum æger, quadam conſequenter circa victum obſervatione illi utendum eſſe. Jam ipſum illud, quia peculiariter, & ſuo loco tractandum venit, in tantum eſſe neceſſarium dico, ut negem ſicuti reparata ſanitas eſt, duraturam, & niſi curioſe obſervet poſt receptam valetudinem multa, & quaſi adhuc clauſus teneatur, ita quoddam intra præſcriptum aliquandiu vivat. Et tres quidem ſtatuunt his, qui aut valde attenuati fuerunt in morbo, & multis obnoxii fluctionibus ac penitus affectis nervis, aut artubus, aut non ita firmo portantur corpore, ut breve recolligendis viribus tempus ſufficiat, qui contra validiores, nec ita deperditi, aut confracti his duos ab egreſſu menſes ſatis eſſe credunt. Ego ut tutiſſime proſpiciam his, qui me ſequentur, quam longiſſime tenendum hoc præſcriptum ſuaſerim, ac primum omnium à venere abſtinendum diutiſſime. Quod per Guajacum qui convaluerunt, teneris & per omnia imbecillis jam adhuc ſunt, & quaſi renatis corporibus, in quæ impetum faciens coitus, ubi debilem illam, & haud dum maturam virium recollectionem oppreſſerit, diſſolvit ſtatim membrorum robur omnium, ac diſperdit. Et quia veneris uſus non unum aliquod membrorum, ſed univerſum uno lapſu corpus in diſcrimen abſtrahit, quid aliud facere putandus eſt, qui ſic exhauſtus coit, quam ultro mortem qui accerſit ſibi, aut præproperam virium internecionem conſciſcit, vel omnem in manifeſtum exitium valetudinem abjicit. Quod ſi non omnibus, qui bono etiam ſunt corporis habitu, & nullo tenentur morbo, concumbere permittitur, quanto illis hoc fugiendum eſt opere, quos ſic amiſſis viribus reparandæ convaleſcentiæ ſtudium intendere oportet? Et ſi ante decimum quartum ætatis annum nemo puer coëundi potens eſt, utpote nondum plenis ad rem periculoſam experiundam viribus, quam danda opera eſt, ne qui ſic renaſcitur, antequam recipiat vires, temere convellendum ſe præbeat. Proximum huic (quia jugi fame extenuatis aterrima incumbit edendi appetentia) minime indulgere ei & quantum fieri poſſit, continentiſſime circa victus rationem verſari. Itaque perexiguo prius cibo utendum, deinde paulatim plenius, nec niſi longo admodum intervallo, ad priſtina edendi conſuetudinem revertendum, ſenſimque adſuefcendum, nihil præcipitanter innovandum. Bibendum autem vini omnino nihil, niſi quod multa prius aqua dilutum ſit, & quod ipſum ſubtile alioquin odoratum, & clarum ſit, idque moderatiſſime. Muniat ſe vero contra aëris occurſum, temporibus maxime quæ frigore, vento ac pluviis infeſtant, aut vero rariſſime in propatulum exeat. Cibum bis die ſumat, veſperi tenuius, ibique nunquam toto eo tempore, appetitui indulgeat, & ſatietatem ut ſumme malam fugiat. Eſumque piſcium vitet, magis quam omnia, & carnibus veſcatur ex animalium pullis, quæ facilioris ſunt concoctionis, ac optimi ſucci, quæ ex medicorum ſuper hoc placitis dignoſcere eſt. Atque hæc ad duos illos aut tres menſes referenda, nam quæ præterea obſervanda, ex his quæ ſequuntur planius diſcantur. Breviter enim admonebo quædam quæ non tam his qui ope Guajaci, quam qui utcunque quolibet ex morbo convaluerunt, quibus alioqui intentior valetudinis cura eſt, ſequenda veniunt. Quo loco inter præcipua animadvertendum eſt, quanquam hoc omnes jam norunt, vel unum hoc eſſe, morbum hunc moleſtiſſimum quod faciat, quod ſumma eſt in diæta difficultas, cum poſt debilitatum eum non una aliqua & ſimplex circa victum obſervanda ratio ſit, ſed multiplex & omnifariam ineunda. Ita ut, quæ omnibus his morbis, quos conſequi eum diximus ſecunda, aut adverſa ſunt, appetenda aut fugienda uno in totum ſtudio ſibi proponere debeat is qui convaluit. Quare curioſo per omnia victu cavere oportet, ut ordinate omnia agantur. Quanquam ſi quos ſervavit hæc medicina, his magnum quoddam eſt ſolatium, quod putant ejus periti, poſt receptam ſic valetudinem, & exactum obſervationis, quæ eam conſequitur tempus, in nullo quenquam periclitaturum, quod non contra priſtinam vivendi conſuetudinem, ſiquidem non omnino inordinata ea fuerit, admittat. Perinde enim conſulendum eſſe ei qui ſic reſtitutus eſt, atque his qui morbo nunquam detenti fuerunt. Quamobrem non ita curandum eſſe arbitrantur, quid edat aliquis, quam illud quantum edat, nullumque cibi genus fugiendum, nullum habendum circa victus qualitatem delectum, nihil accurandum, quod non ad communem valetudinis conſervationem, ad univerſalem morborum omnium evitationem pertinere ſciatur. Ubi præcipuum fortaſſe fuerit quod Celſus docet, ut caveat quiſque, ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia paret. Servatur autem valetudo ut idem inquit diæta, pharmaco, unctione, frictione, balneis, exercitatione, vectatione, & clara lectione. Quæ ut conſideranda aut pleniſſime, aut omnia ſint, ab illo petendum relinquo. Hic breviter pauca attingam. Et ad diætam quod pertinet grate arbitror & modice veſcendum. Ac cibos adſumi convenire & potiones, quæ facilliime concoquantur. Nam ut Paulus ait. Caput educationis eſt, ut ſit cibus coctu facilis, boni alimenti, haud quaquam lentus aut glutinoſus, neque ſuperfluitatibus redundans, potio autem vinum aquoſum, album, purum, aquæ paulum ſuſtinens. Et Celſus, Cibus ſit, inquit, ſine pinguibus, ſine glutinoſis & inflantibus. Abſtinendumque, ejuſdem conſilio, hujuſcemodi in morbis ab omnibus ſalſis, acribus, & acidis, ea puto ratione, qua in præcedentibns monui. Maximum, Paulus ait, in cibatione ſatietatis peccatum eſt. Nam etſi ventriculus probe concoquit, venæ tamen nimis repletæ laborant, dilatantur, rumpuntur, obturantur, & flatu implentur, atque in totum peſſimos ex ſatietate morbos conſtare in confeſſo eſt. Tantopere nequis ſe impleat fugiendum cenſet ille. Ego non hoc tantum, ſed adhuc etiam nihil intente coquendum, nihil condiendum anxie exiſtimo. Dandamque operam, ne complura apponantur, & diverſi generis fercula, nec quemadmodum iſti ſolent divites, ſex, ſeptem, aut interdum decem una cœna miſſus importandos. Mirum eſt enim quam hæc obſint, non ſtomacho tantum, ſed digeſtioni etiam univerſæ. Itaque illud iterum eodem ab authore repetendum quod ait. Summopere vitandam alimentorum varietatem, præſertim contrariæ ubi fuerint in eis facultates. Nam quæ ſic ingeruntur concoctioni reſiſtunt. Atque hoc ſentiunt Galenus & Avicenna, omneſque emunctioris in medicina judicii. Catonis apud Ciceronem præceptum eſt, tantum cibi, ac potionis adhibendum eſſe, ut reficiantur vires, non etiam opprimantur. Quare, ut plurimum, leniter prandendum Xenophontis conſilio, ut ſit videlicet locus cœnæ. Plane ex illis eſt hic morbus quos ex plenitudine provenire Galenus autumat. Quod ſic intelligendum eſt, non ut omnes qui in crapula degunt, morbo ſtatim Gallico obnoxios fieri exiſtimem, quanquam morbi hos manent, quiqui ſint, graviſſimi, ſed eo ſi quis ante laboraverit, ſi intemperanter edat ac bibat, recidere illuc neceſſario. Itaque cibus adſumatur neque varius, neque multus, quo ne oneretur ſtomachus, & impediatur digeſtio. Deinde is, qui ut monui, concoctu facilis ſit: difficulter perficiuntur, Plinius inquit, omnia in cibis acria nimia & avide hauſta, & in æſtate quam hyeme difficilius, ac in ſenecta quam in juventa. Apud Ciceronem eſt qui caret epulis extructiſque menſis, & frequentibus poculis, caret item vinolentia, cruditate, & inſomniis. Quia autem poſt hanc curationem videndum, corpus inanitum hactenus & extenuatum ad ſe reduci quomodo poſſit, cibis fortaſſe danda opera his, qui augent, ac corpus implent, non noxiis illud quidem humoribus, ſed qualia Celſus commemorat primi libri capite tertio. Plinius quoque dicit: Augeſcunt corpora dulcibus atque pinguibus & potu, minuuntur ſiccis & aridis, frigidiſque ac ſiti. Sed hoc caute tractandum venit, propter ea quæ ſæpe prius monui. Quoniam vero obſervandum per omnia ventrem Galenus monet. Quicquid enim inquiens, in hoc corrumpitur, id toti morborum putredinis cauſſa ſit corpori, potiones ac cibos adſumendos credo, ut Celſus docet, qui ſimul & alant, & ventrem emolliant. Quod ſi quis malo inſtigante Genio, impleat ſe etiam,

& ſupra quam ferri poſſit cibis oneret ſtomachum, ſi quidem à ſomno præſidium petat, audiendus ei Plinius eſt ſic dicens. Somno concoquere corpulentiæ, quam firmitati utilius, ideo athletas malunt cibos ambulatione perficere. Sin vero ut multi ſuadent, & Paulus in primis docet, vomitione levari voluerit, quandoquidem per vomitum magnis ſæpe malis obſtitum eſt, leget illius doctrinam, quam facile quis vomat, oſtendentem. Quod ſi utcunque iſtorum aut neglectum fuerit, aut tardius quam oportuit tentatum, tunc ad medicinam fortaſſe recurrendum. Quare, ſi eo compulſus ægrotet, non habeo quod præcipiam, niſi hoc ſæpe à me dictum jam prius ſano & docto medico, aut bene experto potius quam exquiſite docto, & qui coacte infundat pharmaca, ſimplicia ea, nobisque ſi fieri poteſt vernacula, committat. Qui ſi ducendam ſubtus alvum ſuaſerit, tunc meminiſſe oportet ejus quod Paulus docet, non ſæpe faciendum hoc, ne ob crebram irritationem, ſpontaneæ excretionis opus oblivioni natura tradat. In cibis ſane qui ſalubres, quique noxii ſint & quomodo eorum quiſque adficiat, ſi quis non omnia dixerit, nihil dixerit. Itaque legendos cenſeo authores, Celſum quidem breviter genera exſequentem, Paulum vero ciborum facultates capitibus juxta quatuor & viginti ad longum pertractantem. Aut vero unum omnibus ſatisfacientem Galenum, qui in libris alimentorum nihil prætermittit. Atque ita jam de victu finem facturus eram, niſi occurreret obiter quædam conſignanda eſſe. Et de ovis primum hæc admonebo, *Nullus eſt alius*, inquit Plinius, *cibus, qui in ægritudine alat, neque oneret, ſimulque vini uſum & cibi habeat.* Et Avicennas, vitellum ovorum gallinæ, perdicis vel phaſianæ ſupra omnia eſſe alimenta, his quibus diminutus ſanguis, aut diſſoluti ſpiritus cardiaci. Alexander Aphrodiſiacus, putat omnium complecti in ſe qualitates elementorum omnium, denique mundi quandam ineſſe ovo ſpeciem, cum quod ex quatuor conſtet elementis, tum quod in ſphæricam conglobetur faciem, ac vitalem obtineat potentiam. Ova frixa complures damnant, & in his Paulus & Galenus. Idemque ex oleribus quod eſt alimentum non probat. Damnant & alii multi, etſi M. Cato ad cœlum tulerit, braſſicam. Ejus qui ptiſana cotidie veſcatur ad ſatietatem, cibis aliis nullis impediri nutrimentum Galenus putat. Et de faba, inquit, idem dicerem niſi inflaret. De lactis & in cibo & in medicina uſu pulcherrime Paulus. Alexander *Lac* inquit *concoctu facile eſt & probe nutrit, quia facile in ſanguinem tranſire poteſt, quod è ſanguine factum eſt, & fere ſanguis eſt albefactus.* Hæc ex multis pauca. Qui ſanitati ſtudet, quanta ſit vini potentia Paulus ait, neſcire non debet. Idem ſi quempiam mordeat vinum, frigidam aquam bibere debet. Poſtero die abſinthii cremorem ſumere, ambulare, fricari, lavacrum ingredi, atque ſubinde exiguo cibo refici. *Fugienda vina & quæ muſta nuper* Galenus ait, *& quæ vetera nimis.* Hæc enim ſuperflue calefaciunt, illa omnino non calefaciunt. *Victus exenuans* ait Paulus, *ad bonam valetudinem tuendam, multo tutior eſt eo, qui craſſitudinem inducit.* At quia exiguum alimentum præbet, nihil vel firmitudinis vel roboris corpori præſtat. Quare poſt ſubdit, *mediæ materiæ alimenta omnium præſtantiſſima ſunt, ut pote quæ mediocris ſubſtantiæ ſanguinem producunt. Atque ut hujuſcemodi edulia corporibus noſtris commodiſſima ſunt, ita vitioſum ſuccum generantia, maxime noxia, ſemperque fugienda.* Hæc Paulus. Atque idem docet, omni alio magis alere panem ſiligineum, triticeum difficilis eſſe concoctionis, & inflare, hordeaceum imbecillis alimenti. In totum de victu cognoſcere qui volet, hunc, quod dixi, legat cum Galeno. Unctionum, apud nos quidem haud fuit unquam uſus, apud Italos vero ut fuit, ita fere in totum exolevit. Frictionem, ut nihil præterea, commendat Galenus, multa & crebro de hac iterando inculcans, præſertim in libris de tuenda ſanitate qui inſcribuntur. Eandem ſumme extulit Aſclepiades, multum Hippocrates, hujus eſt illud, à multis poſtea repetitum, frictione, vehemens ſi ſit, durari corpus, ſi lenis, molliri, ſi multa, minui, ſi modica, impleri. Hac cotidie utens hoc tempore mane præſertim, quando à lecto ſurgit Vir doctiſſimus Eraſmus Roterodamus tueri ſe incolumitatem, valde imbecillis alioqui corporis, putat. Meque, ut nihil præterea, obnoxie monet, ut faciam, ac ſtudioſos præterea omnes. Sequor amici ſuaſionem, & juvamentum ſentio. Quidam interdicunt lavationes, ac in univerſum balnea, eaque inſalubria dicunt omnibus, qui ex hoc morbo convaluerint, puto quia nervos emolliunt ac reſolvunt, vetantque aqua perfundi. Alioqui ſudationes non improbando. *Aqua nervis officit* Alexander inquit, *etiam calida, verum non quia calida ſed quia humida.* Calidum lavacrum commendans Paulus ſi inquit. *Solvit fatigationem, diſcutit plenitudinem, calfacit, mitigat, mollit, flatus diffundit, ſomnum allicit, corpulentum reddit. Eſt vero commodiſſimum cuique viro & mulieri, puero & ſeni & privatis.* Sic Paulus. Verum hoc tempore non niſi rariſſime lavant Itali, quod miror, cum cotidie ſoliti olim ſint, ut literæ teſtantur, & thermarum Romæ veſtigia urbium in morem exædificatarum. In exercitiis modum eſſe adſervandum Galenus docet. *Immoderationem*, inquiens, *ego ubique vitupero.* Idem ait. *Sicut maxime commodum eſt ad ſanitatem ante cibum exercitium, ita nocentiſſimus omnis poſt adſumptum eum motus.* Diſtribuitur enim ex ventre cibus, antequam digeratur, & exinde multitudo crudorum aggregatur humorum ſecundum venas, unde ægritudines generari omnimodæ conſueverunt. Tandiu exercitationi indulgendum Paulus ſuadet, quoad in tumorem corpus attollatur, & rubeſcat, & motus firmi æquabiles, & faciles ſint, atque ſudor vapori videatur commiſceri. Quieſcendum autem tunc primum, cum ex prædictis mutetur aliquid. Dandam & quietem ei membro, quod ſanitati nuper reſtituturum ſit, monent. Itaque *pedis remedium quies eſt* inquit Hippocrates. Unde Alexander colligit, quod curatum iterum eſt, quieſcere oportere. *Motus* enim ait, *confluvium egit materiæ ſupervacuæ, quæ excitare poteſt inflammationem.* Equitare ei cui genua dolent inimiciſſimum Celſus ait. Idem equitare podagricis quoque alienum exiſtimat. Voce exercebant ſe veteres etiam, ſive caneretur aliquid, ſive clarius legeretur. Dixi obiter tractaturum hæc me, & nulla magna cura, ſed ut quodque imprimis monitu dignum incideret, nullo etiam ordine. Nemo requirat hic aliquid igitur. Si cognoſcere velit, docui quos apud authores, quæ inveniri poſſint. Atque aliud ecce ſubit iterum, oportet enim, qui tueri corporis ſanitatem velit, duo maxime curare Galenus dicit, unum cibus conveniens ut ſit, alterum mundificatio illi ut ſuperveniat eorum, quæ ſuperflua ex cibo relinquuntur. Paulus inquit, *Veteres ſatis putabant ad bonam valetudinem tuendam, ſi cotidie & alvi onera & urina commode, ac ſine reprehenſione pro alimentorum potusque portione dejicerentur.* De venere nihil momendo prætermiſit Galenus, omnibus eam qui ficco temperamento ſunt inimicam ſcribens, potiſſimum his qui adhuc frigido etiam. *Nam innoxia* inquit *venus his tantum eſt, qui calidi ſunt ac humidi, & qui genitura abundant.* Et iterum, *Quibus inculpata*, inquit, *corporis conſtitutio eſt, non debent hi à venere omnino abſtinere, quemadmodum frigidi & ſicci.* Item Paulus, *Concubitus ſiccitores omnes lædit, maxime, ſi ariditati frigus quoque jungatur*, Calidis vero & humidis duntaxat tutus eſt, *Ut labores*, Paulus inquit, *ſic & concubitus ſi modus ſervetur, utilis eſt.* Hoc debent meminiſſe omnes. Coitum propter nervos fugiendum, magna cura, his qui Gallico morbo laboraverunt. Pueros putat Paulus exercendos, ut, inquiens, & corpore & animo laborantes à libidinis impetu cohibeantur, coitum morbo comitiali comparat Hippocrates. Alexander Magnus ſolebat dicere, coitum & ſomnum duo maxima eſſe mortalitatis ſigna. Diſpicienda & aëris ſalubritas, magnum valetudinis firmamentum. *Aër*, Paulus inquit, *ex malis vaporibus peſtilentem auram eructantibus, aut aliquam juxta cloacam infectus, aut nebuloſis, aut qui in valle, undique montibus cincta continetur, ætatem omnem, omnemque temperaturam ſimiliter lædit, optimus vero omnibus prodeſt. Quippe temperato corpori, temperatus*, inquit, *diſtemperatus qui contrariam habuerit temperaturam utilis eſt. Morbus non eſt alius*, Galenus inquit, *niſi motus extra naturam.* Idem ait. *Sanum intelligunt medici, cujus omnia membra ſecundum naturæ curſum exiſtunt, contra infirmum, ſi quod ſuam naturam egrediatur.* Ne quis à concitatione confeſtim bibat, medicorum doctrina cautum eſt. Illi etiam omnem repentinam mutationem periculoſam dicunt. Receptum eſt & hoc, perpetuum otium bonæ valetudini maxime adverſari, contra mediocre exercitium ſummo eſſe præſidio. Galenus inquit, *maximum eſt malum ad ſanitatis cuſtodiam profunda corporis quies, ſicut & maximum bonum moderata motio.* De ſomno, quando is capeſſendus, & quantus abunde Paulus docet, & quæ recte aditum eum ſequantur commoda oſtendit. Meridianum omnes damnant. His qui triſtioris ſunt naturæ, aut curis lacerantur, accerſendam aliunde lætitiam medici magnopere putant, & exhilarandam mentem, ac levandam animi gravitatem, *Sonorum ſuavitate cogitatio abigenda eſt* Paulus inquit. *Qui ſanus eſt, & ſuæ ſponte*, Celſus ait, *neque medico debet, neque alipta egere.* Quod ut probo, (& eos qui optime valent nulli ſe magnopere vivendi normæ devincire volo.) Ita his qui aliquando laboraverunt, aut corpora habent morborum injuriis obnoxia: aut iſtiuſmodi ſequuntur vitæ genus, in quo non facile tueri ſanitatem poſſint, opus eſſe quadam vitæ regula multum cenſeo. Galenus monuit nequaquam ſuperfluam eſſe vivendi legem. *Dieta enim* inquit *medicina eſt.* Atque hæc habui optime pater, optime princeps, quæ in rem

rem propositam, aut me experto, aut aliis erudientibus, mutis præsertim magistris, & his qui periculum fecerunt & ipsi, conducere putavi. Quæ ita celsitudini tuæ conscripsi, ut non vellem his quidem uti te (faxit hoc enim servator Christus, ne unquam debeas) sed ut in tua hæc aula essent, omnium necessitati exposita, quorum judicium à Stromero exiges tu, quod præfatus sum. Jam hæc vidit qui me vivit in nonnullis, alter tuus medicus Gregorius Coppus, sed obiter, cum ab illo properarem Moguntiam, ubi negotium erat mihi. Quod si contigisset, tunc in aula esse me (tu in Saxonibus aberas enim) cautius omnia tractassemus, & accuratius confectam rem exhibuissemus. Nunc utcunque excidit, boni consule. Ipse quidem offerens, quia Saturnalitium hoc novo ineunte anno munus esse volui, annum tibi precor faustum fortunatumque, sed cujus fortuna ita tibi ex animo cedat, ut citra invidiam fuisse comperiatur. Vale optime, dignissime, plentissime, maxime præsul, ac diu nobis incolumis esto. Moguntiæ suprema imposita manu.

FINIS.

# WENDELINI HOCK DE BRACKENAU,

*Artium, & Medicinæ Doctoris, in Gymnasio Bononiensi,*

DE

# MORBO GALLICO,

OPUS.

## CAP. I.

*De causa & origine Morbi Gallici.*

Sciendum est pro declaratione nostri tractatus, quod in qualibet scientia, cujus sunt principia, causæ & elementa, intelligere & scire oportet ea quæ in tali scientia tractantur & considerantur. Nam tunc opinamur unumquodque scire, dum principia ejus, causas & elementa per quæ & ex quibus est, cognoscimus. Scire ergo debes pro præsenti speculatione, quod per principium intelligi debet causa efficiens, quæ est principium motus, & per causam, intelligenda est causa finalis, quæ est principalissima causarum, & per elementa, intelligendæ sunt causæ formales & materiales, quæ ingrediuntur rei constitutionem. Et sic hæc tria se habent quodam ordine, ita quod principium est communius quam causa & causa communior elemento. Pro quo intelligendum est, differentiam esse inter intelligere & scire, nam intelligere pertinet ad simplicem apprehensionem intellectus, secundum quod formatur definitio: scire autem pertinet ad intellectum dividentem & componentem, & discurrentem de notis ad ignota. Ergo sequitur, quod cognitis prædictis cessat omnis admiratio de quacunque re. Advertendum tamen est, quod non contingit nos aliquid ita perfecte scire sicut Deus, aut intelligentia, de quo nemo dubitat. nam lumen intelligentiæ clarius est, & perspicacius quam lumen nostri intellectus, & per consequens omnia clarius videt. Est & attentione dignum, quod nostra cognitio incipit à via sensus, intelligendum autem est per ea quæ nota sunt superius, & de cognitione ignoti devenire ad ejus cognitionem per admirationem utique quæ in partibus philosophiæ pertractantur, & sic de mirabilibus philosophiæ summe necessarium est admirari, nam propter admirari, Græci & Ægyptii inceperunt philosophari, ex qua admiratione de incognito ad cognitum devenerunt. Sic etiam in medicina contingit, quod per admirationem alicujus ægritudinis nobis ignotæ pervenire possumus ad cognitionem ipsius. Sicut evenit hoc tempore, scilicet ab anno domini 1494. usque ad præsentem annum 1514. quo morbus quidam contagiosus, qui Gallicus appellatur, satis efferbuit. Iste enim morbus multa nomina sortitur, nam sicut gentes multorum climatum invasit, sic diversa nomina eidem imposita sunt. Sed in veritate dicendum est, quod iste morbus non provenit solum à contagio, sed vera causa ejus, & magis appropriata fuit aliqua influentia stellarum erraticarum, quæ vita & certificata stetit, & fuit causa diversitatis conjunctionis planetarum, eclipsis solis & lunæ. Præterea de hoc morbo, aut de causa ejus efficiente, formali ac materiali, nec antiqui, nec moderni certam cognitionem dederunt, nec de nomine, & quidditate ejus aliquid veridice dixerunt, aut scripserunt. Verum Joannes Alexandrinus *commentator. 2, epidemiarum* de quibusdam morbis nominatis Phymata & exanthemata dixit, quod Phymata sunt à profundo carnis egredientia, & carnem corrodentia: Exanthemata vero quæ cutem solum lædunt. Sed in veritate in hoc morbo nunc nominato non sunt talia & consimilia signa sicut in morbo Gallico, si bene dicta Joannis Alexandrini scrutatus fueris. Veruntamen Plin. *lib. 26. c. 1.* scribit de quodam morbo qui Græce λειχην appellatur, Latine autem Mentagra, quoniam à mento incipit, cujus verba sunt hæc. *Senfit & facies hominum novos omnique ævo priori incognitos non Italiæ modo, verum etiam universæ prope Europæ morbos.* Tunc quoque nec totam Italiam, nec per Illyricum, Galliam, aut Hispanias magnopere vagatos, aut alibi quam Romæ apparuerunt, & tanta fœditate, ut quæcunque mors præferenda esset. Et de hoc quoque morbo faciens mentionem Martialis *lib. XI. epigr. 99.* ad Bassum sic ait, *Non ulcus acre*, id est morbus acerrimus, *pustulæque lucentes.* i. e. pustulæ plenæ sanie lucent. tales sunt in hoc morbo *Nec non triste mentum.* i. e. ægrum mentum, quia prius incipiunt pustulæ à mento. *fordidique lichenes.* i. e. fœdi, quia iste morbus est fœdissimus. Idem Martial. lib. 1. epigr. 79. de Fetto, qui se interfecit propter nimiam passionem istius morbi, sic ait. *Indignas premeret pestis cum tabida fauces. Inque ipsos vultus serperet atra lues.* id est laberetur & iret atra lues. i. e. morbus iste fœdus & contagiosus. nam constat esse contagiosum. Ideo Martialis ubi supra ait: *pestis tabida* i. e. contagiosa. Ostendit etiam Plinius *lib.* & *cap. superius dictis*, quod iste morbus fuit in medio imperio Tiberii Claudii Imperatoris. Sed secundum Martialem XI. *epigr. 99.* ad Bassum, hic morbus pervenit ad tempora Domitiani Imperatoris. Idem quoque Plinius in *lib. 26. cap. 4.* ponit multa remedia contra hunc morbum. Præterea verba Galeni secundum propriam seriem adducam, unde manifestum erit quantum ad hoc hunc, qui serpsit in populum, morbum esse elephantiasim. In *libro* enim *de cholera nigra* ait: *Apparent autem & aliter absque febriendo plurimis pustulæ secundum cutim factæ ingrossatam & exsiccatam, abundantem melancholico humore ipsum expellente foras, nam ex ejus genere est elephantiasis.* Item Galenus in *libro de definitionibus. Elephas est passio crassa & inæqualis.* Item in *secunda parte introductorii*, antequam loquatur de divisione curationis, quæ fit per pharmacum, in *cap. de elephantiasi* ait: *Cutis enim hac passione contentorum est crassior, est & durior, similitudinemque habet ad pellem elephantum.* ideo signa sumpta à causis hujus morbi dicuntur quoquo modo sumpta ab essentialiter inhærentibus. quod Galenus exercuit *secundo de crisi.* Cognoscitur & causa faciens ægritudinem ratione exeuntium. ut docuit *secundo de crisi.* & ratione coloris. ut in *lib. de phlebotomia.* Inquit enim *Albiores fœminæ albiorem sanguinem coacervant, nigriores vero nigriorem & melancholiorem.* Rursus in 14. *therapeuticæ: Differentibus tandem aliter tumoribus non in colore solum, sed in differentiis quæ secundum calidum, frigidum, duritiem, & mollitiem.* Ideo si rubet quidem tumor, manifeste indicat humorem existere sanguineum. Unde Galen. 3. *Techni.* Si ergo non est in sanguine ex humoribus aliquis vincens magis, apostema generatur sanguineum, & est quod vocatur phlegmon. Et si magis est vincens cholera rubea supra sanguinem, generatur ex ea apostema quod nominatur erysipelas. Et si magis vincens humor melancholicus generatur apostema durum, ut sæpissime contingit in morbo, qui Mentagra appellari potest, in quo videmus apostemata durissima in

causa & origo mentagra.

tibiis, brachiis, capite & cæteris locis eorum qui hoc morbo laborant. Et si est magis vincens phlegma generatur ex eo apostema molle. Et si est vincens ex eo cholera nigra, adusta, vehementis adustionis, generatur ex ea cancer. Et si est sanguis grossus, phlegmaticus, inflammatus, vehementis adustionis, generatur apostema quod appellatur carbo & carbunculus, & est illud quod appellatur anthrax. Et secundum hoc exemplum diversificantur naturæ apostematum, & pustularum quæ in cute apparent. Item & figura pustularum facit ad causæ cognitionem, ut Galenus in *commento 16. sextæ particulæ aphorismorum* ponit. ibi. *Latæ pustulæ incipientes, & ad exeuntia, apparet tales pustulas emittere nonnullam saniem lividam non bene olentem, interdum subrubeam cum quadam lividitate.* quæ omnia ostendunt materiam talis ægritudinis esse aut ipsum sanguinem melancholicum, aut nigram choleram, aut crassum phlegma. Et meo judicio, est ægritudo composita ex mala complexione frigida & humida materiali cerebri, ob quam multæ materiæ phlegmaticæ descendunt ad juncturas, nervos & musculos, dolorem in dictis locis facientes, quæ materia mixta est cum cholera dante viam, id est ducente ad loca per quæ materia grossa transire non possit. Et ex mala complexione calida hepatis & sicca materias urente. unde quanto magis materia aduritur, tanto magis ad lepræ similitudinem fit appropinquatio, & ulcera maligniora per corpus fiunt. Hinc est quod aliqui pessima patiuntur ulcera vix curabilia, alii autem mitiora patiuntur, nonnulli autem sunt sine ulceribus aut paucis. Quod autem hujus ægritudinis causa sit mala complexio humida cerebri & frigida, non est dubium. Nam facta est Romæ anatomia cujusdam, qui in vita paticbatur mentagram cum doloribus, & aliis quæ huic morbo sunt solita complicari, inventaque fuit magna copia phlegmatis viscosi in junctura, separatisque præterea cannis facientibus junctiram, exivit major copia phlegmatis. Nec poterat esse ros futuri nutrimenti, quia cur in illo, & non in alio consimili? Nec ros est illo modo coadunatus. Sed est aliquod irrorans membrum nutriendum, ut colligitur primo naturalium virtutum à Galeno. Similiter ossibus ibi existentibus advenit nutrimentum per concavitates musculi per propria vasa similiter membranæ scipsa regentia ut appellat Galen. 2. *techn.* Hoc tamen eodem modo quo de interioribus dicetur fortassis, quod est causa humectandi loca illa, quia sicca. Hoc non negatur, attamen falsum quod tanta humectatione indigeat. nam cur in aliis juncturis hoc sub tanta quantitate non est inventum? Nec obstat, si dicatur quod dextrum latus debet esse humidius ratione hepatis, quia dextra pars matricis est calidior & siccior, ut in *libro de spermate* ostensum est. Sed redeat sermo noster. Licet enim à Martiale & Plinio morbus contingens illo tempore appelletur Græce λειχὴν, Latine autem mentagra, diversisque nominibus pro locorum diversitate appelletur, in sequendo ipsius morbi quidditatem ac veritatem, dignum est redire ad ea quæ dicta sunt superius, scilicet quod ex admiratione studium philosophiæ cepit exordium, per quam admirationem per id quod ignotum est ad notitiam perveniatur. Sicut enim in singulis partibus philosophiæ demonstratur, eodem modo in singulis medicinæ partibus per admirationem rei ignotæ per rem notam fiat demonstratio. Itaque ad notitiam morbi ignoti necessarium est pervenire per ea quæ nobis nota sunt, utique per accidentia morbum consequentia. Veruntamen ad sciendum nomen & quidditatem ipsius morbi Gallici tempore illo cruciantis, nota Avicennam *prima primi cap.* 1. *de subjectis medicinæ.* ubi inquit. *Quia sanitas & ægritudo, & earum causæ plerunque sunt manifestæ, plerunque occultæ, quæ non sensu, neque nisi per significationes accidentium comprehenduntur.* Sequitur ex dictis Principis, quod si aliqua ægritudo sit ignota & occulta, non potest sciri, nec cognosci demonstratione propter quid, sed demonstratione quia scilicet ex signis & effectibus. Ergo cognitio ægritudinis & suarum causarum scitur per accidentia communia & propria, quæ conferunt ad cognoscendum quod quid est res, ut habet in *proœmio de anima* Aristoteles. Sequitur item ex hoc quod non est necessarium medico cognoscere ægritudinem solum in quantum ægritudo est, quia ipsa nota est per sensibilem operationum læsionem, quam facit in corpore humano, testis Galenus & Avicenna in pluribus locis, sed debet scire essentialiter ægritudinem occultam & ignotam nobis, per accidentium significationes, quæ sunt signa medico facientia veram notitiam morbi & causæ ejus. Ideo bene dixit Avicenna supra, quod sanitas & ægritudo, & earum causæ plerunque sunt manifestæ, plerunque occultæ, quæ non sensu, neque nisi per significationes accidentium comprehenduntur. Veniendum igitur est ad rem nunc concurrentis morbi, & affligentis multitudinem hominum, qui nobis occultus est & ignotus. Sed licitum est essentiam & quidditatem morbi per accidentium significationes, quæ notificant nobis essentiam & quidditatem per effectum quem inducunt cognoscere: nam hic morbus per accidentia in principio demonstratur. Sed quæso dic mihi, quare in diversis regionibus diversimode vulgus hunc morbum appellet? Scire te oportet in primis, quod nomina non solum morbis, immo rebus ad denotandum substantiam vel qualitatem earum imponuntur: hoc multifarie dicit Avicenna *secunda primi doc.* 1. *cap.* 8. Nam aliquando nomen capiunt à causa, aliquando ab effectu. A causa etiam multis modis. Nam aliquando à causa materiali in qua, ut pleuresis, quæ denominationem capit à membro, ut à pleura, id est à panniculo costas tegente. Ita etiam morbus de quo jam fit sermo, mentagra appellari potest, & sic de aliis. Aut à causa materiali ex qua, ut ægritudo quæ dicitur melancholica, quæ nomen capit ab humore melancholico. Aliquando a forma cui assimilatur, ut elephantiasis ab elephante, & serpigo a serpendo. Et aliquando à causa formali. Et aliquando ab efficiente. Sed his pluribus modis, ac aliis intermissis, dico quod morbus Gallicus appellatur hac de causa. Nam Gallus manu forti Italiam ingrediens, & maxime regno Neapolitano occupato, ibidem commorantibus Gallis hic morbus detectus est, fuitque ob id ab Italis morbus Gallicus appellatus, & imaginati sunt ipsum Gallis connaturalem esse. In Gallia vero, quia in reversione regis Caroli cum suis in Galliam hic morbus apparere cepit, credentes se eum ex Neapoli apportasse, hanc ob causam morbum Neapolitanum vocarunt. Valentini, Catalonii post longam librorum indagationem ipsum morbum Sancti Sementi vocarunt, ut in 12. *lib.* edito à magistro Francisco scriptum invenerunt, similem morbum alias orbem invasisse. Sed isti non parum à veritate deviant, nam hic morbus de quo supra fit mentio, in regno Franciæ & usitatus & antiquatus est. Nam sicut lepram à Sancto Lazaro vulgus eum morbum Sancti Lazari vocat, hoc eodem modo Galli malum mortuum morbum sancti Sementi appellant eo, quod ejus auxilio implorato quamplurimi curantur, & præsertim si ad ejus corpus perveniunt pedes ambulando & eleemosynam quærendo. Hujus sancti corpus in Britannia exititit in maxima veneratione. In ulteriori vero Hispania morbum curialem vocant eo, quod curiam sequatur. Et dum veram hujus morbi definitionem perquirebant, unusquisque diversa experiri conabatur, & veritate non reperta, curam empiricis reliquerunt. Præterea legimus Romanis scientiam medicinæ per aliqua tempora fuisse interdictam. Et non sine causa etiam literati (sicut istis temporibus à Doctoribus sæpe videmus) ab hoc crudeli morbo fugiunt, se nihil scire confidendo. Quare aromatarii herbarum collectores, cæterique mechanici ac vagabundi & trusatores (ut ita loquar) hujus morbi veros & perfectos curatores seipsos esse profitentur, & quia nihil sciunt, nihil dubitant, credunt enim se omnia scire: quare mirabilia pollicentur, quos si audires, mortuos suscitare crederes. Miror cur isti ignari circa tam nobile subjectum sint tantæ audaciæ, cum paulo post spes inanis erit: nam repentina ac insperata mors eos intercipit. Et si quis natura juvante, aut Deo permittente convaluerit, unguentorum suorum beneficio curatum prædicant, & non solum laudibus, sed & muneribus affici volunt, medicinæ secretas artes prorsus ignorantes, atque ea tam egregia & pene divina scientia penitus abutentes.

*Causa mentagra.*

*Hepar causa mentagra.*

*Varietatem nominis morbi declarat.*

*Cur morbus Gallicus.*

*Cur Neapolitanus.*

*Cur morbus Curialis.*

## CAP. II.

### *De veritatis causa morbi, hujus item durabilitatis.*

*Causa veri morbi.*

Pro vera autem notitia, hujus capituli attentione dignum esse ducimus, quod hic morbus verius cepit exordium anno domini. 1483. quia eo anno mense Octobris fuerunt quatuor planetæ, videlicet Jupiter, Mars, Sol & Mercurius in libra in domo ægritudinis, & significat ægritudinem ex corruptione sanguinis & choleræ, & fuit ibi combustus Jupiter eodem signo, fuitque ibidem conjunctio Jovis & Martis & Mercurii, & Martis & Veneris, Jovis & Mercurii, & Jovis & Veneris, de mense Octobris die prima Novembris. Fuit præterea bis eclipsata luna eo anno, tam in scorpione in domo ægritudinis, quam in ejus opposito. Fuit præterea in eodem scorpione in ipsa domo ægritudinis combustus Saturnus & Mercurius, conjunctus Saturnus & Venus, fuitque conjunctus Saturnus & Mars in ultima Novembris, & sic significaverunt corruptionem sanguinis & choleræ, & conjunctiones omnium humorum, & abundantia humoris melancholici tam in viris quam in mulieribus. Propterea cepit iste morbus in genitalibus virorum, præcipue in principio capitis virgæ, & in vulva mulierum, quia scorpio habet dominium in his locis, hac ratione significavit in dictis locis ægritudinem ex illa humorum corruptione & adustione tam sanguinis quam choleræ, præcipue melancholiæ. Fuitque præ-

*Quare in genitalibus oriatur.*

præterea universalis, non solum quia libra & scorpio fuerunt infortunati & significationes hujus ægritudinis, sed quia omnes planetæ participarunt in ea significatione in illis signis. Et sic omnes orbis partes planetis ipsis subjectæ fuerunt infortunatæ, participantes de dicto morbo, quia planetæ ipsi fuerunt ibidem permixti & invicem affecti, id est infortunati. Non mirum autem, si in omnibus corporis partibus hic morbus apparuit, quoniam planetæ ipsi in omnes corporis partes habent significationem & dominium, & maxime in partibus melancholicis. Et fuerunt etiam tria signa infortunata, videlicet Taurus per conjunctionem Martis & Lunæ in prima domo revolutionis anni, infortunata etiam Venere ejus domina per casum & retrogradationem, & libra & scorpione per conjunctiones planetarum supra dictorum. Et quanquam etiam sine respectu loci, figuræ annique diversificentur secundum climata permixtiones ipsæ diversarum qualitatum planetarum, ultra alia significata, per influentiam & proprietatem ipsorum necessario etiam significant supradictorum humorum corruptionem & adustionem. Quæ omnia planius & diffusius in tractatibus Albumasaris tractata inveniuntur. Nam Albumasar dicit, quod conjunctio Saturni & martis significat terribiles ægritudines. Causa vero tantæ durabilitatis ipsius morbi extitisse videtur, quoniam sequenti anno 1484. dicta significatio fuit fortificata ex infortunatis Jove & Saturno in eodem signo Scorpionis: nam uterque fuit ibi combustus à sole, & luna venit ad oppositionem solis, Saturni, Jovis & Veneris existentium in eodem signo scorpionis, & ipsi Saturnus & Jupiter ibidem corporaliter conjuncti fuerunt, & sic debuit in eo prædominari humor melancholicus, ex significatione solis, Saturni & Jovis, & signi scorpionis. Tertio vero anno 1485. facta fuit coadunatio planetarum videlicet Saturni, Jovis, Martis, Mercurii, & in signo Sagittarii, & ibi conjunctus Jupiter, & ibidem conjunxerunt se corporaliter Saturnus & Mars, Saturnus & Mercurius, & Jupiter & Mercurius, qui cum sint in Sagittario, significant corruptionem & adustionem humorum, & abundantiam aduste choleræ & melancholiæ. Idcirco ipsa corruptio humorum & morbus iste debuit magis abundare in cholera adusta & humore melancholico, propter significationes & qualitates ipsorum planetarum, & signi Sagittarii, & sic etiam fuit significatio universalis, respectu tot planetarum conjunctorum & affectorum, id est infortunatorum. Anno autem 1486. idem confirmavit oppositio Martis & Saturni existentium in eodem signo Sagittarii, & conjunctio Jovis & Martis in eodem signo. Item anno 1487. iterum confirmavit hoc conjunctio corporalis Saturni & Martis, Saturni & Mercurii per sextilem, & per combustionem Saturni, & Mercurii in eodem signo Sagittarii, & sic significata eorum se extendunt ad plures annos secundum gradus planetarum in ipso signo. Nec mirandum est, si non incepit hic morbus in Francia, vel Neapoli, quoniam ut dictum est, planetæ habent significationes in toto orbe. Idcirco manifeste declarare intendo per quem modum ista particularis epidemia in hominibus contingat, vel contingere possit, qui morbus pluribus fuit obscurus. Eam ob rem aliqua utilia pro veritatis notitia dicam, ostendendo causam generalem hujus morbi occulti, videlicet ut plurimum esse à radice superiori, utique à conjunctionibus septem planetarum in signis, ut jam dictum est. Et ad hoc declarandum attentione dignum est, quod tribus modis videntur corpora superiora in hæc inferiora agere seu imprimere, vel pluribus eorum, vel omnibus simul. Quorum unus modus est universalis, alius medius, tertius particularis. Universalis vero modus imprimitur scilicet per lucem, sive per lumen, vel per motum, vel per influentiam. Et dictus morbus Mentagræ, causari potest à motu & à luce luminis supercælestis, cum corpora superiora, ut dictum est, his duobus modis in hæc inferiora agere possunt. Unde secundo cœli & mundi Calor & lumen à corporibus cœlestibus generantur. Modus vero medius est quando per complexionem operantur, nam quidam eorum dicuntur frigidi & sicci, ut Saturnus. Commentator vero 2 *cœli & mundi* contra Avicennam inquit, stellas non agere frigiditatem, & qualitates similes unicuique elementorum, quamvis sibimet contradicat in de substantia orbis, dicens. Quædam utique calidæ & humidæ, ut Jupiter. Intelligunt autem doctores complexionem non formalem eis inexistentem, sed effectivam, quoniam tunc essent compositi ex elementis contrariis, per consequens & corruptibilis complexio planetarum esset. Ergo habent complexionem effectivam tendentem ad caliditatem & humiditatem, ut complexio humana, quam habet ex coalteratione membrorum principalium, qua proportionantur & ponderantur adinvicem. Et sic complexio stellarum omnium ex dicta coalteratione earum ad calidum & humidum tendit. Modus vero particularis est quidam influxus stellaris, unicuique individuo ab alio propria nativitate differens, aut revolutione ejusdem inditur. Ideoque omnis planeta secundum diversitatem nativitatis & revolutionis uni existit fortuna, aliis vero infortuna. Et hic quidem modus est sic singularis & appropriatus, quod convenit uni talis effectus qui non convenit alteri: Sequitur ergo ex his dictis, quod corpora superiora agunt in hæc inferiora altero trium modorum, vel pluribus eorum, vel omnibus simul: nam per lumen in instanti, vel per motum & in tempore, vel per influentiam, & limitato & certo tempore operantur. Ex his notatis, & ex sententia Doctorum antiquorum sequitur, quod Mentagra potest causari ab influentia cœlesti, quæ est tota proprietas, sive forma specifica concessa à prima causa, proveniens à corporibus supra cœlestibus influxu stellari unicuique individuo ab alio propria nativitate fere differente, & sic est singularis & appropriatus, quod convenit uni talis effectus & non alteri. Et talis virtus est potentia activa specifica, per quam corpora humana patiuntur corruptionem & pestem, & est potentia passiva in humoribus. Ideoque concludit Arnoldus in *libello de retardanda senectute cap.* 8. quod mortalitas brutorum non transit ad homines, nec e converso. Sed notat Gentilis dicens, quod aspectu determinato specifico & appropriato correspondet configuratio passiva in his inferioribus quandoque secundum planetas, sive loca. Et sic accidit mortalitas in uno climate, & non in alio, etiam in una civitate vel villa, & non in alia, & in una domo, & non in alia. Quandoque accidit secundum species animalium. unde quandoque moriuntur in una pestilentia homines, quandoque boves, & sic de aliis. Aliquotiens est secundum determinatos modos hominum in complexione insequente materiam. Et sic sequitur mors in isto homine habente complexionem insequentem materiam magis dispositam ad epidemiam per illum aspectum vel influxum cœlestem ac determinatam speciem & proprietatem, cui correspondet configuratio passiva illius hominis, & non in aliis hominibus quibus non est iste aspectus, vel influxus specificus, determinatus, proprietarius. Sequitur ex his dictis, quod illa virtus proprietaria, sive forma specifica concessa à prima causa ex influxu stellari proveniente, à corporibus supra cœlestibus provenit videlicet Mentagra. Itaque quod convenit uni individuo, non convenit alteri, quia aspectui determinate specifico, & appropriato correspondet configuratio passiva in his inferioribus. Idcirco mentagra evenit in uno climate, & non in alio, & in una civitate vel villa, & non in alia, & in una domo, & non in alia, quandoque in uno homine, & non in alio. Sequitur ex hoc dicto, quod ipse dictus morbus potest provenire in quocunque homine cujuscunque complexionis fuerit, utique sanguineis, phlegmaticis, cholericis & melancholicis, hoc intelligendo de complexione insequente formam, sed in complexione insequente materiam quod convenit uni individuo, non convenit alteri individuo, ratione illius influxus & aspectus cœlestis &c. Concludere igitur possumus ex his dictis, quam illam notitiam habere poterimus non de rebus operantibus à proprietate demonstratione propter quid, sed demonstratione quia ab effectibus quem inducunt: sicut nullus scire potest quod magnes attrahat ferrum, nisi experientia visa fuerit per applicationem magnetis ad ferrum in debita propinquitate ei proportionata: & sic de aliis rebus operantibus à proprietate, vel à forma specifica.

*Causa durabilitatis mentagræ.*

*Causa generalis mentagræ.*

*Mentagra annam.*

*Cur non omnes aut omnia loca inficiantur.*

*Omnes infici posse mentagra.*

## CAP. III.

### *De differentia inter variolas, morbillos, & mentagram, & de signis prognosticis ac bonum & malum, ac de quibusdam aliis infectionibus cutis.*

Inter variolas, mentagram & morbillos talis sit differentia. Nam materia variolarum est materia sanguinea, materia autem mentagræ est grossior & multum melancholica, materia vero morbillorum est cholerica sive sanguis cholericus. Præterea variolæ generantur ex sanguine grosso magis quam morbilli, qui generantur ex subtiliori & sicciori, sed mentagra generatur ex humore multum melancholico adustissimo, ut furfures siccæ & aridæ. Et istæ pustulæ quandoque apparent in facie & in capite multæ, in aliis autem membris paucæ, & quandoque multæ in pectore & ventre, & paucæ in capite & aliis extremitatibus. Melancholicus vero sanguis propter sui grossitiem non potens penetrare, non transit nisi cum difficultate ad membra præcipue nervosa, scilicet per viam derivationis. Sed cum facilitate pertransit humor melancholicus ad membra nervosa nutrienda, & ibi congeritur in porositatibus dictorum membrorum nervosorum. Signa vero demonstrativa variolarum secundum Avicennam

sunt, quod quando apparent, in earum principio faciunt incurrere pruritum in membris, deinde apparent res sicut capita acuum in cute, & videntur sicut mordicationes pulicum, deinde augentur donec egrediantur similes milio, deinde augentur totaliter, & implentur sanie, & post complementum resolvuntur & arescunt. Faciunt enim crustam quæ exsiccatur & cadit. Sic etiam in principio mentagræ quandoque eveniunt dicta signa demonstrativa, ut pustulæ apparentes non impleantur sanie, sicut in variolis, immo parvissimam habent tales pustulæ virulentiam, & illa resolvitur, & arescit & facit crustam, & exsiccatur & cadit, quia materia ex qua generantur pustulæ sunt melancholicæ, terreæ & valde siccæ. Nunc dicendum est de signis prognosticis ad bonum, notando ut Avicenna scribit dicens. Si variola est velocioris apertionis & processionis & maturationis, est salva. Similiter etiam si mentagra est velocis processionis & apertionis, prognosticatur salva, & est ratio, quia si illa materia non erit tantum terrea, nec ustissima, immo aliquam habet subtilitatem & porositates membrorum nervosorum, erunt dilatati & aperti, & virtus expulsiva poterit illam materiam melancholicam ad cutim expellere. Si vero apertio fuerit in tertia, bona significatio erit, & hoc verum est, si non fuerint accidentia mala, utique angustia, difficultas anhelitus. Et ut plurimum mentagra apparet in septimo die, & est bonum signum. Possunt etiam apparere post 9. diem, etiam post 14. & 20. quia materia ejus est imbibita in porositatibus membrorum nervosorum, ideo est difficilis exitus, propter grossitiem & siccitatem materiæ melancholicæ. Et in expulsione extra ad cutim, semper sequitur aliqualis angustia, & pauca difficultas anhelitus; sed in variolis & morbillis maxima angustia & difficultas anhelitus & febris demonstratur. Mentagra vero est salva utplurimum, & raro ex eis deperditur aliquis. Nam appetitus eorum non est debilitatus nec corruptus ut in pluribus aliis ægritudinibus: immo plures eorum habent appetitum fortem, quia ista materia melancholica quæ congesta est in orificio stomachi veniens à splene ad ejus orificium quasi promulgendo profluit, ut dicit Avicenna. Si autem amplior quantitas non proportinata ad os stomachi profluat, causat appetitum caninum, & hoc secundum majorem vel minorem quantitatem defluxus. Sed ratio verior cur sit salva est, quia materia mentagræ est melancholica terrea, quæ raro putrefit & corrumpitur, propter ineptam dispositionem & contrariam putrefactioni & corruptioni, ideo non causatur febris putrida, continua, concluſa. Idcirco raro moritur aliquis ex mentagra, & si contingat quempiam mori, erit ex mala dispositione aliorum humorum existentium in venis, habentium facilem & aptam dispositionem ut putrefiant & corrumpantur. Et si ad intra venas putrefiant, diversas febres causabunt, si vero ad extra expelluntur, possunt causare pustulas vel apostemata maligna ab igne Persico, & ex his apostematibus & pustulis potest sequi mors mentagræ. Et quæ continue exeunt, & non tarde, nec difficulter, & & sunt sine febre, & cum levibus accidentibus præcipue doloribus, cum constantia virtutis & appetitus bonitate, sunt bonæ. Signa autem prognostica ad malum sunt, si mentagra occultatur subito & non redeat ad exteriora, & faciat syncopem, est mala valde. Ista signa in variolis & morbillis sunt signa mortis, si eis associetur malitia anhelitus, & raucedo vocis. Cum autem videris anhelitum patientis mentagram frequentem, casum virtutis subito, & angustiam assiduam, & extrema infrigidantur, cum signis apostematis in diaphragmate, sunt signa mortis mentagræ. De speciebus etiam malis & timorosis quæ plerunque interficiunt est illa: nam quarum diversificatur egressio, scilicet quæ quandoque apparent, & quandoque occultantur, & proprie quando pustulæ sunt violaceæ & tenaces & nigræ, cum mortificatione membri, & cum debilitate virtutis, tunc derelinquendus est patiens solo mortis prognostico. Sequuntur ad hæc & aliquæ aliæ infectiones cutis notatu dignæ. Infectiones quippe cutis sunt morphea, albaras, panni, lentigines, sanguis mortuus, gutta rosacea, scabies, serpigo, impetigo, & malum mortuum, & consimilia, & omnes sunt infectiones cutis maculosæ, quia non differunt istæ infectiones nisi in magnitudine, & parvitate in situ & colore, & multum in materia. Et nota, quod istæ infectiones quandoque sunt planæ & non habent inæqualitatem, nec ulcerationem. Si sunt nigræ, vocantur morphea; si albæ, albaras; si rubeæ, gutta rosacea; si magnæ, vocantur panni; si parvæ, lentigines. Si vero non sunt planæ, sed inæquales & ulceratæ, vocantur scabies, serpigines & impetigines. Tamen omnes infectiones cutis inæquales & ulcerosæ sunt de summo bothor ulcerosorum, incipientesque parvæ, lenes, divisæ in multis locis, deinde ulcerantur ulceribus squammosis & furfurosis quandoque apparentibus, quandoque occultis. Et quæ sunt fixæ, dicuntur saphati, & quæ sunt mobiles, impetigines, quia serpentes hinc inde moventur. Hæc dicta innuit Princeps Avicenna *fen. 7. quarti tract. 4. cap. 9.* Lege igitur Principem, & videbis differentiam inter istas infectiones cutis, propterea in præsenti non licet sermones prolongare. Veruntamen Saphati est de summo bothor ulcerosorum, & habet similitudinem quandam cum isto morbo nunc concurrente, per signa posita ab Avicenna *fen. 7. quarti tractatu. 3. cap. 1.* ubi inquit, *Saphati quidem incipiens & bothor parvæ, fixæ, lenes, divisæ in numeratione locorum, deinde ulcerantur ulceribus crustosis, & sunt ad rubedinem declives, & quandoque emittitur virus, & nominatur saphati humida.* Et quandoque incipiunt cum sanie fixæ, & multotiens apparent in hyeme, & auferuntur velociter. Et causa quidem saphati est humiditas acuta corrosiva, quæ permiscetur sanguini, & humores sunt grossi & mali, quare grossum fit apostema, quia exsiccatur subtile. Causa ejus est humor melancholicus plurimus, cui permiscetur humiditas acuta, quare expellitur ad cutim, & corrumpit & corrodit eam. Veruntamen scabies est infectio cutis maculosa, aliquotiens squamosa, aliquotiens pruriginosa, aliquando sicca, aliquando humida, ut plurimum in exterioribus magnam partem cutis omnium membrorum occupans. Nec mirum cum cutis secundum Galenum sit membrum ordinatum ad receptionem superfluitatum corporis totius. Causæ scabiei sunt humores corrupti in hepate generati, qui conversi in fumositatem & vaporem, à virtute regitiva in corporis superficiem expelluntur. Unde si vapor fuerit multum subtilis, evaporatur insensibiliter, si autem non fuerit in tanta subtilitate, & pori fuerint depressi, converturtur in sudorem, si autem fuerint grossi, generatur scabies. Si corruptio augmentatur, causat pruritus, si plus fortificatur, generatur scabies, si plus, scabies fœda, sin adhuc plus, impetigo & serpigo. Sed malum mortuum est quædam species scabiei, quæ oritur ex melancholia naturali adusta, ex permixtione phlegmatis salsi cum livore & nigredine, & pustulis crustosis, magnis, fœdis cum sanie & ærugine, & cum quadam insensibilitate, & cum turpi forma in coxis & tibiis frequentius adveniens. Idcirco quia omnes dictæ infectiones contra naturam advenientes in cute corporis humani, præcipue ulcerosæ, & maxime saphati, sunt significationes id est signa quasi consimilia morbo nunc concurrenti, propterea aliqui medici voluerunt dicere & affirmare esse saphati, ex eo quod habet pustulas crustosas, divisas, in numeratione locorum. Sed in veritate alia signa habet morbus iste nunc concurrens mentagra, quia longe alia accidentia. i. e. signa in ipso quam in aliis infectionibus ulcerosis cutis reperiuntur. Hoc Avicenna ostendit dicens. Quando ægritudines & earum causæ particulares sunt occultæ, per sua accidentia propria & communia quæ sunt signa medico ægritudinum & causarum earum, cognosces ægritudines particulares dividendo, numerando & complendo.

*Mentagra Salva.*

*Mentagra mala.*

*Mentagram differre a saphati.*

## CAP. IV.

### *De regimine præservativo Mentagræ.*

Regimen conservativum, ne quis incidat in mentagram, nequaquam à medico est negligendum. quia justa regulatio est vitæ uniuscujusque necessaria, cum corpus nostrum sanum facile irregulatum cadat in ægritudinem. ut ipsa docet experientia. Hoc tamen non esset, nisi corpus mutabile foret, Galeno narrante, 3. *techni.* Impossibile est mutabile corpus semper manere in optima complexione & compositione, nam tunc nihil indigeret arte constituente ipsum. Quoniam autem immutatur, & corrumpitur & convertitur, non servans quam habebat à principio consistentiam, propter hoc igitur quot modis alteratur totidem & generat, procurationis habebit, hoc est, conservantium causarum. Et alteratur corpus à quibusdam ex necessitate, ut sunt aer, motus, quies, cibus, potus &c. quorum singula si indigenti corpori adducantur, & in competenti quantitate & qualitate, salubre fit: applicata vero non in competenti mensura & quantitate, ægrum constituitur. Amplius notandum est pro notitia hujus, quod causæ conservativæ sanitatis illæ intelligendæ sunt, quæ debite approximatæ corpori humano, sub eadem & consimili dispositione, illud permanere faciunt. Solum tamen dicendum est de causis recuperativis vel producentibus sanitatem, quæ vocantur causæ præservativæ, quia faciunt corpus humanum casum & ægritudinem evadere, ut supra *tertio Techni canone & commento allegatis.* Causa autem præservativa dicti morbi duplex est, prima est recurrere ad Deum gloriosum, & ad virginem Mariam. Secunda causa præservativa item duplex est. Nam quædam est, quod quando quis incipit incurrere dictum morbum mentagram, in principio illico succurrendum est cum regimine

*Causa præservativa mentagræ bina.*

ne præſervativo, prohibendo materiam malam ac qualitatem materiæ exiſtentem in poroſitatibus membrorum nervoſorum, vel in maſſa ſanguinea, ne magis corrumpatur & aduratur, & ſiccitatem terream ſuſcipiat, & ne mala qualitas confirmetur, & prohibere periculum ejus impreſſionis, ne ad terminum confirmationis ſiccitatis & frigiditatis attingat, quia quando confirmata eſt in eis ipſa ægritudo, eſt difficilis curæ & quaſi incurabilis. Veruntamen quia cura, quæ debetur morbo, debet eſſe commixta ex cura prævifiva & aliquantulum curativa, ut Galenus *tertio Techni*, unamquamque cauſam oportet abſcindere prius, deinde venire ad eam quæ facta eſt, id eſt, quomodo hic dictus morbus factus eſt, ſcilicet quomodo materia ipſius morbi in facto eſſe ſuæ aduſtionis fuerit, tunc enim uti debet medicus cura curativa, & aliquantulum prævifiva. Alia cauſa præſervativa eſt, cum corpora humana diſpoſitionem habeant ad incurrendum mentagram, ſive perveniat à radice ſuperiori, ſive à radice inferiori, vel à radicibus ſimul conjunctis, in talibus enim neceſſarium eſt uti regimine præſervativo. Completur autem hæc præſervatio, ſive prævifio cum his qui abſcindunt cauſam primitivam, ſcilicet influentiam ſuperiorem, & corporis diſpoſitionem. Et hæc conſiſtit circa ſex res non naturales, ſub quibus neceſſario vita humana dicitur peragenda, quæ ſunt aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, repletio & inanitio, & accidentia animæ.

## CAP. V.

### *De aëris electione in morbo Gallico.*

Medicus ſcire debet temporum diverſitatem, quæ in unoquoque climate commoveri ſolet. Per naturam enim temporum anni ſtat ſanitas plus quam per alias cauſas, teſtis eſt Avicenna. 2. *primi*, quod etiam in *libello de aëre & aqua* ſenſit, ſcribens, *Si quis ad ſtatum medicinæ accedere curat, neceſſe eſt prius ut anni tempora, & quæ in eis generantur, attente requirat.* De aëre igitur in primis inchoantes, dicemus quod duplex exiſtit, ſcilicet purus, & impurus. Purus quidem eſt elementum & corpus ſimplex, cujus naturalis locus eſt ut ſit ſupra aquam, & ſub igne, cujus natura calida eſt & humida. Et hunc aërem elementalem apud nos non habemus, ut ait Avicenna *prima primi*. Alium vero aërem impurum hic exiſtentem inſpiramus, nam ſine aëre inſpirato non ſtat vita. De quo Avicenna *ſecunda primi doc.* 2. *cap.* 9. dicit, *Aër qui nos circundat non eſt purus, ſed eſt corpus in ſua ſubſtantia commixtum, & cetera de hujus aeris diſpoſitionibus medicus conſiderare debet.* Nam cum medicus temperantiam aëris, temporumque diſcordiam prænotaverit, ſcientia ſua ſemper erit utilis ad ſanitatis ingenium. In curandis quoque ægritudinibus confert. Propterea Galenus *tertio therapeuticæ. cap.* 5. dixit, *Alias quidem materias eligere & fugere poſſumus, eam autem materiam, quæ continet nos, non poſſibile eſt fugere, ſed neceſſarium eſt ut ea quæ eſt præſens, licet frigida ſit in comparatione ſpiritus innati*, ut Avicenna in 2. *primi doc. c.* 2. inquit, *cum prohibeat ſpiritum ne ad igneitatem convertatur, ex qua ad malitiam perveniat, exiſtens elementum noſtrorum corporum & ſpirituum, & emanatio noſtris adveniens ſpiritibus.* Veruntamen aër ſua caliditate naturali, & quandoque accidentali nos reſolvit, cum calidus ſit, ut Conciliator *differentia* 14. probat. Et Galenus quoque in *quarto de accidente & morbo cap.* 4. inquit: *Aër, qui vicinus eſt cuti, diſſolvit membra ſub cute exiſtentia, itaque inaniuntur.* Propter hoc medicus debet optimas qualitates aëris eligere in conſervatione ſanitatis, ejusque præſervatione, & nocentes ipſius diſpoſitiones corrigere & rectificare. Idcirco quis aër bonus ſit, & quis malus, dicendum eſt, ut unuſquiſque bonum ac laudabilem à non bono poſſit diſtinguere. Ideo Avicenna. 2. *primi cap.* 1. dicit: *Aer quidem dum eſt temperatus & clarus, neque ſubſtantia extrema complexioni ſpiritus contraria ei admiſcetur, eſt ſanitatem efficiens, cum vero eſt contraria, contrarium operatur.* Valde igitur neceſſarium erit nobis ut aër corrigatur, maxime vero ſi hic morbus ab influentia ſuperiori pervenerit. Propterea & in tempore calido ſequitur ignitio & aduſtio in humoribus, & citius alterabilis & receptibilis ab illius influentia cauſativa & movente illam materiam mentagræ. Ideo quanto plus poſſibile eſt, minus quo poteris attrahatur aër exterior, dum infectus ſit, & non inſpiretur ad intra corpus, quia tunc talis influentia minus commovebit dictam materiam in poroſitatibus membrorum nervoſorum, & etiam in venis qualitative exiſtentem. Veruntamen magis malitioſus magisque commovens eſt aër ſuperior exiſtens, quia directius aſpicit homines ſtantes & loco alto expoſitos, & cum majori alteratione medii in tales homines agit: nam agens fortius agit in paſſum propinquum diſpoſitum, quam in diſtans: ut Ariſtoteles *de generatione*, & Avic. in *de viribus cordis c. de hyacintho* ajunt. Et tunc debet fieri mora in domibus, vel locis concavis & infimis & ſubterraneis, cum ſit ibi aër groſſior & frigidior, nam tali aëre exiſtente groſſo, cum ſit in majori diſtantia, non habet potentiam vel virtutem illa ſpecies influentiæ proprietaria penetrandi illum aërem groſſum ſicut aërem ſubtilem, quia facilius in eo illa ſpecies proprietaria penetrat, & melius corpus eſt receptivum illius malæ qualitatis, ut Avicenna. 2. *pri. doc.* 2. *cap. de naturis temporum* innuit. Tunc ergo ingroſſandus eſt aër, irrorando ſæpe domum cum aqua, & aceto & cum roſis, præcipue in tempore calido. Si vero talis influentia in tempore hyemis pervenerit, etiam eſt neceſſarium uti infrigidantibus & ingroſſantibus. Veruntamen quia talis infectio in hoc morbo dicto plurimum accidit à cauſa ſuperiori, & hoc ſecundum diverſitatem aſpectuum ſignorum, ſub quibus cadit conjunctio planetarum, eclipſes ſolis & lunæ, ita ut iſte morbus mentagra in una civitate ejuſdem climatis & regionis, & non in alia, & in una domo ejuſdem civitatis, & non in alia domo, vel in uno homine illius domus, & non in aliis eveniat: propterea ſi ipſe morbus infecerit multitudinem hominum in tali loco vel civitate, ſummopere fuga eſt neceſſaria. Denique notandum eſt, quod non ſolum materia mentagræ movetur ab influentia proprietaria ſtellarum, ſed & commoveri poteſt à cauſis exterioribus, maxime ab aëre corrupto & peſtilentiali, ex hac autem cauſa malignatur & movetur natura, & tunc virtus expellit illam materiam mentagræ. Propterea dicit Avic. *fen.* 1. *quarti c.* 6. Et de hoc eſt cujus cauſa eſt res adveniens extrinſecus ebullitionem faciens occultam, id eſt, commovens occultos humores in nobis. Pro quo nota duplicem ebullitionem, unam qua fit rei ebullientis rectificatio, ſicut ebullitio muſti cum fit vinum depuratum, aliam qua fit rei ebullientis corruptio, ut cum ebullit vinum, & fit acetum, & ebullit ſanguis per putrefactionem, & fit ex melancholica. Et has duas ebullitiones notat Avic. in *cap. de variolis & morbillis:* quia ſanguis ſive ebulliat ebullitione ſeparativa ſcilicet perfectiva, ſive ebullitione corruptiva, fit aliqua ſeparatio. In omni enim ebullitione perfectiva fit ſeparatio partis bonæ à mala, in ebullitione autem corruptiva fit ſeparatio humidi à ſicco, unde terminus putredinis eſt incineratio. Mentagra vero habet occultos humores, videlicet materiam melancholicam aduſtiſſimam, terream, in poroſitatibus membrorum nervoſorum; ex diſpoſitione occulta aëris, ſic ſæpe in pluribus peſtilentiis contingit multiplicatio variolarum, aliquando in alia diſpoſitione aëris eveniunt morbilli, & aliquando in alia diſpoſitione aëris oritur tertia ſpecies ſcilicet aluhumata. Et ſub hac ſpecie rationabiliter aliqui Doctores mentagram collocant. Similiter eveniunt iſtæ prædictæ diſpoſitiones, id eſt ſpecies variolarum maxime aluhumata in autumno, cum aër eſt turbidus, pulverulentus & obſcurus, & flat ventus meridionalis: ut inquit Rhaſis. 8. *continentis.* Et ibidem dixit: Si videris autumnum vehementis caliditatis & ſiccitatis, & hyemem propriæ naturæ, expecta variolas, & alias ſpecies variolarum. Confirmat hoc Princeps Avic. dicens: *Eventus earum eſt plus in vere quam in hyeme, & poſt ver in fine autumni, & proprie quando æſtas eſt calida & ſicca, & fuerit autumnus calidus & ſiccus.* Concludamus igitur, quod aër in quocunque tempore anni fuerit valde calidus & ſiccus, & præcipue in regionibus calidis & ſiccis, & in corporibus calidis & ſiccis, dat ſigna eventus morbillorum, etiam mentagræ, licet rariſſime eveniat, quia ejus materia non movetur niſi ab agente ſorti proportionato ipſi materiæ morbi mentagræ. Dixi ſuperius de aëre valde calido, non dicere volo, quod aër calidus noceat in conſervatione à mentagra & cura ejus, immo continet nos. de quo medicus magnam debet habere ſolertiam. ut 12. *continentis*, & 11. *therapeuticæ* ſcriptum eſt. Ad calidum quidem declinare debet: nam cauſa faciens hunc morbum mentagræ frigida eſt. Et quia opus eſt tractione ad exterius, ne patientes infeſtentur à tam ſævis doloribus, & talis materia eſt groſſa & compacta, quæ poſtquam venerit ad extrinſeca exſiccatione indiget, ideo ad ſiccitatem aër tendere debet. Et confirmat hoc experientia, nam omnes qui tali morbo laborant, longe deterius ſe habent in hyeme, quam in æſtate. Licet in actu præſervativo, ad temperamentum aërem alterare debeamus, ubi inæqualis fuerit, tantum quantum poſſibile eſt. Et tandem ad illas qualitates debet declinare aër, quæ minus ſint generativæ materiæ facientis hanc ægritudinem.

*Mentagram oriri ab aere corrupto.*

*Mentagra occulta.*

CAP.

## CAP. VI.

### *De cibo & potu.*

Galenus *primo ad Glauconem* dicit. *Per diætam autem non ſolum intelligere debemus adminiſtrationem potus & cibi, verum & debitam adminiſtrationem omnium, quæ ſubrebus non naturalibus continentur.* Et propterea dicebat diætam, quam vivendi regulam dicimus, eſſe medicinam, aut medicinæ partem. Præterea licitum eſt volenti naturalem calorem & vitam conſervare, ut nunquam ſine pabulo & nutrimento corpus relinquamus, quoniam corpus privatum alimento non poteſt diu durare, teſte Galeno *primo de elementis cap.* 1. ſic dicente: *Sine alimento non eſt poſſibile vivere ſanos, nec ægros.* Cujus cauſam & rationem aſſignat Rhaſis. 15. *continentis cap.* 1. dicens quod corpora noſtra ſunt continuæ diſſolutionis ex aëre circumferente & caliditate innata quæ in nobis eſt. Indiget ergo nutrimento ad reſiſtendum ei, quod diſſolvitur. Hoc etiam innuit Avicenna *ſecunda primi. doc.* 2. *cap.* 2. ubi inquit, *Nutrimento indigentes ſumus, & noſtra conſervatio ſanitatis eſt ex nutrimento nobis conveniente, quod æquale exiſtit* &c. Hoc idem teſtatur Galenus in *libro de diſſolutione continua cap.* 1. inquiens, quod corpora hominum ſunt in continua diſſolutione, propter calorem aëris circundantis ea extrinſecus, & calorem interius exiſtentem, unde neceſſarium eſt reſtaurare in eis quod diſſolutum eſt, ideo neceſſarius eſt cibus & potus. Teſtis eſt princeps Avic. 13. *tertii tractatu.* 2. *cap.* 7. ubi inquit, *Neceſſitas cibi eſt, ut ſuppleat locum ejus quod reſolvitur.* Reſolutio itaque caloris naturalis & ab extrinſeco proveniens, facit refectionem & nutrimenti neceſſitatem, ut deperdita eo modo, quo poſſibile eſt, reſtaurentur. Propterea dicunt medici, quod reſtaurata nunquam ad quantitatem, nec ad perfectionem diſſolutorum attingunt. quod patet per Galenum in *primo de regimine ſanitatis* dicentem, ſi poſſemus tale aliquid introducere, quod ſimile eſſet effluenti, hoc ſaniſſimum & optimum eſſet, ſed hoc impoſſibile eſt, quia id quod deſſuit ab unoquoque membro, tale eſt quale ipſum membrum à quo deſſuit, à quo ſumpſit fundamentum. Avicenna item *prima primi doc.* 3. *cap. de ætatibus* dicit: Amplius ſi hæc virtus ſcilicet nutritiva infinita foret, ſemper permutationem in corpore faceret ejus quod diſſolvitur. Sed videmus, quod cibaria optima comedentes, & ea perfectiſſime digerentes, de neceſſitate mori habent, nam ſi poſſibile eſſet ſemper cuſtodire humidam complexionem corporis, immortales eſſemus, ut *primo & ſexto de regimine ſanitatis* Galenus innuit: ſed quia naturalem, viam eam, ſcilicet quæ ad deficiendum eſt, fugere non eſt poſſibile, propterea ſeneſcere neceſſarium eſt nobis & corrumpi. Et quamvis rectificatio cibi & potus quantumcunque optima non facit nos à morte liberos & ſecuros. Cum ſint naturales corruptiones duæ, quas nullum generatum corpus effugere poteſt. Una quod ſemper corpora noſtra magis deſiccantur. Altera, quod ſemper univerſa ſubſtantia noſtra fluit ob innatum nobis calorem. Ad defenſionem harum duarum corruptionum naturalium, & ne humiditas cito reſolvatur, in ipſius quidem fortitudine conſiſtit, ut ipſum corpus uſque ad debitum tempus permanere faciat, puta determinatam periodum. Et hoc quidem fit per regimen rectum reſtaurationis cibi & potus, quæ fit loco ejus quod reſolvitur. Si igitur hæc duo medicus fecerit, ſcilicet quod putrefieri non permittat, & prohibeat, ne cito humiditas prima reſolvatur, diu ſanos vivere faciet omnes, qui uſi fuerint tali reſtauratione. Et quam grandis ſit refectionis utilitas nota, quod corpus à ſiccitate feſtina præſervat, quæ ſiccitas in tantum eſt corporibus noſtris inimica atque contraria, ut inceſſanter augendo procedat donec nos perimat. Teſte Avicenna ubi ſupra dicente: *O quam grandis erit refectionis commoditas, cum humanum corpus longævum & ſanum eſſe faciat toto ſuarum ætatum diſcurſu* &c. Ex his ſequitur concluſio, quod magna eſt debitæ ac ordinatæ refectionis utilitas. Quas autem habeat conditiones, quæve debita ſive ordinata diæta dici mereatur, medici judicio relinquamus, qui quod unicuique conveniens erit jubebit offerre, prout regio, natura, tempus, conſuetudo, ætas, & hujuſmodi expetere videbuntur: nam oportet ut medicus ſit prudens, ut ſuo judicio æſtimativo veritati adhæreat. Præterea Princeps *tertia primi, doctrina ſecunda capitulo ſeptimo* ait: *Oportet ut ſanitatis conſervator ſtudeat, ne cibi ipſius ſubſtantia ſit aliquid nutrientium medicinalium.* Præterea non ſunt cibaria mala & illaudabilis ſubſtantiæ comedenda, quæ merito ab omnibus volentibus ſanitatem conſervare derelinquenda ſunt, maxime in præſervatione & cura morbi mentagræ. Si vero bonæ fuerint ſubſtantiæ & laudabilis chymi, erunt eligenda. Concludendum enim eſt circa bonitatem ciborum & potuum, nam ſi bonitas ſubſtantiæ neglecta fuerit, non ſolum inutilis, ſed & pernicioſa erit. Malitia enim ciborum hanc ſolita eſt habere naturam, ut quamvis per aliquod ſpatium ſua celet occulta nocumenta, poſtea tamen ea manifeſtiſſime oſtendat, experientiam in pauperibus videmus. Hoc innuit Avicenna in *tertia primi doctrina ſecunda capitulo ſeptimo* dicens, ille, in quo mala digeruntur nutrimenta, ob hoc non decipiatur, quoniam poſt dies in ipſo malignabuntur humores ægritudines facientes, & pernecantes. Propterea Galenus in *libro de diſſolutione continua* dicit: *Omnia cibaria, quæ non temperata ſunt, non generant ſanguinem purum, mundum & clarum.* Et cibariorum mali chymi tres ſunt ſpecies. Earum enim ſunt quæ addunt choleram, & earum ſunt quæ addunt phlegma, & earum quæ addunt choleram nigram. Oportet ergo omnem hominem dimittere multitudinem eorum, & continuationem aſſumptionis ipſorum, quia etſi non inferant nocumentum cito, tamen in longo tempore chymi tales generant ægritudines malas. Druſianus 2. *techni* contrariatur huic, dicens. *Et manifeſtum per hoc, quod cholera non eſt in natura ciborum, ſicut aliqui voluerunt, ſed eſt in natura efficientis.* Si enim haberet naturam cibi, tunc in omni corpore ex eodem cibo fieret paris naturæ humor, quod falſum eſſe videtur, quia ex melle in juvene multum fit de ſubſtantia cholerica in ſanguine, in ſene autem ut ſanguis æqualis. Sed Galenus dicit in *primo lib. de naturalibus virtutibus. Nihilominus tamen omne agens agit ſecundum exigentiam materiæ, & fiet per hoc ex calidis cibis plus de cholera, minus de phlegmate, ex frigidis vero e converſo.* Ex temperatis autem ſanguis æquaiis generatur quantum ex aptitudine materiæ, propter quod ex calidis cibis in corporibus calidis fit multum de cholera, ſed in frigidis fit ſanguis æqualis. & ſimiliter ex frigidis in corporibus frigidis fit multum de phlegmate, & in calidis ſanguis æqualis. Ab his enim cibis & potibus generantibus choleram nigram præſervare debemus corpora diſpoſita ad incurrendum morbum mentagræ, maxime illo jam infecta, ut ſunt caro pecudis ovis, & caro capræ, caro hirci, & bovis, & carnes cujuſcunque animalis melancholici & hujuſmodi. Ova etiam dura & frixa, & caſeus antiquus, & fungi, & omnia legumina, ſicut lentes, milium. Similiter omnes piſces ſaliti, & omnes fructus recentes, ut ficus, ceraſa & ſimilia, nam ſi in multa quantitate frequenter comedantur, multitudo chymi mali & ſuperfluitatem ex eis generatur, & paucitas nutrimenti. Et à cepis, & alliis, rapis, raphanis, paſtinacis, cauliibus & his ſimilibus, ab eorumque frequenti uſu abſtineat in præſervatione & curatione hujus morbi mentagræ. Præterea abſtineatur cibis fortis caliditatis in virtute, quia calorem naturalem incendunt, & corporis humiditatem naturalem exſiccant, ut Avicenna *ſen. prima primi doctrina tertia capitulo primo* ait, ſcilicet quod caliditas major quam debet reddit corpus ſiccius quam oportet, nam omnes caloris cauſæ ſuperfluunt, in exſiccando juvant, ut dicit idem Avicenna in *quarta primi capitulo ſecundo.* Concludamus igitur, quod in corporibus patientibus prædictum morbum, cibi valde calidi aut nunquam, aut raro, immo quam rariſſime ſumantur, quia corpus exſiccant. Illud enim eſt in cauſa generationis materiæ morbi mentagræ, quæ eſt melancholica ficciſſima & terrea, & per auctam caliditatem efficeretur materia cinerea, per conſequens contraria eſſet ad illius morbi præſervationem & curationem. Similiter cibaria etiam valde frigida actu vel potentia, non ſunt comedenda, quoniam naturæ humanæ frigiditas eſt valde contraria, ut Iſaac in diætis univerſalibus inquit. Frigida velut nix ſunt multum fugienda, ſicut & Hippocrat. teſtatur 5. *aphor.* dicens. *Frigidum eſt inimicum nervis, oſſibus, dentibus, cerebro & ſpinali medullæ.* Propterea in corporibus patientibus hunc morbum mentagræ malitia frigiditatis in eis ſe adunat, licet ipſi nocumentum non ilico ſentiant, quia ad intra in poroſitatibus membrorum nervoſorum recluduntur humores, ut in articulis & nervis, & frigiditas ſemper membra percutit debilia & ſenſibilia, & incidunt in majores dolores, & talis morbus difficilis curationis efficitur. Idcirco male operantur idiotæ, qui applicant infirmis tali morbo mentagræ afflictis unguenta frigidiſſima narcotica, gravantia & infrigidantia, & adunantia materiam ad intra poros membrorum, ſicut inferius in *cap. de cura accidentium* dicam. Concludere igitur poſſumus cum Avicenna in 5. *canone tractatu.* 4. *cap.* 1. dicente: *Oportet ut vehementer caveatur frigus, præcipue in omni diſpoſitione hujus morbi doloroſi.* Sequitur ex his concluſio, quod omnia cibaria, tam calida, quam frigida, humida vel ſicca, non ſunt in hoc morbo adminiſtranda, niſi cum temperamento. Ex ſuperioribus item notatis concludendum eſt, quod omnes cibi habentes complexionem ſuperflue calidam, frigidam, ſiccam, vel humidam, ſunt inutiles in hoc morbo, maxime ſi ſint habentes complexionem frigidam &

ſiccam, & hoc in generali, ſive ſint fructus, ſive legumina, ſive olera. De omnibus aliis cibis in particulari aut de complexione & proprietate earum nihil hic dixiſſe volo, quia jam per ea quæ ſcripta ſunt in codicibus ſimplicium medicinarum tractata à Doctoribus medicinæ reperies complexionem & proprietatem cujuſlibet cibi, exinde judicare poteris, ſi convenientes & utiles ſint ad præſervationem & curationem morbi mentagræ.

## CAP. VII.

### *De menſura motus & exercitii.*

Galenus in *libello de exercitio* inquit: *Exercitiorum enim quoddam non ſolum corpus, ſed animam lætam reddere poteſt, tam enim in ipſo exercitio potens motionis fit anima, quod multi quidem liberati ſunt ab ægritudinibus perniciosis.* Poſtea hoc idem ipſe confirmat inquiens. *Laudo exercitium, quod corporis ſanitatem præbet, & partium conformationem, & animæ virtutem.* Probat item hoc 3. *aphoriſmorum commento.* 21. dicens: *Exercitium mundificando corpus à futuris liberat infirmitatibus.* Propterea conveniens & neceſſarium eſt, quod medicus electus hoc faciat in præſervatione corporis humani patientis mentagram, ejuſque curatione. Hoc Rhaſis *quarto Almanſoris cap.* inquit. *Sanitas conſervatur bonitate menſurationis motus & quietis.* Propterea Hippocrates in *libel. de aëre & aqua* dicit, *Exercitium laboris tolerantiam præſtat, quies autem & requies timorem & ignominiam, labor vero & agitatio animoſitatem miniſtrat.* Ideoque in *ſecundo de accidenti & morbo capitulo tertio* inquit Galenus, *Calor naturalis confortatur & augmentatur ex motu, quia vera perfectio caliditatis eſt motus, ad quam confortationem cæteræ in corpus proveniunt utilitates & operationum perfectiones.* Confirmat hoc idem 2. *aphoriſmorum commento.* 48. inquiens. *Utile eſt exercitium, nam commovet calorem naturalem, & validas facit, quæ ſunt in membris, virtutes naturales, & animales, & vitales fortificando.* Et ad digeſtionem vero bonam perficiendam neceſſaria eſt poſt cibi comeſtionem deambulatio temperata, ut per centum paſſus ambulare eſt laudabilior, & e converſo poſt cibum fortis vituperabilior eſt. ut Avicenna *tertia primi doctrina ſecunda capitulo ſeptimo* dicit, *Parvus motus poſt comeſtionem cibum in ſtomacho quieſcere facit, & proprie cum dormiendi poſt ipſum voluntas affuerit.* Hoc teſtatur Almanſor *libro quarto capitulo ſecundo* inquiens. *Poſt comeſtionem vero à forti motu & longi temporis omnino eſt cavendum.* Sicut enim motus ante comeſtionem factus ſanitatis eſt conſervativus, ita poſt comeſtionem ægritudinis invenitur generativus.

## CAP. VIII.

### *De ſomno & vigilia.*

De ſomno autem naturali, quomodo faciat ad digeſtionis bonitatem, declarandum eſt, cum una de cauſis bene digerere facientibus cibum ſomnus exiſtat, teſtis eſt Averroes. 2. *colliget*, inquiens. *Operatio digeſtionis eſt fortior, cum homo dormit.* Propterea dixit Galenus *tertio de accidenti & morbo capitulo quarto: Virtus autem animata ſi fuerit fatigata, animali dormiente confortatur, maxime ſi ante ſomnum cibum moderate accipiat.* Ergo una ratio vel cauſa de neceſſitatibus ſomni eſt ut digeratur cibus. Ideoque Avicenna *prima tertii tractatu quarto capitulo primo* dixit: *Somnus quidem naturalis abſolute eſt, cujus reditus eſt cum profundatione ſpiritus vitalis ad interiora, ut digeratur cibus* &c. Neceſſitas ergo ſomni eſt virtutis reſolutæ reſtauratio, & cibi præaſſumpti digeſtio, & fatigati corporis & ſenſuum ejus quies & refocillatio. Idcirco per hæc quæ dicta ſunt, intelligere poteris cauſam finalem ſomni, quæ eſt digeſtio, & cauſam formalem, quæ eſt reditus ſpiritus. Cauſam vero efficientem eſſe dicimus, virtutem animalem impeditam, materialem autem cauſam eſſe vaporem, qui aſcendit à membris inferioribus ad cerebrum. Et ſic apparet, quod ſomnus naturalis propter neceſſitatem digeſtionis cauſatus fuit, ideoque eſt quies virtutum aſtimalium, motivarum & ſenſitivarum, cum intenſione virtutum naturalium, ut dicit Avicenna in *canticis*. Ex his dictis ſequuntur utilitates & juvamenta naturalis & temperati ſomni, quæ juvamenta & utilitates videre poteris per Avicennam *tertia primi doctrina tertia capitulo ſeptimo* dicentem. *Somnus temperatus naturalem virtutem quieſcere facit, & in ejus ſubſtantia augmentum præbet, ad prohibendum ſpiritus, qualiſcunque fuerit, reſolutionem &c.* Et infra ſubjunxit: *Somnus temperatus humectans & calefaciens, eſt res magis proficiens ſenibus, quoniam in eis humiditatem conſervat.* Confirmat hoc Hali abbas *quinto theoricæ capitulo quinto* dicens. *In ſomno enim digeſtionis fit bonitas, & humorum decoctio. Calor autem naturalis ſomni tempore ad profunda cecidit corporis, quo cibum digerit & humores bonos diſponit* &c. Concludendum igitur eſt, quod ſomno naturali & temperato utendum eſt in morbo iſto, qui mentagra appellari poteſt, quia perfectior digeſtio celebratur, qua mediante ſpiritus & virtutes corporis animales reſtaurantur, & naturales corroborantur, & cibi & potus præaſſumpti in ſanguinem bonum convertuntur, quod valde pro ſanitatis præſervatione, & curatione corporis patientis morbum mentagræ laudo. Præterea neceſſarium eſt medico ſcire, quæ nocumenta in corpore patiente morbum mentagræ ſomnus ſuperfluus efficiat, videlicet virtutum animalium obtuſionem, & capitis gravedinem, & ægritudines frigidas, & illud eſt, quod in membris totius corporis nervoſis reſolutionem prohibet, & claudit poros illorum membrorum, quibus materia mentagræ ſtat occluſa, & illic magis condenſatur, & fit inepta reſolutioni. Nam ſicut multæ vigiliæ complexionem corrumpunt cerebri aliquo ſiccitatis modo, ſic contrarias operationes inducit ſomnus ſuperfluus. ut Avicenna *ſecunda. 3. cap. 5.* ait. *Spiritus in longo ſomno fit gravior, pigrior.* Hoc etiam innuit Averroes 6. *colliget.* dicens, quo modo ſuperfluus ſomnus calorem extinguit naturalem, & corpus inducit ad tumidam diſpoſitionem. Amplius dicimus, quod hora jejunii & inanitionis non longo tempore dormire debet patiens hunc morbum, teſtis eſt Avicenna in *tertia primi doc. 2. cap. 8.* ubi inquit: *Amplius ſuper vacuitatem dormire eſt malum & virtutem dejiciens.* Et ratio eſt, quoniam calor, cum cibum non invenit, quem digerat, vertit ſe ſupra ſanguinem & carnem, ipſam reſolvendo, unde macilenti fiunt, & humores magis deſiccantur, & terrei & melancholici fiunt, præcipue in corpore cholericiſſimo infecto tali morbo. De vigilia itidem temperata & ſuperabundanti ac ſuperflua ſcire oportet, quod ſicut ſomnus temperatus utilis & juvans eſt ad digeſtionem complendam, & virtutes animales quieſcendas & naturales fortificandas, ſic vigilia temperata, ut Avicenna in *canticis textu commenti cap. 31.* dixit, excitat valde ſenſus, & diſponit vires ad exercendum operationes ſuas. Ergo temperata vigilia concedatur, quia nullum nocumentum in corpore efficit. Sed ſuperflua vigilia vituperatur. Propter hoc Avicenna *ſecunda primi doc. 2. cap. 13.* inquit. *Cum vigiliæ ſunt multæ, complexionem corrumpunt cerebri aliquo ſiccitatis modo, & debilitant ipſam, & commiſcent rationem, & adurunt humores, & ægritudines faciunt magis acutas.* Et Averroes 6. *colliget* inquit. *Quando vigiliæ exuberant, corpus deſiccant, & calorem reſolvunt naturalem.* Propterea in patientibus hunc dictum morbum mentagræ, propter fortes dolores in membris corporis eorum multæ vigiliæ ſuperfluæ fiunt, & corpora eorum, quando longo tempore durant, deſiccantur & maraſmantur, & ut plurimum ad ethicam ſenectutis perveniunt. & hoc maxime in habentibus complexionem calidam & ſiccam. Raro autem ethicam febrilem incurrunt.

## CAP. IX.

### *De repletione & inanitione.*

Animadvertere debet unuſquiſque prudens medicus ſæpenumero, ne in corpore humano, vel aliquo membrorum patientis mentagram repletio fiat. Non autem dico ſolum de repletione cibi & potus, ſed & de humorum naturalium & non naturalium repletione, & congeſtione eorum paulatina, quæ perſæpe contingit ex mala membrorum complexione, quantuncunque reficientia in ſe laudabilia exiſtant, ut facile eſt videre de cholericiſſimo homine temperata diæta enutrito, in quo non parva choleræ quantitas multiplicatur, ſimiliterque de phlegmatico ſuo modo. & ſic de ſanguineo, in quo ſuperflua ſanguinis quantitas generatur. Multoque magis ad horum humorum augmentum accedere videtur diæta, quæ in quantitate vel qualitate temperamentum ſæpenumero excedit. ſic enim plethora, vel cacochymia in toto corpore multiplicatur ex defectu digeſtivæ aut expulſivæ, vel fortitudine attractivæ & retentivæ. quare in ſtomacho, hepate, ſplene, vel pectore, ac cæteris membris, vel toto corpore humores aggregati, ad plures ac varias ægritudinum ſpecies diſponunt. Ideoque qui vult corpus humanum à morbo mentagræ præſervare & curare, oportet ad duas res intentionem ſuam dirigat. Quarum una eſt ad corpus,

pus, ut cibo convenienti reficiat loco ejus, quod diffolutum eſt de ipſo. Alia eſt mundificatio ab ipſo ejus, quod generatum eſt de ſuperfluitatibus ciborum. Quo modo autem repletio & harum ſuperfluitatum aggregatio cognoſcatur, ſive ſit quantitas laudabilium humorum, quæ fit, quando ex bonis & multis cibis & potibus plurimum nutrientibus ſanguis copioſus, & alii humores adaucti fuerint, eam utique repletionem hæc ſigna declarant (ut Avicenna *ſecunda primi doc.* 3. *capitulo ſexto* dicit) membrorum gravitas, in motibus pigritia, facies rubedo, & venarum inflatio &c. Si enim repletio fuerit facta ſola qualitate humorum peccantium, ſcilicet calida vel frigida &c. Sunt ſigna diverſa, & hoc ſecundum qualitatem humoris peccantis. Cum vero cognitum fuerit, in corpore univerſalem vel particularem repletionem adeſſe, citiſſime de illius evacuatione providendum erit. Propterea oſtenſum eſt primo, quantum periculi ſequatur ex ſanguinis repletione, quamvis laudabiliſſimi. dicendum enim eſſe videntur, repletum omnino evacuatione per phlebotomiam indigere, niſi in brevi vitam cum morte commutare velit, ut Hippocrates *primo aphoriſmorum* dixit: *In exercitantibus ad ſummum bonæ habitudinis ſunt fallaces, ſi ab ultimo fuerint* &c. Et Galenus in *commento* dixit: *Multi morte ſubitanea ſunt extincti, corporibus pertingentibus in extremum plenitudinis.* Hoc idem innuit in *ſecundo therapeuticæ capitulo ultimo* dicens: *Cum æqualiter ſibi invicem aucti fuerint humores, multitudo hæc plethora nominatur.* cum autem flava cholera, vel nigra, vel phlegmate, vel ſeroſis humiditatibus plenum factum fuerit corpus, cacochymum, & non plethoricum vocatur taliter diſpoſitum. Idcirco Avicenna *tertia primi doc.* 2. *cap.* 7. dixit: *Vehemens repletio in qualibet diſpoſitione eſt pernecabilis.* Propterea ſi medicus cognoverit, ad aliquam præfatarum repletionum corpus deveniſſe, diligenter conſiderare debet, an illa repletio ſit humorum peccantium quantitate, aut qualitate. Quod ſi medico notitia fuerit, eſſe univerſalem cum humorum peccantium augmento & ſuperfluitate, omnibus rebus conſentientibus, phlebotomare ipſum debet, ut Avicenna *prima tertii cap.* 29. dicit. Cum ſanguis, aut humor, qui vincit, ſanguineus dominatur, à phlebotomia incipiamus, quoniam ipſa eſt potiſſimum remedium ad evacuandum ſanguinem, & reliquos humores potenter evacuat. Pharmacia vero tres humores habet evacuare, puta choleram, phlegma, melancholiam. Sed nulla eſt ſanguinis medicina eductiva, ut *tertio techni* latius Galenus dixit. Et Avicenna *de phlebotomia in quarta primi capitulo tertio* ait, *Minutio eſt evacuatio humorum æqualiter augmentatorum.* Et in *capitulo quarto ejuſdem libri: Cum humores fuerint æquales, prætermitte minutionem, quod ſi æquales non fuerint, ſuperabundantem evacua.* Item in *cap.* 20. *ejuſdem* dicit, *Phlebotomia eſt evacuatio univerſalis, quæ multitudinem humorum evacuat.* Ideo concludamus, quod in præſervatione corporum plethoricorum habentium diſpoſitionem ad incurrendum morbum mentagræ, ſive eveniat à cauſa ſuperiori, ſcilicet ab influentia conjunctionum planetarum, ſive eveniat ab aliis cauſis, conveniens & neceſſarium erit facere minorationem per phlebotomiam. Unde Galenus 6. *aphoriſmorum commenti.* 22. Phlebotomia eſt communis totius corporis purgatio, quia in corporibus tantum humorum auferre eſt congruum, quantum ſupra id, quod ſecundum naturam adauctum eſt, quoniam quantitas evacuationis dicitur ex quantitate, quæ ſecundum multitudinem fit. Igitur ſecundum majorem vel minorem ſanguinis & aliorum humorum multitudinem, & repletionem fiat phlebotomia. Nam phlebotomia ventrem deſiccat, memoriam præbet, veſicam purgat, cerebrum temperat. Propterea dicit Rhaſis. 4. *Almanſoris cap.* 14. *Si neglecta fuerit phlebotomia, aut non permiſſa fieri prout neceſſe eſt, plethorico multa nocumenta proveniunt.* Igitur phlebotomia magna exiſtit medicina in ſanitate conſervanda & præſervanda valde proficiens, & ad ægritudinum curationem congruens, ſi, ut oportet, fiat. Eam ob rem phlebotomia neceſſaria eſt ad præſervandum corpus repletum, aptitudinem habens ad incurrendum iſtum morbum mentagræ, ſi, ut oportet, fiat, & ſi iſta conſenſerint, complexio, ætas, tempus anni, conſuetudo, & hujuſmodi. Notandum tamen pro ulteriori declaratione, quod ſtudere debemus in præſervatione hujus gravis morbi mentagræ, ſi corpora repleta fuerint ex aliquo tantum, vel pluribus humoribus peccantibus in quali, ut puta ex cholera ſolummodo, vel phlegmate, vel melancholia, vel ex cholera & phlegmate, aut ex cholera & melancholia &c. ſi enim hi humores non fuerint ſanguini admixti, non conveniens eſt phlebotomare, ſed cum ſolutivis & purgativis medicinis talis humorum abundantia minuenda erit, maxime tempore veris. Unde Galenus in *ſexto aphoriſmorum* inquit, quod ſani ſi corpora ſua non purgaverint, non diu ſani erunt. Et ibidem dicit, quod multos ægrotare ſolitos cuſtodiunt purgationes. Propterea in *libro quarto cap.* 15. dixit Rhaſis *ad Almanſorem*, Solutio ventris prout oportet ſumma eſt medicina, ad ſanitatis conſervationem magnum præbens adjutorium, eſt enim poſſibile, ut hujus operationis cauſa corpus ab humore, qui propter ciborum errorem, vel ex diætæ negligentia, vel qui ex corporis intemperantia ſolet generari, mundificetur. teſtis eſt Almanſor. Quapropter medicina ventris ſolutiva quiſque uti debet, quæ humorem, qui ei nocere ſolet, vel qui in eo ex ſui corporis diſpoſitione generari ſolet à cauſa erroris ſui regiminis, expellere conſuevit, cum omnia diligenter perſcrutata fuere, & inveſtigata per proportionem ſignorum dictorum. Concludamus tamen, quod qualiſcunque fuerit illa humorum repletio, ſi magna neceſſitas ſit, in quocunque anni tempore evacuari debet. ſi autem nullum notabile periculum portenderit, in vere perfici debet, & ſic præſervabitur à morbis ei evenire potentibus ex tali humorum repletione. Propterea Avicenna *tertia primi doctrina ſecunda capitulo primo* inquit: *Nobis neceſſe eſt proculdubio ſuperfluitates evacuare.* Idcirco in præſervatione ab iſto morbo mentagræ eſt neceſſarium corpora plethorica phlebotomare, & cacochyma evacuare cum medicinis purgativis humorum abundantium, & ſuperfluorum in corpore cacochymo. Sed cavere debet medicus omnino, ne medicinam exhibeat fortem in hac præſervatione, minus quam in curatione dicti morbi, eo quod laxativum violentum quamvis fuerit rectificatum & temperatum quantum plus poſſibile fuerit, ſtomachum debilitat. teſtis eſt Avenzoar *tractat. nono capitulo octavo.* Propterea ipſe innuit *lib.* 1. *tractatu* 7. *cap.* 1. quod omnia laxativa, quæ habent violenter & impetuoſe laxare, trahunt humores à toto corpore ad ſtomachum, & purgant corpus totum, ſtomacho repleto manente. Et cum hoc etiam hæc medicina habet totum corpus deſiccare: quare humor malus in ſubſtantia ſtomachi imbibitus habet remanere. Propterea errant imprudentes medici, cum fortiſſima medicina ſolutiva volentes ſemel expellere, quod pluribus vicibus erat evacuandum: unde aliqui ad febres, alii vero ad dyſenteriam, & ad alios morbos plurimos inde perveniunt. & hoc ideo, quia laborioſa & violenta pharmaca corpori humano multum inimicantur. Nam medicinæ ſolutivæ evacuant ex humiditatibus naturalibus, & ſpiritu, qui eſt ſubſtantia vitæ, & cum hoc virtutem membrorum debilitant. Quare Hippocrates dixit: *Medicina purgat & inveterat.* Ideo in *quarta primi. cap.* 8. Avicenna inquit. *In pluribus violentarum medicinarum ex ſtit aliqua veneno ſitas, & ſolutionem ventris efficiunt ſecundum motum, quo naturæ violentia infertur.* Hoc confirmat Averroes *quinto colliget.* inquiens. *Nulla medicinarum violentarum eſt ſine veneno aliquo in aliqua parte ſui.* Quare omnes practicantes in medicina ſint cauti in adminiſtrando has medicinas, ne toti nocumentum inferatur. In præſervatione, & etiam cura hujus morbi occulti conſulo, quanto plus poſſibile eſt fugere medicinas violentas, ne nocumentum toti inferatur & membris principalibus. Sed utatur medicinis benedictis. ut *aloë, rhabarbaro, agarico, manna, caſſia. Myrobalani* omnes laudantur, nam confortant ſua ſolutione ſtomachum, viſcera, cor, hepar, & corpus totum. Sed in evacuatione hujus in morbo mentagræ peccantis humoris melancholici triplicia ſunt conſideranda. Primum, ut non ſubita & fortis fiat evacuatio in morbo melancholico, ſed per intervalla & tempora quieſcendo, aliquando longo tempore, prout docto phyſico videbitur, conſideratis conſiderandis, puta virtute, ætate, conſuetudine, tempore, regione &c. Secundum conſiderabile, quod evacuatio non fiat cum fortiter & laborioſe evacuantibus, præcipue in principio. Tertium, quod non exſpolientur ſolutiva à rebus lenificativis & humectativis. Quare in cura hujus morbi mentagræ decoctiones egregias inſtituam, quæ omnes intentiones habebunt. Concludamus ergo quanta ſit purgationis utilitas, & quanta ejus neceſſitas in præſervatione corporum præparatorum ad morbum mentagræ, ne ſcilicet contingat in humoribus putrefactio, vel corruptio & incineratio, ex quibus mentagra citius generetur, vel nediverſæ ægritudinum ſpecies generentur. Et ob hanc cauſam neceſſe eſt corpora mundificare in vere ab extraneis & inutilibus humiditatibus, ſive cum phlebotomia, ſive pharmacia, ut humores naturales puriores reddantur: ne in brevi mors vel morbus mentagræ, vel aliæ ſequantur ægritudines: Et hoc Romæ, & in univerſa Italia conſuetum eſt, ſcilicet corpora ſemel in anno purgare, puta in vere, & corpora eorum longo tempore ſana conſervantur, nec ita doloribus vexantur quemadmodum & nos.

CAP.

## CAP. X.

*De accidentibus animæ, videlicet ira, furore, tristitia, gaudio, timore, invidia.*

MAnifestum est, quod medicus de accidentibus animæ curam habere debet, ne totum corpus à sua tempeie & naturali complexione labatur & permutetur, sequento sententiam Galeni *tertio techni textu commenti.* 35. dicentis. Manifestum est, quoniam abstinere oportet ab intemperantia passionum animæ, scilicet iræ, tristitiæ, gaudii, furoris, timoris, invidiæ & sollicitudinis. exterminant enim hæc & permutant corpora ab ea, quæ est secundum naturam, consistentia. Propterea omnia accidentia animæ sequuntur, aut eis associantur motiones spiritus interius, aut exterius, ut dicit Avicenna in *secunda primi doc. 2. cap.* 13. Et ista motio aut erit subita, aut paulatina, & ad ejus motionem ad exteriora sequitur frigiditas corporis ejus, quod interius existit, & fortasse si superfluit illud, quod resolvitur, subito infrigidatur corpus exterius & interius, & sequitur ipsum syncope, aut mors. Propterea dicit Hali, quod furor & ira faciunt accidere caliditatem superfluam, gaudium vero & lætitia caliditatem æqualem, timor autem & pavor accidere faciunt frigus. Ista vero accidentia hoc faciunt mediante motu spiritus, unde corpus exsiccatur. Teste Galeno *textu commenti* 46. inquiente: *Omnes animæ passiones exsiccant corpus.* Ex quo apparet, quod animæ accidentia omnino vitanda sunt, propter periculum sequens ad subitum & fortem motum spiritus interius aut exterius. Abstinendum ergo est ab ira, tristitia, invidia, timore, sollicitudine, & aliis animæ accidentibus in corporibus habentibus aptitudinem ad incurrendum morbum mentagræ. Testis est Rhasis in *lib. 4. cap.* 9. Almansoris, qui dixit, quoniam omnibus sanis nocumenta inferunt, exceptis his qui carnis indigent minoratione. Et firmatur hic morbus mentagræ in corporibus vexatis dictis accidentibus animæ, maxime quæ tristia erunt, quoniam corpora eorum replentur humoribus melancholicis terreis. Idcirco omnia accidentia animæ, quæ nocumenta & indispositionem in corporibus inducunt, sunt fugienda cum patientia animi & bona tolerantia, & quam citius possibile fuerit expellenda ac propulsanda, cum multa nocumenta talia, & consimilia accidentia inducant. Si ergo immoderata fuerit tristitia in frigidarum complexionum corporibus, corpus refrigeratur, calorque extinguitur naturalis sua in corporis interiora conversione. Propterea tristitia omnibus est nocens corporibus. Hæc omnia Hali Abbas *quinto theoricæ cap. ultimo* scripsit. Hoc idem voluit Avicenna *tertia primi cap.* 4. dicens *Tristitia multum exsiccat, & pigritia virtutes laxat animales.* Propterea *quinto de accidenti & morbo cap.* 6. inquit. *Quibus accidit tristitia frequenter mortui sunt.* & hoc pusillanimibus solet evenire, nam eorum calor debilis defecta virtute extinguitur & suffocatur. Similiterque à timore caveamus, quia timor infrigidat corpora; manifestant hoc terrefacti & tremuli. Hoc innuit Galenus *quinto de accidenti & morbo capitulo,* 6. dicens. *Timor sanguinem calorem atque spiritum reportat ad interiora,* scilicet ad suam originem ad cor, atque exteriora corporis refrigerat. Et subjunxit postea, *In timore virtus animæ non confortatur, neque ad exteriora revertitur, in tantum, quod calor extinguitur.* Ea ratione Galenus in *libello de typo cap.* 3. dixit. *Timor & terror turbant virtutem, & debilitant ipsam non minus aliis causis.* Ideo Hippocrates in 6. *aphorismorum apho.* 23. dicebat, *Si timor & pusillanimitas multum habeant tempus, melancholicum perficiunt* Et Galen. *primo de regimine sanitatis* inquit, *Oportet medicum, qui sanitatem vult conservare, custodire ne mores animi corrumpantur, ne humor melancholicus in corpore dominetur, qui radix & origo hujus ægritudinis dicitur.* Quare accidentia animæ superflua fugere debemus. Ideo dico superflua, nam aliqua accidentia animæ in ægritudinibus certis conceduntur. ut in ægritudine pendente à materia frigida licet irasci moderato usu &c. Singula autem de accidentibus reliquis animæ enucleare, & quæ juvamenta ac nocumenta in corporibus ex eis sequantur, longum & inutile esset hic ponere, cum ea copiosius alibi per philosophiæ & medicinæ Doctores tractata invenies, quæ judicio tuo æstimativo poteris ad præservationem & curam morbi mentagræ applicare. Ex his ergo concludere possumus, quod omnes passiones animæ fortes valde nocuæ sunt nocumenta fortia inducentes in corporibus dispositionem promptam habentibus ad incurrendum morbum mentagræ, & maxime morbum istum patientibus.

## CAP. XI.

*De cura morbi Mentagræ per varia medicinæ ingenia, puta per evacuationes, phlebotomiam, pharmaca, syrupos, lotiones, balnea, & cætera plura.*

Si prudens medicus fuerit, causam hujus ægritudinis removere & abscindere debet, secundum sententiam Galeni dicentis: *Unum commune oportet præceptum habere, efficientem unamquamque causarum abscindere. Post deinde venire ad eam, quæ facta est, dyscrasiam.* Hoc affirmat Avicenna. Nam vera cura est incisio causæ. ut idem. 4. *primi cap. ultim. Impossibile est ut febris removeatur causa ejus remanente:* Propterea cum invenies virtutem fortem, resistentem, tolerantem, abscinde causam & remove humorem. Hoc Galen. *prima therapeuticæ cap.* 11. singulariſſime dixit. Ad causam semper ibimus cognoscentes, quod non est possibile finaliter aliquam dispositionem sanare adhuc manente causa faciente eam, cessare vero eam impossibile est manente causa. Eam ob causam omnes sapientes & antiqui medici concordant, quod causa ægritudinis sit primo removenda, & postea ipsa dyscrasia abjicienda. contra irrationales & empiricos ilico ad localium applicationem procedentes. De materia vero mentagræ, quomodo natura eam expellat, cum sit materia grossa, terrestris imbibita in porositatibus membrorum nervosorum, non est alia assignanda causa, nisi quia naturæ forti nihil est impossibile. Rursus in *libello de ægritudinibus junctura rum cap.* 18. sic scribit. *Unguenta & emplastra, quando corpus fuerit plenum multis humoribus, attrahunt humores ad loca magis quam dissolvant.* Et sic breviter dicimus, quod si in ægritudine mentagræ repletio materiæ antecedentis & conjunctæ contigerit, cum evacuatione curanda erit, & per phlebotomiam scilicet, & per pharmacum, secundum quod signa demonstrabunt. Quanto magis si ultra prædictam repletionem materiæ morbi dicti corpus fuerit plethoricum, vel cacochymum. ut manifeste patet ex illo Hippocratis *secundo aphorismorum* sic dicentis, *Ex plenitudine quæcunque ægritudines fiunt, evacuatio sanat, & quæcunque ab evacuatione, plenitudo.* Unde Galenus dicit, *Neque diutius immorandum est, cum omne contrarium suo contrario sit medicandum.* Et hoc confirmat Avicenna *quarta primi.* Cum ægritudinis qualitas scita fuerit, erit medicina eligenda, quæ in sua qualitate sit contraria: Quoniam ægritudo suo medicatur contrario, sicut sanitas suo simili conservatur. Principaliter vero medici intentio in cura morbi mentagræ est digerere, evacuare, divertere, aut ad extra ducere. In principio autem hujus morbi si materia mentagræ fuerit sanguinea, id est sanguis grossus, vel si materiæ mentagræ fuerint alii humores, ut puta phlegma ustum vel cholera usta, vel melancholia, & fuerint permixtæ, scilicet cum sanguine, primo incipiendum est à phlebotomia, nisi sponte ex naribus, hæmorrhoidibus, sive menstruis sanguis effluxerit. talis utique phlebotomia debet fieri in principio antequam incipiant apparere pustulæ in superficie cutis exterioris partium corporis. nam cum materia mentagræ exierit ad extra in multa quantitate, nullo modo fiat phlebotomia. Testis est Avicenna. Fortasse phlebotomia est mala, propterea quia convertit & repellit scilicet ad interiora illud, quod procedit ad exteriora, & sic operatur ad oppositum motus naturæ. Et hæc phlebotomia dicta directe convenit, propter causam antecedentem, quoniam ipsa est vehementis utilitatis & necessitatis in principio mentagræ, præcipue in plethoricis. Et debet fieri phlebotomia de basilica dextra, aut saltem mediana, quia quamvis divertat ipsam materiam ab exterioribus ad interiora, talis tamen materia non est sic venenosa, sicut materia variolarum & morbillorum. Denique necessarium est medico observare virtutem. Testis est Galenus *primo regiminis acutorum* dicens: *Sublimior intentionum omnium est intentio sumpta à virtute, quoniam curans est virtus, & non medicus, quia cum fortis non fuerit, non prodest curatio quomodocunque fiat:* ut Avicen. in *prima quarti* dicit. Propterea sollicitudo medici esse debet circa corporis virtutem integratam. puta vitalem, animalem, & naturalem. Concludamus ergo cum Galeno in *primo de febribus ad Glauconem* dicente: *Necesse est ut respicias ad ægri virtutem, & ad impetum causæ, & ad quantitatem virium ejus, qui ægrotat.* Præterea patiens hunc morbum elongetur ab omni laxativo penitus, donec ægritudo declinaverit. tunc materia est evacuanda cum medicinis benignis, lenientibus. ut *manna, cassia fistula, myrobalanis. Rhabarbarum* in præservatione remedii sublimis est. *Agaricus*, & *aloe* in cura valent multum cum *decoctione florum cordialium, prunorum damascenorum, & passularum, & fœnæ, epithymi, thymi, polypodii, liquiritiæ.* Cum istis simplici-

bus potest fieri evacuatio. Vel cum medicinis compositis, scilicet *electuario lenitivo*, *diasenâ Rhasis*, *diacatholicone*, *electuario Indo*, *aut confectione Hamech*, *vel electuario de dactylis*. Præterea dixit Hippocrat. 1. *aphorismorum*. *Quæ oportet ducere*, *undecunque repit natura*, *inde ducere oportet per convenientes regiones*. Cum ergo inceperint pustulæ, debet medicus juvare naturam summo studio ad expellendum materiam ad superficiem cutis cum his, quæ aperiunt porositates membrorum omnium, maxime membrorum nervosorum, ubi recondita & recluſa est materia morbi mentagræ. Dentur ergo secundum intentiones Doctorum *succus apii*, & *succus fœniculi cum melle rosato*, si sit hyems, & in æstate cum *aqua hordei*. Potest & addi *succus pulegii*. Aut exhibeatur *aqua fœniculi cum oxysaccharo composito*. Recepta quinque electissima, juvantia naturam in expellendo pustulas ad extra. Recepta medicinalia juvantia naturam velociter in expellendo materiam Mentagræ sunt hæc. Recipe *ficuum albarum numero x. passularum sine granis. unc. s. croci. scrup. ij. tragacanthi drach. iij. fiat decoctio in lib. i. s. aquæ apii*, & *tantundem fœniculi, fiat syrupus cum saccharo albo*. Aliud juvans naturam in expellendo. Recipe *laccæ ablutæ. drach. v. lentium excorticatarum. drach. vij. tragacanthi. drach. ij. decoquantur in lib. j. s. aquæ fœniculi usque ad consumptionem medietatis*, & *coletur*. ex qua actu calida, cum pauco vino albo jejuno stomacho exhibeatur quantum pro dosi sufficit. Vel sic & melius. Recipe *ficuum citrinarum siccarum numero xij. lentium excorticatarum*, & *laccæ ana. drach. iij. tragacanthi*, *myrathri ana drach. ij. aquarum fœniculi*, & *bugloſſæ quantum sufficit. misceantur. fiat decoctio ad consumptionem medietatis*, *coletur*, exhibeatur ut decet. Aliud fortius. Recipe *ficus albas magnas numero. v. lentium excorticatarum drach. vj. aquæ fœniculi lib. ij. apii lib. j. coquantur omnia ad consumptionem tertiæ partis*, *coletur*, *in qua colatura dissolvatur drach. j. croci*. ista decoctio actu calida, jejuno stomacho tribus diebus continuetur. Aliud habens suprædictas intentiones. Recipe *aquæ fœniculi*, & *asparagi*, & *bruſci ana unc. iij aquæ apii. unc. j. anisi*, *carvi*, *seminis melonis ana drach. ij. saccharı. unc iij.* detur eum morbum patienti mane & sero. Aliud. Recipe *ficuum siccarum*, *passularum*, *lentium excorticatarum*, *seminis fœniculi*, *laccæ*, *santali rubri ana unc. s. pistentur* & *coquantur in lib. ij. aquæ fœniculi*, & *lib. j. s. aquæ apii ad consumptionem medietatis* & *coletur*: & *in colatura dissolvatur drach. j. croci*, & *usui reservetur*. Ista enim aqua provocat materias, ex qua multæ pustulæ generantur, & exsiccantur: & tandem cadunt, & præservantur à doloribus. In declinatione morbi sit cura talis, in qua multa ingenia apparebunt. Primo ordinetur decoctio hæc egregia. Recipe *florum violarum*, *borraginis*, *bugloſſæ*, *herbarum fumi terræ*, *melissæ*, *cichorei*, *scabiosæ*, *scolopendriæ*, *cuscutæ*, *eupatorii*, *scpilli ana man. s. corticum myrobalanorum chebulorum*, *citrinorum ana unc. s. seminis anisi*, *fœniculi ana drach. ij. liquiritiæ rasæ*, *uvarum passularum ana unc. j. polypodii unc. s. thymi*, *epithymi ana drach. ij. ficuum pinguium numero vij. folliculorum sennæ sine stipulis unc. ij. agarici inciſi unc. s. avari ponderis cinnamomi*, *zinziberis ana scrup. ij. spicæ scrup. s. fiat omnium decoctio in aquis boraginis*, *bugloſſæ ana lib. ij. secundum artem ad consumptionem medietatis. deinde coletur*, & *clarificetur*, & *addatur oxymellis simplicis unc. j. aquæ lupuli unc. iiij. saccharı albi unc. j. s. fiat potus pro quatuor vicibus*. Die sequenti utatur ista medicina. Recipe *cassiæ pinguis noviter tractæ. drach. v. diasenæ Rhasis. drach. ij. s. confectionis Hamech. drach. j. rhabarbari electi. scr. ij. b. p. spicæ. gr. ij. syrupi superius scripti. unc. j. aquarum lupuli*, *fumi terræ ana unc. j.* sumat mane in aurora actuali caliditate. jejunet horas quinque. Paratur autem hoc modo membrorum confortatio die sequenti. Recipe *lætificantis Galen. drach. iij. diamoschi dulcis. dr. vj. aromatici caryophyllati drach. j. electuarii regum. scrup. iiij. electuarii de gemmis scrup. ij. conservæ boraginis*, *bugloſſæ*, *cydoneorum*, *ana unc. j. syrupi de pomis quantum sufficit. fiat electuarium* de quo accipiantur de mane *drach. ij.* vel cochlear unum. Et in proposito laudantur *pilulæ de aloë lota*: continuando longo tempore, unam accipiendo modo & ordine prout decet. Quantum autem virtutis habeat aloë in proposito, lege Avicennam *septima quarti cap. de cura scabiei*. cujus verba sunt ista. *Et fortasse liberat à scabie mala & antiqua*, *si assiduetur potus aloës*. Item conceditur aliquando in morbo mentagræ, existente morbo in declinatione manifeste cum accidentibus communibus & propriis, maxime doloribus membrorum corporis valde remissis & quietis, ipsisque existentibus consumptis deseccatis & marasmatis, & sine febri putrida: ut patiens balneum aquæ dulcis temperate calidæ ingrediatur, post prandium quando cibus in stomacho & hepate digestus fuerit hora distributionis nutrimenti per omnia membra corporis. Hoc probatur. nam tunc competit eis tale balneum, cum temperet eorum siccitatem, & humectet, præparans cibum ad distributionem per corpus. Hoc autem balneum omnes medici illustres approbant: & Galenus *de marasmo* 10. *cap.* 7. *therapeuticæ*, & Avicenna 4. *canonis*, Hali abbas, Serapio, Rhasis hanc sententiam pronunciaverunt, quia dictum balneum malam complexionem removet, & humectat, & humidi radicalis consumptionem prohibet. Juvamentum autem non parvum confert nedum etiam in febre ethica, sed & extenuatis omnibus, & ethicæ senectutis. ut Galenus. 7. *therapeuticæ* ait. Balneum enim hoc non resolutivum esse debet, sed repletivum & humectativum. Quale est istud aquæ dulcis eucratæ & mensuratæ calore & frigiditate quod sequitur. Convenit etiam Balneum quod Stupha appellatur. Recipe *malvæ*, *bismalvæ*, *melilotæ*, *chamæmeli*, *rosarum*, *lapathi*, *fumi terræ ana m. ij. bulliant in aqua. recipiat infirmus fumum ad quartale unius horæ*: non se lavet sed pannis sudorem abstergat. Et dum in stupha incipit sudare, accipiat infrascriptæ aquæ, prout docebo. & est apud me magnum secretum. Et dum balneo absfertus exit, sudare debet iterum in lecto pannis bene cooopertus. Aqua distillationis theriacalis, multum secreta Recipe *radicum althææ*, *lapathi*, *fœniculi*, *enulæ ana lib. s. incidantur minutim*, *ponantur in quatuor lib. vini malvatici ad remolliendum per unam diem* & *unam noctem*. *Postea addatur theriacæ ætatis decem annorum. unc. j. s. ponatur in alembico*, *distilletur aqua*. *De qua accipiantur. unc. iij. cum unc. ij. aquæ bugloſſæ*, quando incipit sudare in balneo, vel quando intrat. Et ista stupha reiteretur omnibus quinque vel sex diebus, vel prout discreto videbitur medico. Potes & aliquando uti *pillulis de fumo terræ*, & *fœtidis* quantum ad pustulas. Si vero dolores infestant, utere *agarico*. Laudantur & *pillulæ de hermodactylis*. Potes & addere *rhabarbari* parum, si dives sit & expensas non timeat, ut isto modo ordinando. Recip. *pillularum de hermodactylis. scrup. ij. rhabarbari optimi* & *electi. scrup. j. formentur pillulæ novem involutæ cinnamomo*. Ingenium aliud curandi pustulas mentagræ. Recipe *diacassiæ*, *electuarii lenitivi ana drach. v. electuarii indi. drach. j. s. fiat bolus cum saccharo*, *aut distempera cum aqua fumi terræ*. Si dives, vel nobilis sit, potes dare *mannam* pro lenitione ventris. ut puta ordinando isto modo. Recipe *mannæ granulatæ electæ*, *cassiæ pinguis noviter tractæ ana drach. v. confectionis Hamech. scrup. iiij. fiat bolus cum saccharo*, deinde digeratur materia sequenti syrupo. Recipe *syrupi de fumo terræ*, *syrupi de bugloſſa ana drach. vj. aquarum cichorei*, *lupulorum*, *endiviæ ana. unc. j.* Postquam in urina materiam videris digestam, da medicinam hanc eradicativam. Recipe *diasenæ Rhasis*, *cassiæ noviter tractæ ana unc. s. electuarii Indi*, *confectionis hamech. ana drach. j. decoctionis communis unc. iiij. in qua bulliant fumi terræ*, *florum stoechados Arabicæ ana man. s.* Poteris & paulatine transire ad alia, puta fortiora. ut gratia exempli. Recipe *syrupi de stoechade. unc. j. syrupi de fumo terræ. unc. s. aquarum boraginis*, *bugloſſæ*, *lupulorum ana unc. j. misce*. Poteris deinde dare medicinam sequentem. Recipe *prunorum damascenorum v. liquiritiæ rasæ*, *uvarum passularum ana drach. iij. fumi terræ*, *capillorum veneris*, *ana manip. s. florum violarum*, *boraginis*, *bugloſſæ ana man. s. sebestren vij. tamarindorum. unc. s. bulliant in aqua communi. deinde colentur*. Hujus colaturæ recipe *unc. iij. s. in qua dissolve diacatholiconis*, *electuarii de dactylis ana unc. s. syrupi stoechados. drach. vj. misce. fiat haustus*. Postea accipiantur syrupi fortiores. ut *de epithymo*, *cum aquis fœniculi*, *petroselini*. Et si infirmus fastidium haberet ex digestivis jam ordinatis syrupis, dentur aquæ. Recipe *aquarum scolopendriæ*, *fœniculi*, *bugloſſæ*, *boraginis*, *fumi terræ ana unc. j. dulcorentur cum modico saccharı*. Pro nobilibus vel divitibus potest ordinari talis medicina. Recipe *folliculorum sennæ. unc. s. thymi*, *epithymi ana drach. j. polypodii drach. iij. florum boraginis*, *bugloſſæ*, *violarum ana man. s. uvarum passularum*, *liquiritiæ rasæ ana unc. s. prunorum damascenorum numero sex*, *tamarindorum. unc. s. sebestren. v. ficuum pinguium septem. bulliant omnia in aquis fumi terræ*, *fœniculi ana quantum sufficit. deinde coletur*. Tandem. Recipe *mannæ granulatæ electæ. drach. x. rhabarbari electi. drach. j. s. agarici optimi albi* & *inciſi. scrupul. iiij. salis gemmæ*, *zinziberis*, *spicæ ana g. iiij. Infundatur agaricus horas. vij. ad oxymel simplex cum suis correctivis. Rhabarbarum vero infundatur. ad unc. iiij. hujus decoctionis horas. v. cum suo correctivo. Deinde agarici* & *rhabarbari fiat fortis expressio. dissolve omnia simul in illis unc. iiij. decoctionis, in qua rhabarbarum fuit infusum. fiat haustus*. Poteris & addere *confectionis hamech. scrup. iiij.* Hæc gratia exempli sint dicta. At pillulæ convenientes sunt *pillulæ de hermodactylis*, *de fumo terræ*, *Indæ*, *aggregativæ*, *de lapide lazuli*, *fœtidæ*: ut dando aliquando unam continuando. Vel dentur aliquando scrup. ij. vel scrup. iij. prout tempus, virtus, ætas, regio & cætera expostulant, quæ

Primum. Secundum. Aliter. Tertium. Quartum. Quintum.

quæ relinquantur judicio phyſici eruditi. Eſt hæc Decoctio alia pulchra. Recipe *capillorum veneris, radicum bugloſſæ domeſticæ & ſylveſtris, & florum earum ana m. ſ. polypodii, epithymi ana drach. vj. myrobalanorum nigrorum, chebulorum ana drach. viij. rhabarbari electi*, (ſi dives vel nobilis ſit.) *drach. iij. folliculorum ſenæ. unc. iij, amotis ſtipulis. agarici optimi inciſi, ſtœchados, chamædreos, chamæpiteos ana unc. ſ. zinziberis. ſcr. j. ſ. uvarum paſſularum, liquiritiæ raſæ ana unc. j. hellebori nigri. drach. j. ſ. ſcoenanthi drach. ſ. fumi terræ. m j. eupatorii. unc. ſ. bulliant omnia (præter epithymum & rhabarbarum) in v. lib. aquæ caſei, vel ſeri caprini ad conſumptionem medietatis. Ultimo ponantur omnia, bulliant una ebullitione. deinde coletur, clarificetur, & projiciatur in ea oxymellis ſimplicis, ſacchari. ana unc. j. ſ. ſyrupi de fumo terræ ſimplicis, & compoſiti ana unc. ij. ſ.* dentur mane unc. v. modo & ordine ut decet. Eſt & aliud ingenium quo digeratur materia cum iſto ſyrupo. Recipe *ſucci fumi terræ, ſucci apii, endiviæ, borraginis, lupulorum. fœniculi depuratorum ana unc. ij. ſucci bugloſſæ depurati lib. j. in quibus infundantur folliculorum ſenæ amotis ſtipulis unc. iij. polypodii. unc. ſ. ſeminis aniſi. drach. j. turbith drach. iij. ſ. cinnamomi electi. ſcrup. j. ſtent per diem & noctem in infuſione. Deinde bulliant ad conſumptionem medietatis dictorum ſuccorum, & ſi nimis inſpiſſati fuerint cum aqua bugloſſæ & lib. ſ. ſacchari fiat ſyrupus*, & intituletur Syrupus contra mentagram. Et in actu practico ordinetur iſto modo. Recipe *ſyrupi contra mentagram. unc. j. ſ. aquarum lupulorum, fumi terræ, endiviæ. ana unc. j. miſce.* exhibe in aurora actu calidum. jejunet horas quinque. continuetur iſte ſyrupus vij. diebus. Quibus completis, luna exiſtente in bono ſigno, & loco extra malos aſpectus exhibeatur ſolutivum. ut gratia exempli. Recipe *diaſenæ Rhaſis, diacatholiconis ana unc. ſ. diaphœniconis drach. j. ſyrupi ſuperius ordinati unc. j. aquarum lupuli, fumi terræ ana unc. j. ſ.* Item valet *decoctio epithymi ſeu melagogiæ*, quam Meſue de decoctionibus deſcribit: licet dicat eam non eſſe in uſu, tamen Doctores Argentinæ practicantes eam in uſu habent. & ego practicando, eam expertus laudo. Poteris & addere huic decoctioni *rhabarbari drach. j. ſ. vel agarici* in majori quantitate, puta. *drach. iij. aut unc. ſ. & folliculi ſenæ* apponantur in majori quantitate: ſecundum quod diſcreto videbitur medico. & ordinetur iſto modo in actu practico. Rec. *decoctionis melagogiæ. unc. iij. ſyrupi de fumo terræ. unc. j. ſ. aquæ lupuli. unc. j. miſce pro una vice.* Potes & acuere cum. *drach. j. vel ſcrup. iiij. electuarii Indi, vel confectionis Hamech, diaſena, diaphœnicone*, prout experto videbitur phyſico, conſideratis ſemper conſiderandis. puta virtute, ætate, tempore &c. Cum *agarico*, & *electuario Indo* fiat evacuatio quantum ad dolores: & *diaſena lenitiva*, & *electuario hamech* quantum ad puſtulas: & cum modico *rhabarbari*, ſi expenſam non times. Et ſi a doloribus juncturarum multum moleſtaberis, utaris ſæpe pillulis, quas deſcribit Meſue in *de ſimplicibus cap, de helleboro*, in quibus multiplicabis *agaricum*, pro una vice accipiantur *ſcrupul. ij. aut. drach. j.* ſunt expertæ. Poſt evacuationes potes uti ſtupha ex decoctione infraſcriptarum herbarum, quas bene decoquas in aqua currente, & illa aqua poſita in vaſe, deſuper ſtabis recipiens fumum bene tectus pannis. & ſi non effumat, infunde in illam ſaxa ignita, quæ fumum à dicta aqua elevent. Facto ſudore copioſo intrabis lectum, bene à ſudore abſterſus, & ibi aliquantulum ſtabis dormiendo ſi placet. Et ſi iterum ſudabis, abſterſo ſudore ad prandium accedas, à quo cum reliquiis famis ſurgas, faciendo meliorem cœnam. Sic procedendo nunc cum digeſtivis ab extra & intra, nunc cum medicinis, bona diæta, & pillulis iteratis, interponendo tamen aliquando tempus notabile, ex longo tempore Dei gratia liberaberis, utens balneo, & de aqua ſuperius ordinata, puta ex vino malvatico, radicibus & theriaca, ordine quo ſupra. Recipe *ſeminis lini, apii, calaminthæ, betonicæ, hederæ terreſtris, ebuli, majoranæ, foliorum lauri, parietariæ, pyrethri, ſeminis urticæ ana man. j. vel quantum vis.* Avicenna 2. *canone cap. proprio* inquit, tamen ipſum reſolvit ſubtile ex humoribus, relinquendo groſſum, & inflammat atque exſiccat. Et ego credo Principem intellexiſſe de his, qui non moderato uſu, nec debito tempore utuntur ipſo, utputa corpore non purgato: nam Princeps corpore purgato aſſuetis concedit balneum iſtis verbis *Utere ergo balneo ad educendum quæ ſunt in corporis ſuperficie, nec ſis in hoc tardus.* Sed tamen in principio iſtius morbi, augmento & ſtatu ſi ſint corpora plethorica, vel cacochyma, talia non ſunt balneo intromittenda, teſtis eſt Galenus 3. *techni* inquiens: *Nullus plethoricus, neque cacochymus balneo uti præſumat, ne commoti humores aliquam faciant ægritudinem.* ut ſenſit Hali abbas. v, *theoricæ. cap. xiij.* cum inquit, *Aliquotiens malis aliquo in membro poſitis humoribus, illis quidem corruptis malorum quantitas augetur.* Ideo corpora habentibus repleta, balneo non expedit uti, antequam eorum evacuentur corpora. Sed quia Princeps prohibet, ne materia cruda evacuetur, dabo ſyrupum magiſtralem longum, qui ſimul digerit, & tantum quantum digerit evacuat. Recipe *fumi terræ, capillorum veneris, caſcutæ, lupulorum, ciceris, meliſſæ ana man. j. uvarum paſſularum, liquiritiæ raſæ ana unc. j. ſcabioſæ, boraginis, bugloſſæ, ana m. j. polypodii. unc. ij. florum boraginis, bugloſſæ, violarum ana man. ſ. prunorum damaſcenorum. vij. jujubarum v. ficuum pinguium. ix. thymi, epithymi ana drach. ij. corticum myrobalanorum Indorum, citrinorum ana drach. iij. folliculorum ſenæ ſine ſtipulis. unc. v. zingiberis. ſcrup. iij. bulliant omnia ſimul in v. lib. aquæ lactis caprini (pr. ter epithymum) ad conſumptionem medietatis. ſtent. vij. horis in infuſione. Deinde iterum calefiant, modice exprimantur, & fricentur fortiter, fiat colatura, clarificetur, & addatur ſyrupi ſtœchados, de fumo terræ, de epithymo ana unc. ij. ſacchari unc. vij. aſſumantur unc. v. vel vij. pro hauſtu.* Ultimo, ſi materiam eradicative evacuare volueris, poteris ordinare iſto modo. Recipe *maſſæ p. Indarum, p. de fumo terræ, aggregativarum ana ſcrup. j. formentur pillulæ ix.* Vel potes ordinare hauſtum, vel bolum. prudens enim medicus in prædictis poteſt addere vel minuere juxta regionem, ætatem, complexionem, conſuetudinem, & virtutem. Utere & decoctione tali. Recipe *florum violarum, boraginis, bugloſſæ ana m. ſ. uvarum paſſularum, liquiritiæ raſæ, tamarindorum ana unc. j. ſ. prunorum damaſcenorum numero. vij. raditum fœniculi, petroſelini, cichorei ana unc. ſ. ſeminum aniſi, fœniculi, endiviæ ana drach. j. ſcabioſæ, boraginis, bugloſſæ, lupulorum, fumi terræ, ſcolopendriæ, capill rum veneris ana m. j. ſeminum carthami, agarici inciſi ana unc. ſ. zinziberis ſcrup. iiij. cinnamomi electi. drach. j. thymi, epithymi, ana drach. j. ſ. folliculorum ſenæ. unc. iij. Contundantur contundenda groſſo modo, & ſecundum artem bulliant in vij. lib. aquæ ultra conſumptionem tertiæ partis. Deinde ſtent horis xij. in infuſione. Deinde iterum parum calefiant, fricentur, & exprimantur fortiter. fiat colatura, in qua diſſolve ſyrupi de bugloſſa, de boragine, de fumo terræ ana unc. j. ſ. ſacchari quantum ſufficit ad dulcorandum. fiat potus dulcoratus, & clarificatus: doſis unc. vij.*

## CAP. XII.

### *De mitigatione doloris, qui ut plurimum evenit in morbo Mentagræ.*

*Dolor eſt paſſio ſubitanea, extra naturam exiſtens, cum magna anguſtia.* ut tenet Galenus *lib. quarto cap. 9.* Auctoritate Platonis *in Timæo, dolor eſt ſenſus nocitivi.* Galeno teſtante *primo de interioribus cap.* Vel dolor eſt ſenſibilitas rei contrariæ ſubito & materialiter imprimentis. Et hæc generalis definitio convenit omnibus ſpeciebus doloris. Ex qua definitione ſequi videtur, quod dolor ſit paſſio virtutis animalis ſenſibilis, nam deſtructa virtute ſenſibili animali nunquam fiet dolor. ideo membra ſtupida, paralytica non ſentiunt dolorem, ergo dolor eſt qualitas ſenſibilis. Ex illo non credas, quod dolor ſentiatur, ſed bene cauſa doloris ſentitur. Nam dolor nil eſt aliud quam triſtis ſenſatio. & ipſe dolor informat ſenſum, non efficit ſenſum. Et hanc ob cauſam dolor non eſt ſenſus, ſed objectum ſenſus. Denique accidit quaſi omnibus patientibus hunc morbum hoc accidens: videlicet dolores acutiſſimi in diverſis membrorum partibus totius ambitus corporis, maxime in tibiis, & brachiis. Dolores autem acutiſſimi & acerrimi cauſantur à materia imbibita in membris nervoſis, & in pelliculis oſſium & nervis, & in panniculis muſculorum, & in omnibus membris pannilenioſis. Et in nocte plus quam in die dolent, ut experientia docet, ratio, quia tempore ſomni membra exteriora manent depauperata ſpiritu, præterea & pori aliqualiter ſunt obſtructi tempore noctis, quare cæca tranſpiratione fit pauca expulſio materierum peccantium. Etiam poſſem dicere, quia humores in nocte natura moventur per ipſam eſſe retractam & fortiorem. Etiam quia ratione humiditatis noctis, materia augetur, aut ratione frigiditatis pori obſtruuntur. de die autem natura divertitur à ſenſibilibus, & non ita humores movet, tum quia circa alias operationes occupata. Ad ulteriorem vero declarationem dictorum dolorum eſt intelligendum ſecundum doctrinam Avicennæ *ſecunda primi de cauſis doloris, & quarto de accidenti & morbo*, dolorem eſſe triſtem ſenſationem, maxime in ſenſu tactus contingentem. Ex hoc infertur, quod mala complexio cum ſit objectum contriſtans & improportionans debitum organum, virtus ſenſitiva ex tali improportione habeat contriſtari, maxime ſi objectum ſubito imprimat. nam ex paulatina impreſſione quaſi conſuetudinaria facta non fit dolor. Caliditas autem & frigiditas vehementiores ſunt in efficiendo dolorem, & citius impreſ-

sivæ. Propterea Avicenna *quarta primi cap.* xxx. innuit dicens doloris causas in duabus comprehendi divisionibus, scilicet mutatione complexionis subita, & solutæ continuitatis. Et postea dicit, quod mutatio in complexione vel est ad calidum, vel frigidum, humidum, vel siccum, vel est absque materia, vel cum humorosa materia, aut est mutatio ad ventositatem, vel ad apostema. Et advertendum est, quod quanvis frigiditas sub aliquo gradu sit doloris effectiva, sub gradu tamen valde intento, hebetando sensum membri est doloris remotiva. Siccitas autem est causa doloris, solvendo continuum, aut humiditas, cum materia membri in extendendo sensibile valet contristare virtutem vel ratione humorosæ materiæ, vel ex ventositate elevata ab illa materia, vel materia apostematis.

*Unde dolor mentagra.* In hoc morbo dolor causatur à vaporibus elevatis ab illa materia congesta in porositatibus panniculorum & nervosorum membrorum in ventositatem conversorum. Et quia dolor magis rectam operationem impedit. cum dolor, secundum Avicen. sit sensibilitas rei contrariæ, ita secundum Galenum sedatio doloris est delitiæ per appositionem rei convenientis, atque non sentire rem disconvenientem & contrariam naturæ breviter dicendum, quod modus doloris curativus est sedatio doloris, applicando contraria causarum doloris. Ideo Avicen. *quarta primi cap.* 30. dicit. *Ad summum, quod dolores sedat, est aut id quod complexionem mutat, aut quod resolvit materiam, aut quod stupefacit.* Igitur sedatio dolorum est, removere causam doloris, quæ est dolori contraria. Et sedatio doloris potest fieri resolvendo materiam vel ventositatem à quibus pendet dolor. Similiterque fit sedatio doloris stupefaciendo, nam stupefaciens removet dolorem destruendo sensum vel infrigidationem multam, vel propter ventositatem contrariam virtuti sensibili illius membri. Propterea Averrois. *v. colliget de medicinis mitigantibus dolores* inquit: *Prima via mitigandi dolorem est, ut removeatur causa doloris. Secunda est, ut stupefiat membrum, ita ut non sentiat dolorem, sicut fit cum opio.* & in hoc est timor. *Tertia est medicina, quæ facit in membro id quod repugnat rei quæ inducit dolorem.* & istud est verum mitigativum. Ergo necesse est quod medicinæ quæ hoc faciunt, sint temperatæ, similes calori naturali, aut parum calidiores. Ideo possunt istæ medicinæ, mitigare dolorem qui est ex causis calidis, & frigidis per eundem modum, eo quod augmentant calorem naturalem, qui est perfectissimum instrumentum naturæ, & tunc dominabitur natura super malam complexionem quæ facit dolorem, removendo. Propterea circa mitigationem & correctionem doloris maximam diligentiam medicus habere debet, propter id quod Avicenna *prima quarti cap.* 30. *de sedatione doloris*, *Omnis quidem dolor, qui fit fortior, interficit*, quoniam in primis accidit frigiditas corporis & tremor, postea fit pulsus parvus, deinde destruitur, & postea sequitur mors. Hoc Gordonius confirmat inquiens. *Ægritudines dolorosa sunt multum pernicioſæ, sive periculoſæ.* Et ita oportet medicum multum esse sollicitum, & festinare in remotione causæ doloris quanto citius possibile fuerit, ne si fiat diuturnus, ex vehementia doloris, & prostrata virtute deficiat. Idcirco regulariter prius est removenda causa, consequenter removetur accidens doloris. quoniam cum vehemens fuerit dolor, & tantæ intensionis ut non det inducias ad abscissionem causæ, primo oportebit intendere ad remotionem doloris. quia cura mendosa magis necessaria est, & melior quam vera. ut *Galenus* 12. *therapeuticæ* inquit. Prima ergo via est sedare dolorem, removendo rem contrariam evacuando, aut alterando, aut dissolvendo. Et ista via est certa, ut inquit Galenus, & Avicenna supra. Idcirco medicus arte doctus semper debet materiam mentagræ digerere, subtiliare, mollificare, ut facilius natura ad exteriora per pustulas, vel alio modo crisis expellere possit sensibiliter, vel per cæcam transpirationem. Veruntamen cum ista materia mentagræ melancholica & terrea sit & ficca, existens in porositatibus membrorum nervosorum, præcipue in panniculis ossium, & ab ista materia elevetur vapor, qui conversus in ventositatem causat dolores, ad removendum istam causam doloris, quæ difficillime eradicari potest, principaliter necessarium est, ut ista materia conjuncta & congesta non foveatur à materia antecedente, quæ ex malis cibis, vel ex inordinato regimine circa sex res non naturales in hepate & venis generantur. Sed utilissimum est illam materiam digerere, & postea per interpollatas vices ipsam materiam antecedentem evacuare, ne convertatur in materiam congestam, & conjunctam cum medicinis non fortiter educentibus materiam melancholicam. Secunda via est, removere dolorem stupefaciendo, scilicet ejus sensum particularem tollendo, ita ut non sentiat dolorem. Oportet ergo medicinam applicare, quæ stupefacere possit. melius est enim inducere aliquale nocumentum ad corrigendum membrorum dolorem, quam permittere doloribus hominem mori. ut xii. *therapeuticæ* evidenter deducitur. Necessarium igitur medico transire ad dolorum sedantia stupefactiva, quæ non vere, sed apparenter sedant dolorem & talia sunt contrariissima his, quæ vere dolorem sedant, removendo causam doloris. Veruntamen quia istæ medicinæ stupefactivæ sunt valde suspectæ secundum magis & minus, idcirco cum maxima cautela tutiora sunt administranda. hac de re quantitas & tempus & hora debent esse opportuna in administratione ipsarum. præcipue ad intra per os bibita sunt multum timorosa, magis quam ad extra in membro doloroso applicata. Hac ratione in doloribus evenientibus in membris hominum patientium hunc morbum mentagræ, sit res mala & timorosa, administrare narcoticas inunctiones supra membra dolorosa. hac ratione, quia talia membra sunt nervosa, densæ substantiæ, & strictorum pororum, & materia ficca, grossa, terrestris, & propter appositionem narcoticarum medicinarum pori magis obstruuntur & clauduntur, & sunt in causa majoris prohibitæ insensibilis vel sensibilis resolutionis materiarum contentarum in porositatibus membrorum nervosorum. Et quamvis propter medicamina narcotica stupefaciendo sensum membrorum dolorem patientium membra priventur dolore, & homines vexati tali morbo cum doloribus, & cruciati ab ipsis putent & imaginentur se esse liberos, & curatos ab hoc crudeli & fœdo morbo, post tempus tamen redit fortior dolor, & difficilioris curationis, propter ineptam materiæ dictæ conjunctæ, & ventositatis grossæ resolutionem. Sed in veritate multi cum unctionibus narcoticis curati fuerunt, & post nunquam in eis recidivum factum fuit. Cujus affigno talem rationem, quoniam in talibus, qui propter unctiones narcoticas curati fuerunt, fuit pauca quantitas materiæ antecedentis & conjunctæ, quare unctionibus narcoticis mendose & accidentaliter sedatus fuit dolor, hincque calor innatus fortior factus est, qui potens fuit resolvere illam materiam conjunctam, existentem in porositatibus membrorum nervosorum, & sic remotus est dolor, etiamque calor naturalis fortificatus removebat malam qualitatem existentem in hepate & venis. Rationalis tamen practicus, & scientificus medicus in curando istum morbum mentagræ observabit ordinem superius à me enucleatum, nisi aliquorum accidentium fortissimorum malitia curam pervertere coactus fuerit, tunc enim nullum ordinem habebit in curatione, quia ejus causam negligeret, & tantummodo ad accidentium remotionem in particulari intendere debet, & quam primum ad narcotica est licitum deveniat, & somnum patientibus adducat, & eos quietos faciat, quamvis multa pericula somnifera inducant. ut Avicenna in *quarta primi cap.* xxx. dicit. In dolore colico in exhibitione narcoticorum magnificatur malus finis. quoniam materiam augmentant, & frigus & congelationem & clausulam confirmant. Eam ob rem Avicenna. xvi *tertii cap. iiij.* inquit. In narcoticis est timor, licet quandoque accidat ut sint necessaria, Sed ipsa quandoque confirmant, in quantum ingrossant materiam, & in quantum faciunt dormire, & prolongant necessitatem surgendi ad ejiciendum excrementa. Et quomodocunque sit, non oportet ut narcotica administrentur, quandiu ab eis excusatio esse potest. Quod si necessaria fuerit, eorum administratio non exhibeatur ei, cujus facile infrigidatur corpus, & debilitatur virtus. Et apparet illud in pulsu. Etiam Avicen. *fen. xvj. tertii tractatu quarto cap.* 2. de colicæ cura inquit. *Incipientes sedare dolorem cum narcoticis componunt rem maximi erroris.* Administratio enim narcoticorum non est curatio vera in aliquo. & illud ideo, quoniam curatio vera est incisio causæ, sed stupefactio est consortatio causæ, & destruitur sensus per eam. Et illud ideo, quoniam causa est humor grossus, quare fit fortior & deterior, aut ipsa complexio frigida fit frigidior, aut ventositas grossa fit grossior. Quare decrevi in hoc capite declarare, quomodo prudentissimus medicus possit secundum regulas medicinæ narcoticis uti, & hoc cum maximo timore & cautela. Et præmissa prognosticatione proponatur, quod dolor, aut aliquod aliud fortissimum accidens sopiatur, ne virtus totaliter resolvatur, cum dolor maxime virtutem prosternat. Principe inquiente *fen secunda primi doc. secunda cap.* xxii. Dolor virtutem dissolvit, & membra à suis propriis operationibus prohibet, ut membra ab aëris prohibeat attractione, aut ejus destruat operationem. Et in *quarta primi cap.* xxx. Avicenna ait. *Omnis quidem dolor, qui fit fortior, interficit.* Ideo prudens medicus omni suo ingenio cum rebus appropriatis & vere dolorem sedantibus curare dolorem studeat. Et si medicus cum his non potest dolorem sedare, tunc cum cautela ad narcotica transire debet eligendo ex eis, quæ magis correcta sunt, & ab auctoribus commendata. Et primo exterius apponat, tandem si necessitas extrema urgeat, per os exhibeat in modica quantitate & maxima cum cautela, ac magno timo-

re. Propterea Averroes *septimo colliget cap. de syncope* accidente dolori dicit, quod non sit narcoticis utendum, nisi cum infirmus in articulo mortis esse reperitur causa doloris. tunc cum sedantibus dolorem intendere oportet, cum quibusdam remediis mitigantibus dolorem, à leniori-bus tamen incipiendo. quibus non conferentibus, ad magis narcotica & somnifera tandem deveniendum est, & non ad omnia, sed solum ad correcta & consolata cum suis bezoardicis licet pervenire. Unde Princeps *quarta primi cap.* 30. dicit. *Stupefacientis complexionem considerare debes, & ipsius qualitatem, & quæ ex eis faciliora sunt dones.*

## CAP. XIII.

### *De causis doloris Mentagræ, & cur excitentur post primum somnum omni nocte.*

Causæ doloris in Mentagra possunt dici duplices, aliquæ manifestæ, aliæ occultæ. Manifestarum aliquæ sunt intrinsecæ, vel conjunctæ, aliquæ antecedentes. Aliquæ extrinsecæ, sicut casus, percussio, obviatio ad aliud, corpus incidens, cassans, conterens vel contundens, extendens vel comprimens, aër calidus vel frigidus, seu sic-cus, vel aliud simile, ut ignis, aqua frigida, nix, aut maliti regiminis ægri, nec non influxus supercœlestes. ut volunt astrologi, & Conciliator magnus *differentia.* lxxxviij. glacies, & venti, & accidentia animæ superfluentia, motus corporei fortes, coitus superfluus & labori-osus, somnus profundus & inordinatus, vigiliæ superfluæ, & maxime ciborum vel potuum, vel medicinarum rarefacientium vel infrigidantium, aut desiccantium, & similia. Et mala complexio causat dolorem, in quantum ipsum efficit, & in quantum debilitat membrum, unde paratur ad recipiendum materias, & aliqua de malis complexionibus, ut calida, potest esse causa attractionis ad membrum, & ad dispositionem materiæ ad fluxum, meatus dilatando, poros aperiendo & orificia. Et mala complexio etiam frigida potest esse causa congregationis materiæ in loco, prohibendo ne fiat bona digestio, bona maturatio, ac bona expulsio. Et finaliter, omnis mala complexio potest esse causa debilitatis membri, & sic aggregationis materierum superfluarum in ipso intrinsecarum. Causæ autem sunt mala complexio, aut ventositas, aut humor. Materiæ vero, quæ fluunt ad loca dolorem inducentia, sunt sanguineæ, cholericæ, aut phlegmaticæ, aut ex his mixtæ. Et maxime accidit à phlegmate choleræ admixtæ. quæ omnia superius pulchre sunt enucleata. Cholera autem per se sola non posset hunc dolorem causare, eo quod ex sui natura expanditur & evaporat, licet sit mobilis, item quia pauca. Quod secus est de phlegmate. nam de eo major quantitas in corpore reperitur. A materia melancholica rariſſime fit, quia difficulter movetur. Sed dicere posses, quod ipsa congeritur ibi & causat dolorem, eo quod ossa, cartilagines & ligamenta sanguine melancholico nutriuntur, & aliquæ materiæ perveniunt ad locum doloris per viam defluxus seu transmissionis, aliæ per viam congestionis. Aliæ vero, quæ derivantur, seu fluunt per meatus manifestos scilicet venas, arterias, aut per meatus occultos, ut accidit in catharris. Conjunctæ quidem causæ possunt esse duæ scilicet soluta continuitas, aut subita alteratio. Antecedentes possunt esse causæ materiales humorosæ, vel vaporosæ. Humorosæ quidem, ut sanguis aut phlegma, ante cholera, aut melancholia naturalis vel innaturalis, simplices vel compositæ, apostemantes vel non apostemantes. Et vaporosæ quidem, possunt esse causæ antecedentes aliquando compositionales, et membri raritas, & similiter mala complexio membri vicinantis vel communicantis membro dolenti. Et dictarum causarum tam extrinsecarum quam intrinsecarum quædam possunt facere dolorem, quia malam complexionem faciunt Aliæ vero solvendo continuum, reliquæ inducendo malam complexionem & solvendo continuum. Et de istis lege Avicennam *secunda primi de motu.* quia motus dolorem efficit per id quod cum eo accidit extensione, aut contusione, aut ruptura, aut calefactione, quoniam motus calefacit. Causæ intrinsecæ humorales causare possunt hunc dolorem. nam mali humores causant dolorem aut cum ipsorum quantitate, sive cum sua multitudine extendunt, aut quia peccant in quanto, & quali scilicet in multitudine mordacitatis. Et hoc faciunt per se, aut per accidens. per se, id est per suam corpulentiam, vel virtutem, scilicet cum sua actione. sicut etiam producunt malam complexionem diversam, vel solvunt continuum. Et intelligendo per accidens, quando non per corpulentiam, neque per virtutem suæ actionis, sed consecutive perducunt ad malam complexionem, vel solutam continuitatem. Adhuc tamen scire vellem, quare excitentur & dolores augeantur post primum somnum omni nocte. hic enim modus afflictionis non reperitur in aliquo humore. Nam ut te non lateat, sanguis continuo affligit, cholera de tertio in tertium, melancholia de quarto in quartum, phlegma omni die. Sed Gentilis de Fulginio persuadet, humores aliquando moveri à proprietate occulta, seu à forma specifica. Nam omnis effectus eveniens circa determinatam speciem, omni tempore, videlicet æstate, hyeme, vere, aut autumno, etiam ætati omni, complexioni & sexui semper aut ut plurimum, qui non potest reduci in causas manifestas, debet reduci in causas specificas, sive proprietates occultas. Sed in mentagra humores moventur omni nocte, & post primum somnum, & causa istius motus non potest reduci in causas manifestas, ergo opus est, ut reducatur in causas specificas. Præterea somnus à medicis in tres partes dividitur, dicentes primum somnum à vaporibus elevatis à prima digestione, secundum à secunda digestione, tertium à tertia digestione, qui suavis in aurora fit, propter vapores elevatos à venis suaves. Primus enim fortis & profundus ut plurimum est, idcirco isti dormiunt. In secundo non possunt dormire, quia vapores non sunt ita grossi, quare ipsis excitatis, spiritus animalis per omnia membra copiosius diffunditur, quibus vapores maligni admiscentur, & ad loca debilia delegantur seu expelluntur, & sic causant dolores illa hora. Et ego opinor membrum mandans fore cerebrum, ut in dolore fatigativo apparet.

## CAP. XIV.

### *De accidentium correctione.*

Curantia certe sunt duplicia. Quædam enim curant causam removendo cum contrario. sicut quæ dyscrasiam frigidam calefaciunt, & calidam infrigidant, & solutam continuitatem uniunt, & evacuant materiam dyscrasiam inducentem, aut solutam continuitatem, aut divertunt. Et ista non proprie sedant dolorem, quia non omnem dolorem sedant, & non contrariantur dolori, in quantum dolor est, sed contrariantur suæ causæ. Et quædam mitigant dolorem cum proprietate vel temperantia complexionis deliciam inducendo. Et hæc profecto cura remotiva doloris propria & certa dici potest. Et istæ calorem naturalem multiplicant, & confortant, qui confortatus & multiplicatus facile dolorem superare potest. Et in primis in omni dolore diligentius inquirere debes de omnibus causis, deinde contra eos procede cura meliori, & utiliori. Et non agas quemadmodum stulti faciunt, qui solum ad locum morbi intendunt. unde incidunt in errores grandes. hujus rei Testis est Rhasis 25. *continentis* dicens, quod quidam exiſtimabat, quod dolebat ex colica, & curabat se cum medicinis calidis, & non consequebatur juvamentum ex epithematibus & emplastris suis, sed potius dolor augebatur in eo, & intendebatur. & facto ei clystere ex oleo rutacco vehementior & pejor facta fuit dispositio ejus, & facto alio clystere, in quo positum fuit castoreum, conversa est dispositio ad pejorem & crudeliorem dispositionem. & sumpta potione piperis cum succo fœnigræci, in deteriorem incidit dispositionem. Quapropter exinde conjecturatus est, quod in intestinis ejus erant humores pungentes, inclusi in corpore ipsius. Et dato ei cibo difficilis digestionis, statim diminutus fuit dolor. tandem purgatus cum Hiera picra, & secuta purgatione sanatus est gratia Dei. Quando vero est mala complexio non pura, sed materialis simplex vel composita, tunc sola alteratio non sufficit, sed aliæ requiruntur intentiones. Cum ergo materia faciens dolorem talis fuerit ut evacuari commode possit, non expectata digestione, qualis materia symptomatica exuberans est, aut mixta sanguini, sanguine dominante in commixtione, tunc ilico est evacuandum, phlebotomiam faciendo, auctoritate Galeni. 12. *therapeuticæ* dicentis. *Si multitudo fuerit sanguinis, sicut in his, qui phlegmonem patiuntur, ilico phlebotomandum est. & similiter si cum sanguine alii humores fuerint mixti.* Et non solum in hoc dolore particulari phlebotomia convenit, sed etiam in quocunque transitum faciente de membro nobiliori ad minus nobile, sive etiam ad membrum nobile quod principali membro minus propinquum existat. In dolore vero Mentagræ talis phlebotomia competeret, sed pustulis jam apparentibus ab ipsa fugiendum est tanquam ab inimico. nam si aliter faceres, non esses medicus. nam medicus ut omnis medicina clamat, est adjutor naturæ, non impediens eam. Natura enim, ut vides, conatur expellere à centro ad circumferentiam : phlebotomia vero facit oppositum. quare in tali casu non competit regulariter operando. Hoc idem sit dictum de medicina solutiva. Verum si eam facere velles, observa ad minus canones generales *prima quarti cap. de phlebotomia* dictos. Et in primis recorderis dicti Galeni *primo ad Glauconem*, quod ponitur à Rabbi *particula* 8. *suorum aphor.* ubi tenet, quod dolor fortis prohibet phlebotomiam. Nihilominus ipse Galenus in diversis locis oppositum dicit, quod in dolore forti nulla medicina melior existit phle-

phlebotomia, etiam uſque ad ſyncopem. Et hanc phlebotomiam uſque ad ſyncopem nunquam niſi in me ipſo vidi, quare eam abhorreo, nec ſuadeo, ut talis fiat, cum ſedes animæ ſit ſanguis. nam ſanguis ſpirituoſus, benignus & bonus exit, groſſus vero remanet propter ſtrictu-
ram apertionis venarum. Hæc autem contradictio in dictis Galeni tollitur per ea, quæ ipſe Galenus dixit xij. *therapeuticæ*: quod in phlegmone ilico phlebotomandum eſt, virtute exiſtente forti, ſi vero imbecillis fuerit, nequaquam. Si vero virtus fuerit fortis ſtante dominio ſanguinis multo, phlebotomandum eſt uſque ad ſyncopem. Aliorum vero humorum, à ſanguine dolorem inducentium cura, ut dicit Galenus. xij. *therapeuticæ*, eſt evacuatio illorum humorum qui contriſtant. Et ſi quidem, mordax humor cholericus acutus colorem efficit, contrariiſſima huic humori ſunt ea, quæ attenuant, & calefaciunt. quare talis humor evacuandus erit cum his, quæ conveniunt. Et dentur ingroſſantia & infrigidantia, quoniam per hujuſmodi fit ejus digeſtio. & ſimiliter ſi humor frigidus fuerit & groſſus, infrigidantia & ingroſſantia contrariiſſima ſunt. Sed oportet ipſum incidere & attenuare & calefacere. hoc enim pacto ipſe digeritur, quo digeſto evacuetur cum appropriatis, unicuique prudenti notis. Et ſi evacuatio non ſufficit, aut fieri non poteſt, propter imbecillitatem virtutis, vel aliam cauſam, quicunque humor fuerit, conſilio Galeni divertamus materiam à loco doloris, deducendo ad membra ignobilia, obſervatis canonibus dediverſione. Et nota, quod diverſio aliquando fit ad partem propinquam, aliquando ad longinquam, aliquando præcedit eam evacuatio, aliquando non. Item diverſio aliqua poteſt eſſe evacuativa, ut illa quæ fit per phlebotomiam, aut fluxum ventris, & ſimilia. Aliqua non evacuativa. ut illa quæ fit per ligaturam, ventoſas, aut medicinas rubificantes, & univerſaliter per ea, quæ dolorem inducunt. Præterea nota, quod materiæ exiſtentes in venis, vel vaſis, & in membris communibus faciliter divertuntur. Quare cave, ne diverſio fiat ſecundum duas diametros completas, & maxime materia jam fluxa. ſed in materia fluente poſſet fieri ſecundum duas diametros. Si vero nec evacuatio, nec diverſio fieri poſſit, dolore permanente ac infeſtante, in tali caſu utere epithematibus, inunctionibus, emplaſtris, & aliis ſimilibus evaporationem facientibus, in quorum approximatione hos canones obſervabis. Quorum unus eſt, quod ſtante repletione in corpore, vel quando timetur fluxus materiæ ad locum, hæc ſecure minime approximantur ſaltem pura, cum amplius agitent materiam & diſponant ad fluxum. quapropter in tali caſu cum eis erunt admiſcenda ſtiptica confortantia. Secundus canon eſt, ut hujuſmodi omnia calida actu approximentur & non frigida. Et hoc præcepit Hipp. v. *aphor. Calidum vero ſaniem facieus* &c. ubi loquitur de calido actu, quod eſt ſedativum doloris. Hoc idem tenet Rhaſis xxv. *continentis cap.* 3. dicens. *Epithematum calefactio mitigat dolorem, quia rarefaciendo membra diſſolvit illud, quod in eis ſuperfluum eſt.* Infrigidantia vero membrorum dolentium mala ſunt. ut quotidiana experientia in mentagra oſtendit, eo quod denſant ea, & prohibent diſſolutionem, & exinde augetur extenſio & dolor. Immo infrigidatio non convenit doloribus, niſi in illo, qui fit à mala complexione abſque materia. velut evenit in dolore capitis à calore ſolis, aut infrigidatio, quæ fieri debet in eryſipelate. Quare Hippocrates v. *ſeparatorum ſermonum* ſermone illo: *Ulceribus quidem* &c. dicit, quod frigidum dolorem ſine ſanie facit. & hoc intelligitur de frigido actuali per ſe. Nam frigidum per accidens dolorem ſedare poteſt ſtupefaciendo, aut calorem naturalem uniendo & fortificando. Calor enim naturalis unitus, fortificatus, cauſam doloris aliquando curat, & abſcindit. Alius canon eſt, quod materia exiſtente frigida non debent applicari calida elevata in gradu. Et hoc tenet Galen. 12. *therapeuticæ*. Nam dolores provenientes à groſſis & viſcoſis humoribus, non debent curari cum epithematibus, aut cataplaſmatibus, aut aliis calefacientibus vehementer. nam ſi non evaporantur prædicti humores frigidi, groſſi, viſcoſi, extenduntur & ventoſantur, & dolorem augent. Sed eos digerere, & evacuare oportet. Quapropter in talibus caſibus eligenda ſunt calida, temperata. De quorum calefactione intellexit Galenus *ſecundo regiminis acutorum*, & Rhaſis 25. *continentis*, dicens. Calefactio mitigat dolorem, quia attenuat & ſubtiliat humores, & diſpergit partem ventoſitatis mitigando extenſionem. hæc enim calefactio poteſt fieri multis modis. Si vero materia faciens dolorem fuerit ventoſa, aut pauca abſque humore à quo elevetur, aut cum pauco humore, appoſitio ventoſæ, aut vaporatio confert. Galenus vero xij. *therapeuticæ* dicit ſe curaſſe dolorem ventoſum cum potibus & cibis attenuantibus & infuſionibus, cataplaſmatibus, & fomentationibus. & ſubdit dicens, dolorem ventoſum ſe curaſſe cum appoſitione magnæ ventoſæ. Et ego in actu practico utor iſta ventoſa in colica. Et cum iſtis concordat Rhaſis xxv. *continentis* dicens. *Ventoſæ cum igne diſſolvunt dolorem ex ventoſitatibus groſſis, ubicunque appoſitæ fuerint.* Hoc idem dicit Avicenna *quarta primi.* Si vero fuerit multus humor operans ventoſitatem, ſive fuerit apoſtemans, ſive non apoſtemans, quamvis ſedetur ex evaporationibus, & appoſitione ventoſarum, dolor profecto revertitur, in tali caſu evacua humorem ipſum. Galenus. vj. *de ſimplici medicina* dicit: *Medicinæ calidæ & humidæ in primo gradu carentes omni ſtipticitate digerunt & adæquant complexionem, & diſſolvendo evacuant.* Iſtæ enim medicinæ eo quod augmentant calorem naturalem, qui eſt inſtrumentum naturæ, ſedant dolorem, nam aucto calore naturali, ab ipſo ſeparatur mala complexio, quæcunque ſit illa faciens dolorem, & ipſum curat & removet. Ut ſunt medicinæ ſequentes. *Semen lini, anethum, chamæmelum, adeps gallinarum, vitellus ovi, fumus terræ, corona regia, crocus, cinnamomum, laudanum, rapa cocta & emplaſtrata, aqua calida & tepida, oleum chamæmeli, & anethi*, & totum id, quod fuerit in gradu iſtorum in caliditate, & humiditate. De althæa autem dicit Rhaſis, quod mitigat dolorem, cum forti violentia prohibendo quod non fiat apoſtema, & dirigit nervos extortos, & diſſolvit. Hoc idem *oleum de chamæmelo, & oleum anethi, & ſuccus uvarum.* Et omnia unguenta maturativa mitigant dolorem. Et cum his computare poteris *ſemen apii.* Mollificantia vero & temperate reſolventia mitigant dolorem, quia molliendo reſolvunt. *ut anethum, ſemen lini, melilotus, chamæmelum, ſemen apii, amygdalæ amaræ*, & omnes res in primo gradu calidæ. Adminiſtratio autem talium certis conditionibus fiat, ut puta poſt evacuationem; ſi evacuatio fuerit neceſſaria.

## CAP. XV.

### *Unctiones & emplaſtra dolorum mentagræ ſedativa.*

In cauſa frigida valet *emplaſtrum confectum ex farina ſeminis lini, meliloti, anethi, & floribus chamæmeli, fœnigræci, incorporetur cum oleo de chamæmelo.* applicetur actu calidum. Si materia fluens fuerit frigida, evacuatur ut decet, non una vice tantum, immo iteratis vicibus: nam melior eſt multiplicatio numeri quam quantitatis. teſtis eſt Avicenna *prima quarti capitulo de phlebot.* Utatur vomitu, poſtea theriaca. nam conſumit reſiduum materiæ, calefaciendo, & exſiccando pinniculos, muſculos, chordas & ligamenta. Præterea in doloribus à cauſa frigida utere unguentis calefacientibus & ſubtiliantibus materiam groſſam. Et in ſtatu & declinatione miſce aliqua mollificantia cum diſſolutivis, ne ſubtile reſolvatur, & groſſum remaneat, & induretur, & in nodoſitates convertatur, ut ſæpenumero accidit, & præſertim in tibiis. Quare aliquando reſolventia ſunt applicanda, aliquando mollificativa. Et ſi contingeret induratio, vel nodi. Recipe *radices altheæ, & in vino albo coque, & cum axungia gallinæ tere.* ſuppone actu calida.

Unguentum autem ſedans dolorem, mollificativum & reſolutivum eſt hoc. Recipe *mucilaginis ſeminis lini, mucilaginis altheæ ana drach. ij. olei de ſpica, amygdalarum dulcium, chamæmeli ana unc. ſ. butyri recentis ſine ſale unc. j. gummi Arabici, tragacanthi an drach. j. cum cera fiat unguentum.* Aliud Avicennæ doloris ilico ſedativum. Recipe *ſuni græci lib. iij. aceti quantum ſufficit. miſce, decoquantur quantum tibi videtur. Deinde de melle adde ſufficientiam, & bulliat iterum. fiat emplaſtrum*, calidum apponatur. Aliud, quod valet in cauſa frigida, & removet tumorem. Recipe *ſucci herbæ gratia Dei lib. j. ſucci radicis ebuli, ſucci radicis urticæ ana lib. ſ. axungiæ vulpis, ſeu catti ana unc. vij.* (& ſi talis axungia non reperitur, pone de axungia porci,) *ceræ rubræ une. iiij. miſce fiat unguentum.* Emplaſtrum quod reſolvit, mollificat, & tollit dolorem, & confert in declinatione. Recipe *radicum malvaviſci fortiter piſtatarum lib. iij. furfuris p. iij. florum chamæmeli unc. ij. ſ. coquatur furfur in debita quantitate vini, & coletur, & cum dicta colatura coquantur radices & chamæmelum, fiat emplaſtrum ut decet.* Si vero materia eſſet valde frigida, utere hoc unguento. Recipe *pyrethri unc. ij. caſtorei, piperis ana drach. j. olei coſtini quantum ſufficit. miſce, fiat unguentum.* Et quia valde forte eſt, ideo alternatis diebus inungantur membra dolentia cum *dialthæa*, vel cum *martiato.* Et in hoc caſu Avicenna laudat emplaſtrum de ſtercore vaccino, remota plethora diſtemperetur cum lixivio. Et hoc pro ruſticis. Ad dolores aliud expertum. Recipe *radicum cucumeris aſinini, hyoſciami per medium diviſæ per longum ana lib. ij. olei communis libr. vj. vermium terreſtrium in vino ſuffocatorum ſexaginta numero, vini rubri quantum ſufficit, puta quartam partem lib. hæc omnia coquantur ad conſumptionem vini, & quartæ partis olei. colentur, & ujui reſervantur.* Ex quo actu calido

in exitu ſtuphæ inungantur loca dolentia. hocque fiat ante prandium, & ante cœnam. Et ſi dolor in nocte infeſtat, fiat iterum, corpore prius purgato. In cauſa calida dolorem inducente valet illud unguentum. Recipe *pinguedinis pulli & anatis recentium, butyri recentis, & adipis porci recentis, ceræ albæ ana unc. j. olei chamæmelini, anethini, amygdalarum dulcium, mellis ana unc. s. mucilaginis althææ, ſeminis lini, & fœnigræci ana unc. ij. miſce, fiat unguentum ut decet.* Galenus *ſecundo de interioribus*, & Rabbi XII. *particula ſuorum aphoriſmorum*: cum dolor eſt in pelliculis oſſa circundantibus, ſentitur dolor in interioribus corporis, & in profundo membri, in quo eſt, & imaginantur, quod dolor ſit in interioribus oſſium ſuorum. hac de cauſa ille dolor ab aliquibus vocatur perforatio. Aliud pulchrum doloris ſedativum in materia frigida. *Fiat coctio unius vulpis in ſufficienti quantitate aquæ, in qua folia roriſmarini, & aliquid de chamæmelo, parietaria, & matricaria poſitum fuerit. bulliant ad conſumptionem medietatis & ſeparationem oſſium à carne. demum colentur, & dictæ colaturæ adde olei communis ad proportionem medietatis aquæ. & iterum ſimul bulliant ad conſumptionem tertiæ partis.* Et cum hac decoctione fomententur membra dolentia, aut infundantur dicta membra, præſertim tibiæ in dicta decoctione. & hoc continuetur aliquibus diebus. Aliud. Recipe *ſucci anethi, ſucci caulium ana libr. ij. mucilaginis fœnigræci & ſeminis lini ana lib. s. olei violarum unc. iiij. olei de ruta lib. j. olei de chamæmelo lib. s. farinæ ſeminis lini, & fœnigræci ana unc. v. farinæ ſabarum quantum ſufficit. miſce, fiat emplaſtrum*, & actu calidum applicetur membro dolenti. Aromata pro confortatione membrorum in pauco uſu, & præcipue cinnamomum concedi poſſunt. vel in cibo poteſt poni pulvis ille. Recipe *carvi, aniſi, ammios, petroſelini, apii, marathri, betonicæ, cumini, calaminthæ, pulegii, hyſſopi, ſpicæ nardi, piperis, majoranæ, folii balſamitæ, ocimi, cardamomi, galangæ, liquiritiæ ana drach. ij. ſacchari taberſet unc. v. miſce*, hic pulvis maxime conveniens eſt habentibus ſtomachum debilem, cerebrum frigidum, lætificat cor, & acuit ſenſus, memoriam confortat. Præterea ſunt nonnulli, qui ſentiunt in brachiis & tibiis, & præſertim in ſuperficie ſimilitudinem ulcerum, ita ut non permittant ſe tangi, ac ſi talia membra eſſent excoriata. Dico quod hic dolor accidit à multitudine ſuperfluitatum ſubtilium & acutarum, & aliqua fictione carnis & adipis, aut humoris mali, qui ſi cum ſanguine bono miſceretur, peſſimas caſſaret ægritudines, ipſum inficiendo, & in eandem materiam convertendo. & hac de cauſa natura corporis regitiva irritata ſequeſtrat & expellit eum ad ſuperficiem & ad exteriora. Hujus vera cura eſt digeſtio & evacuatio dictæ materiæ, alteratio membri læſi, & demum confortatio. Aliud ſedativum dolorum. Recipe *butyri recentis, olei violati ana drach. j. axungiæ gallinæ, anatinæ, anſerinæ, medullæ bovis omnium recentium ana drach. vj. fiat unguentum cum cera*, & valet in doloribus membrorum nervoſorum. Præterea *oleum de vitellis ovorum* eſt ſingulariſſimum in doloribus dictis. ut Guido dicit. Galen. in 2. *pharmacorum*. Omnia hæc medicinalia & ſimilia ſedant dolorem, facta evacuatione proprie per phlebotomiam, ſi dolor ſit fortis, & de materia ſanguinea. nam phlebotomia ſedat dolorem vera ſedatione, cum cauſam cito removeat. & de hoc inter Doctores non eſt contrarietas. Eſt etiam neceſſarium, quod poſt unctionem factam cum unguento vel oleo in membro dolenti, poſt duas vel tres horas membrum doloroſum unctum iterum ſuaviter exſiccetur, ut res unctuoſæ provenientes ab unguento vel oleo removeantur, ut illud membrum dolens non maneat oppilatum, & materia talis conjuncta non evaporet, & diſſolvi ſenſibiliter vel inſenſibiliter poſſit.

## CAP. XV.

### *De unguentis, gargariſmatis, & certis lotionibus, & quæ ſit natura argenti vivi.*

Habuiſti ſuperius multa emplaſtra, & unctiones, cum quibus hos doloresfortiſſimos curare poteris, præcedente purgatione & digeſtione; ſed quia materia aliquando eſt adeo rebellis, ut narcoticis uti oporteat, & licet multæ & diverſæ compoſitiones unguentorum inventæ ſint ſcriptæ à Rhaſi, ab Avicenna, & ab aliis doctoribus antiquis, & modernis, præcipue à Gordonio & Guidone, quæ curant omnem ſpeciem ſcabiei, & valent ad ſcabiem fœdam & pruritum, in quibus unguentis quaſi omnibus ingreditur argentum vivum extinctum cum ſaliva hominis jejuni, & mirabilem faciunt operationem in hoc morbo mentagræ & ejus accidentibus doloroſis, ego tamen non conſulo uſum unguentorum in quibus ingreditur argentum vivum niſi magna cum cautela fiant, & in debita quantitate cum ſuis bezoardicis, nam nocumentum aliquando juvamento eſt majus. Teſtis eſt Avicenna *lib. 4. fen ſexta tractatu primo ſumma ſecunda cap.* 2. ubi inquit. *Et quandoque perducit ad epilepſiam & apoplexiam, propter læſionem cerebri cum frigore ejus, & commotionem & permutationem ipſius cerebri.* Præterea idem *ſeptima quarti tractatu* 3. *cap. vj. Elonga illud, in quo ingreditur argentum vivum à partibus ſtomachi & membrorum nobilium.* Adminiſtretur ergo cum timore. Diſcordia autem magna eſt de argento vivo inter Doctores. Nam Paulus, Almanſor, & Serapio ipſum ponunt calidum & humidum in quarto gradu. Et Avicenna oppoſitum ponit, ſcilicet quod eſt frigidum & humidum in ſecundo gradu. Et quamvis Platearius in *libro ſimplicium medicinarum in cap. proprio argenti vivi* dicat, quod eſt calidum & ſiccum in quarto gradu. & poſtea dicat: In quibuſdam libris invenitur quod eſt frigidum in quarto, in effectu tamen ejus caliditas eſſe probatur quia diſſolvit, incidit, penetrat. Sed quia valde frigidum, actualiter frigidum dicitur, pro iſta maxima diſcordia inter Doctores ſolennes & veteres difficile verum invenitur. Sed pro vera notitia & declaratione hujus queſtionis, ſi argentum vivum ſit calidum & humidum in quarto, vel frigidum & humidum in ſecundo, dignum eſt notare, quod argentum vivum duplex eſt. quoddam artificiale, quoddam minerale. Artificiale quod fit cum igne, & conficitur ex dictis Doctorum. Minerale autem invenitur in minis metallorum. Artificiale quod fit cum igne eſt ex lapidibus mineræ. ſicut fit aurum & argentum. ut dicit Avicenna. ideo ipſum eſt calidum & ſiccum. quando vero ſublimatur eſt calidius. Eam ob rem dicit Avicenna *ſecundo canone: Argentum vivum*, ſupple artificiale, *ſublimatum ipſum eſt interficiens, propter vehementem inciſionem.* Et de illo argento vivo dixerunt Doctores ſuperius nominati, quod eſt calidum & ſiccum in quarto gradu, per rationes aſſignatas. Verum tamen argentum vivum minerale ſimplex eſt frigidum & humidum. Et ſic bene dixit Avicenna in *ſecundo canone*, quod eſt frigidum & humidum, ut ſuperius fuit probatum. & Princeps allegatus *ſeptima quarti: Et perducit ad epilepſiam.* Probatur etiam ratione ejus frigiditas; quia valde ponderoſum eſt, & ponderoſitas frigiditatem oſtendit, & non caliditatem. Propter diſcordiam ergo & controverſiam inter Doctores de argento vivo, licet eo uti cum cautela & cuſtodia. Præterea ſcire debes, ſi ea quæ ſuperius ſunt à me dicta, fuerint diligenter obſervata, puta quod in primis fit facta digeſtio, poſt evacuatio, diverſio, & membrorum confortatio, præterea regimen circa ſex res non naturales fuerit diligenter obſervatum, & adhuc non fuerit æger à doloribus & puſtulis liberatus, tunc cum cautela licet facere inunctionem cum unguentis inferius deſcriptis, in partibus membrorum, ubi dolor fortiſſimus ſit. Aut ungantur partes domeſticæ brachiorum, crurum. Et per iſtas unctiones fortaſſis removebitur dolor, & tollentur puſtulæ. Et hoc experientia viſum eſt, quia multi paſſi mentagram cum doloribus, unctione unguentorum inferius deſcriptorum ſanati ſunt perfecte, & poſtea nunquam paſſi ſunt mentagram, nec dolores. Et ego credo hujus cauſam fuiſſe paucitatem materiæ antecedentis & conjunctæ, quare calor naturalis revocatus ad interiora membrorum propter unguenti narcotici unctionem fortis factus fuit ad reſolvendum ventoſitatem, & materiam imbibitam, conjunctam in poroſitatibus membrorum nervoſorum, ſi pauca fuerit & apta reſolutioni ſenſibilis vel inſenſibilis. Si vero multa materia ſteterit, non ſequetur juvamentum, immo nocumentum in doloribus, propter clauſionem venarum & pororum nervoſorum, nec tota materia conjuncta reſoluta fuit ſenſibiliter, vel inſenſibiliter. Hac de cauſa redeunt poſt tempus dolores in membris fortiores quam in principio morbi fuerant. Poſſet nunc prudens dicere, ergo malum erit inungere membra cum unguentis narcoticis, vel in quibus ingreditur argentum vivum, quare ergo das conſilium inungi membra cum iſtis unguentis? Reſpondetur ponendo concluſionem talem, dicendo: quod talia unguenta cum argento vivo ſunt adminiſtranda propter hoc, quia tutius eſt in doloribus fortiſſimis, ducentibus infirmum ad deſtructionem virtutum, & præcipue vitalis uſque ad ſyncopem, quam dimittere ægrum mori. Nam ex dolore forti moritur æger. teſtis eſt Avicenna *prima quarti ſen. 4. cap.* 30. Omnis quidem dolor, qui fit fortior, interficit. quoniam ex eo in primis accidit frigiditas corporis, & tremor &c. Quoniam autem eorum, qui curam hujus morbi profitentur, numerus eſt ſatis illaudabilis ac ſubruſticus, ut qui nedum in vera medicinæ ſcientia, ſed & in unctionibus quoque ſuis plurimum aberrent, placuit in his ponderibus juſtis ac fideliori traditione & curantem, & patientem informare, ne quid imperfectionis arti

noſtræ impingatur. Unde quia materia mentagræ aliquando eſt ita rebellis, quod non poteſt per intus ſuſcepta digeri, oportet quod ad extra applicentur, quæ hanc materiam in digerendo juvant, adeo, ut quantumcunque materia ſit digeſtioni inobediens hoc modo digeratur ſcilicet ab extra & intra. Nec de hoc mireris, ſcilicet de applicatione medicinæ ab extra & intra ad digerendum, quoniam Giſpertus in *cura tertianæ compoſitæ* ait. Oportet digerere materiam cum emplaſtris, fomentationibus, unctionibus & hujuſmodi. Talis ergo ſervetur ordo. Primo patiens accipiat medicinam minorativam vel lenitivam. ut puta Recipe *electuarii lenitivi, diacaſſiæ ana drach. vij. confectionis Hamech drach. j. ſ. fiat bolus cum ſaccharo.* Die ſequenti patiens accipiat ſyrupum: ut puta *de fumo terræ, ſtœchados, cum aquis endiviæ, fumi terræ, lupulorum ana quantum pro doſi ſufficit.* Tertia vero die facias inungi, cum unguento inferius ſcripto, omnes partes domeſticas tibiarum, & brachiorum, & plantas pedum, & palmas manuum, parum apponendo de unguento, & hoc quando patiens vadit dormitum. Et de mane etiam accipiat ſuum ſyrupum, ita ut ſexta die ſint accepti ſex ſyrupi, & ſint factæ tres unctiones. Et tunc dabis medicinam ſolutivam, ut humores qui per os expelli deberent ad inferiora divertantur. & ſic nocumentum in ore evitabitur. In diebus autem ſequentibus ſimili modo utaris, fortificando aliqualiter digeſtivum. ut dando ſyrupum de epithymo. Recipe *butyri recentis. unc. j. ſ. axungiæ porci mediæ inter recentem & antiquam lib. ſ. theriacæ ætatis decem annorum. drach. vij. mithridatii. unc. ſ. argenti vivi. drach. vj. lithargyrii. unc. ſ. ſalis. unc. ſ. fiat unguentum in bona forma.* Unguentum aliud. Recipe *axungiæ porci recentis. unc. ſ. terebinthinæ de pino, lithargyrii auri, ceruſſæ ana drach. j. argenti vivi extincti cum ſaliva hominis jejuni. drach. ij. olei roſati perfecti drach. j. olei laurini drach. vj. ſucci acetoſitatis citri quantum ſufficit. fiat unguentum.* Aliud. Recipe *lithargyrii drach. iij. tartari drach. ij. argenti vivi extincti drach. iij. ſ. ſucci chelidoniæ, fumi terræ, ſcabioſæ, lapathi acuti ana drach. j. ceruſſæ lotæ drach. ij. & cum axungia porci antiqua & pauca fœce aceti fortis fiat unguentum.* Aliud. Recipe *terebinthinæ, maſtichis, petrolei ana unc. ſ. olei vulpini. drach. ij. unguenti agrippæ, dialthææ ana unc. ſ. pinguedinis urſi. drach. v. pinguedinis gallinæ drach. ij. reſinæ pini drach. vj. ceruſſæ argenti vivi ana unc. ſ. pinguedinis porci unc. j. ſ. aquæ vitæ drach. vj. fiat unguentum in bona forma.* Ad puſtulas. Recipe *terebinthinæ, & pinguedinis hirci ana unc. j. ceruſſæ, lithargyrii auri, aluminis uſti ana unc. ſ. olei lautini unc. ij. ceræ quantum ſufficit fiat unguentum,* ungatur ubi oportet. Aliud. Recipe *vini albi lib. ſ. olei roſati. drach. iij. terebinthinæ. unc. ſ. lithargyrii auri drach. ij. ſ. ceruſſæ drach. j. ſ. ceræ albæ quantum ſufficit. fiat unguentum molle hoc modo. Bulliant ſingula in vino cum oleo & cera ad conſumptionem vini,* & ungatur ubi oportet. Unguentum pro ſcabie. Recipe *terebinthinæ bene lotæ unc. iij. butyri loti unc. ij. ſalis drach. j. ſucci citrangulorum, vitellorum ovorum ana numero iij. olei roſati unc. i. miſceantur omnia ſimul. fiat unguentum.* Aqua mirabilis in hoc morbo. Recipe *aquæ plantaginis lib. ſ. argenti vivi ſublimati ſcrup. iiij. aluminis crudi unc. ſ. pulverizanda pulverizentur; & miſceantur.* & in iſta aqua intingatur penna, tangantur puſtulæ, in paucis diebus cadent. Alia aqua. Recipe *tartari albi vel rubri, camphoræ, aluminis rochæ, ana unc. ſ. argenti vivi ſublimati drach. j. pulverizentur ſubtiliter, & bulliant in aqua roſata, boraginis, fumi terræ ana unc. ſ. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis.* laventur ubi oportet bona cum cautela & diſcretione. Verum ſi curare poteris cum aliis ingeniis præterquam cum unctionibus & lotionibus, laudo & commendo, nam juvamenta eorum aliquid nocitivi in ſe continent. Et quia ut plurimum contingunt nocumenta oris in dicto morbo, quare gargariſmata ſequuntur. Recipe *roſarum albarum & rubrarum ana man. ſ. chamæmeli, ſalviæ ana manip. j. bulliant in vino, & colentur, cui colaturæ addantur aluminis uſti. drach. ij. diamoronis unc. j. mellis roſati colati unc. ſ. vini granatorum unc. ij. vel loco vini granatorum ponatur aqua, plantaginis, ſolani, ſcabioſæ, vel ſempervivi lavetur* os in die ſæpe. Ad idem. Recipe *aquæ prunellæ lib. j. ſ. diamoronis, rob nucum ana. unc. j. mellis roſati unc. ij. ſ. miſce.*

## CAP. XVI.

*Cur dolores in hominibus patientes mentagram longo tempore durant, & difficulter abſolvuntur.*

In morbo præfato mentagræ quandoque per longum temporis ſpatium dolores membrorum non abſolvuntur, immo magis ac magis cruciant, & infeſtant ipſos patientes, & multotiens in eis ſequuntur tumores in membris dolorofis ad extra apparentes, cum aliquali duritie & pauco ſenſu doloris ad tactum. Qui tumores ſunt de materia conjuncta melancholica, exiſtente in poroſitatibus membrorum nervoſorum. Et ad hanc materiam extrahendam ad extra, vel ipſam reſolvendam ſenſibiliter vel inſenſibiliter, multa diverſarum medicinarum remedia ſuperius ſcripta fuerunt, quæ quandoque non ſufficiunt ad perfectam curam dictorum accidentium, propter id, quod talis materia eſt facta magis terrea, & magis ac magis adhærens in dictis poroſitatibus membrorum nervoſorum, ideoque difficulter curatio ſequitur. Videtur ergo mihi aliud ingenium curationis non inutile, quod valde ipſam materiam conjunctam extrahit ſenſibiliter ab ipſis poroſitatibus membrorum. Sed quia multotiens in ulceribus & apoſtematibus malis, & puſtulis non ſufficiunt prædicta curativa, nec regimen & potio per medicinam, neceſſarium eſt medico uti cauterizatione. Quia cauterizatio eſt medicamen valde utile, juvans ad prohibendum, ne corruptio ſpargatur, & ad confortandum membrum, cujus complexionem volumus rectificare, & ad reſolvendum materias corruptas in membro retentas, & ad reſtringendum ſanguinis fluxum. ut Avicenna *quarta primi cap.* 29. dixit. pro intelligentia tamen dicendorum eſt notandum, quod cauterium reſolvit materias corruptas. Et medicinæ quoque cauſticæ reſolvunt, licet differenter, quia cauterium reſolvit eas ſubito, medicinæ vero cauſticæ paulatim faciunt illud. Ideo quandoque eſt neceſſaria ſubita reſolutio & conſumptio alicujus humiditatis malæ retentæ in membro, ex cujus retentione hæſitatur de membri corruptione, ubi cauterio uti debemus reſolutivo. Cauterium autem reſolvit tales humiditates retentas in membro dupliciter, uno modo occulte, alio modo manifeſte. Occulte quidem, convertendo humiditatem in formam vaporoſam, quam ex membro virtute caliditatis igneæ elevat, & exhalat & manifeſte reſolvit, ſicut ſi ſanies fluat, & evacuetur per aliquod orificium, cujus evacuationis manifeſta cauſa fuit cauterium. Poſſet autem aliquis dubitare, ex quo iſta cauterizatio fieri debet cum igne, vel cum medicina cauſtica, quæ ſit melior & ſecurior? an illa quæ fit cum igne? an illa quæ fit cum medicina? Ad hanc dubitationem dicendum eſt, quod regulariter melior eſt ut in pluribus cauterizatio facta cum igne, quam cum medicinis. Et ratio eſt: nam cauterium cum igne facit juvamentum in membro infirmo, abſque hoc quod noceat ei, & membris aliis quæ ſunt ſana. Cauterium autem cum medicina multotiens efficit magnum nocumentum ipſi membro infirmo & aliis membris ſanis. nam aliquando in eis facit accidere ægritudinem difficilis curationis. Et cauſa hujus tota dependet ex ſubtilitate & ſimplicitate & acuitate ſubſtantiæ ignis. Cujus contrarium efficit medicina cauſtica ex groſſitie & terreſtreitate, & commixtione ſubſtantiæ medicinæ cauſticæ. nam talis medicina ad actum ſuæ operationis paulatim deducitur, & dolorem præſtat tempore longo, quia figitur propter groſſitiem ejus, & in membro ebullitionem inducit in humoribus, & propter dolorem perſeverantem facit humores currere verſus loca propinqua, & ebulliunt & putridi fiunt. & ſi tranſmutantur ad cor, cauſant febrem. Ad ampliorem declarationem ſupradictorum nota, quod cauteria actualia ſunt ſecuriora quam potentialia. ut Albucaſis inquit ex eo, quia actualis ignis eſt ſimplicior, & minus lædit partes vicinas & membra principalia, quam actio ruptorii, quæ membris eſt multum ſuſpecta. Niſi eſſet in caſu, in quo patiens propter ejus puſillanimitatem non eſſet auſus ſuſcipere ignem. aut in caſu in quo vellemus facere cauteria ad evacuandum & divertendum, tunc enim ruptorium propter dolorem & eſcharam groſſam, quam dimittit, debilitando locum majorem provocat fluxum. Et ſecundum Albucaſim, cauteria actualia competunt in omnibus diſpoſitionibus, præcipue humoribus, qui licet non contrarientur per ſe, contrariantur tamen accidentaliter per remotionem cauſæ. Nam cauterium eſt neceſſarium auxilium in confortando ſanitatem, & exſtirpando ægritudinem, tenet enim locum univerſalium evacuationum, ut phlebotomiæ & purgationum in hominibus, & cum hoc reliquias prædictarum evacuationum corrigit & emendat maxime in ægritudinibus fortibus & malignis. ut Rabbi Moyſes. vj. *epidem.* dixit. Et latere te non debet, quod univerſales evacuationes cauterium actuale vel potentiale præcedere debent. ut phlebotomia, vel pharmacia, prout prudenti videbitur medico. Præterea attentione dignum eſt pro curatione & vera remotione doloris accidentis in hoc morbo mentagræ aliquas utilitates cauteriorum notare. Primam ponit Avicenna ad confortationem membrorum; calefacit enim cauterium actuale, & deſiccat membra quæ ut plurimum

*Cauteria utilitas.*

à frigido & humido humectantur. Propter hoc dicebat Hippocrates auctoritate Galeni *quarto therapeuticæ : Siccum ſano eſt propinquius.* Alia utilitas eſt ſecundum Doctores, ad reſolvendum materias coarctatas in membris. Et iſtam præcepit Albucaſis, quod fiat in guttis, & in cephalæis, & in fortibus doloribus. Alia utilitas, quam appropriat Arnoldus ad evacuandum & divertendum fluxus inveteratos oculorum, & totius corporis. Et iſto modo fiunt ſetones, & cauteria retro collum, & in fontanellis lacertorum, ubi lacertus à lacerto diſtinguitur, aut ſub eis ad duos vel tres digitos junctura rum. ut ſcripſit Guido. Concludo ergo, quod iſtæ utilitates ſunt neceſſariæ ad curationem morbi mentagræ, & in accidentibus dolorolis. Nam propter cauterium, præcipue actuale, confortatur membrum, & reſolvuntur humiditates coarctatæ in membris ſenſibiliter vel inſenſibiliter, & divertuntur & evacuantur fluxus inveterati in membris. Veruntamen cum cauteriis dictis in extremitatibus membrorum doloroſorum adminiſtratis ut decet, fit mitigatio doloris, ejuſque curatio. Et hoc ſæpe experientia demonſtratum fuit. nam in quibus puſtulæ magnæ expulſæ fuerunt à natura in extremitatibus membrorum doloroſorum exiſtentes apertæ, dantes virulentiam multam, fuerunt in cauſa curationis iſtorum dolorum. Si vero claudatur effuſio illius virulentiæ, redit dolor. Quare oportet ipſas puſtulas, ſi in extremitatibus membrorum fuerint, diu apertas tenere, ut fluant per multum tempus, uſque quo tota materia conjuncta evaneſcat. Sicut à me viſum fuit in pluribus hominibus Romæ, & Bononiæ, & etiam in Germania, patientibus hunc morbum cum doloribus. propterea ſi natura hoc non fecerit, medicus juvare naturam debet. Nam ſi dolor eſt in ſummitate capitis, & in partibus anteriorib's, ut fronte & oculis, in poſterioribus partibus capitis adminiſtrentur cauteria actualia, vel potentialia retro collum in foſſa, ad divertendum illas materias coarctatas ſuperiorum partium capitis. Innuunt tamen gloſſatores, qui viderunt, quendam medicum maxime approbatum, cauteria ibi facta, & longo tempore dimiſſa aperta curare maniacos & vertiginoſos. ut dicit Guido. Et confirmat hoc per Galenum xiii. *therapeuticæ* dicentem, quod ventoſa ſuper occipitium facta nobile eſt auxilium rheumatis oculorum. quanto magis cauterium. Concluditur igitur, quod in doloribus mentagræ & partium capitis conveniens auxilium cauterium dicitur. Quod ſi dolor fuerit in membris facici & partium colli, & in membris thoracis ſub furcula, vel ſub axillis fiat cauterium vel in brachiis per tres digitos de junctura, ubi lacertus à lacerto diſtinguitur. Si autem dolor fuerit perſeverans in inguinibus & coxis & genibus & tibiis, fiant cauteria in fontanellis ſub genu ad tres digitos ubi lacertus à lacerto diſtinguitur. Sed melius eſt facere in fontanellis inferioribus partium tibiarum, ubi lacertus à lacerto diſtinguitur. Si vero dolores in omnibus partibus ſuperiorum membrorum & inferiorum corporis per diuturnum temporis ſpatium morbi apparuerint, tunc cauteria fieri poterunt in foſſa colli, & fontanellis brachiorum, etiamque in genu, vel fontanellis tibiarum. Veruntamen quæ & cum quibus ſecurius fiant cauteria, & de modo applicandi, atque alia neceſſaria relinquimus judicio æſtimativo medici prudentis.

FINIS.

# CORADINI GILINI,

*Artium, & Medicinæ Doctoris,*

DE

# MORBO GALLICO,

## Ad Illuſtriſſimum Ducem SIGISMUNDUM ESTENSEM,

## OPUSCULUM.

Cum anno elapſo 1469. morbus quidam fæviſſimus mortales quam plurimos invaſerit tam in Italia quam etiam ultra montes, hunc Itali morbum Gallicum appellant, eum Gallos in Italiam apportaſſe aſſerentes; Galli vero Italicum, ſeu Neapolitanum morbum nominant, eo quod in Italia & maxime Neapoli, ſe hac truculenta peſte affectos eſſe dicant, vel quia iſte morbus tempore tranſitus Gallorum citra montes in Italia viſus eſt. Et quia hic morbus apud modernos incognitus eſt, variæque de eo diſceptationes inter phyſicos habitæ fuerunt & habentur, decrevi aliquid de eo pro exiguis ingenioli mei viribus ſcribere, quàm breviſſime potero. Quatuor itaque ſunt videnda, primo hujus tabis cauſa: ſecundo ejus eſſentia: tertio prævifio: quarto cura: cauſæ itaque poſſunt reduci ad eaſdem, ad quas reducuntur cauſæ peſtilentiæ, inferiores videlicet & ſuperiores quaſdam: de ſuperioribus licet ad aſtrologos res ſpectet, paucas tamen à doctoribus noſtris etiam adductas enarrabimus, cum inferiora à ſuperioribus gubernentur. conjunctio enim Saturni & Martis fuit 16. Januarii 1496. circa meridiem, quæ ſignificabat corporum humanorum mortalitates. Conjunctio Jovis & Martis fuit die 17. Novemb. 1494. in ſigno calido & humido, vapores à terra & aqua elevando, quas Mars calidus & ſiccus inflammat & ignit, quibus poſtea aër immutatur & corrumpitur, humoreſque corruptos & aduſtos generans h rum ægritudinum cauſa eſt. Et alia quamplura ex formis cœleſtibus, facientia illud eſſe neceſſarium ut placuit Avicennæ *libro quarto fen prima tractatu quarto, cap. de cauſis febrium peſtilentialium*, adventus cujus cauſæ à medico ignorantur, in quantum medicis, & etiam forte aſtrologis ignotæ ſunt, ut ait Iſaac, quæ innumerabiles ſunt, quarum effectus ab omni vivente ignoratur, quam cauſam ad Deum ſi n mum referunt. Et ut voluit Galenus *primo prognoſticorum*, eſt quoddam cœleſte ſidus ſuper illud Hippocratis, videtur quod de melioribus rebus eſt, ut utatur medicus prævifione, invenimus etiam philoſophos dicentes multotiens, currit regimen ejus cum uiu bonitatis, quæ eſt creator benedictus, & ſublimis, in quo eſt prævifio. Unde Avenzoar, accidit etiam epidemia, quando mandat Deus ipſam eſſe. Nam ſublimis creator quandoque iratus populo ſuo propter eorum peccata quamplures mittit morbos. Unde Avicenna xi. *metaphyſice*, attende diſpoſitionem omnium iſtorum eventuum, & crede quod dicitur de divinis flagellis, quæ deſcendunt ſuper flagitioſos, & ſuper homines injurioſos. videmus etiam ſummum creatorem hoc tempore nobis iratum ob nefanda ſcelera noſtra nos vexare cum morbo hoc truculentiſſimo, quod jam non per Italiam, ſed etiam per omnem pene chriſtianam religionem viget. Ubique tubarum clangor ſonat. armorum ubique ſtrepitus auditur. ubique bombardæ inſtrumenta bellorum conficiuntur, & loco ſaxorum ſphæricorum ferrea remanent, & hoc tempore inaudita fabricant. Turcæ in Italiam vocantur, quot jam incendia, quot deprædationes, quot miſerorum mortalium ſtrages jam vidimus, quot & quantas viſuri ſumus, utinam mentiar: Dicamus ergo cum propheta *Pſalmo.* vi. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias nos.* Hanc ergo fæviſſimæ hujus peſtis cauſam eſſe exiſtimo, ſed de his ſatis. Cauſas autem inferiores, quia ſunt eædem, quæ peſtem, alopeciam, lepram, ſcabiem, cæteraſque puſtulas generant, cum ſint à majoribus noſtris pertractatæ, reticeo. de iſtius autem morbi eſſentia dico morbum ſub capitulo ignis Perſici poni poſſe, quod probatur primo auctoritate Galen. 14. *de ſanitatis ingenio capitulo ſeptimo*, dum dicit, *eſt præterea alia paſſio naſcens ex materia groſſa & calidiſſima.* In principio quædam oriuntur puſtulæ, & aliquando fit ſine puſtulis, ægre cum putorem ſentit, cum locum ſcalpit, puſtulæ fiunt in eo, quæ poſtea ruptæ vulnus efficiunt, ex quibus cortices veluti ab igne generantur, & aliquando ſunt ſicut milium, altera alteri appropinquat. Item per Prin-

cipem Avicennam *libro quarto fen tertia capitulo de igne Perſico*. Et quandoque abſolvitur nomen ignis Perſici de illis, ſuper quod eſt illic puſtula de genere formicæ comeſtivæ, adurens, veſicans, in qua eſt aliquid ambulans, & humiditas eſt cholericæ materiei, & paucæ nigredinis, paucæ putrefactionis, & eſt cum puſtulis plurimis alterativis, & illic eſt humor & fœtor plurimæ ebullitionis. Hic etiam poteſt adduci textus Cornelii Celſi *capitulo de igne Perſico* ſive *ſacro igne*, ac ſæpe id, quod ſanum eſt, exulceratur: nec obſtat, quod aliqui dicunt, quod ſit elephantia, quia elephantia incipit in facie, ut Plinius *lib.* XXVI. *cap. de elephantia* dicit, quod ipſa à facie ſæpius incipit in nare prima veluti lenticula, mox invaleſcit per totum corpus maculoſa variis coloribus, & inæquali cute, alibi craſſa, tenui, alibi dura, & de aliis ut in elephantia: præterea totum corpus afficitur, ita ut oſſa vitiari dicantur: ſumma pars corporis ſcrabroſos tumores habet, in atrum colorem convertitur ſumma cutis, inæqualis craſſa, tenuis, dura, mollisque, corpus macreſcit, os ſuræ, pedes, intumeſcunt, febricula oritur, ut patet per Cornelium Celſum *lib. quarto capitulo de elephantia*, quæ in hac ægritudine minime contingunt: quinimo videtur quod elephantia & lepra ſint idem ex ſignis poſitis à doctoribus prællegatis, & ab Avicenna *libro quarto fen tertia tractatu tertio de lepra*. Quando incipit lepra, incipit color fieri rubeus tendens ad nigredinem, & fortaſſe fit in naribus ſtrictura: Conſtantinus præterea in *ſuo viatico*, *capitulo de lepra* dicit ipſam eſſe quartanam vel de corruptione ſanguinis, & vocatur alopecia, alia de cholera rubea & leonina, & alia de cholera nigra & dicitur elephantia quarta de phlegmate, ibi enim oſtenditur, lepram & elephantiam quoad eſſentiam morbi eſſe idem, licet ex diverſis ſint humoribus aduſtis: quod etiam lepra & elephantia ſint idem, probatur ſecunda Levitici. Ubi locutus eſt Deus ad Moiſem & Aaron, ubi cum videris ipſam ſpeciem lepræ humiliorem cute, & carne, & reliqua, quæ ſumuntur à Plinio & Cornelio Celſo locis prællegatis, quæ omnia patent. Item patet alia auctoritate in nocturno beati Silveſtr. papæ, qui Conſtantinum imperatorem à lepra ſive elephantia lavacro baptiſmatis mundavit, qui lavacro ſanguinis humani mundari volebat, quibus medicinis Plinii tempore in elephantia medici utebantur. Sed circa iſtum morbum Gallicum tria ſunt conſideranda, primo circa puſtulas, ſecundo circa dolores junctur arum, tertio quare in membris pudibundis incipit, ut in teſticulis, in ano, vulva, & membro virili, ſive veretro.

Circa primum & ſecundum dico, quod cum iſte morbus ſeu paſſio Gallica fit ex cholera aduſta, permiſta melancholiæ pervenit ad cutim, quam aliquando ulcerat, veſicat, & cruſtam facit, ſicut cauterium, & aliquando ſicut granum milii, ſic illa, quæ ſubtilior exiſtit atque calidior, citius reſolvitur, aut citius putreſcit, necnon citius reſpirat, & quam invenit cutim duram, ſic ulcerat, veſicat, ac cruſtam facit, quia cum aliqua materia calida & ſubtilis in calido non denſo membro figitur, citius aduritur. Cum ergo iſta cholera aduſta ſubtilis in carne exiſtit, citius reſolvitur, vel citius ad cutim reſpirat, & poſtea puſtulat, ulcerat, veſicat, atque cruſtam facit, & hoc propter membri raritatem, quæ autem fit in nervis & ligamentis, ſive juncturis, eſt materia groſſa, & membrum denſum, quia nervi ſunt frigidæ & ſiccæ complexionis & non ita reſolvitur, nec ad cutim pervenit, nec puſtulas generat, nec ullo modo ulcerat, dolores in ligamentis nervis & juncturis cauſantur, & hoc patet per Galenum in 14. *de ingenio ſanitatis*, *capitulo de igne Perſico*, circa illam particulam dum dicit. Et hæc paſſio aliquando fit ſine puſtulis, confirmatur auctoritate Principis Avicennæ loco prællegato, *capitulo de igne Perſico in fine capituli*. Et quod ex eis accidit in carne eſt velocioris reſolutionis. Et quod ex eis accidit in nervis, eſt fixius, & eſt difficilioris reſolutionis. Tertio conſiderandum, quare aliquando incipit iſte morbus in membris pudibundis, vel raris, ſicut in teſticulis, vel vulva, & in membro virili, ſive veretro & ano, ſicut ſunt puſtulæ, & ulcera: ad hoc dicendum, ſicut dicit Galenus *libro* 14. *de ingenio ſanitatis capitulo de cancro*, dum dicit. *Cancer fit à fæce ſanguinis magis, ſicut fæx vini, & olei, cum autem materia fit magis groſſa & magis aduſta, citius pervenit ad membra rara & mollia quam ad dura, & ideo multotiens incipit in illis membris raris*, & patet per Principem Avicennam *libro quarto, fen tertia, capitulo de cancro, differentia ſexta*. Nam ipſe Princeps ponendo differentiam inter cancrum & ſephiros, dicit quod cancer magis accidit in membris raris ſicut teſticulis, vulva, & ano & labils, dum dicit, & plurimum quidem cancer accidit in membris raris, & illud in mollioribus: ergo ſic dico, quod hæc ægritudo, ſive paſſio Gallica, ſit in diverſis membris ſecundum diverſitatem aduſtionis, & multotiens hæc paſſio conjungitur cum formica, ut ait Princeps Avicenna loco prællegato de *igne Perſico*, quod non ceſſat facere corroſionem poſt corroſionem. De præſervatione, dico breviter, quod ea quæ præſervant ab ægritudinibus prænominatis, & ab hac præſervant, invocato prius Divino auxilio, juxta dictum Moyſis, cum dixit: *quare domine iraſceris populo tuo, parce iræ animæ tuæ*: quia à doctiſſimis hæc tradita ſunt. Ideo ſimul cum ejus cura recurrendum eſſe cenſeo. Unum tamen inter cætera dico, morbum hunc contagioſum eſſe: unde iterum atque iterum moneo, ne cum mulieribus hac pernicioſa ægritudine laborantibus, aut eæ cum viris hac ægritudine infectis ſe commiſerint aliquo pacto, quia vidi multos hac de cauſa infectos, cruciatus maximos paſſos fuiſſe. Hæc tamen pauca ſcribere volui ut oſtenderem, doctores medicinæ hanc ægritudinem minime prætermiſiſſe, eamque ab eiſdem capitulatam fuiſſe ad laudem omnipotentis Dei, & forſitan curam narrabo: advertant hi, qui confidunt in iſtis imperitis ut barbitonſoribus, ſutoribus, ac cerdonibus, & maxime viatoribus, qui noſtrarum carnium ſunt carnifices, ut Rhaſis *libro ſeptimo ad Almanſorem capitulo ultimo de deceptorum fraudibus* ait, dum loquitur: *deceptorum fraudes tot ſunt, quot hic liber noſter totus eas capere non poteſt*: ac etiam hoc aſſerit Albucaſis *capitulo de abſtractione lapidis de veſica*, per hæc verba, *viatores nil curant de honore niſi de lucro, ut patet in abſtractione lapidis de veſica, quia proprie ſunt carnifices, & hominum monumenta exiſtunt*. Nec humorem, facientem morbum, evacuant. Sed ſolum cum localibus has paſſiones curare volunt, ut ait Princeps Avicenna in pluribus locis, *libro quarto, fen quinta*, & maxime *capitulo de apoſtematibus glandoſis, non tangas membrum cum particularibus, niſi prius factis univerſalibus*. & Galenus in pluribus locis, *& propter particularia non obliviſcaris univerſalia*. Idem dicit Princeps Avicenna loco prællegato *libro quarto, fen tertia, capitulo de formica*. Cum non incipis cum evacuatione humoris ſecundum quod oportet. Imo medicaris ulcus cum eo quod ſanat, redit ex loco alio cum nocumento, & ex loco ipſo non ceſſat humor facere corroſionem poſt corroſionem. Circa curam hujus ægritudinis, pauca pro tempore dicemus, quæ tribus completur inſtrumentis, ut ait Princeps Avicenna *quarta primi in principio*, dum dicit, *dicemus quod ars medicationis ex una trium rerum completur*.

Circa primum inſtrumentum dico, quod hunc morbum patientes penes regimen & nutritiva primo ſint intenti circa ea quæ penes ſex res non naturales attenduntur, & primo circa aërem, unde habitent in locis nec multum calidis nec multum frigidis, propter duo, & primo propter puſtulas, quia cum ſint ex aduſtione, calidum eas calefaciendo nocet, ſimiliter eis frigus nocet, ut Hip. placuit 5. *aphor.* ibi ulceribus frigidum mordax cutim indurat, dolorem inducit, & ulcera ſine ſanie facit. ſecundo propter dolorem junctur arum & nervorum, ut in particula prællegata frigidum inimicum nervis, oſſibus, & dentibus, & aquæ claræ ex fluminibus fluentibus ſunt bonæ, cibos generantes humores groſſos & viſcoſos vitare debent, & maxime melancholicos: ſimiliter ſalſa, aromata, acetum, & allia, cæpe, porra, & ſimilia, & breviter omnia exſiccantia, vinum dulce, & maxime nigrum potens, carnes magnorum animalium, & ſimiliter avium degentium in locis aquaticis: comedant carnes vitulinas, hœdinas, agninas, & quandoque porcorum juvenum, non ſalitorum, caſtratorum: carnes pullorum, phaſianorum, perdicum, turdorum, coturnicum, & omnium avium degentium in pratis & arboribus: de piſcibus comedant piſces fluminum petroſorum, aut arenoſorum, & maxime parvos, aliquando & auratæ non negantur, legumina groſſa ſunt vitanda, farrum, riſum, panicum, milium, ac hordeum comedere poſſunt: de oleribus blitum, ſpinachia, atriplex, borrago, endivia, lactuca, acetoſa, portulaca, rapa, & ſimilia lædere non videntur: de fructibus vero non vitupero melones bonos, moderate tantum ſumtos, uvas maxime albas, bene maturas, poma, pyra, nec etiam multum vitupero ficus, tamen non laudo propter eorum caliditatem: panem de frumento fermentatum, & non multum ſalitum: vina alba, rubra clara, & ſubtilia, ſunt optima: dormire de die, non eſt bonum, ubi maxime dormierit in nocte per ſex vel ſeptem horas: coitus multum nocet niſi in bonis complexionibus, juvenibus, & aſſuetis aliquando, & parum, non ita nocuus eſt: accidentia animæ ſicut ira, triſtitia, ſunt mala: exercitium parum ante cibum tamen moderate convenit.

Circa ſecundum inſtrumentum dico, quod phlebotomia in principio ex communi vena in corpore tamen multum plethorico, & præcipue in mulieribus ex ſaphena, dummodo ætas, & complexio conſentiant, quæ non ſit multum copioſa: etiam in hoc multum advertant medici, quia ex copioſa phlebotomia vidi multos deterius ſe habuiſſe, ſicut etiam contingit in lepra, quæ ſi videbitur, poterit iterari, aut ex communi, aut ex baſilica dextri lateris,

teris: inde hæc infraſcripta medicina potetur. Recipe *floris caſſiæ drach. v. confectionis hamech. drach. iij. cum decoctione fructuum, aut infuſione ſenæ, unc. iij.* & ſi non poſſet accipere medicinam ſupraſcriptam, accipiat loco dictæ medicinæ has pillulas. videlicet. Recipe *pillularum aggregativarum, de fumo terræ ana drach. ſ. fiant p. v ij.* & plus & minus, ut medico videbitur: poſtea exhibeatur talis ſyrupus. Recipe *ſyrupi violati, de fumo terræ, de epithymo ana unc. ſ. aquæ endiviæ, fumi terræ, bugloſſæ ana unc. j. miſce:* deinde vel potetur eadem medicina, vel ſumat has pillulas. Recipe *pillularum de fumo terræ, Indarum, de lapide lazuli ana ſcrup. j. fiant pillulæ vij.* conditionibus obſervatis. & ſi dolores junctarurum infeſtant, addantur *pillulæ de hermodactylis, vel fœtidæ iij.* quantitate prout perito videbitur, & ſic ſæpe ſumat duas vel tres ex dictis pillulis.

Deveniendo ad tertium inſtrumentum dico quod factis purgationibus ingredi balneum mediocriter calidum in mane ante cibum, per ſpatium unius tertii horæ, manere intus, deinde corpore bene exſiccato ingredi lectum calefactum, & aliquantulum morari, eſſet valde utile, & hoc totiens quotiens peritis videbitur, hoc enim confert ad humectandum & reſolvendum: pro balneo. Recipe *malvarum, radicum althææ, matrum violarum ana man. j. fumi terræ, florum chamæmeli, meliloti, roſarum ana manip. ſ. bulliant in ſufficienti quantitate aquæ.* Deinde ad unctiones ſeu unguenta devenio, & primo ad junctarum vel nervorum dolores, prius factis purgationibus, necnon evacuationibus ad loca doloroſa cum unguento infraſcripto oportet ungere, videlicet in mane in aurora, & in veſpere poſt cibum per duas horas, per octo dies vel decem, & bene cooperiatur infirmus, ut ſudet, & maneat in lecto donec ungatur. Recipe *argenti ſublimati, ſulphuris, tartari, ana unc. ſ. maſtichis, ſarcocollæ, olibani, iridis, ana unc. j. unguenti martiati, axungiæ porcinæ, butyri, ana unc. j. ſ. terebinthinæ parum lotæ cum vino albo unc. ij. olei laurini unc. iij. cum panco ceræ fiat linimentum.*

A Demum ad ulcera ſeu puſtulas devenio & cum infraſcripto unguento illas ad ſolem vel ignem ungere oportet, ut magis unguentum penetret: Recipe *radicum enulæ lib. ij. fumi terræ, manip. ſ. bulliant in lib. una olei communis, poſtea exprimantur & colentur, & ſervetur colatura.* Recipe *myrrhæ, thuris, ſarcocollæ, iridis ana unc. ſ. ſulphuris, tartari, ana drach. ij. olei ſupraſcripti quantum ſufficit ut fiat linimentum.* Et ſi ulcera vel puſtulæ non curantur, ad fortiora devenire neceſſarium eſt, ut aſſerit Princeps Avicenna *ſeu quarta, quarti canonis, capitulo de medicinis facientibus naſci carnem*, dum dicit. *Et adminiſtrentur in principio quæ ſunt debiliora, & propter duo, aut aduſtionem materiæ aut propter corporis ſiccitatem, quia corpora ſicca majori ſiccitate indigent quam humida*, ut Princeps Avicenna loco, & capitulo prælegato ait, *Omne exſiccativum cujus ſiccitas eſt minor ſiccitate corporis, non facit naſci carnem in corporibus, ſi non pertranſit æqualitatem corporis in ſiccitate.*

B Recipe *ſublimati, thuris, lithargyrii, tartari ana unc. j. argenti vivi, maſtichis, ſarcocollæ, iridis, ſeminis plantaginis ana unc. ij. axungiæ porcinæ, butyri ana unc. iij. ſulphuris, ceruſſæ ana unc. iiij. olei communis quantum ſufficit. fiat linimentum cum pauca cera.* Et accipe iſtorum unguentorum partes æquales, vel cum iſto ultimo ſolum, ſecundum quod infirmus tolerare poteſt, & dolorem infert, & unge unica vice cum unguento, alia cum butyro, ut eſcharæ eleventur.

Ultimo vero cauterium actuale, vel potentiale ſuper commiſſura coronali maximum fert juvamentum, cum maxime illius materia pro magna parte à capite decidat: & hoc in pluribus expertus ſum, hanc ægritudinem in gula patientibus, & omnes curati ſunt, ad laudem Dei omnipotentis, qui omnium inferiorum, & ſuperiorum cauſa exiſtit

FINIS.

# LAURENTII PHRISII
## DE
# MORBO GALLICO
## OPUSCULUM.

### CAP. I.

*De ortu & nomine morbi Gallici.*

Anno Chriſti ſalvatoris noſtri MCCCCXCVI. efferbuit quidam morbus atrociſſimus, irruens in homines ſævo morſu ulcerum, glandularum, & duriſſimorum dolorum, adeo notabili cruciatu, quod ſinguli videntes obſtupuere. Nam incognitus & inviſus erat iſte peſtifer morbus, non tantum vulgo, verum etiam doctis & in ſacra medicina eruditis. Ingruit & tam mira tumultuatio in plebe, quod leproſi nolebant habitare cum hoc morbo infectis. pauperes hoc malo laborantes expellebantur ab hominum converſatione, tanquam purulentum cadaver derelicti à medicis (qui ſe nolebant intromittere in curam, tam ſpeculando & conſulendo, quam viſitando) habitabant in arvis & ſylvis. Quum igitur homines in tantum diſcederent ab illis miſeris, attamen ſublimis & glorioſus nolens derelinquere illos, quos ſuo pretioſo ſanguine, diraque morte redemit, miſit ex Gallia & Neapoli nonnullos empiricos vel medicos, qui potius temeraria audacia, quam induſtria cœperunt curare homines hoc malo laborantes. Aſpera tamen & perverſa erat eorum cura, ut apparet adhuc in illis qui tunc curati ſunt, quibus ſecundus error priori pejor accidit. Nam prius puſtulis & parvo dolore erant infeſtati, nunc vero nodoſis tuberoſitatibus circa juncturas, fœdis ulceribus & vigilantiſſimis doloribus. cœpit autem ille peſtifer morbus nominari Gallicus, vel Frantzigenus, ab aliquibus Neapolitanus, eo quod primum ad nos veniſſent morbus & medici ex partibus præallegatis. Potuiſſet & rationabiliter nomen accepiſſe, Epidemialis & peſtis, quia, ſecundum Conſtantinum, ille morbus nuncupatur epidemialis, qui ſubito & uno tempore ſimul multis ingruit hominibus, ut vitium eſt de morbo illo in variis climatibus. Sed quia C de nominibus apud medicos non oritur contentio, ea propter hæc ſatis de nomine.

### CAP. II.

*De ſignis hujus morbi.*

Quoniam autem medicus nihil poteſt perficere in cura alicujus morbi, niſi prius morbum agnoſcat, quia in quantum medicus fallitur in morbi cognitione & ejus cauſa, in tantum etiam fallitur in ejus curatione, ut ait Galenus *ad Glauconem.* Quapropter per ſigna aliqua in cognitionem morbi & ejus cauſas oportet devenire, ut aſſerit communis turba medicorum. Et Galenus *ſecundo techni.* Signorum igitur hujus morbi quædam ſunt demonſtrativa præſentis ſcilicet infectionis, quædam rememorativa præteritæ, & prognoſtica futuræ. Signa quidem hujus morbi demonſtrativa ſunt hæc, puſtulæ cruſtoſæ, D latæ aut longæ, quæ de facili exſiccantur & cadunt ex carne concavæ ad modum cupularum glandium, & cum ceciderunt, remanet quædam glandula elevata ſupra cutem. Aliquæ illarum creſcunt in longitudine, & ſunt pyramidalis figuræ, emittentes ſaniem ad modum olei nucum. Efficaciſſimum quidem ſignum, ſi cum illis aliquid apparuerit circa pudibunda. Item aliquæ extendunt ſe in latum cutis, corrodentes, & urentes, tanquam euphorbium vel arſenicum, & illæ peſſimæ ſunt. Signa vero rememorativa ſunt hæc, dolor intenſiſſimus in juncturis, in capite, in focilibus brachiorum, & pedum, cum duritie & tumore ſæviſſimus, dolor eſt deambulativus, mordicativus, pungitivus. Et cum tetigeris illam duritiem, ſentitur caliditas, & ſudoris ſubtilis irroratio. Iterum cum reſolvitur ille dolor, franguntur nodi, & effluit virulenta ſanies, ex quibus proveniunt maligna ulcera, multum infeſtantia. Efficax quoque ſignum eſt, cum vides ſanguinem alicujus per phlebotomiam extractum congelari, &

in colorem lividum seu cineritium converti. Signa autem prognostica sunt duplicia, quia aliqua præaugurantur hanc ægritudinem futuram, quædam vero salvam aut non salvam. De primis autem sunt dolor capitis, & membrorum, alteratio coloris faciei, pupillarum tumor, pigritia mentis, gravitas incessus, sudor fœtidus de nocte, & præcipue in aurora. Excitatio post primum somnum, punctio cutis, ut pulicum mordicationes, & in pectine circa femora notabilis aggravatio. Et certiora sunt hæc signa, si cum eis maneat appetitus comedendi & bibendi, quia communiter hoc morbo laborantes, fortem habent appetitum, cujus causam ego assigno, quod aliqua portio frigidorum humorum defluat ad orificium stomachi. Manifestum namque est ex dictis Galeni *secunda techni*, quod frigidum appetit, calidum digerit, quamvis aliqui in principio hujus morbi, minus quam in aliis temporibus fortem habent appetitum, quoniam multa materia phlegmatis salsi & choleræ adustæ sunt imbibitæ in villis stomachi. Quantum ad secunda signa prognostica scire debes, quod si pustulæ fuerint velocis apertionis, exitus & maturationis, causa est, quia natura est fortis, & non debilitata in expellendo nocuum. Naturæ enim forti nil est impossibile, educit enim saniem per medium ossis, ut princeps Galenus dixit. Similiter & si non affuerint mala accidentia, (anhelitus videlicet diminutio, & dolor nimis intensus) & si cito conferunt, solita conferre, de quibus tibi ratio & experimentum præstant fiduciam (quoniam ut sonat dictum Galeni, consueta juvare suo tempore, si non juvant, eorum significatio protenditur in malum) etiam si pustulæ exierint suaviter, absque ulla coarctatione & angustia, tunc vere judicabis morbum salvum & cito fore curabilem. Sin vero signa illis contra apparuerint, videlicet quod pustulæ tardæ essent in exitu ad corporis peripheriam, & cum accidentibus terrificis, syncope, anhelitusque constrictione exierint, parumque contulerint medicinæ approbatæ, certe ille morbus vix aut nunquam curabitur, quia enim verus medicus, id est, natura est debilis, ideo minister nil proficit. Sonat namque Veteris sententia. Est quidem naturæ curare, non medici, medici vero dignius est opus naturæ porrigere. Et illud similiter tetigit princeps. 4. *can. fen prima, de cura putridarum in generali* cum dicit: *Curans sicut sciviſti, est natura non medicus, medicus autem facit pervenire instrumenta ad virtutem.* Simile etiam verbum ponit Corn. Celsus in *tertio libro. Natura repugnante medicus nihil perficit.* Ergo facile jam ex dictis potes hunc morbum, non tantum cognoscere, verum etiam salvum vel non salvum dijudicare.

## CAP. III.

### *De causa morbi hujus.*

Unicuique curam hujus morbi perfecte scire volenti, causam ipsius investigare opportunum esse videtur. Quia ut testatur Aristot. *posteriorum primo*, *Scire nihil aliud est, quam rerum causas cognoscere.* Et *phys. primo* cum dicit. *Tunc enim arbitramur unumquodque scire, cum causas ejus &c.* Ex quibus facile elicitur, quod causæ adeptio est perfectio intellectus, ut idem philosophus asserit in *proœmio Metaphysices.* Patet igitur considerati ex dictis, quod cura morbi difficilis est, ignota ejus causa, juxta illud Galeni in *tertio techni* cum dixit. *Facta vero ægritudo curabitur, dispositione, à qua principaliter, quæ secundum naturam est, operatio læditur, ablata, quam & ipsam dicimus causam* &c. Dimissis præterea variis causarum considerationibus, secundum quod distinguuntur penes materiam & formam, ex quibus vel ad quæ sequitur aliquid secundum naturam, ut Philosophus *primo & secundo phys.* explicavit. Triplicem hujus morbi, de quo nunc versatur nostra intentio, causam ponimus, primam videlicet primitivam, secundam antecedentem, & tertiam conjunctam. Quantum ad primam causam te scire non pigeat, quod causæ primitivæ sunt res, quæ requiruntur ad nostri corporis constitutionem, & producunt morbum aliquando sine medio, aliquando cum medio, & tales procedunt ut plurimum ex sex rebus non naturalibus aëre, cibo, & potu, motu & quiete, somno & vigilia, repletione & inanitione. Et animæ accidentibus, ut ira, timore, gaudio, & tristitia &c. Et ex illis causam hujus ægritudinis rationabiliter æstimavere sapientes, aëris mutationem fuisse, ex planetarum notabilissimis constellationibus, ut ex subsequentibus intuenti facile patebit. Antecedentes vero causæ sunt illæ, quæ pertinent ad nostri corporis constitutionem producentes tamen morbum semper cum medio. Et tales in hoc morbo sunt humores dispositi ad corruptionem adustionis, & earundem asperitatem, ut puta phlegma salsum, cholera adusta &c. Simplices vel compositæ. Dixi dispositæ, quia secundum Arist. *secundo de anima*, & viiij. *phys.* etiam secundum Galenum *primo de interioribus*, nullum agens inducit effectum aliquem nisi ex dispositione passi. De causis autem conjunctivis dicitur, quod sint res pertinentes ad nostri corporis constitutionem, producentes quoque morbum sine medio. Tales vero in illo morbo sunt mala ægritudo composita ex mala complexione frigida & humida cerebri, propter quam multæ materiæ frigidæ & humidæ materiales descendunt ad nervos, junctiuras, musculos, & porositates membrorum. Quæ ex mala complexione calida & sicca aduruntur, & sic eorum una pars phlegmatis scilicet salsa, acuta & aspera efficitur: altera vero adusta terrea, grossa, & melancholica, ad lepræ vel cancri similitudinem. Revertar ergo nunc ad primitivam hujus mali causam, determinando eam, ut dixi ex planetarum sive stellarum impressione. Ad cujus evidentiam scire debes, quod in anno Christi millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, fuerunt nonnullæ planetarum congressiones, die videlicet xv. mensis Octobris, hora secunda post meridiem. Ut autem clarius intelligas, scito tempore præfato, Jovem, Martem, Solem, & Mercurium, simul coisse in Libra, in octava domo, quæ ægritudinis est significativa. Fuit quoque humanæ naturæ amicus Jupiter combustus. Ex quibus facillime quis judicare potuit, ægritudinem ex sanguinis corruptione, & humorum adustione, humano generi eventuram. Dico humano generi, quia illæ conjunctiones in signo humano fuere, videlicet in Libra. Et hæc omnia testatur Hali Abenragel *octava parte sua completa*, cum cæteris in astrologia philosophantibus. Præterea advertendum est, furiosum fuisse hunc annum; quia prima die Novembris, corroboratæ sunt illæ impressiones, conjunctionibus scilicet Martis & Veneris, Jovis & Veneris, in domo ægritudinis præfata. Luna quoque duas passa est eclipses, unam videlicet in Tauro, alteram in Scorpione. Ex quibus apparet, quod hoc morbo laborantes plerunque doloribus colli, & gulæ, necnon genitalium membrorum infestantur. Taurus etenim colli & gulæ signum, Scorpius vero pudibundorum. Relictis igitur illis & multis aliis in hac via occurrentibus, transeo. Manifestum namque est, quod superiora agunt in inferiora: Attamen si quis haret probabilem sermonem, quod superiora agant in inferiora, similiter quot & quibus modis, confugiat ad dicta celebratissimi Petri de Abano, quem Conciliatorem appellamus, qui hæc omnia clare expressit, differentia scilicet decima. Erat & mihi animus depingendi figuras constellationum supradictarum, quas à quodam doctore, & astrologo famosissimo percepi, qui hunc morbum aliquos ante annos prædixit, nisi negotiis impeditus essem.

## CAP. IV.

### *De cura hujus morbi in generali.*

Cura uniuscujusque morbi in tribus completur, in debita scilicet rerum non naturalium exhibitione, aut medicinarum potione, aut chirurgia, ut testatur Joannicius in *fine sui introductorii.* Et illud confirmat Avic. *fen quarta primi canon.* his verbis. *Dicemus quod res medicationis ex una trium rerum completur, una earum est regimen & nutrientia, & alia est medicinarum exhibitio, & tertia est manualis operatio* &c. Quantum ad primum sciendum, quod sex res non naturales, aër, cibus & potus &c. immutare habent corpus humanum duplici de causa. Prima ex parte componentium. Secunda ex parte compositionis. Ex parte componentium, quia tale corpus compositum est ex quatuor elementis, quæ propter contrarietatem sunt transmutabilia, & reddunt corpus ex eis compositum transmutabile, ut habetur secundum Avic. *prima can.* & secundum Galen. *de elemen.* Unde si corpus humanum esset compositum ex uno elemento, non doleret. Ex parte compositionis quia corpus humanum est raræ substantiæ & passibilis. Quapropter oportet, ut debita illarum rerum observetur exhibitio, in sanis per consimilia, in ægris per contraria. Quia omnis cura fit per contrarium, ut Joannes Mesue in *universalibus* dicit. Et antequam dicta illa applicentur proposito nostro, non lateat te quod cura morbi est duplex. Alia vero quæ nihil aliud quàm abscissio causæ. Alia medendi, quæ proprie dicitur ἰατρεία activa. Et illa non debet fieri nisi urgente necessitate cum timetur extinctio virtutis, & fortificatio dolorum. Quæ omnia pessima sunt, ut Avic. testatur, *quarta fen primo can.* his verbis. *Omnis quidem dolor, qui fit fortior, interficit.* Accedamus igitur nunc ad propositum nostrum, quare generalia dicta sufficiant.

## CAP. V.

*De diæta laborantium hoc malo.*

Scito quod diæta nihil aliud est, quàm sex rerum non naturalium approximatio, in debita videlicet qualitate & quantitate. Plus namque valet diæta curare, quàm medicinæ potione; ut innuit Joannes Damascenus in *suis Aphorismis* cum scribit. *Si poterit medicus medicari cum diæta absque potione, prospera evenient.* Ad veram igitur hujus morbi curam imprimis aëris electio est necessaria, quia aër cum circumdat nostra corpora, maxime immutat in superficie partes quæ detectæ sunt, & iterum in profundo membra illa, ad quæ natura ordinavit ejus substantiam pervenire. Sit ergo habitatio pustulosorum in aëre sereno, lucido, puro & subtili, sive ita fuerit per naturam seu artem, quia talis aër sanguinem mundificat, spiritus clarificat, cor lætificat, mentem serenat, digestionem in omnibus membris procurat. Ex quibus omnibus natura fortificatur ad expellendum nocua. Quapropter ego laudo, talem morbum patientes moram ducere in aëre non nimis calido, nec etiam nimis frigido, quamvis ab initio hujus morbi Empiricis consuetum fuit illos regere clausos in hypocaustis intensissime calefactis. Aliqui etiam patientes miserunt in furnos calidos. Aliqui etiam involverunt in saccos, & maximum cruciatum illis intulerunt calefactione, quod partim laudo, partim vero vitupero. Verum namque est, quod aër continens calidum resolvit, & hoc in casu magna requiritur resolutio propter profunditatem materiæ imbibitæ in cavernositatibus membrorum, & præsertim in panniculis junctrarum. Etiam quia caliditatis est provocare sudores, ex quibus sanguis clarificatur; quia sudor nihil aliud est, quàm aquositas sanguinis, cui pus cholericum est admixtum. Sed amplius scire debes, quod illa intensa calitas dissolvit & laxat membra, digestionem corrumpit, quæ omnium virtutum naturæ tenet principatum. Sitim efficit, syncopem & terroris acerrima inducit. Ex quibus concluditur naturæ debilitatio & mors, nisi corpora sint robusta & fortia. Quapropter dissuadeo, ut illis medicis utantur. Est namque medicus adjutor naturæ, non destructor, quales isti sunt. Quod autem talis aër calidus extra metam ea faciat, quæ dixi, confirmat Avicen. *secunda primi*, cum dicit, *Aer calidus dissolvit & laxat* &c. Habitent igitur patientes hoc incommodum in aëre calido, non tamen extra modum, sintque bene cooperti bonis vestimentis. Et circa eorum habitationes incendatur ignis ex bonis lignis, non putridis aut malæ proprietatis, cujusmodi sunt de nuce & populis &c. Caveant quoque accedere ad ignem, quia ex fumo ignis intenditur dolor pustulosorum, ut sæpissime visum est mihi. Occurrit quoque adhuc quoddam attentione dignum in aëris electione, quod temporis consideratio est, ait namque Hipp. in quodam libello, quod attente curanda sunt medico tempora anni, & quid in eis contingat. Dividitur namque tempus in quatuor partes anni solaris, secundum quod sol peragrat quatuor puncta in circulo obliquo. Cum enim intrat primum punctum Arietis, vel æquinoctialis circuli, constituitur tempus veris, quod temperatum dicimus formaliter, sed effective calidum & humidum. Igitur hoc tempore tales homines intensiorem caliditatem aëris tustinent, propter humiditatis resolutionem. Verum enim tempus repletionis est. Deinde cum sol permeaverit, tria signa, intrando circulum, quem Tropicum Cancri nominamus, oritur æstas, tempus calidum & siccum, in quo minus oportet calefacere aërem patientum: quamvis bonum sit in habitatione accendere ignem, propter depurationem aëris, sed habitare in stuphis certe malum est. Postmodum intrante sole æquinoctialem circulum, & libram, tempus, quod autumnum dicimus, oritur, melancholicæ naturæ. Tunc enim bonum est habitare in stuphis calefactis, ita quod sæpe sudores provocentur. Summe quoque cavendum est, ne frigiditas eo tempore corporis superficiem attingat; quia humores mali congelarentur, & per consequens redderentur inobedientes naturæ. Deinde cum sol intrat tropicum Capricorni, oritur hyems dira, frigida & humida, quia vapores & fumi ex occultis terræ & aquis humectant aërem. Quapropter bonum est eo tempore morari continue in calidis habitationibus, & bene operiri indumentis de pellibus vulpinis, quæ specialiter in hoc morbo sunt convenientes. Attamen non ita punire licet miseros, quemadmodum facit pseudomedicus. Hæc quantum ad primam partem diætæ sufficiant. Nunc properandum est ad secundam rem, non naturalem, quæ cibum & potum comprehendit. Relicto igitur speculationis officio, ne prolongetur sermo, sciendum est, quod taliter cibandus sit æger, quod virtus nutriatur, & non morbus, ut dicit Galen. Et illud prosequitur, cum patienti propinantur, cibi & potus subsequentes. In principio itaque

A hujus mali competit regimen humectativum, quod perficitur ex jure & ptisana hordei, lentibus, passulis, amido, similiter valet cibus factus ex seminibus melonum, & cucurbitæ, quia communiter febrilis calor adest in principio morbi, quapropter humida conferunt, ut jubetur Hippocratis dictum in *Aphorismis partic. prima humidæ diætæ* &c. Conferunt etiam carnes hædinæ, vitulinæ, castratorum juvenum, pullorum, cum succo granatorum. Ex oleribus blitum, spinachia, borago, lactuca. Et plus competunt talia, cum signa apparent choleræ adultæ. Potus vero sit ptisana hordei cum saccharo, aut syrupus violarum, aut aqua frigida. Si vero febris non fuerit multum intensa, detur vinum lymphatum. Eodem quoque modo diætandus est patiens in augmento. Cum vero pustulæ exierunt ad cutis superficiem, & gravedo aliquantulum remissa est, tunc scies ægritudinem in statu esse. Quare patientem bonis carnibus, & ovis sorbilibus, lactuca, passulis, piscibus petrolis cibare studeas. Potus quoque ejus sit vinum rubrum clarum, bene lymphatum. Et minus cibetur quàm in principio & augmento. dicit enim
B Hipp. in *primo Aphor.* Quando in statu est ægritudo, tenuissima diæta necessarium est uti. Neque oblivioni tradas miscere cum cibis reprimentia acuitatem sanguinis, cujusmodi sunt jujubæ, sebesten, poma granata &c. Cumque jam cœperint alleviari acerrima, & pustulæ cadere, tunc scias declinationem morbi adesse. Quare paulatim transire debes ad cibos ficciores, quia in fine regimen exsiccatum aliquantulum prodest. Semper tamen animadvertendum est, naturalis complexionis eucrasiam vel dyscrasiam, ingenio periti medici committendam esse. Secundam rem naturalem condigne sequitur tertia, quæ per somnum & vigiliam significatur. Somnus illorum sit nocturnus, non tamen ultra sex horas. Est enim talibus res valde conveniens, quoniam ut testantur principes medicinæ, somnus virtutes naturales efficit fortes, intelligendo somnum moderatum, quia immoderatus somnus disponit corpora ad pessimas ægritudines. Vigilia vero moderata non minus confert, quia virtutes disponit ad operationes suas exercendas. Superflua tamen vigilia corpus exsiccat, & disponit ad ethicam senectutis. Quare cum
C dolor adeo fortis fuerit, quod patiens non poterit dormire, medicus sane potest procurare somnum, cum *oleo violarum vel nenupharino*, vel cum comestione *lactucæ vel seminis papaveris*. Non tamen uti licet soporiferis fortibus cujusmodi *hyoscyamus*, *mandragora*, *opium* &c. Ut igitur satisfaciam petitionibus tuis, hic describere decrevi pomum quoddam, quod patientibus suavissimum somnum præstat olfaciendo ipsum, & tempora fricando cum illo. Quo uti potes in fortibus doloribus, & nimiis vigiliis, cujus descriptio hæc est. Recipe *croci*, *opii thebaici*, *corticis mandragoræ ana drachmam unam*, *terantur subtiliter*, *& fiat pomum cum drachmis duabus ceræ albæ*. Quarta res nonnaturalis, repletione & inanitione indicatur. Volens namque curare hunc morbum, debet attendere an corpora sint repleta, vel non. Si repleta aut sunt plethorica aut cacochymica. Si plethorica, quod perpendere potest medicus ex signis plethoræ notis, tunc illico phlebotomandus est æger, si tempus, virtus, ætas, & consuetudo phlebotomiam admiserint, quia secundum Avi. *primo can. fen. quarto*, phlebotomia est universalis humorum
D evacuatio. Si vero fuerit corpus cacochymum, pharmaco humores corruptos minuere licet, postea indigesta digerere, tandem digesta succesive eradicare, non una vice, ut fatui faciunt. Debet & medicus sollicitus esse in præmeditando, an talis plethora vel cacochymia sit in uno vel in omnibus membris, & ne aliquam materiam ducat per inconvenientem regionem. Dicit namque Hippocrates veritatis indagator in *primo Aphorif.* Quæ ducere oportet undecunque natura maxime repit, inde ducere per convenientes regiones. Et ex illis dictis potes jam offendere inanitionem. Multi etenim errant in hoc morbo, cum volunt evacuare humores per secessum, & natura intendit eos evacuare per aliam viam. Aut cum faciunt phlebotomiam, cum natura jam operatur expulsionem materiæ ad cutis superficiem, tales enim impediunt naturam & generant motus contrarios, qui violenti nominantur à phy-
E sicis. Et illi plus replent corpora malis humoribus, quàm evacuent. Oportet ergo, ut se studiosum reddat medicus in hoc morbo ne naturam impediat quia natura fortiter operatur in hoc malo. Quinta res est motus & quies. Motus enim & exercitium conveniunt in hoc casu, quia calor naturalis per ea confortatur, & augmentatur, fumos malos ex corpore exspirare faciunt, corpus à superfluitate mundificant. Quare laudabile est patientes hunc morbum gerere exercitium suave (si saltem possunt) hinc inde spatiando ante comestionem. Nequaquam tamen licet hoc fieri post comestionem. Quies contrario modo se habet, quia infrigidat, & congelat humores, idcirco si patientes hunc morbum non possunt ambulare, bonum est

loco

loco exercitii uti fricatione, cum pannis calidis, vel fomentationibus & balneis in ſtuphis, quæ omnia ſpecies exercitii ſunt. Sexta igitur res & ultima eſt debita approximatio accidentium animi, cujuſmodi gaudium, triſtitia, timor, ira. Ira namque calefacit, quare diſſolvit & ſubtiliat. Contrarium vero timor & triſtitia faciunt. Quare oportet removere ea quæ infirmum habent movere ad animæ accidentia jam enarrata. Quorum duæ ſunt cauſæ, objecta ſcilicet & affectus. Multum quoque valet apud infectos ſolatioſis verbis incedere, ne ingruat profunda cogitatio de rebus triſtitiæ & timoris. Nam fere omnes inclinati ſunt ad tales animi motus, ratione humoris melancholici in hoc malo peccantis.

## CAP. VI.

*Remedia curandi morbum Gallicum per potiones.*

Superius tradidimus modum operationis medicinæ in tribus conſiſtere, diæta ſcilicet, potione medicinali, & chirurgia. Expedita igitur prima parte, inchoanda erit ſecunda, in qua monſtrabo modum curandi morbum præfatum per potiones, intelligendo per potionem omnia, quæ per os ſumuntur, in quacunque ſubſtantia fuerint. Nihil enim te docere præſumam, niſi quod ratione, auctoritate & experimento probavi. Scias tamen, quod cura hujus mali difficilior eſt in hodiernis diebus, quam ſuperioribus fuit. Quod perpendere potes in multis, qui elapſis annis aliquibus famoſi fuerunt in ipſius cura, nunc autem parum proficere valent, cujus cauſam ego aſſigno duplicem. Primam ſcilicet, Saturni efficax dominium, quod jam ſibi vendicavit, ex quo materia poroſitatibus imbibita, congelatur, & in lapideitatem convertitur, ut vix remedium ſatis efficax inveniri poſſit. Secunda cauſa, quia homines amplius non abominantur id malum, quare nolunt perſequi bona conſilia & ſuſtinere diætam bonam. Sapientis autem artificis eſt ordinate procedere in operationibus ſuis, ita ut primo prima pertractentur, media poſt, & demum ultima, quæ ſunt finis. Igitur ante omnia oportet medicum alliicere & exhortari laborantem hoc malo recurrere ad glorioſum & excelſum Deum, qui eſt fons & origo, principium & finis omnium, qui ſolus languores ſanat (ut Joannes Meſue proteſtatur.) Facinora namque noſtra ſæpiſſime ſunt cauſa infirmitatis noſtræ, quamobrem invocandus eſt Jeſus, ut ignoſcat, & Maria ſemper benedicta & virgo mater ejus, ut miſericordiam imploret. Impoſſibile namque eſt curare morbum ejus, cauſa adhuc remanente, approbante hoc Galeno. In principio igitur hujus morbi detur medicina minorativa materiæ. Et non in declinatione, ut aliqui volunt, quia per hoc impeditur natura, & attrahitur ad interiora id, quod à natura tendit ad cutis ſuperficiem. Hoc tamen intellige, ſi venerit aliquis, quem brevi invaſit id genus peſtiferum, & hujus medicinæ deſcriptio ſit talis. Rec. *caſſiæ noviter extractæ unc. ſemis, electuarii de ſucco roſarum, electuarii diacatholic. an. drach. ij. tragacanthi grana quatuor, fiat hauſtus cum aqua boraginis.* Et propinetur in aurora actualiter calidus & patiens jejunet quatuor horas. Si vero per longum tempus duraverit, & tibi videtur habere medicinam minorativam fortiorem. Recipe *caſſiæ extractæ cum aqua lactis unc. j. epithymi, thymi, an. ſcrup. j. rhabarbari, agarici, an. ſcrup. dimidium, ſalis gemmæ, grana duo, aquæ lupulorum quantum ſat eſt, fiat hauſtus*, & propinetur, ut prius dictum eſt. Cum autem hoc factum fuerit, te vertas ad materiæ digeſtionem, propinando per aliquos dies potum iſtum mane & ſero, quouſque in urina ſignum digeſtionis apparet. Recipe *ſyrupi de endivia, de ſumo terræ, de cichoreo, ana unciam mediam, aquarum lupulorum, cuſcutæ, boraginis, bugloſſæ, ana unciam unam.* Item. Recipe *florum boraginis, bugloſſæ, valerianæ, thymi, ana manipulum unum, radicum cichorei, endiviæ, fœniculi, ſeminum communium frigidorum, ana manipulum dimidium, lupulorum, abſinthii, cuſcutæ, chamæpityos, ana manipulum unum cum dimidio. Bulliant in libris aquarum octo, uſque ad conſumptionem medietatis, & addatur ſacchari libra una cum dimidia, & coquantur uſque ad ſpiſſitudinem.* Doſis eſt unciarum duarum cum aqua lupuli omni mane & ſero, & tardet cibum aſſumere per horas tres, cum vero materia multum fuerit groſſa, & inobediens, & quaſi chronica, dabis hunc. Recipe *ſeminis fœniculi, anethi, ana unciam unam, polypodii quercini recentis drachmas tres. Hæc omnia infundantur per noctem unam in aceto, deinde coquantur in libris aquarum tribus uſque ad conſumptionem medietatis. & colaturæ addantur ſucci fumi terræ, ſucci lapathi acuti. ana unc. iiij. Quibus omnibus depuratis, fiat ſyrupus cum melle librarum trium & aceto, in quo ſteterunt radices.* Dentur mane & ſero unc. ij. cum aqua decoctionis fœniculi & maxime juvabit. Cumque apparebit digeſtionis ſignum, licet eradicare materiam peccantem, non tamen pharmaco admodum forti, ne plus attrahas ad inferiora, quàm educas per eradicationem. Des igitur mane hoc electuarium. R. *electuari. indi. unc. xj. de ſucco roſaceo dr. j. & ſemis, tragacanthi grana iiij.* Recipe *electuarii hamech drach. iij. lenitivi* ſecundum quod tibi videbitur expedire, minuendum namque & augendum eſt, quare medicus requiritur diſcretus in illis. Vel ſic. Recipe *pillularum de ſumo terræ, pillularum de lap. lazuli ana drach. & ſemis, agarici trochiſcati ſcr. ſemis, fiant pillulæ. xiij.* & dentur in introitu lecti, ad pondus drach. pro vice. Item *pillulæ de rhabarbaro* laudantur in hoc caſu, ſimiliter & *pillulæ de lap. armeno*, vel *pillulæ Indæ* &c. Deſcriptio porrò pillularum conferentium in hoc malo, quæ ſunt expertiſſimæ, ſunt hæ. Recipe *hieræ. Rufini, cathartici imperialis ana drach. j. turbith, colocynthidis, hermodactylorum, ana drach. ſemis, eſulæ ſcrup. j. maſtichis, bdellii ana ſcrup. j. & ſemis, ſeminis fœniculi, anethi ana ſcrupulum ſemis, pulveres illarum conficiantur cum electuariis ſupradictis*, & dentur pill. tres, aut minus aut plures ſecundum quod exigit neceſſitas. His actis oportet juvare naturam ſummo ſtudio, ut puſtulæ educantur per ſuperficiem cutis. Quod hac lege abſolves. Patiens intret ſtupham vel balneum factum, ut patebit infra, & ſumat hauſtum unum potus infraſcripti, & hoc fiat per tres dies ad minus. In exitu quoque balnei cooperiatur pannis, ne ſubito infrigidetur. Tardet & poſtea comeſtionem per duas horas. Deſcriptio vero balnei conferentis in hoc caſu, eſt talis. Recipe *ebuli, brancæ urſinæ, ſeminis lini, malvæ, calaminthæ, meliloti, chamæmeli ana manipulum unum, bulliant in aqua*, & caveat patiens, ne ſe humectet, quia malum eſt. Aliud balneum. Recipe *biſmalvæ, fœnugræci, origani, urticæ, juniperi, parietariæ ana manipulum unum.* Deſcriptio decoctionis educentis puſtulas. Recipe *ficuum citrinarum uncias ſeptem lacte ablutas, lentium excorticatarum drachmas tres, ſem. aniſi, fœniculi, tragacanthi ana drachmas duas & ſemis. Coquantur in libra una & ſemis aquæ, donec remaneat pars tertia, deinde coletur, & dentur unciæ duæ.* Aliud. Recipe *lentium excorticatarum, dactylorum immaturorum, tragacanthi ana unciam & ſemis, bulliant in aqua pluviali, quantum ſufficit, & propinetur colatura.* His omnibus factis, puſtulis quoque expulſis, ſollicitus eſſe debet medicus, ne convertantur in ulcera & excoriationes. Quare continuo adminiſtrare debet *decoctionem epithymi*, quam Joannes Meſue ſcribit. Similiter de tertio in tertium diem uti debet balneis ſupradictis, propinando ante introitum balnei *drachmam unam theriacæ vel mithridatii*, quæ mirabiliter proſunt. Ego namque vidi quandam matronam theriaca curari, cui omnia alia remedia nihil profuerunt. Cumque ita laboraſti per triginta dies, & patiens non curatus eſt, ſignum eſt, quod materia eſt nimis furioſa, & vix ſolo potu curabilis. Quare oportet ut illico te vertas ad unguenta illa ſaluberrima, cum quibus multos curavi, ungendo quotidie bis juncturas in parte domeſtica, in paucis enim diebus cadent puſtulæ. unguentum primum tale eſt. Recipe *ceruſſæ unciam unam, thuris, maſtichis, lithargyrii ana unciam ſemis, olei roſarum loti cum pluribus aquis, & ducti diu in mortario plumbi cum piſtillo plumbeo, quantum ſufficit ad incorporandum.* Aliud. Recipe *olei laurini, olibani, ceræ novæ ana uncias duas, axungiæ porcinæ drachmas quinque, ſalis communis unciam unam, ſucci fumi terræ, ſucci plantaginis, ana uncias quatuor, fiat unguentum.* Item *unguentum citrinum, unguentum aureum, & apoſtolorum* valent in hoc caſu. Quod autem ſequitur unguentum, efficax eſt valde in cruſtoſis & peſſimis puſtulis. Recipe *butyri recentis, terebinthinæ, axungiæ gallinæ, olei violarum ana uncias duas, lithargyrii plumbi uſti, ceruſſæ, aloes hepaticæ ana unciam & ſemis, fiat unguentum.* Unguentum ſanans plagas & veſtigia, quæ remanſerunt. Recipe *oſſium aduſtorum, lupinorum, coſti, ariſtolochiæ rotundæ ana partes æquales, fiat unguentum cum axungia porcina.* Item fricatio cutis cum furfure tritici multum valet in hoc caſu. Hic ſubnotantur unguenta Empiricorum, argento vivo commixta. Iners vulgus nonnunquam peritiſſimos medicos floccipendere non veretur, cum putat eos latere illa unguenta, quibus medici carnifices corpora inungunt. non ſunt autem eis abſcondita, ſed propter nocumenta illorum eis uti nolunt. Deſcribam igitur tibi aliqua unguenta illorum medicorum, ut ſentias, quod non ſunt medicis ſecreta, quemadmodum fatentur illi Empirici. Primum. Recipe *ſalis armoniaci drachmam unam, baccarum lauri unciam unam, aquæ vitæ unciam & ſemis, thuris, lithargyrii ana drachmas duas, argenti vivi extincti drachmas tres, axungiæ porcinæ recentis quantum ſufficit.* Aliud. Recipe *argenti vivi extincti, ſulphuris vivi, thuris, lithargyrii ana partes æquales: terantur, & ponantur omnia in ſorti aceto, & iterum exſiccentur, poſtea terantur ſuper lapidem cum oleo roſaceo quantum ſufficit.* Aliud. Recipe *cinnabaris, picis Græcæ, ana drachmas duas, ſucci allii unciam*

*unciam unam, axungiæ porcinæ uncias duas, argenti vivi extincti, salis communis ana unciam semis, teràntur super lapidem, & fiat unguentum.* Aliud. Recipe *radicem calami aromatici, radicem irei, radicem zedoariæ ana unc. semis, baccarum lauri uncias duas, argenti vivi drachmas tres, olei laurini, olei rosarum ana quantum sufficit.* Aliud. Recipe *cerussæ, lithargyrii ana unc. semis, sanguinis draconis, myrrhæ, mastichis, olibani, ana drachmas duas, camphoræ drachmam unam, argenti vivi drachmas quatuor, axungiæ porcinæ, olei laurini, olei olivarum ana unciam semis, fiat unguentum.*

## CAP. VII.

### *De sedatione dolorum.*

Multoties evenit, ut patientes hunc morbum sæviſſimo dolore infestentur, & præsertim illi qui mendosa cura curati sunt ab illis medicis supradictis, quare redit dolor, & tuberositas in membris, & communiter in focilibus manuum & pedum &c. dolor autem tripliciter sedatur, primo per causæ abscissionem, secundo per resolutionem, tertio per stupefactionem. Quantum igitur ad primam, attendere debet medicus, ut abscindat causam doloris, quæ secundum Avicennam nihil aliud est, quam mala complexio vel mala compositio membri imprimentis, & recipientis. Abscindere igitur debet medicus hanc malam complexionem membri mittentis & recipientis potionibus, evacuationibus, diæta, unguentis, fomentationibus &c. de quibus infra, Deo dante, experta videbis remedia. Secunda vero dolorem sedantia sunt illa, quæ resolvendo illum mitigant, quorum quædam id operantur à complexione, quædam à proprietate. Et ex his sunt *chamæmelum, melilotus, origanum, serpillum, malva, bismalva, fœnugræcum, semen lini, ruta, cuminum, sampsucus, calamintha* &c. Tertia vero dolorem sedantia sunt ea, quæ auferunt sensibilitatem membri, & vocantur à medicis narcotica, quibus non licet uti, nisi cum magna cautela, cum cætera nil proficiunt: sunt enim res imminentis periculi. aliqua igitur præelecta remedia oculis tuis subjiciam. Et primum. Cum mala complexio calida fuerit causa doloris, administrabis hunc syrupum mane & sero, cujus descriptio hæc est. Recipe *endiviæ, lactucæ, lupulorum, lenticularum, aquæ coriandri ana unciam unam, rosarum, florum stœchados, radicis fœniculi, pedis corvini, ana unciam semis, sacchari libram unam, succi endiviæ, succi cydoniorum, & granatorum acetosorum, ana uncias duas, aquæ libras duas, coquantur secundum veram artem, & condiantur cum spodio & sandalis.* Postea ad evacuationem devenies. Recipe *cathartici imperialis, diapruni, electuarii de succo rosarum ana drachmam unam cum dimidia, tragacanthi grana tria, propinetur in aurora cum aqua endiviæ,* & jejunet patiens tum per quatuor horas. Præterea vero pro confortatione membrorum, suadeo ut diebus sequentibus accipiat mane & sero hujus confectionis rotulam unam. Recipe *specierum triasantal: specierum diarhodon Abbatis, ana unciam cum dimidia, sacchari uncias octo, fiant rotulæ.* Mox ad fomentationem faciendam. Recipe *foliorum ros. endiviæ, chamæmeli, bulliant in aqua & fomentetur locus cum illis,* postea ungatur tali unguento. Recipe *olei rosarum uncias duas, seminis lini, fœnugræci ana drachmas duas, pinguedinis gallinæ unciam & semis, camphoræ drachmam & semis, fiat unguentum.* Fit autem sedatio doloris declinante materia ad frigiditatem hoc pacto. Recipe *radicum faniculi unciam unam, seminis anisi, fœniculi ana drachmas quatuor, foliorum salviæ siccorum drachmas quinque, rosarum drachmas septem, stœchados arabicæ drachmas sex, polypodii drachmas duas, mellis despumati libras duas, aceti squillitici, uncias duas fiat syrupus,* de quo omni mane dentur unciæ duæ. Tunc evacuaretur sic. Recipe *benedictæ laxativæ unciam & semis, electuarii Indi drachmas duas, trochiscos alhandal scrupulum semis, fiat bolus.* Vel sic. Recipe *pillularum de hermodactylis drach. j. fiant pillulæ xi. cum electuario rosaceo.* Et multa alia quæ prudens medicus hoc in casu instituere potest, secundum quod videntur tolerare, ætas, virtus, tempus, & consuetudo. Utiles etiam fomentationes istæ erunt. Recipe *meliloti, bismalvæ, fœnugræci, chamæmeli, ana manipulum unum, decoquantur in aqua, & fomentetur locus.* Calida quoque hæc omnia expressa ponantur supra dolorem. Altera. Recipe *brancæ ursinæ, malvæ, seminis lini, mercurialis, hordei ana pugillos duos, fiat ut supra dictum est.* Sed & egregium est hoc unguentum sedans dolorem, & mollificans nodos in lapideitatem conversos. Recipe *olei amygdalarum dulcium unciam unam & semis, pinguedinis anatis & gallinæ, ana unciam semis, mucilaginis fœnugræci extractæ cum aceto drachmas sex, ceræ albæ parum, fiat unguentum,* quo uti debes facta prius fomentatione, & emplastris cum *malva, bismalva* &c. fiat igitur illud per tres dies, habeas autem marcasitam ignitam, quæ forti aceto irroretur, & super vaporem illum membrum læsum expande, & ipsum ex illo aceto lava. Et hoc duobus diebus facto, ad fomentationem primam cum unctione illa revertere, Et sic alternatis vicibus unctionem, & evaporationem cum marcasita reitera. Aliud unguentum ad materiam grossam. Recipe *castorei, myrrhæ, costi ana partes æquales. pulverizentur, & fiat unguentum molle cum oleo ros.* Aliud. Recipe *ceræ, olei antiqui, olei irini, ana unc. j. fiat unguentum.* Aliud, & est quoddam nobiliſſimum secretum. Recipe *vulpem pinguem excoriatam, inteſtinis etiam evulſis, & impone ammoniaci, galbani, bdellii, thuris, mastichis, ana uncias quinque, fœnugræci, seminis lini, radicis althææ, ana unciam unam, pinguedinis ursi, pinguedinis gallinæ, & anseris, ana drachmas duas, assetur in veru rebus prius ingestis, & assato vulpis corpore, & quod inde distillatur, usui reservetur, quia certissimum est auxilium.* Si vero omnibus illis factis dolor non cessaverit, & æger ad virtutis destructionem timet pervenire, cum magna sollicitudine te transire oportet ad narcotica, quæ stupefaciendo sensum membri auferunt, & sic dolorem sedant. Eorum autem juvamentum non sine magno nocumento esse potest. Ait nanque Galenus, quod usus talium non est nisi instare ad symptomata, augent enim hæc dispositionem hanc & eam difficile solubilem reddunt, virtutem debilitando, calorem, & spiritum obtundendo, suffocando, maxime si recentia sint. Ex quibus patet, quod male agunt Empirici qui cum illis operantur, gloriantes in hoc cum dicunt, hunc hominem curavi à doloribus, quos omnes doctores non potuerunt curare. Est nanque commune omnibus nihil scientibus ut se omnia scire arbitrentur. Ponam igitur pauca remedia stupefactiva cum suis bezoardicis ipsa narcotica rectificantibus. Et primum Unguentum hujusmodi. Recipe *opii, croci, ana drach. j. ceræ albæ drachmas duas, olei rosarum unciam unam, fiat unguentum.* Aliud adhuc fortius. Recipe *opii thebaici, corticis mandragoræ, radicis hyoscyami, ana drachmas duas, spicæ nardi, croci, ana drachmam semis, olei nenupharis, olei rosarum, ana unciam semis. fiat unguentum.* Cum vero volueris narcoticis uti, primo incipias à levioribus, ut est *oleum nenupharinum, hyoscyami, violarum:* postea vertas te paulatim ad fortiora. Item partes corporis inunctæ cum illis post horam aceto irrorentur, & suaviter fricentur cum panno calido. sufficiant igitur dicta.

## CAP. VIII.

### *De operatione manuali.*

Expeditis duabus partibus operationis medicinæ in hoc morbo, diæta scilicet & potione, sequitur nunc tertia, quæ est operatio manualis, vel chirurgia de curandis ulceribus & reliquiis pustularum. dimittam igitur brevitatis causa varias demonstrationes in hoc casu conferentes, non enim proposui tam prolixum sermonem producere. Scias igitur, quod ulcerum illorum quædam sunt aperta, quædam abscondita sub cute, & sunt nodi, de quibus supra audivisti, qui cum maturati sunt, in ulcera maligna convertuntur. Paucas igitur considerationes pones illa ulcera te scire non pigeat. In primis namque considerare licet complexionem hominis, quæ si bona fuerit, ulcus erit facilis curæ, sin minus contra. Secundo considerandum est membrum mandans, quod communiter est hepar, interdum vero cerebrum & nervi. Quare oportet ut speculativus sit volens curare illa. Tertio considerandum est ulcus secundum tres dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Quarto operatio consideranda est, quæ omnia dimitto eruditis in hac scientia, relinquendo tibi remedia experta, cum quibus ego curavi ultra ducentos homines. Primum igitur. Quotidie dentur patienti *unciæ duæ syrupi de epithymo, cum aquæ agrimoniæ uncia, & fumi terræ uncia.* Secundo. In prima quadra lunæ, permittentibus tempore, ætate, & virtute, detur id laxativum. Recipe *cassiæ extractæ unciam unam, electuarii hamech drachmam cum dimidia.* Tertio. In ultima quadra, hoc modo detur id laxativum. Recipe *pillularum de fumo terræ, drachmam unam, hieræ Rufini, scrupulum unum, fiant pillulæ trecim,* observando omnia, quæ superius narrata sunt. Quarto. Quotidie fomentetur ulcus apertum cum *aquæ decoctionis barbaræ sylvanæ, agrimoniæ, chelidonii & lapathi acuti.* Si vero non apertum fuerit, aperiatur cum ferro ignito. Quinto. Post fomentationem mundificetur ulcus hoc unguento. Recipe *farinam hordei, aristolochiæ rotundæ ana unciam & semis, mellis rosarum uncias tres, fiat unguentum,* & superponatur cum petia linea. Aliud fortius. Recipe *bryoniæ, arist. rotundæ*

*ana unciam dimidiam, ſalis nitri, tartari albi, ana drachmam unam, mellis quantum ſufficit.* Sexto. Munditicato ulcere, utere hoc unguento, quod facit naſci carnem. Recipe *thuris, maſtichis, ſanguinis draconis, ſarcocollæ, ana drach. duas, hæmatitidis, drachmas duas, litharyri unciam dimidiam, plumbi uſti, drachmam unam & ſemis, ceruſſæ, tutiæ ana unciam unam, fiat unguentum cum oleo roſarum quantum ſufficit.* Item *unguentum citrinum, fuſcum, & Apoſtolorum* optime valent. Item unum ex ſecretis eſt, projicere in ulcus pulveres *herbæ barbæ ſylvanæ*, quia mirabiliter & pluſquam credi poteſt, valent.

Et ſi ulcera ſunt valde dura & melancholica, poteris addere huic unguento ſupradicto *dimidiam unciam tragacanthi.* Septimo. Ad ulcera maligna, quod non minus removet quoque cicatrices breviſſimo quidem tempore. Recipe *ſanguinis hominis ruſi, libr. duas* (non tamen oportet ipſum ſanguinem ſumere ab uno tantum homine, ſed à pluribus hominibus, quia tanta quantitas exhauriri non debet ab uno homine) *aloës hepaticæ, drachmas quatuor, ſarcocollæ libram dimidiam, ſerapini, ammoniaci, galbani, picis, maſtichis, thuris maſculi, terebinthinæ, boli armenæ, ſanguinis draconis, olei roſarum, ceræ, omnium ana uncias quatuor. Liquefactis ſingulis, bulliant & fiat optimum unguentum.* Quo utere, ut ſupra ſufficienter dictum eſt. Prævalet enim omnibus cæteris quibuſlibet unguentis & emplaſtris, ut tu quoque teſtaberis, ſi probare tentaveris. Octavo. Medicamen valens ad nervos ſpaſinatos, contractos. In hac ægritudine enim plerunque ſpaſinantur nervi, & contrahuntur chordæ. Quare huic accidenti ita ſubvenias. Recipe *adipis gallinæ, anſeris, medullarum vituli, bovis, cervi, urſi, vulpis, cum illorum axungiis, ana unciam dimidiam, ammoniaci, bdellii, galbani, ſtoracis liquidæ ana drach. ſex, olei de lilio drachmas duas, aceti paululum, fiat cerotum cum mucilagine ſeminis lini, fœnugræci, & ceræ quantum ſufficit.* Nono. Hepatis regio epitheme tur cum hoc epitheme, quod recipit *ſantalorum alborum & rubrorum, ſpodii ana* A *drachmas duas, abſinthii drachmam unam, terantur & fiat ſcutum cum cera.* Similiter & occipitio ſuperponendus eſt ſaeculus iſte. Recipe *anthos, majoranæ, ſtirum ſtœchados Arabicæ, ana unciam ſemis.* Hæc etiam fiant cæteris membris, ſi timetur ex eis influxus ad ulcera, quia illis affluentibus difficillime curabitur ulcus. Decimo ad removendas maculas & reliquias. Recipe *ceruſſæ lotæ, amidi, farinæ fabarum, cicerum, faſeolorum, tragacanthi, his omnibus cum pulveribus fiat unguentum cum lacte mulicbri*, & ungantur veſtigia & maculæ, & cito abibunt. Undecimo. Secretum chariſſimum ad ulcera virgæ, cum amplius nulla ſpes eſt, cum quo ego ſæpius famam, & pecuniam acquiſivi. Recipe *pulverum barbæ ſylvanæ unciam unam, myrrhæ, thuris ana drachmas duas, oſſis ſepiæ drachmam unam* aſpergatur cum eo ulcus &c. Habes jam ea, quæ jamdudum promiſi amicis & tautoribus quibuſdam optimis, quæ ſi ad te pervenerint, bona mente ſuſcipias rogo. Neque etiam vilipendere B velis hunc libellum, rudi ſtylo, & minus quam eleganter exaratum. Ego enim quamvis amator elegantiæ, non curo linguæ ornamenta, quia homines non curantur ab illis, ut teſtatur Cornelius Celſus medicorum exornatiſſimus, cum dicit, *Morbi non elegantia, ſed remediis curantur.* Quapropter fructum pro flore capere velis obſecro. Si vero id opuſculum (quod vix aberit) in manus oſorum perveniet, defendet me Valerii Maximi dictum, cum ſcripſit IV. VII. *Ext.* 2. hæc verba: *Non eſt tanta felicitas, quæ malignitatis dentes vitare poſſit.* Non enim id perfeci niſi ut amicis placerem, & cunctis hoc morbo laborantibus grata commoda publicarem. Utiliora quippe illa dicta ægrotantibus, quam ſi ſcripſiſſem raptum Ganimedis, & colloquia ipſius cum Jove, aut Æſculapii & Herculis litigium &c. Sit ergo finis opuſculo, Deo vero ſemper glorioſo & benedicto laus & victoria in æternum. Amen.

FINIS.

# CONSALVI FERRANDI, *Owietenſis*,

DE

# GUAJACANO LIGNO,

## TRACTATUS UNUS:

# DE LIGNO SANCTO

## TRACTATUS ALTER,

Ambo à peritiſſimo Hiſpanæ Linguæ Medico in Latinam verſi.

# DE LIGNO GUAJACANO.

*Excerptus eſt hic tractatus ex lib. x. ſectionis primæ cap. 2. Hiſtoriæ naturalis Indicarum Regionum, quam in Caroli V. Cæſaris gratiam conſcripſit Author.*

Duo notatu digna, præcipuaque arborum genera in C hiſce Inſulis & continenti habentur. Quemadmodum enim morbus is, qui dicitur de las Buas, eſt omnibus his Regionibus communis, placuit Miſerationi Divinæ, quod auxilium item omnibus communicetur, atque pro eodem tollendo ubique in promptu ſit. Licet vero lues iſta alibi etiam graſſetur & vigeat, principio tamen Chriſtianis malum hoc cognitum, necnon experimento arboris Guajacani appellatæ curari viſum, in hac Inſula Hiſpana dicta. Alterum arborum genus Ligni Sancti nomen ſibi vindicavit; quod in Inſula Boriquen, (quam hodie Divi Joannis Hiſpani dicunt) reperitur, atque quum de ea mentionem faciemus, de Ligno Sancto etiam dicemus. Itaque (ut ad Guajacanum redeam) in hac alliſque Inſulis; necnon & in continenti ipſo, in ea Provincia, quam Indi Nagrando appellant, illam vidi: Et quoniam in hac Inſula Hiſpana vocitata hujus arboris cognitionem habuerunt Hiſpani; de eadem hic meminiſſe placuit, quamvis alibi quoque ipſam reperire liceat: Libetque dicere id quod eſt maxime exploratum tam in Indiis iſtis, quam in multis aliis orbis regionibus, ad quas poſt eundem morbum lignum auxiliare fuit advectum, nempe tot eſſe hic Guajacanos, ut longe pauciores (arbitror) ſint numero Pinus agri Valeriani (nunc dicunt terra de Cuenca) una cum reliquis omnibus qui in Hiſpania ſunt. Arbor eſt perquam excellens, & quam ſæpiſſime experimenta cognita, tam in iſtis regionibus, quam in Europa atque alibi, quo hinc hujus metuendæ luis ergo, quam de las Buas, & in Italia, (ut alias diximus) Gallicum malum, in Gallia vero Neapolitanum morbum appellant, allata eſt: Et in Hiſpania, aliisque mundi plagis maximæ viſæ ſunt curationes ab ea arbore præſtitæ in hominibus, qui per longa tempora deſtituti lacerique jacuerant ob ſæva ulcera, acerboſque dolores. Eſtque morbus iſte præ cæteris omnibus deſperatus, memorabilis, & cruciatibus plenus, prout iis, qui eodem correpti ſunt, optime innotuit, meliuſque iidem poſſunt ſuo periculo de ipſo teſtimonium reddere: quemadmodum & illi, quos Deus

Opt.

Opt. Max. ex ſua clementia ab hujuſmodi languoribus & terrificis doloribus vindicavit. Apud Indos haud eſt adeo ſævum malum, nec tantum affert diſcrimen; ſicut in Hiſpania, & frigidioribus climatibus; ſed parvo negotio hujus arboris ope incolæ curantur. curatio multam inediam, & præterea aquæ potum, in qua lignum hoc decoctum fuerit, expoſtulat: Et abſque inedia, ipſa nihil prodeſſe ſed obeſſe conſuevit. Parum exigit locus hic, ut exprimatur modus, quo auxilium iſtud adminiſtretur, quoniam jam ſatis invulgata eſt, & ubique locorum cognita, hujus ligni utendi ratio; nec non quia ubi de ligno Sancto Inſulæ Divi Joannis mentio fiet uberius dicetur, poſtcaquam utrumque eodem ordine coquitur & aſſumitur, ſuntque jam Hiſpani homines quemadmodum & iſti ad proficiendum hoc auxilio aſſueti. Cæterum cura in hoc adhibenda eſt, quod lignum, quoad ejus fieri poterit, recentiſſimum habeatur: Et hoc pro iis dixerim, qui procul ab Indiis iſtis vitam ducunt, quoniam iſthic licet ſingulis diebus haberi & ex agro abſcindi: Verum in Hiſpania, atque extra has regiones, quod craſſius, eo quod ſerius areſcat: Hic vero quod tenuius, eo quod mollius ſit & purgativum magis, eligatur. Quemadmodum Hiſpaniæ ſcabiei, ita & Indis facilis eſt hujus luis curatio, atque eam minus æſtimant, eſtque illis admodum communis. Multi nominis eſt in hac Inſula, Guajacanus, quæ affertur ex parva quadam Inſula, quam Beatam appellant, quæ è regione hujus Inſulæ & juxta illam jacet: Alii vero aliquam petunt, & prout ſibi magis placet, deligunt & ſumunt. Eſt huic arbori cortex totus inſtar equorum, quos rotatos privatim appellant, maculis magis & minus viridibus & livido plumbeove colore inſignitus. Folia Caſtaneæ ſimilia, minora tamen & viridiora. Fructum fert luteum, qui lupinos duos invicem in extremitatibus cohærentes repræſentat. Lignum eſt duriſſimum atque graviſſimum; habetque meditullium ex nigro in lividum vergens, & præter reliquas ejus dotes, mos eſt illam in multis, prout in rotarum dentibus, quæ machinis ſacharum parantibus deſerviunt, & aliis, uſurpare. Verum quia præcipua hujus ligni facultas eſt, curare morbum cui de las Buas nomen eſt; rationemque illud aſſumendi nos dicturos, ubi de Ligno ſancto mentio fiet, ſumus polliciti: Alium hic ſubjiciemus modum, quo iſtos uti animadvertimus, licet ſupra de curatione agere non cogitaſſemus, eſtque modus hujuſmodi. Sumunt hujus arboris exiles ramos, & nonnulli eos minutim incidunt; & in octo aquæ phialis ſex ligni uncias aut paulo amplius conjiciunt, uſque ad duarum tertiarum conſumptionem decoquunt, ab igne removent & ſubſidere permittunt. Hujus poſtea decocti poculum quotidie jejuno ventre matutinis horis, ad viginti vel triginta dies ægrotans ſumit; (intra vigeſimum tamen diem non eſt dimittendus hujus aquæ potus ei, qui ad amuſſim curari expetit.) Per id tempus tenuem valde ſervat victus rationem, a carnibus abſtinet & à piſcibus, ſed paſſulis veſcitur & ſiccis eduliis, iiſque paucis, (quæ ſcilicet ad ſuſtentandum tantum corpus ſufficiant) & aliquo panis affi (biſcoctum vulgus vocat) fruſtulo: atque interdiu eſt ei potus altera aqua cum eadem Guajacano decocta: Atque hac ratione nonnullos ægrotantes (citra ulcera tamen) ſanatos vidi. Verum enimvero & in cubiculo ab omni ambientis injuria abſoluto, quamdiu aſſumitur aqua iſta, ægrotus ſe contineat oportet; & per aliquot etiam dies deinceps non ſunt ei admodum adeunda loca aëris alterationibus obnoxia. Cæterum non omnia, quæ hujus auxilii utendi gratia requiruntur, ſingulatim percurro; & qua ratione lignum iſtud, ſeu ejus decoctum bibant nonnulli, niſi prout iſthic, ubi recentior eſt arbor, parari vidi: is qui curari cupit, haud per ea quæ hic tradidimus ſui curationem moliatur; quoniam ſolum iſtud ab Europeo valde differt; atque hic maxima opus eſt diligentia, ut eo morbo correptus aërem declinet, longeque major eſt habenda cura in aëre evitando, ubi is tenuior eſt, Regioque frigidior; nec ulla de cauſa eſt ægrotanti prodeundum è cubiculo undique concluſo & adverſus aëris ingreſſum munito: Meaque ſententia, is qui in Hiſpania hujus ligni ope erit curandus, ſeipſum cuſtodiat multumque animadvertat oportet, tam in aëris cautione ut diximus, quam in victus ratione. Verum eſt jam adeo frequens, tamque late propagatum malum iſtud, quod edocti ſunt homines rationem & modum, qui in hoc auxilio exercendo uſu venit. Nec ſolo hoc ligno Indi curantur, maximi enim ſunt herbarii, multarumque plantarum tenent cognitionem, quarum facultates ad hunc alioſque complures profligandos affectus experimento didicere. Teſtatur ipſe rei eventus, hanc luem contagioſam eſſe, & multifariam ab affectis benevalentibus communicari, tam propter uſum indumentorum hominis morboſi, quam ex comeſſationibus & compotationibus habitis in eiſdem patinis & calicibus, & multo magis ob decubitum in eodem lectulo, ſuſcepto halitu & ſudore; & adhuc magis ex concubitu viri cum affecta muliere, vel econtra. Leproſa efficiuntur eorum corpora, contrahuntur, & cancro exeduntur: & in iſtis Indicis Regionibus, pauci ſunt ex Chriſtianis, pauci admodum inquam, qui congreſſum venereum cum mulieribus indigenis experti, ſævum hunc morbum effugerint, quoniam profecto eſt hujus ſoli proprius affectus, & Indicis hiſce hominibus adeo frequens, ſicut alibi ſunt aliæ communes ægritudines: vidi tamen quandoque Indos præſertim in continenti ipſo, qui ſe hac lue correptos ſentientes, pauca cum ſuſpicione illico potum aquæ decoctionis hujus ligni aggrediebantur, atque à mulierum conſuetudine per dies multos ſe ſubtrahebant: quoniam eſt eis mos dicere, quod mulieribus incumbit onus diſtribuendi & communicandi hos dolores & ægritudines; idque potiſſimum in ea Provincia, quæ Nicaragua appellatur, ubi præſtantiſſima eſt Guajacanus; nec non & in ea Provincia, cui nomen Nagrando, atque aliis Regionibus.

# DE LIGNO SANCTO

## TRACTATUS ALTER.

*Excerptus eſt is tractatus ex lib.* 16. *cap.* 17. *ejuſdem Hiſtoriæ.*

Arbor, quæ apud Indos Lignum Sanctum appellatur, eſt, (ut plerique ſentiunt) ex excellentioribus plantis univerſi, pro morbis, ulceribus, atque aliis, qui illius ope curantur, affectibus evertendis. Multi eam re vera idem cum Guajacano, aut ejuſdem ſpeciem arbitrantur, meditullii, ponderis, medicinaliumque facultatum ratione: Quamvis Lignum hoc Sanctum majora exhibuerit experimenta: quoniam præter morbi (quem de las Buas vocant) curationem, quam ut Guajacanus & longe melius præſtat, multi alii affectus ejus auxilio ſolvuntur, qui per Guajacanum amoveri nequeunt, prout exquiſite magis Medici & alii experientiam edocti eo utentes norunt applicare. Unum tamen hic tantum recenſebo experimentum, quod obſervavi in ægroto, qui morbo de las Buas detinebatur. Is poſt eam contractam ægritudinem per multos annos ulcus antiquum in crure fovebat, & quam frequentiſſime ei innovabantur calamitates, ipſumque male habebant; malumque jam curationem non admiſſurum exiſtimabat; Qui hac uſus eſt curandi forma, quam nunc ſubjiciam. Purgatur æger per pilulas cum cuſtodia, quas (puto) de fumo terræ nuncupant, quæ ſumuntur tranſacta media nocte. Purgatus autem comedit, & vinum bibit optime dilutum: poſt duos dies lecto decumbit; atque interea pullis, ſed parce veſcitur: Ipſoque ita decumbente, jam paratam oportet eſſe aquam decoctionis ligni Sancti, quam ita concinnant. *Sumunt ligni fruſtum, atque ipſum quam minutiſſime incidunt: Intra ollam ſeſquilibram ligni illius inciſi in ſex aquæ phialis infundunt, à noctis crepuſculo uſque ad inſequentem diem dimittunt, mane ad tertias decoquunt:* Tunc illius decocti, quo poteſt ferre actu calidioris poculum ægrotus ſumit: A potu optime ſtragulis ſe tegit, per unam aut alteram horam ſudorem procurat, deinde uſque ad meridiem eandem aquam, ſed frigidam, bibit, quoties libuerit & potuerit, & quando illi erit alimenti neceſſitas id eſto panis affi fruſtulum (biſcoctum privatim dicunt) vel paſſulæ, vel arida quæpiam, & ea quidem pauca. Hæc eſt rei ſumma, quod inedia & copioſus illius aquæ potus (ut diximus) id eſt quod conducit: Atque ita uſque ad meridiem exequenda ſunt quæ recenſui. Poſtea aqua illa extrahenda & verſanda eſt, & alia recens aqua ſuper idem lignum cistra alterius ligni additamentum fundenda: Iterum coquitur cum ſecunda iſta aqua, quæ frigida interdiu erit pro potu: Sitque ægrotans valde cautus oportet, ut ſe in loco clauſo & ab aëris ingruentis injuria munito contineat: Atque hæc ad inſequentem uſque diem perſequatur. Altera die lignum iſtud erit abjiciendum, atque in ollam ligni & aquæ æqualia prioribus pondera rurſus indenda; ea

omnia, quæ de priore die dicta ſunt, repetendo; atque ita de die in diem deinceps, ad duodecim uſque quindecimve dies ſingula exequendo. Quod ſi in hujus temporis intercapedine hoc victus genere imbecillum ſe redditum æger ſenſerit, parvuli pulli carnem eſſe poterit, cibusque ſit ad conſervandas tantum vires non ad augendas; quoniam duodecim (ut diximus) quindecimve diebus elapſis uſque ad dies nonaginta, multum percipiet juvamentum, & quotidie in melius proficiet. Quum autem hujus aquæ potum per ſtatutum jam tempus æger conſummaverit, parvos edet pullos, & prout convaleſcet, ſic paulatim alimentorum menſuram adaugebit. Conſuevere nonnulli poſt quindecim dies exactos, inter aſſumendum aquam ſe iterum expurgare: attamen multa eis incumbit neceſſitas cavendi A eſum rerum acidarum, aceti, olerum, piſcium, & actum venereum per tres illos menſes. Qui ulceribus detinentur, eadem aqua illa perfundunt & abluunt; lineoque panno abſterſa & ſiccata, ſpuma illa, quam aqua inter coquendum profert, & collectam ad hos uſus ſervant, ulcera liniunt; albaque linamenta imponentes, purgatis candidisque lineis pannis obducunt, eos, qui ex muliebribus interulis conſtant, evitantes; & ulcera ſanant: Et profecto vidimus hac ratione curata ulcera, quæ ejuſmodi erant, quod jam curationi omnino rebellia eſſe exiſtimabantur, quod antiqua admodum eſſent, contumacia, mali moris, & nigricantia, adeo quod cancri potius aut lepræ ſpeciem quàm alterius morbi jam præ ſe ferrent. Eſt mea ſententia divinum hoc medicamentum arboris ſeu ligni, quod Sanctum appellant.

# JOANNIS ALMENAR, *Hiſpani*,

*Artium & Medicinæ Doctoris eximii*,

DE

# MORBO GALLICO

## LIBELLUS.

### PRÆFATIO.

*Tam gravi languentium morbo pietate compulſus, de tanta in curando ipſum medicorum ignorantia dolens, meaque erga te benevolentia motus, mi chariſſime Luca, ſummi opificis auxilium imploro. Quatenus mentem meam in ſcribendo illuſtret, in curando mea ſequentibus remedia habilitatem præſtet, infirmis in ſanando gratiam largiatur. Conabor ergo tibi libellum tradere, quo ſanos à morbo Gallico præcavere doceas, infirmos adeo liberes, ut nunquam morbus revertatur, nec uti Empirici faciunt, in lecto ſtare cogas, nocumentum in ore nullum accidere permittas, incurabiles qui reputantur quandoque tales morbos mirifice ſanes, & in curando fiſtulas, cancrum, ſcabiem, lepram, & omnes fere melancholicos morbos doctus efficiaris, neque hoc à veritate alienum putes, quoniam ſi bene perſpexeris, ratione & auctoritate id verum eſſe comprehendes, & ſi expertus fueris, ad ſenſum hoc tibi patere cognoſces, nec me in hoc opuſculo niſi multis experientiis comprobata remedia ſcribere credas, ubi ſi quid minus bene dixero, æquo animo feras, ſin autem ex eo fructum conſequaris, Deo laus & gloria tribuatur, pro mei tamen laboris mercede tibi, & quibus hic labor profecerit, dicere libeat. Te deum ſuppliciter exoramus, ut qui hoc nobis beneficium attulit, tuo beneficio muniatur, ut ab omni animi & corporis miſeria liberetur, & nos liberemur. Amen.*

### CAP. I.

*De morbi Gallici origine, & definitione.*

Convenerunt ſapientes quidam, ut hic morbus, qui apud Italos appellatur Gallicus, nunc dicatur Paturſa, quod interpretatur, paſſio turpis ſaturnina, turpis enim morbus eſt, quia mulieres incaſtas ac irreligioſas reputari facit, & generaliter omnes deturpat. Et ſaturninus, quia à Saturno propter ejus ingreſſum in ariete, aliis cœli diſpoſitionibus coadjuvantibus, originem traxit. Et ſi illi influxus ceſſaverint, non propter hoc morbum ceſſare neceſſe fuit, quoniam plura corpora infecta remanſerunt, à quibus alia inficiuntur, ex quo comprehendi poteſt, quod adhuc per multos annos hic morbus durabit, ideo caveant homines, ut de aliis ſumpto exemplo de ipſis dici poſſit, Felix quem faciunt aliena pericula cautum. Fuit autem diſpoſitio à cœleſti influxu tunc in corporibus impreſſa humorum aduſtiva, ex parte ſigni arietis, quod calidum & ſiccum exiſtit, & per aduſtionem humorum frigidorum & ſiccorum productiva, ex parte Saturni qui frigidus & ſiccus natura exiſtit: qui humores frigidi & ſicci, ſive melancholici, per aduſtionem geniti, pulſi ad varia loca, varios dolores inferunt, & ad cutim varia puſtularum genera producunt, definiatur ergo ſic. Morbus Gallicus ſive paturſa eſt mala epidemialis diſpoſitio in membris corporis, præcipue in hepate & venis & eorum humoribus exiſtens, ex qua veluti accidentia ſequuntur dolores & puſtulæ per univerſum corpus. Tangitur cauſſa efficiens, quum dicitur epidemialis nempe à cœleſti influxu procedens, formalis, quum dicitur mala diſpoſitio, materialis, quum dicitur in membris, etiam tangitur differentia per hoc quod dicit ex qua ſequuntur dolores &c. De finali autem cauſa morbi, medicus corporalis non ſe intromittit. Spirituales tamen medici debent eſſe propter punitionem peccatorum: quare qui ab hoc liberari aut ipſum evitare procurant, a delictis caveant ut mentem ſuam Deo applicent. Solus enim Deus languores ſanat ut inquit Meſ. in *de appropriatis*, ex B qua definitione plura ac utilia ſequuntur corollaria. Primum quod hic morbus eſt unus & non plures, ut quidam inſufficienter dixerunt, quoniam de ipſo non poſſet unica dari definitio, neque unicam ſemper cauſam haberet efficientem, neque unica illi competeret cura, neque unicum haberet nomen, quod inconveniens eſſet, ut pro parte apparuit, & manifeſtius adhuc apparebit. Secundum corollarium quod male arbitrantur, qui de hoc morbo capitulum inveniſſe credunt, ſive capitula, ut de doloribus junĉturarum & de aſaphati, quoniam illis non competit definitio ſuperius aſſignata, præterea non omnes dolores, qui fiunt, ſunt in junĉturis, neque omnes puſtulæ aſſimilantur aſaphati, quare neque hic morbus in eſſe cum illis convenit, neque cura ejus ad curam illorum reduci poteſt, ut inferius manifeſtabitur. Tertium corollarium, quod qui curant tantum puſtulas, aut qui tantum ad dolores advertunt, imperfecte curant. Quis enim perfecte poteſt curare capitis dolorem aut nimiam linguæ ariditatem vel ſitim, quæ à febre proveniunt, niſi prius curetur febris? accidens enim ſequitur morbum ſicut umbra corpus ut Galen. iij. *de accidenti*, & hoc pacto dolores, ut puſtulæ, curari non poſſunt, niſi prius hic morbus curetur, quoniam iſta aut ſunt accidentia, aut ægritudines aſſociatæ, quæ ſequuntur principalem, & curam illius præſupponunt, ut Avicenna in *prima tertii*, & plerisque locis oſtendit. Quartum corollarium, quod ſi quis conjungat C curam Empiricorum & curam iſtorum, qui regulariter operari credunt, ut Empirici ungendo, & ut medici purgando, quod adhuc inſufficiens eſt cura, quoniam per illa medicamina non removetur illa mala complexio, quæ in membris impreſſa eſt, & hæc fuit cauſa, quare multi crediderunt ſe eſſe ſanos & non fuerunt, & ſi aliquis ſanatus eſt, hoc fuit quia per medicinas ſolutivas & unctiones fuerunt humores perfecte evacuati, quibus evacuatis natura fuit potentior ſupra morbum vel ſupra malam illam complexionem & ipſam expulit, hoc tamen non factum eſſet, niſi virtus eſſet fortis & impreſſio fuiſſet modica. ubi autem virtus fuit debilis & impreſſio fortis, non potuit hic morbus expelli, propter hanc diverſitatem in virtute & impreſ-

preſſione quidam potuerunt ſanari abſque medicinis, quidam cum medicinis, & quidam nullo modo ſanari potuerunt, nos autem oſtendemus modum, quem experientia & ratio docuit, ad ſanandum omnes, removendo cum medicinis non ſolum humorem actu facientem dolores & puſtulas, & ipſum qui paratus eſt facere, verum ipſam malam complexionem quæ humores inficit, ipſis tamen prius evacuatis, ut regulariter facere convenit, & in hoc conſiſtit theſaurus curæ. plura alia corollaria inferre poſſem, ſed quia ſuperfluum eſt prolongare ſermonem in rebus, quæ in medicatione nullum afferunt juvamentum, ut ait Galen. *primo regiminis acutorum*, ſatis de hoc dictum puto. Supereſt modo de cauſis determinare.

## CAP. II.

### *De cauſis morbi Gallici.*

Cauſarum duplex eſt genus, quoniam quædam ſunt primitivæ, quædam corporales, & iſtæ duplices, quædam antecedens & quædam conjuncta, primitiva poteſt B eſſe in hoc morbo duplex principaliter. Quarum prima eſt ſola influentia, vel aeris corruptio, per quam cauſam eveniſſe pie credendum eſt in religioſis. Secunda eſt converſatio, ut per oſcula & lactis aſſumptionem, ut in pueris viſum eſt, aut per coitum, ut in pluribus compertum eſt, & frequentiſſime eveniſſe, aliis autem modis & præcipue à ſola influentia vel aëris corruptione rariſſime, & etiam per alios modos converſationis evenire potuit quod tuæ conſiderationi relinquo. Satis eſt ut ſcias, hunc morbum eſſe contagioſum, ut experientia docet, & ratione ſimilitudinis, quam habet cum morbis contagioſis non aliter credendum eſt, unde Avicenna ſecunda primi in complendo ſermonem de diſpoſitionibus ægritudinum: quædam ſunt quæ de uno ad aliud tranſeunt, ſicut lepra, ſcabies, variolæ, febres peſtilentiales, & apoſtemata putrida. Cauſarum vero antecedentium quadruplex eſt genus, ſecundum quod quatuor ſunt humores, qui in materia hujus morbi tranſire parati ſunt propter eorum indiſpoſitionem, aut qui impreſſionem morbi ſuſcipere apti ſunt, ut ſanguis, cholera, phlegma, melancholia. Cauſa vero conjuncta eſt duplex, quia quædam eſt ipſius morbi, & eſt C humor qui primo infectus aut alteratus à cauſis primitivis inficit membra & alios humores, & hinc dicitur quod cauſæ primitivæ movent antecedentes, ſed cauſa conjuncta accidentium eſt humor immediate cauſans dolores aut puſtulas. Sed hic poſſet quæri, an mala qualitas exiſtens in humore, qui eſt cauſa antecedens, poſſit eſſe ægritudo & videtur quod non, cum ægritudo ſit paſſio viventis, & humor non vivat. Ad quod reſpondetur quod humor exiſtens in hepate & venis infectus iſta mala qualitate poteſt eſſe ægritudinis ſubjectum, dato quod illa mala qualitas adhuc non ſit communicata membro, quoniam ipſa poteſt lædere operationem digeſtivam hepatis & venarum, ut humores corruptos generet, ergo per definitionem ægritudinis patet ipſam eſſe ægritudinem. Ad argumentum autem dicitur, quod ſufficit quod vivens ſit ſubjectum denominationis, ſive illud quod denominatur ægrum, non autem oportet quod ſit ſubjectum inhæſionis, imo ſtat quod ipſe humor ſit ſubjectum, cui ipſa ægritudo inhæreat. Et ſi dicatur, quomodo humor poterit eſſe antecedens & in eo eſſe ſubjective ægritudo? Dico quod erit cauſa antecedens reſpectu dolorum & puſtularum D, quia paratus fluere ad loca dolorum & puſtularum, & erit etiam cauſa conjuncta, pro quanto cauſat malam complexionem in membro, & erit ſubjectum ægritudinis pro quanto habet diſpoſitionem, per quam læditur operatio membri, & ipſum facit denominari ægrum. Hæc ſi bene conſideres, omnem difficultatem, quæ circa definitionem fieri aut conſiderari poſſet, comprehendes.

## CAP. III.

### *De ſignis morbi Gallici.*

Signa ſunt læſio ſive nocumentum in virga & præcipue corroſio ſive nocumentum, quod aſſimilatur carolis, gravitas capitis, & colli dolor, qui paulatine expanditur verſus humeros & ſpatulas uſque ad junéturas primo brachiorum deinde tibiarum, & aliquando fit in muſculis & lacertis & aliis nervis, qui ſunt in iſtis membris, & augetur dolor in nocte & de die diminuitur. Cujus cauſa eſt quia humores in nocte à natura moventur propter ipſam E eſſe retractam & fortiorem, & etiam quia ratione humiditatis noctis materia augetur, aut ratione frigiditatis, de die autem natura divertitur à ſenſibilibus & aliis, & non ita humores movet, tum quia debilitata, tum quia circa alias operationes occupata: quia etiam ſigna cauſarum ex parte doloris & puſtularum oſtendam, ex aliis autem jam A patebit in arbore ſignorum inferius declaranda. Si dolor eſt acutus & non multum tarde eminens, & puſtulæ ſunt parvæ ad citrinitatem tendentes vel ulcerantes, & in cute aſperitas appareat, à cholera ſunt. Sin autem dolor eſt extrinſecus paulatim eveniens, & puſtulæ ſunt latæ, ad albedinem tendentes, à phlegmate ſunt, & ſi iſta apparent & ſunt cum pruritu magnifico & aliquali ardore, à phlegmate falſo ſunt. Si vero ad nigredinem tendunt & parvæ etiam, ſunt à melancholia, dolore maxime exiſtente pauco. Sin autem ad rubedinem tendunt, & dolor non eſt multus, à ſanguine fiunt: Iſta tamen ſigna confundi reperies, ſi alia aſpexeris ſigna, quoniam quemadmodum raro accidit corruptio in humore uno ſolo, teſte Galen. *primo regiminis acutorum*, ita raro reperies quod ſolum appareant ſigna ſignificantia ſuper unum humorem ſolum, quia oportet omnia ſigna in mente colligere, & ea comparando ad ſe invicem, comprehendere quod magis dominatur, & juxta illius humoris dominium, ita curam inſtituere.

## PROGNOSTICA.

AD HUNC Morbum magis parati ſunt melancholici propter ſimilitudinem juxta Ariſt. *ſecundo de generatione*, in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. & Avicen. Converſio in genere proportionali facilior eſt quam converſio in contrarium *ſecunda primi* & maxime illi qui ſunt melancholici per aduſtionem, ſecundo illi qui ſunt cholerici, tertio ſanguinei propter humorum abundantiam, minus cæteris ſunt phlegmatici, & horum omnium magis præparati ſunt, qui habent corpora rara, & adhuc omnium magis illi qui malis humoribus repleti ſunt, qui utuntur cibis melancholicis ſicut leguminibus, carnibus antiquis, & hujuſmodi. Et quando hic morbus eſt recens, eſt curabilis, cum autem antiquatur, difficilioris eſt curæ, & tanto magis quanto antiquior, quoniam illa mala complexio continue magis figitur, quare qui hunc morbum patiuntur, quo citius poſſint liberari procurent. Item habentes puſtulas eminentes multas, & dolores paucos, facilius curantur quam qui oppoſito modo ſe habent, & qui nodos habent, qui gummi vulgariter appellantur, difficilius cæteris curantur. Juvenes enim cæteris paribus ſive adoleſcentes facilius cæteris curantur. Unde Galenus, non eſt poſſibile illos, qui in ætate plus proceſſerunt, magis ſalvari quam adoleſcentes. 2. *prognoſticorum*. ſupereſt modo ad curam devenire.

## CAP. IV.

### *De cura morbi Gallici.*

Curam hujus morbi per ſeptem intentiones compleri arbitramur. Prima eſt ventris lenitio. Secunda minorativa evacuatio. Tertia materiæ digeſtio. Quarta ipſius evacuatio. Quinta membrorum alteratio. Sexta ipſorum confortatio. Septima accidentium correctio. Sed quia plus nocet error in ſex rebus non naturalibus, quam fit juvamentum medicinarum teſte Serapione *quinto practicæ ſecundo capitulo*, & Avic. amplius ſcire oportet, quod non omnis complexionis malitia ſuo medicatur contrario &c. immo multoties ſufficit regiminis bonitas, ideo regimen in ſex rebus non naturalibus præponendum eſt. Unde, licet ſanis etiam debeatur regimen, illud appellatur conſervativum. Iſtud autem curativum. Cum igitur omnis cura fit per contraria, ut Galen. III. *techni* & Avic. IIII. *primi*, & hic morbus ſit valde ſiccus, regimen debet declinare ad humidum, & quia quoad eſſentiam ejus eſt calidus, quia aduſtivus, & quoad humores frigidus, quia humores ſunt frigidi & ſicci, oportet temperare regimen, in activis & in paſſivis facere quod declinet ad humidum, licet propter apertionem & humorum ſubtiliationem ac digeſtionem neceſſarium ſit adminiſtrare calida, ipſis tamen oportet admiſcere aliqualiter frigida & confortantia præcipue hepar & venas. Quare ſit aër in activis parumper declinans ad calidum. In paſſivis autem abſolute declinet ad humidum, ſit boni odoris & eventatus, & poteſt fieri in æſtate artificialiter hujuſmodi, ſternendo *folia cannæ*, *ſalicis*, *junci*, *vitis*, *roſas*, *violas*, eis miſcendo *laurum* & res boni odoris, & omnia iſta irrorando cum aqua. Circa cibum & potum diæta non debet eſſe ſubtilis. Unde Hipp. tenues & certæ diætæ in diuturnis paſſionibus difficiles, *quarto primæ particulæ*. ſit ergo panis non calidus nec pluris trium dierum, bene coctus, & fermentatus. Vinum ſit album, clarum, medii ſaporis inter dulce & ponticum cum aqua cocta debite permixtum, aut cum *aqua bugloſſæ*, *boraginis* & ſimilium, & hoc præcipue in declinatione, quia in aliis temporibus poſſent plures materiæ duci ad loca dolorum. Ideo ſi plures dolores adſint, bibatur rubrum uſque in declinationem.

Carnes ſint ex caponibus juvenibus carnoſis, ſed non pinguibus & ex pullis & hædis & vitulis lactantibus & agni annualis, carnes phaſianorum, perdicum, & aviculorum parvarum licet concedi poſſent, tamen meliores ſunt carnes domeſticorum, quia magis de humido participantes. Ex piſcibus conceduntur viventes in bonis aquis, & ex ſupradictis poteſt fieri ferculum ut cum lacte amygdalarum & ſemnum communium, & ptiſana hordeacea eſt valde conveniens, far etiam & hujuſmodi. Ex herbis melior eſt *bugloſſa & borago* ipſa, unde verſus. Borago bona, quam dulcia ſunt tua dona. Semper vireſcis, & in omni tempore creſcis, Inquit Borago gaudia ſemper ago. Item conceduntur *ſpinachiæ*, & in proceſſu *fœniculus, petroſelinum cum lactucis & ſpinachis* miſcendo, & ex his herbis & ipſo *cichoreo* poteſt fieri ſalatucium cum aceto paſſulato. Legumina omnia præter cicera fugienda ſunt & caules. Lacticinia omnia fugienda ſunt, ſed lac fortaſſe concedi poſſet, ubi non eſſet hepatis inflammatio, aut ſtomachi, ubi timeretur ejus facilis corruptio, unde Avic. in *de cura lepræ*. *Lac eſt de convenientioribus medicinis*: ergo propter conformitatem quam habet hic morbus cum illo poſſet concedi, ova conveniunt ſorbilia aut in aqua decocta. Aromata pro confortatione membrorum, & in pauco uſu, & præcipue cinnamomum, concedi poſſunt, ideo in cibariis poteſt poni talis pulvis. Recipe *carvi, aniſi, ammios, petroſelini, apii, marathri, betonicæ, cumini, calamintæ, pulegii, hyſſopi, ſpicæ nardi, pip. ana unc. j majoranæ, folii balſamitæ, ocimi, cardamomi, galangæ, liquiritiæ, ana unc. j.* hic pulvis maxime conveniens eſt habentibus ſtomachum debilem, & cerebrum frigidum, lætificat cor, exacuit ſenſus, & mirabiliter memoriam confortat, fructus convenientes ſunt temperati. In activis aut parum ad calidum declinantes & humidi conveniunt, ergo mora matura & dulcia, uva matura, poma dulcia, apia muſcata, dactylina & hujuſmodi, quæ dari debent cocta ſub prunis. Item conveniunt amygdalæ, pruna Damaſcena, Perſica exſiccata & depilata, infuſa in vino granatorum muzorum. Somnus ſit temperatus, ſuperfluus enim nocet juxta Hipp. *Somnus & vigilia ſupra modum facta, malum: ſecunda partic. aphor.* minus tamen malum eſt declinare ad ſuperfluum ſomnum quam ad ſuperfluam vigiliam, ſemper tamen ſtudeas facere, quod ſomnus ſit temperatus. Unde Avic *ter. prim. c. ix. Somnus temperatus virtutem fortem efficit.* Meridianum autem ſomnum fugiat niſi præ nimio dolore non potuiſſet dormire in nocte. Motus ante cibum factus eſt conveniens temperatus, pulſis ſuperfluitatibus primæ & ſecundæ digeſtionis, melius tamen eſt declinare ad ſuperfluam quietem quam ad ſuperfluum motum, immo quando utitur medicinis, neceſſaria eſt quies, & ideo iſti Empirici cogunt in lecto ſtare, virtus enim tunc totaliter attenta eſt ad morbi expulſionem. Vitanda eſt ira, furor, triſtitia, timor, ſollicitudo, confert lætari, gaudere, bene ſperare, de ſalute ſua confidere, cum amicis & dilectis converſari. Coitus autem ſit temperatus, & celebrata tertia digeſtione. Ventrem habeat lubricum, & ſi non natura, arte diebus interpolatis faciendo tali clyſtere. Recipe *malvarum, fumi terræ, mercurialis ana man. j. boraginis man. s. fiat decoctio, de qua accipiatur q. ſ. & addatur olei unc. iij. ſalis drach. ij.* ſtomacho jejuno imponatur.

PRO PRIMA igitur intentione. Recipe *caſſiæ noviter extractæ, electuarii lenitivi ana drach. v. & cum ſaccharo fiat bolus*, aut diſtemperentur iſta cum *aqua fumi terræ*, aut *aqua fructuum*, aut potes exhibere *mannæ unc. ij. caſſiæ drach. vij.* & cum prædictis diſtemperetur pro divitibus, vel fiat tale clyſma. Recipe *bliti, mercurialis, malvæ, florum chamæmeli ana man. j. fiat decoctio, cui addatur hieræ picræ drach. vj. caſſiæ, ſacch. rubri ana unc. j. olei communis unc. iij. ſalis drach. ij.* adminiſtretur jejuno ſtomacho.

PRO SECUNDA intentione quæ eſt materiæ minoratio. Recipe *florum violarum, florum boraginis ana drach. iij. liquiritiæ raſ. paſſularum e nucleat. ana drach. ij. prunorum, ſebeſten ana numero v. folliculorum ſenæ, epithymi ana drach. j. fiat omnium decoctio, de qua accipiatur quantum ſufficit ad diſtemperandum, caſſiæ noviter extractæ, electuarii lenitivi ana unc. j. electuarii Indi drach. j. s. vel tantundem confectionis hamech, fiat bolus cum ſaccharo, aut diſtemperentur omnia &c.* ut ſupra, vel Recipe *pilularum fœtidarum, de fumo terræ ana ſcrup. j, fiant pilulæ iij. cum melle roſ.* & dentur poſt cœnam electuaria, aut dentur mane.

PRO TERTIA intentione, quæ eſt materiæ digeſtio. Recipe *ſyrupi de fumo terræ, de bugloſſa ana drach. vj. aquarum cichorei, endiviæ, lupulorum ana unc. j.* & continuetur per quinque dies. Deinde detur ſolutivum poſitum in ſequenti intentione, poſtea iterum accipiat alium ſyrupum, ut gratia exempli. Recipe *ſyrupi de ſtœchade unc. j. de fumo terræ. uno. s. aquarum boraginis lupulorum & endiviæ ana unc. j.* tranſactis autem ſex diebus aut ſeptem detur iterum ſolutivum, & poſtea iterum accipiat ſyrupum adhuc fortiorem puta *de epithymo, cum aquis fœniculi, petroſelini &c.* & ſi infirmus faſtiditur ſyrupis, fiat talis decoctio. Rec. *radicum apii, fœniculi, petroſelini, bugloſſæ, ruſci, aſparagi, ab eis extracto medullio, ligneo, capillorum veneris, florum boraginis, & meliſſæ, epithymi, polypodii, thymi, paſſularum an. partes æquales, fiat decoctio & coletur, & addito pauco aceti & modico ſacchari, iterum una bullitione bulliat*, & de ipſa accipiat patiens cyathum unum, modo & ordine calidum ut ſupra. & ſi de hac decoctione jam faſtiditur infirmus, dentur tales aquæ cum ſaccharo. Rec. *aquarum ſcolopendriæ, fœniculi, bugloſſæ, boraginis, fumi terræ ana unc. j. cum modico ſacch. detur ut ſupra.* Sed quia materia eſt adeo rebellis, quod non poteſt per intus ſuſcepta digeri, oportet quod ad extra applicentur, quæ hanc materiam in digerendo juvant, adeo ut quantuncunque materia ſit digeſtioni inobediens, hoc modo digeratur ſcilicet applicando per intus & per extra, nec de hoc mireris, ſcilicet de applicatione medicaminum ad extra ad digerendum, quoniam Gilbertus in cura tertianæ compoſitæ ait, oportere digerere materiam per fomentationes, emplaſtrationes, & hujuſmodi. talis ergo ſervetur ordo, ut prima & ſecunda die accipiat ſyrupum patiens, tertia autem die facias ungi cum unguento inferius deſcribendo omnes partes domeſticas tibiarum & brachiorum & plantas pedum & palmas manuum, leniter tamen & parum apponendo de unguento, & hoc quando vadit patiens dormitum, & mane accipiat etiam ſuum ſyrupum, ita ut in ſexta die ſint accepti ſex ſyrupi, & ſint factæ tres unctiones, & tunc dabis medicinam ſolutivam, & humores, qui per os expelli deberent, ad inferiora divertentur, & ſic evitabitur nocumentum in ore. In diebus autem ſequentibus ſimili modo utaris, fortificando tamen aliquantulum digeſtivum, & etiam unguentum, ponendo magis de theriaca & argento vivo. Potes etiam illa loca fomentare cum *decoctione melilloti, radicum althææ*, & ſimilium, & hoc faciendo mane, & ſic erunt tria ingenia ſimul ad digerendum ſcilicet ſyrupi, unctiones, & fomentationes.

Sequitur modo deſcriptio unguenti. Rec. *butyri unc. iij. axungiæ porci mediæ inter recentem & antiquam lib. j. theriacæ ætatis decem annorum. unc. j. s. mithridatii. unc. j. argenti vivi. unc. ij. s. lithargyrii auri, ſalis communis ana unc. j. fiat unguentum ex iſtis incorporando tantum de aqua fumi terræ & ſcabioſæ, quantum poterit incorporari*, & hoc unguentum eſt propria medicina hujus morbi, & ultimum & majus ſecretum, quod eſſe poſſet circa ea, quæ exterius aplicantur. de his autem quæ interius applicantur principalius & majus iſto eſt aqua deſtillationis theriacæ ut videbitur.

PRO QUARTA intentione, quæ eſt ipſius materiæ digeſtæ evacuatio, In forma potabili primo. Rec. *electuarii lenitivi, caſſiæ noviter extractæ ana drach. iij. electuarii Indi minoris, confectionis hamech. ana drach. ij. cum aqua fructuum, vel cum decoctione prius dicta*, detur mane dormiendo deſuper per horam, poſſunt etiam iſta diſtemperari cum *aqua bugloſſæ, & endiviæ, de fumo terræ*, & ſimilibus q. ſ. vel loco *caſſiæ* ponendo *mannæ. drach. vi.* pro divitibus, vel pro ipſis divitibus detur talis medicina. Rec. *liquiritiæ raſ. paſſularum aa. drach. ij. ſubeſten numero 4. florum boraginis, bugloſſæ an. ma. unum, folliculorum ſenæ unc. s. tamarind. drach. j. bulliant in aquæ bugloſ. fumi terræ an. q. s. de qua decoctione ſumantur unc. ij. in quibus infundantur rhabarbari ſcrup. iiij. agarici ſcrupuli. ij. ſpicæ gran. iiij. ſtent per octo horas in infuſione, & fiat expreſſio, cui addatur electuarii lenitivi drach. vj. electuarii Indi minoris, confectionis Hamech. an. drach. j. s. & fiat potio*, quæ exhibeatur modo ut ſupra, hoc tamen gratia exempli dictum ſit. Pilulæ convenientes ſunt *pilulæ de hermodactylis, de fumo terræ, Indæ, aggregativæ ut gratia exempli.* Recipe *pilularum de hermodactylis, de fumo terræ ana ſcrup. j. fœtidarum ſcrup. ij. cum ſyrupo de ſtœchade fiant pilulæ pro una vice*, quas accipiet patiens mane, & dormiet deſuper per horas tres aut quatuor, omnia iſta ſint dicta gratia exempli, quoniam tua intereſt ſecundum exigentiam particularium variare, ſi opus erit: iſta ſolutiva ſunt accipienda in ſexta die, prout dictum eſt in præcedenti intentione, & eo ordine procedendum eſt.

PRO QUINTA intentione fiat balneum ſive ſtupha cum aqua dulci, in qua bulliant, *malvæ, biſmalvæ, melilotum, chamæmelum, roſæ, lapathum, fumus terræ*, & hoc debet fieri poſt purgationem in die ſequenti. Hoc enim pacto fit conveniens alteratio, & humectatio, quæ maxime requiſita eſt, & quum incipit ſudare, accipiet infraſcriptam aquam. Recipe *radicis althææ, fumi terræ, lapathi, inulæ ana lib. s. & minutim incidantur & ponantur in quatuor libris vini malvatici ad remolliendum per unum diem, &*

*& unam noctem, poſtea addatur theriacæ ætatis decem annorum, aut plus. unc. j. ſ. & ſenatur in alembico, & deſtilletur aqua, de qua accipiantur unc. iij. cum unc. ij. aquæ bugloſſæ* in principio ut dictum eſt, & iſta ſtupha reiteretur omnibus ſex diebus tranſactis aut ſeptem, bibendo iſtam aquam, quæ eſt optima & ſingularis, & in hoc morbo magnum ſecretum, & ultimum eſt cauterium.

PRO SEXTA intentione, quæ eſt membrorum confortatio. Recipe *lætificantis Galen. unc. iij. diamoſchi dulcis drach. vj. aromatici caryophyl. drach. ſ. electuarii regum drach. j. conſervæ bug. cydoneorum, boraginis ana unc. j. ſyrupi de pomis. q. ſ. fiat electuarium, de quo accipiantur mane drach. ij. vel cochlear unum.* Item. Rec. *theriacæ Andromachi habentis ætatem annorum x. ad minus unc. j. mithridatii. unc. ſ. ſeminis citri, boli armenæ ana drach. j. incorporentur omnia ultimata contritione, & cum aqua roſarum moſchata fiat electuarium, de quo accipiat ad quantitatem avellanæ, vel drach. j.* Item poteſt fieri talis confectio ad reſtituendum, ſi debilis valde fuerit, ut ſæpe accidit. Recipe *amygdalarum dulcium, avellanarum ana unc. j. piſtachiorum unc. ſ. ſeminum communium frigidorum drach. vj. ſacchari fini, penidiorum, pulpæ caponis ana unc. iij. cum aqua roſata fiat confectio in morſellis.*

Item ad hoc valent epithemata, ſacculi cordiales, & hujuſmodi, quæ narrare prolixum eſſet nimis.

PRO SEPTIMA intentione, quæ eſt accidentium correctio pro doloribus, ſi nimium & intolerabiliter infeſtaverit. Recipe *radicis liliorum, ſeminum hyoſciami ana drach. iij. ceruſſæ. unc. j. medullæ cervi, & vituli ana unc. ij. olei antiqui, & ceræ q. ſ.* & fiat unguentum, quo liniatur locus doloris, aut poteſt poni modicum *opii*, ſi ultima neceſſitas fuerit, & quoniam iſta narcotica non debent applicari niſi urgente maxima neceſſitate, dicente Avic. xvj. *tertii.* In narcoticis timor, & Meſ. ſi excuſari potes non propinare melius eſt, dimittantur pro poſſe, & prius tententur anodina, & vere ſedantia, ſicut *anethum, chamæmelum, melilotum, althæa, vitellus ovi, lac maxime humanum*, & hujuſmodi.

Pro puſtulis utere prædicto unguento, vel Rec. *terebinthinæ, pinguedinis hirci ana unc. j. ceruſſæ, lithargyrii auri, aluminis uſti ana unc. ſ. olei laurini unc. ij. ceræ. q. ſ. fiat unguentum* pro puſtulis ulcerofis, fiſtulis, & cancro. Rec. *nitri, ſuliginis, lithargyrii, tartari cocti ſub cineribus in frondibus caulium, auripigmenti, piperis, olibani, vitellorum ovorum ana unc. iiij. radicis enulæ, lapathi acuti in forti lixivio cocti ana drach. ij. ſucci fumi terræ, ſucci lapathi acuti, & abſinthii, chelidonii, enulæ, fabæ Græcæ, abrotani, de omnibus his ſuccis ana unc. iij. hellebori albi, ſaponis ſaraceni, ſulphuris vivi ana drach. ſ. omnes ſucci bulliant, depurentur & colentur, & poſtea radices lapathi & enulæ tritæ ponantur, deinde ſapo, poſtea pulvis ſpecierum, & tunc adde olei communis, axungiæ porci, & ceræ ana drach. ij. argenti vivi cum axungia extincti. unc. j. & fiat unguentum* quod erit mirabile ad ſupradicta. Pro gummi vel nodis *accipe radices althææ, & in vino albo coque, & cum axungia gallinæ tere, & ſuper pone.* Item. Rec. *mucilaginis ſeminis lini, mucilaginis althææ ana drach. ij. olei de ſpica, amygdalarum dulcium, chamamel. ana unc. ſ. butyri unc. j. gummi Arabici, tragacanthi ana drach. j. cum cera fiat unguentum* ad mollificandum & reſolvendum mirabile. Ad idem valet *cerotum de mucilaginibus, oeſypus humida* & ſimilia. Item ad omnia iſta valet unguentum, quod ſolet fieri ad ſcabiem ut Recipe *terebinthinæ bene lotæ uncias quatuor, butyri loti unc. ij. ſalis drach. j. ſucci citrangulorum, vitellorum ovorum ana num. iij. olei roſar. unc. j. miſceantur omnia ſimul & fiat unguentum.* Multa alia poſſem hic convenientia ſcribere, ſed quia remoto morbo principali, iſta omnia facillime removentur, iſta ſufficiant. Sed pro nocumento oris, ſi acciderit. Rec. *roſarum alb. & rub. ana m. ſ. chamæmeli, ſalviæ ana m. j. bulliant in vino albo, & colentur, cui colaturæ addatur aluminis uſti drach. ij. diamoron, mellis roſ. colati ana unc. ſ. vini granatorum unc. ij. miſceantur,* & lavetur os ſæpe in die, & debet eſſe vinum una phiala & media, & loco vini poteſt poni *aqua plantaginis, ſolani, & ſcabioſæ, vel ſemper vivi*, & poſſunt addi in decoctione *camphoræ gran. v. vel philonii drach. ſ.* plus aut minus ſecundum doloris exigentiam, ſed ut dictum eſt, ab iſtis cavendum eſt narcoticis. Item valent fruſta cucurbitæ viridia in ore retenta, valet etiam lavare os cum lacte, miſcendo cum eo *aquam nenupharis & ſolani*, & multa alia hic ponere poſſem, ſed quia in ore non accidet nocumentum, ſi bene & juxta prædicta operatus fueris, ſatis dictum ſit. Supereſt modo de modo evitandi morbum loqui.

## CAP. V.

*De cautela in evitando morbum Gallicum.*

Qui Gallicum morbum evitare procurant, imprimis à delictis caveant. Unde dici ſolet propter peccata veniunt adverſa, & maxime à peccato luxuriæ cavere debent, nam dicitur Job *tertio*, luxuria ignis eſt uſque ad conſumptionem devorans, & ſpirituales medici dicunt, quod diverſæ ægritudines veniunt propter diverſa peccata, ut febris quotidiana propter peccatum ſuperbiæ, podagra propter pigritiam, lepra propter luxuriam, & ſic de aliis. Quum ergo iſte morbus lepræ aſſimilatur, luxuriæ attribuendus eſt. Sed quia hæc ad alium medicum pertinent, ſatis dictum ſit. Dicamus ergo quod noſtra intereſt ſcilicet ut caveat homo à nimia converſatione cum infectis, & præcipue à coitu cum infecta muliere, eſt enim hic morbus contagioſus, unde Avicenna *ſecunda primi in completo ſermone in ægritudinibus* ſic ait.

*De ægritudinibus, quædam eſt quæ ab uno ad aliud tranſit, ſicut lepra, ſcabies, variolæ, & febres peſtilentiales, etiam apoſtemata putrida, cum ergo hæc ægritudo aut lepræ, aut ſcabiei conformatur, contagioſam dicere convenit.*

Item cavendum eſt ab his, quæ humores malos generant, & præcipue qui multiplicant humorem melancholicum, ut oſtenſum fuit in regimine per ſex res non naturales, & ſi contingat quod accidat nocumentum in virga propter coitum, ſtatim occurrendum eſt cum ſequenti lotione. Recipe *roris marini, ſalviæ, chamæmeli ana man. ſ. bulliant in vino albo, cui poſtea facta colatura addatur vini granatorum unc. ij. mellis roſati unc. ſ.* madefiat virga ſeu locus infectus cum hac decoctione, poſtea aſpergatur deſuper talis pulvis. Recipe *lithargyrii auri, ceruſſæ, iridis, tutiæ, nucum cupreſſi ana drach. j. pulverizentur optime*, & poſt lotionem ponatur, & ſi hic pulvis erit nimis fortis, addatur *thuris, maſtichis, myrrhæ ana drach. j.* pro majori tamen ſecuritate, cum coitum perfecerit homo, vel mulier, ſe optime abſtergat circa pudibunda cum camiſia aut alio panno lineo mundo, & caveat à pannis ipſarum mulierum, quoniam infecti ſunt, & poſtquam ita fecerit, pro majori adhuc ſecuritate abluet locum cum aqua calida aut vino albo, cavendum enim eſt ab aqua frigida, quoniam ipſa materiam compingit, unde in fricatione coitus adhæret aliqua limoſitas, ſive humiditas in virga, quæ eſt cauſa infectionis virgæ & corporis, igitur bonum erit hoc uti regimine, ut removeatur illa infectio, ſeu ſordities.

## CAP. VI.

*De ſolutione difficultatum, quæ moveri poſſunt circa hunc morbum.*

Si quæratur, quare hic morbus incipit à pudibundis? dicunt quidam inepti quod ideo eſt, quia ibi magis abundant humores corruptioni parati, ſed contra, ſi hæc ratio eſſet ſufficiens, omnes fere ægritudines ibi haberent initium, ideo dicatur quod inter membra illa & morbi qualitatem talis eſt conformitas, & hoc merito talis influxus, non enim quodlibet agit in quodlibet, ſed determinatum in determinatum phyſicorum prim. ſic. Hic morbus aptus eſt primo recipi in virga, & deinde in collo, capite, & humeris, & non in aliis locis, unde ille influxus, qui fuit illis temporibus, capiti & virgæ inimicabatur. Et ſi quæratur quare terminatur per os? reſpondetur quod hoc eſt merito argenti vivi à ſua proprietate hoc faciens ſcilicet trahendo humores verſus illas partes. Aut melius, quod argentum vivum ſua caliditate humores ſubtiliat & calefacit & hoc modo aptos reddit, ut per ſuperiora eos natura expellat, unde Paulus ponit ipſum calidum & humidum in quarto, cui magis adhæreo, quam Avic. qui ponit frigidum in ſecundo.

Et ſi quæratur, quare os fœtet? dicendum quod hoc eſt ab argento vivo, cujus proprietas eſt, ut faciat fœtere os fumus ejus ut Avicen. *ſecundo canone cap. ſuo.* & ab eo etiam provenit dolor capitis, & nocumentum in ore, ut ex natura ſua colligitur, accedit ad hoc humor qui eſt aduſtus, putridus, & malus, qui habet facere eadem accidentia, ideo nil mirum ſi tantus dolor, quare ſummum remedium eſt, ut, quum incipit humor expelli per os, divertatur cum medicinis per ſuperius & inferius exhibitis ad partes inferiores.

Et ſi quæratur quare aliqui quantumcunque parati ad ægritudines melancholicas merito complexionis & mali regiminis & coeuntes cum iſtis infectis, non inficiuntur? dico, quod hoc fortaſſe eſt, quia eorum corpora ſunt magis denſa, & ex conſequenti difficulter impreſſionem recipien-

cipientia magis quam cætera, aut merito proprietatis individualis, quæ diversa in diversis reperitur, ut Avicen. *prima primi*. Et si quæratur quare argentum vivum juvat magis, quam cæteræ medicinæ præter dictillationem theriacalem superius descriptam, dicendum hoc esse à proprietate, aut melius à qualitate manifesta, quia calidum & humidum in ultimo, & morbus frigidus & siccus. quod autem sit morbus frigidus & siccus persuadetur, primo quia saturninus, ut ostensum est. Secundo quia compertum est humida juvamentum præstare & calida. Item quia similitudinem habet cum lepra, quæ est morbus frigidus & siccus, & cum aliis melancholicis morbis. Item quia ægritudo longa, unde Avicen. *prima tertii tractatu secundo, cap. ultimo*. Ægritudo, cujus tempus prolongatum est, est frigida secundum omnem dispositionem. Et confirmatur, quia raro videmus istam materiam putrefieri, & causare febrem, unde Galen. nullius rei proprietas est, ut putrefiat ex frigido, neque ex sicco, secundo de complexionibus, quare dicendum est hoc esse propterea, quia frigida & sicca ægritudo.

Et si quæratur, quare sæpe accidit, ut remedia aliqua videantur in principio conferre, sed postquam continuantur, non perseverat juvamentum?

Dicendum hoc esse duplici de causa, quarum una est ex parte naturæ, alia ex parte ægritudinis. ex parte naturæ, quia in continuatione fastiditur, & in renovatione gaudet. Alia est ex parte morbi, quia etsi in principio remedium contrarietur morbo, in processu cessat contrarietas propter assuefactionem, & ideo ait Avic. *ab ipso quod consuetum est non fit passio. quarta primi*. Unde videmus aliqua animalia in prima obviatione esse contraria & inimica, sed postquam assuefit eorum conversatio, cessat illa inimicitia, & tunc domesticantur, & cessat inter ipsa actio sive pugna, pariter judicandum est hoc inter qualitates esse, & si dicatur contra, quia agente debite approximato & passo bene disposito &c. de necessitate sequitur actio. Respondetur quod in hoc casu bene sequitur actio, sed adeo pauca quod nullius est momenti. Aut dicitur quod propter assuefactionem cessat dispositio in patiente, ex quo sequitur quod permutatio medicinarum, dummodo non egrediantur propositum, maximæ utilitatis est, ut Avic. *allegato loco*.

Et si quæratur utrum phlebotomia sit conveniens? dico quod in principio, & antequam materia sit expansa ad loca doloris, ex quo ipsa est in venis & sanguini mixta, maxime si etiam neque fuerit expansa ad cutim, ipsa est conveniens, si particularia conveniunt, in processu autem non convenit, nisi factis vel applicatis unctionibus, & aliis medicaminibus, quoniam cum natura tentavit expellere humores, adjuta à medicinis, permiscuit cum sanguine aliquid de ipsis, quare ad minus ventosæ non vituperantur, sed hoc cum cautela, ne humores frigidi magis incrudentur, aut calidi magis inflammentur juxta Avic. *quarta primi*. Cave ne ægrum ad unam duarum perducas rerum aut humorum cholericorum ebullitionem aut frigidorum cruditatem. In hoc autem casu magis timetur cruditas quam ebullitio, & ideo raro conveniens est, & expertum est multis nocuisse potius, quam juvasse.

Et si quæratur, dolores qui fiunt, qualiter appellari debent? Dico quod ut plurimum extensivi, unde Avic. *Doloris extensivi causa est ventositas, aut humor, qui nervum aut musculum extendit, ac si ipsum ad suas trahat extremitates, secunda primi*, nec verum est quod quidam existimant, quod hic dolor sit frangitivus, quia judicant hanc materiam esse inter ossa, & panniculum fundantes se in dicto Avic. Causa doloris frangitivi est aut ventositas quæ interponitur inter os & panniculum, qui tegit ipsum, & non loquitur Avic. de panniculo immediate tegente os, quia ille insensibilis est, sed loquitur de illis, qui non immediate adhærent ossi sicut panniculus tegens costas, aut cranium, & hujusmodi, quare cum in illis locis non fiat hic dolor non debet sic appellari.

Et si quæratur, pustulæ quæ fiunt in hoc morbo, quibus pustulis magis proportionantur? dico quod illis quæ vocantur asaphati ab Avic. qui sic ait. *Asaphati est summa bothor ulcerosarum seu vis. quercus can. cap. de asaphati*, tamen sæpe accidunt, quæ aliis assimilantur, ut quæ assimilantur nodis, fistulis, cancris, esseris, formicæ, & aliis fere omnibus, ut considerati patet. Sed quia nominum disputatio non pertinet medico ut Avic. 1. *primi, doctrina sexta v. c.* in hoc sermonem prolongare non intendo, quemadmodum alii, qui ignorantes essentiam morbi & causas ipsius & ex consequenti curam, nonnisi de nominibus fecerunt mentionem, quorum opus quare fuerit impressum comprehendere nequeo.

Et si quæratur quare dolores augentur in secunda aut tertia die unctionis? Respondetur, quod tum humores moventur, tum quia subtiliantur in sanatione seu digestione, quæ fit merito unctionis juxta *aphorismum secundæ particulæ*. In generatione saniei febres & dolores fiunt magis quam facta sanie, & ideo optimum & singulare secretum est, eo tunc administrare solutivum, ut antequam humor per os expellatur, deorsum evacuetur, & sic nocumentum in ore evitatur, ut ego sæpius expertus sum. aut si pustulas seu plagas ulcerosas habuerit, ibi attrahentia ponantur, ut humor inde evacuetur, & ab ore divertatur. ex quo infertur quod verior est opinio, quæ dicit argentum vivum esse calidum, quam quæ dicit esse frigidum, quum ratione ipsius humor subtilietur, & ponatur in motu ut ostenditur. Sed contra ait studiosus juvenis Vincentius Ajax Siculus.

Argentum vivum causat ægritudines frigidas ut epilepsiam, paralysim, & hujusmodi ut Avicen. *secundo canon.* & alii, ergo frigidum, quia simile nonnisi à simili generatur, ut habetur in physicis.

Ad quod respondetur, quod verum esset si per se causaret has ægritudines, sed has causat per accidens scilicet debilitando, quum sit contrarium cerebro, & nervis ratione complexionis, quia calidum & humidum, & naturalis complexio juvatur suo simili, & læditur contrario, *tertio techni*, calidiora enim calidioribus indigent adjutoriis, quare ob debilitatem humores frigidos generant, & eos faciliter recipiunt cerebrum ipsum dico & nervi, & sic patet clare solutio, quia non inconvenit quod aliquid generet ab eo diversum per accidens, ut frigidum, calidum, & calidum frigidum & sic de aliis.

Item quæsitum fuit à quodam acutissimo juvene Franciscо de Carmino, utrum argentum vivum sit conveniens in hac ægritudine, quum secundum mentem omnium auctorum inimicetur nervis, & hæc ægritudo pro majori parte est in nervis.

Item ait ipse, fama, quam omnes efferunt, non omnino vana, septimo ethicorum, sed omnes fere dicunt argentum vivum esse contrarium, & unctiones propterea vituperant, igitur &c. Ad quæ per me respondetur fuit quod argentum vivum est conveniens propter rationes superius dictas, sed ad primum argumentum dico, quod licet habeat in se aliquod nocumentum, tamen postquam corrigitur, ut ostenditur suo loco, multo majus juvamentum fit.

Vel posset dici, quod ideo argentum vivum est contrarium nervis, quia ejus complexio est contraria complexioni naturali nervorum, & ita in sanitate noceret ipsis nervis, sed quia nervi sunt dyscrasiati ad frigidum & siccum & per argentum vivum removetur illa dyscrasia, donec revertantur ad suam eucrasiam, ideo posset dici quod absolute est conveniens, unde aliqua in ægritudine conveniunt, quæ in sanitate disconvenirent, & traherent corpus ad lapsum præternaturalem. Ad secundam rationem dico quod notanter ait Aristot. non omnino vana, quia non vult quod nullo modo sit vera, habet enim aliquid veritatis pro quanto argentum vivum, ut probatum est, habet aliquid nocumenti, non propter hoc est prohibendum ex toto, & maxime correctum, ait enim Galen. xi. *de ingenio sanitatis, difficillimum est invenire aliquod auxilorum, quod nihil nocens conferat*. Item fuit quæsitum ab alio, quare dolores magis multiplicantur in junctуris, quam in aliis locis, cum ex motu deberent magis resolvi? & fuit subtilis juvenis Jacobus Royer, ad quod responsum est, quod magis facit vacuitas ad aggregandum quam motus ad resolvendum, unde Avicenna *secunda Fen. primi Canonis*. Amplitudo, quæ est apud junctуram, est apta, ut materia ad ipsam descendat.

## CAP. VII.

### *De explanatione arboris signorum.*

Omne signum ægritudinis aut sumitur à re nonnaturali, aut re naturali, aut à re præter naturam. A re nonnaturali, ut in quo aëre stetit infirmus, quibus cibariis, quo potu usus sit, quo exercitio, quo somno, qua vigilia, & sic de aliis. A re naturali, ut cujus ætatis sit infirmus, qualis sit ejus consuetudo, qualis ars, qualis virtus, qualis complexio & hujusmodi. A re præter naturam tripliciter, ab operatione læsa, qualitate mutata, ab exeunte mutato. Ab operatione læsa tripliciter aut animali aut vitali, aut naturali. Ab animali dupliciter, motiva & sensitiva. Sensitiva dupliciter, interiori & exteriori, exemplum de motiva, ut qualiter possit moveri secundum totum & secundum membra, exemplum de sensitiva exteriori, ut qualiter videat, audiat, olfaciat, tangat ut puta quem dolorem percipiat, quem saporem in ore sentiat. Exemplum de sensitiva interiori ut quales habeat imaginationes, quale judicium, qualem memoriam, qualia somnia. Exemplum de vitali, ut qualem pulsum, qua-



# ARBOR SIGNORVM.



qualem anhelitum habeat, de animæ paſſionibus in ſex rebus non naturalibus, fiat inquiſitio. Si ſumitur à naturali operatione, hoc dupliciter, aut ab operatione virtutum miniſtrantium, aut miniſtratarum. Exemplum primi ut qualiter appetat, retineat, digerat, attrahat, atque expellat, puta egerat, urinet, menſtrua habeat, coëat, ſub re nonnaturali comprehendatur. Exemplum de adminiſtratis, ut qualiter nutriatur, & de omnibus iſtis operationibus, inveſtigando an ſit diminuta, an ablata, an corrupta operatio. A qualitate mutata ut qualis ſit odor anhelitus infirmi, qualis ſudoris, qualis vulneris, ulceris, aut ſanici. Qualis ſit etiam color linguæ, oculorum, & totius corporis, qualis humiditas, qualis ſiccitas &c. aſperitas, lenitas, duricies, molliries linguæ, ventris, & totius corporis. Ab exeunte mutato, ut quantæ & quales ſint ſuperfluitates oculorum, narium, aurium, palati. Qualis ſit vomitus, & quantus, ac etiam eructatio, qualis item urina, egeſtiones, capitis, ſubaxillarium, pedumque ſordities, & totius corporis ſudor, alices, oſcitationes, nauſea, ſubverſio ad naturales operationes expulſivas reduci poſſunt, quia à natura tentante expellere fiunt. Unde

SIGNA ſanguinis iſta ſunt. A re nonnaturali, quia uſus eſt regimine multiplicante ſanguinem, ut quia utitur arte hilari, ſicut cantator aut hiſtrio, vel quia utitur cibis multiplicantibus ſanguinem & potibus, ut ſunt ova ſorbilia, teſticuli gallorum, vinum optimum, & hujuſmodi. A re naturali, quia carnoſus, complexionis ſanguineæ, adoleſcens, ſeu juvenis, & ſimilia. A re præter naturam, & primo ab operatione læſa; gravitas in origine oculorum & capitis, & temporum pulſatio, alices, oſcitationes, nauſea, dormitatio multa, & profunda ſenſuum turbatio, tarditas in cogitando, laſſitudo membrorum abſque labore, pulſus magnitudo, velocitas & frequentia, repletio vaſorum, ſive venæ, ſive arteriæ fuerint. A qualitate mutata, rubedo in toto corpore, & maxime in venis oculorum, repletio ipſarum, bothor in ore. Ab exeunte mutato, urina rubea groſſa, aut rubea obſcura, aut rubea roſea. in egeſtionibus non apparet concoctionis ſignum, Sputum eſt dulce, aliquando ſanguini mixtum, exitus ſanguinis per nares aliquando à gingivis, aut menſtrua, vel hæmorrhoides, vel per alia loca, ſudor fœtidus ſicut hirci, etiam multus, puſtulæ ſanguineæ, & his additur, quia patiens ſomniat ſe videre res rubeas, ſanguinem fluere, natare in eo. Unde quarto Coll. recitatur de Galen. quod præceperat phlebotomari quendam, qui ſomniavit in dolio ſanguinis ſe balneari, alii vero nolentes exercitium loco phlebotomiæ ſibi elegerunt, & mortui ſunt.

SIGNA choleræ à re non naturali, quia uſus exercitio forti, ſtetit in aëre calido, uſus eſt cibariis calidis & ſiccis choleram multiplicantibus &c. A re naturali, quia juvenis, cholericus, & hujuſmodi. A re præter naturam, & primo ab operatione læſa, quia habet infirmus ſitim multam, inquietudinem, dolorem in parte dextra frontis, & vehementia lucis ei nocet, & quandoque habet famem ſyncopalem, debilitaſque appetitus, adeſt nauſea, horripilatio ad modum puncturæ acuum, furor, mordicatio vehemens in exitu ſecum, ſimiliter & urinæ, pulſus velocitas cum duritie, & tenſione. Hic poteſt conſequenter poni de ſomniis, quia potius attinet actioni læſæ, ut quia videt res citrinas igneas, quia facit rixas, & aliquando ſomniat ſe volare. A qualitate mutata, ut citrinitas facici, & totius corporis oculorum citrinitas, ſicut accidit in ictericia, oris amaritudo, linguæ ſiccitas, & aſperitas, narium ariditas. Ab exeunte mutato, urina rufa, citrangularis, ignea, crocea, egeſtionis croceæ, ſputum amarum, vomitus cholericus, viridis, vel croceus, & amarus, humiditas narium & oculorum acuta, cholerica & pauca, aurium vero multa.

SIGNA phlegmatis à re non naturali, ut cibi repletio, otium, ſomni prolixitas &c. A re naturali, ut quia complexionis phlegmaticæ, piſcator, pinguis & hujuſmodi. A re præter naturam & primo ab actione læſa, paucitas ſitis, niſi ubi fuerit phlegma ſalſum, debilitas digeſtivæ etiam in tempore ſanitatis, oxyregmia, ſomnus multus, pigritia, otioſitas, membrorum laxitas, ponderoſitas oculorum, oblivio, dolor in poſteriori parte capitis, vertigo, ſcotomia, caſus appetitus, appetitus acutorum & acrium, nauſea, eructatio, dolor gravativus, frigiditas in capite & ſtomacho percepta, ejus notabilis læſio, ibi enim multum aggregatur de phlegmate, ut Avicenna *decima tertia tertii*, & Meſ. *in de appropriatis*, raritas, tarditas, & lenitas pulſus. A qualitate mutata, frigiditas percepta, color albus in facie, & corpore, ſuperfluens albedo linguæ, mollities ejus ſuperflua, ſqualliditas corporis, tumor etiam facici cum mollitie. Ab exeunte mutato, urina alba, diſcolorata, palearis vel ſubcitrina, egeſtiones phlegmaticæ, albæ, viſcoſæ, ſeu mucoſæ, aquoſæ & hujuſmodi, ſputum viſcoſum, aquoſum, multiplicatio ſalivæ non amaræ, ſed ponticæ, multitudo ſuperfluitatis egreſſæ per nares & palatum, & additur ſomniare aquas, nives, pluvias, & hujuſmodi, quæ ad operationes læſas reduci poſſunt.

SIGNA melancholiæ, primo à re non naturali, ut quia uſus eſt nimia cogitatione, ſollicitudine, timore &c. puta cibis melancholicis & hujuſmodi. A re naturali, quia complexionis melancholicæ & conſuetus incurrere ægritudines melancholicas & ſimilia. A re præter naturam, & primo ab actione læſa, quia in capite ſentitur gravitas, & magis in parte ſiniſtra, ardor oris, ſtomachi deſiderium corruptum, & aliquando caninum, vigilia multa, ſolitudo multa, læſio ſeu ægritudo ſplenis, ut dolor, & gravitas ſeu durities, taciturnitas, cogitationes multæ, fletus ſeu voluntas flendi, fixio aſpectus, rugitus, pigritia, tenſio hypochondriorum, paucitas ſomni, ſi non fuerit cum phlegmate acredo, vel acetoſitas oris, parvitas pulſus cum duritie, corporis extenuatio. A qualitate mutata, fuſcedo in corpore apparens ſeu nigredo, corporis piloſitas, morphea nigra, & eſt fortiſſimum ſignum ut Aver. 4. *Coll.* in palpebra inferiori oculi, maxime nigredo & limpitudo in eis. Ab exeunte mutato, urina nigra vel ſubnigra ad obſcuritatem tendens, viridis, livida, nigredo egeſtionum ſeu fuſcedo, paucitas ſputi, acredo ejus, eructationes acetoſæ, ſanguis niger, & coagulatus ſi exiverit. Somnia ſunt multum terrorem inferentia. Etiam poteſt addi à juvantibus, & nocentibus.

Notandum tamen quod ea tria, quæ Galenus ponit genera ſignorum, ſcilicet à ſubſtantialiter inhærentibus, à caſibus, & operationibus, ad iſta tria reduci poſſunt, vel iſta tria ad illa, & ſi hic ponatur, ut in arbore, apparet à re naturali & non naturali à juvantibus & nocentibus quod poni poſſet, omnia tamen ad illa tria Galeni reduci poſſunt, ut patet recte conſideranti.

# ALOYSII LOBERÆ, *Abulani*,

## *Cæſarei Medici*,

## DE

# MORBO GALLICO,

## TRACTATUS,

*Ex libro Aulicarum quatuor ægritudinum erutus, atque ex Hiſpano accuratiſſime Latinus factus.*

### CAP. I.

*De Curatione Morbi Gallici.*

Morbus Gallicus adeo jam propter flagitia noſtra invaluit, & corporibus noſtris communicatus eſt, ut neque explicandis illius ſignis conterendum mihi tempus ſit, neque unde in Hiſpaniam delata tam pernicioſa fuerit ægritudo, quæ humana membra excruciat, narrandum. Quare ad varia, quæ comprobata ſunt ab experientia, aſſignanda remedia pro curatione tantæ luis me convertam. Sunt Medici nonnulli, qui hanc ipſam ægri-

tudinem nolint inter initia curare, rati ab humore melancholico ipſam fieri, qui naturæ parum obediens eſt, & multorum dierum intervallo indiget, ut digeratur, & evacuetur, quod ſi quis inter initia curare illam moliretur, voti compos minime fieret, imo incommodorum autor multorum foret, ex ſubtilis humoris evacuatione, non item illius qui peccat, quippe qui magis magiſque incrudeſceret, terreſtriſque efficeretur, ita ut nunquam exactam hujuſmodi ægrotus ſanitatem conſequi poſſet, ex quo poſtea illud conſequeretur, nempe ut in morbi longitudines incideret, dum brevi tempore curari ſperaret. Verum enimvero non mediocriter Medici tales decipiuntur, neque enim ex humore duntaxat melancholico morbus Gallicus fit, ſed plerumque ex aliis humoribus cum naturali & nonnaturali melancholia permiſtis, qui naturæ parent, & benigni ſunt, ut ſanguis, vel miſcela ex ſanguine, & bile. Et quamvis ex eorum ſententia ita eſſe daretur ut ajunt, nihilominus falluntur, omnes namque Doctores qui prohibent evacuationem in principio, non ſolum quia humor terreſtris eſt, digeſtionique contumax, & naturæ, ſed etiam quod nonniſi multis fieri diebus digeſtio poteſt, omnes inquam iidem concedunt, ut animus vertatur partim ad propriarum communiumque materierum minorationem, partim ad earundem per multos dies digeſtionem, ut ſupra reſiduum fortior inſurgat natura, aliquidque noxii humoris exoneret. Multi ſane Doctores antiqui, & illi quidem magni nominis, aſſerunt, in humoribus melancholicis, qui ægritudinem abſque febre gignunt, non expectandam cum perfecta digeſtione evacuationem, ſed licere inter ipſa initia uti medicinis, quæ communes materias, atque etiam proprias educere valent. Et in hac ſententia Galenus eſt, qui in *lib. de compoſ. med. per loca*, ubi de ſcabie, puſtulis, aliiſque rebus loquitur, quæ ad cutem tenduntur, fiuntque ab aduſtis humoribus & melancholicis, auſpicatur evacuationem cum vehementibus purgationibus, cumque phlebotomia, & ſudore, ex arte, aut exercitatione comparato, ita ut hoc pacto & digeſtio & evacuatio ſimul comparetur, quod præſtandum in hujuſmodi ægritudinibus eſt, digerere nanque Galeno, eſt humorem ſubtiliorem, Avicennæ vero eſt craſſum attenuare, tenueque incraſſare. hac itaque ratione qui ab initio evacuationem, digeſtionemque moliuntur Medici, facilius ægrotum, & citius ſanant, tutiuſque. Qui vero curationem ejus poſt multos dies aggrediuntur, id faciunt, ut ægritudinem confirment, aut rem deducant ad oſſium marcorem, aut ad plagas aut ad gummata, cum tamen jam ſanus eſſe poſſet æger, quando iſti procraſtinantes curam incipiunt, curandus itaque morbus Gallicus eſt ab initio ex arte, tamen adhibita, ubi ſanguinis ſigna apparent, phlebotomia, & purgantibus medicamentis, ubi opus erit, moderate tamen, ſcienter, & experientia duce omnia hæc præſtando. quod cum ipſe ſæpe præſtiterim, exactius curationem hanc perfeci hac ratione, quam cum alia quavis, neque ullum mali veſtigium remanſit. His vero actis ſuaſi exercitationem jejuno corpore fieri debere ut ſudor provocaretur, & bene ſucceſſit, ex illis autem qui alio ingenio curati ſunt, vidi multos in ſæva admodum ſymptomata incidere, utpote in gummata, plagas, ægritudinis confirmationem, & alia hujuſmodi. Porro notandum hoc loco eſt, morbum Gallicum nunquam alias ut in præſentia notum, conſtat enim ignotum fuiſſe illum veteribus, cum nulla ejus indicia attulerint, cum tamen ſimiles alias ægritudines tractarint, eorum remedia aſſignantes. Cornelius Celſus capitulum habet de lepra. Hugo item in conſilio 55. de ſimili agit paſſione. Auguſtum Cæſarem præterea ferunt ſimili affectu laboraſſe. Dioſcorides *de ſabina*, & *de junipero* ſcribens prodeſſe illa plagis maligniſque ulceribus veteribuſque tradit, modo cum prædictorum aqua abluantur, & ſpuma, ita quod pene in illis virtus ligni Indici reperitur, & tanta inter ſe ſunt ſimilitudine, ut idem cum ligno eſſe ipſa nonnulli credant. Avicenna de nonnullis meminit medicinis, quæ multum pro tollendis doloribus, aut mitigandis proſunt. alii vero antiqui ſcriptores de quibuſdam ægritudinibus agunt, huic ſimilibus, ceu de malo mortuo, & aliis hujuſmodi, aſſignantes & unctiones, & alia medicamina quæ in uſu ſunt in curatione morbi Gallici, nihilominus morbus Gallicus nunquam notus fuit. Animadvertendum autem quod is vel recens eſt, id eſt unius anni, vel inveteratus cum gummatibus, plagis, doloribus, & duritie ſupra oſſa. Recens plane nullo negotio tollitur, modo à viro docto, & bono experimentatore, qui probam normam ſequatur, curetur. Inveteratus, confirmatuſque, ſanatu difficilior eſt, unde ſi plagæ reperiuntur imprimis mundandæ ſunt, alioqui, vel ſi ſanarentur, reiterarentur, ſin oſſis adeſt corroſio, ad ejus mundificationem deveniendum eſt, & ad corruptionis purgationem. Cæterum univerſalis præcedat oportet evacuatio, perinde in aſſumptione ligni atque in unctionibus, ſuffumigiis, medicamento quod ſparadrapum dicitur, aliisque rebus curando morbo Gallico opportunis, ut infra dicetur, ubi de unguentis, ceratis, pulveribus, ſparadrapis, ſuffumigiiſque aliiſque ſimilibus agemus. Quod ſi quis librum noſtrum de experimentis adeat, quæ probata omnia ſunt, multo illic plura comperiet, nunc enim brevitatis ſtudio dimittenda illa eſſe cenſeo. Incipiam autem hoc loco nonnulla morbi Gallici ſigna tradere, quæ in demonſtranda hac lue nunquam me fefellerunt. quorum nonnulla actu demonſtrant ipſam, quædam vero prædicunt tantum.

## CAP. II.

### *De ſignis cognoſcendi morbi Gallici.*

Signa eorum, qui morbo Gallico laborant, ſunt puſtulæ cum aliqua duritie, vel duritiei ſigna adſunt in radice unde capilli naſcuntur, adeſt & triſtis color in capite, & fronte, atque in aliis corporis partibus, cum oris excoriatione, præcipue vero ſi poſt dormitionem capitis ſentiunt gravitatem, ac dolorem, quæ ſole occidente incipiunt, & oriente evaneſcunt, diſtenditur porro dolor hic verſus humeros, fitque æger & piger, & gravis, & ſomnolentus, coloreque inficitur aut pallido, aut citrino, febremque cum doloribus ſentit. Interdum in virga nonnulla ulcera cum duritie, & calloſitate, quæ ſanari exacte nequeunt, perpetitur, quod morbi Gallici certum ſignum eſt, maxime vero cum in inguine præceſſerit apoſtema, quod bubonem dicunt. Interdum apparent puſtulæ, aut cruſtæ per duos ſub umbilico digitos, ſucceduntque poſt hæc ulcera aut puſtulas, quædam apoſtemata, quæ (ſi aperiri ea contingat) qui curat, ſæpe ab hoc morbo penitus ægrotum ſubtrahit, ſunt enim in membro, quod emunctorium eſt. Alias inter initia dictæ luis eveniunt, ſoletque Columella multum relaxari, inflantur pariſthmia, nec matureſcere unquam conſpiciuntur. Nonnunquam conjungunt ulcera, quæ nonniſi longo tempore conſolidantur. Aliquando dolores invadunt omnes junctiones aut omnes capitis partes, aut dorſum, aut crura, aut malleolum, ſed qui in cruribus ſunt vehementer torquent, debilia enim illa membra ſunt & à caloris fonte longinqua, atque ad recipiendam ſuperfluitatem omnem apta. Plerunque apoſtemata deturpant frontem, caput, pectus, quæ adeo inhærent oſſibus, aut panniculis, ut raro videas ea aperiri, ut non etiam os aliquod corruptum remaneat. Infeſtant quandoque manuum volas calli quidam, ac cruſtæ, idemque in plantis pedum contingit. Nec deſunt alia ſigna, hæc vero ſunt & magis certa, & eſſentialia mihi viſa.

## CAP. III.

### *De ſignis prognoſticis morbi Gallici, deque ejus cura.*

Signa morbi Gallici prognoſtica ſunt hæc præcipua, nempe coitus cum mulieribus, aut maſculis eo infectis, aut colloquia cum illis ore tenus, aut comeſtio in eadem patina, aut potus in eodem poculo, aut ſudor ſimul factus. præterea alia ſigna manifeſta, ut in eo, quod majoris eſt molis, inſiſtam, id eſt ut curationem morbi Gallici aggrediar, quæ fit aut cum unguentis, aut cum ſuffumigiis, aut cum balneis, aut cum decocto Sancti, alteriuſve Indici ligni. Dicam autem nonnulla de ſingulis hiſce modis, prout in his regionibus alibique experimenta vidi: poſtea, quænam ex his melior ſit, tutiorque cura, pro ſubjecti ſanandi ratione, tradam. Quamobrem notandum id in univerſum eſt, in quacunque iſtarum curationum ſive ea paretur cum unguentis, ſive cum ſuffumigiis, ſive cum balneis, ſive cum decocto ligni, ſive cum exercitatione, ſive cum ſparadrapis, imprimis neceſſe eſſe ut materia digeratur, id eſt humor talem gignens ægritudinem, & evacuetur ſubinde, quoniam in nova ægritudine ſtante virtute incolumi, materiaque exigua, ſat eſt plerunque pro ſanatione evacuatio, atque exercitatio. Cæterum ut, unde diverti, redeam, dico, ſi materia puſtuloſa eſt cum multa tenuis humoris miſtura, parandam eſſe digeſtionem cum *ſyrupo de fumo terræ*, *aut de endivia*, *aut de lupulis*, *addito ſyrupo roſato facto cum ſaccharo*, *aut cum ſyrupo ſtœchados* ſi craſſus erit humor, afflictabiturque ægrotus dolore vel capitis, vel ſpatularum, vel junctiurarum, diluendo prædictos ſyrupos cum aquis appropriatis, ut pote cum

*aqua*

*aqua ſumi terræ, aut endiviæ, aut boraginis, aut bugloſſæ, aut ſolani*, aut ſi dolor excreverit admodum, cum *aqua chamæpiteos*, aut cum *decoctione Epithymi* (eo modo, quo dixi in meo antidotario) *aut ſenæ, aut cum ſero caprino*, præcavendo, ut in digeſtivis plus vel minus hujus, vel alterius ſyrupi pro neceſſitate addatur, verbi gratia exhibendo *ſyrupi de fumo terræ unciam unam, de endivia unciam mediam, aquarum lupulorum, boraginis, & ſolani ſingulorum unciam unam.* Capitis vero premente dolore, exhibeatur *ſyrupi ſtœchados uncia una, roſati media, aquæ fumi terræ unciæ tres.* Quod ſi puſtulæ apparebunt, conveniet *ſyrupus de epithymo ad unam unciam, ſyrupi de fumo terræ uncia media, aquæ fumi terræ unciæ tres.* Nimio autem exiſtente dolore cum puſtulis, capietur *ſyrupus ſtœchados, de fumo terræ, roſatus, unciam mediam ſingulorum propinando, cum aquis bugloſſæ lupulorumque unciam unam & ſemis ſingularum ſtatuendo.* aut loco aquarum *unciæ tres decoctionis epithymi* permiſcendæ ſunt. Digeſta jam materia (quod ex lotio aut pulſu, & ex affectu vel leviori facto, vel non deteriori innoteſcet) ſumetur purgatio, qua peccantis humoris pars ſubtrahatur, ſumetur autem vel in forma pillularum, aut boli, aut potionis. Laudo jure *alias pillulas de fumo terræ, aggregativas, Indas, aureas, fœtidas, cochias, ex agarico trochiſcato*, pro diverſa intentione, quæ monebit ut vel ſeorſum dictæ pillulæ exhibeantur, vel cum aliis miſtæ, ut opus fuerit. Inter bolos, ſeu electuaria, probatur mihi *electuarium de ſucco roſarum, ad drachmas tres, confectionis hamech drachmæ duæ & ſemis, ſacchari quantum ſatis eſt*, mane jejuno ſtomacho exhibenda. Quod ſi quis pillulas malit, *capiet pillulas aggregativas, & de fumo terræ, verbi gratia ſingularum ſcrupulos duos, cum aqua fumi terræ, pillulas quinque conſervando*, vel ſic. Recipe *pillularum Indarum drachmam unam, aurearum ſcrupulos duos, fiant pillulæ v. cum confectione hamech.* Quod ſi nec medicamenta in forma pillularum, nec in forma boli, ſeu electuarii placuerint, ad potionem hanc exhibendam medici convertentur. Recipe *floris caſſiæ per cribrum extractæ drachmas ſex, confectionis hamech drachmas tres, electuarii de ſebeſten drachmas duas cum dimidia, diſſolvantur omnia in ſero caprino, in quo decocta fuerit ſena, & epithymum, & propinentur in diluculo. Electuarium vero de ſucco roſarum ex deſcriptione Nicolai in antidotario, ad drachmas quatuor* exhiberi poteſt, pro tollendis junctrarum doloribus, bilisque, & phlegmatis expurgatione. In his caſibus ſoleo ego frequentius uti *electuario de pſyllio*, quod à Montagnana in ſuo deſcribitur antidotario, necnon etiam *electuario de ſebeſten* illic deſcripto, præterea vero & *confectione hamech.* Prodeſt & *de dactylis electuarium*, & dicitur medicina ſecura. confert & *diacarthamum.* Mitto volens, brevitatis gratia, medicamenta alia ægritudinem iſtam adjuvantia, quoniam de his tantum meminiſſe juvat, de quibus ipſe hiſce in regionibus experimenta ſumpſi, operæ pretium porro eſt, ut quis librum noſtrum de experimentis perlegat, illic enim pillulas quaſdam contra morbum Gallicum noſtras comperiet mirificas. Soleo etiam electuarium conficere, de quo experimentum mihi uberrimum eſt, & apud me maximæ exiſtimationis exiſtit, & vili pecunia comparatur.

## CAP. IV.

### *De ligni ſancti qualitatibus, & virtute ejus in cura morbi Gallici.*

Facta hujuſmodi præparatione per pharmaca, eligatur lignum Sanctum, quod minime vetus ſit, ſed recens inciſum ab arbore craſſo, color cineritius ſit, cum unctuoſitate quadam, ſit boni odoris, ponderoſum, corticem gerat nigrum aliquantulum, medullam habeat inſignem, & prænigram, non ſit ſiccum, nec carie affectum, non ſit ſpumoſum, nec ob nimiam humiditatem corruptum. ſignum autem bonitatis illud eſt, ſi immerſum petit ima aquarum. Tot vero ſunt dotes hujus ligni, ut nimis longus ſim, omnes proſequi ſi velim. dicam tamen de his quæ majoris uſus eſſe mihi experientia comprobavit. Lignum igitur ſanctum calidum eſt in ſecundo gradu circa tertium, ſiccum vero in primo circa ſecundum, humiditate præditum eſt temperata, aperit, lotum ciet, exſiccat, lenit, abſtergit, nimias humiditates reſolvit, confert ventriculis phlegmaticis. Hepatis, & lienis vitia corrigit, ſanguinem mundat, per alvum ducit corruptos humores, præcipue qui frigidi ſunt. Calculos extrudit à veſica, & ab aliis partibus. Confert nervis, podagræ, lepræ, & cæteris omnibus corporis paſſionibus, ac membris. Delet fiſtulas, ulcera, morbum Gallicum, reſolvit apoſtemata dura, & matura, illaque aperit, deinde purgat, mundificatque, cicatricem inducit, corrupta oſſa rectificat, nervos ſiccos & ſpaſmoſos emollit. Paralyſi prodeſt, anhelitus fœtorem aufert, aſthmaticis opportunum eſt, anginam reſolvit. Ex his itaque, & aliis dotibus, ſancti ligni nomen obtinuit, modo rite, ut mox tradam, adminiſtretur.

## CAP. V.

### *De modo præparandi ægrotum, & lignum ſanctum.*

Nemini dubium eſt, quod ægrotos decet, qui ſe ad lignum ſumendum accingunt, frigidum aërem, corruptumque vitare, necnon & humida loca, putridaſque aquas ſtagnantes, qui ſi non idoneus eſt, tunc ignis beneficio, & aliis ingeniis, quæ ipſum purgant, rectificandus venit. per hyemem itaque, cum frigidus ſit aër, ſudorque ob id intercipiatur, debet utique ſub cubili catinus prunarum ardentium poni, quæ tamen prunæ ex lignis ſint, non ex carbonibus paratæ, atque vino albo aſperſæ. Feneſtræ ita claudantur, ut ne per eas frigus ingrediatur, aut extraneus aër, aut malus vapor. ſi ſit æſtas, poteris aërem temperare apertis bis terve in die feneſtris, ſparſisque per cubiculum foliis bene odoratis, qualia ſunt *chamæmelum, folia menthæ, ſalicis*, calore vero nimium invaleſcente nonnihil cum frigidis aquis pavimentum irrorandum erit. Parato ſic cubiculo, parandum eſt hoc pacto lignum. Recipe *lignum ſanctum, quod quia duriſſimum eſt, bene teratur, poſtea ſumantur ex ejus pulvere libræ duæ, quæ injiciendæ ſunt in ollam vitreatam cum libris ſexdecim aquæ laudabilis, & infundendæ per diem & noctem. Mox ebullitio lento igne fiat, & operta olla, donec dimidium aquæ evaneſcat. ollam vero tantæ capacitatis eſſe oportet, ut à principio quarta ejus vacua pars remaneat, ut probe ebullire poſſit, paulatim tamen, pauca cum flamma, ſine fumo, ſpuma autem inter ebulliendum ſubtrahenda, ſervandaque pro ungendis ulceribus, apoſtematibus, puſtulis, & pro doloribus, quod ſi ex prima aqua nulla gignetur fortaſſe ſpuma, pro ea in uſum adhibebitur aqua ipſa. Conſumpta jam aquæ medietate per ebullitionem, aut tribus partibus, prout ægroto extenuet, ab igne removebitur, perque diem quieſcet, poſtea excolabitur, & in vas reponetur vitreatum.* Et hæc eſt prima decoctio potanda ab ægroto bis in die mane ac veſperi. ſecunda autem paratur, decoquendo iterum idem lignum in tanta aquæ quantitate, quanta ingeſta eſt pro primo decocto, quouſque tertia pars abſumatur, operculo ollæ injecto in ebullitione, deinde reponitur in aliud vas vitreatum per colum transfuſa, & ex ſecunda hac ſumet ægrotus quotieſcunque volet, non ſolum ſcilicet quo tempore comedit, ſed & interdiu, noctuque dum ſitiet. opus enim hujus aquæ continuum eſt, ſucceſſivum & lentum. Et ne novus humor generari poſſit, idcirco ſine ulla interpolatione bibenda eſt utraque hæc decoctio. quare antequam prima conſumatur, præparanda ſecunda eſt, ejuſdem quantitatis, & per trigeſimum ſumenda diem, in his tamen, in quibus vetus eſt ægritudo, trigeſima dies ſuperanda erit. & aqua potentior conficienda ex majori coctione ligni, ita ut tres aquæ partes abeant, una duntaxat remanente. conſtat enim, quo magis decoquetur, quoque plus ab ægroto bibetur, eo plus profuturam. Quod ſi alvus erit humida admodum, ex eadem aqua & aliis communibus rebus medicina parabitur.

## CAP. VI.

### *De modo ſumendi decoctum ligni.*

His actis omnibus, paratoque cubiculo, lecto & decocto ipſius ligni, poſtridie ejus diei, quo medicamentum ſumpſit, accipiet ægrotus uncias octo primi decocti calidi, pro ſyrupo, operiaturque non paucis ſtragulis ut ſudare valeat, abſtergatque ſudorem cum pannis calidis, & iterum ſudet uſque ad lipothymiam, tunc enim removendi panni ſunt, paulatim tamen, donec cum operculis ſolitis remaneat, & ſtatim abjecta interula prima, nitidam alteram, calefactamque induat, præterea & linteamina alia reponantur, pulvinarque aliud, utraque nitida, calefactaque, & hoc pacto quieſcat per duas aut tres, priuſquam comedat, horas, illis enim præteritis ſumet biſcocti panis uncias quatuor, paſſularum pugillum unum, amygdalarum mundatarum aut nucum toſtarum pugillum medium. Elapſis interim octo horis, tantundem aquæ potet, ſudet ſi queat ut mane, induat pariter mundam interulam, & pannos cæteros lineos, neque, ſi abſtinere poterit, edet, quod ſi minus eſſe ſine cœna poterit, dimidium illius ſumat, quod in meridie ſumere ſolet, & ita procedet ad nonam uſque diem. decima vero die accipiat vel pillulas, vel potionem, vel bolum, ut ſupra dictum eſt: obſervandum hoc loco, ut ne decoctum ſumat quo die purgabitur, & ſi ſibi debilis eſſe videbitur

factus æger, toſtum edat pullum. Quinetiam vigeſima die expurgetur iterum modo prædicto, atque ita uſque ad trigeſimum agat, & tunc iteret purgationem ſimiliter. Nonnulli à prima curationis die decoctum pro ſyrupo qui ſumitur, augere quotidie ſolent, prima die uncias ſex exhibentes, altera ſeptem, tertia octo, ſic deinceps procedentes, quouſque ad decem uncias pro vice inſtituant ſumendas, quod tamen præſtandum eſt in robuſtis duntaxat corporibus, ex ſudore namque virtus reſolvitur, cui imbecille corpus reſiſtere minime potens eſt. Vinum ſi fieri poteſt omnino dimittat, ſola ſecunda contentus decoctione, modo ne ægritudinem aliquam patiatur æger, cui aqua maxime ſit infenſa, cujuſmodi cachexia eſt, & hydrops, nam tunc in prandio & cœna vini modicum guſtare poterit, cum ſecunda ſcilicet decoctione dilutum. Circa cibum & potum regula nequit certa conſtitui, ſunt enim qui ferre inediam nequeant, copioſioribus alimentis aſſueti. quare his addere nonnihil in uſu vel biſcocti, vel paſſularum, vel pulli prudentem medicum decet. Idem de cœna intelligas velim, ſunt enim plerique, qui ſi cœnam dimiſerint, dormire nequeant, & graviter afficiantur. quare talibus inter prandium ac cœnam nonnihil comedere licebit, ut paſſulas, aut amygdalas, quo bibere aliquid poſſint.

## CAP. VII.

### *De aliis parandi ligni Sancti modis.*

Conſueverunt alii libram derafi ligni in libras duodecim aquæ infundere, & decoquere, quouſque dimidium abſumatur, aut tertia pars, ut dictum eſt, ſumunt hujuſmodi decoctum. Alii ſaccharum primo decocto miſcent quantum ſat eſt, & potum illum mane & veſperi propinant ægroto, inſtituentes potionem in prandio, & cœna ex ſecundo decocto. Vidi ipſe in Gallia, & in Hiſpania ex ligno Sancto electuarium confici, maneque & veſperi ad unciam pro vice ſumi, inde vero ſudorem conſequi. interim ſecunda decoctione pro potu, ut alias dictum fuit, conceſſa. Porro electuarium ita paratur. Recipe *libram unam ligni ſancti in pulverem redacti, per cribrum tranſmiſſi, & cum ſyrupo de fumo terræ, quantum ſufficere videbitur, electuarium confice*, mirifice namque præſtare id ſolet, quod decoctio poteſt. Poſitum in more eſt in his Regionibus, & alibi, id, quod ego facere in Hiſpania conſuevi. Dum enim prima decoctio fit, injiciunt ſimplicia quædam, conferentia alicui imbecillæ parti corporis, & peccanti humori, addentes inſuper *ſenam, epithymum, fumum terræ, flores boraginis, paſſulas, & aliqua grana hordei*, & ſimul omnia decoquunt. & recte quidem id agunt, ſæpe enim contuliſſe optime decoctum hujuſmodi, experientia mihi teſtis eſt. Animadvertendum autem eſt ut ſemper membri dolentis ægritudini conferentia ſimplicia indantur, necnon & *ſena, epithymum*, & *fumus terræ*, optima enim inde paratur decoctio. Horum vero ſimplicium membra reſpicientium ſylvam habes in meo *De peſtilentia libro* conſcripto, ubi de medicinis diverſimode operantibus loquor: præterea etiam in capite de aquis (in viridario meo ſanitatis nuncupato) invenies, quibus cum rebus decoqui aqua debeat, quæ membrum aliquod reſpiciat. Quod ad potum pertinet in prandio & cœna conſtituendum, ſit ille ex ſecundo decocto, obſervato ſupradicto vivendi regimine, atque hoc fieri debet uſque ad trigeſimam diem, vel quo uſque miteſcit ægritudo, ut multi faciunt. Completo jam potandi decoctum termino, comedat æger plus nonnihil bibatque vini aliquantulum cum ſecundo decocto lymphati, alimenta augens, donec ad priſtinam victus rationem revertatur. Quod ſi cum decocto ſecundo diluere vinum detrectabit, alia utatur aqua, in qua ebullierint, quæ ventriculum confortant, ceu *capillus veneris ſiccus*, vel per dies quindecim nonnihil *aromatici roſati* mane manducet, vel cum ſimilibus aliis modis procedat. Cæterum quia in cubiculo eſſe per totam diem ægrotus nequit, ob id per tres à ſudore horas ſurgere poterit, & ibi clauſus ambulare, ludere, verſari cum familiaribus jucundis, à quibus ex animo diligatur, corpus enim in hac ægritudine laboribus conficere minime expedit. Interdiu non dormiat, ut bene noctu dormire poſſit, ut ne dolores ſentiat, aliquando tamen ad ſudorem eliciendum conceditur, & ad ventriculum roborandum eo cum calore, qui in ſomno conciliatur, idque ex uſu erit his qui imbecillo ſunt ſtomacho, neque probe digerere conſueverunt. non tamen longum concedimus ſomnum. Obſervabitur unum in potu decocti, ut ſcilicet ungantur puſtulæ, gummata, ulcera, aut dolorola loca cum ſpuma calida, vel cum primo decocto, rectificantur enim per hæc ipſa, & confortantur membra. At ſi aliqua ſuberit in ulceribus oſſium corruptio, aut corroſio, aut alteratio, tollenda primum erit corruptio, & impedimentum, poſtea ex ſpuma, vel decocto inunctio fiat. Ita pariter bene erit, ut imprimis mundificationi attendamus, & omne id, quod conſolidationem ulceris prohibet, de medio tollamus, utque ubi tempus advenerit conſolidandi, incipiamus decoctum potare, & cum ſpuma inungere plagas, quod qui minime obſervaverint, non ſanabuntur cum hujuſmodi decocto. De medicamentis mundificantibus hæc ulcera Gallica, multa comperies in libro de experimentis. Eſt nonnullorum mos, ut viperarum, aut ſerpentum, de quibus Dioſcorides meminit, & practicus neotericus ex Montepeſſulano, carnes ad comedendum offerant, ego vero, quia malos effectus hinc animadverti contingere, ob id nemini conſulere unquam auſim, illis ut uti audeat.

## CAP. VIII.

### *De Vino ligni, deque modo ſumendi, deque nonnullis ex ligno paratis pillulis.*

Jam cœpere quidam decoquere lignum in vino, & utiliter quidem ut docet experientia. Modusque decoctum hoc parandi iſte eſt. Imprimis enim decoquunt primam aquam cum ſupradictis herbis, poſtea *lib. dimidiam corticis ipſius ligni, in tenuiſſimum pulverem redacti, accipiunt, conficiuntque in lib. vini albi optimi, ibique per diem naturalem dimittunt*. Et eadem die primam aquam ligni decoquunt cum ſimplicibus ſupradictis, & cum jam bene decoctum eſt lignum, ſupra vinum excolant, vinum porrò illud in olla poſitum per horas iiij. & viginti ſervant, mox colaturam repetunt. De qua ultima colatura exhibent in potu tantam quantitatem, quanta de prima aqua conceſſa eſt ſupra, præmittunt tamen purgationem. De ſudoris provocatione nulla diſcrepantia eſt, nihil enim referre ajunt ſi quis ſudare nolet. Tranſacta hora poſt acceptum vinum illud ſurget ad negotia, neque inediam feret, in prandio comedat gallinam optimam, aut pullum, bibatque ſecundam aquam ſupradictam, veſpertinis tamen horis dimittet, ſi poterit, carnem, paſſulis duntaxat cum amygdalis, & pane biſcocto mediocri contentus. Sanavit multos Dei beneficio hujuſmodi vinum, & ita jam traditus eſt ſumendi lignum ex vino modus. Sed video nonnullos lignum in pillulas etiam conformare, quod ego profecto minime laudo, neque enim in pillulas redactum lignum tam facile permeat membra, ac ſi in potione paretur. Italorum porrò mos eſt hoc modo parandi lignum in vino. Imprimis namque *lib. vj. vini albi electi veteriſque ſumunt, conjiciunt in ollam novam, in quam pariter conjiciunt libr. j. & ſ. ligni in pulverem redacti, optimi*, (cortex tamen melius operatur) *præterea indunt polypodii, atque epithymi ſing. unc. ſ. med amque drach. abſinthii. Infundunt omnia in vino ſupradicto, addentes aquæ ardentis unc. iij. Hora vero quarta & vigeſima præterita fit decoctio in eadem olla, donec tertia pars decreſcat. deinde ab igne removetur, & colatur cum lineo panno denſo.* ſumuntur ſex vel octo iſiius colaturæ unc. juxta patientis diſpoſitionem ac virtutem quotidie in diei crepuſculo. ſubjicitur autem ſudori idem patiens per horam & ſemis. abſtergitur dehinc pannis nitidis calefactisque, induit interulam mundam calefactam, perque horam quieſcit, ſi ita vult. concedunturque gallinæ, capones, caſtrati, vituli, pedes anteriores hædi. Morboque novo exiſtente vinum lymphatum in prandio, & cœna porrigitur. At ſi patiens non admodum debilis fuerit, bibet aquam ligni ſimplicem, atque ita fiat ſpatio continuo dierum quinque ſupra xx. aut xxx. dato hoc, ut, ſi quotidie ex cubili ſurgit, non tamen extra domum exeat. Requiritur ut purgetur cum *drachmis ſex pulpæ caſſiæ, additis electuarii de ſebeſten, & confectionis hamech, utriuſque drachmis tribus*, in bolo vero capiet, aut *cum decoctione florum cordialium cum epithymo, ac ſena*, ſic enim medicamenta melius miſcebuntur, operabunturque, ac præcipue ſi antequam exhibeantur cum cochleari agitabuntur. Purgatio præterea fieri poteſt in principio, medio, ac fine cum *pillulis fœtidis, & de fumo terræ, adſcrupulos quatuor in pillulas quinque redactis*. Imprimis autem inter purgandum reſpicienda virtus eſt ſumentis pharmacum, ſtomachique lubricitas.

## CAP. IX.

### *De unctionis, ſuffumigiique ordine.*

Quoniam vero plerique decoctum ligni ſubterfugiunt, non ſolum propter magnam inediam, ſed & propter temporis longitudinem quo ſumitur, præterea etiam quia ſunt in penuria & loci in quo ſtent, & interularum, nec non & ſimilium rerum cæterarum, ut omittam ſumptus ipſos magnos, ob id aliam ſanitatis recuperandæ viam tentant, ut pote per unctiones, ſuffumigia, balnea, quibus

cum

cum facile possunt, vitatisque tot sumptibus sanitati restitui suæ, quare ordinem tradam, qui adhiberi debet in unctione & in suffumigio parandis, multaque utilia & breviter quidem ponam, quibus multos sanatos vidimus, ut mea me docuit experientia. Debet itaque ante omnia purgari universum corpus lue Gallica affectum, diminuatur ut materia, suppositis omnibus, quæ supra circa digestionem, & evacuationem materiæ dicta sunt, illic enim quibus cum syrupis, & purgationibus agendum sit, ostensum est. Facta purgatione, fit unctio, mane verò avium alas aut carnes castratorum comedat, vinum bibat album, si poterit pelagianum habere nullum aliud disquirat, vesperi cœnet inter tres horas & quatuor. A cœna per duas, vel tres horas, inungatur. observandus porro talis ordo est, quoniam resolutiva unctio est, ita quod multoties nonnihil nativi caloris resolvit, atque hoc pacto virtutem labefactat, stomachumque offendit, quare præstat unctionem admovere forti ventriculo existente, quam debili ac jejuno. præterea etiam quia per noctem universus corporis calor in somno concentratur, & hac ratione virtus validior fit ad sudorem provocandum, & ad omnem noxium humorem à corpore expellendum. Quod si quis gravitatem sentit ex inunctione horis nocturnis facta, ungat se is mane, sumpta tamen prius assa offa ex vino, aut lurea aliqua ovorum recentia sorbeat, mox unctionem prosequatur, cavens tamen unctionem trium mensium hyemalium, totidemque æstivorum. sit cubile in promptu, & bene paratum, cubiculumque clausum, ut ne frigori aditus pateat, ut in tradendo modo sumendi ligni descriptum est. Cæterum minime probaverim, ut, donec ungendi tempus durat, aut interulam mutent, aut linteamina, aut rem aliam quampiam ex cubili ægroti, prospiciendumque maxime fuerit, ut ne imbecillitatem, quæ ex unctione nascitur, incurrant, quare semper miscenda erunt unguentis unguenta, aut medicamenta medicamentis, in quibus vis sit confortandorum principalium membrorum ac sustinendæ virtutis, instaurandæque jacturæ, quam parit unctio hujusmodi. Id autem ego soleo præstare cum *optima theriaca*, cum *unguento santalino*, & *cordiali*. oportetque ut unguenta, quæ in hoc casu adhibenda sunt, per dies quinque ante confecta sint, quàm fiat inunctio. Valde probaverim, ut se ipsum ægrotus ipse, si potest, ungat, ut in hoc munere defatigatus, facta jam unctione, sudare incipiat. Quo tempore inunctio fiet, claudetur cubiculum, adsitque opus erit catinus prunarum ardentium, ut calefaciat sibi manus, qui se unget, unguentumque similiter.

## CAP. X.

*De partibus corporis prius inungendis.*

Imprimis inunguntur pedum plantæ, cum collo pedis, ac digitis, usque ad genu, mox malleoli, inde genua. Affectus si fortasse atrox, ægrotusque robustus invenientur, inungat leviter pubem, postea humeros, spinamque, & locum, qui statim post aures est, & qui sub mammis, cubitos, manuum juncturas, postremo ipsas manus. Quod si recens affectus erit, minime inungentur spatulæ, neque locus post aures, nequæ axillæ omnino. Et si ægrotus alvi tunc beneficio fruetur, multum expediet pro adjuvanda natura ut umbilicus ungatur, habita ratione ut ne unguentum pertingat ventriculum, læderet enim illum magnopere. si ulcera, gummata, aut dolores aderint, par erit ut membrum dictis ulceribus propinquum, aut gummatibus, optime inungatur. Quod pertinet ad unguenti quantitatem, quæ in unctione consumi debet, si ægritudo nova erit, parum admodum consumetur, sin vetus, & maligna, ægrotusque robustus, multa quantitas absumi potest, habita & dispositionis ægroti, & qualitatis humoris ratione. Ubi probe celebrata erit unctio, manus supra musculos distendet, cruraque & pedes conjunctos detinebit, & opertus optimè sudabit quantum poterit, donec lipothymia corripiatur. Cessante jam sudore, panni paulatim auferentur, donec tandem cum solitis operculis remaneat. sciendum autem, quod per primum triduum, quo inungetur, non sunt detegenda brachia extra opercula, nec admovendæ ori manus in comestione, nec lectum sternendum unquam eo tempore quo fit unctio, præterquam quod etiam toties præceptum est, ne linteamina, interulæ, aut aliud quippiam mutetur. Si sudare minime poterit, lateres quatuor calefaciendi erunt, qui vino aspersi, in quo *rosmarinus*, *salvia*, & *chamæmelum* decocta fuerint, involvantur calefacti admodum in pannis aliquibus, admoveanturque pedibus, & costis ægroti, corpore & capite bene coopertis, adhibeaturque sub lecto prunarum catinus, non tamen ex carbonibus, & sic per duas aut tres horas sudare permittatur. Nonnulli, post unctionem jam factam, juncturas obvolvunt cum stuppis ex cannabi calefactis, quod mihi non probatur, hoc enim pacto coopertis juncturis, non videtur quomodo exhalare bene humor possit, quod ægroto maxime noxium est. Cibus interim, quo fiat unctio, parabitur ex aviculis, capis, aut optimis castratis, sæpeque exhibebuntur jura ex substantia avium parata, cum luteis recentibus ovorum, cumque croci modico. Vinum erit bonum, album, purum vetusque, aut aqua cinnamomi, omnia verò calefacta exhibeantur.

## CAP. XI.

*De Termino unctionis.*

Non est utique ab unctione ante desistendum, quam gingivæ ægroti intumescant, aut insignis aliqua evacuatio ex ore aut ex alvo aut ex vesica per lotium, aut ex universo corpore per sudorem, naturæ stimulo fiat, aut nisi patiens levari sibi vehementer videatur, ut scil. decidant pustulæ, aut mitigentur dolores, ex apostematum furoris remissione, atque ex eo quod jam sanari ulcera incipiant. Omnibus igitur hisce signis, aut aliquibus eorum apparentibus desistendum tunc est ab unctione, adhibenda vero diligentia omnis est atque industria, ut symptomatibus occurramus. At quia non conspiciuntur in multis talia aliqua signa, multis equidem annis ancipiti animo fui, quinam ungendi ægrotum mihi terminus foret, in quo non appareret signorum supra dictorum aliquis. Donec me experientia docuit prosequendam hujusmodi esse unctionem, quousque ægritudinis levamen sentiatur, præcipue vero si cum ægritudinis mitigatione anxietas quædam aderit, tunc enim arguitur, virtutem naturalem contra humorem insurgere ad ipsum expellendum, quare tempus postulat, ut illius fortitudini cum cibis laudabilibus optimoque vino fovendæ operam demus, velut ante jam dictum fuit. Si vero ægritudo ingens fuerit, ægroto imbecillo existente, unctionem alternis diebus fieri probaverim, interposita etiam quiete absque unctione per biduum, interim alimenta optima offerendo. Et sic prosequi oportebit unctionem, donec notabilis eveniat evacuatio, ut scilicet multum phlegmatis ex ore emanet, adsintque in gingivis dolores, tumores, & inflammationes, semper tamen directi oculi esse debebunt, imprimis quidem ad virtutem, postea vero ad ægritudinem, & ad accidentia, quæ unctionem hanc consequuntur, ubi perfecta est evacuatio. Accidentia porro sunt oris ulcera, gingivæ excarnes, inflammationes gulæ, linguæ, glandularumque, nec non & anxietas cum magno fluore stercoris, non sine aliqua excoriatione, præterea & vigiliæ multæ magno cum ventris dolore. Si igitur videre contigerit talia symptomata admodum invalescentia, necesse erit ut ægrotis succurramus, ut ne virtus ab illis superetur, quare ubi ex multo materiæ phlegmaticæ fluxu, aut ex unguenti caliditate, apparebit in ore excoriatio, cum dolore, atque inflammatione, imprimis par fuerit ut ægrotus os suum colluat cum aqua hordei, quod si id satis esse minime videbitur, utetur hac lotione. Rec. *aquæ plantaginis*, *rosarum*, *hordei*, *sing. unc. iij. mellis rosati*, *sacchari albi optimi sing. unc. ij. misceantur omnia & fiat ex his julep.* quo sæpe collui os convenit cum lacte ovino calefacto. At si neque ex illis juvamentum constabit, inunctio exterius fiet cum *oleo rosato*, impositio in ore patientis *butyro vaccino* quantum sat erit. Fluxu adhuc majore facto, applicabuntur spatulis, natibusque cucurbitulæ siccæ pro diversione, & si opus esse videbitur, scarificatæ. Si vero metus ingruet de magno aliquo apostemate, tunc constante ægroti alacri virtute, conditionibusque præsentibus de quibus in capite de phlebotomia diximus, deveniemus ad incisionem venæ cephalicæ aut mediæ, aut basilicæ pro diversione.

## CAP. XII.

*De lotione oris, ubi accidentia remiserunt, & de præservatione ne eveniant.*

Si remitti incipient symptomata, colluetur os cum sequenti lotione. Rec. *hordei*, *rosarum*, *myrtill. salviæ*, *sing. man. j. fiat decoctio in vino acerbo nigro*, & *utere*, si quis autem malit symptomata hujusmodi prævenire, pro maximo apud me arcano est talis unctio quæ dicta est. Quod si patiens robustus erit, conditionesque habebit quæ pro phlebotomia conficienda requiruntur, inchoantibus symptomatibus phlebotomabitur à vena media brachii dextri, vel à basilica, secundum diversas in capite de phlebotomia relatas intentiones. Sin imbecilli virtute fuerit, adjuvabitur cum jure avicularum, caponum, cum luteis ovorum recentium, cum vino optimo, demum ad misturam hanc cordialem, aut ad similem aliam quampiam confugiemus illis non conferentibus. Recipe *conservæ boraginis*, *buglossæ*, *violarum*, *rosarumque*, *singul. unc. j. mar-*

*garitarum præparatarum pulverizatarum drachmam mediam, syrupi de pomis unc. ij. detur sæpe ægroto.* Conferet etiam usus hujus epithematis supra cordis regionem impositi. Rec. *aquæ bugloſſæ, meliſſæ, boraginis, ſingulorum unc. v. aquæ roſarum unc. iij. vini odoriferi unc. j. & ſemis, ſpecierum cordialium temperatarum drach. ij. croci ſcrup. dimidium, pulveris triſantal: & diamoſchi. ſing. unciam unam, pulveris de gemmis drach. iij. miſceantur omnia ſimul, additis ſuccis malorum aporum unciis duabus, aquæ aurantiorum unc. j. & infundatur in prædictis rebus pannus, ut ajunt, granatus, expreſſusque cordi applicetur.* Verum minime opus eſt, ut plura epithemata hoc loco proſequar, quando in noſtro de experimentis tractatu multa epithematum genera deſcripta ſint. Recurras autem ad caput lipothymiæ in meo libello de ſubitis ægritudinibus, ubi multa remedia comperies experientia duce comprobata in hoc caſu. Et ſi patiens magno ventris tentabitur fluxu, noſtrum legat De experimentis librum, in capite de fluxu ventris, ſi forte acciderit ut imbecillis fiat cum excoriatione, inungas ventrem cum *oleo roſato, & myrtino*, adhibeasque clyſma aliquod lenitivum in quo ſit *aqua hordei, oleum roſatum, renes capri, albumen ovorum, & luteum, jus inteſtinorum caſtratorum, caſſiæ pauxillum*, ſi virtus fortis erit, nequaquam impedietur corporis exoneratio, hoc enim pacto ab hujuſmodi ægritudine ſublevabitur. Contingunt quandoque vigiliæ ægrotis, quo in caſu frons inungenda eſt cum *unguento diapopuleon.* Et per duas horas à cœna capiat *ſyrupi de papavere unc. j. & ſemis, aquæ papaveris aut decoctionis capitum papaverum uncias duas.* Quandoque propter ingentem oris inflammationem ægre admodum maſticationis munere fungitur, quare ſubveniemus illis cum rebus liquidis, utpote cum contuſo, ovis recentibus, amydo cum gallinæ ſubſtantia incorporato, liquido, & cum pulvere quopiam cordiali decocto, vel in potione ſumpto, pro quo recurrendum eſt ad noſtrum caput de medicinis diverſimode operantibus. ad hoc contulerit & vinum electum. Sin alvus reſtricta admodum fuerit, utendum erit clyſteribus communibus, aut pillulis purgantibus, aut modo ſupra dicto, hoc enim apud me experimento probatum eſt. Præteritis ab unctione tribus diebus, purgandus erit cum medicamentis appropriatis, hac enim via adjuvatur natura, quæ tot humoribus, qui tunc in motu ſunt, exoneratur, levis tamen quælibet ſat eſt evacuatio. Sin autem per os evacuationem molietur natura, haud impedietur. ſic itaque in hac ægritudine procedet, donec omnino ſanus fiet. Solent autem nonnulli, qui ægrotum nolunt ulterius ungere, univerſum corpus ejus in balneo abluere, in quorum ego ſententiam ire noluerim, debilitat namque balneum magnopere, quare qui ob moleſtiam præteritam imbecillis factus eſt ægrotus, ex uſu talis balnei imbecillior fieret. hinc poſtea contingeret, ut natura minime poſſet peccantem humorem extrudere, ob id igitur, & propter alias etiam rationes, haud ſentio ut poſt unctionem balneetur. Mundificarem ipſe potius univerſum corpus ejus cum panno aliquo ſubtili, & calefacto, ſtatimque ſuaderem ut exueret induſium vetus, & nitidum indueret, abjicerem linteamina vetera, cæteraque omnia, quibus inter unguendum eſſet uſus, nec diſpliceret, ut, quæ ſumeret indumenta nitida, calefierent, & thuris ſuffumigium apprehenderent. ſtudium poſthac eſſet in eo, ut alteretur rebus confortantibus virtutem, bonumque regimen imprimis obſervaret, neque domo prius exiret, aut ex cubiculo, quàm fortis factus, & jam ad priſtinam diſpoſitionem reſtitutus foret.

## CAP. XIII.

### *De unguentis ad morbum Gallicum accommodatis.*

Tradita jam ut potuimus ungendi ratione, & ſuccurrendorum, quæ contingere ſolent, ſymptomatum, ſupereſt modo ut narrationem aggrediamur unguentorum quæ ſunt in uſu, de quibus ego magnum ſumpſi experimentum, dum multos ſanavi, quorum primum hoc eſt. Recipe *axungiæ porcinæ liquefactæ lib. j. olei chamæmelini, anethini, laurini, maſtichini, ſingulorum unc. j. ſtoracis liquidi drach. v. radicis anethi contuſæ, radicis ebuli, ſingularum drach. ij. euphorbii contuſi unc. mediam, vini veteris optime odorati lib. j. & ſemis, decoquantur omnia ad vini conſumptionem, poſtea fiat colatura, additis in prædicta colatura lithargyrii aurei unc. viij. thuris, maſtichiſque ſingulorum drach. vj. reſinæ pini, terebinthinæ clarę ſingulorum uncia una, & ſemis, miſceantur oleo cum cera, & fiat unguentum,* cum quo junctura, volæque manuum ungentur, pannoque calefacto involventur. Fiet id per ſeptem continuos dies, eo animadverſo ut, donec ægrotus ungetur, habeat in ore canaliculum aureum vel annulum.

A Aliud unguentum. Recipe *axungiæ porcinæ inſulſæ unc. xij. unguenti reſolutivi, & ſantalini ſing. unc. ij. argenti vivi liquefacti in ſucco limonum unc. j. & ſ. theriacæ unc. dimidiam, lithargyrii, thuris, ninii, ſing. unc. ſ. myrrhæ, drach. ij. olei ſalicis unc. ſ. unguenti martiati unc. ſ. pulverizentur pulverizanda, & omnia ex arte miſceantur, pro unguento conficiendo,* quod multum in his commendatur, qui, cum Gallico laborent, ſunt imbecilli. Aliud experimento cognitum valde utile. Recipe *unguenti agrippæ, aregon, martiati, dialthææ, ſing. unc. j. thuris, maſtichis pinguis, ſing. unc. ſ. olei laurini, ex ſalicibus, liliacei, ſing. unc. ſ. lithargyrii, argenti vivi, ſing. unc. theriacæ unc. ſ. ſaxifragiæ drach. iij. unguenti ſantalini unciam mediam, axungiæ porcinæ veteris inſulſæ uncias quatuordecim, ablutas cum aceto multoties, mercurii unc. ij. & ſemis, cineris ſarmentorum unc. j. miſceantur omnia ſecundum artem, & fiat unguentum,* eſt enim valde expertum. Aliud maxime utile unguentum. Recipe *thuris, maſtichis ſingulorum unciam mediam, ſaxifragiæ & euphorbii ſingulorum drachmas tres, olei limaciarum, &* B *laurini unciam unam, minii, argenti vivi, utriuſque unciam mediam, unguenti ſantalini unciam unam, theriacæ electæ drachmas ſex, axungiæ porcinæ inſulſæ, lotæ ſæpe cum aceto uncias quatuordecim, mercurii unc. j. & ſemis, cineris ſarmentorum unciam unam, miſceantur omnia ſimul, & fiat unguentum ſecundum artem, quod debet aromatizari cum drachmis quatuor ſtoracis liquidi.* cæterum quia multi inveniuntur, qui abhorrent unguentum, aut ungendi facultate carent lecto carentes, aliisque rebus ad celebrandam unctionem pertinentibus, tunc præmiſſis purgationibus expedire illis putarim ſparadrapum vulgo dictum in forma ſequenti, quod unguenti vice ſupra juncturas applicabitur, nec ante removebitur, quam apparuerint evacuationis ſigna, aut oris affectus, aut aliud quippiam ex ſupradictis ſignis. Recipe *olei chamæmelini, anethini, liliacei, de ſpica, ſingulorum unc. ij. olei de croco unc. j. axungiæ porcinæ lib. j. ſevi vitulini libram mediam, euphorbii drachmas quinque, thuris drach. decem, olei laurini unc. j. & ſemis, axungiæ viperinæ uncias duas & ſemis, ranas vivas ſex, vermium in vino lotorum unc. iij. cum dimidia, ſucci radicum ebuli, enulæ, utriuſque unc.* C *ij. ſcœnanthi, ſtœchados, matricariæ, ſingulorum manip. j. vini odoriferi optimi & veteris libras duas, bulliant omnia ad vini conſumptionem, poſtea fiat colatura, additis colaturæ lithargyrii aurei lib. j. terebinthinæ clarę unciis duabus, cerę albæ quantum ſufficit. Fiat ad ignem ceratum in formam ſparadrapi, addendo in fine ebullitionis ſtoracis liquidi unciam unam & ſemis. Deinde ab igne auferatur, & cum ſpatula agitetur, donec tepidum remaneat, addentur etiam mercurii cum ſaliva extincti unciæ quatuor, per aliquod ſpatium deducendo quouſque optima evadat incorporatio,* & ita junctoris, & manuum volis velut de unguento fit, accommodabitur. Neque à nobis fruſtra introducitur, tutius namque ſparadrapum eſt, gratiuſque quam unguentum. In illius vero uſu ordini eidem inhærendum erit in cibo, & potu, nec non & in aliis rebus, qui in unctione obſervatus eſt, eo animadverſo ut non prius quam octava die amoveatur. Et qua die applicabitur primum, in ore detinebit annulum aureum, aut orbiculos ex cryſtallo, aut hujuſmodi decoctionem, ut vapores materierum putridarum exhalare queant. Recipe *hordei mundi pugillum unum, & ſemis, radicum bugloſſæ* D *pugillum unum ſeminum cotoneorum drachmam unam & ſemis, florum violarum, & paſſularum utriuſque pugillum medium, omnia decoquantur in aqua communi, ſecundum artem, ad hordei crepaturam, cujus colaturam cum julepo miſceatur, & uſurpetur.* Infrigidat enim os, neque in eo ulcera fieri patitur. Quod ſi poſt unctiones, aut ſparadrapos, aut ſuffumigia, ulcera in ore contingunt, ſequenti lotione utendum erit, eſt enim admodum opportuna. Recipe *aquæ plantaginis, ſummitatum rubi, foliorum olivæ, caudæ caballinæ ſingulorum manipulum unum, aquæ hordei libram unam & ſemis, licii uncias duas, mellis roſati colati uncias tres, aluminis drachmas ſex, bulliant omnia ſimul ad conſumptionem medietatis, & hac lotione ſæpe colluatur os,* mirum in modum enim valet ad delenda ulcera.

## CAP. XIV.

### *De curatione morbi Gallici confirmati, deque modo confirmationis.*

E Tanta eſt confirmatæ ægritudinis contumacia, ut difficile quamvis accuratæ diligentiæ cedat. Non eſt autem tempus determinatum confirmationis hujuſmodi, in aliis enim citius, in aliis ſerius confirmatur, ſecundum diſpoſitionem, in qua erant qui primum hac lue infecti fuere. In quibuſdam menſium ſex ſpatio confirmatur, at raro,

raro, in aliis anni unius ſpatio, aut unius, & dimidii, in nonnullis etiam tardius. Confirmationem voco, ubi intra hoc tempus apparebunt durities, aut gummata cum ulceribus formicantibus malignis, venenoſis, aut corrodentibus, cum oſſium corruptione, aut doloribus junctularum, aliarumve partium, ut in occipitio, aut in fronte, velut ſupra dictum eſt. Hæc igitur ſunt confirmationis ſigna, & nonnulla alia quæ ad hæc ipſa reducuntur. Aliud ſparadrapum. Recipe *axungiæ porcinæ per ſetaceum tranſmiſſæ libram unam, mercurii uncias quinque, omnia ſimul miſceantur, additis thuris, maſtichis, argenti vivi, ſingulorum drachmis tribus, reſinæ pini, terebinthinæ utriuſque uncias duas, ſerapani, ammoniaci, utriuſque unciam unam & ſemis, diſſolvantur ad ignem cum aqua ardenti, mox in mortario ponantur, & uniatur cum his rebus axungia, pulvereſque ſupradicti, poſtea ceræ liquefactæ addatur quantum ſufficit. fiat ſparadrapum ſecundum artem*, & applicetur ut ſupra dictum eſt. Dimitto alia unguenta, & ſparadrapa, quoniam quæ magis ſub experimentum venere, quæque potiora ſunt (de quibus fuſius in libro De experimentis diximus) narrare libuit.

## CAP. XV.

### *De ſuffumigiis.*

Similiter cum ſuffumigiis incedere poſſumus, factis jam evacuationibus, idem enim præſtant, ſed facilius, citiuſque, modo ſit qui recte illis uti noverit, alioqui gravioris periculi ſunt, quare cum non ſit horum ſuffumigiorum perfecta experientia, mallem quibuslibet aliis remediis narratis uti, cum non adeo formidabilia exiſtant, nec tam vehementia. Ne vero de hoc etiam non ſit aliquid dictum (ut nihil dimittatur intactum eorum quæ utilia ſunt morbo Gallico,) tractabo de hoc ipſo remedio, quanquam diſplicet nobis, ex quo propter imperitiam utentium tantum detrimentum ſequi poſſet. Aſthmaticis igitur, imbecillis, tuſſiculoſis, hydropiciſque fugiendum eſt tale remedium. convenit enim in antiquis ægritudinibus, robuſtis corporibus, quibus cætera remedia minime contulerint. Et ſi quando erit, qui huic medendi modo ſeſe ſubjecerit, eidem regimini inhærebit, quod in unctione narratum fuit, ſcilicet in electione aëris, cibi & potus, evacuationis, temperici frigoris, ac caloris. Quamobrem ſi quis ad hoc ipſum ſuffumigium ſeſe accinget, purgetur ſtrenue, opus erit, ut in unctione celebranda requiritur. A purgatione vero mane ſumet lutea ovorum recentia nonnulla, vel offam aſſatam immerget in vino veteri ſancti Martini, ut vocant, ſi haberi poterit, aut in alio probato, vel bibat hauſtum juris avium montanarum, in quo *aromatici roſati vel diarhodon*, vel *electuarii de gemmis* nonnihil impoſitum fuerit. Per duas horas ab aliquo ex his capto alimento, nudus collocabitur ægrotus ſub tentorio undequaque cooperto, ſub quo etiam catinus prunarum poſitus ſit, ſuper quo ſuffumigii una projecta ſit uncia. Debebit tunc etiam totum ægroti corpus tegi, excepto capite. Perferet ſuffumigium quantum poterit, ita ut ſudet, & evaneſcat ſuffumigium carbonibus impoſitum. Alii ſolent in lecto vas, in quo ignis ſit & ſuffumigium, exiguum ſtatuere, tegentes optime corpus affectum, uno capite excepto, & ita ſuffumigium adminiſtrant. Facto ſuffumigio, cooperiendus eſt apprime ægrotus ut ſudet quantum poterit. Verum ſemper virtutem ægroti reſpicere oculus debet, reſolvunt enim mirum in modum iſthæc ſuffumigia. Qui ea capient ſub tentorio, confeſtim lectum calefactum ingreſſi, cooperientur, & ſi ſudarint jus illis aliquod nutriens exhibebitur cum luteis ovorum recentium intus conquaſſatis. Rectius autem fiet, ſi ante inchoationem ſuffumigiorum, ut ad confortandam virtutem & cor, ſumat ſyrupum talem. Recipe *ſyrupi de bugloſſa unciam mediam, roſati unciam unam, aquarum bugloſſæ, fumi terræ, meliſſæ ſingulorum unciam unam, miſceatur in eo ſyrupo ſcrupulus medius pulveris electuarii de gemmis*, & per duas horas ab aſſumpto ſyrupo capiat ſuffumigium, & in eo perſeveret, donec natura evacuationis ſignum demonſtrabit. At ſi quotidie ejus uſum perferre minime poterit, quod remedium ſit admodum vehemens, contentus ſit ſuffumigio alternis diebus parato, habita ratione ad ægroti diſpoſitionem, necnon & ad conſtantiam virtutis ejus, quod medici judicio relinquitur. Apparentibus autem aliquibus evacuationis ſignis, per tot dies utatur ſuffumigiis quot ſat erunt ad materiæ conſumptionem, diminutionemque ſymptomatum videndam, oculo ad virtutem tamen intento. ſunt porro, quibus utendum eſt, ſuffumigia hæc. Recipe *cinnabaris pulverizati uncias tres, auripigmenti unciam unam, marcaſitæ, thuris, myrrhæ, aloës, ſingulorum drachmas duas cum dimidia, fiat pulvis*, & omnia ſimul miſceantur, deducendo in uſum dictum ſuffumigium. Aliud ejuſdem facultatis, confortativum tamen magis. Recipe *galliæ moſchatæ drachmas duas, thuris unciam unam, cinnabaris uncias duas, fiat pulvis, pro uſu eodem.* Aliud in formam trochiſcorum. Recipe *theriacæ unciam mediam, myrrhæ, thuris, utriuſque drachmas quatuor, bdellii uncias duas, aquæ ſolani, & ſtoracis liquidi quantum ſat eſt, miſceantur omnia, conficiendo trochiſcos unius unciæ pro qualibet vice.* Aliud approbatum ad ſanandas brevi puſtulas gallicas extuberantes, quo prohibetur earum recurſus ad interiora, & debet in uſu eſſe evacuato jam corpore. Recipe *argenti vivi ſecundum artem extincti unciam unam & ſemis, liguſtri, unciam unam, olei communis, ſuccique limonum, utriuſque unciam mediam, miſceantur omnia ex arte & fermentur pillulæ, quæ exſiccentur, & fiat ſuffumigium per tres dies continuos, cum pillulis tribus.* Eo tamen animadverſo, ut oleum commune habeat ægrotus in ore, donec ſuffumigium celebratum erit, ſudetque quantum poterit cum ſuffumigii negotio. Teneat idem induſium, quouſque perfecta tria ſint ſuffumigia. Veſcatur interim carnibus avicularum, caſtratorum, alvique procuret lubricitatem.

## CAP. XVI.

### *De lichenibus.*

Verum quia in affectu Gallico multi lichenas patiuntur in volis manuum, aliiſque partibus, idcirco quod experimento mihi valde probatum eſt remedium hic afferam ad lichenas. Recipe *malvæ, parietariæ, fumi terræ, ſingulorum manipulum unum, radicis althææ, conſolidæ, utriuſque uncias quatuor, ſeminum lini, fœnugræci, utriuſque uncias tres, decoquantur omnia in aqua dulci, pro lotione lichenum*, præſtat autem ut per hora recipiatur vapor, coopertis manibus, ut melius recipi vapor poſſit, utque ſudet manus. poſtea mundatus, hoc ſe unguento liniat. Recipe *ovorum albumina duo, adipis hircini unciam mediam, ſublimati ſcrupulos duos, aluminis uſti drachmam mediam, miſceantur omnia in mortario, agitando ſæpe quæ ſunt intus ingeſta, donec unguentum fiat.* Quod ſi hoc ſatis eſſe minime videbitur. Recipe *olei roſati, & ceræ utriuſque uncias tres, adipis hircini unciam unam, ſucci raphani aut napi uncias ſex, miſceantur omnia, bulliantque, donec ſuccus evaneſcat, & cum eo quod reliquum erit inungantur lichenes.* Juvat habere ſemper nonnihil *diapalmæ* ſupra lichenas, quod auferetur quo tempore adminiſtrabitur ſuffumigium, poſtea reiteretur. Prodeſt & lichenas perfundere cum *aqua ſublimati* ſemel aut bis, poſtea *butyri vaccini* modicum imponatur ad cutem de medio tollendam, quamvis valde moleſta res eſt, præ dolore, qui brevi ſpatio injicitur. Hoc optimum remedium eſt, citoque ſanat, aquam vero ex ſublimato faxit opus eſt, qui conficiendæ illi idoneus erit, & experiens. Pariter confert ſupra lichenas ponere mucilaginem herbæ (lazabira Hiſpanis dicitur) ex qua fit aloe, quod per quatuor, aut quinque dies continuos fieri debebit, recentem quotidie adhibendo, confert ea etiam adverſus callos digitorum pedum, & aliorum locorum.

## CAP. XVII.

### *De Herba China.*

Reperitur apud Indias herba quædam China dicta, & habet radicem duorum, triumve digitorum longitudinis, quæ in ore detenta omnino inſipida eſt. *ſumuntur ex ea unciæ quatuor, cultello minutiſſime comminuuntur, in tribus aquæ phialis decoquuntur, ad conſumptionem tertiæ partis, & fit aqua velut vinum.* Exhibentur pro vice unciæ ſex matutinis horis, calidæ, quantum ferre eas potuit ægrotus præmiſſis purgationibus, ut fit in aſſumptione ligni Guajaci. Decem diebus elapſis, reiteratur purgatio, idemque fit die vigeſima, & trigeſima ſi opus eſt, ad quam trigeſimam perveniendum eſt potando dictam aquam. Interim non alia utetur aqua in prandio, ac cœna. Veſcatur caponibus, gallinis, perdicibus. Primis diebus decem expediens eſſet, ſi obſervaretur diæta, quæ in aſſumptione decocti ligni obſervatur, vel ſi ægrotus contentus eſſe vellet pullis, aut ovis recentibus. his præteritis diebus ſumat uberiorem cibum melioremque, neque dedecet ut è cubili ſurgat, neque enim aqua hæc cum cuſtodia potatur. Caſtilienſes radicem hanc nominant zarſam parillam, neque tamen eadem eſt cum zarſa parilla, quamvis idem operetur utraque. Hujus radicis cortex capiendus eſt ut zarſa parilla, ejuſdem namque virtutis eſt, inveniturque in montibus Abulæ, & Conchæ. Volunt alii omnino eam cum china eſſe eandem, propter effectuum, quos producit, ſimilitudinem. Vis ejus eſt efficax contra morbum

bum Gallicum, gummata, dolores, plagas, podagram, aliasque multas ægritudines, valet enim etiam ad ea obstruendum. Quod si decoquatur cum simplicibus his, nempe cum *centumnodiis*, & *saxifragia*, confert ad frangendum renum & vesicæ lapidem, ciet lotium, & ad alias confert ægritudines. Ad calculum etiam prodest si decoquatur cum *fructu rusci*, rejiciuntur calculi etiam si tres, quatuorve fructus ipsius rusci edantur, confert & doloribus ilium, similiaque myrtinis habet folia.

FINIS

# LEONARDI SCHMAI,

## DE

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS.

### PRÆFATIO AD LECTOREM.

*Quum hodie & ob linguarum diversitatem, & gentium nostræ religioni infestarum immanitatem, obque ingentes labores, & expensas, infinitaque itinerum pericula, datum non sit omnibus adire Corinthum: Nemini tamen negatum est studioso saltem & novarum rerum inquisitori mutis præceptoribus, picturis, atque veridica relatione eorum, qui negotiationis gratia ad Phasim usque navigant, innixo, omnia in extremis etiam orbis angulis, si digna eademque utilia sunt, perquirere. Sed cum mira, magnifica, & vix credibilia passim acceperim de ligno quodam in occidentali India in insula Spagnola noviter reperta, non cessavi vel dormiens somniare ligni hujus naturam, donec literis patronorum meorum & meis, decem & novem doctrinas & relationes ex India & Portugallia ad diversos Germaniæ Principes, & viros primarios transmissas, accumularem, ex quibus naturam, proprietatem, qualitatem, usum & operationem plane piscatus sum. sed quia erant propter pluralitatem scribentium diversa, & confusa, propterque indoctos transcriptores incorrecta, mutila, & in plerisque locis omnino depravata, ut nemo (nisi medicus assidua lectione exercitatus) legere noviſſet, intellexisset vero nullus. Ego itaque (tametsi medicorum postremus) non potui tamen rem mea æstimatione tam divinam, tamque frugiferam, omnibus non notam facere: siquidem sane intellecta proderit omnibus, nocebit vero pluribus, si medicinam adeo strenuam, & vehementem sine medici moderatione usu temerario gustaverint. Itaque omnia quantumcunque lacera reparavi in ordinem, & capitula, ut essent clariora, quæque redegi, autoritatibus, & rationibus medicinalibus (ne ficta crederentur) fulcivi, ut lectoribus fidem, ægris utilitatem adferrem. pium lectorem precando, ne opelli parvitate pertæsus, prius fastidiat quam olfecerit. sæpius enim in modico magnus cinere ignis habetur, & brevis ingenti vena redundat aqua, Nemo superficies (vulgus nam pascitur illis) sanus amat, fruges interiora dabunt. Vale & nostra placita pie legito. Ex Salisburga secundo Novemb. Anno M. D. XVIII.*

### CAP. I.

*De Natura morbi Gallici.*

Receptum est jam ab omnibus Medicinæ professoribus hanc ægritudinem esse simplicem (genere saltem) atque inter epidemiales, hoc est populariter vagantes, connumerandam, quam Nicolaus Leonicenus vir apprime doctus sic descripsit. *Morbus Gallicus est pustule ex varia humorum corruptione generate, propter nimiam aeris in calore atque humiditate præsertim intemperiem, pudenda primum, deinde reliquum corpus, cum magno plerumque dolore occupantes.* Et quia ille morbus pro temporum diversitate, atque mutatione per diversa semper climata grassatus est, varia ex ipsis populis sortitus est nomina, adeo ut aliquamdiu inter Europæ Medicos differentia fuerit, quo nomine proprio illum nuncuparent, nam alii putaverunt hunc esse morbum quem veteres Elephantiasin vocarunt, alii lichenas, alii asaphati, alii prunam sive carbonem, alii ignem Persicum sive sacrum existimarunt. Quæ nominum diversitas in rebus quoque diversitatem suspicari fecit, atque hanc luem nunquam ab antiquis visam, atque ideo à nullo medico vel Græco vel Arabe inter alia morborum genera tactam: A quorum opinione, cum omnibus recentioribus doctoribus recedo, dico præterea hunc morbum durasse semper, quia vero ætas nostra non sensit à nobis incognitum, quippe compertum est jam omnibus, occidentales Indos per plurimos annos hoc morbo graviter laborasse, medicinamque, qua semper usi sunt contra hunc morbum, nostris mercatoribus jam indicarunt. Causam vero adventus hujus ægritudinis in Europam, diversi diversam assignant: at posthabitis aliis, medicos (proximiores semper causas assignantes) sequor, hunc morbum afferens ex aeris intemperie calida & humida ortum anno à salutifera incarnatione Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, quo fuit omnium totius Europæ aquarum inaudita inundatio, tantisque imbribus annus ille maduit ut nemini dubium sit, æstivum aërem ad illam venisse intemperiem calidam & humidam, quæ omnium putredinum occasio existit, quemadmodum apud omnes in confesso est. Ex qua humores in corporibus humanis ad impressionem illam recipiendam magis idoneis ad tantam devenere putredinem, ut eos natura ipsa (quæ semper tentat mundificationem sanguinis) statim excernens quod pravum est, ut inquit Galenus noster de *cholera nigra*, aliquando ad ventriculum, & intestina, quandoque ad eam, quæ extrinsecus superficiem, propulsset, unde pustulæ tam fœdæ tamque diversæ ex humorum diversitate ortæ, totum corpus quandoque occupavere, in quibusdam vero natura imbecillior tentans quidem, sed non valens ad exteriora cutis propellere, in articulorum nervos; aut panniculos ossa circundantes protrudit, ibique incumbens ingentes dolores excitavit. Quare quibus nullæ, vel admodum paucæ apparuerunt pustulæ, plures plerumque cruciatus perpessi sunt. Creditur siquidem unam & eandem materiam & pustulas facere & dolorem in articulis excitare. Ex quo etiam morbi unitas colligitur, cujus articulorum dolor symptoma reputatur. Qui enim nihil pustularum in cute habent, eos intrinsecus similes absessus habere non ambigimus. Cujus veritatem plurimorum ostendit anatomia, in quibus, per medicos dissectis iplorum corporibus, ita esse oculari experientia exploratum est: Ad quod etiam faciunt verba Galen. *de cholera nigra. Haudquaquam credendum est* (inquit) *partes interiores esse adamantinas ut non eisdem, quibus videmus exteriores affici, noxis subjiciantur.* Cum itaque medicus naturæ minister viderit opus naturæ non exorbitantis, quod omni studio imitari debet, fidelissimo Hippocratis documento, quo ducere oportet undecunque maxime natura repit &c. omnes intentiones suas ad expulsionem materiæ sanguinem inficientis dirigere debet, quod & plurimi doctissimi viri (diversis tamen modis) usque in hæc tempora cum multorum salute practicarunt, sed non fuit hactenus reperta medicina, quæ in hac ægritudine profuisset multum, nocuisset vero nihil. ægrorum arbitror impatientia factum, quæ non finit habere medicorum delectum, & Empiricorum temeritate, quibus nihil est difficile: hinc multi miserabiliter perierunt, sed modo Dei (ut mihi persuadeo) beneficio inventa est medicina simplex, qua maxime gaudet natura, quæ simul omnes intentiones complectitur in suis qualitatibus, morbo contrariatur in proprietate singularis, naturam juvans in expellendo, maturando, & consumendo omnes superfluitates totius corporis humiditates præternatu-

turales in quocunque membro contentas digerit, & resolvit, quicquid intrinsecus latet per urinales meatus expellit. Quicquid vero in venis, carne & superficie continetur, via sudoris absumit. Multis etiam aliis morbis non inutilis futura, sicut ex ejus qualitatibus clare apparet.

## CAP. II.

### *De arbore Guajacana.*

Qui mercium transportandarum gratia ad Indos navigant, referunt se arborem, qua Indi contra Mentagram utuntur, vidisse, quippe esse parvam, & spissam, foliis tenuibus, truncum femorum magnitudinem, vel maximam illarum latitudinem humani corporis æquantem, corticem coloris cineritii habentem, lignum istius minus esse bonum, & ad curam istam non ita frugiferum: Quare in his, sicut & in aliis transmarinis, diligenter videndum erit ne mercatorum fraude, atque sophisticatione decipiamur: Aliæ sunt arbores cortice nigriori, folia habentes minora, subtilia, & rotunda, fortia, & venosa sicut plantaginis folium. Fructus istius arboris est croceus, quadratus, planus, & acetosus, habens os sicut fructus olivæ. Estque in hujus quoque ligni delectu apud medicos differentia, nam aliqui diligunt grossum plurimum cordis habens, & quo plus accedit ad radicem, eo pluris æstimatur, majorem siquidem hujus arboris virtutem in radice esse arbitrantur, & ista est communior opinio. Aliqui vero lignum magis subtile & tenerum, quale est in ramis, pluris faciunt. in qua sententia perpauci perstiterunt, sed suo quisque studio gaudet. De complexione hujus ligni nulla est prorsus inter medicos diffidentia, tametsi nusquam apud medicinæ autores legatur, quia ex operatione ejus (quod experimento patet) omnes qualitates ipsius manifestantur, est nanque calidum, aperitivum, diureticum, sudoris provocativum, atque omnium humiditatum resolutivum.

## CAP. III.

### *De usu ligni.*

Volentes uti hoc ligno in primis medicum adeant, consulendo de pondere, seu quantitate, nam plus opus habent, qui gravius morbo ipso affecti sunt. plus senes quam juvenes. locupletes, & qui una & virtuosa aqua (quam primam vocamus) uti voluerint, plus de ligno emant, necesse est: Nemo tamen, vel mediocriter infectus minus quatuor libris emere præsumat, ut usui triginta dierum sufficiat, præparetur vero hoc modo. Recipiatur *lignum cum cortice, & in tenuissima frusta tornetur, aut cultro levigatorio in oblonga & subtilia resegmina scindatur, illorum resegminum lib. j. in æstate, & in hyeme libras duas recipe, & in olla vitreata ponito, fundendo desuper ad unam libram resegminum mensuras tres Augustanas aquæ fontis, quæ faciunt Salisburgæ duo quartalia, & olla bene cooperiatur, & per biduum infusa custodiantur: deinde lento igne & absque flamma & fumo coquatur, quousque tertia pars absumatur, semperque & assidue despumetur, spuma quoque diligenter reservetur, quia salutifera est, si cum ea partes doloroſæ aut ulcera* (si patiens ea habuerit) *circumcirca inungantur. Aqua vero eo modo cocta, & per diem naturalem refrigerata, diligenter colatur, colata in vitro anguſti orificii seponatur.* Lignum vero ita coctum in olla pro altera decoctione remaneat. & secundario aqua (ut prius) impleatur, ut, quando prior epota sit, secunda præsto adsit. *Alia præterea libra resegminum stet in infusione, ut apozemate uno aut altero exhausto, statim alia adsit aqua,* ut nulla dies sine potatione illius aquæ prætereat, & ita continuetur per triginta dies. Consulo tamen ut omnia juxta docti & prudentis medici discretionem moderentur: Est namque in decoctione inter eos diversitas, quia sunt, qui tertiam partem aquæ coquendo absumunt. sunt qui medietatem consumunt, idque satis esse existimant: Hoc tamen certum est, quod ubi plus de ligno ponitur, & plus de aqua per coctu ram absumitur, eo celerius atque efficacius operatur: Debetque patiens de ista aqua mane & sero quartam unius mensuræ bibere, & quo plus biberit, eo citius expedietur. Cum cibo vero & extra horas prandii, cum sitierit, bibat aquam secundæ decoctionis (quam minorem appellamus) quod si illam quoque propter abominationem bibere recusaverit, porrigatur sibi aqua, in qua modicum de isto ligno cum seminibus diureticis calidis, aut speciebus aromaticis decoquatur: sapor pro appetitus conservatione, & non intentio varietur, de quo plura in regimine. Alius usus hujus ligni est ut accipiatur *libra una resegminum pulverizatorum, & cribellatorum.* Recipianturque *pulveres isti, & cum syrupo appropriato fiat electuarium gustui gratum, de quo in matutinis horis & vespertinis accipiatur cochlear unum,* ita continuando per triginta dies, quo usque pristina sanitas recuperetur. Et (meo judicio) in delicatioribus saltem expediret mutare formam, intentione manente, ut alternis vicibus jam potio, modo electuarium, modo pulveres sumerentur: gratæ sunt enim divitibus vices. per hoc quippe appetitus (quem in nulla ægritudine negligere oportet) custoditur: sed faciat quilibet sicut sibi rationabile, & ægro salutiferum videtur: Unum tamen omnes concorditer monent, atque præcipiunt, ut nullus infra spatium mensis ab usu alicujus medicaminis desistat. Sunt enim, qui in decem aut quindecim diebus liberantur & ex toto sani fiunt, qui si non continuarent, recidivam radice pejorem procul dubio expectarent. Sunt etiam, qui usque ad vigesimum & vigesimumquartum, nihil salutis, nullum denique meliorem statum sentiunt. Imo aliqui deterius habent, augmentatis ulceribus, quæ si desisterent, magno vitæ discrimini ægros exponerent: At si fortiter agunt, strenueque & curam & regimen observant, in paucis diebus, & cum admiratione quadam (humoribus omnibus consumptis) mox portum optatum attingunt, & sanitatem pristinam, qua nihil gratius est, consequuntur. Sed sunt omnia prudentia medici, & adamussim trutinanda. cessandum enim, prolongandum, prout cujusque dispositio postulaverit. Postremo pollicentur atque constanter promittunt, quod si quis hanc curam (uti præscribitur) observaverit, nunquam aliquid hujus morbi sentit, nullusque præterea unquam visus est, canonice curatus, recidivasse. Illud quoque nosse oportebit, quod aqua ista mane calefacta bibatur, & æger in lecto bene coopertus per horas duas aut tres (secundum virtutis tenorem) sudans permaneat, ex tunc camisiam aut linteamina alterando idem ad vesperum, & circa ingressum lecti facere tentet, & quo plus sudaverit, eo celerius proficiet, sed sunt omnia semper moderationi astantis medici relinquenda, qui aliquando nimium affectata, si non multum lædunt, apponere debet: ex quo æger efficitur obediens, ex qua obedientia sæpiuscule sanitas procreatur. Non enim parum refert medicum habere amicum, quia interdum ex sola amicitia inter ægrum & medicum sanitas oritur. Ex concessione autem aliqua facta ægro, amicitia fit, ut est apud Hip. *epidemiarum iiij. Concessiones ad infirmos &c.* & altero canone, *Quæ non multum lædunt &c.* in quorum commentariis pulchra ab Alexandrino commemorantur. Et è diverso intemperantes, & inobedientes deterrendos esse in *octava epidem.* persuadet, quanvis crudelem medicum vocent ex prohibitione eorum, quæ sibi concedi vellet. Sed non sunt omnia ita ad regulam & symetriam observanda, moderata nanque durant, modicumque non nocet, sed immodicum. Illud quoque nequaquam negligendum puto, quod multitudinem urinæ atque sudoris necessario sequitur ventris siccitas, ducitur enim tunc per urinam, quod per secessum debebat duci. urina enim, inquit senex, multa facta noctu modicum secessum significat, & e converso, quarto separatorum sermonum ad finem. Consequuntur enim se quoad excessum, vel defectum hæc tria, sudor, excrementum, & urina: dicit enim senex, si cutis raritas, ventris densitas, si cutis concessio, carnium incrementum, *tertia epidem.* in principio. Cum ergo ita sit, diligenter procurandum erit, venter nimis ne constipetur, & excrementa plus solito indurentur, quod multis ingeniis omnibus expertis medicis, practicari potest. At modo in relatione Hieron. Carozoli ad Reverendiss. Principem dominum dominum Cardinalem tituli S. Angeli, episcopum Gurcen. Metropolitanæ ecclesiæ Salisburgensis coadjutorem, virum inquirendarum rerum novarum studiosissimum, scriptum offendi, quod Hispani medici jam experientia didicere, pulveres quoque hujus ligni, si pondere drachmæ unius in liquore aliquo, aut super pane tosto, vel per se exhiberentur, familiariter, & absque molestia ventrem subpurgare, multos denique sola receptione pulveris (quod & minus molestum est) esse curatos: Estque is tertius administrationis modus: sed quia unicuique placet clava sua, enumeranda omnia duxi, sed cujuslibet arbitrio practicanda relinquo.

## CAP. IV.

*De regimine illorum, qui ſanitatem ex ligno Indico deſiderant.*

Ante omnia neceſſarium eſt, ut corpus cujuſque debito medicamine præpurgetur. expedit autem digeſta medicari & movere, non cruda, ut ſenex dicit: Si vero id una aut altera medicina efficere non poteris, pluribus perficiatur, donec corpus mundum ſit, quod ſolus medicus peculiaribus ſignis diſcernit: purgare quippe facile eſt, ſed quando, quoties, aut quantum dare convenit, eſt ita difficile, ſicut difficile eſt eſſe bonum medicum. Nemo præterea ſibi perſuadeat corporis purgationem omni pharmaco fieri poſſe, ſicuti nonnulli empiricorum ſomniant, nullam facientes inter turbationem & purgationem ventris differentiam. ſed inertis plebiculæ ſtultitia confiſi, quicquid naturam turbat, atque gravat, *eſulam*, *colocynthidem*, *grana cataputiæ*, & ex Venetiis aſportata ſcaleta in omni diſpoſitione indiſcriminatim exhibent, corpuſque perbelle purgatum eſſe dejerant, ſi patientem ſæpius cacare fecerunt, idque vicatim, cum multorum aſſertione prædicant: Ignorantes illud Hippocraticum, non multitudinem eorum, quæ egeruntur, conſiderare oportet, ſed qualia oportet purgari ſi purgentur &c. Itaque multi vitam ſuam illis vagatoribus, & herbariis, Judæis, ſacrificulis illis credentes, ingenti ſæpe pretio necem ſibi emunt, & id quidem rectiſſime, poſtquam ſalutis ſuæ pauci rationem habent: conſulendi ſunt igitur mediei in arte probati, qui humorum purgandorum medicaminis delectum habent. Niſi enim corpus bene mundum ſit, medicina illa ſatis vehemens atque diuretica duceret, quod in ventriculo, atque aliis canalibus amplioribus inveniret; & in ſtrictioribus ductibus & in venis illis minutiſſimis, oppilationes plures (ægritudinum multarum effectrices) cauſaret, aut ad minus in operatione ſua impediretur: Et ex illa cauſa (mea æſtimatione) diæta adeo tenuis atque auſtera præcipitur: Alioqui non ſtaret cum Hippocraticis dogmatibus, tenues & certæ diætæ in diuturnis ſemper paſſionibus, & in acutis, quibus non conveniunt, difficiles, & in multis aliis, ubi diætam tenuem in morbis non criticantibus ſuſpectam facit. Sed quia diætandi ratio potiſſimum à virtute ſumitur ægri, igitur in hac quoque cura, præſenti & aſtanti medico legem certam dare non audeo: Illud tamen certum habeo, quod quo minus patientes comederint & biberint (excluſa medicina) eo velocius omnes malos & pravos humores, puſtulas, ulcera, atque dolores facientes reſolverint: corporibus enim humidas carnes habentibus famem adhibere convenit, fames enim maxime deſiccat corpora, *ſeptima aphor.* Et humiditas per procedentia cum diæta deſiccatoria conſumitur, ut noſter ille ſenex Hippoc. inquit *ſeptima epidem.* Ex his itaque manifeſtum eſt, cibum in hac cura debere eſſe tenuem omnino: Poſtquam igitur patiens incipit ſorbere medicinas, aſſuefcat paulatim tenuius refici: cum vero jam primum hauſtum de ligno ſumpſerit, non comedat niſi pullum parvum elixum cum ſuo brodio, cum modico pane albo, cum jam quinque horæ, aut quatuor ad minus elapſæ ſunt ab hora potionis, poterit etiam aliquando pullum aſſatum parvum comedere. at ſi pulli parvi inveniri non poſſunt, aliud quippiam ſimile comedat, *boraginem* quidam, aliqui *bugloſſam*, vel herbam aut radicem cum pullo decoquere jubent, ad noctem vero nihil comedere (præſertim uſque ad decimum diem) melius eſſet, ſed conceditur interdum ut patiens comedat de uvis paſſis, rejectis arillis, aut pomum aſſum cum ſaccharo, aut ſimile quippiam, quod ventrum lenire conſuevit. Si vero patiens adeo eſſet debilitatus, poſſet iterum pullum unum, vel dimidium, aut quartam partem gallinæ, aut caponis cum brodio ſuo, vel aſſatam cum modico pane albo comedere, dandum vero eſt aliquid tempori & horæ & regioni & ætati & conſuetudini, quæ omnia ex diſcretione medici dependent: præterea euchyma omnia, facilisque digeſtionis cibaria, ſicut ſunt carnes juvenum animalium terreſtrium aptæ humano eſui, item volatilium omnium, præterquam in aquis degentium, ut ſunt pulli, capones, gallinæ, turdones, perdices, & ſimilia, quæ omnia pro cujuſque appetentia vel elixentur vel aſſentur, pultes etiam, atque olera (quibus Germani gaudent) præter braſſicam, pro qualitate temporum, & maxime luteum, quod eſt in ovo, quod in omni ægritudine nutrit abſque ullo onere Plinio autore *libro naturalis hiſtoriæ. XXIX. capite. III.* ſi prout oportet exhibentur, concedi poſſunt: Sola nanque diætæ tenuitas quæritur, ut ventriculus non caro voluptuetur. conſtat nanque carnium purgatione hanc curam maxime velocitari, de qua ſingulare capitulum ſcriptum reliquit Aegineta Paulus Galen. A noſtri abbreviator *libro primo ſalubrium præceptorum*, quod propter affinitatem, quam habet cum præſenti cura, haud gravatim exſcripſi: inquit vero ſic. *Si obeſum nimis eſt corpus, eliquare, purgareque ipſum oportet: ergo cum calida temperatura extenuandi vim obtineat, eam craſſis corporibus, ut ad mediocritatem redeant, inducemus: diaciſti vero quod & vehementes exercitationes & victus tenuis, medicamentaque extenuantia, & animi ſolicitudines, univerſam corporis temperaturam aridiorem, ac ob eam rem corpus ipſum tenuius efficiunt.* Eſt igitur tenuis victus notus. Commemorat denique multa medicamina, quæ hujuſmodi extenuandi vim obtineant, calorifica omnia: & in fine capituli *attenuat* (dicit) *præterea medicamentum, quod habet piperis & petroſelini duplum, aſari, & aniſi dimidium, id & urinam & alvum utiliter ducit.* Ecce conformitatem cum cura noſtra: medicamentum ex ligno omnia ſimul complectitur, humoroſitatem corporis ut ſupra conſumit: ad quod maxime opitulatur diætæ tenuitas, quæ ob id ab omnibus injungitur; aliqui à tenuiſſima diæta incipiunt, & poſt decimum diem, & quindecimum plus concedunt: aliqui vero contrarium operantur, diætam enim tenuem uſque ad quindecimum præcipiunt. Deinde iterum corpus ſubpurgant, & poſtea uſque ad trigeſimum ſemper ſubtrahunt. Sed ſunt omnia ex natura, virtute, & conſuetudine patientum deliberanda. Potus vero (ut eſt omnium unica confeſſio) debet eſſe aqua illius ligni, & nihil aliud: unde aliqui majorem, aliqui minorem aquam magis amant: Ex ſudore enim & urinæ multitudine ſitis valida oriatur neceſſe eſt, quam cum aqua minore reprimere decet, ſitim tamen tolerare & parum bibere valde proſperaret opus, vinum omnes interdicunt, ſed ſi utique quis contenderet, vinum exhibeatur cum aqua ſecundæ decoctionis dilutum. Si vero ex faſtidio aut quotidiano uſu illius aquæ quis aſpernaretur hanc potionem bibere, concedatur ſibi aqua decoctionis ſeminum diureticorum calidorum cum aromaticis quibuſdam: unde mihi valde placet aqua Pauli Aeginetæ quam in fine capituli annotavit. Aër quoque, & omnes res nonnaturales ita applicandæ ſunt, ut opus medicinæ adjuvent. ſit igitur aër, vel natura ut in æſtate, vel arte calidus ut in hyeme in noſtris ſtuphis conſuevimus. Videndumque eſt, ne ad latus vel frigiditatis vel caliditatis nimium alteretur. Patiens in camera bene concluſa, aut in ſtupha pro qualitate temporum neque calorem, neque algorem excellentem patiatur, quamvis tutius ſit calefieri quam algere, ventus nullus admittatur, ne teneritudinem corporis ſubingrediens principalia offendat membra: nunquam enim ſine noxa admittitur ventus, quare neque feneſtras algoris tempore aperire cautum eſt. Studium in caletaciendis ſtuphis adhibendum, ut perpetuo quodam tepore ſerventur. Sudor in lecto poſt aquæ ſorbitionem mane & veſperi, ut ſupra declaratum eſt, provocetur: poſt ſudorem & interdiu, ſi pedibus valet patiens, parum incedat, & pro virium qualitate & conſuetudine ſua faciat quod voluerit, ſed locum habitationis ſuæ nequaquam egrediatur. Exercitia, quæ ſub motu medici comprehendere conſueverunt, in hac curationis area nullum ſibi vendicant locum, propter virtutis imbecillitatem, quæ copioſum ſudorem, & famem neceſſario ſequitur: Qui vero adeo robuſtus eſſet ut fortibus gymnaſiis ſufficeret, valde conduceret eum exercitari, quia gymnaſium forte fortiter purgat carnes, quies e diverſo augmentat, quemadmodum dicit Alexandrin. ſuper *canone. 4. tertiæ particulæ epidemiarum*, in gymnaſiis ſignum ſudor, qui fluens deguttationem defert quaſi ex imbribus, quare medicus ex robore & conſuetudine patientis ſpecies exercitii eligat: fricationes tamen (quas omnes laudant) raro tranſcenduntur. Circa inanitionem & repletionem unicum præcipuum animadvertendum puto in præſenti cura, videlicet ut corpus ſemper cuſtodiatur mundum, hinc aliqui poſt decimumquintum iterum purgant, interea ab uſu medicinæ abſtinentes, & poſt trigeſimum, quando ceſſat uti medicina, iterum corpus pharmacia mundificando exagitant. Ubi omnes monitos eſſe velim, ne fortiſſima medicina ſolutiva ſemel tentent expellere, quod pluribus vicibus erat evacuandum, præſtat namque infra ſubſiſtere quam effreniter purgare. De ſomno & vigilia in præſenti cura nihil accidit dicere, niſi quia præſtat magis vigilare quam dormire: vigiliæ etenim exſiccant corpus, ſomnus vero humectat. Quia vero ſcitum eſt hunc morbum eſſe melancholicum, idcirco fugienda ſunt triſtitia, timor, invidia, ſolicitudo, & hujuſmodi animæ paſſiones, quæ ſi longum tempus habent, patientem melancholicum efficiunt. enitendum ergo erit omni ope ut patientes in hac cura gaudio afficiantur, neque quod contriſtari poſſit audiant, auditus nanque hi meliores ſunt, hi pejores mæſtificantes, inquit ſenex octava epidemiarum, quo monemur, ut de iis, quæ oblectant patientem, ſermonem inſtituamus. Si enim patiens mercaturam exercet, dicant aſtan-

aſtantes ipſum lucrum feciſſe : Si religioſus, de pietate & vitæ ſanctimonia loquantur : & ita pro cujuſque conſuetudine dicenda ſunt, quæ ſanitatis tempore animum ejus exhilarare conſueverunt : Legimus enim paſſim ſolo auditu eorum, quæ contriſtant, multos non ſolum gravius ægrotaſſe, ſed ob nimiam triſtitiam vitam cum morte commutaſſe. In libro enim hæreſium apud Galenum legitur, quomodo frater audiens fratris ſui interitum præ triſtitia extinctus ſit. Imo in ſacris literis de ſacerdote Heli memini me legiſſe, qui, audita filiorum morte, & arcam Dei captam, fracta cervice exſpiravit. Singulis itaque rite & canonice applicatis, quæ ante aquæ hujus ligni potationem fieri debent, & quæ in cura obſervanda ſunt, ſecundum diſcreti & prudentis medici moderationem quemadmodum perſcripta eſt, nemini dubium eſt quin optimus effectus, hoc eſt, jam dudum optata ſanitas ſequatur : quam conſervare quoque cum ratione & regula oportet, cum omnibus enim intentionibus, ſicut A ex ægritudinibus convaleſcentes, tractandi ſunt, cibentur largius quam curationis tempore conſueverunt, cibariis euchymis, facilis digeſtionis, multiplicantibus ſanguinem, atque virtutem reſtaurantibus : de quibus copioſe Rhaſis in fine x. *lib. ad Almanſorem*, & Avicenna *canticorum parte ſecunda* ſcriptum reliquerunt. Paulatim præterea & non longe à loco habitationis egrediantur, ut iterum aëri & ventis aſſueſcant, vino in primis diluto, poſtea ſemper meraciori utendum, venerem velut cicutam & aconita aſpernentur : conſuevit enim debilitare omnes, debiles vero frangere. Oportet igitur pedetentim ad priſtinam conſuetudinem devenire, quia non patitur natura ſubitas mutationes, & regimen induendum, quo ſani ſane vivere didicerunt, hoc modo & ſanitas recuperatur & recuperata conſervatur. Auſpice & datore Jeſu Chriſto, qui eſt in ſecula benedictus. Amen.

FINIS.

# PETRI MAINARDI, *Veronenſis*,

DE

# MORBO GALLICO,

## TRACTATUS DUO.

# TRACTATUS PRIMUS.

## CAP. I.

*De nomine Morbi Gallici, & de tempore adventus ejus, & de magis paratis ad ipſum ſuſcipiendum.*

Hoc noſtro tempore detectus quidam morbus epidemialis, ſive fatalis, ut infra probabitur, apud homines Gallicus appellatur, quoniam de eo nulla eſt memoria, niſi ex quo Carolus Francorum Rex cum ſuo exercitu in Italiam ſe contulit, anno ſcilicet Virginei partus MCCCCLXXXXVI. Qui epidemialis morbus ſive fatalis prædictus fuit alias in prognoſtico xx. annorum clariſſimi artium & medicinæ doctoris Pauli de Medelburgo Zelandiæ Oceani Anno virginei partus M. CCCCLXXXVII. Quod quidem prognoſticum ad Illuſtriſſimos Principes Urbini Ducem, D. Guidonem Monferetanum, ac ſapientiſſimum dominum Octavianum de Ubaldinis ſcripſit pridie Kal. Januarii ejuſdem milleſimi. In quo quidem dixit quondam morbum curatu difficilem immiuere hominibus habentibus ſtellam ſcorpionis horoſcopantem in genitura eorum, aut ipſorum nativitatibus, & quod ejus cauſa ſupercœleſtis fuerat tremebunda conſtellatio coitus trium ſuperiorum ſiderum, Saturni ſcilicet, Jovis, & Martis. Qui quidem coitus fuerat in gradu XXIII. Scorpionis, die XXV. Novemb. M. CCCCLXXXIIII. Ita quod Mars poſſidebat locum conjunctionis, & Saturnus in auge ſua opprimebat Jovis ſtellam uſque adeo, ut ejus benigna influentia non valuerit nec reſiſtere potuerit, quin hi duo planetæ malevoli ſcilicet Saturnus, & Mars imprimerent ſuo lumine & motu varias aëris, & aliorum elementorum alterationes ſenſibus occultas, conſequenter in omnibus mixtis ex eis agentes diſpoſitiones ad futurum hominum interitum variis viis poſt bis ſex annos à die conjunctionis, & maxime in humanis corporibus ſtellis ſcorpionis ſubjectis.

## CAP. II

*De cauſis objectivis, & ſubjectivis morbi Gallici propinquis & remotis materialibus, & de ejus quidditate.*

Cujuſlibet morbi materialis cauſa ſunt primo humores lapſi extra naturam boni ſanguinis in hepate, & in membris ei ſervientibus primo. & ratio eſt, quia ſtellæ alterantes elementa, alterant conſequenter humores, tanquam mixta elementis quatuor proportionata, & proxima magis, ut alibi probatum eſt. Qui humores ſic alterati alterant membra homogenea, ex quibus hepar, & membra ei ſervientia conſtare videntur, ad malitiam complexionis diverſorum humorum malorum in groſſitie, & terreſtreitate cum aduſtione, merito influentiæ Saturni & B Martis. Atque iidem humores valde exſpoliati à natura boni ſanguinis, tanquam naturæ membrorum principalium rebelles, mittuntur ad extrema corporis, tanquam ad ignobilia membra, & ad confinia univerſi corporis, hinc inde cauſantes varias morborum ſpecies, ut ſunt puſtulæ, apoſtemata, nodi in extremitatibus muſculorum ulcerantes, & in juncturis dolores, præterea inferentes nutritivæ, & motivæ virtutis operationibus nocumentum. virtutibus quidem naturalibus hepatis ſcilicet primo & ſplenis nocent. in his enim membris duobus minera objectiva hujus fatalis morbi gignitur, ſive epidemialis heterogenea, & aduſta, quæ ſecundum quod multiplicatur, mittitur ad corporis diverſas partes, ibidem cauſantes morbum complicatum, omnia genera morborum comprehendentem, videlicet malitiam complexionis, quæ eſt morbus conſimilis lædens immediate actiones, & paſſiones naturales membrorum conſimilium partium, & malitiam compoſitionis, quæ eſt ægritudo inſtrumentalis, C impediens naturales operationes membrorum organicorum, & continuitatem ſolutam, quæ dicitur morbus conſimilis, lædens etiam naturales conſimilium partium membrorum actiones & paſſiones mediate, ſive per accidens. Et ſi quiſpiam obſtet, dicendo ipſam advenire juncturis, quæ ſunt organica membra, propter quod debet communis morbus vocari. Reſpondendum eſt ei, quod talis ſolutio adveniens juncturis eſt contigui, minime vero continui, unde apparet quod ſolutio eſt nomen æquivocum, importans continuitatem, & contiguitatem ſolutam, & in oſſibus corruptionem. Qui morbus hoc pacto complicatus merito ſuæ cauſæ materialis ſubjectivæ & objectivæ videtur, quod ſit ſpecies lepræ, ſicuti in noſtris lectionibus publicis de lepra oſtenſum eſt multis rationibus, quas etiam hic producemus : nanque videmus quod materia lepræ antecedens & conjuncta longe valde communicat cum materia antecedente, & conjuncta hujus infirmitatis, ita quod definitio lepræ poſita ab Avicenna, *tertia quarti*, *tractatu tertio*, *cap. primo*, videtur D huic morbo Gallico competere. Ubi ait, quod lepra eſt infirmitas mala proveniens ex ſparſione choleræ nigræ in corpore toto, ſive ſit melancholia ex aduſtione choleræ, ſive ex aduſtione alicujus alterius humoris vel forte ſanguinis, quovis enim modo fuerit cholera nigra, manifeſtum eſt quod eſt ſparſa per totum corpus. Sed cum hic morbus Gallicus ſit infirmitas mala proveniens hujuſmodi, apparet manifeſte quod ſit ſpecies lepræ. Et ſe habet hic morbus Gallicus ad lepram, ſicut poſterius ad prius, & ut homo, vel aſinus ad animal. Unde ſicut dicimus, quod quicquid ineſt animali, ineſt homini, ſive aſino, ita dicendum, quod quicquid ineſt lepræ, ineſt morbo Gallico, ſed non e converſo, quia aliquid ineſt morbo Gallico, quod non ineſt lepræ, ſicut aliquid ineſt homini, quod non ineſt animali in eo quod animal. Quia ſicut homo eſt ſpecies animalis, ita morbus Gallicus eſt ſpecies lepræ. Inſuper ſigna lepræ poſita ab Avic. loco

allegato, & à Rhasi xxv. *contin. cap.* 16. & pariter etiam in v. *Alman. cap. xxxv.* in *lib. divisionum cap. cxx.* & aliis auctoribus plurimis, æquivalent signis apparentibus in corporibus laborantibus morbo Gallico, nec distinguuntur nisi secundum magis, & minus, quæ non variant species. Amplius manifeste videmus, quod accidentia supervenientia operationibus virtutis nutritivæ in omnibus membris sunt actiones corruptæ, aut diminutæ, sicut etiam apparent in leproso, quod non esset, si morbus Gallicus non esset species lepræ. Unde possumus ipsum definire & lepram hoc pacto, ut sint quidam lapsus præternaturalis compositus ex duobus lapsibus, sive laboribus, aggravativo videlicet & ulcerativo, humano corpori contingens in partibus ejus consimilibus primarie & in organis secundarie. aggravativo quidem dico merito materiæ objectivæ grossæ exuberantis in membris, & ulcerativo merito adustionis. & sic concludimus omnino, quod hic morbus Gallicus, & lepra communicant in signis, & causis, & in definitione.

## CAP. III.

### *De causis primitivis morbi Gallici, & efficientibus, & materialibus humorum melancholicorum.*

De causa materiali humorum melancholicorum & consequenter hujus fatalis morbi dicendum est, quod sunt cibi frigidi, & sicci, aut calidi, & sicci adusti, & malo ordine, & hora assumpti, ut sunt carnes vaccinæ, bovinæ, leporinæ, porcinæ, salitæ, & omnes carnes quadrupedum animalium in sylvis morantium, & omnium avium in aquis habitantium, & caseus vetus, & panis azymus, & biscoctus, & panis de milio, & acria omnia, salsa. & similiter urina grossa, turbida, & aquæ turbidæ, & similia, quoniam sunt materia humorum melancholicorum generativa. Causa autem efficiens hujus morbi Gallici videtur quod sit duplex, intrinseca, & extrinseca. Intrinseca quidem non est nisi membrorum nutrimenti exitus à suo temperamento, & à naturali complexione per frigidum, & siccum adustum, sive cum adustione, & oppilatione in venis splenis, per quas oppilationes fit prohibitio depurationis sanguinis totalis à sua fœculentia. namque officium splenis in omni animali perfecto est depurare sanguinem ab omni terrestri fœculentia, quod cum non fiat, sequitur quod talis fœculentia necessario remanet in sanguine, qui per venas diffusus in totum corpus, & à natura membrorum ad partes cutaneas expulsus, inducit supradictas ægritudines, & similiter animi tristitia inter efficientes causas connumeratur. De causis autem extra corpus, est aëris dispositio frigida, & sicca, aut sicca juncta calido adustivo, & exercitium forte, & similes causæ primitivæ. Sed enim potissima causa efficiens extra corpus, est stella scorpionis horoscopans in hora casus spermatis in matricem agens in sanguinem menstrui propriam naturam sui, aut in hora nativitatis nascentis. & ratio super hoc est, quoniam natus, aut genitus in hora stellæ scorpionis attributa, subjacet impressioni luminis ipsius, imprimentis in eum suam imaginem, sive naturam. ut omnes Astrologiæ sapientes affirmant, antiqui videlicet, & moderni. Antiqui quidem ut Ptolomæus in *primo quadripartiti*, & *in suo centiloquio*. Et Albumasar in *libro de magnis conjunctionibus*, & pariter in suo *introductorio* & in *libro florum Astrologiæ*: & Rhasis in *suo centiloquio ad Almansorem* scripto: & Hermes trimegistus in *suo centiloquio*: & Zaël Ysmaëlites in *suo introductorio de principiis judiciorum*: & Masahahach in *libello de ratione circuli*, & moderniores his, ut Albertus magnus in *libro de duabus sapientiis*, & pariter in *secundo libro de virtute, sive veritate Theologiæ*, & Petrus Apponensis in *suo astrolabio plano*, asserunt enim natum, sive genitum subjacere stellis horoscopantibus in hora suæ conceptionis, aut nativitatis. Cum igitur stellæ signi scorpionis sint semper in aliquo hemisphærio horoscopantes, sequitur necessario auctoritate tantorum sapientum, ut omnis genitus, aut natus in hora ascensus signi scorpionis subjaceat influentiis ejus luminis, quo lumine & motu suo alterat, & disponit ad naturam suam ei subjecta magis quam aliæ stellæ aliorum signorum Zodiaci. & licet tantorum sapientum sententiis quiescendum sit (ut tamen resistam impiis & minime credentibus inferiora mixta sub lunari circulo posita subjacere influentiis siderum, aut ullam potestatem habere cœlestia corpora super humana corpora, ob quam opinionem deducunt vulgares ad credendum; sed Deum agere secundum quod perfectius est, homines posse influentiis resistere, nec per plura, id quod æque bene potest per pauciora) eorum sententias nonnulis rationibus probare statui, mundum inferiorem scilicet subjacere superiori, & quamlibet ejus partem cuilibet parti, & quod omnis natus, aut genitus subjaceat stellis horoscopantibus in hora generationis ejus, aut suæ nativitatis. Quod probatur primo sic. quicquid alteri paret, subjacere ei videtur. Sed totus mundus inferior paret superiori mundo. Igitur mundus totus inferior subjacere superiori mundo videtur. major hujus syllogismi est manifesta per hoc, quoniam quicquid alteri paret, paret aut naturaliter, aut materia formæ, aut spoute, ut filius patri, aut violenter, ut servus domino. minor hujus syllogismi est etiam Aristotelis in secundo cœli, & mundi, & primo metheororum, dicentis mundum inferiorem hunc obedire superiori mundo, ut in sensatis mutationibus in quatuor anni temporibus manifeste apparet. Quam etiam minorem rationem probamus sic. Nam totus mundus inferior se habet ut materia, & totus superior mundus se habet ut forma. patet hoc quoniam est majoris activitatis, quàm sit inferior mundus. Cum igitur materia naturaliter obediat formæ, sequitur necessario totum mundum inferiorem naturaliter obedire superiori mundo. Cum igitur totus inferior toti superiori mundo sit obediens, igitur & quælibet ejus pars cuilibet parti mundi superioris parebit. Cum autem quilibet homo sit pars mundi inferioris, sequitur quod quilibet homo sit obediens cuilibet parti mundi superioris, licet unus uni parti plusquam alteri parti sit magis obediens, & hoc quantum ad partes corporales, quoniam quantum ad ejus animam intellectivam stellarum influentiæ nihil possunt super ipsam, quia non est eis alligata, sed mere libera &c. Amplius mundus iste inferior movetur secundum quod superior mundus movet, neque enim moveretur, si non ei subjaceret. Sed mundus superior movet secundum diversa stellarum lumina. cum igitur aliqua stellarum lumina largiantur in mundo inferiori frigiditatem junctam siccitati, teste Averroe in libro de substantia orbis (ut lumen stellæ Saturni) & aliqua largiantur caliditatem junctam siccitati, (ut lumina Solis, & Martis & nonnulla caliditatem, & humiditatem, (ut lumina Jovis stellæ, & Veneris) & aliqua frigiditatem & humiditatem (ut Lunæ & Mercurii lumina) & demum, ut Averroës ibidem sensit, corpora cœlestia vitam omnibus viventibus largiantur, ob id apparet auctoritate tanti viri, quod quilibet homo vivit vitam sibi à superioribus communicatam astris. Quam non haberet vitam, si ejus corpus superiori mundo non subjaceret, & ei pareret, licet unus uni parti plusquam alteri obediat. & similiter non moveretur corpus humanum secundum quod sidera movent suo lumine, & motu, de qualitate tanquam à termino à quo ad qualitatem tanquam ad terminum ad quem. ut verbi gratia de frigido ad calidum, vel e converso, & de humido ad siccum, vel e converso, & sic de cæteris mutationibus ad ubi, ut de parvitate ad magnitudinem, & e converso, ut manifestum est in augmento, & diminutione, & ut de sanitate ad ægritudinem, & e converso. Insuper omnis dispositio continentis imprimitur in suo contento, sed mundus superior est continens, & inferior mundus contentus. sequitur igitur quod omnis mundi superioris dispositio imprimitur inferiori mundo, ut manifestum est de lumine solis, & stellarum. Pariter quælibet stella superioris mundi se habet ut potentia, & quodlibet mixtum mundi inferioris se habet ut objectum. sed manifestum est, quod quælibet potentia ad se trahit suum objectum, sequitur ergo quod quælibet stella ad se trahit aliquod mixtum hujus inferioris mundi sibi à natura deputatum. Et sic patet per istarum stellarum actionem homines elevari non solum in spiritu ad contemplandum arcana naturæ, sed etiam corpore versus cœlum in augmento sui, sicut etiam videmus contingere plantis. Quare inferiora moventur secundum quod astra movent, & sic falsitas patet male sentientium supra allegata.

## CAP. IV.

### *De signis morbi Gallici, & ejus terminationibus.*

Licet signa, quibus ægritudines cognoscuntur, sint in triplici differentia, videlicet quia aliqua sumuntur ab actionibus læsis, & aliqua à qualitate mutata corporis, & nonnulla ab excuntibus ab eo, tamen incipiemus ab his, quæ sumuntur à qualitate mutata cadente sub visu. Et propterea dicimus, quod signum potissimum hujus morbi Gallici (ut experientia vidimus) sunt pustulæ apparentes in extremitate mentulæ in viris, & in ore vulvæ in mulieribus, sive in collo matricis, & pruritus in partibus feminis, quæ pustulæ, ut plurimum ulcerantur. Et ut plurimum dico, quoniam nonnullos vidi habentes has pustulas induratas, ut sunt verrucæ, clavi, & porri. & hoc erat quia materia conjuncta harum pustularum erat indurata à simili causa dicta ab Avicen. loco supra allegato. Et apparet quandoque alcola in ore, & corroditur uvea, & nasi cartilago, & trachea arteria, & ut plurimum moriuntur. & tota facies, & cutis capitis impletur pustulis,

&

& fere universum corpus ad morpheam deducitur, sive exasperatur, & multæ nascuntur pustulæ de genere formicæ. Namque formica, teste Avicenn. *quarta quarti, tractatu primo cap.* 6. Est pustula, aut pustulæ, quæ egrediuntur cutim, & faciunt accidere apostema unum, sive purum &c. Et alteratur color faciei, & albedo oculorum, & in aliquibus tota cutis capitis defœdatur. Et in multis infectis tali morbo apparent apostemata sclerotica in musculorum extremitatibus causa materierum grossarum ibidem, quod est quoniam minera hujus morbi heterogenea habet partes diversarum rationum, quarum necessario aliquæ sunt subtiles ad cutim ascendentes, & ibi localiter quiescentes causant pustulas, ut dictum est. sed partes grossæ, & terrestrificatæ retinentur in profundo in extremitatibus musculorum, ibidem causantes apostemata sclerotica, & nodositates impedientes motum voluntarium membrorum, saltem diminuendo illum. Quæ tamen apostemata in processu temporis ulcerantur merito materiei putrescentis. In genere autem actionis læsæ signa sunt dolores in junctu-
B ris fortassis aggravativi, & hoc quoniam materia ibi congesta est grossa multum, & fortassis ulcerativi, & hoc quando materia est subtilis, cholerica, aut adusta. Et quandoque hi dolores sunt extensivi, & hoc est quando materia in ipsis juncturis ventositatur merito segregationis ejus in vaporem. Et quandoque sunt dolores compositi ex ulcerativo, & aggravativo, & hoc erit quando materia est grossa, multa, & adusta, aut sunt ex ulcerativo, & extensivo compositi. Et hoc si materia erit subtilis adusta segregabilis in vaporem. Et apparet in istis raucedo vocis, & strictura anhelitus, quoniam musculi pectoris facti sunt inobedientes motui dilatationis propter materiam imbibitam in eis. Et multoties materiæ resudant ad pulmonem,
A & ulcerant ipsum, & phtifici moriuntur. & omnes hi infecti morbo Gallico sunt in coitu inordinati longe magis cæteris, & luxuriosi, & propterea meretrices cæteris plus inficiuntur, & similiter viri cum eis habitantes. & milites similiter propter Martis influentiam in scorpione subjacent huic morbo. Et quandoque in capite apparet dolor, qui ovum nuncupatur, & quandoque hemicraneus secundum aliquam speciem doloris, & quandoqe dormiendo incurrunt in incubum, quæ est dispositio in qua videtur corpus aggravari phantasinate, ut à multis laborantibus hoc morbo accepi. Et interdum non possunt dormire propter plurimos vapores siccos ad caput ascendentes, & pulsus eorum est parvus, debilis, & rigidus. Parvus quidem propter paucam eventandi necessitatem, debilis propter virtutis defectum, aggravatæ multitudine ac malitia materiei. Rigidus autem propter humoris siccitatem adusti, inducentis siccitatem in ipso instrumento. In genere autem exeuntium signa sunt, urina livida, grossæ
B subtantiæ, & maxime in mulieribus, & cum sedimine in fundo grossæ subtantiæ propter humores phlegmaticos in eis, & errores tertiæ digestionis membrorum. Sed in viris urina est livida: subtilis autem subtantiæ cum sedimine pulverulento merito humorum adustionis, & sudor in istis apparet fœtidus. & vapores elevati à corporibus ipsorum sunt acuti fœtoris propter corruptionem contingentem in postrema membrorum digestione, & anhelitus similiter fœtidus, & eorum stercus, & ipsorum eructationes communiter sunt acetosæ propter humoris præsentiam acris, & adusti in stomacho. Et licet multa alia appareant signa, ea tamen omittimus brevitatis gratia, sed de famosis eorum tantum sermo noster factus est.

# PETRI MAYNARDI, *Veronensis*,

## DE

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS SECUNDUS.

### CAP. I.

*De regimine curativo per diætam.*

Quoniam quidem hic morbus eo pacto curatur, sicuti cæteri morbi curantur, diæta videlicet, potione, & chirurgia. Primo à diæta incipiendum est in hoc nostro sermone, id est, ab eo quod comeditur, & bibitur. dicimus igitur, quod omnes laborantes morbo Gallico cavere debent ab omni eo, quod auget humorem grossum adustum, ut sunt panis azymus, biscoctus, & panis vetustus; sed panis conveniens & bonus his debet esse de tritico, bene fermentatus, & coctus, & etiam sit secundi diei, tertii, quarti, & quinti diei. ultra quos non est bonus, quia panis sexti diei, & ultra, nequaquam est alimenti boni propter alterationem acquisitam à continente, nec non merito repugnantiæ intrinsecæ, quæ est inter fermentum, &
D aquositatem aquæ, cum quibus farina mixta est. Et propterea in eo nascuntur vermes, & marcescit. & hæc sufficiant de pane concesso, & prohibito in regimine curativo morbi Gallici. De vino sive potu concesso, & prohibito dicimus, quod vinum eis concessum est pauciferum, rubri coloris, ut vitipergalum, & nequaquam nigrum nec album, quoniam vinum nigrum sanguinis grossi materia est, & album humores fluere, & penetrare nimis facit. Quare vinum rubrum, cum sit medium inter hæc duo, album, & nigrum, convenientius est eis. De carnibus autem concessis, & prohibitis, dicimus quod carnes bonæ in regimine curativo morbi hujus, sunt carnes vituli, hædique lactantium, castrati juvenis, quoniam hujusmodi sunt carnes, ex quibus fit materia boni sanguinis comparatione ad alias carnes quadrupedum facta, ex rationibus Averrois. v. *colliget tracta.* 3. *cap.* 2. *quæstione.* 7. Caveant igitur omnes laborantes morbo Gallico ab ovina, vaccina, pecorina, porcina, & ab omni carne salita, & à piscibus omnibus, præter petrosos, quoniam omnes pisces sunt
E materia phlegmatis, petrosis exceptis. Et omnes pisces saliti mali sunt, ut patet ex rationibus Averrois allegato loco, & quæstione, ubi ponit conditiones boni piscis, & mali: sunt enim pisces saliti materia humoris adusti grossi. De carnibus autem animalium volatilium melioribus,
C sunt carnes gallinarum juvenum, & pinguium, quoniam tales carnes sunt materia sanguinis temperati, ex rationibus Averrois loco allegato. Post quas carnes sunt carnes perdicum, phasianorum, coturnicum, & omnium parvarum avium in sylvis morantium, & ova gallinarum sorbilia bona sunt. Carnes autem anserum, & anatum, & aliarum avium in aquis habitantium malæ. Ideo ab eis caveant ægrotantes morbo Gallico. Et ab omnibus leguminibus præter rubra cicera, abstineant. De oleribus vero, utantur *boragine, bugloſſa, endivia, lupulo, lactuca, & spinachia*: a cæteris autem caveant. In ferculis vero uti possunt farro, panico, oryza: & in ferculo panatella, & pane in brodio, nam bona sunt semper. & similiter panatella facta cum emulsione seminum, aut cum lacte amygdalarum dulcium bona est interdum. De fructibus autem concessis, & prohibitis dicimus, quod pyra cocta, poma dulcia, & cotonea cocta bona sunt, quoniam confortant, & præparant stomachum, & abscindunt sitim teste
D Avic. in *areolis*, & *in primo tertii cap.* Cum materiam evacuare voluerimus, mala granata, dulcia poma conveniunt similiter, & passulæ, cibibum, pepon, pruna Damascena, mari nata dulcia. In reliquis autem fructibus non se ingerant. Aeris autem dispositiones minime convenientes sunt illæ, in quibus australis flatus viget multum, eo quia multum capita nostra aggravat, & ea humiditate replet. Et similiter dispositiones ejus, in quibus viget septentrionalis flatus, eo quoniam talis ventus nimis exsiccat, & expressionem facit. Habitent igitur infecti morbo Gallico in mansionibus habentibus fenestras versus orientem in quantum possunt, & aer habitationis alteretur cum rebus aromatici odoris, ut sunt *rosæ, myrtus, folia salicis, cotonea, malum citrium*, & his similia, odorem bonum inducentia, & aromaticum. in æstate igitur agendum est cum his frigidis aromaticis, Sed in hyeme alteretur aer cum rebus calidis odoriferis: ut est *cinnamomum, majorana, caryophyllum, lignum aloes, moschus, ambra, li-*
E *gnum cupressi, juniperus*, & his similia. Et caveant à fœtoribus in quantum possunt. De exercitio autem & quiete dicimus, quod exercitium temperatum ante cibum est bonum, quod si fuerit aliquod impedimentum, utatur frictionibus levibus cum pannis lineis, & temperate calidis hyeme, in æstate autem sicut sunt, & non fiant hujus-

modi fricationes niſi præmiſſis univerſalibus evacuationibus, cauſas antecedentes abſcindentibus, & caveant a longa, & prolixa quiete. Et non dormiant in die (niſi ſit eis longa conſuetudo dormire modicum poſt prandium) ſed vigilia utantur, cum conſuetudo ſit ſemper obſervanda, niſi quid obſtet, & in nocte non dormiant niſi per ſeptem horas ad plus, quoniam ſomnus prolixus in quocunque tempore factus nimis membra humectat, & infrigidat, & præſertim caput, ſicut prolixa vigilia corpus exticcat, & inflammat. Inſuper, in quantum poſſunt, habeant beneficium naturæ in ſuperfluitatibus primæ digeſtionis, cum ventris lenificatione facta ſaltem cum clyſtere communi mulieribus noto. Secundæ vero digeſtionis ſuperfluitates mundificentur cum diureticis, ſi oppilationes non adſunt in concavo hepatis quoniam talia diuretica non conveniunt in hoc caſu: ſicut non conveniunt ſolutiva elective evacuantia, oppilatione exiſtente in gibbo hepatis. attraheretur enim materia oppilationis ad ipſum hepar, & ſic materia mala cederet ſuper partem ſanam hepatis, & propterea prohibita ſunt: teſte Avicen. xiiii. *tertii tract.* 2. *cap.* 7. & Averro. vii. *colliget. Tractatu* vi. *cap.* 2. *quæſtione.* xi. *articulo primo & tertio.* Et ſi eſt opus provocare urinam, à levioribus ſemper eſt inchoandum, quoniam cum fortibus diureticis interdum materiæ præcipitantur ad renes. Et ideo in principio abſtinendum eſt. Leves autem medicinæ diureticæ infra dicentur in ſuo loco. Inſuper alterentur cibaria cum *foliis endiviæ, bugloſſæ, vel boraginis, vel acetoſæ in æſtate*; ſed in hyeme cum radicibus iſtarum herbarum una cum *ligno aloes bono, vel cinnamomo.* Et inſuper abſtineant ſe ab ira, triſtitia, ſed ſint ſpe, & gaudio pleni, & mente confortentur, & bene ſperent de ſalute.

## CAP. II.

*De regimine curativo, indicatione ſumpta à potione, & ab his quæ ſumuntur medicinaliter.*

Secundum autem inſtrumentum, quo morbus Gallicus curatur, completur tribus intentionibus. Prima quidem intentio perficitur diſponendo materiam in ipſo hepate, ſplene, & in venis exuberantem. Secunda cum evacuationibus ipſam abſcindentibus omnino. Et ratio eſt, quoniam materia antecedens debet removeri ſicut oſtenſum eſt à Conciliatore differentia clix. ad quam habenda eſt relatio. Tertia autem intentio completur, ſeu perficitur cum medicinis habentibus proprietatem confortandi membra nutrimenti ſcilicet ſtomachum, hepar, & ſplen; ſed principaliter cor. Et hoc fit ut materia in eis mala non multiplicetur, & reſiſtatur cauſis efficientibus. Medicinæ vero, quibus materia morbi hujuſmodi diſponitur antecedens, ſunt digeſtivæ materierum groſſarum, & aduſtarum, communes huic morbo, & aliis, qui ſunt de materia groſſa, phlegmatica, & melancholica, quæ omnes ſunt in duplici differentia. Nanque aliquæ ſunt operantes per primas qualitates, & nonnullæ per ſecundas virtutes, & tertias. Medicinæ operantes per primas qualitates in materia aduſta, ſunt omnes medicinæ calidæ, & humidæ complexionis: ſicut ſunt *bugloſſa, borago, meliſſa, capillus veneris, pimpinella, lupulus, morſus gallinæ, poma dulcia, amygdala dulcia*, & cæteræ medicinæ calidæ & humidæ naturæ, ut in areolis virtutum medicinarum Avic. manifeſtum eſt. Operantes vero & digerentes humores groſſos, & aduſtos à proprietate ſcilicet per ſecundas, & tertias virtutes, ſunt ſicut *ſcolopendria, fumus terræ, tamariſcus, agnus caſtus, eupatorium, aſarum, praſſium, ſalvia, valeriana, phiſticum, capparus*, & omnes medicinæ ſplenem reſpicientes, ut videre eſt in areolis membrorum nutrimenti Avic. de quibus medicinis ſimplicibus ſumantur aquæ per alembicum deſtillatæ, ſi ſunt deſtillabiles, & miſceantur cum ſyrupis digerentibus humores groſſos aduſtos, & viſcoſos, ſimplicibus de ſuccis ſcilicet & compoſitis, ſcilicet de decoctionibus factis: ſyrupi ſimplices de ſuccis, ſunt *ſyrupus de bugloſ. ſimplex, de lupulis, de pomis dulcibus, melle violato, de ſucco fumi terræ, de corticibus citri.* Sed compoſiti dirigentes humores groſſos prædictos ſunt *ſyrupus de pomis ſabor regis, de praſſio, de thymo, de epithymo, de capillis veneris, de fumo terræ compoſitus, de bugloſſa compoſitus, de eupatorio, de ſtœchade, oxymel ſquilliticum.* Qui ſyrupi cum aquis ſic componuntur, videlicet. Recipe *ſyrupi de bugloſſa ſimplicis, de ſucco lupulorum, de pomis ſabor, ana unc. ſ. Aquarum fumi terræ, boraginis, de lupulis ana unc. j. miſce*, & dentur quinque, ſi medicus noverit quod in cauſis antecedentibus plus ſit de cholera, quam de phlegmate, & detur tepidus mane, demum exhibeatur minorativum ſactum ſecundum hunc modum. Recipe *tamarindorum, polypodii, folliculorum ſenæ ana drach. ij. myrob. citrin. drach. j. liquiritiæ mundæ drach. j. paſſul. drach. iij. ſebeſten num. 4. florum boraginis, bugloſſæ, violarum ana manus. Aquarum fumi terræ, bugloſſæ ana quantum ſufficit, & fiat decoctio ſecundum artem, de qua decoctione ſumantur unc. iij. & cum eis diſtemperentur infraſcripta.* Recipe *diacatholiconis drach. vj. electuarii de ſebeſten de dactylis ana drach. j. ſucci roſarum puriſſimi drach. vj. aut ſyrupi roſati ſolutivi unc. iij. & fiat potio*, & detur tepida mane & non comedat niſi poſt quatuor horas: eſt enim ſolutivum conveniens, quando materia objectiva cholerica exuberat, cujus ſigna dicta ſunt ab Avicen 2. *primi cap. de ſignis ſuper dominium humorum*, ad quod habenda eſt relatio: ſi autem in cauſis antecedentibus exuberaret plus de phlegmate quam de cholera, quod cognoſcitur à ſignis oppoſitis, ſignificantibus dominium choleræ, tunc exhibeantur digeſtiva ſecundum hunc modum. Recipe *ſyrupi de praſſio, oxymellis ſquillitici boni ana unc. ſ. Aquarum ſcolopendriæ, acori, fœniculi ana unc. j. miſce*: & detur tepidum, ut ſupra, per quinque dies. Demum exhibeatur infraſcriptum antidotum ſolutivum. Recipe *hermodactylorum, turbith ana drach. j. myrobalanorum chebulorum, emblicorum ana drach. j. ſ. folliculorum ſenæ orientalis, carthami ana drach. j. florum roriſmarini, boraginis, bugloſſæ, capillorum veneris ana man. ſ. liquiritiæ mundæ drach. j. ſebeſten, caricarum pinguium ana num. iij. Aquarum fœniculi, ſalviæ, chamæmeli ana quantum ſufficit, & fiat decoctio ſecundum artem, & cum ea diſtemperentur infraſcripta.* Recipe *electuarii lenitivi, hieræ picræ Galen. ana drach. iiij. electuarii Indi diaphœniconis ana drach. j. ſucci roſarum puri drach. iiij. miſce & cum decoctione dicta, & colata, quantum ſufficit fiat potio brevis*, & detur tepida in mane, & ſuper dormiat per horam, & non comedat poſt aſſumptionem, niſi tranſactis quatuor horis. Si autem in cauſis antecedentibus exuberet plus de melancholia, quam de cæteris humoribus, quod cognoſcitur per ſigna oppoſita ſigni ſanguinis dominantis, tunc exhibeantur digeſtiva infraſcripta. Recipe *ſyrupi de corticibus citri unc. j. de epithymo, geleniabin ana unc. ſ. aquarum fumi terræ, ſcolopendriæ, bugloſſæ ana unc. j. miſce*, & exhibeatur ut ſupra per quinque dies: demum exhibeatur medicina infraſcripta. Recipe *epithymi Cretenſis man. j. florum bugloſſæ, boraginis, violarum ana man. ſ. myrobalanorum Indorum, polypodii, folliculorum ſenæ ana drach. j. paſſularum drach. iiij. ſebeſten, caricarum ana num. iij. liquiritiæ mundæ drach. j. fiat decoctio cum aqua ſcolopendriæ, bugloſſæ, fumi terræ ana quantum ſufficit, ſecundum artem, & colata diſtemperentur cum ea quantum ſufficit, inſcripta.* Recipe *electuarii lenitivi, diaſenæ, ana drach. iiij. electuarii hamech, de dactylis ana drach. iij. ſacchari violati unc. j. ſucci roſarum puri drach. ij. ſ. miſce, & fiat potio brevis*, & ſumatur poſt aſſumptionem ſyruporum dictorum, & dormiat ſupra per horam, & non comedat niſi poſt quatuor horas. Et in ſequenti mane aſſumat cum jure pullorum, vel carnis vituli. *unc. ſ. ſacchari roſati* in aurora tepidam. Et eſt notandum, quod in quantum poſſumus debemus ante exhibitionem ſolutivorum expectare ſignum digeſtionis in urinis: quod ſi per quinque ſyrupos exhibitos nondum viſum tale ſignum fuerit, tunc exhibeantur plures, donec ſignum perfectæ digeſtionis apparuerit in ipſis urinis: & tale ſignum cognoſcitur per urinæ ſubſtantiam in groſſitie, & ſubtilitate, in qualitate, & in ſedimine medio inter ſubtile, & groſſum, & in æqualitate albedinis, & in cæteris conditionibus requiſitis ad indicandum id quod expedit &c. His autem adminiſtratis tempore opportuno, & ut decens eſt circa exuberantiam humorum minime evacuandorum per phlebotomiam, tunc ſi videtur neceſſarium uti aliqua ſanguinis diminutione aut per apertionem hæmorrhoidum cum ſanguiſugis, aut per apertionem venæ ſalvatellæ dexteræ manus, aut ſiniſtræ, fiat illa in quantitate ſecundum virtutis tolerantiam. Nam omnis ſanguis evacuatus ex hæmorrhoidibus, ſive ex partibus ani ſecurat ab herpete eſtiomeno, & à mania, & melancholia, epilepſia, & ab eryſipelate, & ab aliis, quæ ſunt ſicut eſſeræ & cancer, & excoriationes cutis, & ſcabies, & lepra, & pleureſis, & peripneumonia, & phreneſis. Et hæc ſunt verba Avic. xvii. *tertii cap.* iii. Ego autem in actu practico experientia comprobavi dictum Avic. quoniam multos laborantes ægritudinibus dictis liberavi per hæmorrhoidarum apertionem: inter quos curavi filiam meam quinque annorum pleuriticam ex applicatione ſanguiſugarum, & multos morbo Gallico infectos liberavi hoc modo per ſanguiſugas, & multos alios etiam liberavi per phlebotomiam ex ſalvatella manus dextræ, cum exitu ſanguinis trium unciarum ad plus &c. conſentientibus ſemper tamen ætate, complexione, virtute, tempore anni, & reliquis, à quibus licentia phlebotomandi ſumitur. His denique factis exhibeatur per multas dies ſingulis matutinis infraſcripta confectio. Recipe *ſacchar. bugloſſati, nenupharini ana unc. j. ſpecierum electuaris de gemmis drach. j.*

ſ.

*s. ſucci pomorum dulcium depurati unc. vj. ſpodii cannæ, corallorum rubrorum, ſandalorum rubrorum, citrinorum ana drach. s. ponatur ſaccharum & ſuccus pomorum ad lentum ignem, & decoquantur ſecundum quod expedit ad faciendum ſyrupum. Demum addantur reliqua pulverizata ſubtiliter donec ſuccus pomorum reſtringatur cum dictis ſaccharis tam perfecte, ut ex eis omnibus fiat electuarii compoſitio*, de qua ſingulis horis matutinis ante prandium per unam horam ad minus ſumatur quantitas avellanæ, vel unius nucis cum modico vini albi aromatici. Hæc enim confectio habet confortare membra principalia, & præſertim cor, ne in eis mali humores multiplicentur. Et quoniam talis morbus communiter complicatur cum junctu-
rarum doloribus ob materiam in ipſis incuneatam, & bullientem, eo modo, quo muſtum bullit ipſius uvæ, vel alterius fructus, cujus ebullitionis merito ſegregantur partes aliquæ extendentes ligamenta, ad quam extenſionem ſequuntur dolores maximi, & intolerabiles, propterea providendum eſt ut talis materia in juncturis congeſta extrahatur, & ad benignum reducatur. Et ideo ad hoc agendum exhibeatur alternis diebus de infra- B ſcripto ſyrupo ex inventione Rhaſis in *libro de doloribus junctturarum*, qui ſyrupus fit ſecundum hunc modum. Recipe *myrobalanorum Chebulorum, ſenæ orientalis, polypodii, myrobalanorum Indorum, hermodactylorum ana unc. ij. ligni Indiani minutim inciſi unc. iiij. ponantur hæc omnia in catino vitreato, ſuper quibus ponantur de aqua communi, ſive de acoro, lib. ij. de aqua ſalviæ ex alembico factis ana lib. j. & dimittatur tale catinum bene coopertum ad ſolem cum alio catino manere per tres dies, poſtea colentur per inclinationem dictæ aquæ foras in alio vaſe vitreato, ſive vitreo bene mundo, quod ſervetur coopertum bene. Demum ponantur de novis aquis prædictis libræ ij. acori, ivæ, & ſalviæ ana libr. j. & ſic vas ponatur ad ſolem coopertum modo prædicto, & in fine trium dierum evacuentur aquæ modo jam dicto, & reſerventur cum prima aqua infuſionis, poſtea de novis aquis in pondere prædicto ſuperponatur, & in lebete lapideo ad ignem lentum ſine fumo ponantur, ut parum ebulliant. Demum colentur, & exprimantur, & in lebete lapideo ponatur dicta colatura, cui addantur ſaccharı boni libræ iij. & fiat ſyrupus ſecundum artem clarificando. & aromatizetur cum unc. j. cinnamomi inciſi, aut* C *cum ligni aloës boni unc. j. & reſervetur ad uſum in vaſe vitreato bene obturato.* Cujus doſis eſt trium unciarum ad plus cum brodio pulli macri in aurora, & dormiat ſupra per unam horam, & quantitas brodii debet eſſe tanta, ut faciat ipſum potabile, & eſt potio ſolutiva ventri ſuavis, tollit dolores junctturarum, & ſanat ulcerationes mirabiliter, ut experientia comprobatum eſt.

## CAP. III.

### *De regimine curativo morbi Gallici, indicatione ſumpta ab operatione manuali.*

Tertium inſtrumentum curativum morbi hujus Gallici perficitur, & completur per applicationem medicaminum in cura ulcerationum, exiſtentium actu in diverſis partibus corporis, & puſtularum, & præſertim in mentulæ virorum extremitate, & in matricis collo mulierum, & in partibus pudibundis, in quibus, ut plurimum, primo apparent, quia ſunt loca ſubjecta emunctoriis partibus, ſervientibus membris nutrimenti, recipiendo ſive at- D trahendo ipſorum ſuperfluitates, & etiam quia pudibunda ſunt loca, ſive partes corporis ſtellarum Scorpionis imperio ſubjacentes, in quo Scorpione perverſa conſtellatio facta fuit ſcilicet Saturni, Jovis, & Martis, eo modo, & tempore, ut ſupra dictum eſt. Quæ conſtellatio renovabitur anno Domini. 1544. Cujus effectus manſuri ſunt uſque ad annos Domini 1584. Ultra quos annos hic morbus Gallicus deficiet. Qui planetæ prædicti ponderoſi ſunt, moventes humores lumine ſuo & motu, & eos alterantes. videlicet, melancholiam, choleram & ſanguinem, vigentes in tribus membris, videlicet in ſplene melancholiam, in burſa fellis choleram, & in hepate ſanguinem ſecundum medicos. Et ſunt membra attributa imperio luminis, & motus horum trium planetarum, ut omnes ſapientes Aſtrologiæ affirmant. Cum autem hi tres humores malignentur una cum phlegmate ad malitiam complexionis calidam aduſtivam & inficiantur, mittuntur ad mentulam in viris, & ad collum matricis in mulieribus tanquam ad partes debilitatas magis cæteris, merito influentiæ ſtellarum Scorpionis ſigni, largientium frigiditatem junctam humiditati ſuper illas E partes. Veruntamen homines ſubjecti hujuſmodi malæ conſtellationi, qui ſunt, & erunt, non ſe habent, nec ſe habebunt uno & eodem modo, & ratio ſuper hoc eſt, quoniam latitudo morbi hujus eſt æqualis longitudini ſigni Scorpionis, quæ eſt xxx. graduum, qui gradus in horoſcopo ſuccedunt unus poſt alium, ideo aliqui talium hominum ſcorpioniſtarum, ſunt nati, aut geniti ſub primo gradu Scorpionis horoſcopante, & aliqui ſub ſecundo gradu, & alii ſub tertio, & ſic deinceps ſeriatim uſque ad gradum coitus xxiii. Scorpionis, Saturni, ſcilicet Jovis & Martis. Unde quicunque natus, aut genitus fuerit, & erit ſub xxiii. gradu Scorpionis non evadet à morte propter hunc morbum. ſed nati aut geniti ſub gradu Scorpionis diſtante à xxiii. minus patientur, & poterunt curari. Et propterea ſecundum majorem aut minorem diſtantiam à gradu conjunctionis, homines ſubjecti imperio Scorpionis magis, & minus inficiuntur. Et cum ita ſit (ut experientia comprobavi in multis has comparationes) propterea inveniendæ ſunt quidem omnes res non tantum ſanitatem dictorum membrorum jam infectorum inducentes, ſed etiam præſervationem, ne amplius inficiantur. Præſervationes autem dico, quoniam hæc membra talium hominum ſcorpioniſtarum neutra decidentiæ ſemper ſunt, quare regimine præſervativo egent. Et ſi quiſpiam dubitaret, quare eſt quod cæteri non ſcorpioniſtæ homines non ſunt infectabiles ab hoc morbo ſicuti ſunt ſcorpioniſtæ, quum etiam habeant membra genitalia imperio ſigni ſcorpionis ſubjecta? Huic dubitationi breviter reſpondemus, & dicimus quod illi tales non nati, neque geniti ſub ſigno ſcorpionis horoſcopante, non ſunt infectabiles, ſicut ſunt nati, aut geniti ſub eo, quia in eis cætera non ſunt paria. Et ratio eſt, quoniam licet omnes homines, quantum ad membra genitalia, videantur ſubjacere ſigno ſcorpionis, non tamen omnes homines habent materiam objectivam morbi Gallici, ſed tantum illi homines, qui geniti ſunt aut nati ſigno ſcorpionis horoſcopante, eo modo ut ſupra dictum eſt in prioribus capitulis. Et propterea plures homines ſunt, qui potiti fuerunt mulieribus infectis morbo Gallico, & tamen nunquam infici potuerunt. Quare ſigno manifeſto apparet, quod ſolum homines ſcorpioniſtæ præter materiam ſubjectivam habent etiam materiam objectivam, & conſequenter ſunt in termino neutralitatis decidentiæ, quare regimine præſervativo egent, de quo dicemus infra &c. Sed redeamus ſecundum noſtram intentionem ad regimen curativum morbi Gallici, indicatione ſumpta à manuali operatione, quod quidem regimen completur quatuor intentionibus. Prima quarum eſt, ulcerum mundificatio ab omni ſorditie, & carnis & oſſis putredine, ſi ſunt ulcera cum ejus corruptione. Secunda intentio completur cum medicinis carnis deperditæ generativis. Tertia intentio completur cum medicinis ſigillativis, & cicatrizativis. Quarta intentio eſt dolorum junctturarum ſedatio, ſi ibi affuerit. De prima autem intentione agendum eſt pro ablutione ulcerum mentulæ, ac aliorum locorum, facta cum hujuſmodi apozemate. Recipe *roſarum, myrtillorum, balauſtiarum ana man. j. ſeminis roſarum, ſumachiarum ana unc. j. corticum caſſiæ fiſtulæ, nucum cupreſſi ana unc. s. vini ſtiptici libr. iij. fiat decoctio uſque ad conſumptionem tertiæ partis, de qua tepida abluantur ulcera mane & veſpere.* Quibus ablutis fiat exſiccatio cum panno lineo ſubtili. Demum ſuperſpargatur pulvis infraſcriptus. Recipe *tutiæ præparatæ, lapidis hæmatitidis præparati, limaturæ chalybis præparatæ ſecundum artem cum aceto ana drach. s. aloës lotæ cum aqua roſata, & exſiccatæ drach. j. s. ſeminis roſarum, arnoglo-ſſæ ana ſcrup. j. fiat pulvis ſubtiliſſimus, de quo ſuperaſpergatur.* Demum ſuperponenda eſt petia panni linei munda, intincta *unguento de ceruſſa Meſuæ*, aut *unguento de calce lota*, cum quo *unguento de ceruſſa Meſuæ, aut de calce lota* admiſceatur de *argento vivo* pro qualibet *unc. j. unguenti drach. j.* mortificati cum modico pomi cocti ſub cineribus, aut cum modico medullæ oſſis vituli liquefactæ, quo mortificato fiat compoſitio cum unguento prædicto, & uſui reſervetur. Et ſic omni die procedatur, quo uſque ſanentur ulcera. Quod ſi fuerit opus mundificare ulcera à ſorditie, & carne molli, mundificentur cum *unguento Ægyptiaco:* quod ſi cum ipſis ulceribus aliquibus fuerit os corruptum, (quoniam ut plurimum in hujuſmodi ulceribus Gallicis contingit os corrumpi) tunc ſuperſpargatur de hoc pulvere. Recipe *Ariſtolochiæ rotundæ, iridis, myrrhæ, aloës, corticum opopanacis, lapidis pumicis, ſcoriæ æris, corticum arborum pini, ſive pineæ ana drach. j. fiat pulvis ſubtiliſſimus*, & adminiſtretur quando oportet, vel madefiat ſtuelum factum ex bombace, vel filis panni linei mundi in aqua vitæ præparatæ ſecundum hunc modum. Recipe *ſalis armoniaci drach. j. diſſolvatur in unciis duabus aquæ vitæ, & ad uſum ducatur.* Quod ſi fuerit opus cicatrizare, diſſolvatur *colcothar in aqua roſata*, quo diſſoluto balneentur ulcera in ſuperficie, & eis balneatis applicetur ſtuela facta ex filis panni linei, & ſic dimittantur, ut cadant ex ſe. Et ſic invenies cicatrizata, & experto credas. Si autem contigerit, quod tempore illo patiens conqueratur de doloribus in junctturis, tunc ungantur ſpatulæ, collum, nucha, omnes junctturæ coxarum, & cru-

rum

rum cum infraſcripto unguento. Recipe *axungiæ porcinæ vetuſtiſſimæ lib. ij. cinerum lignorum vitis unc. vj. argenti vivi mortificati cum medulla vituli unc. ij. Demum omnia bene commiſceantur, & fiat unguentum*, & adminiſtretur ſuper dicta loca, & ligentur bene calida, & dimittantur per quatuor dies. Et ſic ungantur dicta loca quaternis diebus in quaternos dies, donec ſanentur à doloribus, quibus ſanatis fiat ſtupha cum infraſcriptis rebus. Recipe *abſinthii, florum chamæmeli, anethi ana man. ij. ſatureiæ, pulegii, chamæpiteos ana manip. j. roſarum ſiccarum manip. vj. hordei lib j. decoquantur in condecenti quantitate aquæ fontis, & fiat ſtupha*, & tantum moram trahat æger in ea, donec ſudet. Demum abſtergatur totum corpus à ſudore cum pannis lineis mundis calefactis, ſi fuerit hyems. Demum quieſcat in lecto per horam. Et poſtea comedat in prandio cibaria boni nutrimenti & facilis digeſtionis, de quibus ſupra in regimine diætæ facta eſt mentio. Poſtremo regantur hi convaleſcentes regimine præſervativo, ut infra dicetur.

## CAP. IV.

*De regimine convaleſcentium ab hoc morbo, & neutrorum corporum decidentia.*

Regimen præſervativum corporum neutrorum decidentiæ, & omnium convaleſcentium, completur tribus intentionibus. Prima intentio perficitur in regimine vitæ ſecundum ſex res non naturales. De quibus ſeriatim ſatis dictum eſt in capite ſuperiori, ad quod redire oportet, quoniam præſervatio, & curatio ſimili curſu curantur, nec variantur, niſi ſecundum plus & minus. Secunda intentio completur præſervando partes pudibundas, ne inficiantur. Et primo caveant uti coitu cum mulieribus infectis, abſtineantque converſari cum eis in bibendo, & comedendo in eodem vaſe tam cibi, quam potus, & ab oſculatione, & nequaquam dormiant cum eis in quantum poſſunt, neque induantur veſtimentis eorum. Et utantur bis in menſe infraſcriptis pillulis. Recipe *pillularum de hermodactylis majorum aut minorum ſecundum neceſſitatem humorum evacuandorum, Arabicarum, ſine quibus ana ſcrup. j. de fumo terræ ſcrup. ſ. reformentur pillulæ numero tres, vel quinque cum aqua ivæ, aut ſalviæ*, & ſumantur poſt cœnam per duas horas: & ultra has pillulas ſumendas bis aut ſemel in menſe, bonum eſſet ſi bis in anno uteretur patiens purgatione univerſali, aſſumendo primo digeſtiva, de quibus dictum eſt in ſuperiori capitulo, obſervando canones ſuperius dictos in regimine curativo per potiones. Et ſi complexio, ætas, & reliqua dicta, à quibus indicatio phlebotomandi ſumitur, conſenſerint, phlebotomentur patientes aut à ſalvatella, aut ab hæmorrhoidibus, ut melius videbitur. Tertia intentio completur lotionibus confortantibus pudibunda membra & ea ſana conſervantibus. Quæ adminiſtrari debent jejuno ſtomacho alternis diebus, quæ lotiones fiendæ ſunt cum decoctione infraſcripta. Recipe *roſarum, myrtillorum, ſumachiarum, florum chamæmeli ana man. ij. corticum granatorum man. j. ſeminis roſarum drach. ſ. ſeminis juniperi drach. j. radicum phu. manip. ſ. contundantur groſſo modo, & decoquantur in aqua chalybeata, aut in aqua, in qua fabri extinguunt ferramenta ſua*, & de hac decoctione calefacta abluantur genitalia, & exſiccentur cum linteo bene mundo, & calido, vel cum alio panno lineo mundo. Et poſſunt ſe abluere etiam cum *aqua roſata*, aut cum *aqua pinæ immaturæ*, aut alterius rei ſtypticæ, ut cum *aqua ſorbolarum*, aut cum *aqua foliorum ſalicis*, & ſimilibus, & ſimiliter cum *aqua limonum, aut uvæ immaturæ*. Et ſi eſt perſona nobilis, abluat ſe cum *aqua naphæ*, quæ eſt aqua facta per diſtillationem florum limonum, aurantiorum, & ſimilium fructuum. Et utantur rebus odoriferis, ſuffumigando veſtimenta ſua cum eis.

FINIS.

# ANTONII BENIVENII,

*Florentini Medici, & Philoſophi,*

DE

# MORBO GALLICO,

## TRACTATUS,

*Ex libro ejus de abditis morborum cauſis excerptus.*

Novum morbi genus, anno Salutis nonageſimoſexto ſupra mille quadringentos à Chriſtiana ſalute, non ſolum Italiam, ſed fere totam Europam irrepſit. Hoc ab Hiſpania incipiens, per Italiam ipſam primum, tum Galliam, cæteraſque Europæ provincias late diffuſum, mortales quamplurimos occupavit. Incipiebant enim puſtulæ genere diverſæ in genitalibus membris, licet interdum, ſed raro, in capite, & inde per totum corpus diffunderentur. Aliis quidem planæ minimæque exſtantes, ſed ſcabræ tamen in ſuperficie, & colore ſubalbidæ, à quibus ſquamæ reſolvebantur, & caro ſub his corroſa apparebat. Aliis varis ſimiles, figura rotundæ, & ab his item ſquamis levioribus reſolutis prominebat caro rubicundior, ex qua virulentia fœtens, & gravioris odoris profluebat. Nonnulli vero latioribus corripiebantur puſtulis, ſed quæ ſupra cutem non intumeſcerent, craſſiores ſquamas habentes, ex quibus etiam virulentia copioſior emanabat, & amotis ſquamis caro apparebat obſcurior, ac ſublivens, quæ inulcerata roderetur. Quartum genus erat, quod ſubalbidis ſquamis amotis cicatrici ſimile remaneret, à quo profluens interdum ſanguis difficultatem ſanationis oſtenderet, & ſimilitudine ſiccam ſcabiem repræſentaret, cæteris omnino deterius, & licet minus eroderet, ſerpendo tamen variis, & intentatis inſidebat locis. Hoc autem morbi genus plebem plurimum ſervoſque afficiebat, ex nobilioribus vero paucos. Subſequebantur hujuſcemodi puſtulas, licet etiam interdum præcederent, articulorum dolores, qui non minori cruciatu torquerent, ac ſeneſcentibus jam puſtulis plurimum invaleſcerent. Quod ſi medicamentis compingentibus intrinſecum quis conaretur extrudere humorem, continuo exortæ puſtulæ in gula & ore ægrotos male habebant, ex quo etiam nonnulli, ob incuriam medentis, mortem obibant, aut, quod proximum eſt, eroſis faucibus difficillime ſanabantur. Has autem nos impetiginis eſſe genera, quas Græci λειχῆνας vocant], judicavimus, quem etiam morbum Plinius, quod ex accepto oſculo mentum invaderet, mentagram appellavit. Hujus vero & Celſus quatuor ſpecies eſſe dixit, rubricam ſcilicet & nigram, tum & quæ ſerpendo procedit, & quæ item bullulas varis ſimiles habet. Materiam autem harum puſtularum diverſam quidem, ſicuti & diverſa ſunt genera, judicamus. Interdum enim acuta humiditas ſanguini mixta, & erodens dominatur. Interdum craſſior, tenuiori parte abſumpta, & ad atram bilem verſa. Nonnunquam etiam atra ipſa inſurgit bilis, quæ ab acutiori humiditate non abſolvitur, & cutem perforans carnem erodit. Pari quoque modo exuſti humores ad naturam atræ bilis inclinantes efficiunt, qui ſi denſioribus occurrant membris, quæ perforare nequeant, figuntur ibidem, & dolores excitant vehementiores, donec reſolvantur, aut tandem erumpant in puſtulas, quæ etſi alioquin fœdæ, & ad ſaneſcendum difficiles, ſine ullo tamen dolore, ut atræ bilis natura eſt, infectos premunt. Ex quo fit, ut qui ejuſmodi afficiuntur puſtulis, imperitis ſeſe medicis nonnunquam curandos tradant, quibus ægritudinis hujus cauſas penitus ignorantibus, dum inter mali initia compingentibus unctionibus illis mederi feſtinant, ſæpe eos aut in mortem, aut ſaltem in deteriorem, vel etiam penitus in inſanabilem compellant morbum: nam cum huic malo cauſæ inſint difficiliores, & quæ vix removeri queant, ut non ſine magno labore, ita nec ſine diuturnioris temporis ſpatio ſaneſcere poteſt. Quare qui ex his feſtinam ſanitatem quærunt, mortem plurimum, ut jam dictum eſt, aut ſaltem diuturniorem morbum nanciſcuntur. Si quis igitur hujuſcemodi malo vexatus ſibi ipſi citra omne diſcrimen conſulere, ac certam ſalutem acqui-

ac quirere cupit, his utatur medicamentis, atque conſiliis, quæ à nobis infra ponentur. Aſſerunt peritiſſimi medici, ſi hujuſcemodi morbus toto diffundatur corpore, iiſdem ipſum medicamentis curationem ſuſcipere, quibus & lepra curatur. Quare cum judicaveris ſanguinem his miſceri humoribus, deducique eos cum ſanguine poſſe, optimum præſidium erit ſanguinem illico de vena media, quam nigram Medici vocant, mittere: contra vero ſi ineptos, & qui cum ſanguine minime fluere poſſint, exiſtimaveris, æquare eos, ac deducere medicamento debes. Non inutile tamen erit hirudinem, quam ſanguiſugam vocant, aut cucurbitulas ea parte affigere, qua æger magis urgetur, præſidii indigentiam indicant, habitus corporis, rubor in loco, tumor venarum, & ſi puſtulæ ſanguinolentæ ſunt, poſtea vero ad ea medicamenta confugiendum, quæ materiæ partem deponant, quod certe felicius fiet, ſi alvum duxeris eo medicamento, quod habet *myrobulanorum omnium partes duas, radicis berberis partem unam, agarici, polypodii, ſingulorum partem mediam, ſucci fumi terræ, ſenæ, & uvæ paſſæ, ſingulorum partem quartam. Quæ rudicula attrita bulliant in aquæ libris ſex, donec quarta defecerit pars, tum decolata comprimantur, & additis mellis libra, ſcammonei unciola, & ſiliquæ Ægyptiacæ unciis duabus, parvo igne in unam redigantur compoſitionem, de qua devoret æger unciolam mediam.* Demum aggredi debemus potiones materiam æquantes, ut ex *fumo terræ, endivia, aceto, ſaccharo, limonum, citrique acido ſucco.* Aut eam, quæ habet *myrobalanos omnes, fumum terræ, endiviam, bugloſſam, meliſſam, boraginem, violas, abſinthium, tamarindum, epithymum, & roſam, quibus additis ſucco fumi terræ, atque ſaccharo bulliant, & ad potionis formam redigantur.* Materia tandem æquata deducatur alvus medicamento potentiori, quod deponat humorem, quem excernere volueris, ſicuti *ſena, polypodio, albo veratro, lapide ſtellato, ſcammonio, compoſitione filii Hameeh, Inda,* & aliis multis quæ doctores extollunt, dummodo non obliviſcaris nutrire ea in lactis aqua, quæ, ſive in potione, ſive buccella accipies, optimum & excellens auxilium invenies. Verum quia humor non una tantum vacuatione ſecernitur, iteranda ſæpius hæc erunt. Ultimo loco ea ſunt aggredienda præſidia, quæ extrinſecus adjuncta etiam conferre poſſint, ut in craſſiori, & glutinoſa materia, quæ incidant, in tenuiori, quæ reſolvant, in media, quæ utranque operationem conciliient, mollire interdum, & dolores remittere opportunis præſidiis convenit, hoc autem malum tollit *acida pars citri, gummi Arabicum, gummi nucis plurimæ, ſtorax liquens, & ſinapis, ſi aceto lintantur, ſaliva quoque hominis jejuni, præſertim quæ dentibus inhæreſcit, præſentaneum remedium eſt. Aqua ſulphurea, aqua ſalita, & maris ſpuma, ſuccus pſyllii, oleum ex frumento, & ex violis, ſtorax, & pix ammoniaca, helleborus, gummi rutæ, lithargyrium, tutia, reſina pini, ſpuma argenti & ceruſſa.* Serapion autem *nitri partes duodecim, ſulphuris partes. xiiij. excipiebat reſina copioſa, eaque utebatur.* Alii *minio Sinopio ceram, & oleum ex roſa addunt,* & eo inungunt. Nonnulli vero *reſinam terebinthinam, argentum vivum, maſtichem, lithargyrium, ceruſſam, thymiamaque excipiunt myrtino oleo, atque lardo,* & eo inungentes ſudare ægros cogunt. Nec poſtremo deſunt qui tateantur, ſe ex ſolo potu medicamenti, quod habet *laccam lotam, aloën ac myrti coctionem,* ex ejuſmodi ægritudine ſanos evaſiſſe.

FINIS.

# ALPHONSI FERRI, *Neapolitani,*

*Artium & Medicinæ Doctoris,*

DE

# MORBO GALLICO

ET

# LIGNI SANCTI NATURA USUQUE MULTIPLICI

# LIBRI QUATUOR.

## PRÆFATIO.

*Lignum illud quod vulgo Sanctum, alias Indicum appellatur, ab inſulis affertur in interiori Oceano ætate noſtra repertis, unde etiam morbus, ille qui Gallicus dicitur, ad nos manavit, antea noſtris terris incognitus. In illis autem regionibus is morbus nativus eſt, ac præter contagionem per ſe naſcitur frequentiſſime, cum apud nos ex ſola videatur fieri contagione. In eo morbo gentes illæ præſentiſſimo remedio utuntur hujus ligni, omneſque curantur hac unica medicina. Eam rem noſtri, qui illic verſantur, animadvertentes, & ipſi eo remedio uſi ſunt, quicunque in morbum Gallicum inciderunt, & inde in Patriam revertentes afferre ad nos cœperunt lignum ipſum, eaque medicina oppreſſos Gallico morbo curare. Quod ubi bene atque cum ſalute ſucceſſit, brevi ac facile id remedium per omnes noſtras regiones receptum eſt, habitumque pro optimo & præſentiſſimo in morbi Gallici curatione. Quoniam vero in inſulis, unde lignum affertur, non in hoc ſolo morbo adhibent ipſius ligni medicinam, ſed in aliis quamplurimis morbis, ac fere in univerſis, illarum gentium exemplo noſtri homines edocti, ad multos alios morbos curandos ejusdem ligni remedio uti cœperunt. Itaque hæc eadem medicina ligni Sancti tam in morbo Gallico quam in pleriſque ſimilibus morbis, atque etiam diverſis, probatiſſima jam apud nos eſt, & in frequentiſſimo uſu. Nos vero pro communi hominum ſalute, ac pro noſtro officio ad hanc tam nobilem, ſalutaremque medicinam adhibentes omne ſtudium noſtrum, omnemque diligentiam, animadvertimus & ex conſideranda rei ratione, & ex frequenti ac varia exercitatione, & uſu curationis, atque ſucceſſu, medicinam ipſam in variis morbis præparari, & vulgo exhiberi ſine ulla medendi ratione, nulla habita vel morborum vel ægrotantium conſideratione, ſed promiſcue, ac ſine ullo diſcrimine cuivis morbo, & cuicunque ægroto medicinam ipſam eodem modo confici & adminiſtrari. Quæ res in perniciem cedat ſæpius neceſſe eſt miſerorum ægrotantium, dum id, quod alicui ſaluti fuit, cæteris, qui vel diverſo morbo vel diverſa diſpoſitione affecti ſunt, cauſa fit non auferendi morbi ſed augendi. Itaque nos curavimus ut ab hoc pravo uſu medicina tam utilis & neceſſaria ad medendi artem & rectam curationem revocaretur. De hoc enim ligno Sancto tractavimus, & cognoſcendo, & eligendo, & præparando, & exhibendo, & quemadmodum quibuſque morbis adminiſtretur, quibuſque complexionibus, Ætatibus, temporibus, regionibus, inveteratis aut recentibus morbis, ac de multiplici variaque confectione & adminiſtratione hujus medicinæ. Atque ut res tota eſſet promptior & manifeſtior, materiam omnem digeſſimus in partes diſtinctas, easque partes titulis adnotavimus ſingulis, atque per capita expoſuimus.*

## CAP. I.

*De præparatione & administratione ligni sancti, quodque non eadem semper, sed diversa debet fieri in diversis morbis, & diversis dispositionibus.*

Quod nos maxime movit ad hujus operis confectionem, id fuit quod vidimus hanc medicinam ab omnibus eodem modo præparari & administrari, tam diversis morbis quam diversis dispositionibus, quod valde mirati sumus observari à medicis universis. Cum ea res tota sit maxime contraria rationi, ut ligni sancti medicina eodem modo confecta & exhibita, quæ est eadem causa & idem agens, putetur posse curare diversos morbos, & contrarios qualitatibus, item diversas & contrarias complexiones, vel dispositiones corporum ab intrinseco & extrinseco, ut ætatis. novi vel veteris morbi, regionum & temporum anni & similium, quæ curationes corporum in diversis & contrariis qualitatibus & dispositionibus, sunt & diversi, & contrarii effectus ab ipsa medicina ligni Sancti. Et quomodo hæc fieri ab omnibus credita sunt, quæ fieri non possunt ulla ratione? Nam ut Aristoteles præcipit *libro 2. de generatione & corr.* Idem & similiter habens se semper idem innatum est facere. Et ibi Averroes, Idem non facit contraria, Autore etiam ipsomet Aristotele, qui ait, quod contrariorum contrariæ sunt causæ. Intentiones enim & operationes ejusdem agentis necesse est ut sint conformes potentiis & virturibus ipsius agentis, nec possunt esse propterea diversæ intentiones in medicina ligni Sancti, si illi non accedant diversæ virtutes per diversas illius præparationes & administrationes. Quod ex Averroe accepimus, qui ait *tertio de anima.* Quum duæ intentiones sunt diversæ, necesse esse ut virtutes sint diversæ. Quamobrem non potest medicina ipsa eodem modo disposita producere diversos curationis effectus. Nam ut Averroes testatur *secundo metheororum.* Diversi effectus fiunt propter diversitatem subjecti in dispositione. Ac propterea omnino necesse est ad diversos curandi effectus producendos diversam fieri dispositionem ipsius ligni Sancti, per præparationes diversas: Ex Aristotelis etiam doctrina *secundo Physic.* qui ait quod eadem causa per se est duorum contrariorum sed duabus dispositionibus diversis: Et *octavo Physic.* nullum agens, inquit, in eadem dispositione producere potest effectus contrarios: Et ibi Averroes insuper dicit, quod cum proportio illius, quod habet potentiam agendi duo contraria, fuerit eadem ad contraria, neutrum efficiet illorum. Falso igitur ligni Sancti medicina, eodem modo præparata, valere credita est ad sanandos diversos morbos, vel eundem etiam morbum in corporibus diverso modo affectis & dispositis. Et ne à medicis discedere videar. *Non solum logici*, inquit Galenus, *sed etiam methodici, evidenter intelligunt unam omnibus naturis medicinam necessario non convenire.* Et quia non curamus hominem in communi, & indifferenter, sed ut varia, ac diversa dispositione affectus est homo vel intrinseca, ut diximus, vel extrinseca. Quapropter ut hæc maxime salutaris medicina, quæ in potentia est ad curandas diversas dispositiones & morbos diversos, ad actum vere deducatur. Et ut diversi effectus curationis, & diversæ operationes ex eadem medicina producantur (ut necesse est à causis diversis) oportet ut eidem ipsi medicinæ tribuamus diversas differentias, per diversas illius præparationes. Quare unum pharmacum omnibus nequaquam convenire potest, sed oportet medium esse inquit Galen. *de compositione medicamentorum*, ceu ad medium temperaturam aptatum, ducere vero ad utramque ejus medii extremitatem, dum quotidiano usu & experientia probatur. Si enim ut res postulat confectum sit, in eo manere consilium est. Si paulum deficiet, augere ipsius vires, quemadmodum etiam adimere, cum præter modum efficax sit.

t. c. 5. 6.

Com. 10.

Cap. 2.

6. c. 8.

3. ing fa. cap 7.

lib. 2. cap. 1.

## CAP. II.

*Quid sit lignum Sanctum.*

Observatum est ab Excellentibus Medicis, ut in ratione simplicis cujusque quinque requirantur, Quid sit, Quale sit eligendum, Cujus naturæ sit, Quæ illius proprietas & operationes, Quæ permutatio in medicina. Hunc nos morem sequemur in explicanda ligni Sancti ratione. Ac primum ostendemus quid illud sit, id est quod lignum sit hoc quod dicimus Sanctum. Et nonnulli quidem putant non fuisse ignotum antiquis medicis hoc lignum. Ipsum enim alii dicunt esse id, quod ab Avicenna karon appellatur: alii vero idem quod hestedeen. plerique opinantur non aliud esse, quam Ebenum. Hi autem, qui Ebenum credunt, argumento utuntur probabiliori multo quam cæteri. ac insuper Aristot. autoritate qui tradit *quarto metheo*, omne lignum natare in aqua, nec fidere, præter Ebenum. Hoc autem lignum Sanctum non aliter quam Ebenus fidit ac minime natat, quapropter creditum est idem esse quod Ebenus, aut certe Ebeni species hactenus incognita, præsertim cum eandem opem videatur afferre lignum Sanctum, quam Ebenus, in membris excrementorum. Nam & calculos frangit, & ventris inflationem dissolvit. Qui lignum Sanctum esse Karon putant, illud afferunt, quod hoc lignum medetur morbis junctura rum quod ait Avicenna Karon efficere. Eodemque fere argumento utuntur de ligno hestedeen. Sed aliud omnino est hoc lignum Sanctum quam vel karon vel hestedeen. Nam karon, ut Avicenna præcipit, confert morbis junctura rum, factis à causa primitiva, ut fracturis, distorsionibus, ac luxationibus, quibus conferre par est, extra appositum. At lignum Sanctum constat medicinam esse antidotariam contagiosis morbis, intus exhibitam, necnon quam plurimis variisque morbis multiplici remedio subvenire, ac propterea longe aliud est lignum Sanctum, quàm karon. Sed ab his lignis, & à cæteris omnibus, quæ in aqua non fidunt, palam est lignum Sanctum natura maxime differre, cum illa natent, hoc fidat. Ab Ebeno vero lignum Sanctum longe etiam differre affirmamus, quamvis illi gravitate simile sit. Nam Ebenus qui non fluitat niger est, ut manifestum est sensu. Sed ligni Sancti color nequaquam est niger. Duritie quoque differt ab Ebeno lignum Sanctum. Non enim ita maceratur lignum Sanctum in aqua cæteris paribus, quemadmodum Ebenus. Cum tradat Avicenna ex Ebeno collyrium fieri: præterea Ebenus, si juxta ponatur, ignem statim corripit, quod minime contingit in ligno Sancto. Demum nec tantum odorem, nec talem omnino reddit lignum Sanctum, si comburatur, quantus & qualis redditur ab Ebeno. Quamobrem prorsus aliud est, quam niger Ebenus, lignum Sanctum. Aut fortasse species quædam est Ebeni non ante cognita nostris regionibus. Atque ab omnibus lignis longe differt, quæ hactenus medici cognoverunt. Nam à novo orbe nova hæc ad nos venit eximia medicina. Nec est mentitus Aristoteles, qui solum Ebenum è lignis tradiderit, in aqua non natare, id enim de lignis verissimum est, quæ nosse potuit Aristoteles, hoc autem lignum usque ad nostram ætatem fuit incognitum.

t. c. 4. 2. 3.

## CAP. III.

*Quale sit eligendum lignum Sanctum.*

Ex novis Insulis plures ferre cognovimus lignum Sanctum, atque propterea videndum est, ubi optimum producatur. Nam & ex Insula affertur, cui nomen inditum est Sancti Joannis, & ex Insula Sancti Dominici, & ex Insula sanctæ Crucis. Hæ autem insulæ ad meridiem omnes positæ sunt, alia tamen alia australior est, distantque non parum inter se singularum paraleli, ut à geographiæ peritis illuc navigantibus cognitum ac traditum est. Itaque insula Sancti Joannis habet Borealis poli altitudinem, distatque illius paralelus à circulo æquinoctiali gradibus viginti cum dimidio. Insula Sanctæ Crucis gradibus fere decem & octo. Insula Sancti Dominici gradibus tredecim. Ab hac Insula Sancti Dominici primum allatum ad nos Lignum sanctum est, coque aliquandiu medici usi sunt. Postea ab insula Sanctæ Crucis, & Sancti Joannis afferri cœpit. Animadversumque est optimum esse, quod Insula mittit Sancti Joannis, atque multo utilius, quam id quod nascitur in Insula Sancti Dominici, hoc enim aridius est, magisque sumentium corpora exsiccat: illud vero Sancti Joannis humectat corpora in calidis morbis, humidumque radicale conservat, quod experimento patet in asthmaticis, phtisicis, & hecticis. Id vero à ratione alienum non est, ut temperatius sit lignum ex insula Sancti Joannis, siccius vero & aridius est in Insula Sancti Dominici, nam quæ orbis regiones subjacent æquinoctiali, aut non longe distant, nimio solis calore inflammantur. Quoniam cum præcipua caloris causa sit in terra reflexus radiorum solis caleraciens infimam aeris regionem, ubi solis radii ex meridiano circulo vel recti vel parum obliqui terram feriunt, necesse est vehementem fieri refluxum, aëremque infimum maxime fervere. At in æquinoctiali circulo recti à meridiano terram feriunt radii solis. Quamobrem insula Divi Dominici vehementiore solis ardore peruritur, quam Insula Divi Joannis, quæ octo fere gradibus minus quam illa distat ab æquinoctiali. Itaque Insula Sancti Dominici excoquitur, evaporatque in ligno Sancto ex nimio æstu succus ille salutaris, fitque lignum aridum nimis & torridum. Contra insula Sancti Joannis quum minori afficitur

Martinus ab Densa situs thore.

vi caloris, tum vero refrigeratur ſcatentibus undique aquis, nam fontes habet quamplurimos, fluminibuſque rigatur uberrimis, quo fit ut ſit regio illa temperatiſſima, ſtirpesque ferat & ex moderato aëris calore & ex terræ humiditate omnis generis præſtantiſſima in propria natura. Quare manifeſtum eſt lignum ſanctum optimum, & ſaluberrimum ex Inſula Sancti Joannis comportari. Dicendum eſt deinceps quale ſit per ſe lignum ſanctum eligendum. Ac primum ex arboris ætate media vim habet firmiorem. Tenera enim ætas cujuſque vegetabilis tenuem ſuſcipit levemque vegetationem, ſenectus vero prope corruptionem eſt, ut Averroës ait. 2. *de generatione*, & *ſecundo metheo.* virtusque propterea in ſenectute minuitur. Qua propter media ætate arboris optimum eſt lignum ſanctum, ex arboris autem partibus nec tenues ſurculi eligendi ſunt, nec rurſus rami admodum craſſi & robuſti, aut etiam truncus, ſed rami optimi ſunt media craſſitudine. Quamvis putent aliqui meliores eſſe radices, alii truncos, qui ſint radicibus proximiores, nos id verum eſſe putamus præſertim de radice, in regionibus ubi lignum naſcitur, quod in recenti exciſione ſuccus major eſt radici quam ramis. ubi vero jam aruit, citius radices quam rami exſiccantur. Quamvis vero lignum hoc ſit materia quam denſiſſima, ac diu abſit à corruptione, tamen eo melius omnino eſt, quo eſt recentius, majoremque habet ſuccum atque vigorem, nam ſemper amittit neceſſario lignum ipſum aliquid ex ſuo humore, qui cum exiguus illi ſit, propter ſiccam ipſius complexionem brevi areſcit, demptoque ſucco, in quo eſt virtus ipſius naturalis, amittit propriam naturam, atque vaneſcit, remanetque pars terrea tanquam exanimis, quamobrem recentiſſimum eſt optimum, præſertim in calidis morbis & ſiccis, nondum exhalato humore, ac ſucco illo, unde operatur. Eligatur igitur lignum ſanctum ex Inſula Sancti Joannis ex arbore mediæ ætatis ramo mediocri, tum ſit quam recentiſſimum, ac ſi fieri poteſt annum non excedat, gravi pondere, cortice hærenti, colore fuſcum & flavum.

## CAP. IV.

### *Cujus naturæ & complexionis ſit lignum ſanctum.*

Temperatiſſimum quidem eſſe natura lignum ſanctum, apparet ex maxima ipſius virtute, atque operationibus, dum ea medicina ingentes & quam plurimi morbi curantur ſine læſione, vexationeve languentium, quin magnum ſumentibus præſtat alimentum, præter cætera ſimplicia, quorum uſus eſt medendis corporibus humanis. Quamobrem licet tantos & tam varios effectus producat magis ex virtute intrinſeca & ex forma ſubſtantiali quam ex qualitatibus, tamen ex primis etiam qualitatibus ipſum operari neceſſe eſt. Quibus conſtat, ut diximus, eſſe maxime temperatum, atque ex omnibus quatuor qualitatibus operari, quoniam & ægrotos ſanat, & morbos curat calidos, frigidos, humidos, & ſiccos. Nec obſtat, quod Ariſt. *præcipit.* 2 *de generatione*, *contrariorum contrarias eſſe cauſas.* Et Aver. 1. *de generatione*, *contrarium non accipere ſuum contrarium.* Neque enim ſimpliciter & abſolute diverſos & contrarios qualitatibus morbos & ægrotos curat lignum (ut imperite hactenus creditum eſt). Sed varie ac diverſe præparatum & alteratum, intenſum majori portione ligni infuſi, remiſſum majori aquæ infuſione. Quo pacto contraria poſſunt contingere in eodem ſubjecto, alterum videlicet in intenſo, alterum in remiſſo, Autore Aver. 4. *metheor.* Temperatiſſimæ autem naturæ hoc lignum eſſe licet cognoſcere ex Averr. *doctrina quinto colliget.* aliorumque Autorum, ſimplicium qualitates indagantium per primas operationes, ſecundas, & tertias. Primæ vero operationes ſunt calefacere, frigefacere, ſiccare, humectare. Secundæ ſunt, quæ ex primis proveniunt, ut à calido & humido molle reddi, à frigido & ſicco durum fieri. Tertias virtutes dicimus, quæ fiunt in proprio ac determinato ſubjecto, ut provocare urinam, educere choleram. ex primis autem operationibus liquet temperatam eſſe naturam ligni ſancti, quoniam ſumpta hæc medicina nequaquam plus juſto aut calefacit aut refrigerat, aut exſiccat, aut humectat, nec unquam temperiem excedit. non enim convertitur in calidiorem chylum, ſed in temperatum. Temperata vero medicina eſt, ut ait Aver. quæ neque eſt calefactiva, neque refrigerativa, neque humectativa, neque exſiccativa, quæ ſcilicet non operatur ſecundum aliquam ex his qualitatibus, ſed ſecundum quandam mixtionem ex omnibus. Et hæc eſt natura ligni ſancti, quæ ſecundum ſe non inducit affectionem extraneam in corpore. Quod potiſſimum in hoc ligno reperitur, nunquam enim ægrotis, etiam diu ipſum ſumentibus, extraneam inducit affectionem. Ex ſecundis item operationibus & tertiis temperatum apparet lignum ipſum. Nam & ſtringit & laxat, & illa omnia moderate operatur. Et ſi vel pulmonem purgat, vel hepar, vel ſi urinam provocat, vel ſudorem educit, vel ad quodcunque remedium adhibetur, omnia efficit temperate ſine læſione corporum vel moleſtia. Quapropter manifeſtum eſt ex operationibus, temperatiſſimum eſſe natura lignum ſanctum. Licet difficile credat eſſe Averrois, medicinam inventri in cunctis operationibus temperatam. Sed id nos ita ſe habere & experimentis intelleximus, atque ita nos jure affirmamus, atque præcipimus: Ariſt. enim *tradit.* 2. *poſteriorum.* Ex ſenſu memoriam fieri, ex memoria experientiam, ex experientia artem conſtare. Quanquam vero temperata natura eſt, & complexio ligni ſancti, tamen eſſe prædominium ei neceſſe eſt, quemadmodum ſimplicibus cunctis unius qualitatis & complexionis. Itaque conſtat apud omnes calidum & ſiccum eſſe hoc lignum, ſed non admodum liquet cunctis quo gradu caliditatis, nam putant plerique ob maximas illius operationes ad tertium caliditatis gradum pertingere. Nos vero affirmamus ad ſecundum tantum gradum aſcendere caliditatis, nec hanc metam caloris excedere illius naturam. Idque probamus ex medicinæ ratione in hunc modum. Quicquid manifeſte operatur, neque inde nocumentum aliquod contingit in corpore, eſt in 2. gradu propriæ complexionis, lignum ſanctum manifeſte operatur, nec tamen inde nocumentum aliquod corpori contingit, ergo lignum ſanctum eſt in 2. gradu propriæ complexionis. Major aſſumptio confirmatur Galen. authoritate *quinto de ſimplici medicina*, qui ait, *Quæ ſunt in 2. gradu complexionis hæc fieri poteſt ut calefaciant vel refrigerent, aut humectent, aut exſiccent ſine corporis læſione, aut moleſtia.* Quod idem teſtatur Avic. *fen.* 2. 1. *canonis doctrina.* 2. *Gradus* inquit *ſecundus eſt, ut ſit inde operatio fortior quam primi, non tamen ut operationes corporis impediat, aut mutet earum curſum naturalem.* Niſi id fiat per accidens, ut ſi ſæpius agat, aut multum ſit quod agit. Notandum autem eſt id quod dicit multum, quoniam in ligni ſancti medicina, ſi magna ſit portio ligni, & aquæ parva, neceſſe eſt vigorem intendi propriæ caliditatis; contra autem remitti. Minor vero aſſumptio frequenti ac manifeſta confirmatur experientia, dum tantas videmus ac tam varias illius operationes in corporibus medendis ſine ullo nocumento, aut ulla perturbatione. Nam ſi tertium caliditatis gradum hoc lignum attingeret, ægrotis tamdiu ipſum ſumentibus febres omnino induceret aut inflammationes, aliasque affectiones noxias ex vi caloris. Quin apud eas gentes, unde hoc lignum affertur, infantes (ut vulgo accepimus) corpore naſcuntur plurimis puſtulis corrupto, paucoſque poſt dies abortu, corpus omne inſici a vertice ad pedes, quam primum vero decoctione ſumpta radicum (licet hæ ſint reliqua arbore potentiores) ligni ſancti, mundari corpuſcula, atque abſolute ſanari paucis diebus, infantium quamvis tenera corpora ſint, & læſioni magis obnoxia. In terris quoque noſtris, ut diximus, & operationes videmus manifeſtiſſimas ligni ſancti, & nulla nocumenta. Ex quibus omnibus plane conſtat, lignum ſanctum calidum & ſiccum eſſe in ſecundo gradu, non ultra, & eſſe in univerſum complexionis, & naturæ temperatiſſimæ.

## CAP. V.

### *De proprietate ligni ſancti & operationibus.*

Propriam eſſe naturam ligni ſancti, atque complexionem diximus calidam & ſiccam, verum præclaræ hujus medicinæ ingens eſt ac multiplex virtus & operatio, nec unius tantum complexionis ægrotis ac morbis medetur, ſed in omni operatur complexione, modo rite præparetur, morbosque atque ægrotos curat diverſos qualitatibus & diſpoſitionibus. Nam præter vim intrinſecam ſuæ naturæ ac formæ ſubſtantialis, ex qualitatibus etiam operatur, non tantum calida & ſicca, ſed humida quoque, atque ubi opus eſt etiam frigida. Itaque & calefacit, & exſiccat, & humectat, & refrigerat. Neque id eſt à ratione alienum ut idem operetur diverſa & contraria, ſi modo diverſe diſpoſitum operetur. Ex Ariſtotelis, Averroiſque doctrina, ut ſuperius demonſtravimus, Galenusque oſtendit *primo de ſimplici medicina*, virtutes eſſe diverſas in aliquo ſimplici conjunctas, atque in una eademque medicina vim inveniri, quæ calefaciat, vim quæ exſiccet, vim quæ humectet, & vim quæ refrigeret. Quod idem contingit in ligno ſancto. Ipſum enim omnia hæc aptum natum eſt operari, ſi recte præparetur, & exhibeatur pro ea qualitate, ſecundum quam eſt operaturum. Ex portione videlicet ligni & aquæ infuſionis ex quantitate medicinæ, & ex numero potionum. Itaque ligni ſancti operationes magnæ ſunt, atque ſalutares, variæ item atque multiplices, & ex intrinſeca virtute ſubſtantiali, & ex omnibus quatuor primis qualitatibus, quamplurimoſque atque diverſos curat morbos, ægrotoſque diſpoſitionibus diverſis, ſi rite præparetur & exhibeatur, ut ordine inferius explicabitur.

## CAP. I.

*De præparatione & administratione ligni sancti, quodque non eadem semper, sed diversa debet fieri in diversis morbis, & diversis dispositionibus.*

Quod nos maxime movit ad hujus operis confectionem, id fuit quod vidimus hanc medicinam ab omnibus eodem modo præparari & administrari, tam diversis morbis quam diversis dispositionibus, quod valde mirati sumus observari à medicis universis. Cum ea res tota sit maxime contraria rationi, ut ligni sancti medicina eodem modo confecta & exhibita, quæ est eadem causa & idem agens, putetur posse curare diversos morbos, & contrarios qualitatibus, item diversas & contrarias complexiones, vel dispositiones corporum ab intrinseco & extrinseco, ut ætatis, novi vel veteris morbi, regionum & temporum anni & similium, quæ curationes corporum in diversis & contrariis qualitatibus & dispositionibus, sunt & diversi, & contrarii effectus ab ipsa medicina ligni Sancti. Et quomodo hæc fieri ab omnibus credita sunt, quæ fieri non possunt ulla ratione? Nam ut Aristoteles præcipit *libro 2. de generatione & corr.* Idem & similiter habens se semper idem innatum est facere. Et ibi Averroes, Idem non facit contraria, Autore etiam ipsomet Aristotele, qui ait, quod contrariorum contrariæ sunt causæ. Intentiones enim & operationes ejusdem agentis necesse est ut sint conformes potentiis & virtutibus ipsius agentis, nec possunt esse propterea diversæ intentiones in medicina ligni Sancti, si illi non accedant diversæ virtutes per diversas illius præparationes & administrationes. Quod ex Averroe accepimus, qui ait *tertio de anima.* Quum duæ intentiones sunt diversæ, necesse esse ut virtutes sint diversæ. Quamobrem non potest medicina ipsa eodem modo disposita producere diversos curationis effectus. Nam ut Averroes testatur *secundo metheororum.* Diversi effectus fiunt propter diversitatem subjecti in dispositione. Ac propterea omnino necesse est ad diversos curandi effectus producendos diversam fieri dispositionem ipsius ligni Sancti, per præparationes diversas: Ex Aristotelis etiam doctrina *secundo Physic.* qui ait quod eadem causa per se est duorum contrariorum sed duabus dispositionibus diversis: Et *octavo Physic.* nullum agens, inquit, in eadem dispositione producere potest effectus contrarios: Et ibi Averroes insuper dicit, quod cum proportio illius, quod habet potentiam agendi duo contraria, fuerit eadem ad contraria, neutrum efficiet illorum. Falso igitur ligni Sancti medicina, eodem modo præparata, valere credita est ad sanandos diversos morbos, vel eundem etiam morbum in corporibus diverso modo affectis & dispositis. Et ne à medicis discedere videar. *Non solum logici*, inquit Galenus, *sed etiam methodici, evidenter intelligunt unam omnibus naturis medicinam necessario non convenire.* Et quia non curamus hominem in communi, & indifferenter, sed ut varia, ac diversa dispositione affectus est homo vel intrinseca, ut diximus, vel extrinseca. Quapropter ut hæc maxime salutaris medicina, quæ in potentia est ad curandas diversas dispositiones & morbos diversos, ad actum vere deducatur. Et ut diversi effectus curationis, & diversæ operationes ex eadem medicina producantur (ut necesse est à causis diversis) oportet ut eidem ipsi medicinæ tribuamus diversas differentias, per diversas illius præparationes. Quare unum pharmacum omnibus nequaquam convenire potest, sed oportet medium esse inquit Galen. *de compositione medicamentorum*, ceu ad mediam temperaturam aptatum, ducere vero ad utramque ejus medii extremitatem, dum quotidiano usu & experientia probatur. Si enim ut res postulat confectum sit, in eo manere consilium est. Si paulum deficiet, augere ipsius vires, quemadmodum etiam adimere, cum præter modum efficax sit.

*t. c. 5. 6.*

*Com. 10.*

*Cap. 2.*

*t. c. 8.*

*3. ing sa. cap 7.*

*lib. 2. cap. 1.*

## CAP. II.

*Quid sit lignum Sanctum.*

Observatum est ab Excellentibus Medicis, ut in ratione simplicis cujusque quinque requirantur, Quid sit, Quale sit eligendum, Cujus naturæ sit, Quæ illius proprietas & operationes, Quæ permutatio in medicina. Hunc nos morem sequemur in explicanda ligni Sancti ratione. Ac primum ostendemus quid illud sit, id est quod lignum sit hoc quod dicimus Sanctum. Et nonnulli quidem putant non fuisse ignotum antiquis medicis hoc lignum. Ipsum enim alii dicunt esse id, quod ab Avicenna karon appellatur: alii vero idem quod helkedeen. plerique opinantur non aliud esse, quam Ebenum. Hi autem, qui Ebenum credunt, argumento utuntur probabiliori multo quam cæteri. ac insuper Aristot. autoritate qui tradit *quarto metheo*, omne lignum natare in aqua, nec fidere, præter Ebenum. Hoc autem lignum Sanctum non aliter quam Ebenus fidit ac minime natat, quapropter creditum est idem esse quod Ebenus, aut certe Ebeni species hactenus incognita, præsertim cum eandem opem videatur afferre lignum Sanctum, quam Ebenus, in membris excrementorum. Nam & calculos frangit, & ventris inflationem dissolvit. Qui lignum Sanctum esse Karon putant, illud afferunt, quod hoc lignum medetur morbis junctura rum quod ait Avicenna Karon efficere. Eodemque fere argumento utuntur de ligno helkedeen. Sed aliud omnino est hoc lignum Sanctum quam vel karon vel helkedeen. Nam karon, ut Avicenna præcipit, confert morbis junctura rum, factis à causa primitiva, ut fracturis, distorsionibus, ac luxationibus, quibus conferre par est, extra appositum. At lignum Sanctum constat medicinam esse antidotariam contagiosis morbis, intus exhibitam, necnon quam plurimis variisque morbis multiplici remedio subvenire, ac propterea longe aliud est lignum Sanctum, quàm karon. Sed ab his lignis, & à cæteris omnibus, quæ in aqua non fidunt, palam est lignum Sanctum natura maxime differre, cum illa natent, hoc fidat. Ab Ebeno vero lignum Sanctum longe etiam differre affirmamus, quamvis illi gravitate simile sit. Nam Ebenus qui non fluitat niger est, ut manifestum est sensu. Sed ligni Sancti color nequaquam est niger. Duritie quoque differt ab Ebeno lignum Sanctum. Non enim ita maceratur lignum Sanctum in aqua cæteris paribus, quemadmodum Ebenus. Cum tradat Avicenna ex Ebeno collyrium fieri: præterea Ebenus, si juxta ponatur, ignem statim corripit, quod minime contingit in ligno Sancto. Demum nec tantum odorem, nec talem omnino reddit lignum Sanctum, si comburatur, quantus & qualis redditur ab Ebeno. Quamobrem prorsus aliud est, quam niger Ebenus, lignum Sanctum. Aut fortasse species quædam est Ebeni non ante cognita nostris regionibus. Atque ab omnibus lignis longe differt, quæ hactenus medici cognoverunt. Nam à novo orbe nova hæc ad nos venit eximia medicina. Nec est mentitus Aristoteles, qui solum Ebenum è lignis tradiderit, in aqua non natare, id enim de lignis verissimum est, quæ nosse potuit Aristoteles, hoc autem lignum usque ad nostram ætatem fuit incognitum.

*t. c. 42.*

## CAP. III.

*Quale sit eligendum lignum Sanctum.*

Ex novis Insulis plures ferre cognovimus lignum Sanctum, atque propterea videndum est, ubi optimum producatur. Nam & ex Insula affertur, cui nomen inditum est Sancti Joannis, & ex Insula Sancti Dominici, & ex Insula sanctæ Crucis. Hæ autem insulæ ad meridiem omnes positæ sunt, alia tamen alia australior est, distantque non parum inter se singularum paraleli, ut à geographiæ peritis illuc navigantibus cognitum ac traditum est. Itaque insula Sancti Joannis habet Borealis poli altitudinem, distatque illius paralelus à circulo æquinoctiali gradibus viginti cum dimidio. Insula Sanctæ Crucis gradibus fere decem & octo. Insula Sancti Dominici gradibus tredecim. Ab hac Insula Sancti Dominici primum allatum ad nos Lignum sanctum est, eoque aliquandiu medici usi sunt. Postea ab insula Sanctæ Crucis, & Sancti Joannis afferri cœpit. Animadversumque est optimum esse, quod Insula mittit Sancti Joannis, atque multo utilius, quam id quod nascitur in Insula Sancti Dominici, hoc enim aridius est, magisque fumentium corpora exsiccat: illud vero Sancti Joannis humectat corpora in calidis morbis, humidumque radicale conservat, quod experimento patet in asthmaticis, phtisicis, & hecticis. Id vero à ratione alienum non est, ut temperatius sit lignum ex insula Sancti Joannis, siccius vero & aridius est in Insula Sancti Dominici, nam quæ orbis regiones subjacent æquinoctiali, aut non longe distant, nimio solis calore inflammantur. Quoniam cum præcipua caloris causa sit in terra reflexus radiorum solis calefaciens infimam aëris regionem, ubi solis radii ex meridiano circulo vel recti vel parum obliqui terram feriunt, necesse est vehementem fieri refluxum, aëremque infimum maxime fervere. At in æquinoctiali circulo recti à meridiano terram feriunt radii solis. Quamobrem insula Divi Dominici vehementiore solis ardore peruritur, quam Insula Divi Joannis, quæ octo fere gradibus minus quam illa distat ab æquinoctiali. Itaque Insula Sancti Dominici excoquitur, evaporatque in ligno Sancto ex nimio æstu succus ille salutaris, fitque lignum aridum nimis & torridum. Contra insula Sancti Joannis quum minori afficitur

*Martino Denisio auctore.*

vi caloris, tum vero refrigeratur ſcatentibus undique aquis, nam fontes habet quamplurimos, fluminibuſque rigatur uberrimis, quo fit ut ſit regio illa temperatiſſima, ſtirpesque ferat & ex moderato aëris calore & ex terræ humiditate omnis generis præſtantiſſima in propria natura. Quare manifeſtum eſt lignum ſanctum optimum, & ſaluberrimum ex Inſula Sancti Joannis comportari. Dicendum eſt deinceps quale ſit per ſe lignum ſanctum eligendum. Ac primum ex arboris ætate media vim habet firmiorem. Tenera enim ætas cujuſque vegetabilis tenuem ſuſcipit levemque vegetationem, ſenectus vero prope corruptionem eſt, ut Averroës ait. 2. *de generatione*, & *ſecundo metheo.* virtusque propterea in ſenectute minuitur. Qua propter media ætate arboris optimum eſt lignum ſanctum, ex arboris autem partibus nec tenues ſurculi eligendi ſunt, nec rurſus rami admodum craſſi & robuſti, aut etiam truncus, ſed rami optimi ſunt media craſſitudine. Quamvis putent aliqui meliores eſſe radices, alii truncos, qui ſint radicibus proximiores, nos id verum eſſe putamus præſertim de radice, in regionibus ubi lignum naſcitur, quod in recenti exciſione ſuccus major eſt radici quam ramis. ubi vero jam aruit, citius radices quam rami exſiccantur. Quamvis vero lignum hoc ſit materia quam denſiſſima, ac diu abſit à corruptione, tamen eo melius omnino eſt, quo eſt recentius, majoremque habet ſuccum atque vigorem, nam ſemper amittit neceſſario lignum ipſum aliquid ex ſuo humore, qui cum exiguus illi ſit, propter ſiccam ipſius complexionem brevi areſcit, demptoque ſucco, in quo eſt virtus ipſius naturalis, amittit propriam naturam, atque vaneſcit, remanetque pars terrea tanquam exanimis, quamobrem recentiſſimum eſt optimum, præſertim in calidis morbis & ſiccis, nondum exhalato humore, ac ſucco illo, unde operatur. Eligatur igitur lignum ſanctum ex Inſula Sancti Joannis ex arbore mediæ ætatis ramo mediocri, tum ſit quam recentiſſimum, ac ſi fieri poteſt annum non excedat, gravi pondere, cortice hærenti, colore fuſcum & flavum.

*Cap. 57. & ſeq. 1.*

## CAP. IV.

### *Cujus naturæ & complexionis ſit lignum ſanctum.*

Temperatiſſimum quidem eſſe natura lignum ſanctum, apparet ex maxima ipſius virtute, atque operationibus, dum ea medicina ingentes & quam plurimi morbi curantur ſine læſione, vexationeve languentium, quin magnum ſumentibus præſtat alimentum, præter cætera ſimplicia, quorum uſus eſt medendis corporibus humanis. Quamobrem licet tantos & tam varios effectus producat magis ex virtute intrinſeca & ex forma ſubſtantiali quam ex qualitatibus, tamen ex primis etiam qualitatibus ipſum operari neceſſe eſt. Quibus conſtat, ut diximus, eſſe maxime temperatum, atque ex omnibus quatuor qualitatibus operari, quoniam & ægrotos ſanat, & morbos curat calidos, frigidos, humidos, & ſiccos. Nec obſtat, quod Ariſt. *præcipit.* 2 *de generatione*, *contrariorum contrarias eſſe cauſas.* Et Aver. 1. *de generatione*, *contrarium non accipere ſuum contrarium.* Neque enim ſimpliciter & abſolute diverſos & contrarios qualitatibus morbos & ægrotos curat lignum (ut imperite hactenus creditum eſt). Sed varie ac diverſe præparatum & alteratum, intenſum majori portione ligni infuſi, remiſſum majori aquæ infuſione. Quo pacto contraria poſſunt contingere in eodem ſubjecto, alterum videlicet in intenſo, alterum in remiſſo, Autore Aver. 4. *metheor.* Temperatiſſimæ autem naturæ hoc lignum eſſe licet cognoſcere ex Averr. *doctrina quinto colliget.* aliorumque Autorum, ſimplicium qualitates indagantium per primas operationes, ſecundas, & tertias. Primæ vero operationes ſunt calefacere, frigefacere, ſiccare, humectare. Secundæ ſunt, quæ ex primis proveniunt, ut à calido & humido molle reddi, à frigido & ſicco durum fieri. Tertias virtutes dicimus, quæ fiunt in proprio ac determinato ſubjecto, ut provocare urinam, educere choleram. ex primis autem operationibus liquet temperatam eſſe naturam ligni ſancti, quoniam ſumpta hæc medicina nequaquam plus juſto aut calefacit aut refrigerat, aut exſiccat, aut humectat, nec unquam temperiem excedit. non enim convertitur in calidiorem chylum, ſed in temperatum. Temperata vero medicina eſt, ut ait Aver. quæ cum ſumitur exigua portione, comparata materiæ per illam è corpore eductæ, non inducit affectionem extraneam in corpore. Quod potiſſimum in hoc ligno reperitur, nunquam enim ægrotis, etiam diu ipſum ſumentibus, extraneam inducit affectionem. Ex ſecundis item operationibus & tertiis temperatum apparet lignum ipſum. Nam & ſtringit & laxat, & illa omnia moderate operatur. Et ſi vel pulmonem purgat, vel hepar, vel ſi urinam provocat, vel ſudorem educit, vel ad quodcunque remedium adhibetur, omnia efficit temperate ſine læſione corporum vel moleſtia. Quapropter manifeſtum eſt ex operationibus, temperatiſſimum eſſe natura lignum ſanctum. Licet difficile credat eſſe Averrois, medicinam inveniri in cunctis operationibus temperatam. Sed id nos ita ſe habere & experimentis intelleximus, atque ita nos jure affirmamus, atque præcipimus: Ariſt. enim *tradit.* 2. *poſterio-rum.* Ex ſenſu memoriam fieri, ex memoria experientiam, ex experientia artem conſtare. Quanquam vero temperata natura eſt, & complexio ligni ſancti, tamen eſſe prædominium ei neceſſe eſt, quemadmodum ſimplicibus cunctis unius qualitatis & complexionis. Itaque conſtat apud omnes calidum & ſiccum eſſe hoc lignum, ſed non admodum liquet cunctis quo gradu caliditatis, nam putant plerique ob maximas illius operationes ad tertium caliditatis gradum pertingere. Nos vero affirmamus ad ſecundum tantum gradum aſcendere caliditatis, nec hanc metam caloris excedere illius naturam. Idque probamus ex medicinæ ratione in hunc modum. Quicquid manifeſte operatur, neque inde nocumentum aliquod contingit in corpore, eſt in 2. gradu propriæ complexionis, lignum ſanctum manifeſte operatur, nec tamen inde nocumentum aliquod corpori contingit, ergo lignum ſanctum eſt in 2. gradu propriæ complexionis. Major aſſumptio confirmatur Galen. authoritate *quinto de ſimplici medicina*, qui ait, *Quæ ſunt in 2. gradu complexionis hæc fieri poteſt ut calefaciant vel refrigerent, aut humectent, aut exſiccent ſine corporis læſione, aut moleſtia.* Quod idem teſtatur Avic. *fen.* 2. 1. *canonis doctrina.* 2. *Gradus* inquit *ſecundus eſt, ut ſit inde operatio fortior quam primi, non tamen ut operationes corporis impediat, aut mutet earum curſum naturalem.* Niſi id fiat per accidens, ut ſi ſæpius agat, aut multum ſit quod agit. Notandum autem eſt id quod dicit multum, quoniam in ligni ſancti medicina, ſi magna ſit portio ligni, & aquæ parva, neceſſe eſt vigorem intendi propriæ caliditatis; contra autem remitti. Minor vero aſſumptio frequenti ac manifeſta confirmatur experientia, dum tantas videmus ac tam varias illius operationes in corporibus medendis ſine ullo nocumento, aut ulla perturbatione. Nam ſi tertium caliditatis gradum hoc lignum attingeret, ægrotis tamdiu ipſum ſumentibus febres omnino induceret aut inflammationes, aliasque affectiones noxias ex vi caloris. Quin apud eas gentes, unde hoc lignum affertur, infantes (ut vulgo accepimus) corpore naſcuntur plurimis puſtulis corrupto, paucoſque poſt dies abortu, corpus omne infici a vertice ad pedes, quam primum vero decoctione ſumpta radicum (licet hæ ſint reliqua arbore potentiores) ligni ſancti, mundari corpuſcula, atque abſolute ſanari paucis diebus, infantium quamvis tenera corpora ſint, & læſioni magis obnoxia. In terris quoque noſtris, ut diximus, & operationes videmus manifeſtiſſimas ligni ſancti, & nulla nocumenta. Ex quibus omnibus plane conſtat, lignum ſanctum calidum & ſiccum eſſe in ſecundo gradu, non ultra, & eſſe in univerſum, complexionis, & naturæ temperatiſſimæ.

*Tex. c. ulti.*

*Cap. ulti.*

*Cap. 15.*

*1 com. 56. cap. 47. & alibi.*

*tex com. 4. cap. 3.*

## CAP. V.

### *De proprietate ligni ſancti & operationibus.*

Propriam eſſe naturam ligni ſancti, atque complexionem diximus calidam & ſiccam, verum præclaræ hujus medicinæ ingens eſt ac multiplex virtus & operatio, nec unius tantum complexionis ægrotis ac morbis medetur, ſed in omni operatur complexione, modo rite præparetur, morbosque atque ægrotos curat diverſos qualitatibus & diſpoſitionibus. Nam præter vim intrinſecam ſuæ naturæ ac formæ ſubſtantialis, ex qualitatibus etiam operatur, non tantum calida & ſicca, ſed humida quoque, atque ubi opus eſt etiam frigida. Itaque & calefacit, & exſiccat, & humectat, & refrigerat. Neque id eſt à ratione alienum ut idem operetur diverſa & contraria, ſi modo diverſe diſpoſitum operetur. Ex Ariſtotelis, Averroiſque doctrina, ut ſuperius demonſtravimus, Galenusque oſtendit *primo de ſimplici medicina*, virtutes eſſe diverſas in 2. quo ſimplici conjunctas, atque in una eademque medicina vim inveniri, quæ calefaciat, vim quæ exſiccet, vim quæ humectet, & vim quæ refrigeret. Quod idem contingit in ligno ſancto. Ipſum enim omnia hæc aptum natum eſt operari, ſi recte præparetur, & exhibeatur pro ea qualitate, ſecundum quam eſt operaturum. Ex portione videlicet ligni & aquæ infuſionis ex quantitate medicinæ, & ex numero potionum. Itaque ligni ſancti operationes magnæ ſunt, atque ſalutares, variæ item atque multiplices, & ex intrinſeca virtute ſubſtantiali, & ex omnibus quatuor primis qualitatibus, quamplurimoſque atque diverſos curat morbos, ægrotoſque diſpoſitionibus diverſis, ſi rite præparetur & exhibeatur, ut ordine inferius explicabitur.

*Cap. 1 uſque ad 6.*

## CAP. VI.

*Quæ permutatio ſit medicinæ ligni ſancti.*

Permutatio medicinæ ligni ſancti fit præcipue in morbo Gallico, ut curetur unguento argenti vivi. Quod tamen fieri debet in veteri morbo, atque in corpore male affecto, & diſpoſito. Neque tamen ad unctiones veniendum eſt, priuſquam ex medicina ligni ſancti bis terve ſumpta, cognitum fuerit ægrotum non convaleſcere. Nam hæc ligni medicina propria eſt ad morbum Gallicum curandum, ac præter cæteras maxime ſalutaris, nullæque remanent ex ea corporum offenſiones. Quod minime fit ex argenti vivi, aut cinabaris medicina. offenſiones namque corpori remanent ex his læſionesque perpetuæ, ut nos ex longa experientia cognovimus, & propria diſputatione demonſtrabimus de cinnabari & argento vivo. Minime vero quiſpiam proficeret, ſi his non intellectis die noctuque in horum correctione ac præparatione laboraret. Nam argentum vivum omnino inficit ac lædit principalia membra, atque etiam cætera, oſſaque & nervos corrumpit, nodoſque inducit oſſibus & juncturis. Et nos quidem diu laboravimus in argenti vivi correctione, uſque ad ingenioſam illius diſtillationem. Et tamen nullam illius invenimus correctionem, unde corrigi omnino non poſſe cenſemus. Quamobrem ligni ſancti medicina in morbo Gallico non aliter cum argenti vivi unguento permutanda eſt, quam ubi ea bis terve ſumpta non convaluit æger, & ex morbo vetuſto. tunc demum enim veniat oportet ad unctionis medicinam. De qua nihil attinet nos hoc opere tractare, quod de ligno ſancto inſtitutum eſt, præſertim cum abunde alii ſcripſerint de ipſa unctione. Atque hactenus de medicina ligni ſancti communia quædam, ut plerique veterum contuevere, tradidimus. Poſt hæc de varia diverſaque ipſius præparatione & exhibitione in variis diverſisque & diſpoſitionibus & morbis, propria præcepta, ut ſumus polliciti, trademus ſigillatim. Ac prius communia quædam & univerſalia præponemus in curatione obſervanda. Nam ex Ariſtot. *præcepto primo phyſicorum*, ab univerſalibus ad particularia procedere oportet, ut eodem loco teſtatur Aver. & *ſecundo de anima*. Quoniam commune atque univerſale magis notum eſt, quàm particulare ac proprium, atque propterea in conſideranda cujuſvis rei ratione, propriis debent communia præponi, ut eodem loco Averr. præcipit. Nam quæ magis nota ſunt nobis, ea ſunt communia, quæ minus nota, ſunt propria, ut in eodem loco tradit Ariſtoteles, atque in aliis plurimis, ordo vero intelligendi eſt, à magis notis ad minus nota intellectui. Quod Averrois oſtendit *ſecundo de generatione*, *primo phyſicorum*, ac multoties aliis locis: Jure igitur nos in ratione multiplicis medicinæ ligni ſancti communia prius exponemus. Deinceps propria ſeorſum ſingula demonſtrabimus.

*Text. com. 4.*
*Com. 1.*
*Com. 34.*
*Com. 4.*

## CAP. VII.

*Cur medicinæ ligni ſancti tanta vis eſt in morbis curandis.*

Quo magis medicina quælibet ſimilis fit calori corporis noſtri, & ſucco vitali, atque in eum convertitur ſuccum, quum ſumitur, eo vehementius operatur, tutius ac manifeſtius. Eaque medicina perfectiſſima eſt, quæ medicum nutrimentum dici poſſit, cum in ſubſtantiam corporis convertatur, ut tradit Avic. *ſen.* 2. 1. *canon.* Cibus autem potuſque ſalubris ille eſt, qui ita afficit corpus noſtrum, ut in ſimilitudinem ipſius corporis, hoc eſt in ſubſtantiam, convertatur, quod eodem loco præcipit Avic. Hæc vero medicina ligni ſancti maxime omnium ſimilis fit ſucco vitali corporis noſtri, atque in ejus naturam convertitur, inſigneque præbet corpori nutrimentum ſupra omnes cibos & potus. Hanc enim ex ligno potionem cum exiguo alio cibo tamdiu ſumentes ægroti ita nutriuntur, ac ſi ex quavis alia materia cibo veſcerentur multo majore. Nec minus nutrit potio hæc quam jus pulli conſumpti. Quamobrem nil mirum eſt, ſi tantum valeat medicina hæc ad ſanandos hominum morbos, quando tanta illi ſimilitudo eſt cum ſubſtantia corporis humani, ac præterea vim habet ſalutarem. Omnium enim natura eſt operatrix, ut tertio Techni tradit Galen. Itaque tam mira operatur hæc potio, quoniam dum ſumitur, ut diximus, continuo ac maxime inducit virtutem ſucci vitalis in corpore, illumque mirifice auget ac roborat. Tum ex propria vi ſuæ naturæ, ſimilitudineque ſubſtantiæ corporis humani, arcet expellitque ab ipſo corpore omne adverſum & officiens atque extraneum. Atque ita & ratione ſui ipſius juvantis & nocentis extranei ſemoti, vehementer operatur in morbis tollendis. Purgat enim ſanguinem, & efficientes materias reſolvit. atque ita totius corporis membra convaleſcunt. Imbuta enim membra ſtipticis pharmacis, vim ſalubrem tranſmittunt per omne corpus. 3. *Tech.* Galeno præcipiente.

*Cap 15.*
*Cap. 29.*

## CAP. VIII.

*Quod alii morbi, quemadmodum Gallicus curentur ligno ſancto.*

Non ſolum Gallicus morbus curatur ligni ſancti medicina, ut initio apud nos fuit illius uſus, ſed hecticæ ſalutaris eſt & podagræ, & epilepſiæ, atque aliis morbis quamplurimis. Nam licet effectus diverſi differant vel propter agens, vel propter ſuſcipiens, ut ait Aver. 2. *metheororum*, ac propterea videatur non poſſe eadem medicina curare morbos diverſos, aliter tamen ſe res habet, quoniam eadem medicina variis modis atque diverſe præparata & confecta, diverſas accipit diſpoſitiones, ac diverſe afficit, nec idem fit agens, ſed multiplex & varium, ut ſuperius eſt latius demonſtratum. Quapropter varios parit, diverſoſque effectus in morbis curandis. Sed & Gallico morbo ſæpe contingit junctos eſſe, quos diximus, morbos, aliosque complures, atque dum adhibita eſt ea medicina propter morbum Gallicum, reddita ſalus abſoluta eſt ægrotis, ſublato tam Gallico morbo, quam quovis alio adjuncto: quod ſi tanta vis eſt hujus medicinæ, ut quemlibet morbum non minus quam Gallicum, auferat, multo facilius curare poteſt ſingulos ipſos morbos per ſe ſolos ſine Gallico morbo. Ex dialectica illa ratione, ſi de quo magis, etiam de quo minus, ut Ariſtot. tradit 2. *Topic.* Quum enim aliis morbis eſt morbus Gallicus admixtus, vehementius malum eſt, curatuque difficilius, quod additur illis noxius humor contagionis. valde autem difficilis cura eſt omnis morbi, qui ex contagione contingit, raroque tollitur ope medicinæ. ut *tertio colliget.* tradit Aver. Quod vero de hectica diximus curanda, non eſt de omni ſpecie ipſius morbi intelligendum, ut proprio capite inferius exponemus. Omnino autem id in omni morbo curando ſervandum eſt, ut quum aliis medicinis minime ſanantur morbi, confugiatur ad ligni ſancti medicinam, ſed jam ea exponere aggrediar, quæ ſervanda ſunt in curatione, quæ per hanc medicinam perficitur.

*Cap 7.*

## CAP. IX.

*De loco eligendo, in quo curandus eſt æger.*

Quoniam expellendus à corpore eſt noxius humor, materiaque morbi reſolvenda, laxentur opus eſt, apertioresque fiant meatus corporis, qui pori appellantur, ut inde effluat morbus. Quamobrem calido loco æger continendus eſt dum curatur, ne frigus humores dentet, operationemque impediat naturæ, ac medicinæ. Stringit enim frigus, porique corporis fiunt anguſtiores. Itaque vel natura calidus ſit locus curationis, vel arte cubiculum caleſiat, in quo æger curatur. Modus tamen ſervandus eſt in loci caliditate, pro cujuſque morbi ratione. Nam in frigidis morbis, & in multo humore noxio calidiore opus eſt habitatione. In calido vero morbo & in exiguo humore, minus calidus locus eſt neceſſarius. Itaque pro ratione & morbi & ægroti ſedes aut magis aut minus calida adhibeatur.

## CAP. X.

*De Tempore anni eligendo.*

Aptiſſimum tempus eſt Ver adminiſtrandæ huic medicinæ ligni ſancti, deinde Autumnus, ob mediam temperiem inter calorem & frigus. Æſtas minus utilis eſt, atque in calidis morbis & complexionibus etiam perniciosa, ob nimiam reſolutionem, quæ tunc facile poteſt contingere. Hyems quoque vitanda eſt in morbis & complexionibus frigidis. Magis enim afficiuntur corpora atque læduntur à ſimili qualitate, quam à contraria. Si autem vis morbi atque neceſſitas urgeat, ſæviente etiam hyeme ita caleſieri locus poteſt, ut temperies in eo ſentiatur mediii veris.

## CAP. XI.

*De Cibatione, Et quare cibus exiguus præbendus eſt in hac curatione.*

Quum concoctio cibi ſit perfectio humoris generati propter actionem caloris naturalis in idoneam materiam, ut Aver. tradit. 4. *metheo.* cumque decoctio ligni ſancti

*Cap. 1.*

ſancti non facile concoquatur, ſi cum illa plenior cibus ſumeretur (quum enim non poſſet naturalis calor utrumque ſuperare, hoc pacto concoctio impediretur). Quapropter modicus eſt ſumendus cibus ut optime concoquatur.

## CAP. XII.

*Cur pane veſcendum eſt biſcocto potius quam alterius modi.*

Biſcocto potius, quam alio pane veſcendum eſt, cum decoctione ligni ſancti, quod is panis eſt maxime ſiccus, quæ ſiccitas diu retinet ligni decoctionem in ſtomacho. Sicci enim proprium eſt retinere. Itaque ne ligni decoctio ſumpta cito effluat à ſtomacho, crudaque atque inanis venas permeet, ſiccitate retinenda eſt panis biſcocti. Nam cum potio illa ligni humidum quid ſit, cito ad hepar defluere, atque illi admiſceretur. Humidum enim ait
*1. com. 18 cap. 1.* Ariſt. 4. *metheor.* facile terminari, difficileque ſiccum. Mixtio autem & conjunctio, ut eodem libro tradit Aver. B fit neceſſario propter humidum, diviſio & ſeparatio propter ſiccum. ut igitur diu permaneat potio ligni in ſtomacho. concoquaturque juxta omnes concoctiones, atque ita ſubveniat corpori, & morbo medeatur, dum abſolute concocta fuerit ac jam concreta, cohibenda eſt & glutinanda cibo una ſumpto quam ſicciſſimo, hoc eſt pane biſcocto. Nam ut tradit Aver. *quarto metheor.* Siccitas facit humi-
*cap. 18.* dum accipere concretionem & difficultatem ſeparationis. Præterea is panis leviſſimus eſt, ut præcipit Celſus *primo libro de medicina capite ſexto.* Quapropter eo cibo ſtomachus minus gravatur. Nec etiam ita oppilat biſcoctus panis, ut communis. Parum vero refert, ſi tardius penetrat panis biſcoctus. Nam ea re non multum ſuperatur à reliquo pane. Sit tamen in ſuo genere is panis perfectus quinque illis qualitatibus, quas tradit Avic. 2. *canon. capite proprio*, hoc eſt ut ſit mundus, ſalitus, confectus, fermentatus, bene coctus. Fiat autem ex ſimila potius, quam ex farina communi, quoniam is utilior eſt, & magis nutrit, ut eodem loco præcipit Avicenna. Neque tamen adeo refert, ſi pro biſcocto præbeatur panis communis, qui bene coctus ſit, perfectusque qualitatibus illis, C quas diximus, præſertim in conſumptis ægrotis & in morbo calido & complexione eadem. Non enim propter communem panem, ſi optimus ſit, prohibebitur, quin abſoluta fiat concoctio potionis ex ligno ſancto, etiam in maxime languidis & infirmis.

## CAP. XIII.

*De medica cibatione, quam diætam dicunt, & qualis debeat eſſe in hac cura diæta regularis, qualisve reſumptiva.*

Diætam regularem conſtituimus in curatione ligni ſancti ab initio ad finem curationis, tam in prandio quàm in cœna, panis biſcocti uncias tres, uvæ paſſæ uncias duas, amygdalarum toſtarum unciam unam. Si autem paulo egentior cibi ægrotus ſit, addi poteſt uncia panis, ut quatuor unciæ ſint, & in prandio & in cœna. Diætam vero reſumptivam ab initio curationis uſque ad finem conſtituimus carnem pullæ, gallinæ, caponis, phaſianæ, aviculorum, hœdorum lactentium. Modus autem erit ut tres unciæ carnis ſumantur, & totidem panis, tam in prandio, quàm in cœna, aut (ſi vel ægroti vel morbi ratio exigit) & panis & carnis unciæ quatuor. Tutius vero à carne incipietur pulli non coëuntis, uſque ad ſtatum curationis, deinceps cæteræ, quas diximus, carnes pro arbitrio præberi poſſunt. Si autem neceſſitas intervenerit, præbendum eſt vel contuſum gallinæ, ſeu caponis, vel jus pulli conſumpti ab initio ad finem curationis.

## CAP. XIV.

*Quod varianda diæta eſt ratione vel morbi vel ægroti.*

Non eadem ſemper diæta ſervanda eſt in curatione ligni ſancti, ſed varianda nonnunquam eſt, & pro varietate diſpoſitionum, præcipue vero ac maxime pro varietate complexionum & ætatum. Pro varia enim ægroti diſpoſitione, ut infirmitatis ratio poſtularit, alia erit diæta initio curationis, alia in incremento, alia in ſtatu, alia in declinatione. Aliquando etiam diæta ſervetur regularis, aliquando reſumptiva, ut qualitati morbi conveniet, & ægroti. variæ enim complexiones & ætates varia etiam diæta curandæ ſunt, ſanguinei vero & cholerici quamvis ex parte conveniant, facilius tamen tolerant inediam ſanguinei quàm cholerici, cæteris paribus, tum quia ſanguineus A minus inflammatur, propter caloris temperiem, tum quia humor in eo tardius reſolvitur propter humidam complexionem. Phlegmatici quoque, quamvis ex parte conveniant cum melancholicis, facilius tamen propter maximam humiditatem fert inediam phlegmaticus quam melancholicus, qui ſiccus eſt, propter frigiditatem vero phlegmaticus hac re ſuperat ſanguineum. Itaque cholericus minime omnium eſt patiens inediam, ob fervorem & ſiccitatem. Quare varia eſſe diæta debet variarum complexionum. Idemque obſervandum eſt in variis ætatibus. Firma enim ætas minus cruciatur inedia, quam juventus, cæteris paribus, juvenes minus quam pueri. Omnino autem in die purgationis carne cibandus eſt æger propter laſſitudinem quam efficit inanitio, illud tamen curetur, ne crudias contingat. Si vero ſtomachus imbecillior fuerit, contuſo gallinæ ſublevetur tam in prandio, quàm in cœna. Caro autem vel elixa ſit, vel aſſa ſuper prunas, nulloque inficiatur ſalſamento, aut quovis condimento. Salis vero aut nihil aut perparum adhibeatur, ne hebetetur, aut corrumpatur vis atque operatio decoctionis ligni ſancti. Neque enim faſtidium ſtomacho timendum eſt, aut nauſea. Ipſa enim decoctio ſua virtute ſtomachum roborat, adjuvatque ad concoquendum.

## CAP. XV.

*Quod æger purgandus eſt in curatione ligni ſancti, & quoties.*

In unoquoque morbo, qui curatur ligno ſancto, æger purgandus eſt octava quoque die, vel ſexta, ſi multitudo apparet humoris noxii. Sin autem noxius humor exiguus eſt, ſat erit duodecima fieri purgationem. Itaque peritus medicus in hac re conſiderabit qualitatem morbi & ægroti, & maxime humoris noxii quantitatem. Hæc enim ligni decoctio digerit corporis humores, trahitque illos ab extremis partibus ad medium, variis modis juxta varias materias multo perfectius, quam reliquæ medicinæ. Tenues autem humores per ſudorem ejicit, craſſos ad decoctionem facit aptiores. Itaque ſæpius æger purgandus eſt, ſed omnino initio curationis. Intra curationem vero, quo C die purgatio fit, non ſumat ægrotus Syrupum ex ligno ſancto, nec mane nec veſperi. In ipſa vero purgatione, & operatione medicinæ, ſi fuerit acer dolor & ſpungens in ſtomacho vel inteſtinis, item ſi remiſſius medicina operabitur, aderitque hebetatio, tunc præbendum eſt jus pulli ſeu gallinæ ſine ſale, atque cum ſaccharo, aliaque adhibenda ſunt adjumenta, quibus utitur medicina. Id enim nihil officit curationi ligni ſancti.

## CAP. XVI.

*A quibus abſtinendus eſt ægrotus in curatione, & quæ illi ſervanda.*

Acoitu omnino abſtineat ægrotus tempore curationis. Si quis vero in venerem pronior fuerit, ungantur illius renes cerato aliquo frigefaciente, ut libido prohibeatur, & pollutiones. Sed & peracta curatione abſtineat prorſus a venere, ſaltem per triginta dies, curas etiam omnes ab ſe D fuget, qui curatur, atque animi moleſtias, & perturbationes. Hæc enim ut Galen. ait *tertio Techni* male afficiunt corpora, mutantque ab ea, quæ ſecundum naturam eſt, conſiſtentia. Is igitur, cui facultas eſt, detineatur, exhilareturque amicorum jucundis ſermonibus, factis dictisque ridiculis, muſicæ dulcedine, rebusque aliis, quæ illum voluptate afficiant, ita ut ab omni moleſtia quam longiſſime abſit. Si autem aufugerit ſomnus ab ægroto, nimiumque illum vigilia vexarit, periculoſum eſt malum, atque illi mature ſuccurrendum. Nam quemadmodum ſomnus eſt vinculum quoddam virtutum corporis & confirmatio, ſic vigilia, quæ ſomni privatio eſt, enervat virtutes ipſas, atque diſſolvit, ut Aver. *de ſomno & vigilia*, & 2. *colliget* oſtendit. Itaque ſomnus provocandus eſt, *Cap. 21.* vel *ſyrupo papaveris*, vel alio adjumento. ut autem tutius æger curetur, uſque ad incrementum curationis ſemper decumbat. In ſtatu vero & declinatione, poſt matutinum ſudorem ſurgere poterit, reliquumque diei ducere pro illius arbitrio, ita tamen, ut nec frigus ſentiat, nec laſſitudinem. ob hanc igitur cauſam, aliasque plures, partien- E dus eſt morbus & curatio per quatuor tempora, quamvis curatio breviſſima procuretur, quæ eſt viginti dierum. Nam communis curatio & uſitatior eſt dierum quadraginta. In curatione vero particularia localia non debent apponi loco ægrotanti, niſi poſt initium, vel incrementum curationis. Aliter enim augeretur cauſa morbi conjuncta. Per totam autem curationem nunquam aqua frigida æger lavet manus, nec eam tangat, ne frigiditas aquæ activa, repellendo humores ab exterioribus ad interiora, nocumen-

tum aliquod inferat membris nobilioribus. quare abluantur manus vel vino albo calido, vel aqua calida.

## CAP. XVII.

*De sudore, & quæ in illo servanda sunt.*

Potio ligni sancti, ut superius diximus, suapte natura educit sudorem, qui initio fere curationis & incremento solet fieri copiosior, remissior vero in statu & declinatione. ubi per totam curationem ab initio ad finem largior fuerit sudor, argumentum est multæ morbi materiæ ac noxii humoris. Interdum tamen sudor plurimus contingit ex ægroti caliditate, aut ex laxitate pororum, aut ex utroque. Si cui vero non per se sudor fluit, arte provocandus est, atque educendus, puta latere calefacto, alboque vino super inspersо, ac plantis pedum suppositо. Hoc enim adminiculo facile sudor educitur. Provocandus autem sudor est non semper eodem modo, sed aliquando largus, aliquando mediocris, aliquando perexiguus, prout conducere videbitur & morbo & ægroto. Ut vero humiditas præsertim capitis non officiat, tondeatur ad cutem qui curatur, ac post sudorem ab summo usque capite ad plantas imas diligenter abstergatur atque siccetur. In reliquis quoque membris nulla sudoris pars relinquatur, ne humor ille majus afferat nocumentum, atque augeat morbum. Ergo optime totum corpus siccetur, sed maxime caput.

## CAP. XVIII.

*Qua forma conficiatur ligni sancti medicina.*

Non sunt audiendi, qui putant fieri posse medicinam ligni sancti per catapotia seu pillulas, aut etiam per pastillos, seu electuaria: nec etiam idonea est confectio florum ipsius ligni sancti, aut teneri arboris surculi sacharo conditi, aut syrupus ex succo ipsorum surculorum. Hæc enim particularem faciunt medicinam, nec per illam mundari possunt, restituique membra universa longo atque assiduo morbo affecta, itaque non tolleretur morbus hac particulari sumptione, neque salubrior esset eo pacto medicina ligni sancti cæteris usitatis, quæ parum prosunt. Quamobrem optimus modus ac salubrior forma medicinæ ligni sancti est decoctio ipsius ligni: Ea enim est medicina universalis, tum maxime nutrit sumentes, ut vere sit medicum nutrimentum, quod superius demonstravimus. Decoquendus vero ex arbore est truncus mediæ crassitudinis, mediocris ætatis, non mediocris ponderis, & recens, cortice maxime contiguo & hærenti, colore inter fuscum & flavum, ex insula sancti Joannis, vel sanctæ Crucis, ut superius diximus, ubi etiam ostendimus, apud nos radicem arboris non esse idoneam, quamvis in suis terris aptissima sit ad medicinalem decoctionem.

## CAP. XIX.

*Quod longa mora fieri debeat decoctio ligni sancti.*

Lignum sanctum demonstravimus habere materiam siccam, densam, & duram. Facilitas vero miscibilium contingit ex humido, contra difficultas ex sicco. ut Aver. *Com.* 88. ait. 1. *de generatione.* Aristotelesque tradit eodem loco, *Tex. com* 89. quodque corpus miscibile fieri redactum ad humidam substantiam. Quamobrem lignum oportet diu ac longa mora decoquatur, ut redigatur ad humiditatem, atque etiam ut commisceatur aquæ decoctionis, unaque forma liquoris fiat ex aqua & ligno, ab utroque diversa. Nam quæ miscentur, corrumpunt invicem intentiones & proprias qualitates, ut ait Arist. 2. *de generatione.* Itaque per lon- *Tex. com.* gam decoctionem lignum sanctum, sublata siccitate ac *48.* densitate, humidum fiet, ac liquidum & rarum. Quibus *Com. 48.* qualitatibus ut testatur Aver. 1. *de generatione*, facile quodvis corpus in substantiam aliti convertitur.

## CAP. XX.

*Quomodo præparetur lignum sanctum ad decoctionem.*

Ut facilius in infusione macerari possit lignum sanctum, cultro radendum est, redigendumque in tenuissima ramenta. Hæc ligni ramenta in aquam infusionis mergantur in mundo vase. Debet autem vas ad unum modum decoctionis vitreum esse, ad alterum modum fictile, seu testaceum ut ostendemus. Mora infusionis in frigidis morbis duodecim horarum sit ante decoctionem, ut melius misceatur, opereturque validius. In morbis calidis, aut brevis, aut nulla sit mora infusionis, ne nimis intense operetur, ut sigillatim suis locis exponemus.

## CAP. XXI.

*Quomodo decoquatur lignum sanctum, & quot sint illius decoctiones.*

Decoquitur lignum sanctum, uno modo posita infusionis aqua cum ramentis ligni ut diximus, in vitreo vase. Hoc autem vas vitreum cum infusione ponitur intra majus alterum vas æneum plenum aqua communi, mediis palels intra utrunque vas, ne vas vitreum frangatur. Fervente vero aqua communi in æneo vase calefacto à subito igne, fervet etiam atque decoquitur infusio in vase vitreo calefacto à ferventi aqua communi: consuevimus, inquit Galen. 8. *de ingenio*, calefacere olea duplici instrumento, quia, si aliter calefiant, corrumpitur eorum virtus; sic & de ligno sancto dicendum est. Alter B decoctionis modus est simplex, hoc est, ut decoctio fiat in vase fictili abigne calefacto. Prior autem decoctio, in gemino vase est virtutis alterativæ, ac refrigerativæ, aptior calidis morbis, & calidis complexionibus, hoc est, cholericis & sanguineis. Altera decoctio simplex in vase testacco est calefactivæ magis virtutis, frigidis morbis idonea, & frigidis complexionibus, phlegmaticis & melancholicis. Quoniam vero superius diximus, longa mora decoqui oportere lignum Sanctum, id animadvertendum præcipimus, non omnibus morbis & ægrotis ejusdem moræ decoctionem convenire, sed aliis majoris moræ, aliis minoris. Quamobrem gradus constituendi sunt in ipsa decoctione, ut, verbi causa, Primus gradus decoctionis sit, quum decoctio remanet unius libræ, Secundus. novem unciarum, Tertius unciarum sex, aut septem, & ita deinceps. Decoctio autem non simplex aut unica fit, sed duæ, ac tres fiunt, eademque ramenta ligni, facta prima C decoctione atque compressa & percolata, iterum ponuntur in aquam infusionis, & fit secunda decoctio, atque iterum comprimuntur & colantur: tum tertio, si opus erit, ponuntur in aquam infusionis, & fit tertia decoctio. Prima vero decoctio dicitur syrupus seu prima aqua ligni, Secunda, secunda aqua, Tertia, tertia aqua. Syrupus autem seu prima aqua ligni magis est calefactiva, ad morbos apta & complexiones frigidas. Secunda aqua est alterativa magis & refrigerativa, calidis complexionibus & morbis adhibenda. Initio autem autumni, & ultimo vere, tertio quoque die aut etiam altero decoctio est conficienda, quoniam calore anni celeriter corrumpitur, hyeme vero sat est, ut quarto quoque die vel quinto, aut sexto conficiatur, ob frigus enim non ita facile putrescit. Quare hyeme libra integra fiat decoctionis, calidiore anni tempore semilibra, atque hoc modo fit decoctio ligni Sancti.

## CAP. XXII.

*An in decoctione ligni sancti, alia decoquenda sint una, cum ipso ligno.*

D In fine curationis, in complexionibus calidis decoqui possunt cum ligno sancto frigidæ herbæ, ut *cichoreum endivia*, *buglossa hortensis*, *quam borraginem* dicunt, aliæque id genus. Id vero fit ad refrigerandam jecoris caliditatem, totiusque sanguineæ habitudinis. Quod autem de fine curationis diximus, idem fieri potest non tantum in actu præservativo, sed etiam in curativo, præsertim in aliqua dyscrasia jecoris, atque in aliis maxime, quorum tibiæ pustulis ulcerantur, quibus sola subvenit ligni sancti medicina. In hac autem decoctione, in qua herbæ admixtæ sunt, idem ritus servandus est & regula de diæta, potione, & cæteris, quæ ad curationem absolutam pertinent ligni sancti.

## CAP. XXIII.

*Quod vario gradu & intentione decoctio facienda est ligni sancti.*

Mora decoquendi, atque gradus, quos diximus decoE ctionis, diversi esse debent, frigido anni tempore, & calido, cæteris paribus. Nam hyeme intensior debet fieri decoctio, & majore gradu, vere atque autumno, minore gradu, atque remissior. In temporibus item curationis, hoc est initio, incrementoque, statu, & declinatione, non idem servetur modus decoctionis in paribus morbis & ægrotis. In variis quoque morbis, variis ætatibus, variis complexionibus, varius debet omnino esse gradus decoctionis, ut sigillatim inferius exponemus. Nihil vero re-

refert, quod ajunt, gentes illas, apud quas naſcitur lignum ſanctum, eodem ſemper modo, ac ſine ullo diſcrimine, conficere ac ſumere hanc potionem. Nam imperiti illi ſunt artis medicinæ, ac rationis, vel forte quoniam recens lignum decoquunt, ſalutaris eſt ea medicina, quocunque alio modo conficiatur, vel quia in illis regionibus antidotaria medicina eſt lignum ſanctum, vel quod credibilius eſt, decoctionem conficiunt admodum temperatam, ut in omni tempore anni ſubveniat ægrotis, omni ætati, omni morbo, omnique complexioni.

## CAP. XXIV.

### *Quibus horis Syrupus ligni ſancti ſumendus ſit.*

Syrupus ligni ſancti ſumendus eſt ægrotantibus & mane & veſperi. Ante prandium vero & ante cœnam ſumatur, tanto temporis ſpatio, quanto opus eſt, ut concoqui poſſit, pro ſtomacho vel firmo vel imbecillo. Atque magnopere errarunt, qui præbendum ſyrupum arbitrati ſunt poſt cibum ſecunda hora, ea enim res adverſatur rationi totius medicinæ. Quare tempus concoctionis ſyrupi ſit circiter quatuor horarum ante prandium & cœnam, plus, minus, prout vires concoquendi & ſyrupi quantitas exegerit. Si autem morbus in cerebro ſit, tunc ſyrupus poſt cibum præbeatur, ut ſuis locis declarabimus.

## CAP. XXV.

### *Quod non eadem ſemper quantitas & qualitas ſyrupi ſumenda eſt.*

Non eadem quantitate ſyrupus præberi debet omnibus temporibus curationis. Sed à paucitate incipiendum eſt, paulatimque quantitas augenda. Natura enim non fert repentinas mutationes, ut *tertio Techni* præcipit Galen. Quare imbecillis ægrotis præbeantur unciæ tres ſyrupi mane, tantundemque veſperi, in incremento quatuor, in ſtatu & declinatione ſex. Aliquando vero præbeatur ſyrupus aut tantum mane, aut tantum veſperi, ſi aut valde nauſeans fuerit ægrotus, aut ſtomacho nimis imbecillo, ut fieri non poſſint omnes decoctiones neceſſariæ. Itaque animadvertendus hic modus eſt ab iis qui curam gerunt ægrotantis. Sed & ætatis ratio habenda eſt in quantitate potionis, & complexionis, & in univerſum totius diſpoſitionis cujuſque ægroti, ut modus quantitatis ſervetur in unoquoque. Hæc vero nos ſuis locis ſingula exponemus. Quod autem de quantitate diximus potionis, idem omnino ſervandum eſt de qualitate, hoc eſt de gradu & intenſione decoctionis.

## CAP. XXVI.

### *Quid agendum ſit ſtomacho nauſeante.*

Si cui aſſidua nauſea contigerit, non eſt propterea dimittenda incepta curatio, nam paulatim atque in dies nauſea minuetur, ſemperque ſtomachus robuſtior fiet. Si autem eveniat nauſea ex innata ſtomachi caliditate, tunc ſyrupum & aquam, aut eorum alterum, ut morbus & ægroti diſpoſitio exegerit, ad frigiditatem oportet revocare, ut minore gradu fiat, & remiſſior decoctio. Ut vero amaror ille frangatur ſyrupi vel aquæ ſecundæ, admiſceri poſſunt, aut *coriandri præparati*, aut *ſaccharum roſaceum*, aut aliud tale, quod & amarorem minuat, & conveniat morbo, & ægroto.

## CAP. XXVII.

### *Quod intermittenda eſt aliquando potio ligni ſancti, aliquando etiam dimittenda.*

Initio curationis, in quibus morbis dolores ſunt, augeri potius quam minui ſolent dolores ipſi, ob agitationem factam in humoribus ex ligni operatione, neque propterea eſt curatio intermittenda, nam ſalus omnino futura eſt procedente ſemper atque operante virtute medicinæ. Nam, ut ait Aver. 4. *methcor.* effectus augetur ex operatione in quiete, ac ſæpe convaleſcit ægrotus non parvo tempore poſt curationem. Si autem aliquod accidens intra curationem acceſſerit, puta, febris, vel deſtillatio ſeu catarrhus, præberi poteſt pro ſyrupo aqua ſecunda alterativa in hora cibi, aut intermittenda eſt ad tempus potio ligni ſancti, & ſublato accidente reſumenda. At ſi perſeveraverit accidens illud, atque de periculo timetur, dimittatur omnino curatio ligni ſancti: Cum vero inerit aliquod nocumentum internum in ſpiritualibus vel nutritivis, & aliæ tamen aderunt intentiones medendi per ſyrupos, & electuaria, & alia ſimilia, tunc non eſt relinquenda potio ligni ſancti, ſed præbenda cum aliis illis medicamentis, ut ſubveniatur maxime interiori nocumento, ita tamen ut quotidie, ſed ſemel tantum fumatur ſyrupus ligni, aut aqua ſecunda ſola in potu loco vini, quæ aqua vel intenſæ decoctionis ſit, vel remiſſæ, ad calefaciendum, vel alterandum ut conveniet morbo & ægroto. Atque hunc nos modum curationis experti ſæpe ſumus felici rerum eventu.

Com. 11.

## CAP. XXIII.

### *Quo pacto adminiſtretur medicina ligni ſancti in morbo Gallico.*

Si morbus Gallicus recens fuerit, nec tres menſes exceſſerit, ſola humectatione opus eſt, & mundatione, atque recreatione membrorum, quod fit per potionem ligni ſancti alterativam, & refrigerativam. Nam ſi in recenti morbo intenſiorem decoctionem præberemus, & calefactivam, quod fieri debet in veteri morbo, procul dubio recens ipſe morbus deterior fieret, & augeretur, calefactiva enim decoctio ligni, quæ, ut diximus, veteri convenit morbo, ſua virtute aperitiva, in morbo recenti auget dolores junctura rum, vomicas excitat oſſuoſas, membra principalia inflammat, infectaque dimovet à naturali temperamento, ac totum corpus vexat graviſſimis accidentibus. Quæ omnia contingunt ex intemperata decoctione ob nimiam illius intenſionem, & caliditatem. Itaque diverſa eſt ratio præbendæ potionis ligni ſancti in veteri morbo Gallico, & recenti, ut ſuis locis ſigillatim exponemus. Quum vero in hoc morbo ulcera ſunt oris, aliorumve membrorum, dum curatio fit per lignum ſanctum, mederi ulceribus poſſumus interea unctione cum mercurio, & ligno ſancto. Et in oris quidem ulceribus, ea unctione ſeptem dies collum ungendum eſt. In aliis vero membris circum ipſa tantum ulcera ungatur manè & veſperi. Si autem unguenti caliditas officeret ulceribus, alia poterit unctio adhiberi frigidior, alterans & exſiccans, mundatis prius ulceribus. De his vero latius inferius, ac ſigillatim præcipiemus.

## CAP. XXIX.

### *Quæ poſt curationem ligni ſervanda ſunt.*

Peracta in quovis morbo curatione ligni ſancti, adeum modum, qui eſt hactenus deſcriptus, primum illud ſervandum eſt, ne aut habitet, aut verſetur curatus in frigido loco, nec unquam omnino ſentiat frigus, nam ob raritatem pororum corporis facile novus aliquis morbus contingeret, qui eſſet curatu perquam difficilis, præſertim ſi frigidus eſſet morbus, aut in frigido anni tempore. Modus deinde ſervetur in cibo & potu, ſaltem ad duos menſes, ut carnes edantur facilis concoctionis, ac cætera, quæ nihil omnino officiant. Quantitas vero cibi ea ſit, ut illa minime gravetur ſtomachus imbecillis ex inedia, quæ præceſſit, atque ut bene concoctus cibus facile in ſubſtantiam aliti convertatur. Si autem peracta curatione, inflammatio cognoſcetur in jecore & in habitudine ſanguinea (quod erratum in curatione fuerit, confecta decoctione nimis intenſa) neceſſe eſt alterari jecur atque refrigerari ſyrupo aut aqua endiviæ, aut re alia, quæ refrigeret, aut venam incidi, ut conveniet. Ad tuendam vero valetudinem ex quovis morbo, præſertim ex morbis chronicis, & qui vix evelli poſſunt, ut eſt podagra, poterit curatus procedente tempore quarto aut ſexto quoque die ſumere aquam ſecundam decoctionis ligni, vel ſyrupum, quod eſt multo utilius. Quod ſi per legitimam ligni curationem quadraginta dierum, non receperit quis integram ſalutem, debebit poſt aliquos menſes, aut etiam annos repetere ipſam curationem, atque ſi opus fuerit, tertio aut quarto, de integro curari eadem ligni medicina, eodemque ritu. Neque quidquam inde timendum eſt incolumitati. Nam adeo eſt præclara hæc medicina & ſalutaris, ut, ſi rite adminiſtretur, non modo non officiat ſæpius ſumpta, ſed membra quoque omnia foveat, recreet, ac roboret, corpusque per illam deducatur ad perfectam habitudinem, ac fere juveneſcat.

Atque hæc nobis pertinere viſa ſunt ad communem generalemque rationem hujus medicinæ ligni ſancti. Poſt hæc de univerſis morbis, de ætatibus, de complexionibus ſigillatim, atque ordine præcipiemus. De ratione autem ipſorum morborum, nihil attinet hoc opere diſputare, de quibus plurimi atque præclari autores tractavere: Sed in ſingulis morbis demonſtrabimus diligenter, quo pacto curandi ſunt hac medicina. Jamque modum ponemus primo hujus operis libro. Si prius quaſi corollarium illi addemus, rationem diverſæ operationis ligni ſancti.

CAP.

## CAP. XXX.

*Quare diverſæ contingunt operationes ex medicina ligni Sancti.*

Lignum ſanctum diximus eſſe naturæ atque complexionis calidæ in ſecundo gradu, ac ſiccæ. Quamobrem non mirum eſt, ſi curentur illo morbi & ægroti humidæ naturæ ac frigidæ. Sed difficile illud videtur quod nihil minus ſubveniat ſiccis calidisque morbis & ægrotis. Quare autem id fiat, nos ratione cognovimus, & uſu, atque experimentis. Cauſa vero diverſæ operationis, ut ſupra tetigimus, eſt varia confectio ipſius medicinæ. Remiſſior enim decoctio ligni ſanctifacit, ut propriæ ipſius qualitates remiſſæ transfundantur in aquam decoctionis, qualitates vero aquæ minus tranſmutentur vigore ipſius ligni. Quo fit, ut ex utroque compoſita decoctio ad hunc morbum remiſſa, multo minus habeat ex qualitatibus li-

A gni, multo plus ex aquæ qualitatibus. Ac propterea talis decoctio, ratione commixtionis, non jam calida & ſicca eſt, ſed humidæ potius & frigidæ qualitatis, quia compoſita qualitate conjuncta cum propria virtute atque potentia naturali ipſius ligni, jure ac merito ea medicina morbos curat & ægrotos calidæ ac ſiccæ naturæ, humectativamque vim habet, & refrigerativam. Sed & ratione portionis ligni & aquæ decoctionis, humidam induit decoctio & frigidam qualitatem, dum pars modica ligni cum aquæ maxima parte conjungitur, ut exigua ligni quantitas intenſiva ſuperetur à quantitate aquæ nimium extenſiva, atque ita decoctio accedat magis ad aquæ qualitates. Itaque ſiccum quidem & calidum eſt id, quod decoquitur, ſed decoctio trahi arte poteſt, propter aquam, in contrarias qualitates: Præcipua tamen cauſa, quod tam mira operatur hæc medicina, non tam qualitates ſunt, quam propria natura, ut diximus, & vis ipſius ligni vere ſancti & ſalutaris.

# ALPHONSI FERRI,

DE

# MORBIS A CAPITE AD PEDES CURANDIS

## PER LIGNUM SANCTUM,

## LIBER SECUNDUS.

### PRÆFATIO.

*Hoc Secundo Volumine de ſingulis morbis, ut dictum eſt, ſumus tractaturi, curandis per ligni ſancti medicinam. Conſtituimus vero propriam curationem in unoquoque morbo, non ſolum quæ ad morbum ipſum pertineat, ſed quæ cuique conveniat habitudini ſeu complexioni ex diverſis quatuor corporum humoribus, ſanguine, bili ſeu cholera, pituita, ſeu phlegmate, atra bili ſeu melancholia. quæ item conveniat cuique ætati, quæ firmo corpori, quæ imbecillo. Incipiemus autem ab eo capitis morbo, qui & moleſtiſſimus eſt, & curatu multo difficillimus.*

## CAP. I.

*De Cephalæa, ſeu Hemicrania.*

Cephalæa morbus, ut ait Celſus, acutus ac peſtilens, hemicrania etiam dicitur quod frequentius certam partem capitis infeſtet, licet variis locis, ſemper tamen qua caput capillo tegitur. Hic morbus varius eſt, ac multiplex malum. Nos autem de dolore illo tractabimus, qui maxime vehemens eſt, & pernicioſus, & qui vix curatur aliqua medicina. Ejus mali etſi multæ cauſæ ſunt, potiſſima tamen eſt cauſa interna, ut dolor ex ipſo corpore naſcatur, ſive ex ſolo capite oriatur malum, ſeu ex capite & ex alio membro, ut eſt lien, ſeu ſplen, jecur, ſeu hepar, ſtomachus, vulva, quæ & matrix dicitur, & ſimilia. E ſtomacho vero præcipue oritur is morbus, ut præcipit Avicenna *prima tertii.* Cujus ſignum eſt, quod plerunque fit dolor in priore parte ſincipitis. nam qui in margine ipſius ſincipitis fit, hunc vulva maxime producit. In dextra autem parte capitis, ex jecore transfunditur, ex liene in ſiniſtra. ut docet Avicenna eodem loco. Quoniam vero ex cauſis morbi materialibus, quæ chronicum facit morbum, ſeu diuturnum, eſt phlegma, aut melancholia, de hoc morbo cephalæa primum dicam, quum à phlegmate concitatur, ſive is humor per ſe talis ſit in corpore, ac (ut ajunt) radicaliter, ſive talis ſit in ratione alterius humoris per ulteriorem combuſtionem vel reſolutionem, ſeu etiam talis ſit humor ab ineunte ætate, ſeu ſuccedente tempore mutatus ob qualitatem regionis, vel propter ſex res non naturales.

*Tract. 2. Cap. 5.*

*Cap. 7.*

*Curatio cephalææ, phlegmate exiſtente in cauſa, in juvene cholerico, vel ſanguineo.*

Imminuta primum cauſa morbi antecedente, humore videlicet phlegmatico, Juvenis cjus complexionis, ſi imbecillus ſit, hoc modo curetur. Cibetur tota curatione diæta reſumptiva, ab initio & per totum incrementum curationis tam in prandio quam in cœna, ſumens tres uncias panis biſcocti & tantundem carnis elixæ. In ſtatu tres uncias panis, duas tantum carnis, poſt redeat ad tres carnis uncias in declinatione, ac demum quatuor etiam uncias eſſe poterit æger circa finem curationis, ut non ſubito vel nimis minuatur

B cibus, vel nimis augeatur. Neque enim ex multa fame, ut Celſus ait, nimia ſatietas, neque ex nimia ſatietate fames idonea eſt. Sumatur autem in potu mane & veſperi aqua ligni ſancti alterativa, ut diceimus, Syrupus vero talis fiat. *Ponatur in fictilili ſeu teſtaceo vaſe ſemilibra ex ramentis ligni, maneatque in infuſione horas duodecim in aquæ fontanæ quindecim libris. Dein deferveat infuſio ad ignem carbonum, donec redeat decoctio ad libras octo, poſt coletur, ac reponatur in vitreo vaſe bene operto.* Ex eo ſyrupo ſumat ægrotus tam mane, quam veſperi uncias quatuor ab initio curationis uſque ad ſtatum. In ſtatu autem deinceps uncias ſex. Sumatur vero ſyrupus calefactus. In potu talis fiat aqua ſecunda. *Ramenta ligni compreſſa poſt decoctionem ſyrupi ponantur in vitreo vaſe in aquam viginti librarum. hæc ferveat in gemino vaſe ad ignem lignorum, donec redeat ad quindecim libras. poſt hæc coletur, ac reponatur in vitreo vaſe bene operto.* Ex hac aqua bibat æger in prandio & in cœna, quantum placuerit, ea enim refrigerabit calidam juvenis habitudinem. Si autem horreat bibens aquæ amarorem, temperetur amaror ipſe ad-

C mixtis aquæ *coriandris*, ut ſuperius demonſtravimus. In robuſtiore vero juvene idem ſervetur modus curationis, præterquam, quod audacius minui poterit quantitas cibi, augeri vero ſyrupi, per totam curationem. In hoc enim fortior eſt calor vitalis, faciliuſque ac melius fit concoctio.

*De juvene phlegmatico vel melancholico*

Cibetur is juvenis, ſi imbecillus ſit, diæta reſumptiva, ut ſupra dictum eſt. Caro autem ſit aſſa, non elixa, amota cruſta ſuperiore. Si vero fuerit robuſtior, diæta utatur regulari. Syrupus autem & aqua ſecunda vim habeant calefactivam, fiantque in hunc modum. *Ponatur ſemilibra ex ramentis ligni in vaſe fictili in aquæ fontanæ libras quindecim, maneatque in infuſione horas duodecim, tum ferveat infuſio, donec decoctio redigatur ad ſex libras. poſt hæc coletur, ferveturque*, ut docuimus, atque hic ſyrupus ſumatur ab initio curationis & per totum. In incremento vero uſque ad declinationem redigatur eadem decoctio ad quatuor libras. Secunda aqua in potu talis ſit, *compreſſa ligni ramenta poſt ſyrupi decoctionem ponantur in aquæ fontanæ libras viginti, ferveatque decoctio donec ad decem redeat libras*, eaque, ut ſupra

D dictum eſt, utatur in potu ægrotus tota curatione in prandio & in cœna,

*In ſene cholerico vel ſanguineo.*

Hujusmodi ſenex ſi imbecillus ſit, ac reſolubilis, imminuta prius cauſa morbi antecedente, cibetur diæta reſumptiva tota curatione, etiam cum contuſo gallinæ aut caponis, panis vero præbeatur biſcoctus, vel bene coctus, quantum in juvene conſtituimus ejuſdem complexionis. Syrupus pro hoc ſene talis fiat. *ſemilibra ex ramentis ligni in aquæ libras quatuordecim ponatur in vaſe teſtaceo, maneat in infuſione ut ſupra, ferveatque infuſio ad ignem carbonum, donec ad ſeptem libras redigatur decoctio.* Ex hoc ſyrupo ſumat æger tam mane quam veſperi, ab initio uſque ad mediam curationem, uncias quatuor. in reliqua curatione ſemilibram. Intra curationem vero dejectiones, ſeu evacuationes non negligantur, ut morbo conveniet & ægroto. aqua ſecunda utatur in potu, ut de phlegmatico juvene dictum eſt, tota curatione in prandio & in cœna.

*Curatio, Melancholia exiſtente in cauſa, in juvene cholerico vel ſanguineo.*

Imminuta primum cauſa morbi antecedente, cibetur talis juvenis diæta reſumptiva. Syrupus vero ſic fiat. ab initio ad mediam curationem ſit *ſemilibra ligni, aquæ infuſionis libræ quindecim, maneant ligni ramenta in infuſione horis duodecim, ferveat infuſio, in balneo Mariæ, donec redigatur decoctio ad undecim libras. Serveturque ut ſupra in vitreo vaſe.* Ex eo ſyrupo ſumatur tam mane, quam veſperi ſemilibra. In ſecunda aqua in potu ſint *aquæ libræ viginti, ferveatque infuſio, donec redigatur decoctio ad ſexdecim libras, reponaturque ac ſumatur*, ut ſupra. A ſtatu curationis uſque ad finem *ſyrupus fiat ex ſemilibra ramentorum ligni, & aquæ infuſionis libris duodecim. maneat infuſio, ferveat, & reponatur, ut prior ſyrupus.* Intenſio tantum decoctionis major ſit, ut duodecim libræ redigantur ad ſeptem. In ſecunda aqua in potu eadem quoque ſerventur, quæ in priore decoctione, niſi quod quindecim ſint libræ aquæ infuſionis, atque decoctio redeat ad duodecim. Intra curationem vero non omittantur evacuationes neceſſariæ. Si autem paulo robuſtior juvenis ſit, eadem ſerventur in curatione, niſi quod minor aliquando cibus ſumendus eſt.

*In juvene phlegmatico vel melancholico.*

Cibetur talis ægrotus tota curatione diæta regulari. pro ſyrupo ſit *ſemilibra ligni, aquæ lib. x. fiat infuſio ut ſupra. tum ferveat in fictili vaſe ad ignem carbonum, donec decoctio ad quinque redeat libras.* Eo ſyrupo utatur ægrotus ab initio uſque ad mediam curationem, ſemilibram ſumens mane ac veſperi. Pro aqua ſecunda in potu ſint *libræ xv. aquæ, redigaturque decoctio ad decem.* Ab incremento autem uſque ad finem intenſior ſit decoctio ſyrupi, ut decem libræ infuſionis ad tres redigantur. Sumantur vero ex eo ſyrupo tam mane, quam veſperi unciæ octo. Intenſior item fiat ſecunda decoctio, ut decem aquæ lib. ad ſex redeant. Si autem ſiticuloſior ſit ægrotus, ſecundaque aqua poſt ſyrupum non ſufficiat in potu ex compreſſis ligni ramentis, fiat prima ligni decoctio in potu ad hunc modum. *unciæ tres ex ligni ramentis ponantur in infuſione in vaſe fictili in libris quindecim aquæ, ferveatque infuſio, donec decoctio ad decem redigatur libras*, coleturque ac reponatur, ut ſæpius dictum eſt, atque hæc prima aqua remiſſioris decoctionis ſuppleat in potu deficiente aqua ſecunda.

*In ſene cholerico vel ſanguineo.*

Si ſenex imbecillus ſit, imminuto prius humore melancholico, cibetur diæta reſumptiva, ut ſenex phlegmaticus. Syrupus pro eo per totam curationem fiat calefactivus, ad hunc modum. *ponatur ex ramentis ligni libra integra in vaſe fictili in aquæ libris quatuordecim. fiat infuſio, ut ſupra, ferveatque quo uſque redigatur ad libras ſeptem.* Ex eo ſyrupo tam mane quam veſperi ſumatur ſemilibra. Pro aqua ſecunda in potu, *ramenta primæ decoctionis compreſſa ponantur in vitreo vaſe in aquæ libras viginti. ferveat ipſa ſecunda infuſio in balneo Mariæ donec ad quindecim redeat libras.* Si vero paulo ſit æger validior, cibetur interdum diæta regulari, augeaturque potio ſyrupi duabus unciis, ut octonas ſumat uncias per incrementum, & ſtatum curationis.

*In ſene phlegmatico vel melancholico.*

Cibetur hujuſmodi ſenex tota curatione diæta regulari, pane biſcocto & uva paſſa. *Ad ſyrupum ſit libra integra ligni, aquæ libræ ſexdecim. fiat infuſio de more, ferveatque ad ignem carbonum, donec redeat decoctio ad ſeptem libras, coletur de more, ac ſervetur.* Ex eo ſyrupo ſumat ægrotus mane ac veſperi ab initio curationis uſque ad incrementum uncias quatuor, deinceps uſque ad finem, ſumat ſemilibram. Pro ſecunda decoctione in potu, ſint *aquæ libræ viginti, redigaturque decoctio ad decem & octo.* Si autem robuſtior ſenex fuerit, augeatur potio ſyrupi duabus fere unciis. Secundaque decoctio fiat paulo intenſior, ut redeat ad ſexdecim libras.

## CAP. II.

*De Vigilia immodica.*

Longa & immodica vigilia ex aliqua provenit quatuor cauſarum, hoc eſt vel à nimia ſiccitate, vel ab intemperato calore, vel à cholera rubra aut nigra, vel à phlegmate ſalſo. Præcipue tamen in cauſa eſt ſiccitas cerebri, dum vel à calido jecore, vel ex aliqua materia calida per ſe aut per accidens, calidi vapores exhalantur, ac cerebrum per ſe ſiccum magis exſiccant. Primum igitur in hujus morbi curatione cauſa frangatur antecedens. Deinde ſingulæ complexiones, & ætates curentur in hunc modum.

*Curatio vigiliæ in juvene cholerico, vel ſanguineo.*

Cibetur talis ægrotus carne pulli elixi cum frigidis herbis. Sumat vero in potu ſaltem duos menſes aquam decoctionis ligni ſancti, quæ talis fiat. *Ex ramentis ligni ſint unciæ tres per menſem, deinde quatuor unciæ alio in menſe, aquæ libræ viginti, fiat infuſio, ac ferveat in balneo Mariæ, donec redeat decoctio ad quindecim libras.* Hæc vero aqua in potu ſumpta alterabit intemperiem, ſeu dyſcraſiam membri dolorem immittentis. Corrigit enim atque inſtaurat lapſa membra ex quacunque cauſa. Neque id cuiquam incredibile videatur, quod nos & alias experti ſumus, & præcipue in Clariſſimo viro Camillo Muſettula, quem quum immenſa vigilia ex jecoris caliditate pene conſumpſiſſet, ſola potione hac ligni ſancti alterante, refrigerato jecore, ſublata vigilia eſt, ac perfectæ ſaluti reſtitutus, quod illi quoque fuit ſummo miraculo.

*In juvene phlegmatico, vel melancholico.*

Cibetur hujuſmodi Juvenis, ut ſuperior, ſed parcius aliquanto. pro eo autem fiat talis ſyrupus, *ſint ligni unciæ quatuor, aquæ duodecim. ferveat infuſio in balneo Mariæ, donec redeat decoctio ad uncias ſeptem.* Ex hoc ſyrupo ſumat æger per totam curationem uncias ſex mane tantum. Aqua ſecunda in potu fiat, ut in juvene ſuperiore.

*In ſene cholerico vel ſanguineo.*

Senex ſi hujus complexionis fuerit ab ineunte ætate, imminuto prius humore noxio, ſi ſit in cauſa, cibetur diæta reſumptiva, fiantque pro eo ſyrupus & aqua ſecunda, quæ alterent illius complexionem. *Pro ſyrupo ſit ligni ſemilibra, aquæ libræ viginti, ferveat infuſio in balneo Mariæ donec ad quindecim libras decoctio redigatur.* Inde ſumat ægrotus mane ac veſperi ſemilibram tota curatione. Pro ſecunda decoctione, *ramenta ex priore decoctione preſſa ponantur in aquæ libris viginti quinque. hæc ferveat in eodem balneo donec ad viginti redeat libras.* Quod ſi aqua ipſa ſecunda non ſufficiat ad potum ob ſitim nimiam ſenis, fiat aqua prima in potu, qualis deſcripta eſt in juvene cholerico.

*In Sene phlegmatico vel melancholico.*

Eadem in hoc Sene ſerventur, quæ in ſuperiore. Nam licet complexio per ſe humida ſit, humectandus tamen eſt ob morbum ſiccissimum.

## CAP. III.

*De perturbatione intellectus, defectu & amiſſione memoriæ*

Perturbatio intellectus & defectus memoriæ non differunt, niſi per majorem aut minorem vim cauſæ facientis morbum, & per diverſas capitis partes, & proprias ſedes, conveniunt vero in materia & noxio humore, unde oritur morbus. Atque de ea perturbatione intellectus hic præcipimus, quæ ſine febre eſt. quum ex phlegmate putredo fit, vel ex cholera. Speciesque illas notamus hujus morbi, in quibus communitas eſt in cauſa morbi pluribus membris principalibus, in quibus præcipua ſunt jecur & cerebrum. Ex jecoris quidem caliditate fit morbus, dum comburit humores, ac cinericios reddit, gignitque choleram nigram, ex qua morbus hic naſcitur. Sed & cerebrum ſolum nonnunquam eſt in cauſa, ob ſui intemperiem ſeu dyſcraſiam. Nam ejus frigiditate augetur phlegma. Sæpe etiam, ut diximus, utrunque membrum eſt in cauſa, & plerunque alia membra ex nimia frigiditate aut humiditate, quæ ſolent morbum afferre, ut *prima tertii* tradit Avicenna. In quacunque autem ſpecie hujus morbi maxime convenit curatio ligni Sancti, quoniam tenui opus eſt materia in nutrimento, ob virtutem ligni nutritivam, & in hoc morbo valde noxia eſt repletio ex cibo & potu, maximeque adverſatur ſenſui animæ interiori, Avicenna *ibidem* præcipiente. Sed & ob id utiliſſima eſt ligni Sancti medicina, quod exſiccat &

*Cap.* 110.

*Cap.* 11.

tenuat ſanguinem, & temperate calefacit. Atque ita ſenſus interior purgatur & inſtauratur, ut eodem loco præcipit Avicenna. Primum autem omnium in hujus morbi curatione imminuatur cauſa antecedens ſcilicet noxius humor.

*Curatio perturbationis intellectus & amiſſionis memoriæ, phlegmate exiſtente in cauſa, in Juvene cholerico vel ſanguineo.*

Hujuſmodi Juvenis cibetur tota curatione diæta reſumptiva, ſi imbecillus ſit. *Syrupus pro eo fiat, ex ligni ſemilibra, aquæ libris octo. Ferveat infuſio in vaſe fictili ad ignem carbonum, donec redigatur decoctio ad quatuor libras.* Hoc utatur ægrotus ab initio uſque ad mediam curationem, quatuor ſumens uncias mane ac veſperi. In ſecunda decoctione in potu *ſint aquæ libræ duodecim, redeatque decoctio ad ſeptem.* Reliquo tempore curationis ſyrupus fiat ex eadem ligni & aquæ menſura. Sed intenſior ſit decoctio, ut ad tres tantum redeat libras. Sumatque inde ægrotus mane ac veſperi ſemilibram. Secunda decoctio in potu fiat ex decem libris aquæ, atque ad ſeptem redigatur. Si autem validior ſit juvenis, eadem ſerventur, niſi quod minuenda cibi quantitas eſt, augenda ſyrupi. B

*In juvene phlegmatico vel melancholico.*

Cibetur hujuſmodi juvenis, ſi imbecillus ſit, diæta reſumptiva uſque ad mediam curationem, deinceps utatur diæta regulari uſque ad finem, niſi deficientibus viribus, ad reſumptivam ſit aliquando redeundum. Pro eo in tota curatione *fiat ſyrupus ex libra integra ligni, aquæ libris decem, ferveatque infuſio in fictili vaſe ad ignem carbonum, donec ad quinque libras redeat decoctio.* Inde ſumat ægrotus mane ac veſperi initio curationis uncias tres, in incremento quatuor, reliquo tempore ſemilibram. Secunda decoctio in potu fiat ex *aquæ libris duodecim, quæ ad decem redeant fervendo.*

*In ſene cholerico vel ſanguineo.*

Cibetur Senex hic tota curatione, ſi ſit imbecillus, diæta reſumptiva, fiatque pro eo *ſyrupus ex libra integra ligni, duodecim aquæ, ferveat infuſio in vaſe teſtaceo ad ignem carbonum, donec ad libras ſeptem redigatur.* Hoc ſenex utatur uſque ad mediam curationem, ſumens mane ac veſperi uncias quaternas. *Secunda decoctio in potu ex duodecim aquæ libris fervendo redeat ad decem.* A ſtatu & deinceps *ſyrupus fiat ex una libra ligni, decem aquæ, redigaturque decoctio ad libras quinque.* Sumatque inde ægrotus tam mane quam veſperi ſemilibram. *Secunda decoctio in potu ex libris duodecim redigatur ad octo.* Si autem robuſtior ſit ſenex, cibus eſt, pro illius viribus minuendus.

*In ſene phlegmatico, vel melancholico.*

Hujuſmodi ſenex cibandus eſt, ut vires, aut imbecillitas exegerint, diæta vel regulari vel reſumptiva, vel alternis. Pro eo *ſyrupus tota curatione fiat ex libra integra ligni, aquæ libris decem, redigaturque decoctio ad quatuor libras, fervendo ad ignem carbonum in fictili vaſe.* Inde ſumat æger mane ac veſperi uſque ad mediam curationem uncias quatuor, deinceps uſque ad finem ſemilibram. *Secunda decoctio in potu fiat ex aquæ libris decem, ad ſeptemque redigatur.* Si autem ſenis vires majores ſint, uti poterit tota curatione diæta regulari & ampliore ſyrupi potione.

*Melancholia exiſtente in cauſa, in juvene cholerico vel ſanguineo.* D

Si imbecillis ſit talis juvenis, utatur diæta reſumptiva per totam curationem, *fiatque pro eo ſyrupus ex ligni ſemilibra, & aquæ libris octo. ferveat infuſio in vaſe fictili, donec redigatur decoctio ad ſex libras.* Inde ſumat ægrotus ab initio uſque ad mediam curationem uncias quatuor tam mane quam veſperi, reliquo tempore ſemilibram. *Secunda decoctio in potu fiat ex libris aquæ ſexdecim, ferveatque in balneo Mariæ quouſque ad duodecim redigatur.* validiori vero juveni tenuior præbendus eſt cibus.

*In juvene phlegmatico vel melancholico.*

Cibetur is juvenis diæta regulari tota curatione. Si autem ſit imbecillior, in ſtatu curationis & deinceps diæta uti poterit reſumptiva. Syrupus pro eo uſque ad mediam curationem fiat ex *ligni ſemilibra, aquæ libris duodecim, ferveatque infuſio in vaſe fictili, redigaturque ad ſex libras.* Inde ſumat æger mane ac veſperi ſemilibram. *Secunda decoctio ſit ex libris quindecim aquæ, ferveat in balneo Mariæ, redeatque ad libras duodecim.* In ſtatu & deinceps pro ſyrupo ſit *libra integra ligni, decem aquæ, redigaturque decoctio ad quinque libras, fervens in vaſe teſtaceo*, ſemilibramque ſumat æger utraque potione tam matutina quam veſpertina. *In ſecunda decoctione ſint libræ ſexdecim aquæ, redeantque fervendo in balneo Mariæ ad tredecim libras.* E

*In ſene cholerico vel ſanguineo.*

Diæta reſumptiva cibetur hic ſenex tota curatione, fiatque pro eo ſyrupus ex *ligni ſemilibra, libris aquæ decem, redigaturque ad libras quinque decoctio, fervens in fictili vaſe.* Sumantur utraque potione uſque ad ſtatum unciæ quatuor, in ſtatu & deinceps unciæ ſex. Ad ſecundam decoctionem in potu *libræ quindecim aquæ ferventes in balneo Mariæ ad decem redigantur.* Si autem ſit robuſtior ſenex, intenſior fiat utraque decoctio, ex una ſcilicet libra. A

*In Sene phlegmatico vel melancholico.*

Juxta, vel vires, vel imbecillitatem, fiat ab hoc ſene diæta regularis aut reſumptiva. *Syrupus pro eo fiat per totam curationem ex una libra ligni, decem aquæ. fervens in vaſe fictili decoctio redeat ad ſex libras.* Inde ſumat ſenex utraque potione ſemilibram, ſi vis hepatis concoctiva id tolerat. *Secunda decoctio fiat ex libris ſexdecim aquæ, redigaturque ad duodecim.* Si autem ſecunda decoctio non ſufficiet ad ſitim ſenis, & juvenis, *fiat prima decoctio in potu in balneo Mariæ ex ligni unciis tribus, aquæ libris quindecim, quæ ad decem redigantur.*

## CAP. IV.

*De melancholia.*

Melancholiæ morbus multiplex eſt. Nos tamen de ea tractamus, qua exiſtimativa vis & cogitativa perturbatur propter melancholicum humorem noxium, fitque aduſtione alicujus ex quatuor humoribus, ob imbecillitatem ſplenis, aut propter jecoris aduſtionem, vel alterius membri præcipui, vel propter communem aduſtionem, eamque melancholiam curamus ligno Sancto, quæ non penitus confirmata eſt & obſoleta, ſed quæ vix curatur aliis medicinis. Hoc igitur pacto quiſquis eo morbo affectus eſt præparetur ad curationem ligni Sancti, ut trahatur in habitudinem contrariam cauſæ morbis facientis. Cibetur æger diæta & cibo apta ad ejus morbi curationem, ut medici conſueverunt. Detur autem in prandio & in cœna loco vini per duos menſes aqua ligni Sancti, C quæ talis fiat. *Ramentorum ligni unciæ tres, aquæ libræ quindecim, ferveat infuſio in balneo Mariæ, donec ad decem libras redeat decoctio.* Poſt hæc curetur morbus juxta ſingulas complexiones, & ætates ad hunc modum.

*Curatio melancholiæ in Juvene cholerico vel ſanguineo.*

Cibetur is juvenis tota curatione diæta reſumptiva alterata ad humidum, oleribus frigidis, ut decet, modus autem cibi ſit juxta vires, item pro complexione & aduſtione membrorum, quæ indigent alimento. Pro eo ſyrupus fiat de more ad hunc modum, *ſit ligni ſemilibra, aquæ libræ decem, ferveat infuſio in balneo Mariæ, atque ad libras quinque decoctio redigatur.* Inde ſumat æger ab initio curationis uſque ad ſtatum utraque potione tam mane quam veſperi ſemilibram in ſtatu, & deinceps uncias octo. *Decoctio ſecunda in potu fiat ex aquæ libris viginti quatuor, quæ in eodem balneo ferventes redeant ad viginti.*

*In juvene phlegmatico vel melancholico.*

Eadem ſervetur curatio in hac complexione juvenis, D quæ in ſuperiore, hic enim morbus omnino ex aduſtione gignitur, nec admodum diverſus eſt in diverſis complexionibus, niſi craſſitudine aut tenuitate humoris noxii. Quamobrem quo terreſtrior fuerit materia morbi, eo diuturnior erit hæc curatio ſervanda, quod minus apta ſit humectationi & reſolutioni & evacuationi.

*In ſene cholerico vel ſanguineo.*

Cibetur ſenex hujuſmodi reſumptiva diæta humectante, ut dictum eſt, ſed tenuiore cibo, quam juvenis, facilius enim fert ſenex inediam, quam juvenis. Pro eo *ſyrupus fiat per totam curationem ex ligni unciis octo, aquæ libris quindecim, infuſione ferveus in balneo Mariæ ad libras octo redigatur.* Inde ſumat æger tam mane quam veſperi ſemilibram. minus vero, ſi adſit ſtomachi aut jecoris imbecillitas. *Aqua ſecunda in potu fiat ex libris aquæ viginti, quæ in eodem balneo ferventes redeant ad tredecim.*

*In ſene phlegmatico vel melancholico.*

Eadem ſervanda.

## CAP. V.

### *De vertigine.*

Multæ quidem ſunt cauſæ vertiginis primitivæ atque ex humoribus, ſed nos eatenus de vertigine tractamus, quatenus fit ex vi corrupta meditationis ſeu imaginationis, ob aliquam cauſam fixam in membro quopiam nobili, veluti eſt caliditas hepatis diſſolvens, aut imbecillitas ſtomachi evaporans, aut etiam totius cerebri evaporatio, aut alia quæpiam intemperies, ac dyſcraſia in membris nobilioribus. Et qui hunc morbum patitur, videntur ei locus, in quo ipſe eſt, reſque omnes in gyrum verti ac labi, atque alia quædam ſimilia. Quæ ſæpe contingunt ſtudioſis, & utentibus coitu immodico. Quicunque igitur hoc morbo curandus eſt, præparetur ſaltem per duos menſes, antequam incipiat ſumere ſyrupum ligni ſancti. Utaturque diæta reſumptiva, ea quantitate, quæ conveniat complexioni & viribus corporis, abſtineatque ab omni cibo, qui in malum chylum convertitur. Utatur vero in potu ſemper tam præparationis tempore, quam curationis, aqua ligni ſancti, nec unquam bibat aquam aliam aut vinum præſertim phlegmaticus vel melancholicus. Aqua in potu pro ſanguineo juvene vel cholerico *fiat ex ligni unciis quatuor, quæ maneant in infuſione diem ac noctem in aquæ libris quindecim, ferveatque infuſio in balneo Mariæ, donec redeat decoctio ad libras decem.* Pro phlegmatico vero juvene, vel melancholico *aqua in potu fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris ſexdecim, ferveatque infuſio in fictili vaſe ad ignem carbonum, donec ad libras duodecim redigatur.* In ſene eadem ſerventur, niſi quod & in cibo & in quantitate ligni atque aquæ ad decoctionem, & in ipſius decoctionis gradu eſt habenda ratio virium, complexionis, & ætatis. Si autem hoc pacto vertigo non tollitur, adhibeatur eadem curatio, quæ deſcripta eſt in melancholia.

## CAP. VI.

### *De epilepſia.*

Epilepſia qui morbus latine dicitur comitialis, etſi non ſimplex eſt, nos tamen de ea morbi ſpecie tractamus, quæ à nonnullis vera epilepſia dicitur, & quæ gignitur à phlegmate. Quanquam & melancholia eſt nonnunquam in cauſa. Ex utrovis igitur humore producatur morbus, ac ſive propter cerebri, ſeu propter alterius membri præcipui intemperiem, dummodo contingat ex interna cauſa materiali ac permanente, ſitque id malum diuturnius, nec tolli potuerit alia medicina, curatio fiat per lignum ſanctum ad modum, quem deſcribimus. Ac primum locus, in quo æger curatur, hoc eſt cubiculum, ſit temperate calidum, ab omni ſtrepitu ſemotum, nec nimis illuſtre. Sudor provocetur, ſed in capite copioſius, quam in reliquo corpore. Servetur vero modus diligenter pro ægroti diſpoſitione tam in cibo quam in potione ligni, ne inter curandum aut febricula incidat, aut deſtillatio, aut aliud quodvis accidens adverſum. Nam ſi rite fiat curatio per lignum ſanctum, morbus facile curatur ac tollitur, quod nobis curantibus ſæpius contigit. Sed illud pro miraculo habendum eſt (& eſt tamen veriſſimum) quod monialis quædam nobilis ex ordine Divi Franciſci, in viridi ætate annorum triginta, ſanguineæ complexionis, morbum hunc comitialem paſſa ſex annos, quum à me curata eſſet hac medicina & hoc ritu per dies viginti quinque, nec amplius, priſtinæ ſaluti prorſus reddita eſt, nec unquam poſtea ſenſit epilepſiam. Sed & alios innumeros curavi deſperatæ ſalutis. Curatio autem fiat in hunc modum.

*Curatio epilepſiæ in juvene ſanguineo vel cholerico.*

Utatur hic æger, ſi non ſit imbecillus, diæta regulari ab initio uſque ad mediam curationem, deinceps utatur diæta reſumptiva, & ſi opus fuerit, etiam regulari, uſque ad finem. Syrupus pro eo uſque ad mediam curationem *fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris duodecim, ferveatque infuſio in fictili vaſe ad ignem carbonum, donec ad ſex redeat libras*, uſque ad augmentum, inde uſque ad ſtatum ad quatuor tantum libras redigatur. A ſtatu uſque ad finem ſyrupus fiat alterativus hoc pacto, *ligni ſemilibra in aquæ libris decem, maneat in infuſione duodecim horas, fervensque infuſio in balneo Mariæ redeat ad ſex libras.* Per totam vero curationem ſumatur utraque potione ſemilibra ſyrupi. *Aqua ſecunda in potu tota curatione fiat ex aquæ libris viginti, redigaturque ad quindecim, fervens in balneo Mariæ.* Si autem non ſufficiet in potu hæc ſecunda decoctio, *prima fiat aqua in potu ex tribus unciis ligni, aquæ libris viginti, quæ in eodem balneo ad ſexdecim rediganiur.* In ſene autem ejuſdem complexionis, eadem ſunt ſervanda, niſi quod & ſyrupus & aqua in vaſe fictili decocta poterunt audacius præberi, propter phlegmatis exceſſum in ea ætate.

*In juvene phlegmatico vel melancholico.*

Cibetur juvenis hujuſmodi, ſi robuſtior ſit, diæta regulari tota curatione. *Syrupus fiat uſque ad mediam curationem ex libra integra ligni, libris aquæ decem & octo, duodecim horas fiat infuſio, poſt hæc fervendo redeat decoctio ad ſeptem libras.* poſt mediam curationem *fiat ſyrupus ex una cum dimidia libra ligni, libris aquæ ſexdecim. infuſio, ut ſuperior, ferveat in fictili vaſe ad ignem carbonum, donec ad libras quinque redigatur.* In utraque potione ſumat æger ſemilibram ſyrupi. *Secunda decoctio in potu fiat in fictili vaſe ex libris aquæ viginti, ac fervendo redeat ad decem.* Eadem vero in ſene ſervanda ſunt, niſi quod ſenex (licet facilius ineadem ſubſtineat) propter ætatis tamen imbecillitatem ſublevari poterit diæta reſumptiva.

*In pueris à quarto ætatis anno uſque ad quartumdecimum.*

Ea ætate pueri cibentur tota curatione diæta reſumptiva, majore enim indigent alimento. Caro tamen aſſa præbeatur, non elixa. Quoniam vero difficilis eſt puerorum curatio, ac vix induci poſſunt ad ſumendas medicas potiones. Si nullo pacto poterit præberi puero ægro ſyrupus, curandus eſt ſola aqua decoctionis ligni ſancti ſumpta in potu. Ea vero decoctio in potu puero cholerico vel ſanguineo talis fiat. *ſint ramentorum ligni unciæ tres, aquæ libræ ſexdecim, ferveat infuſio in gemino vaſe, donec ad libras redeat duodecim.* In phlegmatico autem vel melancholico puero *ſint ligni unciæ quatuor, aquæ libræ ſexdecim, ferveat decoctio in vaſe fictili ad ignem carbonum, donec ad libras duodecim rediguntur.* Si autem puer facilis fuerit, ut ſumat potionem. Pro cholerico quidem puero *ſyrupus fiat ex ligni unciis quatuor, aquæ libris decem, ferveat infuſio in gemino vaſe, ſeu balneo Mariæ, donec ad ſex libras redigatur.* Sumatque inde puer tam mane quam veſperi initio curationis uncias duas, in incremento tres, deinceps uſque ad finem uncias quatuor. *Aqua ſecunda in potu fiat tota curatione ex aquæ libris quindecim, quæ ferventes in eodem balneo redeant ad decem.* Pro phlegmatico ſyrupus fiat uſque ad mediam curationem *ex unciis quatuor ligni, aquæ libris duodecim, redeatque decoctio ad ſeptem libras, fervens in fictili vaſe.* Sumanturque utraque potione unciæ tres. *Aqua ſecunda in potu ex ſexdecim libris ad duodecim.* A media curatione uſque ad finem *ſyrupi decoctio ex libris duodecim redeat ad quinque*, ſumanturque utraque potione unciæ quatuor. *Aqua ſecunda in potu ex ſexdecim libris ad novem redigatur.* Si autem utramque ſyrupi potionem puer abhorreat, alteram ſaltem ſumat quotidie. Ac ſi amaror ſit nimis moleſtus, leniatur amaror ipſe, ut ſupra docuimus, *coriandris ſaccharo conditis, vel ſaccharo tabarzet.*

*In lactentibus infantibus.*

Frequentior eſt in hac ætate comitialis morbus, multis de cauſis, ac maxime propter humiditatem. Curatio vero infantis tota eſt in ipſius nutrice conſtituenda. Ut cum affectum fuerit nutricis corpus potione ligni ſancti, affecto etiam lacte atque alterato, quo veſcitur infans, alteretur illius corpuſculum lacte ſic medicato, atque curetur. Cibetur itaque nutrix diæta reſumptiva, ea tamen quantitate, qua tam ipſa, quàm infans poſſit ſuſtentari, & quæ recte concoquatur. Syrupum ſumat nutrix mane ac veſperi, ſumatque ſemper in potu aquam ſecundam. Qualitas vero & quantitas ſyrupi, item qualitas aquæ ſecundæ, ſint pro nutricis ætate, atque complexione ut dictum eſt.

## CAP. VII.

### *De paralyſi.*

Morbus, quem Græci paralyſin dicunt, Latine dici poteſt diſſolutio, quum membra corporis, amiſſo naturali vigore, diſſolvuntur. Id vero quum in toto corpore contingit, Græci appellant apoplexiam, quum in parte ac certo membro, hemiplegiam. Conſuetudo tamen obtinuit, quod Celſus refert, ut, quocunque modo ea fiat diſſolutio, paralyſis appelletur. Nam non eſt in morbo ipſo alia differentia, quam ex pauco aut multo humore noxio, unde vel unus cerebri ventriculus, vel omnes ſimul lædantur. Plurimum vero in cauſa eſt phlegma viſcoſum, nec non nimis craſſum, quo meatus nervorum oppilantur, ſpirituſque vitales præcluduntur, ne permeent membra. Quapropter laſſeſcentibus nervis membra hebetantur, cum privatione ſenſus, & motus voluntarii. Stupor autem & tremor ſunt præviæ diſpoſitiones ad morbum ipſum, atque ſtuporem debilitas facit in membro,

bro, ſubtracta virtute ſpiritus vitalis, tremorem vero eadem virtus corrupta & tanquam præfocata, atque ab ipſa cerebri origine præcluſa. Huic malo quanto citius ſieri poterit, ſuccurrendum eſt ligni ſancti medicina. Atque ſi minus prima curatione tollitur morbus, curatio ipſa iterum eſt, ac etiam tertio & ſæpius repetenda. Neque omittenda hæc medicina eſt, quamvis color in paralytico membro mutatus ſit, quæ res maximam (ut noſtri autores tradunt) offendit difficultatem curationis. Fiat autem curatio in hunc modum: Diſponatur æger per dies triginta ad curationem, priuſquam incipiat potionem ſumere ſyrupi, ut aqua ligni ſancti utatur in potu loco vini, *quæ ex ſemilibra fiat ligni, libris aquæ triginta, decoctioque ad viginti redigatur ſervens in fictili vaſe.* Membrum vero læſum hoc pacto foveatur. fiat tale balneum. *Sumantur cortices radicum althææ, acori, ulmi, bryoniæ, cucumeris aſinini, ſingulorum manipuli ſex. Capita liliorum alborum numero decem, ſeminis lini, fœnugræci utriuſque una libra, baccarum lauri ſemilibra, chamæmeli meliloti, utriuſque manipuli quatuor, inteſtinorum arietis pinguium & purgatorum libræ decem, ferveant hæc omnia in aqua fontana, fiatque calidum balneum quotidie peracta concoctione ante cœnam.* Ex quo balneo ſuffimentum fiat diligenter paralytico membro. poſt ſuffimentum ungatur membrum hac unctione. *Sumantur althææ unciæ quatuor, olei ſeſemini, amygdalarum dulcium, liliorum alborum & cæruleorum, ex ſingulis ſemilibra. miſceantur hæc omnia, fiatque unctio*, qua actu calida ungatur membrum læſum, deinde involvatur cannabina ſtuppa, faſciaque de more vinciatur. poſt hæc ſumat æger aliquod electuarium reſumptivum, ut eſt *electuarium ex gemmis cum aromatibus*, aut talem aliquem cibum, cum quo bibat non nihil ex ligni decoctione in potu. Poſtquam vero æger ad hunc modum per triginta dies paratus fuerit ad legitimam curationem ligni ſancti, curatio ipſa hoc pacto conſtituatur.

*In juvene cholerico vel ſanguineo.*

Cibetur hic juvenis tota curatione diæta regulari. Syrupuſque pro eo fiat uſque ad mediam curationem *ex libra una ramentorum ligni, aquæ ſexdecim libris, redeatque decoctio ad libras ſex, ſervens in fictili vaſe.* Sumatque inde ægrotus ex utraque potione ſemilibram. *Aqua ſecunda in potu ex viginti libris ſervens in fictili vaſe redeat ad duodecim.* In ſtatu & deinceps *fiat ſyrupus itidem ex una libra ligni & ſexdecim aquæ, fiatque infuſio per horas duodecim, ferveatque in vaſe fictili, donec ad libras quatuor decoctio redigatur.* inde ſumantur tam mane quam veſperi unciæ octo uſque ad declinationem, deinde ſemilibra. *Secunda decoctio in potu fiat ex libris aquæ decem & octo, quæ fervendo redeant ad novem.* Si autem circa finem curationis refrigerandus fuerit ægrotus ob nimiam caliditatem decoctionis ligni ſancti, *fiat ſecunda decoctio ex viginti libris aquæ, quæ ad ſexdecim redeant, ferventes in gemino vaſe.* Atque hoc pacto puella quædam à me curata eſt ex morbo diuturno à tertio videlicet ætatis anno uſque ad duodecimum, mutato colore corporis, membriſque diſſolutis, ab inferiori furcula uſque ad imos pedes.

*In juvene phlegmatico vel melancholico.*

Cibetur talis quoque juvenis diæta regulari tota curatione. Syrupus pro eo fiat uſque ad declinationem *ex libra una ligni, ſexdecim aquæ. fiat infuſio per horas duodecim, ferveatque in vaſe fictili, donec ad libras quinque redigatur. inde ſemilibra ſumatur ex utraque potione. Secunda decoctio in potu fiat ex aquæ libris viginti, quæ fervendo redeant ad decem.* In declinatione uſque ad finem *ſyrupus fiat ex una libra ligni, aquæ quindecim, ſervensque redeat decoctio ad ſeptem libras*, ſumaturque itidem ex utraque potione ſemilibra. *Ad ſecundam decoctionem in potu libræ viginti aquæ fervendo redigantur ad quatuordecim.* Atque hic ſyrupus & aqua in declinatione curationis temperabunt caliditatem, qua corpus affectum fuerit priore ſyrupo calefactivo, & aqua ſecunda, quibus domanda erat vis morbi.

*In ſenibus eadem ſervanda ſunt.*

Poſt curationem vero aliquot diebus, ne curatus recidat in morbum, cibus quidem communis ſumendus eſt, ſed qui nihil noxius ſit, & quantus facile concoqui poſſit, potus vero ſit ex ligni decoctione, quæ talis fiat, *ſit ſemilibra ramentorum ligni, libræ aquæ vigintiquinque, ferveant una in fictili vaſe, donec ad viginti libras decoctio redigatur.*

## CAP. VIII.

*De ſpaſmo contractione.*

De ea contractatione tractamus, quæ ex noxio humore fit, ſive in uno membro fiat ſive in pluribus, & quæ vel emproſthotonus dicatur, vel opiſthotonus, vel tetanus, talemque morbum phlegma ſæpius gignit craſſius illo, ex quo fit paralyſis. Itaque de ſpaſmo nunc tractamus, non ut ex ſiccitate contingit, aut inanitate propter vigilias, aut morbum diuturnum, ſed ut ex noxia gignitur materia, & qui eſt difficilis curationis. In talis igitur morbi curatione, priuſquam ſumi incipiat potio ligni ſancti, purgandus eſt æger, tollendaque aut minuenda cauſa morbi antecedens, hoc eſt noxius humor phlegmatis craſſioris, cibo quoque, atque aliis obſervationibus diſponendum corpus ægroti ad legitimam ligni ſancti curationem. In ipſo autem curationis initio contracta membra idoneo cataplaſmate fovenda ſunt, quod bis quotidie actu calidum apponendum eſt. Ipſum autem cataplaſma fiat in hunc modum. *libra una ligni ſancti in pulverem redigatur, tum ferveat in aqua communi in vaſe fictili duas horas, deinde addantur ex corticibus radicum althææ præparatis, acori, bryoniæ, enulæ campanæ ſingulorum manipuli tres, rurſuſque ferveant una hæc omnia cum ligno ſancto. poſt hæc tundantur in mortario lapideo, atque in formam deducantur cataplaſmatis.* Hac autem curatione nos uſi ſumus optimo ſucceſſu, præſertim in Joanne Cordubenſi milite, ab eaque clariſſima urbe parentes noſtri originem trahunt, qui diutino ſpaſmo afflictus fuerat toto corpore, præſertim in octo muſculis ventris inferioris, ac ſæpe à peritiſſimis medicis curatus nihil profecerat, immo in paralyſin incurrerat & epilepſiam. Is itaque per nos curatione ligni ſancti, prævia, quam diximus, diſpoſitione, decima curationis die levatus cruciatu eſt atque dolore, vigeſima vero prorſus eſt morbo liberatus, reddituſque perfectæ incolumitati. Hæc autem legitima curatio eſt per ligni ſancti potionem.

*In juvene cholerico vel ſanguineo.*

Hic æger, ſi imbecillus fuerit, reſumptiva utatur diæta tota curatione. Pro eo uſque ad mediam curationem *ſyrupus fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris duodecim, quæ ad novem redigantur, ferventes in fictili vaſe*, inde ſumatur ex utraque potione ſemilibra, *ſecunda decoctio in potu ex tredecim aquæ libris redeat ad novem, ſervens in balneo Mariæ.* In ſtatu & deinceps, *fiat ſyrupus ex libra una ligni, aquæ ſexdecim, quæ in vaſe fictili redeant ad ſeptem.* Semilibraque item ſumatur ex utraque potione. *Aqua ſecunda in potu ferveat in gemino vaſe, atque ex viginti libris ad quindecim redigatur.*

*In juvene phlegmatico vel melancholico.*

Cibetur is æger tota curatione diæta regulari. Pro quo uſque ad mediam curationem *fiat ſyrupus ex una libra ligni, aquæ ſexdecim, fiatque infuſio per horas duodecim, ferveatque in vaſe fictili ad ignem carbonum, donec ad ſex libras redigatur.* Sumatque ſemilibram æger tam matutina potione, quam veſpertina. *Secunda decoctio in potu fiat in gemino vaſe, redigaturque è viginti libris ad decem.* In ſtatu & deinceps, *ſyrupus fiat ex libra una ligni, ſexdecim aquæ, fiatque infuſio, ut ſuperior, ferveatque in vaſe fictili, donec ad quatuor tantum libras redeat decoctio.* Inde ſumat æger ex utraque potione, ſi robuſtior fuerit, octo uncias, ſi minus robuſtus, ſex, quatuor vero, ſi nimis imbecillus. *Aqua ſecunda in potu ex viginti libris ſervendo redeat ad octo.*

In ſenibus eadem ſervanda, niſi quod propter exceſſum phlegmatis in ea ætate audacius fieri poterit intenſioris decoctionis ſyrupus, & aqua ſecunda.

Hæc autem ſpaſmi curatio ſervanda etiam eſt in torura oris, cæteriſque morbis, in quibus ineſt contractio.

## CAP. IX.

*De fluxu nimio lachrymarum.*

De lachrymarum fluxu tractamus contingenti, non nativo. de eo tamen, qui diuturnior eſt, nec facile curatur. Isque humor vel è medio cranio, ut ait Avic. *tertia tertii*, vel extra cranium ſcatcat, ac per oculos fundatur. De cancro autem, aut duritie cujuſvis apoſtematis oculorum tunc tractabimus, quum de apoſtemate in univerſum diſſeremus. Fluxus igitur lachrymarum hoc ritu curandus eſt per lignum ſanctum. *Cap. 210.*

*In cholerico juvene vel ſanguineo.*

Cibetur hic æger tota curatione diæta regulari. *Syrupus pro eo fiat initio curationis ex ligni ſemilibra, aquæ libris decem, quæ in vaſe fictili ſervendo ad ſex redigantur*, in incremento & ſtatu *fiat ſyrupus ex ſemilibra itidem ligni, duodecim libris aquæ, fiatque infuſio per horas duodecim, tum ferveat in fictili vaſe, donec ad quatuor libras redeat decoctio.* In declinatione fiat ſyrupus ut initio curationis. Sumatur vero per totam curationem ſemilibra ex utraque potione. *Secunda decoctio in potu ex libris quindecim in eodem vaſe fictili ſervendo redeat ad decem.*

*In phlegmatico vel melancholico.*

Eadem ſervetur diæta in hoc ægroto, Syrupus vero fiat pro eo tota curatione *ex libra una ligni, aquæ ſexdecim, redeatque decoctio ad libras quatuor fervens in fictili vaſe.* Inde ſumantur in utraque potione uſque ad mediam curationem unciæ quatuor, deinceps uſque ad finem ſemilibra. *Aqua ſecunda in potu ex libris viginti fervens in eodem vaſe redeat ad decem.* Atque hoc pacto nos inter cæteros curavimus filium Viri Magnifici Raphaelis Vitalis ex veteri morbo fluxus lachrymarum cum gravi ophthalmia, nec poſtea recidit unquam juvenis in morbum, ſed permanſit abſolute incolumis.

In ſenibus idem ſervandus eſt ritus curationis, habita tamen ætatis ratione, ut ſæpius admonuimus.

## CAP. X.

*De auriam morbo, auditu videlicet obtuſo.*

Obtuſus gravisque auditus, etſi multiplex eſt, de illius tamen generis morbo hic tractamus, qui ex frigido humore contingit. Sive nervo interiore auditus affecto, ſeu ipſa tantum aure. Is igitur morbus, ſi jam inveteravit, nec alia illi ſubvenerint remedia, imminuto prius humore noxio & cauſa ipſius morbi, hoc ritu curetur per lignum ſanctum.

Cholericus juvenis vel ſanguineus cibetur initio curationis diæta regulari, à ſtatu autem uſque ad finem diæta ſit reſumptiva. Ab initio uſque ad augmentum fiat pro eo *ſyrupus ex ligni ſemilibra, aquæ libris decem, ferveat infuſio in fictili vaſe, donec ad libras quinque redeat decoctio. Aqua ſecunda in potu ex duodecim libris ad novem redigatur.* Ab incremento ad finem curationis *fiat ſyrupus ex ſemilibra item ligni, decemque libris aquæ, ſed ad tres tantum libras redeat decoctio. Aqua ſecunda ex libris duodecim ad ſex redeat.* Ex ſyrupo ſumatur ſemilibra tam mane quam veſperi tota curatione.

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis regulari diæta utatur tota curatione, *ſyrupus* pro eo uſque ad declinationem *fiat ex libra una ligni, aquæ duodecim, redeatque decoctio ad libras quinque.* Semilibraque inde ſumatur ex utraque potione: In declinatione, atque uſque ad finem curationis, *in ſyrupo ſit una quoque libra ligni, ac novem aquæ, redigaturque decoctio in fictili vaſe ad tres libras,* atque ex utraque potione ſumatur una libra. *Aqua in potu fiat ex libris aquæ duodecim, quæ decoctæ redeant ad decem.* In ſene ſunt eadem ſervanda, niſi quod adhiberi potius debet diæta reſumptiva.

## CAP. XI.

*De naſi morbis, polypo videlicet, aliisque ulceribus.*

Polypus eſt vomica in naſo, ſeu apoſtema, quod craſſius eſt, atque carnoſum. Oritur ſæpius ex hæmorrhoidibus, definitque in cancrum. Qua propter facilius hæmorrhoides curantur, quam polypus, cancer polypo difficilius. In cauſa eſt polypo pituita, & atra bilis ex morbi calore corrupta, reſoluto tenui humore, craſſoque concreto in materiam carnoſam. Diminuto igitur ante legitimam curationem humore noxio, amoveatur à perito Chirurgo, quantum fieri poterit, materia illa carnoſa, vel ferro, quo pacto à me complures curati ſunt, vel cauterio, vel alio quovis inſtrumento artis aut remedio. Ita ut cauſa conjuncta penitus deleatur, morbusque non recidat, membrumque ſuſcipiens foveatur, curetur emittens. Poſt hæc ligni Sancti curatio adhibeatur.

Cholericus juvenis vel ſanguineus diæta regulari cibetur tota curatione. *ſyrupus fiat ex octo unciis ligni, aquæ libris decem, redeatque decoctio ad quatuor libras.* Inde ſumatur ex utraque potione uſque ad mediam curationem ſemilibra, reliqua curatione ſumantur unciæ octo. *Aqua in potu ex duodecim fiat aquæ libris, quæ ad octo redigantur decoctæ.* Si autem robuſtior fuerit æger, poterit in ſyrupi decoctione apponi libra integra ligni.

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis regulari quoque diæta utatur tota curatione. *Syrupus fiat ex aquæ libris quindecim, ligni vero, uſque ad mediam curationem libra una & ſemis, deinceps libra tantum, redigaturque decoctio in fictili vaſe ad libras quinque. Aqua in potu in eodem fictili vaſe decocta, ex viginti libris redeat ad quatuordecim.* Senibus cibo utendum eſt ampliore, propter ætatem imbecillem, remiſſiore ligni decoctione. Notandum autem, quod eodem ſyrupo licet polypum ipſum vel ulceroſum vel ſine ulcere fomentare vel lavare, vel aliquo inſtrumento artis decoctionem quoquomodo injicere, atque apponere, Incredibilem enim præſtat opem decoctio ipſa extra appoſita, digerendo, mundando, ſolidando ulcera, vomicasque.

## CAP. XII.

*De linguæ ſpaſmo & ranula.*

Linguæ ſpaſmus & ranula polypi ritu curandi ſunt. Ranulæ vero, ſi ad cancrum vergit; diligenti manus operatione ſubveniendum eſt, & ligni Sancti potione.

## CAP. XIII.

*De gingivarum imbecillitate, de fluxu humoris, de ulceribus, ac dentium commotione.*

Gingivarum imbecillitas & emollitio, ulceraque fluxusque humoris, atque commotio dentium, cauſam habere ſolent a membris principalibus affectis, ut ex calidiore cerebro humores nimios attrahente, refundenteque gingivis, quibus humoribus noxiis illæ corrumpuntur: ex aduſto etiam jecore, ſtomachoque affecto, humores corrumpente, qui permeant ad ipſas gingivas. Cauſa igitur cognita morbi, ſi alia remedia non ſubvenerint, imminuta prius ac fracta ipſa morbi cauſa, ligni Sancti curatio adhibeatur, ad hunc modum.

Cholericus juvenis aut ſanguineus, diæta cibetur reſumptiva, ſed tenui, quantum complexio patitur, tota curatione. *Syrupus pro eo fiat uſque ad mediam curationem ex libra una ligni, aquæ duodecim, redeatque decoctio fervens in fictili vaſe ad ſex libras*, reliqua curatione ſint cum *una libra ligni quindecim aquæ, ac redeat decoctio ad quatuor libras.* Atque in utraque potione ſumatur libra ſemis. *Aqua in potu ex libris viginti decocta redeat ad quindecim.*

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis cibetur diæta regulari uſque ad mediam curationem, deinceps reſumptiva. *Syrupus pro illo fiat tota curatione ex lib. una ligni, duodecim aquæ, fiatque infuſio, per horas duodecim, inde fervens in fictili vaſe ad quatuor libras decoctio redigatur.* In ſecunda decoctione *libræ aquæ vigintiquinque, ad quindecim redeant in eodem vaſe ferventes.* In ſenibus idem ſervandus eſt ritus, habita, ut toties diximus, ætatis ratione. Adhibeatur præterea gingivis frequens lotio, atque omnibus horis, vel ex decoctione ligni, vel alio quovis humore medicato ad morbum pertinente. Percoctus autem aut biſcoctus panis, propter putres gingivas macerandus eſt vel jure pulli vel aqua ſyrupi.

## CAP. XIV.

*De pectoris morbo aſthmate, hoc eſt difficili anhelitu.*

Aſthma, hoc eſt difficilis reſpiratio atque anhelitus, non ſimplex eſt morbus, atque in quatuor ſpecies diſtribuitur, omnibus tamen eadem poteſt cauſa contingere humoris noxii. atque in ſenibus quidem non eſt fortaſſe morbi materia diſſolubilis. Quum tamen ex viſcoſo humore factus eſt aſthmatis morbus, licet pervetus ſit, ſi non profuerunt aliæ medicinæ, tenuata prius morbi materia, & imminuta, ligni ſancti curatio adhibeatur. In ligni autem decoctione admiſceri licet *palmarum fructus*, quos *dactylos* dicunt, *hyſſopus*, aliaque ſimplicia utilia morbo, eademque facienda curatio eſt in vetere tuſſi, apoſtemate, cæterisque pectoris morbis aſthmati ſimilibus. Ante legitimam vero ligni curationem æger hoc pacto præparetur, ut duos circiter menſes utatur quidem conſueto cibo, ſed talis, qui & facile concoquatur, nec excitet morbum. In potu autem loco vini ſumatur ligni decoctio, quæ talis fiat. *Sint nnc. iij. ligni, aquæ lib. viginti, fiat infuſio per diem & noctem, inde ferveat in vaſe fictili ad igneæ carbonum horam unam, tum ponatur in decoctione hyſſopi manipulus unus, dactylorum libra ſemis, poſt hæc rurſus ferveat, donec ad quindecim libras redeat decoctio:* legitima vero curatio talis fiat.

Cholericus juvenis vel ſanguineus cibandus eſt uſque ad mediam curationem diæta regulari, deinceps reſumptiva. *In ſyrupo ſit libra una ligni, aquæ duodecim, hyſſopi & dactylorum quantum opertebit, fiat decoctio in fictili vaſe, redigaturque ad ſex libras uſque ad mediam curationem, deinceps ad libras redeat quinque.* Sumanturque ex utraque potione unciæ quatuor. *Aqua ſecunda ex libris viginti ad quindecim redigatur.*

Phlegmaticus juvenis vel melancholicus utatur tota curatione diæta regulari. *Syrupus fiat ex libra una ligni, aquæ viginti, redeatque decoctio fervens in fictili vaſe ad libras decem, poſt hæc apponatur in decoctione hyſſopi & dactylorum quantum ſat fuerit, agarici vero drachmæ duæ. tum ſervere pergat decoctio, donec ad ſeptem libras rediga*

*tur.* Ex eo ſyrupo ſumatur tam mane quam veſperi ſemilibra uſque ad augmentum, deinceps uſque ad finem curationis unciæ octo. *Aqua ſecunda in potu ex viginti quinque libris redeat ad decem & octo, appoſitis in decoctione dactylis, aut tali aliquo pectori utili.* Eadem vero in ſenibus ſervanda ſunt, habita ætatis ratione. Ac licet non poſſit in ea ætate ſalus reſtitui ab eo morbo, non tamen deſerendi ſunt ſenes, vel decrepiti. Continendus enim eſt curatione in ſenibus morbus, ne augeatur.

## CAP. XV.

### *De Phthiſi hoc eſt tabe.*

Etſi tabes lethalis morbus, qui phthiſis Græco nomine dicitur, nullam habet ſpem certam ab arte medica, non tamen eſt omnino illius curatio deſperanda, præſertim initio morbi, atque uſque ad ſtatum. nec propter incertam ſpem curationis deſtituendus eſt æger ope medicinæ, ut certiſſime pereat, ut Galen. præcipit in *libro de ingenio ſanitatis.* In recenti igitur morbo, atque per incrementum, ſervare præcipimus legitimam curationem, quæ ab artis autoribus tradita eſt. Ligni vero ſancti medicinam contendimus eſſe huic morbo ſalutarem, cum præſtet hoc lignum ſimplicibus univerſis, quibus medicina utitur, ut priore libro docuimus, atque ex omnibus qualitatibus, adverſusque omnes operari poteſt ob variam ipſius medicinæ confectionem, multiplicique ſua ac ſalutifera virtute modis omnibus male affecto corpori ſubvenire. Calida enim vi ſicca viſcoſas materias incidit, ne pulmonem corrumpant, ulcera vero ipſius pulmonis exſiccat, purgat, integrumque pulmonem reddit. frigida vi & ſicca ſoliditat, ac fluxum ſanguinis, ſi quis eſt, reſtinguit. frigida & humida vi humectatis atque refrigeratis febrem oſſium frangit, humidum quoque vitale reficit ac fovet, Itaque quoniam huic morbo varia eſt adhibenda medicina, variique neceſſarii ſunt effectus, ut Avic. præcipit *prima quarti de hectica curatione*, nulla poteſt alia medicina curari tam commode Phthiſis ipſa quam ligno ſancto, in quo diverſæ ſunt virtutes & operationes, maximeque ſalubres. Quoniam vero multa ſunt hecticæ communia cum Phthiſi, eadem erit curatio ſervanda in utroque morbo, ubi eadem erit ratio utriuſque, ut eo tantum differant, quo excedens & exceſſum, Autore Iſaaco *ſecundo libro de febribus.* Et quum eadem cauſa eſt hecticæ, *cap. 1.* quæ Phthiſis. ut idem Autor tradit *tertio libro.* Quum igitur hectica febris non habet aliam rationem à Phthiſi, ſed illius eſt potius accidens quoddam, idem ſervandus eſt modus in curatione. Illo tamen in primis præcepto ſervato Avicennæ *prima quarti*, ut ſi cauſa hecticæ fuerit apoſtema, aut læſum aliter aliquod membrum, in eo primum curatio adhibeatur, cauſaque auferatur morbi, & origo. Præterea eadem inſtituatur curatio in hectica & in phthiſi, ad hunc modum. Ante legitimam ligni curationem duos circiter menſes præbenda ægro ſunt electuaria juxta artem, vel ſyrupus, ut morbus exegerit. In potu autem loco vini ſumatur ab ægroto decoctio ligni, quæ talis fiat. *Ponantur in aqua hordei purgati unciæ tres ex ramentis ligni, ibique permaneant quatuor horas, deinde projecta aqua ipſa hordei, in qua fuerat lignum, in alteram rurſus hordei aquam ponantur ipſa ligni ramenta, ſintque aquæ ſexdecim libræ, ferveatque infuſio hæc in gemino vaſe, donec ad libras undecim redigatur.* Poſt hæc ad legitimam curationem aptius erit ægri corpus tam diu affectum aſſumpta hujus ligni ſancti decoctione.

Cholericus juvenis vel ſanguineus cibetur diæta reſumptiva, addito etiam contuſo pulli, vel jure pulli conſumpti, pro ægri corporis imbecillitate ſyrupus hujuſmodi fiat. *Ramentorum ligni unciæ quatuor, aquæ hordei purgati ſint libræ decem. fiat infuſio per duos dies & noctes, poſtea ferveat in gemino vaſe, donec ad libras ſeptem redigatur.* inde ſumatur in potione libra ſemis. Si autem intentio magis ad vires ſit, quam ad morbum, una tantum ſit quotidie potio ſyrupi, ut largius poſſit æger cibari, meliusque concoquere. Si magis ad morbum eſt intentio, duæ ſumantur ex more ſyrupi potiones, mane ac veſperi. Quod ſi electuarium præberi viſum fuerit reſumptivum hora ſyrupi, vel tunc ſyrupi potio minuatur, vel ſpatium tribuatur concoctioni. Si vero ſyrupum ipſum quis & curativum eſſe voluerit, & reſumptivum, apponendum eſt in decoctione *pectus gallinæ, vel caponis.* Tunc aqua in potu fiat ſecunda ligni decoctione ad hunc modum. *Sint unciæ tres ligni, aquæ hordei libræ viginti, ferveat infuſio, donec ad quindecim libras redigatur, atque hæc fiant uſque ad incrementum curationis.* Deinceps uſque ad finem. *ſyrupus fiat ex ligni libra una, aquæ hordei libris duodecim, fiatque infuſio per diem & noctem, deinde ferveat in vitreo vaſe, donec redeat decoctio ad libras quinque.* Ac ſi *pectus caponis* in decoctione poſitum eſt, *aqua in potu fiat ex quatuor unciis ligni, aquæ hordei libris viginti, ferveatque infuſio, donec ad tredecim redeat libras.*

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis cibetur ut ſuperior. *ſyrupus autem fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris duodecim, ferveatque infuſio in fictili vaſe donec ad quinque libras redigatur*, inde ſumatur ex utraque potione libra ſemis. *Aqua in potu fiat ſecunda decoctione, de more in vitreo vaſe, ſintque aquæ libræ quindecim, quæ ſervendo redeant ad decem.* De ſenibus hoc loco, præſertim decrepitis, nihil præcipimus, quoniam perraro in eis curatio contingit.

## CAP. XVI.

### *De faſtidio cibi.*

Faſtidii cauſas tradit Avic. *fen decima tertia tertii canonis* tum malam complexionem frigidam, frangentem duas virtutes, ſenſitivam & attractivam, tum magis phlegma plurimum viſcoſum, hærens in ſtomachi orificio, quæ ſedes eſt appetitus cibi, quemadmodum in fundo ipſius ſtomachi fit concoctio. quod eodem loco præcipit Avicenna. Quamobrem, quod de faſtidio cibi præcipitur, ad languidam quoque concoctionem eſt referendum. Sive ex cerebro id eveniat, ſeu ex hepate ad frigidum inclinante, ſeu ex alio membro atra bile affecto, cauſave alia quacunque. Cum igitur morbi cauſa fixa fuerit, nec alia profuerint remedia, ad ligni ſancti eſt medicinam confugiendum. Præparetur vero æger ante legitimam ligni curationem ſaltem diebus triginta, quo tempore cibo utatur reſumptivo, ſed eo tenui, & qui nihil officiat. Vinum autem non bibat, nec aliud quam ligni decoctionem, quæ talis fiat. *Ramentorum ligni unciæ quatuor ſint, libræ quindecim aquæ, redeatque decoctio ad lib. xij.* poſt hæc legitima curatio ineatur.

Cholericus juvenis vel ſanguineus utatur uſque ad incrementum curationis diæta regulari, deinceps uſque ad finem reſumptiva. *Syrupus tota curatione fiat ex ligni ſemilibra, aquæ libris octo, redigaturque decoctio ſervens in fictili vaſe ad quatuor libras.* atque libra ſemis ſumatur in utraque potione. *Aqua in potu ex libris quindecim redeat ad novem.*

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis cibetur tota curatione diæta regulari. *In ſyrupo ſint octo unciæ ligni, aquæ libræ duodecim. fiat infuſio per diem & noctem, tum ferveat in fictili vaſe, donec ad libras quinque redigatur.* ſumaturque libra ſemis tota curatione mane ac veſperi. *Aqua in potu ex libris quindecim ad decem.*

In ſenibus eadem ſervanda ſunt, habita ætatis ratione.

## CAP. XVII.

### *De fœtido ſpiritu.*

Eadem fiat curatio, quæ de faſtidio cibi tradita eſt, in ægro phlegmatico.

## CAP. XVIII.

### *De ſtomachi apoſtematibus.*

De eo apoſtemate ſtomachi hic præcipimus, quod fixam habet cauſam, nec facile curatur. Hujuſmodi vero apoſtemata frigida, diverſa fiunt loco & ſitu. Cauſam vero tradit Avic. *fen decima tertia tertii* tractatus, phlegma eſſe, vel atram bilem in ſtomacho paulatim congeſtam. Aliis igitur non juvantibus medicinis, ligni ſancti curatio adhibeatur. Itaque cibetur æger tota curatione diæta regulari. Pro eo *ſyrupus fiat libra una ligni, aquæ duodecim, redigaturque decoctio in fictili vaſe ad ſex libras*, inde ſumatur in utraque potione ſemilibra uſque ad finem curationis. *Aqua in potu ex libris decem & octo redeat ad duodecim.* In frigida vero complexione & ætate *ſyrupi decoctio ad quatuor tantum libras redeat ex duodecim.*

## CAP. XIX.

### *De jecoris ſeu hepatis morbis, & primum De carnoſo ac duro apoſtemate.*

Valde difficile eſt in uno quovis ſimplici proprietates inveniri, quæ affecto jecori neceſſariæ ſunt, ut in decima quarta præcipit Avic. Sic ipſas enumerando, videlicet amaritudinem, ſtipticitatem, odorem, maturationem, lenificationem, mundificationem, penetrationis velocitatem, ſuavitatem, & his ſimilia. Quas omnes proprietates, ac multo plures virtutes habet lignum hoc ſanctum & ſalutiferum. Quapropter in jecoris morbis,

præ-

præſertim apoſtemate duro & lethifero, hac maxime opus eſt medicina. Subveniendum vero huic malo quamprimum eſt. Quoniam ut eodem loco tradit Avicenna; quum invaluerit morbus, non prodeſt medicina. Verum etſi maxime induruerit ipſum apoſtema, non tamen eſt ſalus deſperanda ex ligni medicina tam ſalutari. in quo virtus eſt tenuativa, & abſterſiva, cæteræque, quas eodem loco Avic. oſtendit, quæ ſpem certam faciunt ſalutis. In præparando ægro ad jecoris curationem per quancunque medicinam, illud obſervandum eſt, quod eodem loco præcipit Avicen. ut maxime animadvertatur complexio in jecore, quod curatur, ne ita refrigeres. ut ad hydropiſim deducas, aut ita calefacias, ut maxime areſcat. Quum igitur durum eſt & carnoſum hepatis apoſtema, ſive ab antecedente altero apoſtemate profectum ſit, ſeu per ſe inceperit, cauſamque habeat conjunctam fixam, auferrique difficilem (quod per ſigna cognoſces, quæ ab eodem traduntur autore Avicen.) ligni Sancti curatio fiat ad hunc modum.

Cholericus juvenis vel ſanguineus cibandus eſt diæta reſumptiva tota curatione, cum contuſo etiam caponis, gallinæve pectore, ſeu jure pulli conſumpti. *Syrupus pro eo tota curatione fiat ex octo unciis ligni, aquæ libris duodecim, quæ in fictili vaſe ferventes ad ſex libras redigantur*, ſintque unciæ quatuor in potione mane ac veſperi. quod ſi alia ſunt adhibenda remedia, una ſit tantum quotidie potio ſyrupi. *Aqua in potu fiat in vitreo vaſe, atque ex quindecim libris redeat ad duodecim.*

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis ut ſuperior cibetur. pro eo *ſyrupus fiat tota curatione ex libra una ligni, aquæ duodecim, fiatque infuſio per horas duodecim, inde ferveat in vaſe fictili donec ad libras quatuor redigatur*, ſumaturque in potione libra ſemis bis die, aut ſemel, ut in ſuperiore. *Aqua in potu ex viginti libris in eodem vaſe fervens redeat ad ſexdecim.* Si autem levius æger curandus videatur, in potu tantum, loco vini ſumat ligni decoctionem, quæ talis fiat. *ſint ramentorum ligni unciæ quatuor, aquæ libræ viginti, quæ ferveant in fictili vaſe, donec ad quindecim libras decoctio redigatur.* At ſi ſyrupus ſumatur, poterunt in ipſius decoctione admiſceri herbæ jecori utiles calidæ ſeu frigidæ pro morbi & complexionis ratione.

## CAP. XX.

*De hydrope ſeu aqua inter cutem.*

Aqua inter cutem Græce hydropiſis eſt, cujus genera & cauſas late tradit Avicenna *ſen quartadecima*. Ejus nos morbi reliqua genera curavimus ligno Sancto præter tympanitidem. Quum vero habet morbus ipſe fixam cauſam, perdifficilem recipit curationem, atque propterea opus eſt ligni medicina.

Cholericus vel ſanguineus juvenis reſumptiva diæta utatur tota curatione. *Syrupus in fictili vaſe fiat initio curationis uſque ad ſtatum ex ligni ſemilibra, aquæ libris quindecim, decoctioque ad ſex libras redigatur.* In utraque potione ſit ſemilibra. *Aqua in potu ex libris viginti redeat ad duodecim.* Reliqua curatione *fiat ſyrupus ex octo unciis ligni, libris aquæ duodecim, fiat infuſio per horas duodecim, ferveatque in fictili vaſe, ac redeat ad quatuor libras*, ſumaturque ſemilibra in utraque potione. *Pro aqua in potu ex ſexdecim libris redeat decoctio ad octo.*

Phlegmaticus juvenis vel melancholicus regulari diæta cibandus eſt tota curatione, niſi vires defecerint: *Syrupus in vaſe fictili fiat ex libra una ligni, decem aquæ, factaque infuſione per horas duodecim ferveat, donec ad quatuor libras deveniat*, ſintque in utraque potione unciæ quatuor uſque ad mediam curationem, deinceps uſque ad finem ſemilibra. *Pro aqua in potu ex viginti libris decoctio in eodem vaſe facta redeat ad duodecim.* Atque in hoc etiam morbo admiſceri herbæ poſſunt in ſyrupi decoctione aptæ ad morbum cum vini præparatione, ut in 4. *libro* dilucidabo: ac tunc hydropicus à viſione aquæ nedum à potu ipſius quantum poſſibile eſt prohibendus, ut Avicen. præcipit *ſen. xiiij. tertii.* Eadem vero abhiberi curatio poteſt regio morbo ſeu arcuato vel icterico, item ſplenis apoſtematibus, nam ſic nos multos cognovimus eſſe curatos.

## CAP. XXI.

*De morbis renum, Deque veſicæ ac renum ulceribus.*

Veſicæ ac renum ulcera, quæ cauſam habent ab humore aliquo noxio corrodente, incidente, aut exulcerante, aliamve ſimilem cauſam, eadem fere ratione curari poſſunt. Quum is vero morbus inveteravit, non ſuſcipit curationem, niſi cum ingenti moleſtia, ut proprio capite tradit Avic. Hac tamen curatione ligni Sancti ipſa maxima eſt ſalutis, ut ſæpius nos experimento cognovimus. Quendamque vidimus decrepitum ſenem octogenarium, qui viginti annos ulcera paſſus fuerat in ſubſtantia renum, cum dolore vehementi, medicina ligni ſaluti reſtitutum, atque omnino incolumem factum.

Juvenis igitur cholericus vel ſanguineus utatur tota curatione diæta regulari, talique ſyrupo. *Ex libra una ligni, quindecim aquæ, fiat infuſio communis per horas duodecim, fervensque in fictili vaſe ad libras quinque deveniat*, ſitque in utraque potione ſemilibra. *Aqua ſecunda ex viginti libris redeat ad quindecim, fervens in balneo Mariæ.*

Phlegmaticus quoque vel melancholicus juvenis regulari diæta cibandus eſt. *Syrupus ut ſuperior fiat, ſed ad quatuor tantum libras redeat decoctio. Aqua ſecunda ex libris viginti quinque redeat ad quindecim in fictili vaſe*, eademque fiat curatio in ſene. Illud vero animadvertendum eſt, quod ad omnem intentionem curandi ulcera veſicæ, maxime etiam prodeſt extrinſecus prima ligni decoctio, injecta intra veſicam aliquo artis commodo inſtrumento.

## CAP. XXII.

*De Vulvæ morbis, ſeu matricis, & primum De fluxu ex matrice.*

Quum ſunt in mulieris corpore ſupervacui humores, ac noxii, præter menſtruos, ad matricem omnes defluunt, tanquam ad corporis ſentinam, itaque fluxus fit nimius ex matrice. Ejus morbi & cauſas & qualitates Avicenna docet *ſen vigeſima prima.* Id malum conceptionem omnino prohibet, & præterea eſt ipſi mulieri perniciosum. Quamobrem cum alia remedia non profuerint, curatio adhibeatur per lignum Sanctum ad hunc modum.

Mulier fluxum ex matrice patiens propter jecoris caliditatem, cibetur uſque ad ſtatum curationis diæta regulari, deinceps reſumptiva. Pro ea *ſyrupus tota curatione fiat ex libra una ligni, quindecim aquæ, fiatque decoctio in vaſe fictili, redeatque ad libras ſeptem*, ſitque ſemilibra in utraque potione uſque ad ſtatum, deinceps unciæ octo. *Aqua ſecunda in potu ex libris viginti redeat in eodem vaſe ad duodecim.*

Mulier vero fluxum patiens propter frigiditatem jecoris aut alterius membri, cibetur tota curatione diæta regulari, niſi vires defecerint. *In ſyrupo ſit libra ligni, libræ ſexdecim aquæ, fiatque communis infuſio per horas duodecim. tum fervens in fictili vaſe ad ſex libras redigatur*, ſumaturque libra ſemis tota curatione mane ac veſperi. *Aqua in potu ex triginta libris in eodem vaſe redeat ad viginti.*

## CAP. XXIII.

*De ſterilitate.*

Sterilitatis cauſæ traduntur ab Avicenna *ſen vigeſima prima.* Cognita igitur cauſa, priuſquam ad ligni decoctionem veniatur, purganda eſt ſæpius mulier, noxiaque materia, & cauſa morbi tollenda, aut quam maxime poterit minuenda. poſt hæc decem aut quindecim dies utatur balneis mulier, deinde cibetur duos circiter menſes communi cibo, ſed qui non officiat. In potu autem hac omnino utatur ligni decoctione loco vini, *ligni Sancti ſemilibra, aquæ ſint libræ viginti quinque. fiat communis infuſio. tum fervens in vaſe fictili ad libras decem & ſeptem redigatur.* Ad hunc morbum diſpoſito mulieris corpore, legitima fiat curatio per ſyrupum, quæ deſcripta eſt ſuperius in fluxu ex matrice, ſi læſio matricis cauſa ſit ut mulier non concipiat. At ſi caliditas jecoris eſt præcipue in cauſa, curatio adhibeatur juvenis cholerici jecoris apoſtemate laborantis.

## CAP. XXIV.

*De Cancro in matrice.*

Matricis Cancer ab aduſta melancholia ortum habet, ut docet Avicenna *tertia quarti*, qui omnem deſcribit ejus morbi rationem. Is morbus ægre curatur recens, confirmatus autem vix retineri poteſt, ne augeatur. Quapropter, cum cætera non profuerint remedia, confugiendum eſt ad ligni Sancti medicinam.

Cholera igitur aduſta exiſtente in cauſa morbi, cibetur mulier diæta reſumptiva tota curatione, coquanturque carnes cum frigidis herbis, ut cibus refrigeretur. *Syrupus tota curatione fiat ex ſemilibra ligni, aquæ libris duodecim. fiat infuſio per diem & noctem, tum ferveat in fictili vaſe redeatque ad libras quinque*, ſitque libra ſemis in utraque po-

potione. *Aqua in potu ex quindecim libris redeat ad decem* A *in vitreo vase.* In phlegmatica vero mulieris complexione secundum naturam, *intensior sit decoctio syrupi, ut ad tres tantum libras redigatur.*

Phlegmate vero vel melancholia adusta existente in causa, utatur mulier diæta regulari tota curatione, nisi nimia imbecillitas obstet. *Syrupus in fictili vase fiat ex libra una ligni, duodecim aquæ, fiat infusio per horas duodecim, redeatque decoctio ad quatuor libras.* Sumaturque libra semis tota curatione mane ac vesperi. *Aqua in potu ex libris viginti redeat ad decem.* Eadem vero decoctio prima syrupi in matricem sæpius injicienda est actu calida, ut extergatur cancer, dematurque aliquid de causa conjuncta. Atque hæc extrinsecus appositio decoctionis mirifice prodest. eadem vero curatio servanda est in cancro mammillæ, vel in quocunque membro cancer fuerit, tam mulieris quam viri. Ipsa autem curatio non semel adhibenda est in morbo hoc tenaciſſimo & teterrimo, sed sæpius est (si opus fuerit) repetenda.

## CAP. XXV.

*De ulceribus cæteris matricis.*

Reliqua matricis ulcera curatione sanentur ulcerum renum & veticæ. Si autem vomicas habeant, sintque (ut ajunt) fistulosa, curatio adhibeatur cancri in matrice. Qualia ego curavi Neapoli in Polyxena uxore nobilis militis Calderonis, quæ fistulosa ulcera patiebatur, & magnum cancrum in matrice instar ovi gallinacei, ob nimium fluxum, ac propter præcedentem abortum.

## CAP. XXVI.

*De hernia.*

Plura sunt herniæ genera descripta ab Avic. *fen vigesima secunda tertii tractatus.* itemque à Celso *libro* 7. Duo C vero genera sunt magis pernicioſa, alterum, quum omentum descendit in Scrotum, quam herniam appellant intestinalem: alterum genus est quod Græco nomine cirsocele dicitur, à pleriſque Latinorum ramex, quoniam ramex fit in testibus, alii zirbalem dicunt, Arabico nomine. In his tamen ipsis herniæ generibus pene desperatis, curatos cognovimus complures ligni Sancti medicina, senes quoque atque decrepitos, eosque etiam veteri morbo Gallico laborantes. Itaque his duobus generibus hernia hoc pacto curetur in ægro naturæ calidioris. Cibetur tota curatione diæta regulari. *Sit in syrupo libra una ligni Sancti, sexdecim aquæ. fiat communis infusio, tum fervens in fictili vase ad sex libras redigatur*, sumaturque mane ac vesperi semilibra tota curatione. *Aqua in potu ex viginti libris redeat ad duodecim.* In ægro frigidioris complexionis eadem fiat curatio, præterquam quod *syrupi decoctio ad quatuor tantum deveniat libras.* In reliquis herniæ generibus, carnosa, aquosa, varicosa, eadem curatio fiat, quæ D superius in cancro descripta est, ac propterea extrinsecus apponendum est emplastrum ex ligno Sancto, quod magnopere prodest, duobusque id modis instituimus. Unum emplastrum tale fiat, *libra una pulveris ligni Sancti tenuissime cribrati ponatur in aqua fontana, quæ ferveat in vase fictili duas horas, deinde addatur corticum radicum althææ, acori, bryoniæ, cucumeris asinini, singulorum semilibra, rursusque ferveat decoctio, qua perfecta, dum removetur ab igne, addantur unciæ tres hermodactylorum pulveris tenuissimi, conficiaturque ex arte emplastrum in mortario*, nihilque ex aqua abjiciatur. Alterum emplastrum. *Adde superiori descriptioni, ammoniaci, bdellii, serapini, singulorum unciam unam cum dimidia, mucilaginis althææ, fœnugræci, seminum lini, singulorum uncias tres, fiatque ex arte emplastrum ad formam cataplasmatis.* Prius autem in curatione apponatur emplastrum juxta priorem descriptionem, deinde hoc alterum vehementius in carnosa præcipue hernia.

## CAP. XXVII.

*De Elephantia & Varicibus.*

Difficilis est curationis uterque morbus Elephantiæ seu lepræ, & varicum, longoque tempore parum proficitur, autore Avenzoar. Itaque ligni Sancti opus est medicina, quæ aut absolute auferat morbum, aut præservet. Curatio autem fiat eadem quæ fit in cancro matricis.

## CAP. XXVIII.

*De doloribus junctvrarum. De podagra, ischiade & similibus.*

Eadem fere ratio curationis est in podagra, ischiade, reliquisque morbis gravibus junctvrarum. Horum nos curationem ligno Sancto instituimus, non modo ratione ipsa suadente, sed quod frequenti cognovimus experimento feliciter succedere ligni Sancti curationem. Hoc autem loco supervacuum putavimus, genera, & causas, & materias podagræ, ischiadis, arthritidisque describere. Quæ diligentiſſime a Galeno principe tractata & præcepta sunt. Item ab Avic. *fen. xxij.* & ab aliis illustribus autoribus artis medicinæ. Neque vero mutari quidquam præcipimus his morbis curandis de ipsorum authorum præceptione, sed servanda potius diligentiſſime illorum præcepta. Itaque ante legitimam ligni Sancti curationem, materia B morbi & causa minuenda est, juxta morbi & ægroti qualitatem, atque purgato ægro, & recte dispositio, avulsa, quantum fieri potuit, morbi causa, & noxio humore, legitima curatio ineatur ad hunc modum.

Cholericus juvenis vel sanguineus utatur diæta regulari usque ad mediam curationem, deinceps resumptiva. *Syrupus initio fiat ex ligni semilibra, aquæ libris decem, redeatque decoctio fervens in fictili vase ad libras quatuor*, sumaturque semilibra in utraque potione. *Aqua in potu ex libris quindecim redeat ad novem, fervens in eodem vase.* In incremento *syrupus fiat ex una libra ligni, quindecim aquæ, redeatque decoctio ad libras quinque. Aqua in potu ex libris viginti redeat ad decem.* Reliqua curatione *pro syrupo sit lib. una ligni & semis, aquæ libræ sexdecim, factaque infusione communi redeat decoctio ad quatuor libras. Aqua secunda ex libris vigintiquinque ad decem redigatur.*

Phlegmaticus vero juvenis vel melancholicus resumptiva diæta cibetur tota curatione. *Syrupus fiat usque ad statum ex libra una ligni, sexdecim aquæ, fiatque communis infusio, deinde fervens in vase fictili redeat ad sex libras*, atque in utraque potione sumatur semilibra. *Aqua in potu ex libris decem & octo redeat ad duodecim.* Reliqua curatione *in syrupo sit libra & semis ligni, quindecim aquæ, infusioque fervens in eodem vase ad libras redeat quinque*, sintque in utraque potione unciæ octo. *Aqua in potu ex libris vigintiquinque ad quatuordecim redigatur.* Circa finem vero curationis, si adfuerit in doloribus humor noxius, ut causa conjuncta, emplastrum apponendum est ligni Sancti affecto membro, quemadmodum est in hernia demonstratum, prius, & posterius. prius autem emplastrum sit sine hermodactylis. Initio autem curationis non sunt adhibenda emplastra, quoniam magis attraherent, augerentque morbi causam conjunctam. Atque hoc ritu curata est a me Illustriſſima Domina Dorothea Gonzaga Bitonti Marchiona ab ischiade, cum nulla ei antea remedia alia profuissent. Peracta vero curatione legitima dierum quadraginta, æger vescatur solito cibo; sed qui nihil illi possit officere, loco autem vini duos aut tres menses bibat ligni Sancti decoctionem, quæ talis fiat. *Sint unciæ ligni quatuor in calida complexione, sex in frigida, libræ aquæ viginti quinque, fiat decoctio in fictili vase, atque ad decem & septem libras redigatur.* Quod si tam pertinax morbus non auferetur unica ligni Sancti curatione, bis, ter, ac sæpius est curatio eadem repetenda.

## CAP. XXIX.

*De frigidis apostematibus. De strumulis seu scrophulis puerorum.*

In frigidis apostematibus, ut cætera omittamus, in causa ponimus duram pituitam & crassam, tanquam morbi radicem, quanquam ex humore oriantur melancholico, ut Avic. tradit *tertia quarti de nodis*, & *secunda primi*, ubi *cap. 5.* tria distinguit genera, durities, glandulas, & cancrum. E necessaria autem est evacuatio, & diæta, vomitusque præcipue confert. In purgatione vero necesse est crassum phlegma educi, ut *tertia quarti* docet Avic. Ægro igitur *cap. 10.* bene affecto & purgato, curatio ineatur ligni Sancti ad hunc modum. Cibetur puer solito cibo, sed eo quam aptiſſimo & optimo parciusque quam pro consuetudine. In potu autem sumat ligni Sancti decoctionem, nec aliud quidquam bibat per duos menses, quæ decoctio fiat hujusmodi. In puero cholerico vel sanguineo, *sint ramentorum ligni unciæ tres, aquæ libræ viginti quinque, redeatque decoctio ad sexdecim libras fervens in fictili vase.* In phlegmatico puero vel melancholico, *sit ligni semilibra, aquæ libræ triginta, redeatque decoctio ad viginti.* Atque hoc pacto a me curatus est Neapoli puer septennis Lucius Pisci-

Piſcicellus. Si autem in ætate provectiore permanſerint ſcrophulæ, aut recenter contingant, hujuſmodi fiat curatio.

Cholericus juvenis vel ſanguineus utatur diæta regulari tota curatione. *Syrupus fiat, uſque ad ſtatum curationis, ex ligni ſemilibra, aquæ libris duodecim, redeatque decoctio ad libras quinque fervens in fictili vaſe*, ſemilibraque ſumatur in utraque potione. *Aqua in potu ex libris quindecim redeat ad novem.* A ſtatu & deinceps *decoctio ſyrupi redeat ad libras quatuor.*

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis diæta regulari cibandus eſt uſque ad ſtatum, deinceps reſumptiva. *Syrupus tota curatione fiat ex libra una ligni, duodecim aquæ, fiatque communis infuſio, tum fervens in vaſe fictili ad libras quinque redigatur*, ſumaturque ſemilibra in utraque potione. Si autem ſcrophulæ ſint cancroſæ, atque multiplices & collectæ in modum racemi, ægerque ex toto ſit melancholicæ complexionis, adhibenda cura A eſt caneri in matrice.

Præter ligni Sancti curationem apponenda hoc loco videtur noſtra unctio, quam ſalutarem ſæpius experti ſumus in ſcrophulis curandis. Ea unctio fit ad hunc modum. *Sumatur axungiæ gallinæ, anatis, anſeris, urſi, taxonis marmontani, aſini, & muli, ſingulorum uncia una, olei ſeſamini, amygdalarum dulcium, liliorum alborum ex ſingulis uncia una, radicum althææ, acori, bryoniæ, fœnugræci, ſeminis lini, ſingulorum uncia una, argenti vivi unciæ tres deſtillati, ut inferius dicemus de morbo Gallico, & extincti in mortario lapideo gattatim impoſita urſi axungia, tundente ligneo pilo atque agitante aſſidue, donec veſtigium non appareat ipſius argenti vivi. Deinde reliqua, quæ diximus ſimplicia ponantur in mortario, unaque omnia piſtello agitata optime commiſceantur, redeantque in formam unctionis*, qua æger tertio quoque die aut quarto ungatur ad ignem ante cænam.

# ALPHONSI FERRI,

## DE

# MORBO GALLICO

## LIBER TERTIUS.

### CAP. I.

*De Morbi Gallici definitione, cauſis ac ſymptomatibus.*

De morbo, quem Gallicum appellant, neminem ex antiquis ſcriptoribus aliquid in ſpecie atoma ſcripſiſſe comperio. In genere vero nonnullos ex veteribus recentiores autumant aliquid tetigiſſe conjectura quadam, non quod res ita ſe habeat. Nempe Celſus *de Elephantia*, Suetonius *de vita Cæſarum*, Hippocrates *tertia particula aphoriſmorum*, atque Galenus, Joannes Alexandrinus commentator *ſecundo Epidemiarum & libro primo Epidemiarum* de Feſto, qui ſe interfecit, & Galenus *de cholera nigra* neſcio quid de hoc morbo referre videntur. Sed crucient ſe juniores quantumlibet in interpretanda nominis ſignificatione, ac verbi vim, quatenus pro eis facit, interpretentur, nemo tamen ſpeciale capitulum de hujus morbi genere editum demonſtrabit. Quamobrem quoniam optimus terminus eſt, quem ſubſtantialem vocant, ut ait Sapiens in *primo techni*. De morbo Gallico dicturi, aliis definitionibus rejectis, ipſum quid inquiramus cum Ariſtot. *præcepto* 2. *Poſteriorum*, Morbus Gallicus mala eſt epidemialis diſpoſitio totius corporis & humorum ejus, unde ſymptomata mala ſequuntur, quorum quodlibet per ſe natum eſt morbi genus exiſtere, ſin autem & quid & propter quid definias, Morbus Gallicus eſt multiplex morbi genus, quum mala qualitas contagione per coitus, vel aliqua ſiderum cauſa inficit pudibunda, quibus infectis vitiantur venæ capillares, deinceps magnæ venæ, atque arteriæ, nec non & Hepar ipſum, & reliqua principalia membra. Quibus ita male affectis demum cæteræ totius corporis partes à tali morbo læſionem ſuſcipiunt, vel quovis alio modo contagionis, ut patet exemplo in definitione febris peſtilentialis (licebit enim nobis aliorum ſententias exempli gratia admittere,) quæ febris contagioſa eſt ex putrefactiva ebullitione in altero quatuor humorum cordi propiſſquorum principaliter, & ſecundum plurimum contingens. Cujus cauſa immediata ſeu conjuncta eſt vapor putridus attractus ab aëre corrupto & quaſi venenato, hac de cauſa hujuſmodi morbi difficulter curantur, difficile enim eſt medicamen invenire, quod tot tamque diverſa humani corporis membra ſanare & inſtaurare poſſe videatur. Et merito dico diverſa ob diverſam complexionem, diverſum ſitum, craſſitudinem, tenuitatem, duritiem, mollitiem, & poſitionem, ac etiam ob innumeras alias differentias. Quis enim in tot diverſitatibus vicem ſupplere poterit, quin in medio curſu prorſus non deficiat, ſive hic morbus contingat ob incurſum ſiderum, ſeu Planetarum, ſive ab India, quam dicunt, novam originem ducat, cum in ea regione nemo fere ſit, quin aliquando illum morbum paſſus ſit, ut referunt, qui illinc peregre rediere, ut hac ratione aliqui morbum Indicum vocent, qua propter dyſcraſiam hepatis & maſſæ ſanguineæ malam qualitatem & contagioſam ſiderum in- B fluxu contingere putandum eſt. Quæ cauſæ, etſi primitivæ & antecedentes ſunt, tamen diverſimode componuntur & operantur pro diverſitate conditionis & complexionis individualis, nam ſi maxima totius corporis repletio adeſt, & ſanguinis & choleræ dominium, cum pororum amplitudine, ſine dubio puſtulis totum corpus inficietur, & tunc à prædominante denominationem accipiet. At ſi melancholicus fuerit æger cum meatuum anguſtia & humoris groſſi tenacis, & ſic à dominio rara aut nulla apparebit puſtula, quæ res melancholiæ dominium arguit, ita de cæteris dicendum eſt. Quare non unus humor tantum, ut aliqui retulere, eſſentialiter peccat in hac dira ægritudine, ſed diverſi pro diverſitate complexionis & conditionis individualis, quare non mirandum eſt, ſi nunc raræ, nunc innumeræ puſtulæ, nunc unum ſymptoma, nunc plurima appareant. Habes ex his cauſas hujus morbi, & varias ipſarum commixtiones, non igitur in adventu hujus morbi unicum ſemper motum ſignorum, ſive affectuum expectes, ut Juniores ſentiunt, interdum enim plurimis cum puſtulis, interdum ſine, vel cum unica C tantum talis morbus initium ſumit, aliquando in pectine, vel in mento, vel in fronte, vel in capite, vel quavis alia parte corporis, aliquando cum doloribus immediate, vel poſt paucos menſes apparet, aliquando dolores nunquam exſuſcitat, vel longum poſt tempus ipſos ciet, interdum nec puſtulæ in principio morbi, nec dolores apparent, nec aliquod aliud ſignum, ſed macies & pallor quidam totum fere corpus occupat, ob pororum obſtructionem, vel ob aliam cauſam præſervantem, & poſt multos annos tuberoſitates oſſuoſæ, ac acerrimi dolores, aliaque his ſimilia ſymptomata oboriuntur, quæ omnia per ſua ſigna demonſtrativa dignoſcuntur, quum de unoquoque accidente ſpeciale capitulum faciemus. Tunc enim quid ſit illud accidens, & quibus cognoſcendum ſit ſignis indicabimus, ac ejus curam.

### CAP. II.

*De Univerſali curatione in morbo Gallico.*

D Sed ut ſingulas ægritudines tali morbo genitas ordine curemus, ejuſque eſſentiam ſimul cognoſcere valeamus, ponamus Socratem infici tali morbo, taliaque ſymptomata pati, videlicet ulcera virgæ, puſtulas, junctura rum ac capitis dolores, aliorumque membrorum apoſtemata oſſuoſa, diverſa ulcerum genera, oris ſcil. aliorumque membrorum, manuum & pedum ſerpiginoſas fiſſuras, ac alias paſſiones à capite ad pedes ſibi ſimiles. Hunc igitur Socratem ſi cholericæ invenies vel ſanguineæ complexionis, ad cauſæ remotionem prius devenias cum præcepto Galen. dicentis, unum commune præceptum habere oportet, efficientem unamquamque cauſam abſcindere, deinde eam, quæ facta eſt, dyſcraſiam, fieri enim non poteſt, ut morbus removeatur, cauſa ipſius permanente. Inquit Avicen quarta primi, phlebotomandus igitur eſt

*3. Tech. & 7. therap. & 13. cap. ulti.*

æger in principio morbi, quod si fieri difficile est propter impediens aliquod, digeratur, & evacuetur pro morbi exigentia. Et quia ex communi omnium sententia & præcipue Galeni *primo regiminis acutorum*, humores raro simplices corrupti inveniuntur, sed commixti ut plurimum, hinc est quod pharmaca adhibenda sunt composita. Quare in hujusmodi cholerici humoris adustione, tale Socrati digestivum præbeas, ne vacua (quod dicitur) manu in casu propositio procedere videamur. Recipe *syrup. de succo borraginis unciam unam, syrup. de succo fumi terræ unciam semis, aquæ fumi terræ uncias tres*, digestaque materia, ut decet, tali minuenda est lenitivo. Recipe *cassiæ noviter extractæ unciam unam, diacatholiconis Arnaldi drachmas sex, sacchari violæi, vel mannæ uncias duas, aquæ fumi terræ, decoctionis myrobalanorum & tamarindorum, vel de quo malueris, uncium sufficit. fiat potio, vel bolus cum saccharo*, qua diminuta materia denuo digeratur & evacuetur. Nam, ut Hippocrates asserit secunda aphorismorum, ægritudines, quæ ex repletionibus fiunt, evacuatio sanat, cujus syrupus sit. Recipe *syrupi de succo cichorei unciam unam, syrupi lupulorum unciam semis, aquæ cichorei uncias tres misce*, & evacuetur, cum syrupo compositio Augustini Suessani dicto, posito à Guidone de Cauliaco capitulo de lepra, cujus forma talis est Recipe *myrobalanorum omnium, singulorum uncias tres, rhapontici, foliorum sennæ, epithymi, singulorum unciam unam, polypodii quercini recentis libram unam, foliorum fumi terræ, & lupulorum recentium singulorum libram unam & semis, ivæ arthreticæ recentis unciam unam & semis, liquiritiæ mundæ drachmas quatuor, florum borraginis, florum buglossæ, & violarum, singulorum unciam semis, omnium fiat decoctio & colaturæ usque ad libras duas, in qua misceatur succi fumi terræ & lupulorum recentium, singulorum libra una, sacchari optimi quantum sufficit, fiat syrupus secundum artem & aromatizetur, & cum moschi & ambræ pauco ligatorum in panno lineo raro & suspensorum in dicto syrupo, cujus dosis est unciarum quatuor usque ad quinque cum aqua lupulorum.* Aliqui addunt *unciam unam vel duas confectionis Hamech, vel electuarii de succo rosarum* pro humoris & morbi exigentia. Vel cum syrupo nostro expertissimo. Recipe *succi borraginis, succi rosarum rubrarum singulorum libram unam, myrobalanorum citrinorum, chebulorum, & Indorum, & in dictis succis infusorum per diem, singulorum uncias duas cum dimidia. Exinde leniter bulliant & colentur.* Deinde *accipe polypodii quercini recentis libram unam, radicis acori unciam unam, seminum fœniculi drachmas duas, secundum artem fiat decoctio in aqua fontis, de cujus colatura, & præfata infusione cum sufficientia sacchari tabarzet fiat syrupus.*

Aphor. 22.

## CAP. III.

### *De virgæ ulceribus.*

Facta diminutione causæ antecedentis, ad causam ipsam conjunctam devenias, & primum ad ulcera priapi, quæ cum fuerint in principio & siccam membri læsi complexionem intueri volueris, ut præcipit Avicenna *quarta quarti*, hac medicina utaris ex descriptione nostra. Recipe *tutiæ præparatæ cum vino albo, viridis æris bene combusti singulorum drachmas duas, aquæ plantaginis uncias duas, ferveant una unico fervore*, & ea utaris aqua cum fuerit intentio mundandi pariter & consolidandi, nam si consolidandi intentio fuerit tantum, tunc *tutiæ drachmarum duarum sit dosis, & viridis æris drachmæ semis*, nec aliud in hujus morbi cura medicamen adhibere tentes. Est enim bezoardicum medicamen omnium ulcerum, quæ in virga fiunt. Et ego tibi propono medicamina magis approbata in arte & mea praxi, quod si mundandi tantum intentio sit, supradicta aqua sic fiat. Recipe *viridis æris bene combusti drachmas tres, tutiæ præparatæ cum vino albo drachmam unam, vini albi aromatici unciam semis, aquæ plantaginis unciam unam & semis, ferveant simul unico fervore.* Et in administratione, aquæ vas seu aquam ipsam agites, pro maximo secreto: si autem ulcera ad corrosionem, ac latentem fraudem tendere videbuntur, cum *Ægyptiaco* mundentur totius communitatis. quod si in mundando hujusmodi ulcera inobedientia fuerint, hanc in mea praxi usitatam mixtionem conficias. Recipe *sublimati grana quinque, unguenti albi camphorati drachmas tres, opii grana duo misce*, ac ita bene confecto tantundem *Ægyptiaci prædicti* addatur, & eo in ulcere sordido, corrosivo, ac fraudulento utaris, nam mirum in modum operabitur. Deinde facta ulceris mundatione ad aquam prædictam mundantem & pro tuæ intentionis curativæ exigentia redeas. Quod si frequens prædictæ aquæ administratio est in causa, ut membra male affecta & ulcera nullam denique suscipiant levationem, tunc pulvis ex descriptione nostra nobilis & in nostra longa praxi expertissimus inspergatur. Recipe *Tutiæ præparatæ cum aqua plantaginis, antimonii, plumbi usti, lithargyri auri, cerussæ singulorum drachmas quatuor, in pulverem quam minutissime redigantur, & decies in aqua rosarum præparentur, ac in umbra exsiccentur: deinde adde sanguinis draconis electi, aloës hepaticæ, singulorum drachmas duas & semis, cariei ligni drachmas tres, conficiantur simul minutissime in formam alcohol.* & eo utaris pulvere recentibus & antiquis ulceribus consolidandis, ac ad quamcunque virgæ excoriationem, mirabiles enim effectus videbis. nec ignoramus quidem, quin pulvis minus efficax sit, quam illud quod ex eis est cum oleis & ceratis, nam necessitas producens ad olea, hinc est quod materiæ ficcæ & propriæ, quæ sunt ut *merdasengi*, non submergantur usque ad profundum neque penetrent in poros, ut inquit Avicenna supra. quod si volueris aliquod experiri in cicatrizando ulcera priapi, etsi in tali membro nervoso unctuosa abhorream, tamen ob prædictam Avic. rationem unguentum hoc expertus sum, & in magnatibus quotidie utor in hyeme. Recipe *olei antiqui centum annorum vel circa. libram unam, cerussæ cribellatæ uncias tres cum dimidia, ceræ citrinæ quantum sufficit. ferveant lento igne semper agitando, donec ad susceditatem & colorem corticis castaneæ maturæ deveniat*, ac eo unguento utaris, cum non solum ulcera virgæ, sed etiam quoruncunque membrorum consolidare volueris. Est enim Principum medicamen, & animadvertas, quod velamine & proprie clausura ipsius mentulæ tumefacta existente, si ejus inversatio acquiri non potest, ac sui ineptitudo ad alia medicamina te devenire cogit, lotionem hanc intrinsecus mundificantem adhibeas. Recipe *hordei pugillum unum, plantaginis manipulum unum, absinthii manipulum semis, balaustiarum contusarum numero tres, ferveant in aqua pluviali & vino albo, & colaturæ adde viridis æris bene combusti drach. iij. rhodomellis uncias tres, misce, & fiat lotio*, & cum oriculario sæpius lavetur actu calido. Et si extra mala complexio ac durities aliqua phlegmonodes affuerint, hac lotione membrum foveatur. Recipe *folia malvarum cum radicibus suis, plantaginis, violarum singulorum man. iij. ferveant in aqua fontana, & actu calido membrum epithimetur*, deinde cum eisdem herbis calidis cataplasmetur, facta autem resolutione & mundificatione causæ conjunctæ, tali lotione ipsius ulcera consolidabis in declinatione. Recipe *nucum cupressi, balaustiarum, singularum numero sex, rosarum, myrtorum, singulorum pugillum unum, ferveant in vino rubro & aqua plantaginis ad partes æquales. In quorum colatura & sufficientia libræ unius, dissolve tutiæ præparatæ cum vino albo unciam semis, viridis æris bene combusti drachmam unam cum dimidia misce*, & cum oricularia administretur, & petiæ cum prædicto unguento fusco ponantur intus more experti Chirurgi. quod si durities aliqua gummosa aderit in mentula, fueritque inepta resolutioni, tale apponas emplastrum. Recipe *emplastri diachylonis minoris uncias tres, axungiæ ursi drachmas tres, mucilaginis althææ, fœnugræci, & seminis lini singulorum unciam semis, conficiantur lento igne ad formam emplastri secundum artem*, & si durities non resolvitur fiat hoc aliud. Recipe *emplastri diachylonis majoris cum gummi, & minoris singulorum uncias tres, axungiæ ursi, mucilaginis fœnugræci, & seminis lini, & radicum althææ singulorum unciam, conficiantur simul lento igne ad formam emplastri secundum artem.* quod si mentulæ inversatio demum acquiri non potest, tunc ad incisionem secundum longitudinem virgæ devenias, incisioque in sinistro latere fiat ob venarum carentiam, & ulcus cures more aliorum ulcerum, digerendo scilicet mundificando, & consolidando pro morbi exigentia, ne obliviscaris tamen digestionis materici, & ejus eradicationis. reminiscaris etiam regiminis in sex rebus non naturalibus, quod gratia brevitatis omitto, quum de eo abunde alii dixerint.

Cap. 4.

Cap. 9.

## CAP. IV.

### *De morbi Gallici pustulis.*

Postquam universalia non oblitus es, ut valeas particularia operari, pustulis frequenter corpus inficitur, quæ diversæ pro diversitate humoris peccantis existunt, nam quæ cholericæ sunt, citrinæ ac magis extrinsecæ apparent, & quanto calidior & adustior cholera fuerit, tanto nigrior & magis fusca, ac crustosa eorum superficies apparebit: sin autem sanguineæ sunt, quodammodo saniosæ &

& in toto eorum circuitu, vel in aliqua parte tantum rubicundæ videntur. at si phlegmaticæ sint, baurachinæ; subalbidæ, & profundæ, membrumque quadam cum tenacitate amplectuntur: si melancholicæ, cum duritie quadam & tensione in membro fixa profundantur, & lividitate quadam associantur carnosa & callosa, qua atra bilis dignoscitur manifeste, qua mediante pustulæ tardæ difficilisque curationis efficiuntur, hac de causa inter illas pustulas quidam sunt gradus, nam melancholicæ difficilius quam phlegmaticæ sanantur, & phlegmaticæ difficilius quam cholericæ. Et sic de aliis dicendum est, etiam si ex pluribus humoribus compositæ videantur. Et quia hujusmodi pustulæ interdum facile, interdum difficulter curantur, ac etiam frequenter recidivam petunt, quum in facie apparent, tunc ne fœdis cicatricibus facies deturpetur, singulas pustulas singulis remediis exsiccare tutissime poteris, tum quia universalia præcellere, tum ob prædictas rationes bis in die illas madefacito cum aqua nostræ descriptionis. Recipe *sumach*, *fructus tamarisci*, *thuris*, *mastichis singulorum drachmam unam*, *tartari vini rubri* B *drachmas duas cum dimidia*, *ceruſſæ drachmas duas*, *ſublimati pulverizati grana tria*, *vel loco ipſius ſublimati ponatur aluminis drachma ſemis*, *aquæ plantaginis*, & *roſarum ſingularum unciam unam cum dimidia*, *ſucci limonum majorum unciam unam. bulliant ſimul lento igne in vaſe vitreo ad unius quartæ partis conſumptionem*, & *clarificetur*, & *coletur*, & ea utaris aqua audacter, universas enim pustulas in quocunque membro existentes exsiccabit, & curabit. si vero hæc aqua non sufficiat pustulis curandis, citiusque te expedire volueris, ob ægrotantis morositatem, condimentum ex nostra descriptione adhibeas. Recipe *albumen unius ovi recentis*, *agitetur*, *deinde adde ſublimati in pulverem redacti grana tria*, *agitentur iterum ſimul*, *donec unguenti formam ſuſceperint*, tum pustulas illinito biduo vel ad summum triduo, & curabuntur. & cum in declinatione fuerint, hoc oleo inungantur tum pustulæ, tum partes circumstantes, nam maculas fœdas in membro fieri prohibebit, & si quæ sunt in cute, destruet ita, ut nullum earum in cute vestigium re- C manceat. Recipe *tartari combuſti*, & *in pulverem redacti libras duas*, *ponatur in panno lineo*, *ſuſpendaturque in loco humido ſubterraneo*, *ſuppoſitoque vaſe in quod decidant guttæ deſtillantes ex ipſo panno lineo*, & *oleum in vaſe vitreo ſervato*, bisque in die maculas, ac vestigia à pustulis derelicta illinias, nec non & ipsas pustulas, quæ quoties recidivantur, toties eisdem remediis curentur. quod si utilius videbitur, ut pustulæ extra cutem pellantur, humoresque ad cutim ipsum attrahere cupis, vescatur æger affidue *herba ſtella* satis nota vel in ferculis, vel ex ea succum bibat, vel crudum mandat cum *aceto paſſulato*, vel quovis alio modo, semper aliquibus evacuationibus intermediis. quod si copiam varietatemque medicinarum abhorreat, talem præbeas infusionem usitatam, & à communi medicorum schola approbatam. Recipe *quatuor florum cordialium*, *ſenæ*, *florum fumi terræ ſingulorum pugillum ſemis*, *polypodii quercini conquaſſati drachmam unam*, *infundantur in aquæ lactis libra una*, *ſucci cichorei*, *lupulorum*, & *fumi terræ purificatorum ſingulorum unciam ſemis*, *vel ferveant ſimul*, & *doſis ſit ſemilibra in mane*, *ſemel vel bis in hebdomada.*

## CAP. V.

### *De oris ulceribus.*

Ulcera oris, quæ per sua dignosces signa, difficillimæ curationis existunt, ut refert Galen. quia locus calidus est humidus, putredinique paratus, & corrosioni, tum etiam quia loci ineptitudo medicaminum cohærentiam prohibet. Et ob salivæ commixtionem ulcera profundiora fiunt, quæ quum fixam habent causam, eorumque corrosionem ac deambulationem cum duritie, & lividitate baurachina sive melancholica conspicies. In his utaris universalibus *pillulis ſcilicet fumi terræ*, *aggregativis*, *fœtidis*, & similibus; exempli gratia. Recipe *pillularum fumi terræ drachmam unam*, *pillularum aggregativarum ex inventione noſtra drachmam ſemis*, *formentur pillulæ ſeptem cum confectione hamech*, & *deaurentur*, & post duas horas assumptionis pillularum accipiatur hujusmodi apozema. Recipe *diabugloſſati*, *vel mannæ electæ uncias duas*, *aquæ hordei vel bugloſſæ quantum ſufficit*, *diſſolvantur*, & *fiat potio.* quod si causæ conjunctæ mala complexio calida cum duritie viget, tunc venæ sub lingua incidendæ sunt, mala item complexio calida durities que illa remittenda & resolvenda tali gargarismo. Recipe *quatuor florum cordialium*, *hordei ſingulorum pugillum unum*, *ſebeſten*, *jujubarum ſingulorum numero decem*, *paſſularum enucleatarum unciam unam. ferveant in aquæ pluvialis & aquæ plantaginis partibus æqualibus*, *in quo-* A *rum colatura & ſufficientia libræ unius cum dimidia*, *diſſolve pulpæ caſſiæ nuperrime extractæ per ſe ſam drachmas duas cum dimidia*, *rhodomelitis ſaccharini*, *diamoron*, *ſanguinis draconis uncias duas*, *miſce & fiat gargariſmus.* facta digestione causæ conjunctæ, ac remota mala complexione aliqua ex parte ad fortiora mundificantia devenias. Recipe *fructus tamariſci*, *cupularum glandium*, *roſarum incompletarum cum ſuis ramis*, *myrtorum ſingulorum drachmas quatuor*, *hordei pugillum unum*, *teneritatum rubi & olivarum ſingulorum manipulum unum cum dimidio*, *ferveſiant in aqua pluviali & vino albo aromatico*, *in quorum colatura & ſufficientia librarum duarum diſſolve aceti ſquillitici unciam unam*, *oxymellis ſquillitici unciam unam cum dimidia*, *rhodomelitis uncias duas*, *miſce & fiat gargariſmus.* quæ si in mundificando minime sufficiunt, involvetur cotum in cuspide instrumenti argentei vel lignei, & dictum cotum ita involutum madefac in aqua nostra dicta in Capitulo de Socrate patiente pustulas morsi Gallici, bis vel ter in die oris ulcera tangendo, tali namque aquæ administratione tuto ac celeriter ulcera mundificabis. In declinatione autem ulcerum oris, talem adhibeas gargarismum exsiccantem ac consolidantem & membrum suscipiens confortantem. Recipe *sumach unciam unam cum dimidia*, *nucum cupreſſi viridium*, *balauſtiarum Arabicarum conquaſſatarum ſingulorum numero quinque*, *aluminis drach. s. roſarum*, *myrtorum ſing. pugillum unum*, *bulliant in vino rubro aromatico*, & *aqua pluviali*, *vel aqua plantaginis ad partes æquales*, *in quorum colatura & ſufficientia librarum duarum diſſolve diacarydion*, *ſyrupi myrtorum ſingulorum uncias duas cum dimidia*, *miſce & fiat gargariſmus.* Si vero pulverem aliquem in ulcus cum cannula injicere velis, hunc per me probatum pulverem mundificantem adhibeas. Recipe *aluminis ſaccharini drachmam unam*, *ſanguinis Draconis drachmas duas*, *balauſtiarum drachmas quatuor*, *in pulverem minutiſſime rediguntur*, & *miſce.*

## CAP. VI.

### *De caſu Pilorum.*

Quoniam ab hoc morbo alienum non est, sæpe pilorum casus inducere, corporaque humana molestissime deturpare, consentaneum pro communi omnium salute fore censui, membris ab hujusmodi morbo male affectis ab eorumque pilis denudatis aliqua præsentanea medicamenta adhibere, hanc videlicet infra scriptam decoctionem. Recipe *ſenæ manipulum unum*, *radicis lapathi acuti unciam unam*, *florum roriſmarini manipulum unum cum dimidio*, *omnium ſimul fiat decoctio. Aquæ etiam decoctionis fœnugræci calidæ actu adhibita & embrocata*, nec non & *lixivium cum eodem fœnugræco decoctum* mirifice conferunt, *pinguedo item ſerpentis vel talpæ* leprosos illos succos lenit & curat, capillorumque casum prohibet, & delapsorum ortum accelerat, vel *vinum nigrum cum aloë decoctum* idem operatur. Medicamen insuper capillorum casum prohibens, evulsosque regenerans hoc D est. Recipe *laudani*, *ſucci myrtillorum ſingulorum unciam unam*, *papaveris nigri*, *ſpicæ nardi*, *capillorum veneris ſingulorum manipulum unum*, *cyperi*, *corticis pini*, *ſeminum apii ſingulorum ſemi-unciam*, *olei ſeſamini*, *olei myrtini ſingulorum libram unam*, *terantur & ferveant in duplici vaſe & colentur*, & *colatura uſui reſervetur.* Aliud idem obtinens. Recipe *abſinthii viridis manipulum unum*, *corticum avellanarum uſtarum uncias duas*, *cum oleo myrtino ferveant & colentur*, locusque a pilis denudatus actu calido inungatur. Nec præternittatur regimen diæteticum & pharmaceuticum aut phlebotomia pro noxii humoris exigentia, *ſyrupuſque noſter de polypodio* prædictus mirifice confert frequenter sumptus.

## CAP. VII.

### *De fiſſuris ſerpiginoſis manuum & pedum.*

Serpiginosæ manuum & pedum fissuræ, à baurachina pituita vel adusta cholera frequenter ortum habent, ob fortem hepatis, aliorumque membrorum virtutem expulsivam. Hepatis igitur ipsius mala complexione prius alterata, ac pro noxii humoris exigentia, digestione evacuationeque adhibita cum nostro præcipue *ſyrupo de polypodio* dicto in capitulo primo, nec non optimo regimine diætetico, fissuras & callosas squamas tali decoctione bis in die madefacies. Recipe *radicum althææ præparatarum*, *malvarum cum radicibus ſuis*, *foliorum violarum ſingulorum manipulum unum*, *cum capite arietis & ſevi arietini ſemilibra ferveant ſecundum artem. Et colatura utaris modo prædicto.* Post vero dictam balneationem cum panno valde aspero tamdiu fissuræ fricentur, donec sanguis

exſcaturiat. Hoc autem peracto ſingulas fiſſuras cum aqua dicta in capitulo de Socrate patiente puſtulas madefacito, eundem ſcilicet modum applicationis aquæ obſervando, ſic etenim digeſtionem ac mundificationem per menſem perficies. In declinatione autem tali lavacro fiſſuras ipſas lavabis. Recipe *ſtipitum caulium veterum manipulos duos, auripigmenti ſubtiliter cribrati uncias duas, pinguedinis equi ſemilibram, ferveant in aqua fontis ſecundum artem.* Poſt autem egreſſionem à balneo tali puſtulæ linimento inungantur. Recipe *olei ſeſamini ſemilibram, vel olei amygdalarum dulcium, polypodii quercini recentis & conquaſſati uncias duas cum dimidia, ferveant ſecundum artem & colentur.* Deinde Recipe *lithargyrii auri, antimonii, plumbi uſti, ceruſſæ, tutiæ præparatæ cum vino albo ſingulorum ſemi-unciam, ſucci radicis lapathi acuti, ſucci chelidonii ſingulorum unciam unam, cum prædicto oleo in mortario plumbeo ad formam unguenti redigantur.* Quod ſi dicto unguento ſublimati grana quinque vel ſex addantur, tutiſſime curabit, fiſſurasque penitus delebit. Et quoniam hujuſmodi fiſſuræ paratam habent recidivam, ob id quotiens recidivantur, totiens cura hæc & univerſalis & particularis reiteretur, donec ad optimam valetudinem ægrotus reducatur.

## CAP. VIII.

### *De curatione prædictorum Symptomatum morbi Gallici recentis, quæ curationem non ſuſcipiunt à prædictis medicinis.*

Quum vero ulcera oris & mentulæ ſeu puſtulæ à præfatis medicinis alleviationem non ſuſcipiunt (cum morbus recens exiſtat) immo in deterius in dies labuntur, & capitis aliorumque membrorum dolor advenerit, tunc ad curam ligni Sancti confugias.

Cholericus juvenis vel ſanguineus cibetur initio curationis diæta regulari, à ſtatu autem uſque ad finem diæta ſit reſumptiva, ab initio uſque ad augmentum *fiat pro eo ſyrupus ex ligni ſemilibra, aquæ libris decem, ferveat infuſio in fictili vaſe donec ad libras quinque redeat decoctio: Aqua ſecunda in potu ex duodecim libris ad octo redigatur.* Ego enim ſola hujus aquæ ſecundæ potatione curavi puellam ab hoc pravo morbo cruciatam ætatis duorum annorum in priſtinam ſalutem reſtitutam. Ab incremento ad finem curationis *fiat ſyrupus ex libra una ligni, duodecimque libris aquæ, redeatque decoctio ad octo. Aqua ſecunda in potu ex quindecim ad novem redeat*, ex ſyrupo ſumatur ſemilibra tam mane quam veſperi tota curatione.

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis regulari diæta utatur tota curatione. Pro eo *ſyrupus fiat uſque ad ſtatum ex libra una ligni, & duodecim aquæ, redeatque decoctio ad libras quinque. Aqua ſecunda in potu fiat ex libris aquæ quindecim, quæ decoctæ redeant ad decem.* In ſtatu autem uſque ad finem curationis in ſyrupo *ſit una quoque libra ligni, decoctioque in fictili vaſe fervens ad tres tantum libras redigatur, aqua item ſecunda fiat ex libris aquæ quindecim, quæ decoctæ redeant ad decem.* Quod ſi Socrates calidæ vel frigidæ complexionis in declinatione curæ aliqua hepatis vel alterius membri ſupercalefactione male affectus fuerit, tunc ejus ſyrupus, & aqua ſecunda ad frigidum alterentur, ſcilicet augendo doſim aquæ, & ligni diminuendo. ut vero de Socrate calidæ vel frigidæ complexionis dico ætate juventutis, ita etiam & de ſene, niſi quod propter debilem digeſtivam, & doſim ſyrupi minuere, & reſumptivam diætam præbere audacius poteris. Hoc etiam animadvertendum eſt, quod in curatione prædictorum accidentium per lignum ſanctum, tali mercuriali unguento uti potes in curandis ulceribus virgæ hac ſerie, facta prius curatione & mundificatione ulcerum, mentulam ipſam, inguina ac pecten inunge actu calido. Nec non & in ulceribus oris, collum una cum ſpatulis ſepties de tertio in tertium diem. Et cum gingivarum excoriatio, ac copioſus ſalivæ fluxus affuerit, & ſi in tertio die hoc contingat, ab ipſa unctione deſiſtere debes, prædictique unguenti forma talis eſt. Recipe *olei chamæmelini, anethini, laurini, liliorum cœleſtium, & roſati ſingulorum uncias duas, terebinthinæ Venetæ unciam unam, axungiæ porcinæ ſine ſale clarificatæ libram ſemis, lithargyrii auri, ceruſſæ ſubtiliſſimæ pulverizatarum ſingulorum uncias duas, ferveant ſimul unico fervore, & in removendo ab igne adde cineris vitis, thuris, maſtichis ſingulorum ſemi unciam. Conficiantur omnia ſimul ad formam unguenti.* Deinde *accipe argenti vivi purificati ex noſtra deſcriptione & extincti in mortario lapideo cum terebinthina vel oleo roſaceo, donec nullum extet veſtigium unc. iij. ſtoracis liquidæ unc. j. hoc autem peracto ipſum unguentum in dicto mortario ponatur. Et tundiu agitetur, donec omnia bene conficiantur*, & eo utaris more artis, vel cum ceræ quantitate ad formam ceroti redigatur, eoque utaris more artis.

## CAP. IX.

### *Quæ ſit argenti vivi complexio.*

Naturam hujus Metalli perſcrutaturus non parvas apud Antiquos reperio diverſitates, quidam namque Autorum antiquiſſimi frigidum & humidum argentum vivum eſſe aſſerunt. Alii autem calidum & ſiccum, Galenus namque *nono de ſimplici medicina* nullam de eo refert habere ſe experientiam, niſi quod occidit, ſi extra apponatur vel bibatur, ſortitum tamen lithargyrium. Avic. præterea *ſecundo canone capite proprio* frigidum inquit & humidum eſſe in ſecundo gradu, Albertus tamen magnus *libro tertio metheororum* refert, quod proceſſus ex materia à generatione mixtorum eſt, quod vapor commixtus humido aqueo, quod in ſe ſubtile terreum habet, reſolvitur & ingroſſatur in ipſo. Et de ſubſtantia ſpirituali fit corpus groſſum, & fit quaſi aqua ſicut eſt argentum vivum, in illo enim humidum aqueum eſt, & quæ ſequuntur, Gulielmus inſuper Placentinus frigidum & humidum cum cæteris argentum vivum eſſe aſſeverat *libro quarto*, Hermen Alchimiſtarum primum de eo ſcripſiſſe referunt antiqui, ipſumque frigidum & humidum reponere, Arnaldus de Villa nova in *roſario Philoſophorum* refert, argentum vivum compoſitum eſſe ex terra alba ſulphurea cum aqua clara, Platearius *capite de argento vivo* in quibuſdam tamen libris ſubdit, reperitur quod frigidum eſt in quarto gradu. Ex effectu quidem ejus tale eſſe probatur, quia eſt valde actualiter frigidum, Geber, argentum vivum inquit manifeſtum, quod mercurius appellatur, Antiquorum uſu eſt aqua viſcoſa in viſceribus terræ ſubſtantiæ ſubtilis albæ tinctæ per calorem temperatiſſimum unita tali unione per minima, quouſque humidum contemperatur à ſicco, & ſiccum item ab humido, Ideoque facile ſuperficiem planam fugit propter ſui aquoſam humiditatem. Qui quidem Autores his fundantur mediis & primo à denominatione argenti vivi, ὑδραργυρος enim dicitur Græce ab ὕδωρ quod eſt aqua & ἀργυρος quod eſt argentum, quaſi aqua argenti, ſecundo per ejus ſubſtantiam ponderoſam, quæ frigiditati magis quam caliditati atteſtatur, tertio quia in adminiſtratione unguenti ex eo calor naturalis revocatus ad interiora membrorum ob unguenti narcoticam vim fortis factus eſt ad ſenſibiliter vel inſenſibiliter reſolvendum, ad maturandum, vel ad aliquam materiam congelandam, quæ deinde paratam recidivam habet, ut luce clarius patet in actu practico. Præterea actualis ejus frigiditas ipſum eſſe frigidum demonſtrat, nam ſi materiæ de circumferentiis ad centrum repelluntur, ergo ejus natura narcotica eſt, hoc autem per ejus effectus indicatur, nempe per paralyſim & tremorem. Qui quidem calor unitus ac vigoratus ſi per aliquam regionem non exerneret, membrum multitudine materiei procul dubio ſuffocaret: Quod calidum ſit metallum iſtud Ariſt. *quarto metheor.* incoagulabilia autem, inquit, quæcunque aut humiditate aquoſa carent, aut non aquæ ſunt, ſed plus calidi & terræ, puta mel & muſtum, aut plus aëris ſicut oleum & argentum vivum. Galen. pariter. 4. *de ſimplicium medicamentorum facultatibus* ad hæc inquit, arſenicum hydrargyros & id genus craſſarum ſunt partium ac poteſtate calida. Iſaac autem Iſdraël in *ſecundo ſuæ practicæ de medicinis* in quarto gradu refert, quod argentum vivum calidiſſimum eſt & humidiſſimum in quarto gradu. Et idem Conſtantinus *de virtutibus ſimplicium medicinarum*, argentum vivum in eis, quæ in quarto gradu calida ſunt, reponit. Rhaſis autem *ultimo continentis tractatu primo* cum Paulo Aegineta, refert illum calidum eſſe ac corroſivum, Platearius calidum inquit & humidum eſt in quarto gradu cap. de argento vivo, Hali Abbas & acutum & comburens eſt argentum vivum inquit. Hac enim ratione moti ſunt iſti veteres Autores, ut Conciliator differentia 151. Quod corrodit & mordicat calidum eſt, argentum vivum eſt hujuſmodi, igitur &c. Præterea diſſolvit, incidit, & penetrat. Hæc autem caliditatem teſtantur per ſe primo, jure igitur calidum argentum vivum eſſe putarunt veteres. Accedit quod humores ſubtiliat atque calefacit, illosque mobiles redditos ſua acuitate expellit, nunc per os facile ſputum habentibus, nunc per feceſſum mollem habentibus alvum. Etſi difficillimum ſit hos conciliare Autores, cum Doctorum diſcordantia difficultatem arguat, quod vel ex parte rei, vel ex parte noſtri modi cognoſcendi (ut Philoſophus inquit) contingit, eſt enim hæc difficultas veluti pelagus, verum pro nunc in re tam ardua una cum Conciliatore dicamus, quod argentum vivum dupliciter poteſt conſiderari, penes ejus ſubſtantiam duplicem differentem, quarum una quidem aquea eſt, altera vero terrea ſulphureaque. Quantum igitur ad partem terream ſulphuream

Cap. 31.
Cap. 6.
Cap. 2.
1. Com. 43.
Cap. 18.
Cap. 51.
Cap. 71.

cali-

calidum dicitur & ſiccum, quia ſublimatione ejus humidum reſolvitur, & ſic rite ſentiunt, qui calidum argentum vivum poſuerunt. Quantum autem ad ejus ſubſtantiam aquoſam, quæ ſicut ejus materia exiſtit, quæ ſtatim calido concitato ob imperfectam ejus cum terreſtri ſulphureo mixtionem in fumos evaporat, morbos inducit frigidos: Hæc pro nunc in tanta controverſia ſufficiant. Nam alias Deo dante conabimur dicato opere veritatem magis inveſtigare.

## CAP. X.

*Nunquid cinnabaris idem ſit, quod argentum vivum, ut quidam exiſtimant.*

Quoniam aliqui oberrare poſſunt, & quidam parum eruditus manifeſte erravit, dicens cinnabarim argentum vivum non eſſe, fortaſſe ignorans ex quibus conficiatur ſimplicibus. Idoneum itaque putavi in medium veritatem adducere, & enucleare, atque ut cæteri veritatem agnoſcant. Et quia in libro Servitoris patet zinzifur id B eſt cinnabarim ex argenti vivi & ſulphuris partibus æqualibus fieri, quod argentum vivum ex vero ſulphure non
Cap. 2. urente fit, ut Arnaldus de Villa nova in *roſario Philoſo-*
Cap. 3. *phorum* refert, ibidemque inquit, manifeſtum igitur eſt, quod argentum vivum in ſe ſulphur, ſuum bonum ac fixum continet, quo coagulatur. Et cum omne ſimile adaugeat, illud dicendum puto, ob talem ſulphuris commixtionem argenti vivi non mutari formam intrinſecam, immo eam fortius acui, quia ſulphur, quoquomodo præparatur per artificium, ſemper comburit, & comburitur,
Cap. 3. omnique in opere nigredinem præſtat. Quare denigratur argentum vivum per talem ſublimationem, non tamen ejus forma mutatur. & quod argenti vivi forma non de-
Cap. 4. leatur, nota quæ Arnaldus enunciat, argentum vivum eſt ſolum quod ignem ſuperat & ab igne non ſeparatur, ſed in eo gaudens amice quieſcit. Eſt namque fortiſſimæ compoſitionis & naturæ uniformis, quia non ſeparatur in partes, ut nullatenus ſe dividi permittat, quia aut cum tota ſui ſubſtantia in igne permanet, aut cum tota ipſa ab igne recedit, quoniam ſua denſitate, ac aduſtionis carenC tia ſui diviſionem non patitur, quæ per ſulphureitatem, intellige tu combuſtibilem, quam non habet, perficitur.
Cap. 2. Et Albertus magnus 4. *metheororum* refert Hydrargyros id eſt argentum vivum, incoagulabile eſſe, magis tamen oleum. Siccatur tamen per multam ſulphuris aduſtionem & mixtionem cum ipſo factam ipſum omnino non adurentis, niſi cum corillo aduratur, ut experientia docuit Albertum magnum. Quamobrem dicendum puto, quod cinnabaris conſtet ex argento vivo & ſulphure, ſulphur autem aſſervet potius, quam deleat argentum vivum, erit in cinnabari argentum vivum actu & in propria forma, licet aſpectum ejus ſulphuris infectio occultet. Nullam igitur eſſe inter illa intrinſecam & formalem diſtinctionem aſſeritur. Nec
Cap. 2. refert ſi adverſarius adduceret Albertum magnum 4. *metheororum* innuentem. Nota autem quod ſi Hydrargyros ita per calidum exſiccetur, poſtea per calidum non ſolvetur. Et ideo hæc exſiccatio potius eſt corruptio argenti vivi quam coagulatio. Exſiccatur enim tunc terreſtre, quod in ipſo eſt, & ad lateris naturam deducit, & ideo calumnia de prædicto exemplo adducta locum non habet, D ſcilicet quod coagulata quando ſolvuntur, & ſoluta quando coagulantur in eadem ſpecie manent, ſicut æs coagulatum & liquidum in una eſt ſpecie, Hydrargyros autem prædicto modo conſtans non manet ſpecie una, neque in eiſdem componentibus, & nota, *& non manet ſpecie una*, illud autem totum quantum ad Alchimiſtas dicitur, non quantum ad medicam artem attinet, quia paulo ſupra in hoc eodem capitulo, ſi bene ponderas, dictum fuit, in operibus autem alchimicis, & ea quæ ſequuntur.

## CAP. XI.

*De malis affectibus, & ſubſidiis argenti vivi.*

Quoniam argenti vivi nocumentum utplurimum juvamento eſt majus, exordiendum igitur eſt, afferendo quæ de ejus nocumento Antiqui ſentiunt. Galen. quidem ſupra dixit, quod ſi extra apponatur vel bibatur occidit. & Avic. ſupra refert, quod frigiditate & gravitate ſua para- E lyſin, tremoremque inducit, membraque recta permanere facit & inflexibilia, auditui obeſt, oris fœtorem parit, viſum obtenebrat, & cum ſublimatum eſt interficit. quæ ſublimatio pro cinnabari intelligi poteſt in ſuo genere, ut intelligitur de albificatione argenti vivi cum calcantho, ut à Servitore ponitur, & tandem extinctum ſua gravitate interficit. Ipſum enim, quod ſibi obviat ſua gravitate corrodit. Ultimum tamen dictum animadvertas, quia tam A extra quam intus intelligi debet. Quod à Dioſcoride apertius declaratur. Si etenim in igne ponatur, deſtruetur, & fumum faciet, qui omnibus animalibus peſſimus eſt. In hominibus autem ſenſus & voluntarium motum deſtruit, ex quo ſurditas, paralyſis, tremor, vel epileptia, & per conſequens mors ſequitur. cui fumo quicunque proximus fiet, mox nervorum & lacertorum, omniumque membrorum, quæ per motum voluntarium ſunt compoſita, relaxationem ſentiet, unde plerique in paralyſim, tremorem, ſurditatem, animatæque actionis corruptionem incidunt, nec non & peſſimum colorem ac putridum os, cerebrique ſiccitatem habent. Hæc Iſaac ſupra. Et nota, *τὸ cui fumo quicunque proximus erit*, quia de cinnabari intelligitur. Quod ſi quis objiceret, cur à cinnabari accidentia inducta læviora ſunt accidentibus ab argento vivo, in ſputo ſcilicet & oris ulceratione atque ventris ſolutione, ſi per te ſubtiliatur & acuitur argenti vivi virtus per ſulphuris admixtionem. Ad hoc dico cum Galeno *nono de ſimplici medicina*, quod cinnabaris Cap. 12. in ſe aliquid ſtipticitatis habet, per quam materiarum excreatio atque exitus prohibentur, qua mediante ſtipticitate ſævius eſt medicamen. Quod fit, quia duplex eſt in argento vivo ſuperfluitas, una quidem in ipſius profunditate incluſa in principio ſuæ admixtionis ſuperveniens. Altera vero extra naturam ſuæ naturæ & corruptibilis. Quarum iſta non abſque labore tollitur, altera vero nullo artificeis ingenio tolli poteſt. Quare ſulphureitas ejus aduſtibilis ignis calcinatione tollitur, atque à corporibus deletur. Et illud ideo quia argentum vivum reſiſtit, & illud, quod ſui natura eſt, ab aduſtione defendit. Hæc Arnaldus de Villa nova in ſuo *roſario Philoſophorum*, Qui mali affectus à Gulielmo Placentino *libro quarto* deſcri- Cap. 3. buntur.

Plinius autem *libro trigeſimo tertio.* vomica liquoris æterni, Argentum vivum appellatur, omnium rerum venenum eſt. Et Avicen. *fen. 7. quarti canonis*, *Elonga* inquit *illud, in quo ponitur argentum vivum extinctum, quantum poteris à partibus ſtomachi & membrorum nobilium, quare non abſque ingenti timore propinatur.* Platearius Cap. 6. & 7. præterea *capite proprio*, *fumus* inquit *argenti vivi uſtantibus obeſt, quia nervos remolliendo paralyſim operatur* Serapio autem *de ſimplici medicina*, *fumus vero ejus* inquit *eſt* Cap. 85. *valde nocuus.* Nam frequens ejus uſus nervos deſtruit, paralyſim inducit, ſenſum aufert, & motum corrumpit. Quibus ſane patet, aſſiduus argenti vivi fumus quantum obeſt. Quod autem argentum vivum bezoardicum ſit medicamen in pravum hunc morbum Gallicum, ejusque mortifera accidentia, Moderni his rationibus eorum infamiam tegere nituntur, nec alium habent modum aliquid perficiendi, niſi argentum vivum tam in occulto quam in manifeſto fraudulenter adhibere, dicentes quod etſi argenti vivi nocumenta longe plura ſint quam dicendi copia, tamen eo utimur tanquam omnium intentionum curativarum ultima. Ad ultimas enim ægritudines ultimæ intentiones curativæ ſunt potentes, ut ait Hippocrates *prima aphor. 7.* Quod Galenus *nono & decimo Therapeutices* uberius declaravit, ægritudo inquit quæ non habet præter unam viam ad ſalutem, licet cuilibet ægrotanti ardua ſit & difficilis, tamen ipſo invito, oportet quod per illam in omnibus etiam caſibus tranſeat. Multoties enim Medicus rebus contra naturam patientis particulæ utitur, ut bonam valetudinem inducat, utitur namque actuali cauterio ac potentiali, crebriſque inciſionibus, & ſimilibus, pharmaco etiam venenoſo & ſolutivo. Ergo & argento vivo utendum eſt. Quod fugias quantum potes, crede mihi. Quod ſi coactus es à natura entis, illud adhibeas, ut & ego ſæpius per multos annos exercui, ſicut unctiones, ſuffumigia, & ſimilia, quæ ſunt fugienda ligno Sancto ſubveniente. Hæc de verbo ad verbum de mente Antiquorum de natura argenti vivi, atque de cinnabari, nec non & de bonis & malis eorum affectibus volui diXiſſe.

## CAP. XII.

*De mundatione argenti vivi, ut minorem membris inferat læſionem.*

Unaquæque profecto medicina & quæ ſordida præſertim eſt, & fœculenta, acuitateque non carens ab extranea, ſi qua in ea eſt, qualitate penitus mundari debet. Ab argento igitur vivo omnem ſulphureitatem, omnemque plumbeam terreitatem auferri, ipſumque ab omni imperfectione præparatione quadam exſpoliari fas eſſe judico, ut validiorem ab ipſo ſubtiliationem ac penetrationem in curandis morbis expectemus, minorique ipſius doſi eos commodius curare valeamus. Hæc autem mundatio dupliciter, ſublimatione ſcilicet aut aceti lavacro, fieri poteſt, non enim eodem modo argentum vivum ſublima-

tur, ut ab Alchimiſtis fieri ſolet, ſed ſolum ac imper- A mixtum argentum vivum in vaſe vitreo reponatur, bocciaque deſuper tortuoſa remittatur, obturatisque fiſſuris luto ſapientiæ, lentoque igne calefaciendo partes ipſius ſubtiles veluti fumus volando dividentur, lateribusque bocciæ remittentur. Depoſito deinde vaſe ab igne junctura ipſæ aperiantur, eaque argenti vivi pars bocciæ lateribus coadhærens diligenter removeatur, uſuique reſervetur. Id autem ego matellis vitreis, ut de boccia dictum eſt, effeci. Mundificatur autem & ſecundo argentum vivum per aceti lavacrum, ut Geber libro tertio. In patella ſcilicet vitrea vel lapidea fundatur, acetoque fortiſſimo cooperiatur, atque lento igne calefiat, digitisque tamdiu agitando donec in partes dividatur minutiſſimas, acetumque evaporatione conſumatur. Deinde toties cum aceto abluatur, donec terreitatis veſtigium non appareat, ac in cœleſtem colorem deveniat. Hujuſmodi enim argentum vivum eligas, nam mea quidem ſententia unica illius argenti vivi uncia ita depurati alterius non purati duabus æquivalet unciis.

## CAP. XIII.

*De Artuum dolore morbi Gallici inveterati.*

Dolor qui triſtis eſt ſenſatio, ut Galen. *de Interioribus ſecundo*, facta ab aliquo ſolvente continuum, qui ſive morbus ſit materialiter, ideſt, quandam fixionem habens, & permanentiam ſuſcipiens, ſive formaliter accidentis nomen ſibi vendicet, in alteratione omnimoda exiſtit dolor, quem ſequitur, torpor, ſtupor, dormitatio, congelatiove, quæ omnia in ſpeciebus omnibus doloris Gallici morbi comperta eſſe vidimus. Cujus cauſa medice loquendo duplex eſt cum Galen. *ſecunda regiminis acutorum*, ſubita ſcilicet complexionis alteratio & ſolutio continui.

Cum igitur is morbus jam inveteraverit, nec alia illi remedia ſubvenerint, & avulſa quantum fieri potuit cauſa morbi, & noxio humore, ligni Sancti curatio adhibeatur C ad hunc modum.

Cholericus juvenis vel ſanguineus cibetur tota curatione diæta regulari. *Pro eo fiat ſyrupus tota curatione ex ligni libra una, aquæ libris duodecim, fiat infuſio per diem naturalem, ferveatque in fictili vaſe. donec ad libras quinque redeat decoctio*, ex qua ſumatur ſemilibra tam mane quam veſperi. *Aqua ſecunda in potu ex viginti libris aquæ ad decem redigatur.*

Phlegmaticus vel melancholicus juvenis diæta regulari utatur tota curatione. *Pro eo ſyrupus fiat ex libra una cum dimidia ligni, aquæ quatuordecim, fiat infuſio, redeatque decoctio ad libras quinque*, ſumaturque pro utraque potione ſemilibra tota curatione. *Aqua in potu fiat ex libris aquæ viginti quinque, quæ decoctæ redeant ad quindecim.* In ſene eadem ſervanda ſunt, præterquam quod diæta reſumptiva cibari debet.

Extrinſecus tamen in declinatione curæ membra male affecta hoc unguento linienda ſunt, quod mirum in modum confert. Recipe *ſtœchados Arabicæ, ſalviæ, ivæ arthetica, betonicæ, perforatæ, chamædryos, ſingulorum manipulum unum cum dimidio, radicis acori unciam unam, ferveant in vino albo aromatico ſecundum artem. Et colaturæ adde vermium terreſtrium lotorum cum vino albo libram ſemis, ſtoracis calamitæ contuſi uncias tres, axungiæ porci depuratæ & ſine ſale libram unam, olei laurini, olei anethini, maſtichini, olei thuris, ſpicæ, olei antiqui centum annorum ſingulorum uncias tres cum dimidia, olei roſati, butyri recentis ſingulorum uncias quatuor, thuris uncias duas, euphorbii unciam ſemis, ferveant lento igne ad vini conſumptionem, deinde adde terebinthinæ Venetæ, olei abietis ſingulorum uncias duas, lithargyrii auri ſubtiliter cribrati libram ſemis, ſtoracis liquidæ uncias duas, theriacæ antiquiſſimæ unciam unam, cineris vitis unciam ſemis, minii uncias duas & ſemis, argenti vivi colati, ut capituli deſcriptio expoſcit, & extincti cum oleo roſaceo in mortario lapideo uncias duas, conficianturque ex arte & fiat unguentum.* D

## CAP. XIV.

*De ſcleroſis tumoribus*

Durities, quæ ex materia contingit melancholica, vel aliunde, aliquando in carne tantum, aliquando in oſſe tantum exiſtit, vel ex his compoſita. Quæ oſſuoſa eſt & difficilior, ventoſitas ſpinæ in potentia denominatur, prout ſub forma permanet apoſtematis, cujus finis eſt oſſis corruptio. Quæ tripliciter fieri contingit ut triplex eſt dimenſio. Alia namque oſſis corruptio ſuperficialis tantum, alia profunda tantum, & quædam ſuperficialis eſt & profunda ſimul. Cujus additio unam oſſis partem poſt aliam corrumpit ut Avic. *quarta quarti.* Cujus ſignum eſt, *Tra. 4. c. 3.* quod reſolutis partibus ſubtilibus circumferentiarum oſſis alterati aſperitas in tactu & inæqualitas ſcopuloſa ſentitur, B cute ſana exiſtente ac ſuam continuitatem ſervante. Necnon & dolor pungitivus adeſt in compreſſione cum digito propter oſſis aſperitatis mordicationem. Cum igitur durities illa inveteraverit, nec alia illi ſubvenerint remedia, diminuto prius humore noxio, & cauſa ipſius morbi, curetur per lignum Sanctum, ut de artuum dolore morbi Gallici inveterati dictum eſt, linianturque tuberoſitates per quindecim dies unguento dicto capite de ſtrumulis ſeu ſcrophulis Puerorum.

## CAP. XV.

*De Alguatui curatione.*

Eadem eſt ratio curationis Alguatui, prout eſt ſeparatio contiguitatis oſſis integra ſecundum locum & non ſecundum ſitum a ſuo naturali loco deſcendendo ſecundum longitudinem membri, ut de ſcleroſis tumoribus dicitur. C

## CAP. XVI.

*De ulceribus corroſivis, ſordidis, fraudulentis, & oſſis corruptione morbi Gallici inveterati.*

De ea propria ſolutione continui carnoſa & ſanioſa intelligo, prout morbus compoſitus dicitur, in qua una vel plures diſpoſitiones exiſtunt, quæ ulcerum conſolidationem impediunt, cujus compoſitio ſive à cauſa ſit, ſive ab accidente, vel a morbo præcedente, diſcurrendo per ſingulas ſpecies ulcerum eſſentiales vel accidentales, quantum fieri poterit, amoveatur à perito Chirurgo cauſa illa conjuncta cauterio actuali vel potentiali pro corroſionis vel corruptionis exigentia, vel quovis alio inſtrumento artis, diminuto ſemper prius humore noxio ligni Sancti curatio adhibeatur, ut de artuum dolore morbi Gallici inveterati dictum eſt, & ut ulcerata membra curationem ſuſcipiant certiorem, foveantur linianturque unguento dicto *capite ſeptimo hujus tertii libri.*

Quod ſi oſſis corruptio appareat, abradatur uſque ad oſſa ſana opportunis inſtrumentis raſpatoriis, nec te terreant dicta inſciorum dicentium cum Principe. Melius eſt enim *44. trac. 4.* ut non feſtinetur in extractione oſſium violenta & quæ ſe- *Cap. 13.* quuntur. Verba enim Avicen. intelligi debent de illa prava extractione, & violenta oſſium vulneris dilacerando ſcilicet nervos & venas & oſſis majorem partem ſanam quam corruptam diſſipando, quæ incongrua dicitur operatio. Quare melius eſt cum Avicenna ſupra, corruptionis oſſis curatio, quæ eſt ejus fricatio, & ipſius deſtructio aut ejus abſciſſio & ipſius ſerratura, præſtantiorque mo- *Cap. 2.* dus fricatio cum raſpatorio dicitur, qua ablata per lignum Sanctum curetur curatione prædicta ulcerum cum univerſalibus & particularibus.

AL-

# ALPHONSI FERRI,

## DE

# VINI EXHIBITIONE,

## LIBER QUARTUS.

### CAP. I.

*De vini usu.*

Cum scientiæ atque artes per additionem augeantur, ac quotidie utilissimarum rerum inventione perfectiores fiant, ad idque judicium & studium hominis plurimum valeat, propterea multum operæ curæque ponendum est, quo ea investigari possint, quæ læsis corporibus aliqua ex parte profutura sint. Ejusmodi est lignum quod vocant Sanctum, cujus viribus indagandis insistimus, huicque rei omni studio operam damus, quamvis ejus vires longe plures sint, quàm quisquam dicendo, scribendoque consequi possit. Et quoniam experimentum, si ratione comprobetur, ad veram rerum ipsarum cognitionem nos ducit, non inutile fore existimavimus, si cum vini administratione ligni quoque decoctionem miscebimus. Compertum est enim multoties penetrationem efficacius fieri, ac vinum non modo ligni hujus, sed multorum quoque medicamentorum tanquam vehiculum esse, quamobrem operæ pretium duxi in calce hujus opusculi pertractare, utrum vinum an aqua humanis corporibus magis conferat. Tum si quis ex veteribus medicis in alicujus morbi curatione vino, in quo simplicia aliqua sint decocta, usus fuerit. Præterea utrum vinum aquæ anteponendum sit. Nec non quod vinum sit eligendum, atque alia ejus generis, quæ a præsenti materia non fuerint aliena.

### CAP. II.

*Quod curandis morbis vinum conferat, & ab antiquis usitatum sit.*

Medicinæ, quæ tardæ sunt operationis, si in vinum infundantur, vigorem sumunt, acuunturque. Neque ab re sapiens Abinzoar dixit, nec cibum nec medicinam vino unqam privari debere. Mesue etiam pro meliori præparatione *rhabarbarum* molliendum iussit. Ingenium inquit medici sit, ut sapor medicinæ in cibariorum gustum convertatur, tunc enim natura avidius medicinam amplexabitur, cujusmodi est vinum. Quapropter non temere recentiorum nonnulli ægrotis multifariam vinum, in quo simplex aliquod sit decoctum propinant. Nam sicuti Avic. 2. *canone vinum ex hyperico confectum*, perforatum vocat, vel *ex Chamædry* artuum passionibus conferre asserit, sic nonnulli etiam nostrorum temporum docti viri vinum præbent, interdum ex *salvia*, vel ex *enula*, vel ex *bugl ssa*, vel quod ex *rosis*, ex *ebulis*, ex *gramine*, ex *caryophyllis*, ex *absinthio* conficitur, aliaque ejus generis quamplurima, quæ laxandi vim habeant.

### CAP. III.

*Nunquid vinum, an aqua magis conferat, & quibus ægrotantibus præbendum vinum sit.*

Nam vinum cum primis simile est, calorique innato maxime convenit in administrandis nutrimentis naturæ hominum, aquam vero corpus non tolerat, nisi valde sanguineum, ut Avic. 3. *primi*, ac præterea quis neget vinum sua penetratione, spirituumque vivificatione confortativum esse? frigiditas enim & siccitas spiritibus eos debilitando adversantur, vini vero caliditas corroborando non mediocre ipsis affert auxilium, ad transmittendas autem rerum in eo incorporatarum virtutes, per singula membra cum quadam naturæ delectatione & apprehensione, nec sui vehementi fortitudine qualitates activas earum medicinarum, quæ in vino exqualificantur, ad resolutionem præparat, cum sua subtilitate partes adeat longinquas, aquam secum trahens ad membra, refrigeratione pariterque humectatione indigentia. Et receptivum est omnis infusionis bonarum qualitatum in rectificatione ut plurimum malarum, cum per ejus essentiam ad spiritum habeat converti, magisque penetrativum sit, ac spiritibus proportionatum. Qua de re ubi virtutis imbecillitas, appetitusque dejectio affuerint, ægreque ventriculus concoquat, vinum eligendum est. insuper si ægrotans phlegmaticæ sit complexionis, humorque pituitosus vel melancholicus sit, vel si inveteratam morbus radicem habeat, in his omnibus vinum utile admodum est. quod si cholericæ, ac sanguineæ complexionis, calidique hepatis fuerit, atque etiam sanguis vel succus biliosus, fortisque habitudinis sit, in tempore præsertim calido, tunc aquæ decoctum, lignumque simpliciter exhibitum mirum in modum proderit.

Cap. de re sim. aqua & vini.

### CAP. IV.

*Quod in ligni Sancti decoctione cum vino miscenda sint alia simplicia.*

Medicæ artis peritis omnibus patet, singulis membris suum esse appropriatum ac determinatum pharmacum, cumque ab ejusmodi morbi pravitate quamplura membra lædantur, ac vitium contrahant, credibile quidem erit solam ac impermixtam ligni Sancti decoctionem tot membrorum læsiones adimere non posse, quare ut ligni Sancti virtus ad hujusmodi membra dirigatur, medicinæ membra infecta respicientes commiscendæ sunt, ut ligni Sancti virtus ipsarum medicinarum suffragio validius salubriusque suas imprimat vires, digerendo scilicet, mundificando, resolvendo, confortando, & deficcando, ut decet morbum.

### CAP. V.

*Quale vinum eligendum sit.*

Cum diversæ operationis sit vinum, diversarumque qualitatum, infrigidata enim corpora senum & juvenum calefacit, calefactaque infrigidat, exsiccata humectat, & humectata exsiccat, ejusmodi eligendum erit, quale mox dicam, anni enim unius vinum frigidum est & humidum, vetus vero, quod a quarto in septimum transcendit annum, calidum & siccum in tertio reponitur gradu, inter hæc autem medium calidum est & siccum temperate, & hujusmodi quidem vinum choleram nigram sua calefactione & humectatione temperat, & præsertim si secundum non excedat annum, refistit etiam melancholicis à tota specie, calefactisque non obest, vinum inquit Avicen. album & subtile calefactis confert, capitis enim dolorem non efficit, id præterea vinum cholera abundantibus rubra melius est, eo quod choleram rubram urinam provocando expellit, & humidis, eo quod humiditates naturat, hujusmodi etiam vinum non modo naturalem calorem confortando juvat, verum etiam turbidi sanguinis claritatem reducit. Quamobrem album & subtile eligatur, ærate quidem medium, colore vero purum ac lucidum, odore vero suave, in gustu non aquosum omnino, nec aliquam vehementem ostendens qualitatem stipticam, vel amaram, vel dulcem, quod si morbus frigidus est & antiquus, corpusque frigidum ac oppilationibus male affectum, & majori penetratione, ac incisione indigens, tunc vetus vinum eligatur.

Isaac de dietis par.

Aver. 6. Colli 3. 1. cap. de regimine aqua & vini.

5. reg. tex. ultimo.

### CAP. VI.

*De vini præparatione & regulis in ea observandis.*

Eadem quoque ratione vini præparatio canonice confi-cienda esse debet, ut de decoctionis exhibitione diximus, eamque in omnibus seriem observabis, unum enim pharmacum omnibus nequaquam convenire potest. Qua de re cum vini decoctionem præbere institues, decoctionis ligni Sancti aquam, illiusque morbi curationem & capitulum à capite ad pedes invenies, ac illius aquæ & ligni graduatione, quam ibi descripsimus, exequere, in fineque coctura opportunas medicinas arteque decoctas, ac pro illius morbi & membri læsi exigentia adhibebis, ut exemplariter illas divisim connumerabo in secunda consideratione. Hoc autem peracto, *in vase fictili vitreato ligni abraſi*

*abraſi libram pones, ibique vini albi clari libras decem injicies, quibus mixtis decoctionem prædictam pro morbi & individualis complexionis exigentia, partibus æqualibus cum vini quantitate calidam, ut ab igne deſers, adjicies, factaque mixtura nec aliter ferveant, ſed per diem naturalem infuſio fiat, & colaturam uſui reſerva* in curatione pro ſyrupo ſcilicet mane & veſperi, & pro potu in prandio & in cœna, remiſſa enim decoctionis caliditas, ipſorumque ligni & aquæ jam temperata graduatio, igneas vini, ſi quæ ſunt, qualitates extinguet, ne humanis calidæ complexionis corporibus obſit. Et ut lucidior tironibus doctrina ſit, ſequentes ponuntur conſiderationes.

*Primaconſideratio.* Conſideratio prima eſt quod in vini aſſumptione, in qualibet decoctione corticis ligni Sancti ſubtiliter cribellati quatuor adhibeantur unciæ, ac ſimul cum ligni Sancti doſi adnotata ferveat, ut capituli deſcriptio expoſcit.

*Secunda.* Conſideratio ſecunda, quod ſi hepatis vitium in cauſa morbi ſit calidum, ſimplicia ejus caliditatem adimentia eliges, *endiviam. ſcil. cichoreum, fumum terræ, ſantala omnia*, & id genus eligendo, eaque in fine coctura ſemper appones, & ſi aliqua obeſſet oppilatio, aperitiva eodem modo adhibeantur.

Si autem cerebri læſio, frigiditatiſque mala affectio adſit, *ſtœchas Arabica vel non Arabica, betonica*, & hujuſmodi calida frigidaque pro morbi exigentia apponantur.

Quod ſi junctura dolore vel aliqua hebetentur duritie, *iva arthetica, radix acori, ſtœchas ac perforata* adhibeantur.

Si vero præcordia male affecta ſint, *bugloſſa, borrago, ipſarumque radices, enula campana, ſcabioſa* & id genus in fine coctura ſunt admiſcendæ decoquendæque, deinde ipſa decoctio in vino prædicto injiciatur.

*Tertia.* Conſideratio tertia: in qualibet vini præparatione in morbo quolibet Gallico præſertim curando ob ſui antiquam contagionem, *cardui benedicti manipulus* cum reliquis ſimplicibus membra confortantibus infecta addatur.

*Quarta.* Conſideratio quarta: in unaquaque ipſius vini adminiſtratione ſupradictæ decoctionis eadem ſit doſis cum vini quantitate.

*Quinta.* Conſideratio quinta: quod in ipſius vini exhibitione morbi non uniformiter in eodem temporis ſpatio curantur, quidam enim quindecim aut viginti dierum ſpatium exigunt, nonnulli quadraginta inclusive, multi etiam ſpatium hoc tranſcendunt. Hujuſmodi autem diverſitas contingit juxta morborum qualitates, multum enim intereſt, utrum morbus calidus vel frigidus ſit, antiquus vel recens, pariqué modo conſideranda ſunt ea corpora, quæ mediocriter ſe habent.

*Sexta.* Conſideratio ſexta: quod in hac vini aſſumptione tempus purum ac temperatum eſt eligendum: Ver quidem optimum erit, huicque proximus eſt Autumnus: Aeſtas enim nimis calefacit, Hyems nullam admittit penetrationem, minor itaque operatio & in Aeſtate & Hyeme exſpectatur.

*Septima.* Conſideratio ſeptima: quod diæta ſemper utatur reſumptiva, cum vini caliditas innatum excitet calorem, ejuſque digeſtio celerior ac penetratio velocior efficiatur, humiditatibuſque reſiſtat, nec aliter cibum appetes, iſto namque curationis modo carne veſceris mane & veſperi.

*Octava.* Conſideratio octava: quod ſi aëri æger exponatur, incommodum aliquod non ſubſequitur, ut in decocti aſſumptione contingit, cum vini præſentiaunicuique putrefactioni extinſecæ reſiſtere videatur, cujus præſidio ſudandi moleſtiam perpeti non cogeris, ad peragendaque negotia tutius libentiuſque te committes.

*Nona.* Conſideratio nona: ſi hora cibi & potus æger hujuſmodi vinum abhorreat ob medicinarum diverſarum commiſtionem, ſic confectam decoctionem alias ſyrupum per alembicum æreum diſtilla, diſtillatioque cum vino albo partibus æqualibus commiſceatur, uſuique hora cibi & potus reſervetur. Si vero pauper ac egens fuerit æger, aquam ſecundum pro capituli deſcriptione abſque aliis medicinis adminiſtres. eamque vino partibus æqualibus commiſcebis, & hoc quidem vinum æger, ab aliis penitus liquoribus ſe abſtinendo, hora cibi & potus bibat.

*Decima.* Suppoſitio decima eſt, ſi vero cholericus vel ſanguineus fuerit æger, & ob ejus ventriculi imbecillitatem hujuſmodi vinum exhibendum eſt, in una tantum parte vini quinque decoctionis ligni Sancti partes commiſceantur, idemque fiat in morbo Gallico recenti.

*Undecima.* Conſideratio undecima: quod in principio exhibitionis vini membra dolore tuberculis nodoſitatibuſque affecta, præcipue vini prædicti decoctione epithemanda ſunt aſſidue, ſin autem epithematio non conferat, in ſtatu curæ dolores lenire membraque male affecta noſtræ deſcriptionis unguento inungere poteris in de artuum doloribus capitulo enarrato, ulcera quoque unguento mercuriali curare tutiſſime poteris, ut de pravis ulceribus dictum fuit.

*Duodecima.* Conſideratio duodecima: quod in vini aſſumptione humor qualibet hebdomada, ut expedit morbo & ægrotanti, minorandus eſt, bisque die ſyrupum capiat mane ſcilicet ſemilibram calidum, tantundemque veſperi quatuor horas ante cibum, eademque hora in lecto quieſcat, ſudoremque obſervet, ut ſupra de decoctione dictum fuit.

*Tertiadecima.* Conſideratio tertiadecima: quod ſi in vini exhibitione alvum ducere volueris, *in decoctione cum aliis medicinis Damaſcena pruna decem numero injiciantur, una cum folliculorum ſenæ ac polypodii quercini ſingulorum ſemiuncia*, quæ omnia morbi præſertim Gallici curationi penitus non adverſantur, *colocynthidem* autem, *agaricum*, ac *diagrydium*. & id genus non commiſceas, ut ignari, ab omnique veritate devii, cum magno ægrotantium periculo faciunt.

*Decimaquarta.* Suppoſitio autem decimaquarta eſt, quod ſi in declinatione curæ Socratis præſertim ſanguineæ complexionis hepar ob vini exhibitionem nimis calefactum eſſet, ipſius hepatis venæ, vel hæmorrhoidalium inciſio fiat.

*Decimaquinta.* Conſideratio decimaquinta: quod ſi aliquando morbus unica decoctionis vinique exhibitione curationem non ſuſcipit, hujus quidem cauſa eſt, quoniam nonnullæ ſunt medicinæ calidæ, quarum caliditas ab alicujus ægritudinis frigiditate minoratur, quare penitus in eam non agit. Et quandoque, cum in aliqua infrigidatione adminiſtratur, leviorem illa inducit calefactionem. Et quoniam in debiliori jam expertum eſt prius, proceſſioque ſecundum gradus paulatim facta fuit, medicinæ virtus cognita eſt, quare frequens vini atque decoctionis reiteratio fiat, donec prava morbi qualitas adimatur, ac à medicina morbus ſuperetur, nec dubites, ſi cum hujuſmodi medicina interdum refrigerare nunc vero calefacere oporteat, cum iſta inter ſe ad invicem contrarientur. *medicina enim* inquit Avic. *in duobus contrariis experta alteri eorum per ſe, alteri vero per accidens confert, vel alicujus eorum complexioni contraria non exiſtit.* *Lib. 1. Cap. 2.*

Et ne aliquid contingat erroris, exemplum habes practicum. Si enim Socrates capitis artuumque dolore affectus fuerit, & ulceribus inſuper malefidis atque oſſis corruptione, nodoſiſque tuberculis crucietur ſive dolore iſchiadico vel podagrico, eradicata cauſa antecedente, ut convenit morbo, pravaque ulcerum diſpoſitione ſemota atque oſſis corruptione, hac ſerie ad ipſius vini decoctionem accedendum eſt. *In vaſe ſcilicet fictili ligni abraſi libram cum dimidia, ac ejuſdem corticis ſubtiliter cribellati quatuor uncias, ac aquæ libras duodecim apponito, lentoque igne ferveant ad quatuor librarum conſumptionem. Exinde vero betonicam, ivam arthcticam, carduum benedictum, ſtœchadem, hypericon, ſingulorum manipulum, radicis acori unciam ſemis adhibebis, ferveantque ad unius libræ aquæ conſumptionem. Deinde in fictili vaſe ac novo injiciantur, in quo ligni abraſi ſit libra, vinique albi optimi libræ vij. factaque mixtura vaſe obturato per diem infundantur, & fiat colatura per lineum pannum ſtrictum*, patienti mane ac ſero phlegmatico vel melancholico ſemilibra pro ſyrupo tribuatur & hora cibi & potus. In cholerico vero & ſanguineo ligni decoctio adhibeatur, ut in de artuum dolore morbi Gallici inveterati dictum eſt.

FINIS.

# JOANNIS DE VIGO, *Genuenſis*, DE MORBO GALLICO TRACTATUS.

*Ex libro quinto practicæ Chirurgicæ excerptus.*

## CAP. I.

*De cura morbi Gallici non confirmati.*

Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto de menſe Decembris, quo anno Sereniſſimus Carolus Francorum Rex, magna comitante caterva, verſus Italiæ partes iter accepit ad regnum Neapolitanum recuperandum, apparuit quoddam morbi genus quaſi per totam Italiam incognitæ naturæ, quem variis & diverſis nominibus diverſæ nationes appellarunt. Galli utique morbum Neapolitanum nominarunt, quia eodem tempore dicunt ipſum morbum Neapoli in Galliam ſe in ſuo ipſorum reditu tranſtuliſſe. Neapolitani vero, quia dicto anno per totam Italiam hic morbus diffuſus & manifeſtatus fuit, ideo morbum Gallicum nuncuparunt. Genuenſes inſuper *lo male de le Tavelle* vulgo appellarunt. Tuſci vero *lo male de le Bulle:* Lombardi *lo male de le Broſule*. Hiſpani vero *las buas* dicunt. Sed iſta nomina diverſa huic morbo ad beneplacitum uniuſcujuſque nationis impoſita ſunt. De nominibus tamen non eſt curandum, dum modo rectas intentiones curativas habeamus. Fuit præterea, & adhuc eſt, morbus præfatus contagioſus, præſertim per coitum, ſive conjunctionem mulieris fœdæ cum viro, & e converſo. Nam ejus origo in partibus genitalibus videlicet in vulva in mulieribus, & in virga in hominibus ſemper fere fuit cum puſtulis parvis, interdum lividi coloris, aliquando nigri, nonnunquam ſubalbidi cum callositate eas circumdante. Quamobrem non ita hujuſmodi puſtulæ beneficio medicinali intus & extra applicato poterant à medico curari, ut non ſemper earum malitia totum corpus amplecteretur cum ulceratione partium genitalium difficillimæ curationis, & facilis recidivæ, quare licet prædictæ puſtulæ deponantur, tamen etiam atque etiam ſolent recidivam facere: quare poſt earum ſanationem, quamprimum puſtulæ cruſtoſæ & interdum cum carnoſitate elevata ad modum verrucæ ſuper frontem, caput, collum, & faciem, brachia, & tibias, & fere per totum corpus diffuſæ fuerunt. & uſque in hodiernum diem hujuſmodi morbus hunc ordinem ſervat. Similiter quoque interdum cum dictis puſtulis, vel ſaltem poſt earum ortum inde ad menſem cum dimidio vel circa, patiens laboravit doloribus clamoſis interdum circa frontem, interdum in ſpatulis & humeris & brachiis, & aliquando in tibiis, coxis, & anchis. A quibus doloribus aliquando multum poſt tempus, videlicet poſt annum & ultra, quædam oriebantur ſcirrhoſitates ad inſtar oſſium, à quibus ægrotantes doloribus clamoſis vexabantur, præſertim tempore noctis, & ſedabantur in die. Pro quorum ſedatione anodynæ medicinæ à Doctoribus commemoratæ ſedativæ doloris adminiſtratæ nullum effectum doloris ſedativum ægrotanti præſtabant. Cujus doloris finis fere ſemper fuit, os & almochatin corrumpere, & vitiare, quemadmodum in ventoſitate ſpinæ accidit. Plerumque etiam ab eisdem doloribus membra curva, ſive retracta in perpetuum remanſerunt. Tranſacto vero anno cum dimidio vel circa in hac turpi, deteſtabili, & verecundioſa ægritudine, quædam tuberoſitates exiturales materia groſſa & phlegmatica plenæ, ad modum non parvæ caſtaneæ, albi coloris, ſubſtantiæ duræ ad inſtar chordæ, aut nervi ſemiputrefacti generabantur, quarum maturatio à natura tantum, abſque auxilio alicujus medelæ, plerunque faciliter efficiebatur. Qua de re poſt earum creaturam, ſeu apertionem omne genus ulcerum videbatur in eis, ſecundum tamen diverſa corpora, quia in ſolo uno corpore non eſſet credendum. In diverſis enim corporibus diverſa accidentia & ægritudines ſolent pullulare cum hoc morbo. Et audeo dicere, quod quæcunque ægritudines à cauſa antecedenti evenientes, de quibus antiqui & moderni Doctores in arte Chirurgica mentionem fecerunt, omnes in diverſis corporibus, poſſunt profecto in hoc deteſtabili, verecundioſoque morbo connumerari. Et in primis de apoſtematibus loquendo, omne genus calidorum apoſtematum in iſto morbo generari vidimus. Vidimus inſuper complicationem materierum frigidam cum eis, videlicet phlegmatis & melancholiæ. Et propterea ſi cum phlegmate ſanguis interpoſitus fuerit, ſanguine vincenti, phlegmon undimiædes dicitur. Et ſic de ſingulis dicendum eſt in iſto caſu: prout in libro *de apoſtematibus in univerſali cap. 3.* optime dictum fuit. Similique modo etiam vidimus omne genus apoſtematum frigidorum, & excreſcentiarum, videlicet glandularum, ſcrophularum, nodorum tarpæ & topinariæ cum corruptione oſſis capitis & fine, ſphiros cancroſi & non cancroſi per ejus ſigna. Omne genus ſimiliter formicarum, exiturarum, malvarum, & carbunculorum. Gangrænam præterea, & herpeten eſtiomenum, vidimus interdum cum iſto morbo complicari. De ulceribus etiam nullum genus ulcerationis invenitur à Doctoribus deſcriptum, quin cum iſto morbo reperiatur. Nam ſi recte conſiderentur ulcera, quæ oriuntur in iſto morbo ſecundum diverſa corpora (ut ſuperius diximus) habent aliquid interdum cum ulcere corroſivo, aliquando cum putrefacto, ſæpiſſime cum ambulativo, cancroſo, gangrænoſo, virulento, maligno, formicoſo, doloroſo, apoſtemoſo, cavernoſo, fiſtuloſo cum oſſe corrupto, & labiis oſtracoſis: habent denique prædicta ulcera convenientiam cum ulceribus difficillimæ curationis cum proprietate nobis occulta. Et propterea ulcera hujuſmodi morbi cum difficultate ſanantur, & de facili recidivam faciunt. Similiter etiam in iſto morbo omnia dolorum genera poſſunt à medico connumerari, videlicet arthriticus, quia plerunque vidimus totum corpus ab iſto morbo doloribus cruciari. Dolorem quoque ſciaticum, podagricum, chiragricum, geniculoſumque etiam cum iſto morbo frequentiſſime reperi. Omne genus inſuper ſcabici, velut eſt malum mortuum, & aſaphati, immo quaſi lepram vidimus cum hujuſmodi morbo generari. Phlegma ſalſum præterea in manibus, & pedibus. Tinea, albaras, impetigo, ſerpigo, Gutta roſacea etiam in iſto morbo frequenter apparuerunt. Diverſos etiam oculorum morbos ab iſto morbo genitos multoties curavimus, præſertim ophthalmiam à materia frigida cum obſcuritate viſus. Variæ etiam & diverſæ ægritudines, ultra ſuperius connumeratas, cum iſto morbo complicantur, quorum nomina ſigillatim connumerare profecto longa eſſet narratio. Ultimo loco vidimus febriculam oriri, quæ tot prænominatis malis hominem quaſi ad ethicam, aut ad ultimum ejus diem conducebat. Ulterius licet (ut ſuperius dictum fuit) cauſa iſtius morbi ſemper fuerit primitiva, videlicet habendo rem cum muliere fœda & econtra: tamen ſua venenoſitate, & venenoſitate puſtularum per coitum evenientium in pudibundis, morbus iſte diffunditur & ſpargitur per totum corpus à ſuprema parte uſque ad extremas, totam maſſam ſanguineam adulterando & devaſtando: deinde puſtulando, & maculas ſcabioſas & cruſtas crebras producendo. Dolores inſuper interdum ſuper fronte, aliquando in ſpatulis, nonnunquam in tibiis, coxis, & brachiis potius extra juncturas quam in juncturis evenire ſolebant, à quibus noctis tempore homines vexabantur, & ſedabantur in die (ut ſuperius dictum fuit). Et ſcias, quod auxilia reſolventia, & mitigantia dolorem, de quibus antiqui & moderni Doctores mentionem fecerunt, dicentes dicta auxilia unumquemque dolorem haud dubie ſedare, parum aut nihil huic morbo, ut ego paulo ante retuli, opitulabantur. Immo indies magis atque magis ſpretis auxiliis dolores augebantur. Et propterea ſicut iſta ægritudo eſt incognita & nunquam à doctoribus viſa, prout nunc eſt. Licet de conſimili morbo inveniatur caput quoddam à Cornelio Celſo deſcriptum *de cura morbi elephantiæ*, & ab Ugone de Senis *in lv. conſilio* videatur de uno conſimili morbo tractari. Eodemque morbo Cæſar laboravit Auguſtus, ut à Suetonio in *vita Auguſt. cap.* 80. deſcribitur. Nam, ut ipſe refert: Graves diverſos, periculoſoſque morbos toto tempore ſuæ vitæ paſſus fuit. Et

propterea ubi de maculis corporis, & invalidis membris eiuidem narrare incipit, dicit: *corpore traditur macutoſo, diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis, in modum & ordinem, ac numerum ſtellarum cæleſtis uſe* &c. Ideo pro ejus curatione operæ pretium fuit nova auxilia & pharmaca indagare. Et in rei veritate, ſi quid ſalutis inventum fuerit in iſto morbo, fuit id potius ex novis experimentis, quam ex antiquis auxiliis, ratione & auctoritate multotiens in eorum ſcripturis approbatis. Adduco exemplum in medium de dolore: nam auxilia anodyna reſolutiva, quæ ut Galenus & Avicen. teſtantur, virtutem habent cum aliquali certitudine removendi unumquemque dolorem, quippe in ſedando dolorem evenientem in iſto morbo, quicquid agunt, nihil eſt. Eodem modo dico de oleis anodynis, & unctionibus, de balneis, ſuffumigiis, ſtuphis, cerotis anodynis, & emplaſtris. Tamen contigit ſæpenumero ex ſimplici unctione cum modico argenti vivi roborata prædictos dolores, puſtulas, ulcerationes, & ſquallidam ſcabiem intra hebdomadam, brachia à cubito, & tibias a genu infra liniendo, haud dubie me curaſſe. Ut ergo ad principale propoſitum accedamus, B dico quod iſte morbus ex parte temporis & ex parte materiei duas habet curationes, nam licet ex parte temporis & materiei uſque ad annum unam habeamus curationem, tranſacto tamen anno alia indigemus curatione hujuſmodi morbi. In prima itaque curatione tres intentiones requiruntur. Prima eſt vitam ordinare ad hoc, ut humor gignatur benignus, & malus deſtruatur. Secunda eſt materiam antecedentem digerere, ipſamque digeſtam evacuare. Tertia, & ultima materiam conjunctam removere. Prima quidem in intentione, quæ eſt vitam ordinare: dico quod in primis diebus omnia virtutem habentia ſanguinem benignum & depuratum generandi in iſto caſu ſummopere conveniunt. Et primo de carnibus loquendo, Carnes vituli, hœdorum, pullorum, gallinarum, perdicum, & eorum curſu currentes, tam elixatæ, quam aſſatæ utiliter conceduntur. Aves ſimiliter in pratis, arboribus, & nemoribus, collibuſque degentes etiam ad propoſitum faciunt. Nocent vero carnes vaccarum, porcorum domeſticorum, cervorum, leporum, & currentes curſu eorum. Similiter omnes aves aquaticæ roſtrum & collum longum habentes ſunt omnino dimittendæ, C quia malum, groſſum, & turbidum ſanguinem generant. Legumina quoque omnia, & radices, & omnia caulium genera ſunt in iſto caſu dimittenda. Sufficit ergo in brodio dictarum carnium *boragines*, *lactucas*, *betas albas*, *ſpinachia cum modico petroſelini*, *menthæ & meliſſæ* decoquere. Panatella ſimiliter in brodio, aut far aut panis medulla contrita decoctaque in iſto caſu ad propoſitum facit.

Ova quoque cum modico agreſtæ cum ſecuritate conceduntur. oryza etiam aliquando in eodem brodio ad propoſitum facit. Piſces præterea omnium generum (præter parvos rubei coloris in pauca tamen quantitate decoctos ſuper craticula) ſunt dimittendi. Allia ſimiliter, cepæ, porri, acuta, ſalſa & piperata ſunt in iſto caſu fugienda, quia ſanguinem adurunt. Fructus omnes ſimiliter, quia de facili corrumpuntur in ſtomacho, & quia malos humores generant ſunt, omnino evitandi, præter prona integre matura, atque Perſica. Interdum etiam meliones, & ceraſa agreſtia, in parva tamen quantitate in iſto caſu poſſunt tolerari. Lacticinia etiam & genera caſeorum ſunt valde nocua. Poma tamen granata & vinum eo- D rum cum utilitate conceduntur. Paſſulæ ſimiliter ad propoſitum faciunt. Secunda quidem intentio, quæ eſt materiam antecedentem digerere, ipſamque digeſtam evacuare, ſic completur. In primis virtute & ætate conſentientibus, præſertim corpore exiſtente ſanguineo, in hac deteſtabili ægrotatione, enemate præcedente utiliſſimum eſt ſanguinem extrahere ex vena communi, vel baſilica brachii dexteri. Deinde digeratur materia per hebdomadam, ſumendo hunc ſyrupum. Recipe *ſyrupi de fumo terræ minoris unc. j. de ſucco endiviæ drach. vj. aquarum endiviæ, capillorum veneris, fumi terræ ana unc. j.* Sumpto ſyrupo per hebdomadam purgetur patiens purgatione iſta. Recipe *diacatholiconis, electuarii lenitivi ana drach vj. rhabarbari ſecundum artem infuſi cum aqua endiviæ drach. j. miſce, & cum decoctione florum, & fructuum cordialium fiat potio brevis. Addendo ſyrupi violati unc. j. & ſ.* In hac tamen mala diſpoſitione conſuevi in primis diebus materiam digerere cum ſyrupo magiſtrali infra ſcripto deſcriptione noſtra ordinato. Recipe *fumi terræ, capillorum veneris, buglоſſæ, endiviæ ana man. j. & ſ. gallitrichi, polytrichi ana man. ſ. paſſularum, ſebeſten, ana unc. j. prunorum damaſcenorum numero xxv. pomorum acetoſorum aliquantulum confractorum num. vj. vini granatorum lib. ſ. aquæ endiviæ, aquæ fumi terræ, aquæ buglоſſæ ana lib. j. & ſ. omnia ſecundum artem bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ partis, deinde colentur, cui colaturæ addantur de ſaccharo quantum ſufficit. fiat ſyrupus cum unc. ij. ſuccі fumi terræ, & tantundem ſuccі endiviæ ana unc. j. ſuccі lupulorum, de quo patiens ſumat in aurora unc. j. ſ. cum aquis capillorum veneris, endiviæ, & fumi terræ.* Digeſta materia intra x. vel xii. dies poſt aſſumptionem talis ſyrupi purgetur patiens purgatione iſta. Recipe *caſſiæ unc. ſ. diacatholiconis unc. j. electuarii roſati drach. ij.* vel loco electuarii tranſactis ſex menſibus adhibeatur tantundem *confectionis hamech, & cum decoctione communi fiat potio brevis.* Et cum iſtis duabus purgationibus, prius ſemper digerendo materiam modo antedicto, proceſſimus uſque ad annum & ultra ſingulis duobus menſibus reiterando digeſtionem, & purgationem prænominatas. Interdum etiam per intervalla dierum inter purgationem & purgationem exhibebam pillulas infraſcriptas. Recipe *pillularum maſtichinarum, pillularum de hiera, videlicet de octo rebus, pillularum de fumo terræ ana ſcrup. j. & formentur pillulæ quinque*, quas interdum ante cœnam, & interdum poſt cœnam exhibebam, juxta tamen membrorum neceſſitatem. Scarificationes quoque ſpatularum, natium, & coxarum cum applicatione ventoſarum, præſertim corpore exiſtente plethorico & cacochymo, & multis puſtulis ſcabioſis pleno inſtituebam. Tertia denique intentio, quæ eſt materiam conjunctam hujuſmodi morbi removere, completur adminiſtratione multorum localium ſecundum quod diverſa tempora morbus iſte habet. In primis veniendo ad originem morbi, videlicet ad puſtulas quæ ſolent accidere in virga, dico quod ex quo iſtæ puſtulæ (ut ſuperius dictum fuit) non eveniunt niſi à cauſa primitiva, ſine aliqua temporis intermiſſione protinus medicamine acuto malignitatem earum interficiente ſunt delendæ, ut exinde earundem malitia per totum corpus non extendatur. Secus autem eſſet faciendum ſi prædictæ puſtulæ ortum accepiſſent à cauſa antecedenti, quia (niſi facta univerſali purgatione) localia auxilia ante corporis purgationem regulariter operando non eſſent applicanda. Quamobrem inter acuta medicamina mundificantia cum corroſione ſine dolore pulvis noſter, carnis ſuperfluæ removitus, principatum obtinet, quia unamquamque puſtulam & ulcerationes malignas, præſertim in morbo Gallico evenientes corrodendo mundificat (ut plerunque pluribus in locis dictum fuit.) Et (quod melius eſt in iſto morbo) eius pulveris exhibitio malignitatem ulceris & puſtularum interficiendo locum ulceratum, vel puſtuloſum ad digeſtionem materiei benignæ & mundificationem loci cum purgatione multarum materierum perducit. Loco deinde mundificato incarnativus illum interdum cum *incarnativo de ſarcocolla & myrrha*, quod habetur in *antidotario cap. de medicinis incarnativis.* Deinde cum *unguento de minio*, & *lotione aquæ aluminoſæ* ulcera ſigillavi. Et ſi opus erat reiterare pulverem, reiterabam, quia interdum hæ puſtulæ ſanabantur, & iterum ad crepaturam veniebant (ut alias dictum fuit) cum malignitate carnis, unde operæ pretium fuit, ſæpenumero curationem renovare. Et quia poſt cicatrizationem (ut in principio præſentis capituli dictum fuit) puſtulæ ſcabioſæ & ulceroſæ & interdum verrucoſæ per totum corpus ſpargebantur, præcedente evacuatione prænominata ordinabam infra ſcriptum balneum. Recipe *fumi terræ, radicum lapathi acuti, & foliorum ejus, ana faſciculum j. hordei, lentium, lupinorum ana man. ij. radicum enulæ, radicum ebuli ana lib. ſ. hellebori nigri triturati unc. ij. mellis lib. j. ſulphuris drach. iij. bulliant omnia cum aqua ſufficienti uſque ad conſumptionem tertiæ partis:* deinde intret patiens balneum ſtuphæ ad ſudandum, poſtmodum lavetur cum dicta decoctione, quia unamquamque ſcabiem deſiccat & delet etiam cum abſterſione, quod balneum bis in hebdomada faciendum eſt. Poſt balneum liniantur loca ſcabioſa & puſtuloſa linimento infraſcripto. Recipe *olei laurini, & maſtichini ana unc. ſ. pinguedinis porcinæ, butyri ana unc. iij. decoctionis prædictæ lib. j. bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem decoctionis, deinde addantur terebinthinæ claræ unc. ij. ſ. ſtyracis liquidæ drach. x. ceræ albæ unc. v. ſ. lithargyrii auri & argenti ana unc. iij. aluminis rochæ combuſti unc. j. ſ. myrrhæ drach. iij. thuris drach. vj. ceruſſæ drach. x. ſuccі limonum drach. vij. miſce, & fiat linimentum.* Et ad majorem exſiccationem, ſi opus fuerit, *addantur argenti vivi extincti cum ſaliva unc. ij.* & utere, liniendo puſtulas, & ſcabies bis in die, quia ejus operatio tuta eſt in iſto caſu. Et quia aliquando hujuſmodi morbus obedientiam auxiliis minime præſtare ſolet, præſertim ad dolores auferendos. Idcirco quum ante dicta curatione iſte morbus cum ſuis E doloribus & puſtulis removeri non poſſit, tunc ad ulteriora remedia tranſeundum eſt, præſertim ad unctiones, & cerota, in quibus ingreditur argentum vivum, de quibus in ſuccedenti curatione ſecunda hujuſmodi morbi optimum ſermonem facienus.

CAP.

## CAP. II.

*De cura morbi Gallici confirmati.*

In antecedenti doctrina curationem morbi Gallici nondum confirmati cum accidentibus prænominatis descripsimus. In præsenti vero sermone de cura morbi confirmati cum prædictis accidentibus tractare decrevi. In curatione itaque universali istius ægritudinis (dico universali, quia omnibus ejus accidentibus potentissime medetur, præmissa condecenti purgatione bonoque vitæ regimine, ut in antecedenti doctrina dictum fuit.) Nulla melior medicina est (crede mihi) quam protinus patientem illinire infra scripto linimento. Aut loco linimenti cerotum imponere in brachiis, & tibiis semel aut bis in die, donec dentes dolere inceperint, & cum dentes dolere inceperint, tunc cessare ab unctione. At se calidum patiens teneat, donec fluxus phlegmatis cesset per gingivas, oportet. Et quia interdum propter multa sputamina causata ab unctione solet in gingivis, & in partibus circumjacentibus, ulceratio cum fœtore non parvo generari, ideo magna cum diligentia solertique ingenio ulcerationi prædictæ vacandum est.

In principio itaque hujusmodi fluxus medicamina stiptica non sunt exhibenda, ne stipticitate sua materia, quæ est in motu, intus revocaretur. Igitur à die fluxus dictarum materierum utilissimum est gargarizinatibus refrigerantibus & linientibus cum aliquali astersione procedere per hebdomadam, de quibus infra mentionem faciemus. Et quia forte aliquis damnabit operationem auxiliorum prædictorum propter ingressum argenti vivi. Respondetur autoritate Galen. IX. & X. *therapeuticæ* dicentis. *ægritudo, quæ habet unam viam ad salutem, licet sit ardua & difficilis via cuilibet ægrotanti, tamen velit aut nolit, oportet quod per illam transeant, etiam in omnibus casibus.* Præterea nescio qua ratione medici in curatione istius ferocissimi morbi tantum damnarunt linimenta, & auxilia in quibus ingreditur argentum vivum, cum in curatione multarum ægritudinum levissimæ curationis, nulliusque periculi reperiantur in antiquorum, & modernorum scripturis multa remedia, & auxilia argento vivo confecta ut in *cap. de cura scabiei*, de phlegmate salso, de serpigine, impetigine, & de aliis ab eisdem Doctoribus descriptum fuit. Quapropter si de quo minus videtur inesse, ergo de quo magis. Et quanquam ejus operatio videtur servare officium apocrusticæ medelæ, quia materia videtur abeodem argento vivo à circumferentiis ad centrum repelli, super qua repercussione præfati medici suum agunt fundamentum, tamen (salva eorum pace) non optime consideraverunt istum modum repercussionis, quæ in applicandis auxiliis, in quibus argentum vivum ingreditur, evenire solet. Dicimus igitur ad eorum dubii solutionem duplicem esse repercussionem. Una quarum est materiam intus incarcerare, incarceratamque in membro detinere & lapidare, ad quam quidem repercussionem (ut inquit Avic. *cap. de apostemate calido*) sequitur membrum lapidari, corrumpi, doloresque augeri super particula, ubi talia apocrustica medicamina à medico administrari solent. Altera utique repercussio est, cujus officium est materiam à circumferentiis ad centrum mandare, cum beneficio tamen multarum purgationum, videlicet urinæ, sudoris, sputaminum, atque ventris per peccantis materiei solutionem. Unde necessario est dicendum istam ultimam repercussionem esse veram curationem prænominati morbi, cum ad ejus operationem soleant sequi purgationes, ex quibus omnes fere morbi curari solent. Et cum ita sit, videlicet quod ista sit vera curatio præfati morbi, vidimus (ut sæpenumero experientia nobis demonstravit) applicatione in tibiis & brachiis tantummodo ceroti, vel unctionis inferius annotandorum, nullo medicamine applicato super materia conjuncta, si dolores affuerint, penitus amoveri; si tuberositates, deleri; si durities, mundificari, atque resolvi. si ulcera denique, qualiacunque sint, perfecte mundificari ab eisdem auxiliis atque sanari. Igitur ista secunda repercussio rationibus præallegatis sanatio vera appellanda est, quamvis locum repercussionis retineat materiam intus repellendo cum juvamine jam dictæ purgationis. Et ne videamur frustra tempus conterere, linimenti receptam prius ordinabo nobilissimæ operationis, quod & valet in quocunque tempore hujusmodi morbi, cujus talis est nostra descriptio. Recipe *pinguedinis porcinæ liquefactæ lib. j. olei chamæmelini, anethini ana unc. j. olei mastichini, laurini ana unc. j. storacis liquidi drach. x. red cum cuulæ aliquantulum conquassatæ, radicum ebuli ana unc. iiij. fœnanthi, stœchados ana parum, euphorbii pisti unc. s. vini odoriferi lib. j. s. bulliant omnia simul usque ad consumptionem vini, deinde colentur, cui colaturæ addantur lithargyrii auri unc. viij. thuris, mastichis ana dra. . r. sinæ pini unc. j. s. tereb. claræ unc. j. argenti vivi extincti cum saliva unc. iij. ceræ albæ unc. j. & s. liquefactis oleis cum cera omnia ad invicem incorporentur, & fiat linimentum.*

Et utere, liniendo ad ignem cum palma manus prædicta loca desuper fasciando pannum calidum cum fascia. num ejus operatio mirabilis est. Et curat intra hebdomadam haud dubie morbum Gallicum cum omnibus ejus accidentibus, de quibus in antecedenti capite mentio facta fuit, materiam antecedentem & facientem ulcera, dolores, & tuberositates per os, fecessum, vel per multos sudores educendo. Item ad eandem intentionem valet infra scriptum cerotum descriptione nostra ordinatum, quod millies expertus sum cum honore, & utilitate non parva, cujus talis est forma. Recipe *olei chamæmelini, anethini, de spica, de lilio ana unc. ij. olei de croco unc. j. pinguedinis porcinæ lib. j. pinguedinis vituli lib. s. euphorbii drach. v. thuris drach. x. olei laurini unc. j. & s. pinguedinis viperæ unc. ij. & s. ranarum viventium numero vj. lumbricorum lotorum cum vino unc. iij. & s. succi radicum ebuli & enulæ ana unc. ij. fœnanthi, stœchados, matricariæ ana man. j. vini odoriferi lib. ij. bulliant omnia simul usque ad consumptionem vini, deinde colentur, cui colaturæ addantur lithargyrii auri lib. j. terebinthinæ claræ unc. ij. & cum cera alba sufficienti ad ignem fiat cerotum ad modum sparadrapi, addendo in fine coctura storacis liquidi unc. j. & s. deinde auferatur ab igne agitando cum baculo, donec tepidum fuerit. postmodum addantur argenti vivi extincti cum saliva unc. iiij. iterum cum baculo agitando, donec argentum vivum optime incorporetur.* Istud cerotum est nobile & securioris operationis, quam linimenta, & magis delectabile. Et in isto casu est medicina magna in removendo dolorem, & sanat unamquamque ulcerationem morbi Gallici brevi tempore. Unum etiam super hoc notandum est, videlicet quod ante administrationem hujusmodi ceroti, nonnisi utilissimum est ulcerationes ab omni malignitate, & carne putrida mundificare, ut in posterum bona, & solida cicatrix efficiatur. Nam administrando unctionem superius annotatam, vel cerotum prædictum ante debitam ulcerum mundificationem (licet ulcera ad cicatrizationem perveniant) in posterum à facili causa recidivare solent. Et hoc non aliam ob causam nisi propter debilem cicatricem factam super carne immunda. Eandem etiam rationem habemus de osse corrupto, quia nisi prius ejus corruptio auferatur cum raspatoriis, in vanum ut plurimum esset facta curatio prædicta. Quamobrem expedientissimum est ante administrationem ceroti ut mundetur os. Ulterius à die applicationis hujusmodi medelæ debet patiens infra scriptam decoctionem in ore detinere, & cum ea os sæpe lavare, donec cerotum removeatur, cujus decoctionis talis est forma. Recipe *hordei mundi man. j. & s. radicum linguæ bovinæ man. s. seminis cydoneorum drach. j. & s. florum violarum, passularum ana man. s. bulliant omnia simul cum aqua sufficienti usque ad hordei crepaturam, deinde colentur, & cum julep violato frequentissime utere*, quia ejus operatio est valde utilis, est enim oris refrigerativa materiam aliqualiter provocando, & oris rupturam prohibendo. Item in eodem tempore etiam utilissimum est detinere intra dentes cannulam auri vel annulum, ut vapores materierum putridarum extra egredi valeant. Et quia plerunque oris ulceratio in ista curatione ingens, & impetuosa generari solet, imo necessarium est aliquando fluxum materierum facientium ulcerationes per intervalla temporis detinere. Et hoc celeberrime fecimus, bis in die brachia & tibias lotione infrascripta lavando, cujus talis fuit ordinatio nostra. Recipe *chamæmeli, absinthii, matricariæ, salviæ, rorismarini, rosarum ana manip. ij. stœchados, fœnanthi, sampsuci, calamintha, origani ana man. s. nucum cupressi aliquantulum contritarum numero x. mellis lib. j. salis unc. ij. aluminis rochæ drach. x. bulliant omnia simul cum lixivio barbitonsoris sufficienti, & parum vini odoriferi usque ad consumptionem tertiæ partis.* Et utere, quia ejus operatio duabus de causis est valde proficua. Una quarum est ad retinendum aliqualiter materias, ne ascendant ad superiorem partem cum aliquali diversione. Alia vero facit ad confortationem membrorum, ne in posterum prædicta membra materiam antecedentem recipere valeant, quod cum factum fuerit, ad curam ulceris oris statim redeatur. Quæ quidem curatio cum lotionibus infra scriptis efficitur. In primis itaque consuevi locum sæpissime lavare, & replere gargarismate infra scripto. Recipe *hordei mundi, rosarum, sumach ana man. i. aquæ ferratæ lib. vj. bulliant omnia simul usque ad consumptionem duarum partium ex tribus, deinde colentur, & addantur syrupi rosati unc. iv. mellis rosati. unc. ij. aluminis rochæ drach. x. & iterum bulliant parum, & utere ter vel quater in die.* Item cum eadem medela gargarizet patiens *lac caprinum, vaccinum, vel ovillum cum julep violato*, aut loco ejus *aquam hordeaceam decoctam ultima decoctione cum eodem julep.*

*Aqua plantaginis quoque, violarum & solani cum sacharo albo, aliquantulum bull.ta* utiliter ad eandem intentionem adminiſtratur. Iſtæ enim ultimæ lotiones mundant, lavant, & refrigerant locum, acuitatem materierum contundendo. Prima autem aqua virtutem habet deſiccandi & prohibendi, corruptionem gingivarum, carnem corruptam aliqualiter auferendo. Et nota quod in iſto caſu tanta eſt aliquando corruptio, & putrefactio gingivarum, & partium circumjacentium, ut neceſſarium fuerit loca prædicta cum unguento Ægyptiaco illinire, cujus operatio inter cætera remedia principatum obtinet.

Ultimo loco ſigillamus gingivas, & cæteras partes oris ulceratas lotione iſta. Recipe *aquæ plantaginis lib.* 1. *ſummitatum rubi, foliorum olivarum ſylveſtrium; caudæ equinæ ana man. s. aquæ hordei lib. j. & s. licii unc. ij. mellis roſati unc. iij. aluminis rochæ drach. vj. bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem medietatis, & utere ad intentionem prædictam*, quia mirabiliter prædicta ulcera ad cicatricem perducit. Cæterum quia, ut alias dictum fuit, iſta ægritudo ſolet per intervalla annorum & menſium interdum recidivam facere, ideirco nonniſi utiliſſimum eſt, etiam ſanitate conſecuta, curationibus antedictis purgationem univerſalem bis in anno facere, videlicet in vere & autumno ſumendo infra ſcriptum digeſtivum per hebdomadam deſcriptione noſtra ordinatum, cum quo multos honores conſecutus fui, cujus talis eſt ordinatio. Recipe *myrobalanorum emblicorum, bellericorum, Indorum unc. j. florum bugloſſæ, boraginis, & cichorei ana man. j. s. ſucci fumiterræ unc. iij. ſucci boraginis, ſucci endiviæ ana drach. ij. ſucci bugloſſæ, ſucci pomorum acetoſorum ana unc. iij. s. paſſularum, iujubarum, prunorum damaſcenorum, ſebeſten ana drach. x. liquiritiæ mundæ aliquantulum contuſæ unc. ij. polypodii quercini. unc. j. s. fœniculi dulcis drach. iij. ſcolopendriæ, capillorum veneris, gallitrichi, polytrichi ana man. j. s. folliculorum ſenæ, & epithymi ana unc. s. agarici electi drach. xviij. hellebori nigri drach. xiiij. aquæ endiviæ, aquæ capillorum veneris, fumi terræ, bugloſſæ ana lib. iij. vini granatorum lib. s. contundenda contundantur: deinde bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ partis omnia ſecundum artem, deinde colentur, & colaturæ addatur ſacchari albi quantum ſufficit, & fiat ſyrupus in bona forma addendo rhabarbari optimi in infuſione aquæ endiviæ drach. vj. s. quaſi in fine cocturæ. Reſiduum vero rhabarbari ponatur in petia lini ligata filo ad bulliendum à principio ſecundæ & ultimæ decoctionis uſque ad finem ejus, & utere cum aquis capillorum veneris, bugloſſæ & fœniculi, & etiam ſine aquis, & doſis ejus eſt unc. j. uſque ad drach. xij.* & ejus operatio in morbo Gallico confirmato, præſertim hyemali tempore eſt divina, digerendo materiam groſſam phlegmaticam, & melancholicam, ipſam paulatim educendo. Et propterea regula, & canon generalis eſt in ægritudinibus melancholicis (ut inquit Meſues auctoritate Galen. capitulo de melancholia) ut non ſemel, ſed per intervalla faciamus evacuationem ita temperiem habentem, ut natura regulet evacuationem, & non evacuatio naturam. Facta digeſtione materierum per hebdomadam & ultra, invenimus infra ſcriptam purgationem ſummopere valere. Recipe *diacatholiconis. unc. s. diaphœniconis drach. ij. confectionis hamech, electuarii Indi ana drach. j. mannæ electæ unc. s. cum decoctione florum & fructuum cordialium fiat potio brevis.* Verum in tempore æſtivo purgatio & digeſtio annotatæ in antecedenti cap. in hac curatione poſſunt cum utilitate, ſi opus fuerit, adminiſtrari. Item ſumere interdum cochlear unum ſyrupi antedicti ſine aquis ſtomacho jejuno multum ad propoſitum facit, & hoc per hebdomadam, deinde utiliſſimum eſt ſumere ante prandium *theriacam* per ſeptem horas ad quantitatem caſtaneæ. Similiter quoque pillularum infraſcriptarum (videlicet drach. s.) operatio in iſto caſu eſt valde proficua. Recipe *hellebori nigri, turbith boni ana drach. ij. theriacæ Galen. unc. s. tormentillæ, gentianæ, biſtortæ, dictamni ana drach. s. diagrydii ſcrup. s. rhabarbari drach. j. s. ſpecierum de hiera cum agarico ſcrup. ij. miſce. & cum ſyrupo de ſtœchade formentur pillulæ ad modum ciceris, & doſis earum eſt ſcrup. ij. uſque ad drach. j.* quandoque enim capitur una, quandoque duæ, quandoque tres. Item ſumantur pillulæ adverſus morbum Gallicum, & ejus accidentia deſcriptione noſtra ordinatæ, quibus gentem plurimam ſanavimus, una cum ceroto, & auxiliis antedictis, quarum talis eſt forma. Recipe *myrobalanorum emblicorum, bellericorum, Indorum ana drach. ij. s. ſpecierum pillularum maſtichinarum, unc. s. ſtœchados, folliculorum ſenæ, epithymi, croci ana drach. s. gentianæ, aniſorum ana drach. j. polypodii quercini, hellebori nigri ana drach. ij. turbith fini drach. j. s. diagrydii ſcrup. iiij. zinziberis, ſerapini, cinnamomi, nucis muſcatæ, ligni aloës, tormentillæ, biſtortæ, diptamni, cardui benedicti, colocynthidis ana ſcrup. ij. agarici trochiſcati, rhabarbari optimi, aloës lotæ ana unc. s. theriacæ optimæ Galen. drach. vj. cum ſyrupo acetoſo formentur pillulæ ad modum ciceris, & doſis earum eſt drach. j.* quandoque capiuntur quinque, quandoque tres, & quandoque una. Et nota quod contra peſtem miram habent virtutem.

Denique notandum eſt, quod poſtquam morbus iſte confirmatus fuerit, tunc curam rariſſime recipit niſi palliativam. De ejus vero confirmatione, ut experientia nobis ſæpenumero demonſtravit, non habetur determinatum tempus, niſi per ſigna. In aliquibus enim corporibus confirmatur intra x. menſes, licet de raro contingat, in aliquibus intra annum. Et in aliquibus intra annum cum dimidio confirmatur iſta ægritudo. Et appellamus hunc morbum confirmatum, quando in proceſſu temporis prædicti reperiuntur cum aliquibus accidentibus prænominatis. videlicet cum tuberoſitatibus ſcirrhoſis, cum ulcerationibus formicoſis, virulentis, corroſivis, cum oſſe corrupto, cum doloribus juncturarum, vel extra juncturas circa oſſium almocatim, cum dolore frontis, & aliis, de quibus ſupra dictum fuit.

Iſta (ut ſermoni præſentis capituli finem imponamus) ſunt accidentia, & ſigna coarguentia morbum eſſe confirmatum. Et ſic Deo dante completa eſt doctrina præſentis capituli, cujus nomen ſit benedictum.

FINIS.

# ANTONII GALLI, *Medici*,

## DE

# LIGNO SANCTO NON PERMISCENDO,

## OPUS.

### PRÆFATIO.

*Cum ligni nuper ex India ad nos advecti vis, ac natura curandis Hiſpanicæ luis omnis generis malis, adeo ſalutaris mundo ſit cognita, ut ἁγιοξύλον nomen meruerit: mirum eſt profecto non defuiſſe, qui velut harpyiæ obſcœnæ, atque impuræ, religionem ejus ac ſimplicitatem contaminare contenderint, tametſi una adhuc Celæno (quod quidem ſciam) infandum hoc prodigium canere eſt auſa. Verum Strophades permultis ingredientibus, bellum Harpyis ſtrenue indictum eſt, princeps autem Huttenus eques ille, & in literis Pliniana diſciplina anteſignanus, novo prælia tentat.*

Obſcœnas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt, celerique fuga ſub ſidera lapſæ
Semeſam prædam, & veſtigia fœda relinquunt.

*Enim*

*Enimvero harpyiæ noſtræ in Phinejam protinus domum abditæ, negabunt palum Sanctum, quomodo fere Hiſpani nominant, & Guajacum idem eſſe. & fortaſſe nos accuſabunt, qui bellum etiam pro ſede boum, ſtratique juvencis Laomedontiadæ bellum jam inferre paremus, & patrio inſontes harpyias pellere regno. Novi qui ſe tria ligni Sancti genera cognoviſſe adfirmat, quorum tertium Puniceo cervi colore prædicat. Verum ſive idem ſit, ſive diverſum, quod in genere Ebeni reponatur, mea non multum arbitror intereſſe. Tametſi vix pauca ejus lineamenta, notæque reſpondere videantur Ebeni deſignationi Plinii ac Dioſcoridis. Nam qui nobis Indicum hoc lignum depingunt, fraxini tradunt eſſe proceritate, ut quod duodecim æquet cubitorum altitudinem, folia plantaginis inſtar habere nervea, mincra tantum, rotundioraque & validiora, fructum ferre caſtaneis proximum, vel, ut alii, olivæ ſpecie, floribus eſſe luteis, cortice cinerii coloris tendentis in fuſcum, cui lignum ſubeſt foris pallidum, intus nigrum, duri adeo concrementi, ut aſciam retundat, ac reſpuat, gravi pondere, reſinoſum, odore pingui, guſtu ſuavi, aliquantum amareſcente, in potione tamen ſubacido. Cæterum qui Syphilida doctiſſimo luſit carmine, arboris hujuſce fructum purgantis naturæ facit:* Nux parva (*inquit*) ſed acris Dependet ramis. *Ego certe nuculam vidi olivæ magnitudine, ſpecie trigona, ſed una ſui parte ſeſſili, dorſo acuto, nucleo intus albo, caſtaneæ, aut coccali ſapore tam grato, ut ad ſe mandendum invitet, & alliciat. Etiamſi quidam acidum illi ipſi guſtum tribuunt. hæc integra ſumpta cum levi vomitione alvum copioſiſſime ciet, aquas potiſſimum eliciens. Ante cremorem vero ligni Sancti, purgationis vice, præſumebatur ab iis, qui ex India reverſi in hanc luem inciderent. Quidam tamen in ea eſt opinione, nullum ut fructum ad nos ligni hujus ferri poſſe dicat, quod cito putreſcit, edi tamen a barbaris ad ſanitatem recuperandam. Eos vero, quibus is deeſt, ligni decocto veſci, quod an ſit verum non magnopere laboro. Porro materies Ebeni, Aethiopicæ præſertim, nigra eſt nullis pectinibus, lævore ſuo poliri cornu ſimilitudinem refert, prædenſæ in frangendo ſoliditatis, guſtum mordaci tentat croſione, & leviter aſtringit, pruniſque impoſita jucundo odore, citraque fumi tædium vaporatur. Quid autem de ejus dicemus pondere? profecto Ariſtotelis autoritate haud commoveor, tametſi tantum ei tribuo, ut non ſimpliciter dixiſſe credam, omne lignum (ipſi certe cognitum) præter Ebenum in aqua natare, nec fidere: quibus verbis aliquid deeſſe puto, quia buxus, illi pulchre exploratus, aquæ injectus ſtatim it peſſum. Quid ſuber, nonne detracto cortice fidit e veſtigio, cortex tamen aquis perpetuo fluitat, neque demergitur? Quam ob cauſam verriculorum funiculis annectitur. Aſpalathus item ſemel immerſus fidit, nam pondere mox cedens nunquam exiſtit. Hæccine ignoraſſe Ariſtotelem ſummum virum credemus? niſi forte, quod Strabo memoriæ prodidit, eum fugiſſe dixeris in India fluvium eſſe Siliam, Plinius Sideritim, in quo nihil innatet, quod negare dicit Ariſtotelem. Verum æquius fortaſſe ſit contendere lignum Guajacanum colore ab Ebeno diſtare, quod Ebenus nigritia ſuperior, hoc in rufum vergit, extrinſecus etiam tænia circundatum buxea. Quin etiam palus Sanctus prope pallidus viſitur, ut cum buxi colore certare putes, quo uno fuco adulterantes ita perſtringunt imperitorum oculos, facile ut illo velut ſuppoſititio partu imponant. Pullicies igitur illa in Guajaco tantum deprehenditur, etiamſi palum interdum media cordis intercapedine atro commaculatum nævo videre licet, quod ætasne, an arboris partes, an natura denique efficiat, norunt qui ad nos deferunt. Conſtat profecto, qui victus utuntur ſimili ratione, celerius multo Palo Sancto, quam Guajaco curatum iri, id quod regionis varietati tribui video. nam tribus ex Inſulis ad nos convehi dictitant, una a divo Dominico, altera a Sancta Cruce, tertia a divo Joanne cognominata, e qua poſtrema præſtantiſſimum petitur. Nam primum e Sancto Dominico aſportabatur, deinde e Sancta Cruce, poſtremo optimum eſt habitum, quod divi Joannis inſula ſuppeditat. Hoc enim multo ſuccolentius exiſtimatum, propter regionem minus peruſtam ſolibus. Quæ octo fere partibus, quos gradus nominant, ab æquinoctiali longius quam Sancti Dominici inſula, remota eſt, quæ tredecim ipſa duntaxat ab illo diſtat circulo, ſicut Divi Joannis una & viginti. Ferrus autem ex mediæ ætatis arbore, ramo mediocri, lignum legit quam recentiſſimum, grave, cortice hærenti, colore fuſco, & flavo, e Divi Joannis inſula exciſum. Ego a quodam, qui ad ea loca acceſſit, accepi optimum, cujus pallorem quam minimus nigror infuſcaret. Etſi Guajacum illud præſtantiſſimum putabant, in quo nigri quam plurimum ineſſet, ſed hoc a Palo differre videtur, quod Guajacum unguinoſum, ut a quo accenſo reſina profluat: Palus vero crematus nullam, aut perexiguam exudat pinguitudinem. Hujus ille ope à malo ſupra quam dici poteſt fero, & immani, novem, diebus (quod miraculi loco tunc eſt habitum) me adminiſtratore curatus eſt, annus hic agitur duodecimus. Sed ad propoſitum redeamus, ſuo poſtea loco de iis plura commentaturi. Sicut igitur Indici ligni color ab Ebeno diſſidet, ita etiam illi cum hoc in guſtu non convenit, quo ego cauſæ meæ firmamento uti decrevi. Nec enim adhuc deprehenſum, nec à quoquam (quod ſciam) literis proditum lignum hoc Sanctum acri ac mordaci ſapore eſſe, ſed in guſtu cum aliqua aſtrictione amareſcere, certo cognoſcimus experimento. præterea non cernitur in hoc ligno corneus ille nitor, vel ſine arte protinus jucundus, neque oſſea durities, quæ in Ebeno creditur in lapidem concreſcere, quamvis ingens Guajaci rigor, vixque ſecabilis. Neque Indicum lignum citra fumi prorſus tædium, ut Ebenus, ſuffitur. nam quæ Ferrus tradit, minime convincunt, lignum Sanctum Ebenum non eſſe, dum ait,* Præter hæc, Ebenus ſi juxta ignem ponatur, flammam ſtatim corripit: *quod ligno Sancto negat accidere. nam ſpinæ auth. Pl. Ebeno ſimili magis id eſt proprium, quæ deprehenditur lucernis, igni protinus tranſiliente. Itaque accendi Ebenum Fabianus negat, uritur tamen odore jucundo. Dioſc. Ebenum recentem ſua pinguitudine ſuccendi ſcribit, ignique admotam flammas agere; ſed non continuo ſequitur ignem citiſſime corripere. Id autem puerile quod ſubjicit, lignum Sanctum ſi comburatur, nec tantum, nec talem omnino odorem reddere, quantus & qualis redditur ab Ebeno. Qui enim id probatur? experimentone? at Ebenus hoc tempore incognita nobis eſt. concludit tandem,* Quamobrem prorſus aliud eſt lignum Sanctum quam niger Ebenus. *En quæſo quam apte.* Non ita maceratur, inquit, lignum Sanctum in aqua cæteris paribus, quemadmodum Ebenus, cum tradat Avicen. ex Ebeno collyrium fieri. *Hac ratione Ebenum ab Indico ligno ſeparat, quæ quanti ſit momenti, quis non videt?* Non ita *ait* maceratur, *&c. Quod nihil aliud eſt quam quod dicitur a Dioſc.* Attrita in cote Ebeno ad oculorum collyria utuntur. *Utrum ad cotem affriari Sanctum lignum non poterit? Atqui hoc minus Sancto ligno reſpondet, quod cotis attritu flaveſcat Ebenus. Quæ nota non latuit Dioſc. qui ait,* τριφθεῖσα δ' ἐπ' ἀκ νης ὑποκί ῥ γίνεται, lignum vero Sanctum cote lævigatum lacteo fere in cæruleum colore palleſcit *ſed de Ebeni maceratione videamus,* Curatur (*idem inquit*) Ebenus ad oculorum medicinam ramentis ſcobeve ejus integrum cum ſua nocte diem in vino Chio madentibus, tum diligenter concifis, & in collyria confirmatis. *Quæro quidni poſſit ſimiliter in collyrii formam Guajacum fingi, ſi ramenta ejus vino madefacta perlævigarentur? Addit:* Ebeni quidam ramenta & ſcobem antea trita cribrant, & reliqua pariter faciunt, ſunt etiam qui pro aqua vino utantur. *Quid prohibet idem in hoc ligno fieri? Sed ni fallor aliud eſt. Nempe quod Galen. inquit:* ἔστιν δ τῶν εἰς ξύλον ἀναλυομένων ἐφ' ξύλων, εἰ προστρίβοιτο μετ' ὕδατος ὥσπερ ἔνιοι τῶν λίθων. *Num lignum igitur Sanctum exiguo reſolutum liquore aque delini poteſt? Minime vero in ſuccum, quod evenit & Xerocollyriis, quæ quidem è tenuiſſimo fiunt polline,*

*quæ quamvis curiosè terantur, naturam suam tamen amittere non possunt: sicuti de cadmia, usloque ære Scribonius exempla induxit.* Nunquam enim (*inquit*) ut succus diluuntur, sed cum in summam subtilitatem deduci non possint, perseverantia tamen terentium, corpora quasi pulverulenta necesse est maneant. *At quamobrem tandem hoc argumento Ebeni materiam colligit magis refractariam? Inepte proculdubio: si in succum solvi, opinatur duritiei ullo modo exhibere significationem. Quod alia etiam sint ligna ab Ebeno, quæ idem efficiant, sicut etiam nonnulli lapides, quos molliores esse convenit, cum cote lævigantur, duri enim vix ex sequid remittunt. Num igitur Ebenus, quoniam succum reddit, & ad cotem pertrita in collyria conformatur, durior? Quæso id nonne commune habet cum aliis quibusdam lignis etiam Guajaco minus forte solidis? sed non est credo expertus in collyria Indicam materiam posse digeri, & ad hæc fore quadamtenus aconiam. Id quod nulla quidem mordendi cupiditate dico, quasi nesciam Ebenum ligno Sancto rigidius esse, cum id nunquam lapidescat; sed ut ostendam, quibus ille probationibus nitatur, qui nobis res aliter, quam habent, persuadere molitur. Itaque Guajacum Ebeno similius esse, qui utriusque notas aliquot collimarit, forte deprehendet. Nimirum Ebenus in aqua non fluitat, & quamvis non tota, tamen medullacea ejus pars, nunquam mergitur. Idem Indico propemodum ligno quàm minutissime concisо convenit. Color Indico idem, qui buxo, sed nigricans: Ebeno aspectus caudexque buxo similis, decorticato summa nigrities, utrique vix secabilis durities. Cæsa Ebenus durescit in lapidem, adeo ut parte lignum, parte saxum videatur. Tam dura sunt horum robora, ut rimis hiscere negent. Rigiditate præterea usque eo pervicaci, ut fissa mox resiliant, ac ferram, limamque utrunque genus refugiat. Uruntur odore non insuavi, Palus tamen non sine quodam fumi tædio Rimoso utrunque hiat cortice. Ad cotem trita rufescit Ebenus. Itidem lignum fere Guajacanum, quod à cote resolvitur, ac colorem mutat, in pallidum tamen, non in rufum plane. Ebeni Plinius duplex facit genus, alterum arboreum, fruticans alterum. Illud rarum melius, quod palmarum generi ascribit Herodotus, quamvis in Atticis Pausanias Cyprii nescio cujus fide fretus, qui herbas ad hominum salutem cognôrat, tradit Ebenum nec folia nec fructus edere, nec usquam à sole conspici; verum radices esse humo conditas, ad quas eruscandas in Aethiopia artifices esse scrutandæ illius peritos, nec temere nisi a fodiendi gnaris inveniri, quæ an vera sint illi judicent, qui a Pompejo in triumpho Mithridatico ostensam viderunt. Certe arborem plerumque tenuem esse narrant (uti Solinus testatur) frequentiorem, vimine raro, in crassitudinem caudicis extuberatam, hiulco cortice, & admodum reticulato, debiscentibus venis, adeo ut per ipsos sinus pars intima vix tenui libro contegatur, lignum omne atque mediale eadem ferme & facie, & nitore, qui in lapide gagate. Quæ notæ non omnes utique apparent in Indico. Cæterum Dioscorides duo ejus genera cum indicasset, Æthiopicum & Indicum, hoc candidis & rutilis discurrentibus maculis fruticosum intelligens, subdit:* Quidam sesamina & acanthi ligna pro Ebeno venditant. *Ubi Marcellus mori ligna substituit, & acanthi vice spinæ Indicæ, qua in parte Plinio subscribit, qui inibi spinam similem Ebeni esse ait, sed deprehendi lucernis igne protinus transiliente. Serapion Maurus tantum cum quadam spinæ specie adulterari scripsit. Cur autem Marcellus συκάμινα potius quam σησάμινα legat, rationem subjungit, quod sesamum in frugum sit genere, itaque aptius esse mori materiam vertere. Vetus autem interpres (ut Pandectarius repetit) Assamina posuit, pro quo Serapion barbare saphsamphe, quo quid velit, nescimus: si tamen ex fide locum hunc interpres reddidit, mihi placeret assamenia restitui, quod cum vetulo interprete non ita dissentit, & ad hunc dici modum ligna cornea comperi, qualia styracis habentur: de quo Strabo. 12. Qui corneis missilibus similes præpilatas tonsilas exhibere asseverat, quos urosios Græci dixere, unde postea ex eo styraces missilia illa vocitari cœperunt. Proinde convenientius est, ut cornea ligna pro Ebeno vendi dicamus, potius quam mori, cum cornus nitore splendescere Ebenum proditum sit, nec nos movere debet, quod sequitur, deprehendi quod fungosa & inanis horum materia sit. hoc enim in rimas debiscere significat, & solutiora esse etiam cornea ligna, sicut & spinæ Indicæ est materies, quæ quidem in taleolas colore purpureo scinditur. Quod eo diximus, ut etiam sancti ligni differentiam aliquatenus ostenderemus, quod etsi præduro existit robore, ut in rimas non diffluat, tamen cornus nitore expoliri vel arte nequit, id quod Ebeno vernaculum est, superest, ut moneamus, apud Plinium Palam arborem Indicam plurimum ab hoc Palo distare, quæ quidem Indiæ sapientes (gymnosophistas vocant) victitasse scribit: Alas avium ejus folium imitari, longitudine trium cubitorum, latitudine duorum, fructum e cortice mittere, admirabilem succi dulcedine, ut uno quaternos satiet, arbori nomen Palæ, pomo arienæ. Theophrastus struthio camelorum alis similia dixit folia. Hæc ex ficus est speciebus, quas India profert, quibus conos galearum bellicos adornant. Ita putant appellatam, quod emicet in altitudinem, à caryo Indico omnino distinguenda, quod Pœni succi bonitate butyrum superare prodiderunt. Id recens juxta ac inveteratum articulorum morbis, maximeque gonagris & lumbagini adhiberi. Jam vero quando ostensum est non sine causa nos dubitasse, an idem esset lignum Guajacanum quod Ebenus, silentio non est dissimulandum conjecturæ maxime finitimum esse, quod nonnulli contendunt apud Avicen. esse hestedeem, quod lignum Indum notum interpretatur, ejusque proprietatem tradit validum podagræ adjumentum, cui cum præter infinitas alias proprietates, lignum Sanctum prodesse compertum sit, non abs re addubitatum est: verum cum nusquam ipse depingat, illo argumento hoc asseverare conjectantis potius est, quam ex facie ac lineamentis veritatem indagantis. Præterea qui potuisset tot insignes hujusce ligni dotes, quæ in utendo celari nequeunt, præterire? Nimirum quod sanguinis, ac jecinoris vitia emendet, & amissum bonum corporis habitum restituat, affectosque ex pedibus, vel etiam artuum compaginibus, sive calida sive frigida ex causa, indiscriminatim reparet. Non impedio tamen quo minus, si qui volent, in ea sint opinione; sed talibus mihi rationibus non persuadebunt. Nam quid causæ est, quin alia atque alia ligna India proferre possit, quæ ex æquo podagris opitulentur? Quale est* Karon, *quod Massa lignum Sanctum credit, Avicennas non multum putat abesse ab* Almugat. *Quam omnes fere agrestis granati radicem autumant, ipso reclamante: succurrit hoc artuum malis, magis tamen appositum, quam hausum, ut Ferro visum est, quin apud Avicennam fractis tantum & luxatis facere animadvertit. Quasi vero non multa reperiantur, quæ intro sumpta eam vim habeant. Sed pergamus de nova tandem curatione, quæ miseræ mortalitati beri, ac nudius tertius (ut Græci dicunt) data est, dicere. Equidem cum rem tam utilem, tam Sanctam, ac prope adorandam a profanis istis inquinari videam, vix me contineo quin iis succenseam, quorum durissimis legibus coercere istos intererat, qui opem cælitus demissam suæ fragilitatis corrumpunt audacia. Quæ monstra quo nomine commodius appellem quam harpyiarum? nempe.*

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira deum stygiis sese extulit undis.

*Quam vellem longissime a mysteriis medicinæ pestes istæ summovcrentur, quæ experientiæ semel cedendum esse nesciunt. Non quia non putem ad medicinam ratione opus esse, sed quia hujusmodi sunt experimentorum sacra, a quibus si vel transversum unguem deflectas, polluas. At non tutum (inquit) experimentum. quibus ex*

*eodem*

*eodem reſpondeo, judicium difficile. niſi enim exquiſitis fulciatur demonſtrationibus, haud ſcio an rectum unquam ſint conſequaturi, quo iſtos ne aſpiraturos quidem arbitror. Atqui in altiſſimo otio, Averroes nobis & Hali abbates, & Avanzoares, & quos non iſti obtrudunt? Atque, ſi diis placet, Galenum, Ariſtotelem, Paulum, Oribaſium, Celſum, Aetium, quorum omnium Ariſtarchos ſeſe profitentur. quaſi illi viri, uli ratio defuit, non conceſſerint experientiæ. Iſti vero impoſtores ne in re tam plauſibili otioſi ac nihil agentes deprehenderentur, verſare omnia cœperunt, & ſurſum deorſum non dolium (ut ille) ſed dolum agitare, dum permiſcere ſua non erubeſcunt, quæ cum tam multiplicis uſus medicamento copulari recuſant. Et ſi maxime ſocietatem reciperet, neceſſaria tamen non eſſet, cum nullius rei ad Hiſpanici mali curationem indigere ſit exploratum. Quid autem opus eſt, ubi non expedit, ſimilium remediorum vim ac congeriem inculcare? Pervulgatum eſt illud,* fruſtra fieri per plura, quod fieri poteſt per pauciora. *Cæterum rei per ſe tantæ non video quid recte adjungi poſſit: detrahatur fortaſſe, addi ſine periculo interdum non poteſt: ita non ſupervacaneum hoc modo, ſed interdum pernicioſa erit opera. Neque tantum remedii vis infamabitur, verum etiam ægroto negotium exhibebitur, dum tempus ac impenſam perdet, atque adeo in diſcrimen vocabitur, non quodvis illud quidem, ſed capitis, non fortunarum, ſed vitæ, non corporis, ſed animi etiam perſæpe. At cur Magnes, ſi adſit Adamas, ferrum nequit attrahere? Cur idem lapis allio perunctus aciem ad ſe non rapit? Quid eſt quod ſcammonio cum jure pingui non convenit? quod ipſum cum aloe pulchre coniungitur. Quam ob cauſam veſter quoque Meſues dixit, neque ambarum neque corallium cum illo conciliari poſſe? quamvis pervagatum ſit, ſcammonium cordi officere, viresque ab eo depellere. An quia naturali lege nulla cum iis intercedit concordia? Neque vero corallium, etſi refrigerat, ſcammonio conſpirat, quod ipſum ſponte alioqui incandeſcit, & ſuccos incendit. Adde quod omphacitis, quæ congregandi facultate prædita eſt, laxandi noxam refrenare ſcammonii non poteſt. Quæ omnia magnifice præſtat unum cotoneum, quo diagrydion illud præparatur: alioqui nardi ſpica, caphura, tragacanthum, ſeu maſtiche, illi ipſi reſpondent. Cur ita? quia quædam vinculo nullo necti poſſunt, quædam ultro coeunt. Atque hoc ipſum nullane ratio docere poterit? minime profecto. At totam ratio medicinam invenerit, (meliorem reddidiſſe non dubium) quid opus erit ad ſarcoticon, quod Gal. invento ex ærugine, cera, & oleo confectum eſt, alia ex ratione ſimilia commiſcere? quo modo in cephalico ab Empiricis promiſcue factitatum idem queritur tertio Methodi therapeuticæ. Nam etſi conſtat non omnes ab omnibus ſimiliter affici, quamplurima tamen ejuſdem ſpei in idem miſcere, ne quid ulli corporis naturæ deſit, ut ratiocinantis forte ſit, ita non emuncti, neque demonſtratione veritatem eruentis cenſendum. ſiquidem ut (ut eo in loco tradit Galen.) in commiſtis ſpeciebus non ſervatur actio ſuæ cujuſque ſubſtantiæ, ſic, ut in unaquaque ſubſtantiæ ſpecie non deſit, quod morbo curando conveniat. Novimus indicationes (cujus enim id eſt negotii?) tum quibus in rebus rationis conſilia capeſſere oporteat. At omnia methodo ſeſe curanda non præbent. Ac ſtupor eſt experimenta methodo velle tractare. Neque enim Galenus iſta unquam confudiſſe viſus eſt, nec qui Galeno poſteriores in arte mirabiles extiterunt. Nonne Sapphirus anthraca reſtinguit? quod experimento haberi nulli non compertum. Dicant autem qua methodo in hoc utentur remedio? An diſtinctionibus admovendi rationem, viamque nobis præſcribent? Nihil attinet hoc loco ſtercus caninum in mentem vobis redigere, non etiam hirundinum cibos, non jaſpidem viridem in ſtomachi malis, non lupi corium in colicis, non ſexcenta ſimilia. Quanto minus iis in morbis, qui ratione depelli nunquam potuerunt? Et quo tandem modo iis percurari poſſent, quæ venantur ex obſcuris? Attamen deſignatores iſtos cælum terræ miſcentes video nunquam deſinere; ſed velut muſcas repulſas protervitatem oſtendere, ac procaces identidem aſſilire, quibus arcentur rebus. Quare ut difficile ſit creditu, unum medicamentum naturis omnibus convenire, fierique poſſe, ut naturæ, quæ interdum ſibi contrariæ ſunt, ab eodem reſtituantur: cum idem Ariſtoteli ſimiliter ſe habens, ſemper comparatum ſit facere idem, contraria enim nunquam efficiet, quod contrariorum contrariæ ſint cauſæ, & perit quidque in contrarium, & à contrario. Cumque nihil quod agit, in eadem diſpoſitione producere habeat effectus contrarios, ita ut proportio ejus, quod habet potentiam contraria operandi, cum ſe habuerit ad contraria, neutrum illorum efficiet eadem potentia: taceo alia axiomata quæ proferunt, quæ quidem omnia in methodica recipimus curatione, non autem in ea, quæ morbos experimentis profligat. Tamen nos lignum Sanctum eodem modo apparatum, corporibus varie affectis conducere tenemus. Sanandisque diverſis in uno corpore morbis, imo pluribus etiam in corporibus ipſi (ut ſpero) valere probabimus, ac docebimus, omnem aliorum medicamentorum ſocietatem aſpernari. Quamobrem ligni in primis natura, vires, rectuſque præparandi modus perſcrutandus, & paulo etiam altius morbi genus explicandum, firmiſſimis adjunctis, ut ceciderit, rationibus.*

## CAP. I.

### *Quid ſit lues Hiſpanica.*

Incipiemus igitur a definitione melius, nugas enim perſequi nolumus hoc tempore (nugas voco nomina, quæ variæ ipſi lui gentes in hac miſeria indiderunt) altercationesque de mentagra, de elephante, & ſimilibus, appellet autem quiſque novum malum quo volet nomine, dummodo de re nulla ſit controverſia. Neque enim nos hac appellatione tam fœdi tamque turpis affectus, clariſſimæ genti detractum volumus: ſed monemus primum omnium, contagem iſtam ex commercio cum novi orbis inſulanis ortum contraxiſſe, a quibus (ut eſt veriſimile) labes illi populo familiaris in hanc facile derivata eſt. Conſenſu etiam moveor doctiſſimorum ita appellantium, imprimisque Eraſmi, hominis ſummi. Sed vocet, cui collibitum fuerit, Gallicum, vocet Parthenopæum, vocet Neapolitanum (nota ſunt hiſtoriæ tempora.) vocet ad extremum ſuo quiſque arbitratu. Mihi videtur recte ſic definiri: Publica contagio affrictu, maximeque in venere contracta, quæ ſanguine humoribusque inficiendis occulta quadam qualitate cum omnibus fere corporis partibus, tum præcipue jecori affectum inducit putredinoſum, & in puſtulas vel ulcera vel abſceſſus degenerantem, quæ poſt partem, quæ illa traxit, in faciem ſæpe re geſta ſefe oſtendunt, aut in ipſis latent faucibus, non ſine dolboribus excruciantibus. Sentiunt igitur novum hunc morbum, omnique memoria ſuperiore incognitum genitales fere partes, quas a concubitu hoc malum tentat, puſtula, vel ulcuſculo peni ſive præputio oborto, multis interdum velut gemmantibus pectinis in ambitu, perque ſcrotum huc illuc papulis, unde pudendagræ joculari primum dicacitate (ut ſemper laſcive procax in alienis miſeriis eſt natura humana) vocabulum hæc ſibi lues adoptavit, & Celtarum vulgus groſſam varolam vocitavit, ludicra & ipſa, ni fallor, nomenclatura, quod puſtulis undique totum corpus ſcateret exanthematum more, quos Latini varos dicunt, ut plerisque, non omnibus tamen, accidit. Jam vero adlito affricatoque ad pedem malo, nonnunquam uſu venit, ut virulenta colluvies ad inguina vomicæ durioris erumpat imagine, quæ glandes, quas ἀδένας vocant, obſidione velut ambiat & circumvallet: Hæc, ſi ſuppurat, frequenter bono eſt, hac ſe expurgante (ut ferunt) jecinore, modo inter initia tota foras eliciatur illuvies, collectionis emiſſaculo longi temporis tractu recluſo, ut in virulentis fit ictibus. Quod ſi peſtifera vis in jecur regeratur, certum eſt luem non evitari. Hoc morbi genus cancroſum vocant bubonem, alii pulinum, dicaci etiamnum ſcommate notantes velut equuleo inſidere, quando divaricatis incedant cruſculis, qui eo malo implicantur. Exigua hæc eſſent, niſi crudelior labes increſceret. Nam ſub veſperam hujus luis furor in caput ſcapulasque graſſatur, qui ſolis or-

ortu paulum remittitur. deinde poſteaquam deliruit, in artus compagesque ſævit, & internodia magis occupat, conveſtientes quoque oſſa membranas diro exeſt tormento, atque ad medullas impetu facto delabitur, oſſa putri carie perforat ac ſideratione, tum duris tuberibus amiſſo priſtino æquore in gibbera attollit. Cartilagines quibuſdam momento depaſcitur, ut Deiphobi perſonam ſic affectos agere credas, laceram crudeliter ora.

„ *Ora manusque ambas, populataque tempora raptis*
„ *Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.*

Adeo nativum omnem decorem adimit, & exaſperatum tumoribus corpus reddit, callis obdurat, ſinibus ac fiſtulis cuniculatis ſubtus excavat, lacunoſis cicatricibus deturpat, privatas item alimento partes extenuat, additamentisque in oſſeam duritiem concreſcentibus velut appendicibus quibuſdam tam pertinaciter oſſibus offirmatis, ut avelli nullo queant divortio, elevat. Et quamvis ſint, qui abſcedere oſſa negent, tamen frequenter collectionibus etiam ſaniem eructantibus turgeſcere videas, & tabo diffluere. Interim vis hæc major in ſumma reciprocatur, ubi Telephia, ubi Chironia ſuſcitantur ulcera, aliaque ſerpentia rebellia adeo contumaciaque, nullis ut auxiliis cedant. Hinc ſacer ignis, aphtæ, nomæ, phagedænæ, impetigo, pſora, fera ſcabies, & quid non malorum? ut Pandoræ pyxis potius cenſenda videatur, quam (ut ſatyrici verbis utar) *circumfilit agmine facto Morborum omne genus.* De qua non eſt, quod pluribus agam, niſi quod ex contagio non ſubitam vitæ perniciem invehit, ſed diuturnitate celeritatem aliarum peſtium compenſat, dum horrenda ſui fœditate mortalitatem reſpirare haud ſinit, & conclamato vitæ ſolatio longum valere dicit. Ita non potuit olim hæc noxa extingui; ut vel ſapientes animum cogeret deſpondere, niſi acceſſiſſet divinum Sancti ligni præſidium. Cæterum finitionem illam ſuperiorem nunc examinemus (Publicam diximus contagem) quod tam viros quam fœminas, pueros quam ſenes, proceres quam mancipia, magiſtratus quam humilem plebem, attactu corripiat. Senſere quoque hanc labem virgines & infantes, & monaſticæ vitæ puritati dediti, neque ſolum in Europam, ſed in Africam quoque & Aſiam tranſlata eſt, ut ab Indis ad Hiſpanos, qui nobis importarunt, ſerpſit. Contagium autem appellamus vulgare malum, quod contactu corpora labefactet. Eſt vero vulgaris Galeno morbus quicunque uno in loco multos invaſerit. qui ſi hoc etiam, adſit ut multos perimat, peſtis, ſed quoniam contages quædam inhalatur, & convictus ab uno ad alium tranſit (affrictu contractum adjunximus) ad indicandum contactum hujuſmodi palpabilem & corporalem, ut in iis, qui ex cubitu cum infectis ea lue implicantur, qui ſicut mammarum ſuctu infantes malum trahunt, qui lintea contrectant ab iis impurata, maxime quibus indormierunt aut deſudarunt, proinde aliquam eſſe moram oportet, ut corpora hanc maculam concipiant: alioqui non careret periculi ſuſpicione, qui illorum tractant ulcera. Hoc autem malum vix ab interiore naſcitur alteratione, ſed externa origo eſt. ſunt etiam quibus hanc luem potus attulerit, propter raram oris regionem ſalivæque uligine perpetuo humeſcentem, quæ vaſis attactu facile vitiatur & putredinem tenera pars ſentit. Equidem obſtetricem novi, quæ dum mulieris inquinatæ partum exciperet, hoc morbo correpta fuit, nulla tamen fœtui noxa communicata, uſque eo afficiendi corporis præparatio, quemad modum Galen. prodidit, vel maxima pars eſt morborum generationis. Verum age producat nunc quiſpiam, ſi poteſt, in aſſidua vitæ conſuetudine, & corporis diſpoſitione, unum quempiam hac lue occupatum, & definitione illi lubens decedam; ſed nemo poterit (opinor) hoc certe in orbe, nec adhuc inventus quiſquam quamvis impudens, qui talia ſcribere ſit auſus, tamen non defuerunt, qui ſolo odore contrahi dixerunt. Qua de re poſtea adjeci deinceps, (maximeque in re venerea) quod non peræque velox hujus, atque fuit olim mentagræ tranſitus, quæ oſculo protinus infigebatur, quaſi in tenuiori, qui cito tranſunderetur, vapore illa reſideret contagio, hæc vero in craſſioribus delitescit humoribus, & adhærentem habet viſciditatem, ideoque attritu ac calore opus eſt, ut in actum exeat contagioſum virus, quod quidem uligo obſcœna in meatus cavaque corporis inſinuet, quia partes humentiores putredini magis ſunt obnoxiæ. Non negaverim tamen fieri interdum poſſe, ut ex venereo complexu coles aut genitale non conflictetur, & à puſtulis non laboret, ſiquidem ubi materia, quæ fomitem habet, aut mordax non eſt, aut ſupra modum eſt tenuis, clanculum obrepit jecori, ſicque diffuſa in totum corpus venenatam cauſam in alias partes tranſmittit, quæ poſtea virus illud eructant & in apertum proferunt. Adde quod ex vehementi verendorum agitatione meatus laxantur, & tanquam transfuſis cribris, quæ inde oriuntur contagia nullo colantur perlitu, ita ut partes illæ minime infeſtentur, ſi à coitu eluantur. Certum nihilo tamen minus eſt collactaneum iis fore, qui in venerem ruent præcipites, tantoque magis, quo quis ſalacior fuerit. Verum enimvero non inficiabor ſponte principio naſci potuiſſe vi quadam cæleſti. Quippe totum vulgarium morborum genus, Galen. authore *in Epidemia*, ex cæli ſtatu proficiſcitur. Hoc autem tempore niſi ex pollutorum contactu affrictuque gigni, vix credibile fit. Graſſatur autem peſtis hæc in loculorum mulierium ſpurcis latebris, hinc ex concubitu tentigo immedicabilem peſtem concipit ulcuſculis præduris, ſed nullo fere ſenſu perniciolis illic delitescentibus. Ex quo intelligitur tanti mali vix alium eſſe fontem. ſequitur, (affectum putredinoſum inducere). Quem putredinoſum appello, quomodo Galen. habitus in putredinem pronos vocat ευπαθούντας, non quia velim hunc affectum calidum & humidum eſſe, neque tamen frigidum &, ut Maſſa ſuſtinet, aliqualiter ſiccum, quo procul dubio curationi repugnat; ſed qualitatem occultam dico cum deteriori conditione, in qua eſt hepar, dum in ipſum virus illud invadit, eam ob cauſam adjunximus, (occulta ſua qualitate.) Et fieri quidem poteſt ut jecur nulla ex primis qualitatibus ægrotet, ſicuti eorum cordi accidit, qui à veneno ſubſtantia tota deleterio enecantur: nihilo tamen ſecius humidus ſit neceſſe eſt affectus, ad gignendam putredinem. Nihil enim calor citra humidum habet putrefacere, ut ait Galen. & ſatis eſt adventitium eſſe calorem illum. Quam ob rem noxia ac peſtilens qualitas tantiſper pulluiat in jecore, dum ſanguinem alioſque deinde humores ſine intermiſſione inficiat, ac ſanguinem quidem in aliquam velut ſuppurationem convertat, quamvis fluxio conſiſtens non ubique puris habet ſimilitudinem, ſed alius quidem putredinis apparet modus, ut Hipp. *in Epid.* humores vero in craſſam quandam & abſurdam immutat glutinoſitatem. Recte igitur hoc additum. Nam ſpiritus vix lædit, etſi inter initia tantus ab ulceribus fœtor dicitur exhalaſſe, ut ſtatim inficeretur, cujus odor nares contigiſſet, quod vix credibile videtur. Quamvis in animalia, quæ ſpiritum lethalem concepiſſent, quam longiſſime divagatum legi. Diximus deinceps, (in puſtulas &c.) quod aliæ quoque contages affectum inducunt putredinoſum, qui ſi abeat in unum aliquod eorum, quæ diximus, cum hac lue affinitatem habebit, ut non dubitaverit Leonicenus hujuſmodi morbum finire, puſtulas ex varia humorum corruptione generatas, propter nimiam aëris in calore atque humiditate præſertim intemperiem, pudenda primum, deinde reliquum corpus cum magno plerumque dolore occupantes, in qua definitione quid deſiderem, ii cognoſcent, qui noſtram exacte intellexerint. Attamen puſtulas ille hujuſce mali genus cenſet, quod affectus ille putredinoſus eas ſpargat per corpus. Nam putredinis munus eſt commune (uti tradit Galen.) ut partes eas corrumpat, in quas impingit. Verum cum interdum non erumpant puſtulæ foras, ſed ulcera ſe tantum & abſceſſus oſtendant, aliaque putredinis indicia: ideo per disjunctionem enunciavimus. Neque enim puſtularum una ſemper forma (etiamſi illæ ulcera & abſceſſus plurimum præcedunt.) Nam imaginem fere reddunt ſummæ glandis, ut eleganter Syphilis,

„ - - - - *Species morbi nova puſtula ſummæ*
„ *Glandis ad effigiem, pituita marcida fingit.*
„ *Tempore quæ multo non poſt adaperta adoleſcens*
„ *Mucoſa multum ſanie taboque fluebat.*

Interdum planæ ſunt, minimeque extantes, ſed ſcabræ tamen in ſuperficie, ac colore incandeſcentes apparent, à quibus reſolutis ſquamis caro ſubjecta eroſa videtur. Aliæ varis ſunt ſimiles, figura rotunda, à quibus exempta cruſtula, caro emicat rubicundior. nonnulli latiores habent, ſed quæ ſupra cutem non exturgeſcunt, ſquamoſo cortice, quo reſoluto caro ſublivens ſe prodit. Quartum præterea genus eſt, quod, remotis ſquamis albicantibus, cicatrici ſimile remanet, à quo ſanguis interdum manans, ſanationis minatur difficultatem. Hoc ſcabiem repræſentat ſiccam, cæteris plane deterius, quod etſi non ita erodit, ſerpendo tamen variis intentatiſque locis inſidet, ſunt & aliæ pro humorum, qui corrumpuntur, varietate, raro enim ſincerus & impermixtus datur ſuccus. Porro quibuſdam, nullis ſe puſtulis exerentibus, ulcera innaſcuntur, maximeque in iis, quos argento vivo illito percuratos redux ex contactu morbus repetit. Hæc frequenter in gutture palatoque ſerpunt, ſic abſceſſus ac tubercula, poſt diuturnos dolores excutiente ſe tandem vi expultrice, maloque foras exultante, ad cutem compelluntur (tales vomicas ac panos, gummata fere nominant) ex quibus intelliguntur illa (quæ poſt partem &c.) addita ad demonſtrandum, non jecur modo hoc labefactari contagio, ſed deinde cerebrum. Nam hæc lues propter putredinis craſſitiem, vix ad cor commeat, alioqui perimeret. E quo fit ut ſimul atque qualitas illa noxia in cerebrum irreplit, puſtulæ fere prius emergant circa frontem ac tempora, quam aliam quamvis corporis partem,

præ-

præterquam ubi cepit malum. Eſt enim humidiſſimum ipſum cerebrum, proindeque humores illic conditi facile patent putredini. Incipiunt autem (ut diximus) circa pudenda, quibus ex venere ortum habet morbus: aliis vero in locis, prout labes inſederit. Diximus præterea (in ipſis latere faucibus) quo intelligatur ulcera in ore depaſcentia illuviem cerebri magnopere concipere: illac enim cerebrum per lacunoſam cavitatem à ſuis ſe recrementis emungit. Poſtremo, non ſine excruciantibus doloribus, quippe ob meningas vaporibus ex putredinis habitu elatis affectas, graviſſime tunc caput laborat, & in ſcapulas, artuumque juncturas per nervos & perioſtea, hoc eſt, membranas oſſa convellentes, degravans moleſtia diffunditur, quæ niſi provideatur, uſque eo invaleſcit, ut ſæpe mortales adigat ad deſperationem. Atque his totam cum recentis, tum veteris morbi vim ac naturam ſatis à nobis explicatam arbitror, quantaque fieri potuit brevitate. Utemur autem in ſequentibus hac definitione, cum opus erit, dum aliquis eam vitii convicerit.

## CAP. II.

### *Huic malo neminem adhuc ſola ratione mederi potuiſſe.*

In hoc igitur malo expugnando doctiſſimi phyſici non ſine cauſa elaborarunt. Et tantorum affectuum ſemina inveſtigare, ſicuti par erat, conati ſunt, optime intelligentes, nullum affectum incognita cauſa tolli poſſe. Iidem non generalem modo cauſam contemplati ſunt, quam partim in vires aſtrorum contulerunt, partim in humidum cœli ſtatum, nonnulli in virus cum elephantioſis coitu conceptum, in alias cauſas alii. Sed particularem etiam, ac proximam originem non neglexerunt. Et materialem, quam vocant, cauſam corruptos humores ſtatuerunt: Efficientem, jecur affectum: Formalem, puſtulas, ulcera, cæteraque, quæ ſymptomatum quoque numero accedunt: & finalem (ſi diis placet) putredinem, qua nimirum corpus ad corruptionem ſpectat. Quin etiam exteriores interioreſque cauſas ſunt ſcrutati, & ex inteſtinarum cauſarum anfractibus continentes, quas conjunctas vocant, poſuerunt, & concauſas, & foventes, & quid non? Inventus eſt etiam, qui hujuſce mali fundamentum ſolam fecerit pituitam, atram bilem alius, alius item aliud. Officinam vero, quam mineram vocant, jecur omnes faciunt. cæteras porro indicationes ex methodo eos in curam attuliſſe credibile eſt, quibus tamen efficere nemo potuit, ut abſque argento vivo vel minimam ejus luis ſpeciem leniret. Quanquam non defuit, qui libris etiam in vulgus editis, ſua ſomnia experientibus profutura crederet, temerario me hercules auſu, & fiducia de ſe majore, quam qui pati poſſet alios ſua excogitare. Certe alii experientiam fere cum ratione conjunxerunt; ſed ita, ut cum de re ſplendide peroraviſſent, ad eam experientiam inviti delaberentur. Nempe tota propemodum opera eliciendo peſſimo illi veneno impendenda, alioqui cauſis aliis providentes, morbum non elidimus, ſed corpus laceſſimus. Verum noſſe, quid excutiat, ac deleat hanc perniciosſam qualitatem, hic labor, hoc opus. Neque enim niſi experientia duce ad veram mali hujus curationem pervenimus, ac fere per deſudationes, ſputiſmata, ſalivarumque uligines faucium ſubeuntes anguſtias. Ex quo conſtat, eliciendum eſſe undequaque virus. Nam ad nocentes argenti vivi illitus qua ratione ventum ſit, non facile quiſquam dixerit, præſertim in natura ejus medicis, ut ingenue fatear, haud ſatis explorata. Galen. enim nullum ſe periculum feciſſe confitetur, ſive devoretur, ſive foris admoveatur, interimere. Quidam vero naturam ejus humidam ac frigidam ſtatuerunt, alii contra calidam & humidam: qua ex temperie vinci per contrarium non poſſe putredinoſus affectus, qui ipſe madentem videtur cauſam habere. Et in maxime rationalibus qui volunt calidum humidumque argentum vivum, ii cauſam ac baſim, (uti vocant) pituitam conſtituunt. Equidem Aeginetam Paulum, calidum hoc ſiccumque facere Rhaſem dicentem audio: cum tamen ſeptimo ſuæ artis hydrargyron teſtetur in medicinæ uſum non magnopere accommodari, quod venenum repræſentet: eſſe tamen aliquos, qui concrematum in cinerem, miſtumque aliis adverſus colicos, & ilioſos in potione exhibeant. Hujus autem cremandi rationem ab antiquis traditam nuſquam reperi, præterquam in uno Azaravio, quem Serapionem dixerunt, Arabe quidem, nec ita priſco ſcriptore, ſed qui cum ſulphure concinnet, & Zinſiphur, quod vulgus cinaprium, cinabriumve, à cinabari, ut opinor falſo creditum vocitat, chymiſtæ autem noſtri alia etiam hoc curant ratione, ex ſtillatitio & medicato latice, quæ aqua dici chryſulca cum Judæo poteſt, ab extrahendi quam habet auri potentia, Galli aquam fortem, & à dispartiendo vocat Italia. hac utentes adeo valetudini noxiam experiuntur, ut fumus ejus bullientis inſpiratu exhauſtus vitalia labefactare cenſeatur, quam rem cavent etiam diligenter artifices. Eſt & alius iſtius rei modus, quo hydrargyron ſublimatu candefacit idem Serapion. Quæ apparandi rationes vires habent quadamtenus inter ſe diverſas: tametſi ſingula horum medicamenta tum calefaciendi tum ſiccandi vi ſunt prædita, adeo ut nullum iſtorum plane retineat vivi argenti hac in curatione facultatem. ſolent tamen ſuffitus netcio qui mirifici, at omni vitæ ſupplicio fœviores, concinnari eodem propoſito. Sed ad virtutem nos eſſe attentos jubent, quaſi naturale robur ea ſuffimenta diſſipent, quæ magnam quoque ipſa partem luis iſtius plerumque deteriori loco relinquunt. Quæ cauſa eſt cur Syphilis in hæc eruperit:

„ *Quo circa totum ad corpus nemo audeat uti,*
„ *Judice me, certis fortaſſe erit utile membris*
„ *Quæ papulæ informes, chironiaque ulcera paſcunt.*

Ex chymiſtica vero ratione metamorphoſis illa, ut abstergendis ulceribus mirifica planeque divina eſt, ita curando per unctiones malo vix locum habere deprehenditur. Nec audiendus ille eſt, qui veram hydrargyri reſtinctionem autumat præcipitatum, ut vocat, & ut Maſſa, angelicum pulverem, qui negat ſe Joanni à Vigo, rubrum mercurium appellanti, acceptum referre: cum tamen ante quindecim ferme annos, quam hic librum ſuum ediderit, illius conficiendi modum ſcriptis tradidiſſet. Ille autem, quem ſupra monuimus non audiendum eſſe, hydrargyri præparationem, quæ vel amararum oleo amygdalarum, vel jejuni ſaliva elaboratur, occultationem ac torpefactionem potius exiſtimat, quam veram extinctionem. quoniam alicubi Rhaſis prodiderit, argentum vivum, quando extinguitur, ardens eſſe. Atqui meminiſſe debuerat Meſuem, Avicennam, aliosque in ſuis ad ſcabiem unctionibus, exanimatum, ſive (ut eorum vocabulis utar) mortificatum, argentum vivum expetiviſſe, non crematum ſeu præcipitatum, ut appellant. Quomodo in illo Meſuæ ad ſcabiem: *Adjunge argentum vivum cum ſaliva extinctum*: ubi perperam quidam cum ſalvia, ſecunda ſyllaba conſtante ex *u* & *i*, non contra, legunt. In quo nihil hæſitandum duco. Quin etiam palam eſt non ſentiri id, quod quæritur auxilium, in cremato argento vivo, quale in extorpefacto dilutoque, ſeu (ut illi ipſi hanc vocem arridere video) occultato, in iis ſaltem illinitionibus, quæ ad totius ſpectant curationem: tamen nequaquam inficias iverim, plurimum alioquin emolumenti illi lui hoc ipſum allaturum, etiamſi medicorum plerique uſum ejus per os ſumpti ſupra modum deteſtentur, idque (niſi fallor) haud immerito. Quos tamen meminiſſe oportuerat, hoc & antiquos in multo levioribus malis uſos, & quicquid venenum eſt, non continuo ſicut ab omni vitæ conſuetudine abhorrere debet, ita procul eſſe ab omni medicinæ uſu, atque conſortio explodendum, & tanquam inofficioſum prorſus rejiciendum, perinde quaſi perpetuo exulare mereatur. Declarant hoc viperæ, quas in Theriaca uſurpamus. Quinetiam araneos olim ex vino in eorum morſibus præbuit antiquitas. Et pharmacorum bona pars veneni nomine comprehenditur. Sed & Philoſt. Æſculapii filios venenis ad multas ægritudines ſalubriter uti didiciſſe Iarcham dicentem inducit: quod divinationi tamen attribuit, quaſi venenum veneno ſit antidotum. unde miſtorum venenorum acceſſio ſolet interdum ſalutaris eſſe. Qua de re locus extat apud Auſonium Gallum mire huic loco faciens, quem ideo ſubjungere placuit, ut hoc magis intelligant omnes, argentum vivum in venenis haberi.

*Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito,*
*Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum:*
*Miſcuit argenti lethalia pondera vivi,*
*Cogeret ut celerem vis geminata necem.*
*Dividat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum;*
*Antidotum ſumet, qui geminata bibit.*
*Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,*
*Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ:*
*Protinus & vacuos alvi petiere receſſus,*
*Lubrica dejectis qua via nota cibis.*
*Quam pia cura Deum. prodeſt crudelior uxor:*
*Et cum fata volunt, bina venena juvant.*

Quæ verba profecto ſatis mihi videntur eſſe ad reprimendos iſtos commixtores, ſed de iis alias, nunc quod inſtat ſequamur. Nempe argentum vivum innoxie nonnunquam intro ſumi, maximeque crematum, perhibemus. Tametſi virum hac in re ſani judicii, artisque experientem requiro, qui ſumma ipſe cum cautione prudentiaque hoc aggrediatur: à quo nihil non tentari velim, unde commodum aliquod ſperet. ſed faciendum ita judico, ut vel ſenſim ejus rei, quæ lædere putatur, modus augeatur, donec primum nihil nocuiſſe, deinde etiam juviſſe deprehenſa ſit. Quare cum peſtifera contagio veluti bellua quædam ſit, idcirco medicamento ex viperis

quasi feris contra feram pugnandum Galenus censebat : similiter quoniam lues Hispanica sceleris velut pœna est, aut quasi ἰλίγχε φείης (ut Philost. ait apud Indos esse) igne quoque expiatorio purganda mihi videtur, tanquam cratere illo veniæ, quem idem πῦρ ξυγγνώμης vocari sapientibus dicebat. Ergone cinerem istum egregium tantum hac in curatione laudabimus? Atqui pesti etiam commodare, quod putredinis undique virus evocet atque proliciat, nonnulli tradiderunt. sed ex auro à se parari quidam profetsus est, ut nobis tamen nondum id præstiterit, neque usum ejus edocuerit. Ego vero formulam illam propemodum me tenere puto, neque tamen tam pretiosi thesauri adita diutius esse clausa patior. Igitur in sublime scansilis in hoc expetitur hydrargyros, quem Mercurium chymistæ vocant sublimatum, hæc appendi postulat ad sex unciarum pondus, & ex tritici polline commisceri, atque in massulas confingi, butyro assidue manus oblinendo dum agglomerentur. Deinde destillatione quamdiu evocari liquor aliquis potest, aqua extrahitur. Porro ex una auri portione & stillatitii illius laticis partibus sex concorporatum fieri jubent (amalgama vulgus chymistarum nuncupat:) idque in vitreo vase habent in cineribus infurnibuli media sui parte consepulto, mollissimo continue utentes igni, ubi crustula consurgit, quæ veluti γενύς quædam concorporato innatet, nam paulatim ad coeturam ejus exittit. Ac quæ subinde emergit, ligula sensim demitur & in aliud vas transfertur, tantisper dum aliquod appareat sic nascentis crustulæ argumentum. Has omnes simul collectas in vas aliud priori non dissimile reponunt, quod ampli esse volunt oris, tamque latum quam longum, nec quatuor excedens digitos: Id in simili igne confovent, nec operculatum nisi una chartula, ne quid sordis eo se insinuet. Quo loco tamdiu tenent, donec irrubeat, aut certe luteo flavescat pallore: sic enim ignis commercio, ut Galenus ad Pisonem, multa redduntur meliora, & latentem in se naturam in apertum proferunt, quippe domita ignis necessitate curationi fiunt apta. Talem habes auream vere ex hydrargyro cinerulam, quam ab amico quodam Alchymista (ut vulgo vocant) magnis profecto precibus vix extorsi. Hunc pulverem siccum appellabat omnis excrementitii humidi expertem. Sed & illum ipsum rursus apparabat, quia non nesciret (quod ad Pisonem etiam tradit Galen.) plurimum virtutis auxiliatricis exhibere præparationem. Hunc igitur in vase fictili illito reconditum adobruebat vini stillatitio liquore ad infinitam tenuitatem deducto, ita ut digiti circiter altitudine supernataret is latex, quem ad ignem absumere permittebat, ac tertio similiter opus repetebat, tum ad ultimum ex intybi, vel buglossæ destillato imbre, ibi ad ignem patiebatur esse, usque dum plane reficcatum haberet. ex eo autem sic pulchre ac sedulo accurato, modum oboli dabat, ex alio non ita conflato tantum à granis quinque ad novem. Addebat ad illum aloes vel diagrydii siliquam, sacchari, quod sat esse videbatur, vel in catapotia confingebat. Imperabat autem abstinentiam à sumptione in horas fere sex, & duas somni horas ab ejus statim usu concedebat. Hoc medicamento tum superna, tum inferna ad miraculum exinaniuntur, evocatis corruptis omnibus inconditisque humoribus, ita ut convalescant intra novem dies omnes hac lue detenti, atque adeo arthritici conclamati, itemque peste laborantes. Hoc tam præclarum mysterium nolui diutius supprimere. Quod autem supra fidem eorum, quæ pollicetur, excellentius habet, alio tempore dicturi sumus. Meminisse tamen oportet recreandas esse à prima statim expurgatione vires, quod elixati capi jure commodissime assequemur, si rursus levi vomitione sese exonerat, neminem perturbare debet, tum carnibus reficiendus, & meraco quam optimo totum diem. Hæc habui quæ de aureo pulvisculo nostro dicerem, quem scio plerosque, ut inhumanum ac dirum, quam longissime in barathrum usque depulsuros, vel eam ob causam quod sublimati, quod dicitur, ut veneni præsentissimi fiat mentio. qui me hercule si hoc præscriptum recte acciperent, non tam aspere & acerbe tetrici insectarentur. Quippe non vulgare illud sublimatum petitur, quod passim in officinis vænit chymico invento perniciale, multo minus illud quod è Chalcantho album fieri à Serapione præmonui: sed id duntaxat, quod è solo argento vivo conflatur, quod artificium Ferrus ex Gebere (quasi non idem tradiderit Plinius) exposuit, dum ejus tractat mundationem duplicem: vaporamenti sublimatu alteram, lavacro alteram: utraque absterstone efficitur, ut omni imperfectione & terreni sulphureique concrementi admistione, etiamque plumbi spurcitia exuatur. quin etiam subtilitatis particeps redditur, adeo ut actuosum magis ea ratione evadat, & minori modo in compositiones veniat. Proinde simplex argentum vivum conflatur in pulverem (quemadmodum docuimus) auri ministerio, sine alia ulla permistione, ut metuendum nobis non sit posthac ab adventitiis accersitisque exitiosis medicamentis : tametsi volentibus fatis, (ut supra vidimus) bina juvent venena. Neque tamen ipse hoc pulvisculum linimentis conferem injiciendum, sed hydrargyron potius, vel lavacro, vel illo sublimatu præparatum, aut simpliciter etiam quodvis exanimatum, licet ipsum non ignorem haud levi injuria sic curatos afficere, ut morbo favere potius, quam eum amoliri interdum videatur. siquidem noxis innumeris fatigare corpus conspicitur. hoc enim gingivæ solvuntur, ac propemodum exeduntur, tonsillæ tument, labant dentes, ori tetrum halitum parit, vitium suffundit, obest auribus, tremula resolutaque membra detinet, ossa corrumpit, pulmones denique tabefacit, principesque omnes partes inficit & oblædit. Quapropter temeraria multis putatur hæc medicina, nec minus ipso morbi impetu reformidanda, sine qua tamen patrum memoria, neminem unquam recte sanitati restitutum constat. Nam ut in quibusdam forte felici successu non sit responsum, curantis vel imperitia, vel decumbentis vitio, vel certe mali pervicacia, innumerabiles tamen hoc uno remedio curatos nullo relicto vestigio cognovimus : ut plane amuletum hujusce luis credi oporteat, quasi antipharmacon alexiterion. Nemo autem absque uno hoc auxilio sanitati redditus est, nisi postmodum ligni Sancti ope divina. Namque mali reliquias ab argento fortasse vivo nondum in totum exhaustas, & tamen fomitem fermentumque consopientes, nulla ab eo medela vehementius ad integrum potuit elidere. Et unum demum est, quod contra hujus noxas omnes egregie facere deprehensum est. Quamquam sunt, qui Philosophicas suas aquas impendio prædicarunt, quarum eventus fruge norunt ii, qui sunt experti. Primusque Joannes cognomento Almanar Hispanus theriacum introduxit liquorem, aliis potus suos (sic enim appellabant) magnifice venditantibus, qui ad scenicas & inimicas quasdam jactantias devolvebantur: quibus dum morbum non propulsarent, ad argenti rursus vivi linimenta inviti descendere cogebantur, verum obscuro quodam fuco aliud quidpiam, quam hoc præsidium, dejerantes, aut quidvis potius caustificantes. Neque profecto olei sulphurati splendida moveor pollicitatione, quod etsi digerendi insignem habere vim cum tenuitate summa facile credo : virus tamen pellicere animum non induco, ut quod per se, vel intro sumptum, vel foris admotum, nihil conferre vel minimum sit compertum, propterea quod apyron non est amplius, neque enim sudores evocat, quod certe caput est hujusce curationis, neque alvum ducit, aut vomitu purgat, aut etiam urinas ciet, quæ corpus præstare solent ἀλκεσμός, hoc est integrum ac sincerum; sed maxime sudationibus virus hoc natum est exterminari, sunt enim meatus commune totius emissarium. Nam quod Syphilis de exercitatione cecinit, veritatis fortasse significationem hac ratione ediderit. Testimonium ejus hic repetam.

„ *Hic jubeo tibi nulla quies, nulla otia sunto.*
„ *Rumpe moras, agita assiduis venatibus apros.*
„ *Impiger, assiduis agita venatibus ursos.*
„ *Nec tibi sit labor aërii cursu ardua montis*
„ *Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum,*
„ *Et longa lustrare altos indagine saltus.*
„ *Vidi ego sæpe malum, qui jam sudoribus omne*
„ *Finisset, sylvisque luem liquisset in altis.*

Sed quam non sit tutum hoc experimentum, neminem latet. Ac fieri quidem potest, ut in levi malo hoc sequatur, in graviore vero vix locum argumenti veri trahat. Quare cum alia quædam remedia perstrinxisset, mox infert.

*Argento melius persolvunt omnia vivo.*
„ *Pars major.*

Deinde qua ratione inventum sit, scite confingit non humana ope, sed Deorum detectione, ut ambigendum non sit ab experientia manavisse. sed ne singula persequar, cum dixisset :

„ *Miranda etenim vis insita in illo est,*
„ *Sive quod id natum est subito frigusque caloremque*
„ *Excipere, unde in se nostrum cito contrahit ignem.*

Paulo post subnectit,

*Sive aliam vim fata illi & natura dedêre,*
„ *Cujus & inventum medicamen munere divum*
„ *Digressus referam, quis enim admiranda deorum*
*Munera prætereat?*

An hæc obsecro doctissimum poëtam sine causa dixisse existimamus, ac non potius perspexisse memorabilis auxilii hujus venerandam inventionem experientiæ tribuendam? Neque vero mihi velim objici veteriores adversus scabiem hoc usos esse. Id enim est Empiricorum ad similia transitum æmulari. Atque de hac re nimis sane multa. superest, ut ad pocula illa Philosophica redeamus. Nam idem poëta tantum usum illis condonat morbi reliquias dispergendi, etiam stratis sudorem

rem movendo. Sed accepi fuiſſe nonnullos, qui aſſeverarent ſola medicamenti potiuncula, quod *laccam habet elotam, aloëmque ex myrti coctione* ſeſe permultos ſanaviſſe. Quibus non magnam ſane fidem haberem, niſi in experimenta produxiſſem ſupradicta medicamentorum genera adjectis *dictamno, attractylidis altera ſpecie (quem cardnum benedictum vocant officinæ) enula, ſcordio, hederæque tum foliis tum lachryma*, quæ non parum valuiſſe comperi. Omnia igitur ea ex vini ſtillato liquore in fimo computreſcere equino ſinebam ad quadraginta dies, vaſe vitreo bombylii in morem conflato, exacte obturato ne quid expiraret. Deinde ſimul ut infinitam tenuitatem cum medicamentorum facultatibus acquiſiviſſe hoc artificio laticem illum ſperabam, ſuaviter ampullam tractans, quod lympidum apparebat, id vero quam molliſſime fieri poterat diffundebam in aliud vas, & addita pro modo aquæ illius, portione aurei noſtri pulviſculi, quod paratum à Chymiſta illo nactus eram, & cryſtalli in farinam redacti ſubdupla, iterum tantundem in fimo ad inſolandum habebam. Deinde relicto eo, quod ſubſidebat, quicquid pellucidum extabat, detrahebam ad uſum ſervans. Ejus porro liquoris potentiſſimi pretioſiſſimique guttulas tantum decem, vel ſummum quindecim, ex aquæ bugloſſi unciola ſaccharo, ac cinnamomi momento conditæ in balneo ipſe præbui iis, qui arthritide inexpugnabili cruciabantur, & reliquias mali ab unctione abigere non poterant. Ne quis autem chymiſtarum inveritum putet ejuſmodi præparationem, quæ putredinem accerſit, adſcribam quæ Galenus in compoſitione medicamenti Heræ, quod ſub terra menſes tres ſinebat, tradit: *αὕτη σοι ἡ τοῦ διυτέως φαρμάκου γραφή. πλεῖστ᾽ ἂν δεῖ συντιθέναι ἐργασομένῳ τὸ φάρμακον, καὶ διὰ τοῦτο ἐπαναγράψω σοι αὐτὴ σφοδρὸν τῆς σύνθεσις, ὃ πρῶτον συνθεὶς οὐ μετρίως ἐκαθάρισε τὰ μιχθέντα λεπτομερέστερα αὐτῶν τὴν οὐσίαν ἐποίησε.* „ Quæ ſic vertas: „ hoc tibi eſt ſecundi medicamenti præſcriptum: quod „ pluſquam decet medicamen efficit attrictorium. Quam„ obrem vehementem attrictionis vim corrigens, qui pri„ mus medicamentum hoc compoſuit, ex eo quod de„ fodit, & quaſi putreſcere ſivit, tenuiorem miſcellaneo„ rum naturam reddere conatus eſt. Paulus præterea in entatico ſtelliones ex aceto macerans triginta diebus in fimo defodit. Cæterum quamlibet occurſum fuit marcori illi putri reſinoſis pinguibus, aliiſque, nunquam tamen pertectum eſt, ut tomes vivax, qui ſemper corpus exercet, reſtingueretur, niſi metallici illius opera, quæ revera vomica liquoris æterni (ut Plinius appellavit) quaſi vena quædam longe lateque dives cenſenda eſt. Recte quod idem venenum rerum omnium dixit, ut quod hanc diram labem & immanem ſolum perimat: ſulphur autem, quanquam autore Galen. tenuiſſimas partes habet, adeo ut animalibus venenatis multis reſiſtat, ut turturi & draconi marino, cumque terebinthina lepras, lichenas, pſoras, extergeat, non penitus repellendo, nihilo tamen ſecius hoc ſuperius malo eſſe non valuit. Ex quibus illud neceſſarium efficitur, argentum vivum abdita quadam vi nec ſatis explorata rationi, morbum iſtum propulſare. Quod ſi per ſe id facit, univerſa mali curatio ad ejus eſt experientiam conferenda. Verum priuſquam finem faciamus, non fuerit incommodum paulo altius ortum, ac natales ejus ſcrutari, quo ſimul natura ejus planior fiat, ſimul ne ſupina quadam inſcitia hydrargyron, & argentum vivum contra Plinium idem exiſtimaviſſe judicemus.

## CAP. III.

### *De origine argenti vivi, & ab hydrargyro differentia: deque noxis ejus tollendis.*

Vivi argenti nativi ſcaturigo in argenti fodinis latet, quippe lapis eſt iis in venis, qui vomicam illam argentei liquoris profundit, ſed non largiter inveniri ſolitam affirmant, tametſi in metallis ſine coctione in lacubus ſui coloris plurimum nunc reperiri conſtat, & nonnunquam una cum vaporibus è terra elatum in ipſo videlicet gramine. Adeoque ſua ſponte naſci nemini dubium hoc tempore. Hydrargyros autem authore Galeno factum quiddam eſt, quod ars etiam è minii Hiſpanici gleba, aut, ut Plinius ait, ſecundarii (quæ rubigo metalli eſt, & non niſi in fornacious rubeſcit, ſterileſque plumbi vocantur) eduxit tractatione. Quo nomine idem Plinius palam hydrargyron, & argentum vivum diſtinguit, cum tamen perſpicuum ſit Græcis idem genus fuiſſe, qui tam nativum quam factum hoc appellant nomine, ſiquidem invenitur (inquit Dioſcorides & in argentariis fodinis, cum cruitur argentum, cameris earum pendens, & in guttas concreta hydrargyros. Addit tradere quoſdam, per ſe in fodinis etiam inveniri: ut conſentaneum ſit, non alia de re quam de nativo eum agere argento vivo. Itaque perpetua liquoris vomica ex eo lapide, qui in argentum excoquitur, manat, & illud certe eſt, quod per ſe dicunt inveniri, quodque in lacubus ſuo colore ſine coctura exiſtit: imo in cameris in guttas concretum non aliud ſane fuerit, quam ſuæ cujuſdam ſpontis, ſicuti quod in gramine vaporibus exhalari diximus. Ac fortaſſe Vitruvio accedentes idem eſſe, nec injuria, credemus, quod ait, *Cum foditur anthrax, ex plagis ferramentorum crebrus emitti lachrymas argenti vivi, quæ à foſſoribus ſtatim colliguntur.* Quæ verba ad argenti vivi genus nativum ſine ulla dubitatione pertinent, factitium tamen etiam habet Vitr. *cum glebæ collectæ conjiciuntur in fornacem propter humoris plenitatem, ut interareſcant, è quibus ignis vapore fumus ſuſcitatur, & cum reſedit in ſolum furni, invenitur eſſe argentum vivum, exemptis glebis ex gutte, quæ reſidebant, propter brevitates non poſſunt colligi, ſed in vas aquæ convertuntur, & ibi inter ſe congruunt, & una confunduntur.* Quæ ipſius eſt argenti vivi quadamtenus conficiendi ratio, in ſolum ſiquidem furni reſes fumus in hydrargyron perficitur. Quo magis mirari ſoleo, quid Hermolaum inducere potuerit, ut ex marmore argentum vivum elicere Victruvium ſcriberet, & quid, ſecutus eum Marcellus ex marmoris cementis & aſſulis, quas marmorarii dejiciunt eodem fere, quo fit ex minio modo, illud ipſum conflari dixerit, quod ſane nuſquam apud illum authorem invenire potui. certum eſt tamen eodem in loco de marmoraria cum inductione ad tectoria tractare; ſed quid ex eo collegerint, divinare nequeo, niſi forte exiſtimarunt, ſicuti ſal marmoroſum legimus, ſic & anthraca marmor eſſe, nulla inter hoc & lapidem differentia. Porro invicem argenti vivi hydrargyrum Plinius conficit duobus modis, ſed neutro plane modo Victruvii, altero Dioſcoridis: prior æreis mortariis piſtillisque minium ex aceto terit, alter patinis fictilibus impoſitum ferrea concha, calice coopertum, argilla ſuperillita conficit, deinde ſub patinis accenſo follibus continuo igni, atque ita calicis ſudore deterſo, qui fit argenti colore & aquæ liquore, idem guttis dividi facilis, & lubrico humore confluere. Quæ deſcriptio noſtrum argentum vivum repræſentat, quod ſtare (ut ille inquit) loco neſcit, micat tremitque, & ſuo pondere huc illuc facile fertur. Atqui poſtrema Plinii ratio non longe à Victruviana diffidet, cum fumi vapore uterque argenteum illum ſudorem eliciat. Sed videamus, quo tandem ex minio paretur: nam ex ſecundario inventum hydrargyron Plinius ait, ex Hiſpanico Dioſc. & Victruvius ex glebis anthracis priuſquam tractationibus ad minium perveniatur: quas tractationes minii ille deinceps oſtendit. Ac minium quidam nativum rude eſſe aliquod putant, non modo factum & elaboratum: Plinius etiam lapidem eſſe exuſtum, venis permiſtum, in omnibus fere argentariis, itemque plumbarii metallis. Quod alterum dixit eſſe minii genus Barbarus non ex illo lapide liquoris æterni vomica componi interpretatur; ſed iis, qui cum eo inveniuntur, quos quidem ſimul repertos ſteriles vult eſſe plumbos. Nonnullis forte videbitur exuſtum lapidem anthraca Plinium intelligere, alium à plumbis futilibus ex quo fit ſecundarium: quando aliud quidem eſt minium, quod ex arena fit cocci nitore, è qua etiam nunc in plyſmate (ubi primum humorem hauſerit) argentum abire vivum ac ſecerni volunt: aliud vero ex glebis (ut ſupra viſum eſt) conflatur anthracis, quæ areſcentes argentum vivum relinquunt: tertium ex lapide fit arenæ miſto in Hiſpania: poſtremo aliud ex plumbis, quod ſecundarium vocatur, ex quo ſolo hydrargyron Plinius elicit. Quare hallucinatus eſſe alioqui videtur, cum arenas teri, dein farinam lavari tradit, ſi non autumat ex arena minium fieri. Sed cum dicit inventum minium à Callia, initio ſperante aurum poſſe excoqui arena rubente in metallis argenti, nihil aliud indicare eum puto, quam venam minii ſubrufo colore habere circa ſe rubrum pulverem, quem quidam nativum minium neſcio quam vere exiſtimat. Quaſi ſit aliquod perfectum, non tractationibus exercitum. Etſi Theophraſtus illud ex arena *ἀνθρωνὶς* vocitet, idcirco tamen aſſeverare haud debuit hunc pulverem verum minium eſſe, de quo ſolus Victr. mentionem fecit. Quamvis Plinius (inquit ille) nativum quodammodo videatur adumbrare, rubinos, quos carbunculos vocat, eodem loco fieri dicens. Atqui miror, cur carbunculos rubinos interpretetur hoc loco illius author ſententiæ, niſi quod dilucet, ipſe opinatur minii lapidem, quem anthraca Victr. nominat, hujuſmodi gemmam eſſe, quem Plinius, aliique carbunculum dixere, cum conſtet vix eo in genere unicam gemmam foſſilem reperiri in Theſprotia, quæ anthracitis dicatur, carbonibus ſimilis. Adde quod multa coloris ſimilitudine præter ullam nitoris rationem carbunculi nominantur. Sed hæc difficultas latius à nobis in Seplaſiario explicabitur: ubi illud etiam diſputavimus, poſſitne ex minio jam ad unguem elaborato fieri argentum vivum. Elaboratur autem non lotura tantum, quod nequaquam

prima, at ſequente fit melius, ſed & excoquitur. minium autem nativum ſicubi adumbravit Plinius, non alio loco fecit, quam ubi de Colchico egit, hoc in rupe quadam inacceſſa, ex qua jaculantes decuterent, haberi, ſed adulterari prodidit. Temperaturam autem minii fuſiſſime docet Victruvius. cui ut adveniant colores, lotionibus & coctu ris crebris egere dicit. *Tunc enim* (inquit) *minium propter argenti vivi relictionem, quas in ſe naturales habuerat, virtutes reliquit, & efficitur tenera natura & viribus imbecille.* Nunc in hoc ſumus, ut ſciamus, utrum melius cenſendum ſit argentum vivum, factitiumne, an nativum. Quod facile indicabimus, ſi genera ſigillatim enumeraverimus. Primum igitur ſcaturiens habetur, quod inter metalla reperitur. Aliud vi plagarum exilit, dum glebæ ferramentis cruuntur. fit aliud ex minii lotura, quæ varia eſt. ſuſcitatur etiam ex fumo vapore ignis in patinis, ſive fornacibus: hoc reſidet, illud ſcandit. Huic proximum ad hæc, quod ex ſecundario fit lapide, non niſi fornacibus rubeſcente ac exuſto, in farinamque tuſo. quod ad differentiam puto hydrargyron dixiſſe Plinium, quam bifariam parari ex eodem ſupra monuimus. Cum utraque ratione fiat & ex vero minio quoque, ſed niſi exuſto hoc lapide non ante extrahitur hydrargyros. quod autem ex Hiſpania, aut (ut mavult Barbarus) Iberia importabatur Romam, minium, coctione prius (ut videtur Plinius indicare) perficiebatur. hoc tempore minium non excoquunt, ut notat Georgius Agricola, timentes ne totum in argentum vivum ſolvatur. Ex iis tot argenti vivi differentiis, medici olim factitio utebantur, haud ſcio qua ducti ratione, neque ſtatuere poſſum ex ſecundario ne facto, cum id tantum Dioſcorides ſcribat ex minio fieri, quod falſo cinnabaris dicitur, & ſimilem, quam Plinius, conficiendi ejus viam ſequitur. Cumque planum ſit Galenum, ac Paulum ex minio præparati duntaxat meminiſſe, Muſa nativo mavult uti. Ego exiſtimo factum illud non tam craſſarum eſſe partium, quod ſublimatu veluti confletur, aut vero plyſimate ex aceto ſit concinnatum, quæ duæ ſunt corrigendi nativi rationes. Lubens tamen ejus abſtinerem extractione, quod fit à ſecundario, quia plumbi naturam pro reſipere, quod ſterili illo plumbari curatur, uſtrinamque flagitat: & aliud, meo judicio, propius ad argenti naturam accedit. Sed de argento vivo, minioque ſatis jam multa, unum addemus, cinnabarim à Theophraſto multiſque aliis minium etiam dici, ob veri ac Lybici ſimilitudinem: unde cinnabrium hodie quoque dicitur fictitium quiddam, de quo ſupra in cinapro. In eo interiorem mutari formam nolunt, adeo ut per reſiccationem quamcunque non degeneret in aliud genus: cum vel ex metamorphoſi chymica redeat ad ingenium, ita ab igne indomitum manet, atque (ut dixi) in tenore conſtat. ſed neque hoc, neque ſulphure concrematum ſi reipſa cremari poteſt (quod à corylo tantummodo fieri dicitur) eandem in medendo retinet facultatem. Porro mina, quæ hodie ita appellatur, pallidius quiddam eſt: quod ex plumbo chymiſtica quoque paratur induſtria. Obiter hic admonendum duxi Plinii locum in minii adulterati deprehenſione, in omnibus, quos quidem viderim, libris, corruptum mihi videri: ubi hoc modo legitur: *ferri candentis lamina, ſi non ſit aurum, deprehendi illico.* Ubi purum, unius literæ permutatione, legendum cenſeo, id quo modo fiat, unus Victruvius manifeſte docet: *Ferrea* (inquit) *lamina ſumatur, in ea minium imponatur, ad ignem collocetur, donec lamina candeſcat, cum è candore color immutatus fuerit, eritque ater, tollatur lamina ab igne & ſi refrigeratum reſtituatur ad priſtinum colorem, ſine vitio ſe eſſe probabit: ſin autem permanſerit nigro colore, ſignificabit ſe eſſe vitiatum.* Subolet mihi cauſam mendi ſimilitudo illa auri, quam Plinius ſupra iis verbis attulerat. *Auri modo probatur, auro candente ſucatum nigreſcit, ſincerum retinet colorem.* Deinceps de minio ſubjungit: *Invenio & calce adulterari, ac ſimili ratione ferri candentis lamina, ſi non ſit aurum, deprehendi. quod doctis excutiendum relinquo.* Sequitur, ut argenti vivi noxas tollamus. quod equidem accepi ex oſſe cujuſdam corrupto, quem perunctum ab Empiricis plus decies ferebant, non ſemel emanaviſſe. Corrumpi autem oſſa, nobilium dentes matronarum hoc fuco nitorem quærentium probant. narrant etiam magnam hujus vim ab iis, qui aurum argento inducentes paralytici propemodum facti ſunt, in balneo extrahi: quam extractionem impoſtores quidam vulgo profitentur, qui medicamento neſcio quo elicere ſe poſſe totum è corpore argentum vivum ad oſtentationem non dubitant affirmare: qui à doctis interrogati, ſitne aliquod medicamenti genus, quod ut magnes ferrum, ita vivum ad ſe argentum poſſit rapere: reſpondent, eſſe quidem, ſed proferre verſuti homines recuſant, ac nos averſantur, & potentibus auro fieri in aures inſuſurrant, quo pluris ſua vendant remedia. Ex quo licet conjicere, aurum argento vivo familiare ac cognatum eſſe: ſed hoc potius aurum in ſe corripit, quam contra, dicente Plinio: *Omnia ei innatant præter aurum. Id unum ad ſe trahit.* Quare ſuſpectum eſſe poterit quod apud Dioſcoridem legitur cum certa quadam velut parentheſis nota, qua ut obeliſco ſpuria confodiuntur: μίσυ δὲ χρυσῷ τυτίσι ξύσμα λειότατον, πιόμενον ὑδραργύρῳ ἐπὶ θαυμαστὸν βοήθημα. Sed ut argento vivo aurum potum remedio ſit, non continuo ſequatur, hoc illud attrahere. Amplexatur certe aurum hydrargyros ita palam, ut cum ei innatent cuncta, ſolum aurum conſepeliri conſpiciatur, quoque id foveat melius, ſic ipſi firmiter hærere gaudet. Neque vero in cauſa eſſe dixeris auri gravitatem, de cujus pondere nihil hæſitamus, ut locum mihi habere non videatur, quod Victruvius tradit, non amplitudine ponderis, ſed genere ſingularum rerum gravitatem eſſe non negandum, ſed audiamus quæſo miraculum, *Cum ſint* (ait ille) *quatuor ſextariorum menſuræ* (ex argento vivo) *cum expenduntur, inveniuntur eſſe pondo centum. Cum in aliquo vaſe eſt confuſum, ſi ſupra id lapidis centenarii pondus imponatur, natat in ſummo, neque eum liquorem poteſt onere ſuo premere, nec elidere, nec diſſipare. Centenario ſublato, ſi ibi auri ſcrupulus imponatur, non natabit, ſed ad imum per ſe deprimetur.* Cujus ipſe rei periculum facere, vereque iſtud experiri cupiens, in argentum vivum vulgare plures monetæ aureæ ſpecies indidi: nullam tamen ex iis peſſum ire vidi, ut non aliud ſuſpicarer obſtare, quam argentum vel æs auro mixtum, quo minus degravarentur: quomodo fit in pumice, qui ob meatuum raritates aërem concipiens in aquis non ſubmergitur, cum tamen lapidis natura in profundum ſtatim devolvatur, tradunt item in maſſa plumbum agglomeratum deſidere, in laminam vero dilatatum innatare. Ac fortaſſe, in quo rem experiebar, argentum vivum plumbo affuſo, quod fieri audiô, adulteratum erat, aut quod verius eſſe puto, quo id fiat, aurum committi ſuſum oportet. nihilo ſecius tamen quicquid auri eſt, undique amplectitur, qua nimirum parte id tangit, ſeque illi ita adjungit, ut niſi igne non fugetur. Quod naturali quodam fieri conſenſu, quam ſympathiam vocant, arbitramur, quemadmodum ad graviſſima quæque onera una palma nunquam deprimitur, non quia robur illi Ebeno vel quercu ſit firmius; ſed quod lege naturæ illi conceſſum ſit, ut refiliat ad prementia. ſic ſcrupulus auri gravitate quidem ſua centenarium argenti vivi pondo non ideo diſſipat, quod id prægravet, ſed quod ſocietatis ejus amore argentum vivum ſecum illud ire cogat. Neque tamen negaverim, ſingularum rerum gravitatem genere ſuo conſtare, cum palam ſit etiam minimum ſaxi fragmentum ex infinito aëre in terram præceps decidere, & aquas permeare, ex iisque in vadum delabi, ſed contemplatio hujuſmodi alterius eſt loci. Hic tantum habui, affinitatem auri argentique vivi oſtendere, ne quis poſthac exiſtimaret argentum vivum ad auri attractum commeare, nedum argento vivo aurum eſſe gravius. Quod tantum abeſt ut fatear, ut etiam ſim aſſenſus Dioſcoridi, quod illud interanea diſrumpens, diſſipansque pondere ſuo perimat. Nam & argenti ſpuma non alio modo offendit. aurum vero quamvis copioſum, intus ingeſtum gravitate ſua nocere nondum eſt deprehenſum. Adverſus autem argenti vivi epoti noxas privatim valere lac copioſum etiam bibitum, ac vomitionibus deinde rejectum, ſcribit Dioſcor. Quam ob cauſam ætatis noſtræ medici lac caprinum vel aſininum ſecundum argenti vivi illitus non inepte imperaverunt. Ego tamen quia vomitionibus rejicere jubent antiqui, ad alia me remedia malui convertere. Nempe cum Heraclide ſiſerem dedi, qui convaleſcentibus & ad vinum redeuntibus ſit utilis: etiamſi merum hic plurimum poſſe exiſtimetur, ut eam ob rem putem dixiſſe noſtrum poëtam:

„ *Tempore non alio generoſi pocula Bacchi*
„ *Annuerim ſumenda tibi, purumque phalernum,*
„ *Et chia, & pateris ſpumantia rhetica largis.*

Poteſt & altera cauſa afferri: quod multa fiat in perunctione ſpirituum exſolutio, qui recte vino reparantur. „ Ex quo illud oraculum: Quæ longo temporis ſpatio „ extenuata, lente reficienda eſſe, quæ brevi, breviter. Porro autem *decoctum lini & ormini* Dioſc. prodeſſe commemorat, ut iis ab illitu totum luſtrari corpus non intempeſtivum judicem, quamvis ille author argento vivo tantum epoto id auxilii aſcribat, ſic *ſemen urticæ* confert, *vinum quoque ex hyſſopo, origano, & abſinthio* efficax prædicatur. Itaque ultima cura ſit his etiam totum corpus abluere, ac velut expiare. Ad quæ ſi ea adjunges, quæ artuum compagines confoveant, quoniam exſangues ſunt eæ partes, ac facile nativa imbecillitate fluxiones excipiunt, non aliud profecto præſentius queat remedium excogitari: & ſi quando uſu venit, ut in ſuffimentis, ac thymatis ex ſublimato, ac minio (quod miror tentatum, cum Plinius tradat, qui minium in officinis poliunt, faciem laxis veſicis illigare, ne in reſpirando per-

pernicialem pulverem trahant) auram venenatam, aperto, & hiante (ut fit) ore ægroti exceperint, ſive etiam pulviſculo illo chymico uſi fuerint, inſequenti ſtatim die cryſtallo tenuiſſime pertrita ex amygdalino oleo recens expreſſo, periculum, ſi quod inde impendet, propulſare tanquam amuleto præſentiſſimo ſoleo. Quin etiam novi, qui diceret fuſione cryſtalli, quod plumbo uſto fieri tradunt, vivi argenti ſublimationem ita ſe correxiſſe, ut nihil prorſus incommodaret. Cujus rei fides penes authores ſit, in me quidem certe nollem experiri. Vincit autem omnem operam impenſamque divina proculdubio medicina, neque unquam ſatis laudata, niſi contaminaretur vere pura ligni ſancti potiuncula. Adeo delet labes omnes, vel ſua ſponte à morbo, vel ab argenti vivi perunctionibus contractas, ut ne veſtigium quidem relinquat ullum, ſed purgantis ignis more expiet. De cujus cœleſti natura, ac dote deinceps tractabimus.

## CAP. IV.

### *De ligni Sancti dote, natura, & viribus.*

Quid ſit lignum Sanctum, quatenus ab Ebeno differat, quale & quam multiplex ſit, ſuperius attigimus, ut nihil opus ſit longa oratione lectores fatigare, priuſquam tamen vim ejus, ac naturam aggrediamur, dotem & electionem perſequemur. Nam quicunque hac de re ſcripſerunt, non ſatis fideliter ejus retuliſſe commendationem videntur, cum Guajacum omnibus anteponunt, ut eorum teſtantur deſcriptiones. Ex Guajaco autem præſtantiſſimum putant, ut ait Huttenus, in quo quamplurimum nigri eſt, ſic ex ligno Sancto materiam fuſcam & flavam deligunt, addunt de iis quidam cum maxima medullari parte nigra. Cujus etiam corticem melioris notæ pullum exiſtimant, qui Guajaco firmiter obhæreat. Nam in palo ſancto non ita agglutinatur, & cinereo potius viſitur colore quam nigro, tametſi ſunt, qui non tantum virium tali tribuunt materiæ. Eſt etiam palus puſtuloſus magis, & pene buxi cortici proximus, in Guajaco verò ineſt velut lævor quiſpiam, dicente Syphili:

„ *In cortice lauri Exteriore viret lævor,*

Qui cortex profecto non ita denſus, immodice durus eſt. Jam palus quo minus in corde atri exhibet, hoc præſtantior, de Guajaco contra ſentiunt indigenæ (ut certo ipſe accepi) pali autem præſentius ſemper præſidium animadverti. Cavendum tamen ne buxo fallamur, cum utriuſque materies aquis ſidat: hic craſſiore quam buxus ex cortice. Quidam ex iis, qui de Gallico morbo ſcripſerunt, croceum (ut crepat) lignum infirmius cenſet, & pueris mulieribuſque ſanandis accommodatum. *Cujus naturam* (inquit) *vimque cum nemo ſatis deſcripſerit, ad unguem cognoſcere quis poteſt?* Equidem ut finitimas eſſe utriuſque ſpecies non invitus fatebor, ita Guajaci tenues eſſe ſurculos negabo, quod ſibi nonnulli perſuaſerunt, quia diverſum habet guſtum ac odorem, neque ut illud reſinaceum quiddam pingueque incenſum ſudore profundit: niſi forte id accidit ex regionum varietate, de quo non auſim aliquid ipſe ſtatuere, ſed ad eos qui hujuſmodi inſulas viderunt, rem totam referendam puto. Ex quibus alius caſtaneæ, alius olivæ ſpeciem fructui attribuit, videlicet in re non ſatis, ut videtur, illis perſpecta. Guajacum vero, quod quam maxime eligendum eſſe dicunt, pingueſcit, & pondere præſtat: cujus ſenectam, tum macredinem, tum levitatem eſſe recte opinantur. At Palus ſanctus vix pingueſcit, nec reſinaceum ſpirat, adeo ut ne ab inflammato quidem defluat quicquam, gravis tamen eſt etiam uſque ad miraculum: nam & minutiſſime conciſus, ut diximus, haud ſupernatat. Recentem porro volunt ab inciſionis tempore, veterem autem ab ortu, ſiquidem craſſiores truncos præferunt. Nos arborem integræ ætatis quæreremus, quæ tunc maxime in ſuo conſiſtit vigore, & virium firmitatem habet, dum ſucci bonitate turgeſcit, nam ſenecta plantarum ad αὔανσιν, ut Græci dicunt, vergens, earum vires imminuit, infirmitateque diſtabefacit: contra juventa adhuc tenella molliorque eſt, quam ut in maturum perfectumque ſuccum, immiſſum nutrimentum percoquat: tenuis præterea ejus alimonia eſt, ac vegetabilis, quam fere mittit ad incrementum: quare tum materies decerpenda, cum juſtam ſibi magnitudinem acquiſiverit: neque tamen ampli caudices expetendi, aut truncus arboris radicibus proximus, quod in Guajaco fere fit: ſed neque ſurculi exiles, in quibus humoris plenitas cito inareſcit: quemadmodum in illis propter vaſtitatem vernaculus ſuccus magis magiſque exhauſtus minor fit indies. Quam ob rem majuſculi fere rami cædendi, qui ſuccum ſibi datum à natura copioſum aliquantiſper in juſta craſſitie conſervant, vel emori certe in ea conditione ſaniem non patiuntur, materiæve corrumpi qualitatem. Cæterum qui radices putant meliores, næ illi aliqua moveri ratione videntur, & iis fortaſſis interdum utuntur indigenæ: an quia plus ſemper in illis etiam recens exciſis ſuccinſit, non dico. fieri enim poteſt, ut certo tempore ligneſcant, minuſque ſucci genitalis obtineant, quomodo apud nos in arborum quoque radicibus veris tempore ſolet obſervari. *Vere* (inquit Victr.) *arbores fiunt prægnantes, & omnes ſuæ proprietatis virtutem efferunt in frondes, anniverſarioſque fructus.* Vis igitur (ut ita dicam) amoris in radice nequit eſſe eo tempore, quæ in frondes, ac caudicem abſumitur. quæ ſi reflectatur in crus radicibus vicinum hujuſmodi amoris gratia, ut ab ſurculorum calore per medullam nequeat pertrahi, ſtolones huc converſo humore permulti prorepent. At ſi verum eſt in Palo, quod de Guajaco Syphilis ſcribit, vix mihi locus radicis in uſum adhibendæ relinqui videatur. ait enim,

*Ipſa teres ingenſque ingemem vertice ab alto*
*Diffundit ſemper viridem ſemperque comantem*
*Arouteis ſylvam foliis.*

Id etiam buxo familiare eſt cum aliis quibuſdam inter ſylveſtres arbores, folia ut non amittat. Igitur ſi ſemper ad eum modum lignum Sanctum viret, par eſt ei alia ſubinde folia ſuccreſcere: non enim iis, quæ retinent comas, eadem folia durant, proinde ut inareſcant vetera, circa ſolſtitium evenit. Quando ergo radicis uſus erit, pullulantibus identidem ramis? quod intelligens idem Poëta, ramo ac robore potius quam radice ſacerdotem luſtrare laborantes finxit quam ſcitiſſime:

„ *Aſtabant (inquit) animis triſtes & corpora ſudi*
„ *Squallentes cruſtis omnes, taboque fluentes,*
„ *Quos circumfuſos albenti in veſte ſacerdos*
„ *Pura luſtrat aqua, & ramo frondentis hyaci.*

Et alibi,

„ *Illa omnis, quam cernis, inops miſerandaque turba*
„ *Tacta Deo eſt, veterumque luit commiſſa parentum:*
„ *Cui votis precibuſque piis, numeriſque ſacerdos*
„ *Conciliat vates divos, & Apollinis iras.*
„ *Luſtrati ingentes ramos, & robora ſanctæ*
„ *Arboris advectant tectis, libamine cujus*
„ *Vi mira infandæ labis contagia pellunt.*

Iterum,

„ *Continuo faciles nymphas, ſolemque precati*
„ *Intacti nemoris ramos, & robora ab alto*
„ *Convectare parant luco, medicataque ſumunt*
„ *Pocula, pro ritu gentis, quo munere tandem*
„ *Contagem repulere feram, &c.*

In quibus nulla radicum mentio multo quorundam opinione reliqua arbore fortiorum. Huc accedit, quod quamvis illi radices uſurparent, vix tamen nobis idem concederetur, citius nimirum quam rami areſcentibus. Quas ob res melius eſt ſucculentum & recens, quod annum, ſi fieri poteſt, non excedat. Sed ut tempeſtiva quoque materies habeatur, etiam atque etiam curandum. Namque inter viros doctrina percelebres convenit, cædendam tum materiam eſſe, cum ſub terra diſcurrens luna fertur, quando autem luna infra terram ſit, & quando ſupra, Conſtantinus Cæſar docet, & authore Plinio omnia quæ cæduntur, carpuntur, tondentur, innocentius decreſcente luna, quam creſcente fiunt. Lumen itaque lunæ ligna molliora facit, quæque hac ratione ſecta ſunt, à putredine incolumia permanent, quod Columella non neſciviſſe videtur, omnem inquiens materiam ſic cæſam carie non infeſtari. Sed an ad iſta barbari, qui lignum ad nos dimittunt, advertant, ii viderint, qui curioſe ſimilia conſectantur, ſuo forte ritu nobis illa cædunt robora. Mihi tamen magnopere placeret, tum ramos dejici, cum vigent maxime, cumque ad eos omnis ſe virtus convertit: quod mihi tunc contingere videtur, cum fructum ad maturitatem perduxerint. ſicuti & flacceſcente fronde radices ex terra in ſe ſuccum recipiunt, ſic in maturitate fructuum, antequam folia, ſurculique marceſcant, hauriendo ſucco reficiuntur, ut plenitate vigeant. Quod Victr. non videtur ignoraſſe de cædenda materie, cujus ſunt hæc verba: *Edito fœtu, quod prius in aliud genus decrementi detrahebatur, cum ad diſparationem procreationis eſt liberatum, inanibus & patentibus venis in ſe recipit, & lambendo ſuccum etiam ſolideſcit, & redit in priſtinam naturæ firmitatem.* Id quod idem autumno tradit accidere. Si cui vero collibitum foret teneros ſectari coliculos, & turiones, melius id vere conſequeretur. Atque hæc de electione longiora fortaſſe. Ad quam addes ea, quæ ſupra de naſcendi locis commemoravimus. Deinceps ligni naturam, & temperiem inveſtigemus, cujus qui qualitates ex guſtu, odore, viſu, & actione, quam in corpus edit, rimati ſunt, in calido & ſicco dominari ſtatuerunt. ſed viſi ſunt tamen intervallis inter ſe diſſidere, dum unus calidum in ſecundi ordinis, qui tertio proximus ſit, numero facit, ſiccum vero in primo, qui ad ſecundum accedat: Alter in ſecundo ſtatim caliditatis abſceſſu conſiſtere, nec ad clauſu-

lam hujuſce metæ vult pertingere, ſiccum etiam in prio-
re numeri intervallo ſeu gradu contineri. Adeoque inter
calida medicamenta quod temperatiſſimæ ſit naturæ non
dubium. Nam & ejus elixati jus magnum corpori ali-
mentum præſtat, nec calidius eſt, quam par ſit: & ut vi-
deatur manifeſte pierocholos, biliofæque naturæ homines
calfacere, in æquabili tamen, ac quadrata habitudine,
ægre ullam oſtendit alterationem, idque pluſculo etiam
tempore, præſertim ſi admodum temperatam ejus ligni
potionem, ex flava ſcilicet confectam materia, ſumpſeris.
Nam pars ea, quæ aliquo interdum arboris loco nigreſcit,
amara perſentitur, ideoque reliquis partibus calidior meri-
to judicatur, ſed hanc ligni qualitatem indigenas etiam in
palo reſpuere, non ſecus atque corticem, qui ſimiliter
amaricat, fando nuper ipſe cognovi. Et nos magno ſem-
per ſucceſſus profectu id ſequuti ſumus, ut ad eam uſque
partem deſculpta fruſta in ſcobem elimaremus, quicquid
nigri occurreret, rejicientes. Qua ratione non aſperam,
at faſtidii expertem præſtabamus potiunculam: ut neque
glycyrrhiza, neque melle aut ſaccharo, unquam fuerit
opus. Ac quid attinet ſiccum vel calidum reddere medi-
camenti genus, quod ſuapte agere proprietate, quæ vel
ſubſtantiarum ſimilitudinem, vel miſtionem ſequitur, na-
tum aptumque eſt? Quod ita eſſe non latuit unum ex iis,
qui de Gallico morbo dialogum compoſuit: *Cum ſit* (in-
quit) *omnibus perſuaſum reſinas omnes, oleumque fundentes
arbores, caliditatis & ficcitatis eſſe non expertes, idem de
hac arbore poſſumus aſſignare. At hoc utcunque ſit non la-
boro modo. Nam a proprietate, ut aſſeruimus, in hujuſ-
modi morbo videtur agere.* Hæc ille. Non negaverim
tamen, quin ex primarum etiam qualitatum conditionibus
agat aliquando. Sed multo agit vehementius ex vi illa
interiori, quam ſubſtantialem vocant formam. Nempe
affectus calidos juxta ac frigidos, & humidos perinde ut
ſiccos, diſcutit. Qua utique ex re temperiem ejus maxi-
me cognoſcas. Nam (quod mirum eſt) macilentos ac
graciles pinguefacit, exinanit obeſos, ſtringit & laxat ad-
eo, ut alvum quoque reſolvere pulvis ejus pondo dena-
rium triginta dictitetur. Infantes item perinde ac ſenes, &
tam viros quam mulieres adjuvat, atque hæc omnia mo-
derate, citraque ullam moleſtiam, aut corporis jacturam
efficit. Quocirca temperatam ejus eſſe naturam pernoſſe
convenit, ne quid de guſtu aliisque qualitatibus adventi-
tiis, quas accidentarias vocant, admonem. Jam quos ef-
fectus producat, quosque morbos curet, non neceſſe ha-
beo quicquam commentari poſt eruditiſſimum Huttenum,
qui judicio doctiſſimorum uſus medicorum, eorundemque
experientia fretus, omnia in Guajaco perſpexit, ac pertra-
ctavit. Quandoquidem certum eſt non minora, ne dicam
majora, Guajaco, in curandis morbis maxime pertinaci-
bus, potiſſimumque luem iſtam retipiſcentibus palum ſan-
ctum edidiſſe miracula. Nam quos ratio non reſtituit,
divina hac medicatione prope ſola perſanantur, ut nunc
pervagatum ſit, difficiles morbos omnes iſti labi minime
affines, nihilve ejus retinentes, unius ope deleri. Sed pro
hominum fidem, variam apparandi hujus rationem hanc
ad rem eſſe volunt, ne diverſos videatur una medicatio
curare morbos, interimque contrarios: cum contrarium
non accipiat ſuum contrarium ut Averroes, cujus
& hoc documento fulciuntur, Contraria poſſe in
eodem contingere ſubjecto, alterum in intenſo, alterum
in remiſſo, quos hercle miror non intelligere majus &
minus non immutare ſpeciem. Præterea quid eſt quod,
qui hæc tradit, ex Avicenna admiſit, *medicinam in duobus
contrariis expertam, alteri eorum per ſe, alteri per accidens
conferre, vel alicujus eorum complexioni contrariam non
exiſtere*, idque in decocto quod fit per vinum. Ecquis
iſtum quæſo Ganimedem Diis nectar ad hunc modum mi-
ſcere docuit? Nempe Hebe, quæ a Deorum jampridem
poculis fuit, non ut novitius ille nunc primum ab Ida
raptus pocillator, temperare ſolita, ſciebat ſcilicet Dea à
tota ſubſtantia arborem agere, ejuſque curandi modum
per epicraſin abſolvi. Eſt autem epicraſis (ut docet Galen.
*Therap.*) cum id quod vitioſum eſt, paulatim vacuatur, &
in ejus locum, quod eſt ſalubre, reponitur. Qua curandi
ratione ipſe utendum exiſtimat, cum indicationes ſibi re-
pugnantes, incertam ſuccurrendi faciunt rationem. Quis
autem non videt ſudoribus vitioſos ſuccos exinaniri, &
ſalubres, ligni cum calore noſtro familiaritate, reponi?
Cum vel iſti, qui viribus ejus reclamant, confiteantur
hanc potionem nihilo minus nutrire, quam jus pulli co-
ctione conſumpti. Et Ferrus dicat: *arcere atque expellere a cor-
pore omne adverſum officiens extraneum.* Ad quæ addo,
lignum hoc membris principalibus robur adjungere, & ex
epicraſi in nativam, aut etiam meliorem temperationem
reſtituere, ut hæc demum medicina τῶν θεῶν χεῖρες dici me-
reatur. Quorſum ergo novam induxit ligni temperatio-
nem? An chamæmelon, quod cum noſtro calore ſua
tepiditate conſpirat, inalterari miſtione poſtulat adepicra-
ſin? nolo pluribus agere. omnibus, opinor, ratio noſtra
cognita eſt, etiam in re, quæ nihil minus quam ex ratio-
ne operatur. Supra enim conſtituimus in Hiſpanica ſal-
tem lue abigenda, ſolam agere proprietatem, in cæteris
quomodo temperaretur ſupervacaneum, imo plane ridi-
culum fuit oſtendere: cum quivis, qui primoribus (ut di-
citur) labiis medicinam guſtarit, ex cauſarum morbi, im-
primisque affectus ipſius, ac cæterarum indicationum ratio-
cinatione, tam variam, ac multiformem permiſcendi ligni
viam introducere potuerit. Errata vero egregii, dicam
ita, pincernæ, quæ (conceſſis etiam omnibus quæ poſtu-
lat) de natura arboris, de victu cum regulari, tum re-
ſumptivo, & reliquis permulta ſunt, conſulto prætereo.
Satis enim arbitror in præſentia rectum apparandi ligni
modum tradere, quod quidam ante me feliciter aggreſſi
ſunt, imprimiſque Huttenus, vir certe longiori vita dig-
nus, qui in Guajaco ſcite modum omnem, non ita à
noſtro (quo quidem in Palo utimur) differentem perdo-
cuit: ſed miro quodam compendio Syphilis, cujus verba
nonnulla ſubjiciemus:

„ - - - - *Validos abjecto cortice ramos*
„ *Multa vi tundunt, aut in ſegmenta minuta*
„ *Elimant, puroque ſcobes in fonte reponunt,*
„ *Dum bibulas noctemque diemque emaceret humor.*
„ *Inde coquunt, necnon illos ea cura fatigat,*
„ *Vulcano ne forte furens erumpat aquæ vis.*

Cætera deinde perſequitur, in quibus tametſi rectiſſime
corticem abjiciat, tamen neque ligni, neque aquæ docet
modum. Quare facturum me operæ pretium puto, ſi
exactam proportionem, qua annos ab hinc duodecim uſus
ſum, indicavero. Nam decoctionis modum, quem tamen
haud ſequor, ille non tacuit.

*Dimidia abſumpta ſupereſt quodcunque reponunt*
*Divini laticis.*

Et hæc quidem in Guajaco, verum
ad Sancti pali excoquendi rationem tranſeamus.

## CAP. V.

### *De præparatione ligni Sancti perpetuo, & ubique ſequenda, quidque in ejus uſu ſervandum.*

Electo igitur ante omnia palo ea, quam præſcripſimus, ra-
tione, qui nihil (ſi fieri poteſt) nigri habeat, & buxi
colore palleat, ſitque e majuſculis ramis, & quam recen-
tiſſimis, tum ex ora temperatiore, ut divi Joannis, adve-
ctus: cujus delibrato exquiſite, quam & ipſe puſtuloſus,
aut verrucis aſper, & colore leucophæo, ſpiſſoque ſatis
ſit concremento, materies vel deſculpatur, vel in ſcobem
elimetur, nigra parte intacta: & ſi non ſatis ad lævorem
perducta videatur, pila tundatur quam nitidiſſima, tenuiſſi-
meque perteratur: quod tamen nihil referre nonnulli pu-
tant, mihi vero (ut in rigidiſſimo robore, & fidente) inte-
reſſe plurimum videtur, quo penetratu facilius ſuum
profudet undique cremorem. Quin etiam ad aſſequendum
exactum lævorem, cribro prædenſo ſuccerni jubeo: neque
verendum eſt, ne vaneſcat, aut deſpiret ex eo vis aliqua,
ſiquidem ſolida & prædura alterationibus validiſſime obſi-
ſtunt, & in farinas pinſita facultates ſuas exerunt efficacius. Ex eo itaque pulviſculo pondo libram cum ſextariis
ſex defæcatiſſimæ aquæ præſertim pluviæ, quæ inveterata
deſederit (eſt enim hæc tenuior alia quavis, atque elabo-
ratior) macerari diem cum ſua nocte patior. Romanum
autem intelligo ſextarium, qui duodecim cyathis (ut no-
tum eſt) conſtet, ſingulos porro cyathos ſeſquunciam men-
ſuralem continere cum ſextante unciæ, cum nimium cen-
ſeo, quam unciam mea obſervatione quadratum eſſe pol-
licem ſtatuo. Qua ratione ſextarius viginti fere menſurales
comprehendit uncias. Quare decocti juris compoſitio ad
tres abſcedens ſextarios triginta ſex reddet cyathos in qua-
tridui uſum. Sed hac de re paulo poſt. Aquam porro
pluvialem cum expeto, non ſolum ab aliis diffidere videor,
qui vel fontanam, vel fluviatilem, vel etiam puteanam
tantum uſurpant, verum etiam à Galeni dogmatis
in totum deficere: qui *quarto ſanitatis ſuſtentandæ*,
quo loco aponemitis confectionem docet: *Poteſt* (inquit)
*qui volet, & ex pluvia aqua id conficere.* Ipſeque ſi plu-
viam aquam probarem, id ſuaderem: verum nec ipſam
probo, & nihilo eſt deterius, ſi aceſcit. Et de fontana
aqua ſubdit: *Cura conficiendi in eo eſt, ut nec favus admo-
dum ſit vitioſus, coquaturque bene in fontana aqua, quæ &
pura ſit, & dulcis.* Itaque non fuerit alienum pauca hoc
loco de aquis attingere. Nam quod me maxime in hanc
trahit ſententiam, ut cœleſtem aquam cæteris hac quidem
in re anteponam, cum Vitruvii, tum vero Columellæ
efficit authoritas. Scribit Columella, *Colligenda aqua tan-
dempluvialis, quæ ſalubritati corporis eſt accommodatiſſi-
ma: ſed ea ſic habetur eximia, ſi fictilibus tubulis in con-
tectam ciſternam deducatur.* Addit, *Ex quo cœleſtis aqua
maxime ſalubris intelligitur, quod etiam venenati liquoris
elu:t*

*eluit perniciem.* Ad quæ si nostri animum attenderent, quam frequentes in nostram irent sententiam. Verum non defuturos canes lucernarios, quos Græci λύκους vocant, scio, qui nos adlatrabunt, quod rationalem medicinam, cui tamen a pueritia impense dediti fuimus, hic nimium conculcare videamur. Quos non vehementer pertimesco. Sed satius est ad Victruvium descendere: cujus hæc sunt verba: *Quæ ex imbribus colligitur, salubriores habet virtutes*, eo quod eligitur ex omnibus fontibus levissimis, subtilibusque tenuitatibus. *Deinde per aeris exercitationem percolata tempestatibus liquescendo pervenit ad terram.* Quinetiam Aetius ex Rufo, aquarum, quæ bibuntur, quinque omnino tradit differentias: pluvialem, fontanam, putealem, fluviatilem, & stagnantem. harum omnium pluvialem esse levissimam, & facile transmutari, atque aliis quidem affectibus accommodatissimam, quod celerrime transcoletur, ac transeat. febri vero, eique dispositioni, quæ cholera dicitur, & arquatis inutilem, nam quia facile vertitur, facile etiam in bilem transit. Verum ejus quoque noxas ab eodem explicatas enumerare ne reformidemus, quo intelligatur, qua re Galen. commotus hanc tantopere repudiarit, tametsi non ubique respuit, sed in apomelitis tantum compositione. Quod non pluvia, sicut mulsam aquam, sed quavis alia vult fieri, nihilo deterius apomeli dicens si acescat, quod in hydromelite inveterato constabat accidere. Atque hæc etiam expendentes videas quantum incommodare huic tanto malo possit. Ait igitur Aetius, Lippientibus, destillationis aut ulcerum ratione, opitulatur. Abstineant ab ea qui acute vident, neque ad medicinas metallicas abluendas eligatur, plus enim habet constipationis, quam fontana: ideo neque abstergit facile, neque coquit, neque madefacit, & excretiones impedit: quod si alicubi moram traxerit, magis adhuc constipat, tardiorisque transitus fit, egestiones detinet, tardius concoquitur, distribuiturque, destillationes gignit, præsertim si frigida bibatur. Hæc tam multa fortassis Gallus ad Gal. improbationem adduxerit, sed plura his Plinius *cap. 3. libr. tricesimi primi* recenset, quæ si cui libet legere, locum indico. Nam is interesse vitæ putat, si levitatis argumentum refellat: cum subire & in cælum lapides appareat. At levitas non eo metienda quod pependerit, aut nullo pene ponderis momento, ut Plinius credidit, sentiatur. qui deprehendi aliter quam sensu vix posse levitatem ejus asseveravit. Imo vero pulchre judicatur ex eo, quod commutari prompta sit, citoque permeet, nec ventrem gravet ut Galen. *Aph. comment. vicesimo sexto:* Quare facilem ostendit alterationem Hipp. cum dixit aquam, quæ cito calet, citoque refrigeratur, levissimam esse. Per lancem enim proclive esset levissimas aquas ponderare. Etiamsi quosdam statera judicare, frustrante diligentia, Plinius tradidit: quia perrarum sit, ut levior sit aliqua. Quod ab omni veritate abhorret, cum aliis alias sordidiores, magisque terreas, ac cœnosas esse certum sit. Cæterum cælestis aqua profecto si alia, ea habet merita, quæ ex Hipp. suprà adduximus ut cito caleat, & citissime perfrigescat, quod cum Pliniana discrepat ratione: Qui aquam pluviam idcirco celerrime calefieri putat, quod sordium inesse plurimum sentiatur. Quod si volumus confiteri, celerrime refrigerascere negemus oportet, nam sordes caliditatis sunt retinentes. At experientia comprobatum, pluviam refrigerari quavis fontana citius, quo minus movere nos debet, quod objicit, cadensque inficitur terræ halitu: quasi vero assiduo variarum rerum commercio non multo plus fontana procurrens, perennisque tingatur. Atque ut nos deterreat vehementius, & nivalem, & glacialem apposito grandinum argumento, cum pluviatili conjungit, e quibus pestilentissimum esse potum convenit. Quid obsecro aliud facit, quam rationes suas dum probare se posse diffidit, testibus utitur non necessariis? nix enim & glacies, qualitatis peccant conditione, non tantum coacto subtilitatis crassamento, Unde Hipp. Frigida qualis nix, & glacies thoraci inimica, tusses movent, sanguinem, & destillationes. Procul dubio quod Galen. inquit, perfrigerato ab iis cerebro destillationes oboriuntur, unde tusses fiunt, quibus & vasa disrumpuntur, & ab iis sanguis manat postea. Sed quid attinet hic de aquarum præstantia disserere? tum quid scire opus, an pluvia à tonitru melior? cum omnis ea disputatio ad frigidæ potionem pertineat, ob quam vocamur ad expertiones. Nam quæ coquuntur, quamvis vitiosæ sunt, corriguntur siquidem malæ aquæ coctura fiunt præstantiores. Non desunt tamen, qui negant optimas aquas decoquendas, quod corruptioni reddantur opportuniores, id quod aquis vitiosis (ut ajunt) non usuvenit. In quo nituntur experientia rationi consentanea. Quo minus audiendos recentiores arbitrantur, qui sibi persuadent omnem aquam crudam esse. Cum autem cruditatem hujusce author opinionis in solis constituat vegetatis, & aqua elementum sit simplex, videtur ille quidem rationis aliquid habere, sed ei paucis respondebo: Plinii in primis authoritate, cui etsi de aquis non prorsus assentior, adducor tamen ut credam verum esse, quod dicit, *Omnem decoctam meliorem esse convenit.* item, *Calefactam magis refrigerari subtilissimo invento.* rursus, *Neronis principis etiam inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives, refrigerare:* Ita frigoris voluptas contingit sine vitiis nivis. sed quod objicitur. coctam putredini magis obnoxiam esse, minus sane mirandum. Namque tenuior ita redditur, & rarior, ut facilius commutetur argumento pluviarum aquarum, quas celerrime (ut ait idem) putrescere convenit, minimeque durare in navigatione. Audiant autem Oribasium de confectione ciborum dicentem ad hunc modum: Non ergo existimet aliquis malam aquam esse, quæ cito putrescit, quod enim cito mutatur, magis virtutis est quam vitii. quod si quis contendat aquas ex decoctione crassescere, quoniam ut (quidam volunt) subtile vaporetur, probabili quidem nititur ratione, sed minime necessaria. Ignis etenim commercio quum συγκρίσει aggregatio, tum vero διακρίσει accedit sequestratio. Quæ causa est, cur aqua ignis necessitate secernat à tenui, quod crassum est, indeque terrea pars corpori hujus confusa in imo subsideat, & aqua pura relinquatur, quæ si natura lympida sinceraque sit, nihilominus rarefit ac tenuatur. Ex quo fit, ut citius frigescat. Itaque qui pluvia carebant, hoc nomine ad mulsæ compositura aquam ad tertias prius percoquebant. Ac credibile est, imo vero proximum, quod primo vaporatur, alienum prorsus ab aquæ natura esse. Cruda ergo dicitur aqua (nam elementum quamlibet actuosum, in naturæ ordine purum nullum dari potest) si non proprie, certe non minus apposite, quam bilis, quæ ab Hipp. cruda, acris, ac male olens, quæ serosi humoris accessu mitigata, cocta dicitur, sed nos paulo sumus in appellationibus morosiores. Adeo sunt qui inficiantur, quicquam coctum dici debere, quod non fiat ad assimilationem, & non vident Galen. alterationem, quæ contundendis & contrahendis particulis accidit, per abusionem sic cognominare permittentem. Verum quid iis facias, qui suas nobis methodos jactare non dubitant, cum tamen omnium ἀμεθοδώτατοι deprehendantur. Nos ad pluvialem redeamus. Cælestis igitur imber cum facile transmutetur, ac transeat, ut dictum est, magnam optimæ aquæ significationem, & indicium præbet, vel Galen. teste in *primo de Valetudine sustentanda*, dicente. Si præcordia celeriter transit, nihil est quod magis idoneam requiras: sed ea adesse debent, ut non gustui modo, verum etiam olfactui, omnis qualitatis expers videatur; eademque potui jucunda, puraque fit. Quod in pluvia fere aqua vulgo habetur. Verum (ut dixi) in ea maxime, quæ frigida bibenda est, hoc requiritur: non etiam in calefacta, cum in coquendo qualis qualis sit, depuretur. Nam neque fontana omnis optima est, sed ea demum, cujus ad orientem solem fons scaturiens erumpit, quæque per mundum aliquem meatum puramve terram colatur, eademque calefit, ac refrigeratur ocyssime. Qua ad hanc compositionem, si pluvia carebimus, non incommode (ut mea fert opinio) uti poterimus: minori tamen successus profectu, propterea quod hæc venenati liquoris cluendi potestatem non habet, quam existimo pluviam, propter elaborationem obtinere. Nec obstat quod magis quam fontana compingat, cum aptior sit sua subtilitate infinita ad sudores movendos. Atqui non abstergit, audio, neque coquit, neque madefacit, & excretiones impedit, quæ omnia in frigidæ aquæ genere toto reperiuntur. At ut minus aliis hæc præstet, non continuo damnanda veniat, ut quæ cum aliis confusa rebus, hasce noxas non retineat, sed si quid dotis in se comprehendit, id perpetuo conservat, quod hoc loco non necesse habeo demonstrare. Quam ob rem cum aliis omnibus affectibus præterquam æstuosis febribus conveniat, neque madefaciat, & ulcera sanet, jure huic malo abigendo cæteris præfertur. neque mea unius hæc est opinio, sed in hanc mecum sententiam venit Andreas cognomento Matthæolus, qui hac de lue scripsit. sed nimis jam multa de aquis, ad ligni præparationem revertamur. Hoc maceratum (ut diximus) coquere oportet, etsi nonnulli biduum in aquam mittunt, quod non opus esse dico, siquidem tenue futurum est pulvisculum, quod ipsum in recenti ligno nec dum siccato in ramentum sat esset descalpere. Maceratum igitur ad molliusculum lenemque ignem in fictili olla plumbo illita, cujus tertia pars vel quarta vacet, id tantisper continebis, donec ad tertias, quod supererit, redigatur. Nam sunt, qui ad dimidias tantum percoquant, ut Syphilis cum Hutteno Guajacum: sed mihi cremor crassior, magisque altilis sic apparet, & in palo, qui nihil habet illius atri, quo potio amaricat, congruentior hæc, magisque rationi consentanea videtur cocturæ dimensio. Quandiu autem hoc decoquunt, summa cura cavent, ne efferveat, & undare quoquo modo, exæstuareve sentiatur, sed absumi sensim liquorem ignis quodam velut fotu patiuntur, perpetuo cooperculatam habentes ollam, ne quid virium exspiret, nisi cum opus est de-

deſpumare, quod circa initia coctionis fere magis contingit, ſpumam vero ad ulcera puſtulaſque colligunt, & in alios uſus ſervant. Ita decoctum perfrigerare ſinunt, dum ſcobs reſideat, & lympidum cremorem percolant, in vitreum vas defundentes, ſicque obducto ore, ac pelliculato, condunt ad uſus, vitrum ea ratione eligimus, ut pelluceat, & mutationes ejus in perſpicuo facilius attendamus. Adde quod melius vitrea à ſorde emundantur, nec qualitatem ullam ſervatis rebus conferunt. Hanc igitur coctionem primam ita factam, cremorem ligni vocamus, alii ſyrupum, quam cocturam moderatam eſſe & velut tepentem ad unguem credimus, ſic ut alias comminiſci non ſit neceſſe. Neque ſane aliter curari apud inſulanos auditione aſſequor. Unus hic duntaxat modus eſt, niſi forte pluviam aquam, cum illi obvia quaque utantur, uſurpaſſe videbor, ſed meminerint, in inſulis fortunatis occaſum verſus Pluvialiam eſſe, in qua nulla aqua niſi ab imbribus, noſque eam gentem tam divini præſidii expertem eſſe noluiſſe. Verum enim Ferrum mirari ſubit, qui dum experientiæ reclamat, impudentiam non videtur effugere. Nam cum gradus quoſdam coquendi ex Minervæ ſuæ præſcripto definiviſſet, *Nihil* (inquit) *refert, quod ajunt gentes illas apud quas naſcitur lignum, eodem ſemper modo, ac ſine diſcrimine conficere, & ſumere hanc potionem*, cujus affert rationem, quod medicinæ ſunt imperiti. At hujus medicinæ ſummam eis peritiam tribuit, cum fateatur univerſos iſta contagione affectos illic curari. Quare illi peritiſſimi, ipſe experientiæ ſuæ fidem nobis nullam certam facit, ſed contra ſenſibus fidem derogat. *Fortaſſis* (inquit) *quoniam recens lignum decoquunt, ſalutaris eſt ea medicina quocunque modo conficiatur.* Quorſum hæc tam inconſiderata, ne graviori verbo utar? An non & recens ſui cujuſdam eſt temporis? Addit, *velquia in illis regionibus antidotaria medicina eſt lignum Sanctum.* Quaſi ſimilem hic etiam non retineat facultatem. Sed nunc tenetur. *vel quod incredibile eſt* (deinceps inquit) *decoctionem conficiunt admodum temperatam, ut in omni tempore anni ſubveniat ægrotis, omni ætati, omni morbo, omnique complexioni.* Amabo te Ferre, cur incredibile? nonne tute faſſus es temperatum eſſe lignum? quid in potione ſentias tanto magis confiteris, quod Ariſtotelica uſus videris ratione, dum hæc ex ſecundo de generatione citas. Quæ miſcentur, corrumpunt invicem intentiones, & proprias qualitates. Ergo aqua, ut vis, coctione ſiccitatem & caliditatem, quas ineſſe temperatas ligno putas qualitates, reprimit, quod nondum mihi liquet, ſic fiet moderatius poculum, ut ad æqualem collatum naturam, ſi quidem tua ſequimur dogmata. Quid autem miraris qua ratione temperatum morbos curet? Equidem in ea contemplatione audientibus moleſtus eſſe nolo. Malim uno verbo dicere, ſic temperatum alioqui medicamentum proprietate occulta lui iſti mederi, ut nil mirum ſi variis ſubveniat naturis. Sed mihi objicies & alios morbos hujus ope diſcuti. Quod ut tibi concedam videlicet per epicraſin, tamen irridendum cenſeo, quod paſſim nunc fieri video, hac potione ad tuam rationem variata, omnes graves affectiones quamvis deploratas velle elidere. Perinde enim fit, atque ſi ex *chamæmelo*, vel *anetho*, vel *lini ſemine*, vel etiam *fœnigræci*, quæ tepent omnia, ægros omnes variata horum coctione ſanandos ſuſciperem. O fucum hominum animadvertendum! Nam cum pleroſque videant proceres, ac matronas pernegantes ſeſe unquam fuiſſe hac lue prehenſas, & deſperent alia ſe ratione adverſas in eis valetudines hinc fomitem trahentes, curare poſſe, uno hoc utuntur prætextu, ut affirment rebelles quoſvis affectus hoc unico expugnari medicamento, ſed variandam ad præſcriptum ſuum curam imperant. O impuros homines! ſiccine in medicinam nos volunt infamire? nonne hoc eſt divina munera polluere, ac impiare? Ecquis non videat ſycophantarum mirificas ſtrophas, & verſipelles artes? Quidam inſignis purpuratus in aula Pontificis à gravi morbo, qui cum jamdiu conflictabatur, ligni Sancti miniſterio liberatus eſt, ſibique reſtitutus. Io triumphe! Io Pæan! Omnes in omnibus idem tentare remedium imperabunt magiſtratus, reges compellent, niſi ſimile feceris, nullus ſis. Ad iſtum modum hoc tempore Vertumnum agere, mederi eſt. Certe noſtri ordinis vir quidam ſane doctus, ac perquam facetus, imperitos quoſdam medicos muſicis eſſe ſimiles ſolet dicere. Ut enim primarum partium cantores cantilenas, quas numeroſe ad fiſtulam ſaltemus, ſubinde novas condere ſolent, quos alii ſecundarum aut tertiarum continuo ſequuntur, ac pro ſe quiſque imitantur, ubi autem animadvertunt, qui principem locum ex iis obtinent, pertritas ſuas eſſe cantiones, & abs poſtremis nonnunquam ſymphoniacis melius cani (ut eſt ad inventas jam res ingenioſa atque induſtria addendi æmulatio) ſtatim ad alios convolant modos, ridiculi alioqui futuri, ſi triviales numeros ſemper incinerent: ſic qui medicinam factitant hoc tempore, quique plures ægros curandos ſuſcipiunt, ad inepta, novaque identidem accurrunt, & clariores horum nonnulli (dum placere populo gratioſi ſtudent) ſuas texunt formulas, ac retexunt, leges figunt & refigunt: atque nunc in pulveres, nunc coptaria, nunc antidotos commutant. Hos imitantur poſtea ſimiæ geſticulatrices, quo ſibi ſapientum opinionem acquirant. Ita fit, ut ſi præter has formularias ineptias doctus aliquis accedat, qui ab antiquis tradita, aut recte excogitata proferat, rideatur ab omnibus. Hoc eſt mederi ſcilicet, hoc Æſculapium, hoc Phœbum conſectari. Quod ideo dicendum putavi, quoniam ineptus habearis hac ætate, niſi paſſim lignum Sanctum nomines. Sed ad exactiſſimos Ferri gradus veniamus, nullum enim argumentum doctrinæ ejus tacitum relinquam. Primum ſiquidem gradum ſtatuit, cum decoctio remanet unius libræ: ſecundum, cum unciarum novem: tertium, cum ſex aut ſeptem. Quid iſtuc eſt dogmatis? *Id animadvertendum præcipimus* (inquit) *non omnibus morbis, & ægrotis ejuſdem moræ decoctionem convenire: ſed aliis majoris moræ, aliis minoris.* Tu ne ſic auferes? At hoc nimirum eſt blateronum probra laceſſere, qui medicorum clamant eſſe proprium, audacter mentiri. Nam quis non vidit innumerabiles ſola noſtra, quæ ſimplex eſt, præparatione curatos? At mirificus Ferrus duos rurſum decoctionis modos facit, unum alterativum vocat, ſimplicem alterum. Hunc in fictili vaſe (quod teſtaceum appellat) illum per vitreum cadum in diplomate, fieri tradit. Egregia ſane inventa & cedro digna. Sed quid has differentias in re facili, totieſque explorata introducimus? Nemo adhuc inventus eſt, qui ſimilia ſcripto mandare ſit auſus. Nam Maſſa, cum dixiſſet excellentiorem in opere decoctionem nos habituros, & citius ægros liberaturos, quanto plus conſumpta fuerit potio, ſubdit: *tamen ſint omnia moderata, & medio quodam modo parata.* Ac rurſus, *Quo plus ejus ægri hauſerint, tanto curatum iri citius.* Quinetiam Nicolaus cognomento Pollius pro mediocriter infectis ad medias ablumptam ſufficere tradit, ad intertrimentum vero duarum pro extreme afflictis. *Nam quanto plus* (inquit) *in decoctione conſumitur, tanto fortior operatio eſt.* Ex quibus intelligitur, merito diſtinctiones illas à nobis ut nugatorias reprehenſas. Admonet ille præterea de hyeme, & æſtate ad condendum iſtius ligni decoctum, quæ qualia ſint, res ipſa indicat. Illud notatu dignius, quod dilutiorem modo potionem facit, modo meraciorem pro humoris ſcilicet exuberantis, tum tenuitate caliditateque, tum craſſitie, lentore, ac frigiditate. Adde ætatem, & cætera hujuſmodi, quaſi oxymeli aliquod, non ptiſanarium paraturus. Nam Galen. eos non probat, qui ſub una quapiam menſura oxymeli conficiunt: ſed tamen dum variandam ejus docet temperaturam, id facit pro guſtu ſumentis, convenientiſſimum ratus oxymeli illius naturæ, cui eſt jucundiſſimum. Primam tamen ipſorum mixtionem, quo plurimis conveniat, deinceps conſcribit. Quod igitur in poculo tam moderato documentum nobis dabit; ad quod animum referentes, cognoſcamus huic, vel illi naturæ aptiſſimum eſſe temperamentum? Quod ſignum, quo viſus aciem dirigamus! Sed ab ineptiis diſcedamus. Neque enim hic nobis ſcopus propoſitus erat, ut indicaremus variandam non eſſe coctionis rationem, ſed non pati medicamentum ullius rei adjunctionem. Deſtillandi autem ejus modum, nec approbo, nec rejicio in præſentia. Alius fortaſſe locus ſeſe commodior offeret, cum hac de re agendi, tum etiam de oleamento ab eo eliciendo. Nunc docemus vas illud fictile, quo potionem parant, in camino quam optime excoqui debere quod Galen. etiam quodam loco commonuit. Quæ enim exacte penitusque cocta non ſunt, lutoſa ea potius, quam figulina ſunt, & qualitatum ſuarum nonnihil medicamentis remittunt. quare mihi plumbo illita, quod nitidior videatur, expetitur fidelia. Sed tanquam à vino ad deuteriam nos convertamus. Secundarium itaque tenue poſt cremorem etiam ſolet apparari. *Nam & ſegmenta relicta rurſus ut ante coquunt, addentes ſuave liquens mel*, ut cecinit Syphilis. Nos ut non improbamus in ſecundario decocto mel, vel ſaccharum, vel glycyrrhizam adjici, ita non neceſſarium eſſe dicimus. In primo autem cremore recte miſceri poſſe negamus. Nam quod ex palo concinnatur poculum, ſcio nonniſi moroſis & delicatis philœnis ingratum ſentiri. Deeſt enim illa Guajaci acerbitas, & amaror, deinde medicati alicujus catapotii vice voratur: ſecundarium vero mediis in cibis potus loco ſitientibus ſumptum, non caret jucunditate. laudo autem, ut quibus non diſplicuerit, quive ab eo non abhorrebunt, puro utantur. Satis enim ſibi ſitis condimento eſt. Negavit Cyrus cum ſiti premeretur, unquam bibiſſe jucundius, quam ex cœnoſo, ac turbulento quodam rivo. Hanc vero deuteriam ex fontana quam pluvia malim parari, ne propere excidat è corpore. Tempus autem ad decoctionem utriuſque ſunt qui limitarunt horarum ſex, alii octo: ego vero

*Lib. 4. de tuenda valetudine.*

etiam

etiam duodecim interdum spatio leni igni confoveo, ut ad tertias redeat, in secundaria tamen multum de opera remittimus, quam in cremore diligentissimam præbemus. sed sit sua cuique, pro exquisita confectione, certa mensura affabre ex eodem ligno facta, torno (si placet) rasilis, certis distincta spatiis, qua exploret, quantum singulis horis in coquendo decedat. Restat igitur, ut videamus, quis modus in utraque potione mediocris sit. Diximus enim moderatam nobis cocturam videri, quæ pro pondo ligni sextarios sex ad duos reducat, hoc est ad viginti quatuor cyathos, tribus enim diebus sufficere eam mensuram volumus. Quare in singulos haustus oportebit quaternos trahere cyathos, hoc est mensurales unc. vj. cum ejusdem besse, qui modus explet septem uncias minus triente. Atque hic proculdubio modus viro plenus justusque fuerit, etiam in medicamentis exsorbillandis. quippe duodecim unciæ nostro pede metitæ, semisextariolum Parisinum complent, quam mediocriter sitientes uno tractu siccant. Et qui temperatiores sunt, & urbaniores duobus fere exhauriunt. Minus enim quam sextarius Romanus continet, nostra ratione, hic semisextariolus besse, hoc est, mensuralibus unciis octo. quandoquidem sextarius viginti constabat unciis, id est, pollicibus quadratis. Nec obstat, quod Isidorus vigintiquatuor unciarum eum tradiderit, & Aphricanus libram sextarii dimidiam scripserit, ut notat Alciatus jurisperitissimus. Itaque certum est libram duodecim unciis expleri, ut constet semisextariolum nostrum eandem conficere, nisi libram pro hemina audiat, quæ novem tantum constabat unciis. Quomodo igitur sextarii dimidium erit? nisi dicamus sextarium, suum etiam cumulum certum habuisse, neque mensos fuisse antiquos, ut libram, ad geometricam exactionem. Qua ratione ad cheopinam nostram sextarius accederet, si auctarii loco trientem libræ acciperet, hoc est, ad viginti mensurales, quatuor insuper uncias, sed nos de mensuris hoc tempore non certamus: ostendimus tamen justum potionis modulum ex coctura nostra reddi. Nam qui ad quatuor libras redigunt, si ponderales intelligunt, plus minusve nos superant, siquidem quatuor diebus id paratum reponunt, ut in Guajaco facit Huttenus. Quippe Plinio cyathus, in quo etiam (ut videtur) ex abundanti suus extitit cumulus, decem drachmas pendet, semissis vero drachmis valet quadraginta octo, trahuntur autem nobis quatuor cyathi, hoc est triens, qui pendet in summa quadraginta drachmas Pliniana pensione: ita unico fere cyatho minus duabus drachmis vinceremur. Nos etiam aquæ puræ plenum pollicem quadratum appendimus, quem invenimus paulo fere plus quam quinque drachmas pensitare. quod si cyathus sesqui unciam mensuralem continet cum sextante, ut nos putamus, certe præter septem cum unius semisse drachmas pro sextante ac accessione Plinium etiam sesquidrachmam posuisse fatendum erit, aut cyathum unc. ij. capere, & ita pedem Romanum nostro majorem statueremus. Verum ille cujus rei pensum fecerit ac facoma non exposuit, ut nulla ratio sit de hac oleo, quod aqua ac vino levius est, intellexisse, sed de hac consideratione plura in libro de re Seplasiaria disseremus, cæterum si in eo cremoris modo ex reliquiis cocturæ redeuntis ad dimidias intra triduum, usum nobis expedire deliberatum foret, Hutteni rationem multo superaremus, qui in quatuor etiam dies eam apparatam recondebat, quando provenirent ligni duo pondo cum semisse ex libra, elixati juris triginta sex cyathi, ut superius perstrinximus, hoc est, sextarii tres. Sed cum nos ex ligno vere temperato (nam id quod amaricat rejicimus) tepentem, ac moderatum cinnum conficere studeamus, nihil mirum sit, si hanc potius quam illam sequamur miscendi rationem, quæ etiam experientia nobis ante constitit, & qui nos eam docuit, quique cum infinitis aliis sanitati restitutus est, ab indigenis quorum linguam callebat, quibusque familiariter in commerciis utebatur, non alio factitari modo dejeravit. Quinetiam experiundo didici. fidem mihi, licet juniori, nec ita splendidi nominis, adjungent, quibus visum erit, nihil enim moror, dum eorum veritatem eloquar, quæ duodecim fer-me annis expertus sum. Equidem permultos salutis per me recuperatæ testes citare possum: sed parco nominibus viventium. Quid autem illi efficiant, qui ad pondo libram ramenti, duodecim pondo aquæ infundunt, coquuntque ad dimidias, non necesse habeo nunc dicere: tanto minus qui concisi ligni ex aquæ triginta libris ad tertias coquunt, hoc est ad libras decem. Itaque si post sextum diem vel hyeme computrescit, quantum singulis diebus dare eos convenit? Nam si plus quam libram semissem quotidie præbent, sex diebus selibra ligni plus, quam satis sit, consumitur: cum ostensum sit, libram ad treis dies sufficere. Attamen in materia non recenti haud abnuerim plus posse insumi. Nam & inveterati libræ duæ unius interdum vice cedunt. Medium autem sectanti intra libram consistere ad triduum æquum est. Nam qui quamplurimum ligni consumpserunt Guajacani, non amplius decem libras diebus quadraginta u-

A surparunt, & Huttenus vix sex abliguriit: mediocrem tamen cremorem parantes, non est quod ex industria dilutum accurent: quippe quo crassior, eo plus valet, & sua proprietate defungetur efficacius. Adeoque infirmissimis plus ligni aliquanto esse offerendum, non ita tamen ut modum excedat, non desunt qui defendant. Quamobrem justo modulo recentis ligni libra intra triduum vorabitur, satisque sunt singulis potionibus cyathi quaterni. Alterius vero tenuioris ceu loræ, quam deuteriam quasi secundariam vocavimus, alii dant quantum ad sedandam sitim laboranti visum fuerit, alii parum, dicentes propter malum saporem ablaturam bibendi cupiditatem, sed qui quantumlibet ejus concedunt, hoc se facere ideo ajunt, ut medicati in ventre cibi efficiantur. Congruere tamen modum oportet ejus, qui curatur, consuetudini: tantum enim ipsius exhauriet, quantum sanus bibere solebat. Et sane justus modus sesquisextarius esto. per diem autem si bibere libet, poterit cyathos duos, aut tres quam longissime à prima potione trahere. qui autem minus propinant, quam patitur ægrotantis consuetudo, vel ob id quod
B parcius comedunt, næ illi videntur ignorare primum sudoribus corpus digeri, deinde hunc potum alere, & humectare, ac demum medicatæ virtutis esse participem. Neque vero est cur asseveremus austeritate aquæ eos ipsos deterreri: cum notum sit à multis, ubi insueverint, avidissime expeti. Nam & frigidam modice exhibemus, quæ illos ad sitim arcendam qualitas invitat, ut qui fere in æstuario contineantur, sive natura, sive opere, facto. Naturale voco, quod æstatis status affert. Equidem perpetuo eos in laconico claudi volo: non quod æstate torreri igne imperem, sed ob temporis inconstantiam, ut assidue caleat. Cujusmodi assiduus pene fervor nudis est barbaris. melius enim est corporis spatia, seu spiracula laxa & patefacta habere, quo virus undique despiret. Primis ergo diebus decumbens sit in æstuario, aut domo quæ camino caleat, cujus rimæ, fenestræque per frigora gypso diligenter obstructæ sint, & conclavis ostia velis ac tapetibus obtenta ibi paulatim cibum deducat, & vino usus dilutiore consuescat aquam bibere, & esurire discat. Deinde ubi jejunio diem unum, aut alterum transegerit, medicamento simplici expurgetur, pro naturæ ratione, & vi-
C ribus, atque ætate. Consideretur etiam, si ita visum est, morbi causa, & hujusmodi quæ sunt medici rationalis consilia: quem perpetuo assidere ægro in hac curatione velim, ut de viribus ejus sit sollicitus. Quominus sunt ferendi chirurgi, quorum munus hac in re mihi quoquomodo probari potest, cum vix prima philosophiæ attigerint elementa? Quæ si norunt, extra professionis suæ terminos egrediuntur, & audent nihilo minus in curationem tam arduam sinuosamque, ubi emergentibus novis casibus identidem ratiocinari est necesse, sese intrudere. Doctum igitur medicum requiro. Purgans medicamentum ex ratione is instituat. Neque vero accesserim Hutteno, qui tantopere rhabarbarum detestatur, & unicam siliquam Ægyptiam approbat, & extollit. Neque quo sit utendum pharmaco hoc loco doceo, variandum esse intelligens, etiamsi perfacile laudo, & quod ex primis tantum venis subigat noxios, & inofficiosos succos. Novi qui mihi hanc ad curam supra fidem prædicarit rheon Indicum, sed ita, ut cum uvarum passarum Corinthiensium, quæ vino immaduissent, carnibus exhiberetur. Alius nuculam illam dun-
D taxat, de qua supra commemini, insulanos ajebat in eam rem mandere. sed ipse malim mitioribus agi, quæque humorem, qui peccare putabitur, facile deponant. Resoluto ergo ventre, *Cæcis sese penetralibus abdant* (*quemadmodum ait poëta ille*)

„ *Quo neque vis venti, non halitus aëris ullus*
„ *Insinuet sese, & gelidis afflatibus obstet.*

Ibi die purgationem insequenti, cum intervallum à somno fecerint, cremorem calefactum mane bibant, iterumque sub vesperam. satis enim bina sumpsisse poculа, quamvis terna nonnulli præbent diluculo, meridie ac vesperi. sed plus satis est corpus sudoribus bis in die exercuisse, nec alia in opinione est, quem supra omnes, qui hac de re scripserunt, admiramur, Syphilis, „ *Dee* (inquiens) *pocula primi*

„ *Bina die quaque assumunt, cum surgit ab ortu*
„ *Lucifer, & sero egreditur cum vesper olympo.*

Qui mihi non videtur exponere, ante cœnamne sorberi debeat, an vero à cœna. Huttenus, qui suo periculo per manus (ut inquit) aliis tradere didicit, octava hora alterum poculum dari jubet: ut appareat illum circun-
E cidere cœnæ tempus: nam ad meridiem tantum reficit. Et alibi dicit: *Vigesimo quidem die bis cibum dant. quod viderint qui sequuntur. Certe enim hoc fert medicina hæc, ut media quanta possit maxima extenuetur æger.* Quo autem cibo, post dicetur, sed tam exiguo, ut sustentet vitam, & utinam (ait ille) non augeat vires. Ego vero ne quem de hac re celem diutius, bis die reficere soleo, ne à consue-

tudine aberrans, cum opus non est, discedam, sed exili admodum cibo, quem inferius exponemus. Mane igitur una horula ante contecto, quo incaleat, & æstuario, si opus sit, accenso, cremorem hauriendum præbeo, qui raptim & uno semel tractu sine interspiratione bibitur, à quo quiescere sic stragulis munitum, ad horas duas melius est, abundeque satis erit horam unam desudare, altera vero abstergi. Quanquam sunt, qui eliciendo sudori integras duas horas, statim ab hausta potione, permittunt. Ego vero facile illis non assentior: propterea quod tam longi temporis ad sudandum spatio (ubi citius facere pausam liceat) opus non esse dico, cum ope medicamenti corpore calefacto sudores mox erumpant: & dum abstergitur, distringiturque sudor, qui meatulis cutis hæret, evenit, ut impensius virus eructet natura. Ad hæc propter insolentiam nonnihil esse solet molesta desudatio invitis expressa, quare indies aliquid ad sudandi moram accedat. Id autem tempus, ne quid erroris intercidat, clepsydris soleo metiri. Resiccato corpore, & venis concidentibus, quod post quartam à sumpto poculo horam contingere fere solet, è lecto surgere permitto, etiamsi alii non ante quintam, ad quam frugalissime reficio. Ac eos quidem, qui celerrime sanescere cupiunt, quam deparco licet victu uti jubeo. Nam nautici biscocti panis, ὄψοφον Græci dixere, uncias circiter duas cum uncia passarum uvarum Corinthiensium justum vitæ sustinendæ modum arbitror. Neque ignoro alios esse, qui tres uncias panis, totidemque uvarum permittunt, aut etiam pruna statim à principio. Quod utique mihi non placet, quod humentiora sint, nec ut passæ jecur confirment, sicuti neque gallinaceos pullos, vel jus eorum decoctorum adjici in ipso saltem diætæ vestibulo. Exhauriendum enim perpetuo corpus est, neque verendum, sub fasce hoc ut quis deficiat, quamvis paulum edat. Neque enim me præterit, quid de picrocholis Galenus prodiderit, quos bucca panis nonnunquam vino diluto, calentique immersa reficiebat, ita ut febres prohiberet. Durissimam enim illis fore inediam intelligo, atque ita, ut si biduum sine cibo transegerint, necesse sit febri corripiantur. At Galenus nonne bilioſos & imbecillos, & quibus sensilis erat ventriculus, solo ptisanæ cremore in septimum usque diem traxit? Nam qui ex abundantia laborabant, minus mirum si sub longa eos inedia tenuerit, ut prorsus ante septimum non cibarit, quo minoris gloriosa illa diatritos æstimanda est. Neque vero objicienda ex Hipp. oraculis sententia: Victus tenuis, anxieque exquisitus, quum in morbis longis semper, tum in acutis, in quibus non convenit, periculosus. Nec qui sequitur aphorismus, In tenui victu ægri delinquunt, taceo infinita quæ opponi possunt. Nam ut victus sit tenuis, qui per pauca, parumve nutrientia fit edulia, qualis est ptisanæ succus, tamen finis ejus est virium exsolutio, ut Galenus in superioris aph. commentario nobis designavit. Namque in hac curatione ea victus ratio est, quæ vires convellere queat. Siquidem panis simplicissimum (ut ait Galenus) alimentum bis die præbetur. Itemque uvæ passæ, quæ plurimum nutriunt, eodem authore de Alim. facul. Quinetiam cremor ipse quadantenus vires recreat, dum in sanguinem vertitur, calorem fovet, spiritus auget, & membra omnia corroborat. Videas vel tenuissima præditos valetudine hoc poculo adeo sustentari, ut vires, quam antea in ea diæta constituti, firmiores acquirant. At pauca dantur. audio. & post nonum aut decimum interim diem fames ingruit. fateor. Nam digeri corpus debet, & sudationibus fieri non potest quin dissipetur parte aliqua humidum, ut docendi gratia loquimur, substantificum. Atque ob paucitatem cibi certum est plane restitui non posse tantum, quantum digeritur. Attamen pro ratione virium servandarum nimium est, quod offertur. Quapropter tenue nullo pacto dici potest alimentum, quod datur in hac curatione: sicuti neque plenum, sed conservans. Qua de re nimis multa. Considerabunt autem medici num vel pueri, qui sunt ad cibos omnium propensissimi, hoc victu possint esse contenti: cum videre liceat tenuiores vix tantum ciborum puellis suis in diem impartire, qui tamen optime tolerant, & bona satis habitudine apparent. Sed ægroti hoc cibo recreati, quiescunt, lusitant, graviores cogitationes, omnesque animi perturbationes quantum licet aversati. Meridiari, nisi propter nocturnas vigilias, illis non conceditur. Quibus si ita accuratum est, ut decima pransi sint, quarta à meridie in lecto decumbant, peristromate, stragulisque uti jussimus operti, ut intepeant: quinta deinceps hora cremor ille eodem, quo supra, modo præbetur, hinc ad septimam usque sudatur, ac detergitur: octava vero commode venis jam interquiescentibus cœnatur. Verum enimvero sunt, qui à cœna post quatuor horas cremorem propinant, sed cooperiri vetant, ne somnus sudore interrumpatur: quem tamen si sponte profluxerit, non denegant, quod à sagaci natura fieri dicunt. Plerique à cœna cremorem iis tantum exhibent, quos vehementi capitis dolore cruciari animadvertunt, quomodo dormituris pro catapotio sphœrulæ offeruntur: quod mihi quidem ratione carere non videtur. Cæterum cœnant parcius, quibus uncia panis recte datur, & uvarum semuncia. Quod si biscocti penuria sit, in ejus vicem intermedia panis crustula præbetur tenera parte abscissa, & superiore, quæ bilescit, adempta ceu squama: uvarum vero Corinthiensium defectum farcit, Damascena vel Tharsensis, vel passa quævis exemptis vinaceis. Satis autem in cœnam esse possunt decem, aut duodecim grandiores uvæ, ex aliis quindecim, aut viginti. Quibus uvæ gratæ non sunt, avellanæ (quas nuculas Prænestinas dicunt) in ignem conjectæ enucleatæ, superiorique membrana mundatæ aut amygdalæ tostæ eduntur. Maxime autem siccantis naturæ cibatus esse debet, non tam ut potus in ventre perdiu retineatur, quam ut resiccetur putredinosus ille affectus, quem invexit contagio. Neque enim timendum, ne ex eo victu vel in hecticam, vel corporis atrophiam delabantur, qui natura sicci sunt ac macilenti: ut quidam metuere videtur, *actum* (inquiens) *optime fore, si, qui ligno curantur, in hecticam vel tabem non inciderint.* Quod equidem vix fieri posse in temperata potione puto, nisi eo jam sint correpti plane marcido habitu. Nam & siccos constat hac victus observatione humescere, & macros pinguescere. Adhiberi tamen per totam curationem medicum velim, non qui cremorem dilutiorem, quam præscripserunt nobis insulani, ac experientia innotuit, conficiat: quive quadrata rotundis misceat, sed qui victum pro symptomatis, ubi licebit, immutet. Quanquam Syphilis unam probare videtur rationem, cum dicit:

*Quid mirandum æque memorem super omnia victum*
*Quam tenuem, quam magna sibi jejunia poscant?*
*Quippe solet satis esse ipsum dum corpus alatur,*
*Dum superet vita, & tantum ne membra jatiscant,*
*Ne tamen, ah ne tanta time, sacer illicet haustus*
*Ille, modo ambrosiæ, vires reficitque fovetque,*
*Inque occulta gerit jejunis pabula membris.*

Observandum tamen est, ne salem gustet, qui curatur: quod huic medicinæ cum sale prorsus non convenit: venerem tanquam pestem fugiat, frigidam ne vel manibus abluendis attingat, vinum nec delibet: tale enim huic ligno est, quale cicutæ, cum qua si hauseris, nullo remedio restitui queas. Quæ profecto leges fere sunt ob noxam indictæ. Quæ quam sint leves, omnes qui tam diro occupantur malo, si secum recolerent, ac ad salutem valere reputarent. ultro sine ulla cunctatione se illis dederent. Sed reliquum victum constituamus. Is igitur non post nonum statim diem plenus, at paulo liberalior permittendus. Pulli elixati jure, citra tamen salem, mane tantum vescantur, idque ad usque quintum decimum diem: à quo etiam ova sorbilia, & carnes elixas ad vicesimum tertium, absque sale concedes, itemque assas sine larido. Quod si ad quintum usque decimum perseverare in prima victus ratione posse cognoscat, aucto tantum obsonio, hoc est uvis passis, intelliges melius cum deploratis agi. Verum perpetuo ægri vires consulendas censeo. Sic enim tractati vigesimum vix attingunt diem, quin ad pristinam sanitatem revertantur. Nonnunquam tamen vel cubantium intemperantia, vel ligni exoleti infirmitate, multi in integrum non restituuntur: quibus suaserim simul atque refecti videntur, eandem omnino subire rationem. Alios novi, qui prius perunctionibus fatigare corpus juberent, deinde ad potionem venire, dejerantes ad morbi depellendi celeritatem hoc pertinere: qui & ipsi adversus argenti vivi illitus hunc dari cremorem perhibent, propterea quod solus offensa ejus tollit. Quos quidem authores in totum non damnarem, nisi sperarem intra tricesimum diem, victus rationem observatam potionis præsidio, satis esse malo etiam extremo profligando. Neque vero probaverim illorum sententiam, qui una opera & lignum & argentum vivum ad curam afferunt, cum non ferat tantas injurias natura vel robustissima: tametsi plerique graviora æquo animo pertulerunt. Sed de purgatione sub finem curationis adhibenda, agamus. Sunt qui decimo quinto die alvum volunt resolvere, alii citius, nonnulli cum lignum paulatim, & continenter munere suo perfungatur, nullum à potione diem intermittendum censent, ne propter pharmacum quidem: malunt enim sub curæ finem exinanire, & si alvus interim nihil redderet, ex ejus decocto certis diebus clysteres infundere, quod nos tentavimus magno semper successu. Neque quenquam movere debet, quod Serrus sæpe purgandum dicat, & octavo, vel sexto quoque die: propterea quod tenues ita humores sudoribus expurgentur, crassi concoquantur: natura enim, quæ perfecte movetur, primo concocta secernit, mox expellit, in obtusis tamen sensibus, & imbecilla natura, ejusque motu inconcinno, sæpenumero adminiculo ea supplenda sunt, & velut manum scandenti præbenda, ut Galenus ait in aph. illum, Concocta movere non cruda. Verum enim si quando purgandum videbitur, ob rationem Aphro-

phrodiſæi potius, quam eam quæ à Ferro allata eſt, id faciendum erit. quandoquidem fameſcentes ſolito cibi uſu prætermiſſo, materiam ſine dubio aggregant acriorem. Decimo quinto igitur die mane purgans medicamentum bibatur, qua hora intermittetur cremoris potio, ad quam tamen ſub veſperam ſtatim, niſi quid obſtat, redibitur: non autem ut vult Ferrus, qui totam prope antiquam rationem nulla cauſa ſubvertit, & mane & veſperi abſtinebitur. Nam quid habet rationis, cum potionem modo intermittendam, modo relinquendam tradit? Agit enim eo in loco de ſymptomatibus, quæ per lignum Sanctum vitari non poſſunt. Verum ubi vitæ impendet periculum, quis operam lubens impenderit? Quorſum attinebat hæc admonere. Quin potius audis, quod diſertiſſimus poëta perbelle in Guajaco præſcribit?

„ *Nec prius abſiſtunt potu quam menſtrua curſum*
„ *Luna ſuum, & totum peragrans perfecerit orbem,*
„ *Fraternaſque iterum convenerit æmula bigas.*

Sunt autem ei, qui priſtinam valetudinem recuperaverit, ſervanda quædam. Primum ne confeſtim frigido ſe committat aëri, aut in publicum prodeat. Recluſis enim adhuc omnibus cutis ſpiraculis novi mali proclive eſt periculum. Paulatim itaque ab uno cœnaculo in aliud inambulandum, atque ita ſenſim, dum aëri aſſueverit, cælo ſe committat. Deinde modus in cibis & congruens ubique qualitas obſervetur, bugloſſo, cirſii radicibus, aliisque oleribus in juſculis uti incipiat. ovis ſorbilibus, cæteriſque altilibus cibis, & ex aucupio potius aviculis veſcatur: imprimisque curandum, ne ventriculus infarciatur, prematurque. Quin etiam ad vinum ſtatim ne convertatur, ſed cremorem ptiſanæ, aut ſecundarium decoctum minimum menſem unum prius bibat, poſtea dilutiſſimum, & tandem ad priſtinam ſe referat conſuetudinem. Reliqua ex Hutteno requirantur, qui ſimilia quædam noſtris habet. Plerique Serapium (ut nunc loquuntur) ex decocti ligni cum ſaccharo apparant, quo utantur convaleſcentes. Alii ex pulviſculo cum paſſarum, ut nos ſolemus, uvarum carne, coptarium per teſſellas inſtruunt, quidam flores ſaccharo conditos, & teneros arboris turiones præbent. quæ omnia ut non improbo, ita in univerſum juvare nego. non ſecus tamen ac theriacos ſales modice, longique temporis ſpatio præſidium afferentes, opitulari veriſimilius eſt. Deſtillatum etiam ex puris ligni Sancti ramentis, ſi nihil admiſceatur, ne ipſe quidem omnino rejecerim: quamvis imbecillus admodum ejus eſt uſus. Quod ad oleum pertinet, quod juniperi modo extrahitur, memini me interdum tum per ſe, tum ex nucis Indicæ pingui ad artuum vellentes excruciantesque dolores adhibuiſſe: ſed perexiguo, ac vix ullo eorum, qui uſi ſunt commodo, ſine vi agentis decoctionis. Sequitur ut huic diſputationi colophonem imponamus, ſi monſtraverimus, ligni Sancti naturam nullam aliorum pati medicamentorum admiſtionem.

## CAP. VI.

*Hoc medicamentum nullam admiſtionem recipere.*

Inolevit jam vulgo conſuetudo quorundam, hoc lignum tam contumelioſe tractantium, nulla ut habita facultatis ejus ratione (quæ haud dubie immenſa eſt, ac prope divina) non ſolum juſtum coquendi ejus modulum pervertant, ſed cum eo etiam infinita inutiliter commiſceant, quorum nec ſentire in hoc malo uſum unquam potuerunt, quaſi horum, vel aliorum quorundam, vel ſimul omnium miſtione indigere medicamentum hoc exiſtimarent, quod profecto ſumma divinæ bonitatis injuria, quæ nobis tam ſævo in malo præſidium hoc unum tandem largita eſt, fieri enituit: cui non gratias (ut debemus) agimus, ſed auxilia ab iis emendicamus, quæ nunquam juverunt, & audemus ea interdum, quæ naturam habent diſſidentem, copulare, quid enim vino cum ligno Sancto convenit? nempe propemodum quod cicutæ. Atqui vinum ſi poſt cicutam potetur, à morbo hominem vindicat: ſin cum eadem, perimit quam citiſſime: unde Plinius ex Androcydis ad Alexandrum præcepto, ſicut cicuta homini venenum, ſic cicutæ vinum eſſe prodidit. Quæro autem quis ad ſanitatem reduci unquam potuerit, qui cum ligni decocto vino ſit uſus ſtatim à curationis rudimento? Profecto cachecticos nobis, & ſenes producent, itemque pituitæ, ac atræ bilis naturam referentes, quos decocto ex vino nunc curari paſſim, neſcio quam vere, dictitant. Novum jactantes experimentum, & artes perfici inventorum adjunctione. clamitantes, ac ſexcenta ejuſmodi; ſed quo pertinet hoc hominum genus liberaliorem victus rationem ſequi, quæ in ea tractatione, quam cum vino experiuntur, omnino permittitur, cum vel illi prope ſoli exquiſitiſſimo vitam jejunio poſſint exigere? Veruntamen iis, quo reſpondeam, benevolo mihi, & æquo lectore opus eſt, qui hac de re non ex ſuffragiorum multitudine, ſed argumentorum robore, judicium faciat. Vellem itaque magnopere, ad utilitatem ſalutemque communem, tantum mihi hoc tempore vini uſum commendare liceret, quantum vituperare cum Sileno Dionyſium, Nymphis approbantibus ac exultantibus, cogor. Nam mihi quid optabilius, quam placere quamplurimis? non ex vulgi fœce, ſed celebriorum ordine: non ex ſervitiis, aut mercenariis, ſed heris ac dominis: non privatis, at magiſtratibus, nobilibus, regibus, imperatoribus: ſi quo fato illi, communi hac contage contaminarentur. Quid inquam gratius atque jucundius, quam ab omnibus voluptatis gratiam capere? Certe medici partes ſunt tuto, celeriter, jucunde curare: Duo priora ſemper aſſequi poteſt, tertium non ſemper. Et quis hodie non conqueritur, à medicamentis ſæpius inculcatis ſe divexari? Quis non horret medicos, niſi urgentis mali neceſſitate compulſus? Quis non ſibi hoc tempore Theſſalios cuperet, qui decubantium deliciis ſubſcriberent, & metam gerendorum voluptatem ſibi proponerent? Nonne ſeculi hujus homines tales aliquot in medium proferre poſſemus? Et nos ſi efficere poſſe, quod ars poſtulat, iis rationibus ſperaremus, idem ſectaremur. Sed voluptati ſalus præferenda, ſed utile dulci. Omne tamen punctum tulit (inquit ille) hæc qui commiſcuit. At bellos temperatores, qui non ſolum inutile dulci perfundunt, ſed amarum quoque ſpecie dulcis inutili commiſcent. Quid hoc inſaniæ eſt? quod novum dementiæ genus? ſiccine laboratur redimendis per mortes ægris? aut vero protrahendis in infinitum iſtorum miſeriis? Atqui voluntati ſuorum liceat ſubditos hac in parte appellare, inſerviunt, obſecundant, ac quæſitis longe lateque genus omne deliciis voluptatibuſque deliniunt, adulantur, qui frigidum dabunt, ſi poſcent, qui lavabunt cum juſſerint, qui nivem vinumque porrigent: vinum, certe quidem vinum quos non videmus hoc in malo porrigentes, ubi non expedit? Galenus ætatis ſuæ medicos mancipiis comparat, non illos quidem ab Æſculapio ortos, qui tanquam duces militibus, reges ſubditis, imperare ægris didicerunt, ſed tortores nequiſſimos, & latrones flagitioſiſſimos, impudentiſſimosque lenones, qui medicorum titulos ementiuntur, & Thracum nihilo ſecius ritu parent. Quorum nunc exempla gravi interdum laborantium detrimento imitari boni quoque coguntur, alioqui rejectitii ob flagrionesiſtos vileſcerent. Itaque unus & alter vino uſus forte fortuna curatus eſt, non obſcura perſona fuit, reſtitui omnes eadem ratione contendunt. Attondit ſplendidus quiſpiam comam, id vel ſimii ſequuntur: barbam nutrit, quis non æmulatur! O ſecula, ò mores. idem poſtulabitur in medicina? At non deſunt aſſentatores, gratiæ aucupatores, qui ita factitandum eſſe docere ſe poſſe profiteantur, quod nunc in vino & ligno Sancto vulgo uſurpatur. Nec audiunt Huttenum vociferantem, ſimul ut res ibi conveniunt diverſiſſimæ, diſcrimen eſſe, & mortis metum impendere. Cur non cum ſale uſum ejus edocent? Non ſapit ſcilicet ſal palato. Adeoque infatuamur omnes, & vitam illam humaniorem, quam ſine ſale Plinius ſcripſit non poſſe conſiſtere, repudiamus. Et indulgeri noſtro genio poſtulamus. Exorietur tandem aliquando novus commentator, & ſales, ſi diis placet, concinnabit Guajacanos, aut paloſanctanos, videlicet ubi ad ſapientiam redierimus. Nunc cum bacchamur, & nihil aliud quam crapulamur, confinxiſſe vinum Guajacites, ac paloſanctites oportuit. Nam & fieri per muſtum minus fortaſſe quiſpiam miretur. At decoqui ex vino lignum atque aquam immiſceri, & ad eam legem etiam corticem accedere, qui propter amarorem ab ejus oræ, unde adportatur, indigenis reſpuitur, audiens totus horreo, ac contremiſco. Nam humanas etiam carnes aſphalto, aut cedria, aut neſcio qua alia conditura pro piſſalphalto accumulant. ſanguinem item humanum, oſſa, aliaque innumera putida mehercule & dira, erit adeo qui ſtercus & nullum ſcelus refugiens, genituram non dubitabit inculcare. Quibus quæſo quid facias, cum nunquam deſit ſuo impuro præſtigiatori ſtropha? ſed mihi in præſenti de vino cogitandum relinquitur. Hoc enim multos torquet, ac ſollicitos habet, cur non æque ex vino, atque ex aqua incoqui Sanctum lignum poſſit. Quod problema, cum multis non careat rationibus, iiſque minime futilibus, tamen una mihi ſatis arridet ac plaudit, quam haud ſcio alii quanti facturi ſint: vinum ad ignem coctum, maxime longi temporis mora naturam mutare, & in acidum quiddam degenerare, nemini dubium. Adeo ut qui acetum ex vino curant, decoquere illud ſoleant, & multis diebus in ſole habere. Quam porro noceatur ex aceto univerſæ prorſus naturæ, præſertim ſi immodice hauriatur, conſiderandum relinquo: ſed in hac cura quam alienum ſit acremento ſuo, quo ſtatim ſe penetrat in omnes corporis partes oxypori modo, ut cremoris, qui paulatim agit, operi locus non detur, veriſimile eſt. At maneat vinum. nam niſi acuerit, nondum forte acetum eſt, & aceſcit tamen, nili forſitan non decoquunt,

ſed ſolum id ipſum affundunt, quod macerato ex ligno vim ejus elicuit, id quod interdum facere illos video. Eſt verum authore Galeno, vinum ἔχθιστον τροφῆς, hoc eſt veliculum alimenti fateor. ſicut & medicamentorum, non abnuo. At dabitis mihi hanc veniam, ſi novella ex eodem, nec deductionem nutrimenti in corpus, nec urinas promovere commonuero. Sunt autem hujuſmodi fere omnia, quæ in Gallia noſtra potitantur, utpote vix annum ferentia, niſi forte vetera dicas eo nomine quam cito fugiant. Quinetiam ſicut nec pueris vinum accommodum exiſtimatur, ſic nec jam adultis, niſi modice ſumptum, & in tempore, ut Galen. tradit primo tuendæ ſanitatis. Ad hæc jejunis potum (quod & hic fit) veneni inſtar peſtilens eſſe prædicat. Item ad libidines homines præcipites agit, qua una offenſa nihil huic labi magis adverſarium. Venter etenim mero æſtuans, facile deſpumat (inquit ille) in libidines. Partem animi rationalem hebetem, turbidamque reddit, atque ad iram pronos efficit. Jam quam vim habeat penetrandi artus, & compagines ſolvendi, nervoſque oblædendi, quid poſt Celſum opus eſt commemorare? de articulorum doloribus in hunc modum tradentem: Quidam cum toto anno à vino, mulſo, & venere ſibi temperaſſent, ſecuritatem totius vitæ conſecuti ſunt. Galen. præterea ſatis docet, quam vim habeant excitandæ podagræ vina potentia, ante cibum præſertim ſumpta, in commentario aphoriſmi, Eunuchi neque podagra laborant &c. Et alibi neque vinum neque balneum plethoricam ferre diſpoſitionem tradidit. Poſtremo vinum corpus totum concutit, &, quod Cicero inquit, ægrotis raro prodeſt, nocet ſæpiſſime. Idem Galenus in eo libro, quo corporis temperaturam animi mores ſequi demonſtrat, ex Platone multa affert de vini pernicie, maximeque quod Plato tanquam hoſtem obſervandum, cavendumque cenſeat. Omitto Carthaginenſium ea de re leges, nolo in iis longius progredi. In ſumma enim hoc ſcio, largam vini potationem malam: moderatam non ſolum non malam, verum etiam commodam: quod idem Galenus tradit libro modo citato, ſiquidem moderate ſumptum evidenter revera coctioni, digeſtioni, & ſanguinis confectioni conducit. Accedit eodem, quod animum noſtrum manſuetiorem juxta, atque audaciorem efficit. At tempeſtive ita præberi vinum debet, jejunis autem, & ante alios cibos non tempore dari, latet neminem. Sed potens eſſe negabitis, ac fortaſſe quale ſit me rogabitis, cum multa aqua dilutum eſt. At quid hoc refert, cum copioſum, & affatim præbeatur? Jam quamlibet ejus conſtent officia, huic tamen malo ſubveniſſe nunquam eſt deprehenſum. Quod non ignorans Syphilis, inquit:

*Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant*
*Munera.*

Quam ob rem ut concoquat, digerat, aliaque efficiat, quæ uſui eſſe poſſint, etiam citra ullum damnum, nequaquam tamen huic malo quicquam contuliſſe convincetur. At compertum (inquiunt) penetrationem eo adminiculante efficacius fieri. Quid attinet medicamento, quod pedetentim effectionis ſuæ curſum perficit, calcar addere? Quanto ſatius eſſet maturare, id eſt, feſtinare lente, quod Græcorum proverbio celebratur, σπεῦδε βραδέως. At vinum calori ingenuo aptiſſimum eſt. Iccircone jejunis, aut copioſe datum? Quaſi non plus hac in lue ligni Sancti potio conferat, quam calori innato conſpirantem tepore congruentiſſimo omnes fecerunt. Sed vim ſubtilitate ad partes longinquas medicamentum fertur. An id ipſum munus non obit Indici ligni ſimplex decoctum? quod ſtatim ut hauſtum eſt, undequaque ſudores elicit, ut ad medullas uſque penetrare perſentiatur. At humorum fuſiles reddit concretiones. Utrum horum melius id præſtet, judices ſenſus facio. Nonne extremas partes exſangues, & longe à caloris fonte remotas hoc epoto digeri & infinitis ſudoribus perfundi, quod fuſorum argumentum eſt humorum vidimus, ac tandem ex pervicacibus, deploratisque malis eos conſaneſcere, quæ lues iſthæc invexerat? Quid ſcirrhos, oſſa occalleſcentia, reſtituto priſtino æquore memorem? quid podagras, chiragraſque? quid alia innumerabilia? Sed in virtute languida, inque appetitu proſtrato, & male coquente ventriculo, vinum deligendum. ſi excoctum vinum dicunt, idque medicamento permiſtum, vix auſim aſſentiri: ſin ſincerum, & à dolio recens, fateor. Nam calidum ſudores movet, quod & ſimplex facit ligni poculum. Hæc re imbecillitas, quæ efficit ne ſuum virtus finem æquatur, non inſtauratur, ſed reparata, quæ deperiit aut oblæſa eſt, ſubſtantia. Id vero frigidum efficit vinum, ſulvum, ac tenue. quorſum ergo opus eſt de vino fervefacto, medicatoque agere? At ſubſtantia vires reparat vinum, non priore qualitate. Eſto. illud vero quomodo efficiat attendendum, & paulatimne, an celeriter. Certe conſtat vinum quam celerrime nutrire. Nam quæ univerſim ſic ſubito alunt Hippocr. inquit etiam celeres inde excretiones fieri. Quod de vino audit Galenus quam maxime. Quid ergo cum cremore noſtro, qui ſenſim id perficit commune habet? vinum ex immodicis vacuationibus defectiones ſanat, noſtrum ligni decoctum ſimul atque vacuat, in ejuſdem, quod abiit, locum ſalubres ſuccos reponit, atque ſufficit. Sed quid rationibus cum iis pugnamus, qui ſe ſibi pollicentur vel Jovem cœlo deturbaturos, ſi ratiunculis ille, non ſulminibus ageret? Nimirum parati imponere Pelion Oſſæ gigantes prodigioſiſſimi. Sed capita, quæ de vino immiſcendo coacervarunt, proſequamur, uſque dum omnibus planum fiat illos, neque ratione aut conſilio, neque experientia, quæ afferunt, cognoviſſe. Quare tertium aliquod inſtrumentum habeant neceſſe eſt, ut Theſſalo Galenus objicit, quo ad hæc accedunt, ſi quidem eos accedere credibile eſt. Nam ratio ad inventiones viam ſternit, experientia verò inventi fidem facit. Equidem quam plurimum vini decoctum periclitatus, neminem tamen unquam (Deum teſtor immortalem) vel levi ex morbo recreatum conſpexi: quin potius poſtea gravius omnes conflictatos, uſque adeo difficile eſt aliquod auxilium inveniſſe, quod circa noxam magnopere proſit! ut quod longa uſus exercitatione nobis comparavimus, mordicus tenere debeamus. Sed an ſibi iſti erroris conſcii non ſunt, qui ex vino decoctionem autumant vegetiorem, ac vehementiorem? Ideoque cum in debiliori ut ajunt, hoc eſt ea, quæ aqua fit, experiantur infinitas vires, neceſſarium ducunt, tanto majores eſſe in eo poculo, quod ſibi cum vino apparatum violentius eſſe perſuaſerunt. Quid hoc niſi argutari eſt? Attamen deprehenſi ſorices ab experientia non ceſſant perſtrepere hujuſmodi ſtridoribus: *Quod ſi morbus unica decoctionis, vinique exhibitione curationem non ſuſcipit, hujus quidem cauſa eſt, quoniam nonnulle ſunt medicinæ calidæ, quarum caliditas ab alicujus ægritudinis frigiditate minoratur: quare penitus in eam non agit, & quandoque, quum maligna infrigidatione adminiſtratur, leviorem inducit calefactionem.* Bella mehercule ratio, quamobrem hæc ſubjungat: *Quare frequens vini, atque decoctionis reiteratio fiat, donec prava morbi qualitas adimatur.* Cur non potius ad vini ſtillatitium laticem, qui impenſe fervet, hac ratione converſus eſt? Quid enim non iſti ſomniant? Vidi qui ex cœlo illo ſuo (ita enim quintam vocabat vini eſſentiam) promitteret cum ligno Sancto intra tres dies omnem ſe labis illius maculam deleturum, cum recentem, tum veterem: iſte vero veterem vino reſtitui melius exiſtimat, cum ab experientia vocetur in contrarium ſenſum. Atque utinam illorum voto, quod petunt, reſponderet. Porro autem cur in malo inveterato *cardui benedicti manipularem faſciculum*, una cum vini ſui præparatione, & reliquis ſimplicibus (ut loquitur) infecta confortantibus, ſicut habetur ex illius tertia hypotheſi, admiſceri poſtulat? An quia vinum, quod inveteratam morbi radicem deſtruere ſupra dixerat, nunc non poſſit virus abſque *cardno benedicto*, quam atractylidis ſpeciem arbitramur, elicere, ſicuti ventriculum non poterit delinire forſitan abſque *galanga* (quem quidam cyperum vocant babylonicum, alii acorum putant) aut certe *mentha*. Quis hanc monſtravit rationem? Quis corticem una ingerendum, qui eſt amaro guſtu, doceuit? quis cum leviſſimo ſit pondere, cum hujus modum præſcripſit: ut ad ligni pondo libram triens corticis perpetuo accederet? Hoccine ratio admonuit ferventia temperatis miſcere, levia gravibus? Atqui unum omnibus pedibus calceum ratio non circundat. Et melius tamen fieri poſſe in mediocri, quam excedente habitu, formaque cenſemus. Illi autem neſcio qua opinione freti ex vino refrigerantia, cum opus ſcilicet eſſe putant, confundunt. Quod uno modo purant perfici, ſi non per ſe, ſaltem per accidens, quod alioqui cum aqua deſperant, niſi ex multiplici, variaque coctionis permutatione. Atque in publicum prodire, qui curantur, Ferrus jubet. itemque recreatrice, quam reſumptivam nominant, perpetuo uti diæta, quod vini caliditas vernaculum excitet calorem, ejuſque digeſtio celerior ſit, ac penetratio velocior (utor verbis ejus.) præterea quod humiditatibus refiſtat, iſto namque curationis modo (inquit) carne veſceris mane & veſperi. Nimirum, hoc illud eſt antiquum Romanorum, primum vina deguſtantium, verbum uſurpare vetus. Novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor. ſed ad excuſationem ſocios proferet doctos aliquot. Matthiolum illum fortaſſe, qui de Gallico morbo ſcripſit. Qui neſcio quo numine afflatus πλεῖστον esse ventum, ut Homericum verbum uſurpem, quis credat? in hæc verba prorupit: *At ſi vino lignum incoquere placuerit, majori cum utilitate curam efficies. nam in pituitoſis felici ſucceſſu ego ſæpius periculum feci.* Quæ verba ſi vera ſunt, non à ligni tota ſubſtantia, quæ vino repugnat, ſed à qualitatibus primis ac ſecundis, quas fortitum illud eſt, ſanationem factam eſſe exiſtimandum. Maſſa autem, qui in complicatis affectibus interdum vinum cum decoctione concedit, *Si poſſibile* (inquit) *eſt, vinum dimittere oportet, & nullo pacto bibere.* Tantum

tum abeſt, ut ex vino lignum coquat. Pollius etiam enumeratis potibus aliquot, ut quartum ſtatuat vinum, quod debilioribus, aſſuetiſque tantum permittit, vino tamen minime excoquit, quod nequicquam fieri arbitrabatur. Et qua tandem fronte ad vini coctura recte ſe perveniſſe aſſeverare audebunt? Cum nullo pacto vinum hoc morbo profuiſſe cognoverint, ſed plane repugnare curationi ligno Sancto perficiendæ intellexerint. An hoc ex methodo didicerunt? Et ſicut Galen. ex cera & oleo, quæ ſordidum ulcus reddunt, tum ærugine, quæ carnem exeſt, ſarcoticum invenit medicamentum, ex contrariis ſcilicet, quæque mutuo ſe hebetarint, ſic ex vino, quod celeriter quidem nutrit, & Sancto ligno, quod paulatim, ac rurſus ex illo, quod arthritidi adverſatur, & hoc quod dolores omnes lenit, medium quoddam mitigarunt, quod neque dolores ſedaret, neque ullo modo inſtauraret. Quod ſi non eſt, age dicant nobis, qua ratione ad hanc venerint compoſitionem. Itaque vinum, ut conſtat, tota ſubſtantiæ ac proprietatis conditione ligno pugnat, quemadmodum ſal, quod ſatis arbitrarer eſſe ad compeſcendos omnes iſtos nugatores. Sed enim cur in apertum prodeundi iis, qui ſuo more curantur, poteſtatem faciunt? Quæ hæc eſt indulgentia? An quia calore vini interiora munierunt, externas horrent injurias? Nam ſudandi ajunt moleſtiam perpeti non cogeris. Cur ita? Præſentia vini externæ putrefactioni reſiſtere videtur. Nunquam cognovi quemquam, qui exteriores referret putredines, cum de inteſtinis cauſis maxime quæratur. Et quas nobis externas narrant putredines? An jam jam excitaturas morbum cauſas, an vero jampridem extrinſecus illatas? Quæ ipſæ mox eſſe deſierunt. In hoc enim curæ totius cardo vertitur, ut ſucci è corpore vitioſi exigantur. Nam qua ratione obſtructis ſpatiis vacuentur, nondum video. ſiquidem neque per vomitiones, neque ſeceſſus, neque urinas, adde, ſi placet, hæmorrhoidas, menſes, cæterasque ſenſibiles vacuationes, expurgantur. Reſtat igitur, ut per inſenſiles efflationes. Profecto quanto fortius emicuerit calidum inſitum, tanto magis diffiatio ſenſum effugiet. Quis negaverit? Roboratur autem calidum innatum, fortaſſe non hac ratione, ſed faciamus ita eſſe. Igitur corrupti humores ſine ſenſu invaleſcente calore abigentur: ſunt enim, ut Diocles dicebat, ſudores præter naturam. Verum oportet omnia, quæ ad corpus attinent, recte eſſe adminiſtrata, quod in ægro corpore, in quo natura inordinate agit, minime fieri poterit. Præterea violentæ cauſæ ſunt, ut niſi foraminibus patentibus, periculum ſit, ne rurſus intro tenuati humores ferantur, ut ait Galen. tertio Naturalium facultatum de momento expultricis. Unde oriri cruciatus neceſſe eſt, quod in multis ita tractatis non ſine vitæ diſcrimine haud raro uſuvenit. Jam quando carnes illis largiuntur, cur ſecum ipſi non reputant, ligni Sancti difficilem eſſe à natura confectionem? qua prius cauſa recte movebantur, ut parum in ligni uſu eſſe edendum profiterentur. Nunquid vinum illam concoctioni vim reſtitentem ligno Sancto adimit? Certe rheo Indico perinde vinum, quum eo paratur, purgandi auferret facultatem. Vides ut ſurſum deorſum omnia miſceant, & quæ ex diametro ſuis hypothetibus pugnant, velut lethæo perfuſi liquore, aut vini meracioris dulcedine temulenti, nunc admittant, atque recipiant, non ſatis in obligationibus, quas vocant, exercitati. Verum inſpiciamus tandem quomodo ad præclaram vini compoſitionem tam egregii viri deſcenderunt. Nam ſubit mirari cur Avic. in principio ſecundi, & quinti Canon. non audiant dicentem, *Et parum medicinarum melius eſt plurimo in intentione una.* Quæro igitur ecquid deeſſe videbatur ad Gallici morbi curationem in ligni Sancti decocto? quod ipſum, ut concedunt etiam illi, vi occulta, quam toti ſubſtantiæ accepta ferunt, operatur. Non eſt nobis, inquiunt, unica intentio. Sed objiciet quiſpiam: Quid veſtra nobis proponitis conſilia, ſi ad manum habemus, quod tam dirum morbum poſſit elidere? quem nullo pacto veſtra ratione omnibus etiam tentatis mitigare valuiſtis? Saphirus anthraca fugat, ut ſupra diximus, ſmaragdus venenum ab animantibus virus ejaculantibus incuſſum ex toto corpore prolectat: quid attinet in hiſceo cum per ſe commode admoventur compoſitionem comminiſci? Exploratumne vobis eſt, cinno vires retineri, ac ne corrumpi? certe forma una quæpiam, quæ non ex eorum, quæ miſcentur merito conflatur, ſuccedit interdum, & functio contraria nonnunquam ſperatæ obvenit. Quis vos non ita fieri Apollo monuit? Sed percurramus cauſas compoſitionum, ut videamus quænam vos adegerit ad tam portentoſas permiſtiones. Nam quanto ex paucioribus compoſitiones fiunt, tanto commodiores habentur, & ſpectatæ non ſpectatis ſunt tutiores. Neceſſitas igitur, quæ nos ad concinnationem medicamentorum aliquando poteſt adigere, ad hanc eos invitare non debuit: cum ex ligni Sancti vulgata præparatione infinitos perſanaros videre potuerint, qui nulla alia ope reſtitui quiverant.

Ac nullos, recte accuratos dico, ſibi non redditos hujus beneficio proferent. Quid igitur ad compoſitionem ſe contulerunt? ſi ſimplicibus omnes curare ægritudines, ac in omnibus datum eſſet, miſcellaneis haudquaquam egeremus. At, inquiunt, omnes quæ animo occurrere medico ſolent intentiones, hoc uno ſimplici medicamento comprehendi nequeunt. Nempe enim in profliganda una quapiam ægrotatione, ad multa nos attentos oportet eſſe. Ac virtuti in primis ſtudere, magnitudinem quoque morbi animadvertere, item cauſæ intendere, quæ ſi materialis eſt, indicationes petit, tum à qualitate, tum copia, tum ſubſtantia. Rurſus loci nobis cura eſt, ac temporis. Deinde membri naturam, ejuſdemque commercium contemplamur. Poſtremo quæ iis conſentiunt aut diſſentiunt, cujus generis ſunt, ætas, cœli ſtatus, & cætera, quæ appendicis nomine cenſentur, conſulimus, aliaque infinita, ad quæ reſpicere medicum interim neceſſe eſt, quæ contraria, ut ſe offerunt, aut cum tanquam urgentiora ab affectionis cura, vel cauſæ proviſione avocant. Pro quorum ratione medicamenta alia, atque alia ſunt miſcenda, & in uſum adhibenda. Sed quid hæc omnia, ſimiliaque obſtant, quo minus lignum Sanctum, quod vi ſua occulta affectui, quem induxit contagio, etiam cæco, ſurdoque alioqui medetur, par eſſe poſſit malis vel contrariis depellendis? Quandoquidem virus illud, ex affrictu conceptum, rationem habet, ſine qua alii affectus curari nequeunt. Porrò ad virus illud eliciendum, ſolum & non permiſtum eſſe poſtulat, ſimpliciſſimoque, ut docuimus, modo apparatum, in quo etiam experientia fidem facit. Sunt enim quædam, quæ aliorum ſocietatem refugiunt, quorum ratio reddi nulla poteſt. Nam quid eſt, cur juglans cunctis fere ſatis, atque arboribus noceat? Quamobrem vitis, cum omnia clavicullis ſuis complecti ſoleat, ſolam refugit braſſicam? an hoſtem (ut ille rogat) intelligit in proximo? Eſt itaque vino braſſicæ ſuccus contrarius, eoque contra temulentiam bibitur. Quercui tam male convenit cum juglande, ut juxta conſita, eam quæ cæteris pernicialis eſt extinguat. Rurſum cum eadem quercu oleæ πόλεμος, ut Græci dicunt, ἔρωτος: ut ſi in alterius altera ſcrobe depangatur, utraque emoriatur. Cur ſiliqua Indica, quæ nigra ac fiſtularis Actuario caſſia eſt dicta, ſolitaria ſpatiari amat, ut veſter Meſues prodidit, nonne experimentis credi par eſt? Suſtinete quæſo hoc loco audire Avenzoarem hoc modo ſonantem: *Dico quod experimentum ſemper eſt libra & ſtatera juſta & æqualis, quamvis ſim certus quod multi Sophiſtæ multa poſſunt adducere ſophiſmata erronea, quæ veriſimilia eſſe videantur cum ſint falſa; & hoc ad Dialecticos, ac Logicos pertinere habet, non etiam ullo modo ad Medicum.* Sed iſtum, ſat ſcio, in hoc non auditis; & ſtrenue experientiæ reclamabitis. Nos vero rationes veſtras tanquam ineptias averſati, facile contemnemus, quod certum habeamus omnia, quæ ſunt neceſſaria virtutibus, quas medicamenta temperantur, in hoc ligno reperiri. Et ſecundum eandem facultatem, nec plus nec minus ea ipſa indigemus. Huc accedit, vires ejus univerſas ad id, quod molimur, eſſe neceſſarias. Et nihil alienum eſt aut inutile, quod noxam corpori poſſit invehere: ut non ſit opus refractione, aut aliqua temeraria compoſitione. Primum univerſalem huic lui medelam, omnibus qui ea de re ſcripſerunt conſentientibus, præſtat, eſtque ſolum tantæ labis alexicacon. Rurſus medicamentum habetur temperatum multis dotibus, iisque contrariis præditum, adeo ut & ſtringat, & reſolvat, calefaciat & refrigeret, aliaque multa & diverſa temperate, citraque ullam injuriam obeat. Adhæc ſolitariam ejus naturam eſſe docuimus, quod nuda ſimplexque ſit libenter. Quod probatus vel ex temperatis, quorum conjunctionem refugit, neque enim cum *ſaccharo*, vel *glycyrrhiza*, quæ fere moderata ſunt medicamenta, tam fortiter agit, quam per ſe. Præterea ut hæc modificata in ſuum contubernium admittere non detrectaret, (neque enim illi negotium exhiberent) tamen non eſſet neceſſe, utpote ſine quibus non minus quo ſperamus, perveniatur. Miſcibilia enim ad medicamenti concinnationem eliguntur ea gratia, ut id efficiant quod quæritur. ſed nullum à ligno Sancto unquam inventum eſt, quod ex integro, & abſque offenſa hoc poſſet aſſequi. ſiquidem vires curandis hujuſce luis affectibus contrarias ex tota ſubſtantia prope ſolum retinet, excepto argento vivo, quod tamen non citra noxam (ut indicavimus) operatur. Quo circa nec baſis (ut vocant) rationem, hoc eſt, præcipuum munus in compoſito obtinere meruerit. Cum unum ſit, quod citra compoſituram, atque noxam ullam, tantundem, ac multo plus præſtet. Quinetiam aptatur hoc commodiſſime locis affectis per decoctionem ex aqua pura, quando, ut videre licet, in univerſum abit corporis habitum, tum quadam familiaritate ſubſtantiæ, ut ipſius vim continenter partes omnes cognatione ad ſe pertrahant ſic ſuo proprio concremento facultatem in univerſum cor-

pus etiam ad ipsa usque ossa, quæ insensilia, exsanguiaque sunt, deducit. Et quo acore præditum est (sentitur enim acido leniter sapore) etiam per obstructos, obturatosve meatus, eosque quamlibet aut angustos, aut conniventes subire cogit, nam & tenuis quoque ejus substantia quadantenus percipitur, quæ una causa est, cur vim suam in remotiores partes devehat, neque indigeat vehiculo, quod patet mira & subita in corpus abitione. Hic et am cremor tenacitate aliqua non caret, qua affectis deinde sedibus aliquantisper obhæreat: & vero crassus est ptisanæ in morem, ut etiam alat, & vim, ne effluat, partibus reficiendis cohibeat. Est præterea illi facultas quædam insita concoctionem impediens, qua principem suam virtutem à natura prius non sinit evinci, quam omnia affecta membra contigerit, suoque muneri satisfecerit. Ad illum enim modum conservantem tantummodo victus rationem deposcit, propterea quod ægre concoquatur. His autem rationibus nihil aptari, aut commodius, aut etiam felicius potest. Quid ergo in tot ac tantis hujus dotibus vino opus est, quid herbis ad membra ducentibus, quid aliis fallaciis? Quorsum vero necesse est alia ipsi commiscerì? Quis iste prætextus esse potest? Nihil etenim corrigendum arbitror. quoniam neque quod vehementiam ejus retundere, aut imminuere possit, unquam offendemus, cum nihil violenter agat, neque enim molesta ejus existit vacuatio, quæ per sudores excutitur, qui ante corporis fatigationem cessant, & vacuato corpore salubre per epicrasim reponit, quem in locum oportet. Augere vero eum facultatibus cum piger non sit, nec cunctetur, aut procrastinet, sed assidue in finem usque suo munere fungatur, quo tandem pertinet? Profecto intra pauciſſimos dies à sæviſſimis malis deploratos etiam mirabiliter vindicat, porro quid vires ejus intendere, duplicareve posset, cum adhuc inventum sit nihil, quod leniendi tantilli in speciem mali copiam nobis fecerit? Cæterum neque præmunire corpusculum hunc excepturum necesse est, aut per totam ejus substantiam, aut per qualitatem, quæ sunt vel corporis naturæ, vel partis familiaria. Ac ne corpus illius noxæ affine sit, metuere non debemus. quippe quod non modo non noceat, sed juvet mirandum in modum. ut non dubitem liquido affirmare, juvenescere illos, quasi palingenesia renatos, qui scite hac se potione proluerunt. Quæ cum ita se habeant, cur vim ejus exacuere, cur corrigere, aut velut piaculo averruncare, id quod insontis ingenii est, moliemur? Cujus usus etiam pergratus ac universæ prope naturæ acceptus, veluti germanus, ac consanguineus habetur. Quo spectat autem iterum de iis meminisse, quæ vim, ejusque ipsius opus melius conservant? Cum fere temperies ejus vel corticis permistione corrumpatur. Quin dum ad aliud instaurandum poculum redire liceat, commode per se tandiu apparatum conservatur, ut mellis conditura nihil indigeat. Præter hæc, quæ à nobis scripta sunt, fructum alium percipere nullum potuimus. Neque sane ratiunculis nescio quibus futilibus, si experientiæ non respondeant, credi ullo modo velim. si quis autem diversum à nobis periculum fecerit, omni ab eo studio contendemus, uti nos, qua via ad eam pervenit experientiam, docere ne gravetur, & gratias ei immortales agemus.

FINIS.

# GASPARIS TORRELLÆ,

*Episcopi S. Justæ, Alexandri sexti Pontificis olim Medici,*

DE

# PUDENDAGRA

## TRACTATUS UNUS.

### DE ULCERIBUS IN PUDENDAGRA TRACTATUS ALTER: EJUSDEM DE DOLORE IN PUDENDAGRA DIALOGUS: EJUSDEM CONSILIA QUÆDAM CONTRA PUDENDAGRAM.

Cum his diebus inter loquendum fuerim abs te Illustriss. Princeps interrogatus, quænam esset hæc pestifera ægritudo, ab aliquibus nominata morbus sancti Sementi, à Gallis morbus Neapolitanus, seu grossa variola, ab Italis morbus Gallicus, & an doctores aliquid scripserunt, & quamobrem in tanto temporis curriculo non fuit aliquod peculiare remedium compertum & approbatum, & quare dolores magis infestant in nocte quam in die, grave onus, & humeris meis impar impositum video. (Facile enim est quæstiones petere, solvere non facile, nam solvere vinculum non est ignorantis primo Elench.) Nihilominus ut tibi unico benefactori, & domino morem geram, quoad vires sufficient, conabor in hoc brevi compendio inferere ea, quæ hinc inde in libris tam antiquorum quam modernorum medicorum reperire potero. Accipe igitur Illustrissim. domine has meas rudes lucubrationes, quas cum maxim. labore congregavi. agitur enim annus decimus, a quo circa ecclesiastica occupatus, arti medicinali minime vacare potui. Erunt profecto quamplures hujus Apollineæ artis opifices, qui hunc tractatum, & corrigent & ampliabunt facillime, cum sit ratione, auctoritate, & experimento vallatus. Quantum enim tibi genus humanum obnoxium sit, non est qui ambigat. nam tempestate tua, ac tua causa, morbus qui ab omnibus imaginabatur incurabilis, in præsentiarum non solum ejus essentia, verum etiam curationis modus cognoscitur. Ex qua quidem cognitione infecti confident & bonam spem suscipient, quæ sola ipsa confidentia poterit esse causa ut perfecte sanentur, & sani præserventur. Nam, ut apprime Nicolaus Florentinus inquit, confidentia pertinet ad virtutem imaginativam fortiter imaginantem, & opinionem firmam sibi facientem de re aliqua, quod certitudinaliter sibi prodesse debeat. Ita quod confidentia est animæ rationalis quædam affectio ex opinione procedens, rei alicujus desideratæ conferentis vel profuturæ, sive sit medicina, sive exorcisma, oratio, vel incantatio, quæ plurimum in ægrotantis salute conferre videtur, sicut per semet experientia demonstrat. Videmus enim sæpissime patientem ægritudinem intensam in grandem deduci convalescentiam propter spem affectuose habitam in aliquo famoso medico, cum diu expectatus ei supervenerit. Consimiliter per orationem factam ab aliquo fideli, & justo viro, & propter applicationem aliquarum scripturarum, & propter potationem, vel cometionem aliquorum medicinalium, & aliorum similium valde desideratorum, in quibus multi ægroti jam apponunt intentionem suam, cum illa adepti fuerint, liberantur. Ait enim Plato. Cum humana mens rem aliquam quamvis naturaliter non juvantem sibi prodesse persuaserit, ex sola mentis intentione corpus re illa immutatur adeo ut plerumque plus visum sit operari confidentia ad curam, quam approximatio medicinarum, sicut etiam expresse voluit Galen. super primo prognosticorum, ubi inquit. Medicus plures curat, in quo plures confidunt, & hoc evenit quia forma sanitatis, quæ est in anima medici, vehementer est concepta ab anima infirmi. propter quod corroboratur virtus infirmi, & patitur inde causa quæ ægritudinem causabat. Et Avic. dicit operationem à confidentia dependentem efficacius curare ægritudines, quam id quod agit medicus cum suis instrumentis, sive medicinis. Et quia confidentia sequitur imaginationem, ideo ille magis & citius adipiscitur effectum ejus, qui fortioris imaginationis existit, & firmius tenet super re operationem suam. Porro confidentia tam magnum, & sic subitum producit effectum, quoniam virtus rationalis habita imaginatione forti, & opinione firma super aliqua re profutura, imperat virtuti naturali, cujus est potius contra morbum bellare. & virtus naturalis imperio parens monet calidum naturale contra morbum, & causam ejus: ita ut causam morbi sensibiliter depellat, & morbum abjiciat, & sic fit ut ejus effectus suaviter, & mite proveniat, effectus inquam realis in corpore, nec mirum, cum imaginatio, sive cogitatio quam ipsa sequitur, sit ex passionibus animæ, quibus frequenter corpus immutatur. Quod autem inducit infirmum in confidentiam rei alicujus, est visio vel frequens auditio de illa re, quæ similem vel majorem effectum

effectum operata fuerit, quam quem desiderat. Et medicus conari debet, hanc confidentiam inducere in ægrotum cum eloquiis dulcibus, blandis assertionibus, promissionibus firmis, & exemplis illorum, quibus simili modo in alios operatus fuerit, & hæc fideliter recitando. Similiter exorcista, sive præcantator debet ipsam promere, vel eam dignissimam & carissimam reputare, neque subito debet in eam prorumpere, sed longa expectatione debet affectionem ægrotantis augere, & se credulum præcantationi monstrare, sic enim peragente medico, vel exorcista, animus audientis ægroti demulcebitur, & dilatabitur, & hilarescet, & cor ejus violentia morbi, & fortassis mortis timore constrictum, confortatum ampliabitur, & multum spiritus concipiet, & multum per membra diffundet. ita ut totius regitiva virtus, quæ est congeries omnium virtutum, confortata, contra morbum insurgat potenter. Non ergo exorcista, seu præcantator per se inducit salutem, & effectum, sed maxima ægri confidentia vel merito exorcistæ, vel meritis ejus in quo perficitur, æger sanitatis sortitur effectum. Non ergo derideant stulti exorcismata dicentes nil posse operari, sagitta enim, vehementer ossi affixa præcantatione sine dolore retrahitur, lumbrici occiduntur, sanguis undecunque fluens sistitur, cancer mortificatur, paroxysmus epilepsiæ prohibetur, nominibus magorum in aure prolatis, & plura alia adducere possem, quæ brevitatis studio relinquo. Et propter prædicta, dicunt non esse interdicendum eis qui medicinas cum oratione dominica exhibent, vel alia humili, & devota oratione, sic enim facere non in vanum est, non quod oratio effectum habeat, sed quia bonitate confidentiæ exhibita, perfectius operatur. Cum ergo æger de salute desperat, aut ex sua imaginatione forti, aut auditione ubi suspecti a medico, vel astantibus prolati, ex aperta nunciatione mortis sibi a sacerdote vel alio facta, expaveſcens, timidus, & contristatus adeo intentionem suam ab illatis sibi auxiliis removet, ut ea nullatenus natura regulet. Cor etiam ejus ita contristatur, ut spiritus revocati a membris in corde conculcentur, & vires naturæ perduntur, ita quod aliquando æger ad interitum ante tempus statutum ad mortem deducitur. Hæc Nicolaus Florentinus.

Ex quibus manifeste liquet dominationi tuæ illustrissimæ spem salutis infectos curasse, & sanos præservasse. Sed tempus est ut, unde digressus sum, redeam, & problematibus tuis respondeam.

Et primo quoad cognitionem morbi & causarum. Dicunt astrologi hunc morbum evenire à constellatione corporum superiorum. eo quod effectus universalis in causas universales resolvi debet: & hoc propter Saturnum existentem in ariete, nam in ariete, & in piscibus sunt quædam stellæ habentes virtutes generandi monstra, ut recitat Conciliator magnus in ij. *annexo xxix. differentiæ*, in qua quærit an generata ex coitu sive combinatione aut putrefactione sint eadem specie &c. Alii dicunt quod est flagellum Dei. Incepit hæc maligna ægritudo Anno Mcccc. xciij. in Alvernia, & sic per contagionem pervenit in Hispaniam ad insulas, inde in Italiam, & demum serpendo totam Europam peragravit, & si fas dicere est, totum orbem. Sicut evenit tempore Tiberii Claudii, ut Plinius recitat in suo xxvj. *lib. de naturali historia cap.* 1. Fuit quædam ægritudo, quam Græci vocant Lichenes, Latini vocabant eam mentagram, hac de causa quia incipiebat in mento, & erat contagiosa: nam solo osculo inficiebat, & erat fœdissima, non affligens nisi nobiles, non mulieres, non populares, neque servos: absque dolore tamen, curabatur vero cauteriis. Et subdit dicens Aegyptum fuisse authorem hujus morbi. Multi opinati sunt Avic. 2. *canone*, *can. de thure* aliquid de hoc morbo scripsisse. Hugo vero Senensis nostris temporibus famosissimus medicus in suis consiliis *consilio lxx. de infectione cutis*, & *asafati cum pustulis faciei* dicit, quod quidam juvenis annorum xx. patiebatur pustulas crustosas per totum corpus cum intensis doloribus per diversa membra, quæ in nocte eum affligebant, & in die mitigabantur. Fuit etiam tempore Machometi, ut latius in ultimo consilio scribam. Galen. vero, & Hipp. *tex.* & *com.* 21. *tertii apho.* inquit, *Lichenes & alphi nascuntur in vere, cujus causa est mutatio humorum de membris nobilibus ad ignobilia*, Et Jacobus de Forlivio exponens hunc textum dicit, quod Lichenes sunt defœdationes cutis cum excoriatione procedentes a phlegmate salso. Multi vero modernorum videntes hunc morbum procedere a causa superiori, non parcentem regioni, tempori, ætati, sexui, neque complexioni, non servantem eundem ordinem invasionis propter diversitatem materierum peccantium (nam in aliquibus incipiebat a doloribus, in aliis à pustulis crustosis humidis, ex quibus exibat humiditas favo mellis similis. aliquando quædam materia similis granis ficuum rotunda & dura. In aliis exibat quædam humiditas similis aquæ carnis, & aliquando sanguis. Aliis autem eveniebant pustulæ crustosæ siccæ, & sic de aliis.

A Et quia dolores non erant fixi, sed solum nocturnales, ex quibus sequebantur insomnietates, idcirco neglexerunt curam, consulentes ne aliquid facerent, sed eam dimitterent naturæ. Nam ea, quæ tentabantur in variis infirmis, potius fuerunt nocumento quam auxilio. Et ob hanc causam dixerunt hunc morbum non posse poni in vero & adæquato capitulo, ideoque esse irregularem, & incurabilem beneficio medicinarum firmando se in dictis Avic. *quarta primi cap.* 1. & *cap.* 2. & *prima quarti tractatu secundo cap.* 8. Ac etiam in dictis Galeni in *lib. de loc. aff.* ubi inquit. *Medice quid curas, si causam ægritudinis ignoras.* Præterea dicit. Si non cognoveris ægritudinem, relinque eam naturæ. Alia secta medicorum fuit, cum qua ego teneo, dicens hunc morbum cognitum esse cum suis causis, & accidentibus, & fore curabilem. Nam ut inquit Avicenna *secunda primi doct. prim. cap.* 8. *Aegritudines multis modis sortiuntur nomina, aut a membris in quibus sunt &c.* Hoc idem dicit Galen. 2. *de ingenio sanitatis cap.* 2. Et non immerito hæc ægritudo sortiri nomen poterit a membro in quo prius apparet. Et ideo erit baptizanda nomine Pudendagra, quia primo incipit in pudibundis, quæ sic describi potest. Pudendagra est defœdatio universalis cutis corporis cum dolore, & excoriatione modica. Et nota quod non semper accidit toti corpori, sed ut plurimum occupat extrema Sed dicitur universalis, quia potest totum corpus occupare, aut majorem ejus partem. Et quia non habet aliquid quod prohibeat, ergo est curabilis. quod probo authoritate, ratione, & experimento. Auctoritate & ratione, lege Avic. ij. *primi doct. prim. cap.* 8. dicentem. *Aegritudo sanativa est illa quæ non habet quod prohibeat* &c. Experimento inferius probabitur. In senibus vero est incurabilis, & præsertim in decrepitis, ideo quia senes habent cutem debilem, & quia in eis generatur multum de humore salso, ut inquit Rhasis. *Est enim præterea in eis debilitas expulsivæ, & pororum oppilatio & materia est grossa* &c. Et sic ex dictis colligi potest, quod hæc ægritudo est species scabiei. Item quod est contagiosa, nam sicut scabies est contagiosa, ita & pudendagra, cum sit ejus species. cujus testis est Avic. *secunda primi, doct. pri. cap.* 8. *de dispositionibus ægritudinum*, & vij. *probl. problemate vij.* ubi dicitur, quod scabies inficit per modum lepræ. & non inficit quod ex scabie eleventur fumi putridi corrupti, sicut in phthisi, & febre pestilentiali. sed fit quia ex scabie emittitur quid grossum adhærens superficiale cito evaporans, quod maxime inficit ex contactu, & ideo permanens in superficie cutis ardorem inducit, & pruritum. Et vide Aegidium super *librum de anima cap. de sensu tactus:* ubi dicit, quod aliqua corpora emittunt sudores ita corruptos & fœtidos, ut ex ipsis generentur pediculi. qui pediculi habent proprietatem inficiendi corpora, ita ut in eis pediculi generentur. Et licet ut plurimum eveniat per viam contagionis, nihilominus etiam aliter posset evenire ut utendo malo regimine, nam in quacunque actione naturali, ut inquit Avic. 2. *primi doct.* 2. *cap. primo de causis*, tria requiruntur, scilicet fortitudo agentis, dispositio passi, & mora cum propinquitate. & *cap.* 5. *de viribus cordis* perfecte dispositum ad effectum aliquem est duplex causarum illius effectus. Ideo incurrere possunt in hanc ægritudinem illi, qui utuntur cibo & potu salso, acuto, aut amaro, ut evenit magistro Antonio Marci Catalano artium & medicinæ doctori, qui fuit hoc modo infectus cum transfretaret mare. aut quia aliqui non utuntur balneatione, ut erant soliti, aut quia non mutant pannos, aut quia privantur exercitio aut frictionibus, aut quia utuntur medicinis aut cibis adducentibus materiam ad cutim. & potatio vinorum antiquorum acutorum & vinorum dulcium, & coctorum, longa mora sub sole, & prope ignem. & præcipue si corpus esset cacochymicum & immundum, & ira & furor, & longa tristitia, exercitium supra cibum indigestum. Istæ causæ supradictæ primitivæ possent inducere hunc morbum. Causa antecedens est humor corruptus aut putrescens sanguini mixtus, aut à sanguine separatus, qui irritat naturam, quæ irritata expellit eam ad cutim. nam natura non movetur nisi percepto nocumento, & non percipit nocumentum nisi ab acuto pungitivo. Talis enim expulsio facta a natura in principio est molesta testante Galen. *commen.* 22. 4. *particulæ aphor.* Aegritudinibus quibusque incipientibus. Et continetur in venis parvis in quibus raro putrefit sanguis, & adjuvat ad hoc, quia sanguis non est multum supercalefactus in substantia sua. Causa conjuncta est materia grossa. Nota quod omnis Pudendagra fit ex sanguine permixto permixtione facta in naturali, sed hæc permixtio diversificatur, nam aliquando sanguis recepit permixtionem alicujus partis suæ, quæ adusta fuit, & non fuit ab eo separata, & vocatur hæc pudendagra sanguinea. Et aliquando sanguis recipit permixtionem choleræ adustæ, retinens tamen formam choleræ, & hoc aut vincente sanguine choleram, & vocatur pudendagra sanguinea cholerica, aut vincente cholera sanguinem,

&

& vocatur pudendagra cholerica. Et aliquando ſanguis recipit mixtionem melancholiæ innaturalis factæ ex aduſtione ſanguinis aut choleræ aut phlegmatis, vel melancholiæ naturalis trahentis ipſum humorem aduſtum extra latitudinem ſuæ formæ, & reducentis ipſum ad formam melancholiæ innaturalis, & illa permixtio aut fit ex ſanguine vincente melancholiam in mixtione, & vocatur pudendagra ſanguinea melancholica. Et aliquando ſanguis recipit permixtionem phlegmatis baurachii, & hoc aut vincente ſanguine ſuper ipſum phlegma, & vocatur pudendagra ſanguinea phlegmatica, & ſic multæ ſunt ſpecies pudendagræ diſtinctæ ſecundum materiam. Et quia in deſcriptione pudendagræ ponitur dolor, dcirco notandum, quod materia faciens pudendagram, quæcumque ſit illa, eſt ſubtilior materia faciente dolorem, & ideo eſt expellibilis ad exteriorem ſuperficiem, faciens puſtulas, ſeu bothor: ſed materia faciens dolorem, quia groſſior eſt, retinetur in muſculis, lacertis, & juncturis, & hoc tenet Avic. licet contrarium teneat Galen. *lib. 5. de accedenti, & morbo cap. penultimo.* Et hoc etiam tenet Hali abbas *octavo theoricæ.* & ſimiliter Viatius, & Zoar: & corroborant dicta ſua dicentes. Nam materia generans dolorem, ideo eum cauſat, quia eſt materia mordificativa. Propter prædicta eſt notandum, quod talis dolor eſt duplex, unus eſt levis facilis amotionis, in tantum quod per appoſitionem pannorum calidorum, aut motu aut frictione tollitur: & talis fit à materia ſubtili aut pauca non abſolute, ſed comparatione ad materiam facientem puſtulas, quia ipſa eſt ſubtilior: & propter ſui ſubtilitatem materia iſta non retinetur in muſculis, lacertis, juncturis, aut nervis, ſed ad ſuperficiem cutis expellitur, & ſola ſupercalefactione reſolvitur, & evaporatur, & mitigatur dolor: & tali exiſtente materia ex mora, frictione, aut pannorum calidorum deſuper appoſitione, ſequitur delicia, quia reſolvuntur vapores: unde ceſſat illa triſtis ſenſatio, vel quia ratione dictæ ſupercalefactionis membri doloroſi fit attractio alicujus humiditatis, quæ remittit acuitatem dictæ materiæ. Attractio, ut notum eſt, fit à re triplici, videlicet à calido, a vacuo, & à tota proprietate. Alius eſt dolor non levis, neque faciliter amovibilis, ſed perdurans, & non ceſſat neque motu, neque calefactione, nec frictione: & ſi in talibus remediis percipitur aliqua delicia, non eſt ſola, ſed etiam eſt permixta dolori, aut ſaltem poſt deliciam finitis remediis, & ceſſantibus remanet in loco quidam ſenſus triſtis doloroſus, & illius doloris materia eſt groſſior materia pudendagræ. & propter ſui groſſitiem, ut ſuperius dixi, non pervenit ad cutim, ſed retinetur in locis doloroſis. nam poſita quantitate materiæ, & virtutis potentia & pororum compagine, materia faciens iſtum dolorem non expellitur ad extra cutim, ſicut materia pudendagræ, niſi propter ejus groſſitiem. Et aliqui dicunt, quod dolor augetur ex motu, calefactione, aut frictione, quia de novo attrahuntur novæ materiæ dolorem inducentes. Ex dictis patet, quare eſt quod ſecundum plurimum prius incipiunt dolores quam puſtulæ, nam hoc ideo eſt, aut quia materia faciens dolorem ſubtiliatur, & propellitur ad extra cutim. aut quia illa ſuperveniens materia præexiſtentem propellit verſus exterius magis. Sed quare temporibus humidis intentius dolent, quam temporibus ſiccis? ideo eſt, quia aër humidus propter ſuam humiditatem humectat membra, in eis ſubſtantiam humidam reponendo, & qualitative humectando eſt cauſa retentionis multarum ſuperfluitatum, quæ ſunt cauſa doloris: & patet quod quamvis dolor poſſit ſtare multo tempore ſine puſtulis, puſtulæ tamen non poſſunt eſſe diu ſine dolore. Notandum præterea quod humor valde cholericus ſua ex quadam igneitate in ſe ſtimulante igneitates habet acutas. Baurachius vero ex permixtione inſipidi cum terreo groſſo amaro generatur. cujus cauſa in humore ſic genito acuitas derelinquitur. Aduſtus autem aut ex accidenti in humorem aduri contingit, ut ex caliditate in ſe exiſtente nimia, quæ quandoque ex mala totius complexione, aut particularium membrorum provenit. ut hepatis ſeu venarum & rerum quoque calidarum acutarum aut ſalſarum nimio uſu. Continentis etiam ſuperfluæ caliditas ſeu frigiditas per antiperiſtaſim caliditatem concludens, & accentrans, hoc efficere poſſet. Et ut omnia ſimul colligam, res quælibet non naturalis ſuperfluam caliditatem in humoribus valens inducere, hoc idem facere poterit. Humor etiam aduritur per alterius admixtionem, ut cum cholera aduſta: verbi gratia, Phlegma vel melancholia ſanguini commiſcentur, quæ eum adurendo ad ſui naturam trahunt, & acuitatem quandam pungitivam & ſtimulantem per talem admixtionem afferunt. Et ex his patet, qualiter ex cholericitate materiæ, nitroſitate, vel aduſtione, in ea acuitas acquiratur: phlegma ſalſum, ut dicit Avic. omnibus ſpeciebus phlegmatis eſt acutius, & ſiccius, & levius. Acutius eſt quia cholericum. Siccius autem eſt potentia, quia ſiccitas juncta caliditati deſiccat magis quam juncta frigiditati: ſed non eſt ſiccius actu, nam phlegma gypſeum eſt ſiccius eo, & eſt levius, & ſubtilius, non quidem ex parte ſuæ ſubſtantiæ. nam phlegma aqueum ſubtilius eſt ſalſo, ſed ratione ſuæ virtutis, quia eſt penetrabilius per membra cæteris aliis phlegmatibus. Et nota, quod ad inducendum ſalſedinem, oportet quod partes aquoſæ inſipidæ abundent ſupra partes amaras, ut remittatur de amaritudine, per cujus remiſſionem cauſatur ſalſedo. Ad quæſitum illud, quare iſti dolores magis in nocte infeſtant quam in die. Reſpondeo, & dico, quod ideo eſt, quia natura occupatur in illa hora in digerendo materiam. Hujus rationis teſtis eſt Avic. ii. iii. *t.* i. *cap.* 4. ubi dicit. *Ægritudines, & accidentia fortiora fiunt in nocte ſæpius quam in die*, quoniam natura occupatur in digerendo materiam. In nocte virtus unitur & fortificatur. nam ſedantur motus diei, ſpiritus enim in nocte contrahuntur interius fugientes noctis tenebras, & ut actiones naturæ fortiores efficiantur. Moventur præterea in nocte humiditates naturam irritantes. virtus enim irritata movetur ad reſiſtendum. Ulterius quia conſuetudo humana eſt de nocte quieſcere: præterea quia in nocte revocatur calor & materiæ ad interiora, & pori magis clauduntur. Et colligitur hæc *cauſa ſecunda quarti. cap. ſecundo.* Cæterum cauſa eſt quia cogitatio humana eſt circa diverſa in die, ut inquit Galen. in *lib. de motibus manifeſtis & obſcuris c. 7. de philoſopho patiente in coxa.* Et non parum adjuvat luna, quæ plurimum dominatur humiditatibus mobilibus, & quia in nocte majus habet dominium luna ſupra eas quam in die. Sol enim qui eſt factor, dator, & conſervator vitæ, ut volunt philoſophi, in nocte occultatur. Materiebus enim pravis in nocte magis accentratis, majora & pernicioſa inferuntur nocumenta, & his de cauſis plures contingit mori in nocte quam in die. Præterea in nocte magis multiplicatur materia doloris, eo quod aliæ fere omnes ſuperfluitates retinentur. Item quia in die plurimæ materiæ inſenſibiliter reſolvuntur, & expelluntur. Virtus exiſtens in membris in die fortior eſt ad reſiſtendum impreſſioni materierum, & rectificationi earum, fortis enim virtus omnia contemnit, & ſuſtinet, imbecillis & debilis ab omnibus contriſtatur. xi. *therapeuticæ.* & *com. 55. ſeptimæ aphor.* Et Avic. 14. 3. *cap. de Hydrope.* In nocte autem calor naturalis in membris interioribus eſt fortificatus, quia recentratus & unitus, & in exterioribus eſt debilitatus. Solet enim natura copioſius nutrimentum ad membra tranſmittere in nocte quam in die, & ſimul cum nutrimento egreditur materia faciens dolorem. Vel dicendum quod in nocte calor naturalis fortis quærit digerere materiam antecedentem facientem dolorem, & eam expellere, & ſic convertit eam in vapores multos, qui pervenientes ad locum doloris condenſantur, & convertuntur in naturam humoris reſoluti. Nam omne quod reſolvitur, & à quibus reſolvitur, neceſſe eſt ut aſſimiletur, & ſic cauſant dolorem in nocte magis quam in die. Plures alias rationes adducere poſſem, ſed brevitati inſerviens relinquo. nam morbi non verbis, nec vocibus, ſed rerum eſſentiis expelluntur, ut inquit Arnaldus.

Nota quod materia faciens dolorem in pudendagra eſt duplex, ſcilicet conjuncta, quæ eſt in loco doloris, & antecedens in venis parvis. Item nota quod talis dolor aliquando eſt per eſſentiam, aliquando per communitatem. Præterea te ſcire oportet, quod non eſt de neceſſitate, ut in omni pudendagra ſit dolor. Rationes ſunt per ſe notæ. Item nota quod quanto dolor eſt intenſior, tanto materia eſt calidior, aliorum paritate ſuppoſita, ex parte ſenſibilitatis, & cæterorum, & econtra: quanto dolor eſt remiſſior, tanto materia eſt minus acuta. Nam quanto materia doloris eſt magis ſtimulativa, & impreſſiva, tanto eſt calidior: & econtra, quanto minus, tanto eſt frigidior, & aquoſior, juxta *aphor. nonum quintæ particulæ.* Latæ puſtulæ non valde pruriginoſæ. Aliquando iſti dolores ſunt permutabiles de membro ad membrum, ut recitat Nicolaus Florentinus *ſermone* vij. *cap. proprio*, qui, ut ipſe ait, proveniunt à fumis elevatis ex materiebus malis venenoſis, quæ currunt per venas de membro ad membrum in modum venti, & efficiunt in membro, in quo figuntur, dolorem vehementem cum calore, & ardore &c.

Species pudendagræ ſunt plures, nam aliqua eſt ſicca, alia humida. Sicca eſt triplex. nam una eſt à qua nihil emittitur: alia eſt, à qua emittitur quid modicum humiditatis ſubtilis virulentæ. tertia eſt, à qua emittitur quid modicum ſordis groſſæ exſiccatæ. Humida etiam eſt triplex. una eſt a qua emittitur ſanies laudabilis, vel ei propinqua. ſecunda eſt a qua emittitur multa humiditas virulenta ſubtilis, & talis vocatur pudendagra virulenta. & tertia eſt a qua emittitur multa humiditas groſſa, quæ ſordida vocatur. Sicca fit aut ex materia ſanguinea cui admiſcetur cholera, quæ forſan tota eſt converſa in melancholiam, aut aliqua ejus pars eſt converſa in melancholiam,

liam, & declinat ad groſſitiem. Et nota quod materia pudendagræ ſiccæ groſſior eſt materia humidæ, quando ſecundum ſe totam conſideratur, nam ſicca ſit ex humore magis ſicco, ut cholera adusta & melancholia. humida vero eſt phlegmatica. Veruntamen cum iſtæ materiæ conſiderantur ſecundum diverſas partes, dico, quod partes groſſæ pudendagræ humidæ ſunt groſſiores partibus groſſis pudendagræ ſiccæ, & partes ſubtiles ſiccæ ſunt ſubtiliores humidæ. Et ex hac diverſitate eſt quod dolor in pudendagra ſicca eſt intenſior & fixior, & magis durans quam in pudendagra humida. Alia eſt non ſquamoſa, nec cruſtoſa, & alia eſt ſquamoſa, & cruſtoſa, & ſquamæ, ſive cruſtæ, aut ſunt magnæ & groſſæ, & tales accidunt à ſalſo phlegmate, aut parvæ & ſubtiles. Nota quod omnis pudendagra ſquamoſa & cruſtoſa eſt ulceroſa: veruntamen quædam eſt ulceroſa ſuperficialis accipiens de cute ſolum ſuperficiem, cujus ulcera apparent, ſi ſquamæ ſive cruſtæ violenter amoveantur. Si autem dimittantur donec per ſe cadant, non remanent ulcera poſt eas. Et quædam eſt ulceroſa profunda, cujus ulcera remanent poſt qualemcunque amotionem ſquamarum, ſive cruſtarum, & ſtantibus ſquamis ſive cruſtis appoſito digito ſuper eas comprimendo exit à circuitu earum ſordes virulenta, & vocatur Græce λίπωσις, à nobis autem poterit vocari pudendagra ulceroſa. Et quia aliquando iſtæ ſpecies complicantur, ideo cognitio, & cura eget medico experto. nam viſis & bene intellectis expertus & litteratus gaudebit. idiota vero contriſtabitur. ſicut evenit tempore Heraclii Imperatoris anno xiiij. ſedente Deo dato Pontifice maximo. nam ea tempeſtate fuit quædam ſcabies maligna, quæ ſua fœditate deformabat homines, ita ut vix poſſent cognoſci. Illo etiam tempore multa fuerunt prodigia, & monſtruoſitates. monſtruoſitates etiam apparent in ægritudinibus, quemadmodum in naturis, ut inquit Avicenna 7. *Col.* quia ſuperius latius ſcripſi, nunc his finem imponam, reliqua vero in conſiliis reperientur. Et hæc eſt duplex, una eſt ambulativa, & excoriativa, & talis eſt ſpecies lepræ, ſed non vera, eo quia iſta eſt magis contagioſa. Deterior omnium ſpecierum pudendagræ ſiccæ eſt illa, ex qua nihil emittitur, poſtea illa, ex qua emittitur parum ſordis groſſæ, & ultimo illa ex qua emittitur parum humiditatis virulentæ. Sed ſpecierum humidæ deterior eſt excorticativa, & poſt eam ulceroſa abſque excoriatione, & poſt has deterior eſt ſordida, deinde virulenta, & ultimo minus mala eſt ſanioſa. Et licet in omni pudendagra, ut dixi, ſit dolor, veruntamen in ſanguinea dolor eſt ſuavis, in phlegmatica non eſt multum intenſus, non tamen eſt cum ſuavitate, & in cholerica eſt cum acuitate, & punctione, & in melancholica dolor non eſt multum intenſus, & ſentitur magis in profundo. Et phlegmatica eſt humida cum puſtulis groſſis, & latis, & cum ſiccatur, cadunt ab ea cortices albæ ſicut ſquamæ. Et ſanguinea eſt humida cum puſtulis acutis non latis, & feſtine generatur in ea ſanies quaſi laudabilis. ſed in phlegmatica generatur ſanies multa, ſed non appropinquat laudabili, & non feſtinat generatio ipſius amplius: color in ſanguinea vergit ad rubedinem, & ad citrinitatem, & in phlegmatica ad lividitatem, & in melancholica ad cinereitatem, ſi non fuerit aduſta, & ſi fuerit aduſta ad fuſcedinem. veſtigium nigrum ſignificat, quod provenit ex humore aduſto. In ſanguinea non eſt aſperitas, neque fiſſura. Et ſimiliter phlegmatica, niſi fuerit in phlegmate nimia ſalſedo. Sed in cholerica & melancholica profundior eſt quam in ſanguinea. Cætera autem ſigna ex complexione naturali, & acquiſita, ætate, tempore, regione, regimine præterito, & ex reliquis particularibus ſuper ſpeciem materiæ pudendagræ, & doloris judicare facile unuſquiſque poterit. Recorderis tamen, quod omnis evacuatio, quam facit natura à principio, eſt moleſta, & videtur coacta, ut in *com.* 22. *quartæ particulæ aphor.* Ægritudinibus quibuſcunque incipientibus. Demum ſcias volo omnem dolorem continuum à privata cauſa eſſe, interpolatum vero à cauſa communicata. Cura pudendagræ, & doloris diæta completur, & potione: diæta quidem conſiſtit, ut degat patiens aere ad humiditatem vergente, temperato in activis qualitatibus, aut parum declinante ad caliditatem, ſi materia fuerit frigida, vel parum ad frigiditatem, ſi materia fuerit calida. Aer enim multum calidus exacuit, & adurit, & multum frigidus coarctat, & materiam prohibet à reſolutione. Sit lætus & gaudens abſque ira ſi fieri poſſit, & absque furore, & triſtitia, degat in quiete, parvo utens exercitio ante cibum, & præſertim in principio hujus ægritudinis, mutet ſæpe pannos mundos, ſomno utatur prolixo ſi poteſt, & longas vigilias fugiat. Rectificatio cibi, & regiminis humectationis differt in plus & minus ſecundum majorem & minorem acuitatem, & ſiccitatem materiæ. Fugiendum ergo eſt regimen exſiccativum, acutum, amarum, ſalſum, & multum etiam dulce. Et adminiſtratio rerum aquo-

A

B

C

D

E

ſarum inſipidarum vel remiſſæ dulcedinis confert. Sit tamen ex eis, quarum adminiſtratio eſt ſecura a velocitate corruptionis & putrefactionis, quamvis ſint humida. Et de non velociter putreſcibilibus humidis ſunt, *meloues Indi*, *lactuca*, *endivia*, & ſimilia, *portulaca*, *borrago*, *poma acetoſa*, *granata dulcia*, & hujuſmodi. Si vero pudendagra fuerit ex acuitate ſanguinis, regimen ſit *lactuca cum aceto paſſulato*, & caro gallinarum, & maxime pullorum eſt melior. Hoc eodem modo debet fieri ſi cauſa fuerit cholerica. In phlegmatica conceditur caro annualis agni, & caro hœdi, gallinarum juvenum. veruntamen unctuoſa vitari debent, quia facile inflammantur, & maxime oleum. Aliqui in ſicca exhibent *oleum de amygdalis*, & *oleum ſeſaminum*. Cibaria elixa alterentur cum *ſeminibus frigidis communibus*, *vel cum ſemine papaveris albi*, *aut lactuca*, & ſimilibus. Vinum ſit album pauciferum & bene lymphatum, aut bibat *aquam hordei*, aut *juleb violatum* cum multa aqua, & utatur cibis & potibus, quibus ineſt proprietas portandi materias ad exteriora: procuret expulſionem ſuperfluitatum primæ & ſecundæ digeſtionis, ita quod omni die fluidum habeat ventrem, & nullo modo permittatur exſiccari. Dimittat coitum, nam coitus movet materiam ad exteriora, & excitat vaporem calidum venientem ad exteriora cutis, quare putrefit illic, & propter illud fœtet ſudor corporis coeuntis. Et propter hoc præcipitur frictio corporis in curatione pollutionis. Et ſuper omnia complexio hepatis rectificetur, & ad propriam complexionem, ſi fieri poteſt, reducatur, & ſi opus eſt fiat hoc idem in aliis membris. Cura per potationem tribus completur intentionibus, quarum prima eſt ad evacuandum, ſecunda ad reſolvendum, tertia ad conſumendum reliquias materiæ, ſi quæ in cute remanſerunt. Circa evacuationem, ſi ſanguis peccaverit, fiat phlebotomia, & præſertim in principio ante apparitionem puſtularum, aut in ſtatu, licet in hoc caſu auctores medicinæ ſint diſcrepantes. Aliqui dicunt, quod phlebotomia impedit opus naturæ, nam ipſa quærit expellere materias à centro ad circumferentiam, & phlebotomia facit contrarium. ulterius quia materiæ facientes dolores, & puſtulas ſunt extravenatæ, & ſunt cotruptæ, & phlebotomia eſt cauſa, ut dictæ materiæ ingrediantur venas, & ſano ſanguini admiſceantur. Alii autem dicunt quod phlebotomia competit ratione materiæ antecedentis. præterea quia hæc ægritudo eſt univerſalis & phlebotomia eſt evacuatio univerſalis. Nota tamen quod ſi humores cauſantes hanc ægritudinem eſſent totaliter extranei natura ſanguinis, in tali caſu non competit phlebotomia. Poſt evacuationem ſanguinis, fiat evacuatio humoris peccantis digeſtione præmiſſa. ſimiliter faciendum eſt ſi phlebotomia non compereret. In humoribus aduſtis acutis ſumme valet *ſyrupus de ſumo terræ ſumptus cum aqua endiviæ & ſcabioſæ*. valet etiam iſte ſyrupus, qui miram habet proprietatem in digerendo humores aduſtos, & acutos. Recipe *ſuccorum endiviæ*, *lactucæ*, *borraginis*, *bugloſſæ*, *fumi terræ*, & *lupulorum depuratorum ana unc. iiij. aquæ emulſionis ſeminum communium*, *florum*, & *ſeminis portulacæ lib. ij. miſceatur illa emulſio cum ſuccis prædictis*, & *bulliant in eis violæ*, *roſæ*, *epithymum*, & *pruna Damaſcena quantum ſufficit*, & *coletur*, & *in colatura ponantur ſacchari lib. ij.* & *ſyrupizetur*, & *acetoſetur*. Et ſi fuerit admixtio phlegmatis ſalſi addatur ſuccis prædictis *ſuccus ſcabioſæ*. Digeſtione facta evacuetur cum *electuario ſucci roſ. aut cum diaprunis*, *aut diaſena*, & *diſſolvatur cum aquis*, *aut ſuccis fumi terræ*, *ſcabioſæ*, & *lupulorum*. *Myrobalani etiam citrini* conditi competunt, competit & *caſſia* aut *manna*, *ſena*; *epithymum*, *pillulæ de fumo terræ*, & *de lapide lazuli*. & ſi videbitur expediens reiterabis digeſtionem, & evacuationem. Vel aliter. Recipe *prunorum Damaſc. numero x. tamarindorum unc. ſ. florum violarum. drach. ij. quatuor ſem. communium frigidorum excorticatorum unc. j. hordei unc. j. ſ. aquarum ſcabioſæ*, *fumi terræ*, & *lupul. ana lib. j. miſce* & *fiat decoctio ad conſumptionem medietatis*, & *coletur*, *de qua cape quantum ſufficit ad diſtemperandum mannam*, *aut caſſiam* &c. Si materia peccans fuerit phlegma ſalſum, exhibeatur hoc digeſtivum. Recipe *radicum apii*, *fœniculi*, *petroſelini*, *polypodii*, *endiviæ*, & *bugloſſæ ana unc. ij. chamædryos*, *calaminthæ ana m. j. decoquantur in ſufficienti quantitate aquarum fumi terræ*, *lupul.* & *ſcabio. ad conſumptionem medietatis*, & *in colatura ponantur ſucci fumi terræ*, *ſucci ſcabioſæ*, *ſucci lapathi acuti depuratorum ana unc. iiij.* & *fiat ſyrupus acetoſus cum ſaccharo*. Vel fac ſic, & levius. Recipe *ſyrupi de epithymo*, *ſyrupi acetoſi ſimplicis* & *de endivia ana unc. ſ. aquarum fumi terræ*, *endiviæ*, & *ſcabioſæ ana unc. j. miſce*. Digeſta materia evacuetur cum *diaphœnicone*, *diacatholicone*, *ſumptis cum aquis ſcabioſæ*, & *fumi terræ*. Vel facias ſic Recipe *lupulorum*, *cuſcutæ a-*

*na man. s. florum borraginis, & bugloſſæ, capillorum ve-*
*neris ana quartam partem unius manipuli, paſſularum, li-*
*quiritiæ, ana drach. ij. miſce, & fiat coctio in ſufficienti*
*quantitate aquarum ſcabioſæ, fumi terræ, & lapathi acuti, &*
*coletur.* de qua *Recipe unc. iiij. in qua diſſolve caſſiæ, vel*
*mannæ drach. vj. diaphœniconis drach. ij. s. vel electuarii*
*Indi tantundem, elect. de ſucco roſ. drach. j. miſce, & fiat*
*potus*, augendo, vel minuendo, veluti perito medico vi-
debitur. Vel ſic & melius. Recipe *agarici ſcrup. iiij.*
*ſalis gemmæ, ſpicæ ana gran. vj. infundantur in oxymelle*
*ſquillitico, & ſtent per horas decem in infuſione. deinde for-*
*tis fiat expreſſio, cui adde caſſiæ, vel mannæ diſtemperatæ*
*cum decoctione ſupraſcripta drach. vj. turbith. ſcrup. j. gin-*
*giberis gran. vj. miſce & fiat potus.* Vel aliter in forma
ſolida. Recipe *turbith. elect. drach. ij. ſ. agarici drach. j.*
*rhabarb. drach. j. ſ. diagrydii. ſcrup. j. gingiberis drach. j.*
*cinnamomi, caryophyllorum, macis, nucis muſcatæ, ana*
*drach. ſ. ſpicæ, ſalis gemmæ ana ſcrup. j. ſacchari. lib. ſ.*
*miſce, & fiat electuarium in morſellis diſtemperando ſac-*
*charum cum aqua fumi terræ doſ. drach. vj.* Syrupus mi-
rabilis, & expertus, cum quo innumerabiles non ſolum cu-
ravi, verum etiam præſervavi ab omnibus deſœdationibus
cutaneis, & doloribus panniculorum, lacertorum, & ner-
vorum. Recipe *ſucci bugloſſ. libr. ij. ſucci endiviæ, &*
*lupulorum, borrag. feniculi, & apii ana unc. iiij. depura-*
*tis ſuccis infundantur in eis ſenæ unc. ſ. polypod drach. ij.*
*ſem. aniſi drach. ij. turbith. drach. j. cinnamom. elect. drach.*
*ſ. & ſtent ibi per diem. deinde bulliant uſque ad conſump-*
*tionem medietatis.* Si vero materia fuerit melancholica,
& aduſta, fiat hoc digeſtivum. Recipe *radicum borag.*
*bug. polypodii, & corticum radicis capparis, & mediani*
*corticis tamariſci ana unc. ij. cuſcutæ, chamædryos, cha-*
*mæpyteos, ſcabioſ. ana man. j. folliculorum ſenæ, epithymi.*
*roſ. violarum ana unc. ſ. ſucci lapathi acuti unc. vj. bul-*
*liant in aqua ſcabioſæ, & cum ſaccharo fiat ſyrupus.* Vel
facias ſic. Recipe *ſyrupi de epithymo Meſuæ unc. j. oxy-*
*mel. ſimp. unc. ſ aquarum fumi terræ, lupulorum, & cu-*
*ſcutæ ana unc. j. miſce.* Digeſta materia evacuetur cum
*hiera Rufini*, vel cum *diacatholicone & diaſenâ*, aut cum
*pillulis de fumo terræ, aut de lapide lazuli, aut cum epi-*
*thymo, aut cum pillulis Indis*, aut cum iſto electuario.
Recipe *turbith electi, & mundati drach. ſ. pulveris ſenæ*
*ſcrup. ij. pulveris lapidis lazuli abluti ut decet. ſcrup. ſ.*
*gingiberis ſcrup. j. ſacchari ad pondus omnium, miſce &*
*fiat pulvis, & ſit doſis una. vel facias hoc totum dempto*
*ſaccharo bullire in unc. iii. aquæ lactis caprarum. deinde*
*coletur fortem faciendo expreſſionem, cui adde caſſiæ, vel*
*mannæ drach. vj. mellis roſati colati unc. j. miſce, & fiat*
*potus.* Vel facias ſic. Recipe *epithymi unc. j. ſ. aniſi drach. ij.*
*conquaſſentur, & bulliant in unc. viij. ſeri caprini uſque*
*ad ſufficientiam. deinde facta colatura, & parum dulcorata*
*cum modico ſacchari, bibatur de mane tepida.* hic enim
potus eſt tantæ efficaciæ, ut non ſolum conferat in hoc
caſu, ſed etiam præſervet hominem à lepra, ſi illum ſæ-
pius biberit.

In cauſa melancholica obſerventur iſtæ regulæ. Prima
eſt, ut æger utatur regimine humectativo, & inpinguativo,
evitando oppilationes: & hoc ideo ut leniatur, & habili-
tetur corpus humoris, ut accipiat æqualitatem digeſtionis
in toto, & hoc regimen eſt neceſſarium in principio, in
medio, & in fine, ut non reſolvatur ſubtile, & rema-
neat groſſum, & accidat in reſiduo ipſius lapideitas. Se-
cunda regula eſt, ut utatur regimine reſolutivo, faciat
hoc cum mediocritate, & proprie ejus quod habilitatum
eſt, ut fiat illud. & iſtæ duæ regulæ oportet ut ſibi invi-
cem ſemper ſuccedant, & ſecundum hoc ſemper cadet
digeſtio æqualiter in materia, & æqualiter reſolvetur.
Tertia regula vertitur ad evacuationem, in qua tria ſunt
facienda. Primum ut non ſemel multam, & ſubitam fa-
ciamus evacuationem, ſed per intervalla, habentem tem-
periem, ut natura poſſit regulare inter evacuativum, & non
evacuativum. ſubita enim & violenta evacuatio à natura
vix regulatur, & operatur ſicut impetus flammæ, quæ
ſubito agit in ſubtile, & prætergreditur groſſum. opus
vero moderati caloris eſt æqualiter in utramque partem rei
elixabilis, & affabilis agere. Secundum, quod debes con-
ſiderare, eſt ut medicina ſit incolumis. Tertium ut ſem-
per in medicinis ponantur cordialia. hic eſt theſaurus cu-
ræ. hæc, & alia multa hic poſſent poni, ſed brevitatis cau-
ſa relinquo. Nota quod *ſcabioſa* comeſta cruda purgat
corpus à ſuperfluitatibus malorum humorum deſœdantium
cutim. hoc idem facit *ſuccus fumi terræ crudus bibitus*,
& purgat choleram aduſtam. *Succus lapathi acuti* purgat
phlegma ſalſum. Si autem cum iſtis non alleviatur, aut
curatur, dimitte evacuationes, & utere alterantibus ſcili-
cet infrigidantibus & humectantibus. Secunda intentio
vertitur ad reſolutionem & exſiccationem. & iſtud poteſt
compleri cum balneis, & aliis localibus. Cave tamen ne
materiæ facientes hunc morbum recentrentur, & redu-
cantur à circumferentia ad centrum, imo tota tua inten-
tio poſt generalem evacuationem debet dirigi ad hoc, ut
deducantur dictæ materiæ ad circumferentiam adjuvando
naturam in ſua operatione, & motu. & hæc eſt ſententia
non ſolum Hippocratis *prima aphor. xxj.* ubi inquit. *Un-*
*decunque repit natura* &c. verumetiam Avic. xxii. iii *t.* ii.
*c.* vij. & ii. *p. d.* iij. *ſ. prim. c.* x. nam ſi aliter fieret, eſ-
ſet periculum, ne fieret tranſitus per membra nobilia.
Convenit balneum aquæ maris, balneum ſulphurcum, aut alu-
minoſum. balnea etiam artificialia competunt. ut factum ex
*decoctione radicum cucumeris aſinini, aut foliorum oleand-*
*dri*, vel etiam balneum factum ex *decoctione lapathi acu-*
*ti, & chelidoniæ, lupinorum, ſcabioſæ, calaminthæ, praſ-*
*ſii, origani, & bilitis*, & *decoctio hyoſcyami* eſt mirabilis,
non ſolum balneando, verum etiam ſuffumigando. *Aqua*
*decoctionis argenti ſublimati* multum confert, ſed poſt lo-
tionem lavetur cum *aqua roſ.* Sed inter omnia mihi ex-
perta pro curatione doloris, ac etiam puſtularum eſt, ut
patiens intret ad ſudandum in furno calido, aut ſaltem
in ſtupha, & hoc faciat diebus v. continuis jejuno ſtoma-
cho. Tertia intentio compleri poteſt cum infraſcriptis
unguentis, linimentis, & lotionibus. Unguentum ad pu-
dendagram ſiccam in corporibus humidis puerorum. Re-
cipe *oleum commune*, & *terebinthinam lotam bene*, & *in-*
*corporentur.* & ſi vis, poteris addere *parum argenti vivi*
*extincti cum ſaliva humana.* Aliud. Recipe *olei roſ. butyri*
*ana unc. j. fumi terræ, ſucci plantaginis, ſucci ebuli, vel ſambuci*
*ana unc. ſ. fac aliquantulum bullire, deinde adde terebinthinam*
*lotam, & parum ſulphuris vivi.* Si materia fuerit calida
& acuta, valet hoc unguentum. Recipe *olei violati, butyri*
*lotorum ana unc. j. argenti vivi extincti drach. j. ſucci*
*plantaginis unc. iij. lithargyrii albificati drach. j. miſce, &*
*ſi vis, poteris addere parum de ceruſſa.* Si vero fuerit ulce-
roſa, & cruſtoſa proveniens à phlegmate ſalſo. Recipe
*calcis multoties lotæ, & poſtea exſiccatæ, & pulverizatæ*
*ſubtiliter unc. iij. ſucci ficlæ, aut caulis quantum ſufficit,*
*incorporentur, deinde ſupermitte oleum roſ. liquefactum cum*
*modica cera, deinde incorpora ad formam unguenti.* Ad
idem. Recipe *olei chamæmel. olei nucum ana unc. iiij. ſul-*
*phuris vivi unc. j. ceræ unc. ij. liquefacta cera cum oleo*
*deponatur ab igne, & ſuperaddatur bene miſcendo pulvis*
*ſulphuris, & poſtea addatur unc. ſ. argenti vivi extincti*
*cum ſaliva, & modico aceti.* Si vero fuerit corroſiva, &
cruſtoſa. Recipe *olei optimi unc. iij. & ponatur in mor-*
*tario plumbeo, & ducatur diu cum piſtillo plumbeo, quouſ-*
*que groſſum fuerit, & ſubnigrum, cui addatur lithargyrii*
*ſubtiliter triti unc. j. ceruſſæ drach. vij. miſce & fiat un-*
*guentum*, quod habet miram proprietatem, crede mihi,
mitigandi omnem dolorem ulceroſum. Ad pudendagram
ulceroſam cum caliditate & acuitate. Recipe *olei roſ. unc.*
*iiij. ceræ unc. ij. liquefiant & laventur decem vicibus cum*
*aquis ſcabioſæ, & fumi terræ, poſtea miſceantur cum eis*
*ceruſſæ, ſulphuris, pulverizatorum, ana quantum ſufficit,*
*& in fine argentum vivum extinctum, & ultimo duo al-*
*bumina ovorum, & aliquantulum aceti.* Valet etiam un-
guentum de enula, quod ſic fit. Recipe *radicem enulæ*
*mundam, in aceto decoque, & cum bene fuerit cocta, in*
*partes ſubtiles incide, & cum axungia ſine ſale optime te-*
*re, deinde cum eis argentum vivum cum ſaliva extinctum*
*incorpora. deinde cum aceto, cum quo cocta fuit, incorpora,*
& loca infecta inunge, ulcera in hoc morbo evenientia
curari debent cum lenitivis, & non cum corrodentibus,
nec nimium exſiccantibus. Si facies fuerit deturpata ex
cruſtis groſſis, illiniatur *ex ſucco radicis enulæ, & treos;*
*diſtemperentur cum albumine ovi, & dimittantur per to-*
*tam noctem:* deinde ſubjiciatur facies vapori *aquæ deco-*
*ctionis palearum hordei*, facie undique cooperta, & diu
inclinata ſuper dictum vaporem, quantum tolerare poterit,
& ſi expedit mutetur aqua: & cum bene ſudaverit, facies
abſtergatur cum panno lineo, & omnes cruſtæ cadent. Si
vero patiatur in ore alcola ſeu ulcera, recurre ad pro-
prium capitulum, & de expertis eſt *chelidonia cum ſtipti-*
*cis.* Bonum enim foret uti præſervatione, ne talia ulcera
eis eveniant cum frigidis, & ſtipticis unicuique notis. Et
ſpero cum auxilio Dei omnipotentis, & glorioſiſſimæ vir-
ginis Mariæ matris, omnem ſpeciem pudendagræ curari
poſſe, ſi medicus ingenioſus loco & tempore ſeriatim,
quæ ſuperius ſcripta ſunt, exercuerit, & obſervaverit.

FINIS.

GA-

# GASPARIS TORRELLÆ, ETC.

## DE

# DOLORE IN PUDENDAGRA, DIALOGUS.

Crudeliſſimi, ac horrendi morbi Gallici radices perquirens, quantum ingenioli mei facultas attingere potuit, pro viribus diſceptationes tam modernorum quam antiquorum medicinæ auctorum colligens, ut infeſtiſſimis, ac truculentis doloribus unuſquisque tiro facillime ſubvenire valeat, hoc in opuſculo de pudendagra, (quod Romæ quum eſſem humano generi compatiens ſcripſi) inferere eas ſtatui, litteratos ac expertos rogans ut ipſum pro arbitrio emendent. Et licet in ea urbe puſtulæ, & cutis defœdationes hominum compaginem defœdarent, nihilominus facillime curabantur, in quas perpaucos recidivare vidi, dolores vero intolerabiles, quos vigiliæ, & membrorum principalium debilitates concomitabantur, aut propter malam qualitatem, aut materiam relictam in membris & ibi latitantem, ſæpiſſime redibant. Et quia plurimi ex tali recidiva dies ſuos finiebant, idcirco ne tam acerba, ac crudeli morte obirent, eſſentiam hujus morbi ſcripſi: non enim eſt qui ignoret, quod hæc maligna & contagioſa ægritudo ob longitudinem temporis à mente hominum deleta erat, ſcilicet incognita diſtincta cognitione, quæ fit per cognitionem proprii loci doloris, propriæ materiæ, propriæ cauſæ, ac mineræ. non enim ſufficit ſcire hunc dolorem eſſe verbi gratia in tibiis, ſed opus eſt ſcire an ſit corroſivus, aut acutus, aut gravativus, aut continuus, aut interpolatus, & ſic de aliis. demum ſcire oportet an accidat propter malam complexionem calidam ſine materia: aut cum materia calida vel frigida, aut ventoſa &c. Quæ quidem cognitio quam maxime neceſſaria eſt. nam medicus non curat ægritudinem niſi eam cognoverit, ut omnis medicorum ſchola prædicat. Cognitio enim ægritudinum eſt quemadmodum cognitio hominum. ille enim melius cognoſcit, qui pluries vidit. & cum noſtris temporibus talis monſtruoſa ægritudo à nullo fuerit viſa, idcirco à nullo quantuncunque perito, experto, & ſenio confecto, canonice & recte curari poterat. Addiderunt mediusfidius calcaria equo ſponte currenti, rudes, pertinaces, illiterati, & ut ita loquar, vulgus, qui totis viribus conabantur publice prædicare, & aſſerere ſcientiam medicinæ eſſe vanam, ſeu imperfectam, eo quia huic ægritudini nullus opitulabatur: dicebant præterea non ab re tempore Romanorum ſcientiam medicinæ per aliqua tempora fuiſſe interdictam: & non ſine cauſa hoc divulgabant, eo quia litterati ab hac cura fugiebant, in hoc morbo ſe nihil ſcire confidendo. quare aromatarii, herbarum collectores, cæterique mechanici, ac vagabundi, & impoſtores, his temporibus hujus morbi veros & perfecte curatores ſe ipſos eſſe profitentur, & quia nihil ſciunt, nihil dubitant, & mirabilia pollicentur, quos ſi audires, mortuos ſuſcitare crederes, & paulo poſt ſpes inanis erit, nam repentina, ac inſperata mors eos intercipit. latrones enim aut ſicarii ſeu venefici homines inhumaniter occidunt, iſti humaniſſime, officioſiſſime, & ſolemniter eos interimunt. Et ſi quis, natura adjuvante aut Deo permittente, convaluerit, unguentorum ſuorum beneficio curatum eſſe prædicant, & non ſolum laudibus, ſed & muneribus affici volunt. iſti medicinam ignorantes medicina abutuntur, & artem egregiam, & pene divinam, quam non noverunt, profitentur: hæc omnia, & præſertim rationes vulgi tanquam frivolas & inanes, medicus exſtirpat & adnihilat, quos ad invicem loquentes audi obſecro. VULGUS. Eximie in medicina doctor dic mihi, unde eſt quod in diverſis regionibus diverſimode vulgus hunc morbum appellat? MEDICUS. Scire te oportet in primis, quod nomina non ſolum morbis, verum etiam rebus ad denotandum ſubſtantiam vel qualitatem earum imponuntur. & hoc multifariam dicit Avicenna. 2. *primi. d.* 1. *cap.* 8. nam aliquando nomen capitur à cauſa, aliquando ab effectu. A cauſa etiam multis modis, nam aliquando à cauſa materiali in qua, ut pleuretis, quæ denominationem capit à membro, ut à pleura, id eſt à panniculo coſtas tegente, & ſic de aliis: Aut à cauſa materiali ex qua, ut ægritudo quæ dicitur melancholia, quæ nomen capit ab humore melancholico. Aliquando a forma cui aſſimilatur, ut elephantia, ab elephante, & ſerpigo à ſerpendo, aut ab illo cui primo dicitur accidiſſe. Aut ab illo qui primo invenit modum curationis illius ægritudinis, & aliquando à cauſa formali, & aliquando ab efficiente, ſed pluribus aliis modis prætermiſſis, dico quod in Italia morbus Gallicus appellatur hac de cauſa. Nam Gallis manu forti Italiam ingredientibus, & maxime Regno Parthenopæo occupato, & ibi commorantibus, hic morbus detectus fuit, idcirco ab Italis morbus Gallicus cognominatus fuit, arbitrantibus ipſum Gallis connaturalem eſſe. In Gallia vero, quia in reverſione Regis Caroli cum ſuis in Galliam hic morbus apparere incepit, credentes Galli ſe eum ex Neapoli apportaſſe, hanc ob cauſam morbum Neapolitanum vocarunt. Valentini, Catalani, & Aragonenſes poſt longam librorum indagationem ipſum morbum Sementi vocarunt, eo quia in *duodecimo libro* Chriſtiani, edito à magiſtro Franciſco Ximenes, ſcriptum invenerunt, ſimilem morbum alias orbem invaſiſſe, ſed iſti non parum à veritate deviant, nam hic morbus, de quo in ſupraſcripto libro ſit mentio, in Regno Franciæ & uſitatus & antiquus eſt. nam ſicut lepram à ſancto Lazaro vulgus morbum ſancti Lazari vocat, hoc eodem modo Galli malum mortuum, morbum ſancti Sementi appellant, eo quia ejus auxilio implorato plurimi curantur, & præſertim ſi ad ejus corpus perveniunt pedes ambulando, & eleemoſynam quærendo, hujus ſancti corpus in Britannia exiſtit in maxima veneratione: peregrini hoc morbo infecti, ut ab aliis evitentur, duas manus ex panno laneo confectas, & magnas portant, unam in capite, aliam in pectore: nihilominus non parum ab hoc crudeliſſimo morbo differt. In ulteriori vero Hiſpania morbum curialem vocant, eo quia curiam inſequitur: & dum veram hujus morbi definitionem perquirebant, unuſquiſque diverſa experiri conabatur, & veritate non reperta curam empiricis reliquerunt. Pariſiis, & in aliis magnis civitatibus Franciæ, à litteratis groſſa variola hic morbus appellabatur, quos devios eſſe demonſtravi, non ſolum auctoritatibus, ſed rationibus, ac experimento: nam non minus Archigene iſti decepti fuerunt, ut dicit Galenus *primo de interioribus. cap.* 1. qui volens diſputare de ægritudinibus membrorum intrinſecorum, quædam obſcura ad intelligendum, & occulta ſcripſit. nam variolæ ſunt veſicæ natæ ſuper cutim ex ebullitione ſanguinis, cujus ebullitionis fermentum, & materialis cauſa eſt aliqua pars ſanguinis menſtrui, in aliquibus partibus vel poroſitatibus membrorum in prima generatione derelictus vel retentus: & hoc tenet Avicen. *prima quarti. t.* iiij. *cap.* vj. & Rhaſis. xviij. *Continentis*, & omnes alii tam moderni quam antiqui; ſed inter omnes Avicennæ eſt major fides adhibenda: nam ut dicit Gentilis loco ſuperius allegato: Avic. & antiquos & modernos in hac materia ſuperat: nam ut ipſe dicit non invenit aliquem, qui tam profunde & ſubtiliter de generatione variolarum loquutus ſit ſicut Avic. & poſt eum Avenzoar, Yſach, Rhaſis, Azarninus. à Galeno vero dicit parum, aut nihil haberi: ſed Avic. & omnes iſti tenent, quod variolæ non poſſunt evenire abſque aliqua ebullitione, & notanter dico aliqua propter alhumera, ſequendo expoſitionem Joannis arculani ſuper verbo (*Et alhumera eſt aliquid de variolis* &c.) qui ibi dicit quod præcedit ebullitio quædam, id eſt, in quibuſdam humoribus ſuperfluis. ſed in hoc morbo nulla præcedit ebullitio, ergo non eſt aliqua ſpecies variolarum. non enim ut dicit Rhaſis xviij. *continentis*, iſta groſſa variola differt ab aliis variolis, niſi in materia ſubtiliori vel groſſiori. præterea variolæ ſunt quidam modus criſis febrium, ſed in hoc morbo nulla præcedit febris, ergo non eſt ponendus in capitulo de variolis. Item in apparitione variolarum præcedunt pruritus nati, timor in ſomno, punctio vehemens in membris corporis, rubor faciei & oculorum lachrymæ, inflammatio ex multis vaporibus, jectigatio, conſtrictio anhelitus ex multa repletione, raucedo vocis ex nocumento gutturis, & pulmonis ex vaporibus multis in ipſa ebullitione. Item quia eventus variolarum, ut ipſe Avicenna dicit, plus accidit in corporibus humidis quam ſiccis, & in vere plus quam in hyeme. Et plura alia ſigna, quæ apparent ante apparitionem variolarum, & poſt, ſed in hoc morbo ſupradicta ſigna non apparent, igitur non eſt ponendus hic morbus

in capite de variolis. Et non obſtat, quod dicunt de groſſitie, & terreſtreitate hujus materiæ non permittente ebullitionem fieri, eo quia non habet humiditatem aptam ebullitioni, ſeu putrefactioni, hæc enim materia ſatis dilucidata fuit à Conciliatore *differ.* xci. in qua quærit an cholera praſſina, & æruginoſa poſſint febrem cauſare. præterea ſi variola groſſa eſſet, ut iſti aſſerunt ſæpe numero mundum invaſiſſet, ſicut variolæ quæ communiter accidunt: & ſi non invaderet omnes homines, ſaltem diſpoſitos qui ex utero matrum traxerunt aut malam qualitatem, aut materiam latiantem: præterea ſi hæc materia non participaret humiditate, ſed in totum eſſet terreſtris, ex qua vapor putridus, ſeu fuligo putrida non poſſet elevari, detur modus, quomodo ipſa, dum eſt intra venas in diverſis complexionibus, ætatibus, temporibus, & regionibus poteſt ad cutim pelli, & ibi puſtulas cruſtoſas cauſare abſque nocumento cutis & carnis, & hoc fit ut in pluribus: nam remotis puſtulis cruſtoſis, nullum remanet veſtigium, ſecus eſt in variolis, & maxime in groſſis ab Avicenna nominatis alhumera, & Gentili exponente, alhumera ſunt apoſtemata facta ex duabus aut pluribus variolis, nullum enim fuit viſum apoſtema ſanioſum quod non relinqueret veſtigium, & cicatricem, hæc enim unicuique in medicina mediocriter verſato nota ſunt. præterea modus talis affectionis doloris non reperitur in variolis, neque perſeverantia, ſeu diuturnitas, in ſcabie ut plurimum eſt dolor pruriens in nocte infirmos affligens: hoc non ignorant mulierculæ. demum quicunque curam variolarum ſequutus fuit hucusque, & qui exinde ſequetur, nullos curavit, neque curabit, plurimos vero interficiet, aut debilitatos ſecundum aliquam aut majorem partem corporis demittet. Illi vero, qui curam ſcabiei fœdæ ſequentur, plurimos curabunt, & maxime, ſi hæc quæ ſcribo, facient. Ex his enim, ſi bene conſpicis, & notas, elicere poteris contrarium opinionis falſæ & erroneæ non ſolum ratione ſed etiam auctoritate & experimento, quod promiſi, probare. Ego ut dixi, infinitos curavi, & curari feci, & intelligo per curationem eorum deductionem ad ſalutem, non ſicut ille, qui multos curavit, ſicut dicit Galenus, de quorum numero nullus evaſit. VULGUS. Sat eſt, ſæpius à te intellexi hunc morbum eſſe contagioſum. dic modo an ſit à cauſa ſuperiori, an inferiori, & hujus quæſiti nulla te admiratio capiat. nam video aſtrologos nunc dare rationes hujus morbi, quem antea prognoſticare debebant, & videntur in præſentiarum ab effectu ad cauſam procedere, quum debuiſſent ante adventum à cauſa ad effectum procedendo prognoſticare, retroactis temporibus firmiter credebam aſtrologiæ, nunc vero quia video Judæos, qui profitentur ſe eſſe ſumnos aſtrologos, non prævidiſſe perſecutionem ſuam, neque aliquid de hoc morbo venturo nuntiaſſe, ſupradicta credulitas tepefacta in me eſt. MEDICUS. Hæc duo quæ petis egerent longiſſima reſponſione; ſi cum aliis quam tecum loquerer. nihilominus paucis veritatem audies, & ſcias volo, aſtronomiam ſcientiam primam inter mathematicas ſitam eſſe, eo quia natura illam inducit, ratio, & utilitas, & experientia approbat. qui vero huic dediti ſunt, aliis curioſiores ſunt, cœleſtium de ſingulis inveſtigando, quæ ſub lunari globo continentur. Si quis cupit effectus naturales cognoſcere, ei operam det, hæc enim de motibus ſiderum, magnitudine, & diſtantia pertractat, & non ſolum oculos, ſed & animum ad luciditſimum domicilium tot luminaribus diſtinctum inducit, delectantur inſuper ſtellas fixas, ex quibus imagines (ut Eginius in de ſignis cœleſtibus ſcribit) componuntur, inſpicere. nonne pulchrum eſt ſolis & lunæ defectus ante per longa tempora præſcire ad mala futura evitanda? & ut unico verbo concludam, luminaria cœli, ut in Geneſi legimus, ad hoc producta ſunt, ut ſignent tempora, dies & annos. Cætera autem ex voluntate divina pendent. Ptolomæo in centiloquio teſtante, qui dicit, iſta futura evenient, ſi Deus voluerit. Scientia igitur veriſſima eſt, quare defectus, ſi quis attribuendus eſt, modernis aſtrologis eſt attribuendus, qui ad pauca reſpicientes de facili enunciant, & hac de cauſa in ſuis judiciis millies decipiuntur, nihilominus ſi una tantum vice dicant veritatem, non obſtantibus mendaciis dictis, eis plenaria fides adhibetur. quum, ut ſacraſcriptura præcepit, non ſint audiendi. Nam ſæpenumero Deus benedictus tentat nos, an diligamus eum: plures enim iſtorum non valentes futura prædicere, ad artes prohibitas devolarunt: notum eſt unicuique aſtra inclinative diſponere certos homines ad certos actus, præſertim eos, qui non reſiſtunt paſſionibus, nec rationem ſequuntur, & hac de cauſa Ptolomæus dixit, ſolus ſapiens dominabitur aſtris: non eſt qui ignoret, aſtra ipſa quædam naturalia in terra ſignificare, & nihilominus non cogunt homines, imo ea facillime evitari poſſunt. Sæpenumero videmus homines in judiciis ſuis decipi, ut verbi gratia, videntes ignem accenſum in capite vici, ubi domus paleis repletæ ſunt, vento ſufflante procul dubio judicabunt domos illas comburi debere, nihilominus incolæ cum maxima copia aquæ obviabunt, ne talis effectus eveniat: quare caveant magnates, principes, ac cæteri, ne nimis avide inquirant futurorum eventus, nam plurimos fefellit, teſtis eſt Pompejus Craſſus, & Cæſar, quibus, teſte Cicerone, omnes Chaldæi mathematici, ac cæteri vaticinatores, in patria præclarum obitum promiſerunt, nihilominus omnes ferro periere, & duo iſtorum extra patriam. Item quid Baronibus regni Neapolitani accidit tempore Innocentii, qui rebellarunt contra regem Ferdinandum cum maturo conſilio aſtrologorum certa die, & hora, qui tamen poſt exiguo ſpatio temporis ab ipſo rege capti ſunt & trucidati. Sed quid opus eſt vetera recenſere, conſpice noſtris temporibus Lodovicum Sfortiam ducem Mediolani, ejuſque fratrem Cardinalem Aſcanium, qui omnia Conſilio à peritiſſimis aſtrologis explorato agebant, adduxiſſem infinita exempla ſi me loqui permiſiſſes, quare iſtis prætermiſſis ad hujus morbi contagionis cauſas reſpondeo, licet in ſuperiori tractatu dixerim per contactum hunc evenire, ſicut ſcabies quæ per contactum inficit, etenim ut plurimum primo inficiuntur pudibunda, demum cætera membra, nam quod immediate tangitur à putrido putrefit. ſi enim aliud membrum puſtulam tangeret virulentam, aut ſordidam, illud primo inficeretur, ut videtur in pueris lactantibus, in quibus prima infectio apparet in ore, aut in facie, & hoc accidit propter mammas infectas, aut faciem, aut os nutricis, ſeu alicujus alterius. ſolent enim nutrices ſæpius infantes oſculari, & ſæpius vidi infantem infectum hoc morbo multas nutrices infeciſſe, nihilominus non eſt credendum, quod hæc materia, ſeu ſordities, quæ primo intecit, verbi gratia, pudibunda, attrahatur ab hepate, vel cerebro, non enim poteſt conſiderari aliqua convenientia inter iſta membra, & ſorditiem, ſeu virulentiam. nam quamvis membra ſana attrahunt ſanguinem & ſpiritum eis convenientem, hæc tamen materia ſordida ſeu virulenta quum non poſſit ea nutrire, idcirco non attrahetur ab eis. Quomodo vero quum ſunt infirma, attrahunt ad ſe qualitatem contrariam ſui nocumenti, ut verbi gratia ipſa dyſcraſiata ad calidum & ſiccum, attrahunt rem frigidam & humidam, & ſic de aliis dyſcraſiis, quare nec propter hanc cauſam dicta materia attrahetur à dictis membris: relinquitur ergo, quod à ſe ipſa multiplicatur, & tandem inficit dicta membra, nam ipſa materia maligna ſui malignitate, & proprietate corruptiva quicquid tangit corrumpit & convertit in ſui naturam, qua multiplicata augetur virtus materici, nam geminata quantitas virtutem augmentat, unde ex modica materia augetur virtus, & multiplicatur, ita ut de facili per modum continui perveniat ad inficienda dicta membra, & ſic virtutem animalem ſenſitivam debilitat, & virtutem aſſimulativam, & demum per totum corpus multiplicatur. nam hepar & venæ deficiunt in virtute digeſtiva generando ſanguinem malum, malam qualitatem habentem. VULG. Poſſet inveniri aliquis modus præſervationis? MED. Dixi in tractatu de pudendagra, quod ſummum remedium eſt ab infectis cavere, ſicut à leproſis, nec ſola fuga ſufficit, nam ubique reperitur. Et quia incipiente infectione non illico, ſed cum diſcurſu temporis membra principalia, ut dixi, inficiuntur, & tandem totum corpus, quare in tali principio poſſet quis hoc modo præſervari, ſi fecerit id, quod in fine tractatus de ulceribus reperiet. VULG. Dic præterea quid eſt hæc res ira acerba, & truculenta, quæ plurimos infeſtat, non parcens ætati, complexioni, ſexui, tempori, aut regioni in hoc morbo evenire ſolitæ, quæ ab hominibus dolor vocatur. MED. Miror qua de cauſa hoc à me petis, ſi credis vim vocabuli me ignorare, non parum à veritate devias; ſi vero cupis hunc morbum intelligere difficile tibi erit, eo quia nec terminos medicinæ, nec principia unquam audiſti. Conabor tamen pro viribus deſiderio ſeu voto tuo reſpondere. Et ne tibi copia librorum opus ſit, quid in hoc tam in generali quam in particulari medicinæ doctores, & ſenſerint, & ſcripſerint adducam. Et in primis ſcire te oportet, quod dolor eſt paſſio ſubitanea extra naturam exiſtens cum magna anguſtia. ut tenet Galenus *de ægritudine, & ſymptomate libro iiij. c. vj.* auctoritate Platonis in Timæo. Aut dolor eſt ſenſus nocitivi Galeno teſtante *primo de interioribus. cap.* 1. vel dolor eſt ſenſibilitas rei contrariæ, ſubito & materialiter imprimentis, & hæc eſt generalis definitio omnibus ſpeciebus doloris. Ex qua definitione ſequi videtur, quod dolor ſit paſſio virtutis animalis ſenſibilis, nam deſtructa virtute ſenſibili animali, nunquam fieret dolor, ideo membra ſtupida, vel paralytica non ſentiunt dolorem. VULG. Ergo dolor eſt qualitas ſenſibilis. MED. Recte dicis, nam hoc omnes medici tenent, & maxime Conciliator magnus, qui dicit, quod dolor (proprie ſumendo dolorem, non pro interiori mœſtitia) eſt qualitas per ſe proprie tangibilis. At circa doloris cauſas, medicinæ profeſſores non parum diſcrepant. Aliqui enim tenent non eſſe niſi unam cauſam,

ſcili-

ſcilicet ſolutam continuitatem. Alii vero tenent duas eſſe cauſas, videlicet mutationem ſubitam complexionis, & ſolutam continuitatem. hanc ultimam tanquam copioſiorem & veriorem medici antiqui & moderni tenent. Sed non credas, quod ſupradicta mutatio complexionis ſubita, intelligatur momentanea, ſcilicet facta in inſtanti, imo fit in tempore. nam in omni actione ſufficientia temporis opus eſt, ad hoc ut ſenſibile in ſenſum poſſit imprimere. etiam ſcias volo, quod dolor ſemper eſt in fieri, ideo ſemper eſt cum præſentia cauſæ, a qua dependet. hujus rei teſtis eſt Galen. 4. *de accidenti & morbo*, & Averrois 3. *Colliget*. & ad hoc ut cauſetur dolor tria requiruntur quantum eſt ex parte complexionis. Primo ut membrum, quod mutatur a ſua propria complexione ad contrarium, ſit ſenſibile, & ideo cartilago, aut os, non ſentit dolorem per ſe. Secundo requiritur, quod immutetur fortiter, quia ſi remiſſe immutaretur, non fieret dolor, ut in manu calefacta ad ignem. Tertio requiritur quod immutetur ſubito vel in parvo tempore, quia ſi paulatim immutatur, non fit dolor, & ideo ethici non ſentiunt dolorem. Quantum ad ſolutionem continuitatis requiritur, quod partes membri ſenſibilis quæ modo ſunt continuæ, vel contiguæ, violenter ab invicem ſeparentur. Etiam notandum eſt, quod aliquid poteſt eſſe cauſa doloris dupliciter, ſcilicet primo & per ſe, ſicut caliditas vel frigiditas, quæ ſunt proprium objectum ſenſus tactus, ut tenet Ariſtot. *ſecundo de anima*, & Galen. *quarto de morbo*. Secundo modo aliquid poteſt eſſe cauſa doloris per ſe non primo, ut dicit Ariſtot. *primo poſteriorum*. riſibile enim primo, & per ſe ineſt homini, & ineſt Sorti per ſe, ſed non primo, ſed in quantum eſt homo. Qualitates enim primæ habent primo immutare ſenſum tactus. Senſibilia vero communia, quæ ſunt motus, quies, numerus, figura, magnitudo, habent immutare ſecundario, & ſic mala complexio ſcilicet calida vel frigida, eſt cauſa doloris primo & per ſe. Nam illud quod eſt objectum proprium ſenſus tactus, & quod poteſt ipſum immutare ſubito, & fortiter, poteſt eſſe cauſa doloris per ſe, & primo, ſed mala complexio eſt hujuſmodi, ut dicit Ariſtot. *ſecundo de anima*, igitur &c.

Solutio vero continuitatis poteſt eſſe cauſa doloris per ſe & non primo. nam illud quod eſt ſenſibile commune, & poteſt immutare ſenſum tactus fortiter, ſubito poteſt eſſe cauſa doloris, ſed ſolutio continuitatis eſt hujuſmodi, igitur &c. quod ſolutio continuitatis ſit ſenſibile commune probatur, nam eſt motus formaliter: motus vero eſt ſenſibile commune ſecundo de anima, nam ibi ponitur motus inter ſenſibilia communia. VULGUS. Quæ ſunt illæ cauſæ inducentes dolorem ſolvendo continuum? MEDICUS. Sunt omnia corrodentia, aut incidentia, aut extendentia, aut fortiter calefacientia, aut fortiter exſiccantia, & ea quæ conterunt, & contundunt vel conquaſſant, hæc omnia ſolvendo continuum, ſunt cauſa doloris. VULGUS. Quæ ſunt illa quæ ſubito mutando complexionem, ſunt cauſa doloris? MEDICUS. Omnia calefacientia exceſſive, ſeu infrigidantia. VULGUS. Sunt ne aliæ cauſæ præter iſtas? MEDICUS. Sunt complures. Nam cauſæ inducentes dolorem in pudendagra poſſunt eſſe duplices, aliquæ manifeſtæ, aliæ occultæ, manifeſtarum aliquæ ſunt intrinſecæ, vel conjunctæ, aliquæ antecedentes, aliquæ extrinſecæ, ſicut caſus, percuſſio, obviatio ad aliud corpus, corpus incidens, quaſſans, conterens, vel contundens, extendens vel comprimens, aer calidus, vel frigidus, ſeu ſiccus, vel aliud ſimile, ut ignis, aqua frigida, nix, aut malitia reginminis ægri, nec non influxus ſupercæleſtis, ut volunt aſtrologi, & Conciliator magnus *differentia* lxxxviii. glacies, & venti, & accidentia animæ ſuperfluentia, motus corporei fortes, coitus ſuperfluus, & laborioſus, ſomnus profundus, & inordinatus, vigiliæ ſuperfluæ, & maxime repletio ciborum vel potuum vel medicinarum calefacientium vel infrigidantium vel deficcantium, & ſimilia, & mala complexio cauſat dolorem in quantum ipſum efficit, & etiam in quantum debilitat membrum, unde paratur ad recipiendum materias, & aliqua de malis complexionibus, ut calida, poteſt eſſe cauſa attractionis ad membrum, & ad diſpoſitionem materiei ad fluxum, meatus dilatando, poros aperiendo, & orificia, & mala complexio etiam frigida poteſt eſſe cauſa congregationis materiæ in loco prohibendo, ne fiat bona digeſtio, bona maturatio, ac bona expulſio, & demum omnis mala complexio poteſt eſſe cauſa debilitatis membri, & ſic aggregationis materierum ſuperfluarum in ipſo intrinſecarum cauſæ aut ſunt mala complexio, aut ventoſitas, aut humor. Materiæ vero quæ tranſmutantur, & fluunt, ut plurimum ſunt ſanguineæ, cholericæ, aut phlegmaticæ, aut ex his mixtæ, & maxime accidit a phlegmate choleræ admixtæ. cholera enim ſola non poſſet hunc dolorem cauſare, eo quia ex ſui natura expanditur, & evaporat, licet ſit mobilis, item quia pauca: ſecus eſt de phlegmate, nam de eo major quantitas incorpore reperitur, a materia melancholica rariſſime fit, iqua difficulter movetur, ſi jam non velimus dicere, quod ipſa congeritur ibi, & cauſat dolorem eo quia oſſa, cartilagines, & ligamenta ſanguine melancholico nutriuntur, & ſupradictarum materierum aliquæ ad locum doloris per viam defluxus ſeu tranſmiſſionis perveniunt, aliæ per viam congeſtionis, illæ vero, quæ derivantur ſeu fluunt, fluunt per meatus manifeſtos ſcilicet venas arterias, aut per meatus occultos, ut accidit in catarrhis. Conjunctæ quidem cauſæ poſſunt eſſe duæ ſcilicet ſoluta continuitas, aut ſubita alteratio.

Antecedentes poſſunt eſſe cauſæ materiales humorales, vel vaporoſæ humorales quidem, aut ſanguis, aut phlegma, aut cholera, aut melancholia, naturales vel innaturales, ſimplices vel compoſitæ, apoſtemantes, vel non apoſtemantes. Et vaporoſæ quidem poſſunt eſſe cauſæ antecedentes aliquando compoſitionales, ſicut membri raritas. & ſimiliter mala complexio membri vicini, vel communicantis membro dolenti. Et dictarum cauſarum tam extrinſecarum quam intrinſecarum quædam poſſunt facere dolorem, quia malam complexionem faciunt. Aliæ vero ſolvendo continuum, reliquæ inducendo malam complexionem, & ſolvendo continuum: & de iſtis lege exemplum poſitum ab Avicenna *ſecunda primi de motu*, quia motus dolorem efficit per id, quod cum eo accidit ex extenſione aut contuſione, aut ruptura, aut calefactione, quoniam motus calefacit. Cauſæ intrinſecæ humorales cauſare poſſunt hunc dolorem, nam mali humores cauſant dolorem, aut cum ipſorum quantitate, ſive cum ſua multitudine extendunt, aut quum peccant in quanto & quali ſcilicet multitudine, & mordacitate, & hoc faciunt per ſe, aut per accidens, per ſe, id eſt, per ſuam corpulentiam, vel virtutem ſcilicet cum ſua actione, ſicut etiam producunt malam complexionem diverſam, vel ſolvunt continuum, intelligendo per accidens, quando non per corpulentiam, neque per virtutem ſuæ actionis, ſed conſecutive perducunt ad malam complexionem, vel ſolutam continuitatem. Item cauſæ intrinſecæ aliquæ ſe tenent ex parte membrorum, quæ ſunt diſpoſitiones membrorum mittentium, & membrorum ſuſcipientium & attrahentium, nec non membrorum generantium materias, ad quas reducitur acuitas aut obtuſio ſenſus membrorum, item ægri fortitudo, aut debilitas. Quædam vero ſe tenent ex parte humorum, ut dixi, & ſunt eorum complexionum multitudo aut paucitas, groſſities, aut ſubtilitas, viſcoſitas, aut ejus oppoſitum. VULGUS. Quomodo malæ materiæ humorales ſunt cauſæ malæ complexionis per ſe? MEDICUS. Dico quod complexio non permutatur per ſe à dictis materiebus niſi ſecundum duos modos ſcilicet aut propter vicinitatem, aut propter tranſitionem, intelligens per vicinitatem malam complexionem fientem, ut ajunt: eo quod cum ſit in motu indiget vicino ſcilicet humore ſuſtentante eam per vicinitatem. itaque per malam complexionem fientem, ſi humor calidus aut frigidus eſt permixtus ſcilicet membro, calefaciens aut infrigidans ipſum, cum evacuatur ipſe humor ab eo membro, cui permixtus eſt, tunc finitur, & evaneſcit ſcilicet mala complexio fiens, & non facit moram, de qua ſit cura, ſed eo evacuato, cito tranſit, & liberatur, per tranſitionem autem intellige malam complexionem factam ſic vocatam, quia jam tranſierit motus ad terminum, & humor jam fixit impreſſionem, dicitur etiam hæc mala complexio fixa, & confirmata, quia jam eſt in quietato eſſe, & poteſt de ea affirmari quod ſit, quod non poteſt fieri de fiente, cum continuo ſit in motu. Per tranſitionem autem quoniam humor jam fixit impreſſionem ſuam, & firmavit eam, & quamvis ſeparetur humor evacuatione vel reſolutione, tamen remanet qualitas fixa ab ea ſcilicet ipſa mala complexio facta, quæ quamvis in quantum facta non facit dolorem, tamen in quantum amoto humore qui fixit eam, remanet cauſa, poteſt dici fiens reſpectu quarundam partium aliarum ipſius membri quæ alterari poſſunt a partibus habentibus malam complexionem factam facientem dolorem: aut quia etiam non amoto humore prædicto poteſt dici fiens reſpectu ulterioris gradus, ad quem movetur humor ipſe, licet ſit facta reſpectu alicujus gradus poſſibilis remanere poſt humoris amotionem, quæ ſimiliter hæc facit dolorem. VULGUS. Quomodo materiæ per ſe ſunt cauſa ſolutionis continuitatis? MEDICUS. Dico quod materiarum natura, ſive ſit natura naturalis, ſive accidentalis per quam ſolvit continuum eſt cauſa doloris per ſe ſecundum ſemitam ſolutionis continuitatis, quam agendo facit, quoniam materiarum eſſentia, ſive natura, movet materias, & ſeparat continuitatem mordicatione, & corroſione: materiæ, quæ ſolvunt continuum, ſunt calidæ, cholericæ, ſed materiæ humorales imo etiam cibales ſolvunt continuum, ſua materia ventoſabili cum excitantur, ventoſantur à caliditate agente, quæ ventoſitas mota ſolvit continuum per modum infra dicendum. Per accidens vero

humoralis materia facit dolorem, quoniam ipſa aut eſt apoſtemans, aut non apoſtemans, ſed oppilans, & facit dolorem per accidens, quia non facit cum ſua natura, ſed mediante oppilatione, vel apoſtemate. nam ad oppilationem, vel apoſtema, ſequitur mala complexio & ſoluta continuitas, non per ſe, quia oppilatio, vel apoſtema per ſe cauſet malam complexionem, vel ſolutam continuitatem ſua actione, ſed per accidens, & conſecutive ſe habent iſta ad oppilationem & apoſtema, quicquid igitur per accidens eſt cauſa cauſæ, per accidens eſt cauſa cauſati. cum igitur oppilatio, & apoſtema per accidens ſint cauſa malæ complexionis, & ſolutæ continuitatis, per accidens erunt cauſa doloris: quod autem oppilatio, & apoſtema ſint cauſa malæ complexionis patet, quia per viam putrefactionis ſequentis ad illa, ſequitur caliditas, & per viam ſuffocationis calidi, ſequitur ea frigiditas. Solutio autem continuitatis ſequitur ipſam, quoniam materiæ, quas movet natura in corpore, ſive ut expellantur tanquam ſuperfluæ, ſive ut diſtribuantur membris tanquam nutribiles, & benignæ, non recipiuntur, nec fit motus earum niſi per vias naturales ſcilicet debite apertas, quæ cum oppilentur, prohibent ire materiam, & ad hoc ſequitur delatio ſui, & inflatio viarum, & cum dilatantur viæ prædictæ, materiæ in membro reſident, & talis materia ibi reſidens facit extenſionem, & extenſio facit ſolutionem continuitatis vel ſequitur ad oppilationem ſolutio continuitatis, quia quando canales, per quos materia debet moveri, oppilantur, tunc oppilatio prohibet tranſitum & motum materierum per viam ſuam, unde materiæ motæ dilatant canales in ſubſtantia earum, & cum ſic dilatantur reſiſtunt, & in reſiſtentia fit extenſio ſubſtantiæ canalis, propter quod fit in eo ſolutio continuitatis. Vaporales vero materiæ cauſant dolorem extendendo, & hoc facit ventoſitas duobus modis. Uno modo cum meatus naturalis per quem tranſire debet, conſtringitur, ſive cum creatus eſt à principio ſtrictior quam oportet, quem extendit ventoſitas, & extendendo ſolvit ejus continuitatem, aut cum non eſt tranſitus in loco, ubi eſt ventoſitas, ſed ipſa inquirit meatum, & facit pervenire tranſitum, & foramen in loco unde tranſit, & ſic ſolvit continuum, & facit dolorem, ſed vapor, ſeu materia vaporoſa, ſive ventoſitas ſubtilis, facit dolorem ſua qualitate ſcilicet acuta mordicativa calida, aut comprenſione materiæ humoralis in locis ad quem, vel per quem pervenit vapor, quam materiam humoralem ipſe vapor movet, quam motam ſequitur aut mala complexio, aut ſolutio continui, & ſic dolor, hoc etiam pacto poteſt facere ventoſitas ipſa groſſa movendo humores, quos invenit in loco ubi eſt, aut ad quem pervenit, imo hic motus humorum plus provenit à ventoſitate quam à vapore, & ventoſitas ſive vapor quandoque advenit exterius ingrediens corpus vel membrum per poros ejus cum multum fuerint dilatati, aut per meatus alios manifeſtos, ſicut cum ingreditur caput per aures, aut nares, & quandoque eſt eveniens interius à cauſa intrinſeca ex cibis vel humoribus ventoſabilibus, vel vaporabilibus, & tam ventoſitas quam vapor extrinſecus adveniens poteſt eſſe frigida, & ventus ſeptentrionalis, & vapor elevatus à lacunis, & locis limoſis, & poteſt eſſe calidus, ut ventus meridionalis, & vapor ſulphuris, vel aromatum calidorum, & ſimilium. De intrinſecus autem evenientibus humores acuti ſcilicet calidi non generant ventoſitates, ſed vapores, & qui ſunt ſanguinei ſunt dulces minoris nocumenti ſua qualitate quam vapores cholerici, ſed ſua quantitate magis nocent, ſicut cholerici nocent plus ſua qualitate. Ab humoribus vero frigidis ſurgit ventoſitas ut plurimum, vapor vero ut parum vel raro, & qui ſunt phlegmatici, & retinentur, ſunt gravativi, & tardi motus, & qui ſunt melancholici ſunt facientes triſtitiam fixi minoris quantitatis, & ideo non ſic gravant, ſed pejoris ſunt qualitatis. Et quandoque provenit dolor propter ambas cauſas ſimul ſcilicet intrinſecas, & extrinſecas, & cauſæ quidem quæcunque ſint cum ſunt debiles, in quædam corpora vel membra imprimunt, & in quædam non imprimunt, etiam in ea quorum ſenſus eſt fortis acutus, & in ea quæ ſunt debilia naturaliter vel accidentaliter, ſenſibilitas namque multa membri, & ejus debilitas, ſunt cauſa diſpoſitiva, ut à qualibet re occurrente patiatur, quamvis ſit parva. VULGUS. Reſponde mihi quare variis modis iſte dolor homines infeſtat. nam quis de dolore pruritivo conqueritur, alius de pungitivo, alius de mordicativo. MEDICUS. Hercule video te affectantem hæc ſcire, quare opus erit ut omnes ſpecies doloris, tibi tradam. Nam notitia rei, quæ ſermone ſcripto aut prolato communicatur alicui, levius fit & acquiritur per nomina propria quam communia. quæ memoriæ mandabis, ut cognita ſpecie & cauſa doloris facilius languenti ſubvenire valeas, quæ ſi recte memini, ſecundum Avicennæ doctrinam ſunt xv. ut pruritivus, exaſperativus, pungitivus, compreſſivus, extenſivus, concuſſivus, frangitivus, laxativus, perforativus, acualis, ſtupefactivus, pulſativus, gravativus, fatigativus, & mordicativus, hoc idem tenet Galen. 2. *de interi.* VULGUS. Ultra rationes datas in tractatu tuo de pudendagra, circa quæſitum, unde erat quod dolor iſte magis infeſtabat ægros in nocte quam in die (quæ mihi non parum ſatisfecerunt) adhuc ſcire vellem, quare excitantur, & augentur poſt primum ſomnum, & omni nocte, hic enim modus afflictionis non reperitur in aliquo humore. nam ut te non latet, ſanguis continue affligit, cholera de tertio in tertium, melancholia de quarto in quartum, phlegma omni die, & quia dixiſti, quod ab omni humore hic morbus accidere poteſt, me fugit quonam pacto hæc dicta ſolventur, nec poteris dicere, quod intellexiſti de puſtulis, & non de dolore, nam dicitur ioi, quod materia faciens puſtulas, facit dolorem, qui dolor diverſificatur ſecundum ejus groſſitiem, aut ſubtilitatem. Si vero dicis evenire ab omni humore proprietatem occultam habente inducendi hunc & non alium dolorem, dic obſecro, quare magis in tibiis verbi gratia quam in juncturis, & aliis membris, & quare magis poſt primum ſomnum, quam alia hora, ut ſuperius dixi. MEDICUS. Ut iſta intelligas, nota quod cauſæ iſtorum dolorum ſic invadentium poſſunt duplices eſſe, videlicet aliquæ manifeſtæ, aliæ occultæ. Manifeſtarum aliquæ poſſunt eſſe extrinſecæ. ſcilicet ex malitia regiminis ægri, nec non influxus ſupercœleſtis, ut tenent aſtrologi magno Conciliatore teſtante *differ.* lxxxvij. quæ quidem cauſæ ſunt ſatis longinquæ. Cauſarum vero intrinſecarum aliquæ ſe tenent ex parte membrorum generantium materias, ad quas reducitur acuitas, aut obtuſio ſenſus membrorum. Item ægritudo aut debilitas, quædam ſe tenent ex parte humorum, & ſunt eorum complexiones, multitudo, aut paucitas, groſſities aut ſubtilitas, viſcoſitas aut ejus oppoſitum, aut quia derelinquuntur à regimine naturæ, quamobrem animadverte, quod humores in corpore humano derelinquuntur tripliciter à regimine naturæ, & moventur. Uno modo à radice ſuperiori tantum. Alio modo à radice inferiori, ſcilicet à virtute regitiva, quæ eſt congeries omnium virtutum ſtimulata, vel gravata à materia morbi. Tertio modo ab utraque ſimul, à radice ſuperiori tantum moventur humores in diebus indicativis, & criticis, in quibus natura incitata & adjuta influxu ſuperiorum corporum movet iſtos humores ad membra debilitata dolorem inducendo, à radice quidem inferiori natura movet humores ſtimulata, & aggravata ab ipſis in hora in qua poteſt. ab utraque autem radice moventur humores confluxum facientes, & hoc à quantitate humorum, qualitate, complexione, & aliis contentis. VULGUS. Humores moventur alio motu? MEDICUS. In hac materia variæ ſunt opiniones, inter quas eſt opinio Gentilis de Fulgineo, qui conatus eſt perſuadere humores moveri aliquando à proprietate occulta, ſeu à forma ſpecifica, nam omnis effectus eveniens circa determinatam ſpeciem omni tempore: videlicet æſtate, hyeme, vere, & autumno, etiam ætati omni, complexioni, & ſexui, ſemper, aut ut plurimum, qui non poteſt reduci in cauſas manifeſtas, debet reduci in cauſas ſpecificas, ſive proprietates occultas, ſed in pudendagra humores moventur omni nocte, & poſt primum ſomnum, & cauſa iſtius motus non poteſt reduci in cauſas manifeſtas, ergo opus eſt ut reducatur in cauſas ſpecificas, tenet conſequentia, & major eſt manifeſta, ut ipſe dicit, & plures alias adducit rationes pro confirmatione ſuæ opinionis, & quia dixi iſtos dolores invadere poſt primum ſomnum ut plurimum, qui non habet certam, & determinatam latitudinem, nam ſomnus à medicis in tres partes dividitur dicentibus, primum ſomnum à vaporibus elevatis à prima digeſtione cauſari, ſecundum à ſecunda, tertium à tertia, qui ſuavis in aurora fit, propter vapores elevatos à venis, primus fortis & profundus ut plurimum eſt, idcirco iſti dormiunt in primo, in ſecundo non poſſunt dormire, quia vapores non ſunt ita groſſi, quare ipſis excitatis ſpiritus animalis per omnia membra copioſius diffunditur, quibus vapores maligni admiſcentur, & ad loca debilia delegantur, ſeu expelluntur, & ſic cauſant dolores illa hora. & ſic opinor membrum mandans fore cerebrum, ut apparet in dolore fatigativo. Secunda opinio fuit Hugonis Senenſis, opinantis talem motum à proprietate occulta minime poſſe provenire: nam talis proprietas, ut ipſe inquit, nec ponitur in humoribus, neque in membris: non in humoribus, nam talis proprietas aut eſt virtus agendi, aut patiendi talem motum. Si ſit virtus agendi, aut eſt virtus, quæ omnibus aliis poſitis paribus, ſemper ſimiliter movetur, (tamen oportet inter unam horam invationis, & aliam, in qua diſponitur humor ad dolorem inducendum, ſit tempus ad hoc ut ſit aptus ad motum, & ad talem dolorem inducendum) & iſta virtus limitato gradu velocitatis intendit agere in humoribus indiſpoſitis, & non præparatis, qui quidem in nocte, & tali hora ſunt diſpoſiti, & præparati, & tunc quis dicere poſſet, quod talis afflictio doloris tali tem-

tempore, & tali hora fit à proprietate, non quod illa intendat certo gradu movere, ad quod sequitur, quod in humoribus inducentibus talem dolorem est perfecta præparatio in nocte, & tali hora. Alius modus non videtur quomodo proprietas activa sit causa talis afflictionis tali tempore, & tali hora, sed nullum istorum potest dici, ergo opinio Gentilis non potest stare, nam dato quod in humore esset talis virtus activa, intendens movere tali hora, & tali tempore, sequeretur, quod agente & patiente disposito, & aliis requisitis ad motum præparatis motor non moveret, nec inciperet movere in die deducto quocunque impedimento: quod est contra Averroem *octavo phys. commen. sexto.* & si diceret, quod motor non intendit movere, detur causa cur tunc deficit, & non in nocte.

Secundo sequeretur, quod ab agente mere naturali posset provenire motus novus absque causa nova, contra dicta, Aristotelis, & Averroes *comment. vj. octav. phys.* istis ac multis aliis rationibus corroborat opinionem suam.

Arculanus vero, qui tertiam tenet opinionem, credidit has duas supradictas opiniones à veritate non parum deviare, & ponens suam, dicit eam esse conformem auctorum dictis, & supponit primo, quod unicuique humori, imo unicuique mixto, sunt a natura tributa aliqua ad sui tutelam, & conservationem, & ad resistendum causis corrumpentibus, natura enim sicut dat esse, ita dat modum conservationis, hæc autem mixtis attributa, sunt forma substantialis, complexio, & proprietas specifica, ex quibus infertur, quod proprietas specifica humoribus attributa, non est ordinata ad motum humoris extra locum suum naturalem, neque ad ipsorum putrefactionem: sicut nec complexio, nec forma sua, cujus oppositum ut ipse dicit, Gentilis affirmat, dicens unicuique humori inesse proprietatem qua moveatur, ut choleræ de tertio in tertium, & melancholiæ de quarto in quartum, & sic de aliis, ex quibus sequitur his humoribus esse datas proprietates, quibus moveantur extra locum suum, ac etiam ad putredinem. Sequitur secundo, formas substantiales eorum similiter ordinari in sui corruptionem, cum forma substantialis utatur proprietate specifica, & demum complexio est tanquam instrumentum, quod est absurdum. Istis præmissis, sequitur quod proprietates specificæ, sicut & complexiones, sunt resistentes affectionibus, & motibus humorum extra locum suum, non enim possunt dolorem inducere, nisi moveantur extra locum suum naturalem, quorum utrumque prohibet forma substantialis cum instrumentis suis intendens conservationem humorum. Supponit secundo, quod velocitas motus & actionis insequitur proportionem agentis ad passum. 7. *phys. com.* 35. & *com.* 56. ex quo sequitur, quod stante paritate ex parte agentis, ille humor citius movebitur ad dolorem inducendum, cujus resistentia est minor, & multas alias rationes, & conclusiones dictus Arculanus ponit, quas brevitati studens relinquo. tandem concludit ponendo suam positionem, quæ talis est, videlicet quod formæ specificæ, & proprietates sunt resistentes, & non moventes. dicit etiam quod virtutes, & dispositiones membrorum, sunt causæ moventes humores ad dolorem inducendum, & secundum varias proportiones horum membrorum moventium ad humores, qui moventur, fieri diversos modos afflictionum. sed de his hactenus. Recorderis tamen quod supradicta sunt partes seu rami dictarum opinionum. Si vero radices cupis scire inquire. interim de cura loquar, postquam tuperius, ut potui, satis copiosam doctrinam cognitionis doloris, non solum in generali, verum etiam in particulari scripsi.

*De signis doloris in pudendagra.*

Et licet ex supradictis signa cujuscunque doloris, seu ejus causæ intelligantur, ad completam hujus tractatus doctrinam aliqua inpræsentiarum signa in generali scribam. Et in primis scias volo quod privatio tumoris ac gravitatis absque permutatione coloris membri dolentis, significat quod talis dolor accidit a mala complexione absque materia, licet hoc raro eveniat, ut communis schola medicorum affirmat.

Si vero talis dolor a ventositate proveniret, tale membrum dolens manet tensum absque permutatione ejus coloris, & est deambulativus, & fit subito, & maxime si præcedens regimen ventositatis multiplicativum fuerit. Et cave ne decipiaris in istis supradictis signis, nam ut plurimum dolor in pudendagra ab humore provenit, quare signa cujuscunque simplicis humoris adducam: tu vero ea memoriæ mandabis, & si humores fuerint mixti, etiam signa mixta apparebunt. Si vero in loco doloris gravitas percipitur aut tumor, tunc judica talem dolorem provenire a mala complexione cum materia, & cum hoc permutatur color membri. Nonnulli vero dicunt cognosci humorem causantem hunc dolorem ex hora afflictionis, seu excrescentiæ. Si sanguis fuerit causa hujus doloris, omnia signa erunt sanguini attestantia, nam dolor erit extensivus cum pulsatione quadam, ut dicunt, & valde profundus, color membri ad rubedinem tendet cum ponderositate totius, cum aliquali sudore, & gravitate in fronte & somnolentia, & maxime si ætas, complexio, regio, & tempus hoc adjuvent, pulsus erit magnus, undosus, & urina erit rubra & spissa. Si vero a cholera provenerit dolor, erit acutus, pungitivus, & valde intensus cum caliditate membri, ac citrinitate quadam cum nullo aut parvo tumore, & ad hoc cognoscendum adjuvabit complexio, ætas, regio, tempus, regimen præcedens choleræ multiplicativum, & afflictio, si hora choleræ advenerit, & maxime si urina erit tenuis, & intensa, pulsus velox, egestiones cholericæ. Si vero à phlegmate provenerit dolor, erit satis intensus cum tumore membri, & ad tactum frigiditas percipitur ut plurimum, & ejus color non distat a sano, quod si complexio phlegmatica fuerit cum ætate, regione, tempore, & regimine præcedenti ipsum multiplicante, & maxime, si pulsus mollis cum diversitate quadam, & urina remissa, & spissa, egestiones phlegmaticæ fuerint, in tali casu procul dubio talem dolorem à phlegmate provenire minime dubitabis. Et licet in pudendagra raro melancholia dolorem causet, & maxime in tibiis, ubi ut plurimum intensius infirmi affliguntur (nam humor melancholicus est ineptus fluxibilitati, quare cum difficultate panniculos, musculos, chordas & nervos penetrat) nihilominus ejus signa scribam, & dico, quod dolor causatus a melancholia est parvus, cum parva aut nulla inflatione membri, cum gravitate, & stupore aliquali, & membrum livet, aut nigrescit, & ad tactum frigidum reperitur. ad cujus notitiam non parum adjuvabit cognitio complexionis ægri tam naturalis quam accidentalis, cognitio regionis, nam calidissima regio resolvit humidum remanente terreo: ac etiam temporis, ætatis, regiminis præcedentis, horæ afflictionis, & in tali appetitus erit intensus, cum urina tenui valde, & duritie pulsus &c.

In humoribus mixtis signa erunt mixta. Legentes admirari non debent, si absque ordine scribo & causas & signa, nam hujus causa est vulgus, qui me sæpissime interrogando molestat, & ei respondere me cogit.

*De cura doloris in Pudendagra.*

Dolor enim dupliciter curari potest, scilicet vere, & regulariter, aut non vere & mendose, seu irregulariter, ut vult Galen. *5. de simplici medic.* & Aver. *5. colliget.*

VULGUS. Incipe deprecor a cura vera.

MEDICUS. Factis evacuationibus, & diversionibus, dico quod sedantur dolores vere altero duorum modorum, scilicet inducendo contrarium doloris, videlicet deliciam, quæ prima fronte opponitur dolori, & tristi sensationi, & illa quæ hoc faciunt, complexionem habent temperatam naturæ membri conformem: nam ex tali complexione propter symboleitatem naturæ membri, deliciam sumit: hæc enim, ut volunt medici: habent naturam rarefaciend sive relaxandi membrum, propter quam relaxationem, & rarefactionem vapores retenti, & materiæ disponuntur exitui, & ista aliquando sunt actualiter talia, sicut vola manus applicata membro dolenti, ipsa enim confert in quocunque dolore, calido seu frigido, seu a soluta continuitate causato, & quædam sunt talia potentia, sicut *oleum, anethum*, & similia, in quibus est virtus aperitiva pororum, cum temperantia caliditatis, & quia in chamæmelo est quædam stipticitas, idcirco dubitatur, an sedet dolorem vere, & quædam sunt sedativa doloris vere, quæ opponuntur causis doloris & ista sunt duplicia, nam quædam opponuntur causis cum contrarietate, sicut causis calidis opponuntur frigida, & econtra, & multitudini opponitur evacuatio, & similia: & quædam sunt remotiva causæ, videlicet removendo causam a loco impressionis, nam illa dicuntur sedare dolorem vere, quæ corrigunt causam doloris, aut eam a loco invasionis removent, eo quia dolor a causa dependet, illaque remota aut correcta dolor sedatur.

VULGUS. Dixisti dolorem mendose, & non vere sedari posse, dic obsecro modum.

MEDICUS. Dolor non vere sedatur cum his quæ nec dolori opponuntur, nec suæ causæ, sed hebetando sensum: quædam enim virtutem sensitivam hebetant ingrossando, quædam infrigidando, & quædam à forma specifica stupefaciendo, qualia sunt medicinæ narcoticæ simplices, & compositæ, ut piscis nominatur torpedo, sive stupor, qui stupefacit manum piscatoris eum piscantis, & quædam hebetant ipsam sensitivam, prohibendo delationem sive discursum spiritus sensibilis ad locum doloris, qualia sunt oppilantia, & vias & ductus constringentia, & compressiones, & ligaturæ, & quædam hebetant ipsam, divertendo eam ab actu sensationis à loco doloris & detinendo eam intentam alteri sensationi intensius, & quia intentior sensatio esset causa distractionis plurium spirituum sensibilium a loco doloris, & ut virtus sic distracta cum paucis spiritibus in loco dolente objectum contristans sentire nequit, aut sentiatur longe remissius, ex quo apparet, quod dolor intentior mendose sedat dolorem, isto .iam modo in dolore immate-

riali

riali dolor inductus a compreſſione vel ligatura forti in
A alio membro longinquo ſedat dolorem illum. dicunt autem omnia prædicta mendoſe ſedare dolorem, quia ſecundum plurimum poſt ipſorum remotionem redit dolor, aut æqualis aut intenſior, raro autem remiſſior. Attamen quidam adhuc in modum mendoſæ ſedationis reducunt ebrietatem, & inebriari facientia, licet hujuſmodi aliquando per viam oppoſitionis cauſæ etiam curant dolorem, inter hæc autem omnia mendoſe ſedantia, ea quæ narcotica appellantur, ſuſpecta ſunt, & timoroſa, idcirco ſi curam veram facere poteris, ad curam narcoticorum devenire minime debes: tua ergo mens, tuus intellectus, etiam oculus dexter ad cauſam advertat, & niſi maxima cogente neceſſitate ad narcotica ne acceſſeris: tali enim occurrente caſu, excuſatus eris, Avicen. te defendente, & dicente cauſas, propter quas ad narcotica potes deſcendere, cujus verba ſunt iſta, *Dolor virtutem diſſolvit, & membra à ſuis propriis actionibus prohibet, & aliquando licet in primis calefaciat, poſtea tamen infrigidat, per id quod ſolvit & minuit de ſpiritu & vita.* & cum talis dolor non det inducias medico ad regulariter operandum cum oppoſitione cauſæ, in
B tali caſu prælegerunt auctores curam mendoſam etiam cum ipſis narcoticis, & ſic præſervare virtutem, ne mors ſequatur: majus enim eſt hoc juvamentum quam nocumentum augmentationis cauſæ, ſed tamen ad eorum uſum non eſt deveniendum, niſi cum cautela, & timore, & obſervatis canonibus infra dicendis. & hos ſupradictos modos ſedandi dolorem Avic. tetigit. 2. *primi* dicens, *Cauſa quietis doloris eſt*, aut quod cauſæ, ex qua provenit dolor, exiſtit contrarium, & ipſam evacuat, ſicut *anethum*, & *ſemen lini*, cum ſuper dolentem locum fit emplaſtrum, aut cum quo molliſicatur ſcilicet corpus, & fit ſomnus, & ſenſibilis virtus ad ſuam redit operationem dimittendam, quia non operatur in ſomno, ſicut ſunt, ut dixi, inebriantia, & ſomnum provocantia, vel ſicut ſunt illa, quæ inducunt diſpoſitionem ſimilem ebrietati, aut cauſa quietis doloris eſt infrigidatio, & ſtupefactio, quæ fit cum narcoticis: & ſubdit comparando ad invicem hos duos modos doloris, ſedans enim certum eſt primum, & quandoque fit curatio doloris cum omnibus modis dictis ſimul, unde
C quandoque permiſcemus ſedantia mendoſe cum ſedantibus vere. Medicinæ vero auctores tenent, quod dolori proprie non competit curatio, ſed debet curari morbus, cujus dolor eſt accidens, quo curato ceſſabit dolor: nam dicunt quod dolor eſt actio læſa, igitur nullo modo poterit proprie, & per ſe eſſe morbus: imo proprie loquendo ſemper erit accidens, improprie tamen accidens poteſt dici morbus: & hoc aut quando divertit ad ſe curam propter ſuam excellentiam, & propter intenſionem ejus nocumenti. aut quando ita figeretur, ut non tolleretur remoto morbo inducente ipſum: tunc enim tale accidens efficitur ægritudo: & hoc videtur velle Avic. 2. *primi cap.* 1. ubi dicit quod plerumque fit accidens ægritudo, quemadmodum dolor capitis, qui ex febre accidit, quandoque figitur, ita ut fiat ægritudo, unde etiam *prima iij. cap. de ſoda* dixit: *dolor cujus cauſa antecedens collecta eſt & manet, ſoda per eam eſt ægritudo:* & quidam dicunt tunc maxime poteſt vocari ægritudo, quando ex ipſo læditur immediate operatio, & eſſet tunc vere, & proprie ægritudo, & quando expulſo morbo quem ſequitur accidens, per cujus præſentiam dolor ipſe dicitur accidens, ipſe
D dolor remanet propter aliquam portionem materiæ derelictæ inducens ipſum: ſimiliter jam non dicitur accidens, ſed ægritudo, non quod ſit ægritudo formaliter, & proprie, ſed modaliter habens quendam modum ægritudinis, & quidam accipiunt dolorem, qui eſt accidens, ſolum pro dolore ſequente febrem, vel aliam manifeſtam ægritudinem, & cum eſt ægritudo, debetur ei proprie curatio, & econtra: & Avic. 2. *primi* dicit, aliquando poſt cauſas doloris remanet res, quæ ſimilitudinem habet doloris: quia eſt quædam diſpoſitio ſimilis dolori, ſed non eſt dolor certus: imo eſt ex ſumma rerum, id eſt, diſpoſitionum, quæ per ſe ſolvuntur, & finiuntur, & ceſſant: torpidus medicus, qui non cognoſcit hoc, laborat in medicando ut dolorem removeat, & nocet ei, quia inducit cauſam doloris, & dolorem ubi non erat. dicunt præterea quod prædicta diſpoſitio remanet ex forti imaginatione ægri imaginantis cauſam doloris remanſiſſe, & ſic videtur ei dolere, quum non doleat: & eo tempore fatuus medicus intendit curare talem dolorem infrigidando, aut calefaciendo, & tunc nocet, cum paſſio talis ſit intenſionalis, & ipſe realiter alterat, vel aliter: nonne poſſibile eſt ut in ſenſu tactus accidat ſicut in aliis organis aliorum ſenſuum? cotidiana enim experientia nos docet, quod lucido remoto ab oculo, ſpecies lucidi remanet in eo, hoc eodem modo poteſt remanere aliqua impreſſio malæ complexionis in ſenſu tactus, quæ judicabitur eſſe dolor, & quia iſta egerent prolixiori ſermone, ideo prætermittam, & de cura certa proſequar, dicens quod curantia certe ſunt duplicia, quædam enim curant cauſam removendo cum contrarietate, ſicut
E illa quæ dyſcraſiam frigidam calefaciunt, & calidam infrigidant, & ſolutam continuitatem uniunt, & evacuant materiam dyſcraſiam inducentem, aut ſolutam continuitatem, aut eam divertunt: & iſta non proprie ſedant dolorem, quia non omnem dolorem ſedant, quia non contrariantur dolori in quantum dolor eſt, ſed contrariantur ſuæ cauſæ: & quædam mitigant dolorem cum proprietate vel temperantia complexionis, deliciam inducendo. & hæc profecto cura remotiva doloris propria & certa dici poteſt, & iſta calorem naturalem multiplicant, & confortant, qui confortatus, & multiplicatus, eſt medicinalis ſecundum omnem modum: & illæ medicinæ ſunt mollitivæ, & humectativæ, & ſunt vere ſedativæ doloris, in quantum dolor eſt. De medicinis contrariantibus cauſæ dicit Rhaſis xxv. *Continentis* quibus accidit dolor vehemens, inquire ſuper eum, utrum fiat ex humore abundanti, aut ex ventoſitate impedita extendente membrum, aut ex humiditate pungente, aut ex mala complexione ſicca, ſupple & ſic de aliis cauſis ſupradictis diſcurrendo per eas. Et ſimiliter ſi dolor fuerit debilis, nam in primis in omni dolore
B diligentius inquirere debes de omnibus cauſis, deinde contra eas procede cura meliori, & utiliori, & non agas quemadmodum ſtulti faciunt, qui ſolum loco morbi attendunt, unde incidunt in errores maximos, hujus rei teſtis eſt Rhaſis xxv. *Continentis*, dicens, quod quidam exiſtimabat quod dolebat ex colica, & curabat ſe cum medicinis calidis, & ipſe non conſequebatur juvamentum ex epithematibus, & emplaſtris ſuis, ſed potius dolor augebatur in eo, & facto ei clyſtere ex oleo rutaceo vehementior, & pejor facta fuit diſpoſitio ejus, & facto alio clyſtere, in quo poſitum fuit caſtoreum converſa eſt diſpoſitio ad pejorem, & crudeliorem diſpoſitionem: & ſumpta potione piperis cum ſucco fœnugræci in deteriorem incidit diſpoſitionem: quare ex inde conjecit, quod in inteſtinis ejus erant humores pungentes incluſi, & in corpore ipſius, & dato ei cibo difficilis digeſtionis, ſtatim vidi quod diminutus fuit dolor, & cognovi quod bonum erat purgare illum humorem cum hiera picra, & ſecuta purgatione ſanatus eſt: quare dico quod cura generalis, regularis, & certa, triplici perficitur inſtrumento, diæta, po-
C tione, & chirurgia. De diæta ſciendum eſt, quod aer temperatæ caliditatis, exutus à ventis, mundus à vaporibus malis, & ſerenus in omni dolore convenit, & convenit ſollicitari circa aliqua agibilia, vel ſenſibilia, aut intelligibilia. Nam dolor vehemens vocibus mitigatur, ſcilicet dulcibus, & blandis cantilenis, & melodiis, & organis muſicalibus, quia hæc inducunt ſomnum, & calefaciunt modice. hoc idem facit quies, & otium, & vita delicioſa, & ſomnus prolixus, & cibi, & potus temperatæ caliditatis, paucæ quantitatis, boni nutrimenti: comeſtio vero carnis valde nocet, licet ejus brodium conferat, & dolorem mitiget ut vult Rhaſis. xxv. *Continentis*, auctoritate Galeni in *libro de humoribus*. confert etiam eductio ſuperfluitatum omni die. cætera præſens medicus ordinabit. Cura per potionem quinque completur intentionibus, quarum prima eſt ad alterandum, ſeu ad reſiſtendum ſolutæ continuitati. Secunda eſt ad digerendum. Tertia ad evacuandum. Quarta ad divertendum. Quinta ad dolorem mitigandum ſeu ad deliciam inducendam, & ubi eſt mala complexio
D ſive materia, ſufficit ſola alteratio. Si tamen fuerit à cauſa primitiva, ut à percuſſione, vel caſu, vel à cauſa calefaciente, vel quocunque contingente, unde ſequatur dolor, ex qua poſſit timeri attractio materierum ad locum doloris, tunc cum oppoſitione ad cauſam permiſcenda ſunt locum confortantia cum ipſorum ſtipticitate ad reſiſtendum materiæ fluenti, ut non recipiat. Confortantur enim membra tot modis, quot modis debilitantur, nam quot modis dicitur unum oppoſitorum, tot dicitur reliquum. Virtus enim membrorum duobus modis debilitatur, uno modo ſubſtantiam membri minuendo. Alio modo minuendo latorem virtutis, qui dicitur ſpiritus, & hoc accidit ab omni cauſa inaniente ſeu minuente: ut verbi gratia ab aere nimis calido, & à nimio exercitio, & immoderato jejunio, per oppoſitum confortantur membra cum his quæ ſubſtantiam membrorum, & ſpirituum augent, ſive per ſe ſive per accidens, videlicet cum moderato uſu ſex rerum
E non naturalium. Secundo modo debilitatur virtus, quando ſubſtantia ejus alteratur in qualitatibus, tranſeundo de naturali ad innaturalem, hic enim ſecundus modus ſemper accidit corporibus laſſis, primus vero corporibus ſanis. Et nota quod quot modis membrum vel ſpiritus poteſt naturaliter alterari, tot modis debilitatur virtus membri, cujus ratio eſt, quia virtus non viget niſi per ſubſtantiam ipſorum duorum ſufficientem, & naturaliter diſpoſitam, & ideo quicquid innaturaliter diſponit, debilitat virtutem: & per oppoſitum, quicquid ad naturalem diſpoſitionem reducet, confortabit eundem. Conſtat quod membrum poteſt innaturaliter diſponi per malitiam complexionis, compoſitionis, & ſolutionis continuitatis, &

ideo

ideo in membro dyſcraſiato à frigiditate, ejus virtus confortari debet per calefacientia, & à ſiccitate per humectantia, & in hoc caſu cavendum eſt à ſtipticis, & ſic de aliis qualitatibus. Spiritus tot modis alterari poſſunt, quot ſunt qualitates, quæ requiruntur ad eorum temperamentum ſive perfectionem, ut ſunt groſſities, tenuitas, luminoſitas, aromaticitas, nam omnes ſpiritus humani naturaliter diſpoſiti ſunt aromatici, ita ut nullus odor ſuavior ſit eis, iſti enim ſpiritus ab omni qualitate complexionis poſſunt egredi temperamentum: quare confortatio fieri debet per contrarium dyſcraſiæ. & quia hæc unicuique in Apollinea arte mediocriter erudito ſunt notiſſima, ideo his finem impono. VUL. Quare ut plurimum medicinas frigidas dicimus eſſe confortativas, & non calidas, nec ſiccas! MED. Hac de cauſa medicinæ frigidæ hoc ſibi nomen vendicavere abſolute, quia ex omni parte diſponunt membra ad reſiſtendum ſuperfluitatibus ad ipſa fluentibus, coadunando partes ipſius, quæ coadunatio, nec à caliditate per ſe, nec ab humiditate procedit. Siccitas vero medicinæ non operatur in qualibet parte membri, ſicut frigiditas, cum ſit parum activa, & ſuperficialiter operans, & quia debilitas reſiſtendi humori ſupervenienti ſæpius manifeſtatur in corpore, ideo reſpectu talis debilitatis conſideratur in præſentiarum abſolute medicina confortativa. & ſi iſta frigida participarent aliquali ſtipticitate, videlicet mediocri terreſtreitate, fortius operarentur, nam ab utraque virtute meatus in membro conſtringuntur, & quanto magis profundatur medicina frigida & ſtiptica, tanto fortius meatus conſtringuntur, & per conſequens humor fluens fortius retropellitur, ſed de his hactenus. Solum hoc in loco addam iſtam aquam mirabilem in confortatione membrorum infectorum, quæ infectionem cutaneam, ac carneam, & malam complexionem frigidam, & ſiccam removet, cujus deſcriptio talis eſt. Recipe *florum fabarum, radicum lilii, dracontii, enulæ campanæ conquaſſatarum ana partes æquales. ex qua aqua.* Recipe *libr. ij. aquæ roſ. unc. s. pulveris caryophyllorum & nucis muſcatæ ana drach. ij. s. miſce*, & cum iſta aqua fiat lotio membrorum infectorum. Si ergo fuerit dolor à mala complexione calida pura infrigidetur, & ſi à mala complexione frigida pura calefiat, & ſi a mala complexione ſicca humectetur, & ſi fuerit à mala complexione compoſita curetur cum ſuo contrario. non ergo ſemper in curatione doloris ad evacuandum corpus deveniendum eſt. nam in tali caſu, ut vult Avic. 4. *primi*, caderet error, nam cauſa doloris ſi erit extrinſeca, ſicut calor aut frigus, aut caſus, aut percuſſio, aut res alia, & in tali caſu medicus non bene inveſtigans ſupradictas cauſas credit eas eſſe intrinſecas, & quærit evacuare, & inde provenit error, & aliquando cauſa doloris fuit extrinſeca, deinde interius facta fuit manſiva, commovendo, aut generando cauſam antecedentem in corpore, quæ mota ſeu generata fit, ut cauſa doloris conjuncta dolorem faciat, nam ut dicit medicorum princeps, cauſæ primitivæ movent antecedentes, & ex eis conjunctæ fiunt, & maxime ſi inveniunt corpus diſpoſitum. Extrinſecæ vero cauſæ quando inveniunt corpus præparatum, & immundum, operantur ſicut liciniun in ſulphure, vel ſicut ſcintilla ignis in arbore pingui, & unctuoſa. Sæpe enim accidit ut bibens aquam frigidam dolore moleſtetur ſtomachi, ſeu hepatis, qui ſi ſudaverit in balneo, curabitur ut tenet Rhaſis xxv. *Continentis.* & Avic. 4. *primi cap.* 1. ubi dicit quod multotiens non eſt neceſſaria evacuatio, & ſibi ſimilia ut diverſio, quoniam ſæpe ei ſufficit balneum, & fortis ſomnus, & quandoque opus eſt uti contrariis, ut verbi gratia ſi quis ex acceptione rerum calidarum afflictus fuerit dolore, ſufficit ei uti aqua frigida in potu. Quando vero fuerit mala complexio non pura, ſed materialis ſimplex vel compoſita, tunc ſola alteratio non ſufficit, ſed aliæ requiruntur intentiones. cum ergo materia faciens dolorem talis fuerit, ut evacuari commode poſſit, non expectata digeſtione, qualis materia ſymptomatica exuberans eſt aut mixta ſanguini, ſanguine dominante in commixtione, tunc illico eſt evacuandum, phlebotomiam faciendo auctoritate Galen. xij. *therapeuticæ* dicente, ſi multitudo fuerit ſanguinis ſicut in his qui phlegmonem patiuntur, illico phlebotomandum eſt, & ſimiliter ſi cum ſanguine alii fuerunt mixti humores, hoc idem confirmante Hippocrate. vj. *ſeparatorum ſermonum ſermone* xxij. quicunque dolores ex dorſo in cubitum tendunt, phlebotomia ſolvit, & non ſolum in hoc dolore particulari phlebotomia convenit, ſed etiam in quocunque alio tranſitum faciente de membro nobiliori ad minus nobile, ſive etiam ad membrum nobile, quod principali membro minus propinquum exiſtiterit, in dolore vero pudendagrico talis phlebotomia competeret, ſed puſtulis jam apparentibus, ab ipſa fugiendum eſt tanquam ab inimico, nam ſi aliter faceres, non eſſes medicus, ſed interfector: nam medicus (ut clamat omnis medicina) eſt adjutor naturæ, & non impediens, natura enim, ut vides conatur expellere à centro ad circumferentiam, phlebotomia vero facit oppoſitum, quare in tali caſu non competit, regulariter, & non coacte operando: hoc idem dicunt de medicina ſolutiva, nihilominus ſi eam facere velles, obſerva ad minus canones generales in cap. de phlebotomia dictos, & in primis recorderis dicti Galeni, 1. *ad Glauconem*, quod ponitur a rabbi *particula* viij. *ſuorum aphor.* ubi tenet quod dolor fortis prohibet phlebotomiam, nihilominus ipſemet Galen. in diverſis locis oppoſitum dicit, & præſertim *com.* xxiij. *primi aphor.* ubi dicitur quod in dolore forti nulla medicina melior exiſtit phlebotomia etiam uſque ad ſyncopem, hoc idem dicit Rhaſis xxv. *Continentis*, hæc enim contradictio in dictis Galen. tollitur per ea, quæ ipſe Galen dixit. xij *therapeuticæ* quod in phlegmone illico phlebotomandum eſt, virtute exiſtente forti; ſi vero imbecillis fuerit, nequaquam, vel aliter tollitur talis contradictio ſecundum vacuationem repletionis in quanto aut quali, etenim ſtante dominio materiæ ſanguineæ multæ ſecundum ambitum totius, phlebotomandum eſt uſque ad ſyncopem. Si vero repletio fuerit alterius humoris à ſanguine, minime eſt phlebotomandum, & in hoc conſideranda ſunt, quæ in generali evacuatione dicta ſunt. Aliis vero humoribus à ſanguine dolorem inducentibus, cura, ut dicit Galen. xij, *therapeuticæ*, eſt evacuatio illorum humorum, quæ contriſtant. Et ſi quidem mordax humor cholericus, & acutus dolorem efficit, contrariiſſima huic humori ſunt ea quæ attenuant, & calefaciunt, quare talis humor evacuandus erit cum his, quæ conveniunt, & dentur ingroſſantia, & infrigidantia, quoniam per hujuſmodi fit ejus digeſtio. Et ſimiliter ſi humor dolorem efficiens frigidus fuerit, & groſſus, infrigidantia & ingroſſantia contrariiſſima ſunt, ſed oportet ipſum incidere, & attenuare, & calefacere, hoc enim pacto ipſe digeritur, quo digeſto evacuetur cum appropriatis, & unicuique medico notis. Et ſi evacuatio non ſufficit aut fieri non poteſt propter imbecillitatem virtutis, vel aliam cauſam, quicunque humor fuerit, conſilio Galeni revellendum & derivandum erit, & hoc divertendo materiam à loco doloris, & deducendo ad membra ignobilia, obſervatis canonibus de diverſione. Et nota quod diverſio aliquando fit ad partem propinquam, aliquando ad longinquam, aliquando præcedit eam evacuatio: aliquando non. Item diverſio aliqua poteſt eſſe evacuativa, ut illa quæ fit per phlebotomiam, vomitum, aut fluxum ventris, & ſimilia aliqua non evacuativa, ut illa, quæ fit per ligaturam, ventoſas, aut medicinas rubificantes, & univerſaliter per ea quæ dolorem inducunt. Item nota quod materiæ exiſtentes in venis, vel vaſis, & in membris communibus faciliter divertuntur. præterea cave ne diverſio fiat ſecundum duas diametros completas, & maxime materia jam fluxa, nam in materia fluente poſſet fieri ſecundum duas diametros. Item divertimus ad longinquum, quando intentio noſtra eſt fortiſſima divertere, & materia exiſtente multa, & in magno fluxu, aut in morbo, in quo dubitamus de iterato fluxu, aut quando materia fluit, aut fluxit ad locum ſtrictum, vel remotum à viis, & venis mediocribus, ut in ophthalmia divertimus ad longinquum. Si vero materia eſſet pauca, & jam fluxa, ad propinquum divertimus: & divertendo ad partem propinquam ſecundum plurimum debemus vitare partem valde propinquam, ut eſt dextera pars capitis reſpectu ſiniſtræ, niſi in caſibus nuper dictis, vel dum divertimus evacuando materiam conjunctam. Si vero divertere volumus ad partem longinquam, dolor prius eſt ſedandus. Si vero materia fuerit groſſa, aut imbibita in membro, vel jam eſt mutata à natura ſua multum ut ſanies, aut dolore exiſtente valde intenſo, in tali caſu non cures inſiſtere in divertendo, ſed potius provideas cauſis ſuis. Quando vero corpus non eſt repletum, & materia quæ fluit non eſt mala, & membrum ad quod fluit, non eſt nobile, in tali caſu diverſio abſque evacuatione ſufficiet, & maxime quando materia eſſet pauca, ſed divertendo ſollicitudo eſt habenda de colligantia, ſeu ſocietate. Item recorderis, quod materia exiſtente in fluxu diverſio ad partem contrariam competit, ac etiam ad partem colligatam. Tertio quando erit vera rectitudo. Quarto cum debita elongatione, licet non exiſtente repletione in materia fluxa diverſio fieri poſſit per membrum propinquum, & aſſociatum. Et ſuper omnia cavendum eſt materia exiſtente mala ne trahatur membrum principale, aut in eo figatur ſeu remaneat, & ex dictis concludere poteris, quod diverſio competit materia fluente ſeu fluxa, ſive ſit in motu exiſtente, ſive non, ac etiam ſuperadde, quod materia non multum mutata à natura ſua, ita ut reingredi venas poſſit licet in membro ſit congeſta, paulatim etiam diverſio competit: tandem ſcias quod ſolutio ventis eradicat ab inferioribus, & divertit à ſuperioribus, vomitus vero contrarium operatur. Si vero evacuatio, aut diverſio fieri non poſſint dolore permanente, ac inſiſtante, in tali caſu utere epithematibus, inunctionibus, emplaſtris,

& aliis ſimilibus evaporationem facientibus, in quorum approximatione hos canones obſervabis. Quorum unus eſt, quod ſtante repletione in corpore, vel quando timetur fluxus materiæ ad locum, hæc ſecure minime approximantur, ſaltem pura, quam agitent amplius materiam, & diſponant ad fluxum: quapropter in tali caſu cum eis erunt admiſcenda ſtiptica confortativa. Secundus canon eſt ut hujuſmodi omnia calida actu approximentur, & non frigida, & hoc præcipit Hippoc. 5. *aphoriſmorum*, illo aphoriſmo, calidum vero ſaniem faciens &c. & loquitur de calido acta quod eſt ſedativum doloris: hoc idem tenet Rhaſis xxv. *Continentis cap.* 3. dicens epithematum calefactio mitigat dolorem, quia rarefaciendo membra diſſolvit illud, quod in eis ſuperfluum eſt: infrigidatio vero membrorum dolentium mala eſt, ut quotidiana experientia in pudendagra oſtendit, eo quod denſat ea, & prohibet diſſolutionem, & exinde augetur extenſio & dolor: infrigidatio vero convenit doloribus, niſi in illo qui fit à mala complexione abſque materia, veluti evenit in dolore capitis à calore ſolis, aut infrigidatio, quæ fieri debet in eryſipelate. quare Hippocr. 5. *ſeparatorum ſermonum ſermone illo*, ulceribus quidem frigidum inimicum, dicit, quod frigidum dolorem ſine ſanie facit, & hoc intelligitur de frigido actuali per ſe, nam frigidum per accidens dolorem ſedare poteſt ſtupefaciendo, aut calorem naturalem uniendo, & fortificando, calor enim naturalis unitus & fortificatus cauſam doloris aliquando curat, & abigit. Alius canon eſt, quod etiam materia exiſtente frigida, non debent applicari calida elevata in gradu, & hoc tenet Galen. 12. *therapeut.* nam dolores provenientes à groſſis, & viſcoſis humoribus, non debent curari cum epithematibus, aut cataplaſmatis, aut aliis calefacientibus vehementer. nam ſi non evaporant prædicti humores frigidi, groſſi, viſcoſi, extenduntur, & ventoſantur, ſupple & dolorem augent, ſed eos digerere & evacuare oportet, ſi tibi poſſibile fuerit. & ad hoc complendum eligenda ſunt illa quæ virtualiter non ſunt ventoſa, nec exſiccantia: & ibi dicit Galen. quod multi idiotæ in hunc errorem cadunt, nam cum non cataplaſmantur, neque clyſterizantur, dicunt ſe minus dolere, tales enim citius curantur diæta tenui quam calefacientibus: & hoc quia materia eſt multa, groſſa, & viſcoſa. Quapropter in talibus caſibus eligenda ſunt calida temperata, de quorum calefactione intellexit Galen. 2. *regiminis acutorum*, & Rhaſis xxv. *Continentis*, dicens, calefactio mitigat dolorem, quia attenuat, & ſubtiliat humores, & diſpergit partem ventoſitatis, mitigando extenſionem: hæc enim calefactio poteſt fieri multis modis, ſcilicet cum humidis aut ſiccis fortiter pungentibus, aut levibus, & ſubtilibus carentibus punctione; & hæc debent adminiſtrari loco, & tempore convenienti. & ibi dicit quod calefactio facta cum aqua calida in veſica, aut in aliquo pergameno levi, non eſt pungens, & facta in vaſe aheneo aut fictili, eſt mediocris inter levem & pungentem, & calefactio fortis fit ex farina orobi cocta cum aceto. & poſtea ſiccetur, & fiat cum ea evaporatio, & minor eſt, ut furiur coquatur ſicut illud, ſalis autem vapor eſt pungitivus; ſed vapor milii eſt eo melior, & debilior, & plurimum etiam fit vaporatio cum aqua ſcilicet calida in vaſe poſita, & quidam ſumunt aquam ſimplicem, & alii in ea decoquunt res reſolventes ſecundum neceſſitatem, & ſubdit Avicen. 4. *primi*, quod omnis evaporatio ſuſpecta eſt, quoniam quandoque cauſa doloris erit apoſtema. & ſi evaporatio facta fuerit in ejus principio, etiam cum aqua calida, affert maximum nocumentum. Si vero materia faciens dolorem fuerit, ventoſa, aut pauca abſque humore à quo elevetur, aut cum pauco humore, appoſitio ventoſæ, aut vaporatio confert. Galenus vero 12. *therapeuticæ* dicit ſe dolorem ventoſum curaſſe cum potibus, & cibis attenuantibus, & immiſſionibus, & infuſionibus, cataplaſmatis, & fomentationibus, & ſubdit dicens, dolorem ſe ventoſum curaſſe cum appoſitione magnæ ventoſæ, & cum iſtis concordat Rhaſis xxv. *Continentis*, dicens, ventoſæ cum igne diſſolvunt dolorem ex ventoſitatibus groſſis ubicunque appoſitæ fuerint in breviori hora ad modum magorum, aut ſortilegorum: & ſi in totum non tollitur, reiteretur: hoc idem dicit Avic. 4. *primi*. Si vero fuerit multus humor gignens ventoſitatem, ſi fuerit apoſtemans, ſive non apoſtemans, quamvis ſedetur ex evaporationibus, & appoſitione ventoſarum, dolor profecto revertitur, & in tali caſu evacua humorem ipſum. Nota tamen quod ſi videris, quod dolor augeatur ex calefacientibus, teneas pro certo quod ibi eſt humor groſſus, quem diſſolvit caliditas, & non poteſt ipſum diſpergere, unde accidit major diſtenſio. & Avic. 4. *primi*, facit te cautum, dicens, quod in approximatione calefactionis timor exiſtit, unde tibi cavere debes, quoniam fortaſſe cauſa doloris erit apoſtema, & calefactio addet in malitiam: ſupple, & ſi humor fuerit multus abſque apoſtemate, & hoc præcipue accidit ex ventoſis. Quinta vero intentio compleri poteſt cum medicinis calidis, & humidis in primo gradu, ſed cum hoc debent eſſe tenues, & carentes omni ſtipticitate penitus, ipſæ enim digerunt, & adæquant complexionem, & diſſolvunt humorem, & diſſolvendo evacuant, ut dicit Galen. vj. *de ſimplici medicina*. iſtæ enim medicinæ eo quod augmentant calorem naturalem, qui eſt in ſtrumentum naturæ, ſedant dolorem: nam auctо calore naturali, ab ipſo ſuperatur mala complexio, quæcunque ſit illa, faciens dolorem, & ipſum curat & removet: quæ medicinæ ſunt ſequentes, ſcilicet *lac camelinum*, *ſemen lini*, *anethum*, *malvaviſcus*, *chamæmelum*, *unctuoſitas lanæ*, *adeps gallinarum*, *vitellus ovi*, *fumus terræ*, *corona regia*, *crocus*, *cinnamomum*, *laudanum*, *apozema raparum*, & *rapa ipſa cocta*, & *emplaſtrata*, *aqua calida*, & *tepida*, *oleum chamæmelinum*, & *anethinum*, & totum id quod fuerit in gradu iſtorum in caliditate & humiditate. de malvaviſco autem dicit Rhaſis quod mitigat dolorem cum forti violentia, prohibendo quod non fiat apoſtema, & dirigit nervos extortos, & diſſolvit: hoc idem facit *oleum chamæmelinum*, & *oleum ſeminis bombacis*, & *granabambacis*, & *ſapa*, & *ſuccus uvarum*: omnia etiam unguenta maturativa mitigant dolorem, & cum his computare poteris *ſemen apii*. Mollificantia vero, & temperate reſolventia mitigant dolorem, quia molliendo reſolvunt: ut verbi gratia *anethum*, *ſemen lini*, *melilotus*, *chamæmelum*, *ſemen apii*, *amygdalæ amaræ*, & omnis res in primo gradu calida: & talia ſunt adminiſtranda obſervatis aliquibus conditionibus, videlicet quod talia adminiſtrentur poſt evacuationem, ſi evacuatio fuerit neceſſaria, & materia reſtricta, quæ ad membrum fluit, & ad hanc intentionem conferunt omnia glutinativa, nam dolorem mitigant, ut ſunt *ficus*, *butyrum recens*, *albugo ovorum*, *amidum*, *gummi prunorum*, *farina ſimilæ*, *lutum ſigillatum*, *gummi Arabicum*, *tragacanthum*, *ceruſſa plumbi*, & talia proprie mitigant dolorem, quando cum eis fuerit glutinandi potentia: ſicut *gummi prunorum*, & *amidum*, *ceruſſa*, *crocus*, *laudanum*, *althæa*, *amomum*, *caules*, *ſinapi*, & *apozema ipſorum*, & *adipes*, & *oeſypus humida*, & *olea*, & *adeps anatis*, & *emplaſtrum factum ex ſemine lini*, *malvaviſco*, *farina hordei*, *fœnugræci*, *ſemine raparum*, *ſurfure*, *chamæmelo*, *oleo anethino*, & *adipe anatis*. Vel *emplaſtrum cum fœnugræco*, *cum aceto tricto*, & *melle cocto*, *vel fiat cum oleo roſato*, *vitello ovi*, *floribus chamæmeli*, *aut coronæ regiæ*, valet etiam *amidum diſſolutum cum oleo irino*, *vel alio ſimili*: & hoc idem facit *mica panis infuſa in lacte*, *addito oleo roſarum*, & *vitello ovi*.

In cauſa vero frigida valet *emplaſtrum confectum ex caulibus recentibus cum farina ſeminis lini*, *meliloti*, *anethi*, & *floribus chamæmeli*. ad idem valet *emplaſtrum ex foliis lauri*, *caulium*, *cinere truncorum caulium*, *cum oleo chamæmelino*, *irino*, *farina ſeminis lini*, *fœnugræci*.

Et licet multa ſcripta fuerunt ſuperius, nihilominus calamum continere minime poſſum, aliqua reiterando ſeu rememorando, reliqua vero ſuperaddendo, ne de novo ſcribam, & eo maxime, quia ſi ea, quæ ratione vallata & experimento comprobata invenio, calamo committerem, prolixa res eſſet: ſed inter illa dolorem ſedantia in cauſa calida, mihi crede, expertiſſimum invenies medicamen factum cum *oleo violato*, vel *de cucurbita cum mucilagine pſyllii*, vel *cum butyro recenti ſine ſale*. nec prætermittendum puto lac calidum, & loco dolenti embrocatum, & non minus confert *olcum roſ. vel violatum vel nenuphariuum mixtum cum pinguedine porci recenti*, & *incorporatum cum vitello ovi*, & *albumine* & *pauco ſale*. In cauſa vero calida dolorem inducente valet iſtud unguentum. Recipe *pinguedinis pulli*, & *anatis*, *recentium*, *butyri recentis*, & *adipis porci recentis*, *ceræ albæ ana unc. j. olei chamæmelini*, *anethini*, *amygdalarum dulcium ana unc. ſ. mucilaginis*, *althææ*, & *ſeminis lini*, & *fœnugræci ana unc. ij. miſce* & *fiat unguentum*, ut decet. Nonnulli pulmonem arietis calidum applicant, aut gallinam, ſeu columbum, aut catulum canis inciſum per dorſum, & actu calidum applicant, eo quia iſta ſunt diſſolventia tumores, & nodoſitates, membra confortantia, & ſedantia dolores. Valet etiam *oleum de terebinthina*, *oleum de pice navali*, & *amygdalarum dulcium*, quodlibet enim per ſe ſedat dolores, & ſimul mixta fortius operantur: conſulo inſuper, ut ſuper omnia caveas à nimio coitu, à nimia quiete, & otio, & à ſomno diurno, & à vino potenti antiquo, & præſertim poſt cibum, & exercitium. Cavendum præterea ab indigeſtione. Et ſi patiens fuerit cholericus, caveat à cibis phlegma generantibus. Caveat etiam à piſcibus beſtialibus, & anguillis, & ab avibus fluvialibus, & vetuſtiſſimis gallinis, & à porcello lactante, & à lacte, & maxime ſi vinum deſuper biberit. Sicut parcitas cibi juvat, ita nimia cibatio lædit. Cavendum ne membra dolorofa teneantur ſuſpenſa, cavendum & à ſomno reſupino. Lotio membrorum læſorum poſt remotionem doloris cum aquis aluminoſis confert:

hoc

hoc idem facit *ſalvia* intus ſumpta, & extra applicata. Ab extra valet *chamamelum*, *melilotus*, *roſæ*, *ſemperviva*, *flores amygdalarum*, & *myrti*, *hedera terreſtris*. *acorus*, *folia ſumach*. Confert etiam calcare uvas & brachia in eis ſubmergere, ſi dolor in eis fuerit. Valent etiam omnia quæ urinam provocant. Panniculi, muſculi, & nervi confortantur cum *oleo de behen*. Et ſi aliqua durities appareret, valet *bdellium*, & ſi velles calefacere, & conſumere, utere *caſtoreo*, *vel cypero*. *Caſſia lignea*, & *cypreſſus* confortant membra nervoſa. *Calamintha emplaſtrata* extrahit materias, & calefacit. *Coſtus* & *ejus oleum* in hoc caſu valde conferunt. *Cinis ligni ficus* valet, & *laurus* confert doloribus membrorum nervoſorum. Fœces omnium oleorum calidorum valent in cauſa frigida. *Opopanax*, & *Pyrethrum* conferunt nervis mollificatis. *Piper* calefacit nervos, & in hoc non eſt ei par. Balneum ſiccum, & ſulphureum eſt mirabile: vel *fiat balneum ex foliis ſumach*, *corticibus meſpili*, *quercus*, *myrti*, *cum alumine*, & *ſulphure vivo*, *ſalvia*, *ſale*, & *ex lixivio facto ex cinere quercus*, eſt enim mirabile: valet etiam *theriaca*, aut *mithridatium*. Et hæc in generali. jam tempus eſt ut ad ſpecialia deſcendam, dicens quod cauſis ſpecialibus, & immediatis notis facile ad rectam, & veram curam pervenire medicus poterit rationabiliter. Quare cura ſpecialis & non ita generalis ſicut præcedens compleri cum infra ſcriptis facile poterit. Nam facta generali evacuatione ſi materia fluens fuerit ſanguinea, valet hoc linimentum, prohibens ne materia fluat, & ſedans dolorem. Recipe *memithæ*, *caſſiæ ana drach. ſ. ſpodii*, *camphoræ ana ſcrup. iiij. opii grana xv. aquæ ſolani*, *vel lactucæ ſeu portulacæ quantum ſufficit*, *miſce*, & deſuper apponatur. Valet etiam *aqua endiviæ*, *ſolani*, & *roſarum cum modico aceto*. In ſtatu cum ſupra dictis frigidis & ſtipticis commiſcenda ſunt aliqua calida confortantia, & reſolventia, ut *chamæmelum*, *melilotus*, & ſimilia. In declinatione conferunt balnea, & res reſolventes in forma unguentorum, ſeu fomentationis, ſeu emplaſtrationis. & non obliviſcaris miſcere cum eis confortantia, ſicut *chamæmelum*, *roſas*, *nuces*, & *folia cypreſſi*, & uſurpes *decoctionem corticum pini cum vino ſtiptico*. Si vero materia deſcendens eſſet cholerica, quæ facile cognoſcitur ex forti calore, & ex dolore pungitivo, & ſic de aliis ſignis deſcriptis, in tali caſu utere infrigidantibus & ingroſſantibus, quæ unicuique nota ſunt. Si materia fluens fuerit frigida, evacuetur, ut decet, non una vice tantum ſed iteratis vicibus: utatur vomitu, poſtea utatur theriaca, nam conſumet reſiduum materiæ calefaciendo, & exſiccando panniculos, muſculos, chordas, & ligamenta. In hoc utere unguentis & appoſitis calefacientibus, & ſubtiliantibus materiam groſſam, & in ſtatu, & declinatione, miſce aliqua mollificativa cum diſſolutivis, ne ſubtile reſolvatur, & groſſum remaneat, & induretur, & in nodoſitates convertatur, ut ſæpe accidit, & præſertim in tibiis, quare aliquando reſolventia ſunt applicanda, aliquando mollificantia.

Si vero dolor infeſtaret, apponatur hoc emplaſtrum ex deſcriptione Avicennæ. Recipe *ſœnugræci lib. iij. aceti quantum ſufficit*, *miſce*, & *decoquantur donec diſſolvantur: deinde adde mel ad ſufficientiam*, & *bulliant iterum*, & *fiat emplaſtrum*, & actu calidum apponatur, nam illico removebit dolorem. Vel fac ſic. Recipe *ſucci herbæ gratia Dei lib. ſ. ſucci radicis ebuli*, *ſucci radicis urticæ ana lib. ſ. axungiæ vulpis*, *ſeu catti. unc. vij.* & *ſi talis axungia non reperitur*, *pone axungiam porci*, *ceræ rubræ. unc. iiij. miſce*, & *fiat unguentum*: & valet in cauſa frigida, & removet tumorem. Vel fac ſic. Recipe *olei chamæmel.* (quia reſolvit ſine attractione) *unc. vj. olei roſati* (quia confortat) *lib. ſ. ſucci radicis ebuli*, (quia reſolvit & calefacit, & habet proprietatem in hoc ex virtute ſubtiliativa) *ſucci rutæ* (per eandem virtutem) *ana unc. iiij. vermium terreſtrium minutim inciſorum*, (quia confortant nervos, & omnia membra nervoſa per quandam proprietatem, quæ in eis eſt, & per ſimilitudinem carnis eorum ad carnem humanam) *lib. ſ. miſceantur omnia*, & *coquantur ad conſumptionem ſuccorum*, & *in colatura miſceantur ceræ unc. iij. terebinthinæ* (quia confortat omnia membra nervoſa) *unc. ij. miſce* & *fiat unguentum*. In declinatione valet hoc emplaſtrum. Recipe *radicum malvaviſci fortiter piſtatarum lib. iij. furfuris. p. iij. florum chamæmel. unc. ij. ſ. coquatur furfur cum debita quantitate vini* & *coletur*, & *cum dicta colatura iterum coquantur radices*, & *flores chamæmeli*, & *fiat emplaſtrum* ut decet: reſolvit enim, mollificat, & tollit dolorem. vel aliter. Recipe *laudani unc ij. ſ. maſtichis unc. ſ. ſeminis caulium*, *ſeminis raphani*, *amomi ana unc. ſ. olei irini*, *vel ſecis olei quantum ſufficit*, *miſce*, & *fiat emplaſtrum*, mirabiliter enim reſolvit. Valet etiam *diachylon cum floribus chamæmeli* & *oleo chamæmelino*. Si vero materia eſſet valde frigida, utere hoc unguento. Recipe *pyrethri drach. ij. caſtorei drach. ſ. olei coſtini quantum ſufficit*, *miſce* & *fiat unguentum*. & quia nimis forte eſt, ideo alternatis diebus unctio fiat cum *dialthæa*, vel cum *martiato*, vel cum *aliquibus axungiis*. Et in hoc caſu ab Avic. multum laudatur *emplaſtrum de ſtercore vaccino* remota plethora, & diſtemperetur cum lixivio.

Si vero materia eſſet profundata & imbibita in muſculis, & ligamentis, utere hoc unguento partim confortativo quia ſtiptico, & partim reſolutivo, & mitigativo, & aperitivo, quod habet etiam maximam vim in extrahendo ſpinas, & oſſa corrupta à profundo, & confert mollificationi, ſeu paralyſi. Recipe *terebinthinæ*, *pulpæ colocynthidis*, *ariſtolochiæ rotundæ*, *ſalis ammoniaci*, *ſpumæ baurach*, *ſeminis urticæ mundati ana drach. x. ſœnugræci*, *macropiperis ana drach. v. gummi ammoniaci drach. vj. cordumeni*, *carvi agreſtis*, *xylobalſami*, *thuris*, *myrrhæ*, *adipis capræ*, *gummi pini ana drach. v. ceræ lib. ſ. ſ. dabber glutinis. lib. iiij. lactis ficus ſylveſtris drach. iij. ſ. olei liliorum quantum ſufficit ad liquefactionem medicinarum humidarum: vini optimi quantum ſufficit*. Ad conficiendum medicinas ſiccas, opus eſt ut malaxentur & ita miniſtretur. ſit igitur medicus, ſeu chirurgicus non ſolum nomine, ſed etiam re & opere, ut ſciat eligere, quæ utiliora ſunt in caſu ſibi commiſſo, ne inſurgat natura contra eos, dicens, occiditur æger, non moritur, & mihi defectus ſæpe imputatur. VULGUS. Multa, & varia remedia ſcripſiſti, dic mihi expertiora, MEDICUS. Omnia ſunt experta, ſi ſciveris ea applicare loco, & tempore. VULG. Poteſt à nobis hic morbus exſtirpari? MEDICUS. Poteſt cum auxilio tamen omnipotentis Dei, ac gloriosiſſimæ virginis Mariæ, matris ejus. VUL. Dic modum. MEDICUS. Præſides, ut ſummus pontifex, Imperator, Reges, atque alii domini inſtituant matronas, quæ perquirant in primis publicas mulieres, & ſi eas infectas invenerint, relegent eas ad locum à communitate, ſeu à domino deſtinatum, ibique curentur à medico, ſeu chirurgico deputato, & hoc modo infallibiliter exſtirpabitur morbus iſte. VULGUS. Poſtquam in univerſali, ut ais, reſpondiſti, occurrit nunc juvenis complexionis ſanguineæ ad cholericitatem tendentis, bonæ habitudinis, bonæ complexionis, boni regiminis, qui pudendagra, ac dolore intenſiſſimo anterioris partis tibiarum, quæ à carne ſatis denudata exiſtit, & brachiorum abſque tumore in eiſdem partibus reperto cum intenſa ſatis caliditate tactu percepta correptus eſt, cui ab eruditiſſimis, ac expertiſſimis hujus artis profeſſoribus canonice cautum fuit, minorando, divertendo, digerendo, & membra confortando, demum eradicative evacuando, tandem particulari materiæ attendendo, embrocando, inungendo, fricando, ac aliis ingeniis ſimilibus utendo, nihil in hoc caſu fere omittendo, nihilominus optatum finem minime aſſequi potuerunt, imo potius dolores aucti quam diminuti fuerunt, hujus rei cauſam ſcire opto. MEDICUS. Si dubitationibus tuis reſpondere debeo, hujus ægritudinis definitionem adducam & ut mihi prima fronte apparet, ipſa eſt mala complexio calida & ſicca materialis, quæ eſt ægritudo per eſſentiam tibiarum. non enim ægritudo per colligantiam ſimpliciter nominari poteſt, nam omnis ægritudo ſecunda, licet ſit per colligantiam, efficitur per eſſentiam, nec etiam dici poteſt, quod eveniat per colligantiam abſolutam, nam ſi ſic eſſet, detur membrum per cujus colligantiam tibiæ ægrotent, ſi tale membrum unquam poſſet reperiri, & primo loquamur de cerebro, ipſum enim ut ex ſupradictis colligi poteſt, non poteſt communicare ſimiles materias, neque ſimilem caliditatem. hoc idem dicendum de aliis membris, & præſertim de hepate, nam ex evacuationibus, diverſionibus, digeſtionibus, atque aliis inſtrumentis applicatis, aliquod notabile juvamentum ſubſequutum non fuit, quare dicendum tibias ipſas non ægrotare, ægritudine per colligantiam alicujus particularis membri, neque etiam per colligantiam a toto corpore, nam in eo non præceſſit aliqua ægritudo, quæ motu critico fuerit curata, aut ſaltem alleviata, neque etiam eſt dicendum materiam hunc dolorem cauſantem paulatim derivari, ſeu tranſmitti à toto, nam in tali caſu oporteret aſſignare, & cauſas, & ægritudines toti communes, ſed hic juvenis, ut tu dicis, non ægrotat ſimili ægritudine, igitur non provenit per colligantiam à toto corpore ad tibias. Præterea ſi talis ægritudo in eo reperiretur, quomodo ſtomachi, & hepatis, atque aliorum membrorum perfectio operationum ſalvari poſſet, ut aſſeris? ratio enim formalis morbi eſt lædere, ſed ægrotante toto corpore, læſio eſſet magna, quæ facillime cognoſceretur, & demonſtraretur, ſed hic juvenis nullam habet læſionem in toto, ergo tibiæ non ægrotant à communitate totius. Quare concludo hanc ægritudinem eſſe per eſſentiam, licet facillime poſſem confiteri in parte poſſe evenire per colligantiam alicujus membri debilis. Solent enim membra fortia, & ſuperiora, ſuperfluitates ſuas ad membra debilia expellere, ut dicit Avicenna *prima primi capitulo de membris in fine capituli*. Iſtis

Positis iterum dico hanc dispositionem appellari ægritudinem seu morbum, nam ex ea sequitur immediate sensibile nocumentum in operationibus, hujus rei testis est Avicenna *secunda primi capitu. primo.* præterea ista ægritudo aut erit ægritudo in natura complexionis, aut unitatis, aut compositionis, tenet consequentia à sufficienti divisione membrorum comprehensorum sub his generibus, ut patet *secundo techni.* Genera autem lapsuum sunt eadem his, quæ virtutem complent, hoc idem dicit Avic. 2. *primi cap.* 2. Et quod non sit ægritudo compositionalis patet, quia non peccat in figura, neque in receptaculo, neque in via, neque in quantitate, neque aucta, neque in numero, neque situ per absentiam propriorum signorum, relinquitur ergo quod non debet poni sub ægritudine compositionali.

Neque etiam est ægritudo in unitate, nam nulla est soluta continuitas proprie, aut improprie dicta. nam ibi nulla est extensio, neque distractio, neque est aliqua soluta continuitas in carne, in nervo, musculo, chorda, seu panniculo, & sic de aliis, igitur non est ægritudo in unitate. Quare à sufficienti divisione concludendum est hanc ægritudinem esse complexionalem, & demum esse materialem. Et quod non proveniat à mala complexione immateriali, manifeste liquet: nam ipsa aut esset simplex aut compositа, si simplex aut esset calida, frigida, sicca, aut humida, humida vero per se non causat dolorem, ut dicit Avicenna *secunda primi capitulo de causis doloris.* Si vero ab aliis qualitatibus, tunc aut eveniret ab extrinseco aut ab intrinseco, si ab intrinseco, aut fuit facta repente, aut paulatim, sed nulla complexio paulatim eveniens causat dolorem, non calida (nam sequeretur quod ethicus sentiret dolorem) non frigida (quia eadem ratione paralyticus sentiret dolorem) nec etiam mala complexio sicca paulatim eveniens causat dolorem, ut patet in ethica senectutis. Nec etiam possum invenire modum, per quem dolor iste proveniat à mala complexione simplici, vel compositа immateriali subito facta, nam tales species malæ complexionis non fuerunt positæ à medicinæ doctoribus, nam non habent causas productivas ipsarum, & si aliquis eas imaginaretur, difficile esset eas reperire absque materia. Facillime enim decipiuntur medici in similibus casibus. nam eo quia non vident tumorem in loco, arguunt non provenire à materia, & maxime quia pauca aut nulla reperitur gravitas, tumor enim semper materiam significat, & ejus absentia non significat semper ejus privationem, nam potest materia esse in profundo &c. Et plura alia in hac materia speculatione digna adducere possem, sed brevitati studens relinquo. Quare concludo hunc dolorem provenire à mala complexione calida & sicca materiali, videlicet à materia cholerica sanguini mixta partim facta partim fiente, sed hic prætermittam. Utrum hæc læsio sit diminuta, corrupta, aut ablata, & cui virtuti hæc passio sit attribuenda, propter opiniones varias philosophorum & medicorum in hac materia repertas, nam aliqui firmiter asserunt, quod hæc passio est attribuenda virtuti appetitivæ membri patientis. Medici vero communiter tenent quod est attribuenda virtuti sensitivæ tactivæ, sed de his hactenus, ne incidamus in scyllam volentes evitare charybdim, nam esset discutiendum, cui particulæ hæc tristis sensatio esset attribuenda, nam aliqui attribuerunt carni, ut Aristot. *secundo de partibus animalium capitulo secundo de tactu, & primo de historiis animalium capitulo sexto, & secundo de anima capitulo de tactu textu & com. cxvj.* Secunda opinio attribuit eam nervo, & hanc opinionem sequitur Aver. *secundo Colliget. capitulo de juvamentis membrorum*, & Gal. *lib. 9. de juvamentis cap. secundo & tertio techni*, & Avicenna *prima primi cap. de membris*, & *doctrina 5. summa tertia capit. de sermone universali de nervis & quarta quarti. t. quarto.* Tertia vero opinio ponit, quod debet attribui carni nervosæ. Resolutionem harum opinionum superius tractavimus, reliqua a te ipso legendo invenire poteris. Et quia dixisti diversiones, minorationes, evacuationes, cæteraque medicinæ instrumenta in hoc casu fuisse his diebus elapsis adhibita, hac de causa de sola mitigatione doloris loquar, dicens, quod pro infallibili, & expertissimo, ac promptissimo remedio in hoc casu istud facere debes. Recipe *gypsi torrefacti. libr. iij. boli armenæ libr. j. s. sanguinis draconis lib. s. gallarum, mucum cypressi, balaustiarum ana unc, ij. misce & fiat pulvis subtilissimus, & cum albuminibus ovorum fiat mixtio*, & in continenti applicetur in ambabus coxis supra genu sex digitos. & fac ut tota hac mixtura circuantur, & demum Recipe *sumach, summitatum rubi, foliorum olivarum ana manip. j. foliorum & nucum cypressi, gallarum ana man. ij. aluminis lib. iiij. aquæ extinctionis chalybis mastellum unum, fiat decoctio ad consumptionem tertiæ partis, & permittatur bene infrigidari in loco frigido*, & laventur tibiæ, embrocentur, atque in supradicta aqua actu frigida infundantur, statim enim æger percipiet maximum juvamentum, non solum ratione suæ frigiditatis, verum etiam suæ stipticitatis dolore aliqualiter sedato, quia his mediantibus cessabit fluxus materiæ, quæ in membro comprehensa non poterit recurrere, & esse causa reaggregationis, attractionis novarum materierum, quare indicatio surgit de ejus remotione, seu ablatione, quare consulo ut intret stuphain siccam, aut saltem stuphentur tibiæ, nam aperientur pori, subtiliabitur materia, & natura adjuta arte, per sudorem eam expellet, & sic gravitas in tibiis percepta alleviabitur, & constrictio facta à supradicta lotione remittetur, & hoc fiat tribus diebus aut quatuor continuis, observatis canonibus dictis in primo tractatu, demum evacuata in totum materia iterum confortentur pedes, & tibiæ cum supradicta lotione actu calida, ut melius penetret. sed scire te oportet, quod lotiones cum decoctione rerum stipticarum, ut est *alumen, sal, rosa, cortices quercus, psida, balaustia, & aquæ alumnosæ, & salsæ, & sulphureæ*, valent in declinatione, nam in principio, augmento, & statu, summopere nocent, valet & in hoc casu aqua, in qua coria aptantur. VULGUS. Copiose curam regularem intellexi, tempus est ut aliquid de irregulari cura dicas. MEDICUS. Audi obsecro, de cura vero irregulari & mendosa per narcotica, quia ipsa sunt contraria vitæ, calorem naturalem extinguentia, quantum possibile fuerit vitari debent, nec ab istis dolorem sedantibus incipere debemus, nisi magna cogente necessitate. Medicina enim narcotica seu stupefactiva in membro in quo applicatur, sensum & motum aufert, vel nimium hebetat, saltem sensum, & ideo appellatur stupefactiva, quoniam stupor est hebetudo sensitivæ cognitionis, ut in ecstasi positis, quia vero motus & sensus vigent per naturalem calorem, ideo necesse est ut stuporem efficiant medicinæ narcoticæ mortificando, vel nimium hebetando calorem naturalem in instrumentis sensus & motus, scilicet in membro & spiritu animato, quæ tamen necessitas exspectari non debet, sed cum dolor, vel causa ejus minatur futuram necessitatem sedationis doloris per narcotica, illico ipsa sunt adhibenda, & ne in eorum approximatione error cadat, aliquo pacto debes confortare ægrum ad patientiam, ne ex dolore accidat spasmus, aut syncope, & deinde mors, sed ad sedantia summa cum diligentia pervenire debes, nam cum accidentia causam superant, ordinem curationis pervertunt: nam si tu attenderes morbo, relicto dolore, ægro non potente ipsum sufferre, perduceres eum ad mortem, quare Avicen. præcipiente. *j. quarti* ad curam accidentis pervenire debes, & hoc idem tenet Rhasis xxv. *Continentis* sub his verbis, statim cognita ægri conditione, quod non durabit cum eo virtus cum ipso dolore, dum tollatur morbus, debet cito procedere ad dolorem mitigandum, nam ut dicit Avicenna loco superius allegato, omnis dolor fortis valde interficit, nam ex tali dolore accidit in primis frigiditas corporis scilicet post calefactionem, & multam resolutionem spirituum, & frigiditas, & tremor, & demum pulsus fit parvus, deinde destruitur, & postea moritur, non enim dubitandum est ægrum extrema passurum, dolore ad syncopem perducente, nisi narcoticis subveneris, & in hoc casu applicare ipsa poteris, & hoc est sanum, & perfectum peritissimorum medicinæ doctorum consiliuum, hæc tria respiciendo, primum ut faciat dormire sensum. Secundo ne aliqua læsio magna remaneat affixa membro. Et tertio ut ex eorum administratione membrum ægrotans adjuvetur magno adjutorio, ac etiam alia membra adjuventur, sicut hepar, & stomachus, & hoc dico, quia ad potum narcoticorum sequitur corruptio digestionis, vel ejus debilitas, Avicenna tamen *quarta primi* instruit medicum ut consideret dolorem, & constantiam virtutis, & in hoc debet habere bonam mensurationem, & fortitudinem existimationis, ut sciat utrum duorum temporum sit longius, tempusne fixionis virtutis, aut tempus doloris, & quæ duarum rerum sit ei deterior, an dolor, an finis malus, qui ex stupefactione timetur, ut eligat ei studium, & consideret quod magis est impediens, fortasse enim, si dolor remanserit in fortitudine & magnitudine sua, interficiet, & stupefactio fortasse non interficiet, & ex alia parte fortasse impediet, cujus impedimentum corrigi potest, & si illa redibit forsitan, & tu redibis cum re convenienti, quapropter complexionem, & compositionem stupefacientis considera, ac etiam ipsius qualitatem, ut id quod facilius est exhibeas, & cum hac bona existimatione in narcoticorum exhibitione attende canones infra scriptos, non exhibendo ea nisi correcta per ea quæ prohibent congelationem, ut *piper, castoreum, crocus*, & non exhibeantur nisi cum confortantibus spiritum, & principia vitæ, cum *spica, zedoaria, doronico*, debent etiam misceri cum his, quæ sedant materias agitatas, ut *olibanum, sandaracha, mastiche*, & sic de aliis.

Primus canon est, ut exhibeantur vesperi, & in hora consueta somni, quoniam cum habeant somnum inducere, facilius & citius ipsum inducent illa hora sumpta propter con-

consuetudinem, quam natura habuit ad tunc dormiendum, & quia consuevit natura in somno consueto digestionem intendere, fortasse tunc convertet se supra materiam, si qua fuerit, & ipsam digeret.

Secundus canon est, ut non dentur supra cibum, sed stomacho ab eo evacuato, ut non corrumpatur cibus, dimittatur ergo nutrimentum seu cibus, quando intentio est exhibendi ea, & non solum ante exhibitionem, sed etiam post eorum assumptionem, donec operatio completa fuerit, hoc enim tempus varium est pro diversitate ipsorum narcoticorum in quantitate, & qualitate, & tempore productionis operationum suarum, quidam autem conjecturant hoc tempus debere esse ad minus quinque horarum, & quidam plurium, nisi virtus coëgerit ad celerius cibandum, & debet cibus iste esse paucæ quantitatis, facilis digestionis, propter debilitatem digestionis secutam ad potum ipsorum.

Tertius canon est ut, si in corpore fuerit repletio humoralis, permittatur ejus evacuatio, si fuerit constantia virtutis. Quartus canon est, ut nec continua, neque frequens fiat ipsorum exhibitio, sed interposita, & rara. Quintus canon est ut cum vino exhibeantur calido, quia celerius deducuntur ad actum, & maxime vinum convenit cum quæritur stupefactio membrorum longinquorum, & præcipue in corporibus strictarum viarum, quoniam vinum facilitat eorum penetrationem. Sextus canon est, ut succurratur nocumento ipsorum relicto in aliquibus membris, & hoc cum his, quæ in propriis capitulis ponuntur, & inter illa invenies, quod *oleum chamæmeli, aut castorei conjunctim aut divisim, in quibus fel tauri bullierit*, removet nocumentum impressum in membro, in quo narcotica fuerunt administrata, si cum dictis frequens facta fuerit illinitio, seu embrocatio.

Mitigantia vero cum stupefactione hæc sunt, videlicet *psyllium, aut ejus mucillago, coriandrum recens, radix granati sylvestris, mandragora, papaver nigrum, papaver album, opium quod est ejus gummi, aut lac ejus, aut ejus succus, poma mandragoræ, & semen ejus, & cortex radicis ipsius, semen lactucæ, hyoscyamus ruffus & niger, solanum, nix, & aqua frigida*, & alia hujusmodi. Sed ut dicit Avicenna *quarta primi*, opium est fortius omnibus stupefacientibus, & ex omnibus supradictis meliora ex eis sunt sicca, nam humida narcotica non regulatur facile natura, tu vero ex supradictis simplicibus composita facere poteris, & composita meliora, & securiora sunt simplicibus, quia malitia eorum est refracta ex corrigentibus. Composita vero fermentata debiliora sunt, tamen sunt meliora, & magis eligenda. Et ex istis tam simplicibus quam compositis quædam sunt debilia, quædam fortia, & quædam mediocria, semper tamen consulo, (& maxime ex dictis Avicen.) ut a levioribus, & cum suis theriacis incipias, nisi dolor fuerit valde intensus, qui forti indigeat stupefactione. VULGUS. Quid faciendum si dolor a communitate totius evenerit? MEDICUS. Provideas toti corpori secundum dyscrasiam, & ad materiam, quæ vim obtinet obsistendo, ut verbi gratia si sit a mala qualitate sola, provideatur cum contrariis. Si vero ex aliqua fuerit humorali materia a toto proveniente, provideatur cum quatuor intentionibus, prima respicit totum corpus mandans, secunda respicit membrum dolorosum. Si vero proveniret a communitate membri particularis, easdem intentiones observabis, & scias volo, quod tota vis curationis in membri mandantis cognitione consistit. Prima vero intentio completur evacuatione, & diversione illius materiæ, quæ potest compleri cum phlebotomia, aut cum medicina solutiva, quæ omnia superius in cura generali, & regulari copiosius scripsi. Secunda vero intentio completur cum confortantibus scilicet stipticis calidis aut frigidis secundum dispositionem illius materiæ, ne recipiat membrum illos vapores, & hoc post evacuationem, ut dixi, nam si primo intenderis membro mandanti, & ingenio fuerit tuo membrum dolorosum confortatum ne recipiat, errabis, eo quod illa confortantia sunt stiptica, & ut plurimum frigida, & vapores in membro doloroso collectos, stringendo poros, conculcabunt, & retinebunt, nec propterea multitudini vaporum obsistet, & aliquando etiam majus inde malum sequitur, & est quia illa frigida, & stiptica convertunt vapores versus materiam humoralem in aqueam materiam eos deducentia, quæ materia retenta in membro doloroso potest grande malum facere, & sic dolor non sedabitur imo augebitur, licet in aliquibus casibus ista non sint observanda, ut alias dixi, sed potius a frigidis est incipiendum, & hoc ut remittatur caliditas, secundo ut prohibeatur nocumentum, quod posset supervenire nisi in tribus casibus, primus est, quando talis dolor accideret a vaporibus calidis multis. secundus quando vapores essent acuti provenientes a toto corpore, & jam in membro recepti. tertius quando vapores multi continerentur jam in membro doloroso.

Tertia intentio, quæ est ad prohibendum vapores, tribus modis compleri potest. Primo per diversionem eorum ad partem oppositam scilicet cum ligaturis, frictionibus, ventosationibus, & sic de aliis. Secundo confortando membrum, à quo vapores elevantur, ne ipsos generet aut eorum materiam, nec ab aliis membris eorum materiam, seu dictos vapores suscipiat. Tertio cum resolutione dictorum vaporum in ipso membro mandante.

Quarta intentio est resolutio vaporum aut materierum relictarum, aut alteratio malæ dyscrasiæ relictæ in membro doloroso, quæ adimpleri debet præmissis intentionibus supradictis cum anodynis, & resolventibus cum facilitate.

Si vero ab aliquo membro particulari materia fluens dolorem causaverit, in tali casu curatio debet compleri cum sequentibus intentionibus. Et primo rectificabis membrum mittens, ne in eo superfluitates generentur, quod utplurimum completur cum alteratione ejus complexionis naturalis, & cum confortatione digestionis ipsius membri, ita ut partem sui nutrimenti bene digerat. Secundo cum minoratione materiæ, quæ fluit, & ipsius evacuatione, & minoratio ejus completur cum abstinentia a cibis, & potibus repletivis, & proprie illius materiæ generativis, ut membrum mittens præcipue inaniatur, quod inanitum non habebit materiam ad mittendum, sed potius ob sui indigentiam ab aliis attrahet. Evacuatio vero fieri potest cum aliquo ex modis convenientibus ad evacuandum secundum quod melius videbitur convenire.

Tertio cum diversione materiæ ad loca apposita membro recipienti. Quarto cum rebus ingrossantibus materiam fluentem, & sic prohibentibus eam à fluxu. Quinto cum rebus constringentibus meatus per quos illa materia mittitur, qui si fuerint extrinseci, & manifesti, facile constringentur cum ligaturis, & appositione stipticorum, nabentium eos constringere, & coadunare. Si vero occulti, & intrinseci fuerint, difficulter fiet ipsorum constrictio. Sciendum tamen est eos coadunatos reddere cum constringentibus interius sumptis. Membrum autem recipiens confortabis cum stipticis, unientibus ipsius substantiam, nam membra stipticis remediis confortata repellunt materiam ad se fluentem, sed cave in principio istis repellentibus uti, & maxime non præmissa evacuatione repletione existente in membris vicinis, sed repletione, diminuta, & remanente loco vacuo ad recipiendum materiam repulsam. & si in membro recipiente aliqua fuerit causa suæ debilitatis, vel attractionis materiæ ad ipsum, corrigatur veluti opus erit. Et si aliqua portio materiæ remanserit jam fluxa in membro, resolvatur cum resolventibus, sive attractione, quæ unicuique nota sunt. VULGUS. Patienter audi, & ignorantiæ meæ veniam da, si importunus fuero, nam mens mea non parum ambigua existit, an pudendagra fiens omnino possit auferri per ablationem, causæ quum ipsa in parte sit fiens, & in alia parte facta, nam, si recte memini, auctoritate Galen. dixisti, prius causam abscindendam esse, deinde intendendum ad ægritudinem factam. MEDICUS. Dico quod pudendagra fiens omnino aufertur per ablationem causæ, eo quia secundum esse totum pendet à causa, & per ejus absentiam aufertur, non tamen cujuscunque, sed conjunctæ, similiter & pudendagra futura fieri aufertur per ablationem causæ antecedentis. Et non decipiaris in verbis Galen. à me allegatis, videlicet quod oportet prius unamquamque causam prius &c. nam τὸ prius non dicit ordinem operationis, sed intentionis, quasi velit ibi Galen. dicere, quod in ægritudine fiente prius debemus attendere ad causam quam ad ægritudinem, non tamen prius operari, quia auferendo causam auferimus ægritudinem, nam auferendo causam conjunctam auferimus pudendagram fientem, & auferendo causam antecedentem curamus pudendagram futuram fieri: si vero cupis hanc materiam fusius intelligere, inquire Jacobum de Forlivio, & Ugonem Senensem. 3. *techni*. VULGUS. Dimissis generalibus ad particularia descende, & pono quod occurrant tibi tres homines hoc morbo laborantes, qui sint diversarum complexionum, diversarum ætatum, diversarum regionum, aut diversi sexus, curabis eos eadem via, ac eodem pacto. MEDICUS. Velle unicuique particularem curam inferere prolixa res esset, nam facillime ex superius dictis unusquisque in medicina mediocriter eruditus elicere eam poterit, quamobrem ea operæ pretium duxi prætermittere, nam ut dixi præsens medicus in eorum cura observabit intentiones curativas regulares, quæ compleri possunt triplici instrumento, videlicet diæta, potione, & chirurgia, & eligere poterit antidota, quæ meliora sibi videbuntur. VULGUS. Quid? si medicus idoneus non reperitur, & patiens conqueritur de dolore pruritivo cum pustulis grossis crustosis siccis, ac cum ulceribus difficilis consolidationis. MEDICUS. In hoc casu instituta diæta in sex rebus non naturalibus, super omnia caveat sibi a

rebus ſalſis, & acutis, ac ab omnibus aromatis, & ab his quæ in primo tractatu ſcripſi. Item digeratur materia in hoc caſu cum iſto ſyrupo expertiſſimo, cujus deſcriptio talis. Recipe *ſucci fumi terræ, ſucci apii, endiviæ, boraginis, lupulorum, fœniculi depuratorum ana unc. ij. ſucci bugloſſæ depurati libr. j. in quibus infundantur ſenæ drach. iij. polypodii drach. j. ſ. ſeminis aniſi drach. j. turbith. drach. j. cinnamomi electi ſcr. j. & ſtent per diem & noctem in infuſione: deinde bulliant uſque ad conſumptionem medietatis dictorum ſuccorum. & ſi nimis fuerint inſpiſſati, cum aqua bugloſſæ, & lib. dimidia ſacchari fiat ſyrupus*, inſcribatur ſyrupus contra pudendagram exempli gratia. Recipe *ſyrupi contra pudendagram ſuperius ſcripti unc. j. aquarum lupulorum, fumi terræ, & endiviæ ana unc. j. miſce*, & exhibeatur in aurora actu calidus, & non comedat poſt tres horas, debet autem ſumi ad minus ſeptem diebus, *fumus terræ*, ut volunt doctores medicinæ, ſolutionem facilem operatur, educendo choleram & humores aduſtos, & ejus virtus pervenit ad venas, mundificando, & clarificando ſanguinem. Quibus completis luna exiſtente in bono loco, & extra malos aſpectus, exhibeatur unum de ſolutivis in tract. de pudendagra ſcriptis, prout melius videbitur medico. Et quantum poſſit caveat a phlebotomia, nam in hoc morbo non competit, niſi in principio, antequam puſtulæ appareant, ut volunt doctores, puſtulæ vero non ulceratæ exſiccantur ab extra, cum hoc expertiſſimo unguento de ſulphure vivo intitulato, ex quo tantum puſtulæ inungantur in mane eo quia aliqualiter ardorem infert, & quia ſuperius dixi, quod imprimis dolor eſſet mitigandus, & hoc unguentum dolorem infert, eſſet implicatio contradictionis, & hac de cauſa talis inunctio in mane fieri debet, ne dolor in nocte ſuperveniat, & poſt duas horas inunctionis removeatur unguentum, & deſuper apponatur parum de unguento populeon, cujus deſcriptio talis eſt. Recipe *olei nucum unc. iij. butyri recentis unc. j. ſ. ſulphuris vivi unc. j. argenti ſublimati drach. v. ceruſſæ drach. ij. pulverizanda pulverizentur, miſceantur, & fiat unguentum.* Unguentum iſtud poteſt fortificari addendo magis de *argento ſublimato*, aut poteſt remitti ejus acuitas minuendo doſim *argenti ſublimati*, & ſi loco *olei nucum* poneres *oleum oleandri*, operationem faceret mirificam. Valet etiam iſta aqua. Recipe *aquæ plantaginis lib. ſ. argenti ſublimati drach. j. ſ. aluminis crudi unc. ſ. pulverizanda pulverizentur, & miſceantur*, & cum iſta aqua cum una penna intingantur puſtulæ, in tribus enim aut quatuor diebus cadent. & ſi appoſita aqua in puſtula ipſa cum digito confricabitur, curabitur, ſed prima vice agitetur ampulla, ut pulvis bene miſceatur cum aqua. hæc aqua poteſt poni in lingua. interim inter ſtupham ſiccam, quæ facillime cum tina habente ſolaria duo fit, & inter iſta duo ſolaria ponatur arena, & ſuper arenam lapides igniti ponantur, cum hoc quod ſecundum ſolarium ſit in multis partibus perforatum cum quadam tripode etiam perforata ad modum vaſis ad alvum exonerandum parati, in qua ſedeat infirmus, quæ cum tentorio ex panno laneo cooperiatur, in qua ſtupha ſudet quantum ſufferre poterit, & hoc in mane ante cibum, poſtea exſiccetur, & intret lectum mundiſſimum, & ibi ſtet per horam, & interim exſiccetur caput. hæc autem ſtupha continuetur ad minus una hebdomade, ibi enim aperientur pori, & natura evacuabit materiam, aut vaporem cauſantem dolorem pruritivum, quibus completis, confortentur membra cum his quæ dicta ſunt, nam ſic dolor alleviabitur, imo & perfecte curabitur, ſi Deus voluerit, quare memoriæ manda quæ ſuperius dixi. nam mihi crede veriſſimam, ac regularem curam invenies, nam hoc pacto infinitos liberavi, hoc non prætermittendo ut omni die infirmus capiat pillulam unam de *aloë lota*, & hoc continuet quaſi per annum, quantum enim aloë in ſcabie antiqua & mala conveniat, lege Avicennam *ſeptima quarti, capitulo de cura ſcabiei*, cujus verba ſunt iſta. *& fortaſſe liberat ex ſcabie mala antiqua, ſi aſſiduetur potus aloës, ſed frequenter tribus diebus, omni die ſumendo aureum unum, deinde tenetur poſt diem & diem: aut dimittatur tribus diebus, & iteretur.* &c. Et non cures de dicto Rhaſis *primo Continentis capite*, ubi dicit quod aloë virtute ſua inducit ſubeth: reliqui vero pertinaces, & medicinam olfacientes, non ſunt audiendi, nam in iſtis dimittere ſenſum, & quærere rationem imbecillitas intellectus exiſtit: nonne vident experimentum ratione eſſe vallatum? quod ex dictis eorum manifeſte liquet: fatentur enim curam regularem eſſe à centro ad circumferentiam materiam hunc morbum cauſantem propellere, & poſtmodum interdicunt ſtuphas, & præſertim ſiccas, & ſibi ipſis contradicunt, iſtæ enim ſtuphæ ſiccæ moderate calefactæ ſudorem provocant, aperiendo poros, & humiditates attrahendo: quare non modo materiam antecedentem, verum enim vero materiam conjunctam, hujus morbi evacuant, & ſic cauſam abſcindunt, hæc enim intentio principalis, & canonica in unoquoque morbo materiali à doctoribus prædicatur, & præcipitur. Inſuper quod oculis patet, non eget probatione aliqua: infinitos à me curatos ſupradicta via convocent, eosque interrogent, nam eis fidem indubitatam adhibeant, quoniam hoc modo caput, ſtomachus, & hepar confortantur. Et præſertim tempore frigido capiendo in mane ſequentes aquas actu calidas. Recipe *aquarum ſublimationis foliorum & florum roriſmarini, & radicum recentium iridis, ſeparatim ſublimatarum ana unc. j. ſ. ſacchari fini unc. j. miſce* rori marino, cui, ut te non latet, ineſt mirabilis, & maxima proprietas mundificandi arterias, & venas totius corporis à mala materia propter maximam vim conſumptionis, & exſiccationis ſuæ: iris vero deoppilat, & aperit vias urinales, & mundificat hepar evacuando aquoſitates ſuperfluas: vel utatur *aqua ſublimationis chamæmeli:* nam ipſa omnia viſcera confortat, urinam provocat, lapidem frangit: confert etiam omnibus febribus provenientibus à putredine humoris groſſi, etiam quod viſcera eſſent apoſtemata: habet enim ſupradictas proprietates non ſolum ratione partium componentium, ſed etiam ratione formæ mixtionis: nam componitur ex partibus ſtipticis conſtringentibus, & aperitivis regulantibus, ſed aperitiva, & reſolutiva virtus aliis dominatur: & ideo ea prius incipit operari, demum ſtiptica virtus operatur, & hoc accidit ex fortitudine commixtionis: inde eſt quod in morbis materialibus in caliditate non excellentibus aperit, & reſolvit, non attrahendo materias, nec diſgregando, nec ſubſtantiam membri diſſolvendo. Similiter expellit fortius quam exprimat cum apertione: & hoc accidit ab aromaticitate fixa inſeparabili, & ſuavi, principalia membra confortando, & præcipue ſtomachum, nullum membrum notabiliter dyſcraſiando, eo, quia ejus complexio non elongatur à complexione temperata, & ſi ſupradicta aqua fieret ex floribus & herba, fortius operaretur. Et nota, quod iſtæ aquæ non debent exhiberi corpori extenuato, & exſiccato. quantum etiam in hoc caſu valeat *chelidonia* tu ipſe ſcis. Super omnia recorderis defendere pedes, ne ulcerentur, aut in eis puſtulæ generentur, nam impeditis pedibus morbus prolongatur, & cum difficultate curatur eo, quia maxima pars curationis in omni ſpecie pudendagræ in exercitio conſiſtit: pedibus vero impeditis non poſſet uti exercitio: & ſic cura eſſet impedita: quare ſummo ſtudio confortabis pedes, cum his quæ ſubſtantiam membrorum relaxatam, & extenſam uniunt, cum convenienti caliditate, & ſubtilitate exſiccationis: & talia proprie dicuntur confortantia: & hæc facillime poteris exercere cum lixivio, in quo cocta fuerint infra ſcripta. Recipe *ſalis communis lib. ſ. aluminis crudi. lib. j. foliorum roris marini, foliorum lauri, & olivæ ana man. j. foliorum & nucum cypreſſi. man. j. ſ. gallarum lib. ſ. lixivii communis boccalia xvii. miſce, & bulliant ad conſumptionem quartæ partis, & uſui reſerva:* & in mane pedes laventur cum dicto lixivio actu calido, & poſtea bene exſiccentur, & ſi moleſtaretur à ſiti, & à ſiccitate oris, utatur hoc condito cum aqua cocta. Recipe *conſervæ roſ. unc. ij. ſ. corticis citri cum ſaccharo conditi unc. j. pulveris diamargariton frigidi drach. ij. ſacchari albiſſimi lib. j. miſce, & fiat conditum*, & ſi libet deauretur. VULG. Prætermiſſo dolore exaſperativo, die quid fiendum in dolore pungitivo? de quo ut plurimum infecti à pudendagra conqueruntur, & maxime in parte anteriori tibiarum, & in ea panniculi parte ſunt denudati, & hac de cauſa ſenſibiliſſima nocte ducunt inſomnes. MED. Iſte dolor, ut dixi, convenit panniculis, & cauſa hujus eſt humor pungitivus, aut corroſivus, aut ab hoc humore elevata ventoſitas, aut vapor, qui humor ſeu vapor tranſmittitur ab aliquo membro principali ad locum doloris, & ibi extendendo panniculum pungendo, aut penetrando hunc cauſat dolorem: intentiones curativæ quaſi ſunt eædem cum ſupradictis, licet principaliter membrum mandans ſit evacuandum ab humore acuto pungitivo, & ſi fuerit valde longinquum, evacuetur cum medicinis attrahentibus, & inſtituatur diæta in ſex rebus non naturalibus, localia vero, & dolorem ſedantia, quæ bipartita ſunt, ut ſuperius dixi, perquire: ſed inter alia mihi peculiaria, completis intentionibus univerſalibus, provocata materia peccante à centro ad circumferentiam, ut decuit in tali caſu, licet multa vere & mendoſe dolorem ſedantia fuerint à me ſcripta, nihilominus pro infallibili & mihi expertiſſimo remedio utere *oleo facto ex decoctione radicum cucumeris aſinini, hyoſcyami, & vermium terreſtrium*, cujus deſcriptio talis eſt. Recipe *radicum cucumeris aſinini, & hyoſcyami per medium diviſorum, ſcilicet per longum ana lib. iij. olei communis dulciſſimi. lib. xij. vermium terreſtrium in vino ſuffocatorum centum numero, vini rubri lib. ſ. hæc omnia coquantur ad conſumptionem vini, & quartæ partis olei, & coletur & uſui reſervetur*, ex quo actu calido in exitu ab ſtupha inungantur loca dolentia, & hoc fiat ante prandium, & ante cœnam. & ſi dolor non ſedaretur, iterum inungatur in nocte. & ſi bene

ne conſiderabis, invenies rem veram, mihi crede expertiſſimam, nam omnia requiſita ad hunc dolorem ſedandum in compoſitione hujus olei ingrediuntur: ſedato dolore confortentur membra cum lixivio in cura doloris pruritivi deſcripto. VULGUS. Quid fiendum in dolore extenſivo? MEDICUS. Quia talis dolor à ventoſitate, ſeu à materia extendente accidere poteſt, idcirco notandum, quod ventoſitas generatur à materia ventoſabili, & a calore diminuto, id eſt, diminuiter potente: nam eo quia non poteſt reſolvere, diſſolvit, & cauſat ventum, & animadvertendum an iſte calor diminutus ſit in toto corpore, aut in aliqua parte corporis, & an talis ventoſitas ſit ſuavis, aut acuta, & mordens, ut recte judicare poſſis naturam humoris peccantis, & quia principaliter nervi & lacerti ſunt patientes in hoc dolore, de cauſa in ejus cura medicus debet eſſe oculatus, & cauſatur iſte dolor ut dicit Aver. 7. *Colliget*, à materia ſeu humiditate converſa in ſubſtantiam aëream, & ſic in ventoſitatem: & propter hoc nervi, ſeu lacerti eam laborioſe continent, ſicut apparet in utre vini bullientis: & accidit hoc propterea, quod partes aëreæ indigent majori capacitate, quam partes aqueæ, & B terreſtres, quia occupant plus de ſpatio quam illæ: & hoc eſt utplurimum, eo quia poſſibile eſt materiam extendere membrum ſua corpulentia, & cauſare dolorem. quare concludendum erit dolorem extenſivum, ut dixi, debere fieri in membro multum ſenſitivo, & extenſivo, quales ſunt nervi, & lacerti, & præſertim accidit nervis, & muſculis adjutorii, & aſſæ, & in nervis & muſculis coxarum, & tibiarum extrinſecis aut intrinſecis, ſi extrinſecis & cutaneis ad tactum comprehenditur, quando comprimitur aut conſtringitur, & de hoc lege Galen. 2. *ad Glauconem*, & Rhaſim 8. *Continentis* dicentes, locantur ventoſitates groſſæ, & vaporoſæ in membris poſt panniculos circumferentes oſſa, & muſculos, & inflatur muſculus ab hac ventoſitate, & ſi fuerint frigidæ, generabunt dolorem vehementem cum depreſſione corporum, quæ prohibent, ne reſolvantur ipſæ ventoſitates, ſupple & ſi fuerint in muſculis exterioribus, dolor non erit ita vehemens, quia habent ipſæ ventoſitates viam paratam reſolutioni. dicit præterea Galen. 2. *de interioribus*. & Rabbi. xii. *particula ſuorum aphor.* cum dolor eſt in pelliculis oſſa circumdantibus, patiens ſentit ſenſum doloris in interioribus corporis, & in pro- C fundo membri, in quo eſt, & imaginatur quod dolor ſit in interioribus offium ſuorum, & hac de cauſa ab aliquibus iſte dolor vocatur perforatio offium: & in hoc dolore utplurimum ex compreſſione levi membri dolentis non augetur dolor, ſed potius alleviatur, & aliquando in tali dolore non percipitur caliditas aucta in membro doloroſo, & aliquando caliditas ad tactum percipitur propter malam complexionem calidam inductam in membro, & dicit Rhaſis xii. *Continentis* auctoritate Galeni, quod ipſe vidit aliquos convaleſcentes, qui conquerebantur de dolore coxarum, ac tibiarum cum caliditate inventa ad tactum. Curetur iſte dolor variis modis ſecundum varietatem cauſarum: ſi cauſa enim fuerit mala complexio, cum ſuo contrario removeatur, & ſi materia eſt evacuanda evacuetur. Si vero fuerit à mala complexione cum dominio ſanguinis, vel choleræ ſanguini mixtæ phlebotometur: & ſi dolor fuerit in muſculis brachii poſt phlebotomiam factam in parte oppoſita, fiat ex parte eadem hoc pacto, ſi dolor fuerit in muſculis exterioribus ſecetur cephalica exiſtens inter pollicem & indicem, & ſi talis dolor fuerit in parte D domeſtica ſecetur ſalvatella exiſtens inter annularem, & auricularem digitum, & dolore exiſtente in coxa aut tibia & in muſculis partis domeſticæ, ſecetur ſaphena: & ſi fuerit in muſculis partis ſylveſtris, phlebotometur arteticа. Si vero dictus dolor accideret à materia frigida ventoſabili, evitetur phlebotomia, & digeratur humor, ac etiam evacuetur, ut in præcedentibus ſcripſi, quibus peractis ad localia pervenire poteris: & primo incipies à fomentatione facta cum *oleo chamæmelino*, demum cum *oleo ſuperius ſcripto de cucumere aſinino*. & ſi cum iſtis non alleviatur, *fiat decoctio unius vulpis cum pelle, in ſufficienti quantitate aquæ, in qua folia lauri, roriſmarini, chamæmeli, & matricariæ poſita fuerint ad conſumptionem medietatis & ſeparationem offium à carne. demum coletur, & in dicta colatura adde oleum commune ad proportionem medietatis aquæ, & iterum ſimul bulliant ad conſumptionem tertiæ partis* & cum hac decoctione fomententur membra dolentia, aut infundantur dicta membra, & præſertim tibiæ in dicta deco- E ctione, & hoc continuetur aliquibus diebus. & ſi dolor in totum non fuerit alleviatus, emplaſtretur locus cum *emplaſtro facto cum radicibus althææ, & axungia porci veteri*, & ſit emplaſtrum groſſum trium digitorum: & ſi vis ut fortius operetur hoc emplaſtrum, ſuperadde *farinam fabarum*: vel aliter Recipe *ſucci anethi, ſucci caulium ana lib. ij. mucil. fœnugræci, & feminis lini ana lib. ſ. olei violati unc. viij. olei de ruta lib. ſ. olei de chamæmel. lib. ſ. farinæ feminis lini, & fœnugræci ana unc. v. farinæ fabarum* A *quantum ſufficit, miſce, & fiat emplaſtrum.* & actu calidum applicetur membro dolenti, videlicet, aliqua pars dicti emplaſtri. ſedatis vero doloribus confortentur membra, ſicut dixi, & ne ægrotus recidivet, confortetur ſtomachus, cerebrum, & hepar, utaturque *pillulis de aloe lota cum aqua chelidoniæ*. VULG. Quid fiendum in dolore compreſſivo? MED. Jam dixi quod iſte dolor capiebat nomen ab effectu, videlicet à compreſſione, quæ facillime fit in carne muſculoſa, & cauſatur vel à multitudine materiæ, aut à ventoſitate: ſi a materia cauſaretur, dolor eſſet continuus, ſed quia ut plurimum eſt paroxyſmalis, omni nocte invadens, credendum eſt evenire à ventoſitate, curabis eum, ſicut curaſti dolorem extenſivum. VULGUS. Sunt nonnulli qui ſentiunt in brachiis, & tibiis, & præſertim in ſuperficie ſimilitudinem ulcerum, ita ut non permittant ſe tangi, ac ſi talia membra eſſent excoriata. MEDICUS. Hic dolor accidit à multitudine ſuperfluitatum ſubtilium, & acutarum, & à liquefactione carnis, & adipis, aut humoris mali, qui ſi cum ſanguine bono miſceretur, peſſimas cauſaret ægritudines, ipſum inficiendo, & in eandem materiam convertendo, & hac de cauſa natura corporis regitiva irritata ſequeſtrat eum, & expellit eum ad ſuperficiem, & ad exteriora, ejus vera cura eſt digeſtio, & evacuatio dictæ materiæ, alteratio membri læſi, & demum confortatio. VULGUS. Prætermiſſo dolore percuſſivo, ac laxativo, eo quia in hoc morbo non ſolent accidere, dic precor aliquid de dolore frangitivo. MEDICUS. Quia iſte dolor fit à materia groſſa, & viſcoſa, & in profundo poſita, ut apparet in quartana, in qua videntur oſſa frangi, licet oſſa ipſa non ſentiant, ſed panniculus cooperiens ipſa: poteſt etiam accidere à ventoſitate intercluſa inter panniculum, & os, poteſt etiam accidere à frigiditate fortiter conſtringente, in cura cujus tres intentiones obſervabis. Prima erit ad abſcindendam cauſam. Secunda ad ipſum dolorem ſedandum. Tertia ad confortationem membrorum læſorum. Prima intentio completur cum evacuatione ſeu diverſione ſi opus fuerit cum his quæ ſæpius dicta ſunt. Secunda intentio compleri poteſt cum omnibus dictis dolorem ſedantibus. Tertia etiam intentio etiam ſcripta eſt &c. VULGUS. Quia in pudendagra dolor neque perforativus, nec acualis, nec gravativus, nec ſtupefactivus, nec etiam pulſativus huc uſque mihi omnino occurrit, hac de cauſa de eis ſub ſilentio tranſire decrevi, nihilominus quid fiendum in dolore fatigativo? MED. Iſte dolor ut plurimum evenit poſt ſomnum, & fit à communitate capitis: ejus cura eſt ſimilis curæ doloris frangitivi. VULGUS. Quid de dolore mordicativo complicato cum impetigine? MEDICUS. Iſte dolor infeſtat membra intrinſeca, & non extrinſeca, nam aliter non differret à dolore pruritivo, & fit à materia habente qualitatem acutam, per quam corrodit, & mordicat: impetigo vero idem eſt, quod ſcabies impetuoſa, quæ ut plurimum accidit à materia ſubtili mixta cum groſſa, quæ ab aduſtione ſanguinis non completa, ſed modica generatur: & quia talis materia in parte eſt ſubtilis, ideo natura facilius, & velocius ad cutim eam expellit, ſed ratione aliqualis portionis materiei groſſæ ſecum commixtæ remanet in cute, ſeu juxta cutim, & ibi cauſat impetiginem, eo quia materia ſubtilis ſuperat groſſam: ſi vero eam non ſuperaret, in tali caſu ſerpiginem cauſaret, quæ in forma & colore non parum differunt, nam ultra formam rotundam, quam facit materia impetiginis, etiam ruborem, & cruſtas in loco inducit, quod ſecus evenit in ſerpigine, nam ejus color eſt niger, cruſtæ enim ut dixi fiunt à materia ſicca, & viſcoſa, cui cholera eſt admixta, & propter dictam choleram ad cutim expulſam color rubeus efficitur, qui tendit ad colorem pulmonis, & variatur ſecundum intenſum & remiſſum penes diverſitatem materiæ facientem ipſam. VULGUS. Antequam ad particularem curam venias, dic mihi quare una genita in paucis diebus plures ei ſimiles circumquaque pullulant, & quare utplurimum hæc materia deſcendit ad partes inferiores, cum de natura humoris calidi ſit aſcendere, & non deſcendere. MEDICUS. Scias quod hoc accidit quia prima attrahit multum de illo corrupto humore, etiam à natura expellente, & ſequeſtrante à membro nobili, & forti ad debile, & ignobile evenit, ex quo humore aliæ generantur. & quia talis motus a natura factus aliquando eſt violentus, hac de cauſa deſcendit, ſeu inferius tranſmittitur, & non aſcendit veluti deberet ſecundum ejus naturam, & ſecundum varietatem mixtionis iſtorum humorum variæ generantur deſœdationes, ac varii dolores. Nunc vero, quid in hac complicatione fieri debeat, de novo ſcribere ſupervacuum mihi videtur, nam ſæpe dicta & ſcripta reiterando cum tuo bono ingenio, colliges utiliora, & meliora, quæ tibi videbuntur eaque adminiſtrabis. Reliquum eſt ut aliqua pernicioſa unguenta, quæ mihi hoc caſu litterarum ignavi deceptores noſtris temporibus uſi ſunt, & in præſentiarum utuntur, deſeri-

bam

bam, cum quibus maximam auri copiam devorarunt. præ-
termitto interitus, cruciatus ſecundum aliqua ſeu plura
membra, contra quos protomedici nullam faciunt inquiſi-
tionem, profecto impie agunt; ſed his cum ſua craſſa
conſcientia dimiſſis, dico quod primi in curatione puden-
dagræ uſi ſunt unguento Sarracenico poſito à Gui-
done chirurgico, in capitulo de ſcabie, in quo non
pauca quantitas argenti vivi ponitur, ubi dicit, quod ar-
gentum vivum nocet membris principalibus, dentibus, &
gingivis, operatio iſtius unguenti eſt educere ſuperfluitates
per os, & per axillas reſudando, ex quo ſufficit ut extrema
inungantur ad ſolem, aut circa ignem: ſi meditaris ope-
rationem ejus, manifeſte malignitatem comperies, cujus
deſcriptio talis eſt. Recipe *euphorbii, lithargyrii ana lib.
ſ. ſtaphiſagriæ quartum. ſ. argenti vivi quartum unum,
axungiæ veteris porci lib. i. incorporentur in mortario, &
fiat unguentum.* Alii vero clam in domibus ſuis, aut
in hoſpitiis hoc unguentum faciebant, quo utebantur, pro-
mittentes mirabilia, deſcriptio cujus talis eſt. Recipe *thu-
ris, maſtichis ana unc. ij. ſ. ceruſſæ lib. ſ. ſ. lithargyrii,
unc. ij. argenti vivi unc. iiij. axungiæ porcinæ lib. ſ. ſ. olei
roſati unc. iiij. miſce, & fiat unguentum*, ex quo totum
corpus ungebant actu calido novem diebus continuis, cum
quo unguento plurimos decepit ille, qui mihi ipſum in ma-
ximo ſecreto dedit, aſſerens ſe perfecte Cardinalem Sogo-
bricenſem curaſſe, qui procul dubio non diu vixit, nam
cum hoc unguento eum maraſmavit.

Alii vero emunctoria tantum ungebant cum hoc un-
guento, mirabilia pollicentes, utinam Alphonſus de Bor-
gia, & ejus frater cauſam ſuam agere poſſent de tam ac-
celerata morte, hic enim temerarius pœnas lueret. un-
guentum illud tale fuit, cujus deſcriptionem ab ipſo Al-
phonſo habui. Recipe *cineris vitis lib. ſ. axungiæ porci-
næ. lib. ij. ſ. argenti vivi cum ſaliva hominis jejuni ex-
tincti. lib. iiij. miſce, & cum ſucco arantii fiat unguen-
tum.*

Alii vero ex *terebinthina de pino, maſtiche, ceruſſa,
thure, argento vivo, extincto cum ſaliva humana, axungia
porcina ſine ſale, oleo roſato, & pice Græca* unguentum
conficiebant, cum quo infinitos interfecerunt ſicut præ-
cedentes. Supradicta unguenta tanquàm à peſte fugienda
ſunt, & contra practicantes inſurgant, ſi velint, proto-
medici, aut ipſa natura humana clamabit, interficiuntur
homines, non moriuntur, qui ſi non in hoc ſæculo, in
alio tamen reddent rationem, & ſubmergentur in puteo
pœnitentiæ, a quo Deus clemens pius & miſericors nos
liberet. Sed iſtis dimiſſis, poſtquam nec a ſanctitate Do-
mini N. nec ab Imperatore, nec a Regibus, & aliis
Principibus ulla facta fuit cautio, quæ facilis foret, ſi in
Civitatibus, ut ſæpius eis dixi, eligerentur matronæ in-
quirentes publicas mulieres infectas, cum auxilio brachii
ſæcularis, ſeparantes eas ab aliis non infectis, in domo
aliqua, ſeu hoſpitali, quo uſque a deputatis medicis eſſent
curatæ.

FINIS.

# GASPARIS TORRELLÆ, *Epiſcopi Sanctæ Juſtæ*, DE ULCERIBUS IN PUDENDAGRA, TRACTATUS.

Quia de ulceribus tractare intendo, dicam impri-
mis quid nomen ulceris importet, deinde quid
rei. Ulcus vero dicitur ab oleo quia olet.
Quid rei dico, quod eſt ſolutio continuitatis,
accidens cuti, & carni cum pure, quare non
fallitur, neque errat ille qui dicit, quod ulcus eſt plaga pu-
trida, & per hoc quod dico cuti & carni, differt ab exco-
riatione, ſeu ſcarificatione: nam in excoriatione, ſeu ſca-
rificatione non removetur niſi ſuperficies cutis, quæ po-
teſt regenerari, cum non ſit membrum ſpermaticum, ut
ſit in ſerpentibus dimittentibus quocunque anno ſpolia,
hoc idem accidit in ſcabie, in qua non remanet veſtigium,
ſeu cicatrix, & per hoc, quod dico cum pure, differt à
plaga, quæ eſt ſolutio continuitatis, accidens cuti carni
propinquæ ſine pure. Cæterum ſcire oportet ſolutionis
continuitatis cauſas in generali, demum particulares, nam
ut inquit Ariſtot. *primo phyſ.* unumquodque ſcire arbitra-
mur, cum ſcimus cauſas primas, principia prima, uſque
ad elementa.

Cauſæ igitur ſolutionis continuitatis, aut ſunt extrinſe-
cæ aut intrinſecæ. Cauſæ venientes ab intrinſeco ſunt ſic-
ut humor comedens, & adurens, aut humor pungens,
quia ſolvit continuitatem membri ſua acuitate, & pene-
tratione in partes ipſius membri, aut eſt humor hume-
ctans, & laxans partes membri, quare eſt cauſa per acci-
dens, qua una pars laxa ſeparatur ab alia, vel quia ſua
humiditate ſit cauſa putrefactionis membri, aut eſt humor
ſiccus ſcindens ſua ſiccitate crepaturas, & fiſſuras inge-
rens in membrum. Aut humor frigidus conſtringens &
trahens ſua frigiditate partes, in qua contractione ſeparan-
tur aliæ ab aliis, aut humor calidus rarefaciens, & dila-
tando ſolvens, aut cauſa ejus eſt humor multus ſua mul-
titudine extendens, & extendendo ſeparans, & ſolvens, aut
eſt humor, qui non extendendo, ſed conſtringendo move-
tur, & conſtrictus gravat partes membri, quæ petentes lo-
cum infimum, a non gravatis ſeparantur & ſolvuntur,
aut eſt humor penetrans in partes membri forti motu, &
fortitudine ſui motus, & penetrationis quaſdam partes i-
pſius membri ſeparat ab aliis, aut eſt ventoſitas extendens,
ſive impingens partes membri, quare ſeparantur, aut eſt
aliquid corroſivum conducibile ad humorem, ut ſanies,
ſive virus in exitura ſine alia continuitate contentum, &
ſicut urina acuta, aut lacryma mordicativa, & ſimilia, ut
catarrhus corroſivus. Cauſæ vero coadjuvantes ad facien-
dam ſolutam continuitatem, ſunt motus fortes virtutis
expulſivæ in expellendo nocuum violento impetu, & non
ſecundum curſum naturalem, & ex eis ſunt motus cor-
porei, cum fuerint fortes ſuper repletionem corporis gran-
dem, ad tales enim fortes motus quandoque ſequitur ru-
ptura venæ, vel arteriæ, aut ſiphac cauſans herniam inte-
ſtinalem, aut eminentiam umbilici, & ad hos motus for-
tes corporeos deducitur vox fortis, ad quam plerumque
ſequitur ruptura venæ in partibus pectoris.

Cauſæ vero extrinſecæ inducentes ſolutam continuitatem
ſunt ſicut corpus extendens membrum, donec ſeparetur
ejus continuitas, ut funis, vel ſimile funi, aut res pon-
deroſa cum elevatur, aut movetur, vel defertur, aut res
incidens, ſicut gladius, aut contundens, ſicut lapis, vel
clava, aut ſcindens, aut quod pungit, ſicut acus, vel ſpi-
na, quod mordet ut canis, aut quod perforat ſicut ſagit-
ta, aut quod urit ſicut ignis, vel medicina cauſtica, & ad
has cauſas poteſt reduci vermis ſub cute generatus, vel in
ulceribus, aut lumbricus in ſtomacho, vel in inteſtinis exi-
ſtens: ex iſtis facillime poteris ſcire cauſas ſolutionis con-
tinuitatis ſimplicis, aut compoſitæ.

Et licet ſupradictæ cauſæ poſſint cauſare ſolutam con-
tinuitatem tam intrinſecam quam extrinſecam, id eſt,
membrorum tam intrinſecorum quam extrinſecorum, ta-
men intentio mea impræſentiarum eſt loqui directe de ul-
ceribus extrinſecis, quæ viſu & tacta dignoſcuntur,
quare non ponam ſigna demonſtrativa, neque progno-
ſtica, ſed ipſis tanquam notis dimiſſis ad curam acce-
do.

Medicus volens curare unumquemque morbum debet
conſiderare primo res præter naturales. Secundo res na-
turales. Tertio res non naturales. Et licet res præter
naturam ſit triplex, videlicet morbus, cauſa, & accidens,
quæ indicant debere auferri, tamen principalis intentio cu-
rativa ſumitur à morbo, ſcilicet ab ejus eſſentia, teſtatur
hoc Galenus tertio tegni. Quare in ulceribus intentio cu-
rativa erit ſumenda a ſupradictis tribus rebus generalibus
principaliter, & generaliter a re præter naturam. Primo
à morbo. Secundo a cauſa. Tertio ab accidente. Secun-
dario vero à rebus naturalibus, & principaliter à natura,
& virtute corporis ſeu membri. Tertio à rebus non natu-
ralibus, & principaliter ab aëre.

Cura igitur generalis ſumitur ab eſſentia morbi, videli-
cet à ſoluta continuitate, dico quod intentio generaliſſima
curativa eſt unitio, nam ſolutio continuitatis eſt ſeparatio
membrorum ſecundum naturam unitorum, & continua-
torum, ſeu contiguorum, quæ demonſtrat nobis debere
curari per ſuum contrarium, ſi poſſibile eſt, licet non omnis
ſoluta continuitas poſſit uniri, ut eſt abſciſſio brachii, nam
tale membrum non unitur ſecundum primam, nec ſecun-
dam

dam intentionem, neque poteſt regenerari, ſecus accidit lacertis, & ſerpentibus, quibus, ſi caudæ ſcindantur, regenerantur, uniuntur enim ſecundum primam intentionem membra conſimilia, ſeu homiomera, & hæc eſt vera unio, & propria, nam talia membra vere uniuntur à ſe ipſis, nullo extrinſeco addito, ſeu interveniente ad uniendum partes eorum. Secunda vero intentione uniuntur membra non vere, quia non poſſunt uniri a ſe ipſis, ſed ab aliquo extrinſeco adveniente colligente partes ipſorum, & hæc unio aſſimulatur quaſi primæ ſupradictæ, ut ſit de duobus lapidibus unitis per calcem &c. Uniuntur igitur vere membra mollia ſanguinea, ſicut caro, pinguedo, nam eorum ſubſtantia eſt mollis, glutinoſaque multum conferunt ad ipſarum adhærentiam, deinde propter abundantiam materiæ nutrientis in eis, quæ eſt partis deperditæ materia, demum quia ipſa facile convertitur in eam, tandem propter fortitudinem agentem in illam converſionem, & illam unionem ſcilicet virtutis nutritivæ. De membris autem mediis in mollitie, & duritie, videlicet quæ non ſunt mollia, ſicut caro, neque dura, ſicut os, de quorum numero ſunt nervi, chordæ, venæ, arteriæ, panniculi, & quædam ligamenta, quid determinandum circa eorum unionem? abſolute reſpondere, eſt difficile propter varias opiniones.

Dimiſſis opinionibus, quæ magis tangunt doctrinam vulnerum quam ulcerum, nota iſtas xiiij. conditiones: ex quibus facillime judicare poteris, utrum ulcera, per te curanda, ſint facilis aut difficilis curationis

Prima eſt ipſius ſimplicitas vel compoſitio, nam ſimplex ulcus facile curatur, compoſitum vero difficulter.

Secunda eſt figura ulceris, nam ulcus rotundum difficulter curatur, longum facile.

Tertia eſt deperditio ſubſtantiæ, vel ejus non perditio, nam ulcus cum deperditione ſubſtantiæ cum difficultate curatur, ſine deperditione facile. Quarta eſt ulcus cum deperditione partis membri organici. Quinta eſt ulcus cum duritie, & tale difficile curatur, cum non tali mollitie facile. Sexta eſt, quando ulcus eſt in membro exſangui, ſeu carente ſanguine, tale enim difficulter curatur, contrarium accidit, ſi membrum non eſt exſangue. Septima eſt, ſi ulcus fuerit in membro ſubtili, ut in panniculis, veſica, tale difficulter curatur, ſi vero fuerit in membro groſſo, facile, ſi in mediocri, mediocriter. Octava eſt nobilitas membri, aut ejus ignobilitas, nam ſi ulcus eſt in aliquo membro nobili, ejus curatio eſt difficilis, aut impoſſibilis, ſecus autem accidit in membro ignobili. Nona eſt motus membri, & ipſius quies, nam motus membri ulcerati impoſſibilitatem, & difficultatem facit, ut patet in pulmone, & arteriis, & diaphragmate, quies vero facilitatem. Decima eſt inceſſus ſuperfluitatum ſuper membrum ulceratum, nam earum inceſſus difficultatem arguit, ut patet in meri, ſtomacho, inteſtinis, veſica, matrice, & virga. Undecima eſt, quando non poſſunt debite ulceribus medicinæ approximari. Duodecima eſt, quando corpus eſt repletum multis ſuperfluitatibus, ut ſunt corpora cacochyma, in talibus ulcera ſunt difficilis curationis, contrarium vero accidit corporibus mundis. Decima tertia eſt ſitus membri in alta vel infima parte corporis, nam ulcera in membris ſuperioribus facile curantur, quæ vero ſunt in inferioribus, difficulter. Decima quarta eſt profunditas, nam ulcus profundum cum difficultate curatur, non profundum vero facile.

Nota, quod in quolibet membro duplex humiditas ſuperflua adunatur propter cibum expulſum, & tranſmiſſum à natura ad dictum membrum, & hoc contingit tam ex diſpoſitione cibi, ſive materiæ nutrimentalis, quam etiam ex diſpoſitione virtutis nutritivæ, non enim virtus nutritiva eſt infiniti vigoris in alterando cibum, & in aſſimulando, quilibet enim cibus partes habet ineptas quaſdam ad ſuſceptionem formæ membrorum, & itaque tam ex parte agentis deficientis in ſua actione, quam etiam ex parte ipſius cibi, ſive materiæ, nullus cibus eſt quantum ad ſuas partes omnes in membris convertibilis, ſed remanent in membris ex eo quædam partes ſuperfluæ, aut quia ſunt in viis ſubtiles aquoſæ, & non potuerunt coagulari, ut recipiant formam membrorum, aut quia ſunt nimis groſſæ, terreæ, & non potuerunt bene inviſcari cum aliis, quæ ſuſceperunt formam membrorum, ſupradictarum duarum ſuperfluitatum quæ ſubtilis eſt vaporoſa, expellitur inſenſibiliter, & groſſa vero facit formam, quæ ſuper cutem invenitur, aliquando quæ media eſt inter eas, ſudore expellitur, ſed in ægris non eſt ſic, & proprie in membris ulceratis, & hoc ideo, quia omnis ſoluta continuitas membro adveniens, ipſum debilitat, quare non poteſt illas ſuperfluitates reſolvere, & expellere, & adjuvat ad multiplicationem ſuperfluitatum humidarum debilitas ipſius membri duobus modis, primo, quia ſicut forte & ſanum poteſt nutrimentum ſibi delegatum digerere, & convertere, ita debile nutrimentum ſibi delegatum digerere non poteſt, imo ex ipſo ſuperfluitates generantur. Secundo, quia ſuperfluitates aliorum membrorum non poteſt à ſe repellere, ipſæ tamen duæ humiditates in membro ulcerato repertæ non ſemper extrahunt membrum ulceratum à ſua naturali complexione ad complexionem humidam ægritudinalem, nam ſi ſic non eſſet, non reperiretur ulcus ſimplex.

Et licet Avic. & alii doctores medicinæ dicant, quod generalis intentio in cura ulcerum ſit exſiccatio (quæ non ſumitur ab eſſentia morbi, ſcilicet ipſius ſolutæ continuitatis, nam in tali competit unio) tamen hoc dixerunt, quia omnia ulcera ſunt humida, & licet doctores dicant, aliquod ulcus eſſe ſiccum, non abſolute intelligunt, ſed comparative ad ulcus humidius illo, aut quia compoſitum eſt cum aliquo morbo ſicco, aut cum mala complexione ſicca. Eget ergo omne ulcus, in quantum ulcus, exſiccatione ad hoc, ut uniatur, & ſiccum confert ulceri, in quantum ulcus per ſe, licet per accidens humidum poſſet ei conferre, vel competere. Ex quibus concludendum eſt, quod diæta in ulceribus debet eſſe exſiccativa: & cum hoc prohibitiva ab omnibus ſex rebus non naturalibus, quomodolibet lædere potentibus partes ſolutas. Frigiditas enim actualis lædit membra ulcerata, ut dicit Hippoc. 5. *aphoriſm. textu* xx. & intellexit tam de aëre frigido, quam de aqua, ſive de quocunque alio liquore, & cauſa hujus eſt, nam membra ulcerata, quæ ſunt denudata à cute, ſunt valde læſibilia ab occurrentibus imprimentibus, quia non habent cutem reſiſtentem impreſſioni illorum, frigidum ergo actu ulceribus occurrens, facile ea alterat infrigidando, & conſtringendo, & eſt cauſa, ut ulcera augeantur, quare mordet ea, quia cauſat in eis dolorem, ex quibus conclude, quod frigidum per ſe nocet ulceribus, licet aliquando per accidens poſſet juvare. Ille, qui patitur ulcera, debet angueſtias, ſollicitudines, triſtitiam, ſuſpicionem abigere, & lætari, & uti moderato ſomno, & vigilia, & quiete, & præſertim membri ulcerati, nam ſi manus eſt ulcerata, poteſt eam alligare pectori, & cætera membra exercere, & ſi in tibiis, & pedibus ulcera forent, tunc medicus præcipiat frictiones, in aliis regatur patiens regimine temperato. Et ſi corpus eſt plethoricum, & repletum, evacuetur: tandem nota, quod non omnia ulcera egeant exſiccatione, nam ulcera male morigerata cum putrefactione, & ulcera cum concuſſione non egent exſiccatione, nam talia debent, ut dicit Rhaſis xiiij. *Continentis*, humectari, & calefieri, ut fiat materia velociter putrida, aut quia ſunt cum mala complexione ſicca, aut cum febre acuta, aut aliis. Aliqui tamen volunt, quod ſi ulcera ſunt in membris inferioribus, quod fiat evacuatio, ſi poſſibile eſt, per vomitum, ſin autem fuerint in membris ſuperioribus, fiat cum ſolutivis, & iſtæ evacuationes, ſi poſſibile eſt, fiant in principio. Quum enim videris ulcera augeri abſque manifeſta cauſa exteriori, indica illud evenire aut à mala complexione membri, vel ejus duritie, aut à malitia ſanguinis, ſive humoris, ſive materiæ nutrimentalis defluentis ad locum ulceratum peccante quantitate, aut qualitate, aut quantitate & qualitate ſimul. Medicus etiam providere debet, ne in ulceribus mala eveniant accidentia, quæ eorum curam divertant, ſicut dolor, & præſertim ſi fuerit vehemens, ac etiam ne ulcera permutentur ad fœdum colorem, aut quod in eis generentur vermes, aut ſuperveniat aliquis fluxus ſanguinis, & ſic de aliis.

Et ut ſupradicta, & inferius tractanda, poſſint recte à medico perfici, opus eſt, ut dicit Avicenna iiij. i. non ſolum complexionem patientis cognoſcere, verum etiam ipſius proprietates occultas, quibus convenit cum medicina vel diſcrepat, quamvis hujus non ſcientia, ſed ſola experientia haberi poſſit. Et dicunt, quod non ſolum eſt neceſſaria cognitio totius corporis, ſed etiam membrorum particularium, ut ſex res non naturales, quæ alterant, & conſervant totum corpus, debite poſſint adminiſtrari, & hoc idem intelligunt de evacuatione, licet in hac parte reperiantur variæ opiniones, & præſertim circa auxilia localia, quidam enim dixerunt, quod non erat opus conſiderare naturam totius corporis, ſed ſufficiebat conſideratio naturæ membri ulcerati, & ratio eorum eſt, nam ulcus alicujus membri particularis eſt morbus particularis, & ipſe ſolus lædit operationibus, quare ſufficit ut conſideratio ſola ſit de illo membro. Alii autem dixerunt, quod non ſolum erat conſiderandum membrum ulceratum, ſed etiam totum corpus, & ajunt, quod non eſt medicus, qui curat membrum corpore non mundificato, nam in quocunque membro ſive ſano, ſive ægro, ſunt duæ complexiones, una eſt innata, quæ eſt illi membro propria ex actione qualitatum elementorum, componentium membrum, in ejus generatione producta, & ſecundum hanc ſumitur in-

dicatio curativa, quæ dicitur ſumpta à complexione, ſive à natura membri, alia eſt influens, quæ cuilibet à principalibus influit, quæ eſt illa, quæ actuat complexionem innatam membri ad agendum, quæ complexio influens à principalibus dicitur eſſe complexio totius corporis, & ſecundum hanc ſumitur indicatio curativa, quæ dicitur ſumpta à complexione, ſive natura totius, & quod ab utraque dicta complexione ſit ſumenda indicatio curativa in curatione ulcerum per auxilia localia, apparet manifeſte, nam quælibet ipſarum eſt principium operationis membri, & hæc fuſius ſcribuntur à Galen. *tertio de ingenio ſanitatis*, cum quibuſdam difficultatibus, & rationibus, quas propter brevitatem non adduco.

Cave ne error accidat tam ex parte tua, o medice, quam ex parte infirmi, ſeu aſtantium, ne aliquod accidens curam impediens ſuperveniat, & hoc prohibere poteris, ut ſuperius dixi, cum inſtitutione congruæ diætæ tam in quantitate quam in qualitate, materiam etiam divertendo, ventrem fluidum reddendo, motum prohibendo membri ulcerati, medicinas acutas, & omne, quod dolorem inferat, fugiendo, & ſic de aliis, & ſuper omnia non tradas oblivioni quod dixi, ſcilicet, quod membrum ulceratum eſt debile, & membra alia fortia ad ipſum tranſmittunt ſuperfluitates ſuas, ulterius propter ſuam debilitatem non poteſt bene, & integre convertere nutrimentum ſuum, quare humectatur, & labitur ad humiditatem præter naturam ſuam, unde habenda eſt ratio de tali lapſu, & de conſervatione naturæ membri, ſeu de ejus præſervatione ab ulteriori lapſu. Non eſt qui ignoret ulcera habere iiii. tempora, ſicut cæteri morbi, & ſecundum diverſa tempora diverſis egere appoſitis, ſeu medicinis, nam in principio apparent humores aquoſi, & indigeſti, & ſubtiles, deinde paucificantur, & ingroſſantur, poſtea magis diminuuntur, & dealbantur, & ultimo conſolidantur. Si vocatus fueris ad curationem ulceris, & illud non inveneris complicatum cum diſpoſitionibus prohibentibus curam ipſius: aut ſi inveneris ipſum cum illis complicatum, & eas jam amoviſti, tunc antequam incipias carnem generare, medicinas adhibe digeſtivas, ut putredinem faciant, & ſaniem, ſanie generata dimitte digeſtiva, nam ſi cum ea continuares, efficeretur ulcus ſordidum, & retardaretur generatio carnis, imo inſiſte cum mundificativis illius ſaniei, ſeu putrefactionis, & tunc velocius caro generatur, licet aliqui dicant, quod digeſtiva non ſunt applicanda in ulceribus, niſi in iiii. caſibus. Primus, quando ulcus eſt concavum cum deperditione carnis noviter ablatæ, nam in tali caſu oportet ut digeratur, & fiat ut in eo ſanies generetur.

Secundus eſt in ulcere compoſito cum contuſione. Tertius eſt in quocunque ulcere alterato ab aëre. Quartus in ulcere ſequente exituram, ſive per ſe aperta fuerit, ſive per artem cum medicina aut ferro. Super omnia non obliviſcaris tenere apertum ulceris orificium, ut per illud poſſit mundificari prout oportet. Et quia in ulceribus, ut habetur iii. de ingenio ſanitatis, propter debilitatem partis aggregatur humiditas ſuperflua, remolliens ſubſtantiam partis, & ipſam putrefaciens, idcirco Avic. iiii. *quarti*, *t.* 3. *c.* ii. dicit, quod omnia ulcera egeant exſiccatione quadam, nam ulcera, in quantum in eis eſt ſoluta continuitas, egent unione, quæ fieret, ſi non eſſet ſupradicta humiditas, ut dixi ſuperius.

Signum, quod ulcus provenit à mala complexione calida, eſt rubedo, & calor apparens in labiis ulceris cum nimia ſanie ſubtili, quia caliditatis eſt ſubtiliare, & liquefacere, & juvari frigidis.

Si vero ulcus provenerit a mala complexione frigida, labra erunt alba, livida, vel pallida, mollia, ſordida cum ſanie multa & groſſa.

Si vero ulcus provenerit à ſiccitate, labia erunt ſicca, aſpera cum pauca ſanie, ſive fuerit ſubtilis, ſive groſſa. Si provenerit à mala complexione humida, tale ulcus erit molle cum multa ſanie groſſa, & juvabitur à medicinis ſiccis. Signa digeſtionis non ponam, quia habentur per ſenſum, ut dixi ſuperius. Signum mundificationis eſt, quod medicina abſtergens, & mundificans pungit, & mordicat illud, quod ante mundificationem non pungebat, neque mordicabat, quando ſordities erat in ulcere, & ex iſto ſigno elige hunc canonem, quod ſi medicina mundificativa pungit, & mordicat ante perfectam mundificationem, in tali caſu muta medicinam minus abſtergentem.

Si vero inveneris ulcus mundum ſuperficiale, & non profundum, & repletum carne ſufficienter, tunc fiat conſolidatio cum eo, quod non habet mordicationem. Si vero ulcus eſt ſordidum, utere abſtergentibus mordicantibus, quo uſque ulcus efficiatur mundum, & ſi iſta ſupercalefaccrent membrum, utere levioribus & remiſſioribus. Et ſi ulcus efficitur rubeum ex appoſitis, permuta illico ad infrigidantia, & ſi membrum dealbatur, utere calefacientibus. Super omnia attende quod tempus conſolidationis eſt, quando caro eſt æqualis ſuperficiei corporis.

Cave à mutatione diverſorum remediorum, ſed potius ſurpabis unum unguentum, ſeu remedium ad minus tribus diebus, & hoc auctoritate Avic. *quarta quarti tex. tertio cap. ſecundo.* ubi inquit, de illis, quæ ſunt neceſſaria in curatione ulcerum, eſt, ut dimittatur medicamen ſuper ulcus tribus diebus, deinde diſſolvatur. Nota tamen, quod ſi in ulcere pus, virus, aut virulentia multiplicatur, frequenter medicamen debet mutari. Scias præterea, quod ulcera facilius curantur in æſtate, & temporibus ſiccis, quam temporibus humidis, & nihilominus temporibus calidis medicinæ frequenter debent mutari, & in tali tempore non dico ſemel, ſed bis, ter, & quater mutari debent appoſita, & hæc ſufficiant pro generali cura ulcerum. Et quia ſuperius de digeſtione in prima intentione pauca, ut chirurgici ſolent, dixi, nunc pro majori intelligentia de ea fuſius ſcribam: ulcera enim digeſta apparent, quando in eis ſanies laudabilis apparet, quare inpræſentiarum, quid doctores de ſanie loquantur, breviter tractare decrevi. Et dico, quod ſanies eſt humiditas alterata, & putrefacta, generata à ſanguine, vel carne contrita, velut cinis à lignis per calorem naturalem, & extraneum, & hoc vult Conciliator magnus *differentia* cc. vij. & Hippoc. *prognoſticorum commento ultimo.* Hic ſolet quæri, unde eſt quod ſanies poſita in aqua deſcendit ad fundum, & phlegma reſidet: dicendum, quod phlegma ſui viſcoſitate reſidet non dividens aquam. Sanies autem eam poteſt dividere. Item ſanies eſt ſuperfluitas digeſta, & de ratione digeſtorum eſt, quod ingroſſentur, & fiant terrea, & ſic fiunt gravia, unde 2. *tractatu canticorum cap.* 2. dicitur, de natura ſuperfluitatis eſt, in quantum ſuperfluitas eſt, ut non remaneat in ea niſi pars terrea, de natura terreſtrium eſt, deſcendere ad fundum, & in ſumma ſuperfluitas cocta & digeſta gravis eſt, & indigeſta levis, ſicut apparet in catarrhis: hoc idem tenet Galenus *quinto de interioribus*, *capitulo tertio.* Sanies bona, & laudabilis, debet eſſe alba, quia natura agens in ipſam materiam, ut eam ſibi aſſimilet, quia eam non poteſt ſibi aſſimilare in ſubſtantia, aſſimilat ſibi in colore, & quia membra ſunt alba, licet appareant rubea ratione ſanguinis, hinc eſt, quod ſanies eſt alba, & ex hoc arguimus fortitudinem caloris. Secundo debet eſſe lævis, & æqualis in ſuperficie, quia non debet eſſe aſpera, neque mollis nimis, & non ſolum debet eſſe æqualis iſto modo, ſed debet eſſe æqualis quoad ſubſtantiam, & etiam quoad colorem, quia debet eſſe ejuſdem coloris per totum, quoad ſubſtantiam debet eſſe uniformis, & ex hoc arguitur, quod materia eſt habilis, & parata pati à calore naturali. Tertio non debet habere odorem horribilem. Sanies ut plurimum fit à ſanguine, nam alii humores non poſſunt ſaniari, niſi ſanguini miſceantur, & ratio eſt, nam ſaniatio fit per digeſtionem, quæ acquirit quaſdam diſpoſitiones laudabiles, conſimiles his, quæ acquiruntur in humoribus, qui debent nutrire, & hæc eſt ſententia Galen. *primo prognoſticorum comment. ultimo:* has autem diſpoſitiones non poſſunt materiæ recipere, niſi habeant aliquid de natura materiæ communis in nutricatione, ſicut eſt ſanguis, & hac de cauſa dixit Aver. *quarto col.* quod materia cholerica à ſanguine ſeparata, digeſtionem poterat recipere, & ideo Oribaſius *commento illius aphoriſ.* circa generationem ſaniei dicit, quod ſanies non fit niſi in illo loco, ubi ſanguis advenit, quare manifeſte ex dictis ejus concludi poteſt, quod à nullo humore ſine ſanguine generatur ſanies, & dictus Oribaſius addit, quod ad hoc, ut humor ſanietur, opus eſt ipſum eſſe calidum & humidum.

Sanies enim non fit alia de cauſa, niſi quia materia defluit ad membrum, vel materia, quæ eſt in membro, converti non poteſt ad naturam membri ex debilitate ipſius, unde generatur ſanies, & generatur pus, quia illud membrum eſt debile, & ad membrum debile à toto corpore tranſmittuntur ſuperfluitates, unde in pus, vel virulentiam convertuntur, aut generatur ſanies propter medicinas, vel unguenta, quæ ſunt calidæ, & humidæ complexionis, ſicut ſunt medicinæ maturativæ, & quia putredo vel ſanies generatur à calido, & humido, ut eſt videre *quarto meteororum*, & à re unctuoſa, quia res unctuoſa vel humida regi non poteſt à natura, ideo ſanies generatur, quia non ſolum à calore naturali, ſed etiam extraneo ſanies generatur: nam ſi calor naturalis ſolus ageret, faceret nutrimentum, & ſi calor ſolus accidentalis eſſet, faceret putredinem. Et ultra iſta ſcire debes, quod, ſi ſanguis exiret extra venas ſub forma humiditatis, non converteretur in ſaniem, ſed, quia exit ſub forma ſanguinis, ideo generatur ſanies. Sanguis enim, poſtquam exivit extra venas, neceſſe eſt ut putrefiat, ſed ſi in loco recluſionis ipſius ſit aliquid de calore naturali, tunc accidit ſanguinis diſpoſitio compoſita ex diſpoſitione extra naturam & ex diſpoſitione naturali, quare putreſcit pars ejus propter diſpoſitionem innaturalem, & quæcunque harum diſpoſitionum vincit, tunc ſignificationes operationis ejus ſunt magis vincentes in colore, odore, & ſubſtantia &c. iſta fuſius reperies, ut dixi, *commento ultimo primi prognoſticorum*, & *commen.* xxix. vj. *aphor*

*aphor.* Sanies alba, & non mali odoris est laudabilis. Si vero non fuerit alba & fuerit fœtida, mala est. Scias præterea quod in humoribus nostri corporis tres fiunt alterationes, quarum una est vera, facta secundum cursum naturalem, quæ vocatur digestio in juvativo, qualis est alteratio, quæ fit cibi in stomacho apud conversionem humoris, scilicet chyli generati ex cibo in visceribus, scilicet hepate & venis, aut quando nutritur ex eo unum quodcunque membrorum per illud quod venit ad ipsum ex illo humore, & fit ista alteratio à natura, scilicet à virtute digestiva mediante calore naturali solo, aut adjuto per cutim à calore naturali alterius hominis, vel alterius animalis ut catuli, & ista alteratio fit in materia benigna & bona. Secunda alteratio est præter cursum naturalem, quæ vocatur putredo, vel putrefactio, quæ fit à calore extraneo, & innaturali solum, scilicet in materia mala, & extranea, & derelicta à regimine naturæ. Tertia est alteratio media inter istas, quæ vocatur saniatio, quæ fit ex actione caloris naturalis, & innaturalis simul, in materia media non omnino benigna, nec omnino maligna, quæ non est à regimine naturæ derelicta: verum quia in loco continetur intraspiratio, à calore eripitur extraneo, & innaturali, prædicti tamen calores non agunt in materiam illam æqualiter, imo illa materia plus recipit actionem caloris naturalis quam accidentalis, & ideo illa alteratio plus tendit ad naturam digestionis quam putrefactionis, ut patet per colorem, odorem, & modum substantiæ materiæ saniosæ: propter quam causam Galenus eam membris radicalibus assimulavit, & propterea dixit, saniatio est una de operationibus naturalibus, quoniam est alteratio, in qua est aliquid digestionis: fit enim principaliter à natura, scilicet à virtute digestiva agente, ut illam materiam deducat ad benignum, & quia materia non est talis, ut possit vere ad benignum deduci, ideo efficit in ea dispositiones, quantum est ei possibile, similes & propinquas dispositionibus materiæ vere ad benignum deductæ. Facit autem operationem suam prædictam virtus digestiva mediante calore naturali membri, in quo continetur à materia sanianda, in qua actione nihilominus recipit juvamentum à dicto calore innaturali, & insuper recipit juvamentum in saniando materiam dictam à medicina saniativa, quæ etiam aliquando dicitur digestiva supra membrum apposita, quæ est illa, cujus proprietas est, ut acquirat humori digestionem, quoniam calefacit humorem cum æqualitate, cujus calefactionis æqualis non est subtile à grosso dividere, & separare, sicut caliditas fortis adustiva, imo est subtile & grossum simul decoquere, & permiscere, & in hac medicina saniativa est virtus contentiva: non enim debet esse sicca, à qua pervenit retentio vera, sed per hanc retentionem intellige quandam pororum membri clausionem, quam medicina saniativa efficit per substantiam suam, nam debet esse viscosa, & per viscositatem suæ substantiæ poros claudit, quorum clausione materia sanianda magis & melius tenetur applicata caloribus dictis in eis agentibus, quorum etiam clausione materia sanianda ipsi calores interius tenentur clausi, unde fortificantur, & maxime calor naturalis à calore æquali medicinæ etiam vigoratur, unde citius & melius saniatio perficitur. Duplex ergo est causa, quare medicina debet esse viscosa, una est ut contineatur calor naturalis interius, & non exhalet, sed vigoretur, nam calor naturalis unitus multiplicatur, & multiplicatus vigoratur, & vigoratus convertit se super materiam, & digerit illam. Secunda causa est, ut non accidat ex actione utriusque caloris, & maxime innaturalis humidi subtilis resolutio, & remanentia grossi, si enim fuisset aperitiva pororum, & exhalasset calor, & subtile resolutum fuisset. Nota præterea, & tibi ne persuadeas, necessarium esse omnem medicinam viscosam oppilativam ad saniem inducendam applicare, nam solum est applicanda, quando calor naturalis est debilis in comparatione ad materiam saniandam, unde necesse est ut multiplicetur, & roboretur, quod facillime assequi poteris cum medicina viscosa modo dicto.

Et quod non sit necessarium omnem saniativum esse viscosum, patet de aqua tepida, quæ saniat, & de vola manus. Duo enim sunt, quæ faciunt saniem, scilicet caliditas æqualis medicinæ, & ejus viscositas, & propter hoc chirurgici volentes saniem inducere utuntur altero istorum modorum, scilicet aut calefaciendo temperate, aut oppilando cum viscosis, nec est necesse, quod omne saniativum viscosum sit temperate calidum, quin imo potest esse frigidum, ut patet de *malva*, & *sicla*, & *violaria*, *farina hordei*, & similibus, nihilominus illa medicina maxime saniat, quæ est temperate calida, & viscosa. Calidum enim ut dicit Hippoc. *quinto aphorismo*, *textu*, & *commen.* 22. est saniem faciens, nam saniatio est quædam digestio & omnis digestio fit à calido, ut dicit Aristot. *quarto meteororum.* Si ergo chirurgici aliquando ad saniem generandam ponunt frigida, hoc faciunt non quia per se habeant saniare, sed ad removendum prohibens saniationem, ut magnam inflammationem inducentem corruptionem, non digestionem, & sic potest dici, quod frigida sanient per accidens, & isto modo reperitur de *solano*, & *hyoscyamo*, & multis aliis frigidis, quæ sunt saniantia: & scias quod quamvis saniativum viscosum simul cum calore naturali coërcet interius calorem extraneum & vapores, qui sunt causa corruptionis, nihilominus materia saniatur, & non corrumpitur, quia plus potest calor innatus in digerendo, & saniando, quam calor extraneus possit cum illis vaporibus in corrumpendo: debet tamen, ut dixi, talis medicina saniativa esse temparata, similis naturæ corporis, in quo administratur, nam medicina saniativa non habet facere operationem suam, scilicet juvamentum in saniando cum qualitate sui caloris, scilicet tantum, sed potius cum quantitate ejus, scilicet quam efficit in calore naturali, cujus quantitatem multiplicat caliditas medicinæ æqualis, & inviscatio ejus, qua oppilat poros, & continet ipsum in membro, & prohibet ipsum ab exhalatione: & nota quod non solum Avic. sed etiam Aver. atque alii medici volunt, quod talis medicina saniativa sit similis corpori, sed membro etiam, & quia corpora & membra sunt varia in complexione sua (habent enim latitudinem magnam in caliditate, in qua quædam sunt magis calida & quædam minus) quare latitudo medicinæ saniativæ est à prima mansione primi gradus usque ad secundam mansionem secundi gradus inclusive, ut cuique corpori propria correspondeat medicina saniativa sibi similis. ulterius scire debes, quod medicina saniativa non solum recipit varietatem penes varietatem corporum, & membrorum, verum etiam penes varietatem humorum saniandorum: alia est medicina saniativa humoris calidi, alia humoris frigidi variata secundum gradus diversos caliditatis ipsius. Et hæc etiam medicina non solum debet esse similis in caliditate, sed etiam in humiditate. Si enim velles inducere saniem in membro frigido, debes eligere medicinam in caliditate temperatam, vel parum declinantem versus remissam caliditatem, & quæ sit calida circa finem primi gradus, vel in secunda mansione & sic de aliis. Scias præterea quod medicina saniativa non solum debet esse calida, & humida potentia, sed etiam actu, ita quod non debet administrari actu frigida, neque in forma sicca, & dura: unguenta mollificantia, & humectantia & lenientia membrum sunt causa ut sanies in membro debili generetur. Saniem inducentia simplicia sunt aqua calida temperate, vola manus applicata, adeps, & pinguedines, & alia unctuosa temperatæ caliditatis, & illa non debent esse salita, quia sal reddit ea exsiccativa, cum debeant esse humectativa, *farina & semen lini*, *panis*, *frumentum masticatum*, *malva*, *violaria*, *sicla*, *althæa*, *branca ursina*, *cæpe lilii*, *cæpe narcissi*, *cæpe commune*, *allium*, *resina*, *pix liquida*, *œsypus humida*, *cera*, *terebinthina*, *caulis*, *anethum viride*, *butyrum*, *medulla cervi*, *vel vituli*, *caricæ pingues*, *dactyli maturi*, *passulæ enucleatæ*, *crocus*. Composita vero sunt *aqua tepida cum oleo simul mixtis*, cum concussione multa, quia sic acquiritur aquæ per oleum inviscatio, & *cataplasma ex farina tritici cum oleo*, & *aqua temperate cocta*. In materia calida valet hoc emplastrum, nam cito inducit saniem, & *fit ex corticibus radicum althææ confectis cum axungia porcina*, *vel butyro*, vel aliter. Recipe *farinæ frumenti lib. j. aquæ decoctionis caricarum*, *in qua postea immiseris crocum*, & *deinde decoque ad spissitudinem cum axungia & butyro.* Emplastrum saniativum in materia frigida, & grossa. Recipe *cæpe coctum*, *allium coctum*, & *corticem radicum althææ*, & *frumentum*, & *farinam fœnugræci*, & *confice cum axungia porcina.* Emplastrum factum ex *farina seminis lini*, *melle*, & *axungia decoctis cum succo ebuli*, & *porrorum*, si sæpius super apponatur, indubitanter saniem inducet, hoc idem faciunt *folia caulium contusa cum axungia porci*, & *sub cineribus cocta*, & melius operabitur, si cum istis apponantur *lumbrici*. hæc emplastra supradicta descripsi, ut quicunque copiam habeat medicinarum simplicium saniem inducentium, licet chirurgici raro istis utantur in ulceribus eis, nam habent unguenta accommodata, solent enim istis in hoc casu uti. Et antequam ad curam ulcerum veniam, scire te oportet, quod chirurgici in eorum curis utuntur aliquando medicinis corrosivis, aliquando causticis, aliquando abstersivis, aliquando generativis carnis, aliquando consolidativis, aliquando cicatrizativis, & ut hæc à te bene intelligantur, descriptiones earum enarrab[illegible] Et imprimis scias, quod medicina corrosiva est illa, cujus proprietas est, ut ex ejus resolutione & ulceratione de substantia membri minuatur, sicut *flos æris*, & omnis medicina calida in tertio gradu. Medicina caustica est illa, quæ consumendo carnem in superficie crustam generat, & talis medicina participat multa, & grossa terrestreitate, & licet sua igneitate carnem liquefaciat, eo quia siccissima est propter mixtionem igneitatis cum multa terrestreitate, propterea fortiter exsiccat superficiem, cui obviat,

viat, & fortem & duram cruſtam efficit, & crede mihi abſque A iſta medicina cum maxima difficultate aliquod ulcus ſequens puſtulas pudendagræ curare poteris, quare ſi cupis honorem habere, habeas aliquam familiarem medicinam cauſticam, & ea utere in dictis ulceribus, antequam ad alias intentiones devenias, nam ſi caro corrupta, quæ in labiis ulcerum exiſtit, non extirpatur, fruſtra laborabis in eorum cura. Medicina abſterſiva eſt, cujus proprietas eſt, ut moveat humiditates viſcoſas, & congelatas ab orificiis venarum, ſeu pororum in ſuperficie membri, ita ut elonget eas ab eo, & hæc calida eſt, & ſicca circa ſecundum gradum cum quadam ſubſtantia ſubtili, ſicut *mel*.

Medicina generativa carnis eſt illa, cujus proprietas eſt ut convertat ſanguinem ſupervenientem ulceri in carnem, præterea quod æquat complexionem ejus, & coagulat, & hæc eſt communiter ſicca in primo gradu cum temperamento activarum, aut ſaltem proportione ipſarum ad membrum paucæ ſtipticitatis paucæ abſterſionis, ſicut *thus*. Medicina conſolidativa, vere conſolidativa eſt illa, quæ exſiccat, inſpiſſat humiditatem ſtantem inter duas ſuperficies ulceris propinquas, ita ut convertatur ad conglutinatio- B nem, & viſcoſitatem, & adhæreat una earum alteri, ſicut *ſanguis draconis*, & *aloë*, & eſt communiter ſicca in 2. gradu cum proportione activarum ad membrum cum ſtipticitate, & viſcoſitate abſque abſterſione. Medicina cicatrizativa ſive ſigillativa eſt, quæ exſiccat ſuperficiem ulceris, ita ut fiat cortex, & iſta communiter eſt ſicca in tertio gradu cum ſtipticitate abſque abſterſione, & abſque multa mordicatione, & eſt cum temperamento activarum, ut eſt *cortex pini*, licet quandoque caliditas ſuperflua exſiccando per accidens faciat hanc operationem, ſicut *alumen*, & *vitriolum*. In cura ulcerum utimur triplici regimine, ſcilicet univerſali, particulari, & tertio quod eſt commune utrique, non obſtantibus ſupradictis intentionibus. Regimen univerſale completur cum quatuor intentionibus. Prima eſt evacuatio. Secunda diverſio. Tertia regimen membri mittentis. Quarta fluxus interceptio. Prima intentio completur cum evacuatione ſecundum quod oportet, nam ſi eſt repletio in toto, fiat evacuatio à toto, aut per phlebotomiam, ſi opus fuerit, aut cum ſolutivo appropriato, & ſi opus fuerit iteretur minorando, C digerendo, & eradicando. Secunda intentio, quæ debet ſequi evacuationem in cura regulari, eſt diverſio, & dixi in cura regulari, eo quia in aliquibus caſibus ſolent medici divertere ante evacuationem, id præcipiente, & conſulente Avicenna *prima quarti, capitulo primo & capitulo* 3. Quæ quidem diverſio quandoque fit ad partem propinquam, quandoque ad longinquam, aliquando cum evacuatione, aliquando ſine evacuatione, aliquando habendo reſpectum ad totum corpus, aliquando tantum ad particulam patientem. Fit enim diverſio ad partem propinquam materia exiſtente pauca, vel jam fluxa: & quando ad propinquum divertere intendimus, debemus evitare, ne ſit nimis propinqua pars, ad quam divertimus, & ſcias, quod materiæ contentæ in venis, & in membris communibus facile divertuntur. Ad longinquum divertimus materia exiſtente multa, & in magno fluxu, ſed cave, ſi dolor eſſet fortiſſimus, & repletio multa, divertere ad longinqua niſi prius dolor ſedatus fuerit, inſuper caveas à diverſione ſecundum duas diametros. Diverſio vero non evacuativa eſt illa, quæ fit ligando membra, aut cum ventoſis, vel cum medicinis ru- D bificantibus, & univerſaliter cum omni quod dolorem efficit. Diverſio vero evacuativa eſt illa, quæ fit cum phlebotomia, vomitu, ſolutione ventris, clyſteribus, ſuppoſitoriis, & ſimilibus, ut ventoſis cum ſcarificatione.

Quando divertimus, maxima eſt habenda ſollicitudo loci, & ſocietatis: præterea ſi materia eſt in fluxu, divertimus ad partem contrariam primo, ſecundo ad partem colligatam. Tertio cum rectitudine aſpectus. Quarto cum debita elongatione. Materia verum jam fluxa, non exiſtente repletione, poteſt fieri diverſio per membrum propinquum, & aſſociatum. In divertendo non trahatur materia præſertim mala ad membrum principale, ita ut in eo figatur, vel remaneat. Tertia intentio eſt rectificatio membri mandantis, & quia plura ſunt membra, quæ poſſunt materias mandare ad membra ulcerata, idcirco cum maxima ſolertia inquirere debes membrum mandans, & quia ut plurimum eſt hepar, & maxime quando eſt diſtemperatum, quare ejus dyſcraſia corrigenda erit. Similiter poteſt eſſe ſtomachus per viam indigeſtionis congregativus materierum phlegmaticarum, & ſi contigerit in E eo reperire dyſcraſiam calidam per ſe, vel per colligantiam, ita ut multiplicentur materiæ cholericæ non naturales, ſicut contingit, cum in eo generatur cholera praſſina, tunc non eſt dubitandum, quod talis materia poteſt transmitti ad membra ulcerata. Non minus etiam caput has materias poteſt mandare per venas, chordas, & arterias, quare rectificentur, & confortentur ſupradicta membra cum ſuis medicinis appropriatis.

Quarta in entio completur cum ſtipticis repercuſſivis. In cura particulari ulcerum quatuor intentiones ſunt in mente chirurgici figendæ, quarum prima eſt ulcerum digeſtio. Secunda eſt ulcerum mundificatio. Tertia eſt replere carne ulcera. Quarta eſt conſolidare. Prima completur cum *ſucco apii, aut ejus unguento, aut cum vitello ovi, & terebinthina* aut cum iſto emplaſtro. Recipe *farinæ fœnugræci, farinæ frumenti, & hordei ana unc. j. terebinthinæ, pinguedinis gallinæ, & anatis ana unc. j. ſucci apii unc. vj. conficiatur decoquendo uſque ad ſpiſſitudinem, & utere*, & non ſolum in petiis, ſed etiam in fluello, ſeu filis apponatur. Secunda intentio, quæ eſt mundificatio ulcerum, compleri poteſt cum jam dictis, & dicendis. Tertia intentio, quæ vertitur ad generationem carnis, completur cum jam dictis, & dicendis. Quarta intentio dirigenda erit ad ſigillandum cum jam dictis, & dicendis.

Si vero, cum ſupradicto regimine, iſta indomita ulcera non curantur, in tali caſu opus erit devenire ad cauterium actuale, ſeu potentiale: ego vero ſæpiſſime, imo in hoc caſu ſemper, uſus ſum cauterio actuali, nam ſuo calore membrum confortat, materiam ſubtiliat, poros aperit, materiam reſolvit, & conſumit, & corruptionem prohibet, eo quia partes vicinas corrugat, & conſtringit, & condenſat, & removet malam complexionem prohibentem curam optatam, & poſt applicationem cauterii, ſæpiſſime ulcera abſque aliquo alio medicamine conſolidantur. Diverſi diverſimode utuntur cauſticis, & inter famoſas medicinas cauſticas, & expertas inveni cauſticum confectum ex capitello, ſeu *lixivio facto ex cineribus nucum extreme ficcarum*, cum quo lixivio incorporetur ſequens pulvis. Recipe *calcis vivæ, tartari, ſalis gemmæ, cineris vitium, aramenti ana unc. ij. miſceantur, & fiat pulvis ſubtiliſſimus*, & cum ſupradicto lixivio incorporetur, & fiat mediocriter ſpiſſum, & ex iſta mixtura cooperiatur ulcus, & circunquaque apponatur *unguentum populeon*, quo facto poſt ſex horas removeatur, & ponatur parum *butyri*, ut facilius eſchara cadat, & ſi dolor eſſet intenſus, embrocetur locus cum *oleo roſato calido*, depoſita eſchara apparente carne rubea abſque aliqua infectione apponatur *linaria cum toto ſucco*, & die ſequenti lavetur ulcus cum *decoctione plantaginis, roſarum balauſtiarum, & cum modico alumi- nis, facta in aqua plantaginis*, & bene exſiccato cum panno lineo, deſuper apponatur parum hujus pulveris. Recipe *roſarum, thuris, maſtichis ana unc. ſ. miſce, & fiat pulvis, vel ex iſto pulvere cum ſucco linariæ, & plantaginis fiat linimentum.*

Alii vero utuntur iſto cauſtico. Recipe *argenti ſublimati, dialthææ ana unc. ſ. miſce*, althæa enim refrangit acuitatem argenti ſublimati, tu vero adde, aut minue de dialthæa, ut tibi videbitur. Nota quod omnes doctores tenent, quod ulcera non curantur, niſi prius exſiccentur, hac de cauſa Conciliator magnus differ. cclxx. quærit an omne ulcus egeat exſiccatione.

*De cura ulceris virulenti, & ejus cognitione.*

Antequam aggrediar curam ulceris virulenti deſcribam quid nominis & quid rei, & dico quod virus eſt nomen indeclinabile & ſignificat venenum ſeu pus ſubtile: virulentia eſt infectio veneni virulenti, id eſt, plenitudo veneni. Quid rei dico, quod eſt plaga cum virulentia, quæ quidem virulentia dupliciter conſiderari poteſt, uno modo ut ipſa conſequitur debilitatem membri ulcerati procedentem à complexione ipſius, & tunc eſt, & eſſe poteſt accidens conſequens illam malam complexionem, & eſt exiens mutatum. Secundo modo, prout ipſa virulentia eſt quid ſuperfluum ulceri, & poteſt eſſe ſuperfluum aut ratione ſuæ malæ qualitatis, & ſic poteſt eſſe cauſa morbi effectiva, qui morbus aut erit in complexione, ſi ipſum fuerit calidum vel frigidum, aut erit in unitate, ſi fuerit corroſivum, aut eſt ſuperfluum ratione ſuæ quantitatis, ut cum reperitur in ulcere quantitas major, quam ſecundum naturam ipſius ulceris debet reperiri, & tunc dicitur quod eſt morbus ſcilicet in numero per additionem, & ſic patet, quod ulcus compoſitum cum pure poteſt dici compoſitum cum morbo, cum cauſa morbi, & cum accidente. pus enim ſubtile dicitur virus, pus groſſum dicitur ſordes. Ulcera virulenta à corroſivis non differunt niſi ſecundum magis & minus, nam ſi virulentia non corrodit, dicitur ulcus virulentum, ſi vero virulentia corrodit, dicitur ulcus corroſivum, & ſi talis corroſio non multum profundetur, tunc tale ulcus dicitur ambulativum, ſin autem in tantum procedat, ut conſumat membrum, tunc dicitur ulcus manducativum, ſeu cancroſum.

Cauſa iſtorum ulcerum ſunt humores cholerici acuti, qui propter ſuam aduſtionem acquirunt quandam fraudulentiam, qui ut plurimum veniunt poſt formicas, & puſtulas malas. In cura iſtorum ulcerum debes habere quatuor intentiones. Prima eſt corporis purgatio. Secunda eſt vitæ inſtitutio. Tertia eſt virulentiæ exſiccatio. Quarta

eſt

est carnis generatio & demum consolidatio. Dimissis duabus primis intentionibus unicuique notis, veniendum est ad tertiam & est exsiccatio, ad quam debet sequi mundificatio, ut vult Galen. *quarto de ingenio sanitatis*, nam aliter non posses devenire ad quartam intentionem, & antequam ad actum practicum devenias, oportet scire, quod postquam administraveris exsiccantia in istis ulceribus virulentis, & virulentia non minuitur, sed potius videris eam augeri, tunc scias quod medicamen applicatum secundum illud corpus non est sufficiens exsiccativum, adjuva ergo ipsum cum abstersione pauca, quoniam in ulcere virulento convenit etiam aliqualis abstersio non ratione virus, sed ratione alicujus sordis, à cujus generatione virulentum ulcus non evacuatur, adjuva ergo cum eis quæ sunt sicut mel & in exsiccatione utere stipticis, sicut sunt *balaustiæ*, *alumen*, & amove oleum à medicamine, vel minora de virtute ejus, si non fuerit excusatio ab eo, & tunc quando aliter non posses facere, pone oleum, in quo est stipticitas, sicut est *myrtinum*, *mastichinum*, & similia. Si vero ulcus nimium exsiccaretur, tunc minue de virtutibus medicinarum, videlicet de exsiccatione, stipticitate, & abstersione. Et hoc præceptum servabis in medicinis carnem generantibus. Si ulcus fuerit cum mordicatione, tunc sæda ejus acuitatem. Aliqui vero inexperti, & illiterati utuntur in istis ulceribus fortibus exsiccativis, quæ sunt causa, ut caro diminuatur, & ulcera profundentur, & hoc conspicientes credunt evenire, quia medicinæ applicatæ sunt debiles in exsiccando, & tunc vigorant eas, & augent exsiccantia, & sic nunquam perveniunt ad finem imo semper deteriora ulcera reddunt, quare adverte ne in hunc errorem incidas. Cum enim videris ulcus magis solito concavum esse, & circa illud ruborem, duritiem, & calorem, scias medicinam ultra modum mundificativam esse. Si vero ulcus sanioſum fuerit, scias medicinam esse debilem, præterea, si sanies est grossa, & viscosa, non accidit à forti medicina. Si vero subtilis & rubea est monstratur esse ex liquefactione teneræ carnis ex acumine medicinæ, & maxime si patiens calorem & dolorem se pati dixerit.

Medicinæ exsiccantes ulcera virulenta aliquæ sunt simplices, aliquæ compositæ. Simplices sunt *psiaia*, *balaustia*, *galla*, *alumen*, *cortex thuris*, *flos papaveris ruffi*, *lithargyrium*, *antimonium*, *æs ustum*, *farina hordei*, *fabarum*, *orobi*, *aqua cicerum*, & *aluminosa*, & *marina*, *folia cypressi recentia*, & *nuces ejus sicut sunt teraatur*, & *cum vino decoquantur* & *superponantur*, desiccant enim humiditates ulcerum absque nocumento.

De compositis exsiccantibus est *vinum stipticum factum ex decoctione aluminis*, *corticis thuris*, *nucis cypressi*, *cyperi*, & *sabinæ*. Aliqua etiam sunt exsiccantia ulcera virulenta cum vehementi infrigidatione, sicut *hyoscyamus albus*, *opium*, *radix mandragoræ*, & istis utendum est, quando ulcus est compositum cum caliditate secundum suos gradus.

Et quædam sunt exsiccantia cum vehementi caliditate, sicut *resina*, & *pix*, & quædam minoris calefactionis, & his utendum est, cum ulcus virulentum fuerit compositum cum frigiditate, & hoc secundum suos gradus, omnia tamen supradicta nocerent, si ulcus esset cum apostemate, quoniam apostema indiget mollificatione, & non exsiccatione. Medicamen compositum bonum mirabiliter exsiccans ulcera virulenta. Recipe *lithargyrium vel aureum vel argenteum valde pulverizatum*, *cum aceto*, & *oleo ros. viciſſim imbibatur scilicet una vice cum aceto*, & *alia cum oleo*, & *hoc toties fiat donec albescat*, *deinde sumantur antimonii*, *æris usti*, *balaustiæ*, *radicis chelidoniæ*, *gallarum*, *sanguinis draconis*, *aluminis*, *climiæ argenti ana sextam partem ejus quod sumptum est de lithargyrio albificato*, & *omnia incorporentur diu cum pistillo*, *postquam fuerint bene præparata*. Nonnulli lavant ulcera virulenta cum *aqua maris*, alii cum *aqua aluminosa*, ipsa enim quia stipticat, ideo membrum confortat, & cum hoc exsiccat. Valet etiam *aqua plantaginis*, & *rosarum*, & *aqua ferrata*, *vel cum istis aquis fiat decoctio cypressi*, *cyperi*, *myrtillorum*, *plantaginis*, *psidiæ*, *balaustiarum*, *myrobalanorum bellericorum*, & *emblicorum*. Valet etiam *aqua vitæ distillata cum cypero*, *myrto*, *balaustiis*. Facta lotione ponatur iste pulvis in ulceribus. Recipe *lithargyrii*, *plumbi usti*, *antimonii*, *æris usti*, *spodii*, *corallorum*, *psidiæ ana partes æquales*, *laventur propter mordicationem cum aquis stipticis*. Et si iste pulvis cum aqua fœniculi in alembico distillaretur, & in loco apponeretur, mirabiliter operaretur, eo quia penetrabit ad profundum ulceris.

Medicinæ incarnativæ debent participare aliquali humiditate cum exsiccatione, & sine mordicatione. Medicinæ cicatrizativæ debent esse magis exsiccativæ absque humiditate.

Quarta intentio completur cum generantibus carnem, & in tali casu valet *lithargyrium*, *gummi Arabicum*, *tragacanthum*, *amidum*, ista tria valent in unguentis acutis re-

A frangendo qualitates gummatum calidorum, & mitigant dolorem ulcerum, & exsiccant: valet etiam *myrrha*, *aloë*, *tutia*, *mastiche*, *thus*, & in omnibus speciebus ulcerum in hoc morbo evenientibus est complicata mala qualitas, quæ est causa ut talia ulcera sint difficilis incarnationis, ac consolidationis, nam licet istæ medicinæ vim optimam, & expertam habeant incarnandi, nisi illa mala complexio removeatur, cum difficultate optatum finem adipisci poteris, quare ipsam remove, & si opus est removeatur caro intra ulcus existens, quæ hac mala qualitate est infecta. Pulvis incarnativus. Recipe *thuris. drach. ij. sanguinis draconis. unc. s. calcis vivæ. unc. vj misce*, & *fiat pulvis subtilis*. Alius pulvis quando pauca caro est regeneranda. Recipe *sanguinis draconis*, *aloës*, *olibani*, *sarcocollæ ana drach. iiij. s. misce*, & *fiat pulvis*, vel aliter. Recipe *balaustiarum*, *sanguinis draconis ana drach. ij. sarcocollæ. drach. iiij. olibani drach. j. misce*, & *fiat pulvis subtilis*. Si autem velles incarnare & mundificare. Recipe *terebinthinæ. drach. iij. thuris*, *mastichis*, *ana drach. j. myrrhæ*, *sarcocollæ*, *mumiæ*, *ana drach. iij. s. olei mastichini. unc. s. mellis ro-*
B *sati colati. unc. s. farinæ hordei drach. j. s. ceræ drach. ij. misce*, & *fiat unguentum ut decet*.

Si vero ulcus esset multarum humiditatum. Recipe *mellis lib. j. coque ipsum donec inspissetur*, *deinde projice super ipsum myrrham*, *sarcocollam*, & *aloën*, *omnibus subtiliter pulverizatis misce*, & *fiat unguentum*, mirabiliter enim exsiccabit, & incarnabit. Si vero ulcus fuerit difficilis consolidationis, & vis in eo carnem generare. Recipe *lithargyrii*, *scoriæ ferri*, *centaurii minoris*, *aloës*, *thuris*, *mastichis ana drach. ij. misce*, & *fiat pulvis*.

Valet etiam *unguentum de tutia præparata*, quære in capitulo de ulceribus virgæ. Unguentum pretiosum mundificans ulcera à virulentia, & sanie, carnem generans & consolidans est istud. Recipe *olibani*, *mastichis ana unc. j. myrrhæ*, *resinæ ana drach. vj. terebinthinæ unc. iij. ceræ unc. vij. olei ros. chamæmelini ana drach. x. vini rubri optimi*, *aceti ana drach. vj. infundantur gummata supradicta in vino*, & *aceto calido per diem* & *noctem*, *postea dissolvantur in cacia*, & *addatur cera*, & *oleum*, & *coquantur usque ad consumptionem duarum partium vini: deinde*
C *extrahantur*, & *cum oleo de mastiche malaxentur*, & *fiant magdaleones*, & *inscribatur unguentum pretiosum*. Si vero talia ulcera provenirent ab humoribus acutis corrosivis, & corruptivis, etiam quod essent gangrænosa, seu erysipelatosa, in tali casu utere hoc unguento mirabili. Recipe *lithargyrii despumati unc. iij. thuris*, *myrrhæ ana drach. iiij. plumbi usti unc. j. unguenti de cerussa lib. ij. misce*, & *in mortario plumbeo per horam agitentur*, & *usui reservetur*. Si vero ulcus esset cum mala complexione calida, & carne addita, utere *triapharmaco*, *cui addes cerussam*, & *camphoram*. Si vero intentio tua fuerit consolidandi, ac sigillandi, utere hoc unguento. Recipe *sarcocollæ*, *aloës sang. draconis. thuris ana drach. s. scoriæ ferri*
D *præparatæ. scrup. j. viridis æris grana sex*, *dissolvantur cum aceto non multum acuto* ad prohibendum putrefactionem sua frigiditate & siccitate.

*De ulceribus sordidis.*

Ulcus sordidum dicitur à sorditie, id est, à putredine, & fœtore, & hoc quantum ad quid nominis, quantum ad quid rei dico, quod est plaga cum sorditie, seu putredine: sordities enim non differt à putredine nisi secundum magis & minus, nam dum ulcus habet saniem grossam & viscosam dicitur sordidum, postquam autem augetur ipsa malitia, ita ut putrefaciat, & mortificet ipsam carnem dimittendo escharam, a qua elevatur fumus putridus, fœtidus, & cavernosus, dicitur ulcus putridum, & si ambulat, dicitur estiomenum, & ducit hominem ad mortem. Causæ istorum ulcerum sunt humores sanguinis pravi, grossi, ebullientis, ex qua ebullitione adepti sunt venenositatem, deinde generantur ulcera mala, & difficilis consolidationis. Cura completur observatis intentionibus. Prima est ut corpus purgetur. Secunda est vitæ regulatio. Tertia est sorditiei remotio Quarta est incarnatio. Quinta est loci solidatio. Tertia intentio completur cum medicina abstergente, cujus proprietas est ut moveat humiditates viscosas, & congelatas ab orificiis pororum, & superficie membri, ita ut elonget eas ab eis, hæc enim tertia intentio nil aliud intendit nisi expurgare quod est sordidum: nam nisi abstergatur, adhæret, & conglutinatur orificiis pororum, & labiorum ulcerum, & sic talis sordities prohibet
E consolidationem. nam sordes existente in ulcere frustra apponuntur medicamina carnem generantia, nam ipsa sordes, quia mediat inter carnem, & medicinam, ideo impedit ejus opus, & præsertim si talis medicina carnis generativa apponatur in forma pulveris, quæ non potest sic penetrare sicut medicina liquida. Medicamen abstergens debet eligi magis vel minus abstergens secundum quantitatem sordis majorem vel minorem, & secundum gradus grossitiei ejus, & viscositatis. Nam si sordes non fuerit

multa, neque vehementer groſſa & viſcoſa, in tali caſu appone medicinam leviter abſtergentem, ſcilicet *mel roſatum colatum*, aut *unguenta debiliter abſtergentia*. Si vero ſordities fuerit multa, groſſa, & viſcoſa, tunc utere medicamine abſtergente forti, & ſervabis hunc ordinem: nam incipies a fortioribus, & ſucceſſive devenies ad debiliora, nam in principio propter multam ſorditiem, ſenſus membri ulcerati non ſentit mordicationem ipſius. Et ſi illud eſt nimis mordicativum, & æger ipſum ſenſerit: eo quod non ſolum pervenit ad abſterſionem ſordium, verum humiditatum ipſius membri bonarum, in tali caſu ſtatim amovebis ſupradictum medicamen, & applicabis aliud minus mordicans, donec gradatim perveniatur ad illud, quod eſt minus mordicans, uſque quo comprehendatur a chirurgico quod ſit hora, ut caro generetur, & tunc utere medicamine privato ab omni mordicatione, quia omne mordicativum eſt prohibitivum generationis carnis. Et cauſa gradati proceſſus de fortiori mordicativo ad minus eſt, quia continue a principio uſque in finem gradatim proceditur in minoratione ſordis, ſi non acciderit error in cura. Et ſuper omnia, quantum poteris cave, ne dolorem inducas, & proprie quando in ulcere eſt caliditas, & inflammatio, quoniam dolor erit cauſa attractionis materierum, additionis caliditatis, & inflammationis, & ſic ambo erunt in cauſa attractionis materierum, & apoſtemationis membri. Medicinarum abſtergentium quædam ſunt ſimplices, quædam compoſitæ, quædam fortes, quædam debiles. Simplices & debiles ſunt *mel, farina hordei, fabarum, cicerum, orobi, lupinorum, alcanna, gentiana, ariſtolochia, ciuis anethi, cortex radicis capparis, fel, iris, baurach.* & omnes medicinæ habentes amaritudinem, vel acuitatem parvam, maxime cum melle præparatæ, *papaver rubrum* mundificat ulcera ſordida; & diminuit carnem, hoc idem facit *cyperus*. Ex *melle*, & *terebinthina* fit bonum abſterſivum, & fortius operatur ſi ei additur parum *fellis*, aut *urinæ pueri*. *Succus foliorum olivæ* abſtergit, & exſiccat. *Succus hederæ, vel ariſtolochiæ* removet carnem corruptam, & generat novam. Abſterſivum facile abſque mordicatione mundificat, & ſedat dolorem. Recipe *farinæ hordei, vel ſpeltæ*, & *miſce cum vitellis ovorum*, & *pauco melle roſato colato*, & aliqui non ponunt mel, & ſedat magis dolorem, & minus abſtergit. Aliud. Recipe *farinæ hordei drach. iij. decoquatur cum duabus partibus aquæ*, & *una olei roſati, donec fiat ad modum emplaſtri*, & ſi ulcus eſt in membro carnoſo, addunt parum *terebinthinæ non lotæ*, & ſi fuerit in nervoſo, tunc addunt *terebinthinam lotam*, & deponunt ſtatim ab igne, & bene incorporant, vel aliter. Recipe *mellis cocti lib. ſ. thuris unc. ſ. myrrhæ drach. ij.* & *bene miſceantur*. Aliud quod digerit & mundificat ulcera maligna. Recipe *ſucci apii lib. j, mellis drach. ix. farinæ hordei unc. iij. coquantur ad ſpiſſitudinem*, & ſi ulcus calefieret, addatur de *ſucco plantaginis, craſſulæ*, & *ſolani*, & dicunt quod *ſuccus abſinthii* permixtus in dicto emplaſtro non ſinit ulcus infiſtulari, & quandoque additur *farina lupinorum, vel orobi* ad majorem mundificationem, & quandoque additur *myrrha* ad tollendum fœtorem ab ulcere. Aliud de gummi mundificans ſaniem groſſam. Recipe *galbani, ammoniaci, reſinæ terebinthinæ, picis navalis, ſevi vaccini, olei antiqui* & *ceræ ana partes æquales*, & *diſſolvantur gummi in aceto, deinde omnia liquefiant ad ignem*, & *conficiatur unguentum*. Valet etiam *unguentum apoſtolorum*. Valet etiam *unguentum gratia Dei*, quod idem eſt quod Apoſtolorum, niſi quia per decoctionem ulteriorem efficitur. Valet etiam *unguentum Ægyptiacum*, & eſt fortius ſupradicto: corrodit, enim carnem ſuperfluam malam. Iſtud unguentum rectificat maligna ulcera difficilis conſolidationis. Recipe *olei lib. ij. aceti lib. j. ſ. lithargyrii lib. j. viridis æris drach. j. coquatur lithargyrium cum oleo* & *aceto, donec ingroſſetur*, & *tunc ponatur viride æris*, & *decoquatur quo uſque efficiatur rubrum*. Valet etiam in ulceribus difficilis conſolidationis crurum *pulvis ſeminis myrtillorum, vel ſemen ipſum decoctum cum vino, piſtatum* & *deſuper poſitum*. Valet etiam *pulvis e ſtercore canino ſicco oſſa rodente*. Valet etiam *emplaſtrum factum ex terra figuli*. Valet etiam hoc unguentum, Recipe *unguenti populei unc. j. ſ. de mimo unc. ſ. miſce*. Valet etiam *cera rubra*.

Si ulcera ſunt munda, & præſertim in tibiis, applicetur eis hoc unguentum. Recipe *ſucci hypociſtidis, ſandarachæ, ſarcocollæ lotæ ana drach. j. tutiæ præparatæ cum aqua roſ. terræ ſigillatæ ana unc. j. olei omphacini unc. ij. olei de myrto, olei de maſtiche ana unc. j. ceræ albæ drach. vj. miſce*, & *fiat unguentum molle*, ſed ante applicationem hujus unguenti, ponatur parum de infraſcripto pulvere in dictis ulceribus, cujus deſcriptio talis eſt. Recipe *ſanguinis dracon. boli armenæ ana ſcrup. j. ſeminis plantaginis, granorum myrti, pulveris hypociſtidis ana ſcrup. j. ſ. pulveris oſſium crurum boum combuſtorum unc. j. ſpodii drach. j. ſ. pulverizentur omnia per ſe*, & *diligenter commiſceantur*. Si vero tibi videbitur tempus conſolidandi, ſeu ſigillandi, utere hoc infraſcripto unguento. Recipe *gummi arabici, tragacanthi diſſolutorum cum aceto acuto ana unc. j. ſandarachæ, ſucci hypociſtidis, thuris, maſtichis ana drach. j. tutiæ præparatæ drach. j. ſ. olei de maſtiche unc. iij. ceræ quantum ſufficit, miſce*, & *fiat unguentum ut decet*. Si vero dicta ulcera jam fuerint incarnata, & nulla fuerit concavitas, in tali caſu utere infraſcripto pulvere. Recipe *tutiæ præparatæ cum aqua roſ. drach. ij. plumbi uſti drach. j. pulverizentur per ſe*, & *miſceantur*, & ex hoc pulvere dicta ulcera medicentur, nam videbis effectum bonum & expectum. In puſtulis cruſtoſis, & excoriationibus, utere hoc unguento, membra infecta ungendo. Recipe *olei de vitellis ovorum unc. j. ceruſſæ lotæ unc. ij. ſ. plumbi uſti unc. ij. amyli de hordeo unc. iiij. miſce*, & *confricentur omnia per duas horas continuas in mortario plumbeo cum ſuo piſtillo*. Vel aliter ſi volueris exſiccare & cicatrizare. Recipe *calcis lotæ unc. j. ſ. ſucci quinquenerviæ quantum ſufficit, miſce*, & *fiat unguentum*.

Si vero in dictis ulceribus ſuperficialibus, & præſertim pedum eſſent aliquæ materiæ induratæ ad modum clavorum, in tali caſu utere hoc unguento. Recipe *calcis vivæ unc. ij. ſ. viridis æris unc. j. ſ. pinguedinis porci quantum ſufficit, miſce*, & *fiat unguentum*.

*De ulceribus putridis.*

Vulnus putridum dicitur à putredine mortificante carnem eſcharam dimittendo, & aliquando augetur dicta putrefactio, ex ulcere putrido fit eſtiomenon, & tandem inducit mortem. Et tale ulcus putridum aut tendit in viam putrefactionis, & cognoſcitur per alterationem coloris carnis circunſtantis ad colorem malum, lividum, virideni, vel nigrum, & diminutionem ſenſus ejus, ita quod ea, quæ dolorem inferre ſolebant, aut nullum aut valde remiſſum dolorem afferunt. Si tale ulcus adhuc fuerit in via putrefactionis, tunc corpore mundificato aut membro mandante curetur membrum, in quo eſt ulcus, cum ſcarificatione, & cum ſanguiſugis, & rectificatione complexionis ipſius cum epithematibus, & aliis. Humor defluit ad membrum ulceratum aut ex plenitudine exiſtente in toto corpore, aut ex aliquo membro nobili, & forti habente plenitudinem, aut attrahitur humor ad ipſum ex vehementia doloris, aut caloris ipſius, aut ejus motu ſuperfluo, ſeu à mala complexione calida, ſeu à medicina ſuperpoſita attractiva. Et humor, qui defluit ad ipſum membrum, quandoque peccat in quanto, quandoque in quali, quandoque in utriſque, & quandoque quantitas eſt pauca, quandoque eſt multa, quomodocunque fuerit, impedit curationem ulceris, verum ſi multus, & malæ qualitatis extiterit, reddit ulcus malignum, & peſſimum.

Cura completur obſervatis octo intentionibus. Prima reſpicit evacuationem. Secunda diverſionem. Tertia regimen membri mittentis. Quarta reſpicit interceptionem fluxus ſi opus fuerit. Quinta diætam. Sexta putredinem removet. Septima locum incarnat. Octava conſolidat, & figillat. Prima intentio completur cum digerentibus humorem putridum, & cum evacuantibus humorem peccantem, quæ omnia debent reiterari ſecundum neceſſitatem, & ſi opus eſt, fiat phlebotomia ut ſupradictum eſt. Secunda intentio compleri poterit cum his, quæ dicta ſunt in cap. generali. Tertia intentio compleri poterit cum evacuationibus, & alteratione, ita ut bona complexio in membro mandante inducatur, ne amplius in eo talis materia regeneretur, perventura ad locum ulceris, & complexio etiam membri ulcerati debet rectificari, ut fiat naturæ idoneum inſtrumentum ad generationem carnis, & conſolidationem. Quarta intentio compleatur cum ſtipticis, & repercuſſivis, ligaturis, & aliis inſtrumentis virtutem habentibus fluxum intercipere. Quinta intentio, quæ reſpicit diætam, requirit ut regimen rectificetur, ut ſanguis bonus & idoneus carnis generationi fiat: & quia aliquando complexio totius, aut membri illam materiam generantis, eſt calida, ideo regimen tam per potionem, quam per diætam debet declinare ad frigiditatem tantam, quantam requirit ſuperfluitas caliditatis: cibi enim debent declinare ad groſſitiem, ut opponatur ſubtilitati humoris acuti corroſivi. Vel econtra ſi talia ulcera fuerint cum mala complexione frigida. Sexta intentio, quæ vertitur ad removendum putredinem, compleri poteſt cum his, quæ dicta ſunt in capite de ulceribus ſordidis, hoc idem dico de vii. & viij. intentione. Si vero talia ulcera putrida fuerint cum corroſione, tunc elige medicinas locales exſiccativas, ut humorem corrodentem conſumant, quæ debent eſſe infrigidativæ, & inſpiſſativæ, ut alterent quantitatem, & ſubſtantiam ipſius humoris corrodentis, & participent ſtipticitate, ut ſubſtantiam humoris ingroſſent, & membrum confortent, & prohibeant deſcenſum humoris ad membrum ulceratum. Et in hoc caſu valent *cortices granatorum*, & *lentes*, & *folia arboris maſtichis*, & *ſemen roſ.* & *grana myrthi*, ex iſtis poteris facere emplaſtra, & embrocas, & maxime ſi mi-

miſcueris cum eis *alumen*: confert etiam *emplaſtrum ſaſtum cum foliis acetoſæ, & ejus radicibus bullitis cum vino ſtiptico.* Valet etiam *emplaſtrum cum bolo armena, & aceto.* Valet etiam *arnoglоſſa cum foliis olivarum emplaſtrata, plantago* conſolidat ulcera antiqua & humida, quia habet ſiccitatem non pungentem, qua deficcat ſine mordicatione, & ejus frigiditas non ſtupefacit, qua mediante repellit materias. Valet etiam *portulaca cum farina hordei*, quando ulcera ſunt ſupercalefacta, & dubitas de eorum malignitate. Hoc idem facit *ſempervivum, & virga paſtoris, ſumach cum aceto* ſimiliter valet, nam prohibet proceſſum ulcerum maliguorum. Valet etiam *ſolanum ſylveſtre. Cinis vero ſarmentorum vitis aceto infuſus, poſtea exſiccatus*, cito conſumit materiam corrodentem, etiamſi corroſio fuerit communicata nervis. Valet hoc unguentum expertiſſimum in ulceribus fraudulentis corroſivis ambulativis, & in antiquis gangrænis, & non ſolum crurium, verum etiam aliorum membrorum, & removet inflammationes membrorum. Recipe *ceruſſæ lotæ, aceti ana unc. j. plumbi uſti unc. iiij. lithargyri unc. ij. myrrhæ unc. j. mellis roſati unc. ij. olei roſ. unc. v. vitellorum ovorum numero ſex, ceræ quantum ſufficit, miſce, & fiat unguentum.*

Si cum ſupradictis ulceribus etiam acciderint parva apoſtemata in ore, aut ulcera, in eorum cura utere triplici regimine, ſcilicet evacuativo, diverſivo, & correctivo membri mittentis, quæ omnia ſuperius dicta ſunt. Simplicia in principio competentia ſunt *myrobalani, ſemina roſarum, tragacanthum, balauſtiæ, duo ſandala, roſæ, ſpodium, ſumach, lentes, bolus armena, capita granatorum, cortices glandium, climia.* Item *ſuccus lactucæ, ſolani, virgæ paſtoris, portulacæ, extremitatum vitis, camphora, rob de ribes, rob de moris ſylveſtribus, ſuccus granatorum, & ejus rob, rob de agreſta, ſorbarum, pyrorum, & ſimilium ſtipticorum.* In proceſſu conveniunt *gallæ fructus, tamariſci, cyperus, nux cypreſſi, folia olivæ ſicca.*

In fine *cortices nucis muſcatæ caryophylli, mentaſtrum.* tu vero ſecundum dyſcraſiam utere iſtis.

Nota, quod *chelidonia, & gallæ* conveniunt in principio in utraque materia, ſimiliter *myrtus, & acetum.* Si vero dicta parva apoſtemata ulcerata fuerint, conſidera an perveniant a materia calida vel frigida, licet accidentaliter omnia ſint calida, aut propter adultionem, aut putrefactionem. Ulcera provenientia a materia calida curentur cum medicinis ſuperius poſitis frigidis, ſed eligantur medicinæ magis ſiccæ, ut. Recipe *antheræ, amyli, ſpodii, lentium excorticatarum, ſeminis portulacæ, coriandri ſicci ana drach. ij. camphoræ drach. ſ. miſce, & cum aqua chelidoniæ fiat decoctio, & utere.* Si vero dicta ulcera fuerint ſordida, mundificentur cum aliqua decoctione abſtergente, demum conſolidentur. Aliqui utuntur *vitriolo cum aceto*, & dicunt, habere magnam proprietatem, quando dicta ulcera ſunt putrida. Alii utuntur *pulvere gallarum coctarum cum aceto & ſale.* Communis tamen practica cauterizat ea cum *aqua fortis*, & poſtea adminiſtrant lotionem oris cum *lacte, aut albumine ovi, & aqua roſ. aut cum ſucco cydoneorum, aut granatorum.* Si vero in lingua appareant aliquæ puſtulæ, ſeu eminentiæ non ulceratæ, in tali caſu utere aqua ſuperius in tractatu de dolore ſcripta, quæ fit cum *aqua plantaginis, alumine, & argento ſublimato*, & non timeas ejus operationem. Si cum ſupradictis ulceribus, aut cum aliquo ipſorum fuerit dolor, mitigetur dolor. Si fuerit mala complexio, removeatur in primis, & maxime ſi fuerit intenſa. Si vero ulcus fuerit cum apoſtemate ei ſuperveniente, & induxerit dolorem, ex quo cura ulceris impeditur, in tali caſu curetur apoſtema. Si vero poſſit prohiberi ne fiat, prohibeatur. Nam in apoſtemate ſunt tres cauſæ prohibentes curam ulceris. Prima eſt mala complexio, & mala compoſitio, quare non eſt idoneum inſtrumentum virtuti carnem generanti, & conſolidanti ulterius, quia ſanguis delegatus ad ulcus alteratur a mala complexione apoſtematis, & ſic non eſt idonea materia pro generatione carnis. Secunda cauſa eſt, nam in apoſtemate eſt dolor, & dolor eſt cauſa, ut ad locum defluant materiæ ſuperfluæ, quæ impediunt generationem carnis, & conſolidationem. Tertia cauſa eſt, quia ut ulcus conſolidetur, oportet, ut labia ulceris conducantur, & uniantur, hoc autem fieri non poteſt, ſtante apoſtemate. Quare primo curetur apoſtema, aut ambo curentur ſimul cum ſolitis, & appropriatis.

Si vero ſupradictis ulceribus contuſio aut attritio fuerit complicata, in primis prohibeatur, ne ad locum materia fluat. Secundo ſedetur dolor. Tertio evacuetur ſanguis effuſus per extractum reſolvendo, aut cum ſcalpellatione educendo, demum ulcus mundificetur, incarnetur, & conſolidetur. In contuſione de recenti facta cum *oleo roſ. calido* ungatur membrum, & deſuper aſpergatur *pulvis ſeminum myrtillorum*, valet etiam fomentatio facta cum vino ſtiptico, deinde adminiſtrabis reſolventia, mox redi ad curam ulceris. Et quia in aliquibus ſolent nodoſitates duriſſimæ in tibiis, brachiis, manibus, fronte, ac aliis corporis partibus remanere, quæ non parum membra deſedant, & forſan ſunt cauſa recidivationis dolorum, & quia dant inducias, idcirco in fine hujus libelli de hoc accidente ſcribere decrevi, &, ut rectius unuſquiſque ingenium curativum eligere valeat, dicam imprimis, quot modis iſtæ nodoſitates accidere poſſint: poſſunt enim humores in membris congregari, tam per viam derivationis, quam congeſtionis: uno modo à frigido intenſo diutius applicato, nam de natura frigidi eſt ingroſſare humidum, & coarctare membrum, & exprimere comprimendo, & ſic talis humor poteſt remanere durus: hujus rationis teſtis eſt Hipp. 5. *aphor.* dicens, frigidum cutim indurat, & non ſolum cutim, ſed & carnem, & nervos, & chordas, licet cutem magis, quia immediatius ei occurrit. Alio modo dicti humores poſſunt indurari a calido, calidum enim, ut dicit Ariſt. 4. *meteororum* humidum reſolvendo terreſtrificat ſubtile, & indurat reliquum groſſum. Tertio dicti humores poſſunt indurari à ſicco, ſiccum enim, ut ibidem voluit Ariſtot. ſubtile humidum conſumit, & relinquit groſſum induratum. Quarto dicti humores poſſunt facere particulam patientem duram propter multitudinem, valde implendo particulam patientem, ut accidit in utre, aut veſica valde repleta, quæ apparet dura. Quare ex dictis colligе, quod res nimium calefacientes, aut nimium exſiccantes ſunt cauſæ harum nodoſitatum. Et quia ſupradictæ nodoſitates ſunt variæ & multæ ſecundum plus & minus, idcirco opus eſt diverſitate medicinarum ſecundum diverſitates membrorum, aliquando enim cum *ſevo caprino, & adipe gallinæ* corrigantur dictæ nodoſitates, licet ſint debiles, & non mollificent niſi parvam duritiem, fortior *pinguedine gallinæ eſt pinguedo anatis*, & fortior ea eſt *pinguedo caprarum*, & fortior ea eſt *pinguedo hirci, & pinguedo boum, porci &c.* Et ex mollificantibus multa mollificatione eſt *medulla cervi*, & poſt eam eſt *medulla vituli*, & omnes iſtæ ſunt calidæ temperatæ eo, quia caliditas eſt fortior ſiccitate, iſtæ enim medicinæ dilatant poros, quare expulſio eſt facilior. Valet etiam *butyrum, œſypus humida, oleum olivarum antiquum, oleum de lilio, ſtorax liquida, terebinthina, viſcus, cera, reſina pini, ſcœnanthum, ammoniacum, bdellium, galbanum, gummi Arabicum, pix, laudanum, maſtiche, myrrha, opoponax, ſerapinum, radix cucumeris aſinini, althæa, malva, valet etiam branca urſina, beta, chamæmelum, centaurea, ficus ſicca, & maxime ejus medulla.* Et iſtæ nodoſitates, ſeu dura apoſtemata oſſibus adhærentia poſſunt curari tribus modis. Primo diſſolvendo eas. Secundo putrefaciendo. Tertio incidendo eas: impræſentiarum vero ſolum deſcribam primum modum, qui certior eſt aliis, & incolumior, & abſque molеſtia neque veſtigia, neque cicatricem relinquens, & fit cum mollificantibus, & reſolventibus alternatim, videlicet tribus diebus continuando mollificantia, & aliis tribus ſequentibus diebus reſolventia, & imprimis ſcribam mollificantia, poſtea vero reſolventia, tu vero capies illa, quæ meliora tibi videbuntur, applicando per viam fomentationis, vel embrocationis, quæ fortius imprimit, vel per viam unctionis. Simplicia ſunt *malva, biſmalva, ſemen lini, ficus, cortex ulmi, anethum, ſtorax liquida, bdellium, ammoniacum, mel, radix cucumeris aſinini decocta in aqua*, & adipes in hoc caſu ſupra dicto debent eſſe recentes, quia quando antiquantur fit eorum exſiccatio fortior, quam oportet, & debent eſſe ſine ſale, quoniam ſal exſiccat exſiccatione vehementi, & ex iſtis poſſunt fieri compoſita: valet etiam in hoc caſu *emplaſtrum diachylon ſine gummi, emplaſtrum de meliloto*, vel fiat ſic. Recipe *radicum ulmi, biſmalvæ, malvarum, ſeminis lini, ficuum ſiccarum citrinarum ana max. j. miſce, & fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquæ, cum qua fiat lotio, ſeu fomentatio, aut embrocatio*, & ſi loco aquæ poneretur *brodium capitis, & pedum caſtrati*, fortius operaretur.

Continuatis aliquibus diebus ſupradictis mollificantibus, opus eſt reſolvere materias jam mollificatas, quæ intentio compleri poteſt cum medicinis, in quibus eſt proprietas, ut ipſos humores convertant in vapores, virtus enim medicinæ reſolutivæ exterius applicatæ eſt duplex, una eſt ſeparatio humoris in partes, & evaporatio, id eſt converſio illius humoris in vaporem, & ipſius vaporis extractio à poris apertis. Secunda virtus eſt, quod per ipſam reſolvitur caliditas extranea aliquomodo, in quo continetur humor, & ſi talis humor mutatur à diſpoſitione ſaniationis, & non fit ſanies, & hoc quia humor ille reſolvitur, qui poterat in ſaniem converti, fecit autem operationem ſuam cum caliditate, quæ quidem caliditas poteſt multipliciter conſiderari, uno modo comparando eam ad corpus temperatum, & ut ſic habet latitudinem magnam, puta, à primo gradu uſque ad quartum inclusive: nam poteſt eſſe calida in primo gradu, ut *chamæmelum*, & in ſecundo ut *iris*, & in tertio ut *ariſtolochia*, & in quarto, ut *caſtoreum, euphor-*

*phorbium.* Resolutiva enim in primo gradu resolvunt sine attractione, & talis proprie vocatur medicina anodyna, sive mitigatoria, reliquæ vero resolvunt cum attractione. Prima scilicet anodyna, ut multi medicorum volunt, potest applicari corpori mundo, aut immundo. Secunda vero non debent applicari corpori repleto, nam plus attraherent, quam resolverent. Secundo modo potest considerari talis medicina resolutiva respectu humorum in quos agere debet, convertendo eos in vaporem, & isto modo omnis medicina resolutiva est intentæ caliditatis, & qui humores resolubiles sunt diversi in qualitate calida, aut frigida, & in modo substantiæ eorum scilicet in subtilitate, & grossitie, ideo medicinæ debent variari secundum eorum diversitatem, & sic de singulis. Quare ex istis infrascriptis elige ea, quæ in casu tuo magis erunt appropriata, & inter alia multum laudatur *lapis marcasitæ, seu molaris ignitus, super quem acetum aspergatur*, ita ut vapor ab eo elevatus tangat membrum induratum, pannis laneis bene coopertum. Valet etiam inter resolventia *adeps anatis, leonis, vulpis, storax liquida, abrotanum, iva, herba paralysis, folia sambuci, calamintha, chamæmelum, anethum, chelidonia, apium, aristolochia, cyclamen, lapathum acutum, matricaria, salvia, pulegium, melilotus, thuya, rosmarinus, eupatorium, radix iridis, radix cucumeris asinini, radix ebuli, cæpe commune, squilla, ficus, baccæ lauri, fœnugræcum, malvæviscus, semen urticæ, sinapi, cannabis, cyminum, grana juniperi, lupini, ammoniacum, serapinum, bdellium, castoreum, cinis truncorum caulis, vel stipitum fabarum, euphorbium, galbanum, gummi hederæ, gummi Arabicum, gallia moschata, masticke, myrrha, oleum nucum, amygdalarum amararum, de terebinthina, de chamæmelo, de anetho, de cinamomo, de ruta, de lilio, de lateribus, vulpinum, amurca olei communis, liliorum, irini*, ex istis poteris plura ad libitum instituere composita. Et inter alia composita valet hoc emplastrum, cum quo in paucis diebus ego resolvi magnum apostema jam saniatum in humero, habet enim virtutem resolvendi humiditates, quæ sunt in profundo cutis, ac etiam resolvit saniem congregatam in musculis, cujus descriptio talis est. Recipe *medullæ crurum vituli unc. iij. chalcanthi mineralis boni, marcasitæ ana unc. ij. resinæ pini unc. iij. pulverizanda pulverizentur, cribellentur, & misceantur, & fiat unguentum*, ex quo actu calido ungatur locus, & si vis ut fortius operetur, adde *radices cannabis sylvestris, aut de myrto.* Vel aliter, Recipe *stercoris columbini, & capræ ana unc. j. lapidis gagatæ unc. ij. marcasitæ unc. vij. omnia subtiliter pulverizentur, & misceantur cum pinguedine porci antiqua, & modico olei ros. & parum aceti fiat emplastrum.* Vel aliter. Recipe *gallarum, aluminis, fecis, quæ procidit ex ferro*, (quod in nostra materna lingua dicitur caga ferro) *ana unc. i. bulliant ipsa pulverizata in aceto forti, & per embotum locus induratus fumum recipiat*, post istam vero evaporationem, si possibile est, ligetur lamina plumbea super tumorem. Vel aliter. Recipe *folia cypressi noviter collecta cum nucibus ejus, & terantur cum medulla ficuum, & superponatur*, dicunt, quod hæc medicina omnem duritiem dissolvit. Valet etiam hoc *emplastrum factum ex stercore bovino, collecto tempore hyemis, cum aceto.* Ad idem valet emplastrum istud. Recipe *galbani unc. ij. s. lithargyrii unc. s. picis siccæ unc. iii. viridis æris unc. vij. olei veteris unc. vj. terenda terantur, & decoquantur, donec inspissentur*, & si superadderentur *limaciæ ustæ* cum toto, mirabiliter resolveret. Valet etiam *emplastrum factum ex radicibus liliorum alborum.*

Verbi gratia. Recipe *galbani, bdellii, ammoniaci ana unc. ij. dissolvantur cum aceto, & cum cribratura furfuris subtiliter pulverizata quantum sufficit, fiat emplastrum.* Hoc idem facit *emplastrum de meliloto:* callositates, quæ remanent in volis manuum, & in plantis pedum, extirpantur cum confricatione *parietariæ*, vel cum his, quæ duritiem illam mollificent, & si cum his non extirpantur, removeantur cum cuspide cultelli quædam res parvæ rotundæ existentes inter cutim, & carnem, & postea ponatur *unguentum confectum ex calce, viridi æris, & pinguedine porci*, hoc enim unguentum est valde exiccativum.

Capitulum de modo præservationis à tam fœda, & contagiosa, tamque pernicioſa ægritudine, sicut est pudendagra, huic operi finem imponat decrevi, licet vera præservatio sit ab infectis cavere, nam hæc ægritudo est contagiosa, sicut scabies, quæ per contactum inficit, & præsertim cum publicis mulieribus &c. ut dixi in primo tractatu, utplurimum primo inficitur pudendum, demum cætera membra, nam quod immediate tangitur à putrido putrefit, si enim aliud membrum tangeret pultulam sordidam aut virulentam, illud primo inficeretur, ut videtur in pueris lactantibus, in quibus prima infectio apparet in ore, aut in facie, & hoc accidit, propter mammas infectas, aut faciem nutricis, solent enim nutrices sæpe infantes osculari, & sic de singulis, sed non credas, quod hæc materia seu sordities, quæ primo infecit pudendum, attrahatur ab hepate, vel cerebro, non enim potest considerari aliqua convenientia inter ista membra, & materiam, nam membra sana quando attrahunt, attrahunt sanguinem, & spiritum eis convenientem, & cum hæc materia non possit ea nutrire, idcirco non attrahetur ab eis. Quando vero sunt infirma, attrahunt ad se qualitatem contrariam sui nocumenti, ut verbi gratia ipsis dyscrasiatis ad calidum & siccum, attrahitur res frigida & humida, & sic de aliis: quare nec propter hanc causam dicta materia attrahetur à dictis membris, relinquitur ergo quod à se ipsa multiplicatur, & tandem inficiet dicta membra, nam ipsa materia maligna sui malignitate, & proprietate corruptiva quicquid tangit corrumpit, & convertit in sui naturam, & se ipsam multiplicat inficiendo humiditates corporis humani in eandem venenosam naturam, qua multiplicata augetur virtus materiei: nam geminata quantitas augmentat virtutem, unde ex modica materia augetur virtus, & multiplicatur, ita ut de facili per modum continui perveniat ad inficiendum dicta membra, & sic virtutem animalem sensitivam debilitat, & virtutem assimilativam, & postremo per totum corpus multiplicatur: nam hepar & venæ deficiunt in virtute digestiva generando sanguinem malum, malam qualitatem habentem. Nihilominus si quis infectus in pudendo vellet præservari, ne in deteriorem lapsum cadat, recordetur imprimis, & summopere sibi caveat, ne aliqua stiptica, aut repulsum facientia in loco ulcerato ponat, aut poni faciat, nam talia impellunt materias corruptas ad interiora, & sic partem post partem alterando, inficiunt non solum hepar, sed & cerebrum, nam talis materia propellitur per venas, & nervos. habet enim virga (ut quicunque aliqualiter in scientia medicinæ eruditus novit) maximam colligantiam cum hepate, & cerebro. Item caveat ne talia ulcera consolidentur, quo usque omnia inferius scripta completa fuerint.

Præterea utatur diversionibus, evacuationibus, phlebotomia, & præsertim basilicæ secundum aliquos, mihi vero magis placeret ex saphæna, aut saphænis, & hoc usque ad vii. diem, quæ phlebotomia non modo divertit, verum etiam directe respicit causam antecedentem, nisi aliquid sit quod prohibeat: demum utatur ligaturis, frictionibus, sudorem provocantibus, & sic de aliis, tales enim diversiones prohibent, ne humores ab illa materia corrupta & venenosa inficiantur, & trahunt ad exteriora, & sic præservantur supradicta membra principalia, ne inficiantur: & utere ingrossantibus, & infrigidantibus, quæ prohibent ebullitionem sanguinis, ut est *rob de ribes, de agresta, aqua frigidorum, syrupus de dactylis immaturis, syrupus de pyris.*

Item apponantur repercussiva in radice virgæ, & pectine, quæ fiunt cum *bolo armena, sanguine draconis, & aceto*, & sæpius renoventur, ut viæ claudantur, ne talis materia ad superiora conscendere possit, & hoc tempore caveant à somno prolixo. Et si corpus est plethoricum, phlebotometur, aut purgetur, ut perito medico videbitur.

Demum ponatur in loco ulcerato aliqua familiaris medicina, & ut ad actum practicum deveniam, infectus & ulceratus in virga, quanto citius poterit, faciat sibi fugi locum ulceratum ab aliqua vili persona, exterius semper exprimendo, aut parumper scarificetur, aut desuper apponatur parum de *sapone molli cum calce, aut gallus, sive columbus in culo deplumatus, & excoriatus sic vivus* loco ulcerato sæpius apponatur, aut apponatur *rana per medium incisa*, rana enim habet miram proprietatem in attrahendo humiditates à profundo. Quo facto exhibeatur patienti *drach. i. theriacæ antiquæ cum unc. iiij. aquæ acetosæ*, & sit potus iste actu calidus, & post sex horas acceptionis hujus theriacæ, liniatur ulcus cum *theriaca antiqua*, & in radice virgæ, ut dixi, ponatur repercussivum de *bolo armena.* Sequenti vero die in aurora capiat sequentem potum. Recipe *theriacæ de citro, limonatæ, smaragdorum ana scrup. ij. aquarum bugloſſæ, acetosæ, & sublimationis rorismarini ana unc. i. misce*, & iste potus continuetur septem diebus, interim curetur ulcus ab experto chirurgico secundum canones supradictos. Et quia supradictæ medicinæ non habentur in usu, nisi in nobili, & magna civitate Valentina, ubi ego natus sum, idcirco earum descriptiones hic inferam. Recipe *seminis citri mundati unc. iii. seminis acetosæ unc. ii. seminis cydoneorum, rasuræ cornu cervi, radicis diptamni ana unc. s. croci drach. iii. nuces à duobus corticibus mundatas ad pondus omnium, misce, & cum syrupo acetositatis citri, quantum sufficit, fiat confectio opiatæ similis, & intituletur theriaca de citro.*

Secunda descriptio est ista. Recipe *smaragdorum grana octo, seminis pœoniæ mundati drach. ii. corallorum rubrorum drach. iiii. ligni aloes drach. ii. & scrup. ii. croci grana octo, cinamomi, seminis acetosæ, vitis quercini, seminis citri, radicis pœoniæ, seminis portulacæ ana drach. ii. grana tinctorum drach. ii. margaritarum scrup. iiii. cornu cer-*

*vi ſcrup. iiii. miſce, & cum limonata facta cum ſaccharo fiat confectio opiatæ ſimilis, & intituletur limonata ſmaragdorum*, vel loco iſtarum confectionum detur parum de *terra ſigillata*, nam venenoſam materiam expellet, demum curentur ulcera virgæ, & recorderis, quod *aloë* curat ulcera recentia virgæ, antiqua vero curantur à *tutia præparata*, & ſi opus eſt mundificentur, aut abſtergantur, incarnentur, & conſolidentur, & in hoc caſu valet iſtud unguentum. Recipe *tutiæ præparatæ unc. j. maſtichis, thuris ana drach. ii. ceræ albæ unc. ſ. olei roſati quantum ſufficit, miſce, & fiat unguentum*, hoc unguentum exſiccat, ſedat dolorem, removet malam qualitatem calidam, mundificat & incarnat, in hoc etiam caſu valet *lithargyrium*. Si vero talia ulcera eſſent ſupercalefacta, & deambulativa, in tali caſu utere hoc unguento incarnativo, conſolidativo, ac alterativo. Recipe *amyli unc. ii. ceruſſæ unc. i. tutiæ præparatæ cum aqua roſ. drach. vj. lithargyrii unc. ſ. ſucci plantaginis, virgæ paſtoris, conſolidæ majoris ana unc. ii. camphoræ ſubtiliter tritæ ſcrup. ii. albumina ovorum numero tria miſce, & fiat unguentum molle in mortario plumbeo cum ſuo piſtillo, & intituletur unguentum de amylo* pro ulceribus virgæ, & ſi vis magis exſiccare, adde de *calce lota* quod ſufficit. Apparentibus vero puſtulis multis, phlebotomia non competit, propterea quod convertit, & repellit ad interiora, & tota vis curationis hujus ægritudinis conſiſtit in expellendo materias à centro ad circumferentiam, & hoc opus naturæ eſt. Inſuper puſtulis apparentibus dimitte infrigidantia, & adjuva naturam ad expellendum materiam ad ſuperficiem cutis, & præſertim cum ebibitis. Et in tali caſu valet *ſuccus apii, & fœniculi, in æſtate cum aqua hordei, in hyeme cum aqua mellis, aut cum decoctione lentium facta in lib. ii. ſ. aquæ fœniculi, & lib. j. ſ. apii*, valet etiam *ſemen apii, & marathri, aut ſuccus pulegii*, qui puſtulas velociter apparere facit. Vel exhibe iſtam decoctionem. Recipe *laccæ ablutæ drach. v. lentium excorticatarum drach. vij. tragacanthi drach. ij. decoquantur in lib. j. ſ. aquæ fœniculi ad conſumptionem medietatis, & coletur*, ex qua actu calida cum pauco vino albo, jejuno ſtomacho exhibeatur. Vel fac ſic, & melius. Recipe *ficuum citrinarum ſiccarum drach. vij. lentium excorticatarum, & laccæ ana drach. iij. tragacanthi, marathri ana drach. ij. aquarum fœniculi, & bugloſſæ quantum ſufficit, miſce, & fiat decoctio ad conſumptionem medietatis, & coletur, & exhibeatur ut ſupra*. Vel aliter, & fortius. Recipe *ficus albas magnas numero quinque, lentium excorticatarum drach. vj. aquæ fœniculi lib. ii. aquæ apii lib. j. coquantur omnia ad conſumptionem tertiæ partis, & coletur, in qua colatura diſſolvatur drach. i. croci*, illa decoctio actu calida jejuno ſtomacho in aurora tribus diebus continuetur deſuper dormiendo. Vel aliter. Recipe *aquæ fœniculi, & aſparagi, & bruſci ana unc. iij. aquæ apii unc. ſ. anſi, carvi, ſeminis melonis ana drach. ii. ſaccbari unc. iij. detur de eo veſperi, & mane*. Vel aliter. Recipe *ficuum ſiccarum, paſſularum, lentium excorticatarum, ſeminum fœniculi, laccæ, ſantali rubri ana unc. ſ. piſtentur, & coquantur in lib. ij. aquæ fœniculi, & lib. ſ. aquæ apii ad conſumptionem medietatis, & coletur, & in colatura diſſolvatur drach. j. croci, & uſui reſervetur*, illa enim aqua provocat materias ad exteriora, ex qua multæ puſtulæ generantur, & exſiccantur, & tandem cadunt, & præſervantur à doloribus. Quibus peractis recurre ad præcedentes canones, & ſpero cum omnipotentis Dei auxilio, ac genetricis virginis Mariæ haud dubie à doloribus eos præſervabis.

FINIS.

# GASPARIS TORRELLÆ
# CONSILIA
# QUÆDAM PARTICULARIA
## ADVERSUS PUDENDAGRAM.

### CONSILIUM PRIMUM.

Quonſam latius ſcripſi non ſolum cognitionem, verum etiam curam in generali ſupra, venit mihi in mentem aliquas particulares curas enarrare, ut dictis medicorum in ſupradicto tractatu poſitis major fides adhibeatur, nam ut inquit Seneca, in tragœdiis: *Maxima pars ſanitatis credere ſanari fuit.*

Nicolaus minor Valentinus, mihi intima caritate conjunctus, ætatis xxiiij. annorum tere, mediocris ſtaturæ, atque habitudinis, complexionis ſanguineæ, ad choleram tendentis, de menſe Auguſti habuit rem cum muliere, habente pudendagram, quare eadem die ipſe fuit eodem morbo infectus, quæ infectio incepit apparere in virga, ut ſolet ut plurimum aliis evenire. nam ſequenti die apparuit ulcus in virga cum quadam duritie longa, tendente verſus inguina ad modum radii cum ſorditie, & virulentia. Poſt ſex dies ulcere ſemicurato, arreptus fuit ab intenſiſſimis doloribus capitis, colli, ſpatularum, brachiorum, tibiarum, & coſtarum, & præſertim in eorum muſculis, cum maximis vigiliis, à quibus moleſtabatur non niſi in nocte poſt primum ſomnum. Elapſis poſtea x. diebus apparuerunt multæ puſtulæ in capite, facie, & collo, quæ omnia evenerunt, quia natura laceſſita, coacta eſt ſeparare materias corruptas, & infectas à bonis, quæ à prædominio molles erant, phlegmaticæ, licet à prædominio roboris eſſent cholericæ, reductæ ad unam formam, ſcilicet ad phlegma ſalſum, & una pars tranſmiſſa fuit ad muſculos, & lacertos ſupradictorum membrorum, & ibi induxit intenſiſſimos dolores, reliqua vero pars tranſmiſſa ad cutim produxit nonnullas puſtulas groſſas cruſtoſas, à quibus nihil emanabat. Quæſivit unde erat, quod ipſe fuit infectus primo contactu, & non infecit mulieres ſanas pluribus contactibus. Cui dixi, quod non debebat admirari, nam viri ſunt calidiores mulieribus, & habent poros apertos in membro virili, & vapores à matrice corrupti elevati eum celerius corrumpunt. Mulier, vero quia frigidior, non ſic inficitur, niſi fortaſſe ex crebro uſu cum viro infecto: nam matrix eſt frigida, & ſicca, denſa, minimeque læſionis receptiva, ſemen etiam viri infecti ab ea ſuſceptum celerius ejicitur, aut contuſum quieſcens extinguitur. Poſſet autem aliquis dubitare, an dolores accideret à materia exiſtente in dictis locis, aut per communicationem. Et quia ſubito eveniebant, & erant mobiles, utrum eſſent à materia, vel à ventoſitate, nam Galen, dicit quod omnis dolor ſubito factus, & non à cauſa primitiva, eſt à vapore, id eſt, à ventoſitate. Quibus quæſtionibus in alio loco latius reſpondebo. Dolores vero, & puſtulæ uſque in præſentem diem ii. Octobris non fuerunt aucti, neque diminuti. Intelligens dominus meus dux Valentinus hunc familiarem ſuum arreptum pudendagra, præcepit non ſolum mihi, ut eum curarem, verumetiam ei, ut permitteret ſe curari, & cum ſumma diligentia obſervaret, & faceret, quæ per me fuiſſent inſtituta. Et ſic divino implorato auxilio incipiam in præſenti conſilio ſcribere modum, quem tenui in cura ejus. Iſte, ut ſuperius dixi, patiebatur pudendagram, provenientem à phlegmate ſalſo melancholiæ admixto, in qua præcepi regimen in ſex rebus non naturalibus. Præcepi itaque, ut vitaret aërem vehementer frigidum, & vehementer calidum, & ut habitaret in aëre declinante ad levem caliditatem cum humiditate, in quo aëre pori facile aperiuntur. Secundo juſſi eum abſtinere à cibis dulcibus multum, videlicet à *dactylis, à confectionibus de melle, & ab amaris, & ab acutis*, nullo enim pacto permiſi, ut comederet *allia, cæpe, raphanum, eruncam, ſinapi, aromatica*. Juſſi ut dimitteret omnia pontica, & ſalſa, & acetoſa vehementis acetoſitatis, utque uteretur rebus inſipidis, boni nutrimenti, videlicet gallinis, pullis, carne vitulina, hœdina, caſtratorum. Pro ferculis uſus fuit *farre hordei, lactucis, endivia, acetoſa borragine, & bugloſſa*. Dimiſit *caules, rapas, paſtinacas, oryzam*. Vino uſus eſt albo bene lymphato. Circa ſomnum non dedi ei regulam, quia propter dolores non dormiebat per noctem. Procuravi, ut ſingulis diebus haberet beneficium ventris, ſaltem cum aliquo enemate. Prohibui ei iram, & rixam, coitum, pollicendo ei proximam ſalutem.

In cura per potationem habui tres intentiones, prima fuit ad evacuandum, ſecunda ad reſolvendum, tertia ad conſumendum reliquias. Prima fuit completa, cum digeſtivis, & evacuativis. Cepit ergo ſeptem diebus continuis hunc ſyrupum in aurora actu calidum. poſt cujus acceptionem tardabat cibum ad minus tribus horis. Recipe *ſyrupi de epithymo, de endivia, de fumo terræ ana unc. ſ. aquarum endiviæ, fumi terræ, & ſcabioſæ ana unc. j. miſce.* Et quia in urina incipiebant apparere veſtigia digeſtionis, octava die dedi unc. j. hujus infraſcripti electuarii. Recipe *hermodactylorum, turbith ana drach. ſ. diagrydii grana xv. galangæ, caryophyllorum, maſtichis ana grana viij. ſeminum milii ſolis, aniſi, fœniculi ana grana xiiij. ſacchari unc. ij. miſce, & cum aqua ſcabioſæ fiat electuarium in morſellis.* Ex quo cepit, ut dixi unam unciam in aurora, param dormivit, deinde evacuavit magnam partem materiæ morbi abſque moleſtia. nam ſi recte inſpicis ingredientia, facillime judicare poteris ipſum habere maximam proprietatem evacuandi materias mixtas, contentas in nervis, muſculis, lacertis, & panniculis, ex qua evacuatione ſublevatus fuit à doloribus, & membra facta fuerunt agibiliora, quam ante erant. Illa die comedit brodium pulli alteratum cum lactucis, & hoc idem fecit in nocte, conſiderans materias iſtas eſſe mobiles, &, ut ita dicam, furioſas, ideo ad immobilitandum eas, atque incraſſandas feci, ut caperet hunc ſyrupum hora quinta noctis, & ſtatim intraret lectum. Recipe *ſyrupi de papav. unc. j. aquarum papaver & nenuph. ana unc. ſ. miſce*, & illa nocte dormivit magis, quam in tribus menſibus, unde ſurgens de mane dixit ſervo ſuo, profecto ego ſum curatus. Illo mane cepit clyſterem lativum, & non exivit domo: ſecunda vero die poſt medicinam præcepi ei, ut intraret ſtupham, & ibi quantum ſufficere poſſet ſudaret, ubi copioſiſſime ſudavit. deinde in dicta domo intravit lectum, & ibi iterum ſudavit, quaſi per horam dormiendo, nam, ut inquit Avicenna, ſomnus omnes fluxus retinet præter eum, qui per ſudorem fit. Terſo corpore & mundato, atque bene cooperto, redivit domum, pranſus eſt, & cœnavit ſicut in die ſolutivi, & ſic per tres dies intravit ſtupham, & ſemper abſque balneatione, unde quinta die venit ad me agens mihi infinitas gratias, quod cum liberaveram à doloribus. Et quia remanebant in facie, & in multis aliis partibus corporis multæ puſtulæ, præcepi, ut eas in nocte ungeret ſequenti unguento actu calido. Recipe *terebinthinæ decies cum aquis ſcabioſæ, & chelidoniæ ablutæ unc. j. ſ. butyri recentis unc. j. olei de vitellis ovorum unc. ſ., miſce, & fiat linimentum*, ex quo, ut dixi, ungerentur ſolum puſtulæ. quo unguento uſus eſt quinque diebus continuis. Poſtea præcepi, ut iterum caperet drach. vj. ſupradicti electuarii, cum quo ter evacuatus eſt, & quia ultima fuit diverſa in ſubſtantia, & in colore, indicavi materiam in toto fuiſſe eradicatam. Tertia autem die iterum redivit ad ſtupham, in qua ſudando omnes cruſtæ ceciderunt, & ſic mundus domum rediit ſine puſtulis, & dolore, nihilominus præcepi, ut aliquibus diebus uteretur una pillula ante cœnam. Nodoſitates apparentes in membris curatæ fuerunt *pulvere radicis panis porcini, cum fece olei liliorum alborum.* Et ex infraſcriptis, quæ ſingulis diebus evacuabunt materias, quæ facere poſſent recidivam. Recipe *aloes lotæ cum aqua chelidoniæ drach. j. pillularum de hiera cum agarico ſcrup. iiij. miſce, & cum aqua chelidoniæ confice pillulas xviij. numero, & deaurentur ad uſum*, & ſic cum auxilio omnipotentis Dei, atque glorioſiſſimæ virginis Mariæ matris ipſe perfecte eſt curatus.

## CONSILIUM SECUNDUM.

Quidam ætatis xlvj. annorum, ſanguineus, habitudinis pluſquam mediocris, de menſe Auguſti uſus eſt immoderatis laboribus, circundans partes maritimas, non timens ſolares radios, corpore exiſtente repleto, alioque inordinato regimine utens; quare incidit in pudendagram ſanguineam. Infecta autem virga, poſt xxx. dies poſt ſomnum prolixum hora tertiarum excitans ſe à ſomno, invenit totum corpus infectum maculis latis rubeis ſine puſtulis. Elapſis quinque diebus, fuit correptus doloribus intenſis capitis, colli, & ſpatularum. Maculæ vero inceperunt cortices ad modum furfuris emittere. Poſtremo multiplicati fuerunt dolores per totum corpus, infeſtantes eum in nocte, & non in die. Et quia ab omnibus evitabatur propter defœdationem maximam facici (nam tota facies videbatur plena morphæis rubeis, quæ faciem ejus multum dehoneſtabant.) Quare venit ad me, quærens utrum ægritudo ſua poſſet curari, quia ipſe nullam habebat ſpem de ſalute, eo quia fuit dictum ei, ipſum pati lepram, nam ſimul cum iſtis puſtulis & doloribus, ſupervenerat ei raucedo vocis: nam propter intenſos dolores vociferabat, & alte clamabat, quare humiditates fuerunt imbibitæ in epiglottide, atque in vulva, quæ fuerunt cauſa raucedinis vocis. Ego vero illi bonis verbis, rationibus, & experimentis permittente Deo perfectam brevi tempore ſanitatem pollicitus fui. Hunc vero ſic curavi, quia conquerebatur de nimia ſupercalefactione hepatis, & urina erat groſſa & rubea, eventandi cauſa ac diminuendi plethoram, ſuſcepto enemate de mane, præcepi, ut phlebotomaretur baſilica dextri brachii, & quia ſanguis apparuit aduſtus, & groſſus, permiſi ut extraherentur unciæ ix. ſanguinis, cum quo extracta eſt aliqua pars humoris peccantis, nam dolores fuerunt alleviati. Poſtea præcepi regimen in ſex rebus non naturalibus, & in primis ut caveret ab aëre craſſo: nam Avic. *tertia primi* vult, quod groſſities aëris aliquando ſit cauſa corruptionis cibi, ac etiam ab aëre humido. injunxi præterea, ut corpus induereturtaliter, ne ab extrinſecis evenientibus alterari poſſet, ita ut non frigeret, neque nimium calefieret, & ut alteraret cameram cum *thure, ſtorace calamita, & ſandaracha*, nam videbatur mihi camera declinare ad latus humiditatis, & ut bono animo eſſet, fugiendo iram, triſtitiam, ſollicitudinem, quæ maxime Galen. *tertio techni* præcipit obſervari. & ut ſtaret cum amicis, lætaretur, gauderet, nec dubitaret, imo haberet firmam confidentiam, & veram ſpem ſe beneficio medicinarum deperditam ſanitatem conſequi poſſe. Et quia in coitu eſt quædam delectatio, ideo dixi, dum de delectatione loquebar, ut eum evitaret, quantum poſſet, ad tempus ad minus, & ſi non poſſet abſtinere, uteretur ſaltem cum muliere non infecta, & hoc digeſtione completa.

Ulterius præcepi, ne uteretur exercitio forti, & præſertim poſt purgationem, & antequam ingrederetur ſtupham: hoc idem dixi de frictionibus. Si poſſet, uteretur ſomno, & evitaret vigilias immoderatas, nam vigiliæ, ut inquit Avic. *tertia primi cap. xiii.* corrumpunt complexionem cerebri, & debilitant ipſum, & adurunt humores, & ægritudines faciunt acutas, contrarium autem facit ſomnus. Cavendum nihilominus à ſomno meridiano præcepto Avic. 3. *prim. cap. ix.* cujus verba ſunt iſta. *In die quoque dormire eſt malum, generat enim ægritudines humectantes, & rheumatiſmos, & corrumpit colorem, & generat ſpleneta, laxat nervos, efficit pigritiam, debilitat deſiderium, & generat apoſtemata, & febres.* Et paulo poſt ſubdit. *Qui in die dormire conſuevit, ſomnum ſubito interrumpere non debet abſque ordine, neque eat dormitum niſi poſt duas horas ſuſcepti cibi, ut ne innatet.* Ulterius præcepi, ut bene pannis cooperiret ſe, principem ſequendo iii. *primi cap. de regimine ejus quod comeditur & bibitur*, dicentem. *Et debes ſcire, quod multis cooperire pannis, & cervices elevare, exiſtunt ex illis quæ in digerendo adjuvant, & quod in ſomno pluribus egeamus operimentis, experimentis comprobatum eſt, nam cum illis indumentis cum quibus nos manutenemus in die calidos, dormientes frigeſcimus.* auctoritate etiam probatur, nam Avic. 2. *primi cap.* 12. inquit. *Quod autem ex diſpoſitione ſomni eſt, in ipſo calor occultatur, & frigiditas manifeſtatur, & propter hoc omnibus membris tanta neceſſaria ſunt operimenta, quanta in vigiliis non ſunt neceſſaria.* Ulterius præcepi, ut dimitteret omnia cibaria mali nutrimenti, & omnia difficilis digeſtionis, & uteretur ad minus aliquibus diebus cibis boni nutrimenti, & facilis digeſtionis, & ſuper omnia caveret à malis cydoniis, quæ habent à tota proprietate inducere dolorem juncturarum, & nervorum, utereturque pullis, & gallinis, ſturnis, phaſianis, carne vitulina, caſtrati juvenis, ac hœdi, ſi hoc tempore reperiri poſſet, elixatis, & non aſſatis ſupradictis & alteratis cum *lactuca, borragine, cucurbita, farre hordeaceo, & ſimilibus.* Cæterum impoſui, ut procuraret ſaltem bis in die beneficium ventris, & ſi à ſe non poſſet facere, uteretur aliquo clyſtere communi. His ordinatis duas habui intentiones generales. Prima vergebat ad curam præſentis diſpoſitionis. Secunda ad præſervandum, ne recidivaret. Prima fuit completa digerendo & evacuando, non ſolum per feceſſum, verum etiam per ſudorem, poſtremo reliquias reſolvendo, exſiccando, abſtergendo, & confortando, ſequendo veſtigia Galeni, & Hali *tertio techni*, & ſic curatur non ſolum morbus verum etiam ejus accidens.

Accepit igitur novem diebus continuis hunc ſyrupum. Recipe *ſyrupi de endivia de fumo terræ, & acetoſi ſimp. ana unc. ſ. aquarum lactucæ, borraginis, & ſcabioſæ ana unc. i. miſce.* Poſtea cepit hunc. Recipe *turbith unc. ſ. hermodactylorum drach. ii. diagrydii gran. v. epithymi drach. j. zedoariæ ſcrup. ii. zinziberis drach. i. pulverizentur omnia, ut decet, & infundantur in lib. ſ. aquæ ſcabioſæ, lib. i. aquæ fumi terræ, & coquantur ad lentum ignem ad conſumptionem medietatis, & coletur, & totum actu calidum juit ei exhibitum*, cum quo aſcellavit ſeptem vicibus de materia fovente dolores & maculas. Minorata materia, ſecunda die poſt minorativum feci ipſum intrare ſtupham abſque aliqua balneatione, ſudavit ibi per duas horas, ſudore fœtido citrino, poſtea aſcendit cameram, & intravit lectum, & iterum ſudavit ſudore tingente linteamina colore citrino, poſtea cepit cibum more ſolito, hoc idem fecit in cœna. Hora quin-

quinta noctis cepit *unc. j. s. syrupi de papavere.* cum quo dormivit per totam noctem, & nullos percepit dolores. Sequenti vero mane cepit *unc. j. sacchari rosati cum istis aquis.* Recipe *aquarum endiviæ, scabiosæ, & fumi terræ ana unc. j. s. misce.* Et iterum hora tertiarum reiteravit stuphas, ut præcedenti die fecit, & hoc perseveravit diebus quinque continuis. Septima autem die cepit istas pillulas. Recipe *pillularum de lapide lazuli scrup. j. pillularum de hermodactylis scrup. ii. misce, & cum aqua chelidoniæ confice pillulas vii.* quas cepit hora x. & parum dormivit, cum quibus quatuor vicibus ascellavit. Et illa nocte etiam cepit *syrupum de papavere.* Sequenti vero die unxit omnes maculas cum hoc unguento, in tractatu superiori descripto. Recipe *olei rosati, butyri ana unc. j. succi fumi terræ, plantaginis, ebuli, vel sambuci ana unc. s. fac aliquantulum ut bulliant, deinde adde terebinthinam lotam, & parum sulphuris vivi.* Et in tertia unctione evanuerunt maculæ, & squamæ, seu furfures eciderunt, & remansit liber. Nihilominus præcepi, ut intraret stuphas, & ibi lavaretur cum hac decoctione. Recipe *lupinorum man. iii. furfuris. p. ii. radicum enulæ recentium, & radicum &* B *florum malvæ, radicum & florum lapathi acuti, bardanæ, fumi terræ ana manip. ii. bulliant omnia in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem tertiæ partis,* & cum ista aqua calida, dum incipiebat sudare, in stupha fuit lotus, & bene exsiccatus cum pannis calidis, & nihilominus in dicta stupha remansit sudando per horam, exsiccato sudore, & bene operto corpore accessit ad prandium, & cum auxilio Dei remansit curatus. cujus nomen sit benedictum per infinita sæculorum sæcula Amen.

Et quia solent isti infirmi recidivare, quia remanet materia, aut mala qualitas reaggregativa ut dicit Galen. exponens *aphor.* xii. ii. *particulæ, quæ relinquuntur in morbis* &c. Idcirco præcepi, quod uteretur singulis diebus ante cœnam una ex infrascriptis pillulis, eas continuando per totam hebdomadam, & postea staret per aliam hebdomadam absque susceptione earum, confidens quod, sicut paulatim generantur materiæ, ita paulatim evacuentur. Recipe *aloes lotæ tribus vicibus cum aqua chelidoniæ drach. i. s. agarici trochiscati drach. s. misce, & cum aqua chelidoniæ confice pillulas xiiij. numero ad usum,* utatur præterea hoc electuario, de quo capiat ante cibum unum morsellum, cum quo confortabitur cor, hepar, & cerebrum, ut dicit autor veritatis Mesues capitulis propriis. Recipe *specierum aromatici rosati descriptionis Gabrielis drach. ii. s. specierum diarrhodon Abb. drach. i. sacchari albissimi unc. iii. misce, & cum aqua chelidoniæ ad sufficientiam fiat elect. in morsellis, & sint* 8. *numero* & spero pietate divina hæc sufficere.

## CONSILIUM TERTIUM.

Quidam juvenis Longobardus, ætatis xxx. annorum, complexionis phlegmaticæ, per viam contagionis fuit infectus pudendagra phlegmatica, agitur mensis decimus, cum pustulis grossis crustosis, ex quibus exibat sordities grossa alba ad fuscedinem tendens, cum doloribus, quibus fuit alleviatus, & a pustulis, atque doloribus cum certis unguentis: itaque fecunda vice in deteriorem defœdationem, & intensiores dolores recidivavit. Quem curavi, D attenta complexione infirmi, materia peccante, quæ erat phlegma adustum conversum in melancholiam cum pauca admixtione choleræ. consuetudine, ætate, & habitudine, quæ, quando erat sanus, erat pinguis, nunc vero facta est macilenta, res digna admiratione, quando ipse bene se habebat ad oblationes, bene inquiens appeto, bene digero, bene retineo, bene attraho, bene expello, in regione hepatis nullum percipio nocumentum, ejus operationes non sunt manifeste læsæ. Item operationes cerebri habet laudabiles, præter hoc, quod non potest dormire in nocte propter dolores. Jussi itaque, ut habitaret cameram ad caliditatem & siccitatem vergentem, calefaciendo eam cum igne facto ex lignis siccis, & super omnia caveret, ne esset in parte inferiori domus, neque esset testitudinalis: operiret se, prout melius posset, bonis vestibus, quia pauper & mendicus erat. Exhortatus sum eum ad gaudium, & lætitiam, & ut fugeret iram, tristitiam, ac sollicitudinem, nam antequam transiret mensis Octobris, ipse esset perfecte curatus, & Deus sit mihi testis, quod ipse retulit mihi, quod nocte illa dormivit ex sola imaginatione firma, & ex E ipse salutis. Post minorativum, injunxi ei exercitium non solum ante prandium, verum etiam ante cœnam. Et quia dolores non permittebant eum dormire, nihil dico de somno & vigilia. Cibus fuit caro castrati elixi, & alterati cum *foliis borraginis, aut scabiosæ.* Potus vinum album lymphatum, panis albus bene coctus. Feci ut aliquando uteretur ovis recentibus &c.

Procuravi, ut quotidie haberet beneficium ventris binis vicibus. Die vero octava mensis Octobris dedi ei hoc minorativum. Recipe *electuarii Indi majoris drach. iii. s. elect. elescof. drach. ii. elect. succi rosarum drach. i. s. epithymi pulverizati scrup. j. misce, & cum sufficienti quantitate aquarum salviæ, fœniculi, & chelidoniæ fiat potus,* ut decet, & capiat in aurora actu calidum, cum quo emisit multa phlegmata, & materias corruptas adustas. Eadem nocte habuit clysma lavativum, & attenta mobilitate materierum, ac malignitate, & vigiliis, quinta hora noctis exhibui hunc pulverem hoc modo. Recipe *pulveris diapapav. drach. iii. syrupi violati unc. j. aquæ menthæ unc. iij. aquæ papav. unc. j. misce,* quo suscepto post mediam horam dormivit usque ad auroram. Quibus completis præcepi, ut ante cibum omni die uteretur exercitio, corpore bene operto, usque ad sudores inclusive. Sequenti vero die cepit hunc syrupum in aurora. Recipe *syrupi de tribus radicibus cum aceto unc. i. syrupi de epithymo unc. s. aquarum fœniculi, fumi terræ, & chelidoniæ ana unc. j. misce* & capiat actu calidum in aurora, & parum dormiat. Hora vero tertiarum præcepi, ut intraret stuphas, in qua stetit quasi per duas horas, & parum sudavit, quare præcepi, ut hora xxij. iterum rediret ad stuphas, & tunc copiosius sudavit, qui illo vespere ad me rediit, & dixit, Domine, bene me habeo, ego sum exoneratus à magno gravamine, ac pondere, nam licet mihi brachia ad caput elevare, lapides projicere, absque baculo deambulare, quid ulterius sum facturus? Cui dixi, ut uteretur diæta solita, & si non haberet beneficium ventris, caperet ante cœnam unum clysma, & hora quinta iterum caperet pulverem suprascriptum diapapaveris, & in aurora caperet syrupum consuetum. & hora tertiarum rediret ad stuphas, & sic perseveravit usque ad diem sabbati inclusive, die Dominica solum cepit syrupum, hoc idem fecit die Lunæ, & die Martis. Die Mercurii exhibui istas pillulas. Recipe *pillularum cochiarum, de hermodactylis, & de lapide lazuli ana scrup. j. diagrydii gran. v. misce, & cum aqua chelidoniæ confice pillulas xi. numero,* quas cepit hora syrupi, quæ non solum in quantitate continua, verumetiam discreta bene operatæ fuerunt. Quibus completis, præcepi, ut ungeret omnes pustulas remanentes cum isto unguento, nam major pars illarum per evacuationem, & sudorem fuerunt curatæ. C Recipe *terebinthinæ quinquies cum aqua fumi terræ ablutæ unc. j. s. butyri recentis unc. j. s. sulphuris vivi subtiliter pulverizati drach. iii. s. succi limonum unc. s. misce,* & totum hoc lavetur tribus vicibus cum aqua chelidoniæ, ex quo ungatur actu calido, & in loco calido sex diebus continuis. Septima autem die intravit stuphas, lavit se, ac sudavit, & exiens ab omni macula liber remansit, nunc vero laborat, ut solebat, ædificando domos, qui in hac urbe Romana pro optimo magistro reputatur. Nihilominus institui, ut aliquibus diebus caperet *pillulam unam communem de hiera cum agarico,* & spero quod non recidivabit.

## CONSILIUM QUARTUM.

Vir quidam in ætate consistente existens, macilentus, fusci coloris, paucorum pilorum, cum aliis signis melancholicam complexionem attestantibus, agitur annus, quod infectus fuit pudendagra, & ut ipse retulit mihi, evenit ei dormiendo in eodem lecto cum fratre suo infecto, & incepit à doloribus, tandem post duos menses, facto tota die laborioso exercitio, in nocte, hora qua molestabatur à doloribus, à capite usque ad pedes correptus fuit à pustulis grossis, crustosis, cinericeis, & postea non fuit molestatus à doloribus, & sic stetit per decem menses: agitur nunc mensis cum dimidio circiter, dolores fortiores, & intensiores eum invaserunt, paucis pustulis remanentibus cum duobus ulceribus in tibia sinistra virulentis, ac dolorosis, quæ quidem ulcera erant satis lata, & ut ipse quidem credit, chirurgicus fuit causa dilatationis dictorum ulcerum, nam appositi corrosiva. iste igitur continue affligebatur a doloribus, sed intensius in nocte. Et quia pium est languidis subvenire, & præsertim pauperibus, præcipiente Domino meo Duce Valentino, hoc pacto curavi eum.

Ordinata diæta in sex rebus non naturalibus, exhibui septem diebus hunc syrupum. Recipe *syrupi de fumo terræ, de epithymo, & de endivia ana unc. s. aquarum chelidoniæ, lupulorum, & scabiosæ ana unc. j. misce.* Octava vero die cepit hanc medicinam. Recipe *confectionis hamech drach. iij. electuarii succi ros. drach. ij. s. epithymi pulverizati scrup. ij. turbith. drach. s. gingiberis scrup. s. pulverizanda pulverizentur, & cum aquis bugloss. lupulorum, fumi terræ, & endiviæ fiat potus,* quem cepit in aurora calidum, cum quo ascellavit maximam quantitatem materierum melancholicarum adustarum cum admixtione aliquarum partium phlegmatis, & illa nocte alleviati fuerunt dolores, & tribus horis continuis dormivit, & sudavit. Quæsivi ab eo de quantitate cœnæ, & retulit mihi parum aut nihil se cœnasse, quare judicavi ipsum de-

bere evacuari. decrevi itaque naturam adjuvare in evacuando per eandem viam, per quam non ſolum tranſmiſit materias ad faciendum puſtulas, verumetiam ſudorem: injunxi igitur ei, ut intraret ſtupham ſudandi gratia, quod fecit tribus diebus continuis, & tertia die remanſit mundus à puſtulis, & doloribus. Poſt paucos vero dies à quodam amico ſuo chirurgico fuit curatus ab ulceribus, & ne recidivaret, dixi ut per duos menſes continuos omni ſeptimana caperet *drach. j. pillularum de fumo terræ, aut lib. s. in ſero caprino infuſionis epithymi &c.*

## CONSILIUM QUINTUM.

Joannes de Toleto, familiaris Reverendi in Chriſto patris & domini mei F. de Borgia, epiſcopi Thian. ac theſaurarii, ætatis lv. annorum, habitudinis mediocris, complexionis naturalis cholericæ, hepatis dyſcraſiati dyſcraſia calida & ſicca, genuit humores aduſtos, quos attraxit ſplen propria delectatione, ſicut delectatur canis in comedendo ſtercora humana. Et quia non erat capax hujuſmodi quantitatis, tranſmiſit eos per viam regurgitationis ad diverſas partes corporis qui mixti fuerunt cum phlegmate groſſo, genito in ejus ſtomacho per viam indigeſtionis, tam ratione vigiliarum & dolorum, quam etiam inordinati regiminis. agitur autem menſis decimus, quod ſupradictus Joannes fuit arreptus pudendagra cum puſtulis, ac intenſiſſimis doloribus brachiorum, ſpatularum, colli, pedum, ac manuum, & præcipue in partibus anterioribus tibiarum, ubi oſſa quaſi à carne ſunt denudata, qui intendebantur in nocte, in die vero mitigabantur. in cujus cura conſuluit literatos, ac imperitos. & poſt multa experta, deterius ſe habuit. Quare tandem cum maximo labore (nam vix poterat moveri) pervenit ad me auxilium implorans. Ego alias dixi pudendagram eſſe ſcabiei ſpeciem, idcirco bonum eſt in præſentiarum ſcribere modum perſcrutandi, ac inveniendi morbos occultos. Et ut hoc facilius aſſequi valeam, utar conſilio Avicen. *primi p. cap. proœmiali*, ubi inquit, *in cognitione morborum, ſi quid occultum fuerit, ad id medicus demonſtrationem afferre debet, numerando, dividendo, & complendo.* Nunc itaque diſcurro ſic, iſte patitur infectionem puſtuloſam cutaneam cum dolore, igitur aut eſt lepra, aut morus, aut aſaphati, aut impetigo, aut ſerpigo, aut eſſeræ, aut planta noctis, aut ſunt variolæ, aut verrucæ, aut nodi, aut deſudationes, aut lichenes, aut ſcabies. Sed, quod non ſit lepra, manifeſte liquet. nam lepra eſt in carne, hæc autem eſt in cute. præterea, quia in lepra color incipit fieri rubeus, tendens ad nigredinem, & apparet in oculis obfuſcatio, & ſtrictura in anhelitu, & raucedo vocis, & reliqua ſigna lepræ, quæ non ſunt in pudendagra, ergo non eſt lepra. Avic. *tertia iiij. t. iij. cap.* 1. non ponit niſi tres ſpecies lepræ. nam de melancholia, facta ex aduſtione phlegmatis, aut ſanguinis non expreſſit, quia raro ſanguis, & raro phlegma per aduſtionem deducuntur, ut fiant materia lepræ, & ſi ad hoc deducuntur, non ſunt lævorum accidentium, multi vero aſſerunt ſcabiem eſſe ſpeciem lepræ non confirmatæ. Nec eſt aſafati, nam in aſafati incipiunt puſtulæ parvæ, leves, diviſæ, deinde exulcerant ulceribus cruſtoſis, quod non evenit in pudendagra, nam non accidunt ulcera, antequam puſtulæ fiant cruſtoſæ, & ſic per abſentiam propriorum ſignorum relinquitur, quod non eſt aſafati. Neque impetigo, nam impetigo non diverſificatur ab aſafati, niſi cum re occulta &c. Neque ſerpigo. Neque eſſeræ: nam eſſera eſt puſtula parva lata, ſicut veſica, cum quadam rubedine, & pruritum faciens, & anguſtiam, eveniens ſubito, licet à veſica differat, quia a veſica egreditur humiditas, & aqua plurima. ab illa vero caro egreditur. eſt enim eſſera puſtula ſimilis puſtulæ cauſatæ à punctura urticæ, vel veſpæ, & ſi non curatur in principio, facit evenire febrem tertianam. Et licet puſtulæ eveniant in pudendagra ſubito, non tamen cum anguſtia, neque cum pruritu: præterea quia puſtulæ non ſunt ad modum veſicæ, ſed potius aſſimilantur verrucis, igitur non eſt eſſera. Neque eſt planta noctis, nam ipſa accidit poſt deſudationem, & oppilationem pororum, & utplurimum accidit tempore frigido, & puſtulæ ſunt parvæ cum pruritu, & aſperitate, ſed in pudendagra præcedit nocumentum virgæ, & ipſa non accidit poſt deſudationem, & puſtulæ ſunt magnæ, & non parvæ, & ſine pruritu, & poſt ſpatium permanent, ſecus fit in planta noctis, igitur non eſt planta noctis. Neque morus, nam morus eſt apoſtema molle ex carne addita. Neque ſunt variolæ, nam variolæ puſtulæ parvæ ſunt, & in earum ſummitate apparet albedo. præterea quia exitus eſt cum pruritu, in pudendagra apparent puſtulæ aliquando parvæ, & aliquando magnæ ſine pruritu, & in ſummitate nulla apparet albedo, igitur non ſunt iſtæ puſtulæ de genere variolarum. ulterius non apparent cum febre, ſicut variolæ. Neque ſunt verrucæ, quia ex verrucis nulla exit humiditas, neque cadunt cruſtæ, neque ſquamæ, oppoſitum autem accidit in pudendagra. neque ſunt nodi, nam ipſi accidunt in junĉturis, & earum curvaturis; pudendagra autem accidit per totum corpus, & non habet membrum determinatum, præterea quia in nodis non ſunt cruſtæ, neque ſunt dolores, neque ſunt deſudationes, nam in eis non apparent cruſtæ, neque ab eis exit aliquid humiditatis, ſicut in pudendagra. Neque ſunt lichenes, nam ipſi ſunt defœdationes cutis cum ſquamis ſine dolore, ſecus accidit in pudendagra. Relinquitur ergo per abſentiam propriorum ſignorum, quod non poſſit nominari aliquo ſupradictorum nominum, ſed propter majorem convenientiam cum ſcabie, eam reponendam eſſe in dicto ſcabiei capitulo. Et quia ſcabies habet multas ſpecies, placuit mihi ſub hoc communi vocabulo eam nominare propter rationes ſupradictas. Ex dictis ergo notum erit unicuique, quid nominis pudendagra, & quid rei. hic enim de nominibus non eſt diſputandum, ſed intentiones & differentias intelligere debemus, ut princeps Avic. inquit *p. d. vj. ſ. p. c. v.* Hoc idem dicit Gal. 1. *de criſi*, & *primo prognoſticorum*. Sæpius enim dixi, humores groſſos facilius moveri in nocte propter fortiorem calorem, & quia fortiori motore indigent, ſubtiles de die propter conformitatem. Quare his relictis ad curam venio, in qua omnes iſtas intentiones complevi. Primo injunxi diætam in ſex rebus non naturalibus, ſcilicet, ut fugeret aërem frigidum, & etiam multum calidum & etiam turbidum, & nebuloſum, & ventoſum, præcipue auſtrum, & boream, & ſimiliter fugeret aërem humidum, & licet humiditas per ſe non cauſet dolorem, per accidens tamen poſſet cum cauſare, & ut alteraret cameram cum igne *lignorum juniperi, roriſmarini*, & ſuffumigaret cameram, birretum, ac omnia ſua indumenta cum *thure, ſandaracha, & ſtorace calamita*, & membra pannis bene operiret prout melius poſſet. Et expelleret omnem timorem ab anima ſua, nam cum Dei auxilio in pauciſſimis diebus perfecte ſanaretur. Et quia propter dolores habebat noctes inſomnes, ideo dixi, quod vigilia prolixa multum nocebat ei, itaque ea hora, qua poſſet, dormiret conceſſi. Et quia dum movebatur, dolores alleviabantur, dixi, ut motu progreſſivo uteretur, & fugeret quietem quantum poſſet. Inſuper feci ut carnes caſtrati, aut gallinarum alterarentur in decoctione *cum borragine, cum lactucis, & cum radice bugloſſæ*, & in brodio uteretur parum croci, crocus enim habet miram proprietatem in hoc caſu, ita ut opinio aliquorum ſit, quod *decoctio croci*, aliquibus diebus jejuno ſtomacho ſumpta, curet perfecte hunc morbum, licet nimius ejus uſus inducat ſodam, & obtenebret ſenſus. Uſus eſt vino albo Græco, & bene lymphato, & ante cibum ſemper capiebat *aliquas uvas paſſas groſſas mundatas*. Poſt cibum utebatur *coriandro præparato*. Plures enim exhibent *confectionem cydoniorum, factam cum ſaccharo, & aqua roſarum*, quæ non competit, nam mala cotonea à tota proprietate inducunt dolorem articulorum, ut recitat Baveris de Baveriis in quodam conſilio de artetica. & hoc idem Arnal. de Villa nova docet. Injunxi præterea, ut procuraret omni die habere beneficium ventris. ſaltem cum clyſtere, aut ſuppoſitorio, & nunquam ad ſaturitatem comederet, neque comederet, niſi ſentiret priorem cibum eſſe digeſtum, & adeſſe illi verum appetitum, qui cum adveniret, nullo modo differret cibum, nam tolerare famem ſtomachum malis replet humoribus. iii. *p. d. ij. c.* 7. Ulterius præcepi, ne in una menſa comederet diverſa cibaria, quod ipſe facillime obſervavit, nam non omnia, quæ ipſe appetebat, ei exhibebantur. Comedebat enim in tinello, quod ipſa eſt regula, paucos enim tempore meo vidi ſequentes ordinem tinelli, qui infirmarentur, licet omnia laute & abundanter exhibeantur. Cura per potationem fuit executa, nam in primis quæſivi digerere materiam antecedentem, ſcilicet materiam melancholicam, & phlegmaticam, ſcilicet materiam frigidam, & ſiccam. Et ſi quis vellet objicere ſuas cavillationes, prætermittat, & legat Avicen. *prim. iij. t. ij. c.* xxviij. Qui ſyrupus fuit iſte. Recipe *ſyrupi de epithymo, de fumo terræ, de biſantiis, ana unc. s. aquarum fumi terræ, ſæniculi, & chelidoniæ ana unc. j. miſce, & fiat ſyrupus*, & actu calidus exhibitus fuit in aurora, quem continuavit diebus quinque. Sexta die apparente aliquali digeſtione in urina, & quia intenſius affligebatur (eo quia materia erat facta mobilior, & non erat evacuata) idcirco exhibui hoc minorativum in aurora calidum. Recipe *confectionis hamech. drach. iij. diacathol. drach. j. s. electuarii elefcof, electuarii Indi majoris ana drach. j. epithymi ſcr. j. miſce, & cum ſufficienti quantitate infraſcriptæ decoctionis fiat potus.* Decoctio fuit iſta. Recipe *paſſularum enucleatarum, corticum radicum capparum, corticum tamariſci, ſcolopendriæ, polypodii, & ſæniculi ana drach. ij. florum bugloſſæ, & borraginis, ana unc. s. radicum iridis, hyſſopi ana drach. ij. s. miſce, & fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquarum bugloſſæ, ſcolopendriæ, fumi terræ, & ſæniculi ad conſumptionem medietatis, & coletur, cum qua di-*

*diſtemperetur ſupradicta medicina.* Illa nocte poſt competentem evacuationem aliqualiter quievit. ſequenti mane ſuſcepit enema laxativum, redivit ſequenti die ad ſyrupum ſupraſcriptum, quem continuavit octo diebus, & poſt oppoſitionem lunæ iterum exhibui electuarium evacuans duas partes melancholiæ, unam phlegmatis, cum quo expulit multitudinem humorum peccantium, quare dolores quaſi fuerunt alleviati. Conſiderans, quod materia erat paucificata, non curavi urinam provocare, quæ evacuat humiditates & ſerоſitates, quæ aliquando admiſcentur cum materia faciente dolorem, & ejus acuitatem remittunt. Dubitans etiam ne vefica ex ejus tranſitu læderetur, his de cauſis explevi aliam intentionem, quæ dirigitur ad materias vaporoſas, & hoc cum provocatione ſudoris. Quare præcepi, ut quinque diebus continuis jejuno ſtomacho ingrederetur ſtupham ſiccam, & in ea ſudaret cum bona tolerantia, & abſque anguſtia, & bene exſiccaretur cum pannis lineis mundis & ſuffumigatis cum *thure*, *ſandaracha*, & *ſtorace calamita.* ſimili modo facto in camiſia, diploide, caligis, & birreto, ita ut omni die mutaret pannos mundos, quod fecit quinque diebus continuis, & Deo permittente liberatus fuit ab omni dolore. Et quia ægritudines, quæ redeunt, egent aliquo motore: ideo juſſi, ut omni nocte caperet unam de iſtis pillulis. nam paulatim generantur, paulatim evacuantur. Recipe *pill. aſſajaret, de ſumo terræ ana drach. s. miſce, & cum aqua chelidoniæ conficiantur pill. vij. ad uſum.* Item uteretur *terebinthina lota cum aquis chelidoniæ, & fumi terræ.* Item membra læſa epithemarentur cum *aqua vitæ, in qua folia hederæ, ſalviæ, cypreſſi cum nucibus & parum aluminis jameni cocta fuiſſent ad conſumptionem medietatis.* ſi iſta debite applicentur, ſi aliqua portio remanet in loco, quæ neque tractu, neque pulſu potuit evacuari, reſolvetur: membrum vero confortabitur, ut ne amplius poſſit materias tranſmiſſas recipere. Membra vero intrinſeca læſa confortabuntur cum *aromatico roſato majori, aut cum brodio ſerpentis, aut cum carnibus ejus*: nam à tota proprietate habent confortare digeſtivam membrorum, quæ à medicorum principe tertia appellatur. Pro nunc iſta ſufficiant, nam (Deo duce) indies latius ſcribam de motu humorum, & quare ſanguis movetur in aurora ſequens motum ſolis: ſcilicet aut quia natura majorem quantitatem ejus generat in nocte quàm in die ratione ſomni, & ſic ſua ſagacitate eum movet tali hora poſt ejus generationem, ut emundetur ab inficientibus. Cholera movetur hora tertiarum, nam ea hora ſol calefacit aërem magis quàm in mane, & natura ſagax ea hora ipſam movet, ne ſanguinem inficiat. Melancholia movetur poſt motum choleræ ſequens quadram frigidam & ſiccam, & ut ſanguis emundetur à ſuperfluitatibus melancholicis. Phlegma movetur circa mediam noctem, ſequens quadram frigidam & humidam, & ratione inferiorum natura ſagax, in cujus ſagacitate non eſt finis ſecundum Galen. *de criticis*: ut ſanguis remaneat purus, & mundus: ex quibus conſiderare poteris motum iſtorum dolorum. Et ſic cum auxilio Dei omnipotentis, ac glorioſiſſimæ virginis Mariæ, non ſolum ipſe remanſit liber; verum etiam ſpero, præſervabitur. Impoſito conſiliis fine, ſupereſt ut oratio, quam ſanctus Damianus genibus flexis in omnibus potationibus, per eum exhibitis, dicere ſolebat, finem imponat, cujus verba ſunt iſta.

*Omnipotens æterne Deus, qui dediſti medicinam ad ſanandas corporum humanorum infirmitates, da benedictionem tuam ſanctam de cælo ſuper hanc medicinam, ut in cujus corpore introierit, ſanitatem mentis, & corporis ſuſcipere valeat. Per Chriſtum dominum noſtrum, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum Amen.*

Si quis vero devotus presbyter, dicta jam miſſa pro infirmo, diceret hanc orationem ſuper medicinam ſuſcipiendam præſente infirmo, virtutes medicinæ augerentur, & celerius curaretur infirmus.

FINIS.

# JOANNIS BAPTISTÆ MONTANI *Veronenſis*,

DE

# MORBO GALLICO,

## TRACTATUS.

*Ejuſdemque de eodem* EPISTOLÆ *quædam, ex conſultationibus Centuriarum Medicinalium ipſius excerptæ.*

*In hoc tractatu magis intendit eſſentia morbi Gallici, in Epiſtolis plus intendit curationi.*

Multiplex eſt opinio de origine Morbi Gallici. inter reliquas una eſt, & maxime celebris, quæ talis eſt, quod morbus iſte ab influxu cœleſti initium, & originem ſuam traxerit, tamen ceſſante tali influxu, perſeveraverit ſemper talis ægritudo, quoniam quamplurimi remanſerint hujuſmodi morbo infecti, qui deinceps aliis, & poſteris per contagium ipſum tradiderint, & ita, ut nunc adeo frequens ſit. Verum opinio iſta mihi nunquam placuit, tamen in præſenti eam non redarguam, cum huc acceſſerim docendi magis gratia, quam oſtentandi. Quapropter quam breviſſime dicam, quid de hac re ſentiam. Certum eſt, quod morbus iſte per contagium acquiritur, & non tantum ex congreſſu mulieris cum viro; verum etiam ſi quis cum laborante hujuſmodi morbo, quique puſtulas habuerit, dormierit, eiſdemque veſtimentis ac rebus, quibus ipſe utitur, uſus fuerit, facile inficitur. Quis autem ad nos apportaverit peſtem hanc, inquiramus. A Chriſti Nativitate 1492. quidam Columbus miles una cum multis Hiſpanis acceſſit in Indias illas novas, quas Calicut appellant, qui quidem morbus, quia ibi familiariſſimus eſt, quemadmodum ſcabies apud nos, accidit tunc, ut multi ex illis Hiſpanis, dum ibi morarentur, infecti ſint tali morbo, qui deinde ad ſuas regiones & ad nos revertentes, multos ex noſtris infecere Quod autem iſte morbus ſit illis Indis familiaris, non eſt mirum, nam Galen. in *libello illo. an animi mores.* &c. & Hippoc. in *libro de aëre, aqua*, &c. & in *primo Epid.* nec non in *primo de ratione Victus.* inquiunt, quod ſunt Endemiæ quædam, quæ paſſim vagantur, ſicut & Epidemiæ, quod autem hoc ſit verum, habetis apud Arabes, quod erat quædam ægritudo, quam venam Endimini appellabant, quæ talis erat, quod in vena & arteria concreſcebat ſanguis, & videbatur fieri ſicut ſerpens quidam, & difficillime curabatur. ſicut etiam de lepra, quæ apud multas regiones frequentiſſima eſt, in quibuſdam vero raro accidit. Nam Scythæ non patiebantur lepram, & ſic pauciſſimi Germani tali afficiebantur morbo, plurimi tamen Aſiatici infeſtabantur, & hoc propter diverſitatem regionum, ſicut igitur in iſtis regionibus nonnullæ ægritudines graſſabantur, quæ in aliis non reperiuntur, pariter non eſt mirum, quod apud Indias illas novas vigeat morbus iſte contagioſus, illis tamen familiariſſimus, & ideo repertum eſt etiam apud ipſos Antidotum ejus, quod Lignum Guajacanum dicitur. Morbus itaque iſte illis eſt, ſicuti apud nos ſcabies, familiaris, & acquiritur per contagium, ſicut & ſcabies. Cum igitur anno 1496. Columbus ille in Italiam reverteretur, & tum temporis Carolus Gallorum Rex numeroſo exercitu Neapolim acceſſiſſet, itique permanſiſſet per aliquot menſes, tunc contigit, ſicuti in exercitibus evenire ſolet, quod multi hinc inde fuerint facti transfugæ, & ſic milites illi Columbi, qui forte etiam ex illis Indiis quaſdam meretrices adduxerant ſecum, quibuſcum concumberent, deinde multas alias infecere, quæ deinceps & Italis & Gallis, Hiſpaniſque talem luem contribuere tunc temporis. Quapropter Galli morbum hunc appellaverunt Neapolitanum morbum, non Gallicum, & hac die etiam ita dicunt. Hiſpani vero, & Itali Gallicum, quia in eo bello cæpit graſſari, & hæc de origine iſtius morbi, & quomodo per contagium acquiratur.

Modo ſi volumus iſtius morbi curationem tradere, neceſſarium eſt imprimis ipſius naturam & eſſentiam invenire. At quæ natura eſt iſtius morbi, quæve eſſentia? Dico quod eſt mala intemperies calida, & ſicca in hepate per contagium impreſſa. Verum quia mala intemperies poteſt eſſe cum materia, & ſine materia, dico, quod prius hæc intemperies eſt ſine materia, poſtea procedente tempore fit cum ma-

materia, ac ſolvit continuum, & acquiritur per contagium, cum quis commercium cum infecta habuerit, ab illa enim emanat aliquod virus, in quo exiſtit illa mala & venenoſa qualitas, quæ figitur vel in ore, vel in præputio, quæ membra ſunt laxiora, & magis apta ad recipiendum hanc venenoſam qualitatem, quæ cum ibi eſt jam impreſſa, paulatim repit ad venas parvas, deinde ad majores, donec hepar pertingat, quæ cum eo pervenerit, ipſum occupat, immutatque ejus naturalem temperiem, quod hepar poſtea ſic alteratum primo adurit omnes humores in eo exiſtentes, qui tranſinituntur ad omnes corporis partes pro nutrimento, ſed cum mali ſint, tunc membra renuunt ipſos, nec nutriunt, & ideo corpus illud redundat quamplurimis excrementis, quæ ſi nimis mordacia fuerint, tunc generant ulcera, puſtulas, pilorum defluxus, dolores inter junĉturas, & alia infinita ſymptomata ſecundum variam naturam humoris, qui aduritur. nam ſi fiat ulcus, illud poſtea à mala intemperie fovetur, & cum in ulcere adſit dolor, propter ſolutionem continui, tunc ratione doloris adtrahitur nova materia, ex qua continua adtrĉtione difficillime curantur: quoniam mala intemperies non facile corrigi poteſt, cum jam in membro tam nobili impreſſionem fecerit, quia vero calida & ſicca eſt, ideo aſſumpſit plurimum de humido radicali, & ad ſiccitatem jam vergit, cum adſit ibi calicitas præternaturalis. Vos autem ſcitis, quam difficilis ſint correctionis lapſus, qui ad ſiccitatem vergunt, iſta autem intemperies eſt magis ſicca, quam calida, ideo non eſt mirum, ſi difficilis ſit curationis. Sed cur os, præputium, vulva, recipiunt tam facile hujuſmodi morbum? Dico quod ratio eſt, tum quia membra iſta ingrediuntur in corpus, tum etiam quia laxa admodum ſunt, & ideo agens facilius imprimit in ſubjecto diſpoſito, quam in non diſpoſito. Accedit etiam hoc, quod ex confrictione membra illa incaleſcunt, & pori magis rarefiunt, & tunc facilius virus emanans ab ulcere corporis infecti, imprimit malam illam qualitatem: quod quidem virus cum ſit calidum & ſiccum, facile penetrat, & exulcerat, & corrodit, & evenit, quod qui mollis ſunt carnis, facilius recipiunt hunc morbum, quam qui ſolidioris carnis ſunt. Quapropter mulieres & pueri facile inficiuntur ex lactatione, & aſſiduo lactis uſu infecti, Verum tamen eſt, quod ut plurimum in coitu acquiritur contagium illud: quoniam quum illa membra naturaliter ſint laxa, accedente poſtea illa frictione in coitu, incaleſcunt, & pori rarefiunt magis, magisque relaxantur, & ideo membra calefacta, humores magis recipiunt, & virulentiam illam, & malam qualitatem, quam poſtea ſingulis partibus communicant, & præcipue hepati, eo modo quo dictum eſt. Quod intemperies hæc ſit calida & ſicca, à natura rei cognoſcitur, & ex effectibus: nam ſi ulcera fuerint, habebunt duritiem ſatis inſignem. Durities autem fit vel à pituita craſſefacta, vel à melancholia, ſed non à pituita craſſefacta, quia non corroderet, ergo à materia melancholica, & de hoc Galen. in *lib. de hum. præter naturam*, ubi adſunt inquit eroſiones cum duritie, ibi adſunt materiæ craſſæ aduſtæ. Sed ſi materia eſſet tenuis, potius Erityspelata faceret, vel ulcuſcula ſuperficialia, non autem in profunditate. At ulcera hæc ſunt in profundo, & cum eroſione, ergo materia craſſa aduſta eſt, quæ cauſat talia ulcera. Quod etiam ſit materia calida & ſicca, cum aduſtione, declaratur, quia iſtorum ulcera curantur cum iis, quibus medemur ulceribus aduſtis. quod quidem ulcus venis primo parvis paulatim, deinde majoribus tranſinittit ſuam malam qualitatem, donec hepar pertingat, & ipſum occupet: quod ita ulceratum, talem ſanguinem, talesque humores, qualis eſt intemperies ſibi adquiſita, generat: unde & in hoc morbo idem contingit, quod & in ſcabie. ſi quis enim utatur pannis, quibus utitur ſcabie laborans, vel cum illo dormiat, primo incipit ſcabies in una tantum parte, deinde ad alias ſucceſſive permeat, donec totum infectum reddat, & ſic ad hepar pertingit, quod ita alteratum talem ſanguinem generat. Quapropter tales non bene ſanantur, niſi prius evacuata materia, & alterato corpore, videlicet hepate, quibus peractis, linimentis etiam leviſſimis dicta materia tollitur, quæ alioquin ex ſe nunquam abiret, & iſta magis hominem affligit ſecundum diſpoſitionem ipſius, & ſecundum etiam quod ſe regit circa cibum & potum, reliquaſque ſex res nonnaturales. Et extat una propoſitio univerſalis in medicina, quod quando aliquis affectus æqualiter in toto corpore eſt impreſſus, tunc principium naturale eſt vitiatum, ut verbi gratia: ſi quis patiatur privationem motus, & ſenſus in toto, tunc neceſſario patitur principium ſenſus, & motus, cerebrum ſcilicet ipſum. pariter, ſi quis patiatur aſphyxiam, id eſt, ſummam pulſus imbecillitatem, ſignum eſt vitium eſſe in principio vitali, ſcilicet in corde, & ita ubi in ſingulis corporis partibus vitiatur ſanguis, ita quod fiat vel aduſtus, vel pituitoſus, vel ſalſus, & per totum diffundatur, tunc ſignum manifeſtum eſt, quod hepar ſit læſum. ſicut igitur non eſt mirum, quod ex una parva ſcabici puſtula totum corpus inficiatur quandoque, pariter mirum non debet videri, ſi ex parva puſtula, vel ulcuſculo iſtius morbi venenoſi inficitur totum: ſi quidem inficitur hepar, quod eſt principale membrum toti deſerviens, neceſſarium enim eſt hoc affecto omnia in deterius labi. Et ideo Galen. in *ſexto de locis affect.* declarat, quod modicum virus ſcorpionis in aliqua parte impreſſum pertingit illico uſque ad cor, vel cerebrum, ubi recitat de quodam, qui ex morſu ſcorpionis adeo infrigidari videbatur, ac ſi aqua frigidiſſima ſuper caput ejus inſperſa eſſet. & videtur quaſi virtus quædam ſpiritualis, ſicuti etiam eſt de opio. nam modica opii qualitas totam habet intrigidare maſſam ſanguinis. non igitur eſt mirum, ſi illato contagio vel in ſumma virga, vel in ore, vel in vulva, diffunditur illa mala intemperies, & uſque ad hepar pertingit. quod autem ita fit, quod ſcilicet hepar inficiatur, apparet, nam omnes tales lividi fere, & ſubnigri apparent, floridumque tum faciei, tum cutis amittunt colorem, & triſtantur ſine cauſa, cum prius hilares eſſent. dicebat enim Galen. in *lib. artis parvæ*, & in *quarto de tuendâ ſanit.* quod talis eſt cutis in ſuperficie, quales ſunt humores in corpore dominantes, niſi ad profundum decubuerint: iſti igitur triſtantur, quia non amplius ſanguinem bonum, floridumque habent, unde & ſpiritus, qui ab eo elevantur, ſum ſint aduſti, non poſſunt eſſe clari, nec lucidi, ſed perſeverante hac mala qualitate in hepate calida & ſicca, major fit ſanguinis aduſtio. tunc enim membra renuunt talem ſanguinem adeo craſſum, aduſtum, & mordacem pro nutritione ſui, ideo conſequenter aggregantur tunc plurimæ ſuperfluitates in tali corpore. quod ſi iſti aliquam corporis partem reliquis imbecilliorem habuerint, illuc humores tales excrementitii confluunt, modo ad crura, vel ad pedes, vel ad cutim, diverſaque ſymptomata ibi percipiuntur. Si enim junĉturæ fuerint debiles, ad junĉturas confluunt, quæ cum frigidæ ſint, humores illi acres, & mordaces aduſti in ipſas penetrant, acutiſſimosque dolores pariunt, talesque gignunt dolores, ac ſi terebra perforarentur, ſi vero ille humor magis tenuis fuerit, nec ita aſſatus, nec aduſtus, virtusque potens & valida fuerit, expellit talem humorem ad cutim, & puſtulas facit. nam cutis eſt receptaculum omnium excrementorum. præterea puſtulæ illæ ad nigredinem vergunt, unde indicant aduſtionem ipſius materiei inſignem, ſub illisque puſtulis propter ſummam aduſtionem fiunt ulcera, quæ difficillime curantur, & quandoque ita acris & mordax eſt hujuſmodi materia, ut vapores ab ea elevati caput petentes cauſent diverſa ſymptomata, vehementes capitis dolores, puſtulas, capillorum defluxus, nonnunquam figuntur in palato, vel in gula, quia humidæ & laxæ, & ibi cauſant ulcera: faciunt autem cruſtas, quia dum ſanguis ille aduritur, elevantur vapores ad caput acres, qui cum cerebrum validum & forte inveniunt, ab ipſo ad cutim expelluntur, & ab eis dolor, & in furculis, & in ſpatulis propter aſcenſum illorum vaporum cauſatur, qui inhæret perioſtiis illarum partium. quandoque etiam cadunt pili propter defectum alimenti ipſorum, aut quia etiam alimentum ſit corruptum. interdum quia circa cutim plurima plerumque adſunt excrementa, quæ ibi putreſcunt, etſi enim pili generentur ex aduſtione humorum, tamen, ſi aduſtio illa corrumpatur & aduratur, magis tunc cadunt pili, & hinc eſt, quod auripigmentum facit cadere pilos, quia tollit ortum ipſorum adurendo radices, ſic & materia illa aduſta, quæ ad radices pilorum tendit, cum aduratur magis, eſt cauſa quod pili cadant. Quare omnia ſymptomata indicant ſummam aduſtionem, & præcipue in hepate, ſiquidem in tota maſſa ſanguinis adeſt vitium, ergo & in ipſo principio. ſed advertas quod iſta aduſtio habet gradus diverſos, nam ſi hepar in totum etiam frigidæ & pituitoſæ temperaturæ invenerit, facit quidem aduſtiones, non ita tamen ſicuti in hepate calido & ſicco, & ideo non eſt mirum in variis temperaturis, ſi varii reperiantur effectus iſtius gradus, & variæ affectiones, nam in aliis abſceſſus fiunt, in aliis dolores, in aliis ulcera, in aliis ſcirrhus, & gummi. Si quæret quis, cur eſt quod hujuſmodi affectio non pervenit ad cor, ſicuti ad hepar, nam ſicuti pervenit ad hepar per venas, ita etiam tendere ad cor id deberet per arterias. Dico quod ideo non deberet evenit, quia ad hoc quod agens agat, requiritur diſpoſitio ipſius paſſi. novi enim ego multos, quoſdam vero vidi, qui ex uno tantum concubitu illam malam qualitatem acquiſiverant, quare dico, impreſſionem hanc facilius recipi in hepate per venas, quam in corde per arterias. nam cor, & arteriæ ſunt validiſſimæ, & ſubſtantiæ admodum duræ & ſolidæ, ideo hujuſmodi intemperies non ita facile poteſt imprimi in ipſis. venæ autem, & hepar, quia habent ſubſtantiam magis laxam, minusque ſolidam, merito non adeo affectibus iſtis reſiſtunt, ſicut cor & arteriæ ipſæ. Sed quæres, nunquid, quando facta eſt illa puſtula in præputio, & in inguinibus, apparent illi tumores, id eſt, bubones, an

ſit

sit appellandus morbus Gallicus necne? Ad hoc dicimus, A quod si pustulæ illæ nuper inceperint, easque prudens medicus extinxerit, ac repressserit, quod tunc affectus ille non est dicendus morbus Gallicus, etenim tunc color cutis fœdatur, & magis niger quam pallidus redditur, & hoc ideo est, quia sanguis, ex quo nutriuntur membra omnia, aduritur ineptiorque redditur ad membra nutrienda, ac spiritus etiam ipsi tenebrosiores efficiuntur, ideo isti tales semper tristia cogitant, & mala imaginantur: quod si adhuc perseveraverit, aggregantur quamplurima excrementa, quæ deinceps ad juncturas expelluntur, & ad periostia, unde continue augentur plurimi humores pituitosi, qui superaddi fiunt, deinde gypsei: quapropter circa juncturas quandoque fiunt gummi, quod si magis adurantur & magis acres mordacesque evadant, diversa causant ulcera. quod si diutius hæc intemperies perseveraverit, non cessat, donec omnia membra principalia occupaverit, quia cum contrarium contrario applicatur, necessario sequitur actio & passio. dum enim virtus cerebri potest resistere huic malæ qualitati, resistit quantum potest, & si caput dolet, tristiaque imaginetur, non credatis tamen quod læsio sit principali- B ter in cerebro, & cerebrum per essentiam læsum sit. sed per consensum propter vapores ascendentes ab inferioribus partibus: unde si Gallicosus iracscatur, hoc est etiam per consensum vaporum ascendentium, quia cum sanguis crassus & adustus sit in hepate, & ex eo generentur spiritus, quia ex puriori & magis defecata parte sanguinis gigni solent, non possunt tunc esse ipsi nec lucidi, nec clari, non tamen propter hoc dicendum est, affectum esse principaliter in corde, sed perseverante morbo ipso, concedo, quod ista mala qualitas imprimatur in utroque, prius tamen in cerebro quam in corde, quia hepar est laxum, cor vero est solidum, & durum, ideo facilius recipit illam malam impressionem quàm cor. Cerebrum igitur ita inficitur, & ita ut quandoque corrumpatur meninx ipsius, & os etiam corrodatur ipsius cranii, sed tunc patiens pessime se habet, quoad operationes naturales vitiantur & animales, ultimo contagium istud ad cor pertingit ratione pessimi alimenti, quod generatur in hepate, & cor ratione illius magis exsiccatur ob impressionem illam, quæ calida & sicca est, & sic incipit tabescere, tunc autem nulla est re- C demptio, tales autem fiunt admodum agrestes & impatibiles, nihil possunt tolerare, & si quis alius secum loquatur, fastidiunt omnia, maxima enim fit adustio in cerebro in istis, & ita morbus iste tres habet gradus, primus est quando illa mala qualitas in hepate figitur, ac imprimitur, quod si tunc cerebrum quicquam patiatur, illud est per consensum. secundus gradus est, quod ultra hepar occupet cerebrum, & tunc apparent signa, quæ superius diximus. ultimus gradus est quando etiam cor opprimit, ex quo sequitur marasmus, nec amplius curatur, etenim patientibus intemperiem talem humores illi, prout aggregantur, aduruntur, & sic sequitur perpetuo adustio humorum, sive sit bilis, sive pituita, sive atra bilis. Quare jam habetis naturam, & essentiam istius morbi, necnon signa, ipsorumque rationes. verum si talis est, qualem diximus, essentia hujus morbi, quomodo removebitur cum aderit? Duplex est via, una per ea, quæ à qualitatibus manifestis operatur, alia quæ à proprietate occulta, at quis insurget dicens, tu ergo concedis nunc illam qualitatem D occultam, sive proprietatem, quam alias ubique vituperas? Ad hoc dico quod Galen. etiam interdum ad illam confugit, ut exempli gratia, quare Scamoneum trahat bilem, de hoc nulla potest tradi ratio, nullaque causa reddi, quare stercus pueri curet synanchen. in isto igitur morbo debetis procedere cum iis quæ operantur à qualitatibus manifestis, & cum hujusmodi morbus sit intemperies hepatis calida & sicca, & cum materia, primo materiam evacuabimus, deinde cum frigidis & humidis quæremus reducere hepar ad pristinum statum. nam non possumus intemperiem removere, nisi prius educatur materia. non enim potest redire ullum membrum ad suum naturale temperamentum, nisi prius mundatum fuerit a propriis superfluitatibus. prius igitur vacuanda materia, deinde alterandum est hepar cum frigidis & humidis, & quoniam morbus iste est malignus & venenosus, non potest tolli, cum sit valde impressus, cum iis quæ à qualitatibus manifestis operantur, ideo ad Bezoardica, sive antidota est recurrendum, unde Deus gloriosus de hoc nos commoneat, suumque ostendat auxilium, quemadmodum etiam fecit in aliis E morbis venenosis. & hoc est decoctum ligni Guajacani, nam & medici moderni, qui supra nos tentavere morbum istum curare, cum ex affectibus ab eo provenientibus viderent intemperiem hanc calidam & siccam, in curatione cum frigidis & humidis procedere, & quia videbant ista corpora propter hujusmodi intemperiem esse referta quamplurimis malis humoribus, prius exactam & ipsi evacuationem tentarunt, & cum viderent ulcera, cum iis quæ Arabes ulceribus malignis & putridis occurrere consueve-

re, quæ saphati appellant processerunt, & quia in hujusmodi ulceribus Arabes argento vivo utebantur, ideo & ipsi cum hujusmodi procedere, non tamen curabant, summam enim argentum vivum repressionem habet, non tamen curat, quia non removet illam malam intemperiem, sed bene per aliquod tempus facit remanere suppressam: procedente vero tempore omnia deteriora redeunt quam prius, & quia non credebant, se sanare cum linimentis, ideo antidoto usi sunt ipsa, & quia assumendo argentum vivum per pillulas & syrupos, tum nimio illius motu ulcerabantur intestina, ideo sistebant ipsum, & cum saliva, & cum axungia, & cum similibus, & hoc appellarunt argentum præcipitatum, cum potius præcipitans dicere debuissent, quoniam præcipitat homines. Hactenus scivistis, quod intemperies ista calida & sicca hepatis reducenda est ad suum naturale temperamentum, cum suis oppositis frigidis scilicet, & humidis. Sed hoc dicebamus non posse fieri, nisi prius evacuatis quibusdam humoribus adustis, multiplicatis in corpore propter hujusmodi intemperiem, & quia medici gradum istius lapsus, & formam ejus specificam ignorant, quæ quidem venenosa est & pestifera, ideo occurrunt ei cum suo antidoto, quia sicuti forma faciens istum morbum est nobis occulta, ita medicina respiciens istam formam est nobis ignota. quod autem hujusmodi intemperies ad certum gradum pervenire debeat, ad hoc ut faciat morbum Gallicum, licet aliqui velint ita argumentari, quod lepra esset morbus Gallicus hoc modo, omnis morbus Gallicus fit ab intemperie calida & sicca hepatis, ergo omnis Lepra est morbus Gallicus, vide quæso, quomodo valeat hæc consequentia in secunda figura ex puris affirmativis, in terminis non convertibilibus, verum enim est, quod lepra fit ab intemperie calida & sicca, & quod curatur cum his, quæ evacuant humorem melancholicum, & per frigida & humida alteratur hepar ipsum, non tamen ob id lepra est morbus Gallicus, & quia medici ignorant formam specificam, ideo casu inventum est ejus antidotum, quod est caro viperæ, ex qua asserit Galen. se multos curasse in eo loco, qui est de subfiguratione empirica, sic etiam morbus Gallicus primo debet curari cum iis, quæ humorem melancholicum evacuant, deinde cum iis, quæ alterant hepar ad frigidum & humidum, & Deus dedit nobis suam antidotum, quæ respicit hunc morbum à tota forma, & illud est lignum Guajacanum, quod non tantum quoad qualitates manifestas contrariatur morbi Gallici formæ, sed potius videtur illi simile, & favere, quoniam calidum & siccum: ex quo videtur, quod intemperiem illam augere debeat magis, quare cum ipsum morbum removeat, operatur, non quia calidum, neque quia frigidum: sed quia tale: in curatione igitur istius pessimi & venenosi morbi consulo, ut utroque modo procedatis, primo incipientes ab iis medicamentis, quæ per indicationes sumuntur, ergo, quia humores plurimi sunt & adusti, ideo prius evacuandi sunt, sed prius sunt præparandi & concoquendi, postea alterandum est hepar ad frigidum & humidum, quoniam intemperies acquisita est calida & sicca, ultimo cum bezoardico, vel cum decocto Ligni Guajacani, quod à proprietate sanat. Quod autem ubi adest hujusmodi morbus, sint plurimi humores adusti melancholici, istud ex suis signis deprehendetis, nam vel patiuntur dolores in D brachiis, vel in spatulis, vel in cruribus, vel in capite, qui causantur à vaporibus elevatis ab humoribus adustis, interdum ulcera tum circa pudenda, tum circa os & palatum, quæ indicabunt humorem melancholicum adustum. quandoque pustulas in capite, quandoque capillorum defluxus, propter pessimum nutrimentum, quæ omnia attestantur tales humores adustos plurimos depravatos, quapropter evacuandi sunt, & optime & exquisite, & quia aggregati fuerunt propter malam hepatis intemperiem, quod, cum generet pessimum sanguinem, illum transmittit per venas & arterias ad universum corpus nutriendum, sed cum injucundus sit, & inutilis, atque excrementitius, membra ipsum renuunt. ob id non fit in hepate tunc bona concoctio, unde multiplicantur excrementa, quare facta prius concoctione, & convenienti ventris evacuatione, mittatis sanguinem usque ad uncias x. & plus & minus, secundum quod corpus fuerit robustum, aut imbecille, & si virtus ita debilis sit, ut talem sanguinis missionem unica vice non possit ferre, bis terve iterabitis, donec eam quantitatem, quam intenditis, eduxeritis. ex hac enim evacuabitis humores, qui in toto venarum ambitu aggregati sunt propter malam hepatis intemperiem, deinde refrigerabitis ipsum hepar, & universum corpus, quo maxime indigetis. postea quia scitis aliquos humores crassos, & adustos superesse, concoquetis ipsos, quoniam ex ipsis non potest generari alimentum corpori, quia jam omnes concoctiones pertransiverunt: humor enim melancholicus est excrementum, & fex omnium concoctionum, si igitur excessit omnem concoctionem, scitis vos, quod ex cinere nihil fit, ideo non potest concoqui vera & propria con-

co-

coctione, ſed concoquitur hoc pacto, quia conjunctus eſt A plurimis bonis humoribus & laudabilibus, tam in venis quam extra venas, & cum crudis etiam, ideo iſtos concoquetis, aptosque ſecretioni reddetis. Quapropter imprimis exhibebitis ea, quæ veram faciunt concoctionem, ipſamque adjuvant, & iſta ſunt calida & humida, hoc enim pacto veram facietis concoctionem adjuvando calorem innatum, qui poſtea crudos humores aggreditur, ipſosque concoquit, & tunc natura, quod eſt ſibi ſimile, retinet, quod vero noxium, expellit, & ſegregat. quia igitur in iſtis aggregati ſunt humores adusti plurimi, non debetis tentare veram concoctionem (quoniam humores iſti veram concoctionem pertranſiverunt) ſed concoctionem improprie dictam, adjuvando ſcilicet calidum innatum, qui eos humores crudos cum adustis conjunctos concoquat, & ſeparet, & aduſtos humectabitis, magiſque expulſioni paratos reddetis, etenim cum natura fortior fuerit facta, eos deinde expellet, quod ſi tale munus non efficiet, debetis vos adjuvando ipſam expellere. Advertendum autem hic eſt, quod iſti fere omnes practici ad præparationes humorum, nulla facta concoctione, procedunt, nullam differentiam ponentes inter præparare, & concoquere, ideo in principio B abſtergentibus, incidentibus, & aperientibus procedunt, ſed illi humores, cum nondum præparati ſint, nec concocti, detruduntur per vaſa, & incuneantur, nulla facta prius concoctione, nec etiam abſtergi, nec incidi poſſunt, cum non ſint concocti. ideo notetis differentiam, quæ eſt inter concoquere, & præparare, nam concoquere, eſt adjuvare calorem innatum, ut ſuper humores fortius, & validius agere poſſit, ipſosque concoquere, malosque à bonis ſeparare: præparare vero eſt, cum concocti ſint, ſi tenues nimis fuerint, eos incraſſare, ſi craſſi nimis, attenuare, ſi viſcidi, incidere & abſtergere, & tandem eos evacuare, ſic itaque ſemper debetis facere: prius nempe accedere ad concoctionem humorum, antequam præparentur, deinde, facta concoctione, & præparatione, ſi natura non evacuat, evacuare. ideo in principio in caſu noſtro procedetis cum fomentis calidis & humidis, & circa ventriculum, & circa hypochondria, ut prima concoctio optime fiat, & juvetur calor innatus, poſtea cum iis, quæ interius aſſumuntur, ut ſunt calida & humida, tam ſcilicet cibi, quam medicinæ, ſintque facilis concoctionis, & ita ſemper pro- C cedetis, ut prima concoctio, quæ fit in ventriculo, optime fiat, pariter & quæ in ambitu totius fit, & celebratur, ſic enim ſemper adjuvabitis calidum innatum, & modice calefacietis, cum levibus frictionibus adhibendo modicum *olei, vel amygd. dul. vel chamæmeli.* Vinum debilis ſubſtantiæ debet eſſe, lene, & modice dulce, non nigrum, ſed album, cibi quoque conveniunt calidi & humidi, ut ptiſana alterata cum modico cinnamomi in bono jure pulli confecta, quia ptiſana de ſe frigida eſt, & humida ut ſcitis. cumque per 8. aut 15. dies ita duxeritis ægrum, adjuvando concoctiones omnes, tunc urinæ magis laudabiles apparebunt, magiſque concoctæ. eoque tempore ad abſtergentia, ad incidentia, & ad aperientia tuto poteſtis accedere, ut, quod eſt jam concoctum, natura adjuta poſſit expellere. ideo tunc optime poteſtis *ſyrupum de ſumo terræ*, qui abſtergit & incidit, & *oxymel ſimplex*, & *ſyrupum de epithymo*, alioſque innumeros exhibere, ut, quod eſt concoctum, expellatur, quodque crudum eſt, præparetur, & expulſioni, abſtergendo, incidendo, aperiendo paratum reddatur. His peractis, tunc pharmaca, D quæ hujuſmodi humorem evacuent peccantem, & hepar alterent, exhibebitis, nec à *confectione ipſius Hamech* diſcedetis, nec à *ſyrupo roſarum ſolutivo.* quo peracto, ſi adhuc ſymptomata perſeveraverint, nec magna ex parte fuerint remiſſa, judicabitis corpus illud non eſſe exacte evacuatum. Tunc igitur concoquetis rurſus, ac præparabitis materiam: poſtmodo etiam evacuabitis, & tunc poteritis uti illis noſtris ſyrupis, vel aliis conſimilibus, noſtri autem ſunt hujuſmodi. Recipe *myrob. citrin. chebul. Indorum ana unc. v. Contundantur groſſo modo, & in lib. quatuor ſucci fumi terræ infundantur per diem & noctem, poſtea* Recipe *polyp. follic. ſen. epithym. ana drach. vj. liquiritiæ drach. j. cariophyll. drach. ij. ſem. citri, cinnam. epithymi ana ſcrup. j. cort. helleb. nig. drach. j. bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem tertiæ partis, deinde addantur libræ tres aquæ fumi terræ, & miſce pro ſex vicibus*, & ſic, ſi æger fortis, & validus ſit, poteris exhibere ſingulis diebus; ſi vero non ita robuſtus, alternis diebus tantum, quibus peractis, ſi videbitis, accidentia magna ex parte ceſſare, tunc alterationi hepatis attendetis, quo facto, poſtmodum ad Bezoardica devenietis, alterabitis autem he- E par cum frigidis & humidis, quæ moderate talia ſint, & tunc dabitis ptiſanam in jure magis longo, & aqueo, vinum vero magis dilutum propinabitur. Quod vero ad medicinas, vos exhibebitis *ſyrupum violatum compoſitum & ſimplicem* alioſque conſimiles, cum aquis frigidis & humidis, poſtmodum ad decoctum ligni accedetis. Sed quoniam ultra iſtud decoctum frequentiſſimus eſt uſus *linimenti argenti vivi, & olei de calcantho, ſeu de vitriolo*, quoniam iſti volunt, hæc habere proprietatem contra iſtum morbum, & non tantum utuntur argento vivo exterius, ſed interius etiam (quod pejus eſt) exhibent, & hoc quia vident quaſdam experientias. Sed quam difficilis pro ægro ſit experiendi modus, niſi prudentem medicum nactus fuerit, legatis Galen. in 1. & 2. *ſimplici medicinâ* ubi inquit, quod medicus maxime prudens, & in logicis verſatus eſſe debet, ſi debet cognoſcere id, quod eſt per accidens, ab eo quod eſt per ſe, ideo vos, qui methodici eſſe vultis, cognoſcere debetis, quare eſt, quod argentum vivum curat, vel potius curare videatur morbum Gallicum: præterea videatis Plin. in *cap. de hydrargyro*, licet nonnulli faciant differentiam inter hydrargyrum, & argentum vivum, dicantque hydrargyrum eſſe id, quod arte fit, argentum vivum vero eſſe id, quod fit à natura, & quod foditur ex mineris, ſed quicquid ſit, eaſdem habet vires, ſive foſſum, ſive arte factum: ſemper enim cuicunque applicatur, repellit, & ſummopere penetrat & nullum commercium habet præterquam cum auro, & præ nimia ſui frigiditate, & B penetrandi vi (quod, an habet à ſua forma ſpecifica, latet) cuicunque, ut dixi, applicatur, repellit, & cum occurrit membris principalibus, interficit, ſicut venenum. ideo antiqui abhorrebant ipſum, ſed poſt ipſos Arabes, qui maximi Alchimiſtæ fuerunt, ita admiſcere uſum ipſius, ut & in ſcabie quoque uterentur, ſed apud Græcos nunquam videbitis uſum ipſius. Loquor enim de Græcis antiquis, ſicuti fuit Hippoc. Galen. Oribaſius, non de recentioribus, qualis fuit Actius, & Paulus, quoniam illis neotericis Rhaſim præfero. Alexander etiam Trallianus fuit ex antiquis illis, ideo videatis Galen. in *cap. de argento vivo*: nam dicit (*ego non cognoſco hydrargyrum niſi pro veneno*) & nihil aliud de ipſo vult dicere. Dico igitur, quod argentum vivum habet hanc proprietatem repellendi omnia, quibuſcunque occurrit, & ideo Arabes eo in ulceribus putridis, & malignis utebantur, & purulentis, cum non poſſent occurrere cum exſiccantibus & abſtergentibus, quoniam cum iſto locus ab illa purulentia mundabatur, & brevi tempore, quo viſo, cœpere ipſum extollere, & ad ſcabiem cum ſtorace, & oleis calidis applicare, & ſic multi juniores medici, & aromatarii fere omnes in ſuis linimentis ad ſcabiem ipſo utuntur, & quod deterius eſt, extinguunt ipſum cum ſaliva, & cum cineribus, & conficiunt pillulas, quæ mirifice humores evacuant, & ſuperius, & inferius, & eſt, ac ſi arſenicum præparent, quia iſtud eſt maxime venenum. Dicunt autem iſtud à virtute occulta ſanare morbum Gallicum. Inquiunt & hoc experientia conſtare; ſed dico ego, & vos videbitis, ſi unquam evenerit, ut experiamini (quod non conſulo) quod neutrum horum facit, ſcilicet, nec curat à proprietate manifeſta morbum Gallicum, nec uliam contra ipſum proprietatem occultam habet, immo eſt peſſimum venenum, & exterminandum à toto uſu medicinæ, & licet videatur curare, non tamen curat, ſicut & ſupra dixi, & decipiuntur neſcientes diſcernere inter id, quod eſt per accidens, & id, quod eſt per ſe: nam quia vident, quod exterius, vel interius aſſumptum, facit ceſſare dolores, & ulcera clauduntur, credunt ob id, quod ceſſet morbus, ſed non ceſſat: at tantum à partibus exterioribus & ignobilioribus ad interiores, & nobiliores detruditur. procedente poſtea tempore redit cum ſævioribus accidentibus, quod D & ipſi viderunt, & ideo diverſos modos applicandi imaginati ſunt, modo namque præcipitant ipſum, modo adurunt, modo in ſuffumigiis, modo in linimentis, modo per os exhibent, modo illinunt videlicet crura uſque ad genua, & brachia uſque ad cubitum, quo facto, cum repellat omnia, quibus occurrit, repellit etiam ad medios ventres, & quandoque ad caput, & ſic tunc ceſſant dolores, & ulcera clauduntur, & alia hujuſmodi per aliquod tempus, & cum iſti non ſentiant amplius dolores, lætantur, bene comedunt, bene bibunt, bene dormiunt, & pingueſcunt, licet non bona pinguedine, nam potius intumeſcunt, etenim cum permanſerunt quatuor, vel ſex menſes, & quandoque annos, redit, & pejor priore invadit, & anhelitus fœtet, gingivæ corrodunturur, unde & dentes longiſſimi apparent, & ſubmarcidi, color fœdiſſimus, quod ſi iterent linimentum bis terve, non amplius poſſunt evadere. cum igitur inuncti fuere, apparent ſani, quia repellit ad intra, & penetrat: ob id commiſcent cum oleis calidis, cujuſmodi eſt *oleum laurinum, oleum de terebinthina, cum adipe urſi, anſeris, cum butyro*, & faciunt E infinitas miſcelas, & utuntur linimento Io. de Vico, quod referunt illi Romæ multam pecuniam acquiſiviſſe. at hoc faciunt medici per ignorantiam methodi, & ita ego quoque, cum junior eſſem, uſus ſum iſto linimento, & viſus ſum ſanaſſe aliquos, cum tamen non ſanaverim, nam redibat poſtea deterior affectio priore, ideo, cum hoc viderem, converti me ad Galen. hoc animo, ut niſi methodum

dum in hac arte, & rationem, qua utitur ipſe, invenirem, derelinquerem: at tandem, Deo juvante, vidi & inveni veram viam, à qua illuminatus fui, & cognovi, quod argentum vivum repellit omnia, quibus occurrit, dilatatque vias, & expellit quicquid humoris invenit, & non ceſſat iſte motus, dum humor craſſus, aduſtus, & pituitoſus expulſus ſit vi ipſius. & quia illinuntur extrema, ideo humores coguntur retrocedere, & devenire ad ventrem medium, & thoracem, unde, qui taliter inunguntur, plurima excernunt per ſputum, & ita ſcopus & finis hujus eſt, ut omnis materia vi, & impetu illius argenti vivi, deveniat ad thoracem, & ad ſtomachum, & ad pulmonem, & inde expellatur, cujus ſignum eſt, quod maxima copia illius humoris excernitur ſine tuſſi, & ſine aliqua excreatione, tenendo ſolum os apertum. ſic igitur, thorax impletur illo veneno, & illa mala qualitate, quæ totum occupabat, ſed quam hoc ſit bonum, judicetis vos: ſi enim materia mala tendit de ſe ad ignobiliores partes, illi repellunt ad nobiliores, præterea advertatis, an illa ſit conveniens via educendi illum humorem, cum debeat hepar evacuari per convenientes regiones, Avic. 1. *prim. clamante: cum evacuas, cave ne materia tranſeat per membra principalia:* & tu oppoſitum facis, cum tuo argento vivo, quod mirum in modum obeſt, quia ea materia intus truditur, & illa mala qualitas, ibi majorem facit impreſſionem, & ideo iſti habent ſua membra ſpiritualia perpetuo affecta, & vos in primo intuitu tales cognoſcetis, cum non amplius habeant colorem floridum, qualem habere ſolebant, marcidæ factæ ſunt gingivæ propter humores, qui eas corrodunt partes, dentes longi, & nigri fiunt à fœtidis vaporibus. præterea anhelitus fœtet, & calorem innatum ſemper ſopitum habent propter illud venenum, quod acceperunt, nec bene concoquunt, ſicuti prius: permanetque intemperies illa calida & ſicca in hepate, immo aucta eſt multum, ex qua continue multiplicantur peſſimi humores aduſti, & plûrimi: iſti autem credunt, quod, evacuatis illis humoribus, ſanantur, ſed oportet reducere hepar ad naturalem temperiem, ne alios ampliores generet vapores malos, ideo non eſt mirum, ſi fiat recidiva, & malignior reddatur materia, quam fuerat in principio, & ratio eſt, quia cauſa in hepate exiſtens perſeverat continue magis, atque magis, quæ tamen removenda erat, volenti recte curare. Quare, licet iſti videantur, ut toties jam dixi, curari, non tamen curantur, quia non per ſe curantur, id eſt, removendo cauſam morbi, ſed tantum per accidens, recipiendo materiam, & evacuando abſque alteratione hepatis, ſine remotione illius malæ qualitatis impreſſæ, & ideo curantur hoc modo, quando ſentiunt dolores ceſſare, & ulcera vident conſolidari, & reliqua ſymptomata tolli per aliquod tempus, ſed non evacuantur per convenientes regiones, & deterius fit illud, quod acquiſivere per aſſumptionem illius peſtis: Ideo caveatis ab uſu argenti vivi, & præcipue à pillulis illis, cum ſint venenum manifeſtum. Hucusque igitur habuiſtis eſſentiam hujus morbi, & ſigna, & indicationes, quæ ab his ſumuntur, ſine quibus curari non poteſt, ſicuti febres, & inflammationes, quoniam gradus lapſus, in hoc morbo præciſe dignoſci non poſſunt, ſicut nec gradus naturalis temperamenti, uti Galen. in *proœmio ad Gla.* aſſerit: aliorum autem morborum, licet non poſſimus exquiſite lapſus dignoſcere, quia tamen non faciunt magnam impreſſionem, quemadmodum facit iſte peſſimus morbus (quia vel illi cito interficiuntur, vel ſanantur ob id cum contrariis) ægroto occurrentes depellimus ipſos, & hoc quia non infixere formam ſuam in membris, ſed ſi in hoc & in aliis venenis ſciremus gradum lapſus, & formam illam ſpecificam, forte cum iis, quæ ab indicationibus ſumuntur, eam tollere poſſemus. nec credendum, quod temperatura ipſa ſit forma, ſed bene ipſam ſequitur immediate forma ſubſtantialis, verum cum formam iſtam ignoremus, ideo non poſſumus eam tollere cum indicationibus, nec credatis, quod etiam alios quamplurimos tollamus, ob id, quia ſciamus præciſe lapſus gradus illorum, ſed occurrentes ipſis cum contrariis, quia non fecere illam malam impreſſionem, eos tollimus. ſed iſte morbus Gallicus, quia fecit impreſſionem illam, ideo non poteſt removeri, niſi cum æquis viribus, quæ vere cognoſcuntur, ergo cum per indicationes curativas non poteſt tolli, ad aliud oportet devenire, ſcilicet ad antidota, & ad ea, quæ à qualitate occulta operantur, recurrere, quod ſi fuerit in principio, ita ut non fecerit illam magnam impreſſionem, poſſumus tunc ipſum tollere cum indicationibus, ut ſi exquiſitiſſime evacuamus ipſum corpus, & alteramus hepar ad frigidum, & humidum, refrenamus formam, nondum infixam; ſed cum morbus eſt jam confirmatus, tunc oportet ad antidota accedere, & hoc eſt lignum Indicum. Veronæ eſt quidem lignum, quod Eganum appellant, quod facit ſiliquas, in quibus ſunt ſemina parva, & folia rotunda, & magis rotunda, quam ſint folia hederæ craſſiuſcula, & lignum illud eſt ſolidiſſimum, ita ut vix poſſit incidi, & graviſſimum, ac ponderoſum, interius nigredinem habens, & tandem omnes obtinens conditiones ligni, quod naſcitur in India, adeo utraque ſimilia ſunt. An vero habeat eandem virtutem cum ligno Indo hoc ignoro, & forte propter diverſitatem regionum, non habet eaſdem vires, tamen non expertus ſum, ſatis eſt, quod illius ligni Indici magnam habemus copiam, quod eſt antidotus hujus morbi, neque hoc facit propter qualitates manifeſtas, quia ex guſtu per regulas Galen. nobis traditas, in *lib. de ſimpl. medic.* ſicciſſimæ, & calidiſſimæ ſubſtantiæ eſt, nam amarum eſt ejus decoctum, cum acrimonia erodente, & ita erodente, ut ſit calidum uſque ad tertium gradum, & habet partes heterogeneas: habet enim partes ſubtiles, in quibus fundatur illa acrimonia, & terreſtres aduſtas, in quibus amaritudo, & hinc eſt, quod ſuſtinet tantam decoctionem, etenim, ſi decies decoxeritis, paulo minus amarum, ſpiſſum, & acre erit, quam fuerit primum, & vix ab eo virtus poteſt extrahi: & vidi aromatarios, qui decies vendiderunt idem lignum: ideo cum vultis eſſe fideles veſtris ægris, & honorem adipiſci, jubeatis, ut decoquant domi ſuæ. Cum igitur habeat iſtas qualitates, non tantum non deberet curare iſtum morbum, qui ex calida & ſicca intemperie hepatis eſt, ſed cum tale ſit, potius deberet augere: ideo non à qualitatibus manifeſtis operatur, ſed à forma ſua ſpecifica, ſicuti etiam multæ aliæ medicinæ. Cum igitur operetur à qualitate occulta, ſi iſtud decoctum exhibueritis, antequam removeritis omnia impedimenta, multa incommoda & mala inſurgent abſque ulla utilitate, quia forma illa ſpecifica, à multitudine humorum obtunditur. præterea cum non poſſit cum ſua qualitate occulta, & forma ſpecifica operari, cum qualitatibus manifeſtis, ſcilicet, cum caliditate & ſiccitate ſubſtantiæ operatur, & inflammat hepar, & ſic, qui exhibent antequam corpus ſit exacte purgatum, & mundum, plus nocent quam profint. ſi vero exquiſitiſſime evacuatum fuerit prius, tunc proſpere res ſuccedet, ideo nunquam exhibatis tale decoctum, niſi exquiſitiſſime prius evacuato, & prius peractis iis, quæ dixi; ſed quando varius eſt uſus iſtius ligni, ideo duo verba dicam de hoc, nam video multos, eoſque inſignes medicos hoc lignum cum vino decoquere, eoque aromatico, & malvatico etiam, & exhibere abſque ratione, ac ſine methodo, unde deſtruunt omnium temperaturas, & non ſolum decoquunt cum vino, ſed admiſcent etiam calida aromata, quale eſt *cinnamomum*, & alia hujuſmodi, & non tantum aromata calida, ſed etiam medicamenta calida & evacuantia, ut *epithymum*, *diaſena*, & quod deterius eſt, ea etiam quæ moleſtiſſime evacuant, ſicuti eſt *ſcammoneum*, *colocynthis*, *helleborus*. Unde componunt medicamentum, quod quidem eſt venenoſum, & quidam ex noſtris, ex aſſumptione iſtius vini, ita aduſtus, & exſiccatus eſt, qui ad nos acceſſit, ut vix ſpatio ſex menſium potuerim eum refrigerare, & humectare, & exhibui ea frigida medicamenta, quæ certe alium interfeciſſent, & aromatarii timebant ipſi ea præparare, cum dicerent, ſe nunquam vidiſſe, corpori alicui humano tam frigida exhibita, & tamen vix potui ipſum refrigerare. Sed dicet quiſpiam. Vellem ſcire, undenam eſt iſte malus uſus, & unde emanavit? Dico, & credo fuiſſe quempiam excellentem medicum, qui artem, & medendi methodum calleret, qui cum inveniſſet quempiam laborantem tali morbo, admodum refrigeratum, vel ex longitudine morbi, vel ex ætate, ut nihil fere haberet caloris, præterea totus gummoſus eſſet, tophosque in toto haberet, & humores per univerſum craſſos, frigidoſque, exhibuit iſtud decoctum cum vino, & propoſuit, quia videmus & nos, aliquos ita maleficiatos, qui nullam fere calidítatem habent, & loco ſanguinis, pituitam generant, quemadmodum Limaciæ, & Cochleæ, in talibus ergo conferre poſſet, quia indicationes hoc probant, quia cum ſint frigidi, & humidi, ſane cum calidis & ſiccis reducendi ſunt ad temperamentum, ideo ſi invenietis tales, in quibus reliqua omnia fruſtra ſint facta, tunc poteritis hoc facere, ſed advertendum hic unum, quod mihi iſtud vinum non placet, quoniam ægritudo iſta eſt in nervis, & membranis: ſcitis autem quantopere Hippoc. Galen. Avic. Dioſc. & alii omnes deteſtantur vinum in morbis nervorum, ideo præ oculis hoc habendum eſt, quod tamen, ſi modo volueris exhibere, cave ne exhibeas juvenibus calidæ & ſiccæ temperaturæ, & in tempore, & regione calidis, quia multum lædes. nam in iſto ligno ſunt duo, eſt vis calefaciendi, & exſiccandi, & eſt forma ſpecifica, qua ſanatur morbus iſte: quod ſi qualitates manifeſtæ ſuperaverint, tunc magis nocebis, ſi vero forma ſpecifica ſuperabit, tunc ſanabis, ſed caveatis ab uſu iſtarum antidotorum, ſine methodo, & diſtinctione, quia ſemper plus damni afferretis veſtris ægris, quam juvamenti. ideo ſi iſtud decoctum exhibere occurrit juveni, & habenti temperaturam calidam & ſiccam in tempore etiam calido & ſicco tunc remittatis acrimoniam, & caliditatem ipſius, in aquis per temperamentum proprium frigidis, & humidis, ſi vero fuerit corpus hu-

midum, & non calidum, & velitis aliquantulum calefacere, A decoquetis id in aqua communi, quia ipsa recipit omnes impressiones, licet enim mille calida in aquis frigidis & humidis dictis decoxeris, nunquam ab eis frigiditatem removebis, & ego superioribus annis M. D. Io. Joachimum habui laborantem tali morbo, & medici alii exhibuerant decoctum in aqua communi, licet esset senex, tamen, quia calidæ & siccæ temperaturæ erat, ideo jussi decoctum fieri in aqua endiviæ, & cum hoc decocto ille totus refrigeratus est, cumque prius pallidus esset, rubeus effectus est, ideo & vos ita facietis. Caveatis, ne qualitates manifestæ superent occultam, quia sic inflammabitis potius, si vero forma specifica superabit, sanabitis. Hactenus habuistis essentiam hujus morbi, & duplex sane est via removendi istum morbum, una per proprietatem occultam, altera per indicationes, sicuti faciunt dogmatici, in omnibus morbis, à natura morbi procedentes, quia morbus est intemperies calida & sicca, in hepate redacta ad certam formam, nobis ignotam, nec credendum, quod valeat consequentia hæc, quod ubi est intemperies calida & sicca in hepate, ibi sit morbus Gallicus, quia lepra, & alii morbi proveniunt ab intemperie calida & sicca hepatis, B sed secundum diversos gradus impressionis diversas faciunt ægritudines, cum igitur hic sit intemperies calida & sicca hepatis, per illam communem dignitatem, contraria contrariis curantur, cum contrariis debetis procedere, sed cum hic sit intemperies, est etiam plenitudo in toto, quod indicant dolores, pustulæ, ulcera, gummi, & defluxus pilorum, quæ sunt signa fluxionis: fluxio autem est cum materia, ergo si est fluxio, adest etiam materia, sed ubi adest materia, sumitur alia indicatio curandi, atque in eodem fundamento multitudo curatur, & tollitur cum suo contrario, scilicet cum evacuatione. sic enim proceditur à natura morbi, à quo sumuntur duæ indicationes, una evacuandi, altera alterandi. Sed à qua incipiendum est? Videatis Galen. in 3. *met.* ubi inquit, quod ab ea debemus incipere, sine qua reliqua non potest tolli. Hic autem removenda est multitudo, & mala temperies existens in hepate, debetis igitur vos ab evacuatione incipere, quia nisi evacuabitis humorem peccantem, non poteritis alterare ipsum hepar. primo igitur evacuabitis, deinde cum contrariis alterabitis, sed quia exacte non potest tolli hæc intemperies, propter impressionem, quia forma hujus ægritudinis est C etiam ignota nobis, ideo ad antidota recurrendum, quale est lignum Indianum, quo experientia comitat tolli istum morbum, non propter qualitates manifestas, sed quia tale, id est à proprietate occulta, & à forma specifica, & hoc est, quia non attingimus ultimum gradum lapsus, & formæ hujus morbi. nam si cognosceremus formas specificas cujuslibet vestrum, cognosceremus etiam ægritudines cujuslibet. Verum quia ultimæ formæ morborum, & maxime istius, & aliorum sunt nobis ignotæ, ideo conjectura tantum, & à posteriori est procedendum, & ideo inventum est hoc lignum, quod formæ hujus morbi est contrarium: quia videmus quicunque hoc assumpserunt, servatis servandis, & si non prima vice, saltem secunda, tertiave, vel etiam quarta assumptione sanati sunt, nisi sint tabidi, & intemperies in ipsorum corde jam sit confirmata calida & sicca, quia tunc non recipit curam, sed ubi non sit adhuc in corde impressa illa venenosa qualitas, & vobis ægri, & assidentes, & instrumenta, commoda fuerint, omnes prorsus sanabitis. Diximus porro abstinendum esse omnino à decocto ligni cum vino, diximusque quando id ipsum D conveniret, cum scilicet corpus esset admodum refrigeratum, vel propter longitudinem ægritudinis resolutus calor innatus, & tunc si dabitis vinum, cum sit calidum calefaciet, & penetrabit per partes, ad quas aqua propter maximam pituitæ copiam non posset penetrare, confortabitque spiritus, & calorem innatum, & sic propter qualitates manifestas, & vini, & ligni, & propter formam specificam ligni morbum tolli, & sanari contigit. Sed videamus, an illa medicamenta calida, ut cinnamomum, conveniant. Dico quod non, quia non debent qualitates manifestæ augeri, ita ut superent illam formam specificam, sed potius corrigi, quia si auxeritis qualitates manifestas, addideritis qualitatem igneam ipsi decocto, & si exhibueritis juveni, & temperaturæ calidæ & siccæ, vel in tempore tali, plurimum lædetis. An vero medicamenta, quæ evacuant, conveniant tam in decocto cum aqua, quam cum vino. Dico quod non, quare? quoniam jam dixi, quod hoc lignum agit, & tollit morbum à forma, si sic, ergo totum debet prius esse evacuatum, antequam exhibeatur, quo omnia impedimenta sint ablata, ut cum forma sua possit bene agere, si igitur jam totum erit evacuatum, & velis adhuc evacuare, non- E ne contra Hipp. & Galen. & rationem, & contra omnes facies? Nam quid est deterius, quam medicinas solventes purgato corpori exhibere? quod vidit Hipp. dum dixit in eo *Aph. Helleborum dare purgatis, convulsiones facit:* quod si non fuerit evacuatum, non debet exhiberi istud decoctum, quia alteratio non debet cum evacuatione permisceri, nam si fuerit mala complexio in aliquo membro, quis est tam rudis medicus, qui prius non velit evacuare, deinde alterare membrum, sic & vos facere debetis, non autem permiscere evacuantia cum alterantibus, quia illa alterantia non poterunt agere, ideo caveatis ab hoc usu, quia pessimus est, vacuetis inquam prius, deinde alteretis, & nunquam convenit uti isto decocto cum medicamentis evacuantibus, & solventibus, raro etiam cum vino, & in quibus casibus, diximus, sed semper in eo est nocumentum de nervis, & morbus iste occupat membranas præcipue, quæ sunt nervosæ, ideo in aqua decoquetis, & si vultis calefacere aliquantum, & exsiccare (ut si sit æger non juvenis, & in tempore hyemali & temperaturæ ad frigidum potius declinantis, quam aliter) tunc in aqua communi decoquite, quia aqua communis recipit omnes impressiones, si vero fuerit juvenis, & calidæ temperaturæ & in æstate, tunc in *aqua, vel boraginis, vel cichorei, vel fumi terræ, vel portulacæ* decoquetis, licet ego nunquam transcenderim illas tres, tametsi posset esse æger adeo calidus, ut egeretis summa refrigeratione, nunquam tamen ego expertus sum, nam ista aqua resistit caliditati ipsius ligni, si enim accipiatis *drach. v. opii & drach. x. piperis*, & simul ponatis, & decoquatis, semper illa vis frigida resistit illis x. calidis, & inducet stuporem. accipiatis etiam *philoniam romanum*, & consideretis ingredientia, si *Theriacam novam*, in illis longe plurima calida quam frigida invenietis, tamen habent maximam vim refrigerandi, & inducendi soporem frigida. Hic cadit dubitatio, & maxima, quomodo aqua, scil. cum sit primum frigidorum, efficiatur materia ad omnes formas suscipiendas. Ad quam dico, quod si frigiditatem actualem, vel potentialem haberet, ineffet illi forma propria, & ageret semper secundum illam formam, & eodem modo, & si decoqueretis calida in ea, semper refrigeraret, sicuti contingit de ejus humiditate, quæ quia actualis illi est, nunquam potest ab ea removeri, quare, quia, si decoquetis quæcunque sicca, semper erit humida, frigiditas vero facillime removetur, & tamen dicitur, quod aër est primum humidorum, & aqua primum frigidorum, & Galen. visus est cognovisse hanc difficultatem, quia nullibi curat frigiditatem aquæ, nisi quæ actualis est, quando enim actu calida est, eam abhorret, & in corpore calido, quod non facit in reliquis, quæ prima frigida sunt. nam succus papaveris, ut habetur primo & secundo de temperamentis, licet actu calidus sit, tamen, quia potentia est frigidus, semper refrigerat, & sic videtur, quod Galenus confidat tantum in actuali frigiditate aquæ, non in potentiali. Cum igitur decoxeritis lignum in aqua communi, & eam exhibueritis corpori calido, in tempore calido urinæ minores efficientur, & rubræ, & æger maxime sitiet, ejusque corpus incalescet, & tandem febricitabit, & tabescet, unde cogemini abstinere ab eo decocto, ideo utamini aquis destillatis, & simplicibus frigidis, ut *endiviæ, boraginis*, quia tales sunt primæ frigidæ, & resistunt calidis, quæ in ipsis decoquuntur. Quodnam vero lignum accipiendum sit, docebo. Volo, ut accipiatis quod est maxime nigrum, unctuosum, & ponderosum, quia in humiditate illius stat illa forma specifica, quoniam humiditas cum partibus terreis ita permiscetur, ut causet, & faciat nigredinem illam, & accipiatis *lib.* 1. istius ligni, non minutissime triti, sed in laminas incisi tenuissimas, quoniam in trituratione illa adeo tenui exhalat quid de forma ipsius, & remanet pars terrestris, & ideo non debetis servare sic incisum, quia tanto magis partes illæ tenues exhalant ab eo, in quibus est forma illa specifica, ideo non nisi unam libram pro quaque vice facietis præparari, & tunc illico in aquam infundi, non tamen debet crassè admodum esse incisum, quia tunc aqua per ejus substantiam non posset penetrare, & per consequens non posset auferre ab eo partes illas subtiles, & formam ipsius specificam, sed debent esse latæ partes illæ ligni, quoniam latitudo illa non impedit, quin decoctio possit auferre omnes partes, nec ita facile potest ab eo virtus resolvi. & bene dicebat Arist. in *primo meteor.* loquens de putredine, quodlibet putrescibile, quanto est amplius, tanto magis putredini resistere. ideo plurima copia aquæ plus resistit putredini, quam parva copia. propterea *accipiatis aquam laudatissimam, & subtilissimam, & pro qualibet libra ligni xii. lib. aquæ sumite, & ponite in olla stricti orificii. ut minus possit evaporari, & cooperite, & illa olla debet usque ad xviii. & ad xx. etiam lib. aquæ continere, ut supersit vacuum pro ebullitione, & cum per diem naturalem infusam tenueritis, istud lignum apponetis ad ignem lentum & clarum, quia facilius extrahetur quicquid in eo est virtutis, & non tantum evaporabit, & decoquite quousque tertia pars decreverit, & accipio ego xiiii. lib. ut octo possint superesse, quia & ariditas ollæ, & ipsius ligni semper duas lib. aquæ absumunt. Deinde facta levi colatura reponetis in vase vitreo bene obturato*, & hoc erit pro syrupo, & una libra dabitur pro singulis vicibus, & mane, & vesperi, & semper debetis advertere, ut cum æger assumet syrupum, sem-

ſemper per horas tres permaneat, antequam cibum aſſumat, & ſub actuali caliditate, vel tepiditate exhibebitis, ſi fuerit in æſtate, quia omnia tunc ſunt calida, ſed quoniam iſti jubent, ut æger, ſi eſt in lecto, quieſcat, & ſi non cubat, jubent ad cubile illum accedere, & cooperiri quamplurimis pannis, quo excitetur ſudor etiam violentiſſime. ob id, dico, quod hic committitur error, primo, quia ſudor eſt actio naturæ, quæ debetur ultimis excrementis, quæ in ambitu corporis exiſtunt, & ultimo hoc facit natura. nam imprimis excernit, quicquid eſt in inteſtinis, & in ventriculo, & in primis venis per ſeceſſum, ſecundo per urinam excrementa venarum, ultimo per ſudorem excrementa, quæ ſunt in ambitu totius, etiam per inſenſiles tranſpirationes excernit, ſed iſti faciunt, ut ultima evacuatio ſit prima, & omnino contrarium faciunt ejus, quod intendit natura. præterea quandoque natura expellit ſuas ſuperfluitates per urinam, quandoque per ſeceſſum (licet hoc raro contingat) quandoque per inſenſilem tranſpirationem, interdum per ſudorem, ſed iſti cogunt ſemper ſudare, & nil deterius eſt, quam divertere naturam ab eo, quod ipſa intendit, ſed debemus potius eam permittere, & ſi non poteſt ſupplere, illi opem ferre, non autem cogere ipſam, ideo habetis, ut in quiete permaneatis poſt ſyrupum, in loco etiam calido, quo natura poſſit etiam agere operationes ſuas, & ſi provocaret ſudorem, permittere, ut ſudet, & nudare hominem, & ſi defecerit, auxiliari ei, & non cogere ad id, ad quod non eſt apta, quia non eſt forma univerſalis, regens ſingulas partes noſtri corporis. Quod ad ſecundam decoctionem, *accipiatis idem lignum, & decoquatis in lib. aquæ xx. quo uſque quarta pars decreſcat, ſed tamen cum magna diligentia, & ſi velletis diligentius facere, poteſtis accipere xx. lib. aquæ decoctæ, & tunc facietis fortiſſimam expreſſionem, ut in prima etiam decoctione, & utamini iſta pro potu, & ſi ingrata videbitur, addatis parum ſacchari*, ſed ſimplicem magis laudo, & mihi placet, ut omnino à vino abſtineat. Victus vero ratio limitanda eſt, ex Hippoc. & Galen. in *lib. de victus ratione ſecundum ægri vires*, nam ſi robuſtæ erunt vires, tenuiſſima erit diæta, ſi debiles, pleniori utamini victu. etiam cavere debetis ab errore, in quem omnes communiter incidunt, quoniam ſtatim à principio tenuiſſimam diætam jubent, & male faciunt, quia poſtea in ſtatu coguntur cibare, & dare carnes, præterea ad inſueta hominem deducunt abſque aliquo medio, ideo in primis octo, vel decem diebus dabitis carnes pulli juvenis, vel hœdi, vel avium parvarum montanarum, in parva quantitate, & dimidium panis, quem conſueverat comedere in ſanitate, & etiam quandoque vinum, admodum tamen dilutum, & pauciferum. tranſactis iſtis proximis decem diebus, ſubtrahetis, & carnes, & vinum, & tamen panem biſcoctum exhibebitis, ſecundum quod vires tolerabunt, ut duas vel tres uncias pro qualibet vice: & quia ut plurimum iſtis alvus aſtringitur, ideo exhibebitis duas, vel tres uncias paſſularum dulcium, ut venter magis lubricus reddatur, & iſte panis biſcoctus eſt maxime bonus, eſt enim bis fermentatus, & optime coctus, nullumque excrementum habet, facillimeque concoquitur, & optime nutrit, & ſingulis quibuſque decem, vel octo diebus, ſi corpus non fuerit illi obediens, exhibebitis vel *unc. j. florum caſſiæ vel elect. lenit.* vel aliquid tale, quod non trahat à longinquo, ſed tantum educat ſuperfluitates exiſtentes in ſtomacho, in inteſtinis, & in primis venis. ubi vero eritis in tertio, & videbitis ſatis eductum de materia, vel per urinam, vel per ſudores, vel per inſenſibilem habitum, poteritis ampliare cibum, & ſi videritis, quod natura non ceſſat, ab evacuatione non immutabitis victus rationem, imo potius ſubtrahetis, quia prope ſtatum, & in ſtatu detrahendum eſt de cibo, & ſic procedetis uſque ad quadraginta, & quinquaginta dies, quandoque etiam, ſi opus fuerit, uſque ad ſexaginta: poſtea paulatim incipietis nutrire hominem, paulatim inquam, quoniam ut plurimum delinquunt iſti, & ſic ſanabitis. Sed quoniam eſt aliud lignum nuper ad nos allatum, quo utuntur, ut ajunt, feliciſſime Romæ, & videtur radix cujuſdam cannæ, & eſt longitudinis unius digiti longi, & non admodum craſſum, ac etiam inſipidum, ſicuti canna, & dicunt, quod decoctum iſtius mirabilem qualitatem habet, nos videbimus an bene ſuccedat in poſterum. interea utamini iſto, quo ſcimus tolli morbum Gallicum ex longo uſu. Et hæc ſatis dicta ſint de hac materia. FINIS.

# EPISTOLA PRIMA

## *Pro matrona Germana, & marito ejus.*

Pro conſultatione ſanitatis hujus nobilis & ſtrenui viri, & nobiliſſimæ ſuæ uxoris, nunc duo ſunt proponenda, ratio victus inquam, & medicamentorum uſus. Quantum ad rationem victus attinet, erit illa utrique communis, ideo de hac ratione victus quæcunque admonebuntur, intelligi velim utrunque eſſe pariter admonitum. Medicamenta vero ſingulorum, cum diverſa ſint, explicabuntur ſeorſim. Primo igitur quærent ambo omni conatu, quaſcunque animi moleſtias quam maxime vitare, & tanquam peſtem abominari, iracundiam præcipue, mœſtitiamque, ac timorem, ſed læti, ac in optima ſpe conſtituti vivant. Præterea otium, & quietem corporis procul effugiant, moderato exercitio utantur, mane præcipue ac veſperi ante cœnam. Caveant tamen, ne exerceantur, & poſt exercitium quieſcant in aëre admodum frigido, aut ventoſo, & ubi talis aër contigerit, tunc ſe intra domum contineant, & exerceant, ſuas res familiares procurando, hoc enim optimum exercitii genus eſt. Fugiant meridianum & omnino diurnum ſomnum, proinde hortor, ut mane ante vel circa Solis exortum ſurgant, & procuratis excretionibus corporis conſuetis per alvum & urinam, per ſputa & per ſcreatus, narium emunctiones, frictiones capitis, auriumque ſorditie expurgata, tunc vegeti, atque hoc modo excitati ad exercitia corporis ſe conferant. Et ſi aliquando contigerit vel in altero, vel in utroque, ut excrementa alvi præter conſuetudinem ſupprimi velint, non permittant hoc vitium invaleſcere, ſed protinus, ſi clyſteres non admiſerint, præbibant ante prandium jus pulli, in quo decocta ſit *mercurialis, malva, & beta, vel folia braſſicæ, deinde adjecta portione ſacchari rubri*, lenietur enim alvus ſine moleſtia. Præterea non diu verſentur, aut commorentur, aut aliquo modo ſe exponant, ubi ſit aër frigidus & ventoſus, & tempore hyemis caveant, ne more Germanorum repente exeant à ſuis vaporariis & hypocauſtis calidis, exponentes ſe aëri frigido, illud enim longe deteſtabilius eſt, quam ſi perpetuo in eodem aëre frigido verſarentur, ſed ubi neceſſitas advenerit exire hypocauſta, habeant operimenta tam capitis, quam univerſi corporis, quibus ſe à repentina aëris frigiditate tueantur, neque ita calefiant hypocauſta, ut multi conſueverunt, quibus non ſatis eſt, ut corpore mediocriter incaleſcant tantum, ut à frigoris exceſſu muniantur, imo non ceſſant, niſi prius torrefiant & aſſentur. Caveant igitur ab eo importuno hypocauſtorum fervore, ſed tantum tepeſcat locus, nimis enim offenderentur in egreſſu. Præterea aëri nocturno ne occurrant, ſed in locis altis, verſus Orientem & Meridiem ſitis habitent. Caveant quammaxime, tanquam à peſte, à commeſſationibus & compotationibus, ſed ſobrii intra proprios parietes ſibi vivant, niſi enim hoc fecerint, fruſtra reliqua agentur. Bis in die moderate comedant, & moderate bibant, omittendo has compotationes, quæ nedum ſanitatem amiſſam reficere ſtudent, ſed eam quoque, quam poſſident, deperdere. Potus ante omnia deligendus: ille ſit vinum minime potens, ſed lene & pauciferum, nullius aciditatis particeps, ſed bene maturum, colore album vel rufum, à nigro, obſcuro, craſſo prorſus abſtinendum, & ſi album vel rufum haberi non poteſt, eligatur gilvum, limpidum, & eo modeſte utantur, neque à prandio aut à cœna potent. Panis ſit bene fermentatus, bene coctus, neque ultra quam quotidianus. Carnes pullorum, caſtratorum juvenum, hœdorum, avium campeſtrium pinguium. Sed caveant maxime à paluſtribus, ut anatum, anſerum. A piſcibus abſtineant quammaxime fieri poteſt. Ova recentia vel cum aqua, vel cum igne mediocriter cocta, conveniunt, cum modico ſaccharo & cinnamomo condita, prorſus ſine butyro. Fercula etiam ex oryza, hordeo, ſpelta, farro non vitupero, ſi in jure pingui optime cocta fuerint. Evitent herbarum omne genus præter lactucas, quandoque & boragines. Fructus etiam præcipue fugiant, & maxime horarios. Autumnalia pyra, & poma decocta cum ſaccharo & aniſo, non male poſt cibum admittuntur. Caveant ab omnibus lacticiniis, paſtilibus, rebus cujuſcunque generis in ſartagine frictis, à carnibus antiquis, ſicut bubulis, hircinis, à ſalitis item omnibus, à multitudine cibariorum, imo in ſingulis menſis ſingulo tantum genere ſint contenti. Hæc quantum attinet ad victus rationem, quam diximus utrique eſſe communem. Nunc ad medicamenta accedemus, quæ ſint ſingulis ſeorſum propria. Nobilis igitur vir quamprimum ſe in propriam domum contulerit, incipiet purgari hoc modo, qui proxime ſequitur. Primo Recipe *floris caſſiæ unc. j. ſ. cum ſaccharo fiat bolus*, ſumatur mane hora una ante prandium. Deinde

Recipe *ſyrupi de fumo terræ ſimpl. oxymellis ſimpl. ana unc. j. ſeri caprini unc. vj. miſce* pro uno, & ſic pro ſeptem aliis. Poſtea vero Recipe *confectionis hamech drach. iiij. ſyrupi roſati ſolutivi unc. ij. cum aqua fumi terræ fiat potio*, ſumenda cum cuſtodia in aurora poſt ſyrupum ultimum die ſequenti. Sed poſt aſſumptionem duorum ſyruporum primorum mittatur ſanguis à vena baſilica dextri lateris, extrahantur unciæ decem, vel ultra. Finita hac purgatione, quieſcat per dies duos, & interim mane & veſperi hora ante cibum ſumat *ſacchari roſati unciam unam.* Peractis his duobus diebus, incipiat bibere ſyrupum infraſcriptum, ex quo ſolvetur alvus ſine moleſtia quater, aut ſexies ſingulis diebus. Erunt autem omnino ſex ſyrupi, ſex diebus exhibendi. Recipe *aquæ fumi terræ lib. vj. myrobalanorum citrinorum, chebulorum, emblicorum, Indorum, belliricorum ana unc. s. epithymi, polypodii, ſenæ, glycyrrhizæ ana drach. vj. ſem. citri drach. ij. corticum hellebori nigri drach. iij. Fricentur myrobalani cum oleo amygdalarum dulcium, uki prius contuſi fuerint groſſo modo, deinde infundantur in prædicta aqua per diem naturalem, poſtea decoquantur omnia ſimul ſecundum artem, ad conſumptionem medietatis: poſtea facta diligenti expreſſione & colatura reſervetur, & tota illa coctio dividatur in ſex partes, & ſumatur una pars ſingulis diebus tepida in aurora cum uncia una Syrupi de infuſione roſarum.* Ubi vero hæc tota purgatio peracta fuerit, (hæc purgatio vere & autumno fiat, eademque erunt prorſus & ſimilia omnia, præterquam quod miſſio ſanguinis vere tantum admittenda eſt) trium dierum quiete interjecta, ac ſaccharo roſato ante cibum ſemper ſumpto, ut paulo ante inſtituimus, interim parabit ſibi decoctum ligni Indi, quod tranſacto illo triduo potare incipiet. *Accipiat igitur illius ligni nigri & deraſi lib. i. Aquæ deſtillationis endiviæ lib. xiiii. & fiat infuſio in olla nova bene obturata per horas xxiiii. poſtea in eadem olla ſenſim decoquatur, donec decreſcat tertia pars, deinde facta colatura, bibat hujus decocti calidi lib. j. mane, & alteram veſperi*, hoc modo, ut hora octava primam bibat, duodecima comedat ſive prandeat, decimanona vero bibat ſecundam, & vigeſimatertia cœnet, atque ita perſeveret uſque ad diem quadrageſimum. Caveat interim hoc toto ſpatio à ventis, & ſi ſudor provocetur, accubet lecto, pannisque diligenter operiatur. Quotidie procuret beneficium alvi. Cibus ſit ſingulis vicibus panis biſcocti untiæ tres, pulli junioris unciæ totidem. Loco vini bibat aquam communem optimi fontis vel putei, in quo id lignum ſecundo decoctum fuerit. His rite, peractis habeat poſtea familiares pilulas, quas pro conſervatione ſanitatis toto anno uſurpabit ſemel in ſeptimana, hora ante cœnam, pondere ſcrup. ii. vel drach. unius. Et ſi integre ſe percipiet, bene erit, ſin minus, futuro vere rurſus eadem purgatione præmiſſa, ad decoctum ligni Indi redibit. Neque enim dubitamus hoc ſolo remedio tandem eſſe curandum. Recipe *aloës optimæ unc. j. pulverizetur optime, inde aſpergatur ſucco roſarum puro, & permittatur exſiccari.* Deinde Recipe *agarici electiſſimi drach. vj. & ſimiliter pulverizetur, poſtea aſpergatur oxymelite, & exſiccetur eodem modo, ut de aloë diximus.* Poſtea Recipe *rhabarbari drach. iij. roſarum ſiccarum, ſucci glycyrrhizæ, nucis muſcatæ ana drach. j. ſalis gemmæ drach. ij. pulverizentur omnia per ſe, deinde miſceantur, & cum melle roſato fiat magdaleon, de quo conficiantur pilulæ ut ſupra, quæ ſumantur ter vel quater ſingulis menſibus hora una ante cœnam pondere ſcrup. ij. vel drach. j. & fiant pilulæ tres.* Et hæc ſatis pro nobili viro. PRO HONESTISSIMA UXORE, & ipſa bis ſingulis annis purganda eſt, vere inquam & autumno, ita ut vere etiam ſanguinem mittat, autumno nequaquam. Purgatio autem talis erit: Recipe *electuarii de ſebeſten ſolutivi drach. x. cum ſaccharo fiat bolus*, ſumatur mane tribus horis ante prandium, ac parce prandeat. Recipe *ſyrupi Sabor regis, de fumo terræ ana unc. j. aquæ boraginis unc. iij. miſce* pro uno, & ſic pro aliis. Item Recipe *confectionis hamech drach. iij. ſyrupi roſati ſolutivi unc. ij. Cum aqua boraginis fiat potio, ſumenda die proxima ſequenti ſyrupum ultimum.* Sed poſt duos primos mittatur ſanguis è vena baſilica dextri lateris, & trahantur unciæ decem, vel libra ſanguinis, & hoc vere tantum, non autumno. Ubi ita bis in anno purgata fuerit, utatur poſtea bis vel ter aut quater in menſe infraſcripta potione benigna, & ſine cuſtodia, quam ſumat tribus horis ante prandium: Recipe *folliculorum ſenæ, epithymi ana drach. iiij. polypodii drach. j. ſ. glycyrrhizæ drach. j. ponantur veſperi in infuſione in jure pulli pinguis, vel in ſero lactis caprini, facta diligenti expreſſione, & colatura, bibatur decoctum tepidum addito ſaccharo, ſi libuerit.* Hoc præcipue erit utile ad omnes affectus arcendos in hac nobili muliere. Item ante prandium utatur quam ſæpiſſime electuario infraſcripto, quod ſumat hora antequam prandeat, pondere unc. ſ. Recipe *ſacchari bugloſſati, boraginati, violati, nenupharini ana unc. iiij. commiſceantur omnia ſimul, & addantur folia auri puri numero vj. & ſervetur in vaſe vitreo*, & hoc maxime utatur cum fuerit gravida.

FINIS.

# EPISTOLA SECUNDA,

## *Pro quodam nobili Germano.*

Si in tam ampla materia & congerie ſymptomatum vellem invenire rationem, eſſem valde moleſtus. Sed via hæc erit commoda, ut explicem naturalem temperiem ejus, & præternaturalem acquiſitam, quia ex iis rectè explicatis reliqua clara erunt. Quod ad naturalem temperaturam pertinet, illud ponendum eſt, quod niſi conſtaret ex ægritudinibus, quibus antea affectus fuit, cholericis quidem, & niſi corporis habitudo eſſet, nullam prorſus ſuæ temperaturæ naturalis haberemus cognitionem, quoniam ex ſignis à Galeno traditis, in ipſius cognitionem non poſſumus adduci, maxime cum animi mores nobis non ſunt noti. Sed quod ſit calidæ & ſiccæ temperaturæ, omnes illæ ægritudines, quibus ſolitus eſt affligi, & infeſtari, antequam incideret in morbum Gallicum, poſſunt atteſtari. Et primo, ut ex ſcripto ejus apparet, circa xx. annum capitis dolorem habuit, primo acutiſſimum, deinde criſi facta per fluxum ab auribus utriſque cum ſanguine, in tertia, vel in quarta die liberatus eſt. Indicium manifeſtum tum ex acrimonia doloris, tum ex velocitate motus, calidam fuiſſe diſpoſitionem. Laboravit etiam ſcabie, quæ provenit ab humoribus aduſtis, & à pituita ſalſa, quæ atteſtatur caliditatem hepatis. Præterea tertianas habuit, & cum vexaretur catarrho, à xv. uſque ad xviii. annum, tenuis fuit admodum, acutus, mordax, ita quod omnes ægritudines, quas paſſus eſt ante, atteſtantur ſuperdominio humorum calidorum. Ideo hæc ſigna videntur efficacia, ut credamus eſſe calidæ & ſiccæ temperaturæ, quia illæ ægritudines non ſolum ſigna ſunt naturalis temperaturæ, imo indicant habuiſſe omnes cauſas, quod naturalis ejus temperies fuerit labefactata, quia ex longo catarrho naturalis temperatura deſtructa fuit, quia perſeverante catarrho continue, fieri non potuit quin labefactaretur. Quo catarrho perſeverante, in xxiii. ætatis ſuæ anno concubuit cum muliere, infecta morbo Gallico, à quo tempore cœpit conqueri de magnis & multis ſymptomatibus, quæ ſecuta ſunt, de quibus loquemur. Sed primo oportet ſcire quod ille Magnificus vir incidit ex tali concubitu in morbum Gallicum, ita quod contagium fuit complicatum cum tali naturali temperatura, quam invenit calidam & ſiccam, ex qua complicatione fecerunt unum tertium, ex quo poſtea tot ſymptomata ſecuta ſunt. Sed non poſſumus ſcire illud tertium, niſi extrema habeamus. Sunt autem extrema, primo temperatura, quæ excedit per calidum, & ſiccum. Secundum extremum eſt contagium morbi Gallici. Hic dubitant multi, quiſnam morbus ſit morbus Gallicus, an epidemicus dici poſſit, nec ne. Ego credo, quod non poſſit dici morbus epidemicus, quia epidemici habent cauſas univerſales (ut inquit Galenus in *primo Epid.*) vel aerem, vel cibum & potum, ſicut in libro *de cibis boni & mali ſucci* aſſerit Galenus, de eo qui propter qualitatem annonæ tempore ſuo accidit, ita quod talis à cauſa univerſali incipit, & definit, deſinentibus cauſis univerſalibus, ſive in aëre, ſive in aquis & cibis ſit conſtituenda cauſa ejus. Jam multi anni præterierunt, ex quo incepit hæc infectio, credo quod deberet jam deſinere. Neque valet quod per contagium perſeverat, quia ceſſantibus cauſis, ceſſant putredines, ut in febribus peſtilentialibus, quæ per contagium oriuntur, ceſſante influxu, & univerſali cauſa, ceſſat contagium, & abolentur febres illæ. Præterea majores noſtri ex hiſtoria obſervarunt, nullum eo tempore fuiſſe correptum, niſi per contagium, & cauſam habuit particularem. ſcimus enim quod eo tempore, quo

incl-

bellum à rege Gallorum apud Neapolim gerebatur, plurimi erant Hiſpani, qui a Calicut devenerunt, in quibus regionibus plurima erat infectio, qui concubuerunt cum meretricibus illis, & ex concubitu illo infectæ ſunt meretrices, & tandem infectio ad nos devenit, quia ibi aderant milites cujuſcunque nationis. Et ita conſtat in hiſtoriis, quod habuit originem, & tale principium, per contactum particularem, qui morbus peculiaris eſt in illis regionibus, & non curatur niſi ligno illo, quod ad nos delatum fuit. Verum num ſit morbus iſte collocandus in genere morbi, qui ſit in mala compoſitione, vel ſolutione continui, & in quo genere ſit collocandus, eſt maxima difficultas. Et fortaſſe, ſi vellem immorari, oſtenderem opinionem meam non longe à veritate eſſe: nec credo poſſe appellari morbum, niſi occupaverit hepar, & fecerit malam temperaturam. Cujus ſignum eſt, quia antequam contagium deveniat ad hepar, ulcuſcula curantur omnia, & non redeunt: ſi vero ad hepar pervenerit, non modo bubones apparent, ſed caput occupat, & omnia membra invadit, triſtantur homines, decolorantur, & apparet tunc, quod cauſa eſt in membro principali, quia totum afficitur corpus. Ideo non eſt ſolutio continui, ſicut quidam exiſtimarunt, ſed hepatis intemperies. Certum eſt, quod debemus conſpicere & videre, ſi in hepate eſt quis affectus, præter naturam exiſtens in hepate. Certe licet videamus, quod in omni temperatura efficiat cruſtas, puſtulas, ulcera, tamen ſymptomata ſemper eadem videntur, ſive ſanguis, ſive bilis, ſive pituita ſit, quod aduſtionem habet, & nunquam ſeparari hoc ſymptoma ab abſceſſibus, à puſtulis, à cruſtis, & ab ulceribus. Et quia hoc univerſale videtur, credendum eſt, quod ſit temperatura propria cauſans hæc ſymptomata. Et contingit in hoc, quod in aliis contagioſis: ut ſi quis habens lepram, vel ſcabiem, alium inficiat ſcabie, vel lepra, licet habeat hoc perpetuum, quod ſit pituita, tamen ſecundum diverſas temperaturas diverſæ fiunt ſcabies: in uno fit pinguis & humida, in alio ſicca, & ita unum commune habebit, Quo autem ad naturam ulcerum, erunt diverſa pro ratione temperaturarum. Hoc unum obſervandum eſt, quod contagium hoc à temperatura pendet, quæ nec calida, nec frigida, nec humida, nec ſicca eſt. ſed eſt qualitas quædam innominata, quæ, dum contingit hepar, facit ſanguinem talis naturæ, ut ſemper declinet ad aduſtionem, forte quia principium ſuum provenit à nigris hominibus illis & aduſtis, quia proprius eſt morbus illorum hominum, circa torridam zonam habitantium, forte propter naturam illius aduſtionis dependet ab illo principio. Sive quia talis vel talis temperies ſit, & innominata, habet hoc, quod contagium primo inficit hepar, ideo facies decolor eſt, ſequitur & triſtitia animi propter humorem aduſtum generatum, & ſi abſceſſus contingunt, duri ſunt in primis diebus, & ita ſemper aduſtio eſt in tali morbo. Iſta ergo mala qualitas facit ſemper aduſtionem, & eſt cauſa, ut quæcunque materia ſit, ſemper habeat aduſtionem. Hoc fundamento poſito, & quod à principio nativitatis habuerit temperaturam calidam & ſiccam, abundavit humorum aduſtione, ut ex ſcabie apparuit, quæ fuit propria ægritudo: ex catarrho mordicante & erodente ſupervenit contagium illi temperaturæ, cum qua convenientiam habebat: ideo facillime impreſſionem fecit, & maximam, quia agens & patiens erant diſpoſita. Hæc fuit cauſa, quare ſecuta fuerunt tot ſymptomata, apparuerunt puſtulæ, poſt puſtulas apparuit humor diſtillans per virgam, dolor in lumbo dextro, ut dixit ipſe, ſed fuit in rene dextro, quia ſubſecutæ fuerunt urinæ arenoſæ, atteſtantes in renibus affectionem & calorem eſſe. Habuit maculas primo ſiccas, ſecundo humidas in vola manuum, & circa cubitum. Habuit dolorem capitis intenſiſſimum in poſteriori parte capitis, & ex medela medici ex diverſis curationibus in omni parte capitis, tam anteriori, quàm poſteriori habuit, & ſemper abſceſſus illi duri permanent curatu difficiles. Apparuit etiam in naribus non ſolum caro exerta, ſed ulcera, quæ omnia fuerunt cum eroſione, ita quod poſt contagium omnia ſecuta ſunt, & aduſtiones habuit tum à temperatura, tum a contagio, & in hac re immorandum non eſt, quia clara eſt. Hoc fundamento poſito, quærit a nobis iſte Magnificus vir tria. primo, utrum poſſit curari ſine exhibitione ligni, & unctionibus, & ſuffumigiis, ſecundo, an poſſit curari ſine deturpatione faciei, tertio, ut ſcribamus quid conſulimus. Circa primum, oportet primo videre utrum poſſit curari, ſecundo cum quibus. Credo multa eſſe conſideranda quoad morbum. poſſet quidem curari, ſi non haberemus alias indicationes, niſi eas, quæ a morbo ſumuntur Gallico, etiamſi inveteratus eſſet, imo vidi ego quod quanto vetuſtior fuit cum abſceſſibus, & puſtulis, & ulceribus, curatus eſt cum iis, quæ dicemus. Sed nos habemus plura conſideranda, quæ faciunt difficultatem. Habemus primo, (& ego obſervavi experientia, poſtea ratione) quod nihil deterius eſt iſtis ſic affectis, quam adhibere, ſive interius, ſive exterius, ſub forma unguenti vel ſuffumigii, id quod argentum vivum habet, quia ex tali applicatione homines ſecundum membra principalia ſemper fuerunt affecti. Et teſtor Deum, aderatque Excellentiſſ. Fracaſtorius, ex inunctione Mercurii ſtatim quendam incidiſſe in epilepſiam, & vix potuit curari ab ea, & nullam cauſam habuit, niſi eam occationem. Poſt quidem aſſumptionem argenti vivi, ita decolorantur, ut nunquam poſſint redire ad priſtinum colorem. Et ego primo, quando vidi hominem in facie, interrogavi, an fuerit illitus aliquo unguento, in quo eſſet argentum vivum, quia tot vidi, ut experientia doctus ſim. Sed præter experientiam habemus rationem, & præternittamus conſiderationem Avic. qui, quia fuit primus; qui voluit rem diſtincte intueri, reprobavit ipſum: Græci omnes id ipſum non cognoverunt, niſi quod venenum eſt, & nihil aliud de eo dixit Galenus, ſed refugit ipſum tanquam venenum. Et quia Avic. voluit experiri argentum vivum, & ſimiliter Arabes alii, quia fuerunt maximi Alchimiſtæ, dixit omnia aperte ejus incommoda, & quomodo in paralyſim, in ſtuporem, & in frigidas incidere facit ægritudines. Et primo videmus pati hepar, & incidere in frigidam diſpoſitionem, ex qua ſequitur decoloratio totius corporis: præterea ægritudines ex conſenſu nervorum ſequuntur, paralyſis, tremor corporis, ſtupores, & totius corporis refrigerationem facit, quia calorem naturalem, & ſpiritus refrigerat. Ideo abſtinendum ab eo eſt, tanquam aperte lædente. Et præter frigiditatem & humiditatem maximam, quam habet (licet aliqui dixerunt eſſe calidum in quarto, quia de calcinato loquuti ſunt) & præter malas conditiones omnes, quas habet, unum habet deteſtandum, quia facit operationem ſuam contra methodum, & contra rationem: eſt enim apud medicos unum axioma, ut cum evacuamus, ne trahamus humores ad locum nobilem. At argentum vivum quicquid in junctiuris eſt, ad pulmonem trahit, & expuitur: & ſequitur fœtor, corruptiones dentium, gingivarum, ulcera maligna in ore. Et ideo vir iſte, non eſt mirum, ſi habuit ulcus in palato poſt ſuffumigium, & poſt argentum vivum exterius ſumptum. Credo ego quod ex hoc, & non ex alio, ſecuta fuerit decoloratio, hæc mœſtitia, & ulcera in palato. Et mirum eſt, cur non omnes ex plurima materia, quæ defluit ad pulmones, incidant in ulcera pulmonis. Et ſi evadunt multi, hoc eſt ratione fortis naturæ, & quia duri pulmonis ſunt: nullus tamen evaſit, quin habuerit vel gingivas corroſas, vel dentes, vel aliquod deterrimum. Et credo, quod ſequatur ſanitas ex tali illitione, ſicut in peſtilentialibus accidit, qui in navi curantur à calido vino epoto, qui poſtquam cooperti ſunt pannis, ſudant copioſe, & ex tali violentia naturæ facta, quæ fortis & valida eſt, ab errore ducti ſanitati reſtituuntur. Concludo ergo, quod ſalvo ſemper meliori judicio, argentum vivum ſive per linimentum, ſive per ſuffumigium non probo, ſive minerale, ſive artificiale fuerit, quia omnes, qui de eo ſcripſerunt, cognoverunt tam minerale, quam artificiale venenum eſſe: ideo crederem ab ejus uſu abſtinendum eſſe. Si diceretis, fuit curatus ab eo, à decocto autem ligni deterius ſe habuit, imo ex decocto tali dolor auctus fuit, ex ſuffumigio autem melius habuit. Iſtud non eſt mirum: quia ſi verum eſt ſuppoſitum à me factum, quod vir iſte temperaturam habuit à principio nativitatis calidam & ſiccam aduſtam, & contagium habere aduſtionem ſibi perpetuo annexam, & ideo habere ſymbolum cum temperatura, quæ refrigerant, humectant, & repercutiunt, per aliquod tempus poſſunt conferre, quia alterant naturam & ſtupefaciunt, ut non ſentiat dolorem, & evacuant trahendo ad partes interiores, & per ſputum excernunt, ideo videntur bene ſe habere in principio; ſed poſtea in deterius labuntur, non ſolum quia remanſit temperatura mala, ſed quia ultra ea habuit venenoſitatem in membris. Et ſi à decocto non bene habuit, potuit eſſe, vel quia non fuit uſus recta ratione victus, nec bono ligno, nec bene purgatus, quia, qui non fuerunt exquiſitiſſime purgati per phlebotomiam & pharmaciam, non fuerunt ſanati. Ideo debuit primo optime expurgari. Præterea multa ſunt obſervanda, quæ ſciunt peritiſſimi medici, quæ ſi non fuerunt obſervata, à caliditate temperaturæ ligni, & ſiccitate potuit lædi, quæ valida eſt. Et licet in ore poſitum non percipiatur acrimonia, ſicut percipitur ea, quæ in pipere eſt, hoc eſt, quia fundatur in ſubſtantia terreſtri, ut vix deveniat ad actum, ideo in tertio crediderunt eſſe calidum & ſiccum. Idque poſſumus experiri, ſi *decoctum faciamus ex majorana, calamintha, cinnamomo, & ex ligno*, majorem percipietis caliditatem ex decocto ligni, quam ex his, quæ ſunt calida & ſicca in tertio, interius dico ſumptum, quia ex elixatione permiſcetur cum multa aqua, ideo non ſentitur exterius, ſed intetius ſumptum mirum in modum calefacit. Ideo ſive hoc, ſive illud, ſive omnia, ſive plura fuerint, non eſt mirum, ſi non fuit adjutus. Cui tamen incommodo poſſumus occurrere.

Cum ergo duo ſint, quæ poſſunt morbum Gallicum confirmatum curare, decoctum ligni, & illitio ex Mercurio: huic autem affectioni, quam facit argentum vivum, non poſſumus occurrere, neceſſarium eſt igitur, ut accedat nobiliſſimus ille vir ad aſſumptionem potus aquæ ligni. Sed duo in primis facere debet: primo, removere malam impreſſionem factam ex argento vivo, ſive fuerit argentum vivum, ſive ſuffumigium ex cinnabari, in ambitu totius corporis impreſſum, ſecundo vellem, ut malus habitus tolleretur, & rediret ad propriam temperaturam. Cum quibus modo? Ego ſine dubio in tanta materia aggregata, tum à contagio, tum à mala temperatura, tum à medicinis reſolventibus totam ſtrucm corporis, vellem ut corrigeretur, & tot ac tanti humores evacuarentur cum medicinis. Et cum habeat habitum pallidum declinantem ad frigiditatem, & tumorem corporis, cachexiam indicantem, hoc fuit ab aliqua re valde imprimente, quia mirum fuit, quod in tali corpore impreſſa ſit intemperies frigida. Ideo bilioſi, pituitoſi, & adufti humores ſunt evacuandi. Et quia pituita mixta eſt cum aduſtis humoribus habeat primo *ſyrupos, in quibus ingrediatur epithymum, fumus terræ*, B *polypodium*, arte confectos, habeatque *ſinain*, quæ evacuat humores melancholicos, & digerit, & incidit humores pituitoſos aduſtos. *Syrupus acetoſus* etiam optimus eſt, & multi alii, quos non referam, quia, qui ſcribentur, magis erunt univerſales. Ego ſic procederem cum digerentibus pituitoſos & aduſtos humores. Poſtea evacuarem cum medicinis evacuantibus aduſtos & pituitoſos humores, & inter omnia medicamenta *confectionem hamech* eligerem, ut patet ex ingredientibus. *Pilulæ aggregativæ* ſummopere convenirent, in quibus ingrediuntur ea, quæ poſſunt id facere, *electuarium etiam Indum, diaſene, dyacatholicon*, & haberet aliquod in ſe quod ſtimularet ipſum, quia leve eſt. Convenienter ergo poſſent addi *trochiſci Alhandal, agaricus, rhabarbarum*: & ſi non ſufficeret una evacuatio, plures fierent. Corroborarem caput, aperirem venas, & diſponerem in alium habitum. Et ſi eſſet in regione calida, dimitterem beneficio aeris, quia forte ex aeris beneficio corrigeretur, & ſi non eſſet in aere tali, darem ei decoctum corroborans naturalem calorem, & decoctum eſſet tale ex *cariophyllis* & *cinnamomo*. & propter caliditatem hepatis vellem, ut decoquerentur in *aquis endiviæ, cichorei*, ad refrigerandum hepatis caliditatem, quæ induceretur ex aromatibus. Et ſi forte eſſent obſtructiones in venis aggregatæ per accidens, diſcuterentur, inciderentur, & diſſlarentur. His factis, devenirem ad principalem intentionem, & eſſet tunc tempus autumni, & purgarem rurſus exquiſite, & ſi viderem, quod in alium habitum tenderet, ſecarem venam, & cum iiſdem purgantibus & evacuantibus pituitoſos & aduſtos humores procederem. Poſtea ſex, vel octo ſyrupos exhiberem, ſic compoſitos. Vellem accipere, exempli gratia, *myrobalanorum citrinorum, chebulorum, Indorum, ſing. ſemunciam, contundanturque*, & *facta levi contuſione infundantur per diem & noctem in æqua fumi terræ. Facta infuſione, imponerentur folliculorum ſenæ, epithymi, polypodii, glycyrrhizæ, ſing. uncia, ſeminum citri drach. quatuor, corticum bellebori nigri drach. duæ. Infundantur ſimul, & decoquantur ſufficienter, & totum hoc in ſex vel octo vicibus aſſumatur*, & pro refrigeratione hepatis, in hoc decocto ponatur *ſyrupus de corticibus citri*, vel ſi timeamus caliditatem nimiam hepatis, *ſyrupus roſatus*, quoniam malum habitum abigit hoc decoctum, moderate evacuat, & nigerrimos humores. Et teſtor Deum, quod multi ſanati ſunt ex hoc decocto, maxime ubi morbus non ſit inveteratus. Et ratio, quæ me movet, ut hæc aſſumat, eſt, quia exquiſitiſſime purgati in decocto feliciter evadunt. His factis, ad decoctum ligni accedemus, ſuppoſito, quod malus habitus fuiſſet remotus, & rediret ſuum temperamentum. Vellem duas intentiones habere, prima ad contagium illud, quod quidem non removebitur, niſi ſuo oppoſito. Et quia nomen non habet (non enim calidum, nec frigidum, nec humidum, nec ſiccum) ideo nec calida, nec frigida, nec humida, nec ſicca opponemus. Unde iſtud lignum ſemper curavit, ſi ſerventur ſervanda, nam non inveni manifeſtas qualitates, quæ plus noceant, quam juvet iſta qualitas innominata. In ligno enim primo eſt illa occulta qualitas, quæ dicitur bezoardica, quæ habet vim antidoti, & directe opponitur contagio. Habet ſecundo caliditatem & ſiccitatem, ſi enim invenerit hepar calidum, plus caleſaciet qualitas manifeſta, quam occulta juvet, & tunc debemus contemperare qualitatem illam, ſicut feci ego in domino Joachimo, cui cum exhiberem decoctum ligni in aqua putei, in tantam calefactionem hepatis devenit, ut totus eſſet eryſipelatus, & febres acceſſerint peſſimæ. Acceſſi ad aquam endiviæ, & tunc tanta felicitate omnia ſucceſſerunt, ut ex ea nunquam amplius ægrotarit, cum tamen natura eſſet niger, macer, pallidus. Et hoc proveniebat à mala temperatura ligni, quæ remota fuit. Ideo plus illi nocebat caliditas & ſiccitas ligni, quam occulta bezoardica juvabat. Illis igitur duabus rebus conſulerem: & reſpiciens temperaturam hepatis refrigerarem hepar, & refrigerarem caliditatem, & ſiccitatem ligni, qua non indigemus, & occultam bezoardicam haberemus, qua indigemus. Et hæc faciet cum debito regimine victus: & ſi fuerit frigus, permanebit in ſuis vaporariis, commode caleractis, ut ſudare poſſit libere. Quomodo autem propinetur, nunc nil dicam; ſed ſi ſcribam, dicam. Circa ulcera illa, credo quod ab exhibitione ligni omnia ceſſabunt, & niſi infectio morbi Gallici tollatur, non curabitur. Et ſi tolleretur unum ulcus, decem prorumpent, & iſte morbus erit veluti hydra. Vidi tamen ego empiricos quoſdam, unum habere medicamen in abſceſſibus, ſimile admodum cerino antidoto, quod habet *optimam terebinthinam, oleum roſaceum*, & *ceram*, quæ omnia componunt, & applicant. Abſceſſus curant, ſed redeunt in alia parte, & niſi occurratis, cito marceſcent omnia oſſa corporis. Habet etiam ulcus in ore, quod mihi non placet, & ideo jam acceſſit hoc contagium ad caput. Et eſt ille ſecundus gradus, de quo volebam dicere à principio, ſed è memoria excidit. Si modo accederet ad cor, tunc efficeretur incurabilis, & tranſiret ad tabem. Ex tribus membris, duo occupavit: ſi ad tertium deſcendet, non curabitur. Et hæc ſufficiant.

# EPISTOLA TERTIA

## *Pro eodem nobili Germano.*

Suppoſitis his univerſalibus eventibus, qui ab intemperie, tum naturali, tum adventitia hujus Magnifici viri originem ducunt, nec non cauſis ſingulorum hoc tempore prætermiſſis, quæ omnia alioquin in colloquio noſtro exactiſſime fuerunt conſiderata, hoc unum proponam, morbo Gallico vexari hominem, & quæcunque ſymptomata, abſceſſus, ulcera, dolores ipſum infeſtant, vel omnino, vel maxima ex parte ab hoc eodem morbo pendere, quo ſublato, ſicuti arbitramur, reliqua quoque omnia facile aboleſcent. Ergo incedendum maxime, ut morbum propulſemus: propulſabitur autem, malum habitum ab aliis medicis inductum removendo, deinde bonum & naturalem introducendo, nunc enim & livens & tumidus ſecundum totam corporis molem apparet, quod ab alia ratione evenire non putamus, niſi à delibutoria qualitate, tum argenti vivi, tum adulterati, & falſi cinnabaris, quo utroque variis modis abuſus eſt. Primum igitur, niſi regio calida, aut conſtitutio, aut tempus hac proxima æſtate obtulerit, purgandum hoc corpus putamus, ut quicquid excrementi, tum ob intemperiem depravatam, tum ob malam rationem victus collectum eſt, totum exquiſite educatur. Poſtea membra corroboranda, & ad meliorem habitum ducenda, ſubinde ad morbi Gallici curam recta accedendum. Purgatio proxima hoc modo perficietur. *Floris caſſiæ quam pinguiſſimæ drach. x. ad boli formam redactas, & ſaccharo inſperſas, non ita multo ante prandium devorabit.* Poſtridie potum hujuſmodi accipiet. *Syrupi de ſucco betonicæ, de cichoreo Nicoli completi cum rhabarbaro, ſing. unciam. Decocti betonicæ, endiviæ,* & *majoranæ, ex jure tenui pulli exigui unc. quatuor. Sumet in aurora tepidum, idemque repetet vii. aut ix. continuis diebus.* Tunc proxima die pharmacum tale cum cuſtodia deglutiet in aurora: Recipe *confectionis hamech drach. iiij. trochiſcorum Alhandal gr. x. ſyrupi roſati ſolutivi unc. ij. Cum aqua betonicæ fiat potus brevis.* Deinde proximis ſeptem diebus ſumet perpetuo ante prandium & cœnam, *ſacchari roſati unciam.* Tunc per plures dies non abſcedet ab uſu ejuſdem ſacchari roſati, vel ſaltem ante prandium, & bis in ſeptimana ſumat *theriacæ optimæ, vel Mithridatii drachmam in aurora.* Unum erat dicendum, quod eſt omiſſum. Eo tempore, quo ſyrupos aſſumit, tertio ſcilicet, aut quarto die venam ſecet baſilicam dextri lateris, nec ultra ſex unc. ſanguinis hauriet. Atque, ut melius ſibi caveat, neque iterum incidat in deterius, conſulimus, ut ſemel ſaltem in ſeptima

na

na ſumat *rhabarbari optimi ſcrupulos iiij. macis grana ſex, ſacchari roſati ſemunciam*, quæ omnia ſimul confecta, & ad boli formam redacta, tribus horis ante prandium devorabit. Poterit etiam talem potum crebro in aurora tepidum aſſumere. Recipe *epithymi optimi, folliculorum ſennæ, ana drach. ij. Seminum citri, liquiritiæ, ana drach. j. Contundantur ſemina, & omnia ſimul decoquantur in duabus heminis ſeri lactis, ut dimidium abſumatur.* In victus ratione cavebit maxime ab aëris exceſſu, tam calido quam frigido & flatuoſo, nec minus auſtrum quam Boream evitabit. Animi moleſta accidentia, tanquam peſtem, effugiet. Singulis diebus curabit alvum ſubducere. A Veneris uſu penitus abſtinebit, ſaltem toto curationis tempore. Carnes hœdinas, caſtratorum juvenum, vitulinas, pullorum, perdicum comedet, montanas aves tam elixas, quam aſſas. Reliquis omnibus carnibus parcet, nec non cujuſcunque generis piſcibus. Olera vituperamus tam cruda, quam cocta. Utetur ovis recentioribus, & ſorbilibus. Uſum lactis, & quodcunque ex lacte confectum evitabit. Vinum parciſſime bibet, non acidum, non auſterum, non dulce, ſed maturum, tenue, limpidiſſimum, ac compotationes præ reliquis omnibus fugiet. His ita procuratis, appetente autumno, circa Septembris initium ita rurſus inchoabit. Primo ſumet quæcunque in priſtina purgatione enumeravimus, caſſiam inquam, & ſyrupos, & pharmacum, nec minus venam eandem ſecabit. Laudamusque ut, niſi unica purgatione exquiſite purgatus fuerit, bis eodem autumni tempore repetat. Deinde peractis purgationibus ſex perpetuis diebus, talem potum in aurora tepidum ſumat, ſeque interim intra domum contineat. Poſtremo ubi hæc omnia recte peracta fuerint, ad ligni Indici decoctum hac ratione progredietur, ſumendo *ligni Indici optimi, nigri & pinguis deraſi libram unam: aquæ endiviæ per deſtillationem factæ optimæ & recentis lib. xiiij. ponanturque ſimul in olla fictili vitreata bene operta,* A *ut integro die ſimul cum ſua nocte madeſcant: tunc decoquatur donec tertia pars abſumatur, deinde excolabitur, & ſervabitur decoctum in vaſe vitreo mundiſſimo ſtricti orificii, & exquiſitiſſime operto.* Hujus decocti uncias vi. bibet horis quinque ante prandium, atque interim ſe continebit in cubiculo tepido, & ſi frigus fuerit, in vaporario, a quo, frigido aëre exiſtente, nunquam etiam eſt recedendum, donec totum potionis tempus tranſiverit. Septima vero hora poſt prandium totidem rurſus uncias ejuſdem decocti eodem modo potabit, & poſt quatuor horas cœnabit, & idem ſingulis diebus repetetur uſque ad quadraginta, vel ad ſumminum 50. Cibus erit primo, pulli parvi unciæ tres, vel quatuor ad ſummum, ac totidem panis optime fermentati & ſaliti, poſt prandium & cœnam uncias tres paſſalarum Corinthiacarum electarum edet: eadem enim prorſus ratio eſſe debebit & cibi & potus, tam in prandio, quam in cœna. Potio autem ſecunda talis erit. *Sumetur illud idem lignum, quod prius decoctum fuerat in aqua endiviæ, ac rurſus decoquetur in libris xx. aquæ fontis optimæ ad conſumptionem quartæ partis, & facta exquiſita expreſſione, pro potione ſervabit.* Singulis tamen quibusque octo diebus ſemper ſumet una hora ante prandium *floris caſſiæ drach. x.* At ſi interim non egereret, *clyſteribus utetur ex decocto ejuſdem ligni, cum unciis tribus mellis roſacei.* At ſuper omnia toto hoc tempore cavebit ab aëre frigido, & vento, ac rurſus ſemel in ſeptimana, qua die magis illi collibitum fuerit, ſumet ante potionem ſuam ordinariam immediate *drachmam optimæ theriacæ, vel Mithridatii*, a quorum uſu conſulo nunquam illum penitus abſtinere debere. Hæc ſunt quæ ſcribenda occurrunt, ita ut nec prætermiſerimus, quæcunque in colloquio noſtro memoratu digna viſa fuerunt: nec diſſimulaverimus, aut ſilentio tranſiverimus, quæcunque inter ſcribendum utilia fore judicaverimus.

# EPISTOLA QUARTA,

## *Pro nobili juvene.*

Cum audirem proceſſum & modum doloris hujus nobiliſſimi juvenis, mihi videbatur ita morbum Gallicum depingi & effigiari, ac ſi viſu perciperetur. Dolor primo acutiſſimus capitis corripit hunc juvenem, nec non tubercula apparuerunt in capite, quæ cum eſſent ſine dolore, tactu tamen, cum premerentur, dolebant: ſignum evidens quod ibi eſſet materia pituitoſa aduſta, modo quo poteſt aduri pituita. Præterea verſatus fuit cum muliere infecta, ut hoc poſſit eſſe non levis conjectura. Præterea nemini dubium eſt, quod impreſſio extrinſeci agentis in corpore præparato magis imprimitur, & cum corpus hoc calidum ſit & ſiccum, & pluribus abundet aduſtionibus, magis præparatum eſt, quia corpora calida & ſicca aduſta magis contabeſcunt. Præterea pluribus humoribus malis abundat, & bile, & pituita: ideo non fuit mirum, ſi dolor validiſſimus adfuit, & tubercula emanaverint. Curatus fuit omni ingenio, ut ſi dolor capitis a pravorum humorum multitudine proveniſſet, remota cauſa, affectus & dolor remoti eſſent. Remota enim fuit multitudo malorum humorum, cauſans dolorem (ſi illa fuiſſet cauſa) non ſolum per evacuationes univerſales, quæ a toto evacuant, & per revulſionem, ut omnino deberet excuti, ſed etiam ad localia ventum eſt, ad derivationem per veſicatoria prope ſcapulas, & tamen nihil profuit: ita quod his exquiſite factis, licet ceſſaverit tantillum dolor, quatenus a capite eſſent educti humores, rediit tamen. Cauſa autem eſt, ſi conſideramus naturam morbi Gallici, quia occupat duo principalia membra, hepar ſcilicet, & cerebrum, ſua mala qualitate, quam certe nomino innominatam, quæ forma imbuitur in hepate, & malos aduſtos humores generat. Nec poſſumus dicere quod calida ſit, quia generat pituitam, & alios diverſos humores: & licet ad aduſtionem tendant, varii tamen generantur: & propterea juvatur aliquando a calidis, ita quod non eſt qualitas ex primis qualitatibus, ſed forma quædam mala imprimitur in hepate, ut generet malum ſanguinem: & ſicut varia eſt natura recipientis, ita varia forma recipitur, quæ in aliquibus depilat, in aliis ulcera, in nonnullis dolores facit, in aliquibus brachia, in aliis caput, in aliis ctura occupat, prout unum membrum imbecillius eſt altero. Cum ergo in hepate ſit illa mala forma, licet educatur materia mala, rediit tamen, quia adeſt infectio adhuc, & mala forma in hepate, quæ ſemper malos humores generat: & licet optimis cibis veſcatur, generat malos humores ex illa mala forma impreſſa: ideo palleſcunt ſemper ita infecti, nec unquam C læti ſunt, & affliguntur variis ſymptomatibus ex malis humoribus. Præterea caput etiam læditur, & ita invadit ipſum, ut totum venenum appareat in capite, & nonniſi dolor. Credo igitur eſſe Gallicum, tum ex ſignis illis, tum ex modo invaſionis doloris capitis: & quoniam ea, quæ ſolent curare hemicraniam, nihil profecerunt, tum etiam quia ſe commiſcuit cum muliere infecta, relinquitur, quod in hoc nobiliſſimo juvene ſit morbus Gallicus. Et quoniam multiplicantur humores mali, & ſpiritus accenduntur, & dolor maximus affligit, facta fuit febris accidens, quæ removebitur remoto dolore. Tamen, cum iſte nobiliſſimus vir febri continua laboret ſine typo, & carnes ardentes habeat, & duritiem aliquam in pulſu, dubitandum eſt, ne febris ſit in habitu. De putrida non audio, ſaltem quod habeat typum inſignem, nec percipit rigorem, nec magis affligitur in uno die, quam in alio, vel in uno tempore magis, quam in alio. Eſt etiam mirum, quomodo poſt evacuationes factas non ceſſaverit, ſi eſſet febris putrida. Et hæc quoad ea, quæ patitur præter naturam. Habet præterea vigilias illas, quæ mihi videntur, quod ſint accidens, & habent rationem cauſæ, ad quam debet intentio dirigi; quia ſymptomata, cum habent rationem cauſæ, tollenda ſunt, unde & vigiliæ, quæ proſternunt virtutem, & augent dolorem, propter magnam ſiccitatem, quam cauſant, removendæ ſunt. Prætermittam dicere de prognoſtico, habet enim multa diſcrimina, & ſi perſeverabunt dolor, & vigilia, & febris, quæ hectica eſt vel in humoribus, non haberemus virtutem ita calidam. Quid agendum eſt? Purgatus eſt, & nunc exhibetur decoctum ligni, à quo ſanatur morbus Gallicus, nec aliud genus remedii dandum eſt. Cum ergo juvenis iſte patiatur morbum Gallicum, quod ad ipſum attinet, tali decocto curandus eſt. Diceret aliquis, hic eſt arefactio, febris, & vigiliæ, iis tribus inſiſtendum eſt: ſi ad febrem reſpiciamus, quia calidum & ſiccum eſt decoctum, febris calida & ſicca augebitur. Præterea ſi ſit hæc febris habitudinalis, frigidis alimentis indigemus. Præterea vigiliæ adſunt, ſiccitas autem eſt cauſa immediata vigiliarum, quæ ſi caliditati jungatur, non vigilias, ſed privationem ſomni inducit, quod eſt ſymptoma, ſequens majorem ægritudinem. Eſt ergo decoctum omnino adverſum febri, & ſuperfluis vigiliis. Verum eſt, quod ſi exhiberetis decoctum ſimplex, & non providiſſetis decoqui ipſum in acollia aqua, quam noſtra ſit communis, quæ recipit impreſſiones omnes, nec habet propriam temperaturam: (ſi enim ſulphur ponatur in ipſa, fit calida & ſicca, ſi ferrum, fit frigi-

frigida & ficca) non recte egiſſet. Sed quia proviſum A eſt, ut decoctum ipſum fiat in aquis, quæ agunt propriis temperamentis, & habent rationem refrigerandi, ſecus eſt: refrigerant enim & humectant omnes, quia aquea pars illa eſt, quæ diſtillatur, terrea reſidet, ſubtilis calida exhalat. Ideo optime factum eſt accipiendo aquas alteratas. Igitur, ſi ponatur in aqua endiviæ, quæ refrigerat & humectat, optimum erit, ſe habet enim aqua ad endiviam, ſicut ſe habet ad hordeum ptiſana: hæc enim frigida & humida eſt, hordeum frigidum & ſiccum: ita etiam endivia frigida eſt & ficca, aqua frigida & humida. Idem etiam facere poteſt aqua fumi terræ. Si igitur exhibeatur hoc decoctum, conjunctis aquis, loco ſyrupi, conveniens erit: imo poterit fieri frigidius ponendo parum ligni. Ideo talis ſyrupus conveniens erit, quia in ligno præter primas qualitates amaritudo abſtergit & mundificat. Credo ergo quod ſyrupus conveniens erit ad tollendum cauſam ægritudinis, ſcilicet infectionem illam. Et ſi fortaſſe videretur, quod febris augeretur in eo caſu, tutius eſſet intercipere decoctum, & alterare corpus. Quoad ſymptomata, præcipue ad vigilias, non deſiſterem, licet ſyrupum exhiberem, quin in ſingulis diebus mane & veſperi poneremus emulſionem papaveris in ferculis, & drachmæ duæ, vel tres ſeminum acciperentur, & contunderentur, & acciperetur lac, fieret enim impreſſio, & facerem id pluribus vicibus potius quam accederem ad opiata ſemel, & ſomnum inducet. Et ſi dolor capitis perſeveraret, præter rubificationem, ſanguiſugas venis applicarem poſt aures, maxime poſt tot evacuationes factas: tum maxime, quia vidimus, cum derivatione aliqua ceſſare: ideo eſſet optimum tantiſper dolorem ſedari, quouſque tollamus veram cauſam. Præterea circa rationem victus, credo quod optime provideremus, ſi decoctum non exhibebimus cum illa diæta tenui; ſi fierent lotiones crurum cum decocto *chamæmeli*, *anethi*, & *papaveris*, quæ haberent provocare ſomnum, & derivare, eſſet optimum. Iſta ſunt, quæ mihi occurrunt dicenda. Etiamſi fieret linimentum hepati, quod refrigeraret ratione febris, admodum conveniret, & ipſa non ita invaleſceret, & hoc eſſet optimum, & hac via ego procederem.

# EPISTOLA QUINTA,

## *Pro generoſo Polono.*

Generoſus Dominus ex inordinata vivendi ratione, & inprimis nimio & inordinato uſu Veneris, ac compotationis, aliarumque rerum ſex non naturalium abuſu, perpeſſus eſt morbum Gallicum, quo in hodiernum diem uſque affligitur. Olim unctus Mercurio incidit in ſæviora accidentia: nam capitis dolore ſævo cruciabatur, & inflammatione faucium, & narium, cum levi unius naris contractione. Bibit autem lignum Indum, & poſtea liberatus quodammodo ab his affectionibus, ſtatim in eadem accidentia incidit. Nunc eſt factus debilior ex doloribus aſſiduis, ac jam non amplius ſuſtinet pati tot tantosque malos affectus, ex Mercurii inunctione conſecutos, proinde à nobis petit conſilium. Nos itaque præſcribemus illi curam, qua ſi diligenter uſus fuerit, dum ætas & vires juveniles integræ conſentiunt, facile priſtinam ſanitatem acquiret. Primo igitur ſumat lenitivum ventris. Recipe *Floris caſſiæ drach. x. cum ſaccharo fiat bolus*, quem ſumat hora ante prandium, præmiſſo *clyſtere communi cum decocto betæ*, *malvæ*, *mercurialis*, & *modicoſalis communis*, *addito etiam vitello ovi recentis*, &, quod maxime neceſſarium eſt, *additis unciis tribus mellis roſati* colati. Secundo digeſtivum ſit tale: Recipe *ſyrupi de ſumo terræ*, *de ſucco bugloſſæ ana unc. j. aquarum fumi terræ*, *bugloſſæ ana unc. ij.* miſce pro uno, & ſic pro aliis. Et melius eſt, ſi loco aquarum deſtillatarum accipiatur decoctum earum cum liquiritia. Solutivum deinde accipiat. Recipe *confectionis hamech drach. iiij. ſyrupi roſati ſolutivi unc. iiij. miſce*, & *cum eodem decocto fiat potio*, *danda in aurora*. Die ſequenti ſumat *ſaccharum roſatum*, ejus autem accipiat uncias quatuor, & ſumat mane & ſero unciam primis duobus diebus per horam ante cibum. Deinde ſumat infraſcriptos ſyrupos per ſeptem dies continuos; ſed ſi ultra modum evacuarent, ſumat alternis diebus. Recipe *myrobalanorum Indorum*, *citrinorum*, *chebulorum*, *emblicorum*, *belliricorum ana drach. iiij. Contundantur groſſo modo*, & *fricentur manibus cum oleo amygdalarum dulcium. Poſtea infundantur per diem & noctem in libr. x. aquæ fumi terræ*, & *decoquantur ad conſumptionem tertiæ partis. Deinde adde corticum hellebori nigri. drach. iiij. liquiritiæ*, *polypodii ana drach. vj. ſeminum citri unc. ſ. Et bulliant donec remaneant lib. v. Poſtea adde folliculorum ſenæ*, *epithymi Cretenſis ana unc. j. ſ.* & *bulliant donec remaneant lib. iii. ac coletur*, & *exprimatur decoctum*, *atque ſervetur*. Recipe *hujus decocti unc. vj. ſyrupi ex infuſione roſarum unc. j. ſ.* Et detur mane alternis diebus. Exhibitis his ſyrupis, requieſcat per duos dies, ſumendo ſaccharum roſatum, hora & quantitate ut dictum eſt. Laudo tamen poſt aſſumptionem caſſiæ, & primum ſyrupum, ſtatim miſſionem ſanguinis ex vena hepatis media dextri lateris ad uncias ſex. Deinde ad purgantes potiones ſupradictas deveniendum. His peractis, incipiat aquam ligni bibere juxta modum infraſcriptum. Primo accipiatur *libra una ligni Indi*, *ex trunco non valde antiquo*, *ſed viridi quantum haberi poteſt*, *de robuſto*, *gravique ligno*, *quod ex magna parte ſit nigrum*, & *de circumferentia parum albam. Diſſecetur in minutas partes*, *ac ſuper infundantur libræ xiiii. aquæ de endivia*, & *ponantur in olla nova ſatis capaci cum tegumento*, *ac infundantur per horas vigintiquatuor. Poſtea admoveantur igni*, & *bulliant tandiu*, *quouſque ex quatuordecim libris remaneant octo circiter. Spuma autem diligenter auferenda eſt*, & *ad partem ſervanda. Poſtea fiat diligens expreſſio*, & B *coletur ac reſervetur decoctio illa in vaſe vitreo optime tecto*, ac dividatur in octo ſyrupos, quorum unum mane hora nona ſumat, poſtea prandeat inter duodecimam & decimamtertiam. Deinde hora vigeſima hauriat alterum, ac cœnet poſtea inter vigeſimam tertiam & vigeſimamquartam. Sumpta hac decoctione ligni, ſi aliqua ſudorum apparuerint ſigna, tegatur calidus in lecto, adjuvando ſudorem. Si autem non adfuerit ſudor, non provocandus eſt, ſed omnia permittantur naturæ. Sed quoniam illi ſyrupi, ſupra dicti, ex decoctione ligni per octo duntaxat dies durabunt, oportebit, antequam priores ebiberit, alios parare, ut infuſio etiam fieri poſſit per 24. horas, ne detur dies vacuus potioni ſumendæ. Sumat autem per 40. dies hos ſyrupos. Laudo quoque, ut quinquageſimum diem attingat, ita tamen ut, exactis 40. diebus, unum tantum ſumat mane ſyrupum per reliquos decem dies ſequentes. In hoc autem tempore fugiat ventos, & omnes alterationes animi. Corpus quidem poterit exerceri ad arbitrium ſuum, prout vires ei melius ſuppeditaverint. Ordo C autem in ſumendis his, & regimen ejus tale erit: Primis decem diebus carnibus pullinis veſcatur ad uncias duas pro una vice: pane autem albo, & optimo ad uncias tres. vino quidem utatur albo & temperato, ſubſtantiæ tenuioris, claro, lucido, maturo, optimique ſaporis. Et hoc quidem ſit illi in prandio & cœna. Cereviſiam etiam optimam loco vini poterit bibere. Tranſactis illis decem diebus, vivendi rationem permutabit in hunc modum: A vino abſtinebit, & à carnibus pullinis, ſed ſuus cibus erit unciæ quatuor aut tres panis albi, puri, optime cocti & fermentati. Sumat etiam uvas paſſas nigras ad uncias duas: ſint autem uvæ hæ dulciſſimæ, & bene mundatæ. Et hic ſit prandii & cœnæ modus pro alimento. Potus autem ſit ſecundæ aquæ decoctio ejuſdem ligni in hunc modum facta. Sumat *idem lignum*, *quod in prima decoctione ſumpſit*, & *in lib. xx. aquæ puriſſimæ putealis infundatur. Deinde coquatur uſque ad remanentiam quindecim librarum.* Hac aqua utatur in potu in prandio & cœna, quæ ſi defecerit, poterit renovari cum dimidia libra ejuſdem ligni. Et hæc ſit D cibi ratio per triginta intermedios dies. Ultimi vero decem dies ſint ſimiles in victu & potu illis diebus decem primis. In toto autem tempore, quo de ligno bibit, intra quoſlibet octo dies aſſumat drachmas decem floris caſſiæ, una hora ante prandium. Poterit autem eo die, quo ſumit caſſiam, ſyrupum ex ligno intermittere. Cum vero potum ſyruporum ex ligno præſcripta ratione ſumpſerit, tunc per multos dies & menſes optima vivendi ratione utatur. Veſcatur carnibus juvenum animalium, & optimis cibariis, ovis recentibus, aviculis, pullis, piſcibus ſaxatilibus, vino albo mediocri, & boni ſaporis. Corpus autem valde exerceat. Ab aliis piſcibus & carnibus ſalſis, anſeribus, oleribus abſtineat, ſed à coitu maxime, omnes animi moleſtias fugiat. Si vero aliquam gravitatem ſui corporis ſenſerit, his pillulis utatur ter in menſe una hora ante cœnam. Recipe *Aloës optimæ*, *agarici electi*, *rhabarbari optimi ana drach. ij. ſalis gemmæ gr. iij. ſpicæ drach. ſ. maſtichis drach. j. pulverizentur omnia per* E *ſe*, *deinde commiſceantur*, *poſtea aſpergantur ſucco roſarum puro*, & *tandem permittantur exſiccari*, & *poſtea cum melle roſato fiat magdaleon*, *ſive maſſa*, *de qua ſuo tempore accipiat ſcrup. ii.* & *formentur pilulæ tres dandæ ut ſupra.* Spumam autem, quam ſuperius dixi debere reſervari in eo toto tempore, quo aquam bibit, admovebit locis,

in

in quibus fiunt tumores & dolores. Ubi vero biberit hoc decoctum ea lege, quam deſcripſimus, neque interim à doloribus perfecte liberetur, perſeverabit in eadem victus ratione, quam ſupra ſcripſimus. *Pilularum ſuprascriptarum ſirup. ij. vel iij.* ter vel quater etiam in menſe ſumet hora ante cœnam: & expectet opportunum tempus rurſus ſumendi decoctum iis modis, ut ſupra declaravi. Erit autem opportunitas talis, ut ſi biberit vere decoctum, alia opportunitas erit in medio autumni: ſi in autumno biberit, erit opportunitas expectanda ad finem veris. Et ſi hæc omnia diligenter peregerit, & prima & altera vice non ſucceſſerit, non deſpondeat animum, ut plerique faciunt, ſed conſtanter in ea re perſiſtat, juxta Hippocratis ſententiam: *Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſucceſſerit ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad alia.* Perſiſtat ergo in hac cura, neque voces impoſtorum audiat, qui vel ſuffumigiis, vel linimentis primo ſanitatem pollicentur, ſed tandem in ultimam perniciem adducunt. Ad dolorem, qui eſt quaſi initium contractionis in extremis partibus digitorum manus, hoc infra ſcripto decocto ſæpe lavet manus: Recipe *majoranæ, pulegii, calaminthæ, foliorum ſennæ ana manip. j. decoquantur in aqua ſimplici.* Ad ulcera narium, & gutturis facta ex defluxu ſalſo & acuto: Recipe *tutiæ præparatæ drach. ij. olei roſati, ſucci ſolani ana unc. ij. ponantur ſimul in mortario plumbeo: & ducantur, donec habeant bonam conſiſtentiam, poſtea cum modico ceræ liquefactæ fiat unguentum molle, & reſervetur uſui.* Ad eadem ulcera lavanda. Recipe *aquæ plantaginis, ſolani, endiviæ ana unc. vj. ſyrupi roſati ex infuſione roſ. unc. ij. ſyrupi violati unc. j. miſce.* Pro reſolutione, & ulcere naris. Recipe *bdellii, ammoniaci ana drach. iiij. croci drach. j. betonicæ, ſalviæ, Hyperici ana manip. ij. pinearum, amygdalarum dulcium ana lib. s. contundantur omnia per ſe, deinde miſceantur, ſed prius addatur aceti ſquillitici lib. j. s. Et omnia ponantur ſimul in olla nova vitreata, obturetur ne tranſpiret. Deinde ponantur in fimo equino, & bene ſepeliantur ad putrefaciendum per 40. dies: deinde ponantur in botia vitrea lutata luto ſapientiæ, & deſtillentur ſecundum artem phyſici practici, & ſervetur liquor ad uſum.* Hæc ergo omnia, ſua Dominatio, interim diligenter exſequetur, & de ſucceſſu horum nos vel ipſa literis monebit, vel ſaltem Valentinus Rublinus, diſcipulus noſter, cum rem hanc cognoverit, certiores reddet.

# EPISTOLA SEXTA,

## *Pro Illuſtriſſ. & Excellentiſſ.* D. D. GALEOTTO PICO, *Mirandulæ comite digniſſimo.*

Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ corpus, neque in membris ſuis, neque in omnibus ætatibus, eiſdem affectibus, ſed longe diverſis obnoxium fuit. Membrorum quidem præſens ſtatus hujuſmodi eſt, ut cum reliquæ actiones omnes integræ ſint, ac recte valeant, in infima tamen recti inteſtini parte ac exitu, multiplici (ut poſtea dicetur) morbo infeſtatur. In diverſis etiam ætatibus, aliis atque aliis affectibus fuit exagitatum, & ita fuit comparatum, ut facile mutari atque alterari poſſet. Cum igitur veſtræ valetudinis nobis propoſita ſit cura, omnes illi affectus varii atque multiplices, quibus aut jam laborat, aut ne in poſterum redeant eſt verendum, diſtinguendi mihi neceſſario videntur, id quod ex multis, quibus antea Illuſtriſſ. V. D. uſa eſt conſiliis, facile intelligetur. Ab eo igitur, qui nunc infeſtat, morbo initium ſumam, quem etiam cæteris omnibus, quibus jamdiu eſt conflictata, leviorem eſſe, ipſamet confitetur. Quoniam autem, ut dictum eſt antea, omnes actiones, unica excepta, ſunt integræ, illa in præſens omiſſa, quomodo reliquæ in ſua integritate conſervari debeant, explicabo. Recta vero earum valetudo minime conſervari poteſt, niſi à lapſu membra præſerventur, quæ in hoc corpore inæqualiter admodum ſunt temperata, & ut turbam aliquam faciant, ac ſibi invicem adverſentur, præparata. Ut autem in ſingulorum particulatim natura explicanda inſiſtam, & cor, & hepar inſignem habere à natura caliditatem affirmo: id vero tum ex eorum actionibus, tum ex his, quæ ab illis efficiuntur, ſatis apparet: ea autem, quod aperta admodum ſint, brevitatis cauſa nunc prætermitto. Hepati tamen alia quoque adventitia qualitas eſt adjuncta, ea ex Gallico morbo originem duxit, & peculiarem quandam vim hepati adjungit, qua humores ac ſanguinem exurit, ac eos ſemper magis ac magis exaſſat. Ea autem vis non idem in omnibus efficere ſolet: ſiquidem in hepate natura prædito calidiore, multo eſt deterior, & magis metuenda. Quare cum V. D. hepar hujuſmodi ſit, natura ſcilicet calidum, deinde lue etiam Gallica infectum, pravum & exuſtum ſanguinem perpetuo generari eſt neceſſe, unde etiam ſit, ut inde geniti ſpiritus, ejus ſanguinis naturam ſervent: potiſſimum autem cum in corde gignantur, in quo calorem immoderatum eſſe jam diximus. Hujus autem rei plurima ſunt argumenta. Primum enim, ſpiritus eſſe calidiores ac fervere, indicio eſt frequens illa excandeſcentia & inflammatio, ſine ulla occaſione ab ephemera corripi febre, capitis calefactio, & inſignis ſæpe rubedo, ut ipſa quoque alba oculi tunica rubore ſuffundatur: hæc enim omnia non aliam, quam ſpiritus calidiores ac igneos, cauſam habent. Hinc etiam fit, ut hæc omnia citiſſime diſſolvantur: id quod omnibus, qui à ſpirituum motu proficiſcuntur, affectibus ſolet accidere. Sanguinem autem exuſtum ac fervidum generari, ictheri, febres, & præteriti corporis ſqualores, ſatis manifeſte declarant: ea enim omnia e calidioris ac fervidi ſanguinis pravitate oriuntur. Qui vero ſingulis noctibus nunc etiam prodit ſudor, cum multæ jam adminiſtratæ ſint purgationes, &, quæ refrigerandi vim habeant, exhibita medicamenta, non aliunde fit, quam ex ſanguine nutritioni inepto, quem aliquanto quam antea robuſtior facta natura, attenuat, ſeparat, & tanquam minus idoneum alimentum expellit: idque in nocte, cum, ob nativi caloris ad interiores partes reditum, actiones ſuas perfectius abſolvit. Et hæc quidem hactenus de his ſymptomatis, quæ hepatis & cordis intemperiem ſequuntur. Accedit hiſce etiam ventriculus, qui cum peculiari ſibi nativo calore deſtituatur, pituitæ generationi valde eſt accommodatus, quam certe non olim tantum copioſam genuit, ſed nunc etiam, etſi in victus ratione ſumma adhibetur diligentia, gignit. Adeſt præterea capitis temperatura, quæ mea quidem ſententia calida eſt & ſicca: atque ideo non tantum nimiam aliorum membrorum caliditatem non temperat, ſed calida atque exuſta excrementa non pauca contrahit: cujus rei ſiniſter oculus manifeſtum indicium præbet, qui & diminuta viſione, & abſceſſibus in palpebris laborat, ac ſemper fere eſt ophthalmicus. In hoc autem potius, quam in ſiniſtro, ſymptomata hæc conſpiciuntur, quod ob acceptum olim vulnus debilior eſt factus. Cui igitur hujus corporis integras actiones conſervare propoſitum fuerit, is, ut ſuperius dictum eſt, immoderatas horum membrorum intemperies frangere, & ad mutuam quandam concordiam, ut melius inter ſe conſentiant, revocare debet, atque hæc proprie dicenda eſt præſervatio. Cum autem in hoc inſtituto quædam communia ſint, quædam etiam particularia, à communibus exorſi, ad particularia deinceps accedemus. Aër nobis occurrit in primis, qui, quam fieri poteſt, temperatiſſimus eſt eligendus: neque enim nimium aut tenuis, aut craſſus, frigidus, aut calidus, aut alicujus paludis exhalatione infectus eſſe debet: eadem etiam ratione nec à ventis agitatum, nec à pluvia madidum eſſe oportet. Scio equidem Illuſtriſſ. D. V. inſtitutum, & tum bellicas, tum civiles actiones ejuſmodi eſſe, ut ſumma, qua opus eſt diligentia, obſervare hæc minime poſſit: utiliſſimum tamen illi fuerit, ea ſibi habere perſpecta, quorum exceſſum declinare ſummopere debet. Cum igitur jam à me ſit admonita, ad ejus prudentiam pertinebit, opportune ingruentia incommoda moderari, & cum corpus univerſum, tum caput præcipue, idoneis tegumentis, pro imminente aëris intemperie, tueri ac munire. Quod vero de aëre à me nunc dictum eſt, id rebus omnibus accommodari debet, quas cum maxime moderatas & corpori commodas eſſe oporteat, ſi non ad unguem obſervari, quoad fieri poteſt, tamen moderari debent. Proximæ ſunt ab aëre animi perturbationes, ut ira, moleſtæ cogitationes, & reliqua his ſimilia: quæ certe illuſtriſſ. V. D. ſumma animi prudentia frænare, ac coërcere debet: ſi quando enim illorum intemperantiæ ſeſe permittet, ſupra quam credi poteſt corpus plurimum immutabunt, atque ita ſane, ut affectibus plus æquo animum divexantibus, alia auxilia vix quicquam ſint proſutura. Summo igitur ſtudio, diligentia, atque animi moderatione, ſunt coërcendi. Sequitur ut de corporis exercitatione dicam: quæ certe, ſi opportune fiat, admodum eſt neceſſaria: cum tamen Illuſtriſſ. D. V. mili-

tarem vitam agat, & ob graviſſima negotia cogatur varias regiones peragrare, minuere potius, ac moderari quam augere illam debet. Huic enim corpori vehementer calido ac reſolutioni parato, plus fortaſſe periculi ex nimia, quam ex pauca, exercitatione eſt metuendum. Quemadmodum igitur perpetuum otium non probo, ita illi autor ſum, ne in exercendo modum excedat: potiſſimum autem in loco aprico, in aere calidiore, poſt prandium aut cibum qualemcunque: tum enim prodeſſe nihil, obeſſe autem plurimum poteſt. Siquando igitur Illuſtriſſ. D. V. iter ſuſcipere cogetur, ſuadeo, ut mane jejuno ventriculo totius diei iter perficiat: à prandio vero, aut nullum, aut breve, & nonniſi longo poſt cibum intervallo, iter conficiat. Quod ſi totam diem equitandum illi eſſet, mane prandebit parce, aut potius parciſſime, verbi cauſa, ova duo, & exiguum panem in jure infuſum edet, & ſemel tantum bibet. Nec vero opus eſt, ne illam etiam admonere, ejuſmodi equum eſſe debere, ut apte incedat, ſellam vero & optimam, & ſeſſioni commodam: hoc enim ipſa non tantum ex nobili ſua ac præclara conditione, verum etiam neceſſitate magiſtra, ſatis eſt edocta. Ad ſomnum vero quod attinet, ſeptem minimum horarum ſpatium dormiendum puto, idque in nocte: quod ſi nocturnus ſomnus, aut interruptus, aut impeditus ſit, ut de ſpatio jam dicto pars non mediocris detraheretur, ſuaderem, ut in meridie tantundem dormiret: moderatum enim ſomnum in hoc corpore maxime probo. Quod ſi legitimum temporis ſpatium dormierit in nocte, longe conſultius eſt, ut interdiu penitus abſtineat à ſomno. Singulis etiam diebus alvum mollem eſſe oportet: quod ſi ſponte non dejiciat, artis auxilio utendum erit. Ut enim corpus hoc commode præſervari poſſit, naturalium excrementorum quotidiana expurgatio eſt neceſſaria. Si igitur huic muneri natura deſit, commoda aliqua ratione erit adjuvanda: nec tamen clyſterium vim adhibendam eſſe puto, graviori enim neceſſitati illa eſt admovenda, ſcilicet cum leviora ac tutiora auxilia non profuerint. Ubi igitur alvum mollire erit neceſſe, mane ante cibum, aut etiam cum cibo in prandio, decem aut duodecim pruna ſiccata, plura aut pauciora, pro illorum magnitudinis ratione, ſunt devoranda: ea tamen in jure pulli cum ſaccharo molli igne ita decocta eſſe oportet, ut melior juris pars ſit abſumpta, pruna vero molliora ſint facta, totumque illud ad ſapæ cujuſdam conſiſtentiam deductum: ac tum pruna cum ſuo illo jure comedet, id quod ad leniendam alvum, & efficax & familiare, omni etiam noxa carens auxilium eſt futurum. Idem etiam præſtabunt paſſularum orientalium unciæ duæ, mane ante cibum ſingulis diebus ſumptæ: illas autem nigerrimas, pinguiſſimas, dulciſſimas, ac recentiſſimas eſſe oportet. Idem etiam pulli jus efficiet, in quo *malva*, *beta*, *ac mercurialis ſint decocta*: & hoc quidem medicamenti magis naturam refert, ſed valde commodum eſt ac ſalutare, & à veteribus etiam ſummopere commendatum. Cum igitur hujuſmodi aliquo auxilio opus erit, Illuſt. D. V. illud eliget, quod magis probabit, aut quod felicius officium faciet. De potu ac cibo ita ſtatuo, in primis pro ventriculo ejuſmodi vinum eſſe eligendum, quod ubi fuerit ingeſtum, miſerum ventriculum ſua aut aciditate, aut auſteritate, aut acerbitate non lancinet, violet, aut diſcerpat, ne tamen hepar aut exurat aut incendat, potens admodum eſſe minime oportet. Vinum itaque maturum, boni ſaporis, nec potens, nec imbecillum, ſed mediocre eligetur. Colore autem ſit aut album, aut rubrum, aut inter hos medium, in primis vero tenuis ſubſtantiæ, ac pellucidum. A muſto penitus abſtinebit, nec niſi ubi per quatuor ſaltem menſes quieverit, illud bibet. Communem Dominorum ac Principum conſuetudinem ſibi maxime perniciоſam exiſtimabit, qui vinum aut glacie, aut alia ratione refrigeratum bibunt, peſſimus enim hic Principum mos, luxus, deliciarum & nimio ſtudio exquiſitæ voluptatis pœnas dare illos cogit, dum & graviſſimus morbis conflictantur, & juſto citius vitæ ſuæ curriculum abſolvunt. Eorum tamen ſors eſt miſeranda, cum enim magna ac perpetua putredine in illis ventriculi laborent, ardore quodam à ciborum varietate, ac multitudine genito exæſtuent, & moleſta anxietate ac ſiti vehementi continue anhelent, dum ea incommoda ſedare atque extinguere ſe poſſe exiſtimant, quam gravi ſuo damno hallucinentur ignari, errorem errore cumulantes, illa augent, ac veluti flabello incendunt. Cum tamen D. V. Illuſt. in aliis rebus omnibus ſumma & prudentia & moderatione utatur, & ſupra communem ac vulgarem Principum rationem præclari ac nobiliſſimi intellectus ſui præſtantia ſeſe erigat atque attollat, communi etiam illo errore minime implicatur. Ea igitur hæc eſſe veriſſima, ipſo uſu intelliget, quæ etiam ſi exacte obſervabit, maxima ſua animi voluptate infelices alienorum errorum exitus ſpectabit. Ejuſmodi itaque, quo ipſa utetur, vinum eſſe oportet, quod etiam moderate bibi, & tantum in menſa, debet. De cibis autem inprimis generalis illa regula ſanciatur, in valetudine tuenda cibum ſeu obſonium ſimplex atque unum eſſe oportere: ac, ut mea quidem fert ſententia, deterius eſt uti ciborum laudabilium etiam ac ſalubrium varietate, quam unico, utcunque etiam ſit pravus. Hoc autem veriſſimum eſſe, multorum populorum uſus docet, qui cum ſolis piſcibus, crudis quidem illis & in ſole exſiccatis, aut aliis hujuſmodi cibis veſcantur, quoniam alia cibaria non attingunt, ſed in eorum tantum uſu perſeverant, ſi fides hiſtoriis eſt adhibenda, integra valetudine, & virium robore, duo aut tria ſecula perfruuntur. Ejus rei præter ipſius uſus teſtimonium, multæ etiam ſunt efficaces, ac demonſtrationis vim habentes rationes, quas nunc, quoniam hujuſmodi res tractare mei non eſt propoſiti, libens omitto: qua enim vivendi ratione Illuſt. V. D. uti debeat, explicare meum tantum nunc eſt inſtitutum. Unico igitur ac ſimplici obſonio ſit contenta, quod tamen, ſi boni etiam ſucci, & ſalubris ac laudabilis fuerit alimenti, probabitur à me longe etiam magis. Illud autem repetendum duco, ſi hoc in genere peccandum ſit in unico cibi genere, etiam pravo, minus delinqui, quam in multiplici ciborum etiam ſalubrium varietate. Alimentorum porro catalogus res eſt adeo jam vulgaris, ut communem admodum cantilenam canere me jam pudeat. Ne tamen ulla in me diligentia deſideretur, ea omnia, quæ nunc à me deſcribentur, veſtræ valetudini multas ob cauſas plurimum adverſari dico. Aromata, carnes ſalitæ, carnes antiquæ, ut bovis & caſtrati, avium paluſtrium, ut anſerum & anatum carnes, piſces præcipue paluſtres, tam recentes quam ſaliti, lacticinia omnia, potiſſimum vero caſeus, paſtilia omnia, & pulmenta, quæ paſta involvuntur, ut placentæ, ac hujuſmodi reliqua, legumina, acria omnia, ut allia, cepæ, aſcalonia, porri, acetum, & ex crudis oleribus acetaria, fructus etiam, ſi liberalius ingerantur, ſunt pernicioſi. Quoniam autem Illuſt. V. D. ſæpe in Gallia peregrinatur, ubi (ajunt) ſua ut plurimum in ſartagine obſonia torrere ſolent ac frigere, & ſuilla tergora ſeu larida ſoli Galli plura comedunt, quam quatuor aliæ ſimul nationes, ideo ea mihi eſt admonenda, ut ab hujuſmodi rebus abſtineat, & pro viribus ab ea vivendi ratione abhorreat. Suis igitur coquis mandabit, ut propriam menſam, ſine hujuſmodi apparatu inſtruant, ille enim oblinendæ potius gulæ ac voluptati, quam valetudini tuendæ eſt accommodatus. Illuſt. profecto D. V. perſpectiſſimum illud eſſe debet, res nullas ſibi invicem magis adverſari, quam egregium coquum, & præſtantiſſimum Medicum: illorum enim contraria penitus ſunt inſtituta: hic enim prodeſſe, ille autem vult oblectare: huic finis propoſitus eſt ſanitas, illi vero adulatio ac impoſtura. Non igitur ſimplici tantum uniuſque tantum ſubſtantiæ, verum ſimplici etiam ratione præparato cibo utetur, & optimam potius valetudinem, quam, quæ ex cibo capitur, voluptatem, ſcopum ſibi conſtituet. Ut autem partium, quas contrario temperamento præditas eſſe ſuperius dixi, particularis à nobis ratio habeatur, pro ventriculi valetudine conſervanda, Illuſt. V. D. hortor ut inter unam atque alteram menſam, novem minimum horarum ſpatium ponat: niſi ejuſmodi forte imbecillitas contingat, quæ totum unius diei cibum in tres partes dividere cogat: in quotidiana tamen ratione, inter prandium & cœnam dictum jam intervallum probo, ne poſterior cibus, priori nondum plene concocto, ſed crudiore etiamnum exiſtente, ingeratur, quo profecto valetudini nihil poteſt eſſe magis pernicioſum. A cœna etiam non niſi poſt duas horas ſomnus eſt admittendus, ac tum aut ſtando, aut domi leviter deambulando, cum ſuis familiaribus de jucundis rebus, ac ſibi gratis, colloquetur. Aleam autem, aut in aliqua alia re difficili graviorem animi intentionem, minime tum probo. Hac ſervata ratione, ſine ulla moleſtia nox tranſigetur, ſomnus erit tranquillus, neque pituita repleri caput, aut ventriculum, continget. Pro hepatis vero, ac renum conſervatione, conſulo, ne in prima ſtatim menſa, ut multi ſolent, bibatur; ſed pro viribus, ad mediam ſaltem menſam primus hauſtus differatur. Hoc autem, ut facilius impetrari, & hepatis etiam ac ſanguinis fervor temperari poſſit, ante alios cibos juris pulli cum ſaccharo idoneam menſuram ſemper bibendam eſſe ſuaderem, id quod ad molliendam etiam alvum plurimum conferret. Dicta hac victus ratione & membra hæc temperari, & ad mutuam concordiam ita revocari poſſe exiſtimo, ut eorum munere recta valetudo conſervari poſſit, id quod noſtrum à principio propoſitum fuit. Cæterum quoniam, præter affectus jam dictos, particularis quidam non levis morbus adeſt, qui annos quatuor perpetuos infeſtat, in muſculo ſcilicet ſphinctere ulcera quædam & rhagades, ejus igitur præcipua etiam ratio haberi debet. Cum autem eo in loco antea fuerit abſceſſus, ex

eo ulcera prodiiſſe ſatis eſt manifeſtum. In eo quoque abſceſſu exuſtam ac bilioſam materiam latuiſſe, admodum eſt veriſimile, id quod ex dicta ſuperius ſanguinis pravitate, & ex Gallicæ luis contagione conjectare in primis licet: deinde etiam ex morbi diuturnitate, ex corroſione, ex curationis difficultate, ex craſſa, obſcura, atque exuſta, quæ exulceribus nunc fluit, materia, & ex ſanguine & fæculento & nigriore, apparet. Alioqui melancholicis atque exuſtis humoribus recipiendis paratiſſimum eſſe locum illum, hæmorrhoides illi peculiares locupletiſſimum teſtimonium præbent. Audacter itaque nihi videor poſſe pronunciare, tam præteritum illum abſceſſum, quam ſecuta deinde ulcera, ex melancholico atque exuſto ſanguine ortum habuiſſe: illum autem eo natura ideo tranſmittit, quod tum ob naturalem ſibi conſtitutionem, tum propter ſitum, & perpetuam illam, quæ in egerendis fœcibus fit, compreſſionis vim, ad hujuſmodi humorem excipiendum locus ille videtur aptiſſimus. Quoniam igitur, ſi loci naturam conſideremus, hæc ulcera ſunt profundiora, cacoethe etiam, & exedentia, & valde ſordida, ac præterea veluti cloacæ, aut ſentinæ deteriorem ſanguinis partem recipiunt, horum omnium exactiſſima habenda eſt ratio, inprimiſque ea quæſtio, conſultumne ſit atque expediat ea curare, an vero non, à nobis eſt diſcutienda, quæ profecto, mea ſententia, haud facile diſſolvi poteſt. Neque enim tantum videtur turpe, ſed inutile etiam atque incommodum, perpetua ejus morbi moleſtia detineri, & cum humor malignus ſit, & exacto ſenſu præditus locus, & qui facile afficiatur, deterioris etiam morbi metu perpetuo torqueri. Ex adverſo tamen eorum curatio ſuſpecta nobis eſſe debet: cum enim prava omnia excrementa diu jam natura per eum locum perpurgare conſueverit, fieri facile poſſet, ut curatis ulceribus, humores intra corpus retinerentur, qui poſtea in nobiliorem aliquem locum delati, deteriores illic affectus crearent, quemadmodum frequenter contingere videmus. Hæc igitur mea eſt ſententia, hæc ulcera diligenter eſſe tractanda, & cum eorum ſint tria, duo eſſe penitus curanda, ac ſolidanda, tertium vero apertum eſt relinquendum, quod ſane, ſi in fiſtulam degeneraret, noſtris forte rationibus minime incommodum putarem. Hoc vero & rationi, & Hippocratis ſententiæ valde conſentaneum videtur, qui in hæmorrhoidum curatione, ubi quis ejus conſilium ſecutus, claudere illas velit, unam ſemper apertam relinquendam eſſe dixit: eundem proculdubio divinus ille vir ſcopum ſibi proponens, in quem nunc etiam nos intuemur, ſcilicet, ne ob plures hæmorrhoidas locus ille violaretur, aut ob nimiam ſanguinis copiam corpus labefactaretur. Atque ideo omnes occluſas noluit, ut aliquis naturæ exitus pateret, per quem ſolitas jam expurgationes moliretur. Quod itaque de hæmorrhoidibus Hippocrates dixit, id nos nunc de illis ulceribus pronunciamus. In ipſorum igitur curatione, jactis jam fundamentis innitentes, dicimus locum illum continue & mundificandum, & exſiccandum eſſe, idque minime mordacibus, ſed clementibus ac leni bus medicamentis. In ablutionibus certe adminiſtrandis, nulla alia re uterer, quam *hordei*, *furfuris*, *fabæ minime decorticatæ*, *parietariæ*, *anagallidis decocto*, hæc enim omnia, & alia his ſimilia, & mundificare, & ſordes abſtergere, ſine ulla mordacitate aut calefactione poſſunt. Quod ſi aut dolor, aut non admodum rubicundus, aut inflammationi ſimilis tumor eo in loco appareret, *chamæmelum*, *malvam*, *althæam*, *melilotum*, ac his ſimilia adderem. Ubi vero inflammatio, aut purpureus rubor illic conſpiceretur, quemadmodum ego aliquando vidi, tum nil aliud quam *ſolani ſuccum cum oleo roſaceo completo mixtum, & morturio ac piſtillo plumbeo in linimenti formam redactum*, admovendum exiſtimarem. At vero ſi forte fortuna horum ulcerum curatio tam felix eſſet, ut ad cicatricem etiam pervenirent, & eo in loco nulla amplius eſſet affectio præter naturam, in cruribus loco infra genu commodo, duo ulcera omnino excitanda eſſe ſuaderem, ut qui per curata jam ulcera fluere humor ſolebat, novum, minus moleſtum, tutiorem & commodiorem etiam exitum ſibi patefactum inveniret. Hoc itaque nulla ratione aut negligi, aut prætermitti vellem, ne graviori aliquo ſymptomate Veſtra aliquando D. cum illud minime ſuſpicaretur, corripi ſe animadvertat. Et hæc hactenus de illis affectibus, à quibus D. V. nunc affligitur, à nobis ſint dicta. Quod ſi majorem etiam diligentiam & efficaciorem præſervationem cupit, adverſusque omnia, quæ evenire poſſunt, incommoda tueri ſe magis velit, conſulo ut bis in anno, vere ſcilicet, atque autumno, ſuo quodam inſtituto, univerſi corporis expurgationem moliatur. Et vere quidem hujuſmodi purgandi ratio commoda videretur. Recipe *Mannæ electæ unc. ij. Cum jure pulli fiat potus: ſumatur tribus horis ante prandium.* Deinde Recipe *Syrupi acetoſi ſimpl. multæ acetoſitatis, ſyrupi de betonicæ ana unc. j. aquæ cichorei deſtillatæ ſine plumbo unc. iij. miſce pro uno ſyr. & ſic pro aliis ſeptem.* Deinde Recipe *Rhabarbari electi drach. ij. Spicæ gr. x. Incidantur & aſpergantur vino aromatico, deinde infundantur in aqua lactis per horas x. poſtea facta diligenter expreſſione & colatura.* Recipe *Confectionis hamech drach. ij. Mannæ electæ unc. j. Miſce, & fiat potio, danda in aurora cum cuſtodia.* Atque hæc eſt, quæ in vere convenit, purgatio. Quo etiam tempore, ſi ſanguis copioſus eſſe videretur, id quod facile futurum credo, ſanguinis miſſionem ex baſilica dextri lateris, poſt duos ſyrupos, ſummopere probarem. Sanguinis autem mittendi pondus ſit unciarum viij. citeriur. In autumno, in medio ſcilicet Septembri, aut initio Octobris, hæc purgandi ratio inſtituetur: Recipe *Floris caſſiæ unc. ſ. xij. Cinnamomi drach. ij. Miſce, & fiat bolus cum ſaccharo, dandus hora una ante prandium.* Deinde Recipe *Syrupi de cichoreo Nicoli ſine Rhab. Syrupi de fumo terræ ſimplicis ana unc. j. aquæ boraginis deſtillatæ ſine plumbo unc. iij. miſce pro uno & ſic pro aliis, uſque ad ſeptimum.* Deinde Recipe *Rhabarbari electi drach. j. Spicæ gr. v. Incidantur, & infundantur in aqua lactis per horas decem. Deinde facta diligenti expreſſione colaturæ adde: Syrupi roſati ſolutivi unc. iij. Electuarii roſati Meſuæ drach. ij. miſce, & fiat potio, danda in aurora cum cuſtodia.* Hiſce pharmacis in dictis anni partibus corpus expurgabitur, neque unquam hoc, & ſaccharo roſacei uſus intermittetur. Illud autem potiſſimum V. Illuſt. D. ſuadeo, & conſulo, ut in nulla unquam anni parte ſaccharum roſaceum omittat, commoda vero illud accipiendi hora erit ante cibum. Medio autem inter unam atque alteram purgationem tempore, ut certior adhuc ſit præſervatio, ſi forte graviorem ſe factam aut nimis incaluiſſe ſe ſentiat, conſulo ut *x. aut xij. drach. floris caſſiæ in bolo, aut drach. j. rhabarbari cum ſaccharo roſaceo, aut in jure pulli mannæ electæ uncias duas accipiat*, ex his enim illud eliget, quod magis arridebit, & natura commodius ac facilius feret. Quod ſi optio mihi daretur, & natura etiam facile ferret, reliquis omnibus caſſiam, ut, quæ omnes humores evacuat, ſanguinem puriorem reddit, & univerſum corpus integrum efficit, præferendam exiſtimarem. Quoniam autem fieri poteſt, ut Gallica lues, ob aliquod erratum, ſuæ infectionis germen aliquod edat (nam progreſſu temporis fieri vix poteſt quin revertatur, potiſſimum autem cum quis gravibus negotiis implicatur, per varias regiones peregrinatur, & frequens etiam eſt in itineribus:) propteren danda opera eſt, ut, ſi quod hujusmodi ſymptoma exoriatur, opportuna illi auxilia adhibeantur, eo enim magis hoc à nobis eſt metuendum, quo ego certius ſtatuo Gallicam hanc luem ex eo corpore, in quo ſemel egit radices, penitus tolli non poſſe: quanquam ita mitigari atque extingui poſſe non nego, ut per longum temporis intervallum nullam moleſtiam faceſſat. Si quando igitur ejuſmodi lues infeſtaret, ad unicum illud ac ſalutare auxilium, ſumma Dei benevolentia ad ejus morbi curationem hominibus conceſſum, confugiendum eſſe ſuaderem. Illud autem ligni Guajaci eſt decoctum. Quod ſane quoniam non una ratione parari video (alii enim ſolum decoquunt lignum, alii corticem etiam addunt, aliqui etiam ex vino, & eo nunc potentiore, nunc autem mediocri parant: multi quoque diverſa alia ſimplicia medicamenta, ipſo fere auditu nonnunquam horribilia adjungunt) ego, qua ratione in eo parando uti ſim ſolitus, & quam non minus tutam quam utilem longo uſu ſim expertus, cum ex methodo atque artis ipſius principiis illam didiciſſem, inferius deſcribam. Illud autem iis, qui cum fructu Guajaci decoctum ſunt bibituri, neceſſarium in primis præceptum puto, ſcilicet ut exactiſſime ſint purgati, & diligenter etiam illis miſſus ſit ſanguis. Ipſe enim uſus ſatis docet, eos omnes, qui non abſolutiſſime antea fuerunt purgati, non magnam uſque adeo ex eo potu utilitatem adipiſci, utcunque etiam omni adhibita diligentia, & optima victus ratione ſervata, decoctum illud bibant. Ego itaque totam purgandi rationem, quam, antequam ad decocti exhibitionem accedam, adminiſtrare ſum ſolitus, initio deſcribam, deinde, qui modus & ratio temporis ſit ſervanda tam dilucide tradam, ut quiſqui is meum hoc præſcriptum ſit ſecutus, illam curationem nullo errore inſtituere poſſit. Hujuſmodi igitur eſt purgandi ratio: Recipe *Mannæ electæ unc. ij. ſ. Diſſolvatur in jure pulli, & per horam unam ante prandium propinetur.* Deinde Recipe *Oxymellis ſimpl. Syrupi de cichoreo Nicoli ana unc. j. aquæ betonicæ unc. iiij. miſce pro uno, & ſic pro aliis ſeptem.* Poſt unum atque alterum ſyrupum, mos mihi fere perpetuus eſt in aliis, ut uncias octo aut decem ſanguinis mittam. Eum mihi morem eſſe in aliis dixi, nam ſi forte Illuſt. D. V. paulo ante miſſus eſſet ſanguis, quid ſibi ſit faciendum intelliget. Poſt ſyrupos, inferius deſcribam. Reptum purgatorium medicamentum eſt aſſumendum. Recipe *ſyrupi roſati ſolutivi unc. iiij. confectionis hamech drach. iiij. miſce, & cum aqua betonicæ fiat potus.* Detur in aurora

rora cum cuſtodia. Poſt purgationem, per duos dies *ſaccharí roſacei uncia media*, bis in die, per horam ante cibum ſumitur, & inferius deſcribendi ſyrupi interim præparantur. Recipe *myrobalanorum citrinorum, chebulorum, Indorum, emblicorum, belliricorum ana unc. s. Contundantur craſſo modo, & fricentur manibus cum oleo amygdalarum dulcium, deinde infundantur in aqua fumi terræ & endiviæ lib.* VII. *per horas* XXIV. *& hæ aquæ deſtillentur in alembico vitreo, in balneo Mariæ:* & deſtillatio per plumbum aut per aliud metallicum, omnino evitetur. Deinde Recipe *epithymi, thymi, polypodii, foliorum ſennæ, liquiritiæ raſæ ana drach. vj. ſeminum citri drach. ij. corticum radicum hellebori nigri drach. iij. Decoquantur omnia ſimul lento igne, ad dimidium. Deinde facta diligenter expreſſione & colatura, decoctum cum ovi albumine purificetur, & ſacchari additione dulceſcat, & fervetur pro ſex ſyrupis*, qui modo infra deſcripto exhiberi debent. Recipe *ſyrupi de corticibus citri unc. ij. decocti ſupraſcripti unc. vj.* Propinetur mane calidum Ejuſmodi fere eſt plurimis conveniens dicti ſyrupi pondus: in nonnullis tamen major eſt ea dolis quam expediat: nec ejus decocti plures quam quatuor unciæ, alternisque tantum diebus, nonnunquam etiam tertio quoque die, ſunt exhibendæ. A. V. igitur Dominatione ſumma cautio eſt adhibenda, nec niſi quantum commode ferre, & à quo moderate etiam evacuari poſſit, eſt aſſumendum. Sex tamen omnino ſyrupi, antequam ad Guajaci decoctum accedatur, ſunt bibendi: omni enim periculo vacant, moderate evacuant, & ſine cuſtodia ſumuntur: multi etiam ad conſueta ſe conferunt munia, & negotiantur. Poſt dictos jam ſyrupos, Guajaci decoctum, modo inferius deſcribendo, eſt bibendum. Recipe *Ligni Guajaci optimi, ex trunco craſſiore, nigro, & gravi, lib.* I. *Lima redigatur in pulverem, & infundatur in lib. xiv. aquæ deſtillatæ jam dictæ per horas xxiiij. in teſta ampla, munda, & probe cooperta: poſtea decoque, donec dimidium abſumatur, atque interim, quæ ſupernatat, ſpumam detrahe: deinde colo transfundatur, ac leviter exprimatur, & in vitreo vaſe diligenter obtecto ſervetur.* Hoc vero totum in octo ſyrupos eſt partiendum, qui in quatuor diebus bibantur, ſingulis diebus duo, mane ſcilicet ac veſperi: ea tamen adhibita cautione, ut ſyrupus nunquam, niſi horas minimum octo poſt præcedentem, tres autem ante ſubſequentem cibum, bibatur. Atque hæc optima eſt tempus dividendi ratio. Abſumptis autem hiſce ſyrupis, ſuperius dicta ratione, alii parari debent, eaque diligentia adhiberi, ut antequam priores abſumantur, alii ita præparentur, ut in eo decocto bibendo nulla fiat interpolatio, ſed continue, omni alio potu neglecto, illud tantum bibatur. Hæc vero ratio per dies ſaltem quadraginta eſt obſervanda. Menſa autem ejuſmodi eſſe debet, qualis à me nunc deſcribetur. In primis decem diebus, tam in prandio quam in cœna, panis unciæ tres plus minus, & gallinacei pulli juvenis, mediæ inter perdicem & coturnicem magnitudinis, dimidium ſumetur. Potus erit vinum maxime imbecillum, aut probe dilutum, album magis probo quam rubrum: nigrum autem, aut craſſum minime eſſe oportet, unuſque uni menſæ cyathus erit ſatis. Præteritis hiſce decem diebus, per xx. dies ſubſequentes, vinum & caro ſunt prætermittenda, cibus erit panis ſupra deſcriptus, & unciæ duæ paſſularum, quæ optimæ ſint, dulces, & per lotionem probe mundatæ. Potus erit ejuſdem Guajaci decoctum, ex quo ſyrupi ſunt præparati: illud enim in optimæ aquæ communis lib. xx. donec quarta pars abſumatur, iterum eſt decoquendum, ac tum per colum diligenter eſt transfundendum, valideque etiam exprimendum. Hic erit in menſa potus, cui ſi ſacchari paululum addendum videbitur, non repugno, Poſt hoſce viginti dies, priorem illam vivendi rationem denuo inſtituet, ac per decem reliquos dies vinum ac pullum adhibebit, atque ita totum illud curriculum abſolvet. Illud tamen interim etiam eſt obſervandum, ut ſingulis decem diebus, tribus ante prandium horis, mannam hoc modo paratam ſumat: Recipe *Mannæ electæ unc. ij. ſ. diſſolvatur in jure pulli.* Illud autem in primis eſt neceſſarium, ut poſt Guajaci decoctum, ſaltem per ſex menſes, V. D. Illuſt. optimis alimentis ac vino maxime imbecillo utatur, probeque etiam ſeipſam exerceat, ſi modo ejus potionis commoda, ac legitimum fructum conſequi cupit. At vero cum V. D. Illuſtriſſimæ, ob Gallicæ luis infectionem, duo ſymptomata, & viſu indecora, & politicæ vivendi rationi valde incommoda ſoleant accidere, ideo, ſi quando alterutrius indicia apparerent, illis occurrendum, ac prævertendum eſſe exiſtimarem. Porro ſymptomata ſunt maculæ, & in univerſo corpore puſtulæ quædam erumpentes, ac pilorum interitus. Poſterius longo uſu probatiſſimis mihi auxiliis tolletur, quorum hoc eſt primum: Recipe *myrrhæ electæ, aloës, laudani ana unc. ij. foliorum & baccarum myrti, capillorum veneris, florum alchannæ ſeu liguſtri ana man. ij. Contundantur omnia per ſe, deinde miſceantur*, poſtea Recipe *olei amygdalarum amarum, olei ſeſamini, de alchanna ana unc. vj. miſceantur omnia ſimul, & permittantur fermentari in vaſe fictili ſtricti orificii, optime lutato cum luto ſapientiæ, vel ſub ſole ferventiſſimo, vel ſub fimo per dies quindecim, poſtea deſtilletur hoc totum ab optimo deſtillatore, & ſeparetur aqua ab oleo, & ſeorſum utrumque ſervetur:* erit enim utrunque ad uſum utiliſſimum, illinendo loca quæ indigent inſtauratione pilorum. Aliud: Recipe *lacertorum viridium num. v. apum unc. vj. propoleos, ſeu ceræ virginis unc. iiij. capillorum Veneris, myrtillorum ana man. ij. abrotani ſylveſtris unc. viij. Exſiccentur animalia in vaſe fictili in furno, deinde pulverizentur, poſtea contundenda contundantur, & liquefacienda liquefiant.* Deinde Recipe *adipis urſi lib. j. Pone omnia ſimul, & fermententur in vaſe vitreo bene obturato, vel in fimo, vel in ſole ferventiſſimo per dies tredecim, deinde deſtillentur, & ſeparetur aqua ab oleo, ſicut dictum eſt, & ſervetur ad uſum.* Aliud: Recipe *croci drach. ij. aloës, myrrhæ, ana drach. iij. laudani drach. iiij. olei amygdalarum amararum, adipis urſi ana unc. vj. capitum muſcarum pulveriſatorum unc. j. miſceantur omnia ſimul, fermententur & deſtillentur ut ſupra.* Singula jam commemorata auxilia, inſtaurandis pilis valde ſunt opportuna, eoſque & ſolidiores & venuſto colore præditos reddunt. Alia quidem plura ad eandem rem ſunt auxilia: at ego ea, quæ ex Gallica lue tantum deciduis pilis accommodata ſunt, delegi. Quod ſi quis & ſimplicium medicamentorum, quibus ea conſtant, facultates diligenter conſideret, & cur in Gallico morbo decidant atque intereant pili, perſpectas habeat cauſas, vera eſſe, quæ ſuperius dixi, facile intelliget. Quod vero ad alterum illud ſymptoma, maculas ſcilicet cutisque aſperitates attinet, ſtillatitias aliquot aquas valde egregias, & illis tollendis opportunas, adſcribam. Hæc autem, quæ nunc à me deſcribetur, omnium eſt efficaciſſima. Recipe *hellebori albi, & nigri ana man. ij. lapathi majoris viridis lib. ij cucumerum ſylveſtrium, quos aſininos vocant, unc. iij. carnis melonum recentium cum ſuis ſeminibus. lib. iij. carnis & ſucci limonum lib. iiij. miſce omnia ſimul, & per tres dies permittantur fermentari: poſtea deſtillentur per alembicum vitreum, & aqua ſervetur, eſt enim ad quaſlibet maculas cutis, & aſperitates tollendas efficaciſſima.* Aliud mitius; Recipe *Lupinorum recentium non ablutorum lib. j. radicum liliorum alborum unc. vj. amygdalarum amararum lib. ij. ſucci parietariæ lib. iij. Ponantur omnia ſimul, & non permittantur putrefieri, ſed ſtatim deſtillentur, & ſervetur aqua & oleum.* Aliud: Recipe *ſalis nitri unc. iij. olei amygdalarum amararum lib. ij. ſcillæ lib. s. carnis limonum lib. j. miſce, & extrahatur oleum, ad hunc uſum efficaciſſimum:* abſterget enim egregie, & mundificabit cutim, ubi etiam fuerit principium lepræ.

FINIS.

AN·

# ANDREÆ VESALII,
## AD
# JOACHIMUM ROELANTS,
## DE
# RADICE CHINÆ,
## EPISTOLÆ.

In qua inſerta ſunt & de Sparta Parilla ſub finem nonnulla.

## EJUSDEM SCRIPTUM DE IPSAMET CHINA,

*Italicum ad Joachimum miſſum, ſed nuper Latinum accurate factum.*

Tandem, una cum Venetorum Oratore, Bernardo Navagerio, tum ob inſignem diſciplinarum cognitionem, tum ob alia multa, ſuæ reipublicæ ſingulari ornamento, Ratiſponam veni, ubi præter familiarium amicorum præſentiam, literæ cumulatim mihi abſenti acervatæ, tædium ex animo pepulerunt, quod Cæſaris juſſu Noveomagi in difficilis graviſque morbi conflictu devorandum fuit. Mirum ſane eſt, quantum voluptatis frequentes, & ex variis regionibus profectæ amicorum literæ adducere ſoleant, quæ nunc tanto major obtigit, quanto plures ſimul perlegendæ occurrerunt. Quam vero inter reliquas, binæ, quas adjunctis filii tui, optimæ in arte noſtra ſpei adoleſcentis, literis, abs te ſcriptas reperi, me oblectarint, vel inde conjicere potes, quod tui erga me amoris fidiſſimi ſint teſtes, ac de rebus noſtratibus adeoque communibus ſtudiis perpetuo aliquid adferant, cujus nomine mihi debent eſſe longe expectatiſſimæ: præterquam quod ex filii literis prolixe, quid Lutetiæ magni, mea quidem ſententia, veteris medicinæ vindices molirentur, quiſque illic ſtudiorum eſſet ſucceſſus, reddebar certior. Cæterum dum tuarum literarum reſponſionem, propter occupationes, ac quod parentibus de privatis rebus neceſſario ſcribendum fuerit, diſtuli, illæ mihi redditæ ſunt, quibus rationem perſcribi cupis, qua radicis, Chinæ nuncupatæ, decoctum Cæſari, & multis in veſtra aula nuper propinatum eſt: dein, quid de radice illa ſentiam, ac demum, quam proſpere, quaque adverſæ valetudinis reſtitutione, ipſa utamur. Idem vero & Antonius Zuccha, concivis meus, quem ex rara comitate, inſignique doctrina tuis literis commendas, à me non vulgariter deſiderat. Et mirum ſane eſt, quam nobis hic vicini Germaniæ medici, & qui comitiis in ſuorum Principum familia interſunt, ſedulo ac diligenter de ejus decocti apparatu percunctentur, neque prius moleſti eſſe deſinant, aut exigendi orandique finem ponant, quam formulam nanciſcantur, qua nos decoctum illud offerre ſibi perſuadent. ut quoſdam interim taceam, adeo hujus cognitionis cupidos ſtudioſosque fuiſſe, ut ſuis principibus iſtius decocti vires ita laudandas duxerint, ut illi apud Cæſarem medicorum cauſa inſtare urgereque non dedignati fuerint, quo à nobis univerſus decoctum illud adminiſtrandi modus ipſis exponeretur. Tantum nominis & opinionis brevi medicamento præſtare potuit Cæſaris autoritas, qui ſuo potius Marte, quam D. Cornelii conſilio (cujus nunc potiſſimum opera, à D. Cavalii diſceſſu, utitur) Chinæ decoctum aſſumpſit. Dum enim adhuc Venetiis ſub præceptoribus, & præcipuis illic artem exercentibus medicis, ægros inviſerem, radix iſta non ſine maxima expectatione, ſummisque laudibus illuc fuit perlata; ſed in uſum infelici ſucceſſu, in uno atque altero poſita, quod non tam medicamenti vitio, aut adminiſtrantium imperitia evenit, quam quod in illis tum propinari cœpit, qui alioquin morti erant proximi, quibusque nulla ſalus à medico ſperanda fuiſſet. Primo enim, cui decoctum Chinæ propinatum vidi, illa ex Antverpia ſimul cum empirico, qui ejus uſum probe noſcere, ac feliciter in Luſitania illam porrexiſſe affirmabatur, transmiſſa fuit, atque is nullum non grave Gallici morbi ſymptoma patiebatur, & veluti in ſumma tabe mortem in faucibus gerebat, adeo ut ſimulatque ſudor Chinæ beneficio provocari viſus eſt, & urinæ una moverentur, ſolitoque tenuior victus accederet, illico exſpiraverit. Hujus viſcera, quum parentum amicorumque hortatu examinarentur, talia occurrerunt, ut nequaquam ratio comminiſci potuerit, qua in illud uſque tempus vita homini producta perſuaderetur. Alter, cui eodem fere tempore Chinæ decoctum offerebatur, Gallico morbo citra omnem cutis labem teneri viſus eſt, & cum ſumma corporis extenuatione ſeu macie, inſignem calculum in ſiniſtro rene diu aluerat. Hic quum decocto diebus plus minus decem uſus eſſet, & ab illo medici propter egregiam, quam ipſi ineſſe putabant, colliquandi, & urinas ſudoresque provocandi facultatem, temperandum ſuaſiſſent, paucis poſt diebus cum graviſſimo renum dolore extinctus eſt. Inſuper, poſteaquam Chinæ uſus, propter graves potius laborantium noxas, quam ipſius dotes, ab omnibus irriſus ſublatuſque fuiſſet, ac jam nulli propemodum in ore eſſet, alius ex Antverpia venit medicus, unum ſane & ſacrum Chinam eſſe pharmacum, miro hiatu prædicans, ac nulli non morbo, quantumvis deplorato, auxilium præſtare poſſe aſtruens: Huic (quum eruditione etiam aliqua commendari poſſet) tanta à nobilibus fides data eſt, ut tabe, ac neſcio quibus malis, decumbenti Veronenſi epiſcopo, China mitteretur; ſed priuſquam illa plene uti cœperat, ad ſuperos vir ille omni laude dignus commigravit. Adeo ut, tantiſper dum in Italia fui, Chinæ decoctum procul rejectum fuerit: neque ego, præceptores imitatus, magni ipſum fecerim. Audio eodem propemodum tempore, in Burgundia quendam ſtudiorum mihi ſodalem, Chinæ decocto, ex vino apparato, magnis pollicitis uſum fuiſſe: at tam proſpere, ut vix interim illic Chinæ nomen auditum ſit. Verum anno ſuperiori, orbi clariſſimus Joannes Baptiſta Gaſtaldus, quando magna hyemis parte, tum propter nervoſi generis ſub lumbis cruciatum, ac veluti reſolutionem, & ventriculi pariter imbecillitatem decubuiſſet, & ſub veris primum initium ſanitati reſtitui videretur, amicorum quorundam ſuaſu, poſtquam prodire jam cœpiſſet, Chinæ decocto, non infelici ſucceſſu uſus eſt: perinde ac Hiſpanus ille nobilis, quem Mechlinia Bruxellam devectum noſti, qui præ cæteris Chinam plurimis commendatiorem reddidit. Illo etiam tempore, quatuor aut quinque, qui Gallico morbo tenebantur, medicos hortati ſunt, ut ipſis quoque decoctum Chinæ propinaretur. ac in quibuſdam laudandum ſatis vidimus eventum: in aliis vero, & potiſſimum gravius morbo vexatis, longe minus præſtitum obſervavimus, quam ex ligni Guajaci decocto ſperaſſemus, ita ſane, ut Cæſarem tunc poſtpoſita China, articularis ſui morbi & mali habitus occaſione, Guajaci decocto uſum haud ignores. At quandoquidem novorum remediorum apud quoſdam nullus eſt laudandi finis, ac primates Hiſpani aliquot nihil hac China divinius in omnibus morbis adhiberi, cum aliis pleriſque præcipuis viris, Cæſari prædicarent, lignumque Guajacum in Hiſpaniis, & quibuſdam Italiæ partibus procul repelli affirmarent, adhibitis una variis quoque idem atteſtantibus amicorum literis, Cæſarem decocti Chinæ aſſumendi libido quædam invaſit, facilius huc allectum, quod tantopere, vel ideo China commendaretur, quod tempus, quo hac utendum eſt, brevius, victusque ratio longe, quam in Guajaci decocto, facilior, minusque legibus (ut ſic dicam) aſtricta, præſcriberetur. Atque ita effectum eſt, ut abſentes, quibus ſummum mundi Principem China uſum eſſe conſtat, magnifice de hoc remedio & ſentiant & ju-

*Occaſio de China radice ſcribendi.*

*Quo ſucceſſu multi China ſunt uſi.*

dicent, ſibique multa deficere exiſtiment, ſi non & ipſis A hujus decocti propinandi ratio comperta habeatur. Quanquam interim à Cæſare parum efficax in Chinæ commendationem deſumi queat argumentum, quum quindecim tantum diebus, & in varia victus ratione, & mutato ſubinde propinandi modo, idque potiſſimum ſuo arbitratu, China uſus fuerit, quum neque reſpirandi teneretur difficultate, neque per intervalla ipſi moleſtis morbi articularis cruciatibus: licet interim articulum, quo ſiniſter humerus ſcapulæ committitur, alias ex ſuperiori anno adhuc in motu, quo brachium vi muſculi Δ imaginem referentis attollitur, nonnihil impeditum, modo prorſus liberum eſſe ſentiat, & id quoque in ſiniſtro crure reſolutum eſt, quod ex eodem tempore, juxta malleolos & tali cum tibia articulum, utcunque motum præpedire, & elegantem alioquin formam depravare videbatur. Præterea, Cæſar eo animo, quum recte haberet, decoctum urgentibus negotiis intermittere viſus eſt, ut in autumno id rurſus accuratiori cura repetere quodammodo conſtituerit: nunc ea valetudine præditus, qua in exercitu potiſſimum fruitur, & qua illum totius orbis cauſa continuo eſſe, boni omnes ſupplicibus votis optare deberent. Noſti enim, quam belle tum in tanto exercitio & ſummis occupationibus valere ſoleat. Adde quod poſt Chinæ aſſumptionem fere maturius ſolito ſurgat, interdum ante prandium ad venationem, aut alias ad vicina, quæ hic circumjacent, amœniſſima loca obequitans: ac non ita intempeſtive, poſt meridiem nimirum (ut alias ſæpe ſolet) prandens, adeo, ut nunc majus intervallum ipſius lauto, & quod multis miraculo eſt, copioſo prandio, ac tenuiſſimæ ſibi ex more cœnæ, interveniat. Quibus rationibus etſi nihil aliud, ſaltem bonam concoctionem, quæ alioqui ſolet ſubinde vitiari, nanciſcitur. Verum à Cæſarianis medicis, cum quibus antea verſatus es, procul dubio non ſemel audiviſti, quæ Cæſaris ſit vivendi ratio, & in medicorum præceptis obſervantia, adeo, ut D. Cornelium in eos graviter ſtomachari haud mirer, qui non ſolum, quibus modis victus ratio inſtituenda ſit, qua excrementitiorum ſuccorum caveretur copia, qua induſtria viſceribus, ut inculpate ſuo fungerentur munere, eſſet proſpiciendum: ac demum, ſi quid collectum eſſet ſupervacui humoris, quo artificio is, priuſquam in pectus, aut articulos decumberet, præſervante artis parte, foret expellendus: præterea quibus modis, articulis, ne humorum impetum influxumve ſuſciperent, aut bonum alias delatum ipſis alimentum in pravos ſuccos, quos poſtea à ſe non abigant, commutarent, robur veniat conciliandum, dein, qui derivando etiam humori ulcera eſſent adurentibus medicamentis quibuſdam ſedibus molienda, clam apud magnates quoſdam obmurmurant, ac perpetuam ſanitatem, à reſpirandi difficultate & articulorum vitio immunem certiſſime promittunt, ſed libellis, etiam ad Cæſarem ſcriptis, hæc ipſi Principis alicujus prætextu proponunt, perinde ac ſi eos, quos Cæſar ſuæ valetudini præfecit, ejuſmodi laterent, isque ſe tam miſere vexandum medicinæ ſubjiceret. Pulchre D. Cavallus, dum adhuc præſens eſſet, Cæſarem hortari ſolebat, ut tales ſciolos accerſendos curaret, periculum facturos, quantum illis ejuſmodi medicinæ præcepta eſſent ex uſu, quamque facilius ſit in ſcholis eleganter his de rebus diſſerere, aut ſcribere, quam ipſo opere, in Principibus (qui & in medicinam imperium ſibi vendicant) indies, ac præcipue in articulari morbo, qui omnes corporis artus aliquando non leviter infeſtat, exſequi. Porro, hunc in modum alio, quam ad Chinæ decoctum, excurreret oratio. Prompte itaque conjicis, quantum laudis huic decocto ex Cæſaris valetudine depromi queat. Cui propemodum illuſtriſſimus dominus de Boſſu conferendus venit, qui in ejus decocti aſſumptione, † præſcriptum quoddam, ad Cæſarem tranſmiſſum (ex quo veluti ratio propinandi noſtris deſumpta eſt) accuratius imitatus videtur, atque id ad corporis tantum exſiccationem, & robur, nimirum ut ab articulari morbo, & nervoſi generis imbecillitate, mitius tractaretur, quanquam interim menſibus aliquot ante decocti uſum, articulorum cruciatu non minus quam modo laboraverit: dein, ille manuum tam multis annis ipſi familiaris tremor, idem fere à decocto, qui prius videtur. Dominus Ludovicus Sances, Siciliæ regens, vir tum multis rarisque Naturæ dotibus admodum inſignis, tum ob raram diſciplinarum rerumque cognitionem nemini non obſervandus, ut ventriculi ex frigore humiditateque imbecillitati, & jecur intertexentium venarum anguſtiæ, & bilis meatuum obſtructioni, ac pituitoſo ex capite defluxui (ut inæquali admodum corporis eſt conſtitutione) probe occurreret, Chinæ decocti laudibus perlectus, eoque ab amicis provocatus, illud ſibi propinari voluit. Verum in iſto coctionis modus (quod aqua ventriculum lædere videbatur) permutatus fuit, reſiccansque victus inſtitutus, opportunis etiam purgationibus uſo. quamvis tamen cum virum integerrima valetudine dignum, magis optatum finem aſſecutum fuiſſe optaverim. Nihilominus ſuorum familiarium unus, cui decoctum eodem tempore exhiberi voluit, ex morbo Gallico ſatis probe videtur reſtitutus. quanquam ante decocti adminiſtrationem, tum venæ ſectione, tum epithymi decocto Meſues, ex methodo interim in hellebori quantitate, ſerique lactis menſura, emutato, uſus fuerim, uti & debitis in decocti uſu aliis purgationibus, & tenui exſiccanteque prorſus victu, qualem in Guajaci decocti aſſumptione plerumque laudamus. Idem in aliquot aliis profeci; ſed qui magis tamen Chinæ decocto ex amicorum ſuaſu, quam meo hortatu, uti voluere: at hi neque oſſium excreſcentiis, tumoribuſve, neque pravis ulceribus ſcatebant, in quibus Chinæ decoctum longe inferius Guajaci decocto eſſe, compertiſſimum habeo. Adde, tanto felicius omnia in decocto Chinæ ſuccedere, quanto proximius rationem imitamur, qua in ligni exhibitione utimur, modo illo magna ex parte immutato, quo Chinæ decoctum propinari primum occœpit. niſi fortaſſis amara bile refertus quiſpiam occurrerit, in quo corporis & morbi, ex arte, habita fuit B ratio. Hæc eo recenſui, ut intelligas, quouſque voto tuo reſpondere queam, quo methodum præſcribi cupis, qua Chinæ decoctum propinamus. Nihil enim pudet me apud te ignorare, ac potiſſimum in eo medicamento, quod citra rationem tanquam per manus datum, nuda ducti experientia, non ita pridem adminiſtrare auſi fuimus. Hactenus namque, vel certum radicis nomen mihi conſtare non potuit, quum ipſa aliis China, aliis Chinna, aliis Cina, aliis perinde atque tu ſcribis Echina & Achyna tantum vocetur, quaſi inſula quædam, aut locus Indiæ, vel nuper reperti orbis, ipſi nomem dediſſet. Advehitur enim ab his, qui piper, caryophyllos, gingiber, & noſtrum cinnamomum adierunt, tam Luſitanis, quam ſub Cæſaris patrocinio navigantibus. Hi referunt, circa maris littora illam colligi, & veriſimile eſt, ipſam in paluſtribus maris locis perinde provenire, ut variarum arundinis ſpecierum, ſtirpiumque illis ſimilium radices naſci obſervamus. Imo ſi recte ejuſmodi radices expenderimus, poſteaquam è terra evulſæ ſunt, & occaſione quapiam à nautis, aut piſcatoribus, aut alia quapiam ratione in varia, & C mole imparia fruſta effractæ, ac dein per mare diu volutæ fuerunt, ac tandem in arenoſis littoribus reſident, profecto proxima huic noſtræ Chinæ occurret imago. Neque ſcio cuinam aptius ipſa conferri poſſit, quam nuper commemoratarum ſtirpium radicibus, quæ eum in modum caſu in maris aut quorundam fluminum ripis ſeſe ſpectandas offerunt. Niſi forte illæ magis nigricent, China autem obſcure vulgaris acori, aut etiam nobis appellatæ galangæ modo rubeſcat. imo quid hujuſmodi acoro jam corrupto, ſtupidoque jam ſapore prædito, Chinæ eſt ſimilius? ſi molem demas, & duritiem. China enim magnis & rudibus inæqualibusque fruſtis eſt conſpicua, & paulo eſt lignoſior, quanquam inſigniter quoque ſit fungoſa, & radicum ante dictarum more, quum creſcit procul dubio eſt ſucculenta, uti ipſa ad nos advecta, jamque impenſe reſiccata, & teredinibus plerumque infecta, liquido commonſtrat. Qua etiam occaſione mercatores invenias, qui ut cariem & teredinem abeſſe fingant, Chinam perinde vulgari officinarum bolo Armenio involvunt, ac gingiber emplaſtica illa terra obduci novimus, quod rubeſcens in officinis, ac potiſſimum Antverpianis, proſtat. D Percunctatus ſum communem amicum Gerardum, an (ut eſt ſtirpium, quemadmodum & reliquorum omnium, apprime ſtudioſus) in ſua ad Turcam legatione, quicquam certi de Chinæ hiſtoria cognoviſſet. Verum aliud ab illo nequivi reſciſcere, quam Chinam Conſtantinopolim quoque advectam, & Judæo cuidam minori ſucceſſu, quam ægrorum ſpe ac opinione, in uſu eſſe. A mercatoribus aliud nihil expiſcatus ſum, quam juxta maris ripas Chinam reperiri, & incolas in ſcabie, perinde atque nos rumice aut lapatho, uti. Quanquam non deſint, qui, ut Chinam vendibiliorem reddant, omne morbi genus ipſius decocto ab incolis pelli graviter aſtruant. Seligimus in noſtros uſus, ſimiliter atque in rhabarbaro cæteriſque fere radicibus, Chinam pondere præſtantem, & quoad in aridiſſima illa radice fieri poteſt, ſucculentam, minuſque teredine, aut carie infectam, vel alioqui putredinis vitio, quod ex fungoſa & præhumida ipſius ſubſtantia reſervare inter exſiccandum potuiſſet, magis immunem. Utcunque tamen in his, atque inde in E teretibus & tenuioribus fruſtis, à lignoſis illis & mole rudibus, ac intervallis quibuſdam dehiſcentibus, ſeligendo ſimus ſtudioſi, adhuc tamen nobis obſcuræ ſunt tum primæ, tum ſecundæ, ut vocamus, qualitates, quæ tanta præſtantia medicamentum donari arguerent, quanta vulgo pluribus commendatur. Quum enim ex ſapore potiſſimum eas vires dijudicemus, quid inſipido, prorſusque ſtupido ſapori ineſſe fatebimur? Nam utcunque Chinam, modo alioqui ſiccam & conſiſtentia lignoſam maſtices, ac

*Chyna radicis hiſtoria.*

† *Scriptum hoc ad Epiſtola calcem poſuimus.*

deu-

dentibus conteras, nullo illam ſapore præditam affirmare poſſis: longeque adhuc minus (quantum in illius, non autem ex adjacentium pharmacorum natura eſt) odorati quicquam præ ſe fert, neque unctuoſi quicquam, quod alii in ipſa obſervaſſe contendunt, deguſtanti aut alias pertractanti oſtendit. Multo ſane aliter, quam lignum Guajacum, extolli, laudarive meretur, aut etiam noſtratia nobisque familiaria medicamenta, multis laudibus in eos uſus efferre poſſemus, ad quos China tanquam ſacra anchora recenſetur. Nemo enim ignorat, quantum de *minoris & majoris centaurii radicibus*, *& rhapontico*, *& helenii ſeu enulæ campanæ*, *& ariſtolochiarum*, *gentianæ*, *galangæ*, *pentaphylli*, *lapathi*, *ejuſmodique ſtirpium radicibus*, *una cum capparis radice* (ſi modo quid aſtrictionis illa ſibi vendicaret) *ac dein abſinthii*, *hyſſopi*, *calaminthæ*, *pulegii*, *chamædryos*, *ac demum juniperi ligni*, *noſtræ ſpicæ*, *fraxini librorum & ejus generis ſimplicium decoctis*, in præſenti negotio ſperandum foret, quando non adeo cum ægris ipſis eſſemus inſani, ut exotica illa, quantumvis cum ratione & artis noſtræ methodo pugnent, tantopere admiraremur, in uſumque poneremus. Neutiquam enim colligere queo, unde Chinæ adſcribendum veniat, quod nonnulli jam multo ante illi tribuerunt, atque quo nunc novo inſultu, novis (ut fama creſcit) viribus extolli cœpit. nimirum ipſam eſſe calidam, aperiendi facultate præditam, inſigniter urinas ſudoresque provocare, redundantium pravorumque & quantumvis variorum ſuccorum conſumptricem & exſiccatricem, ſanguinisque ita mundatricem comperiri, leniendi & abſtergendi virtute donari: alvum modo laxam, modo, quum ſudores urinaſque potiſſimum duceret, aſtrictam ſervare, ventriculo pituita infeſtato remedium exiſtere, jecoris & lienis vitia non mediocriter pellere, illis, quos calculus excruciat, efficax præſidium eſſe, ipſumque confringere, articularem morbum abigere, elephanticis præcipue prodeſſe, cutis vitia ſanare, non vulgare in fiſtulis & malignis, & alias curationem non admittentibus, ulceribus auxilium exiſtere, Gallicum morbum, tam qui nuper, quam qui olim infeſtare cœpit, divinitus ſanare, ac ex illo initium ducentia ulcera, eorumque cicatrices reſtituere, cujuſcunque membri cruciatus profligare, tumores diſſolvere, aut qui ad ſuppurationem ſpectant, coquendo, dein aperiendo, extergendo, cicatricem inducendo adjuvare, oſſium corruptionibus & abſceſſibus ſalutem adferre, convulſos contractoſque nervos laxare, & reſolutos emollitoſque reſiccare, refrigeratos & ſtupeſcentes ex Gallico morbo nervos calefacere, tabe inde vexatos, obeſos reddere, putidis illis corporibus, ac veluti cadaveribus, odorem gratum conciliare, oris fœtorem tollere, difficulter ſpirantibus præſidio eſſe, longas anginas diſcutere, cerebri noxas ex Gallico morbo pendentes abigere, & omne fluxionis genus raro quodam beneficio ſiſtere: denique, iisdem virtutibus Chinam, quibus Guajacum, probari: imo longe pluribus, invicemque etiam pugnantibus facultatibus, illam huic præferri. quoniam interim dictus jam antea ſtupidus ſapor, citra omne aſtrictionis indicium, in China occurrat, neque quantumvis ſimplici aquæ incoquas, alium ſaporem aquæ indies, quam ex hordeo corticibus non emundato, & minima dulcis radicis portione, conſurgere animadvertas, rubeſcente pariter nonnihil Chinæ decocto ſulvi admodum vini inſtar, aut ejus, quod ex longa in cantharo mora ruborem contraxit adeo, ut hinc, quod ad manifeſtas qualitates ſpectaret, vix tantum in ſudoris urinæque provocatione, & illis virtutibus, quibus China hodie probatur, ex ipſius decocto, quam ex hordei, ſperandum eſſet. Imo etiam ducta hinc conjectura, quum China in ægris utendum eſt, iis lubentius decoctum ipſius porrigi debet, quos lentis illis febribus, & acribus humoribus implicitos, bilioſique omnino habitus in Gallico morbo ſpectamus: quibus fere duntaxat, quod ad artis methodum ſpectat, quicquam recte ex Chinæ decocti uſu ſucceſſiſſe novi. ac mihi etiam perſuadeo, hinc primum Chinam fuiſſe commendatam. Quanquam mi Joachime, hic dum variæ, & quodammodo ex diametro diſſitæ virtutes Chinæ attribuuntur, & quum illius decocto utentes (dextro interim medicamentorum, quæ ipſius adminiſtrationem neceſſario concomitantur, uſu, victuſque opportuna ratione haud neglectis) optatum finem aliquando nanciſcuntur, non deſit aſylum noſtrum, quo nimium ſane frequenter effugimus, ad reconditam dico, occultamque facultatem, quam ſpecificam & eſſentialem nuncupamus, in illa quartum medicamentorum ordinem ſtatuentes. Hoc enim refugium adeo late patet, ut nihil non amplexaretur, nobisque nihil latens, incognitumque obſervatur, quod non eo rejicimus. Ac proinde quid in præſentia occurret, quod in amplo iſto campo Chinæ non licebit aſcribere? nec quidem Chinæ duntaxat, verum quantumvis fungoſo & putrido ligno, ita profecto, ut non amplius Chinæ vires, modo ſint rationibus expendendæ, hoc confugium facile admittant, ut Chinam uri-

A nas ſudoresque movere dicamus, & peccantes humores ita ſudore, ac per occultam reſpirationem educere, ut plurima pharmaca ſelectum aliquem peculiaremque humorem expellere novimus. atque hujuſmodi prætextu nihil erit virium, quod Chinæ à ſuis inſtitutoribus falſo aſcribi quiſquam affirmare poſſit. Cæterum aliquando tempeſtivum erit, Chinæ decocti præparationis modum, & id exhibendi rationem, magna ex parte quodam Italico ſcripto nobis tanquam per manus traditam, perſequi: quod eo præſtiturus ſum ocyus, minorique negotio, quo doctiori homini in artis noſtræ operibus diu, & ſumma ſuorum civium ope, verſato, illa deſcribenda venit. Simulatque igitur alvi dejectione, primarumque venarum inanitione, ac dein, ſi occaſio incidit, venæ ſectione, & opportuna redundantium humorum concoctione, ipſaque demum purgatione, ex methodo pro morbi inſtantis more uſi ſumus Chinam (ut & antea monui) præferimus, quæ denſior ſit & minus teredinibus, ſeu carie implicita, & quoad conjicere valemus, in ſua ſpecie recentior, minusque arida. Hujus uncia, acutiori cultro tranſverſim in quam fieri poteſt B tenuiſſimos orbiculos ſeu truſtula diſcinditur, perinde ac ſi nummos in tereti figura mutuo incumbentes quis dirimeret, aut malum citrium, aut raphanum in menſa ex more tranſverſim in truſta conſcinderet. Truſtula vaſi injiciuntur fictili implumbato, ſeu, ut etiam vocamus, invitrato, quod plus minus ob coctionis commoditatem ſedecim aquæ libras capere poſſit, quodque non nimium patenti ſit orificio, cui operculum reſpondere debet. Truſtulis dein affunduntur aquæ duodecim libræ, quam fontanam eſſe convenit, aut alioquin illi proximam, quæ propriis ac peculiaribus indiciis optimæ & laudatiſſimæ loco cenſetur. qua in obſervatione, non minimas partes ſibi aquæductus vendicant, ne ſcilicet per plumbeos canales longo progreſſu labatur. Ut vero China aquæ horis vigintiquatuor melius immaceretur, ollam calidis, non tamen ignitis, cineribus eo intervallo impoſitam ſervare decet: dein lento & continuo igne, qui ſumum non edat, decoctio ad tertiæ partis evaporationem eſt celebranda. Fiet autem hæc opportune, nocte, aut ſaltem ſub veſperam, pridie quam decocti uſus erit. Licebit mox à coctione aquam per lineum pannum colare, & alteri vaſi injicere, aut ipſam non C colatam in olla ſinere, & tantum ex illa per colum trajicere, quantum ſuis temporibus æger eſt aſſumpturus. Ut ut vero feceris, quandocunque truſtula Chinæ ab aqua, cui incocta ſunt, erunt libera, & leviter ſupra colum alium-ve pannum reſiccata, aliquo in uſum ſunt reponenda, in quem ipſa in alterius cujuſdam decocti apparatu utilia audies. Adhæc vas, cui excolatam aquam commiſiſti, aut olla, cui incocta eſt, cineribus modice calidis tantiſper eſt imponenda, aut linteis panniſve involvenda, & non procul ab igne (ne aliquando refrigeretur) ſemovenda, dum illius decocti tota die uſus erit. Id enim uni duntaxat diei ſervit, & narrato jam modo indies, quamdiu aſſumetur, recens decoctum apparari decet. alioqui Chinam extollentes metuunt, id, ſi diutius aſſervetur, acidum reddi, & quodammodo citius hordei decocto corrumpi; parum memores, quantum caloris & virium aromaticarum Chinæ, illam tantopere prædicantes, alioqui tribuant. Hujus decocti, quoad ferri poterit, calentis, octo aut paulo plures unciæ mane propinantur, & item horis quatuor ante cœnam, in qua ut in prandio decoctum quoque tepidum po- D tus vicem ſubire debet. Propinandi tempus, ut & in Guajaci decocto, ex naturalis diei intervallis colligo, ut ſcilicet juſta ex viginti quatuor horis ſtatuantur ſpatia. Nimirum ut quarta hora mane calens decoctum porrigatur, octava hora prandeatur, quarta rurſus poſt meridiem calens offeratur, octava dein cœnetur, videlicet, ut inter calentis decocti, quod mane exhibetur, aſſumptionem, & prandium, quatuor interveniant horæ, & inter prandium, ac calentis decocti à meridie propinationem, octo, & inter hanc & cœnam, quatuor, uti inter cœnam, & quæ mane offertur, potionem, octo etiam horæ occurrunt, niſi forte, ex quibuſdam ægri rationibus poſtremum id intervallum educere ſtatuamus, & prandium cœnæ magis conterminum eſſe velimus, decoctum mane una aut altera hora ſerius adminiſtrantes. Quando ægri decoctum mane ſumunt, convenit eos in lecto decumbere, perinde tectos, ac ſi ſudorem elicere vellent, qui poſteaquam ex ratione prodierit, calidis pannis eſt undique, non detecto interim corpore, abſtergendus, & ſubductis, ſi opus ſit, linteaminibus, munda & bene reſiccata ſubucula eſt induenda. Quanquam ne mox à ſudore linteamina ſubtrahere coga- E mur, aut ægro in frigidam lecti partem commigrandum ſit, amplum aliquot linteamen in eam arctitudinem quater ſtratum cruribus & brachiis verſus pectus obvolvi queat. Dein alium pannum implicatum cervici & occipitio ſubdimus, cujus capitibus finibuſve pectus univerſum cum ventriculi regione obtegitur, capite etiam ſecundum rationem

*China decocti apparandi ac modus.*

*Primi decocti China offerenda quantitas, & propinandi tempus.*

*Qui ſudor vitandi ſolicitandus.*

muni-

munito. Præterquam enim, quod hæc lintea ad ſudoris conciliationem non parum accommodant, ipſa quoque inadentia ita auferre datur, ut poſt ſudorem in ſiccis, & ex incubitu interim calentibus linteaminibus, æger aliquandiu quieſcere poſſit, ac tandem è lecto ſeſe conferre, & iis, quæ ad recrementorum cujuſcunque generis excretionem faciunt, tentatis, prandium aſſumere queat. Rurſus quando ante cœnam Chinæ decoctum porrigetur, in lectum ſeſe conferet æger, eademque, quæ ante prandium facienda diximus, præſtabuntur. Quod vero primis diebus ægri diutius & copioſius, quam in ſequentibus, ſudent, vel me tacente, ex Guajaci decocti propinatione, & ſeroſi humoris in initio copia, noſti: quanquam multis numeris Chinæ decoctum, in ſudoris urinarumque provocatione, illo ſit inferius. Occurrerunt, quibus Chinæ decoctum nihil omnino ſudoris movit: perinde atque in craſſis humoribus, aut in cutis denſitate, hordei decocto ſudorem fruſtra promovere nitimur, uti & Guajacum ipſum nonniſi poſt aliquot dies interdum pari occaſione ſudorem provocaſſe conſtat. Cæterum in decocti ante cœnam oblatione non mihi ſatis conſtat, quamobrem nonnulli medici & in Chinæ & in Guajaci uſu ab illa temperent, ac quod ante cœnam alias porrigitur, horis aliquot à cœna jam dormituro ægro offerant, non ſecus quam ſi tota nocte illi in ſudore ſtertendum putarent. adeo, ut Cæſar quoque rationem eam modo mutaverit, neſcio a quo, qui cum empiricorum morem eſſe ducebat, toto Guajaci uſus tempore præſcriptam. Quum enim à cœna etiam Chinæ decoctum initio ſumeret, ad domini de Boſſu & aliorum quorundam exemplum, eo more prætermiſſo, horis aliquot ante cœnam id felicius bibit, quod dormiturus aliquin hauriebat. Chinæ uſum præſcribentes, decoctum mane & à meridie propinandum cyathi menſura offerri decreverunt, cujus loco Cæſar uncias plus minus decem aſſumpſit. Quandoquidem vero decoctum iſtud primis qualitatibus & ſecundis hordei decoctum vix ſuperans, quorundam ventriculos lædere conjeci, ſex aquæ libris ad duarum evaporationem Chinæ unciam incoquendam curavi, ut hac occaſione decocti quinque aut ſex unciæ aliquando ſufficerent. Nonnunquam duas, & item tres Chinæ uncias duodecim aquæ libris incoquendas præſcripſi, num ſcilicet decoctum hinc plus roboris, viriumque nanciſceretur, periculum facturus, arbitror enim tam exiguam Chinæ radicis prorſus inſipidæ quantitatem, in tam copioſa aqua elixari, quod multis coronatis libra divendatur. Quanquam nonnulli hæc mihi cum illis conferenti, & ut idem periculum in ſuis facerent ægris monenti, eam variandi rationem improbaverint, quod occulta tantum vi agens medicamentum, alio, quam cæteri experientiam præſcribere teſtarentur, cogere vellem, etiamſi variandi ad Guajaci rationem formula, in eo quod in China tentare coactus ſum, nihil hactenus obfuiſſe viſa ſit. Pari quoque occaſione aërem, in quo China utentes verſantur, ſubtepidum eſſe convenit, argumento nimirum ab his quibus Guajacum confert, deſumpto, quantumvis, qui Chinam propinare primum cœperunt, non exquiſitam illam in cubili recluſo, & à libera reſpiratione ſeu eventilatione immuni, moram præcipiunt: imo poſt ſeptimam, aut octavam diem ægros prodire ſinunt, modo mediocriter induti & à ventis liberi incedant, neque alvus parum apte reſpondeat. Verum hactenus nulli Chinam porrexi, qui in eodem cubiculo ſe non continuerit, aut ſaltem liberum aërem non fugerit. Haud ſane, quod tantam Chinæ rarefaciendi vim ineſſe arbitrer, ut ob patentis cutis poros aërem China utentibus graviter obeſſe ducam, ſed ut tepidus ille aër, & veſtium copia, corpus ad ſudorem aptius ſervarent, debilique Chinæ vi ſuppetias ferrent. Atque hinc etiam eſt, non adeo anni temporis, quando opportunius Chinæ decoctum ſumi poſſit, perinde ac in Guajaci uſu, rationem habendam eſſe, quum non tantopere à Chinæ decocti potu aëris tempeſtatem metuere debeamus, modice nimirum rarefacta cute. Cibus injunctus eſt primum humectans, in humorum acrimonia & magna ſiccitate conveniens, elixi nimirum pulli gallinacei, aut capones, & piſces, ſi modo laudatæ ad manum eſſent, ægerque illos avide appeteret. Panem non recoctum illum, ſeu ut dicimus, biſcoctum eſſe ſtatuerunt, ſed alias cibarium, vulgato more, citra ſalis tamen condituram, coctum. haud aliter quam in carnium elixatione, & omni uſu, ſal abeſſe cupiunt, aceti, acidorumque materiam, & jurium quoque frequentiam, & herbacea prohibentes. Dein, ab aſſis prorſus primis quatuordecim diebus interdixerunt, uti reliquo etiam tempore à carnibus omnibus, quas in reſiccante victu laudamus. Concedunt inſuper condita, quæ ſub Conſervarum nomine in officinis habemus, modo ad dulcedinem ſpectent, quibus etiam adjiciunt cydoniorum carnem, aut ſuccum, citra aromatici alicujus commixtionem paratum. Atque ut ſemel dicam, quæ præcipiuntur univerſa, à reſiccante victu prorſus ſunt aliena; ſi mel excipias, cujus eſum unice commendant. ac opinor illos mel ad eum modum paratum innuere, quod coctum Hiſpanis nuncupatur, Cæſarique hyeme in cœna familiare & difficilis reſpirationis nomine admodum amicum eſſe noſti. Præterea neque panis, neque carnium, neque alterius cujuſdam pondus non inſcite diffinitur, niſi quod victum præferunt tenuem, & quo exquiſitior inſtituitur, eo ex China feliciorem ſucceſſum exſpectandum affirmant, veriſſime adjicientes, non minorem fructum ejus generis victu, quam ipſo Chinæ decocto conferri. Ego ſane, in ſuccorum acrimonia non poſſum non maxime hanc victus rationem prædicare. Verum quia ſæpius Chinæ decoctum ab ægris ipſis propinare coactus ſum, in quibus reſiccans, & tenuiſſimus victus prorſus erat neceſſarius, prompte etiam tibi perſuades illam mihi fuiſſe mutandam, atque ideo ad aſſa, paſſulas illas ſubacidas, amygdala, pineæ nucleos, & recoctum panem confugiendum, ex univerſa præſcriptione, cocto, & penidiarum in modum ducto, tractoque melle, vix aſſervato, Neque ſcribam, quo pondere, aut numero ſingulis uſus fuerim, quum noveris morbi naturæ, & ægri conſuetudini, ac viribus, hac in parte multum eſſe tribuendum. adde, initio aſſumptionis decocti, quemadmodum & ſub finem, longe ſecus quam in medio, quum omnia convenit eſſe parciſſima, propemodum univerſa oportere mutari: præterquam quod diebus, quibus purgantia pharmaca offerentur, magna ex parte venia ægris indulgendum: neque aliqua in re, perinde atque in cibi pondere, medici judicium æque debere liberum eſſe, mecum ſtatuis. Potus, ut & antea in decocti, cujus hactenus meminimus, apparatu dicebatur, ipſum præſcribitur decoctum, quod tepidum in prandio & cœna, & ſi quando ſitis alias moleſta foret, opportuna quantitate porrigitur. Quanquam interim Chinæ inſtitutores, adeo ægris conniveri velint, ut ſi vires, aut alia quævis occaſio, non admodum arcua exigant, vinum in prandio & cœna offeratur Chinæ decocto dilutum. Atque hac lege Cæſar quidem priorem potum, ſeu hauſtum ex vino in eum modum permixto, alterum vero ex ſolo decocto magna ex parte aſſumebat. Ventriculi vero imbecillitatis ex frigore cauſa, tanta aquæ vi graviter affici videbatur, cujus antea memini, D. Ludovicus Sances, adeo ut vinum quoque illi porrigendum fuerit, præmanſa interdum etiam medicamenti portione, quod tribus piperis generibus præcipue conſtat: interdum vero ejus medicamenti, quod ex malorum cydoniorum ſucco à Rhaze ad formam fere deſcribitur, qua medicamentum prius in libris *de Tuenda ſanitate* omiſſum, ac tandem amicorum hortatu ad illorum calcem à Galeno ſubjunctum. Somno decoctum ſumentes, nocte potiſſimum utuntur, illum horis fere duabus à cœna incipientes. Qui à meridie alioquin obdormire ſolent, neque inde noxam ſentiunt, illis quoque ſomno tum temporis non prorſus interdicitur. Uti etiam abſterſo ſudore, laxis quodam modo viribus, permuiti ſuaviter ſomnum capiunt. adeo ut non tam conſuetudinis nomine, quam morborum, quibus ægri tenentur, differentiæ cauſa, ſomnum varium præſcribi prompte conjicias.

*Qui petat ex usu fit.*

Uti & exercitia quoque & quietem variari, pro decoctum ſumentium temperie & habitu oportere, ex illis colligis, quibus Guajacum propinamus. Rurſus & ex Guajaci decocti uſu ad recrementorum expurgationem ſumus ſoliciti. Ac de ſudoris provocatione jam prius dictum eſt, qui tantum, aut copioſior fere primis diebus provenire ſolet, & cum quo etiam ſordes illæ tanquam in balneo facile molleſcunt, abſterguntur que, quas cuti ex inſenſibili expulſione adhæreſcere ſcimus. Quod autem ad oculorum, aurium, naſi, & oris, dentiumque ſordium expurgationem ſpectat, ac dein ad pilorum confricationem, & quæ pectine fit demulſionem, ac faciei, manuumque lotionem attinet, nihil ab eo more emutatur, quem ſanitatis tempore, illam ex conſervantium præceptorum doctrina quis obſervat. Lotii, urinæve excretio Chinæ uſu non impeditur, quanquam minori, quam ipſi tribui audio, illam promovendi ciendique facultate prædita eſt. Initio, quemadmodum & in Guajaci decocti uſu, quando ſudores potiſſimum promanare dicebam, urina occurrit magis rubra, temporis ſucceſſu nativum ipſius colorem magis referens Summa cura enitendum eſt, ut alvus apte reſpondeat. ſolet enim quibuſdam eſſe aſtrictior, idque in primis inter initia, moxque adeo à purgatione, & quando ſudores, ac urinas copioſius elici ſentimus. Atque hic fatis mirari eos nequeo, qui Chinæ decoctum primi propinarunt, quod alvi retentioni ſuccurrere cupientes, ſingulis Chinæ decoctionibus, quibus tempore, quo alvus aſtringitur, utendum eſt, incoqui præceperint ſimul cum China radicis apii drachmam ſemiſſem: ita enim intelligo dimidium octavæ partis unius unciæ, quod in illorum præſcripto legimus. Apii enim radix, ut citandis urinis aliquid ſublidii conferret, ita alvi feces impenſius reſiccaret,

ex-

excretionique ineptiora præstaret. Ex æquo fere mirandum venit, quod alvo subducendæ injectiones seu enemata probant, non quidem ex pharmacopolarum officinis, ut scribunt, deprompta, verum ex cichorii aut boraginis stillatitio liquore seu aqua, adjecto rosacei olei momento, aut si id ad manum non occurrat, communi oleo simul cum sale parata. Non secus profecto, quam si siccans omne & acre medicamentum tanquam hostem fugiendum proposuissent, præcipuusque scopus ad humorum acrimoniam illis spectasset. Hactenus ejusmodi aquas non curavi injiciendas: verum conjectura ex Guajaci decocto haud neglecta, Chinæ decoctum cum fordidiori saccharo, interdum una cum rosaceo melle, & vulgari olivarum oleo (nisi casu medicamentosum aliquod ratio expeteret) intestinis infundendum jussi, quoties alvum clysteris beneficio dejiciendam opportunum ducerem. Quia vero ita stupidam Chinæ vim in primis facultatibus comperi, vix semel illam, in pulverem comminutam, alvo suoducendæ eum in modum præbui, quo Guajaci pulverem in eum usum aliis nonnullis eidem muneri idoneis miscere, & instar purgantis pharmaci offerre soleamus. Porro quod ad animi affectus spectat, omnes, qui China utuntur, alacres vivere & mœrorem omnem curasque universas in illa solitudine, & veluti cum carceribus comparanda observatione, procul pellere cupio: non ignarus interim, quantum discriminis in morborum curatione affectus animi segnes & liberi, remissive, ab illis habeant, qui magni & concitati graviterque occupati sunt. Juvat enim non parum Guajaci decocto utentes, & maxime Gallico morbo vexatos, amicorum præsentia, & multa de rebus jucundioribus, animumque oblectantibus confabulatio, & lusus pariter, quo quis citra magnam animi intentionem, ac sagacem eventuum præmeditationem, se reficere valet. Invenias enim lusus quosdam, ut est latrunculorum ille, quos non minus principis facultatis vires dejicere sentio, quam quantumvis ardua & difficilia in disciplinis studia. Primum ubi Chinæ decocti propinandi modum legerem, nequivi satis mirari, ne quis venereis uteretur, sed procul mulieres, quæque ad venerem sollicitare possent, abigerentur, sæpius repetitum: quum rationes mihi occurrerent, eos qui Guajaco uterentur, alia quam venerem cogitare persuadentes. Parum enim efficax argumentum videbatur, quam quis astruere posset, humorum, qui Gallicum morbum concomitantur, acrimonia, eaque temperies, quam bilioſos & melancholicos ad seminis excretionem stimulare constat. Verum quando Chinam aliquandiu in usum posui, præceptum illud haudquaquam oscitanter prætereundum duxi. mirum enim est, quam Chinæ decoctum bibentes tentigine teneantur: potissimum si non tenuis, reficcans & exquisitus valde victus una instituatur, sed veluti in otio animique remissione, citra exsiccationem, in multo super dorsum incubitu enutriantur. Verisimile enim est, Chinæ tam fungosæ alioqui decoctum humiditate sua hac in re aliquid posse, secus quam Guajacum, & alia, quæ cum eo in parem usum ex methodo porrigenda essent. Nolui itaque hoc præceptum modo negligere, maxime quum quotidam interea, dum decocto Chinæ uterentur, adeo ad venerem provocatos noverim, ut quum diu à coitu temperassent, illumque variis rationibus fugerent, à concubitu non abstinuerint.

*Quamdiu primo decocto utendum.*

Expectas, sat scio, ut tandem subjiciatur, quam diu decoctum istud, cujus apparatum supra indicavi, porrigere soleamus. Præscriptum, ex quo Chinæ usum fere didicimus, vigintiquatuor dierum intervallum proponit: quod ego in meo arbitratu & judicio posui, quemadmodum in cujusque methodo & ratione artem pertractantis arbitrio, situm existimo. Intra illud tempus, præter Cæsarem, aliquos præsenti decocto usos, haud novi: imo pluribus illud in plures dies educendum putavi, tanto feliciorem successum, quum alias obesse non possem, sperans. Cæterum quemadmodum ante decocti usum opportunis purgationibus, &, si necessitas urget, sanguinis missione ægrum evacuandum censui: ita quoque observamus, ut singulis decem, plus minus, diebus pro ægri natura purgatio instituatur. Rursus hujus decocti propinandi finem purgatione terminamus, quæ quam parum semper sit eadem, ex singulari tua in medendo industria non ambigis. Occurrit opinor tibi, quando decoctum, cujus hactenus memini, colandum præcipiebatur, me scripsisse, frustula Chinæ, quæ jam fuerunt decocta, in alium quendam usum aliquo reponenda esse, videlicet ad novi, alteriusve decocti præparationem. Posteaquam enim abunde quis primo decocto usus erit, decem fere insequentibus diebus, potus loco secundum decoctum, cujus modo parandi rationem subjiciam, erit assumendum. Prius coctorum frustulorum in umbra, aut sole exsiccatorum binæ unciæ, libris aquæ selectioris duodecim in olla, qua antea usi fuimus, horis viginti quatuor macerantur, & paulo plus quam ad tertiæ partis evaporationem lento igne citra fumum deinceps coquuntur. Aqua ubi per colum trajecta est, potus vice administratur, ipsaque decoctio ex præscripto etiam singulis diebus opportune paratur. Hujus usus non est tanta in cubiculo, aut etiam in ædibus mora, aut victus observantia, aut sudoris, & urinarum provocatione, ut prioris decocti. Chinæ decocti propinandi modum præscribentes, ut id pellendis quotumvis ægre curationem admittentibus ulceribus commodum esse astruunt, ita quoque non neglexere, utendi morem præcipere, quo, Guajaco morbum Gallicum multis pravisque ulceribus infestantem curaturi utimur: nimirum ut ulcera Chinæ decocto abluantur, linteisque decocto madentibus obtegantur. Hac in re Chinam neque extollere, neque etiam deprimere instituti, quum hactenus occasio mihi non data sit, ut id abunde experirer: quandoquidem nullis, qui ulceribus pravis, aut curationem alias respuentibus scaterent, & extreme Gallico morbo una divexarentur, Chinam porrexerim. Quanquam non ignorem, quosdam in simili ulcerum curatione exiguum promovisse, adeo ut diu levis post aurem exulcerationis, aut veluti intertriginis curationem frustra tentatam noverim. Neque etiam assequor, quid cum ulcerum curandorum methodo Chinæ juri commune occurrat, cui nihil abstergendi, aut exsiccandi manifestis qualitatibus adesse nobis, quantumvis etiam repugnantibus, fatendum est. Licet interim Chinæ decoctum membris alioqui dolentibus aliquando non inutiliter adhibuerim, quod forte calidi totus nomine potius, quam alia occulta vi successit. Cæterum uti Chinam in vino coquere hactenus non sum aggressus, ita quoque aliud nullum medicamentum illi adjeci, quemadmodum *rumicis radicem*, *cyclamen*, *thus*, *stœchadem*, & alia quædam Guajaco nonnunquam mixta fuisse novimus, quum privatim aliquid Guajacum impensius agere cupieretur. Ut enim simplex Guajacum mihi perpetuo arrisit, ita quoque in novo remedio id minus incipiendum duxi. Cujus etiam *Sparta* generis illud prorsus censeri debet, quod in cœlum usque *illa propi-* multis, & præcipue mercatoribus effertur, perinde atque *nanas me-* à non paucis huc ex Lusitania reducibus. Stirpis sane ge- *dusa.* nus, quod cui nostrati plantæ conferre possim, prorsus ignoro. radix enim brevis est, & densissime geniculata, quæ humiliori sede longos instar continuorum, simpliciumque ramorum sulculos radicum vice derivat. ex superiori sede invicem proximi enascuntur magno numero stipites, quos lupulorum exsiccatis sarmentis comparare possemus, nisi quod cortex mori in modum quodammodo quadratus, absque aculeis interim appareat. Videtur in palustribus provenire locis, & volubilium ritu, quo sustineatur, fulcrum requirere. Folia, aut flores hactenus non vidi, sed solam radicem cum stipitibus illis propemodum festucaceis, qui plures vigintiquinque ex una radice, palmæ longitudinem & duorum pollicum crassitiem vix superante, pronascuntur, toto ductu in nullas soboles divisi. Stirps tota, in cubiti longitudinem fuit ad commodam vecturam, aut opportunam in farcinis compositionem, citra fracturam, vitis sarmentorum instar complicata. Si quando autem explicatur, virum propemodum longitudine æquat, quantumvis interim cacumina desint. Hactenus enim unam duntaxat stirpem in nostram aulam ex Lusitania missam videre contigit, cui charta Gallice scripta adjacebat, quæ stirpem illam Spartam parillam (quod Hispanis fere humilem morum sonat) vocari innuebat, magno mortalium usu ex India apportatam, qua omne morbi genus, & Gallicus in primis, pellitur, si quis sumpta prius opportuna ex præsentis medici judicio, morbique infestantis natura, purgatione, illius stirpis unciam aquæ mensuris duabus incoqueret, & mane & ante cœnam cyathum ejus decocti calidum biberet, ac denique potus loco in prandio & cœna assumeret, nullo ciborum usu interdicto, quem alias sanis commendamus. Ad hæc, iis qui decocto uterentur, liber ex ædibus egressus largiebatur, & decoctum ulceribus ac dolentibus membris linteorum in ipso madefactorum beneficio adhibitum, insigne esse remedium addebatur: perinde ac sub finem propinationis, quæ ad vigesimamquartam utique diem præcipiebatur, uti & in medio tempore, purgationem esse offerendam. Aliud præterea nihil in schedula occurrit, quamvis plus satis constat scriptorem, autoremve eundem fere modum propinandi, utendique voluisse proponere, quem in decocto Chinæ exhibendo illic, unde spartam hanc parillam transsumptam habemus, observatum scivit. Stipites hos, aut sarmenta, non minus quam Chinam, dicas prorsus esse insipida, imo magis omni manifesta qualitate, quæ in ejusmodi medicamentis merito desideratur, quam Chinam, destituta. Unde etiam eorum periculum hactenus non faciendum duxi, quandoquidem cui ab amicis, divini auxilii vice, sarmenta hæc missa sunt, Guajaci decocto à morbo Gallico jam videtur restitutus, & neglectis sarmentis eorum portiones quasdam assumere, & amicis, ut Indicis

*Alterius decocti apparandi & sumendi ratio.*

has impoſturas expendant, tranſmittere, aliiſque medicis proponere mihi liceat. Hæc de China mihi ſcribenda occurrerunt, eaque ſane hujuſmodi, quæ potius ad noſtratia, & nobis familiaria, quorumque vis cognita eſt, ad ejus generis affectus in experientiam ducenda, ſedulo urgere nos deberent, quam ut occultis illis & aridis, inſipidiſque & inodoris prorſus radicibus, ſeu ſtirpibus, quæ interim cariſſimo veniunt, ægros uti ſuaderemus. Haud facile enim crederes, quam feliciter in pauperibus quibuſdam Stephanus Sala de Caſala, Cæſaris chirurgus, pentaphylli, quod tormentillam vulgo dicimus, radice ſit uſus, ipſius decocto citra magnam victus obſervationem, aut in cubili moram, pluribus diebus mane propinato, & ulceribus ſubinde illo decocto ablutis, & dein emplaſtro vulgari tectis, quod quia tribus his aceto, oleo & lithargyrio conſtat, triapharmacum nuncupamus. Neque etiam mihi ſuo tempore adhibitum improbari poteſt medicamen, inſtar numinis cujuſdam à Genuenſium primatibus commendatum, & quod non ſine maximis pollicitis ad perpetuum morbi articularis exilium, ante menſes aliquot D. Marzilio Collæ, Cæſarianis equis præfecto, & meliori valetudine, ob multas, quibus præditus eſt, animi dotes, digno, miſſum fuit: ac nunc item Cæſari quoque oblatum, ut illum poſthac (modo medicamen iſtud in uſum potuerit) articulari morbo non apprehendendum, certiſſime prædicetur. Continet autem univerſa deſcriptio mehercule ſatis empirice aliud nihil, quam, initio purgationem inſtituendam: dein chamædryos, ſeu humilis quercus adhuc vireſcentis, ſi ad manum ſit (quum ego reſiccatam interim, ut in aliis herbis ſiccandi facultate donatis, præferendam duxerim) folia conſcindenda, vinoque albo dein incoquenda, & ejus decoctionis mane cyathum unum offerendum, tribus ante prandium horis. licet interea tanto magis à medicamento ſperandum eſſe addatur, quanto ejus potus prandium diutius anteceſſerit. In victus ratione, ab acidis ſalſisque interdicitur, & vini illius potus ad ſexaginta dies præſcribitur. hoc adjecto ſtillatitium humilis quercus liquorem, ſeu aquam, vino illi in viribus (quod mihi ridiculum videtur) conferri: ac proinde quibus decoctum minus placeret, aquam porrigendam. Aliud in univerſum nihil habet huc tranſmiſſa ſchedula, præter inſignem & turgentem titulum, & hominum magnum ſibi ſubjectum catalogum, qui illius uſu annis aliquot ab articulari morbo immunes vixere, & qui, quum tranſmitteretur, ejus uſum aggrediebantur: in quorum claſſe Cardinalis Doria anteſignanus occurrebat. D. Ludovicus Panizza, noſtræ ætatis præclarus medicus, Mantuanus, Cæſarem hortatus eſt, tum ad multorum medicaminum, tum maxime ad terebinthinæ uſum, cujus portio ſingulis diebus veſperi, unius anni ſpatio eſſet devoranda: opportuna interim obſervata victus ratione, & repetitis ſubinde purgantibus medicamentis. Quam vero hujuſmodi præcepta Cæſari fruſtra ſcribantur, tibi ſatis perſpectum eſt, qui ejus mores, vivendique rationem jam multis annis noveris. Ad hæc D. Gerardus noſter, pro ſingulari ſimplicium medicamentorum in graviſſimis alioquin occupationibus ſtudio, inter alia, quæ ex ſua ad Turcam legatione medicamenta ſecum advexit, mihi de China (uti prius innuebam) percunctanti, rha Dioſcoridis, rhaponticum Latinis nuncupatum, exhibuit. non quidem radicem eam, quæ ſimplicium medicamentorum eruditis, centaurii majoris cenſetur; ſed radicem illo vulgari rhapontico tenuiorem, & magis rufam, fungoſam, aliquantulum levem, non admodum odoram, quantum ſane ſeſe offert odoris, id ſuave eſt, ad rheobarbari odorem quodammodo ſpectans. In magna mole vix ullum occurrit fruſtulum teredine, aut carie infectum. Iſtud quoque guſtanti cum remiſſa, ſed inſigniter notabili, aſtrictione lenteſcit, manducatumque colorem reddit pallidum, aut croceum, præſtantis rheobarbari modo: effractum dein, optimo rheobarbaro, illo venularum ſeu rubrarum linearum cum albis interſtitiis implexu, ſericque elegantiſſime reſpondet: niſi forte in hoc rhapontico diſtinctus variuſque ille color, manifeſtior, inſpicientique jucundior occurat. adde, aſſumenti nullam inducere nauſeam. Quum itaque hi, qui Guajacum offerre ſunt auſpicati, ac Chinam demum commendatam cupiverunt, ex Dioſcoride eorum medicaminum vires propoſuiſſe videantur, ubi is rhapontici facultates admodum ſane inſignes, & plurimum differentes enumerat: operæ pretium me facturum ſpero, ſi in Gallici morbi curatione, aliquando ipſo uti incipiam. potiſſimum quum D. Gerardo conſtet, unde præterquam ex Germaniæ nobis hic adjacentibus montibus, aut vulgari illo hippolapatho, quod (niſi & illud rhaponticum ſit) ſub rheobarbari nomine in noſtratibus hortis colitur, ſui hujus rhapontici non mediocris ſuppeditari poſſit copia. Ego ſane ex parvo, quo hactenus in nonnullis, quos Dioſcorides recenſet, affectibus feci, periculo, nihil mediocre de hoc rhapontico ſperandum puto: unde etiam aliquando magis ex artis noſtræ methodo de ipſo, quam in præſenti de ſtupida China, aut Sparta parilla, me adſcripturum arbitror. Interim arrabonis loco erunt fruſtra rhapontici, & ſtipites aliquot ſpartæ parillæ, quas cum hiſce literis modo accipies, China apud Antverpienſes undique proſtante.

FINIS.

# ANDREÆ VESALII,

## DE

# MODO PROPINANDÆ CHINÆ,

## SCRIPTUM ITALICUM,

*Latinum factum.*

Qui Chinæ ſumpturus eſt decoctum, purgatione indiget inter initia, inter aſſumendum, & in fine aſſumptionis, quam ipſius phyſicus molietur, habita præſentis ægroti diſpoſitionis ratione. Sumendæ porro ſunt dictæ radicis unciæ xxiiij. quæ in partes xxiiij. dividentur, ut recens quotidie potus fiat. Pars igitur, quam mane ebullitioni ſubjicere voles, per diem ante in fruſta minima diſſecabitur, & ſubtiliſſima, quo facto in modica aqua infundetur uſque ad poſteram diem, & tunc radicem ipſam, nec non & infuſionem in ollam novam conjicies, ſuperadditis tribus boccalibus aquæ putealis, & ebullitionem tantiſper feres, quoad tertia pars abſumpta ſit. olla vero magnæ capacitatis erit, ut ne inter ebullitionem prorumpat quicquam, ſuper ipſam operculum imponetur ſemper, ut ne virtus exhalet. Poſtquam decoctio parata erit, & ab igne ſublata, pannis craſſiuſculis involvetur, ut ne penitus refrigeſcat. Ratio autem, cur recens quotidie, fieri potus debet, eſt, quoniam alioqui aceſceret. Quod ſi aſtricta alvo patiens fuerit, pro qualibet ipſius aquæ coctura imponet dimidium octavæ partis unciæ de radice apii ad coquendum cum radice China. Et hujus aquæ poculum, magnum, calidum, in lecto, in diluculo capiet, coopertuſque tentabit ſudorem elicere per duas horas, quo plus enim ſudoris elicietur, plus accedet beneficii. poſtea abſtergetur, ſurgetque, cavens à ventis, præcipue ad octavam diem, veſtibus probe munitus. Quum vero jam domo exibit, poſt octavam diem, cavebit ſimiliter à ventis, & pannis tutus ibit. Interdiu ex dicta aqua, cum volet, bibet, modo tepida ea ſit, imo quo calidior potabitur, eo præſtantior fuerit. Veſcetur pullis, aut caponibus, qui abſque ſale ebullierint. A vino acido, & à re qualibet acetoſa uſque ad diem decimumquartum cavebit. toſtis abſtinebit carnibus. Lacebit ſpeciebus omnibus conſervarum, & cydonitidos dulcis uti, fugiet lacticinia, & cydonitim à prandio, aut cætera hujuſmodi, ſumet, quæ alvi beneficium iritare poſſint, præſertim vero mel, quod eorum, quæ

quæ comeduntur, optimum est, omnibus enim temporibus usui esse potest, ex quocunque tamen ferculo sumendum mediocriter est, constat enim, non minus beneficii accedere ex diætæ norma, quam ex aquæ sumptione. Nec vino utendum, nec jure ullo, nec alio liquore spatio dierum 24. quibus dicta radix durat. Atque tunc temporis Veneris usus interdicitur. Ex quo jam decoctionibus omnibus perfunctus erit patiens, radixque, ut supradictum fuit, dispensata fuerit, frusta illa ad solem, aut aliter in loco aliquo exsiccabuntur, & ubi exsiccata erunt, in minutiores partes redigentur, duæque ipsorum unciæ injicientur in supradicta quantitate aquæ, & fiet decoctio, ut supra relatum fuit, & hæc decoctio pro potu sumetur octo vel decem diebus ultra dictos 24. Quod si ægrotus ulceribus affectus erit, dum domi erit, pannos solum dicta decoctione madentes supra detinebit, ubi vero exibit, imponet aliquid aliud, quod haud madefaciat, reversus postea domum, repetet pannos eosdem madentes, & sæpe cum dicta decoctione irrorabit ulcera, mirum in modum enim prodest ipsis ulceribus. Abstinebit ab omnibus piscibus, quamvis pisces laudabiles aliquando non prohibentur. si eveniet, ut patiens imbecillis sit, concedetur vinum ex dicta decoctione dilutum, nec non & omnium rerum, quæ alere apta sunt, usus. Cæterum in universum vitentur hæc omnia, nempe mulieres, acetum, sal, acetosa, omnia olera, caro caprina, aut ex gallo gallinaceo, tamen xv. die ut modicum assæ carnis laudabilis comedat, approbatur. Mos est, ut post septimam diem doleant loca affecta, & ita doleant, ut usque ad diem xiiij. vel xv. dolores augeantur, postea mitescunt, ulceraque (Dei benignitate) sanantur. magna enim hujus radicis vis est, debetque patiens omnino eniti, ut prædictum regimen totum compleat, decoctionem mane, admodum calidam sumendo, & quod reliquum est temporis, tepidam, sollicitato impense sudore, quanto enim plus ex sudore resolvetur humoris, tanto plus insurget appetitus alimenti, & quo pluribus diebus sumetur decoctio, parata secundum pondus, & mensuram supradictam, eo sanior evadet infirmus, purgabunturque interiores partes sine sputi provocatione, & sine alvi fluxione, duntaxat virtute commemoratæ radicis. Post septimam diem difficile alvus fluxa est, quare cum clysteribus adjuvanda est ejus astrictio, paratis tantum ex decoctione cichorei, aut boraginis, addito oleo rosaceo, aut communi, & sale, manendumque erit in hoc ordine per sex, aut septem dies. si alvi beneficio fruetur patiens, poterit libere exire ad negotia, vitatis ventis, & optime vestibus indutus, ut jam præceptum est antea.

# LEONARDI FUCHSII, *Germani*, DE MORBO GALLICO CAPUT.

*Ex appendice ipsius ad librum quintum de curandi ratione excerptum.*

*Morbus Gallicus quid.*

Morbum, quem vulgus modo Gallicum, modo Hispanicum, modo Neapolitanum vocat, esse novum, omnique ævo priore incognitum, † alibi demonstravimus. Detestandus sane morbus, ut qui à malignis quibusdam pustulis incipiens, pudenda plerumque, deinde reliquas corporis exteriores partes ingrediatur, doloresque circa artículos & ossa, noctu præsertim, excitet, & absessus duros in pessima ulcera, quæ ossa quoque plerumque vitiant, post longum tempus desinat. Fit ab humoribus quatuor à sua naturali temperie ad exustionem malignam conversis. Cognoscitur hoc malum, si primum circa pudenda pustulæ crustosæ, siccæ, & lenta interdum sanie stillantes exoriantur. In fronte præterea, & circa radices capillorum in capite pustulæ, tumoresve diversi coloris efflorescere incipiunt, modo citra ullum adhibitum medicamen exsiccata & decidentia, modo hinc inde repullulantia. Capitis præterea adest gravitas, cum colli & humerorum cruciatibus, qui temporis progressu ad brachiorum & crurum articulos descendunt, atque de nocte magis quam die affligunt. Adveniunt item cum doloribus tumores præter naturam in articulis, qui difficile discutiuntur, ac tarde admodum suppurantur. Sæpius quoque in nodos & durities transeunt. In palato, & circa oris intimos angulos nigræ & fœtidæ excitantur pustulæ. Fauces quoque & lingua in hoc malo non raro exulcerantur.

*† Lib 2. paradoxorum Medicinalium c. 17. ubi contra Symphoricum Campegium disputans sustinet morbum Gallicum differre a lichene, seu impetigine. Causa. Signa.*

*Curatio morbi Gallici recentis.*

Porro in curatione morbi Gallici spectandum initio erit, num recens sit morbus, aut jamdiu ægrotantes afflixerit. Si enim recens fuerit, levioribus sæpe tollitur remediis. Quod si itaque malum hoc non ita pridem se ostentavit, medicus curet, ut in aere mediocriter calido degat æger, nec permittat ut se ventis, præsertim borealibus, temere exponat. Quod si talem natura habere haud potuerit, ut odoramentis & suffumigiis convenientibus ejusmodi efficiatur, curabit. Cibi omnes sint boni succi, facilisque concoctionis, & vitentur omnia salsa, duræ carnes, & quæ lentum, frigidum, ac crassum succum generant, quæque flatulenta existunt. Præterea acria, ad caput evaporantia, & supra modum calida, sanguinem inflammantia, & adurentia. Vino utatur pro potu albo ac tenui. Exercitium, somnusque sint moderata. Coitum tamen durante curatione fugiat æger. Nam præter alia multa, quæ intempestive factus secum adfert incommoda, in hoc malo articulorum dolores vehementer auget. Perturbationes animi, ira scilicet, furor, tristitia, metus, solicitudo, & id genus aliæ devitandæ sunt. Quod si corpus ejus, qui hoc malo recens laborare cœpit, plethoricum existit, modo ætas, anni tempus, & alia non impediant, vena secanda erit in gibbero media. Si vero corpus non fuerit plethoricum, purgatione per alvum utendum, præmissa tamen convenienti præparatione, hoc est, meatibus prius reseratis, & humorious crassis attenuatis. Utendum itaque aliquot diebus hoc decocto, quod habet *florum violarum, boraginis, bugloſſi, ſingulorum. m. ſ. ſumariæ, ſcabioſæ, hemionitidis (ſcolopendrium vocant) caſuthæ, euphatorii, cichorei, ſingulorum. m. j. folliculorum ſenæ drach. ij. ſ. ſeminis aniſi, fœniculi, ruſci, ſingulorum drach. ij. uvarum paſſarum, glycyrrhizæ repurgatæ, ſingulorum drach. j. corticum myrobalanorum chebulorum, flavorum, ſingulorum drach. ſ. prunorum numero quinque, polypodii drach. vj. thymi, epithymi, ſing. drach. j. ſ. Coquantur in aquæ juſtæ quantitatis, quoad dimidium ejus abſumatur. deinde colo transfundantur, & ſacchari adjectione jus decocti dulce reddatur, albisque ovi purificetur, additis oxymelitis ſimplicis, ſyrupi è fumaria, ſing. unc. ij. fiatque potio, de qua ſingulis diebus mane & veſperi dentur unc. iiij. ſ.* Humoribus ad vacuationem præparatis, & meatibus reseratis, purgatorium aliquod propinetur medicamentum, quale est, quod accipit *antidoti Indi, hamech ſing. drach. ij. ſ. antidoti è ſena ſolutivi drach. j. ſ. decocti paulo ante deſcripti unc. iij. commiſceantur, & fiat potio purgatoria.* Potest etiam horum catapotiorum esse usus: *Pilularum è fumaria, è hermodactylis, aggregativarum ſing. ſcrup. j. agarici in paſtillos redacti ſcrup. ſ. diagrydii gran. ij. cum ſtillatitio fumariæ liquore fingantur catapotia numero 15. dentur in aurora.* Quod si multa est cacochymia, sæpius jam dicta reiterare medicamenta expedit. A purgatione corporis, scapulis, brachiis, natibus & femoribus cucurbitulæ cum scarificatione sunt admovendæ. Tum etiam prodest adhibere ξηρολουτρίας, hoc est balnea sicca, quæ ad proliciendum sudorem, & reliquias vitiosorum humorum educendas sunt aptissima. Sæpius autem iis utendum est, intervenientibus tamen certis dierum aliquot intervallis. Et quo die usurus est balneo æger, eo hanc potionem mane præsumat, quæ habet *radicum apii paluſtris, petroſelini vulgaris, fœniculi, ſing. unc. j. ſeminis ruſci, aſparagi, liguſtici vulgaris, ſing. drach. iij. menthaſtri, calaminthæ, abrotani, ſingulorum m. j. ſ. coquantur in duabus aquæ fontanæ libris uſque ad tertias. Dein colo tranſmittantur, & ſaccharo ſufficiente jus dulce reddatur, & purificetur albis ovorum. Juri decocti addatur Serapii acidi ſimplicis, oxymelitis compoſiti, ſingul. unc. ij. fiat potio, de qua mane dentur unc. iiij.* Hac certe ratione morbus Gallicus, qui nuper cœpit, sanari facillime poterit. Quod si vero is morbus jam longo tempore corpus infestavit, ad ligni usum, quod barbara gens, quæ nobis illud transmittit, vernacula lingua Guajacum appellat, confugiendum erit. In cujus certe usu principio curandum, ut optimum deligatur.

*Morbus Gallicus inveteratus quomodo curandus.*

gatur. Ex eo autem optimum cenſetur, quod recens ſatis, neque admodum vetus & carioſum exiſtit. Tale autem eſt, quod igni impoſitum, ob reſinaceos favos, quibus interius nigrum meditullium diſcriminatur, citius accenditur, & flammas agit. Laudatur item, quod buxeo eſt colore, ſed nigreſcens. Item quod in guſtu præter adſtringentem ſaporem etiam leniter linguam eroſione mordicat. Præparatur autem hunc in modum. *Lima, vel torno, aut alio inſtrumento in fruſta, quantum licet tenuiſſima, comminuitur, aut in ſcobem redigitur. Dein deſculpta fruſta, aut elimatum ſcobem in aqua fontana ſelectiſſima & pura decoquere oportet, in vaſe vitreato. Singulis autem libris pulveris decuplum aquæ adjicere convenit, in qua diem & noctem maceratur: dein ad prunas vel lentum ignem horis amplius ſex, aut ad tertias, vel paulo plus, juxta morbi indigentiam, magna cura & attenta cuſtodia decoquitur.* Aliqui plus, vel minus aquæ addunt. Semper autem inter coquendum glutinoſa & lenta ſpuma detrahenda, quæ ulceribus, & puſtulis, ac tumoribus illinitur, aut affricatur, aut linimentis excepta imponitur. Sic decoctum ubi percolatum fuerit, in ampullam vitream defunditur, & medicata vocatur aqua. Germanice: das ſtarke Waſſer. Quod ex prima ligni bullitione poſt colo expreſſum decoctum relinquitur, cum vigecupla portione claræ aquæ rurſus lento igne bullitur, donec quarta aquæ pars conſumpta fuerit. Hoc tenue decoctum, Germanice, das kleine oder geringe Waſſer nominatur, quo loco vini in prandio & cœna utendum. Purgato itaque prius ægrotante modo paulo ſupra dicto, ſequenti die mane in aurora ſumendum decoctum primum medicatum pondere unciarum quatuor, aut alia quantitate convenienti, ſpatio à præcedente cœna ſeptem aut octo horarum, bibendumque calidum. Dein ſtragulis & veſtibus bene contectus, in lecto ſe per tres horas contineat, & ſudet, ſi fieri poteſt, æger. Poſtea ſurgens, excrementis undique probe expurgatis, leniter & pedetentim in cubiculo obambulet, feneſtris & rimulis, hyeme præſertim, undiquaque bene obturatis & occluſis, ne à vento vel frigore meatus corporis obſtruantur. A potu, decocto aſſumpto, ſex horis prandium tenue apparetur, in quo præter panis uncias quatuor, aut quinque, aut ſummum ſex, & pullum gallinaceum elixum in aqua nihil conceditur. Panis autem ſit bene fermentatus & coctus, modiceque ſalitus. Potus ſit decoctum tenue, & ſecundum. A prandio leniter in cubiculo aut hypocauſto obambulet, vel in ſella ſedens ſe contineat, cum amicis & familiaribus jucundos & hilares miſcendo ſermones, inſtrumentis muſicis & dulcibus ſonis ſeſe oblectet, fabulas & alia ludicra ac jocularia legat, aut aleæ, alterive ludo jucundo operam det, caveatque ſibi à ſomno diurno. Quod ſi propter dolores nocturnos, aliasque cauſas, inſomnes accedant noctes, in die parum dormiat, ſed non ſtatim ab aſſumpto cibo. Nam is ſomnus, qui cibum ſtatim excipit, ſumoſis exhalationibus caput replet, deſtillationeſque parit. Septem horis à prandio peractis cœnet æger. In qua non plus quam in prandio ſumendum: imo ſi caput defluxionibus idoneum habet æger, cœna multo levior & minor ſit prandio. Duabus à cœna horis, modo & ordine quo ſupra, eandem decocti medicati menſuram aſſumat ægrotus calidam, & poſt levem in cubiculo ambulationem, in lecto ſe ad dormiendum componat æger. Idque per ſequentes triginta vel quadraginta dies juxta aſſidentis medici conſilium, faciendum. Prædicta tamen omnia poterunt vel augeri, vel minui, prout vires ægroti, & morbi ratio poſtulabunt. Hinc aliqui præter panem, pruna Damaſcena, uvas paſſas, amygdalas, piſtachia ſaccharo operta, nihil exhibent ægrotanti. Sed peritus medicus facile quid hac in parte faciendum ſit, cognoſcet, utpote cui perſpectum eſt unam atque eandem victus rationem omnibus non competere. Suſtinent autem magis inediam pituitoſæ temperaturæ, & humidæ, minus omnium biliоſæ & ſiccæ. In victus vero ratione conſuetudo, ætas, regioque maxime conſideranda veniunt. Quapropter Germani noſtri, & alii homines ad ſeptentrionem inclinantes, propter ambientem aërem paulo quam in aliis calidis regionibus frigidiorem, quum vehementius appetant, & melius concoquant, pluri & copioſiore etiam alimento indigent. Liberalius igitur in uſu etiam Guajaci cibandi ſunt, non tantum regionis, ſed & conſuetudinis nomine. Minus enim etiam per ſanitatem, quam cæteri populi, Germani intemperantes ſunt. Quod quum parum hactenus à multis medicis, præſertim vero ab indoctis Empiricis, unam atque eandem victus rationem omnibus corporibus præſcribentibus, animadverſum ſit, nihil mirum plerosque ex tenui & exquiſito illo victu, & vehementioribus per Guajaci decoctum tranſpirationibus ac vacuationibus, accedentibus vigiliis, & immenſis doloribus, virtutem mirifice proſternentibus, in hecticas febres & maraſmum deductos eſſe. Suſpectus itaque eſſe debet Germanis noſtris tenuior ille & exquiſitior victus, præſertim ubi biliоſus ac melancholicus ſit ſanguis, qui humectantibus cibis ad temperamentum reducendus erit. Sed hac de re in præſentia ſatis eſt dictum.

FINIS.

# JOANNIS MANARDI, *Ferrarienſis*,

DE

# MORBO GALLICO,

## EPISTOLÆ DUÆ.

## Ejuſdem DE LIGNO INDICO EPISTOLÆ DUÆ,

*Ex libris Medicinalium Epiſtolarum excerptæ.*

### *Ad* MARTINUM MELERSTADIUM, *Illuſtriſſ. Ducis Saxonum Phyſicum*

### EPISTOLA PRIMA.

Poſtridie quam defenſio tua, Simonisque Piſtoris accuſatio ad nos pervenit, forte contigit, ut cum Principe meo in ſuburbanam villam ſecederem. Tuli igitur utrosque libellos mecum, natura ipſa ſtitor alioqui novitatis, ne in otio penitus eſſem ſine negotio, hoſque curſim primo, atque fere ſine interſpiratione perlegi. Dehinc occepi legere accuratius, interque legendum (quoniam non erat tunc in quo me melius exercerem) notavi, quæcunque in Simonis libro occurrerent, in quibus aliter atque ille ſentirem: non minori ſcilicet venia reprehenſurus Simonem, quam ille reprehenderit Leonicenum. Has ego annotatiunculas ad te mitto, non quaſi rem egregiam, aut te dignam, ſed veluti quoddam mei in te amoris monumentum. In prima concluſione Morbum Gallicum, ſub puſtularum, anthematum, aut (ut ipſe dicit) alhumere capite ab antiquis collocatum affirmat. In qua re id mihi in primis peccaſſe videtur, quod neglectis his, quæ in eo ſunt præcipua, id eſt, articulorum doloribus, duris tumoribus, ulceribusque peſſimis, cutis deformationem tantummodo conſideravit. Verum hic error illi communis cum multis, quorum opiniones peculiari tractatu late confutavimus. Ille vero Simonis proprius, quod aut propoſitum non manifeſtat, aut à veritate ipſa diſcordat. Si enim idem penitus per anthemata & puſtulas intelligit, quod & Conſtantinus, & alius Hippocratis interpres ſenſiſſe videntur, dum aphoriſmum illum ſextæ particulæ vertentes, τὰ πλατέα ἐξανθήματα ἢ πάνυ τι κινησάντια pro anthematis puſtulas reddidere, non ſatis explicat, quod intendit. Non enim ad certam ſpeciem, præ-

præfinitumque caput (quod propositio ejus videtur profiteri) morbum hunc redigit, cum nomen pustularum late pateat, & varias sub se species comprehendat. Sin autem Celtum sequutus, peculiarem quandam pustularum speciem intellexit, à vero longe sejungitur: siquidem nihil simile in hoc morbo his pustulis visitur, quæ ex urtica, vel sudore nascuntur, qualia esse anthemata quæ dicuntur, Celsus definivit. Si Paulum Aeginetam, non minus errat: definivit enim exanthemata ulcerationes superficiales, subrubras & asperas, quales in hoc morbo non semper reperiri, quivis potest agnoscere. Nec illum à primo errore relevat, quod non simpliciter anthemata, sed cum adjectione epidemialis dixerit: quandoquidem ipse sibi hanc excusationem ademit, dum multos morbos fieri posse epidemiales affirmavit. Non major fit igitur ad certam speciem limitatio, quando anthemata dicimus epidemialia, quam si animal album diceremus. Taceat igitur Simon, nec pergat Leonicenum accusare, tanquam non definientem, quid sit morbus ille, quem nec ipse multo plus declaravit, quam si epidemialem simplici & absoluta ratione dixisset. Hactenus de conclusione. Ad corollaria accedamus, in quorum primo injuria te accusat Simon, quasi improprie loquutum, quando pestem hanc κακοήθη nominabas. Ea enim vox, tametsi sæpe mala quædam ulcera Græcis medicis significare videatur, si tamen ad Latinum transferatur sermonem, malignum, vel mali moris significat. Qua quidem nomenclatura, nullam huic morbo dari posse decentiorem, quotquot illum patiuntur, malo suo (plus etiam puto quam vellent) quotidie experiuntur. Sæpe etiam fit, ut pessima & maligna, vel male morigera appellata ulcera, illi morbo conjuncta sint. Sed hæc levicula sunt, & in quibus qui versatur, suspicione curiosioris nominum indagatoris carere non possit. Illud vero inquisitione dignius, an recte in secundo corollario illi redarguantur, qui hunc morbum nominantes, epidemialis adjectionem tacuerunt. In qua re, quanquam eos longe puto aberrare, qui elephantiasim, vel saphatum dixere, non video tamen cur merito de taciturnitate epidemialis reprehendi debeant. Alioqui juste taxaverit quispiam antiquos, qui de multis morbis scribentes, qui sæpenumero vagantes epidemici vere fiunt, proprio tantum nomine expresso, adjicere epidemialis vocem superfederunt. Quanquam si epidemiali voce proprie utamur, non erit epidemialis vocandus, ut alibi demonstravimus. Optarem autem definisset Simon, recte an perperam illi sentirent, qui hunc morbum, vel saphatum (sic enim ipse loquitur, Græci fere achoras vocant) dixere, vel elephantum: probassem enim apertis (ut puto) rationibus, eum tota aberrare via, si eos putaret non errare. Sed obfuscavit sese, ut arbitror, ex industria, more sepiarum. In eo enim, quod se illis connumerat, eandem hærelim profiteri videtur: in eo vero quod similem illis morbum hunc facit, videtur facere diversum. Siquidem (ut Aristoteli placet) similitudo relatio est inter diversa. Sed scio quid ipsum tenuit, quo minus propriam aperte propalaret opinionem. Leonicceni rationes super ea re sensit, nec earum est ausus aggredi solutionem. At si hoc in causa fuit, utique suam debuit deferere positionem, malleque rationibus cedere, quam propriam errorem pertinaciter defendere. Non est quoque reticendum, errorem multorum sequutum Simonem, ubi affirmavit, elephantiasin esse lepræ speciem, cum sint ægritudines longe dissimiles: est siquidem Elephas morbus tristis quoque nomine dirus: Lepra inter faciles morbos computatur. Imo si autori libri de affectionibus credimus, qui Galeno teste, vel fuit Hippoc. vel Polybus, ejus discipulus, inter eos affectus numeranda est, qui dedecus potius sunt quam morbi: quem autorem, quisquis tandem ille fuerit, puto sequutus est Avic. cum *primo canone* dixit, esse affectiones, quæ cum morbi non sint (sed, supple, dedecora potius) morbis tamen connumerantur. Neque est illius *libri de passionibus* inscripti, vel affectionibus, autoritas quasi parum idonei respuenda, utpote ex quo Galenus tantus in medicina autor, integras sententias, verbum è verbo interim usurpat. Quod si quis dixerit, lepræ nomen in sacris litteris pro gravi morbo accipi, objiciam ei Augustinum, coloris vitium, non valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum, lepram esse dicentem. Sed & Galenus *vicesimum tertii libri aphor.* enarrans adeo levem & absque periculo morbum putavit, ut, licet verni temporis proprius existat, non tamen tollit, quin ver saluberrimum dici possit. Verum hæc suo loco exactius pensabuntur, nunc secundam conclusionem aggrediamur. Si vidisset Simon nonnullos hunc morbum patientes, quales nos sumus intuiti, non puto tam asseveranter negasset, posse illum à pituita interdum generari. Vidimus siquidem hac peste fœdatos, quibus pustulæ apparuerunt crassæ, latæ, subalbidæ, quæ quoties vel suapte sponte, vel medicaminum auxilio arescebant, in crustas quasdam, seu squamulas albicantes resolvebantur, exibatque interdum veluti aqua crassior, manifestissimum pituitæ indicium. At si mihi forte, tanquam parum idoneo testi, fidem abrogat, credat quæso rationibus, ac majorum autoritatibus, quæ fateri cogunt, non solum posse hanc pestem a pituita fieri, sed etiam ab ea non infrequentius, quam à succo nigræ bilis contingere. Quandoquidem ejus non contemnenda portio, id est, artuum dolores, Rhasse medico teste, ab ipso nigro humore proveniunt quam rarissime, ut propterea existiment nonnulli, non infimi nominis in medicina viri, Galenum in *libro de medicamentis secundum loca patientia*, in catalogo humorum articularem morbum facientium, atram bilem non adscripsisse, utpote à qua dolores articulorum nonnisi insolenter, & raro fieri posse intelligeret, vetante scilicet ejus crassitie, & terrea substantia, ne intime, ac in penitiore ossium, membranarum, & compaginum partes adigatur: qui etsi interdum ab eo fieri possint, constat tamen, hos, qui in Morbo Gallico accidunt, tales non esse, ut inde semper credi debeant provenire; quoniam, Avicenna teste, debiles & occulti sunt, si qui à tali materia fiunt: hos autem manifestos & vehementes esse, quotidiana monstrant experimenta. Dicere autem aliam esse materiam, quæ dolorem, aliam, quæ reliqua mala facit, hominis est dogma potius quomodolibet tuentis, quam veritatem & rationem sectantis. Si enim ita esset, mala illa, dolor scilicet, ulcera, pustulæ, mere ex accidenti, atque, ut sequens est, rarenter in hoc morbo jungerentur. Contra autem evenit, ut nunquam, vel certe raro, in toto morbo separentur, sed fere ubi pustulæ delitescunt, dolores insurgunt: quod certe significat, materiam illam, vel certe aliam ei similem, quæ in cute pustulas faciebat ad intima accedentem, dolores excitasse. Incredibilem vero mihi admirationem parit hic vir, qui paulo ante epidemiam hanc saphato (sic enim ipse loquitur) fecit quam simillimam, & eisdem differentiis utrumque morbum interstinguì definivit: nunc autem illos in tantum separat, ut impossibile judicet, hunc fieri ab humiditate, à qua primam saphati (ut verbo ejus utar) speciem supra dixerat dependere. Sed jam reliqua examinemus. Ad commune deinde medicorum confugium sese recipit, quasi ad portum, vel tutelarem Deum, cum morbum hunc occulta fieri asserit proprietate, de cœlestibus corporibus emanante. At si Avicennæ sententiam sequamur, in eo, qui de viribus cordis inscribitur, commentario, quam etiam primo attigit canone, dicere poterimus, hasce vires occultas, quas vocant proprietates, non differre à natura, nisi sicut minus commune, à magis communi, aut figmento, esse persimiles, commentumque hominum ab innumeris quæstionibus sese illarum præsidio relevantium. Sed sint aliud à natura (non enim id magnopere pernegabo) non certe à cœlo, præterquam sicut ab universali causa, proveniunt, quemadmodum Joannes Picus, ævi nostri splendor & gloria, in superhumano illo contra astrologos libro, quem à tenebris ad lucem magnis laboribus revocavimus, multis rationibus comprobavit. Quod si etiam gratis demus huic viro, & esse illas aliquid, & fieri à cœlo, nihil tamen comparet in hoc morbo, quod in manifestas causas referri non possit, vel quod ad occultiores illas proprietates, quasi ad asylum, fugere nos compellat. Videmus enim in eo pustulas, artuum dolores, oris, & pudendorum, & aliarum quoque interdum partium ulcerationes, ac præduros quandoque tumores: quæ omnia accidere ab humorum vel copia, vel fervore, vel putredine, nullus puto medicus dubitabit. Sed præter ea, quæ diximus, notavi ego alias sex in hoc morbo mirabilia, videlicet, quod longus simul ac vehemens, quod noctu magis quam interdiu affligens, quod fere à pudendis incipit, & non nisi raro, & per longam valde consuetudinem, per alia membra interne transfunditur, quod in pustulas oris definit, quæ etiam applicitis potentioribus remediis, concitantur. Hæc autem omnia non est difficile mediocriter in medicorum libris exercitato, ad manifestas causas reducere. Nihil ergo in hoc morbo est, quod nos cogat, relictis manifestis, ad occultiora illa confugere. In secundo vero corollario, præter id, quod epidemiale genus pestilentialis tandem agnoscit, quod secum reciprocare suprà statuerat, Gallicum quoque morbum veneno, ait, & pestilentia participare. quod dictum (pace sua dixerim) hominis esse videtur parum in medicina exercitati. Nam unde pestilentiam, aut venenum ejus deprehendimus? Pestilentes morbi magna ex parte febrem, & quidem nota dignam sibi associant, cor lædunt, difficultatem spirandi faciunt, & ad salutem raro, ad mortem sæpe, exiguo semper temporis spatio perveniunt, facileque & absque ullo contactu per solam communis aeris inspirationem ab uno in alium evagantur. In hoc vero morbo, cerebri potius, vel jecinoris, quam cordis oblæsiones visuntur, difficultas incedendi magis, quam spirandi apparet, raro interficit, longus est, nec fere præterquam diu-

*Versus Serveni Scammonici.*

*Lepra dedecus potius quam morbus, censenda.*

diuturna consuetudine, aut per naturalia inficit. Causam igitur, cur pestilentialis dici mereatur, ego non video, videant qui acutius cernunt. Potuissem plura, & hæc ipsa locupletius, atque comptius in medium afferre, sed hæc ad te mitto, qualiacunque sunt, non veluti rem tanto lectore, quantum te puto, dignam, sed ceu pignus quodA dam sancitæ inter nos amicitiæ, non aliud ex his quærens, quam ut mutuo me ames. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Vale Ex. Mirand.

FINIS.

# EPISTOLA SECUNDA,

## *Ad* MICHAELEM SANCTANNAM, *Chirurgum.*

Gallicum morbum vocat Italia, Hispanicum Gallia, Hispanam scabiem Germania. Contrahitur morbus hic pessimus raro aliter quam per contagium, nec quarumcunque partium, sed fere obscœnarum, ut non incongrue nonnulli, Romanorum nomenclaturam in mentagra sequuti, Pudendagram vocarint. Pustulæ primum eas partes inficiunt, longe difficilius sanitatem recipientes, quam quæ eodem quidem loco, sed aliis ex causis contingunt. Has, reliquarum partium (præcipue vero vultus & capitis) deteriores aliæ pustulæ excipiunt, diversorum quidem generum, sed majori ex parte crustolæ, nec abiis fere dissimiles, quæ ab igne excitantur, nisi quod sunt quadantenus crassiores, quæ ubi vel suapte sponte, vel medici auxilio subnotæ fuerint, corpore prius non plene expurgato, extremorum membrorum dolores vehementes, per noctem potissimum, quam insomnem reddunt, miserrime affligunt, nullo exterius ab initio tumore apparente, qui tamen quibusdam citius, quibusdam tardius, & in his etiam quandoque locis, in quibus nullus præfuit dolor, se ostendit, quem si C presseris, tantum abest, ut dolorem augeas, ut quandoque se juvari ex loci contrectatione patientes fateantur, & unicum hoc habeant in tantis cruciatibus levamen. Tumores hi per magna intervalla (à valde enim crassis humoribus fiunt) suppurantur, vel potius saniem quandam malam gignant, ei, quæ à Celso, hydrops, aut melicera vocatur, non dissimilem. Non universus tamen simul tumor suppurationem hanc recipit, sed per partes, portionem sæpe aliquam omnino ad maturationem contumacem, gypso similem, derelinquens. Suppurationem varii modi ulcera, semper tamen maligna, comitantur, quæ plerumque ossa etiam ipsa vitiant, & ubi cicatricem contraxisse videntur, alio, vel eodem loco erumpentia, medicos, multoque magis patientes ipsos deludant. Comitantur interim hunc morbum aliæ quædam malæ affectiones, non usque adeo crebro, ut hæ, quas numeravimus, ut ophthalmia, tubercula, nares cum erosione dehonestantia, articulorum luxatio, ossium fractura, elephantiasis, aphthæ, præcipue D post argenti vivi, vel minii (vulgo cinnabarim vocant) usum, & postremo febricula ad tabem, & paulo post ad mortem perducens. Ex his autem omnibus non difficile est definitionem colligere, hunc morbum comprehendentem, & ab aliis generibus separantem. Ea erit hujusmodi. Gallicus morbus est soluta continuitas, ab exustis humoribus per contagium fere in concubitu genita, à malignis quibusdam pustulis incipiens, pudenda plerumque, deinde reliquas corporis exteriores partes, caput præcipue, inficiens: dehinc intimas partes ingressa, dolores circa articulos, & ossa noctu præcipue facit, atque abscessus duros, in pessima adeo ulcera, ut ossa quoque plerumque vitient, post longum tempus desinentes. Ex his autem cognoscere licet, quam inaniter laboraverint ab hujus pestis exordio medici fere quicunque celebriores habebantur, conati multicipitem hanc hydram sub unum caput redigere. Aliqui saphatum, alii duos morbos, saphatum, & articularem, nonnulli lichenas, Veneti medici variolas, Galli variolas quidem, sed crassas. Fuere & E qui carbonem, & qui ignem Persicum, sed & qui elephantiasin, & qui epinyctidas, & qui Celsi phygethlon. Leonicenus demum noster, dejectis strenue tribus, ex nuper recitatis opinionibus, propriam erexit, quam utique, quod in Lactantio optat Hieronymus, vellem ita bene adstruxisset, sicuti alias destruxit. Ejus definitio ex pluribus locis commentarii ab eo super hoc morbo editi collecta, hæc est: *Morbus epidemialis, & æstivus, pustulis primum partes obscœnas, deinde reliquum corpus, cum magno plerumque dolore, atque ipsam præcipue faciem occupantibus, ex varia humorum corruptione genitis propter nimiam aëris, in calore atque humiditate præsertim, intemperiem.* In qua definitione vir alioqui eminentissimus, vel in hoc maxime lapsus est, quod hunc morbum ex aëris humiditate, quæ eo anno, quo eum in Italiam Caroli exercitus portaverat, magna fuerat, genitum putavit, & propterea censuit inter epidemicos numerandum, quum tamen res ipsa ostenderit, nihil huic morbo cum aëris vel B humore, vel qualitate alia esse commune: quæcunque enim constitutio sit, & quantumcunque sicca, si vir etiam siccissimus cum muliere, ea lue infecta, commisceatur, bene secum agi putet, si non & ipse polluatur. Idemque contingere sanæ mulieri, viro infecto congressæ, pleræque cum magno suo malo expertæ sunt. Dici igitur quomodo debet epidemicus, quum morbi epidemici, ut Galenus docet in *proœmio enarrationis in lib. Epidemiarum Hippocratis*, sint morbi pluribus ex inspiratione aëris communes, Gallicus autem non ex aëris inspiratione, sed ex contagio ut plurimum contingat? Non magis quoque æstivus dici meretur, quam epidemicus. Æstivi enim morbi breves sunt, hic plerumque cum juvenibus consenescit, & commoritur cum senibus. Quo fit, ut genitalium putredines, quas inter æstatis morbos 3. *libr. Aphor.* enumerat Hippocr. morbum hunc sub se comprehendere nequaquam possint: alioqui nec putredo dici meretur ea pustula, quæ ab initio pudendum exulcerat quum ad siccum potius quam ad putridum vergat. Et si demus Leoniceno, à genitalium putredine hunc morbum inchoare, non continuo fatebimur, Hipp. eum in aphor. significasse, quum nocumentum in pudendo, præ his quæ postea consequuntur, exigui adeo momenti sit, ut vix ullam molestiam afferat: quæ res facit ut proclivior fit ad propagandum hanc luem via, ipsis patientibus concubitum, per quem, ut diximus, vel solum, vel maxime transfunditur, concupiscentibus potius quam refugientibus. Nihil ergo in aphorismo legitur, quod ad hunc morbum jam radicatum pertineat; sed quod ibi legitur, ad ejus exile quoddam initium pertinere quidem videri potest, vere tamen (ut ostendimus) non pertinet, sicuti nec ad eum pertinent quæ ex secunda Epidemia à Leoniceno recitantur. Carbones enim in hoc morbo minime visuntur; sed nec humores liquidiores in cute, (sic enim ἰχῶρας Leonicenus interpretatur) nec vesicæ quales in igne leniter exustis, sed escharæ potius quales in plene exustis excitantur. In tertia Epidemia, si eo modo apud Hippoc. quo apud Leonicenum legeretur, esset omnino aliquid, quo is credi posset similem huic morbum designasse. Hippoc. autem nihil minus eo loco cogitasse, quam hanc malorum catenam, quam morbus Gallicus vocatus secum trahit, ostendam, idque pauca quædam attingens, quæ ad id ostendendum sufficere puto. Prius tamen indicabo, constitutionem de qua Hipp. ibi loquitur, non in totum ei, de qua Leonicenus, fuisse similem, & hoc per ipsius Hippoc. verba: ἄνοιαι enim inquit, *per totum annum hoc est, ventorum validorum carentia. Factis autem siccitatibus sub primis anni temporibus austri, circa arcturum aquæ multæ, autumnus tenebrosus, nubilosus, aquarum multitudo, hyems australis, humida, mollis. Post solis autem versiones, prope æquinoctium retrocedens hyems, & circa ipsum jam æquinoctium nivosi aquilones non per multum tempus. Ver rursus australe, ventorum carentia, aquæ multæ per totum, ad ortum usque caniculæ. Æstas serena, calida, suffocationes magnæ, eteſiæ exiguæ sparsim spiravere: rursus circa arcturum in aquilonibus pluviæ multæ.* Hactenus Hipp. in hac igitur constitutione non pauca leguntur, quæ nec ipsomet Leoniceno teste, in nostra visa sunt: siccitas videlicet ab initio, autumnus tenebricosus, hyems in fine retrocedens, ver aquilonium & nivosum, æstas serena, calida, & alia quædam. Inter morbos vero, præter erysipelata, carbunculos, & ventris perturbationes, à Leoniceno quidem memoratos, sed vix unquam puto in hoc morbo visos, alii quoque numerantur morbi ab Hippoc. nihil cum hoc habentes commercii, ut κεῦσοι, φρενῖτιδες, κώματα, id est, profundi somni, magnæ phlegmonæ, lienteriæ, diarrhœæ, dysenteriæ, tenesmi, σφῶροι, id est tormina, febres tertianæ, quartanæ, nocturnæ, continuæ, longæ, erraticæ. Addit demum, quosdam sero interiisse: quum Gallicum patientes morbum, mortem potius optent, quam oppetant. Si quis præterea discurrat xvi. ægrotos ab Hipp. seriatim sub hac constitutione descriptos, mentior si quem inveniet, de quo vel suspicio haberi possit, quod Gallico vocato morbo laboraverit: omnes enim febrem & quidem vehementem sunt perpessi, in

*Definitio morbi Gallici.*

*Variæ opiniones de morbo Gallico.*

in Gallico morbo, vel ipſomet Leoniceno teſte, rariſſimam. Sed cur fruſtra laboro, quum Galen. ipſe hanc litem dirimat, ſtatim in primo verbo enarrationis ſuæ in hanc Epidemiam, conſtitutionem, de qua Hipp. meminit, peſtilentem nominans? Ita enim ad verbum loquitur: *Peſtilentem conſtitutionem in hoc loco ſcribente Hipp.* &c. Et alio loco, exponens verba illa Hipp. „ *Et multi interie-* „ *re*, ait: *Peſtilentes fuiſſe morbos, qui vagabantur, oſten-* „ *dit ex eo quod dicit, Et multi interiere.* Tam igitur longe abeſt ab ea conſtitutione Gallicus morbus quam longe abeſt a peſtilentia & mortalitate. Scio futuros, qui mihi vitio dent, quod in re tam aperta anxie nimis & ſcrupuloſe pugnaverim.

Præſtet igitur & vincat veritas propriis viribus nixa, diverſos quidem affectus hujus morbi eſſe ſigillatim ab antiquis ſcriptos, connexionem vero eorum & ſequelam à nemine fuiſſe ſcriptis demandatam. Nec pergant homines in aëre vel in cœlo cauſas morbi perquirere, ſed in aëris cœlique moderatorem, hoc morbo flagitia hominum, libidinem præcipue & linguæ petulantiam punientem, (ſere enim à genitalibus incipit lues & in os deſinit) & in inficientis infectique corporis natura, cauſas & differentias hujus morbi perquirant. Hugo Senenſis, inter omnes, quos hactenus legi, ſaluti cujuſdam juvenis per ſcripturam conſuluit, qui prope hunc morbum videtur acceſſiſſe. Paſſus enim eſt puſtulas, tumores duros, ulcera, capitisque & diverſorum membrorum dolores, noctu etiam magis quam interdiu affligentes ita, ut caruiſſe tantum puſtulis genitalium & capitis inter capillos videatur, quæ tamen ſunt vel primæ, vel maxime hujus morbi propriæ. Curatio autem, quæ ei paſſim ab imperiti, præſertim per argentum vivum & minium adhibetur, ab eo morbo accepta eſt, quem recentiores Chirurgici malam ſcabiem, & malum mortuum appellant, alium tamen longe ab hoc morbo. Sed dixerit forte quiſpiam: Si hic morbus nonniſi per concubitus contagium generatur, quo pacto primum novus cœpit? videntur enim duo hæc invicem repugnare, quod ſcilicet novus ſit, & quod per ſolum contagium innaſcitur. Si enim novus eſt, cœpit primo, nec prius erat, à quo poſſet per contagium derivari. Si per contagium cœpit, non poteſt novus eſſe, quia neceſſario in eo fuit, quo eſt per contagium derivatus. Dupliciter hic poſſumus reſpondere, juxta duplicem hiſtoriam de ejus origine. Sunt enim qui dicant novum non ſimpliciter eſſe, ſed ex inſula quadam antiquis incognita, ubi frequentiſſimus eſt, in hanc, quam nos incolimus, habitabilis terræ portionem per Hiſpanos, qui illuc navigarunt, importatum principio apparuiſſe. Alii ſunt, & hæc eſt antiquior ſententia, & majoribus fulta teſtimoniis, qui cœpiſſe hunc morbum per id tempus dicunt, quo Carolus Francorum rex expeditionem Italicam parabat: cœpiſſe autem in Valentia Hiſpaniæ Taraconenſis, inſigni civitate, à nobili quodam ſcorto, cujus notam elephantioſus quidam ex equeſtri ordine miles quinquaginta aureis emit, & cum ad mulieris concubitum frequens juventus accurreret, intra paucos dies ſupra quadringentos infectos, e quorum numero nonnulli Carolum Italiam petentem ſequuti, præter alia, quæ adhuc vigent, importata mala, & hoc addiderunt, inter minima non deputandum. Quæ hiſtoria ſi vera ſit, ut ego non invitus credo, novus ſimul erit, & per contagium certus, non alterius hominis eodem affecti, ſed elephantiaſi, quæ in hanc quaſi degeneraverit, & de ſuo gradu in proximum deciderit. Minus autem de hoc mirabitur, quicunque apud recentiores legerit, eos, qui mulieri coierint, quæ parum antea cum leproſo (ſic enim elephanticum vocant) rem habuerit, ſemine quidem adhuc in utero manente, elephantiaſim quandoque incurrere, quandoque non, ſed alias oblæſiones majores, minoreſve, prout & ipſi affecti ſunt, & elephantioſus ille, qui mulierem infecit. Hæc igitur ſunt, quæ de morbo Gallico hactenus potui intelligere. Curam ejus in aliud tempus & locum diſtulimus, neque enim nunc morborum curam, ſed nomina tantum inquiſivimus: Tu vero Michael hæc diu deſiderata lætiore facie ſuſcipe: ſolent enim, quæ longo tempore deſideravimus, eſſe gratiora, tarditatisque culpam non in voluntatem, alioqui tibi propenſiſſimam, ſed in meam valetudinem, variasque occupationes rejice. Vale. Ferrariæ.

*Gallici morbi ortus.*

*Unde ſit accepta vulgatis Gallici morbi curatio.*

*Morbus Gallicus quomodo novus dici poſſit, ſimul & per contagium generatus.*

*Quare non ſcripſerit morbi Gallici curationem.*

# EPISTOLA PRIMA,

## *Pro Reverendiſſ. Cardinale* CAMPEGIO.

Lignum Indicum ſicco pede tranſiveram, quod putabam ejus potum Reverendiſſ. D. jam ſeni, & variis magnisque negotiis impedito, non multo uſui futurum, præcipue, quia tenuiorem victum expoſcere videbatur, quam ſua Reverendiſſ. D. vel ferre poſſet, vel vellet. Verum quum intelligam & vires ei majores, quam putabam, adeſſe, & maximam in eo fiduciam, dicam breviter, quid de his ſentiam, quæ per excellentiſſimum quendam medicum ſcripta de eo ligno ſunt.

In primis, ego quoque Sanctum illud vocatum magis quam primum efficax eſſe puto, & propterea conſuevi prius per dies circiter decem, primo illo ceu faciliore uti, ut natura aſſuefacta ſecundum, quod potentius eſt, melius ferat. Soleo autem octo aquæ partibus unam ligni addere, contentus, quod tantum bulliat, ut media pars aquæ ſit conſumpta. In ſecunda quoque illa aqua, quæ potus loco in prandio & cœna bibitur, non omnino cum eo ſentio. Magis enim mihi placet, ut ex novo & crudo ligno conficiatur, quam ex eo, quod primæ decoctioni ſervivit: ita tamen, ut quarta ſolum pars in coctione decreſcat, tres ſuperſint.

Nec mihi diſplicet, ſi ad reddendum potum magis placidum, portio aliqua mellis roſacei ad guſtum domini adjiciatur. Vellem etiam ut decocti, quod mane ſyrupi loco bibitur, major eſſet modus, hoc eſt, ſex minimum unciarum.

Laudo præterea & modum & uſum ſpumæ ſupra dolentia loca. Efficacius tamen eſſe puto oleum ex eodem ligno (modo quem chymiſtæ per deſcenſorium vocant) diſtillatum, inunctis videlicet ex eo locis dolentibus & tumidis. Soleo etiam ex ramentis ligni crudi, in nobilique aliquo vino decoctis, addito antiquo oleo, linimentum parare, quod dolentibus locis utiliter illinitur. Ante vero quam tempus commodum uſui ligni veniat, quod ego poſt æquinoctium, noviluniumque proximum, maxime congruum puto, purgatio totius corporis facienda. Quibus vero medicamentis, arbitrio præſentium medicorum permitto, qui viſis his, quæ ab aliis excellentioribus medicis, & à me ſcripta ſunt, ea eligent, quæ magis judicaverint idonea. Nam ut verum ingenue fatear, multiplices illæ ſive ſyruporum, ſive pillularum commixtiones a me non probantur. Rationem victus pariter arbitrio eorundem præſentium medicorum permittendum puto, ita tamen ut eorum ſententiam probem, qui tenuius primo reficiunt, dehinc paulatim augent, donec ad victum ſanorum ventum ſit. Unum tamen addiderim, quod, quo parcior erit victus, modo eum vires ferant, erit utilior. Quare laudarem, ut prima ſaltem ſeptimana ſolo pane, & vel amygdalis, (neque enim has renuo) vel piſtachiis, vel pini nucleis, etiam ſaccharo opertis, vel paſſulis eſſet contentus. Quem victum, ſi bene & ſuo medicorum judicio toleraret, laudarem, ut ad tertiam uſque ſeptimanam ſervaret: qua completa, jam aviculas guſtare poſſet, quem lautiorem victum citius inchoabit, ſi vires tenuem illum non poſſe commode ferre videantur. Quam tamen victus permutationem velim non repente fieri, ſed per gradus quoſdam, ita ut primo vel parvi valde pulli, vel aviculæ, & exigua quantitate exhiberentur, ſicque fieret ad phaſianos uſque paulatim acceſſus. An vero durante hoc potu, venter, ſi ſponte non ierit, ſit aliquo medicamento juvandus, dicam quid conſueverim, & quid agendum putem. Si penitus venter retinetur, vel ſingulo, vel tertio, quoque die, decoctum ejuſdem ligni per clyſterem infundo, adjecto melle roſaceo, & aliquo oleo, quod videatur, congruere. Sed & præterea ſingula quoque ſeptimana ſemel potioni, quam in aurora bibunt, *vel mannam, vel ſyrupum roſaceum ſolutivum, vel caſſiam adjicio, vel polypodium, vel ſenam*, quibus fiat qualiſcunque evacuatio humorum: non tanta tamen, ut ſudorem poſſit auferre, ſed potius evacuatis craſſioribus quibuſdam humoribus, tenuiores partes melius per ſudorem, urinam, ac ſenſu non perceptam diſſlationem, valeant evacuari.

In potu quoque veſperi ſumendo (quem minorem eſſe volo quam matutinum) non tantum ad ſequuturam cœnam reſpiciendum puto, quantum ad prandium, quod præceſſit. Sed hoc potiſſimum in utroque conſiderandum, ut bona cibi concoctio facta jam ſit, & ut, quantum fieri poteſt, vacuo ventriculo potio accipiatur. Quare ſi in aurora non videatur completa cœnæ concoctio, tamdiu differatur potus, quamdiu perfecta concoctio videatur. Quod & in veſpertino potu ſervandum duco, ut ſcilicet non

antea

antea ſumatur, quam prandium ſit plene concoctum. Mora vero inter potum & cibum tanta mihi ſufficere videtur, ut faſtidium deſierit, quod ex potu forte fuerit excitatum. Satis autem mihi videbitur, ſi dimidia pars veſperi detur ejus, quod mane bibitum eſt, quatuor videlicet unciarum. Quo vero tempore tenuiore illo victu utetur, raro ex lecto, nunquam è cubiculo exeat. Sitque cubiculum lucidum, bene à vento tutum. Aſt ubi cæperit locupletius refici, completo, & abſterſo ſudore, è thalamo ſereno aere & tranquillo exire poterit, & per domum vehi, & poſt quartam ſeptimanam ad amœna loca, ſolatii gratia, extra domum vel lectica, vel curru deferri. Hæc circa ligni uſum mihi notatu digna viſa ſunt: quæ tamen non ideo ſcripſi, quod ſententiam priorem mutaverim, ſed ut morem gererem Domino Reverendiſſimo, quem intelligo magnam incolumitatis ſuæ ſpem in hoc ligno collocaſſe, quæ ſpes non parum videtur ad ſalutem conferre. Deus autem opt. max. tantum huic præſidio & reliquis aſpiret, ut optata inde ſequatur ſanitas, univerſæ Criſtianæ Reipub. profutura. Ex Ferraria, IV. Nonas Auguſti.

# EPISTOLA SECUNDA,

## *Pro Reverendiſſ. Epiſcopo Cracovienſi.*

Etſi Deus optimus maximus ſumme juſtus ſit, & ſumme benignus, pro imperſcrutabili tamen conſilio ſuo, & univerſali providentia, modo unum, modo aliud, nec ita unum, quin & aliud ſimul, nobis manifeſtat. Quum igitur anno ante hunc duodequadrageſimo, ad coercenda humani generis delicta, luem peſſimam, Gallicam vocatam, veluti multicipitem hydram, in nos graſſari permiſiſſet, non paulo poſt quaſi alexipharmacum, ex incognito antiquis orbe, ad incogniti morbi curationem, lignum quoddam juſſit afferri, quod Sanctum haud immerito ab his nuncupatum eſt, qui ejus beneficio à tam pernicioſo morbo, atque aliis, qui fere inſanabiles videbantur, ſunt priſtinæ valetudini reſtituti, & de lacu miſeriæ in portum reducti ſalutis. Hujus uſum varii vario modo docuere: omnes tamen in uno hoc peccant, quod omnes uno calceo (ut ajunt) calceandos exiſtimarunt: cum tamen ita in hoc, ſicuti & in aliis medicinæ præſidiis, pro naturalibus, non naturalibus, & præternaturalibus rebus, oporteat & victus rationem, & ipſius ligni modum, atque uſum variare. Quæ licet non adamuſſim præcipi poſſint, patiente non continue viſo, ut tamen Reverendiſſimo Domino, & mihi ſumme obſervato morem geram, attentis his, quæ alias per Excell. Cracovienſes medicos mihi de illius affectibus ſignificata ſunt, quantum mea poterit imbecillitas, conabor oſtendere, quænam agenda mihi videantur, ut deſideratus finis ex hujus ligni decocto conſequatur. Ut igitur ordine quodam incedamus, quatuor præcipue conſiderabimus, videlicet ligni electionem, ejuſdem præparationem, uſum, victus rationem. Tria ad nos hactenus hujus ligni genera pervenere. Primum, quod Guajacum vocant, denſius, gravius, craſſius, interiore parte nigricantius, exteriore ſubpallida, & veluti lineis quibuſdam ad fuſcum inclinantibus, in æque diſtantibus per longum interſecta. Alterius ad albius magis vergit exterior pars, neque eſt tam manifeſtis lineis diſtincta: nigrum tamen & ipſum colorem intrinſecus oſtendit, ſed minore orbe quam præcedens. Tertium, quod Sanctum præcipue vocatur, tam intrinſecus albicantem colorem præ ſe fert, exilibusque valde lineis ejus diſtinguitur longitudo. Ex tribus hiſce generibus ego in caſu noſtro primum prætulerim, quod proculdubio ebenum eſſe Indicum puto, nec ab eo fecundum, niſi forte natalibus, differre. Tertium valentius eſſe non dubito, quoniam & acrius eſt, & odoratius. Quia tamen ejus decoctum & aſpectu turpius, & guſtu eſt inſuavius, veritus ne ita diſpliceat, ut ventriculum proſternat, ne continuari ejus potus poſſit, idcirco primum potius eligendum ab initio puto. Ubi tamen ejus potus per 20. dies ſumptus, non plene profuiſſe viſus fuerit, poterit D. ſua Reverendiſſima per quinque vel decem dies hoc tertio uti, vel pluribus etiam, ſi opus eſſe præſentes medici indicaverint. Et hæc quidem de ligni electione dicta ſint.

Præparatio haud difficilis eſt, atteritur enim vel lima, vel torno, vel ſcobina, vel alio inſtrumento, & in tenuiſſimum, quantum fieri poteſt, pulverem redigitur, in decuplaque electiſſima aqua, vitreo vel vitreato vaſe, tandiu claro igne, nec admodum vehementi, bullit, donec tertia pars excoquatur. Semper autem, dum bullit, ſpuma auferatur, & per ſe ad uſum, quem inferius docebo, reſervetur. Et hæc quidem aqua erit pro medicata potione, ſicuti inferius docebimus, mane & veſperi bibenda. Alia vero aqua ex eodem quidem ligno, ſed in craſſiuſculas partes diſſecto, hoc modo paretur. Sunto ligni pars una, aquæ vigecupla, mundoque vaſe, vehementioreque, claro tamen igne bulliant, donec quarta tantum aquæ pars conſumpta ſit: qua aqua inter prandendum, cœnandumque non alio adhibito potu, ſicuti inferius monſtrabitur, utetur. Uſus primæ aquæ talis ſit. Præcedat purgatio, per tres ſequentes potiones: *Senæ, polypodii, paſſularum ana drach. vj. bulliant in ſex unciis aquæ fœniculi ad tertiæ partis conſumptionem, & in decocto madeant horas decem: rhei barbarici, agarici ana drach. v. dulcoretur cum melle roſaceo ad guſtum Domini.* Sumpta ter hac potione, mane ſequenti in aurora bibat decocti primo parati unc. iiij. quantum ferre poterit calidi, atque per horam dormiat: dehinc iterum quatuor alias uncias bibat, jaceatque per aliam horam, ſed non dormiat: poſt quam tertio eandem quantitatem aquæ bibat, ſed tepidam, ſtatimque à potu ſurgat, & loco calido leviter tandiu inambulet, donec aqua è ventriculo deſcendiſſe videatur, tuncque eo modo prandeat, quo inferius jubebimus. Veſperi, ubi jam concoctum prandium erit, quinque uncias ejuſdem aquæ bibat, non valde calidæ, & poſt horam unam cœnet: eundemque præciſe ordinem per continuos dies quinque ſervet. Die ſexto ex præſcriptis purgatoriis potionibus unum accipiat: nec eo die primam illam aquam bibat, ſequenti, hoc eſt, ſeptimo, penitus quieſcat, nihilque aliud medicinale accipiat, præterquam unum cochleare ſequentis mixturæ: *Ramentorum tenuiſſimorum illius tertii ligni, quod Sanctum vocant, partem* I. *maceris, quem florem moſchatum vocatis, p.* 5. *mellis roſacei p.* 4. Octavo die ad potum primi decocti revertatur, eoque decem diebus, quo ſuperius diximus modo, utatur: niſi forte augenda quantitas præſentibus medicis videatur, ad uncias uſque quinque pro ſingula potione. Undecima die, quæ erit à primo potu decimaoctava, eandem purgatoriam potionem accipiat, poſt quam duobus diebus quieſcat, eadem qua diximus mellis roſacei mixtura utens ſequentibus diebus, poſt videlicet viginti, ſemel tantum aquam ex ligno ſancto factam, mane ad quantitatem quinque unciarum bibat: quem potum per alios decem dies continuare poterit, & diebus tranquillis ac ſerenis domo exire: quibus niſi alvus ſponte ierit, *clyſmatibus ex eadem aqua factis, adjecto melle roſaceo & oleo chamæmelino*, mollienda erit. quod etiam prioribus diebus agendum, ſi opportunum videbitur. Vidi enim nonnullos, qui ex decocti primi ligni octonis unciis, ſolutam ſatis alvum nacti ſunt. Completis his decem diebus, vel eadem purgatoria potio, vel alia conſimilis, vel etiam validior, (ſi præſentibus medicis videbitur) erit exhibenda, atque poſt hanc mixtura utendum, quæ habeat *ligni ſancti, nucis myriſticæ, ſeminis fœniculi, ana partem unam, ambræ p.* 5. *moſchi partis unius quartam partem, mellis chebularum quadruplum aliorum.* Spuma, quam diximus ex primo decocto ſervandam, frons & tempora aſſidue perfricanda, & ſi qua pars corporis alia male videtur affecta. Et hic quidem horum lignorum uſus mihi videtur Reverendiſſ. huic Domino conducturus Quod faxit Dominus Deus noſter. Supereſt victus ratio, quæ vi conſtante, primis quinque diebus ſatis tenuis ſit, ut videlicet quotidie ſex tantum unciæ panis edantur. Sit autem non ſemidalites, puriſſimave farina confectus, ſed ex ea, cui aliquid craſſiorum tritici partium ſit commixtum, beneque fermentatus & coctus, ac modice ſalitus. Obſonii autem loco nihil accipiatur, niſi pinei, vel amygdalarum nuclei, vel piſtachiorum, aut nudi, aut ſaccharo obducti. Addere poteſt & orientales paſſulas majores, minoreſve, ſed ita modicas, ut omnium horum etiam pondus ſelibram non excedat. Panis autem, & alia, quæ obſonii vice accipiuntur, inter prandium & cœnam ita diſpartiantur, ut conſuetudo ſervetur. Tutius tamen videtur, ut cœna minor ſit prandio, quod mane, dum aqua bibenda erit, ſit plene concocta. Sexto die quo purgatione utetur, addet jus parvæ pullæ gallinaceæ. Decem ſequentibus diebus, ſi ferre eundem victum poterit, nihil plus adjiciat: ſi minus, tres carnis ejuſdem pulli parvi unciæ juri ſupperaddantur. Poſt viginti dies, phaſiani vel perdicis pulpæ concedantur, quæ tamen ſelibram per diem non excedant. Tranſactis in totum triginta diebus, paulatim annonæ adjiciatur, ita ut exactis quadraginta diebus, ad conſuetum victum, qui tamen parcus ſemper eſt, ut audio, revertatur. Quod ad potum vero attinet, ſecunda

aqua

aqua, à me ſuperius deſcripta, primis quinque diebus ſimplici utetur. Sequentibus decem diebus mel, vel ſaccharum adjicit. Poſt viginti, tribus vini cyathis contentus erit, hoc eſt, unciis in totum ſex. Hæc ſunt, quæ mihi, alioqui occupatiſſimo, viſa ſunt de potu horum lignorum ſcribenda: quæ tamen omnia arbitrio præſentium clariſſimorum medicorum & correctioni permitto, quibus me etiam atque etiam commendo, reverendiſſimoque domino cum humilitate me trado.

Ex Ferraria in vigilia ſancti Matthæi.

FINIS.

# JOANNIS FERNELII, *Ambiani*, DE LUE VENEREA DIALOGUS.

*Ex Lib. II. De abditis rerum cauſis Cap. XIV. erutus. Ubi de Elephantiaſi nonnulla tractantur.*

Nec non &

## CAPUT UNUM EJUSDEM, DE EADEM LUE LIBRO SUÆ MEDICINÆ SEXTO DE PARTIUM MORBIS, AC SYMPTOMATIS CAP. XX.

*Eudoxus.* Qualis eſt virulentorum animantium pernicies atque contagio, talem velim exiſtimetis latere ac teneri in lue venerea, niſi quod hæc fortaſſe minus præſens ad mortifera ſit. *Brutus.* Gaudeo te in hujus morbi ſermonem incidiſſe, de quo tam multi multa ſcripſerunt, ſed quæ palato meo non ſapiant, quo circa tuam de re ſententiam tantopere optamus audire. Hujus primam originem alii ſiderum inſolenti conſtitutioni, alii aquarum inquinamentis, alii cujuſdam ſcorti impuritati referunt acceptam. Cæterum licet ea lues ſenſim contagione in omnem Europam, Africam, Aſiam, & extremam Indiam defluxerit, omnemque orbis partem, quæ noſtratium commerciis utitur, impleverit: quoniam tamen deprehenſa eſt ab uno quopiam, aut admodum paucis, Neapoli originem habuiſſe, non potuit ſane epidemiorum morborum conditione à certo aſtrorum influxu derivari. Quamplurimos enim paucis diebus afflixiſſet, tandemque tempore deſiiſſet. Ego proinde exploratiorem duxerim poſtremam originis rationem. *Eud.* De origine haud magna contentione decertem, ſed de illius cauſa, de vi & natura, ex qua curandi ratio omnis ducenda. Primum autem occultam & venenatam illius eſſe naturam, tum ex invaſionis modo, tum ex iis, quæ mox tradentur, perſpicuum fiet. Atque cum neminem unquam hac lue labefactaverit inquinati aëris inſpiratio, non debet ea inter epidemios recenſeri. Quum nec alimentorum impuritate, nec vitio unquam ſit orta, non numerabitur in ſimpliciter venenatis. Reſtat igitur habeatur in contagioſis. Veneni quidem ac perniciei hujus vis & efficacia tempore deliteſcit, & tempore copioſis ſignis & argumentis ſe prodit. Utque rabidi canis, aut ſcorpionis, ita hujus venenum, ab ea ſede, quæ ſit contagione labefactata, ſenſim in omne corpus perreptat atque lævit, ut plane contagioſorum morborum naturam imitetur. Qua parte contactus, & ſocietas eſt, ab ea maxime prehendit & initium ducit. Qui venereo complexu jungitur cum inquinata, à pudendis luem contrahit. Nutrix à qua pollutus infans lac ſugit à mammis, condormiens inquinato ſudore diffluenti, à cute & à ſummis corporis partibus, qui effuſio. re oſculo ſalivam exceperit, ab ore, infans vitiata nutrice altus, nunc ab ore, nunc ab interioribus. Obſtetrix, quæ infectæ parturienti opem tuliſſet, a manu, quæ tandem excidit. Hujus tamen veneni, quia vis eſt hebetior, nonniſi in apertam nudamque partem invadit. Partium à quibus lues exordium capit, aliæ aliis gravius vitæ diſcrimen adferunt, omnium vero exitioſiſſima eſt, quæ ab interioribus & reconditis viſceribus, aut à partibus obſcœnis inchoat, cæteræ ſunt leviores & minus periculoſæ. Quanquam autem illius una eademque perpetuo eſt eſſentia, ut tamen corpora, quibus inſederit, natura, temperamento, affectu, & habitudine variant, diſtincta multipliciaque ſymptomata inducit: alia quidem in bilioſo, alia in pituitoſo, alia in melancholico, non enim ſi bilioſus pituitoſæ concubuerit, eiſdem atque illa ſymptomatis premetur. Non igitur poſſint ex ſymptomatum differentia, propriæ morbi differentiæ conſtitui. Cuicunque particulæ lues primum inſederit, illic inhæreſcens puſtulam excitat, interim & ulcuſculum inde longius prorepens radices figit, ſenſimque partium continuatione adaucta interiora ſubit, & ad extremum (ni medicamentum adhibueris,) furore corpus univerſum vaſtat atque depopulatur. Hinc venenum malo ſubeſſe intelligitur, non aliter quam ſcorpii aut rabioſi canis virus, perreptans in omne corpus. Illius ſigna varia efficit partium natura, ad quas pedetentim repit & permanat. Quum viri (exempli gratia) concubitu à pudendis madore perfuſis initium habet, puſtulas in his primum & ulcuſcula evocat contumacia malique moris. Vapor dein aut ſpiritus ductu cavo pudendi intro irrepens (neque enim credibile eſt humoris quicquam eo ſubire) venæ cavæ ſanguinem, arteriæque majoris ſpiritum labefactat, tumque bubo prorumpit in inguine. Hinc vaſis ſpermaticis, renibuſque affectis, gonorrhæa ſe promit, qua virus turpiſſime, velut eructando, ejicitur. Quum execrandum malum in jecur, & in ventriculum invaſit, levis quidam alvi fluor ſuboffendit, moxque cum jecore ſanguis polluitur, quo cunctæ corporis venæ participes fiunt, eoque in artus, in muſculos, & in cutem diſſeminato, compreſſum maleficium, atque tacitum erumpit, profiliuntque lividæ rubenteſque puſtulæ, ulcuſcula cruſtoſa & herpetes, nonnullis ulcera cava atque maligna, & bilioſis quidem phagedenica & exedentia, melancholicis cancroſa, pituitoſis leviora, ſed ſordidiora, & humore quodam mucoſo fœtidoque manantia, ſanguineis crebriora & carbunculi effigie. Omnia quidem labris præduris, tumentibus & inverſis, quæ exeſa carne, ipſa etiam oſſa depaſcunt: primum tenella, qualia ſunt nari & palati, deinde ſolidiora, quæ putria carioſaque excidunt. Ab iis, cum malum jam cerebrum ſummamque corporis arcem oblidet, multa ſupervacua pro partis conditione pituitoſa colligi neceſſe eſt, quæ ſi intercluſa capite teneantur, & magnum & acerbum dolorem commovent; ſin foras ſub cutem capitis promineat, vel in articulos, vel in artus deturbentur, his aut cruciatus excitant immanes ac diuturnos, qui noctu maxime invaleſcunt, aut tophos præduros, ſcirrhoſosque tumores, haudquaquam tamen doloris expertes. Quanquam enim pituitoſa videtur materia, veneni tamen maleficio perfuſa, acrimoniæ particeps eſt. Hinc ſub offium membranas ſe recondens, tum acrimonia, tum diſtentione dolorem excitat. In offium vero ſubſtantiam per tenues quaſi tubos ſe inſerens, illa diffundit dilatatque in tumorem, quæ tandem carie conſumpta putreſcunt. Si minus aliquantulum acris & mordax materia cutem non exedit, ad pilorum radices effuſa, malignitate aut venenato vapore, effluvium concitat, quo plerique viſi ſunt ſine capillis, ſine ſupercilio, ſine barba, ſine piis, qui poſtea tempore repullularunt. Quum tam multa ubique ſint hujus perniciei ſigna, nullum tamen cernitur in urinis, neque ex his quiſquam aut hoc, aut aliud ullum veneni genus poſſit deprehendere. Jam vero hæc paucula de venerea lue, ſi adhibito animi indicio ſtudioſe obſervabitis, cui veſtrum non perſpicua ſit ejus pernicies? Quis ex vobis eam veneni participem eſſe inficiabitur? Si in omne corpus diſſeminata ſerpit, non aliter quam quæ à rabidi canis morſu infertur, poſſitne expers eſſe veneni? Neque vero in externas duntaxat, quæ ſub aſpectum veniunt, verum etiam in interiores quasque partes, in ipſaque viſcera penetrat, quæ (quod de exanthematis afferebatur) diſſe-

ctis mortuis comparent puſtulis ulceribusque fœda. Plurimi ſane hoc in morbo, in aliisque venenatis captioſa, eaque admodum inani ratione falluntur, quod dum vident ſymptomata hæc omnia cum humoris cujuſdam vitio inſultare, nihil præter humorem ineſſe putant, nihil majus animo concipiunt, neque acriore illa animi acie perſcrutantur, num aliud quippiam in humore ſubſit, in quo præcipua affectionis cauſa conſiſtat: quale procul dubio ſi ſenſu non cernimus, oportet certe ratione & intelligentia comprehendere, alioqui in maximarum rerum ignoratione verſari. Itaque vis illa veneni, tenuis admodum ac fere corporis expers, ſenſuſque noſtros effugiens, aut in humore, aut in alio quovis corpore inhæreſcit, quod ſubjectum duntaxat quaſi vehiculum eſt ejus, quæ nos afficit, maleficioſæ facultatis. Qui enim poſſit corpori noſtro vim inferre ſola virtus incorporea? *Brut.* Omnem certe hac de re dubitationem & velut caliginem, dilucida interpretatione diſcuſſiſti. Velim tamen inſuper mihi aculeos ex animo evellas, quos nonnulli infixerunt. Ajunt illi, hanc luis venereæ contagionem & in dies mutari, & jam prorſus inclinare, atque conſeneſcere, ut ſit poſthac brevi finem habitura. Quid quæſo hac de re ſtatuis? *Eud.* Hanc niſi ſua clementia Deus optimus extinguat, aut effrenem hominum libidinem temperet, nunquam extinctum iri, ſed fore humano generi comitem & immortalem. *Phi.* Circumferunt tamen olim puſtulas fœdas erupiſſe complures, dolores admodum paucos, nunc contra puſtulas eſſe nullas, dolores autem atroces cum tuberculis ſcirrhoſis. *Eud.* Id fortaſſe effecerit non luis conditio, ſed præpoſtera multorum curatio. Adeo enim nunc ea mortalibus eſt formidabilis, ut vel illius minima ſuſpicione confeſtim ad remedium ex hydrargyro concurratur, quod ſane puſtularum ardorem extinguit, at deſtillationes, articulorumque dolores exagitat. *Brut.* Tune igitur vulgarem illam medendi rationem confirmas? *Eud.* Nihil equidem minus, quod ea morbi ſymptomatis duntaxat ſuccurratur, radice neglecta. Ad tetræ hujus & immanis belluæ oppugnationem omnes machinas adhibuerunt. Alii, dum ſperant ſe initio radicem vacuationibus evulſuros, purgant valide, dehinc quibus competit ſanguinem mittunt, mox reliquias idoneis ſyrupis præparant, quas & ſecundo & tertio interdum & quarto expurgent. Ea certe curatio, ſi malum inter initia conſiſtit, ſoluſque corporis ſpiritus vel humor inquinatur, plerumque liberat, non item ſi jam partium ſubſtantia obſidetur. Alii ratione non admodum diſſimili extenuanteque victu, & potu ex hebeno Guajacina, vel ſancta, vel ex Chinarum radice corpus abſumunt, humores detergunt, diſſipantque in urinas & ſudores. Hinc neceſſe eſt, puſtulas & ulcera cum corpore ſiccari & ſaneſcere, tophos præduros incidi, atque diſſolvi, ex hisque natos dolores miteſcere. At ſymptomata iſthæc putato, morbi vero eſſentiam multo diverſam, quæ illis abeuntibus, etiamnum tanquam radix ſolidarum partium ſubſtantiæ firmius inhæreſcit. Alii unctionibus ex hydrargyro curationem ſuſcipiunt. Cum enim hydrargyros non, ut pleriſque viſum eſt, calida ſit, ſed adeo frigida, ut vi narcotica dolores quoſcunque ſopiat & leniat, optima ratione ſanguinis eruptiones, bilis ardores exeſionesque retundit, puſtulis ulceribusque malignis opitulatur. Quum eadem vehementer humida ſit, præduros tumores emollit, concretosque diſſolvit. Et quoniam adeo tenuium eſt partium, ut omnia vel duriſſima metallorum corpora ſubeat, penetret atque diſſolvat, multa e corpore per ſudores diſſipat, quædam purgatoria vi in alvum deturbat, multamque pituitam ex ore prolicit. Quo circa ex accidenti deficcans, vacuansque ſymptomatum materiam, illis non parum ſuccurrit. At certe crudelius, quam Guajacum, magno oris tædio, graviore virium jactura, & imminentiore periculo. Etenim cerebrum tanto frigore offendit, ut rheumatiſmis deinceps opportunum maneat: nervos, articulos eatenus laxat & debilitat, ut in omnem fluxionem proni evadant, ſuſcitenturque tremores immedicabiles, & recentes cruciatus priſtinis graviores. Non ut in ſimplici arthritide hi repente oboriuntur, neque foras prominent, ſed ſenſim radice altius defixa, penitius fere in oſſa tibiæ & humeri ſubeunt. Hydrargyrus tanto periculo ſymptomatis opem ferens, mali radicem haudquaquam evellit. Quo fit, ut tum hæc, tum ſuperiores inefficaces ſint & parum tutæ cum periculo recidivæ, quum præſertim lues initium præterlapſa, ipſam partium ſubſtantiam obſedit. Tempore ſiquidem revireſcit, recurritque interdum poſt annum trigeſimum, tantoque intervallo mali fomes quaſi ſepultus deliteſcit. Et nihilominus, qui tum expertes mali prorſuſque expeditos ſe putant, alios, cum quibus concubuerint, contaminant, proleinque gignunt ea lue conſperſam, indicium profecto tum temporis mali fermentum, in venis in ipſisque partibus reſervati, & (ut dicere ſolent) in ipſis quaſi medullis latere. Recidiva raro perſimilis eſt radici, neque iiſdem ſymptomatis, ſed fere deſtillatione, arthritide, artuum dolore, tophis, vel oſſium carie moleſta: neque pari contagione eos, cum quibus ſocietas eſt, afficit, quod illis auxiliis humoris furor & impetus repreſſus ſit, etiam nondum mali radice evulſa. *Brut.* Hanc igitur quanam alia ratione putas exſtirpari poſſe? *Eud.* Propriis antidotis & alexipharmacis. Neque enim hydrargyros, neque hebenus alexipharmacorum, aut antidotorum vim obtinent; ſed empiricorum inventa ſunt, quæ plerique, vulgi imitatione inducti, tanquam fucum adhibent malo: quum certe foret conſultius imitatione curationis rabioſorum à veteribus inſtitutæ, remedia in id meditari conſentanea. *Brut.* Miror equidem, ſæpeque ſum miratus, neminem hoc toto ſeculo veram luis curationem attigiſſe, perſuaſus ſatis veram eam non eſſe, quæ circumfertur. *Ph.* Omnes quæſtui inhiant, & poſthabita inveſtigatione veri, quicquid primum ſors obtulit, ſequuntur. Male nobiſcum ageretur, ſi novi ſæpe morbi emergerent, quando ne unius quidem remedia aſſequi valemus. *Eud.* Itaque ut rabiei, ita luis venereæ propria quædam eſt antidotus, quæ etiam, ſi neque victum admodum tenuem, neque evacuationes multas præmittas, una poſſit labem eluere. Symptomata vero, ulcera, dolores, tophi, & quæcunque acriter urgent, idoneis, nec tam longe petitis auxiliis, expeditius tutiuſque leniri poſſunt. *Brut.* Hæc ex te diſcere vehementer optamus. *Eud.* Vos me rei novitate impuliſtis, ut nimis multa de tam fœda lue narrarem. Temporis brevitas plura non fert, neque hic abditorum morborum curationes, ſed cauſas duntaxat ex profeſſo inveſtigamus, demonſtramusque. *Brut.* Huc ſaltem ſi quid de elephantiaſi animo concepiſti, in medium profer. *Eud.* Elephantiaſim in contagioſorum morborum genere contineri, omnes certe vel plebeji perſuaſum habent, quod non ut peſtilens halitu ſolo, ſed ut lues venerea concubitu, accubitu, omnique contactu prehendat. Quanquam civitatum legibus elephantici ſepoſiti & à reliqua plebe ſegregati degunt, nunquam tamen vel ſedulo ſciſcitati accepimus quemquam adminiſtrorum, etiamſi perpetui illis aſſideant, ſola ſpiratione contaminatum. Si quis forte malum hoc ſponte proprio intimoque vitio contraxit, non idcirco debet à contagioſorum cenſu rejici. Non enim contagioſum morbum ex ſolo ortu, verum etiam ex invadendi ſerpendique modo definivimus. Elephantiaſim autem non ex ſola atra bile fieri, demonſtrant melancholia morbus, & mania, in quibus, etiamſi bilis atra & in cerebro & in toto corpore redundet, citra tamen elephantiaſim eſt, quemadmodum & quartana intermittens, & quartana continua, in quibus melancholiam putrelcere fatemur. Hæc igitur, & inſuper eruptio fœda foras in partes extimas, & in cutem proſiliens, elephantiaſim perniciei cujuſdam eſſe participem declarat. Ea primum dura, craſſa, aſpera, & ſquammoſa redditur, colore ſublivido vel purpureo, cum ſenſu quodam ſtuporis. Puſtulæ dein extuberant, verrucis initio ſimiles, ſed quæ poſtea grandeſcant, dureſcantque, interdum etiam magna ſœditate exulcerentur. His notis facies potiſſimum, & naſus, manuum pedumque digiti fœdantur, oculi rubore puſtulisque ſuffuſi caligant, pili toto corpore decidui ſunt, maxime in ſuperciliis, & in mento. Omnia igitur foras erumpentia, ipſumque pilorum defluvium, quis malignitatis & latentis veneni notas eſſe non agnoſcat? Multus humor plerumque in cutem confertim effunditur, biliioſus quidem in ictero, pituitoſus in leucophlegmatia, melancholicus in melancholia, à quo nihil tale fieri cernimus. Itaque in elephantiaſi, præter humoris vitium malignum, etiam virus ineſt, quod tum humores, tum partium ſubſtantiam polluit. Illa quippe non ſolius cutis (quod Galenum dixiſſe miror) ſed totius corporis eſt affectio. Quales in linguæ radice verrucæ extuberarint, tales in omnia viſcera, in omnesque partes intimas diſſeminari comperimus. Curandi difficultas morbi malignitatem atque perniciem docet. Hanc idcirco tot ſeculis veram curationem non inveniſſe, reor, quod propria illi antidotus perquiſita non ſit, quam tamen & eſſe, & inveniri poſſe non diffido. *Ph.* De contagioſis morbis ſatis abunde, nunc recepto traditionis ordine de venenatis morbis tranſigendum. Non enim hoc loco de phthiſi, de lepra, de ſcabie, de pruritu, deque aliis hujus claſſis ſermo habendus eſt, qui quamvis in contagioſis numerari ſoleant, manifeſti tamen ſunt à manifeſta putredine orti, neque (quod ſupra monebas) huc quoquam modo referendi.

# JOANNIS FERNELII, DE LUE VENEREA, CAPUT.

Lues Venerea eſt contagioſus affectus cum ulcere aut immani cruciatu variis locis emergens, ac, ſæpe extuberans. Efficiens ejus cauſa, venenata eſt, & maligna qualitas, atque pernicioſa labes, quæ in quacunque corporis parte primum inſederit, eam contaminat, indeque continuatione in corpus omne ſpargitur, & ex parvo initio & quaſi ſuſcitabulo profecta, ſenſim invaleſcit & propagatur, dum non ſpiritus modo atque humores, ſed & carnem & partes omnes ſolidas pervagetur. Neque earum temperamentum ſolum, verum etiam totam ſubſtantiam pervertit, vix ut ulla deinceps probo ac puro fruatur alimento. Hinc excrementorum proventus ſuccreſcunt, variaque vitiorum genera emergunt, qualia mox recenſebo. Ea porro qualitas non ſimplex & ſolitaria eſt, ſed in humore ſubſiſtit, quo ut ſubjecto quodam & vehiculo utitur. Neque qui jam inquinatus eſt, alium halitu ſolo, ſed liquore de ſe in alterius corporis partem epidermide nudatam ejecto contaminat, è qua malum prorſus initium ſumit. Itaque venerea lues contagioſus eſt morbus non ſponte, intimoque corporis vitio, ſed attactu ſolo contrahendus. Nam & quam quis ab ortu accepit, ea olim ex parentum contagione proceſſit. Maxime autem venereo contrahitur concubitu, à quo & nomen invenit, ejus frequentatione propagata eſt in hominum genus, atque ex unius impuritate, & inquinamento ſenſim in univerſum orbem eſt diſſeminata, miſerabile ſcortatorum flagellum. Sæpius ea è partibus obſcœnis incipit, licet interdum & ex aliis pleriſque locis expullulet, in quibus labes contagione fuerit aſperſa. Inquinatur autem duntaxat vel purus ab impuro, vel impurus ab eo, qui longe ſit impurior, à ſimili vero aut à minus impuro nunquam. Aeque impuros citra offenſionem congredi licet, & uterque tamen puriorem alium congreſſu labefactat. Hauritur interdum lues è ſcorto, quod nondum inquinatum eſt, quum quis cum eo volutatur, mox ab alio impuro ſcortatore. Impuritas non ex cute ſpectatur, quod ſæpe, maximeque inveterata lue fermentum intus reconditum ſit & abſtruſum. Et hæc de cauſis & ortu. Differentias ejus, ſpecieſque nonnulli, quibus ſymptomatum quam eſſentiæ major cura fuit, varias multiplicesque ſtatuerunt. Una tamen & eadem totius eſt eſſentia, ſed variis diſtincta ordinibus, ut alia levior ſit, alia gravior. Eſt & corporum, in quæ illa incidit, permagna varietas, ac utraque ex cauſa fit, ut lues alia levioribus, alia gravioribus ſymptomatis exerceat. Omnium leviſſima eſt ea ſpecies, qua ſolum capitis & barbæ pili ſenſim, citra aliam corporis offenſionem, defluunt. Ejus quippe virus in tenui quodam vapore conſiſtit, qui in corporis ſumma effunditur ad illorum radicem, atque ut ephemera febris à putrida, ita & hæc ſpecies diſtat à cæteris. Altera paulo deterior eſt, qua cutis univerſa crebris maculis minime extuberantibus conſpergitur, iisque A parvis lentiginis inſtar, ac modo rubris, modo flavis, quæ non ante deleri extinguive poſſunt, quam morbi radix ſit evulſa. Hæc in tenuiſſimo ſanguine virus habet, quam nulla graviora ſequuntur incommoda. Tertia ſpecies gravior, ac jam vera lues eſt, ac rubræ aut flavæ puſtulæ primum quidem circa frontem, ac tempora, poneque aures, deinde in capite, atque etiam toto corpore erumpunt & extuberant, rotundo ſchemate ſiccæ ſine pure, quæ deinde ſicca cruſta obducuntur, atque ſi negliguntur, ſerpunt in ambitum, excavantque cutem, dum ex puſtula verum ulcus evadat, quod fere virulentum eſt, ac ſordidum. Partes quæ ad podicem, ad nares, atque fauces ſunt, quia tenellæ, omnium primæ exulcerari ſolent. Emergunt autem hæc, quum jecur ipſum, atque ſanguinis humorumque maſſa labefactatur, à qua protinus carnoſæ molleſque partes detrimentum capiunt. Quarta his ſpecies ſuccedit, quum jam invaleſcens lues ſolidas partes, oſſa, vincula, membranas, ac nervos adoritur. In his jam vitiatis excrementa multa, craſſa quidem & glutinoſa pro partis conditione, ſed tamen maligna congeſtione cumulantur, quæ nonnunquam in tendines, ſæpius inter oſſa & perioſtia confluunt. Hæc quum vel membranam ab oſſe divellunt, vel eam malignitatis acrimonia feriunt, cruciatus cient implacabiles, qui noctu fere ingraveſcunt. Ab his demum coagmentatis præduri tophi cruciatu multo graviore ſuccreſcunt. Eadem porro quum in oſſe ſubſiſtunt, id amplificant, diſtendunt, atque etiam exedunt, ut ejus ſæpe deprehenſa ſit monſtroſa figura. Tandem vero corpus vigiliis, diris cruciatibus confectum, & atrophia marceſcens, vita deſtituitur. Longiſſime hi dolores diſtant ab arthritide, quod hæc brevi parvoque tempore exoritur, idque ex defluxione, quæ repente in articulum incubuit. Dolores vero luis venereæ ſenſim, multoque tempore procedunt ab eo excremento, quod pars male affecta paulatim congeſſit. Adhæc arthritis aut in articulo, aut circa hunc conſiſtit, fixaque eſt. Dolores ex lue, non articulos, ſed medios artus obſident, in quibus & plerumque tophi concreſcunt, maxime vero in fronte & capite, in clavibus, in medio humeri oſſe, & in medio cubiti radio, & in parte priore tibiæ, nonnunquam & in aliis quoque oſſibus. His ergo ex ſignis unaquæque luis ſpecies dignoſci percipique poteſt. Quum autem ex dubiis ſignis de lue ambigitur, ejus origo altius eſt inveſtiganda, à qua parte initium habuerit. Etenim quoniam non niſi attactu contrahi poteſt, neceſſe eſt labes aliqua in ea primum parte comparuerit, per quam infertum eſt virus. Hæc enim prima ſe profert in partibus obſcœnis ſi concubitu, in ſumma cute, ſi accubitu contracta eſt, in nutricum mammis, ſi inquinatus erat infans, in infantis ore & faucibus, ſi nutrix infecta. Emergunt autem in obſcœnis partibus puſtulæ, ulcera maligna, virulentaque gonorrhœa, inguinum bubones. Sed hæc, niſi altius intro ſubeant, nondum lues ſunt venerea, ſed rudimentum, & veluti character ejus impendentis.

B

C

FINIS.

# BENEDICTI VICTORII, *Faventini*,

DE

# MORBO GALLICO,

## LIBER.

Nec non & pro Reverendo

## BARTHOLOMÆO VINCENTINO

## CONSILIUM.

*Ex Conſiliis ipſius Medicinalibus excerptum.*

### PRÆFATIO.

Plato *in* Timæo, *ac in* lib. de Philoſophia *agens de præcognitionibus ſubjacentibus philoſophicæ contemplationi, dixit:* Unicuique proprietatem aliquam inchoare cupienti, ipſius quid eſt, ſcire prius operæ pretium eſſe: *& huic alludens Ariſtoteles*, in Analyticis poſterioribus *decernit, quid eſt cujusvis ſpeculationis, aut artis ſubjecti, præſcire neceſſarium fore. Uti enim tale generationi neceſſarium eſt, ut ait Galen.* lib. 2. de Semine cap. 2. *ita conſentaneum rationi eſt, ipſum præcognitioni adſcribi primo debere, juxta namque illud Ariſt.* 3. Metaph. *Uti res ad eſſe, ita & ad cognoſci ſe habere quilibet conjectare debet. Ob hanc igitur rem ſtatui ego morbi Gallici ſermonem percurrens; Prius quippe qualem habeat quidditatem, id eſt, eſſentiam decernere, ſecundo quales cauſas, tertio qualia ei inſurgant indicia: deinceps vero qualem, & quantam curam obtineat, veluti ex prolixiori, & crebra experientia in hoc affectu procedere didicimus, occurſante quippe ratione & judicio, ut humanæ naturæ contumax hæc lues tum Dei opere, tum beneficio artis noſtræ ab eo adjutæ ab homine propulſetur.*

### CAP. I.

*De morbi Gallici quidditate.*

Nempe puto Gallicum morbum epidemialem morbum cenſeri debere. At quoniam ubique, id eſt, in omni ævi parte in vulgum viget, ac graſſatur, merito & ipſum morbum vulgarem appellabimus. Quicunque enim morbus nedum in locis omnibus, verum & in aliquo uno, multos ſimul invaſerit, hic vulgaris morbus nuncupatur, ut ait Galenus *Commentario tertio tertii de Morbis vulgaribus Hippocratis*, At quamvis morbus hic vulgaris, haudquaquam tamen peſtilens putatur, quoniam non interimit, ſane peſtilens morbus (quoniam interimit, pernicioſam epidemiam appellavit Galenus *primo de Ratione victus acutorum*, *Commento nono*, & *Commentario tertio tertii Hippocr. de Morbis vulgaribus Commentario vigeſimoprimo*, inquiens. *Qui ſimul ſi hoc habeat, ut multos perimat, peſtis eſt:* Morbus igitur Gallicus, eſt morbus epidemialis, qui ſimul uno in loco multos invadit, ut ait Galenus, non perimit tamen, cum cauſam pernicioſiſſimam, ac peſtiferam non poſſideat.

### CAP. II.

*De Gallici morbi cauſis.*

Nempe uti morbi, à materia ortum trahentes, tria cauſarum genera ſibi vindicarunt, ut ait Galen. *primo de Cauſis pulſuum*, *capite primo*, & *Aphoriſmorum ſeptimo. Commento trigeſimo.* Modo ſimili, & cæteri morbi, qui vulgantur, id eſt, per vulgum graſſantur. Pariter quoque & morbus Gallicus eadem tria cauſarum genera poſſidebit, à quibus & eſſe morbi, & ejus ſymptomata facile oriuntur, uti de omni morbo materiali aſſerit Galenus *tertio Artis medicinalis*, & in *libro de Cauſis morborum*, atque ſymptomatum. At genus primum cauſarum Gallici morbi eſt genus cauſæ procatarcticæ, cujus meminit Galenus *primo de Cauſis pulſuum*, *cap.* 1. & in *lib. de Cauſis procatarcticis*, & in *libro de Cauſis morborum*, *cap. ſecundo & tertio*, inquiens. Quæcunque extrinſecus humano corpori contingunt, quibus modo aliquo Gallica affectio progigni poſſit, ea ſub appellatione procatarcticæ cauſæ cenſeri debent, & Galenus *tertio Aphoriſmorum*, *Commento quinto*, Medicum prudentiorem reddens, ait: *Semper enim oportet medicum diſtinguere, & ſeparare id, quod à cauſa extrinſeca contingit, ab eo quod morborum ratione fit, ut præcognitiones facict diligentiores.* Igitur cum in ſerie morborum, qui ex contagio inſurgunt, ut experientia dignoſcitur, Gallicus reponatur morbus, credideram contagium procatarcticam fore illius cauſam unam: cum enim ſit ex viri conſuetudine plurimum coire cum muliere fœda, ac immunda, quandoque eadem lue ab altero viro infecta ex coitus uſu fit, ut & ipſum ab ea pariter infici rationi conſentaneum ſit, ex quo ſequitur, ut morbus Gallicus unam cauſam habeat procatarcticam, contagium: & ſane cum epidemia ſit, (ut proditum eſt) quæ plurimum in vulgum contagio graſſatur, conſonum eſt & ipſius morbi Gallici contagium procatarcticam unam eſſe cauſam: & hoc dixit Galenus *primo de Differentiis febrium*, *cap. ſecundo:* & hanc doctrinam permaxime expedit Hippocr. in univerſum, ex *libro Epidemi.* Alteram quippe morbi Gallici procatarcticam cauſam poſſe eſſe fateor, & id eſt, quod reſpirando attrahimus, ut ſpiritus, cujus attractione vivimus. Ego enim experientia edoctus fui, juvenem fere inculpabili ſanitate munitum, longo quodam temporis intervallo aſſuetum quam ſæpiſſime mulierem, Gallico morbo depravatam, ore exoſculare, nullo per Jovem exercitato coitu, ſed ſolo flatu, & ſpiritu à muliere, motu reſpirationis attracto, fœda, & jam morbo Gallico detenta, in morbum Gallicum incidiſſe, occurſantibus ei univerſis morbi illius ſymptomatibus abſque pene infectione, neque enim ei quicquam in pudendis, & genitalibus apparuit. Igitur uti epidemia, ex difflante vento & aëre attracto, in vulgum graſſari valet, ut ait Galen. *Commento primo primi de morbis vulgaribus*, pariter ex anhelitu putrido, à Gallico morbo prodeunte, potuit in juvene Gallicus progigni morbus, & hoc dixit Galenus *primo de Differentiis febrium*, *capite ſecundo*, inquiens: *omnes morbos, quos anhelitus putredo comitatur, contagioſos eſſe.* Quo fit, ut nonnulli abſque coitu cum muliere fœda & depravata in Gallicum morbum pervenire queant, etſi ad alteram contagii rationem duci valeant. Tertiam vero Gallici morbi procatarcticam cauſam conjectare poſſumus, eſſe cœli ſtatum, cum omnium vulgarium morborum genus ex cœli ſtatu proficiſcatur, ut ait Galenus *Commentario primo libri primi Hippocratis de Morbis vulgaribus.* eandem mentem habuit Hippoc. in *de Natura humana*, ut autor eſt Galen. in præſcripto loco, his verbis, *Cœlum, & non victus ratio omnium morborum vulgarium cauſa exiſtit.* Igitur cum ob varios aſtrorum influxus, atque eorum aſpectus diverſos, variæ, ac diverſæ inſurgant motiones, variique effectus in noſtris quippe corporibus decumbentes, propter hæc ea corpora naturæ limites exeunt. Quo fit, ut eadem plurimis, ac variis morborum generibus detineantur, quorum cauſa eſt cœli ſtatus, vocat autem Galenus cœli ſtatum *octavo Methodi*

*curativæ capite quinto*, ipſam ambientis non aëris temperiem, ſub qua & annitempus, & regio comprehenditur, quando horum quoque utrumque ex ambientis temperie indicationem mutuatur. At quoniam hi morbi vulgantur, ſuæ cauſæ communitate, merito vulgares dicentur, inter quos Gallicum morbum computari conſonum eſt, cujus cauſa una eſt cœli ſtatus, ut nedum ex contagio infecti aëris medii, aut aquæ, aut terræ, ſed ipſa aſtrorum latione, & influxu, morbi tales proficiſcantur, cum in Meteorologicis habeamus, mundum hunc inferiorem lationibus ſuperioribus gubernari, ſicut ſermone prolixiori enarrat Galen. 3. *de Diebus decretoriis*, *cap. ſecundo & tertio*. Propterea nolo te turbari, ubi quiſpiam aſſeveret hominem Gallico morbo aliquando corripi poſſe, nulla cum infecta muliere habita coitione, nulloque commercio. At hoc quippe exquiſitius dignoſcemus, ſi morbi Gallici procedentem cauſam contemplari ſtudebimus. Nempe præſentis non eſt negotii aliorum refellere errores, ſed vera duntaxat docere. Igitur ob hanc rem ſcire convenit, quaſcunque diſpoſitiones, aut motus præter naturam in ipſo animali exiſtentes, ejus corpus alterare aptas, atque illius naturam permutare potentes, morborum cauſas præcedentes appellari ſolitas. quæcunque vero extrinſecus ipſi animali adveniunt, alterantque corpus, & ejus naturam valde permutant, procatarcticas cauſas eas nominamus, & hanc doctrinam habes à Galeno in *libro de Cauſis morborum*, *capite ſecundo*. *& tertio de Præſagitione ex pulſibus*, *capite octavo*, *& primo*, & *de Cauſis pulſuum capite primo*. Dicam igitur morbi Gallici præcedentem cauſam eſſe plenitudinem, veluti & omnium morborum epidemialium, ut dixit Galen. *Commentario primo libri primi Hippoc. de Morbis vulgaribus*, & eandem attulit Galenus ſententiam *ſecundo Aphoriſmorum*, *Commento vigeſimoſecundo*, *& ſeptimo Aphoriſmorum*, *Commento trigeſimo*, ubi explicans, ac decernens cauſam morbi præcedentem, dixit, plenitudinem eſſe ante morbum. Verum dixi plenitudinem, humorum videlicet in homine putredini aptorum, qua humores ii redduntur faciles ad malum, & contumacem illum cœli influxum recipiendum, ex quo inſurgit in vulgum morbus Gallicus, nedum ex ſolo cœli ſtatu, verum & ex ſtatu humorum putreſcibilium, quem homines in ſe habent. Quare, ubi in homine humor biliоſus, maxime putredini paratus, extiterit, ipſe facilius influxum illum epidemialem ex ſtatu cœli cum ſtatu humorum, quem habet in ſe, recipiet, tuncque in eo repente inſurget Gallicus morbus cholericus. Pariter quoque & per eandem rationem homini quandoque hærebit morbus Gallicus ſanguineus, aliquando pituitoſus, nonnunquam vero atrabilaris. At ſecundum diſcrimen, quod in ſe merito diverſitatis humorum depravatorum Gallicos obtinet morbus, eſt illud, quod idem & varias curationis intentiones ſuſcipiet, ut ex præceptis Galeni videre licet *tertio Artis medicinalis*, *& primo Aphoriſmorum*, *commento duodecimo*, *& commentario ſecundo primi Hippoc. de Morbis vulgaribus*, *Commento ſeptimo*. Altera quippe eſt morbi Gallici præcedens cauſa, imbecillitas videlicet membrorum hominis, qua redduntur ipſa propenſiora ad facilem receptionem Epidemialis influentiæ cum occurſu humorum depravatorum ab influxu eodem, quo membra illa, ac perinde totum corpus facile morbo Gallico, atque illius ſymptomatibus corripiantur: & hanc mentem habuit Galenus *commentario ſecundo primi Hippoc. de Morbis vulgaribus*. Summatim igitur dico, Gallici morbi præcedentes cauſas ſic colligendas eſſe, videlicet ſtatum hominis, qui ex ejus plethora inſurgit, indicante in eo humorum vitium in quantitate, & ſtatum humorum in ſui temperie deficientium, etenim hoc humorum vitium in qualitate denuntiat. At quoque ſtatum membrorum hominis imbecillium. Hinc tamen occurſante cœli ſtatu, & inde veluti cauſa præincipiente Gallicum morbum. Tertium vero genus cauſarum Gallici morbi eſt genus cauſæ contentivæ, cujus cauſæ contentivæ ſermonem habuit Galenus *ſeptimo Aphor. Commento trigeſimo: & primo de Cauſis pulſuum*, *cap. primo*, inquiens, cauſam ideo contentivam appellandam eſſe, quoniam morbi eſſentiam contineat, quæ & ipſius generationis eſt cauſa. Alia vero cauſarum genera morborum, cauſæ generationis morbi non ſunt, ſed cauſæ ſunt mutationis illorum morborum, qui jam ſunt: Et non ab re dixit Galenus, quod ubi cauſæ continentes moveant, præcedentes cauſæ evadunt. At cum continentes cauſæ ſint generationis morbi, non immerito dixit Galenus, nullam continentem cauſam mutari poſſe, ut conſtans maneat effectus ejus. Ut igitur revertar ad propoſitum ſermonem, dicam Gallici morbi cauſas fore continentes, quæ jam fuere præcedentes, mox vero Gallicum morbum progignentes, ob quod illius morbi eſſentiam continent, adeo ut ſi in his mutatio fiat, proculdubio conſtans ille non permaneat morbus, ut ait Galenus. Igitur plenitudo apta movere morbum, nondum ipſum progignens, eſt morbi materialis cauſa præcedens. Eadem vero plenitudo fovens morbum, cauſa continens dicetur, & ſic loquutus eſt Galenus *ſecundo libro de Natura humana*, *Commento ſecundo*. Nempe cum jam proditum ſit, Gallici morbi præcedentes cauſas ex ſtatu membrorum imbecillium humani corporis quandoque exortas eſſe, quæ in continentes cauſas in membris præſertim principalibus ob vehementem à natura eorum factam permutationem facile vertuntur, dubio procul nunc ſcire convenit, per quem modum continentes cauſæ ejuſdem morbi ex principalioribus membris originem habent, à quibus noxa Gallica toti communicatur corpori. Conſiderabis igitur hodiernum cœlum juxta anni temporum malam conſtitutionem, Gallicum morbum progignentem in mulieribus, & viris, qui per cauſam malorum humorum putredini hærentium propenſiores redduntur ad ſuſcipiendam impreſſionem, qua totum corpus Gallico morbo corripietur, per conſenſum à principalibus membris primam illam epidemialem infectionem accipientibus, & hoc quippe contingere poteſt ex contagio, uti ex una cauſarum procatarcticarum Gallici morbi, quod utique à viro in mulierem, aut à muliere in virum accidere valet, cum eorum uterque in ſtatu humorum, & ſimul, & ſeparatim, malorum quidem, & putreſcibilium affici poſſit, ut vir à muliere, & contra, aut eorum alter ab altero ſolum, ſecundum quod eorum alter propentior redditur ad illam epidemialem affectionem ſuſcipiendam, tum ex ſtatu humorum putreſcibilium, tum membrorum imbecillium, ut jam proditum eſt. Sit igitur ex contagio à muliere male morigerata, & in genitalibus, ac pudendis deturpata, ob influxum adhæc ſuperfluitatum malarum, ac mordicantium, aut aliarum non corrodentium, ſed mala illa affectione epidemica vitiante detentarum, quæ per motum, & frictionem coitum comitantem penem inficiant, vel puſtulis ſporadicis, vel ſuperfluitate quadam ad penem attracta, ipſius canale ſolum permeante, ac quandoque ipſum pungente, ulcerantque. Utique quoniam ſuperfluitas hæc malignantis eſt naturæ; & mala qualitate effecta, tum à præſenti cælo, tum à putredine humorum in muliere abundantium per conſenſum à pene, adeo infectantur principaliora membra, ut proinde totum viri corpus Gallico morbo corripiatur. Pariter quoque & mulier etſi munda, nulloque putrido humore culpata, à viro, tali lue depravato, per eundem modum inficiet poterit, ita ut pudenda mulieris per propria vehicula ejus membra principalia afficiat, & corpus ipſius Gallico morbo contriſtetur. Pari quoque modo, ac per eaſdem cauſas uterque eorum alterum ſimul inficere poterit, cum in utriſque facile abundare poſſint putridi humores, eiſque occurſante à præſenti cœlo influxu illo epidemico, ut abunde ſupra diximus. Sane vero dignoſcere convenit, quonam modo in Gallico morbo infectus pene noxam communicet principalibus membris, & proinde toti corpori. Primo quidem jecinoris naturalis facultas imbecillis effecta eſt, ob vitiatam ipſius penis partem carneam à fœda & malo humore affecta vulva, cæterisque pudendis. etenim parte carnea vitiata ſanguis corrumpitur, ut ſenſim per venas ad jecur ejus vitium deferatur, ipſiuſque robur proſternat, & humores vitiet, atque functiones alentis faeultatis contumaces reddat. Quo fit, ut omnia corporis alenda membra, alimento ipſo vitiato, ſuam permutent temperiem. ob quam rem lucide apparet temporis diuturnitate Gallicum morbum patientes in cachecticam irruere habitudinem. Cæterum nervoſa genitalium inſtrumentorum pars affecta, ſenſim vitium cereoro tranſmittit, ut non modo eo cerebrum occupetur, verum & contumaci alimento à jam vitiato jecore regatur. Hinc poſtea caput, & ei conſortia membra, atque totius corporis omnes nervoſæ partes in Gallica affectione condolent, atque fœdis puſtulis, nodoſisque tuberculis, & motus impotentia corripiuntur. Hinc etiam contingit, ut cerebri facultas imbecillis facta, vitio morbi Gallici, perpetuo malam auram ſpirantis omnibus corporis humani particulis, alimentum cerebro delatum concoquere nequeat. quippe quæ, neque fumos, quos ei inferiora membra communicant, corrigere valet, à cerebri algore in humidum aqueum perductos, ejus tamen quandoque inconcocta alimenta ſuperfluentia, virtus cerebri expultrix, deorſum explodit, aut eadem cerebri facultatem gravantia, atque à cerebri naturæ operibus derelicta, ad modum aquæ guttatim cadentis ad inferiora irruunt membra. Unde evenit, ut Gallico affecti morbo perpetua diſtillatione laborent. Cujus has decernit cauſas Galenus *tertio Aphoriſmorum*, *Commento duodecimo*, *& tertio de Symptomatum cauſis*, & Paulus *tertio Artis medendi capite vigeſimo octavo*. Nempe quoniam à corde ad inſtrumenta genitalia arteriæ deferuntur, ut ait Galenus *lib. de Facultatibus noſtrum quinto de Locis affectis*, & in *corpus diſpenſantibus*. Ideo noxa, à Gallico morbo genitalibus illata, per arterias in cor invehitur, quæ & ſanguinem cordis, ac ſpiritus corrumpit, & perturbat, ut eorum

neuter pro functionibus cordis & vitæ deservire valeat: ex hoc est, ut hac lue laborantes non diu vivant. At cum membra hæc tria cæteris totius humani corporis particulis vires suas consentiant, nempe cor per arterias, hepar per venas, cerebrum vero per nervos, uti per propria vehicula spiritus deferentia, utique rationi consentaneum videtur, ut consimili noxa, in Gallico morbo tria prima membra fere à sui natura, & temperie vehementer permutentur. & ex consequenti totius corporis cætera membra, adeo ut noxa illa ad mortem usque homines taliter affectos comitetur. Palam igitur est ex dictis, morbi Gallici causam contentivam, totam morbi essentiam continere. Qua causa constante, haud quaquam desistet morbus.

## CAP. III.

### *De Gallici morbi indiciis.*

In hoc sermone utar ego communiori horum nominum (signi videlicet, & indicii) significatione, ut ea unica adnotatione deprehensa, idem significare censeamus, & si Hippocrates, & Galenus *tertio Prognostic. libro textu, & comment.* XLI. in propriori quidem significatione eadem discriminent. Te igitur scire oportet, ut ait Galenus *secundo Artis medicinalis, capite primo, & primo Prædictionum libro*, Signum, seu indicium uno duorum modorum nominari, demonstrativum videlicet, & prognosticum: cum enim signum sit, quo cognito in alterius ducimur cognitionem, ut ait Galenus *libro Medicarum definitionum:* si utique accidat nos duci per alterum in rei præsentis cognitionem, tale demonstrativum nominabitur signum, si vero rei in futurum evenientis, id prognosticum dicemus signum. Igitur Gallici morbi signum demonstrativum est, quod præsentem indicat morbum: prognosticum vero, quod futurum fieri prænuntiat, veluti ex inopinato fœdæ pustulæ in pene, interne vel externe apparentes, sive ex contagio, coitu medio, sive ex statu putrescentium humorum patientis. Horum nanque copia à natura non recta, motu quodam symptomatico ad penem irruere potest, vel fœdas absque coitu pustulas illas progignens, vel profluvium superfluitatum fœtidarum extra exeuntium ex meatibus membrorum generationis, tum viri, tum mulieris. Unde cum illis putrescentibus superfluitatibus occurrens ex præsenti cœlo epidemica hæc influentia, Gallicus progignitur morbus, adhuc nullo præexistente commercio viri cum muliere, & contra. Sane occurrerunt mihi quandoque honestæ, & sanctæ moniales, fortissimis claustris obseratæ, sub ardua quippe & inviolabili custodia, quæ ex præsentis cœli statu, atque ex statu humorum in eis putrescentium, cum statu imbecillium membrorum, malo fato, in Gallicum cecidere morbum. Propter hæc igitur firma fide opinor, contagium ipsum non esse exquisite necessarium ad morbi Gallici proventum, sed præsentis cœli status, cum humorum statu putrescentium, atque membrorum imbecillium, propensius reddunt corpus ad Gallicam affectionem suscipiendam. Et ob hanc rem, non omnes homines hoc morbo corripiuntur, cum per hos status ad casum in eum non aptentur, etenim ajunt naturæ opera contemplantes, agens non agere, nisi in patiens bene dispositum. Alterum vero Gallici morbi signum demonstrativum ab urina ortum suscipit: Et non immerito, cum prima morbi Gallici noxa in principalibus membris contracta in jecinore accumbat, ut proditum est, & urina de dispositionibus jecinoris primo indicet ac venarum, autore Galeno *libro Prædictionum secundo, Comm. vigesimosexto, & primo de Crisibus capite septimo.* Igitur si post noxam genitalibus communicatam in viris, atque mulieribus urina adfuerit subalbida, nullo in ea apparente concoctionis indicio, judicium certum erit, præsenti Gallico morbo humanum corpus depravatum esse, tum quoniam ex illato nocumento jecinori putredinali qualitate, ac substantia ei communicatis, indicatur jecur ipsum temperiem sui secundum naturam amisisse, tum quoniam urina cruda jecinoris ipsius, & ortorum ab eo membrorum imbecillitatem indicat, ut ait Galenus *primo de Crisibus, capite septimo*, qua nequeunt membra illa in functiones naturales exire, ob quam causam squalescunt hujusmodi corpora, & vitio offensæ virtutis sanguinis generativæ, carne vacant, induuntque se habitudine cachectica ipsis minante aquæ inter cutem generationem. Ex ratione igitur in Gallico morbo noxæ jecinori illatæ ex infectis pudendis summa indiciorum hæc est, qua quisque conjectare poterit, hominem præsenti morbo Gallico deprehendi, videlicet, fœdæ infectiones in pudendis in propatulo existentes, carnis deperditio ob defectum virtutis sanguificativæ, squalidus color ob sanguinis corruptionem spirituumque, urina cruda, indicans imbecillitatem omnium membrorum venosorum, humores concoquere nequeuntium, habitudo cachectica sequens perditionem naturalis temperantiæ jecinoris, & defectum facultatis naturalis omnium venosorum membrorum, quibus ob aquam inter cutem prognatam æger facile perditur. At & indicia præsentis Gallici morbi ex nocumento à pudendis cerebro illato dignoscere possumus, quæ si cum indiciis à jecinore prodeuntibus ad unum coëant, maxime indicabitur Gallici morbi præsens existentia. Te igitur scire oportet, quod per partes nervosas pudendorum, noxa ea infestans, sensim ad cerebrum defertur, uti ad principem partem, à qua nervi originem trahunt; ut ait Galenus *secundo Artis medicinalis, & quinto de Locis affectis, capite primo*; ob quam insurgit in Gallico morbo immodicus capitis dolor, gravans ipsum ob Gallicam materiam ad ipsum permeantem, in pelliculis cerebri decumbentem. Ex qua prava complexio in eo acquiritur, atque mala compositio, quæ propriæ sunt doloris causæ; ait enim Galenus *secundo de Ratione victus acutorum, Commento decimo*, membri gravedinem materiæ præsentiam in eo accumulatam indicare. Porro dolor capitis extensivus in Gallico morbo progignitur ob fumos, ac malos vapores surgentes ab humoribus putrescibilibus, cerebrum ipsum infestantes, qui cum sint de natura venti, membranas cerebri extendentes, capitis dolorem extensivum inducunt: ex eadem causa, dolore capitis punctorio vexantur morbo Gallico laborantes, aut ex materia acuta pungente pelliculas cerebri, uti accidit si bilis aut salsa pituita ad morbi Gallici proventum putrescat; aut capitis dolor punctorius efficitur ex vaporibus, aut fumis ab eadem causa ad cerebrum elevatis, ex eadem acrimonia pelliculas cerebri pungentibus. At & alterum indicium morbi Gallici demonstrativum est pustularum fœdarum copia circa caput, & ei membra vicina, quæ ad capitis cutim propellitur, aut per rationem symptomatis, eo quod natura (modo ejus robur consistat) capitis materiam Gallicam, aut ab infernis partibus ad ipsum propulsam, aut in capite primogenio decumbentem explodit ad ejus cutim, unde latæ pustulæ progignuntur, quas non vehemens pruritus comitatur: autore Hippoc. *sexto Aphor. Commento nono*, ubi ait: *latæ pustulæ non admodum pruriunt.* Quo fit, ut in Gallicis pustulis latis abundet magis materia frigida, ut ait Galen. *Commento nono, sexti Aphorismorum.* In quibus tantum de frigida existit materia, quantum expedit ad ejus expulsionem faciliorem ad cutim extra. Ob quam rem, cum Gallicus morbus diutinus sit morbus, ejus dispositiones magis præduris tumoribus, quam inflammationibus assimilantur, ut ait Galenus *secundo Aphorismorum, Commento decimonono.* In quibus abundantior existit materia frigida. Quod si quid caliditatis in latis pustulis Gallicis adfuerit, id sane erit ex adustione in Gallica materia existente merito putrescentium humorum ab hepate prodeuntium, qui per rationem suæ putredinis immodicam caliditatem adurentem conducunt: juxta illud Galeni in *libro de Curatione per sanguinis missionem*, inquientis, putredinem materiæ addere caliditatem, & hæc quippe caliditas adurens aliquando ad talem gradum adurentis acrimoniæ pervenire potest, ut mordicans corrodat externam membri cutem, carnemque. quare in morbo Gallico ex latis pustulis in membris malignantia ulcera, & cava, atque ostracosa progignuntur. Igitur cum in hac epidemiali affectione in capite accumuletur jam dictæ materiæ vitiosæ naturæ copia, quam ejus natura nequit regere, ipsa utique à naturæ operibus derelicta, ex accidenti in destillationem vertitur, quamobrem destillatio, seu catarrhus est alterum indicium instantis morbi Gallici. Ubi igitur forte fortuna destillatio derelicta à natura cerebri, ob ejus abundantem multitudinem ad oculos irruat, oculorum lippitudines progignet, aspredinesque palpebrarum, & earum ulcerationes, cum carnis abolitione, atque earum tergiversatione, & pilorum casu, atque superciliorum, & palpebris corrosis immodice oculi præeminentes apparent, in quibus suffusiones adgenerantur, & visus debilitas, atque perditio, ut ostendit Galenus *quarto de Compositione medicamentorum secundum locos.* Ubi vero materia eadem ad nasum confluit, ut ait Galen. *in libro, qui inscribitur, Medicus*, per vitium & malam suam naturam, ipsum & nares excruciare potest ozœna, polypo, ulcere, fractura, perversione, compressione, simosi, atque carnis, ac ossium perditione, ut edocuit Galenus *tertio de compositione medicamentorum secundum locos*, si vero eadem hæc materia ad os permeat, affectus uti indicia Gallici morbi efficiet, ut gingivarum putredinem, dentium erosionem, atque eorum dolorem, qui, cum à sede sua labant, abscessus progignit, & loci illius carnis erosionem, perditionemque, & ossis mandibulæ cavitatem, & ejus partis abolitionem. Ubi vero faciem materia illa occupat, ossa illius franget, eluxationesque maxillæ inferioris à superiore gena conducet. Pariter quoque cum Gallica hæc materia malignantis sit naturæ, potius quidem ex epidemica influentia per rationem cœli status, quam per statum humorum corporis, aut membrorum ejus imbecillium, si undi-

undique ad ſingulas corporis partes perveniet, in eis pra-
vas, difficilesque curatu affectiones adgenerabit, uti in cu-
te fœdas puſtulas, in carne vero eroſiones. In membris
vero nervoſis, & his, quæ teguntur operculo nerveo, at-
que nerveis ligamentis invicem adligantur, dolores. Pu-
ſtulas equidem dixi, quoniam hoc morbo correptorum
(valido exiſtente facultatis illius robore, præſertim prin-
cipalium membrorum) tempore illo profundum corporis
expurgatur vitioſis humoribus, à partibus principalibus ad
cutem pervenientibus. Hinc exoriuntur lepræ, & vitili-
gines, & impetigines, & pſoræ, & puſtulæ multæ ulcero-
ſæ. At & in tuberculis, & membrorum doloribus, præ-
ſertim artuum, hoc ipſo tempore corporis profundum ex-
purgatur, vitioſis humoribus ad loca viliora tranſpoſitis:
Et hanc doctrinam recenſuit Galenus *tertio Aphoriſmorum, Commento vigeſimo.* Cum vero hæc accidentia omnia,
vel plurima in Gallico morbo inſurgant, appareantque,
ab his facile ſumi poterunt indicia, quibus præſentem
morbum Gallicum eſſe judicabimus: Aliud quippe ſignum
ei accedit, quo hodiernis temporibus quiſque judicare po-
terit Gallicum jam fore morbum, caſus videlicet pilorum
undique per totum corpus palam perceptus, quem alopeciam
nominant: ſcire igitur convenit, quod robore facultatis
Gallicum morbum patientis valida exiſtente, ejus natura
conatur ſui corporis profundum à vitioſis Gallicis humo-
ribus expurgare. eos igitur ad cutem tranſmittit, qui ra-
dices pilorum in cute genitorum attingentes, ſui mordaci
acrimonia ex putredine humoribus illis vitioſis ſuperaddita
corrumpunt, & ſecant, ob quam rem pili cadunt, & ii
alopecii fiunt: Et hanc mentem habuit Galen. *ſexto Aphoriſmorum, Commento trigeſimoquarto*: & *primo de Compoſitione medicamentorum localium capite ſecundo.* Alterum
autem ſignum, quo quiſpiam conjectare poterit, tum do-
lores, tum morbi Gallici faſtidia ipſius vere eſſe affectio-
nes, eſt quoniam noctu ægrum permagis infeſtant, ip-
ſumque cruciant, die vero minus, hac quippe de cauſa,
quoniam humores, à quibus Gallicus morbus & ejus dolo-
res, atque turbationes prodeunt, cum ſint frigidi ut plu-
rimum, lentoremque habentes in ſuis motibus, ut vires
membrorum corporis offendere valeant, ſequi debent di-
ſcrimen quatuor anni temporum, & partium naturalis dici
conſtitutiones, ut eſt mens Hippocratis, & Galeni *libro primo de Natura humana*. Igitur cum nocturnæ natura-
lis diei partes frigidiores ſint privatione luminis ſolis, die
vero calidiores, rationi conſentaneum eſt ipſo tempore
frigidos moveri humores, & magis, ubi in ſui eſſentia ali-
quid fœdi, & atri obtinuerint, quales ſunt humores, qui-
bus morbus progignitur Gallicus. Sane alterum Gallico
morbo hæret indicium, quoniam plurimum edaces fiunt,
& multo cibo utuntur, qui hoc morbo tenentur ob frigi-
dam ſiccitatem accumulatam in ore ventriculi, quæ cau-
ſa eſt apperentiæ, ſicut contrarium accidit de inappeten-
tia, ſequente accumulatam frigidam humiditatem in ore
ventriculi, ut ait Galenus *ſecundo Aphoriſmorum, Commento vigeſimo.* Nempe ubi jam ſigna Gallici morbi de-
monſtrativa ex proditis agnovimus, modo ſequens ſermo
prognoſtica ſigna percurret; quibus futurum ejus termi-
num ad bonum, aut malum, atque longitudinem, aut
brevitatem illius præſagire poterimus. Dixit enim Hip-
pocr. in *præfatione libri Prognoſticorum*, & Galenus *Commento primo*, Præſagia magnam conferrevim ad uſum me-
dicorum, ſane, & ad ipſam perficiendam curationem.
Quoniam his excitatur medicus, ut obviam eat morbo, at-
que ſymptomatibus ejus, ut non contingat: ſi vero contigerit, ut magnitudinem ejus vetet, aut ipſum propulſet:
Et hæc ſunt commoda, quæ medico adveniunt ex præſa-
giorum doctrina, ut ait Galenus *Prognoſticorum primo, Commento tertio.* Primum igitur te ſcire convenit, quod
animo habito ad morbum Gallicum ſuſcipientis tempera-
turam, vel contribuentis, ſi unius eorum, vel utriuſque
ruſtica fuerit temperatura, ignobilisque ac male morigera-
ta in primis elementorum qualitatibus, & in his, quæ eas
ſequuntur, cujuſmodi humores ſunt, & quæ ex humori-
bus ortum habent, ut alimentum in effectu, & ſemen ip-
ſum, dubio procul præſagire poteris, Gallicum hunc
morbum, ſive in eorum altero, ſive in utroque ſimul ſu-
ſcipiatur, deteriorem, diuturnioremque & curatu difficilio-
rem, & non abſque mortis periculo fore, ut ait Galenus in *li-
bro*, quod animi mores temperiem corporis ſequuntur: u-
bi enim corporis temperies nobilis extiterit, atque com-
mendatione digna, ita & mores nobiles, atque laude di-
gni putabuntur. Pariter quoque, ubi corporis temperies ſyl-
veſtris, depravataque adfuerit, morbi, qui in ea invehun-
tur. ruſtici, ac vituperio digni erunt, nulla vero laude. ita-
que nedum inobedientes ſunt naturæ, verum & operibus
artis noſtræ, & ob hanc cauſam morbi ſæviores erunt,
prolixioresque ac curatu difficiles, mortisque periculo non
vacabunt. Alterum præſagium eſt, ubi dolores fortes

A morbo Gallico correptum abſque puſtulis comitantur, ſæ-
vior erit morbus is, quam ſi cum doloribus puſtulæ ap-
paruerint: tunc namque ſignificatur debilitas facultatis ex-
pultricis, ad externa membra atque viliora cauſam morbi
propellere nequeuntis. ergo cauſa morbi ad interna deten-
ta dolores concreſcunt, & vires corporis magis debilitan-
tur, & curatu morbus redditur difficilior: eo enim tem-
pore profundum corporis vitioſis humoribus non expur-
gatur, ut ait Galenus 3. *Aphoriſmorum, Commento vige-
ſimo*, inde fit ut Gallici morbi cauſæ maleficientia angea-
tur, & principalium membrorum vires ex adaucto dolore
atterantur, & à mortis periculo corpus non abſolvatur.
Igitur morbus ille Gallicus ſecurior erit, & homini minus
moleſtus, qui vel puſtulis tantum, vel ſimul puſtulis, ac
doloribus detinetur: quoniam unum alterius minuit vi-
tium. Duarum enim affectionum ab eadem cauſa pro-
deuntium, una alteram tepefacit, & à duobus ſimul to-
tum corpus levius redditur, quam ſi ſolis doloribus vexa-
retur: hoc ſane haberi poteſt ex Galeno *ſecundo Aphoriſ-
morum, Commento quadrageſimo ſexto.* Cæterum in eodem
B morbo quis præſagire poterit, ubi namque Gallicus mor-
bus patientem infeſtabit ei occurſantibus fœdis puſtulis, at-
que eroſionibus carnis, atque oſſium, nodoſitatibus qui-
dem oſſium membranis hærentibus, tunc morbi ipſius ma-
leficientiam, difficilioremque curationem, ac vitæ timo-
rem indicabit, hujuſmodi enim gummoſa tubercula im-
becillitatem virtutis concoctricis, & inobedientiam mate-
riæ ad expulſionem indicant, membrum igitur gravant, &
vehementi dolore infeſtant, maxime rebelli viribus tot'm
corpus gubernantibus, quoniam membranarum, quæ oſſi-
bus adjacent, dolores profundi ſunt, maxime exc'tantes
interiorum membrorum ſenſum, atque grand'm in his
noxam inducentes, ut ait Galenus *ſecundo de Locis affe-
ctis, cap. ſecundo.* Puſtulæ vero fœdæ, atque carnis ero-
ſiones, & oſſium, ſæviorem indicant Gallicum morbum,
tum ob mordacem acrimoniam vitioſorum humorum,
quæ cum epidemiali jam prodito influxu ipſum reddit cura-
tu difficiliorem, & ulceroſo dolore affect'm, tum quo-
niam facile abſceſſus in carne, atque oſſe progigni poteſt,
ut ait Galen. *ſeptimo Aphoriſmorum, Commento ſeptuageſi-
moquarto, & quinquageſimoquinto.* At nedum abſceſſus
C in his oſſibus fieri poſſunt, verum & hi, & eorum ulcera
difficulter ſanabilia ſunt, ut ait Galenus *ſexto Aphoriſmo-
rum, Commento quadrageſimoquinto.* Deinceps Gallici
morbi prognoſticum eſt, ubi ipſum noxam membris
principalibus, aut his proxime ſervientibus, com-
municatur, veluti motus progreſſivi difficultas, & cæ-
terorum corporis membrorum motui aptoru'n gra-
vitatio, aut movendi impotentia, quæ noxam cere-
bri indicant, aut febris, aut cordis dolor, atque ſaltus,
vel cordis pulſus, à quibus cor præter naturam patitur,
ac humores depravati, & à natura ſua delinquentes, uri-
næ quoque & dejectiones quantitate, qualitateque, & in
ſubapparentibus malæ, indicantia ſunt naturalem jecinoris
facultatem læſam eſſe. Hæc quippe omnia morbi Gallici
pravitatem, atque ejus difficilem curam non abſque peri-
culi timore ſignificant, cum enim (ut ait Galen. 5. *de
Locis affectis, capite primo*: & libro *de Virtutibus noſtrum
corpus diſpenſantibus*,) à principalibus condonentur cæte-
ris partibus corporis animalis facultates, quibus hæ in ſuas
D functiones exire valent. Ipſis utique principalibus mem-
bris læſis, cætera membra læduntur, ita ut, læſione illa
toti corpori communicata, morbus Gallicus pravus effi-
ciatur, & difficilis curæ, atque cum periculo, ut ait Ga-
len. *ſexto Aphor. Commento quinquageſimo primo*, inquiens.
*Principales partes non diu tolerant ſortes ſimul ac diu-
turnas partes paſſiones.* Pariter quoque, ubi membra prin-
cipalibus obſervientia in facultatibus ſuis, functionibuſque
in Gallico morbo oblæſa fuerint, morbi nequitiam difficul-
ter corrigibilem oſtendunt, uti in ventriculo mala ci-
borum concoctio, ſpiritus flatuoſi generatio ob copiam
pituitæ, quæ ob imbecillitatem facultatis naturalis ipſius,
vel per defluxum materiæ per rationem deſtillationis à ce-
rebro ad ventriculum, quæ perpetuo morbum comitatur
Gallicum, & tanto deterior morbus ille reddetur, quan-
to ſimul cum his ventriculi gravitas, dolorque, & mur-
mur, ac tenſio, & durities in eo apparuerint. arguitur e-
nim ipſius naturalis facultas defecta, ac ex ipſa, veluti à
concauſa, cæterorum membrorum corporis facultates ob-
læduntur: quoniam operatio concoctiva, quæ in ventri-
E culo efficitur, obſervit facultatibus in cæteris concoctio-
nibus aliorum membrorum, & non cæterorum membro-
rum concoctiones obſerviunt primæ concoctioni in ventri-
culo effectæ, autore Galeno *ſecundo de Potentiis naturа-
libus, capite nono*: & *quarto de Sanitatis tutela.* Iterum
præſagire poteris, Gallicum morbum periculum ſibi vendi-
care, ubi in eo dentes ſedem ſuam exierint, auresque ſur-
deſcant, & viſus obtenebretur, ac auditus hebeteſcat, &

ſen-

ſenſus tactus ſoporem patiatur ; & iterum guſtus , qui tactus quidam cenſetur, ut ait Ariſtot. 2. *de Anima*, cui conſentit Galen. *quarto de Locis affectis*, *capite ſecundo*, inquiens. *Neque enim alio guſtus, atque alio tactus nervo utitur, ut in motu videre eſt. Nervi enim á tertia conjugatione orti non ſolum tangendi, verum etiam guſtandi vim obtinent.* Sane ſi in morbo Gallico ſymptomata hæc contingant, non parvam indicant principis partis læſionem, quam illi conſentit offenſa , & vitium inſtrumentorum ipſi obſervientium, ut ait Galen. *ſeptimo de Decretis Hipp. & Platonis*, quæ his ex morbo Gallico communicata totius corporis naturam permutant, quam permutationem medici opus difficulter corrigere valet, cum ob fixionem cauſa morbi facta ſit veluti habitus. Alterum prægagium eſt, ubi Gallicum morbum comitantur, oris, atque naſi fœtor, dejectionumque, & earum vitium in quantitate, & qualitate, & modo ſubſtantiæ, morbus ille naturæ patientis valde contumax eſt , quoniam vehementem indicant putredinem, & humorum naturæ offenſam. Dixit enim Galenus *ſecundo Prognoſticorum*, *Commento vigeſimo ſecundo*, quod graveolentia putredinis indicium eſt, & talis putredo eſt cum caloris extinctione, ut ait Galenus *ſecundo Prædictionum*, *Com. quinquageſimo primo*. Cæterum in morbo Gallico præſagire convenit, ubi namque Gallicus morbus patientem infeſtet cum tuſſi & ſputo ſanguinis, lethale eſt : indicat enim pulmonis offenſam per rationem Gallicæ materiæ mordentis, erodentisque tunicas venarum pulmonis, aut deſtillatione irruentis a capite ad pulmonem, aut ſenſim accumulatæ in ipſo, vitio acris & pungentis humoris Gallica qualitate affecti. Ex quo fit, ut in pulmone ulcus inſanabile progignat, & phthiſis lethalis accidat, cum confluxus vitioſorum humorum a profundo corporis correpti morbo Gallico univerſim ad membra ſpiritus permeet , in ipſisque decumbat, nedum pulmonis venas dilanians, verum etiam ſpirationem occupans, cum qua fovetur vita, ut ait Galenus in *libro de Difficili ſpiratione*. Quantam autem habeat vim phthiſis in mortem, videre poteris in Galeno, *ſeptimo Aphoriſmorum*, *Commento decimoſexto* , ubi phthiſim conſumptionem, eſſe totius corporis, ob ulcus pulmonis inſanabile aſſerit. Cæterum & morbi Gallici altera erit præſagitio hæc, ubi morbum Gallicum comitetur cachectica habitudo, id namque malum, & admodum periculoſum eſt : indicat enim futurum proventum aquæ inter cutem , ut ait Galenus *ſecundo Prognoſticorum*, *Commento ſecundo & tertio*. Quarum utraque , & aqua videlicet inter cutem, & cachexia perpetuo promittunt periculum ob corruptionem facultatis ſanguinem adgenerantis ipſius jecinoris, ob vitioſos humores Gallicos in primis jecur ipſum inficientes, ut jam proditum eſt. Iterum prænoſſe convenit, quod ſi Gallicus morbus ſenem corripiat, deterrimus eſt, & lethalis valde, quoniam ob ætatis imbecillitatem robur facultatis ejus longo temporis intervallo morbum hunc naturæ viventis rebellem, ſuſtinere nequit. non enim ejus materia naturæ ſenis, neque arti obedire valet ; Dixit namque Galen. in *libro*, qui inſcribitur, *Exhortatio ad bonas artes*, ſenectam deteriorem eſſe morbum & imminentem tempeſtatem , & viam in mortem : Qui enim morbi in ſenibus diuturniores fiunt, ipſos plurimum comitantur ad mortem, ut ajunt Hippocr. & Galenus *ſecundo Aphoriſmorum textu*, & *Commento trigeſimonono*. Deinceps conjectari quiſpiam debet, quod, ſi morbum Gallicum indicat alopecia, id eſt, pilorum caſus, ab initio morbi apparens, ſalubris eſt hic morbus, & periculo mortis vacans. ſignificatur enim corporis profundum a vitioſis Gallicis humoribus robore facultatis expultricis , eos propellentis ad viliora corporis membra, extimaque, expurgari, ut ait Galenus *ſexto Aphoriſmorum*, *Commento trigeſimo quarto*. Qui humores ad cutem pervenientes, pilorum radices attingentes, præparant eas ad corruptionem, pilorum caſum inducentem : præterea eam materiam propenſiorem reddit ob pororum apertionem, qui in cute ſunt ad ſui perſpirationem, atque ejuſdem abolitionem. Et proinde breviori temporis ſpatio morbus hic Gallicus , quem ab initio alopecia comitatur, ex abolitione cauſæ ejus in patientis ſalubritatem pervenit.

## CAP. IV.

### *De Gallici morbi curatione per victus rationem.*

Cum ſit Galeni ſermo in *libro de Partibus artis medicativæ*, *capite primo*, & in *libro experimentorum*, *capite ultimo*, qui liber Galeno adſcriptus eſt, Inſtrumenta, quibus medicus morborum à materia ortum habentium curationem molitur, triplici diſcrimine diſcerni, videlicet, victus ratione, & medicinarum oblatione, atque manuum operatione, cumque nobilius in his inſtrumentum ſit victus ratio, ut Galenus ſenſit *Aphor. primo* : & *primo de Ratione victus in acutis morbis*, operæ pretium ob id eſſe duxi, primo morbi Gallici curationem per victus rationem moliri : poſtea per medicinarum oblationes , deinceps per manuum opera , quæ chirurgia perficit, ut ait Hippoc. in *libro de Medicorum officina*. At interea, à quibus contingit neceſſario noſtra corpora alterari (ut ait Galenus *tertio Artis medicinalis*.) In quibus etiam tota victus ratio conſiſtit, Primum eſt continens nos aër , ad quem alludens Galenus *tertio Methodi curativæ* , *capite octavo* , dixit. *Ambiens vero is eſt, ſine quo nec tolli morbus , nec teneri ſanitas poteſt.* ait quoque *primo de Tuenda ſanitate*, non exiguam eſſe vim ipſius tuendæ ſanitatis in boni aëris electione , ob hanc cauſam, qualem exigat aërem corpus Gallico morbo correptum, primo percurrere convenit. At notatu dignum eſt, ut morbus ex occurſu aëris ad corpus morboſum propellatur, rationi conſentaneum eſſe, occurſantem aërem ad ipſum talem temperiem obtinere, qualem per contrarium tenet in ſe morbus propulſandus, dum tamen ad invicem proportione majoris inæqualitatis temperatura aëris ad morbi propellendi temperaturam reſpondeat, veluti ſi morbi curandi per occurſum aëris temperatura frigida extiterit , tunc occurſantis aëris temperaturam calidam & ſiccam eſſe convenit : in tali quidem proportione, videlicet, majoris inæqualitatis temperaturæ aëris ad morbi temperaturam, qua facile morbum fugare valeat. nam ſi morbus in duobus gradibus frigidus extiterit, in uno vero gradu humidus, tunc ei adhibere debemus aërem majoris caliditatis, quam in duobus gradibus , atque majoris ſiccitatis , quam in gradu uno, ſic enim per rationem contrarietatis agentis in paſſum, ut ait Ariſt. *quinto Phyſicorum*, cedet actio agentis paſſum fugantis , id eſt, aëris morbum pellentis. Et hanc doctrinam habes à Galeno, *tertio Artis medicinalis*. Igitur propter hæc, quæ diximus, cum Gallicus morbus frigidæ ſit, & humidæ temperaturæ, ut jam proditum eſt , ei offeremus aërem temperaturæ calidæ, & ſiccæ , majoris quippe gradus , quam in Gallico morbo ſit gradus temperantiæ morbi frigidus, & humidus. Hanc autem proportionem, & hunc exceſſum graduum nemo exquiſite dignoſcere valet, cum dixerit Galenus in de *Sanitatis tutela libro*, certam rei quantitatem neque calamo ſcribi poſſe , neque lingua proferri : Eam igitur conetur medicus invenire conjectura quadam veritati propinqua : ſufficit enim ad morbum fugandum, ſi cauſa morbi expultrix quandam majoris inæqualitatis proportionem ſupra morbum obtineat, non exquiſite tamen à medico cognitam. Igitur morbo Gallico detentus , aërem habitet calidum, & ſiccum : calidum quippe, tum ut humores vitioſi propenſiores efficiantur ad perſpirationem, poris cutis caliditate apertis, tum ut nervoſa membra , quæ in morbo Gallico plurimum patiuntur, caliditate vigorem prehendant, ut ait Hippocr. & Galenus *quinto Aphoriſmorum*, *textu* & *Commento decimooctavo*. Non ſit autem immodica , & multum excedens continentis caliditas , in quo degit corpus Gallica affectione correptum, tum ut non adurantur Gallici putreſcentes humores , & morbus acutior reddatur , tum ne tale corpus propenſius cadat in deſtillationem, colliquatione à forti calido contingente, in quam deſtillationem maxime vergit id corpus, à qua etiam facile ſymptomata morbi Gallici concreſcere poſſent : ſit quippe ei aër conveniens, plus ſiccus , ut Gallicæ ſuperfluitates , humidaque excrementa conſumi valeant. caveat igitur humidam ac frigidam ambientis aëris temperaturam , cum à ſimili intemperantia morbi concreſcant, ut ait Galenus *tertio Artis medicinalis*. In montanis igitur, & non in eorum altiſſimis, ſanius degent corpora tali morbo vitiata, minime vero in campeſtribus planitiebuſque : hinc enim abunde defluit humiditas , inde vero ſiccitas, ut *quinto Methodi curativæ* edocuit Galenus. Aërem igitur humidum valde fugiendum ab hujuſmodi infecto corpore cenſeo, uti qui ſtagni, & paludis halitu eſt infectus , & qui ex cloacis malam ſpirat auram , ut *primo de Tuenda ſanitate* ſcripſit Galenus. At neque ſit ejus aër craſſus , aut nubiloſus, qui talis fiat ob ſtagnum , vel flumen vicinum. Nec qui editis undique montibus in cavo loco clauſus, nullum recipit perflatum. Putris enim hic aër eſt, adaugens humidum ſuperfluum , quo Gallicus fovetur morbus : proinde locum domus ſibi eligat non humidum. In quo etiam non ſit incluſus aër, perflatus defectum ſuſtinens. Hic enim aër omni plane ætati noxius eſt : caput enim gravat, & malis vaporibus replet, doloremque capitis fovet, & facit ut deſtillatio ad inferna membra irruat, & in junctiuris dolores concreſcant, qui Gallicis morbis familiares ſunt. Ubi vero aër talis natura haberi non poſſet, arte talis in ſtatione ægri præparetur. Si enim hybernum fuerit tempus, ut nedum morbus tunc ei contumax ſit, verum etiam temporis conſtitutio , utatur levibus aromatum ſuffitibus : quoniam a validis & fortibus caput admodum gravatur, & offenditur, ut ait Hip-

poc

poc. *quinto Aphorismorum decimo octavo.* Nam si Gallicum patiens morbum ab aromatum fumo læderetur, sola aromatum præsentia in loco mansionis suæ sit contentus, quod enim de odore ab aromatibus spirat, omnibus frigidis morbis præsidium præstat, ut ait Galenus *quinto Aphorismorum, Commento decimo octavo.* At ubi hyberno tempore ei pergratus fuerit ignis, ex lignis accendatur rorismarini, juniperi, lauri, qui, si etiam ex terebinthi ligno accensus, plurimum ei convenit, pariter quoque & ex laricis ligno, aut pini. Porro modice calidis caput suum tegat: calor enim extrinsecus, tum eorum, quibus munitur caput, tum aëris ambientis, noxius est ei valde, colliquatione enim irruunt ab eo superfluitates ad inferna membra, quibus nedum foventur, verum etiam excitantur in his Gallici dolores. Idem quoque efficit frigus exprimendo, ut ait Galenus *quinto Aphorismorum Commento vigesimo secundo, & vigesimo quarto.* Panis conveniens esse à nobis censetur, qui parum alit, ne cibus æquetur ipsius appetentiæ, quæ magna, & fortis existit. In his enim facultas concoctiva imbecillis fit, noxa illi communicata ex alimento plurimo non concocto, quare plurimæ gignuntur superfluitates illis obnoxiæ valde. sit panis alvum reddens mollem, & virtutem obtinens detersoriam, merito cujus intestinis irritatis, celeris eorum fit dejectio. Igitur hic panis quid furfuris habeat ita, ut, tenuissima farina excussa, ex residuo fiat panis, quem furfuraceum appellant: Et hanc sententiam habes à Galeno *primo de Potentiis alimentorum, capite secundo.* Non sit plurimum fermentatus, sui enim superfluo acore noxius est cerebro, & nervis, qui valide patiuntur in Gallico morbo, atque omnino fermento careat, Galeno dicente eodem in loco: quod panis, qui omnino fermento caret, nulli prorsus est accommodus.

## DE VINO.

Sententia est Galeni *primo de Sanitatis tutela*, omnem excessum fugiendum, maxime quidem illum, qui & corpori, & animo damnum infert, ob quam rem cum affectione Gallica vexatis vini potus damnum non mediocre ingerat, & quoad animum, & ad corpus quoque, nedum C hausturn unum vini gustare ipsis non suaserim, verum etiam omnis vini potum eis denegarem: eorum namque corpori noxium est vinum valde, tum quoniam ipso suo halitu caput offendit, repletque, & irruens ad infernas partes, in his gravedines, & earum motuum impotentias, atque dolores excitat: quibus totum corpus ocyssime, vehementerque infestatur, tum etiam quoniam membrorum natura vino oblectata, eo avara, cupidaque ipsum haud quaquam concoctum ad ea attrahendo, secum ducit corporis superfluitates, quarum copiam, quia nequit natura corrigere, fit ut Gallici dolores progignantur. Ego igitur nullo errore ductus, convenientem crediderim eorum potum fore hydromel decoctionis hyssopi, & betonicæ: ejus enim facultas calefaciens est, & exsiccans, frigidos, & humidos humores, crassosque attenuans, & vires cerebri roborans, ut ait Galenus *octavo Simplicium medicamentorum.* Damnum autem, quod vinum ingerit humori, quis videre poterit à Galeno *primo de Tuenda sanitate*, & in *lib. Exhortationis ad bonas artes*, & *tertio de Temperaturis.* Ubi vero ex Gallico morbo insurgeret me- D tus aquæ inter cutem, vel inordinata ægrotantis vini appetentia adsuerit, aut ex consuetudine, vel violento medicorum irritatu ad vini potum cogar condonandum, vinum ei minus nocuum arbitrabor album in colore, mediocre, imbecillium virium, ut caput minime percutere valeat. Dixit namque Galenus *primo de Tuenda sanitate, & quinto de Locis affectis, capite quinto*, quod hujusmodi vinum, ut ventriculum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere solent ea, quæ valentiores vires obtinent.

## DE CARNIBUS.

Carnes, quia temporis vetustate terrei alimenti naturam obtinent, Gallica affectione detentis adversa admodum sunt, quoniam crassiorem sanguinem, quam par est, progignunt, autore Galeno, *tertio de Potentiis alimentorum, capite primo.* Non enim optimi sanguinis, sed fœculenti procreantes sunt, facultatibus omni corpori inimicæ, ut bubula caro, cervorumque, & capreolorum, arietum, & vetustorum castratorum, sane & suilla caro omni admi- E nistrationis modo eidem non convenit. Hæ enim carnes ventriculum gravant, crassum progignentes alimentum, & sui natura non facile concoctionem suscipientes, autore Galeno *septimo Methodi curativæ, capite sexto.* Ei igitur peridoneæ carnes sunt, quæ in sua temperie calidæ sunt, & siccæ. recta enim fronte Gallici morbi causæ opponuntur, quæ, ut jam proditum est, frigida, & humida est, nam ubi in ea certus caliditatis gradus apparuerit, talis caliditatis gradus putabitur esse per rationem putredinis ei superadditæ, ut fuit Galeni mens in *libro de Curatione per sanguinis missionem.* Aves conveniunt, ut ficedulæ, turdi, merulæ, & sylvestres palumbi, & omnes hujusmodi sylvestres aviculæ in arboribus degentes, ac victum in siccis locis suscipientes, eidem vero domesticæ aves idoneæ sunt, capi, gallinæ, & domestici columbi: conveniunt etiam ei phasiani, perdices, coturnices, francolini, & hujusmodi. De quadrupedibus autem, carnes, quibus uti potest, qui morbo corripitur Gallico, sunt juvenes cuniculi, & lepores juvenes, quæ cum sua humiditate alimentali nativum fovent calorem, & totius corporis vires adaugent, quibus integra sanitas facile corpori restitui potest. Ei sane perperam exhibentur aves in aquis degentes, quoniam sua humida temperatura, qua redduntur coctioni rebelles, admodum nocuæ sunt his, qui hac infestantur, uti anseres sunt, & anates. Nulli autem dubium est, aguinam carnem eisdem nocuam fore, ob id, quod humidius alimentum, quam par est, progignit, ut ait Galenus *de Cibis boni*, & *mali succi.* Caveant quoque hi, B qui Gallico morbo afficiuntur à salitis carnibus, ob id Galeni verbum *secundo de Compositione medicamentorum secundum locos, capite decimo octavo*, ubi ait, quod Sal anxiativum est, & maxime in capite.

## DE PISCIBUS.

Quoniam Pisces ex sui natura largam, & abundantem humiditatem secum afferunt, ut ait Galenus *sexto de Usu partium, capite nono.* Rationi consonum est, ipsos vetare his, qui hac Gallica affectione molestantur. Hi enim copia humiditatis aqueæ difficillime coquuntur, & causæ morbi Gallici augmentum præstant: præsertim hi, qui admodum excrementitii sunt, ut ait Galenus *tertio de Facultatibus alimentorum capite vigesimoquarto.* Quales sunt, qui in cœnosis, & sordidis aquis degunt, & qui in paludibus, ac lacubus capiuntur; adeo enim eorum caro excrementitia, atque mucosa est, ut corporis omnes repleat meatus, & omnium membrorum vires offendat, hinc gravitando, atque earum functiones perimendo, inde vero dolores procreando, ob quod morbi Gallici fastidia concrescunt, putredinem, humorum vitium progignendo. At qui in torrentibus capiuntur pisces, præsertim, qui sibi fundum saxosum detinent, eorum caro his minus nocua est, & tanto plus, quanto torrentis aqua rapida, & multifua est: ejus enim pisces admodum fatigati, minus fiunt excrementitii, & magis quippe, quoniam in saxoso torrentis fundo plurimum sicco habitant. At & eorum piscium caro, qui in puro natant mari, eis parum noxia est, præsertim si capiuntur, cum ventorum difflatu mare agitatum attollitur, dicente Galeno *tertio de Potentiis alimentorum, capite vigesimo quarto*, quod in silente mari, nullisque agitato fluctibus, tanto piscium caro vilior est, quanto minus exercitata. salitos autem hi caveant pisces, ut de salitis carnibus jam proditum est. ob igitur frigidam, & humidam alimoniam, quam à piscibus Gallico morbo detenti suscipiunt, his à toto genere pisces (quocunque etiam condimento parentur) non concedemus: ob enim suam mucositatem humores reddunt nedum viscidos, verum etiam coctioni pertinaces, & tardi transitus, & tanto plus, quanto magis humiditate viscida abundantiores.

## DE OVIS.

Dixit Galenus *tertio de Potentiis alimentorum, capite vigesimo primo.* Quod ex ovis, quæ ab animalibus nascuntur, elegantiorem, ac meliorem corpori humano alimoniam præbent: quæ Gallinarum ova utique sunt; sane enim ob æqualitatem suæ temperantiæ omnibus corporibus salubribus, ac insalubribus convenire censentur. Nedum enim boni, ac laude digni succi progignentia sunt, verum etiam ocyssimi transitus, vires naturales quam minime gravantes, ut haberi potest à Galeno *tertio de Facultatibus alimentorum, capite vigesimo primo.* ob quam rem, qui Gallicum patiuntur morbum, ova gallinarum esitent, ut convenientia, & sibi optima edulia. Sint autem eorum ova recenter nata, quoniam diu asservata naturæ hominis prava sunt, concoctionique pertinacia, & tardi transitus, quare ex difficili eorum concoctu, & tardo meatu in functionibus, opprimitur omne corpus, ut ait Galenus, & redditur propensius ad augmentum symptomatum Gallicum morbum comitantium. Sint autem eorum ova cocta in aqua, quoniam sub ferventibus cineribus assata crassiorem alimoniam adgenerant, & tardioris sunt transitus, coctionisque difficilioris. Porro optimum erit, si solo ovi luteo vescatur hic, qui hoc morbo laborat, quoniam ovi albumen contumax sui viscitudine, ac frigida, & humida intemperie existit. At ubi in aqua ova cocta esitet, sint sorbilia, & tremula: ea enim ocyssimi sunt transitus, &, facilis concoctionis, optimum succum progignentia, &

corporis facultates roborantia adeo, ut morbum, & accidentia ipſum comitantia, propellere valeant: merito porro dixit Galenus tremula, molliaue ova omnium beliſſime nutrire, ova in communi eſu non ſint in ſartagine frixa, ob illud Galeni *tertio de Facultatibus alimentorum*, *capite vigeſimo primo*, ubi habet quod, quæ in ſartagine ad craſſitiem friguntur ova, deterrimi omnino ſunt alimenti. Dum namque coquuntur, nidorem, ac fumum edunt, ſuccuſque ex his prognatus non ſolum craſſus, verum etiam pravus, & excrementitius eſt. Quæcunque etiam ex ovis in ſartagine edulia condiuntur, ab his, qui Gallicis infectionibus corripiuntur, fuganda ſunt, ob eam proximo relatam cauſam.

## DE LACTE.

Lac, & quæcunque ex lacte edulia proficiſcuntur, ob eorum oppugnantiam, quam habent ad caput, & ad præcordia his, qui Gallica lue afficiuntur, admodum inimica ſunt: capitis enim dolores, qui eiſdem peculiares ſunt, pariter & præcordia dolentia ex his lacte confectis efficiuntur, foventurque, ut ait Galenus *tertio de Facultatibus alimentorum*, *capite decimo quarto*. Dixit quoque Hippoc. *quinto Aphoriſmorum*, *ſexageſimo quarto*. Lac dare caput dolentibus malum, malum vero & febricitantibus, & quibus præcordia ſuſpenſa murmurant. Ait quoque Galenus *Commento ſexageſimo*. Lac vero, quod bene concoquitur, nutrit, & bonos facit humores, & dum concoquitur, his pariter attollit præcordia, & caput tangit, quod quidem his, qui hoc morbo tenentur, dolore vexatur peculiariter, in quibus etiam murmuris præcordiorum proventus metum aquæ intercutem adauget, in quem facile talem patientes morbum pervenire poſſunt. Igitur dubio procul lac eſitare, & quæ ex eo efficiuntur eſculenta, his mala & adverſa ſunt.

## DE CASEO.

Ob abundantem viſcitudinem, quæ ex uſu caſei in humoribus progignitur, qua iidem humores corporis coctioni impropenſiores redduntur, his, qui ex Gallicis inſidiis turbantur, caſei eſum prohibemus, autore Galeno *tertio de Facultatibus alimentorum*, *capite ſextodecimo*: ob quam rem cum ex hærente viſcido humore & ejus craſſitie membra alterentur, ſæpiuſque in unitate ſolvantur, ut ait Galenus *ſecundo Artis medicinalis*, in his facile dolores inſurgent, quibus faſtidia Gallica excitabuntur, & tanto plus, quanto caſeus magis fuerit ſalitus, & vetuſtior factus, ob quod in eo creſcit acrimonia, qua caſeus urentior fit, & concoctioni contumacior, & deterrimi alimenti procreator, ut ait Galenus *tertio de potentiis alimentorum*, *capite ſexto decimo*. Et hic notatu dignum eſt, quod quamvis facultatis attenuatoriæ craſſorum humorum caſeus exiſtat, plus tamen incommodi, ac damni ex ſucci ſui pravitate, ac æſtuanti fervore infert, quam craſſorum attenuatio prodeſſe poſſit, ob quam rem, cum omnibus caſeis hoc commune vitium ſit, omnem pernegabimus caſeum his, qui hac Gallica lue fatigantur.

## DE FRUCTIBUS.

Fructuum, quibus homines veſcuntur, ut ait Galenus *ſecundo Facultatum alimentorum*, *capite ſecundo*, hos horarios Priſci nuncupant, eo quoniam in anni conſtitutione naſcuntur, quam anni horam Galenus appellitat, & eſt id tempus, in cujus medio Canicula dboritur. Horum porro alii terræ fructus vocantur, quales ſunt cucurbitæ, melones, citrulli, cucumeres, & hujuſmodi, qui cum humidæ ſint conſiſtentiæ, atque larga humiditate præditi, nedum humidam progignunt alimoniam, at exiguam, facileque è corpore excernibilem, de quibus ait Galenus *ſecundo de Potentiis alimentorum*, *capite ſecundo*, id genus omnia vitioſo ſucco notata eſſe: ſua enim frigida & humida temperatura fructus illi morbi Gallici temperiem adaugent, & vires naturalium membrorum offendunt, & earum functiones fere perimunt. Quocirca ipſi morbo obſunt, & cauſæ ejus incrementum adducunt, ob quam rem eos fructus morbum iſtum patientibus omni adminiſtrationis modo prohibebimus. Illos vero fructus, quos arboreos Galenus appellitat *ſecundo de Potentiis alimentorum*, *capite ſeptimo* (Uti ſunt ficus, pyra, poma, perſica, mora, armeniaca, ceraſa, pruna, & hujuſmodi, quorum mollis, atque humida eſt conſiſtentia) nedum tenuem, humidamque alimoniam corpori afferunt, verum & flatuoſam, quæ extenſione, & dolore Gallico morbo infectis non mediocre tribuunt nocumentum, ex quo à tota eorum natura his prohibendos eos cenſemus. Sane ubi eorum, ex voraci appetentia, quemquam eſitare cuperent, ficus bene maturas eiſdem condonarem, veluti minus importunos, ac nocuos fructus, minus namque pravi ſucci adgenerant omnibus his, qui fugaces, ac autumnales nuncupantur fructus. Quamvis hujus vitii non ſint immunes ficus, ut ait Galenus *ſecundo de Potentiis alimentorum*, *capite octavo*. Cæteris tamen autumni fructibus innocentiores eſſe conſueverunt. Te autem ſcire convenit, quod ubi poma, aut pyra ſub ferventibus cineribus cocta fuerint, nonnunquam tali morbo infecti eſitare poterunt. Excalfaciens enim ignis nedum humidum eorum nocuum minuit, verum etiam flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit, ac ſolvit. At ubi fructus ſolidæ conſiſtentiæ adfuerint, eiſdem taliter correptis minime condonare auderem, quoniam ii aſtringente vi pollent, vetante quippe vitioſos humores ad perſpirationem adeo, ut haud quaquam à profundo corporis expurgari valeant: quamobrem in intimis corporis partibus tales patientes doloribus perturbantur, quales fructus ſunt cydonia, punica, meſpila, ſorba, nuces, & hujuſmodi, qui porro nedum in tranſitum inceleres ſunt, verum craſſum, ac glutinoſum, & adſtringentem ſuccum progignunt, perſpirationi vitioſorum humorum obnocuum. At dulces amygdalas eis ingratas eſcas non pronuntiabo, cum nihil virtutis adſtrictoriæ fortitæ ſunt, quoniam abſtergendi, extenuandique vi pollent, adeo ut huic morbo male morigerato idonea eſca comprobentur. Dixit enim Galenus *ſecundo facultatis alimentorum*, *capite vigeſimo nono*, quod Amygdalæ viſcera expurgant. Hinc fit, ut humores vitioſi, ad cutem propulſi, ſpiratione per cutis poros excernantur, vetantes in interiis partibus corporis dolores, & Gallicas perturbationes. infectis itaque dulces amygdalæ ſunt eſca conveniens, ac peridonea. Nuces vero avellanæ, atque juglandes, quoniam vi pollent adſtrictoria, ob eam, quam diximus cauſam, ſic affectis ingratum edulium pronuntiamus.

## DE OLERIBUS.

Olera, quæ idonea ſunt edulia his, qui Gallica moleſtia cruciantur, ſunt, quæ excalfaciendi, & exſiccandi vi pollent, qualia ſunt, hyſſopus, calamintha, fœniculus, ſyſimbrium, ſalvia, betonica, & hujuſmodi. Sane ubi cum his coeant, quæ vim quandam emolliendi obtinent, tunc faciles perſpirationes reddunt, craſſosque, & hærentes ſuccos attenuant, atque abſtergunt: proinde peridonea edulia taliter perturbatis conceduntur. At his longe diſtent olera, quæ frigidæ, & humidæ exiſtunt temperaturæ: uti ſunt lactuca, endivia, blitum, malva, ſpinachia, & talia, ſui namque frigida natura vitioſos humores in internis corporis partibus compingunt, & eorum perſpirationem impediunt. Unde ſequitur, ut profundum corporis haudquaquam expurgetur, & corpus totum Gallico morbo magis infeſtetur, permagis vero, ſi patiens ex corrupta appetentia, olera frigida, & ficca eſitaret, cum adſtrictoriam facultatem obtineant, his patientibus admodum noxiam, qualia ſunt plantago, acetoſa, ſolanum, & hujuſmodi.

## DE TUBERIBUS TERRÆ.

Cum facultatem quandam alendi corporis obſcuriſſimam habeant terræ tubera, quæ mordaci acrimonia vellita ſunt, qualia ſunt cepæ, allia, porri, atque ſcalongiæ, eorum vitandus eſt uſus ab his, qui Gallica turpitudine vexantur: ob enim mordacem acrimoniam, & alimoniæ obſcuritatem, plus corpori obnoxia ſunt, quam eidem functio facultatis extenuandi, atque incidendi prodeſſe poſſit. Sane eadem ſemita, qua & terræ tubera, procedunt fungi, quos quovis modo condiendi paratos cavere debent, cum nedum mali ſucci ſint, atque alimonia ex his prognata, pituitoſa, gelidaque, verum & omnibus accidentibus ex morbo Gallico prodeuntibus obnocua: & hanc mentem habuit Galenus *ſecundo de Potentiis alimentorum*, *capite ſexageſimo nono*. Dixit etiam Galenus in *libro de Cibis boni & mali ſucci*, quod Fungi, cum ficcari nequeant, vitium in ſe habere maxime indicant, & Avicenna dixit *ſecundo Canone cap.* celxxiiij. quod accidit ex fungis, qui non occidunt, præfocatio.

## DE LEGUMINIBUS.

Cum legumina nulla gratia, nullaque jucunditate prædita ſunt, flatibuſque ventres admodum implent, quibus tentione in his dolores excitant, qui in patientibus Gallicam affectionem ſocii criminis exiſtunt, non immerito his eas contrarias eſcas pronuntiabo, autore Galeno *libro primo de Potentiis alimentorum*: veluti ſunt faba, cicera, orobus, phaſeoli, cicercula, & hujuſmodi. Igitur aperta fronte jubeo tali morbo affectos eorum granorum fuga ſe ipſos munire, ex eorum quovis adminiſtrationis modo. Ubi vero quiſpiam voraci appetentia ductus juſculum cicerum rubeorum eſitaret, hanc non damnarem appetentiam, quoniam hujuſcemodi juſculum attenuandi, & abſtergendi craſſos, ac glutinoſos humores, atque eorum obſeratas vias aperiendi vi pollet, quod admodum prædicti curationem morbi molitur.

DE

## DE MOTU, ET QUIETE.

Cum à Galeno *primo de Tuenda sanitate*, habeamus humani corporis excogitatam dimotionem, nedum ad sanitatis tutelam, verum etiam ad bonam corporis habitudinem tum efficiendam, tum conservandam necessariam esse, operæ pretium esse arbitramur, eum, qui hac Gallica, epidemicaque affectione infestatur, ut optimam sibi conducat valetudinem, corporis motione, atque exercitatione se ipsum gubernare. At ut ait Galenus *sexto de Sanitate tuenda*, inpleto ventre exercitationem fieri nollem, ne vaporibus à cibis elevatis caput impleatur, fluxiones desuper moventibus ad inferna membra, in his dolores excitantes. Porro exercitatio sit ante cibum, quoniam ea corporis virium robur augere solet, ut ait Galenus *sexto de Locis affectis*, *capite sexto*. Quippe tunc valida erit, quoniam exiguos corporis meatus expurgat, & excrementa pellit, merito igitur dixit Galen. 2. *de Sanitatis tutela*. Utilius ante comestionem exercitationem adhiberi. Sane & iis convenit aliquando post exercitari, non quidem omni hora, sed ut ait Galenus *secundo de Tuenda sanitate*, quum externus cibus duplici concoctione jam prorsus est confectus, ea videlicet, quæ in venis, & ea quæ in ventre agitur, ac jam denuo cibandi tempus instet. Ubi vero prius, aut posterius fiet exercitatio, aut crudis corpus implebitur superfluitatibus, aut pallidæ bilis proventum accelerabit. Nempe notatu dignum est, ut ait Galenus *sexto de Tuenda Sanitate*, quæ post cibum fiunt exercitationes, potius lentas esse debere, ne celerius, quam oportet, membris cibus rapiatur. Quæ vero ante cibum efficiuntur, magis citas esse expedit, ut superfluitates, quæ cavitates implent, natura exercitatione in vigore consistente, valentius dejiciantur.

## DE SOMNO, VIGILIAQUE.

Dixit Galenus *secundo Aphorismorum*, *Commento primo*. somnum & vigiliam fieri secundum innati caloris hinc & inde motiones, somnum quidem ad interna corporis: vigiliam vero ad externa, nativo calore promoto: ob quam rem cum in multo somno nativo calore ad intima vocato, multa vaporum quantitas capiti insurgat, quibus fluxiones ad inferna membra condescendunt, dubio procul opinor morbum Gallicum patientem, haudquaquam plurimo uti somno debere, ne multiplicatæ ex somno superfluitates in membris quippe decumbentes gravedines ac motuum impotentias, doloresque progignant. At cum hoc maxime in diuturno somno contingat, non ab re dicam eum diurno somno privari debere; Sane cum in vigilia spiritus à corde ad extima moveantur, crassos, ac glutinosos humores in his ingestos consocio nativo calore attenuant, atque discutiunt, ob quam rem majori temporis intervallo ipsum vigilia gaudere vellem. At ubi assuetudinem vetustam diurni somni possideret, eam sensim negligat, ac perdat, juxta præceptum Galeni *tertio Artis medicinalis*, & *secundo Aphor. Commento quinto*.

## DE GAUDIO.

Proditum est à Galeno *secundo de Causis symptomatum:* gaudium fieri ob motum animatæ facultatis ad corporis exteriora. Igitur delegato spiritu à corde consocio calore ad omnia corporis membra, fit, ut in eis pituitosæ superfluitates, accumbentes disrumpantur, atque exsolvantur, ob quod Gallicæ molestiæ admodum tepefiunt. In tristitia vero contrarium fieri consentaneum rationi existit: sane enim ob eam revocantur spiritus, & calor ad cor, adeo, ut extima membra calore destituta algescant. in hisque Gallicæ turbationes excitentur, ob quam causam, qui tali vexantur morbo, ut gaudeant monemus, & non tristentur.

### *De Repletione, Inanitioneque.*

Repletio omnis, sive ciborum, sive malorum succorum, aut humorum vasa implentium, vitiosa est, perpetuoque damnanda, ut est Galeni verbum *primo aphorismorum*, *Commento tertio*. inquientis. *Cum enim vasa cibis, & potibus supra modum repleta fuerint, periculum est, ne disrumpantur, aut calor naturalis suffocetur.* At cum eorum abundantia graventur membra, quod facultati eorum admodum noxium est, idcirco jubeo isto morbo affectos, secundum omnem proditam causam, suorum corporum immodicam aufugere vasorum impletionem, quoniam ob eam facile dolores, anxietatesque, & omnia perturbationum genera morbum Gallicum comitantia insurgere possunt. Hi igitur attenuante victu utantur, licet non immoderato, quod is comitialem morbum facile progignere possit, præsertim ubi ventriculus immoderate inanitus fuerit, ut ait Galenus in *libro de Venæ sectione contra Erasistratum*. Sit ergo moderatus. Ubi enim victus attenuans usu observetur moderato, epilepsiam fugat, ob id Galeni verbum, in *libro de Attenuante victus ratione*, dicentis. *Eadem etiam hæc attenuans victus ratio epilepticos quidem parvos, incipientes penitus sanat, inveteratos vero, ac consummatos juvat mediocriter.*

## CAP. V.

### *De Morbi Gallici curatione, medicinarum oblatione.*

Cum curatio ad morbum attineat, ut ait Galenus *tertio Artis medicinalis*, ideo curationem Gallici morbi moliens, alteram rem aggrediar, quam morbi profligandi facultatem Galenus nominat *primo de Tuenda sanitate*. At eam quippe perficiens, plures, variasque percurram intentiones, quibus prava hæc tempestas undique hominibus contingens, consocio lumine superiori, facile aboleri valeat. Prima igitur curationis Gallici morbi intentio est medicinarum oblatio, & tu intellige dictionem medicinarum, universim quæcunque corporum nostrorum naturas apta sunt alterare, ut ait Galenus *primo de Facultatibus simpl. medicamentorum*, *capite primo*, sive extrinsecus corpori invehantur, sive intrinsecus ingurgitentur. At cum sanguinis missio sit universalis medicatio, in omni morbo ex plenitudine orto, ut ait Galenus *sexto Aphorismorum*, *Commento quadragesimo septimo:* operæ pretium esse duxi scrutandum, nunquid in Gallico morbo sanguinis missio conveniens censeatur. Sane cum probe sanguinis missio administrari conveniat, ut quod naturæ inutile est, emittatur: & in morbo Gallico sanguis, aut ex se, aut consensu aliorum humorum naturæ corporis inutilis sit, rationi consonum esse videtur in eo sanguinem emitti debere, valida quippe existente facultate, cum ætate consentiente, & morbi præsentis magnitudine, & futuri timore, ut ait Galenus in *libro de Curatione per sanguinis missionem*, & *quarto de Ratione victus acutorum*, *Commento decimonono*. Te tamen scire convenit, quod in Gallico morbo sanguis redditur naturæ contumax, & inutilis, aut quia multitudine crevit, adeo, ut vires corporis premat, vel ex se, vel cum aliis commixtus humoribus: aut quoniam qualitatem propriam ad unguem non servat, adeo ut sicut prius, nutrire nequeat, veluti factus vitiosus ex epidemica illa affectione, vel sanguinem, vel alios sanguini permixtos humores inficiente. Hoc stante fit, ut in abolitione causæ morbi secundum utrunque sanguinis vitium, in morbo Gallico sanguinis missio conveniat, præsertim ab initio morbi, reverentior tamen in processu fieri debet, & ubi humores alii à sanguine vitiati fuerint, ut ait Galenus in *libro de Curatione per sanguinis missionem*, & *quarto Methodi curativæ*. Igitur morbi Gallici curationis scopus primus initium capiet à sanguinis missione, vel ex nigra vena, cum universo corpori vitium communicetur, vel ex jecoraria, cum omnes humores, aut ex se, aut per consensum vitiosi sint, & jecur humorum generationis fons exsiliat. observandum tamen prius est Galeni præceptum in *libro de Curatione per sanguinis missionem*, & *quarto de Ratione victus acutorum*, *Commento sexagesimonono*, ut videlicet eam præcedat alvi lenitio per oblatum clysterem effecta, ne quod crudum ad extra vasa continetur, sanguinis missione ad intra recondatur. Ad hæc & post missionem sanguinis clyster convenit, ut natura exonerata à superfluitatibus in amplioribus, & latioribus viis existentibus, vitiosas materias in venis foventibus, validior reddatur ad eas concoquendas, resolvendasque, & facilius propulsandas. At sanguinis missio quantitate, proportione respondeat ætati, virtuti patientis, & magnitudini morbi. Cæterum concoquatur materia, donec signa concoctionis apparuerint cum sequenti potione, quam in diluculo patiens sorbeat. Nempe *syrupum de fumo terræ*, *syrupum de lupulis*, *oxymel simplex cum syrupo de betonica accipiat ad unciam dimidiam cujusque*, *quibus aquam destillationis fumi terræ*, & *lupulorum*, & *betonicæ in æquali unius unciæ quantitate permisceto*, & *potui dato*. Dum vero signa concoctionis manifesta fuerint, per horam, priusquam diei lux ad nos perveniat, ingurgitet patiens sequentes pillulas. *Pillulas de fumo terræ duorum scrupulorum quantitate*, & *aureas pillulas quantitatis mediæ drachmæ*, *eis jungito*, & *quinque pillulas formato*, & *patienti exhibeto*. Postea vero tribus æger quiescat diebus, quarto vero die prius quam cibum devoret, sanguinis missionem ex salvatella siniſtræ manus secta perferat, succedente vero die alteram materiæ concoctionem exequatur, per sequentes prope diluculum potatos syrupos, ut *syrupum de fumo terræ pondere unciæ unius*, *oxymel diureticum*, & *syrupum de lupulis*, *u-*

*ninſcujuſque pondere mediæ unciæ et jungito, quibus aquam ſcabioſæ, betonicæque, & lupulorum admiſceto, & exhibeto.* Indiciis autem etſi non completæ concoctionis apparentibus, convenit corpus purgari his pillulis priuſquam diluculum per horam accedat. *Pillulas de hermodactylis minores, & pilulas aureas pondere cujuſlibet ſcrupuli unius ſumito, his adde agarici præparati ſcrupulos duos, ſeptemque pillulas conficito, & patienti dato:* & iterum tribus diebus quieſcat patiens. Quarto vero accedente die admoveat hirudines tres hæmorrhoidibus, alvi lenitione ſemper præcedente. Deinceps vero concoctionis officinam tertio aggrediatur ſequenti ſyrupo donec ejus indicia maxime appareant, & tunc purgatorio utatur ſequenti. ſyrupus is eſt. *Syrupum de pomis compoſitum, ſyrupum de fumo terræ, & mel roſatum, unumquemque pondere drachmarum ſex accipito, & illis decocti ligni Guajaci uncias quattuor addito, & potui dato.* Purgatorium eſt, quod ſequitur. *Pillulas aggregativas cum pilulis aureis, & de fumo terræ æquali pondere unius ſcrupuli ſumito, quibus jungatur hellebori nigri præparati unius ſcrupuli quantitas, conficiasque pillulas ſeptem, & patienti dato,* ubi vires ægrotantis plene conjectare valeas: ubi enim exactis jam purgationibus patientis vires imbecilliores redditæ fuerint, hujus purgatorii minuendæ quantitatis electionem relinquo in arbitrario judicio optimi & experti medici: His omnibus peractis, tum ex cauſæ morbi Gallici concoctionibus, tum ex ejuſdem purgationibus, jubeo patientem quatuor diebus à medicinis vacare: Jubeoque tunc ipſum bonis, & laude dignis refici eduliis, licet non plene & feſtinanter, ut ait Galen. 4. *de Tuenda ſanitate*, non longe à fine libri. *Quoniam obſervari convenit idoneum tempus ſiendæ nutritionis, quæ non feſtinanter, ſed convenienti, ut fiat, eget tempore*, tum etiam, ut ne cibi copia, & tentata feſtina refectione iteratò æger ad plenitudinem ducatur, non admittentem fieri præſidia ulteriora, quæ in hac primaria curationis intentione in morbo Gallico à nobis expedienda ſunt. Igitur his quatuor refectionis diebus peractis, ut reſiduum cauſæ Gallici morbi cutis perſpiratione, atque ſudore reſolvatur, propulſeturque, jubeo patientem mergi citra caput in tina aquæ decoctionis rerum ſubſcriptarum, pannis bene coopertum, ita ut moram in ea trahat, quoad ipſe ſufferre valeat: decoctio porro eſt hæc. *Florum chamæmeli, meliloti, ſæxugræci, ſeminis lini, bis de quolibet quantum manus capere poteſt capiatur, radicum althææ, foliorum malvæ cum radicibus, violariæ uniuſcujuſque quantum manus ſcinel amplecti valeat, amplectatur. Abſinthii, menthæ, pulegii, calaminthæ, abrotani, betonicæ, florum ſtœchados Arabicæ, majoranæ, ivæ, chamædryos, chamæpiteos, cujuſlibet quantum pugillus continere poſſit contineatur, anethi, aniſorum, carvi, dauci, ammios, polypodii querceni, ſem. carthami, cujuſlibet manipulum medium accipito: ſpicæ, ſchœnanthi, de quolibet mediam ſumito unciam, foliorum juniperi, lauri, ſalviæ, roriſmarini, de quolibet manipulum unum apponito. Hæc omnia in aquæ ſufficient: quantitate ebulliant, donec aquæ tertia pars conſumatur, coleturque & uſui ingreſſus tunc reſervetur*, in quam patiens mane poſt diluculum ingrediatur ſtomacho jejuno, & alvo exonerata, &, citra caput, bene pannis coopertus, calida quippe exiſtente aqua, quantum ipſe ſufferre valeat. exiens vero extra tinam optime abſtergatur, repenteque calidum lectum ingrediatur, bene pannis munitus, ſtatimque ingurgitet bolum ſequentem, *mithridatii optimi drach. j. ſacchari violati drach. j. & ſ. commiſtim una vice capiat totum, ſuperbibatque confeſtim vini albi potentis, decoctionisque hordei excorticati hauſtum unum*, dormiatque, vel quieſcat per duas horas. quod ſi plurimum ſudabit, mundetur, & exſiccetur: veſtibus ſe induat, & motu laude digno exerciteturhora convenientis exercitii, & ſic alternis diebus talem proſequatur modum balnei, donec balneationes quindecim expediat, & hoc quidem balneum conveniens eſſe aſſevero peractis præcedentibus, nedum ab initio morbi Gallici, verum etiam in proceſſu. Cæterum patiens per tres futuros menſes ſequentem modum curæ obſervet, convenienti quotidie habito exercitio, mane, veſperique hora exercitationis convenienti, ut edocet Galen. *lib. 2. de Sanitatis tutela.* Ingurgitet igitur, cum cubare veſperi voluerit, unam de ſubſcriptis pillulis. *Turbith boni, agarici electi, rhabarbari optimi, omnium drach. j. ſumito, ſpicæ, ſalis gemmæ, cujuſlibet grana v. accipito, epithymi, hermodactylorum, ſummitatum fumi terræ, uniuſcujuſque ſcrup. ij. ſuperaddito, myrobalanorum Indorum, & citrinorum utriuſque drach. j. jungito: quibus ſpecierum hieræ ſimp. Galeni drach. ij. & diagrydii ſcrup. ij. apponito, omnibuſque ſubtiliſſime in pulverem ductis cum ſucco iridis fiat paſta pillularum*, quantitas eſt numero una ſcrupuli unius: ubi vero patiens moleſte, laborioſeque pillulas ingurgitaret, illarum vicem ſupplendo potiones in temporibus eiſdem, ut abſorbeat, idoneum fore autumabo, ſapientes quippe naturam medicamentorum à toto corpore excernentium, atque pituitam, & humores aduſtos, & melancholiam purgantium. Qualia ſunt lenientia, uti eſt *diaſenæ lenitivum, & diacatholicon:* & ſolventia, uti ſunt, *electuarium roſatum Meſuæ, electuarium de ſucco roſarum, & hamech, & electuarium Indum.* His quidem in facultatibus adauctis, cum *helleboro nigro præparato*, ut magis occurſent cauſis Gallicum morbum efficientibus. Et quoniam in purgationibus membrorum confortatio neceſſaria eſt, præſertim principalium, ut ait Galenus *quinto de Locis affectis*, non ab re fore putabo, ſi præſcriptæ medicinæ *rhabarbaro* conſolentur, ubi vero cum *ſero caprino decoctiones ſenæ, & polypodii* diſſolventur, earum facultas valentior erit ad cauſam morbi Gallici propulſandam: ſcire tamen debes majori laude pillulas dignas eſſe ad profligandam cauſam morbi Gallici potionibus ipſis: quoniam à longinquis, & remotis valde particulis, & toto corpore cauſam morbi Gallici purgari convenit, hoc autem pillulis permagis efficitur ob longiorem moram, quam merito modi ſuæ ſubſtantiæ ipſæ ſibi in ventriculo contrahunt. Cæterum ubi Dei gratia, & artis noſtræ beneficio, corpus Gallico morbo correptum præſidiis præſcriptis convaluerit, in poſterum actu præſervativo uti debemus: quoniam à cauſa hac epidemica propenſio quædam corporis acquiſita eſt, quæ uti habitus facta à corpore magna cum difficultate aboleri poteſt. Quo fit, ut ob eam corpus propenſius in Gallicum morbum iterato irruere valeat, ob quam rem rationi conſonum eſt, Medicum uti providentia, atque præſervatione, ne corpus denuo in hanc luem perveniat. Igitur nullo ductus errore jubeo ego patientem bina in anno uti purgatione, una quidem ad nos accedente verno tempore: altera vero autumni pereunte tempore: hæc enim tempora purgationibus peridonea ſunt, ut ait Galen. in *lib. de Curatione per ſanguinis miſſionem.* Eligat autem ſibi patiens quam voluerit de præſcriptis purgationibus: ſunt enim in utriſque temporibus admodum convenientes. At ubi ſanguinis miſſio expedit ns tunc temporis fuerit, obſervatis quæ ad ſanguinis miſſionem obſervanda ſunt, eam non vitupero. Temporibus vero mediis ſequatur illum crebram evacuationem, quam unica aſſumpta pillula jam præſcripta fieri juſſi Quandoque vero intermiſſa pillula potet in diluculo ſubſcriptam potionem, *ſeri caprini unc. viii. accipito, cui permiſceto foliorum ſenæ pugillum unum, polypodii querceni drach. ij. bullian', donec quarta ſeri caprini pars abſumatur, & reſiduum potui detur:* Et hæc ſint à nobis dicta in primo curationis Gallici morbi ſcopo, quem Medici prudentes in primis aſſequi debent.

## CAP. VI.

### *De ſcopo curationis Gallici morbi.*

Si quia forte fortuna ex prima morbi Gallici curationis intentione patiens non convaluerit, ideo eam aggredi nequibit, ſed ab initio morbi expeditiorem viam curationis, licet minus canonicam, minuſque certam aſſequi deſideraverit, operæ pretium eſſe duxi, hanc ſecundam Gallici morbi curationis intentionem proſequi, ut, ſi Deo placuerit, ab hac luc noſtro opere patiens convaleſcat. Igitur conſideratione dignum eſt, quod morborum ex plenitudine ortum habentium plenitudo illa minoranda eſt, ut natura exonerata à multitudine materiæ validior efficiatur ad reſiduum melius concoquendum, & inde facilius excernendum, ut ait Galen. 2. *Aphor. Comm.* 29. Quod locum habet tam in ſanguinis miſſione, quam in pharmacia: ob hoc jubeo ego præcedente alvi lenitione cum clyſtere, ut ſanguinis miſſio exequatur, cum ipſa plenitudinem evacuet, ut ait Galen. in *lib. de Curatione per ſanguinis miſſionem*, ex vena ſane nigra, vel baſilica, cum ab univerſo excernant corpore. Pondus autem ſanguinis mittendi ſit unciarum ſex, ſervato patientis robore cum florente ætate, & ſnon pueritiæ, ut jam proditum eſt. Quieſcat tunc patiens duobus intermittentibus diebus: tertio vero accedente die ingurgitet prope diluculum ſubſcriptum bolum, *Diaſenæ lenitivi drachmas ſex, caſſiæ recenter extractæ unciam mediam, ex his fac bolum, & patienti dato.* Cæterum ſequens decoctum præparato, & ſecundum modum à nobis decernendum potu patienti dato. *Ligni Guajaci admodum triturati libram unam accipito, cui foliorum ſenæ pugillum unum, & polypodii querceni drachmas tres, ac aniſorum drachmas duas, & hellebori nigri præparati drachmam unam & mediam, & agarici, atque turbith cum hermodactylis cujuſlibet drachmam unam jungito, & rhabarbari cum myrobalanis Indis ſcrupulos duos addito:* Et hæc omnia ſimul triturata in libris quatuordecim aquæ currentis calidæ infundantur per ſpatium naturalis diei. Demum vero lento igne bulliant, donec aquæ tertia pars abſumatur, levique rerum facta expreſſione colentur, & cum ſaccharo optimo, quantum

expe-

expedit, excolata aqua juleb ſecundum artem ducatur longum, atque clarificatum. Atque ſic operari debes prædicti juleb uncias ſex accipiendo, & calidum apud diluculum patienti in potu exhibendo: ſed ſtude, ut optime pannis tectus, duabus, vel tribus dormiat horis, aut adeo quieſcat, ut ſudet: demum cum ex lecto exierit bene abſterſus, ſequentem capiat bolum. *Conſervæ anthos, ſaccbari roſati, utriuſque drach. ij. accipito, & commiſtim patienti dato:* Poſtea vero ambulet, & laudabili motu exerceatur. Adventante vero hora prandii, edat quaſcunque carnes laude dignas, bonique nutrimenti, & paucæ quantitatis, ſive elixæ. ſive toſtæ fuerint, recentia ova permagis in aqua elixata ſunt ei peridonea, vinum non bibat, ſed ejus potus ſit *aqua decoctionis hyſſopi, coriandrorum, & ſacchari.* ſuccedente vero die à prandio per octo horas, iterum bibat uncias quinque jam prædicti juleb, quieſcatque in lecto pannis bene coopertus, & dormiat per horam, & ſudet, deinceps ſurgat, exerciteturque, & cœnam capiat, ut proditum eſt de prandio, & tu conſidera, quod ubi patiens ex potu juleb mollem alvum ſuperſiue obtinebit, non uſu quotidiano exhibeatur juleb, ſed altero intercedente die. Ubi vero adeo alvus adſtringeretur, ut naturæ officium habere nequiret, jubeo, ut uſu quotidiano horis præſcriptis juleb ipſum potet, & ſic ſive intermittente die, ſive non, triginta diebus enarrato modo juleb ſorbeat: quod ſi forte fortuna, & non per rationem plurimo tempore alvus aſtringeretur, cum cautela quidem omnibus octo diebus ſorbitionis juleb, apud auroram hunc deglutiat bolum. *Diaſenæ ſolutivi, electuarii hamech utriuſque drachmas duas ſumito, & commiſtim patienti dato.* At ubi in temporis proceſſu completo, ex juleb potu alvus adſtringeretur, uti rationi conſonum eſt, jubeo tunc, ut quindecim quibusque diebus patiens hunc deglutiat bolum. *Confectionis hamech, electuarii ſuccі roſarum utr. aſque drachmas duas, hellebori nigri præparati ſcrupulos duos, ſimul miſce, & bolum conficito,* & apud diluculum dato. Sed tu conſidera hanc morbi Gallici curationis intentionem naturæ hominis contumacem eſſe, quam non abſque periculo medici aſſequi poſſunt, ob quotidianam debilitatem, quæ ex crebra evacuatione membris accidit naturalibus, ob quam virtus eorum retentrix alimentum detinere nequit, unde alitio perditur, & ſimul vita, & quoniam ex hac curationis intentione non pauca homini incommoda contingere ſolent, quibus poſt ſuccurrere edocebimus, ideo huic intentioni curativæ finem imponam.

## CAP. VII.

*De Tertio Gallici morbi curationis ſcopo, quem unctiones, & linimenta ex mercurio confecta perficiunt.*

Tertiam Gallici morbi curationis intentionem aggrediar, quæ non minoris conturnaciæ, & periculi eſt humanæ naturæ, quam proxima præcedens, cum medicamentis utatur metallicis, vel his confociis, quæ prudentes medici proſequi haudquaquam debent, niſi cum timore & cautela, ut quiſque certificari poterit ex his, quæ à Galeno ſcribuntur *libro nono de Facultatibus ſimplicium medicamentorum.* Igitur cum Topica medicamenta purgato egeant corpore, ut ait Galenus *ſecundo Methodi*, & *tertio Artis medicinalis*, priuſquam me ad opus tertiæ intentionis morbi Gallici curativæ conferam, patientem ipſum purgabo, ne ex Topicis medicamentis, corpori ſuperfluitatibus impleto aliquid incommodi contingat, ut docet Gal. 3. *Artis medic.* At cum ſanguinis miſſio univerſalior ſit evacuatio, multitudinem quidem evacuans, & morbi Gallici cura egeat meo judicio (nullo occurſante impediente) ab initio ſanguinis miſſione, tum per rationem plenitudinis, tum humorum vitio, tum etiam per eorum putredinem caliditatem ſuperagentem, in primis venam nigram ſecabo, prius alvi lenitione non neglecta, ut jam proditum eſt. Intermiſſo vero die uno, ſubſequente altero prope diluculum ſequentem inglutiat bolum. *Diaſenæ lenitivi drachmas ſex accipito: electuarii hamech, & electuarii ſuccі roſarum cujuslibet drachmam unam appenito, & bolum facito, & patienti dato.* Deinceps vero interpoſito die concoctioni remanentis materiæ attendendum eſt, & membrorum vigor non aſpernendus eſt, ut natura exonerata à multitudine materiæ ei prævaleat, tum ejus reſiduum concoquendo, tum eam præparando ad facilem expulſionem, quæ omnia valentius fient, ubi membrorum vires conſolabuntur. Potet igitur patiens apud diluculum ſubſcriptum ſyrupum, donec concoctionis indicia apparuerint, ut pote *ſyrupum de pomis compoſitum, ſyrupum de epithymo, ſyrupum de endivia, cum ſyrupo de betonica, cujuslibet pondus unciæ mediæ accipiendo, quibus aquæ decoctionis ligni Guajaci pondus unciarum quatuor permiſceto*, & potui dato.

Cæterum purgabis ægrum ſubſcriptis pillulis. *Pillulas fœtidas, pillulas aureas pondere mediæ drachmæ ſumito, quibus hellebori nigri præparati ſcrupulum unum permiſceto, & patienti apud diluculum exhibeto.* Cæterum qui morbo vexatur Gallico, tribus quieſcat diebus, ab omni opere medici vacans. Quarto vero die cum lux ſolis oritur, vacuo ventriculo, leviori ſequente unguento ungat ſibi totum corpus apud ignem citra caput, immunesque ab unguento ſerventur partes, quæ alvum integrant, ventriculusque, & cordis regio, ac teſtes unguento non tangantur. Cætera vero membra in primis levi frictione tricentur, ut validius eorum membrorum pori aperiantur, & ad intima eorum unguentum magis penetrare valeat, & ob hoc æger, ut miniſter, ungendo forti ſatis utatur frictione: Demum vero magis calido linteamine tegatur, & calidum ingrediatur lectum pannis optime coopertus. Quippe ſic moram trahat quatuor horis non dormiendo, neque lectum exibit, donec hac leviori unctione dies inunctionis octo compleantur. In quibus ægrotantis victus ratio vergat in tenuem partem, ita ut eſitet carnes alimenti laudabilis, & paucæ quantitatis. Ejus vero potus, vel nullus, vel vinum leve valde. & album, vel mediocris caloris exiſtat. Unguentum ſit ſequens. *Olei laurini uncias octo ſumito, axungiæ porcinæ uncias tres adjungito. Hæc quippe in vaſculo vitreato ebulliant, donec eliqueſcant, & optime cum ſpatula ad ignem ducantur. Demum his adde paululum argenti vivi bene cum ſaliva, & in dico olei laurini extincti, & denuo cum ſpatula bene miſceantur, & ducantur, & ea utere, ut infra dicemus.* ubi vero experimentodi gnoſces tu, unguentum hoc nimium fore leve, aliam unguenti deſcriptionem decernes, validioris virtutis, & ocyſſimæ operationis, ſi ultra inuncta membra, forti ſimul frictione apud ignem, plantæ manuum, ac pedum inungantur, & tempus, quod unctionem metitur, ſit dierum ſex, aut plus, minusque ſecundum quod materia virtute unguenti ad os, & ejus partes vertetur. Id enim putabis fore indicium validæ, & completæ operationis unguenti, & tu tunc ſiſte ab opere, memineris tamen ſuccurrere accidentibus pravis, quæ patienti ex violentia unguenti mercurio commiſti contingere poſſunt, ut nos poſtea exacte edocebimus, cum ſermonem habebimus, de modis ſuccurrendi accidentibus ortis, tum per rationem Gallici morbi, tum ex vi, & violentia medicamentorum, quæ ex applicatione corpori eodem morbo affecti facile evenire queunt. Te nempe conſiderare volo, ne crimine mortis patientis accuſandus venias, quod morbi Gallici curationem, quam aliqui imperiti, & imprudentes medici, vel carnifices ex ſuffumigiis moliuntur, habentibus quippe ſubſtantiam minii, vel cinnabaris, vel argenti vivi ſublimati. aufugere debes, & ab ea cavere, uti ab inimico necem inferente: Illis enim ſuffumigiis pravi, & venenoſi fumi, atque vapores inſurgunt, qui per os intrantes, attingentesque membra, & ſpirationis organa, in hisque decumbentes, ſua vi aſtrictoria ſpirationem tollunt, & repente patientem ſtrangulant, pariter quoque per mares, ad cerebrum permeant, & organa atque inſtrumenta facultatis animalis adeo offendunt, ut in multis pereant ſenſus, & motus, atque facillime fiat lapſus in epilepſiam, & apoplexiam, in tremoremque, & paralyſim, ac ſpaſinum. Quæ omnia mortis periculum minantur, ut ait Galen. in *libro de Rigore*, & *convulſione*, & *quinto Aphoriſmorum*, *Commento primo*. Igitur etſi uterque hic modus curæ Gallici morbi fallax, atque periculoſus ſit, minoris tamen periculi hic eſt, qui unguento ex mercurio confecto molitur, eo quod per ſuffumigia exercetur, ob id quod jam proditum eſt. Sed quiſpiam à me, & non immerito inquiret, quonam modo argentum vivum confert in abolitione Gallici morbi, tum membrorum dolores ſedando, tum fœdas puſtulas, & ſordida ulcera abolendo, tum etiam gummoſa tubercula ac nodos Gallicos amovendo, cum per rationem ſuæ temperaturæ frigidæ valde ac humidæ materias compingere valeat, & non diſcutere, neque reſolvere? Huic dicendum puto, quod ubi argentum vivum fateamur temperaturæ fore frigidæ, (uti ſenſit Avicenna *ſecundo Canone*, *Tractatu ſecundo*, *capite quadrageſimoſeptimo*) Cum extinctum corpori hæreat, ſuique gravitate cutim corporis penetret, quodammodo à calore corporis actuatum, ad intra cutim à calore membrorum naturali, & a putreſcibili calore morbi Gallici, ad modum aquæ vel ferri candentis, aut lapidis inflammetur: proindeque, tali acquiſito incendio, & ob ſui gravitatem adhærendo gummoſis tuberculis Gallicis, eorum materias diſcutiat, abſolvatque & per eandem rationem exſiccet, ac ulcera putrida, ac fœdas puſtulas ſanet, & ob hanc cauſam non longo temporis ſpatio unctionem ex argento vivo quis proſequi cogitet, cum eo acquiſito incendio intima corporis membra facile exulcerare valeat, ut poſtea oſtendemus. Quod ſi quando fortis etiam admoveatur, per eandem acquiſitam acrimoniam materiam in membris oſſuoſis per rationem membranulæ te-

tegentis ea progignentem discutit, atque resolvit, & dolores tollit: ob hanc igitur rem quilibet animadvertat, ne conveniens inungendi tempus cum unguento, ex mercurio confecto, excedat, ne ardor, quem sibi ex extinctione, & à calore corporis incensione vendicat, patientes Gallicum morbum in internas, & externas ulcerationes facile concidere valeant, & error pejor priore contingat. Igitur ubi fuerit unguentum ex mercurio factum leve, & minoris quantitatis argenti vivi, inungendi tempus sit dierum novem, vel decem: ubi vero fortius, & majoris argenti vivi quantitatis extiterit, inunctionis tempus sit quinque vel sex dierum. Sane unguentum, quod ex argento vivo conficitur, validius, & fortius, egens minori temporis spatio, quo patiens inungi debet, sic componatur. *Axungiæ suillæ uncias quinque accipito, olei laurini, ceræ mundæ, thuris albi, mastichis lympidæ, cujuslibet uncias duas sumito, salis communis uncias octo, succi plantaginis, succi fumi terræ cujuslibet uncias quatuor, confice sic. Ceram & axungiam recentem bene mundam ab extrinseca pelle, & oleum laurinum, omnia pone in stannato vasculo additis succis, & puro ac lento igne bulliant, donec liquescant. quibus inde adde salem communem in pulverem ductum, pariterque & thuris pulverem, atque mastichis, & hæc omnia bulliant usque ad perfectam decoctionem: postea vero ob igne depone, cui adde argenti vivi optime cum saliva, & oleo laurino extincti uncias duas & medium, & cum spatula optime misce, donec fiat unguentum, quod usui reservetur.* Ubi vero quispiam argentum vivum calidum esse in quarto gradu asseveret, uti Paulus & Rhasis, cujus exemplum assumunt ab eo, quod incidendo dissolvit, & penetrat, nulli dubium erit, argentum vivum per rationem suæ temperaturæ in Gallico morbo convenire, tum gummosa tubercula Gallica discutiendo, & inde resolvendo, tum abolitione causæ Gallicos dolores amovendo, fœdasque pustulas, & ulcera prava exsiccando. Igitur cujusvis temperaturæ argentum vivum extiterit, vel quia valde calidæ, à qua secundum se discussio, incisioque, & absolutio contingunt, vel valde frigidæ, cum qua in morem aquæ, vel ferri, aut lapidis à calore corporis naturali, opitulante putrescente calore Gallico, incenditur. fit, ut adventitia illa caliditate, ac inflammatione gummosa tubercula discutiat, & absolvat, & doloris causam aboleat, & eadem acquisita caliditate fœdas pustulas, & ulcera exsiccatione amoveat: & hanc doctrinam eligere potes ex Galeno *nono de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite de Metallis medicamentis.* Quemlibet autem hortor, morbum Gallicum curare cupientem, non impetuose, & non absque exquisita consideratione, hanc tertiam curæ intentionem aggredi debere, cum ipsa satis mendax, fallaxque, & periculosa habeatur, quoniam argenti vivi facultas, nedum functionibus virtutum principalium membrorum cum impetu occurrat, verum etiam vitæ humanæ contumax, & mortifica existit. At quamvis Galenus dicit *nono de facultatibus simplicium medicamentorum, capite de Hydrargyro*, se nullum fecisse periculum, neque quod argentum vivum interimat, si devoretur, neque ubi foris admotum sit, experientia tamen hoc comprobat, & Dioscoridis autoritas *lib. quinto Simplicium pharmacorum, capite sexagesimonono.* ubi ait: *Argentum vivum potatum occidit, quoniam interiora membra disrumpit gravitate sua*, & idem dixit Avicenna *secundo Canone, capite quadragesimo septimo*, & Serapio *libro Aggregatorum, capite de Argento vivo.* Omnes enim cum experientia in hanc sententiam veniunt, quod ejus fumus, cum homini assiduatur, paralysim inducit, & aufert sensum, & motum, corrumpitque visum, & auditum, nec non epilepsiam, & apoplexiam, reliquosque cerebri morbos ob ejus offensionem, quam ingerit cerebro, & nervis ab eo ortis progignit, & ob hanc causam huic intentioni curativæ Gallici morbi terminum imponam, & ad alteram me convertam.

## CAP. VIII.

### *De Gallici morbi cura per potum decocti ligni Guajaci, & cum his, quæ ei annectuntur.*

Cum medicus naturæ opera sequi debeat, ut ait Galenus *primo Aphorismorum, Commento vigesimoprimo*, & *secundo Aphorismorum, Commento secundo*, & natura in suis functionibus cum recte operatur, semper id, quod melius est, intendit. Pariter quoque, & medicus in humano corpore operans, semper quod melius, & minus periculosum est, operari habet. Igitur cum omnibus Gallici morbi curativis intentionibus expeditior sit, atque securior, & minus periculosa illa, quæ potu decocti ligni Guajaci efficitur: ideo eam in hoc sermone aggredi proposui ad majorem utilitatem, & perfectionem salubritatis hominis: Igitur cum à patiente accersitus fueris: In primis præcedat alvi lenitio, aut cum *clystere, aut cum cassiæ, & diasenæ lenitivi æqualibus partibus.* Altero vero succedente die, mane vacuo ventriculo vena nigra secetur, donec sanguinis unciarum sex quantitas exierit, observata ætate, observatoque virium robore, & cæteris particularibus præmeditatis ad sanguinis missionem à Galeno enarratis in *lib. de Curatione per sanguinis missionem.* Cæterum vero proximo adventante die prope diluculum subsequentem syrupum potet calidum, verbi gratia *syrupi de fumo terræ, syrupi de lupulis, cujuslibet unciam unam accipito, oxymelitis simplicis drach. vj. adjunge; Quibus adde aquæ decoctionis epithymi, thymi, polypodii, summitatum fumi terræ uncias quatuor, & una vice simul totum patienti dato*, & dormiat, ut à calore intus revocato valide actuetur, & morbi materia citius concoquatur; Potato vero jam quinto syrupo, eodem die post meridiem horis duabus admovere sibi procuret hæmorrhoidalibus venis hirudines tres, sanguinis vero exeuntis quantitas quinque sit unciarum: sic enim sanguis lue Gallica affectus, melancholia videlicet & adustione, evacuabitur. Cæterum tribus succedentibus diebus iterato tres bibat syrupos. Quarto vero accedente die, potet patiens ante diluculum purgatorium sequens; *Diacatholiconis drachmas quinque sumito, cui drachmas duas diasenæ lenitivi jungito, adde quoque rhabarbari optimi, electuarii succi rosarum utriusque scrupulos duos, & confectionis hamech drachmam unam & mediam. Hæc dissolve cum aqua decoctionis foliorum sennæ, polypodii quercini, & epithymi, & hellebori nigri præparati æquali omnium quantitate drachmæ unius, & patienti dato.* Tribus autem diebus post quiescat patiens, & omni opere vacet medicinali, solum autem optima victus ratione, cibi videlicet & potus maxime utatur, ut validius victum attenuantem, quem requirit potus decocti ligni Guajaci, sufferre valeat. tunc temporis igitur præparetur decoctum ligni simplex, & sine aliqua additione in pura & simplici aqua absque vino, ne jecoris calidi facti putrescentibus humoribus in Gallico morbo nativa caliditas corrumpatur, & quæ præter naturam est, adaugeatur. causa enim Gallici morbi facile ex noxa jecinoris concresceret, & morbus Gallicus patientem magis offenderet. Nec mirum, quia jecur tunc à duplici adventitia caliditate afficeretur ab una videlicet putrescentis humoris Gallici, ab altera vero, quam vinum sui natura conducit, ob quam rem etiam jecinoris facultas sanguinis generativa facile periret, & corpus Gallico morbo correptum, facilius in aquam inter cutem concidere posset. Fuerunt tamen quidam imperiti impostores, profitentes vulgo velle se aliquid novi inducere, putantes scire, quod omnino nesciunt, apponentes decoctioni vinum, à quo tamen hujusmodi aquam potantes eo, quo potant tempore, abstinere debent. Adjungunt quoque decoctioni simplicia quædam, ut *turbith, agaricum, colocynthidem, senam, polypodium*, & alia hebetantia, corrumpentiaque naturam & operationem ligni ita, ut ibi forte fortuna patiens ex tali sanescit potu, dubio relinquitur an sanitas, quam Gallicum corpus adeptum est, sit ex facultate decocti ligni, an eorum, quæ ei in decoctione addita fuere, ex quo perit tota spes, & confidentia de inducenda salubritate ex potu decocti ligni Guajaci. Et certe ego his hodiernis temporibus neminem vidi ex hujuscemodi compositio decocto integra ex morbo Gallico frui sanitate, sed brevi temporis intervallo in eam, & acerbiorem forte affectionem pervenisse. Ob quam rem hortor, ut ligni decoctum sua facultate à prima ejus generatione Dei bonitate habita non privetur, neque per aliena commista functiones, quas ei Deus, & natura condonarunt, omnino perdat. Lignum Guajacum (cujus temperatura calida est, & sicca, sicut destillatione ejus, & experientia dignovi) accipe in decocto parando, ex pede, & non trunco, vel ex crasso trunco, & non ramo, quoniam in his major viget virtus, ob majorem in his partibus densitatem. ejus etiam partis decoctum, validioris substantiæ, & fortioris operationis existit. Ponderosum utique sit, quoniam majorem materiæ copiam in eo decumbere indicatur. Autore Galeno *secundo de Ratione victus acutorum, Commento decimo*, ubi ait, Membri gravitatem materiam in eo accumulatam indicare. Accedit quod & in majori quanto major reconditur virtus: non sit autem multum antiquatum, ne siccum factum, humidum ejus naturale perdat, in quo ligni calidum, & ejus facultas operatrix consistunt: ejus vero antiquitatem dignosces, si multis forasminibus, & quibusdam corrosionibus in ejus substantia attendes. Laudo, ut quanto majoris medullæ nigricantis adfuerit, illud sumas, minoris vero substantiæ albicantis, validius enim hujusmodi ad opus nostrum putabitur: quoniam ob majorem medullæ quantitatem, ac densitatem virtus viget major, & operatio validior existit. Non laudo corticis ligni usum, ut novi trufatores, ut ajunt, qui majori pretio desiderato lignum vendere nequeuntes, corticem à ligno exspoliant, mira laude eum extollentes, & majori in triplo

plo pecuniarum pretio vendentes, inducentes vulgum, & ignaros potius ad decoctum corticis, quam ſubſtantiæ ligni Guajaci, tanquam ad aſylum, & ad id, quod omni laude dignius eſt decocto ex ſubſtantia ligni, ob quod Diabolus animam eorum poſſideat, & eorum corpus morbus Galli[illegible]. Nolunt enim ſcire hi, arboris corticem non eſſe de [illegible]oris eſſentia; ſed ad ſolam arboris defenſionem ab extrinſecus nocentibus prognatam eſſe. Nos enim perſæpe dignovimus arborem cortice exſpoliatam, folia, flores, & fructus producere, quæ ubi longo temporis ſpatio non durat, hoc ei contingit ratione privationis defenſaculi, id eſt, corticis, quamobrem extrinſeca offendentia ad intimam arboris ſubſtantiam penetrant, & ejus vitam exſiccando tollunt. Neque certe ſcire curant hi fures, corticem arboris ex viliori arboris materia progigni, quæ per viam mundificandi arboris intimam ſubſtantiam ad extra arborem, veluti ſuperfluum propellitur, & ignobile quoddam, nullum quippe in arbore officium præſtans, niſi quod ipſam ab occurſantibus extrinſecus lædentibus tuetur; Igitur quod ſuperfluum eſt in miſto, & ignobilius ſubſtantia miſti ad extra propulſum, ratione purificationis ſubſtantiæ miſti, haud quaquam eſſe poteſt cauſa proventus nobilioris, & perfectioris operationibus miſti. Cum igitur cortex ligni Guajaci ex ſuperfluo arboris ad extra arboris eſſentiam ducatur, dubio procul nemo fateri debet, nobilem illam operationem, & divinam, quam Deus condonavit ligno, cortici contribuendam eſſe. Aliàs enim inventores primi falſo proclamaſſent, Gallicum morbum ſanari ex potu decocti ligni Guajaci, & melius pronuntiaſſent, ex decocto corticis ejus. Quod & intellectu, & auditu turpe videtur. *Sume igitur ipſius ligni à cortice exſpoliati lib. unam, & cum piſtillo in pulverem non ducatur, ne ipſius partes tenues exhalent, & reſolvantur, in quibus tota operandi facultas in cura morbi Gallici conſiſtit, ſed ſubtiliter trituretur, aut lima magna, qua pectines complanantur, eodem modo ligneum Gallicum præparetur. Cæterum, libræ duodecim aquæ vel currentis, vel ciſternæ limpidæ caleſiant, projiciaturque aqua ſic calida ſupra tritura-tum lignum in lebete, & ſic non longe ab igne ponatur, ut non magis caleſiat, ſed ut aliqualem in ſe obſervet caliditatem, & non fere ſenſibilem: & talis infuſio ſic permaneat, donec viginti quatuor horarum tempus terminetur, tunc vero lento igni apponatur, & bulliant vaſculo optime tecto, ſpumeturque, & ſpuma ſemper ſervetur, de qua quid faciendum ſit poſtea dicam. taliter igitur lento igne bulliat, donec aquæ medietas abſumatur, ſtatimque ab igne deponatur, recondaturque in craſſo furfure prius caleſacto, ſepulto vaſculo fere ad ejus oſculum, moramque ſic trahat longitudine temporis duarum horarum, deinceps forti facta expreſſione optime coletur, & in vaſe vitreo recondatur aqua hæc, & ad uſum ſyrupi quotidianum bis potatum patiens convertatur,* adeo, ut mane in diluculo, hujuſmodi primæ aquæ uncias octo ſorbeat bene coopertus, ut periculum ſudandi efficiat. ab hinc vero quinque horis moretur, & tunc panis biſcocti eſitet uncias quatuor, & tantum de paſſulis & pineis mundis edat, quantum ſufficiet pro expediendis dictis unciis quatuor panis biſcocti: bibat autem ad libitum aquam ſecundæ decoctionis ligni Guajaci, quam ſic conficies. *Prædictum lignum trituratum, quod prima vice ebullierit cum expreſſione colatum accipito, cui libras duodecim lympidæ aquæ infundito, & lento igne conſimili modo ebullito, donec aquæ medietas abſolvatur, & abſque expreſſione coletur, & uſui quotidiani potus ſervetur.* A prandio vero per horas ſeptem iteratum ſyrupum, octo unciarum quantitate potet ex prima ligni decoctione confectum, pariterque in lecto dormiat, aut quieſcat, ut ſudor provocetur. duabus vero horis poſt, unciam unam panis biſcocti eſitet cum tantillo paſſularum, quantum expedit pro uncia una panis biſcocti, bibatque ad libitum aquam ſecundæ decoctionis ligni Guajaci, poſt vero cubet, & dormiat. Altero vero ſuccedente die pariter ſyrupum potet, ex eadem quantitate, & eiſdem horis, eſitetque, & quotidiano utatur potu aquæ ſecundæ decoctionis, modo quo jam proditum eſt. Pariter quoque altero ſequente die fiat, donec totum primum jam confectum decoctum finiatur, quod erit duraturum quatuor dierum naturalium ſpatio, & tunc alterum decoctum paratum ſit; quo ſimili modo utatur patiens, quo primum expeditum jam fuit, & ſic in opere procedatur, donec quadrageſimus dies præterierit, & tunc patiens à tali perſiſtat opere, ſenſim perveniens ad victus rationem ſibi aſſuetam, dummodo ad latus moderatæ tenuitatis vergat, ne à tenuiſſimo victu ad craſſiorem tantitus fiat abſque medio. At te ſcire convenit, quod eo in tempore, quo patiens decoctum hoc capit, ejus alvus plerumque adſtringitur, ob quod noxa non mediocris ei invehitur, tum plenitudine viarum latarum, à quibus prohibetur tranſitus aquæ ad ſtrictiores meatus corporis, ob quod perditur pars operis aquæ, omnem viam etſi ſtrictam, & anfractuoſam corporis penetrare debentis, tum quoniam ex alvi excrementorum præſentia ſurſum verſus, & ad omnes corporis patientis differentias, vapores & fœtidi fumi penetrant, foventes ad intra vaſa Gallici morbi proprias materias. Itaque nedum aqua perditur, verum nec Gallicus morbus curatur, ſed permagis in longum protrahitur. Igitur alternis diebus clyſtere leniente procuret patiens alvi obedientiam *ex decoctione violariæ, & foliorum malvæ, & anſorum*, cum in potu aquæ plurimum in patiente inſurgant ſpiritus flatuoſi, qui niſi diſcutiantur, abſolvanturque, dolores & tormina in ventribus illius adgenerant, plurimum torquentia ægrum, & vires ejus imbecillitantia: ex quo convenientem victus rationem attenuantem patiens obſervare nequit, animadvertat autem medicus, ubi patiens ob hanc attenuantem diætam vires corporis ejus adeo imbecilles factæ fuerint, ut timeatur de majori caſu ægrotantis, tunc ſiſtat ab opere, & tot diebus cibis laude dignis veſcatur, donec ægroti vires inſtauratæ fuerint, ut valide ſufferre victum talem attenuantem valeat. Demum vero ad aquæ potum revertatur, obſervato ſemper virium robore, & ubi vicibus pluribus intercipiat dies aliquos, tot ultra quadrageſimum diem, aquæ potum diebus proſequatur, quot ante quadrageſimum intermiſerit dies. Iterum animadvertendum eſt, quod ubi in potu aquæ priusquam quadrageſimus acceſſerit dies, æger febre corripiatur, tunc temporis quieſcat à potu aquæ: compleat autem dies quadraginta aquæ potus febre abolita, juxta numerum dierum, quos patiens intermiſerit, uti de virium debilitate proditum eſt. At quoniam hic modus profligandi Gallicum morbum, intentionem, & actum decernit curativum, & quoniam ob fixam aptitudinem facile ægrotum corpus in recidivam concidere poteſt: Ideo non abre jubeo utendum poſt aquæ potum, actu præſervativo, ne iterum æger in hanc luem Gallicam perveniat: eſſet enim error pejor priore, cum indicaret hoc morbi Gallici majorem cauſæ fixionem, majoremque propenſionem ad ejus facilem reditum. Hortor igitur ægrum non factum jam omnino inculpatum ſanum, in victus ratione optime ſe ipſum regere, uti edocuimus, cum ſermonem habuimus de victus ratione, quam Gallico morbo correptus obſervare habet, præſertim in exercitio, in quantitate, & qualitate, & hora convenienti peracto. Nempe aliam obſervet præſervationem in ſenſim parata evacuatione materiæ Gallicum morbum efficientis conſiſtentem. crebra igitur quadam utatur evacuatione omnibus ſex diebus veſperi, cum patiens cubare voluerit, & ingurgitet pillulam unam ex ſubſcripta miſtione confectam, cujus hæc eſt miſtura: *turbith gummoſi accipito drachmas duas, agarici optimi, rhabarbari electi, cujuslibet drachmam unam adjungito, ſpicæ, zinziberis, ſalis gemmæ, uniuſcujuſque grana quinque miſceto. Myrobalanorum citrinorum, & Indorum, ac epithymi omnium æquam quantitatem mediæ drachmæ ſumito, hellebori nigri præparati drachmam unam miſceto, cum diagrydii media drachma pillularum miſturam conficito, cujus pillulam unam unius ſcrupuli patienti exhibeto.* Et iterum ſcire debes in actu præſervationis, quod peridoneum eſt bis in anno uti purgationibus. Una quippe vernali tempore ad nos accedente: Altera vero autumno pereunte. quaſcunque autem purgationes, & materiæ Gallicæ concoctiones, ex ſuperius dictis eligere propoſueris, nullo eris errore criminandus, dum omni purgationis tempore, lenitione alvi præcedente, venam nigram cubiti dextri ſeces, proſequarisque præſervationis modum iſtum duorum vel trium annorum ſpatio, donec de morbi ablatione, & cauſæ ejus, atque propenſione corporis, certiores efficiemur.

## CAP. IX.

*An Gallicus morbus curam admittere debeat ex potu aquæ balneorum mineralium, aut balneatione, aut dutia aquæ ad caput ex alto cadentis.*

Nonnulli de Neotericis medicis fuere, qui aquam thermarum naturalium morbo Gallico adeo obeſſe pro confeſſo habebant, ut omni adminiſtrationis modo, ſive potu, ſive balneatione, aut dutia homini morbo Gallico correpto re nocuam fore putant. Hoc autem, ut ajunt, à quadam conting't occulta proprietate, qua eidem morbo hæc mineralium aqua plurimum inimicatur, quæ nocumenta illi occurrentia, experientia teſte, pluries dignovimus, exemplo eorum hominum tali morbo laborantium, quibus aqua illa adminiſtrata, eos in deterius induxit nocumentum. Et ſane hos non vitupero, cum hanc occultam proprietatem confeſſus ſit Galenus *ſexto de Facultatibus ſimplicium alimentorum, capite Alyſſon.* ubi ait, quod rabienti data, ſæpe illum in totum ſanavit, atque hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine efficit: dictumque prius eſt, talem facultatem ex ſola percipi experientia, & plane nulla conſtare methodo. Eandem habuit

buit mentem Galenus *undecimo de Potentiis ſimplicium medicamentorum, capite de cinere cancrorum fluvialium*, ubi ait. At fluvialium cancrorum cinis, quanquam ſimiliter prædictis exſiccatorius ſit, ſubſtantiæ tamen proprietate mirabilis eſt in his, qui à rabiente cane morſi ſunt, effectus. Ubi vero quis non admittat thermarum naturalium aquas, non per rationem proprietatis occultæ Gallico morbo nocuam eſſe, opportunum erit methodum invenire, qua ob manifeſtam qualitatem hujuſmodi aqua morbo Gallico ſit noxia. igitur conſideratione dignum eſt, ſi enim materia morbi Gallici, ob abundantem ex putredine caliditatem ei vi morbi acquiſitam, vehementius calida efficiatur, corpus exſiccabitur, ſicut indicat magna corporis tali morbo affecti conſumptio, & exſiccatio. nam dubio procul, ubi thermarum naturalium vehementior fuerit caliditas, earum aqua corpori Gallico majorem inducet exſiccationem, atque majorem noxam, ſi ei adminiſtretur. Et hanc mentem habuit Galenus *primo de facultatibus Simplicium medicamentorum, capite tertio*, inquiens. Si aquam bituminoſam videlicet, aut ſulphuroſam admoveas, uſque adeo hominem offenderis, ut partem ipſam ſis aduſturus. Eandem ſententiam attulit Paulus *primo Artis medendi lib. capite quinquageſimo ſecundo*, ubi ait. Idcirco in univerſum omnes, quotquot per ſe ultro thermæ emergunt, virtute arefaciendi, calfaciendique præditæ ſunt. Ubi vero naturales thermæ frigidæ extiterint, noxam & hæ Gallico morbo inducent, his enim adſtringetur, compingeturque materia Gallica ad intra corporis meatus, qua ſymptomata morbi Gallici, ac faſtidia concreſcent. ob hanc igitur cauſam thermæ naturales nocuæ ſunt patienti Gallicum morbum, quas ipſe patiens merito cavere debet, tum vel per occultam proprietatem à natura illis inſitam, tum per manifeſtam qualitatem earum naturam comitantem. At melius ad Galeni ſcopum dicere conabimur, quandoque videlicet thermas naturales, quæ in univerſum calidæ ſunt, abſque noxa Gallico morbo convenire, aliquando vero omnino minime convenire. & ob hoc conſiderare debes, tum temperaturam corporis Gallico morbo vexati, tum & thermarum temperiem. Ubi igitur patientis temperiem vehementius calidam invenies, ſimulque thermarum naturalium, conſimilemque temperiem calidiorem eſſe dignoſces, tunc pro conſeſſo habebis naturales thermas haudquaquam morbo Gallico convenire, quoniam ſua abundanti caliditate noxiæ erunt patienti morbum Gallicum conſimilis temperantiæ prædito: & hanc mentem habuit Galenus *primo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, capite ſexto*, ubi ait. Sed miſta & adulterata aqua, accepto nimirum aut alumine, aut chalcitide, aut ſale, aut id genus aliquo. quocirca eorum nonnulla ulcera quoque exaſperant, nempe quæ acres admodum ſunt, & mordaces, & *capite quinto*, dixit. Similiter vero, & earum quæcunque ſulphur, aut bitumen, aut nitrum, aut chalcanthum, aut miſy, aut chalcitin, aut (ut ſimpliciter dicam) quæ calidorum natura medicamentorum guſtu aliquot referunt. Inimicæ enim ſunt omnes calidis noſtrorum corporum affectibus. ob hæc igitur quæcumque corpora morbo Gallico infecta temperaturæ vehementer calidæ fuerint, à calidis admodum thermis vetentur. Pariter quoque, & contra, ubi corpus morbo Gallico detentum temperaturæ non fuerit multum excedentis caliditatis, fuerintque thermæ calidæ non admodum à temperata caliditate recedentes, his quippe thermis hujuſmodi corpora calida, Gallicaque committere nullus erit error. Ob hanc rem obſervare debes quod præcepit Gal. 1. *de Facult. ſimpl. med. cap. 5.* omnia videlicet medicamina, quæ corpori ægro condonantur, exquiſite in ſuis temperaturis examinanda eſſe. pariter quoque & ægra corpora, ſi quidem utraque calida, valentiſque caliditatis fuerint, unum alteri non approximabis, quoniam nedum hominem offendes, verum & ejus partes eris aduſturus. Patet igitur, quomodo homo arefiat, & exſiccetur, ut ait Gal. *loco eodem cap.* 8. Si vero horum utrunque moderati fuerint caloris, id eſt, non valde à temperamento recedentis, unum alteri approximari non inconvenit, quoniam etſi hominem excalfeceris, non tamen ipſum uſteris, ut ait Galen. 1. *de Potentiis ſimp. medic. cap. 5.* Ob quam rem puto ego medicum nullo crimini poſſe errore, ubi ad thermas calidas, non quippe valentis caliditatis Gallica corpora conſimilis temperaturæ conducet, & in hoc indubitatam facio fidem, me, examinata ægrotantis temperie, pariterque & thermarum Italiæ, ad thermas calidas Gallica miſiſſe corpora, non valentis quippe, & urentis caliditatis, ut ſunt balnea ſanctæ Mariæ in Romandiolæ provincia, & de Corſena in Lucano comitatu, & de aquis in territorio Piſano, & de Abbano in comitatu Patavino, à quibus ſalubrem & felicem reditum duxerunt, tum bibendo, tum balneando, tum etiam aquam capiti infundendo. thermas autem multum excedentis caliditatis, his Gallico affectis morbo prohibui, & iter eorum vetavi ob jam proditas rationes. Veluti ſunt balnea de Pitriolo, & S. Philippi in Senenſi comitatu, & de Poreta in territorio Bononienſi, & de aquario à ſui natura arthriticos dolores excitante. In comitatu Regii Longobardiæ, & quæ lutacea ſunt balnea, ut ſanéti Bartholomæi in agro Patavino. admiſi autem balnea lutacea Ortonenſia in eodem comitatu. Propterea igitur, ſi [illegible]s balnea, ac naturales thermas perpetuo nocuas eſſ[illegible] Gallico morbo, ſane ab occulta proprietate in Gallico morbo operabuntur, & iter ad ea tunc prohibebis: ubi vero eas quandoque utiles Gallico morbo adinvenies, ipſas judicabis operari à ſui manifeſta qualitate, ob quam rem & morbo tali affecti temperaturam, & ipſarum thermarum examinabis, & ſecundum jam dictam utriuſque temperaturam, ſtatues hæc corpora ad thermas naturales tranſmittenda, hæc vero non tranſmittenda. Memineris autem, ut corpora Gallica, quæ ad thermas tranſmitti debent, prius ſint exquiſite purgata, ne noxæ, quæ contingunt corporibus thermas petentibus, non purgatis Gallicis corporibus adveniant: quales ſunt febres, capitis dolores, epilepſiæ, apoplexiæ, lethargi, aſthmata, ventriculi faſtidia, vomitus, alvi tormina, dolores artuum, & hujuſmodi.

## CAP. X.

*Quomodo ſuccurrendum ſit ſymptomatibus contingentibus, vel ex morbi Gallici natura, aut ex medicaminibus, patienti morbum Gallicum applicitis.*

Cum nonnulla à morbo Gallico ſymptomata inſurgunt, quorum cauſa eſt morbus ipſe Gallicus, aut illius cauſa, ut ait Galenus *libro de Differentiis ſymptomatum capite ſeptimo*, inquiens. Omnem ſymptomatum naturam morbum præcedere: Cum etiam magnitudo ſymptomatum magnitudini morbi ſemper reſpondeat, autore Galeno *primo de Symptomatum cauſis*, operæ pretium eſſe duxi, poſtquam ex magnitudine Gallici morbi, aut ejus cauſæ inſurgunt ſymptomata magna, ac ſæva admodum ægrum infeſtantia, perturbantiaque, his ſymptomatibus ſuccurrere, edocere, ne maleficentia cauſæ morbi Gallici, & pravitate ſymptomatum facile æger perdatur. Primum igitur, quod ex Gallico morbo inſurgit ſymptoma, eſt capitis dolor, excitatus tum per vitiatas materias capiti innatas ex mala Gallica temperatura eidem acquiſita, ut indicant tubercula gummoſa in fronte, & capite apparentia, tum per pravos tumos ab infernis partibus corporis capiti communicatos, à quorum utroque cerebri pelliculæ tenduntur, adeo, ut nedum mala acquiratur temperies in eo, verum & continuum ſolvatur, & hæc ſunt cauſæ doloris, ut *ſecundo Artis medicinalis* edocuit Galen. cui dolori ſuccurratur in primis evacuata cauſa divertendo, & derivando materiam doloris à capite, quæ cauſa, aut ſanguis eſt, aut humores ſanguini miſti, ita quidem, ut in morbo Gallico cauſa ſit ſemper ſanguis, aut humores alii, ſanguini tamen miſti. minera enim generationis ſanguinis in morbo Gallico primo offenditur, ita ut ſanguis ſemper relinquatur, aut per ſe, aut per alios humores ei miſtos vitiatus. Igitur cum in generali opere curativo morbi Gallici præmiſſæ ſint ſanguinis miſſiones univerſales, in capitis dolore ab eo morbo orto, primo mittatur ſanguis ex cephalica cubiti illius quippe partis, qua dolor magis infeſtat. Cæterum inſtante dolore, abhinc duobus diebus veſperi, meridie peracto, admoveantur hirudines hæmorrhoidibus, evacuantes nedum materias, verum & vapores. Quod ſi abhinc duobus aliis finitis diebus dolor infeſtet, & magis quidem anterius, tum divertendo, evacuandoque, hirudines admoveantur venis poſt aures. Ubi vero totum caput dolore tenetur, venæ narium aperiantur, aut phlebotomo, aut porcinis ſetis. Quod ſi poſterius caput magis doluerit, venam frontis rectam ſecabis, ex præcepto Hippocratis, & Galeni *quinto Aphoriſmorum Textu*, & *Commento ſexageſimo octavo*. Ad has vero ſanguinis miſſiones, alvi lenitione præcedente, pervenies, ætate, virtutis robore, & morbi magnitudine obſervatis. Ad hæc ubi dolor in proceſſu perſeveret, veſperi, cum cubare voluerit patiens, ſequentes ingurgitet pillulas. *Pillulas aureas, & cochias, utriuſque ſeorſum drachmam mediam accipito, & pillulas quinque conficito, & exhibeto.* Altero vero ſuccedente die, (verum multo prius quam cibum mane inglutiat, immo & in hora qualibet fortis doloris) admoveat extremis omnibus corporis lotiones deorſum, forti facta frictione *cum aqua ſimplici calida, aut decoctionis chamæmeli, betonicæ, & ſtoechados.* Quod ſi adhuc dolor perſeveret, ventriculo vacuo, vel hora fortis doloris, admoveantur cucurbitulæ, primo ſuper natibus, ſcarificatæ, poſt vero ſuper ſcapulis, at ubi capitis dolor ulterius perſeverabit, ſternutatoriis uti convenit mane, non inpleto ventriculo, *ex nigella, & helleboro*, pariterque & gargariſmis, *cum aqua hordei, & oxymelite, vel cum aqua hordei, & rob nucum.* Sunt quoque purgantia caput ſtomacho jejuno convenientia, ſi per nares ſurſum ad

cere-

cerebrum trahantur, obſervata quippe cautela de hauſtu aquæ in ore detento, ne gargariſmi materia deorſum in ventriculum feratur, quæ caputpurgia adhibenda ſunt *ex aqua bordei, & ſaccharo, vel cinnamomo, vel caſſia lignea pulverizatis, vel ex ſucco majoranæ, aut ex ſucco blitis.* At ubi nares intus caputpurgio exaſperentur, lacte vaccino ſurſum naribus attracto, partes illæ emollientur, & aſperitudo abolebitur. ubi vero dolor capitis per hæc præſidia non ſedabitur, convenit tandem manu uti chirurgica, niſi modo patiens expectare voluerit, & prius ſubmitti, aut unctioni ex mercurio, aut potui decocti Guajaci: Quorum quidem altero capitis dolor Gallicus firma ſalubritate curabitur. ſi vero patiens capitis dolorem ex Gallico morbo, prius manu chirurgica uti voluerit, tunc temporis chirurgus duobus utatur ingeniis: primo totum tondat, abradatque caput, & levi ejus facta frictione admoveat veſicatoria, præſertim in eminentiis poſt aures, & cum foliis braſſicæ, vel hederæ butyro recenti inunctis, materiam intus per cutim capitis extra trahat, & ſic patiens illo ingenio perſeveret, donec capitis dolor aboleatur. conſiderare porro convenit diligenter, ne fortibus cauſticis vehementer urentibus ſic veſicando utaris, quoniam membro principali cavere debes, itaque ne fortes addas medicinas, ut edocet Avicenna *quarta Fen primi Canonis.* Conſidera etiam, & cave ne in capitis veſicatione addas medicinas, quibus noxa inferatur in operibus facultatum membrorum aliorum principalium, quales ſunt cantharides, quæ ſui venenoſa qualitate moram in capite trahentes mictum ſanguinis conducunt, &, ut docet experientia, urinæ ardorem ducunt. ſit igitur veſicatorium tale. *Aceti fortiſſimi drachmas tres accipito, vitelli ovi numero unum, ſalis communis drachmas duas adjungito, fermenti drachmas duas & mediam ſumito, ſucci pedis corvini drachmas tres miſceto, omniaque ſimul in mortario bene ducantur, donec fiat linimentum, quod pro uſu veſicationis reſervetur.* Secundum ingenium eſt cauterium, quod cum ignito ferro in primo, vel in ſecundo ſphondyli colli, ubi collum jungitur cancro, cauterium admoveatur, feraturque apertum, donec capitis dolor evanuerit. Secundum ſymptoma, quod ex Gallico oritur morbo, ſunt tubercula gummoſa, quæ in capite, & hærentibus illi partibus, atque in membranis tegentibus oſſa, ex terreſtriori parte materiæ Gallici morbi adgenerantur, quæ in his ſenſum triſtem relinquentia, tenſione illic continuum ſolvunt, & dolorem excitant. Quibus tuberculis tum præ morbi deformitate, tum præ timore ulcerum in eis, tum etiam præ excitato ab eiſdem dolore ſuccurrendum eſt. Sed attentione dignum eſt, ut ait Galenus *ſeptimo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, cap. quadrageſimo primo*, quod quemadmodum gummi in arboribus lachryma eſt congelata, concretaque in truncis arborum ipſam producentium ex reſudante humiditate ex intimis arborum, ita & tubercula gummoſa Gallica, vel ſunt ex intimis oſſium producta, uti ſuperfluum nocuum extra os propulſum, uti in loco frigidiori congelatum, atque concretum, vel ſenſim à materia Gallica ab intimis corporis nobilioribus membris ad oſſa, & eorum membranulas, uti ad ignobiliora membra, & à Gallico morbo facta imbecilliora, propulſum illic pondus congelatum & concretum, uti arboris gummi. Præterea ſcire debes, quod gummoſa tubercula Gallica, cum nihil de ſuo humore ad externa ſui mittant, non eſt dubium, quin ex craſſis humoribus ortum habeant, atque ob id dura ſunt, & incocta, & longo permanent tempore antequam ſuppurentur, & ob hoc ægrum non perimunt, & hanc ſententiam habuit Galenus *ſexto Aphoriſmorum, Commento quadrageſimo ſexto*: & ob hanc cauſam longioris, & difficilioris ſunt coctionis. At & ſui duritie gummi iſtud partis nervoſæ extenſionem facit, & dolorem excitat, ut ait Galenus *quarto Aphoriſmorum, Commento quadrageſimo nono.* Cauſa cujus eſt gravitas materiæ gummoſi tumoris prope partes nervoſas conſtituti: & merito ii gummoſi tumores pravi ſunt, quoniam crudi ſunt & difficile naturæ, & arti obedientes, & concoctioni renitentes, ut dixit Galenus *quinto Aphoriſmorum, Commento ſexageſimo ſeptimo.* Igitur tumoribus his duris, gummoſisque in Gallico morbo prognatis, & dolori ex his excitato ſuccurrendum eſt uno eodemque tempore. In primis igitur ſcire debes, cum durum molli contrarietur, ut ait Galenus eodem in loco, & cum communiſſima curationis intentio ſit ad contrarium diſpoſitionis auferendæ, ut ait Galenus *ſecundo Artis medicinalis*, In primis duros illos, atque gummoſos tumores emolliendos eſſe: Quibus emollitis, altera ſuccedit intentio, quæ eſt emolliti diſcuſſio, ob quod & dura tubercula, gummoſaque, & excitati dolores diſcutienda ſunt. ſuccedente igitur unguento calido, hi tumores bis in die, mane videlicet, & veſperi inungantur, ſuperpoſita his lana ſuccida, & ligata. *Medullani cruris anterioris vituli unc. ij. accipito, butyri recentis, & gallinæ pinguedinis utriuſque unciam unam ſumito, & pinguedinis porci maſculi, & urſi, & taxi, omnium ſeorſum unciam unam ſuperaddito. Quibus pinguedinis humanæ non rancidæ unciam unam & mediam miſceto, & dialthææ unciam unam apponito, & omnia ſimul ad ignem eliquato, & modico oleo amygdalarum dulcium addito cum cera, ut expedit per artem, inde unguentum conducatur.* obſervetur autem modus dictus inungendi apud ignem, diebus viginti, nullo interpoſito, aut plus, minusve, donec gummoſi tumores Gallici, & duri emolliri videantur. Cæterum vero eiſdem cerotum ſequens ſuperponatur, quo tumores duri abſolvantur, & membrorum dolores aboleantur, aut longiori temporis ſpatio ſuppurentur, quorum curatio erit, uti aliorum ulcerum Gallicorum, ut poſtea oſtendemus. Inſtitue igitur cerotum tali modo. *Aluminis ſameni in ſubtilem pulverem ducti uncias tres accipito, gummi Ammoniaci in aceto ſo. ti diſſoluti unciam unam, & bulbi ſub cineribus cocti uncias quatuor, capitum ſcincorum uncias tres in cyatho novo combuſtorum, corticum cucumeris aſinini unciam unam & mediam ſumito. At omnia hæc ſimul optime contundantur, & in ſubtilem pulverem ducantur, & pulvis hic cum olei antiquiſſimi, & mellis, & aquæ vitæ æqualibus partibus in corpus denſetur, & omnia ſimul ad ignem bene ducantur, poſt vero cum pice, & cera quoad ſufficit maſſa cerotari conducatur, quæ uſui jam prodito ſervetur:* omnibus vero decem diebus de novo cerotarium applicetur. modum autem hunc applicationis continue ſequatur patiens, donec tumores prædicti abſoluti fuerint, aut patiens ipſe mentem mutet ad ſuſcipiendam unctionem ex mercurio confectam, aut ad decocti potum Guajacani, à quorum altero & tumores abſolvuntur, & dolores abolentur: præſertim ſi cum potu aquæ decocti ligni, ex jam collecta, ſervataque illius ſpuma cum ſpongia in ea infuſa membrum tumidum factum, & dolens fomento calefaciente utatur, atque tuberculi duri materiam diſcutiente, ac abſolvente, & dolorem conſumente. At ſi forte fortuna, aut applicitis medicaminibus, aut naturæ operibus, duri tumores Gallici in ſuppurationem vertantur, tunc accedet tertium ſymptoma ex violentia Gallici morbi ortum, & ſunt ulcera, quæ corpori Gallico inſurgunt ex multa humorum putredine, illis caliditatem addente, ob quam aliquando humores exacuuntur, & mordaces fiunt, & intra corpus quandoque, & extra ulcera progignuntur. Quibus ſuccurrendum eſt, primo ex communiſſima ulcerum curationis intentione, quæ eſt exſiccatio, ut ait Galenus *ſecundo Artis medicinalis:* ſiquidem ut idem dixit *quarto methodi curativæ cap. quinto*, ulceris, qua ulcus eſt, ſanatio mediocris eſt ſiccatio. Hujus autem rationes vide tu *tertio Methodi* à Galeno, & eandem ſententiam protulit Galenus *ſecundo Artis curativæ ad Glauconem, capite ſecundo:* ubi ait. *Omne ulcus ſive ſponte, ſive ex accidenti, ſive ex vulnere factum fuerit, exſiccari deſiderat.* Dixit quoque Galenus *primo de Compoſitione medicamentorum per genera, capite ſexto.* In ſumma nullum humectans vel primario, vel ex accidenti ulceribus commodum eſt. Igitur ubi quis non amet in curatione ulcerum Gallicorum potum decocti ligni Guajaci, aut inunctionem ex mercurio confectam (à quibus per Jovem Gallica ulcera ſanabuntur) His igitur relictis, aliis medicaminibus vim exſiccandi habentibus, utamur, quibus corpora ulceribus Gallicis infeſtata ſalubritati tuæ reſtituantur. Et te ſcire convenit, quod ulcera hujuſmodi Gallica egent medicamento exſiccante, non tamen aſpero, & mordente, ut eſt Galeni verbum *ſecundo Artis curativæ ad Glauconem, capite tertio.* quoniam cum membrum ulcere correptum imbecille factum ſit, tum morbi Gallici maleficentia, tum dolore ex ulcere prognato, ſi ei exſiccantia medicamenta aſpera, & mordentia applicarentur per rationem ignææ qualitatis ulcus mordentis, membrum magis imbecille redderetur, & forte naturam ſui perderet. quamobrem exſiccantia medicamenta ſint moderatæ exſiccationis, & non exaſperantia, & mordentia ulcera ipſa, qualia aſpera, & mordentia medicamenta ſunt, quæ ignis vires habent, veluti *miſy, & chalcitis, & arſenicum, & calx, & ſandaracha.* Quæ autem illis conveniunt medicamenta ſunt, veluti *ulcerum lotio cum aqua decocti Guajaci, & aqua decocti aluminis, & appoſitio ſuper ulcera florum in aqua decoctionis aluminis ebullitorum, & unguentum diapompholygos, & unguentum damaſceni, & unguentum viride, & unguentum de minio cum modico viridi æris, & plurimum conſert unguentum diapompholygos, cui permiſceatur aliquid argenti vivi optime cum ſaliva extincti.* At ubi in ulceribus putrida, & nigricans, & amovenda caro concreſceret, tunc convenit *unguentum Apoſtolorum, & argentum vivum præcipitatum*, quod utique ulceribus minus moleſtum eſt, quam Apoſtolorum unguentum: & in ulceribus Gallicis plurimum valet *unguentum de ſucco apii miſtum cum lithargyrio, & modico mercurii extincti*, ut proditum eſt. Et te ſcire oportet, quod quo

tempore exiccantia hæc medicamina Gallicis ulceribus condonantur, omnibus decem diebus patiens evacuari debet *cum ſcrupulis duobus pill. fœtidarum, vel aureorum, vel de fumo terræ*, ſic enim evacuabuntur crebro humores in vaſis ſtantes ſub forma cauſæ præcedentis, & ob hoc non poterit humoris copia pervenire ad ulcera, uti effecta eorum contentiva, ob quod non augebuntur ulcera, & virtus membrorum reddetur fortior ad ulcera digerenda, & ad carnis generationem, & ad eorum ulcerum exſiccationem & conſolidationem, medicamentis ipſis opitulantibus. At ubi Gallica ulcera cava fient egentia exſiccatione, & carnis ea implentis generatione, atque mundificatione, tunc temporis utatur medicus methodo, quam edocuit Galenus *ſecundo de Compoſitione medicamentorum per genera, capite primo.* Cæterum cum hæc fieri nequeunt, ſi in ulcere ſordes, & copioſa humiditas inſit, quæ auferri non valent, niſi per abſtergentia medicamenta: Ideo ſic talia medicaberis cava ulcera. prius enim quippe medicaminibus abſtergentibus ab his ſordem auferes, qualia ſunt *vinum album, decoctiones apii*, ulcera his diluendo, aut id agendo *cum mulſa, aut cum aqua deſtillationis mellis.* Eſt enim mel optimus abſterſor, ut ait Galenus *ſeptimo de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, capite de Melle.* Poſtea vero ulceri cavo intus, & ſuper ſequens ponatur unguentum, in quo omnes repertæ ſunt intentiones, cava ulcera carne ipſa implendi. Sic igitur unguentum confice, *terebinthinæ uncias quatuor accipito, vel ad libitum, ubi plus, vel minus de unguento præparare volueris, Ceræ citrinæ uncias duas ſumito, olei roſacei uncias tres addito. Hæc igne in vaſculo ſtanneato liqueſcant, demum thuris, myrrhæ, ſarcocollæ, aloës, ariſtolochiæ, pompholygos, uniuſcujuſque particulatim drachmam, terebinthinæ, ceræ, & oleo liquefactis jungito, & ubi ab ulceribus ſordem, & ſuperfluam humiditatem magis abſtergere volueris, æruginis drachmam mediam, & mellis unciam unam ſuperaddito, & omnia ſimul in vaſe illo ducantur, donec ex arte unguentum conficiatur: quod filis lineis appoſitum ulceri cavo imponatur*, & ſic tamdiu operaberis, donec ulcus ad cicatricem conducatur, & hanc unguenti fabricam habes à Galeno *tertio Methodi curativæ, capite tertio*, & *ſecundo de Compoſitione medicamentorum per genera.* Quartum ſymptoma, quod Gallico accidit morbo eſt fœdum ulcus in pene oriens ex contagio, aut profluvium ex eo ſuperfluitatis putreſcentis, aut tumor, & inflammatio in inguinibus, quæ omnia, aut eorum alterum, cum ex coitu contigerint, Gallicum morbum in initio eſſe indicant, & ejuſdem (merito plenitudinis, & pravitatis infectionis) futurum incrementum, quibus ſuccurrendum eſt. In primis tamen te ſcire oportet, hæc haudquaquam intus adſtringenda, minusque, ut eorum materia retrocedat, operandum, ne pudenda ipſa praviori lapſu afficiantur violentia adſtrictæ in his locis materiæ, quæ porro retrocedens facile ad principalia pervenire poſſet, facileque eorum facultates infeſtando, atque eorum functiones corrumpendo, æger indubitato perdi poſſet. Ob quam rem non ſunt laude digni, qui medicaminibus adſtrictoriis utuntur, repellentibusque his ab initio apparentibus morbis, uti eſt *medicamen confectum ex urina & ſale, aut ex aceto, & albumine ovi, & oleo roſato, & ſale.* Hi enim credunt morbum & ejus cauſam abſolvere, dum tamen materiam adſtringunt, & repellunt ad majorem lapſum in corpore producendum. Nos igitur curæ ordinem in his apparentibus accidentibus in initio morbi Gallici ſic ſequemur, ventris quippe lenitione præcedente cum ætate convenienti, & virtutis ægrotantis robore, ſecetur in primis vena cubiti dextri baſilica, juxta intentionem diverſionis cum evacuatione, altero vero ſuccedente die per intentionem evacuationis partium, quæ ſub umbilico ſitæ ſunt, pedis dextri in talo ſaphœna aperiatur, juxta verbum Galeni, *libro de curatione per ſanguinis miſſionem:* Tertio vero accedente die, cucurbitulæ quatuor de directo membrorum offenſorum incidantur, optima enim eſt derivatio cum diverſione, & evacuatione ſimul materiæ oppoſita membra offendentis, demum vero totius corporis purgationi patiens ſubmittatur, quoniam topica medicamenta evacuato adhiberentur corpori, ut jam proditum eſt, ad quam evacuationem nobis moram præſtantem præire convenit materiæ concoctionem cum ſequenti digeſtivo. *Syrupum itaque de Inpulis, ſyrupum de ſumo terræ cum ſyrupo de betonica, & melle roſato, unjuſcunque unciam mediam accipito, & conſimiles addito aquas deſtillationis herbarum per alembicum vitreum.* Signis poſtea apparentibus concoctionis, patienti exhibeatur ſequens purgatorium, *diaſenæ, & diacathoticonis lenientium æqualis quantitatis unciam mediam accipito: quibus confectionis hamech drachmas duas adjungito, & electuarii ſucci roſarum ſcrupulos duos ſuperaddito, & cum decoctionis polypodii, & florum cordialium, ac florum communium diſſolvantur, & ante diluculum patienti potui dato.* Cæterum obſervata victus ratione convenienti, omni diligentia patiens procuret, ut inguinis inflammatio ad ſuppurationem ducatur: tunc enim morbi cauſa facta minor, Gallicus morbus & ipſe in ſe, & ejus futuris accidentibus minorabitur. materia namque minorata per exitum materiæ ſuperfluentis, & vitiatæ ex inflammationis apertura, ejus quod remanet reſiduum valentius natura concoquere potuit, & cum majore propenſione, ac facilitate id propellere valebit, & ſic morbus hujuſmodi, ejuſque ſymptomata leviora in futurum reddentur, obſequentioraque, & naturæ, & artis præſidiis adhibitis. In primis igitur inflammationi illi ſic medicemur. *Mucilaginum, althææ, & malvæ, & fœnugræci unciam unam accipito, quibus pinguedinem porci, & gallinæ utriuſque circiter unciam mediam apponito, oleum poſtea his amygdalarum dulcium duarum unciarum jungito, & omnia igne liqueſcant, & lanam ſuccidam dicto liquori infundito, & in die naturali pluries calidam applicato, permutatoque:* apparenteque indicio fiendæ ſuppurationis, donec ad terminum ſuppurationis certum inflammatio hujuſmodi ducatur, adeo, ut convenienter diſrumpi, aut incidi queat, ſequens applicetur emplaſtrum calidum. *Nempe florum chamæmeli, & violarum, & foliorum malvæ cum radicibus, & meliloti, cujuſlibet quantitate unius ſcrupuli ſumito: quibus pingues caricas quatuor jungito, & bulbito, & butyri, & gallinæ pinguedinis, utriuſque unciam mediam addito, & farinæ fœnugræci, & ſeminis lini pugillum unum apponito, Emplaſtrum cum oleo amygdalarum dulcium impingnato, & uſui ſervato.* Ubi vero ſuppuratum fuerit apoſtema inguinis diſruptumque, quoad apertum id tenere patiens poterit, id ſemper agat permittente natura: quoniam continua ſuperfluitatum expulſio tolerante natura, corpori admodum vitiatis humoribus impleto, magni eſt juvamenti, ut ex Galeno in *libro de Plenitudine*, & *Quos evacuare oportet*, & *ſecundo Aphoriſmorum*, *Commento vigeſimo ſecundo* colligi poteſt. Igitur diſrupto apoſtemate, ut diu apertum remaneat, quotidie ulcus mundificetur, & *digeſtivo ex terebinthina, & vitello ovi, & modico olei roſati medicetur*, donec perbelle mundificatum, & abſterſum fuerit, & per ſe natura, bene jam corpore exonerato, ulcus conſolidet, abſque non adeo multum majori per rationem morbi Gallici futuro contingente nocumento. Caveat quoque patiens, ne profluvium ſuperfluitatum currentium per fiſtulam urinariam in pene exiſtentem violentia quadam adſtringat: dum enim totius corporis vitiati humores expurgantur, patiens levius tolerat morbum. Naturæ igitur relinquatur artis beneficio mitius adminiculantis illius profluvii curatio non exaſperata, ne vitiati humores in morbo Gallico detenti, & intus adſtricti, in poſterum Gallicum morbum violentiorem reddant. Naturam igitur adjuvando patiens crebro utatur *caſſiæ fiſtulæ ingurgitatione*, ob enim mitem hanc evacuationem nutritivorum membrorum natura exonerata, fiet potentior ad illius fluxus correctionem, & abolitionem. Conſolentur quoque renes cum *unguento roſato Meſuæ, & minore parte infrigidantis Galeni.* Affiduis quoque purgationibus utatur, nulla adſtrictoria operatione adhibita. At quoniam à mordaci, & fœda materia, ulcera in pene à fœda & vitiata à morbo Gallico muliere acquiruntur, quæ ingentem poſſent in membro virili noxam inducere, Ideo ulceribus illis ſuccurrendum eſſe opinor. In primis igitur cum ulceris curatio exſiccatione perficiatur, & vinum lotione exſiccet, & ulceribus ſit maxime commodum, ut ait Galenus. Ideo pluries in die *vino mediocris potentiæ ebullitionis roſarum, & granorum myrti penis diluatur*, & ejus ulceri ſuperaſpergatur *pulvis hermodactylorum* ad putridæ carnis amotionem, & ulceris exſiccationem. Poſtque tres dies exſiccationem vini augebis, ebullitioni addendo *cortices, & granatorum flores, & gallas, atque cupreſſi nuces*; ita ut quotidie ter, aut quater vino illo diluantur ulcera penis, quibus ſtatim adde ſequens unguentum. *Ceruſſæ unguentum, diapompholygos, ſeu unguentum de tutia, utriuſque unciam unam ſumito, quibus aluminis uſti drachmam unam, & viridis æris drachmam mediam jungito, & uſui ſervato.* Tu vero cum hoc unguento decem diebus continuabis, poſt vero, donec ulcera in pene ſaneſcant, ſubſcripto unguento procedes. *Unguenti de tutia unciam unam accipito, unguenti de minio unciam mediam jungito. Quibus viridis æris drachmam unam addito, & uſui ſervato.* Non derelicta tamen ex vino lotione continue adhibita. At ubi in proceſſu adhuc ulcera in pene non ſaneſcant, ipſi celebrata lotione ſequens ſuperaſpergatur pulvis *hermodactylorum, tartari vini albi potentis, ſarcocollæ, thuris, viridis æris, omnia æquali quantitate drachmæ unius ſimul miſceto, & in ſubtilem pulverem ducito, & uſui ſervato.* Quintum, quod ex morbo Gallico ſymptoma hodiernis contingit tem-

temporibus, eſt alopecia, ſeu pilorum caſus: cui ſane non eſſe ſuccurrendum puto, cum indicet Gallicum morbum minoris nequitiæ, & minoris malignantis naturæ, quoniam virtus in morbo Gallico ex caſu pilorum fortis ſignificatur, humores ex putredine mordaces redditos ad cutem à corporis profundo propellere valens, qui attingentes intus cutem radicem pilorum ipſos corrumpunt pilos, ut oſtendit Galenus ſexto Aphoriſmorum, Commento trigeſimo quarto, & primo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite ſecundo. Igitur cum natura à vitiatis humoribus intra corpus fatigantibus exoneretur (ob quod faſtidia, & labores Gallici tolluntur,) ob hoc naturæ opus tale haudquaquam vetandum eſt. Docet enim experientia, morbum Gallicum patientes, in quibus in initio caſus pilorum inſurgit, plurimum non corripi doloribus, neque fœdis puſtulis, ac ulceribus: quoniam virtus ſemper intra corpus exonerata, valida, & vigens habetur. At quoniam homines mœrore, & pudore turbantur, ne in propatulo res perveniat: ideo caſui pilorum ſuccurram, his quippe modis, quibus minor noxa illis contingere poſſit. Et quoniam in his capillorum caſus, & barbæ maxime manifeſtatur, ideo eorum caſui ſuccurrendum eſſe puto, videlicet, in primis obſervata victus ratione convenienti, ad latus tenuitatis vergente, cibi præſertim, & potus, qui ſint optimi alimenti, & paucæ ſuperfluitatis, ſicut ſupra proditum eſt, cum ſermonem habuimus de victus ratione in morbo Gallico obſervanda: & hanc mentem habuit Galenus primo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite ſecundo: ubi cum tali victus ratione alopeciam ſe curaſſe profitetur. Cæterum egemus evacuatione vitioſorum humorum, à quibus prodit caſus capillorum, & pilorum, qui in facie oriuntur, prius quippe præparatis humoribus, ut facilius excernantur, concoctivum vero, ac præparativum ſit, velut jam proditum eſt. De evacuativo autem re intelligere oportet, ipſum debere naturam vitioſi, & mordicantis humoris reſpicere, ac locum, à quo maxime ipſum humorem evacuare volumus. Verum cum tale evacuativum nihil evacuare poſſit, niſi diſcutiendi vi præditum ſit: ideo ipſum vim citra calefactionem habere non poteſt, non ſit autem tale ex numero vehementer calefacientium, ut cutem exurat. Num quamvis cutem non urat à principio, ſed capillorum caſus perſpicue potius juvet, inveteratis tamen capillorum caſibus, timor eſt, ne capitis cutis ad malum habitum vertatur, & tunc deſperabitur curatio per ſolas purgationes: ſed ad ea, quæ forinſecus cuti applicanda ſunt, pervenire operæ pretium erit. Item evacuativum tenuium partium eſſe convenit, ut libere in altum ſit progreſſurum, unde radices capillorum generationis ſuæ principium obtinent, quale eſt *turbith*, *agaricus*, & *electuarium roſatum Meſuæ*, *vel de ſucco roſarum Nicolai*. Contice igitur tali forma evacuativum, *diacatholiconis drachmas ſex accipito*, *cui turbith gummoſi pulverizati drachmam unam jungito*, & *electuarii de ſucco roſarum ſcrupulos quatuor addito*, & *cum aquæ decoctionis florum cordialium*, & *fructuum communium diſſolvito*, & *patienti dato*, & hoc modo curationis caſus capillorum uſus eſt Galenus primo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite ſecundo. Ubi vero opportunum fuerit caſui capillorum occurrere topicis medicamentis. In primis peracta evacuatione crediderim maxime expediens fore cauterium cruris dextri infra genu partis ſylveſtris, ſpatio digitorum quatuor fiendum: eſt enim utique hoc præceptum Galeni ſexto Aphoriſmorum, Commento trigeſimo quarto, ubi ait. Humores capitis ad crura deſcendentes capillos reſtituere poſſe, & etiam idoneum fore puto (ubi patiens cauterium non admitteret,) fortioribus uti frictionibus quotidianis à genu infra, eodemque in loco lotionibus *ex aqua pungentis caliditatis*, *ebullitionis betonicæ*, *ſtœchados Arabicæ*, *calaminthæ*, *ſampſuci*, & *capitalium hujuſmodi*. Ubi autem opportunum foret cuti, à qua defluunt capilli, topica præſidia applicare, jubeo ex præcepto Galeni primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, capite vigeſimo, totum caput, & barbam abradere, demum vero diluere cutim eorum membrorum cum vino acerbo, & in primis linire ea ſequenti linimento. *Ladani uncias duas accipito*, & *cum oleo myrtino*, & *ſpicato æqualibus partibus eliquato*. & *omni mane diluito cum prædicto vino ebullitionis granorum myrti*, & *ſpicæ*: demum iterato illinire convenit continue per dies octo: poſtea vero altera ſequente inunctione, prædicta illiniantur membra, obſervata prædicta lotione. *Ladanum cum vino auſtero rigatum terito*, & *cum oleo myrtino*, & *tali vino viciſſim affuſis rem ad mellis craſſitudinem redigito: ladanum vero quantitatis trium ſit unciarum*, *prius autem adianthi unciam unam in ſubtilem pulverem ducti ei commiſceto*, *eoque utraſque maxillas illinito*, cuti namque vi pharmaci adſtrictoria ad denſitatem, manente adhuc moderata ejus raritate, pili revocari poterunt: aliud linimentum ſic conficito. *Recentes cannarum radices ac tenellas accipito*, & *earum ſuccum exprimito*, *quantitate untiarum trium*, *cui veſpertilionis exſiccati unciam jungito unam*, *adipiſque urſini*, & *olei myrtini cum oleo ſpicato æqualem quantitatem*, *quoad linimentum confectum fuerit*, *permiſceto*, & *illinitioni exhibeto*. Aliud ubi patiens non admitteret totius capitis, & maxillarum pilorum abraſionem, ſic fabricato. *Radices cannarum exſiccatas*, & *in pulverem ductas pondere unciam duarum ſumito*, *talpæ exſiccatæ pulverem*, *pariterque* & *veſpertilionis cujuſlibet unciam unam* & *mediam jungito*, & *ſpicæ*, *ac ſchoenanthi drachmas duas apponito*, & *oſſium dactylorum pulverem præſcriptis miſceto*, *oleique nardini*, & *myrtini ſufficientem quantitatem*, *donec linimentum fiat*, *addito*, & *uſui liniendi ſervato*, lotione quippe obſervata ex vino auſtero, uti proditum eſt. At quoniam hæc linimenta ex his conficiuntur, in quibus eſt vis reſtituendi capillos, & maxillarum pilos, & jam habitos conſervandi: Merito eorum, quæ ea linimenta ingrediuntur temperatura fit idonea, tum ad reſtituendos pilos, tum ad eos conſervandos. Ladanum enim compoſitionem eorum intrat, quod utraque vi pollet, neceſſaria nempe curationi caſus pilorum, & eorum conſervationi. Temperatura autem his linimentis peridonea eſt moderatam habere caliditatem cum adſtrictoria facultate, & moderatam humiditatem, qua aliquid raritatis ex agente caliditate cuti advenit, ut libere ex cute pili exire valeant. Si enim cutis vehementer adſtringeretur, uti in abundante plurimum caliditate terræ, aut frigiditate, herbæ non naſcuntur, ſic haudquaquam excuſſi pili reſtituerentur ex corporis cute. Pariter quoque, ſi linimenta fuerint plurimum abundantis humiditatis, pili non regenerantur, uti in vallibus herbæ non oriuntur, ob humiditatem ſcilicet denſitatem materiæ auferentem, ob quam abolitam perditur forma generationis herbarum ex terra, atque pilorum ex cute. Et hanc doctrinam habes à Galeno *primo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos*, *capite vigeſimo*, & his in reſtitutione capillorum, & pilorum utriuſque maxillæ ſis contentus. Sextum ſymptoma, quod patientes Gallicum morbum infeſtare ſolet, ſunt tubercula calloſa, plantis pedum contingentia, quæ fere totum patientis progreſſum impediunt, cui ſuccurratur ſequenti balneo quotidiano mane priuſquam cibum devoret. Igitur *malvam cum radicibus*, *radices althææ*, *rapas*, *folia violariæ*, *ac caulium ſumito*, *quantitate quantum manus capere valet*, *omnia hæc ſimul ebulliant*, *donec medietas aquæ abſolvatur*, *tempore vero præſcripto in aqua decoctionis illius calida cum herbis non projectis pedes per mediam partem unius horæ detineat*. Repente vero poſt exitum, & pedum exſiccationem, pœtiam lineam illinitam ſubſcripto unguento calloſis illis tuberculis apponat. *Unguenti mollitivi*, *dialthææ*, *medullæ anterioris cruris vituli*, & *butyri æquales partes*, *nempe unciam unam accipito*, & *cum cera*, & *modico olei amygdalarum dulcium unguentum conficito*. At emollitis calloſis illis tuberculis, raſorio, ſi expedit, abradantur, pungaturque ſtylo canneo, ſanguinis aliquid exeat, ſtatimque *diachylon magnum*, *cui* & *aliquid pulveris radicum iridis addatur*, adhibeas, & hunc modum curationis fac continues, donec tubercula illa calloſa abſoluta fuerint. Septimum ſymptoma ſunt quædam corroſiones, & ſciſſuræ ex morbo Gallico in plantis manuum ortæ, ob quas, & viri, & mulieres turbantur, verecundanturque, cum indicent morbum Gallicum aut eſſe, aut præfuiſſe, quibus ſuccurratur cum ſuffumigio mane, & veſperi plantis manuum recepto, confecto videlicet *ex nitro* & *ſale in vino potenti præbullitis*. At ubi locus exaſperetur, cum *butyro loto* plantæ manuum liniantur: at cum mane & veſperi iterato ſuffumigare voluerit, prius manuum palmas diluat cum *aqua decoctionis fumi terræ*, *ſiliginis*, & *craſſi furfuris*, *atque boraginis*, & *foliorum malvæ cum radicibus*, iteratoque manuum palmas ſuffumigio approximet diebus quindecim, nullo intermiſſo die. Quod ſi his non ſaneſcant palmæ manuum, ad fortiora deveniat. conſimili igitur modo dicta lotione utatur: poſt vero repente ſubſcripto linimento manuum palmæ illinantur, *ſulphuris vivi*, *nitri*, *aluminis*, *cujuſlibet unciam unam accipito*, *argenti vivi drachmam unam* & *mediam adjungito*: & *cum ſaliva*, & *oleo laurino optime extinctis*, & *cum cera*, & *oleo roſato*, *quantum expedit*, *unguentum molle conducatur*. Quod ſi locus exaſperetur, linitione utatur cum *loto butyro*, *ex aqua detoctionis foliorum malvæ*. Octavum ſymptoma, quod inunctione ex mercurio confecta contingere ſolet Gallicum morbum patienti, ſunt prava ulcera gutturi advenientia ob elevatos fumos ab argento vivo, & propulſas ſurſum Gallicas materias ex putredine adaucta, eas acutas, & mordaces, corrodentesque efficiendo, una cum commota deſtillatione à pravis fumis ab argento vivo cerebro communicatis gutturi ipſi. Ab inunctione namque hujusmodi materiæ ſurſum permeant, & deſtillatione deorſum irruunt, in eodemque loco decumbunt, quibus ulceribus

ſuccurrendum eſt, ne intra gutturis ſubſtantiam perfundantur, perpetuam vocis raucedinem, & columellæ corroſionem, & forte totalem ipſius perditionem commiſſura. Quum igitur tales progignuntur gutturis corroſiones, ac inflammationes, ſtatim ſiſtendum eſt ab inunctionis opere, & inprimis uti oportet diverſionibus per aquæ calidæ lotiones cruribus à genu infra, & à cubito ad manus deorſum trahendo. Utendum inſuper fortibus frictionibus à ſcapulis inchoando per totum corpus, donec pedes attingantur, & cucurbitularum appoſitio admodum juvat, & divertit ſine inciſione, & à ſpatulis inchoando, & deorſum ad nates, & coxas trahendo, ſed plus cum inciſione juvant, à natibus primo inchoando: demum ſecundo ad ſcapulas perveniendo. Quod ſi forte exacerbetur ægritudo, cum jam ab unctionis initio prius univerſalior facta ſit ex vena nigra cubiti ſanguinis miſſio, conſonum eſt rationi, à proprio membro divertente, ac evacuante uti ſanguinis miſſione, nempe à cephalica cubiti dextri. At ubi etiam ægritudo magis exardeſcat, tunc venas ſub lingua apparentes ſecare debes ad evacuationem jam fluxæ materiæ morbi. His peractis ſanguinis miſſionibus, alterare poſt jam defluxam materiam & in offenſo membro refrigerium adducere convenit. Inungantur igitur partes gutturis extrinſecus pluries die, noctuque *cum oleo violaceo loto*. Cæterum vero utatur gargariſmis primo levioribus: demum vero fortioribus. Primus igitur *ex aqua plantaginis cum myrtino ſyrupo efficiatur*, ſpatio unius diei. Secundus eſt *de aqua plantaginis, & oxymelite ſimplici* ad majorem inciſionem materiæ fluxæ, ut propenſior fiat ad faciliorem reſolutionem, aut evacuationem. Tertius gargariſmus *ex eadem aqua, & diamorone* ad majorem abſterſionem conficiatur. Quartus vero ex *aqua plantaginis, & rob nucum* fabricetur, cujus eſt vis materiam abſolvens, & ulcera mundificans, ac conſolidans. At ubi gutturis partes interiores ex his exaſperatæ fuiſſent, mente adhibita ad alterationem, abſterſionemque, & mundificationem, atque conſolidationem, & lenitatem partium gutturis, aſſiduet patiens gargariſmum ex *lacte vaccino*, cum ei à natura prædictarum functionum facultates condonatæ ſunt. Cæterum ore lambat patiens *diatragacanthum frigidum, diacodionque, atque diapenidion abſque ſpeciebus ſingulatim, aut commiſtim*: quod ſi aliquid *rob nucum* illis admiſcere volueris, non dubito miſturam talem peridoneam eſſe Gallicis illis corroſionibus, guttur infeſtantibus, dum tamen patieus victus rationem attenuantem obſervet, & abſque vini potu maneat, donec ab ulceribus exquiſite convaleſcat. Nonum ſymptoma eſt, aqua inter cutem, quæ facile ex potu ligni Guajaci in corpore ad eam propenſiore contingere poteſt, cui ſuccurrendum eſt prius, quam potum aquæ potare incipiat patiens. In primis igitur examinanda ſunt indicia futuræ aquæ inter cutem. At ubi in patiente Gallicum morbum apparuerint, præſidium eſt admodum conveniens illius aquæ potum omnino denegare; quoniam talia indicia cum ſignificent jecinoris facultatem ſanguinis generativam in futurum corrumpendam ex hujuſmodi aqua epota: ex quo enim hepar magis calefactum, & exſiccatum evadet, periculum imminet, ne ejus temperatura corrumpatur, deficiatque virtus ſanguificans, & aqua inter cutem in effectu progignatur, & in proceſſu temporis æger perdatur. Quod ſi quiſpiam mihi occurſaret dicens ſe daturum aquam decocti Guajaci cum vino confectam, Reſpondebo, quod tunc ocyſſime adhuc patiens in aquam inter cutem pervenire poſſet, cum ex vino potus, hujusmodi indiciis aquæ inter cutem futuræ apparentibus magis corrumpatur virtus jecinoris ſanguificans, ob majorem caliditatem, ac ficcitatem jecinori inductam à vino tali epoto condonatam: ob quam rem nullus ſit audax corpori Gallico propenſiori effecto ad caſum in aquam inter cutem, potum decocti quoquo modo confectum contribuere; quoniam crimine mortis hominis accuſandus erit. Ubi vero patiens ex potu decocti in aquam inter cutem in effectu ceciderit, hortor neminem talem ſibi vendicare curam, quoniam nomen mali medici ſubibit. Decimum ſymptoma, quod ex Gallico morbo ex unctione ex argento vivo confecta contingere ſolet, ſunt tormina inteſtinorum, ſeu dyſenteria, cui ſuccurratur cum attenuante diæta, vim ſtipticam, & adſtrictoriam habente, & ejus potus ſit vinum nigrum ſtipticum, haudquaquam dulce, nulla aqua permixtum: at ubi patienti alia adeſſent ſymptomata vini potum vetantia, ut valida febris, & gutturis ulcera, ejus potus conveniens eſt, *aqua chalybeata decoctionis coriandrorum præparatorum*, vel plura epota. Cæterum quod huic accidenti magis idoneum eſt, ſunt clyſteres inteſtina diluentes, & materiam mordacem, & acutam tormina progignentem excernentes: Qualis eſt *clyſter ex aqua chalybeata decoctionis hordei torrefacti, appoſito oleo roſato omphacino ducrum unciarum quantitate, & ſaccharo duarum unciarum pondere, & ovi unius vitello, non appoſito ſale*, quoniam virtus inteſtinorum expultrix addito ſale excitaretur, magisque irritaretur ad crebrum fluxum committendum, & ad majorem punctionem excitandam, qua tormina inteſtinorum ex conſequenti valentius concreſcerent. Cæterum, clyſter admodum juvativus eſt, *ex ſucco plantaginis quatuor unciarum pondere, & lacte vaccino octo unciarum quantitate, & oleo roſato omphacino trium unciarum pondere, & ſaccharo rubro quantitate unius unciæ, & mediæ appoſito, cum unius ovi ſolo vitello*. Alius clyſter fiat *ex lacte chalybeato, & ſucco plantaginis, oleoque omphacino, cujuſlibet pondere præſcripto, quibus ſevi hircini uncias duas jungito, ſaccharo, & vitello ovi additis, & quantitate dicta ex his omnibus clyſterem imponito*. Cæterum alter clyſter peridoneus eſt *ex oleo roſaceo omphacino, & ſucco plantaginis cum drachmis duabus trochiſcorum de carabe in ſubtilem pulverem ductorum, vitello ovi, & ſaccharo appoſitis*. At ubi his tormina inteſtinorum non tollantur, convenit præcedentem cauſam dyſenteriæ in vaſis exiſtentem evacuare, unaque ſimul contentivam cauſam, quæ ad inteſtina vi inunctionis continuo defluit: fiet autem hoc ſequenti purgatorio patienti oblato. *Quatuor florum cordialium citra violas pondere quantum pugillus capere poteſt, ſeminum acetoſæ, & plantaginis, endiviæque & portulacæ, uniuſcujusque drachmas duas accipito, corticum myrobalanorum citrinorum his addito pondus medietatis unius unciæ, & invicem ſimul bulliant, donec aquæ media pars fuerit conſumpta, cum qua diſſolve rhabarbari electi in pulverem ducti drachmas duas, & potui patientis dato*. Cæterum confortetur alvus tota inuncta cum *oleo roſato, ebullito cum granis myrtinis, & corallis rubris, & cydoniorum ſucco, & acaciæ, quo percolato cum ceræ quantitate pauca unguentum conficiatur, & uſui inunctionis, ut proditum eſt, ſervetur*. De tertio vero modo medicationis Gallici morbi, ad inſtrumentum officinæ chirurgicæ attinentis, cum ſparſim in jam proditis ſermonibus ſuperioribus notitiam tradiderim eorum, quæ majori parte ex manuum operibus Gallico morbo contingere poſſunt, operæ pretium eſſe ſtatui nequaquam de eo ſermonem alium, & reliquorum, quæ ei inſtrumento contribuuntur, operationi manuum ſervientia auſpicari, ne falcem noſtræ ſcientiæ nobilis, atque perfectæ in alienam meſſem, non adeo nobilem, & perfectam imponam. igitur reliqua, quæ in hac officina manuum operibus utuntur chirurgici, ut artis ſuæ finem adipiſcantur, habeant ipſi, eis enim ut medicorum miniſtris nos utemur. Nunc vero hujus operis finem conſtituam, & eorum omnium, quæ ego *Benedictus Victorius*, de morbo Gallico, & ejus cura anno ætatis meæ ſeptuageſimo conſcripſi, dum medicinæ Theoricam ordinarie in Gymnaſio Bononienſi doctiſſimo edocerem, ut non ſolum auditores meos, ſed & omnes lectores hujus meæ auſpicationis de morbo Gallico certiores redderem. Tractatulum vero quendam alium de Gallico morbo, Baſileæ impreſſum (ex officina mea non erutum) mihi tamen adſcriptum audio à quibuſdam errore ductis, niſi forte fortuna id contigerit, ut per modum empiricum præſidia quædam morbo convenientia Gallico, quibusdam meis olim diſcipulis, qui ad hoc me impulerint, condonarem. At quoquo modo evenerit id, pro naturæ humanæ adverſus hanc epidemicam luem tutela librum hunc conſcripſi, finem impoſui ad gloriam Dei, non quippe ob merita mea, ſed per gratiam ab eo mihi donatum, cui humiliter ſupplico, ut abſque peccatis me conſervet, & cum moriar, vitam mihi concedat æternam. Amen.

# BENEDICTI VICTORII, *Faventini*, DE MORBO GALLICO CONSILIUM,

## *Pro Reverendo Domino BARTHOLOMÆO VICENTINO.*

Reverendus, & Nobilis Dominus Bartholomæus Vicentinus patitur affectionem illam, quam Gallicam ſolent appellare, in qua R. S. à nobis ſalutaria petit remedia, cui ego ſatisfacere cupiens, remedia nonnulla tradam, ut, Deo favente, ad illam, quam jam habuit, ſanitatem revertatur.

### *Curatio morbi Gallici per res nonnaturales.*

Jubeo, ut ſequentem diætam R. S. omni diligentia conetur obſervare, cum omnium ægritudinum potior cura ſit victus ratio, auctore Galeno in *libro experimentorum, capite ultimo.* Eligat primo ſibi aërem non admodum calidum, vel frigidum, ne ejus intenſo calore humores adurantur, cujus morbi aduſtio eſt comes, & intenſo frigido, admodum nervis nocuo, intus materiæ compingantur. Illius igitur aër non multum recedat à temperamento, potius tamen per calidum naturæ amicum, & humorum concoctivum, quam per frigidum undequaque omnino D. S. nocuum: inimicatur enim frigus nedum naturæ, verum & nervis, & juncturis, in his dolores progignens. Hortor igitur, ut muniat ſe, & ſua membra in temporibus frigidis condecenti pannorum levamine, ne ea frigido lædantur. Quippe ſit aër illius non admodum humidus, cum ſui inſigni humiditate ſuperfluitates progignat, & membra, & totum corpus gravantes. Vitet igitur aërem pluvioſum, & nebuloſum, & loca humida, paludoſa, & prope aquas ſita. aër in paſſivis erit ei convenientior temperamento nonnihil ſiccus, quoniam ſolvit eas, quæ ſolent corpus gravare, ſuperfluitates, & humiditates. caveat igitur R. S. ab auſtrino flatu, cum ei non adhuc ſit conveniens flatus ab Aquilone. Panis ejus ſit ex tritico tantum, quoniam nedum non ſunt naturæ amica alia grana, verum neque boni alimenti: ſitque panis ejus de ſimila, id eſt, flore farinæ, quoniam præterquam quod cito permeat, & digeritur, eſt boni etiam ſuccigenerativus, & ſit panis recens, non quidem unius diei, ſed trium ad plus, neque diutius aſſervatus, ſit condecenter coctus, aliqua enim exteriora ſunt cruſtacea, uſta, obaridaque, interiora vero incocta, & hic deterrimus eſt panis, & R. S. admodum contumax, nullo autem repleat ſe multo pane, quoniam ex eo repletio eſt omnibus mala. Vinum, quod ex communi uſu bibere debet, non ſit album, quoniam vias aperit, & ad membra humiditates conducit, & eas gravat, atque dolores ingerit: non ſit nigrum, quoniam ſui ſtipticitate materias in membris detinet, ſed ſit coloris mediocris, quem cereſolum ſolent dicere. non ſit craſſum, non dulce, non turbidum, non novum. omnia hæc enim vina ſunt R. S. inimica, non ſit forte, non aceroſum, ſed pauciferum, & mollis ſaporis, & aſſueſcat parce bibere, & niſi comederit non bibat, caveat igitur à conſortio eorum, qui bibuli cognoſcuntur.

Carnes, quas ex communi eſu comedit, ſint modicæ quantitatis, & boni chymi progignentes, atque bonæ concoctionis, & facilis tranſitus, ut ſunt carnes gallinarum, caponum, perdicum, phaſianorum, francolinorum, & omnium avicularum montanarum, & aliarum degentium in pratis, & arboribus, ut ficedulæ, turdi, merulæ, turtures, & hujusmodi, juvenes etiam cuniculi, vituli, hœdi ſunt ei convenientes, & caſtrati non antiqui.

Carnes craſſorum, & veteſtorum animalium, & peditantium, ſunt D. S. adverſæ, ut bubula caro, & ſuilla, cervina, ovilla, & antiqui caſtrati, & hujuſmodi, omnium inſuper animalium aquas habitantium ſunt ei malæ carnes, ut anſerum, anatum, & ſimiles. Caveat ab omnibus item carnibus ſalitis, quoniam ſal anxietatem parit, & maxime moleſtum cerebro eſt, & hepati, quæ ſunt membra primo patientia in Gallica affectione.

Piſces à tota ſui natura R. S. inimici ſunt, quoniam frigidi omnes, & humidi ſunt abundanti humiditate, maxime ei noxia. Ubi vero piſces eſſent de libero mari, vel de ſaxoſo torrente, non admodum erunt ei adverſi, dum elixentur, vel aſſentur, & in patellis nullatenus frigantur. Saliti piſces ſunt ei admodum nocui, & omnia condimenta, quæ multo condiuntur ſale. Ova recentia admodum ei conveniunt, in aquis elixata, vel ſub cineribus cocta, non in patellis frixa, quoniam fumum elevant, præterea diu aſſervata ova, & dura nocua ſunt, ſed trenula, & forbilia convenientia, & præſertim vitellus. Caſeus, niſi recens fuerit, & unius diei, eſt ei incommodus, quoniam craſſum, viſcoſum, & hærentem progignit humorem, qui membris & juncturis hærens, dolorem & gravedinem ingerit, & malum in ſtomacho conducit chylum. & quoniam butyrum inflammabile eſt, facileque in calidum humorem vertibile, ideo ei pernicioſum pronuntiamus, & quoniam lac in ſtomacho debili fac le putreſcit, & quibus ilia tenduntur, & capiti nocet, R. S. ipſum denegamus. Legumina omnia, & quæcunque ſpiritum flatuoſum progignunt, veluti caſtaneæ, & quicumque fructus humidi ſunt, ut poma, pyra, ceraſa, & hujuſmodi ſunt D. S. adverſa, & cocta minus lædunt incoctis. Uvæ vero recentes, & ficus non admodum ei nocuæ ſunt. Omnia condimenta ex paſta omnibus ejus affectionibus noxia ſunt. Omnia aromata, & ex his condimenta ſunt admodum R. S. contraria, ut *piper*, *zinziber*, *crocus*, *caryophylli*, ſui enim acredine humores adurunt. Ubi vero parum de *cinnamomo* uteretur, non ipſi nocuum erit. Olera quæcunque frigida, & humida ſunt, ei adverſantur, ut *beta*, *ſpinachia*, *lactuca*, & hujuſmodi. Caules admodum ei nocent: conveniunt *borago*, *bugloſſum*, *betonica*, *hyſſopus*, *ſalvia*, & *roſmarinus*, *fœniculum*, & *petroſelinum*. Caveat à ſomno ſuperfluo, & meridiano, quoniam omnium membrorum facultates gravat, & eorum juncturas humiditatibus replet. Quies eſt D. S. contraria ob gallicam diſpoſitionem, ſuperfluus etiam motus admodum ei noſtis eſt, ob id quod laborat de vertigine, modico igitur utatur exercitio, cum ſtomachus non aggravatur cibo, & eſt hora, qua virtus operatur complementum digeſtionis, ſcilicet per duas horas ante prandium, & cœnam. Caveat à ſuperflua repletione tum cibi, tum malorum humorum. Conſulo igitur, ubi Dominatio S. multo ſe impleverit cibo, ſi prandendo hoc fecerit, abſtineat ſe à cœna, ſi vero cœnando, à prandio, & tunc temporis etiam parco utatur cibo. Ubi vero ſe humoribus repletum cognoverit, conſulo, ut tunc capiat ſequentes pilulas per duas horas ante cibum. Recipe *pilularum maſtichinarum Conciliatoris*, *pilularum aloëphanginarum*, *ana drach. med. fiant pilulæ quinque*, triſtes animi cogitationes, & melancholicas fugiat, quoniam noſtra corpora exterminant: lætetur igitur, & in jucunditate verſetur, & bene ſperet de ſua valetudine, quoniam bona confidentia eſt magna pars curæ.

### *Curatio morbi Gallici per medicinas.*

Conſulo, ut adventante principio Veris, cum ſit tempus idoneum purgationibus, primæ purgationi ſubmittatur. in primis igitur per duas horas ante prandium ſumat ſequentem bolum. Rec. *floris caſſiæ noviter tractæ drachmas decem*, *ſpecierum hieræ ſimpl. drach. j. miſce*, & *fiat bolus cum ſaccharo*. Sequenti vero die tribus continuis diebus ſumat in diluculo ſequentem ſyrupum. Recipe *oxymellis ſimpl. ſyrupi de fumo terræ*, *ſyrupi de endivia*, *mellis roſati col. ana unc. med. aquarum fumi terræ*, *betonicæ*, *cichorei*, *bugloſſi*, *ana unc. j. miſce*. Eodem tertio die in mane, præcedente lenitione ventris cum clyſtere communi, conſulo, ut aperiatur vena communis dextri brachii, ſanguisque extrahatur ad quantitatem quatuor unciarum. Demum per duos dies ſequentes continuet ſyrupum ſuum. Sexto vero die per duas horas ante lucem, ſumat ſequentes pilulas ſuperdormiendo. Recipe *pilularum aurearum Nicolai*, *pilularum de fumo terræ*, *agarici trochiſcati ſcrupul. j. cum ſyrupo violato fiant pilulæ numero quinque*. Purgato corpore quieſcat patiens

per quatuor dies, & regat ſe cibariis laudabilibus, & boni nutrimenti, nimiam fugiendo repletionem. Quinto vero die iterato purgetur, & capiat tribus diebus continuis ſequentem ſyrupum in aurora. Recipe *ſyrupi de lupulis, ſyrupi de fumo terræ, mellis roſati col. an. unc. j. miſce.* Tertio vero die faciat de mane ſecundam phlebotomiam ex ſalvatella ſiniſtræ manus, cum extractione ſanguinis quatuor unciarum. Demum duos alios continuet ſyrupos, vel tres, & ſequente die per duas horas ante lucem ſumat ſequentes pilulas. Recipe *pillularum fœtidarum, pilularum de hermodactylis, pilularum de fumo terræ, ana ſcrupul. j. cum ſyrupo violato fiant pilulæ numero quinque.* Purgato corpore quieſcat patiens per ſex dies, regendo ſe cum cibis boni nutrimenti, uſu tamen moderato. Sequente vero die iterato purgetur, & ſeptem continuis diebus in diluculo capiat ſequentem ſyrupum. Recipe *ſyrupi de pomis compoſiti unc. j. ſyrupi de fumo terræ, ſyrupi de lupulis, ana unc. med. aquarum lupulorum, fumi terræ, betonicæ, ana unc. j. miſce.* Die vero quarto aſſumptionis ſyruporum, faciat ſibi apponere veſperi per duas horas ante cœnam quinque hirudines hæmorrhoidibus, cum extractione ſanguinis quatuor unciarum. Octavo vero die, vel nono, ſumat per duas horas ante lucem ſequentes pilulas. Recipe *agarici præparati drach. med. pilularum de fumo terræ ſcrup. ij. & med. cum ſyrup. violato fiant pilulæ numero quinque.* Purgato corpore quieſcat patiens per quatuor dies, in quibus præparetur ſequens balneum, in quo per ſeptem dies (alternis tamen diebus) debet ingredi in aurora calido à collo infra, & in eo morari in proportionato vaſculo ad minus per dimidium horæ. majus vero tempus eſt hora, & cum egreſſus fuerit ex balneo bene totum corpus abſtergat, & confeſtim ingrediatur lectum calidum, & pannis bene coopertum, & dormiat per duas horas, vel ad minus quieſcat, abundanter ſudabit, abſtergatur, & ſurgat, & ſtatim capiat infraſcriptum bolum, ſupra ipſum bibendo uncias quinque aquæ endiviæ, & non comedat, niſi per quatuor poſt horas. Recipe *ſacchari roſati, ſacchari violati ana drach. iij. miſce.* Ultimo vero die balneationis conſulo, ut in exitu à balneo adſit ſtupharius, qui ei imponat ſexdecim cucurbitulas, videlicet quatuor in ſpatulis, quatuor in brachiis, quatuor in natibus, & quatuor in coxis, cum extractione ſanguinis modeſta, demum ingrediatur lectum modo dicto. Præterea conſulo, ut per decem dies continuos poſt balneum in aurora ſuperdormiendo ſumat uncias ſex juſculi carnis caponis bene conſumptæ detracta pinguedine, cum modico ſacchari. Præterea conſulo, ut poſt tempus potus juſculi aſſueſcat omnibus decem diebus ſumere ante diluculum ſequentes pilulas. Recipe *pilularum de fumo terræ, pilularum aurearum Nicol. ana ſcrup. j. cum ſyrupo violato fiant pilulæ numero tres.* Ubi vero forte fortuna his non ſaneſceret, R. S. conſulo, ut non ſubmittatur inunctioni ex mercurio, propter nocumenta, quæ ſuæ Dominationi facile contingere poſſent, eam autem devenire ad potum decoctionis aquæ ligni Guajacani cum convenienti ordine & rectis modis diætæ, non poſſum vituperare, ſed ſumme laudare.

*Deſcriptio porro Balnei paulo ante propoſiti hæc eſt.*

*Recipe florum ſtœchados Arabicæ, florum ſtœchados montanæ, betonicæ, ſalviæ, ivæ, herbæ paralyſis, roriſmarini, ana m. j. & med. pulegii, calaminthæ, ſampſuci, chamædryos, chamæpytheos, ana m. j. & med. florum chamæmeli, meliloti, anethi; abſinthii, fœnigræci, ſem. lini. ana manip. j. radicum acori, rad. pæoniæ, galangæ, zedoariæ, ana manip. med. Roſarum rubrarum, granorum myrti, balauſtiarum, corticum granatorum, ana manip. j. miſce, & bulliant ſecundum artem in ſufficienti quantitate aquæ, uſque ad conſumptionem quartæ partis, deinde coletur, & uſui ſervetur.* Ubi vero hæc non in totum patientem ſanarent, conſulo, ut fiant duo, vel unum ſaltem cauterium in cruribus infra genu per quatuor digitos in parte ſylveſtri. ſublime namque hoc remedium eſt in omnibus ejus affectionibus, quoniam ea conducunt à toto corpore ſuperfluitates, &, ut diu relinquantur aperta, monco, uti natura aſſueſcat illi parti.

# AMATI LUSITANI
## DE
# MORBO GALLICO,
## ET
# GALLICA SCABIE,
## EPISTOLÆ DUÆ,

*Ex Centuria prima Medicinalium curationum excerptæ.*

Nec non

## DE
# METHODO PROPINANDÆ CHINÆ,

*Ex Centuria ſecunda excerpta.*

## DE MORBI GALLICI CUM LICHENIBUS CURATIONE
### EPISTOLA PRIMA.

Vir, qui morbo Gallico laborabat, & multis lichenibus, id eſt, impetiginibus, ex eodem evenientibus ſcatebat, ætatis triginta octo annorum erat robuſtus, ad temperaturam calidam declinans, cujus curam ſuſcipientes, ſic orſi ſumus (optima prius victus ratione inſtituta) Recipe *ſyrupi de boragine unc. ſem. de fumo terræ unc. j. decoctionis ſenæ unc. iiij. miſce*, bibat jejuno ſtomacho, ebibitis vero ſyrupis tribus, ſanguinem, ſecta vena communi, ad uncias ſex fluere permiſi, tandem aliis tribus quoque ebibitis, materia ad expulſionem parata, catapotia hæc illi obtulimus. Recipe *pillularum de fumo terræ drachmam unam, de nitro Alexandri ſcrupulum unum, miſce, formentur pillulæ quinque, inaurentur:* capiat hora ſexta noctis, ad lubitum dormiat, quibus optime alvus ſecedit. Interpoſito vero uno die, hoc unguento illius junctiuras, ac emunctoria demptis alis, illini jejuno ſtomacho fecimus, per tresque ad minus ſudaret horas conſuluimus: habet enim unguentum hoc *theuris, maſtiches, myrrhæ ana drach. ij. cinnamomi, gingiberis, piperis longi, cubebæ ana drach. j. ſandarachæ Græcorum, minii ana drach. ſem. cineris tamariſci unc. iij. butyri recentis unc. iiij. pinguedinis porcinæ libram mediam, ſucci plantaginis, argenti vivi extincti cum ſucco limonij, ana unc. iij. miſce, & in mortario la-*

pideo

*pideo fiat unguentum*, quo illinatur, ut ſupra dictum eſt, inunctus autem fuit quinquies, ſemel ſcilicet in die, jejuno ſtomacho, & optime ſudabat, ac multam, & ſordidam per os pituitam emittebat, quam omnes, qui hac utuntur curatione, emittere ſolent: proinde providens medicus ſit oportet, & gargariſmum ſive lavacrum parabit ex medicinis abſtergentibus, exſiccantibus, & conſtringentibus, atque ulceribus convenientibus, ut *roſa*, *balauſtio*, *myrto*, *plantagine*, *equiſeto*, *id eſt*, *cauda equina*, *polygono*, *id eſt centumnodia*, *lentibus*, *hordeo*, *alumine crudo*, *vel uſto*, *unguento Aegyptiaco*, & aliis ſimilibus, prout caſus expoſcit, nos autem huic alumen miſcuimus, & ſanus factus eſt veluti alii plures.

# DE GALLICA SCABIE,

## EPISTOLA SECUNDA.

Quidam morbo Gallico infectus fuit, & multis adhibitis remediis ita bene valuit, ut ſui, & aliorum judicio ſanus evaſerit. Interpoſitis vero decem annis uxorem duxit, cujus uxor, mulier caſtiſſima, duos pueros intra quinque annos optima temperatura, & compoſitione præditos peperit: ſeptimo vero anno alterum peperit maſculum, ſed Gallica ſcabie infectum. Nam illa optime ſemper ſe habuit, ſed prope nares verſus labia, antequam puerum iſtum infectum peperiſſet, ulcuſcula paſſa erat, demum poſt partum male ſenſit, & ubera grumis quibuſdam illis infecta fuere, ita ut puero lac dare non fuerit poſſibile. commiſſus igitur fuit puer nutrici, quæ intra paucos dies infecta fuit, & à puero prædictam ſcabiem Gallicam contraxit, quæ quum cum marito coiret, illum infecit, immo vicinarum ſuarum alii duo pueri, quibus lac dederat, infecti fuere, à quibus matres morbum traxerunt: demum hac contagione novem intra menſem infecti fuere; ſed puer intra menſem poſt ortum ſuum obiit, & illius pater, qui ob ſeminaria antiqui morbi occulta uxorem infecit, quum febri corriperetur, intra ſex dies vitam cum morte commutavit. Mater vero pueri evaſit, cui per quinquaginta dies Guajaci decoctum dedimus, ſed nutrix & ejus maritus, veluti vicinæ, & pueri per unguenti inunctionem ex aromatibus & mercurio confecti, ſunt ſani facti: Soleo autem uti unguento hujuſmodi, hoc unum ante oculos habendo, quod ubi plus gummoſitatum videtur, plus pinguedinum unguento addimus, ubi vero minus gummoſitatum, & plus puſtularum, & ulcerum, plus pulverum apponimus, in delicatis quoque parum admodum argenti vivi addimus, veluti quando complexio calidior fuerit, multum butyri, & olei roſacei, aut ſucci plantaginis, res calidas fugiendo, adjungimus, ut in ſequentibus videbitur.

# AMATI LUSITANI,

## DE

# METHODO PROPINANDI DECOCTUM RADICIS CHINARUM.

## EPISTOLA TERTIA.

*Ad Illuſtriſſ.* VINCENTIUM DE NOBILIBUS.

*Ex Curationum Medicinalium Centuria ſecunda excerpta.*

Quemadmodum novi morbi indies oriuntur, varias mortalibus pœnas afferentes, Vincenti Princeps Illuſtriſſime, & Julii tertii Pontificis Maximi ex ſorore nepos digniſſime, ita Dei Opt. Max nutu medicamenta quædam pro illis arcendis inveniuntur, & a finibus orbis in Europam mundi regiam partem tranſvehuntur. Inter quæ multorum votis Chinarum radix tanquam primatum obtinens adnumeratur, & inter ea tanquam Deorum dono ad ſalutem humanam conſervandam reponitur, quæ, quia in Sinarum regione, finibus Indiæ conterminia naſcitur, ad quam Luſitani noſtri continuo mercium exercendarum gratia confluunt, & inde eam afferunt, chinarum nomen ſibi merito vendicavit. Eſt enim China, vel Sina (ut Coſmographis placet,) Indiæ trans Gangem, quæ ad Sericam terminatur, conterminia regio. Nam India trans Gangem ab occaſu alteram habet Indiam, & Gangem fluvium, a Septentrione Scythiam, & Sericam: Ab ortu Sinarum regionem: a meridie Indicum pelagus, &, ut noſtris placet Luſitanis, teſtibus oculatis. quorum (ut apud Plautum eſt,) plus valet unus, quam decem auriti, Chinarum hæc regio Scythiæ conterminia eſt. Cujus incolæ albi ſubrufi, proceri, Germanis ſimiles ſunt. Qui, ut cæteri mortales, quum multis obnoxii ſint morbis, quos paulo poſt enarraturi ſumus, ad hanc ſe convertunt radicem, & ad eam tanquam ſpectatiſſimam ſalutem ac ſacram anchoram, naufragii tempore, confugiunt. Quam ex Cannarum quodam genere, apud littora maris naſcente, effodiunt: quod ita eſſe radicis ipſius figura oſtendit, quum cannarum communium noſtrarum radicibus ſimilis ſit, fungoſa, nodis cinctra, intus cum rufo colore albeſcens, nam exterius rubeſcit. Recens præfertur, quæ valde eſt gravis, & ponderoſa, undique ſolida, non corroſa, ſed vivido quodam fulgore foris cum quadam lenitate rubricata: quam Turcæ lucri etiam avidi, inter rhabarbarum nunc in Italiam venalem afferre incipiunt. Guſtu tamen inſipida eſt, quandam præ ſe ferens unctuoſitatem. Ex quibus omnibus, junctis ejus duntaxat effectibus, judicandum eſt, radicem hanc ſiccam prope tertium gradum eſſe: humiditate vero primi metas non tranſcendere conſentaneum eſt dicere. In activis enim qualitatibus ſymetra & temperata ab eo, qui in Galeni regia via inſtructus inceſſerit, conſtituetur. Si ad earum tamen aliquam accedit, ad caliditatem dicendum arbitror. Valet autem radix hæc (ut ad Illuſtriſſimum Coſmum Medicem, ſecundum Thuſcorum Ducem, ſcripſimus) corporis malo habitui cachexiæ dicto, hydropiſi aquoſæ, quam Græci aſciten dicunt, Vertigini, hemicraniæ, deſtillationibus à pituita & craſſiori bile ortis, catarrhis dictis, podagræ, chiragræ, Arthritidi, coxendicum doloribus, febribus pituitoſis, morbo Gallico, lepræ, ſcabiei. Item ſtomachi, & oris ventriculi humiditates conſumit, & earum vitia emendat. Proinde ſtudioſis, & mente occupatis unice opitulatur, ac conducit. Colicas affectiones mirifice curat, & matricis vitia corrigit. Membrorum diuturnos dolores, & inveteratas fiſtulas, ac ſcirrhoſos tumores, & contumaciſſimas ſtrumas ſanat. Elephantiaſi prodeſt. Sudorem unice excitat, & ſanguinem mundificat, ac ſenes repueraſcere facit, & macilentos obeſos reddit, urinam ciet, & calculum frangit. Ad hæc paralyſi, hoc eſt, laxatis nervis, & convulſioni, hoc eſt, nervis retractis multum eam prodeſſe novimus. Saluberrima enim medicina hæc eſt & laude digna, quum prædictis profit morbis, & variis aliis, ortum à pituita, & bile craſſiori trahentibus, ut experientia ratione firmata deprehenſum eſt, & indies magis confirmatur. Utuntur quippe medici Chynarum radice iſta contra citatos morbos, quos maxime depellere, ac in totum convellere, tum ipſi, tum Luſitani noſtri, qui magna cum gloria illic verſantur,

tur, & hodie regionem illam frequentant, ac cum incolis maximum commercium habent, aperte teſtantur. Nec ſine ab re, quum radix hæc ſicca pauco calori juncta (ut diximus) ſit: quibus qualitatibus, omnibus citatis affectionibus conducit, & auxiliatur. Sed non ſolum (ut ſcioli quidam putant) qualitatibus primis radix hæc opitulatur, ſed ſpecifica, & propria potius quadam virtute prædita: aliter unumquodque ſimplex medicamentum, temperatura exacte ſiccum, pauculam quandam caliditatem conjunctam habens, eaſdem aut ſimiles operationes conſequeretur. Quod falſum eſſe omnes docti norunt. Decocti igitur hujus radicis modum conficiendi, ac ægrotis exhibendi, jam nunc tempus erit aggrediamur, ne in longum rem ducamus. Nam de hac radice libellum edere paramus, ubi ad amuſſim hæc diffuſius differentur, & latius deſcribentur. Nunc ſit hoc quaſi operis præludium majoris: etſi Veſalius Cæſaris doctus medicus, & Anatomicus inſignis, hujus radicis dotes libello ſuo, quem de radice Chinarum inſcripſit, tractavit, quas tamen omnes non videtur fœliciter proſequutus, pareat vir Anatomicus, & Germanus (cui merito quoque parcendum eſt) quum à Chinis, & Luſitanis, qui ſimul frequenter verſantur, & in Europam hujus radicis uſum traxerunt, verus, geminus, ac proprius propinandi eam modus petendus ſit: quem nos Uliſſiponæ, Antwerpiæ, Ferrariæ, Venetiis, Anconæ & Romæ, longo temporis tractu in praxim traximus, pluries radicis hujus effectus conſiderantes. Sed ne jam de nobis lectores, ac ægrotantes querantur, ad Methodum & veram regulam hujus radicis ægrotantibus propinandi decocti accedamus. In primis qui prædictæ radicis decoctum ebibere decreverit, multis antea diebus optimo uti victu, & à Venere quam maxime abſtinere debet: Et non minus etiam perdurante curationis tempore, & poſt ipſam peractam curationem, ſaltem per menſem. Aliter autem ad hanc curationem non accedat, nec huic credat radici. Conſilio deinde alicujus docti, & experti medici, qui decoctum ebibere voluerit, ſecundum morbi exigentiam, Syrupis aut decoctis ad rem facientibus prius ebibitis, purgabitur. Quod ſi ſanguinem minuere expedierit, id quoque ut exſequatur, maxime convenit: ſive opus hoc per venæ ſectionem, aut cucurbitulas cute ſcarificata, aut per hirudines ani venis admotas, conficiatur: immo bis & ter evacuationes, modo expediat, repetere, ſi virtus conſtiterit, minime formidandum eſt. Corpore igitur bene evacuato, ſolent communes medici hujus radicis ad quatuor ſupra viginti uncias, quatuor & viginti diebus dicatas, tantum admittere: quæ quantitas pauperibus levioribus morbis oppreſſis (mea ſententia) circumſcribi poſſet. Secus autem regibus, aut principibus, aut iis, qui divitiis abundant, & gravioribus vitiis torquentur, quum iis major radicis modus admittendus ſit, & cura longiori tempore ſit prorogando: quum graves ac diuturni morbi paucis diebus ex toto eradicari, ac extirpari non poſſint. Expedit igitur ad trigeſimum quintum diem, & quadrageſimum & amplius, ſi morbus poſtulaverit, & vires conſtiterint, in hoc dando decocto accedere. Nec enim ob hæc verus tradendi ordo pervertitur aut immutatur, quum is verus, & ab incolis Sinarum in uſu ſit habitus. Vidimus autem nos quendam Jacobum ab Olanda Luſitanum, fiſtula quadam laborantem, qui quum apud Indos, & Chinas diu verſatus eſſet, & contra morbum radicis hujus decoctum ſuo modo appararet, non unam tantum radicis unciam pro vice in aqua macerabat, & incoquebat; ſed potius duas, & tres: ut fieri ab ipſis Indis, & Chinæ incolis animadvertebat. Irridebat autem is noſtros Europæos homines, qui Radicis tam exiguam portiunculam in tanta aquæ quantitate coquebant, atque inde nonniſi decoctum dilutiſſimum reſultare merito contendebat. Sed ratio tam parvæ quantitatis coquendæ, & cauſa hæc eſt. In Europa enim Radix hæc primum caro & magno pretio vendi cœpit, quo factum eſt, ut homines tam magnum pecuniarum fugientes diſpendium, ſingulis diebus ad ſingulas uncias ſe aſtrinxerint. Sed nunc, quum ſit ipſius felicior proventus & copia, ejus pondus augere poſſunt: minori enim pretio nunc habetur. Sed ea maxime, quæ in Luſitaniam advehitur, quæ plerumque vetus ac corroſa eſt, ad hæc evanida, levis, virium magnam partem deperditam habens, quum per ſeptem, vel octo continuos menſes proſpero etiam flante vento, per mare navi portetur. Cujus humiditate ſuas illam amittere vires creditu eſt facile. Illa vero, quam in Italiam Turcæ terra, & in Camelis nunc afferre incipiunt, perfectiſſima eſt, graviſſima, ſuccoſa, quæ ſingularibus medicinis comparari poteſt. Sed age, conſuetum modum pro exemplo admittamus, quem (quum jam examinaverimus) verum, amplum, & apud Chinas in conſuetudinem repertum exponemus. Jubeat igitur, qui decoctum hoc ebibere voluerit, quinque, vel ſex terrea vaſa, & ſi fieri poſſet intus vitreata, parari, ſexdecim aquæ librarum unumquodque capax, quæ ollas A quis potius appellaret, ore anguſto. Non minus quoque tripodem ferreum prunas ardentes, id eſt, fumum non expirantes, & carbones continentem paratum habeat: qualem aromatarii, & pharmacopolæ in officinis habere ſolent. Unciam igitur unam Radicis hujus, aut, ut nos cupimus, & Cynicolæ moliuntur, duas & tres in tenuiſſimas tabellas orbiculares numiſmatis figura, acutiori cultro diligenter incidi faciemus, quas ollæ duodecim libras aquæ fontanæ, & puræ continenti, infundi jubebimus, & eas macerari per viginti quatuor horas permittemus. Poſtea vero ollæ orificio optime obturato, prædicto igni olla admovebitur, ut lente ebulliendo ad conſumptionem tertiæ partis aqua deveniat. Etenim olla ſexdecim librarum aquæ eſt capax, in qua duodecim tantum immitti diximus, ne fervore intumeſcente, decoctum per ollæ os exiliret, & vires amitteret. Depoſita igitur ab igne olla, cineribus calidis optime pannis obvoluta admoveri debet, ut frigore non alteretur. Quum enim diem unum vel alterum ad plus decoctio tranſcendit, ilico acceſcit, ut quiſque experiri poterit, & auxilii loco magnum affert nocumentum. Curabit igitur quiſque decoctum hoc parare nocte præcedenti eum diem, in quo ebibere id decreverit: ita tamen ut, quum unciam unam decoxerit, alteram aquæ ſubmerſam, ac infuſam habeat. Singulis enim diebus recens (ut dixi) decoctum hoc parari debet. Cujus libram, plus minus, per colum lineum denſum, vel (ut dicunt) manicam, trajectam apprime calidam, ægrotus, quantum ejus caliditatem ferre potuerit, in cubili jejuno ſtomacho, bibet, & optime coopertus, ſudorem evocabit, quem etiam per duas horas ferre curabit. Calidis vero linteis poſtea ſudore abſterſo, linea ſive ſubucula recenti calefacta veſtitus, ad victum accedet, de quo infra dicturi ſumus. Eſt enim decoctum hoc guſtui gratum, vel ſaltem non diſpliceſis. à prandio vero ſex interpoſitis horis ante cœnam idem decocti pondus eo dicto modo, calidum ebibet, à quo, ut ſuperius, ſudorem provocare curabit, omnia (ut dixi) faciendo. Sunt tamen nonnulli, qui quatuor à cœna horis, quam alii vadunt dormitum, decoctum hoc ægrotis bibendum tradant. Quibus ſane minime ipſe adverſarer, quum profundiori ſomno ſudor copioſior eliciatur. Primum tamen ebibendi modum Cynæ, utpote à majoribus ſuis traditum, in uſu frequentiori habent. Porro decocti parati reſiduum, in prandio & cœna ac interdiu ebibitur calidum, illi, ſemper pro vice, ſacchari optimi (finem vulgo dicunt) unciam unam vel alteram miſcendo, & quo plus ejus bibitur, eo melius eſt, modo à natura bene gubernetur, nec in ſtomacho fluitet: multum enim ſaccharum hoc ad hanc rem facit. Cujus vulgares, & ii, qui de hujus Radicis decocto notitiam habent, nullam penitus mentionem fecerunt. Abſtergit quippe ſaccharum hoc, & alvum lubricam reddit, quod unum pro ſummo in hoc propinando decocto habendum eſt, ut experientia compertum habeo, quum decoctum hoc ventrem natura ſua conſtringat. Citato autem modo ſumentes decoctum ægrotantes (ut iis, qui hactenus illis imperarunt, placuit,) ad vigeſimum quartum diem accedebant, quibus duodecim alteros addebant, & cocta fruſtula ad umbram exſiccabant, ex eis ſecundum parantes decoctum, quod in illis ebibant diebus. Sed, mea ſententia, ex primo decocto remanentibus fruſtulis octo aquæ libræ ſuperinfundi debent, & ad ignem coqui, quouſque earum quinque maneant, quod ſecundum decoctum ad clyſmos parandos, & ut in eo gallina, ſive capus elixetur, accommodatiſſimum erit, ut paulo poſt dicemus. Cum primo tamen decocto, ſi quæ ſunt puſtulæ, aut ulcera, lavanda ſunt. Sed victum, ac ejus ſumendi ordinem jam nunc deſcribere tempeſtivum erit. Qui igitur ad hoc ebibendum decoctum acceſſerit (quod potiſſimum à menſe Martii ad Septembrem erit) modo magna non urgeat neceſſitas, conclave à vento immune, ac calidum ſibi habendum curabit, in quo per totum tempus manere optimum ſane eſſet. Sin autem, poſt elapſos quindecim priores dies exire volet, veſte pellibus fulcita, aut pannis optimè coopertus & indutus exeat. Parcitas tamen cibi in hoc regimine ſumme commendatur. Nam quanto quis magis à victu abſtinuerit, eo melius erit, ut ex regimine Guajaci ligni deprehendere quis poterit. A ſale igitur & rebus ſalitis ſummopere abſtineat æger, decet. Similiter ab aceto, rebus acidis, & acribus. Parcus ſit oportet æger, & (ut dixi) paucis contentus. Cui panis optime ſubactus ſit & abſque ſale confectus, vel, ut res poſtulat ipſa, bis coctus, nauticus dictus, ſed ſaccharo paratus, prout Venetiis, & Piſis & alibi parari ſolet. Vinum tamen in totum fugiat, & illius vice, hoc (ut dixi) decoctum ebibat: Si à vino tamen abſtinere non potuerit, ſaltem decocto optime dilutum ipſum bibat. Carnes vero ſint gallinarum optimarum, veluti Patavinarum, non vero Antverpienſium, quarum carnes caprinis ſunt duriores, & ſuccum peſſimum adgenerantes: Aut caponum, perdicis, phaſiani,

aut

aut avicularum in dumetis degentium, quæ aqua elixæ potius, quam ad ignem coctæ, absque mica salis huc usque concedebantur, hac præcipue de causa, quia decoctum hoc maxime exsiccat, constringit, ac alvum cohibet, quas res assæ carnes magis augent, & ideo aqua coctæ à plerisque laudantur; sed (ut mea fert opinio) assæ carnes magis ad rem faciunt, ut experientia quoque comprobatum habemus, nequicquam lædunt, quia saccharum decocto, vice potus in prandio & cœna, ac interdiu mixtum (ut dixi) ventrem facilem reddit. In curationis tamen successu liberalius assæ carnes admittuntur. Sed plus in prandio comedat, parcius autem in cœna, etsi aliter sentiant Curtii sequaces. Sit igitur in prandio contentus paucula Gallinæ carne, aut avium prædictarum aliqua, secundo apparata decocto: in coena vero amygdaliis dealbatis, aut uva sole exsiccata pro obsonio contentus sit. Si carnibus tamen vesci debet, assæ sint potius, quam aqua coctæ. Claudat tamen cibum semper *diacydonites saccharo confectum, aut coriandrum saccharo incrustatum.* Sed & mel coctum summopere in hoc regimine commendatur. Cætera vero hic à nobis silentio prætermissa, tanA quam à nobis denegata putato. Cæterum si carnes aqua coqui debeant, meo quidem consilio in decocto ex remanentibus taleolis apparato (ut dixi) elixari debent: Quod jus etiam potus vice admitti poterit, quum antea nullum carnium jus concedebatur. Ex quo quoque secundo decocto, si alvus non responderit, clysteres parari debent, *adjecto oleo chamæmelino, aut vulgari, & salis pauculo, cum unciola una aut duabus cocti mellis.* Si vero alvus omnino restricta fuerit, & non recte responderit, immo nihil dejecerit, pharmaco leniori in medio curationis uti optimum erit, veluti in curationis fine semper fieri solet. Hæc breviter & raptim, Princeps Illustrissime, nobis de Radice Cynarum se offerunt, quæ tanquam præludium ad libellum, de hac re à nobis propediem scribendum, Excellentiæ tuæ dicantur: quæ si tibi placere cognovero, ad majora alacriter me accingam. Tu interea bene vale, & Amatum amplitudinis tuæ amantissimum famulitio tuo adscribere ne dediguare, iterum Vale.

FINIS.

# ANTONII MUSÆ BRASAVOLI, *Ferrariensis*, DE MORBO GALLICO, LIBER.

CUM

# ALEXANDRI FONTANÆ, *Mutinensis*, DE MORBO GALLICO, ET LIGNO INDICO QUÆSTIONIBUS.

Nec non

# EJUSDEM BRASAVOLI, DE RADICIS CHINÆ USU TRACTATUS.

Non pauca occurrunt consideranda, priusquam ad morbi Gallici curationem accedamus, quæ erunt veluti præludia ad affectum probe intelligendum, probeque curandum. Primo autem nominis ratio considerandæ venit: ab Italis Gallicus affectus vocatur, à Gallis autem morbus Neapolitanus. Gallicus morbus à nostris vocatus est, quia tunc visus est in Italia à Gallis deportatus, cum Carolus hujus nominis octavus Francorum Rex maximo cum exercitu Neapolim obsedit, & 1495. magna cum gloria cepit, tunc enim nova hæc lues Italiam vexare coepit, primoque Neapolitanos, ac Gallos invasit, unde ab ipsis Gallis, Gallicum affectum Itali nominarunt. Galli vero à loco, in quo primo vitiis est, Neapolitanum potius nuncupandum censuerunt. Vel dicamus Gallicum fuisse nuncupatum, quia eodem tempore Italia, & Gallis, & hac lue fuit infestata. rei vero summa est, luem hanc tunc coepisse, cum Galli Italiam infestarunt, & Carolus octavus Francorum Rex Neapolim sub ditionem posuit. hæc est nominis ratio, & nulla alia, quanquam & nonnulli Indicum morbum voluerint appellatum, quia morbus Indicis peculiaris.

Nicolaus Leonicenus in libello, quem de morbo Gallico edidit, morbum Gallicum hoc modo definire, vel potius describere tentavit (pustulæ sunt ab obscoenis partibus incipientes, mox totum corpus, atque ipsam præcipue faciem occupantes, præter foeditatem, magnum insuper cruciatum plerumque afferentes) quæ descriptio (ne præceptoB ri repugnare videar) Leoniceni tempore huic morbo conveniebat. nam cum hic morbus vexare coepit, statim de illo scripsit Leonicenus, idcirco modi illi affectus ac symptomatum nondum erant perfecte noti, sub quibus oriebatur, neque quot modis, & per quot vias homines aggredi posset, planum erat. propterea unamquamque hujus descriptionis particulam consideremus, & post Leoniceni tempora multum evariasse ostendamus. Primo igitur dicit, pustulæ sunt à partibus obscoenis incipientes, mox totum corpus, atque ipsam præcipue faciem occupantes, verumtamen affectus hic nonnunquam absque pustulis contingit (ut unicuique planum esse potest) vel saltem, quæ totum corpus, nedum faciem, occupent. insuper nonnulli doloribus solis capiuntur, & nulla afficiuntur pustula: alii nullam etiam habent pustulam; tamen præduros tumores per totum corpus habent sparsos, & nonnunquam in capite tantum sunt, neque à pudendis semper incipit, sed quandoque ab ore, quandoque à mammis, quandoque ab ano, quandoque ab insensibilibus meatibus (licet hoc rarissimum C sit) ab his nimirum omnibus partibus initium habet, ut superioribus annis affectum Gallicum in tres simplices species distinxerimus.

In illam, in qua aderant solæ pustulæ, & crustæ, & hoc genus Gallicam scabiem vocare consuevimus.

Et in illam, in qua tantum adsunt dolores, & hanc dolores Gallicos nuncupavimus.

Et in illam, in qua sunt tantum præduri tumores, &

hanc tumores Gallicos, vel durities Gallicas nominare consuevimus.

Hæ sunt simplices hujus affectus species, ex quibus tres compositæ resultabant Una harum erat, in qua simul pustulæ adsunt, & dolores, quæ scabies Gallica cum doloribus nuncupanda erat, hic vero per pustulas ulcera etiam intelligere oportet, & crustas, tam latas, quam arctas, & mediocres.

Alia species erat, in qua pustulæ complicabantur simul & durities, vel tumores, quæ vocari poterat scabies Gallica, cum præduris tumoribus.

Tertia species erat cum doloribus, & præduris tumoribus, quæ vocari poterat, dolores Gallici, cum præduris tumoribus.

Ad tres has species illa accedit, in qua tres simplices species complicatæ sunt, videlicet dolores, præduri tumores, & quandoque molles, & pustulæ, quæ vocari poterat, scabies Gallica, cum tumoribus, ac doloribus.

At à viginti annis citra, aliæ quædam species ortum habuere, quæ an declinantem morbum sequantur, an aliquo modo immutatum sit genus, ambigendum esset. quinque vero sunt potissimum modi, quos referre non pigebit.

Unus est, qui vulgo pellarola vocatur, vel defluvium pilorum, ab aliquibus alopecia, sed alterius generis ab ea, de qua mentionem faciunt authores, qui modus homines ridiculos reddit, cum capilli deciderint, barba, cilia, supercilia, & palpebrarum pili: nullus enim est, qui, cum hos videt ita depilatos, non rideat.

Alius est modus, qui vulgo dicitur dentarola, quoniam dentes patienti decidunt, & hic modus quandoque talis incipit, quandoque pilorum defluvium consequitur.

Tertius modus, est unguium casus, qui plerumque defluvium pilorum sequitur, tamen & nonnunquam ungues ipsi decidunt, & nihil aliud mali patiuntur, quia natura venenosam morbi Gallici qualitatem ad has partes, uti à centro remotissimas, transmittit. veruntamen raro contingere solet, quin pilorum defluvium sequatur: vulgus hunc modum vocat ungiarola.

Quartus modus est cæteris deterior, & summe verendus, in quo homines oculos amittunt, & occhiarolam vulgo nuncupant, modus hic quandoque incipiens fit, quandoque pilorum defluvium sequitur, quandoque dentium defluvium.

Quintus modus, est gonorrhœa, nam Gallicus affectus ex gonorrhoea incipit, & postea pilorum defluvium sequitur, quandoque incipit à gonorrhoea & in gonorrhoeam finit. nam nihil aliud illam sequitur, quam quod ipsa perseverat, neque facile evinci potest, sed necessarium est, si sedari debeat, generosis uti præsidiis, de quibus postea verba faciemus.

Ante vigesimum annum hi non aderant modi, qui complicari possunt, & nonnunquam cum prædictis tribus simplicibus speciebus complicari possunt, multæque fient specierum complicationes, quas omnes in ordinem reddemus, primo simplices species enumerantes, postea complicationes omnes, quæ fieri possunt, annotantes. A simplicibus igitur ita exordiamur.

*Scabies Gallicæ*,
*Dolores Gallici*,
*Tumores Gallici*,
*Defluvium pilorum*,
*Defluvium dentium*,
*Unguium casus*,
*Oculorum amissio, vel perversio*,
*Gonorrhœa.*

Hæ sunt simplices species, ex quibus. 28. oriuntur duplices, videlicet.

*Scabies Gallica* cum doloribus.
. . . cum tumoribus.
. . . cum defluvio pilorum.
. . . cum dentium casu.
. . . cum unguium casu.
. . . . cum oculorum amissione.
. . . cum gonorrhoea.
*Dolores Gallici* cum tumoribus.
. . . cum defluvio pilorum.
. . . cum dentium casu.
. . . cum unguium casu.
. . . cum amissione oculorum.
. . . cum gonorrhoea.
*Tumores Gallici* cum defluvio pilorum.
. . . cum dentium casu.
. . . cum unguium casu.
. . . cum oculorum amissione.
. . . cum gonorrhoea.
*Defluvium pilorum* cum dentium casu.
. . . cum unguium casu.
. . . cum oculorum amissione.
. . . cum gonorrhoea.
*Dentium casus* cum unguium casu.
. . . cum oculorum amissione.
. . . cum gonorrhoea.
*Unguium casus* cum oculorum amissione.
. . . cum gonorrhœa.
*Oculorum amissio* cum gonorrhoea.

Post duplices species, quæ viginti octo sunt, triplices sequuntur species, quæ ex tribus simplicibus fiunt complicatis, & sunt numero quinquaginta sex, videlicet.

*Scabies Gallica* cum doloribus & tumoribus.
. . . . . & defluvio pilorum.
. . . . . & dentium defluvio.
. . . . . & unguium casu.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhoea.
*Scabies Gallica*, cum tumoribus & pilorum defluvio.
. . . . . & casu dentium.
. . . . . & unguium casu.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhoea.
*Scabies Gallica* cum defluvio pilorum, & casu dentium
. . . . . & casu unguium.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
*Scabies Gallica*, cum dentium casu, & unguium casu.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum unguium casu, & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum oculorum amissione & gonorrhœa.
*Dolores Gallici*, cum tumoribus, & pilorum defluvio.
. . . . . & dentium defluvio.
. . . . . & unguium casu.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum defluvio pilorum, & dentium casu.
. . . . . & unguium casu.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum defluvio dentium, & casu unguium.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum unguium casu, & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum oculorum amissione, & gonorrhœa.
*Tumores Gallici*, cum casu pilorum, & casu dentium.
. . . . . & casu unguium.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum casu dentium, & casu unguium.
. . . . . & oculorum amissione
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum oculorum amissione, & gonorrhœa.
*Defluvium pilorum* cum casu dentium, & casu unguium.
. . . . . & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum oculorum amissione, & gonorrhœa.
*Casus dentium* cum casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . & gonorrhœa.
. . . cum oculorum amissione, & gonorrhœa.
*Unguium casus* cum oculorum amissione, & gonorrhoea.

Post species triplices, quæ quinquagintasex sunt, species quadruplices numerare oportet, hoc est, quæ sunt ex quatuor passionum prædictarum complicatione, & sunt numero sexagintaquatuor, videlicet.

*Scabies Gallica* cum doloribus Gallicis, tumoribus Gallicis, & defluvio pilorum,
. . . . . tumoribus Gallicis & dentium casu.
. . . . . tumoribus Gallicis, & unguium casu.
. . . . . tumoribus Gallicis, oculorum amissione.
. . . . . tumoribus Gallicis, & gonorrhœa.

*Scabies Gallica*, cum doloribus Gallicis, defluvio pilorum, & casu dentium.
. . . . . defluvio pilorum, & casu unguium.
. . . . . defluvio pilorum, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio pilorum, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, & casu unguium.
. . . . . defluvio dentium, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio dentium, & gonorrhœa.
. . . . . casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Scabies Gallica*, cum tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, ac casu dentium.
. . . . . defluvio pilorum, & casu unguium.
. . . . . defluvio pilorum, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio pilorum, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, & casu unguium.
. . . . . defluvio dentium, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio dentium, & gonorrhœa.
. . . . . casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . amissione oculorum, & gonorrhœa.

*Scabies Gallica*, cum defluvio pilorum, casu dentium, & unguium casu.
. . . . . casu dentium, & oculorum amissione.
. . . . . casu dentium, & gonorrhœa.
. . . . . casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.

*Scabies Gallica*, cum defluvio dentium, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.

*Scabies Gallica*, cum casu unguium, oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Dolores Gallici*, cum tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, & casu dentium.
. . . . . defluvio pilorum, & casu unguium.
. . . . . defluvio pilorum, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio pilorum, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, & casu unguium.
. . . . . defluvio dentium, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio dentium, & gonorrhœa.

*Dolores Gallici*, cum pilorum defluvio, dentium casu, & casu unguium.
. . . . . dentium casu, & oculorum amissione.
. . . . . dentium casu, & gonorrhœa.
. . . . . casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Dolores Gallici*, cum defluvio dentium, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Dolores Gallici*, cum casu unguium, oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Tumores Gallici*, cum defluvio pilorum, dentium casu, & unguium casu.
. . . . . dentium casu, & oculorum amissione.
. . . . . dentium casu, & gonorrhœa.
. . . . . casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Tumores Gallici*, cum defluvio dentium, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Defluvium pilorum*, cum defluvio dentium, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . oculorum amissione, & gonorrhœa.
. . . . . cum casu unguium, oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Defluvium dentium*, cum casu unguium, oculorum amissione, & gonorrhœa.

Nunc illa sequuntur, quæ species, vel modos faciunt per complicationem simul quinque simplicium specierum, & sunt numero quadraginta septem.

*Scabies Gallica*, cum doloribus Gallicis, tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, & casu dentium.
. . . . . tumoribus Gallicis defluvio pilorum, & casu unguium.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, & oculorum amissione.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, casu dentium, & casu unguium.
. . . . . tumoribus Gallicis, casu dentium, & oculorum amissione.
. . . . . tumoribus Gallicis, casu dentium, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . tumoribus Gallicis, casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, oculorum amissione, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio pilorum, casu dentium, & unguium casu.
. . . . . defluvio pilorum, casu dentium, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio pilorum, casu dentium, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio dentium, casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, oculorum amissione, & gonorrhœa.
. . . . . casu unguium, oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Scabies Gallica*, cum tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, casu dentium, & casu ungium.
. . . . . defluvio pilorum, casu dentium, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio pilorum, casu dentium, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio pilorum, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio pilorum, casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . defluvio dentium, casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . casu unguium, oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Scabies Gallica*, cum defluvio pilorum, casu dentium, casu unguium, & oculorum amissione.
. . . . . casu dentium, casu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . casu unguium, cum oculorum amissione, & gonorrhœa.

*Scabies Gallica*, cum defluvio dentium, casu unguium, oculorum

oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Dolores Gallici*, cum tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, & caſu unguium.
. . . . . defluvio pilorum, caſu dentium, & oculorum amiſſione.
. . . . . defluvio pilorum, caſu dentium, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, caſu unguium, & oculorum amiſſione.
. . . . . defluvio dentium, caſu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Dolores Gallici*, cum defluvio pilorum, caſu dentium, & unguium, cum oculorum amiſſione.
. . . . . caſu dentium, & unguium, cum gonorrhœa.
. . . . . caſu dentium, cum oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . dentium, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Tumores Gallici*, cum defluvio pilorum, caſu dentium, & unguium caſu, cum oculorum amiſſione.
. . . . . caſu dentium, cum unguium caſu, & gonorrhœa.
. . . . . caſu dentium, cum oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . cum defluvio dentium, caſu unguium, cum oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Defluvium pilorum*, cum caſu dentium, cum caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.

Poſt hos quadragintaſeptem modos, qui ſunt per complicationem quinque ſimul ſimplicium modorum ſequuntur vigintiduo modi, qui ſunt ex complicatione ſex modorum ſimplicium ſimul, videlicet.

*Scabies Gallica*, cum doloribus Gallicis, tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, & caſu unguium.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, & oculorum amiſſione.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu unguium, & oculorum amiſſione.
. . . . . tumoribus Gallicis, pilorum defluvio, caſu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, dentium caſu, caſu unguium, & oculorum amiſſione.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio dentium, caſu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio pilorum caſu dentium, caſu unguium, & oculorum amiſſione.
. . . . . defluvio pilorum caſu dentium, caſu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Scabies Gallica*, cum tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, unguium caſu, & oculorum amiſſione.
. . . . . defluvio pilorum, caſu dentium, unguium caſu, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio pilorum, dentium caſu, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Scabies Gallica*, cum defluvio pilorum, caſu dentium, unguium caſu, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Dolores Gallici*, cum tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, unguium caſu, & oculorum amiſſione.
. . . . . defluvio pilorum, caſu dentium, unguium caſu, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio dentium, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Dolores Gallici*, cum defluvio pilorum, dentium caſu, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Tumores Gallici*, cum defluvio pilorum, caſu dentium, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.

Poſt viginti duos modos ex miſtione ſex ſimplicium modorum ſimul, octo ſequuntur modi per complicationem ſeptem ſimplicium modorum, videlicet.

*Scabies Gallica*, cum doloribus Gallicis, tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, unguium caſu, & oculorum amiſſione.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, caſu unguium, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . tumoribus Gallicis, defluvio dentium, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
. . . . . defluvio pilorum, caſu unguium, dentium caſu, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Scabies Gallica*, cum tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.
*Dolores Gallici*, cum tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, caſu unguium, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.

Poſt ſpecies illas, quæ variationem habent per ſeptem, (& octo ſunt ſpecies) illæ ſequuntur, quæ variationem habent per octo conditiones. Verum cum tantum octo ſint conditiones, quæ octo faciunt ſimplices ſpecies, idcirco erit tantum una ſpecies, quæ omnes octo habebit conditiones, & omnes ſimplices ſpecies complectetur, videlicet.

*Scabies Gallica*, cum doloribus Gallicis, tumoribus Gallicis, defluvio pilorum, caſu dentium, unguium caſu, oculorum amiſſione, & gonorrhœa.

Quamobrem Homo ille, qui has omnes conditiones habebit, Gallicum morbum exquiſitiſſime patietur, cui ad hoc uſque tempus nihil addi poſſe certum eſt, niſi alia de novo emerſerint, quæ variationem facere poſſint, ſicuti de novo citra annos viginti pilorum defluvium, dentium caſus, & unguium, oculorum amiſſio, & gonorrhœa contigêre. hæcque complicata, ut ſuperius annotavimus, ita diſtincte contingunt, ut diſtinctæ ſpecies videri poſſint.

Erunt ergo ducentæ, & triginta quatuor morbi Gallici ſpecies, ſive modi: octo ſimplices, viginti octo per complicationem ſimul duorum ſimplicium modorum, quinquaginta ſex per complicationem ſimul trium modorum, ſexaginta quatuor per complicationem ſimul quatuor modorum, quadraginta ſeptem per complicationem ſimul quinque ſimplicium modorum, viginti duæ per complicationem ſimul octo modorum, octo per complicationem ſimul ſeptem ſimplicium modorum. unicus vero eſt, & ſolus modus per complicationem ſimul omnium octo modorum. ſi vero una colligantur, erunt ut dixi, modi 234. Ex his vero modis planum eſt, Leoniceni definitionem his omnibus modis, & ſeorſum, & conjunctim non convenire.

Nunc vero, quid ſit in genere morbus Gallicus, vel affectus iſte vocatus Gallicus, contemplandum eſt. Adſunt nimirum Galeni methodi, per quas facile in generalem uniuſcujuſque morbi cognitionem devenire poſſumus, morbi dico etiam innominati, & amplius non viſi, in quo genere ſit, neque modus deeſt generales differentias ipſius morbi inveniendi, affectum Gallicum morbum eſſe: morbi definitio, quæ ex Galeno ſumitur in *primo de morborum cauſis ac differentiis*, planiſſime oſtendit. nam morbus diſpoſitio eſt præter naturam, qua corporis actiones ſenſibiliter læduntur. Affectum Gallicum diſpoſitionem eſſe præter naturam nemo inficias it: non enim naturalis eſt, ſed potius naturæ oppoſita. hunc inſuper morbum operationes lædere, & actiones manifeſte patet. nam & motivæ vires, & omnes aliæ tam intrinſecæ, quam extrinſecæ læduntur. Hinc igitur facile colligi poteſt, affectum Gallicum morbum eſſe. cum vero morbus amplum genus ſit, ſub quo ſpecies non paucæ continentur, idcirco in qua ſpecie ſit hic morbus, inquirendum venit. Tres autem ſunt in genere univerſales morborum ſpecies, quæ tria univerſalia genera vocantur, videlicet prava temperies, prava compoſitio, & continui ſolutio. Nam opus eſt, ſi corpus ſanum eſſe debeat, ut bonam habeat in quatuor qualitatibus temperiem, vel illam ſaltem, quæ ſibi conveniens eſt: bonam præterea compoſitionem habere debet, ſi integra ſanitate fruatur. ejuſcemodi autem bona compoſitio multas exigit conditiones, ut Galen. monet in *primo de morborum cauſis*, & in *arte medicinali*, verum omnes has conditiones ad quatuor reduxit, videlicet ad debitam & convenientem membri conformationem, ad numerum par-

partium, quæ tot ſint, quot exiguntur, ad perfectam membri & totius ſymmetriam, & ad decentem quantitatem, ne nimis magna ſit pars, quam eſſe debeat, & ne nimis parva, & ad bonam diſpoſitionem. hæ vero omnes partes, quæ in debito ſunt numero, ac debita quantitate, continuæ etiam ad invicem eſſe debent, & non ſeparatæ, ſi homo ſanitate frui debeat.

Quærendum igitur eſt, in quo horum trium genere ſit morbus Gallicus. An, ſcilicet, ſit prava qualitas, vel prava compoſitio, vel ſolutio continui. Reſpondendum eſt, ſi de morbo Gallico in genere loquamur, fateri oportere morbum Gallicum eſſe in unaquaque ſpecie, ex his tribus. Nam cum ulcera adſunt, puſtulæ, cruſtæ tumores præter naturam, ſignificatur morbum eſſe in ſolutione continui. puſtulæ vero illæ, & illa ulcera fieri nequeunt, niſi ſanguis, & corporis humores pravam habeant qualitatem, acrem, & erodentem, & febrem plerumque junctam habent. Eſt ergo & in prava qualitate morbus. quod vero & in compoſitione ſit morbus, ex hoc planum eſt, quia eſt morbus (ut omnes fatentur) in membris organicis. Videmus autem in nonnullis brachia præter ſuam naturam extenuari, & crura ſupra ſuam naturam augeri, ac intumeſcere, ut morbum in compoſitione incidant, quæ compoſitio eſt debita membrorum formatio, quam plaſmationem vocavit Galenus. Eſt ergo in compoſitione morbus, quoad figuram, quoad membrorum quantitatem, & quoad diſpoſitionem, ut omnia generalia membrorum genera complectatur, hæcque in genere intelligenda eſſe admonemus.

Si vero de morbi Gallici ſpeciebus particulariter loquamur, ſingulatim de unaquaque contemplandum erit. Sunt vero octo ſimplices ſpecies, quibus conſideratis compoſitæ omnes planæ erunt, & manifeſtæ. à ſcabie vero Gallica incipiamus: nam ita vocatur, cum puſtulæ adſunt, & ulcera, ac cruſtæ. in hac adeſt continui ſolutio manifeſta, quæ cum humoribus ſit pravam qualitatem habentibus, acrem, & exedentem, unaque prava adeſt figuratio: nam horum figura nonnunquam adeo turpis efficitur, ut, qui affectum hoc morbo viderint, ridere cogantur.

Gallici dolores nonnunquam ſunt abſque ullo tumore, abſque ulla puſtula, vel cruſta, vel ulcere, & tunc ab hujus morbi prava qualitate venenoſa, de qua loquemur, fiunt; & hæc Gallicorum dolorum ſpecies eſt in prava qualitate. Si vero cum doloribus tumores adſint, vel tumores adſint abſque dolore, tunc adeſt continui ſolutio, prava qualitas, & prava compoſitio. nam tumores pravam figuram inducunt, & pravam compoſitionem in membra, in quibus fiunt.

At ſi pilorum defluvium contemplemur, eſt morbus ſolum in prava qualitate. nam eſt prava qualitas, acris, corrodens, quæ eſt in humoribus, quos natura ad circumferentiam expellit, in qua cum aliquantiſper immorantur, ob eorum pravam qualitatem pilorum radices corroduntur, & pili omnes corruunt, nonnullis citius, aliis tardius.

In caſu vero dentium, præter pravam qualitatem, quæ ad gingivas tendit, gingivæ etiam ulcerantur, & continui ſolutio fit, & cum dentes deciderint, deformes evadunt homines. nam os, & rictum, & genas magis arcta, quam conueniat faciunt, ut dici poſſit morbus in qualitate, in ſolutione continui, & formatione.

De unguium caſu idem fere judicium eſſe debet. nam humores ſunt acres, qui illos decidere faciunt, unguium radices erodendo, ut hic dici poſſit, pravam qualitatem, ſolutionem continui, & malam conformationem adeſſe.

In ſpecie inſuper illa, in qua oculi amittuntur, vel male tractantur, (nam cum dico amitti, intelligo prave tractari) omnia adſunt morborum genera, quippe oculos non ſtatim amittunt, ſed id paulatim ſequitur, ut oculi ophthalmiam pati videantur, & valde rubri ſint, tumidasque habeant oculorum venas, ut hic neceſſario prava ſit qualitas, prava compoſitio, & continui ſolutio.

Denique & illa ſpecies, in qua adeſt gonorrhœa, à prava qualitate dependet, quæ quandoque intrinſecas penis partes corrodit, cum materia acris per illas tranſit, & continui ſolutio ſequitur.

Brevibus ergo, nulla eſt ſimplex morbi Gallici ſpecies, in qua tria morborum genera fere non complicentur, præter illam in qua ſolum adeſt defluvium pilorum: in hac enim ſola prava qualitas peccare videtur. Et ſi dicas, eſſe humores, qui capillorum radices & pilorum exedunt ac corrumpunt, dicimus eſſe quidem humores, ſed ratione, qua pravam habent qualitatem, id efficere valent, idcirco erit tantum à qualitate prava morbus Gallicus, in quo ſolum decidunt pili.

Poſt ſpecici inquiſitionem in Gallici morbi genere, ad ſpeciem particularem aliquam cognoſcendam pervenire oportet, per illa, quæ in arte medicinali à Galeno traduntur. Hoc vero erit conſiderare, nunquid in aliqua ſpecie morborum apud authores nominatorum reperiatur hic Gallicus affectus. tria vero ſunt, quæ contemplanda veniunt, ſi hanc cognitionem aſſequi voluerimus. Primo enim conſideranda ſunt illa, quæ eſſentialiter inhærent, ſecundo propria, tertio ſymptomata: ex his enim in hujus morbi ſpeciei particularis cognitionem deveniemus, ſi tamen in aliqua ſit denominata ſpecie, & ab authoribus excogitata affectus Gallicus.

Primo igitur contemplemur, in qua particulari ſpecie ſuperiores medici illum poſuerint. Nonnulli ſunt, qui dixerint Gallicum affectum eſſe elephantiaſim, alii lepram, alii lichenem, alii ſpeciem illam morbi eſſe, quæ ab Arabibus Aſafati vocatur, alii prunam eſſe voluerunt, alii Perſicum ignem: at morbum Gallicum nullum horum eſſe elegantiſſime probavit Nicolaus Leonicenus in *libello de morbo Gallico*, ut merito excuſati eſſe videamur, ſi de his ſententiis, ac opinionibus nihil pertractabimus. Verum ne laborem penitus ſuffugere videamur, primo contemplemur, quibus rationibus ſuffulti ſint, qui hunc morbum elephantiaſim eſſe arbitrantur, inquiunt hi: cum hic morbus naturalem formam depravet in figura, in lenitate, aſperitate, in tumore, & diminutione (nam membra craſſiora evadunt, & puſtulis plena, & tantam craſſitiem contrahunt, tantamque pellis duritiem, ac deformitatem, ut cum elephantis pelle ſimilitudinem quandam habere videantur, imo facies adeo tumida ſit, ut ſatyris aſſimilari poſſit. hæc vero omnia à Galeno elephantiaſi attribuuntur) idcirco morbus Gallicus elephantialis eſt. Hoc ſuadent ex Galeni verbis in *libro de atra bile*, in quo monet quandoque ex atra bile puſtulas in corpore abſque febre excitari, & apparere. fiunt vero in cute craſſiore reddita, ut eſt elephantiaſis, igitur elephantiaſis (inquiunt) eſt morbus Gallicus, quia cum cutis craſſitie puſtulas habet, & in medicis definitionibus Galeno adſcriptis habetur, elephas eſſe affectum, qui cutem craſſam, atque inæqualem reddit, livor adeſt, cum cuti, cum oculorum albis, exeduntur partes manuum, ac pedum ſummæ, ex quibus ſanies livida, ac fœtida emanat, & in introductorio ſibi adſcripto inquit. *Morbus, quem Græci ἐλεφαντίασιν vocant, ab elephanti ſimilitudine nomen ſortitus eſt. nam qui hoc vitio laborant, cutem craſſam, duram, elephantorum modo aſperatam habent, originem mali faciunt pituita craſſa, & atra bilis, vel mucoſa, maxime inhæreſcens: hi enim humores ſerinum ipſum vitium denuntiant; quare ſolum veratrum, ſive nigrum, ſive album præſentaneum elephantiaſis eſt remedium.* Hæc introductio ſive medicus. Si horum ſententiam contemplemur, in cutis duritie atque craſſitie maximam vim facere videntur. addunt & Galenum in *ſecundo de morborum cauſis*, in illa parte, ubi loquitur de depravata figura, dicere, quippe morbus, qui elephas nominatur, plane formam immutat, itidem & tabes. etenim naſus ſimus, labia craſſa, aures acuminatæ in elephantiaſi videntur, atque in totum, qui ſic laborant, ſatyris ſimiles ſunt. Cum vero & his, qui patiuntur affectum Gallicum, hæc contingant argumento ab his ſumpto, quæ ſubſtantialiter inhærent, concludendum volunt, Gallicum affectum eſſe elephantiaſim. in *libro* etiam *de tumoribus præter naturam*, ait, *& ipſe elephas eſt melancholica, ſcilicet affectio, primam quidem generationem ex ſanguine melancholico habens. ſpatio vero temporis ipſius nigræ plus quam ſanguinis fit, cum male olentes ſunt, & moleſti viſu, horum nonnullis ulcera contingunt, hanc affectionem, cum incipit, ſatyriaſmon nominant, quoniam ſatyris ſimiles fiunt viſu.* Ex his Galeni verbis inferendum judicant morbum Gallicum hunc eſſe affectum, qui elephas dicitur, & qui inter initia quandoque vocatur ſatyriaſinos. Et in *ſexto de Symptomatum cauſis*, *de cacochymia* loquens, inquit, univerſi corporis colorem in ea mutari, ut in elephante, & ad tertias fere ejuſdem libri partes ait. Atra bilis ſi in univerſo fuerit corpore, elephas, ſi in una aliqua parte, cancer vocatur, idcirco cum illa in morbo Gallico contingat, videlicet, eſſe per univerſum corpus humorem, propterea erit elephantiaſis, & hoc planius probant ab his, quæ neceſſario conſequuntur, quia in Gallico morbo deformitas ſequitur, quæ etiam elephantem ſequitur. is igitur antiquus morbus, qui elephas vocatur, ille eſt, qui nunc Gallicus dicitur, vel morbus Gallicus eſt antiquorum Elephas.

Hanc opinionem abſurdam eſſe in *libello de morbo Gallico* Leonicenus oſtendit. ſupponit vero elephantiaſim apud Arabas idem eſſe, quod lepra nominatur apud Græcos. Verum elephas apud Græcos non eſt lepra, idcirco Arabes, & Græci in lepra, & elephante diſſidentes ſunt, tu differentiam vide in Leoniceni libello, ne multa referre cogar, quæ ab aliis jam ſcripta ſunt.

Nos vero impræſentiarum probemus Gallicum morbum elephantiaſim eſſe non poſſe: quod ita facile fiet. Morbus Gallicus totius corporis cancer eſſe non poteſt: Igitur neque eſt elephantiaſis. antecedens planum eſt, quia multi,

ti, qui Gallico morbo affecti ſunt, neque totum corpus affectum habent, neque niger his adeſt color, qualis eſt in elephante, ut in omnibus fere citatis ex Galeno locis patet: conſequentia probatur: quia elephas eſt totius corporis cancer. hoc autem ita eſſe oſtendit Paulus, cum ait, *elephas eſt cancer totum corpus occupans*, quod à Galeno accepit in *ſexto de Symptomatum cauſis*, cum ait. atrabilis, ſi in univerſo fuerit corpore, elephas, ſi in una aliqua parte, cancer vocatur, ut planum ſit, atram bilem in una particulari corporis parte collectam, cancrum efficere. at ſi multa eſſet, ut per totum corpus diffundi poſſet, & jam eſſet diffuſa, elephantiaſis eſſet, quæ eſt totius corporis cancer.

Præterea à Paulo eodem loco docetur, quod ſicuti particularis cancer curationem non admittit, ita minus univerſalis cancer curationem admittit; ſed elephas univerſalis cancer eſt, igitur curationem non admittet. verum morbus Gallicus curationem admittit, ut planum eſt, igitur non eſt elephas. quod vero cancer ſanitati reſtitui non poſſit, apertiſſime teſtatur Hippocrates.

Adde elephanta ex atra bile ſemper fieri, ac gigni, at morbus Gallicus ex unoquoque humore gigni poteſt, licet omnes, qui Gallico affectu cruciantur, temporis tractu atrabilares evadant. in principio autem à pituita eſſe poteſt, à ſanguine, à bile, & ab illo humore, qui in hujus corpore abundat, ut deinceps ſuo loco oſtendemus, ſed elephantiaſis talis eſſe non poteſt, quia ſemper ab atra bile generatur, igitur Gallicus morbus elephas eſſe non poteſt.

Amplius, qui elephanta patiuntur, carnem denigratam habent, & præduram, ut elephantes habent cutim, ſed qui Gallico affectu deprehenſi ſunt, hoc minime habent, ut experientia oſtendit. Igitur Gallicus morbus elephas eſſe non poterit. Quod vero elephante affecti, nigram carnem habeant, non ſolum nomen ipſum indicat, quia morbus elephanti ſimilis eſſe debet, ſed & Galenus ipſe in *ſexto de Symptomatum cauſis*, inquit, illos, qui elephante laborant, nigram habere carnem, tuberibusque plenam, qualis eſt elephantum cutis. videmus autem non eſſe tales morbo Gallico affectos.

Alii dixere morbum Gallicum eſſe lepram, quia leproſi tales ſunt, ut omnes exulcerentur, & puſtulas habeant, & quandoque doleant, & cutis tota defœdetur.

At hi aberrant, quia neque Arabum lepra eſt, neque Græcorum, neque etiam illa, de qua in ſacris literis mentio fit: igitur Gallicus affectus lepra eſſe non poteſt, conſequentia proba eſt, quia nulli alii de lepra tractarunt, quam iſti, & diverſo modo illam poſuerunt. nam Arabum lepra idem eſt, quod elephantialis, imo elephantiaſim à Galeno deſcriptam, lepram vocat Avicenna. à Galeno enim dicitur, & Paulo elephantem eſſe cancrum, totum corpus occupantem, & Avicenna ait lepram eſſe cancrum, toti corpori communem, ut idem ſit apud Avicennam lepra, quod apud Græcos elephas.

Præterea Galenus dicit, elephanta ex atra bile fieri, & Avicenna ex atra bile ſuam lepram fieri ſuſtinet. at elephas morbus Gallicus non eſt, igitur nec Arabum lepra, quæ eſt elephas, morbus Gallicus erit.

Probatur inſuper, Arabum lepram eſſe Græcorum elephanta, quia Paulus elephanta dividit in unam ſpeciem, quæ veluti à fœce ſanguinis fit, & mitior eſt, & in unam ſpeciem, quæ à bile adusta fit, & eſt prima deterior. Ita apud Avicennam duæ reperiuntur lepræ ſpecies, altera à ſanguinis fœce, quæ mitior eſt, altera à flava bile aſſata, quæ deterior eſt, ut nulli dubium eſſe poſſit, Avicennæ lepram eſſe Græcorum elephanta. at morbus Gallicus, ut eſt ſuperius probatum, elephas eſſe non poteſt, igitur nec Arabum lepra eſſe poterit. Prætereo & ſuadere elephanta Græcorum, eſſe Arabum lepram, per curationis modum, vel ex curationis modo, qui idem eſt in lepra apud Avicennam, ut in elephante apud Galenum, & Paulum.

Præterea Avicennæ verba de lepra, quod ſit plurima in Alexandria, & quod ſit ob aeris caliditatem, & ob cibi malitiam, & quia ſalſis veſcantur eduliis, à Galeno integre referuntur, in *ſecundo de arte curandi ad Glauconem*, ut hæc ſit ſumma, Arabum lepram, eſſe Græcorum elephanta, & cum elephas morbus Gallicus eſſe non poſſit, neque etiam Arabum lepra morbus Gallicus eſſe poterit.

Verumtamen nec Græcorum lepram morbum Gallicum eſſe poſſe ex hoc planum eſt, quia Paulus *libro quarto cap. 2.* dicit. *Lepra pariter & pſora communis quædam ſummæ cutis ſcabredo eſt, cui ſane prurigo, lentaque corporis conſumptio accedere conſuevit, ex atra bile utraque originem trahens*: verum Gallicus morbus in ſumma cute non eſt, neque ſemper ex atra bile fit, præſertim in principio. Igitur Gallicus morbus lepra non eſt. minor plana eſt, quia Gallicus morbus ad juncturas uſque & ad medullas pertingit, & cum incipit hic Gallicus affectus, cum eo humore incipit, qui huic peculiaris eſt, qui afficitur.

Præterea Paulus differentiam ponens inter lepram, & pſoram, inquit. *ſed lepra profundius, circularibusque eroſionibus corporis cuticulam depaſcit, & ſquamatorum piſcium inſtar ſquamulas ex ſe demittit. pſora vero ſuperficietenus ſuamain corporis cutem varia eroſione depaſcit, furfuroſaque magis, quam ſquamoſa, ex ſe corpuſcula edit.* at in Gallico affectu nullæ decidunt ſquamæ, quamvis nonnunquam cruſtæ decidere poſſint, igitur Gallicus affectus Græcorum lepra eſſe non poterit, ut neque ſecundum Arabes, neque ſecundum Græcos morbus Gallicus lepra ſit.

Adde in medicis definitionibus Galeno adſcriptis ita lepram definiri. Lepra eſt cutis mutatio in habitum, qui præter naturam ſit cum aſperitate, & pruritibus, doloribusque, nonnunquam & ſquamis decidentibus, intrinſecus plures hæc etiam corporis partes depaſcitur. at morbus Gallicus non eſt cutis mutatio, ſed totius habitus, tam intrinſeci, quam extrinſeci: Igitur morbus Gallicus antiquorum Græcorum lepra eſſe non poteſt.

Adde & Hippocratem in *tertio Aphoriſmorum libro*, *Aphoriſmo* 20. lepras inter Veris morbos numerare. Galenus vero eodem loco dicit, eo tempore profundum corporis expurgari vitioſis humoribus à partibus principalibus ad cutem pervenientibus, & ait, ſic igitur & lepræ. at morbus Gallicus non ſolum in Vere fit, ſed in quocunque tempore, neque in morbo Gallico profunda corporis expurgantur: ſed tam intrinſecus, quam extrinſecus vexantur. Morbus igitur Gallicus Græcorum lepra dici non poteſt.

In calce *libelli de cibis boni*, & *mali ſuci*, ait Galenus *At quibus malus corporis humor melancholicus fuerit, cancri, lepræque fient.* at morbus Gallicus his etiam contingit (ut planum eſt) qui ſanguineæ ſunt, & optimæ temperiei: igitur morbus Gallicus Græcorum lepra non erit.

In *quinto de locis affectis poſt primum folium*, inquit Galenus, impetiginem tranſire in ſcabiem & in lepram. at impetigo in Gallicum morbum non tranſit, ſed in alium cutaneum morbum ſolum tranſire debet. in lepram vero tranſit, igitur lepra morbus cutaneus eſt, licet vehementior ſit, quam impetigo. Verum morbus Gallicus non eſt cutaneus morbus, imo maxime intrinſecus eſt, igitur morbus Gallicus lepra eſſe non poteſt, in morbo nimirum Gallico nihil extra apparet, ſed tantum adſunt intrinſeci dolores, qui maxime vexant.

Galenus in 14. *Methodi medendi libro*, ubi de his loquitur, quæ toto genere præter naturam ſunt, dicit. Porro triplex horum omnium eſt differentia, quædam namque ex mutatione conſiſtunt ſolidarum partium, ſicut myrmecia, & leuce, & vitiligo, & oſſis caries, quam ſphacelum vocant, & elephas, & ſcabies, & lepra. at hæc mutatio extrinſeca eſt: illa vero Gallici morbi eſt, & intrinſeca, igitur Gallicus morbus lepra minime eſt.

In *libro* etiam *de Dynamidiis* Galeno adſcripto ſcriptum eſt. Ruffi hieram utiliſſimam ſcabioſis, & leproſis, ut fere ſemper faciat lepram ſcabiei, vel pſoræ propinquam: at hiera illa, non ſolum morbum Gallicum non ſanat, ſed nedum juvat, igitur alia res eſt ipſa lepra, quam Gallicus affectus, & in *libro de medicinis expertis* Galeno adſcripto, ubi de his medicamentis mentio fit, quibus Achaaſos utebatur, dicitur, ex lactis uſu illum lepras ſanaſſe, verum Gallicus affectus ex lactis uſu ſanari non poteſt, igitur lepra non eſt idem affectus.

Denique ſupereſt, ut oſtendamus Gallicum affectum lepram illam eſſe non poſſe, de qua in ſacris literis mentio fit, lepra namque illa, eſt antiquorum leuce, ſeu vitiligo alba, quoniam ſquamæ albæ illis inſtar furfuris decidebant, Conſtat vero leuce non eſſe antiquorum lepram, neque morbus Gallicus leuce dici poteſt, quia albæ ſquamæ ab eo non decidunt.

Alii fuere Medici, qui arbitrati ſunt morbum Gallicum, illum affectum eſſe, qui lichen apud antiquos vocatur, quos diligenter Nicolaus Leonicenus reprehendit: quia lichen morbus ille eſt, qui Latine impetigo dicitur, vulgo autem volatica. at Gallicus affectus impetigo non eſt, vel volatica, igitur affectus Gallicus lichen eſſe non poteſt.

Scito autem, quod ſi lichen pro eo accipiatur, quod impetigo Latine dicitur, & volatica vulgo, omnino abſurdum erit dicere morbum Gallicum impetiginem eſſe, vel volaticam: verumtamen hi, qui dixere morbum Gallicum eſſe lichenem, de lichene locuti non ſunt, ut impetiginem ſignificat, quemadmodum illis imponit Leonicenus, ſed de alio locuti ſunt morbo, qui impræſentiarum non exſtat, tamen quandoque fuit, & illum lichenem vocaverunt. neque erat opus multum laborare probando lichenas impetigines eſſe, & eſſe morbum lepra minus moleſtum. nam ſicuti probatum eſt, morbum Gallicum non eſſe lepram, ita erit jam probatum morbum Gallicum non

eſſe

esse lichenem, neque impetiginem.

Verumtamen morbus quidam exstitit novus, qui Tiberii Claudii Cæsaris tempore ortus est, & Romæ potissimum, morbus inquam fœvus, quem Græco nomine lichenes appellavere, & Latine mentagram, non, quia esset qualis mentagra, quæ volatica dicitur, sed quia à mento fere incipiebat, imo hoc nomen mentagra fuit illi per jocum inditum, sed postea cessit in usum, hic est morbus lichen vocatus, quem ii arbitrati sunt esse morbum Gallicum, & non lichenem, de quo antiqui verba fecere, quæ impetigo est & volatica. Cum vero de hoc morbo Plinius ample locutus sit statim in principio XXVI. *libri naturalis historiæ*, idcirco ipsius adductis verbis facile intelligemus non esse lichenem illum, quæ impetigo est, & non esse etiam Gallicum morbum. inquit vero Plinius. *Sensit & facies hominum novos, omnique ævo priore incognitos, non Italiæ modo, verum etiam universæ prope Europæ morbos: tunc quoque nec tota Italia, nec per Illyricum Galliasve, aut Hispanias magnopere vagatos, aut alibi quam Romæ, circaque, sine dolore quidem illos, ac sine pernicie vitæ, sed tanta fœditate, ut quæcunque mors his præferenda esset. Gravissimum ex his lichenas appellavere Græco nomine: Latine quoniam à mento fere oriebatur, joculari primum lascivia (ut est procax natura multorum in alienis miseriis) hinc & usurpato vocabulo mentagram, occupantem ac multis totos utique vultus, oculis tantum immunibus: descendentem vero & in colla, pectusque ac manus, fœdo cutis furfure. Non fuerat hæc lues apud majores, patresque nostros, & primum Tiberii Claudii Cæsaris principatu medio irrepsit in Italia, quodam Perusino Equite Romano, Quæstorio scriba, cum in Asia apparuisset, inde contagionem ejus importante. Nec sensere id malum fœminæ, aut servitia, plebsque humilis, aut media, sed proceres, veluti transitu oscula, maxime fœdiore multorum, qui perpeti medicinam toleraverunt, cicatrice quam morbo. Causticis namque curabatur, nec, nisi usque in ossa corpus exustum esset, non rebellante tædio, advenerunt que ex Aegypto genitrice talium vitiorum Medici, hanc solam operam afferentes, magna sua præda. si quidem certum est Manilium Cornutum ex prætoriis legatum Aquitanicæ provinciæ* H-S. C C. *elocasse in eo morbo ad curandum sese.* Hic est morbus lichen vocatus, & non impetigo, licet aliquid cum illa haberet commune, & hic est ille, quem hi existimant esse morbum Gallicum non autem lichen, quæ est impetigo. Plinius que impetiginem cognovit, ac antiquorum lichenas, & ad ipsam diversis in locis præsidia ponit. non autem ad hos lichenas, de quibus mentionem facit præadducto loco.

Quod autem impræsentiarum a Plinio vocati lichenes non sint morbus Gallicus, id primo suaderi potest, quia inquit eos invasisse sine dolore quidem ullo, & pernicie vitæ: at Gallicus affectus cum dolore est, & vehementissimo, & cum nonnullo vitæ discrimine, cum aliquos ob Gallicum affectum mori constet.

Præterea a mento oriri dicit. at Gallicus affectus a pudendis potius incipit, licet ab ore nonnunquam oriatur, & nonnunquam a mammis, ut suo ostendemus loco.

Adde lichenes per totam faciem apparere, oculis tantum immunibus: descendentes vero & in colla, pectus ac manus fœdo cutis furfure. at morbus Gallicus oculos etiam afficit, nec fœdi furfures ab horum facie dimoventur, ideo Gallicus affectus lichen non est. dico autem lichen, de quo mentio fit a Plinio loco præcitato.

Insuper addidit nec sensisse id malum fœminas, aut servitia, plebemque humilem, verum fœminæ potissimum Gallico morbo corripiuntur, & servitia, & plebs humilis, idcirco morbus Gallicus non potest esse lichen.

Lichen osculo transibat in alium, & facili osculo. Gallicus vero affectus brevi osculo non transibat in alium, sed bene longo osculo ac frequentato in alium transit, igitur morbus Gallicus lichen non est.

Denique Plinius de lichene ait, causticis namque curabatur, nec nisi usque in ossa corpus exustum esset, non rebellante tædio, at Gallicus affectus causticis minime curatur, imo, quia nonnulli causticis utebantur superioribus annis, præsidium dimittere coacti sunt, quia in pejus ruebat affectus, unde experientia ostendit, caustica morbo Gallico obesse.

Simpliciter igitur dici non potest, morbum Gallicum hunc esse morbum, qui Tiberii Claudii Cæsaris tempore fuit, postea extinctus est: à Græcis lichen vocabatur, a Latinis mentagra. hoc vero morbi genus in medio principatus Tiberii Cæsaris fuit, anno post Christi nativitatem vigesimoquinto, ab inchoante vero mundo 5224.

Alii arbitrati sunt, morbum Gallicum esse morbum illum, qui apud Avicennam vocatur Asafati. verum Asafati apud Avicennam est impetigo malignior tamen quam impetigo sit. verumtamen impetigo non potest esse morbus Gallicus, idcirco neque Asafati erit Gallicus affectus. Asafati vero impetiginem esse, adeo pulchre & clare Leonicenus docet, ut superfluum esse videatur, quid sit, & qualisnam sit morbus, & quomodo idem sit, velle edocere; quoniam unusquisque etiam mediocriter eruditus hoc in Leoniceni libello facile legere poterit, ac intelligere.

Nonnulli dixere morbum Gallicum esse prunam, vel ignem Persicum. at Leonicenus hæc esse non posse ostendit, & omnia ad unguem pertractat: docet enim quid pruna sit, & ignis Persicus, postea ostendit morbum Gallicum non posse esse prunam, nec ignem Persicum: tu Leonicenum legito, qui etiam suadet, non posse esse ignem sacrum, hæc tam diligenter, tamque exquisite pertractat, ut nos ea repetere non sit opus.

Nonnulli recentes ita hunc morbum definire tentarunt. Morbus Gallicus est mala epidemialis dispositio totius corporis, & humorum ejus, verum hi aberrant, tum quia non est epidemicus hic morbus, ut in his, quæ sequuntur, ostendemus: tum etiam quia faciunt hunc morbum solum in qualitate peccare, cum & in solutione continui, & in mala formatione ac depravata constitat.

Nos vero de hujus morbi causa agamus, id est, contemplemur quomodo cœperit, & quæ causæ illum primo excitarint. Leonicenus inquit esse morbum epidemicum, quia passim vagatur per populum.

Verum hæc non est sufficiens causa, quod epidemicus sit, nisi ex vi vocabuli, videlicet, quia vagatur per populum, sed requiritur quod per populum indifferenter, & ab aëris temperie proveniat: non autem a contagio, & a tali contagio, quod nonnisi per coitum recipitur.

At Leonicenus suadere videtur, quod sit sufficiens causa, cum aëris dispositione, & cum temperie humida, quæ tunc viget, Idcirco ait eo tempore, quo morbus Gallicus cœpit, magnam fuisse aquarum copiam per universam Italiam: Romaque testis est, quæ prima hoc malum sensit, cum Tibris ita intumuerit, ut tota sit facta navigabilis. Pomponiique illius temporis Poetæ egregii carmina adducit, quæ de hac inundatione confecit, & marmore scripta fuere in publica columna, quæ adhuc etiam nostris temporibus extat, quamvis secundam inundationem prima majorem subierint Romani 1534. sunt vero Pomponii carmina hæc, quæ sequuntur:

*Tempore Alexandri sexti, Nonisque Decembris*
*Intumuit Tibris, bis senas circiter ulnas.*
*Insula quæque domus facta est, meditisque repente*
*Circunducta viis æquabat cymba feneſtras.*

Huic tetrasticho duo carmina addidit Leonicenus, & hexastichum fecit. Leoniceni vero carmina sunt hæc duo, quæ sequuntur:

*Deucalioneo vix tantum tempore tellus*
*Diluvium passa est, latuit cum tota sub undis.*

Adducit & Leonicenus Blondum historicum, qui pestilentiam quandam ob pluvias & fluminum inundationes ortam refert, suadetque multitudinem aquarum aliquid mali semper portendere, & ad illam sequi famem ac pestilentiam, propterea Leonicenus inferendum censet ob aquarum multitudinem morbum Gallicum eo tempore fuisse excitatum.

At mirum videretur, quod toties antea fuerint cataclysmata, & inundationes vehementissimæ: tamen non exiterit hic morbus, insuper si ab his humiditatibus fuisset genitus, necessarium esset, ut aliis adventantibus humiditatibus augeretur, aut de novo prodiret, tamen ab eo tempore quo coepit, quo inquam tempore fuit vehementissimus, paulatim declinare coepit, nuncque adeo declinavit, ac sese remisit, ut mitissimus dici possit, defluvium pilorum tantum incidere videntur, nonnullique, quos non pudet videri glabros, sponte, nullaque medicamentorum vi sanitati restituuntur: tamen & fuere particularia cataclysmata nostro tempore, & maximæ inundationes, & si unquam molestare deberet ob humiditatem, præsenti anno 1551. fieri oporteret; quoniam totus annus 1550 humidissimus fuit, & aquæ multæ Ferrarienſe solum occuparunt, tamen in dies mitior evadit hic affectus.

Præterea humiditates morbos quidem excitant, & multos, sed tales, ut eodem anno vel sequenti finire debeant. Si quispiam epidemicas constitutiones, ab Hippocrate descriptas, contempletur, percipiet quinam morbi humiditates sequantur. nam humiditas est pravorum morborum, & pravarum putredinum causa. quod vero annus ille fuerit humidissimus, quo coepit morbus Gallicus, esto, fateamur, & quod humiditas tunc fecerit morbum. At cum præter putredinem alia sint symptomata considerandа, idcirco dicendum est alia esse symptomata, quæ à putredine dependent, alia quæ ab ipso morbo. Putredo, & quæ à putredine dependent symptomata, ab aëris humiditate fieri possunt, augeri & conservari. sed symptomata illa, quæ à putredine non dependent, sed potius ab ipso morbo, à putredine ortum non habent, nec ab illa conservantur. hæc dico, ut aëris humiditatem non esse propriam hujus morbi

bi cauſam oſtendemus. quod tamen in pluvioſo tempore generentur putredines, nulli dubium eſt. Si vero petas, in qua morbi ſpecie ſit affectus iſte, ut cauſam facilius rimari poſſimus, quomodo fiat, ſimpliciter dicendum eſt, Gallicum affectum in nulla eſſe morbi ſpecie ex his, quæ ab authoribus numeratæ ſunt, nec ex excogitatis: quia nullus à ſæculo, præterquam impræſentiarum, de hoc morbo locutus eſt, tot nimirum habet facies, quot ſunt homines, qui illo afficiuntur.

Dicamus ergo, morbum Gallicum eſſe novum morbum, ab aliquo non deſcriptum, nedum cognitum, niſi noſtris his temporibus. poſſe vero & nonnunquam novos fieri morbos, planiſſimum eſt, ſi quis hiſtoricos legerit authores. nam morbos novos genitos eſſe plerumque teſtantur, qui neque prius fuerant viſi, neque excogitati. deinceps vero iidem morbi obliterati ſunt, ac deliture. Forte hujus ratione poteſt dici epidemicus morbus, non quia deliturit tam cito, ut epidemici communiter deliteſcere ſolent, ſed quia nunc deliteſcit, & in nihilum reſolvetur, cum per aliquod temporis ſpatium vexaverit. fieri vero quandoque novos morbos Plinius præcitato loco oſtendit, videlicet *primo capite 26. libri de naturali hiſtoria*, ut fuit lichen in Plinii ſignificato. non autem in communi apud antiquos ſignificato.

Morbos autem novos ob aliquam pravam aëris qualitatem eſſe ortos, nulli dubium eſſe debet. illa vero aëris qualitas pejor eſt quoad corruptionem, cum humiditatem ſequitur & caliditatem, quam quando ſiccitatem: veruntamen, ſi in ſiccitatibus contingant morbi, quoad acutiem ſunt vehementiores, & in febre caliditas ardentior eſt, idcirco cum morbi oriuntur novi, magnas ut plurimum humiditates ſequuntur, & in præteritum ſecuti ſunt. nam & magnæ illas ſequuntur putredines, ut in epidemiis Hippocratis planiſſime patet, quoniam ut plurimum morbi illi epidemici fuere in humiditatibus, vel poſt humiditates. Novorum igitur morborum ut plurimum ambientis aëris humiditas cauſa eſt, & ſi petas unde ſit hæc humiditas, hoc eſt, unde aër illam contraxerit: Dicendum à multis pluviis, & à multis fluminum inundationibus. ſi vero iterum petas, unde pluviæ ortum habuerint, neceſſarium eſt ad cœlum uſque aſcendere, & fateri cum Ariſtotele à ſuperioribus corporibus hæc inferiora regi, in totis ſcilicet qualitatibus. Hinc non ab re Aſtronomis ſcriptum eſt, cæleſtes influxus concurrere: quoniam res hæ inferiores eodem modo procederent, niſi à ſuperiori cauſa hoc & illo modo proſequi cogerentur. Epidemici ergo morbi, ut plurimum ab humiditate generantur, dico ut plurimum, quia & nonnunquam à ſiccitate fiunt, ut Anglicus ſudor ſuperioribus annis in Britannia, qui hoc anno 1551. qui fuit ſiccitſſimus, adeo Flandros vexavit, ut multa hominum millia deſiderari fecerit, nuncque, dum hæc ſcribo, adhuc viget, decimo quinto ſcilicet Septembris die, & morbi etiam novi ut plurimum ab humiditate ortum habent. humiditas vero in aëre imbibitur, vel ob pluvias, vel ob inundationes, vel ob utrumque ſimul, adde & multas nives idem ſequi. magnæ vero pluviæ, & magnæ nives non fiunt, niſi multæ humidæ materiæ attrahantur, & ab aſtris, vel cæli motu agitentur, & aquarum abundantiam, vel humiditatem faciant, unde aſtra neceſſario concurrunt ad ſuperfluam in aëre humiditatem, ex qua humiditate cum aliis occaſionibus, morbi contingunt. fateor igitur in illo principio, cum Gallicus morbus inchoavit, magnas fuiſſe humiditates, magnasque inundationes, & quod ejuſcemodi humiditates ſequutæ ſint putredines, quas morbus Gallicus ſit conſecutus, non quidem ſponte, ſed adveniente contrictione per mulieris obſcœnas partes, unde in Gallorum caſtris 1495. ſcortum aderat nobiliſſimum ac pulcherrimum, in uteri ore putrefactum gerens abſceſſum. Viri, qui cum illa coibant, adjuvante etiam humiditate ac putredine, dum membra virilia per uteri collum perfricabant, ob loci etiam putredinem in eorum virilibus membris pravam quandam affectionem contrahebant, qua exulcerabantur, & per penem (molliſſimum membrum) prava quædam qualitas ad emunctoria aſcendebat, & ad adenoſas inguinum partes, ibique bubones excitabat. natura enim, ut pravæ qualitati venenoſæ obviaret, materiam illuc transmittebat, quæ & ipſa inficiebatur, & bubones excitabat: irrepebat deinde prava illa qualitas ad jecur, & ſanguinem commaculabat. in aliquibus hic ſanguis, qui pro parte ad nutriendum caput deferebatur, caput ipſum inficiebat, & ſi natura fortis illum ad circumferentiam expelleret, cruſtæ inducebantur, ſin minus, dolores vehementes, & quandoque utrumque, & ſi hæc infecta materia ad juncturas deferebatur, vehementes in ipſis dolores excitabat, quandoque tumores duri inducebantur. in his vero qui plethora afficiebantur, vel ſanguine abundabant, ac bile, per totum corpus puſtulæ cruſtæve prodibant. paucæ vero erant puſtulæ in atrabilariis hominibus, & qui plethora carebant, verum in his præduri tumores fiebant. hæc lues unum primo infecit hominem, poſtea duos, & tres, & centum, quia illa erat publica meretrix, & pulcherrima, & ut procax eſt humana natura in coitum, multæ mulieres, cum his vitiatis viris coëuntes, luc iſta infectæ ſunt, quam deinde aliis viris ſunt impartitæ, ut denique lues per totam Italiam ſparſa ſit, & per Gallias, & brevibus per univerſam Europam. audivi vero & nunc eſſe in ſummo vigore, in Aſia, & jam in Africa pullulare: de India nihil loquor, cum ſit fere huic regioni peculiaris ejuſcemodi affectus.

Nota vero præter humiditatis putredinem, loca, in quæ ingrediebantur priapi cum confrictione, tertiam quandam qualitatem concitaſſe, ut ita dicam venenoſam, quæ eſt Gallici affectus venenum, & eſt qualitas ſecunda à prima dependens: ſicut etiam in epidemicis morbis præter morbi genus, in quo continetur, adeſt prava qualitas venenoſa, quæ ex primis qualitatibus non eſt. & ſiquis in morbo Gallico peteret, quid ſit hæc venenoſitas, dicimus pravam eſſe talis generis affectionem, quæ nomen non habet, & à nullo eſt definita. dico pravam hujus morbi affectionem qui excitatus eſt, tum à prava aëris qualitate, tum à frictione in loco mulieris cavernoſo, in quo prava adſit affectio, & morbus eſt inter contagioſos numerandus. Hæc quæ retuli, ſunt de primo, qui in hunc incidit affectum. at de aliis, qui illum recipiunt per contagium, ſatis eſt affecta mulier. aër vero nihil efficit, quoniam & in temperatiſſimo aëre, & in temperatiſſima conſtitutione hic morbus etiam per contagium recipitur: eſtque talis morbus, ut paulatim per totum corpus irrepat, totumque male afficiat.

Aliqui attribuere hujus morbi cauſam Saturno: tunc enim, quando ortus eſt, arietem ingrediebatur cum aliis cæli diſpoſitionibus.

Nos vero non magis Saturno, quam aliis planetis hoc attribuimus, quia cœleſtia tripliciter agunt, motu, lumine, & influentia, Saturnus eſſe potuit, qui peſſimus judicatur planeta. potuere eſſe & alii ſimul, unum eſt quod per influentiam, lumen, & motum fuit male diſpoſitus aër, a corporibus cœleſtibus, poſtea particulari adveniente cauſa, quæ fuit contrictio militis Gallici cum Thaide, quæ pudenda habebat male affecta, hoc morbi genus excitatum eſt, quod contagioſam naturam habet. Unde vero hoc recipiat, ut contagioſus ſit, ignoratur, niſi quod eſt ex propria hujus morbi natura.

Aliqui hujus morbi cauſam in Deum referunt, qui hunc miſerit morbum, quoniam vult homines luxuriæ peccatum evitare: propterea ejuſcemodi diſcrimina in coitu impoſuit, unde nonnulli hunc morbum divinum appellarunt, alii ſaturninum, illi inquam, qui a Saturno excitatum volunt. Dicunt igitur hoc eſſe divinum judicium, quod de luxuria ulciſcitur. Veruntamen ejuſmodi ratio in unoquoque morbo eſſe poteſt, quia à luxuria dependet, & qui ob illam oritur, propterea hi omnes erunt divini. & cur ſi Deus in luxuriam invectus eſt, in fœneratores invectus non eſt, in graſſatores, in latrones, in blaſphemas, in homicidas, qui fœviora mala perpetrant, quam qui coitu utuntur, quam ſi ſolutus cum ſoluta jungatur. nam Venerem exercere unicuique naturale eſt, hanc vero vel illam ſibi deligere, eſt conſilio & præcepto factum. hominem vero interficere, graſſari, furari, blaſphemare, ſunt à toto genere præter naturam: ſique Deo tantum diſpliceret, ut homines Venere uterentur, poſſet ilico ab ipſis tentiginem auferre, & nullus inveniretur, qui Venere uti vellet. dic inſuper, pueri, quibus contingit in alvo materno affectus Gallicus, quod mali perpetrarunt, & qua luxuria ſunt uſi? cum Hippocrate igitur in *libello de ſacro morbo* dicamus, non magis ſacrum eſſe hunc morbum, quam alii ſint.

At ambigere poſſes, quia, ſi cœleſtium corporum motus, influentia, & lumen fuere hujus affectus cauſa, neceſſarium eſt, ut alias etiam fuerit, & alias futurus ſit. veruntamen ego non ibo inficias, quandoque fuiſſe, & alias futurum eſſe, tamen nullus eſt author, qui de eo pertractaverit, nullus eſt hiſtoricus, apud quem ſit ipſius facta mentio. fatendum præterea eſt, quod & alias in futurum excitabitur. quando autem hoc futurum ſit, ignotum eſt, ſicuti Ariſtoteles in *libris de Cœlo* dicit, quod infinities ſunt mutatæ & extinctæ eædem opiniones, & ſi infinitum ſit tempus (ut Ariſtoteles fatetur) tam à parte ante, quam à parte poſt, hic morbus infinities fuit, & infinities etiam excitabitur. hæc omnia concedenda ſunt, quæ ad curationem nihil faciunt, ſi vero, ut nos Chriſtiani putamus, mundus ortum habuerit a ſex millibus ſexcentis quinquagintaduobus annis citra, dici poſſet, nunquam fuiſſe affectum Gallicum, ſed noſtro hoc tempore primum prodiſſe, cum prius non fuerit amplius viſus, tamen & hoc novi in mulieribus ſanis ac bene diſpoſitis contingere, cum illis menſes proſluunt, ſi quis cum eiſdem Venere utatur, puſtulas ſupra penem incidere, &

ple-

plerumque excoriari, hoc tamen in omnibus non contingit, sed in illis solum, quæ mentes habent acriores, & viri, qui cum his coëunt, virile membrum valde molle habuerint, sed hujus generis pustulæ ob hanc occasionem natæ, brevi sanitati restituuntur ex solo jejuni hominis sputo, cum mulier non est affecta morbo Gallico, secus esset, si eo affecta esset.

Ex his, quæ dicta sunt, quispiam petere posset, per quas partes per contagium Gallicus affectus recipiatur. respondendum est, per molliores partes recipi: mulieres enim illum recipiunt per os, per mammas, per uterum, & per anum: ut si vir morbo Gallico affectus cum muliere coëat, in illa perfrictione, qua uteri collum perfricatur, incalescit hæc pars una & rarescit, unde venenosam illam impressionem facile recipit: ita & semen, quod affectum est calidum exiens, in locum calidum ob frictionem rarefactum, facile imprimit pravam illam qualitatem in talem locum, itaque mulier Gallico morbo corripitur. è contrario, si mulier sit morbo Gallico affecta, vir contagium recipit, primum in penis extrema parte, & in cole, ac præputio, quia per uteri collum B fricando incalescit, & rarescit, affectionemque facile recipit, quæ etiam ab agente facile datur, quia ob frictionem jam dispositum est, & ad immittendum rarefactum. nonnunquam tamen haud recipi contingit, tum ob humorum integritatem, qui ad recipiendum apti minime sunt, tum ob brevem in loco moram. nam ad actionem requiruntur agens, & patiens, dispositа in debita distantia, & tempus, quod satis sit ad actionem imprimendam. contingit vero quandoque, ut virile membrum non sit male affectum, neque mulieris uterus, sed si in muliere ab ore cœperit, vel à mammis, vel ab ano, tunc vir non tam cito recipiet à muliere hunc affectum, cum venereum rem cum illa exercet, tamen denique contagium recipiet. mulier vero citius recipit, quam vir, quia venenosum semen in sui uteri gremium recipit: à viro autem mulieris semen non recipitur, licet eo madescat, propterea mulier facilius recipit, quando vir non habuit primo penem affectum, tamen sit affectus, quam faciat vir, quando mulier primo affectum uterum non habuit. Dominus Orobonus de Orobonis nobilis Ferrarienſis uxorem habet honestissimam, quæ affectum Gallicum per mammas recepit: vir tamen ejus illam frequentissime cognovit, tamen nunquam affectum recepit. per oscula vero facile recipitur hic affectus, quoniam vibratio illa, & linguarum conflictus caliditatem auget, linguæque rarescunt, quæ sunt etiam molliores carnes, & quæ facile impressiones recipiunt, saliva insuper pravam affectionem augente. & hi qui affectum Gallicum per os recipiunt, exulcerationem in faucibus, ac palato contrahunt. Et quandoque pars illa putrescit, & ad nares pervenit, & quod bibitur vinum per nares exit, nonnullisque nasus ulceratur, ac decidit, & in lingua pustulæ fiunt: hoc est primum indicium, quod apparet, cum per os contagium accipitur, pustulæ primo in lingua apparent, quæ taroli vocantur, postea fauces male afficiuntur, & palatum, deinde caput, denique totum corpus.

Per mammas contagium recipitur, quia puer exsugendo, & attrahendo mammam calefacit, ipsiusque os incalescit ac rarescit, ut facile sumere possit ex muliere contagium, hocque exsugit lac, quod prave affectum est. è D contrario si infans sit, qui affectum habeat, mammam exsugendo illam rarefacit, & facile recipit à puero contagium. Ut Domini Oroboni uxori contingit. hæc enim utero gerebat, & ad septimum usque mensem pervenerat, nutricem conduxerat, quæ nascituram fœtum nutricaret, cui obierat infans, quem lactabat, ob hoc ex berophotrophio infantem accepere, qui Gallico affectu erat imbutus: illum enim ab utero materno asportaverat. paupercula hæc nutrix ab hoc infante affectum recepit. interim uxor Domini Oroboni peperit, & nutrix remisso ad berophotrophium infante, filium Domini Oroboni nutrire cœpit. receperat vero in mamma contagium. inde ad octo dies non poterat nutrix ob affectum in mamma lac infanti præbere, Mater nutricis vices supplevit, interim dum nutrix ipsa curabatur, sed non multo post, & mater à puero contagium accepit, fuitque sæviſſimus morbus, sed denique post multos labores sanitati restituta est, & multos peperit filios.

Per anum hujus affectus contagium recipitur ex confrictione illa calefaciente & rarefaciente, unde ab ano E peni præbetur, & à pene ano, & cum hoc fieri non possit, nisi ex concubitu præter naturam, idcirco hoc videtur divinum in his, qui per hanc viam sumpsere contagium, quod affectus hic Gallicus semper sæviſſimus est, ob vindictam, quam sumit Deus de hoc nefando scelere. & quamvis dici possit, magis imprimi ob loci arctitudinem, tamen ut ab eo nefando scelere homines deterreamus, dicendum est esse Dei omnipotentis judicium, A quod pro meritis illos ita tractat, & longe vehementiorem morbum efficit, cum per talem locum contagium recipitur. Cum vero in mulieribus sint quatuor viæ recipiendi hujus morbi contagium, uterus, os, anus, mammæ, in viris sunt tres penis, os, anus. Petes vero, num per alias carnis porositates recipi possit, ut si quispiam cum affecto morbo Gallico ederit, & in eodem vase bibat, ac cum eo dormiat, nunquid possit hunc affectum recipere? Dicimus impræsentiarum, quantum sit de re ipsa, hujus possibilitatem non negandam, at addendum esse, ad hoc usque tempus non esse visum, neque cognitum, quod quispiam nisi per coitum, vel osculum, vel per mammas hunc morbum receperit quantum in me sit cum eo haud cubarem, qui scabie Gallica affectus esset, neque in eodem poculo biberem, aut in eadem ederem lance, neque eadem uterer mappula ad extergenda labia, tamen nunquam aliquem novi, qui morbum hoc modo susceperit, per solam scilicet conversationem, neque quempiam audivi, qui id viderit. veruntamen hoc observavi, si hi, qui cum his versantur, & potissimum cubant, in scabiem incidant, scabiem illam curatu difficillimam esse, hoc vidi & observavi, ut fere videatur aliquid maligni ex mora, quam habet cum affecto, contraxisse. Consobrinus quidam meus puer, matrem habebat Gallico affectu correptam, & cum ea cubabat, quandoque in scabiem incidit, quæ sanitati restitui non poterat, & circa crura crustas habuit, & tubercula, quæ depelli non poterant, sed diu in illis perseverarunt. tunc eram puer, & conjectatus sum illud contigisse ob moram, quam trahebat cum matre prave affecta. non vidi autem Gallicum affectum per hanc conversationem unquam esse receptum, hoc tamen vidi, quod dixi, morbos in illis fieri vehementiores, idcirco laudarem, ut evitarentur. unde per porositates extrinsecas aliorum membrorum, præter membra dicta, recipi posse non videtur, quoniam hæc prava affectio confrictione indiget, & vehementi caloris excitatione, partium apertione. Petes, si manus cum manu fricaretur, aut venter cum ventre, num per hunc modum recipi posset? Respondemus, non esse negandum, quod recipi possit, cum suapte natura sit morbus con- C tagiosus, sed difficilius est, & non visum antea, neque partes enumeratæ molles sunt, quales illæ per quas recipit.

Cum morbi omnes peculiarem soleant habere humorem, cui primo inhærent, ut phrenitis bilem, lethargus pituitam, insania atram bilem, & ita per alios discurrendo morbos, hinc quispiam de morbo Gallico petet, quinam sit ipsius proprius humor. Respondendum est, quando in initio recipitur affectus, nullum habere proprium humorem, sed in illo esse humore, qui in illius corpore, qui affectus est, abundat: unde si biliosus natura ægrotans sit, affectus Gallicus in initio biliosus est, si sit pituitosus, morbus est pituitosus, si atrabilaris, atrabilaris erit, si sanguineus sit, affectum sanguineum esse oportet. nam illi innititur humori, qui in corpore dominatur, tamen processu ipsis atrabilaris evadit, & pituita abundat, sive modo sit, quia morbus, qui dolorem incutit, multa inducit fastidia, ut mente quiescere non possint, sed ob cogitationem atra bilis generetur: sive sit, quia morbi natura sit talis, ut atram bilem inducat, & u- D namquamque temperiem in atram bilem vertat, seu sit qualitas illa prava: quicquid dicatur, ad rem ipsam nihil facere videbitur. At id solum dicamus, in ipso processu omnes Gallico morbo affectos atrabilares evadere. in aliquo videtis in initio crustas adesse latas, coloris lutei, quæ bilem præ se ferunt, in processu vero nigri evadunt, in aliquibus sunt rubræ, in aliis albæ, in aliis nigræ, in aliis diversis coloribus mistæ, ut sunt & ipsi misti humores. pustularum enim colores, & crustarum, peccantis humoris genus ostendunt. Hæc igitur conclusio sit, in initio genus morbi Gallici esse secundum temperiem, & humorem, qui in illo, qui affectus est, abundat, in processu vero omnes atrabilares evadunt, & pituita etiam abundant. mire sanguineos vidi ob Gallicum morbum atrabilares esse affectos. initium vero curationis ab illius humoris evacuatione incipere debet, qui in hoc ægrotante peccat, ut suo edocebimus loco.

At dices, cum morbus Gallicus sit quæpiam venenosa qualitas, & unaquæque qualitas per contrariam curetur qualitatem, quæ erit qualitas qualitati morbi Gallici opposita? Dicimus, cum in Gallico affectu duo sint, unum scilicet humor, cui innititur hæc affectio, alterum qualitas ipsa venenosa, quæ hunc morbum in specie collocat. Primum quod est humores, curandum esse per illorum evacuationem, & alterationem, ac illa adhibendo, quæ humoris qualitati contraria sunt.

At hæc secunda Gallici affectus qualitas, qualitate sibi opposita removeri debet. Verum hæc qualitas, non est calidum, neque frigidum, neque humidum, neque sic-

cum, neque eſt albedo, neque nigredo, neque dulcedo, neque amaritudo, ſed eſt qualitas quædam innominata, quæ omnino oppoſitam habet innominatam qualitatem. At dices, ſi eſt innominata, igitur eſt incognita, dicimus conſequentiam non valere: cum multa ſint innominata, quæ tamen incognita non ſunt, niſi ut nomine carent. At vero notas eſſe qualitates, quæ Gallici morbi qualitati adverſantur, ex ſanitate, quæ inducitur, planum eſt, nam non induceretur, niſi rerum, quæ adhibentur, qualitates morbi Gallici qualitatibus eſſent oppoſitæ, quia omnis curatio per contrarium fit. experientia vero fuit, quæ medicamentum oſtendit qualitati morbi Gallici qualitatem oppoſitam habens, unde experientia compertum eſt, hunc affectum ex decocto Indici ligni removeri, hoc autem non facit, quia calidum, cum multa habeantur calidiora: neque quia ſiccum, cum multa adſint ſicciora, quæ tamen hoc minime præſtant, ſed fit ob quandam innominatam qualitatem, quæ per experientiam inventa eſt morbi Gallici qualitati adverſari, ut peſtilenti morbo etiam contingit. nam vel ſi cum febre ſit biliоſiſſima, Theriaca ſanatur, non quia frigida hæc ſit, ſed quia venenoſæ qualitati adverſatur, tamen ratione febris à medico frigida etiam adhibentur, ac Theriacæ commiſcentur, unde Theriaca qualitate ſua peſtilentiæ adverſatur, & non quia calidam, neque quia aliquam habeat ſenſibus notam qualitatem, ſed quia innominatam qualitatem habet, quæ peſtilentis morbi venenoſitati adverſatur. Et ſi petas, quænam ſit ejuſcemodi morbi Gallici qualitas, dicimus oculis oſtendi non poſſe, ſed nonnulli oſtenduntur effectus, qui illam præſentem eſſe monent, ut ſunt cruſtæ, tumores, dolores, pallores, & alia multa, quæ Gallicum morbum ſequuntur, ſicuti nec multæ aliæ ſecundæ qualitates poſſunt vel oculis videri, vel aliis ſenſibus percipi, ſed per aliquos effectus percipiuntur, ut eſt peſtilentis morbi qualitas, quæ eſt venenoſitas, ob maximas cognoſcitur inquietudines, perturbationes, & mortes.

Multi Gallicum affectum hoc modo definire conati ſunt, eſſe pravam epidemialem diſpoſitionem in corporis membris, præcipue in hepate, & venis, & eorum humoribus: ex qua, veluti ſymptomata, dolores ſequuntur, & per univerſum corpus puſtulæ. Veruntamen ejuſcemodi definitio potuit forte in hujus morbi initio fieri, cum ſemper dolores & puſtulæ ſimul aderant, & nihil aliud. Impræſentiarum vero, ubi adſunt præduri tumores, ubi pilorum defluvium, ubi unguium caſus, ubi dentium atque oculorum amiſſio, eſt imperfecta definitio. non convenit inſuper, quia vult & dolores, & puſtulas per univerſum corpus ſemper adeſſe, cum poſſint eſſe puſtulæ abſque doloritus, & dolores abſque puſtulis, etenim plerumque puſtulæ unam ſolam corporis partem vexant, ut caput, & non aliam: dolores nonnunquam in capite tantum ſunt, & non in alia parte. quandoque neque, dolores adſunt, neque puſtulæ, cum ſimpliciter pili decidunt, in quo caſu plerumque neque dolores adſunt, neque puſtulæ. forte vero quando in initio cœpit in bello Neapolitano, puſtulæ ſimul aderant, & dolores, & hoc per univerſum corpus, nunc vero res haud ita ſe habet, ſed octo diſtincti modi reperiuntur, & compoſitæ complicationes ducentæ & triginta quatuor, ſi quis recte computabit.

Si vero Gallicum morbum nos definire tentaremus, in genere potius deſcriberemus, cum ſit valde multiplex, quam vera aliqua definitione explicaremus, ut dicendo, eſſe affectum multiplicem, modo qualitate afficientem, modo in compoſitione, modo in ſolutione continui, modo cum doloribus, modo ſine doloribus, modo cum cruſtis, modo ſine cruſtis, modo cum tumoribus duris, modo ſine his, modo cum defluvio pilorum, modo ſine illo, modo cum dentium defluvio, modo ſine illo, modo cum unguium caſu, modo ſine illo, modo cum oculorum amiſſione, modo ſine hac amiſſione, modo cum gonorrhœa, modo ſine gonorrhœa, modo cum omnibus, modo cum aliquibus, ut ſuperius ducentæ triginta quatuor diſtinctæ ſunt ſpecies. Contemperis quomodo poſſit una forma, & una definitione muniri tam diverſus, tamque varius morbus, & tot habens diverſitates, idcirco ſatis eſſe arbitror haberi quid nominis de Gallico affectu, cum quid rei vere haberi non poſſit.

De his impræſentiarum agendum eſt ſignis, quæ oſtendunt hunc tam multiplicem affectum, eſſe hunc vocatum Gallicum. Cum quempiam videbis, qui cum meritricula muliere venerea rem exercuerit, & circa præputium, vel penis glandem parvas habeat puſtulas corrodentes, & inguina intumeſcunt, indicium eſt hunc recepiſſe contagium, nam puſtulæ illæ in glande corrodentes, quæ taroli vocantur, indicia ſunt receptionis contagii. irrepit deinde paulatim morbus (niſi provideatur) & totum inficit corpus, primo inguina petens & bubones inducens, poſtea in jecur irrepens, denique in cor & caput, & breviter per totum dilatatur corpus.

Cum aliquem videbis, qui poſtquam cum impudicis mulieribus cubuerit, in gonorrhœam incidat, etiam ſine ulcere in pene, & ſine bubonibus (quia & cum his eſſe poteſt) & adhibitis præſidiis minime curetur, judica hunc affectum eſſe morbum Gallicum. Cum quiſpiam cum impudica muliere rem veneream habuerit, & puſtulas in ore incidat, & in faucibus, ac gutture exulceratio fiat, & haud facile curari poſſit, ſed abire videatur, poſtea revertatur, indicium eſt, hunc eſſe morbo Gallico affectum.

Si quiſpiam puer a turpiſſimo in moribus homine fuerit ſubagitatus, & illi in ano & circa anum puſtulæ contingant, quæ facile removeri non poſſint, ſed potius uſque ad iſcheon dilatentur, & extendantur, morbum Gallicum eſſe judicato.

Si infans lac exſugens circa os puſtulas contrahat, quæ extranei coloris ſint, nec curari facile valeant, judica hunc morbi Gallici contagium à nutrice recepiſſe.

E contrario, ſi infans à berophotrophio receptus, puſtulas per corpus habeat, ſitque prave affectus, & nutrix in mammis, ac papillis, puſtulas incidat, quæ facile curari non poſſint, judica nutricem hanc ab infante recepiſſe contagium. Capitis gravitas cum dolore, qui ad humeros uſque extendatur, ut ille brachia elevare non poſſit, neque ſibi caput detegere, neque quandoque bolum ſibi in os immittere, vel vini cyathum ſuis manibus apprehendere, hoc eſt Gallici affectus indicium. Cum capitis dolores, humerorum, brachiorum, & reliquarum corporis venenoſarum partium veſperi fiant vehementiores, uſque ad dimidiam fere noctis, poſtea dolores remitti incipiant, indicium eſt eſſe dolores ex Gallico affectu, potiſſimum quando, multis adhibitis præſidiis, obliterari non potuerunt.

At quiſpiam petere poſſet, cur potius noctu, quam interdiu vexent hi dolores? Nonnulli cauſam reddunt, quia humores noctu augentur. verum æque augentur interdiu: nam ſicut una cibatio in nocte coquitur, ita una coquitur in die: idcirco par ratio eſt crementi humorum tam in nocte, quam in die. Dicendum potius eſt, noctu dolores augeri, quia hoc tempore humiditates moventur, & nox ipſa humida præcipitat cœlo: humores vero ab humiditate extrinſeca commoventur, augentur, & agitantur: tum etiam, quia noctu naturalis calor ad intrinſecas retrahitur partes, idcirco humores commovet, qui commoti dolores augent. Adde materias, morbum Gallicum facientes, ut plurimum eſſe frigidas, vel ſi in principio frigidæ non ſint, in proceſſu frigidæ evadunt.

Cum in aliquo videbis cruſtas circa frontem pullulare luteas, ſive nigras, ſive albicantes, ſive miſtas, quæ illum deforment, Gallicum affectum habere ipſum judicato: nam hæ cruſtæ humorum ratione ſunt coloratæ. Si vero petas, quomodo diſcernantur: reſpondemus, ſi cruſtæ ſint lividæ, & hi acuto capitis dolore deprehenſi ſint, à bile eſſe dubitandum non eſſe, tum ob cruſtarum colorem, tum ob doloris capitis vehementiam, & hæ cruſtæ biliоſæ, ut plurimum in pyramidis formam exacuuntur. Si vero cruſtæ hæ dealbeſcant, & latæ ſint, capitisque dolor obtuſus videatur, à pituita eſſe fatendum eſt. Ab atra bile vero contingent, ſi nigræ appareant, & aſperæ, & dolor ſit vehemens. At ſi dolor mitior ſit, cruſtæ vero ſubrubræ ſint, à ſanguine eſſe judicari debet. Cum vero ſunt variæ & diverſorum colorum, à diverſis gignuntur humoribus, tu vero humorum & morbi diverſitatem, ex colorum diverſitate deprehendes, quia ſi color niger ſit & luteus, à flava, & atra bile cruſtas confectas eſſe judicabis: ſi albicans & luteus, à pituita & à bile. Si ſubruber & luteus, à ſanguine & bile, & ita de aliis complicationibus dicendum eſt.

Si à quopiam videas capillos decidere, & barbam, & potiſſimum ſupercilia, hunc morbo Gallico affectum eſſe judicato. Intelligendum vero eſt, modo hæc non ſequantur aliquem magnum morbum, & præſertim cum ſcitur hunc Venere, & cum meretriculis eſſe uſum.

Idem judicium de dentibus facito, de ungulis, & de oculis, nam impræſentiarum in his ſolis quandoque eſt partibus hic affectus.

Ex pulſibus difficulter cognoſcitur Gallica lues, imo neceſſe eſt, ut variet ſecundum humorum variationem, & ut dolores intenſi ſunt, ac remiſſi, in intenſioribus enim magis frequens eſt, & velox, ſed imbecillus: tamen cum febre plerumque careant, neque etiam habent certam rationem ex pulſibus. Unde ſimpliciter dicendum eſt, horum pulſus certum judicium non præbere, quod ſit affectus Gallicus.

Neque certum faciendum eſt ex urinis judicium, quia urinæ humorum ratione variæ ſunt, & præterea dolor ac reliqua ſymptomata urinarum variationem faciunt, tamen ſi quæ urinæ ſunt ac lue affectis propriæ, ſunt urinæ crudæ, albæ, abſque hypoſtaſi, vel cum modica hypo-

hypostasi: quia materia, quæ per urinam exire deberet, & hypostasim facere, ad junctiuras tendit, ad pustulas, ad caput, & ad alias partes.

Ex sputis ac similibus tuta non habentur Gallici affectus signa, neque propria sunt ipsius signa: nisi intelligeremus, quod sputa de affectu in faucibus judicare possent, quia quandoque ephelcides, id est, crustæ exspuuntur, quod indicium est, exulcerationem adesse.

Qui colorem vividum habere consuevit, & floridum, postea pallidus efficiatur, & luteus, & macilentus, qui alioqui erat plenus, & ita diu perseveret, neque aliquo alio affectu laboret, in morbum Gallicum hunc incidisse arbitrandum est, solet enim cujuscemodi morbus colorem maxime immutare, & lividum, pallidum, ac luteum reddere.

## PROGNOSTICA.

In Gallico affectu crustæ & pustulæ sunt minus malæ, quam dolores: nam per crustas, & pustulas pravæ materiæ corpus exeunt, quæ alioqui illud prave afficerent.

Dolores Gallici, qui cum crustis sunt, ac pustulis, (nam quandoque cum his fiunt) mitiores sunt, quam dolores absque crustis.

Dolores cum duris tumoribus sunt vehementes, sed minus mali; quam dolores absque ullo tumore: nam tumor hic aperiri potest: at si nihil adsit tumoris, difficilius est negotiari.

Omnium morbi Gallici modorum minus malum est pilorum amissio, sed hominem tantum derisui reddit.

Lentæ febres, ac longæ, cum morbo Gallico futuram hecticam minime significant. infinitos enim fere vidi, qui in tales incidere febres, & in urinis pinguitudo innatans videbatur, tamen hectici haud evasere, imo Gallico affectu curato, & etiam per exiitentia, febris ipsa una curata est, ac abiit.

Gallicus morbus raros interficit, tamen interficere potest, & nonnunquam id facit, sed tunc potissimum, quando præter Gallicum affectum ægrotantes se regere noluerint, & inordinatiore victu utuntur, ut mors potius eorum errata sequatur, quam morbum.

Gallicus affectus homines semper imbecillos reddit, & qui facile in alia morborum genera incidant.

Morbo Gallico affectus, si in sanitatem restituatur, & sibi digitum, vel aliquam corporis partem leviter incidat, per longum temporis spatium sanitati non restituitur. nam membra pravam quandam qualitatem admittunt, ut cum discontinuantur, in continuationem difficulter reduci possint.

Gallica lues recenter inducta facile curari potest. idcirco cum primum ægrotans se tali morbo correptum perceperit, ilico se curari jubeat. Si vero antiquior fit, difficilius curatur, imo ex mora tantum intendi possit, ut curationem nunquam admitteret.

Pustulæ facilius curantur, quam dolores, & præduri tumores difficilius curantur, quam pustulæ.

Qui raucam vocem habent, ac perseverantem, cum faciei pallore inusitato, tibi de affectu Gallico suspecti sint, & per os recepisse contagium ipsos indicium est, quanquam posset & illuc per alias vias irrepisse.

Atrabilares ad affectum Gallicum magis parati sunt, quam cætera hominum temperies. nam & omnes Gallico morbo affecti denique atrabilares evadunt, & atrabilares per adustionem illi potissimum sunt, qui facile in hunc morbum incidunt, hoc vero intelligendum est ratione humoris, non autem ratione soliditatis carnis. nam hoc secus est, caro enim atrabilariorum, cum sit arida & densa, difficilius recipit contagium: at atrabilares humores facilius recipiunt ob symbolum quoddam ægritudinis. Sunt ergo humorum ratione ad hunc affectum magis parati atrabilares, in secundo loco sunt biliosi, in tertio sanguinei, in quarto pituitosi, quamvis omnes in processu atrabilares evadant, & pituita insuper abundent.

Raræ texturæ homines facilius incidunt in hunc affectum, quam non raræ texturæ, unde, qui scabiem facile, & morbos contagiosos recipiunt, facile etiam luem Gallicam recipere possunt.

Qui pravis humoribus repleti sunt, facilius, & citius in hunc affectum incidunt, quam qui probos habent humores

Qui inordinato victus genere utuntur, & potissimum, si atrabilariis vescantur cibis, in hunc affectum facilius incidunt, quam qui secus faciunt, & probo victu utuntur.

Juvenes & pueri facilius ab hoc affectu liberantur, quam senes, & qui in aliis ætatibus sunt.

Qui tota nocte cum meretricula cubaverit, in hunc affectum facilius incidit, quam qui interdiu rem veneream exercuerit, & subito recesserit.

Facillime omnium illi in morbum Gallicum incidunt, qui primo eo ruere correpti, & post sanitatis restitutionem, iterum contagium recipiunt, nam relicta est (etiamsi sit sanus) qualitas quædam prava, quæ cum lue Gallica symbolum habet.

In his edisserendis prognosticis non est opus vel Galeni, vel alterius antiqui sententias quærere, quia novus est morbus citra septuaginta quatuor annos ortus, quem antiquiores illi non cognovere autores, neque aliquem de eo prius scribentem legere autorem.

Qui vero solo Gallici morbi modo affectus est, facilius curatur, quam qui multis afficitur morbis, & ita secundum complicationem facilius & difficilius curatur. at vero opus est, ut omnia semper æqualiter intelligantur, nam si quispiam solis doloribus affligeretur, sed vehementioribus, alter vero crustas remissas haberet, & remissum dolorem, hic, qui habet duo hæc remissa, facilius curabitur (licet duo sint) quam ille, qui habet solos intensos dolores. Si vero æqualia essent, semper facilius is curatur, qui unum solum modum habet, quam qui plures, & quanto plures sunt, tanto difficilius curabitur.

Qui in pilorum casum incidunt, in ridiculum morbum incidunt, & illi hominibus derisui sunt, qui hoc affectu sunt deprehensi. At quibus dentes, ac ungues decidunt, in derisum quidem veniunt, sed misericordia junctum, at qui oculos amittunt, misericordia solum ac pietate digni sunt.

Quispiam vero dubitare posset, cur à pudendis ut plurimum incipiat hic affectus. Respondent nonnulli, quia influxus ille pudendis adversabatur, quando hic morbus per influxum excitatus est, nam in pudendis conformitas quædam adest, quæ est inter morbi qualitatem, & hæc membra, ac cœlestem influxum. At hoc videtur esse reddere rationem per illa, quæ majori indigent perunctione. Quærendum nimirum est, cur ille influxus pudendis adversetur, & deinceps influxu remoto, qui pudendis amplius non adversatur, unde concipiatur per illam viam affectus: & præterea illi, qui cum muliere non concumbant, cur non incidebant in hunc affectum, si ab influxu dependebat, tamen nemo unquam visus est, qui in hunc affectum inciderit, nisi re venerea usus sit, aut hic extugerit, aut deosculatus fuerit. nec percipitur conformitas ista, inter morbi qualitatem, & hæc membra, imo cum multum nervosa sint, corruptioni multum repugnare videntur, idcirco magis affici non deberent, quam alia membra, quæ ad curationem magis apta sunt.

Alii dicunt in pudendis abundare magis humores, qui sunt putrefactioni parati, ideo in illis membris potius fit, vel ab illis potius incipit. At hoc absurdum videtur, quia semper non incipit in illis membris, sed quandoque à mammis incipit, quandoque à lingua, palato, & faucibus. Præterea si illa membra plus haberent materiei ad putredinem aptæ, tunc non morbus Gallicus solum, sed multi morbi his in locis orirentur, quanquam negandum non sit ad has partes, tanquam ad cloacam, multos descendere humores.

Dicendum igitur est ideo à pudendis incipere, quia illa sunt, quæ primo contagium recipiunt, nam perfricatio illa insensibiles meatus aperit, & contagium facile recipitur, à pudendis ergo incipit: quia illa sunt, quæ primo recipiunt, vel quæ primo præbent, & agitatio concurrit, quæ calefacit, & aperit, convenit etiam membri mollities, quod facile recipit, & hæc est vera causa, cur ut plurimum à pudendis incipiat, & non alia, quia sunt prima membra, quæ tanguntur, & fricantur, & incalescunt ac rarescunt, suntque mollia membra, neque illud etiam parvi est momenti, quod ad illa tanquam ad cloacam multi pravi à natura illuc delegati decurrunt humores.

At quia nonnulli dixere ab illis etiam incipere membris, quando plurimum oritur, & absque contagio: propterea quærendum est, nunquid hic affectus de novo absque contagio excitari possit. dicimus rei possibilitatem esse quoddam aptum, & hic morbus alias fuisse potuit, licet de ipso nulla sit facta mentio, & futurum esse alias, tamen semper crediderim præter influxum, particularia etiam requiri circa subjectum, quod recipit, ut quod rem habeat cum aliqua muliere, quæ uteri partes male affectas habeat, & quandoque exulceratas, licet non ex morbo Gallico, tamen hic rem veneream cum illa habeat, & ex illa confrictione cum cœlesti influxu fiat hic morbus. Quod autem absque his oriatur, nunquam crediderim. Audivi Medicos quosdam de religiosa muliere fatentes, quod morbum Gallicum ex se contraxerat, & non ex concubitu, & ego certe scio matronam illam religiosam virginem esse, & probissimam, imo in tali esse loco, ut si prava etiam perpetrare vellet, minime posset. at ego medicos istos rationibus convici, cum hanc mulierem visitassem, & illis ostendi hujus mulieris affectus esse uterinos, non Gallicos, & illam deinceps curavi ex uterinis affectibus, & sanitati denique restituta est absque medicamentis, quæ morbum Gallicum sanare consueverunt. Unde arbitror morbum hunc non posse, vel de novo ex-

citari, vel per contagium recipi, nisi per coitum, vel per lactis exsuctionem.

Ut autem ad superiora redeamus, Hipp. in *tertio Aphor. libro*, in æstate dicit pudendorum putredines oriri, Galen. hoc intelligit in humida æstate, aut in ea, in qua non abundaverit ventus, aut spiraverit auster, unde temporis humiditas in ipsis putredines excitat, quamvis Galenus intelligat hoc non solum in pudendis fieri, sed in alia etiam parte (& est 21. *Aphorismus*) ex hoc tamen non habet, quod hæc putredo causa sit, cur in pudendis incipiat Gallica affectio.

Nec dubium illud prætereundum est, cur nonnunquam contingat, ut aliqui atrabilares sint, & victu tali utantur, qui temperiem adjuvet, cumque Gallico morbo affectis mulieribus coëuntes contagium tamen non recipiant. Nonnulli respondent ex proprietatis individuæ diversitate hoc contingere, quæ est alia in alio, ut *prima primi* ex Avicenna colligitur. Unde aliqui temperiei sanguineæ in hunc morbum incident, alii atrabilares non incident. superioribus diebus tres vidi, qui cum quadam meretricula Venere usi sunt, & duo vehementissime affecti sunt Gallico morbo, & potissimum pilorum defluvio, hique duo optima temperie præditi sunt, & optimo habitu, tertius vero, qui est pravæ temperiei, contagium minime recepit. tamen non semel tantum, sed pluries cum eadem meretricula Venere usus est. primi vero illi duo consocii, qui erant bona temperie præditi, ab hoc affectu male tractati fuerunt, & adhuc in ipsis vestigia supersunt, quamvis diu sit, quod laborent: tamen præter hanc proprietatem dici posset, illum non incidisse in hunc affectum propter aliquam individualem proprietatem, sed quia obstructos meatus habebat, nam hi atrabilares (ut ille est qui prava temperie præditus est) corpora habent densiora, quæ sunt ad recipiendum inepta. Unde ille contagium minime recepit, quod fuit ratione intensioris carnis, & pororum occlusionis, non autem ratione humoris, qui facile recipit.

Cum vero Gallicus affectus sub pustularum specie appareat, & sub specie dolorum, petendum est, quando cum pustulis erit, sub quo pustularum genere contineatur, & ad quod genus reduci debeat? Nonnulli recentes dicunt esse Avicennæ Asafati. at superius diximus Nicolaum Leonicenum illos optime reprehendisse, qui censuere morbum Gallicum esse Avicennæ Asafati. Forte dices illi saltem assimilari. nam Asafati inter exulceratas pustulas numerari. Dicendum vero est duplex esse pustularum genus in hoc affectu, prædurum unum, quod vulgo gummi vocatur, alterum quod crustam inducit, prædurum, sub sclirorum genere continetur, & quandoque sub prædurorum œdematum genere, & plerumque nodi dici possunt, quia ita sunt aliquibus membris infixi, ut nativi nodi tabulis infixi sunt, licet nonnunquam & tales viderim durities, quæ natæ vocari poterant, cum per membra commoverentur, & veluti natarent. pustulæ vero, quæ crustas habent secundum colorem, ad pustulas illius humoris reduci possunt, ut si sint luteæ pustulæ, biliosæ vocentur, si nigræ, atrabilares, si albicantes, pituitosæ, & si rubræ, sanguineæ: & licet sanguis inflammationem faciat, bilis erysipelas, pituita oedemata, atra bilis scirrhum, tamen hæc fiunt, quando hi soli humores sunt. in crustis vero in hoc morbo non sunt puri humores, sed à superabundanti denominatio fit. nam biliosæ crustæ, si à bile fuissent pura, crustam non induxissent, sed erysipelas, & ita de aliis, ut convenit, dicendum est.

In doloribus etiam dubitatio contingit, in quo sint genere reponendi Gallici isti dolores. nonnulli dicunt inter extensivos dolores reponendos esse, quijuxta Avicennam à flatu fiant, aut à materia, quæ in nervis, aut in musculis impacta sit. veruntamen si hic dicere intendant, quandoque extensivos esse dolores Gallicos, hoc fatebimur. simpliciter vero non fatebimur, dolores omnes Gallicos semper esse extensivos. nam quandoque sunt pulsativi, quandoque acuti & pungitivi, ut ferreus stylus in membra infigi videatur, quandoque sunt obtusi, quandoque gravativi. Nonnulli arbitrati sunt, hos dolores esse (ut Avicennæ verbo utar) frangitivos, sed hoc simpliciter dicere, simpliciter etiam falsum est. Nam fieri quidem potest, ut al qui sint frangitivi, sed omnes ita esse censendum non est. nam, cum frangitivus dolor juxta Avicennam à materia fiat inter os, & pelliculam tegentem os contenta, non poterit semper Gallicus morbus vocari frangitivus, quia & in aliis prædictis locis materia continetur, quæ hos dolores excitat.

Nos ergo in genere dicamus, Gallicos dolores in omni fere esse dolorum genere, quod inveniri possit, neque ad unam certam dolorum speciem reduci posse, quia aliqui erunt in una specie, in qua alii deinde non erunt, hæcque dicenda sunt de morbi Gallici pustulis & doloribus.

Cum in affectu Gallico dolores contingant, & ut plurimum sint circa junctura, idcirco dubitare contingit, propter quid in juncturis potissimum excitentur. nonnulli dicunt in illis excitari locis, quia & materiæ in eisdem colliguntur. at ejusmodi solutio absurda videtur, quoniam per motum, qui in juncturis fit, resolvi deberet. nam in omni corporis motu artus & juncturæ moventur, & ideo humores ob motum potius resolvi deberent, quam colligi. at ejusmodi ratio hoc modo solvenda est, quod juncturæ cavitatem habent, quæ materia implentur, & quæ per motum tam facile resolvi non potest, imo in motu plerumque dolores augentur, tamen si vehementissimus ac diuturnus fieret motus, materiæ resolverentur, & dolores cessarent, denique sunt nonnulli, qui ex vehementissimo motu quotidie frequentato à Gallicis doloribus evasere, ut contingit Dono Batano Campanario, qui sævissimis doloribus cruciabatur, sed chordas trahendo magnæ campanæ Episcopii Ferrariensis, ab eisdem doloribus evasit. Ad rem igitur, motus quilibet non est aptus omnes resolvere materias, quæ in juncturis continentur, sed tantum vehementissimus motus. plerumque vero ex motu dolor augetur, quando materias quidem flatuabit, sed resolvere nequibit.

Nota insuper eos, qui crustas habent, ut plurimum mitiores habere dolores, vel nullos, quia materia ad circumferentiam exit, & non ad junctura tendit. qui vero doloribus absque crustis affliguntur, vehementiores semper habent dolores. hi etiam sunt vehementes dolores, qui ex præduris excitantur tumoribus circa junctura.

Priusquam vero ad Gallici affectus curationem convertamur, scire oportet aliquem esse Gallicum morbum incipientem, alium confirmatum, & non inveteratum, alium & inveteratum, & confirmatum. Primum de curatione Gallici morbi, qui incipit, verba faciamus, id est, de eo, qui nondum mensem excessit, vel mensem cum dimidio.

### *De curatione Gallici affectus incipientis.*

Si tibi quispiam occurrat ex Gallico affectu curandus, qui in initio sit, id est, non diu sit, quod contagium receperit (id vero cognoscitur, quia pravæ pustulæ in præputio, vel cole pullulare incipiunt, & panus, vel bubo excitatur, vel pustulæ in ore incipiunt) hic potest in sanitatem restitui ex sola purgatione, prætermittendo majora, ut sunt majores inunctiones, & ligni Indici potiones. primo igitur contemplator, an hic macilentus sit, ut sanguine non abundet, an plethoram habeat. nam si sanguine non abundabit, sed eo potius indigebit, venæ sectio exercenda non est. si vero abundabit, jecoraria dextri brachii vena secetur, prius tamen hoc clystere ventrem lenito. Recipe *malvæ, violarum, althææ, Mercurialis, singulorum, man. j. misce, & bulliant in aqua secundum artem. postea* Recipe *hujus decocti, lib. j. olei violacei, unc. iiij. cassiæ nuper extractæ, unc. j. salis communis, drach. ij. misce & imponatur.* clystere secreto venæ sectio fiat ad sanguinis libram, plus minus, ut vires exigunt, postea hujus generis syrupi præbeantur, &, si sanguineæ sit temperiei, hic, qui sequitur, adhibeatur. Recipe *syrupi de Cap. Ven. syrupi de endivia, singulorum, unc. j. infus. senæ, unc. iiij. misce.* At si biliosæ sit temperiei, & præcedenti syrupo uti poterit, & hoc, qui sequitur. Recipe *syrupi violacei, syrupi de endivia, singulorum unc. j. infus. senæ, unc. iiij. misce.* Si vero pituitosæ fuerit temperiei, hic, qui sequitur, syrupus adhibeatur. Recipe *syrupi de hyssopo, syrupi de Cap. Ven. singulorum, unc. j. infus. senæ, unc. iiij. misce.* At si sit temperiei atrabilaris, tunc qui sequitur syrupus, præbendus erit. Recipe *syrupi de epithymo, syrupi de fumo terræ, singulorum, unc. j. infus. senæ, unc. iiij. misce.* In hoc casu nunquam deferenda est senæ infusio. Unum enim ex his est, quæ supra alia omnia affectui Gallico adversari videntur, quod per nullam ex manifestis qualitatibus agit, ut necessarium sit in sena ipsa dicere ratione hujus affectus adesse qualitates occultas, nobisque ignotas, nisi quispiam arbitraretur senam huic morbo adversari, quia educit, & præsertim atrabilares humores. veruntamen evacuare, non est affectus qualitatem removere, nisi dixerimus affectus qualitatem humoribus inhærere, idcirco cum humores evacuantur, prava etiam affectus qualitas removetur. At hoc absurdum est, quia, humoribus etiam evacuatis, prava adhuc morbi qualitas relinquitur, quæ solidis innititur membris. nam omnes corporis partes affectæ sunt, præsertim quando est confirmatus. Dum vero in initio est, in solis continetur humoribus, jecore, ac viis, idcirco evacuatione curari potest, unde principium hoc Gallici affectus, evacuando tantum curamus.

Cum novem vel decem ex illis syrupis accepti sunt, medicamentum præbere oportet. at prius notandum est, syrupos præscriptos hoc modo sumendos esse: si quispiam quinquies aut sexies pro singulo syrupo dejiciat, alternis die-

diebus insumantur. Si vero bis, aut ter singulis diebus accipi poterunt, deinde uno vel duobus interjectis diebus, qui sanguinea præditus est temperie, hoc sumat medicamentum, non quidem sanguinem educens, sed alios corporis humores. Recipe *pulpæ colocynthidis, scammonei singulorum scrup. j. turbith, hellebori nigri, singulorum scrup. ß. gingiberis, cinnamomi, camphoræ, anisorum, singulorum gran. x. Misce, & infundantur in quatuor uncias infusionis sennæ per decem horas, postea exprimantur, & expressum saccharo dulcoretur*, vel sequentes devoret pilulas. Recipe *pilularum aurearum, pilularum cochiarum, pilularum de lapide lazuli, singularum scrup. j. misce, & tot fiant pilulæ, quot ægrotanti placuerit*, at si natura sit biliosus, medicamentum istud recipiatur. Recipe *scammonii drach. j. Rhabarbari electi, myrobalanorum luteorum, singulorum drach. ß. misce, & infundantur in quatuor uncias infusionis sennæ per decem horas, postea exprimantur, & expressum hora convenienti præbeatur, saccharoque dulcoretur*. Si quis vero pilulas magis diligat, aureas pilulas insumat. At si natura sit pituitosus, medicamentum quod sequitur, adhibeatur. Recipe *turbith. drach. ß. myrobalanorum chebulorum drach. j. ß. Agarici, drach. ß. gingiberis, cinnamomi, anisorum, camphoræ, salis gemmæ, singulorum gran. x. misce, & infundantur in quatuor uncias infus. sennæ per decem horas, postea exprimantur, & expressum hoc saccharo dulcoretur*, vel cochiæ pilulæ præbeantur. Si vero esset natura atrabilaris, sequens medicamentum præbendum est. Recipe *polypodii, epithymi, singulorum drach. iiij. sennæ, unc. j. hellebori nigri scrup. j. florum boraginis, florum buglossæ, florum violarum, florum rosarum, singulorum drach. j. ß. gingiberis, cinnamomi, anisorum, amomi, singulorum drach. ß. misce & infundantur in aquum fumi terræ secundum artem, postea exprimantur, & saccharo dulcorentur, ac præbeantur*, vel *pilulæ* sumantur *de lapide lazuli, vel de lapide armeno*. Si vero sit mistæ temperiei, misce, quæ dicta sunt, secundum humorum temperiem, ac misscellam.

Si hic videatur sanitati restitutus, bene illi erit: hoc autem videbitur, per unius mensis, vel duorum spatium. nam per octo, vel decem dies non est tempus valde aptum. In toto autem hoc spatio, & horum scilicet dierum, in quibus fit purgatio, & post purgationem ægrotus in sex rebus nonnaturalibus convenienter regatur.

Pullorum jura edat, & carnem, & vitulorum, hœdorum, parvarum avium, phasianorum, perdicum: virulenta evitet, salsa, acria, & aromatibus valde plena, album vinum bibat, tenue, odoratum, vel rubellum.

Corpus vehementer moveat, nam inventi sunt, qui ex solo motu vehementiore, & continuo in sanitatem restituti sunt, unde quantum naturæ satis sit, quiescant.

Evacuatus semper potius sit, quam repletus, neque impleatur, sed perenniter, quantum fieri potest, evacuetur.

Vigilet etiam plusquam dormiat. nam vigiliæ exsiccant, tamen opus est tantum dormire, quantum naturæ satis sit, ne imbecillis fiat.

Animi passiones summopere evitare oportet, & illas præsertim, quæ atram bilem inducunt, ac augent, cum hic affectus per se homines reddat atrabilares: aer ambiens ad temperiem vergat.

Si post mensem vel duos menses integre sanum esse deprehendas, nihil aliud agas, quam jubere, ut frequenter expurgetur Alexandri pilulis, de quibus mentionem faciemus, & descriptionem suo loco referemus. Si vero hunc non esse perfecte sanum percipies, tunc id, quod sequitur decoctum, fieri jubeto. Recipe *polypodii, epithymi, singulorum, drach. iiij. turbith, scrup. ij. Scammonei, hellebori nigri, singulorum, scrup. j. Rhabarbari electi, agarici, singulorum, drach. ß. sennæ unc. j. gingiberis, caryophillorum, cinnamomi, anisorum, fœniculorum, amomi, camphoræ, singulorum gran. x. florum boraginis, florum buglossi, florum rosarum, florum violarum, singulorum drach. ij. passularum unc. j. sebestem numero xv. prunorum Ibericorum numero x. Misce, & bulliant in sufficienti quantitate aquæ fumi terræ secundum artem, ut, quæ majorem patiuntur decoctionem, primo insumantur, quæ minorem deinde, & quæ minimam in ultima ebullitione, quæ vero nullam expetunt, infundantur, postea singulo mane sex unciæ insumantur per viginti dies*, si vero sit sanitati restitutus, & pustulæ resolutæ sint, ac bubones (si adhuc perseverent) nihil aliud agendum supereſt. Verum si non videatur sanitati exquisite restitutus, ut integre sanitati restituatur, ligni Indici decoctum eo modo exhibeatur, quo postea dicemus, sitque decoctum in aqua. Tunc vero integre sanitati restituetur, victusque ratio erit ita servanda, ut posterius ostendemus.

Nonnulla vero sunt hoc loco pertractanda, quæ virile membrum, inguina, os, uteri collum, & mammas plerumque vexare solent. Utplurimum primum quod contingit in hoc affectu, pustulæ sunt in præputio, vel in glande, vel in utroque, quæ ex humorum acredine in perfrictione venerea excitatorum, & ex prava qualitate Gallica in uteri collo mulieris, vel è contrario excitantur. dico autem è contrario, quia ex eisdem causis in uteri collo eædem pustulæ excitantur, quando mulier non est affecta, & cum viro affecto concubitum habet. eadem vero erit tam in mulieribus, quam in viris, harum pustularum curatio. Sciendum vero est, ut plurimum prius oriri pustulas in pene, vel in uteri ore, quæ taroli vocantur, quam oriantur bubones, tamen nonnunquam prius oriuntur bubones, quam pustulæ istæ: licet raro fit, & loci propinquitas, ac virilis membri perfrictio in illa parte supra uteri mulieris pravæ affectæ collum ostendunt primo fieri debere in præputio, & glande pravum affectum, quam in inguinibus, imo & hoc pro majori parte contingit: licet dici posset, illas esse adenosas partes, in quibus bubones gignuntur, quæ facile recipiunt: quod verum esse fatemur, sed & præputii ac colis partes adeo molles sunt, ut facilius etiam recipiant, quam adenosæ partes & glandosæ, quæ aliquam habent duritiem. Et si dicas, naturam ejusmodi officium adenosis partibus præbuisse, ut recipiant: dicimus & præbuisse hoc officium, & naturam mollioribus partibus, ut facile recipiant, & ad omnia sint aptæ, cum adenosæ partes sint magis duræ, quam molles.

Si hæ pustulæ contingant, quæ taroli vocantur, & quæ pro majori parte rubræ sunt, & in medio albicantes, ita curari debent. si enim hic venæ sectione indigeat, jecoraria vena secanda est, postea expurgandus est, ut superius diximus in incipiente morbo, interim supra pustulas primo hic pulvis imponatur. Recipe *rosar. rub. balaustiarum, boli armenæ, singulorum drach. j. misce, & fiat pulvis subtilissimus*, qui supra hæc ulcuscula ponatur, ut exsiccentur, si hoc efficiatur, bene est; sin minus, prædictis pulveribus *aloën* addito, si sanitati non restituatur, hoc alio utaris pulvere. Recipe *aluminis rochæ drach. j. aloës, drach. ß. misce, & fiat pulvis subtilissimus*. si non exsiccentur, *unguento vocato Apostolorum* utaris, quod si finem non assequeris *Aegyptiaco unguento* utaris, si adhuc sanitati non restituatur, lotionem hanc fieri jubeto. Recipe *tutiæ præparatæ, aluminis rochæ, viridis æris combusti, singulorum drach. j. misce, & bulliant in vino albo, vel*, (si sentiret caliditatem) *in aqua plantaginis*, postea locus bene abluatur, post ablutionem ex hoc unguento inungito. Recipe *unguenti Ægyptiaci drach. j. pinguedinis anseris drach. iij. mercurii drach. ij. misce, & mercurium prius pinguedine mortificato*. si finem non assequeris, Mercurii quantitatem augeto. interim vero continuis evacuationibus, & præparationibus homo præparandus est, & ut unguentum, quod supra ponis, servetur, linteolum super adde cocta cerussa delinitum. his effectis, arbitror in sanitatem jam esse restitutum, & nulla re alia indigere. At si alia creverint, ut dolores, vel pustulæ per corpus, aut supra caput, & hæ, quæ sunt supra colem & præputium sanitati restitutæ sint, tunc curationem eo modo prosequaris, quo dictum est, Indici ligni decoctum præbendo, vel inunctiones adhibendo, ut de illis verba facturi sumus.

Notandum vero est in aliquibus magnas fieri per totum virile membrum pustulas, & usque ad profundum quandoque tendere, potissimum quando per aliquot temporis spatium ægrotans noluerit affectum suum medico detegere, sed sese curaverit, ut contingit: tunc enim solet magna priapi pars, vel totus ulcerari. tu ergo in hoc casu lotione ista utaris. Recipe *aloës, aluminis rochæ, viridis æris combusti, Aristolochiæ rotundæ, antimonii, singulorum drach. ß misce, & bulliant in vino*, si non adsit in loco calor; si calor adsit, *bulliant in aqua plantaginis, quantum sufficit*, postea totus penis abluatur, & præsertim ubi ulcera adsunt, quæ plerumque maligna sunt, & cacoëthica, & veluti chironia, videnturque in superficie benigna, in fundo vero sunt mali moris, facta ablutione, & loco abstersо, adhibeatur unguentum Apostolorum cum Mercurio, & pinguedine anseris, vel urſi. Quidam sunt, quibus displicent in his affectibus pinguia & oleaginea, verum unguenta absque his fieri non possunt. Et propterea eorum ratio absurda est, qua illa non probant. est vero, quia penetrare non sinit (inquiunt) id, quod oleagineum est, ob suam glutinositatem medicamenta. at isti adeo absurda ratione utuntur, ut nulla reprehensione sapientis viri indigeant, imo oleum ob tenuem suam substantiam præ cæteris penetrare potest, & nihil est, vel raro sunt ulla, oleo magis penetrativa, & cum Galenus in methodo medendi obstructiones aperire tentat, id facit universum corpus oleo aliquo inungendo. inungit enim vel *absinthite*, vel *chamæmelino*, vel *rutaceo*, vel alio simili. propterea non sunt recipiendi, qui dicunt olea simpliciter obstruere, tamen si supra penis ulcera post ablutionem sequenti pulvere uti volueris, nihil impediet. Recipe *litharg yrii auri, antimonii, plumbi usti, aluminis rochæ, cerus-*

*ſæ, tutiæ præparatæ, æris viridis uſti, ſingulorum drach. ſ. miſce, & pulverizentur, poſtea madeſcant in vino nigro ſtiptico, deinde exſiccentur, poſtea iterum madeſcant, & exſiccentur, & hoc ſexies fiat, denique fiat pulvis, & adde aloës, boli armenæ, terræ ſigillatæ, ſingulorum drach. ſ. Mercurii uſti ſcrup. ſ. miſce, & fiat pulvis ſubtiliſſimus,* qui ſupra maligna ulcera inſpergatur. nam omnia hujus generis etiam antiquiſſima ſanitati reſtituit. quare ubi ulcera ſunt prope ſanitatem, & tu volueris cicatricem inducere, hoc cerato utaris. Recipe *lithargyrii auri, ceruſſæ, ſingulorum drach. iiij. ceræ novæ unc. ſ. olei veteris unc. iiij. miſce, & bulliant quoad contrahat colorem pellis leonis,* hoc enim cerato facile cicatrix inducetur, non tantum in affectu Gallico, ſed & in omni alio ulcere ſaneſcente.

Nota autem, plerumque in initio Gallici affectus præputium, & glandem valde intumeſcere, & præputium, adeo intumeſcere, ut neceſſe ſit glandem tectam permanere, neque poſſe exui præputio, & urinarii tubi foramen clauſum videtur, & plerumque adeo ſunt dura, ut doleant, ego tunc jubeo, ut in lacte per aliquod tempus ſerventur, ut dolor ſedetur, & parum permiteſcant, poſtea jubeo, ut in hoc decocto laventur, ac bene tractentur. Recipe *malvæ, violarum, althææ, ſeminum lini, ſingulorum man. ſ. pinguedinis anſeris, pinguedinis gallinæ ſingulorum unc. ſ. miſce, & bulliant in aqua, in qua ſint lotæ lanæ, poſtea tumefacta pars tota lavetur, & in hoc decocto calido per horam ſervetur, ſupraponendo herbas, & tractando herbis loca iſta tumefacta ac duriora.* Verùntamen quia ſub præputio, quod converti non poteſt, adeſt plerumque dolor, & prava qualitas inducta, propterea opus erit inter glandem & præputium ſyringa injicere aliquod decoctum. decoctum vero ſit hoc, quia & adſunt puſtulæ in illa parte, licet non videantur. Recipe *malvæ, violarum, foliorum plantaginis, foliorum quinquenerviæ, tapſi barbati, balauſtiarum, ſingulorum man. ſ. Miſce, & bulliant in aqua ſumi terræ, & ſyringa per tres aut quatuor dies in locum inniciatur,* poſtea acceptis ſex unciis ejuſdem decocti, & ad hanc menſuram addito melle roſaceo, & viridi æris, iterum hoc injiciatur. Recipe *hujus decocti unc. vj. mellis roſati colati unc. ſ. viridis æris uſti drach. ſ. Miſce.* Cum in hoc caſu perſentiunt ex medicamentis in præputio & glande teredinem, ſtatim debet medicus jubere, ut penem in lac vaccinum imponat, quandoque diſſolvi jubeo in prædictum decoctum *unguentum Apoſtolorum*, quandoque *unguentum Ægyptiacum*, & ſyringa injici, extrinſecus autem poſt lotionem, in hoc tumore præputii, hoc linimento utaris. Recipe *olei antiqui unc. ij. butyri bene loti unc. ſ. lithargyrii auri, antimonii, plumbi uſti, ſingulorum drach. iiij. viridis æris uſti drach. ſ. miſce, & fiat linimentum.* Quandoque etiam in pene, poſt puſtulas, quæ vocantur taroli, contingunt (præſertim in his, qui diu voluere morbum occultare) durities, quæ vulgo gummi vocantur, tunc itaque alio modo procedendum eſt. nam opus eſt & emollire, & reſolvere, propterea fomentum hujus generis ſupra locum efficiendum eſt. Recipe *malvæ, violarum, rad cum althææ, florum braſſicæ, ſingulorum man. ſ. ſeminum lini, ſeminum fœnugræci, ſingulorum unc. ſ. medullæ cervinæ, pinguedinis anſeris, ſingulorum unc. vj. miſce, & bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, in quibus lanæ ablutæ ſunt, & in fine coctionis addantur aceti unc. ij.* Ut vis prædictorum facilius ad profunda penetret, poſtquam fuerit factum fomentum, & penis fuerit bene pertractatus in illa parte, in qua ſunt præduri illi tumores, tunc hoc linimento utaris ad emolliendas, ac reſolvendas durities. Recipe *pinguedinis taxi, pinguedinis urſi, ſingulorum unc. ſ. olei antiqui unc. iiij. radicum liliorum alborum, radicum iridis recentis, ſingulorum unc. ſ. mucilaginis althææ, mucilaginis fœnugræci, mucilaginis ſeminum lini, mucilaginis pſylii, ſingulorum unc. vj. diachylonis nigri unc. ſ. gummi ammoniaci præparati drach. iij. miſce, & fiat linimentum.* Contingit vero & illo initio ſimul habere bubones in inguinibus, & tunc cavendum eſt, ne repercutientia apponantur, quoniam ad jecur repercutiunt, & totum corpus inficiunt, unde reprobandi ſunt, qui *ceratum de Marchaſita* apponunt. ac ſimilia, ſed attrahentia potius apponenda ſunt, & maturantia, unde cataplaſma iſtud conficiatur. Recipe *malvæ, violarum, florum chamæmeli, meliloti, ſingulorum man. ſ. farinæ hordei unc. vj. miſce, & cum oleo amygd. dulcium & roſaceo ob inflammationem fiat cataplaſma,* quod per tres vel quatuor dies loco ſupraponatur, ſi enim extrahatur, & emolleſcat, bene eſt, ſin minus, hoc aliud parari jubeo. Recipe *malvæ, florum chamæmeli, ſtœchadis, meliloti, rutæ, hyſſopi, ſingulorum man. ſ. althææ, fœnugræci, ſeminum lini, ſingulorum man. ſ. miſce, & ſimul bene bulliant, poſtea in mortario tundantur, & adde farinæ orobi unc. vj. olei liliorum alborum quantum ſufficit. miſce, & fiat cataplaſma.* Si enim extra ducatur, & emolleſcat, bene eſt: ſin minus, hoc parari jubeo. Recipe *althææ, radicis liliorum alborum, radicis iridis, florum urticæ, malvæ, ſingulorum man. ſ. miſce, & bulliant ſecundum artem, poſtea pinſentur, & addatur galbani, bdellii, myrrhæ, ſingulorum drach. ij. fermenti drach. ſ. ſtercoris columbini unc. ſ. miſce, & cum oleo irino fiat cataplaſma,* quod ſupra bubonem ponatur. Scito columbinum ſtercus, ac ſimilia adhiberi, ut pellis attenuetur ac fatiſcat. ſi hoc non effecerit, quod petitur, quid agendum eſt? ego nonnunquam emplaſtrum de ſinapi apponi juſſi, quod locum mire rubrum reddidit, & materiam ad circumferentiam traxit, deinde juſſi apparari Galeni maturans emplaſtrum ex triticea farina, oleo, & aqua, & brevi, ac facili caput fecit, & ad exituram venit.

Ambiguum vero eſt, nunquid immaturus aperiri debeat ejuſcemodi abſceſſus, an ultima concoctio ſit expectanda? ego ſemper immaturum potius incidi voluerim, non tamen penitus immaturum, ne ob dolorem inflammatio exoriretur. imo ſi inciſio etiam fieret, antequam pus adeſſet, conveniret. nam malum non eſt, ut aliquis adſit dolor, ob quem materia ad locum trahatur, ac decurrat, poſtea apertum ſerveturque quantum fieri poterit ulcus. curatio vero fieri debet, ut in ejuſdem generis ulceribus fit, tamen aliqua miſcenda ſunt unguentis, quæ hunc affectum reſpiciant, ut aliquid vocati *præcipitati*, vel *pulveris ligni Indici* ad abſtergendum, ac mundificandum: ſemper vero aliqua commiſcenda ſunt ad locum attrahentia, nihilque repulſivum accipiatur, præterquam prima vice, quando inciſio facta eſt, pro hoc die albuminis ovi uſus convenit: laudoque ut ſimul cum vitello ſit. Cum vero inciditur, tanta ſanguinis quantitas exire ſinatur, quanta exire poterit, ſerveturque, quandiu fieri poterit, apertum ulcus, & unguentis utaris ſuperius enarratis in ulceribus penis malignis. cum vero bubo apertus amplius ſervari non poterit, claudi ſinatur. Sed hic ægrotus bene expurgetur, & per aliquas hebdomadas, ac menſes Alexandri pilulis utatur, in victuſque ratione optime ſe regat, ut in contracta jam ſanitate confirmetur. quod ſi affectus ad jecur non irrepſit, neque per totum corpus diſſeminatum eſt, bene huic erit. ſi vero per totum corpus irrepſiſſet, hoc cognoſcitur, vel quia pili decidunt, vel puſtulæ, aut durities per totum ſparguntur, aut dolores excitantur, tunc igitur eo modo curationem moliaris, quo ſuperius dictum eſt. in poſterum vero de pilorum defluvio dicemus, quod cum adeſt, affectus jam bubonum prætergreſſus eſt.

Quandoque affectus hic Gallicus abſque bubone, & abſque ulceribus in præputio, vel cole incipit. At gonorrhœa quædam incipit, quæ contingit ob pravam affectionem, vim retentricem lædentem, & expultricem ad expellendum laceſſentem, quæ materias per vias proprias tranſinittit, nec in inguinibus non colliguntur, neque in pene, hoc vero profluvium difficulter ſanatur, neque etiam adſtringi debet, ſed purgando potius curandum eſt, ut de purgatione ſuperius verba habuimus, hæc tamen non eſt vera gonorrhœa, id eſt, veri ſanguinis defluxus: ſed ſunt pituitoſæ materiæ, quandoque aliis miſtæ acrioribus, quæ prava qualitate Gallica affectæ ſunt. Etſi quiſpiam, hac gonorrhœa detentus, cum ſana muliere rem veneream habuerit, & ipſa in hunc materiæ defluxum incidat, ut videatur fere eſſe alter contagii modus, (quoniam in hac ſpecie per contagium recipitur, ut gonorrhœa gonorrhœam pariat, non autem panos vel bubones, neque in pene vel præputio puſtulas) curatio fiat per purgationes ſuperius enarratas, & ſi intentum hoc pacto minime aſſequeris, ad decoctum, & ad inunctiones tibi deveniendum erit. De vera autem gonorrhœa ſeorſum agemus, & de hujus generis profluviis tam in mulieribus, quam in viris, nam multa ſunt per penem profluvia, quæ gonorrhœa vocantur, tamen vere gonorrhœa non ſunt, imo ſunt pituitoſæ materiæ, quæ exeunt. Tamen cum plerumque contingat, ut in hujus materiæ exitu hi utantur, propterea conſiderare oportet, an ſit bilis, quæ exeat, an pituita falſa. neceſſarium enim eſt, eſſe materiam aliquam acrem, quæ uſtionem illam parit. ſi ſit bilis, ex colore percipitur: ſi autem pituita, & ea ex colore indicabitur. At quicquid ſit, ſemper eſt acris materia, tunc igitur ſyringa per urinariam fiſtulam in penem injice hoc decoctum. Recipe *malvæ, althææ, corigiolæ, id eſt, polygonati, roſarum rubrarum, balauſtiarum, ſingulorum man. ſ. bulliant hæc omnia in aqua plantaginis ſecundum artem.* Quandoque cogimur huic decocto miſcere lac ſive vaccinum, ſive alterius animantis & quandoque ſolum lac injicere. facta autem expurgatione, ut ſuperius dictum eſt, penis & partes penis, & perineum hoc linimento inungatur. Recipe *infrigidantis Galeni ſucco ſempervivi ter ablati unc. iij. boli armenæ, corallorum alborum, acaciæ, ſingulorum ſcrup. ſ. miſce.* Ante prandium & ante cœnam ſumatur ad caſtaneæ quantitatem ex hoc electuario. Recipe *ſacchari roſati, ſacchari penupharini, ſingulorum unc. ſ. ſ. boli*

ar-

*armenæ, terræ ſigillatæ, corallorum albórum, ſingulorum ſcrup. j. ſantali rubri, ſantali lutei, ſingulorum drach. ſ. miſce, & cum ſucco cotoneorum fiat eclegma, prædicto modo ſumendum.* Quod ſi ex his ſanitati reſtituatur, bene erit, ſin minus, ad Guajaci decoctum deveniendum eſt, & ad inunctiones, de quibus poſtea mentionem faciemus, ſcitoque ad hanc gonorrhœam plerumque ſequi defluvium pilorum, & alias omnes Gallici affectus ſpecies, licet quandoque diu perſeveret, abſque aliis Gallicæ luis ſpeciebus.

Veruntamen & in lingua, faucibus, ac gutture in hujus affectus initio puſtulæ oriuntur, quæ nonnunquam adeo dilatantur, ac creſcunt, ut palatum & fauces, ut gutturis initium corrodant, ut quandoque, cum bibere tentant, vinum, ſive aqua, ſive alius liquor, qui bibitur per nares exeat. nam cum transglutire volunt, ſupra rem liquida n linguæ compreſſio fit, & palatum verſus comprimitur, quod cum exeſum ſit & apertum, liquor ille aſcendit, & per nares exit. At qui animadvertunt, neque verſus palatum liquorem comprimunt, ſed abſque transglutitionis motu deſcendere ſinunt, his liquor deſcendit, & per nares minime aſcendit. Quandoque & labia & gingivæ præter linguam ſunt exanthematibus plena, quæ vulgo taroli vocantur, in medio albicantia, & circumcirca rubentia, quanquam & alios quandoque habeant diverſos colores, ut humores ſunt affecti, qui in hoc ægrotante ſuperabundant. cum igitur in quempiam incideris ita affectum, qui à te curandus ſit, purgationibus illis perfectis, quæ ſuperius enarratæ ſunt, primo hoc levi gargariſmate ut utatur efficies. Recipe *diamori unc. ij. aceti roſati unc. j. aquæ plantaginis lib. j. miſce.* Poſt hoc gargariſma iſtud aliud præparandum erit, atque exercendum. Recipe *roſ. rub. balauſtiarum, boli armenæ, acaciæ, hypociſtidis, ſingulorum drach. ij. aquæ plantaginis lib. j. aceti unc. ij. miſce, & bulliant ad conſumptionem duarum librarum, poſtea gargarizetur, & frequenter.* Tertio exercito & hoc aliud gargariſma. Recipe *aluminis liquidi, aluminis ſciſſilis, ſingulorum unc. ſ. boli armenæ drach. ij. aquæ plantaginis lib. j. miſce, & bulliant ad conſumptionem duarum librarum, poſtea adde aceti fortiſſimi unc. ij. oxym. compoſiti unc. j. miſce. & gargarizetur.* Nonnunquam in his gargariſmatibus *unguentum Apoſtolorum vocatum* diſſolvitur, nonnunquam *Aegyptiacum*, quando affectus ſunt ſordidi, tamen cum ejuſcemodi gargariſmata in illis exulceratis partibus uredinem quandam inducere ſoleant, propterea poſt hujus generis gargariſmata, aliquo lactis genere gargariſma fieri jubemus: & quandoque *ſeminum peponum expreſſo*, ut uredo dimoveatur. imo fuit plerumque opus in hac uredine *amygdalarum dulcium olei* cochlear adhibere, quod eſſet recenter expreſſum, ut paulatim deglutiretur. Nam hoc oleum uredinem levat, neque ulceribus obeſt. Ego quandoque juſſi fieri hoc decoctum. Recipe *ſem. lactucæ, endiviæ, portulacæ, ſingulorum drach. iiij. miſce, & bulliant in aqua plantaginis.* hoc decocto gargarizato, uredo viſa eſt abiiſſe. interim vero aliqua ſemper per os præbenda ſunt, quæ ſi non profecerint, ad Indici ligni decoctum deveniendum eſt, & ad alia magna præſidia, quæ ab hoc liberant affectu. nonnulli pituitoſi ſanitati reſtituti ſunt, quibus ejuſcemodi ulcera fuere *ardente aqua* frequenter contacta. nam ulcera hac aqua vehementer exſiccantur, & ſanitas reſtituitur, aliquibus *oleo ex calchanto confecto* (vitrioli oleum vocato) contacta ſunt, & profecere. aliis adhibita eſt *aqua fortis vocata, vel da partire*, qua aurifices utuntur, cum aurum ab argento (cum ſimul miſta ſunt) ſecernere tentant. hæc præſidia ulceribus cruſtas induxere, quæ poſtea exſiccatæ ſunt, & vero ejuſcemodi ſanitas conſequuta aqua ſola non adhibetur, ſed alicui roſaceæ aquæ portioni miſcetur, nonnullis talium generum ulcera palatum corroſere, ac nares, & hominem deformem reddidere, ut quibuſdam neceſſarium fuerit actualem ignem adhibere, & inurere, ne corroſio amplius procederet, & ne magis deformarentur, quam jam eſſent deformati. Hæc his ulceribus adhibentur præſidia, quæ quandoque ſunt hujus affectus initium, quando videlicet per os contagium recipitur.

Cum & hic affectus plerumque per mammas recipiatur, & mammæ ipſæ exulcerentur, propterea purgationibus ſuperius enarratis præmiſſis, eo modo tractanda erunt, quæ in his partibus prodibunt, ut illa, quæ in pene oriebantur, de quibus ſuperius locuti ſumus. Unum tantum animadvertendum, ne ſint in mammis adeo aſpera medicamenta, ſed ſemper gummi generibus & maſtiche mitigentur. Hæc de his, quæ in initio hujus affectus contingere ſolent.

At ſi quiſpiam hunc Gallicum affectum jam contraxerit, tamen non ſit inveteratus, neque ſit novus, ſed affectio jecur jam attigerit, & ſanguinem affecerit, & per totum corpus diducta ſit, puſtulasque excitaverit, & cruſtas, & durities, vel dolores, vel utrunque ſimul, tunc vehementiori indigemus curatione. nam homo cujuſvis temperiei, neceſſario atrabilaris efficitur, & pituita abundat, idcirco ſyrupi ſemper præbendi ſunt, qui hos humores reſpiciant, aliis haud neglectis. Si igitur ſanguineæ temperiei naturaliter fuerit, ſyrupus hic præbeatur. Recipe *ſyrupi de fumo terræ, de hyſſopo, de endivia, ſingulorum drach. vj. infuſ. ſenæ unc. iiij. miſce.* Si vero ſit bilioſæ temperici, vel præſcriptus præbeatur ſyrupus, vel hic, qui ſequitur. Recipe *ſyrupi violati, de endivia, ſingulorum unc. j. ſyrupi de fumo terræ unc. ſ. infuſ. ſenæ unc. iiij. miſce.* At ſi ſit temperiei pituitoſæ hic adhibeatur. Recipe *ſyrupi de hyſſopo, mellis roſati colati, ſingulorum unc. j. ſyrupi de epithymo, unc. ſ. infuſ. ſenæ unc. iiij. miſce.* Et ſi ſit atrabilaris temperiei, hunc inſumat, qui ſequitur, ſyrupum. Recipe *ſyrupi de epithymo, de fumo terræ, ſingulorum unc. j. infuſ. ſenæ unc. iiij. miſce.* Si quis vero ſit miſtæ temperiei, ſecundum miſtionis genus ſyrupi commiſceri debent. ſumptis ex his ſyrupis ad quindecim uſque, Alexandri pilulas præbere poteris, quas in capite de Epilepſia deſcribit, & à Meſue referuntur, cum de Epilepſia verba facit. Ego enim in Gallico affectu his utor pilulis, quæ maxime proficere videntur, quarum deſcriptio hæc eſt, ne illam deſideres. Recipe *aloës, colocynthidis, Scammonei, bdellii, hellebori nigri, gummi, ſingulorum partem unam. euphorbii, nitri, ſingulorum partem ſemis. miſce, & cum ſucco caulium conficiatur maſſa*, ex qua poſtea pilulæ adhibeantur, quando opus erit: quantitas autem ſumenda eſt à ſcrupulis duobus uſque ad quatuor. Si quis vero ſit, qui catapotia inſumere recuſet, aut nequeat, omnia prædicta ſimplicia, quæ in compoſitione jam dicta ſunt, in pulverem redigantur, & additis *gingibere, caryophillis, cinnamomo, galanga, calamo aromatico, ad quartam partem ſingulorum miſce, & cum ſaccharo fiant rotulæ*, quarum ſumenda quantitas eſt a drachmis quatuor, uſque ad ſex, pulvis vero prædictus in jure ſumatur. Tamen poteſt & inſumi ex electuario, quod ſequitur. Recipe *pulpæ colocynthidis drach. j. turbith drach. ſ. ſcammonei drach. j. ſ. hellebori nigri ſcrup. iij. ſalis gemmæ, cinnamomi, calami aromatici, maſtiches, gummi arabici, camphoræ, ſingulorum ſcrup. ſ. miſce, & cum ſyrupo de fumo terræ quantum ſufficit fiat electuarium, cujus ſumenda quantitas eſt à drachma una uſque ad tres.* at cum probe evacuatus fuerit (ſi vires conſtent) ligni Indici decoctum adhibeatur, cum illa ratione victus, de qua ſermonem habebimus. Ex his enim ſperandum eſt, quod in ſanitatem ægrotans reſtituendus ſit. At ſi imbecillis eſſet, & minime robuſtus, hoc decoctum ligni Indici in vino præbendum eſt, in qua ſumptione tanta victus tenuitate non indigemus, quanta in aquæ ſumptione indigemus: quanquam & in aquæ ſumptione tanta non indigemus victus tenuitate, quantam requiri ſcripſit Utenus, Nobilis Germanus.

At ſi morbus inveteratus ſit, ac antiquatus, ſic neceſſario effectus eſt melancholicus, & multa pituita abundat, & totum habet habitum jam immutatum, doloresque habere poteſt, cruſtas, ac durities ſimul, nunc autem de ſimplici curatione loquemur, at illa deinde adducemus, quæ à cruſtis liberant, à duris tumoribus, & à doloribus, ſimplex vero curatio eſt ita hunc purgare, ut ſimul & evacues ac concoquas, idcirco hujus generis ſyrupus exhibeatur. Recipe *infuſ. ſenæ unc. iiij. ſyrupi de epithymo, de fumo terræ, de pomis ſabor, ſingulorum unc. j. miſce.* Si hi ſyrupi multum educant, alternis ſumantur diebus, & hoc per multos dies continuetur. poſtea Alexand. pilulæ exhibeantur, vel hæ, quæ ſequuntur pilulæ. Recipe *hellebori nigri, turbith, ſcammonei, ſingulorum drach. j. agarici, rhabarbari, epithymi, ſingulorum drach. ſ. ſalis gemmæ, maſtiches, aniſorum, cinnamomi, gingiberis, ſingulorum ſcrup. ſ. miſce, & cum ſyrupo roſaceo ſolutivo fiat maſſa*, ex qua deinde pilulæ conficiantur, cujus ſumenda quantitas eſt à ſcrupulis duobus uſque ad quatuor, vel hæc eadem ſimplicia cum *ſyrupo de fumo terræ* in electuarii formam ſecundum artem reducantur, quod poſtea vel in bolos ſumatur, vel in *fumi terræ aqua* diſſolvatur, aut in alia ſimili. Idem medicamentum ex ſaccharo in rotulas reduci poteſt, ac in placentulas. electuarii porro quantitas ſumenda eſt à drachmis duabus uſque ad quatuor, in rotulis à drachmis tribus uſque ad ſex.

Purgatio bis terve reiterari debet, & in ſex rebus non naturalibus probe ægri regendi ſunt. Sed in tam longo affectu in inedia ſinendi non ſunt, & præſertim ii febre careant, vel ſi illa, qua correpti ſint, ſit remiſſa: in his vero modus ſervetur ſuperius ſcriptus in incipiente morbo, quamvis in confirmato aliqua in vino adhiberi debeant, quæ atram bilem reſpiciant, & pituitam. Poſſunt enim varii pro his humoribus fieri intinctus ad appetentiam excitandam, quæ quandoque abeſt. Purgationibus perfectis, quia per ipſas ab effectu non liberatur ægrotus (nam purgationes humores quidem evacuant, ſed à prava qualitate non liberant) idcirco opus eſt per aliquod ingenium illum removere. Tria inventa ſunt ad hanc pravam qualitatem

tem removendam præſidia. Unum eſt ſuffumigium, ſecundum inunctio, tertium ligni Indici decoctum, quartum nuper additum eſt, quod eſt radicis Chinæ vocatæ decoctum, de unoquoque horum quatuor plene tractandum eſt. Primo igitur de ſuffumigiis verba faciamus. commune ſuffumigium hoc modo fit. Poſt expurgationem enim denudetur ægrotus, & ſub conopeum exerto capite ponatur, mundusque harum rerum per totum corpus fumum recipiat. Recipe *cinnabaris unc. ij. s. thuris, ſtyracis liquidæ, ſingulorum unc. ſ. miſce, & fiat pulvis.* Hujus pulveris portio ſub conopeum ponatur ſupra ignem, & fumus recipiatur. Si vero petas, quomodo locandus ſit ad hunc fumum recipiendum, dicimus poſſe erectum manere, & ſupra ſcamnum ſedere poſſe perforatum, ut fumus totum corpus attingere poſſit, tantumque in hoc fumo permanendum, quantum ſudor exire inceperit, ac invaleſcere, cum vero invaleſcere incipit, ægrotus in calidum lectum ponendus eſt, probeque tegendus, ac per unius horæ ſpatium ſudare ſinendus: poſtea ſtragulæ ſenſim removendæ, & calidis linteis abſtergendus. cumque à ſudore quieverit, prandium adhibendum eſt, prandium dico, quoniam ejuſcemodi ſuffumigium mane potius, quam veſperi exercendum eſt, quamvis & veſperi fieri nihil impediat. in prandio pullos edat, capos, vitulinam carnem, hœdinam, vervecinam, ova, phaſianos, perdices, & hujus generis alia: vina bibat mediocria, quoniam ſuffumigium hoc vires reſolvit. Et ſi petas, per quot dies debeat ejuſcemodi ſuffumigium exerceri: dicimus per octo, vel ad ſummum per decem dies. aliqui normam præbent, cum dentes dolere inceperint, veruntamen nos, ne doleant, vel ne tam cito, ſingulo mane ſcrupulum unum pilularum Alexandri ſuperius deſcriptarum præbemus. Et ſi dicas excernere ægrum non poſſe, quando ſudabit, dicimus pilulam eſſe præbendum, quando ſuffumigandus eſt. nam hac hora præbendo, antequam ad actionem actuetur, extra ſudorem eſt. His plerumque gingivæ ulcerantur, lingua & fauces, & tunc gargariſmatibus uti oportebit, ut in inunctionibus dicemus.

Scitoque nonnullos medicos iſtos ſuffumigaſſe, capite etiam à conopeo non exerto, quod periculoſiſſimum eſt. nam quempiam vidi, qui ex fumo, caput petente, in apoplexiam incidit, & ſtatim mortuus in terram corruit, idcirco laudo ac jubeo, ut exerto capite ſuffumigentur, imo papilio circa collum ſtringatur, tum ne fumus exeat, tum ne nares feriat.

Id fuit ſuffumigium commune, quod hominem in ſanitatem reſtituere videtur, ſed omnes in ea non perſeverant, aliqui tamen ſanitati reſtituti ſunt, ſed longe rariores, quam ex aliis medicamentis, quæ in hoc caſu exercentur. nonnunquam ex aperientibus herbis & roborantibus ſuffumigia tentavi, quæ ſudorem quidem induxere, ſed exulcerationes in ore minime fecere, & affectum prorſus diminuere, ſed penitus non levarunt. Ut autem compoſitionem aliquam habeas ſuffumigiorum ex herbis odoratis ac roborantibus factorum, hoc, quod ſequitur, audito. Recipe *hyſſopi, ſalviæ, ivæ, roris marini, ſoliorum lauri, roſ. rub., pulegii, calaminthæ, carthami, cardui benedicti, amarici, artemiſiæ, rutæ, polii montani, millefolii, calendulæ, ſingulorum manip. ſ. aniſorum, amidi, fœniculorum, gingiberis, ſelidis, amomi, cærvi, cumini, ſingulorum drach. ij. miſce, & fiat pulvis*, qui ſupra prunas ponatur eodem modo, ut dictum eſt, fiat ſuffumigium, quod quidem blandum erit, ſudorem provocat, & reſolvit, affectumque mitigat, ſed penitus non liberat. nam materiæ quidem pars reſolvitur, ſed non tota, & prava affectus qualitas non removetur. nunc vero ſuffumigium addam, quo quandoque uſus ſum, cum eſſem juvenis, quinquies inquam aut ſexies. at poſtea neglexi ſuffumigia, cum certe ab affectu non liberent, nili raro. videbantur enim in principio liberaſſe, poſtea vero ad duos vel tres menſes redibat affectus. Recipe *cinnabaris unc. iij. maſtiches, gummi arabici, colophoniæ, ſtyracis calamitæ, ſingulorum drach. iij. antimonii, drach. ij. miſce, & fiat pulvis ſubtiliſſimus.* Alii ſunt, qui aliis utuntur ſuffumigiis, at omnia in ſimilia incidunt, quippe alii *cypariſſi gallas* adjiciunt, alii *gallas omphacitidas*, & alii alia ſimplicia. nonnulli ſunt, qui addunt etiam aromata, ut *nucem moſchatam, gingiberem*, ac ſimilia. omnes vero cinnabarim accipiunt, tamen & nonnulli vocatum præcipitatum adhibent, in quo, & in cinnabari tota vis reducendi in ſanitatem fixa eſt.

Ego nonnunquam ligni Indici ſuffumigium tentavi, quod prorſus contulit. at affectum penitus non exhauſit: tamen cum cinnabari miſtum, duo agit, pravam cinnabaris vim mitigat, & affectui valde confert. Eligendum autem eſt lignum, quod pinguiſſimum ſit. quid vero cinnabaris ſit, & quomodo ab hydrargyro diſtet, in noſtro ſimplicium examine diſcuſſum habetur.

Illos non probo, qui bis in die ſuffumigium faciunt, mane ſcilicet & veſperi; ſed illos probo, qui ſemel tantum hoc efficiunt, & mane: licet alicui non negarim, qui magis commodum veſperi haberet, ut veſperi id efficeret, & non mane, quia vires imbecillitantur, ſi bis in die fiat.

Neque mihi etiam illi placent, qui volunt hos ſudare per integram horam, antequam à ſuffumigio removeantur. at ne imbecillitentur, ut in magno ſint ſudore ſatis eſt, poſtea in calidum lectum ponantur, & probe tegantur, & unius horæ ſpatio ſudare ſinantur, denique abſtergantur, imo bis vel ter interim abſtergi poſſunt: nam hac abſterſione magis ſudabunt.

Illi inſuper mihi diſplicent, qui ſtatim cibum præbent, vel potum, nam per trium horarum ſpatium à ſuffumigio, & à ſudore dimitti debent, vel ſaltem per duas horas.

Denique rariſſimos vidi, qui fuerint per ſuffumigium ab affectu Gallico penitus abſoluti, licet aliqui plus temporis intermiſerint, alii minus à recidivatione, ſed pro majori parte illos vidi in recidivam incidere. de inunctionibus, ac ligni Indici decocto ſecus eſt. hæcque ſint ſatis de ſuffumigiis in hoc affectu.

De inunctionibus impræſentiarum loquendum eſt, verum ſub inunctionibus cerata contineri videntur, nam illis propinqua ſunt, idcirco priuſquam de inunctionibus verba faciamus, de ceratis agendum diximus. fit vero communiter hoc modo ceratum. Recipe *pinguedinis ſuis unc. xii. argenti vivi unc. viii. ſtyracis, theriacæ, ſingulorum unc. ſ. miſce, & cum cera & reſina pini fiat ceratum.* Aliqui ceratum hoc ſupra linteum extendebant, & à genibus infra applicabant, & per octo vel novem dies applicatum dimittebant, hocque in utroque crure faciebant. Magnæ vero fiebant in ore exulcerationes, & in ginvivis, ac palato. alii cum minori hydrargyri copia conficiunt, & cum aliis ſimplicibus. Verum quia non ſum aliorum modos relaturus, ſed proprios, idcirco id tantum referam quod ipſe effeci, cum uſus ſum ceratis in hoc affectu. Primo ceratum, quod ſequitur, confici jubebam: id vero ſecundum ætates alterabam, ſecundum anni tempora, & ſecundum temperies, in ſanguineis naturis hujus generis ceratum parari jubebam, vel (ut uno ac ſimplici verbo utar) in calidis ita confici monebam. Recipe *hydrargyri unc. iiij. pinguedinis anſeris unc. vj. miſce, & hydrargyrum probe mortificetur, poſtea adde gummi arabici, maſtiches, colophoniæ, ſingulorum drach. ij. camphoræ drach. ſ. mucilaginis pſyllii unc. ſ. olei roſati omphacini, ceræ, reſinæ pini, ſingulorum quantum ſufficit, miſce, & fiat ceratum*, hoc ceratum medium eſt. Quando vehemens confici volebam, *hydrargyri unc. vj.* ſumi jubebam. In frigidis vero naturis eadem compoſitione utebar, *camphora, mucilagine pſyllii, & oleo roſato omphacino* prætermiſſis, &, quæ ſequuntur, additis, *ſtyracis liquidæ, ſtyracis calamitæ, ſingulorum drach. ij. olei laurini quantum ſufficit.* Et in hoc genere vehemens quandoque faciebam, quandoque mediocre, quandoque imbecillum, hydrargyri quantitatem mutando. nam ipſum eſt, quod vehemens, mediocre, & imbecillum reddit medicamentum, vehemens ſex recipit hydrargyri uncias, mediocre quatuor, imbecillum duas. poſtea ſupra novum linteum, vel ſupra corium extendi jubebam, quod eſſet latitudinis quatuor digitorum, & tantæ longitudinis, ut membra ambire poſſet, itaque ſupra utrumque talum ceratum apponi jubebam, quod totum ambiret talum, & ſupra utrumque genu, & ſupra utraſque coxendices, & etiam ſupra utrumque carpum imponebam, & ſupra cubitum, & ſupra humerum, & per tres dies hoc modo ſervabam, poſtea nova alia cerata imponebam, quæ per alios tres dies adhuc ſervabam, iterumque mutabam, & per alios tres dies in illis locis dimittebam, interim ſingulo mane Alexandri pilularum ſcrupulum præbebam, ne gingivæ, palatum, & fauces exulcerarentur. ſcitoque tot debere eſſe cerata, quot ſunt membra, quibus applicantur. aliqui per novem integros dies cerata prima dimittunt, & nunquam mutant: verumtamen neque multum probo ejuſcemodi cerata, quoniam fallacia ſunt. nam etſi unum quandoque in ſanitatem reſtituant, decem erunt, qui ſanitati minime reſtituentur, idcirco horum ceratorum uſum prætermiſi.

Inunctiones impræſentiarum conſiderari debent, quæ ad hunc affectum valent, & homines ab eo procul dubio liberant. hæ vero inunctiones ſecundum temperaturas variari debent, & anni tempora, ac ætates, idcirco neceſſarium eſt, multas adducere compoſitiones, quæ ſecundum harum conditionum diverſitatem, variæ eſſe debent. hæc quæ ſequitur communis inunctio eſt, qua multi in omnibus utuntur abſque delectu. Recipe *Axungiæ ſuillæ neque recentis, neque antiquæ lib. ſ. butyri recentis unc. iij. theriacæ, quæ ſit in decimo anno, unc. ſ. ſ. Mithridatii unc. ſ. argenti vivi unc. ij. ſ. cinnabaris unc. ſ. lithargyrii auri, ſalis communis, ſingulorum unc. ſ. maſtiches, colophoniæ, ſingulorum drach. ij. olei laurini quantum ſufficit. miſce, & fiat*

*fiat unguentum*, aliqui non accipiunt *oleum laurinum*, sed *aquam fumi terræ & scabiosæ* ad tantam quantitatem, quod omnia simul commiscerí possint, mihi tamen potius arridet, ut oleum recipiatur. aliqui sunt, qui ita conficiunt unguentum, sed est vehementissimum. Recipe *pinguedinis suis liquefactæ unc. iij. argenti vivi unc. iiij. styracis liquidæ, theriacæ, singulorum unc. s. misce, & fiat linimentum secundum artem.* Nos vero aliis utimur unguentis, quorum compositiones, ne quispiam illas desideret, impræsentiarum adducemus. Si sit medium tempus, (ut ver, vel Autumnus) hoc utor unguento. Recipe *unguenti Aragon. unc. vj. butyri recentis bene loti unc. iiij. axungiæ suillæ unc. ij. argenti vivi unc. iiij. mastiches, colophoniæ, camphoræ, gummi arabici, singulorum drach. iiij. olei laurini unc. iij. myrrhæ, styracis, bdellii, singulorum drach. vj. misce, & fiat linimentum molle.* Hoc utor in mediis temporibus, & in temperaturis, neque calidis, neque frigidis: tamen ex perseverante affectu frigidi efficiuntur hujus morbi ægrotantes, & hæc est mediocris compositio, inter vehementem, & imbecillem media. compositio enim vehemens sex recipit hydrargyri uncias: imbecilla vero duas, vel tres, in æstate vero sequenti utor linimento, & in calida temperie. Recipe *unguenti Aragon unc. vj. axungiæ suillæ aqua rosacea lotæ, butyri eadem aqua loti, singulorum unc. iiij. hydrargyri unc. iij. olei rosati omphacini unc. iiij. camphoræ unc. s. bdellii, styracis, myrrhæ, singulorum drach. ij. mastiches, gummi arabici, colophoniæ, singulorum drach. ij. olei nenupharini unc. iij. misce, & fiat linimentum.* Si vero sit hyemale tempus, & temperies frigida, hac utor inunctione. Recipe *unguenti Aragon. unc. viij. butyri loti cum aqua salviæ, pinguedinis equinæ, singulorum unc. iiij. olei laurini unc. v. myrrhæ, aloës, croci, styracis, bdellii, singulorum unc. j. mastiches unc. j. s. mithridatii, theriacæ singulorum unc. s. hydrargyri unc. iiij. petrolei unc. iij. sulphuris unc. ij. misce, & fiat linimentum*: quod fieri potest vehementius, si sex uncias hydrargyri recipiat, & minus vehemens, imo imbecillum, si duæ unciæ tantum sumantur, vel tres. Nota vero in æstatis linimento nunquam esse faciendum vehementius linimentum, quam quod quatuor uncias recipiat hydrargyri: quia ob æstatis calorem vires vehementer resolvuntur. Si vero sit temperies frigida, & tempus æstivum, simplicia contempero, & si sit temperies calida, & hyemale tempus. nam necessarium est medicum ex præscriptis hinc formulis secundum varias & temporum, & temperierum complicationes, compositiones, quæ conveniunt sibi parare, & magis, ac minus addere, ut opus est.

De inungendi autem modo diversi inter se videntur authores. Nam aliqui à genu infra inungunt, & à cubito infra, idque faciunt bis in die; mihi verò potius placet, ut semel tantum in die inungatur, & hoc modo summo mane brachia inungantur, ac crura, brachia inquam ab humeris ad extremas manus, apud ignem fricando, & penetrare faciendo, & à coxis ad extremas pedis partes, apud ignem etiam fricando. postea quatuor fasciis & crura vinciantur, & brachia, & in calidum lectum ponatur, calidisque pelliceis vestibus contegatur, ut sudare valeat, & per integram horam probe tectus remaneat, ut prorsus sudet, postea bene abstergatur, & per aliam horam cum minori stragularum copia sinatur, ut à sudore quiescat, postea per aliam horam adhuc quiescat absque stragulis, quæ sudorem excitare possint. post has tres horas è lecto surgat, si voluerit, & prandeat, at in hoc casu, quia vires ab hac inunctione resolvuntur, fasciæ auferantur, & induat se interula alba, quam deinceps non mutabit, nisi postquam fuerit lotus, ciboſque probi nutrimenti sumat, ut phasianos, perdices, aviculas, capos, pullos gallinaceos, & columbaceos, ova, hœdos, vitulos, optimaque vina bibat, & si e lecto surgere voluerit, surgat: siquc hyems sit, in calido cubiculo maneat, si vero æstas, in frigido minime perflet, sed in temperato. Et ita in mediis temporibus, in his tamen temporibus mediis, ad calidum potius inclinet. Ante inunctionem, debuit insumpsisse *pilularum Alexandri scrupulum unum*: hocque singulo mane fiat, usque in inunctionis finem, quæ per dies novem perdurabit, nisi tantum excerneret, quod nonnunquam pilulas prætermittere cogeremur, quia octies vel decies & copiosè, per tres aut quatuor dies successive excrevisset, vesperi hora convenienti cœnet, & cibis jam dictis vescatur.

Secunda die summo mane eodem modo inungatur, eodemque in omnibus tractetur modo, & tertio die, & quarto usque in nonum diem. Nota vero, quod secunda & tertia die ægrotus pejus habere videbitur, postea quarto die dolorum remissionem vel crustarum manifeste sentire incipiet: & hoc in his, qui de recenti contagium recepere. in his vero, qui morbo antiquo laborant, A ad sextum usque diem pejus habere videntur, postea in sanitatem restituuntur. imo medicus animadvertere debet, cum in nona sunt inunctione, nunquid sanitati restituius esse videatur: quod si adhuc hæsitet, decima vice inungi faciat, & usque ad duodecimam, si opus est. Notandum vero est in forti inunctione non esse pertranseundum nonum diem, in mediocri decimum, in imbecilla duodecimum.

Solent quarto die dentes, & gingivæ dolere, atque exulcerari, tunc *hordeum sumatur, cum aliquibus plantaginis foliis ac myrtillis, bulliantque simul*, & ex hoc decocto os frequenter abluatur. postea si aliquæ parvæ fiant exulcerationes, *mel rosaceum* addatur, deinde *alumen*, & frequentissime abluatur, & quum non probe exspuit, decoctum illud fiat. Recipe *caricarum, passularum, sebesten, singulorum unc. s. misce, & bulliant in aqua, postea melle rosaceo addito, os abluatur, ac gargarizetur.* hoc utor decocto. Quandoque ex ulcusculis pus excitandum est. quandoque æstivo tempore coactus fui finere, ut hi in *ore* B *cucurbitæ succum* servarent, vel *cucumeris*, vel *portulacæ*, & quandoque *oleum amygdalarum dulcium* in ore servandum jussi, quod recenter expressum esset. Nota vero inter illa, quæ in hoc casu magnum faciunt ardorem, potissimum esse vinum, quandoque lacte ablui jussi, quandoque jure pingui, ut magis commodum videbatur ægrotanti. in novem inunctionum fine sequenti die jubeo, ut *vino albo potenti, in quo rosæ ebullierint*, crura ac brachia linteo madefacto probe laventur, & alba interula induantur. sequenti die jubeo, ut aquæ dulcis balneum ingrediantur, in qua sequentes herbæ ebullierint, neque opus est, ut tot sint, vel pauciores, vel plures, sed illæ ex his sumantur, quæ haberi possunt. Recipe *salviæ, menthæ, roris marini, rosarum rubrarum, florum chamæmeli, flæchadis, meliloti, foliorum lauri, rutæ, pulegii, calaminthæ, hyssopi, artemisiæ, absinthii, ivæ, singulorum man. iij. misce, & bulliant in sufficienti quantitate aquæ*, & ægrotans hyeme, ac in mediis temporibus lavacrum hujus decocti ingrediatur, & optime lavetur, ut C nihil inunctionis supra carnem relinquatur. Si vero sit æstas, ex sequentibus herbis balneum conficiatur. Recipe *rosarum rubrarum, violarum, capil. vener. florum nenupharis, florum chamæmeli, singulorum man. iij. myrtillorum, nucum cypariss, balaustiarum, singulorum man ij. meliloti, baccaræ, singulorum man. j. misce, & bulliant in aqua secundum artem.* Postquam fuerit bene lotus, inungatur *oleo de rosetis vocato* totus, ac in lectum ponatur, vel *oleo de floribus citranguli*. lectus vero sit albis linteis odoratis stratus, & alba induatur interula, nitida, & odorata, & hoc nitido lecto parumper fruatur, postea cibum sumat, quia sanitati restitutus est. tamen ab re non erit, singulis hebdomadibus per mensem *scrupulos duos pilularum Alexandri exhibere.* In hoc etiam casu, dum inunctio fit, principalia membra roboranda sunt: cor igitur hac inunctione perungatur, Recipe *olei de citrangulis unc. iij. boli armenæ, terræ sigillatæ, singulorum drach. j. theriacæ unc. j. misce, & cum cera fiat linimentum molle*, quo in hyeme utaris, & in temporibus mediis. in æ- D state vero non misceatur Theriaca, sed theriacæ loco apponantur, *santali rubri, santali lutei, singulorum drach. ij.* Post inunctionem epithema cordi supraponatur, & si hyems sit, ita confici debet. Recipe *aquarum rosarum, aquarum citrangulorum, aquarum melissæ, singulorum unc. iiij. galliæ moschatæ, corticum citrorum singulorum unc. s. caryophyllorum, cinnamomi, singulorum drach. ij. aceti unc. j. vini cretici unc. ij. musci, ambracani, singulorum gran. ij. croci gran. vj.* Hæc omnia simul misceantur, deinde linteum madefcat, & supra cordis regionem extendatur. si vero sit æstas, hoc fiat, quod sequitur, epithema, Recipe *aquarum rosarum, aquarum citrangulorum, aquarum boraginis, singulorum unc. iiij. specierum trisantalorum, succi limonis, singulorum drach. iiij. succi nenupharis drach. ij. aceti unc. ij. musci, ambracani, singulorum gran. j. croci gran. iij. misce.* Jecur insuper infrigidante Galeni inungendum est, cui nonnihil unguenti santalini hoc modo addatur, Recipe *infrigidantis Galeni unc. ij. unguenti santalini unc. j. misce.* Ante E prandium atque cœnam sequentis eclegmatis ad avellanæ quantitatem insumendum est, si hyems sit, aut medium tempus. Recipe *saccbari rosati, boraginati singulorum unc. ij. lætificantis almansoris, diamusci dulcis, singulorum drach. j. s. theriacæ magnæ drach. j. boli armenæ, terræ sigillatæ, singulorum scrup. j. misce, & cum syrupo de corticibus citri fiat electuarium.* Si vero sit æstas, ex his eclegma conficiatur, Recipe *saccbari rosati, boraginati singulorum unc. iij. lætificantis almansoris, diamoschi dulcis, singulorum drach. j. camphoræ drach. s. santali rubri, lutei singulorum scrup. j. misce, & cum syrupo de aceto itate citri fiat eclegma.* Si vero ægrotum reficere tibi placuerit, cuia ipsius vires haud robustæ sint, tunc sequentes morsellos (ut

communi utar nomine) fieri jubeto. Recipe *pulpæ caponum, vel phasianorum unc. vj. nucleorum pineorum, pistachiorum, amygdalarum dulcium, singulorum unc. iij. cinnamomi unc. s. gingiberis, caryophyllorum, singulorum drach. j. muſci gran. ij. ambracani gran. iij. Misce, & cum ſaccharo quantum ſufficit, fiant vocati morſelli*, quorum unusquiſque ſit quantitatis ſemiunciæ, & unus ſingulo mane ante prandium accipiatur, ac unus ante cœnam.

His omnibus ex ordine peractis, arbitrandum eſt hunc ægrotum eſſe in ſanitatem reſtitutum, tamen poſt inunctiones ad abundantiorem cautelam, jubeo, ut per viginti ſaltem dies ligni Indici decoctum ſumatur, hoc enim eſt id extremum, quod ſanitatem exquiſite confirmat.

Contingit nonnunquam, dum aliqui inunguntur, ut duros habeant in capite tumores, aut in aliis corporis partibus, ſed præſertim ſupra tibiæ ſpiculum, in eo igitur, in quo ſunt, loco prædicto linimento inungendi ſunt, aut cerotum hoc parandum, ac loco intumeſcenti ſupraponendum, cum illud prius ſupra corium extenderis. Recipe *mercurii unc. s. diachylonis majoris unc. j. ammoniaci præparati drach. vj. miſce, & fiat ceratum.* Si vero in eiſdem locis adeſſent cruſtæ, eodem modo eſſent inungendæ, & prædictum ceratum apponendum, tamen ex ſola inunctione ad brachia, & ad crura cruſtæ, in quocunque ſint loco, decidunt.

Dum inunguntur ægroti, evitandum eſt, ne teſtium burſa inungatur, nam pelle exuitur cum maximo pruritu, id tamen nihil eſt præter incommodum pruritus, nam poſtea nova pelle induitur burſa.

Denique, ne aliquid prætermittamus ex his, quæ fieri poſſunt in hoc affectu, vel quæ fieri conſueta ſunt, nonnulli hac inunctione utuntur. Recipe *olei chamæmelini, anethini, laurini, iridis, Roſacei, ſingulorum drach. ij. terebinthinæ unc. j. axungiæ ſuillæ recentis lib. s. lithargyrii auri, ceruſſæ, ſublimati pulverizati, ſingulorum drach. ij. bulliant ſimul una ebullitione, & cum ab igne removentur, adde ſimul, cineris vitis, thuris, maſtiches, ſingulorum unc. s. omnia ſimul miſceantur, & conficiantur ad formam unguenti, poſtea accipe argenti vivi extincti unc. iij. ſtyracis liquidæ unc. j. miſce omnia ſimul, & in mortario bene tundantur, quoad fuerint probe ſimul miſta, & in unguenti formam redacta.* Hæc eſt aliquorum inunctio, qua in omnibus indifferenter utuntur, tam in calidis, quam frigidis, tam in æſtate, quam hyeme, & mediis temporibus, & eſt non valde efficax unguentum, ſed illud addere volui, ne quicquam prætermitteretur, quod deſiderare poſſes.

Dubium vero contingit, cur in hac unctione morbus per os fere expurgari videatur, & quanto magis exſpuunt, tanto magis in ſanitatem reſtituuntur. Nonnulli hoc referunt in proprietatem quandam, quam habet argentum vivum, ut ipſius natura ſit ad os tranſmittere materias, quæ in corpore continentur. at mihi inſulſum videtur ad has proprietates, quarum rationes reddi non poſſunt, confugere velle. Alii dicunt eſſe calidiſſimæ naturæ, nam ad quartum fere ordinem attingit, idcirco materias craſſas liquefacit, & ad os tranſinittit. At dices, cur ad alias partes non tranſmittit, & cur ad os potius, quam ad illas? Alii dicunt ad os illas ſolum materias tranſmitti, quæ in capite ſunt, & experientia oppoſitum oſtendit, quoniam & reliquæ, quæ in corpore ſunt, ad os tranſmittuntur: nam tanta materiæ copia quandoque exit, ut ad illam recipiendam ſex capita non eſſent ſatis. Calidum vero eſſe argentum vivum ex Paulo colligere volunt, ſed de hoc poſtea, nos in præſentia potius arbitramur frigidæ eſſe, & tenuium partium naturæ, quoniam & ipſa intenſiſſimi hyemis frigiditas, dum ſubiit noſtra corpora, illa penetrat, & neceſſario eſt tenuium partium: aëri enim nimium innititur, qui per cutaneos meatus ad oſſa uſque penetrat, ita argentum vivum, etſi frigidum ſit, tamen tenuium eſt partium, cum ſit aqueæ naturæ. hoc vero ita oſtenditur, ſi in craſſiſſimi corii marſupium argentum vivum imponatur, & bene comprimatur, per ſolidas corii partes exit hydrargyrium: nam ſua tenuitate novit inſenſibiles illius corii meatus invenire, quos forte aqua ipſa non inveniret, vel non tam cito; quia aliquid habet ſulphuris admiſti in ſua ſubſtantia. Unde dicendum eſt, argentum vivum ſua frigiditate membra omnia comprimere, & ad locum illum comprimere, per quem natum eſt humores tranſmittere. Cum vero os unus ſit locus ex illis, non mirum ſi ad os materiæ repercutiantur, tamen & in aliquibus ad anum tendunt, & per anum exeunt, qui eſt alter locus, per quem natura ſolet tranſmittere humores, & ideo ad expulſionis loca repercutit. hic vero locus, qui os vocatur, materias facile recipit, quæ à capite, thorace, & aliis partibus ab aliquo violento medicamento repercutiuntur. itaque hanc arbitror eſſe cauſam, cur materias ad os tranſinittat. ſua inſuper tenui natura craſſas materias attenuat, ut illas ad os facile repercutere poſſit. Quempiam vidi, cui ex hac inunctione anus ita erat exulceratus, ut ſunt gingivæ, ob harum ſcilicet materierum tranſmiſſionem ad unum, ut cauſa, cur ad os tranſmittit, ſit, quia repercutit, & cum vehementia ad unam expulſionis viam materias tranſmittit. Una autem via eſt os, quæ facilior eſt, quam anus, cum plures partes ſint ori magis propinquæ, quam ano, ex his inquam partibus, quæ in corpore ſunt humorum capacibus, hæcque vehemens expulſio per venas fit, quæ ad os expreſſe tranſmittunt, forte ita dicendum eſt de repercuſſione per hydrargyrium facta ad os.

Alias ſentire ſolebam eſſe calidæ temperici hydrargyrium, & tunc facilius erat rationem reddere, cur materiæ ad os decurrant: movebarque ad ſentiendum, quod eſſet calidum ex quodam Galeni loco, in *quarto de Simplicium medicamentorum facultatibus, cap.* 19. ubi incidenter de hydrargyrio tractat, & inquit, eſſe craſſarum partium, & poteſtate calidum, ſicut ferrum. nam illud ferro comparat, & dicit ventrem exulcerare, non aliter quam ferrum ignitum ac lapidem. Sequitur vero, tum exurunt, cum ſcilicet in corpus diſtribui præ gravitate haud poſſint, ſed Galenus in hoc mihi parcat. Nam experientia oſtendit, per corpus mire diſtribui argentum vivum, & maxime penetrare. nam ſolis inunctis manibus unguento, in quo argentum vivum receptum ſit, per totum corpus penetrat. egomet cum nonnunquam ſcabie affectus eſſem, & inungi renuerem, argentum vivum ſuillæ axungiæ miſcui, poſtea manuum carpum tantum delinivi, & univerſi corporis ſcabies trium dierum ſpatio tota exhauſta eſt. hinc igitur colligi poteſt, an penetret, & per corpus diſtribuatur, an non. Prætereo, quæ ſuperius dicta ſunt de argento vivo in defunctorum capitibus in ſepulchris reperto, tamen brachia tantum & crura inuncta ſunt. dicit inſuper Galenus illud facere calidum potentia ſicuti ferrum, quoniam igniri poſſit & incaleſcere, ſed in actuali ſua natura frigidum eſt. veruntamen de argento vivo hoc dici non poteſt, quoniam ut igniatur minime exſpectat. nam totus evaporat, cum ignem ſentit, niſi ſit alicui rei miſtum, & mortificatum, ut cum aduritur. antiquitus vero urebatur etiam, & per os præbebatur ad nonnullos alvi dolores, Paulo teſte *lib.* vij. At dices Galenum dicere igniri in humano corpore, & in animante accipere mutationem non aliter, quam lapis ferrumque ignitum, tum exulcerant, tum exurunt, verum hoc non videtur, ſcilicet quod exulceret vivum argentum exuratve. Alias arbitratus ſum Galenum modicam habuiſſe hydrargyrii cognitionem. nam in 9. *de ſimplicium medicamentorum facultatibus* aperte dicit hydrargyrium non eſſe ex ſponte naſcentibus medicamentis, ſed ex iis quæ præparantur, veluti *pſimmythium, æruge, pſoricum, lithargyros.* at hydrargyros quandoque eſt vomica terreſtris, quæ à minera exit. Forte Galenus intelligit, quod poſtquam collectum eſt expurgatur, ſed hoc non aufert, quin ſit ſponte naſcens medicamentum. id vero confirmat meam ſententiam, quod Galenus haud probe cognoverit argenti vivi naturam, quia ſtatim ſequitur: (*nullum autem ejus ſeci periculum, neque quod interimat, ſi devoretur, neque ubi foris admota ſit*) ut plane videas Galenum haud probe hydrargyrii naturam noviſſe. Sed aliud etiam me commovebat, ut putarem eſſe calidæ temperiei argentum vivum, Pauli videlicet ſententia à Rhaſi adducta, qui expreſſe fatetur (juxta Rhaſim) calidum eſſe hydrargyrium. veruntamen Paulum diligenter conſiderans, nullum inveni locum, in quo hoc fateretur Paulus. tamen bis de hydrargyrio verba facit, & *libro quinto capite* 64. & *libro vij. in litera v*, & tamen neque in uno, neque in alio loco mentionem facit quod calidum ſit, nedum quod tali qualitate, vel tali ex primis ſit præditum. Et Ariſtoteles calidum eſſe ſuadere videbatur in *iiij. Meteor. lib.* cum de his quæ coagulari non poſſunt, agit, & inquit. Incoagulabilia autem ſunt, quæcunque aut humiditate aquoſa carent, aut non aquæ ſunt, ſed plus habent calidi & terræ, puta mel, & muſtum, aut plus aëris, ſicut oleum, & argentum vivum, hic ſupple, iterum aut plus calidi & aëris, ut notetur in argento vivo adeſſe plus calidi & aëris, propterea non poſſe coagulari. Hinc addiſcant chymiſtæ, quomodo fixum reddere poſſint ſuum mercurium, quod tantopere quærunt, & quæſivere, nunquam tamen invenerunt. neque (ut arbitror) inventuri ſunt. At hæc eſſet via, removere ab ipſo aëream naturam, & calidam, tunc enim fixum redderetur, ſed amplius non eſſet vivum argentum, neque etiam argentum. Ad rem vero redeuntes, Ariſtoteles argentum vivum calidum facere videtur, & aëreæ ſubſtantiæ, ob quam naturam perenni motu agitatur: at *liber hic quartus Meteororum* tanto Authore, quantus eſt Ariſtoteles, dignus non videtur, multæque in eo imperfectiones ſunt, neque ad tres meteorologicos præſcriptos libros aliquid commune habet, imo ad ipſos nihil penitus ſpectare videtur, idcirco ſi non recipiatur, ut Ariſtotelis liber,

liber, non erit magni momenti erratum, tamen argentum vivum aqueum facit, & monet esse uti aquam, quæ cum terra valde tenui miscetur sulphurea, & est horum mistio vehementissima, hinc perenniter movetur, album esse dicit, ex aquæ albedine, & tenuissima terra mista, cum vero partes aqueæ magis appareant in ipso, quam sulphureæ, frigidum potius censendum est, quam calidum. At Hali Abbas, ac Rhasis in ultimo continentis illud faciunt non tantum calidum, sed & adurentis naturæ, quanquam alii calidum tantum in secundo esse fateantur, tamen simpliciter nos potius frigidum esse dicendum jubemus. At argumentantur recentes, quomodo illud potest esse frigidum, quod corrodit ac mordicat? id profecto, quod hujus generis est, frigidum esse non poterit: at argentum vivum corrodere ac mordicare Dioscorides testatur, igitur calidum esse oportet, ac ejuscemodi argumentatio non uno errore ficatet, sed pluribus, cum prima propositio, cui tota ratio innititur, absurda sit, non enim omne, quod corrodit, & mordicat, calidum est. nam hyemis tempore frigidus aer corrodit, ac mordicat: tamen nulla caliditate præditum est, sed simpliciter frigidum. neque etiam Dioscorides aliud dicit, quam intestina erodere suo pondere, illa inquam non qualitate aliqua calida, sed suo pondere lædit, ac perforat. At hoc non facit in parva copia sumptum, quoniam pondus tale non est, ut intestina perforare, ac penetrare possit. At iterum argumentantur, cum in rebus symbolum sit, si argentum vivum statim in aerem convertatur, quis negabit illud esse aereæ naturæ? in aerem vero statim converti id ostendit, quod si igni applicetur, in fumum convertitur, qui statim aer evadit. at quantum ratio hæc conveniat, tibi ostendere potest aquæ in aerem conversio per ignis applicationem, nam cum ignis aquæ applicatur, statim in vapores convertitur, qui aer mox efficiuntur. tamen non sequitur, ergo aqua calida est. ita neque sequi debet in fumos convertitur, qui statim aer efficiuntur, igitur argentum vivum est calidum, quoniam & id symbolum, quod dicunt, non facit, ut habeat qualitates illius in quod habet symbolum, nam aqua habet ad aerem symbolum, tamen non sequitur, quod aqua aeris qualitates habeat, ut in genere ego potius arbitrer esse frigidæ temperei, tamen ob pondus maximum, quod habet, tum quia cum eo aliqui delinuntur, ac naturalis calor retrahitur, ac ad interiora retruditur: tum quia juxta Avicennam, ægritudines frigidas inducit, ut paralysim, stuporem, epilepsiam, apoplexiam, & similes ægritudines. Prætereo impræsentiarum argumentum à nominis ratione, quoniam hydrargyros vocatur, ac si dicatur aqueum argentum, ut notetur ejus naturam esse de aquæ natura, quanquam hoc attribui posset suæ mobilitati, ut aqueum dicatur, non quia sit de aquæ natura, sed quia motum habeat, albedinem ac luciditatem, ut aqua, imo nonnulli ex mobilitate sumere volunt, quod calidum sit, quoniam res calidæ motu magis præstant, quam frigidæ: sed frivolum est argumentum, cum aqua ipsa, quæ frigida est, si in plano ponatur, discurrat, nec sistere possit, ita argentum vivum in plano positum discurrit, cum vero terminum habet, ibi sistit, neque amplius movetur, ut in summa inferre voluerim, argentum vivum esse potius frigidum, quam calidum, tamen & aliquas partes habere calidas. non enim est simplex corpus elementare, sed ex elementis compositum, aqueo elemento superante, cum aerei miscela terra potissima ac tenuissima, quæ sulphurea est, cum ignis portione vehementer commista, planum vero est sulphuream ipsi subesse naturam, si quis illud tractet, nam manus sulphur olent. Conciliator in suis differentiis duobus modis conatus est 151. *differentia* autores in tanto dissidio conciliare. Unus est modus, quia ex duabus conficitur partibus vivum argentum, ex aquæ inquam parte, & sulphurea, ratione aqueæ frigidum dici potest, ratione vero sulphureæ calidum. Alter conciliandi modus est, quod triplex reperitur argenti vivi species. Una, quæ (juxta Dioscoridem) ex minio fit, & cinnabari, nam hæc in testeum cacabum ponitur, & ferreo cooperculo exquisite tegitur, & igni exponitur, post tres aut quatuor horas ab igne removetur, & quod operculo inhæret, colligendum. aliud est hujus argenti genus, quod decurrit per montes, & est (Plinio teste) veluti vomica, quæ perenniter illud emittit. Extat & tertium genus, quod ex montis lapidibus extruditur, sicut & alia extruduntur metalla, hocque vi ignis efficitur, tunc monet hoc tertium genus esse calidum, reliqua duo frigida: ut ex harum specierum distinctione inter autores differentiam statuat, & convenientiam, & illos haud dissidentes reddat.

Sed ut huic negotio finem imponamus, dicendum est argentum vivum esse diversarum partium, calidarum inquam & frigidarum, at frigidæ calidas superant. itaque diversitatem partium ponendo, facilius ratio redditur, cur ad os materias transmittat, nam pars calida penetrat, & frigida illam sequitur, calida attenuat, frigida repercutit, & ad propinquiora loca repellit. Unde cum materiæ, quæ in capite, thorace, ac similibus partibus sunt, ori potius, quam ano propinquæ existant, idcirco ad os facilius transmittuntur, & per illud exeunt. Cum vero experientia ostendat eos, qui inunguntur, in oris fœtorem incidere, cum inunctiones hydrargyros ingreditur (secus vero est, si aliis inungantur inunctionibus, in quibus abest hydrargyros) idcirco petendum videtur, cur oris fœtorem inducat vivum argentum. Nonnulli respondent, hanc esse argenti vivi naturam, nam sua proprietate oris fœtorem inducit. arbitror esse materias istas, os petentes, quæ oris fœtorem pariunt, tamen cum experientia ostendat non paucas mulieres hydrargyro uti sputo extincto, ad mactandos in puerulis pediculos, & compositio hujusmodi, ex sputo scilicet & hydrargyro, fœteat, arbitrandum est & nonnihil etiam ad fœtorem addere vivum argentum: in inunctione vero corpora penetrat, & sputo miscetur. per insensibiles vero meatus ipsum corpora penetrare, planum fiet, si quis inunctorum capita, cum mortui sunt, inspicere tentet, ego enim non semel in sepulchris argentum vivum in mortuorum capitibus reperi. vidi & quempiam, qui ter fuerat in brachiis solum, & cruribus inunctus, tamen cum nonnunquam latrinæ insideret, argenti vivi pateram fere evomuit. rei, quam evomuerat, pondus persensit, uxorem accivit, quæ lumen (nam nox erat) afferret, nimirum quid evomuisset inspecturus erat, arbitrabatur ipse crassam pituitam se inventurum, in terram aspiciens nihil prorsus invenit, at prope loci parietes argenti vivi, quod evomuerat, magnam quantitatem reperit, ut planum sit à brachiis & cruribus in ventriculum per occultos meatus penetrasse. referebat vero quod, antequam evomuisset, multi erant dies, quod in ventriculo pondus quoddam & miram anguistiam sentiebat. Mirum tamen videtur quomodo in ventriculo permanere potuerit, & ad intestina non descenderit: forte quia erat in ventriculi cavitate, & ob pondus ad pylorum ascendere non poterat, at magno naturæ nixu facto illud evomuit.

Petes iterum, cum venenum sit, cur hunc non interfecit, qui tanta Mercurii copia plenus erat? Dicimus, naturam fuisse paulatim illi veneno assuetam, vel dicamus Dioscoridem & alios autores dicere esse venenum suo pondere. At inquies, in tanta copia cur ventriculum non perforavit? forte dicendum, naturam suæ qualitati suoque ponderi paulatim fuisse assuetam, secus esset, si statim biberetur, & per os ventriculum ingrederetur. Nota insuper multa esse, quæ homini venena sunt, cum vero homo aliud veneni genus receperit, cui illud sit adversissimum, hoc non esse amplius venenum, sed magis antidotum adversus primum venenum. hoc elegantissime ostendit Ausonius Gallus in epigrammate, in quo refert uxorem quandam veneno virum suum necare voluisse, & cum venenum temperasset, visum est illi non esse decentem copiam, & huic primo veneno addidit argentum vivum, quod fuit viro suo adversus primum venenum antidotum, it vero cecinit poëta:

*Toxica Zelotypo dedit uxor Mæcha marito,*
*Nec satis ad mortem credidit esse datum.*
*Miscuit argenti lethalia pondera vivi,*
*Cogeret ut celerem vis geminata necem.*
*Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum,*
*Antidotum sumet qui sociata bibet.*
*Ergo inter se se dum noxia pocula certant,*
*Cessit lethalis noxa salutiferæ?*
*Protinus & vacuos alvi petiere recessus,*
*Lubrica dejectis qua via nota cibis.*
*Quam pia cura Deûm, prodest crudelior uxor:*
*Et cum fata volunt, bina venena juvant.*

Eodem pacto Gallicus affectus venenum quoddam est humano corpori, cui argentum vivum adversatur. Unde homini Gallica lue affecto non est venenum, sed potius antidotum, tamen nec homini venenum esse argentum vivum dici potest, nam per os nonnunquam puerulis pro vermibus adhibui, & sanitati statim restituti sunt.

At hic dubium non mediocre occurrit diluendum, quia in lue Gallica nervi ut plurimum afficiuntur, at argentum vivum nervis obesse communis omnium consensus asserit, & paralysin inducere testatur Avicenna. Conveniens igitur non erit ad luem Gallicam medicamentum hydrargyros, cum & nervis, ac junctiuris obsit, quæ partes à morbo Gallico maxime infestantur. Dicendum est esse communem sententiam, & veram, quod nervis obsit, ac junctiuris, imo & dentibus etiam obest, sed quod medicamentum est, quod alicui non obsit parti? tamen multo minus argenti vivi nocumentum est, quam id sit, quod præstat utilitatis. nam ex tam sævo affectu in sanitatem restituit, quanquam enim læsio quædam nervis illata sit, atque junctiuris, tamen tantum excellit sanitatis præstantia, ut hæc minima nocumenta digna non sint, ut con-

siderentur: imo & læsio ista palam non sentitur.

Nota etiam, cum quispiam ex hac lue inungitur secunda ac tertia die, & usque ad quartam, dolores ac affectum supercrescere, postea remitti incipere. nam cum primis illis diebus homo inungitur, magna fit materiarum commotio, ob quam dolores augentur, at in inunctionis perseverantia resolvuntur humores, & jam omnia mitescere incipiunt, per osque exspuuntur, imo vidimus hos nonnunquam febre correptos esse, qui dum inunguntur à febre immunes evadunt, ut quandoque quarto vel quinto die febres ac dolores penitus cessent.

Cum vero in Gallico affectu dolores potissimum circa juncturas homines exerceant, ac perturbent, quærendum forte erit, cur aliæ partes æque non molestantur. Dicendum est in juncturis adesse cavitates, quæ materia implentur, & ideo partes illæ potius, ac magis quam aliæ, quæ nihil recipiunt, dolitant. Si vero dicas, etsi in juncturis materiæ coadunentur, tamen & in eisdem juncturis fieri motus, qui materias in ipsis contentas resolvere possunt. Dicendum est motum non esse tantum, ut materias omnes, quæ in juncturis continentur, resolvere possit, B
imo novæ semper in ipsis aggregantur. nunc de communi motu, quo utimur, loquor, non de violento, & continuo, ac vehemente, quoniam nonnullos vidi à lue Gallica absolutos per solum vehementem motum, ac continuum.

Petes insuper, cur inungi hoc modo omnes fere evitent? Respondemus hanc solam esse causam, quia omnes exulcerationem illam oris verentur, tamen inunctio ipsa salutaris est, à Diis potius, quam ab hominibus inventa.

At petes etiam, quæ causa sit, cur argentum vivum ita prosit & nihil aliud sit, quod æque prodesse possit? In hoc necessarium est ad occultas recurrere proprietates, quia nulla alia videtur posse assignari causa, quam ista, quod argenti vivi proprium sit hoc efficere, & quod aliorum medicamentorum non sit hoc proprium. Unde proprietas manifesta est, hoc efficere argentum vivum, occultum vero est propter quod, & per quam qualitatem hoc efficiat, nisi persistamus in illa repercussione ex frigido cum parte calida, quæ ingreditur, & attenuat, per quas qualitates humores ad os repelluntur, & oris partes exulcerant, & per C
illud exeunt.

Forte petes. Nunquid per ejuscemodi inunctionem omnes sanitati restituantur? Respondemus, nos rarissimos vidisse, qui per hanc inunctionem non sint sanitati restituti, vel pro parte saltem ab ægritudine absoluti, quamvis nonnulli sint, qui inunctiones reprehendant, & dicant argentum vivum epilepsiam, paralysin, & apoplexiam inducere. At ego neminem vidi, qui ob inunctionem in aliquod horum inciderit, tamen aurifices (fateor) vidi, & nonnullos, qui aurum purificant, & qui alia metalla auro deliniunt, qui, ob argenti vivi fumum, in epilepsiam incidere, paralysin, & apoplexiam, & brevi, quos etiam curavi, & aliquos vidi ab eodem fumo resolutos, ac curavi, imo qui fere stupidi evasere. & juxta Avicennam, tremorem inducit, & recta membra flectit, auditum obtundit, ac visum, & oris fœtorem parit, & omnibus animalibus ejus obest fumus. juxta Dioscoridem, pravum colorem efficit, & oris putredinem, cerebrumque offendit. &Plinius *lib. xxxiii. cap. tertio*, & *sexto*, dicit esse vomicam liquoris æterni argentum vivum, & esse omnium D
rerum venenum. aurum insuper corrumpit. Nam si aurum in vivum argentum impositeris, liquescit ac destruitur. Avicenna igitur jubet à stomacho & à membris nobilibus esse illa removenda, in quibus recipitur argentum vivum extinctum, tamen nihil horum efficit in unguento ad hunc morbum receptum. ipsius vero fumus omnia, quæ prædicta sunt, efficere potest, quando igne exagitatur.

Petes præterea, nunquid sit aliqua præparatione muniendum, ne tantopere lædat? Dicimus nonnullos ita illud præparasse, *acetum recepisse, & in eo vivum argentum imposuisse in testea olla, postea lento igne ebulliri fecisse, quoad acetum fuerit consumptum, semperque baculo miscebant, ut ad minimas partes dilelleretur, postea toties aceto lavabant, quousque cærulei esset coloris.* ita magnus Chymista Geber præparari docuit, hique fatentur hujus ita diluti unciam plus valere, quam duas non diluti. alii vero sunt, qui hoc modo præparant. *argentum enim vivum absque alio liquore in vitreo vase ponunt, postea vas aliud vitreum obtortum supraponunt, & luto occludunt, & igni lento supraponunt, tenues ipsius partes uti fumus ele-* E
*vantur, & vasis vitrei lateribus inhærent, postea vasa aperiuntur, & quæ lateribus vasis inhærent, sunt argentum vivum præparatum, quod in usu esse debet.*

Forte petes, quid per hunc præparationem efficiant? respondent: ab argento vivo omnem sulphuris partem auferri, & omnem plumbeam partem, ac terream. at hoc absurdum esse arbitror, quia amplius non esset vivum argentum, Nos vero ita præparamus, ut cum eo nihil sit A
pulveris, nihil crassi mistum, jubemus ut in densum corium imponatur, ac probe exprimatur, & statim è corio exilit purificatum, hoc utimur absque alia præparatione, hæcque sunt illa, quæ de his inunctionibus in Gallico affectu fieri consueverunt. Duo modi Gallicum morbum expellendi jam pertractati sunt, suffumigia scilicet, & inunctiones, & subinunctionibus tertium quendam subintellexi-mus modum, qui erat per cerataria illud abigere. nunc modum alium, & saluberrimum adducemus, quo hic affectus non instreque repelletur. Fit vero per decoctum Indici ligni in aqua, vel in vino. primo autem de decocto in aqua, postea de confecto in vino verba faciemus. Ego primus Ferrariæ ligni Indici decoctum in aqua illustri Aeneæ Pio 1525. exhibui, qui affectu Gallico vehementissime afficiebatur, videbaturque tunc Ferrariæ insomnium esse ejuscemodi lignum, imo nonnulli ex nobilioribus illius temporis medicis hoc decoctum deridebant, & ego etiam primus decoctum in vino Ferrariæ adhibere cœpi 1534. pervenerat enim ad me libellus quidam, ab Hispania allatus, in quo modus præstabatur præbendi hujus ligni decoctum in aqua. eodem igitur modo præbui illustri Aeneæ Pio, & egregie successit, deinde vero multa jam inventis addere cœpi, ut nunc commodius, ac facilius, quam antea præbeatur.

Triplex hujus ligni Indici genus novi, quod Indica lingua Guajacum vocant. Unum est commune hoc, quod passim venditur, quod in extremis buxeum fere colorem habet, subalbicum enim est, medullium vero nigricat, & splendidam quandam duritiem habet, vocatur & lignum sanctum, & palum sanctum, nonnulli crucis lignum nominare cœperunt. Aliud genus novi, quod peculiariter nonnulli pharmacopolæ palum sanctum vocare cœperunt, ac si primum non sit eodem nomine insignitum, hoc lignum magis albicat, quam primum, & ad luteum quendam colorem vergit, parvum habet medullium, ac pellucidum. Non pauci decepti sunt, rati lignum hoc esse primi ligni ramos. Verum etsi hoc genus non sit nimis crassum, tamen diversum colorem habet. Lusitanosque allocutus sum, qui Indiam perlustrarunt, mihique retulerunt hoc esse diversum arboris genus à primo. In genere inter hebani species numerari possunt, color insuper ostendit esse diversa, & odor. Imo hujus secundi ligni Indici decoctum longe acrius est, quam primi decoctum. At si primum lignum esset truncus, & hoc secundum rami, opus esset trunci decoctum esse longe acrius, quam ramorum decoctum. oppositum vero experientia ostendit, imo cum Genuæ nonnunquam essem 1528. lignum hoc vidi longe amplius quam primum relatum Indicum lignum. hoc indicium est, si tecundum hoc lignum sint rami, quod suæ propriæ arboris rami sint. Vidimus & tertium genus ab aliis diversum Venetiis, in pharmacopolio egregii viri Caroli, qui pro insigni campanam suspensam habet. Rubebat hoc lignum, & videbatur uti cornu rubrum in medullio, imo lignum hoc est fere totum medullium, tantum margine quodam minus rubro cingitur, denique extrinsecus adest cortex, eodem cum aliis corticibus colore insignitus, de hoc nullum habui experimentum, nullamque notitiam, imo neque bonus Carolus, qui ostendebat hoc lignum, aliud referre sciebat, quam esse aliud Indici ligni genus, quod bre-
vius in sanitatem restituit, quam alia faciant. Primum & secundum ligni genus, in usu habui: primo autem frequentissime sum usus, bis vero aut ter secundo. idcirco de his duobus verba agemus, tertio posthabito. A secundo vero incipiemus, veluti ab eo, in quo modicum permansuri sumus, ac immoraturi, quoniam diu est, quod illud in Italia non vidimus, ipsius vero usus hic est. In primis is, qui affectus est, expurgatur, postea sequenti die vel altero victum remittere incipit, & minus edit, quam esset assuetus, secundo die adhuc minus edit, & tertio minus, quartoque adhuc minus, semper quotidie minuendo, quo usque nonum attingat diem, tunc vero tribus panis unciis in prandio sit contentus, & duabus in cœna, cum coriandrorum conditorum uncia, vel passularum mane, vesperi autem semiuncia sit, & in hoc victus genere per novem dies perseveret, & singulo mane post septem horas à cœna sex decocti hujus ligni uncias insumat, post quinque horas ab hujus syrupi sumptu prandeat. post septem à prandio horas, iterum sex alias hujus decocti uncias ebibat, post quinque ab hoc decocto horas cœnet, in potu vero, dum prandet ac cœnat, secundum bibat decoctum, tertium, quartum, & quintum, quibus etiam utatur. Quod si interdiu vel noctu sitierit, cum decoctum sumit, in lecto sit, & jubeat se tegi, ut sudet, vel si à lecto surrexerit, calidum lectum ingrediatur, in quo per horam cum dimidia, vel per duas horas jaceat, postea surgat, & si sudaverit, abstergatur. at si hyems sit, vel frigus adhuc vigeat, in cubiculo maneat calido. si æstas sit, & vehementissimus calor, fenestras aperire potest,

&

& domo etiam exire, vento autem invalescente occlusus maneat.

Decoctum vero istud eo modo conficietur, ut explanabimus, quando modum conficiendi decoctum ex communi ligno edocebimus, & eodem modo secundo decocto intelligito, tertio, quarto, & quinto, quoniam fieri possunt quinque decocta, quando opus est, & non plura.

Post novem hos dies, quibus decoctum ebibitur, opus est paulatim cibum augere, ut primo die nonnihil plus sumatur, tertio die augere, quarto, quinto, usque ad nonum, quo die in naturalem cibi quantitatem pervenire debet, & consuetudinem sibi propriam, interim vero dum cibus augetur, paucifero vino utatur. dum vero decoctum sumit, si non excreverit, alternis saltem diebus hujus generis clysma imponendum erit. Recipe *brassicarum man. j. sennæ, polypodii, epithymi, singulorum unc. s. salviæ, majoranæ, roris marini, ivæ, foliorum lauri, singulorum man. s. anisorum, fœniculorum, amidis, singulorum drach. ii. pulpæ colocynthidis drach. j. agarici drach. j. s. misce, & bulliant in sufficienti quantitate aquæ secundum artem*, postea. Recipe *hujus decocti lib. j. olei anethini, olei rutacei, singulorum unc. ij. hieræ picræ unc. j. hieræ logadii drach. ij. mellis rosati colati unc. j. salis communis drach. ij. misce, & imponatur.*

Deinceps lignum hoc luteum non vidi amplius in Italia, cujus quidem adhibitio viginti septem dierum spatio perficitur. nam diebus novem victus minuitur, diebus novem decoctum sumitur cum victus ratione tenuissima, & diebus novem cibus augetur, quoad ægrotus in suam naturalem victus rationem devenerit. post hos viginti septem dies hoc ordine peractos ægrotum sanitati restitutum esse censendum est. Nonnulli vero hunc ordinem per triginta dies servarunt, ut diebus decem victus rationem diminuerent, & diebus decem decoctum præberent, & ultimis decem diebus victus rationem augerent. cum vero diu sit, quod lignum hoc in Italia non viderimus, de illo jam satis dictum esse putemus.

Nunc ad exhibitionem decocti Indici ligni communis in aqua sermonem convertamus. Superioribus annis hujus decocti sumptio nimis arcta esse videbatur, ac difficilis, nunc adeo plana, adeoque facilis relicta est, ut qui æstivo tempore id sumunt, domo etiam exire possint.

Scito autem hujus ligni decoctum & simplex fieri posse, & compositum. si simplex fiat hoc modo conficiendum est. *duodecim aquæ libræ sumantur, & uni libræ scobis Indici ligni misceantur, & per viginti quatuor horas in infusione dimittantur, postea pendenda est aqua, quæ non est in ligni scobe imbibita, si sex libras æquet. satis est: si non æquet, quia scobs illa multum aquæ imbibendo consumit, tantum aquæ suppleatur, quousque sex librarum pondus attingat, & supra ligni scobem hujus aquæ tres libras injice. Si vero in olla, quæ duplæ sit capacitatis harum rerum, quas receptura est, scobis scilicet & aquæ, sitque nova olla vitro delinita, postea cum tres aquæ libras injeceris, parvum quendam baculum accipito, & in ollæ fundum immergito, postea baculum in illa parte signato, qua ultimo ab aqua madefecit, deinde alias tres libras aquæ injicito, quas à primis tribus diviseras, quæ si tres non erunt, tantum aquæ adjicito, ut tres efficiantur, & bulliri facito quoad tres libræ fuerint consumptæ. Id vero erit, quando tantum aquæ fuerit consumptum, ut aqua ad signum usque in baculo factum consumpta sit. tunc tres aquæ libras, quæ in vase sunt, per densum linteum percolato, & pro sumendis syrupis reservetur.* Si quispiam voluerit simplex decoctum accipere, & nihil aliud, hoc infusum ita simpliciter confectum: veruntamen primo ægrotans purgandus est, ut suæ competit temperiei, & humorum abundantiæ, quam habet. purgatione perfecta statim sequenti die per quinque horas ante prandium quatuor, quinque, vel sex uncias sumat hujus decocti, ut diligenti videbitur medico, qui illum curat. De quantitate vero sumendi decoctum postea verba faciemus, mox bene tectus dormiat, quantum illi lubuerit, ut si fieri possit, sudet. post quinque horas prandeat, in prandioque quatuor panis uncias sumat, & pugillum coriandrorum, sive passularum, sive seminum peponum conditorum, sive nucleorum pineorum, sive pistachiorum, sive amygdalarum, sive uvarum exsiccatarum ex Illyrio Ferrariam allatarum, sive lactucæ conditæ, sive cucurbitæ conditæ. Secundum vero decoctum, tertium, quartum, & quintum vini loco bibat. ita vero conficitur secundum decoctum. *Supra prædictam ligni scobem, sex aquæ libras injicito, & bulliant ad consumptionem trium librarum, postea percolentur, & ferventur*, & secundo & tertio & quarto & quinto eodem fiat modo, non est autem opus quintam coctionem excedere, quoniam nihil virium haberet aqua. Rari etiam sunt, qui tertiam coctionem attingant, quoniam rari inveniuntur hujus aquæ potatores. post septem à prandio horas primi etiam decocti sex uncias infusum, & probe tegatur, & si fieri possit, sudet. post quinque horas à sumpto decocto cœnet, tresque panis uncias edat, & ex prædictis rebus, quæ in prandio sumpsit, pugillum edat, postea dormiat, & per septem horas à cœna iterum decoctum infusum, & ita pro communi more usque ad quadraginta dies perseveret. Nota primum decoctum esse libras tres, cujus si sex unciæ sumantur per tres dies supplebit, unde secundo die opus erit novi ligni scobem in infusionem imponere, eodem modo quo dictum est prius, & ita in finem usque semper prosequi.

Nota vero, si vires defecerint, ut hic videatur inediam ferre non posse, pullorum jure vescatur, & loco secundi & tertii decocti vinum bibat. hanc igitur ob causam medicus quotidie hujus pulsum tangere debet, qui in hac tenui victus ratione servatur, ut noscat an imbecillior evadat, quanquam & decoctum hoc nutriat, cum pingue sit. At quia plerumque alvus adstricta efficitur, propterea præscriptus clyster bis in hebdomada imponi debet, & frequentius etiam, si necessitas exegerit: neque ab re erit singula hebdomada *cassiam* adhibere, aut *mannam*, quæ cum exhibebitur, non erit opus illi mane decoctum præbere, potio autem hæc convenientissima est in hoc casu. Recipe *infus. sennæ unc. iiij. syrupi de pomis sabor, de epithymo singulorum unc. j. misce.* vel hoc infusum. Recipe *diacatholiconis unc. j. syrupi de pomis sabor unc. s. infus. sennæ unc. iiij. misce.* Decipiuntur illi, qui arbitrantur medicamenta debere esse decoctioni propria, & nihil ab ea evariare: at potius debent esse humoribus, qui evacuantur, propria.

Nonnulli arbitrantur, decoctum istud hyeme bibi non posse, neque debere, imo quod post Septembris mensem non sit bibendum, sed tantum sumatur Vere adventante. at nos dicimus hyeme etiam præberi posse, quando opus est, etiamsi profunda esset hyems, & frigidissima, quoniam cum maxime affligit affectus, sit quæcunque anni pars, ægroto prospiciendum est, neque per menses expectandum: hyeme vero opus est cubiculi aërem tepidum reddere, vel parumper supra tepiditatem calidum, idcirco rimæ omnes, quæ in fenestris sunt, & quæ in ostiis, ac parietibus, occludendæ sunt, ne ventus ingredi possit, & caliditas exire. unde ver aptissimum est tempus ad hujus ligni decoctum sumendum: secundo autumnus, quia hæc tempora ad temperiem magis vergunt. postea æstas, denique hyems, & nisi esset resolutio caloris æstivi, præ omnibus temporibus æstatem eligerem, quoniam domum exire possent ægroti, & publice spatiari, quod aliis temporibus fieri non potest, neque opus est calidarium parare, quia totus aër sponte calidus est, & totus noster orbis calidarium est, imo & quandoque æstuarium.

Idque animadvertito, decoctum in eodem fieri cubiculo, in quo ægrotans degit, ac moratur, præsertim primum decoctum, & debet frigescere in eodem cubiculo, ut vapores per aerem spargantur, qui ab ebulliente decocto elevantur, & cubiculi aërem impleant. nam aër ipse hoc modo fit ægrotanti opportunus. ollæ vero operculum, in qua decoctum conficitur, in summitate perforatum esse debet, dum fervet, ut fumi paulatim per aërem spargi possint.

Hinc, qui decoctum sumpturus est, quando expurgatur paulatim, minus ac minus comedere debet, ut victui tenui (quando incœperit) sit fere assuetus.

Dum decoctum istud paratur, exspumandum est, & spuma illa servanda. nam ubi adsunt pustulæ, sive dolores sive durities, hac spuma locus inungendus est, quæ in hoc casu mirifice prodest, & si spuma colligi non possit, ut plerumque in hac ebullitione contingit, decoctum ipsum spumæ officio fungetur.

Nota insuper primis duobus diebus, quando decoctum bibi incipitur, non esse penitus à carnibus abstinendum, tunc enim sunt pullorum carnes comedendæ, semper paulatim diminuendo, ut tertio die solo pane & rebus præscriptis pro obsonio vescatur ægrotans.

At si quatuor panis uncias mane sumi dictum sit, & tres vesperi, hoc pro certa regula ac determinata accipiendum non est, quoniam nonnullis minus præberi convenit, aliis plus. At hoc de quatuor ac tribus unciis pro exemplo tantum positum est, in quo tamen exemplo multi conveniunt. pro panis vero quantitate exhibenda ætas consideranda est, vis, consuetudo, ac ejusdem generis reliqua. an vero panis biscoctus esse debeat, an semel tantum coctus, haud magni facio: tamen exsiccat magis biscoctus panis, quam non biscoctus, & sua siccitate decoctum hoc magis retineri in stomacho creditur, quam si esset panis non biscoctus: quia natura sicci est detinere humidum, ne defluat, veruntamen si panis semel coctus ederetur, facilius ligni decoctum ad jecur transiret, & in stomacho non coqueretur. At eniti debemus, ut hoc decoctum perfecte concoquatur, priusquam ad jecur transeat, sed nos præbemus, & panem non biscoctum, nec vereremur, quod in ven-

ventriculo non retineatur decoctum, quia naturæ opus est non emittere à ventriculo quicquam, nisi posteaquam est coctum, ut etiam in potatoribus planum est, modo supra vires naturæ non potaverint. natura enim id, quod in eorum ventriculo est, non transmittit, licet fluidum sit, priusquam coctum fuerit. Adde biscoctum panem semel cocto pane difficilius concoqui, ego vero sino ægrotantes id panis genus sibi eligere, quod magis ipsis placuerit.

Nonnulli sunt Medici, qui jubent, ut ad nonum usque diem panem absque opsoniis edant. A nono autem usque ad decimum octavum diem volunt præbenda esse obsonia superius enumerata, verum medicus frequenter ægroti vires lustrare debet, & cibum juxta illas augere ac minuere.

Hoc etiam est animadversione dignum, neminem unquam in hac ligni sumptione obiisse, quod indicium est decoctum ipsum nutrire. nam nisi nutriret, impossibile esset nonnullos in tanta victus tenuitate perdurare posse, & qui decoctum bibit, videtur fere ex decocto sumpto fieri satur, ac impleri, temporeque indiget, ut coquatur, & pinguedo, quam habet, nutrire illud posse ostendit.

*Illi* etiam audiendi non sunt, qui dicunt ægrotos ex victu tenui in sanitatem restitui, non autem ob ligni vim. hoc enim absurdum esse constat, quoniam plures ægroti per multos dies in tenuissimo victu perstiterunt, tamen in sanitatem restituti non sunt, in quam ex hoc decocto restituuntur. miraque videtur hujus ligni natura ex his, quas habet qualitatibus. nam pingue est, odoratum, densum, ponderosum, oleagineum, multaque alia habet dona, ut lenitatem, & ad solem relucere, quæ omnia vim aliquam esse in hoc ligno medicamentariam ostendunt, ac excellentem. Habet & illud, quod si ardeat aromatum odorem reddit, & non ingratum.

In hujus decocti sumptione vinum bibendum non est, sed secundum, tertium, & quartum decoctum. nam hi melius evadunt, qui hæc decocta bibunt, quam qui cervicosi vinum bibere volunt: tamen si sint aliqui delicatuli, qui hujusmodi decocta bibere nequeant, cogantur saltem per novem aut decem dies illa bibere, vel per quot fieri potest: postea vinum bibant.

Nonnulli decocta ista vino miscent. nam vinum ipsis diluunt, sed hoc valde molestum ægrotis videtur, & forte pernicioſum, nec minus hi errant, quam Staphyllus ille primus vini jugulatos fecerit. Neque illos probo, qui syrupos & medicamenta hoc decocto perfundunt, intelligo jam facta medicamenta, secus est de medicamentosis simplicibus, quæ in hoc decoctum infunduntur.

Post prandium dormiendum non est, nisi illa hora, qua secunda vice decoctum insumitur: nam tunc si dormire possit, optimum est. nam sudor forte prodibit, qui in hac actione optimus est.

Totum diem in deliciis transigat, ac gratis confabulationibus, musicis instrumentis, & reliquis similibus, quibus tempus sine perceptione consumitur.

Nonnullos insuper in initio sanitati restitui, qui primis tribus diebus panis unciam insumebant, & semi unciam passularum, post tertium diem solis passulis ægrotum nutrivi. at rari hanc ultimam inediam ferre possunt: propterea, ut superius dictum est, cibare opus est.

Sex diebus ab initio elapsis, ab re non est, imo maxime convenit, hujus ligni pulveris scrupulum singulis syrupis injicere.

Post statutum tempus, cum ægrotus amplius non bibit, primis diebus cibi sunt paulatim augendi, ut hoc modo procedendo in propriam consuetudinem deducatur.

Præterea à calidario in tepidarium transeundum est, & à tepidario in locum minus calidum, quo usque in aërem deveniat omnibus hominibus communem, ac consuetum. nam locus calidus eligendus est, qui ad meatus aperiendos decoctum adjuvet, & eosdem meatus apertos servet, hoc autem frigore minime efficitur. notandumque hunc locum debere esse magis & minus calidum, ratione temperierum ægrotantium, & ut morbi sunt magis antiqui, vel recentes.

Hic est simplex modus sumendi decoctum ligni Indici ex aqua.

Si cui vero placeret nonnihil medicamentosi aquæ miscere, id illi concedatur. *semilibra hujus ligni in aquam infundatur, postea aqua bulliat (cum lignum in infusione fuerit per viginti quatuor horas) & dimidium ebulliendo resolvatur, denique hæc, quæ sequuntur, in hoc decocto infundantur.* Recipe *senæ unc. iiij. Polypodii unc. j. s. florum boraginis, florum buglossi, florum rosarum, florum violarum, singulorum unc. j. gingiberis, cinnamomi, singulorum drach. j. misce, & infundantur in prædictum decoctum secundum artem*, postea eodem modo sumantur quatuor aut sex unciæ, ut dictum est, bis in die, eodemque edatur modo.

A Nota, quod primis sex diebus hoc infusum sumi potest, & ægrotus erit à purgatione excusatus, postea per sex alios dies simplicis ligni decoctum sumat, absque rebus prædictis infusis. post hos sex dies per tres dies infusionem supradictam sumat, & deinde per sex dies decoctum, & secundum hunc ordinem, quo usque in sanitatem perventum sit, perseverato. nonnunquam per tres dies infusum accipitur, & per tres decoctum, quo usque ad statutum tempus perveniatur. nonnulli contenti sunt diutius in hoc potu perseverare, & solum una vice in die infusionem prædictam bibere.

Mihi etiam illi summe displicent, qui ligni cortice potius uti volunt, quam ipso ligno. quia etli cortex magis siccus sit, quia etiam magis terreus est, tamen odore caret, pinguitudinem non habet, neque aliquam qualitatem ex his, quæ ostendunt simplicia aliqua vires habere, quæ medicamentariæ sunt. Neque etiam illos probo, qui corticem cum ligno miscent. nam cortex lignum potius impedit, quam adjuvare possit, quia est res arida, non pinguis, absque odore, terrea, à natura facta, ut solum arborem suam ab imminentibus extrinsecis periculis tueatur. In genere igitur illos non probo, qui hujus ligni cortice utuntur, licet siccior sit, quam arbor.

Si vero petas, per quot dierum spatium sumi debeat ejusmodi decoctum: dicimus præfixum tempus minime adesse, sed tantum temporis sumi debere, & nonnihil etiam plus, quoad ægrotantes sanitati restituti sint. Unde si quispiam decimo octavo die sanus evaserit, per viginti dies, vel viginti duos decoctum bibat. Si vero sanitatem trigesimo tantum die obtinet, per duos aut tres dies adhuc insumat, deinde quiescat. At si quadragesimum diem excedat, & nondum sit sanitati restitutus, ad quinquagesimum pertingat, vel ad sexagesimum: tamen communis terminus est quadragesima dies, & rarissimi inveniantur, qui in quadraginta dierum spatio non sint sanitati restituti: idcirco hunc diem pro sanitatis termino accepêre. imo & multa medicamenta apud antiquos per quadraginta dies exercebantur, & in hoc spatio opus suum perficiebant, hoc autem planissimum est apud Plin. *lib.* 20. *cap.* 9. qui brassicæ succum præbet in vino albo per dies quadraginta splenèticis, & *lib.* 26. *cap.* 8. inquit: *Cissanthemus drachma bis die sumta in vini albi cyathis duobus per dies quadraginta lienem dicitur paulatim emittere per urinam.* & *decimo ejusdem libri capite* inquit, *ventrem in totum adimit Nymphæa Heraclia eadem semel pota in* 40. *dies.* & *lib.* 27. *cap.* 5. de Asplenio loquens ait, *hujus foliorum jure in aceto decocto per dies* 40. *poto lienem absumi ajunt.* & *octavo ejusdem libri capite* inquit: *Sunt qui florem crategoni bibentes mulieres intra quadragesimum diem concipere tradunt.* & *lib.* 28. *cap.* 12. ait talum candidi juvenci quadraginta diebus noctibusque, donec resolvatur in liquorem, decoctum, & illitum linteolo, candorem, cutisque erugationem præstare. & 15. *ejusdem libri capite* inquit, *Calculos expellunt lichenes equini ex vino aut mulso poti diebus quadraginta.* & *cap.* 16. de asinis agens inquit. *Sunt, qui è mare nigro jne cor edendum cum pane sub dio prima, aut secunda Luna præcipiant, alii carnem, aliqui sanguinem aceto dilutum per quadraginta dies bibendum ob morbum comitialem.* & 19. *cap.* scriptum est, *jecur asini admista modica panace instillatum in os à comitialibus morbis, & aliis, infantes tuetur, hoc quadraginta diebus fieri præcipiunt.* & Dioscorides *de altera cyclamino*, quæ cissanthemos dicitur, ait, *acini hujus drachma sumpta in vini albi cyathis duobus per quadraginta dies lienem paulatim emittit per urinam & alvum.* & de cappare dicit, *semen ipsum duabus drachmis in vino hausis per quadraginta dies lienem obliterat.* & de sylvestri ruta scripsit *propter coxendicum morbos diebus quatuordenis bibenda præbetur.* & de Asplenio ait, *hujus foliorum jure in aceto decoctae per quadraginta dies poto, lienem absumi contingit.* & de hyperico inquit, *semine diebus continuis quadraginta poto, coxendicum dolores dissolvit.* & de peristereo supino ait, *morbum regium solvit drachma, cum thuris polline obolis tribus ex vini veteris hemina quadraginta diebus continuis jejunis dato.* de chamæcisso insuper scripsit, *cujus bibant Ischiadici folia tribus obolis in aqua cyathis tribus quadragenis, aut quinquagenis diebus.* Cum igitur tot reperiantur apud antiquos medicamenta, quæ quadraginta dierum spatio opus suum perficiunt, non mirum, si & nostro tempore recentiores medici in hoc ligni Indici decocto quadragesimum diem perfectionis suæ actionis invenere, qui est terminus acutorum morborum, & initium diuturnorum. At re vera præfixus dierum numerus esse non debet, sed dies tunc erunt satis, cum ægrotus in sanitatem restitutus erit. nam haud raro quadragesimus dies non est satis, sed diutius perseverare opus est.

Cum etiam hoc decoctum præbetur per aliquos dies ex sena, observandum est, quod ultimæ potiones ex illis sint, quæ senam recipiuntatque evacuant. At nonnulli sunt, qui à principio in finem potiones evacuantes semper insumunt.

Cum

Cum è Roma Ferrariam redissem 1535. his, qui Gallico affectu laborabant, hujus ligni decoctum in vino præbere cœpi, & in primis solo vino potenti utebar: postea expertus sum magis proficere, si nonnihil aquæ adderetur, præsertim, cum hi sumunt, qui natura sunt calidiores. in vino autem simplex decoctum fieri potest, quod nullum recipiat simplex medicamentum, fieri etiam potest ex simplicibus. Si ex solo fiat Indico ligno decoctum, *hujus ligni ra scobem recidi libra infumatur, & in decem libras vini albi potentis, & in duas aquæ per viginti quatuor horas infundatur: postea ponderandum, an liquor, qui in ligni scobe imbutus non est, sex faciat libras. si hoc liquoris pondus reperiatur, cum scobe simul ebulliat, semper spumando, quoad tres libræ evadant, spumaque reservetur, ad corporis partes delinendas. si vero liquor ad sex libras non accesserit, tantundem vini adjicito, quoad sex libræ efficiantur. (namscobs illa multum imbibit) postea bulliant ad dimidias. At si vinum plus sit, quam sex libræ, id quod superexcedit auferatur, & sex illæ, quæ supersunt libræ, ad dimidias bulliendo resolvantur, & tres hæ vini libræ, quæ supersunt pertolentur, ac reserventur pro syrupis mane & vesperi ad quatuor, vel sex uncias insumendis*, secundumque fiat & tertium & quartum decoctum, ut de aqua dictum est, & usque ad quintum, si is, qui sumit, vehementer bibere. eodem vero modo accipiatur hoc in vino decoctum, & eisdem horis, ut superius de decocto in aqua dictum est.

Scito autem alternis diebus, nisi excreverit, clysma imponendum esse superius enarratum, singulaque hebdomada lene præbendum est medicamentum, quale *cassia, manna*, vel hoc quod sequitur. Recipe *infus. sennæ unc. iiij. syrupi de epithymo, de pomis sabor, singulorum unc. j. misce.* Vel hoc sit. Recipe *diacatholiconis unc. j. infus sennæ unc. iiij. misce.* Id propterea notandum est in vini sumptione, consuetum apud multos esse plenius nutrire, quam in aquæ sumptione, cum tamen aqua minus nutriat, quam vinum. idcirco nos dicimus & in vini decocto ita simpliciter sumpto victus rationem debere esse tenuiorem, & forte tenuiorem, quam cum præbetur aquæ decoctum. secus est, cum vehementia simplicia vino commiscentur.

Nonnulli prohibent hoc vini decoctum simpliciter in febre. at nos dicimus, si febris esset intensa, à vino prorsus abstinendum esse, si vero remissa sit, præberi posse. nam vinum hoc, etsi potens sit, ebulliendo tamen imbecillius efficitur, quia tenues & calidæ vini partes exeunt, & duæ aquæ libræ commistæ vinum mitigant, neque potens esse sinunt.

Quando vini decoctum simpliciter confectum sumitur, corpus prius expurgare necesse est, postea vinum præscripto modo præbere, quod necessarium non est, cum aliis simplicibus inungitur.

Si quispiam in cœna & prandio, decocta illa secunda & tertia ferre non possit, vinum bibat mediocre, album, lympidum, ac odoratum, quod etiam decocta aqua diluat.

Decocto sumpto tegi se jubeat, ut dictum est de decocto in aqua, & sudare tentet.

Si vero ligni decoctum cum aliis simplicibus præbere volucrimus, & quod evacuet, hoc duobus modis fieri potest. Uno modo per medicamenta ac simplicia vehementia, alio modo per imbecilla. si per vehementia fiat, hic egregie comedere debet capones, phasianos, perdices, vitulos, hœdos, modo coquere possit, & secunda bibat, tertia, & quarta decocta, vel si hæc ferre nequeat, vinum bibat potens, quod optime nutriat & modice dilutum sit, ova absorbeat. Si vero simplicia sint non vehementia, sed imbecilla, tam vehementer edendum non est, sed mediocriter.

Hæc, quæ sequuntur, sunt vehementia simplicia, quæ in vino ebullire debent. Recipe *sennæ unc. iiij. polypodii unc. ij. ros. rub. florum violarum, florum boraginis, florum buglossæ, singulorum unc. s. gingiberis, cinnamomi singulorum drach. j. turbith, hermodactylorum, singulorum unc. j. misce, & infundantur, ut dictum est de infusione in aquæ decocto facta.* hæc vero sunt imbecillia simplicia, quæ in hac infusione ponuntur. Recipe *sennæ unc. iij. polypodii unc. j. epithymi, thymi, singulorum unc. s. florum violarum, florum rosarum, florum boraginis, florum buglossæ, singulorum drach. ij. gingiberis, cinnamomi, singulorum scrup. j. Anisorum, fœniculorum, mastiches, gummi arabici, singulorum drach. j. misce, & eodem modo infundantur, ut de aqua dictum est.* Nonnullos vidi circumforaneos, qui hæc, quæ sequuntur, sumebant simplicia, quæ vehementissima sunt. Recipe *hellebori nigri. turbith, hermodactylorum, scammonei, colocynthidis, singulorum unc. j. deinceps hæc omnia in vinum infundebant*, alii ebullire faciebant, itaque absque ulla præparatione hoc decoctum præbebant, tamen & hic est facilis hujus vini modus, si ex his quæ sequuntur fiat. Recipe *sennæ unc. ij. polypodii, epithymi, singulorum unc. j. myrobalanorum Indorum, luteorum, chebulorum, singulorum drach. iiij. agarici, rhabarbari electi, singulorum drach. vj. florum boraginis, florum buglossæ, florum rosarum, florum violarum, singulorum drach. iij. gingiberis, cinnamomi, caryophyllorum, singulorum drach. j. passularum unc. j. misce, & eodem modo infundantur.* hæcque de Indici ligni decocto, & in vino, & in aqua, & simpliciter, & cum aliis simplicibus miltis.

Quispiam vero ambigere posset, quodnam potius sit decoctum, an illud, quod ex vino fit, an quod ex aqua. Respondemus utrunque ad diversa convenire. In morbis novis, calidisque naturis aqua potior videtur, quam vinum. in antiquis vero morbis, & in quibus magna ad profunda indigemus penetratione, vinum potius quam aqua eligendum est. Nam vinum est uti vehiculum, quod medicamenta ad illa ducit loca, ad quæ profectura sunt, & antiquiores etiam in medicamentis præstandis vino usi sunt, & multa vinorum genera medicata à Dioscoride scripta sunt. Nam vinum vires roborat, simulque est medicina ac nutrimentum, & naturalem calorem, ac spiritus auget, & per omnes artus facile recipitur. In frigidis igitur & humidis, in longis morbis, in imbecillibus ventriculo, & vi concoctrice, vino potius utamur, quam aqua, in calidioribus natura, in incipiente morbo, in robustis, aqua potius utamur, quam vino.

Forte etiam petes de vini sumendi ad decoctionem natura. Dicimus vinum (apud nos) debere esse antiquum, flavum, potens, odoratum, subdulce, tenuium partium, & quod facillime penetret, dixi vero de vino apud nos antiquo, quia Ferrarienfia vina diutius non servarentur, antiquum nos vinum dicimus, quod secundum explevit annum. cavendum a vocatis albanis, quæ potius frigidæ sunt, quam calidæ acerbæ, & adstringentis naturæ, optima habentur ad hoc negotium vina Mutinæ & Regii Lepidi, & apud sancti Feticis castrum: hoc vinum ad hujus ligni decoctum sumendum est.

Dices vero, si in vini sumptione alicujus ægrotantis jecur supercaleficeret, quid agendum esset? Respondemus in hoc minime contingere, quando aqua additur, imo si etiam absque aqua sumeretur, non contingeret, quoniam tantum frigidis præbetur absque aqua decoctum, & ebullitio reddit vinum imbecillius & minus calidum: tamen si contingeret, jecur Galeni infrigidante inungatur, & in decocto *endivia* ebulliat, *portulaca*, atque *lactuca*, quanquam hoc minime contingere soleat.

At dices, nonne sunt ratione membrorum patientium herbæ ac simplicia addenda decocto? Scito universam actionem in ligni vi reperiri, qua unumquodque membrum, in affectum lapsum, corrigi debet. idcirco cum simpliciter insumitur decoctum, vel ex aqua fit, vel vino, nihil addendum, sed ligni Indici solius actio exspectanda. Ita enim & Indi observant, neque aliquod vel minimum addunt: cum tamen frequentissime, ac fere sponte in hunc morbum incidant. hujus nimirum ligni natura est omnibus affectis membris accommodata, & ex vino per totum corpus defertur: & etiamsi ex aqua confectum sit, ex sui natura totum permeat corpus, & in illas agit potissimum partes, quæ sua indigent actione. si aquæ decocto calido indigeamus, vinum aquæ addatur, potius quam aliquod aliud simplex: tamen si cuipiam placeret *salviam* adjicere, *menthan, libanotim, hyssopum*, ac similia, non prohibeamus, sed nobis magis placent hæc decocta simplicia, quam compofita, quando non sunt evacuativa.

Multi conati sunt ex aliis lignis decocta conficere, ut experirentur nunquid ex illis finem assequerentur, sed res minime successit. ego pinum pinguem accepi, & in vino, atque in aqua decoctum præbui, sed non profecere in ægrotis, quamvis enim viti sint pro parte levati, & meliuscule habere, in exquisitam sanitatem tamen minime redacti sunt.

Nonnunquam usus sum junipero, neque exquisite profecit, sicuti nec pinus: tamen meliuscule habuere.

Expertus sum & præbere ex ligno corni decocta, neque etiam exquisite profecere ægrotantes, licet omnes, qui acceperc, melius habere viderentur, in idem tamen redibant, & iterum vexari cœperunt. Alii insuper medici aliis sunt usi lignis, nullus tamen lignum invenire potuit, quod (non dico æque) prope huic morbo obsisteret, ut Indicum lignum facit, licet in aliorum vinorum decoctis victus ratio fuerit tenuissima. hocque argumentum est non esse victus tenuitatem, quæ in sanitatem redigat, sed esse vim medicamenti, hoc est Guajaci, quod est pingue, ponderosum, odoratum, tenuium partium, & talium, quæ huic Gallico veneno suapte natura obsistunt, tamen & tenuis victus ratio ad opus perficiendum non modice adjuvat.

Fertur lignum hoc Indicum, Guajacum ab accolis nuncupatum, fructum quendam ferre inter prunum, & ficum. nam prunum non est, neque ficus: utrique tamen assi-

assimilatur. Insularum nuper repertarum incolæ hoc fructu vescuntur, & in sanitatem restituuntur à morbo tali, qualis est Gallicus affectus. nam in illis locis Gallica vocata lues est morbus fere patrius, quamvis & per contagium etiam recipiatur. faciunt insuper ex ligno decocta. fertur autem & præter contagium hunc affectum apud ipsos oriri, sicuti apud nos oriuntur morbi absque contagio ex intrinsecis humoribus. Lusitani, qui illuc navigarunt, genus morbi videntes affectioni Gallicæ simile, & quomodo in sanitatem restitueretur, lignum hoc in Hispaniam attulerunt, deinde per totam Italiam sparsum est, & ab hoc affectu optime corpora liberari nemo non novit.

Ex fructus esu incolæ sanitati restituuntur, illos vero solum absque pane edunt, ne plene nutriantur. Unde fructus octo in prandio præbent, & octo in cœna, postea nihil aliud edere sinunt. & ita in triginta vel quadraginta dierum spatio, à doloribus, à pustulis, à crustis, & à duris tumoribus liberantur. Utinam hos fructus in Italia haberemus, qui sapidi esse dicuntur. Nam ægrotantes haud magno labore à tam sæva ægritudine vindicaremus.

Crustæ vero, quæ habentur, & ulcera, vel ulcuscula, vel pustulæ, & præduri tumores, coctura primæ spuma delinantur, sive in vino sit, sive in aqua decoctum. Quod si ejuscemodi spuma non profecerit, ex ligno oleum fieri jubeo, quod per alembicum educitur, vel per nostrum usitatum modum. si etiam oleum istud non profecerit (quod tamen proficit) hoc linimento supra crustas uti soleo, vel supra pustulas, vel supra ulcuscula, & etiam supra duros tumores. Recipe *butyri recentis unc. ij. pinguedinis anseris, gallinæ, singulorum unc. j. gummi arabici, colophoniæ, myrrhæ, bdellii, singulorum drach. j. argenti vivi unc. s. probe misce, ut hydrargyrium non appareat, postea affectæ partes inungantur:* & hoc, quod sequitur, pro duritiebus potissimum est, & nodis, qui in hoc morbo contingunt. Linimento igitur, quod superius dictum est, præparato adde *mucilaginis althææ, fænugræci, seminum lini, singulorum drach iij.* Ex his, quæ dicta sunt, sperandum est ægrotum in unaquaque hujus affectus Gallici specie esse in sanitatem restituendum.

Præscripto modo, ut plurimum ulcera sanantur, crustæ, dolores, & tumores præduri, tamen affectus isti nonnunquam adeo sunt sanitati rebelles, ac contumaces, ut præscriptis etiam paratis aboleri non possint: propterea de unoquoque horum, quando ita rebelles sunt, & inveterati, nunc agere oportet, & ab ulceribus vero & crustis exordiamur.

Cum ulcera, & crustæ curationi adversantur, & illa, quæ superius facta sunt, nihil profecere, tunc ad vehementiora deveniendum est. sunt vero hæ pustulæ ratione humorum diversæ. nam atrabilares subnigricant, flavescunt biliosæ, sanguineæ in ruborem vergunt, sunt vero albicantes, & pallentes pituitosæ. Et si pustulæ fuerint sanguineæ, facilius curantur, & si biliosæ, etiam facile recipiunt curationem, difficilius autem curantur pituitosæ, & difficillime omnium atrabilares. Cæterum à sanguineis, & à biliosis inchoemus. quæ, si exsiccandæ sunt, hac aqua probe laventur. Recipe *balaustiarum, ros. rub., sumachiorum, mastiches, thuris, tartari, sandarachæ mineralis, singulorum drach. ij. aluminis liquidi, cerussæ, singulorum drach. j. s, argenti sublimati scrup. j. aquæ plantaginis unc. iiij. aquæ ros. unc. ij. succi limonum unc. iij. misce, & bulliant semper baculo circumducendo: & is, qui circumducit caveat, ne fumus ipsius nares pertingat, cumque ebullierit ad consumptionem sextæ partis, ab igne removeatur, & per linteum excoletur, ac servetur,* hoc enim ulcera (si profunda non sint) & crustæ madefaciendæ sunt: quoniam mire exsiccantur. Si vero essent ulcera & crustæ pituitosæ, hac aqua abluendæ sunt. Recipe *tartari, thuris, sandarachæ mineralis, galangæ, gingiberis singulorum drach. ij. aluminis rochæ, cerussæ, singulorum drach. j. s. argenti sublimati scrup. j. aquæ salviæ unc. vj. misce, & bulliant eodem modo,* & idem sit hujus decocti in his crustis ac ulceribus usus. At si atrabilares sint crustæ, & ulcera atrabilaria non profunda, tunc hac alia ablutione uti oportebit. Recipe *mastiches, thuris, gummi arabici, myrrhæ, bdellii, sandarachæ mineralis, tartari, singulorum drach. ij. aluminis liquidi, cerussæ, singulorum drach. j. s. argenti sublimati scrup. j. aquæ fumi terræ unc. iiij. aceti unc. ij. misce, & eodem modo ebulliant, & percolentur, ut dictum est.*

Si ex his in sanitatem restituantur, bene illis erit, sin minus, saponem facito ex communi sapone, & sublimato in hac proportione. Recipe *saponis optimi unc. ij. argenti sublimati scrup. j. misce*, prius, sapo liquefiat, postea loca omnia pustulis plena, crustis, ac ulceribus non profundis, sapone isto abluantur. aliqui idem efficiunt ex ovi albumine probe agitato, argento sublimato.

Tamen quia crustæ, cum abolentur, solent in facie maculas derelinquere, quæ ægrotis maxime displicent, ut necessarium sit & medicum ejuscemodi maculas delere, id fit ex *oleo de vitellis ovorum, cum aluminibus confecto*, ut de eo locuti sumus in nostro de oleis libello. nonnulli utuntur *oleo tartari*, quod potest alembico educi, tamen videtur efficacius, si fiat in loco sub terra excavato. *Sumatur igitur tartari quantum lubuerit, & comburatur, ac in pulverem redigatur, postea in linteum ponatur, & sub terra collocetur, vitreo vase supposito:* in hoc vas oleum destillabit, & si locus esset etiam humidissimus (quanquam non esset sub terra reconditus) exiret oleum. hoc oleo, vel de ovis cum aluminibus mane, & vesperi facies, ubi maculæ sunt, inungatur.

Cum nonnunquam ulcera in his affectibus sint profunda, tunc his non sunt curanda, sed curatio adhibenda est ratione ulcerum, semper vero in unguentis argentum vivum addendum, vel argentum sublimatum, nam hæc videntur aptissima ad hanc Gallicam luem medicamenta. unguenta vero sint, ut ulceribus conveniant ratione humorum, qui in homine, ac in ulcere superabundant.

Præduros vero tumores, qui in affectu Gallico sunt, hoc cerato removere oportet. Recipe *mucilaginis althææ, seminum lini, seminum fænugræci, singulorum drach. ij. myrrhæ, bdellii, singulorum drach. j. pinguedinis anseris, medullæ cervinæ, axungiæ suillæ, singulorum unc. s. argenti vivi drach. vj. ceræ, resinæ pini, olei liliorum alborum, ana quantum sufficit. misce, & conficiatur ceratum*, quod extensum supra corium duris in hoc affectu tumoribus adhibeatur. Si etiam tibi placuerit prius duritiem aliquo decocto fovisse, ab re non erit, idcirco fomentum istud præbeatur. Recipe *malvæ, violarum, althææ, florum chamæmeli, florum brassicarum, singulorum man. j. æsypi cerati unc. s. myrrhæ, bdellii, gummi arabici, singulorum drach. ij. pinguedinis anseris, butyri recentis, singulorum unc. j. misce, & bulliant in aqua, in qua lana lota est, vel in aqua, in qua pelles sunt aptatæ, & fiat fomentum supra locum*, postea supraponatur ceratum, & hæc, quæ prædicta sunt, fieri debent, etiam dum homo decoctum in vino vel in aqua sumit. Quando vero ex ipsorum spuma non abolentur, quandoque in crustis, ulceribus parvis, & tumoribus, jubeo ut simplex hoc adhibeatur linimentum. Recipe *unguenti Aragon. unc. iiij. argenti vivi unc. j. misce.* Et ex hoc crustæ, ulcuscula, & tumores removentur ab ægrotante, sed in particularibus tantum locis adhibentur, ubi illa fuerint, quæ prædicta sunt.

Maxima solent fieri in ore ulcera, quæ palatum perforant, & ad nares usque pertingunt, hæc igitur pertractanda sunt, ut superius à nobis de his ulceribus dictum est. quæ & guttur etiam, & fauces exulcerare solent, & erodere, nisi provideatur.

Nonnunquam in hoc affectu, quando veterascit, ossa corrumpuntur, & denigrescunt, & corroduntur, & hoc tam in capite, quam in cruribus, & in aliis corporis partibus, & potissimum putrescunt partes illæ ossium, quæ sub duris tumoribus continentur. tunc igitur quando os putrefactum est, considerandum, an sit detectum carne, vel sub carne, & cute, si detectum sit, planissime apparet ad oculum putredo, & tunc opus est considerare, an sit ossis superficialis pars, quæ putrida sit, an etiam profunda, & si quidem superficialis sit pars, pulveres sequentes supra os spargendi sunt. Recipe *aristolochiæ rotundæ, sarcocollæ, aloës singulorum drach. j. aluminis liquidi drach. ij. argenti sublimati scrup. j. misce, & fiat pulvis subtilissimus.* Quandoque hoc usus sum. Recipe *aluminis liquidi drach. ij. cerussæ drach. j. euphorbii, argenti sublimati, singulorum scrup. j. misce, & fiat pulvis subtilissimus.* His potissimum pulveribus utaris, quando os non est totum putrefactum, si vero totum putrefactum esset, necessarium esset totum auferri. in aliquibus tota tibula ablata est. Plerumque partes ossis putrefactæ modo removentur. Recipe *præcipitati drach. ij. chalcanthi usti, sulphuris vivi singulorum drach. iij. misce, & fiat pulvis subtilissimus.* At inter generosa, quæ possunt adhiberi in hoc casu præsidia, unum est ignis actualis ex candenti ferro, hoc enim præsidium egregie in sanitatem restituit. Quandoque jussi adhiberi quadragesima die, & quinquagesima ignis ictus supra aliqua ossa, quæ non poterant auferri per alia medicamenta, & statim igne adhibito tabula illa ossis ablata est, quæ putrida erat & denigrata. Hoc mirum, quia ignis est præsidium, quod maxime roborat, præsertim in tabulis ossis capitis removendis. Videntur namque nonnunquam in capite ossa veluti carie corrosa & perforata, quæ omnia igne corriguntur, emendantur, & sanitati restituuntur. Et ut res suo ordine succedant, cum ossa putrida apparent, medicamentis primo emendari curentur. Quod si medicamentis id fieri non possit, ferro abradantur. si terrum nihil juverit, ignem adhibeto. si etiam ignis nihil proficeret, & insanabilia esse juxta aphor. inferendum est.

Si vero ossa sint carne, & cute tecta, negotiari difficilius est. cum autem vides tumores cum doloribus nunc abire,

abire, nunc redire, & jam esse inveteratos, susp icandum est de ossis corruptione, at in capite potissimum, & in cruribus, & brachiis vexare solent. Cæterum cum medicus de osse suspicatur, etiam si id certe nesciat, tumori illi causticum, capitelli vocati, apponi jubere debet, & tumorem durum aperiri, quousque ad os perveniatur, & oculis an putridum sit, an non putridum intueri. Si putridum sit, ut dictum est, prosequi, si minime putridum, melius est, neque ab re fuerit tumorem durum aperire, quoniam tunc facilius est illum sanitati restituere.

Imo hoc notato, præduros tumores, quando non possunt dissolvi, esse causticis aperiendos, nam deinceps facilius corriguntur. in nonnullis hujus generis inveteratis tumoribus jussi omnes causticis aperiri, quod citius ægrotantes in sanitatem redigerentur. Nam plerumque omnibus etiam prædictis ad unguem observatis emolliri minime possunt, tam rebellis est dissolutioni hæc materia, at per caustica scirrhi hi aperti curationem facilius recipiunt, hæcque de præduris tumoribus sint satis.

Dolores vero & novi, & inveterati, inunctionibus, ceratis, suffumigiis, ligni Indici decoctis, tam in vino, quam in aqua resolvuntur, & abiguntur. at si per potiones illos removere tentemus, interim dum bibuntur ejuscemodi decocta pro abolendis doloribus, vel mitigandis, modo absint scirrhi, & crustæ, membra quæ dolent hoc linimento inungantur. Recipe *salviæ, menthæ, rorismarini, stœchadis, iuæ, perforatæ, majoranæ, singulorum man. j. misce, & bulliant in vino albo potenti, postea* Recipe *hujus vini lib. j. olei costini, liliorum alborum, rutacei, singulorum unc. iiij. misce, & bulliant ad vini consumptionem*, postea adde *galangæ, thuris, mastiches, singulorum drach. iiij. terebinthinæ unc. ij. styracis calamitæ unc. j. misce, & cum modico ceræ fiat linimentum mollissimum*, cum quo dolorosa membra inungantur. nam roborantur, & dolores mitiores redduntur, interim vero potest ægrotus ferre decocta, & exspectare tuto liberationem à morbo.

Dum hæc in publicis haberem scholis, excellentissimus vir Alexander Fontana Mutinensis, medicus, nulli nostra ætate in medica facultate secundus, lectiones nostras frequentavit, & quindecim de ligno Indico quæsitis in medium propositis, me interrogavit, obsecrans, ut illa in ejus gratiam dissolvere tentarem, quod me facturum pollicitus sum, imo cum multa alia essem de hoc ligno dicturus, illa in his enodandis interrogationibus referam. inter has vero à celeberrimo viro propositas quæstiones, sex sunt universales: novem vero circa ligni naturam, quas omnes in tam celebris viri gratiam singulatim referam ac dissolvam.

# ALEXANDRI FONTANÆ, *Mutinensis*, DE MORBO GALLICO, ET LIGNO INDICO QUÆSTIONES.

## QUÆSITUM. I.

*Quis primus modum exhibendi hoc decoctum, conficiendique, & in hoc morbo vires ejus explicuerit.*

## BRASSAVOLUS.

Duo in hac quæstione contineri video. Unum de hujus ligni decocti inventore, alterum de hujus ligni decocti viribus adversus hunc morbum, primæ parti ita satisfaciendum putamus.

Cum Gallicus affectus, vel similis quidam sit fere peculiaris incolis, qui Indicas nuper repertas Insulas inhabitant. Lusitani viri ingenio perspicaces, qui frequenter illuc appellunt, homines Indicos videntes tali affectu præditos, talibusque symptomatibus, qualibus in Hispania ac Lusitania illi afficiuntur, qui lue Gallica laborant, quomodo Indi illi curarentur, ac facile in sanitatem restituerentur animadverterunt, & curandi modum in Lusitaniam ac Hispanias attulerunt, & una secum lignum hoc Indicum comportarunt. tamen primus omnium Consalvus quidam fuit Hispanus morbo Gallico sævissime affectus, qui rei fama commotus, (nam omnibus fere aliis expertis præsidiis sanitati restitui non potuerat) una cum aliis ad Insulas nuper repertas navigavit, seque curari fecit, ac sanitati restitui, postea in Lusitaniam rediens, medici officio functus est, & eodem modo Gallico morbo affectos curare coepit, quo & ipse ab Indo quodam medico curatus fuerat, ligni scobem simpliciter decoquendo, ut primis etiam annis fieri consueverat. nunc 1551. viginti sex anni aguntur, quod in Italiam devectum est ejuscemodi lignum. At paulatim res processit, quod in omnibus aliis contingit rebus, etenim ars semper jam inventis addit, ut his modis impræsentiarum paretur, quo superius dictum est. Consalvus semel tantum in die decocta præbebat, nunc bis præbentur magno cum ægrotantium commodo, multique sunt anni, ex quo bis præbetur, ut autor quidam Hispanus testatur, qui de hoc scripsit, antequam esset in Italiam convectum. & Utenus nobilis Germanus, à lue Gallica (si quis unquam alter fuerit) pessime tractatus, bis in die decoctum istud præbendum scripsit. forte hic Gallicus affectus fuit in Italiam ab Indis partibus asportatum, sicuti lichen Romam quandoque fuit allatus. in diversis deinde Italiæ urbibus, & totius Europæ, diversi fuere primi, qui hoc decoctum præbuere, ego primus Ferrariæ hoc decoctum præbui Illustri Aeneæ Pio, in dulci aqua 1526. cum omnibus aliis medicis novum ac inusitatum videretur (ut vere erat) medicamentum, multique id ipsum deridebant, quo usque videre Illustrem virum sanitati restitutum esse. Ego etiam primus Ferrariæ 1535. decoctum in vino adhibui, in aliis autem Italiæ urbibus alii fuere primi, nunc res adeo facilis reddita est, ut nemo sumendi laborem subterfugere videatur. cum prius omnibus minus molestum videretur ad Indias navigare, quam decoctum istud ebibere. Est vero lignum hoc ebeni species. At ad nos prius non afferebatur, quia nigrum non est. Ebeni vero usus in Italia est tantum ad capsas & tabulas variegandas, & opere vermiculato pingendas. sunt namque multæ ebeni species. nam aliqua est rubra, aliqua alba, aliqua lutea, & diversis coloribus affecta. nulla vero ebeni species supernatat, sed unaquæque ad ima fluminis descendit. neque illud est conveniens argumentum, non esse ebenum, quia nigrum non est: nam multæ ebeni species reperiuntur, quæ nigræ non sunt, minus illud arguit, quod sit ebenum, quia non ita maceratur in aqua Indicum lignum, sicut ebenum, quoniam sunt diversæ species, idcirco necesse est, ut diversis etiam proprietatibus sit insignitum. nam longe durius est Indicum lignum, nec tam facile recipit ignem admotum, ut ebenum, nigrum, & ob densitudinem, quam hoc habet lignum, non adeo redolet, ut ebenum nigrum, tamen & ipsum redolet. Verum hæc disputare sunt hujus affectus curationi inutilia, vel igitur sit ebeni species, vel minime sit (cum tamen esse non dubitem) de hujus ligni perfectione si loqui voluerimus, dicamus posse perfectionem sumi, & ex loco, in quo ortum habet, & ex ipsius dotibus. ex loco inquam, quoniam ut in aliis simplicibus aliqua sunt in uno loco perfectiora, quam in aliis, ut mastiche in Chio Insula, mel hybleum, æs Cyprium, ita cum hoc lignum in diversis nascatur locis, in Insula tamen Sancti Joannis (ita enim vocatur una Insularum Oceani maris, è qua ejuscemodi lignum defertur) egregius oriri Guajacum lignum existimatur, quam in tota oriatur India. multæ vero sunt Insulæ in Oceano mari, in quibus nascitur ejuscemodi lignum, ut Insula Corterati, Insula Sancti Benedicti, Hispaniola, Insula Sanctæ Crucis, & multæ aliæ sunt Insulæ, è quibus defertur, tamen nos ex patria lignum hoc cognoscere nesciremus: neque fieri potest, ut cognoscatur ex loco, quoniam onustæ hoc ligno naves afferuntur in Hispaniam, Genuam, Venetias, & neque unus est, qui certe sciret, è qua Insula esset convectum: propterea opus est ex aliis indiciis lignum eligere, quam ex eo, in quo nascitur, solo. eligatur vero ex ipsius dotibus, id quod pinguissimum est, & oleagineum, densum, ponderosum, quod in medio nigricat, ac relucet, circumcirca sublutei coloris est, vel subalbidi, & quod aromatum odorem spirat, & si igni admoveatur, oleum ab eo resudat: his notis cognoscitur optimum Guajacum, quod nonnulli palum sanctum, alii Indicum lignum, alii alio modo vocant.

Ad secundam quæsiti partem dicimus, lignum hoc adver-

sus hunc affectum per nullam manifestam qualitatem valere, imo cum ipsius usus ad multos alios sit morbos, præter Gallicum, potissimum adversus contagiosos morbos convenire videtur. nam & ipso per decoctum nonnullos à scabie lineravimus, qui inungi abhorrebant, sed potius contenti fuere per xv. dies hujus ligni decoctum bibere, & ita sanitati restituti sunt. Cur vero ad omnes valeat affectus, nulla alia potest reddi ex evidentibus causa, quam quod in activis ac passivis qualitatibus non multum excedit, unde ratione qua tale, & calidis, & frigidis convenit affectibus, sed & talibus præditum est à cælo dotibus, ut sanguinem corrigat, & pravos omnes humores resolvat, & membra omnia roboret, ac in pristinum vigorem deducat. de activis vero & passivis qualitatibus dicimus esse calidum ac siccum in secundo ordine remisso. esse calidum in secundo, id ostendit, quia plane ac sensu persentitur esse calidum, nec caliditas est acris, ut tertium attingat ordinem, tamen humiditate quadam pingui non destituitur, qua corpora nutrit, imo si ipsius decoctum non nutriret, ut jura faciunt, & oleagineorum jura, non possent ægroti tantam inediam ferre. Sunt vero, qui putant ejus caliditatem accedere ad tertium ordinem, quod absurdum est: quia necessarium esset, ut caliditatem induceret ex usu vehementem. At quantumcunque sumatur, nunquam supra modum corpora calefacit, quod indicium est, tertium caliditatis ordinem minime illud attingere, sed in secundo tantum esse, & qualitatum remissionem quandam habere, ut morbis frigidis, calidis, humidis, atque siccis adversetur. neque hoc mirum sit, cum à Galeno edoceamur, multa esse simplicia, quæ ex diversis partibus contraria agunt, insuper Indicum lignum non tantum humana corpora nutrit, & in substantiam ipsorum convertitur, verum & nutriendo omnes corrigit, qui sunt in corpore, pravos affectus. nonnulli comparant in nutriendo hujus ligni vires ad jus pulli perfecte cocti, quibus non solum consentimus, sed fatemur etiam magis robustum esse hoc nutrimentum, quod ex ligni decocto habetur, quam quod ex pulli jure. hæcque de hujus ligni viribus, & quomodo huic morbo adversari jure dici possit.

## QUÆSITUM II.

*Quibus ætatibus magis conferat, & si tuto pueris senibusque exhiberi possit?*

## BRASAVOLUS.

Cum Indici ligni natura, ac vires sint tam mites, tam benignæ, tamque ad justam temperiem accedentes, omni ætati conveniet, utrique sexui, & omni temperiei. Nobili Cæsari Orobono, sex annorum puero, hujus decoctum præbui, & à sæva lue Gallica, quam ex nutrice conceperat, egregie absolutus est, nihilque dispendii penitus unquam persensit, & viginti jam anni à curatione illa absoluti sunt. Fertur apud Indos infantes à matris utero prodeuntes, plerumque discrimen hoc Gallicæ luis secum afferre, & per totum corpus pustulas spargi. matres vero hujus ligni radicis decocto illos sanitati restituere, in his vero ætatibus illud observandum censeo, pueruli ac juvenibus aquam potius, quam vinum esse adhibendam. consistentibus vero ac senioribus vinum potius, quam aqua præbeatur, tamen tanta est hujus ligni benignitas, ut vini vel aquæ decoctum unicuique, cum indiget, in quacunque sit ætate, præberi possit. Nam si puer sit vel juvenis, qui hujus ligni decocto indigeat, cum ex prædictis aquam potius sumere deberet, tamen si morbus sit diutinus, ut diu sit, quod ægrotet, vinum potius præbeatur, quam aqua, & è contrario cum senex, ut dictum est, vinum potius sumere debeat, tamen si morbo hoc recenter correptus sit, decoctum in aqua potius bibat, quam in vino, & ita de aliis intelligendum est. mulierculis etiam præbui, quibus egregie profecit. unde utrunque decoctum unicuique potest præberi ætati, & naturæ, ut ipsi exigunt affectus, & à senibus tutissime ac puerulis insumi potest.

## QUÆSITUM III.

*An maribus, fœmellisve plus prosit?*

## BRASSAVOLUS.

Ex his, quæ statim superius dicta sunt, huic quæsito satisfactum esse videtur. Nunc vero repetimus, utrasque naturas ex his decoctis in sanitatem restitui, unde ad naturæ mollitiem videretur potius aqua mulieribus esse præbenda, vinum autem viris, aut è contrario, si exsiccationem respiceremus. at experientia ipsa ostendit, utrumque decoctum utrisque conferre naturis. fateor vero, me pluribus viris hæc decocta exhibuisse quam fœminis, quoniam & plures viri sunt hoc morbo affecti, quam mulieres. quoniam facilius est mulierem unam multos inficere viros, quam virum unum mulieres multas, tamen utrumque possibile est. Verum hujus ligni decocta utrisque naturis prodesse exploratum est.

## QUÆSITUM IV.

*Quibus morbis, præter Gallicum, præsentaneum sit hoc lignum?*

## BRASAVOLUS.

In genere dicendum est, nullum esse morbi genus, cui non conferant hujus ligni decocta, tamen nos peculiariter illis in affectibus usi sumus, & fructum experientia ostendit, ad podagram valere expertus sum, ad chiragram, ad arthritidem, ad ventriculi dolorem, ad ilei ac coli dolorem, ad phtisim, & ad universum malum habitum, & ad omnes frigidas, ac humidas ægritudines, ad antiquum capitis dolorem, ad hemicraniam, ad cephalæam, ad longa intestinorum tormina, & ad longas omnes ægritudines, ad perennem tussim, ad pituitæ abundantiam, ad hydropem, & ad omnia, in quibus opus est exsiccare, ad frigidas ac humidas ventriculi intemperies, & omnium membrorum, ad destillationes, & peripneumoniam: multosque post sumptum decoctum pinguefecimus, qui alioqui non poterant ex plenissimis dapibus pinguescere, & in summa cum ad temperiem vergat, ad omnes fere ægritudines convenit.

## QUÆSITUM V.

*Si fieret ex hoc ligno poculum, sicut ex tamarisco, lienosis an opem conferret?*

## BRASSAVOLUS.

Ita Gallico affectui confert hoc poculum, ut lienosis confert ex tamarisco poculum, quod nunquam prodesse percepi, vel si profuit, non fuit sensu perceptum, imo nonnunquam jussi, ut Guajaci fruticula in vino, quod bibituri essent submersa servarent. tamen nihil (quod viderim) profecere. Verum credendum est aliquid conferre posse, sed tam minimum est, ut vix ullo modo percipiatur. ratio vero dictat aliquo modo conferre posse.

## QUÆSITUM VI.

*Si decoctum in thermarum aquis fieret, an magis proficeret, ut in doloribus ac tumoribus scirrhosis in balnei Porretani aqua, in crustis & ulceribus, in aquis lucanis, quæ de Villa dicuntur.*

## BRASSAVOLUS.

In cachexia præbui hujus ligni decoctum in aqua Aponensis fontis, & in triginta dierum spatio ægrotans hæc in sanitatem restituta est. Erat vero religiosa mulier, quæ ad leucophlegmatiam fere devenerat. idemque de Porretano balneo judicium faciendum est, si in affectu Gallico exsiccare sit opus. & si ferro pro crustis & ulceribus sanandis indigeamus, in fontis Villæ balnei aqua, vel Caldarii fontis decoctum fieri poterit: tamen nihil æque humanam naturam adjuvat uti vinum, quod vires roborat, nutrit, penetrat, & alia sibi commista penetrare facit, resolvit, & exsiccat. verum neque in thermarum aquis decocta despicienda sunt, præsertim cum vehementer exsiccandum est.

Novem sequuntur quæsita circa ligni naturam ab eodem excellentissimo Alexandro Fontana nobis proposita.

## QUÆSITUM I.

*Quomodo extrahatur oleum ejus, & quibus morbis conferat?*

## BRASSAVOLUS.

Ex hoc ligno oleum duobus modis exprimi potest, & cum pingue sit, facile extruditur. unus est modus per impositionem in duplex vas, ut ex junipero oleum educitur, ignem supra vas excitando. alter est modus, ut chymistæ ex diversis rebus per vocatas bocias oleum educunt. adest & pulcherrimus modus, quo nos ex igne & glacie ex omnibus rebus oleum extrudimus. potest & quarto festuca quædam hujus ligni aut parva portio accendi, & juxta convexam tegulam applicari, vel juxta pateræ concavum, tunc enim oleum circa pateram brevissime defluit. hoc Indici ligni oleum durities in Gallico affectu dissolvit, crustas exsiccat, dolores mitigat. si affectæ partes inungantur. mirificum est in his, qui affectu Gallico correpti sunt in faucibus, & in utero. omnibus frigidis & humidis affectibus confert, & reliquis omnibus superius enumeratis affectibus.

## QUÆSITUM II.

*An meditullium ejus sit reliquis partibus efficacius, cum sit ipsius centrum, an è contrario distantiores partes propinquioribus sint majoris virtutis?*

## BRASSAVOLUS.

De cortice superius locuti sumus, & diximus, esse quidem siccissimam hujus ligni partem, at cum odore careat, pondere, sapore, ac pinguitudine, ineptiorem partem esse judicavimus, & potius esse abjiciendam, quam ad opus medicum excernendam. De ligno autem ipso locuturi, primo illud notare debemus, inter ligna omnia, & omnes radices, aliqua esse, quæ præter superiorem corticem, carnem habent à meditullio distinctam, ut est cichorei radix, quæ superiorem habet corticem, quo in acetariis vescimur, & meditullium amariissimum quod abjicitur, & in nucis ligno cortex adest superior niger, & meditullium fistulosum, & inter superiorem corticem & meditullium adest lignum veluti caro, & cichoreum etiam supra carnem, qua vescimur, hymen habet, quod abraditur, antequam edatur. Exstant vero aliqua ligna & radices, quæ superiorem quidem corticem habent, sed meditullio carent, quod à cæteris partibus

natura

natura distinctum sit, ut est inter radices rapa, atque rheubarbaricum. nam corticem quidem superiorem habent, sed meditullium non habent à reliqua carne distinctum. in lignis vero lignum hoc Indicum corticem quidem habet, sed meditullio caret, à reliquo ligno præterquam colore distincto. & buxus corticem habet, sed meditullium non habet à reliquo cortice distinctum. in his, quæ meditullium habent à reliquo corpore distinctum, media inter corticem, & meditullium pars semper potior est, & in usu, nisi contingat meditullium esse densius, quam medium inter corticem & meditullium corpus. quando meditullium densius est, caro media ad cibos magis apta est. quo vero ad medicamentosas vires minus, ut in cichoreo contingit, & in apio hortulano. quod petroselinum vulgo vocatur, & in aliis similibus: sed quæ meditullio carent, semper centrum versus exquisitiora sunt. unde cum hoc Indicum lignum distincto careat meditullio, ut inter radices & rhabarbarum, idcirco dicendum est versus centrum esse perfectiora, & quod vires in centro vehementiores existunt. & licet in hoc Indico ligno pars quædam media videatur nigra, à parte alia versus corticem, quæ subalbida est, colore distincta, tamen hoc solum est, quoad colorem, non autem quoad substantiæ continuationem, & ideo distinctum non habet meditullium à parte, quæ inter centrum sit & ipsum cortiem. idem de rhabarbaro judicium faciendum est, quod efficaciorem vim habet versus centrum, quam versus circumferentiam, licet quandoque in pauperibus cortice simplus, & egregie subduxerit. efficacior igitur Indici ligni prs est centrum versus. in reliquis vero, in quibus meditullium varium est & harundinaceum, ut in nucis baculis caro, quæ inter meditullium & corticem continetur, semper melior existit, & ad rem medicamentariam magis apta.

## QUÆSITUM III.

*Si lignum virde haberetur, an magis prodesset, quam id siccum, quo communiter utimur?*

## BRASSAVOLUS.

Cum lignum hoc magis recens est, tanto odoratius est, ac pinguius, idcirco tanto melius lignum est, quod recentius est, quam quod inveteratum. experientia nimirum ostendit, quod temporis processu & odorem, & pinguedinem amittit, tamen magis amarum redditur, cum magis exsiccatur, veruntamen nunquam habere possumus recentissimum, quoniam etsi citissime ex India ad nos asseratur, citius aferri decem & octo mensium curriculo non potest.

## QUÆSITUM IV.

*An lignum ponderosum eligibilius sit, cum Galenus quinto Aphoris. libro, Aphoris. 26 electionem aquæ ex pondere reprobet?*

## BRASSAVOLUS.

Rerum naturæ diversas esse constat, ut aliqua pondere probentur, alia evitate. aqua improbatur ponderosa, quia talis per humanum corpus minus permeare potest, quod est optimæ aquæ proprium, scilicet corporis partes facile penetrare. Plinius vero præ cæteris ostendit non probari statera aquas. quoniam frustratur diligentia, cum nulla sit magis alia ponderosa, sed aqua illa apud Hippocratem levis intelligitur, cæterisque melior, quæ humanum corpus facilius permeat & partes minime obstruit. illa vero intelligitur esse gravi, quæ corporis partes non permeat, sed illas potius obstruit. Indicum vero lignum, quod elementum non est, sed ex elementis compositum, in quo adsunt terreæ partes aqueis vehementer mistæ, densum esse debet, & quanto magis densum est, tanto habet ponderosiores partes, itaque densitate probari debet, ac pondere, quæ vires ipsius vehementiores esse ostendunt, licut & id rhabarbarum efficacores vires habet, qud ponderosius est: & ita de aliis multis rebus dicere oportet. alia vero raritate probantur, & levitate, non autem densitate, ac pondere, sicuti agaricus.

## QUÆSITUM V.

*Quid potius in ligno indagandum sit, an pondus, an gummositas, an aromaticitas, an aspredo illa olivalis immatura?*

## BRASSAVOLUS.

Ut in compositis medicamentis, in quibus multa insunt simplicia, quæ ad unam formam rediguntur, non dicitur per hanc formam agere, ratione hujus vel illius simplicis, sed omnino simul mistorum ratione agere, licet membrum, quod uno indiget, illud ad se traheret, & aliud membrum, quod alio indiget, hoc etiam ad se traheret, ita in simplicibus dicere oportet ex quatuor elementis compositis, ex quibus multæ secundæ resultant qualitates, quod secundum omnes illas agunt, & non secundum unam particularem, quanquam dici etiam posset ex aromatica illa qualitate cor ipsum roborari, & cerebrum, & ex consequenti nervos, ex gummea illa substantia & pingui præduros tumores & pustulas emolliri. ex pondere substantiæ densitas ostenditur, qua notatur vires etiam in ipso magis intensas, itaque secundum diversas qualitates secundas diversa agit. In hoc igitur Indico ligno hæ omnes qualitates secundum diversas intentiones considerandæ sunt, & secundum quod ex ipsis tertia quædam vis resultat, multis adversandi affectibus apta.

## QUÆSITUM VI.

*Si Indicum lignum combureretur, an ipsius cinis alicujus esset roboris, gummea natura, & aromatum odore exhaustis?*

## BRASSAVOLUS.

Ut diversorum lignorum cineres viribus diversi sunt, nam roboris cinis efficacior est ac vehementior salicum cinere, ita hujus ligni cinis est roboris cinere ad exsiccandum ac roborandum vehementior. & quamvis aromatum odor, & gummea natura per adustionem auferantur, tamen non aufert, quod exsiccet, & membra roboret. hoc cinere usus sum ad cinerem conficiendum ad alopecias, & ægrotantes sanitati restituti sunt.

## QUÆSITUM VII.

*An pulvis ipsius debeat exquisite in pollinem redigi, ut de pipere, & colocynthide ambigunt practici?*

## BRASSAVOLUS.

In tenuissimum pulverem redigendus est, ut vires omnes integre in decocto spargantur. nam si in majora frustula redactum esset lignum, cum durissimum sit, vis ipsius in aquam, vel vinum haud facile reciperetur, & ideo commodissimus modus hic fuit, lima in tenuissimam scobem lignum illud reducendo, neque illa ambigua, quæ in pipere & colocynthide dicuntur, in hoc ligno contingere possunt, quia piper partes, quibus inhæret, adurit, & colocynthis exulcerat. At hujus ligni pollen, si intestinis inhæreat, illa roborat, & una ventriculi vires auget: idcirco in tenuissimum pollinem conteri debet.

## QUÆSITUM VIII.

*Si pulvis hic bibatur, an conferat, cum indigestibilis sit, ut aurum, & ceraforum semina?*

## BRASSAVOLUS.

Etsi pulvis hic concoctionem non admittat, tamen cum ipsius qualitates à naturali calore actuantur, in humanum corpus agunt, ut reliqua agunt medicamenta, quæ concoctionem non admittunt, tamen à naturali calore in actum agendi redacta, vel alterant vel subducunt, neque hoc scilicet non posse concoqui à medicamentis aufert, quin agere possint. at neque aurum medicamentum est, nec ceraforum semina, quamvis de auro dici possit, quod secundum vires, quæ illi ab authoribus attribuuntur, agit.

## QUÆSITUM IX.

*An hujus pulveris vis post aliquot menses exsolvatur, ut probi medici de aliorum simplicium pulverizatorum vi fatentur, quod scilicet tempore fatiscant?*

## BRASSAVOLUS.

Hujus pulveris vim exsolvi, non quidem post aliquot menses, sed post aliquot dies planissime constat, idcirco singula vice quo decoctum paratur, jubeo, ut tanta hujus ligni quantitas lima in scobem reducatur, quanta ad coctionem illam satis sit. Nam aromatum odor exspirat, pingnedo consumitur, quæ omnia in ligni soliditate conservantur, & brevius etiam hujus ligni vis, quæ in soliditate continetur, quam aliorum vis evanescit.

Hæc sunt quindecim quæsita. quæ excellentissimus vir Alexander Fontana, Mutinensis medicus, mihi proposuit enucleanda. at optassem potius, ut ipsemet interfuisset, quam absens hæc legeret. non dubitamus enim, & hunc doctissimum virum prædictis solutionibus aliquid egregii additurum. hæcque de Indici ligni exhibitione sint satis.

# ANTONII MUSÆ BRASSAVOLI,

DE

# RADICIS CHINÆ USU,

## TRACTATUS.

Non diu eſt, quod ex India in Italia radix quædam advehitur, quam Chinam vocant, quæ noſtratum cannarum radicibus ſimilis eſt, imo & cannarum Indarum radicem eſſe non dubito, neque multum adhibeo ipſi Chinæ fidei, quoniam nullas videtur habere qualitates ex his, quæ oſtendunt medicamenta educere, aut vires aliquas habere medicamentitias. nam neque odorata eſt, neque pinguis, neque ponderoſa, neque denſa, neque amara, neque pellucida, neque dulcis, ſed penitus inſipida eſt, levis, rara, abſque ulla pinguedine, & abſque ullo odore: idcirco Chinæ fidem nullam adhibemus (quanquam planum ſit Chinam ipſam exſiccare, cum ſit ſicciſſima radix,) tamen ne ipſius decoctum, & ſumendi modum prætereamus, ita decoctum conficere oportet.

Recipe *Radicis vocatæ Chinæ unc. viginti duas, quas in viginti quatuor partes dividito, ut unaquæque pars unoquoque die ſumi poſſit, tunc que portionem ſumendam de die in diem in minimas partes, ad quadrantis quantitatem dividito, & ad ignem ſuſpendatur, vel ſupra tripoda vas ponatur, ut ebulliat in tribus aquæ bocalis (ita enim impræſentiarum me loqui liceat, & uti vocabulo bocale) vas autem, in quo ebulliturum eſt, mera ſit olla, vitro delinita, ſed bocalorum capacitatis, ollamque probe tegito, & lento igne coquito. tandiu vero coquito, ut duæ ex tribus partibus ſuperſint, poſtea ab igne removeto, & tectam ſemper ſervato.* ſingulis diebus hoc modo facienda eſt decoctio, qua eodem die uti debes: nam ulterius bona non eſt. ſi quiſpiam igitur ſit naturaliter adſtrictæ alvi, *in decoctione prædicta imponatur ſeminncia radicis apii, & ſimul bulliat.* is, qui affectus eſt, ſingulis diebus in aurora parvam phialam accipiat hujus decocti, tantum calidi, quantum ferri poſſit: & ſi integre phialam exhaurire non poterit, majorem ſaltem partem exhauriat, & id quod facile inſumere poterit, in lectoque ſit, & probe tegatur, ut ſudor evocetur. nam quanto vehementius ſudabit, tanto melius erit: è lecto interdiu ſurgere poterit. domo vero minime exeat, imo à vento caveat primorum ſaltem octo dierum ſpatio. Si interdiu ſitiret, è decoctione bibat, & ſi biberit, illam quandoque calidam, quandoque frigidam, tamen melius eſt illam valde calidam ſumere.

Horum cibus per primorum quindecim dierum ſpatium ſit pullus elixus, non autem aſſus. à ſaliis cavere oportet, dum hic ordo ſervatur, ab acetoſis item, & acribus.

Si delicatulus ſit, qui mane & veſperi gallinas, & gallinaceos pullos ſemper edere nequeat, perdices edat, phaſianos, hœdos, vervecis carnem, & ſimiles. in Chinæ inſula perdices ſemper non edunt, ſed nonnunquam, quia (ut ferunt) infernam alvum ad exercendum provocant.

Scito autem in inſula Chinæ, in qua lignum iſtud oritur, medicos piſces non cohibere, neque vinum, ſi affectus ſit imbecillus. in illa etiam inſula hæc in univerſum prohibent, coitum, acetum, res acetoſas, res ſalſas, hircinam carnem, caprinam, & Gallorum carnes, reliqua hœdi permittunt, tamen præcipuus eorum cibus eſt pullorum caro, & caſtratorum elixa.

Si is pauper ſit, & ligni impenſas evitare cupiat, idmet lignum, quod bullierit, accipiat, & in fruſtula adhuc minora, quam eſſent, incidat, & ſecundam faciat decoctionem, hocque ter & quater fieri poteſt, & adhuc decocta ſunt utilia.

Si ægrotus ulceribus ſcateat, tenuia accipienda ſunt lintea, & in decoctum immergenda, & ſupra ulcera imponenda, quæ neque liganda ſunt, ex his enim madefactis linteis proficiet.

Scito quod à ſeptem diebus ultra, ad quintum decimum videlicet diem, in affectis partibus dolor augebitur, poſtea melius habere incipiet, ut vigeſimo die in ſanitatem reſtitutus ſit, etiamſi magnis vexaretur ulceribus.

Si quiſpiam decoctum iſtud ſupra vigetimum quartum diem inſumere voluerit, hoc illi ſponte concedatur, & quoad illi placuerit perſeveret. Id autem ſit, cum viderit ſe ſanitati exquiſite reſtitutum. Si alvus adſtricta ſit, clyſteribus, alternis ſaltem diebus, utatur, ſint vero clyſteres vocati communes, vel fiat hic, qui ſequitur clyſter. Recipe *malvæ, violarum, boraginis, bugloſſæ, ſingulorum man. j. hordei unc. j. miſce, & fiat decoctio ſecundum artem,* poſtea Recipe *hujus decocti lib. j. olei communis unc. iiij. ſacchari rubri unc. j. ſalis communis drach. ij. miſce, & imponatur.* Nota etiam quod ſi vires conſtent, & ægritudo in inferioribus membris occulta ſit, hic ægrotus ad ſeptimum uſque diem tenuiſſimo victu uti debet: nihil vero aliud in hoc temporis ſpatio edat quam paſſulas, amygdalas, & panem, neque etiam in magna copia. nota inſuper hujus radicis uſum non ſolum eſſe ad morbum Gallicum, ſed & ad alios affectus. alii vero affectus, qui Chinæ decocto ſanantur, ſunt hydrops, obſtructio, & potiſſimum ventriculi obſtructio, jecoris, & lienis. Venenoſis medetur morbis, hæmorrhoidibus ſuccurrit, paralyticis convenit, capitis dolori continuo, ſive ſit ob Gallicum affectum, ſive ab ſalſuginoſis, ſive ab aliis humoribus. & ab ala cauſa. convenit, & junctura rum doloribus, potiſſimum à cauſa frigida excitatis, quartanæ adverſatur, & unicuique continuæ febri obſtructioni junctæ, modo diutina ſit, nervorum doloribus à frigida cauſa ſuccurrit, dentium doloribus opitulatur, ſi decoctum calidum in ore ſumatur, valet etiam ad hydropes, & ad urinæ difficultatem, ipſum ventriculum rectificat atque roborat.

### *Modus brevior præbendi decoctum Radicis Chinæ.*

Alii alio utuntur modo ac breviori. nam hujus Radicis unciam accipiunt, & illam in tenuiſſimas ſecidunt partes, ita ut ſingula pars non ſit major quadrante, poſtea in tribus aquæ bocalis, in nova olla in infuſione ponunt, & per viginti quatuor horas dimittunt, potea igne lento ebullire faciunt, ollaque ſit probe tecta, ne fumi extra evaporent, antequam fuerit coctum, & dimidia pars reſoluta, poſtea colantur, & in vitreum vas, vel in fictile vitro delinitum, reponuntur, vasque per ſptem dies apud ignem ſervant, ut ſemper tepidum manea. lignum vero, quod poſt primam hanc decoctionem relictum eſt, in umbra exſiccant, & ita ſingulo die decoctionem fieri jubent: & cum decoctio una facta fuerit, ſtatim lignum aliud in infuſionem ponunt, in qua ipſum per viginti quatuor horas immorari volunt, poſtea, ut dictum eſt, decoqui monent.

Ex præſcripto decocto ſemiampulla, adventante aurora, accipiatur, quod, ut ferri poſſit, calidum ſit, & ſtragulis ut ſudet probe tegatur. nam totis viribus excitandus eſt ſudor. poſt ſudorem linteis calidis æger prfricetur, & exſiccetur. interulaque mutanda, ac lintea poſtea per aliquod temporis ſpatium in lecto quieſcat. taque hora noctis prima eandem decocti quantitatem accipiat, & tegatur, in hocque permaneat loco uſque ad ſequentem diem. cibi ſint pulli gallinacei abſque ſale elixati tamen nonnihil croci in jure ebulliat, & coriandrorum. prandii hora ſit integra ante meridiem hora. ex prædicta aqua quantum lubuerit bibatur, paſſulæ edendæ ſunt, & recens panis, poteſt etiam ex omnibus conſervis edi, ſive ex melle confectæ ſint, ſive ex ſaccharo, & hoc tam in cœna & prandio, quam aliis temporibus. cœna ex paſulis erit, amygdalis, avellanis, & pane, & de prædicta aqua quanto plus bibitur, tanto melius eſſe exiſtimatur, inde ſi id totum quod ſingulo die ſit bibatur, melius eſt.

Interdiu domo exire poterit, & ſupra omnia flatus, frigus, nocturnum tempus, & præ cæteris coitum evitare oportet.

Per viginti quatuor dies hic ordo abſque intermiſſione ſervandus eſt.

Si radix hæc tibi deficeret, duas uncias ex illo recipito, quod ex prædictis decoctionibus exſiccare feciſti, nam duæ unciæ jam ebulliti, pro una non ebulliti ſatis erunt.

Si ægrotus iſte ulceribus ſcateret, lintea in decocto madefacito, & ſupra ulcera ponito, & cum exſiccantur alia madida indantur, & deinde alia.

Poſt-

Postquam per viginti quatuor dies hunc ordinem servaverit ægrotus, per subsequentem mensem victus ratione moderata utatur, ne recidivet.

Scito vero prius quam decoctum istud recipiatur, corpus universum purgandum esse, ut humores, qui in illo superabundant, exigant: hi sunt modi sumendi hujus Radicis Chinæ decoctum.

Ego hui[s] Radici non fido, licet nonnunquam illa in meis ægrotis, qui ita voluere, usus sim: quoniam neque odorem habet, neque saporem, neque pinguedinem, neque colorem, neque pondus, neque levitatem, quæ ostendere possint per aliquas manifestas vires actionem suam perficere, idcirco illam neglexi, imo si illi fiderem, jam ex vino illam exhibere cœpissem, & *senæ* commiscere, *polypodio*, & aliis rebus, quæ in Guajaci decoctum nunc reponuntur.

Scito etiam in hoc Chinæ decocto, si ulcera adsint vel duricies, quæ per decocti impositionem non aboleantur, quod superioribus linimentis uti debemus.

His omnibus præscriptis modis Gallicus affectus in sanitatem restituitur, per suffumigia, per cerata, per inunctiones, per Guajaci decoctum in vino, vel in aqua, & insuper per decoctum.

Nonnulli potentiali cauterio in hoc affectu utuntur, & dicunt ex his, quæ hunc affectum in sanitatem restituunt cauterium esse præcipuum. Nota vero si in Gallico affectu durities adsint, quæ difficulter, vel nunquam remolliantur, quod tunc supra duritiem hanc cauterium poni potest, ut scirrhum exulceret, quoniam hæc via est educendi in sanitatem, ad quam hæ durities nunquam pervenirent. veruntamen exercere cauteria in cruribus, & in brachiis, (ut nonnulli fecere, ad materiam avertendam) longe pejus est, quam talium generum cauteria non adhibere, nam plerumque ulcera fiunt, quæ sanitatem nunquam admittunt, & periculo non vacant. Et si dicas talia etiam fieri oportere, quando supra durum tumorem ponuntur, dicimus quando supra duritiem adhibentur, duritiem ipsam dolorem inferre, neque hominem dormire finere: at cum per cauteria aperiuntur, exhalant dolores & cessant, unde si cauteria nihil aliud faciant, quam auferendo dolorem, hoc non modicum esset: sed ulcera quæ per cauteria fiunt, ubi prava affectio non est, neque ulla exulceratio, neque scirrhus, pravam affectionem in eum inducunt locum, in quo non erat: propterea in aliis locis à duritiebus cauteria facienda non sunt Quanquam autem nonnulli scriptum reliquerint in hoc affectu cauteria maximum esse secretum, arbitror tamen hos præsidium hoc imaginatos esse, quia Plinius de lichene novo morbo apud antiquos, dicit Romam confluxisse medicos, qui actualibus cauteriis lichenem sanabant, & pulchrum addit, fœdiore cicatrice, quam morbo. nam cicatrix ab igne inducta erat multo fœdior, quam ipse lichen, ut etiam in morbo Gallico contingeret, si actuali igne curaretur.

Notaque ad novos morbos & præsidia, medicos ab India in Italiam confluxisse, ut etiam ex India nunc ad Gallicam luem medicamenta sunt in Italiam translata: forte quia hujus generis morbi sunt illis regionibus proprii, & per contagium fuere per totam Europam sparti. sed utinam neque Indica medicamenta, neque Indicos morbos cognosceremus.

Nonnulli etiam sunt, qui alio modo hunc affectum sanare conantur, quem modum ego expertus sum, & neminem in sanitatem reperi restitutum, neque ex eo restitui posse arbitror. At ne modum hunc quis desideret, hic est qui sequitur. in primis corpore diligenter expurgato hoc modo stuffa (ut eorum vocabulo utar) fiat. Recipe *aquæ dulcis quantum videbitur, malvæ, florum chamæmeli, bismalvæ, meliloti, ros. rub., lapathi, fumi terræ, senæ, polypodii, stœchados, epithymi, singulorum, man. j. misce, & bulliant secundum artem*, ut quæ sint difficilioris coctionis prius, quæ vero facilioris, posterius imponantur, & ægrotus in stuffa sudet. postquam vero sudaverit, aquam, quæ sequitur, bibat. Recipe *fumi terræ, lupinorum, lapathi, althææ, enulæ, hyssopi, capil. ven. singulorum, lib. s. vini Cretici lib. iiij. in hoc vino hæc infundantur ademolliendum per diem, & noctem, postea addatur theriacæ Andromachi libr. j. s. & in alembicum ponatur, ac destilletur, aqua quæ descendit colligatur, & post sudorem ad tres uncias insumatur, & duabus aquæ boraginis unciis misceatur*, & ita singulis sex diebus fiat stuffa, & aqua illa bibatur, arbitrantur hi hoc modo peragendo Gallicum morbum exire. at nos dicimus neque etiam, si singulis diebus sumatur, posse hoc effici.

Nonnulli sunt circulatores, qui profitentur se hunc morbum sanaturos ex sumptione tantum pilularum, & præbent pilulam unam ex vocato præcipitato, quod ex vivo argento conficitur. pilula hæc summopere exagitat corpora & vehementissime educit, nulli tamen integre sanitati restituuntur, licet post summam illam evacuationem A leviores esse videantur. sed cum pilula illa vires dejiciat, ac perturbet, propterea deinceps in deterius delabi, ac ruere videntur, & aliis indigent præsidiis, quam sit una ex præcipitato pillula. quempiam vidi, qui hanc pilulam imbecillo ægrotanti præbuit, & statim ante prandium desideratus est.

Hi sunt modi, qui ad hoc usque tempus in usum devenere, ut hi in sanitatem restituantur, qui morbo Gallico affecti sunt: tamen inunctio, ac decocti Guajaci potio illa sunt, quæ potissimum ac vere in sanitatem deducunt. nunc vero quædam particularia occurrunt consideranda, quæ in hoc affectu contingere solent.

Nonnulli neque doloribus infestantur, neque pustulis, neque duritiebus, neque re aliqua ob quam dici possit, quod Gallico morbo affecti sint, hoc solo remoto, quod illorum pili decidunt, tamen prius vel bubone in inguinibus correpti fuere, vel exanthematibus in præputio, & cole, vel in ore, brevi vero ex his in sanitatem restituti sunt, aut etiam aliquis horum affectum præservavit. In hoc igitur casu capillorum, & pilorum defluvio providendum est, B ac cum hujus curationis propositum à capillorum profluvio inceperit, idcirco in genere de capillorum profluvio, & alopecia tractare incipiemus.

### *De capillorum, pilorumve Defluvio, & Alopecia.*

De pilorum defluvio, & Alopecia in genere loquemur, ut exquisite sint pertractata. Antiqui sane medici de omnibus defluvii capillorum causis locuti sunt, præterquam de una, quæ est defluvium capillorum à lue Gallica.. nam sicuti antiquitus Gallica lues non extabat, ita neque capillorum defluvium ab hac causa, tamen necessarium erit interesse humores etiam in defluvio capillorum à lue Gallica.

Galenus in *primo capite primi libri de compositione medicamentorum secundum locos*, capillorum defectus duplicem causam assignat. Unum ab humorum inopia, aliam ob corruptos humores, qui capillorum radices, & pilorum vitiant. ex his vero causis tres possunt contingere passiones, quæ sunt alopecia, calvities, & ophiasis.

Capillos vero plantis comparat, sicut enim plantæ ob C nutrimenti inopiam exsiccantur, & pereunt, ita capilli ob nutrimenti inopiam decidunt, & calvitium fit. propterea in senibus fit, quia jam cœperunt non transmittere nutrimentum ad nutriendos capillos. calvitium igitur simpliciter fit ob humorum inopiam. & cum ex ætate contingat, non refarcitur, propterea de calvitio nihil dicimus, tamen si in juventute contingeret, corrigi posset, & antequam superveniat, retardari posset. calvitium igitur præteribimus.

Plantæ nonnunquam exsiccantur non ratione defectus nutrimenti, & humoris, sed quia vitiatus humor ad illas pertingit, ut cum arbores exsiccantur, ad cujus radices tervens aqua pertigerit, ita circa capillos ob vitiatos humores duo contingunt, alopecia videlicet, & ophiasis. Est vero alopecia capillorum defluvium, quo homo vulpibus assimilatur, quibus è cauda pili decidere, inde vero nomen sumpsit hic affectus, quia vulpibus frequenter contingit. at ophiasis cutem serpentibus similem facit, tamen utraque affectio in causa cum alia convenit, quæ est vitiatorum humorum abundantia. Scito autem in alopecia D pilos cum aliquibus cutis maculis decidere, in ophiasi autem pellem etiam excoriari. Sunt vero humores, qui capillorum radices adeo vitiant, ut capillorum defluvium contingat, quod est symptoma ab affectu præter naturam, qui in capite est, dependens, cui medendum est, & non capillorum defluvio. propterea à Galeno in *primo capite primi de compositione medicamentorum secundum locos libri* dicitur, (oportet enim veluti in aliis, sic & his affectioni mederi, cujus accessio sive symptoma est vitiatus capillus.) Si vero petas, quinam humor hic sit, Avicenna respondet, à bile fieri posse, à pituita, ab atra bile, & à corrupto sanguine. Galenus vero ita humores non exprimit, tamen & ipse dicit; *quales autem tandem sint corrupti humores, ex cutis capitis colore cognosces, aliquibus enim mutata albidior apparet, aliquibus nigrior, aut pallidior. quare in istis primum totius corporis purgationem adhibebis, aut pharmaco pituitam ducente exhibito, aut quod bilem pallidam, aut nigram trahit, conjectura redundantis humoris ex colore cutis facta.* Quare tres humores à Galeno referuntur, qui possunt esse alopeciæ causa de- E prehendi: de sanguine vero nihil dicit, quia si sanguis sit, necessario corruptus est. veruntamen apud Galenum sanguis cum corrumpitur amplius non est sanguis, sed statim in bilem convertitur, & in alios humores. idcirco neque diceret sanguinem corruptum esse causam, sed humorem illum, in quo conversus est sanguis. alopeciæ igitur, & defluvii capillorum causæ sunt acres humores putrentes, qui sive hujus generis sint, sive alte-

rius, cutem inficiunt, in qua capilli infixi ſunt, ut herbæ in terra: & cute ob hos acres & putridos humores affecta, capillorum radices corroduntur, & decidunt. Idem faciendum eſt in pilis judicium, qui in reliquo corpore ſunt. hæ ſunt alopeciæ cauſæ, juxta Galenum.

Veruntamen in capillorum defluvii reddendis cauſis, Avicenna negligendes minime eſt, à quo hæc defumuntur. capillorum defluvium (& quod de capillis dicimus de aliis etiam intelligatur pilis) vel capillorum diminutionem, aut ipſorum penitus ablationem, contingere vel per cauſam, quæ eſt in materia, ex qua capilli fiunt, vel contingere per cauſam, quæ eſt in membro in quo naſcuntur. De utroque horum à nobis diligenter tractandum eſt. De cauſa, quæ à materia provenit, dicamus, quod vel materia penitus abeſt, vel modica eſt. ſi penitus abſit, calvitium ſequitur. ſi vero pauciores evadant capilli, vel eſt materia pauca, quæ in membro continetur, in quo capilli generantur, vel adeſt quidem multa materia, ſed ad ſuperficiem non pertingit, imo latitat in profundo, itaque ad cutem non movetur, ut exire poſſit, & in capillos converti: vel forte multa quidem eſt, & ad circumferentiam pervenit, ac cutem. ſed cum ibi adeſt à præſente in loco humiditate obtunditur. nam materia hæc, quæ capillus fieri debet, ſicca eſt, ſed humiditas in loco præſens, videlicet in capitis cute, hujus humoris ſiccitatem ad humidum alterat, & in capillos converti non poteſt, utpote qui materiam exigunt ſiccam. hoc pueris contingit, mulieribus, & eunuchis, qui barba carent, non ob id quia materiam ad barbam idoneam non habeant, ſed quod antequam ad illum determinatum locum, in quo pili fieri debent, perveniat, ſiccitatem amittit, & ita in pilos converti non poteſt. puer autem paulatim creſcens (quia ſemper exſiccando procedit) barbam emittere incipit, hoc vero neque eunuchis contingit, neque mulieribus, quia nunquam exſiccantur.

Poteſt etiam contingere capillorum defectus, ex temperiei frigiditate, quia ſcilicet homo ſit ita frigidus, ut multa non fiat effumatio, idcirco frigidi paucos habent capillos, & modicam barbam.

Si vero cauſam petas, cur in aliquo humano corpore pauca ſit pilorum materia, dicimus hoc poſſe contingere, & per ſe, & per accidens. Per ſe quidem, ut cum in corpore abſit materia, ex qua pili generantur, quæ eſt materia fumoſa ſicca: per accidens vero contingit paucam eſſe materiam ad pilos gignendos aptam, quia materia ob longam ægritudinem exſiccatur, vel ob hecticam, vel ob phtiſim, nam ob ſiccitatem ab his morbis inductam, non relinquitur in corpore materia, non tantum ad generandos capillos, ſed neque ad illos, qui adſunt, nutriendos, hoc idem in hominibus contingit, qui venenum potarunt, ſi ſupervixerint, & in his, qui ſunt à vipera commorſi. tauri qui à vipera in pede, vel in aure commordentur, non moriuntur, ſed pili omnes illis decidunt, poſtea ſanitati reſtituuntur, & hoc fit, quia illud exſiccatur, quod pilorum nutrimentum eſſe deberet, & pili ipſi decidunt, hoc in arboribus æſtivo tempore contingit, quando non irrigantur, & nutrimento carent, quo folia nutriantur, ac decidant, quia in ſolis calore nutrimentum illud conſumptum eſt. imo à nonnullis notatur, quod ſi caput & totum corpus frigido linimento inungeretur, capilli non generarentur, nec pili, quia materia, ex qua fiunt intus, ad alias partes repercutitur, quæ non ſunt cutis, & in quibus neque capilli, neque pili naſcuntur.

Quandoque non eſt in materia defectus, ſed potius in loco eſt, in quo pili fiunt, & capilli. Avicenna tres modos aſſignavit ex loci parte, in quo pili naſcuntur. unus modus eſt, quia ad hunc locum capillorum materia non penetrat, hoc vero contingit, quia locus eſt obſtructus: alter modus, quia locus non eſt quidem obſtructus, imo poteſt materia per illum permeare, ſed cum eſt in loco, ob ejus nimiam latitudinem non retinetur, ſed exit. tertius modus eſt, cum hæc materia in loco retinetur, ſed in eodem etiam corrumpitur, & qualitatem acquirit, quæ ad pilos generandos inepta eſt, imo in hoc loco diſſolvitur, ut videas membrum hoc, in quo capilli gignuntur, poſſe habere meatus nimis arctos, nimis latos, & prava qualitate affectos. Recentiores medici tres diſtinctos affectus in capite facere videntur, Thiriam, Alopeciam, & Tiream. ita vero differunt, quia Thiria ſerpentis formam in capite facit, Alopecia hanc non facit, ſed expilationem reddit, qualem vulpes quandoque habere ſolent. Tirea vero abſque pilis veſtigium relinquit, & in eodem loco pili nunquam naſcuntur. at de his tribus non erat facienda mentio, quoniam tertium hoc, quod Tiream vocant, ab his longe diſtinctum eſt, & ab antiquis area vocatur, de qua Galenus ſeorſum ab his morbis locutus eſt, idemque Græci omnes fecere, ſimul vero de Thiria, & Alopecia locuti ſunt, unde Area, & hæc alia diſtincte ſunt pertractanda, hæc vero, Alopecia ſcilicet, & Thiria, quia in materia conveniunt, & ſola differunt forma, unà ſunt pertractanda, nam ab unoquoque humore pravo, corrodente, & acri, vel ſalſo fieri poſſunt, & ideo Galenus in *primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos*, dicebat, ambo hæc, ſcilicet Thiriam, & Alopeciam eſſe unum malum ſecundum morboſam affectionem, nomina autem juxta figuram tantum diverſa. Et ſi petas, quomodo ſerpenti aſſimilentur, id non eſt credendum, quod nonnulli dicunt, aſſimilari, ſcilicet ſerpenti in colore, & in figura, hoc enim abſurdum eſt, ſed tantum aſſimilantur (ut dicit Aetius *lib. 6. cap. 55.* in tortuoſitate, quia tortuoſe capillorum caſus incedit, ut ſerpens facit, qui tortuoſe ſerpit. nonnullos vidi, quibus à capitis vertice in imum quædam expilationis tortuoſa linea totum fere caput circumdans, apparebat, & ita incedebat, ut ſerpens prorſus videretur. unde & Galenus præcitato loco dicit, ſerpenti enim ſimilis læſa capitis pars in ophiaſi apparet, hæc ſimilitudo in tortuoſitate tantum intelligenda eſt. alopecia vero dicitur, non tantum quia ſit affectus, qui vulpibus frequenter contingat, quantum quod deformantur, ut vulpes illæ deformari videntur, quæ hujuſmodi depilationem patiuntur, præſertim cum cauda ipſis expilatur, & Paulus *lib. 3. cap. 1.* inquit, ophiaſim, & alopeciam ſolo ſchemate differre. hæc enim (ſcilicet ophiaſis) tortuoſis & obliquis ſpatiis ad inſtar anguis locum deglabrat, comamque vario colore tinctam oſtendit. alopeciæ vero, quod eo mali plerunque vulpes corripiantur, ut Paulus velit, ineſſe coloris diverſitatem, in ophiaſi, præter tortuoſitatem, at ſi intelligat hunc colorem eſſe ratione humorum, ſecum facimus, verum & alopecia eandem habet in colore diverſitatem. Eſt vero color hic ſecundum diverſos humores, qui alopeciam, & ophiaſim faciunt, diverſus. Nam ut Galenus notat, quales ſunt corrupti humores, talis eſt color, imo corrupti humores ex cutis capitis colore cognoſcuntur, aliquibus enim mutata albidior apparet, aliquibus nigrior, aut pallidior: idcirco dicamus, quod cum pili decidunt, & cutis capitis alba appareat, pituita eſt, quæ ophiaſim, & alopeciam parit: ſi pallida ſit, vel lutea, bilis eſt: ſi ſubnigra, atra bilis, ſi rubra, ſanguis. Cum vero poſſint eſſe miſti humores, propterea & varii erunt in cute colores, hi vero & illi eſſe deprehendentur ex colorum diverſitate, qui oculis præſentantur.

Quandoque imaginatus ſum alopeciam ab ophiaſi in hoc differre, quod alopecia ſemper ſit ab uno humore facta, ut à bile, ſive à pituita, ſive ab atra bile, ſive à ſanguine: ophiaſis vero à diverſis ſit facta humoribus, & ideo non tantum capilli in ipſa decidunt, ſed & cutis ipſa maculatur, ut ſerpentes diverſis coloribus aſperſi ſunt, & tanto magis erit ophiaſis, quanto plures erunt colores, tunc vero plures erunt, ſi ex omni humorum genere conficiatur, nam ex omnibus humoribus cutis capitis varia fiet, ut nigra, alba, pallida, lutea, rubra.

Galenus in *ſecundo methodi libro*, ubi nominum ægritudinum, unde ſumantur, rationem ponit, ait, nonnunquam ſumi nomina à ſimilitudine ad aliquid extra poſitum, & exemplum præbet de ophiaſi, & alopecia. multa etiam de his affectibus ſcripta ſunt in libello Galeno adſcripto de remediis paratu facilibus, in quo loco ita definitur, alopecia eſt pilorum denudatio, qua locus affectus apparet colore prorſus exſangui. Galenus in *xiiij. Methodi medendi libro* dicit, ophiaſim, & alopeciam ex eo eſſe morborum genere, in quibus naturale aliquid eſt amiſſum. hæc ſunt prope libri calcem. Paulo poſt ait. At prorſus quidem perdito eo, qui pilos alit, ſucco, calvities oritur, eodem vitiato, tum quas ophiaſes Græci vocant, tum alopecia proveniunt.

A recentioribus vero alopecia definitur, eſſe capillorum caſus cum ulceribus, ſine ſquammis, & furfuribus: veruntamen de capillorum caſu, & abſque furfuribus, & ſquammis ita eſſe conſtat. At hoc ambiguum eſt, nunquid neceſſarium ſit in alopecia ulcera adeſſe. Dicimus de ipſius eſſentia non eſſe, quod capitis cutis ulceribus ſcateat, quoniam & cum ulceribus, & abſque ulceribus inveniri poteſt alopecia: tamen turpem habere colorem plerumque conſtat, & talem, qui humorem, qui abundat, ſequitur, idcirco in alopeciæ definitione ulcera ponere neceſſarium non eſt, imo ſi ulcera adſint, erit potius area, quam alopecia: quia in area capilli decidunt, & cutis relinquitur ulcerata. in alopecia vero ulceratam eſſe non eſt opus.

Nota, quod cum de alopecia verba facimus, & de curatione, ſemper unà & de ophiaſi intelligimus, quia ab eadem fiunt materia, & ſola differunt forma.

Alopecia eſſe certiſſimo cognoſcitur ſigno, quando capilli decidunt abſque plana, & manifeſta cauſa, & in capillorum radicibus materia adeſſe videtur, quæ radices corroſit. hæc forte illa ſunt, quæ à recentibus ulcera vocantur, quia ſi capilli defluere debeant, opus eſt ut adſit cauſa, quæ eſt aliquis acris humor & corrodens, qui circa

ca-

capillorum radices verſans, illas corrodit & obtruncat, unde neceſſe eſt ut decidant, interimque humores hi acres nonnihil elevant, epidermidis ut effectæ videantur exulcerationes, nam huic materiei latis fuit, ut extimam pellem eroderet.

Ad curationem vero deveniemus, ſi primo edocuerimus diverſas eſſe, ratione humorum, hujus affectus ſpecies: humores vero per cutis colorem cognoſcuntur, ut alopeciæ quatuor ſpecies eſſe conſtet, biliosam, atrabilarem, pituitoſam, & ſanguineam. de harum unaquaque ſermonem habebimus, & integram curationem moliemur. Nam ſi à pituita ſit, cutis capitis alba apparet, & tali albedine, quæ in pallorem quendam tendere videtur. In hoc caſu Galen. in *primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos*, *Hieram* præbet *diacolocynthidis*, quam exacutam vocat. at nobis videtur materiam eſſe prius concoquendam, quod hiſce efficietur ſyrupis. Recipe *ſyrupi de hyſſopo*, *ſyrupi de Cap. Ven. ſingulorum unc. j. aquarum hyſſopi*, *aquarum ſalviæ*, *ſingulorum unc. ij. miſce*. Poſt ſyrupos, cum materia univerſalis, quæ in corpore continetur, attenuata fuerit, & apta reddita, ut facile à medicamento educi poſſit, medicamentum præbendum eſt, quod ſit vel *Hiera diacolocynthidis*, vel hoc ſit, quod ſequitur. Recipe *pulpæ colocynthidis*, *turbith*, *ſingulorum drach. ſ. agarici ſcrup. ij. cinnamomi*, *gingiberis*, *aniſorum*, *ſingulorum ſcrup. ſ. miſce*, *& infundantur in aquam hyſſopi*, *vel ſalviæ ſecundum artem*, *poſtea exprimantur*, *& in expreſſione diſſolve myrobalanorum chebulorum drach. j. miſce & propinetur*. Si vero quiſpiam ſit, cui catapotia magis arrideant, hæc conficiantur, & convenienti hora præbeantur. Recipe *pulpæ colocynthidis*, *turbith*, *ſingulorum ſcrup. ſ. agarici ſcrup. j. myrobalanorum chebulorum gran. xv. aniſorum*, *fœniculi*, *cinnamomi*, *ſingulorum gran. ij. miſce*, *& tot fiant pilulæ*, *quot ægrotanti placuerit*. Galenus præcitato loco notat, poſt univerſalem purgationem caput particulariter eſſe purgandum, & monet apophlegmatiſmatibus utendum, idcirco ita procedendum erit. Hic, qui erit univerſaliter purgatus, *pyrethrum* maſticet, ut pituitam quantum poteſt per os trahat, & *oleum amygdalarum amararum* in aures imponat, & intra nares *taurinum fel ex agarico & aceto* admoveat. ſunt vero in hac portione ſimplicia. Recipe *fellis taurini drach. ij. agarici ſcrup. j. aceti drach. j. miſce*, & nares intus inungantur, vel primo *amaraci ſuccus* exſorbeatur, ſive *hyſſopi*, ſive *ſalviæ*, & denique *anagallidis rubros flores* habentis: vel duo fiant hoc modo balani, qui naribus imponantur. Recipe *agarici*, *pyrethri*, *ſingulorum ſcrup. j. euphorbii ſcrup. ſ. miſce*, *& cum melle vel ex tragacantho fiant duo parvi balani in nares imponendi*. Convenit etiam gargariſmatibus uti, quale hoc eſt. Recipe *myrobalanorum chebulorum drach. j. ſalviæ*, *hyſſopi*, *rutæ*, *amaraci*, *ſingulorum man. ſ. aceti drach. ij. miſce*, *& fiat decoctio in aqua ſalviæ*, *poſtea gargarizetur*. poſt hæc localibus indigemus medicamentis, de quibus deinceps agemus. Nota vero ejuſcemodi pituitam eſſe poſſe uniuſcujuſque generis vitiatam, & tali vitio, quod putrefacit, & capillorum radices corrodit, ut mox decidant, unde humor hic evacuari debet, & inſuper probis cibis nutriendus eſt, ut probus etiam ſanguis generetur, & non corrumpatur, neque pituitoſus gignatur. idcirco in hoc caſu ova edantur, pullorum jura, & pulli ipſi, capi phaſiani, perdices, & calida olera, quæ in pituitam minime convertantur, & ſupra omnes dapes pulvis ſequens ſpargatur. Recipe *gingiberis*, *cinnamomi*, *aniſorum*, *caryophyllorum*, *piperis nigri*, *ſingulorum ſcrup. j. ſacchari ad duplum ponderis omnium. miſce*, *& fiat pulvis ſubtiliſſimus*.

Galenus in hoc caſu concoquentes potiones præbuiſſe non videtur, ſed ſemper evacuando proceſſit. nam cujuſpiam adoleſcentuli, qui bonam habebat habitudinem, caſum refert, & multi erat exercitii. expleverat autem ſeſe quotidie fere per tres aut quatuor menſes fungis, ut arbitrandum ſit, illum ex victus genere alopeciam ex pituita contraxiſſe. nam ex fungis pituita gignitur. Galenus vero ait, quod illum purgavit ſola *Hiera ex colocynthide*, bis in quinque diebus, & in prima purgatione quatuor ex ea drachmis, in ſecunda quinque exhibitis. veruntamen hunc præparaſſe videtur Galenus, quia priuſquam his purgationibus manum imponeret, catapotia ex *aloë* ei undecim præbuerat, ciceribus fere magnitudinem parem habentia. Et ſi quis quæreret, quomodo catapotia hujuſmodi ex aloë conficiebat, dicimus hunc fuiſſe ejus conficiendi modum. Recipe *colocynthidis partem j. aloës*, *ſcammonei*, *ſingulorum partes ij. ſucci abſinthii partem j. miſce*. Hæc ſunt ex aloë catapotia, quibus in hoc caſu utebatur Galenus. prius vero his catapotiis *chiam maſtichen* addebat, & *bdellium*, quia & hæc addebat Quintus. poſtea vero iſta rejecit Galenus, ſponditque ſe alias edocturum, cur illa impræſentiarum prætermiſerit. Tres ergo fuere purgationes, quas in hoc adoleſcentulo Galenus exercuit. At una videbatur præparatoria, quando ex *aloë* catapotia adhibuit. poſtea bis in quinque diebus *Hieram diacolocynthidis* præbuit. cum vero Galen. huic adoleſcentulo juſſit uti apophlegmatiſmis, ut pituitam à capite evacuaret, contingit, ut peregrinari coactus eſſet. profectus igitur eſt, & per viginti dierum ſpatium fuit abſens, poſtea reverſus eſt, tamen cibis uſus eſt, quos Galen. illi laudaverat: cum reverſus fuit, liber erat, ratione victus convenienti ſolum uſus, & hoc modo multos ſe curaſſe dicit. At in ophiaſis principio, & alopeciæ Galen. inquit repellentia convenire, & prohibendum eſſe, ne fiant. at alopeciæ principium, vel ophiaſis non ſunt dicenda alopecia, vel ophiaſis, ſicut nec pſoram, aut lepram jam appellamus, quæ ex lichene oritur. ſed de jam factis alopeciis loquendo Galen. inquit nos uti debere diſcuſſoriis pharmacis. diſcuſſoria vero pharmaca calida ſunt, notatque ſe aliquos ex alopecia ſola purgatione & evacuatione curaſſe, neque adhibuiſſe apophlegmatiſmata, aut talia topica præſidia.

Si vero quiſpiam alopecia ex bile vexaretur, Galenus materiam præparare non videtur, ſed præbet *Hieram ex ſcammoneo*. nam dicit, ſi amara bilis purganda eſt, adhibendum ſcammoneum.

Nobis vero in hoc caſu videtur materiam primo ſyrupis eſſe præparandam, poſtea per omnes vias educendam, præſertim cum ſit jam factus morbus, idcirco ſyrupo iſto utaris. Recipe *ſyrupi de endivia*, *acetoſi ſimplicis*, *ſingulorum unc. j. aquarum endiviæ unc. iij. acetoſæ unc. j. miſce*. Poſt ſyrupos medicamentum præbendum eſt, quod vim habeat bilem educendi, quale hoc quod ſequitur. Recipe *Hieræ ſimplicis Galeni drach. j. ſcammonei gran. x. miſce*, & in jure propinetur, vel in aqua endiviæ, aut in catapotia reducatur, poterit & hoc aliud præberi. Recipe *myrobalanorum luteorum*, *rhabarbari electi*, *ſingulorum drach. j. miſce*, *& infundantur in ſex uncias aquæ capillorum Veneris per decem horas*, *poſtea exprimantur*, *& in expreſſione diſſolve ſcammonei gran. vj*. Pro his qui non poſſunt amara bibere medicamenta, *ſyrupus roſaceus ſolutivus* aptiſſimus eſt, *diaprunum ſolutivum*, *diamaxna*, *diacaſſia*, & ſimilia. imo cum roſæ capiti conferant, ab re non erit in hoc affectu talibus uti medicamentis. evacuatione vero perfecta illa per nares attrahenda ſunt, quæ bilem educere poſſunt. Hoc igitur decoctum ita conficiatur. Recipe *roſ. rub. man. ſ. ſebeſtin numero x. prunorum Ibericorum numero vj. aloës lotæ ſcrup. j. miſce*, *& bulliant in aqua cap. ven. & ſecundum artem decoctum fiat*, quod per nares attrahatur: nam bilem educet, imo quia aloë ita inſumpta vehementem in ore amaritudinem parit, ob hoc poteſt & abſque aloë confici, & nihil amari ad os penetrabit.

Poterunt & ex ſequenti linimento nares inungi. nam & per ipſas bilis educetur. Recipe *aloës drach. ſ. ſcammonei ſcrup. j. olei roſati omphacini unc. j.* miſce, & ex cera fiat linimentum, ut magis inhæreat, & bilem educere valeat. Præterea adhibeantur & hujus generis gargariſmata. Recipe *ſebeſten*, *caricarum*, *tamarindorum*, *paſſularum*, *prunorum Ibericorum*, *ſingulorum drach. ij. miſce*, *& fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquæ*, *ſecundum artem*, *poſtea gargarizetur*.

Intra nares *roſaceum oleum* imponere convenit, & maſticare *ſebeſten*, *& pruna Iberica*, *ac tamarindos*. Sed quia nonnulli ſunt, qui *rhabarbarum* maſticare poſſunt, ideo his præbeatur maſticandum, nec non & *myrobalani citrini*, & ſi eſſent conditi recentes, hos optimos exiſtimarem.

At ſi ex atra bile ſit alopecia, Galenus præcitato loco *Hieram* præbet *ex veratro nigro*. at ego prius voluerim materiam ſyrupis eſſe præparatam, quales hi ſunt. Recipe *ſyrupi de corticibus citri*, *de epithymo*, *ſingulorum unc. j. aquarum boraginis*, *acetoſæ*, *ſingulorum unc. ij. miſce*. Poſtea præbendum eſt hujus generis medicamentum juxta Galenum. Recipe *Hieræ picræ drach. j. hellebori nigri ſcrup. j. miſce*, *& in catapotia conformentur*, *vel in potu ſumantur*, *ex infuſione ſenæ in tanta copia*, *ut hæc diſſolvi poſſint*. vel *pilulæ* præbeantur *de lapide lazuli*, vel *de lapide armeno*, vel hoc quod ſequitur. Recipe *diacatholicons unc. j. infuſ. ſenæ unc. iiij. miſce*. Poſſet & medicamentum iſtud præberi. Recipe *myrobal. Indorum drach. ij. hellebori nigri drach. ſ. ſenæ unc j. polypodii unc. j. ſ. miſce*, *& infundantur in aquam fumi terræ ſecundum artem*, *deinde exprimantur*, poſtea Recipe *hujus infuſionis unc. iiij. lapidis lazuli præparati drach. ſ. miſce*. *Fumi terræ ſuccum* per nares attrahere convenit, vel ejuſmodi decoctum. Recipe *myrobal. Indorum drach. ij. epithymi drach. j. polypodii drach. ſ. miſce*, *& bulliant in ſufficienti quantitate aquæ fumi terræ ſecundum artem*, poſtea per nares attrahatur. *niger* etiam *helleborus* maſticandus eſt, *polypodium*, & ſimilia. optimum vero eſſet, ſi *myrobalani Indi conditi* haberentur. *epithymum* inſuper maſticandum eſt.

Poteſt & gargariſma fieri ex illo decocto, quod per nares attrahi debere diximus.

*Ama-*

*Amararum amygdalarum oleum* auribus inſtilletur. Scito verò poſſe fieri ſecundum recentes & alopeciam ex ſanguine, de qua Galen. mentionem non facit: quia alopecia fieri non poteſt, quin humor, qui illam facit, putrefactus ſit. At cum ſanguis putreſcit, ſanguis amplius non eſt, verum quomodocumque ſit, ex putrefacto ſanguine fieri poteſt, ſive ſit ſanguis, ſive non ſit ſanguis, prius tamen erat ſanguis. curatio autem hoc modo molienda eſt, primo enim hujus generis clyſma imponendum. Recipe *malvæ, violarum, hordei, ſingulorum man. j. miſce, & fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquæ*, poſtea Recipe *hujus decocti lib. j. olei violati unc. iiij. ſalis communis drach. ij. miſce, & imponatur.* Impoſito ac ſecreto clyſtere, venæ poſtea ſectio fiat. Quod ſi multo abundet æger ſanguine, ex communi vena primo fiat, & ſex, aut octo ſanguinis unciæ educantur, poſtea dies unus interponatur, & ex cephalica vena ſanguis iterum ad alias ſex aut octo uncias educatur. ſi modo non abundaret ſanguine, ſemel venam ſecare eſſet ſatis. at cephalica ipſa ſecanda eſt, & illius partis cephalica, in qua caput eſt magis affectum. Vel ſi utrumque ſit æque affectum, ex dextera parte, & ſex vel octo ſanguinis unciæ ſunt educendæ, nec minor copia educi debet. intelligito vero, quod conditiones omnes adſint, quæ ad ſanguinis ſubductionem requiruntur. ſecta autem vena ſyrupi præbendi ſunt, qui materiam præparent, qualis in hoc caſu hic eſt, qui ſequitur. Recipe *ſyrupi de Capil. Ven., de endivia, ſingulorum unc. j. aquarum Capil. Ven., endiviæ, ſingulorum unc. ij. miſce.* Poſt ſumptos ſyrupos medicamentum hoc præbendum eſt. Recipe *myrobalanorum luteorum, chebulorum, ſingulorum drach. j. miſce, & infundantur in quatuor uncias infuſionis ſennæ per decem horas, poſtea exprimantur, & in expreſſione diſſolve agarici trochiſcati drach. j. miſce*, & convenienti hora præbeatur. Vel accipiat *aggregativas pilulas*, vel hoc aliud, quod ſequitur medicamentum. Recipe *diacatholiconis drach. iiij. ſyrupi roſ. ſolut. unc. ij. infuſ. ſennæ unc. iij. miſce.* Illa maſticanda ſunt, ac in os ſervanda, quæ ſuperius in alopecia, quæ à bile facta eſt, retulimus.

Notandum vero eſt, alopeciam nonnunquam fieri ab acribus ichoribus, qui capillorum radices adeo corrodunt, ut ipſi decidant. Cum vero ichores poſſint eſſe uniuscujuſque humoris ichores, idcirco ſit cujusvis humoris ichoris, qui alopeciam facit, erit curanda, ut de alopecia ab illo humore dictum eſt: imo videbitur difficilior curatu illa, quæ ex ichoribus, quia Galenus præcitato loco dicit: *difficulter enim eluuntur in his cuti impacti ſeroſi humores. ſunt vero ita impacti in inveteratis alopeciis.*

Nota vero non ſolum alopecias inveteratas difficulter curari, ſed & illos difficulter curari, in quibus cutis ipſa ad malum habitum pervenerit, neque enim hi poſſunt ſolis medicamentis curari.

De præſidiis modo topicis, quæ ad alopeciam competunt, jam dicendum eſt. Galenus in *primo de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos, cap.* 1. notat, debere eſſe evacuativa medicamenta illa, quæ huic affectui conveniunt, nihilque evacuare poſſe, quin vi diſcuſſoria præditum ſit. nihil vero diſcutere poteſt, quin calidum ſit. at duplex eſt calidum, unum vehemens, aliud non vehemens, ſi ex vehementer ſit calefacientibus, cutem exuret, ſi ex non vehementer calefacientibus, in principio præclare juvabit, ſed temporis proceſſu cutis capitis exſiccabitur, qualiter in calvis videmus. Unde opus eſt medicamentum ad Alopecias eſſe calidum, non in extremo, ſed cum mediocritate, & eſſe tenuium partium, ut penetrare poſſit, & ad illam pervenire partem, in qua capillorum radices naſcuntur: & tale etiam eſſe debet, quia capitis cutis eſt durior, ut vehementi indigeat penetratione medicamentum, quod illam penetrare debet. unde medicamentum, quod alopecias ſanat, pravos humores diſcutere debet, & bonum ſanguinem ad locum trahere, ut bene nutriatur.

Inter præſidia vero à Galeno enumerata primum eſt *thapſia*, quæ cum nimis calida ſit, & exulceret, ac tumores inducat inflammatos, idcirco Galeno non placet ut ſola *Thapſia* accipiatur, ſed ait inungendum eſſe *cerato ex oleo.* Ego *Thapſia* uſus ſum ex *oleo roſaceo omphacino*, & juſſi in profluvium capillorum patiente, ut ſupra caput extenderetur, & certe huic breviſſime capillorum profluvium ceſſavit, & qui deciderant capilli tam brevi creverunt, ut nullus præviderit illum capillorum defluvium eſſe paſſum. Galenus vero pro *cerato ex oleo* vult ſumendum eſſe oleum tenuium partium, quale *Sabinum*. at nos *Sabino* caremus, tamen ſanitati reſtituuntur, non dico ex alopecia ſolum, ſed & ex capillorum defluvio. *Thapſiæ* inſuper multam aquam admiſcuit Galenus, ne læderet. at nos nihil magis aptum invenimus *oleo roſato omphacino*, hoc nimirum prohibet, ne *thapſia* exulceret, & aliquid habet penetrantis naturæ, quanquam ad hoc peragendum nonnihil aceti quandoque admiſcuerim. ſcitoque hoc de *thapſia* præſidium eſſe apud omnes communiſſimum. nam Dioſcorides de *thapſia* dicit, *quapropter alopecias ſucco inducto aut radice, cum recens eſt, affricata cohonеſtat eas pilo, ac denſat.* Miſcui nonnunquam *thapſiæ lac*, & caput ablui, ac delinivi culpiam, qui vehementem patiebatur alopeciam. utitur & Galenus *cicino oleo cum thapſia*, monetque oleum moderatæ ætatis eſſe oportere, ut videlicet ſit moderate vetuſtum. juſſi nonnunquam irato cuipiam homini, ac deſperato, qui profluvium capillorum nullo modo ferre volebat, ut *thapſiæ radicem* ſupra caput perfricari faceret, quod cum exſecutus eſſet, tota capitis cutis exulcerata eſt, & conquerebatur, quod caput ardere perſentiebat, & veluti ardentem fornacem: tunc juſſi, ut *linteum in oleum roſaceum omphacinum* imponeret, & frigidum ſupra caput extenderet, id effectum eſt ter, & quater ſucceſſive, quia prima & ſecunda vice incaleſcebat oleum, & ab eo incommodo ſolutus evaſit. Sed hoc boni habuit, quod deinceps non decidêre capilli, & brevi in locum à quo deciderant, ſubcrevêre alii. Dioſcorides (ut planum eſt) nihil *thapſiæ* miſcet. hoc vero in *thapſia* animadvertendum eſt, an recens ſit, an antiqua, nam Galenus recenti plus aquæ admiſcet, antiquæ vero minus. primo anno recens eſt, ſecundo veteraſcit, tertio vim habet extinctam, tamen & tertio anno cave, ne illa abuti volueris.

Utitur etiam Galenus in hoc caſu poſt *thapſiam*, *euphorbio*, & *laurino ſive oleo*, *ſive unguento*, ego quandoque ita commiſcui. Recipe *olei laurini unc. vj. euphorbii unc. ij. miſce.* Hoc linimento alopecias inungi juſſi, & per totam noctem ſupra caput ſervari, poſtea mane caput lixivio lavari, in quo hæc, quæ ſequuntur, ebullierint. Recipe *laudani, adianthi, ſeminis naſturtii, aloes, myrrhæ, ſingulorum man. ſ. miſce.* Veſperi iterum prædicto linimento inungatur, & iterum mane lavetur, hocque per decem dies obſervet, hæc etenim vim habent ad trahendum ſanguinem ad cutem. Galenus *euphorbio* utitur, in *oleo* ſcilicet *olivarum levigato*, & *laurino oleo* ſeorſum utitur. Arbitror apud antiquos alopecias fuiſſe mitiores, quam noſtro tempore. nam Galenus cum *una olei olivarum libra euphorbii unciam* commiſcet. At ego *oleum laurinum ad uncias ſex*, & *euphorbium ad uncias duas* commiſcui, forte *euphorbium* erat antiquum, & multorum annorum, tamen Galeni tempore alopeciæ non aderant ſcabiei Gallicæ conjunctæ, ut nunc adſunt, propterea tantis utebatur correctionibus in medicamentis.

*Naſturtium* inſuper & *ſinapi* ſunt juxta Galenum ad alopeciam medicamenta. juſſi nonnunquam capiti ſinapiſmum apponi, & alopecias curavit. quandoque hoc modo medicamentum confici juſſi. Recipe *ſinapi unc. j. naſturtii unc. j. ſ. ſulphuris vivi unc. ij. nitri unc. ſ. olei laurini unc. viij. miſce, & cum cera fiat linimentum molle. Veratrum* præterea, & *adaræ*, & *erucæ ſemen* ad alopecias à Galeno valere dicuntur, & *alcyonium*, & *pix liquida*, & *cedria, murium ſtercus*, & *urſinus adeps.*

Paupercula quædam filiam habebat, quæ alopecia affecta erat, illi inſtitui, ut caput filiæ *muſcerda*, & *urſino adipe* deliniret, poſtea quam in *lixivio, ex radicum cannarum cinere facto*, hæc ebulliſſent. Recipe *ſeminis erucæ, ſeminis naſturtii, ſeminis ſinapi, ſingulorum drach. ſ. miſce.* Poſtea juſſi, ut caput hoc lixivio lavaretur, alia multa ſimplicia ad alopeciam refert Galenus, & poſt ſimplicia compoſita etiam adducit, quæ erant in uſu apud antiquos. de his vero nihil à nobis agendum eſt, ſed quiſque Galenum legat, cui antiqua compoſita ſcire placuerit, nam omnia ad unum refert. de ſimplicibus vero ab authoribus poſitis primo agemus, poſtea compoſita, quibus uſi ſumus, in medium adducemus.

## EX DIOSCORIDE.

*Cannæ communis cortex alopecias emendat, uſtus, & in aceto perlitus.*

*Juglandis putamen crematum, tritumque in oleo atque vino, infantium puerorum capite perunctо, capillum nutrit, & ad alopecias eo ſic utuntur.*

*Avellanæ tritæ cum ſuo cortice comburuntur, exceptæque axungia, vel ſevo urſino alopecias pilo reſtituunt.*

*Ericaceus terreſtris cute uſta, & impoſita cum pice liquida inanitates alopeciarum frequenti pilo adobruit.*

*Hippocampinus cinis alopecias replet cum pice liquida miſtus, aut ſincerus ex poſca, amaracinove unguento.*

*Cinis ranarum uſtarum alopeciis cum pice liquida illinitur.*

*Caprarum ungues cremati alopecias ex aceto inuncti conveſtiunt.*

*Adeps urſinus fertilis pilo ad alopecias emendandas illitus.*

*Cinis cremati fimi caprarum cum oxymelite, aut aceto, ſi quis illinat alopeciæ, adoperiet areas pilo.*

*Cortex raphani cum aceto muſſo alopecias explet.*

*Beta*

*Betæ foliis illitis implentur alopeciæ, sed scalpello prius exasperatæ.*
*Cepæ succo alopeciæ confricantur, fœcunditatemque capilli celerius ita, quam alcyonio consequi soliti.*
*Allium alopecias curat, & in iis (cum nardino unguento, & oleo, & sale) pustulas erumpentes.*
*Sinapi utuntur ad alopecias cum rubrica.*
*Cyclamen sincerum, aut cum melle mistum, id est, ipsius succus, molestias in facie, & alopecias tollit.*
*Asphodeli radicis crematæ cinis alopecias ad pilum reducit.*
*Batrachion alopeciis imponunt, celeriterque eas removet.*
*Laserpitium alopecias cum vino, pipere, aceto illitum curat.*
*Nymphææ radix alopecias densat cum pice.*
*Alopeciis, & ambustis illinere convenit cynoglossæ succum, & adipem suillum.*
De Thapsia ait, quapropter alopecias succo inducto, aut radice, cum recens est affricata, cohonestat eas pilo ac densat.
*Ærugo ferri alopecias pilare cogit.*
*Sandaracha alopecias cum resina terebinthina tollit.*
*Alcyonium ustum & illitum cum vino alopecias convestit.*
*Cotes alopecias inunctum pilis explet.*
*Hæc ex Dioscoride collecta sunt.*

## EX PLINIO.

*Cardui florem purpureum emittentis illito succo alopecias replet, lib. 20. cap. 23.*
*Rosa sylvestris cum adipe ursino alopecias mirifice emendat, lib. 21. cap. 19.*
*Corchoron Alexandrini cibi herba est, alopeciis utilis, lib. 21. cap. 32.*
*Carynum oleum alopeciis utile est, lib. 23. cap. 4.*
*Cotonea alopeciis capillum reddunt, lib. 23. cap. 6.*
*Folia ficuum perfricanda alopeciis, lib. 23. cap. 7.*
*Roboris pilulæ ex adipe ursino alopecias capillo replent, lib. 24. cap. 4.*
*Glandis fagineæ cinis illinitur cum melle alopeciis, lib. 24. cap. 5.*
*Sicca pice utuntur ad alopecias, libr. 24. cap. 7.*
*Harundo Cypria corticis cinere alopecias emendat, lib. 24. cap. 11.*
*Ruborum rosa alopecias cum axungia emendat, lib. 24. cap. 14.*
*Linguæ herbæ radix combusta, & trita cum adipe suis, alopecias emendat ungentium in sole, lib. 24. cap. 19.*
*Spongiola, quæ in mediis spinis cynorrhodi nascitur, cinere cum melle alopecias capitis explet, lib. 25. cap. 2.*
*Ranunculum alopeciis imponunt, lib. 25. cap. 13.*
*Trichomanes succus alopecias densat, tritum, & in oleo illitum, lib. 27. cap. 13.*
*Crocodili pellis cinis alopecias explet, lib. 28. cap. 9.*
*Alopecias felle taurino cum Ægyptio alumine tepefactis illinunt, lib. 28. cap. 11.*
*Alopecias replet fimi pecudum cinis cum oleo cyprino & melle, lib. 29. cap. 6.*
*Alopecias replet ungularum muli, vel mulæ cinis ex oleo myrteo. ibidem.*
*Alopecias replet muscerda. ibidem.*
*Alopecias replent muscarum capita recentia, prius folio ficulneo asperatas. ibidem.*
*Alopecias replet sanguis muscarum.*
*Alii decem diebus cinerem muscarum illinunt, cum cinere chartæ, vel nucum, ita ut sit tertia pars è muscis. ibidem.*
*Alii lacte mulierum cum brassica cinerem muscarum subigunt, quidam melle tantum. ibidem.*
*Alopecias cinis è murium capitibus caudisque & totius muris emendat. ibidem.*
*Idem facit erinacei cinis cum melle, aut corium combustum cum pice liquida. ibid.*
*Alopecia præparari debet novacula & sinapi, ibidem.* & multa alia refert ad alopecias.
*Pellium viperinarum cinis alopecias celerrime explet. ibidem.*
*Gallinarum fimum recens illitum alopecias explet, libro 29. cap. 6.*
*Aliqui alopecias cantharide trita illinunt cum pice liquida nitro præparata cute. ibidem.*
*Cerebrum cornicis in cibo sumptum, palpebras gignere dicitur. ibidem.*
*Sanguine testudinum alopeciarum inanitas sanatur. lib. 32. cap. 4.*
*Alopecias replet Hippocampinus cinis nitro, & adipe suillo mistus, aut fincerus ex aceto, lib. 32. cap. 7.*
*Cypris vero, qui etiam donax vocatur, cortex, alopeciis medetur ustus, lib. 32. cap. 10.*
Hæc sunt, quæ ex Plinio colliguntur. multa vero prætermisimus, quia ex Dioscoride erant enarrata, ne bis idem repetereretur

A Tamen cum hæc potius confusa videantur, quam per methodum pertractata, impræsentiarum composita illa adducemus, quibus in hoc casu usi sumus, nihil illorum repetentes, quæ superius dicta sunt. Si igitur à bile sit alopecia, caput novacula abradendum, postea linimentum hoc superaddendum. Recipe *radicum nenupharis, rosarum sylvestrium, foliorum myrti, corticis cannæ communis, cineris corticis juglandis, cineris corticis avellanæ, glandium faginearum, singulorum unc. s. picis navalis, olei myrtini, singulorum quantum sufficit. Misce, & fiat linimentum*, è quo totum caput inungatur, postea lixivium facile fiat, in quo hæc ebulliant. Recipe *corticum avellanarum, corticum nucum juglandium, rosarum sylvestrium, cyclaminis, myrtillorum, singulorum man. j misce, & bulliant in prædicto lixivio*, postea quando caput à prædicto linimento mundare volueris, hoc decocto utaris, nam linimentum debet per totam noctem supra caput servari, postea mane caput probe abluatur, & vesperi iterum linimentum supraponatur, quoad hic affectus sit in sanitatem restitutus.

B Si vero sit corruptus sanguis, qui alopeciam fecerit, tunc abraso capite, linimentum, quod sequitur, supraponatur. Recipe *corticum cancrorum, cotoneorum, radicum nymphææ, cotis, cynorrhodæ, cynoglossæ, myrtillorum, radicis asphodeli, cardui florem purpureum habentis, cyclaminis, singulorum unc. vj. terebinthinæ, olei myrtini, singulorum quantum sufficit. Misce, & fiat linimentum molle*, quo totum caput noctu tegatur. mane ad linimentum auferendum prædicto decocto utaris.

Si vero sit pituita, quæ alopeciam fecerit, linimento isto ad sanitatem usque utaris. Recipe *thapsiæ, æruginis, sandarachæ, laserpitii, ranunculi, sinapi, adianthi, myrrhæ, laudani, seminum nasturtii, corticis raphani, singulorum drach. v. fellis taurini, succi cynoglossæ, singulorum unc. iij. adipis taurini quantum sufficit. Misce, & fiat linimentum molle*, è quo caput totum inungatur, postea sequenti lixivio bene lavetur. Recipe *corticis cannarum communium, seminis nasturtii, adianthi, corticis raphani, unguium caprarum, laserpitii, rosarum sylvestrium, singulorum man. j. misce, & bulliant in lixivio dulci, & caput lavetur, quando linimentum auferendum est.* At si atra bilis sit, quæ alopeciam induxerit, caput deliniendum est hoc, quod sequitur, linimento. Recipe *adianthi, myrrhæ, laudani, seminis nasturtii, aloës, lapidis armeni, sennæ, polypodii, fumi terræ, radicis asphodeli, corticum avellanarum ustarum, corticum juglandium ustarum, unguium caprarum ustarum, sinapi, cyclaminis, cineris cancrorum, corticis raphani, laserpitii, sandarachæ, æruginis, thapsiæ, rosarum sylvestrium, myrtillorum, singulorum drach. iij. fellis taurini unc. vj. terebinthinæ unc. viij, adipis ursini lib. j. olei de euphorbio quantum sufficit. Misce, & fiat linimentum molle.* ejuscemodi enim alopecia vehementissimo indiget medicamento, quia & ipsa est vehementissimus affectus, nam difficulter evellitur. Quod si caput lavare volueris, & à prædicta inunctione quandoque emundare, decoctum illud fiat, & quando opus est caput abluatur, videlicet quando tibi videbitur auferendum esse medicamentum. Recipe *lixivii facilis lib. xv. sennæ, polypodii, radicum cannarum, fumi terræ, seminum nasturtii, corticis raphani, cynoglossæ, epithymi, myrtillorum, singulorum man. j. misce, & bulliant simul secundum artem*, postea caput, quando opus erit, abluatur.

C

D In hoc casu quandoque totum caput *sinapismo* delinivi, quo remoto linimentum apposui.
Quandoque totum caput *scilla* deliniri jussi, & postea linimentum adhiberi.
Quandoque ante linimentum *euphorbio* delinivi, & *oleo ex oleastro.*
Si vero ex ichoribus fiat alopecia, ichoris genus considerandum est, & secundum genus, in quo est, curatio molienda, ut si sit biliosus ichor, ut alopecia ex bile curanda, si sit pituitosus, ut alopecia ex pituita curanda, & ita de aliis.
Cum de alopecia satis dictum sit, quæ ratione depravatorum humorum semper fit, alia est affectio pertractanda, quæ defluvium capillorum vocatur, ab alopecia distincta, de qua Hippocrates in secundo Epidemiorum libro intellexit, cum dicit capillorum defluvium: & hanc etiam speciem ponit Galenus in *primo de compositione medicamentorum secundum locos, capite secundo.* Est vero distinctus hic capillorum casus ab alopecia, quia alopecia fit ex vitiatis humoribus: & si capilli abstrahantur, capillorum radices purulentiam semper ostendunt.

E At capillorum defluvium ab his non fit vitiatis humoribus, neque si capilli evellantur in eorum radicibus aliquid purulentiæ apparet.
Adde in alopecia capillos cito defluere, in capillorum vero defluvio paulatim. & ideo à Galeno notatur diversam esse alopeciæ curationem à capillorum defluvii curatione. quia in alopecia scopus est vitiatum humorem consumere, in defluvio autem capillorum scopus est capitis habitum robo-

rare, & boni ſucci oblationem procurare, cutemque ad raritatem, ac denſitatem moderatam revocare.

Hujus capillorum defluvii duæ cauſæ à Galeno prædicto loco redduntur. Una eſt, cutis raritas, & ſub raritate denſitatem etiam intelligit. Alia eſt ſubſtantiæ pilos generantis inopia. itaque tres erunt defluvii capillorum cauſæ.

Una eſt, cutis raritas.

Secunda, cutis denſitas.

Tertia materiæ defectus, ex qua capilli oriuntur.

Contingere poteſt, ut ſit tam rara cutis, ut materiæ, quæ capillos gignunt, exeant, & ob nimiam pororum latitudinem contineri non poſſint. hæc vero latitudo contingere poteſt vel ob pravam temperiem calidam, vel ob laborem calefacientem, & dilatantem, vel ob balnea calida, in quibus quiſpiam verſatus ſit, vel ob unguenta calida. cum enim ita ſunt dilatati meatus, vapores condenſari non poſſunt, ſed exeunt.

Contingit quandoque meatus nimis adſtringi, & obfrigiditatem obſtrui, & ita vapores exire non poſſunt, unde nec capilli oriuntur.

Capilli nonnunquam defluunt, quia nulla adeſt in corpore materia, quæ illos nutriat, & hoc plerumque in hecticis contingit, & in his, qui longos morbos perpeſſi ſunt. Recentiores addunt hoc idem contingere jejunantibus religioſis, quod noſtro hoc fortaſſe tempore vix contingere poteſt. Galenus monet in hoc capillorum defluvio, ab his cauſis facto, ſcopum eſſe capitis habitum roborare, & ad capitis cutim bonos ſuccos movere, & cutem ad denſitatem, ac raritatem moderatam revocare.

In genere vero dicit ad pharmaca humectantia aliquid moderate adſtringens addendum eſſe, quale eſt *ladanum*, quod mediocrem habet caliditatem mediocremque humiditatem, & mediocrem adſtringendi vim. Unde *ladanum oleo miſtum* linimentum facit, quod ad defluvium commodiſſimum eſt. ſcito autem hoc, quod aſtringens eſſe debet, tunc adhibendum eſſe, quando pori fuerint nimis dilatati.

Vehementer adſtringentia minime conveniunt, nam refrigerant, & capillis alimentum auferunt, imo nimis occludere poſſunt: *oleum* vero *Hiſpanum ladano* miſcet, non autem *Sabinum*, ad caput inungendum, & cæteris oleis *lentiſcinum* vehementius eſſe dicit. idcirco inter præſidia illud præ cæteris præfert, quod *ex lentiſcino oleo & ladano* conſtitutum eſt. Vult vero raſo hoc craſſum ſupraponendum medicamentum, non raſo vero tenue, caput tamen ſit tonſum. monet vero neminem mentem capillis adhibere debere, priuſquam fuerit ſanitati reſtitutus, ſed ſinere ſe tonderi ac abradi, ut erit opus.

Nos vero hujus affectus curationem per unamquamque cauſam diligentius contemplemur. Nam ſi capillorum defluvium ob cutis raritatem contingat, id cognoſcitur: quia eſt raræ texturæ homo, & ipſius caput ab omnibus qualitatibus facile lædítur, & è capite perenniter materia defluit, neque condenſatur, tunc igitur re levi caput denſandum eſt. Nam materiæ, quæ facile in pilos convertuntur, ad caput tendunt: ſed cum meatus nimis lati ſint, exeunt, & in capillos non condenſantur. Primo igitur corpus expurgetur, & hi inſumantur ſyrupi. Recipe *ſyrupi myrtini, ſyrupi roſ. de roſis ſiccis, ſingulorum unc. ſ. aquarum roſarum, plantaginis, ſingulorum unc. ij. miſce.* Poſt aliquot ſyrupos, *ſyrupi roſacei ſolutivi unciæ quatuor* præbeantur. deinde caput abradatur, & linimentum illud ſupraponatur. Recipe *olei myrtini unc. iiij. ladani unc. ij. miſce.* Deinceps caput hoc decocto lavari poterit. Recipe *roſ. rub., balauſtiarum, myrtillorum, cupularum glandium, radicis aſphodeli, ſingulorum man. ſ. miſce, & bulliant in ſufficienti quantitate aquæ roſaceæ ſecundum artem*, poſtea caput abluatur, & veſperi iterum præſcriptum linimentum ſupraponatur, & deinde mane lavetur, itaque fiat, quoad capillos oriri percipiatur.

Si vero capillorum defluvium ob nimiam meatuum adſtrictionem contingat, meatus aperire opus eſt. ob hanc vero cauſam eſſe cognoſcitur, quia à meatibus nihil effluit, & aliqui exeunt tenuiſſimi capilli, ac breves, qui conſiſtentiam non habent, ſed cito defluunt. primo ergo is, qui afficitur, purgandus eſt, hoc ſyrupo imprimis ſumpto. Recipe *ſyrupi de hyſſopo, de capil. ven. ſingulorum unc. ſ. aquarum hyſſopi, aquarum ſalviæ, ſingulorum unc. ij. miſce.* Poſt aliquot ſyrupos medicamentum illud præbeto. Recipe *infuſ. ſenæ unc. iiij. electuarii de dactylis drach. iiij. miſce.* Poſtea totum caput, prius tamen abraſum, *terebinthina* tegito, & ita per diem ac noctem permaneat, deinde caput hoc decocto abluatur. Recipe *myrrhæ, bdellii, ſeminis naſturtii, ſinapi, thapſiæ, ſingulorum drach. ij. ſalviæ, roris marini, hyſſopi, baccar.e, foliorum lauri, ſingulorum man. ſ. miſce, & bulliant in vino albo potenti ſecundum artem*, caputque lavetur, & ita procedatur, quoad meatus dilatati ſint, & capilli prodierint.

At ſi ob ſubſtantiæ pilos generantis inopiam capilli deciderint, id contingit, vel quia hic acuta ægritudine vexatus fuit, quæ illum extenuavit, ac exhauſit, vel ob longam ægritudinem, quæ idem effecit. Unde non adeſt fere nutrimentum, quo corpus nutriatur, nedum capilli.

In hoc caſu purgatione aliqua non indigemus, ſed potius refectione, idcirco probis cibis nutriendus eſt ægrotus, & qui tales ſint, ut illum reficiant. poſtea caput fricandum eſt, ut vapores attrahantur, & hac lotione lavandus. Recipe *ladani, corticis cannæ communis, corticum avellanarum uſtarum, corticum juglandium uſtarum, adianthi, cineris cancrorum, ſingulorum man. ſ. miſce, & bulliant in vino albo potenti*, caputque abluatur, poſtea ſequenti linimento inungatur. Recipe *ladani, ſinapi, laſerpitii, thapſiæ, ſingulorum drach. ij. terebinthinæ unc. ij. olei veteris quantum ſufficit. Miſce*, & fiat linimentum molle. Hi refectione tantum indigent, & materiæ pilorum ad capitis circumferentiam attractione.

Nunc ſimplicia addenda ſunt, quæ adverſus capillorum defluvia faciunt: & primo ab his, quæ à Dioſcoride referuntur, exordiamur.

## DE DIOSCORIDE.

De ladano dicit. *vino accepto, myrrha, & oleo myrteo capillum fluentem continet.*

De myrrha vero idem dixerat ad capillum fluentem, cum ladano, vino, & oleo myrteo.

Idem dicit. *vinum ſit è myrti granis, quod fluentibus capillis convenit.*

*Succus braſſicæ ſativæ capillum capitis defluentem detinet.*

*Semen naſturtii capillorum in capite defluvium continet.*

*Aloë capillum fluentem continet, cum vino.*

*Adianthum capillum cum ladano, & oleo myrteo & liliino, aut cum hyſſopo, & vino defluentem confirmat, ac denſat.*

*Decoctum ſpicæ nardi pilorum defluvia in genis coercet, adſtringendo eos obiter, ſarciendoque.*

*E limacibus ſaliva quædam lenta, & ſequax colligitur, quæ protinus applicata, intempeſtivos genarum pilos reglutinat.*

*Pilo genarum defluenti medetur œſypum.*

*Chondrillæ ſucci natura eſt inordinatos palpebrarum pilos regendi.*

*Armenius lapis ad pilos utique alendos in palpebris natura ſertili cognoſcitur.*

A Galeno particulariter fit mentio de loto, quod fluentes capillos cohibeat.

Et de piceæ fuligine ad ſuperciliorum pilos.

## DE PLINIO.

*Braſſica fluentes capillos detinet, cum alumine rotundo ex aceto, Plinius lib. 20. cap. 9.*

*Iaſion infantium capiti illita nutrit capillum, tenaciorémque ejus cutem efficit. lib. 22. cap. 22.*

*Foliorum myrti arentium farina capillis fluentibus ſuccurrit. lib. 23. cap. 9.*

*Humor è medulla tiliæ caſtratæ capillum reddit capiti. lib. 24. c. 8.*

*Echites infantibus illita capillum alit. lib. 24. c. 13.*

*Polynica defluentem capillum confirmat, & denſat. lib. 25. cap. 9.*

*Lingulata idem facit*, ibidem.

*Trichomanes ſuccus cohibet capillos defluentes, aut, ſi efflu-xerunt, reparat, alopeciaſque denſat tritum, & in oleo illatum. lib. 27. cap. 13.*

*Caprini cornu farina, vel cinis, magiſque hircini, addito nitro, & tamaricis ſemine, & butyro oleoque, priùs capite raſo mire continet ita fluentem capillum. lib. 28. cap. 2.*

*Ungularum caprinarum cinis cum pice fluentem capillum continet, ibidem.*

*Herinacei caput uſtum per ſe etiam cicatricibus pilos reddit. lib. 29. cap. 6.*

*Cancri marini cinis, cum cancrorum fluviatilium cinere pilos reſtituit. lib. 32. cap. 10.*

*Omnia bituminis genera incommodos oculorum pilos replicant. lib. 35. cap. 15.*

Extat impræſentiarum aliud pilorum defluvium antiquis medicis ignotum, nam ex affectu Gallico conſtat & vulgo Pellarola vocatur, ſi cuipiam placuerit in unam defluvii pilorum ſuperius nominatam ſpeciem hoc Gallicum defluvium deducere, ad alopeciam potius deducendum erit, quam ad ſimplex capillorum profluvium. quoniam ob nimis latos meatus minime fit, nec ob nimis arctos, nec etiam fit ob alimenti defectum, idcirco dici non poteſt capillorum defluvium, ut de eo ſuperius locuti ſumus. At ab humoribus fit, capillorum radices putrefacientibus, ac erodentibus, ut in alopecia contingit. Differentia tamen eſt, quia alopecia à putreſcentibus fit humoribus communi putredine, ut humores putreſcunt, & vim quandam erodentem ex putredine acquirunt. ſed in Gallico pilorum defluvio humores neceſſario aliam putredinem non acquirunt, quam morbi Gallici affectionem, & diſpoſitionem quandam,

quæ

quæ eſt ſecunda qualitas, ratione cujus pilorum radices A exarefcunt, & capilli decidunt, barba, ſupercilia, & palpebrarum pili, ut homines deformes ac ridiculi evadant. hicque affectus in minus malum, quam in iſtud devenire non potuiſſet, ut ſcilicet pili tantum deciderent, & capilli, & nihil aliud diſpendii paterentur. poteſt vero & una contingere, quod humores communem illam putredinem contrahant, & tunc erit Gallica alopecia.

Nota inſuper defluvium iſtud quandoque bubonem ſequi, ſive ulcus in pene, ſive ulcus in ore. at ulcus in pene, in ore, & bubo ſanitati reſtituuntur, & defluvium perſeverat. Nam prava qualitas derelinquitur, quæ pilorum radices arefacit, nec eos nutrire ſinit, & decidunt, neceſſariumque eſt pravam hanc qualitatem in humoribus eſſe, qui ad circumferentiam moventur. nam quandoque videmus in una capitis parte fieri defluvium, & non in alia, ut quandoque in quatuor digitorum ſpatio tota cutis appareat, nec unus adſit pilus. Eſt vero magna pars illius affecti humoris, qui ad locum illum pervenit, & minor ad alias partes, idcirco in pilorum caſu inæqualitas fit. Non eſt B opus ſigna edocere, quibus cognoſcatur, quia ſe ipſum pandit hic morbus, nam una in parte pili rareſcere videntur, ut in capite, in ſuperciliis, in barba. Notandum tamen eſt quandoque in capite fieri, & non in aliis partibus, ſed tempore procedente in aliis etiam decidunt pili partibus. Experientia nimirum oſtendit capillos quandoque decidere, & non barbam, neque ſupercilia, quandoque è converſo. poſtea & hi decidere incipiunt, qui in his ſunt partibus. nonnunquam ſimul partes omnes depilari incipiunt. plerumque perſeverant adeo penis ulcera, & oris, ac bubones, ut una cum illis pilorum incidat defluvium. Cum dictum ſit omnes, qui Gallico morbo affecti ſunt, temporis ſucceſſu atrabilares effici, in hoc tamen pilorum defluvio, homines atrabilares fieri neceſſarium non eſt, at in ſua unuſquiſque, vel pars major perſtat natura. Igitur cum aliquis tibi occurrit ob affectum Gallicum ex pilorum defluvio curandus, primo purgandus eſt, & ſi ſit natura bilioſus, ſyrupus hic exhibendus ei ſit. Recipe C *infuſ. ſenæ unc. iiij. ſyrupi roſ. ſolut, de endivia, ſingulorum unc. j. miſce.* ſi plurimum educat, alternis diebus præbeatur, poſtea medicamentum hoc exhibendum eſt. Recipe *ſyrupi roſ. ſolut. unc. iij. electuarii de ſucco roſarum drach. ij. infuſ. ſenæ unc. ij. miſce.*

Nota, & ſi ſena ac ſenæ infuſio atram bilem evacuare videantur, ſemper tamen convenit in omni affectionis Gallicæ ſpecie ſenam adhibere: nam huic morbo ex quadam naturæ proprietate conferre videtur: & ideo (ſi vires conſtent) ſena ſemper adhibenda eſt. ſi ex ſyrupis ſanus eſſe videretur, bene illi eſſet. Si vero adhuc perſeveraret affectio, Guajaci decoctum in aqua, ut ſuperius dictum eſt, præbere oportet. Ut autem capilli ac barba ſerventur, & illi qui non ſunt affecti, non decidant, & novi renaſci procurentur, caput, barba, ac ſupercilia ſequenti lixivio abluantur. Recipe *lixivii ex cannarum radicibus lib. iij. adianthi, ladani, cineris cancrorum, radicis nymphææ, roſarum ſylveſtrium, foliorum myrti, ſingulorum man. j. miſce, & bulliant ad quartæ partis conſumptionem*, poſtea ca- D put lavetur, & ſequenti linimento æger inungatur. Recipe *adipis urſini unc. ij. myrrhæ, ladani, aloës, cupularum glandium, corticum juglandis crematorum, corticum avellanarum crematorum, ſingulorum ſcrup. j. miſce, cum oleo ex oleaſtro, vel omphacino* (ſi illud deſit) *& fiat linimentum molle*, ſupercilia inſuper & barba ſunt eodem lixivio abluenda, at eodem linimento (in bilioſo homine) inungenda, & multos dies perſeverandum. non enim credendum eſt, quod tribus vel quatuor vicibus in ſanitatem reſtituatur.

At ſi hic pituitoſus ſit, qui in ejuſcemodi pilorum defluvium inciderit, vena ſecanda non eſt, ſicuti neque in bilioſo, niſi plethora correptus eſſet. Verum hoc modo purgandus eſt. Recipe *infuſ. ſenæ unc. iiij. ſyrupi Byzantini, oxymel. ſimp. ſingulorum unc. j. miſce.* Poſt aliquot ſyrupos medicamentum ſequens præbendum eſt. Recipe *diaphœniconis drach. vj. infuſ. ſenæ unc. iiij. miſce.* Vel *cochiæ pilulæ* adhibeantur, poſtea ſequenti decocto caput abluatur. Rec. *lixivii ex radicibus cannarum facti lib. vj. adianthi, myrrhæ, ladani, ſeminum naſturtii, aloës, ſina-* E *pi, radicis aſphodeli, ranunculi, thapſiæ, myrtillorum, hyſſopi, corticum raphani, æruginis, laſerpitii, ſingulorum unc. ſ. miſce, & bulliant ſecundum artem ad tertiæ partis conſumptionem, poſtea colentur*, & caput abluatur, barba, ſupercilia, ac cilia. deinde ſequenti linimento inungantur. Recipe *adipis urſini unc. iiij. ſellis taurini unc. ij. laſerpitii, ſandaracha, ſingulorum drach. ij. ſinapi, myrrhæ, ladani, aloes, ſingulorum drach. j. terebinthinæ unc. j. olei ex oleaſtro, vel olei omphacini quantum ſufficit, miſce, & fiat linimentum molle.* Si vero ulterius progredi ſit opus, ligni Indici decoctum in aqua præbeto. vel dimidia pars ſit aqua, & alia dimidia vinum.

Si quis vero ſit atrabilaris temperiei, hoc modo curandus eſt. Primo hos ſyrupos inſumat. Recipe *infuſ. ſenæ unc. iiij. ſyrupi de epithymo, de fumo terræ, ſingulorum unc. j. miſce.* Poſt hos ſyrupos, qui alternis ſumantur diebus, quia ventrem ſubducent, ſequens præbendum eſt medicamentum. Recipe *diacatholiconis unc. j. infuſ. ſenæ unc. iiij. miſce, & convenienti hora præbeatur.* Deinde ſi opus ſit, quia in hac temperie vehementioribus indigemus medicamentis, ligni Indici in vino decoctum præbeatur. ſemper vero notato, ſi febris adſit, frigida eſſe addenda, ſin minus, non addenda. Poſt purgationem, caput, barba, cilia, & ſupercilia ſequenti decocto lavanda ſunt. Recipe *lixivii ex cannarum radicibus lib. vj. ſenæ unc. j. polypodii drach. ij. ladani, myrrhæ, ſeminis naſturtii, corticis raphani, myrtillorum, laſerpitii, radicis aſphodeli, batrachii, ſingulorum drach. iij. miſce, & bulliant ſecundum artem.* poſtea caput lavetur, mentum, cilia, ac ſupercilia. deinde ſequenti linimento eædem partes inungantur. Recipe *adipis urſini unc. vj. terebinthinæ unc. iiij. ſellis taurini unc. ij. laſerpitii, ladani, aloës, thapſiæ, ſingulorum drach. iiij. ſinapi, radicis aſphodeli, batrachii, ſingulorum drach. ij. roboris pilulæ, glandium ſaginearum, ſingulorum drach. j. lapidis armenæ drach. j. ſ. olei myrtini unc. iiij. olei ex oleaſtro quantum ſufficit. Miſce & fiat linimentum molle.* his vero opus eſt uti, quoad capilli, ac pili creverint. Quandoque in unaquaque ſpecie hoc decocto uti ſimpliciter ſolebam. Recipe *cannarum radices*, & *illas exure, ac cinerem facito* (intellige vero cannarum Ferrariæ Græcarum vocatarum, *poſtea ex hoc cinere lixivium, ut convenit, facito* (quod tamen facile fit lixivium) *in quo hæc ebullire facito.* Recipe *ladani unc. ſ. ſpicæ nardi, hyſſopi, ſingulorum drach. iij. acaciæ, boli armenæ, maſtiches, balauſtiarum, thuris, ſingulorum drach. ij. miſce, & bulliant ſecundum artem*, poſtea jubebam omnia lavari loca, in quibus pili, ac capilli naſcuntur, & diligenter exſiccari: neque alio utebar præter lotionem linimento. quandoque hoc ſequente uſus ſum. purgatione autem perfecta, prædictum lixivium accipi jubebam, & in eo ardentem chalybem frequenter extingui: prædictis deinde additis modo plus, modo minus, ac percoctis, eaſdem partes lavari jubebam.

Dubium vero contingit, an capilli, atque pili abradi debeant? Reſpondendum eſt, ſi abradantur, facilius applicari poſſe medicamenta, tamen expertus ſum quod difficilius, & tardius capilli naſcuntur, ſi caput abradatur. At creſcunt facilius, ſi omnes non abradantur, quia non omnes decidunt, ſed aliqui etiam ſervantur: idcirco potius probo ægros non abradere caput, quam abradere.

Si vero abradatur, tunc octies, aut decies in octo aut decem dierum ſpatio abradi debet. Ut autem citius creſcerent, ac renaſcerentur, juſſi quandoque ut abraderentur, poſtea *terebinthina* capiti ſupraponeretur, & ita ad alteram uſque diem ſervaretur: ſequenti autem die hoc decocto ablueretur. Rec. *lixivii ex cannarum cinere lib. vj. hyſſopi, ſpicæ nardi, naſturtii, aſphodeli, ſingulorum man. j. ladani, myrrhæ, aloës, ſingulorum drach. j. miſce, & bulliant ſecundum artem*, poſtea caput abluatur, & iterum *terebinthina* ſupraponatur. Itaque fiat per octo aut decem dies, caput quotidie abradendo, & terebinthinam reiterando. at poſt octavum aut decimum diem, ut dierum numerus mihi videbatur explendus, abraſiones dimitti jubebam, & eo modo inungi ac lavari, ut ſuperius dictum eſt.

Mirificum vidi in hoc caſu, ablutionem ſcilicet ex vino Cretico potenti fieri, poſtea terebinthinam, & thapſiam ad hanc menſuram ſupraponi. Recipe *terebinthinæ partem unam, thapſiæ partem quartam, miſce.* Quandoque juſſi *taurinum fel* capiti ſupraponi, eo modo quo per illos octo dies aut decem *terebinthina* uſus ſum, & ita bene, ac brevi finis ſucceſſit optatus.

Pauperculos hoc modo curavi. juſſi ut caput illis abraderetur, poſtea probe urina ablueretur, deinde acciperetur. *Calcis vivæ lib. j. olei roſ. omphac. unc. vj. miſce, & fiat glotus*, qui ſupra cutim extendatur, & per quatuor horas ſervetur, poſtea caput urina lavetur, hoc citiſſime capillos creſcere facit. neque arbitreris calcem ita compoſitam exulcerare, à roſaceo namque omphacino corrigitur, & minime exulcerat, verum pilorum materiam ad circumferentiam trahit.

Superioribus diebus mulierem quandam curavi, quæ nec unum habebat capillum, & capitis cutis alba ei erat, ac lucida, ut caro videretur. infinita fere prædidia, & ab aliis medicis, & à me ipſo huic mulieri adhibita ſunt (nam ſui ego ultimus ad hanc curationem vocatus) denique percepi eſſe maximam cutis obſtructionem, qua mulier hæc afficiebatur. primo igitur juſſi, ut illius caput nigro ſapone tegeretur, & nihil effectum eſt. nam nonnullos nigro ſapone quandoque ſanitati reſtitueram. poſtea juſſi ut cantharides ſupra caput apponerentur, quæ cutem exulcera-

runt, & inde ad quinque vel ſex dies capilli apparere cœperunt, cum prius minime prodirent: & ita brevi tempore creverunt. arbitror cantharides exulcerando capillorum materiam ad ſe attraxiſſe, & capillos tam cito obſtructione remota prodiiſſe.

Nonnunquam ad hoc propoſitum ſinapiſmo ſupra caput uſus ſum, cum capilli prodire non poterant, & in mento quando barba non exibat.

Nonnunquam *laſerpitio*, & *laurino oleo* totum caput delinivi, ejuſdemque lotionibus lavi.

Hæc eſt curatio, quando ſolum adeſt capillorum defluvium.

At ſi cuipiam dentes etiam deciderent, & vocata vulgo dentarola correptus eſſet, huic ſuccurrendum eſt, ne omnes penitus amittantur. Porro ſolet hic dentium caſus pilorum defluvium ſequi, quandoque bubonem ſimpliciter, & illas primas enarratas affectiones, quæ in pene ſunt, atque ore, ſorte ab eadem materia dentium caſus contingit, à qua fit defluvium capillorum. quod ſi ejuſcemodi materia ad gingivas progrediatur, & dentium ligamenta relaxet, ac frangat, dentes abſque ulla macula decidunt, hoc eſt B non corroſi, neque carioſi, neque putridi. Cum hoc percipitur, ſtatim decoctum ligni Indici in vino præbeatur, præſertim cum capillorum defluvium ſequitur. At cum incipit, decoctum in aqua potius convenit. interim vero ne dentes corruant, & materia illa conſumatur, quæ jam gingivas occupat, hæc aqua conficiatur, è qua dentes frequenter abluantur. Recipe *aquæ plantaginis lib. iiij. aluminis rochæ unc. viij. miſce, & adhibito alembico vi ignis eliquetur, poſtquam eliquatum fuerit, in ore ſervetur:* nam vim habet materiam illam reſolvendi, & repercutiendi. Et ſi magis penetrare volueris, *nonnihil accti* addito, poſtea jubeto fieri & hanc aliam lotionem, quæ magis reſolutiva eſt. Recipe *vini Cretici lib. j. aluminis rochæ unc. j. bolı armenæ unc. ſ. miſce, & in ore ſervetur.* Tertio autem ad vehementiſſime reſolvendum hoc, quod ſequitur, utitor. Recipe *aquæ ardentis lib. j. bolı armenæ drach. j. aluminis liquidi unc. ſ. acaciæ, thuris, maſtiches, ſingulorum drach. j. ſ. miſce, & os abluatur, ac in ore ſervetur.* Denique hoc vehementiſſimo nonnunquam uſus ſum, quod vim tantum reſolvendi habet, & nonnihil roborandi, & in ſanitatem reſtituit. Recipe *aquæ ardentis lib. iij. ſalviæ, roriſmarini, baccaræ, byſſopi, roſ. rub., ſingulorum man. ſ. aluminis liquidi unc. ij. miſce, & per noctem ac diem una madeſcant, poſtea alembico iterum vi ignis eliquentur.* C

Interim vero medicus proſequatur ligni Indici decoctum, præbendo illud, ut ſuperius dictum eſt, quo prava qualitas auferatur. hæc eſt autem curatio in ſolo dentium caſu, & non in aliis partibus.

Nunc parumper ad capillorum defluvium redeamus. nonnulli enim ſunt qui infeliciſſime hoc decocto uſi ſunt in capillorum defluvio. Recipe *ſenæ man. j. radicis lapathi acuti unc. j. florum roriſmarini man. j. ſ. miſce, & ſimul decoquantur:* ſed tantum obſtat capillorum defluvio hoc decoctum, quantum id quod nihil obſtat. Alii hoc uſi ſunt. Recipe *ladani, ſucci myrtillorum, ſingulorum unc. j. papaveris nigri, ſpicæ nardi, cap. ven, ſingulorum man. j. cyperi, corticis pini, ſeminis apii, ſingulorum unc. ſ. olei ſeſamini, olei myrtini, ſingulorum lib. j. miſce, & bulliant in duplici vaſe, & colentur, ac ſerventur.* D

Aliqui utuntur *fœnugræci decocto*, ſed præſidio nimis levi.

Contingit & in hoc Gallico affectu unguium caſus, quem ungiarolam vulgus vocat: affectus potius fœdus, quam doloroſus. nam decidunt ungues ut capilli, & dentes faciunt, & hic affectus nonnunquam capiliorum caſum ſequitur, nonnunquam antecedit, tamen ſemper illum præcedunt, aut bubo, aut penis exulceratio, aut oris exulceratio, aut aliqua ex his ſimul, quantum ſit de his, quæ per os adhibentur, ita hi curandi ſunt, ut illi, quibus pili decidunt, ac dentes. ungues vero hac ablutione lavandi. Recipe *myrtillorum, acaciæ, balauſtiarum, corallorum alborum, maſtiches, thuris ſingulorum drach. ij. miſce, & bulliant in aqua plantaginis, ſecundum artem.* poſtea digiti in hoc decocto per ſemihoræ ſpatium immittendi, deinde hoc linimento perungantur. Recipe *olei myrtini unc. ij. pinguedinis taxi unc. ſ. picis hiſpanæ, gummi arabici, maſtiches ſingulorum drach. j. miſce, & cum cera fiat linimentum molle.* Cum vero deciderint ungues, vel fuerint perfracti, & ſciſſi, fiat hoc ceratum, quod ipſis ſupraponatur. Recipe *ceræ novæ unc. ij. reſinæ pini, olei myrtini, quantum ſufficit. Miſce, & fiat ceratum.* In hoc vero affectu peſſimum omnium eſt oculos amittere, & hunc affectum vulgus occhiarolam vocat, propterea & de hoc agemus, quanquam neminem Ferrariæ viderim, qui oculos penitus amiſerit. Romæ autem, & Venetiis nonnullos vidi, qui oculos ac viſum prorſus amiſerant. at Ferrariæ in ophthalmiam incidunt, quæ difficulter quidem curatur, ſed denique ſanitati reſtituitur. providendum ſtatim eſt huic Ferrarienſi ophthalmiæ, imprimis venæ ſectione, cucurbitulis, & evacuationibus, ut ſuperius dictum eſt. A

In principio autem materia repellatur, dolorque hoc modo remittatur. Recipe *aquarum roſarum, aquarum plantaginis, ſingulorum unc. ij. tutiæ, antimonii, ſingulorum drach. j. miſce.* Poſtea aliud collyrium fiat, partim repercutiens, partim reſolvens hoc modo. Recipe *aquæ roſatæ lib. ſ. tutiæ drach. ij. aloës lotæ drach. j. ſ. miſce.* Deinde hoc lene fiat reſolutivum. Recipe *meliloti, fœnugræci, ſingulorum unc. ſ. aquæ fœniculi unc. vj. miſce, & modice ſimul bulliant.* Denique hoc valde reſolvens conficiatur. Recipe *aquarum fœniculi, aquarum rutæ, ſingulorum unc. iij. myrrhæ, bdellii, meliloti, fœnugræci, ſarcocollæ, ſingulorum drach. j. miſce, & nonnihil bulliant.* Sanguiſugæ poſt aures applicentur, & in occipite ſcarificatio fiat.

Quandoque ex *ſola aloë & ſaccharo*, quando reſolvere opus fuit, nonnullos in ſanitatem reſtitui, his videlicet in pulverem redactis, & in oculorum angulis poſitis.

Inter mirifica vero, quæ ob hoc oculorum morbo liberare ſolent, ſunt ſetarum tractiones, quæ in occipite fiunt, ita ut poſteaquam locus fuerit ignitus, & per foramen ab igne factum ligula ex equina ſeta trahatur.

Convenit & ad nares ſanguiſugas apponere, & ſanguinis copiam educere.

Poſſet & duabus ſpongiis ſupra oculos poſitis fomentum fieri, quod ex his eſſet confectum. Recipe *malvæ, violarum, meliloti, fœnugræci, ſingulorum man. j. miſce, & bulliant in aqua padana*, poſtea collyrium ultimum reſolutivum adhibeatur. Hic vero ſemper evacuandus eſt, & decoctum ligni Indici in aqua ſumere debet, & tenuiori victus genere uti, & quali debemus uti, cum aqua inſunitur, tamen intelligendum eſt, ſi vires ipſi conſtent.

Si vero ſimul complicentur capillorum & dentium caſus, vel unguium, vel ophthalmia, complicentur etiam ſimul & præſidia, quæ in his affectibus convenire dicta ſunt, & ſi ſit caſus dentium, vel unguium cum ophthalmia, eodem modo curationes complicentur. idemque de omnibus aliis complicationibus intelligendum eſt, quando ſcilicet aderunt dolores, tumores, ſcabies, & reliquæ ſpecies, de quibus ſuperius pertractatum eſt.

Contingit quandoque, ut ex his quæ dicta ſunt, nihil accidat ægrotantibus, ſed tantum gonorrhœa afficiantur. hi ex ligni Indici decocto in priſtinum ſtatum reducendi ſunt, & illa agenda, quæ ſuperius cum de hac gonorrhœa tractaremus annotavimus, nam quandoque lues Gallica ab hac incipit gonorrhœa, & in ea perſeverat. Nota vero non eſſe adſtringendam, niſi poſt multas evacuationes, & ſumptionem decocti, in aqua ſi recens ſit: vel in vino, ſi antiqua.

Unum inſuper conſiderandum eſt in hoc affectu, cum aliqui ex hoc affectu in ſanitatem reſtituuntur, contingere, ut in æſtate, vel aliis quibuſdam temporibus in manuum ac pedum ſciſſuras incidant, & durities, uti callos, ac exulcerationes. hi ergo cum in hæc incidunt, purgandi ſunt, ratione temperiei adhibita, & peccantis humoris, ut ſuperius dictum eſt. poſtea jubeto, ut manus in hoc decoctum imponantur mane, & veſperi, & per ſemihoram ſaltem in illo immorentur, ad ſummum vero per horam. Recipe *malvæ, violarum, althææ, foliorum caulium, ſingulorum man. j. pinguedinis hirci, pinguedinis anſeris, ſingulorum unc. j. ſeminum lini, ſeminum fœnugræci, ſingulorum unc. ſ. miſce, & bulliant in aqua ſecundum artem.* poſtquam manus per prædictum tempus in hoc decocto probe calido ſervatæ fuerint, filtro bene perfricentur, ut rubeſcant: poſtea ſequenti linimento deliniantur. Recipe *pinguedinis anſeris, axungiæ ſuillæ, ſingulorum unc. j. mercurii unc. ſ. maſtiches, gummi Arabici, colophoniæ ſingulorum ſcrup. ſ. miſce, & cum oleo laurino fiat linimentum molle.* Nonnunquam in delicatioribus hoc ſapone ſum uſus ad manus abluendas, & ſanitati reſtituti ſunt. Recipe *ſaponis vocati fini unc. iiij. argenti vivi extincti unc. ſ. argenti ſublimati drach. j. miſce, & ſapo in maſſam reducatur.* quandoque hoc modo tantum confici juſſi, quia argentum vivum deturpat. Recipe *ſaponis unc. j. argenti ſublimati ſcrup. j. miſce.* Hoc eſt aliud linimentum, quo etiam quandoque uſus ſum. Recipe *olenm amygd. dulc., olei liliorum alborum, ſingulorum unc. iiij. polypodii triti unc. ij. radicum althææ unc. j. miſce, & bulliant probe ſimul, poſtea colentur*, deinde Recipe *lithargyrii auri, plumbi uſti, tutiæ præparatæ, antimonii, ceruſſæ, alcyonii, ſingulorum drach. iij. ſucci radicum althææ, ſucci rumicis, ſucci chelidonii, ſingulorum unc. j. miſce, & omnia hæc cum prædictis oleis probe agitentur, quoad unguenti formam contraxerint*, denique adde *argenti ſublimati gran. xv.* Si manus hoc linimento inungantur, omnia obliterantur, quæ ob Gallicum affectum in manibus fiunt, & ſciſſuras ac callos E

los delet, quando vero veſperi, aut mane unguentum hoc à manibus erit removendum. manus hoc decocto calido abluantur. Recipe *aquæ paduanæ lib. iiij. vini albi lib. ij. Roſ. rubr., cup. ven. aluminis rochæ, ſingulorum unc. ſ. miſce, & bulliant ad conſumptionem duarum lib.* Hæcque ſint ſatis de omnium ſpecierum morbi Gallici curatione: ſi denique notaverimus, hunc morbum inveteratum, vel nunquam, vel raro in ſanitatem reſtitui. Raro dixi, quia nonnullos vidi, qui ex antiquiſſimo hujus generis morbo, & cum ſummis cruciatibus, tandem ſanitati reſtituti ſunt, & in ea perſeverarunt. Quotquot autem ab hoc affectu male tractati fuerunt, & tamen ſanitatem adepti ſint, quemcunque inciderint in morbum, ſemper morbus ille in quacunque ſit ſpecie, vehementior in talibus efficitur, quam eſſet, ſi hic non fuiſſet morbo Gallico affectus.

Si quiſpiam vulneretur, qui morbo Gallico affectus ſit, vel alias fuerit morbum Gallicum perpeſſus, ſanitati tardiuſcule reſtituitur. imo ſi quiſpiam cultro ſibi digitum inciderit, panem incidendo, qui alioqui in viginti quatuor horarum ſpatio conſolidatus eſſet, quadraginta dierum ſpatio in ſanitatem haud reſtituitur, tam vehementem ex lue Gallica qualitatem pravam in carne contraxit, ut difficulter minimæ etiam inciſiones conſolidari poſſint. imo unuſquiſque etiam breviſſimus morbus ſanitati ſit rebellis, & ad eam acquirendam longa indiget mora. unuſquiſque igitur in hunc morbum incidere caveat.

Si podagrici dolores cum Gallico affectu contingant, vehementiſſimi efficiuntur, & hic, qui affectus eſt, non minus vehementer moleſtatur, & angitur, neque brevi ſanitatem recuperare poteſt.

Morbus Gallicus eſt in declinatione univerſali, nam remitti cœpit, & adeo remittetur, ut penitus abeat, neque amplius aliquem vexabit. ſatis enim per octuaginta fere annos vagatus eſt. hoc nimirum modo morbi omnes novi, & qui nonnullis ſolum temporibus viti ſunt, deinceps delituerunt, & aboliti ſunt.

Et ſi oculorum perturbatio ſæva videatur affectio, tamen parva eſt, quia unum ſolum occupat membrum, & id etiam parvum, licet nobiliſſimum ſit, ſecus eſt cum oculi ipſi amittuntur. SENEX. Cum Indici ligni decocta, & radicis vocatæ Chinæ jam noverim, huic ſermoni de decoctionibus finis imponendus eſt, præſertim cum in noſtris pharmacopoliis nullæ ſerventur, non ab re autem videbitur ſi de infuſionibus verba faciamus. BRAS. Cum hoc tibi gratum ſit, de infuſionibus agere non recuſabo.

FINIS.

# NICOLAI MACCHELLI, *Mutinenſis*,

DE

# MORBO GALLICO,

## TRACTATUS,

*In gratiam Medicorum almi Collegii Mutinenſis ſcriptus.*

Nos vero, cum omnia fere, quæ multis medicis hujuſce tempeſtatis de morbo, quem Neapolitanum Galli, Itali Gallicum vocant, fuere ſcripta, ſub unius exemplo, & ejus quidem omnium celeberrimi, certiſſimis argumentis, & rerum experientia rejecerimus, nunc morbi ejuſdem naturam, & cauſas, & quæ ſequuntur ſymptomata, adhæc vero & curationes, pro vera veterum doctrina, ſi Deo placet, explicemus.

Hic inquam morbus à loco primi contagii, & ab his, qui ipſum primo ſuſcepere, nomen eſt conſequutus. Nam quum Neapoli primum in homines irruiſſet, à Gallis morbus Neapolitanus eſt vocatus: quum vero Galli, vel per intemperantiam, & plenam vivendi rationem, vel per caliditatem ejus regionis, in qua præter conſuetudinem verſabantur, viribus infirmati, eo morbo pluſquam alii indigenæ cepiſſent occupari, ab Italis Gallicus eſt vocatus.

Hic morbus & ſimplex, & compoſitus eſſe poteſt. Simplex quidem eſt, vel in præternaturalium intemperaturarum genere, vel in genere tantum inſtrumentalium morborum, vel in eo quod ad partium præternaturalem, vel unitionem, vel ſolutionem ſpectat. Quid enim obſtat, quin in corpore humano bene habito, minime excrementoſo, bene temperato, per inſignem motum juxta corpus aliud pravo hoc genere morbi inquinatum, per attritionem, per frictionem, per mutuum fotum, fervidus quidam calor concitetur, dehinc mutua ſpirituum emiſſione & ſuſceptione pravum id vitium homini, qui primo bene habitus erat, minime erat excrementoſus, probe temperatus erat, concepta jam fervida caliditate, quæ ſenſibiliter lædat functiones, communicetur? Morbusque fiat, qui tunc erit calida præternaturalis intemperatura: pravumque illud vitium, quod tertia quædam qualitas erit, quæ morbum nullo non tempore comitatur. Verum quod per mutuam attritionem, & frictionem, & mutuum fotum, fervido calore excitato, corpora calefacta ſpiritum viciſſim excipiant, & ex ſeſe emittant, aliorum omnium exemplo nulli non patet. Nam fruges ſi calefiant, & legumina, & fructus, & folia, & ſtirpes, & ligna, & cætera denique quæ calefiunt, ſpiritum ſuſcipiunt & emittunt. Quo fit, ut vir morbo Gallico inquinatus, ſi in conſuetudine cum munda muliere ſeſe ei ita mutuo affricet, atteratque, ut mutuo calefiant, emiſſo ab eo ſpiritu, & eodem ab muliere ſuſcepto, mulier inquinatur. ſin inquinata eſt mulier, ſuo ſpiritu vitiato, vitium viro impartitur. Ratiocinatio hæc ſumpta eſt ab Hippocrate *libro de Natura fœtus.* Sin corpus ſit excrementoſum, vel male habitum, vel prave attemperatum, facilius per mutuam perfrictionem, vel fotum, vel attritionem ſuſcepto calore, dehinc ſuccedente mutua ſpirituum emiſſione, ſuſceptione, excipit inquinamentum. Tunc que in male habito veriſimile eſt ut viſcera jamdiu infirmata, primo inquinentur. In excrementoſo humores, qui exinde naturæ facti hoſtiles, ab ea repudiantur, & pelluntur extra corpus, ſi penitus à natura ſuperentur ſcilicet vacuatione ſenſibus vel manifeſta vel occulta: ſin ſuperentur quidem, at non prorſus, pelluntur per corpus ab hac parte in illam, donec in aliqua, quæ cæteris ſit infirmior, ſiſtant: ubi poſtea præternaturalem tumorem creant, quem præternaturalis intemperatura aliqua fere comitatur. Tuncque ſi ſenſibiliter læduntur particulæ functiones, id erit vel cauſa tumoris, & erit ſimplex morbus inſtrumentalis: vel cauſa intemperaturæ, & erit ſimilarium partium morbus ſimplex: ſin utriuſque cauſa, morbus erit compoſitus ſcilicet & ſimilarium partium & inſtrumentalium. Quod ſi hoſtiles illi humores inſignis acredinis ſint participes, poterunt unà cum tumore & intemperatura, aliquando non cutem ſolam erodere, verum etiam ſubjectas partes, ſcilicet & carnes, & nervos, & membranas, & cartilagines, demum & oſſa ipſa. Quamobrem ſi per eroſionem tantum, & non per tumorem, vel intemperaturam ſenſibiliter læſerint functiones, morbus erit ſimplex partibus ſimilaribus, & inſtrumentalibus communis, ſcilicet continui ſolutio. Sin merito etiam tumoris & intemperaturæ, erit compoſitus ex omnibus morborum generibus.

Solent ejuſcemodi affectus tempore in alios, vel ſui generis, vel alterius cujuſvis, tranſmutari: ſimplices in ſimplices, in compoſitos compoſiti, intemperaturæ in intemperaturas, calidæ nimirum in frigidas, frigidæ in calidas, humidæ in ſiccas, in humidas ſiccæ, tumores item in alios tumores migrare, & tandem iidem ipſi in abſceſſus. Hinc factum eſt, ut multi medici, videntes in eodem morbido hominis ſtatu tot metamorphoſes, morbi naturam ſatis apte nequiverint definire. opinantes enim ſub unico genere contineri, alii ad inſtrumentale genus, alii ad genus commune, alii ad utrunque, nulli fere ad intemperaturas deflexere. Nos vero non ſub uno tantum genere morbi contineri, vel duobus, ſed ſub omnibus ſimul arbitramur. Ut ipſum, ubi pluribus numeris conſtet, in hunc modum ſatis commode poſſimus definire. Morbus, quem noſtrates Gallicum vocant, eſt præternaturalis congeries affectuum, ſenſibiliter ac multifariam lædens functiones, à qualitate venenoſa non immunis. Ubi vero

ſimplex ſit, ita definiri poteſt. Gallicus morbus eſt affectus præternaturalis ſenſibiliter lædens functiones, à qualitate venenoſa non immunis. Verum cum ex notitia ſimplicium quorumcunque compoſita veniant cognoſcenda, ſupereſt ut nos primum ſingulorum ſimplicium ejuſcemodi morborum naturam exponamus, ut exinde compoſitorum natura nulli non ſit aperta. Dicimus igitur nos à diutina experientia edocti, quod, ſi duo humana corpora, quorum unum hoc genere morbi inquinatum ſit, alterum bene ſe habeat, ſeſe mutuo motibus concitatis refricent, juxta accumbant, ſe mutuo foveant, calefiunt primum, & aliquando ita calefiunt, ut anhela vix tantum ſpiritus attrahant, ut ſatis ſit pulmonibus refrigerandis. Hac neceſſitate caloris urgente, ſpiritus hinc & inde ſuſcipiuntur, & emittuntur, ut inde ægri inquinamentum ſano homini impertiatur, ac communicetur. Primus igitur affectus calida eſt intemperies, quæ, ubi primum lædit ſenſibiliter functiones, ſimplex eſt morbus: ubi vero ſecum accendit tumorem aliquem præter naturam, cujus etiam gratia lædantur membri alicujus functiones, jam morbus compoſitus eſſe incipit. Hæc enim calida intemperatura, quam præludium hujus morbi eſſe diximus, niſi præſto amoveatur, præternaturalem tumorem ad ſeſe trahit: talis enim eſt natura calidi, & vis. Is tametſi pro ratione naturalium temperaturarum, & ætatum, & humorum, cujuſvis tumorum generis eſſe poſſit, nihilominus fere in morbi initio ex genere eſt phlegmones. Hæc ſi aliquandiu perſeveret, vel in abſceſſum, vel in tumorem durum tranſit. Calida vero illa intemperatura, ſi diutius immoretur, primum ſpiritibus & ſanguine digerendis tranſit in frigidam. Hæc gignendis cruditatibus & cumulandis, in humidam migrat. Tandem vero & iſta, deficiente idoneo alimento corpori, in ſiccam tranſit. Interim autem cruditatibus fluitantibus hinc & inde, varii tumores fiunt. quorum aliqui vertuntur in abſceſſum, aliqui ita obdureſcunt, ut marmorea tubercula eſſe videantur. Perſeverante morboſo hoc ſtatu fit hæc affectuum viciſſitudo. Nec qualitas illa contagioſa, quam horum generum morborum inſeparabile ſymptoma eſſe opinamur, ullo unquam tempore intermittit, deſeritque. Hæc eſt hujus morboſi ſtatus præternaturalium affectuum congeries, ſub qua aliquando Gallicum morbum contineri dicebamus.

Singulorum cauſæ, tametſi jam obiter à nobis fere ſint enarratæ, nihilominus nunc etiam aliquantulum fuſius explicabuntur. Intemperaturæ calidæ, quæ initium eſt malorum, cauſæ ſunt, motus concitati, mutuæ refrictiones, mutui attritus, mutui cum accubitus, tum etiam fotus. Tumorum vero præter naturam humores à modo recedentes, ſimplicium quidem ſimplices, compoſitorum vero compoſiti. Hi vel in particula intumeſcente generantur, vel aliunde aut pulſi, aut tracti congeruntur. Hi rurſum in particula generantur ipſius vi concoctrice laborante, expultrice vim paſſa retinentur. Pelluntur autem vel quantitate, vel qualitate, vel utraque ratione infeſti. Attrahuntur per vacui neceſſitatem, ſcilicet ne vacuus relinquatur locus. eam vero neceſſitatem facit vel immodicus ejus partis calor, vel alicujus appoſiti medicamenti & natura & vis. Continuitatem ſolvunt quæcunque vel ſcindunt, vel contundunt, vel diſtendunt, vel erodunt. Scindunt, quæ per aciem, quicquid ſibi obviat, ſeparant. in his ſunt quæcunque exterius per aciem ſecare poſſunt, quæque interius prædita ſunt vi tenuis caloris, frigoriſve. Contundunt quæcunque dura ſimul & gravia in aliquam rem ſibi occurrentem inciderint: in horum numero ſunt præduri articulorum tumores, qui vicinas partes ſuis neceſſariis motionibus contundunt, laniant, lacerantque. Diſtendunt autem quæcunque per immodicam copiam à ſuo loco nequeunt contineri, ut immodici vel humores, vel flatus. qui ſi à loco continentur vel ſuapte natura, vel ex acquiſita intemperatura denſo, vi majore agunt, tantoque majore, quanto locus fuerit denſior: ſin vel natura raro, diſtendunt, ſed minus quidem, ut ſimul & diſtendant, & ex parte digerantur. Erodunt autem quæcunque qualitate acria ſunt, & ignea vi pollent. Verum ſi admodum vehementer ignea ſunt, non erodunt ſolum, ſed etiam exurunt, & cruſtas parant. Hoc in extrinſecis videmus, videmus & in intrinſecis tum intemperaturis, tum uſtivis ſuccis. Hæc de cauſis. Jam de ſymptomatis ſingulorum diſſeramus.

Calida intemperatura, quam inter morbos Gallicos origine primam eſſe dicebamus, ardorem parit, aliquando in pene tantum, vel pudendis mulierum, aliquando in cute corporis univerſi. Hæc eadem ſi cutem occupet univerſam, in ipſa ruborem, nitorem, ac ſplendorem parit. Inſuper eadem ipſa abſumendis, ac digerendis pilorum alimentis efficit, ut hi langueſcant primum, dehinc quaſi ſemimortui colore ſubobſcurentur, tandem vero & decidant. Interim oculi ſcintillant, atque illuſtrantur. Quid? quod ob eandem caliditatem tunicis ipſorum rarefactis, ſpiritus ipſi viſui inſervientes, attenuati in ambientem aerem diſſipantur, quo factum eſt aliquando, ut viſus acies nonnullis ſit imminuta, nonnullis vero etiam eo uſque ſublata eſt, quoad amota calida intemperatura, & tunicis ad priſtinam denſitatem redeuntibus, non amplius immodice in ambientem digerantur, ſed, prout decet, retenti commode ſuo inſerviant inſtrumento. Hæc ſunt fere iſtius calidæ intemperaturæ ſymptomata. In tumoribus præter naturam phlegmone ſive in pene, ſive in locis muliebribus, ſive in inguinibus, ſive in aliqua quavis parte fiat, dolorem, pulſum, fervorem, & renitentiam parit, mutatque colorem affectæ partis. Verum eryſipelas, quoniam ex ſanguine & bile flava admodum calidis generatur, majorem calorem oſtendit, coloremque cum rubro magis flavum repræſentat. quod ſi digito vel leviter premas, ſanguis, ut qui admodum tenuis eſt, ſtatim ſubterfugit, rurſumque illabitur, rubrumque colorem redaccendit. Sunt duæ aliæ inflammationes, quæ de ſola bile flava fiunt, quæ ſi craſſa ſit, cutem, cui ſubeſt, exedit, & nonnihil ſubjectæ carnis, & vocatur exedens herpes. ſin tenuis, cutem tantum exurit, & non exeſt, hicque vocatur herpes miliaris: utraque naturalem particulæ colorem ad flavum vertit. Exedere, & urere ſunt morbi functionis vitiatæ, color immutatus ex genere eſt vitiatæ corporis qualitatis, nimirum ejuſcemodi inflammationum ſymptomata. Dolent omnes quidem, ſed phlegmone omnium magis, dehinc exedens herpes, poſtea miliaris, eryſipelas autem omnium minus. Eſt & alia phlegmone, quæ cutem tantum attingit, minime vero ſubjectam carnem, & hæc quidem dolorem facit, & colorem in rubrum mutat, ſed caret pulſu. Genus hoc inflammationis glandem penis, & locos muliebres in hoc morbo, quem Gallicum vocamus, afficit non infrequenter; immo & frontem, & partem capitis capillatam, & oris labra, & palatum & fauces. Hujus ſymptomata ſunt color ruber, calor immodicus, & ſine pulſu dolor. Sunt & aliæ duæ inflammationis ſpecies, quas (tametſi in hoc genere contagioſi morbi nos earum alteram vix ſemel viderimus) nihilominus, quia per medici vel imperitiam, vel ſocordiam, vel per languentis intemperantiam accidere poſſunt, nolumus ſilentio præterire. Una eſt ejuſmodi. Sanguis influens, ubi abunde calidus ſit & craſſus, in quamcunque particulam affatim influxerit, ulcus in ea parit cum cruſta, partes vero circumjacentes in inflammationem extollit, & per fervorem admodum ſævum dolorem facit. Hæc ſane inflammatio Carbo nuncupatur, cujus ſymptomata ſunt exurere, cutis levitatem vitiare, ſævum dolorem excitare. Altera vero eſt, quam nos aliquando ſub noſtro Præceptore, in pube hominis, hoc Gallico morbo laborantis, ſumus conſpicati. Confluebat ad locum ſanguis ater, craſſus, cænoſus, & fervidus, inde ſerоſitas quædam tenuis ſuperficiales quaſdam bullas excitabat cute tenus, earum, quæ ab igne elevantur, inſtar. Quibus diſruptis, deprehendebatur ſubeſſe cruſtoſum ulcus. & hæc vero ipſa Carbo apellatur. cujus etiam ſymptomata ſunt immenſus fervor, dolor acer, cutis inæqualitas, demum etiam aſperitas. Oedema vero eſt tumor mollis. hunc gignit aliquando ſpiritus flatuoſus, aliquando influens pituita. Tumor hic cum in aliis corporis partibus, tum maxime vel in articulis vel in extremis membris fieri ſolet. ſymptoma utriſque commune eſt membri mollities, illius vero proprium, cute tenus perſpicuum eſſe, hujus ſubobſcuro colore inficiatam partem. utrique citra dolorem premi poſſunt, ſub premente utrique concavantur: verum in illo pars depreſſa affatim relabitur, in hoc relabitur, ſed paulatim. In tumorum præternaturalium genere eſt etiam Scirrhus, qui quoniam duplex eſt, exquiſitus, qui penitus caret ſenſu, & non exquiſitus, qui ſenſu quidem præditus eſt, ſed valde obſcuro, hinc fit ut illius quidem ſymptoma ſit carere ſenſu, hujus vero hebeti ſenſu eſſe. Jam vero ad ſymptomata continuitatis ſolutionis, & continuitatis eorum, quæ ſoluta eſſe deberent, deſcendamus. Abſceſſus inter ipſas nobis primo ſeſe offerunt, qui nimirum ob id abſceſſus appellantur, quod in ipſis particulæ, quæ prius ſeſe mutuo contingebant, nunc intercluſa aliena materia, mutuo diſſident. Materia eſt vel humiditas quædam, vel ſpiritus flatuoſus. Hæc quidem & diſtendendis particulis, à quibus continetur, & ipſis aliquando erodendis, dolorem ſemper infert: tum vero magis, cum ſuppurationis tempus inſtat. Nam circa puris generationem, dolores & febres majores fiunt, quam dum generatum eſt. Dolor igitur utrorumque commune eſt ſymptoma. Præterea & alia ſymptomata eſſe poſſunt, etiam penes qualitatem affectæ partis immutatam, ſcilicet vel calorem, vel frigus, vel duritiem, vel mollitiem, vel levitatem, vel aſperitatem, vel colorem ſive magis album, ſive cinereum, ſive lividum, ſive nigrum, omnia ſcilicet pro ratione vel quantitatis, vel qualitatis materiæ, quæ in abſceſſibus continetur. Contigere etiam aliquando in hoc morbi genere

ulcera

ulcera quædam in penis glande, & in interna parte præputii oriẽtis, quæ per negligentiam vel medici vel languentis ita invicem coaluere, ut nullo pacto præputium à glande diduci posset. cujus quidem præternaturalis unitionis symptoma præcipuum, impedimentum est cocundi: affectus autem est unitas eorum, quæ naturaliter ab invicem soluta esse debuere.

Sunt præterea tria alia symptomata, quæ tunc potissimum deteguntur, quando morbus jam toti corpori est communicatus. Primum est gravitas scapularum. Secundum est jugulorum & summorum humerorum dolor, immo aliquando & brachiorum, & crurum. Tertium est faucium rubor & calor. Gravitatem scapularum à substantia vitiosorum humorum scapulis incumbente oriri opinor. Dolorem autem ab eadem vel simili substantia, sed altius quidem infixa, in membranis scilicet, à quibus ossa operiuntur, & in tendinibus musculorum, qui ad eas partes pervenere: quæ tanto tenuior quam illa esse debet, quanto meatus tendinum & membranarum meatibus carnium sunt angustiores. Verum quoniam ii dolores noctu ingravescunt, mitescunt vero luce proxima, sunt qui dixere, id primum noctis humiditati acceptum ferri, inquientes, ab ipsa internas humiditates augeri atque agitari. Nos vero augeri quidem humiditates ab noctis humiditate posse non negamus, agitari autem nequaquam, humiditas enim est inefficax. Dicunt secundo, naturalem calorem noctu introrsum revocari, humores commovere, dolores ex eorum commotione exacerbari. At nos arbitraremur naturalem calorem, ubi ad viscera revocatur, atque unitur, vim majorem concipere, & melius humores tæno cohibere. Quamobrem nos potius aliter diceremus, scilicet corpus à noctis frigiditate dentari, digestionem acrium vaporum inhiberi, immo potius cogi atque uniri, & inde membranas, ossium operimenta, vi majore erodi. Nihil vero ad rem spectat id, quod ajunt, scilicet humores, à quibus Gallicus excitatur morbus, ut plurimum frigidos esse; quia adhuc superesset quærere, cur frigidi humores noctu quam interdiu magis vexent. Quod vero per corporis densitatem à noctis frigiditate acres vapores intus retineantur, indicio est, quod ex levi linteorum caliditate, ac fotu circa dolentes partes, nonnihil mitescit dolor, dehinc perseverante calefactione ac fotu augetur. quoniam levis caliditas ac fotus corpus rarefacit: vehemens ac diuturna præter hoc quod acredinem auget, plus acrium vaporum auget quam digerat.

Faucium autem calorem & ruborem excitat influxus sanguinis fervidioris. Nunc vero de præsagiis agendum.

Sunt qui affirment neque à Galeno, neque à quoquam antiquorum in hoc genere morbi præsagia quærenda esse, morbum hunc novum esse asseverantes. Sed, oh rem nefariam & penitus pernicioſam, scilicet discipulos à vera veterum scriptorum doctrina avocare, ad sese autem, & ad inania fabulamenta pertrahere. Dicant enim mihi quæso, quid in hoc genere morbi (quod novum esse centies dicere non erubescunt) reperitur, cujus Hippocrates in præsagiis & prædictionibus, & consequenter Galenus in ipsorum expositionibus non fuerit memoratus? Præterierene ipsi silentio ulcera recentia, vetera, mollia, prædura, benigna, maligna, lutea, livida, nigra, humida, sicca, & quovis modo intemperata, immo & alta, & quæ cutem tantum afficiant? Tacuerene cujusvis generis intemperaturas? simplices, compositas, cum materia, sine materia? Tacuerene tumores præter naturam? duros, molles, mucronatos, non mucronatos, introrsum, vel extrorsum erumpentes? Tacuerene suppurationes vel internas, vel externas? Atqui hoc mihi saltem non negabunt, unicam scilicet omnis præsagitionis radicem esse, cujus Hippocrates in ipso statim præsagiorum initio est memoratus, quando secundum nostram interpretationem dixit: Morborum igitur ejusmodi naturas non ignorare est opus, quantum scilicet supra corporum vires emineant. Sed quid aliud tandem est hoc, quam morbi vires cum corporum viribus comparare? Morbi autem vires constant ex ejus substantia, ex præstantia affectæ partis, & ex ejus malitia, quæ nimirum ex symptomatis dignosci possunt. At vires languentis cognoscuntur ex functionibus trium generum facultatum, naturalis, vitalis, animalis. Naturalis sicut quadruplex est, ita quadruplices sunt ipsius functiones, scilicet alimenti attractio, retentio, mutatio, & superflui excretio. Harum vero robur dignoscitur ex habitu corporis primum. Qui si bonus sit, hasce functiones validas esse ostendit: sin ad summum attingat bonitatis, jam non caret vitio, & est periculosus. non enim in eodem consistere potest, nec in melius proficere. reliquum igitur est, ut decidat in pejus. Verum si malus sit, vel gracilis est vel tumens. si gracilis, corpus ἀτροφίαν laborare significat: sin tumens, plus attrahi atque retineri, quam immutari atque excerni ostendit, ille tabem præsagitur, hic vero aquam intercutem. Sed quanam alia ratione ex urinis præsagimur, ex alvi excrementis, ex vomitionibus, ex sudoribus, ex sputis, ex narium mucis, ex ceruminibus, ex lacrymis, ex saniebus, ex pedendo, ex sternutando, ex ructando, quam ut robur, aut infirmitatem hujusce facultatis judicemus? Quanam alia ratione spirationis frequentiam, raritatem, magnitudinem, frigiditatem, & facilitatem, sed & pulsuum vehementiam, obscuritatem, & mediocritatem exploramus, quam ut ostendamus fortitudinem, aut imbecillitatem viralis facultatis? Quid enim aliud ex decubitu præsaginur, ex oculis, & alio quovis sensus instrumento, sive communi, sive proprio, ex dentium stridore, ex convulsione, ex manuum gesticulatione, ex pandiculatione, ex appetentia, vel inappetentia, vel appetentiæ pravitate, ex constantia, vel inconstantia rationis, quam ut demonstremus, quæ sit vis facultatis animalis? Hæc est vera veterum medicorum præsagiendi ratio, non in antiquis morbis solum, sed etiam in his, quos isti novos vocant, nec ulla est alia, quam, summe opto & spero, ut, Deo optimo bene juvante, tandem totis viribus amplectantur. De symptomatis autem fracturarum, ruptionum vasorum, & vulnerum, non est ut verba faciamus; quoniam ad morbum hunc, quem Gallicum vocamus, nihil spectant. Reliquarum vero solutionum continuitatis symptomata abunde exposita sunt superius, cum de symptomatis tumorum præter naturam agebamus. Jam vero tempus est ut ad curationem singulorum transeamus, ab calida intemperatura auspicati.

Calida intemperatura, quæ inter hæc morborum genera primas partes habet, ut facile cognosci potest, ita & curari. Curatur autem per suum contrarium, scilicet per frigidam intemperaturam remediorum. Hæc autem cum altera sit qualitatum activarum, facile sese corpori insinuat. Uno igitur aut saltem altero die hæc intemperatura corrigetur, si quis probe, & ut decet, suam sibi contrariam admoverit, atque opponet. Admoveri potest exterius & interius. Exterius, per qualitatem frigidam aëris ambientis, per lavacrum, per illitiones, & per ea, quæ apponi possunt, Græci ἐπιθήματα appellant. Interius, per eundem aërem, qui inspiratur, & qui dilatatione arteriarum trahitur in ambitu corporis universi, & per ea, quæ ore ingeruntur: ea vero sunt, cibi, & potiones, & frigida medicamenta. Domus igitur ad aquilonem spectet, ad frigidum permutetur frigidis irrigationibus, floribus, herbis, germinibus, fructibusque. Tepido dulci oleo æger illiniatur: dehinc jejuno ventre, & purgatis alvi excrementis, balneum ex aqua dulci temperata intret, in eo aliquandiu versetur, cumque exitum apparat, sese in frigidam demergat, vel ex frigida irroretur: dehinc linteis mollibus detergatur. cubile intret, modice quiescat: postremo cibum capiat ex frigidis oleribus, ex teneris & arenosis piscículis, ex acetariis & frigidis in tinctibus, & cum modico saccharo poscam bibat, vel frigidam aquam, si ei assuevit, vel etiam cotonei, vel Punici mali succum. Quod si, his peractis, adhuc magnum & frequens spiret, cordi frigida potestate apponantur. Hac enim demum ratione quicquid adventitii caloris residuum est, illico summovetur, nec amplius phlegmonem expectare oportet sive in inguinibus, sive in pudendis fore. tutoque poteris affirmare te morbum sævissimum in prima sui origine jugulasse.

Verum si, antequam ad languentem accesseris, calida illa intemperatura phlegmonem jam, sive in pudendis, sive in inguinibus excitarit, nec dum ea suppuret quidem, sed cruda existens fluxiones undequaque ad sese convertat, excipiatque: Tu, habita prius ratione virium ægrotantis, nec non temperaturæ & naturalis & per consuetudinem acquisitæ, & ætatis, & qualitatis ambientis, & neque non temporis, quo morbi summus vigor exspectatur: ita vivendi formam institue, ut languens interius refrigeretur, exterius modice calefiat, ne per frigiditatem ambientis mala morbi qualitas ad viscera repellatur. ita nutriatur, ut vires summum morbi vigorem possint exspectare, morbi vero causa minime augeri possit. Hac victus ratione instituta, quoniam in foribus est morbus ingens, & sævus valde, si languentis vires & ætas ferunt, venam aperito, non ex superioribus aliquam, ne vitium ad viscera comportetur, sed ex infernis, sive in poplitibus, sive in malleolis. Quantitatem sanguinis vacuandi præscribant plenitudo, corporis robur, ætas, ambiens aër, anni tempus, cœli status, & regio. Antea vero cavendum, nequid crudum resideat in intestinis, sive humor, sive cibus. Tale autem siquid insit, prius educendum est vel levi sublutione, vel glande, vel cassia, vel manna, vel lactis sero. His ita peractis, crura quotidie vacuo ventre linteis asperis & calentibus fricentur. vincula supra malleolos, & poplites adigantur. cucurbitulæ femoribus apponantur, nihil omit-

omittatur, quod influxum ſævi hujus morbi ad viſcera poſſit inhibere. Quæ omnia ſunto communia omnibus inflammationibus pudendorum & inguinum, de quibus agemus conſequenter. Atque interim loco affecto non repellentia quidem apponi debent, (quod cæteris quidem fluxionibus eſt commune, quatenus ſcilicet ſunt fluxiones,) ſed quæ trahunt, quæque in halitum digerunt, ac maturant. Conſtant hæc *ex pinguedinibus, ex coctis radicibus althææ, bryoniæ, bulbis liliorum, ex pinguibus caricis, ſimilibusque.* Quod ſi *vel myrrham, vel bdellium, vel ammoniacum* addideris, trahent quidem magis, nec ſuppurationem inhibebunt. Tu ex aliis ſimplicibus medicamentis, poteſtate his ſimilibus, alia compoſita tibi ipſi parare poteris, prout locus, & temporis occaſio expoſtulabunt. Dum hæc peraguntur, nulla intercidat dies, qua alvus non leviter ſtimuletur ſive levi ſublutione, ſive glande: quo nimirum inteſtinorum vis retentrix ex humidis & pinguibus nonnihil quodammodo laxetur, atque infirmetur, & natura, quæ humanum corpus regit, aſſueſcat eo ſuas ſuperfluitates derivare. Hoc vero perpetuum eſto in Gallici morbi curatione. Id vero etiam, ut commodius & exactius fiat, ſingulis diebus aliqua potio ventri vacuo eſt propinanda, quæ in primis infrigidet, & detergendis & ſecandis ſuccis corpus fluidum reddat, immo & bonam alvum faciat. Parantur hæc *ex decoctis paſſularum, myxariorum, intybi, cucurbitæ, & ſimilibus.* Quibus decoctis ſi addatur vel *ſyrupus acetoſus, vel oxyſaccharum, vel ue acetoſitate citri*, præter hoc, quod bonam alvum faciemus, ſiſtemus humorum fluxiones, & humores dominio naturæ ſubjiciemus, & obſtructa aperiemus, & quicquid reliqui eſt calidæ illius intemperaturæ, adimemus. Verum ſi phlegmone tranſeat in abſceſſum, quoniam tunc partes phlegmone affectæ ab invicem diducuntur, & materia ſubintrat aliena, dolores augentur, neque non & febres, modo præceſſerint, ſi non præceſſerint, tunc maxima ex parte excitantur. Quæ vero ſubintrat materia, vel naturam affectæ partis ſuperat, vel à natura ſuperatur. Si ſuperat, vel retrocedit, & per totum corpus ſpargitur, ut viſcera & reliquas corporis partes malo hoc genere morbi inquinet, vitietque. & tunc primum humeris ingens pondus imponitur, ut plumbi magna moles ſibi incumbere videatur. dehinc paulo poſt dolores jugula & ſummos humeros invadunt, qui vix paululum interdiu remittuntur, noctu invaleſcunt. dehinc conſequenter incipiunt fauces rubere, incaleſcere, dolitare, deglutitio laceſſiri, vox rauceſcere. Sed hic non eſt locus, in quo de morbi communicatione ſit agendum. Ad phlegmones igitur abſceſſus revertamur. Dicebamus abſceſſus materiam contra naturam victoriam obtinere, vel a natura ſuperari. obtinere victoriam, quando vel retrocedit, & toti corpori communicatur vel naturam affectæ partis corrumpit, & emortuam, & ſenſibus carentem reddit, hoc erat quod nobis ſupplendum fuit. Gangrænam hunc affectum vocant, quem nos quidem, quoniam raro in Gallico morbo fieri accidit, ſilentio præterire decrevimus. Sin natura materiam ſuperat, vel prorſus exacte, vel non exacte quidem. ſi exacte, illam quidem fundit, diſſipat, diſcutit, in aërem ambientem vertit, nec amplius Gallici morbi timor eſt reliquus: ſi non exacte, illam ad ſemimalam naturam mutat, ſcilicet in pus, tuncque pro victoriæ ratione miteſcit dolor, durities remollitur, renitentia, rubor, & calor remittuntur, omnia fiunt leviora. Cum vero pus jam genitum eſt, ceſſat dolor omnis, & jam tempus inſtat aperiendi, niſi ſponte, eroſa cute, foras pus erumpat, prodeatque. Si igitur ſponte non erumpat, ſcalpro aperiatur, ſanguis prodire ſinatur pro virium ratione, dehinc cohibeatur ovi candido. Pus vero ſi album ſit, leve, & æquale, nihil eſt quod timeamus, neque Gallicum morbum quidem, modo probe, & ut decet, expurgetur. id quod fiet, ſi pro modo ſordis detergatur, ſicceturque pro modo puris. Verum inter ſiccandum ratio habeatur non temperaturæ ſolum languentis, verum & ætatis, & ſexus, & qualitatis aëris ambientis, immo & temperaturæ affectæ partis. Nam non ſolum qui per naturalem, vel acquiſitam ex conſuetudine vivendi temperaturam, & qui per ætatem, & ſexum ſunt ſicci, ſicciore egent medendi ratione, quam qui humidi. Immo etiam ii, quorum pars affecta per naturam ſicca eſt, adhuc multo magis medicamentorum vi egent ſicciore, quam ii, quorum pars affecta humida eſt per naturam. Atqui in detergendo ſenſus acuitas, vel hebetudo particulæ laborantis operi modum definiunt, ac præſcribunt. ſiquidem quæ acutiore eſt ſenſu, optat detergentia mitiora, quæ hebetiore, fortiora. Sed neque in cavi ulceris curatione victus ratio contemnenda. eget enim cavum ulcus alimento, quod qualitate & quantitate modum ſervet. ſiquidem alimentum, quod per qualitatem à modo aberrat, ſi immodice calidum eſt, ſordem & ſaniem acres reddit. ſi immodice frigidum, ulcus impalleſcit, aut livet, nigricatve, alimentum non probe concoquit, in ſui ſubſtantiam non immutat. ſin humidum nimis, ulcus & humeſcit, & ſordeſcit. ſin ſiccum nimis, etiam ulcus ipſum ſicceſcit, & privatur alimento, quo deficiente, labra fiunt gracilia lori inſtar, dehinc pallida lividave. Verum ſi alimentum per quantitatem à modo deficiat: ſi ſit nimis multum, ulcus ſit excrementoſum: ſi paucum nimis, ſqualleat & privatur alimento. Tametſi vero alimentum utraque ratione optimum in cavum ulcus deferatur, nihilominus, nec quod deeſt carnis aggenerabitur, neque ulcus æquabitur, niſi cuique ex ſubjectis ulceri particulis ſua inſit temperies naturalis. ipſa enim eſt, quæ alimentum ad ſeſe trahit, tractumque tamdiu retinet, quoad immutet, & ſuo ſubjecto aſſimilet, uniatque. Quamobrem ſi qua particula ſit immodice frigida, quoad ſatis eſt, calefiat: ſi calida, refrigeretur: ſi ſicca, humefiat: ſi humida, ſiccetur, pariterque ſi calida & ſicca, frigefiat & humectetur. ſicque de aliis compoſitis ad proportionem, habito ſemper reſpectu ad temperamentum ſuæ ipſius ſanitatis. Quod ſi præteriit, nunc ipſum quærere non eſt opus, ſed quod adeſt, ſervari debet. Verum quoniam in curatione cavi ulceris, ſiccantium & detergentium fecimus mentionem, multa autem ſunt ejuſmodi, non alienum fuerit horum aliqua ad memoriam revocare. Siccant igitur ſine morſu in ſimplicibus *olei fex, oleum dulce ſine ſale lotum, fermentum*, quod præterea ex imis trahit, digeritque, *ceraſi gummi, cyperi radix, ſapa, myrrha, ſarcocolla, ſtibium, tragacanthum, terra omnis, maxime ſi ſit lota, cadmia, tutia multoties lota, calx lota, & ovi tum album, tum luteum.* immo & *radix bryoniæ, & aſphodeli, magis vero & ipſius cinis.* adhuc vero & *omnia metallica, & lapidea & terrena.* In his omnibus, ſiquid eſt, quod per acredinem ſit ſuſpectum, id toties aqua omnis qualitatis experte lavetur, quoad acredinem, quam guſtu deprehendere poteris, amiſerit. Detergunt autem *teſtæ quorumcunque animalium teſta intectorum, mel, radix bryoniæ, ariſtolochia, aſphodeli radix, ſuccus abſinthii, ſtaphyſagria, helleborus uterque, marrubium, propolis, maſtiche, terebinthina, ſagapenum, cucumeris agreſtis radix, beta, terra chia, & ſamia, exuſtum cornu cervinum & caprinum, & quicquid invenire poſſis vel nitroſum vel amarum.* Ulcerum vero ſordem ſine morſu purgat quicquid dulce eſt, & tenues partes habet, velut *ervum, hordeumque, & fabæ.* Tu ex his & multis aliis ſimilibus ſumptis indicationibus ex naturalibus, non naturalibus, & ex his quæ ſunt præter naturam, poteris tibi ipſi compoſita medicamenta comparare, quæ naturæ cava ulcera implenti, & æquanti per haſce binas facultates opem ferent: nec te quidem huic certiſſimæ rationi, & ſtabili fulcro nitentem fallent. Verum deinceps medicamenti compoſiti vim & potentiam ex languentis ſenſu poteris conjectari. Nam ſi appoſitum ulceri adeo momorderit, ut ægrotus ipſe ſevim ipſius ſuſtinere non poſſe affirmet, certus ſies nimium deterſiſſe. Quod ſi vim ipſius non ſenſerit, non ſatis te deterſiſſe conjectator. Siccandi autem vis & modus & ex quantitate puris elicietur, & ex naturali temperatura corporis univerſi & affectæ partis. præterea ex ætate, ſexu, ambientis qualitate, &c.

Jam vero ad eryſipelas deſcendamus. Si igitur calida illa intemperatura, quam initium & veluti carcerem eſſe diximus, unde hic Gallicus morbus promovetur, eryſipelas evocarit, ſive in pudendis, ſive in inguinibus, ſive in pube, (Ad hæc enim loca fluxiones primo immitti ſolent,) ſive purum ſit eryſipelas, ſive phlegmonem ſecum adjunctam habeat, omnino eadem fere methodo curari debet, qua phlegmonem curari dicebamus. ſcilicet, ut fluxionem quidem ita inhibeamus, ut, ſi fieri poſſit, nihil ad ſuperiora, id eſt, ad viſcera repellatur. Mittatur igitur ſanguis ab infernis venis, fricentur crura à femoribus ad extremos pedes, ſupra poplites & malleolos vinciantur, affectus locus lavetur ſæpe ac foveatur *poſca admodum dilutа & tepenti*, dehinc leviter detergatur, conſequenter vero iterum ac frequenter *ex unguento roſaceo Galeni actu frigido* foveatur. modus vero apponendi fuerit, quoad ex refrigeratione ſenſerit levamentum. Quod ſi calida illa intemperatura flavam bilem acciverit craſſam fervidamque, & inflammatio in jam dictis locis, vel in eorum aliquo ſit oborta, hæc non cutem ſolam exeſt, verum etiam aliquid ſubjectæ carnis, quam herpetem vocant exedentem. Hanc igitur curare aggrediamur. Influxio, quantum fieri poteſt, trahatur in internas partes, nihil in ſupernas refluere permittatur, de partibus inflammatis nihil repellatur. Quoniam igitur magnus morbus eſt, & adhuc majorem illum fore ſuſpicamur, aperiatur ex inferioribus venis aliqua, ſanguis dematur pro ratione virium, ætatis, temperamenti, ambientis aeris &c. crura, ut dictum eſt, fricentur, vinciantur, cucurbitulæ femoribus apponantur. Quoniam vero ſuperius, cum de cura phlegmones agebamus, dictum fuit, alvum eſſe exſtimulandam levibus ſublutionibus, glandibusque, potionibus eſſe leniendam, corpus-

pusque simul esse refrigerandum, & per easdem motus humorum sistendos esse, vias esse aperiendas, & exemplum posuimus alicujus ejuscemodi potionis, necessum non est, ut eadem in curatione reliquarum inflammationum repetamus. sunt enim hæc omnibus ejuscemodi inflammationibus communia. Verum herpes exedens illud etiam cum erysipelate commune habet, quod refrigerari postulat, verum non pariter atque erysipelata humectari, immo refrigerari quidem, & infigniter exiccari. Quamobrem non ei conferunt *diluta polca*, & *unguentum rosaceum*, & *succus lactucæ*, & *intybi*, & *palustris lenticulæ*, & *sempervivi*, sed statim *folia rubi contusa*, & *canini rubi*, & *arnoglossi*, dehinc vero & *lens* addi potest. Interim vero & *farina hordeacea*, & *mel*. At supra locum ulceratum satisfecerint, quæcunque detergunt, siccantque. superius eorum sylvam adnotavimus. Tu ex his, spectans ad ea, quæ ibi diximus, poteris tibi ipsi composita comparare. Verum si per imperitiam medici, vel per ægri intemperantiam putredo ima petierit, & latius pabularit, *tu globulis illis utitor, qui ad Polyidem, vel ad Pasionem, vel ad Musam, vel ad Andronem referuntur. Illos vero solvito vel ex passo liquefaciens, vel ex vino albotenui*, & *subadstringente*, semper in memoria habens temperiem & ægri, & affectæ partis, nec non & reliqua, quorum superius fecimus mentionem, ad quæ videlicet vires medicamentorum temperabis. Forte etiam cogeris ignito uti ferramento, id quod nec te decipiet quidem, modo id affectæ parti tuto possis admovere, quod nimirum magna difficultate & locis muliebribus, & palato, & faucibus admovetur. Atqui si per ægri timiditatem, vel per loci affecti angustiam, & cavernositatem eo uti nequeas, uteris *mysi*, & *chalcitide*, *vel sori*, *vel calce*, *vel arsenico*, *vel sandaracha: ea excipito vel passo*, *vel vino*, *vel mulso*, *vel aceto mulso*: *vel etiam uti poteris compositio illo medicamento*, *quod refertur ad Aegyptios*, habent enim & hæc igneam potestatem. Succedit inflammationis quartum genus, quod cutem urit, circum circa bullas excitat, tamen subjectas partes non attingit. Hoc genus inflammationis semel vidimus nos cum morbo hoc Gallico commisceri. Cum superiore id commune habet, quod refrigerari & siccari postulat: at minus quidem quam illud: quoniam partes cuti subjectas, nisi admodum diu perennet, minime afficit, sed cutem tantum. Propterea his *per illitiones*, *quæ ex Glaucio fiunt*, *satis fiet*, *id Memithe nostrates vocant. solvitur ex aqua*, *cui si non satis fecerit*, *acetum addi potest*. Huic etiam affectui prosunt *plantaginis* & *solani succus*. Quod si temporis diuturnitate subjectas cuti partes invaserit, tunc confugiendum erit ad curationem herpetis exedentis. Verum quoniam morbi longitudine solet mala hujus morbi qualitas viscеribus communicari, jam tunc purgationum ratio habenda venit. Quod enim tarda mali curatione toti fere corpori est impartitum, desinit jam suspectum esse. & nos quidem hactenus purgatoriorum medicamentorum usum declinavimus, ne forte per ipsa vitiati succi Gallici morbi ad viscera traherentur, nunc vero malo ipsis communicato abit suspicio. sed de hoc alias. Nunc ad Phymata, id est, ad tumores illos parvos, qui fere pudenda primum, dehinc reliquas corporis partes, maxime vero frontem, & mentum, & partem capitis capillatam, neque non & palatum, & fauces obsident, descendamus. Hæc dum adhuc tantum pudendas partes male habent, non omissis revulsionibus ad infernas partes, de quibus jam semel & iterum locuti sumus, his, quæ tenui substantia constent, & in halitum digerant, excuti, atque curari debent, scilicet fotibus, illitionibus, & cataplasmatibus. In eorum classe sunt *oleum vetus*, *oleum cedrinum*, *oleum rosaceum*, *œsypus*, *leonis adeps*, *pardi*, *hyenæ*, *ustum abrotanum*, *vitex*, *bryoniæ radix*, *aristolochia*, *sicca plantago*, *radix asphodeli*, *radix rubi*, *radix glycyrrhizæ*, *amomum*, *asari radix*, *sales*, *flos salis*, *nitrum*, *arsenicum ustum*, *sulphur*, *melanteria*, *mysi*, *æs*, *sandix*, *sepiæ testa exusta*, & *exustæ lanæ*, insuper *opobalsamum*, *terebinthina*, & *propolis*, & *gummi*, & *mastiche*, & *euphorbium*, & *fermentum*, multaque alia, quæ longum esset enarrare. Tu vero ex horum aliquibus fotus, & illitiones, & cataplasmata poteris comparare, modo temperaturæ corporis universi, & affectæ partis, & ætatis, & sexus, & qualitatis aëris ambientis, & naturæ morbi non desinas memorari. Verum si aliqua ex his non excutiantur, sed in pus vertantur, fiunt ulcera quædam rotunda, subdura, & prærubra, Græci σύριγγα vocant, nos vero ficus, hæc maligna sunt & infigniter siccari postulant. Prosunt vero *medicamenta*, *quæ ex alumine scisso conficiuntur*, & *ære usto*, & *tauroculla*, *æquis portionibus*, & *duplo horum ex æris squamma*, *ubi exacte trita fuerit ex aceto*, & *illita*. quod si nimis momorderit, *pro aceto*, *posca* utitor. sin adhuc nimis mordeat, *vino subadstringente vice poscæ*, acuitatis enim sensus habenda ratio. Conferunt & *halecularum exusta capita*, & *assati bulbi*, & *cinis aceto mixtus*. Quod si spargantur per cutem corporis universi, utendum eadem medendi ratione, scilicet evocativa, sed ex alio principio. In privati membri phymate mali vitium ne in viscera serperet, tentabamus evocare, in phymatis totius corporis evocamus, ut operi naturæ opitulemur. sciptum est enim: *Undecunque natura repit*, *inde ducere oportet per convenientes regiones*. Convenientissima autem regio est cutis, quæ corpus nostrum ambit. suapte enim natura emunctorium est corporis universi. Cutis igitur rarefacienda lenibus frictionibus, ventre vacuo, illitionibus evocantibus inungenda, in hypocaustis diu ac frequenter, quo abunde sudet, immorandum, cucurbitulæ inibi toti fere corpori affigendæ, & pro virium robore, ætate &c. scarificanda est cutis, dehinc sapone detergenda, tepida abluenda, & cum exitus apparatur, linteis tepidis siccanda. ulcuscula postremo præscriptis illitionibus, vel similibus facultate, illinienda. Verum quoniam diximus phymata, quæ per cutem corporis universi sparguntur, pariter atque illa, quæ pudendas tantum partes occupant, per cutem digerenda esse, atque excutienda, sed ex diverso tamen principio: siquidem pudendorum phymata ideo digerenda per cutem esse, ne eorum materia ad viscera retrocedat: hæc vero, quo naturæ eo moventi opitulemur, atque foveamus, non circa Hippocratis authoritatem adduximus, scilicet. *Undequaque natura repit* &c. Quidam objecit (neque inepte quidem inquiens) tantam excrementosam materiam corpori inesse posse, ut nisi saltem levi purgatorio medicamento minuatur, vix phymata ipsa, nisi admodum longo temporis spatio, sanari posse. Subiit statim alius quidam, objiciens Galeni authoritatem, qui alopeciam (in qua nimirum, sicut & in hisce tuberculis, natura movet ab nobilioribus ad ignobiliores partes humorem vitiatum) curat purgatione. eadem igitur ratione, inquit, & in phymatis purgare licet. Nos vero hisce argumentis respondere posse arbitramur in hunc modum. Natura cum in alopecia & phymatis movet ad cutem humorem vitiatum, is humor non pariter utrobique est vitiatus. nam in illa vitiatus est per pravam qualitatem manifestam, scilicet per acredinem erodentem, atque exedentem: in his vero per pravam qualitatem & occultam & manifestam. Quamobrem primum casus sunt diversi. Præterea in utrisque hisce motibus internis ad externa, natura vel sponte movet, vincens humorem, quem movet, vel non sponte quidem, sed per modum symptomatis, id est impulsa, & vim passa ab humore, quem movet. si sponte quidem movet, & obtenta victoria supra humorem, sibi opitulandum est ac favendum, & inde ducendus est, quo natura ipsum inclinat, cum regio sit opportuna. neque timere oportet vel alopeciæ, vel phymatum incrementum. nam vincente natura humorem, is jam coctus est, & ad mediocritatem suæ substantiæ, & suæ temperaturæ reductus, jam non amplius mordax est, nec immodice crassus est, ut sub cute possit retineri, alioqui a natura non vinceretur. tuto igitur eo trahi potest, cum jam depolita crassitie sub cute non immoretur, sed vel in sudorem manifestum, vel in halitum immanifestum digeratur, & in ambientem diffipetur. Quod si natura non sponte, sed per modum symptomatis, id est, exstimulata & vim passa movet, id illi evenit, vel per humoris vitiatam qualitatem, vel ejusdem quantitatem, vel utriusque ratione. Statue igitur naturam utraque ratione exstimulari, ad hunc enim modum vis naturæ illata magis apparebit. Tunc vero vel ex eo humorum motu suspicio erit alicujus vehementioris morbi, quam sint phymata ipsa, vel alopeciæ puta, vel lepræ, vel elephantiaseos, vel cancri, vel gangrænæ, & similium pernicioforum malorum: vel nulla talis est suspicio. Si autem tale aliquod pernicioſum immineat, humoris motus non solum remittendus est & retardandus verum etiam inhibendus. Quod si dixeris, *Undecunque natura*, *inde ducere* &c. Dicimus Hippocratis theorema perpetuo verum esse, cum natura sponte movet, non impulsa, non vim passa, alias nequaquam semper. Medicus enim perpetuo imitator est naturæ sponte agentis, non exstimulatæ, neque in furorem actæ. Verum si nihil aliud sævius expectatur: si per quantitatem stimulatur, quantitas est demenda, sive multis admotis cucurbitulis, & scarificatis ipsarum locis, sive ciborum abstinentia, vel ciborum parcitate, sive frictionibus, sive externis illitionibus: si per qualitatem, ipsa per contrariam qualitatem est corrigenda. Hoc vero est coquere humorem, & ad mediocritatem sui temperamenti & substantiæ revocare. Quæ ubi feceris, tunc intendito ad naturæ motum, qui si sit ad cutem, tu pariter per cutem evocato. Is enim motus jam est naturæ sponte agentis, non amplius exstimulatæ, nam humor ad mediocritatem & substantiæ & temperamenti est revocatus. Sin natura coctum humorem quiescere finit, tu move ipsum, si natura movere deberet, at non movet tamen ipsa, mo- sive tu inquam, sive per medicamentum purgatorium, (sci-

licet ſi purgandus humor alvo ſit vicinior, & viæ ad ipſam alvum ſint paratæ, id quod eſt corpus fluidum eſſe, (ut dicebat Hippocrates) ſive per vomitorium, ſi in ventriculo fluitet, atque innatet: ſive per medicamentum, quod urinam cieat, ſcilicet ſi humor ſit ſupra jecur, ac non admodum ſit multus. Subſcribunt hæc doctrinæ magni Hippocratis, neque Galeno vel tantillum adverſantur. Nunc vero ad binas alias inflammationes, quæ ex genere ſunt carbonum, divertamus. Hæ eiſdem fere indicationibus curationem expoſtulant, quibus & exedens herpes. ſcilicet ut ulcus, qua parte eſt cruſtoſum, vehementibus ſiccetur medicamentis, at tanto mitioribus quidem, quanto minus ima petit, ac depaſcit. Verum per ambitum cruſtoſæ partis apponantur quæ refrigerent, ſiccentque. *Globuli igitur & Andronis, & Paſionis, & Polyidæ ſolvantur, non ex paſſo quidem, neque ex vino, neque ex poſca, ſed ex aqua, vel ex ſuccis ſive ſereos, ſive plantaginis, ſolani. In ambitu autem vel eadem herbæ contuſæ apponantur, vel earundem ſucci, vel etiam cataplaſma ex ervi farina, & aceto mulſo.* Verum cum abſolverimus curationes omnium ſolutionum continuitatis, quæ contingere ſolent in hoc morbi genere, nunc curationem inſtituamus unitæ ſolutionis. Dixeramus ſuperius aliquando in hoc morbo evenire, ut ulcera glandis, penis, & præputii ita invicem coaleſcant, ut nullo pacto divelli queant, & eo maxime ſi tumet penis. Quamobrem primum particulam tepidis, quo tumor remittatur, foveri oportet: dehinc pinguibus irrigari, ut renitentia ſubſidat, & ulcuſcula de integro ſuppurentur. Interveniente enim pure, unitæ partes ab invicem ſeparantur. Hic profecto curationis modus unitam ſolutionem ſanat, promovet autem continuitatis ſolutionem. Alius vero curandi modus eſt, ut citra puris generationem partes præter naturam unitæ, ſcalpro ſeparentur. Atqui nihilominus particulam affectam fotibus tepidis, irrigationibus, & illitionibus præparare oportet. Id quod neque citra provocationem ulceris aſſequi licet. Nunc ad Oedema tranſeundum. Tumorem hunc per binas cauſas, à quibus prodit, duplicem eſſe dicebamus, flatuoſum unum, alterum pituitoſum. Ille in his, qui ex aqua inter cutem male habent, vel in tabe, vel in alio malo habitu in cruribus & pedibus oriri ſolet, potiuſque ſymptoma, quam morbus debet appellari. Quamobrem de ipſo nunc agendum non eſt. Verum œdema, quod fluxio pepererit pituitæ, in hunc modum, mea ſententia, curari debet. Pituita vel concreta eſt, qualis in vetere œdemate eſſe ſolet, vel liquida. ſi concreta, prius liquari debet, dehinc & digeri & ſiccari, & repelli. Liquatur pingui, ac levi frictione, & tepidis lotionibus, fotibuſque. Digeritur per ea, quæ caliditatem tenuem habent, quale eſt *lixivium*, magis vero etiam *ſulphuris* ſit particeps. digeritur etiam *nova ſpongia adligata*. Siccatur & *per nitrum, & aphronitrum, & alumen, ſi lixivio ſint adjecta*. Repellitur autem per vincula, ſi de inferioribus ad ſuperiora, quemadmodum in fracturis, deducantur. At ſi liquida ſit pituita, non tanta medicamentorum vi opus habet, ſed ſatis erit *nova ſpongia ex lixivio & aceto appoſita, & adligata*. Semper vero mollitudinis, & duritiei corporum habenda ratio. nam mollioribus mitiora, durioribus vehementiora medicamenta ſunt ex uſu. Jam de Scirrhis ultimo loco agendum. Duplices hi ſunt, ſenſu præditi, & carentes ſenſu. Qui ſenſu carent & ſpe ſanitatis, nihil enim, cui ſanitas inniti ac ſuper extrui poſſit, habent. quis enim marmori, vel gypſo ſpiritum vitalem inſpiret? de hoc igitur fruſtra laborandum non eſt. Alter vero, quia durus eſt, remollitionem, quia res præternaturalis eſt, exſolutionemque poſcit. Remollitionem *ex medullis & adipibus* comparabis. in *medullis* præſtantiſſima eſt *cervina*, dehinc *vitulina*. in adipibus, *anſerinus*, in genere volatilium. in quadrupedum genere *leoninus*: poſt hos in volatilium adipibus, *gallinaceus*. in quadrupedum *pardi adeps*: dehinc vero *urſinus, & taurinus*. His igitur pinguibus, vel horum aliquo ſcirrhus illinitor. Illud vero ſeligitor, quod ſcirrho & naturali corporis vel mollitudini, vel duritiei idonea proportione correſpondet. Quod ſi vi majore uti oportet, aliquid ex malacticis adjicitor: talia autem ſunt, quæ ſub ſole fundi poſſunt, ſcilicet *ammoniacum, bdellium, myrrha, opoponax*. Miſcentur hæc adverſus ſcirrhos pinguibus, ſcilicet oleis, adipibus, & medullis, quo ſimul tumor & remolliatur, & in halitum digeratur. Verum ſi durities probe ſit remollita, poſſunt ex *ſolo aceto* & ſolvi, & illiniri. Atqui ſi durus tumor nerveam muſculi partem vel articulum aliquem obſideat, tunc majore vi remollientium, & digerentium uti eſt opus. Primum igitur tumor ille durus pingui perfuſione præparetur: pingue illud oleum tenue eſto, quale eſt *ſabinum*, vel *id, in quo viride anethum ſit incoctum, vel origanum, vel ſerpillum*. dehinc membro denſo linteo opertum ex ignito lapide pyrite, aceto acerrimo ſuper aſperſo, ſuffiatur. interea membrum ſeſe inflectat, erigat, nullum motum non tentet. ad hunc enim modum commode liqueſcit tumor. dehinc vero appoſito aliquo ex medicamentis, quorum ſuperius fecimus mentionem, diſcutitur atque evaneſcit.

Dicebamus ſupra, cum de abſceſſu agebatur, quod ſi materia abſceſſus inguinum, vel pudendorum ita naturam ſuperet, ut ipſa materia retrocedat, & per corpus ſpargatur univerſum, viſcera & reliquæ corporis partes hoc contagio morbi Gallici inficiuntur. De hoc igitur inquinamento nunc agendum.

Quamobrem ſi deliteſcente abſceſſu ſcapulæ ingraveſcant, ſi jugula & ſummi humeri dolitent, ingruit ſuſpicio non contemnenda Gallicum morbum jam totum corpus occupaſſe. Quod ſi præterea fauces rubeant, tumeantque, jam non ſuſpicio ſolum inſtat, ſed certa fides, certusque eventus rei. Gravitas igitur ſcapularum, quæ ex genere eſt laſſitudinum, & faucium rubor & tumor, & jugulorum dolor, corpus excrementoſum eſſe oſtendunt. Quamobrem conſideranda eſt præterita vivendi ratio hominis laborantis, in cibis, in potionibus, in otio, in labore, in animi affectibus, in vigiliis, in ſomno, in corporis excrementis, ſive præter conſuetudinem vel expurgatis, vel retentis, vel etiam ſecundum morem excretis. Quæ omnia ſi corpus excrementoſum eſſe oſtendunt, ſpectandæ ſunt urinæ, certiſſimum quidem indicium eorum excrementorum, quæ intus ſunt in venis. Inſuper habenda eſt ratio temperaturæ præſentis, ſive ſit naturalis, ſive ſit acquiſita, ætatis, habitus, & qualitatis aëris ambientis: quæ una cum urinis indicabunt qualia, & quæ ſint corporis excrementa, num ſcilicet ex genere bilis utriuſque, an ex genere pituitæ. item num tenuia, num vero craſſa, num etiam glutinoſa, an glutinoſitate carentia. Cruda autem eſſe nemo eſt qui ambigat. Non enim morbi promoventur à cocta materia, ſed à cruda. Item num languens per ætatem vigeat, habitu gracili & hirto, aër ambiens num ſit calidus ſiccusque, tempus vero æſtivum. urina ſit abunde flava, pauca, tenuis, & acer valde, nihil continens. Ex his liquet, materiam eſſe bilem flavam, calidam, tenuemque & acrem. Hic nimirum omni ratione, id eſt, per vivendi rationem, & per medicamenta poſtulat ſe refrigerari, & humectari. Verſetur igitur in aëre frigido humidoque, iram, vigilias, & labores vitet, ac ſicut ſingulis diebus cibum capit, ita & communia excernat excrementa, ſtercora, lotiaque. Quod vero natura non fecerit, tu potionibus, & his quæ mandi poſſunt, & ſublutionibus, & glandibus exſtimulato. Cibi frigidi ſunto humidique. panes primum ex triticea farina bene munda cum modico fermento, modice cocti, ſine ſalibus. veſcatur frigidis oleribus, ptiſana hordeacea cum oleo, aceto, & ſale non immodicis. Nam illud quidem, ſi modum exceſſerit, cibis ſupernatat, & nidorulentas eructationes movet. acetum vero, ſi immodicum ſit, ptiſanam aceſcere facit, quod vitium ſibi fere eſt peculiare. ſales autem immodici ſiccant nimis, nimiſque adſtringunt. Veſcatur & ſaxatilibus piſcibus, qui ex infirmo aceto, vel ex uvæ acerbæ ſucco condiantur. Bellaria ſunto lactucæ, caules, capita papaveris albi, intybi, ſemina melonum & coriandrorum, & cucurbitæ, & melones, omnia ex candidiſſimo ſaccharo condita. Vinum album eſto, tenue, & aquoſum, minime vetus. Nunc vero ad medicamenta deſcendamus. In medicamentis ea refrigerant & humectant, de quibus ſupra cum pudendorum & inguinum phlegmones curationem tractabamus: eadem quia etiam bonam alvum faciebant, huic noſtro negotio inſervient, conferentque. Idonea etiam erunt quæ *ex roſis*, quæque *ex violis & ſaccharo* apparantur: Immo & *illa confectio, quam διὰ ῥόδων Græci vocant, nec non ea, quæ à tribus ſantalis nomen eſt adepta*. Interim vero dum per hanc vivendi formam, & per hæc & eis ſimilia corpus & humores immutantur, urinæ ſpectentur diebus ſingulis, quæ cum prius eſſent admodum flavæ, & tenues, & valde acres, nihilque in ſeſe haberent, & paucæ eſſent, nunc ſi majore copia mingantur cum ſubſtantia nonnihil craſſiore, minus acri, colore hebetiore, cum quadam tenui nubecula inæquali, & rubra, hæc ubi primum apparent, indicia profecto ſunt obſcuræ cujuſdam coctionis. Tu igitur nihilominus prædictorum medicamentorum vel ſimilium uſum non deſere, ſed numero dierum & ſyruporum ſpreto, urinas, quæ tibi tandem exactam excrementorum coctionem oſtendent, obſervato. Hæ autem, ubi mediocritatem fuerint aſſequutæ in ſubſtantia, in quantitate, & colore, & nubecula, quæ alias rubra erat, & inæqualis, & tenuis, nunc vero modice craſſa apparet, albaque, & lenis, & æqualis: ſpectato, quo natura tentans excrementorum purgationem, ea ipſa excrementa inclinet, num ſcilicet ad veſicam, num ad os ventriculi vomitum factura, num vero ad alvum, num ad cutem, vel puſtulas, (id quod tamen vix accidere poſſe crediderim, ſi affatim cocta ſunt excrementa,) vel ſudores evocatura. Quicquid autem horum tentet, tu ejus operi inſervito, & opitulator. *Nam undecunque natura repit* &c. Si igitur movet ad veſicam, medicamentis, quæ urinam

nam cieant admiſcetо, ſcilicet *vel eryſimum*, *vel aſarum*, *vel calamum aromaticum*, *vel origanum*, *vel thymum*, *vel pulegium*, *vel thymbram*, vel aliud ex conſimilibus poteſtare. Sin ad os ventriculi, fauces vel digitis vel penna oleo madente ſtimulato, ſit vero *vel nardinum*, *vel cyprinum*, *vel irinum*. Verum ſi ad cutem, tu ipſam rarefacientibus, & detergentibus præparato. porro rarefacies levibus frictionibus ex pingui aliquo, quod tenue ſit, quale eſt *oleum ſabinum*, *chamæmelinum*, & *anethinum*: quibus ſi *mel* addideris, ſimul & rarefacies, & detergebis. adhuc vero magis, ſi addideris *Terebinthinam*, *vel oleum abietinum*. Quod ſi adhuc vehementius detergere & vocare volueris, cum opportunis pulveribus perfricato. *Tales ſunt oſtreorum & buccinarum & purpurarum teſtæ, in tenuem pollinem redactæ*. *Sulphur* vero hac facultate ita excellit, ut cum *vetere oleo*, *vel meile*, *vel terebinthina* ſcabies & lepras, & lichenas non infrequenter ſanet. ejuſcemodi enim affectus abſtergit. materierum autem ipſarum nihil pellit in ima corporis, id quod ex ejuſce generis medicamentis non pauca facere conſuevere. Eadem pollent poteſtate *ſales uſti*, & *nitrum*, & *aphronitrum*, & *ſpuma nitri*. Atqui *alcyonia omnia* detergunt, & excutiunt quidem, aſperitatem enim omnia in ſeſe habent. verum illud, quod aſperum nuncupatur, leve quidem eſt in ſuperficie, aſperum tamen eſt intus, calidiſſimum vero eſt omnium, ut etiam exurere pilos queat. quocirca aliis mitioribus utimur adverſus lepras, & vitiligines, & ſcabies, & lichenas, ſed *aſperum alcyonium* cutem non ſolum detergit, verum etiam abradit, ulceratque. *mileſium vero alcyonium*, quod vermibus perſimile eſt figura, & colore rubens, molle eſt conſiſtentia, & omnium tenuiſſimum. quocirca ipſo uſto cum pingui aliquo, ad cutem detergendam, & ſuperfluitates evocandas uti poſſumus magna ſecuritate. Tu vero pro quantitate & modo ſubſtantiæ humoris evocandi mitioribus & vehementioribus uti potes. Verum interim, dum cutis apparatur, potionibus & medicamentis, quæ manduntur, aliqua ſunt admiſcenda ex his, quæ ſudores movent: cujuſmodi ſunt *cyminum*, *aniſum*, *ſerpillum*, *polium*, *ſiſymbrium*, *coſtus*, *dictamnus*, & quæcunque alia impetu ſui caloris ad cutem pellunt. Quod ſi natura ad alvum movet, tu medicamentis purgatoriis, quæ bilem flavam purgent, opitulator. Sunt vero ex ſimplicibus *coma Abſinthii*, *cujus decoctum & infuſum dantur ab unciis quinque ad octo. pulveris autem ipſius à drachmis duabus ad tres. ſucci vero à drachmis tribus ad quatuor. Item Roſæ*, *quarum ſuccus cum ſaccharo ab uncia una uſque ad duas propinatur. ſyrupus autem factus cum ſucco*, *ab unciis duabus uſque ad quinque*. Item & *Violæ*, *quarum decoctum & infuſum datur ab unciis quatuor ad octo. ſuccus vero ab uncia una uſque ad duas. ſyrupus autem ab unciis duabus uſque ad quatuor. conditum vero ab uncia una & ſemiſſe uſque ad tres*. *Manna* præterea, *quæ datur à drachmis ſex uſque ad quindecim*. Adhuc vero & *Myrobalani lutei*, *qui triti dantur à drachmis duabus uſque ad quinque*, *eorum vero infuſum à drachmis quinque uſque ad viginti*. Sunt præterea & *Tamarindi*, *qui dantur infuſi ab unciis duabus uſque ad quinque*. Quin & *Lactis ſerum*, *quod ab unciis ſex ad libram propinatur*. Hæc vero exiguam vim habent, majorem *Rhabarbaricum*, *cujus infuſum datur à drachmis duabus & ſemiſſe uſque ad decem*, *ejus vero contuſum ab drachma una ad quatuor*. Adhuc vero majorem *Scammoneum*, *quod à granis quinque uſque ad duodecim dari poteſt*. In compoſitis *Electuarium de Pſyllio*. *Electuarium Roſatum Meſues*. *Electuarium Diacydonites*. *Infuſio roſarum*, *quam Syrupum roſatum ſolutivum vocant*, & *Electuarium ſucci roſarum Nicolai*. Habita igitur ratione temperaturæ, & ætatis, & habitus, & morum hominis laborantis, inſuper & qualitatis aëris ambientis, & temporis anni, & ſtatus cœli, nec non humorum quantitatis, adhuc vero & loci, de quo ſunt trahendi, medicamenta tibi ſive ſimplicia, ſive compoſita feligito. Verum ſi exſuperat pituita, cruda eſt illa quidem in morbi initio, ſicut de flava bile dicebamus. Eſt igitur vel aquoſa nimis ſeri inſtar, vel craſſa, vel etiam glutinoſa. Illa calefieri poſtulat, quo inter calefaciendum, reſoluta aquea ſui parte, reſiduum ad ſubſtantiæ mediocritatem reducatur. hæc non calefieri ſolum, verum & detergi, & ſecari, dividique. Calefaciunt, ſicut de refrigerantibus dicebamus, & opportuna vivendi ratio, & medicamenta, ſive manſa ſive epota, ſive appoſita. Statuamus igitur mulierem adoleſcentulam, colore candidam, pinguem, tactu mollem, glabram, otio indulgentem, media hyeme & eadem frigida, evaneſcente abſceſſu vel pudendorum vel inguinum, ſenſiſſe in ſcapulis gravitatem, ſummis humeris, & jugulis indoluiſſe, vixque præ tumore faucium deglutire, & jam cæpiſſe rauceſcere, quis ultro hanc morbo Gallico inquinatam eſſe dubitabit? nemo quidem. His ſignis apparentibus ego ſane ipſam, & morbo Gallico inquinatam, præterea per ſexum, per ætatem, colorem, A pinguitudinem, tactus mollitiem, cutis levitatem, demum per otium, cui indulſit, etiam excrementoſam eſſe conjectabor. Quod ſi præterea mejerit aquoſum, tenue, nihil in ſeſe vel ſedimenti, vel ſuſpenſi, vel nubeculæ continens: jam non ſolum & morbo Gallico inquinatam, & excrementoſam eſſe, ſed etiam oculata fide credidero, in ea ſeroſam exuberare pituitam. ſin urina alba ſit & craſſa, & contineat vel nubeculam, vel rem ſuſpenſam craſſam, obſcuram, vix ſolubilem, opinabor pituitam craſſam & viſcidam exuberare. ambæ, quia crudæ ſunt, coctionem indicant, illa per unicam calefaciendi facultatem, hæc per hanc ipſam, & per facultatem detergendi, ſcilicet per ea, quæ ſuapte natura caliditatem acredini aſſociatam habuere. In ratione victus, ſexus, temperatura, & mores, non calefacientium ſed frigidorum uſum indicant. In morbis enim, quæ conſueta ſunt, qualia ſunt, ſervari poſtulant, ut quæ ſunt per naturam. ſervantur autem omnia per ſui ſimilia, ſicut per ſui contraria ſubmoventur. Quamobrem cum hæc languens per ſexum, & temperaturam, & mores frigida ſit, refrigerationem expoſcit, at per humorem exuberantem, id eſt, per pituitam, & per ætatem, & per qualitatem aëris ambientis, & per anni tempus, & cœli ſtatum, ſe inſigniter calefieri indicabit. Spectet igitur victus ratio ad calidum, ſed tanto minus, quanto eadem indicatio ſexui, temperamento naturali, & moribus languentis adverſatur. Cum igitur paria ſint numero, quæ in victus ratione refrigerationem cum his, quæ calefactionem indicant, mediocritas inter calefaciendum & frigefaciendum ſervanda venit. Quamobrem omnia ad mediocritatem ſpectent. Domus, in qua habitat, cibi, & potus, exercitia, ſomni, animi affectus, nec non & quæ conſueta ſunt ſingulis diebus expurgari, ſcilicet ſtercora, urinæ, & quæcunque per cutem digeruntur: ad hunc enim ſcopum intentus poteris omnia facile per te ipſum reperire. Pariter vero & medicamenta ad temperatam caliditatem ſpectent, videlicet quæ ſorbentur, quæ devorantur, & quæ exterius apponuntur. Nunc vero modicam caliditatem habent *urticæ ſemen*, & *folia*, *anagallides utræque*, *dulces amygdalæ*, *glycyrrhizæ radix*, *oleæ radix*, & *ipſius maturus fructus*, *eryngium*, *cucurbita ſicca*, & *juncus odoratus*, *vulgo ſchenanthum vocant*. Potes horum aliqua, & alia ſimilis facultatis ex aqua coquere, *ſaccharum* decocto addere, adhuc vero & *paſſulas*, & *myxaria*, ut ſimul cum moderata calefactione alvus leniatur, & id languenti mulieri propinare. potes item potionem moderatæ caliditatis ex ſimplicibus contrariarum facultatum, ſcilicet calidarum & frigidarum conficere, cui ſi aliqua addideris, quæ bonam alvum faciant, ſicut *paſſulas*, *glycyrrhizam*, & *palmulas*, nihil ulterius in hujuſcemodi excrementoſo affectu poteris deſiderare. Hac methodo Joannes Meſue *ſuum ſyrupum*, quem *acetoſum diarrhodon* appellavit, & *ſyrupum de hyſſopo* compoſuit, qui in hoc genere excrementorum ſunt peropportuni, ad quorum exemplum poteris alios tibi comparare. In his vero, quæ mandi poſſunt, ex uſu eſſent *conſervæ boraginis*, & *bugloſſi*, *item mel roſatum cum foliis*. Noſtro autem propoſito conveniret, *confectionem*, quæ à roſis *Diarrhodon* appellatur, cum pari portione *aromatici roſati*, commiſcere. Hæc enim juvare poſſunt crudæ pituitæ coctionem, nec poſſunt immodicum calorem excitare. Viſcera vero, quorum vires neceſſariæ ſunt ſuccis concoquendis, hoc eſt ventriculus & jecur, cum moderate calidis, modiceque adſtringentibus foveri poſſunt. hoc eſt *cum abſinthii coma*, & *ficca mentha æquis portionibus*, *addita amborum quantitate ex roſis ſiccis*. *Hæc ſuper tegula ſubignita calefiant*, *atque interim aſpergantur vino tenui*, *odoro*, & *moderate adſtringente*, & *illis ipſis viſceribus apponantur*. Interea dum hæc aguntur, numerum dierum, quibus illis medicamentis uſus fueris, minime computato, id quod faciunt plerique noſtrates medici, & nihilominus apud rudem vulgum ſunt illuſtres: ſed urinas per ſingulos dies contemplator, quæ ubi tandem mediocritatem habuerint, prout decet in exuberantia pituitæ, ſcilicet in modo ſubſtantiæ & in colore, & in his quæ continentur. Purgationis jam quidem inſtat tempus, quamobrem obſervato, quo natura hunc pituitoſum ſuccum expurgatura dirigat, atque inclinet, ſcilicet, ut de bile flava dicebamus, num ad os ventriculi, num ad alvum, num ad veſicam, num vero ad cutem, & ad quancunque harum partium moverit, ipſum juvato, ut ſuperius didicisti. Nunc igitur de vomitu, de cute præparanda, & ſudoribus evocandis, deque cienda urina nihil diſſeremus, cum ſuperius de his ſatis abunde dixerimus. Verum purgationem per alvum non licet ſilentio præterire. quoniam pro ratione purgandi humoris opus eſt medicamenta ſeligere. Purgant enim hæc bilem flavam, hæc pituitam tantum, hæc vero melancholiam, nec deſunt quæ bina humorum genera, quæve omnia ſimul purgent. Trahunt enim pituitam *in myrobalanis*, *Chebuli*, *qui triti dantur à drachmis duabus ad quatuor. eorum vero infuſum à quatuor drachmis uſque*

*que ad decem. Item Emblici, & pariter Bellirici, qui triti exhibentur à drachma una ad tres. infuſum vero eorum ab drachmis tribus ad ſex.* Adhuc *Hyſſopus hortenſis & montanus, quorum decoctio datur à drachmis quinque ad decem. pulvis à duabus drachmis ad quatuor.* & hæc quidem facile. Majore autem vi *Turbith. Is enim in pulverem reductus datur à drachma una ad duas, ejus vero decoctum à drachmis duabus ad quatuor.* Præterea & *Agaricus, cujus pulvis dari poteſt à drachma una ad duas. decoctio à drachmis duabus ad quinque.* Adhuc vero multo majore vi purgat *agreſtis cucurbita, quam Græci κολοκυνθίδα appellant, cujus ſubſtantia datur à caractis ſex uſque ad decem. floris vero ipſius à drachma una ad duas.* Modus vero reliquorum dicetur paulo inferius, cum de purgatione agemus humorum diverſorum. Præterea & *Tithymalus, & elaterium, & granum Gnidium, & Carthami ſemen.* Hæc de medicamentis ſimplicibus quæ ducunt pituitam.

In compoſitis *Picra Galeni ſimplicior* primas habet, quia cum facilitate trahit pituitam, & humiditates crudas in viſceribus attenuat, & detergit & concoquit, immo & reſolvit, flatus item diſcutit, & viſcerum robur auget. Atqui purgat vehementius eundem humorem *Hiera Hermetis, & Archigenis*, inſuper & *medicamentum ex Palmulis* (*διὰ φοινίκων vocant.*) Potes jam per te ipſum ſive ſimplicibus purgatoriis pituitæ uti, ſive ex eiſdem compoſita comparare, ſive uti compoſitis aliorum, modo indicationes ſumas cum ab humoris purgandi modo & ſubſtantia, tum à loco, in quo reſidet, tum vero à viribus, & temperamento, & habitu, & ætate hominis laborantis, item à regione, & aëris qualitate, anni tempore &c. eadem vero tibi etiam modum medicamenti porrigendi, & temporis occaſionem indicabunt. Verum affectus etiam hominis purgandi in purgationibus ipſis juris nonnihil habet. Aliqui enim ita affecti ſunt, ut purgatoriam potionem ſorbere nequeant, pillulas autem facile poſſint deglutire, vel etiam craſſiores bolos. aliqui neque illud, neque hoc faciant, ſed ſolidiora ſaccharo operta mandant, devorentque. Tu ergo taliter affectorum habeto rationem, & pro ipſorum affectu medicamenta componito, ac ſuppeditato. Tempus vero jam eſt, ut de exuberante melancholia diſſeramus. Languens igitur juvenis eſto bene habitus, colore per naturam flavus, modice hirtus, venas habeto latas. arteriarum pulſus per ſanitatem magnos & fortes, modice celeres & frequentes, non molles, non etiam duros: nunc vero parvos, infirmos, ſegnesque, & raros, immo jam etiam nonnihil duros. ſit nunc præter conſuetudinem alvo aſtricta, ſicca admodum dejiciat, & nidorulenta, & nigra, mingat tenuia, pellucida, acria, nihil in ſe habentia vel ſedimenti, vel ſuſpenſi, vel nubis. Hic inquam medio vere, & eodem temperato, ex deliteſcente inguinum, vel pudendorum abſceſſu gravitatem in ſcapulis jam aliquamdiu ſentire cœperit, indoluerit ſummis humeris, jugulis, & ſincipite, tumores duri ſinciput occuparint, hi ita inhæreant, ut calvariæ impacti eſſe videantur. Nos ex deliteſcentia abſceſſus inguinum, & ſcapularum gravitate: ex dolore in ſummis humeris, & jugulis, & ſincipite, & ex tumoribus duris calvariæ hærentibus ac fere impactis, hominem opinabimur Gallico morbo laborare. Verum ex hominis ætate, & habitu, & colore naturali, & temporis anni temperie: ad hæc ex pilorum mediocritate, venarum amplitudine, pulſuum naturalium bonitate, præſentium vero parvitate, imbecillitate, duritie, ac ſegnitie opinabimur non ſolum Gallico morbo laborare, ſed etiam admodum & periculoſo & ſævo. In morbis enim magis periclitantur quicunque naturæ, ætati &c. Atqui ex alvo præter morem adſtricta, ex ſtercoribus ſiccis, tetris, ac nidorulentis. Item ex urinarum tenuitate, perſpicuitate, & contentis, non dubitamus melancholiam exuberare, & eandem per uſtionem à ſui generis mediocritate receſſiſſe. Ad mediocritatem igitur per ſui contraria reduci debet, dehinc purgari. Contraria ſunt humiditas & frigiditas moderatæ; dicimus moderatæ, quoniam hic languens per naturalem temperaturam, ætatem, perque corporis habitum naturalem, nulla eget mutatione, ſed ſui tutela tantum: ſed per humorem uſtum, quo immodice eſt refertus, poſtulat & frigefieri, & humectari: tantum ſcilicet, quantum à mediocritate bilis ſuccus hic declinavit. Hæc vero & per vivendi rationem, & per medicamenta quæri debent. Verum quoniam de his in ea parte, in qua de curatione calidæ præternaturalis intemperaturæ, & in curatione, ſive præſervatione, quæ fit per purgationem bilis flavæ, ſatis loquuti ſumus: nunc opus non eſt ut de victus ratione, vel de medicamentis, quæ bilem uſtam ad bilis mediocritatem revocant, diſſeramus. ſed nunc illud tantum debemus obſervare, ut tanto frigidioribus, & humidioribus victu & medicamentis utamur, quanto bilis uſta, flava bile calidior eſt ſicciorque. Urinæ vero ſæpiſſime contemplandæ. Hæ ubi mediocritatem, prout licet in atræ bilis exceſſu, adeptæ fuerint, in colore, in modo ſubſtantiæ, & in contentis: tunc ſtatim purgationis ineunda ratio, & ſedulo obſervanda eſt naturæ inclinatio ac propenſio. Verum ſi natura ſuccum hunc ſive ad cutem, ſive ad veſicam dirigat, quomodo ſibi ſit opitulandum, ſuperius, quantum negotio expediebat, dictum fuit, nec opus nunc eſt, ut eadem vel ſimilia repetamus. Atqui ſi ſuccum hunc ad os ventriculi moveat, id eſt, ſi vomitionem attentet, tametſi dixerimus quomodo vomitio ſit proritanda, nihilominus huic tanto affectui, & naturæ hominis admodum contumaci, noſtra quidem ſententia, ſatisfactum non eſt. Extremis enim morbis extrema remedia ſunt ex uſu. Quocirca ad *Elleborum* confugiendum eſſe arbitramur. poteſt enim elleborus corpora permutare, temperaturam corrigere, & eandem juniorem & fortiorem reddere. Verum non omnia hominum corpora medicationem per elleborum ferre poſſunt. ſed viri quidem magis quam mulieres, & ex his ipſis quidem, qui per habitum ſunt fortiores. Quamobrem qui effœminati ſunt, & qui admodum ſunt habitu pingues, vel etiam exiles, quique pectore ſunt excarni, & longo collo, puerique, & ſenes, & qui admodum frigido ſunt temperamento, quique bene habent, & ſanguine abundant, & qui difficulter vomunt, tandem vero & qui animo ſunt puſilli, nequeunt citra periculum ellebori uſum ferre. Utendi vero tempus opportunum ver, dehinc autumnus: incommoda ſunt æſtas, & hyems, niſi magna urget neceſſitas. Quocirca ubi urget neceſſitas, per elleborum minore noxa curari poſſunt hyeme, qui admodum calido ſunt temperamento; æſtate vero ſenes. Cœli ſtatus opportunior jucundus, ſerenus, calidusque. Temporis occaſio in morbis, qui intermittunt, eſt ipſa morbi intermiſſio & quies. ubi vero nulla ſit morbi intermiſſio, quævis temporis occaſio admitti poteſt. Atqui in quartanis, & in deſtillationibus ad inteſtina, ipſummet invaſionis tempus. Verum, quoniam in hac ratione medendi per elleborum aliquot incommoda ſolent accidere, ſcilicet vellicationes ventriculi, animi defectus, & convulſiones, aliquibus remediis hoc genus medendi præoccupare eſt opus. Pro ventriculi vellicatione, *aquam calidam, & frigidam* prius parare oportet, & *hyſſopi decoctum, vel mellis, vel rutæ, vel pulegii.* Pro defectione animi, *acetum, poma, panem calidum, vinum, toſtas aviculas.* Pro convulſione, *oleum commune, ſicyonium, ſales, galbanum, caſtoreum, cyprinum oleum, vel narciſſinum, vel irinum, pennas, ſternutatoria, varias cucurbitulas, vehiculum, lecticam cum molli ſtragulo, præterea & clyſterem.* Atqui optimum elleborum noſſe oportet, quo noſtrum opus felix ſit & fauſtum, nec fruſtra laboremus, hominemque inaniter torqueamus. Feſtucas igitur admodum habeto multas, pendentes ab radice una, eaſdem vero diſtentas parvasque, quæ nec radices quidem habeant, nec in acutum definant, caudæ muris inſtar, albus, intus candidior, foris pallidior: niger, parte interna candidus, externa niger. plenus ſit uterque & carnoſus, uterque friabilis, in fractione fumidum quiddam emittant, non pulverem, qui enim pulverem edunt, ſapiunt vetuſtatem. ſit uterque primum inter mandendum dulcis quodammodo, deinde modice acer, poſtremo fervidus, & multam ſalivam proliciat. vere vellantur, radice adhuc prægnante. Hæc de ellebori bonitate. Verum quoniam non omnes, qui elleborum ſunt ſumpturi, ad ipſius purgationem probe ſunt comparati, ſed aliqui ſunt, qui facile quidem vomant, aliqui vero qui difficulter, & illos quidem, antequam ad elleborum ducantur, præparare oportet, ob id advertendum, quod hi duplici ratione præparantur, una per humectationem ſolidarum corporis partium, alia per vomitoria elleboro mitiora. Humectantur ſolidæ partes dupliciter, ſcilicet ſi pluri cibo, & quiete præoccupent ellebori potionem. Juxta illud. Ad elleboros, qui non facile ſupra purgantur, &c. Qui igitur difficulter vomunt, & elleborum ſunt ſumpturi, per aliquot dies otio indulgeant, ne alimenta, quibus ſolidæ partes humectari debent, per corporis motus liqueſcant, in halitum digerantur & evaneſcant. Interim veſcantur pluri cibo, & omnis medicamentoſæ qualitatis, acerbæ, acris, ſalſuginoſæ, denique & amaræ experte, deinceps mitioribus medicamentis vomitus proritetur. Sunto igitur medicamenta non acerba, non ſicca, ſed vel dulcia potius, vel acria. In his enim primas habent *raphanus, eruca, & vetus ſalſamentum.* In illis autem *piſana cum melle, carnes pingues, & dulces amygdalæ, & ſemina cucumeris, & peponum melle macerata.* In his vero, quæ elixantur, non juſcula ſolum ſorbere oportet, ſed totam ipſam molem & ſorbere & manducare, neque in mandendo diutius immorari, ad hunc enim modum minus in ventriculo conficiuntur, & facilius evomuntur. Vina ſunto dulcia, & actu tepida, quæ enim talia ſunt, in ventriculo fluitant, & ſumma petunt. Verum & hoc optimum fuerit vomitu proliciendo. *ſumito enim decocti raphani & aquæ, in qua caricæ fuerint macerate, pares por-*

tio-

*tiones, hæc tepida, non exigua quantitate, potanda pœrrigito jejuno homini, & evomat ante cibum*, & ut evomere facilius à cibo possit. esto vero raphanus acer valde. *Hunc item in tenuia frusta secare potes, deinde integram noctem in aceto, & melle macerare, postmodum multum ipsius devorare, & per exigua temporis intervalla nonnihil ejus aceti mulsi superforbere: deinceps duas horas leniter inambulare, postremo multa tepida aqua epota digitis vel penna oleo intincta vomitum proritare.* Ubi vero per hæc ventriculum vomitionibus assueferis, tandem tres dies saltem à carnibus abstineto, nec non ab aliis edulibus & potibus, quibus gignitur crassus succus. Hæc vero de præparatione ad elleborum. Nunc de differentiis exhibendi agendum. Modus autem simplicior præbendi elleborum, qui potius apparatus ad elleborum dici debet, quam modus ellebori exhibendi, est hujusmodi. *Sumuntur raphani, & stimulis arundineis punguntur, postea optimi ellebori festucæ foraminibus illis infiguntur, in quibus ubi integram noctem manserint, festucis amotis, raphanus in frusta secatur, & ex aceto mulso devoratur*, dehinc languens ad duas horas vomitum proritet sive digitis sive penna. atqui observandum est, ne qua ellebori frustula in raphano relinquantur. *Sunto autem ellebori festucæ à drachmis duabus ad sex pro virium languentis ratione, & corporis apparatu.* Supersunt tres alii modi præbendi elleborum. sunt enim qui infusum ejus propinant, sunt qui decoctum, sunt vero etiam qui substantiam ipsius præbent, & horum aliqui forticibus sectum, aliqui vero contusum & cribratum. Qui in tenues partes sectus porrigitur, cito purgare incipit, ut in summa post horas binas, & citra multam vellicationem purgat utramque bilem & pituitam: & ipse quidem in spatio quatuor aut quinque horarum, vomitione una cum humoribus expurgatus, finem purgationi imponit. Qui vero contusus & cribratus in tenuem pollinem est versus, tarde admodum opus purgandi invadit, ut sæpe etiam ultra quatuor, vel etiam quinque horas auspicetur. Ducit & is omne genus bilis & pituitæ, & periculum convulsionis affert, nec non immodicæ purgationis: at multo majore utilitate purgationem in longum profert. Datur infusum ellebori senibus & pueris, & his qui fluido sunt habitu, & qui morbo non admodum difficili detinentur. Oportet autem ellebori drachmas quinque ex aquæ pluvialis hemina media irrigare, sinere per tres dies, dehinc colare: ubi colaveris, & calefeceris, totum propinare: semper tamen animadvertere, ut modus infusi proportione respondeat viribus ægrotantis, & quantitati, & substantiæ humoris expurgandi. Decoctum vero datur & illis, & robustioribus, quam sint illi. apparatur autem in hunc modum. *Sumuntur ellebori optimi unciæ binæ, aquæ pluvialis hemina, in ea quinque dies maceratur. dehinc coquitur in mitioribus prunis ad tertiam aquæ partem, postea elleborus inter colandum extrimitur, decocto æqua pars despumati mellis adjicitur, postmodum ad mellis crassitudinem coquitur. datur forbendum sub magni cochlearis mensura, vel ad summum cochlearium duum.* potest & cum aqua calida, & cum alia forbitione permisceri. Æger vero prius vomitionibus assueverit, sicut superius dictum fuit, jejunus sit, præassumptos cibos probe coxerit, alvi excrementa sive sponte, sive per infusum clysterem dejecerit. Propinatus in hunc modum, neque convulsiones, neque contractiones, neque immodicam purgationem facit, efficitque ut medicus, & languens de ulteriori irritatione mediteutur: ut is sectum etiam porrigere, hic sumere non diffidat. Sectus autem elleborus, & his, qui majore auxiliorum momento, majoreque superfluitatum excussione, quam superiores opus habent, fortioribusque & audacioribus, & his qui facilius vomunt, dandus. At contusus & tenuissimo cribro excussus, adhuc iltis ipsis vel audacioribus, vel qui plus ejuscegeneris medicationi assuevere, est porrigendus. Sectus apparatur in hunc modum. *Sumuntur festucarum optimi ellebori drachmæ binæ, vel ad summum binæ cum dimidia, forticibus secantur in frustula sesami magnitudine, quod pulverulentum est, ex linteo excutitur, ne languens suffocari periclitetur, nimis enim efficax. dehinc fragmenta tenuia detrahantur, suffocationem enim & hæc ipsa afferre possunt. residuum ubi in succum vel ptisanæ, vel alicæ coxeris, edendum porrigito.* postmodum ne quid ellebori vel in faucibus, vel in gula relinquatur, aliquid vel mulsæ aquæ, vel puræ exhibeto. Ea vero pars secti ellebori, quæ substantiam habet farinæ crassioris, ubi in mortario contusa fuerit, ponderedrachmæ unius & duorum obolorum ad summum, cribrata tenuissimo cribro, & parte ejus tenuissima detracta, datur ex alica, scilicet id quod est in ipsa solidius, pleniusque. Quod vero tenue est, iterum contundimus, & diligenter cribramus: dehinc ex melle præcocto & solidissimo in pillulas reformamus, & deglutiendas porrigimus.

Mos vero est antiquorum his, qui à potione hujus medicamenti facile purgantur, aquam frigidam forbendam dare, dehinc jubere ut olfaciant, ad virium consolationem, odorata. dormiant, vel decumbant, vel statim duabus horis per quietem otientur, ne citius quam decet medicamentum evomatur, post hæc autem, ut moveantur jubere. Vomituri primo caliditatem excipiunt in ventriculi ore, atque in gargareone, ipsis deinde os saliva perhumescit: postea vero evomunt cibi aliquid & medicamenti una cum pituita, posthæc pituitam & bilem, atque aliquid medicamenti, deinceps bilem puram, sæpe vero & venter subducitur, singultiunt autem leviter, & si tolerabiliior sit purgatio, & facies perrubescit. Quod si purgatio faciliter cedit, facies probe coloratur, & singultus cessat. Verum enimvero si in media purgatione singultiunt, tu *mulsam, vel rutæ decoctum, vel aquam tepidam* propinato. purgatione expleta, lavator, cibum præterea sumito. Quod si purgatio in longum proferatur, *mulsam calidam ruta incocta* forbendam dato, vel aquam oleo mixtam ὑδέλαιον Græci vocant, dehinc penna *oleo* intincta vel *cyprino*, vel *irino*, vomitionem proritato, & recumbens in pensili lectica dimovetor. Quod si magna cum perturbatione suffocationis metus instet, *infusionis ellebori* cyathos tres propinato, quam etiam paratam habere oportet. sua enim qualitate purgationi opitulatur. Verum si neque hac potione suffocationis periculum amovetur, acerrimo clystere vacuato. Dato vero & ipsis *Galbani* obolos tres, non ad vomitionem excitandam, sed ad periculum suffocationis amovendum. Interim dum in pensili lectica nullo non tempore dimovetur, & dum penna vomitionem proritare non desinit, forti sternutatorio etiam uti præcipito. Mitescit autem singultus purgatione accedente, sicuti dictum fuit. Atqui si adhuc vehemens esse perseveret, sternutatoriis instato, & cucurbitulis utitor secundum totam spinam, ac præsertim secundum magnas vertebras transversi septi. Nam cucurbitulæ immorantes os ventriculi ab singultu contractum, & quasi obliquatum dirigunt non infrequenter. Præterea partes extremas corporis vincito, contrectato, & in frigidam aquam demittito.

Verum quoniam ex purgatione per elleborum sæpe accidit, ut crura & manus contrahantur, sunt hi quidem leniendi multa pinguitudine, multa insuper palpatione, fricatione, & fotu non partium extremarum tantum, verum etiam & musculorum, qui sunt in suris. Illinantur igitur oleo dulci, vel sicyonio, vel aliquo ex medicamentis, quæ lassitudines sedant, ἄκεστα Græci appellant. Adjiciatur illitionibus *castoreum*, & potandum porrigatur. Juvat vero ipsos balneum in primis, si ipsius facultas suppetat: sin minus, solium. Totum igitur corpus, ac præsertim contractæ partes multo oleo dulci inungantur, aqua esto bene temperata, ut in ea diutius immorari possit, sic enim convulsiones sedabuntur, tuncque statim panem in diluto vino maceratum languenti porrigito, vel immixto ex succo uvæ acerbæ & melle, ὑμφακόμελι vocant, exhibeto, scilicet si vehementer sit purgatus. Quod si à cibo calorem in ore ventriculi persentiscat, ὑμφακίμελι calida aqua temperatum ægroto potandum porrigito: dehinc vero secundo, si opus fuerit, ex aqua frigida temperatum. exinde vero alimenta sunto boni succi, vina vero & tenuia & vetera. Hæc vero de præparatione ellebori, & de modis exhibendi satis sunto. superest nunc ut exponamus, quibus in morbis sit ex usu, quibus vero minime.

Elleborus igitur in diuturnis morbis, & vehementibus est ex usu, & his qui ab aliis medicamentis nihil opis susceepere, scilicet laborantibus aqua inter cutem, elephantiasi, male habitis, jamdiu resolutis, comitialibus. & melancholicis morbis, & arthriticis, & podagricis. Sed longum esset omnes morbos, quibus elleborus prodest, enarrare, nec præ copia quis facile id præstare posset. At non minori utilitate morbi, quibus elleborus nocere posset, torent recensendi. In his sunt sanguinis rejectatio, spiritus difficultas cum suffocationis metu, suspecta oculorum suffusio, affectus, qui ad caput tantum spectant: & horum maxime, qui per temporum interstitia cum faciei rubore violentos dolores ferunt, præterea & suffocationes uterinæ, & frequentes animi defectiones, & vasorum distentiones.

Jam de purgatione bilis atræ per vomitum satis à nobis dictum nunc est. superest modo ut de purgatione per alvum ejuscemodi humoris differamus. Quamobrem si natura hunc humorem præcoctum ad alvum dirigat, ipsam juvare oportet purgatoriis medicamentis, & eisdem opportunis. Sunt vero opportuna, quæcunque atram bilem respiciunt, & ejus quantitatem, & locum unde promovetur, insuper ægrotantis vires, ætatem, habitum &c. Multa vero sunt cum simplicia tum composita medicamenta, quæ bilem atram purgant. In simplicibus *myrobalani Indi, tragolactis serum, fumaria, sive fumus terræ, pulegium, origanum, parthenium, alyssonque.* Hæc vero imbecilliora & mitiora. Vehementiora autem *polypodium*, trahit enim &

& pituitam. *lapis Armenius, folia & folliculi ſennæ.* ſed folia ſunt efficaciora folliculis, dicat Joannes Meſue quicquid velit, experientia contrarium probat. Experientia vero & ipſa docet, quod præter atram bilem trahat ſecundo pituitam, gravem illam quidem, & nonnihil acrem, ut inde pondera ſentiantur in imo ventre, & excitet teneſinum, id eſt, inanem cupiditatem egerendi. Hæc de ſimplicibus medicamentis, quæ atram bilem ducunt. Qua vero arte ex ſimplicibus purgatoriis medicamentis compoſita conficiantur, paulo inferius oſtendemus, quando de exuberantia diverſorum humorum diſſeremus. Nunc compoſita, quæ atram bilem purgant, explicemus. In his ſunt *utræque confectiones hamech, pillulæ Indæ, pillulæ de lapide lazuli, pillulæ de lapide Armeno.* Tu vero ſumpta indicatione ab humoris & ſubſtantia & quantitate, & à loco unde purgari debet, & à languentis viribus, ætate &c. quæ tibi medicamenti præſcribunt quantitatem, utitor vel ſimplicibus, vel compoſitis prout lubet. huic enim arti innitens, errores & infamiam apud doctos declinabis, & conſcientia rei bene ac feliciter geſtæ ex animo jubilabis.

Verum ſi non unum tantum humorum genus exuberat, ſed vel duo, vel ſimul omnia, ſcilicet, vel bilis flava cum pituita, vel eadem cum bile atra, vel cum atra bile pituita, vel hi humores omnes ſimul: tunc vel uno ſimplici purgatorio medicamento, quod ſingulis humoribus reſpondeat, uti oportet, vel in unum ſimul diverſa commiſcere.

In his autem, quæ diverſos humores purgant, ſunt *Peplus*, quem pharmacopolæ *Eſulam rotundam* vocant, & *Peplion*, ambo autem quoniam paribus facultatibus conſtant, ſimul recenſentur. *Num eorum ſemina, & aliquando una cum germinibus ſiccata in umbra, contuſaque & cribrata, pondere ſcrupulorum quatuor data ex aqua mulſa, & ſuper abſorpta pauxilla quantitate aceti*, poſt flavam bilem, bilem atram & pituitam ducunt, & diſrumpunt flatus: quo fit ut affectibus flatuoſis proſint, qui initia ſunt melancholiæ. Proſunt etiam diuturnis inflammationibus lienis, uteri, & coli, & mollibus tumoribus imi ventris.

*Polypodium* atram bilem, & pituitam purgat. *datur radix ejus pondere ſcrupulorum ſeptem, vel minus, prout vires ferunt.* Verum in diluta aqua mulſa prius macerari oportet. poteſt & ſuper ſalſamentis abraſa ante prandium manducari. Purgat vero mediocriter, & citra læſionem vel in juſculo gallinæ vel in ptitana elixata.

*Lapis Armenus* atram bilem, & omnia quæ craſſa & glutinoſa ſanguini commiſcentur, purgat. quamobrem datur pondere ſcrupulorum quatuor, vel plus vel minus pro virium modo, melancholicis & elephanticis, & ſimilibus.

*Centaurium minus* craſſiſſimam bilem & mucores purgat. quocirca potandum datur decoctum ipſius coxendicis, & lienoſis, ſunto autem centaurii ſcrupuli ſeptem, aquæ hemina. Coquitur vero ad dimidium.

*Colocynthis* pituitam, & bilem, & mucores purgat. quare optimum medicamentum eſt omnibus morbis, qui difficulter excutiuntur, & qui quodammodo ſunt ſcirrhoſi. *Datur interioris partis ipſius quantitas nuum ſcrupulorum ex aquæ mulſæ cyathis duobus:* imbecillioribus autem quantitas unius tantum. Verum eligenda eſt, quæ candida eſt & mollis: ſicca enim & nigricans, mala. atqui contunditor & lævigator diligenter; ſæpius vero cribrator. ipſa vero, cum uti volueris, in mortario omni cum diligentia ex aqua mulſa levigator. Accidit enim ut, ubi contuſa fuerit, antequam irrigetur, tenuiſſima eſſe videatur, cum vero in mulſa maduerit, intumeat valde, adeo ut, qui eam viderit, non ſatis fuiſſe cribratam ſuſpicetur: quod ſi forte acciderit, hærent partes illæ, quæ non probe ex mulſa fuerint lævigatæ, ventri aliquando, aliquando ori ipſius, ſed maxime quidem involutionibus inteſtinorum: quo fit, ut per ſui acredinem & mordacem qualitatem ulcerent inteſtina, & inferant nerveas paſſiones, ſcilicet tormina & contractiones. Quamobrem opus eſt ipſam ſummam cum attentione ex mulſa aqua lævigare. Verum ſi mitius purgare volueris, *magnam colocynthida aperito. ubi aperta fuerit, quicquid ſeminum eſt, detrahito. dehinc repoſita in ipſa ſine ſeminibus lanuginoſa parte, ipſam impleto vel paſſo, vel vetere & dulci vino, ſicque ſinito diem & noctem irrigari. poſthæc vinum linteo percolatum, & calefactum, bibendum dato.* optime enim arquatos purgat, nec non eos, qui per ſumma corporis puſtulas habent lividas, & eminentes.

*Tithymalus omnis* pituitam & bilem trahit, *dantur vero ipſius ramuſculi virides, immo & pauxillum in teſtaceo aliquo torrefacti, dehinc levigati, & ad eum modum pondere ſcrupulorum quatuor triumve in aqua cum farina commiſcentur & potantur.* ſiccati enim ſunt infirmiores, Tu vero *radicem ejus tithymali, quæ Characias nuncupatur, ubi in umbra ſiccaveris, cum uſus poſtulat, detractum corticem contuſum & cribratum pondere ſcrupulorum quatuor, in vino dulci & vetere integram diem & noctem maceratum, linteo percolato, poſtea nonnihil calefacto, & propinato*, purgat enim id optime: ut ſint, qui ipſo in omnibus, ut arcano remedio, utantur. Verum & *Tithymali*, qui juxta aquam & in humidis locis, & ſylvoſis producitur, *liquor* probe, & ſine noxa purgat, ſcilicet, *ſi farina vel ſicco pane lævigato excipiatur, deturque ad magnitudinem nucis avellanæ.* Ejus vero liquoris guttæ quatuor quinque ve dantur ab aliquibus vel caricis vel farina exceptæ. Atqui epotus linguam, & vicinas partes vehementer exulcerat, & ventriculum incendit.

*Elaterium* bilem & pituitam purgat. *datur obolis tribus cum hemina media lactis nuper mulcti.*

*Granum Cnidium* purgat humores aqueos, & ſeroſos, purgat vero etiam moderate bilem, & pituitam. habet autem qualitatem igneam, & peracutam. *Datur pars interna granorum triginta, ubi eam cum farina contuſeris, & cum vino conſuſeris.* Verum ſi levius purgare volueris, *dato grana, vel viginti, vel quindecim.* A potione parum *olei roſacei* ſuperforbeto, ſcilicet ne fauces exurantur. at præſtiterit *levigata ex melle cocto in pillulas conformare.*

*Agaricus* purgat pituitam & bilem, at non acriter. *Dantur hujus drachmæ binæ cum aqua mulſa vel aceto mulſo.* & ori ventriculi per levitatem, cujus gratia innatat, officit.

*Thymus* pituitam & bilem abunde, & ſine noxa purgat. *Contunduntur corymbi ipſius, & cribrantur, danturque pondere drachmarum quatuor triumve cum modico ſale & poſca.*

*Rapum terræ* κυκλάμινος vocant Græci, *admodum probe contuſum & lævigatum pondere à grauis quindecim ad mediam drachmam cum poſca propinatur. ſucci vero ejus à grauis quindecim ad ſcrupulos quatuor. decocti vero radicis ab uncia una ad quatuor.* Purgat id pituitam & bilem, & ſudorem movet. Ejus autem proliciendi cum inſtat neceſſitas, medicamento epoto languens in operis naturæ auxilium decumbat, cooperiatur & foveatur.

Medicamenta ſimplicia recenſuimus, quæ ſigillatim privatos ac peculiares humores purgare poſſunt, & adjecimus menſuram aut pondus, quibus ſingula porriguntur, ut inde ſumpto initio, methodum, id eſt viam & rationem apponamus, qua plura ſimul citra languentis læſionem poſſimus commiſcere. Ad hæc vero miſcenda compellimur, cum non unam humoris ſpeciem, ſed plures ſimul purgare oportet. nec ſuppetit medicamentum ſimplex, per quod id commode & citra noxam exſequi valeamus. tunc enim miſcemus vel duo ſimul, vel tria, vel etiam plura pro varietate humorum, qui purgari debent. Eſt & alia miſcendorum medicamentorum neceſſitas ejuſmodi. Habent fere omnia medicamenta purgatoria inſignem aliquam qualitatem, per quam vel guſtandi ſenſum, vel tangendi, vel odorandi lædant. Harum vero ſingulis contraria admiſcere oportet, quo inſectæ illæ qualitates vel de medio tollantur, vel minuantur, vel ſaltem fiant mitiores. Si quis igitur duos humores ſimul purgare velit, duo ſimplicia purgatoria medicamenta ſeligat, quorum alterutrum alterutri humori ex adverſo reſpondeat. eſto vero quantitas utriuſque medietas vel ponderis vel menſuræ, ſub quibus utrunque ſeorſim exhibebatur: ſin tria ſint miſcenda, tertia pars ejus, quod ſeorſim exhibebatur, admiſcetor: ſin quatuor, quarta pars ſingulorum: & hoc quidem, cum ſinguli humores æquo modo & exuberant, & egent purgatione. Ubi vero eorum aliquis cæteros quantitate excellit, ſui medicamenti quantitas, cæterorum ac ſingulorum quantitatem ad proportionem opus eſt ut excellat. Dehinc olidis & grave olentibus per ſuavia & odorata, amaris per dulcia, acribus per glutinoſa, (emplaſtica vocant) ſaltis per inſulſa, acerbis per matura, aſtringentibus per laxantia, laxantibus per aſtringentia repugnato. Ad hunc igitur modum ex ſimplicibus purgatoriis medicamentis compoſita, prout uſus, & temporis occaſio poſtulabunt, apparato. Hæc de excrementorum purgatione ſatis ſunto.

Atqui ſolent vitiati humores poſt purgationem pro ſua ipſorum natura pravas aliquas intemperies relinquere ſive in corpore univerſo, ſive in præcipuis ipſius partibus, membriſve: quæ niſi per contraria amoveantur, de integro conſimiles humores, vel etiam deteriores generabunt, congerentque. Harum igitur ſingulas, ſingulis contrariis corrigere atque fugare oportet: calidas frigidis, frigidas calidis, humidis ſiccas, ſiccis humidas, & compoſitis compoſitas opponendo. At quo uſque immutare oportet, naturalis temperatura, ſi adhuc manet, indicabit. ſin abiit naturalis, & alia ex conſuetudine vivendi in ipſius locum ſubiit, hæc pariter atque illa in morbis ſe tueri, atque ſervari oſtendet, cupietque.

Verum dicebamus ſupra fieri aliquando, ut ex præter-

na-

naturalibus imtemperaturis una in aliam mutaretur, calida in frigidam, frigida in humidam, humida in ſiccam. ſtatuamus igitur calidam intemperaturam, (quam initium morbi hujus eſſe dicebamus, per improbam curationem tractu temporis, digerendis ſcilicet ſanguine & ſpiritibus, in frigidam degeneraſſe, hanc vero cruditatibus cumulandis, humidam, ſecum aſſociaſſe, ut jam non frigida ſit ſolum, ſed frigida ſimul, humidaque. corpus, quantum per humores congruebat, purgatum eſſe, ſcilicet vel per urinas, vel ſudorem, vel alvi purgationem, vel vomitionem, etiam per elleborum, ſi opus fuerit. demum adhuc frigidam & humidam intemperaturam in ſimilaribus ac ſimplicibus partibus una cum improba qualitate Gallici morbi derelictam eſſe. quod remedium quæſo ad hunc modum præparatum magis conducibile quam decoctum Indici ligni poterit reperiri? nullum fere mea ſententia. Indicum enim lignum calefaciendi & ſiccandi vires habet. Hæc ſenſus indicant. Siquidem decoctum ipſius ore retentum, os, & fauces calefacit. gargarizatum in primis per acredinem ſalivam prolicit, dehinc abſumit, ut etiam affectui gulæ, quem Græci σιαλισμὸν vocant, opem ferat. ſubſcribunt ſapor amarus & acer, & odor non obſcurus. Lignum hoc reſinam exſudat, cujus gratia remollit, maturat, digeritque. ut inde quidem, pro corporum præparatione, & naturæ propenſione, aliquando alvum lenire poſſit, aliquando urinam, ſudorem vero aliquando moveat, cieatve. Nutrire autem ſenſibiliter poſſe haud crediderim, tametſi medici quidam non contemnendi id affirment. Quid enim Indicum lignum habet dulcedinis, quæ communis eſt omnium, quæ nutrire poſſunt? ſine qua nihil nutrit, quicquid enim nutrit, dulce eſt plus, minuſve. Quod ſi quis dicat Indicum lignum particeps eſſe dulcedinis, & ad proportionem ipſius nutrire poſſe, nos ſtatim linguam, quæ eſt guſtus inſtrumentum, appellabimus. Habet enim poteſtatem, quæ ſimilia ſunt, quæque diſſimilia ſunt, diſcernendi: ut inde naturas rerum cognoſcens, quæ familiaria ſunt eligat, aliena vero reſpuat. Mirabor ſi unum ex millibus per integram & inculpatam ſanitatem quis invenerit, qui guſtato Indici ligni decocto meraco, & lincero, ſe dulcedinem qualemcunque perſentire affirmet. Hæc de viribus ipſius. nunc de ejus bonitate.

Habet lignum Indicum ſuam bonitatem maxime ab ætate. Ætatem autem indicant gravitas, color, denſitas, odor, & ſapor. Demus igitur Indicæ arbori ab ſua radice exciſæ, ſicut & cæteris lignis, humiditates quatuor. Unam crudam & aqueam temere per ipſam fluitantem, quam nuper exciſa aliquandiu habet, ſervatque. Alteram coctam, & per ſuum ipſius corpus ſingulis partibus diſtributam, & fere ſubſtantiæ arboris aſſimilatam, atque unitam. Habet tertiam, quæ ſubſtantifica pars eſt ipſius plantæ, cæteris partibus aſſimilatam jam, atque unitam. Habet & quartam, quæ arboris partes mutuo continuat, & continuatas ſervat. Prima humiditas ea eſt, quam nuperrime terra per arboris radices eſt impartita. Secunda ea eſt, quam ſingulæ arboris partes pro ſimilitudine, & convenientia, quam ſecum habent, maxime traxere ad ſeſe, coxere, & ad ſui ſimilitudinem fere permutavere, ſibique appoſuere. Tertia illa eſt, quæ nuper trahebatur, coquebatur, permutabatur & ſingulis partibus arboris apponebatur. jam vero eſt tracta, concocta, ad ſimilitudinem earum partium permutata, quibus antea apponebatur, & nunc quidem ſubſtantifica, & propria & naturalis eſt plantæ humiditas. Quarta vero, illa eſt humiditas, quæ ligni partes mutuo continuat: & continuatas tandiu ſervat, quandiu lignum eſt lignum. Nunc vero ad proportionem harum humiditatum, demus Indico ligno ætates. Ætatem quidem puerilem, quoad ſuæ radici hæret, & ab ea cibum capit. Adoleſcentiam, ligno nuper à ſuo trunco exciſo, in qua tandiu verſetur, quam diu viride eſt, & humiditatem illam ſervat crudam aqueamve. hæc quidem illa eſt humiditas, quam viride lignum igni appoſitum ea parte, qua exciſum vel ſectum vel fractum eſt, multo cum ſtrepitu ac ſtridore emittit evomitque. Juventutem demus ligno, quando, abſumpta aquea humiditate, retinet coctam illam humiditatem, quæ fere eſt ſubſtantiæ ligni aſſimilata, atque unita. Virilem ætatem, ſive conſiſtentem, ſive ætatis vigorem (liceat enim illam appellare prout cuique placet) demus ligno, quando abſumpta jam humiditate illa cocta, & fere aſſimilata, atque unita, ſuam ſubſtantificam humiditatem integram & illæſam ſervat. Demus vero ſenectam, quando abſumpta pene ſubſtantifica humiditate, lignum evanidum, & carioſum eſſe incipit. Ætatem vero decrepitam, quando jam temporis diuturnitate in pulverem redigitur, & jam prope eſt, ut deſinat eſſe lignum.

Indicum igitur lignum optimum eſt, & tamdiu eſſe perſeverat, quamdiu per ætatem viget, florem id ætatis vocant. tunc enim maxime denſum, maximeque ponderoſum eſt, ut lignum ex ſui ipſius ſubſtantia, non ex aliena humiditate eſſe poteſt. tuncque maxime eſt per ſaporem acre, maximeque ſubamarum. amaror enim, qui antea per acerbitatem vigebat, nunc miteſcit coctione, acredo autem exacuitur & invaleſcit. nam caliditas, quæ antea ſub humiditatibus obſcura erat, nunc prioribus illis duabus abſumptis detecta, ligni acredinem auget, minuit amarorem, & pinguitudinem ad ligni ſuperficiem pellit, & in reſinam cogit: ut etiam nunc magis reſinoſum eſſe videatur, & ſit, & eandem ob cauſam magis ſit odorum luteumque. Bonum vero eſt, quod in ætate eſt juventutis, nonnihil tamen infirmatum ſub humiditate, quæ nondum ſuum finem & complementum eſt adepta. Nec caret bonitate, quod in ætate eſt adoleſcentiæ, ſed ſuperioribus tamen per aqueam, & crudam humiditatem infirmus, à qua fere obruitur & ſuffocatur. His omnibus adhuc infirmius, quod puerilem ætatem agit, id eſt, quod ſuæ radici adhuc hærens alimentum veluti lac infantium inſtar, de terra ſugit. id enim humidiſſimum, & ea ratione infirmiſſimum, non ſecus atque infantes per ætatis humiditatem ſenſibus & ratione omnium infirmiſſimi ſunt, omniumque quarumcunque ætatum ſtupidiſſimi. Quod vero per lenilem ætatem jam exoleſcit, & in cariem verti cœpit, non ſolum vires infirmas, ſed etiam plane à ſui natura abalienatas habere cœpit, ut pariter quodam modo & officere & prodeſſe poſſit. Illud autem, quod jam ad ultimam pervenit ſenectutem, ut jam prorſus ſit carioſum, nec ſuarum partium continuitatem ſervet, nihil commune cum Indico ligno habet. Quamobrem juvare quidem nequit, officere autem poteſt. Hæc de Indici ligni bonitate. Nunc vero videre oportet, quibus medicatio per Indicum lignum ſit ex uſu, quibus autem non.

Ex natura & viribus ejus, quibus profit, quibus vero non profit, facile cuivis patere poteſt. Habet enim à natura, hoc eſt à Deo optimo maximo, quod morbo, quem Gallicum Itali vocant, adverſetur. Hoc enim per experientiam nemo fere eſt medicus, qui non credat & affirmet. Cujus vero qualitatis ratione, nemo non ignorat. omnes enim fatentur morbo huic per qualitatem adverſari occultam, atque innominatam, id quod nos etiam authoritati univerſitatis medicorum aſſentientes, confirmamus. In univerſum igitur omnibus hoc genere morbi laborantibus ex uſu eſſe debet, modo aliquid momentaneum non repugnet. Cum vero vires habeat calefaciendi & ſiccandi, item remolliendi, maturandi, & in halitum digerendi, liquido patet, quod omnibus per frigidam & humidam intemperaturam male habentibus uſum præſtet. Adhuc vero & illis, qui alicubi in corpore humores frigidos, & eoſdem crudos & concretos habent. Quamobrem præter Gallicum morbum, prodeſſe poterit malo habitui, κακοξυΐᾳ vocant, nervorum reſolutioni, convulſioni, paralyſi, podagræ, arthritidi, coxendicis ſtupori, aliquando vero & menſium retentioni, & præfocationibus uterinis, adhuc autem & ſatietati, & σιαλισμῷ, id eſt ſuperabundanti ſalivæ, & inteſtinorum levitati. In univerſum vero frigidis omnibus morbis & humidis, ſive cum materia, ſive ſecus, conferre utilitatem poteſt. Hæc de uſu medicationis per Indicum lignum. Jam vero de his diſſeramus, qui ad hoc genus medicamenti probe ſunt comparati.

Nemo eſt qui per naturalem temperaturam, ſexum, corporis habitum naturalem, & ætatem, hoc genus medicationis ferre nequeat: modo vires ſuppetant, & medicum doctum, & natura prudentem ſit ſortitus. Quid enim prohibet, quin puerum tenellum, aut delicatiorem fœmellam, aut ſenem decrepitum hoc genere medicamenti curare experiamur? An non poſſumus vivendi rationem, & medicamenti apparatum languentis temperaturæ naturali, ſexui, corporis habitui naturali, & ætati, & viribus accommodare? Jam vero de præparatione medicamenti agendum.

Indicum lignum infundi poteſt, poteſt & coqui, poteſt & in pulverem redactum devorari. Verum in quovis liquore, prout ratio poſtulat, infundi & coqui poteſt, in ſimplici aqua, in medicamentoſa, in vino, in poſca, in lactis ſero, & in ſumma in liquore quovis, qui operi & ſcopo medici faveat, atque opituletur. Liquor igitur eligendus erit pro indicatione propenſionis naturæ, & ſingularum partium affectu, ſive principalium, ſive principalibus inſervientium. Ubi enim natura nihil moveat, nec viſcus aliquod momentaneum aliquo præternaturali tumore ſit affectum, ac præſertim lien, Indici ligni infuſio & decoctum in aqua fiat ſimplici & pura. Ubi vero natura ſuperfluitates moveat aliquorſum, ſi opportuna ſit regio, tu pariter eo vim medicamenti, idoneo ad id liquore, ex quo infuſum vel decoctum ſis facturus, dirigito. Ad eundem modum ſi viſcus aliquod inflammationem ſubierit, à vino abſtineto: ſin tumorem durum, aquam declinato, tuncque de poſca deliberato, maxime vero ſi lien præduro tumore ſit affectus. Quo circa ſi natura ad veſicam movet, *aqua polytrichi*, *vel apii*, *vel adian-*

*dianti uti potes*: ſin ad alvum, *Lactis ſerum* fuerit opportunum, *caprinumque* in primis. Neque alienum fuerit aliquando aqua aliqua uti ex ſponte naſcentibus, calidisque, præſertim vero ubi Gallico morbo ſocietur lienis tumor. Liquores igitur eligendi, qui naturæ inclinationi reſpondeant, & vilcerum affectibus adverſentur, Quavero quantitatum proportione lignum cum liquoribus miſceatur, nunc dicendum.

Sciendum tamen ſingulorum quantitatem nec ſciri nec ſcribi poſſe, ſed oportere ipſam ex naturali temperatura laborantis conjectari, item ex habitu naturali, & ſexu, & ætate: præterea ex magnitudine morbi, & aëris ambientis qualitate, & regione, & anni tempore, & præſenti tempeſtate. Viris enim natura calidis & ſiccis, & ad proportionem ſui temperamenti bene habitis, ſi per Gallicum morbum ad præternaturalem intemperaturam frigidam & humidam ſint verſi, meracius medicamentum dari debet: adhuc vero meracius, ſi magna ſit intemperies: multo autem meracius ſi ambiens aër, regio, anni tempus, & tempeſtas, frigida ſint humidaque. Meracius infuſum erit, ſi ſervata eadem liquoris quantitate, in ea plus ſcobis ligni Indici macerabis. Dilutius erit, ſi minus ſcobis immiſeris. quod ſi adhuc minus immiſeris, adhuc magis dilutum erit. *Liquorem igitur fervidum ea quantitate, quam volueris, in vas anguſti oris ſcobi inſpergito, os ſtatim obturato, dehinc vas in calenti furfure triticeo obruito, duos integros dies macerato, dehinc percolato, & calidum propinato.* Hoc parum efficax eſt, & pueris & delicatioribus fœmellis dari poteſt. At decoctum efficacius paratur in hunc modum. *ſumitur ſcobis ligni, & liquoris, quem tibi elegeris, ſua cujuſque quantitas, prout ipſam ex illis indicantibus, de quibus ſupra, potueris conjectari. ſcobem in vas, ut dictum eſt, anguſti oris conjicito, fervidum liquorem inſpergito, vas obturato, in calidum furfur ſepelito, diem & noctem macerato, dehinc coquito, aliquando ad quadrantem, aliquando ad trientem, nonnunquam vero ad ſemiſſem, ad tertias vero aliquando, prout vel efficacius, vel minus efficax medicamentum habere cupis, ſpectando ſemper ad ea de quibus ſupra.* Hæc eſt ratio parandi infuſi, & decocti ligni Indici. Verum ipſius ſubſtantia tunc dari poteſt, quando languens ipſe liquida medicamenta averſatur, ſolidiora non abhorret, ſed appetit, atque expoſcit. In cujus apparatu ad propenſionem naturæ ſpectare oportet, ſicut de infuſo, & decocto dicebamus. Namque ſi natura ad alvum movet, ei in tenuiſſimum & probe excuſſum pollinem redacto, quæ alvum leniant admiſcere oportet, ſcilicet vel *pruna*, vel *paſſulas*, vel *palmulas*. vel *caſſiæ florem*, vel *mannam*, vel *myxaria*, vel quid tale. ea vero vel ex *ſaccharo* vel ex *melle* excepta ad eclegmatis ſubſtantiam reduci poſſunt. Sin natura urinas, vel ſudores movet: tu Indici ligni pollini, quæ vel urinas, vel ſudores moveant admiſceto. Catalogum vero eorum, quæ urinas vel ſudores cient, ſuperius adnotavimus, nec opus eſt ut ea iterum repetamus. Dari autem debet mane & veſpera ventri vacuo, ſaltem tribus horis ante cibum. Nunc de modo propinandi infuſum & decoctum.

Utrunque pariter datur ventri vacuo mane & veſpere, modo ne quid impediat, calidum utrunque, niſi pro tempore venter æſtuet, dehinc ſtragulis modice operiatur. ſudorem enim ex impetu naturæ provocari optamus, non ex onere ſtragulorum. Dormiat, ut naturalis calor exinde ad viſcera revocatus, atque inibi unitus, ac propterea roboratus, potionem conficiat, & ad venas, & ad corpus univerſum digerat ac diſpenſet. Sudorem ſi moverit, ipſum ad ultimum detergito, eo enim plus ſudabit quo, infrequentius detergetur. Potionis modus is eſto, qui nec ventrem admodum gravet, quique non in ipſo fluctuet, & emergat. Vanum autem eſt numerum unciarum potionis, ut plerique faciunt, explicare: cum non æquale pondus æqualiter ferant omnes, & aliqua potionis quantitas in alio fluctuet, in alio indiſſolubiliter amplectatur. Potio ubi confecta fuerit, & ventriculum dereliquerit, (quæ nimirum ventris alleviatio, & ructus indicabunt) tunc offerendi cibi inſtabit tempus. Jam igitur ad vivendi rationem deſcendamus.

Victus autem non ſecus ac medicamentum oblatum, ad calidum & ſiccum ſpectet. Modum præſcribunt primum quæ languenti homini naturalia ſunt, temperatura naturalis, ætas, & ſexus, & habitus naturalis. quæ præternaturalia ſunt, ſcilicet morbus, morbi cauſa, & quæ morbum ſequuntur ſymptomata. Hæc vero quia præternaturalia ſunt, ſeſe per contraria ſummoveri indicant. Aëris vero qualitas, anni tempus, & præſens tempeſtas, & regio, & exercitia, & mores, quia nec naturalia ſunt languenti, neque præter naturam: ſi morbo adverſantur, talia qualia ſunt ſervari oportet: ſin morbo conſentiant, tantum remittere eorum qualitatem oportet, quantum ſingula à ſua cujusque mediocritate receſſerint. Hæc vero ad exemplum prædictorum ſuperius, ſi emendatione opus habent, corrigantur. Nunc autem de ratione victus in cibo & potu, quæ adeo medicationi per Indicum lignum inſervit, ut vix citra ipſam vel tantillum juvare illa videatur, loquamur. Hæc ſicut & illa ad calefactionem, & ſiccationem ſpectet. Quod ſi languens per naturam, per ſexum, per habitum corporis naturalem, & per ætatem calidus ſit & ſiccus, tanto efficacius calefacere & ſiccare oportet, quanto horum ratione temperato calidior eſt, ſicciorque. Adhuc vero, & hoc ipſo efficacius, ſi conſueverit eo victu uti. conſuetudo enim altera quædam eſt natura, quæ per ſibi ſimilia conſervatur. Victus nihilominus in hoc medicationis genere eſto tenuis, prout vires languentis ferunt, ſed præterea aliquid dandum eſt ætati, tempori, & conſuetudini. An vero plus cibi mane an veſpere offerre oporteat ægrotanti, id morbi exacerbationes indicabunt. In exacerbationibus enim abſtinere oportet. Quamobrem ſi morbus mane increbuerit, vel cibi omnino nihil, vel pauxillum penitus offerri debet. ſin veſpere, illud idem obſervandum. Verum quoad uſque hoc medendi genus debeat prorogari, naturalis & temperies & habitus indicabunt. Namque ſi naturalis temperies à præternaturali ſit derelicta, & habitus naturalis, qui ſub improbo prius latebat, ſit detectus, jam pulſus & reſpiratio ad ſui cujuſque naturam redière. mens probe conſtat, cibos appetit, omne genus excrementi, prout in ſua quiſque ſanitate, excernit. Hæc ubi primum apparuerint, per hoc genus medicamenti ſatisfactum eſſe confidito. Quod ſi adhuc eo ventum non eſt, ne ceſſato, ſed eodem medicamento inſtato, quoad propoſitum tibi finem aſſequaris. Omnia enim ſecundum rationem facienti ſi non eveniat ſecundum rationem, non eſt ad aliud tranſeundum, ſtante eo, quod ab initio viſum fuit. Hæc de medicatione per Indicum lignum ſatis ſunto. Nunc vero Gallicum morbum cum intemperatura frigida & ſicca copulemus, vel ut rectius loquar, copulemus improbam qualitatem ſævam & contagioſam, qua ſine morbus quivis non amplius Gallicus appellatur. hanc ipſam igitur qualitatem cum frigida & ſicca intemperatura copulemus in hunc modum.

Statuamus igitur hominem excrementoſum frigida & humida intemperie laboraſſe, per medicum, quantum ſatis eſſe videbatur, fuiſſe ab excrementis expurgatum. Interea vero deficientibus idoneis alimentis ita contabuiſſe, ut non ſanguis ſolum, & ſimilarium partium nutrimentum, diſſipata ſint, ſed & pinguitudo ſimul, immo & carnis pars maxima, ſiccitatem autem nec dum ſolidas partes attigiſſe, nec deeſſe tamen pravam illam Gallici morbi qualitatem. Hic imaginatione & reipſa bini præternaturales ſunt affectus. Unus, intemperatura frigida & ſicca, quæ corporis humiditati ſubſtantificæ nocet multum, prodeſt vero nihil. Alter, eadem ipſa frigida & ſicca intemperatura copulata cum venenoſa illa Gallici morbi qualitate. Prima vix quidem ſanari poteſt. Secunda vero minime, ut nos opinamur. Prima ſui ipſtaurationem indicat, Secunda iſtud idem, ac præterea uſum alicujus Amuleti, quod venenoſæ qualitati Gallici morbi ex propria natura adverſetur. Ea Græci ἀντοχὴν appellant. Verum quoniam nullum adhuc amuletum hujus mali nobis experientia ſubmonſtravit præter Indicum lignum, & uſum Argenti vivi, neutrum vero ipſorum caret ſuſpicione: ſiquidem illud ſiccitatem auget, & imminuit corporis alimenta: hoc vero & exſiccat quidem, & quicquid eſt excrementi, à partibus ignobilioribus ad nobiliores pellit, ſcilicet à cute & carnibus ad os & fauces, & gulam, & ventriculum & inteſtina. quo fit, ut illa aliquando ita inflammet, & excoriet, ut nec languens mandere cibum queat nec deglutire, ut nonnullos aliquando per inediam interire contigerit. Accidit vero etiam aliquando, ut per excoriationem ventriculi & inteſtinorum ſucceſſerit eorundem levitas „ Græci λειπυρίαν vocant: quæ, ſanata excoriatione, inſanabilis effecta per levitatem cicatricis, hominem ad aquam inter cutem, & tandem ad miſeram mortem perduxit. Sed amabo, quis in tanto affectu ſiccitatis, in tanta virium infirmitate Indico ligno, vel Argento vivo uti auderet? Supereſt igitur ut ſpreta nunc ſecunda intemperatura, prout ſecum adjunctam habet qualitatem illam venenoſam, Nos iſtam ipſam citra qualitatem venenoſam curare experiamur. Curari quidem debet refectione, non quavis, ſed ea, quæ paulatim fiat. (Quæ enim longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet &c.) Animi tranquillitate cibo & potu opportunis, ſcilicet, qualitate, quantitate, uſus ordine, & temporis occaſione, adhæc diſpenſatione alimenti. Cibi igitur humidi ſunto, calidique. ſed circa cibi caliditatem admodum multa diligentia uti oportet, ne ſcilicet per immodicum calorem ſiccitas augeatur. Quantitas autem noxæ modum calefaciendi ſubſtendet. Hominis igitur taliter affecti curationem hiſce principiis ordiamur. Quotidie purgatis alvi excrementis, & jejuno ventre hominem

nem pinguiter ex dulci oleo fricato. dehinc in ſolium aqua tepida plenum demittito, prout ſuperius in curatione calidæ intemperaturæ dicebamus, in eo immorator ut ſibi lubet. ubi exierit, linteis calidis detergitor. poſtremo iterum inungitor oleo calefaciente, modiceque adſtringente: ne cute per balneum rarefacta alimentum fuſum ac diſpenſatum, in habitum digeratur. his peractis aliquantiſper in lecto quieſcito. dehinc cibum capito. cibus eſto coctu facilis & nutriens, & minime glutinoſus, minimeque excrementoſus. in hoc cibi genere lac nuperrime mulctum primas habet, ac præſertim muliebre, utpote quod homini & ſimile eſt, & familiare. poſt ipſum, aſininum: cujus omnis bonitas ad tenuitatem ſuæ ſubſtantiæ referri debet, ea enim ratione minime coagulatur, & citiſſime in corpus permeat ac diſpenſatur. nisi vero optimum ac deſpumatum ei admiſceto, id quod & nutrit quidem, & calefacit, ac neque lac cogi ſinit. Ubi lac ſumpſerit, quieſcito, quoad tempus ſit ſecundæ lavationis, id quod fere erit poſt quatuor, aut quinque horas ab aſſumpto lacte. Verum an probe illud coxerit, ructus & ventris moles indicabunt. Nanque quoad ructus lac redoleant, & ventris moles non ſubſidet, ſecundæ lavationis adhuc tempus non eſt. Contra vero, ubi ructus nihil olent, & ſubſedit ventris moles, jam inſtat lavationis tempus. Quamobrem iterum pinguiter fricato ut prius, & reliqua ad eum modum, quem diximus, peragito. lac cum melle iterum exhibeto, & iterum quieſcito ad cœnam uſque: ne alimentum, quod nuperrime concretum fuit, diſſipetur & peſſum eat. æger autem ſi lavatione oblectatur, iterum & tertio ad præſcriptum modum ante cœnam inungitor & lavator. Cibus vero, qui ad cœnam apparari debet, panis purus eſto, modice fermentatus, probe coctus, & qui ſalis non nihil habet. cui etiam ſi aliquid *chiæ maſtiches* addideris, venter, cui primam ciborum coctionem acceptam ferimus, aliquam conſolationem minime contemnendam conſequetur. In obſonium ova gallinacea, ad levem concretionem diligenter cocta, ſunt ex uſu. item pulli gallinacei, & alæ, & teſtes. ego vero nec perdices, nec phaſianos reprobarim, quorum ſcilicet carnes friabiles ſunt, quia non pridie, nec nudius tertius, ſed diu à jugulatione fuerint maceratæ. tales enim à ventriculo jam per tabem inanito ac ſemimortuo facilius & immutantur, & conficiuntur. ſed & aviculæ montanæ, quæ molles ſunt carne, ſunt ex uſu: ſunt enim omnium minime excrementoſæ. Declinare vero oportet à paluſtribus omnibus, & ab his, quæ carnes duras habent, ſiquidem illæ ſunt excrementoſæ. ea vero, ubi languet naturalis calor, ſicuti nunc languet quidem, nec ſatis immutari, nec coqui poſſunt. Ciborum quantitas eſto, ſi fieri poteſt, quæ non gravet quidem, nec homini ſomnum ſtatim inferat, ac torporem. Quod ſi in homine exinanito, ac fere macie confecto, qualis is eſt, qui nobis eſt propoſitus, vitari nequit: quam ociſſime definat, & gravis, & torpidus, & ſomno captus eſſe. Ordo vero ciborum offerendorum is eſto, qui jam fere à nobis obiter eſt declaratus. ſcilicet ut liquida primum & coctu faciliora, deinceps vero craſſiora, & minus coctu facilia porrigantur. Verum occaſio ciborum offerendorum inde expectatur, ut qui prius fuere aſſumpti, confecti jam ſint, & ventriculum dereliquerint, quæ dignoſci ex ructibus & ex ventris mole dicebamus. Potio vinum eſto, vetus quidem, & eo antiquius, quo frigiditas major fuerit. nec tamen adeo ſit antiquum, ut jam amarorem in guſtu oſtendat, amara enim ſiccant nimis. Quantitas autem eſto, quæ in ventriculo nec fluctuet, nec innatet. Ubi vero per hanc vivendi rationem corporis habitus & plenior & coloratior eſſe cœperit, jam nonnihil victus venit immutandus. pluribus enim frictionibus jam uti oportet, ciboque veſci & craſſiore & glutinoſiore, hoc eſt magis nutriente: ut pro lacte alica offerri, poſſit, pro volatilibus ſuillæ carnes in alica elixatæ. Sed propoſitum noſtrum non eſt, ut totam refectoriam vivendi rationem omnibus numeris expletam exponamus. Illud autem, quod initio fuit dictum, ſemper in memoria haberi oportet, ut hæc permutatio paulatim fiat, pariterque nec illius obliviſci, ſcilicet dandum eſſe aliquid ætati, tempori, & conſuetudini. Hæc igitur de hac refectoria vivendi ratione in præſentiarum ſatis ſunto. Verum ubi hominem ea macie confectum refeceris, finito tandiu quieſcere ab omni medendi genere, quoad robore virium comparato, medicationis per Indicum lignum rationem tuto inire poſſis. Tuncque re probe geſta, methodoque, quam circa medicationem per Indicum lignum adnotavimus, inhærendo, certam fiduciam habere poteris integræ ſanitatis acquirendæ.

Nunc demum ad corrigenda ſymptomata deſcendamus. Tametſi enim nos multa recenſuimus, cum de ſymptomatis agebatur: nihilominus quatuor ſunt potiſſimum, quorum nos ſigillatim rationem habere eſt neceſſum. Primum gravitas ſcapularum. Secundum jugulorum & ſummorum humerorum dolor. Tertium faucium rubor & calor. Quartum pilorum caſus, & viſus hebetudo: quæ ideo una conjunximus, quia ambo ab unica cauſa pendent, & eadem fere curatione opus habent, differente tantummodo ex natura affectarum particularum. Gravitas igitur ſcapularum, quoniam à ſubſtantia vitioſorum humorum ſcapularum muſculis incumbente eſt orta, vacuari poſtulat: & quamvis multa ſint vacuationis genera, commodiſſima tamen eſt ea, quæ fit per tenues meatus cutis, cum ſit magis vicina exitui, & minus periculo expoſita. Vacuare vero per cutem poſſunt, quæcunque rarefaciunt, ſubjecta attenuant, deterguntque evocantque. de his autem dictum eſt abunde, cum de curatione puſtularum, quæ per totum corpus ſparguntur, agebatur. ad quæ recurrendum, ne eadem nos iterum fruſtra repetamus. Atqui jugulorum dolor expetit & hoc medicamenti genus. Verum quoniam ejus materia altius eſt infixa, ſcilicet & in membranam, quæ oſſa integuntur, & in tendines muſculorum, qui ad ſummum humerum pervenere, tanto tenuior & levior eſſe debet, quanto meatus membranarum & tendinum meatibus carnium ſunt anguſtiores. Sicut igitur minorem gravitatem parit in particula, cui inſidet: ita dolorem per acredinem, quam in ſeſe habet, ſæviorem. Cum præterea ſit alia cauſa doloris ſævioris & obſtinatioris, ſcilicet ſuæ particulæ denſitas multo utique major carnium denſitate, & propterea & mitiore medicamentorum materia, magisque rarefaciente opus habet. Pinguibus igitur admiſcenda erunt, quæ tenuem caliditatem in ſeſe habent: neque incommodum fuerit aliquid tantillum admiſcere, quod modice ſenſum obſcuret, hebetetque. Uſi ſumus verbis, tantillum, & modice: ne ex copioſiore uſu obſtupeſcentium, tendines & membranæ plus juſto denſentur, & contumaciores fiant. *Sumito igitur medullæ vitulinæ & adipis anſerini pares portiones, opopanacis & ſulphuris utriuſque prædictorum ſextam partem, opii, croci, ſingulorum ſulphuris ſolius duodecimam partem, ceræ pars quarta medullæ eſto & adipis. cera cum medulla & pinguedine liqueſcat, quibus liquefactis cetera tenuiter pulverizata adjiciantur, & ſtatim ubi cum ſpatula miſcueris, ab igne amoveantur.* Quod ſi magis digerere volueris, augeto *ſulphuris* quantitatem: ſin magis rarefacere & remollire, addito ad quantitatem *pinguedinis & medullæ, & opopanacis*, vel pro *medulla vitulina* utitor *cervina*, & pro *opopanace*, *ſagapeno.* Hoc medicamento calente particulas dolentes illinito. verum prius linteo tepido particulas illas leniter perfricato: ab illitione lana ex *œſypo pingui & calente* obvolvito. Poſſunt conſimilia medicamenta, dempto *opio*, ſcapularum gravitati opitulari. Quod ſi vehementioribus evocantibus uti volueris, poteris pro pinguedine & medulla, uti oleis ſcilicet *chamæmelino, vel anethino:* vehementius vero fuerit *irinum & laurinum, & oleum vetus, & cedrinum.* poteris etiam admiſcere *adipem leonis vel pardi, vel hyænæ:* quibus admiſceri poſſunt & *radix bryoniæ, & ariſtolochia, & radix aſphodeli, nitrum, arſenicum uſtum, melanteria*, & ejuſmodi: Immo & *euphorbium*, ſi vehementiſſime volueris evocare. Hæc vero de gravitate ſcapularum & doloribus jugulorum, & cæterarum ſolidiorum partium ſatis ſunto. Nunc vero de faucium rubore, & calore.

Faucium rubor & calor ſtatim ubi appareant, ni ſupprimantur, inflammationem accerſent. inflammatio autem ſi ſemel acceſſerit, niſi citiſſime amoveatur, ulcus exedens parit. tanta eſt hujus morbi maliguitas. Faucium igitur rubor & calor ubi ſtatim apparent, quæ refrigerant, quæque adſtringunt, adhibenda, & humores, ne influant, cohibendi. Cohibentur illis ipſis quæ refrigerant, & adſtringunt: præterea & revulſionibus ad interna. Refrigerant & adſtringunt leviter quidem *poſca, & lac chamebeatum:* vehementius, *acuti lapathi decoctum & ſuccus:* adhuc vehementius, *rubi decoctum, & canini rubi: item mali punicæ & balauſtiarum decocta.* his vero addi poſſunt & *ſuccus uvæ acerbæ, & rhois ſuccus, & hypociſtidos, & acaciæ.* Atqui deorſum trahunt acuti clyſteres, frictiones partium inferiorum, vincula ſupra cubitos admota, præterea & cucurbitulæ præcordiis affixæ, ſcapulisque. Si ſubſederint rubor & calor, inflammationis ceſſat omnis timor. Sin non ſubſederint quidem, & jam inflammatio acceſſerit, & jam ulcus exedens pepererit, tametſi de ejuſcemodi ulceribus jam antea ſatis abunde ſuo loco dixerimus, nunc obiter & hoc unum adjiciamus, quod vix ejuſmodi ulcera citra ſuffumigationem ſanari queunt. Cæterum enim medicamenta ab ſaliva abluuntur, nec ſuæ facultatis vix imprimere quicquam poſſunt. Quamobrem nunc etiam ex uſu erit aliquid de ſuffumigiis addidiſſe. & primum quidem dicemus, quibus ſuffumigia conveniant, quibus vero minime.

Suffumigia ſunt ex uſu his, quibus in faucibus ulcus malignum hæret, & quibus in gargareone, quibus etiam in palato: præterea & his qui difficulter & non niſi rejecta cervice ſpirant, inſuper & his qui in thoracæ multos fri-

gidos ſuccos habent. Iis vero ex uſu non ſunt, qui ſanguinem tuſſi rejectavere, neque iis, qui morbo ſicco circa thoracem male habent.

Suffumigium vero in hunc modum parare oportet. Sedeat languens, totus linteis operiatur, crura ab invicem diducat, caput ita deorſum inclinet, ut facies genibus ſit vicina, ore hiet, & ponatur ſuffumigium inter crura, & fumum ore hiante excipiat. Atqui melius fuerit ſi per infundibulum excipiatur. Jam vero quibus ad ſuffitum uti poſſimus, explicandum.

In ſuffitu omnia ad ſiccitatem ſpectent. Haec vero ſunt quibus ſuffiri licet. *Caſtoreum*, *ariſtolochia*, *bitumen*, *ſandarache*, *ladanum*, *terebinthina*, *calamintha*, *ſtyrax*, *maſtiche*, *thus*, *cucumeris agreſtis radix*, *centaurium*, *fœniculi ſemen*. Fortiora ſunt *ſtibium* & *myſi*, & *cinnabaris*. In compoſitis illud eſt experientia comprobatum, in humidis affectibus & pectoris & capitis, leve tamen eſt, ac commodatum delicatioribus, & humidioribus naturis. *Conſtat id ex ſtyrace*, *terebinthina*, *ſandaracha*, & *maſtiche æquis portionibus*. quod ſi ſiccantius facere volueris, addito *Cinnabaris plus*, *minusve* pro mali magnitudine, & temperatura naturali totius corporis & affectæ partis Hæc de ſuffumigiis. Nunc vero de caſu capillorum & barbæ.

Dicebamus ſupra ex ſplendore & nitore cutis, & oculorum, & ex privatione pruritus & mordacitatis, aſtrui poſſe, minime materiam alienam ſubeſſe cuti & tunicis oculorum, (materiæ enim alienæ cutem, & oculorum tunicas fœdant, non illuſtrant,) immo potius per quandam ſimplicium & alienam caliditatem rarefieri cutim & tunicas, in cute digeri, ac diſſipari pilorum alimentum, in oculis ſpiritus viſui inſervientes. Ex his autem duæ indicationes elici poſſunt, una ex caliditate illa non inſigni cutis & tunicarum oculorum. Altera ab earundem immodica raritate. Illa refrigerationem, hæc adſtrictionem indicat. Refrigerat ambiens aër, ſi talis eſſe contigerit. ſi non ſit talis; apparetur eo pacto, quo alias ſuperius dictum fuit. Item corporis & animi tranquillitas & quies, & longus & altus ſomnus. Sicut contra, exercitationes, & ira, & vigiliæ in externis calorem augent. Quamobrem inediam, exercitationes, iram, & quicquid calefacere corpus poteſt, averſator. Venereis abſtineto. Purgationes, ſanguinis detractiones, omnes denique evacuationes, præter eas, quæ naturæ ſunt conſuetæ, ut maxime hoſtiles declinato. Sunt ex uſu lavationes, primum quidem ex tepida, dehinc vero ex frigida, ad hunc enim modum frigida vis altius penetrabit, & ſuam facultatem imprimet, quæ ſi aluminoſa & ferrea ſit, quales ex ſponte naſcentibus multæ ſunt in Italia, cutem præterea & tunicas oculorum denſabit, cogetque. & utraque ratione ambo hæc ſymptomata retinendis pilorum alimentis, & viſivis ſpiritibus reparabit, corrigetque. neque efficacius remedium reperiri poſſe crediderim. Sed & oculi & facies ſæpiſſime laventur ex *poſca admodum diluta*. conſtet ea *ex aqua roſacea*, & *roſaceo aceto*: eſto vero ſub ſolis calore tepefacta. Illinantur item oculi ex ovorum albis diutiſſime in plumbeo mortario bene mundo agitatis. Lacte inſuper muliebri jam nonnihil aceſcente.

# HIERONYMI CARDANI, *Mediolanenſis Medici*,

DE

# CYNA RADICE,

SEU DE

# DECOCTIS,

## LIBER.

In Tractatione de Cyna, quam nos inſtituimus, nonnulli tales ſe præſtitere, ut uſum à multis ſola experientia traditum Chinæ docerent, atque diſputarent an Cyna à Syna Græco antiquo provinciæ nomine, an Cymaba vulgari, ac novo deducatur: quæ diſputatio ſupervacua mihi videtur. cum enim ſatis conſtet in ea regione illam naſci, operæ pretium fuiſſet, ſi (poſtquam ſoli hiſtoriæ ac experientiæ inhærent, ratione non ſatis perſpecta) cujus plantæ radix hæc fuiſſet, edocuiſſent. Referunt quidam plantam arundini eſſe ſimilem, naſcique juxta mare in locis paluſtribus, cum alii contendant in promontorio. Ipſa ſane radix vulgaris acori noſtri ſimilis omnino eſt. Regiones orientis, ut alias docuimus, & maxime quæ ad meridiem poſitæ ſint, ſuccoſiores & efficaciores plantas progignere ſolent: quod etiam in aromatibus videmus. ſimiliter & montes, quam humilia loca, & juxta mare, quam flumina. Verum quod magis conſiderandum eſt, cujus etiam cauſa hunc laborem ſuſcepimus, eſt, quonam pacto per continuam non hujus tantum medicamenti, ſed plurimum etiam aliorum exhibitionem, conſtitutamque victus certam rationem, morbi, alioqui expugnabiles, ſuperari poſſint ac ſoleant. Sic ligni ſancti, & Sarzæ pariliæ, & arboris quæ in nova Gallia invenitur, decocta, miras ſanationes efficere perpetuo experimento deprehenditur. Conſtat ſane hunc modum unum ex his undecim eſſe à nobis in arte medendi noſtra parva connumeratis, per quos magni morbi ſolum curari poſſunt. Exiſtimant quidam præcipuam cauſam eſſe inediam, alii evacuationem, ego vero intemperiei mutationem. nam cum potus fuerit totus medicatus, ſimplexque cibus, inficietur cibus & ipſe, unde nutrimentum comparatur, ex quo nutrimento humores generantur, à quibus membra reſtaurantur. Membra ergo ipſa & humores mutata ad arbitrium noſtrum intemperie nullum morbum, qui ſuperari non poſſit, hac ratione merito pati poſſunt. Adjuvant ad hoc evacuationes, quæ per hujuſcemodi contingunt, ut inediæ, & exhalatio, quam merito digeſtionem per poros, ſeu cutis meatus appellare poſſumus. Ergo cum quatuor ſint, quibus magni morbi pelluntur, cauſæ, inedia, digeſtio, evacuatio, mutatio intemperici, quam etiam principalem eſſe docuimus, nemini dubium eſt, etiam citra omnem evacuationem manifeſtam, maximos morbos poſſe ſanari, hujuſmodi decoctorum aſſidua aſſumptione. Quod ſolum in periculo verſatur, cuique diligenter intendendum eſt, ne decocta illa retineantur vel hac conjectura, quod cum magna quantitas aſſumatur, nihil exeat, aut valde impurum. Pro quo ſolent, qui diligentius artem exercent, interulas pondere expendere, tum primum cum ſiccæ fuerint, deinde cum ſudore maduerint, vidi frequenter diſcrimen Italicarum unciarum novem eſſe. quare tuto duplici ratione in decocto perſeverare poſſumus, tum quia quod ſuperfluo ingeritur, etiam evacuatur, tum quod hoc indicium eſt vincentis naturæ, ac recte operantis. unde ſuſpicari non debemus, illam in reliquis partibus aſſumpti humoris pigram futuram. Altera conjectura eſt, ſi aqua ventriculo innatet. nam neque excipitur à venis, ut prodeſſe poſſit, & coctionem vitiat calorem obtundendo, & vitiatam corrumpit, dum alimento immiſcetur. Fieri etiam poteſt, ut ſic in ventriculo retenta ſudorem moveat ob præſentem vim caloris: nam ferme ferventia decocta ebibi debent, ut optime docebat Avenzoar. His ergo duobus in cauſis ab ejuſcemodi exhibitione abſtinendum ſemper eſt poſt ſeptimum diem in robuſtis corporibus in imbecillibus autem poſt quartam, quamvis nec ſic quidem tuto exhiberi poſſit. quippe nuper Hercules Rotechus amicus noſter, cum neque in ventriculo noxam ſentiret, & abunde ſudore perſunderetur, liberatuſque ob id ſit cachexia, nihilominus in ipſo fine cholera morbo vexatus, tantum rejecit aquæ, ut neſciam ubi illam interim potuerit continere. Ita ergo etiamſi non prodeat ſudor, ſi non mingat multum, parva quantitate, modo ſecundum rationem exhibeatur, uti licebit. Atque par ratio in aquis thermarum habenda eſt. Obſervanda autem in omnibus, ne temere ad talium exhibitionem accedas, hæc ſunt: primum ut corpus, quantum fieri poſſit, præpurgatum ſit ab humoribus, ac liberum ab obſtructionibus, bonisque cibis antea ſaltem per quadraginta dies nutritum, neque exhauſtum ſit venere, aut immodicis laboribus, aut curis, adſit vigilia: tempus vero aut non frigidum, his quinque conditionibus, modo contraria contrariis oppoſueris, utpote Cynæ decoctum

ctum calidæ, ligni ſancti frigidæ intemperiei ſecure poteris exhibere. Ut ergo omnium unum ſit exemplum, poſtquam de Cyna ſermonem cepimus, illius hiſtoriam abſolvere propoſitum eſt.

Eſt Cyna radix craſſitie ferme brachii, ubi manui conjungitur, nodoſa adeo, ut quidam ex arundinum genere eam eſſe exiſtiment, mihi autem videtur è genere ſerpentium, ut hederæ, lupique ſalictarii, intus quidem fungoſa, rufa, ſubalbeſcens, exterius lenis, & quæ optima eſt ferrei coloris, quæ minus nobilis, ferruginei, ſed ſplendidioris. Itaque mihi videtur, ut metallum tractu temporis rubiginem contrahit, ita hæc radix contraria ratione, alioqui ferruginea ferrei ſit coloris. Gravis eſt admodum, quæ optima eſt: & quanto à pondere deficit, tanto profecto ignobilior. Odoris pene nullius, ſaporis autem ſubacidi, pinguem tamen illius ſubſtantiam eſſe conſtat ex decocti guſtu. Vis ejus quanta ulli alii pharmaco; unde qui illius facultatem ex primis qualitatibus determinare conantur, neque vera dicere, neque quæ ſcripſimus nos in libris de Subtilitate, de medicamentorum viribus novisſe videntur. quippe denſa ſubſtantia, atque eadem tenuis etiam minimis qualitatibus prædita longe majores effectus efficere poteſt, quam vel piper vel gingiber. Quid enim mirabilius eſſe poteſt, aut maximarum virium majus argumentum, quam quod ſexies decocta, atque ex uncia in centum quinquaginta aut amplius aquæ, ſeptima rurſus vice aqua adhuc tingitur, eadem cum ſale & oleo mixta pro clyſteri egregie feces atque humores detrahit. Eam vero temperamenti quidam calidi in primo, ſicci in tertio ordine eſſe affirmant. Ego ſi hac in parte contendere vellem, Galenumque ſequi, operam, ut dici ſolet, atque oleum perderem. nam facilius noſtris hærens principiis, dicam multo illam humido pingui atque denſo abundare. quod cum mixtum terreæ ſubſtantiæ atque eidem tenuiſſimæ ſit, membra ſolida firmare poteſt: unde non tam vulgare auxilium eſt, ut quidam exiſtimant, niſi mihi oſtenderint radicem aliam quampiam, quæ incocta ex uncia in libris quindecim aquæ (ita enim præparari ſolet) totum illud juri guſtu, atque aliquanto dulcius, vino vero rubro ſubſtantia & colore, ſimile efficiat. Quocirca nihil mirum eſt, ſi humido tam tenui, tam denſo, tam multo, omnia corporis membra, omnes confractas, ſolidaſque partes permeare, atque permutare poſſit. Ergo intemperiem calidam vehementerque frigidam, tum laxitatem membrorum, atque deſtillationes, undecunque ſint, ſanare poterit: unde & cachexiæ, & aſciti, & imbecillitati ventriculi, ac jecoris atrophiæ, & reſolutioni, tum his qui ex deſtillatione contabeſcunt, aut difficulter ſpirant, præterea ulceribus omnibus etiam pulmonis, ſed cum exactiore inedia opitulatur, tum ſanguinis eruptionibus undecunque ſint. atque hæc quidem vere, atque cum ratione. Addunt alii podagram, & coxendicis dolorem, tum lepram, ſcabiem, elephantiaſim, tum etiam morbum Gallicum hoc præſidio curari poſſe: de quibus nihil habeo quod referam, cum experientia hæc conſtent. nihilominus non adeo hujus radicis decocto favere decrevi, ut illud ligni ſancti, aut corticis decocto conferam. Quod vero in hoc detrimenti eſt, commune eſt omnibus, qui copioſe adminiſtrantur potibus, ut in ligni ſancti decocto accidit, & thermarum aquis, ſcilicet, ut ob copiam ipſam ipſi ventriculo obſit. Labefactat enim eum, & quandoque non abſque periculo. Et certe hæc nova illi peculiaris & præcipua eſt, & minime contemnenda. Ferunt etiam lapidem confringere: id mihi incertum eſt: renes tamen ſua multitudine purgare poteſt, intemperiemque ſanare, atque etiam illorum robur (qua ratione etiam jecoris) confirmare. Verum id forſan aliquis objiciet, dicens. quomodo ventriculum labefactat, jecur autem & renes confirmare poteſt? ea ratio eſt, quod ventriculus plurimum ſimul aquæ recipiens diſtenditur & laxatur, cumque membrum ſit exſangue, multum debilitatur: at contra, jecur & renes, cum ſanguinea ſint, non facile poſſunt debilitari, etiamſi confertim aquam exciperent: at confertim aquam excipere non poſſunt, quia cavitatem nullam magnam habent. quomodo ſcirrhos diſſolvere poſſit hæc aqua, nullam parit difficultatem ſcientibus, quod ſcirrhi à pingui humido atque tenui & ſolum & facillime diſſolvuntur. reſtat ergo ut de electione dicamus. *Eligenda eſt recens, colore ferreo, gravis admodum: nam quæ optima eſt, his lapidibus aſſimilatur, qui infecti ferreo colore juxta fodinas inveniuntur. non exeſa, non carioſa: ſecanda vero eſt in fruſta coronatis aureis ſimilia, unciaque hujus ſcobis, ſi morbus ſit mitior, aut duæ, ſi mediocris, aut tres, ſi omnino inexpugnabilis, ſumendæ erunt. & ſimiliter habenda eſt ratio par habitus atque ætatis. In libras igitur quindecim aquæ fontanæ, & in vaſe figulino vitreato infundetur per horas viginti quatuor, deinde contecto vaſe excoquatur ſuper prunas abſque fumo, donec tertia abſumatur, inde ſervetur loco calculi jam excolata.* quod ſi libeat validiorem habere, paucioreque opus ſit potu, duodecim tantum aquæ libræ aſſumantur, ita enim redibunt ad uncias prope centum. Memineris etiam, ut perpetuo dum infuſa eſt radix, dum excoquitur, dum etiam percolata ſervatur aqua, ut ſemper exacte vas contectum ſit, locoque, ut dixi, calido aſſervetur. nam ſi ſecus egeris (cum alias per ſe in viginti quatuor horis aceſcat, quod etiam certum eſt indicium maximarum virium) intra viginti quatuor horas aceſcit: atque ita pro medicamento tranſit in potum pernicioſum, perſeverantibuſque exitiale. Indicio autem eſt corruptam eſſe aquam, corruptio concoctionis, ad quam ſequitur fluxus ventris præter conſuetudinem, cum ipſius radicis vis non leviter ſit aſtringens. *Ergo detracta ſcobs in decem libras aquæ rurſus debet infundi (nam fruſtra ficcabitur, ut facere quidam ſolent etiam in ligno ſancto, cum nihil ſit adeptura melius, ſed potius interim amiſſura) eademque ratione poſt viginti quatuor horas coqui ad tertiæ partis conſumptionem, ſimiliterque ſervari, atque hæc ſecunda aqua vocabitur.* Porro triplex exemplum hujuſcemodi aquarum decoquendarum edocebitur, ut juxta rationem magnitudinis morborum, atque caulæ, etiam auxilia poſſint adminiſtrari. Dicebat enim recte Galenus in *libro Artis medicæ* juxta finem: *Paria viribus debent eſſe præſidia cum morbis, morborumque cauſis.*

Itaque triplex modus erit: exquiſitiſſimus autem hoc modo. Hora matutina (ſit gratia exempli, nox horarum novem æqualium, dies autem quindecim) in ipſo ortu ſolis ab octo uſque ad duodecim juxta patientis robur uncias decocti primi æger ſumat nam hujus ſolum eſt uſus pro potu cum cibo ſeu interdiu cum uncia una ſacchari, ſit autem calidiſſimum. ſic enim ſudorem, ſi omnino prolici poſſit, provocabit. idque decoctum ſit ex tribus unciis ſcobis: inde tegatur ſubſtratis ſex linteis mundis, cumque ſudore maduerit, ſubtracto proximiore linteo, ne refrigeretur, rurſus ſudare permittatur, atque ita altero ſubtracto, donec ſudare deſierit, ſingula auferantur: demum interula commutata, veſtibus optime integatur, ſed tamen lenibus & quæ minime ipſum fatigent. hora decima tertia aſſumat panem biscoctum ſine ſale & cum ſaccharo præparatum, atque uvas paſſas, tum etiam creticas, ſed tenuioris corticis, nec non in fine artocream ex amygdalis, quam Martium panem vocant. bibat quoque ex decocto ipſo calido quantum libet, ſed ut dixi immixto ſaccharo, vel puriore melle, quale eſt quod ex Cephalenia Inſula, vel ex Hiſpania advehitur, poſt jocis intentus, per duas horas ſaltem quieſcat, unde ſi dormire libet, ſuperdormiat. quanto enim plus dormierit, tanto melius eſt: tum quia ſudores hoc pacto magis proliciuntur, tum quia vires magis reficiuntur, tum quod decoctum ipſum in intima melius penetrat, tum quia corpus ſudore exſiccatum magis humectatur. Cavere tamen oportet in omni hujus decocti exhibitione, ne Venere utatur (ſolet namque is potus, ſeu potius ea victus ratio Venerem magis excitare) atque ita cavere oportet, ut neque antea per menſem, neque in ipſa potus aſſumptione, neque etiam poſt per menſem alium Venere utatur. exitiale enim pene eſt hoc, ſicut & ventus & frigus peculiari quidem ratione forſan magis in hoc potu, ſed generali haud dubie: quandoquidem corpus ipſum, & rarum, & exſangue, & imbecille, & ſupercalefactum admodum exiſtat. Hora ergo rurſus vigeſima prima potum eundem, quem mane accepit, eadem quantitate, eiſdemque legibus, aſſumat. Cœna vero perſimilis omnino prandio, idemque potus, ſingulo vero die nova aqua paranda eſt: imo duplex ut dictum eſt, & quantum ſuperfuerit ex externa ſemper abjiciendum. Porro ſecundæ aquæ uſus eſt pro clyſteribus, ſale & oleo adjecto, ut dictum eſt. Et ut (ſi contingat ægrum inediam ferre non poſſe) pulli in ea aqua incoquantur, aut alia quævis, quæ uſui eſſe poſſunt. Sed quæ in uſu eſt ad incoquenda edulia, dimidium primæ aquæ denuo cum ſecunda excoctæ recipere debet, adeo ut ſcobi radicis cum jam infuſa ſecundo jacuerit, prioris aquæ pars dimidia aut tertia ejuſdem diei ſuperfundatur, ſimulque coquantur. Ita ut omnium una conſtans ſit ratio, ſcilicet ut vel cibi, qui eduntur, pingues non ſint, cujuſmodi ſunt ficus, pyra cocta, mel, ſaccharum, pineæ, panis martius, uvæ Corinthiacæ, & Creticæ: aut ſi pingues ſint, coctione in ea aqua à naturali ſtatu permutentur. quo fit ut ovis, aut lacte, vel his quæ eo conſtant, in hoc primo genere uti non liceat, quoniam neutra earum conditionum illis adeſſe poteſt. quamvis enim huic aquæ incoquantur, parum aut nihil à propria natura recedunt. ejuſmodi ergo eſt exactiſſima hujus potus, tum aliorum ſimilium adminiſtratio. In qua tamen licet ſerenis, & non ventoſis, aut frigidis diebus ſpatiari, atque abſque cura negotiari: intectum pellibus nobilioribus ac leviſſimis, ut ſine labore egredi liceat. Unde etiam eques magis quam pedes, (neutiquam enim tutum fuerit omnino illum pedibus iter agere) egredi debebit patiens. Secundus autem uſus qui me-

diocris eſt, cibos quidem pingues bis in die admittit, ſed ut ſupra dictum eſt, perpetuo incoctos ſecundæ aquæ. Cætera vero, quæ obſervanda ſunt omnino, ut in exquiſitiſſimo modo retinenda ſunt, velut communia omnibus adminiſtrationum modis. Quale etiam eſt illud, quod in nullo genere exhibitionis decocti aquæ Cynæ æger uti debet excellenti aliquo ſapore, ſcilicet aut acido aut auſtero, vel acri amarove aut ſalſo, ſed omnia quæ illis participant penitus ſunt relinquenda. Hoc vero contingit ob id, quod cum aqua per ſe, & evacuatio, quæ ex aqua provenit, multum exſiccent, maximum ab aliis ſiccantibus periculum imminet. Ita quæ coquuntur, abſque ſale coqui debent. Jure autem pro potu in utroque horum modorum uti licet, cum jus ipſum ſit medicatum, & maxime cum jam corpus contabuerit. Cœnam quoque aliquo adſtringente cibo præcipue medicato claudemus, velut *cotoneorum carne ex ſaccharo, aut cornis, aut ſorbis vel pyris, aut coriandris conditis.* Atque in his omnibus, tum aliis decoctis propinandis, non ut in febribus ab initio tenuiſſime, cum materia multa præparanda eſt atque educenda, ſed ſucceſſu temporis corpore exinanito, & viribus imbecillioribus, nec natura præparationi, nec multo minus coctioni intenta, ſolum nobis temperamento reſtituendo copioſius atque plenius reficiendus eſt æger, ut ſimul vires, caro ac temperamentum celerius reſtituantur. Sed neque à ſolis cibis vehementis qualitatis abſtinere oportet, ſed etiam duræ concoctionis, velut amygdalis, ac pane jam diu excocto. Verum & bis coctum recentem aſſumere decet: qui ſi tertiam diem non excedat, optimus erit. In tertio vero genere adminiſtrationis, caro & maximo pulli, jurulenta, & elixata ſine auxilio ſecundæ aquæ admittitur, quæ vero carnes aſſatæ, experientia ſunt, (non ſolum ratione) omnibus præferendæ: atque id generale eſt huic tertio modo, velut & ova, piſces tamen & caſeum nemo probat. Sed quod maxime dubitatione dignum eſt, id eſt, utrum liceat in prandio atque cœna vino uti? atque ſi licet, an permixto decocto Cynæ? Decoctum Cynæ ſi tantum ſerapii loco aſſumatur, non video quid prohibeat, quemadmodum in omnibus aliis decoctis, quin homo poſſit cum cibo vino uti, verum ut nullo periculo res agitur, ita etiam minima utilitate. Sed an vino decoctum immiſceri poſſit, magna dubitatione dignum eſt. Avicenna inquit, *Et jungere ſerapium acetoſum cum aqua hordei, malum eſt, quoniam illam corrumpit.* Videtur & vinum corrumpere has aquas, viciſſimque ab eis corrumpi, atque ita periculoſam eſſe hanc permixtionem: nos autem experimento didicimus, nihil egregii aut boni aut mali ex hac permixtione conſequi. idque jure merito. namque fruſtra fermentarentur medicamenta, ſi extemplo ea miſcere liceret: ſed non juvant, quoniam alterum alteri impedimento eſt, omne vero medicamentum, ubi vim ignis ex decoctione in terrea parte conceperit, vinum ipſum corrumpit. ob id aqua ſimplex decocta non corrumpit: nec quæ cum odoratis, ſed quæ ſponte aceſcere ſolent, minime lignum, maxime decoctum Cynæ. cum enim in viginti quatuor horis per ſe aceſcat, cur cum vino ſumptum ipſum non corrumpet? neque enim ſic profluet per ſudorem. Quæcunque igitur ſponte aceſcere nata ſunt, & maxime ſi brevi, ut lactis ſerum, Cynæ & hordei decoctum, ſi non aſſumptione per alvum aut urinas aut ſudorem etiam brevi expurgentur, corporis temperamentum corrumpunt. Quare neque in ligno decocto, neque in thermarum aquis id periculi erit. verum tutior eſt aqua thermarum, ligni enim decoctum æſtate tertia die putreſcit, aut ad ſummum quarta. Neque enim in his exacta putredo, quæ jam perferri non poſſit, expectanda eſt. Nullum igitur, quod brevi aceſcat medicamentum, cum vino aſſumi debet: nam vini cauſa retinetur in corpore, ideoque corrumpit, atque corrumpitur à vino, utraque autem ventriculum debilitant, atque jecur, atque in malam traducunt intemperiem. Similiter neque in cibis, ſi vinò uti contingat, aqua permiſcenda eſt: aquæ enim potus omnibus medicamentis validis, Cynæ, Sarzæ parillæ, ligni ſancti decoctis, tum thermarum aquis noxius eſt valde certo experimento, ne dicam exitio. præter enim quod craſſitie ſua atque frigiditate illorum opera impedit, corpus etiam ægrotantis medicamento reſolutum, atque evacuationibus, deſtruit atque labefactat. Similiter commune eſt omnium horum trium modorum generi, ut quandocunque velint, quantum velint ex decocto bibant, modo calidum ſit, ſudorque pro ratione quantitatis profluere ſoleat. Neque enim ſolum hoc non nocet, ſed etiam egregie juvat. medicamenti enim habet rationem tum potus ipſe, tum cibus qui cum eo aſſumitur. excipio tamen in his eos, qui vinum bibunt cum cibo, nam his uti non convenit, multoque minus, quam ſi vino permixtum decoctum quis bibat. Melius etiam erit, ſi vel ſtatim à cibo, vel poſt quinque horas non interim quis eo potu utatur. Atque hæc de generali ratione dicta ſint: nam alii de ſingulis certas quaſdam normas tradiderunt, quas nos ſic probamus, ut non à generalibus præceptis, neque his quæ declaratione certa inventa ſunt, diſcedere liceat. Licet etiam dubitare, an (quod pluribus placet) medicamenta alia his decoctis ſint immiſcenda? multa hic inde adducuntur, quæ omnino non certam ac generalem rationem habent: nam thermarum aquæ, aut Cyna non admittunt. Thermarum aquæ, quoniam naturali calore conſtant, qui ab adventitio corrumpitur, dumque externam acquirunt, vim propriam amittunt. Cynæ decoctum cum in quodam temperamento exactiſſimo conſtet, & ad libellam, quocunque addito vel minimo medicamento, à conſtituta illa & moderata intemperie dejicitur atque evertitur: itaque nihil talibus permiſcere oportet. At in decocto Indici ligni, cum per ſe vehemens ſit & potens, nec juxta exactiſſimam moderationem ſit conſtitutum, ſed vehementiore caliditate quam etiam ſiccitate agat, multumque habeat pinguis humidi, temperati poteſt, ſuasque pariter retinere vires, atque ita una hæc ratio generalis conſtituatur. Quæcunque pinguiâ valde ſunt, nec circa conſtitutam mediocritatem conſiſtunt, à qua tamen operatio illa deſideretur, quæque non ſola natura conſtant, ea mixtionem admittunt, velut lignum ſanctum, & magis cortex, maxime vero ex vino. Reliqua non admittunt, ſcilicet quæ natura conſtant, aut parvo prædita humido pingui, ex moderata quadam temperie opus ſuum perficiunt: aut ſi plurimo etiam abundent, opus ſuum abundanti tenui, tamen pingui humido perficiunt, velut Cyna. Unde etiam in his obſervare decet, ut dum coquuntur, non reſpirent, aut exhaleut: nam optima pars atque tenuiſſima, quantum licet, conſervari debet. Quod ſi in duplici vaſe decoctum id fiat (id tamen expertus non ſum) optime ceſſurum ſpero: nam cucurbita clauſa (id genus eſt vaſis) melius evadet, atque exactius abſolvetur. Peculiare autem quoddam ineſt illi, ut ſcilicet à ſeptima die alvus ferme ex toto ſupprimatur. Unde tum ob id, tum ob morbi naturam in Indica lue ab ea die ſolent non parum dolores augeri, qui ut plurimum ad decimam quartam diem extenduntur ſæviſſimi, ac alvi durities uſque in finem, ſcilicet xxiiij. diem, qui communis eſt terminus: quamquam ego non improbem juxta diverſorum laborantium neceſſitatem, variari hunc terminum, atque etiam nonnunquam uſque ad xl. extendi, velut & in thermarum potu, ſic & ligni ſancti non ultima dies erit xl. imo nec lx. (quanquam raro ad eam neceſſe ſit pervenire) pro ultimo termino conſtitui debet. Si ergo alvus ſupprimatur, poſt tertiam diem clyſteri dicto ſuccurrendum, ante non licet, ne aut vires minuantur, aut ſudor divertatur. Sed ſi alvus juſto plus fluxerit, carnes aſſatæ dentur, panis in jure ex Cyna madeſcat, unguenta ex *myriſticæ nucis oleo*, & *abſinthii* adhibeantur. Si non ſufficiant, etiam *fomenta ex mentha* convenient.

Ergo ut ad Cynæ decoctum redeam, ſiccitate putredini reſiſtit, temperamento in activis qualitatibus ad moderationem omnia membra deducit, ſucculenta ſubſtantia reſtaurat vires, atque corpus impinguat: detergit vero parte quadam leviter acri, qua etiam illius decoctum brevi admodum tempore non ſolum in acidum, ſed etiam amarum tranſit ſaporem. Ubi vero tanta vis decoctis ineſt, certe etiam contritis in ſubſtantia, ſi ſint tam dura, ut ſuperari nequeant, non minor facultas adeſſe poteſt, atque ideo cum eorum ſubſtantia auxiliari decebit. Porro vim medicamenti hujus, ſi ad lignum ſanctum conferre libeat, ſic expedito. advehitur ad nos hæc radix poſt biennium, raro uſus ante quinquennium, unciæ tres in xv. libras aquæ, ligni ſancti unciæ quindecim, proportio effectus ferme tripla: proportio ergo quindecupla, cui ſi adjiciatur moræ ratio, erit trigintupla. at lignum ſanctum inter præcipua medicamenta habetur, & hydrargyrio ferme par. Unde haud recte dictum videtur, vulgare & inefficax fore medicamentum. Sed nondum ratio abſoluta horum innotuerat. Neque tamen hoc dico, quod Cynæ vetuſtatem, aut quinquennium illud probem, ſed ut oſtendam quanta vis illi ſit.

*P. 4. tract. 1. cap. 9.*

FINIS.

GA-

# APHRODISIACUS,

SIVE

# DE LUE VENEREA;

*IN DUOS TOMOS BIPARTITUS,*

Continens omnia quæcumque hactenus de hac re ſunt ab omnibus Medicis conſcripta.

*Ubi de Ligno Indico, Salſa Perilla, Radice Chynæ, Argento vivo; cæteriſque rebus omnibus ad hujus luis profligationem inventis, diffuſiſſima tractatio habetur.*

Opus hac noſtra Ætate, qua

## MORBI GALLICI

vis paſſim vagatur, apprimé neceſſarium:

*AB EXCELLENTISSIMO*

## ALOYSIO LUISINO

Utinenſi, Medico celeberrimo noviſſimé collectum.

*Indice rerum omnium ſcitu dignarum adornatum.*

Editio longè emendatior, & ab innumeris mendis repurgata.

*TOMUS SECUNDUS.*

*LUGDUNI BATAVORUM,*

Apud { JOHAN. ARNOLD. LANGERAK, ET JOHAN. & HERM. VERBEEK, } Bibliop.

MDCCXXVIII.

# BERNARDINO TOMITANO,

## PATAVINO CIVI,

## PHILOSOPHO EXIMIO,

## MEDICOQUE OPTIMO,

# ALOYSIUS LUISINUS,

*UTINENSIS MEDICUS.*

MUltum ſane contulit ſemper Patavina Urbs tua, Tomitane clariſſime, primaſque adeo tenuit in alendis optimis ſtudiis, liberalibuſque artibus provehendis. tulit enim ea omnibus ſæculis, qui floruerunt in arte oratoria, in poëtica, in hiſtoria, dialectica, philoſophia, mathematica, medicina, theologia, & cæteris omnibus facultatibus, quibus celebres viri fiunt, quicunque vel unam ex his modo ſibi comparant. At longe hac tempeſtate magis quam prioribus ſæculis illius ſplendor effulſit, alias enim aliquem produxit oratorem, hiſtoricum aliquem, hunc poëtam, illum dialecticum, & philoſophum, alium mathematicum, medicum alium, theologum alium, aut ſingulis duntaxat ornatum reliquis ſcientiis. Hoc autem ævo te non ſine magno hominum ſtupore excitavit, in quem unum cumulatiſſime omnia ſimul congeſta ſunt, perpetuis tibi lucubrationum tuarum ærumnis comparata. Nemo enim eſt qui neſciat, ſummum te eſſe Oratorem, celebrem Hiſtoricum, illuſtrem Poëtam, argutum Dialecticum, ſingularem Philoſophum, profundum Mathematicum, optimum Medicum, orthodoxum Theologum, & aliis multis, quas libens prætereo, dotatum præclaris facultatibus, ita ut & ingenii felicitate, & judicii certitudine, & doctrinæ ſoliditate, Patavini nominis Phœnix, omnium calculis, hodie ſis. Nec me profecto pigeret in præſentia hujuſce rei demonſtrationem ſuſcipere, niſi jam lippis notum eſſet, & tonſoribus, quantus in cathedra ſis, quantus in colloquiis, quantus in ſcribendo, quantus in exercenda medicina. Audierunt

dierunt te totius orbis nationes, publice per multos annos illic legentem, in quo legendi munere talis habitus es Dialecticus, talis Philosophus, talis Mathematicus, ut admirationi omnibus penitus fueris. Dum inter amicos, qui te adeunt, domi tuæ es, quis te Historicus memoratior? quis te eminentior Theologus? Dum scribis, quis te poëta cultior? quis te orator facundior? Dum mederis, nonne ita ægrotos sanas, ut eorum ἰδιοσυγκρασίαν (cujus cognitionem tantopore Galenus exoptabat) adeptus videaris? Sed ut alias omnes tuas medelas dimittam, certe in curatione morbi Gallici ejusmodi es, ut qui alia medendi methodo, quam quæ tua est, incedat, jure illis comparandus sit, qui nocte intempesta per loca difficilia iter habentes, sæpenumero in lapides impingunt. Quod igitur opus hoc tuum, sane aureum, ad nos miseris, gratias tibi cumulatissimas agimus, agent eas tibi pariter imposterum Italus, Gallus, Hispanus, Germanus, cæteræque omnes gentes, apud quas literæ coluntur, & morbi Gallici vis pervasit, atque adeo fore spero, ut quemadmodum ex Polycleti Canone artifices lineamenta artis petiverunt, velut à lege quadam, solum hominum ipsum artem feciſſe artis opere judicantes, sic ex opere hoc tuo præcipue, reliqui Medici documenta, curando morbo Gallico maxime opportuna, petituri sint. Cæterum dum hæc tecum ago familiariter Tomitane præstantissime, laudum tuarum studiosus, minime equidem adverteram, in labyrinthum me Creticum imprudenter illapsum esse, pedem igitur inde subtraham, ne Minotauri impetu, hoc est difficultatis magnitudine, temere illuc, sine clava, ac pice ingressus, Ariadnæque filo destitutus, collidar. Vale, & Luisinum jampridem tuum, qui te plurimum colit, & observat, ut facis, dilige. Venetiis MDLXVII.

PE-

# GABRIELIS FALLOPII, *Mutinenſis*, DE MORBO GALLICO, TRACTATUS.

## CAP. I.

*Præfatio de origine ejus.*

HOc eſt perpetuum, & æternum dogma; quod propter peccatum advenit mors, & propter errorem pœna. Hinc factum eſt, quod Deus ſæpe morbis caſtigavit peccata noſtra. Nam legimus apud ſcriptores, plures fuiſſe ægritudines repente invadentes nunc Italiam, nunc alias vel Europæ, vel cæterarum mundi partium regiones: incommodaque tulere non pauca, & maxime quæ contagio diſperguntur; & præcipue quæ Veneris conjunctione, aut oſculi ſuavitate infiguntur. Nam legimus in Hiſtoriis, ab Ægypto, Victorem Pompejum cum triumpho detuliſſe lepram. Tota Hebraica lex, omnis regio Ægyptiaca ſciebat, quid eſſet Elephantieus morbus, ignorabant Itali, Galli, Germani, &c. Infecta eſt primum Româ totius mundi emporium, poſtea cæteræ regiones, mitior deinde eſt effectus morbus, non tamen adeo, quin conjugem & familiam omnem infectet. Non eſt dubium his ante temporibus, cum Romanæ luxuriæ creviſſent, Imperante CLAUD. TIB. CÆS. à Perſino equite Rom. ſcriba Quæſtoris, delatam fuiſſe ab Aſia impetiginem, communicatam Hiſpanis, Gallis, & toti Europæ. In primis temporibus adeo ſævus erat morbus, ut ad ignis venerint curationem; poſtea mitior factus, ac nobis magis familiaris ſanari cœpit. Hinc miror de Fuchſio alioquin homine doctiſſimo, qui *ſecundo lib. parad.* 17. reprehendit Plinium, dicens Hippocratem pluries mentionem feciſſe impetiginis, ideoque morbum novum non fuiſſe tempore Tib. Cæſ. Non eſt accuſandus Plin. quoniam fuit diligentiſſimus hiſtoricus. Hippocr. fuit Cous. Coum autem inter inſulas Aſiæ à Ptol. numeratur. Hippoc. igitur fuit Aſiaticus, non Europæus. Morbus ergo antiquus Aſiæ, novus fuit Europæ. merito ergo cum Plin. teneo. Furunculorum aliquando genus contagioſum, dum vigeret adhuc Reſp. Luc. PAUL. & QUINT. Mart. COSS. delatum pariter hoc novum genus morbi ad alias nationes. Cum hoc factum videamus ſuperiori ætate, cumque noſtra tempora majora peccata habeant (cauſam hujus explicandam relinquo Theologis, tantum hoc dico, quod contingunt propter peccata ægritudines) merito & DEUS tentavit caſtigare nos flagellis novis, noviſque generibus affectuum, inter quæ fuit illud quod Peticulas vocamus: neque eſt 40. annus, quo audita eſt lues iſta. aderant febres pellilentes, ſed non cum peticulis iſtis. Noviſſimum eſt, quod præ manibus habemus, & morbum Gallicum, ſeu Gallicam ſcabiem appellamus, miſſum à Deo ut timidiores facti, Veneris luxuriem relinquamus, & ſtudiis non ſolum literarum, ſed etiam bonarum artium incumbamus. Nec dubitandum eſt, ſi novus ſit necne, quoniam temporibus noſtrorum patrum nondum repertus, nondum auditus, tunc temporis elephantias graſſabatur. Jam una excepta Gallia, in qua plurimi ſunt Elephantici, in Italia, & reliquis regionibus rariſſimi ſunt. Inſtituta hoſpitalia Divi Lazari vacant fere cuncta, Gallica ſcabies corrodit omnia. Hæc invaſit nos anno 94. ſupra 1400. & videte originem. CAROLUS Imperator ſummæ authoritatis, atque ingenii ardentiſſimi (Imperatorem voco exercitus Ducem) cum gliſceret animus ejus in bellum, convocato eo anno maximo exercitu, invaſit Italiam, & ſub ejus Imperio ſubacto Mediolanenſi Ducatu, Hetruria tota, & cedentibus rebus publicis Florent. &c. Romam invaſit, inde Neapolim, de jure hæreditario ſibi putans competere, cum exercitu maximo octuaginta mille militum aggredi tentavit. Tunc temporis apparuit hic morbus. Et quoniam primum milites Venerei ſunt, mala victus ratione utuntur, Galli & cibariis, & potibus indulgent, hinc factum eſt, ut ita graſſaretur iſta lues in hoc exercitu, ut fere omnes laborarint. Illinc diſſipata per Italiam, revilit Hiſpanos, atque Germaniam peragravit. Quæret quis, an ſubortus in exercitu, vel ipſi aliunde ſit communicatus affectus? dico communicatum fuiſſe, nec ab eo cœlo originem traxiſſe. Nam inter Januenſes

*Plin. libro 26. cap. 1.*

A nobili ingenio fuit Chriſtophorus Columbus, qui Colonus à Petro Martyre diligenti rerum Indicarum ſcriptore vocatur. Hic in re nautica exercitatus valde, non ſolum in his maribus, quæ ambitum noſtræ terræ circuunt, ſed in latiori, & exteriori Oceano, cum pelagus ingrederetur Atlanticum, percipiebat ventos magnos flantes, & diuturnos, qui orti à partibus occiduis Europam verſus advolabant, Hiſpaniam ſcilicet, atque Africam. Hac experientia actus dicebat, à mari attolluntur halitus, & fiunt venti, ſed non diuturni: veſpertina hora inſurgunt, & perdurant uſque ad mediam noctem, ſed quod per tres, ſex, aut novem dies perſeverent, hoc non fit à mari, ſed à terra, at ab illo mari occiduo etiam quindecim diebus durabant, ergo neceſſarium eſt oriri à terra, quæ diſtet quidem, ſed non longe. Hæc ratio philoſophica eſt, & vera; quoniam non poteſt ab aquis exſurgere ſicca exhalatio, diuturna ventorum materia. arguebat ergo, eſt terra non valde diſtans. ratio eſt, quoniam ſi hujuſmodi terra valde diſtaret, diſſiparentur venti trium dierum, & non poſſent pervenire ad hujuſmodi partes. Declaro; poterat eſſe ut pars noſtra habitata, & India Orientalis produceret ventos, qui longo circuitu recurrerent ad Occidentem, ſed longus eſt tractus, ideo diſſipati eſſent à vapore longo maris, & continuo, ergo ultra Oceanum terra eſt non longe diſtans. Hoc ita conſtituto vir ille admirabilis ſatis ſibi confidens, intrepidus, ad Ferdinandum & HELISABETH Reges Caſtell. acceſſit, communicavitque conſilium ſuum. Reges illi prudentes, & liberales cum cognoviſſent certa argumenta Columbi, ſubminiſtrarunt Liburnicam unam, & Celoces tres, omni genere annonæ, armamentorumque communitas, & primus fuit, qui Indiam viderit occidentalem, quique novam terram ſalutavit. Invenit ſolidum, infinitas Inſulas, homines ſylveſtres, atque incultos, auri, argentique Theſauros. & ſciatis quod niſi tanta moles Auri illinc ad nos delata eſſet, ejus tam immenſam copiam non videremus. & quamvis Hiſpanis imponamus, & ſuis Indiis nihil boni delatum, tamen falſum eſt. Inventum eſt certe pretioſiſſimum metallum, inde delata eſt copia, & ingens Margaritarum magnitudo, ſed eſt etiam adjuncta ſpina, atque aloës melli admixta. Detulit enim Columbus triremes Gallica lue refertas. ibi mitis eſt morbus, & inſtar ſcabiei, ſed ad noſtrum veniens orbem ita ferus, ita immitis factus, ut caput, oculos, naſum, palatum, cutim, carnem, oſſa, ligamenta, viſcera tandem omnia infeſtet, inficiat, corrumpat. Columbus rediit in Hiſpaniam 94. anno. Nam Kalendis Septemb. 92. cœpta eſt navigatio. duo anni abſumpti partim eundo, partim inveſtigando, partim redeundo; & quia ſecum reduxit milites non tanto auro quanto morbo onuſtos, hi aliis partem mercis communicarunt, qui in Italicis expeditionibus ſtipendia ſumpſerunt, cum fieret illa maxima obſidio Urbis Neapol. ubi pater meus affuit, Hiſpani caliditſimi, atque cauti milites, qui gladiis hoſtes, dolis, & arte offendunt, (nam dolus an virtus quis in hoſte requirat?) cum ipſi eſſent pauci, Gallorum vero numerus propemodum infinitus, nocte egrediebantur relinquentes propria præſidia, & puteos venenabant. Nec ſatis hoc erat, Italos Pictores in exercitu adverſo degentes pretio corruperunt, qui gypſum pani admiſcebant. Tertio, cum vim contagioſi affectus cognoviſſent, ob annonæ caritatem gentem inutilem propellentes, clam ſcorta, & ea quidem formoſiſſima, ab urbe expulerunt. Galli affecti erga mulieres, ducti pulchritudine, egeſtate coacti, illas exceperunt: libentiſſime luxuriarunt cum eis infrenes juvenes, & ita paſſim totus exercitus infectus. Hac ratione apparuit ibi hoc novum morbi genus, poſtea totam Europam infecit. Cujus tractationem ego jam inſtituo, & eam diſtinguam in quinque capita, primum erit de nomine morbi vario. ſecundum erit, cum ego dixerim eſſe novum, an ſententia eorum vera ſit, qui dicunt eſſe antiquum, & diſputabo, an poſſit conjungi cum morbo antiquorum aliquo, necne. Tertio diſputabo quid ſit, quæ forma ſit, quæ cauſa ſit ejus, & cur infinita habeat ſymptomata, & cum Proteus ſit in varias, atque varias ſefe monſtrans figuras, an ſit unus, vel plures. Præterea explicabo ſigna, & ſymptomata cognoſcendi morbum. in quarto

*Munſt. ſcribit Col. Reges deriſiſſe tandem peractis annis 8. expertos hominis ingenium.*

 de-

docebo curationem integram ejus potu, ſuffumigiis, exercitatione, & inunctionibus. In quinto omnium ſymptomatum, quæ multa ſunt, curationem perſtringam. ſed agamus jam de Nomine ipſo.

## CAP. II.

### *De Nominibus variis morbi Gallici.*

*Magnam variolam Galli non infacete nominant. Neapolitanum etiam ab ſe invenſſſputant.*

In materia morbi Gallici propoſita ſunt capita diſcutienda, inter quæ primum locum habent nomina ejus, quæ ſunt principium, fons, & origo omnis noſtræ cognitionis: & hæc non ſimplicia ſunt, ſed ſicut morbus univerſæ Europæ communis, ita varias ſortitus eſt appellationes. Unde Itali Gallicum vocant, & variolam Gallicam ratione dicta, quia in Gallis primum apparuit. Galli ſcabiem, vel morbum Italicum vocant, quia revera in Italia primum infecti ſunt, hincque tanquam præmium victoriæ partæ hanc pretioſam mercem in Regiones ſuas detulerunt. vocant quinetiam Hiſpanicam ſcabiem, quoniam affectus ab Hiſpanis communicatus eſt. Germani & ipſi habent proprias voces; nam apud aliquos mevium reperietis, & ita ego legi apud aliquos ſcriptores Germanos. appellationis cauſa non ita conſtat, niſi dicamus, quod mevium ſignificet partes obſcœnas invaſas morbo, mevium enim obſcœnum eſt. Hiſpanicam etiam ſcabiem nominant. In Hiſpania morbum Neapolitanum & hujus auditis cauſam, quia primum in obſidione Neapolis floruit morbus. Vocant etiam Paturſa. fortaſſe eſt nomen hoc proprium in India, à quibuſdam interpretatur morbus, magnus, fœdus, & violentus. Aliqui ad imitationem antiquorum ſcriptorum, (qui ſolebant lichenem Mentagram appellare, eo quod agreſti modo mentum primum invaderet, poſtea faciem quidem, collum, pectus, manusque fœdo quodam furfure occupat) pudendagram vocant; quia primum inficit pudenda & fœminea, & virilia. Hieronymus Fracaſtorius, Philoſophus, Medicus, Mathematicus, & Poëta excellentiſſimus (quæ ſpecies laudis non ita multis conveniunt) dum juniori eſſet in ætate ſcripſit Poëma de morbo Gallico ita jucundum, ita venuſtum, ut plurimi cum antiquis conferant. Hic vocavit ſiphila morbum iſtum, quia ex amore, & conjunctione Veneris inter hominem, & fœminam ut plurimum ſuboritur. Et ita ſiphilis, quaſi concordiæ & amicitiæ Veneræ partus appellatur. ſed quicquid ſit non refert, dummodo ſciamus his nominibus talem ſpeciem morbi ſignificari.

*Plin. lib. 26. cap. 1.*

*Apud Malabares verbis ſi pua dicitur.*

## CAP. III.

### *An Novus, an antiquus ſit morbus iſte: & primo an idem cum lepra Arabum.*

Modo oportet ut ſecundum contemplemur, an ſcilicet hic morbus ſit ex illis, de quibus antiqui tractarunt, vel non. Magna eſt lis inter medicos de hac re. Aliqui tenent non eſſe novum, ſed à veteribus dependere, alii novum defendunt. Et primi fuere dicentes Græcorum eſſe elephantiaſim, lepramque Arabum. Et quamvis mutarit vocem, non mutavit tamen naturam, & ſymptomata. Præcipue autem hoc rethorico argumento moventur, quod in adventu Gallici morbi ceſſavit elephantias. unde pſenodochia Divi Lazari vacant, & inſtituta ſunt ſancti Jobi, in quibus colliguntur Gallico laborantes. Sed poſtea adiunt indicia, quæ ſumuntur à natura, & ſymptomatibus, & primum eadem eſt ratio contagii in utroque, ſi quis ſudet in lecto cum infecto, ſi quis os ori jungat, ſi coiverit cum muliere infecta, inficitur Gallico, ſicuti lepra inficiebatur. Secundo ſi nos obſervemus, quæ ſolent ſuboriri in elephantiaſi (quamvis hujuſmodi affectum non viderimus) erunt eadem cum his, quæ in Gallico ſuboriuntur. ſi conſulamus Biblia, inveniemus ſuboriri puſtulas albicantes, exaſperantes corium, & hoc etiam à ſcriptoribus notatur fieri in lue Gallica, & elephantiaſi, ergo non poſſumus negare eſſe idem genus morbi. Addatis tertio, quod in lepra decidunt pili non ſolum capitis & barbæ, ſed univerſum corpus depile redditur: hoc autem ſymptoma in Gallica ſcabie deterret mulieres: & homines valde. Ideo merito dicimus utrumque morbum unum & eundem eſſe. His rationibus colligunt aliqui ex ſuperioribus medicis morbum Gallicum eſſe elephantiaſim. Verum mea ſententia decipiuntur, quia video toto cœlo diſtare morbos iſtos, & utinam elephantias ita periiſſet, ut non reperiretur, quoniam arte inſuperabilis morbus. Gallicus ſuperatur, & noſtris temporibus ita mitis, ita familiaris effectus, ut (ſicut demonſtrationibus probabo, licet doctiſſimi viri adverſentur, atque propterea errent) ex toto, & maxima cum facilitate ſuperetur. Hac igitur ratione colligo, non eſſe unum & idem genus morbi. Præterea morbo elephantiaco ſemper filii naſcuntur infecti, at in Gallico raro hoc fit, ergo non eſt idem morbus. Sed videte alias differentias. primo in elephantiaco ſub lingua oriuntur tubercula, & glandulæ ſub auribus, at in Gallico non eſt hoc. præterea in elephantico tota cutis redditur oſtracoſa, quæ obducit univerſum corpus, non oriuntur puſtulæ tantum, ut in Gallico. addatis in elephantiaſi ſupervenit Satyriaſis, ardor quidam coëundi, unde elephantici ſemper cupiunt coitum, viceverſa in Gallicis appetitus deperditur, non quia territi ſunt, ſed quoniam non adeſt tentigo, ut in leproſis frequenter accidit; & ideo lepra ſatyriaſis dicta eſt, quia ſatyrorum more luxuriant, vel quia facies turpis ut in ſatyris. Qua ratione cum videam hæc, ideo nequaquam colligo morbum Gallicum eſſe lepram. Sed dicet quis, ſuperveniente Gallico, ceſſavit elephantiacus, ſunt nugæ, nam quamvis in Italia non ſint copiæ magnæ elephanticorum, tamen poſſumus videre aliquos. Præterea accedat quis veſtrum in Gallias, & videbit copioſa hoſpitalia elephantiaca: ego interea mirabar, dum peragrarem regionem illam, non erat minimus pagus, in quo non eſſent elephanticorum hoſpitia. & tamen in Gallia eſt infinita fere Gallicorum multitudo. Præterea ratio illa non valet, morbus iſte contagioſus eſt ut lepra, ergo lepra, phthiſis, ulcus pulmonum, ſcabies quæque contagioſa eſt, & tamen iſtas lepras non appellamus. Addatis. in Gallico puſtulæ & ſquamæ rotundæ oriuntur, at in lepra in principio ſubrubræ, in fine albæ, & oſtracoſæ ſunt. Addatis, in morbo Gallico nunquam omnes partes inficiuntur, aliquot ſanæ reperiuntur particulæ, quæ corii naturam ſervant, licet tota maſſa ſanguinea, totumque corpus inficiatur: at in lepra non invenietis niſi cinericium colorem, & oſtracoſum in tota cuti. Addatis & rationem pilorum. verum eſt quod in morbo Gallico cadunt pili, barba, ſupercilia, capilli, ſed non axillarum, nec inguinum niſi rariſſime: in lepra cadunt omnes pili, imo incipit caſus ab axillis, pariter à pudendis: & hoc in omnibus procedente morbo. ergo non colligemus à caſu pilorum eſſe morbum eundem. In lepra cadunt pili, quia incipiunt cruſtæ, quæ ſunt in cauſa, ut cadant pili; vel exaſperatur cutis, at in morbo Gallico videtis cutem lenem, levigatam, imo pleniorem, turgidiorem, & ſupervenit defluvium pilorum. cum ergo nihil patiatur ad ſenſum corium Gallici, in elephanticis patiatur, quis erit tam ſtupidus, qui eundem eſſe affectum ſuſtentare audeat? itaque qui collegêre morbum Gallicum eſſe lepram, decepti ſunt mea ſententia, & ideo dicamus eſſe diſtinctum ab omnibus lepris.

*Scal. ad gar. exer. 199. refert. ſe vidiſſe linguam hominis cuidam adeo grandem ut mendacii ſuſpicione ſilentium indicet, præterea manum fœmina duplo altera majorem ob eleph.*

## CAP. IV

### *Quod non ſit ſahafatum Avicennæ.*

Alii fuerunt, qui cum viderent morbum Gallicum inficere caput, dixerunt eſſe Avicen. ſahafatum, de quo ego mentionem feci inter ſpecies ſcabiei. Sahafatum dicebam eſſe duplex, vel inficiens univerſum corpus, (quod eſt lichen Græcorum) vel tantum caput, quod voluerunt eſſe Gallicum. moventur hac ratione quoniam primum cruſtis inficitur caput, poſtea ſuccedit caſus pilorum, qui nunquam renaſcuntur, demum ſuccedit dolor capitis, & gravitas. Præterea eſt contagioſus affectus, ergo eſt morbus Gallicus. Domini nec poſſum ſententiam hanc probare: & primum quod me movet eſt, quoniam nos certo ſcimus quid ſit ſahafatum. iſti cum ignorarent, ſahafatum & Gallicum dixerunt eſſe eundem morbum; ſed ego hæc recte novi. Sahafaro omnis turba Heronum laborat, quæ tinea vulgo appellatur. Nam in iſta primum incipit rubere cutis, deinde exaſperari, tertio fervere, quarto cruſta obduci, quinto fit deciſio pilorum, ſexto fiunt foramina parva. at in Gallico non primum rubor apparet, non exaſperatur corium ſine ſubortu puſtularum, exaſperatur per accidens ratione cruſtarum ſupernaſcentium. Præterea cadunt pili, ſed utplurimum renaſcuntur. in ſahafato vero difficilis eſt renatio. multos vidi, qui laborant Gallico, novas pennas induiſſe, licet in aliquibus nunquam renaſci potuerint, at in ſahafato nunquam renaſcuntur. Præterea multa ſunt ſymptomata Gallici, quæ non accidunt ſahafato, & ideo male dicunt, qui tenent Gallicum, & ſahafatum idem eſſe.

*Lib. 4. fen. 7. tract. 3. cap. 1.*

*Impugnatio*

## CAP. V.

### *An Gallicus cum Alboti ſit idem.*

Superſunt illi, qui volunt eſſe albotim, quæ eſt ſpecies morbi, de qua Avicen. *libro quarto fen. 7. tract. 3.* quæ eadem eſt cum Termintho Græcorum, de quo Actius & Paul. & domini vocatur Terminthus hac ratione, quia ſuboriuntur cruſtulæ in cruribus, quæ videntur veluti grana

*Tertia opinio.*

*Act. lib. 4. cap. 62. Paul. lib. 4. c. 24.*

grana Terebinthi, unde Arabes Terebinthinam vocant lacrymam albotis. Hanc voluere aliqui esse morbum Gallicum, quia in morbo Gallico circa crura quædam subrubræ pustulæ oriuntur, quæ assimilantur granis dictis. *Impugnatio.* Quamvis hoc symptoma reperiatur in morbo Gallico, tamen non est idem cum Alboti, quia in alboti tantum crura patiuntur: in Gallico corpus universum. deinde omnes Chirurgi norunt, quid sit malum mortuum recentiorum, istud est albotis, de quo nos loquimur, omnes uno ore negabunt esse eandem speciem morbi. Ideo & hi decipiuntur. Quidam alii voluere, quod esset ignis Persicus, ignis sacer, pruna, anthrax. Sed hi toto cœlo errant, ideo eorum opinio contemnenda est, propterea neque etiam confutanda.

## CAP. VI.

### *Quod non sit dolor articularis, nec Variolæ, nec Psora.*

In morbo Gallico dolores articulorum insignes oriuntur, ideo aliqui voluerunt esse morbum articularem. ratio probabilis videtur. tamen aliis supervenientibus symptomatibus cognoscimus diversos esse affectus. in podagrico enim morbo tophi sunt gypsei, in Gallico ossei. Gummata etiam differunt, & multa alia. Sunt qui hunc morbum variolas appellarint: sed cum constet variolas esse puerilem affectum, Gallicum vero omnis ætatis, sed potissimum juventutis, ideo hi graviter delinquunt. aliqui Psoram esse dixerunt, validis colligentes hoc rationibus, primo quoniam pustulæ rotundæ, & subrubræ in utroque oriuntur. secundo quia in ambobus decidunt squamæ, sed non adest pruritus ita insignis in Gallico. Præterea in Gallico decidunt pili non ratione crustæ, ut in Psora. Præterea non definit Gallicus in Elephantiasim, sicut Psora male tractata. Præterea in Gall. adsunt dolores articulorum, ulcera pudendorum, tumores ateromatici, corruptio ossium, & putredo, quæ in Psora non adsunt. Præterea crustæ Psoræ corrumpunt penitus subjectam carnem, in Gall. sæpe cadunt manente illæsa carne. Præterea in morbo Gallico sunt aliqui lichenes, qui non sunt in Psora.

## CAP. VII.

### *Quod non sit communis, nec æstivus epidemialis contra Leonicenum.*

*Leon. opinio.* Qui majoris nominis sunt, veluti Leonicenus, qui ex inferis artem medicam revocavit, quique cum summus esset philosophus multa docuit, multa scripsit, multaque illustravit, cum quo quem conferamus non habemus, quoniam suis temporibus cœpit morbus hic pullulare, peculiarem edidit de hoc tractationem, & voluit esse morbum communem, & epidemialem æstivum, quia habet easdem causas, quas habent morbi epidemiales. hac ratione quoniam videbat plurimos omnium generum infectos esse, senes, viros, juvenes, & adolescentes, fœminas, & puellas, hinc colligebat esse epidemialem. æstivum autem habebat ex Hippoc. *tertio aphoris.* 21. ubi loquens de morbis æstivis numerabat inter eos putredines pudendorum, Glans in Gallico exulceratur, præputium patitur, ideo morbus æstivus est appellandus. Vir ille doctissimus reperiebat etiam causam communem hujus morbi, & dicebat inundationes aquarum corrumpere aerem, atque æstivo tempore parere morbos, at temporibus Alexandri Pontificis, in quibus apparuit hic morbus, factum est illud diluvium, quod pene totam Romam submersit, ideo aer putredine infectus jure hunc procreavit affectum. Quod autem inundationes hos faciant morbos probatur. Nam Pelagio Pontif. regnante, post diluvium pestis successit, & invalit scabies, quam nemo medicus vincere poterat. Idem Bonif. 4. Pontif. evenit. His igitur rationibus merito concludebat, hunc morbum Epidemialem atque æstivum esse.

*Astrologorum confirmatio.* Sed addatis sententiam Astrologorum hoc confirmantium. dicunt enim hoc factum motu, & lumine astrorum, & ita cum genitus sit morbus ab astris, & aere corrupto, non possumus negare esse epidemialem. Quod astra hoc fecerint, probant, & dicunt quod anno 1483. facta est constellatio pessima, & diabolica. nam Idibus Octobris hora secunda post meridiem coivere simul Mars, Jupiter, Sol, & Mercurius in Libra, in octava totius hemisphærii domo, quæ dicitur domus ægritudinis. Præterea ajunt Jovem fuisse combustum, quod pessimum est. Præterea eodem anno Kalendis Novembris, in eadem domo, & signo, conjunctæ sunt Martis, & Veneris stellæ, præterea Jovis & Veneris coitus factus est ibidem. Eodem præterea infelici anno, Luna duas passa est eclipses, alteram in Tauro, alteram in Scorpione, quæ maxima mala, & pessima tormenta portendunt. Ideo hic morbus Gallicus cum malum sit, & pessimum genus affectus, & cum sequutus sit illa tempora, eundem prænunciabant astra illa. his igitur rationibus nos Leon. confirmamus sententiam: quod sit epidemialis. Hæc sententia falsa est apud me, & primum causam Astronomorum leviorem dico, quod quamvis astra agant in inferioribus motu, & lumine. Lumine, quia variis reflexis, atque directis luminibus variæ fiunt concoctiones in inferioribus: motu, quia dum moventur, rapiunt inferiora, excepta terra, & ideo de necessitate fiunt attritiones, & collisiones, & ita excitatur levis tepor, qui est in causa multarum generationum, & corruptionum, hoc ego credo. tamen postea quod illos aspectus debeat medicus observare, non credo. potest magis cantaros, & urinales contemplari quam cœlum. at dictis vos. Hi futura præsentiunt, scitis quare? quia semper loquuntur. hinc Melancholici dicebat Arist. sæpe divinant, quia plurimum loquuntur, si pauca dicerent, nunquam fortasse divinarent. Dico ergo, quod quamvis sidera hæc agant motu, & lumine, tamen ille aspectus 83. anni, non fuit in causa Gallici, qui apparuit 94. anno. Mirum est quod astra ita prægnantem ederint naturam, ut partus nonnisi post 9. annum apparuerit. Præterea demus, quod hoc aspectu hæc facta sint, non video, cur, cum stellæ non sint in eodem coitu, jam non cessat morbus ille, cum epidemicus sit, debet habere causam præsentem, aut saltem propinquam. Addatis tertio, si ab illo aspectu facta esset ægritudo hæc, & ab illo adhuc foveretur, sequeretur, quod omnes actiones, quæ proveniunt ab astris, semper durarent, & tamen videmus hoc non fieri. agitur enim jam 80. annus ferme, & tamen adhuc perdurat, ergo non ortus ratione aspectuum. Præterea si siderum aspectus fuit hujus valetudinis causa, quot boni aspectus successere? facti sunt plures affectus in domo sanitatis, & optimi, cur morbus hic non est destructus ex toto? De causa autem illa, hoc est de diluvio. audiatis quid sit dicendum, notando quæ dicam, altiuscule tamen repetita. Nos dividimus morbos in communes, & non communes. communes sunt duum generum. communis, qui universum corpus invadit, veluti febris, lepra &c. febris enim est calor præter naturam accedens ad naturam ignis, quo primum læditur cor &c. Pariter lepra tota intima viscera & corium exterius inficit, de hoc non loquimur. Præterea est morbus communis apud Galen. in *principio epidem.* & est ille, qui habet quandam conjunctionem, & societatem inter se, exempli gratia, mille homines laborant eodem morbo, puta febre, cum hujusmodi febris in isto, & in isto, & in illo habeat communitatem, & consensum, vocamus communem morbum, & hi dicuntur in *libro de natura Humana* communes, & valde communes. à Galen. in *præf. epidem.* valde populares. illorum communium morborum talis est natura, ut plurimos homines simul, & semel eodem tempore corripiant, & simul, & semel desinant. secundo ut hoc fiat in eadem regione. tertio ut servata communi quadam ratione, & natura reperiantur in omnibus. Epidemialis enim morbus communis est, ut infra dicemus. Huic morbo opponitur ille, qui vocatur à Græcis sporadicus; id est, dispersus, quia dispergitur, & disseminatur. Ita nos dicimus, morborum alium esse communem, alium dispersum. si plurimi laborant ægritudine in hac urbe, cum tamen singuli suo infestentur affectu, isti morbi non communes, sed dispersi sunt, quia sunt distinctæ speciei: exemplum; si hoc primo vere suboriantur febres tertianæ, & senes, viri, juvenes, adolescentes, atque pueri, tam mares quam fœmellæ his graventur, tique sint simplices, idem principium, eundem insultum, eademque habeant declinationes, nos vocamus communes. si contra aliqui tertiana exquisita, aliqui duplicata, aliquot quotidiana vexentur, non communis morbus, sed sporadicus dicetur, id est dispersus. sed revertamur ad communes. ex his aliquot sunt perpetui, aliquot temporanei. Temporanei sunt, ut quum æstate plurimi uno morbo afficiuntur communi, qui postea cessat autumno superveniente, si vero non cessat, perpetuus est. exempli gratia, Pisis tumor & durities splenis perpetuo durant. In portu laboris, qui dicitur vulgo portolabrone, nemo est, qui non laboret regio morbo: ex 100. hominibus vix unum immunem eximes. Viceversa annis superioribus Patavii grassabatur pestilens febris in æstate, at hyeme cessavit. Hæc temporanea fuit affectio: illa æterna, & perpetua. Sed quæ est causa istius perpetuitatis? non nisi perpetuitas, & præsentia causæ. existente causa perpetua, morbus perpetuo tempore durat: si causa abeat, cessat ægritudo. Sed quæ sunt causæ, quæ potissimum faciunt morbos communes? Ego reperio in Hippocrate tria. oblata scilicet ipsi corpori, actiones humanas, & extrinsecus advenientia. si hæc perpetua sunt, perpetuo conservant affectum. sed oblata quæ sunt? Respondeo ex authoritate Hippoc. esse aquam potissimum. causa est, quia hac aluntur plantæ, quibus

vescimur nos, & bruta, hac abluuntur corpora, hanc bibimus, hac fercula paramus. Addatis, inter extranea est ambiens aër, atque locus. de actionibus multa dici possunt; sed non solent actiones esse causæ potissimæ morbi communis. si igitur hæc adsunt, necessario fiunt morbi communes. Nam si aër alicujus regionis perpetuo crassus, solum humidum, aqua perpetuo mala, semper perseverant diuturnæ, ac inexstinguibiles affectiones. aër Pisis semper malus est ratione cujusdam reflexionis, quæ fit à Montibus sancti Juliani à tergo positis. ex his enim reflectitur aër aquæ Maris. Præterea Arnus stagnat, ibi diu lacus putres generans, ob miscelam aquæ marinæ cum fluviatili. addatis quod etiam solum ipsum malum est, & nisi quotannis putei expurgentur, semper coenum redolent, & malum sapiunt odorem. ideo cum hoc sit perpetuum, perpetui sunt ibi morbi communes, qui Endemici à Galen. & aliis scriptoribus appellantur, vel Endemiales, non dico Epidemicos. sed accidit, ut istæ tres causæ non perpetuæ sint, sed ab adventitia natura mala, quæ si definit, fiunt morbi communes non perpetui, & sunt illi, qui à Galen. Epidemi, Epidemii, & Epidemici vocantur, à nobis epidemiales. cessant hi, quoniam perpetuæ non sunt causæ. cum autem communes sint causæ, communes sunt morbi. ista tria communia sunt, aqua, aër, locus, & quia non perdurant istæ causæ, ideo neque perdurant affectus. Videte igitur differentiam inter Endemicum, & Epidemicum morbum. Endemicus est communis perpetuus. Epidemicus est communis non perpetuus. Verum sciendum, quod rursus epidemialis morbus distinguitur ratione tempestatum anni, quoniam alio morbo epidemico corripietur populus æstate, alio hyeme, & ideo quidam æstivales, quidam dicuntur hyemales, quidam autumnales &c. Iterum distinguimus hujusmodi morbos ratione ipsius moris, & naturæ ægritudinis. aliquæ enim sunt benigni moris, ita ut non interficiant, breves, & acutæ, & vel longæ & mites, & hæ dicuntur epidemiales simpliciter: vel sunt pessimi moris interficientes, vel corrumpentes saltem aliquam partem. præterea etiam contagiosæ sunt, & istæ non simpliciter epidemiales, sed malignæ, & pestilentes dicuntur. Unde omnis pestilentia epidemialis morbus est, sed interficiens, & una cum pernicie conjunctum habens contagium, & dicuntur pestes epidemiales hac ratione. quia omnis morbus, qui pernicioſus est, pestis dici debet, & qui cito sua natura inducit mortem, non interficit hominem sicut venenum extra assumptum. itaque quoties epidemialis morbus corripuerit regionem, & simul interficiat homines, vocamus epidemialem pestilentem, vel pestem epidemialem. Hæc autem exemplo pateant. sit ver valde austrinum, calidum, & humidum, & æstas succesſerit ardens, ex Hippocr. orietur lippitudo, vel scabies, quæ invadunt universum populum. sin autem populus bibat aquam bonam, quæ postea inficietur, oritur epidemialis morbus, veluti accidit sæpe, ac sæpius in castris Præterea si aliquando ducitur populus, vel exercitus de una regione in aliam, corripitur morbo epidemiali. Hoc patuit superioribus annis ex diluviis, qui universam Italiam occuparunt, post sex annos semper epidemiales morbi insurrexere. Hoc ego collegi ex Galen. His constitutis veniamus ad rem nostram. isti dicunt morbum Gallicum esse epidemialem æstivum. Epidemialem, quia nullam habuit rationem ætatum, ideo morbus communis est, concedo, & est epidemialis, nego hoc, quoniam non habet illas causas, quas morbi habent epidemiales. causæ morborum epidemialium tres sunt, aqua, aër, & regio. Gallicus morbus non à solo, non ab aqua, non ab aere, ergo non epidemialis. Dicent, hic ortus est ab astris, quæ infecere aerem, præterea ab aquis infectis in exercitu Gallorum. Rursus diluvium corrupit solum, fontes, & puteos Tempore Alexandri. Præterea exercitus Gallorum ex Gallia migravit in Italiam, ergo propter mutationem loci orta est lues illa. Ad astra dicebam, quod cum constellatio fuerit ante xi. annum, quomodo potuit tandiu perdurare? Imo dico, quod nulla particula illius elementi aeris 83. anni, potuit reperiri in 94. quoniam denuo, ac denuo aqua convertitur in aerem, & aer absumitur abigne. De veneno, quo aquæ infectæ sunt, dico quod orta est pestis gravissima, & febres malignæ in exercitu. & sicut febres, & pestis non fuit perpetua, ita debuisset esse morbus Gallicus. at jam perdurat, nec adhuc abolitus. Ad inundationem dico, quod fuit Romæ tantum, & si fuisset per totam Italiam, nonne tunc orta est pestis? & demus quod Gallicus eodem partu enixus fuerit cum peste illa, nonne una cum peste desiisset? & ideo colligimus falsum esse Gallicum epidemialem esse. Addatis, si ex inundatione oritur morbus Gallicus, cur tempore Pelagii, & aliis, in quibus fuerant inundationes, non denuo ortus est morbus Gallicus? nonne 33. vel 34. anno Clem. Pontif. factum est diluvium Romæ, quod majorem partem ædium dirupit? Dicent non fuere constellationes concomitantes, dico quod sic. nonne erat prædictum hoc, ita ut omnes crediderint futurum universale diluvium, & supplicationes factæ per totam Italiam? tunc aderat morbus Gallicus, & non renovatus, nec sævior factus, imo mitior. Nonne superiori anno Diluvium fuit insigne in tota Flamminia, Hetruria, & Romæ? Quomodo se habuit Vincentia, Verona, Bergomum, & Mediolanum, quæ passæ sunt epid. morbum, & tamen denuo Gallicus non apparuit? nonne fuit mira aquarum copia 51. 52. 53. & 54. anno, & tamen non prorumpit est iste affectus? colligamus igitur non posse dici Epidemialem. Neque est dicendus æstivus, quoniam morbi æstivi breves sunt, & acuti, & si producuntur, ultra æstatem semper mutant naturam. exempli gratia ex simplici tertiana fuit duplicata, & notha, vel quotidiana, vel quartana, nec sine permutatione æstivæ ægritudines longo tempore durant. at in morbo Gallico est status 20. & 30. annorum, video eundem affectum, eademque symptomata.

Sed videatis, quid deceperit istos. Fuit affectio pudendorum quæ incipit: At caries Gallica non est illa putredo, quam refert Hippoc. Sed isti viderant suis temporibus oriri ulcera circa pudenda, quæ calefactiones vocantur. nam ante morbi Gallici ortum, scriptores, ut Guido &c. locuti sunt de his, vel cum Juvenis non mundat glandem, vel quia habet rem Veneream cum muliere menstruata, & tunc oriuntur calefactiones istæ. viderat Leon. has ante Gallicum affectum, quæ æstivæ sunt: vidit postea has prænuntias morbi Gallici, ideo cum dixit esse æstivum. at ego dicam esse maximam differentiam inter carieni, & calefactiones, ut infra patebit. Distinguatis igitur ea ratione, quam vos docebo. Itaque colligatis morbum Gallicum non posse conjungi cum aliquo antiquorum.

## CAP. VIII.

*Quod Gallicus sit morbus novus communis, contagio inductus.*

Sed jam receptui canentes concludamus esse morbum communem, quia habet causam communem, non communissimam, non aquam, non aërem, nec locum, sed actiones hominum, & hæ sunt contactus, & confricatio hominum inter se. Ideo morbi communes alii patrii, alii epidemiales, alii oriuntur ab actione communi hominum, scilicet à contagio, cujus generis est iste morbus, & ob hanc causam novus erit. Jam non possumus novum dicere, quia ferme 100. agitur annus, quo hoc laborat Italia. dicitur autem Novus, quia eum non cognoverunt antiqui Medici. Dictum ergo huc usque est, qua ratione primum eruperit morbus, quive fuerint primi medici, qui talem luem noverunt, & nomen affectui imposuerunt. & quoniam controversia est, an novus an antiquus, rationes, quibus probabant antiquum, adduxi, impugnavi, delevi: oppositas probantes novum, roboravi. & dixi delatum morbum ab Indiis, & per contagium toti Europæ communicatum. Nunc relinquitur ut descendamus ad rem ipsam, ad naturam scilicet ejus; sed præstat prius subjectam speculari materiam.

## CAP. IX.

*De parte quæ primo, & per se laboret, & quod non est communis toti corpori.*

Videndum est quidnam sit ista lues. sed quoniam vel veri Hydra apparet, quæ non unum caput, sed septem habebat, & uno resecto multa renascebantur, sic meritoistius morbi laborat caput, facies, crura, articuli, pudenda &c. ideo necessario quærendum, quænam sit pars, quæ primo & per se laboret, deinde succedet facilis naturæ morbi inquisitio. Posset quis dicere, quod universæ partes corporis sint subjectum: Quod falsissimum est. nam sicut in febre, & aliis communibus morbis auditis, sunt communes morbi, aut respectu corporis universi, aut respectu speciei. respectu speciei, qui uno, & eodem tempore, & senes, & pueros, & viros & fœminas aggreditur. Præterea dicitur communis respectu corporis, ut febris, quæ invadit totum corpus, nam licet cor primo patiatur, tamen totum patitur corpus. At Gallicus morbus corripit omnes particulas corporis, ergo communis est. Sed habetis instantiam, quia aliquando caput, aliquando pudenda, ut in pueris assumentibus lac Gallicosarum mulierum non patiuntur, ideo non possumus tuto affirmare morbum esse communem.

*Prim. de ratione vic. in morb. acut. com 9. & in præf. in primum epid.*

*Prima opinio quod totum corpus sit subjectum.*

*Impugnatio.*

CAP

## CAP. X.

*Quod pars, quæ primo, & per se patitur, non sint pudenda.*

*Secunda opinio quod sint pudenda.*

Si igitur morbus non est communis, quæramus quæ sunt particulæ, quæ primo inficiantur ab ipso morbo? In hoc dissentiunt scriptores, qui varie multa observarunt. quidam tenent esse pudenda, & moventur hac ratione valida, quoniam primum, quod inficitur, vel est sedes ipsa, vel pudendum mulieris, aut viri. cum igitur videant, quod sæpissime per has vias concipitur morbus, & semper remanet vestigium circa pudenda, nili ex toto tollatur lues, ideo illa primo, & per se sunt subjectum. Et quod est hoc vestigium? Ferme semper nisi sanentur, hanc habent conditionem, ut quoties cum muliere digladiantur, etiam si munda sit, excorietur saltem glans. Hoc est genus reliquii. Præterea sanatur caries, post hanc succedit caro dura, callus durus, qui ad annos producitur, nisi ex toto liberetur æger. hoc est secundum. tertium est quoniam in aliquot reperietis, qui ulcere, vel carie Gallica laborarunt, quod suboritur in pudendo, vel per dorsum, vel ad latera, veluti nervus, pars quædam dura, & oblonga usque ad finem valetudinis perseverans. Cum hoc observarint Medici, collegerunt partem præcipuam, atque Regiam affectus hujus sedem esse pudenda. Præterea Gonorrhœa decidit, caries erodit, prorumpunt bubones. Hæc sunt principia, & veluti milites levis armaturæ victorem Gallicum exercitum præcedentes. quis ergo dubitabit subjectam partem primam esse pudenda? Verum quamvis hæc sententia probabilis sit, à me non probatur ratione hac ducto; quoniam multos vidi lue hac laborantes non infectos circa pudenda. nam per intromissam ori linguam, per oscula, per sudores, contactus, & amplexus communicatur ægritudo ista. Præterea solet mulier patiens cariem in palato, communicata saliva, & sanie inficere amicos. cum igitur tot viis introducatur morbus, ergo pudendum non est subjectum proprium. Præterea observabitis in Praxi, puerulum lac matris infectæ sugentem inici, & tamen pudendum nihil pati. Præterea videbitis puerulos nascentes ex fœmina infecta, ut ferant peccata parentum, qui videntur semicocti, veluti Gambari elixi, non habere pudenda infecta: ergo pudenda non propria sedes morbi. Incipit per pudenda; concedo, sed incipit etiam per omnes partes, per quas fit communicatio, sed major communicatio fit in re Venerea per has vias, ideo ut plurimum pullulat morbus per partes istas, non autem proprium subjectum sunt. (causa autem, cur hæ viæ præbeant ut plurimum huic infectioni aditum, est, quia tum propter motum, & fricationem incalescunt partes, & rarefiunt: tum quia obscœnæ sunt calidæ atque humidæ, & ideo facilius putredini viam submistrant.)

*Impugnatio.*

## CAP. XI

*Quod non sit caput proprium subjectum Gallici morbi.*

Alii non levis authoritatis dixerunt, caput esse partem propriam, quæ conficitur morbo, & (ut ingenue fatear) caput ut plurimum laborat, licet non semper. & videmus circa caput majora symptomata, quoniam statim ibi dolores, qui non cedunt medicamentis, ibi flores, & gemmæ orientales, scilicet pustulæ, ibi casus fit capillorum, ibi gummata luxuriant, inde galea, qua cerebrum tegitur, aufertur, & videtis pullantes membranas, veluti si non adesset corium. Præterea in naribus, & faucibus ulcuscula suboriuntur. in ore multa habentur foramina, Tinnitus aurium insuperabilis sentitur. ego non habeo symptoma, quod magis hoc me cruciet, & testor ignorantiam meam, nunquam potui ejus certam invenire ablationem. superavi aliquando vel hoc, vel illo decocto, sed certe non habeo proprium medicamentum. Cum igitur tot symptomata caput infestent, ergo caput est primo, & per se subjectum. Hæc vera sunt, sed quod sit primo & per se subjectum caput, verum non est, quoniam multi Gallico laborant, & non circa caput. Praxis docebit vos. multi enim gonorrhœam, dolores, & gummata circa crura patiuntur, capite semper illæso. Præterea dolores, lichenes circa pedes, & manus suboriuntur, & caput non laborat, ideo hujusmodi affectio non est propria capiti.

*Impugnatio.*

## CAP. XII.

*Quod non sit cutis, nec crura proprium subjectum, contra Leonicenum.*

*Leonicenus opinio.*

Leonicenus dicebat esse morbum cutaneum ut in scabie, lichene, & similibus affectibus apparet, ideo tenebat cutim esse proprium subjectum. Pili hærentes cuti cadunt, & sunt adnati cuti. Præterea pustulæ, lichenes cutim afficiunt, ergo cutis propria pars subjecti. Tamen non videmus hæc omnia in omnibus. quot sunt laborantes à defluvio pilorum immunes? præterea circa caput fit fluxus ille, non circa alias partes, ergo non dicere possumus universam cutim pati. Quare cum non probemus sententias alias, multo minus probabimus, crura esse subjecta (ut falso quidam persuadent) quoniam perpetuum non est, ut semper, quamdiu duret morbus, duret affectio illa. Propria pars subjecta morbi semper necessario patitur donec adest morbus.

*Impugnatio.*

## CAP. XIII.

*Ponitur opinio propria, & concluditur esse hepar.*

Si igitur volumus reperire subjectam partem, oportet eam semper laborantem isto morbo invenire. si unus est morbus, & non communis, necesse est, ut sit unius partis semper laborantis, aliter non esset unus morbus, nec una pars laborans. opus est ergo, ut habeatur pars ista affecta semper: & ad investigandum hoc, absque Galen. præsidiis frustra laboraremus, quæ tria sunt in *primo de loc. affec.* & in *lib. de const. art.* primo est natura partis affectæ, secundo sunt causæ efficientes morbum, tertio sunt symptomata consequentia morbum. Videamus primum. Quoties cernimus constitutionem, vel naturam partis esse corruptam, illam morbosam esse colligimus. Videamus hoc in morbo Gallico. Non possumus tuto, & certo ad sensum hoc in eo judicare, nos videmus cutim exulceratam, quis erit, qui non dicat laborare cutim, si amisit propriam unitatem? dolet caput, cadunt pili, corrumpitur os cerebri, quis erit qui non dicat, caput esse subjectum? igitur cum Galen. hæc tria proposuerit, qui ad hoc unum tantum respexere decepti sunt: concludunt enim illas particulas esse subjectum, sed non proprium, primum, per se, & necessarium, quoniam contingit aliter se habere. ideo non veniunt in cognitionem radicis intimæ, quæ vere est morbus. Præterea observemus adnata, cadunt pili, dicemus laborare cutim, tamen non est verum, quia non semper hoc accidit. Præterea veniamus ad partes partium. solet per contagium introduci, nonne oculi, pulmo, corium, cor &c. laborant per contagium, sicut etiam pudenda? nulla pars est proprie subjecta morbo Gallico, quia nulla perpetuo laborat, sed aliquando hæc, aliquando illa, ideo ista via non præbet nobis cognitionem loci affecti. Veniamus modo ad causam. Quæ est causa? contagium: & quamvis puerulus, qui sugit lac malum nutricis, inficiatur, tamen magis contagium inficit, quam lac. pariter natus ex matre infecta inficitur, sed contagium magis potest. Et quamvis quidam feminæ auctoritatis voluerint defendere castas matronas, dicentes eas fuisse aqua benedicta infectas. Infectio illa habuit originem per unum asperges, scio ego: non concedatis ergo oriri nisi contagio. Videamus ergo an à contactu possimus invenire partem propriam. Non possumus certe: quoniam cum sit contagium, quod aut afficit pudenda, aut corium, aut cor, aut pulmones, aut oculos, non est particula præter istas, quæ per contagium laboret: igitur aliqua erit ex his, quæ erit verum subjectum, sed nullum horum perpetuo infectum, igitur causa non poterit indicare nobis locum affectum. Restant lætæ actiones. Videamus in morbo Gall. quæ actiones læduntur, & duum generum sunt. alterum continet læsionem, quæ non durat, ut cum adest tristis sentatio circa caput, circa nervos, & circa crura. sed non perpetuo, quoniam aliqui non laborant, & ideo de his non considerandum, cum perpetuus non sit morbus in illis particulis: nam nos quærimus partem, in qua perpetuo residet morbus. alterum genus est actionum lætarum, quæ perpetuæ sunt. Inspicianus caput, vos videbitis in eo nullam læsionem perpetuam, nec quæ pertinet ad facultates intimas, nec quæ continet sensus exteriores, ergo non est læsio cerebri, ergo nec capitis. Veniamus ad cor. in corde perpetua læsio non adest, nec circa actionem ejus, idem dico de pulmonibus, idem de reliquis partibus. quæ est ergo læsio? Actio naturalis semper est affecta, qua attrahitur alimentum, retinetur, & concoquitur, apponitur & assimilatur, & quicquid excrementi est, excernitur. Indicant hæc primum gravitas corporis, torpedo quædam, hæc dependet nonnisi à læsis particulis similaribus. vos videtis colorem immutatum ab immutatione humorum, qui pendent à naturali facultate. Videmus nigrum, pallidum, album, & mortuum colorem. Præterea fit congestio excrementorum in omnibus particulis, unde oriuntur gummata, tubercula in ossibus, & periostiis. unde hæc, nisi ex labefactata virtute naturali, quæ decoctum non apponit, crudum non concoquit, excrementum per debitas & consuetas vias non expellit? Hinc fit etiam læsio in defluvio pilorum: hinc generantur infinita excrementa:

hinc ſanguis à naturali ſtatu recedens immutatur. ſi igitur A hoc perpetuum eſt, ideo neceſſarium eſt hunc morbum afficere fontem foventem hanc facultatem; & hoc eſt hepar, in quo tanquam in propria parte oritur morbus. Confirmat ſententiam hanc auctoritas graviſſimorum virorum, quorum maxima pars declinat in eam. Hujus opinionis fuit Antonius Muſa præceptor meus Braſſavolus, Montanus, Antonius Gallus, qui ſcripſit *de ligno Guajaco libellum*. Nicol. Maſſa medicus Venetus, Petrus Andr. Matth. Cum igitur unus ſit morbus, qui habet varia ſymptomata, cum unam particulam requirat, illud hepar erit. colligimus autem hoc à læſione actionis naturalis, cujus principium, & fons continetur in hepate: ſequitur ut naturam morbi jam proſequamur.

## CAP. XIV.

### *De Natura morbi, an ſimplex, an compoſitus, & primo contra Braſſavolum.*

Cum viderimus partem affectam, videamus naturam B morbi, an ſimplex, an compoſitus, an unus, vel plures. Quidam dixere eſſe plurium ſpecierum. Unde præceptor meus voluit 234. ſpecies explicare, ſed labor fuit vanus, & inutilis. Quidam Nicolaus Matthæolus, quem ſecutus eſt Joannes Sueſſanus Neapolitanus, fuit hujus ſententiæ, quod eſſet congeries omnium malorum ſimul. Quæ opinio ſuſpecta eſt, quoniam ægritudo hæc non ſuperatur à multitudine medicamentorum, nec oportet totum pharmacopolium accipere, ſed ſimpliciſſimis tollitur auxiliis, ideo unicam naturam habet. & quamvis ſimplicia itia diverſas habeant partes, tamen Salſa parillia, Guajacum, argentum vivum uniformia ſunt, nec diverſas habent partes, & his ſanatur, ideo nullo pacto dicenda eſt multiplex affectio, ſed ſimplex.

## CAP. XV.

### *Contra Manardum.*

Quæ ergo erit? Jo. Manardus Ferrarienſis opinabatur C eſſe ſolutionem continui: quam ſententiam imitari viſus eſt Montanus, in libro, qui ſcriptus ſub Montano editus eſt. libri enim, qui circumferuntur, non ſunt Montani, ſed partim ejus diſcipulorum. Mont. nihil edidit, res ab illo proditæ ita integræ erant, ut nihil limatius, nihil doctius, & quamvis affectarit Paradoxa, tamen tanta eloquentia aſtruebantur, ut viſa ſint axiomata. ſi jam edita conſpicitis Paradoxa, falſiſſima apparent, quæ vera ſunt, invenuſte, atque ineleganter ſcripta ſunt omnia. illi ſuæ gloriæ intendentes eam deturparunt, & profitentes ſe eſſe Pavones Montani, nihil intelligunt. Ideo oro vos, ut non imponatis illi viro, quæ olent artis ignorantiam: ſed quæ & elegantiam, & ingenium acerrimum, & peritiam ſapiunt ejus eſſe dicite, quæ minus, Pædagogis illis, qui noctuæ turpes magnanimam in cathedris aquilam repræſentabant, imponite. In eo igitur libello de morbo Gallico videtur Mont. conſentire cum hac ſententia Manardi: At hoc falſum eſt. quoniam in hepate, non tumoris, non ulceris, non vulneris adeſt veſtigium. ego volui per anatomen hoc experiri, & ſecui in uno anno pluſquam D 50. homines, & nunquam reperi ſolutionem continui in hepate. Indicatur etiam à curatione, quia non eſt curatio ſolutæ unitatis, quoniam ſoluta continuitas ſemper indicat exſiccationem cum unione partium & adſtrictione, modo adſtringentia potius obſunt, quam proſint in Gallici curatione. ſed Mont. hac ratione movetur, quoniam morbus incipit cum ulcere, & cum ulcere deſinit. Hoc verum eſt de partibus exterioribus, tamen ob id non dicemus ulcus eſſe morbum Gallicum, quoniam ulcus non eſt perpetuum. defluunt pili, adeſt gonorrhœa ſine ulcere, & tamen adeſt morbus Gallicus: ſunt ſymptomatici affectus conſequentes, tamen non eſt propria natura Gallici.

## CAP. XVI.

### *Quod non ſit frigida & humida intemperies.*

Quidam dicunt, eſſe intemperiem frigidam & humidam hepatis, quia abundant talia excrementa. vos videtis robuſtiſſimos juvenes, qui nunquam exſpuunt, poſtea E adeo exſpuere, ut ſit incredibile. Præterea ventriculus, & omnes venæ explentur hac materia pituitoſa, ideo neceſſe eſt ut dicamus, hepar pati intemperiem frigidam & humi-
*Impugnatio.* midam. Domini, ſi ventriculus eſſet locus affectus, revera potuiſſent colligere hoc, quoniam abundat pituita. Hepar frigidum, & humidum gignit ſanguinem, ſapientem pituitæ naturam, non veram pituitam, quæ gignitur in ventriculo. ſi eſt mucus, gignitur à cerebro vel male affecto, vel in quo materia multa luxuriet. non igitur valet, abundat pituita, ergo eſt intemperies frigida, & humida hepatis. Vos videtis homines laborantes calida hepatis intemperie, & ſicciſſima, exſpuere lagenas pituita plenas.

## CAP. XVII.

### *Quod non ſit calida, & ſicca intemperies.*

Alii etiam intemperiem calidam, & ſiccam autumant, & qui nobilioris ſunt authoritatis iſtius ſunt ſententiæ. Aliqui addunt materiam, conjunctum alioqui non addunt. Montanus, & alii hoc tenent, & hanc intemperiem dicunt eſſe vere morbum, à quo omnia pendent: qua præſente omnia adſunt, & remota removentur. Moventur his rationibus, primum quia naſcitur affectio cum ulceribus, & deſinit in his; hæc autem fiunt à materia acri, & erodente, quæ gignitur in hepate, quod non fit niſi hepar ſit diſtemperatum in caliditate, & ſiccitate, quoniam humor in hepate generatur. Secunda ratio, abun-B dant excrementa copioſiſſima, quæ calida ſunt, tanta eſt copia materiæ bilioſæ, & exuſtæ, ut nihil majus, ergo hepar eſt exſiccatum, & excalefactum. Tertio in morbo hoc ſuccedit defluvium pilorum, quia eroduntur radices ipſorum, non ob ſiccitatem cutis, quia non renaſcerentur: hæc eroſio fit à phlegmate ſalſo, quod, quatenus phlegma ſalſum, ab hepate oritur calido, & ſicco. Videtur probabilis hæc ſententia, tamen non poſſum dicere eam eſſe veram, ratio me movens eſt, quoniam curatio tota toto cœlo diſtat ab iſto morbo. ego erubeſco, quomodo docent curare calefacientibus, & ſiccantibus morbum calidum, & ſiccum? hoc contrarium eſt methodo. Sed di- *Impugnatio.*
cent medicamenta iſta digerunt, & materiam evacuant, hoc eſt falſum. primo quia non eſt verum eſſe morbum cum materia. ſecundum falſum eſt quod neceſſario ſequitur, quod intemperies iſta foveatur à materia, & ſequatur materiam. Nam videmus, quod in eryſipelate eſt intemperies calida, & ſicca in parte, ſi evacuemus ſanguinem, ſtatim ceſſat caliditas, & intemperies, quæ concomitabatur materiam, & dependebat à materia, & ideo evacuata C materia ceſſat intemperies, quod non eſt dicendum in morbo Gallico. Quæ eſt illa materia, quæ morbum iſtum præceſſit? Videmus juvenem dormientem uſa hora cum amaſia infici, quæ eſt materia iſta, quæ defluit ad hepar? nulla: ergo falſum eſt per continuatam evacuationem fieri ſanationem morbi. Præterea eſt neceſſarium, quod, ſi ſit morbus cum materia, adſit tumor; Intemperies cum materia eſt, quando materia non adeſt in venis, ſed in loco affecto, ut verbi gratia: in manu eſt materia dupliciter, vel in vaſis, vel extra vaſa: ſi in vaſis; non tacit morbum: ſi extra vaſa; facit morbum: locum autem affectum voco propriam ſubſtantiam particularum, non venam. iſta docentur à Galen. qui dicit, quod veluti ros *Secundo de cauſ. ſymp. cap. 11.*
diffunditur materia per particulas ipſas. ſi multa eſt, facit tumorem, & ſic revertemur ad primam ſententiam, quod ſit ſolutio continui; tumor autem iſte cum intemperie calida & ſicca eſt eryſipelas, ergo Gallicus morbus eſt eryſipelas, hoc eſt falſum, ergo falſum eſt eſſe intemperiem calidam, & ſiccam. Præterea curaremus ſine indicatione. Nam lignum Guajacum, ſalſa parillia, ſuffumigium ex cinnabari, exercitatio, victus ratio tenuiſſima, caletacientia ſunt, & ſiccantia, & tamen ſanatur hepar, & à Gallico penitus abſolvitur, ergo ratione contrarietatis, neceſſario igitur concludimus, quod affectus aut ſit frigidus, & humidus, aut non calidus, & ſiccus. Ad rationes: incipit cum ulceribus, hoc non eſt verum ſemper, ſed ſi fit, hoc fit, quia labefactantur naturales actiones hepatis, ideo ſubnaſcitur fervor ex inconcoctione. & ſic fiunt ulcera: & ſi incaleſcit hepar, ob id non eſt intemperies calida, & ſicca. Ad ſecundum, accidunt excrementa bilioſa, frequentiſſime eſt hoc, non ſemper accidit autem hoc ex fervore excitato, tamen fervor eſt ſymptoma morbi, non autem natura morbi. Ad illud de defluvio pilorum, hoc verum eſt, ſed non ſemper, ſed cum fit, eſt propter humores acres, qui oriuntur ab hepatis intemperie, non autem ſunt morbus. At incipiente morbo Gallico ſemper opinatus ſum, quod ſenſim, ac ſenſim incaleſcat, & ſiccetur hepar, hæc autem non eſt natura morbi, ſed conſequitur de neceſſitate affectum, qui eſt cauſa fervoris: fervor eſt cauſa caliditatis & ſiccitatis, quæ ſenſim ac ſenſim fit. Ego quæro ab iſtis, hujuſmodi caliditas, & ſiccitas hepatis eſt æqualis intemperies, vel inæqualis? ſi eſt intemperies æqualis, ergo eſt altera natura, non igitur erit morbus, quia morbus naturam deſtruere intendit. Per intemperiem ſiquidem æqualem intelligimus temperaturam introductam in particulam, quæ eſt velut altera natura Exempli gratia, hepar in juvene eſt calidum, & humidum, in ſene frigidum, & ſiccum. iſta eſt intemperies, ſed æqualis, quia ſenſim, ac ſenſim introducta eſt, & hæc eſt illa intemperies, de qua

ſæpe

sæpe fit mentio: & hinc est, quod nascuntur quæstiones in consultationibus, clamantes digladiamur, & fumus concordes. quis dicet temperaturam esse calidam, & ficcam, aliquis vero frigidam, & hi ad varia respicientes varia enuntiant. hic enim innatam, ille advenientem considerat temperaturam, si est intemperies inæqualis, est mutatio temperaturæ, quæ nondum facta est naturalis parti, & præter naturam est, & nondum æqualiter invasit omnes minimas particulas, & hæc est morbus. Quæro ego, an caliditas in hepate sit inæqualis intemperies? Galen. *secundo de caus. sympt.* volebat hanc non fieri sine dolore, at in hepate non sentiunt ægrotantes talem dolorem. Dicent, hepatis substantia non habet sensum, sed sensus est in membrana exteriori. Verum est quod parenchyma, caro illa hepatis non habet sensum, quia non est constans ex substantia nervosa, non habet nervum admixtum. At ego dixi in Anatome contra alios; nervorum infinitas propagines disseminari per totum hepar, ergo hepatis substantia habet sensum, nego consequentiam, quia non sufficit hoc, sed requiritur ut disseminentur in substantia nervi mixti. dices ergo non valet ratio. Valet ratio, quoniam non solum in morbo Gallico hepatis substantia patitur, sed venæ, arteriolæ & nervuli sibi conjuncti laborant: quoniam si laborat hepar, quod est fons, laborant exteriores actiones naturales, & communicatur per particulas illas habentes nervulos conjunctos, ergo si intemperies ista inæqualis est, & magna, hepar sentiet dolorem, quoniam morbus Gallicus intensissimus, quia effectus intensissimus. ergo in principio morbi hujus sentiri necesse est dolorem gravem, at non sentitur, ergo non est intemperies inæqualis. Constitutum ergo sit morbum Gallicum non esse intemperiem frigidam, & humidam hepatis, pariter neque calidam & ficcam, tamen in morbo isto, & diuturno hepar sensim & sensim contrahit intemperiem æqualem calidam, & ficcam, quæ non est morbus, quoniam sanamus lueni Gallicam, & non removetur intemperies, hoc autem accidit, quia ex affectu fervor oritur, hoc autem consequens est morbum, non morbus.

## CAP. XVIII.

### *Quod non sit calida, & humida intemperies, nec putredo.*

Alii opinati sunt hepar pati intemperiem calidam, & humidam, & hujusmodi esse Gallicum, neque solum hoc, sed putredinem addunt illi intemperiei admixtam. hujus sententiæ fuit Jo. Gallus vir doctissimus, cujus opinionem sequuti sunt alii doctissimi & gravissimi doctores: moventurque hac ratione, & dicunt. morbus Gallicus est contagiosus, at omnes hujusmodi morbi habent putredinem, & corruptionem substantiæ illius partis, in qua est morbus, ergo iste morbus habet dissolutionem substantiæ secum hepatis, at in putredine semper adest caliditas, & humiditas, ideo affectio Gallica erit intemperies humida, & calida hepatis, vel ejus putredo. Ratio ista assumpta à putredine ratione contagii laudabilis videtur, tamen non tanta est, ut nos possimus adhærere huic opinioni. Nam quamvis deductio hujus argumentationis sit à caliditate, & humiditate, & à putredine, tamen distinctissimæ res sunt, ideo opus est dicere, vel esse intemperiem calidam & humidam, vel putredinem. cum enim morbus sit unus, necessarium est, ut sit unus per unam formam, hic adest gemina forma, hoc non potest esse. aliud est putridum esse, aliud est esse calidum, & humidum. Dicet quis, omnia calida & humida facile putrescunt, verum est. Panis in sanguinem vertitur, tamen non sunt idem, sed formæ diversæ sunt. sed primum loquamur de intemperie, & dicamus, morbus contagiosus est, concedo; contagium putredinem sapit, concedo: at facilius putrescit quod calidum est, & humidum, concedo: ergo morbus est intemperies calida, & humida, nego consequentiam. Nescio in qua figura concludat hæc argumentatio; aliud est, quod subjectum corpus sit calidum, & humidum, & putrescat, & morbus fiat contagiosus, aliud est, quod morbus sit calidus, & humidus, intemperies calida, & humida non est putredo, igitur non est morbus, sed est causa morbi, exempli gratia, in materia calida, & humida, sit putredo, si est alicujus membri, dicitur gangræna. si alicujus particulæ, dicitur nome. quæro, si hæc pars putrescat, quo morbo laboret? non est intemperies calida, & humida, hæc est causa morbi, non morbus. Si est contagiosus morbus, & nonne alias partes corrumpit, non reddit eas humidas, & calidas, sed facit putrescere humores, quibus putrescentibus putrescit pars ipsa. putrescit hepar in morbo Gallico, ergo communicatur intemperies calida & humida, nego hoc, quia morbus iste non est calidus, & humidus, communicatur natura morbi, putredo ipsa, combustio ignis putredinalis, qui concipitur in humiditate calida partis præexistente.

*Jo. Galli opinio.*

*Ratio.*

*Impugnatio.*

Præterea quomodo poterit in instanti introduci intemperies calida, & humida? de calida non dubito, quia cito agit, sed de humida, nos videbimus juvenem spatio quartæ partis horæ coëuntem cum muliere infici Gallico, quomodo in tam brevi tempore potest introduci humiditas, quæ est qualitas passiva? humectatio partium fit dupliciter, vel per se, vel per accidens, per accidens fit per eliquationem, & hæc concretionem, & congelationem præexistentem requirit: ut sevum, & cera eliquantur ratione caloris: hoc non potest dici in hepate, quia non est congelatum, nec liquatur: ergo humectabitur per se, hoc est per admixtum corpus humidum. quomodo brevi spatio temporis tanta humiditas introducetur in hepate, ut intemperetur? non possum ergo colligere hanc opinionem esse veram, scilicet Gallicum esse intemperiem calidam & humidam. De putredine videamus, nam qui asserunt esse intemperiem, dicunt quasi quandam adesse putredinem. Dico quod in hepate duplex potest esse putredo, aut in humore existente in vasis, aut extra vasa, in propria substantia solida, quæro de qua putredine intelligunt, si de humorum putredine loquuntur, hoc non quærimus, sed quærimus naturam propriæ substantiæ hepatis. secundo si in humoribus proponunt putredinem, ergo proponunt perpetuam causam febris, quia in viscere tanti momenti si sunt humores putridi, communicatur vapor cordi. Possunt dicere. inter signa morbi Gallici connumeratur febricula, indicium est igitur, quod aliqua adest minera putredinis, quæ non est nisi in hepate. Hæc febris non est perpetua, nec frequens indicium hujus morbi, ergo sequitur quod hæc non est forma morbi. si autem volunt putredinem esse in substantia, nos haberemus nome, vel sphacelum in hepate. Hoc non dicendum, ideo non est putredo. est contagiosus morbus, sed non ob id est putridus, quia non omnis affectio contagiosa, putredinem conjunctam habet, sed propriæ substantiæ alterationem, & immutationem. ista alteratio aut est materialis, aut formalis, materialis est cum corrumpitur substantia, & dissipatur, exempli gratia in scabie ab humore acri eroditur substantia corii, ego quæro, corium quid patitur? dico quod patitur in substantia ratione materiei: ista est una passio, quæ pertinet ad materiam, in Nome patitur ipsa substantia quoad formam, non quoad materiam, quia corrumpitur habitus vitalis, & naturalis, denigratur vel livescit pars, remanet intacta caro, os, nervus, & materia, & corium ad minimum redactum non potest servare formam corii, in scabie morbus est contagiosus, quia corrumpitur substantia corii, corpuscula quædam educuntur, & oritur fervor colliquans corium, & exedens cutim. scabies non est putredo, quia non perit forma substantiæ partis, licet exedatur corii materia, ecce quod omnis morbus contagiosus non est putridus. ille est putridus, in quo non pereunte materia subjecta perit tantum forma materiæ remanentis, tandem postea perit materia. quod est novum genus morbi, quod non possum dicere, habeo enim multa, & ideo digredi minime valeo. Sed addunt unum, quod ista intemperies calida, & humida postea processu temporis sicca evadit & calida, hoc potest probari non esse verum rationibus dictis. o Dii boni. non unus esset morbus, sed duo. nos quærimus, an unus sit morbus à principio ad finem, & hoc concludimus esse verum. Quomodo ergo eadem affectio erit in principio calida & humida, in fine calida, & sicca intemperies? Præterea si hoc esset, nunquam sanaretur morbus Gallicus, quia nunquam superabitur ista intemperies? Nos per calefacientia, siccantia, & quæ fervorem inducunt, luem hanc vincere tentamus, qui volunt esse calidam, & ficcam intemperiem, saltem postea, superarent per medicamentum refrigerans, sed omnia definunt in suffitus, lignum Guajacum, & salsam perilliam. non video *saccharum violaceum*, nec exhibitum refrigerans aliquod ipsum hepar. Haberem multas alias rationes, sed quoniam leviores sunt, & à vobis ipsis excogitari possunt, ideo concludo affectum hunc non esse intemperiem calidam, & humidam, neque frigidam, & ficcam, neque calidam, & ficcam, quoniam hoc non possum indicare ex aliquo.

## CAP. XIX.

### *Quod affectio Gallica non distinguatur ratione quatuor humorum.*

Nescio quid volunt illi, qui distinguere intendunt morbum hunc ratione humorum: quoniam videntur in homine aliquando hos, aliquando illos abundare humores. faciunt hi quadruplicem morbum, & non vident quod multiplicant entia sine necessitate. cum autem major pars doctissimorum virorum consentiat unum esse, & unius partis affectum, ideo necessarium est asserere non esse veram sententiam horum. Quid ergo erit? non ulcus, non tumor, non intemperies, non putredo, ergo nihil? utinam Dii hoc facerent. non enim oporteret homines excru-

clare, & miseros juvenes nunc hoc, nunc illo medicamento vexare. ideo aliquid est & maximum. videamus ergo veram ejus naturam, & modum generationis, sed prius an sit morbus.

## CAP. XX.

*An affectio Gallica Morbus sit nec ne, & si morbus, in quo genere.*

Morbus Gallicus novus est, quia nulla habetur ejus mentio apud antiquiores, non à cœlo delapsus, nec exsurgens ab inferis, sed per contagium ex occiduis Indiis communicatus: unam habet partem, quam proprie affectam dicimus, & hepar est. non est intemperies calida & humida, non calida & sicca, non frigida & humida, nec frigida, & sicca, non solutio continui, non tumor præter naturam, non aliqua passio in conformatione, & numero, ut facile quis conjicere potest. relinquitur ut nos investigemus an morbus sit. Nam cum omnis natura morbi aut sit partium similarium, & hoc constitit in temperamento, aut partium instrumentalium, & constitit in conformatione, numero, & situ, aut sit communis ambobus, & constitit in unitate soluta, cum morbus Gallicus non sit ex istis, ergo non est morbus. Tamen credo esse morbum, & omnes mecum in hoc consentiunt. sed quinam erit morbus? omnis alteratio, & immutatio qualitatum naturalium lædens actiones partium morbus est. nam calor mutatus, frigiditas & caliditas actualis, nunc accedens, nunc recedens à partibus, quia non lædunt actiones, non erunt morbi, sed immutatio lædens necessario est morbus. hæc est definitio Galeni, & naturæ, & est velut axioma in medicina. Videamus jam quotnam sint genera rerum in corpore humano, quæ possunt fieri morbi, illæ erunt à quibus nascuntur opera in corpore naturaliter existente: color cutis, quia nullam edit certam operam, sive mutetur, sive non, non est morbus: sic dicendum de caliditate, & frigiditate moderata, quia ex ipsis non dependet opus. Hoc dixi, ut revocetis in mentem causam, cur in natura morbi necessario læsa actio requiritur, quia actione integra pars non erit læsa necessario. Hoc stante videamus quotnam sint in particulis ipsis, ad quæ consequantur necessario actiones, ego reperio tria. sunt temperaturæ manifestæ, temperatura formalis, & omnia, quæ pertinent ad conformationem. Prima est caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. istæ sunt causæ quarundam operationum in particulis, sive sint simplices, sive compositæ. Unde os sua frigiditate, & sua siccitate agit. secundum erat harmonia resultans ex quatuor qualitatibus, nam quando dicimus os esse frigidum, & siccum, non est formalis temperatura ossis, est proportio, quæ latet sensibus, quæ est forma ossis, ab hac oritur operatio, & hæc est ut os generet os. tertium genus est, numerus, quantitas, conformatio, figura, scilicet collocatio particularum, & unio, & dissolutio; ista cavitate hoc efficimus, quod angustiori non possumus; & hoc non est, quod ego probem. ista ergo tria sunt, in quibus omnes morbi continentur; morbus Gallicus est morbus, ergo debet contineri in uno ex his capitibus. non est primi generis, quia non est caliditas, non frigiditas, non siccitas, nec humiditas simplex, nec composita, nec tertii generis, quia non est conformatio &c. ergo pertinet ad secundum genus, hoc est ad formam, & substantiam rei, nam cum dico temperaturam, & harmoniam, illud est ac si dicam substantiam totam. si igitur dantur isti morbi, ergo necesse est ut Gallicus contineatur sub hoc tertio genere. Sed quis dubitabit an detur hoc tertium genus, cum in *lib. de diff. morb. & caus. morb.* & in *principio Meth.* non inveniatis hanc divisionem factam à Galen. de hoc secundo genere, ideo vana divisio, & non dantur morbi isti. Quod dentur hi morbi in tota substantia probatur, quoniam tria genera rerum reperiuntur, & hoc probatum est. quod autem temperatura sit diversa ab illis qualitatibus, constat sensu, ratione, & operibus. nam nos habemus manifeste hæc omnia in medicamentis. Accipite *Reubarbarum*, ficcat, & calefacit. quæro ego qua ratione id facit? dicetis, quia habet hanc facultatem siccantem & calefacientem. postea educit bilem, qua ratione? nonnisi sua forma, sua temperatura, quæ quamvis resultet ex contrariis qualitatibus, in quibus vincit calidum, & siccum; tamen est distinctum quoddam. ut quamvis gravis sonus, atque acutus concentum constituant, aliquando tamen symphonia non est gravis, nec acuta; sed est concentus harmonia ex gravi & acuto resultans. ita à forma Reubarbari provenit choleræ eductio, & est diversa hæc temperatura a qualitatibus. Ecce patet quod distincta sunt opera, aliud est siccatio ossis, aliud est generatio alterius ossis, primum à qualitate ossis, secundum à natura, & substantia propria originem ducit. lædetur ergo forma, vel ut actio diminuatur, vel ut aboleatur, vel ut intendatur, & hic est morbus: ut quando caro non potest gignere carnem, ob corruptam formam, nonne corrupte, & depravate agit? nonne est caro illa? ecce quod caro, cum deberet generare carnem, ex toto aboletur, vel carnem malam gignit, & sic lædetur actio in forma tota, ergo dantur morbi in forma, in quo consentiunt recentiores medici, & Galen. approbavit læsiones à tota substantia, licet de hoc tertio genere mentionem non faciat; nam morbi provenientes à veneficiis, venenis, & maleficis aspectibus infiniti sunt, & non possunt referri ad qualitates, sed nonnisi ad formam, & ideo petunt distinctas partes, & ab aliquibus vocantur morbi in substantia, quia tota substantia laborat. at Galen. non fecit de hoc mentionem in dictis locis, quia non cadit sub rationem methodi, & ideo cum ipse Methodum instituere vellet, omisit. Secundo quia rarum est genus morbi, ideo proposuit frequentia tantum, non quia fuit ei ignotum, quia *sexto Methodi*, & 3. *de temp.* de hoc meminit. colligo igitur quod dantur morbi in tota substantia, & sunt à veneficiis, à venenis, & maleficis aspectibus, & per contagium. & hi morbi immanifesti sunt, cæteri sunt manifestissimi. possuntne agnosci? tribus indiciis, primum est, quia non cedunt alicui medicamento invento ratione. quoties videtis aliquod genus morbi tractatum à medico diligenti, in quo ex arte medicamenta applicentur & quod non sanatur: Præterea si alius Medicus alia tentat secundum rationem, & in vanum laborat, dicatis esse naturam morbi occulti consistentem in tota substantia, & nescimus eam metiri. secundum indicium est ex longa observatione observatum à doctissimis viris partim ex sua experientia, partim ex scriptis aliorum, partim ex historiis. dicimus in tota substantia consistere pestilentiam ipsam, vel febrem pestis, non dico febrem pestilentialem, sic dicimus in tota substantia consistere venenum, vel ictum venenatum, fascinationes omnes, quæ fiunt pueruli. Et medici testantur hos morbos afficere partem nobilem vel cerebrum, vel cor, vel hepar. tertium signum est, ut non indeterminate, nec indistincte afficiat aliquam partem, sed iste determinate afficit hanc, ille illam, & ita cognoscimus analogiam, seu proportionem istius affectus in tota substantia ad aliquam præcipue partem nobilem, & ad aliquem spiritum. nam tres sunt spiritus, animalis, qui à cerebro, vitalis, qui à corde, naturalis, qui ab hepate (in quo satis dubia proposuit Galen.) originem ducit. Ego divertendo non possum probare hoc, quia non est locus, teneo tamen quod datur. si ergo aliquis morbus habet analogiam ad aliquam partem, pariter habebit analogiam ad spiritum illius partis, & iste ad spiritum hepatis, ille ad spiritum cordis, vel cerebri. quod hoc sit verum, dicimus quod venenatus morsus dicitur affectio in tota substantia alicujus visceris, hoc est cordis, perit homo ex ictu venenato, quia statim laborat cor morbo in tota substantia, quia morbus habet analogiam ad spiritum vitalem. est hic mulier quæ vestitur indumentum peste laborantis, primum quod tangitur est corium, primum quod recipit sunt venæ, & porositates, afficitur primum cor, ergo non indifferenter omnes partes. Præterea est juvenis vestem induens phthisici, & breviter inficitur pulmo, quia affectio ista habet præteriptam illam partem nobilem. His ita constitutis, videamus modo an istæ notæ adsint in lue Gallica. & primum hæc est una potissima conditio, quod non cedit medicamentis inventis ratione. testantur medici, qui aderant in principio, qui desperarunt in arte, cum viderent se Methodo non potuisse invenire rationem curandi, & erant in maximo despectu medici tunc temporis apud omnes, & nisi Hispani illi supervenissent, docti quomodo ibi morbus sanaretur, & nisi casu chirurgici audacissimi invenissent Hydrargyrum, adhuc rebellis esset morbus, adhuc sæviret. Præterea hepar est quod inficitur, & hepar est pars nobilis, ergo adest secunda conditio. De tertia quod tantum hepar, & non aliæ partes, patet. ego video puerulum conceptum in utero matris ex materia Gallica, illi per spatium novem mensium non est infectum nisi hepar, nonne potuit infici cerebrum, & cor in illa colluvie? Ergo sciatis quod Empirica est morbi hujus curatio, cum habeat læsionem partis nobilis, & determinatæ, cumque sit affectus in tota substantia. sed quidam volunt reddere causam, cur hepar in hoc morbo inficitur. & hæc est. nos videmus, quod inficitur homo per contagium, aut oculo, aut coitu, aut attritu. communicatio ista primum fit ad venas, quam ad arterias, quoniam copiosiores venæ reperiuntur, & in coitu, & frictione aperiuntur, dilatatæ admittunt saniem illam, & materiam Gallicam. & quia venæ istæ pertingunt ad hepar, non ad cor, ideo primo, & per se hepar inficitur. at arteriæ sunt solidiores, nec sunt frequentes in exterioribus, & hæc est ratio, cur lædetur primum hepar, non cor. Pulcherrimum quidem est hoc commentum, atque inventio subtilis, & placet his, qui volunt certas rerum reddere causas. Sed ego nolui credere hoc, quia si esset verum, sequeretur quod in ictu ve-

*Dubitatio.*

ne-

nenoſo, non primo cor, ſed hepar laboraret. pariter in uſu veſtimentorum phthiſici, & peſtilentis hominis: tamen videmus infici cor. Pungitur cuticula in ictu venenoſa, & tamen venula aliqua perforatur. præterea venenum epotum pertranſit per hepar, & ſæpe non lædit hepar, ſed cor, ad quod ſecundo venit. in puerulo, quem dixi nutriri in utero per novem menſes, poſſibile non eſt, quod aliquando non communicetur cordi, cum ſit puer incluſus in ſacculo Gallico, ſed quia morbus hic habet analogiam ad ſpiritum, & totam ſubſtantiam hepatis, ideo hic morbus occulto modo introducitur, & eſt ex tota ſubſtantia hepar inficiens, cujus menſuram ſcire, aut verbis explicare non poſſumus, ſicut nec etiam formarum, at actus, & paſſiones in tota ſubſtantia notos dico antiquioribus, & etiam Galen. nam ſi legamus eum *tertio de temp. cap. primo*, videbimus certo, quod dum loquitur de medicamentis, inquit, quod nullum medicamentum calefaciens, aut ſiccans, refrigerans, aut humectans agit à propria ſubſtantia: ex quo loco colligimus, quod dantur actiones, & paſſiones & alterationes in corporibus noſtris, quæ nihil habent commune cum temperiebus, idem 13. *med.* 6. loquens de dolore inquit, quod nos debemus tentare inventionem medicamentorum ſedantium dolorem: ſi illud, quod facit dolorem, a tota ſubſtantia facit, debemus invenire medicamentum à tota ſubſtantia ſanans. ego video Galen. ſupponere alterationem à tota ſubſtantia lædentem. Venenum à tota ſubſtantia facit dolorem, non quia calefaciat, aut ſiccet, vel alia qualitate aggrediatur: ideo ex his colligere poſſumus Galenum cognoviſſe alterationem, & immutationem à ſubſtantia propria, & quod morbus Gallicus ſit in hoc genere morbi, pro concluſo, & declarato habeatis. quod autem habeat analogiam ad ſpiritus naturales, hoc eſt quod primo, & ſtatim illos corrumpat, atque inficiat, probo. Niſi inficeretur primo ſpiritus, ſæpe, & ſæpius non gigneretur, & tamen gignitur. Nam ego vidi homines nunquam paſſos ulcera, nunquam gonorrhœam, quæro ego quomodo infectum eſt hepar, quomodo potuit pertranſire hujuſmodi affectio ad hepar? nam ſi vos dicetis, infectum eſt hepar, quia infecti ſunt humores, qui ſunt circa partes, ego dicerem, quod oporteret partes illas etiam eſſe infectas: neceſſarium eſt igitur, ut ſpirituali modo penetrarit labes ad hepar. Ego curavi quatuor, aut quinque paſſos Gallicum, gummata, & pilorum defluvium, & nunquam audivi eos ſenſiſſe pruritum circa pudenda, vel ulcuſculum minimum, niſi ergo ipſi ſpiritus ſint primi, qui inſtrumentum proprium viceris, recurrentes ad proprium fontem, inficiant, ego neſcio quid dicam. Præterea homines uno coitu infecti ſunt peſſime, ita quod ſequenti die apparuit bubo. erant 12. ſcholares, qui duxerunt meretricem in domum quandam, ut experirentur, an ejus eſſet appetitus inſatiabilis, ex his tres infecti ſunt, inter quos unus fuit, qui ſemel tantum cognovit ſcortum illud. nihil tunc apparuit in pudendo; ſequenti die ſtatim cœpit erumpere bubo, & poſtea tota barba, ſupercilia, & capilli evanuerunt. laboravit doloribus intenſiſſimis, cur ergo hic potuit infici ita valide, ut ſequenti mane hepar materiam ad pubem transfuſerit? ego non valeo aliam aſſignare cauſam, niſi quia ſpiritus ſuccenſi ſunt, cum ſint agentia valde velocia: ideo potuerunt inficere hepar. Revocetis in mentem, quomodo fieri potuit, ut medicus accedens ad lectum peſtilentis poſt duas horas gravetur eadem febre peſtilenti vix attracto aere per fauces, in quo laborans fuerit: poſt ſpatium duarum horarum videbitis erumpentem Carbunculum ad axillas, vel inguina. Præterea quod hujuſmodi affectus primo ſpiritus inficiat, vos hac ratione cognoſcere poteſtis. Nos videmus plurimos pati intemperies hepatis, & non videmus ſigna diſſipationis ſpirituum, ut in Gallica lue. primum enim fiunt malæ concoctiones in ventriculo, cerebro, & cæteris partibus ſimilaribus, unde hoc? niſi quia fiunt ſpirituum diſſipationes? Nam vera, & immediata inſtrumenta actionum ſunt ſpiritus, vitalium vitales, animalium animales, naturalium naturales. unde labefactata actio, ſpiritus indicat labefactatos. Præterea ſtatim concidunt in torporem univerſi corporis: immutatur color faciei in Gallicis, unde eſt hoc? niſi quia diſſipati ſunt ſpiritus. præterea ceſſat appetitus coeundi. ego novi infinitos juvenes robore virium valentes, atque ſemper aſtantes mentula erecta, ſatyriſcos illos, vix primum Gallicum libantes decidere ex hoc appetitu, & nullam aliam ob cauſam, niſi quia diſſipati ſunt ſpiritus. Ideo colligo Gallicum eſſe affectionem hepatis in tota ſubſtantia diſſipantem ſpiritus.

## CAP. XXI.

### *De modo generationis morbi Gallici.*

EX quo modum generationis affectus colligere poſſumus. Nam fit per contagium. omnis morbus qui fit per contagium, fit per communicatam ſubſtantiam, quæ communicatur vel immediato contactu corporum ſe invicem tangentium, vel per commune corpus ambiens, ſcilicet aerem. Docebo. cum omnis morbus contagioſus ſit collocatus per totam ſubſtantiam, ideo oportet ut inficiatur tota ſubſtantia, exempli gratia. in phthiſi adeſt vis iſta contactus, quoniam à pulmonibus continuo exhalat vapor, hic autem vapor ſunt corpuſcula quædam minima illius ſanies, quæ exhalant cum aere, & diffunduntur per ambientem aerem, qui attrahitur ad pulmones alterius, & ſi reperiunt materiam præparatam, inficiunt, & communicant morbum. idem accidit in febre peſtilenti, in morbo oculorum. fit autem contagium per contactum corporum, non per ambientem. eſt mulier laborans ſcabie, habet corium exulceratum, tangit juvenem, ſimul corpora fricantur, fuligo exhalans à cute ejus ſcabioſa inficit cutim, ſtatim repertum humorem fermentat, fermentatio facit ebullitionem, & ita fit contagium. fit etiam communicato vapore, qui attrahitur ultro citroque in corpora noſtra, cum incalefcunt, & extenduntur arteriæ, & venæ. Cum igitur juvenis cum muliere infecta dormit, ſimul ſudant, incalefcunt corpora, fit evaporatio, quæ communicatur, cum mulier infecta eſt, abſorbetur à corpore calefacto evaporatio ejus, & cum habeat analogiam ad ſpiritus naturales, ſtatim per eos communicatur tanies hepati. Si mulier habet pudendum infectum, tunc communicatur ſanies; & ideo quidam ſtatim abluentes ſe, ab iſta calamitate liberantur, & eo magis ſi urina, vel aliquo alio abſtergente ſe mundent: ſed ſi detineatur acris ſanies, ſolet præputium ulcerare, ſive glandem, & inficere demum ſpiritus. Hinc eſt, quod ſi tres coeunt cum Gallica, unus inficitur, reliqui vero immunes à tanta lue liberantur. Domini ratio eſt, quia non omnibus æqualiter communicatur, ſecundo quia aliqui habent corpus priapi denſius, atque ſolidius, aliqui rarius, & mollius. tertio quia aliquot ſunt mundiores in actu venereo, & facilius, & commodius ſe expurgant: ſed ſciatis, quod potiſſima cauſa eſt illa communicatio: quoniam alicui plurimum, alicui minimum communicatur, & hoc evenit ex voluptate fœminæ. ſi quis pulchrior eſt, & magis excitet voluptatem mulieri, molliesque addatur, ille certe inficitur; alii vero aliquando ſic, aliquando non. Hic eſt modus generationis hujus affectus: modo ad cauſarum inveſtigationem properemus.

## CAP. XXII.

### *De cauſis morbi Gallici.*

QUa ex cauſa oriatur Gallicus jam dicendum eſt, cum ſit certum non eſſe morbum, qui ortum ducat à cauſis communibus, ab aere, aqua, & ſole, cum non ſit epidemialis affectus, præterea cum non oriatur ex interna humorum colluvie, à rebus non naturalibus facta. Verum omnis occaſio in contagium refertur; & primum ſunt cauſæ externæ. ſecundo internæ. inter externas eſt contactus per communicationem ſubſtantiæ, communicatio fit communicata ſanie, vel fuliginoſis vaporibus ex infecto corpore ortis, ſed non una eſt ratio extrinſeca, qua hujuſmodi ſubſtantia communicari poſſit, neque omnis pars eſt apta ad recipiendam communicationem. Partes aptæ primum ſunt pudenda, quæ requirunt hæc duo; primum, ut molles ſint, deinde ut per attritionem incalefcant, & rarefiant. Hinc eſt, quod qui non admodum duri ſunt in coitu, hoc eſt qui non tarde emittunt ſemen, difficilius inficiuntur; qui vero tarde illud jaculantur, facilius, quia incalefcunt magis, rarefiunt partes, & præbetur aditus morbo. Præterea oportet, ut pudenda ſint admodum mollia, nam dura, & calloſa non ita facile admittunt vaporem fuliginoſum. Hinc ego inter mille homines non credo quod viderim duos, qui habeant detectam glandem, & præputium decurtatum infectos Gallico. ratio eſt quoniam detectæ glandis durius corium redditur, atque calloſius. At qui oblongum habent præputium, glandemque obductam, facilius infectos vidi, quia glans, & interna pars præputii mollior eſt. Præter pudendas partes additur etiam os ob mollitiem ipſius, & raritatem ſubſtantiæ, quæ facile admittit ſaniem, unde oſculis, & linguæ, & ſalivæ communicatione lues alteri infigitur. Præterea tota cutis quoties eſt rarefacta vel receperit ſcabiem Gallicam, ſi quis cum ipſo ſcabioſo dormiet, ſcabiei pruritum ſentiet, atque luis Gallicæ morſum. Hinc coitus inter extrinſecas cauſas connumeratur, ſicut exoſculatio, contactus, & fricatio. Verum adduntur & uſus veſtium: nam ſi quis Gallici caligas induatur, Gallico inficitur; Hocque maxime erat temporibus noſtrorum parentum, & jam agitur 20. annus, quando non ita libere accedebant ad Hebræos ad emenda veſtimenta, ſed nunc non ita facilis eſt occaſio indumentorum. ſi quis uteretur caligis ſanie imbutis, inficeretur certe,

te, ſed non ita facile. ſcio autem ego eos, qui curati ſunt à Gallico, atque eiſdem uſi ſint calceamentis, iterum in luem incidiſſe. De ablutis non eſt timendum. Iſtæ ſunt cauſæ extrinſecæ, inter quas addatur mammillarum ſuctio. Primis temporibus credebant ex uſu vitrorum, atque poculorum poſſe naſci affectionem iſtam: & ego locutus ſum cum ſene, qui habebat domi duos laborantes, habentes partes poſteriores ulceratas, & aſſerebat ſe infectum ob uſum ejuſdem latrinæ. Videte quanta morbi illius erat rabies. Hodie non eſt timendum de hoc. Inter cauſas internas connumeratur primum vis imbecilla ſpirituum naturalium, nam non omnis communicatio ſubſtantiæ inficit. exempli gratia, eſt hic laborans peſtilenti morbo, omnibus nobis communicatur eadem fuligo, & tamen hic inficietur peſte, ille vero non, hujus cauſa intrinſeca eſt, non extrinſeca, quia eundem attrahimus aerem, & eſt quia cordis ſpiritus illius imbecillus eſt, illius vero robuſtus. Ita in morbo Gallico ſunt decem coeuntes cum Gallica, quorum ſex non inficiuntur, quoniam hepar habent robuſtum & ſpiritus potentes, non facile aptos pati ſed paratos hoſti reſillere. Addatis dilatationem vaſorum, nam niſi venæ, pori, & meatus dilatentur, nulla fiet communicatio, ut poſſit fieri tranſitus vaporibus, & ſanici. Hinc eſt, quod qui habent penem ſolidum, & durum, non ita facile corripiuntur. Addatis accenſionem facilem humorum: ego obſervavi quod qui ſunt frigidioris habitus non ita facile corripiuntur, neque frigidiores ætate, ut ſenes, quia in his non facile humores inflammantur, ſenes coeunt fortaſſe frequentius, quam juvenes, & licet non ita prompte, coeunt tamen. Ego obſervavi ſenes adeuntes meretrices publice infectas, & nunquam infectos, ego non poſſum dare aliam cauſam, niſi quia humores non facile incaleſcunt, quia habitus, & ætas non facile incaleſcit. (poteſt etiam referri occaſio ad duritiem cutis, ad ſiccitatem, ad paucam, quam cum eis habent fœminæ delectationem, ad duritiem glandis, & internæ cutis præputii eorum, quoniam cum in tot congreſſibus uſi ſint ſuis lanceis, qui fieri potuit, ut non obduruerint? quæ omnia in cauſa ſunt, ut hoſti impetum facienti reſiſtatur.) Addatis, & ſubſtantiæ naturam, mollitiem, & lenitatem partium. Addatis ultimo animi affectionem, nam non eſt dubium, quod ſi quis affectione intenſa coiverit cum muliere, & agatur amore nimio, non inficiatur. (Et hæc erit fortaſſe alia cauſa cur ſenes non inficiantur ita facile, quoniam friget Venus in eis, & amor frigidis eſt infixus medullis: curis animum implicitum habent, familiæ, filiorum, atque nepotum ſollicitudine vexantur, non ita ut juvenes cogitationibus expertes non niſi præſentibus voluptatibus intenti, totos ſe brachiis meretricum, atque earum amplexibus dedunt.) Hinc eſt cur reperiamus tot maritos infectos Gallico non inficere conjuges, & e contra: conſulatis nobiliſſimos, atque excellentiſſimos viros in praxi exercitatos. Unde hoc? ego credo quod provenit ex animi paſſione: quum adultera cognoſcit amaſium, fervet amore, & ideo inficitur. non amat virum, non fervet animus, non incaleſcit cum eo, ſed frigida jacet, atque moroſa. Præterea fortaſſe morſus adeſt conſcientiæ teſtans eſſe adulteram, ideo ſine amore coit, & potius timet: ob id multi credunt habere conjuges honeſtas, & caſtas, quæ tamen lue Gallica plorant. Præterea contracta eſt conſuetudo coëundi, ideo in utroque deeſt affectio animi. Ego nunquam vidi hominem Gallicum in primis nuptiis non inficere uxorem, quia tunc in illis primis diebus amor adeſt, ſed in his, quæ perpererunt, in quibus antiqua eſt conſuetudo coëundi ceſſat hæc cauſa. Videamus jam ſigna, quibus morbum iſtum cognoſcere poſſimus, atque ab aliis ſecernere.

## CAP. XXIII.

### *De ſignis morbi Gallici.*

Cognita ea Gallici Natura, quæ ex conſequentibus affectibus cognoſci poteſt, atque patefacta cauſa, hoc eſt contagio, ſupereſt ut loquamur de ſignis, quibus cognoſcimus talem luem adeſſe corpori humano. Et quoniam ſigna ſumuntur aut à natura affectionis, aut à cauſis morbi, aut à conſequentibus morbum, aut ab analogia. ſi nos naturam morbi capiamus, nullo modo poſſumus cognoſcere: quoniam latens eſt hepar in penitioribus partibus. Præterea morbus eſt in ſubſtantia, ſubſtantia autem non patet ad ſenſum: ab ipſa cauſa poſſumus revera conjectari aliquid, ſed non eſt certa & neceſſaria cauſa, ut quoties quis coiverit cum infecta, neceſſario contagium ſentiat: miſerrima eſſet juventus, ſi hoc eſſet: aliquando centum adoleſcentes ſcortum infectiſſimum, atque turpiſſimum cauſa joci cognoſcunt, & tamen vix unus inficitur. facit quidem, ſi cognoſcimus mulierem laboraſſe Gallico ad conjecturam, ſed non ad demonſtrationem, & ad certam fidem. ab analogia non expectemus ſigna. omnia quæ poſſunt demonſtrare continentur ſub effectibus, & conſequentibus morbum, qui ſunt duum generum. alia ſunt pura accidentia, & ſymptomata, alia ſunt morbi: ſymptomata ſunt defluvium pilorum, dolores capitis, & artuum, leviſſimæ infectiones cutis. Morbi ſunt ulcera ſæviſſima, tumores inguinum, & aliarum partium, paſtulæ &c. quæ velut umbra corpus Gallicum conſequuntur. Verum cum in morbis diuturnis dentur tempora, principium, incrementum, ſtatus, & declinatio, & cum morbus Gallicus diuturnus ſit, merito diſtinguitur in ſua tempora: & ratione illius mutatæ ætatis fiunt ſymptomata propria morbi incipientis, quieſcentis &c. hac ratione ego diſtinguam omnia ſymptomata in duas partes: in illam, quæ continet affectus conſequentes ad Gallicum inceptum, & in illam, quæ continet affectus inveterati morbi. Prima continet hæc ſigna. ſtatim cum adoleſcens infectus eſt, ſentit levem laſſitudinem ſpontaneam omnium membrorum, ſævum morbum pronuntiantem, cum tamen prius robuſtiſſimus, & animoſiſſimus eſſet. Percipitur gravitas in corpore toto, & præcipue à ſomno. ſentit torporem, gravitatem, ſegnitiem in univerſo corpore. ratio hujus eſt, quia infecti ſunt ſpiritus naturales, qui ſunt immediatum inſtrumentum facultatis ſuſtentantis corpus, & ideo gravius hoc quam antea videtur. Præterea adeſt dolor vagus parvus per univerſas partes. poſt laſſitudinem corporis nunc dolet caput, ſtatim ceſſat, aditque humerum nunc dextrum, nunc ſiniſtrum, linquit hos, invadit crus unum, aut alterum, & ſic facit de ſingulis membris. Cauſa eſt vapor quidam, qui incipit elevari ab hepate. nondum genitus eſt humor malus morbi, ſed ratione hepatis effervescentis ob communicatum morbum gignitur vapor parvus; ideo dolores ſunt vagi. Tertio incipiente morbo, & aliquantiſper ingraveſcente, immutatur color faciei. Videbitis angelicam, vivacem, ſplendidam faciem juvenis mutatam in deterius ſpatio trium, aut quatuor dierum. Quæ mutatio? Fallopius ignorat. ſufficit quod ſi mutatio, toto cœlo diſtat facies poſterior à priori, immutatur color & ſpiritus oculorum, os, labia, genæ ſubvertuntur. & notate ſignum, quod poteſt explicari, & eſt quod ſub oculis apparet circulus lividus, qualis apparet in mulieribus menſtruatis. obſervate an ebrius ſit, an vigiliis laborarit, an ſomno imbutus nimio, an curis vexarit animum, ſi hoc non eſt, laborat morbo Gallico. Quarto ſolet ſuboriri calor inſignis in veſtigiis manuum & pedum etiam in hyeme. Hæc cauſa patet, quoniam in facie animum cognoſcimus, ob ſpiritum vaporoſum, qui ortum ducit ab hepate, quo laborante, laborat facies. hinc extrema hæc fervent graviter affecto viſcere, hinc ille livor. Quinto addatis ſomnolentiam ſæpe interruptam, & quaſi corporis inertiam. Ratio eſt ob turbulentum vaporem, qui ob contractum morbum, & fervorem augetur. Addatis mœſtitiam. erit lætus juvenis, feſtivus, hilaris, atque jocoſus, cras erit infectus Gallico, ſubito mœror ſuccedit. Unde hoc? niſi quia affectio exoriens adurit ſanguinem, qui ad animum vapores turbulentos evehit. Solet aliquando febricula adjungi ob fervorem circa viſcera ferventia. ſed hoc raro fit. Octavo in loco eſt caries moderata: hocque eſt ſignum Pathognomicum quaſi. quoties ergo videtis cariem quandam Gallicam, levem tamen, circa pudendum, & quod occaſio præceſſerit, dicatis eſſe Gallicum morbum. quæ eſt ratio? Non poteſt ſuboriri caries, niſi duabus cauſis, aut quia ſanies pudendi fœminei ſua acredine eroſit pelliculam, vel communicato contagio hepati per ſpiritus naturales; hepar propellit eos infectos, & contagioſam ſaniem ad pudendum. de carie ejus quomodo cognoſcitur quando eſt Gallica, & quando non eſt Gallica, dicam poſtea. Nono in loco ſuccedunt bubones moderati. coivit adoleſcens cum fœmina, ſupervenit torpor, mœstitia, & poſt duos dies apparet bubo parvus, non doloroſus, non valide creſcens, ſignificatur quod morbus lenis eſt, & incipiens. Sed cauſa iſtius eſt, quoniam inguina ſunt partes emulgentes hepar, & ideo excrementa hepatis mala excernunt; hepate igitur infecto inſurgens vis ejus ad repellendum ſimul, & ſemel excrementum caſu in viſcere repertum excernit, & ita fit bubo. Ultimum ſignum eſt Gonorrhœa Gallica ſignum incipientis morbi, quæ nobis indicat iſtius Protei Naturam. Primis illis diebus per ſpatium 40. annorum, non erat defluvium pilorum; agitur jam 30. annus, quo hoc defluvium incepit, non ſunt 15. anni, quibus obſervata eſt Gonorrhœa Gallica. Ex quo colligimus variam eſſe naturam morbi, & poſſumus expectare nova ſymptomata; Utinam levia ſint. quomodo autem cognoſcenda hæc gonorrhœa ſit, poſtea docebo, ne hic aggregem omnia. Cauſa autem ejus eſt labefactatio ſpirituum, qui regunt facultates teſtium, & ita diſſipatur robur illarum partium, & ſic non poſſunt continere ſemen, ſed continuo ſtillat. At jam progreſſi, & confirmati morbi ſigna inveſtigemus. Primum ſunt paſtulæ in uni-

*Levis laſſitudo.*

*Dolor vagus.*

*Mutatio coloris.*

*Dolor in manibus & pedibus.*

*Somnus interruptus.*

*Mœror.*

*Febricula.*

*Caries.*

*Bubo.*

*Gonorrhœa.*

*Signa con-firmati mor-bi & pri-*

*mum sunt pustulæ.*

universo corpore duræ, & graves in capite, & barba, aliquando cum crusta, aliquando non; aliquando cum sanie, aliquando non: & sciatis non posse esse morbum nisi sex, aut ad minus quatuor mensium, quando hujusmodi symptoma pullulat. Qui incipit hyeme, producet crustas principio æstatis, qui vere, autumno, &c. Suboriuntur autem pustulæ; quoniam materia infecta transmittitur ab hepate: secundo quoniam pars laborans pustulis non bene concoquit sua excrementa, & ideo congerit ea. Secundo suboriuntur ulcuscula in pudendis calloſa, vel fiunt calloſa, quæ inceperant. Quoties videtis sanatam cariem, & quod remanent calli circa cicatricem, tenete esse confirmatum Gallicum, ideo moneo vos, ut hoc recordemini in curationibus, quoniam calli illi sunt manifestissima & demonstrantia signa morbi confirmati. Tertio in loco est uvæ mollificatio. in faucibus gurgulio dependet, quem uvam vocamus, quæ, si humida fiat, pendet, & humectat fauces: Unde fit raucedo vocis: aperite os, quum audietis voces istas raucas, & videbitis uvam humectatam, & non est catarrhus distillans, dicite esse Gallicum confirmatum. (causa hujus humectationis est spiritus naturalis labefactatus, qui una cum sanguine infectus mediantibus venis ambitum totius corporis circuit, & ideo imbecilles ejus functiones subministrat. in ventriculo prave concoquit, ideo in eo pituitam, in cerebro mucum, in venis sanguinem pituitosum generat, quæ si adurantur, processu morbi acria fiunt, & ideo ratione hujus humidæ humorum lacunæ, non est mirum, si uva humectatur. si ratione acredinis sanguinis scabies cutim infestat: si radices pilorum crodens eorundem defluvii causa existit, palatum ulcerat, os, atque nasum, cum galeam cerebri conterit, atque fons est, & principium multorum aliorum symptomatum. raucedinis autem vocis causa est humiditas, atque excrementa canales impedientia. Quarto addite tumores glandularum in faucibus, cum hoc est, non dubitare de infectione Gallica jam confirmata: quoniam communicatur materia infecta capiti, quæ excernitur ab emunctoriis. Addite corruptionem palati, & dentium. quum hæc adsunt, non possunt reperiri gradus morbi intensiores. Adduntur sexto in loco dolores firmi, & clamosi, (ut isti dicunt;) 22. hora incipit dolor, non pervenit ad mediam noctem, & clamor percutit auras. Nam dolores isti fiunt à vapore quodam noxio, & maligno, qui attollitur ab hepate, & ab excremento ingesto per malam nutritionem in particula qualibet, & præcipue circa periostia cujuslibet partis. Præterea addatis corruptionem ossium capitis, & brachiorum, antequam appareat aliquod ulcus. Quomodo autem cognoscitur os corruptum integro corio remanente, dicam postea. Addatis octavo loco tumores ateromaticos, quæ gummata vocantur, assumpta similitudine ab arboribus, quoniam in morbo Gallico crescunt tubercula æmulantia gummas arborum) fiunt autem aut quia pars ipsa non bene nutritur, & coacervat excrementum, vel quia hepar communicat materiam infectam. Addatis. 9. in loco ulcera maligna universum corpus obsidentia, quæ exulcerant totum corium, caput, & universas partes ob copiam materiæ peccantis. Sed communi illud symptoma, defluvium pilorum sæpius etiam infestat. Jam est transactus 40. annus, quo non radimur ob vituperium nostrum, antea non erat defluvium pilorum & radebamur. Hispani induxere Tyrannidem in Italiam, Gallicum, & barbæ longæ usum. Casus autem pilorum causa est materia salsa, & erodens. Sed pulcherrima insurgit quæstio, animadversione non indigna; quare est, quod pili capitis, & barbæ tantum concidunt, & non ex aliis partibus universi corporis. sed locus hic non requirit ista. Addamus crustas qualdam, vel callos, rhagades dictos, vel impetigines, & præcipue in vola manuum, & planta pedum. Hæc sunt dolorosa valde, adsunt enim rimæ quædam, & ulcera serpentia, & horum causa est materia pessima pituitosa valde exulta, quæ confirmata lue valida in hepate, oritur. Accedit penultimo id, quod præ cæteris me summopere gravat, & est tinnitus aurium. Ultra 10. annos nunquam audivi ab aliquo mentionem factam de hoc tinnitu: ego primus observavi, jam 8. agitur annus. rari sunt, qui hujusmodi tinnitum non habeant in valde confirmato Gallico. observetis diligentissime hoc, cum scriptum non reperiatis ab aliis. hic tinnitus solet ob alia suboriri, sed etiam fit ex Gallico. (Sed hic observans effectum satur causam sprevit, vel fortasse tanquam ex dictis hauriendam: Nos ad eam properemus. cum constet ab hepate vapores noxios ad caput attolli, cumque continue subministrentur, vis capitis expellens tentat per omnes debitas propellere vias, deducit ad cutim, ut ratione pororum exhalent, hinc cadunt pili ob erosionem; demittit ad os, & ideo palatum corrumpunt, atque dentes; per nares fugat, & ideo eum ulcerant; ultimo conatu per aures tentat detrudere, cumque flatus, vapor hic infectus sit, atque crassus, violentia ejectus sonitum facit.) Ultimo succedunt aliquando quædam affectiones, veluti asthma, quæ superveniens indicat morbum incurabilem. non crucietis ægrum asthmaticum, quia non sanabitis. De his omnibus symptomatibus ego postea lenitionem, atque curationem tradam, & licet difficillima sint, tamen polliceor me invenisse medicamenta, quæ certo, cito, & tuto (quantum fieri potest) curant.

*Ulcuscula in pudendis. Nos.*

*Uva mollificatio & raucedo vocis.*

*Tumores glandularum in faucibus.*

*Corruptio palati, & dentium.*

*Corruptio ossium capitis, & brachium. Gummata.*

*Ulcera maligna per totum. Defluvium pilorum. Imo Rex Philippus, atque Pater Carolus veram conati sunt introducere Monarchiam quæ primas tenet in tribus speciebus gubernationum, unde Aristot. 12. met plura listas entium mala, unus ergo Princeps. Nos.*

*Asthma.*

## CAP. XXIV.

*De curatione morbi, & primum de exercitatione.*

Inter cap. proposita in hoc tractando negotio, quartum curationem morbi continet post cognitam affectus naturam, causas, atque signa, quæ curatio multiplex est, & varia, hac præcipue ratione, quoniam non habet vim collocatam in Methodo ipsa; semper fuit empirica, quia casus & experientia simul juncta remedia subministrarunt, & quoniam casu inventa sunt remedia varia, ideo variæ sunt rationes curandi morbi. prima ratio est illa, levis tamen, quæ est maxima corporis agitatio, & exercitatio: & hæc valet in Juvenibus robustissimis, qui solo sudore facta simplici corporis expurgatione, sanati sunt, aut lucta, aut Jacûlo, aut saltu, aut lusu pilæ: tantus calor crescit, tanta discussio fit excrementorum, renovantur spiritus, & fiunt puriores apti ad superandam labem. & hoc non est mirum, si aliquando viscus per se se ipsum sanat, lue nondum radices jactas habente. Unde febris putrida cessare solet absque medicamento, quia nondum hæret partibus solidioribus: in febre ethica sanantur corpora per medicinam, quia humectamus, & frigefacimus partes. Ita in Gallico, quando incipit, necdum hæsit in intimis particulis, fieri potest ut per se restituatur spiritus, affectio enim illa spiritualis est. Ad rem igitur revertamur. solent aliqui excitato vehementissimo sudore sanari: sed hoc tantum fit in primo principio morbi in robustissimis corporibus, & etiam in plurimis robustis non valet. succedit modo suffumigium.

*Exercitatio.*

## CAP. XXV.

*De suffumigio.*

Alia est ratio empiricorum per suffumigia. Inventum est antiquorum, ut suffitibus sanemus varios affectus. Empirici tentarunt omnia, & tandem invenere suffitum ex cinnabari præstantissimum, sæpissime tamen nocet, sed inter genera curationis connumeratur, & non dubitate, quod sanatur aliquando. tamen duplex est suffumigiorum species, altera benigna, altera gravis. de quibus suo loco.

*Suffumigium.*

## CAP. XXVI.

*De Hydrargyro.*

Tertia ratio pulcherrima est per Hydrargyrum purum, quod absorptum superat morbum, deferens excrementa ad palatum, hoc facit mihi admirationem. Tria sunt, quæ valde turbant mentem meam, primum magnes, secundum medicamentum expurgans, tertium Hydrargyron. in quo observo miracula naturæ. Hydrargyro hoc parantur unguenta, quæ internodiis applicata sanant, & de hoc suo loco dicemus. Hæc ratio empirica est, quia multa solent incommoda subsequi, si casu ex toto non sanet, quoniam nunquam inunctus vir remanet, affectus proritatur, & pejor redditur.

*Hydrargyrum.*

## CAP. XXVII.

*De præcipitato.*

Quarta ratio est cum Hydrargyro præcipitato, in quo miraculum apparet. vos videtis argentum vivum converti in præcipitatum, in pulverem, tamen iterum potest in Hydrargyrum reduci: videtur species resurrectionis, miraculum Deo reservatum. hoc exemplo apud incredulos possumus confirmare, ut verbo Dei ex nostro cinere resurgamus. plures ergo usus istius præcipitati incolumes fecit. sed hæc ratio plurima habet conjuncta incommoda. de quibus postea: ego docebo hæc, non quod semper utamini, sed contra obstinatos, & ut incommoda sequentia cognoscatis.

*Præcipitatum.*

## CAP. XXVIII.

*De curatione per Methodum, & primo de victus ratione.*

Alii tentant Methodo rem hanc aggredi: (quamvis ab empirica principium sit, subministrata à casu, & experientia) ista est vera, & regia curatio, de qua primo tractare

*Methodus.*

ctare tentemus. Proponatur Juvenis laborans morbo Gallico, & morbus adhuc creſcat, proponuntur tres indicationes tres ſcopos conſtituentes. Nam diximus morbum eſſe affectum in tota ſubſtantia hepatis, cui ſuccedit ebullitio ſpirituum, ad quam intemperies calida, & ſicca adveniat, quæ non eſt natura morbi. ſanatur morbus, & tamen relinquitur caliditas, & ſiccitas. Tertio diximus, quod ſtante ægritudine ſuccedit generatio excrementorum in omnibus partibus. Hoc conſtituto prima indicatio reſpicit excrementa; ſecunda fervorem illum: tertia naturam morbi: opus ergo eſt, ut nos totam affectionem avellamus, contemperemus intemperiem, & evacuemus excrementum: ſed quoniam excrementorum copia ſolet eſſe impedimento curationi, ex ſecundo & tertio Meth. habet rationem cauſæ, ſine qua non, ideo ſine eorum evacuatione curationem aggredi non tentemus. ſecundo cum habeamus intemperiem calidam, & ſiccam, ideo eam auferamus, poſteaquam excrementa excreta ſunt. nondum autem factam, ne fiat, prohibeamus. iſta autem ratio erit methodica penitus, empirica tantum in curatione luis. Hoc autem fieri non poteſt, niſi ita muniamus corpora, ut nihil officere poſſit, & primo caſtigemus res non naturales, quæ proſint curationi, non obſint: & ideo moneo vos, ut in principio ſtatim habeatis rerum non naturalium curam, quia morbus longus eſt, & validus, ideo oportet optima diligentia uti: inter quas primum locum habet aër, in quo non videtur aliquid notandum, quoniam experientia docet, ut Gallico laborantes non prohibeantur ab hoc, vel illo aëre, tamen aër attrahitur continuo à nobis, ideo poteſt variare affectum, & hoc notavi ego experientia ductus. aër marinus (dummodo ſit in loco ſalubri) eſt præſtantiſſimus omnium in morbo Gallico. Crebra eſt mercatura Gallici Venetiis, ſed aër ſaluberrimus eſt, ſecus oporteret relinquere locum inhabitatum, & aliunde novos colonos expiſcari. raro vidi adoleſcentem euntem illuc, cognoſcentem mulierem, qui non redeat infectus, ſed aër marinus prohibet, ut non corrumpantur homines penitus. Romæ ſunt meretrices. ſed non adeo viget morbus hic. At Bononiæ aër peſſimus eſt, quia frigidus, & acutus, ſtatim morbus ibi petit caput, atque palatum inficit, idem Florentiæ accidit; licet ibi per aliam viam revertentibus ſcorta ſint infeſtiſſima. Patavinus aër mediocris, & ſalubris eſt, morbus enim nonniſi hepar petit, ideo poſſum monere vos, ut ſi amicus inficitur Gallico, & fuerit in aere frigidiori, & tenuiori, moneatis, ut eat ad craſſiorem, & calidiorem, ſaluberrimum tamen: Ratio etiam ciborum habenda, ſed præcipue detur, qui reſiſtat putredini, & impediat fervorem. Fugite fructus præter modum, quia faciunt ſanguinem frigidum quidem, ſed aptum ad ebullitionem, veluti muſtum ſanguinis, quoniam aquoſus eſt. Carnes humidas fugiant. peſſimæ ſunt agninæ. ſuillæ carnes humidæ ſunt, ſed non adeo ut piſces, & agninæ, ſed tamen ita proritant morbum, ut mirum ſit, non dico ſalitas carnes, ſed recentes, quoniam adminiſtratur hepati humor fovens morbum. fugiendi piſces in lacunis nati. Vervecinæ, vitulinæ, hœdinæ etiam bonæ ſunt. addo aviculas. Arietinæ, caprinæ, & bovinæ peſſimæ, & in ſumma tam carnes, quam piſces ſaliti à menſa Gallicorum avertendi. Inter illa, quæ comeduntur, ſi quod noxium eſt, tria ſunt, quæ principem locum obtinent. Cæpe communes, cæpe aſcalonitides, quas ſcalognas vulgo appellamus, & allia. Nihil magis proritat præter coitum his tribus. Radices Ravani addite, ſed non adeo crudeles ſunt, auget lichenes, tinnitus aurium, videtur ardere hepar, itaque facite, ut fugiant iſthæc veſtri ægri. Uſus aromatum bonus eſt, & malus. eſt bonus veluti Caryophyllum, Nux moſchata, cardamomum, cinnamomum, & ſimilia habentia vim roborandi viſcera, quia abſumunt excrementa. Verum quia aliquando fit nimia ebullitio in hepate, ideo non nimis laudo. ſed ſi ventriculus laboret, date parum piperis non in pulverem confracti, ſed tamen craſſo modo comminuti. ſi autem adſint ulcera circa ſedem, abſtinebitis ab omnibus aromatibus, & pipere. Præterea panis ſit optimus: ſed unum videtur conſiderandum, an biſcoctum Panem exhibeamus necne? aliqui dant in principio, aliqui in exhibitione decocti, aliqui nolunt, ut aliquo modo dentur panes iſti, & dicunt primum, quod non conficitur talis panis, eſt duræ concoctionis. ſi fugimus carnes bovinas ob difficilem concoctionem, ergo & hunc. Præterea ſiccat humorem naturalem, & abſumit, inutilis ergo eſt hic panis. Tamen ego alterius ſum & fortaſſe melioris ſententiæ, non quod panem biſcoctum neceſſario demus in principio, mihi probaretur, ſi etiam daretur, quia non video ſequi aliquod incommodum. Quod difficilius conficiatur, verum eſt, ſed ſi bene fricetur dentibus, facillime poteſt concoqui. accipite panem biſcoctum, & ponatis in humido, videte an humidum abſorbeat. qui potibus oblectantur, ſolent facere offam optimam, mollem, & teneram, ut facillime abſorbeatur cum pane biſcocto, quia melius, & citius emollitur. Dico tamen quod non debemus durum præbere biſcoctum ſine alio; ſed ſi poſtea bibatur, facilius digeritur, quoniam per duplicem concoctionem viſcidum abſumitur. Hinc Ariſt. quærit in problematibus, cur piſces pingues, & carnes ſemper aſcendunt per fauces, & diu ſunt in ventriculo? Reſpondet, quia adeſt tenacitas ipſa, quæ ſuperata eſt per duplicem concoctionem, vis videre? quia facilius fit maceratio. Ideo colligo, ſi bene emollitus ſit panis biſcoctus, quod bene concoquitur. Ad ſecundam rationem dico, vel ſumitur ut alimentum, vel ut medicamentum: ſi agit ut alimentum, humectabit corpus humiditate, quæ magis ſicca eſt, quam illa, quæ reſultat ex humidiori pane: ſed illa humiditas præſtantiſſima eſt, quia inde reſultant ſpiritus & humores minus apti ad ebullitionem, & ad fovendum morbum. ſi vero ut medicamentum propinetur, ergo abſumet humiditatem præternaturalem, non naturalem, ſicut facit lignum Guajacum. ſed quid de vino dicendum? vinum calidum, & robuſtum inimicum eſt Gallicis, ideo exhibeatur impotens, & imbecille, quod à Galeno oligophoron dicitur; & ſi poſſent bibere aquam, bonum eſſet. Fercula ſint ex illis, quæ ſine obſtructione refrigerant: ſpinachia, lactucæ, piſces petroſi, fercula ex hordeo, ex zea. Acetaria ex cichorio, ex cucurbita. Fœniculi radix coquatur cum his. Aſparagi lacuſtres dulces boni, montani amari inimici, acetum bonum, & omnia non calefacientia, dummodo ventriculum non offendant, bona ſunt.

*Res non naturales.*

*Vinum.*

*Fercula.*

*Acetaria.*

*Leon. vult cucurbitam eſſe ſanchon Dioſc.*

*Cibus & potus.*

*Fructus.*

*Carnes.*

*Piſces.*

*Salita.*

*Capc.*

*Allia.*

*Ravani radices.*

*Aromata.*

*Caryophyllum.*

*Piper.*

*Panis an biſcoctus exhibendus.*

## CAP. XXIX.

### *De Motu, & quiete, ſomno, animi paſſionibus, excrementis.*

In inſtituenda recta ratione rerum, quæ quidem non naturales ſunt, quæve impedimento eſſe poſſunt medicamentis adhibendis, cum explicaverimus ordinem in victus ratione, ſcilicet cibo, & potu, & aëre eligendo, relinquitur ut de motu, & quiete loquamur. Quies ſemper noxia eſt: niſi excrucientur partes, & doleant artus, ſemper motus opportunus eſt. Cum autem duplex ſit motus, alter qui ſatis eſt ad excitandum calorem viſcerum, alter violentus, fiet motus primus, aut luſu pilæ, aut ſaltu, aut jaculatione; imo ſi fieri poſſit, ut ſumentes lignum Guajacum obambulent per thalamum, præſtantiſſimum erit, dummodo conſiſtere poſſint: Motus violentus erit contrarius, quoniam valde reſolvit calorem innatum. Somnus longus, quamvis faciat ad concoctionem excrementorum, tamen malus eſt; quia replet caput, & laxat omnes artus. & licet poſt aſſumptum ſyrupum matutinum, & veſpertinum concedamus ſomnum, tamen exceptis illis temporibus, vigiliæ opportunæ ſunt, quoniam ſiccant, & fervorem extinguunt. ſed animi paſſiones, & immutationes notandæ. Qui læti ſunt, qui deridenter morbum, licet cadat his barba, & capilli, quibus numquam animus affligitur, hi duplo citius ſanantur, quia viget tunc calor naturalis. contra, mœrores, moleſtiæ, timores excruciant homines, & impediunt medicinarum actiones. Unde quum furioſos deſperatos video ægros, ſemper malum profero judicium de his; quia producitur longo tempore morbus. At congreſſus amicorum, concentus, ſonus, animique tranquillitas faciunt multum pro ſanitate recuperanda. Habenda quoque excrementorum ratio, ne vapor efferatur ad caput, ideo clyſteribus aut glandibus lenimus alvum. De excrementis ſeminalibus notandum, quod quidam ſunt, qui niſi coiverint, numquam ſanantur, tamen rari hi ſunt. Et ideo omnibus mandate, ut caveant à venere, quia omnia proritantur: & ſi poſſem meminiſſe exemplorum, numerus eſſet infinitus eorum, qui curati à morbo Gallico poſt quindecim dies coëuntes exacerbato morbo cruciati ſunt. Hujus effectus cauſam modo hilares adeamus, ſi verus eſt, quoniam fortaſſe dubitamus. ſunt qui niſi coiverint non liberantur, & ſunt ſalaces, robuſtiſſimi juvenes, atque optime refecti poſt potum decocti. An quia excrementum eſt ſemen retentum, & lætos juvenes reddit coitus moderatus? hilaritas autem neceſſario requiritur his, qui citam, & tutam quærunt ſanationem, & natura liberata ab eo, quod eam gravabat, fortior reddita, reliquias morbi fugat? an quia dictum eſt, exercitationem inceptum propellere morbum, quia auget calorem naturalem, & hic coitus (ſi moderatus ſit his) idem facit, & propterea unitus ſuſcitatus, affectus reliquias expellit. at ſæpius proritatur morbus, ſi liberatus à Gallico quamprimum adit ſeortum. quoniam natura continuatis medicamentis, jejuniis longis, potu aquæ, ciboque tenuiſſimo labefactata, coitu duplo imbecillior reddita, non poteſt quod reliquum eſt morbi propellere. natura enim ſanat, non medicus, nec medicamenta: & eo magis, ſi coitu utantur immoderato. ſpiritus enim, & calor innatus

*Quies & motus.*

*Somnus.*

*Animi paſſiones.*

*Excrementa.*

*Semen.*

ſupra modum reſolvitur, humidumque radicale, quo nativus alitur calor, exiccatur. Dubito autem an verum ſit, ſanatos à morbo Gallico poſt 15 dies redeuntes ad coitum exacerbato morbo infeſtatos eſſe. Coitus enim ſolus per ſe, (ſi homo liberatus eſt ex toto) non poteſt luem illam introducere. quare enim introduceret? an quia homo imbecillus eſt, emaciatus, cruciatus? at multi morbi imbecilliorem reddunt, emaciant magis, cruciant gravius: poſt quorum ſanationem ſi coëat, non inficitur Gallico. ſed dices, corpora hæc ſunt neutra regreſſus, ideo facilius poſſunt in eundem morbum redire ob inordinatum coitum, vel alias ob cauſas, antequam ex toto, & ſincere convaleſcant. Dico quod in morbis à ſubſtantia, qui contagio tantum diſſeminantur, ſicuti eſt Gallicus, non accidit hoc; cum enim vir liberatur ab his ex toto, non timet amplius eorum reditum, ſed alterius morbi adventum. ut ſi quis poſt Guajaci decoctum aſſumptum (ut in omnibus fere evenit) inordinato victu utatur, fient inconcoctiones, obſtructiones, & alia ſymptomata parientia morbos, ut febres, ulcera, tumores præter naturam, & id genus ſimilia. ſi coiverit, ſequetur virium ingens labefactatio, quæ lædens actiones morbus erit, ventriculi imbecillitas, atque ſpirituum diſſipatio, non morbi Gallici reverſio. Hæc volui dixiſſe, non ut verum vero addam, ſed ut per tranſennam occurrentia tranſcribendo, ſilentio non præterearn, de illis taceo, qui, dum curantur, coëunt, quoniam duplatur morbus.

## CAP. XXX.

### *De evacuatione materiæ.*

*Evacuatio materia.* His ita conſtitutis, deveniamus ad primum ſcopum propoſitum, qui erat, ut evacuaremus materiam præſentem. habemus morbum in ſubſtantia, cum quo fervor adjungitur, ex quo intemperies calida oritur, & excrementoſa, ideo evacuemus primo humores. & ita notare, quod omnis tractatio morbi Gallici debet ab hac auſpicari, & Empirici etiam id faciunt. Humores autem præſentes cum peccent vel in qualitate, vel in quantitate, vel in utroque, diligenter ergo obſervandum. Nam ſi peccant in quantitate, ſecabimus venam tantum; ſed rarum eſt, ut non peccent etiam qualitate. Cum igitur evacuandum corpus, primo ſecamus venam, lenitione tamen alvi præcedente, vel per *caſſiam*, vel per *ſerum*, vel per *ſyrup. roſar ſolut.* ſecamus autem venam, ut primo temperemus ebullitionem in hepate, ſecundo ut imminuamus materiam alterandam medicamentis, & evacuandam. Tertio cum morbus ſit per contagium, & inficiat hepar, ad quod fit concurſus humorum, fiet revulſio à partibus intrinſecis ad extrinſecas. Dimitto magnitudinem morbi. Hæc tria ſunt, quæ indicant nobis ſectionem venæ: & ſecanda eſt vena in cubito dextro propter rectitudinem viſceris. Sed notandum, quod ſæpe non poſſumus uti tali evacuatione, quoniam in principio morbi, ut plurimum ſolent adeſſe bubones, qui cum ſint facti propter fluxionem ex hepate expellente ad ſua emunctoria, ideo ſecando venam divertimus materiam à bubonibus ad viſcera, & ſic ſtatutum eſt ab omnibus, quod non ſecetur, ne recurrat iterum materia per hepar: ideo ſunt Medici, qui nunquam auderent ſecare venam præſente bubone, cum viderint ſectam venam fuiſſe cauſam delitеſcendi bubones, ex quo incrementum ſecutum eſt morbi, & exacerbatio. Ego ſemper fui iſtius ſententiæ, quod mediocria probabiliora ſunt validis, & intenſis. Quod non debeamus unquam ſecare, non dixerim, quoniam ego vidi effectus mirabiles ex ſectione venæ præſente bubone. quia ſtatim bubones rebelles non potentes venire ad caput, cœperunt ſuppurari. Præterea parvi incrementum accepere & concoctionem tuberculi, & abſceſſus. aliquando viſi ſunt delituiſſe. Cum hæc ego videam, ideo aliquando ſeco venam, aliquando non. Videatis bubonem, ſi adhuc fluxio fit, ne ſecetis venam, quoniam dum natura eſt in motu, & tentat vacuationem per loca convenientia, debemus auxiliari, non impedire. Cum ergo natura per emulgentia tentet vacuationem, ideo ne ejus opera retardemus, non ſecanda eſt vena. ſed ſi ceſſavit fluxio, venite adaucter ad ſectionem, & non dubitate, quoniam ego infinita habeo experimenta in hac materia; imo expectate celeriorem maturationem, & nova fiet fluxio. Qua ratione? quia cum per ſectionem venæ exoneremus hepar à materia in maſſa exiſtente, ſecundo cum demus impetum in materia; tertio cum fervor ceſſare incipiat, tunc vires creſcunt hepatis, & facit majorem expulſionem. concoquuntur etiam bubones facillime, quoniam concoctio illa neceſſe eſt ut fiat ratione caloris alterantis, & immutantis; ſed cum in bubonibus materia fluens ſit frigida, ſolet hærere partibus ut ſcirrhi; ſcirrhi autem difficile putreſcunt; ſi ſecamus venam, retrahitur aliqua ex parte materia craſſa, ita quod pars tenuis ſangui-

*An ſecanda vena ſi adſunt bubones.*

*Opinio aliorum.*

*Optima propria.*

*2. Aph. 22.*

A nis calida concurrit ad locum, & calefacit materiam frigidam, & vapores gignit. vapores ſuffocati putredinem pariunt, & ſic tubercula per ſectionem venæ memini eſſe maturata. Ego quando primus volui facere hanc ſectionem, fui diſcors cum Excellentiſſimo hujus Gymnaſii doctore. Clam curavi ſecandam, & ſtatim ſecuta eſt maturatio. Sed quando cognoſcemus fluxionem non adeſſe? ex colore, dolore, & incremento bubonis. Tribus diebus obſervemus bubonem, & mandemus, ut obambulent vel in thalamo, vel extra domum. ſi à prima die ad tertiam nihil creverit bubo, fluxio non adeſt: quia ſi adeſſet, fieret incrementum; fluxio enim eſt ad partem imbecillem ſubſtantia, natura, conſuetudine. ſubſtantia rara eſt, ſunt ſiquidem glandulæ aptæ ad receptionem: natura frigida: conſuetudo, quoniam ſolet accipere, ergo non adeſt fluxio. Secundo obſervate dolorem, ſi interea dum quieſcit æger, adeſt dolor, non dubitandum eſt, quod aliquid fluat adhuc. idem de colore. ſi erit ſemper ruber tribus diebus, ibi eſt calor multus faciens ad actionem, & tunc non ſecemus venam, niſi tanta ſit fluxio, ita magnus tu- B mor fiat, ut timeamus ſucceſſuram aliquam corruptionem: hoc autem rarum eſt. ego in toto temporis curriculo vix ſemel, aut bis habui occaſionem iſtam: cum non adeſt fluxio, ſecate baſilicam dextri lateris audacter.

## CAP. XXXI.

### *De præparatione humorum.*

*Humorum præparatio.* Secta vena pro ratione virium præparandi ſunt humores: & quoniam in principio morbi non ſemper adeſt eadem humorum miſcela ſicut in fine, in quo pituita adeſt, & exuſta materia. Voco autem excrementum in principio non ſolum Gallici, ſed repertum in habitu factum alia de cauſa; & eſt pituita ipſa: ideo oportet præparare, primum per illa, quæ vim habent attenuandi, & detergendi, atque exobſtruendi, & ita ad ſyrupos hujus facultatis deſcendamus. *Syrupi.* ſed ego obſervavi (cum opus ſit accelerare, ne morbus firma jaciat fundamenta) uſum relinquendum communem in exhibitione ſyrupi tantum matutina hora. ſed ſoleo exhibere electuarium aliquod cum ſyrupo matutina hora, & C ante cœnam per duas horas: Exhibeo ego ante ſyrupum cochlear electuarii, vel ad caſtaneæ quantitatem, & in hoc obſervo non ſolum, quæ faciunt ad attenuationem, & digerendi vim habent, ſed exhibeo ea, quæ habent antidoti naturam, ut ſemper robur viſcerum tueamur. & quamvis infinita ſint antidota, tamen quando frigidi humores, & pituita elteranda ſunt, utor calidioribus. Si humores calidi ſint, utor frigidioribus. in ſyrupis ergo ad præparandam pituitam primum accipio *mell. roſ. oxymel: ſimpl. ana unc. s. ſyrup. de cichor. unc. j. decoct. cichor. beton. fumi terræ quantum ſufficit.* hæc ſunt detergentia, & incidentia: *Electuarium.* admiſceo *ſcordium* huic decocto, quia habet vim roborandi, & conſervandi hepar. Pro elect. ego accipio *ſacchari borag. roſati, bugloſſati ana unc. j. Mithridaticæ confect. drach. j. miſceo*, & ita exhibeo quotidie quantitatem avellanæ, vel caſtaneæ matutina hora immediate ante ſyrupum, veſpertina hora ante cœnam per duas horas, aliquando loco electuarii has pillulas do: *ſucci concreti ſcordii, ſucci* *Pillulæ.* *concreti cichor. & cum parte Mithridaticæ confect. efficio pill. ponderis d acb. s.* ego impedivi hoc genere medica- D menti defluvium pilorum. ſoleo aliquando iſtis pillulis admiſcere *pulv. ligni Guajaci, vel corticis ejus*, & ita cum ſuccis, vel ſaccharis illis addo.

## CAP. XXXII.

### *De medicamentis evacuantibus pituitam.*

*Vacuantia pituitam.* Tandem apparentibus ſignis concoctionis adhibeo medicamenta evacuantia, quæ ſunt *agaricum, turbith, hermodactylus*, & *colocynthis*. & hæc in uſu ſunt apud omnes. *Hermodactylorum pulvis.* ſed duo poſtrema potiſſima ſunt. Unde empirici puro hermod. pulvere utuntur cum jure, vel vino dulci, & relici cum ſucceſſu. Unde *pillul. de hermodact. pill. fœtidæ, pill. cochiæ ſimplices ſine veratro optimæ ſunt.* Præſtantiſſima autem eſt *hiera pachii*. Facta prima evacuatione, oportet iterum evacuationem aggredi, & in hoc caſu ego non ſoleo novos dare ſyrupos, ne gravem ægrotantes; ſed aut lingendum liquorem, aut electuarium ſolum exhibere. aliquando *ſyrup. de fumo terræ comp. mel. roſat. & oxymel* E *ſimul mixta quantitate trium, aut quatuor cochlearium* matutina hora, & veſpertina ante cœnam duabus horis cum electuario dicto: & cum iterum præparaverim, iterum evacuo, ut dictum eſt.

*Pil. variæ.*

*Hiera.*

## CAP. XXXIII.

### *De evacuantibus bilem.*

*Vacuantia bilem.* Verum ſi materia iſta non pituitoſa exiſtat, ſed biliosa, quid agendum? ſi videmus biliosum habitum, urinas,

fecesque citrinas, & prægressæ ægritudines à bile ortum duxerint, sanguis sit tenuis, tunc oportet bilem educere, &, ut facilius id fiat, solemus præparantia exhibere, quia raro accidit, ut non sint obstructiones, & dum materia egreditur, solet excoriare, & dysenteriam producere. Interea dum volumus corpus præparare, oportet propositam naturam antidoti recordari, & ideo frigida in hoc requiruntur. cum *syr. de fumo terræ, de cichor. cum illo de pomis solemus admiscere sonchum*, quia malignitatem hepatis sedat: his addimus *decoct. ex fumo terræ & ex citri semine, & cortice factum*. Præparato corpore, devenimus ad purgationem, quæ per se patet, ex medicamento ducente bilem. *Rheubarb.* præstantissimum est; & quamvis calefaciat hepar, quia tamen roborat, ideo *ex ejus infusione, & syr. viol. vel rosar. solut.* conficimus pharmacum. Postea iterum eisdem syrupis præparamus, atque iterum purgamus, sed solemus ascendere ad *scammon. cum infus. rheubarb.* & castigamus cum *elect. de pysl. vel de succo ros.* & cum *syrup. ros. solut.* propinamus. Sed ego semper in morbo Gallico soleo uti rebus, quæ ex *rosis* constent. si volumus electuaria, demus de *succo ros.* vel *ros.* Mes. si volumus solutivum, demus *rosaceum*.

*Rheubarb.*

*Rosa.*

## CAP. XXXIV.

### *De electuario bili conferente.*

*Elect.*

At electuarium quod est? solemus accipere *sacchar. ros. sach. viol. ana unc. iij. & addimus pulveris coral. rub. pulv. ebor. pulv. sem. citri ana drach. j. succi concreti ex soncho, succi concreti scordii ana scr. ij. his conficimus elect.* & exhibemus matutina hora cum syrupo vespertina ante cœnam per duas horas. & hæc de elect. ad bilem conferente dicta sint: jam ad melancholiam transeamus.

## CAP. XXXV.

### *De præparantibus melancholiam.*

*De melancholico humore.*

Verum si causa fiat (ut plurimum accidit) quod natura vacuanda sit humor melancholicus, existens ex habitu corporis in principio, in progressu vero propter hepar infectum. Montanus dicit, quod si habemus morbum, in quo sit fervor, & intemperies calida, & sicca, & humores crassi, & tosti, possumus duo efficere, primum attenuare, & incidere, & aptum reddere ad evacuationem, secundo possumus diluere, & concoquere. sed primum dicendus est humor, postea attenuandus, quoniam attenuatio fit siccantibus, & ideo si primo fieret, humor aut augeretur, aut fermentaretur, & sic morbus augeretur, & ideo Hipp. ubi loquitur de oxymelite, dicit quod acetum vel attrahit in molem humorem melancholicum, vel generat illum: hoc medicamentum est attenuans, siccans, & frigidum, quanto magis læderet, si esset calidum, & siccum. Ideo laudat Montanus, ut in morbo, in quo melancholicus humor abundat, primo diluamus humorem, postea attenuemus, demum evacuemus. Quomodo autem concoquendus humor iste? per concoctionem intelligimus rem non ordinariam, nam præparatio humorum, attenuatio, &c. est concoctio, de hac non loquimur, sed intelligit Mont. concoctionem, id est eliquationem, & dilutionem. Quomodo autem eliquantur humores isti? veluti omnia alia ab arte. quædam enim à violento calore veluti metalla: quædam ab humido calore, & tenuissimo, & est quoddam genus metalli, quod talcum vocatur, si hoc esset in fornace vitriaria, per spatium trium mensium non eliquaretur, & vocatur à Plin. Talconium, tamen Balneo Mariæ eliquamus ductum in pulverem. (Sed postquam Talci hujus mentio facta est, ejus naturam, atque descriptionem hauriamus: causamque investigemus cur humido calido liquetur, non humido frigido, aut calido sicco? hoc autem facimus, quo res vere, & per causam non sophistico modo sciantur. Ideo altiuscule repetentes, quæ ab Arist. 4. *meteor. cap. de eliquatione, & congelatione* dicta sunt capiamus, Alchimistarum, atque metallicorum opiniones non aspernantes, qui operibus, sensu, & experimentis penitius rem indagarunt. Dicimus ergo, quod quæcunque à calido coagulantur, ab humido dissolvuntur, hæc autem terrena sunt, ut sal, & nitrum, quæ fuere à calido coagulata. puta a Sole, licet de his dubitet Arist. quæ vero à frigido coagulantur, igne liquantur, & ut plurimum aquæ potius subjiciuntur, hæcque sunt aurum, argentum, æs &c. De adamante dubitatur, qui igni impositus, frigidus semper manet, & resistit, & tamen à frigido congelatus est. apparet enim glacies quædam. at hoc est aut quia pori ejus adeo compressi sunt, ut ignis quantumvis subtilissimus penetrare non possit, aut quia sulphure caret (ut Alchimici tenent,) & ideo accensa flamma non potest pabulum habere, quo mediante viscera ejus penetret. Hinc est dicit Arist. quod later coagulatus a calido, non potest ab humido dissolvi, angustia enim pororum impedit introitum aquæ ad interiora lateris. habet autem later angustos poros. quia calor agens in materiam ejus convertit humidum in vapores, qui per poros arctos exhalant, per quos non potest aqua introduci, quia crassior. Modo ad Talcum deveniamus, cujus descriptionem non vidi apud aliquem, ego eam inveni cum calcinatione, præparatione, & multiplici ejus condimento in manuscripto codice D. Petri Agathi mei Genitoris patrui, solertis naturalium ac supernaturalium rerum investigatoris, secretorumque Naturæ mirabilis inventoris, cujus opera plurima apud me extant, plurima tempus, atque Italiæ calamitates abstulerunt. Dicit ergo: Talcus est lapis terreus duum generum Lunæ, atque Solis. lucidissimus, foliatus, naturaliter compactus ex mercurio, & flore terræ sine sulphure, cujus folia minuta ex parte utraque sunt pellucida, pervia, subtilissima, quæ motu digitorum velut in arenam minutissimam resplendentem rediguntur. Hæ sunt notæ talci, multa subdit alia pro lapide Philosophorum, quæ quia non faciunt ad rem, ideo omittenda censui. Nec omnes particulas descriptionis declarabo, sed tantum eas assumam, quæ pro causæ faciunt inventione. hic fuit fortasse illius sententiæ, quam visus est sequi Alb. Avic. & Hermes, quod metalla fiunt ex argento vivo tanquam ex sanguine menstruo, & sulphure, tanquam ex semine viri. sed quia Talcus non est verum metallum completum, ideo dicit esse lapidem terreum absque sulphure. liquatur ergo balneo Mariæ, id est humido calido: humido, quia à calido fit, & terminatur, & ab eo congelatur, unde humidum ejus absumptum est, & comminutus in arenulam redigitur. at oportet humidum calidum esse, quia anguisti ejus sunt pori; hinc splendor, hinc lux: quia superficies levigata compressa; modo calidum strictos aperit poros, & dat aquæ viam, ut in intimas partes penetret, eum liquefaciat; lateri autem aqua non sufficit calida, quia violento calore absumptum est humidum conversum in vapores, & arctissimæ relictæ sunt viæ, ex quibus transitus non patet aquæ. Hinc proverbium vulgatum exiit de ejus ablutione, quoniam superficies tantum abluitur. interna humorem non sentiunt. adde quod siccissimo existente latere, cumque diu ignis in eo laborarit, sicut in calce servatur minera ignis, atque vestigium flammæ. & hinc est quod in calce accensio fit, atque ebullitio in latere quoties projicitur aqua, quia quasi seminarium ignis relictum erat in eis, & in illa siccitate latebat. sunt ergo veluti flammulæ latentes, quæ liquefieri non possunt. At calx liquefit, dico quod humido dissolvitur, atque calido in se excitato, causa est humidum in eo, & tenacitas penitus consumpta, qua corpora termino consistunt suo, & amissa alienum quærunt, in latere continuans illud humidum, quo later consistit, & est, relinquitur, & densius, & compactius redditur, & ideo non dissolvitur. Hæc dicta sint breviter, ut ingenia aliorum excitentur, non ut profitear esse novarum causarum inventor, arcanorumque perscrutator. Hæc relinquo Gardano, qui novit arcana æternitatis. modo ad rem nostram descendamus.) sicut ergo in metallis è terræ venis exhaustis, ita in humoribus nostris videre licet, melancholici humores à magno calore atlantur, non eliquantur, at à tenui calore attenuantur, atque liquantur, hoc autem primum fit per rationem victus calefacientem, & humectantem. inter humectantia sunt carnes teneræ, ptisana hordeacea, & ex zea, & tritico: sed quia ptisana refrigerat, ideo oportet cinnamomum admiscere. Vinum pauciferum, oligophorbon, & subdulce facit calorem concoquentem. frictiones moderatæ cum inunctis manibus ol. amygd. dulc. Aliquando fovendus ventriculus *fomento tepido, ol. mastich. vel vino dulci, in quo decoctum sit ex chamæm. & foliis malvarum, & flor. bor.* Potiones etiam sint hujusmodi: est *syr. de duabus radicib. sine aceto:* hic calefacit, nulla ratione siccat. *syr. byzantinus simp. syr. de pomis pariter simpl.* decocta autem sint, quæ non siccent, & erunt ex *liquiritiæ radice, ex borag. bugl. capill. ven. cichor. & endivia:* ista possunt fovere, & excitare calorem moderatum, ut nulla fiat assatio. Hoc facto cum credimus eliquatos humores, tunc venimus ad præparantia vera, quæ habent vim attenuandi, & tunc mutandi syrup. sumimus enim *syr. de fumo terræ compositum*, & si nolumus hunc, accipimus *hysantinum compositum syr. Sabor Regis* præstans erit. Præterea non dimittemus usum electuarii, quod constabit ex *saccharo bugloss. boraginato, atque rosato æquis portionibus sumptis ad unc. ij. pulver. scord. drach. ij. succi concreti sonch: drach. j. specierum Diarrhod. Abb. scr. iiij.*

*Talcum.*

*Victus ratio in humore melancholico.*

*Vinum.*

*Frictiones.*

*Syrupi.*

*Decocta.*

*Electuar.*

## CAP. XXXVI.

### *De evacuantibus humorem melancholicum.*

*Vacuatio melanch.*

Exhibito syrupo, atque facta præparatione, evacuamus per medicamentum educens melancholicum humorem: sed

sed potissimæ purgationes sunt *sena*, *epithymum*, & *elleborus niger*: Nos habemus hanc felicitatem in his regionibus quoniam abundat *ellcb. niger*. Habemus inter composita quædam præstantia, veluti *confectionem hamech elect. diacatholicon*, & *elect. lenitivum*, quæ levia sunt medicamenta. *Pillulis præparatis ex lapide lazuli* Brass. præceptor meus felici cum successu utebatur. Habemus *electuarium Indum majus*, & *minus*. Habemus *varias species hieræ*; sed *pillul. cochiæ præparatæ cum veratro*, habent principatum in hoc; & semper his, aut *confectione Hamech* utimur. Montanus uti erat vir summi ingenii, ita excogitavit compositionem syrupi, qui vulgo dicitur syrupus Montani, in evacuanda materia Melancholica syrupus hic impressus est in *tract. de morbo Gall.* sed uti omnia scripta ejus corrupta sunt, ita descriptio hujus syrupi non habet artem, non doses. Ut igitur habeatis descriptionem, qualem ego ab ipso fonte uberrimo habui, vobis eam communico. Exhibemus hujusmodi syrupum sine molestia exeuntibus domo. solemus enim dare quinque, aut sex syrupos, qui alvum movent. Recipe *ergo myrobal. omnium ana unc. s. contundantur crasso modo*, & *infundantur in vii. lib. aquæ fumi terræ*, & *quando volumus medicamentum robustius, solemus accipere succum fumi terræ depuratum pondere vii. lib. infunduntur spatio* 24. *horarum: additur polypod. fol. sennæ, epithymi ana unc. j. liquir. rasæ, caryoph. semin. citri. ana drach. ij. cort. elleb. nigri unc. s. ego aliquando soleo admiscere agar. drach. i. r. aliquando hermodact. unc. s.* (prout mihi videtur quod sit urgens phlegma. si non est phlegma, dimitto hæc.) *Quæ omnia simul bulliant ad consumptionem medietatis, colantur*, & *leviter exprimuntur*, & *dividitur in vj. syrupos totum decoctum*, & *unicuique adjungimus syr. de fumo terræ unc. i. s. syr. de cort. citri unc. s. ita ut vi. sint unc. decocti*, & *duæ syrupi* aliquando ego accipio *decoct. unc. v. syr. ros. sol. unc. ij.* sed sincera descriptio Montani prima fuit. Vos potestis exhibere sine dubio hoc medicamentum. scio aliquos damnare, sed hi male faciunt, quia ex hoc nullum sequitur incommodum. Brassavolus, qui experimenta plurima semper habebat, solebat ad evacuandos humores melancholicos in Gallico, conficere vinum solutivum. Ego præter dicta communia mentionem facio istorum, quæ magistralia sunt. opus enim est semper Medicum habere aliqua recondita, & ego omnia eo libentius vobis communico, quo mihi cariora existunt. Vini hujus descriptio est ista. Recipe *fol. sennæ*, & *folliculorum sennæ ana lib. ij. polypod. unc. vi. myrob. omnium ana unc. i. agarici, Rhabarbari ana unc. i. s. macis, mastichis ana unc. s. gummi Arab ligni aloes ana drach. iij. fumi terræ, epithymi ana unc. ii. corticum bellebori nigri unc. ii. s. zingib. drach. v. Hæc simul miscentur*, & *teruntur*, & *infundantur in sufficienti quantitate vini albi dulcissimi* & *si non habetis aliud, sumite malvaticum*, & *infund te per* 24. *horas. postea addimus foliorum borag. bugl. rosar. florum viol. flor. mali citri ana unc. s. passul lib. ii. corinad. præparatorum unc. ij. Hæc simul parum bulliunt, postea colatur vinum*, & *vase vitreo obturato servatur*, & *quotidie assumitur cyathus matutina hora ante cibum* 4. *horis.* exit domo æger, & habet alvum solutam. hoc autem fit per aliquot dies: sed solet accidere, quod post illas in principio evacuationes vincitur morbus levi alteratione, & ideo non venimus ad lignum Guajacum, sed exhibemus elect. hoc per 30. dies. *accipe sacch. borag. ros. bxgloss. violati ana unc. ij. succi scord. succi cichorei concreti ana drach j. mithrid. optimi drach. ij. specierum diarrhod. abb. specierum diatriasant. ana drach. j. s. corti. Guajac. pulveriz. unc. s. syr. ros. recentis q. s. misce in mortario* & *tunde diligenter*, & *ita paratur electuarium, quod exhibetur matutina hora, quando surgit à lecto quantitate unius avellanæ*: & multi sanati sunt, & expertus sum in quamplurimis. at quia multoties fallit, aut quoniam inveteratus est morbus, & confirmatus, aut alia de causa, ideo ad veram antidotum descendere oportet, quod quidem lignum est Guajacum: in qua ratione curationis, oro vos ut oculis, atque attentis auribus stetis.

*Syr. Mont. corrupte habetur descriptus.*

*Syr. Mont. descrip. integra.*

*Vinum Brassav ad humel.*

*Electua.*

## CAP. XXXVII.

### *De vero antidoto.*

*Guajacum.*

In morbo Gallico facta evacuatione, alteratis visceribus, atque exhibito syrupo vel vino præparato, valide expurgato corpore, & elect. roborato, ut dictum est, si videmus confirmatum morbum, debemus venire ad veram & certam viscerum alterationem, & hoc est, quod possit immutare hepar, & restituere. Medicamentum hoc est decoctum ligni sancti vel Guajaci, quod casus invenit, experientia confirmavit: instituta scilicet diæta per tenuissimam victus rationem, & potu decocti, in quo est vis attenuans, & facultas superans morbum. Fuere quidam boni viri, qui cum vidissent vim Guajaci, & tenuissimum victum, credidere, quod totum, quod agit medicamentum, agit exsiccando, digerendo, & sudorem provocando, verum sic æque siccabit, & digeret aliud genus ligni, & ita aliqui tentarunt exhibere decoctum ligni juniperi: aliqui ligni ex pinu vetustiori, alii ex cupresso, teda, citro, radicibus aceris. Ego vidi aliquos curatos ligno fagi, qui conjecti in triremes, atque instituta victus ratione tenuissima, laborantes, ex toto liberantur: sed ille non est usus medicus, sunt nugæ omnes, quod Guajacum sanet, quia siccat, vel digerat, videmus enim quod nullum aliud lignum præter Indicum facit hoc, quod quærimus; qui igitur recte curare volunt, assumant Guajacum, non ut sudorem tantum cieant, & siccent solum, sed ut tota substantia tanquam antidotus morbum expellat. videamus igitur imprimis quidnam sit hoc lignum: secundo quas facultates habeat. tertio quot generum sit, quarto quomodo eligendum, quinto qua ratione exhibendum decoctum factum ex hoc ligno.

## CAP. XXXVIII.

### *Examen de junipero, & solutio problematum quorundam.*

„ Sed postquam facta est Juniperi mentio, nolui in medio „ capitis aliquid addere, ne cursum lectionis impediam, „ sed obiter hæc parvula dicenda occurrunt in hoc cap. „ inclusa, quæ curiosi videant, atque rerum cupientes „ cognoscere causas, tetrici vero, ac aliis negotiis for„ tasse majoribus impediti currant sine his. Scribit Scalig. *in lib.* quem ad Cardan. scribit *exerc.* 180. *cap.* 19. Grandiorem Juniperum, quæ Cedrum maxime æmulatur, Harar vocant Arabes, Afri nominant Ettalch. ejus medulla in Numidia, candida, in Æthiopia, nigra, in Lybia, purpurea, qua in scobem comminuta dicuntur Afri Medici felicissimo successu vice Guajaci ad morbum Indicum profligandum uti. Aliud etiam præstantissimum remedium invenit hominum curiositas, atque mali acerbitas, quod qui eo laborant in Africa, non nisi remediis sanantur: si in Numidiam, aut in Nigriticam sese conferant Æthiopiam solius cœli beneficio sine ullis medicamentis convalescere dicuntur. Et ne gratis hoc divisse videamur (ut plurimi faciunt meri recitatores Historiarum) utrumque addere liceat rationes, atque prius subtilitates quasdam in medium proferre. Juniperi decoctum salutare est, in quod succi sane trajectio facta est, ramenta (judice Dios.) necant devorata. Idem fit in colocynthide; multum enim pinsendam, & cribrandam tenuissimo incerniculo jubent, ne homines enecet: è contra Hinchæ succus lethalis, farina salubris: porri succus perniciosus, porrum ipsum editur sine noxa. Videamus omnium istorum causas. si morbus Gallicus est inficiens hepar à tota substantia, Juniperus eum non nisi qualitate occulta, & substantia propria sanat: licet sui siccitate, & vi excalfactoria dici possit humores illos putridos foventes morbum, naturæque obsistentes temperaturæ, quemadmodum enim humiditas mater est putredinis, ita siccitas ei reluctatur: an quia acris est, & erodit humores illos putres, & digerit ex Dios. *lib.* 1. Plin. *lib.* 16. *cap.* 25. an quia carioſam senectam non sentit, atque tanta ejus cum igne familiaritas, ut multi asserant ex Junipero factos carbones tanta esse vi, ut per annum integrum ignem servent incorruptum? fortasse Prometheus fur solaris ignis, auxilio Minervæ, hujusmodi ligni facula usus est: & vestales virgines absque labore ignem annuum his carbonibus servabant. at ignis erodit omnia, conterit quæcunque ei afferuntur; ita decoctum juniperi oblatum humorem putrem resecat, exedit, atque vindemiat. Decoctum autem salubre est, Ramenta lethalia: ratio est haud absimilis ei, quæ in colocynthidis apparatu circumfertur; si enim optime non trituratur, & cribratur, hæret, atque ulcerat: sic juniperi scobs ob siccitatem adhærendo suffocat. Succus autem hiucæ & porri interficit: ratio pendet à duplici causa, una est partium tenuitas, unde est facilitas penetrationis, altera est libera qualitas, & facultas ad nocendum in succo ipso postea quam soluta est societas, quam inierat cum parte terrestri, quæ pars ejus ferocitatem cohibebat qualitate adversa, quemadmodum ejus crassitudine tardabat celeritatem. At quare est quod Afri transeuntes in Numidiam, aut Nigriticam Æthiopiam solius cœli beneficio à hac Gallica liberantur? an quia Numidæ, hodie Arabes dicti, incolentes mediterraneas Africæ oras, montibus assueti, Nomades dicti à Plin. *lib.* 5. *c.* 3. & 34. à permutandis pabulis, circumferentes domos plaustris ductilibus unde vagi dicuntur, (vagabundis enim populationibus dediti ex equo, & lancea solis vestigalia hauriunt) currunt semper, semper armis vacantes in regionibus illis calidioribus sudant, atque continue laborant, & ideo si exercitatione liberantur ab hujusmodi morbo transeuntes in Numidarum aciebus, ubi non nisi exercitati, non nisi graves vivunt pro-

provincias adeuntes, possibile est, ut ab hoc morbo liberantur. Præterea in Nigriticam Æthiopiam accedentes, sub æquatore, & zona torrida positam, liberantur à lue ista, quia caliditas aperit poros, ex quibus diffluant vapores putridi. Hinc est quod Neapoli, & in Iapigiæ regionibus calidioribus non ita sævit morbus, sicut Patavii, atque in aliis frigidioribus locis, inde enim diffluant vapores à materia putrida elevati, non congeruntur, non simul coacervantur, sicut his, ubi frigiditate stipante, & cutim densante intus detinentur, continue crescunt, uniuntur validius, agunt fortius, obsident viscera, atque erodunt, neque homines ita citius in regionibus frigidis advertunt se hoc morbo laborare, quia malum intus occluditur, diu servatur, medullis infigitur, & ejus curam non habent, nisi quando radices firmas jecit, & robur habet vitium validissimum, ita ut facile, quovis remedio superari non possit. Additur etiam quod Neapoli, ubi prius apparuit, mitior fortasse redditus est, & magis naturæ familiaris, aut quia ibi meretricum fugiunt amplexus, & non sunt ita scortis dediti, sicut alibi. Hæc problematice, & probabiliter dicta sint, non demonstrative, quia cursim non est possibile demonstrare. modo ad ligni Indici examen descendamus, & de hoc ista hæc dicta sufficiant.

## CAP. XXXIX.

### *De Natura ligni Guajaci.*

*Guajacum.* Primo ergo de Natura Guajaci loquamur. Uno excepto Joh. Gallo, atque Consalvo Ovido, omnes alii ignorarunt ejus naturam. Joh. Gallus scriptit de usu ligni sancti; Consalvus fuit Hispanus nobilis, qui scripsit historiam Indiarum Hispano Idiomate ad CAROL. V. hic erat doctus, & acumine ingenii excellens. Communis est opinio, quod lignum hoc sit una planta, cum geminas esse constet. Non una est arbor; sed duæ sunt, & distinguuntur in propria Patria variis nominibus, & id quod soleo dicere. lignum novum, & lignum vetus, referatis ad duas species. Una est, quæ vocetur in propria regione Guajacan, nos Guajacum vel Guaiacum vocamus, &. est lignum ex una specie. habemus præterea palum sanctum, vel lignum sanctum, quod differt à priore, & adsunt notæ, affectus, sapor, gustus diversissima; quoniam autem palus sanctus defit ferri ad nos, ideo doleo non posse me cum vobis ostendere. Qualis est arbor Guajacus? à Consalvo ita describitur primo in summario ca. 86. secundo in historia integra lib. 10. cap. 2. est. (inquit) arbor altissima, & maxima, quæ ad Juglandis altitudinem pertingit, aliquando paulo minor est: cortice prædita est pullo, & viridi macula maculato, ita ut subalbidus sit color. Folia habet Arbuti. (plantam hanc videre potestis in collibus illis, nos utimur falcibus ad ignes & quando exornant ædes pro nuptiis, vel sacris, frons est veluti lauri, corbero appellant: & producit fructus rubros, qui comeduntur à pueris) fructus luteos profert per maturitatem, qui sunt veluti gemini lupini simul conjuncti (ego habui hos fructus à quodam Monacho) lignum durum, ponderosum, & in media substantia nigrum, circumquaque subalbidum. Hæc est vera descriptio illius scriptoris, qui fuit in Indiis, & ea, quæ viderat, literis mandavit. conferatis hanc cum descriptione Joh. Leonis Africani, qui in ultima parte descriptionis loquitur de ligno Gallico, quo utuntur Africani, & est lignum habens folia spinosa uti Juniperus, unde colligo esse speciem cedri, & si sanat, sanat digerendo morbum, non quod vere sanet. secundum lignum est Palum sanctum toto cœlo distans à priori. Arbor ista est magnitudinis Fraxini non valdissimæ, folia habet Arnoglossi foliis simillima, ita pleniora, ita pinguia, & tamen crassiora, & breviora, Flores luteos producit, quos saccharo condire solent, solvunt alvum, figuram non potui cognoscere, nam à Mercatore donatum mihi est vasculum cum his floribus. assumebam mane cochlear, & solvebant alvum bis, & ter, fructus rotundi sunt juglandum nucum forma, aliquando magnitudine, crassitudine præveniunt nucum juglandum majorem. cortex est coloris cinericii, & æmulatur fraxinum, in interna parte color pullus. Habemus igitur Guajacum, & lignum sanctum, quamvis in consultationibus indifferenter sumamus has arbores; & licet eadem sit vis utriusque sciatis tamen, quod in aliis morbis diversæ sunt facultates; & primo authoritatem Consalvi testor, secundo experientiam. Refert Consalvus, quod quamvis usus utriusque ligni sit ad Gallicum, tamen lignum Sanctum habet majores vires ad alios morbos. Præterea ego superioribus diebus observavi, quod in podagra, in articularibus morbis, & in ischiatico affectu, atque in roboratione ventriculi, parum, aut nihil prodest Guajacum, & prius observavi, quod palum Sanctum nimis præstans est in his, & in artuum etiam doloribus. Jam non invenitur lignum Indicum sanctum, & ideo ne miremini, si medici tantum tribuunt ligno Guajaco, & eo utuntur in omnibus morbis forsan docti experientia, jam 20. annis superioribus, quando lignum Sanctum copiosum erat, jam non amplius de illo affertur, aut parum. Guajacum facit quidem aliquid ad hos morbos, sed non plene. in ligno Sancto non adest color niger, credebant superiores, quod pars arboris nigra esset vetusta, alba, nova, sed decipiuntur, & ego deceptus sum cum his; sed postea cum adhibuerim diligentiam, & fuerim in loco, ubi vidi strues magnas horum lignorum, potui observare omnia, & sic cognovi etiam differentiam inter lignum Guajacum, & sanctum. Ego vidi frustum Guajaci parvum, & habebat nigrum interius: contra vero vidi crassitudine mea liguum Sanctum, non habens nigrum in se, ideo dico esse naturas lignorum diversas: semper in Guajaco est nigredo in medio, circumquaque adest color subalbidus, sapor amarus cum acredine quadam, in Guajaco continetur pinguedo parva, tamen, ut ex ipsa oleum educere possimus. Hæ ergo sunt notæ Guajaci, nigredo in medio, subalbida circumstantia intercurrentibus lineis subnigrioribus, sapor amarus, acredo quædam, & in eo pinguedo contenta. Notæ pali Sancti sunt hæ. tota substantia flava est, odor suavis certe, pinguedo copiosissima, ita ut duplicatum oleum extrahamus, sapor acer magis, & minus amarus, unde decocta pleniora, pinguiora, & acriora valde sentimus suavem odorem. Talis est Natura lignorum. at habemus vetustum, & novum. si Guajacum est vetus, cortex est crassus, truncus magnus, amaror & acredo parva. Juvencscentis indicia sunt amaror major, & insignior acredo, & amplitudo trunci tenuis, & gracilis: quod dico de Guajaco, intelligo etiam de ligno Sancto, sed magis odoratum, magis pingue, magis acre, & minus flavum est juvenescens sanctum lignum. nos tenerrimum accipere solemus, & ita in Indicis regionibus accipere solent ex tenera arbore. Verum quoniam ex his arboribus una species defertur ex insula Hispaniola, vel ex insula beata, quæ distant à nostra regione: altera defertur ex insula Divi Joannis, ideo ligna rancida fiunt, quia sunt navigationes longæ, ideo non possumus uti recentioribus lignis, & quoniam virtus magis servatur in arbore majori, semper eligere solent lignum majus. Nunquam utemur in Italia Guajaco, quod non fuerit ab arbore resectum ante quatuor, aut quinque annos. & ideo semper majorem truncum laudamus. sed in primis diebus solebant exhibere tantum lignum, & non erat usus corticis: repertum est postea corticem habere majorem vim exsiccandi, & ideo mercatores cœpere corticis mercaturam facere, quoniam cortex plurimi venditur, nam lignum uno Mocenico venditur pro singula libra, cortex duobus, propterea lignum ob defectum tegmenti corrumpitur, & ex hoc non habemus Guajaci decoctionem bonam. isti mercatores excoriant lignum, sicut cætera. Quoties ergo cum cortice habere potestis, capite, quia in eo adest major vis, quam in excoriato.

*Not. de hoc oleo loquitur Scalig. ad Exer. 161. Pali sancti nota.*

*Electio ligni sancti.*

*Guajaci descriptio.*

*Lignum sanctum & ejus descriptio.*

## CAP. XL.

### *An Guajacum notum fuerit Antiquis.*

Sunt aliqui, qui opinati sunt antiquos de hoc locutos, & voluere esse inventum Arabum, & lignum Avicen. quod Karon appellat, & dicunt esse lignum Indum, vocat quin etiam Kallen, confirmant hoc quia hujusmodi medicamentum facit ad affectus articulorum sicuti Guajacum. Decepti sunt hi à voce ligni Indi. Nam temporibus Avic. non patebat hæc India occidentalis. Et quamvis Matthiolus, & alii scripserint ex Taprobane, & Calechut deferri, tamen quicquid ligni habuimus in Italia delatum est ex Hispanis Castilienfibus ab Indiis occiduis. Nunquam Lusitani lignum Indicum ex Calechut asportarunt. Erat igitur liguum Avic. ex Indiis orientalibus, non tamen est Guajacum, nec palus sanctus. Aliqui voluere esse lignum descriptum ab Avic. quod Heddeen, vel hestebdehen vocat. Alii sunt qui velint esse Ebenum, & isti non valde decipiuntur, minus decipiuntur in Guajaco, at in Palo errant penitus, quia Ebenus nigra est, palus est lignum flavum. at in Guajaco adest nigredo. fundum petit aquæ sicuti Ebenum; ergo idem sunt. Sed hi etiam delinquunt: quoniam Ebenus (excepto cortice) tota nigra est. ebenus facillime maceratur in aqua, facilius igne destruitur, & odorem fragrantem mittit, in Guajaco non est intensa nigredo, difficile maceratur ob pinguedinem suam, & non nisi spatio 24. horarum, at ebeni frusta magna per decem horas. fœtet Guajacum, si aduratur, præterea difficilius uritur. Hac ratione hujusmodi fui sententiæ, quod hoc lignum ignotum fuerit antiquioribus Arabibus, atque Græcis, sicut nec morbus Gallicus notus. Montanus credebat Guajacum nasci in nostris regionibus, & volebat esse arborem, quam Eganum vocant, quia in medio est nigredo, & circumquaque subalbidus color: sed quia non habet

*2. lib. tra. 1. cap. 334.*

*2. lib. trac. 2. cap. 335.*

*Mont. credebat Guajacum nasci in Italia.*

bet amarorem, & acredinem, hoc non obſtat (dicebat) quia hoc eſt ratione ſoli effœminati noſtri, in quo naſcitur. Sed graviter delinquit Mont. Videte folia Egani, ſunt folia trifolii. cortex non habet eundem colorem, magnitudo ligni diverſa, fructus Guajaci ſunt veluti gemini lupini. in egano eſt veluti quædam ſiliqua, ideo diſſant & forma, & figura, & toto cœlo. propterea non venite in *Impugnatio.* hanc hæreſim vos habere Guajacum. Sed quænam eſt arbor hæc? eſt Laburnum Plin. & Victruvii, & Domini conſentit deſcriptio, & appellatio qua vocatur hæc arbor in Italia: Bononiæ, & Mutinæ Lavorno dicitur Planta Egani. Revertamur igitur ad noſtrum inſtitutum, & dicamus, quod vera curatio affectionis propoſitæ erit per decoctum ligni Indici, cujus duplex ſpecies: altera, quæ eſt Guajacum, altera, quæ eſt palus ſanctus; & quod utrunque æqualiter facit ad morbum Gallicum profligandum, ſed in reliquis affectibus frigidis articulorum, & ventriculi imbecillitate præſtantius eſt Guajaco lignum ſanctum, ita fortaſſe dictum ob ſanctos & miros effectus, qui ab eo derivant: ſed ambo a propria ſubſtantia ſanant Gallicum, cæteros autem ſedant morbos ſudorem excitando, ſuperfluas humiditates exſiccando, digerendo, atque hepar, & ventriculum roborando. Videamus modo quæ ſint qualitates, & vires eorum.

## CAP. XLI.

### *De qualitatibus, & viribus ligni Indici.*

Primum ſi deradamus, ſtatim duo percipiemus, amarorem quendam, quo explebitur totum os, deinde acredinem inſignem, quæ ſtimulat palatum. Tertio ſi decoquamus in aqua decoctum, primum amareſcit in ore, ſecundo mordicat, tertio ſi ulcera abluimus valde pungit, & mordicat, quarto ſolet calefacere ſtrenue ventriculum labefactatum: & eſt hæc communis opinio, & experimentum meum. Ita enim calefacit, quod ſi in intemperiebus calidis detur, fovet, & auget intemperiem. Ideo Guajacum colligimus calidum eſſe, nam omnia amara neceſſario calida ſunt; & ſi frigida ſint amara, illa conſtant ex duabus partibus, quarum altera, quæ eſt in ſuperficie, amara & calida eſt, frigida autem latet, & plures ſunt partes latentes, quam manifeſtæ, ideo refrigerat. at in Guajaco multæ ſunt partes amaræ, & non tantum ſuperficiales, nam prima decoctione amarum eſt, in ſecunda remanet amaritudo, & propter hanc rationem aſſero totum amarum, & per conſequens calidum. Acria omnia calida ſunt, ut in pluribus, at in Guajaco ſemper acredo adeſt in primo, ſecundo, & tertio decocto, ergo calidum *Gradus caliditatis ligni.* eſt: præterea uſus confirmat, quia calefacit: ſed in quo gradu? eſt valde calidum, & quamvis quidam dicant eſſe temperatum, eo quod ſanat homines à multis morbis calidis, & frigidis, calidos tepore ſuo, frigidos etiam tepore ſuo dicunt morbos profligare. Decipiuntur tamen iſti, & cerebrum non habent, cum teſtentur medicamentum amarum, mordax, eſſe moderatum. ſi Galeni artem callerent id non dicerent; nos videmus amarorem, ergo adeſt materia ſuffocata calida multa; abhorret ſenſus, ideo eſt calidum in principio tertii gradus, vel in ſecundo finiente. Calidum igitur ſit. Præterea nos videmus, quod medicamentum hoc valde ſiccat, ſæpe enim capimus decoctum Guajaci, & madefacimus linteolum, quo inungimus puſtulas, & ulcera, non ſolum Gallica, & ſanantur. Ego vidi in lippitudinibus, & perturbationibus oculorum, & lacrymas, & fluxiones deſiiſſe ob decoctum Guajaci, & maxime corticis: ergo medicamentum eſt ſiccans in eodem gradu. at in cortice major adeſt vis ſiccandi, veluti caliditas aliquantiſper cedit, major enim eſt in ligno, quam in cortice: in cortice ſiccitas major. ſed hic exceſſus ita parvus, ut inſenſibilis ſit. Inter omnes alias facultates habet, quod ſanat Gallicum, non quia ſiccet, aut calefaciat, ſed quoniam ligni natura talis eſt; nam ad id, quod à tota ſubſtantia laedit, requiritur medicamentum à tota ſubſtantia ſanans. Hanc ſubſtantiam ſolus Deus ſibi reſervavit, nos cognoſcere non poſſumus.

## CAP. XLII.

### *An lignum Indicum valeat ad alias infirmitates.*

An vero omnes morbos ſanet nec ne? ego credo quod hoc medicamentum ſit bonum ad alias affectiones, cum tota ſubſtantia agat. Exempli gratia ego video antiquos uſos *ſcammoneo* ad expurgandum, & etiam ad exſiccandum, *ſquama æris* ad expurgandum corpus, & etiam ad detergendum, ſiccandum, excalefaciendum. Idem dico de *Veratro albo*, & *nigro* ad expurgandum humorem melancholicum, & ad calefaciendum. altera facultas pendet à toto temperamento, altera venit ab elemento prædominante. Idem dico de hoc ligno, quamvis faciat ad Gallicum expellendum à tota ſubſtantia, tamen quoties ſiccandum, roborandum caput, & ventriculus, medicamentum eſt præſtantiſſimum, ſed tamen non probo, quod in omnibus morbis tribui poſſit. Ego ſanavi vertiginoſos, podagricos, dolores articulorum patientes, roboravi ventriculum, & caput: & ſi hoc poteſt facere *ita arthritica, reſina terebinthina*, poteſt etiam hoc decoctum. ſed ego magis probo lignum ſanctum quam Guajacum, quia habet pinguedinem majorem, & vim fortiorem. Hæc ſin ſatis de hiſtoria, ſpeciebus, loco, & facultatibus ligni. Videamus jam uſum.

## CAP. XLIII.

### *De modo utendi ligno Indico.*

Utuntur autem ligno Indico valde vario modo. alii pulverem exhibent, & conficiunt confectionem ex ſaccharo, & pul. alii faciunt paſtillos, & pillul. alii electuaria parant. alii flores exhibent ſaccharo conditos, quia habent vim ſolvendæ alvi. alii germina tenerrima ſaccharo præparant, alii ſyrupum ex ſucco foliorum inde delatum uſui habent, alii radicem magnopere probant: & ex hoc colligimus, medicamentum hoc habere in ſubſtantia ſua neſcio quid temperati, reſpicientis humores corporis humani. quod flores ſolvant alvum ego teſtis ſum, quia à Laurentio Piſcobaldo (dum eſſem Piſis) habui vaſculum ex floribus hujuſmodi; color erat luteus cum amarore devicto à ſaccharo, ſicuti fit in roſis, & borag. Omnes autem, qui ibi ſcripſerunt, ubi folia viridia habentur, teſtantur quod ſuccus foliorum plantæ exhibitus celerrime ſanat; & ſemper ſolvit alvum. Ideo non male faciunt, qui continuatis per pharmacum factis expurgationibus, dum bibitur decoctum, ſanant ægros, licet quidam dicant, quod impeditur actio ligni, imo cum nos habemus lignum viride, bonum erit admiſceri aliquid: propterea Empirici decoctum Guajaci miſcent cum vacuantibus. præterea Matthiolus, & Braſavolus exhibent quoddam genus vini cum ligno hoc: ſed de his alias. aliqui ſunt, qui exprimunt ex teneris germinibus ſuccum. Hiſpani aliquando ſyrupum deferunt. Alii contendunt in radice efficaciſſimam adeſſe vim, & ita decoctum parant. alii utuntur tantum cortice, & ſunt Empirici noſtrorum temporum. Bonus eſt uſus, ſed potior ligni. Ego credo majorem vim ineſſe ligno; quoniam ego video quod in omnibus ferme vegetantibus facultas potiſſima ſolet reperiri in humido radicali, & unctuoſo, quod reperitur in eo, quod oleum appellamus. cumque in ligno copioſum contineatur hoc oleum, ergo copioſior vis in illo, quam in alio: illa expurgant magis, quia recentia ſunt; ſi haberemus lignum recens, idem faceret: præterea in uſu ligni, ſi unctuoſum lignum capimus, citius intentum aſſequimur: ergo vires in oleola ſubſtantia continentur. Reperitur etiam vis in radicibus, ſed hæ plurimo ſcatent excremento, quia terræ infixæ, & ex his pabulum non adhuc ita bene digeſtum ſicut in ramis attrahitur. Utamur ergo ligno.

## CAP. XLIV.

### *Quale lignum ſit eligendum.*

Cum igitur conſtitutum ſit ex ligno uſum eſſe præſtantiſſimum, neceſſarium eſt, ut veniamus ad modum utendi ligno, in quo hæc obſervare debetis. primum quale lignum, & qualis cortex eligendus, ſecundo præparationem, tertio modum exhibendi, quarto rationem victus in exhibendo ligno. Primum quoad electionem non eſt dubitandum, quod debemus præſtantius eligere, & eſt palus ſanctus, vel lignum ſanctum, hoc eſt flavum, pingue, nullam nigredinem habens: ſi hoc habere non poſſumus accipiamus Guajacum, cujus major eſt copia. In unaquaque autem ſpecie mediocre præſtantius eſt. Nos habere poſſumus ex antiqua, mediocri, & juveneſcente arbore. Mediocre lignum erit, quod non erit totum nigrum, nec majori ex parte album, non tenue, non craſſum: ego eligo mediocre, quia magis viget unctuoſitas in mediocri, quam in ſeneſcente. In juveneſcente, quamvis major ſit, eſt tamen excrementoſa. Præterea debemus præſtantiſſimum eligere ratione morbi. in valentiſſimo valentiſſimum eligimus, ut ſi affectus inveteratus eſt, capimus palum ſanctum mediocrem, ſi mitis morbus, poſſumus mitiori ligno uti in genere, & etiam in ſpecie. Præterea habenda ratio ætatis, nam in ſene utimur ſeneſcente planta, in robuſto mediocri. Quarto pro tempeſtatibus anni ſolemus eligere lignum, in frigida enim, utpote hyeme, calidiori, acriori, & amariori, (hoc autem ſenſu percipimus) æſtate utemur minus acri, & minus amaro, vel ex veteri, vel juveneſcente arbore. Quæ autem ſunt notæ, ut nos perfectum *Electio ligni.*

*Nota ligni optimi.*

fectum habeamus? Eligimus ſemper ex vetuſta arbore Guajaci, quod habeat magnam quantitatem nigri, ſit craſſiſſimum, cortex ſit craſſus, & ita hærens ligno, ut vix ferro ſeparari poſſit, & quoties videtis corticem facile ſeparari à ligno (quoniam maceratum eſt lignum aqua ſalſa) peſſimum eſt. in mediocri ligno, mediocria ſint omnia. Sed curetis, ut abradatur portiuncula ligni, & inter abradendum ſi non percipitis odorem ligni, dicatis eſſe vetuſtiſſimum, vel corruptum. Tertium ſignum eſt, ut dum abraditur, pingue videatur, ita ut præ pinguedine ſcobina gliſcat. Quarto guſtetis raſuram, & ſi mordicat ſtatim rauces, & poſtea amaritudinem ſentiatis, præſtans eſt. Præterea admoveatis ſcobinam, vel ſerra, ſi lignum habet poros manifeſtos, & dum limamus apparent foramina parva, & ſuperficies non remanet æqualis, & plena, peſſimum eſt; hinc decoctum clarum fit, non amarum, non acre. Addatis quod ſit valde ponderoſum. Præterea non habeat in parte albedinem, quæ non inclinet in pullum colorem, & recurrentes venæ per partem album non ſint nigræ, ſed ſubvirentes livore infectæ, quia ſecus eſſet corruptionis indicium. Experimentum demum ligni eſt ut abradamus, raſum cogamus: ſi decoctum turbulentum, valde amarum eſt, & acre, bonum eſt. Corticis notæ ſunt primum ut ſit ex mediocri, vel antiqua arbore: malus enim eſt cortex ex tenuiori ramo: cognoſcimus autem ſi ex arbore annoſa ſit, vel mediocri, quia habet fruſta magna, & canales nimium patentes. ſecundo requiritur, ut cortex ſit valde craſſus; tertio ut ſit valde durus: quarto ut in interna ſuperficie videatur veluti niger, cinericio inſperſo colore. Talis color eſt color præſtantis corticis, ſi frangatur videtur niger, at non ut Ebenus: iſta ſunt corticis optimi indicia, ſed notate unum. Superioribus annis Hiſpani detulere corticem, qui erat ſimilis in exteriori, & interiori parte cortici Guajaci, ſed cortex hic non videbatur vellire plantam majorem, quam quæ duobus digitis ſimul junctis comprimi poſſit. Hic cortex ita exſiccat, ut ad tabem homines reducat, & propterea Venetiis, Florentiæ, & Januæ fuit interdictus, & dubito ne cum cortice bono miſceatur. Timete ergo illum ciabolicum corticem, & abigite etiam corticem tenuioris Guajaci cum eo, ſi canalis eſt anguſtus expellite, & non dubitate Guajaci bonum corticem ex tenui trunco projicere, ut ægros veſtros tuto, & ſine noxa ſanetis. iſtæ ſunt notæ, quibus nos debemus hujuſmodi corticem eligere. Jam ad præparationem ipſam deſcendamus.

*Corticis notæ.*

*Not.*

## CAP. XLV.

### *De præparatione ligni.*

Cognita ligni Indici Natura, propoſita etiam electione, qua poſſimus præſtans cognoſcere, atque ad uſus eligere, ſequitur, ut ad ſecundum caput aſcendamus, quod ad præparationem pertinet. Morbus Gallicus poſt alterationem univerſi corporis requirit antidotum, Guajacum ſcilicet. Ex quo aliqui cortices, aliqui radices, alii ligna accipiunt. Nos quia non habemus ſylvas hujus ligni, ligni ſancti trunco, & cortice tantum utimur, ex quibus fit decoctum, ſed potiſſimum ligno, cujus uſus varius, varia etiam eſt præparatio, ſicuti accidit medicamentis aliis. aliquando facimus decoctum ſimplex, & purum, aliquando compoſitum, ſic etiam ligni decoctio quædam ſimplex, quædam compoſita. ſimplici utimur in levi incipiente Gallico: ſecundo in imbecillis corporibus: at in Gallico compoſito, recidivam paſſo, inveterato, & in robuſto corpore ſolemus uti compoſita decoctione ac varia. Primum loquamur de ſimplici decoctione: hæc ſolet fieri duplex, & ita conſtitutum, & poſitum in conſuetudine eſt apud omnes medicos: & rari ſunt, qui ſemper bis non coquant: & ita faciunt primum decoctum, quod ſyrupum vocant, ſecundum vero, quod potum pro prandio, & cœna appellant. Verum aliqui tres parant decoctiones, tamen dimittamus hoc, quod non eſt in conſuetudine: loquamur de certo, & frequenti uſu. Iſtud decoctum fit primum præparando lignum, quæ præparatio fit per comminutionem ligni, ut poſſit optime macerari, & decoqui. Sed non eadem ratione comminuitur lignum. In aliquot locis aſcia, (ſicut vos videtis in ligno verzino) in fruſta ſecant minima; alii apponunt lignum torno, & cum inſtrumento cædente comminuunt: ſunt aliqui, qui ſerrando ſenſim in minutiſſimas particulas reddunt: ſunt qui ſcobina pectinaria: vos videtis iſtos, qui faciunt pectines oſſeos, habent ſcobinam aſperiorem, qua collimamus lignum, & eſt lima lata quatuor digitis. & ita comminuitur lignum. Præſtantior harum præparationum quæ eſt? Dico illam meliorem, quæ præparat lignum ad maturationem, ſecundo quæ non corrumpit lignum & quæ brevi temporis ſpatio terminatur. Illa quæ eſt in uſu Venetiis, qua limatur lignum, præſtantiſſima eſt ratio, quia cito agit, quia minutiſſime limat. Præterea quodammodo præparat lignum ipſum. Hoc inſtrumentum ſcobinam vocant, eo quod ſcobem ligni faciat; vulgo, ſcoffina dicitur. Hic Patavii ſolent uti pectinariorum inſtrumento, ſed non placet. Interea dum ſcobina comminuimus, lignum accipit teporem quendam, quo fit, ut quaſi fermentetur: cum limatur lignum conſpicite acervum ſcobis creſcentem veluti acervum formicarum, ſi imponitis manum, teporem percipitis ſuaviſſimum. Hac ratione comminuto ligno, duplo turbidior, duplo acrior fiet decoctio, quam ex alio ligno aliter comminuto. Hæc ergo ſit prima præparatio ligni: ſequitur modo ut de ipſa decoctione tractemus.

*Præparatio duplex.*

*Simplex decoctio duplex.*

*Melior præparatio eſt per ſcobinam.*

## CAP. XLVI.

### *De decocto ligni.*

Facta hac præparatione devenimus ad decoctionem. In qua notare debetis, quod communis hæc eſt ratio, ut *pro qualibet uncia ligni limati detis libram aquæ xij. unciarum.* Verum tamen eſt quod ſi habeamus negotium cum tenero adoleſcente, calido habitu, & æſtate, tunc ſolemus *pro qualibet uncia ligni accipere lib. j. cum dimidia aquæ*; ſed ut plurimum ſtata eſt conſuetudo, ut pro qualibet unc. lib. aquæ capiamus: at in conficiendo decocto ſolemus accipere *lib. j. ligni*, & *xii. lib. aquæ*, niſi fuerit æſtas, quando non poteſt ſervari ſyrupus & tunc capſimus *ligni unc. vj. aquæ lib. vj.* Hyeme *lib. j. cum dimidio ligni, aquæ vero lib. xviij* in mediis temporibus *lib. j. ligni & lib. xii. aquæ.* Sed aſſumptam ſcobem ligni oportet macerare per 24. horas, aliquando tamen magis, aliquando minus. Solent noſtri ſeplaſiatii macerare lignum in aqua frigida, ſed non placet. obſervate differentiam inter decoctum, in quo maceratur lignum in aqua frigida, & in quo maceratur in aqua calida, nam duplo acrius, & amarius, atque turbidius erit decoctum, in quo lignum maceratum fuerit in aqua calida. Macerate ergo in calida, ita ut ferveat: Præterea obturetis optime vas, quod collocetis in loco, ubi ſint furfures, & ſepeliatur uſque ad medium in furfuribus. nam hac ratione ſervat diu calorem; deinde operiatur vas pannis linteis, ut fiat maceratio optima, & decoctum bonum. Notanda eſt etiam ratio vaſorum. Ærea non laudo, quoniam cum decoctum pingue ſit, & omne oleum alteret æs, acquiret malam qualitatem, & malum ſaporem: ideo aut habeatis lapideum vaſculum, quod defertur ex lacu Lario, vel Comenſi, & dicuntur vulgo lavezzi, aut ollas teſtaceas vitro obductas: Præterea vaſa ænea ſtanno oblinita optima ſunt. Præterea vaſa vitrea perfecta eſſe ſolent. Sed nota, quod decoctio iſta duplicifer fieri poteſt, aut in duplici vaſe, aut ad ignem ſiccum: conſuetudo, facilitas, egeſtas obtinuere, ut plurimum conficiamus ad ignem ſiccum: abundantia, & commoditas invenit, ut coquatur in duplici vaſe, hoc eſt, ut vas decoctionis ponatur in caldario pleno aqua repleto, quin etiam palea, ne phiala vacillet, & hæc eſt vera ratio quaſi naturalis, ex calore humido. Aliqui dicunt decoctum fieri dilutius hoc modo: iſta non ſunt dicenda: exemplo poſſumus hoc reprobare aquarum multarum in Balneo Mariæ paratarum, quæ præſtantiores ſunt; nam per aduſtionem non fit melius decoctum, ſed per majorem eliquationem, atque mixtionem, quæ à calido humido in Balneo accidunt Mariæ: neque partes uncluoſæ, aut calidæ ligni ita diſſolvuntur, igitur decoctum meracius, turbidius, acrius, amarius, & ideo hunc uſum magis laudo, quam in ſicco igne. Diligentiores coquunt in vitreo vaſe, & feliciſſimo ſucceſſu, quia ſit puriſſimum decoctum ſine corruptione, & ſapore aliquo: Præterea cum vaſa illa ſint anguſtiora, non multa fit exhalatio, & ideo magis elixatur, & concoquitur lignum. igitur in eligendo vaſe, eligite habens anguſtiſſimum os, & ſemper coquatis cum operculo ſatis comprimente, ne ita facile abſumatur aqua, & evaneſcat. Coquitur decoctum hoc lento igne. Primum ſolemus lignis excitare fervorem; quum incipit fervere, parva flammula carbonum utimur, ereptis lignis; ſed continuata debet ſuccedere ebullitio. Bulliat ad conſumptionem medietatis; hoc eſt ex uſu communi. Verum ſi requirimus majorem exſiccationem, & vim medicamenti validiorem, deſcendimus ad conſumptionem duarum tertiarum, ſi minus exſiccans quærimus, & dilutius, venimus ad conſumptionem unius tertiæ; Ita quod primo modo remanent ſex libræ; ſecundo, quatuor, tertio, octo. Hæc eſt norma faciendæ decoctionis; quæ ſolet aliquando refrigerari antequam coletur, aliquando bulliens colatur panno mundo, & ipſſo, ne lignum turbet decoctum: ſed non multum refert an frigidum, an calidum coletur, niſi timeamus vaſis pravum ſaporem, ſin minus linquite. Hoc eſt primum decoctum. at inter coquendum ſpuma colligenda eſt ad uſum, qui pate-

*Decoctio.*

*Macerati.*

*Vaſa in quibus paratur decoctum.*

*Norma faciendæ decoctionis prima.*

3. decoctio. patefiet. Secunda decoctio fit hoc modo: Accipimus idem lignum, neque amplius maceramus, & in eadem quantitate aquæ decoquimus: & consuetudo obtinuit, ut bulliat ad consumptionem tertiæ partis, ex xii. lib. relinquuntur octo, sed in hoc secundo decocto solemus augere quantitatem aquæ, quoniam aliquando addimus xviii. lib. aquæ, aliquando xv. hoc solemus facere, quando bibaculum ægrum habemus, qui vult quatuor, & quinque cyathis explere sitim. secundo augemus dosim aquæ, si fuerit æstas, quoniam coguntur ægri tunc bibere inter cœnam, & prandium. Præterea id facimus, quando habemus habitum calidiorem, & quando calida tempestas adest: quum igitur xviii. lib. aquæ capimus, remanent xii. quum capimus xv. remanent x. & hoc est in prandio & cœna bibendum. Alii solent addita nova aqua ligno eidem facere tertium decoctum, quod fit pro ablutione manuum, & faciei. aliquot sunt, qui consuetudinem habent attrahendæ aquæ per nares pro ablatione muci, vel alterius ulceris; alii abluunt ulcera aliarum partium. aliquot habent rhagades in sede, aliquot hæmorrhoides, in hoc casu hoc tertio utimur decocto. Notate tamen, quod aliqui medici exhibent primum decoctum etiam pro prandio, & cœna, & ita unum tantum faciunt, sed hoc raro est, & quando volunt nimis exsiccare. Unum addo: solemus in emaciatis corporibus in imbecillis viribus præparare lignum cum jure carnis vitulinæ, pulli, aut hœdi, quod jus non sit pingue, & sic eodem modo coquitur, & necessarium est scire hoc. Et hæc de simplici decoctione dicta sint, modo ad compositas transeamus.

## CAP. XLVII.

### *De compositis decoctionibus ligni.*

Decoquitur lignum Indicum non solum simplici ratione dicta, sed etiam vario modo miscetur, & componitur, sed primo simpliciora, deinde composita magis proponam. Magis simplex decoctum est ex cortice, ligno, & aqua tantum, & hoc utuntur probatiores medici, quando volunt habere decoctum robustum. Ratio conficiendi hæc est, ut *accipiamus eandem quantitatem ligni, & eandem aquæ, & addamus corticem, qui non habet quantitatem determinatam, aliquando enim est duarum, aliquando trium, aliquando quatuor unc. pro libra j. ligni, at pro semuncia corticis addimus lib. iiij. aquæ:* exempli gratia: *lignum erit unius lib. & duæ unc. corticis aquæ lib. xvj.* quando volumus robustius medicamentum, *capimus ligni lib. j. cort. unc. vj. aquæ lib. xviij. verum contundimus corticem in pulverem non tenuissimum, & postea maceramus 24. horis. coquimus ad consumptionem tertiæ partis, & eadem ratione, qua dictum est in simplici decocto.* In aliquot locis parant hujusmodi decoctum cum vino. Hic non est in usu, at in Hetruria multis in locis hujusmodi decoctio hoc modo paratur. Recipe *scobis Guajaci lib. j. corticis ejus lib. semis, aquæ lib. xviij. infundantur hæc secundum artem, bulliant ad consumptionem duarum tertiarum, ita ut sex lib. relinquantur decocti. hoc facto addunt tres lib. vini potentis albi, subdulcis.* Habent apud Ligures vinum præstantissimum in hoc casu, quod appellant Racelia, & est genus jucundissimi vini, & vinosi, sed habet hanc notam, ut superet omnia genera vinorum in excipiendam qualitatem, & substantiam medicamentorum. Apud Insubres, & in tota Gallia transpadana usque ad Pedemontanam regionem habent vernaciam vinum robustum. in partibus, quæ circa Romam, & in Neapolitano agro habent vinum Neapoli delatum, dictum Græco di Somma. Habemus nos Romanum. Malvaticum non est bonum, corrumpitur enim cito, & non admittit medicamenti qualitatem. *adduntur igitur vini lib. iij. & post ebullitionem unicam aripitur ab igne, & servatur pro syrupo, postea fit secunda decoctio usque ad medietatem,* postea additur vinum, ut supra, quod exhibetur pro prandio, & cœna, & illud, quod additur pro potu, non habet certam normam. si volumus suaviorem, addimus majorem copiam vini. Aliqui infundunt lignum in vino, & faciunt totum decoctum ex vino; sed hoc pessimum est: quia vinum non est apta materia ad macerationem. Præterea in longa ebullitione amarorem quendam acquirit, & hac ratione laudo communem usum macerandi in aqua, & demum additur vinum hoc, vel illud. Vinum autem additur dupliciter, vel ut satisfaciat medicamentum, vel ut non arefcat, aut remaneat in ventriculo. aliquando accidit, ut totum decoctum exspuatur, ideo, ut citius penetret, additur vinum. sed, si potest fieri sine vino, præstantius est. Habemus quin etiam compositius medicamentum, *estque ligni Guajaci lib. j. corticis lib. semis, aquæ lib. xviij. macerantur hæc secundum artem, deinde bulliunt ad consumptionem tertiæ partis, postea addimus Caraui benedicti,* cujus frequens est usus * *Chamædryos, Betonicæ, pentaphylli ana manip. j. Iterum bulliunt ad medietatis consumptionem, ita ut totum decoctum non sit plusquam vj. lib. postea addimus vini lib. iij. & post unicam ebullitionem colamus, & exprimimus.* Est alius modus. Recipe *idem lignum, eundem corticem, & eandem quantitatem aquæ, macerantur, bulliunt, eodem modo, demum. de additur Rorismar. fœniculi, stœchados, betonicæ ana manj. semin. anis. unc. j. bulliunt iterum ad consumptionem dimidiæ partis, ut relinquantur. vj. lib. & tunc adduntur tres lib. vini modo dicto.* Ultimo conficimus alio modo. Recipe *eandem quantitatem ligni, & corticis, & addimus, post macerationem & ebullitionem, radicum enulæ campanæ, radicum althææ, radicum siccatarum iridis an. unc. j. cap. ven. liquiritiæ, stœchados, ana unc. semis, bulliunt simul ad consumptionem medietatis, & demum adduntur lib. iij. vini. & fit eodem modo,* ista sunt decocta in usu apud Empiricos, & alios medicos. Qui solent hæc exhibere, non faciunt secundum decoctum, sed parant vinum ex Guajaco, quod propinant in prandio, & cœna, & hoc modo parant. Recipe *ligni Indici lib. iiij. corticis pulveriz. lib. ij. capill. ven. ceterach, florum cordial. radic. bugl., foliorum cichor. ana lib. j. sach. lib. iiij. vini albi maturi, stomatici, impotentis lib. cl. ponuntur medicamenta omnia in aliquo vase ligneo, & accipitur vinum, & fervidum redditur, & postea in cadum illum infunditur, ubi macerantur per tres dies clauso cado, postea diligentissime colato,* & servato pro potu in mensa lymphato cum decocto simplici secundo, aut etiam puro utimur pro potu: & ægri bibunt felici cum successu ex consilio probatissimorum medicorum. Præceptor meus Brass. & Matthiolus solent in his decoctis admiscere medicamenta purgantia, & Venetiis fœminæ, & Tonsolentes solent uti his. Admixtio medicamentorum purgantium in syr. non displicet; non utor tamen continue, quia non est tutum medicamentum. si enim Guajacum recens, vel succus foliorum solvit ventrem, & sanat, ergo possumus in syr. solventia medicamenta admiscere, ideo, si ægri leviter ferunt, atque ventriculus, laudo. Movet me hæc ratio: lego enim in historiis, quod non omnes Indi capiunt succum foliorum ratione solutionis alvi, & ideo solent ipsi siccare lignum, & parare decoctum ea ratione, qua nos paramus, igitur hac ratione & proco, & improbo medicamenta solventia cum syr. medicamenta purgantia mixta cum decocto, quod bibimus pro prandio, & cœna, sunt diabolica, est enim admixta *sena, hermodactyli* &c. fugite hæc medicamenta. Ad rem igitur rediens laudo in syr. admixta solventia, quorum normam, atque modum quærite apud Matthiolum. Habemus ultimum decoctum pro pueruli, & lactentibus. Nam sæpe nascuntur pueri infecti, vel solent a nutricis lacte infici. in eo casu primum nos solemus mederi Nutrici, ut illa decoctum accipiat: secundo duo facimus pueris. Primum est quoniam exhibemus juleb factum ex decocto Guajaci. & ita Recipe *Guajaci tenerrimi unc. iiij. aquæ grm. lib. iiij. infunditur, maceratur secundum artem, & coquitur ad consumptionem duarum tertiarum. postea colamus, & accipimus medicamentum hoc, & cum sufficienti saccharo conficimus juleb.* Utitur autem aqua graminis, ut ratione aquæ & ligni non succrescant vermes ratione sacchari nascentes. Præterea secundo facimus decoctum ex Guajaco simplicissimum, & destillamus in balneo Mariæ, & istam aquam dulcem exhibemus pueris bibendam. istæ sunt rationes præparandorum decoctorum, in quibus notate, quod omnia conveniunt in morbo Gallico, at ego non utor, nec utar nisi simplici illo decocto, aut composito cum cortice, vel cum vino, vel sine vino, ego proposui varia decocta, quibus nunquam utor, at his, quæ cum vino fiunt, quia inflammant, raro utor. Ego si quid immuto, est, quia loco aquæ communis sumo *aquam cichorii, vel sonchi* pro temperando hepate calido, & aliquando incoquo simul *sonchum, vel cichorium,* aliquando soleo in ultima decoctione admiscere *passulas* pro suavitate. Itaque sciatis, quod in morbo Gallico simplex decoctio præstantissima, reliquis utantur reliqui medici, mihi non placent.

Decoct. ex ligno & cortice.

Decoctum cum vino.

Tertia decoctionis fit eo pacto magis.

* Le hac Mesue lib. 3.

Mixtio ligni cum purgantibus an bona.

Ultimum decoctum pro pueris.

Secunda aqua pro pueris.

## CAP. XLVIII.

### *In quibus ægritudinibus utamur prædictis decoctis.*

Usus sum istis decoctis, sed non in morbo Gallico. & primo ego utor illa ultima decoct. composita in asthmate, in destillatione frigida à capite, atque in maximo lapsu ventriculi, reliquis nunc in cephalæa ex materia frigida, nunc in epilepsia, addita pœonia; aliquando in Ischiade penultimo, & antepenultimo decocto. utor aliquando in paralysi, & in lippitudine oculorum, in fistulis lachrymalibus, & in summa in omni refrigeratione ventriculi, in refrigeratione articulorum, & podagricis affectibus

ctibus ab intemperie frigida usus sum hujusmodi decoctis satis felici cum successu. Decoctum vero simplicissimum dico facere semper ad morbum Gall. incipientem; non rebellem: in inveterato in usu esse compositum ex ligno, & cortice, aliquando cum vino, aliquando sine vino. concludum ergo sit, hoc, atque reliqua decocta composita, potius facere ad alios morbos frigidos ventriculi, cerebri, & articulorum, non ad morbum Gallicum, idque fit cum aquæ sulphureæ non possunt. & quamvis juvenes optimi non videatis factam mentionem omnium istorum in consultationibus, hoc est, quia recurrimus ad Thermas tanquam ad sacras anchoras. verum quia potestis esse in locis, ubi hæ sacræ aquæ desunt, ideo docui vos, ut loco balneorum substituatis. sequitur modo tractatio, quo tempore sit decoctio ista propinanda.

## CAP. XLIX.

### *De tempore, quo exhibendum decoctum.*

Sed quo tempore exhibendum decoctum? opportunissimum est Ver. quamvis enim nos calorem, sudorem, & multam digestionem desideremus, tamen nimius est calor æstatis, resoluta sunt corpora, atque imbecilla. quare medium veris, & principium æstatis opportunissimum tempus est: secundo est Autumnus: Æstas, & hyems inopportuna sunt: altera propter calorem nimium: altera propter frigiditatem, sed si ex his eligere unum deberem, eligerem hyemem; fugite caniculares dies. habemus Hypocaustа hyeme, quibus temperate calefacimus thalamos: primo ergo in loco ver, secundo autumnus, tertio hyems, quarto in loco æstas: modo ad locum transeamus. *Autumnus.*

## CAP. L.

### *De loco in quo exhibendum decoctum.*

Non in omni loco possumus exhibere decoctum. Antiqui ultra 30. annos solebant carceribus detrudere ægros, in loco clauso, atque umbris cimmeriis obducto, & macerabant 40. diebus ossa, & totum hominem. Bene agebant, adeo sævus, adeo ferus, adeo immitis erat morbus: verum cum mitior sit factus, non ita debent esse severi medici; ideo nos exponimus in thalamo ficciori, non expositio ventis, munitis fenestris papyro; pariter fores non semper clausæ servantur: præterea concedimus ægro domum exire, dummodo venti sileant, pluviæ & nebulæ serenum, atque tranquillum aërem non perturbent; & præcipue si æger mœrore afficiatur: sequitur ut de quantitate decocti assumendi tractemus.

## CAP. LI.

### *De quantitate decocti assumendi.*

*Quantitas decocti.* In quantitate ista servamus has normas, primo affectum, quantus sit: si magnus, & rebellis, magna quantitas exhibenda: sin minus contra. In puero minorem exhibemus portionem, quam in adulto: habenda etiam ratio complexionis. in calido habitu parum, in frigido multum: hyeme magis, æstate minus, si ventriculus debilis, paucam damus quantitatem, si robustus immensam. Hæc quantitas exhibetur, (quando magna est) per duos syrupos, si pauca, per unum syr. tantum. Præterea à quatuor unc. ad decem distendimur. in ventriculo puerili a 4. usque ad 6. in robusto ad 8. in robustissimo, & valenti morbo ad 10. & 12. ascendimus; sed rarum hoc est. At servanda est alia Norma. major enim est dosis syr. matutini, quam vespertini; quoniam matutina hora evacuatus est ventriculus, præterea ob somnum adest major vis. est quinetiam servandum aliud. in primis tribus, aut quatuor diebus non exhibemus, nisi quotidie syr. unum, idem facimus in extremis quatuor diebus in fine, at in reliquis duos propinamus matutina scilicet; & vespertina hora, quæ stata, & firma esse debet.

## CAP. LII.

### *Quot diebus debet assumi decoctum.*

*Terminus.* Usus obtinuit, ut decoctum Guajaci exhibeamus ad 40. dies, quoniam morbus Gallicus longus est, ideo longam curationem requirit; verum hoc agimus in mediocri: in incipiente vix ad 30. vel 25. ascendimus, in inveterato ad 60. pervenimus. Quis erit terminus certus? Quando videmus, quod cessarunt omnia symptomata, si cessarunt 25. desistamus; sin minus perseveremus, quo usque symptomata desint: sed si post 60. non cessent symptomata, non linquatis, persistatis instituendo victum nobilium, & æger usque ad 100. dies bibat syr. ne redeat morbus, aut confirmetur magis. Sed duo sunt symptomata rebellia, quæ si remanent, non sperate sanationem: sunt quædam cicatrices callosæ duræ, credo quod bottones vulgo dictos habeatis; sunt illæ cicatrices veluti bottones, & nisi ad ultimam sanitatem biberit æger, semper periculum imminet recidivæ. Alterum est Gonorrhœa Gallica, quæ si decocto, vel alio medicamento non cessat (de quo loquor infra) servatur etiam morbus: ideo facite post 40. dies ut bibat syr. unum *Not.*

## CAP. LIII.

### *De hora exhibendi syr. & de servandis.*

Ad horas vero exhibendi decocti accedentes, dicamus; Medici exhibent matutinum ante prandium per 4. horas, vespertinum ante cœnam per 3. vel 4. horas, 6. horis post prandium. si autem evenerit, quod non exhibeamus, nisi unum syr. matutina hora, non est tanta habenda ratio. Addatis quod semper syr. debet bibi valde calidus, ut cieat sudorem. Secundo debet bibi ab ægroto declinante in lecto. ebibito syr. solent ægri superdormire, & hoc tentandum est, ut citius concoquatur, & diffundatur per habitum. sunt qui mandant cooperiendum caput, at de hoc dicam postea. *Hora sumendi syrup.*

## CAP. LIV.

### *De iis, quæ vitanda sunt.*

Sed debet vitari Venus, potissimum quando exhibetur decoctum. sunt qui semel utentes Venere non sanantur, sunt diabolicæ Ancillæ Venereæ, excitantes desiderii igniculos, dum decoctum præbent, fugite has, propellite extra domos: secundo fugienda est animi excruciatio. sed fugiendus lusus chartarum, interdicatis vestris ægris lusum hunc: hæc enim mercatura est cum fraude maxima. *Venus fugienda. Animi passio.*

## CAP. LV.

### *De corrigendis symptomatis supervenientibus in potu ligni Guajaci.*

Aliquot etiam sunt corrigenda. & primum Nausea quædam supervenire solet, ex qua interdicitur potus ægris, huic occurrimus, si suavia cum decocto admiscemus, & hoc est Juleb, quod primis diebus cum eo infundimus. Aliqui præditi calido ventriculo nauseant, ideo paremus decoctum in *aqua frigida fonchi, vel cichorii:* præterea dilutum dandum est decoctum. Aliqui panem biscoctum comedere non possunt: his occurrimus dando panem communem. præterea solent succedere dolores acerrimi post 4. vel 8. diem usque ad 15. his duabus rationibus mederi solemus, altera hortando ægrum, ut patienter ferat, quoniam hæc est natura ligni, & quam primum cessat: altera fovendo partes, & inungendo, hoc autem dicam fusius, quum de dolore loquar. Succedit etiam suppressio alvi, & tunc lassitudinem percipit æger: huic clysteribus occurrimus alternis diebus. sunt qui abhorrent clysteres, his semel in die exhibemus *syr. cum duab. unc. mellis rosacei:* & si erit homo, qui non poterit detergi à *melle ros. communi*, admiscemus *mellis ros. sol. unc. j.* aliqui *pillulam ex aloë* præbent, sed mihi placet *mel.* Aliquando supervenit deliquium animi, & hoc post 24. dies accidere solet ratione tenuis victus, ideo concedatis ovum quotidie matutina, & vespertina hora: aliquando offulam panis infusam vino obtuli. sed ægri aliquando concidere solent, quia non nutriuntur, vel quia biscoctus panis paucus, tunc ovo exhibito, vel pane in vino occurrimus, ut dictum; at si ventriculus non concoquit panem biscoctum, tunc date communem. Cognoscetis autem hoc, quia quando datis pharmacum, cum eo educitur inlignis quantitas decocti fulvi, sublutei, turbidi, cum qua supernatant micæ, & frustula panis integra, in eo casu occurratis huic symptomati, & date panem purum, & minorem decocti portionem, quam si cum Juleb miscebitis melius erit. Hæc sunt symptomata, atque eorum correctio. jam ad excrementa transeamus. *Nausea. Alhorrentes biscoctum. Dolores. Suppressio alvi. Deliquium animi.*

## CAP. LVI.

### *De excrementis.*

Jam transeo ad id, quod ad excrementa pertinet, & noto, quod duo sunt genera excrementorum, quorum habenda ratio. unum est, siccum, de quo locutus sum scil. feces. secundum genus eorum, quæ solent expurgare corpus

pus, tria continet. interea enim per lotium, interea per sudorem, interea per pharmacum educitur: & quamvis non sit necessarium, ut materia expurgetur, sed ut alteretur viscus, tamen bonum est: si fiat per lotium, optimum quidem, sed nullus Medicus illam viam tentavit, quoniam quamvis expurgatio bona, tamen non tentandum deferri materias calidas ad renes, & eo minus, si adsit gonorrhœa, quia tunc proritabitur, & plus sequetur incommodi, quam utilitatis. per sudorem autem sunt solliciti Medici: quum excitatur sudor copiosus, semper solvitur morbus, unde aliqui juvant hanc vacuationem simplicissimo modo, ut æger tegatur pannis, ut sit in lecto calido, & calidum bibat syr. alii caput operiunt: sed in hoc est difficultas: laudo in his, in quibus caput non æstuat, & in quibus pustulæ luxuriant, & defluvium timetur. Alii accipiunt panem calidum ex furno, & apponunt ad dorsum, & latera ægrotantis, ut percepto calore humido facilius sudent: non placet, quia inficitur panis, estque mala ratio. Alii laterem calidum insperium vino, obvolutum panno linteo, ad pedes ponunt: hæc est bona ratio, & laudo. servata tamen hac norma, quod fugiatis in his, in quibus Rhagadibus pedes laborant. Ultima ratio est, ut per alvum excernantur excrementa. & Guajacum solet aliquando solvere ventrem: sed aliquando non. Major pars Medicorum Roman. Hetruscorum, Gallorum, & Insub. laudat evacuationem interpolatam per pharmacum; unde, si non valida fit evacuatio per sudores, semper 8. 10. vel 12. quoque die aliquid vacuans exhibeatur: at si copiosus sudor adsit, supersedeatis à pharmaco, sive sudor à natura, sive ab arte fiat. aliqui damnant usum Medicamenti, non laudo hos; omnia enim argumenta, omnes rationes, quibus astruunt sententiam suam, desumuntur ab immutata evacuatione; & certe non debemus immutare evacuationem naturæ. cum igitur per lotium, aut sudorem natura evacuet, non debemus pharmacum propinare. Hæc est ratio demonstrans: sed quum dicunt, si sudor non adest, per insensibilem evaporationem fit evacuatio, hoc falsum est, quoniam non est adeo tenue excrementum morbi Gallici. at quum excrementa corporis quotidie per sudorem copiosissimum excernuntur, ut inde integram sperare possimus evacuationem, in hoc laudo, ut non exhibeantur medicamenta purgantia. cutis enim recipit excrementa, natura morbi propellit excrementa ad cutim, & ideo per sudorem evacuantur. si autem non sit sudor copiosus, expurgandum pharmaco. Verum Galen. in *lib. de atra bile cap.* 4. dicit quod per sudorem evacuantur tenuiora excrementa, ideo aliquando Medicamentum purgans exhibendum, sed raro, bis scilicet, ut excrementa crassiora educantur 20. scilicet die, & in fine. Medicamenta autem, quibus utimur in expurgando corpore, sunt *pill. cochiæ præparatæ cum Veratro.* aliquando *sena*, *cum Epithymo*, & *hermodact. additis passulis in eodem syr.* aliquando *confectio hamech.* solemus cum syr. miscere *syrup. ros. sol.* ut dulcior fiat potio. Jam vero ad victus rationem descendentes dicamus.

*Lotium.* *Sudor.* *An caput tegendum.* *Pharmacum.* *Medicamenta purgantia.*

## CAP. LVII.

### *De victus ratione.*

*Victus ratio.* Supervenit tractatio de victus ratione. dum assumitur decoctum; semper instituitur siccans, & tenuis ob paucitatem victus ratio. Hæc autem constat in pane biscocto, quem exhibemus primum, ut alimentum inde assumptum siccius sit, & sic faciat ad superationem tumorum, secundo quia hujusmodi panis biscoctus diutius manet in ventriculo, & ita solatur fami, tardius etiam manditur, & ita non excruciatur æger à fame. Tertia causa est. Cum panis siccus sit, absorbet syrup. totum, & ideo ventriculus optime coquit utrunque. aliqui volunt exhibere panem, ut retineatur syr. in ventriculo, ne facile fluat, sed sciatis, quod diutius remanet syr. in ventriculo, quam panis, quia non attrahitur à venis sicut alimentum. Quantitas autem panis solet esse ab unc. ij. ad iiij. ut plurimum autem unc. ij. damus. si autem ventriculus imbecillus sit valde, exhibeatur panis communis. Cum pane aliquid datur, nam & obsonium requiritur. Hoc autem variare solemus: primis, atque ultimis diebus damus portiunculam carnis tostæ, aliquando elixæ, sed raro, ad tres vel duas unc. in reliquis diebus cum pane passulas associamus. Ego vidi aliquos improbantes usum passularum, quia integræ excernuntur. Non est verum: sunt folliculi puri passularum, qui excernuntur; sunt enim coriacei, chartacei, duri; sed tota medulla interna sugitur, concoquitur, & digeritur. Ego laudo passulas, quia contemperant viscera: solent etiam loco passularum parvarum tribuere passulas majores, & bonum est, ponderе unc. ij. aliquando *pineos nucleos*, *pistachia*, *amygdalas.* quamvis amygdalarum usum non laudem in ventriculis debilibus. „ (exhibent pineos nucleos, quia boni, ac crassi „ sunt succi, multumque nutriunt, ex Galen. *lib.* 2. *de* „ *alimen. facul. cap.* 17. Pistachia vero, etsi parum nutriant, „ ad hepar tamen roborandum, & succos in ipsius viis in„ farctos purgandos utilia sunt, unde Galen. non audet „ affirmare, an ex ipsis stomacho ullum accedat commo„ dum, aut insignis læsio, quemadmodum neque quod al„ vum dejiciant, aut sistant ex *eodem libro cap.* 30. Amygdalæ vero nihil prorsus habent facultatis adstringentis, non subducunt ventrem, neque corpus multum nutriunt, sola enim tenuandi facultas, ac detergendi, in eis præpollet: ideo ventriculum imbellem infestant. ex Gal. *eodem lib. cap.* 29.) Aliquando concedimus Martium panem ponderе unc. ij. Sed habenda est ratio ætatis, consuetudinis, habitus. Rustico dandæ unc. iiij. aut v. magis pueris, quam senibus.

*Victus ratio.* *Panis quantitas.* *Carnes tostæ. Passulæ.*

## CAP. LVIII.

### *De potu.*

Pro potu bibat secundam aquam, de qua bibat, quantum voluerit æger. sed non credatis, quod quanto magis bibunt, tanto citius sanantur. si autem bibere non possunt secundum decoctum, aliqui dant vinum paratum ex ligno & cortice supra descriptum, dilutum tamen decocto secundo Guajaci. si ad 40. dies instituatur victus ratio, primis 4. diebus, atque 4. ultimis carnes comedant, intermediis diebus biscoctum cum obsonio tantum.

*Potus.*

## CAP. LIX.

### *Quid agendum post diætam, si intemperies calida hepatis persistat.*

Peracta diæta statim observare debemus an hepar calidum sit, & ideo instituatur medicamentum temperans: & est *saccharum ros. sacch. borag. & sacch. viol. æquis portionibus, admixtis speciebus diatriasantal.* & aliquando ad 20. aliquando ad 30. dies exhibemus. secundo observamus, quod ratione sudoris coacervantur in externo corpore quædam excrementa, & ideo ad balneum arte factum mittimus ægrum pro corporis detersione, si sordidum fuerit. quæ autem sint istæ stuphæ, audietis postea. Ista est via regia, certa, & tuta, qua Gallicum sanamus, & hac consulo vos ut utamini in vestris ægrotis. sunt aliæ multæ, sed primum de quadam ratione satis levi, & facili agamus.

## CAP. LX.

### *De radice Cina.*

Sequitur modo radix Cina, cujus Medici aliquot, præcipue Galli, atque Flandri habent maximam rationem: neque solum ad morbum Gallicum, sed ad Phtisim, ulcera pulmonum, in scirrhis hepatis, in Atrophia, in lepra Græcorum, in Elephantiasi, & in podagra utuntur. Hispani, & Lusitani deferunt hanc radicem, quo ex loco non constat. Appellant Chinam, Cinam, & Achinam. Nos Cinam vocamus: nondum scitur certo, qua ex regione afferatur. Nonnulli dicunt ex Occidua India eam deferri. Nonnulli ex India Orientali ultra Taprobanem insulam, & Calechut ex locis Sinarum, vel Silianarum, & ideo Cina, quasi Sina, vel Siniana vocata. Ego alias legi Epistolam Florentini cujusdam, in qua describebat flumen magnum in Lybicis littoribus Oceano ablutis, & inquit Flumen habere latissimum alveum scatentem arena, in qua copiosa est radix, & subdit, quod hujusmodi radix habet hanc vim, quoniam flumen illud habet facultates nostrarum Thermarum; unde omnes Indi ad hoc confugiunt, abluuntur, potant aquas, & ab omnibus ægritudinibus liberantur. Sed quicquid sit, sive ex Cilianis, sive Silianis, aut Lybicis, aut Occiduis regionibus deferatur, nihil refert. Radix hæc non est valde longa, est admodum nodosa: credo quod cognoscitis plantam bistortam dictam, hæc habet radicem penitus similem. Vidistis radices Arundinum, talis est radix Cina. color est subruffus. pondus est mediocre: si bona est, non est neque levis, neque ponderosa: odore, & gustu destituitur penitus: de foliis caulibus, fructibus, floribus nihil relatum est ab Historicis: Facultas istius medicamenti qualis sit, à me non potest explicari revera: non dubito quod siccet. sed quod calefaciat, aut refrigeret nihil est quod dicam: aut dicendum, quod temperata sit, vel, si recedit à temperato, inclinat in frigidum in primo gradu. decoctum enim insipidum est, ideo si agit in morbum Gall. propria substantia agit. CAROLUS V. satis felici cum successu partim ob morbum Gall. partim ob Atrophiam, partim ob dolorem articulorum, accepit hujus radicis decoctum, & dedit ei maximam authoritatem. Ego non potui vires ejus attingere. Utor tamen feliciter ad Hydropisim, ad contemperandum humorem melancholi-

*Cina.* *Cina descriptio.* *Facultas Cina.*

cum, in lippitudinibus calidis oculorum, in intemperie calidissima hepatis, vel ventriculi: at in morbo Gallico non utitor; expertus enim sum ter, & quater, & nunquam aliquid potui assequi. Primis temporibus 36. diebus dari cœpit, jam ad 18. dies terminus pervenit: eadem est quantitas radicis, nam exhibebatur decoctum duarum lib. sicuti etiam jam fit. modo dicamus, quomodo paretur decoctio.

## CAP. LXI.

### *Quomodo paretur decoctio Cinæ.*

Decoctum hoc modo paratur. *accipimus radicem istam, & in frusta tenuia incidimus, postea capimus unc. ij. hujus, & xij. libr. aquæ puræ, calefacimus aquam, in qua infundimus per integram noctem, vel 24. horis, postea apponimus ad ignem, & bullit ad consumptionem medietatis, ita ut sex libræ remaneant:* non facimus nisi unum decoctum, quod statim colamus, & taleolas extendimus supra tabulam, ut siccentur in umbra, quoniam iterum assumuntur ad usum. decoctum servatur in olla calida in cineribus, vel furfuribus, quia si tepidum non manet, acescit. Sed nota, quod decoctum fiat in vase oris angustissimi, quod subere, dum bullit, clausum maneat. hujus decocti exhibemus syr. matutina hora *lib. j.* vespertina tantundem, vel *unc. x.* ventriculus facile amplexatur, quia suavis est potio; postea ex eodem decocto potat æger: ejus sapor insipidus est, color vero juris pulli gallinacei: sed aliquando vinum concedere solemus, aliquando purum, album, imbecille, aliquando maguum decocto admixtum, & hoc pro imbecillitate ægrotantis. *Cibaria.* Cibaria sunt panis communis, carnes & elixæ, & tostæ in moderata quantitate: solent accidere sudores validissimi, & ideo non exhibendum medicamentum purgans, nisi in fine. Et ita quotidie fit decoctum: nam ex duabus lib. accipimus quotidie duas unc. & sic integra radix 12. diebus perdurat, postea repetimus eandem radicem siccatam, & ejus quotidie unc. iiij. incoquimus, & sic perdurat vj. diebus, donec tempus xviij. dierum absumatur. si vero 36. diebus exhibere volumus sic *sumimus unoquoque die unc. j. radicis, & coquimus in xij. lib. aquæ, ut fecimus, post 24. dies sumimus repetitæ radic. unc. ij. & sic complebimus:* sed jam utimur xviij. diebus. si autem fiat alvi suppressio, capimus *decoctum cum ol. ros. & mell. ros. & additio sale clysterem efficimus*, & ita lenitur alvus. Ego usus sum isto medicamento in infirmitatibus viscerum, in cancris exulceratis, & in lippitudinibus felici satis successu, sed non in morbo Gallico. Nota tamen, quod ex usu radicis istius valde pinguis fit homo: reliqua miracula in nostro orbe edere cessuit

## CAP. LXII.

### *De electione Cinæ.*

*Electio.* Si vultis eligere, sumite ruffam, ponderosam, non exesam carie, & in hoc diligentes estote, quoniam ex 100. rad. non invenietis 4. bonas. sed duo vitia habere solent: alterum, quod sunt spongiosæ, & leves; alterum, quod erunt exesæ à carie. si vos non habetis niti istas (ut plurimum sunt) pravas & vitiosas, semper eligatis exesam à carie, dummodo ponderosa sit; quoniam minus mala est: ejus, quæ levis est, decoctum putrescit, & non habet vim aliquam, nullum emolumentum inde trahit æger. Hæc est secunda ratio, qua Germani aliqui, atque Galli tentant morbum Gallicum superare. sed nos ad tertiam descendamus, quæ Regiam præ se fert Majestatem, & est sallæ pariliæ decoctum, quod ego expertus sum felicibus avibus, atque omine bono.

## CAP. LXIII.

### *De Salsa parilia.*

Inter rationes sanandi Gallici alias dixi esse Regias, alias non Regias. Regiæ sunt, quæ tuto, & infallenter sanant, non Regiæ, quæ non frequentius, & non sine incommodo curant. Inter Regias primas tenet diæta ex ligno Indico, quæ dicta est. inter has radix Cina numerabatur, quam ego non valde probavi. supereſt altera Regia ratio, quæ fit *Salsa parilia.* per Salsam pariliam. Hæc radix delata est ab Hispanis & Insulis Occiduis; & à quibusdam Salsa parilia appellatur, eo quod cum ea nil aliud medicamentum comparari possit: alii sparta pediglia vocant: quoniam spargitur hæc radix veluti pes digitatus. Vulgo in Italia dicitur sarza pariglia ista, (ut audivi à fide dignis oculatis) oritur in Insulis Occidentalibus prope Maderam, pullulatque frequens in arena: istius est naturæ, ut producatur longa, & crassa; profert tuberculum variis in locis, ex quo erumpunt capillares radices infinitæ, fibrosæ, & longissimæ. Radices autem, vel capillamenta sua aliquando tenuia, aliquando crassa existunt, alba intus percurrente fibra nervosa, & dura, quæ anima vocatur. cortex durus est, ita quod videtur veluti concreta caro circa medullam. Duum autem est generum; alterum; quod habet corticem plenum, pinguem, *Duo genera salsæ.* & crassum: alterum, quod habet corticem tenuem, & siccatum: utrunque bonum est, dummodo non adsit in exteriori superficie præter modum nigredo; & quanto longiora capillamenta, tanto præstantius, dummodo album sit non exsiccatum, ut palea. Radix hæc insipida est, habens ita parvum amarorem, ut vix sentiatur, nullum habet odorem. Solemus habere crassam: sed si habet colorem intus subluteum, & apparent vestigia veluti vermium, hæc mala est, veluti exesa, paleacea effecta; fugite illam, sed magis istam: quamvis plena sit, & habeat carnosum corticem, fugite veluti venenum hanc, quia pessima est. Alias credebam esse radicem Ebuli, & perstiti in ea sententia plurimis diebus, donec Hispanus ad Ducem Flor. integram apportavit plantam, & hinc patuit error meus, & vidi esse radicem similacis asperæ, de qua Dioſc. *lib.* 4. & scriptores antiqui mentionem fecere. Quod magis confirmavi experientia. Nam cum in monte Sancti Juliani Pisis vidissem similacem asperam, curavi effodiendam, & semper usus sum loco salsæ pariliæ, & per biennium illud, quo ibi fui, semper felici cum successu plurimos à lue Gallica liberavi. cum igitur viderem eandem materiam, eadem notas, & facere eandem, imo majorem experientiam, deveni in sententiam dictam. Tota Romandiola scatet hac planta. in agro Ariminensi similiter copiosissima reperitur: est Cœnobium S. Be- *Differentia inter nostram salsam & Indicam.* nedicti, in quo pleno est copia cornu. invenitur etiam inter Pisaurum, & Fanum. Est tamen differentia inter nostram, & Indicam, quia illa, quæ defertur ex Hispanis, habet radices majores, crassiores, carnosiores: nostra breviora capillamenta habet, quia illa nascitur in solo arenoso, nostra in saxoso, & cum non multum alatur, fit tenuior. in reliquis, idem est sapor, idem cortex, eadem medulla, & facultas, imo vivacior in nostra. Cum ego detexerim, quod similax aspera sit salsa parilia, veni in hanc sententiam, quod medicamentum sit optimum ad profligandum morbum Gallicum. Dimittamus experimentum, cui nolunt credere pertinaces. Dioſc. dicit habere vim antidoti in morbis contagiosis, & connumerat folia, & grana inter ea medicamenta, quæ venenis exhibentur, ideo Regium est hoc auxilium, & antidotum ad fugandam luem istam, & hac ratione ego fido sallæ magis quam ligno. imbecillior est certe ligno, habet tamen ipsa nobiles vires, quibus superat Guajacum: & est quod si post superatum Gallicum restent ulcera, Rhagades circa sedem, duplo citius sanat hæc, quam lignum Indicum. Erat scholaris Papiensis, qui tophis ossels & lapideis laborabat circa pedes, & tibias, ego brevi discussos illos vidi ope sallæ pariliæ: & prima vice usus sum hac in milite Luccensi, qui dicebatur il Capitan Capon. hic habebat in capite tumores, & gummata, quæ per decem dies evanuerunt omnia. Cum ergo in Gallico adsunt ulcera, ad hoc medicamentum confugio, tanquam ad certissimum, & tutissimum auxilium: & si non facit prima diæta, facit saltem secunda, vel tertia. Præstans est Guajacum, tamen ego utor sallâ in levibus. soleo etiam miscere hæc duo simul: sed prius doceamus modum conficiendi decoctum sallæ.

## CAP. LXIV.

### *De modo conficiendi decoctum salsæ.*

Ego semper servavi hanc normam, sicuti accepi ab His- *Decoctum salsæ parilia.* panis. *accipio salsæ unc. iiij. & aquæ lib. x. comminuo salsam in parties minutas: & quia adsunt capillamenta, & tubercula, aliqui projiciunt tubercula, sed male faciunt. capite vos totam salsam, & secate in frusta parva, postea macerate in aqua calida per spatium 24. horarum: si est nostra salsa, macerate tantum una nocte: sed notate, quod nostra viridi uti non debemus, sed sicca, & maceretur per integram noctem in eadem quantitate aquæ.* Sed quæret quis, cur siccanda, si viridis esse potest? Quoniam in radice viridi continetur humiditas quædam, quæ dissolvit ventriculum, ut nihil magis, humiditas enim aquea cruda id facit; & hac ratione cœpi sicca uti: *ubi est macerata, coquitur ad consumptionem medietatis, postea colatur, decoctumque servatur ad syrupum:* deinde *eandem capimus salsam, & addimus aquæ lib. 15. & sine infusione bullit ad consumptionem tertiæ partis, & hoc decoctum valet pro cœna, & prandio.* Verum est, quod aliquando facio secundum decoctum cum vino, hoc modo: facto primo decocto *accipio aquæ lib. 15. & eandem quantitatem salsæ, & bullunt ad consumptionem medietatis; deinde antequam auferam lebetem ab igne, addo vini albi imputentis, subdulcis, lib. iij. & post unicam ebullitionem ego colo:* admisceo autem vinum, aut quando volo, ut æger domo egrediatur, & vires sient; aut quando ventriculus imbecillis est; in reliquis numquam *Secundum decoct. salsæ cum vino.*

vinum

vinum admisceo. soleo etiam miscere corticem Guajaci cum salsa, & ita *accipio salsæ unc. iiij. totidem Guajaci, aliquando corticis unc. ij. non utrumque*, hoc enim rarissime accidit, nunc hoc, nunc illud addo. Recipe *ergo salsæ unc. iiij. ligni unc. iiij. vel corticis unc. ij. addo aquæ lib. 12. bulliunt ad consumptionem medietatis.* Ad potum pro prandio, & cœna, *accipio lib. xviij. aquæ, quæ bulliunt ad consumptionem tertiæ partis*, quando addo corticem, eadem etiam sit quantitas aquæ, quamvis *duæ* sint tantum *unciæ corticis.* Aliquando quum habeo ægrum satis delicatum, & nolo exhibere hæc, *coquo salsam in xij. lib. aquæ ad consumptionem medietatis.* quum facta est ista coctio, ego habeo in catino vel *scobem Guajaci*, vel *corticis pulverem*; & ibi colo decoctum ferventissimum, & ita maceratur, & acquirit vires; & hoc modo paratur syrupus. pro prandio, & cœna exhibeo tantum decoctum secundum salsæ. Ratio, qua admisceo est, quia leviter offendit ventriculum salsæ pariliæ decoctum: aliquando solvit ventrem, ideo Guajacum admisceo. Secunda ratio est, quando habeo morbum, quem volo eradicare, & opus est uti salsa. Tertio quando habeo inveteratum Gallicum, utrumque sumo, & lignum, & salsam: aliquando his addo, sed raro, corticem, & exhibeo hujusmodi decoctum ea ratione, qua lignum. syrupus vespertinus est unc. vj. matutinus viij. aliquando, quum volumus ægrum domo egredi, tantum unum damus; tribuimus autem decoctum aliquando ad superationem sitis. Dies sint ad summum 25. minor terminus est 15. dierum. aliquando præbemus ad 30. & 40.

*Salsa cum cortice Guajaci mixtio.*

*Terminus assumendi decoctum.*

## CAP. LXV.

### *De vacuantibus, quum bibitur decoctum salsæ.*

Interea dum bibitur decoctum, damus necessario medicamentum purgans viij. diebus singulis, & solemus uti eodem syr. sed infundimus *senam, epithymum, & hermodactylos:* scilicet *foliorum senæ unc. semis, epithymi, drach. iij. pulver. hermodact. drach. ij. liquir. drach. j. passularum unc. semis, syr. unc. viij. & calefacio syr. cui infundo hæc per totam noctem. matutina hora bullit, ita quod tertia pars consumitur*, aliquando loco *hermodact.* addere soleo *corticum rad. belleb. nig. scrup. ij.* aliquando soleo addere præter hæc *syrup. ros. solut. unc. ij.* verum si æger nollet accipere potum, aliquando exhibeo *pill. cochias, vel pill. de hermodact. vel conf. hamech.* dum assumitur, servatur eadem norma, quæ in Guajaco servabatur. Notate tamen unum, quod decoctum salsæ semper agit omnibus temporibus; Decoct. Guajaci non agit hyemali tempestate.

## CAP. LXVI.

### *De ratione victus.*

Dum exhibemus decoctum, ratio victus est ex pane communi, vel biscocto: aliqui comedunt passulas, vel panem Martium ex suo instituto; mihi vero placet, ut comedant carnem assaram. si quis autem uti voluerit tenuissimo victu, ut animo suo satisfaciat, utatur, non enim impeditur actio: tamen ego semper concedo panem communem, & carnes matutina & vespertina hora: aliquando ovum, aliquando aliquod genus edulii levis concoctionis. Nec dabimus fercula, nec acetaria, nec fructus, nec carnes salitas. & hæc de ratione victus breviter.

## CAP. LXVII.

### *De cura symptomatum supervenientium in potu salsæ parilæ.*

Si symptomata adsunt, eorum cura habenda. Curamus adstrictam alvum, sicut in Guajaco: aliquando succedit lienteria, salsa enim solvit alvum, relaxat enim ventriculum aliquantisper, non intolerabiliter. Lienteria cedit purganti medicamento: ego prius dubitabam, postea doctus experientia unico cyatho vini sano affectionem istam: dimitto enim salsam, & mando ut in prandio & cœna bibat vinum, vel misceat cum medietate decocti: sed interim à syr. non desisto: & unica die hoc modo sanatur hic fluxus sine incommodo. si venter comprimitur, clysteribus leniendus, atque humores sunt interim pharmaco purgandi, prout dictum est in Guajaci tractatione.

*Lienteria.*

## CAP. LXVIII.

### *De aliis salsæ facultatibus.*

Sed notate, quod hæc salsa non modo Indicam luem propellit, sed ad multa alia utilis est, ut in catarrho



destillante à capite, qui salsus & acris sit; *in* cancris non ulceratis: in tumoribus difficilis discussionis. Et ego expertus sum, quod feliciter succedit in scrophulis: exhibeo autem hoc modo. per 40. dies *accipio pulver. salsæ, & pulv. radicum Rusci, vel bruscі æquis portionibus, & quotidie do hujusmodi pulver. drach. j. cum vino albo, bono, dulci, & feliciter succedit.* Expertus etiam sum hunc pulverem dum cum vino, vel aceto passulato exhibeo in lienis tumore, addita tamen *Myrica.* sequuntur non Regiæ rationes.

## CAP. LXIX.

### *De suffumigiis.*

Apud Empiricos suffumiglis quandoque Indicus morbus profligatur: quæ ratio curandi non est Regia, ut prædictæ: causa est, quia sæpe ac sæpius graviissima succedunt incommoda, nec ita tuto procedit talis curatio: quare semper probavi, ut talem (quantum fieri potest) fugiamus. aliquibus enim pessima, & lethalis est, ut in maciolentis, in habentibus temperaturam calidam, & siccam, in his, quibus adest pectoris angustia, vel propter tubercula existentia, vel propter obstructa vasa, vel quando destillat aliquid à capite. Pernicioſa est quin etiam illi, qui sputum cruentum quandoque edidit. Qui peripneumonia laborant, si suffiuntur, pereunt: postremo illi, qui dysenteriis, vel lienteriis corripiuntur, ab his suffumigiis vacare debent. ego nunquam usus sum his, nisi stante una conditione, vel ad summum gemina, & non miremini. Prima est, quando ex morbo Gallico succedit lippitudo rebellis, ut adnatam inflammet membranam, & corneam excoriet. in hoc casu, usus sum cauteriis, decoctis, & aliis, & tamen symptoma in suo robore perstitit, deveni ad suffumigia, & sic sanatus est æger. Primus autem curatus fuit Notarius quidam, qui in aliis multum me fatigavit, & postea multer quædam suffitibus ipsum incolumem reddidit. Alia occasio est: in hominibus magnæ authoritatis, cum Indica labe infestentur, timent imminens capillorum defluvium. & quia homines sunt, qui habent gravia & maxima negotia, ideo prohibendum est defluvium illud, & quando non potest alio modo prohiberi, ad suffumigia devenimus, quia firmant cadentes pilos, & purgant Viros illos à dedecore, & infamia, tamen tentanda sunt alia, antequam ùtis operemur. Præterea sint homines robusti, validi, ac robore virium valentes: in aliis occasionibus fugite hæc, ut diabolus crucem. Nota autem quod Antiqui usi sunt suffitibus ad varia, ad exiccandum thoracem, & caput, atque ad expurgandum, quia trahitur materia ad pulmones, ad palatum, & inde sic evacuatur; hac ratione nostri utuntur suffumigatione, suffumigiis, suffimentis, suffitione, suffitu, suffimine, quæ synonima sunt. His expurgant caput, ut faciebant antiqui, unde quandoque miror vim artis nostræ, quæ nihil reliquit intactum. Vacuamus per sectam venam, per secessum, per vomitum, per lotium, per sudores, per insensibilem evaporationem, demum per suffitus. hinc patere potest, quot modis expurgetur hoc miserum corpus.

*Suffumigia.*

*Quibus suffumigia vitanda.*

*Prima occasio utendi suffumigiis.*

*2. occasio.*

*Usus suffitum notus antiquis.*

## CAP. LXX.

### *De suffimentorum viribus.*

Suffimenta ista habent hæc: primum aperiunt omnes meatus corporis; sua natura statim penetrant per corpus, penetrando alterant, detergunt viscera. Et primum cor, & cerebrum ipsum est, quod alteratur, per pulmones communicatur cordi, per nares cerebro, per venas hepati; quod patet experientia. suffimenta enim semper solvunt ventrem, & deducunt excrementa ad intestina, sicut pharmacum purgans, ergo penetrant ad intima viscera. Nec est dicendum, quod hoc faciant, non quia penetrent, sed exprimendo sua frigiditate. ratio est, quia sunt calidissima medicamenta, secundo fumus est calidissimus, à quo excitatur quidam maximus sudor, ergo suffumigium permeat universum corpus, & ita alterat viscera præcipua. præter alterationem id efficit, quod vacuat, & vacuat ea ratione quandoque per secessum, licet raro; quandoque & fere semper per pulmonem, ac fauces, & hoc ut plurimum: per 7. vel 8. dies exspuit catinum sputi per singulos dies ad quantitatem lib. 10. vel 6. Tertio vacuat per sudorem insignem.

## CAP. LXXI.

### *De divisione suffituum.*

Hæc agunt suffumigia, quæ universa sunt: Alia sunt, quæ particularia dicuntur, verbi gratia ob defluvium pi-

*Particulares suffitus.* pilorum, debilibus utimur in capite; quandoque in manibus exulceratis suffimus manum; idem fit in pedibus Rhagades passis: alia sunt communia, de quibus cœpimus agere, quæ vacuant per cutim, per os, ac superant deinde morbum Gallicum alterando viscera. Rursus distinguantur tales suffitus, sive communes, sive particulares in leves, ac intensos. leves ac moderati sunt, qui ex levi materia fiunt, qui in morbo vix incipiente conveniunt: alii vero ex materia valida admodum; hique sunt duum generum, quia materia illa valida vel est venenosa, vel benigna. Imprimis de illis loquamur, quæ communia sunt, quibus suffimus corpus universum, quæ licet sint valida, constant tamen ex materia non venenosa, & benigna sunt.

*Leves.*

*Validi.*

## CAP. LXXII.

*De modo suffumigandi universum corpus materia valida, sed non venenosa.*

Primum non est adeo ineptus Empiricus, qui non expurget corpus ante usum illorum, vel unica, vel duplici, vel triplicata vacuatione, pro ratione humoris peccantis, habitus, & morbi. si malum confirmatum est, fit etiam vacuatio robusta; quas ratione vacuandi petatis ex suo loco, ubi tractavimus de evacuando corpore incipiente morbo, vel robusto existente. Empirici dant *mel rosar.* duabus vel tribus diebus deinde *pill. de hermodact. vel pulv. hermodact.* † cum jure pulli: faciatis hoc, vel illo modo, prout videtur vobis. Expurgato corpore reficiat vires per duos, vel tres dies, concedimusque bona cibaria, deinde venimus ad operationem suffituum. Et primo oriente sole duo ova sorbilia damus, mox offam panis in malvatico vino infusi, tum parum bibat; postremo hoc facto cochlear assumat *sacchari ros.* demum per octavam partem horæ quiescat. Interea paramus thalamum parvum, quem valide calefacimus, ut fit sudatorium, vel balnei locus; deinde paramus tentorium ex materia densa, sub quo ollam carbonibus flagrantibus plenam imponimus: ipsumque ægrum nudum collocamus subter, qui sedeat in sede parva, ac habemus materiam paratam, quam sensim igni inspargimus, & fumus in tentorio circumvolvens le detinet; corpus ipsum attrahit; & cum materia deficit, subministratur alia, atque alia, atque ibi (si potest) per horam stet integram, aut dimidiam, aut per quartam, vel tertiam horæ partem, prout valet pati æger. Notate tamen, ut, dum est sub papilione, semper eum interrogetis, ne deficiat animo, quia sæpe id incidere solet: ideo loquamini cum eo, ut cadat ab illa angustia. Et si levi voce respondet, statim extrahetis: vel si dicat supervenire deliquium animi, eripiatur subito; quia aliqui ferre non possent. Ego autem occurro huic, ne superveniat. appono arundinem longam, ac perforatam, quæ extra papilionem tendat, per quam impositam in ore aërem attrahit non perpetuum quidem, sed quando est maxime calefactus, oportet enim attrahere suffumigium non solum per porositates, sed etiam per os, atque nares. Aliquando mando, ut teneat nares extra papilionem facto foramine in illo. Sed si concidat animus, vino, vel aqua frigida inspersa in faciem excitatur. At si non incidit in deliquium, cum sudavit, obvolvimus ipsum linteo, atque in lecto locamus, ut stragulis tectus sudorem perficiat, atque ibi duabus horis sit. Hac ratione suffitus parare solemus. Suffimus autem hac norma, ut primis tribus diebus semper suffumigia faciamus, postea tribus, ac tribus aliis, ut sint 9. aliquando per plures dies suffumigamus, prout morbus est. nam si tertia die videmus, quod exulceratur palatum, & quod materia emanat, statim cessamus, præterea si supervenit fluxus alvi desistimus, vel sit hoc in 3. vel 4. vel 5. vel 6. die. Tamen semel in die suffumigandum, matutina scilicet hora, post sudorem ipsum siccemus, postremo comedat & bibat dilutum vinum, in aliis victus sit plenus.

*Vacuatio.*

† *Alius codex addit turbis.*

*Deliquium animi ne superveniat.*

*Ad deliquium.*

*Norma suffitus.*

*Semel in die suffumigandum.*

*Victus ratio.*

## CAP. LXXIII.

*De symptomatibus supervenientibus ex usu suffumigiorum ex materia valida, licet non venenosa.*

Succedunt in suffitibus symptomata quædam, aliquando alvi solutio, aliquando corruptio palati, aliquando labefactatio omnium dentium, quæ solent succedere etiam in inunctione ex Hydrargyro, & cum de hac agemus, de his omnibus pertractabimus.

*Symptomata.*

## CAP. LXXIV.

*De suffitibus ex materia benigna.*

Dixi, quod duplex est ratio suffitus, altera, quæ recipit materiam benignam, altera vero, quæ recipit materiam malignam. Primo de suffitibus materiam benignam suscipientibus dicamus. inter quas hæc est prima formula valida tamen, sed inter validas mitior. Rec. *thuris masculi, aloes, Myrrhæ ana drach. j. Cinnamomi, pulveris Cyprii appellati, storacis siccæ, spicæ nardi, nucis mosch. ana drach. semis, ambræ, vel carabes unc. semis, musci grana duo, hæc simul misce, & teruntur leviter, ita ut potius contusa sint. & cum parvo cochleari subministrantur supra carbones ardentes.* secunda compositio hæc est: Recipe *santal. alb. rubr. & citrin. ana drach. j. nucis mosch. maceris, schoenanthi, caryophyl. camphoræ, asari ana drach. semis, corticum mali appioli siccatorum, ambræ ana unc. semis, misceantur, & teruntur, & addita terebinthina fit pasta: ista dividitur postea in pillulas, quæ super carbones imponuntur sensim, ac sensim.* Tertia compositio, & validior hæc est. Recipe *storacis siccæ, belzuini, ligni aloes, gall. moschat. ana drach. semis, gummi elemni drach. j. ladani scrup. ij. schoenanthi, cinnam. ana drach. semis: albi animæ, ambræ ana unciam semis, misce, teruntur, & cum storace liquido formatur pasta, ex qua fiunt pill. ut supra.* Sed facta est mentio de quodam medicamento, quod non ita reperitur in officinis, scilicet *album animæ*, quod sacrum est, & genus quoddam resinæ concretæ, limpidæ, lucidæ admodum, ita ut videatur saccharum ros. & est duum generum, una nigra, alia alba, & sublutea, & utraque vocatur agnimen ab Hispanis vulgariter. Nam Petrus Martyr ab Anglaria quandoque animum, quandoque animam vocat in quadam historia. quomodocunque tamen sit, non refert. sciatis tamen, quod illud album est illud, de quo loquor, & defertur ex Canibalibus regionibus (ut refert Petrus Martyr) & emanat ex arbore, quæ habet effigiem ficulneæ in ramis, frondibus, &c. & præstantissima est arbor: quia primo profert quasdam palmulas, ex quibus conficiunt cibum, & potum, etenim detracto cortice emanat ex ea farina quædam, ex qua possunt fieri fercula, & panes. Ultimo scatet hæc resina, quæ pretiosa est, & optimo odore prædita, & per suffitus siccat. Hæc apud Hispanos, & Romæ apud CARDINALES habetur in usu ex omnibus ad siccandum caput: ut si accipiamus parum hujus resinæ, & supra carbones flagrantes imponatur, roborat caput, thoracem, & hepar exsiccat, neque gravis est ejus gustus. Sequitur ut jam de malignis suffitibus agamus.

*Prima descriptio suffitus benigni.*

*2. compositio.*

*3. compositio.*

*Album anamaquid.*

## CAP. LXXV.

*De suffitibus malignis.*

Superatur affectio Gallica suffitibus, qui penetrantes per universum corpus siccant cerebrum, cor, hepar, & totum habitum. Hi sunt duum generum, alterum particularium, alterum communium: alii vero sunt leves ex his, alii autem robusti; alii ex materia benigna, alii ex materia maligna. Quæ sint ex materia benigna, diximus, nunc de formulis ex materia maligna tractemus, quæ tres numero sunt in usu, & basis earum est *cinnabaris * artificialis, sandaracha Græcorum, & auripigmentum*; & ista tria sunt, quæ (cum sint venena mala) sua natura venenosam infectionem suggerere solent; & ut redigamus rem ad summam, sciatis quod tota res consillit in *Hydrargyro* vel in alia materia consimilis naturæ cum eo, ut est *arsenicum sandaracha, cinnabaris artificialis, & præcipitatum*: conciuntur ista cum aromatibus, ut viscera roborentur: Nam aliter offenderentur, & aromata sunt præcipue Resina, & gummatum genera. Prima vero formula hæc sit. Recipe *cinnabaris unc. iij.* & intelligo per cinnabarin, arte factum, quod vulgo cinnabrium dicitur. *Myrrhæ, Turis, Mastichis ana unc. j. aloes hepatic. sandaracha Arabum. styracis siccæ, belzuin, ana drach. iij. miscentur hæc, & teruntur non valde, & fit pulvis, qui supra carbones inspergitur.* Secunda ratio hæc est. Recipe *cinnab. unc. iij. sandaracha Græcorum drach. j. s. myrrhæ, thuris, ligni aloes, ladani, Ammoniaci ana unc. j. teruntur hæc crasso modo, & cum terebinthina miscentur, & parantur pillulæ, quæ imponuntur supra carbones.* Ultima ratio est. Recipe *cinnab. unc. iij. auripigm. sandaracha Græc. ana unc. semis, præcipitati drach. iij. thuris, aloes hepat. mastichis, myrrhæ electæ, belzuini, styracis siccæ, ladani, ammoniaci ana unciam semis, miscentur, crassus fit pulvis, qui inspergitur supra carbones flagrantes.* Talis est ratio componendorum medicamentorum, quæ habent vim venenatam, & inimica natura expellunt.

* *D artificialis, quoniam duplex est, alter factitius qui hodie habetur fit enim ex sulf. & arg. vivo nec colore, nec virtute cum naturali convenit. Præsumanum enim venenum est. alter est verus cinnab. qui non adhuc constat qui fit.*

*Prima materia suffitus descriptio.*

*2. descriptio.*

*3. descriptio.*

CAP.

## CAP. LXXVI.

### *De inunctione ex hydrargyro*

Prima ratio empirica, qua ſanatus eſt morbus in Italia, fuit ab argento vivo ſumpta; quoniam cum cœperit graſſari morbus, chirurgici, qui nitebantur omnem lapidem movere, cum legiſſent Hydrargyron nimium valere ad ſcabiem rebellem, cumque primis temporibus lues hæc ulcera afferret, experti ſunt argentum vivum, & feliciter quidem: unde multi divites facti ſunt; inter quos Jacobus ille Carpenſis, cum ſolus calleret ſecretam hanc medicinam, ita opulentus redditus eſt ſolo iſto quæſtu, ut moriens teſtatus fuerit numeratam pecuniam 40000. ſcutatorum, præter argenteam materiam, quæ omnia Duci Ferrar. reliquit, omnis enim aqua ad mare currit. Hic ita erat infenſus Hiſpanis, ut (cum eſſet Bononiæ) geminos ex eis laborantes morbo Gallico ceperit, & vivos anatomicis adminiſtrationibus deſtinaverit; qua de re profligatus Ferrariæ obiit. Præterea teſtatum reliquit laureatus ille Poeta Fracaſtorius totam vim ſanandi Gallicum poſitam eſſe in Hydrargyro, & ita viget authoritas hujuſcemodi medicamenti, ut eo tota Gallia utatur. In Germania, in Italia etiam exercitati non pauci maximam fidem adhibent: & præter hanc rationem ſumptam ab experimento, videtur ea vis in natura medicamenti ineſſe, ut quaſi divinum ſit mixtum. nam ego dicebam ſub Sole duo eſſe mixta, quæ mihi pariunt admirationem, & miracula videntur: alterum eſt magnes, alterum argentum vivum, ex quo poſſumus oſtendere reſurrectionem. Videmus medicamentum hoc converti in cineres, & leviſſimo labore propriam in formam redire, non ergo eſt mirum, ſi poteſt vincere hanc labem. Qua ratione hoc faciat, ut ingenue fatear, neſcio. Quæ ſit hujus medicamenti facultas, ignoro. Quæ dicant alii, optime novi. & quoniam locus hic non requirit, ut proponam has opiniones, & diluam, hac ratione reſervo in alia occaſione, & tantum tractabo, quæ faciunt ad empiricum. Et licet oratio mea videatur ita favere huic, eique tantum tribuere, tamen non probo uſum ejus: ſuperat quidem morbum. ſed ſi habemus Regias rationes curandi, quæ ut plurimum & certius ſanant ſine corporis incommodo, & ſi non ſanant, leniunt ſine noxa, non proritant affectum, cur utemur Hydrargyro, ex quo non ita certa, non ita tuta ſuccedit ſanitas? ſi non ſanantur, proritatur, & valentior fit lues, labefactantur viſcera, & partes ſolidæ corporis, & aliquando hujuſcemodi medicamentum remanet in humano corpore. multi maraſmo corripiuntur ob inunctionem: multis ſuccedit dentium caſus, palati corruptio: his oſſa capitis exeſa manent, illis os & facies intorta. Si non ſanat, protrudit omnem colluviem ad caput. Ego reperi homines inunctos per triennium ante, & venientibus gummatibus in tibiis detecto oſſe vidi collectum ibi argentum vivum. Hac ratione ego non probo medicamentum: utor aliquando, quando non potui via Regia aſſequi intentum. ego vidi adoleſcentem laborantem Gallico, in quo omnia Regia infeliciter experta ſunt, Empiricus Hydrargyro curavit. quare in rebellibus affectibus, & deſperatis uſus ſum, & præcipue cum tentarim prius alias vias per omnia genera medicamentorum: & quando utor hoc, ſemper Gallicam ſervo rationem, quæ eſt, ut primo expurgetur corpus. Empirici ſtatim poſt purgationem inungunt, poſt expurgationem exhibent decoctum Guajaci per decem dies, quia valide operatur Hydrarg. & propter decoctum magis agit. ſunt nugæ. ego præbeo decoctum ad robur viſcerum, capitis, cerebri, & hepatis, & tunc venenoſum medicamentum non ita offendit; hac præparatione facta inungimus. Antiqui ſolebant inungere poſt prandium, & cœnam, ut vires robuſtiores eſſent. Verum Poſteriores melius inſtituerunt matutinam unctionem. ſtatim expergefacto ægro imponitur clyſter, niſi ſolutam habeat alvum, poſtea accepta teſta cum carbonibus, inunguntur internodia omnia exceptis manibus. Primum inungunt pedes per tranſverſum, ubi eſt tarſus, poſtea internodium tibiæ, deinde media femora, medias ulnas, & media brachia, poſtea totum dorſum ſemper fricando ad partes inferiores: dum autem internodia ungunt, faciunt per tranſverſum, & iſta inunctio fit fricando, ut penetret, poſtea imponunt ſtuppam, vel ex lino, vel cannabe, & ita ligant calidam. Si poterit ſudare, ſudet intecto capite. ſi ſudare non poteſt, dormiat ad duas horas: Poſtea ſurgat ita inunctus, & linteis obvolutus, comedat res bonas, & bibat vinum præſtantiſſimum leve, & (ſi poteſt haberi) ſuaviſſimum, & dulciſſimum. Solent inungere per tres dies primos, & poſtea per tres, & demum per tres alios uſque ad 9. aliquando ad 12. & 15. ſunt aliqui, in quibus apparent ſymptomata in 3. diebus, in aliquibus non apparent niſi 15. ſupervenerint: in his ſolent interpolare potionem Guajaci per 8. aut 10. dies, & vacuare, & poſtremo validius parant unguentum, & iterum inungunt. aliqui ſanati ſunt in prima unctione, nonnulli in ſecunda, aliquot in tertia: ſed ſciatis quod quando perveniunt ad 15. ſemper ceſſant Empirici. aliqui nebulones ultra 15. procedunt, & nihil faciunt, quia tunc non penetrat argentum vivum, & ideo ita tarde ſymptomata non apponunt; & propterea nova expurgatione, & præparatione eſt opus. Sed videte an mirum ſit hoc. ſi bibatur argentum vivum, illud non facit, quod facit unctum; vidi mulieres, quæ libras ejus biberunt, ut abortum facerent, & ſine noxa. Ego exhibeo in vermibus puerorum, & nullum parit ſymptoma, ſolum necantur vermes, ex hoc credatis, quod eſt occulta intima vis, & facultas hujus medicamenti. Eſt aliud notandum, quod ſolent Empirici (poſtquam aliquem per ſex dies inunxerunt, & non ſuccedunt ſymptomata) addere majorem quantitatem argenti vivi, nunc unc. j. nunc. ij. & ad placitum eſt hoc, & ſine noxa fieri contingit. Cum ſupervenerint ſymptomata, ceſſate ab unctione. Horum autem ſymptomatum quædam frequentia ſunt; quædam rara. Sæpe accidit, ut inuncti homines habeant palatum inflatum, & excoriatum, linguam craſſam; loqui non poſſunt, non deglutire, dolet lingua intolerabiliter, quia maxima fit inflammatio. adhæc ſuccedit tanta copia ſanies, ut vix tantum exſpuere poſſint: dentes omnes labant, vacillant, ſuo dimoventur loco, & ſordes tanta colligitur circa os, ut non appareant, & ſæpe, ac ſæpius concidant. Medicamentum ſua natura veluti avis volat ad palatum. In eo caſu inſtituatis victus rationem facilè coucoquibilem, contuſum ſcilicet ex carnibus delicatis, vinum ſubdulce ſit; ſercula ex jure ſatis pleno, vel ex pane; & ita copioſe alimus, quoniam inſignis ſit evacuatio. aliquando enim 7. 8. & 10. lib. humiditatis exſpuunt per ſpatium 7. 8. 9. 10. & aliquando 20. dierum. ſecundo opus eſt, ut videamus, an præter modum intumeat lingua, oportet enim (ſi hoc eſt) ad revellentia devenire. Ego timebam alias ſecare venam, vidi tamen ſuffocari homines ratione tumoris, imponebam cucurbitulas, poſtea auſus ſum ſecare, & bene ſucceſſit. ſecui venam Capitalem, & non ceſſavit fluxus ad palatum materiæ malæ, ſed ſolum ſanguinis, qui currit cum illa materia, & facit illam inflammationem, retrahitur ſanguis, ceſſat tumor, & inflammatio, & non retrahitur materia. & ratio eſt, quia colluvies illa ſequitur hydrargyron collectum in illis partibus. nam cum incipit incaleſcere, materia evaporat, & agitatur ad partes ſuperiores: Patet hoc. Nam illi, qui faciunt bagatellas, ſolent annulum formare, vel æreum, vel argenteum, qui excavatus impletur argento vivo, & ponunt ſupra carbones, quum incaleſcit ſaltat per ſpatium quartæ partis horæ, & hoc fit ratione Hydrargyri, qui agitatus requirit exitum ad ſuperiora, & cum fit corpus ponderoſum exagitat annulum; non tamen totus explendus annulus, ſed dimidia pars. præterea colligatis etiam ex hoc: quando in agro Vincentino faciunt Malgama; in illis enim monti-bus, in quibus argentum effoditur, aliquando pauca eſt materia argenti, admixti ſunt lapides. Recipiunt metallum illud, & moliunt molendino, veluti farinam, poſtea pulverem cum lotio, aqua ſalita, & argento vivo reddunt in paſtam, quam abluunt; tota materia lapidea egreditur; & remanet in fundo catini argentum vivum cum argento. Hæc aliquando panno colant, ſed ſæpe non ſuccedit, quia aliquando Malgama toſtum factum eſt; tunc accipiunt bocciam vitream, & imponunt capitellum vitreum ad deſtillandum ad ignem, aſcendit argentum vivum, & per narem deſcendit: Ita ſublimatur hoc medicamentum in corpore humano egrediens per palatum noſtrum, ideo cum medicamentum petat palatum, ſecum fert colluviem mali. Præterea ſolemus uti frictionibus, cucurbitulas parare ſcarificatas, & ultimo ad localia venire, quæ cohibeant fluxionem, detergant materiam, & moderate ſiccent.

*Jacobus Carpenſis primus inventor unctionis ex Hydrargyro.*

*Hydrargyri unctio pericuioſa.*

*Quando ad Hydrargyri confugiendum.*

*Hora inungendi. Modus inungendi.*

*Terminus inunctionis.*

*Terminus deſinendi ab inunctione.*

*Victus ratio.*

*Præſtigiatorum annus.*

*Malgama.*

## CAP. LXXVII.

### *Ad corrigenda ſymptomata ſuperveneintia ex inunctione hydrargyri.*

Obſervando quin etiam eſt, ut (quantum fieri poſſit) extrahamus Hydrargyron imbibitum in palato, & dentibus: & eſt, ut æger ſervet annulum aureum in ore, vel nummum aureum purum vetuſtum: & bis, & ter extrahetis plenum argento vivo. Cum videtis aureum imbutum argento vivo, accipe tunc carbones non admodum flagrantes, in quibus annulum projicite, & hydrargyrum evaneſcet, & iterum frigefactus aureus aut nummus, aut annulus ori imponitur. At ægri os lacte abluitur, ſi fuerit dolor magnus, non ita ſæviente dolore ſero utatur, addita aqua hordeacea: ſi nullus dolor, admiſceatur *mel roſatum* ad detergendum: ſi autem aliquando eſt reprimen-

dum cum aqua hordeacea addimus *syrup. Myrtinum vel diamoron appellatum, vel papaver. vel nenuphar.* aliquando venimus ad *aquam solani*, vel *plantag.* aliquando ad usum succorum repellentium, veluti ad *succum sol. rubi, sol. plantag.* aliquando *ad succum sol. vitium:* aliquando utimur *Ptisana Hordeacea, mel. ros. syr. myrtino, vel diamor. simplici purissimo* ad detergendum. De limis, & ulceribus oris non sinis folliciti, statim sanata lingua à *melle rosato* sanantur & rimæ. Ad detersionem autem, præter dicta, aliquando utimur *oxymellite bene cocto*, & valde acri: aliquando ut detersio, & mitigatio fiat, simul miscemus *mel ros. vel oxymel. cum butyro.* Sed nota quod cessante fluxione ita labant per menses plures dentes, ut cadant, necessarium est ergo eos sistere, ne vacillent semper, aut cadant: igitur soleo duobus medicamentis uti: primum utor medicamento siccante, & detergente sordem, & exedente gingivas corruptas, & est *oleum de sulphure* vel purum, vel mixtum cum *aqua plantag.* Cum fuerint mundati, *rec. fol. plantag. solior. olivæ, & solior. salv. & coque in vino albo austero, & hujusmodi decocto colluitur os, & dentes*, & firmantur, ut non timeamus, quod cadant. Aliud symptoma succedit, & est, quia solvitur alvus, & fit dysenteria, aliquando enim excernitur sanguis purus, vel ramenta, ut in dysenteria ipsa excernuntur. in hoc casu si vires robustæ sint, non sistamus fluxum, sed leniamus, & efficiamus, ne excoriatio major fiat; primum infundendo *lac chalybeatum, vel in quo extincti sint lapilli nigri, vel succum ptisanæ cum lacte puro*, aliquando *decoct. hordei cum ol. amygd. dulcium:* aliquando *accipimus caput vervecis, & facimus decoctionem cum hordeo, & fol. malvarum simul coctis.* Quandoque (imbecillis viribus existentibus) devenimus ad adstringentia, & sic utimur *ol. Myrt. infuso, vel ol. omphac. infuso succis plantag. vel rubi: admiscemus bolum armen. lapidem hæmatitidem*; Utimur aquis adstringentibus, aliquando secamus venam, aliquando ad laqueos, & alia genera revulsionum descendimus. Si autem symptomata hæc non supervenerint, bene nutrimus, & nihil aliud agendum.

## CAP. LXXVIII.

*De variis unctionum generibus.*

Unctionum autem genera varia sunt: ego duo tantum proponam, quæ mihi experientia confirmavit. isti cum utantur multo Hydrargyro, semper habent eum præparatum; & ipsi tentantur, quod duplo citius agunt: Præparatio fit per æstivos calores, sputo enim humano macerant Hydrargyrum, qui utuntur Hydrargyro, semper dicunt, Recipe *Hydrargyri extincti &c.* hoc assumptum à scriptoribus probant Empirici: habent vasculum ligneum, in quo ponunt Hydrargyrum matutina hora, exspuunt, & in mortario percutiunt, & collocant ad solem spacio 30. dierum: Ego utor raro hoc medicamento, & mando ut tunc temporis in arundine saliva extinguatur: si vos eritis consumpturi magnam copiam, præparate illud, & semper habete. Jam venio ad varias formulas compositionum: quarum hæc est una. Recipe *Hydrargyri extincti saliva unc. iij. olei veteris unc. iiij. olei thuris* (fit autem hoc ut oleum mastichinum) *unc. ij. ol. mastich. unc. j. pingued. porcinæ unc. ij. & semis, olei laur. unc. j. & semis, ceræ propolis, seu virginis unc. ij. althææ unc. j. Thuris, mastichis ana unc. j. sagapeni unc. j. & semis, eliquanda liquantur, terenda teruntur, & miscentur, addita tanta cera, ut fiat linimentum molle: & cum voluerimus extrahere ab igne, & medicamentum incipit refrigerari, addimus Hydrargyrum, & diu concutimus, ut optime misceatur.* Cumque usi fueritis hoc medicamento per 6. vices, & videbitis, quod non incipiant signa aliqua, addite novam quantitatem *Hydrargyri unc. ij. vel iij.* & iterum inungatis ad 9. dies, vel plus: Secunda formula hæc est. Recipe *ping. Gallinæ, axungiæ porcinæ, axung. ursinæ ana unc. iiij. ol. lil. alb. ol. laurini ana unc. ii. Hydrarg. extincti unc. vj. pinguedines non eliquantur ad ignem, sed detractis pelliculis teruntur in mortario diligentissime, deinde sensim additur Hydrarg. extinctum noviter saliva: & ducitur medicamentum in mortario per duas, aut saltem unam horam. deinde infunditur oleum, & optime agitatur pistillo, postea adduntur isti pulveres Thur. mast. Myrrh. ammon. styracis pulverizati, salviæ, pulveris, florchados, ithargyri, cerussæ ana unc. semis; & ex his fit pulvis tenuissimus, qui sensim infunditur in mortario, & fit præstantissimum medicamentum*; & sexta unctione certo agit, ut plurimum.

## CAP. LXXXIX.

*De præcipitato, quod exhibent per os.*

Sciatis autem, quod non solum Empirici sanant inunctione ista, sed exhibito argento vivo per os, non quale est, sed præcipitato, & sunt Chymistæ, qui profitentur invenisse secreta, & facere præcipitatum præstantissimum pro morbo Gallico, aliqui commune præcipitatum exhibent. De ratione conficiendi præcipitati communis non loquar, quia nota est, sed secreta illa à me explicabitur, ut vos possitis præparare, & non cedatis istis nebulonibus; nam Medicus debet omnia nosse, & bonum, & malum: præparatur igitur hoc modo. Recipe *arg. sublimatum* (in quo est Hydrargyrum, nam fit ex eo. & quamvis additur sal, & alumen, tamen Hydrargyrum est, quod fit argentum sublimatum) *& supra marmor terunt, postea multam miscent farinam cum hoc, & affundunt aquam, & faciunt massam, quam inunctis digitis butyro capiunt, & orbiculos efformant. postea ponunt hos in alembico, ex quo extrahunt liquorem, cujus ope præcipitatum efficiunt. Accipiunt enim sex partes hujus aquæ V. C. unc. vj. auri unc. vj. miscent, & optime amalgamant.* (Mixtura, quæ fit ex Hydrarg. cum metallis, vel aquarum fontium cum metallis, amalgama dicitur) *& ista aqua absorbet aurum.* postea *recipiunt vas vitreum lati oris, & collocant hoc in furno chymistarum, & sepeliunt dimidiam partem vasis in cineribus calidis, & subjecto lento igne incalescit materia, quam ponunt in vase illo. interea fit pellicula, crusta levis in superficie, quam colligunt cochleari, & in vase vitreo reponunt. & hæc crusta continue, & continue crescit. quum cessant crustæ, auferunt vas, & postea coquunt has pelliculas in vase vitreo, donec appareat pulvis subruffus; hoc est præcipitatum.* Demum præparant, nam affundunt aquam ardentem supra præcipitatum, & postea supra calidos cineres usque ad evaporationem aquæ imponunt, & hoc ter fit: illud exhibent formatum in catapotia pro morbo Gallico. aliqui dant commune præcipitatum, ita præparatum. Propinatur autem pondere scilicet 7. gran. ad summum 10. sed raro. postea miscent medicamento, & addunt fucum. Medicamenta addita sunt *aloës hepat. myrrha, mastiche* verbi gratia *aloës scrup. sem. myrrh. & mastichis gran iiij. præcip. gran. v. miscent cum mell. ros. & efficiunt duas pillul.* aliquando fucant cum carbone trito avellanarum, ut salicis tantum quantum fucent præcipitatum. isti Chymistæ volunt cooperire fuco isto, ne timeatur præcipitatum. Deprehenditur fucus accipiendo aurum, cujus contactu attrahitur argentum vivum, quod in propriam rediit formam. Aliqui exhibent has pillul. matutina hora, aliqui vespertina, aliqui statim ante prandium, vel post prandium. Incommoda autem subsequi solent non pauca ex assumptione talium pill. solvitur enim alvus copiose, vomitus movetur violentissimus, dysenteria inducitur; rumpitur in pectore vena. Medicina hæc pro asinis, & rusticis servetur, atque à thalamo viventium hominum excludatur. Ista sunt genera medicamentorum, quæ hominum industria, & Morbi Gallici violentia inventa sunt. Jam relinquitur, ut à symptomatum tractatione nos expediamus.

## CAP. LXXX.

*De numero symptomatum Gallicum sequentium, atque de ordine, quo tractabuntur.*

Antequam de tam amœna decedam provincia, non erit abre symptomatum habere tractationem, quorum numerum, atque ordinem, quo tradere instituo, simul aperiam. Primum enim vos docebo carici, vel tarulorum curationem: secundo bubonum Gallicorum sermonem instituam; tertio instruam vos rationem curandæ Gonorrhœæ Gallicæ, quartum erit capillorum, atque pilorum defluvium, in quo declarabo, quo restituendi, quo prohibendi, atque detinendi ne cadant. Quintum continet dolores capitis, & internodiorum. Sexto sunt Tumores gummosi, & ateromatici: septimo erit ossium corruptio, & periostiorum, atque nervorum. 8. in loco sunt pustulæ, quæ suboriuntur supra caput, & faciem, & per totum. Nono sunt ulcera maligna in palato, in sede, & in sinu muliebri, & in omni parte corporis. Decimo sunt Lichenes, vel Rhagades, vel calli in vestigiis pedum, & vola manuum. Undecimo succedit institutio sermonis de Cephalæa, hoc est stabili dolore. cap. Duodecimo, est difficultas respirationis. decimo tertio est marasmus, quæ duo postrema insanabilia sunt, ideo de his ne verbum quidem faciam. Addite decimo quarto in loco aurium tinnitum, quem omisit fortasse, quia (ut infra dicet) ejus ignorat curationem, per localia enim insanabilis est, & nisi decocto auferatur insuperabilis erit, ac penitus rebellis.

*Præparatio Hydrargyri.*

*Præparatio chymica.*

*Amalgama quid sit.*

*Præparat.*

*Ho. exhibendi præcipitatum.*

*Prima compos. ung.*

*2. compos.*

*Cariei. Bubo. Gonorrhœa Pil. defluv. Cap. dolor. & articul. Tumores ossium corruptio. Pujula cap. Ulcera palati, sedis, & sinus. Lichenes. Rhagadia. Calli pedum Cephalea. Difficultas respirationis. Marasmus.*

## CAP. LXXXI.

### *De cariei Gallicæ cauſis.*

*Caries.* Ulcera quædam, quæ in cole adoleſcentum, aut in ſinu mulierum ſolent ſupervenire, puſtulæ virgæ appellatæ ſunt à chirurgis, qui etiam & ulcera virgæ vocant. nos vulgo tarolos, vel carolos nominamus, ad ſimilitudinem cariei, quæ ligna exedit, quoniam virga ab his ulceribus exeditur. Antiqui Scriptores Græci, & Arabes veluti Paul. Aetius, & Avic. locuti ſunt de ulceribus depaſcentibus colis. Sed differunt illa à carie, ſimiliter chirurgici poſteriores loquuntur de his, ſed non ſunt eadem cum his, quorum curationem dare intendimus. Superiores *Cauſa cariei ex aliis.* chirurgici loquentes de depaſcentibus, dicunt duplici ex cauſa fieri, vel ex turpitudine alba, vel nigra collecta inter glandem, & præputium: hanc turpitudinem ſordem appellant. volunt igitur, quod quoties ſordes ilta continetur inter præputium & glandem, bulliens faciat hujuſmodi cariem: Unde monent, ut continuo abluamus pudendum urina cum farina tempore hyemis: æſtate vero aqua frigida, quum cognoſcimus mulieres; ſed de his non loquemur nos, loquemur autem de carolis. Quæ variis occa- *1. occaſio cariei.* ſionibus provenire ſolent; aliqui per contactum, quoties pudendum hominis contangitur à fœmineo pudendo infecto: ſicut enim manus infecta ſcabie inficit manum ſanam, ita pudenda inter ſe: hac ratione quia communicatur ſanies, vaporve malignus Gallicus ab infecto pudendo, qui ſolet exoriri per exeſam cuticulam, & per hoc genus dicti ulceris aliquando hujuſmodi ulcera naſcuntur, quia in ipſo coitu excrementa per attritionem incaleſcant, & ſic putre- *2. occaſio.* ſcendo inficiant pudendum virile. Nam erit mulier, & vir, qui laborarunt Gallico, pudenda non infecta ulcere, tamen quia caſu retinetur ſordes vel in ſinu mulieris, vel in pudendo viri, per illam frictionem ſordes incaleſcit, & *Not. ſolutionem proble.* putrefit, ex quo apta eſt ad generationem cariei Gallicæ, & hinc eſt, quod multi mirantur, quod adibunt meretrices, & videbunt partes mundas, & tamen carie inficiuntur: ſordes fuit cauſa ulceris communicatis vaporibus malis redundantibus ex Gallica muliere. Et domini hæc eſt cauſa, cur multi à pudendo non carioſo cariem contraxerint. Vultis videre? ſi adoleſcens bibat lac mulieris infectæ, inficitur, multo ergo magis in ſordibus illis latet minera putredinis. Tertio inficitur hepar, & tranſmittit *3. occaſio.* excrementum ad ſuperiores partes, & ita facere ſolet ulcera in ore, & palato. ſi ad partes inferiores, vel eſt tenue, & tranſmittit ad priapum, & facit cariem; vel eſt craſſum, & tranſmittit ad inguina, & facit bubones. ſi vero utraque materia luxuriat, facit utrunque. Quarto oritur caries ra- *4. occaſio.* tione laboris, quando quis violenter equitat, & diu, & retinentur ſordes in pudendo, ſatis longas patitur tentigines, eo magis præputium incaleſcit, & eſt cauſa cariei, quia illa eſt apta putredini, cum ſit via ad expellenda excrementa: ex Galen. ſcilicet in *lib. Methodi.* aliquando naſcitur *5. occaſio.* caries per attritionem. Sunt Meretrices, quæ ut videantur virgines, & ſibi, & adoleſcentibus augeant delectationem, ſolent uti aquis aſtringentibus. Juvenes habentes magnam atque craſſam virgam, violenter impelluntur, attritione illa (fortaſſe exiſtente glande molli) naſcuntur caries, & ulcera, ſuperiores illas medici excalefactiones vocant, has poſteriores, excoriationes. Nos non loquemur de omnibus his, ſed de veris Gallicis tarolis dictis, ſive carolis. Qui ſunt ab aliis diſtinguendi: calefactiones, excoriationes &c. facile ſanantur (ut docebo quando locus dabitur, & occaſio) ſed caries non ita facile.

## CAP. LXXXII.

### *De tribus cariei Gallicæ ſpeciebus.*

*Cariei tria genera.* Gallicæ cariei tria ſunt genera, vel ſit caries ob contactum, vel ab hepate originem ducens, vel quia ſordes reperitur. Unum eſt, quod continet cariem benignam, Gallicam tamen. ſecundum mediocrem includit, tertium eſt quod habet malignam, à qua Deus omnes fideles Chriſtianos liberet. Signa cariei benignæ ſunt. Primum enim *Benigna caries ſigna.* ſuboriuntur puſtulæ quædam parvæ, & candidæ, quæ quidem non excedunt craſſitiem unius grani panici minimi, puſtulæ erumpunt; his ruptis remanet ulceſculum rotundum, in medio habens punctum candidum, penetrans, aliquantulum ſimplex, vel duplicatum: aliquando tota corona glandis inficitur hujuſmodi ulceribus, quandoque ſimul copulantur, & ex duobus, vel tribus, vel quatuor unum fit, ita ut ſit veluti linea cingens, & coronans glandem, illa eſt ſine dolore; levis, & moderatus pruritus; facillime cedit medicamento. Secunda ſpecies ſævior eſt, & illa *Secunda caries ſpecies.* eſt genus quoddam ulceris rotundi, ſed in medio non adeſt punctum album, adeſt livor in ulcere, & labra leniter attolluntur purpureo colore infecta: aliquantiſper profundum eſt hoc ulcus: Hæc eſt ſecunda ſpecies. Ultimo in loco eſt peſſimum, & valde malignum ulcus, non rotundum, ſed varia figura figuratum, ac variis depictum coloribus, livido, purpureo &c. calloſa habet labra, ſerpit ſæviſſime, & aliquando nome conjunctum habet, hoc eſt putredinem. Has ſpecies oportet diſtinctiſſime cognoſcere, & diligentiſſime tractare, benigna enim moderate tractamus, & non timemus. at de duobus reliquis formidandum de valida infectione. Si caries erit per calefactionem, aut per attritionem, ſanatur facillime. Recipe *aquam plantag. & aquam roſ. & his madefactum linteum imponite*, & ſtatim ſanatur. Si reſiſtat. Recipe *ung. diapompholyg.* & duorum dierum ſpatio ſanatur. Si aliquando requiritur medicamentum robuſtius *recip. aqu. ſolani, & aquam plant. & diſſolvatis minimam portionem alum. rochæ, & tunc linteolo locum madefactatis*: Si autem fuerit caries vere Gallica, & non levis, ſed maligna, vel malignitſſima, fugite valide & pure repellentia, quia naſcerentur bubones, ſed medicamento aliquo, quod robuſte exſiccet, & ſuperet malignam ulceris naturam, utimini: ſolemusque aliquando decoctione aliqua abluere matutina, & veſpertina hora, & hæc ſit *decocto Guajaci ſolo*, aliquando admixta *aqua plantag.* Quandoque *recipimus vinum album auſterum, & incoquimus lignum Indicum, & roſas*: & hoc abluimus: poſt ablutionem inſpergimus aliquem pulverem robuſtum ſiccantem. Medicamentum hoc eſt præſtantiſſimum antiquorum. Recipe *cinerem ſeminum anethi, & ſquam. æris præparatæ, & inſpergamus ſupra linteolum madidum decocto eodem, vel aqua roſ.* Aliquando Recipimus *ſquam. æris aloën hepatic. & tutiam præparatam, & inſpergimus æquis portionibus.* Quandoque venimus ad validiora præſidia, quando exedit intus caries, & non apparet in ſuperioribus, in eo caſu pulvis non eſt opportunus, quia non ita penetrat. Ego ſoleo uti *unq. Ægyptiaco*, & accipio ſtilum acutiſſimum, quod vix intingo Unguento, & poſtea impono in foramine cariei, excitat ſtatim dolorem, ſed ceſſat, & eſt medicamentum certum: & non imponatis ſupra linteolum, ſed tantum guttulam, veluti milii infundatis. ſupra autem ulcus accommodamus aut *linteum, aut goſſypium madidum roſacea, vel aliqua alia aqua refrigerante*, ut his impediatur inflammatio. aliquando oportet venire ad medicamentum ſiccans robuſte, quod inſita facultate inimicum ſit huic morbo, in eo caſu recurrimus ad *præcipitatum*. Mea autem medicina ſemper eſt hæc in aliis, non in me, & in levibus, & in mediocribus, & in robuſtis; ſed ego diluo ita, ut nullum excitet dolorem. ſi moderata caries eſt, utor *præcipitato mixto cum unguent. roſat. Meſuæ, & capio præcipitati drach. ſ. unguent. roſ. Meſuæ unc. ſ.* & ſemper intelligo de *præcipitato præparato*. Si rebellis eſt caries, inſpergo *præcipitatum purum* unica vice, aliquando bis, aliquando ter, vel quater, raro venio ad quintam inſperſionem. Inſperſo *præcipitato*, impono *linteum, vel goſſypium madidum aqua roſ.* Si videam altera die æquale redditum ulcus, ſiccatum, rubicundum, tunc aut impono *mixtum præcipitatum cum unguent. roſ.* vel utor *ung. diapompholyg. vel ung. Iſidis*, ſed *ung. diapomph.* præſtantius eſt, aliquando utor *linteolo puro madido aqua roſ. vel plant ig.* nam tota ratio conſiſtit, ut ſiccemus putredinem, & detergamus eam, & hæc fiunt à præcipitato. Quandoque accidit, ut caries ita maligna, ita rebellis ſit, ut vinci non poſſit à præcipitato, & tunc oportet venire ad argentum vivum: & in hoc caſu (rariſſime tamen utor) conficio hoc medicamentum. Recipe *axungiæ porcinæ unc. ij. thuris, albis, ana drach. ſ. argenti vivi drach. ij. teruntur hæc in mortario extincto argento vivo, & fit unguentum, quo inungimus.* aliquando caries ita procedit, ut exedat totum, vel dimidium pudendum, non totam ſolum glandem: in eo caſu, ſi cœpit putreſcere pars, eſt ſiccanda *medicamento Ægypt.* & medicamentis explicatis in cura ulceris nomoſi. & quoniam hic non enumerantur medicamenta iſta, eo quod Excellentiſſimus vir refert ſe ad explicata: Ego tamen, quia ſcribo univerſis lectoribus, & non ſolum his, qui tunc temporis ſub ejus vexillo militabant, cumque illi, qui Authoris libros de ulceribus typis excudendos curarunt, ita mancos, ita obſcuros habuerint, ut dimidium deſideretur. poſtquam enim egerunt de ulcere cum oſſe corrupto. ſaltant ad ulcera cutis, omittendo malignorum ulcerum, herpetis, phagedænæ, ulceris nomoſi, ſinus, fiſtulæ, Gallici morbi, combuſtionis & cæterorum tam univerſalium, quam particularium omnium tractationem. miror equidem de his, qui tam imperfecte edunt res aliorum: utinam detur mihi occaſio denuo imprimendi iſthæc omnia, & ulcerum, & tumorum, & vulnerum ſpeculationes, polliceor enim omni induſtria, omni diligentia, atque ſtudio perfecta tradere, occaſio autem erit, quando hæc, quæ jam felicibus edo avibus, vobis non ingrata fore ſenſero. Communi igitur ſtudeus commodo medicamenta illa iſtic enumeranda cenſui: quæ ſunt quatuor generum, vel ex animalibus, vel lapidibus, vel

*Tertia ſpecies.* *Curiei excalefactione, & attritione curatio.* *Secunda ratio.* *Tertia ratio.* *Cariei Gallica non levis. curatio.* *Prima ratio curandi.* *Secunda & tertia ratio* *Pulvis primus.* *Pulvis ſecundus.* *Quarta ratio curandi, cum non apparet ulcus.* *Quinta ratio curandi.* *Sexta ratio.* *Septima ratio.* *Varia medicamenta aqua cariei applicari poſſunt.*

ex

ex plantis, vel ex metallis. ex animalibus est *cornu cervi ustum*, *omnia ostrea usta*, & *corallium*, licet sit ex plantis, tamen, quia nescio quid habet lapidosi, connumerantur inter medicamenta ex lapidibus. similiter *lapis hæmatites*, *bolus armena*: ex plantis habemus *folia oleæ*, *Marrubium*, *scabiosam*, *tormentillam*, & in summa *omnes species pentaphylli*, *ut album*, & *commune*. *agrimoniam*, *eupatorium antiquorum*, *aristolochiam rotund. rosarum fol. betonicam*, *rad. cucum. asin. citrulorum*, *ari*, *vel serpentariæ majoris*, *vel minoris*. ex metallis est *alumen*, *chalcanthum*, *flos æris*, *squama æris*, *præcipitatum*, *squama ferri*, *antimonium*, *diphryges*, *arsenicum*, & *infinita alia simplicia*. Abluimus autem locum clystere per dimidiam horam, ut attractus liquor vi impellatur in ulcus, & penetret ad intimas ejus partes, & abluatur omne virulentum pus. solemus autem accipere *aquam chalybeatam*, & in ista incoquimus aliqua ex dictis medicamentis, vel ex plantis, vel ex animalibus, & infundimus. hoc facto parare solemus pulveres, & inspergimus: erunt autem hi *ex illis ossibus exustis*, & *metallis*, & *corallio*, *bolo armena*. *ac lapide hæmat.* & *his additur aliquid thuris*, *aut mastichis*. Verum aliquando non B possumus inspergere pulveres. & ideo accipimus *mel ros. syrup. myrt.* & *vinum gran.* & postea accipimus pulverem partim ex plantis, partim ex ossibus, partim ex metallis, *Cariei in si-nu muliebris curatio.* & efficimus linimentum secundum hanc formam. Recipe *pul. scabiosæ torment. ana drach. j. pulv. eboris combusti*, *corall. rub. ana scrup. ij. boli orientalis drach. j. thuris scrup. j. mell. ros. syrup. myrt. vini gran. ana unc. fem. hæc misce in mortario*, & *postea gossypio impositio in specillo inungimus locum*. Verum si caries est in sinu muliebri, in hoc casu ego utor *medicamento ex terebinthina* & primo abluo, impono postea pessarium cum medicamento, quod tale est. Recipe *tereb. lotæ cum aqua scabiosæ unc. j. mell. ros. unc. j. pulv. scabios. tormentillæ ana drach. j. boli orient. eboris combusti*, *cornu cervi usti*, *aloes ana drach. semis*, *farinæ lolii scrup. ij. misce*, & *imbuitur pessarium*, & felici cum successu hoc genere emplastri uti possumus in cole virili. quum vero incipiunt ulcera hæc suppurari, devenimus ad detergentia, & fit *decoctum ex lupinis*, *ex lolio*, & *hordeo*: optimum est si his admiscemus *mel. ros. vel oxymel.* at si insignis est putredo, opus est cauticis robustis uti. & pri- C mo liquori ex plantis confecto admisceatis *ung. Ægyptiacum* in bona quantitate, & per clysterem abluatis. Madefaciatis quin etiam *aqua alum. magistrali*: sed non utamini hac eo modo, quo in officinis præparatur: ego docebo infra, quomodo soleo parare eam. utor etiam *arsenici aqua*, vel aliquo ex his, quæ traduntur à Galen. 4. *de comp. med. per genera* 10. quædam componit Aëtius *lib.* 14. *cap.* 49. Paul. *lib.* 40. *cap.* 44. *ung. Ægypt. cum alumine* & *calce bonum est*. si autem non superatur his, deveniatis ad *ferrum ignitum*: semper tamen habenda ratio partis sanæ, & prohibenda inde (quantum fieri potest) inflammatio, & sic utimini *empl. ex lente*, & *cortic. gran. emplast. ex farina lolii* & *hordei*, *vel succis ex rubo*, *vel ex foliis vitium*, *vel plantag. vel scabiosæ*, *vel polygoni*, & si est hyems, utimini istorum aquis cum linteaminibus, & non dubitate, quod majorem vim in his aquis vidi, quam in succis, & expertus sum in fluxu sanguinis narium, accepi succos, & nihil fecerunt, accepi aquam stillatitiam, & statim desiit. cum corruptela hæc incipit superari, oportet venire ad detergentia, ut ad *juccum apii*, & postea carne explea- D *Balneum pudendi.* tis, & talis erit curatio. Præter institutam diætam, soleo balneare pudendum quotidie *decocto Guajaci*, vel in quo sit decocta *scabiosa* & *tormentilla*, & si essent cavernæ, ego clystere abluerem septies, octies, & decies. si mundum est ulcus, deduco cicatricem per hos pulveres, *squam. æris*, *squam. ferr. atque pompholyg.* ex his facio pul. quem levissimum inspergo ad ulcera. aliquando sunt, qui cariem per tres annos ferent. sanabitis vos hoc modo: supra pulv. dictos ponimus *unguent. Isidis*, vel solum, vel mixtum *cum ung. diapomph.* si mundum non est ulcus, ponite prius præcipitatum, postea dictos pulveres.

## CAP. LXXXIII.

*De tumore præputii ex carie.*

*Tumor præputii.* Accidit deinde in carie, ut intumescat præputium, & non possit detegi glans, vel si detegitur, cum maximo fit dolore, & excruciat: unde in hoc casu quotidie detegatur glans, & ne exedatur, nova medicamenta ponantur. E Secundo notate, ne præputio devoluto glandem relinquatis detectam, quoniam tunc ad coitum laceratur: ideo advertendum, ne invertatur præputium, & agendum est, ut recurrat cum dolore, & potius ut glans tecta, quam detecta maneat. sed in eo casu, in quo tecta est glans quid agendum? Si apex præputii erit angustatus, solemus dilatare cum fistula plumbea, postea facimus decoctum quod per clysterem immittimus inter præputium, & glandem, & hoc decies in die: facta ista ablutione solemus recipere linteolum mundissimum, molliss imumque, imbutum medicamento opportuno ad exsiccationem cariei, & specillo impellere ad ulcus: cognoscimus autem loca ulcerum ex dolore partium exteriorum, & ita quotidie in matutina, & vespertina hora medemur. decoctum tale est. Recipe *de-* *Decoctum.* *coctι ligni Indici lib. j. decoct. scabios. agrim. beton. ros. tormentillæ*, *plantag. lib. iiij. tutiæ præpar. squamæ æris præpar. aloes hepat. boli orient. ana drach. j.* & *semis. hæc simul bulliant parum*; *postea colatur medicamentum*, & *infunditur clystere*. Unguentum autem est *rosaceum Mesuæ cum præ-* *Unguentum.* *cipitato*: in exterioribus partibus imponimus *linteolum madidum isto decocto*, *vel imbutum unguento diapompholigos*, *vel aqua ros.* & *plantag.* aliquando unguento facto ex *liniment. simplici*, & *diapalma simul mixtis*, nam impediunt putredinem, & siccant moderate.

## CAP. LXXXIV.

*De callo præputii.*

Aliquando ita callosum fit præputium, ut non amplius possit detegi glans. in eo casu nostri chirurgi, & bene, secant præputium, & videtur colis, veluti equus præsectis naribus, & omnes huc usque illud fecerunt. præterea dum intumescit glans, dolet: idcirco vos ego docebo à *Novaratio curandi callosum præputium.* me inventam novam rationem curandi; omnes ego sano plumbo. verbi gratia habebo præputium ita angustum, ut non possit ingredi specillum, in ec casu accipio fistulam parvam ex plumbo, & ita impono in foramine, & volo ut æger per illam mingat: interim ego *oleo amygdalarum dulcium* inungo, vel *pinguedine gallinæ*, *vel pomato*. secunda die ego impono parum majorem fistulam, tertia adhuc majorem, & hoc modo procedo deinceps, ita ut spatio octo dierum possit detegi glans. & sic emollitus remanet callus, & præputium dilatatum. Ego his non solum in cariebus utor Gallicis, sed etiam quando est hoc à natura factum.

## CAP. LXXXV.

*Quomodo curandus sit tumor præputii, ita ut recurrere non possit.*

In carie solet succedere hoc incommodum, quod aliquando ita stringitur præputium ob cicatricem, ut non amplius detegi possit glans: aliquando sanant medici inepti ita, ut recurrere non possit, docuimus, quomodo dilatandum præputium fistulis plumbeis. quando autem recurrere non valet inversum, aliquot sanavi, aliquot non. Primum formamus instrumentum plumbeum, rotundum, semicirculare, quod ponimus supra glandem, & postea fasciolis quibusdam tentamus revocare præputium supra plumbeum circulum, qui ponitur supra glandem, & ita per multas vices perfistamus, donec assequamur intentum.

## CAP. LXXXVI.

*De carie in canali virgæ.*

Solent suboriri in canali etiam caries: cognoscetis autem ex sanie manante, & maximo dolore in tempore mictionis. has vero curabitis eadem ratione, qua in glande existentes, atque exteriores, curastis.

## CAP. LXXXVII.

*De cicatrice callosa & veluti nervo post cariem remanente.*

Hoc modo sanatur caries, cui solet geminus affectus supervenire. primus est callosa cicatrix, mobilis loco, crassa, livida, dura, & rotunda, quæ quamdiu durat, tandiu morbus Gallicus perseverat, & videntur veluti bottones cicatrices istæ. solemus auferre hujusmodi cica- *Cicatrix callosa quomodo curatur.* tricem primum sanato universo corpore *Guajaco*, *vel salsaparilla*, deinde supra locum posita *spuma decocti Guajacι*. Præterea solemus madefacere linteolos pannos in decocto primo ligni: quia in eo est vis attenuandi, & digerendi: Succedit quoddam aliud, ut aliquando quidam *Veluti nervulus restans post cariem.* veluti nervus post cariem remaneat, qui durus per pudendum percurrit, istud est symptoma nondum curati Gallici, habet eandem naturam, & eandem rationem curationis requirit, quam cicatrix illa: aliquando suppuratur hic nervus, & suboriuntur fistulæ. Sciatis quod tandem experientia reperi, ut secetur totus hujusmodi abscessus, totus hic nervus per longum: nam statim, aperto sinu, sanatur, nunquam enim (si aliter fiet) succedet agglutinatio.

Quo-

Quomodo autem ſanabimus hujuſmodi ulcus? eadem ratione qua cariem ipſam curavimus.

## CAP. LXXXVIII.

### *De verrucis, ſive porris.*

*Verruca, ſive porrus.*

ULtimo ſanatur caries in pudendo, & ſolet ſemper loco cicatricis ſubcreſcere quædam veruca, veluti caruncula, ſeu porrus in manibus natus, & ideo porri dicuntur, porriſimi, vel porrifichi. hujuſmodi carunculæ ſubcreſcentes in pudendo, Thymia ab Aëtio dicuntur, hac ratione, quia habent ſimilitudinem cum capitibus Thymi. Harum duplex eſt genus, aliud Gallicum, aliud non Gallicum; major pars non eſt Gallica: paucæ ſunt meretrices, quæ non habent hujuſmodi carunculas: ſi inficiuntur Gallico, inficiunt adoleſcentes, & tunc Gallicæ fiunt. Quæ non ſunt Gallicæ, ſunt duum generum, aliæ contagioſæ ſunt, aliæ non contagioſæ. in muliere munda, quæ continue expurgat loculos, hujuſmodi carunculæ non ſunt contagioſæ, in immundis ſunt contagioſæ, quoniam ſanies impreſſa membro excoriat, indeque ſuccedit caruncula: Sed ſive ſit Gallica, ſive non, eandem curationem requirit circa locum: Antiqui ſolebant carunculas iſtas ſanare robuſta ratione, veluti Aetius docet, vel cauſtico medicamento, vel candenti ferro exurere. Candens ferrum non probo, multum enim acerbum eſt. alii ſunt ex noſtris, qui curant filo vinciendo eas: poſſunt tamen renaſci: ego nunquam uſus ſum ferro: laudo uſum vinculi, dummodo vincire poſſimus: quoniam ſæpe ita lata eſt baſis, ita calloſa, ut vinciri non poſſit. Sed demus, quod vincire poſſimus, in eo caſu debemus primum abluere diligenter carunculas iſtas, & videre an ſint partitæ in plures partes, cum abluerimus vino debemus aut lineo, aut ſericino filo ligare uſque quo æger dolorem incipiat ſentire: ligamus autem duplici modo, ut quaſi geminus ſit nodus. facta deligatione debetis *linteolum, vel goſſypium madefactum aqua roſ.* imponere, & poſtea ducere præputium ſupra linteolum, & hæc ratio tuta eſt ab inflammatione: altera die abluetis diligenter. ſi ſunt mortuæ, apparent denigratæ, vel lividæ: ſi rubicundæ non bene ſtrictæ ſunt. ſi nigræ, altera die cadent: ſi rubræ ſunt, iterum trahamus capita fili, & ſtringamus optime. Cadentibus iſtis, obſervandum, an relictæ fuerint radices hærentes glandi. ſi radix relicta eſt, ſolemus madefacere *aqua aluminoſa magiſtrali*, cujus deſcriptionem communicabo infra: minima ergo gutta iſtius aquæ vel ſimplicis, vel temperatæ madefaciatis. Alia eſt ratio, quam exercere ſolemus per præſectionem. Quando timeo, ne ſint Gallicæ, præſcindo forcipe, non eſt magnus dolor, in eis enim non viget ſenſus exquiſitus: & quia egreditur multa copia ſanguinis, hac ratione laudo: facite ut exeat in maxima quantitate: poſt præſectionem, & cohibitum ſanguinem, vel *ſquamæ æris præparatæ portionem, vel aquæ dictæ guttulam* infundimus. ſi autem præcidere, aut ligare non poſſumus, multi multa faciunt. Ego tamen leniora tentare ſoleo cum medicamentis diſcutientibus, & habeo peculiare conſtans ex *ammon.* & accipio *ammon. præparati cum aceto unc. j. aſſæ fœtidæ drach. j. chalcanthi uſti, & rubificati ſcr. ij.* ex his conſtituo maſſam, cujus portionem impono ſupra verrucam, & quotidie abluo partem, & renovo medicamentum, ſed oportet, ut æger ſit continens, quoniam validiſſimus ſit pruritus, ita ut libentiſſime ad fricationem incitet: ſi autem accidat, ut uſu iſtius medicamenti intumeat glans, imponimus *unguent. de ceruſſa* in exteriori, & ſatis eſt, & eodem modo ſanamus verrucas in fœminis: Aliquando venimus ad cauſtica, & primo eſt *aqua illa aluminoſa magiſtralis*; aliquando ad *oleum ſulphuris*, aliquando ad *olei chalcanthi* uſum deſcendimus: verum ego habeo *pulv. ex arſenic. cryſtall. & auripigmento præparatum*, quod divinum eſt; ſi nos ſciamus illo uti. Nam accipio hujuſmodi pulveres æquis portionibus, & miſceo ſimul. poſtea ſpecilli apicem madefacio ſaliva, & intingo in hunc pulver. & tango hoc verrucam, & ita ut minima hujus portio ſupra verrucam maneat, poſtea capio goſſypium ſiccum, pono ſupra verrucam, & facio, ut præputium recurrat. Hoc exedit unica vice ſine dolore, ſed ponite in minima quantitate: Præparatur autem *arſenicum* hoc modo. *Tero arſenic. ſupra marmor, poſtea in catino aceti pono, ita ut acetum ſupernatet, tunc expono ſoli æſtivo, donec exſiccetur acetum, & tribus hoc facto vicibus. poſtea tribus aut quatuor vicibus macero aqua pura*; Eodem modo præparatur *auripigmentum*, ſed nolite exhibere niſi in minima quantitate, ne accidat vobis, ut juveni nobiliſſimo accidit hac æſtate: hic verrucam habebat, Medicus cauſticum impoſuit. quod verrucam, & medium partem glandis exeſit: ſed quia ego

*Libro 14. cap. 13.*

*Curatio carunculorum ex antiquis 2. Ratio curationis.*

*Signa quando ſanata ſunt.*

*Ad radices remanentes. Tertia ratio curandi.*

*Quarta ratio curandi.*

*Si tumet glans.*

*Sexta ratio curandi.*

*Notabile medicam.*

*Arſenici præparatio.*

*Auripigmenti præparatio.*

dixi, quod caries oritur per contagium, ſciatis quod etiam oriri ſolet ratione hepatis tranſmittentis: dimittamus hanc ſecundam ſpeciem, loquamur de prima, atque quomodo juvenis coiens cum infecta ab hac præſervetur, & cariem non ſentiat.

## CAP. LXXXIX.

### *De præſervatione à carie Gallica.*

EGo nihil feciſſe videor, niſi doceo vos, quomodo quis videns pulcherrimam ſirenem, & coiens cum ea, etiam infecta, à carie, & lue Gallica præſervetur. Ego ſemper fui hujus ſententiæ, quod adſit ratio præcavendi, ne per contagium hujuſmodi ulcera oriantur. ſed quæ eſt iſta ratio! Ego dixi, quod naſcitur caries hæc per communicata corpuſcula ſanioſa, quæ imbibita poris glandis faciunt cariem, ideo opus eſt, ut ſtatim ſaniem à glande expurgemus, ſed ſi imbibita ſit in poris, licet vino, lotio, vel aqua detergamus priapum, tamen eam detergere non poſſumus. & hoc ſæpe accidit in tectis, & mollibus glandibus. Quomodo ergo agendum? ſemper fui iſtius ſententiæ, quod ponamus aliquod habens vim penetrandi corium, & diſſipandæ materiæ, vel extrahendæ, vel ſiccandæ & vincendæ natura ſua. ideo invettigavi hoc medicamentum. Sed quia oportet etiam Meretricum animos diſponere, non licet nobiſcum unguenta domo afferre. propterea ego inveni linteolum imbutum medicamento, quod poteſt commode aſportari, cum femoralia jam ita vaſta feratis, ut totam apothecam vobiſcum habere poſſitis. Quoties ergo quis coiverit, abluat, ſi poteſt, pudendum, vel panno detergat. poſtea habet linteolum ad menſuram glandis præparatum; demum cum coiverit ponat ſupra glandem, & recurrat præputium: ſi poteſt madere ſputo, vel lotio bonum eſt, tamen non refert. ſi timetis, ne caries oriatur in medio canali, habeatis hujus lintei involucrum, & in canali ponatis. ego feci experimentum in centum, & mille hominibus, & Deum teſtor immortalem nullum eorum infectum. Notate autem obiter, quod quælibet ſpecies linteoli mundi tantam habet vim in præſervatione, ut nihil magis (addite quod goſſypium novum, molle, fidibus bene concuſſum glandi optime lotæ detergentibus, obvolutum, mirum in modum & præſervat, & quum quis Gallicis ſcopulis lignum percuſſit poſt ablationem inſpiciat: videbit enim involucrum illud ſanioſum, aut citrino, aut pallido, vel ſubnigro colore infectum) ideo ſemper quis parvo linteolo obvolvat glandem per ſpatium quatuor, aut quinque horarum, & hoc non eſt moleſtum mulieribus: ſed tamen præparati lintei ratio eſt præſtantiſſima. Præparatur autem hoc modo. Recipe *radicis gentianæ, Ariſtolochiæ longæ, ariſt. tenuis, rotundæ * ana drach. j. pulver. ſant. alb. rubri, ligni aloës, ana ſcrup. ij. pulver. corallorum rubrorum, ſpodii ex ebore, cornu cervi uſti ana drach. ſem. fol. ſcordii, ſonchi, beton. ſcabioſ. tormentillæ ana man. j. roſarum man. j. & ſem. ſcobis Guajaci unc. ij. ſquamæ æris drach. ij. præcipitati præparati drach. j. & ſemis, vini malvatici optimi potentis lib. j. & ſem. aquæ ſonchi, aquæ ſcabioſæ lib. ij. aſſumitur vinum & aqua, & in his infunditur ſcobs Guajaci per 24. horas, deinde adduntur reliqua omnia, & bulliunt ſimul ad conſumptionem medietatis, deinde colatur decoctum, & exprimuntur medicamenta iſta diligentiſſime, in hoc decocto perturbato maceratur per noctem pannus linteus puriſſimus, deinde ſiccatur in umbra, & hoc fit tribus vicibus*, ter enim maceramus, ter etiam ſiccamus. poſtea paramus frutta ad proportionem propriæ glandis, & ſemper habentur in marſupiolo, vel in cavo illius partis fœmoralium, quæ *brachet* dicitur. (Sed quoniam diligenter rem iſtam invettigavimus, in gratiam veſtram addere decrevimus formulam eandem alio modo traditam, cum vir iſte excellentiſſimus 1555. profitebatur, ut diverſitatem videatis, & in rebus ſubingredientibus, & in doſibus, & judicium vos tum ex vobis ipſis afferre poſſitis, utra iſtarum melior, tum etiam auxilio elegantiſſimi, atque probatiſſimi tractatus de doſibus, quem anno ſuperiori à veſtro Excellentiſſimo, & nobiliſſimo D. D. Hieronymo Capivaccio habuiſtis, ſine cujus certa, atque bene conſiderata cognitione vix novas formare receptas, vix antiquorum examinare etiam exercitati norunt: formula talis eſt. Recipe *rad. ariſt. rotundæ, gentianæ, dictam. albi ana drach. ij. ſcordii, ſonchi, rutæ ana unc. j. & ſemis, ligni aloës, ſantalorum omnium, ſeminum citri ana drach. j. rhabarbari, tormentillæ, * Hyperici ana drach. ſem. Mithridaticæ conſect. drach. ij. Guajaci limati unc. ij. vini malvat. optimi, aquæ ſonchi ana lib. j & ſemis, lignum primum maneat in aqua & vino per totum diem, poſtea bulliat ad conſumptionem tertiæ partis, & tunc infundantur reliqua, & ſimul ma-*

*Nota de præſervatione.*

*Linteolum mundum. Goſſypium.*

*Præparatio lintei.*

* *In lectione 1555. habet dictamum albu. deſit vero omnium eſt drach. ij. 2. Formula ponendi linteo.*

* *Hyperici herba ſanctis Joan. vocatur. de qua Dioſc. libr. 3. cap. 172.*

*Hanc vocant, damonis fugam, eo quod cœlestium gratiarum noxios malorum damonum vapores à nobis arcere putatur. corallus etiam idem facit ex Marſ. fic. in libro de vita calitus comp. cap. 24.*

*macerentur uno die, poſtea bulliant ad conſumptionem mediæ partis, & colate, & exprimite, ſed obſervate, ut vas, in quo medicamenta hæc bulliunt, valde clauſum ſit: & ſi hoc fieret in balneo Mariæ, eſſet optimum; hoc facto, linteum lineum in hoc decocto ponite tribus diebus, aut duobus in illo macerando, poſtea in umbra loco calido ſiccato, iterum madeat, iterumque ſiccato, tertio madeat, deſiccetur; & pluries (ſi viſum fuerit:) hoc ita optime ſiccatum in charta aut linteo compreſſum ſervato ad uſum:* poſſem hoc medicamentum multum laudare, ſed vos experiemini, vos igitur vobis ipſi teſtes eritis. Si autem vos nimium timeatis, & quæretis medicamentum robuſtius, & incipietis ſentire pruritum in pudendo, eatis domum, & hoc ſuffumigio, ſuffumigetis præputium. Recipe *ollulam parvam, in qua ponetis unum, aut duos carbones accenſos, & inſpergetis pulverem deſcribendum*, & ita ſenſim, & ſenſim ſupra fumum pudendum ſuſpendatis, poſtea recipiatis linteolum præparatum, vel commune, * & ſupra glandem ponatis, & ſic revocabitur ab hepate materia contagioſa. pulvis talis eſt. Recipe *pulv. roſ. rub. abſinthii, ſantal. rub. an. ſcr. j. & ſem. belzuini, camphoræ, thuris, aloës, myrrhæ ana ſcrup. ij. cinnabaris drach. j & ſem. præcipitati drach. j. miſce, & fit pulvis craſſior*, iſtoque ſuffimus, & impedimus, ne gignantur carioſa ulcera in glande. „ Alias ſcriptum eſt „ *loco ſantalorum rubo. ſandarachæ rubræ*, de qua Gal. in „ 9. de ſimp. med. facultatibus, quam dicit urentis eſſe „ facultatis, & qui merito hujus eam digerentibus faculſ„ tatibus, atque extergentibus commiſcent. Chymiſtæ *arſenicum rubrum* vocant, ſicut *auripigmentum arſenicum croceum* eſt, licet factitium ex *ceruſſa uſta* fiat. cum igitur nos intendamus abſtergere, atque digerere, non fuit ab re huic particulari ſuffitui addere ſantal. rub. ſed quia volumus, ut diverſitas doſium pateat, poſtrema fuit deſcripta ſuperius, * prior autem hæc eſt. ſi ſit infecta mulier ita, ut validius præſidium requiratur, quum eritis domi, linteum auferetis & aſſumetis ollam parvam cum carbone accenſo, ſupra ipſam folium chartæ in formam cornu compoſitum imponetis, & parum iſtius pulveris & ita ſiccatum præputium, ac glandem fumo illo ſuffietis tribus vicibus, & tutiſſimi eritis. pulvis erit. Recipe *pulv. roſ. rub. abſinth. ſandarachæ rub. ana ſcrup. j. & ſem. belzuini, camphoræ, thuris, ana ſcrup. ij. cinnabaris ſcr. ij. miſce, & fiat pulvis.*) In his, quæ pertinent ad cariem Gallicam, unum deeſt præceptum, ut caveatis, (quantum eſt poſſibile) ab his aquis erodentibus, quibus utuntur barbitonſores, præſertim ab ea, quæ ſeparat aurum ab argento. Et quoniam bonum eſt ſcire, & hoc omnes homines deſiderant, etiam ſi malum ſit, quoniam etiam malum ſuum bonum habet uſum, ideo hic obiter duas decrevi in medium afferre iſtius aquæ deſcriptiones. prima eſt Mariani ſancti Barolitani, hoc modo. Recipe *ſalis nitri, alum. roch., vitriol. roman. ana lib. ij. miſceantur in mortario, molendo cum piſtillo tamdiu donec bene miſceantur, quo ſtante pulvis groſſo modo factus ponatur in boccia, quæ ſit illius pulveris capax, & illutata cum orificiis omnibus, ne aqua exhalet, ſicque deſtillando aquam extrahetis.* ſiquum autem ejus bonitatis eſt, quod, quando de ipſa parum in humum ceciderit, ſtatim ipſam ebullire videbitis. ſecundam deſcriptionem ponit Joan. de Vigo. Recipe *vitriol. roman., alum. rochæ ana lib. j. ſalis nitri lib. j. & s. & vaſe vitreo alembicetur.* Hæ autem aquæ ad cariem Gallicam pernicioſæ ſunt, ideo eis non utamini. Utuntur autem *aqua ex æruginis æris, & aq. roſ.* & iſta bona eſt. ſed jam de his ſit ſatis, ad aliud ſymptoma deſcendamus.

*Aqua fortis deſcript. ſecunda.*

*Aqua bona pro carie.*

## CAP. XC.

### *De bubone Gallico.*

*Bubonum plura genera.*

Jam ad bubones, qui ſunt paſſio corporum glandoſorum, accedentes, dicamus: hæc corpora multos patiuntur tumores, quos novit antiquitas; quandoque enim duros, & ſcirrhoſos (à noſtris ſcrophulis dictos) ſolent tumores inflammatos pati, & præcipue in inguinibus, quos Græci bubones vocant, & veterum cognitionem attigerunt; ſunt etiam alii calidi, parvi, & maligni, qui phygethla à Græcis, à noſtris phymata vocantur: qui, ut plurimum, peſtilentes ſunt. hos omnes novit vetuſtas. Verum in inguinibus tumores alii Gallici ſuboriuntur, quos non novit antiquitas, hi angi vocantur, codoſcellæ, tincones, & panocchiæ dicuntur: codoſcellæ vocantur Mediol. & in Inſubrium regione. iſtius bubonis aliæ dantur cauſæ, quam aliorum. nam omnium bubonum inguinum cauſæ ſunt aut motus violentus, aut ulcus, aut febris peſtilens, & maligna. Quidam obambulabit per loca montana inſuetus, inflammabitur univerſum corpus, laborat valde, tunc ſolet pati inflammationem inguinum. aliquando ſuboritur ulcus in pede, vel crure, cum fiat attractio à ſuperioribus, ſuccedit tumor in inguine. tertio oboritur peſtis, putreſcit hepar, quod exonerat materiam ad inguina: hac de cauſa non oritur bubo Gallicus: ſed quia hepar infectum Gallico tentat emiſſionem ad propria emunctoria. ſi materia craſſa, transfundit ad inguina; ſi tenuis, ad colem: aliquando ad dextrum, aliquando ad ſiniſtrum, aliquando ad utrunque latus, aliquando in media pube. Ego tres vidi bubones indicantes maximas vires expultrices, & materiæ infectæ copiam, Quomodo autem cognoſcitur Gallicus à non Gallico? à ſcrophulis diſtinguitur, quoniam raro ſcrophulæ naſcuntur circa inguina, in axillis, & cervice fere ſemper ſuboriuntur: bubo Gallicus nonniſi in inguinibus diſtinguimus à bubone facto ex labore, ex præcedentibus cauſis. ſi peragravit longinquum iter, currit multum, non cognovit mulierem, jam agitur menſis, vel duo, ergo non eſt Gallicus: præterea ulcus, quo crus laborat, patet. at ſi laboravit, aut laborat carie, ſuperveniente tumore in inguine, Gallicus eſt. ſi dices, præceſſit dolor ob medicamentum impium poſitum in præputio: concedo, tamen caries Gallica eſt, quia ejus materia tranſmiſſa eſt ad hepar. ſecundo quum præceſſit gonorrhœa contagioſa, eſt tumor Gallicus. tertio cum adoleſcens cognoverit mulierem nuperrime, & non habet certam cauſam, cui referat bubonem illum, tunc Gallicus eſt, nam ſolet oriri bubo abſque gonorrhœa, & carie. Natura hujus tumoris eſt, ut ſtatim incipiat crumpere tumor, qui duum eſt generum: aliquando colligitur materia circa glandes in membrana veſiente glandulas, vel replente cavitatem inguinum, aliquando ſubſtantia propria glandulæ intumeſcit. Quoties glandula intumuerit, ita magnus fit tumor, ut excedat magnitudinem panis unius ſolidi. alia eſt ratio, qua cognoſcimus hujuſmodi tumorem Gallicum, quod nunquam pervenit ad maturationem: turbat medicos valde iſta ſpecies tumoris in corpore glandularum: illius, qui eſt extra glandes, primum ſignum eſt parvitas; ſecundum, celeris maturatio. tertio cognoſcimus ad tactum tumorem eſſe in membranis, & non eſſe aliquod corpus circumſcriptum, quod intumeat. Sunt, qui quærunt præſagium maturationis: nunquam præſagiatis citam maturationem in his, qui ſunt in corpore glandulæ: citam prædicite in alia ſpecie: præterea ſi eſt à materia frigida, fit ſine rubore, ſine dolore, & qui laborant, libere incedunt; ratio eſt, quoniam ut plurimum bubones Gallici ſunt ab hac materia frigida tranſmiſſa ab hepate. Sed accidit, ut aliquando calida portio miſceatur, & tunc dolor, rubor, caliditas apparet, & de iſto pronuntiabimus celerem, & bonam maturationem. Habemus naturam, & cauſam bubonis, & qua ratione cognoſcere debeamus, & prædicere poſſimus. Jam ad curationem veniamus.

*Differ. inter Gallicum bub. & non Gall.*

*Signa bub. Gallici.*

*Duo genera bubo.*

*Præſagium.*

## CAP. XCI.

### *De curatione bubonis.*

In omni incipiente bubone primum reſpicite duos ſcopos, ut non ſolum impediamus fluentem materiam, ſed eam trahamus, quoniam eſt materia maligna, & contagioſa: & experientia compertum eſt, juvenes cum laborarint bubone, & hic expurgatus fuerit, quia eſt veluti emiſſarium à natura factum, abſque alio medicamento ſanatos eſſe, & omnes repellentes materiam, includunt morbum in viſceribus. ſecundus ſcopus eſt doris mitigatio, ſi adeſt: primo ergo mitigemus dolorem, & laxemus locum, ratione doloris ponimus *ol. chamæmel.* ratione relaxationis *ol. amyg. dulcium* ſolemus accipere lanam redundantem ſordibus, in qua eſt vis relaxandi, & molliendi, & inungimus eodem oleo, & ponimus, ſed aliquando non ſatis eſt hoc. Aliquandoque ego recurro ad motum, & mando ut ludant gladio, vel pila parva, ut ſaliant, & motu illo fiat fluxio. præterea venimus aliquando ad uſum cucurbitulæ, quum timemus maximam luem, & maximam infectionem: hoc autem raro eſt. Nunquam ſecanda vena, vel exhibendum pharmacum purgans. nunquam repellentia. ſi fecetis venam retrahetis materiam. ſi pharmacum valide purgans propinabitis, idem fiet, & ex hoc concludimus, quod quando vos vultis ſecare venam, aut pharmacum exhibere, notetis ætatem bubonis. ſi creſcat, non faciatis. ſi conſiſtat, vel decreſcat, tuto deſcendere poteſtis ad hæc: ego ſtatim venio ad relaxantia, & ut mundem viſcera, & non agitem materiam, & quæ eſt in fluxu. præterea ut ſyrupos præparantes exhibere poſſim, exhibeo *florem caſſiæ*, nunquam ſeco venam, niſi fuerit maturatus bubo. ſunt quidam, qui non exhibent pharmacum, vel ſecant venam, niſi veniant ad maturationem bubones: ſed ſero ſapiunt Phryges. ſunt bubones, qui ſpatio trium menſium non maturantur. ſed poteſtis ſecare, & exhibere pharmacum, ſi bubo conſtiterit, & non creſcat amplius, & hoc modo venit citius ad maturationem. hoc facto poſſumus vel reſolvere, vel concoquere bu-

*Primus ſcopus curatio.*

*Secundus ſcopus curationis.*

*An ſecanda vena, vel pharmacum propinandum in bub.*

*Cauſa bubon. 1. cauſa.*

bubonem, & reducere ad ſuppurationem. ego laudo u- A
trumque, licet poſtremum magis probem. nam quamvis
per primum reſolvamus, & diſcutiamus per vapores, ta-
men ſecunda ratio eſt commoda magis: quia non ſolum
evacuatur materia, quæ fluxit ad locum, ſed habemus ir-
ritamentum naturæ, quo ipſa cogitur ad expellendum ma-
teriam, & ita per duos menſes, vel plures expurgamus he-
par. ſecunda cauſa eſt opinio hominum. craſſæ enim Mi-
nervæ homines credunt (quod quoties digeritur bubo, &
in halitum vertitur, licet caliditas inſit medicamentis) quod
facta ſit repulſio, ideo ne Medici habeant hanc famam, ſe-
cunda via deveniant ad maturantia. Inter maturantia ego
habeo quædam familiaria, quæ etiam Medici hujus civi-
tatis ex me deſumpſerunt. habemus alia ex farinis, & cariçis,
verbi gratia. Recipe *rad. althææ lib. j. farinæ communis*
*unc. ij. caricarum coctarum in aquæ unc. j. & ſem. farin.*
*ſem. lin. unc. j. pingued. gallinæ veteris, pingued. porcinæ ana*
*unc. ij. miſce, & cum decocto radicum althææ, & carica-*
*rum fit emplaſt.* ſecundum eſt, quod conſtat *ex fermento,*
*cepis, lil. alb. coctis, melle crudo, & rad. alth. & miſceo*
*pro empl.* Sed quia ita tardant ad maturationem hujuſmo- B
di tumores, ut fatigati ſint medici (aliquando enim per
duos menſes durant) hac ratione ego habeo *empl. Diachylon ex gummis*, & eſt empl. officinarum, cui adduntur
tria gummata, *ammoniacum, bdellium, & ſagapenum.*
Ego accipio *hoc diachylon & diſſolvo cum pinguedine galli-*
*næ veteriſtioris*, ſed hyeme Recipio *diachyl. unc. j. pingued.*
*unc. ſem. in æſtivo tempore diachyl. unc. ij. pingued. arach.*
*ij.* Quando autem rebelles ſunt bubones, Recipio *diachy-*
*lon magnum Meſuæ & addo tria genera gummatum, &*
*eadem portione pinguedinis utor:* maturatum bubonem ſe-
camus. ſed notate, quod quidam ſtulti monent, ut de-
beamus ſecare bubones crudos, & præter id, quod expe-
rientia indicat, quod male agunt, ſi fuerit bubo in glan-
dula, exit foras, ita oportet auferre, deinde habeo au-
thoritatem Galen. & Hipp. in 2. *de off. medici*, ubi Hipp.
dicit, quod nunquam debemus ſecare tubercula immatu-
ra, & dantur ibi multæ rationes à Gal. curate igitur, ut
ſemper maturentur: maturatos ſecate, aut cauſtico aperi-
te. ſi autem audaciorem habemus adoleſcentem, ſectio
valde opportuna eſt: ego laudo magis cauſticum, quia per C
eum auferimus quantitatem corii, & fit latius ulcus, &
non remanent cavernæ. Præterea cum iſti tumores ſint
ut plurimum à materia frigida, per cauſtica calefacimus,
& ſiccamus, hoc autem notamus ex ſanie exeunte poſt
cauſticum: quoniam videmus eam concreviſſe, veluti viſcum: hoc autem factum eſt ex caliditate, & ſiccitate cauſtici. Nota, ſi volumus bene aperire, per ferrum aperire oportet, ad imitationem antiquorum ad folium Myrti, valde dolorofa eſt ſectio iſta, & niſi fiat hæc, ſemper difficilis eſt curatio, hoc autem facit medicamentum cauſticum ſine dolore, ſed ego aliquando etiam ſeco, & nota
ut non pungatis tantum, ut aliqui faciunt, ego ſeco to-
tum tumorem, & iſta ſectio fienda per ductum inguinis
non per rectum corporis, ſed per tranſverſum. poſt ſectio-
nem linimenta imponenda, quibus oſculum aperiatur, ne
ſuccedant fiſtulæ. ego miror de his, qui patiuntur buvo-
nem per ſe aperiri per eroſionem factam à ſanie, miror
primum, quia nimis diu manens ſanies facit cavernas,
ſecundum, quia oſcula facta à ſanie plura ſunt, & parva,
& immiuet periculum fiſtulæ: ideo vel ſecetis, vel cauſti- D
co aperiatis. facta apertione per medicamentum, in primis
diebus vos imponatis medicamenta mitigantia dolorem, ut eſt
*cum luteo ovi, terebinthina, vel oleum abietinum.* ad extra
ponitur empl. maturativum per tres, vel quatuor dies, ut ſi
quid relictum eſt materiæ congeſtæ, maturetur. mitigato
dolore, & concocta materia, omnia facimus ut ſervemus
apertum ulcus ad 40. dies, vel *unguento Iſidis, vel linimen-*
*tis ſiccis*, ad extra ponatur *Emplaſt. diapalma*, ad mode-
randam fluxionem, ad impediendam putrefactionem. vel
*miſcemus cum diapalma linimentum ſimplex*, ſi adſit calidi-
tas: ceſſante caliditate imponimus diapalma ſolum. ſi cre-
ſcat mala caro, medicamentis pro his dictis exedimus. ſi
glandula aliqua prominet, in eo caſu ego aliquando
intercidi filo glandulas, & fecit cadant, ſicut de carun-
culis dictum eſt, aliquando cum *trochiſco de minio* deſcri-
pto in abaco medicamentorum cauſticorum exedo, perfo-
rando eas. Aliquando *pulverem inſpergo ex arſenico &*
*auripigmento*, & ita cadit glans. poſtea expleo ulcus medi-
camentis opportunis, & deduco ad ſanationem. Quando-
que ſuperveniunt fiſtulæ duæ, tres, quatuor; ſed iſtæ requi-
runt curationem fiſtularum: ſi adſit callus, ſanatur eo
modo, quo ulcus calloſum curatur. Hæc de bubonis
ſanandi ratione dicta ſint.

*Maturans bubonem.*

*2. Formula empl. maturantis.*

*3. Empl. pro bub rebellibus.*

*Quo tempore ſecandi bub.*

*Cauſticum ſectione melius.*

*Quomodo facienda ſectio.*

*Mitigantia dolorem.*

## CAP. XCII.

*Defluxionem pilorum.*

*Defluxium pilorum.*

Succedit inter ſymptomata Gallici morbi, capillorum, ſuperciliorum, & barbæ defluvium: quod quidem jam omni ſtudio, omnique cura, & diligentia curandum eſt, hac ratione ut impediamus ne fiat, ſi inceperit, ut ſtabiliantur pili: ſi ceciderint, ut cito renaſcantur. apud antiquos patuit ophiaſis, calvities, alopecia, quæ genera defluviorum diſtant à noſtro, de quo tractamus. noverunt etiam caſum pilorum in lepra. cum itaque inceperit Gallicus, ſolet ita afficere partes capitis, ut cadant pili: cadunt ea de cauſa, quemadmodum in reliquis ſpeciebus depilationis ex Galen. 1. *de comp. med. per gen. cap.* 2. ca- *Cauſa caſus pilorum.*
dunt pili ea ratione, qua plantæ arborum: nam pili ſunt veluti arbores corio inſertæ, & ſicuti areſcunt arbores, ita pili. dixi areſcunt, quoniam ſi tangatis barbam viri, cui immineat defluvium, percipietis ariditatem, veluti ſi ferrea eſſent filamenta. Plantæ autem areſcunt, aut quia deeſt alimentum, aut quia ſuffocantur à malo, ita & pili. Et ſuppono pro conſtituto, & ab Excellentiſſimis Philoſophis, & Theoricis declarato, quod pili fiunt per ſubminiſtratas fuligines pingues, quæ ſenſim, & ſenſim delatæ creſcunt in pilos circa meatus, & eadem eſt materia cum illa unguium, & quam cornua habent. aſſeruntque pilos non fieri per veram generationem, ſed concreſcunt addita particula poſt partem. hæc autem eſt concocta fuligo, & bene pinguis, quæ, qualis eſt, talem generat pilum, ſeu nigrum, ſeu rubrum, ſeu album. deficiente hac fuligine cadit pilus neceſſario, neque amplius creſcit, neque hærere poteſt. Solet autem deeſſe hoc alimentum variis ex cauſis; in plantis deeſt, quia crulta terræ arida, ita ſi corium deſiccatum valde, non generat fuliginem iſtam, quæ poſtea vertatur in pilum, nam ego teneo hanc fuliginem non eſſe communem univerſi corporis, ſed corii, quoniam non ita variarent pili ad variationem cutis: nam ſi cutis eſt mollis, molles generat pilos: alba, albos, nigra, nigros. ſiccantur plantæ, quia male nutriuntur, pariter & in pilis hoc fit, quia ſæpe in corio circa radices pilorum colligitur materia acris, & erodens, quæ reſecat fuliginem, & radicem pili: iſtæ ſunt geminæ cauſæ, ariditas, & defectus alimenti: apparet in calvitie, elephantia, ophiaſi, at in Gallico cadunt pili ob malum alimentum, non ob ſiccitatem. nam turgent genæ, increſſantur palpebræ, & lucidæ fiunt, & perlucent ſicut bombyces illi ſericini, quando habent ſericum maturum: hoc provenit, quia vapor, & hu- *Cauſa lucida faciei.*
miditas multa infecta colligitur ibi, quæ, cum tenuis ſit, facit ſplendorem: hoc ita poſito, incipit defluvium pilorum. Quærimus quid agendum? cum hoc fiat à malo humore erodente, indicatur ut evacuemus malum humorem à loco affecto: ſecundo, firmemus pilos ſtringenti medicamento, ut detineatur pilus, donec fuligo regenita reficiat exeſam radicem. ſi autem ceciderint pili, indicatur eorum regeneratio, & primum de cadentibus dixi, quod evacuatur univerſum corpus, & inſtitutum eſt: ſed me converto tantum ad locum affectum, quid eſt a- *Vacuatio*
gendum? ego ſoleo duabus rationibus evacuare, vel per interna, vel per externa: interna ſunt matticatoria, & ſciatis, quod non eſt medicamentum certius evacuans, quam *radix pyrethri, ſemen ſtaphyſagriæ, vel maſtix, piper etiam, cariophyllorum etiam fructus*, & ita volo, ut ægri quotidie mandant hujuſmodi medicamenta, ut copioſiſſimo ſputo retrahant materiam à partibus cutaneis: non contentus ſum iſto, ſed per exteriora tento vacuationem, & hoc dupliciter, vel per ſudorem, vel per medicamentum, nam ego reperi, & expertus ſum, quod in hoc caſu, ſi poſſum proritare ſudorem copioſum, mando, ut cooperiant caput, ſi illud æſtuoſum non habent: *Ablutio.*
ſi hoc non poſſum, tento ablutiones lixivio quodam digerente, & utor ſapone habente vim attenuandi, digerendi, & evacuandi, & hoc alternis diebus, vel tertio quoque die, vel quotidie. lixivium eſt hoc. Recipe *fol. abſinth. beton. roriſm. calaminthæ montanæ, pulegii, abrot. ana pug. j. aſari drach. j. roſ. man. j. nuces cypreſſi contuſas numero* 4. *hæc bulliunt in lixivio tonſorum, & poſt bullitionem colatur lixivium, & ita abluitur caput diu, & fricatur adigentiſſime.* Et ſæpe ſoleo incoquere *agarici drach. 1. s. vel ij.* ad majorem evacuationem, & non utor ſapone communi, ſed quod habeat validam vim ſiccandi, excernendique humorem. utor enim ſapone Conſtantini, qui deſcribitur à Paul. *lib. 7.* *Sapo Conſtantini.*
& paro hoc modo. Recipe *roſ. rub., aloës, gallarum, cortic. granat., malabathri, ſed loco eius nardi Indicæ, ſarcocollæ ana unc. j. balauſtiarum, myrrhæ, ſandarachæ Græcorum, ſpicæ nardi ana drach. s. coſti, (& loco coſti accipimus Zedoariam communem) drach. ij. & ſir. ij. ſaponis Gallici quantum ſuff. & pro hoc ſumimus ſaponem candidum in uſu:* confi-
cimus ex his orbes, ſive pillulas, quibus fricamus caput.

ego hanc deſcriptionem poſui, quia quædam mutavi: ſed nota unum, quod antequam veniamus ad uſum ablutionis, ſoleo mandare, ut ægri abradant caput, ne inter abluendum cadant pili, & quoniam non poſſumus radere barbam, decurtemus more Hiſpanico: & credo, quod hic uſus à callida illa gente fuit introductus, quo defluvium pilorum non appareret. ſi poſſumus eorum caſum viij. diebus impedire, non amplius poſtea cadunt. facto hoc abluimus, poſt hæc devenimus ad adſtringentia corium: ego habeo familiarem *ladani ſuccum concretum*, contundo enim *ladanum* & macero in *ol. myrt. & ol. roſ. omphac.* & ita inungo locum veſpertina, & matutina hora, & bene ſuccedit; aliquando non utor adſtringentibus, ſed digerentibus materiam per halitum inſenſibilem. & probavi hoc medicamento ut foveamus locum *decocto ſem. ſinapis*, aliquando vidi aliquos uſos *decocto in aceto radicum raphani*, quæ acres ſunt. & in ſumma omnia calida, & acria habentia vim attenuandi, & digerendi optima ſunt: ſed oportet poſtea, ut ſtringamus cutim: ad quod familiaria mihi medicamenta ſunt ex *ladano*, ut dixi. Accidit autem, ut aliquando non poſſimus detinere pilos, in eo caſu confugiendum eſt ad medicamenta non tuta. multi ſunt, qui potius deſiderarent dolores, & gummata, quam quod caderent pili, quia ridiculi fiunt, & ſæpe non cognoſcuntur: ne turpitudo hæc ſuperveniat, ad ſuffumigia confugimus, & ſolemus ſuffumigare aliquando faciem tantum, & caput. ſi autem ſæviſſimum timemus morbum, devenimus ad univerſi corporis ſuffumigationem, ut deſcriptum eſt ſupra: at ego utor in capite tantum, & facie. Aliquando accipio pro ſuffumigio *ſant.al. omnium, thuris, ligni aloes ana unc. ſemis, myrrhæ unc. j. cinnabaris, auripig. ana unc. j. miſce, fiat pulvis, qui ſupra carbones inſpergitur*, ſervatur caput ſupra ſuffumigium, & ſpatio trium, ſex, vel novem dierum continetur defluvium. aliquando ad robuſtiora venio. & ſic Recipio *aloes, thuris, bdzuini, camph. drach. iij. galliæ moſchat. drach. j. ligni aloes. drach. ij. cinnab. auripig. Marcaſitæ aureæ ana unc. j. miſce, fit pulvis, qui inſperſus ardet ob ſuffitum:* & quum timemus, ne ſuffitus hic particularis ſatis ſit, & devenimus ad ſuffitum univerſi corporis, qui ſemper certo defluvium ſiſtit. Sed ſi eciderint pili, & renaſcantur, quid agendum? debemus ſervare antiquorum præcepta, ut expurgemus, & ſiccemus corium, & apponamus medicamenta, quæ ex alto educant: & primo habemus in uſu quaſdam ablutiones cum lixivio: habemus aquas ſtillatitias, habemus inunctiones. Pro ablutionibus hæc vobis erunt familiaria. *Accipio puleg. calamintham & abrotanum, & coquo in lixivio, & utor frequentiſſime*; nam ſiccatur locus, & materia educitur. madefacimus autem aquis, & primum locum tenet *aqua mellis ſtillatitia*, ſecundum *urina ſtillatitia, & non ſtillatitia:* tertio in loco habemus aquam ſtillatitiam factam ex his. Recipe *vini malvat. urinæ pueri, lactis vaccini ana lib. j. mellis communis crudi lib. ſ. miſce & per alembicum educitur aqua, quæ præſtantiſſima eſt brevi ſpatio temporis*: tertio ſunt unctiones, inter quas una eſt, quæ *euphorbium, thapſiam, & cariophyllum*, admittit: & ego utor etiam in alopeciis, quas patiuntur Venetæ mulieres. Medicamentum hoc modo fit, Recipe *Euphorb. drach. ij. thapſiæ vel rad. thapſiæ unc. ſemis, turbith. orientalis drach. j. carioph. pul. drach. iij. olei amygd. dulcium lib. i. & ſem. teruntur terenda, & miſcentur cum oleo in vaſe vitreo, quod ſit valde capacius, quam ſit quantitas medicamenti, hoc ponitur in caldario aquæ, quod bullit, per octo horas: poſtea auferatur ab igne, & altera die* (ita ut tres ſint) *bulliat per viij. etiam horas. demum per ſpatium quatuor, vel quinque dierum, ut deſideant feces, ſervatur vas: & colligo olei partem integriorem, & ſervo ad hunc uſum*, ita ut unica die & nocte viderim erumpere pilos. Medicamentum hoc acre eſt, ideo parum inungamus; nam ſi copioſe uteremur, faceret herpetem miliarem, & inflammationem, & eryſipelas, oportet ergo ut cauti ſitis. ſi ſuccedit ardor, *oleo viol. vel lacte, vel ol. amygd. dulcium* utor. vos igitur moneo, ut utamini hoc medicamento, non quotidie, ſed alternis diebus, die potius, quam nocte, & in minima quantitate. Hæc faciunt ad incrementum pilorum. reſtat jam dicendum, quod primo loco explicandum fuerat, ſcilicet quid incidat defluvium pilorum fieri ex defectu alimenti boni, quod non gignatur, quia non recte nutritur pars, cutis, facies, atque palpebræ. nam quodammodo tumentes, atque lividæ redduntur, quæ aquoſum alimentum, & incoctum eſſe oſtendunt. ſed jam tempus eſt vos ad puſtulas revocare.

*Ad ſtringendam cutim.*

*Remedia poſt caſum pilorum.*

*Aqua.*

*Unctiones.*

## CAP. XCIII.

### *De puſtulis.*

*Puſtulæ.* Sequuntur puſtulæ, quæ inter Gallica ſymptomata connumerantur, quæ cum in univerſo corpore ſuboriri ſoleant, tria loca præcipua habent. primus eſt caput, & facies; ſecundus eſt palatum, & quæ pertinent ad nucham, tertius eſt locus vel canalis inter utranque natem. Duum generum autem ſunt puſtulæ, alterum eſt ſine cortice, cruſta, & ſquama, alterum cum his craſſis, & craſſiſſimis, quæ ſunt ſine cruſta, ut elevetur cutis aliquantiſper veluti in eſcharis, vel exanthematibus Græcorum prominentibus fit. forma aliquando longa, aliquando rotunda: color in medio eſt albus, circunquaque, veluti porcinæ carnis ſalitæ color, hic non poteſt explicari, non enim eſt ruber, non albus, non pallidus, ſed ſecate per tranſverſum pernam, talis eſt color puſtularum ſine cortice, & tales apparent ſub palato, fede, facie, & capite. ſecundum genus eſt habentium cruſtam, & iſtæ rotundæ ſunt ut plurimum, & cruſtas adeo craſſas faciunt, & prominentes, ut veluti cornuum principia videantur: iſti cortices aliquando aridi, aliquando turgentes ſanie ſunt. ſanies aliquando lutea, veluti mel: aliquando alba, veluti pituita, aliquando ſubnigra, tenax tamen: quandoque pituitoſa eſt inclinans in aliquam nigredinem: ex his quædam integræ, quædam rimoſæ: non ſunt valde dolorioſæ, niſi valde fricentur. aliquando etiam, ſi excoriantur, dolorem non pariunt: at major pars nihil ſub ſe continet, & præcipue, quæ naſcuntur in capite, rotundæ ſunt, cruſtamque habent tenuem: quoties ego video puſtulas iſtas in capite, aut rhagades in manibus, indicium certum profero Gallici: cætera ſigna fallunt nos, hæc certiſſima ſunt. Et quoniam ſunt aliqui habentes hepar calidum, qui continuatam habent evaporationem à ventriculo, & hepate in caput, ideo poſſent aliqui decipi: ideo notate diſtinctionem inter has, & Gallicas puſtulas, tricate utranque, & auferatis ſquamam ſupercreſcentem, poſtea dimitte ægrum, ut quieſcat per ſpatium duarum, vel trium dierum, & non tangat puſtulam: ſi creſcet, & fiet major, ſive penitus deleta remaneat, tunc eſt ſignum non eſſe Gallicam, ſi eſt Gallica poſt tertiam diem in eodem ſtatu, in quo erat, reperietis, & difficiliter movebitur. Cauſæ iſtarum puſtularum ſunt abundantiæ humorum. ſi eſt bilioſus, ſemper eſt mixtus cum melancholico, & pituitoſo viſcido, hujuſmodi materia partim tranſmittitur, partim in loco naſcitur, quoniam præcipua loca habent à me explicata. ergo loca illa concurrunt ad generationem harum puſtularum, tamen majori ex parte ex fluxione ſunt, & qualis fluxerit materia, talem colorem puſtula, & ſanies contrahit. Curatio iſtarum eſt, primo, ut ſanetur hepar, & ſimul & ſemel puſtulæ, aliter autem curamus puſtulas oris, aliter reliqui corporis: primum vero medicamentum eſt *aqua plantaginis, in qua decoctum ſit lignum Indicum*, & os abluimus. utimur *Guajaco* ad ſiccandum, *plantaginis aqua* ad extinguendam inflammationem: ſi dolor, & inflammatio magna ſunt, *decoctum Guajaci cum lacte* miſcemus: ſi major inflammatio, *aqua plantaginis & lacte* abluimus: aliquando *aqua hordeacea cum fol. rubi, & roſar.* circa ſedem ſolemus ſanare *decocto Guajaci* madente linteolo bis, & ter, & quater in die: aliquando opus eſt refrigerantibus & ſiccantibus & ſic madefacimus linteolum in *aqua plantaginis ſolani & roſarum* tertio ſolemus accipere *unguent. iſidis & diapomph.* æquis portionibus, & imponimus feliciter. Sed non ita breviter ſanatur affectus, ſæpe non cedunt medicamentis his, ideo ad robuſtiora venimus, & hoc peculiari utor, *aqua ſcilicet aluminoſa magiſtrali*: ſed quia hanc aquam pollicitus ſum deſcribere, ideo eam vobis communicare intendo. Recipe *aquarum plantag. aq. roſ. ana lib. j. aluminis rochæ, argenti ſublimati ana drach. ij. accipimus ſublimatum, & alumen, & terimus: deinde locamus aquam in phiala vitrea, in illo vaſe, quo utimur ad aecoquendam aquam, quæ dicuntur inghiſtare di acqua cotta: ponimus vas in carbonibus accenſis ſupra craticulam ferream, & bulliat ad medietatis conſumptionem, poſtea reponimus per ſpatium quinque dierum, ut deſideat ſublimatum, & fex aluminis, & omnium, & poſtea extrahimus aquam limpidiſſimam, quam ſervamus in vaſe vitreo*: voco aquam aluminis, ne deterreantur ægri: appello magiſtralem, ne ſeplaſiarii miſceant aquam cum alumine & dicant vobis eſſe aquam aluminis. Utimur igitur aqua iſta, ſed non ſimplici, quoniam erodit; contemperamus nunc duplici quantitate *roſaceæ*, nunc triplici, nunc quadruplici, & ſi non *roſaceæ, plantaginis, vel ſolani*. hoc quidem verum eſt, quod in puſtulis ani ſolemus uti pura aqua iſta, & in verrucis priapi etiam pura utimur. In puſtulis ani, quando videmus ſupercreſcentem puſtulam, veluti carunculam, in ore nunquam pura utimur, niſi caſu detectum eſſet os, ut dicam ſuo loco: ſed nunquam fruſtratus ſum ab opera iſtius aquæ: in puſtulis autem faciei, & capitis primo ſolemus recurrere ad remedium commune, & certum eſt *ſpuma decocti ligni Indici*, aliquando utimur *ſapone nigro puriſſimo*, & inungimus: tertio ſi non ſuccedit, ſoleo aliquando cruſtas vi auferre, & inungere locum *præcipitato, miſto cum unguent. roſ. Meſuæ*. Quarto ſi neque

*Puſtularum duo genera.*

*Forma. Color.*

*Sanies color.*

*Not. differentiam inter puſt. Gall. & non Gallicas.*

*Decauſſ.*

*Curatio.*

*Ad puſtulas oris.*

*Ad puſtulas ſedis.*

*Aqua alum. mag. deſcribitur notabilis.*

*Puſt faciei, & ceteri curatio.*

*præ-*

*præcipitatum*, neque *sapo*, neque *spuma* succedit, in hoc casu soleo recipere *ol. scorp. & ping. gallinæ veteris*, & *sevum hircinum æquis portionibus*, & *quotidie ungo*, & sic siccantur. quandoque impotens est hoc, & confugio ad sacrum illud medicamentum, id est ad *oleum viperarum*. Ego enim *accipio duas veras viperas*, *aut sint mares*, *aut fœminæ*, & *ita viventes seco in frusta*, & *expleo phialam oleo communi*, & *expono solibus canicularibus*, & *fit oleum acerrimi odoris*, & *acutissimi*, & *acerrimum*, & *acutissimam vim habet*, & ego tot vires inveni, ut multis soleam vocare nominibus; & non aliis docui, semper enim paravi domi. ad rem igitur recurrens, quando habeo pustulas ita rebelles, hoc oleo utor, quod oleum facit, ut non cadant pili, si inungatur caput; si autem robustius adhuc requiritur medicamentum, inungo locum primo *hoc oleo*, postea madefacio *aqua magistrali pura* alternatim. Quando sanatæ sunt pustulæ, vestigia quædam remanent, quæ molesta sunt, ideo ad hæc penitus delenda recipe *radices virides chelidonii majoris*, & *contunde cum sulphure*, & *inunge*, quia nigredo abire solet, si rubedo sit, *cerussa*, & *lithargyrio argenteo loto utor*, & *agrestæ succo dissolvimus*, & *vespertina hora ungimus*, *vel dissolvimus cum succo limonum*. Tertio recipimus *cortices ovorum siccatos*, & *mollimus supra marmor*, *demum dissolvimus vel omphacio*, *vel succo limonum*, & *loco apponimus*. Hæc igitur sit curatio pustularum. succedit valde lævum symptoma, qui est articulorum dolor.

*Oleum viperarum.*

*Pro defluvio pilorum.*

*Vestigia pust. quomodo curanda.*

## CAP. XCIV.

### *De dolore articulorum.*

*Dolor.*

Peculiare, & maximum est symptoma in morbo Gallico dolor articulorum. primum capitis universi, vel dimidii, deinde articulorum superiorum, & inferiorum, & præcipue internodiorum. hic dolor die quiescit, noctu, vel ante cœnam, vel post cœnam solet excruciare, & insomnes reddere homines. dolor est pungens, quasi dilacerans: fit autem dolor ab excremento genito in partibus, & transmisso ex ventriculo, & hepate, est enim materia pituitosa, & melancholica facta per adustionem. excruciat autem nocte duabus de causis, tum quia humor frigidus est, & nox frigida, propter similitudinem naturæ, vel (quod certius est) cum tota die, & ob motus, & solem corpus habeat meatus apertos, fiunt diffationes, at nocte stipantur pori, & ideo dolor advenit: pungunt isti dolores, quia fiunt circa periostia: solent esse cum tumore, & sine tumore: de his, qui sunt cum tumore, tractabo, quum de gummis agam. si sine tumore, primum sanandi sunt per sanationem visceris, per *decoctum Guaiaci* & *salsæ*, quod decoctum efficit majores dolores per 12. dies vel 15. post 6. vel 8. diem, ideo prænuntiate hoc, ne scandalo afficiantur ægri. exacto 12. vel 15. die cessare incipit dolor: sed circa loca affecta quid agendum? duo facere possumus. Empirici solent mitigare dolorem per evacuationem materiæ à partibus intimis, & extimis. Unde habent *pulv. hermodact.* qui bis, vel ter cum vino, vel jure exhibitus mitigat: pulveris hæc est compositio. Recipe *hermodact. & turbith. ana drach. iij. diagrydii drach. ij. zinzib. drach. j. mastichis drach. sem. succh. candidi*, *vel albissimi drach. vj. misce*, *tunduntur hæc*, & *fit pulvis*, *cujus exhibent drach. j. vel cum jure*, *vel cum malvatico vino ante prandium per quinque horas*: non est autem valde tutum medicamentum, quia vomitum provocat, & robuste alvum solvit, tamen mitigat dolores. si vultis tutius medicamentum, *accipiatis pil. fœt. vel de hermodact. scr. iiij. vel drach. j.* circa locum affectum quæ agenda sunt? applicanda ea, quæ habent vim attenuandi, & digerendi, & quæ non obstruunt, & hac ratione omnia emplastica fugio, quia obstruunt; & confugio ad digerentia, & attenuantia: inter ea, quæ bona sunt, capio primum levia, & primo est *fomentum ex sacculo repleto furfuribus calidis*, & ita calidum impono: replere etiam solemus *sale*, & *milio calidissimis*. aliquando hæc non faciunt. & Recipe *folior. puleg. fol. calaminthæ*, *florum chamæmeli*, *fol. salv. & rorismar. ana man. j. hæc bulliunt in aceto*, *postea habeo sacculum plenum sulphure*, *intundo in hoc calidissimo aceto*, *exprimo sacculum*, & *impono loco affecto ita calidum*, aliquando loco *aceti*, incoquo in *lixivio acri*, quandoque in *vino potenti*, verum, si quod est, quod mitiget, est *oleum rutaceum*, *ol. lil. alb. completum*, *oleum scorp. & ultimo ol. viperinum*, quod supra descripsi, & hoc est præstantissimum.

*Doloris qualitas.*

*Cur nocte infestet dolor.*

*Vacuatio materiæ.*

*Medic. tutius pro sedatione doloris.*

*Fomentum primum.*

*Aliud fomentum.*

*Oleum rutaceum ad doloris mitigationem.*

## CAP. CXV.

### *De gummatibus Gallicis, atque eorum curatione.*

*Gummata*

Verum accidit, ut post dolores, vel cum doloribus tumores infestent circa articulos, internodia, in media fibula, in medio cubito, & his caput sæpe coronatur, ut regni Gallici insignia præ se ferat. isti tumores cum contineant materiam crassam: quæ est veluti gummi eliquatum, ideo gummata Gallica vocantur à medicis. hi tumores duorum *Gummatum species.* sunt generum, alter tophaceus est, alter autem minime: tophacei sunt constantes ex materia penitus lapidosa, & videntur veluti tophi ossei, vel materia illa, qua ligantur ossa fracta: secunda species tumorum est, quando materia est mollis, quæ tripliciter apparet, nam aliquando est veluti lardum, aliquando est minus crassa, & est similis polentæ, & est atheroma Gallicum: tertia species est sicut mel, & dicitur melliceris gallica. in capite ut plurimum sunt vel substantia lardi, vel mellis, vel polentæ: circa pedes sunt majori ex parte lapidosi, & tophacei, ita in tibiis, in internodiis nunc tophacei, nunc molles existunt: loca *Loca.* sunt ligamenta articulorum, corpora ossium, periostia, in quibus tumores dolorosissimi sunt; aliquando in superficie ossis crescit affectus ille. Materia est, ut plurimum, pi- *Materia.* tuitosa, tenax, & melancholica, cum natura bene concoquere non potest: aliquando miscetur bilis, & ita fit melliceris: aliquando est pituita minus crassa, & fit atheroma: aliquando crassa est, & melancholica, & fit tophus, *Causa.* vel steatoma: occasiones tumorum proveniunt à visceribus affectis, sed ut in pluribus, post inunctionem Hydrargyri, qui non sanarit ægros. Hæc igitur est occasio non levis, quia cum inungantur partes illæ, imbecilles reddantur, & morbus petit loca illa, unde accidit, ut cum aperimus ossa illa corrupta, hydrarg. inclusum reperiamus. cognoscuntur tumores isti, primo à duritie, secun- *Signa.* do ex præcedentibus insignis Gallici, tertio ex dolore in nocte. hoc dico, quia possunt suboriri tumores etiam in non laborante Indica lue, sed isti, de quibus instituta est tractatio isthæc, cruciant noctu tantum, illi vero noctuque diuque, vel neque noctu. Notandum autem est, quod aliquando sunt simplices tumores, aliquando habent ossium corruptionem: sed qui habent os corruptum, duum sunt generum, atheromaticus scilicet, & melleus, ut plurimum autem hoc accidit, non in omnibus, nec semper, & in lardaceo, & tophaceo integrum manet os. si igitur videmus esse melleum, vel atheromaticum, & diuturnus sit tumor, eadem est curatio, quia debemus aperire subito, ne materia erodat os, & corrumpat. at in tophaceo, & lardaceo non necessaria est apertio. Omnes atheroma- *Curatio.* tici, & mellei sanantur, saltem per sectionem, pereat os, vel non pereat: & curatio non est dolorosa: steatomatici difficillime sanantur, certo sanantur per apertionem, sed sectio dolorosa est valde, & ideo non curamus per sectionem, sed per digestionem. tophacei ut plurimum non sanantur, succedit tamen quandoque curatio; sed primo devenietis ad alterationem hepatis cum decoctis dictis. cæterum salsa est Regina in hoc, quia discutit tophos quodam- *Salsa Regina discutiendi tumorem.* quasi miraculo, lignum etiam digerit. sed non ita, nec tam facile. si salsa digerit tophaceos, multo magis lardaceos. præterea localia non omittenda, quæ digerant ma- *Localia.* teriam. sunt qui *macerant radicem althææ in aqua ardenti*, *Aqua ardens.* & hoc medicamento inungunt tumores satis feliciter, *ardens aqua* penetrat, *radix althææ* mollit: aliqui *ardentis aqua pura* feliciter curant, & præcipue lardaceos: alii *aqua* vel *ol. sulphuris* sed leviter maderaciunt, ne exulceret: hoc autem non laudo. Ego soleo uti hoc empl. Recipe *ol.* *Ol. salsæ.* *laur. ol. maslich. chamæmel. ana unc. j. ammoniaci*, *sagapen. bdellii ana drach. j. semis. myrrh. drach. j. terebinth. unc. ij. ceræ q. s. misce ad emplastri consistentiam: quod imponitur satis felici successu*, vel loco ejus utor *ol. scorpion. mixto cum oleo amygd. amar.* quandoque accipio *aliquod genus antiquissimæ pinguedinis*, *vel gallinæ*, *vel suillæ*: quandoque utor medicamento Galen. Recipe *juram porcinam salitam*, *etiam quod sint rancidæ pinguedines*, & *incoquimus & paramus jus*, *in quo caseum addimus tritum*, & *vetustissimum*, & *curamus incoquendum*, & *emplastro facto supra tophum & atheroma utimur feliciter.* aliquando impono *medullam ex perna salita*, *torreo os supra craticulam & ex tosto medullam eripio*, ultimo recurro ad *ol. viper. mixtum cum sevo hircino æquali portione*, adjuvate tamen *decocto salsæ*. Verum si sunt atheromatici, vel mellei, non tentate discussionem, quia si succedet, remanet folliculus, & sæpe detectum os, atque corruptum, & oporteret venire ad opus chirurgicum. & quamvis lardacei tumores ex sententia antiquorum folliculum habeant, tamen Gallici non habent, & experientia vos hoc docebit, & ideo dissolventem sine apertione curationem tentare potestis, in aliis autem non, quia auferendus folliculus. sed quid agendum

in his? videatis an corium attenuatum sit, vel folliculus putrefactus: si hoc est, aperite: si corium est crassum, & folliculus integer, tentate hujus putrefactionem, illius vero attenuationem. sed quomodo cognoscimus corruptionem folliculi? hac ratione, quoniam in omni tumore tali, quoties folliculus integer est, possumus corium superius diducere hac & illac, tumor autem manet in sua consistentia, in sua forma: qua ergo ratione macerandus folliculus? (quia si non maceramus, oportet, ut violentia extrahatur medicamento erodente, vel instrumento chirurgico, & fiunt dolores intolerabiles,) sed dicet quis, quid refert si remanet folliculus? quoniam solet subrescere caruncula quædam intra folliculum, quæ insanabilis est, & hoc fit duorum, vel quatuor dierum spatio. quomodo igitur macerabimus? Ego infinita maturantia proferrem: sed contugio ad *diachyl. magnum Mesu.* cui aliquando *ammoniac.* aliquando *sagapen.* aliquando *galbanum* addo: quandoque *ping. gallinæ vetustioris* dissolvo. Ex usu ergo istius medicamenti per sex, vel decem dies tento putrefactionem folliculi. facto hoc, aperio causlico medicamento, nisi sit in fronte, vel in facie, quia apertio fit major, secundo quia putrescunt aliquæ reliquiæ folliculi, tertio quoniam calefacit locum, & roborat: sin minus, ferro rubro recta apertione, si reliquiæ restant folliculi, extraho præcipitato, demum expleo carne locum. & hæc de tumoribus istis dicta sint satis: jam ad ossium corruptionem transeamus.

## CAP. XCVI.

### *De ossium corruptione.*

*Ossium corruptio.* Sæva valde est in morbo Gallico ossium corruptio, & adhuc sævior, quia corrumpuntur ossa in illis partibus, in quibus sanari non possunt, quoniam corrumpuntur ossa, quæ facta sunt à natura pro cerebri tutela, & coopertione, ita ut totum viderim cranium exesum. ego habeo infinita exempla: sed aliquando etiam corrumpuntur ossa palati, ut totum palati os recedat, & non solum palati ossa id patiuntur, sed etiam narium: & sciatis, quod non in omni inveterato Gallico hoc fit, sed tantum in illis, in quibus inunctio facta est cum Hydrargyro. si igitur fiat, ut corrumpatur os in morbo Gallico, si sunt ossa tibiæ, ea ratione tractanda sunt, quam dedi in curatione ulceris cum osse corrupto. (Sed quia rem intactam relinquere nolumus, ne lectores ad alios tractatus demandemus, ut hanc nostram plenam, & omnibus numeris absolutam compleamus tractationem, hic breviter curationem ulceris cum osse corrupto perstringemus) quoties ergo perforatur os ex, humore acri, atque putrescente propter Gallicam luem, primum, quod indicatur, est ossis ablatio, secundum præservare partem sanam, ne erodatur. ablatio duplex vel manu, vel medicamento, quo proritemus naturam ad ossis separationem: sed primo de ea, quæ manu fit vel instrumento, loquamur. qua ratione, & quomodo; & quando datur occasio? occasio est, quando est valde insignis quantitas ossis auferenda, quam dubitamus non posse naturam auferre: secunda occasio est, quando brevitas temporis urget, & citam quærimus sanationem ulceris, sed natura cito non potest hoc efficere. Nam vos debetis scire, quod tarde recedunt ossa, si totum opus naturæ imperio demandatur, sed nos spatio unius horæ, imo citius agimus. Natura 30. 40. 60. aliquando 80. diebus. tertio quoties possumus tuto, & facile secare materiam ossis, sed cum datur occasio, quomodo auferendum os? duobus modis, vel scalpro excisorio cum malleolo, veluti faciunt statuarii, qui scalpro & malleolo statuas effingunt; vel, ut perforemus os terebro fabrili in tribus, vel quatuor partibus, postea percurramus scalpro cum malleolo à foramine ad foramen. tertia ratio melior non lædens est, ut scalpris rasoriis agamus. benignior, mitior, & tutior ratio est, licet aliquantulum per tarda. si perforamus terebra, fit astrictio, & calefactio in osse, & potest inflammari pars ipsa sana: quis autem erit modus vel terminus actionis? desistemus quoties ablatum fuerit illud totum, quod perforatum est, secundo, quod est denigratum, vel lividum, tertio quando apparet cruor aliquis, statim finem faciamus operi: postea *aristolochiæ radix admixta Myrrhæ* aspergatur ossi reducta in pulverem, ne iterum corrumpatur. Sed quia hæc instrumenta non semper sunt apta, seu ratione loci, seu ratione ægri timidi, ideo natura fit illa, quæ separet os corruptum. quomodo autem fiet hoc? si nos siccis medicamentis, & quæ habent vim penetrandi, tentabimus siccationem ossis, vel (si hoc modo non possumus) faciamus candenti ferro. natura enim non potest sejungere, nisi os sit omni sanguine & alimento privatum, ut ait Hipp. exemplo sint fructus, & folia, in quibus, cum incipit alimentum desistere, pedunculi pars siccatur, & cadunt fructus: ita folia autumno cadunt, quum humido radicali destituuntur; hoc faciemus medicamentis siccissimis, vel corpore ignito; ultimo cum medicamentis, quæ clausis oculis non patefacta ipsorum natura illud faciunt: & ut ab hoc tertio genere incipiam, sunt omnia illa, quæ sunt sicca, & frigida in quarto gradu, quæ volunt medici, quod habeant vim auferendarum squamarum, & separandorum ossium: quæ nisi à frigida illa qualitate veniat, via occulta provenire dicam. sed quum his utimini, miscete valde calido medicamento penetrante, illa sunt *hyoscyamus*, vel *papaveris omnis materia*, & hujusmodi: unde Paulus ponit *medicamentum factum ex foliis pap. sylvest. & foliis ficuum simul contusis*, & impositis. nam primum *folia papav.* illud faciunt, & à *ficulneis foliis* habent penetrationem. subdit Paul. aliud medicamentum, *quod constat ex sol. hyoscyami, vel semine. & contundit cum chalcantho usto*, & hoc est præstantius: *quia hyoscyami semen* privat vita partem, & alimento. *chalcanthum ustum* ponimus, quia in eo fit attenuatio ustione, quod dico de *papavere*, dico de *mandragora*, non de *lactuca*, & *solano*, quia non habent vim siccandi. secundum medicamentum est siccans, & primo est *radix peucedani sicca*, *Iridis communis rad. etiam sicca*, *radix aristol. rotundæ*, *vel longæ*, *opopan. radix*, *vel succus*, *sagapeni vulgaris lachryma*, *squama æris exusta*, *æruge &c.* Recentiores laudant *aquam sulphuris*, *oleum appellatum*, ego laudo summopere. sed ea ratione, ne corrumpat carnem, laudant *chalcanthi oleum*, hoc etiam ego laudo. præterea habemus *aquam aluminis magistralem*, quæ non reperio medicamentum præstantius, qua in omnibus utor, & semper madefacio os corruptum hac aqua, quoniam non solet excitare dolorem. reliqua medicamenta quanto validiora, tanto dolorosiora, sed principatum tenet *euphorbium* inter omnia: & hoc merito, quia medicamentum habet facultatem siccantem in quarto, & habet tenuitatem partium, & probatur à Dioscor. qui non proponebat nisi certa medicamenta: sed hujus medicamenti usus debet cum arte adhiberi, ne corrumpat aliam partem sanam; nam ego *soleo accipere pastam*, *cui misceo portiunculam Euphorbii*, *& pulver. ex rad. iridos*, *& rad. peucedani*, & ita compono medicamentum, quod pono supra os corruptum tantum, & non transfunditur in partes sanas: sed soleo etiam *cerotum quoddam ex Euphorb.* ad eundem usum conficere, hoc modo. Recipe *pulver. peuced.*, *aristol. rotundæ*, *opopanacis*, *euphorb. ana drach. sem. tereb. unc. sem. ol. lil. alb.*, *cariæ ana unc. semis: hæc simul coquuntur ad ignem donec spissum fiat cerotum*, & hoc ponimus loco affecto. Hipp. 4. de art. 36. solet separare frustum ossis ex tibiis 60. diebus, in aliis locis 40. & 30. si hujusmodi medicinis robustissimis utemur, fiet in 20. diebus, & ego aliquando extraxi integrum calcanei os, vel tali os, quæ sunt frusta magna, & tunc necessario veniendum ad ignitum corpus, quod penitus siccet os, & exurat partem: sed advertatis, ut medicus diligentissime observet partem, ubi tuta sit ustio: fugite ustionem in capite, quando imminet periculum inflammationis, in ossibus thoracis similiter, ne febris & mors succedat. præterea in vertebris dorsi fugite usum ferramenti, ne incandescat medulla, & pereat æger: in reliquis locis utimini exustione usque ad medullam. exusti mille ossa usque ad medullam sine periculo, dummodo recte omnia reliqua tractentur: sed quomodo parabitur illa exustio? primo uratis quantum exuri debet, secundo non exuratis partes carnosas circumpositas. primum facimus, si ferramentum ignitum erit proportionatum parti exurendæ. aliud, si ita in profundum exuremus, quantum opus est: ad profundum dupliciter venimus, aut longa exustione ter, vel quater repetita, aut (ut leniorem faciant exustionem, sicut imaginati sunt Recentiores) perforemus partem, & postea scalpellem in illud foramen ponamus, & hoc sit commodius, quia repetitio cruciat ægrum. secundum observandum est, ne partes circumpositæ urantur, hoc fiet, si eas ita muniamus. habent fistulas ferreas, vel aneas, quas imponunt ulceri, & postea per eas imponunt ferramentum ignitum: sed notate, quod istæ ignientur, & ignitæ exurunt labia. accipiatis fistulam, & vestiatis eam tela, & si potest esse lanea tela tenuis, commoda est, & ita exuretis os sine exustione carnis: sed raro vindicamus labia ab exustione. hoc facto statim extinguendus calor, contractus in osse per impositionem medicamenti actu frigidi, ideo accipimus *aquam ros. ol. ros. vel viol. album ovi*, *& simul miscemus*, *& per spongiam*, *vel stuppam imponimus bis*, *vel ter:* præterea mitigemus dolorem contractum in labiis, & ita per 24. horas relinquimus hoc medicamentum: deinde venimus ad maturationem escaræ labiorum cum *butyro*, vel *terapharmaco* habente vim concoquendi, & emolliendi, sed non supra os, quia supra eum ponetur pulvis *peucedani*, vel alius, & postea medicamentum maturans. post hoc procedemus ad separationem ossis: ultimo cum sarcoticis curabimus ulcus. In capite vero, si tectum fuerit os, & corruptum, quomodo tractandum? nos secamus cutim, & detectum os abradimus,

*Os cap. vi.*

mus, ſeparando malum à bono: at ſi totum os corruptum, totum eſt abradendum, totum ſequeſtrandum. ego utor forcipe ad auferendum os ſequeſtratum: ſed, antequam ſequeſtretur, non abrado: ſed curo, ut natura ipſa ſeparet, & ſolet facere, ſi incumbamus ſiccationi robuſtiſſimæ, & primo decocto ſalſæ utimur, poſtea ad localia venimus, ſed primum alternis diebus madefaciam os *oleo chalcanthi, vel ol. vitrioli, vel aq. alum. magiſtr.* quod mitius eſt, & ego habeo gratias huic medicamento, quia non abſumit carnem, non facit dolorem, & robuſte ſiccat, & ſic fit ſequeſtratio à natura cum generatione novæ carnis. poſtea madefacto oſſe bis inſpergo *pulverem capitalem* dictum: tertio ego impono *medicamentum ex Euphorb.* quam compoſitionem vos docui, dum tractarem de ulcere cum oſſe corrupto, vel *madefacto ſplenium in aqua alum. magiſt.* & *pono:* labia, & partes carnoſas munio *unguento iſidis*, vel tego linamento ſicco, vel miſceo *ung. iſid. cum ung. diapomph.* ſed advertite, quod aliquando membrana detecta eſt, vos tegite eam linimentis ſiccis, poſtea madefacite os hujusmodi liquoribus: hoc agimus, donec ſequeſtretur os: ſequeſtrato oſſe ſurgit difficultas, quomodo ducenda ſint ulcera ad cicatricem, quoniam durat ulcus vires ad annum, & ad duos annos: ego ſoleo uti *unguento de plumbo*, & ſatis feliciter ſucceſſit, & deduxi ad cicatricem. utor *emplaſtro albo, ex pipere Galen.* quod ſiccat, & deducit ad cicatricem, ſed hoc difficillime: abluo ulcus *decocto adſtringente veluti ex roſis, betonicâ, chamædry, & Gallis, & coquo*, ad ablutionem, & adſtrictionem utor aliquando *puriſſima aqua aluminoſa, & accipio aquam roſ. & aquam beton. & addo parum aluminis. & ſic fit aqua aluminoſa. vinum auſterum coctum cum roſis præſtantiſſimum eſt*, ſed curatio accelerari non poteſt, ideo ſolari poteſtis ægros in hoc caſu, ut patientes ſint, quoniam membranæ ſunt in continuo motu, & magna deperditio facta eſt oſſis. ſi corrumpitur os palati, ego ſemper utor hoc medicamento, ſcilicet *aqua aluminoſa magiſtrali*, & ſic cito, & commode extrahere conor oſſa corrupta. *ol. ſulphur. & chalcanthi* doloroſa ſunt, hæc aqua non eſt doloroſa, & ideo utimur madefaciendo goſſypium, & ponendo ad locum quotidie bis: poſtea tota die curo, ut abluat os *decocto ſcabioſæ, cum aqua plantag. vel decocto hujuſmodi cum aqua plant.* tertium decoctum eſt *beton. agrim. & roſ. in vino auſtero.* quartum eſt *decoctum ſalſæ in aqua plantag.* Demum mando, ut æger inungat os *melle roſ.* quia detergit, & educit ſaniem. ſi eſſet cavitas, impono *goſſypium imbutum aqua magiſt. alum.* quod ſi aqua hæc videtur nimis potens, contemperetur cum *roſacea, vel aqua plantaginis.*

*Os palati.*

*Goſſypium.*

*Inſtrumentum in palato, ubi os deficit.*

## CAP. XCVII.

### *Remedia, quum cadit os palati.*

Cadit os palati, ſanatur homo, ſed ſuccedunt miſeriæ, & anguſtiæ intolerabiles: primum, ut non poſſit loqui, ſecundo ut non poſſit bibere, quia recurrit vinum ad cyathum ex naribus. non poteſt loqui, quia vox reſultat per nares, & ſic coarticulatio fieri non poteſt. In iſto caſu opus eſt, ut nos perpendamus conjectura, an lapſus oſſis multus ſit, nam ſi tantum oſſis ceciderit, quantus eſt nummus, qui dicitur gazetta, tunc non ſperamus conjunctionem, ſed oportet invenire artificium, quo claudatur palatum, ergo eſt tentandum, ut citiſſime fiat cicatrix circum circa. gignitur autem per decocta adſtringentia: poſt genitam cicatricem, oportet explere foramen aliquo, quod non cadat. Hinc aliquando goſſypio claudimus, & multi commode gerunt, ſed domini aliquando accidit, ut magnitudo foraminis non capiat goſſypium, tunc duo habemus inſtrumenta, alterum cereum, alterum ex argento. difficilia ſunt hæc inſtrumenta phantaſtica: non poſſum lingua explicare, deferam vobis inſtrumentum ex cera conſtructum, atque docebo vos modum conficiendi, & ſic ex argento, vel auro fieri poteſt, ſolemus quotidie auferre inſtrumentum, detergere, & iterum aptare. Cæterum aliud eſt inſtrumentum, quod goſſypio obvolvimus, & vi imponimus in foramine, ſed ego habui doctorem quendam habentem exeſum palatum morbo Gallico, ita ut non adfuerit locus, ubi commendare potuerimus inſtrumenta, nihil enim erat palati, ego aptavi inſtrumentum ad nares, catenam ſcilicet auream in parte vergente circa gurgulionem, quam feci recurrere per nares, & ne exedantur nares ab auro, geminis laminis aureis ſuccurro ſuppoſitis catenæ aureæ. ſi vero magnitudo eſt parva exeſi palati, in eo caſu ſperanda repletio carnis. ſed opus eſt ſumma diligentia: neceſſarium enim eſt, ut non ſinatis, quod ulcus ad cicatricem deducatur, ſed ſemper viride ſervetur, hoc autem ſervatur, ſi quinto quoque die, vel quarto madefiat parum margo ulceris ſemel tantum currente goſſypio imbuto oleo vitrioli; ſed oportet, ut ponatur medicamentum valde ſarcoticum, quod habeat vim regignendæ carnis. ego multos ſanavi, & præcipue Illuſtrem Polonum. Duum generum utor ſarcoticis, alterum eſt *decoctum Guajaci, in quo diſſoluta ſit Myrrha, & Thus*, & mando, ut hac crebro colluat palatum. ſecundum medicamentum eſt paſta quædam, ex qua conficio clavum, quem impono foramini, & felici ſucceſſu uſus ſum ſæpe. Medicamentum autem eſt hujuſmodi. Recipe *gummi elemni, carabe ana unc. ſem. refinæ pini colatæ unc. ſ. ceræ albæ unc. ſ. maſtich. Thuris ana drach. ſ. & ſem. olei communis. q. ſ. miſce, & ſit cerotum molle, quod accipio, & digitis formo clavum ad magnitudinem foraminis.* ſed ſi quarto quoque die videmus cicatricem fieri, abluo *aqua dicta, vel ol. ſulphuris in pauca quantitate.* Aliquando *aquis thermarum divi Petri* abluo os, inſpergendo *pulver. rad. irid.* & ſic utor felici ſucceſſu.

*Sarcotica.*

## CAP. XCVIII.

### *De ulceribus Gallicis.*

*Ulcerum curatio.*

Ulcera Gallica ſolent corripere univerſum corpus, & per ulcera non intelligimus, quæ glandem, ſedem, palatumve exulcerant, ſed quæ naſcuntur in univerſo corpore calloſa ſunt, & aliquando habent oſſa corrupta, aliquando deſinunt in fiſtulas. In curatione horum nos præter expurgationem totius corporis, & decoctum, tractare ſolemus hac ratione. ſi adſunt fiſtulæ, uti ulcera fiſtuloſa tractamus, ſi calli adſunt, revertimini ad curationem, quam tradidi in ablatione callorum: ſi vero his factis non curantur, tunc venimus ad curationem *ex præcipitato, & ung. roſ. Meſuæ*, & ſolemus imponere hoc medicamentum. Recipe *ung. roſ. Meſuæ, & addimus port: unculam præcipitati præparati, & loti*, vel, ſi neque *præcipitato* hujuſmodi ulcera ſanantur, venimus ad *ung. quod habet in ſe hydrargyron, & hoc ego* utor. Recipe *axung. porc. terebinth. lotæ ana unc. ij. butyri recentis, ol. lib. alb. ana unc. ſ. Mercur. extincti unc. ſemis. ceræ parum: miſce, & fit medicamentum*, tractamus autem ulcus, primum madefaciendo *aqua alum. magiſt. temperata copioſiſſima aqua roſ.* poſtea imponimus medicamentum hoc: in exterioribus autem *linteum magnum imbutum linimento ſimplici*, & ſemper ſanavi hoc modo.

## CAP. XCIX.

### *De impetigine.*

*Impetiginis curatio.*

Poſt ulcera ſunt impetigines, quæ ſolent ſuboriri, præcipue in manibus, & pedibus, & curantur ea ratione, qua reliquæ impetigines, & ideo habetis medicamenta propria. at in impetigine Gallica oportet inſtituere diætam, quæ levat morbum: ſed non exhibeatis Guajacum, quia non ſanat, ſed decoctum ſalſæ pariliæ, nam per illud decoctum Guajaci non fit perpetua ſanatio, & differtur curatio ad tres, vel 4. menſes.

## CAP. C.

### *De gonorrhœa, atque aurium tinnitu.*

*Tinnitus.*

Poſt impetiginem eſt gonorrhœa, & tinnitus aurium. Tinnitus curationem non habet, ingenue fateor eam ignoro: per localia omnia tentavi, curare non potui: & niſi per aſſumptum decocti ſanetur, nulla alia ratione ſanatur. ego vidi multos exhibito Guajaco per ſe incolumes redditos. Vidi etiam multos laborantes morbo Gallico, qui non laborabant tinnitu aurium, poſt principium aſſumptionis Guajaci ſenſiſſe illum, quem ſanavi decocto ſalſæ, aliquando incurabilis eſt: quandoque curabilis aquis Thermarum villenſium refrigerantibus univerſum corpus. Gonorrhœa decocto curatur, non per localia: ſed quis quæret, quomodo cognoſcitur hæc Gallica à non Gallica: hoc opus, hic labor eſt. nam in Gonorrhœa Gallica, adeſt idem color ſeminis, & uti ex coitu una provenit, ita & altera: habemus tamen conjecturas, & ego multas habeo: prima eſt quando incipit Gonorrhœa Gallica, non eſt ardor, vel pruritus ingens, qui eſt in non Gallica, in qua exulceratur canalis urinarius, & tunc ſuccedit ſtranguria, qui eſt appetitus ſemper mingendi. ſecundum indicium eſt à diuturnitate, quia Gallica longa eſt, non Gallica citius cedit, niſi fuerit ex catharro. Tertium quod in Gonorrhœa non Gallica, (ſi copioſa eſt) conſequitur corporis conſumptio; Gallica etiam diuturniſſima non ita abſumit corpus: præterea Gonorrhœa Gallica brevi tempore ſpatio ſine moleſtia, & ſemel coëundo concipitur. Ulcimo Gonorrhœæ Gallicæ non poſſunt cedere medicamentis localibus: reliquæ per inunctionem teſtium, renum, & aſſumptione medicamentorum per os cedunt facilius: ſanamus

*Gonorrhœa.*

*Gallica Gonorrhœa conjectura 1.*

*2.*

*3.*

*4.*

*Quinta.*

namus autem Gallicas per decoctum Guajaci, aut salsæ: ad localia raro venio, quia raro succedunt.

## CAP. CI.

### *De Rhagadibus.*

*Rhagades.* Post hæc adsunt in pedibus, & manibus Rhagades, qui morbus perpetuus est, durat enim ad 30. & 50. annos.

*Signa.* quoties igitur fit hujusmodi exulceratio, quæ rimosa est, si est Gallica, cognoscitur ex præcedentibus: præterea ex esu alliorum, & ceparum, si quis patiatur, & neget esse Gallicum, si spicam allii, vel parum cepæ comederit, tertia die duplicatæ erunt Rhagades, & hoc est argumentum esse Gallicas: ex hoc colligatis, ut semper ægri fugiant ceparum, atque alliorum usum, sed unde proveniunt hujusmodi Rhagades? ex materia phlegmatica, salsa, & adusta melancholica: phlegma generatur in ventriculo labefactato, salsa, & melancholia ex hepate adusto, sed si adsunt,

*Causa.*

*Curatio.* duabus rationibus sanandi calli hujusmodi, communibus scilicet medicamentis, & localibus: communia medicamenta sunt *decoctum salsæ & expurgatio totius corporis:* exhibeant medici *decoctum Guajaci* quantum volunt, non sanant, sola salsa est, quæ curat istas, Guajacum lenit, sanat, non perfecte tamen, addatis autem localia, quia sine his non sanantur: incipiat primum æger bibere decoctum salsæ per quatuor, aut sex dies, postea utatur localibus, & primo sunt mollificantia. Rec. *rad. alth. folior. malv. fol. viol. rad. lapathi ana man. ij. caput vervecis unum, aquæ q. s. fiat decoctio, donec dissipetur caput, in hoc decocto macerantur manus, & pedes matutina, & vespertina hora.* Post hoc Rec. *ol. amygd. dulc. olei ros. axung. porc. ana unc. j. cerussæ, hydrarg. extincti ana unc. sem. ceræ alb. unc. j. misce, & liquatis liquandis in mortario conficitur linimentum*, quo inunguntur rimæ, & sanantur: si calli non cedant, solemus macerare prædicto decocto: postea novacula emollitum auferre callum, vel linteo aspero fricare, donec copiosus exierit sanguis, demum madefacimus hujusmodi callos *aqua alum. magist.* aliter non succedet, nam difficilis morbus est, sed sanatur quidem: si non sanatur maceramus pedes eodem decocto, radimus semel, postea illa aqua madefacimus, & cum siccata est, illinimus partes *trochiscis Andronis, quos diluimus vino granatorum, vel cum syr. myrt. ad mellis spissitudinem, & bis, & ter inungimus:* sed accidit, ut nondum superentur, in hoc casu macero pedes cum succis quibusdam, in quibus *hordeum, & lapathum* incoctum sit: ego coquo *hordeum* donec disrumpatur, & simul *folia lapathi*, & expleo sacculum, supra quem calentem impono manus & pedes per horam cum dimidia, postea inungo hoc medicamento, habente sublimatum, vel argentum vivum. primum est Recipe *ol. ros. completi, butyri recentis ana unc. j. cerussæ drach. ij. tereb. lotæ unc. j. sublimati supra marmor pictorium molliti, & cum succo limonum loti scrup. ij. misce in mortario, & isto medicamento inunguntur manus, & pedes.* Verum accidit. ut ægrotantes velint incedere, ego habeo in eo casu emplastrum, ex quo conficitur solea, quæ subjicitur pedibus, & ita incedunt. Medicamentum hoc est. Recipe *ammon. præp. galban. ana drach. j. thuris, mastich., aloës, cerussæ ana drach. sem. pingued. ursi, taxi, suis ana unc. j. terebinth. resin. pini, ana unc. semis, olei ros. compl. unc. ij. auripig. chalcanthi, alum. rochæ ana drach. ij. & semis: arg. vivi extincti unc. j. ceræ quantum sufficit, misce, & fiat solidum cerotum, quod extensum supra linteum facit solearn.* Verum ita rebelles sunt Rhagades, ut aliquando opus sit locum affectum suffumigare: utimur autem suffumigiis primum macerando, vel lixivio communi, vel decocto dicto, postea inungimus sapone nigro fricando callos, quia attenuat eos, & dissipat, postea iterum per spatium horæ abluimus lixivio, & post siccationem suffimus; & hujusmodi suffitu omnes liberantur: post suffitum, *trochiscum andronis, vel cerotum ultimum* imponimus. Materia suffitus est hæc. Recipe *cinnab. auripigm. sandarachæ Græcorum ana unc. j. præcipitati unc. semis, ligni aloës, gummi juniperi, storacis siccæ, belzuini, myrrhæ, thuris ana drach. ij. teruntur hæc crasso modo, & miscentur atque supra carbones insperguntur.* aliqui *sublimati portiunculam* addunt, at ego nunquam addidi. *Suffitus in rhagadibus.*

## CAP. CII.

### *De cephalæa, & reliquis symptomatibus.*

Cephalææ curatio fit per decoctum. Marasmus ex Gallico, & asthma incurabiles sunt affectus, & ideo ægros solis prognosticis destinemus. (Modo receptui canens, te lector oratum velim, ut animum meum hilari fronte recipias, eum à calumniæ, & obtrectationis metu defendens.)

FINIS.

# ANTONII FRACANTIANI, *Vicentini*, DE MORBO GALLICO, LIBER.

Cum Medici finis sit sanitas, ut bene mereatur de genere humano; nihil utilius, nihilque his temporibus accommodatius fore cogitavi, quam agere de morbo Gallico; cum passim hodie vagetur, & summopere sæviat, difficillima, & molestissima inferens symptomata, cumque difficillime hoc morbo vexati sanentur. De hoc morbo autem acturus, primo inquiram, quæ sit ejus essentia, à qua primæ curativæ indicationes capiuntur. Secundo de differentiis agam, cum unaquæque differentia, vel species, propriam requirat curationem; & de differentiis sermonem instituens, de causis hujus morbi breviter tractabo; cum à causis etiam differentiæ desumantur. Tertio agam de signis tum morbi pathognomicis, tum differentiarum. Quarto de modo curandi; qua via etiam incessêre plurimi, qui de hoc morbo tractarunt; & licet multi de hac re scripserint, quoniam tamen & à me observata sunt quædam, quæ utilia fore arbitror; agam & ego de ipsa; ut illa aperiam. Quoniam vero satis manifestum est, quid nomen hujus morbi significet, non erit opus in illius declaratione immorari. Unde hoc prætermisso statim ad ejus essentiam, & naturam declarandam devenio. Essentia vero non poterit aliquomodo reperiri, ni prius proximum genus habeatur, & postea differentiæ propriæ, ac essentiales; cum rei essentia, ex suo genere, & propriis differentiis constituatur. Primo igitur proximum inveniendum est genus; & cum hunc affectum omnes concesserint esse morbum; inquirendum est in quonam genere morbi reperiatur. quod quidem difficile est; cum diversa symptomata quandoque ostendant in uno, quandoque in alio genere collocandum. Unde fuere, qui dixerunt affectum hunc nullum sibi determinatum genus vendicare, sed quandoque in uno, quandoque in alio constitui, quandoque simul omnia tria morborum genera complecti. Ego vero aliter sentiens, proprium & determinatum genus inveniri hujus affectus credo; istudque à posteriori investigandum arbitror, & necessarium mihi videtur, unumquodque proprium genus habere. Quoniam vero inter ea, quæ Gallicum morbum insequuntur, unum tantummodo est symptoma, quod ipsum perpetuo comitatur; alia enim non semper, sed quandoque tantum accidunt; abeo, quod perpetuum est, genus & essentiam inquiramus. Hoc vero solum, & perpetuum symptoma exustio est; quæ non solum in progressu, sed etiam in primo morbi ingressu manifeste conspicitur: unde si quis carie afficiatur, norunt non tantum Chirurgi, sed & inepti Tonsores, num caries illa Gallica sit, nec ne; hoc vero nonnisi ab exustione, & sorditie, quæ livido vel nigro colore, & ex callositate innotescit. Gonorrhœa quoque si adsit, eandem exustionem, tum substantia, tum colore demonstrat. Pariter & bubones duri; qui si suppurentur, & labia callosa habent, & exusta educta sanies videtur. Idem etiam indicatur ex doloribus (si adsint,) vehementissimi enim sunt, & ad vesperam invadentes. Eadem exustio conspicitur, quum gingivæ, os, & palatum corroduntur; quum dentes cadunt, quum pili, quum narium extremitas; quod sæpe etiam fieri consuevit; quæ quidem omnia ex adusta & mordaci materia proveniunt. Conspicitur, & eadem exustio in urinis semper, quicunque

fue-

fuerint humores exusti. Cum itaque res ita se habeat, nec possit exustio fieri nisi ab intemperie calida, neque possit caliditas exurere absque adjuncta siccitate; cum humiditas calorem obtundat; necessarium erit asserere, morbum Gallicum esse intemperiem calidam, & siccam: unde à perpetuo hoc symptomate non tantum genus, sed etiam una ex differentiis habetur: nec dicat aliquis exustionem oriri ex putredine, cujus ultimus terminus est incineratio; quoniam hoc dici non potest, nam licet in morbo hoc putredinem reperiamus, tamen conspicua exustio, qualis conspicitur in hoc affecto, non quamcunque putredinem insequitur, sed insignem tantummodo; quam quidem in hoc morbo, & præsertim in principio, nullus concedit; Recte igitur ex hoc symptomate genus & unam ex differentiis inventam esse credo. quoniam autem humores exusti apparent non determinatæ alicujus partis, sed universi corporis, ideo membrum, in quo primo fundatur hæc intemperies, inquirendum erit. & cum nullum sit in corpore nostro, quod hoc possit facere nisi jecur, quod officina humorum est, à quo tanquam à fonte scaturiunt; in jecore dicimus hanc intemperiem calidam, & siccam esse, & ita aliam hujus affectus differentiam habemus, & quidem essentialem, cum subjectum sit de essentia accidentis; & ita dicimus morbum Gallicum esse intemperiem calidam, & siccam jecoris, & venarum: At quoniam sæpe jecur, & venæ intemperiem calidam, & siccam patiuntur absque eo, quod morbus Gallicus infestet, pro perficienda hac definitione, & pro ultima differentia, qua distinguitur ab aliis intemperaturis calidis, & siccis jecoris, & venarum; dicendum est, quendam esse gradum hujus intemperaturæ immanifestum nobis, qui exacte ejus naturam, & essentiam integrat; & sicuti ultimæ rerum differentiæ sunt nobis ignotæ; ita est hic gradus, qui constituit essentiam hujus morbi, qui Gallicus nominatur, & hic est gradus temperamenti, qui proprietas temperamenti appellatur. & est, qui constituit inesse unumquodque: & quoniam hæc proprietas temperamenti, vel gradus, est occultus, dici fortasse poterit hac ratione morbum hunc esse in occulta proprietate repositum, proprie tamen, ac vere dicetur esse intemperies quædam jecoris, & venarum calida, & ficca. Sed hic duæ occurrunt difficultates circa dicta; quarum altera est, quoniam videtur hæc lues Gallica morbus in forma, vel tota substantia, non autem in intemperie; cum præter intemperiem, quam quandoque adjunctam vidimus, ita sæviat, ut totam substantiam corrumpat, nec possit sanari, nisi medicamentis à tota etiam substantia conferentibus, veluti est ligni decoctum, nec defuere, qui rationibus his assentientes hoc tenuere. Altera est difficultas, quoniam etsi hic morbus sit in intemperie, in calida potius, & humida, quam in aliqua aliarum reponendus videtur. Primo, quoniam hic morbus incipit in membro humido, nempe in pudendis, quæ humida sunt membra. Secundo, quia fere semper initium habet à morbo humido, videlicet à cariebus, ulceribus ac pustulis, qui quidem humidi sunt morbi. Tertio quoniam per contagium contrahitur, & non datur contagium absque putredine, nec putredo sine insigni humiditate, & hæc sententia habuit suos fautores. Fuerunt & qui dixere morbum quidem esse in intemperie, sed frigida, & humida, quoniam videmus laborantes pituitosis & crudis humoribus abundare, nec sanari nisi calefacientibus auxiliis, & exiccantibus, veluti est ligni decoctum. ad hæc dicendum, & primo ad primam dubitationem, non dari morbos in forma, seu tota substantia, quam dicunt; cum substantiæ nihil sit contrarium, nec formæ substantiales, nisi forsan elementares, contrarietatem habeant. Præterea falsum est, quod dicunt, lignum & alia medicamenta à tota substantia conferre: sanant enim potius ob continuatam evacuationem, quam præstant. nec est inferendum, corrumpit totam substantiam, ergo est morbus in tota substantia, hac enim ratione concludere possemus, morbum in intemperie esse in tota substantia; quod si per totam substantiam proprietatem temperamenti intelligant, jam nihil diversum ab intemperie proponent, sed potius illud idem, quod negare intendunt, affirmabunt. Ad secundum dicimus, impossibile esse hunc morbum esse intemperiem calidam & humidam, cum semper habeat exustionem adjunctam, quam quidem humiditas prohiberet. Nec verum est, quod semper hic morbus incipiat in membro humido, & à pudendis; falsumque est pudenda in viris humida esse. Virga enim & glans; in quibus plerumque incipit, sicca sunt membra, non humida; cum nervea, & dura sint. Præterea non tantum in his initium habet, sed in omnibus illis membris, quæ vel confricatione incalescunt, vel per contactum facile sua natura contagium suscipiunt. Unde sæpe contrahitur à pudendis, ab ore, à mammillis; & in consudantibus, à cuti, quæ sicca est, licet hujusmodi membra interdum non videantur affecta. Neque valet secunda ratio; quoniam semper in Gallicis cariebus, ulceribus, ac pustulis exustio reperitur. quæ siccitatem indicat caliditati adjunctam, ut ex duritie, callositate, lividoque vel nigro colore demonstratur, etiam iis, qui parum periti sunt. Peccat etiam tertia ratio, nam licet concedamus (ut rei veritas est) morbum Gallicum semper per contagium acquiri apud nos; quod aliqui tamen contradicentes historiis, & experimento, negarunt; nihilominus non sequitur propterea, morbum esse humidum, quia plurimi sunt contagiosi morbi sine putredine, ut ophthalmia. Neque verum est, quod ubicunque requiritur putredo, ibi etiam sit humida intemperies, quoniam licet materia, quæ putrescit, humida sit actu (quod in putredine requiritur) facultate tamen potest esse ficca, ut apparet in bile, ac melancholia putrescentibus. Ad illos autem, qui dicunt esse intemperiem frigidam, & humidam; negamus hoc posse fieri, cum à tali intemperie nullo pacto proveniat exustio, quod si adsunt quandoque plurima excrementa pituitosa, & cruda in his, qui laborant morbo Gallico; illa quidem generantur ex vigiliis, doloribus, inconcoctionibus, & cruditatibus, quæ insequuntur, neque sanatur hic morbus medicamentis calefacientibus, & exiccantibus merito primarum qualitatum, sed ratione continuatæ evacuationis, quæ communis est omnibus auxiliis, quibus morbus ille sanatur. Natura enim per frequentes evacuationes exonerata, residuum propellit, & evacuata materia, intemperiem superat. Quoniam autem morbum hunc per contagium ab Occidentalibus Indiis fuisse ad nos delatum, Hispanorum historiæ testantur; neque visus est unquam apud nos aliquis, qui aliter in ipsum inciderit; estque contagium infectio ex uno in alterum facta, quæ quidem tripliciter efficitur, vel ob contactum; vel per fomitem; vel etiam ad distans, (ut dicunt) videndum est, quo contagii modo contrahatur. & breviter dico, quod ex his tribus modis nunquam fuit morbus Gallicus ad distans productus; sed fere semper per contactum accipitur, ut in utraque Venere contingit, per mammillas; per exosculationes, & per consudationes. Rarissime autem per fomitem contrahi videtur. Vidi ego semel tantum hoc modo contractum à puella septem annorum, quæ pelliceam vestem cujusdam infectæ mulieris induerat. Sed quæret aliquis, cum ille morbus ponatur esse intemperies jecoris, & venarum, quomodo per venerem, & alias contagii causas suscipiatur, dico, quod infectio fit per vapores, qui arterias, & venas ingressi per humores in jecur ingrediuntur, & ipsum inficiunt; non inficiunt autem cor, quoniam non est sic aptum pati; hoc enim pro passi præparatione contingit: unde interdum extima quoque membra, licet primo contangantur, non tamen inficiuntur. Jecur autem inficitur, quoniam facilius recipit, quam alia membra: sic etiam, & humores, hi enim facile suscipiunt, infecto tamen jecore necessum est, ut reliqua etiam principalia membra inficiantur, & ideo sæpe videmus in laborantibus hoc morbo, patiente jam corde, vitale robur imminutum, & ipsos timidos effectos: sæpius etiam mæstos, & segnes ad motum, ac sensibus, tum internis torpescentes, ob communicatum cerebro affectum. Quod & pustulæ supra capitis coronam apparentes ostendunt: materia enim ab hepate cæteris membris principalibus, & universo tandem corpori communicatur. Concludendum itaque; ut, quod primo propositum fuit, absolvatur, morbum scilicet Gallicum esse intemperiem quandam calidam, & siccam jecoris, & venarum, quod si pro clariori doctrina voluerimus addere per contagium tactam, poterimus quidem; non tamen ad ejus essentiam constituendam est opus; cum ad accidentis definitionem sufficiat genus ac differentia, quæ sumitur à subjecto, in quo primo & perpetuo fundatur. Cognita tandem essentia hujus affectus, consequens est, ut de differentiis agamus, primoque de essentialibus, de quibus nemo hactenus verbum fecit. Essentiales autem aliæ sumuntur à magnitudine, & parvitate intemperaturæ, non enim quæcunque talis intemperies eodem modo est magna; sed aliqua major, aliqua minor, nec eodem modo se habet in subjecto, aliqua enim in affectu, aliqua in habitu posita est. Aliæ vero sumuntur à qualitate; Gallicus namque morbus quidam ferus admodum est; ita ut maxime universum corpus infestet, quidam vero mitis adeo, ut nihil ferme molestare videatur. Aliæ sumuntur à modo motus, quem servat hæc intemperies, interdum enim statim incipiens ad summum pervenit; ita ut ex levi aliqua infectione citissime ad statum properare, ac pertingere videatur; interdum autem incipiens hic morbus tardus admodum est in augmento, & plures pertranseunt menses, antequam vel ab ægrotantibus, vel à Medicis adesse dignoscatur. Aliæ tandem hauriuntur à subjecta materia, nam quandoque jecur tantum occupat, ac consequenter venas. Unde in definitione dictum est à me, clarioris doctrinæ gratia, jecoris, & venarum, & fere semper continuit, ut in principio tantum jecur occupet, quandoque vero communicatur universo corpori; ita ut cor etiam pa-

patiatur, & cerebrum; veluti ex læsis actionibus, aliisque symptomatibus ad virtutem vitalem, & animalem pertinentibus, facile deprehenditur. Neque turbari debet quis, quod posuerim aliquas differentias in magnitudine, & parvitate intemperiei, cum prius dixerim morbum Gallicum consistere in determinato gradu: gradus enim ille divisibilis est, & latitudinem habet. Sunt insuper aliæ differentiæ, quæ communes sunt cæteris morbis, & quodammodo ad essentiales accedere videntur, ut quæ sumuntur à tempore; cum dicimus morbum Gallicum vel novum esse, vel antiquum; & sicuti quæ à materia capiuntur, quæ causa est efficiens; veluti si dicamus ipsum, vel à sanguine, vel à pituita, vel ab atra, vel à flava bile oriri, non enim semper idem peccat humor: sed quandoque unus, quandoque alius, ut ex natura corporum, & symptomatum diversitate indicatur. Unum tamen semper, & perpetuo reperitur in quocunque humore peccante, videlicet exustio: semper enim humores, qui peccant in hoc morbo, exusti apparent. Ab essentialibus tandem visis differentiis, ad accidentales veniamus; quas quoniam diligentissime aliqui sunt prosecuti, ut fortasse ducentas, vel trecentas numeraverint; non omnes ego, sed aliquas tantum prosequar, quæ à morbis, & symptomatibus cum hoc morbo conjunctis oriuntur. Una igitur est, quum gonorrhœa conjungitur, quæ fit (ut causas etiam breviter absolvamus) propter acredinem adusti sanguinis, & languiditatem vasorum seminalium ex intemperie factam; redditurque fœda, (ut ajunt) & plurima excrementa per illam viam evacuantur. Accidit vero sæpe gonorrhœa iis præsertim, qui rem habent cum infecta muliere, quæ uteri profluvium patiatur; ut experimento sæpius est visum; & ratio etiam commonet, ut partes illæ jam contaminatæ, & male affectæ contangentibus membris eandem affectionem communicent. Alia vero accidentalis differentia est, quum caries pudendorum adjungitur, quæ quidem est de genere morborum, & gignitur ex acredine humorum, qui per motum, & confricationem partium calidiores effecti, mordacem illam facultatem accipiunt, & partes illas erodendo exulcerant. Alia est, quum apparent verrucæ quædam sciffæ, callosæ, ac duræ procedentes à materia crassa, & exusta: visumque sæpius est ab istis Gallicam luem incepisse. Alia quidem, quum adsunt in inguinibus tumores præter naturam transmissa eo materia, tanquam ad partes laxiores, & imbecilliores, fitque his apparentibus manifestum, jecur esse infectum; cum in hujusmodi partes hepar excrementa rejicere consueverit, & hepatis emunctoria vocentur. Alia sane, cum pustulæ ac parvi aliqui tumores apparent in capite, & præsertim circa coronam, ubi capilli desinunt, qui diversi contingunt pro diversitate humorum in venis abundantium, quoties in caput, vel transmittuntur, vel attrahuntur. Alia, cum ulcera fiunt vel in corpore universo, vel in alia tantum parte, prout major vel minor materiæ copia redundat: quæ quidem in principio, cum cepit morbus Gallicus grassari, adeo erant sæva, ut universum corpus eroderent, & quandoque integra membra deciderent. Alia est, quum tophi conjunguntur à crassa & frigida materia facti, suntque & ipsi de genere tumorum præter naturam, apparent autem in tibiis & brachiis, & præsertim in internodiis, pariter & in capite, & sæpius visi sunt in costis, & aliis internodiis. Interdum autem etiam in osse hyoidis apparuere: sunt vero hi tumores quandoque in substantia ossium impacti, quandoque ossibus adhærent, quandoque periostia tantum & partes circumstantes afficiunt. Alia differentia est, quum dolores, vel universi corporis, vel determinatæ alicujus partis, copulantur, & hi raro articulos occupant, sed semper partes inter articulos, quæ internodia dicuntur, excruciant: quoniam hæc materia, quæ doloris est causa, exusta, mordax, & crassa non facile potest in cavitates, atque nervosas partes penetrare, sed in internodiis residens, ibi continui solutionem efficit, ac dolorem producit. Alia quidem est, cum conjungitur casus pilorum, qui vel est morbus in numero, vel affectio corporis immutata; de hac enim re Galenum varie locutum reperimus, licet sibi nullo modo contradicat; solent autem prius concidere pili congeniti, quam post apparentes, ut ciliorum, & palpebrarum, qui etiam ex coitu superfluo decidunt, cum post apparentes increscant; cujusmodi sunt capilli barbæ & reliqui, ut notatum, reliquit Arist. in 3. *lib. de hist. anim.* Aliæ tandem fiunt differentiæ, cum vel casus dentium contingit, qui etiam est morbus in numero factus ab eadem exusta materia, gingivas ad dentium radices corrodente, vel unguium, vel narium etiam extremarum; quod visum est quandoque, vel palati ossium erosio. Contingunt sæpe impetigines quædam feræ, præsertim in palmis manuum, & plantis pedum, sic & rhagades, & ulcera circa rectum intestinum, plurimaque alia mala, ut exanthemata, & alia. Neque est aliquod morbi genus, vel symptomatis, quod possit ab exusta materia provenire, quod nequeat cum hoc morbo copulari. unde pro variis adjunctis, variæ quidem differentiæ fiunt, & facile omnibus est ex plurimis, atque diversis, quæ combinari possunt, plurimas etiam & diversas hujusmodi differentias efficere. Mihi autem sufficiat, hæc de differentiis dixisse. De signis modo agamus, quorum aliqua pathognomica sunt, aliqua vero affidentia, vel differentiarum. pathognomicorum autem alia indicant intemperiem calidam & siccam, alia simul talem intemperiem calidam, & siccam ostendunt. inter prima vero & primum, & certissimum est lotium; cum enim tota humorum massa sit exusta ex intemperie calida, & sicca in jecore, atque venis, lotium erit signum necessarium, ipsum namque certissimum est signum affectionis jecoris, & venarum, nec non eorum, quæ in iis abundant; erunt itaque lotia flava & lucida, contentaque habebunt veluti fabulosa, vel arenosa, vel etiam frustulosa, & instar scopuli cujusdam scissi disrupta, & inæqualia. Secundum signum capitur ab affectione corporis immutata, & ex pustulis, ulceribus, & aliis omnibus, quæ in cute apparere solent, manifeste deprehenditur in colore livido vel nigro, in tumore duro, & calloso. Tertium autem signum sumitur ex læsis actionibus; fiunt enim hoc morbo affecti languidiores, & in progressu, ratione malæ nutritionis, emaciantur, fiunt vigilantes, timidi, tristes, semimelancholici, & nesciunt ipsimet referre, quid patiantur, hæcque omnia contingunt affectione hac communicata cæteris partibus ab ipso hepate. Hæc vero signa, licet ostendant intemperiem calidam, & siccam jecoris, & venarum, non tamen sola possunt illam intemperiem demonstrare, quæ quidem est essentia morbi Gallici; sed his addenda sunt illa, quæ constituunt concursum, à quo sumuntur signa hujus affectus certissima. Unde oportet addere, quod patiens cum affectis hoc morbo consuetudinem habuerit, & postea subsecuta sit vel fœda gonorrhœa, vel carioſi affectus, à quibus etiam subsequuntur bubones, ulcera recti intestini, pustulæ ibidem, vel in virga, vel etiam capitis; ulcera pariter universi corporis, vel tophi, depilationesve, aut dolores, qui ad vesperas exacerbantur, & hujusmodi alia. Hæc enim cum prioribus illis certa & manifesta sunt indicia morbi Gallici, non tamen est necessarium, ut simul omnia symptomata jam enarrata concurrant: sed aliqua sufficiunt, hæc vel illa pro hac affectione demonstranda: non enim semper omnia, sed quandoque plura, quandoque pauciora conjunguntur. Signa vero differentiarum, & primo essentialium satis manifesta sunt ab ipsamet essentia; potissimum tamen capiuntur à symptomatibus, hæc enim sicut magna sunt, vel parva, mitia, vel sæva; sic magnam, vel parvam, mitem, vel sævam indicant intemperiem. ex iis etiam, vel incipientibus, vel increscentibus, vel consistentibus, vel inclinantibus habentur signa differentiarum, quæ sumuntur à modo motus, ipsa quoque indicant differentias, quæ capiuntur à materia subjecta, ex læsis enim actionibus, vel totius, vel quarundam tantummodo partium indicatur, an jecur tantum sit affectum, & venæ, an potius universum corpus patiatur: idem quoque demonstratur ex affectionibus, & excuntibus immutatis, quæ unicuique patere possunt, & jam superius aliqua posita sunt. Differentiæ autem, quæ sunt & aliis morbis communes, & videntur quodammodo ad essentiales accedere, si à tempore sumantur, ex relatu facile cognoscuntur: si vero capiantur à materia peccante innotescunt ex humoribus abundantibus in corpore, quorum signa non omnia sunt hic ponenda; sed habentur à symptomatibus, & à causis, à rebus naturalibus, & non naturalibus, quæ necessario nobis occurrunt. Signa tandem reliquarum differentiarum, quæ omnino sunt accidentales, & oriuntur ex complicatione diversorum symptomatum, vel morborum, qui cum hac affectione conjunguntur, sunt satis per se manifesta, quare non erit in ipsis immorandum, sed statim ad ultimum propositum deveniam. Et sunt quidam, qui ante curationem, præservationem ab hoc morbo proponunt, docentes aliqua parare, quæ à profundis attrahentia, & exsiccantia, possint homines custodire, ne inficiantur hoc morbo: sunt enim qui linteamina quædam *alumine*, *præcipitato*, aliisque siccantibus medicamentis imbuta, componunt: aliqui vero, qui electuaria putredini resistentia præparant, sed melius, quod fieri possit, est à Meretricibus, & qualibet alia contagii causa cavere, non enim in his jam dictis valde fidendum est, nec semper est putredo in morbo Gallico, neque possunt linteamina vapores ducere, aut inquinatum sanguinem corrigere. Omissa itaque præservatione, ad curationem accedo, quæ licet duo capita contineat, evacuationem videlicet materiæ, & alterationem membrorum; hæc enim est verissima methodus curationis omnium intemperierum cum materia, sæpius tamen est visum hujusmodi morbum sola prima intentione sanatum. natura enim evacuata materia solet sæpissi-

pissime relictam intemperiem superare. Unde videmus quandoque incipientem hunc morbum sola expurgatione, quandoque solo exercitio sanatum, neque aliter, quam per continuatam evacuationem sanatur à *suffumigiis, inunctionibus ex hydrargyro, ligni decocto, Sparta partilla, & China*, si tamen ex his aliqui unquam sanantur. Sed dicet aliquis frustra nos perfectam hujus morbi curationem inquirere, cum nequeat sic absolute curari, quin semper aliquæ morbi reliquiæ remaneant, & hujus opinionis fuere viri doctissimi comprobantes hanc sententiam ex eo, quod si aliquem ab hoc morbo curatum forte contingat vulnerari, vel aliquo alio morbi genere corripi, magis omnia sævient, ac difficilia fient in hoc quam in alio, qui nunquam fuerit Gallico morbo affectus, quod quidem indicare dicunt remansisse comites, & reliquias prioris morbi, & sic videntur nunquam perfecte sanari: sed aliter ego sentio, & vidi nonnullos perfectissime sanatos, cum nullum symptoma in eis remansisse conspexerim; non enim relictat morbus absque symptomatibus; cum hæc illum insequantur, veluti umbra corpus. verum tamen est, quod languida remanent membra, & jecur præcipue paratum ad intemperiem suscipiendam, & humores exurendos; & hinc postea fit, ut in graves plerumque morbos incidant, nec facile ab illis liberentur ii, qui semel passi sunt morbum Gallicum, & sicuti, qui pestilentia laborarunt, ob relictam languiditatem in corpore universo, & præsertim in membris principalibus cum ægrotant, morbis etiam difficillimis affici solent: non tamen dicendi sunt propterea pestilentia laborare; ita neque semper dicendi pati morbum Gallicum illi, qui semel curati afficiantur interdum aliquo difficili morbo, non ergo frustra perfectam hujus morbi curationem inquirimus. Prosequemur autem omnes curandi modos, qui varii sunt, ut videamus, quid boni, quidve mali ab unoquoque auxilio sperandum, non enim est facile auxilium, quod strenue juvet, invenire, quod etiam in aliquo non noceat, & plura sunt, quæ maxime solita sunt nocere. Unus curandi modus est per evacuationem, quæ fit & venæ sectione, & expurgantibus pharmacis: in quo primo lenienda est alvus: deinde, cum hic morbus plerumque sit mali moris, & ideo magnus, vena erit secanda viribus consentientibus, ac ætate: secetur vero vel basilica dextri lateris; cum jecur perpetuo afficiatur in hoc morbo; vel media, si forte caput, ac universum corpus patiatur: extrahenda vero est illa sanguinis quantitas, quæ videbitur opportuna sumptis indicationibus à virtute, magnitudine morbi, corporis habitu, & reliquis. Præparetur postea corpus, & materia concoquatur, ut pharmaco exhibendo educi facile possit: & si quis est morbus, in quo præparatione sit opus, & concoctione, hic est: peccat enim materia crassa, exusta, & rebellis. Præparantia vero, & concoquentia diversa requiruntur pro diversitate humorum educendorum, semper tamen attenuantia, incidentia, & parum refrigerantia, & temperata conveniunt. *Hinc syr. de fumaria, de betonica, oxymel, & hujusmodi probantur. sic decocta boraginis, cichorii, stœchadis, ivæ, hyssopi, & consimilium.* Præparato autem corpore materia jam concocta evacuetur, non *manna* tantum, *syrup. ros.* & hujusmodi mitioribus, & benedictis (ut ajunt,) sed fortioribus medicamentis; cujusmodi sunt *pillul. de hermodact. fœtidæ, confectio Hamech. hiera diacolocynthidos Aetii, pill. pariter à Galen. conscriptæ in libr.* 1. *de composit. medicam. secund. loca, & alibi:* præ cæteris autem optimæ videntur *cochiæ Rhasis*, cum eis additi fuerint *cortices radicis ellebori nigri*, qui etiam aliis pillulis addi debent in hoc casu, & aliis etiam medicamentis expurgantibus. Evacuationes vero continuatæ sunt faciendæ, ut bis, vel ter in hebdomada, & in his diutius insistendum, & ita testor me vidisse plurimos sanatos ab incipiente morbo Gallico sine administratione alterius auxilii. non sanaretur autem inveteratus, neque omnes curandi sunt hac via: sunt enim, qui medicamenta ferre non possunt, ut qui habent ventriculum imbecillum, & qui à medicamentis purgantibus facile resolvuntur. Alia vero est curandi ratio per continuata exercitia, & vehementiora, quæ tum insensibiliter, tum etiam sensibiliter per sudores evacuare possint. Hæc autem prius expurgationem corporis per pharmacum requirunt, & licet aliqui nulla præposita expurgatione solo exercitio fuerint pristinæ sanitati restituti, non tamen tutum est, & præsertim, si corpora sint cacochyma, exercitium enim fundit humores, & in hujusmodi corporibus mala potest symptomata parere. Alius curandi modus est per suffumigia; quibus primo usi sunt vulgares quidam corpore non expurgato, non sine maxima temeritate, ac detrimento infirmi, sic enim cum diffunderentur humores, & propellerentur universi corporis excrementa in fauces, plurimi suffocabantur; & hac de causa rejecta jam sunt hæc suffumigia; interdum tamen expurgata prius corpora sanant. verum tamen est, quod cum hæc suffumigia duum sint generum, aliqua vehementiora, aliqua leviora, tuto quidem, sed inefficaciter, utimur levioribus, quæ quidem conciuntur ex aromatibus, gummis, & herbis calidioribus veluti, *myrrha, styrace, belzuino, thure, dictamno, scordio, gentiana, & consimilibus:* hæc quidem sudorem provocant, sed non possunt tantam evacuationem præstare, quanta pro morbi ablatione sufficiat; & ideo nunquam aliquis vitus est sanatus per hæc mitiora, vehementioribus autem aliqui sunt sanati, quæ præter dicta recipiunt *cinnabarim, quæ ex argento vivo conficitur*, ratione cujus fonduntur humores, repelluntur, & ad fauces, & os convertuntur. unde corpore tandem expurgato per continuatam evacuationem, si quid reliduum est, à natura superatur, & ita sanitas insequitur: hoc tamen auxilii genus periculosum est, etiam quod universi corporis expurgatio præcedat, possit enim fieri, ut vel reliquum materiæ fusum, ac ad partes, quæ sunt circa laryngem, & fauces propulsum, suffocationis periculum inducat, vel si per fauces non educatur, ad junctiuras, aut alia corporis loca secedat, reddatque morbum sæviorem, & quandoque insanabilem. præterea fœdum est etiam, ac malum, oris exulcerationem facere: quapropter aliqui, ut ipsam prohibeant; utuntur singulis diebus *una ex pill. Alexandri*, quæ videntur eædem esse cum *cochiis Gal. descriptis primo comp. med. secundum loca, & alibi*: sed male faciunt judicio meo, sic enim contrarios simul motus efficiunt, neque tot evacuationes eodem tempore natura ferre potest. Male etiam faciunt, qui bis in die suffumigant, quique cooperto, non autem exerto capite id præstant: cogunt enim illi patientes inspirare aërem hydrargyri vaporibus infectum. errant etiam, qui suffumigant repleto ventriculo, & tamen tutius est hujusmodi auxilio non uti, quamvis aliquando profuerit, si quis tamen eo uti voluerit, probo, ut semel in die ante prandium, & exerto capite utatur; neque diu, sed per mediam horam, vel tres horæ partes ad summum in suffumigiis æger immoretur, & hoc faciat per octo tantum dies, vel etiam paulo plures, aut forte pauciores, usque quo materia copiosior in os, & fauces prorumpat. Alius sanationis modus habetur ex inunctionibus hydrargyrum recipientibus, quæ quidem licet quandoque sanare videantur, tamen tanquam nimis violentum, & periculosum, jam non erant amplius in usu, sed nunc secundus agitur annus, morbo Gallico rebelli, & contumaci maxime facto, quod multi sint coacti, & quidem doctissimi viri, iterum ad prædictas inunctiones devenire, quæ adinventæ videntur empirico argumento per transitum ad simile, cum viderint Avicenn. in scabie sæva uti pro inunctionibus Hydrargyro: permiscentur autem cum argento vivo ea, quæ laxant, fundunt, & vim ejus ad penitiora deducunt, ut insimul fusione ac repulsione facta, materia per os & fauces erumpat, permiscemus itaque *axungiam porcinam, butyrum recens, oleum laurinum, styracem, mastichem, thus & similia*; sunt vero qui *balaustia, rosas, camphoram, & gummi Arabicum addant*; quæ cum adstringentem, ac refrigerantem vim habeant; non probo, non tamen sunt improbandi, qui commiscent *Mithridatium, & Theriacam:* hæc enim in pauca quantitate possunt vim hydrargyri ad penitiora corporis deducere: in his tamen inunctionibus administrandis, est etiam prius optime corpus expurgandum, ne propulsa materia, (ut sæpius contingit) confertim ad partes faucium & laryngis suffocationem inducat: non tamen totum corpus inungatur, sed à genu infra usque ad extremum manus, & jejuno, non repleto ventriculo, ut aliqui faciunt, nec actu frigidum hoc medicamentum administretur, sed calidum: neque pillula illa Alexandri, qua uti solent aliqui, est exhibenda singulis diebus ob easdem rationes, quas diximus supra, cum de suffumigiis agebamus, tanto vero tempore inunctionibus est insistendum, donec in os, & fauces materia sufficienter erumpat. Hæ tamen unctiones & ipsæ sunt periculosæ; etiam quod hæc omnia recte fuerint observata; quod si non sanant morbum, reinquunt incurabilem, ita ut & comitetur ægrum usque ad mortem. Sunt qui utantur *ceratis ex hydrargyro etiam confectis*, extremis appositis partibus eodem modo: addunt autem ad prædicta, ceram, resinam, & alia, de quibus idem dicendum, quod supra de inunctionibus, & suffumigiis diximus. Sed cum de hydrargyro mentionem fecerimus, operæ pretium esse videtur aliqua de eo dicere, ut scire possimus, quonam modo agat, & operetur: & primo videamus ejus temperiem; deinde nunquid venenum sit, vel antidotum; tertio substantiam ipsius; quarto & ultimo difficultates aliquas ex ejus usu emergentes dissolvamus. Est autem maxima difficultas de primo ob diversitatem opinantium & scribentium, prius tamen ego, quid verum esse judicem, aperiam, & post opiniones aliorum in medium afferam, adductisque eorum rationibus respondebo. Rei ergo veritatem esse crediderim argentum vivum esse calidæ temperaturæ, duabus potissimum rationibus, quarum prima est illud, quod est incoagulabile calidum habet temperaturam, sed argentum vivum est hujusmo-

di; ergo. major patet ex Ariſt. 4. *meteor.* 43. & idem ſentit Averroes ibi: minor autem ſenſu manifeſta eſt, inquit enim Hydrargyrum non coagulari, quod ſi quandoque videatur coagulari à Chymiſtis, illa potius eſt condenſatio. Secunda ratio ſumitur ab experimento: interficit enim caliditate ſua; ſed illud, quod ſua caliditate interficit, quis unquam negabit eſſe calidum? Hydrargyrum enim agens in corpus, & actuatum prius à calore noſtro, erodit partem iſtam, cui adhæret: nec obſtat, quod aliqui dicant, ventos etiam Boreales corrodere, quoniam id falſum eſt, cum illa ſit mordicatio, & ſolutio continui, non autem eroſio: quod autem argentum vivum corrodat, præter experimentum adſunt auctoritates probatiſſimorum virorum. & primo Nicander tenet Lithargyrium eſſe venenum, & calidum in alexipharmacis: eorum enim, qui ipſum ſumpſerunt, membra (inquit) incenduntur. Dioſcorid. autem, à quo Paul. Aetius, & alii omnes tranſcripſere, aſſerit idem, & ait poſtea eadem ſymptomata evenire illis, qui Argentum vivum ſumpſere, quæ contingunt iis, qui lithargyrium aſſumunt: ſed in iſtis exuſtiones apparent, ergo & in illis; quare neceſſario calidum eſt argentum vivum, cum exurat ut Lithargyrium. Id etiam Galen. voluiſſe comperimus in *lib.* IX. *de ſimp. Med. facultat. cap. proprio.* ſed contrarium ſentit Avicen. in 2. Can. qui argentum vivum frigidum & humidum in 2. gradu conſtituit, probatque ſuam ſententiam ex eo, quod frigidos parit morbos; ut ſtuporem, apoplexiam, paralyſim, & ſoporem, & hujuſmodi; veluti patet in his, qui metalla fundunt, inaurant, & chymiſticam exercent artem. Verum hæc ratio nihil contra ſententiam noſtram molitur: ſolvitur autem ab aliquibus ex eo, quod multiplex eſt argentum vivum; aliud minerale & impermixtum; aliud vero cum aliis mineralibus admixtum; tertium autem, quod ex minio naturali efficitur: & ita dicunt, quod illud, quod ſponte ſincerum fluit, frigidam temperaturam habet, illud autem quod vi ignis extrahitur, & eſt permixtum cum aliis mineralibus, & etiam quod ſit ex cinnabari, calidæ dicunt eſſe temperaturæ, ſed meo judicio iſti male conſtituunt unam argenti vivi ſpeciem frigidam, quoniam eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum aliis, & habet eaſdem operationes, & quodcunque argentum vivum incendium parit. Alia eſt ſententia Conciliatoris dicentis, quod argentum vivum facit ægritudines calidas & frigidas indifferenter ob diverſitatem partium. Quæ quidem ſententia neque ſatisfacit, neque difficultatem tollit, quoniam illud, quod quæritur, eſt, an tota moles argenti vivi, & aggregatum ex diverſis iſtis partibus ſit calidæ, vel frigidæ temperaturæ, quare dicendum arbitror, & rationibus, & auctoritatibus prædictis, ipſum calidam temperaturam habere; quod ſi frigidas parit ægritudines, illud eſt, quia partes aqueæ tenues evaporantes vi ignis ad caput, cerebrum refrigerent; & condenſatæ ad nervos deſcendunt, atque illas ægritudines efficiunt. De ſecundo vero an ſcilicet venenum ſit, vel antidotum; nullam nobis fidem Galen. facere poteſt, cum ſe inexpertum fateatur de hac re, nec aliud à factitio noverit. Eſt autem omnium Antiquorum Auctoritas, qui modum, quo interficiat, docent; Dioſcor. enim teſtatur argentum vivum interficere non ſecus ac *miſy, ſory, chalcanthum*, quæ quidem non aliter interficiunt, niſi quia, cum craſſarum ſint partium, diutius morantur in ventriculo, & aliis partibus, & non diſtributa incenduntur, & comburunt veluti ferrum ignitum. Eſt igitur argentum vivum venenum calidum, & corroſivum. Sed contra inſtant aliqui, dicentes eſſe hoc falſum, quia oppoſitum patet experimento: nam apud Germanos, & alios, pueris pro vermibus abſque læſione exhibetur. Afferunt etiam hiſtoriam quandam ab Auſonio in quodam epigrammate conſcripto de Muliere, quæ viro toxicum propinavit argento vivo commixtum, & vir inde nullam læſionem accepit, quare inferunt hydrargyrum eſſe potius antidotum, quam venenum; cum illius veneni admixti vires hebetarit, ac prorſus abſtulerit, & ita dicunt, quod veluti antidotum morbum Gallicum ſanat. Sed mihi videtur, quod iſti à veritate declinent: periculoſiſſimum enim eſt argentum vivum exhibere: quod ſi quandoque viſum ſit innocue pueris propinatum: dixerim hoc eſſe vel ratione paucæ quantitatis, vel ratione fortis expultricis puerorum, & humiditatis, quæ quidem in cauſa eſſe poteſt, ut citiſſime dilabatur, & deſcendat, priuſquam ad actum talem deducatur, ut comburere poſſit: ad hiſtoriam vero dicerem, quod fortan illa mulier adniſcuit argento vivo talia venena, quæ cito ipſum deducere potuerunt, & vi caloris agentis poſtea cito evacuare, unde non multum immorans in corpore, non potuit comburere, nec interficere. Concludimus igitur cum omnibus fere antiquis, argentum vivum eſſe venenum; neque credendum eſt illis, qui dicunt, naturale poſſe tuto exhiberi, non autem factitium; cum enim habeant eaſdem ſubſtantias (ut dictum eſt) habebunt eaſdem operationes, & ideo ambo erunt venena: nec obſtat Pauli auctoritas, qui dixit in 7. *lib.* argentum vivum combuſtum exhiberi à quibuſdam, & mixtum cum aliis Medicamentis in dolore ileoſo, quoniam hoc Paulus aſſerit non ex propria ſententia, ſed aliorum dicta exponens: neque verum eſt, quod aliqui ſanent morbum Gallicum *exhibito præcipitato in pilulis devorando*; hoc enim falſum eſt, & ita exhibitum ſæviſſima inducit ſymptomata, & tormina, maximeque laborantes affligit. De tertio, cujuſnam ſubſtantia ſit, dictum eſt à Galen., ipſum eſſe craſſarum partium: aliter autem ſentiunt moderni, & arguunt experimento, cum videamus, quod ſi pellis confricetur cum argento vivo, vel ſi eo marſupium impleatur, penetrat, exſudatque; quod non poſſet contingere, ni tenues haberet partes. Cui reſpondendo dico, quod licet aliquas habeat partes tenues, & aereas, quæ quidem exſudant, & penetrant, partes tamen adſunt terreſtres, craſſæ, atque ſulphureæ, quæ remanent, nec aliquo modo pertranſeunt. Sunt modo aliquæ difficultates afferendæ, ut quartum propoſitum in hac re abſolvam; prima difficultas eſt de eo, quod Dioſc. & Galen. dixere, argentum vivum interficere, & corrodere ſui gravitate; quoniam Avicen. hoc reprobat, inquitque non poſſe mente concipi: ſed quomodo id fiat, manifeſte demonſtrat Galen. dicens, quod ratione craſſitiei partium nequit argentum vivum diſtribui, quare diutius detentum accenditur, & erodit partes ſui gravitate, quoniam gravitas eſt in cauſa, ut tamdiu in corpore immoretur, donec illum calorem conceperit, quo poſtea immediate interficiat. Alia difficultas eſt, undenam fiat, quod argentum vivum fuſum, & vi ignis evaporatum morbos pariat frigidos, veluti apoplexiam, epilepſiam, paralyſim, ſtuporem, & hujuſmodi, ſi vero inungatur, exulcerationem faucium, & oris efficiat, & quod ſi devoretur, exulceret ventriculum, & inteſtina. Ad quam difficultatem, miſſa reſpoſtione, quam aliqui afferunt dicentes, hoc eſſe ab occulta Hydrargyri proprietate, cum hæ reſponſiones nihil doceant; dico quod fuſo argento vivo, & vi exteriori ignis exagitato, fit exhalatio partium aquearum, & frigidarum, quæ per nares præſertim attractæ, & cerebrum refrigerant, & condenſatæ deſcendunt, & ſic morbos frigidos producunt. Inunctum vero admixtis oleis, quæ ipſum ad penitiora corporis deducunt, attrahitur per arterias, & in eas receptum vi maximi caloris, qui in arteriis reperitur, funditur, &, ſicut vi ignis in olla, deducitur ad partes ſupremas, & reſidens in ore, ac faucibus tanquam in partibus imbecillioribus, ibi exulcerationem efficit. Cum autem in ventriculum ſuſcipitur, ubi remiſſa, & elixans caliditas non eſt tanta, ut ipſum fundere poſſit, neque partes ejus aqueas convertere in vapores, & elevare, diutius detinetur, donec vim igneam concipiat; cujus merito poſtea ventriculum & inteſtina corrodit, & exulcerat; & hoc eſt, quod in præſentia ad hanc maximam difficultatem mihi dicendum occurrit. Eſt alius modus curandi per decoctum Chinæ, quo aliqui ſunt uſi; & primo fuere Medici, qui propinarunt hoc decoctum Carolo Quinto, Imperatori ſemper Auguſto, cujus auctoritate magnam deinde gloriam apud omnes homines conſecutum eſt, unde poſtea plurimi nobiles uſum hujus decocti ſuſcepere, & præcipue Veneti. Hæc autem radix advehitur ex Indiis; & ajunt à regione Cynarum, quæ Tartaris finitima, & antiquum eſt Sinarum Regnum. Extra eſt flavi coloris; intra vero albicantis; raram habet ſubſtantiam, & fungoſam; cujuslibet fere ſaporis, & aliarum qualitatum expertem: habetur Genuæ, Venetiis paſſim, & alibi. Conſuevitque ubique carius venundari, & aſſerunt quidam eſſe radicem arundinis, temperie frigidam, non tamen manifeſte, atque ſiccam, habentem partes tenues, quibus humores adeo fundit, ut quam maxime ſudorem provocet. Modus utendi eſt, ut corpore prius optime expurgato decoctum hoc propinetur, & mane, & veſpere, & in prandio, & in cæna. Quantitas autem ſyr. eſt 12. *vel* 15. *unc.* quæ vero loco potus capitur, ſumentis arbitrio permittitur: fit ſyr. *capiendo hujus rad. unc. ſ. & illam infundendo in lib.* 3. *aquæ per* 24. *horas, deinde ad medietatis conſumptionem bulliendo.* Pro potu autem *eadem radix accipitur, & ſuperadditis tribus libr. aquæ, bullit quo uſque duæ partes remaneant.* Cibus exhibetur boni ſucci, nec valde tenuis, eſtque terminus aſſumendi hoc decoctum communiter uſque ad triginta dies: nullum tamen vidi ego ex hujus radicis uſu, neque audivi ſanatum; non nocet quidem, quia tum evacuat, tum humores contemperat: ſed neque multi eſt juvamenti, ut experimento cognoſcitur. Aliud auxilii genus eſt per ſpartam, ſeu ſaſſam parillam, quam dicunt; quæ radix eſt ab Hiſpanis ad nos delata, tenuis, flexilis, intus albicans, exterius flava, vel nigra, nullum ſaporem habens, nullum ſenſibilem odorem, nullamque acredinem, & crederem ego hanc eſſe radicem ſmilacis aſperæ, quæ paſſim in Hetruria reperitur, & de qua dictum eſt à Dioſcoride quod quandoque ponitur in antidotis; unde non eſſet fortaſſe ab Hiſpaniis, vel Indiis petenda.

Tem-

Temperiem ejus aliqui dixerunt esse calidam, cum summopere discutiat, & tophos resolvat: sed aliter ego sentio; cum nec odorem, nec saporem habeat acrem, vel amarum, nec os mandentibus calefaciat: neque decoctum assumentes incalescant: quare si tophos discutit, (ut revera conspicitur) illud præstat ratione tenuitatis partium, non secus ac facit asplenium, quod splenes valde induratos attenuat, & tumidos, non caliditate, sed partium suarum tenuitate; ut Galen. & omnes fatentur. Usus autem est, ut post universi corporis expurgationem exhibeatur ejus decoctum, quod quidem fit *capiendo hujus rad. unc. iiij. & in fruſta secando, infundendoque per 24. horas in lib. aquæ x. vel xij. deinde bulliendo ad medietatis consumptionem, & hoc postea colatum pro syrupo servatur.* Demum *eadem sparta parilla iterum bullit in xv. lib. aquæ ad consumptionem tertiæ partis, & hoc decoctum est potus patientis ad libitum.* De primo autem exhibentur quolibet mane, ac vespere *sex vel octo unc.* per 25. 30. vel plures etiam dies. Victus vero exhibetur tenuis, & attenuans: unde dantur panis communis, vel biscocti tres unciæ, uvæ passæ, amygdalæ, aviculæ montanæ, pulli gallinacei parvi ad pondus duarum, vel trium unciarum; sed licet ex usu rad. hujus aliqui dicantur esse sanati, nullum tamen mihi contingit vidisse perfecte sanatum. Verum quidem est, quod tophos optime discutit, ac mirifice symptomata removet: sed brevi reverti consueverunt; & in aliquibus maxime ventriculum refrigerat, & lædit. Est aliud etiam auxilium ex decocto ligni cujusdam Hetechen appellati; quod quidem spinosum est, mediocriter crassum, & intus Phœnicei coloris, & hoc Afri utuntur, ut refert Joan. Africanus in suis historiis, ad nos tamen non pervenit adhuc usus medicamenti hujus, & ideo nihil de hoc certi afferre possum, sicut nec de radicibus quibusdam, quibus in hoc morbo utuntur mulieres in Insula Sancti Thomæ. Præstantissimum vero auxilium ad hunc morbum Gallicum sanandum est Guajaci decoctum, quod genus auxilii, sicuti & morbus, ex Indiis Occidentalibus fuit nobis communicatum. Guajacum autem nomen est Indum cujusdam arboris, quæ his temporibus etiam nota est in Italia; & præsertim Januæ, atque Patavii; habet enim corticem maculosum, cineritii coloris, & nigri; mediocris est magnitudinis, foliis vero latioribus, & magis ad longum tendentibus, quam ad rotundum, fructus edit similes duobus lupinis insimul conjunctis, & si cædatur, nigrum, magis tamen, & minus, ostendit meditullium; & hujus decocto utuntur in insula Hispana, & finitimis regionibus, ubi frequentissimus est hic morbus, regionibusque illis endemicus; verum quia videntur duo genera lignorum circumferri, quorum alterum appellatur Guajacum, alterum vero lignum, vel Palum Sanctum: inquirendum est, num diversæ, vel ejusdem sint speciei; sunt, qui dicant, quod ex insula divi Joannis defertur lignum Sanctum, ex Beata, Guajacum: quodque lignum Sanctum nigrum non habet meditullium; sed totum est coloris lutei, & quod plurimos sanat morbos frigidos, quos Guajacum non sanat, unde cum & loco, ubi nascuntur, & figura, & viribus differant, inferunt diversarum esse specierum. Dixerim tamen ego non esse diversæ speciei, sed ejusdem; neque aliud colligi potest ex Historiis Consalvi Ovietensis, qui dicit idem esse lignum, & quod Palum sanctum species sit Guajaci: nec aliquid refert, quod & figuram, colorem, & vires videantur habere diversas, cum ratione soli ac regionis hoc possit absque dubio fieri, sicuti in aliis plantis quamplurimis etiam apud nos plerumque contingit, est autem hujus ligni temperies calida, & ficca in fine secundi gradus, calefacit enim & siccat manifeste & satis intense: unde calefaciens etiam, & siccans erit ejus decoctum; cum tale necessario decoctum reddatur, quale illud est, quod decoquitur. Ad hanc vero temperiem accedit partium tenuitas, merito quarum semper insensibiliter evacuat, ut patet in resolutione tophorum, & quandoque sensibiliter per sudorem, per urinam, & per alvum; maxime quidem, si satis amarum fuerit decoctum. Lignum autem eligendum est ponderosum non scissum, odorum, resinosum, quod cognoscitur, si redactum in scobem, atque compressum sit, & scobs simul cohæreat, & accensum multam resinam emittat, reddatque decoctum amarum. Sed hic dubitatur, an ligni cortex efficaciorem, vel potius languidiorem habeat virtutem ipso ligno; & nonnulli asserunt corticem discutere magis, evacuare, ac sudorem provocare, alii vero contrarium tenent, asserentes ignaviorem esse corticem, quoniam in cortice nec odor, nec amaities, nec resinosum quid conspicitur, quæ omnia manifeste sunt in ligno. Præterea dicunt, quod cortex, cum afferatur lignum pro naviuin saburra, sordem & situm contrahit, ita ut veluti corrumpatur, & ineptus reddatur ad operandum: sed oppositum experientia demonstrat; apparet enim clare majorem esse calefactionem, & exiccationem in cortice: quo aliqui solo pulverizato utuntur, & felici cum successu, & juvamento maximo, neque hoc mirum, cum idem sit omnibus plantis: cortex enim semper ex partibus tenuioribus constat. Ad rationes autem dicimus, quod etsi non tantus adsit odor, neque sapor, neque tanta resinositas in cortice, quemadmodum in ligno; est tamen partium magis tenuium cortex, quam lignum: neque semper (ut ipsi dicunt) pro navium saburra defertur; quin imo sæpe solo pene hoc ligno naves onustæ ad nos deveniunt. De usu modo videamus: primo tamen dicendum, quomodo corpus debeat præparari, cum necessaria sit corporis præparatio, antequam ligni decoctum adsumatur, ut recte possit operari: si enim aliter ad usum recipiatur, exagitatur materia, quæ cum sit multa, nec possit evacuari, quandoque ad mala deducit symptomata, & perniciem: & vidi ego factam quandoque Epilepsiam, & Apoplexiam ob exhibitum absque præparatione hujusmodi decoctum. In præparatione igitur primo lenienda est alvus per *cassiam*, quæ retorridos etiam humores evacuat, vel alio consimili; deinde ad venæ sectionem veniendum, ubi magnus sit morbus, & ætas, & vires consentiant: nec obstat, quod aliqui à venæ sectione abhorreant, dicentes ipsam facere operationem contrariam naturæ, quod natura à centro ad circumferentiam retrahat; quia si valeret hæc ratio, nunquam etiam esset pharmacis expurgantibus utendum in hoc morbo. Præterea secat venam Avic. etiam in variolis apparentibus, quoties aliquod malum imminet, ac plenitudo adest, quoniam ubi plurima est materia, non fit hujusmodi retractio, sed potius aliquantulum exonerata natura à parte materiæ veluti à sarcina, potentius ad cutim & extimas corporis partes residuum propellit, secta vena deveniendum est ad materiæ coctionem: in qua quidem aliqui semper cum *myrobalanis, corticibus hellebori nigri, sennæ foliis, & consimilibus* procedunt; sed non recte; quoniam hæc potius coctioni resistunt, cum coctio fiat per quietem, & expurgantia medicamenta, cujusmodi sunt prædicta, semper exagitent; & licet *senna* leve sit medicamentum; non tamen est, quin humores educat exustos, quod vero *cortices ellebori nigri* exagitare possint, manifestum est: & multo minus conveniunt *myrobalani*, nam si corpora sunt purganda, fluida fieri debent: cujus oppositum faciunt *myrobalani*: non ergo conveniunt similes syrupi, & hoc optime contra Rhasim annotavit Avicenna vituperans *myrobalanorum* usum in febribus in principio: quare potius utendum est *syr. de fumaria, de beton. melle ros. & similibus, cum decoctis fumar. beton. borag. aliisque hujusmodi*, si materia sit pituitosa. Quod si sit biliosa, *syr.* convenit *acetosus simplex, rosatus recens, de succo cichorei, endiviæ, atque consimiles, cum decoctis ejusdem generis.* Si autem sit melancholica, commodum est *oxymel, syrupus de fumaria, de pomis simplex, de succo borag. & ejusmodi, cum decoctis correspondentibus.* In expurgatione vero materiæ jam concoctæ pro diversitate humorum peccantium, diversis utendum est medicamentis, licet fere semper in hoc morbo adsit congeries omnium humorum, & semper incedendum est cum vehementibus, unde *pillul. Alexandri* conveniunt, *& cochiæ; de hermodactylis etiam, & fœtidæ, additis semper corticibus ellebori nigri*, in quibus est maxime sperandum, evacuat enim *elleborus niger* utramque bilem sine molestia, ut asserit Aetius. Quod si æger potius voluerit pharmacum in potu, poterit fieri *decoctum ex radicibus ellebori nigri, & seminibus odoratis, addendo postea, vel hieram Pachii, vel diacolocynthidos Aetii, vel etiam confectionem Hamech*, quæ poterunt etiam exhiberi *cum decoctione sennæ, ac epithymi:* non tamen semel, sed pluries est evacuandum; quia materia in hoc morbo crassa, & exusta semper contumax est eductioni. Expurgato tandem corpore, ad usum hujus decocti veniendum, quod quidem hoc modo paratur. *Assumuntur duæ unciæ corticis, & una libra ligni; lignum in scobem redigitur, cortex autem contunditur, & per 24. horas infunduntur in duodecim lib. aquæ, deinde ad medietatis consumptionem ebulliunt, in vase vel testaceo vitro intus obducto, vel vitreo, vel etiam æneo obducto stanno; tandem percolatur hoc decoctum, & pro syrupo servatur: eidem scobi postea superimponuntur quindecim lib. aquæ, bulliuntque ad consumptionem tertiæ partis, & hoc decoctum percolatum deserviet loco potus in prandio & cœna.* Sed quæret hic aliquis, num semper lignum sit decoquendum in aqua, vel quandoque decoqui debeat in vino, ut aliqui faciunt, qui vel tantum in vino decoquunt, vel in aqua, & postea vinum admiscent, cui responderem, quod melius est facere decoctionem in aqua; ita enim coquitur in India, unde hujus ligni usum recepimus; non tamen negarem, quin etiam in vino quandoque factum, vel etiam cum vino permixtum juvet, in corporibus præsertim valde humidis, & frigidis, sed in calidis & siccis omnino est fugiendum: possent enim facile ad tabem deduci; ut sæpe vidimus. Advertendum tamen, quod si

aliquis voluerit uti vino in corporibus frigidis, & humidis, non debet in vino lignum decoquere, quia ſic valde amarum, & acre redditur decoctum, ſed potius admiſcenda eſt illa vini portio, quæ videbitur opportuna, poſteaquam decoctum paratum fuerit ex aqua. Sunt etiam qui lignum decoquunt in aquis alembicatis frigidioribus, ut *endiviæ*, *ſonchi*, *cichorei*, & *hujuſmodi*, pro febricitantibus, & emaciatis; alii autem, qui decoctum alterant cum herbis in ipſo incoctis frigidioribus: alii tandem, qui lignum decoquunt in jure pulli; ſed crederem ego aquas illas alembicatas minime convenire; cum omnes aquæ per ſublimationem factæ, ſicut & pluviales, participent adſtrictione, ut Galenus etiam ſentit: quod ſi parva hæc adſtrictio, quam habent, videtur facere ad penetrationem, hoc utique eſſet, ſi paucis diebus exhiberetur, nihilominus, quia diu eſt exhibendum, in tam longo temporis ſpatio ſibimet ipſi viam occluderet; unde laudarem potius uſum decoctionum herbarum frigidarum cum ligno, quoties timemus calefactionem, & exſiccationem ſuperfluam; licet ex ipſis decoctum reddatur imbecillius. Probo etiam illos, qui quidem ex jure pulli decoctum faciunt; in imbecillioribus enim maxime convenit, cum jus pulli junioris & nutriat, & humores contemperet. Non probo autem illos, qui cum hoc decocto medicamenta expurgantia miſcent, eſt enim valde perniciosum, cum fiat pugna in operationibus, decoctum enim expurgat per ambitum totius, medicamentum vero purgans à circumferentia ſemper deducit ad centrum. Nec etiam valde probo illos, qui commiſcent quædam tanquam antidota, ut *carduum benedictum*, *radices tormentillæ*, *betonicam*, & *conſimilia*, quandoquidem licet hæc & calefaciant, & exſiccent, non tamen ſunt admiſcenda: quia nec Indi aliquid admiſcent, & forte in hac admiſtione additur aliquid, quod tota forma ligno adverſatur, ſunt enim quædam repugnantiæ à tota ſpecie, quæ ſunt nobis occultæ: unde hoc adnotavit Meſues cavendum in compoſitione medicamentorum; & hinc patet multo deterius facere illos, qui & ſolventia medicamenta, & antidota, & vinum & aquam commiſcent. Syrupi autem quantitas exhibenda non eſt una in omnibus, ut plurimum tamen eſt *octo*, *vel decem unciarum*, poſt cujus aſſumptionem quieſcendum eſt in lecto, & ſudor provocandus, capite non cooperto: ſic enim incommoda multa, quæ ſequi ſolent, evitantur: ſicuti capitis repletio, ac humorum liquefactio, unde cephalææ, hemicraniæ, deſtillationes, cæcitates, & hujuſmodi alia plura oriri poſſent; nec vi provocandus eſt ſudor, vel calefactis lateribus, vel pannis, vel veſicis aqua calida plenis, ut quidam faciunt: his enim funduntur humores, & ſpiritus una cum calore innato diſſipantur. Victus vero convenit mediocris, & attenuans; non enim valde tenuis eſt opportunus; ut conſuevit eſſe in uſu primis illis temporibus, quoniam a tali victu maxime languida redditur virtus; ita ut neque concoquere, neque diſcutere, neque ſenſibiliter evacuare poſſit; dandus eſt itaque panis, neque ſemper biſcoctus; hic namque, licet bene nutriat, ægre tamen conficitur. conveniunt etiam carnes avicularum montanarum, pullorum gallinaceorum, & fructus, veluti ſunt *paſſulæ*, atque *piſtachia*, quæ quidem & nutriunt mediocriter, & attenuant; nec penitus vituperanda ſunt *compoſita ex amygdalis*, & *ſaccharo*, atque alia hujuſmodi, licet non ſatis facile concoquantur: panis quantitas, ut plurimum ſolet eſſe trium unciarum, obſonium vero duum, vel trium, non tamen iſta quantitas debet in omnibus ita menſurari, ſed pro natura, & conſuetudine laborantium vel augenda, vel minuenda eſt; datur autem prandium per tres, vel quatuor horas ab aſſumpto ſyrupo, ſic etiam & cœna ſimiliter: ſyrupus autem, qui exhibetur, ad veſperas aſſumitur poſt ſeptem horas à prandio. De ſecundo decocto bibant patientes in prandio, & cœna, quantum eis ſufficere videbitur, & quantum conficere poſſunt, ſed inter prandium, & cœnam, & à cœna nihil bibere debent; & quum utimur hoc genere auxilii, non ſunt ægri ſemper in cubiculis detinendi, ut olim fiebat: ſed permittendum eſt eis egredi quandoque domo, dummodo non ſit ventoſus, caliginoſus, frigidusve aër, & talis, qui corpus nimium immutare, vel commovere poſſit: terminus autem eſt exhibendi hoc decoctum 40. dierum, licet etiam per plures exhibeant aliqui: hoc autem fit, quia longus eſt morbus, & longa pariter continuata evacuatione indiget, & 40. dies videtur poni pro termino in morbis contagioſis veluti in peſtilentia: quo exemplo ducti credo, quod Medici aſſumpſerint hanc diem pro termino hujus auxilii, victus autem in principio, & fine craſſior eſſe debet, in medio vero tenuior, quia tunc natura maxime contra morbum incitata ipſum aggreditur, nec eſt impedienda per cibum. Cavendum autem eſt, ne, cum hoc decoctum aſſumitur ſingulis 8. vel 10. diebus (ut aliqui faciunt) purgans aliquod medicamentum propinetur, ſic enim natura impeditur, & materia retrahitur à circumferentia ad centrum, cum natura ab hoc decocto adjuta ſemper inſenſibiliter per cutim evacuet, licet evacuare non videatur. Quod ſi decoctum Ligni per alvum evacuat, ſui amara ſubſtantia abſtergendo, & ita leniendo hoc facit, non ſicuti ſolventia medicamenta attrahendo. Tranſactis vero 40. diebus, cum non amplius decoctum adhibemus, omnino eſt utendum medicamento purgante, ut humores jam parati, & qui non ſunt evacuati, evacuentur: ſuntque medicamenta purgantia, qualia deſcripſimus in præparatione corporis: poſt evacuationem refrigerandi ſunt ægri, & humectandi victu, balneis, & medicamentis quibuſdam levioribus: pro cibo igitur utantur *ptiſana*, *cichoraceis*, *lactucis*, & *hujuſmodi*. balneum ſit ſolium aquæ dulcis tepidæ: medicamenta vero *ſaccharum roſ.* & *borago*, quod ſi uberiorem alterius voluerimus expurgationem, opportunum eſt ſerum lactis, & exhibitum more Gallico & antiquorum in debita, & magna doſi; Neque probandi ſunt illi, qui à principio hujus morbi non exhibent hoc decoctum, & cunctantur ad minus per annum, dicentes in hoc morbo expectandam eſſe fermentationem, donec ſcilicet morbus ad unam formam ſpecificam ſit deductus, ut ſanari poſſit ab auxilio agente etiam à forma ſpecifica, quoniam fermentatio requiritur in mixtis factis ab arte, ut à natura deducantur ad unam formam, quod apparet in theriaca: ſed inter morbum, & noſtrum corpus, non video, quæ fermentatio fieri debeat. fermentatio autem inter vapores inquinatos, & humores noſtri corporis efficitur quam citiſſime, ita ut in intemperie morbi principium ejuſdem ſit rationis cum ea progreſſa, ut vult Galen. ubique: Igitur quam primum intemperies incipit, ſuum habet eſſe, & formam ſpecificam: quod quidem dicendum etiam erit de morbo Gallico, cum ſit morbus in intemperie: unde hoc expectare nihil aliud eſt, niſi permittere ut morbus in habitum deducatur. Accedit etiam, quod neque verum eſt Ligni decoctum ſanare hunc morbum à forma ſpecifica, ut ſupra quoque oſtendimus: Ex hoc genere auxilii maxima habentur juvamenta, quandoquidem præterquam quod morbum hunc ſanat, ventriculum roborat, humidiora & excrementoſa corpora exſiccat; cerebrum etiam deſtillationibus obnoxium ex intemperie frigida & humida ſanat. Cæterum quandoque, ſi valde ſiccis exhibeatur, ad hecticam ſenilem deducit: interdum etiam in corporibus calidis, & ſiccis æſtatis tempore exhibitum febres excitat: interdum quoque viſi ſunt aliqui ex potu decocti hujus in hydropem deveniſſe, reſoluto calore naturali jocinoris ob diſcuſſionem, & continuatam evacuationem, ut refrigerato poſtea viſcere ſequuta ſit hydrops: verumtamen, ſi moderate ſumatur, innocue ſemper capitur in quacunque temperatura, corporis habitu, & ætate, ita ut exhibitum quandoque fuerit pueris quatuor annorum feliciſſime; ſic etiam exhibetur in qualibet regione, anni tempore, ac cœli conſtitutione: fugiendus tamen eſt aër vel valde calidus, vel valde frigidus, frigido enim aëre corpore nimium conſtipato, inſenſibilis evacuatio prohibetur, in calido autem ob cutis raritatem plurima fit reſolutio: ſed ubi res urget, alterandus eſt aër, vel ad calidum, vel ad frigidum, ita ut reddatur temperatus: & poſtea tuto decoctum exhibetur. ſed quæret quis, nunquid, quemadmodum ſanatur hic morbus decocto Guajaci, poſſit etiam ſanari (ut aliqui teſtantur) decoctis aliorum lignorum conſimilium, ut *juniperi*, *buxi*, *quercus*, & *bebeni*: cui reſpondendum, nemini hoc ſuccedere potuiſſe, quamvis multi, & viri etiam doctiſſimi experimentum facere tentarint, & ego neminem vidi, nec audivi ſanatum. Neque teſtimonium fide dignum adducunt ii, qui oppoſitum dicunt, nec ſequitur propterea Ligni decoctum ſanare à forma ſpecifica: quoniam, licet in lignis enarratis reperiantur aliquæ manifeſtæ qualitates conſimiles Guajaco, non tamen reperitur illa partium tenuitas, qua quidem funduntur, & attenuantur humores, & ideo non poſſunt illud idem præſtare: quod ſi quis admiſcuerit aliqua, ex quibus haberi poſſit penetratio, attenuatio, & fuſio; neque habebit intentum, quoniam non poteſt ars ita perfecte admiſcere medicamenta, ut naturam æquet, quæ reperitur in Guajaco; ars enim nequit naturam exacte imitari, unde nec ita perfectas & veras mixtiones efficere poteſt, quandoquidem hoc ſolius eſt naturæ. Sed jam de ſymptomatibus agamus, quæ quandoque ob vehementiam trahunt ad ſe curationem, non tamen de his diffuſe tractare, nec ad nimis particularia deſcendere intendo, ſed in genere aliqua tantum, quæ mihi utiliora videbuntur, adnotare. Incipiam autem à carie pudendorum, quæ primo ſolet apparere, quum quis Gallico morbo inficitur: cognoſcitur vero eſſe Gallica ex tumore, colore, atque ſordibus, & cruſtaceis quibuſdam excrementis, ſolet enim apparere livida, Phœnicea, vel nigra: talia enim conſpiciuntur excrementa, labia tumida ſunt, ac dura, & ulcus inæquale: unde his apparentibus tutum, & neceſſarium eſt univerſum corpus evacuare: poſtea vero ad loca-

lia

lia deveniendum eſt: & in principio ſæpe viſum eſt cauſticis medicamentis totum virus conceptum fuiſſe diſcuſſum, atque conſumptum, unde imperiti etiam feliciter quandoque utuntur *aqua illa, qua quidem Aurifabri utuntur ad ſecernenda metalla*, ſic etiam *atramento ſutorio*, vel *præcipitato*, aut aliis pulveribus, vel oleis adurentibus. Animadvertendum tamen eſt, ne vel corpus repletum ſit, vel cacochymium, vel valde acuti ſenſus: in talibus enim hæc & dolores & inflammationes, abſque alio juvamento, efficiunt. Nec alio modo ſanantur hæc ulcera Gallica in pudendis, quam curatione à Galeno propoſita in *lib. 5. methodi medendi* circa finem, cum iis, quæ ſtrenue ſiccare poſſunt, cum hujuſmodi membra ſuapte natura ſicciſſima ſint, verum tamen eſt, quod ejuſmodi exſiccantia multo magis juvant, ſi eis admiſceatur aliquid, quod expertum ſit in hoc morbo juvare, ut eſt *præcipitatum*. Medicamenta vero Galen. ſunt *colocynthis uſta*, & *anethum itidem uſtum*, *pompholyx*, *aloës*, *molybdæna*, *ſcoria æris præparata*, & *hujuſmodi alia*. Hæc autem vel ſicca imponi poſſunt ſuperpoſito aliquo cerato exſiccante, vel cum unguentis, & ceratis conſimilibus admiſceri. Apparent etiam quandoque verrucæ quædam ſciſſæ non nimis doloroſæ, inæquales, & quæ figura & ſubſtantia ficum præ ſe ferunt, ſymptoma quidem, quod & fœdum eſt, & maximo impedimento. auferuntur autem hæ, ſi penſiles fuerint, ligatura: ſi vero ſeſſiles, medicamentis emollientibus, & corrodentibus: unde uſus *ammoniaci cum ſquama æris præparata*, & *præcipitato* eſt valde conveniens: & vidi ſæpius citiſſime ac facilliime remotas per aquam ſuperius dictam, ſed in hoc etiam ſymptomate curando neceſſarium eſt prius univerſum corpus evacuare. Solet quoque hic morbus incipere à fœda gonorrhœa, quæ cum Gallica eſt, ſtatim ex unico tantum congreſſu quandoque invadit, ita ut manifeſtum appareat contagium: cognoſcitur tamen Gallicam eſſe ex plurima educta materia, colore livida: curatur vero, ſi poſt neceſſariam totius evacuationem, ſemen ſupprimatur, & viſcidum reddatur, præbendo aliquem tonum valis ſeminalibus cum iis, quæ moderate adſtringunt, cujuſmodi eſt electuarium, quo maxime utor ex *radicibus nymphææ*, *ſeminibus lactucarum*, & *agni caſti*, *appoſito gummi tragacanthi*, *maſtiche*, *ac thure*, *addito aliquo genere terræ*, *ut bolo Armenia vulgari*, *vel terra ſigillata cum ſeminibus melonum*, & *cucurbitæ*: cavendum tamen eſt ab uſu valde adſtringentium, & præſertim circa principia: periculum enim eſt, ne prava illa materia retenta laborantes ad pejora ſymptomata deducantur, vel ſæpe multos ab imperitis deductos fuiſſe conſpeximus. Solent bubones inſequi gonorrhœam, vel pudendorum caries, & verrucas, & ex hujuſmodi progreſſu cognoſcuntur eſſe Gallici; quamvis etiam Gallici ſine hoc progreſſu contingant, affecto jecore, ſicuti perpetuo afficitur in hoc morbo: in horum vero curatione in principio neque vena eſt ſcindenda, neque pharmacum purgans exhibendum, præter aliquod lenitivum, ne fiat retractio materiæ facientis inflammationem ad intra venas, niſi forte ſumma fuerit repletio, vel cacochymia, tunc enim & venam ſecare, & purgans aliquod medicamentum exhibere poterimus, non enim in hoc fiet retractio materiæ facientis inflammationem intra venas, & licet in cæteris inflammationibus prima intentio ſit materiæ repulſio, in hac tamen, ſicut & in aliis, quæ accidunt in locis, in quibus membra principalia ſuperfluitates expellunt, non convenit repulſio; & qui aliter jam hanc repellere voluerunt, multa mala ſymptomata induxerunt, & morbum Gallicum confirmarunt, quapropter in bubonibus hujuſmodi primum, quod intendunt Medici, eſt materiæ ſuppuratio, ut facta ſuppuratione, ac loco adaperto, non ſolum evacuetur materia, quæ in loco inflammato continetur, ſed etiam corpus univerſum expurgetur, ſervando locum diutius apertum, ſic enim continuatæ fiunt evacuationes: unde ſæpius hoc modo ſanatus eſt morbus iſte Gallicus abſque alio auxilio, ſtatim itaque ad ea, quæ ſuppurationem faciunt, veniendum, & ſi dolor adeſt intenſus, optimum erit *cataplaſma illud Galen. ex farina*, *oleo*, & *aqua*; ſi durus ſit tumor, præſtans eſt *linimentum ex butyro*, *axungia* & *ol. amygd. dulcium appoſitis lanis ſuccidis*. Ad extrahendum autem, quod neceſſarium eſt, cum videmus ad diſcuſſionem properare, & alia morbi Gallici ſigna increſcere, conveniens eſt *emplaſtrum ex cepis*, *radic. lil. alb. fermento*, & *caricis*. Quod ſi contumaces fuerint, appoſitis cucurbitulis extrahuntur: appoſito etiam *emplaſtro illo mollitivo*, *quo paſſim Veneti utuntur*, vel etiam *diachylo ſimplici*, vel conſimilibus, ſuppuratione autem facta bubones aperiuntur, vel ferro, vel igne, vel cauſtico aliquo medicamento, apertione potius magna, quam parva, & anguſta, ne ulcus reddatur ſinuoſum, atque ut craſſæ materiæ effluere poſſint: abſtergatur vero, mundificetur, & ultimo, cum diutius permanſerit apertum, & multa ex eo fuerit educta materia, nec aliquid notatu dignum amplius effluit, conſolidetur. Frequentiſſime conſueverunt etiam eſſe puſtulæ in hoc morbo, quæ circa caput apparent, præſertimque circa partem illam, ubi capilli deſinunt, quæ ſolent etiam circa ipſum anum, & in aliis corporis partibus apparere: in his autem curandis non eſt repellentibus utendum, ut quidam faciunt non ſine maximo diſcrimine laborantium, ſed ſi cruſtoſæ ſint, auferenda eſt cruſta medicamentis emollientibus, deinde *aqua*, *quæ recipiat alumen*, & *ſublimatum*, & participet aliquam abſterſionem, ut eſſet *aqua furfurea*, madefieri debent puſtulæ, ad loca illa: ſi vero appareant in ore, conjungatur *alumen*, & *ſublimatum*, *vel præcipitatum cum aqua plantag.* tunc enim ob periculum, quod imminens circa partes illas minantur, non eſt malum, quinimmo debemus uti aliqua repulſione: ſed in his etiam eſt prius univerſum corpus expurgandum, & evacuandum. Ulcera pariter in hoc morbo Gallico ſæpiſſime contingunt, quæ quandoque ita fuerunt exedentia, ut ipſorum malignitate integra membra conciderint, in quorum curatione, poſt evacuationem, & expurgationem corporis univerſi, conveniunt medicamenta valide ſiccantia, inter quæ numerantur *præcipitatum*, *argentum vivum*, *ſublimatum*, & *ſcoria æris præparata*. Hæc vero debent miſceri cum his, quæ medicamentorum acrimoniam retundunt, & aliqui utuntur *ceratis ex ceruſſa*, *lithargyrio*, *addito vel argento vivo*, *vel ſublimato*, *vel præcipitato*: quod ſi ulcera ſint in ore, optimus *eſt uſus illius aquæ*, *quam ſuperius diximus confici ex alumine*, *ſublimato*, & *aqua plantag.* Accidit etiam in oſſibus caries, moleſtiſſimum quidem ſymptoma, & præcipue ſi fuerit in palato, vel naribus, ubi oſſa facile corroduntur, & ſi hoc ſymptoma in palato acciderit, laborantes naribus loquuntur, & omnia liquidiora, quæ per os aſſumuntur, ex naribus effluunt: & ideo quam citiſſime hujuſmodi periculo eſt occurrendum, & cum caries in extimis partibus apparet, ſtatim dividenda eſt pars affecta uſque ad os ſubjectum, vel ferro, vel cauſtico medicamento: & illud os, quod fuerit corruptum, auferendum, & poſtea conſolidandum ulcus: prohiberi etiam debet oſſis putredo per medicamenta, quæ ſtrenue ſiccare poſſunt: cujuſmodi ſunt *ol. ex ſulphure*, *vel ex chalcantho*, & *aqua plantag. quæ receperit alumen*, & *ſublimatum*. *unguentum etiam aliquod*, *in quod præcipitatum admittatur*: debent autem ſolliciti, & diligentes eſſe medici, quum vident puſtulas & ulcera palati, ut occurrant (quantum fieri poteſt) corruptioni oſſis, præexigitur etiam & in hoc ſymptomate curando evacuatio, & expurgatio corporis univerſi. Tophi etiam contingunt, ac tumores adeo duri, ut quandoque oſſa videantur, ii ſi oſſei ſint, nec cedant Salſæ parillæ decocto, aperienda ſunt loca, oſſa deinde abradenda, & poſtmodum ulcera conſolidanda. Si vero non fuerint oſſei, emolliendi ſunt prius, & poſtea diſcutiendi, & caveatis in hoc ſymptomate à cauſticis medicamentis; periculum enim eſt, ne per hujuſmodi auxilia ulcus cancroſum inducatur, ſicut quandoque videmus contigiſſe. Superveniunt quandoque Rhagades, & lichenoſæ, quas dicunt, affectiones, in volis manuum, & plantis pedum, quæ niſi à Ligni decocto ſuperentur, difficillime poſſunt removeri, tentanda tamen eſt curatio, præpoſita corporis evacuatione, *per linimentum confectum ex unguento roſ. Meſuæ*, *vel ex pomata*, *etiam addito præcipitato*. Cadunt etiam ſæpe pili ciliorum, ſuperciliorum, capitis, barbæ, ac partium reliquarum, in cujus ſymptomatis curatione nunquam ad adſtringentia veniendum (ut quidam faciunt) qui ad uſum *ladani*, *olei myrtini*, & *conſimilium* deveniunt. ſic enim fit, ut materia repulſa excitet ſymptomata fæviora: ſed procedendum eſt eo modo, quo Galen. in conſimili affectione procedit in primo de medic. comp. ſec. loca, evacuando ſcilicet prius univerſum corpus, & caput, deinde materiam diſcutiendo, quæ continetur ſub cute, diſcuſſio autem præcipue per *thapſiam* habetur permixtam cum aliquo tenuium partium, quæ quidem *thapſia* radix eſt ex Gargano monte delata, & vulgo turbith appellatur; hæc enim & diſcutit, & pro pilorum generatione idoneam attrahit materiam. Solent etiam interdum (quod pejus eſt) concidere dentes, & narium extremitates: cui quidem ſymptomati, expurgato prius corpore, occurrendum eſt repellentibus, & exſiccantibus, ut cum *aqua plantaginis*, *balauſtiarum*, & *ſimilium*, nec malum eſſet gingivas, & narium extremitates madefacere *aqua roſ.* & *plantag. addito alumine*, & *pauco etiam præcipitato*. Inter omnia vero ſymptomata, nullum eſt, quod magis laborantes excruciet, quam dolor, in cujus ablatione, quamvis tripliciter poſſit removeri, vel per cauſæ remotionem, vel per anodyna, vel per ſtupefacientia, nunquam tamen in Gallico dolore ſtupefacientibus eſt utendum; n materia craſſa & prava magis incrudetur. Unde aliis duobus auxiliis procedendum eſt, & primo anodynis vere, quæ conficiuntur ex moderate calefacientibus, & foventibus calorem innatum cum levi diſcuſſione: qualia ſunt

ve-

*decocta ex chamæmelo, anetho, & feminibus odoratis, addita quantitate aliqua Guajaci*, quibus poſtea per ſpongias locus dolens foveatur: idem faciunt *inunctiones ex oleo chamæmelino, anethino, & conſimilibus. facculi etiam repleti floribus chamæmeli, anetho, & furfuribus, madefacti aceto calefacto*; deinde pro cauſæ remotione, facta prius evacuatione, utendum eſt revellentibus, repellentibus, & ultimo diſcutientibus. Non tamen mihi probandi videntur illi, qui pro his doloribus removendis utuntur à principio magnis medicamentis purgantibus, etiam ſine correctione; concocta enim ſunt vacuanda: & qui conantur in principio inflammationum materiam medicamento educere, nihil à parte affecta evacuant, & ſanas, ac vicinas partes colliquant, ut Hippocr. docuit; Neque pariter probandos cenſeo illos, qui ad hanc intentionem utuntur *inunctionibus, & ceratis hydrargyrum recipientibus* applicitis ſupra loca dolentia, & maxime ſi dolor fuerit in capite; majus enim ex hujuſmodi auxiliis nocumentum, quam juvamentum affertur. Verum quandoque tam ſævus eſt dolor, tamque rebellis, & contumax, ut temere neceſſum ſit unumquodque auxilium tentare. Tutiſſimum vero eſt auxilium & evacuans, & anodynum, & univerſi corporis humores contemperans, ſolium aquæ dulcis tepidæ. Symptomatibus autem miteſcentibus non eſt ab ulteriori curatione deſiſtendum, ſed tutum ſemper erit ad Ligni decoctum devenire; quo quidem Gallica lues, quæ fomes & radix eſt ſymptomatum, removeatur omnino. Et hæc mihi de hujuſmodi morbo, deque ſymptomatibus ipſum concomitantibus, brevius quo fieri potuit, dixiſſe ſufficiant.

FINIS.

# JOANNIS LANGII LEMBERGII,

## DE

# MORBI GALLICI TUBERIBUS,

## EPISTOLA.

*Excerpta ex Tomo ſecundo Epiſt. Medicinalium.*

Accepiſtine modo, obſecro Theodorice, exoletos veterum morbos, (quorum vel nomina ſunt obliterata, ſeminaria tamen in corporibus elementariis rediviva delituerunt: ob mutatam victus rationem, loci, aquarum, aeriſque naturam, cœleſtium ſicerum ortus occaſuſque radiis alteratam,) ut novos nonnunquam renaſci morbos? Ob id accidit, ut Plinius, Strabo, Olauſque Gotthorum archiepiſcopus, Stomacaciam, Scelotyrben, novos in Dania & Cæſaris Germanici exercitu caſtrenſes eſſe & dici morbos arbitrati ſint: quum iidem ante Hippocratis quoque tempora mortale hominum genus diris calamitatibus afflixerint. Id ambiguitatis, ut in herbarum cenſura, nominum varietas & mutatio effecit. Stomacaciam quippe Danorum & Cæſaris Germanici militum morbum, Hippocrates *libro de internis affectibus*, ſub nomine volvuli hæmatitis, non deſcribere, ſed tanquam penicillo his verbis depingere videtur: *In hoc*, inquit, *morbo acciduunt, ut ex ore male oleant, à dentibus gingivæ diſcedunt, & à naribus ſanguis profluit, aliquando ex cruribus ulcera pullulant, & alia ſaneſcunt, alia emergunt, & cutis extenuata nigreſcit.* Eſt & alter ærumnoſus nervorum morbus, ac roboris eorum decoctor, ante Cæſaris Germanici expeditionem quoque non ignotus, quem ob ſolutas in genibus nervorum compagines, Scelotyrben appellarunt. Hic ex lentore fit, & defluxu phlegmatis per ſpinæ medullam, obſtructis ac relaxatis nervis, à poſtremis lumborum vertebris, & oſſe ſacro, ubi multifariam divaricantur, ac in colli veſicæ & ſphincteris muſculum, & crura propagantur, cæteris ſupremis à lumborum vertebris per totam corporis molem nervis illæſis. Quo fit, ut ſuprema corporis pars in vigore ſubſiſtat, & inferna ab umbilico ad talos uſque relaxetur, & ægrotus cruribus tremat, & vacillet, ac titubet. nervi quoque groſſo de phlegmate flatu diſtenti, quum in lecto vel quovis motu incaluerint, & crurum ac veſicæ muſculi ſaltu jectigationis adeo convelluntur, ut lotium præter voluntatis arbitrium emingant. Quid multis? Corpus niſi baculis ſuffultum fuerit, progreſſuri labaſcunt & corruunt. Quem morbum Hippocrates *libro Prænotionum altero*, hiſce verbis deſcribit: *Medulla*, inquit, *ſpinæ affecta, homo nec crurum, nec veſicæ, aut ventris officio potens eſt, niſi urgente neceſſitate.* ſi vero morbus invaluerit, tum aliquando præter voluntatem mejit & egerit. Hunc vero morbum auctor libri Definitionum pereleganter ita definit: „σκελοτύρβη ἐστὶν εἶδος παραλύσιος, ὅτε πεπεπαται ἐπ' ἰθείας μὴ δύνασθαι, καὶ ποτὲ μὲν κατὰ τὸν ὀρθὸν, ποτὲ δὲ εὐώνυμον „ἐς τὰ δεξιὰ περιφέρειν, ἢ τὸ δεξιὸν ἐς τὰ ἀριστερὰ καὶ ποτὲ „μὲν ἐκτείνειν τὸ σκέλος, ὅσπερ οἱ ἀναβαίνοντες τὶ μέγα. Id eſt: *Scelotyrbe eſt ſpecies paralyſis, qua correpti recto calle progredi non poſſunt, ſed modo à dextris in ſiniſtrum vacillant, ac ſiniſtrum pedem in dextrum circumferunt, ac coguntur dextrum in ſiniſtrum, & in progreſſu attollere crus, tanquam hi qui magna & ardua conſcendere volunt.* Pleriſque mederi *cum theriaca, ac balneis Laconicis, & unguentis calorificis de Caſtorio, coſto, ac euphorbio medici volunt:* ſed fruſtra omnis conatus. quin thermis ſulphureis quoque fruſtra inſudarunt: quibus tamen eſum odoremque columbarum ſylveſtrium eſſe ſalutarem, Zoar Soldano ſcripſit, & dixit: *Comedere columbas ſylveſtres eſt præſentanea antidotus relaxationi omnium membrorum, & illis qui reponunt poſt ſe crura & pedes, & ſalutares privationi ſenſus & motus.* Verſari etiam in periſterotrophio, id eſt columbario, eſt iis paralyticis valde ſalutare. Morbum quoque Gallicum, quamvis ſit veterum morborum farrago & colluvies, novum tamen eſſe plerique contendunt: quum tamen ſæva illius ſymptomata multis ſeculis, antequam increvuiſſet, nobis viſa ſint: varia ſcilicet exanthematum genera, Lichen, Serpigo, Herpes, Gargareonis & tonſillarum ulcera, Sephiros, cancer & ſteatomata, tubera, ac ex intima oſſium medulla concretus ſub illorum panniculis tumor: & in cruribus ſcirrhi, πῶροι qui noctu plus quam interdiu ſæviunt: quos ochram θερίζειν, id eſt diſſipare, dixit Dioſcorides. nec tam dirus in arthritide ex viſcidi humoris lentore graſſatur dolor, qualis circa oſſa in hoc Gallico morbo ſævire ſolet: quem Græce ἰσχάδιον ob id dicunt. qualem quoque dolorem & olim Archigenes & Galenus, oſſibus cranii impactum, cantharidum cauteriis & elleboritino curarunt. πρωτομελιτηκῶς, inquit Aetius, ἤδη γὰρ διάθεσιν καὶ εἰς αὐτοὺς ὡς εἰπεῖν τοῖς ὀστέοις πεπηγυῖαν. „Hoc teſtatum fiet, oſtocopum, oſſium dolorem, antequam Gallica ex venere lues innoteſceret, „in humana deſæviiſſe corpora. Unde & in capite, ſub pericranio tubera, oſſibus cranii impacta crebro videmus enaſci, quæ ex morbo Gallico cephalalgiæ aguata merito dicere poteris. Proinde nil opus eſſe arbitror, ut meis literis ſemper aliquid novi tibi ſignificem: quum exoleti veterum morbi quotannis denuo increſcant, & renoventur. & (ut Terent. *Prolog. Eunuch. vſ.* 41. ait) nil dictum modo, quod non ſit dictum prius: ita nil in morbis modo accidit, quod non acciderit olim. Vale.

FINIS.

PETRI

# PETRI BAYRI, *Taurinenſis*, DE DOLORIBUS MUSCULORUM, EX MORBO GALLICO GENITIS, CAPUT.

*Ex Enchiridio ipſius de medendis corporis affectibus excerptum.*

Unguentum optimum ad tollendos dolores muſculorum, genitos ex morbo Gallico, quod compoſui pro nobili quadam muliere, quæ jamdiu laboraverat magnis doloribus, maxime in nocte, nec poterat ullum invenire remedium, hoc enim ea unguento, Deo favente, fuit ſanitati perfecte reſtituta, quod & in multis aliis ſum expertus. Sunt hæ ejus dotes, quod non infert nocumentum in gutture, & tollit omnino dolores, & ſedat tuberoſitates & durities, quæ in hoc morbo contingunt, delens puſtulas, neque habet ſibi ſimile. Debent tamen prius adminiſtrari purgationes univerſales, humorem peccantem reſpicientes: durante autem tempore unctionis fiant clyſteres patienti morbum Gallicum, ſi opus ſit, & aliquando per intervalla capiat bolum infra ſcriptum. Recipe *caſſiæ pinguis drach. iii. diacatholiconis drach. ii. confect. Hamech drach. j. cum ſaccharo fiat bolus*, quem capiat per horam ante prandium, involvendo in nebula madefacta in vino, bibendo ſtatim poſt parum brodii carnium.

A *ſcendo fiat unguentum*, cum quo calido ungantur membra dolentia, & tuberoſitates ſummo mane: deinde quieſcat coopertus per tres aut quatuor horas, etenim ſudabit copioſe. Quando vero faſtidiet ſudorem, abſtergatur ſudor, & quieſcat per horam. Et ſit decenter ſobrius in cibo & potu, & adhibeat prædictam unctionem decem aut duodecim diebus, & pluribus, ſi opus ſit, & per intervalla ante cœnam per quatuor horas ungatur, donec ſit ſanatus omnino. *Aqua deſtillationis herbæ ſtellariæ bibita* valet, etiam ad ulcera cancroſa. *Olibanum pulverizatum cum oleo de Keiri & aceto confectum in mortario*, confert dolori, qui dicitur compoſitus, & eſt dolor, ex quo proveniunt in corpore ſicut verrucæ, cum quadam re ſimili formicæ, dicit Avic. 2. *Canonis cap. de Olibano*, & profecto eſt morbus Gallicus. Et in uſu decoctionis ligni Guajaci cum vino, vel aqua ſecundum neceſſitatem, ineſt mirabilis proprietas contra morbum Gallicum, maxime in illis, qui nimis ulceribus implentur.

Unguenti porro deſcriptio hæc eſt. Recipe *olei irini*, B *& ol. de Keiri, ol. laurini ana drach. iij. axungiæ porci maſculi liqueſactæ & colatæ unc. ix. ſuccorum radic. ebuli, abſinthii, & rutæ agreſtis ana unc. iiij. vini malvatici. aut alterius albi odoriferi & optimi lib. j. ſ. coquantur omnia ſimul ad conſumptionem ſuccorum & vini lento igni: deinde colentur, & colaturæ addantur bdellii diſſoluti in aceto drach. ix. olibani pulverizati ſubtiliſſime unc. ij. & drach. ij. euphorb. & pyrethri ſubtiliſſime pulverizatorum ana drach. vj. ceræ q. ſ. miſceantur omnia ſimul, & ponantur ſuper ignem, donec cera ſit liquefacta: deinde removeantur ab igne, ſemper movendo cum ſpatula uſque ad refrigerationem, & tunc addatur Mercurii extincti unc. j. ſ. & diligenter mi-*

Pilulæ vero, quibus utuntur moderni contra morbum Gallicum, quæ in aliquibus (ex ulceribus & nodoſitatibus multum exterminatis) mirabilem fecerunt operationem, hujuſmodi ſunt. Recipe *argenti vivi drach. xxv. rhabarbari electi drach. x. diagrydii drach. iij. moſchi, ambræ ana drach. j. farinæ frumenti drach. ij. cum ſucco limonum fiat maſſa pilularum, ex qua formentur pilulæ quantitatis ciceris, & detur una pro vice omni die per horam ante cœnam.* Hæc recepta fuit ex Turcia apportata, & qui primus inter Chriſtianos his uſus eſt pilulis, cecidit repente mortuus ſuper pontem Avenionis, dum ibidem profugi eſſemus propter prœlia, anno 1537.

FINIS.

# ANTONII CHALMETEI, *Vergeſaci*, DE MORBO GALLICO LIBER.

*Ex Enchiridio ipſius Chirurgico excerptus.*

## CAP. I.

Venerei affectus profligandi prima pars ad victus inſtitutionem eſt reſerenda, in qua aër debet eſſe temperatus, cibi euchymi, coctuque faciles, & qui humores nec craſſos & viſcidos, nec tenues & acres gignant. Altera pars in purgationibus conſiſtit: in quibus *clyſter ex decoctione com-*

C *muni, caſſia, & cathol. primum locum habebit:* vel potionem *ex caſſiæ drach. vj. cathol. drach. iij. rhab. in pulverem redacti drach. ſ. cinnamomi granis ij. aquæ bugl. unc. iij. ſyr. viol. vel roſ. unc. j. dabis:* aut *bolum ex caſſia, cathol. & diaſena offeres.* Poſtea ſequenti die, ſi plenitudinis ſigna apparuerint, venam ſecabis, jecorariam quidem, ſi magis ſint affectæ partes inferiores, vel cephalicam, ſi ſuperiores, vel mediam, ſi omnes ex æquo partes afficiantur. Sanguinis vero educendi quantitas indicationem habebit à natura virium, ætatis, ac morbi. Si tamen mulier afficiatur, utile eſt, vena malleoli ſecta, ciere men-

ſes, ſi retineantur, quo tempore fluere ſolebant. Deinde humores præparandi, qui ſi bilioſi & tenues videantur, quales ſunt in iis, qui ulcera habent virulenta: exhibebis *ſyr. de ſumar.*, *de lupulo*, *de bugl.*, *endiviæ*, *viol.*, *cum aquis fumar.*, *cichorei*, *endiv.*, *borag.*, *bugl.*, *ſolani*, *viol.* ut tamen ſit aquarum ad ſyrupos proportio dupla: quibus adde *triaſant. vel diamarg. frig. drach. ſ. ſ.* videbiſque, num plus hujus ſyrupi vel aquæ, minus autem illius ſit miſcendum. Si vero pituitoſos craſſoſque humores magis redundare putaveris, ſitque affectus cum arthritide, aut tumoribus ſcirrhoſis conjunctus, tum proderunt *mel roſ. colat.*, *oxymel ſimpl.*, *ſyrup. de ſumar. compoſitus*, *ſyrupus conſervationis acori*, *de ſtœchade*, *oxymel ſcill.* & *aquæ beton. meliſ. hyſſopi*, *ſalviæ*, *primulæ veris*, *ivæ arthriticæ* & *ſimiles*: addes autem *pulverem cinnamomi vel nucis moſc. vel diarhod. abb. ad ſcrup. iiij.* vel apozemate ſequenti humores præparabis. Recipe *ligni ſancti* & *cort. ejuſdem in lib. viii. aquæ infuſorum ſing. unc. iiii. coquantur ad medias*: *adde rad. ruſci*, *graminis*, & *aſparagi ſing. unc. j. rad.* & *foliorum enulæ campanæ*, *bugloſ. borag. endiv. lupuli*, *fumar. lapathi acuti*, *ſcabioſæ*, *adianthi*, *polytrichi*, *roſtri porcini ſing. man. ſ. liquiritiæ contuſæ drach. vj. medullæ ſeminis cartham. ſennæ orient. ſing. unc. j. ſeminis citri*, *cucurb. melonum drach. ij. ſeminis aniſi* & *fœnic. ſing. drach. i. paſſul. mundat. jujubarum* & *ſebeſten ſing. par. viii. trium florum cordialium ſing. pug. i. fiat decoctio in aqua lupuli*, *vel fumar. cape de colat. lib. ij. in quibus diſſolve ſacch. quantum ſufficit ſantali moſcat.* & *cinnamomi ſing. drach. i. ſ. fiat apozema clarific.* & *aromat. pro vj. doſibus*. Quando humores ſunt heterogenei, & capitis atque articulorum doloribus æger infeſtatur, proderit ſequens. Recipe *ligni ſancti* & *corticis ejuſdem*, *ſicut dictum eſt*, *infuſorum* & *coctorum ſing. unc. iiii. rad. acori*, *galangæ craſſæ ſing. drach. vj. rad. ruſci*, *graminis*, *aſparagi*, *filicis*, *enulæ camp. lapathi acuti cum foliis ſing. unc. i. betonicæ*, *ſalviæ*, *meliſſæ*, *gallitrichi*, *chamæm. chamepit.*, *primulæ veris*, *trifolii*, *fumariæ*, *hepaticæ*, *endiv. bugloſ. quinque capill. ſing. man. i. ſeminis melonum unc. i. ſeminis aniſi* & *fœnic. ſingul. unc. ſ. liquirit. contuſæ unc. i. ſ. paſſul. mundat. unc. ij. prunorum* & *ficuum ſing. par. viii. polypod. querc.* & *medullæ ſeminis carthami ſingul. unc. ii. ſennæ orientat. unc. i. ſ. agarici trochiſc. unc. ſ. hermodact. drach. iii. colocynt. drach. ii. hellebori nigri drach. i. ſ. myrobal. Indarum* & *chebul. cum oleo amygd. dulc. confricatarum*, *ſing. drach. ii. thymi* & *epithymi. ſing. drach. i. ſ. trium florum communium*, *ſtœchad.* & *florum geniſtæ*, *ſing. pug. i. fiat decoctio in æquis partibus ſucc. fumariæ*, & *ſeri caprini*, *cape de colat. lib. ii. in quibus diſſolve mel. roſ* & *ſyrupi roſ. ſolutivi ſingul. unc. iii. ſacch. quantum ſufficit*, *fiat apozema mediæ decoctionis*, *clarificetur*, & *aromat. cum cinnamomi*, & *diarhod. abb. ſingul. drach. i. Capiat bis in hebdomade vel frequentius unc. iii. pro doſi*. Poteris ex iis nonnulla detrahere, & alia adjungere pro natura affectus. Et ſi ventriculi ſubverſionem timeas, prætermittis *helleborum* & *colocynthidem*. Si mulier afficitur, non ſunt omittenda quæ uterum juvant, ut ſunt *matricaria*, *verbena*, *ſabina*, *ſyrupus de artemiſia*, & *de radicibus*. Humores jam præparatos, ſic vacuabis. Recipe *elect. de pſyllio*, & *de ſucco roſ. ſing. drach. i. ſ. cathol* & *trypheræ Perſicæ ſing. drach. iii. rhabarb. electi in ſero caprino infuſi ſcr. iiij. cinnamomi grana v. ſyrupi viol. unc. i. aquarum lupuli* & *fumar. ſing. unc. i ſ. miſce*, & *fiat potio.* vel, Recipe *decoctionis communis* (*cui adde polypod. querc.* & *ſennæ ſing. unc. ſ. hermodact. drach. ii.*) *quantum ſufficit*, *in qua diſſolve cathol. drach. vi. confect. hamech* & *diaphœn. ſing. drach. ii. fiat potio.* vel, Recipe *elect. Indi majoris*, & *diaphœn. ſing. drach. iii. diacarth. drach. ii. aquarum beton.* & *bugloſ. ſing. unc. ii. ſyrupi roſ. ſolutivi unc. i. miſce*, & *fiat potio.* Recipe *conſervæ rad. bugl.* & *florum ſtœch. ſingul. drach. i. ſ. theriacæ veteris ſcrup. iiii. ſacchari modicum*, *fiat bolus*: qui detur poſtridie medicinæ. Poſtea bibat *aquarum bugloſ.* & *ſumar. unc. i. ſ.* Loco potionis, hyberno præſertim tempore, purgari poterit humor pituitoſus *pilulis de agar.*, *cochiis*, *fœtidis*, *lucis*, *de hermod.* & *arthriticis*. Bilioſus autem, *aureis*, *aggregativis*, *aſſajeret*, *ſine quibus*, *de rhab.*, *de quinque generibus myrobal. de ſumaria*.

Tertia pars hujus affectus curandi ad roborantia pertinet. Utile enim fuerit opiatam præſcribere, qua mane & veſperi utetur ad cerebrum, hepar, & ventriculum roboranda. Fiet autem ex *conſervis radicis acori*, *elenii*, *florum ſalviæ*, *anthos*, *cichorei*, *bugloſ.*, *cortice citri condito*, *theriaca*, *diamarg. frig.*, *elect. lætitiæ Galeni*, *diarhod. abbatis*, *triaſant.* & *ſimilibus*. Proderunt quoque *myrobal. conditæ*, ſed divitibus, ob ſumptum. Epithema etiam cordi applicabitur *ex floribus communibus*, *meliſſa*, *corallo*, *ſantalis*, *ſemine citri*, & *ocymi*, *diamarg.* & *ſimilibus*.

## CAP. II.

### *Uſus aquæ philoſophicæ.*

Quarta curandi pars eſt in uſu cujuſdam aquæ, quam philoſophicam, vel theriacalem appellant, qua utendum poſt univerſales purgationes, juxta humoris peccantis naturam. Poterit ergo ſequens parari ad morbum profligandum. Recipe *raſuræ ligni ſancti optimi lib. ſ. vini albi dulcedinis expertis lib. ii. aquæ deſœcatiſſimæ lib. viii. aquarum fumar. cichorei*, *chamæm. ſing. lib. i. polypodii quercini lib. ſ. macerentur ſimul horas xii. adde epithym. unc. ii. aſplenii unc. vi. ſeminis juniperi unc. ii. corticis citri unc. i. conſervæ roſ. cichorei*, *bugloſ.* & *borag. ſing. lib. ſ. conſervæ enulæ campanæ*, & *theriacæ veteris ſing. quart. i. diſtillentur in diplomate*: *poſtea addes ſaccharum* & *cinnamomum ad ſaporis ſuavitatem*: *dabiſque hujuſmodi aquæ unc. iii. aut iiii. aut v.* pro viribus ægrotantis, ac morbi magnitudine: nam ea ſua tenuitate humores tenuat, poros aperit, ſudores movet, ac recondita facultate huic morbo adverſatur. Cui poteris addere *conſervam acori*, *iridem*, *aut alia*, quæ magis tuæ intentioni accommoda videbuntur. Liberum quoque erit longe à cœna, cum ibit cubitum, totidem uncias illius aquæ ſumere. Interea vero, dum ea utetur, cubiculo non egredietur niſi à prandio, cœloque ſereno, & aëre calido, victu utetur tenui & exſiccante, vinum bibet oligophorum, menſemque integrum ita vivet cum hujuſmodi aqua vel etiam diutius, pro virium, & affectus magnitudine: cumque alvus fuerit aſtricta, clyſtere molliente ſubducetur. Nonnulli in principio paſtus unc. iii. hujus aquæ exhibent cum tanta vini albi quantitate: nec eam veſperi propinant.

## CAP. III.

### *Qui uſus ligni Indici.*

Solemus etiam poſt univerſales purgationes hunc morbum uſu ligni ſancti curare: ſic vero parabitur. Recipe *ſcobis ligni Indici lib. i. corticis ejuſdem unc. iiii. macerentur horas xxiiii in lib. x. aquæ puriſſimæ in fictili vitreato*: *coquantur ad medias prunis luculentis quinque aut ſex horas*, & *percolentur*: poſtea quotidie in aurora illius aquæ dabis uncias ſex, & ægrum cooperies & ſudores moveantur: moderate tamen, ne vis corporis diſſolvatur: ſubinde ſudor detergatur, corpus fricetur & caput: cibum non ſumat niſi horis ſex à potu exactis: ejuſdem aquæ totidem uncias offeres quinque horis à cœna: ſudores tamen tunc non movebis. Deinde *in idem lignum jam coctum aquæ lib. xv. injicies*, & *iterum coques ad tertias*: *ſub decoctionis finem addes liquir. raſæ* & *contuſæ unc. ſ. paſſularum mundatarum unc. ii. abſoluta decoctione addes cinnamomi drach. v. ad ſaporis jucunditatem*, coque decocto utetur in paſtu. Nonnulli ſub finem primæ decoctionis addunt *fumar. lupuli*, *borag. bugloſſ. ſingul. man. j.* Alii *radicem cyclam. cardui benedicti*, & *olibanum ad unc. i. ſingulorum*: alii *rad. enulæ campanæ in pulverem redactæ*, *muniæ*, *ſingul. unc. ſ. carabes arach. ii. ſ. pulveris hermodact. drachm. ii. ſennæ orientat. unc. ſ.* alii *mediam partem vini albi*: alii *tres partes vini* & *unam aquæ* injiciunt: quod profuturum putaverim corporibus pituitoſis ac robuſtis, atque cum nervi ac tendines non afficiuntur: cum vero corpora ſunt imbecilla, ſatius duxerim, magisque profuturum, ſi decoctio in ſola aqua fiat: imo cum corpus imbecillum, bilioſum, ad tabem propenſum, ſæpe Guajaci uſu contabeſcit: inflammantur urinæ, dolores augentur. Itaque cum corpus eſt bilioſum, loco *aquæ communis*, utor *aquis cichorei*, *bugloſſ. viol. fumar.* in decoctione quarum uſu ſæpe ſum expertus rem felicius ſucceſſiſſe. Sunt quoque qui primo decocto adjiciunt *helleborum*, *eſulam*, *colocynth. turbith. diagryd. agar. rhabarb.* quod præter rationem fieri videtur: illa ſiquidem humores naturamque exagitant, ac vires diſſolvunt: fiunt enim duæ evacuationes contrariæ: una quidem ligni ſancti ad exteriora per ſudores, altera vero medicamentorum laxantium ad interiora per alvi dejectionem. Proinde illis ſum nunquam uſus, neque uti ſuaſerim. Alii decocto Guajaci nihil adjiciendum eſſe ſentiunt, ne aliorum mixtione vis ligni in provocandis ſudoribus impediatur. Quod ſi aliquid miſcere placet, id partibus affectis ſit accommodatum, ut in hepatis obſtructione addantur *capillares*, vel quæ vim Guajaci adjuvent, veluti *carduus benedictus*. Aliqui ſequentes uſurpant decoctiones veluti artis arcana quædam.

Re-

Recipe *ligni ſancti lib. j. corticis eiuſdem lib. ſ. aquæ puriſſimæ lib. x. macerentur, ut dictum eſt xxiiij. horas, atque coquantur ad tertiæ partis conſumptionem.* Præterea *rad. enulæ camp. dactylorum ab oſſibus ſeparatorum ſing. unc. j. ſ. ſennæ oriental. unc. j. macerentur in lib. vj. vini albi horas 24. ſuper cineres calidos, ita ut propemodum vinum ferveat: deinde exprimantur, & huic vino miſceatur præcedens decoctio: poſtea adde ſacch. lib. ſ. cinnamomi unc. j. & exactis iiij. horis ab ea mixtione, trajiciantur per colatorium vini aromatitis, ac ſingulis matutinis capiat unc. v. aut ſex*, & ante cœnam, vel cum ſe in lectum recipiet, tantundem. Iterum *in dictum lignum injice aquæ lib. xv. bulliant ad tertias, adde ſacchari & cinnamomi quantum videbitur ad ſaporis gratiam.* Animadvertendum vero, non unam eandemque decoctionem omnibus temperaturis eſſe parandam, ſed interdum valentiorem, interdum vero imbecilliorem, habita virium, ac morbi, & cæterarum rerum, tum naturalium, tum contra naturam, ratione. Idem quoque dicendum de victus inſtitutione. Dum autem eo decocto utetur, ita victus inſtituendus, ut conſuetudine in ciborum quantitate perſpecta, primis quinque aut ſex diebus quarta pars detrahatur, aliis ſex tertia, aliis ſex diebus media, deinde eodem ordine ad priſtinum vivendi modum reducatur. Uratur carnibus euchymis & aſſis, ac ſale minime condiantur: Nam ſal, ut ajunt, vim decocti impedit. in prima menſa offerantur aliquot pruna cum ſaccharo, in poſtrema autem paſſulæ. Panem bis coctum comedet, cui, cum flatus torquent, aut adeſt ventriculi imbecillitas, adjiciendum *nonnihil aniſi, & fœniculi.* Sic vero vivendum tenuiter 30. vel 40. dies, pro viribus ægri ac morbi magnitudine. Nonnulli ſæpe ſolum panem cum prunis & paſſulis offerunt. Quod ſi ob virium imbecillitatem vinum in paſtu permittere cogaris, primi decocti uſum in ſex hebdomadas protrahes. Cum vero alvus non fluet libere, erit, ut dictum eſt, clyſtere ſubducenda, vel *drachmæ aliquot ſennæ in decocto veſperi macerandæ, & mane leni præcedente ebullitione & expreſſione offerendæ.* Vel ſyrupus ſequens in uſum parandus, de quo *unc. iiij. cum decocti Guajaci unc. ij.* exhibebis, & illo die non moveantur ſudores. Recipe *polypodii quercini recentis lib. ſ. foliorum mercurial. borag. fumar. ivæ arthriticæ ſing. man. j. paſſul. prunorum, ſebeſten ſing. par xxx. aniſi unc. j. tamarind. unc. ij. ſennæ orient. lib. ſ. florum viol. bugl. & borag. ſing. pug. ii. fiat decoctio ad lib. iiij. in colat. diſſolve mel roſ. colat. & ſacch. ſingul. lib. j. ſyrupi roſ. ſolutivi, & ſyrupi de fumo terræ compoſiti ſing. unc. vj. fiat ſyrupus perfecte coctus, qui uſui ſervetur*, deque eo capiat bis vel ter in hebdomade, ut dictum eſt. Cæterum cum videamus, decoctum Guajaci non ſufficere ad hunc affectum profligandum, quod tenues humores abſumat, craſſos vero frequenter relinquat: poſt hujuſmodi decocti uſum, nos levioribus ſolemus uti unctionibus ex hydrargyro & aliis, quibus, quod reliquum erat craſſorum humorum, abſumitur, & partim per os, partimque per alvum, & urinas educitur. Tres vero vel quatuor tantum unctiones efficimus, aliquo ex unguentis infra ſcriptis, à quo doſin medium argenti vivi ſubtrahimus, ut mitius, imbecilliusque ſit unguentum. Utiliuſque exiſtimamus dierum tantum triginta diætam præſcribere, ac poſtea ita ungere, quam 40. dierum diætam, ſine unctionibus

## CAP. IV.

### *Quomodo utendum radice Chinæ.*

Alia ratione curatur hic morbus, quæ non eſt præcedenti admodum diſſimilis, fit autem decocto radicis Chinarum, quæ apios dicitur. Itaque poſt univerſales purgationes, præſcribimus victum tenuem, non tamen uſque adeo ſiccum atque cum decocto Guajaci: ſiquidem decoctum radicis Chinarum vehementius ſiccat, quam Guajaci, quod ex ſitu facile deprehenditur: ſic autem parabitur. Recipe *radicis Chinæ in tenues orbiculos ſectæ unc. j. aut unc. j. ſ. conjuntur in x. lib. aquæ in vaſe terreo vitreato, ad medias. Vas vero tam exacte cooperiatur, ut nihil exhalet: Deinde coletur decoctum, ac ſuper cineres continue calidum ſervetur.* Hujus decocti dentur unc. viii. vel viiij. pro viribus ægrotantis; ac ſudet tres horas: ſudor diligenter abſtergatur, prandeat hora 9. vel 10. & rurſum hora tertia à meridie eandem decocti doſim ſumat: lectum ingrediatur, & ſudet, cœnabit autem hora ſexta, ac frugalior erit cœna, quam prandium. loco vini ſecundo decocto utetur, quod parabitur, ſi injeceris *aquæ lib. xii. in feces ſuperioris decocti, deinde coxeris ad tertias.* Poteſt tertium & quartum fieri decoctum, ſi addideris *radicis drach. ij.* Si tamen vino abſtinere non poſſit: eò ſaltem decocto vinum diluatur. At hujuſmodi doſis non eſt ſervanda perpetuo, ſed vel augenda, vel minuenda pro virium & morbi magnitudine. Debetque decoctum hujuſmodi quotidie vel alternis diebus parari: nam facile aceſcit, vireſque amittit, ſi diutius ſervetur.

## CAP. V.

### *Unguentorum adminiſtrandorum ratio.*

Quinta pars hujus affectus curandi, ad unguenta ſudores moventia eſt referenda: in quibus non ſunt ponenda, quæ valenter ſiccant, niſi ulceribus laboret, quibus ſiccantia proſunt, ſed ſudores cohibent, qualia ſunt *præcipitatum, tutia, litharg.* ſed uſurpanda, quæ molliunt, laxant, & leniter diſcutiunt, ut *adipes, medullæ, butyrum, olea liliorum, chamæmel. anethi, amygd. laurinum, lumbric. unguentum reſumptivum, dialth. & ſimilia cum argento vivo:* quod frequentiſſime ſum expertus, etiam ſi abſque præparatione applicaretur, profuiſſe, modo eo recte utamur; hoc eſt juſta quantitate, atque totius corporis perſpecto temperamento, & viribus ægri. Non improbo tamen illius præparationem ex aquis calfacientibus, & tenuantibus: imo vero puto potius ita eſſe præparandum, quam cum aceto. Quod vero nonnulli, etiam doctiſſimi viri, illius uſum improbare conantur, multis modis, quæ ex ejus uſu ſequuntur, incommoda demonſtrantes, ea certe humoris potius acrimoniæ, aut eorum, qui utuntur, ignorantiæ tribuenda exiſtimo, quam mercurio. Multa enim ſunt medicamenta, quæ plurimam nobis utilitatem afferunt, ſi recte illis utamur, contra vero jacturam maximam, mortemque immaturam, veluti *opium, papaver, & alia.* Aliorum tamen rationes refellere, aut contrarias in medium proferre, mei non eſt inſtituti: ſed affirmare auſim eos, qui tantopere mercurii uſum improbant, aut nunquam, aut non ut decet, illius periculum feciſſe, ſed ut ſit, ego tamen confirmo, illius uſum me nunquam fefelliſſe, qui quam plurimos ab hac deteſtanda lue etiam inveterata (quæ hic, ſi alibi uſquam, eſt frequentiſſima) Dei beneficio, liberaverim. Ut autem ad rem veniamus, poſt univerſales purgationes, poterunt ſudores hoc pacto moveri. Recipe *axung. ſuillæ lib. j. pingued. gall., butyri recent. ſing. unc. j. olei chamæmel. & lil. ſing. unc. iiij. olei laurini & anethini ſing. unc. ij. thur. maſtich. myrrhæ ſing. unc. ſ. argenti vivi unc. v. tereb. lotæ in aqua vitæ unc. iij. reſinæ pini unc. iiij. miſce, fiat unguentum:* quod erit doloribus profuturum, ſi addas *unguentorum calidorum unc. iiij.* aut plus minuſve pro doloris vehementia & *ſtyracis liquidæ unc. ſ.* Proderit quoque tophis & ſcirrhoſis tumoribus, ſi addideris *gummi bdellii, ammoniaci, galbani diſſolutorum in vino albo, & aquæ vitæ, ſingul. unc. j. pingued. anſeris, anatis, & medul. cruris vituli ſing. unc. ij.* Ulcera vero juvabit augendo doſim pulverum, & addendo *lithargyrium, & ceruſſam, vel minium.* Ut tamen rem dilatemus, explicemuſque magis perſpicue, poterunt unguenta ſequentia ſingulis affectibus particularia parari. Primo quidem in morbo cum puſtulis ſine articulorum dolore. Recipe *radicum & foliorum enulæ camp. lapathi acuti, althææ, malvæ, ſcabioſæ, fumar. lupuli, roſtri porcini, agrimon. bugl. viol. ſingul. man. j. lentium, lupinorum, & hordei parum contuſorum ſing. pug. ii. hellebori nigri triti unc. ij. ſulph. vivi unc. j. fiat decoctio pro balneo*, quod ægrotus ingredietur veſperi, longe à cœna, poſtea in lecto ſudabit, & dormiet: mane vero ungetur ſequenti linimento admodum utili. Recipe *rad. enulæ camp. & lil. alborum ſing. unc. j. ſ. ſummitatum abſinthii, lupuli, fumar. ſcabios. ſingul. man. ſ. cicerum, lentium, hord. ſing. pug. j. florum chamæm. melil. ſamb. ſingul. pug. j. fiat decoctio, cape de col. lib. j. ſ. adde olei roſ. unc. ij. olei maſt. & laurini ſing. unc. iiii. butyri rec. unc. v. axung. ſuillæ ſalis expertis lib. ſ. bulliant omnia ſimul ad decocti conſumptionem, poſtea miſce thuris, maſtich. myrrhæ ſing. unc. i. ſ. ſarcoc. & ceruſſæ ſing. unc. i. aluminis drach. vj. litharg. unc. j. ſ. tereb. unc. iii. ſtyracis liquidæ drach. x. argenti vivi in ſucco limonum extincti unc. iii. vel plus minuſve pro ægrotantis viribus, agitentur diligenter in mortario marmoreo, fiatque linimentum.* Si dolor ſine puſtulis articulos, & caput maxime afficiat, utendum ſequenti. Recipe *axung. gallin. anſeris & anatis ſing. unc. j. medul. cont. vituli & bovis ſing. unc. j. ſ. axung. ſuillæ lib. j. Hydrarg. in ea axungia extincti unc. v. vel vj. vel viii. pro viribus ægri, thuris, maſtich. baccarum lauri ſing. unc. ii. ſarcocol. myrrh. ſing. unc. i. ſ. cinabrii drach. ii. euphorb. unc. ſ. reſinæ pini unc. ij. ſ. tereb. lotæ in aqua vitæ unc. iii. ſublimati drach. i. ſ. olei lumbric. amurcæ, olei de lil., chamæm. & vulpini ſing. unc. iij. agitentur in mortario marmoreo, addendo ſtyracis liquidæ drach. x.* Si tophi in capite, & in reliqua parte extremæ ſunt ungendæ & adenes, atque à ſuperiori linimento *cinnabrium, ſublimatum, & euphorb.* ſunt detrahenda: miſcere autem poteris aliquid *unguenti reſumpti*

*vi, & Agrippæ, ac aliorum calidorum cum bdellio & ammoniaco.* Cum vero adeſt dolor articulorum cum tophis; hoc utitor. Recipe *rad. acori, enulæ campan. ireos, ebuli, althææ, hermodact. ſing. unc. j. beton. ſalviæ, ivæ arthrit. ſing. man. j. florum hyperic. ſtœch., ſing. pug. j. coquantur in lib. ii. vini, & colaturæ miſce axung. ſuillæ ſalis expertis lib. j. axung. gall., anſeris, anatis, medul. cruris vituli ſingul. unc. j. unguenti Agrippæ, martiati, dialth. ſing. unc. j. s. olei lumbr. vulp. de lilio, chamæm. aneth. laur. maſtich. ſing. unc. j. s. thuris, maſtich. ſing. unc. j. myrrhæ unc. s. baccarum lauri unc. j. s. euphorb. drach. ii. reſinæ pini in oleo lumbr. liquefactæ unc. iij. tereb. lotæ in vino albo unc. ii. mercurii in aqua vitæ & ſalviæ loti, exſiccati, & axungia extincti unc. vj. ſtyr. liquidæ unc. s. fiat unguentum.* vel Recipe *axung. ſuil. lib. j. opop. galb. ſagap. bdel. diſſolutorum in aqua vitæ ſing. unc. j. reſinæ pini liquefactæ unc. iiii. olei rut. unc. ii. olei lumbr. de ſpica, chamæm. laur. ſing. unc. iii. unguenti dialth. unc. v. thur. maſtich. myrrhæ ſing. unc. j. euphorb. unc. s. cinnabr. drach. iii. hermod. unc. s. fiat linimentum.*

## CAP. VI.

### *Curatio per emplaſtra.*

At qui unctiones pati nolunt, poterunt uti *cerato, vel emplaſtro Vigonis de ranis*, quo poſt univerſales purgationes circumvolventur omnes articuli, vel brachia & crura tota, & in lecto aut domi ſe continebunt. Quod ſi pruritus naſcatur, fovendus locus *vino decoctionis roſ., chamæm. melil. & ſimilium*, deinde applicandum emplaſtrum. Vis autem eorum ſi nimium fuerit imbecilla, unam aut alteram unctionem adjunges.

## CAP. VII.

### *Curatio per pilulas Mercuriales.*

Nonnulli poſt purgationem univerſalem ſequentibus pilulis affectum curant. Recipe *rhab. unc. x. ſcamm. drach. iij. terantur, ſuccum vel ſyrupum de limon. affundendo, argenti vivi panno concluſi, ut grauis minimis effluat, unc. ii. & drach. vj. extinguatur diligenter eodem ſucco, cumque ſatis extinctum & mixtum fuerit, ſæpe de eodem ſucco vel ſyrupo affundendo, adde farinæ triticeæ drach. ii. moſchi drach. i. fiant pil. v. pro drach. diligenter deauratæ:* nam aurum Dioſcoridi mirifice hydrargyri noxam reprimit, ſumat quotidie unam, vj. horis ante cibum, illisque triginta dies utatur. Interea vero nullo alio utatur medicamento, nec cathartico, nec topico; ſed bis in hebdom. tantum bibat *aquæ fœnic. unc. j. & aquæ vitæ unc. s.*

## CAP. VIII.

### *Alia curatio per potionem & unguenta.*

Alii affectum inveteratum præſcripta victus ratione, ac purgationibus, ſequentibus potione, & unctione curant. Recipe *zing. nucis moſch. caryoph. pip. ſing. unc. j. vini albi lib. vj. macerentur horas xxiiii. & coquantur, donec ad lib. iiij. redeant:* bibat ad novem dies vel plures *illius decocti unc. iiii.* pro doſi ſingulis matutinis. Recipe *hydrarg. unc. iii. olei laur. unc. iiii. baccarum lauri unc. ii. euphorb. aquæ ſalviæ & vitæ modicum, ungantur extremæ partes corporis, & ſpina dorſi proxime ignem mane, & ante cœnam*, poſtea ſudet. Eam autem curandi rationem in robuſtis, & pituitoſis non improbarim.

## CAP. IX.

### *Ultima curatio per ſuffitus.*

Poſtrema curandi ratio in ſuffitibus conſiſtit, quæ mihi parum probatur: non enim poſſunt ſuffitus hunc morbum curare, niſi vehementes fuerint, qui non poſſunt fieri ſine magno partium principum periculo, ac ſæpe inducunt ſyncopen ob ſpirituum reſolutionem, aut paralyſim, aut convulſionem. Cum tamen reliqua medicamenta non profuerint, illis tandem uti poterimus in ſequentem modum. Recipe *cinnabris unc. s. thuris, maſtich. ſing. unc. i. calami aromatici, zedoariæ ſing. drach. iij. olibani, ſandarachæ veræ ſing. drach. ij. ceruſſæ unc. s. excipiantur tereb. & fiant trochiſci pro ſuffitu.* Recipe *corticis thur. drach. ii. maſtich. gummi hederæ & juniperi, ladani, hypociſt. ſing. unc. s. auripig. rubri vel citrini drach. iij. cinnabris unc. j. excipiantur tereb. & fiant trochiſci.* vel, Recipe *cinnabris unc. ii. ladani drach. ii. cort. citri ſicci unc. s. ſublimati drach. i. thur. maſtich. ſtyracis calam. radicis dictamni veri ſing. drach. i. s. cum debita theriacæ veteris quantitate fiant trochiſci ponderis drach. i. s. qui viciſſim conjiciantur in carbones.* Si vero fuerit fluxus humoris in pulmones, poterimus *ſublimatum* detrahere, & illius loco *auripigmentum* miſcere. Solis illis ſuffitibus contenti erimus, vel poſt ſuffitum ungemus extremas partes imbecillo unguento, quo utendum eſſe diximus poſt Guajaci uſum, optimumque erit in ulceribus, quæ cacoethe dicuntur. Si poſt unctiones ſuffitu uti velimus ad abſumendas morbi reliquias, detractis *cinabrio & auripigmento*, cardiaca miſcebimus, quæ vim incidendi, tenuandi, ac diſcutiendi habeant. Modus autem utendi ſuffitu is eſto: Æger nudus collocabitur ſub conopeo in ſedili, oculis clauſis, ne ſuffitus tenuitate lædantur, & in vaſe ignis ex prunis luculentis, in quem conjicientur *trochiſc. unc. j. vel unc. s.* pro viribus ægrotantis, & indicationibus variis, ſi fumus valentior fuerit, paululum caput educet, deinde reducet, ac ſi fieri poſſit, moveatur ſudor, poſtea in lecto reclinetur æger, ac ſudet, fiatque ſuffitus mane ante cibum, vel ſi virtus imbecilla, ſumpto tantum ovi vitello & tantillo vini, vel *unc. s. diamarg. frig. vel modico corticis citri conditi.* Unguentis, vel emplaſtris, vel ſuffitibus erit utendum, donec morbi materiem abſumptam putaveris, mane autem tantum jejuno ventriculo unguentis vel ſuffitu uteris, vel alternis tantum diebus, ſi æger imbecillior. Quod ſi natura tarda ad expellendum, & robuſta fuerit in fine, bis in die ſine periculo ungere poteris, unges vero partes extremas, & adenes, ac ſpinam, cavebiſque regionem partium principum, fiet autem unctio proxime ignem, vel in lecto, ſi æger imbecillior, non autem in thermis, vel hypocauſtis. Denique his notis materiam ſatis abſumptam deprehendes, dentes dolebunt, lingua intumeſcet, ulcera naſcentur in ore, ſaliva multa effluet, ulcera exſiccabuntur, remittentur dolores, aderit laſſitudo fere ad ſyncopem, diſtendentur nervi, & alvus profluet, perſeverandumque erit in uſu eorum medicamentorum, donec aliquid eorum ſubſequatur.

## CAP. X.

### *Quomodo occurrendum ſymptomatis.*

Symptomatum alia præcedunt, ut ardor urinæ, bubones, ulcera pudendi, quæ etiam ſine morbo venereo accidere videmus. alia ſequuntur, ut puſtulæ, ulcera in toto corpore, alopecia, alia ſuperveniunt ex imperfecta curatione, ut dolores fixi, nodi cum carie oſſium, ulcera omnis generis, herpes, maraſmus, & alii morbi varii. alia ſuperveniunt inter curandum, ut oris inflammatio, cum unguentis utimur, aut ſuffitu, ulcera in ore excitantur ob recrementorum tranſitum, potius quam vi unguentorum, niſi quod hæc vehementius humores educant, decoctum vero Guajaci vel Chinæ ſenſim. Quod autem id potius humoribus quam unguentis ſit adſcribendum patet. nam multos videmus oris inflammatione laborare ante uſum unguentorum.

### *Oris ulceratio.*

Cui ſymptomati occurrimus, ſi primis quatuor aut quinque diebus utamur *gargariſmate ex jure pulli cum ſacch. vel decocto hord. cum ſyrupo violaceo, ita ut lib. decoctionis miſceantur unc. v. ſyrupi.* tutum enim non eſt primis diebus uti repellentibus, nec medicamentis alvum moventibus, quemadmodum nec nimium detergentibus, ob dolorem, qui ſi ſupervenerit, lenietur *gargariſmate ex lacte bubulo, in quo chalybs candens extinctus fuerit, vel ex mucagine althææ, lactucæ, ſeminis lini, cum decocto hordei.* Quod ſi affectus vehemens fuerit, impetus naturæ ſiſtendus eſt, tum clyſteribus acribus, tum repellentibus gargariſmatis dictis de uvulæ inflammatione, & oris ulceribus, *emplaſtrum de maſtiche, vel contra rupturam* collo & temporibus admovendum, & capiti quæ ſiccant, & roborant, ſuffumigia dicta de ulceribus oris, ac ulcera contingenda *aqua ſublimata.* Cucurbitulæ ſcapulis affigendæ, mane caput fricandum, deinde brachia, deinde crura, aut grana aliquot foliorum auri, per ſe, aut in ſuis juſculis, transglutienda. aurum enim, ut ante dictum eſt ex Dioſc., noxam hydrargyri corrigit: aut parentur ſequentia gargariſmata ad dentes roborandos, gingivarum inflammationem tollendam, ulcera oris tum detergenda, tum glutinanda. Recipe *piloſel. plantag. ſummitatum oleæ, rubi, lentiſci ſing. man. j. liquir. unc. j. hord. pug. j. fiat decoctio ad lib. j. in qua diſſolve mel. roſ. vel ſyrupi roſ. vel nymph. pro affectus magnitudine unc. iiij. ſucci mali punici unc. ij. fiat garg.* vel, Recipe *piloſel. plantag. ſolani, caprifol. agrim. ſummitatum oleæ, rubi, mori, caudæ equinæ ſingul. man. j. fol. & baccarum myrti ſingul. unc. j. licii drach. iij. nuces cupreſſi iiij. lentium pug. j. s. fiat decoctio in aqua chalybeata, in col. lib. j. s. diſſolve ſuccorum cydon. & roſ. ſing. unc. ij. s. mel. roſ. vel diamorum unc. ij. aluminis unc. s. fiat garg.*

Inte-

*Inteſtinorum eroſio.*

Sæpe etiam accidit, ut inteſtina ob humorum acrimoniam erodantur, & excorientur, unde tormina & dolores intolerabiles oriuntur, cui ſymptomati ſic occurrimus. Recipe *hord. integri lib. ſ. malv. viol. ſing. man. ij. fiat decoctio, & in lib. j. diſſol. vitellos duorum ovorum, olei viol. unc. iij. pingued. capræ unc. ij. olei roſati unc. j. ſ. fiat clyſter*, qui calens injiciatur, ne concreſcat pinguedo, ac diu agitetur, & iterum atque iterum injiciatur, ſi opus fuerit: hoc enim clyſtere bis injecto, perpetuo ſymptoma profligavi.

*Lipothymia.*

Accidit etiam interdum lipothymia, & vires nonnunquam adeo dejectæ, & proſtratæ, ut ſe movere non poſſint, huic autem ſymptomati providebimus, ſi ægroto exhibuerimus juſcula ex vitellis ovorum, vel ex carnibus pullorum expreſſis cum *cinnamomo & nuce moſch. diamarg. frigidum, diamoſchum dulce, confectio Alkermes, & alia cardiaca* etiam huic ſymptomati utilia.

*Ardoris urinæ curatio.*

Ardor urinæ ſtatim profligabitur, ſi fieri poſſit, nec audiendi, qui dicunt profuturum eſſe, ſi diu perſeveret, quod eos continuo fluxu à lue venerea præſervari putent, imo vero ſæpe viſum eſt eos in luem veneream prolabi propter venenum, quod humoris acrimonia augetur, & partes principes conſcendit, vel in iis partibus generantur ulcera, quæ vix aut nunquam curantur. Proinde in aëre frigido & ſicco verſabitur ægrotus, vitabit omnia acria, ſalſa, flatulenta, utetur vino tenui & oligophoro, vel aqua, in lecto plumeo non dormiet, à venere abſtinebit. Omnes animi affectus vehementes fugiet, corpus moderate exercebit. Purgationibus utetur pro humorum dominio, in quibus maxime vitanda diuretica, & medicamenta valentiora, quæ *ſcammonium* recipiunt, niſi timeamus luem veneream, ſed potius refrigerantia & mollientia exhibenda. Itaque *malvæ, cichorium, endiv. hord. ſemina frig. liquir. paſſulæ, dactyli, myrobal. citrin. & Indæ, ſyrupus viol. & de nymph. flores tres communes erunt ex uſu*, & frequentes injicientur *clyſteres ex decocto malvæ & caſſia*. Prodeſt raro venæ ſectio (niſi adeſſet plethora) maxime cum eſt ſymptoma venerei morbi. Sed purgato corpore utemur emulſionibus ſequentibus, vel ſimilibus. Recipe *quatuor ſeminum frig. majorum mundat. ſingul. drach. ij. granorum pini, & amygd. dulc. mundat. ſing. unc. ſ. aquarum portul. & plantag. ſingul. unc ij. aquæ roſ. unc. j. decoctionis liquir. lib. j. ſacch. albi, & ſyrupi viol. ſingul. unc. j. ſ. fiat emulſio*, qua utatur mane & veſperi ante cœnam. Recipe *emulſionis quatuor ſeminum frig. majorum extractæ cum aqua hord. lib. j. ſyrupi viol. & de jujubis ſing. unc. iij.* utatur quotidie mane, ac iteretur. Recipe *liquir. raſæ, & paſſul. mundat. ſing. unc. ſ. ſeminis lactucæ, papav. albi, hyoſc., acetoſæ ſing. drach. j. ſeminis malv. biſmalv. cucum. ſing. unc. ſ. fiat decoctio in aqua parietariæ ad quart. ij. in col. diſſolve ſyrupi de limon. & viol. ſing. unc. j. diamarg. frig. drach. ij. miſce*, & utatur ut ante. Poſſunt etiam *ſemina frigida teri cum ſero lactis, & addi trochiſci alkekengi, ſacch. & ſyrupi dicti*. Poſſunt etiam præſcribi *drach. ij. tereb. Venetæ lotæ in aqua endiv., donec acrimoniam dimiſerit, cum pulveris liquir. drach. iij. & rhab. ſcrup. ij. ex quibus formabuntur orbiculi ſumendi in pane azymo*, deinde bibet *aquæ parietariæ unc. iij.* Confert etiam *uſus caſſiæ* ſumptæ horam ante prandium.

In topicis primo utetur leviter detergentibus, veluti *decocto hord. cum melle, vel ſyrupo viol. vel ſero lactis cum ſaccharo*. Quod ſi dolor adſit vehemens, utetur *mucaginibus ex ſemine malv. lactucæ, pſyllii, lini, cydon. extractis cum aqua caprifolii*: cujus ſuccus creditur urinæ ardorem, & gonorrhœam curare. Injiciatur autem per catheterem ægro ſupine exiſtente, ut facilius injectio ad paraſtatas perveniat. Quod ſi opus fuerit majore abſterſione, ſic fiat. Recipe *aquæ plantag. & roſ. ſing. unc. iij. unguenti Ægyptiaci drach. j. ſ. albumen unius ovi, diſſolvantur ſimul, & fiat injectio duobus diebus*. Deinde utatur ſiccantibus magis citra acrimoniam: quale eſt ſequens. Recipe *aquæ plantag. unc. iij. aquæ roſ. unc. j. trochiſc. alborum Rhaſis drach. j. diſſolvantur, & fiat injectio poſt deterſionem*: poteſt addi *emulſio ex ſeminibus frigidis extracta cum aqua roſ.* Proderunt etiam *trochiſc. à Gordonio deſcripti*, cap. de ulceribus veſicæ, & in *lacte* diſſoluti vel in *aqua aluminoſa* ſuperius dicta. Dum vero hæc fiunt, regio renum & perinæum ſunt ungenda *cerato ſantal. vel infrigidante Galeni ex capbura, vel ſimili.*

*Bubo venereus.*

Bubonis venerei curatio jam tradita eſt, quemadmodum ulcerum pudendi. Verum quia ulcera omnis generis ſequuntur hunc morbum, præſcriptis univerſalibus, recurrendum erit ad ſingulorum ulcerum curationem juxta eorum naturam. Hoc autem ſumme notandum: nunquam A utendum unctionibus vel decoctis, niſi ulcere prius abſterſo. Præterea *argentum vivum* unguentis, & emplaſtris miſcendum.

*Quomodo tophis medendum.*

Tophi ſeu nodi curantur ad morbi curationem, ſi ſine offium carie fuerint, cum topicis ſequentibus, quæ molliunt, & ſenſim reſolvunt: itaque curationem ſcirrhi fere recipiunt, niſi quod argentum vivum perpetuo addimus. ad tophos ergo & dolores præſcribitur fotus, unguenta, cataplaſmata, cerata, & emplaſtra, ut ſequitur. Recipe *rad. acori unc. ij. cyperi, calami arom. ſing. unc. j. ſol. beton., meliſ., primulæ veris, ivæ arthrit. ſing. man. j. fœnugr. unc. j. ſ. florum utriuſque ſtœchad. anthos, ſambuci. chamæm. melil. ſingul. pug. ij. coriandri unc. j. fiat decoctio in aqua & vino albo, ac foveatur locus.* vel, Recipe *rad. ebuli, cucum. agreſt., enulæ camp., bryoniæ, cyclam., alth. ſing. unc. iij. malv. viol. brancæ urſ. matricar. ſing. man. j. florum chamæm. melil. ſambuci ſing. pug. j. caricarum pinguium paria v. fiat decoctio in vino albo, & jure capitis & inteſtinorum ac pedum vervecis*, & eo decocto foveto B locum: deinde *rad. & herbæ terantur, quibus adde ſeminis lini & fœnug. ſingul. unc. iij. axung. ſuillæ recentis unc. vj. pingued. gall., anſeris, anatis, & medull. cruris vituli ſing. unc. ij. butyri recent. & œſypi ſing. unc. j. ſtyrac. liquidæ dr. x. fiat cataplaſma.* Poſt uſum fotus, vel cataplaſmatis proſunt ſequentia. Recipe *litharg. auri unc. iiij. ceruſſæ unc. ij. amurcæ, olei de lilio, chamæm. ſambuc. irini & lumbr. ſing. unc. ij. olei antiqui unc. iij. macerentur per noctem, bulliant ad craſſitiem: poſtea adde bdellii & ammoniaci diſſolut. in aceto ſcil. vel oleo ſeſamino ſingul. unc. j. ſ. cumque ab igne ſubduces, adde argenti vivi in axung. ſuilla extincti unc. iiij. pulveris iridis, hermod. ariſtol. rotundæ, enulæ camp. ſing. drach. ij. fiat maſſa.* vel, Recipe *maſſæ emplaſtri filii Zachar. & diachyl. ireati ſing. unc. j. emplaſtri de Vigo unc. ij. ammon. in aceto ſcill. diſſoluti unc. j. vel ſ. & cum oleo de lilio, fiat maſſa.* vel, Recipe *ammoniaci, bdellii, galbani in aceto ſcil. diſſolut. ſingul. unc. j. adde mucaginis ſeminis lini, fœnugr. althææ, ſing. unc. ſ. litharg. unc. ij. bulliant, donec cerati conſiſtentiam habeant, ſemper agitando*: poſtea miſce *emplaſtri diachyl. ireati &* C *de melil. ſingul. unc. iij. emplaſtri filii Zachariæ, & apoſtolici chirurgici ſingul. unc. ſ. olei laur. unc. ij. euphorb. unc. ſ. thur. maſt. ſing. drach. iij. hermodact. drach. ij. tereb. lotæ in aqua vitæ unc. ij. ſ. mercurii extincti lib. ſ. fiat maſſa emplaſtri.* vel, Recipe *rad. alth. & bryon. coctarum, & piſtarum ſing. unc. j. axung. ſuillæ recent. unc. j. ſ, pingued. gall., anſeris, & anatis ſing. unc. ſ. medul. cruris vituli unc. ij. olei lumbr., liliorum, & de vitel. ovorum ſing. unc. ſ. ſtyracis calamitæ unc. j. ſ. gummi arab. unc. ij. bdellii & gummi hederæ ſing. unc. j. ſ. tereb. unc. iij. œſypi drach. vj. emplaſtri de Vigo unc. ij. emplaſtri de melil. & diachyl. ireati ſing. unc. j. mercurii in ſaliva hominis jejuni extincti unc. ij. miſce, & maneus lotis aqua vitæ, fiat emplaſtrum.* Si autem eorum medicamentorum vim augere velis, locus prius erit ungendus ſequenti linimento. Recipe *axung. ſuillæ unc. vj. mercurii in ea extincti unc. iiij. euphorb., ſtaphyſagriæ ſingul. unc. j. ſ. helleb. albi unc. ſ. ſacch. unc. iij. capburæ drach. ij. olei de tereb. unc. iij. fiat unguentum, quo ungatur locus affectus ante uſum emplaſtri.* Quod ſi iis tophus non cedat, D indicium erit cariei in oſſe, tunc que novacula erit utendum, osque radendum, vel applicandum cauterium: cujus uſum vide cap. de ulcere cum offis corruptione.

*Herpetis curatio.*

Ex imperfecta curatione interdum accidunt herpetes, quorum curationem ſuperius tradidi: maxime vero habenda ratio hepatis, ac loci affecti. In topicis, emollientibus, deinde valde ſiccantibus utendum: fiat itaque fotus *ex rad. lapathi acuti, bryoniæ, althææ, ex malv. viol. pariet. branca urſina, ficubus, ſeminibus lini & fœnug. floribus chamæm. & melil. ſimul coctis.* deinde, Recipe *ſucci rad. oxylapathi, ſucci helenii ſing. unc. ij. aloes unc. ſ. ſublimati drach. ij. aceti ſcill. unc. ſ. olei de tartaro modicum, fiat linimentum:* vel ſi hoc non profuerit, utere ſequenti. Recipe *ſuccorum oxylapathi, helenii, ari ſing. unc. j. olei de tartaro unc. j. ſ. argenti vivi in ſucco limonum extincti unc. iij. ſublimati drach. ij. aloes drach. j. ſ. miſceantur cum axung. hirci, & unc. iij. terebinth. lotæ in aqua vitæ, ac* E *fiat linimentum:* quo liniantur loca ſerpigine laborantia. manibus aut pedibus ita oblitis, mox excipiatur in ſella pertuſa fumus ſuffiti, poſtremo in lue venerea deſcripti ad *drach. ij. aut unc. ſ.* eas partes optime cooperiendo. Deinde in lectum ſe recipiet, aut cubiculum non egredietur, neque particularibus illis utetur, niſi corpore probe vacuato univerſalioribus, ac ſi expedit uſu Guajaci. Proderit quoque *aqua ſublimata* cap. de ulceribus malignis deſcripta.

*Alopeciæ ſanatio.*

Alopecia ex morbo venereo curabitur victus ratione, purga-

gationibus dictis, unctionibus, & roborantibus. Post purgationem utendum sequenti balneo. Recipe *rad. & fol. enulæ camp. oxylap. alth. malvæ sing. man. ij. rad. lil. lib. s. rad. ebuli, pedis columbini sing. drach. iij. viol. brancæ ursi. fumar. scab. sing. man. ij. seminis melonum & raph. sing. unc. j. s. seminis lini & fœnug, sing. unc. ij. florum chamæm. melil. viol. ros. nymphææ sing. pug. j. fiat decoctio pro balneo.* A balneo prodest unguentum universale sequens. Recipe *axung. suillæ recentis lib. s. mercurii in ea extincti unc. iij. unguenti citrini unc. ij. litharg. ceruſſæ, singul. unc. j. tereb. resinæ pini sing. unc. ij. thur. mastich. sing. unc. j. tartari drach. iij. stupysagr. unc. j. s. styracis liquidæ drach. ij. olei ros. unc. iiij. olei chamæm. Luur. singul. unc. ij. succorum lapathi acuti, scabios. limonum, singul. unc. j. fiat unguentum ex arte.* Post usum unguenti roborandæ partes internæ hoc modo. Recipe *conservæ rad. bugl. conserv. ros. singul. unc. j. conserv. viol. florum cichorei sing. unc. s. elect. diamarg. frig. & diarhod. abb. sing. drach. s. diatragac. scrup. iiij. cum syrupo conservationis myrobal. emblicorum fiat opiata: qua utatur quater in hebdomade, cum aquis bugl. & fumariæ.* Juvabit etiam opiata sequens, de qua bis in mense sumatur, ut paulatim vitiosi humores repurgentur. Recipe *cathol. unc. j. s. tamarind. cum aqua endiv. extractorum drach. x. diasenæ solut. & confect. hamech singul. drach. ij. s. rhabab. pulverisati scrup. iiij. cinnamomi grana v. cassiæ unc. ij. syrupi ros. solut. q. s. fiat opiata:* de qua capiat *unc. j. vel drach. x.* bis in mense, per se, vel cum *aqua bugloſſæ.*

*Quomodo à recidiva præcavendum.*

Posteaquam ægrotum ab hujusmodi lue venerea curaveris, cavendum ne ex reliquiis humoris maligni in eandem relabatur. Quod optime fiet, si superiora, quæ cordi, hepati, ventriculo robur addunt, ei præscripseris: aut sequentem aquam, quæ humoris reliquias absumit, si illius *unc. iij. vel iiij.* mane & sero exhibeantur. Recipe *scobis ligni Guayaci lib. j. theriac. veteris unc. ij. conservæ ros. borag. & bugl. sing. unc. iij. conserv. helenii & anthos sing. unc. i. polypod. querc. santali albi & rub. sing. unc. ij. pulveris elect. de gemmis & letitiæ Galen. sing. drach. ij. macerentur horas xxiv. in lib. ix. vini albi & totidem aquæ purissimæ, distillentur in vase duplici super cineres calentes: postea adde cinnamomi & sacch. quantum sufficit, ad saporis gratiam.* Proderunt etiam sequentia in purgationibus. Recipe *confect. hamech, diasenæ solut. singul. unc. i. elect. de citro solut. unc. s. cathol. unc. ij. cassiæ quart. s. rhab. drach. ij. cinnamomi scrup. i. syrupi viol. quantum sufficit, fiat opiata: de qua capiat quater in mense unc. i.* Potes etiam utiin eadem conficienda, *tryphera persica, diaphoen, Indo, diacarth.* vel Recipe *turbith. albi præparati, agar. trochisc., hellebori nigri sing. drach. i. s. polyp. drach. iij. zingib., mithrid., sing. drach. iij. diagryd. drach. i. cinnamomi, caryoph. sing. scrup. ij. galangæ, pip. longi, nucis mosc. cubeb. spicæ sing. drach. s. sacch. quantum suff. fiant morsuli, vel syrupi quantum sufficit, fiat mixtura, de qua dabis unc. s. vel plus minusve, ut videbitur,* vel Recipe *polypod. querc. & medullæ seminis cartham. sing. drach. i. sennæ orient. unc. i. s. tamarind. drach. vj. prunorum dulc. par. vj. cort. myrob. citrin. chebul. Indarum sing. drach. i. fiat decoctio in æquis partibus aquarum bugl. endiv. lupuli: & colat. misce rhab. drach. ij spicæ grana vij. agar. trochisc. drach. s. lapidis lazuli præparati scrup. ij. diasenæ drach. i. hermodact. drach. s. diarhod. ab. & triasant. sing. drach. s. sacchari quantum sufficit, fiat elect. in tabellas ponderis drach. ii. s.* vel, Recipe *pilul. de hiera drach. i. s. pilul. coch. scrup. iiij. aggregat. majorum scrup. ij. agar. trochisc. drach. i. cum syrupo de stœch. fiat massa: formentur pilul. vi. pro drachma, capiat quater in mense.* Prosunt quoque *pilulæ assajeret, de fumaria, sine quibus, de agar. de hermodact. de sagapeno.*

FINIS.

# LEONARDI BOTALLI, *Astensis*,

*Medici Regii*,

# LUIS VENEREÆ CURANDÆ RATIO.

## CAP. I.

*De subjecto hujus operis.*

Affectus, de quo futurus est sermo, Lues venerea dicitur, cum quod ex venereis congressibus originem duxisse rumor sit, tum quod iis præcipue adhuc foveri constet: quam sive Parthenope, vel Hesperia, seu potius Favonius vel Auster nobis impertiverit, cum id scire infrugiferum sit ad optatum finem assequendum, tempus propterea circa has, vel alias vanas inquisitiones conterere æquum esse minime existimavi, sed (quoad potero) gnaviter, quæ ad rem spectant, perstringere, præstantiora tantum proponens, quæ plerunque ac benignis laribus comprobavi, cætera sine laude vel culpa præteriens, genio, diligenti usu, atque animi sinceritate ducibus. Hæc (inquam) Lues semper fœta uberrimam diramque prolem in dies producit, cutaneos videlicet morbos & intimos, ut pilorum effluvium, impetiginem, scabiem, herpetes, erisypelata, exanthemata varia, verrucas, ulcera, vomicas, & id genus innumera. Intimos, ut dolores in penitioribus musculis, in articulis, in ossium medullis, in cerebro, in hujusque involucris, quos ossis caries, intestinæque aliæ rosiones, collectiones, ac putrilagines sequuntur. Ast hæc morosus censor in infinitum per genera dividet, sed nos has vanas, odiosasque divisiones omittentes, de causa horum præcipua nunc disseramus.

*Hujus affectus denuo subolet.*

## CAP. II.

*De causis gignentibus hunc morbum, & nunquid hepar hujus sit fomes, ut plerique medicorum opinantur.*

Nemo penes se est, qui humanum intellectum plerunque errare non approbet, quum is per gradus universas, extremasque rerum naturalium causas assignare nititur: hanc igitur ob rem operæ pretium me fecisse putabo, si præsentis affectus causæ tantum imaginem expressero, quæ sese Medicis tanquam totius curæ ducem præbeat. Fretus igitur sapientum modestia, curiosam plus nimio, quam sit æquum, disputationem omittens, ad utiliora calamum convertam. Causa igitur præsentis affectus sanguinis quædam est infectio ex vitiato succo per contagium, ex Venereis præcipue congressibus contracta: quæ tam nefanda luxuria (quod nefariorum, atque execrabilium hominum est opus) quam muliebri libidine comparatur, insuper lactis suctione, osculis, longo, vel frequenti corporum affectorum contactu, vestium & poculorum communi usu, eandem partem statim inficiens, quam primum invadit, vel proximiores ad corruptelam magis pronas. Si igitur ad scortationem, vel nefandam luxuriam sequatur, virgæ glans, præputium, coles, cunnus, anus, primos aggressus patiuntur: si lactis suctione, osculis, vel poculis comparetur, tunc labia, vel lingua, internæ maxillæ, gingivæ, guttur, vel palatum primo succumbunt. Si diuturno corporis contactu, vel vestium communi assiduoque usu, tunc fauces, labia, gingivæ à primordiis afficiuntur, non dorsi vel artuum cutis, quod hæc dura sit, nec nisi longo temporis tractu vincatur. Cæterum si pueruli sint, anus, scrotum, labia, vel fauces germina prima indicant. Verum, non statim hæc à contactu apparent, perinde atque in iis, qui scortatione captantur, vel lactis suctione, vel osculis, eo quod virus facilius in partibus tenellis, ac tenui, cute munitis, vires suas imprimat, quam in iis, quas dura (ut dictum est) cutis obtegit. At ubi impressum est seminium, furtim hoc tanquam occulta flamma per universum corpus serpit. Scisscitabitur forte fortuna quispiam (nec temere quidem) an describi indicatio ulla possit, quam edoctis forma hujus affectus ad unguem pateat. Non est (ut arbitror) ad hunc usque diem, qui hujus tantum simulamen exacte producere valeat, non illam examussim patentem reddere, quanquam circa hanc multis verbis ultro citroque ferantur scriptores varii, ut mox notabimus. Qui igitur fieri potest (inquies) hac non exquisite explicita, ut ratione ulla affectum oppugnare queas? nil obstat equidem. Age obsecro, ventorum formas, vel (si potius vis) causas ignorans navium gubernator, quomodo vela secundis dat ventis, vel in adversis colligit, horumque motus varios multis prævidens horis? Vel etiam si flammam videris, quam extinguere fas sit, scirene te prius oportet, quid ea sit, vel etiam unde originem primam duxerit, ante-

*Causa hujus morbi.*

*Origo unde.*

*Quibus in partibus potissime insertatur.*

*Forma hujus affectus primo investigata est.*

tequam intelligas, qua induſtria illam obtundas, vel perdas? Sat igitur erit protinus noſſe, quod jam frequenter ſenſus edocuit, flammam ſcilicet ſua natura perpetuo agere pro viribus in materiam ſibi ſubditam, & in proximiorem, aptioremque primum, mox in reliquam: quam extinguere variis ingeniis tempus & uſus admonuerunt, aqua præcipue, vel liquore quovis alio abundanti, vel ſtipatu, vel materiam ſibi ſubditam diſgregando, vel aliis pleriſque modis, quæ omnia non pauci agere noverunt, nondum intellecta flammæ origine, vel hanc ſpiritum, vel fumum eſſe ardentem: pari modo hæc medicum noſſe expedit, hanc luem in humanum corpus agere, in primis humores vitians, & conſequio ſolidiores partes, quod vitium cavere, vel imminuere, vel prorſus corradere diligens, ac rationalis exercitatio variis præſidiis inſinuavit (abſtruſa tamen ſpeciali ſua forma), ſed videamus quid de hac, vel de hujus affectus foco Medici opinentur. Plerique ſane nil de forma ſolliciti, ſubjectum tantum, in quo hæc labes foveri videtur, oſtendere conantur: quorum pituitam dicit alius, hoc motus argumento, quod illos copioſe per alvum pituitam dejicere, vel per os excernere obſervaverit, qui vel hydrargyri munere, vel medicamentorum purgantium ope morbum ſuperarunt. Ponit alius flavam bilem, quum liventia depaſcentiaque ulcera, erytipelata, & alia ejus generis, hos patientes divexare notaverit. Atram vero alius ob ſcirrhoſos tumores, calloſa depaſcentiaque ulcera, oſſium tubera cariesque. Quidam Prothei vultus huic effingunt, vel ſcurræ, qui perpetuo victoribus plaudit, vincentem ſcilicet in affecto corpore humorem, eo quod varia Symptomata, ac quidem ferme contraria, nec in corporibus tantum diverſis manifeſtentur, ſed in eodem patiente, eodemquemet membro, ac tempore uno, œdema nimirum, vel ſimile quippiam aliquid, huic proximæ, vel alia in parte eryſipelas, vel exedens herpes. Alii feſtinantes, taciti hæc omnia prætereuntes, ex littore ignotum ſibi ipſis atque horridum pelagus cæteris pervadere oſtentant, de curatione tantum (& jejune forte) exponentes. Montanus iis omnibus præponere pedem auſus, formam finxit illi intellectualem potius quam in re, hanc dixit caliditatem cum ſiccitate materiæ expertem, quæ in hepate impreſſa temporis proceſſu materiam ſibi comparat. Sed (quod omnium pace id dictum eſſe velim) ſuperficie tenus tantum iſthæc plerique ſunt contemplati, ejuſdemque generis iis curam attexentes. Aſt intemperiem ex contagio ſine materia poſſe contrahi quis perhibet? vel ſanus judicio quis concedet? quomodo etiam ad hepar ſubjecto vacua pervadet? etſi, ut ait, virus eſt, in quod hæc infigitur, eſtne hoc pura qualitas? Sublunaria namque omnia vel corpora eſſe, vel corporibus annexa neceſſum eſt. Neque etiam hujus affectus cauſam, vel fomentum dicemus caliditatem ſicca cum materia, nam affectus ſymptomataque omnia unius eſſent generis, nihilo inter ſe diſcrepantia, quod genere eſſet diverſum, ſed ſecundum magis vel minus tantum, eo quod agens unum non habeat naturam largiendi eſſentialiter, niſi unum. flammea igitur erunt ſymptomata omnia, ſicca aridæque fient membra, ubi hæc intemperies prævaluerit. At pene omnia putredinem præ ſe ferre videntur, refelluntque hanc opinionem crebri tumores laxi, diuturni, obtuſique dolores, qui hos patientes affligere conſueverunt, quæ ſane non ſiccæ caliditatis, ſed ichoris, vel pituitæ prædominantis ſunt firma argumenta. Neque etiam particularem quemquam humorem hujus corruptelæ peculiarem fomitem concedimus, ſed ſanguineam maſſam, intellige miſcelam in venis receptam, mox ſolidiora corpora. At cum utraque multiplicis ſint generis, non indifferenter tranſmutationibus ea eſſe obnoxia cenſendum eſt: in ſanguinis igitur maſſa ichores, pituitaque feruntur, ut ſenſus ipſe indicat, nec non utraque bilis, verum hæc non tam clare ſenſibus patent, ut alia duo, quod aliis pauciora ſint multo: hi igitur humores tanto magis recedunt à caloris naturalis commodo, quanto minus aptitudinis habent, ut in alimentum tranſmutentur: at non modo alere non poſſunt acres, ſed exiguo tempore plus æquo remorati, cæteram mixturam exurunt. reliqui vero duo, ichor ſcilicet, & pituita, quod nutriant, vel non, hujus diſputationis hic locus non eſt: aſt etſi non nutriant, corpus tamen diutius (modo putria non ſint) ſine alimento ſervare poſſunt, eo quod neque alimoniam abſumant, neque eam facile tranſimutent, aquæ potabilis inſtar, in qua animalia longiore tempore, (modo prohibita non ſit reſpiratio) ſine nutrimento agere poterunt, quam ſi in ſalſa, vel in calido ſiccoque aere vivere cogantur. Sed totius venoſæ miſturæ pars, quæ animali maxime eſt commoda, ea eſt, ex qua potiſſime alitur, hæc autem ſanguis eſt, hunc igitur ſupra modum natura conſervare nititur, niſi plenitudine gravata, per nares, vel uterum (ut in pueris, ac mulieribus patet) aliquid rejiciat, cæteros vero per varias corporis partes ejicere intendit: quos itaque juſtum eſt credere primum tranſimutari, tanquam à natura alienos, mox & ſanguinem, inde & carnoſas etiam & nervoſas partes, poſtremo & oſſa ipſa. Hinc elicere poterimus, humanum corpus (nam de alio quopiam nondum conſtitit) eſſe hujus luis, non ſecus atque cæterorum morborum, ſubjectum. Fomitem vero, humores, & eos primum, qui minus utiles eſſe poſſunt, perinde ut uſtile corpus ignis eſt ſubjectum, verum quum hoc heterogeneum ſit, non æque cito agit in unum, atque in aliud, ſed in tædam (niſi quid impediat) vel pinum prius, quam in buxum vel quercum, & in aridis magis quam in virentibus, & in terebinthinam antequam in tædam ipſam, vel pinum, & in proximam, priuſquam in abjectam: hoc penitus modo hæc pernicioſa labes (ut experientia ipſa indicat) in humanum corpus agit. quamobrem ſi unum tantum humorem hujus luis & fomitem & ſubjectum dicas, in quod agat, hæc ſane corruet ſententia, ubi objecta fuerint & corpora ſolidiora exeſa, & aliorum humorum corruptela, & adverſa contrariaque ſymptomata, quæ in iis corporibus frequenter obſervantur. Quare neque tota ſanguinis maſſa (ſi jure de ægri ſalute, vel morbi imminutione aliquid ſpei ſuperſit) corrupta eſt. Neque hepar eſt focus, in quo hujus morbi ſeminium infigitur ſervaturque, ut Montanus & cæteri forte omnes arbitrantur, opinantes nihil poſſe fieri in animalium corporibus, calidius vel frigidius, vel alia intemperie immoderatius, niſi id ab aliquo membro principali, tanquam agente, in quo talis exceſſus vigeat, fuerit impertitum, perinde atque individua producuntur à forma, aliter tamen ſe rem habere intelligemus, ſi ſingula legitime explorabimus. Sed forſan ſupervacaneum non erit, hic & alibi, ubi opportunum fuerit, Montani ſententiam, & rationes in medium ferre, quum ejus opinioni plurium medicorum conſenſus altipuletur, quæ omnia, quantum veritatis vel perſuaſionis præ ſe ferant, brevi examinabimus diſcurſu: nam ſi rationibus, cujus ſatellitio opiniones ſtipantur, probe refragabimur, exiguo ſane negotio nudam opinionem victam dabimus. Inquit igitur. *Natura hujus morbi, eſſentiave, mala intemperies eſt, calida & ſicca, in hepate per contagium impreſſa, ſine materia prius, & procedente tempore fit cum materia, ac ſolvit continuum, & iſta acquiritur per contagium hoc pacto: cum quis commercium cum infecta habuerit, ab illa emanat aliquod virus, in quo exiſtit illa mala qualitas, quæ figitur vel in ore, vel in præputio, quæ membra ſunt laxiora, quæ ibi impreſſa, paulatim repit ad venas parvas, deinde ad majores, donec hepar pertingat, quæ cum eo pervenerit, ipſum occupat, immutatque ſuam naturalem temperiem, quod hepar ſic alteratum primo immutat omnes humores in eo exiſtentes, qui tranſmittuntur ad omnes corporis partes pro nutrimento: ſed quum mali ſint, tunc renuunt membra ipſos, nec nutriunt, & illico corpus illud redundat quamplurimis excrementis, quare &c. Subjungit paulo poſt, quod quidem virus, quum ſit calidum & ſiccum, facile penetrat, & exurit, & corrodit, & evenit, quod, qui mollis ſunt carnis, facilius recipiunt hunc morbum, quam qui ſolidioris ſunt carnis &c. Subinde ait, quod quidem ulcus (intellige à contagio acquiſitum) venis primo parvis, paulatim deinde majoribus, tranſmittit ſuam malam qualitatem, donec hepar pertingat, & ipſum occupet, quod ita ulceratum talem ſanguinem, talesque humores, qualis eſt intemperies ſibi acquiſita, generat.* & paulo inferius ſubjungit. *Exſtat una propoſitio univerſalis in medicina, quod quando aliquis affectus æqualiter in toto corpore eſt impreſſus, tunc principium naturale eſt vitiatum, exinde ſiquidem inficiatur hepar, quod eſt principale membrum toti deſervions, quod cum fuerit ita infectum, neceſſarium eſt omnia in deterius labi, &c. Mox addit, quod autem ita ſit, quod ſcilicet hepar inficiatur, apparet, nam omnes tales lividi fere & ſubnigri apparent, floridumque tum faciei, tum cutis amittunt colorem, & triſtantur ſine cauſa, cum prius hilares eſſent, ut dicebat Galen. quod talis eſt cutis in ſuperficie, quales ſunt humores in corpore dominantes, niſi ad profundum decubuerint, iſti igitur triſtantur, quia non amplius ſanguinem bonum habent:* hæc Montanus. Age, quæſo, (à poſtremis inchoantes) ſi quia ſanguine bono vacant, ii triſtes ſunt, eſtne triſtitia hæc ſine cauſa? & ſi, qui venereo affectu torquentur (qui ſane & diuturnus & gravis eſſe ſolet) ab re triſtitia macerantur, quos dicemus juſtam ob cauſam mœrore confici? at pergamus ad alia: colorem ſimilem efflorefcere humoribus juſtum eſt: luteus vel ater eſt: ergo hæc vel altera bilis: & hoc verum: ergo hepar affectum, abſit. Nam poteſt in aliquam, vel multas corporis partes, vel in cutem univerſam bilis ferri ac recipi, imo forte etiam & gigni non affecta univerſa ſanguinis maſſa, ut in inflammationibus vel ſcirrhis particularibus, vel regio aliquo morbo, vel quartanariis, vel melancholia afflictis, vel aliis multis fit, in quibus omnibus temerarium eſſet conari hepatis intemperiem, vel totius ſanguinis corruptelam, oſtendere. At producet hic aliquis Galeni verba hæc. Tria in hepate fiunt, ex quibus regius morbus

*Seminarium hujus affectus ex aliorum ſententia.*

*Forma hujus morbi ex Montano.*

*Rationes adverſus Montanum, & ejus ſequaces.*

*Proprium ſeminarium quod vere dici poſſit.*

*Hepar non eſt ſolus hujus luis ſedes contra ſententiam omnium fere ſcriptorum.*

bus advenire solet, nimirum scirrhus, inflammatio, & obstructio: insuper & hæc alia ejusdem fere tenoris. quum enim regio morbo sanguis purgetur, bile translata ex venis ad canales bilem recipientes, sive obstructio fuerit in locis, per quæ transfertur, sive inflammatio aliqua, vel scirrhus, necessarium est omnino non expurgari sanguinem, & una cum ipso bilem per totum corpus ferri. Age quid ex istis extorquebis? Propositionem (dices) hanc convertam, & firmabo affectum jecoris, cum ictterus sit: sed quemnam affectum? non obstructionem, eo quod ex hac non probabis intentum, præter id etiam, quod de hac nec Montanus, neque alius, (arbitror) ullum verbum fecit, sed esse hepar transmutatum ab extranea causa calida siccaque, unde exulceratum, talem sanguinem, talesque humores, qualis est intemperies sibi acquisita, generat. dic igitur defloruit color, vel ictterus est, ergo sanguinis tota moles infecta, ergo jecur calida siccaque intemperie afficitur, vel scirrho, vel phlegmone: demus hoc justum esse consequium, quod tamen erroneum est: affirmarene ausis tu ex iis, vel aliis potioribus mediis, in hoc genere morbi, hæc ex necessitate fieri, vel ut plurimum, vel æquo numero, vel etiam aliquando? cur non? pensemus igitur hæc omnia æqua trutina, non de victoria, sed de veritate ac justitia sollicite. Si calidam siccamque intemperiem obduxerit hepar, exaresceat, perinde atque membra, quæ tabescunt: quod si fiat, non modo salutis, sed morbi remissionis penitus in iis ægris exempta spes erit: ostendit autem id aliorum membrorum, quæ tabe exercentur, sanatio: hæc autem raro nec sine multo labore contingit: at lue hac confectos non modo in meliorem statum, sed in sanitatem plerumque restituimus? insuper si tale in iis ægris fit jecur, dum vivunt, migrata anima, in naturalemne habitum restituitur? quandoque hercle horum cadavera secui, nec tale quippiam novi, nec quispiam est adhuc (arbitror) qui tale jecur in iis, qui hac lue intereunt, vidisse fateatur. de hepatis igitur siccitate quum non constet, contendas tamen ex ejus affectu alia fieri, quæ in corporibus iis frequenter apparent, scirrhone dices hoc tentari? verum quis hunc sine febre vidit, tensione, pondere, duritie, dolore aliquo ad dextrum hypochondrium, sine etiam gravi respiratione, & aliis, quæ ad hunc sequi solent? at hæc hos ægros non torquent: supereſt igitur nunc, quum de obstructione, siccitate, vel scirrho nulla sit fides, ut inflammatione prematur horum hepar, nam posuit jam Montanus hoc ulcere affectum. reliquum est etiam, ut inflammationem patiatur, nam sine hac in nulla corporis parte excitantur ulcera. inflammatur igitur hepar, unde tales (ut ait) humores per universum corpus transmittuntur. Sed hoc iis tantum persuaderi poterit, qui ignem calore, vel fulgorem luminis vacuum videri posse credunt. Cedo, quæ corporis pars sensu prædita inflammatione divexatur, quam non acriter vel modo aliquo urgeant & tumor, & tensio, & ustio, & alia infesta symptomata? Quis etiam hepar hac obductum, vel aliqua quantumvis minima parte affectum observaverit, quin etiam ægrum hæc omnia pati noverit, insuper & assiduam febrem, inexhaustam sitim, spirandi difficultatem, ardentem urinam, linguæ ariditatem, & alia horrenda multa? perinde atque in iis patet, qui ex vulnerum putredine intereunt, quibus hepar afficitur, horum tamen nullum videmus in iis patientibus. Sed adhuc vulnus in hepar recens factum in corpore boni habitus quum videas raro vel nunquam curationem admittere, quomodo curari posse credis ulcus ex vitiato succo, vitiataque parte excitatum? naturæ non est quod fidas, seu omittas, nam si, quum ea vegeta erat, ab exiguo morbo dejecta est, quomodo nunc oppressa majorem morbum superabit? in præsidiis similiter non est sperandum, nam intemperata exulceratoque omnis pars si corrigi debeat, oportet, ut simul ac exhaustus ab ea vitiatus humor fuerit, habeat, unde sibi benignus succus præparetur ministreturque. at corrupto sanguine universo, quæ corporis pars hepati nunc infirmo benigni quicquam suppeditabit? elicere vero hinc corruptelam purgantibus, vel vena secta si credas sensim, erit atque in aquam simulacra sculpere, eo quod residuum novum semper vincet, interea virtus magis atque magis labascit, vitium vero proportione multiplicata adolescit, si unico exhaustu eximas, quid facies præterquam patienti extremum diem opponere? Constat tamen (dices) in hoc morbi genere nihil æque conferre, ac multiplices purgationes, sanguinisque eductiones variæ: hoc quippe non modo verum, sed & necessarium, si ratione sint hæc adhibita. Cæterum non, etsi hæc juvent præsidia, vel morbum corrigant, vel penitus corradant, corruptelam hanc universo corpori, vel sanguineæ massæ universæ communem esse, asserere licet. objicies igitur, non purgare corpora hæc satius erit, imo non purgare dico extreme noxium, sed de hoc mox. veram ne credam scisitabaris propositionem illam universalem, quod ubi æqualiter affectus aliquis in toto corpore est impressus, oporteat & principium naturale esse vitiatum. Haud temere sine sensu crederer, hanc si non ratam necessariamque faterer: ergo vera Montani consequentia, imo vana, eo quod hanc deducat à spuria (quam subticet) minore sui syllogismi propositione. nemo enim non videt, æqualiter si affectus aliquis in toto corpore fuerit impressus, eundem & principi debere inesse, nam & hæc in toto continetur. quod vero universum corpus patientium, de quibus tractatur, tale sit, nondum constitit, neque constabit. dices forsan argumenta esse sanguinem ab horum corporibus deductum, qui prorsus vitiatus elicitur, ulcera, dolores, pilorum casus, & alia, quæ passim in iis ægris fieri videntur, quæ aliunde provenire non posse credendum est, nisi ab totius sanguinis corruptela. En hic decipula, hicque error est, quod totum pro parte sumas, quod nunc ostendere pergo: nam plerumque optimo, felicissimoque successu, id re ipsa mihi innotescit, ubi ad bis denas sanguinis uncias, vel circiter pro patientis viribus vel habitu exemero, postremo minime vitiatus offertur: ast hoc non me docuit ratio, sed experientia cum ratione facta. Si itaque quo plus elicis, minus vitio tentatum offendis, unde sugeres universum esse infectum? nam postremum corruptum magis ac maxime esse liceret, quod corruptelæ foco proximior esset. Præterea num ventriculus hac sorde intinctus est? renes? pulmones? reliquaque intestina alia? nam hæc in toto continentur. Sed tantum cutis partes aliquas, vel artuum, vel thoracis, vel capitis affectas esse conspicimus; verum non plus probant hæc totius corporis affectum, quam si quadrilatera omnia rectangula esse asseras, quum quadrata & altera parte longiora talia esse produxeris, vel si loripedes aliquot inducens, humanum genus omne claudum esse hominibus persuadere contendas: sed ad universalis constructionem oportet omnia inesse. Dices forte (nec temere quidem) si lues hæc in pede insita ad caput usque pervadit, vel ab ore ad inferiores partes per angustiores venas, vel spatia, patentior critne ductus, vel etiam brevior loci intercapedo, ab iis ad jecur, quam ab alterutro illorum ad alia extrema, quum utrique parti venæ sint proximæ, & amplæ, per quas facilis ad jecur videtur aditus? non enim sat est patentius breviusque esse spatium, quo agentis potentia reducatur in actum, sed impedimento vacet, & virium proportione respondeant inter se, fas est. Nam eodem temporis ductu, ut jam dictum est, eadem flamma virides quercus, vel populi truncos non flagrabit, quo arida virgulta, sarmenta, vel paleas: utriusque namque horum vires sunt impares, quod unitæ, compactæ, contrariæque magis in uno, sejunctæ vero & flammæ proximiores in altero sint. ægre igitur hepar & venæ majores, quod infectum est, recipiunt, imo illud arcent non secus atque tumidum mare flumina, propulsat enim hæc illud, in eorumque alveos ad multum spatium regurgitans profluit, saltaque facit, non autem dulce vel insipidum illud hæc: confirmant hoc pueri ex infecta matre editi inculpatam ætatem agentes longævam, modo à sana nutrice alti fuerint, insuper & alii, qui polluta ubera vellant, quos par esset brevi animam superis reddere, quum lac, quod sanguis erat infectus, ii suxerint. Illi vero ex corrupto semine concepti, & sanguine corrupto, dum utero gestabantur, educati. Præterea hanc sanguinis universi labem Galenus aversatur, cui & ratio & sensus astipulantur, inquiens magnam hujus corruptionem corrigi nunquam posse. Si igitur magna non corrigitur, quomodo universa emendabitur? ab iis si lues hæc per proximiores, minoresque venas jecur occuparet, ecce quæ sequi necesse oportet, nimirum, quod duodecimo vel quintodecimo ad summum die, & à contacto morbo, eadem symptomata in affectis corporibus manifesta fierent, quæ tantum circiter mensem tertium pullulare occipiunt, nam diebus singulis, vel horis potius, atque momentis assidua novaque fit ab hepate alimentorum attractio, concoctio, sanguificatio, distributioque per universas corporis partes: at hæc eodemmet ordine trahunt, concoquunt, adjiciunt, sibique assimilant, si proprium offenderint succum. Cæterum gravantur, labuntur, tabescunt, uruntur, & alia similia patiuntur. Si alienum, vel pernicioſum attraxerint, vel vi susceperint. At symptomata hæc hoc parvo tempore non ostentantur, sic ut germen hujus pestis non aliter in corporibus agere videatur, quam facinorosus homo in tranquillo oppido receptus, qui cæteros sibi & loco proximos, & moribus similes civitatis homines, subducere nitur, quo subinde foro potiatur. hoc penitus ferme modo pernicioſa hæc labes, ac si prudenti duce ageretur, facere solet: ab initio nimirum vix apparens, mox sensim furtimque per angustiores venas in universas extremas corporis partes diffusa, humores sibi proximiores inficit, donec & majores forte venas, & forte fortuna hepar (nisi opportunis præsidiis propugnetur) superaverit. Sed interpellandi hic locus est, quod & ego tandem censere videar, quod antea rationibus subvertere satagebam, verum mehercule sic videtur, at plerumque quæ videntur, di-

*Processus hos jus affectus.*

diversa sunt (ne dicam contraria) à rei ipsius essentia. Dicit uterque temporis processu hanc luem secum oppetere. Cæterum ego forsan, & post exactos annos aliquot: negligenter alter, semper & a primis diebus vel hebdomadibus. nullum (inquies) determinat Montanus diem vel tempus, fateor, sed ex ejus dictis licebit hoc præscribere. Quum ulcera, & alopeciam, & dolores fieri ex humoribus vitiatis dicat ob corruptam hepatis intemperiem, quæ raro secundum vel tertium mensem non præveniunt: vult præterea, postquam affectum est hepar, hunc morbum posse propelli. Ego vero (si id accidat hujus morbi ratione) prorsus abolitam esse spem. Examina nunc utriusque sensus differentiam. Interea ad ea nos conferre operæ pretium erit, quæ negotium hoc nostrum magis liquidum, atque clarum reddant. Verum enimvero nil magis, vel æque rem ipsam explicitam dabit atque sensus. quum itaque hunc coram producere liceat ad refellendam vel firmandam opinionem, vel syllogismorum vel demonstrationum fidem, examinare propterea ad unguem nunc par erit, quæ in hoc affectu sensibus objiciuntur, ultra ea, quæ jam dicta sunt, quo ancipiti animo de iis ultra non hæsitemus. Agedum ad principia redeuntes, unde hæc lues excitatur? à fœdo scorto, vel aliis supra enumeratis, virulentus humor elicitur, in contactaque parte imprimitur, hancque vel proximam magis huic affectui propensam exulcerat primo, vel altero die. Qualia hæc ulcera sunt exigua, lurida, quæ callo mox circunducuntur, non secus ac ulcera, quæ in mali habitus corporibus adnasci consueverunt, putredinem in dies majorem contrahentia, nisi probe ab exordio adversus ea fuerit oppugnatum. quo tempore hæc talia ostentantur? biduum post contagium, vel triduum, talia apparere occipiunt, & sub sextum, vel octavum diem hæc omnia clare patent. Taliane etiam contingunt iis, qui bono corporis habitu sunt constituti? imo quippe & iis, qui optimo. Unde (obsecro) horum ulcerum tam repentinus livor, callus, ac pervicacia? à malo succo contracto, atque ab alio vitio hujus tranmutato: nec pervicacia hoc initio sunt, si recte tractentur, eo quod nondum hoc modico tempore diffuserit hic putor vim suam. Cæterum si parum studiose animum advertamus, negligamusque, tamquam pauci momenti affectum, clanculum serpit, & fusus ægre evellitur. Foventurne primitiæ hæ ab ipsa jecoris intemperie? non quidem, sed à partis, humorisque affecti vitio. Die igitur (quæso) omni animi affectione solutus: Si hæc sordes obliteſcens per angusta vasa, vel spatia pube tenus, vel ultra ferri potest, & primaria ulcera colore naturali exuta, callo obsepta, pertinaciaque sint nondum polluto hepate, quid obstat, quo eodem ordine hæc per alia corporis extrema non diffundatur, foveatur, & affectus sui generis non commoveat, in partibus infirmioribus, jecore non immutato? nil quidem obstat, quominus hæc fieri possint. Verum si hoc modo se res habeat, licebit fateri, quod antea objeceram, videlicet purgantia medicamenta non esse propinanda, imo aversanda tanquam omnibus numeris inimica, eo quod humorem non vitiatum educant, & infectum introducant, ex quibus duo incommoda gravia sequi fas esset, & quod corpora maceres inutili evacuatione, & principes partes inficias infectorum introductione. Nunc hæc adducta consequia nulla esse ostendere festino, & primum, quod purgatione ratione propinata non invocentur extrinsecus diffusi, ac corrupti humores, exitus probat. Nemo enim felici successu hujus affectus curationem aggreditur sine purgatione, neque prospere sine iis absolvit, neque ab iis quicquam noxæ vitiosa indicant: non igitur introducuntur noxia, neque corruptorum humorum evacuatio semper nocua, vel sine utilitate est. Qua ratione (obsecro) vulneratorum corpora purgamus, qui habitu sunt salubri, illicet ab inflicto vulnere? an quia vitiatis humoribus hæc referta esse censeremus? minime sane, sed quo humores, qui intrinsecus sunt, ad partem vulneratam per venas, vel arterias non ferantur: nam horum multitudine gravata affecta pars, viriosusque ob id destituta, hos transmittere neque concrescere potest: reliquum est, ut eo loci fixi putreant, & alia à putredine symptomata excitentur: quo igitur infirma pars nullo prematur onere, sed quiescat, & periculo putredinis vacet, humores nondum corruptos (ad corruptelam tamen paratiores) per alvum vel vomitum evocare intendimus, quin etiam & sanguinem ex adversa parte, licebit itaque, non aliena ab hac adducta ratione, in hac lue corpora purgare, quo videlicet, qui nil dum putruit humor, propensus tamen ut brevi putreat, à partibus affectis avocetur divertaturve, quo & major corruptio prohibeatur, & facta corrigatur. Cæterum ut plurimum sanguinem hic mittere fas non est, ut divertas, sed ut vitiatum ab exagitatis partibus (ut intra dicetur) imminuas. At quæstione adhuc indignum non est, quamobrem crebrius in iis, quos vita ob vulnerum putorem deserit, hepar inflammationem & vomicas contrahat (quod in multis hoc anno vidi à viris doctissimis D. Joanne Capella Archiatro nostro, & Honorato Castellano Medico Regio, de hoc negotio primum monitus, mox vitu certior factus ex divisio cadavere per magistrum Ambrosium merito primarium Regis Chirurgum, & Magistrum Richardum Illustrissimi Domini de Omalla chirurgum exercitatissimum, quod in aliis deinceps multis observavi) in venerea vero lue affectis, nihil vitii in illo repræsentetur? prompta certe ratio est: nam in venereo affectu ulcera ut plurimum cutanea sunt patentiaque, unde vix putorem intus cohibere possis, quod si fiant vomicæ, quæ paulo altius imprimantur, hæ amplo etiam emissario patefiunt, unde putidus halitus exspirat. in vulneribus vero, in quibus præcipue caro intus aliqua contusa est, ut in iis, quæ impetu sclopetorum infliguntur, nisi hæc primis diebus à sana artis auxilio separetur, & putris fit, & talem sibi aliam adjunctam efficit. utrinque insuper oscula liciniis stipantur, quod & majorem auget putredinem, & suliginosos acresque vapores intus cogit, qui subinde paulatim in venis aucti, ad heparque delati, illud inficere affectant: hoc vero virious adhuc valens, à se hos viriliter explodit cute tenus, ubi horrores fiunt: mox ob duellum aucto calore, per sudores halitumque disperduntur. at quum horum seminarium adhuc hæreat, unde novi excitentur, reliquum est, ut denuo refrigerationes, horrores postremo, & rigores per vices repetant, tandem assidua hac pugna hepar confectum morbo cedit, inflammatur, turget, putret, talia autem non apparent ob ulcera venerea, quod facilius spirent, ut dictum est, nec tam putria sint, ut exitus probat, & utriusque affectus putor. Sed de iis alias (si fata concesserint) fusius disseretur. In præsentiarum vero dubiæ opinionis hujus argumentorum levitatem abunde exaratæ, atque infirmatæ videor, licet pleraque alia persuasionis plena in nostram sententiam adducere possemus, neque etiam desunt, quæ adversam non nihil foverent, quorum quum hæc tenuia sint, logicæ potius contentionis, quam suffragii veritatis imaginem repræsentantia, illa vero non oppido necessaria: omnia propterea reticere præstantius esse duxi, infrugiferam prolixitatem cavere studens. verum absurdum forte non erit hic leviusculas adhuc quæstiunculas duas addere, videlicet, num ab incunte affectu lues venerea dici debeat. Montanus non æquum esse, ait, præcipue si pustulas nuper inceptas Medicus extinxerit, licere tamen tunc hoc nomine appellari, cum tota sanguinis massa corrupta est. At si legitime infantem, vel pumilionem, rationalitatis vel risibilitatis nomini inscribere possumus, vel pullulantia florentiaque cerealia dudum fata, singula suæ speciei denominatione assignare par sit, quum individuum humilitas vel inventa specie non mutent, licebit igitur ab infixo vitio hoc speciei nomine appellare, nec refert, quod conceptum in utero semen statim jure homo dici non possit, munus enim aliquod non obit, quod homini proprium sit, nec humana figura (potentia excepta) participat: at hujus luis germina, qualitate, figura, potentia, & affectu cum jam firmato morbo conveniunt. Alia hæsitatio est, an qui conflatus ex scorto vel contagio quovis vitiatus humor intrinsecus serpat, cæteros inficiens per alias corporis partes, vel assumptus evanescat: ex hoc sane fieri credendum est, perinde atque ex flamma exigua, unde vastissimum surgit incendium, illa quidem absumitur, & novam nova excitat, quoad pabulum subest: hoc eodem modo hujus luis seminium absumitur, & qui humor huic factus est similis, sensim novum subvertere intendit. naturalis est enim hic motus, hæc tranmutatio, hic corruptelæ processus, sive successus. Sed jam tempus monet, ut ad alia veniamus.

*Ulcera nuper suscepta facile sanantur.*

*Nunc à principio venerea lues dici debeat.*

*Qua ratione & hic & in vulneribus purgantia juvet & sanguinis missio.*

## CAP. III.

### *Quos hæc lues vehementius, vel minore negotio exagitet.*

MAres juxta ac fœminas hanc luem inire constat, sed non æque utrumque suppeditat, mulieres plerasque tutantur menstruæ purgationes, imo omnes, si à congressu octo vel decem dierum intervallo supervenerint, tutius etiam si ante hos irrumpat, quas statim vel paucis diebus ab exactis purgationibus invadit. has plerunque exagitat, licet adhuc harum nonnullæ evadant, præcipue si menstrua (quod in multis fit) præverterint non integro mense peracto. nam quod intectum erat una cum reliquo sanguine deturbatur, quem jam natura propellere intenderat, sic integrum atque purum relidet corpus: sed ubi parce, vel post longum tempus, menses non fluunt, infixis firmatisque interea radicibus, vix sine artis ope detruditur: homines, infantes, nutrices, nullos (quod pateat) natura redintegrat sola: non enim habent, unde squallor acquisitus ex parte affecta ejiciatur ut vulva, nisi supervenerit dysenteria, vel alia quævis alvi colliquatio, vel crebra

hæmorrhoidarum effusio, sive diuturnum seminis effluvium, vel pingues benignique (ut ita dicam) bubones fiant, vel assiduus sudor, ut in coquis heroum, fornacariis pistoribus, contingit, vel similibus aliis, qui consuetis laboribus nulla causa parcentes, jugi exercitio hos noxios humores plerunque absumunt. eadem itaque ratione nec tam sævis divexantur affectibus mulieres atque viri, quare etiam leviore negotio in pristinum restituuntur habitum.

## CAP. IV.

*Quibus signis hæc lues dignoscatur.*

Quanto enim sunt hujus affectus germina curatu facilliora, tanto cognitu verumenimvero sunt obscuriora, secus autem ubi pedem firmaverint, nam hunc morbum tunc cuncta jam plebs discernit, quem cum ratione vincere nisi prudens medicus novit. omni igitur ingenio navandum est, ut is, dum pullulat, dignoscatur. Apparent autem tanquam præludia ulcuscula statim in affecta parte defloratio circumpositæ cutis colore, mox duritie aliqua circumventa in labiis videlicet (ut diximus) vel papillis, si fœtu, si scortatione in glande, vel præputio, vel cole, scroto, in ore matricis. Cynædus hæc eadem patitur, & cristas insuper, vel etiam verrucas, Hæc tamen sui sceleris conscius, tantum dum cogit dolor, patefacere audet, quo tempore & alia cum iis symptomata conjunguntur, firmam de re fidem præbentia, qui solo concubitu vel infectis vestibus, vel oculis, vel poculis inficiuntur, his ulcera etiam in ore fiunt. Forte fortuna alicui absurdum videbitur, quod hæc poculis comparari queat, mirandum omnino non est. Superstes autem est amicus & admodum familiaris quidam meus, vir sane integer ac probus hac miseria olim male mulctatus, qui perpetuo supremo asseveravit dejurio, atque in præsens confirmat, reputare secum minime posse, unde eam hauserit, nisi ex poculis cujusdam sibi necessarii, qui tunc acriter hac lue divexabatur: quod animo concipere raptim non poteram, verum, cum diligentius rem examinaverim, plura mihi occurrerunt argumenta, quæ cumulata rem sic esse persuadebant, nimirum quod cum vir sit, cui merito sine sacra attestatione credere deberem, nullam præterea haberet ansam, quæ id tam obnixe tegere cogat. Insuper nulla ejus corporis pars duobus primis mensibus, vel paulo minus quicquam est perpessa, excepta labii inferioris ora, quæ à demisso infecto cratere paulo post pruritu quodam levi, mox ulcere cœpit efflorescere, nulla tamen de hoc morbo suspicione suscepta. præter hæc familiarem suum belle noscebam, à quo se suscepisse morbum asserebat: hunc spatio mensium sexdecim hæc lues sævissimis doloribus torserat, torquebatque, ossi quoque narium non levis caries impendebat, & fauces semper aliqua flamma solicitabat, qui tandem fratris mei atque etiam meo præsidio submissus, omnibus doloribus exemptus, integreque solutus ex Pedemontium in Galliam advolavit, ubi temporis diuturnitate, naturæ munere, & artis auxilio suffragatus, infectum detrusum fuit os, & patiens in sanitatem restitutus. Sed quid prohibet (obsecro) quominus hæc poculis conciliari possit, quum per hæc quandoque communicentur leviores alii morbi? vestes vero, oscula, simplicesque sine venere concubitus quod homines polluant, frequentia sunt exempla; sed de iis abunde dictum sit, nunc ad præsidia descendamus.

## CAP. V.

*Summa præsidiorum huic affectui conferentium.*

Diversis præsidiis hæc ineunda perficiendaque est cura, ut morbus, aëris temperies, patientis ætas, habitus mores, officium, resque repræsentabunt. hæc namque tria postrema cæteris ex animo tanquam in multis necessario indicantia addere visum fuit, præcipue ubi affectus diuturnus egenum vel immorigerum patientem solicitat, quos alia ratione tractare par est, quam temperatos, ac dites, qui & sumptibus suppetere, & dierum plurium, sive mensium diætam fere possunt, nulla contentione, quæ præcipiant assistens prudensque medicus. præstare parati. cura, inquam, omnium subjectorum est genere una atque cæterorum morborum, qui causas foventes continent, quos nemo expellet unquam illa imprimis non semota. Causa igitur hæc multis diversisque ingeniis minui evellique & potest & solet, lotionibus nimirum, fomentis, balneis, linimentis, liquantibus sive urentibus medicamentis, aliisque localibus auxiliis, præterea sanguinis detractione, purgatione, & victus regimine: quæ omnia in multiplici habentur differentia: ut suo loco singula patebunt.

*Causa hujus affectus quibus rescindenda.*

## CAP. VI.

*Tutela, qua quisque se conservabit post coitum ab hoc miserabili affectu.*

Suavissimum est immanes dolores rescindere, & morbo confectos reficere, etiam jucundum nuper irretitos solvere, sed forte nec minus utile, quam volupe humano generi futurum censemus, si hanc latentem sagapenam divertere noverit, præcipue cum nec sumptu, nec longa disciplina, vel labore id consequatur. quum igitur coiveris, tutissimum te omni morbi suspicione servabis, si aqua calida repente totum laveris penem, unà & scrotum, virgamque præputio denudatam in vasculo quovis, potabili ac calida aqua pleno per octavam horæ partem foveris, aqua autem talis sit, qualem facile ferre queas, quæ cum brevi frigescat forte vasculi parvitate, licebit aliam calidam paratam habere, ut temperes pro arbitrio. præstabis hæc mane & sero bidui spatio: mulieres idem faciant, penicillos, ex gossypio in eadem aqua abunde madidos vulvæ imponentes: quod si hæc perpetuo (ut plerunque contingit) præsto non habeas, protinus saltem urina totum penem lavabis, præcipue glandem, quod facile præstabis, si mingendo ora præputii (quod non pauci facere solent) digitis perstrinxeris. subinde in proprio hospitio receptus, quanto citius poteris, præscripto more lavabis, fovebisque eadem die vel nocte mox sequente. Tantum enim, abest (id si feceris) ut polluaris, quin potius ut jam pollutus, & ulcere penis affectus, in pristinum statum restituaris, modo intra quartum diem id fuerit præstitum. Hac etiam arte fovenda tum labia infantium lactentium, tum nutricum papillæ, si suctione afficiantur: balneum etiam universo corpori adhibitum idem efficiet, si cum infecto inscius, vel necessitate coactus cubueris. confert etiam si vino id feceris, vel etiam fere quovis liquamine, modo calidum sit: verum tamen aqua simplex cæteris omnibus præfertur, dissolvit enim, quantum sat est, nec plus æquo exsiccat, vel à fotu restringit, ut multa, quæ sua facultate id efficiunt. nam scopus hic est, ut fotu leviter dissolvas, nec ullam cuti qualitatem, excepta naturali, relinquas: id efficit nil aqua melius, neque æque bene.

## CAP. VII.

*Curandorum ulcerum recentium modus.*

Ulcera autem, si jam manifesta appareant, biduo puta vel quatriduo, etiam solo aquæ fotu sanantur bis in die administrato, quod si duritie aliqua sint obsessa, præcipitato hæc penitus est absumenda, sat autem erit hoc uti duobus diebus, & semel tantum singulo die, mox alios duos quiescere, sinens naturam opus suum moliri: non enim radicitus rodentia medicamenta durities exstirpant, imo si sine intermissione iis utaris, spe illius consumendæ illusus illam angebis, tum quod rodentia sua siccitate à parte affecta quovis modo prohibent halitus consuetos transpirare, tum etiam quod dolore aliquo, qui ad hæc jugiter sequitur, humoris quippiam plus advocatur, unde nova fit durities, verum hæc mali moris non est, & naturæ opere facile dissipatur, tantum fotibus adjuta, quæ interea non sunt omittenda, verum tantum semel in die conveniunt, ne præcipitati, quod etiam semel tantum superspergitur, opus pervertas. Fit autem fotus, mox pars molli calidoque linteo exsiccatur, & involuta per dimidiæ horæ partem quiete relinquitur, subinde soluta, præcipitatum ulceri offunditur, nec dimovetur usque in subsequentem diem, quo iterum fovere conducit, & mox iterum præcipitato respergere, iis peractis fiant fotus ex vino nigro, & ut cætera ulcera simplicia curabis, videlicet medicamento exsiccante, abstergenteque, hoc puta. Recipe *butyri recentis unc. j. mellis rosati drach. ij. tutiæ, lithargyrii ana drach. j. s. viridis æris usti scrup. ij. misce, & super levissimo linteo pauxillum extendatur, ulcerique admoveatur, bis in die usque ad cicatricem productam*, nec ambigendum est, quin prorsus horum præsidiorum ope evadant patientes, modo morbus sextam vel octavam nondum præterierit lucem, sed pauci admodum sunt patientes, qui à principio prudentem adeant medicum, vel chirurgum, istius pestis virium ignari, nil ultra pertimescentes in futurum, cum nec artus doleant, nec immitis quicquam in principiis appareat, præter leviuscula ulcera, non secus agentes, atque ignarus præfectus cohortis, qui illustratis, ac spretis delitescentis adversique exercitus exploratoribus, proximam cladem non prævidet, sed stulte suis viribus fretus adversum emissarios contendens, undique à delitescentibus mox circumventus, miserque cum tota cohorte fusus, insanæ confidentiæ pœnas luit. At prudentis præfecti erat, exploratis præcursoribus, occultas

tas insidias antevertere, locoque cavere, dum dabatur facultas. Hoc nimirum modo homines hac labe aggressi principia contemnentes, semetipsos præcipites dant, sed etiam plerumque miseri patientes falluntur, decepti specie recti. Quisque hercle nunc nebulo, vel plebejus, vel tiruneulus, se sapientem, prudentem, exercitatum atque optimo medico æquum profitetur, quod contrarium non raro res ipsa indicat. si igitur in similes artifices patiens non benigno fidere ductus inciderit, confisus illorum stultis pollicitationibus, ficisque, in perniciem sensim labitur. imperiti autem medicam artem tractant non secus ac simiæ, quum humani quicquam gestiunt, fingunt autem hæc tantum patentissima, atque hæc etiam inepte; sic plures crediti à plebe, ut Medici, vel Chirurgici, quum aliquem præcipuum in arte in iis ulceribus perceperint, vel *balaustium*, vel *tutiam*, vel *alumen*, vel *præcipitatum*, vel *æris florem*, vel *aristolochiam*, vel *aquam fortem*, vel horum quodpiam simile felici successu apposuisse, statim uno notato illud in usum ponunt, nulla ratione nec recta observatione comitati, ut sic statim *balaustio*, vel *tutia* vel *galla*, à primordiis ulcera hæc aspergant, quod perniciosissimum est, intra, quod sordidum est, cohibentes, quod foras evocandum erat, *aqua etiam forti*, vel alia simili ulcera jam diuturna, ac multa duritie oppressa madentes, nulla de iis, quæ in medio sunt corpore, consideratione habita, unde vehementior brevi excitatur corruptela, quæ quandoque nulla arte corrigi potest, quin vel glans rodatur, vel etiam nonnunquam totus coles, imo quoque & virgam corrosam, & pectinem universum, peritonæo tenus, exesum vidi, nulla alia ratione quam ex incongruo medicamentorum rodentium usu, quos à mortis periculo eripere laboriosum fuit. Assidue enim de hoc nos admonet Galenus, ne rodentia ulceribus admoveamus, nisi, quod intus abundat, foras deturbetur. concurrit hoc alioquin ad partem gravatam, quod sanum est, exedens. At videor nunc videre multos in has nostras institutiones insurgere, floccipendere, calumniari, tanquam homines forte ab omni tum disciplina, tumque recta medendi ratione alieni, dicentes, & fabri coriarii præsenserunt quandoque à medicis aquam ulceribus esse contrariam, at & idem ego fateor, imo & duplici ratione contrariam, tum quod fotibus ratione administratis per hanc ulcera arceantur, & sic proprie illis est contraria. alio modo dicitur contraria ulceribus, quum hæc per illam augeantur, patientibus contrariatur, quod quidem præstabit aqua, si frigida frequenter ulceribus offundatur, vel ex hac fotus fiant in corpore humorum multitudine referto, vel eorundem malitia vitiato, sic ut major fiat attractio, quam resolutio. at non modo ad aquæ fotus hoc consequitur, sed ad alios cujusque generis: sic ut jure merito dicendum putemus, vim totius artis in artificis prudentia consistere, potius quam in dogmatibus. nec tamen decretis vacuum artificem debere esse censemus, imo potius in iis exercitatum oppido, sed ingenio & experientia qui polleat maxime, ut dogmata ad unumquemque subjectis accommodet: nam qui imprudenter hanc artem adeunt, ut vulgares plerique, atque etiam mulieres, vel qui dogmate aliquo fulti hanc profitentur, non secus præsidiis in humanis corporibus utuntur, quam lethiferis telis cæcus in acie constitutus. vibrabit autem hæc magis in amicos, ex iis multo plures quam ex adversis confodiens, sic ut si in arte aliqua liceat unumquemque artificem propriam artem callere, antequam absolute manum operi addat, in medica sane una licebit maxime. Non desunt præterea, qui in hujus morbi præludiis statim ad venæ sectionem, vel totius corporis purgationem confugiunt, ut provideant (inquiunt), at hæc imperitorum est provisio. universam igitur, immensamque domum aqua perfundere vis, si in abjecto angulo flammam pigre insurgere cernas, quam exiguo aquæ labro restinguere parvo labore possis? Porro prudentis artificis munus est, propius justo morbis auxilia adæquare, imprudentis vero in alterum extremorum irruere, quod si multorum dierum sit morbus, & dehiscant ulcera, vel pertinaciter occalleant, putreantve, potentioribus præsidiis huic rias obvius licet, & sanguinis missione, & purgationibus, & aliis, quæ omnia suo loco disponere putamus.

## CAP. VIII.

### *Ulcerum ægre sanabilium curandorum ratio.*

Quum vero jam pervicacia & multorum dierum ulcera occurrerint, in pene puta (nam hic à tempore sumpta indicatio ad curam confert aliquo modo, non autem ubi jam per varias corporis partes hæc manifestetur affectio) scisitandum ab ægro est, num talia sponte devenerint, vel potius, post usum rodentis alicujus medicamenti, quod si immediate post medicamentum rodens contigerit, per duos dies cessandum ab iis est, tantum

A parti exulceratæ medicamentum appones, *quod mellis recipiat partem unam & semissem, succi rosarum, & terebinthinæ singulorum partem unam, unguenti Ægyptiaci partem semissem, ad ignem omnibus bene permixtis*, nam hoc medicamentum leviter abstergit ac concoquit, sic ut si durities, vel putredo ex medicamentis antea forte irrationabiliter adhibitis pervenerit, tum hujus medicamenti ope, vel alterius cujuspiam similis, quod dolorem nullum excitet, tum naturæ munere corrigi conspicies, nullo alio auxilio egens, ab iis, quæ simplicibus ulceribus conveniunt. Si vero interea nil in iis videatur remissi, augeanturve, vel ea etiam ex se ad hunc statum pervenerint, illicet basilicam brachii dextri obtunde pro patientis viribus, die sequenti corpus valenter purgato. inferere autem hic purgationum exemplar pro junioribus non extra rem fore credimus. Finge igitur amaræ bilis hominem esse, & in tempore non extreme calido, nam ætatem constat esse vel juvenilem, vel virilem: impuberes, vel senes non facile coëunt. Recipe, *igitur cichorei, origani, acetosæ, singu-*
B *lorum manipulum unum, graminis, liquiritiæ rasæ, singulorum unciam semissem, & radicum lapathi acuti, & fœniculi mundatarum, singulorum unciam unam, polypodii quercini uncias duas & semis, fiat decoctio ad libras duas, quæ aromatizetur cum semine petroselini ad drach. 1. semis, cinnamomi ad drachmas duas, de qua sumptis unciis quatuor, adde Syrupi rosati laxativi uncias tres, electuarii rosati Mesuæ drachmas duas, mixta aloente cœlo potet, de reliqua decoctione capiat singulo mane uncias quinque, addita unicuique dosi syrupi rosat. laxat. & de sumo terræ compositi singulorum unc. 1.* nam id medicamenti genus biliosos humores, & crassos, vel etiam serosos, qui reperiuntur in venis, quæ proximiores sunt intestinis, revocat, id quod in corporibus paulatim solet acervari deturbans. Ulcus vero cum toto pene hoc fotu fovebis, post sectam, ut præcepimus, venam. Recipe *serpilli foliorum, vitis, & quercus ana manipulum unum, bulliant in sufficienti aquæ quantitate, addita sexta parte aceti, & ex hac cum spongia virga foveatur;*
C præcipue pars affecta, sit autem calida quantum commode ferri queat, instillatque per octavam horæ partem, mox spongia in vino nigro austero, ac calido, madida, ac expressa, tantillum foveatur. inde fotibus absolutis linteo leni circumvolvatur, & paululum quiescat subinde, ulcus hoc medicamento curetur. Recipe *mellis, terebinthinæ ana drachmas duas, præcipitati drachmas tres, misce.* quo ulcus repleas, nec moveas usque in eandem, vel circa sequentis diei horam, in qua idem efficies quod nunc, & sat erit, si durities vehemens non fuerit, at si illa profundius fuerit inserta, tutius erit adhuc repetere die tertio, mox ab usu hujus medicaminis desiste, nam perpetuo in omni ulcere non plus semel vel bis, vel ad summum ter, rodentia medicamenta subsequenter sunt apponenda, quin duos post, vel tres intermittas dies, quo quid hæc præstiterint, intelligas. si vero fortiora sint rodentia, ut *caustica*
D *varia cum sublimato composita*, vel *aqua fortis dicta*, vel alia plura quæ arte parantur, quæ omnino omittenda hic censeo, tanquam plus æquo sæviora, neque etiam necessaria: hæc inquam semel tantum, ubi sit opus, adhibentur quindecim vel ad minimum octo, vel decem dies exigentia, ut ab iis enecta caro ab altera separetur, sed (ut dixi) extremis iis omissis, felicius quod in hoc casu exoptatur, ex *præcipitato*, comparaturque à quovis alio, quod usui sit, medicamento. huic succedit, quod ex æris fit flore, ut *Ægyptiacum*, nam interim dum ex causticis ultæ carnis casum expectamus, iis mitioribus frequentius uti possumus, ad quæ & humoris insidentis concoctio, & puris evacuatio diutine sequitur, quod summe juvat. ab administratione vero eorum, quæ vehementer carnem subditam exstinguunt, ulcus siccum permanet octo dierum spatio, quod tantum abest, ut prodesse possit, ut obsit potius non leviter, nam quantum fieri potest colluvies à parte affecta è vestigio est eximenda, nec quia illud altius imprimitur, ob id plus juvat, non enim omne infectum enecat, sic quod reliquum est, occlusa per causticum illi
E via, circumsitam ulceri carnem valentius inficit, unde à crustæ decidentia, quo tempore ulceris meliorem statum expectabamus, major nobis repræsentatur corruptela, & ulcus majus multo, nam decisa crusta ora dilatantur: quare præstantius esse experientia novimus, hæc penitus in hoc affectu esse omittenda. pluries, inquies, sanitati restitutos vidimus ex unica, ac simplici aquæ fortis insperſione: ex iis etiam ego & vidi, & aliquot hoc medicamento, dum junior essem, aliorum vestigia sequens, curavi, mutavi tamen sententiam, quum adversum quandoque affectum conspicerem. diligentius inde examinans, cum ratione, tum experientia, quid causæ esset, quod alios medicamentorum genus hoc sanaret, alios supra modum afficeret, non secus ac alia omnia talia: novi illis duntaxat esse præsidio, qui recenter morbum contraxerant, sic ut totum, quod infectum erat, illo extinguebatur: sed hos

vel pene

vel etiam ſanat integre ſimplex aquæ fotus, vel repetita, (ſi aliqualis ſit durities) *præcipitati* aſperſio, in nullum diſcrimen ægrum inducentia. Sed redeamus unde divertimus. ſi vero durities, vel ulceris corruptela, præpoſitis præſidiis cedere non videatur, vena colis ulceri proxima aperienda eſt, vel ſanguiſuga affigenda, quo putridus ſanguis ulcus nutriens, hoc ingenio educatur, & iterum ad præcipitati uſum redire, à balneo abſtinere, rotu tantum leviore ex vino auſtero, & aqua contenti, *præcipitatumque balſamo artificiali à Jo. de Vigo deſcripto* componere, nam hoc apprime has durities evertit, abſumitque, ulcus boni moris reddens, roborandæ repetendæque purgationes: roborabis eas, ſi decoctioni præſcriptæ, ſenæ addideris unciam unam, vel duas, nec ab re erit, ſi multi ſanguinis homo fuerit, venam iterum ſecare, præcipue ſaphænam pedis dextri, vel alterius, vel baſilicam iterum in brachio: quod ſi ſanguis ab iis adverſis venis exhauſtus, corruptus appareat, patiens vero inculpatæ valetudinis ante hunc morbum eſſet, intellige luem hanc per univerſas jam extremas venas eſſe diffuſam, ubi ſanguinis miſſionem ex variis diverſisque partibus, brachiis puta & cruribus, ſummopere conferre novimus, habito perpetuo reſpectu ad vires, & eductionis frequentiam: licebit igitur ad uncias ſex ab utroque brachio, & crure utroque exhaurire. At hanc præſidii formam tantum, ut dixi, commendamus, ubi jam in adverſas partes infectio irrepſerit, ubi etiam & balnea ſupreme conducunt univerſo corpori adhibita, & quæ urinas, & ſudores movent, quæ omnia digeſta comperies, ubi de pilorum caſu, & de ſcabie tractabitur. quibus omnibus bene adminiſtratis, ulceris moroſitatem iri ſedatam conſpicies, quæ ſubinde, ut ſimplicia ulcera, erunt tractanda. Sunt præterea qui, tumido facto præputio, glandem detegere non poſſunt, quæ etiam quandoque moleſtis ulceribus premitur, ſolvitur autem bene tumor hic fotibus præſcriptis, & melius ſi *parietariam*, & *thymum* incoxeris, injiciendumque clyſteri exiguo *lavacrum confectum ex ſucco roſarum ad uncias tres, ſucco chelidonii ad unciam unam, cum pari portione omnium horum aquæ muſſæ.* tepidumque injectandum ſine impetu, quandoque præputium ſecare cogimur, verum tentanda omnia primo ſunt, nec ſecandum, niſi extrema urgeat neceſſitas, urgebit tamen raro vel nunquam, ſi omnia ratione fiant, fotus inquam, injectiones, ſanguinis miſſio, & totius corporis purgationes. glande igitur detecta, ſi ulcera mali moris ſint, *præcipitatum* erit ad rem, ſin minus medicamentum, quod ſine morſu ſiccet leviterque abſtergat, ut Recipe, *ſuccі plant. roſ. & chelid. terebinth. claræ ana unc. ſ. mellis drach. iii. ariſtoloch. rot., aloës, ana drach. ii. ſar. hordei drach. iii. ad ignem miſceantur, & utere.* Accidunt etiam verrucæ *aqua forti* exſtinguendæ, & animadvertendum eſt, ut tantum verrucæ intingantur, ne reliquas partes aqua exulceres. quandoque tamen hæc ſola non ſufficit, vel etiam non congruit, præcipue ſi magnæ hæ ſint, quas amputare ſatius eſt, mox aqua radicem madefacere. Vidi autem Hiſpanum, dum junior eſſem, qui ad fratris mei auxilium confugerat, glandem univerſam atque præputium magnis verrucis obſitam habentem, ad tantam autem molem pervenerant, ut totam glandem obtegerent, præputium in ſummum extendentes cum maximo dolore, quem ſecare fuit neceſſum per longitudinem uſque ad glandis radicem, ſic enim omnia patebant, & dolor quievit, multæ autem verrucæ erant, quæ parvi digiti magnitudinem excedebant: inter has aliæ inſidebant parviores, quas omnes in multos dies abſcindere ad extremos earum pediculos oportuit, mox, ſanguine aliquo effluxo, aqua forti intingere. alias autem minimas, quæ forticibus amputari non poterant, aqua forti penitus cum cæteris abſumptæ fuere, in ſanitatemque æger hoc more reſtitutus eſt, relicto tamen diviſo præputio, quod reuniri non poteſt. Quæ autem teneræ ſunt, facile belleque liquantur ex aqua, *quæ ex ſale & alumine per vitrum ſtillatis* conficitur. Plerunque etiam cutis eminet inſtar carnis verrucoſæ in glande, in papillisque nutricum, in puerorum labiis, & circa anum, & ſcrotum, quam non *forti aqua*, vel alio vehementer urente medicamento abolere licet, ſed mediocri aliquo medicamento, ut *aqua ex alumine & ſale confecta, tantundem aquæ roſaceæ admixta*, vel *præcipitatum cum balſamo Joannis de Vigo*, bis in die appoſitum. Horum etiam corpora purgare frequentius licet, & ſanguinem mittere, & forte etiam *decocto ligni* vel *linimentis ex hydrargyro* ſubmittere, & omnibus tenuem præcipere victum, pro ratione morbi virium-que: quies etiam his omnibus præcipienda eſt: quod ſi neceſſitas negotiari urgeat, virga in vitreo vaſculo teneatur, ne veſtium conflictu ulcera recrudeſcant.

*Signum indicans per univerſum corpus diffuſam eſſe labem.*

## CAP. IX.

*Seminis profluvii curatio.*

Qui colis fiſtulam ampliorem habent, ii facile ſeminis profluvium ex fœdo ſcorto contrahunt, præcipue ſi mulier hæc nuper habuerit congreſſus cum viro alio, ſimilem affectum patiente, quod plerumque contingit, vel ſi menſtrua alba, vel ichoroſa patiatur, maxime ſi menſtruorum tempore, vel paulo ante, vel poſt coeant, eſt autem hæc paſſio teſtibus, ut ventriculo diarrhœa, impotens autem eſt utraque pars diutius, quod recipit, continere, ſic laxatis horum oſculis contenta fluunt: communicata igitur hac colluvie ipſis teſtibus (nam facilis eſt in coitu ad hos tranſitus) triſtantur, relaxanturque, & quod ex venis tum arteriis in iis inſertis pro nutrimento, ſeminisque generatione defertur, crudum, aut quidem incoctum effluit, viis iis reclusis exiſtentibus. Qui autem venerei morbi principia parvi faciunt, juvantur inirum in modum diuturno ſeminis effluvio: nam paulatim, quod putidum erat conceptum, effluit cum cætero, quod nondum corruptum, ſed incoctum labitur, perinde ac in mulieribus, quibus menſtrua ſuperveniunt. Curatur autem à principio hæc affectio mediocri negotio, ſi æger rationi obtemperet. Lavanda eſt primum & virga & ſcrotum, fovendusque coles bidui vel tridui ſpatio aqua calida, ut ſupra notavimus, & bis ſingulo quoque die ante paſtum: poſtea fovendi ſunt teſtes per multos dies in vino optimo nigro, atque auſtero: præmittitur tamen huic purgatio per alvum talis, puta. Recipe *terebinth. claræ lotæ primo in aqua plant. mox in vino albo unc. ſ. rheubarb. elect. drach. j. aloes el. ſcrup. j. cum pul. liq. & ſaccharo: fiat bolus*, capiat matutino tempore, & ſuperpotet *decoctum caulium viridium, & parietariæ ex carnium jure factum, vel cum butyro, ſale, & aqua.* Hac purgatione utatur bis interpoſitis duobus vel tribus diebus, ſi prima libere eduxerit: interea exiguo clyſteri in virgam injice lavacrum hoc. Recipe *aquæ lactis, lixivii, aquæ roſ. ana unc. iiij. roſarum rub. ſiccarum drach. ij. tutiæ præp. diatharg. ana drach. iij. bulliant parum, colentur, & utere bis in die*, blande injectando, ne exulceres, & tepide: quod ſi ad ſextum diem moleſtus adhuc affectus ſit, venam tunde baſilicam dextram, ad eam ſanguinis deductionem, quam virtus, ſanguinis multitudo, & virium indicabunt, mox ad ſubſequentia te conferes. Recipe *Mercurialis, parietariæ, burraginis, malvarum, ana manipulum unum, polypodii unciam ſemis, fiat decoctio pro una doſi, in qua infunde turbith electi drachmam unam & ſemis, foliorum ſenæ drachmas duas, cinnamomi drachmam ſemis. omnibus tuſis macerentur per noctem, mox expreſſuræ adde ſyrupi roſati laxativi uncias duas, & potet mane die ſequenti.* ſi medicamentum non copioſe alvum eduxerit, capiat *jus caulium viridium, & parietariæ ad uncias quinque, cum unciis tribus ſyrupi roſati ſolutivi.* At ſi potione prima naviter dejecerit, ſecundam omittes, & per dies ſex, vel ſeptem præſens diureticum matutino tempore potet. Recipe *parietariæ, capillorum veneris, cardiuorum ſylveſtrium, ana manipulum unum: radicum apii, eryngii, & faniculi mundatarum, liquiritiæ raſæ, ligni Indi ana unciam ſemiſſem. coperi drach. iij. mellis deſpumati unc. tres. fiat decoctio ſecundum artem ad libras duas, quæ aromatizetur cum drachmis tribus cinnamomi, & tantundem ſeminis petroſelini, de quo capiat matutino tempore uncias octo calide*, & ſtragulis mediocriter coopertus, modeſte ſudare tentet. inſiſtat in iis dies ſex, ut diximus, aut ſeptem, renovato decocto cum fuerit primum abſumptum. ab iis purgationem immediate præſcriptam reſumat. interea ſi alvus non libere excernat, devoret alternis diebus per horas duas ante cœnam, vel matutino tempore *pillulam unam aggregativam dictam*, doſis unius ſcrupuli, quod ſi nihil inoveat, die ſequenti ſumat *drach. ſ. in duabus pillulis diſpoſitam*, interim hanc novam injectionem in uſum pones. Recipe *aquæ roſarum, ſuccі plantaginis depurati, ſingulorum uncias ſex, myrobalani citrini drachmas tres, tutiæ drachmas duas & ſemis, bulliant parum, mox colatis, tepide bis in die virgæ infundes*, ſed manu levi ſine impetu, ne virgæ fiſtulam, quæ jam aliqua excoriatione tentatur, plus exulceres. Uteris hac tribus vel quatuor diebus continuis: quod ſi nihil remiſſi affectio habere videatur, ab uſu diureticorum, vena dextra ſaphæna ſecanda eſt, detrahendumque copioſe, ſi venæ refertæ ſint, & ſanguis ſit putridus. præterea purgantia per alvum ſunt ſolicitanda, per dies puta ſex vel octo ſuccedentes, & in totu ſcroti, qui ex *vino* fiebat, *gallam & balauſtia* incoquere. hoc interim ſpatio victum tenuem, attenuantemque præ ipſe, nam hoc modo ſi feceris, non recentem tantum gonorrhœam in bonum reduces ſtatum, ſed etiam diuturnam. ſed pertinacius etiam in præ-

ſidiis

fidiis est insistendum, & valentius purgandum. non enim æquo temporis ductu habitus, vel dispositio vitiosa languet, vel remittuntur, seu radicitus extirpantur: verum non jugiter evacuandum, quoad finem morbi videas, sed desistendum, quum is multo remissus fuerit. cætera natura ipsa expediet: nam hæc vera, extremaque est morborum curatrix, quæ si non perfecerit, repetenda eadem est cura, & aquam fontanam potet in mensa cum saccharo ad libitum: plerumque etiam cibus sit illi panis, in hac aqua infusus, vel in aqua simplici sine saccharo. non exquisite tenuis vel attenuans victus, sed intra utrumque extremum medius erit huic ex usu.

## CAP. X.

### *De bubonum curatione.*

Qui cum polluta meretrice coeuntes plus æquo, vel valentius coeunt, vel quibus in coitu facile inguina dolent, iis ut plurimum hæc tumentia fiunt, in quæ natura robusta, quod ex congressu putidum fuit acquisitum, & quod ab hoc subinde fuit acquisitum, & quod ab hoc subinde fuit inquinatum, cogere affectat. horum etiam plerique, qui hujus morbi initia flocci faciunt, vel adverso numine in imperitorum manus incident, benignæ adversus se naturæ plurimum debent, servantur enim nonnunquam horum bubonum munere, nec sæviore aliquo exercentur symptomate. Nitendum igitur est, ut ii ad suppurationem alliciantur, nimirum frictionibus assiduis, ventosarumque appositione. Nil hercle his melius, vel citius ad suppurationem accelerat. Fricantur autem digitis simpliciter, vel recenti butyro illitis, ut diutius frictio sine molestia sufferri possit. præstabit hoc autem patiens ipsemet, digitisque comprimet, perstringet, omnique arte frequenter irritabit, usque dum tumentes phlegmone oppositi tactum amplius ferre non possint, quo tempore suppurantia emplastica apponere licet. si igitur brevi nec multa frictione huc devenerint, humorem non admodum crassum, rebellemve esse ostendunt, naturamque vegetam circumsistentium partium, raram imbecillemque recipientem, ubi leviore etiam præsidio suppurant, iis propterea sat erit triapharmacum ex farina, oleo, & aqua apponere. si vero ægrius huc humor trahitur, scias hunc etiam non facile in pus converti, quare extrinseco potiore eget auxilio, quam primus. *idem igitur emplastrum coquere poteris, cum jure radicum althææ, radicesque in pila contusas addere, & semen lini & fœnugræci, & porcinam vetustam axungiam.* Quandoque autem adeo pertinaces sunt ut suppurationi obnixe resistere videantur, quos emplastris fovere calidioribus oportet, id efficies, si *bryoniæ radicem cum althæa incoxeris, emplastroque mox descripto addideris, saponemque insuper adjeceris.* Quum omnibus iis præsidiis non cedunt, hoc cerato obteges. Recipe *bdellii drach. iii. aloës drach. ii. dissolve in aceto acerrimo, & cum diachylonis majoris unc. i. malaxentur, & ad ignem belle incorporentur, addito tantillo ceræ pinguissimæ:* inter hæc ne vereare statim venam aperire ex brachio, vel crure ejusdemque partis, & si sanguis aliquam patiatur à naturali transmutationem, corpus una purgato, nam quandoque ab iis evacuationibus, qui pertinaces admodum ostentantur, ii ad suppurationem brevi, leviusculoque auxilio ducuntur: videtur hoc tamen rationi dissentaneum, verum res ipsa hoc mihi quandoque ante oculos objecit, unde rationem omni diligentia hujus affectus explorare non destiti, fructus nunc nullam hac potiorem esse: nimirum quod antea dispersus humor aliquo modo naturam divertebat, quæ subinde & purgatione alleviata, & sanguinis missione putrido sanguine imminuto, residuum valentius adoritur, in inguinaque, quod fieri per illam potest, compescit, concoquit, ac per ruptionem exturbat. At in iis omnibus naturæ tantum beneficio fidendum non est, sive facile suppurent, vel summo labore, nam plerunque & alia symptomata sequi solent: sæpius tamen in iis, quibus hic humor pervicacior apparet, quos etiam & valentioribus & frequentioribus pharmaciis curare par est, & copiosiore sanguinis missione, si iis corruptus appareat. purgetur igitur corpus *ex drach. vi. confectionis hamech, vel drach. ii. pillularum cochiarum.* Quum igitur ad maturitatem pervenisse noveris, artificiali opere emissarium puri commodum arte est præbendum, ratus hoc illi præferendum esse, quod naturæ munere vel potius putredine paratur, quamquam scriptores multi contrariam sententiam in hominum animos inferre laborent. At ego, quam naturalem illi dicunt aperturam, contra naturam prorsum esse affero, quare etiam patientibus admodum molestam. antecedit autem hanc multa circumpositarum partium putredo, nam & id usus docet, & huic arridet evidens ratio. si namque putredinis vi cutis liquatur, quomodo resistent carnotæ proximæ, & nervosæ partes aliæ, quibus pus invidet? quis autem non quandoque vidit emissaria à putredine parata, & in bubonibus & in aliarum partium finibus, sic esse carne exhausta, quam putredo diutius insistens colliquaverat, ut multam cutem jam laceratam secare opus fuerit, cum illi deficerent instrumenta, unde alimentum caperet? Sed quid discriminis est in sectione arte facta plusquam in illa? quod autem ferrum secat, vel causticum urit, idem sane multo majore mensura, ut dictum est, colliquat abstrusum pus, nec tantus ex sectione sequitur dolor, qui raptim transfluit, quantus ex diuturne compresso pure. Ubi igitur jam collectum pus pateat, & phlegmone vomica sit obsessa, ferro acuto belleque secante, illam divide secundum rugas, sectionemque facias, quantum nulla vi crassum pus, quod perpetuo in iis apparere consuevit, exire vel molliter exprimi queat. circumventas autem phlegmone vomicas non modo has, sed & cæteras secante ferro perfodere consulo, quod ex plaga sanguis ille cutaneus, atque etiam infectus detruditur, quod ad caustica minime consequitur: præterea in iis causticum quandoque auget inflammationem cum summo dolore, in quibus vero nulla impendet phlegmone, (quod raro vel nunquam in bubonibus iis apparet) iis causticum apponere maxime confert, tum quod ex hoc (si perfectum sit) nullus vel exiguus percipiatur dolor, ubi nec cutis divisa, nec inflammatio sit, tum quod sectio etiam (ubi illud suppositam puri partem exussit) sine molestia aliqua fiat. præterea sanguis nullus ex tali apertura effluit, quod confert in frigidis absessibus, sed & candenti ferro aperire hos etiam licet, perinde atque causticio, si æger permittat. sectionis autem tempus est statim ubi pus in sinu inundat, si digitis prematur, quo etiam tempore fervores, qui in materiei generatione fiunt, languescere occipiunt: non autem, ut quidam præcipiunt, acerbum dividere par est: difficile autem tunc coquitur reliquum, quod in partibus circumpositis est infixum, atque crudum, evaporatis per sectionem spiritibus, quorum ope recta horum expectabatur concoctio. præterea quis quandoque non didicit, divisionem fluente adhuc humore factam irritare magis morbumque geminare? Succensui equidem ineptis Chirurgis nonnunquam in tali casu, qui sectione immatura, cum maximo vitæ discrimine, ægros in gravissimos, anxiosque dolores induxerant, sed etsi immatura sectio noxia est, non propterea utilior erit cæteris omnibus præ nimium matura, quod ampliorem, quam par sit, sibi sedem paret, partes (ut diximus) circumstantes corrumpens, quas servat in tempore, arteque factus exitus. Nec evaporationem contenti puris hic experiri sine apertura æquum est, quemadmodum in phlegmonum collectionibus, quæ sola sanguinis copia nonnunquam fiunt. Aperiendus erit igitur sinus hic, non crudus, sed mediocris: post hunc qui paulo maturior est: tertio maturum extreme, eo quod satius sit sero quam nunquam. at horum indicia scriptis tradi non possunt, sed visu tactuque sub experto artifice discere æquum est. Aperto igitur sinu, illum hac prima cura *licinio, ovi albo, & bolo armena intincto* curabis, & hoc emplastro munies. Recipe *farinæ hordeaceæ, & fabarum, furfuris, mellis, ana uncias quatuor, cum lixivii & vini albi pari portione ad ignem belle coquantur, & fiat emplastrum non conquinans, quod bis in die renovetur supra locum patientem.* hoc uti poteris per tres quatuorque dies primos à sectione, quo id, quod in tumida parte est infixum, vel in pus vertatur, vel in halitus evaporetur, medicamento hoc licinium obducatur. Recipe *mellis ros., terebinthinæ, succi rosarum, & apii ana unciam unam, farinæ hordei unciam semis, aristolochiæ, thuris, ana drachmam unam: ad ignem omnia incorporentur.* Quum id exsiccantius esse voles, *aristolochium* auge, addens *iridis quippiam & aloës, & succi chelidonii.* Ab usu cataplasmatis ex farinis præscripti, *emplastrum diapalma* ad finem usque effectus succurret. At facto emissario, si nondum fuerit secta vena, vel etiamsi fuerit, & sanguinem reperiris vitiatum, eodem die vel altero sanguinem detrahere licet: etiam corpus purgare, quo sæviora effugias symptomata: vena secanda est basilica, vel poplitis potius ejusdem partis. quod si sanguinem vitiatum offenderis, statim vel sub vesperum ejusdem diei, aliam è regione venam dividere ne hæsites, mox corpus purgabis mediocriter, si absessus facile vel brevi à contagio ad suppurationem deductus fuerit: si vero dudum post apparuerit, sanguinisque vitium non leve videatur, diutius in purgationibus insistendum est, valentiusque purgandum. purgationum forma ex supra dictis, tum dicendis infra suppetet, si paulo in arte medica fuerit artifex exercitatus: si nil, satius erit hanc partem expertis medicis relinquere, qui id ex morbi essentia, aliisque indicationibus suggerent: victus præterea tenuis mediocriter, ut humoris corruptela, ac virtus indicabunt.

*Bubones ad suppurationem excitantis & quomodo.*

*Si bubones pervicaces sint quid agendum.*

*Quare quandoque pertinaces bubones post totius corporis evacuationem facilius suppurent.*

*Æquum non est dissolutione bubones curare.*

*Cura aperti bubonis.*

## CAP. XI.

*Pilorum caſum curandi ratio.*

Senſim ubi hæc colluvies per carnoſas cutique proximas partes fere univerſas irrepſerit, in corpore tenuioris ſanguinis ab inſito calore propulſa cutem labefactat, unde pili decidunt. Hos etiam patientes natura aliquando à graviore morbo tutatur, ejecto per cutem putore omni: veruntamen hoc ſæpius non abſolvens, vel ob intemperatum victus regimen, vel propter viſcidorum humorum miſcelam, qui ægre per cutem dejiciuntur, & aliis ſymptomatis etiam ſævioribus ſubmittuntur. Ineunda igitur in iis eſt cura à ſanguinis miſſione ex cephalica brachii reſpicientis partem magis affectui ſubjectam, ad uncias octo vel decem: qui ſi vitiatus ſit, ſtatim ex adverſo brachio tantundem deme, corpusque ſequenti die hoc pharmaco purgato. Recipe *origani, betonicæ, hyſſopi, menthæ ana manipulum unum, mercurialis, parietariæ, ana manipulos duos: polypodii quercini unciam unam & ſemis, liquiritiæ raſæ, radicum eryngii ana unciam unam, fiat decoctio ad libras duas, colentur, cui indantur, foliorum ſenæ uncia una & ſemis, ſeminis petroſelini, aniſorum, carvi, ſingulorum drachmæ duæ, cinnamomi drach. iij. macerentur per noctem: mox per colum liquor transfuſus & expreſſus, in vaſe vitreo reſervetur ad uſum:* de quo Recipe: *uncias quatuor, ſyrupi roſati laxativi uncias duas, electuarii Meſuæ drachmas tres, miſce, fiat potio, quam capiat die ſequenti ab emiſſo ſanguine, ex reliquo decocto capiat ſingulo mane uncias quinque, cum uncia una oxymellis ſcillitici, & tantundem ſyrupi roſati laxativi, ab iis purgetur corpus ex drachmis duabus pillularum cochiarum,* ſi mediocriter fuerit robuſtus patiens, vel *ex drachma una cum dimidia:* quod ſi pillulas recuſet, purgetur iterum primo pharmaco. à ſanguinis miſſione vel poſtero à purgatione die, capillis forticibus reſciſſis, lavetur, atque etiam foveatur totum caput hoc lavacro, quod ſtatim compeſcet pilorum caſum, diſſolvendo humorem noxium. Recipe *menthæ, corticis ulmi, vel foliorum ejuſdem, ſi viridia ſint, foliorum vitis, ſingulorum manipulos duos, porrorum numero ſex, bulliant in aquæ ſitula, deinde colentur, & alternis diebus caput lavetur cum levi frictione:* mox madida in eodem decocto ſpongia ampla caput foveatur, bis terve repetita ſpongia, mox leniter caput exſiccetur. Idem intellige faciendum eſſe genis, niſi ſit imberbis. Uteris hoc balneo fotuque ter vel quater: ſubinde dies aliquot quieſce, puta ſex vel octo, mox hæc repetas. Quod ſi cum pilorum caſu ulcuſcula per caput appareant, quæ à fotibus atque lavacris non levius habuerint, iis adde *lupinos, mel, nuces cypreſſi, gallam, atque aceti quippiam.* A ſecunda purgatione per ſudores, tum per veſicam corpus purgare conandum eſt, nam etiamſi tantum caput & genæ videantur moleſtari, univerſæ tamen cutaneæ partes eodem fere afficiuntur incommodo. Balneum igitur ingrediatur die ſequenti à repurgato corpore, in quo inſideat per mediam horam. ſit autem aqua potabilis tantum, & ejus caliditatis, quantum leniter ferri poſſit. Utetur autem iis per duos mox ſequentes dies horis duabus ante cœnam, dieſque ſubinde interponat tres ſine balneis, deinde per alios duos dies ad hæc recurrat, quandoque etiam occipiti conducet ventoſas affigere, & ſecare, hac inſuper potione utatur. Recipe *ligni Indi, non vetuſti ſed bene maturi, ex medio nigriorem & recenti in ſcobem minutulamque redacti uncias tres, vini optimi albi libras tres, macerentur horis viginti quatuor in vaſculo terreo picato vel vitreo, mox iterum recipe ligni Indi uncias quatuor, aquæ fontanæ libras duodecim, macerentur per noctem, & lento igne in vaſe terreo picato bulliant ad duarum partium conſumptionem: ſubinde huic ſuperadde vinum ſupra præparatum, & reſideant per horas ſex, deinceps colentur in vaſe vitreo vel terreo, & magma utrumque ſimul mixtum iterum in olla reponatur, cui ſuperinde aquæ libras ſexdecim, in qua etiam perpulchre fuerint macerata aliæ unc. iij. dicti ligni per horas duodecim, & ſic mixta bulliant ad quartæ evaporationem: mox quieſcere ac reſidere permitte, & colatum propotu reſervetur ad libitum.* ex primo decocto tantummodo bis in die ſumet, ad diluculum videlicet, vel ſub noctem duabus horis, vel tribus ante paſtum, doſis ſit ad uncias decem. die balnei tantum ſemel, videlicet matutino tempore utatur, potetur autem tepidum, mox æger lodicibus, vel veſtibus coopertus mediocriter ſudores provocet. utatur autem hoc decocto dierum duodecim ſpatio vel quindecim, ſi morbus levis fuerit, at ſi gravior, prorogabis in terdenos: & ſi dolores aliqui vel capitis, vel artuum fuerint adjuncti, cum pilorum caſu, tutum erit ab iis redire ad primas purgationes. quod ſi in uſu hujus decoctionis venter non bene fluat, (quod tantum contingit iis, qui parciſſime potant in paſtu, quod utile non eſt, nam præſtat paulo, imo etiam multo plus conſucto potare: purgat autem hoc decoctum per univerſas corporis partes, per alvum videlicet, ſudores, & urinam) ſi alvus, inquam, non libere dejiciat, ſumet alternis diebus *pillulam unam cochiam doſis unius ſcrupuli*, ea hora, qua ſolutus fuerit ſudoribus, ſeu matutino ſeu veſpertino fuerit tempore: quod ſi hæc levius, vel nihil moveat, ſumat binas. Veruntamen ſi potet liberalius ex ſecundo decocto, quod conducet, alvus ſatis fiet lubrica, imo quandoque multum, ubi licebit per cœnam unam, vel etiam per totum diem, hoc potu omiſſo, vinum optime lymphatum potare & parcius, ſi patientis (intellige) vires labaſcant: at ubi conſtant, formidandum non eſt, etiam ſi quater, vel ſeries alvus dejiciat. Si item alvus abunde excernat, balneis eo die non eſt utendum, quieſcat igitur venter prius, omiſſo (ut diximus) decocto per diem unum, vel parcius potato. Victus tenuis mediocriter præcipiatur, nimirum, ut ſemel tantum in die carnibus temperate utatur, aviculis videlicet vel pullis: altero paſtu paſſulis, vel amygdalis parce etiam, puta unciis quatuor panis, & tantundem paſſularum, vel paulo plus, ſi homo fuerit multi cibi. At ubi alvus fluit abundantius, liberalius eſt etiam exhibendum de cibo. hæc omnia tamen prudens Medicus moderabitur, ut uſus perſuadebit. ſed quum hic morbus fœdum hominem faciat, cæterisque hic ludibrio habeatur, nec omnibus vel ob negotia publica, vel privata, vel propter egeſtatem, vel aliam quamvis cauſam inire hoc regiminis genus concedatur, opere propterea atque labore dignum erit, ut exponamus, quomodo iis ſaltem perfunctorie, ut ita dicam, occurrere liceat, donec melior illis oblata fuerit curationis opportunitas. ſecanda igitur vena ſuperior in cubito eſt è parte magis glabra, ex altero etiam brachio ſtatim, ſi vitiatum admodum ſanguinem offenderis, corpuſque ſequenti die purgandum *pillulis cochiis ad drachmas duas, ex quibus fiant pillulæ ſex in aurora exhibitæ:* quod ſi patiens exiguarum ſit virium, ſat erit *drachma una cum dimidia*, poſtea ex infraſcripta hac maſſa pillularum devoret *ſcrup. ſ.* alternis diebus, vel tertio quoque die, unius menſis ſpatio ad minimum: nec erit inutile, ſi ultra producat: ſumat autem has matutino tempore, nec deſiſtat à conſuetis muniis. Recipe *pillularum cochiarum recenter confectarum drachmas ſex, aloës electæ ex veſica drach. ij. cum oxymelle ſcillitico, fiat maſſa ad uſum, ut diximus.* à ſecta vena per horam puta, vel circa veſperum fovebis lavabisque caput *aqua calida, in qua porri fuerint cocti, & roſæ ſiccæ:* hac lotione uteris dierum quatuor ſequentium ſpatio, ſemel in die, videlicet mane vel ſero, ante paſtum per horam. Sequentibus diebus, *demptis à lotione porris, adjicies frondes, ramos, vel cortices ulmi, una cum roſis*, ex hoc bis terve in hebdomade caput lavabis, ſpongiaque in hac madida fovebis, & in balneo etiam quandoque totum corpus recipiatur: hoc modo pilorum caſum prohibebis inceptum, pleroſque ad integram ſanitatem reſtituens. Tutum erit pillulis præſcriptis uti ad multos menſes, verum non tam frequenter, ſed primo menſe exacto ſat fuerit quarto vel quinto quoque die *ſcrup. ſ.* ſumere, unicoque tantum lavacro ſingulis octo diebus caput lavare vel fovere, nec multis frictionibus illud exercere, ſed ſive laves, ſive ſiccs, parcius, atque levius ſuffricabis, nec exſiccabis multum, ſed medio quodammodo, linteis item minime aſperis. victus ſit parcior conſueto, acriumque ciborum immunis, ut ceparum, alliorum, aromatumque, & ſimilium.

## CAP. XII.

*Scabiei, & aliorum cutis affectuum curandorum forma.*

Impetigo, ſcabiesque nonnunquam in hac lue affectis apparere ſolent, verum potius in deſidioſis pigriſque hominibus, pigris inquam, & ad curationem, & ad corporeas exercitationes, ſic ut nullarum rerum ſolliciti, cutem unguibus ſcalpentes omnes vigilias conſumunt, unde quum jam malum contraxerit cutis habitum, non facile curatur. iis & à brachiis, & à cruribus utriſque ſanguis eſt detrahendus venæ ſectione, uno ſcilicet die ex communi utriuſque brachii, ab utroque crure, altero ex ſaphæna videlicet, ſi interna pars magis afficiatur, ex ſciatica vero ſi externa: & ſi hæc occulta ſit, aperiatur ſaphæna, mox totum corpus hoc pharmaco purgandum. Recipe *fumi terræ, hypericonis, foliorum ebuli, mercurialis ana manipulos duos, polypodii uncias duas, fiat decoctio ad libras duas, in qua colatura inde foliorum ſenæ uncias duas. epithymi, thymi ana unciam unam, cinnamomi drach. tres, aniſi drach. duas, macerentur per noctem, mane percolatis & expreſſis ſervetur decoctio in vaſe vitreo*, de qua Recipe *uncias quatuor, ſyrupi de fumo terræ compoſiti unciam unam, oxymellis ſcillitici unciam unam & ſemis, confectionis hamech drachmas tres, miſce, fiat potio, capiat die poſt ſectas venas:*

*nas:* ſequentibus diebus capiat ex reliquo infuſo ſingulo *uncias quinque, addendo oxymellis ſcillitici, ſyrupi de fumo terræ compoſiti ana unciam unam,* circa veſperas alternis diebus balneum ex aqua dulci ingrediatur, immoreturque dimidiam horam, cucurbitulæque ſectæ applicentur ſemel aut bis in varias corporis partes, quas magis affectus infeſtat: ab uſu ſyruporum eodem utatur decocto, quod capite præcedente deſcripſimus, vini dimidiam portionem auferens, totum autem non conſulo, nam & vinum vires robuſtiores ſervat, facileque per exiliores permeat venas. quod ſi pruritus admodum moleſtus ſit, nec corrigatur balneis (quod raro contingit) venæ ſectio eſt reiteranda, & cucurbitulæ cum decenti ſcarificatione, vel ſanguiſugæ partibus magis affectis applicandæ, ab iis *ſulphur vivum cum butyro recenti miſce & unge*: verum non univerſum corpus ſimul, ſed uno die partem unam, alio alteram, altero ſcilicet dexteram totam, altero ſiniſtram: quod ſi huic unguento non cedat, *repone unguentum in pila plumbea, & ſuperpone aquæ roſarum uncias tres, in qua bullierit ſublimati drachma una, quæ per colum transfuſa, piſtillo diutius omnia commovcas, mox aqua optime expreſſa unguento uteris*, verum tenuiter, & non univerſum corpus, ut diximus, una hora, imo ſatius erit matutino tempore crus unum inungere, in veſpera alterum, vel brachium qualevis, ſequenti die cæteram partem ſic illinire: hæc autem linimenta hoc more adhibita, tantum abeſt ut intrinſecus humores occludant (ut quidam opinantur) ut potius diſſolvant brevi, quod cutem moleſtat, unde mox hæc quieſcens robuſtior fit. cogimur autem ad hæc confugere, quum jam in malum habitum cutis devenerit: quod ſi paupertas vetat, quo hanc diætam patiens nequeat efficere, venas ſecet, balneetur, & alternis diebus capiat *pillularum de fumo terræ ſcrupulum unum, vel drachmam dimidiam*: die ſequenti à venarum ſectione devoret *ex eiſdem pillulis drachmas duas*, vel, ſi imbecillis ſit, *drachmam unam cum dimidia.* Victus omnibus ſit moderate tenuis, neque admodum attenuans: edant carnes vitulinas, pullos gallinaceos, aviculas, ſed mediocriter, parce: elixas aſſis hic præfero, potus ſit aqua vel vinum album, triplo aquæ perfuſum, ſed etiam potionem ex ligno Indo ſupraſcripto admodum commendo ex aqua ſolum, vel addita vini quarta parte paratam.

## CAP. XIII.

### *Muſculoſarum partium affectus qua arte curentur.*

Ubi ſanguis paulo craſſior exiſtit, non æque per cutem dejicitur quod in illo vitiatum eſt: itaque per partes paulo profundiores vagans, muſculos, tum eorum involucra gravat, tendit, & poſtremo rodit: hoc autem genus moleſtiæ, perinde atque pilorum defluvium, vel alia ſymptomata vix ante tertium, vel quartum menſem ab infixa lue apparere ſolet, quo tempore ſanguinem fere univerſum, qui in partes carnoſas recipitur, quicquam ex hoc vitio præliballe neceſſum eſt: ſecanda propterea eſt primo vena affectæ parti maxime proxima, mox ſtatim alia alterius membri dolentis, ſive crus ſive brachium fuerit, inde pars aqua vitæ fovenda eſt bis in die, pannique calidis munienda, atque etiam lana ſuccida: juvat hos inſuper mirum in modum aqua ſingularis Joan. de Vigo, quam infra notavimus, ſi pars dolens calide illinatur: verum hæc juvarent parum, niſi alio humor fluens diverteretur. Sol quomodo agrum reddet aridum, quem abunde rivulus perpetuo rigat? per alvum igitur purgandum crebro eſt corpus hoc, quo pituita, etiam biliis, atque etiam ſerum, quæ per venas in univerſum corpus ferri ſolent, affectam partem non ſolicitent, uſque dum illa humore noxio fuerit penitus abſoluta, in propriumque ſtatum reſtituta. purgantia medicamenta talia conferre poſſunt. Recipe *agarici optimi non trochiſcati drach. unam, aloës electæ drachmam ſemis, diaphœniconis drachmas tres, miſce: fiat bolus, capiat cum involucro, & julepe roſato*, ne amaritudo ſtomachum ſubvertat: quamquam hos juvet quam maxime vomitus, ut infra dicemus. quod ſi bolum averſetur potionis cupientior. Recipe *fol. ſenæ unc. ſ. turbith electi drach. j. cum dimidia, cinnamomi drach. j. aquæ cichorei unc. iiij. macerentur per noctem, mane expreſſis adde oxymel. ſimpl. unc. iij. miſce, fiat potio*, quam capiat die ſequenti à ſectis venis, diebus reliquis utatur hoc infraſcripto. Recipe *orig. hyſſopi, hyperici, pulegii, cichorei, end. ana manip. j. polyp. quercini unc. ij. ſeminis carthami unc. j. & ſ. fiat decoctio ad lib. ij. circa finem coctionis, adde turbith electi tuſi unc. ſ. & iterum parum ferveant, & mox ab igne ſemitis adde illico cinnamomi drachmas duas, carvi unciam ſemis, ſeminis fœniculi drachmas duas contuſa craſſo modo: quæ macerentur horis quatuor, inde colentur, de qua capiat omni mane ſub diluculum unc. v. cum unc. ij. oxymel. ſimpl.* decoctione hac abſoluta, reſumat iterum primam purgationem, & per dies 20. ſudoribus ſubjiciatur, infraſcripta potando. Recipe *ligni Indici unc. v. ſeminis petroſelini unciam, vini optimi albi lib. iij. infunde per duos dies. Item recipe ligni Indici unc. v. aquæ fontanæ lib. x. bulliant ad medietatem, & continuo ab igne remotis immiſce infuſionem ex vino factam: reſideant, colentur, & liquor in vaſe vitreo, vel ficili picato reſervetur: magma vero iterum in olla reponatur, cui ſuperadde aquæ lib. xij. bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, ſtat. m immiſce vini optimi albi lib. v. in quo fuerint maceratæ ligni Indi unc. iiij. per horas 24. facta decocti reſidentia, colentur pro potu ad libitum*: ex primo potet albente cœlo, vel tempeſtivius, ſi lubeat, *unc. viij.* veſpere autem *unc. viij.* calide, & ſtratus pulchreque tectus, ſudare curet: ſi dolores non mitigentur, ſanguiſugæ, ventoſæ, & etiam venæ ſectio partibus affectis eſt repetenda, vel veſicatorium, vel cauſticum infigendum. ſi interea alvus non libere dejiciat, *pillulæ ſemidrachmalis ſumenda eſt ex agarico, aloë, & turbith æquis portionibus*, alternis diebus mane vel ſero, per horam ante cibum: quod ſi liberius, quam vires ferant, ſoluta fuerit (ut quandoque accidit) uno die potio hæc menſalis erit intermittenda, vinumque ſimplex optime lymphatum potandum. nam hæc omnia prudens artifex pro ratione ſubjectorum moderabit, nulla autem regula in curandis morbis firma in omnibus patientibus deſcribi vera poteſt. Quod ſi interea quandoque, dum hac utitur potione, alvus ſponte, ac pro cibi ratione ſolvatur, ſat erit ſi ſingulis ſex diebus corpus purgetur ſupraſcripto pharmaco. Victus ſit attenuans & tenuis, iis autem piper & aromata alia temperate epulis immixta juvant, nec obſunt, quæ muria aut aceto paranter, ſi inter epulas concedantur: attenuant autem, detergunt, & ventriculo hæc cupienti jucunda ſunt, qui reliquum cibi in melius tranſmutat.

## CAP XIV.

### *Articulis ſeu etiam oſſibus hoc morbo ſollicitatis, quomodo occurrendum.*

Diros etiam dolores, ac in necem agentes patiuntur ii, quibus articuli, vel oſſa hac ſorde premuntur, membranas autem, quibus hæc veſtiuntur, & cæteras partes lancinantes, poſtremo & oſſa ipſa: quare quanto affectus altius pervaſerit, tanto curatu gravior eſt, præcipue ſi articulos diu admodum divexare frequentaverit: nam partes hæc ſua natura cæteris frigidiores ægre, quod noxium recipiunt, repellere vel concoquere poſſunt: aggredienda eſt igitur etiam curatio hæc ab humoris peccantis, exſuperantiſque evacuatione, venæ videlicet ſectione propinquius affectæ parti ſedentis, quod ſi plures in eodem corpore ſic torqueantur articuli vel partes, ab horum plurimis & maxime tortis eximere primum humorem æquum eſt, nam ibi perpetuo, quod corruptius eſt, colligitur, vel etiam, ſi benignum adcurrerit, temporis ſpatio vitiatur. ſi igitur humerus, cubitus, manusve, vel iſchion, genua, vel pedes doloribus acrioribus excrucientur, ex cubito, manu, poplite, vel pede affectæ parti proximioribus, vel à propria affecta parte, ſi vena haberi poteſt, ſanguinem haurire ne differas, ſubinde repente corpus per inferiora purgandum eſt, hoc puta pharmaco. Recipe *agarici optimi drach. j. turbith electi drach. ſ. pulv. fol. ſenæ drach. iij. zingib. ſcr. ſ. cinnam. drach. ſ. aquæ meliſſæ vel abſinthii unc. viij. macerentur per horas xij. mox optime expreſſis colaturæ adde oxymell. comp. unc. iij. vel oxymel. ſcillitici unc. ij. miſce*: potet hora matutina, die ſequenti à ſanguinis detractione: nitatur patiens hanc non evomere per horam, ſi fieri poteſt. hora una elapſa, ſi nauſea premat, regerat liberius, nam pituitas multas, quibus ſimilium patientium viſcera ſunt referta, una evomet: ſic duplex hoc medicamentum præſtabit officium, utrumque ad rem conferens, nimirum, quod in inferioribus inteſtinis erat collectum, per alvum deturbabit, & quod ventriculo inhærebat per os rejiciet. ſi vero repente rejecerit, paululum quieſcere concedatur, mox ſtatim potet *decoctum drach. vj. fol ſenæ cum unc. iij. oxymell. ſimpl. vel unc. ij. oxymel. ſcillitici, ſequentibus diebus utatur* infraſcripto apozemate. Recipe *pulegii, origani, ſerpilli, ivæ arthetice ana manip. j. menthæ, meliſſæ, abſinthii ana manip. ſ. polypodii quercini unc. j. & ſ. Fiat decoctio ad lib. ij. abſoluta ferme decoctione adde turbith electi unc. ſ. ariſtolochiæ rotundæ drach. iij. & leviter parvoque tempore ſubſerveant, deinde ab igne remotis adde fol. ſenæ unc. j. ſeminis amiſ. carvi, cinnam. ana drach. ij. macerentur per horas 10. mox colatis & expreſſis leviter, colatura ſervetur in vitreo vel picato vaſe*: aqua utatur per dies 8. vel 10. ſi vires ferant, illam denuo reficiendo cum prima fuerit abſumpta, ex qua capiat ſingulo mane *unc. v. cum unc. ij. oxymell. comp. vel unc. j. cum*

*cum dimidia oxymell. ſcillitici.* Interea dolentes partes a- A qua vitæ exquiſita laventur, & eadem foveantur ſemel, vel etiam bis in die, uſque dum dolores inſtant, lanaque ſuccida abundanti panno inſuta circumducantur, quod ſi ex iis quovis modo levari dolor videatur, ſæpius luce noctuque lana optime caleſacienda, & reponenda, nam hæc frequens repetitio hos dolores plerumque mulcet, unde robur partes ſuſcipiunt, requieſcentibus ſic quandoque viribus: quod ſi nec iis remittatur, emplaſtica ſunt tentanda, ut talia. Recipe *farinæ fænigræci, de ſemine lini, & loli, ana libram unam, ſeminis raphani & erucæ ana unc. iii. furfuris manipulum unum, coquantur in vino optimo dulci, circa finem coctionis adde aceti optimi uncias ſex, & iterum igni expoſito coquatur, quantum liceat, quo minus coinquinet, & calide loco dolenti applicetur.* at animadvertendum eſt, ne ſuper membro refrigeſcat, nam dolores recrudeſcent: quare frequentius membrum pannis calidis eſt muniendum, cataplaſmate non remoto niſi bis terve in die: quod ſi huic ſtercus columbinum non omnino recens addere velis, non erit extra rem: verum raro ad hæc B devenire cogeris, ſi temperatus ſit æger, ſupraque deſcripta cum arte uſui mandentur. Contingit tamen aliquando, ut patiens impoſtorum ambagibus tretus ad hunc ducatur terminum, quem certe ſubigere non niſi ſummo negotio, atque labore poſſumus, aliquando etiam non poſſumus. replentur interdum juncturæ, genua præcipue, ichore quodam pituitæ admixto, quem manifeſtiſſime inundare tactu conſtat, impotens ullo præſidio reſolvi, nam id in imbecillis maxime viribus perpetuo obſervavi, nec ullam evacuationem ſubitariam ferre poterant: quod ſi hos humores præcideres vel ferro ignito, vel alio ingenio, emiſſarium humori dederis, iis læviſſimi, immedicabilesque geminantur dolores: quare ubi talia contingunt, præſtantius nullum hoc remedium inveni, nimirum elaborare veſicatoriis, vel cauteriis ſuperficialibus plurimis, parti inundanti appoſitis, quod intus contentum eſt, ſenſim evocare: nam perpetuo per hæc plura reſudant, quæ cutis ſana intus cogit. Sed redeamus ad incepta. quum purgantium apozematum, ut præcepimus, numerum compleveris, per dies aliquot juſtum erit & ſudores provoca- re, & urinas movere, at pauca admodum in uſu habemus, C quæ hæc præſtent æque ac lignum Indum, & maxime cum ſubſcripta vini albi portione addita paratur. Hic autem liguum in paulo majore doſi exigitur, cum humores tenaciores crudioreſque ſint, egentes etiam potiore auxilio. Recipe *ligni Indici unc. iiij. vini optimi albi lib. iii. tepefiant, & macerentur in picato vaſe per horas, 24. in alio vaſe terreo pone ligni Indi unc. x. aquæ fontis lib. xij. macerentur horis octodecim, mox lentis prunis ſine intermiſſione bulliant, ad duarum partium evaporationem, cui ſuperundes vinum una etiam cum ligno: & ab igne remota olla, per horas octo reſideat, mox colo ſtillatum ſervetur ad uſum, magna iterum in olla reponatur pro ſecunda decoctione, cui adjunge aquæ lib. xvj. & igni lento adhibita quarta tantum pars evaporetur, immiſceanturque vini optimi albi lib. viij. in quo fuerint maceratæ unc. viij. ligni recentis per horas 24. ſubinde reſiſis tranſcolentur pro menſali potu pro arbitrio.* ex primo, mane potabit unc. x. calide, & in veſpere uncias novem, & D continuo optime tectus ſudores provocet, quantum ſine multa moleſtia efficere poteſt: & ſi interim alvus ſponte non copioſe ſolvatur, ſingulis ſex diebus ſumat *drach. ij. pillularum cochiarum, vel drachmam cum dimidia:* & inter purgationes, ſi ficca ſit alvus, devoret ex iiſdem pillulam unam ſcrupularem, alternis diebus per horam ante paſtum mane, vel ſero pro patientis nutu. ſed iis non erit opus, ſi ſatis libere ex ſecundo decocto in menſa potet, vel etiam (ſi libeat) extra menſam. fluxibiliores autem reddit humores mediocriter larga potio, unde ad evacuationem melius multo ſunt diſpoſiti, facileque tum à natura, tum à medicamento expelluntur. licebit hac uti dies quindecim, mox ad prima purgantia medicamenta, ſi dolores penitus non fuerint ſoluti, per dies ſex refugere: deinde iterum ad decoctum ex ligno regreſſum facere, quo uteris adhuc dies quindecim, vel viginti, poſt omnes ſolutos dolores, quo reliquiæ latentes hac apprime abſumantur. Victus interea iis, quam cæteris, attenuans magis, parciorque eſt præcipiendus, exſiccantiorque: bis coctum E igitur ad unc. iij. vel iiij. cum tantundem paſſ. vel amyg. pro patientis nutu: & ubi vires non conſtent, aliquid aſſarum carnium concedere, nam perpetuo iis attendendum eſt: verum non ſemper ægris credentes, illis eſt in omnibus mos gerendus, at ſagax medicus ex pulſu, vultu, voce, prægreſſis, & mox apparentibus, de viribus judicans non facile ab effœminatorum patientium fictionibus illuditur: nec nimium extremæ dietæ cupidos contabeſcere patitur: quare in iis prudentem medicum præeſſe perpetuo conſulo, qui ſingula pro rei ſucceſſu regat, diſponatque.

## CAP. XV.

*Tubercula, ſeu gummata appellata quomodo diſperdantur.*

Si juxta vel ſupra os tubercula apparere inceptent, nil æque iis auxilio eſt, atque protinus eam partem veſicare. fermentum igitur linteo extende, quantum tuber integre tegi poſſit, & penna in aceto madida fermentum ipſum irrora, mox *tenuiſſimo pulvere ex cantharidibus* reſperge, & appone, vittaque leviuſcule premas, una aut altera hora poſt, vel ſi vis, tertia amove, & acu unica, vel repetita punctura in parte deciviori veſicam perfode, quo manu vel digitis preſſa aqua ſtillatim effluat: tegitur interea *folio caulium viridium vel vitis, vel etiam betæ* quod frequenter innovandum eſt, ne ſiccum fiat: reſpergitur etiam *recentiore butyro*, hacque arte bis terve in die, quum tumidam videris, inanire ac tractare poteris, at hæc demum areſcet bidui puta vel tridui quandoque octidui ſpatio, quæ denuo præſcripto modo refricari poterit. idem etiam præſtat (ni forte melius) *interior cortex atragenæ*, quam vulgus *vitem albam* appellat, eo quod inſtar vitis inſurgat, arboribusque innixa ſcandat, at non eſt quam *bryoniam* dicimus, ſed frutex ſarmentitius, ligneſus, albo, ac rimoſo cortice, flore muſcoſo albo, ac capillaceo, qui frequentiſſimus eſt in Gallia, Italiaque in ſepibus ac nemoribus naſcens. idem præſtant & varia alia ſimplicia, & cauſtica, arte parata, parciusque appoſita. verum ſi tuber pervicacior ſit, qui huic remedio non cedat, præcipue ubi is jam dudum inſederit, altius paulo urere fas eſt, candenti ferro ſtrenuis, cauſtico vero meticuloſis, cujus formas varias undique ad uſum ſuggeres. parabis autem *id ex ſolis cinere ribus acrioribus aqua coctis, vel calce, vel ambobus mixtis horum alteri, vel utrique, chalcantho, vel ſandaracha, vel utroque addito*, tuberculo igitur, ubi parvum eſt in editiore loco, cauſticum appone, vel ignito ferro altiuſcule ure, quantum videlicet lentem, vel majorem orobum recipere poſſit: nam dempta cruſta latior locus fit: cui poſt quartum vel ſextum diem, etiam ſi cruſta deciſa non ſit, cicerem vel majorem orobum infige: quod ſi tumor major vel diffuſus appareat, ut exiguum hoc emiſſarium ſufficere non videatur, alia in varias illius partes efficere poteris, vel unum oblongum perinde atque tuberis forma dictabit, ſat enim eſt totam cutem pervadere, ſive cauſtico, ſive ferro negotium præſtiteris, quo humor ille infixus, qui os carie poſtremo obduxiſſet, ſenſim in pus converſus iſthinc emanet, cui *vel folia caulium, vel vitium, vel hederæ, vel diachylon majorem*, vel emplaſtrum aliud quodvis coquente ac diſſolvente vi præditum ſuperpones. Errant quippe graviter, qui ceratis linimentis, vel aliis diſſolventibus præſidiis iis occurrere nituntur, quamquam quandoque hæc juvant, verum etiam plerumque patientem atque medicum illudunt, præ humoris craſſitie ac pertinacia, quæ his medicamentis vinci nequeunt, unde dum hac inutili ſpe ducimur, propagatur putor, oſſibusque inſeritur, quæ tandem corradere fas eſt, quod officium ars præſtare nequit ſine ſumma difficultate, labore, patientisque dolore, nec etiam aliquando ſine vitæ diſcrimine, maxime ſi cra- nio, vel articulis vitium inſideat: quod ſi naturæ committas, multos ſæpe annales circuitus in jugi hac miſeria infelices patientes tranſcurrunt, vel denique hujus injuria obeunt. Idcirco præſtantius erit ad tutiſſimum, atque propoſitum aſylum confugere, unde neque dolor gravis, nec moleſtia, nec vitæ periculum ullum imminet, tamdiu recluſis emiſſariis ſervatis, quamdiu humoris aliquod veſtigium hæret, & ultra etiam per aliquod temporis ſpatium. quo univerſus ille putor penitus ſit conſumptus: nam differre hæc ulcera, cicatricem obducere malum non eſt, prærumpere noxæ eſſe poteſt, eo quod ſi reſidui quicquam occluſeris, affectum renovabis. Si vero occurrerit æger jam formata vomica, tunc novacula, vel cultellari ferro candenti os retege, lineis duabus ductis ad decuſſis formam (ſi locus concedat) quo cariem totam patentem reddas: talem ſectionem feret caput, & anterior tibiæ pars, & os ſcapulæ, quod ſemel vidiſſe contigit: plerunque vero in capite etiam, & in anteriore tibiæ parte circa articulos omnino ſuſpecta eſt: unica igitur in longum ducta ſufficiet, ubi ea juvamento eſſe poſſe viſa fuerit, nam articulos quandoque ſatius eſt hoc remedio non urgere, quod plerunque latebroſas corruptelas in ſe continent, quas penitus inveſtigare lethale eſt. eas etiam intactas relinquere prima ſectione, cum nihil proficeris, dedecori adſcribitur, tanquam affectum non noveris, & ab re patientem torſeris: in capite vero, anterioreque cruris parte, ſæpe commode perficitur, in oſſe vero ſcapulæ (quod raro contingit) tantum tentare licet in macro corpore. ſectione igitur facta, penicillos ex concerptis linteis ſolide conſtructos in ovi albo *cum aloës tantillo, & abundanti bolo armena-*

*mena* infusos calide in apertam vomicam ordine abundeque immitte, quo belle everta, hiantiaque ora postero die comperias: quo tempore carioſum os cicliſcis rasoriis ad sanum usque corrades, vel candenti ferro ures. at cranium urere forte suspectum erit: nondum sane id usu tentare sum ausus, sed semper rasorio complanavi, vel aliis hoc more radere consului, veritus ne igne membranis cerebri quicquam incommodi communicaretur. interim in vulnus hoc medicamentum impones. Recipe *succi ros. plantag. & verbasci ana unc. j. succi chelidonii, & iridis ana unciam semis. terebinthinæ Venetæ, mellis ros. ana unc. j. semis: omnia in lance æneo recipiantur, & igni expoſita diſſolvantur, miſceanturque, cui mox adjicies farinæ orobi drach. iij. & ferveant parum, rudicula ſemper agitata: quæ cum omnia ſimul belle compoſita noveris, ab igne dimoveas, & fervore remiſſo adde ariſtolochiæ rotundæ, radicis iridis, myrrhæ ana drach. j. aloës drachm. j. ſemis, ſemper rudicula commiſcebis uſque adeo dum calor integre ſit reſolutus: tundenda vero in tenuiſſimum veluti pollinem reducantur*, hoc igitur medicamento pulvillos aſperges, quoad ab oſſis ſubſtantia inſurgere carnem novam videas, nam hæc dum extuberat, quod de oſſe reliquum eſt expellendum, paulatim ex ſano ſeparat, & tanquam inutile ſpolium, vel reſegmen rejicere intendit: quod ſubinde commotum exercitatus artifex ſine noxa forcipibus refigere curat. aſt ubi vitiatum omne detruſum fuerit, & jamjam per cunctas oſſis partes inſurgere carnem cernis, ora vulneris everſa in propriam ſedem componere fas eſt, & tanquam ſimplex vulnus, in quo forte aliquid carnis deeſt, tractare. Cæterum hos non minus evacuationibus, abſtinentiæque ſubjicere par eſt, & priuſquam opus obeas, & per totum fere morbi curriculum, quam eos, quos capite præcedente curandos propoſuimus, quamobrem illuc te transferas licet. Excipe quod hos forte non æque juvabunt exquiſite attenuantia, neque etiam quæ viſcido, craſſoque ſunt ſucco, ſed media.

## CAP. XVI.

### *De affectibus capitis.*

Porro, & ſi temporis progreſſu nullam forte humani corporis partem hæc ſordes excipiat, caput tamen præ cæteris principibus expugnare conatur, illud perennibus, aſſiduis, atque lethiferis doloribus exagitans. quare cum totius humani corporis præcipua pars ſit, quod ea mente polleamus, ſi temperate habeat, quumque hanc tantum ex præcipuis perpetuo primo, ac maxime exerceat affectus hic, dignum ob id operæ pretium exiſtimamus, ſi ſeorſum de ejus ſymptomatum curatione expoſuerimus. Affligitur enim hæc pars ea ratione atque cæteræ, nimirum humorum vitio copiave, vel iis ambobus ſimul congeſtis: quæ eo etiam vehementius exagitatur, quod ſenſuum omnium quum ſit origo, etiam membranis & nervis eſt referta, obductaque, unde ex quavis intemperie graves affectus patitur, adde quod etiam præ vaſorum multitudine amplitudineque facilius ad eam humores fluant: quæ quum etiam ſit univerſi corporis ſummitas, cranio ſolido obducta, facile eo fuliginoſi vapores repentes recipit, retinet, ægreque diſſolvit, hinc partium earum omnium gravitas, tenſio, æſtus, dolor, roſio. At conandum eſt omni ingenio, atque opere, ut extrema hæc devitentur: quod ſane non multo negotio fiet, ſi nacta occaſione eam arripere non negligamus, eamque ſemper præ oculis habeamus, tanquam omnium operum noſtrorum fidam aſſiduamque manuductricem: ſcientes hanc temporis inſtar fluxilem eſſe, variiſque horis faciem mutantem, quæ quanto liberalius acceſſum ad ſe præbet, tanto difficilius hanc artifex aſſequitur, ſi ob ſui ipſius negligentiam, vel patientis mollitiem, intemperantiamve, vel aliam ob cauſam hanc eandem vel paulum poſthabuerit, hanc igitur potiſſimum conſulere juſtum eſt. At principiis obſiſtendum indicat, eo quod tunc viribus modicis arceantur, vel ſupprimantur, ſecus vero ubi hæc per longas moras invaluerint. Quum igitur ab exiguis profectæ initiis miſeratione dignos, ac plerumque, (ſi parum ſtudioſe animum advertamus) immedicabiles affectus faciant fluxiones ad caput repentes, iis hercle, antequam radices firment, præſidiis æquis nos fieri obvios juridicum eſt, ut ſectione venæ cephalicæ ex brachio recia ad partem dolentem, demendo de ſanguine pro ratione habitus, ſanguinis vitio & temporis ſtatu, mox purgantibus medicamentis, & diureticis ea, quæ in medio continentur, exercenda ſunt, & unico contextu dolor demulcendus eſt, purgantia namque medicamenta talia ſunto. Recipe *diaphœnici drach. iii. agarici optimi drach. ſ. rhab. electi ſcr. ii. cum ſaccharo & pulvere de ſtœchade, fiat bolus devorandus hora opportuna cum involucro, & julep. roſ. reſperſo*, quo amaritudo non percipiatur, nec vomitu tentetur. quod ſi potionem patiens magis quam bolos expetat, hanc præbeas infra poſitam, vel aliam ejuſdem generis ex arbitrio prudentis medici, qui patienti præſit. Recipe *ſtœchad. pug. i. betonicæ m. ſ. Foliorum ſenæ drach. iii. coriandri, anniſi, ana drach. i. Fiat decoctio pro una doſi tantum. in colatura infunde rhab. electi drach. i. ſ. cinnamomi ſcrup. i. macerentur horis octo vel decem, expreſſuræ adde ſyrup. roſ. lax. unc. ſ. diaphœnici drach. ij. ſ. diſſolve, & potet hora electa:* ab hoc medicamento tuto diureticis medicamentis ſe componet, exemplar vero tale ſit. Recipe *origani, betonicæ, ſerpilli, ceterach. & acetoſæ una man. i. rad. eryngii, fœniculi, petroſelini, polypodii, & acetoſæ ana unc. i. graminis, liquiritiæ, paſſ. ana unc. ſ. ſeminis carvi, petroſelini, coriandri ana drach. i. ſ. fiat decoctio ad lib. iſ. in qua diſſolve ſyrupi de ſtœchade comp. unc. iii. ſyrupi de capillis veneris unc. ii. capiat in quatuor doſibus ſingulo mane una*, incipiat die poſtero, ab aſſumpto pharmaco, quod ſi æſtas vigeat, loco *ſyrupi de ſtœchade*, ſume *oxyſaccharum*, vel *acetoſum ſimp.* utatur iis ad dies vj. vel. viii. calide mox lodicibuſque tectus ſudores promoveat, alternis diebus poſt ſudores exſiccatos voret *pil. j. cochiam ponderis unius ſcrup.* poſtridie ab aſſumpto pharmaco caput lavet ex *lixivio parato ſarmentitiis cineribus, vel ficulneis, in quo ſerpillus fuerit incocta*, repetatque quarto quoque die, nec ſit lotio longa, nec exſiccatio abundantior, quo plus non trahas quam diſſolvas, vel nimia cutis exſiccatione plus conſtipes, quam ſit æquum. levis igitur ſit lotio, modeſtaque siccatio: molliore pileo ex abundanti lana contexto caput non cogente tegatur, abſolutis ſerapiis, iterum pharmacum reſume, quod vel levius vel potentius parare poteris, ſi par ſit, augendo vel detrahendo *de ſena, rheo, vel diaphœnicone* pro arbitrio exercitati medici. quod ſi iis præſidiis dolor non cedat, tundenda eſt vena, quæ patentior fiet in fronte ex parte dolente, vel ſecetur media, ſi indifferenter utraque pars conflicletur, ſanguinis ad uncias ſex educendo, vel plus ſi libere fluat, radendumque caput, & *acida poſca, ac calida* affatim offundendum, vel ſpongia in hac infuſa, & preſſa fovendum dimidiæ horæ intervallo, matutino videlicet tempore, & ſub veſperum ante cibum, vel aliis etiam horis, ſi dolor urgeat. à ſecta vena eodem die compone *agarici drach. i. rhei drach. ſ. diaphœnici drach. iii.* & in bolis diſpoſitum voret, vel in *cichorei ſtillatitio* diſſolutum potet, vel *cochias pilulas ſumat ad ſeſquidrachmam, vel ad binas integras*, ſi virtus ferat: & hoc ſtatim à ſecta vena, ſi dolor vehemens inſtet, vel horis tribus à prandio, vel die ſequenti, ſi dolor inducias præbeat, quanquam, ſi nihil vetet, eodem die melius eſt: diebus ſequentibus hoc decocto utatur. Recipe *origani, betonicæ, ſerpilli, acetoſæ, & endiviæ ana man. i. radicis lapathi acuti, eryngii, bugloſſæ ana drach. ſ. polypodii unciam unam ſemis: ſeminis carthami unciam unam: bulliant in aquæ fontanæ libris tribus ad tertiæ partis diſſolutionem, ſub finem coctionis adde foliorum ſenæ unc. i. carvi. drach. iii. & tantillum ferveant, mox ab igne dictis frigefactis, ac per colum liquore transfuſo, huic adjunges ſyrupi roſati laxativi unc. iiij. oxymellis ſcillitici unc. ii. miſce, in vitreoque vaſe reconde pro quatuor doſibus*, quas capiat diebus continuis ſingulo die unam: incipiat primo die poſt ſumptam pharmaciam, vel ſecundo, ſi liberrime alvus ob medicamentum dejecerit, utatur iis ſyrupis ad dies octo vel decem: quod ſi vires collabi videantur, ex horum aſſiduitate tres vel quatuor dies interpone, medicamentoque omnis generis exemptos relinque, quo vires inſtaurentur: interim lavet caput ex ſupraſcripto lixivio, admixtis *agarico & ſena*, & eo præcipue die, quem quieti dicaveris. quandoque etiam perfundes *aqua ex vino ſtillata acriore, quam aquam vitæ dicunt*, caputque calidius ſervetur, ſi conferre videris, fortaſſe juvabit pileus conſtructus ex pellibus luporum parvorum. victus mediocriter ſit parcus, attenuans, carnibus tamen veſcatur, quo vires purgationem longiorem majoremque ferant. aviculæ igitur iis erunt ex uſu, vel gallinacei pulli, capi, vitulina atque hædina caro: ſit potus *aqua cum ſaccharo, & cinnamomo & confracto coriandro agitata:* quandoque, ſi vires exigant, album vinum multa aqua profuſum. diebus iis peractis, quos purgationibus inſtitui, ligni Indi decocto uti hoc more licebit. Recipe *partis internæ ligni Indi unc. octo, corticis ejuſdem uncias tres, aquæ fontis libras* 16. *macerentur horis duodecim, deinde bulliant ad duarum partium evaporationem: ſub finem integræ coctionis, adde ſacchari optimi unc. quatuor: coctione abſoluta, ab igneque remota olla, adde cinnamomi unc. ſ. omnibus reſtifis, ac refrigeratis, colentur, de qua capiat ſingulo mane unc. x. ſub veſperum uncias octo*, calide mox pannis obtectus, ſudores invitet non graviter: *magnate in olla repoſito, una cum unciis duabus ligni recentis, ſuperinfunde aquæ fontanæ libras* 18. *bulliant ad conſumptionem quartæ partis, ſub finem injice ſacchari optimi unc. x. cinnamomi unc. ſ. ſubinde refrigerato, coloque tranſfuſo, ſervetur in vitreo vel fictili, picatoque vaſe pro potu*, ut tentieti collibuerit. interea ſi pervicax morbus nullo mo-

*Ligni Indi decoctio ejuſque utendi ratio.*

do cedat, huic decocto tam menſali, quam alteri, quod ad ſudores provocandos exhibetur, addi poterit tertia vini albi pars, in quo ſpatio viginti horarum fuerit macerata *unc. i. ligni Indi pro ſingula vini libra:* nec obſtat, quod à veteribus vinum in capitis doloribus habitum ſit ſuſpectum: nam experientia compertum eſt, plerumque etiam juvare, eo quod coctionem quum adjuvet, paratiores humores reddit ad expulſionem: errhina etiam adhibe, ut *aqua mulſa ex hyſſopo, ſampſuco & ſerpillo cocta, addita tertia parte ſucci betæ*, per naresque hauſta, vel *ſimplex aqua, in qua tantillum radicis cyclaminis fuerit maceratum*, vel pulvis hic naribus inſufflatus, vel ſponte hauſtus. Recipe *hyſſopi, agarici, ellebori albi ana ſcrup. ſ. tundantur ſimul omnia tenuiſſime, & utatur matutino tempore, vel ſero ante cibum:* inditur autem in nares ex hoc pulvere, quantum grana tria vel quatuor frumenti ponderant: trahunt autem hæc mirum in modum aquoſos, atque pituitoſos humores à cerebro. maſticatoria vel alia, quæ in os accepta tales humores eliciunt, etiam aliquo modo conferunt, ut *cubebæ, ſinapi, zinziber, pyrethrum, aqua ardens acerrima, quam aquam vitæ dicunt:* verum enim vero animum perpetuo ſtudioſe medicum, atque etiam ægrotum ipſum adhibere convenit, ne vel fotus, vel lotiones, vel tegmenta, vel errhina, vel aliorum quippiam modum excedat. Diſcernes autem hoc, dum premit dolor, ſi quandoque partem levius tectam omiſeris, modo paulo plus pannis munieris, & modo plus foveris, nunc vero minus, vel prorſus nihil: vel ſi nunc valentius purgaveris, vel ſudores moveris: dein vero parcius, vel naturam penitus per vices omni medicamentorum uſu, vel agitatione exemptam quieſcere reliqueris. iis vero omnibus attente, adamuſſimque obſervatis, ſi in eodem ſtatu morbum perſeverare videas, vel invaleſcat variis partibus, cauſtico, vel candenti ferro caput exulcera, quo humor valentius hinc tranſmitti valeat, ſint ulcera, quæ parvi nummi latitudinem non excedant, nec os attingant, & recta ad commiſſuras parti dolenti proximas, etiam ſupra partemmet dolentem, conſerventurque hæc diutius aperta, carnem præcipitato abſumendo: vel ſi & hoc moleſtiam ferat, proxime his factis ulceribus nova alia cauſtico ſunt ulcera excitanda, & prima, ut cute obducantur, beneficio naturæ relinquere, ſic enim minore noxa cutem ſervabis apertam, quam ſi ulcera *præcipitato, vel gentiana, vel orobis*, vel alio ingenio refricare pergas: nam hoc præſidii genere pleroſque levatos vidi, quibus reliqua omnia auxilia nil commodi afferre poterant: deſiſtere tamen interim à purgationibus fas non eſt, fretus localia ſubſidia modice conferre poſſe in corporibus iis, niſi eorum, quæ in medio ſunt corpore, etiam curam habeas aſſiduam: quod ſi ab iis ſenſim non miteſcat morbus, vel adhuc ingraveſcat, dubium non eſt, quin ſub cranio collectus ſit humor aliquis ad putredinem tendens, præcipue ſi veluti culices, vel araneorum telæ oculis patientis præſtare videantur, quibus occurrere tentandum eſt, portionem cranii aliquam demendo, quo humor ſub illo coactus, vel vapores libere exire queant: perficitur autem hoc vel ciclifcis raſoriis, vel modiolo, utrumque autem laudo, ſi ratione fiant: at opus trepani tutum admodum non eſt quovis artifice operante, quanquam inter ea, quæ hactenus uſui fuere, tutiſſimum ſit noſtrum, quod in libello de vulneribus ſclopetorum inſeruimus: præfero tamen hic ciclifcis raſoriis emiſſarium parare uſque ad duram meningem, ſive os ſanum, ſive aliquo modo carie infectum offenderis, & ubi carioſum ſit, nec corruptela ad vitream uſque tendat, ſat erit cariem totam eximere, & aliquot dies obſervare, quod ſi levius habeat, nil amplius tentandum eſt, niſi vulnus apertum conſervare, donec undique per os pullulet nova caro, quo tempore & vulneris ora ſunt relaxanda, locoque ſuo paulatim reponenda. cutem igitur, ubi hoc facto ſit opus, novacula exſcindere potius conſulo, quam cauſtico medicamine, ut aliqui faciunt, exurere: tum quod minore, ac breviore dolore patiens extorqueatur, tum etiam quod ſanguinis effuſione moderata per vulnus facta patiens quandoque degravatur. fieri autem debet ſectio, perinde ac ſolet in vulneribus capitis cum oſſis læſione, cruciatim puta, mox labiis revulſis, plagaque penicillis duris *ovi albo*, & *bolo armena* aſperſis oppleta: ſic ſervanda plaga eſt, donec affectus indicabit. Penicilli vero interea medicamento ex ſuccis confecto in capite de oſſium tuberculis deſcripto, vel ſimili alio irrorari poterunt. Si autem dolor non ceſſet, vel quovis modo mitior non fiat, tunc tertia vel quarta die os perrode. Si ichor exeat putidus, qui apparere interdum in iis ſolet, impone tantillum ex hac miſcela *aquæ vitæ, balſami artificialis Joannis de Vigo, ſingulorum partem unam, mellis roſati partes tres.* ſi turgeat cerebrum, nec videatur flammeum, immittite ex hoc, *in quo pares ſunt partes aquæ vitæ, mellis roſati, & balſami*, nam egregie hoc concoquit & diſſolvit. penicillos (ne citius quam par ſit caro creſcat) illine unguento, *quod pares recipiat partes olei roſati, mellis & aloës*, deſuper *emplaſtrum ex betonica, vel aliud ſimile.* Cum tempus obducendæ carnis advenerit, curandum ut ſimplex vulnus: non autem formidoloſum chirurgum eſſe oportet in iis. Vidi autem pleroſque hac lue affectos, à quibus tantum de oſſe ſincipitis paulatim auferre oportuit, quantum dimidia vola manus eſt lata, & aliis à fronte portionem non exiguam, omnes tamen cum optimo ſucceſſu. Ante igitur quam ſectionem facias, prædicenda eſt parentibus vel amicis tuta mors, ſi hæc non fiat omnibus jam fruſtratis debitis anteactiſque præſidiis: ſi vero fiat, ambiguum eſſe exitum: at ubi præferendum non eſt auxilium anceps, quam perfunctoriis atque fucatis (ut ita dicam) præſidiis adverſus affectum pugnantes ægrum ſenſim in mortem elabi ſinere? ab re opinor non erit, ſi recitavero, quod abhinc non multo ante acto tempore mihi vidiſſe contigit. Taurini quæſtor quidam natione Gallus habitabat, qui jam menſes aliquot inſomnes peregerat, ex gravi capitis dolore circa ſinciput ac tempora, ob Venereum morbum. hic jam ab omnibus medicis illius oppidi opem acciverat, verum moroſus præſidiis non penitus inſiſtebat, variaque quandoque animo fluctuans tentabat experiri: qui quum quandoque me Taurinum adventaſſe intellexiſſet, ut illum inviſerem, rogatum miſit. Quod ubi cuncta edoctus tum per ægrum, tum per aſtantes, pertinacem hunc dolorem audirem nil languidi paſſum fuiſſe ex auxiliis à medicis omni ratione adhibitis, nec ex iis, quæ mulierc ularum, vel impoſtorum conſilio tentaverat, conſului, ut capiti cauſtica aliquot apponerentur juxta proximas commiſſuras, & ſuper partes dolore infeſtatas: quod ſtatim conſilium difficilis atque effœminatus æger recuſavit. Ego vero Taurino ſecedens hunc non vidi unius menſis intervallo, tandem iterum rogatus illum adivi, quem penitus lumine orbatum offendi: oculi tamen nil extranei videbantur pati: primitus dicebat ſibi per multos dies, antequam integre oculorum lumine interdiceretur, apparuiſſe culices ſemper ante oculos circumvolantes, & telas araneas lumini objectas, mox ſenſim viſum perdidiſſe. ego illi tunc perſuadere nitebar, ut pateretur cranium perfodi, renuit: tandem ut cauſticum ſincipiti adhiberetur, ubi magis premebat dolor, fuit contentus: noluit tamen ferre ut apertum ſervaretur, ſic ſtatim deciſa cruſta ſponte cicatricem obduxit, quapropter illum inviſere deſtitui impatiens cubicula ægrotantium frequentare opportuna reſpuentium præſidia: hic demum circiter quadraginta dies poſt ad ſuperos migravit, quem ſuorum amicorum nutu me præſente ſecuit Lucius Montanus illuſtriſſimi Proregis Briſſaci Chirurgus ingenioſiſſimus, ubi cranium in conterminis coronalis, ac ſagittalis commiſſuræ os ſphacelatum putidumque invenimus coronati regii latitudine, ſtatimque cranio ferra aperto, abundans ichor putrilaginoſus inſtar aquæ fuligine fumarii & croco aſperſæ profluxit, tum per oſſis aperturam, tum per aures & nares, membranæque putidæ recta ad os affectum, verum adhuc integræ erant, quæ ſolo tactu facile rumpebantur, corruptum & cerebrum, & nervi optici, cætera vero viſcera omnia integre habebant. Cenſendum eſt huic petuiſſe conſerre à doloris principio cauſtica, vel poſtea oſſis effoſſionem, rationi ſi obtemperaſſet, dum præbebat occaſio. Non eſt igitur omittendum auxilium anceps, ubi patiens morem gerat, quum nulla datur alia ad ſalutem ſpes. Si tumores appareant duri (gummata appellant) corruptelam oſſis in iis prohibet uſtio (ut antea dictum eſt) ſupra illos facta, diuque aperta conſervata, donec prorſus ſint abſoluti. Si materia inſideat cum oſſis carie, aperiendus eſt ſinus ad decuſſis imaginem (ut etiam in capite de oſſium vitio diximus) quare ob id negotii illuc adeas. In omnibus iis, quos gravis dolor occupat, tenuis victus eſt adhibendus, & attenuans exquiſite: ubi dolor ſit mordens, mediocriter tenuis confert, & modice vel potius nihil attenuans, præcipue ſi oſſis caries impendat. Sed jam tempus nos monet, ut ad alia præſidiorum genera ſermonem convertamus.

*Hiſtoria de quodam lue venerea affecto.*

## CAP. XVII.

### *Venereæ luis curandæ modus per illitiones hydrargyrum recipientes.*

Sicut humana mens, quam torpem natura, vel ignavus habitus effecerunt, otium atque ſomnum, cæteris omnibus anteponit, ita ſagax non modo frugi inventa reſervat, ſed & in novis aliis indagandis perpetuo evigilans, poſteris prodeſſe non deſinit: hinc effectum eſt, ut nonnulli noſtri ævi medicinæ profeſſores horum langnentium calamitatum miſerti, non ſolum inventis non acquieverunt, verum ultra hæc (à ſenioribus tamen excitati) nova alia utilia, ſumma indagine, ratione, atque experientia ducibus, excogitaverunt: nimirum illitiones, cerota, & ſuffitus

*Remediorum hydrargyrum recipientium utilitas.*

situs, quæ cum hydrargyro arte componuntur. curant hæc sane mirifice humana corpora hac lue infecta, si arte sint administrata, humores è corporibus excludentes subtiles & cuti proximos per halitum: viscidos vero atque intimos per fauces & alvum, sic ut mirum videatur, quam celeriter, belleque id præstent. Hæc tamen medicamentorum genera (& sane præter rationem, quod infra monstrabimus) plerique medicorum aversantur, perterriti symptomatis, quæ hydrargyrus negligenter, vel potius inepte apposita inducere solet: verum ob id inculpandum præsidium non est, imo artificis ineptia vel negligentia, vel forte patientis intemperantia. Quis ignem criminabitur, unde præ servorum negligentia basilica domus consumpta est? Sed iis nunc omissis, ad cætera, quæ nostri sunt negotii, pergamus, hujus difficultatis disceptationem, decisionemque sub finem operis omittentes. Illitiones igitur non una quidem, sed multiplici forma parantur, perinde ut aëris temperies, morbus, patientis habitus, mores, & facultates judicabunt: nam dites ac nobiles, quos hoc remedio curare fas est, sumptibus minime parcentes, odoratas, delicatioresque exoptant: inopes vero iis contenti sint par est, quæ sine deliciis morbum expugnant. Pueri præterea, & delicatiores homines, & quos tenuis humor cutem dixerat, etiam mollioribus sunt tractandi, fortioribus vegetes, & ubi humor profundius inhæret: æstate etiam mitioribus & minus facultate calidis, hyeme fortioribus, calidioribusque: quamobrem hic aliquot exempla subjiciam.

*Unguenti levis & facile parabilis formula.*

Recipe *butyri recentis uncias quinque, olei amygdalarum amararum uncias tres, hydrargyri tenuissime comminuti uncias tres, ceræ albæ unciam unam. omnia diligentissime incorporentur*, aliud ejusdem potentiæ.

*Alia.*

Recipe *axungiæ suillæ uncias sex, olei rosati uncias duas, olei de spica odoriferi drach. ij. ceræ albæ uncias duas semis, hydrargyri extincti uncias tres, omnia in pila optime misceantur*, hæc autem levia, & exigui sunt sumptus.

*Fortiora unguenta.*

Alia paulo fortiora Recipe *axungiæ porci uncias sex, olei amygdalarum amararum, medullæ vitulinæ, ana uncias duas, olei laurini unciam cum dimidia, styracis liquidæ semunciam, olei de spica drachmas quatuor, hydrargyri perbelle triti, unc. tres, ceræ albæ unc. ij. s.*

*Aliud.*

Aliud. Recipe *butyri recentis uncias tres, axungiæ porci, quæ non vetusta sit, ob molestum ejus odorem, uncias octo, olei mastichis unciam cum dimidia, olei de spica odorati drachmas duas, styracis liquidæ semiunciam, euphorbii drachmas duas, thuris, mastichis, ana drachmas tres, terebinthinæ claræ unciam, hydrargyri optime triti cum oleo amygdalarum amararum uncias tres, ceræ albæ uncias duas, pulverizanda in tenuissimum veluti pollinem reddantur, & omnia simul in mortario accurate misceantur.*

*Aliud proditioribus.*

Aliud pro nobilioribus, ac ditioribus, quibus affatim æs suppetit, graves, molestosque odores ægre ferentibus. Recipe *butyri recentis, axungiæ porci recentis, ana uncias tres, olei amygdalarum amararum nuper expressi, medullæ crurum vitulorum, adipis gallinæ ana uncias duas, olei caryophyllorum drachmas tres, ceræ albæ uncias duas & semis. hydrargyri optime comminuti in oleo amygdalino uncias tres, omnia in pila egregie commisceantur, addendo musci electi scrupulum unum, ambræ scrupulum semis, quæ in fine totius compostellæ perbelle admisceantur.*

*Quæ partes corporis illinendæ sint.*

At de unguentis hæc pauca sufficiant exemplaria. Illinuntur autem articuli omnes, imo & universi artus: spinam autem inungere necessum non est, nisi hanc dolor exerceat: caput vero aliqui obliniunt, sed cum nihilo felicius illis contingat, quam iis, quibus tantum artus tractantur, illud propterea pectus & ventrem lubens excipio:

*Quæ partes non illini possint.*

quamquam & si fricentur, nullum sequi possit incommodum: intellige ubi largius æquo non fueris usus, propterea in pueris sat erit, unciam vel etiam minus absumere pro illitione singula, magis adultis sesquiunciam, puta hominibus binas, vel etiam ternas.

*Unguenti quantitas varia pro ætatum varietate.*

*Ungendi tempus.*

*Locus.*

unguntur igitur vel in diluculo, vel parum ante prandium, vel circa vesperas ante cœnam, per horas binas, vel ternas, locus aptus est sub tentorio in cubiculo non longe à cubili extenso, in quo labra, vel alia vasorum genera prunis accensis referta habeantur, quo in aëre calido illitio fiat: si enim sine frigoris injuria res absolvatur, facilius medicamentum cutem, ac reliquas pervadit partes, unde valentius munus suum obit: quod si tentorium præsto non sit, frigidaque admodum aëris vigeat intemperies, accensis abunde lignis sub camino & lebetibus, vel pelvibus prunis oppletis, in medio cubiculo positis, in iis duobus ignibus rectus patiens seipsum perfricet:

*Post illitionem quæ observanda.*

peracto opere, cannabino linteo, crasso, amploque, ac calido à collo ad pedis usque plantam obducatur, in stratumque optime excalefactum camino proximum conferatur, lodicibusque tectus sudores provocet, per horam vel paulo plus, si sine labore irrumpant: vel minus, si vires non suppetant: os non stipandum penitus, sed habeat unde respiret: maximeque si patiens imbecilli sit habitu. absolutis sudoribus, linteis calidis lenibusque tergere sine ventilatione ulla totum corpus oportet: mox subucula calida induta stratoque ex adversa parte calefacto in illam se recipiat, ubi si sudores item fluant, placide sudet: quibus subinde detersis, in aliud cubile, quod in eodem triclinio sit positum, se transferat, eisdem pannis utens per totius curationis curriculum, quibus à principio fuerit usus, in dies tamen exsiccabis:

*Vngatur sedens, vel maxime dolores torquent.*

si vero dolorum vehementia stare nequeat, dum illinitur, sedeat: quod si neque sedere patiatur, stratus in lecto persinatur, partem primo unam inungendo, mox hac pannis calentibus optime obducta, aliam illinas subinde & alias, donec particulas, quas fricare statueras, absolveris, & perpetuo foculi prunis referti, vel focalis palla candens parti, quæ tractatur, proxime habeantur: Illitione peracta, pannis belle cooperiatur, quo sudores invitet, deinde partibus omnibus solutis omni diligentia abstergatur. Sed quia tum calore, tum labore, vel odore, tumque totius corporis gravitate, vel etiam nutrimenti defectu languentes nonnunquam in aliquod leve animi deliquium concidunt,

*Ad animi deliquium præcavendum.*

conducet (præcipue ægris parvarum virium) parum ante opus offulam ex pane in leviore vino infusam offerre, & simul mediocriter superpotare, nam & vires recreat, & leviore negotio etiam sudores effluunt,

*Quoties inungendum.*

satis superque est semel in die singulo oblinire, imbecilliores vero alternis tantum diebus,

*Quousque frequentandæ illitiones.*

numerum vero illituum terminatum unicuique vel universis præscribere nemo jure potest, sed eo usque defricantur, quo gingivæ tumescere occipiunt, vel alvus fluere, vel ulcera cicatrice manifesta obduci, vel dolores funditus solvi: verum quandoque alvus movetur, & gingivæ tument, nec absolvitur humoris affligentis evacuatio: cum igitur hic naturam ad expulsionem pigram observaveris, bidui, vel tridui spatio ad illitus redire licebit, quos alternatis diebus administrabis, animum diligenter adhibens, quid natura moliatur: nam si negligenter ægrum invisas, tam sæve (crebro) humores fauces & guttur oppetunt, ut non sine summo medici labore, & patientis discrimine corrigi valeant, quod facile defenditur si diligenter singula observentur.

*Quomodo tractandi pauperes eorum paupertatis & laborum rationem habendo.*

Pauperes, mendici, vel servi, quibus neque otium, neque argentum suppeditant, sed laboribus victum quæritare cogit egestas, à suis negotiis non desistentes post sanguinis missionem corporisque purgationem, artus vel omnes, vel plures, quos magis affectus exercet, manibus propriis leviore ex aliquo suprascriptorum unguentorum perfricent tenuiter, mox induti suis negotiis implicentur, desistentes ab illitionibus, cum aliquod ex suprascriptis signis apparere inceperit, ut iis licebit vel alternis diebus, vel singulo quovis die, pilulam unam devorare, vel *ex fumo terræ*, vel *cochiis ponderis scrupul. unius, vel dimidiæ drachmæ*, quo humores impetuose ad fauces non irrepant: hoc enim more plures, & pistores & coquos mendicos, & servos morbo liberavi, quos aliter morbus confecisset: existimans prudentius esse, quum non potes penitus, quæ optas, obtinere, exiguum, quod conceditur, æquo animo acceptare. conducet etiam & iis & ditioribus, si libeat, loco horum cerata membris affigere: à suis negotiis non desistentibus optimum est illud Joan. de Vigo, quod passim in officinis seplasiariorum reperitur, vel si ad manum non sit, hoc parabis, quod ejusdem est efficaciæ, & paratu facilius.

*Ceratum pro pauperibus.*

Recipe *axungiæ porci non omnino vetustæ, & à membranis optime purgatæ libram, pinguedinis gallinæ uncias tres, olei de terebinthina uncias duas & semis, euphorbii, castorei ana drachmas tres, styracis calamitæ unciam cum dimidia, cinnabaris unciam, ceræ pinguissimæ quantum sit satis pro formando cerato, quod non coinquinet, in fine adde argenti vivi optime comminuti uncias tres, quæ omnia simul misceantur, donec frigida sit tota massa, ne, quod gravius est, in fundum colligatur.* Sequuntur autem ad hoc eadem symptomata, quæ sequi solent ad illitiones: quare, cum opportunum videbitur, removere non differas.

## CAP. XVIII.

### *Quomodo defricandi ex præscriptis illitionibus præparandi sint.*

Quos defricandos hoc more consulimus, hos primo inanire justum est, nimirum sanguinis missione, atque etiam purgatione. Tunditur igitur primo vena, quæ parti affectæ proximior est, ut in fronte, si caput, mox cephalica eandem partem prospiciens: similique modo si brachia, vel crura sint affecta: nam nunquam non utilius est primo ex magis degravata exordiri, ut inferius docebimus: subsequenter venter apprime educendus est medicamentis ad hoc munus aptis, purgantibus videlicet potionibus, vel pilulis, vel tabellulis, pro patientis gustu, quæ tamen educant quantum satis esse videbitur, nec alienum humorem, quam habitus patientis, & morbus exigunt. Pituitam egregie deturbat *decoctio foliorum senæ, si drach. v. vel vj. macerentur in unciis quinque aquæ, adjecta drachma una cinnamomi, & tantundem cumini, cui* ex-

*expressioni commode adduntur oxymellis simplicis unciæ duæ vel tres, devoratur enim unica potione.* Alia potio. *foliorum sennæ, turbith electi, drach. ij. cinnamomi, carvi, ana drach. i. aquæ uncias quinque, macerentur per horas decem, & expressuræ adduntur mellis rosati, vel oxymellis simplicis unciæ duæ, vel uncia una & semis oxymellis scillitici:* sed in multis non est satis semel corpus purgasse, imo sæpius repetere, & tutius & utilius novimus: repetuntur nimirum frugitere ter quaterve alternis diebus: vel horum loco à prima purgatione conducet hæc decoctio, *origani, betonicæ, singulorum manipulum unum, polypodii quercini uncias duas, cinnamomi drachmas duas, carvi drachmam unam semis, foliorum sennæ unciam unam, & semis: fiat decoctio ad libram unam, & semis, de qua capiat singulo mane uncias quinque, additis unicuique dosi oxymellis simplicis unciis duabus vel unica oxymellis scillitici,* conferet etiam & *mel rosatum loco oxymellis.* si vero serosos humores vacuare postules, vel etiam bilioſos & acres. Recipe *polypodii quercini unciam, cichorei manipulum unum, carvi* B *drachmas duas, fiat decoctio ad uncias quinque, cui immisce syrupi rosati laxativi uncias tres, Electuarii rosati Mesuæ drachmas tres, vel pilulas aggregativas exhibe ad drachmam cum dimidia, vel ad drachmas duas,* quæ poterunt reiterari ter vel quater, ut dictum est. si ad bilem magis prospicis, *rheum* exhibe, vel *electuarium ex rosis Mesuæ.* si melancholiam, *confectionem hamech, pilulas cochias, de lapide lazuli, & similia,* sic corpore evacuato, ut decet, ad illitiones recurrere licet.

## CAP. XIX.

### *Illiti quomodo nutriendi.*

Errant, qui victum liberaliorem, & potum ex generosiore vino, illinendo, & dum os pituita, ulceribus, & inflammatione scatet, ægris concedunt, viribus timentes: *Victus liberalioris & vini usus incommodus in illitis.* nam tali victu refarciuntur corpora pituitosa, unde hæc tanto impetu ad fauces irrumpit, vel ad alvum detruditur, C ut negotium plerunque formidabile faceſſat. Feliciorem verum enimvero exitum habere semper novi, quos temperate nutriri jussi, vinoque abstinere, vel admodum lymphatum bibere, quam cæteros. *Victus qualis illitis concedendus.* Conceduntur carnes boni succi, dum mandere possunt, vel contusæ, dum os male habet, & epulæ ex pane tritæ in optimo carnium jure concocto, vel oftæ ex pane tenuiter inciso in dicto jure paratæ, quæ omnia facile deglutiuntur sine masticatione. noxium præterea est hos multo cibo replere, & ubi belle comedunt, sat est bis in die & horis consuetis cibum capere, ubi vero mandere nequeunt, aluntur sorbitionibus ter quaterve in die singulo, ut amygdalatis, hordeatis, pane trito cum jure contusis, & gelatinis. potum commendamus *ex aqua, in qua hordeum, liquiritia, & mel fuerint incocta, addito cinnamomo in fine,* quo decenter aromatizetur: vel si *mel* ægro non satisfaciat, *saccharum* loco ejus imponatur, vel etiam, si libeat, *sine hordeo* parabis hanc, & solam potabit, vel simul cum pauxillo vino immixtam: vel, si libeat, exiguum vini albi quadruplo aquæ D fontanæ permixti.

## CAP. XX.

### *Qui apti sint ad illitiones subeundas.*

Huic generi curationis homines ætate provecti, & mulieres (nisi gravidæ sint) etiam, & infantes annales subjici commode possunt: tenerioribus autem non tentavi: quamquam & hos, & prægnantes juvaret, si temperanter & summa prudentia tractarentur. sed non statim ab ineunte affectu huic remedio subjiciendi sunt sive pueri, sive adulti sint, quod hoc aliis remediis levioribus, ut supra exposuimus, in pristinum statum redigere sit probandum: sed multis forte fortuna acerbum videbitur, infantiam quod huic præsidio subjiciam, contrariam sententiam dialecticis tantum argumentis sustinentibus, nimirum quod tenellus sit habitus, quod in iis calor abundet insitus, quod præterea hoc remedii genus ex extremis sit, quod quandoque E ægre vegetiores homines ferre possint: at horum nil ob- *Infantes illinis posse.* stat, quo minus curam hanc auspiceinur absolvamusque: nam pane, carnibus, meroque si nutrias pueros, quibus homines vescuntur, perbelle conficiunt, si edentulis hæc mansa moderate devoranda dederis. non diverso etiam modo curandæ in iis sunt ægritudines, nisi quod leviore præsidio levari solent. insuper non diuturnis purgationibus, neque sudoribus multis sunt submittendi, quod hæc & summopere vires dejiciant, & à pueris perpetuo aspernantur. *Illinendorum infantium ratio.* parcius igitur in iis agendum est, imo quidem parcissime, levissimeque: statim desinens ab illitu, dum leviusculum quicquam ori apparere inceperit, alvumque iis lubricam reddere oportet, nutrices purgando, *polypodii, vel sennæ fo-*

*lia* epulis incoquentes. & quia hos plerunque sollicitat eminens quædam & verrucosa caro circa labra, anum, & scrotum, huic adversatur mirum in modum *præcipitatum butyro recenti copiose admixtum,* affectis partibus applicitum, quamquam illitionum munere hæc omnia absumantur: sed forte non erit ab re narrare, quomodo id pueris prodesse noverim. annos abhinc circiter duodecim, infans nondum bimus, à fœda nutrice infectus, matrem subinde fugendo polluit, quæ mox insicia virum affecerit, nihil de hoc à principio suspicans: tandem aliorum symptomatum concursu res utrique innotuit: tum etiam infantis ore pustulis affecto attestante, & per nutricem pariter subinde cuncta edocti: quare fratris mei, meoque consilio fidentes, illitionibus se addixerunt parentes infantis. superfuit divina forte voluntate ex unguento quicquam, quo à muliere tacite servato, cum jam sibi, viroque suo optime omnia cedere perciperet, in puero vero ex adverso omnia insævirent, inserta puelli querelis, illum clandestino perunxit unguento. torquebatur autem infans & genuum, & exterorum artuum dolore, ulceribusque verrucosis circa os, & anum: quæ omnia ex illitione hac evanuerunt, quem cum paucis postea diebus in matris gremium hilarem, prorsusque morbo solutum observarem, quomodo sic salubriter ageret, percunctatus sum: mater verita, ne à me vel marito, qui præsens aderat, de audacia accusaretur, nil illi factum fuisse asseruit exceptis *decoctis polypodii, vel foliorum sennæ,* quæ epulis quandoque meo jussu incoquebantur: quod cum non facile crederem, iterum dum solam offendi, obnixe illam precibus obsecrare occepi, ut si quidque factum fuisset in puerum ab iis, quæ præceperam, palam mihi fateri non recusaret: hæc cum me id anxie postulantem audiret, quod & ipsa duriter in pectus cogebat, nam quisque benefacta aliis innotescere cupit sua, illa, sive fortuna, sive maturo consilio fuerint incœpta universa, inquit, tibi explanabo: suppliciter tamen obtestans, ne in alienas diffundantur aures, ne me tanquam audacem objurget conjux. annui ego libenter, ipsa omnia explanavit. Artus, ait, ter illevi leviter, & diebus alternis, gingivas ubi rubescere conspexi, ab illinitionibus quievi: illavit huic os, verum non multum, neque diu, eumque à conjuge omni industria divertebam, ne conscius facti culparet me criminis: verum divino nutu non minus prospere infanti succesſit, quam nobis ipsis, sic ut omnes firmiter domi valeamus. Fuit hercle mihi hæc narratio perquam grata jucundaque, & infantibus subinde pleriſque fructuosa, nam proprio lare receptus fratri meo, cui nomen est Secundus Botallus, illico communicavi, unde non exiguam animi lætitiam hausit: quo exemplo uterque fretus summa cum præmeditatione, patientiumque commodo frequentius in usum posuimus: infantesque aliquot, qui ab hac miseria liberari nullo alio præsidio poterant, hoc uno subreximus. quamobrem hinc diligentius hydrargyri mirandum munus excogitare cepi, laudibusque supremo jure efferre.

*Historia qua prodesse noverim. infantibus posse illitiones prodesse demonstratum est.*

## CAP. XXI.

### *Quod sit tempus proprium pro illinendis affectis corporibus, vel aliis præsidiorum generibus ineundis.*

Tempestas ineundæ curæ est per totum anni curriculum: optima est ver, secundo loco autumnus, ab hoc hyems, æstas ultimo, ubi præcipue extreme flagrat aër. Verum ubi temperata est plaga, quam vehementius solares radii non urunt, vel ii frequenti boreæ flabellatione temperantur, æstate juxta atque vere commode acceditur, non ut plerique vulgares medici, qui, si in hyemis vel æstatis exordio ad ægros hos accersiri contingat, autumnum, vel ver expectandum persuadent, sententiam suam antiquorum authoritatibus perperam adductis, rationibusque dialecticis, fulcientes. si reformidabat (inquiunt) Hippocrates purgationes sub & ante canem, quanto magis nos hic quiescere debemus? nam & missio sanguinis, & purgationes non leves illitionibus præmittere est opus. Accedunt ad hæc symptomata, quæ consequuntur. Quid igitur si item vehementem æstum addas, omnia una concurrunt ad virium dissolutionem: gelu vero ex adverso humores cogit, incrassat, constipat, extremosque poros connivere facit: quid inde? Argumenta hæc nimirum non modo veri imaginem repræsentant, sed verissima sunt, si ad amussim suis adæquentur subjectis: at ubi inter se non conferunt, tanquam fucata infortunatum languentem, ignavumque artificem naribus suspendunt. quænam ratio obsecro contra sententiam antiquorum persuadere hominibus potuisset, sub æquatore & utroque polo habitabile solum esse, nisi sensus omnium scientiarum verus author & fomes fidem fecisset? nam obliquissimis radiis, ut illi etiam dicebant, utrumque polum prospicit Sol, sub æquatore si-

*Veris tempus omnium accommodatissimum ad illitionibus. In temperata plaga æstate aque vere illitiones subiri possunt.*

tam zonam rectissimis fervidissimisque ferit, non igitur habitabiles loci satis quidem, imo omni jam anteacto ævo. hæ rationes tanta efficacia parentum nostrorum mentes occuparunt, ut nil verius hoc existimarent: verum experientia nautarum, & aliorum hominum, peragrationis amantium, rationesque neotericorum sapientum contrarium ostenderunt, nimirum quod habitabiles sint, ob id quod sub æquatore flagrantes diurnosque radios moderet copiosissimus nocturnus ros, nocturnique aëris frigiditas, eoque quanto sol proximior est iis in meridie, dumque maxime flagrat, quod temporis spatium paucis pervadit horis, trium puta vel ad summum quatuor, tanto longius recedit ad medium noctis, quo tempore tota terræ moles objecta, neque vestigium solaris radii ad hos patitur perferri: unde fit vicissim & nox solis, & noctis sol excutit injurias: utrumque vero polum & si sex menses sol perspiciat, ab hoc sex alios divertatur, non tamen altius sex vel ad summum octo gradibus supra horizontem insurgit, vel occasu sub hoc deprimitur: sic ut neque nocte media, seu hyeme multum rigeant, nec luce, sive æstate media oppido caleant sub polo utroque. Sed hæc obiter sint dicta, verum non à scopo aberrantia, imo quo junioribus memorem fructuosius esse intento animo in rebus tractandis exerceri, quam apparentibus vel dialectis tantum disceptationibus, vel etiam theorematibus male textis immiti, rati se confusos irretitosque artem administraturos secus si fecerint, quum plerumque, quas nostræ opinionis rationes firmissimas atque immutabiles esse arbitramur, nil minus, quam quod intendimus, probent. At tantum abest, ut dialecticam, ut theoremata media nunc spernam, ut ea prorsus necessaria censeam artifici cuique in hac facultate mediocri, vel optimo: verum in hoc maxime conandum esse dico, ut rerum videlicet imagines, quas voce, vel lectione, vel discursu cordi affiximus, apte rebus ipsis pro viribus adæquemus: nam hic universus consistit artis labor. Sed redeamus ad diverticulum quæso. Si æstate media ex vitiosorum humorum copia in acutam febrem incidat quispiam, vel pleura, vel aliqua alia thoracis pars, vel cerebri involucra, imo quævis corporis pars inflammatione molesta tentetur, differes ne purgare in autumno, quum æstate molestum sit? vel potius è vestigio venam tundes, ventremque purgabis? quæ si non sufficerint, repente ad hæc recurrere iterum vereberis, si vires ferant? Sed dices, acutos ponis morbos, quibus occurrere è vestigio par est nullas propagantes inducias. At ego dico processu temporis luem hanc acutum fieri morbum, nec hunc (si diutius hæserit) natura sola sanat. At quos supra divimus febres, scilicet phrenitim, pleuritidem, aliarumque corporis partium inflammationes, vel affectus, non raro in proprium habitum vendicat. Sed non est, quod pluribus rationibus urgeat circa ea, quæ assiduus usus confirmat: æquo sine animo censerem, ut, qui hoc morbo æstivo vel hyemali tempore conflictantur, in ver, vel autumnum producerentur ad curationem, si languentium laboris misertus morbus cum iis interea loci paciscereturinducias: at quotquot horis sævitiam hic in corpore inserit crudelius: huic igitur æqua propugnacula nullo non tempore objicienda, nec proroganda. corpora igitur, quæ assiduis laboribus exercentur, ubi quiescunt in aëre non penitus fervido, temperate agere videntur, adhuc magis, si loca juxta euripos incolunt, vel in montium summitatibus, quas perpetuo sollicitant vel earus vel aquilo, vel etiam si in lucis degant. Tutatur autem nos à caloris injuriis locus virentibus proceriscque arboribus consitus, at si medicamenti nil horum suppetit, iis acquiescat, quibus numina addixerunt, temperatius pariesque se defricando, molestosque etiam labores sustugiendo. Hyeme vero tutius, & potiore fœnore exercitia vehementiora atque etiam consueta obeuntur: quos verò numina opibus referserunt, hos decebit triclinia ad usum eligere, vel parare pro temporis ratione, aulæis nimirum hyeme, assiduaque flamma, & hypocaustis. Æstate frequenter in cubiculo stratis frondibus, in aqua frigida apprime madidis, & bis terve in die repetitis: non tamen aquam in solum sternere, putorem subinde atque calorem excitat hæc, sed prolubra in varias cubiculi partes aqua frigida oppleta sunt reponenda, aquam quandoque baculo agitando sub rore similiter quercini, ulmei, saligni vel alterius generis similium rami deciti, parietique in conclavi innixi juvant ad aëris calorem contemperandum: verum singulo etiam die renovandi sunt, & prolubra recenti aqua replenda, sed minoris laboris erit, salubriusque: si juxta temporis exigentiam opportuna domus haberi possit, quam hyeme meridies à fronte prospiciat, tuta ab aquilone, secus si urgeat æstus. At hæc communia esse intelligimus & iis, qui illitionibus, & iis, qui purgationibus aliis, vel etiam suffitibus, (de quibus infra tractabitur) subjicientur.

*Lues venerea tempore progressu morbus acutus fit.*

## CAP. XXII.

*Quibus causis defricti in graviora incidant Symptomata.*

Symptomata varia illitiones sequi solent, quæ etiam plerumque sunt formidolosa, & majoris periculi, quam principalis affectus: nimirum exulceratio gutturis, linguæ, & aliarum partium, imo & totius oris non levis tumor, qui non modo liquores quantumvis tenues deglutiri prohibet, sed & respirationem impedit: unde, nisi celeribus præsidiis occurreretur, suffocatus patiens, vitæ supremum diem ageret. quandoque nihil horum penes guttur vel fauces apparet, sed humorum per alvum larga effluxio, ex qua & molestæ dysenteriæ fiunt. Horum autem omnium immoderatorum accidentium causa intrinseca una est, humorum scilicet impetus, & multitudo. Extrinsecæ vero commoventes plures, potentiora scilicet pharmaca, vel crebra plus æquo illitionum sollicitatio, nimis pertinax sudorum provocatio. At pharmaca, sive linimenta ipsa variis modis fortiora fieri possunt, multa videlicet hydrargyri appositione, rerum calidarum immixtione, & unguenti tenacitate. Nam hydrargyri largior additio vehementius agit, eo quod tantum præbeat naturæ eorum, quæ ipsam formam consequuntur, quantum de forma ipsa: rerum calidarum immixtio, quod hydrargyro paratiores vias præbeat: unguentorum tenacitas, ob id quod pertinacius adhærent. Nimia illitionum solicitatio eadem etiam ratione verenda accidentia inducit, atque multa hydrargyri adjunctio: pertinax sudorum provocatio, eo quod valentius hydrargyri vis in corpus imprimatur, at dupliciter hic peccare potest æger, vel quod asperius, diutiusque juxta ignem defricetur, vel quod in lecto receptus nimis anxiè sudores provocet, præcipuè si caput una cum corpore eisdem linteis, lodicibusque obtegerit: quare attentum in iis omnibus artificem esse decet, qui voti compos esse cupit, ne ansam habeat, unde immerito hydrargyrum accuset. sed quia hæc interdum prorsus regulate duci nequeant, quum adeo difficile sit hæc omnia sic simul nectere, ut singula adamussim concurrant, vel propter patientis morositatem, vel artificis absentiam, vel hujus segnitiem vel ineptiam, vel ob perversam à plebeis, vel potius mimis, medicamentorum administrationem, opus propterea frugi me præstiturum duxi, si qua arte, quove ingenio iis symptomatis gravioribus adversari liceat, explanavero.

*Linimenta quæ fortia a justo fiant.*

*Quomodo peccare possit æger.*

## CAP. XXIII.

*Quamdiu perfricandi patientes, & quibus auxiliis occurrendum, si graviore aliquo symptomate divexantur.*

Eorum, quæ multum prodesse solent, si recte intellecta observentur, & neglecta non minus obesse, in quæ etiam crebro juniores & imperiti peccant, non erit (arbitror) injuriosa repetitio. Attentus igitur esse debet artifex post illitionem quamcunque in notandis singulis mox apparentibus symptomatis, cum quandoque usu compertum sit, unicam defrictionem satis fuisse, plerumque binas vel ternas, aliquando vero quaterdenas (quod mihi vidisse accidit) nihil movisse, ita ut tantum decima quinta aliquid ostendere penes gingivas occiperet, quem decima octava illitione addita liberavimus, sic ut neque numero fidendum sit, neque pharmacorum fortitudini, quæ sane potentiora, iis, quæ supra notavimus, parari non consulo, quod tutiora sint, quæ sensim fiunt. Secus haud dubie contraria faciunt, impetu nimirum prorumpere fluxiones ad fauces, vel anum cogunt: quare animadvertendum est, cum gingivæ ora tumentia fieri inceptant, vel alvus turbari, vel nullo horum apparente, si ulcera egregie sunt cute obducta, vel dolores prorsus deleti, inungere desine: & hos, quibus nec dysenteria, nec oris fluor fuere molesta, unius mensis spatio singulo octavo die leviter refricare tutius erit, non desistentes à consuetis negotiis, die frictionis excepta: alios vero frequenter invisere par est, & donec purgatio periculo vacat, sat erit os colluere *hordeacea decoctione cum rosaceo syrupo immixto, vel viscera clysteribus ex jure pulli gallinacei, cum rosaceo melle.* At quum symptomata hæc invalescere cernis, ubi scilicet inferioris mandibulæ extrema molestissimis ulceribus premuntur, vel lingua & fauces tumere incipiunt, unde ciborum deglutitio gravis fit, vestes, ac linteа omnia circum patientem renovabis, quotidieque album subuculam induat: & si ultro tumorem augescere percipias, ægrum totum lixivio calente lavabis, & spongiis absterges. gargarismis utatur *ex hordei decocto cum plantagine & berberis*, & utatur modo tepide, modo frigide, nam semper frigidum nocuum est, constipat autem, nec semper calidum

*Quando ab illitionibus desistendum.*

*Symptomatis invalescentibus quæ præstanda sint.*

dum juvat, ubi fluxus angetur, trahit enim & ipsum: mutuo igitur repetendum est utrumque. aceti autem aliquid lavacro immiscere juvat, si ulcera vehementius non mordeat: quod si iis præsidiis non cedat, illico venam fecato cephalicam, ex cubito affectæ parti proximiore, sanguinem eliciendo pro virium ratione. quod si intra horas quatuor nil penitus imminuti appareat, potum purgans eadem die bibendum dato, quod valentius evacuat sine nausea ut hoc, *syrupi rosati laxativi uncias tres, electuarii rosati Mesuæ drachmas tres*, vel si æger robustis sit viribus, *ad drachmas quatuor ex electuario* si immiscees, non officies, imo juvabis & tutius & celerius: *diluantur hæc aqua hordei, vel stillatitio cichorei, vel jure pulli*, vel propina *uncias quatuor syrupi rosati laxativi, cum jure pulli, vel cum stillatitio cichorei, in quo incoxerint drach. iii. foliorum sennæ*, nam, si hic tantum alvum lenire intelligas, impetum graviorem ad fauces irritabis, qui prorsus est ad contraria omni ingenio & promptitudine revocandus, quod lenitiva non præstant, nisi abunde infuseris, ab iis frictiones in extremas partes administrandæ veniunt. nunquam hercle tam gravem tumorem offendi, (quamvis gravissimos quandoque viderim) quem valens purgatio vel penitus non abolevit, vel prorsus periculi expertem ægrum non reddiderit, sic ut repetito leviore pharmaco residuum nullo difficilio evanescceret. cum igitur mitescere omnia manifeste noveris, os quandoque lavabis lotione infra scripta. Recipe *aquæ decoctionis hordei uncias octo, mellis unciam & semis: bulliant parum simul, mox colatis adde aquæ rosarum uncias quatuor, aceti scillitici uncias duas vel tres:* & ex hoc interdum os colluat, moderatur enim mirum in modum oris fœtorem, gingivas restaurat, & ulcera ad cicatricem perducit, nil naturæ opus divertens. juvat etiam sub finem fluxionis *aliquid alumінis* permiscere. Nutriendi ii sunt epulis liquidis, ut contusis ex pullis, vel juribus expressis à vervecis, vel vituli coxa assa, vel juribus carnium minutim incisarum, in vitreo vase coctarum per balneum, ut ajunt, Mariæ. coquuntur autem hæ solæ sine aqua, vel liquore alio, excepto tantillo salis, vel etiam sine hoc. præterea & panatellis liquidioribus in jure carnium paratis, & similibus aliis. potus sit hydromel cum cinnamomo, vel saccharum loco mellis incoquatur, vel aqua fontana non cocta, sed duobus poculis, vel lagenis mutuo agitata, cum sachari uncia & dimidia pro singula aquæ libra, & drachma electi cinnamomi plus minusve pro patientis arbitrio. vinum autem vitandum, donec oris formidolosa omnis molestia fuerit excussa. Sed plerique hic purgationes, sanguinisque missiones abhorrere solent, naturam reformidantes ab incepto munere revocare, non intelligentes illam potius iis præsidiis levari, si ratione administrentur, quibus omissis suffocationi proxime subigebatur, vel ingenti saltem totius faciei corruptelæ. quare intrepide iis præsidiis occurrere à principio debet sagax quicunque artifex, ratus pernitiosissimum esse in hac symptomatum vehementia, vel eorundem subita excretcentia à venæ sectione, vel totius corporis purgatione abstinere, vel etiam à lavacris, vel balneis universo corpori adhibitis. Si vero ad rectum intestinum irrumpentes humores dysenteriam faciant, nil primo & secundo die agere licet, quod naturam avocet ab incepto officio, licebit tamen lavacra per inferiora indere, ut *ex jure carnium cum sacchari, vel mellis tantillo*; quod si illa molestissimam se præbeat, ocyssime etiam est resistendum; nam ut gutturis inflammatio præcluso spiritu animam suffocare potest, ita dysenteria gravis, quod corpus nutrire est paratum, effundit, imo & jam transmutatum liquat, & intestina quandoque lancinat irreparabiliter; removendi sunt igitur panni omnes, qui illitionum aliquid vestigii ferunt, & æger lavandus, ut supra hic diximus: præter hæc munienda sunt crassa intestina, quo impetum hunc ferre valeant, instar autem loricæ hæc servant, videlicet *pingues clysteres cum hirci adipe parati, vel cum jure pinguium intestinorum vervecis, vel bovis.* Interea repurgandum est corpus, ut quod natura in plures dies languide dejicit, medicamento adjuta uno die explodat, quo subinde corpus resumere vires valeat, medicamentum propterea ad hoc accommodatissimum est *rhabarbarum, & sennæ folia in tenuissimum veluti pollinem exhibita, vel horum infusa, puta singulorum drachmæ duæ, cum cinnamomi drachma, in aqua, vel jure pulli macerentur ad horas octo, decenter, mox expressuræ additur syrupi rosati laxativi uncia una, & unica potione devorandum detur*, vel ex *rhabarbari & foliorum sennæ utriusque drachma una, cum syrupo rosato excepta fiat bolus*, & *devorandum detur*, vel etiam si *sennam* suspectam habeas (qua profecto felicissimo successu & hic & in aliis dysenteriis non raro sum usus) *rhabarbarum exhibeas simplex ad sesquidrachmam vel binas.* Pauperes vero *sola sena* evacuo, felicissimoque numine *ad sesquidrachmum vel ad binas usque in substantia, vel ad drachmas sex, vel ad unciam in infusione*, alia autem præter hæc parari medicamenta purgantia possunt ad hunc finem accommodata. Est autem scopus peccantem humorem celeriter educere, mox leviter restringere, quare tuto *repetito rheo, vel purgatione alia, myrobalani*, vel aliud, quod astrictione polleat, addere, vel immiscere poteris, ab iis fovendum totum epigastrium spongia in hoc decocto infusa, expressaque, & calida, quantum commode ferri potest. Recipe *vini optimi nigri & austeri libras decem, aquæ fontanæ libras sex, gallæ omphacitis, & balaustiorum, ana uncias duas, rosarum rubearum siccarum unciam unam, vel viridium manipulum unum, bulliant ad usum, pro fotu*, sollicitetur pariter clysteribus, in quibus levis astringendi cum modica refrigeratione, & restrictione vis insit, ut *decoctum ex aqua cum abundanti plantagine, solano hortensi, rosis, & cauda equina, & dum indere voles sacharum, vel mel, addas uncias duas, vel tres*, omnibus oleaginosis omissis, vel pinguibus, nisi dolor instet, at si dolor adsit, licebit, imo forte necessum erit, singulo quovis die unum, vel etiam alterum indere *ex juribus intestinorum, addito oleo rosato, vel butyro recenti, & alterum ex aliis, quibus nil pinguedinis recipitur*, fricanda præterea brachia, & humeri pannis calidis, provocandique sunt humores ad vellicam decoctis ex herbis & radicibus id efficientibus sine calore, ut *polytricho, adiantho, ceterach. agrimonia, acetosa, lapatho acuto, additis seminibus acetosæ petroselini, berberis, sumach, radicibus petroselini*, & *similibus coctis in jure pulli gallinacei aqua primo chalybeata*, nutriendi sunt frequenter cibis boni alimenti, ut pullis, vitulo, aviculis elixis, vel assis pro patientis sententia, & iis, quoniam omnem cibum stomachantur, libenter tuccta aliqua concedimus, insuper & embammata, vel intinctus ex agresta, vel ex acetosa, vel ex berberis vel scitamenta alia, quibus recreatus gustus reliqua non averfetur, epulæ, quæ elixantur, cum aqua chalybeata parentur, large *berberos, sumach & hordeum* incoquentes. Potus *vinum abunde aqua persusum chalybeata, in qua & berberis, & acetosæ semina fuerunt incocta copiose.* Cæterum, quia summa siti infestantur, hos penitus sine potu inter cibaria cogere non congruit, nec pro illorum arbitrio pocula porrigere juvat, conducit tamen quandoque, quo tanta soletur molestia, aliquid offerre vel ex vino lymphato, ut præcepimus, vel *ex aqua chalybeata cum berberis cocta, cui saccharum immiscebis*, si patienti gratum fuerit. Nunc ad suffitus procedamus.

*Vena sectio.* *Potio purgans.* *Frictiones.* *Lenio mitescente morbo adhibenda.* *Victus.* *Dysenteria supervenienti quomodo occurrendum sit.* *Purgatio.* *Pauperum purgatio.* *Clysteres.* *Victus.*

## CAP. XXIV.

### *De cura per suffitus.*

Sane cum experientia fuit cognitum linimenta, cerata, suffitusque hydrargyrum recipientia, exiguo negotio tetrum hunc livorem arcere, quod ægre alia remedia efficere possunt, freti plerique medicorum, hydrargyrum stomachantes, id ex forma tantum medicamentorum extrinseca productum iri, illitus varios, ac suffitus diversorum generum excogitare cœperunt hydrargyro vacuos, spe hujus pestis à corporibus profligandæ. haud tamen voti compotes fuere, ita ut usus edocuerit nullum apud nos hactenus esse cognitum medicamentorum genus, quod extrinsecus applicitum ægros hac lue convictos tam egregie juvet, ac ea, quæ hydrargyro arte sunt admixta rationeque administrata. Inter præcipua igitur remedia, quæ ad hunc affectum conferre possunt, post illitiones spleniave, suffitus cinnabarim recipientes connumerabuntur, at hos præferimus, ubi ulcera maligna aliquam corporis partem populentur, nares præcipue vel guttur, quæ aliis remediis summo cum labore succumbunt, tum propter locorum affectorum munus, tum quia eorum figura, vel situ, medicamenta adhærentia diu ferre non possunt. Curaturus igitur iis præsidiis, quem hæc ulcera sollicitent, ex suprema vena in cubito, affectam partem respiciente, sanguinem elice ad uncias octo: occlusa vena, illico tantumdem plus minusve pro virium ac sanguinis corruptelæ ratione, ex altero brachio deme; at si vires langueant, in sequentem diem differas, vel circa vesperas ejusdem, tribus sequentibus diebus iis medicamentis corpus purgato. Recipe *cichorei, agrimoniæ, betonicæ, ana manipulum unum, stœchados pugillum unum, hypericonis manipulos duos, polypodii unciam cum dimidia, liquiritiæ, passularum, ana unciam unam, caricarum numero sex, aquæ fontanæ libras duas, bulliant ad tertiæ partis evaporationem, sub finem coctionis adde foliorum sennæ unciam, & perquam exiguo tempore simul bulliant, mox ab igne olla semota, inde cinnamomi drachmas duas, seminis anisorum drachmam cum dimidia, & obturato vase resideat, quo refrigerato coletur cum modica expressione, & in vitreo vase servetur ad sequentem usum.* Recipe *syrupi de sumo terræ compositi, syrupi rosati laxativi, ana unciam cum dimidia, confectionis hamech drachmas tres, decocti præscripti uncias quatuor, misce, fiat potio*, capiat die sequenti à sanguinis missione, mox dierum trium spatio

*Suffitus cinnabarim recipientium præstantia.* *Vena sectio.* *Purgantia medicamenta.*

tio matutino tempore ſumat *ex præſcripto decocto uncias quatuor, additis ſyrupi roſati laxativi, & de ſumo terræ compoſiti, ſingulorum uncia pro quavis doſi*, iis expeditis, una die quieti interpoſita, ad hoc te conferes. Recipe *maſtichis, thuris ana drachmam, ſtyracis liquidæ unciam, cinnabaris unciam unam & mediam, terenda craſſe tundantur, ſtyraceque excipiantur*, vel hoc. Recipe *ſtyracis calamitæ drachmas tres, maſtichis, baccarum juniperi, myrrhæ, ana drachmas duas, cinnabaris uncias duas, omnia craſſo modo terantur, miſceantur, in pyxideque, vel papyro, vel alio quovis vaſculo reſerventur ad uſum*, vel hoc. Recipe *ſtyracis calamitæ, baccarum juniperi, ladani ana drachmas duas, myrrhæ, maſtichis, ana drachmas tres, cinnabaris uncias duas, & ſemis, miſce*, ad uſumque reconde, paratur itaque ad hoc genus præſidii tentorium aliquod, vel conopeum ex linteis, vel pannis, ſive conclaviolum ex tabulis contextum, vel ex cæmento calceque ita conſtructum, ut fumus exire facile minime queat, exigua feneſtra relicta, quæ loco occludi & recludi poſſit, per quam æger fumo & calore preſſus reſpirare libere quandoque valeat, nec vapor exeat, calefiet igitur primo tentorium impoſito labro prunis oppleto, ibidemque ſit ſcabellum, vel ſedes alia arte facta, ac perforata, nec non undequaque aperta, ſuper quam ingreſſus patiens nudus ſedeat, faciem vergens verſus feneſtellam, vel tentorii aperturam, mox prunis ſupergeritur drachma una ex aliqua ſupraſcripturum compoſitionum, hoc evaporato iterum tantundem impone, quo item abſumpto, ſi ferat æger, ſine graviore moleſtia, aliam adhuc drachmam injice, qua diſperſa calido linteo craſſiore in tentorio prius poſito, ac extenſo obducatur, & in ſtratum calefactum, ac proximum recipiatur, ſudareque tentet, abſolutis ſudoribus, linteis tergatur calidis, mox in alteram ſtrati partem receptus linteam ſubuculam induat, & quieſcat hora una vel altera, quod ſi viribus polleat, ſtratoque ſurgere certet, nihil oberit, modo frigoris injurias caveat. Sin autem vires conſtent, mane & veſperi adminiſtrari tuto poterunt, ſin minus, ſat erit iis ſemel in die uti, vel etiam alternatis diebus, ſi vires demiſſæ videantur. Hora commoda erit matutina, vel etiam veſpertina, quinta ſaltem poſt prandium, ſumat tamen patiens ante ingreſſum offulam ex pane in vino lymphato maceratam, ſuperpotetque ex eodem, vel alio recenti vino aqua perfuſo. Admonendus præterea eſt patiens, ut ſi ſe ſyncopi prehendi ſentiat, dum ſuffitibus inſidet, ſtatim ex feneſtra vel conopei inciſura aërem liberum inſpiret, alioquin exanimis cadet. Quare arte etiam ſunt parandæ prunæ, quo & ſi illum decidere contingat (quod ſæpe accidit) non uratur, at hæc omnia, aliaque ad rem conferentia quiſquis vel paululum fuerit in arte exercitatus naviter præſtabit alieni conſilii non egens. Tam diu in his eſt inſiſtendum, quoad ulceribus moleſtari gingivas noveris, vel fluxu alvum tentari, vel ulcera gutturis, narium, aliarumve partium cicatrice obduci conſpexeris, quod ſi cum iis ulceribus junctarum, vel etiam partium carnoſarum, aliquo dolore tententur, non inutile erit illam leniter illinire, dum in tentorio eſt patiens, ex aliquo ſupraſcriptorum unguentorum, hydrargyrum recipientium, ſi alvus ſicca ſit, movenda eſt quandoque *ex ſemi drachma pillularum cochiarum, vel de ſumo terræ, vel ex drachmis tribus confectionis kamech, vel ex decocto dimidiatæ unciæ foliorum ſennæ*, nec ab inſtituto naturam iſthæc retorquent, licet adverſam ſententiam (ut antea etiam diximus) plerique jejunis rationibus contendentes, perſuadere quandoque mihi ſint conati; fretus tamen recto periculo, & rationabili, aſſiduo, felicique uſu, horum fucatas rationes, quæ nunquam me latuerunt, jure ſperno, ubi iis eſſe opus percipio. Idem de ſanguinis miſſione intellige, præcipue ſi fauces inflammentur plus æquo, cui etiam frequentiores, ac valentiores purgationes conferent: rationes enim eædem ſunt, ac quas in tractatu de illitionibus expoſuimus, nec non ſymptomatum ſupervenientium correctio, ratioque victus eadem: ſed jam tempus inſtat, ut ad alia nos conferamus.

*Locus adſuffitus qua qualiter parandus.*

*Modus ſubeundorum ſuffituum.*

*Tempus.*

*Quandiu ſuffitibus inſiſtendum.*

*Junctura vel partes carnoſa ungendæ ſi doleant.*

## CAP. XXV.

*Quod hydrargyrus venenum non ſit, neque corporibus humanis nocua, niſi ubi perperam fuerit admota, vel negligenter recepta.*

Admirantur plerumque varia animatorum genera adeo eorum ducem imitari, ut quacumque cœperit ille viam, cætera, ſine ulla indagine, ordine perſequantur, ſic dux apum regit examen, & ſectarius vervex gregem horum more ſectatur, belli ducem agmen, ita ut fere perpetuo ſub hujus arbitrio totius exercitus vita morſque juxta pendeant. Horum exemplo nonnulli medicorum ducti, haud ſecus, quam equi fræno coacti, vel calcaribus preſſi, ea tantum celebrare vel redarguere audent, quæ alter aliquis, cui ſerviliter famulantur, commendaverit, vel contempſerit, nulla recta experientia, vel ratione firma eadem comprobare, vel refellere nitentes. Hinc fit, ut hydrargyrum plerique, ceu pernicioſiſſimum venenum, deteſtentur, nullo præſtantiore argumento fulti, quam quia talem eſſe ex quorundam antiquorum ſcriptis hauſerint, addunt præter hoc, hydrargyri foſſores, vel aurifices, qui diuturno uſu hanc fodiunt, purgant, tractantve, nervorum tractione torqueri, etiam & lagophtalmos, & ectropios fieri, qui palpebrarum affectus ſunt, ille ſupernæ, hic vero infernæ palpebræ contractio. Adducunt inſuper ſymptomata omnia id genus medicamenti conſequentia: præterea alii qui carie circumvenirí oſſa horum patientium hujus gratia affirmare audent. At producere hic verba Montani forte abſurdum non erit, ait igitur, *ſemper enim cuicunque applicatur* (de hydrargyro loquitur) *repellit & ſummopere penetrat, & nullum commercium habet. præterquam cum auro, & præ nimia ſua frigiditate & penetrandi vi, ſive hoc habet a ſua forma ſpecifica, cuicunque applicatur, repellit, & cum occurrit membris principalibus, interficit ſicut venenum, ideo antiqui abhorrebant ipſum, Arabes tamen admiſerunt, ſed apud Græcos nunquam videbitis uſum ipſius, loquor enim de Græcis antiquis, ſicuti fuit Hippocrates, Galenus, Uribaſius, Alexander Trallianus. ideo videatis Galenum capite de argento vivo, dicit. Ego non cognoſco hydrargyrum niſi pro xeno, & nihil aliud de ipſo vult dicere:* paulo infra hæc ſequens Montanus de linimento Joan. de Vigo, ait. *Ego quoque, cum junior eſſem, uſus ſum iſto linimento, & viſus ſum ſanaſſe aliquos, cum tamen non ſanaverim, nam redibat poſtea deterior priore. Ideo cum hoc viderim, converti me ad Galenum, & cognovi quod argentum vivum repellit omnia, quibus occurrit, dilatatque vias, & expellit quidquid humoris invenit, & non ceſſat iſte motus, dum humor craſſus, aduſtus, & pituitoſus expulſus ſit vi ipſius: & quia illinuntur extrema, ideo humores coguntur retrocedere, & devenire ad ventrem meaium &c. Sic igitur thorax repletur illo veneno &c. Sed quam hoc ſit bonum, judicetis vos, ſi cum materia mala tendit de ſe ad ignobiliores partes, vos autem repellitis ad nobiliores, an ſit benefactum, necne: præterea advertatis, an illa ſit conveniens via educendi illum humorem &c. Et ideo iſti habent ſua membra ſpiritualia perpetuo affecta, nec floridum colorem habent, qualem habere ſolebant, marcidæ factæ ſunt gingivæ propter humores, qui eas corrodunt partes. Ideo dentes longi & nigri fiunt a fœdis vaporibus, propterea anhelitus fœtet, &c.* In iis contineri videtur univerſus argumentorum acervus, quibus Montanus, & plerique alii hydrargyrum venenoſitatis inſimulant, vel & ſi venenum minime foret, ejus tamen uſum criminandum eſſe decernunt, tanquam exitiale, & penitus naturæ humanæ adverſum præſidium, quum noxia, quæ nativus calor ad extremas repellit partes, hæc eadem opinentur ab hydrargyro ad intimas iterum repelli. Addunt quod gingivas rodit, & dentes fœdos efficit, oriſque fœtorem inducit, neque ægros perpetuo, neque integre ſanos reſtituat, ſed veluti fuco obducat, ſic ut tantum ſimulet ægros ſanos reddere, cum tamen id minime præſtet, quæ ſi vel omnia, vel potiorem partem haud temere hydrargyro objicimus, hanc ego ſane cum cæteris hujus ſententiæ hominibus omni deteſtatione dignam judico: verum utriuſque partis jus primum ſincera, ac minime rugi trutina penſandum eſt, ne (perinde atque imperiti facere conſueverunt) inexcogitate ſententiam pronunciantes, deſpiciendis indignam victoriam, vel ſtimmeritum facinus ſtrenuis, probitque adſcribamus. Aufpicemur igitur à Galeni ſententia, vel ab eorum, qui hydrargyrum venenum eſſe aſſerunt: porro Galeni verba aliter ſonant, atque „ Montanus, retulit, quod erroris genus lubens qui- „ dem libello Galeni tribuerem, quem forte Montanus „ tunc depravatum habebat, ſed en Galeni dictum. *Hy- „ drargyrus non eſt ex ſponte naſcentibus mendamentis, ſed „ ex iis quæ præparantur veluti pſymmithium, ærugo, pſo- „ ricum, hydrargyros, nullam autem ejus feci periculum, „ neque quod interimat, ſi devoretur, neque ubi foris admo- „ tus ſit.* Ecce quomodo Galenus hydrargyrum reprobet; ſed eſto quod improbaret, quod quidem & alii multi facere non dubitarunt, æquumne propterea eſt, horum nutu perciti fretique, & nos id ſtatim confirmare, ac ſi omnino ab eorum oculis vel ore penderemus? minime gentium, niſi perpetuo animo fluctuare velimus, quum ad omnes partes ſuperſint ſuffragia: criminatur hic, ille approbat: indeciſam implicitamque ſententiam producit alius, quid igitur agendum, ubi ad invicem ſic pugnant ſententiæ? Ariſtotelem, Galenum, rationemque conſulere oportet; Hippocratis, necnon aliorum antiquorum ſcriptis fidem præſtare non recuſabat Galenus, eo tamen uſque illis fidens (ut ipſe ait) quo lubens diſſentire potuiſſet, ſi illorum dictis rationem vel experientiam refragantem noverit; quid igitur? eiſdemne legibus priſcos obnoxios eſſe par

*Locus adſuffitus qua qualiter parandus.*

*Modus ſubeundorum ſuffituum.*

*Tempus.*

*Quandiu ſuffitibus inſiſtendum.*

*Junctura vel partes carnoſa ungendæ ſi doleant.*

*Montani verba adverſus hydrargyri uſum.*

*Ejuſdem verba de unguento Joan. de Vigo.*

*Galeni verba de hydrargyro non ſunt, qualia Montanus allegavit.*

par est, quas ipsimet una cum omnium sapientium cœtu irrogaverint? veritas igitur in omnibus præterenda est, quam hic excogitare, neque res ipsa, neque cæterorum quippiam vetat. At cum duplex sit via cujusque veritatis indagandæ, demonstratio videlicet, & inductio, illa eorum, quæ sensibus abstrusa sunt, notitiam adferre consuevit; hæc vero eorum, quæ penes nos sunt. Inductione igitur (quæ sane nil supra sensum exagitat) inquirenda est nostri negotii veritas, quid igitur sensus edocet palpebrarum, vel forsitan nervorum quorundam contractionem in iis, qui hydrargyrum contrectando omnem fere ætatem agunt, at hæc non venenositatem, sed siccitatem arguunt; nam consumpta plus æquo humiditate partium, contractiores has reddi necessum est, superaddes faucium, imo & universi oris inflammationem, gingivarum rosionem, dysenteriam, & alia consequentia, quæ quandoque periculo non vacant, nimirum, quod hydrargyri usum hæc sequantur, nemo jure inficiabitur, at num hujus qualitas per se, & primo hæc præstet, vel per accidens potius, nondum omnes norunt. Cedo quid in patientibus, qui hydrargyrum nunquam sunt experti, varias corporis partes inflammat ac rodit, neque ossibus parcens? quid eos plumbeo illinit colore? quid alia varia, ac acerba symptomata promovet, fovet, augetque ante hydrargyri usum, præter humorem vitiatum? At idem est, qui ab illitionibus & fauces & intestina vexat acrius, non quippe timet, qui per cutem, ac alias extremas partes, erat diffusus, quod hic & medicamenti munere, & naturæ officio in sudores, vel in insensibiles halitus conversus disjiciatur, sed ille, qui nondum vitiatus in intimas partes agebat, paratus tamen ad extremas fluere, ubi & vitium contraxisset, & morbum fovisset. Sed obloqui hic licet, quod humorem non adhuc infectum expelli dicam, efficiat tamen hic sævissima accidentia, cum confertim ad fauces irrepserit, vel ad rectum intestinum fuerit deturbatum, nam hæc sine aliqua humoris corruptela fieri minime solent. Mirum sane hoc videri non debet, hæc scilicet symptomata excitari ab humore, qui dum intrinsecus esset, corruptela vacaret, alias tamen in partes productus vitium acquirat, ut si sanguis plus æquo in aliquam partem fluat, necessum est eum quoquo modo in alienam à naturali qualitatem transmutari, vel in pus verti, vel naturæ, sive artis ope dejici, quod facile patet per eos, qui integra sanitate fruuntur, si hydrargyro linantur, nam eisdemmet symptomatis implicantur, quibus exerceri solent patientes detricti, quos hæc lues sævius torquet, quod hercle plerumque observavi in famulis, vel tonsoribus, qui ægros perfricabant, hujus affectus ignari, qui se mox eundem morbum contraxisse metuebant, quum similibus symptomatis premerentur, ac quos illeverant patientes, nimirum alvi, vel oris fluore, gingivarum rosione, putore, inflammatione, ulceribus, & similibus, licet in affectis corporibus omnia durius affligant præ vitio humoris, & illituum multitudine. At infectione humoribus scatebat hic, qui sanus erat. Hinc colligere possumus, humores necessario putredinem aliscere, si in aliquam partem usque supraque, quam par sit, delati fuerint, ibique præter naturam moram contraxerint, ex quo fit, ut horum multitudine, vel lentore gravata parte, & concoctrix, & expultrix ejusdem facultas fiat imbecillior: hinc obstructio, humorum retentio, dolor, putredo, ulcus, fætor, sed redeamus, unde diverticulum cepimus, humorum igitur multitudo & vitium, ad fauces vel anum erumpentium, plurimorum medicorum consensu horum symptomatum authores & fomites sunt, hydrargyrum causam moventem habentes, unde igitur venenositatis hujus argumenta alia suggeri poterunt, nam devoratum non interimit: scurræ certe sunt plurimi, qui ditium nutu vel exiguo exposito præmio ternas & quaternas & denas uncias hauriunt sine damno, illam mox per alvum dejicientes; ex iis unum novi, & alios plures esse audio; nosco insuper, & qui pillulas hydrargyrum recipientes dierum quadraginta & sexaginta spatio frequentarunt sine ulla noxa, imo potius cum utilitate, & alios cum integra hujus morbi solutione, harum tantum pillularum munere; non autem hoc venena efficiunt. præterea hydrargyro arte illita corpora, jam jam hac lue confecta, quæ nullo alio præsidio levari possunt, hoc solum plerumque, divini auxilii instar, libera reddit in pristinamque sanitatem restituit, vel in habitum huic proximum, nonnunquam etiam & in meliorem, quam natura concesserit. quod etsi iis, qui in discursu, vel ratiocinatione plus temporis absumunt, quam in tractatione, difficile creditu videatur; individua tamen, frequentiaque experimentorum, amplam satis de hoc negotio fidem faciunt. quæ ratio hominibus persuadere potuisset, ut aqua aliqua ferrum liquare valeat, vel aurum ab argento dividere, nisi experientia id nobis primum innotuisset? plura quidem solo discursu exagitata sui exitus impotentiam ante oculos objiciunt, quæ fieri quandoque posse usus ostendit; quare solis rationibus contendere legitimum non est, ubi inductio præesse potest; non omnes id genus languentes morbo liberat, non inficior equidem; prohibet enim plerumque vel patientis mollities, intemperantiave, vel tractantis segnities, vel imperitia, vel etiam morbi ipsius vehementia in languidis viribus firmata; at horum aliquot, nisi divum numine emergant, mors tantum excludet, sed numquid hoc huic generi auxilii seu proprium tribuere convenit? quæ præsidia etiam in morbis, quibus conferre solent, perpetuo optatum consequuntur finem? Fœtidum os reddit ex hydrargyro illitio, non semper, neque in omnibus, excipiuntur autem ii, quos alvi fluor liberat, brevique in aliis corrigitur, qui temperate vivunt, diutius edones occupat, ac qui affatim merum potant, quos & præter hoc alia plerumque symptomata urgent; sed esto quod & hoc vitium perseveraret, neque quemquam exciperet, præferet ne adhuc quisque doloribus exagitatus, ulceribusque exesus cum halitu nonnihil ingrato (qui tamen sibi sensu non obest,) tranquille diutiusque vivere, quam in assiduis languoribus exiguo tempore mortem oppetere? Addes ossium cariem in aliquo horum cadaverum fuisse inventam, fateor, at hoc commune est utrique, videlicet & illitis, & aliis, quos sine hydrargyro hic livor consumpsit, ab iis neque ulceribus applicita hydrargyrus veneni vestigium ullum præ se fert, imo quæ sine vitio offendit, cicatrice obducit, morosa vero (si eorum, quæ in medio sunt corpore, diligentem curam habueris, perinde atque rationalem medicum decet) corrigit emendatque, reliquum est igitur, ut hac tantum ratione hydrargyrum de medio tollendum dicas, ut quod noxios humores sua frigiditate ad interna repercutiat, verum enim vero neque hoc facile concedi potest, eo quod multa alia incommoda sequerentur, reprimeret enim simul & sanguinem, unde jecur, & cor, ex tam præcipiti humorum vitiatorum reflexu ab universis corporis partibus repercussorum extremum obire munus cogerentur: Idem sequi (vel forte pejus) fas esset, si vitiatos humores à sanguine sejunctos ad interna propelli contendas, quod hos non æque regerent viscera, ac sanguini commixti essent, præterea hunc aditum, processumque (si singula naviter expendamus) impossibilem esse dicere cogemur. Cum quod tam liber viarum ductus non concedatur, tum quod viscerum vis objecta iis transitum interdicat, tum etiam, quia ad cutem pituita hæc viscida præ venarum angustia non feratur, quare ab hac arceri hos crassos lentosque humores, qui per os vel anum rejiciuntur, censendum non est. Item si repulsio esset humorum juxta cutem existentium ad centrum ipsum, reliquum esset, ut viscera vellicarent, inflammarent, roderentque, & hoc vehementius, quam dum circa cutem & musculos insistebant, quod divisi in varias partes essent; uniuntur vero, si una simul introducantur, hic igitur viribus maxime pollere æquum est, semper enim unita virtus validior est, quam dum in varias partes est distributa: sed concedamus (quod non est) nimirum humores hos ab externis ad interna abigi, non enim per se repulsio avertanda est, alioqui nullo unquam tempore repellere liceret, eo sane loco repulsio criminanda venit, ubi suo officio aliquid deterius accidat: vel laude nulla dignam dicimus, si primarium affectum discutiens, alium æqualis molestiæ excitaverit, vel si cum non læserit, nihil etiam profecerit, commendanda vero, probandaque, si quicquam vel maxime juverit; examinemus nunc quid hæc in hoc negotio præstare soleat, judicio ab assiduis exemplis sumpto: quos vis ad interna expulsos esse humores, hos abjicit natura levi negotio, exiguoque temporis ductu per vias maxime ad omnia noxia rejicienda paratas, per os videlicet & anum, unde ægri deinceps sine molestia agunt, qui ante hac perpetuis, variisque doloribus torti, vitam mortemque juxta æstimant: repercussio igitur hæc vitio danda non est. At jam jam tempus injustat, unde proponere liceat, quo pacto post affectus extrinsecos pacatos, oris vel alvi fluor excitetur, non repercussis humoribus, qui externa occupabant, premebant rodebantque. Quum igitur hæc in corporibus post hydrargyri usum fieri constet, nec repressionem extrinsecorum ulla naviter excogitata ratio admittere videatur, temerarium non erit, censere insitam in hydrargyro vim esse coctricem, dissolutricemque humorum juxta cutem existentium, expultricemque, vel ad expulsionem commotricem eorum, qui intrinsecus habentur, vel noxissima fiunt, quos natura nullo aptiore ductu è corpore deturbare, vel expellere potest, quam per alvum, vel os, præcipue cum ventriculus primas partes teneat ad gignendam servandamque pituitam, qua potissime diuturni morbi (ne dicam & acuti) excitantur, ac reficiuntur: at hæc una & ipsa bilis flava, aptissime per utramque harum partium repurgantur, neque incommode per alvum superflui humores reliqui. Qua vero forma vel officio natura ab hoc remedii genere sic stimuletur, suffra-

*Duplex via veritatis indagandæ.*

*Symptomatum quorum hydrargyrus insimulatur, causa potius humor vitiatus.*

*Non semper & in omnibus ex hydrargyro fœtidum os redditur.*

*Ossium caries tam in illitis quam non illitis hydrarg. reperitur.*

*Hydrargyrum ad interna noxios humores non repellit.*

*Humorum ad interna repulsionis fit quæ fieri utilitas.*

*Quomodo non repercussis ad interna humoribus aris vel alvi fluor excitetur.*

*Quidam hydrargyrum in magna copia hauriunt sine damno.*

geturque, ut plerumque pervicaciſſimos hos humores ac morbos expugnet, humanæ menti ac ſenſibus penitus abditum eſſe videtur: hoc tamen uſus edocet, nimirum hujus appoſitu phlegmones ſolutas iri, ulceraque belle concocta reddi, repurgari, carne repleri, ficcari, cicatrice obduci, quæ ſane calorem temperatum cum ſiccitate præ ſe ferunt, nam ſine calore non diſponuntur humores ad halitum, nec ſine ſiccitate reducuntur ad actum: quorum ſi alterum, vel utrunque ſupra modum ſua intemperie excederet, talia temperate minime ſequi viderentur, longe minus hæc à frigiditate produci poſſunt, quam tamen aliqui poſuerunt, quum tactu frigida admodum hydrargyrus percipiatur, & alvi oriſque fluor ab hujus uſu repercuſſione fieri crederetur. Sed quum ſpecialis, ac propria hujus differentia, vel ſi lubet forma, communibus atque conjecturalibus tantum mediis confirmari poſſit, pluſque difficultatis in ſe hæc diſputatio continere videatur, quam utilitatis ferre quandoque valeat, ſatius idcirco fore duxi non ultra hæc ſermonem producere cognitionis ipſius, quia, (ut ajunt) effectus ſcilicet notitiæ in præſens contentus, quum propter quid vel forma ipſa efficiens abſtruſa ſit, ratus non hanc tantum medicis eſſe incognitam, ſed innumeras alias, quas hic recenſere noſtri inſtituti non eſt, ſed (quod exempli gratia dicam) quis medicamentorum purgantium formas exquiſite, vel forte quomodocunque novit, quatenus ipſa purgantia ſunt? propinat tamen hæc prudens quicunque medicus felici ſucceſſu, experientiæ non rationi fidens, neque etiam prorſus ſine commodo iis atque aliis medicamentorum generibus utuntur mulierculæ, plebei, vel impoſtores ipſi, nihil de medicamentorum forma ſolliciti, at hos (ſi quandoque ſcopum attingant) non ars, ſed fortuna juvat, nec etiam ceſſant ferreas virgulas magnete intingere, qui ſolares globulos, vel planiſpheria ad horas numerandas, vel orbis plagas diſtinguendas conſtruunt, quamvis illis ignotum ſit, qua cauſa boream verſus magnes faciem vertat. hæc igitur exempla ſufficiant, quæ duntaxat propoſuiſſe placuit, quo juniores nimium acuti, qui in omnium cauſarum indagandarum ſupra modum ſunt propenſi, quandoque ab inutili labore maturius ſe expediant, ne ſubinde circa eas cauſas, quarum extremam intellectus humanus attingere nequit, oppido defatigati, indignabundi mox cæteras contemnant, ad quas datur aditus. Sed ab re non erit hic etiam memorare, non modo periculo non vacare hydrargyri uſum, quin potius in varias anguſtias, ſupremaque vitæ diſcrimina, interdum mortales inducat, verum non ob id ſimpliciter criminanda ac penitus deteſtanda eſt, ſed eo pacto noxæ danda venit ac reliqua omnia præſidia, quæ excellentem aliquam facultatem poſſident, caloris videlicet, vel frigoris, purgantis, vel rodentis. Sed quid cibi, merum, vel aqua, ſi ſupra vires, vel extra tempus ingerentur? non aliter fiet, ſi tua negligentia, vel potius patientis intemperantia hoc medicamento uſus fueris, quod ſi feceris, nec laudem tu, nec æger commodum comparabit. Secus vero ſi hic rationi indulſerit, & te prudenter geſſeris, hujuſque medicamenti munus crebro ſub legitimi artificis inſtituto obſervaveris, ratus inhumanum, vel potius iniquum eſſe, periclitari, & hic & in medicina fere tota ſola ratione vel libris, vel opinione duce, nam horum nullum per ſe vel omnia ſimul juncta (dum opus eſt facto) æque tuto ac celeriter opem ferunt, atque prudens experientia, quæ dubio procul & ipſa mutilata eſt, ſi à ratione ſit ſejuncta, nullius vero egens, ſi illi ſit adjuncta, aſſidua tamen exercitatione, quæ diſcurſu, vel experientia fueris conſequutus, hæc tanquam ob oculos ſervantur ac reminiſcuntur, indieſque puriora redduntur, & cumulatiora fiunt.

*Hydrargyri propria forma medicis incognita.*

*Hydrargyrus extra modum ſumpta ſi noceat, ſed habet cum reliquis rebus commune.*

## CAP. XXVI.

### *Quare frequenter in hoc affectu ſanguis mitti debeat, & à variis partibus, præcipue à maxime affectis.*

*Sanguini venarum ab hepate remotiorum hæc inſtar præſtabere.*

Crebro atque à diverſis corporis partibus, & ab iis potiſſimum, quæ magis torquentur, ſanguinem educere conſului, quod in eo præcipue, qui per venas ab hepate remotiores vagatur, hujus luis ſeminium inſideat, & in iis maxime, quæ partibus affectis inhærent, à quibus vel maxime proximis (ſi fieri queat) perpetuo ſanguinem eximere par eſt: audi ubi jam morbus in corpore firmam ſedem habeat, ob idque non hic, ut plerique inconſulte faciunt, in adverſus partes humorem peccantem revellere fas eſt, perinde ut in phlegmonibus, qui ex ſola ſanguinis abundantia excitantur, nam in iis etſi retrahas quod affectæ parti eſt proximum, id, cum nondum putredinem ullam aſciverit, non habet unde reliquum coinquinet, quod ſecus accidit in hoc morbo: in aliis item omnibus, quos perni-

A cioſus ſuccus aliquis concitat vel fovet, per intervalla etiam tundendas venas inſtitui, quo interea refectis viribus repetere tutius valeas, morbus quidem ab omnibus partibus gravatis eodem tempore ſanguinem mittendum indicat, ſed vires id commode ferre minime poſſent, quod larga ſanguinis miſſione plerumque ſit opus, ego interdum tres venas ſecare feci uno, ut ita dicam, inſtanti, videlicet in utroque brachio, & altero crure, vel in utroque crure, & altero brachio, binas autem plerumque imo fere in omnibus iis, quos hoc morbo affectos ſæpe habeo, in utroque brachio puta, vel crure utroque, vel in altero brachio & crure altero, vel in fronte, mox in brachio ex cephalica partem magis affectam reſpiciente, vel ex adverſa, ſi brachium illud, vel humerus, plus altero doleat, vel ex cole, ex brachio, vel crure ſtatim poſt, perpetuo ex parte magis gravata exordiens, quam ſanguinis miſſionem reiterare quandoque ſummo eſt præſidio, maxime in iis, qui ſcabie vel ulceribus cutis infeſtantur, non æque in iis, quos dolores junctarum torquent ſine ulla inflammatione, quos juvat magis aſſatim corpus per ſuperiora vel inferiora purgare, ex cole B exigua doſi demenda eſt, ad uncias duas vel tres, & ſanguiſugæ loco ſectionis venæ optime adhibentur, ac quandoque repetuntur, ſi ulcus ſit mali moris, ex quo æquum eſt ſanguinem corruptum frequenter elicere, qua etiam ratione cucurbitulas ſectas aliis affectis partibus affigere laudamus, tundendas venas ante purgationem mandamus, quod minus noxium ſit, internum ſanguinem foras, quam externum intro trahere, internus vel nihil vel minime erit infectus, ut antea declaravimus, verum proroganda non erit poſt miſſum ſanguinem corporis per alvum purgatio, ſed neque incongruum fuerit nonnunquam primis diebus venam à longinquo ſecare, vel ante vel poſt purgationem, etiam ſi nildum ultra pectinem vel proximas ulceri partes vitium pervaſerit: eadem ſane ratione, ac fieri ſolet ob inflicta vulnera, quo videlicet inanito corpore laxius parciuſque ad affectam partem humor fluat, unde hæc multitudine minus gravata, quod impreſſum eſt, facilius perdere queat. Aſt hoc fotibus diſcutere tentandum eſt prius, ut aliis antea propoſitis præſidiis, quibus ſi vitium non ceſſerit, jure mox à ſanguinis miſſione ex adC verſa parte, corporiſque purgatione ineundum eſt ſuffragium.

*Tres venæ eodem tempore ſecari juſſum.*

*A parte gravata in ſecundis venæ exordiendum perpetuo.*

*Dolentes juncturis purgatione indigere.*

*Tundendas eſſe venas ante purgationem.*

## CAP. XXVII.

### *De purgatione.*

*Purgationum utilitas.*

Purgationes per alvum conferre plerumque repetitas uſus confirmat, ita ut harum tantum ope ſæpe deperditæ redimantur vires, ac morbus arceatur, ſine quibus etiam cætera auxilia neque juvare, neque tuto adhiberi poſſunt, ut attenuantes diætæ, vel illitiones, ſive ſuffitus, vel balnea, vel alia ſimilia, non hercle, ut per has humor jam infectus eradicetur, vel pro majore parte deturbetur. nam hunc ſanguinis miſſione, ſcalpellationibus, veſicatoriis, cauteriis, ſanguiſugis, balneis, & per occultos ſenſibus halitus comminuere, refigereque ſtudemus, pituitam vero, quæ hujus affectus præ cæteris humoribus pertinacior eſt baſis, atramque bilem, & flavam, ichoreſque nondum pollutos per vomitum, alvum, nares, fauD ces, urinarios tubos, cutaneoſque meatus divertere, deturbareque omni ingenio vel arte conamur, nam hæc, niſi alio revocentur, facile contaminantur, ubi cum infectis copulantur. Unde & morbus & ſymptomata frequentiora & magis acerba excitari, atque foveri ſolent pro horum copiæ vel inopiæ ratione, ſic iis per dicta loca detruſis, & infectis ex gravatis membris pro parte defixis, natura facile (vel ſaltem non tanto labore) reſiduum diſſipat, continuas purgationes, & per dies multos in iis proponimus, qui venas ichore habent refertas, demonſtrant autem totius corporis color pullus ſeu lividus, & ſanguis exhauſtus admodum ſeroſus, inſuper & iis, qui pituita multa abundant, quod indicant dolores diuturni, cum tenſione, & gravitate partibus penitioribus hærentes, inſuper & ſanguis exhauſtus, cui ſupernatat tenax albaque pituita, quæ vix cultro dividi poteſt, perinde ac gluten coactum, præterea & iis, qui melancholico humore affluunt, fuſco enim colore ii reſperſi ſunt, ſanguinemque atrum habent, & horum ulcera calloſa veluti phlegmone circumducuntur, repetuntur etiam purgationes, poſt diu- *Purgationes repetendæ poſt diuturnas potiones.*
E reticas potiones, quoniam in talibus corporibus paulatim acervantur iterum ii humores, etiam ſi accuratiſſimo victu utantur, numerum vero, modumque, affiſtens atque exercitatus medicus præſcribat pro rerum ſucceſſu par eſt.

## CAP. XXVIII.

### *De vomitu.*

Vomitus quibus interdicendus sit & quibus concedendus.

Non injuria vomitum in numerum præſidiorum, hujus luis vires ac injurias obtundentium, collocabimus, quum plerumque non paucis horum patientium auxilio fuiſſe exitus comprobaverit. Abigitur enim per hunc multa viſcidæ pituitæ copia, quæ in ventriculo congeſta, atque etiam genita levi negotio in alterutram partem fertur ad os, videlicet, vel ad inteſtina naturæ motu, vel arte ſtimulata, at quum hæc abunde ſolo naturæ motu ad inteſtina fertur, iis diutius hærens, per meſeraicas venas ſugitur, in chilimque venam transfunditur, quæ per alios truncos brevi per univerſum corpus diſtribuitur, at partes, quæ hanc paſcere non conſuevere, vel perdebant, dum naturali munere omni integre fungerentur, nunc ægræ factæ, nec aluntur hac, nec abjicere à ſe commode queunt, reliquum eſt, ut ægrius agant, operæ igitur pretium nos præſtituros cenſendum eſt, ſi qua parte hæc pulchrius educitur, per eandem hanc evocemus, at egregie per vomitum exploditur, per alvum mox, paucis vel nullis horum non conferens, ſi levi negotio, atque opportune fiat, ſed iis interdicere juridicum eſt, qui non ſine extremo nixu, vel ſupremo labore evomere poſſunt, ne quicquam deterius contingat, videlicet alicujus venæ ruptio, facile ob id vomentes tantum huic ſubmittere præſidio licebit, & eos potiſſime, qui artuum dolore exercentur, vel cutanéis ulceribus divexantur, nec non hos caput urget, ſine oſſis carie vel tubere, cum appetentiæ cibi depravatione, vel labefactatione, vel potius deperditione, quæ humorum ventriculum obſidentium certiſſima ſint argumenta, at præſidium hoc adeundum non eſt, niſi per alvum ægrum purgaveris, &, ſi par ſit, ſimul ac vel antea ſanguinem miſeris, mox bidui quietem imperaveris, audi abſtinendum interea ab omni medicamentorum moventium uſu, inde vel matutino, vel veſpertino tempore ad hunc te conferre poteris poſt cibum, ſi lubet, vel etiam ante, ſi poſt, liberalius potabit æger, epulaſque juſculentas largius ingerat, nec morum potet, nec acida vel acerba edat, bibatve, quod moleſtam vomitionem (guttur vellicando) faciant, provocandus eſt poſt dimidiam, vel tertiam horulæ partem ab aſſumpto cibo, quod tunc pituitæ ingeſto cibo immiſtæ ſupernatent, immmittitur enim penna mollis in guttur, blandeque commovetur, vel index digitus, eoque uſque excitandus eſt, dum vacuum vel paululum reſidui cibi in ventriculo eſſe conjeceris, ad quod expellendum ægrius ventriculus inſurgit, ſi vero ante cibum exoptes, ſeu mane ſeu veſperi id efficies: horis ſaltem duabus ante alimoniam, vel pluribus ſi placeat, vel minus duabus, ſi à vomitu fame prematur æger. Sed ſimpliciter hic vomitus ciendus non eſt, eo quod ægre fiat, nec notabilis præſidii ſit, quum è ventriculo agglutinatus viſcidus humor vix corradi, vel deſigi ſolus poſſit niſi adventu udi alicujus, aquam igitur hic exiguo ſaccharo perfuſam calidamque affatim potandam porrigo, mox brevi, quarta videlicet horæ parte peracta, pennam molliuſculam, ne guttur vellicet, immittendam, vel leniter indice digito linguæ radicem contrectandam jubeo, donec opus abſolutum fuerit, ſatis ſuperque erit hoc uti bis in hebdomada, aut ſi mavis, quarto quoque die, vel longiore, vel etiam breviore temporis ſpatio, prout ægri, atque morbi ſucceſſus præſcribent, eoque die, quo id percipitur, vacandum eſt omni alio notabili præſidio, at die ſuperveniente apozema, vel aliud quippiam laxans, ſi par eſt, propinare licebit, tum quod vomitu tantum, quæ ſunt in ventriculo, rejiciantur, tum quod conſueta eſt poſt hunc alvus reſtringi.

*Observanda in vomituum tempore ante & poſt vomitus.*

*Vomendi tempus.*

*Hora vomendi poſt cibum.*

*Modus provocandi vomitus.*

*Quot horis ante cibum vomendum ſit.*

*Ante cibum quomodo vomitus provocandus ſit.*

*Quoties vomendum.*

*Die vomitur nullum aliud præſidium ſubeundum eſſe.*

## CAP. XXIX.

### *De ſudoribus.*

Sudores moventia, quæ etiam per veſicam majores venas repurgant, in iis laudamus, quibus & ſummopere balnea commendavimus, cutaneos autem humores corruptos depellunt, quæ cum etiam ichores multos per renes promoveant, venam chilim omnium venarum truncum apprime ſordibus liberant, conferunt autem etiam aliis omnibus, at iis præcipue, qui ſcroti ſunt ſanguinis. Tempus autem his commodum eſt, ſtatim à ſanguinis miſſione, ventriſque purgatione, nam ante hæc moleſta, ac admodum perniciosa exiſtunt, tum quod ductant per exiliores venas craſſos humores in inteſtinis exiſtentes, & ſerum in majoribus venis receptum, unde cutis ipſa etiam, & reliquæ partes magis gravantur, per intervalla etiam ac viciſſim interea alvum medicamentis purgantibus movere oportet, quo, qui craſſi in dies in inteſtinis ac meſereo cumulantur, humores per alvum foras pellantur, egregie ſudores excitare novimus lignum Indicum, ſive Guajacum appellatum, quod jamdiu ad hoc munus à pleriſque utile fuit publicatum, hoc (inquam) quum tale eſſe uſus approbaverit, cæteris aliis præponere viſum fuit, ubi igitur humores acres in corpore ſuperaverint, aeriſque æſtus vigeat, minorem ligni quantitatem indere par eſt, & in aqua tantum parare, ſimulque refrigerantium aliquot immiſcere, ſacchari quidquam infundere pro patientis arbitrio & cinnamomi tantillum in menſali potu, ſi libeat, quo guſtus gratius recipiat, ubi vero vel habitus corporis frigidior, vel temporis ſtatus minime calidus, vel frigidus fuerit, vel hæc ſimul ſint inventa, & lignum augere & corticem, & *eryngium* addere, & cinnamomo aromaticum reddere, & in vinum, ut ſupra expoſuimus, vel aliter atque res ipſa exiget parare poteris, juvabit hos omnes ex decocto liberalius potare, potiſſime ubi id ventriculus non reſpuit, vel potius expetit, leniore enim negotio per cutem, atque veſicam, imo & per alvum noxia pelluntur, ſecus autem ſi potus abſtinentia aridum corpus ſerves, nam neque craſſa commode per anguſtos tubos feruntur, niſi lubrica reddantur, neque etiam natura, ubi humido vacat utili, vel ſaltem non inutili, lubenſque noxium eſt, detrudere affectat, imo potius hoc veſici contendit, quam areſcere, ſic ut & ratio & experientia affluentem magis quam parcam potionem inſtituat. Excipe, quos alvi fluor tenet, nam hos cohibere ſatius eſt, donec quieverit, cibi iis afferantur attenuantes, ac tenues, ſic ut affectus, habitus & cœli ſtatus indicabunt, biſque die ſingulo nutriantur, conſuetis horis, ſi nulla morbi exacerbatio diſſuadeat, quæ ſi fuerit, in hujus declinatione porrigito, vel hora alia quietiore, quo naturalis calor melius cibos conficiat. nonnulli tamen ſunt, qui hujus ligni calorem reformident, quum tamen temperare profuſiore aqua nihil prohibeat, utor etiam plerumque hujus ligni vice *decocto totius eryngii cum gramine, & cardui ſylveſtribus, qui lato, albo atque hirſuto ſunt folio, additis ſeminibus, vel aliis pro ratione morbi*, quod ſane non minore efficacia ſudores atque urinam promovet, quam lignum ipſum Indum. Deſcriptionem hic accipe. Recipe *radicum eryngii, & capitulorum ejus ana unciam unam ſemis, radicum cardui ſylveſtris uncias tres, graminis unciam unam, liquiritiæ raſæ, polypodii ana unciam ſemis, ſeminis carvi, & petroſelini ana drachmas duas, aquæ fontanæ libras quatuor, bulliant lente ad quartæ partis evaporationem, aromatizetur cum drachma una ſemis cinnamomi, & tantundem ſantalorum citrinorum, at cum eryngium viret, ad duplum doſis præſcriptæ impuno*, cætera virentia omni tempore haberi poſſunt, quæ omnia etiam vel majore vel minore copia immitti poſſunt pro morbi vel temporis exigentia, non enim iis medicamentorum generibus, vel ligno etiam Indo, vel ſimilibus exquiſita illa quantitatis obſervantia debetur, atque fieri ſolet in iis, qui in aliqua activarum qualitatum plurimum excedunt, vel corpora laxant, ſtudioſe tamen omnia agere licet, quo & hæc & illa morbis, corporibus, & temporis, quatenus per artem atque ingenium licet, proxime accommodentur. Neque hoc præſidium tuto ægris porriges, niſi hos prius inanieris ſanguinis miſſione, ſi liceat, & purgatione, quibus neque diverſa victus ratio debetur, quam iis qui Indo ligno utuntur. China vero, quam aliqui ad ſidera uſque efferre conantur, nil miri, neque notabilius agit iis, quæ mitius urinas vel ſudores movent, quare crebro medici, & patientes huic fidentes, nimium vana ſpe fruſtrati, æs & tempus ſine utilitate conterunt, quam ob rem in hujus morbi curatione abutendam ſatius eſſe excogitavi, tempus atque rem circa tutiora præſidia, præſtantiora, minuſque cara conſumere conſulens. At in leviore affectu, vel proviſionis cauſa non incommode conceditur, præcipue ſi patiens hac fretus hujus uſum affectet. *Macerantur autem ad horas duodecim lignis radicis tenuiter inciſæ uncias quatuor, quandoque quinque, aliquando etiam ſex, in aquæ fontanæ libris duodecim, & lentis prunis, duabus partibus evaporatis reliquum pro ſyrupo aſſervatur, ex quo mane & ſub veſperum propinari poſſunt ab unciis octo ad duodecim tepide, mox ſudoribus ſe componat æger. Magnatis tantundem aquæ ſuperponitur, & quarta parte igne conſumitur pars, vel aquæ libræ quindecim ſuperimduntur, & tertia evaporatur, pro potu ex arbitrio.* Victus interea & tenuis, & attenuans eſto, atque habitus, virtuſque patientis præſcribit, purgantium medicamentorum, vel forte etiam ſanguinis miſſionis, non immemor. Quam falſam perilliam

*Ut ſudores moventia laudentur.*

*Sudandi tempus. Ante ſanguinis miſſionem & purga-*

*tionem ſudores pernicioſos eſſe.*

*Alvus viciſſim poſt ſudorem movenda.*

*Sudores moventia.*

*Ad movendos ſudores lignum Indicum reliquis præſtare.*

*Adminiſtratio ligni Indi tempore æſtivo.*

*Adminiſtratio ligni Indi tempore, vel habitu frigidiore.*

*Decoctum hos omnibus liberaliter potandum ejuſque ratio.*

*In alvi fluxu cohibendus accoſſi potus, in eo quæ victus ratio.*

*Decoctí deſcriptio quod vice ligni Indici præparari poteſt.*

*Non ſumendum decoctum niſi venæ ſectione & purgatione præmiſſis.*

*China nil agere præſtantiori prædictis.*

*Præparatio potionis ex radice china.*

*De falsaperilla.*

vocant, prima hujus libelli impressione non plurimum commendaveram, verum neque tanquam inutilem postposueram, non consuetus ignota damnare, vel præter rem collaudare. Usus tamen postea hanc non minore laude diguam esse (imo forte etiam majore) quam lignum Indum, præcipue in corporibus, quæ adeo frigida non sunt, comprobavit. Nam hæc temperatior existit, alvumque, si virentior sit, lenem reddit, nec parce urinam, sudoresque prolicit. Præparatio autem hujus non diversa fieri solet à chinæ decoctione, puta *duodecim aquæ libris, unciæ quatuor, vel sex hujus radicis macerantur ad horas duodecim, mox ad tertiam partem redigitur lenta ebullitione, & hoc pro serapiis matutini & vespertini temporis, ex quo vice singula potantur ab iisdem octo ad duodecim. Magmati quindecim iterum superfunduntur aquæ libræ, quæ rediguntur coctura ad decem vel undecim. Et hoc pro potu mensali, & pro arbitrio*, purganda tamen primo sunt corpora, & si par sit sanguine minuenda, antequam hujus usum ineas, victusque parcus, attenuansque plus minusve, ut ipsa res exiget, quare non modo in hujus, sed etiam in aliorum præsidiorum usu assistentem medicum præesse consulo, qui singula pro ratione componat disponatque, stultum enim est, censere alicujus morbi, quantumvis minimi, curationem sic exquisite vel adamussim scriptis proponi posse, ut nil huic addere vel ab hac demere liceat, sunt enim inferiora corpora omnia, & humana maxime, variis ac perpetuis transmutationibus subdita, quarum plurimæ tantum patent artis peritis, qui ægris præsunt, quos decet universam curam regere, qui vero medicinam non calentes solis scriptis curas obeunt, (ut nimium curioli patientes, vel nebulones, seu circulatores impudentes, vel plebei, quos otium vel segnities medicas paginas evertere induxit) ii ubi rectius ad scopum rem collimasse credunt, tanto (inquam) magis ab eo divertunt, sic ut jure prudenti tantum artifici credendum sit in quavis arte, maxime ubi de corporis salute quæstio est.

*Purgatio vel sanguinis missio præcedere usum decoctis debet.*

## CAP. XXX.

### *De Balneis.*

*Balnea quibus potissimum conferant.*

Balnea universo corpori apte accommodata supra modum conferre nunquam non experior, iis apprime suppetias ferentia, quibus cutis pilorum casu pruritu vel scabie vellicatur, neque in illis reprobanda veniunt, quorum artus doloribus conflictantur, juvantur sane & ii, verum non adeo repente ac clare atque alii, cum crassi altiusque inhærentes humores juxta ac tenues superficie tenusque insidientes non disperdantur. Opportunum autem tempus ad hoc est, post belle repurgatum corpus, & horis duabus vel tribus ante cibum, sive matutino vel pomeridiano tempore fiant, satis superque est, semel in die adhibere, quæ si mane parentur, jentabit patiens, hora dimidia ante ingressum offuso pane in vino aquæ permixto, quod etiam fieri poterit à prandio, si æger exigui sit cibi, & balneum ineatur multo tempore post, quod saltem horas quatuor intercapedinis exigit ab ingesto cibo, intellige prandio cœnave. ultra vero quantumlibet. Materia autem horum nulla præstantior est aqua potabili simplicique, instrumentum ad id negotii aptum est vasta trulla, sive parva tinia lignea ovali circulo fabricata, capacitatis circiter pedum trium cum dimidio longitudine, duum latitudine, altitudine pene dimidio supra latitudinem, ut in ea protensis cruribus sedens æger ore tenus aquæ immergat, quæ calida sit tantum, quantum sive caloris vel frigoris injuria universum corpus ferre possit, sitque omni in parte sibi similis, ne videlicet altera parte, qua fervens infunditur, urat, altera vero temperata vel gelida sit, quod plerumque accidit, nisi ministri circa hæc fuerint exercitati, quod non sine patientis molestia negligitur, agitanda est igitur primum baculo, quo belle altera alteram temperet, eo quod totam simul calefacere difficile sit, in promptuque habeatur & fervens alia, atque etiam frigida, quo totam contemperes ex patientis nutu, cum plerumque acre vel horridum offendat dorsum, quod nihilominus manus temperatum decreverat. tam diu in hoc maneat, quandiu molestæ ferre cœperit, bonum est, horam (si fieri potest) ibi consumere, vel circiter, sit trulla igni proxima, nec multo à cubili distans interstitio, quo emersus illicet linteis calidis obducatur, siccetur que, & in stratum calidum sine labore recipiatur, ubi modeste lodicibus tectus, sine anxietate sudoribus prospiciat, quibus solutus vel defatigatus, lenibus linteis blande detergatur, mox linteo supparo indutus in alteram partem, vel in cubile aliud

*Balneorum materia.*

*Instrumentum ad balnea.*

*Animadvertendum in balneis.*

*Quamdiu in balneo commorandum.*

A se transmoveat, ac quiescat, nec ad hæc accessum prohibet levis lienis tumor, si horum patientium alicui inhæserit, iis etiam egregie conducunt, qui hoc morbo torti febricula aliqua assidua, vel etiam inter mittente agitantur. frequentantur autem hæc diebus tribus vel quatuor, vel si etiam vis sex continuis, vel interpositis, si vires langueant, inde quiescendum dies aliquot, mox si morbus dictet, repetenda veniunt, nec ineunda, nec repetenda, nisi corpore belle purgato, ac etiam repurgato, interea si patientes siti premantur, non cohibendi sunt à potu, imo liberalius concedendus est, vel in balneis sint, vel extra. Excipe eos, quos alvi fluor exercet, quos prorsus à balneis debere abstinere diximus, juvat autem, iis, qui balneantur, jusculæ ex pullis gallinaceis, vel vitulina carne in aqua decoctis parata porrigere, etiam dum sudant, eo quod valentius sudores moveant, nec languidum corpus linquunt, perinde ac iis accidit, qui ventre sicco omni nixu sudores provocare intendunt, parcissime namque iis sudor affluet cum labore maximo, nec expertes periculi, in febrem incidere.

*Quot diebus balnea frequentanda.*

*Quibus balnea interdicta debeant.*

*Victus balneantium.*

## CAP. XXXI.

Supereſt nunc ut finem operi imponentes, aliquot medicamentorum formas superius pollicitas explicemus. Sunt autem præcipitatum, balsamum artificiale quoddam, & aqua singularis dicta, omnia à Joan. de Vigo descripta, quæ quum mirabilem plerumque præstent effectum, ubi (occasione nacta) in usum fuerint posita, hic ob id inserere decrevi, ratus omnibus vel tempore omni horum authorem in promptu non esse. Præcipitati igitur faciendi forma hæc est. Recipe *aquæ fortioris, qua aurum ab argento aurifices segregant, hydrargyri ana libram unam & semis. ponantur in bocia vitrea arte luto obducta, stillatorio furno accommodata, capelloque vitreo tecta, ac recipienti subdito omnibus belle glutine obturatis, ne usquam perspiret, stillentur levioribus primo prunis, mox cum stillare occipit, ignem intende, quoad rubescat recipiens, nec remittas, donec totum udum stillaverit, mox amota bocia frangatur, detracto que mercurio calcinato (ab alchemistis præcipitatum nuncupato) super lapide marmoreo tuso, in aliamque bociam more ante dicto parato, iterum stillandum immitte, quo peracto iterum bociam partibus superioribus frange, & extracto, quod intus est, tenuissime marmore vel pila comminuatur, in vasculo inde æneo vel cupreo repositum, acrioribus prunis appositum diu, sesquihora puta, ferrea rudicula assidue agitetur, donec minii colorem referat, vel paulo clariorem, mox in culeo receptum servetur ad usum* Istud autem medicamentum quantum polleat in ulceribus malignis, ægreque curabilibus, non satis notum est omnibus chirurgis, ob id vel hoc penitus vacant, vel perfunctorie illud paratum habent, quo pulvere mercurii, (ut appellant) vacui non videantur, exponunt autem ii mercurium & aquam igni fine arte, donec aqua evanuerit, sic restinctum mercurium colligunt ad usum, at quantum interfit hoc vel illo modo construas, frequens te certiorem reddet usus, sed æquum est etiam aquæ hujus faciundæ exemplar addere. Recipe *chalcanthi romani, aluminis rochæ, ana libram unam salis nitri libram unam semis, omnibus in vase vitreo luto arte circumvento repositis, destillentur.* Singularis aqua balsami, atque ipsum balsamum, à Joan. de Vigo artificiale appellatum, sic componitur. Recipe *terebinthinæ claræ libras quatuor, thuris, mastiches, ana uncias duas, aloes hep. ladani, castorei, ossis dactylorum, radicis dictamni, consolidæ minoris ana unciam unam, omnia distillentur stillatorio vitreo luto circumducto.* Tres enim liquores hinc emanabunt, si arte fiat, primus namque clarus pellucens instar aquæ fontis. Secundus croceus primo supernatans. Tertius rubentior ostenditur, ad mellis crassitiem accedens. Primum aquam singularem dicit, oleum balsami secundum, tertium vero balsamum artificiale, quam compositellam divine potius quam humane corporibus occurrere compertum est, si affectis ratione accommodetur. Confert autem unumquodque doloribus omnibus à pituita, vel sero, vel flatu excitatis, quandoque etiam à bile, modo multitudine hujus humoris non scateat totum corpus, verum superioribus maxime est utile, occurritque singulum puncturis nervorum, & partium carnosarum vulneribus, roborat namque calorem innatum, ita ut brevi ulcus concoctum, belleque dispositum reddant. at hic tertio potius utimur, primo vero & secundo in leniendis doloribus antea dictis, magis enim dissipat infixas pituitas, serum, vel flatus membra torquentia.

*Præcipitati faciendi formula.*

*Præcipitati præstantia.*

*Aqua fortis componenda exemplar.*

*Aqua singularis, olei balsami, atque ipsius balsami faciendorum formula.*

*Eorum præstantia & utilitas.*

FINIS.

# DOMINII LEONI,

*Lunenſis, de Zuccano,*

DE

# MORBO GALLICO,

## CAPUT.

*Ex methodo curandi Febres, Tumoresque præter naturam excerptum.*

Gallicus morbus ab Italis vocatus, à Gallis Hiſpanicus, à Germanis ſcabies, eſt ſoluta continuitas ab exuſtis humoribus per contagium fere in concubitu genita à malignis quibuſdam puſtulis incipiens, pudenda plerumque, deinde reliquas corporis exteriores partes, caput præcipue inficiens: dehinc intimas partes ingreſſa, dolores circa articulos, & oſſa noctu præcipue facit, atque abſceſſus duros, in peſſima adeo ulcera, ut oſſa quoque plerumque vitient, poſt longum tempus deſinentes. Contrahitur morbus hic peſſimus raro aliter, quam per contagium, nec quarumcunque partium, ſed fere obſcœnarum, ut non incongrue nonnulli, Romanorum nomenclaturam in mentagra ſequuti, pudendagram vocarint. Puſtulæ primum eas partes inficiunt, longe difficilius ſanitatem recipientes, quam quæ eodem loco, ſed aliis ex cauſis contingunt, has reliquarum partium, præſertim vultus, & capitis, deteriores aliæ puſtulæ excipiunt, diverſorum quidem generum, ſed majori ex parte cruſtoſæ, nec ab iis fere diſſimiles, quæ ab igne excitantur, niſi quod ſunt quadamtenus craſſiores, quæ ubi vel ſua ſponte, vel medici auxilio ſubmotæ fuerint, corpore prius non plene expurgato, extremorum membrorum dolores vehementes, per noctem potiſſimum, quam inſomnem reddunt, miſerrime affligunt, nullo exterius ab initio tumore apparente, qui tamen quibuſdam citius, quibuſdam tardius, & in his etiam quandoque locis, in quibus nullus præfuit dolor, ſe oſtendit, quem ſi preſſeris, tantum abeſt, ut dolorem augeas, quandoque ſe juvari ex loci contrectatione patientes fateantur, & unicum habeant in tantis cruciatibus levamen. Tumores hi per magna intervalla (à valde enim craſſis humoribus fiunt) ſuppurantur, vel potius ſaniem quandam malam gignunt. Non univerſus tamen ſimul tumor ſuppurationem hanc recipit, ſed per partes, portionem ſæpe aliquam omnino ad maturationem contumacem gypſo ſimilem derelinquens. Suppurationem varii modi ulcera, ſemper tamen maligna, comitantur, quæ plerumque oſſa etiam ipſa vitiant, & ubi cicatricem contraxiſſe videntur, alio, vel eodem loco erumpentia, medicos, multoque magis patientes ipſos deludunt. Comitantur interim hunc morbum aliæ quædam malæ affectiones, non uſque adeo crebro, ut hæ, quas numeravimus, ut ophthalmia, tubercula nares cum eroſione dehoneſtantia, articulorum luxatio, offium fractura, Elephantiaſis, apthæ, præcipue poſt argenti vivi, vel minii uſum, & poſtremo febricula adtabem, & paulo poſt ad mortem perducens. Sed inſurgit dubium, quonam pacto hic morbus novus dicatur, vel novus cœpit, cum non niſi per concubitus contagium generentur. videntur enim duo hæc invicem repugnare, quod ſcilicet novus ſit, & quod per ſolum contagium innaſcatur. Si enim novus eſt, cœpit primo, nec prius erat, à quo poſſet per contagium derivari. Si per contagium cœpit, non poteſt novus eſſe, quia neceſſario in eo fuit, à quo eſt per contagium derivatus, dupliciter hic poſſumus reſpondere, juxta duplicem hiſtoriam de ejus origine. Sunt enim qui dicant novum non ſimpliciter eſſe, ſed ex inſula quadam antiquis incognita, ubi frequentiſſimus eſt, in hanc, quam nos incolimus, habitabilis terræ portionem, per Hiſpanos, qui illuc navigarunt, importatum, principio apparuiſſe. Alii ſunt, & hæc eſt antiquior ſententia, & majoribus fulta teſtimoniis, qui cœpiſſe hunc morbum per id tempus dicunt, quo Carolus, Francorum Rex expeditionem Italicam parabat, cœpiſſe autem in Valentia Hiſpaniæ Taraconenſis inſigni civitate à nobili quodam ſcorto, cujus noctem elephantioſus quidam ex equeſtri ordine miles, quinquaginta aureis emit, & cum ad mulieris concubitum frequens juventus accurreret, intra paucos dies ſupra quadringentos infectos, è quorum numero nonnulli Carolum Italiam petentem ſequuti, præter alia, quæ adhuc vigent, importata mala, & hoc addiderunt, inter minima non deputandum. Quæ Hiſtoria ſi vera eſt, novus ſimul erit, & per contagium ortus, non alterius hominis eodem affecti, ſed Elephantiaſi, quæ in hunc quaſi degeneraverit, & de ſuo gradu in proximum deciderit.

*Cauſa.*

*Signa.*

Curatio autem, quæ ei paſſim ab imperitis præſertim per argentum vivum, & minium adhibetur, ab eo morbo accepta eſt, quem recentiores chirurgi malam ſcabiem, malum mortuum appellant, alium tamen longe ab hoc morbo. Sed experientia, & ratione comprobatum, quod nihil deterius eſt morbo Gallico affectis, quam adhibere, ſive interius, ſive exterius, ſub forma unguenti, vel ſuffumigii ipſum argentum vivum: ex tali enim applicatione homines ſecundum membra principalia ſemper patiuntur: prætermitto, quod omnes Græci argentum vivum non cognoverunt, niſi quod venenum eſſet: ipſe Galenus nihil aliud de eo dixit, ſed refugit tanquam venenum: nonne Avicenna aperte dixit omnia ejus incommoda? quomodo ſcilicet in paralyſim, in ſtuporem, & in frigidas incidere facit ægritudines? & primo videamus pati hepar, diſponitur enim ad frigidum, unde ſequitur totius corporis decoloratio; præterea ægritudines ex conſenſu nervorum oriuntur, ut paralyſis, tremor cordis, ſtupores. Ideo abſtinendum ab eo, tanquam aperte lædente. Et præter frigiditatem & humiditatem maximam, quam habet (licet aliqui dixerunt eſſe calidum in quarto, quia de calcinato locuti ſunt) & præter malas alias conditiones, unum habet deterrendum, quia facit operationem ſuam contra methodum, & contra rationem; Eſt enim apud medicos unum axioma, ut cum evacuamus, ne trahamus humores ad locum nobilem, at Argentum vivum, quicquid in junctura eſt, ad pulmonem trahit, & exſpuitur, & ſequitur fœtor, corruptiones dentium, gingivarum, ulcera maligna in ore, & quandoque in pulmonibus: quod ſi aliqui evadunt, eſt ratione fortis naturæ, & quia duri pulmonis ſunt, nullus tamen evadere potuit, quin habuerit, vel gingivas corroſas, vel dentes, vel aliquod deterrimum; & credendum eſt, quod ſequatur ſanitas ex tali illitione, ſicut in peſtilentialibus accidit, qui in navi curantur à calido vino epoto, hi enim poſtquam cooperti ſunt pannis, ſudant copioſe, & ex tali violentia naturæ facta, quæ fortis, & valida eſt, ab errore ducti ſanitati reſtituuntur.

*Cura per argentum vivum improbatur.*

Concludendum igitur argentum vivum, ſive per linimentum, ſive per ſuffumigium, minime probari, nam qui de eo ſcripſerunt, tam minerale, quam artificiale venenum cognoverunt. Exordiemur itaque curam à ſanguinis miſſione, ſi vires, & ætas conſenſerit: prius tamen lenita alvo *cum caſſia, vel ſyrupo roſ. ſol.* vel aliquo alio leniente, à vena ſecoraria tantum ſanguinis extrahatur, quoad aliqualis mutatio in ipſius colore perſpiciatur, deinde humores peccantes hujuſmodi digeſtivis præparato. Recipe *ſyrupi de fumo terræ, de ſucco bugloſſæ. ana unc. ſ.*, *aquarum de fumo terræ, bugloſſæ ana unc. ij. miſce pro una vice*, & ſic pro aliis, & melius eſt, ſi loco aquarum deſtillatarum accipiatur *decoctum ipſis fumi terræ, & bugloſſæ cum glycyrrhiza*, ſemper enim decoctum eſt majoris virtutis, quia ipſæ aquæ deſtillatæ, quæ ab alembico, præſertim plumbeo, neſcio quid maligni contrahunt, & ſimplicia deſtillata multum de ſua facultate remittunt.

Solutivum poſtea in aurora ſumendum tale ſit. Recipe *confectionis hamech drach. iiij. ſyrupi roſati ſolutivi unc. ij. miſce cum prædictis aquis, vel decocto*, per duos deinde ſequentes dies accipiat æger mane, & veſperi *unciam unam ſuccheri roſati* per horam ante cibum. Tandem, ubi hæc omnia recte peracta fuerint, ad ligni Guajaci decoctum hoc pacto deveniemus. *Sumatur ligni Indici, ſerra, vel lima in ſcobem redacti libra una (præſertur lignum quod circumquaque eſt buxei coloris, intus autem nigreſcens) & injundatur in aquæ fontanæ clarie libris xiiij. per ſpatium viginti quatuor*

*Bi* ma-

*ti quatuor horarum in olla fictili vitreata, & bene operta,* quod si timeremus inflammationem hepatis ipsius ægroti, *loco aquæ fontanæ accipiatur aqua endiviæ, postea admoveatur igni, & decoquatur, donec ex quatuordecim lib. aquæ residuum sit octo librarum, inde excolabitur, servabiturque decoctum in vase vitreo stricti orificii exquisite operto.* Hujus decocti uncias sex, vel paulo plus bibet æger horis quatuor ante prandium, atque interim se continebit in cubiculo tepido, à quo (existente aëre frigido, & hyemali) non est recedendum, donec totum potionis tempus transierit, quod si stragulis, & vestibus bene contectus in lecto per unam horam, vel per duas sudaret, optimum esset, surget deinde, & leniter inambulet, vel in aliquo hilari opere se exerceat, sicque tractis quatuor horis à potione prandeat, prandium sit in illis primis decem diebus panis bene fermentati, & bisecocti unciæ quatuor, vel quinque, carnis vervecis, vel pulli gallinacei, vel perdicis, vel phasiani, vel turdi, primum in aqua elixæ, postea verubus bene inassatæ, unciæ duæ, vel tres, vinum sit oligophoron, & probe lymphatum. A prandio sedens cum amicis & familiaribus hilares sermones audiat, instrumentis musicis, & dulcibus sonis se oblectet, fabulas, vel aliqua amatoria, vel jocularia legat. animi perturbationes fugiat, alea alterive ludo jucundo operam dando se exerceat, somnum diurnum fugiat, à veneris usu abstineat toto curationis tempore, quod si propter dolores nocturnos, aliasque causas insomnes accedant noctes, in die parum dormiat, sed non statim ab assumpto cibo, nam is somnus fumosis exhalationibus caput replet, destillationesque parit. Septima hora post prandium totidem rursus uncias ejusdem decocti eodem modo potabit, & post tres, vel quatuor horas cœnabit, eadem prorsus ratio cibi, & potus tam in cœna, quam in prandio esse debebit. post primos autem decem dies non amplius carnem, sed ejus vice partularum uncias tres, & in prandio, & in cœna assumet, & loco vini aquam secundæ decoctionis potabit, quæ sic paratur. *Sumetur illud idem lignum, quod prius decoctum fuerat, ac rursus decoquetur in libris xx. aquæ optimæ ad consumptionem quartæ partis, & facta exquisita expressione pro potu servabit.* Tractatis igitur viginti diebus, hac strictiori diæta, rursus ad eandem cibandi normam, quam in primis decem diebus observavit, revertetur: & ut hæc cura fit magis proficua, & tutior, non ab re fuerit, ut æger singulis quibusque octo diebus sumat una hora ante prandium *floris cassiæ drach. x. vel saltem unciam unam*, quo die à ligneo syrupo cessabit, quod si interim non egereret, *clysteribus utetur ex decocto ejusdem ligni cum unciis tribus mellis rosati*; pustulas (si quæ super virilia, vel in alia corporis parte adfuerint) spuma, quam in decoquendo ligno abstuleris, linimentis excepta, & superimposita sanabis, quæ si minus tibi satisfecerit, habes efficacissimum remedium à doctissimo Joh. Baptista Montano propositum. Recipe *ellebori albi, nigri ana m. ij. lapathi majoris viridis lib. ij. cucumerum sylvestrium, (asininos vocant.) drach. iiij. carnis melonum recentium cum suis seminibus lib. iij. carnis & succi limonum lib. iiij. misce omnia, & permitte fermentari per dies tres, postea destillentur per alembicum vitreum, & aquam ad usum servabis*, est enim ad quaslibet maculas cutis, & asperitates tollendas idonea: aliud mitius. Recipe *lupinorum recentium non ablatorum lib. j. radicum Iridum albarum. drach. vj Amygdalarum amararum lib. ij. succi parietariæ lib. iij. misce omnia, & contunde, statimque destillato oleum, & aquam seorsum asservato.* Aliud. Recipe *salis nitri unc. iij. olei amygdalarum amararum lib. ij. scillæ lib. s. carnis limonum lib. j. misce, & extrahatur oleum ad hunc usum satis probatum.* At si interim hujusmodi gallica lues cum fœdissimo illo symptomate, hoc est capillorum decidentia, se se ostenderet, tali occurres remedio. Recipe *myrrhæ electæ, aloës, ladani, ana unc. ij. foliorum, & baccarum myrti, capillorum veneris, Florum alchannæ, seu ligustri, ana m. ij. contundantur omnia per se, deinde misceantur*, postea. Recipe *olei amygdalarum amararum, sesamini, de althanna, ana unc. ij. misceantur omnia simul, & permittantur fermentari in vase fictili stricti orificii optime lutato cum luto sapientiæ, vel suo sole ferventissimo, vel sub fimo per dies quindecim, postea destilletur hoc totum ab optimo destillatore, & separetur aqua ab oleo, & seorsum utrunque conservetur*, erit enim quodvis ad pilorum instaurationem utilissimum. Aliud. Recipe *lacertorum viridium numero v. Apum unc. vj. propolees, hoc est, ceræ virginis unc. iiij. capillorum veneris, myrtillorum ana m. vj. abrotani sylvestris unc. viij. exsiccentur animalia in vase fictili in furno, deinde pulverizentur, postea contundenda contundantur, liquefaciendaque liquefiant*, deinde. Recipe *adipis ursini lib. j. pone omnia simul, & fermententur in vase vitreo bene obturato, vel in fimo, vel in sole ferventissimo per dies tredecim, inde destillentur, & separetur aqua ab oleo, & servetur ad usum.*

FINIS.

# AUGERII FERRERII, *Tolosatis Medici,*

## DE

# PUDENDAGRA

## LIBRI DUO.

### CAP. I.

*Pudendagræ descriptio.*

Pudendagra, Lues Hispanica, nihil aliud est, quam putredo humorum ex contagione in coitu magna ex parte contracta, participatione venenatarum exhalationum, & spirituum infectorum. Plerumque tamen contingit pueris ex vitioso lacte nutricis hoc morbo laborantis, interdum in utero matris contrahitur, Quibusdam etiam accidit communicatione lecti, participatione cibi, & potus cum iis, qui contagiosis hujus mali ulceribus, & pustulis adhuc scatent, aut infecto sudore madescunt. Quorum comessationibus se immiscere valde periculosum est, præsertim quando pustulis oris & sordidis palati, fauciumque ulceribus adhuc infestantur.

### CAP. II.

*Pudendagræ causæ.*

Causa procatarctica, seu externa esse solet coitus cum infecta, & coitu motæ venenatæ exhalationes: aut cum infectis conversatio. Interna est vitiosa, corruptaque tota massa sanguinea, in dies magis putrescens, donec vasis quoque, & solidioribus partibus malum communicetur. Ex quibus meatus urinarii primo quidem exulcerari solent, renes offendi, hepar incalescere, & putredine fere accendi, accensus postea humores adurere, contagiosum calorem cæteris partibus impertiri, fœdis humoribus totum corpus implere. Unde ulcera male morigerata, pustulas, tumores, maculas lividas, ac rubicundas oriri contingit. Cerebri etiam substantia, putredinis ac contagionis vitia concipiens, excrementosa fit, ideoque impellente natura, & quod superfluum, atque inutile est, segregante, facile dissolvitur, atque in partes subjectas defluens, tuberositates, nodos, articulorum dolores, aliaque multa symptomata excitat, plerumque etiam medullas invadit, atque inficit. Quibus rationibus moti medici quidam illustres pudendagram ad pituitam referendam putarunt; pituitæ nomine ipsam cerebri substantiam, & quidquid à cerebro defluit, comprehendentes. Verius tamen dixeris, causam esse corruptos omnes humores, sed symptomata pituitæ magna ex parte deberi, propter facilem ejus defluxum. Pituitam autem hic intelliges, non naturale illud, & ad concoctionem reservatum phlegma, sed salsam, acrem, putrefactam, serosam, ac excrementitiam omnem humiditatem ad pituitæ calorem, aut naturam accedentem, in cerebro potissimum collectam, in reliquo vero corpore partim destillationibus, partim concoctionis, vel assimilationis vitiis coacervatam. Cum in utero morbus contrahitur, tanquam hæreditarium fit malum, & tanquam corruptum elementum una cum paterno vel materno semine inunditur, aut, si mater à die conceptionis in morbum inciderit, communicatis fœtui vitiosis, infectisque humoribus, primæ conformationis facultates, actiones, organa, corrumpi necesse est.

## CAP. III.

*Pudendagræ ſigna.*

Signa partim ex iis, quæ ſenſibus objiciuntur, partim ex ægrotantis ſermonibus colligenda ſunt in hunc modum. Si enim cum artuum & capitis doloribus etiam obtuſis, puſtulæ in fronte, in capite, aut pudendis ſquammoſæ ſiccæ, aut ſanioſæ, & putridæ apparuerint, certum habebis indicium morbi Hiſpanici, ſi nuper cum infecta coierit. Idque magis, ſi poſt coitum purulentis meatuum urinalium ulceribus, & ardore urinæ primo affectus, poſtea citra ſufficientem puris purgationem ſponte ſanatus viſus fuerit, aut ſi cancroſæ virgæ puſtulæ, quæ primo invaſerunt, poſtea citra perfectam curationem evanuerint, aut ſi abſceſſus, qui primo in inguinibus apparuerunt, poſtea non reſoluti, non maturati, aut male deterſi, in partem interiorem ſeceſſerint. Sunt quibus puſtulæ cutem non ſubeunt, ſed in diverſis locis livida quadam rubedine cutis maculatur. Quæ rubedo, ſi nunc diſparuerit, paulo poſt fere revertitur, aut puſtulas de ſe edit. Sunt etiam, quibus citra exteriores puſtulas & maculas alopecia accidit, cum oris & faucium ulceratione fere, nec ſine artuum doloribus. Cætera ſymptomata ſunt capitis, colli, & ſcapularum dolor, ſpinæ quædam perfrigeratio, tuberoſitates in capite, brachiis, & tibiis, alopecia capitis, & barbæ, cæterarumque partium depilatio, unguium caſus, puſtulæ in toto corpore, & cutis defœdatio. In infantibus, & aliis, qui ex coitu malum non contraxerunt, ſcire convenit, num, dum in utero geſtarentur, ægrotare cœperint, num à nutricis lacte malum ortum fuerit, aut ex converſatione cum infectis. Notandum vero, morbum Hiſpanicum plerumque foveri in interno corpore ſex, ſeptem, octo, vel novem menſibus, antequam ſe manifeſtius prodat: niſi quod à contagioſo illo coitu uſque in manifeſtationis diem, aut macula circa pudendas partes rubra, vel livida, aut puſtulæ, ulcusve in pudendis, in fronte, vel in ore, aut nodi in capite, vel in extremitatibus, aut paulatim procidentia capillorum perſeverantia ſua internum morbum atteſtantur.

## CAP. IV.

*Pudendagræ curatio.*

Tria ſunt in hoc morbo præcipua, à quibus curativæ indicationes ſumuntur. Primum eſt vitioſorum & corruptorum humorum copia. Alterum putredo. Tertium contagio. Copia putredinem alit & auget. Putredo adulteratæ caliditatis index eſt. Adulteratus calor concoctionem vitiat, humores aduſtioni obtemperantes adurit, cæteros aut diſſolvit, aut reſoluta ſubtili ſubſtantia condenſat, ac incraſſat. Sic enim aduſtione craſſi, denſi, ac tenaci quadam irrigatione lenti humores evadunt. Lentorem ac craſſitiem conſequitur obſtructio: obſtructione impeditur tranſpiratio, fovetur contagio, augetur, quæ ex contagione ortum ducebat, putrefactio: unde infinita alia mala oriri videmus. Diſſolutis adventitio calore humoribus, fiunt deſtillationes & defluxus: atque ex his pectoris affectus, ſtomachi ſubverſiones, colli & articulorum dolores, tuberoſitates, nodi, & ſimilia. Contagione vitiatur ſanguificatio, corrumpuntur humores, inficiuntur ſpiritus, depravatur, quæ in ſingulis partibus efficitur, concoctio & aſſimilatio. unde excrementoſum totius corporis habitum reddi contingit: præcipue vero cerebrum, alimentum, quod ad ſe defertur, concoquere, & propter infeſtæ qualitatis vitium perfecte aſſimilare recuſans, excrementis oppletur, quibus in varias corporis partes diſtributis, infinita excitantur morborum, & ſymptomatum genera. Conſtat ergo varium hunc malorum concurſum ex una contagione, adjuncta putredine, proficiſci. Quibus omnibus abigendis, propellendiſque, opus eſt remediis contraria quodammodo facultate præditis. Contagio enim ea, quæ infectioni reſiſtunt, poſtulat: putredo ventilationem, putrium & ſemiputrium concoctionem: adulteratus calor refrigerationem, & emendationem; lentor ac craſſities deterſionem & attenuationem, obſtructio recluſionem apertionemve, corruptorum humorum copia multiplicem ac variam evacuationem. Symptomata vero & ſuccedentes affectus quomodo curari debeant, ſuo loco dicemus. Nunc methodicam morbi ipſius curationem proponamus, redigamuſque in octo capita curativas omnes illas indicationes.

I. Ergo remedium ſit Victus boni ſucci, facilis concoctionis, minime excrementitius, attenuans, abſtergens, ficcans, &, ubi intenſus erit calor, refrigerans.

II. Sit facilis leviſque purgatio, quam minorativam vocant.

III. Venæ ſectio in quibus expedit.

IV. Corporis atque humorum, qui excerni debent, præparatio, attenuando, tergendo, aperiendo, corpora fluida faciendo.

V. Plenior humorum Evacuatio.

VI. Particulares evacuationes, ut tandem reſecatis pravis humoribus, & apertis undique meatibus, ventilationi & perſpirationi locus ſit, inhibeaturque putrefactio.

VII. Symptomatum, ac morborum tanquam ſymptomata ſuccedentium, curatio.

VIII. Loco potiſſimum infectionis ac contagionis Seminaria extinguenda, ac interimenda proponuntur. Quod tamen non ſolum in fine curationis, verum etiam per totum morbi decurſum utiliter efficitur.

## CAP. V.

*De victu Pudendagricorum.*

Licet Lues Hiſpanica totam maſſam ſanguineam, atque humores omnes occupet, victum tamen, ut & cætera remedia, ita inſtituere oportet, ut vincentis & magis peccantis humoris ratio habeatur; vincente ſiquidem, & magis peccante bile, ad refrigerationem proclivior eſſe debet; vincente pituita ad majorem abſterſionem & attenuationem. Præpollente vero melancholia, ad attenuationem citra vehementem ſiccitatem. In genere conducunt alimenta omnia boni ſucci, facilis concoctionis, minime excrementitia, ut, gallinacei generis mares & fœminæ, perdices, attagenæ, phaſiani, pulli columbarum, merulæ, turdi, turtures, turricolæ, & montanæ aviculæ, cuniculi juniores, jecinora & teſtes gallinaceorum, pedes & alæ volatilium, præſertim gallinacei generis, pedes vervecini, ſuilli, vitulini, atque ex ipſis confectum gelu, ova gallinarum, & phaſianarum recentia, tremula, ſorbilia. Carnes vervecinæ, hœdinæ, & vitulinæ, aſſæ, ut plurimum uſurpantur. Panis ſit triticeus, non nihil furfuraceus, ut abſtergat, ſi autem probe confectus adhibita prius maceratione, & debita fermentatione, & in clibano, vel fornace decoquatur, non in cineribus, aut foci tegula. Biſcoctum ob ſiccitatem præferunt aliqui, nos ob coctionis difficultatem & ſucci craſſitiem rejicimus. Conferet etiam panis elotus, atque ex ſorbitionibus *ptiſana cum mulſa*, concurrente vero multa pituita, cum *hyſſopo*, *pulegio*, *anetho*, *origano*. Convenient etiam *panata*, & *lac amygdalarum dulcium*, interdum etiam *alica*, & juſcula omnia ex prædictis carnibus parata, præſtabit tamen aſſis, quam juſculis aut elixis uti. Si quando oleribus opus ſit, conceduntur *lactuca*, *portulaca*, *acetoſa*, & ad moderate abſtergendum, aperiendumque *gingidium*, *ſeu chærefolium*, *endivia*, *cichoreum*, *ſcariola*, *lupulus*, *aſparagus*, *borago*, *bugloſſa*; & cum evidenti attenuatione opus eſt, *mentha*, *fœniculum*, *ſalvia*, *hyſſopus*, *meliſſa*, *majorana*, *apium*, *petroſelinum*, *pulegium*, *ſerpillum*, *thymbra*, *anethum*, quibus contagionis emendandæ gratia adjicies *betonicam*, *pimpinellam*, *dictamnum*, *hypericum*, *tormentillam*, *verbenam*, *carduum benedictum*, *angelicam*, *vincetoxicum*, *calendulam*, *roſmarinum*, *balſamitam*, *ſcabioſam*, *thymum*, *origanum*. Cavendo tamen ne horum uſu vitioſos humores accerſas. Admittes etiam *uvas paſſas*, *caricas*, *pruna*, & *pyra cocta*, *cappares*, *amygdalas*, *pinearum* & *piſtachiarum nucleos*. In condimentis vero licebit uti *aceto*, *omphacio*, *ſucco acetoſæ*, *ſucco granatorum*, *ſuccis citriorum* & *arantiorum*; & *aqua roſata*, exſuperante caliditate, & inflammationem minitantibus puſtulis, interdum etiam *mulſa*, *vino*, *ſucco paſſularum*, *melle*, *cinnamomo*, *croco*, *nuce moſchata*, *macere*, *caryophyllis*, *aniſo*, *fœniculo*, ubi humiditates & flatus prævaluerint. Abſtinendum à lacte, caſeo, ovis coctura denſatis aut frixis, & à carne bubula, ſuilla, agnina, leporina, anſerina, cæteriſque omnibus craſſum, ſeroſum, pravumque ſuccum gignentibus animantibus, fructibus, ſeminibus, plantis, & ſimilibus. Vitanda etiam falſa omnia & acria. Adſtringentia vero, niſi particularis quædam intentio poſtulaverit, raro admittes. Piſcibus ſaxatilibus, pelagicis, littoralibus, qui neque inſuave, neque mali odoris, neque glutinoſum quidquam guſtu repræſentant, interdum veſci licebit, ut gobiis, aſellis, murænis. Concedimus etiam trutas, ſalmones, aloſas, rubelliones noſtros, ſoleas, quas lingulacas eſſe putant, atque alios neque prædura, neque præmolli carne præditos. Guſtandos autem piſces, non autem edendos cenſeo. Potus eſto vinum album, aut aliud tenue, quod urinam ducat. Id autem ſufficienti aqua diluendum eſt, pro morbi exceſſu, tempore anni, conſuetudine, ægrotantis temperatura. Vini loco conducent, *aqua hordei*, *decoctum pauci cinnamomi in pluſcula aqua*, *hydroſacchari*, *oxyſacchari*, *hydromeli*, *apomeli*, *oxymeli*, *aut ſecundarium ligni Indici decoctum*. Ordo autem in cibis ingerendis ſervetur, humidaque ſiccis præmittantur, & coctu faciliora

coctu

coctu difficilioribus. Nec tenuissimo illo victu, quem in morbis longis damnavit Hippocrates, hic utendum, sed ad conservandum usque ad statum naturæ robur, quod satis comedendum, sic tamen, ut Socrat co more à mensa cum aliquantula fame recedas. In statu, atque in curationis scopo tenuior victus adhibendus, atque in totum præstabit tunc assis, quam elixis, uti. Aër ubique fere siccus deligendus, calidior quidem vincentibus frigidis humoribus, temperatior in cæteris. Talis autem, si natura non sit, arte præparandus est, suffimentis, irrorationibus, ignibus, similibusque artificiis. Cavendum ab Austro, quod corpora dissolvat & humectet, capita aggravet, & vertigines faciat, & à Coro, quod pestilenti quadam natura destillationes moveat, quod in Mitylene oppido diligenter annotavit Vitruvius. Spirat autem ab occidente æstivo. Exercitationes cibum præcedant, sint autem moderatæ, nec penitus ad lassitudinem progrediantur. Deambulatio, equitatio, & in lectica gestatio plurimum conferent. Ventris dejectionem moliri oportebit aut fructibus solutivis, ut *prunis & tamarindis ita mulsa coctis*, aut jure aliquo, cum quo *polypodium*, *sena*, *bugloſſum*, *urtica*, & *mercurialis* bullierint, aut clystere, aut medicamento molliter perpurgante. Ira, mœtus, tristitia, cæteriquc affectus, qui animum & corpus agitant, vitandi.

## CAP. VI.

*De facili purgatione quam minorativam vocant.*

Licet in tanta & tam pertinaci humorum corruptione valde necessaria sit purgatio, tamen, cum natura contagione ac pernicitate mali gravata ac conturbata sit, non videtur tutum statim ab initio curationis efficaci medicamento eam irritare. Nam & ars ipsa docet ab imbecillioribus incipere, & paulatim valentioribus assuefacere naturam. Utendum ergo primum facili levique purgatione, quales sunt, quæ cum *cassia nigra*, *diapruno simplici*, & *catholico* fiunt, quibus, ne forte parum aut nihil agant, addere solemus valentius aliquod medicamentum simplex aut compositum. Nos *confectionem hamech* cæteris jure præferimus, & miscemus in hunc modum. Recipe *catholici unc. j. confectionis hamech drach. j. & ſſ. ſaccari q. ſ. fiat bolus.* Vel sic. Recipe *caſſiæ recenter extractæ drach. vj. pulpæ tamarindorum drach. j. & ſſ. confectionis hamech drach. ij. ſaccharo quod ſatis, fiat bolus.* Si bolum recusat æger, malitque potionem, dissolves medicamenta in tribus aut quatuor unciis hydromelitis, aut convenientis alicujus decoctionis, & cum pituita prævaluerit, adjicies *agarici trochiſcati, aut elect. Indi, aut benedictæ portionem aliquam*; si bilis, *rhabarbarum, & elect. ex ſucco roſarum*, si melancholia, *diaſenæ, aut epithymi portiunculam.*

## CAP. VII.

*De venæ ſectione.*

Venæ sectio convenit plethoricis, & aliis quibus venæ turgescunt, nec non quibus ad inflammationem prolabuntur pustulæ, tumores, & ulcera. Secanda autem interna cubiti vena, quam basilicam appellant, quando partes collo inferiores magis infestantur. Externa, quam cephalicam vocant, quando frontem, caput, palatum, fauces, & collum symptomata impetunt. Communis vero & media, quando partes supernæ & infernæ ex æquo afficiuntur. Trahendum autem tantum sanguinis, quantum ægrotantis ætas, vires, & temperatura, morbi symptomatumque vehementia, & circumstantis aëris status requirere videbuntur. Si pridie leni illa & minorativa purgatione usus non fueris, duces alvum molli clystere, in hunc modum. Recipe *hydromelitis lib. j. ſſ. caſſiæ fiſtulæ cum melle conditæ unc. ij. olei chamæmelini quart. j. ſalis parum, miſtis omnibus fiat clyſter.* Detur ante venæ sectionem, & relaxato ventre, redditoque clystere mittatur sanguis.

## CAP. VIII.

*De præparatione.*

Antequam validiore medicamento humores eliciamus, fluidum, ut præcepit Hippocrates, corpus reddendum est, meatus referando, crassa glutinosaque incidendo, extenuando, atque abstergendo. Quod partim victu, de quo diximus, partim syrupis & decoctis efficiendum, in hunc modum. Recipe *radicis polypodii, & ramentorum ligni Indici ana unc. ij. rad. aſparagi, tormentillæ, dictamni, filicis, aſari ana unc. corticis mediani ſambuci, glycyrrhizæ raſæ & contuſæ ana unc. ſſ. herbarum capillarium, hepaticæ, fumariæ, lupuli, ſcabioſæ, meliſſæ, taraxaconis, agrimoniæ ana manip. j. oxylapathi, perſonatæ, cichorei cum radicibus ana manip. ij. paſſularum purgatarum à vinaceis, & tamarindorum ana unc. j. ſeminis carthami contusi drach. vj. ſenæ, thymi, epithymi ana unc. ſſ. quatuor ſeminum frigidorum majorum contuſorum ana drach. ij. hermodactylorum, & agarici ana drach. j. ſſ. cinnamomi drach. iij. decoquantur ſecundum artem in aqua juſtæ quantitatis, donec media pars aquæ conſumpta ſit, & in lib. ij. colaturæ decoque leviter ſucci bugloſſi, & buraginis utriuſque depurati unc. iij.* postea adde *ſyrupi de fumo terræ, & de epithymo ana unc. j. mellis roſati, aut violati quart. j. fiat apozema pro quinque doſibus.* In calidiore corporis temperatura addes *acetoſam, ſcariolam, atriplicem, endiviam, lactucam, parietariam, pruna, myxa, zizyphas, ſemina frigida, recentes roſas, violas, nymphæas & cichorei flores.* Vincente pituita adjicies *radices iridis, lilii convallium, galangæ, rhapontici, bryoniæ, ariſtolochiarum, cyclamini, & hyſſopum, origanum, centaurcas, ſtœchadem, betonicam, cum pæoniæ & nigellæ ſeminibus.* Prævalente atra bile, *cortices ebuli, geniſtæ, fraxini, capparum, tamaricis, parthenium, pulegium, pimpinellam, ocymum, cum ſeminibus fraxini, hederæ, hyperici, viticis, anethi, caſſuthæ, althææ, geniſtæ, & floribus anthos, ſcabioſæ, lupuli, buraginis, bugloſſi, tamaricis, thymi, geniſtæ, ſambuci.* Biliosos etiam juvabunt *ſyrupus de endivia, oxymeli ſimplex, ſyrupus de fumo terræ ſimplex, & ſyrupus acetoſus.* Pituitosos *ſyrupus de ſtœchade, de calamintha, de byzantiis, de mentha, de abſinthio.* In atra bile proderunt *ſyrupi de ſcolopendria, de cichoreo, de fumo terræ, de epithymo.* Sed tabellas, quas superingerere solent medici, præstabit ex iis, quæ contagioni resistunt, conficere: quorum nonnulla jam recensuimus in victu, cætera capite ultimo hujus libri plenius tractabimus.

## CAP. IX.

*De purgatione.*

Præparato corpore, superest ut vitiosos & corruptos humores evacuemus, sanguinemque à putridis, salsis, serosis, & adustis superfluitatibus vindicemus. Eum ergo, in quo superat caliditas, purgabimus in *decocto violarum, tamarindorum, & ſenæ diſſolventes rhabarbarum, catholicon, & confectionem hamech, vel cum pilulis de fumo terræ, & de rhabarbaro.* Prævalente pituita, *in decocto paſſularum, hermodactylorum, & ſeminis carthami diſſolves agaricum, benedictam ſolutivam, diaphœnicon, & confectionem hamech, aut pilulas de agarico, cochias, & de fumo terræ commiſcebis, & devorandas dabis.* Eum vero, in quo vincit atra bilis sic purgabis. Recipe *polypodii unc. j. paſſularum purgatarum à vinaceis drach. vj. ſenæ unc. ſſ. caſſuthæ, aniſi, cinnamomi ana drach. j. aquæ mulsæ quantum ſatis, bulliant ſimul ad tertiæ partis conſumptionem, & in colatura diſſolvantur epithymi drach. ij. lapidis lazuli exquiſite abluti drach. ſſ. diaſenæ, & confectionis hamech ana drach. j. ſſ. ſyrupi de fumo terræ, & de epithymo ana drach. vj. fiat potio.* Vel, Recipe *maſſæ pilularum de quinque generibus myrobalanorum, de fumo terræ, & de lapide lazuli ana ſcrup. j. cum vino infuſionis epithymi, aut ellebori formentur pilulæ vij.* Medici nostri temporis dant postridie roborantes bolos, quos ex confervis, quæ in officinis prostant, conficere solent, adjectis interdum *speciebus diarrhodon, diatriaſantali, elect. de gemmis, diambræ*, & *cæteris* pro varia ægrotantium, & morbi natura. Præstaret tamen ea, quæ contagioni resistunt, ad hoc opus eligere.

## CAP. X.

*De particularibus Evacuationibus.*

Particularium evacuationum censentur menstruæ purgationes, hæmorrhoides, & quæ ex ore apophlegmatismis & gargarismis educuntur, aut errhinis, & succorum attractione ex naribus. Adde solutionem alvi, urinæ, sudorisque provocationem, & insensilem transpirationem, quibus fere, omissis cæteris, incumbunt medici. Medicamenta enim, quæ per os vel nares purgant, verentur, ne, qua pollent acrimonia, partes illas ad contrahendum ulcus promptissimas exulcerent. Menstruas purgationes & hæmorrhoidas in postremos dies differunt, nisi cito medicamentis parere posse videantur. Si quando tamen his incumbendum sit, aperies hæmorrhoidas *impoſito ficus folio, vel amygdalis amaris tritis miſtiſque cum felle bubulo*, aut hirundinibus sedi admotis sanguinem elicies. Menstrua vero provocabis potu sequenti. Recipe *calaminthæ, pulegii, & ſeminis nigellæ ana drach. iij. contundantur, tritaque & cribro tenui tranſmiſſa decoquantur abunde in melicrato, fiat potio*

pro

*pro tribus diebus*, detur mane in lecto, conceſſo inſuper A duarum aut plurium horarum ſomno. Apophlegmatiſmos & gargariſmos, ſi opus ſit, conficies in hunc modum. Recipe *maſtiches*, & *paſſularum mundatarum ana drach. ij, contundantur*, & *fiant trochiſci commanducandi*. Hi, ut non erodent, ſic pauxillam pituitam elicient. Potentiores ſunt qui ſequuntur. Recipe *pyrethri*, *ſtaphydis agriæ*, *piperis ana ſcrup. i*, *maſtiches ſcrup. ij. terantur*, & *cum melle formentur trochiſci*, quos in exitu lecti commanducare conveniet. Recipe *foliorum lauri viridium*, *thymi*, *hyſſopi*, *majoranæ ana manip. i. paſſularum purgatarum*, & *ſeminis nigellæ contuſi ana unc. ſſ. agarici drach. i. ſſ. aquæ fontanæ lib. ii. vini albi optimi lib. ſſ. fiat decoctio ad perfectionem*, & *in colatura diſſolve ſtaphydis agriæ*, *ſtruthii*, *piperis ana ſcrup. ij. pyrethri*, *zingiberis ana drach. ſſ. oxymelitis ſcillitici unc. ij. miſtis omnibus fiat gargariſmus*, ad pituitam apophlegmatiſmi loco educendam. Per nares purgabis cerebrum cum *ſuccis betæ*, *braſſicæ*, *anagallidis*, *majoranæ*, *cyclamini*, *aut cum melle in errhina pyramidalia rediges apophlegmatiſmos præcedentes*, & *in nares intromittes*. Sed exulcerato naſo, ab errhinis omnibus abſtinendum, utendum vero apophlegmatiſmis & gargariſmis. Et contra, exulceratis & faucibus & palato, apophlegmatiſmis, & gargariſmis pituitam elicientibus, abſtinendum vero errhinis, & prædictis ſuccis. Cave tamen ne, dum pituitam elicis, ulcus excites. Medici, ut diximus, poſthabitis cæteris particularibus evacuationibus, toti ad ventris dejectionem, urinæ ſudoriſque provocationem, & eam, quæ per poros fit, tranſpirationem, ſe conferunt. Alvi dejectionem moliuntur, partim victu, de quo diximus, partim clyſteribus, & medicamentis molliter purgantibus. Clyſter hic ſatisfacere poterit. Recipe *althææ cum rad. manip. ij. malvæ*, *mercurialis*, *lupuli*, *bugloſſi*, *fumariæ*, *urticæ ana man. i. rad. polypodii unc. i. corticis mediani ſambuci*, *ſenæ*, & *ſeminis carthami contuſi ana unc. ſſ. ſeminis fœnugræci drach. iij. fiat decoctio*, & *in lib. j. ſſ. colaturæ diſſolve medullæ caſſiæ fiſtulæ*, & *catholici ana unc. j. olei communis quart. i. mellis roſati colati drach. x. ſalis drach. i. ſſ. fiat clyſter*. Medicamenta molliter purgantia ſint *caſſia fiſtula*, *diaprunon ſimplex*, *catholicon*. Urinas movere negligunt, præterquam qui ligni Indici, aliorumque ſudorificorum decoctis, curationem perficiunt. Omnes provocandis ſudoribus occupatiſſimi ſunt, arbitrantes, quod verum eſt, eo modo urinas averti, & ſanguinis ſerum, ex quo urina conficitur, cæteroſque humores, qui poſt antedictas purgationes in corpore remanſerunt, facillime in ſudorificos vapores reſolvi, eam etiam, quæ per poros fit, excretionem mirabiliter augeri & perfici. Interdum etiam pituitam per os & nares elici, quod ex accidenti contingit, nimirum incredibili argenti vivi, aut ſuccedaneorum penetratione. Præmiſſis ergo primis quinque remediorum generibus, ſexto loco nihil aliud, quam ſudores procurant, paucis exceptis, qui, quod alii ſudoribus efficere conantur, id ipſi certis purgationibus tuto, celeriter, & jucunde perficiunt, de qua re ſuo loco dicetur. Sed ſudorum eliciendorum receptos hodie modos omnes explicemus. Primus modus conſtat unguentis & linimentis. Secundus ceratis & emplaſtris. Tertius loturis. Quartus ſuffitibus, atque hi fere omnes argentum vivum actu, aut potentia recipiunt. Quintus ſudorificis decoctis, præſertim *decocto ligni Indici*, cujus loco ſucceſſerunt *juniperus*, *chyna*, *ſparta parilla*, *apios*, infinitaque alia. Sextus liquoribus deſtillatis. Septimus poſtea ſubjicietur curandi modus, qui non ſudoribus, ſed purgantibus medicamentis, & quod vulgo dici ſolet, ſanguinem mundantibus perficitur. Octavus ultimo loco addetur, ex prædictis omnibus compoſitus.

## CAP. XI.

### *De Inunctionibus.*

Donitur æger in loco calido, & totus ibi inungitur, præter caput, pectus, & ſub alis. Poſtea linteis calidis aut multa ſtuppa calida faſciatur, & in lecto ſudare cogitur, juxta pedes appoſitis calentibus lapidibus. Sunt qui ex hordeo calefactos facculos inter coxas ponunt, & ſub alis ac pedibus, quo unguentum magis penetret, & ſudor copioſior eliciatur. Inungi autem poterit octo diebus, ſi ſemel tantum in die inunxeris. Nam bis in die inungere grave nimium eſt, quamquam hodie vix quinque dies conceduntur, & bis in die adhibetur inunctio. Tunc autem ſatis inunctum putamus, cum poſt multam ſputi eductionem os male affici, & ulcerari incipit. Tempus inunctioni idoneum eſt, horis quinque aut quatuor ante prandium, & cum poſt prandium adhibetur, horis quatuor poſt prandium, ſic ut tribus horis poſt inunctionem non cœnet. Poſt cœnam inungere ſanum non eſt. Interim ſi deficere videatur, offeres panem in vino puro aut diluto, aut cum intenditur calor, in poſca madefactum. Nec omittenda erit alvi dejectio, de qua diximus. Hoc remedio dolores exſtinguuntur, puſtulæ, tumores, & nodi diſcutiuntur, ulcera perpurgantur, exceptis, quæ in ore poſt inunctionem relinquuntur, quæ finitis inunctionibus ſtatim fovebis *lacte*, *aut decocto hordei*, *adjectis diamoro*, & *melle roſaceo*. Cætera in ſecundo libro tractabimus. Unguentorum autem, & linimentorum compoſitiones ex præſenti morbi & ſymptomatum natura, ægrotantis ætate, viribus, temperatura, & aëris conſtitutione deduces. Abundantibus enim tuberoſitatibus & nodis, plus pinguedinum apponendum erit, abundantibus ulceribus & puſtulis, plus pulverum. In calidiore ægrotantis aut aëris temperatura, immiſcenda quæ temperent, ut *butyri* plus, & plus *olei roſacei*, minus vero exſiccantium. In infantibus vincant *axungiæ* & *butyrum*. In robuſtis tertia aut quarta unguenti pars ſit *argentum vivum*, in delicatioribus vero vix ſexta aut ſeptima, in infantibus vix octava. In genere conſtet unguentum mollientibus, diſcutientibus, rarefacientibus, detergentibus, ſiccantibus, & argento vivo, quibus haud inutiliter admiſcentur medicamenta purgantia ad trahendas per poros ad cutem ex imo corpore ſuperfluitates. In quo genere excellunt *agaricus*, *hermodactylus*, *cyclamen*, *pyrethrum*, *ariſtolochia*, *ſcilla*, *citra noxam*. Interdum etiam *bdellio*, *ammoniaco*, *turbith*, & *gummi partim mollientibus*, *partim humores attrahentibus uti licebit*. Sunt qui ratione contagionis *theriacam* & *mithridatium* adjiciunt. Chirurgi utuntur linimentis Joannis de Vigo. Nos unguenta in hunc modum parare ſolemus. Recipe *axungiæ porcinæ recentis* & *mundatæ lib. j. butyri recentis ſine ſale lib. ſſ. unguenti de althæa*, & *martiati*, *theriacæ veteris ana unc. ij. hermodactylorum*, *turbith*, *ariſtolochiæ rotundæ*, *tartari rubri*, *zingiberis ana drach. ij. myrrhæ*, *aloës*, *ſtyracis liquidæ*, *ladani ana unc. ſſ. ſuccilimonum* & *olei roſacei ana unc. ij. olei chamæmelini*, *lumbricorum*, & *terebinthinæ*, *aquæ vitæ*, & *olei laurini ana unc. j. lithargyrii drach. xv. argenti vivi cum ſaliva exſtinctis unc. ix. ceræ quod ſatis*, *fiat unguentum molle*. Adhibui ego aliquando inunctiones ſine argento vivo, in hujus loco *cortices radicis cucumeris agreſtis*, & *ellebori utriuſque*, *euphorbium*, & ſimilia ſubſtituendo, ad penetrandum vero *petroleum*, *aquam vitæ*, *oleum de terebinthina*, *oleum de lateribus*, aliasque calidorum medicamentorum deſtillationes, quas haberem in promptu. Nec intelligere potui, qua in re præſtaret *argentum vivum*, cujus contactu ſæviſſima ſymptomata relinquuntur, ut plus interdum periculi immineat à remedio, quam à morbo. In cæteris nihil eſt, quod evidentem noxam inferre poſſit, cum tamen medelam præſtet longe faciliori negotio, quam *argentum vivum* Sed quam difficile ſit, abimbutis ſemel opinionibus artifices divellere, conquerimur omnes, non ſolum in his, verum etiam in plurimis aliis, quæ neque experientia, neque ratione nituntur. Neque vero negare poſſumus mirabilem eſſe illius efficaciam, qui nonnullos viderimus hoc morbo laborantes, ſola plantarum pedum, & volarum manuum inunctione, intacto reliquo corpore, copioſe deſudaſſe, pituitam è cerebro dejeciſſe, & tandem ſanos evaſiſſe. Conſtabat autem inunctio *multo argento vivo cum axungia porcina recente*, & *oleo terebinthinæ ſubacto*, *adjectis etiam hermodactylis*, *ſulphure*, *ſucco bryoniæ*, *euphorbio*, & *aqua vitæ*. Non eſt argenti vivi penetratio, & vis quam impugnamus, ſed peſtilens malignitas morbo plerumque longe gravior, quam una cum curationis beneficio imprimit & relinquit. Nam & nervos offendit, cerebrum mirum in modum debilitat, & quod peſſimum eſt, corpus ſubingrediens, oſſa perforat, & medullas invadit, atque in ipſis tam acerbos dolores excitat, ut plerunque mors præferatur. Quod admonitione dignum viſum eſt, non ad penitus interdicendum ejus uſum, ſed ad reprimendam multorum temeritatem & laſciviam, qui in omni ætate, in omni ſexu, in omni temperatura, & aëris qualitate illo nec bene ſubacto, nec correcto inconſideratiſſime utuntur. Sunt aliæ ſecuriores, & minus moleſtæ curandi formæ, quæ ſi aliquando propter morbi, ſymptomatumque vehementiam parum efficaces videantur, non repugnabo, quin tunc ad mercurium confugias. Nam certum eſt quoſdam hoc uno remedio curari, cæteris ne quidem ad levia ſymptomata conferentibus. Quod tamen adeo frequens non eſt, ut ad unam crepidam calceandos pedes omnes nos allicere debeat.

## CAP. XII.

### *De Ceratis*, & *Emplaſtris.*

Hic modus non diſtat à priori, niſi forma. Nam medicamenta hic mollientia, tergentia, ſiccantia, rarefacientia, diſcutientia eſſe debent, *adjecto argento vivo*, *aut cinnabari*, *aut ſublimato*, quibus etiam utiliter admiſcen-

tur,

tur, quæ humores ad cutem attrahunt. Ex his fiunt emplastra partium, quibus admoveri debent, forma. Quippe spina secundum longitudinem & latitudinem suam his vestiri debet, nec non brachia & tibiæ, unde postulat res ipsa, ut emplastra & cerata eadem longitudines & latitudines impleant. Hoc modo tectum corpus externum aërem non admittat, propter erumpentes sudores, & sputum in ore coacervatum. Renoventur autem emplastra tertio quoque die, decem dies curationi concedendo. Cessandum tunc, cum post multam sputi eductionem gingivæ putrescere & ulcerari incipient. Emplastra autem in hunc modum componantur, Recipe *emplastri diachylon magni, emplastri de ranis ana unc. viij. triapharmaci unc. quatuor, olei de lateribus, olei de spica, aquæ vitæ, theriacæ, masticches, thuris, styracis liquidæ, ana unc. i. myrrhæ, aloës, ladani, ammoniaci, sagapeni, bdellii, galbani ana unc. ß. rad. iridis, aristolochiarum, hermodactylorum, baccarum lauri, cyperi, ana drach. iij. argenti vivi cum succo limonum extincti unc. viij. cinnabaris unc. ij. sublimati unc. ß. ceræ q. s. misce, & confice emplastrum.* Si mavis ceratum, *adde terebinthinam, & ceræ plusculum*, si sparadrapum (sic enim officinæ vocant emplastrum, aut ceratum tenue in tela) *liquefac omnia ad ignem, &, cum infrigidari ceperint, misce argentum vivum, sublimatum, & cinnabarim, & move longo tempore cum virga ferrea, postea intinctis, ut moris est, linteolis fac sparadrapum.* In calidioribus corporum temperaturis, aut temporibus, addes *succos portulacæ, & sempervivi, succum granatorum, unguentum rosatum, & similia, exigua copia*, ne ab emplastri, aut cerati forma recedas. Vidi ego multos, qui tecto hujusmodi emplastri corpore, toto curationis tempore interdiu per urbem incedendo, motu sudores procurarunt iuduti vestibus pelliceis, superinducto arctissimo cingulo, atque in hunc modum curati fuerunt. Errant itaque, qui sudores hic minime exspectandos censent, sponte enim erumpunt domi se continentibus, & in aëre calido versantibus. Et revera nisi sudor eruperit, non prodest remedium.

## CAP. XIII.

### *De ablutionibus.*

Fiunt etiam loturæ *ex siccantibus, rarefacientibus, discutientibus, & mercurio sublimato*, quibus in loco calido ablui & perfricari solent omnes corporis partes, exceptis capite, pectore, stomacho, & sub alis. Idque diebus decem, semel, bis, ter in die, pro ægrotantis viribus, & cæteris circumstantiis, quo tempore è cubiculo exire non permittitur. Putrescunt hic etiam gingivæ, & exulcerantur, sicut in præcedentibus, quod curationis finem indicat. Exemplum hoc esto. Recipe *aquarum ivæ arthriticæ, majoranæ, salviæ, absinthii, calaminthæ, fumariæ ana lib. ß. aquarum fœniculi, scabiosæ, betonicæ, rosmarini, inulæ ana unc. iiij. vini albi optimi lib. i. mercurii sublimati unc. ij. bulliant simul igne claro in vase vitreo, in modum aquæ hordei, & fiat inde lotura.* In calidioribus temperaturis, vini, & aquarum calidarum loco, uteudum *omphacio, succis limonum, & granatorum, aquis rosarum, portulacæ, fumariæ, plantaginis, cichorei, asparagi, mistis tamen plurimis discutientibus.* Post ablutionem & perfrictionem sudor in lecto procurandus, appositis juxta pedes calentibus lapidibus. Neque enim, quod moliuntur, agunt, qui sudores non procurant.

## CAP. XIV.

### *De Cinnabari.*

Quarto loco de suffitu cinnabaris dicendum, acerbissimo certe remedio, quo prudentes & docti plerique Medici ad totum corpus uti nunquam ausi sunt, ad certas autem partes, ut crura & brachia, cum vel sphaceli adsunt, vel feræ gummositates, vel dolores, vel ulcera male morigerata, præstantissimum arbitrati sunt. Cæterum eo abstinendum suadent, aut non nisi corporibus athleticis adhibendum, quamquam & delicatis profuisse scimus. fit autem in hunc modum. Æger in cubiculo clauso in sellula, aut matella nudus collocatur, sic ut tanquam sub conopeo seu papilione totus pannis optime circumtectus sit, ut ne os quidem extet. Tunc accensis carbonibus uritur *cinnabaris cum thure, & cæteris correctivis*, quo suffitu incalescit æger mirum in modum, ac sudat per horam integram fere. Toties autem id tentandum, donec, sicuti in unctionibus, gingivæ putrescere, & os ulceribus affici, & animus deficere quodammodo cœperit. Inter sudores si deficere videatur, permittes ut caput tantillum è pannis explicet, modo id sæpe non faciat. Fit suffitus semel, bis, ter in die, pro anni ratione, ægrotantis viribus, & cæteris circumstantiis. Ad evitandum animi deliquium, impones prius epithema cordi *ex panco vino, aquis rosarum, melissæ, violarum, & pulvere gemmarum, & margaritarum confectum*, & duos ovorum vitellos paulo ante suffitum offeres. Corrigunt autem *cinnabarim thus, myrrha, aloë, styrax, benzoin, gummi juniperi, ladanum, lauri baccæ, & folia, lignum Indicum, lignum aloës, xylobalsamum, angelica, dictamnus, tormentilla, gentiana, calamus aromaticus, cyperus, schœnanthon, caryophylli, macis, crocus, & similia.* Adduntur nonnunquam ad cooperandum, & valenter agendum *auripigmentum, sandaracha Græcorum, pyrites, & euphorbium.* Ex his pastillos, quos trochiscos vocant, & pulveres sic conficimus. Recipe *cinnabaris unc. ij. thuris, ligni aloës, myrrhæ, ladani ana unc. ß. baccarum lauri unc. j. aloës drach. iij. cum stacte formentur trochisci.* Vel, Recipe *cinnabaris unc. ij. auripigmenti unc. i. marcazitæ, sic pyriten vocant, argenteæ drach. iij. gummi juniperi, thuris, ladani ana unc. ß. fiat pulvis pro robustioribus.* Delicatioribus vero sic recte consules. Recipe *cinnabaris unc. ii. benzoin, gummi juniperi, ligni aloës ana unc. ß. calami aromatici, radicis gentianæ, cyperi, styracis, calaminthæ ana drach. ij. thuris, myrrhæ, aloës, dictamni ana drach. iii. cum theriaca formentur trochisci.* Si nimiam caliditatem verearis, addes *semina acetosæ, scariolæ, intybi, aut santalos, ebur, rosas, violas, urantur drachmæ duæ, tres, quatuor*, pro morbi magnitudine, ægrotantis viribus, & temperatura, &c.

## CAP. XV.

### *De ligno Indico.*

Ligni Indici quæ hactenus ad nos pervenere genera sic describit Manardus. Primum, quod Guajacum vocat, densius, gravius, crassius, interiore parte nigricantius, exteriore subpallida, & veluti lineis quibusdam ad fusc m inclinantibus, in æque distantes per longum intersecta. Alterius ad albius magis vergit exterior pars, neque est tam manifestis lineis distincta: nigrum tamen & ipsum colorem intrinsecus ostendit, sed minore orbe quam præcedens. Tertium, quod sanctum præcipue vocatur, tam intrinsecus, quam extrinsecus albicantem colorem præ se fert, exilibusque valde lineis ejus distinguitur longitudo: Hæc ille epist. lib. xvii. ubi primum imbecillius agnoscit, & ebenum Indicum esse putat, nec ab eo secundum nisi forte natalibus differre. Tertium autem valentius esse ostendit, quoniam acrius & odoratius. Præterea decoctum hujus adspectu turpius, & gustu insuavius, & stomacho minus gratum, ut ea de causa consueverit per dies circiter decem primo illo ceu faciliore uti, ut natura assuefacta Sanctum, quod potentius est, melius ferat. Si tu tamen officinas & mercatores adieris, tam confusas invenies apud eos hasce differentias, ut quid sit Lignum Sanctum, quid Guajacum monstrantibus illis discernere nequeas. Primum enim genus plerique pro Ligno Sancto, & tertium pro Guajaco ostentant. In quem errorem etiam incidisse constat scriptores quamplurimos. Sunt enim qui, quod ipsi lignum sanctum vocant, fuscum vocant, & flavum eligendum censent, quos colores primo, & secundo generi attribuit Manardus. Sunt qui Guajacum albicantem describunt, & cæteris præferunt. Sed posthabita nomenclaturarum ambiguitate, de rebus ipsis sic statuamus. Tria illa genera Pudendagræ convenire, præstare acrius & odoratius. Minus acre & minus odoratum minus calfacere, nec adeo siccare. Præstantius illud calidis siccisque temperaturis minus convenire, & cæteris magis prodesse. Sed, præparationis modus quis sit, nunc dicamus. *Lima ex ligno, & cortice ejus (neque enim, ut olim, abjiciendus cortex) scobes fiunt, non incisione, neque contusione. Scobis libra una 24. boris infunditur in octo, decem, vel duodecim libris aquæ, in olla sexdecim librarum capaci, fit postea decoctio lento ac claro igne, nunc ad tertiæ, nunc ad mediæ partis consumptionem, collecta diligenter spuma, & ad usus suos reservata.* Colatur hoc decoctum, & hoc est quod primum vocant, quo in procurandis, movendisque sudoribus, & delendo morbo potissimum utimur. Longiore autem decoctione, & pauciori aqua magis siccans, calefaciens, attenuans redditur, sic ut copiosiore aqua, & breviori decoctione biliosis siccisque temperaturis magis conveniat. Secundarium decoctum sic fit. *In relictas ex primo decocto scobes projice, sicut ante feceris, octo, decem, vel duodecim libras aquæ, & coque ad quartæ partis consumptionem. Hoc percolato in prandio & cœna primis temporibus utebantur vini loco*, atque eo adhuc in calidis temperaturis & temporibus utimur, nunc simplici, nunc *cum saccharo, aut cum melle communi, aut rosaceo confecto.* Sunt tamen, qui hujus loco decoctum parant ex novo & crudo Ligno, & non ex eo, quod primæ decoctioni servivit. *Sumunt autem Ligni in crassiusculas partes dissecti partem unam,*

*& aquæ vigecuplam, mundoque vaſe, vehementioreque, ſed claro igne, coquunt, donec quarta pars aquæ tantum conſumpta ſit.* Hodie & primum & ſecundum cum vino fit, & plurimum confert, præterquam in biliosis & calidis temperaturis, ætatibus, & temporibus, in quibus præſtat aqua. Qui conſuetudine condonant aliquid, propinant utrumque decoctum ex aqua paratum, cum tertia, quarta, aut quinta parte vini, in quo diu ſuper prunas ſteterint ramenta ligni abſque ebullitione. Sed primi, ſive cum vino, ſive cum aqua fiat, ſpuma diligenter colligenda eſt, hac enim illinenda ſunt ulcera, calloſitates, puſtulæ, & loca dolentia. Spumæ loco utuntur aliqui ramentis ligni, in vino antiquo, & oleo veteri coctis. Præſtat *oleum ex ligno ipſo, vel ex baccis lauri, aut juniperi per chymiſtarum deſcenſorium extractum.* Sed redeamus ad decocta. Ægro in loco calido, qui nec tranſpiret, conſtituto, datur mane in lecto *primarii illius decocti lib. ſſ. aut unc. vii.* à quo potu quieſcit adhuc horas tres expectans ſudorem, nec ante horas quinque exhibetur prandium. A prandio horis ſex datur rurſus *ejuſdem decocti lib. ſſ. aut paulo minus*, & poſt horas quatuor permittitur cœna. Idque triginta diebus faciendum, plerumque etiam quadraginta. Nonnullis tamen ſatis ſunt viginti dies, præſertim quando bis in die ſumitur decoctum. Sunt enim, qui hoc ferre non poſſunt, quibus vix ſatisfaciunt triginta. Eſt præterea morbi magnitudo, ſymptomatum vehementia, & humida frigidaque corporis, aut temporis conſtitutio, quæ ſæpe cum omni diligentia plures dies requirunt. Interim ſi venter penitus retinetur, ſingulo, aut tertio quoque die infundendus erit *clyſter ex mulſa, oleo, & caſſia, aut ex ejuſdem ligni decocto, & caſſia, cum melle roſato, & oleo aliquo conveniente.* Præterea ſingula quaque ſeptimana purgandi erunt humores, continuo uſu medicamenti attenuantis, ſiccantis, tergentis (ligni inquam) moti, qui propter lentorem ac ingenitam craſſitiem in ſudores converti non potuerunt, his autem educendis ſufficient *caſſia fiſtula, catholicon, diaprunon ſimplex, manna, polypodium, ſena, adjectis interdum rhabarbari, aut agarici, portiunculis.* Valentioribus utendum non eſt, ne ſudores avertas, aut naturam in varia diſtrahas, eamque debilites. Sunt qui die purgationis ſudores à prandio movere recuſant, niſi robuſtus ſit æger, Qui ſemel tantum in die decoctum bibunt, ſolent à prandio e cubiculo exire, & aperto aëri ſe committere, magno errore, & periculo pleno. Tutius eſt non exire, donec curatio completa fuerit. Quod ad victum attinet, primis temporibus tantum cibi exhibebatur, quo vix ſervaretur vita, panis inquam unciæ tres, vel ad ſummum quatuor, & carnis pullinæ aſſæ unciæ duæ, uvarum paſſarum uncia una, vino prorſus abſtinebant, cujus loco utebantur ſecundario ligni decocto aut ſimplici, aut cum ſaccharo, vel melle confecto. Nunc cibos bene conficientibus paulo major conceditur carnium & panis quantitas, longe minor tamen quam cum ſalubriter degerent. Vinum permittitur album, tenue, aquoſum. Interdum etiam cum vino lignum ipſum decoquitur. Interdum infunditur tantum, non etiam decoquitur, ſed in modum nectarei vini, quod Hippocraticum appellant, per pannum guttatim percolatur infuſio, adjecta nonnunquam ſuavitatis gratia cinnamomi portiuncula. Plerumque etiam aqua decoctionis ligni propinatur in prandio & cœna, cum tertia, quarta aut quinta parte vini. Sed vini uſum in calidis temperaturis non probamus. Hujus loco in cibatu uti licebit *dilutiore aqua mulſa, adjecto, ſi lubet, exiguo cinnamomo, aut hydroſaccharo, vel oxymelite, aut ſyrupo acetoſo cum aqua cocta, aut ſecundario Ligni decocto, vel ſimplici vel ſaccharato.* Totum autem hoc remedii genus, ſi cum cæteris conferas, invenies promptum, facile, minime laboriosum, noxa carens, robuſtioribus & delicatioribus ſatisfaciens, contagionis ſeminaria abdumens, efficaciſſimum etiam tam in recidivis, & in veteri, quam novo morbo Hiſpanico. Decoctum autem illud primum nunc cum ſolo ligno, nunc, quidquid dicat Antonius Gallus, *adjectis hermodactylis, agarico, cyclamino, ariſtolochia, rhapontico, polypodio, ſena, thymo, epithymo, & ſimilibus parabis*, non tam purgationis gratia, quam attractionis humoris, qui in ſudores converti debet. Neque enim in ſudores reſolvi poterunt humores, qui in remotis partibus, & profundo corporis hærent, niſi medicamento avellantur, atque ad convenientia loca trahantur. Avulſi autem, attractique attenuantur vi ligni, aut toti, aut tenuior eorum pars. Craſſior vero & ſudoribus inepta ſeptimo quoque die purgante medicamento, ut diximus, educenda relinquitur. Sed proportionis exacta hic habenda eſt ratio, ne plus, quam ad trahendos, qui in ſudorem abeunt, humores opus eſt, purgantium medicamentorum admiſceatur, ne forte natura majore attracti humoris copia gravata, poſthabitis ſudoribus, tota ſe ad ventris dejectionem conferat. Sæpe etiam addenda ſunt, quæ partes magis affectas reſpiciant, ut ad eas medicamenti vis promptius perducatur. Sic affecto capite *ſtœchadem, & betonicam* adjicimus, affecto ſtomacho, *mentham, & galangam*, patientibus articulis *ivam arthriticam, hermodactylos, hypericum, ſalviam*, & ſic in cæteris. Pueri, & adoleſcentuli eadem ferme ratione curantur, niſi quod adeo efficacia remedia non requirunt. Tuto illis propinare poteris *ſecundarium decoctum, aut aliud, quod hujus loco ex crudo ligno præparari diximus, aut aquam, quæ ex primo decocto per cucurbitam vitream impoſito capitello lento igne deſtillaverit.* Effluet autem aqua puriſſima, juvantiſſima, & bibi non ingrata, ſed quæ ætate florentibus, & provectioribus non ſatisfaciat. Dantur unciæ tres, quatuor, quinque, ſex, pro varia ætate, temperatura, natura morbi, & cæteris circumſtantiis.

## CAP. XVI.

### *De his quæ ſucceſſerunt Ligno Indico.*

Subſtituta ſunt ligno Indico quædam exotica, auri pretium æquantia, quædam etiam familiaria ac domeſtica, exoticis quidem minus celebria, ſed ut facilitate, ſic facultatibus præſtantiora. Hujus generis ſunt *ramenta juniperi, fraxini, citri, cupreſſi, tedæ, terebinthi, cedri, ebeni, & radices perſonatæ, tormentillæ, iridis, hippolapathi, rhapontici veri, inulæ, ariſtolochiarum, centaurii utriuſque, ſcordii, dictamni, aſari, aſphodeli, gentianæ, coſti, galangæ, cannarum noſtratium, cum calamo aromatico & ſchœnanthi, adde ſambuci, & capparum cortices, caſſiam ligneam, chamædryn, ſpicam noſtram, abſinthium, ajugam, pulegium, ſerpillum, calamintham, nepetam, hypericum, thymum, hyſſopum, cardui benedicti, caryophyllatam, morſum diaboli, &c.* Exotica inſignibus titulis ac ſtrenuis commendationibus nobilitata, ſunt *radix chynarum, Sarza parilla, quæ & Sparta.* Quibus acceſſit *apii radix*, quæ quod caritſime veneat, exotica credita eſt, cum tamen in multis Galliæ locis abundet. Singula quomodo præparari, ac miniſtrari debeant, nunc dicamus, ſumpto à radice chinarum exordio.

## CAP. XVII.

### *De Chyna.*

Radix Cynarum, quam Chynam & Achynnam vocant, Hiſpanorum navigationibus ex India, aut locis nuper reperti orbis advehitur ſicca & arida, fungoſa ſubſtantia, colore inſtar galangæ, aut acori vulgaris rubeſcente, corrupto denique, inſipidoque illi acoro haud diſſimilis, ſi molem demas, & duritiem. Sejungitur, ut cæteræ radices, pondere præſtans, & quantum aridiſſima ſua fert natura, ſucculenta, minuſque teredine, carie, ac putredine infecta. *Inciditur per tranſverſum in aſſulas tenues, rotundas, quarum uncia una poſt 24. horarum infuſionem decoquitur lento igne in libris duodecim aquæ, ad tertiæ partis conſumptionem, in vaſe terreo librarum ſexdecim capaci.* Alii *decoquunt unciam unam in ducentis aquæ unciis, donec ferme ad 65. aut 70. redeant, intecto ſemper vaſe, ne fumus exeat. Inde ab igne detractum vas proximum igni conſtituitur, circum impoſitis pannis, ne vel quid ſumi exire poſſit, vel repente refrigerari. Datur decocti adhuc calentis libra una in aurora bibenda, quibuſdam etiam unc. 14. reliquum ſervatur loco vini potandum*, ſit decoctum diebus ſingulis eodem modo, aſſervatum enim aceſcit. Duas vel tres horas ſudorem in lecto expectare oportet, deterſo mox ſudore ſurgere permittitur, modo aperto aëri non exponatur, quod poſt dies ſeptem conceditur. Purgans decoctum reddit *dimidia radicis apii drachma.* Dantur curationi dies 24. ſic ut 24. unciis radicis tota curatio compleatur. A quo tempore *prædictæ aſſulæ, quæ decoctionem ſuſtinuerunt, inſolatæ ac deficcatæ conciduntur in minutiora fruſta decoquunturque unciæ duæ in libris duodecim aquæ ad tertiæ partis conſumptionem, propinatur percolata hæc aqua octo decemve diebus ſequentibus*, negotia omnia libere agente ægro. Extrinſecus foventur ulcera & partes affectæ linteis in primo decocto infuſis. Prohibetur Venus, quæque hanc ſolicitant externa omnia, quod remedium hoc Venerem mirum in modum ſtimulet. Abſtinet æger à lacte, caſeo, aceto, piſcibus, cibiſque omnibus acribus, ſalſis, acutis, acidis, amaris, utitur pane, ac pulli carne elixata bis in die, à cibo autem melle cydoniato, dulciariiſque omnibus, quæ ſub conſervarum nomine in officinis aſſervantur. Poſt 14. diem pulli aſſi conceduntur, vino, niſi vires dejiciantur, in totum abſtinendum. Tenuis quantum fieri poterit victus adhibendus. Purgandum & in medio curationis, & in fine. Primis ſeptem diebus movebuntur dolores in partibus magis affectis, intenten-

tendenturque usque ad quintum decimum, à quo tempore deficientibus sensim doloribus perficietur curatio. Impinguat ea utentes hæc radix, ac sudores, plus quam credi possit, provocat, & exsiccat. Italis medicis præstantissima, Vesalio insipida, odoris expers, in tenuandisque corporibus, & sudoribus provocandis ligno Indico inferior. Incredibilis efficaciæ argumentum proferunt, quod primo, vel septies, vel etiam plus quam decies cocta, vim præbet egregii medicamenti, & aquam, ut pulli jus, efficit, & perexigua ejus portio in magna quantitate aquæ incocta (incoquitur enim illius uncia una in ducentis fere unciis aquæ) vim suam efficaciter impartitur.

## CAP. XVIII.

### *De Sparta Parilla.*

Sparta Parilla, quæ & Sarza Parilia, Luem Hispanicam plus juvare creditur, quam China, aut Lignum Sanctum. Indica radix est, tenuis, ac subcrocei coloris ad cinereum vergentis, glycyrrhizæ tenuissimæ non absimilis, rugosa cum sicca est, gustu subamaro, odore vix perceptibili. Inciditur in tenues assulas, quarum uncia una in libris duabus aquæ decoquitur ad tertiæ aut mediæ partis consumptionem, redditque turbulentam aquam ad vini rubri colorem accedentem, cum odore quasi gravi, & non levi amaritudine. Dantur unciæ sex in singulos dies bene mane, tantundem horis ante cœnam tribus, tum cum cibo quantum volet. Contegitur pannis ab assumpto potu æger, ac copiose sudat. Adhibetur hoc cum tenui victu, qualem in ligno Indico descripsimus, per quadraginta dies, decimo quoque die crassiores humores purgante medicamento sequestrando. ulcera ac loca dolentia foventur linteis in dicta aqua madefactis. Quod autem post sudorem liberum ad solita exercitia, & necessaria negotia, exitum permittunt, non probo.

## CAP. XIX.

### *De Apio.*

Apii radix insipida satis, atque inodora, uno aut altero curationis eventu tam celebris facta est, ut sepositis jam rebus Indicis absolutissimi remedii munia omnia complere posse existimetur: humores inquam attenuare & tergere valide, sudores efficaciter movere, siccare, & Hispanicam hanc hydram nulla (si cum cæteris conferas) molestia ad perfectam curationem ducere. Quod facile sibi persuaderent, qui aut rerum novitate admirabiles videri volunt, aut opulenta radicis mercatura divites evadere cupiunt. Nos eam neque respuimus, neque experimento edocti, tanti facimus, ut dignam existimemus, quæ cum solo ligno Indico facultatibus omnibus conferri possit. Id, præter experientiam, satis declarant, quæ gustu in utroque deprehenduntur, qualitates. Præparationis modus ab iis, quæ in præcedentibus capitibus tradita sunt, non variat. Scinditur enim radix in tenues assulas, quæ, postquam diem integrum in aqua maduerint, decoquuntur, ac ministrantur eadem omnino forma, qua Sparta parilla. Nec proportionis aquæ ad assulas, aut modi decoquendi, aut utendi diversa est ratio. victus idem fere qui in ligno Indico præscribitur. Cætera curationi per spartam correspondent.

## CAP. XX.

### *De Junipero nostratibusque remediis.*

Eliciuntur ramenta ex Junipero sicut ex ligno Indico. *Infunditur libra una in octo, decem, vel duodecim libris aquæ, & postea decoquitur ad tertiæ, aut mediæ partis consumptionem, collecta diligenter spuma, & ad fovendas tuberositates, discutiendos dolores, persanandaque ulcera reservata.* Propinatur *primi decocti lib. ss. aut unc. viij.* in lecto mane, & ante cœnam, sicut in ligno Indico diximus: servaturque eadem victus ratio. Idem effecerunt aliqui *cum ramentis fraxini, citri, cupressi, familiariumque aliorum*; nulla à præscripto ligni Indici mutata forma. Nec est quod te deterreat Dioscorides, qui ramenta juniperi & fraxini lethalia esse tradidit. Tuto enim ea in decoctis sumi compertum est. *Radices personatæ, gentianæ, asari, tormentillæ, cannarum nostratium*, cæteraque, præparabis, ac ministrabis sicut *spartam*, & *apium. Chamædryn, spicam nostram, ajugam, serpillum*, herbasque alias ad institutum nostrum facientes, virides siccasve concides, & infundes in quantitate aquæ, quæ perficiendæ decoctioni convenire videbitur. Cætera omnia ex præscripto ligni Indici petes.

## CAP. XXI.

### *De liquoribus destillatis.*

Aquas Philosophicas, sic enim stillatitios liquores vocant, introduxerunt chymistæ, siccantia, tergentia, attenuantia, rarefacientia medicamenta per cucurbitam vitream impositio capitello destillantes, non igne balnei mariæ, utpote tepidiore, & ad eliciendos interiores succos parum efficaci: sed prunarum ardore, cinerum & arenæ circumpositione vehementiore reddito. Quo artificio igneas plane medicamenti facultates elici necesse est, calidis temperaturis, & ætate florentibus valde pernicioſas. Hujusmodi est hoc. Recipe *decoctionis ligni Indici lib. iv. vini albi purissimi lib. i. trochiscorum de vipera unc. i. ramentorum ligni sancti, & corticis ejusdem ana unc. ij. calami aromatici, radicis asari, hermodactylorum, polypodii, agarici, cinnamomi ana drach. vij. trita maideant in vino, & decoquito per diem integrum; postea destillentur, adaucto, ut decet, paulatim igne.* Colliges separatim tres liquores, ut colore sic viribus differentes. Primus enim aqueus est, ultimus igneus, medius extremorum particeps. *Dentur permistorum aque omnium unc. iiij.* singulis diebus quinque horis ante prandium, & exspectetur sudor in lecto, post prandium satis erunt *unc. iij.* sex horis à cibo, sic ut ante quatuor horas non cœnet. Ulcera, pustulas, tumores, & loca dolentia sanabis inuncta secundo aut tertio liquore, hunc cum primo contemperando, ubi caliditatis excessus metum fecerit. Victus sit boni succi, facilis concoctionis, minime excrementitius, tenuis potius quam plenus, minus tamen quam in cæteris tenuis, finis curationis in trigesimo die constituitur, non neglectis decimo quoque die purgationibus. Empyrici, juxta doctrinam Raymundi Lullii, quinta essentia ex vino aut aliis rebus extracta utuntur, dissolventes in ea *ramenta ligni Indici, radicem apii, calamum aromaticum, scobem juniperi, cæteraque sudorifica.* Destillantur etiam decocto ligni Indici, & similia, & laborantibus infantibus, & adolescentulis propinatur aqua loco primarii decocti, provectioribus etiam loco secundarii utiliter concedi potest. Sunt, qui affirment, *cinnamomum cum decocto ligni Indici destillatum*, in ducendis urinis, & movendis sudoribus nulli remedio cedere.

## CAP. XXII.

### *De purgationibus.*

Quod alii sudoribus moliuntur, id purgationibus præstare conantur, qui plus humorum una purgatione excerni vident, quam multis desudationibus. Purgationes autem hic intelligimus eas, quæ medicamentis per alvum fiunt, evacuationes. Cujusmodi infinitas propemodum formas apud eos, qui hanc materiam tractandam susceperunt, comperies. Sunt enim, qui syrupos & decocta præparant, sunt qui diversi generis bolos, potiones, catapotia concinnant, sunt qui varias cum vino & aquis misturas conficiunt. Quibus partim ratione, partim experientia per nos comprobatis, invenimus tandem multa in illis aut superabundare, aut penitus desiderari. Quæ causa fuit, ut nos aliquid nostro marte efficere tentaverimus, quod amicis commodo & usui esse posset. Inter cætera autem suavissimum, ac præstantissimum apozema hoc illis præscripsimus. Recipe *rad. polypodii & corticis ligni Indici ana unc. j. passularum purgatarum & tamarindorum ana drach. x. prunorum Damascenorum paria vij. corticis mediani sambuci, radicis asari, glycyrrhizæ ana unc. ss. seminis carthami contusi, sennæ, thymi, epithymi ana drach. vj. hermodactylorum drach. iij. zingiberis drach. i. ss. florum stœchadis & genistæ ana p. i. fiat decoctio in aqua justæ quantitatis ad tertiæ partis consumptionem.* Postea adde *succi fumariæ, succi rosarum recentium, & succi radicis iridis, omnium depuratorum ana unc. iij. cinnamomi unc. ss. caryophyllorum drach. i. ss. bulliant adhuc leviter hæc omnia simul, & tandem addito saccharo fiat apozema pro tribus aut quatuor diebus.* Deficientibus *rosarum & fumariæ succis*, substituo *succos buglossi & boraginis*; interdum etiam *syrupos de fumo terræ, de epithymo, de cichoreo cum rhabarbaro, rosatum solutivum, & similes.* Vincente bile addo *rhabarbarum, & myrobalanos citrinos.* Excedente pituita, & in articulorum doloribus, *agaricum, pyrethrum, turbith, & aristolochias.* Apparentibus crassæ atque atræ bilis signis, decoquo leviter *ellebori nigri drachmas duas*: utor etiam aliquando *succis radicis ebuli, bryoniæ, cyclamini, centaurii, sambuci, asphodeli, lupuli.* Sunt qui myrobalanos omnes adjiciunt, quorum tamen adstrictionem vi purgatrici junctam non probo, nisi exigua quantitate cæteris commisceantur. Alii *zizipha, myxa, caricas, cupa-*

*torium Meſuæ, agrimoniam officinarum, capillares herbas, ſcabioſam, hordeum*, cæteraque apparantia magis quam expurgantia confundunt. quibus, niſi quid ea certa cauſa poſtulet, abſtinere ſoleo, ne forte, quod in varia miſtura accidere ſolet, remittant vires aliorum medicamentorum. Nam revera quidquid miſceueris, quod aut humores non purget, vel medicamenta non ducat aut corrigat, ſuperfluum id omne atque inutile cenſendum eſt. Neque enim hic quid aliud procuramus, quam ſanguinem à putridis, ſalſis, ſeroſis, & aduſtis humoribus vindicare, & ſuperfluitates è toto corpore expellere. Sed redeamus ad rem. Damus apozema ſingula hebdomada tribus aut quatuor diebus continuis in aurora, ſic ut quatuor aut quinque hebdomadis tota curatio compleatur. Cæteris diebus, quibus id non bibitur, utitur æger remediis ad octavam intentionem facientibus, nimirum infectionis ac contagionis ſeminaria conſumentibus. De quibus dicemus ſuo loco: præterea nihil agitur, ſervatur tantum victus ratio in principio libri tradita. Poſt prandium exire, & per urbem incedere permittitur, modo tranquillus & ſerenus ſit aer. Diebus, quibus ſola remedia octavæ intentionis uſurpantur, exire licebit etiam matutino tempore. Quo pacto non ſolum blanda ac facilis, verum etiam ſecura & ſecreta promittitur curatio. Hoc remedio neque gingivæ putreſcunt, neque os exulceratur. Lienteriæ tamen, aut dyſenteriæ initium quoddam aliquando ſupervenit, quando immodice purgatur æger. Quibus malis ſic occurrimus. Apparentibus inteſtinorum ramentis, damus tribus diebus continuis *lactis chalybeati, aut extinctione ignitorum lapillorum cocti cyathum unum* quatuor horis ante cibum, & octo diebus interdicimus ei purgante omni medicamento, ventrem etiam extrinſecus foveimus *oleo ex glandibus expreſſo, aut cotoneorum, vel myrtino.* Aliquando injicimus *clyſterem adſtringentem ex libra una aquæ chalybeatæ, & ſemilibra olei cotoneorum vel myrtini, vel ſolo lacte chalybeato.* Quæ remedia in lienteria etiam præſtantiſſima eſſe conſtat. Quibus autem lac minus convenire videtur, cæterorum adſtringentium & glutinantium uſum adhibeo, his nullo negotio curantur, qui ex immodicis purgationibus in dictas affectiones incidunt, ſic, ut tranſactis octo diebus, eodem apozemate tuto uti poſſint. Hoc remedio conſumuntur dolores, ulcera perſanantur, reſolvuntur citra inunctionem puſtulæ, gummoſitates, nodi, ſic, ut neque topicis remediis, neque chirurgiæ locus ullus relinquatur. Novi ego, qui idem effecerunt *decocto bugloſſi* triginta diebus utentes, & ſeptimo quoque die ſuperfluitates expurgantes cum *caſſia* nunc ſola, nunc adjecta *confectione hamech.* Alii *abſinthii & mercurialis decocto* uſi ſunt. Alii bis aut ter in hebdomada purgationibus utentes, triceſimo die ſanitati reſtituti ſunt. Illas autem nunc cum *caſſia, manna, diapruno, catholico, ſena, epithymo* adhibebant: nunc *cum catapotiis ex aloe, & ſpeciebus aromaticis, aut ex aloe, rhabarbaro, agarico, lapide lazuli, elaterio, cum vino infuſionis, vel decoctionis epithymi, aut ellebori nigri globulos conformantes.* Nos hoc electuario aliquando uſi ſumus. Recipe *caricarum pinguium decorticatarum, ſeminis carthami mundati, hermodactylorum, zingiberis, agarici, ſeminum nigellæ & caſſuthæ ana drach. ij. ſenæ & epithymi ana drach. iij. bdellii, rhabarbari, turbith electi, lapidis lazuli abluti & præparati, myrobalanorum citrinarum, & Indarum ana drach. j. tartari rubri drach. j. ſſ. diagrydii, maſtiches, ſeminis aniſi, cinnamomi ana drach. ſſ. ſyrupi roſati ſolutivi, aut mellis roſati q. ſ. miſce, & confice electuarium liquidum.* Sunt qui pilulas mercuriales extollunt, dantque unam ciceris magnitudine ſemel aut bis in hebdomada. Sed crudeliter purgant, & niſi caveris, interimunt. Eas autem ſic præparant. *Maceratur pulvis mercurialis, quem præcipitatum vocant, in aquis cichorei, bugloſſi, ſcabioſæ poſt 24. horas poſito ſuper prunas vaſe in vaporem reſolvuntur aquæ, & ſiccus relinquitur pulvis. Miſcetur hic cum ſpeciebus aromatici roſati, & diamagariton frigidi, & cum theriaca aut mithridatio formantur pilulæ magnitudine cicerum.* Sunt qui verentur pulverem, & *parum hydrargyrum cum ſale, aceto, & ſaliva extinctum*, tamquam minus noxium, præterunt. Atque hi corrigendæ malignitatis gratia *ſalvium ipſam, atque aromatica* adjiciunt: & ne venenum hoc ſeverius in corpus agat, venenum aliud adjungunt, nempe *diagrydion*, ut cum eo pugnet, pugnandoque commoriantur, aut ſaltem miteſcant venenoſæ facultates: exemplo *aconiti*, cujus ea eſſe natura creditur, ut hominem occidat, niſi invenerit, quod in homine perimat: cum eo ſolo colluctatur, velut pari intus invento: ſola hæc pugna eſt, cum venenum in viſceribus repererit. mirumque, inquit Plinius, exitialia per ſe ambo cum fuerint, duo venena in homine commoriuntur, ut homo ſuperſit, & cum fata volunt bina venena juvant, inquit Auſonius in epigrammate uxoris, quæ virum argento vivo, & aconito interimere volens, pugnantibus inter ſe venenis, & per ſeceſſum labentibus ſervavit. Quo exemplo moveri poſſumus, ut credamus argenti vivi lethiferam vim cominori, aut ſaltem mitigari, cum venenum aliud, cum quo pugnet, in viſceribus repererit, ut optima ratione facere videantur, qui *diagrydion*, aut aliud quod pari natura cum illo certet, permiſcent & adjungunt. Hoc remedium in veteri Pudendagra, in ſeris gummoſitatibus, & ſordidis ulceribus, & elephantico fere habitu nonnullis mirabiliter profuiſſe ſcio. Et ne quis novum eſſe putet argentum vivum ingerere, audiat Paulum Æginetam lib. vij. referentem, colicis & ileoſis propinari combuſtum, & in cinerem redactum. Quod ex recentioribus & barbaris ſcriptoribus plurimos feciſſe conſtat. Ruſtici *cataputiæ, carthami, & nigellæ grana in doliolum vini conjiciunt, & hujus vini potu alvum ſubducunt.* Quidam mitius agunt, *folia cataputiæ decoquentes*, & decocto viginti, aut triginta diebus utentes. Quo remedio non ruſticos ſolum, ſed delicatas etiam, invalidaſque mulierculas perſanatas fuiſſe ſcio, nullo alio, neque interno, neque locali adhibito præſidio. Laudatur etiam in his caſibus *vinum elleborite* in hunc modum confectum. Menſe Martio putatis vitibus fiant ſcrobes ſatis profundæ juxta vitium radices, impleantur elleboro viridi multo, contuſo, admiſta terra, ex eo vitis alimentum ſumens, producet uvas vim purgatricem habentes. Nec vinum ullo modo verendum, purgabit enim ſine moleſtia, & proderit. Licebit etiam *polypodium, ſenam, epithymum, aſarum, hermodactylum, carthamum, agaricum, cum aromaticis per vindemiam in cadum muſto plenum injicere, ut una cum muſto decoctionem patiantur, ſed decimo quoque die permutanda erunt, donec muſtum bullire ceſſaverit.* Sunt qui *lignum Indicum, polypodium, ſenam, hermodactylum in vino infundunt, diſpertitaque in tres portiones quantitate, partes duas crudas doliolo recondunt, tertium decoquunt, ferventemque in doliolum conjiciunt, obturatoque oſculo totam ſubſtantiam fervere ſinunt.* Chymiſtæ in aquam vitæ crebris deſtillationibus depuratam medicamenta purgantia infundunt, & expreſſo ſucco, additoque ſaccharo humores eliciunt. Deſtillant etiam purgantes aquas plurimas, quas ob igneam caliditatem non probo.

## CAP. XXIII.

*De curandi modo ex prædictis omnibus compoſito.*

Primis tribus diebus adhibentur inunctiones, octo ſequentibus decocta ſudorifica: repetuntur poſtea inunctiones, cujus loco plerumque miniſtratur *ſuffitus ex cinnabari.* Tribus inde, aut quatuor diebus propinantur apozemata ſolutiva, quibus totidem diebus aut paulo pluribus ſudores potionibus eliciuntur. Repetuntur deinceps apozemata, ſuccedunt decocta ſudorifica, ut curationem perficiant. Quibus ſi morbus nondum perfecte ſanatus fuerit, repetes inunctiones, ſubjicies apozemata, ac decocta ſudorifica prædicto ordine. Inunctionum loco Emplaſtra, Cerata, Loturas, Suffitus ex cinnabari ſubſtituere licebit. Victus adhibetur moderate tenuis, attenuans, abſtergens, ſiccans, ut ſupra dictum eſt. In hunc modum tractare convenit eos, quos neque ſola inunctio, neque ſudorem prolicientes aquæ, neque ſuffitus ſimplex perſanare potuit.

## CAP. XXIV.

*Quæ remedia, quibus perſonis, ætatibus, & temperaturis, magis minusve conveniant.*

Quicunque diu ab officio abeſſe non poſſunt, ſunt, ut ſervi, miniſtri, famuli, quique locum ſæpe mutare coguntur: qui cito, quæ tractant, negotia expedire volunt, longas medicationes non ferunt. Hos itaque poſthabitis decoctis ſudorificis, & longis purgationibus, Unguentis, Ceratis, Emplaſtris, Loturis, Cinnabaris ſuffitu, intra paucos dies curare conveniet. Quos vero aut ſuperiorum, aut amicorum & vulgi fama tangit, non tam celeriter quam ſecrete curabis: idque ſeptimi medi purgationibus; aut ceratis, & emplaſtris; quorum tamen nidore movetur morbi ſuſpicio. Qui mollibus & delicatis corporibus præditi ſunt, decoctis ſudorificis aut apozemate noſtro ſolutivo curari debent, fortes deſtillationes non admittunt. Inunctiones, emplaſtra, loturas, non facile tolerant, ſuffitum ex cinnabari multo minus. Pueri ſuffitum ſine noxa non ferunt, cætera blandius admota non averſantur. His ergo unguenta paranda ſunt ex multo butyro recenti, pluribus axungiis, quam in aliis, paucioribus ſiccantibus, & pauco, aut nullo, ſi fieri poteſt, argento vivo. Primo decocto apozematis noſtris facile, & ſine moleſtia purgantur. Primum voco, quod ſuccos non recipit. Decocta ſudorifica facile tolerant, præſertim deſtillata per cucurbitam vitream impoſito capitello. Aqua enim inde reſultat, & ſalutaris, & bibi non ingrata, quod

in

in pueris in primis desideratur. Ea etiam destillatione la- A ctentes infantulos sanabimus. Hos vero non purgabimus, nisi mollibus clysteribus, nisi fortasse nutrix purgans medicamentum devorare non recuset. Sic enim medicamentoso illo lacte utens infantulus, facile & sine molestia purgabitur. Cave ne fortes destillationes illis exhibeas. Interim victum nutrici institues talem, qualem in principio descripsimus. Præterea purganda erit & ipsa, atque iis, quæ contagioni resistunt, præservanda. Seniibus eadem fere, quæ pueris, conferenda sunt remedia; aut, si validiores sint, eadem, quæ mollibus & delicatis corporibus. Plethoricis, & optimis temperaturis, quas sanguineas vocant, conveniunt potiones sudorificæ, & apozema nostrum solutivum. Suffitus, inunctiones, emplastra, cæteraque ipsi quidem ferunt, non tamen citra noxam. Nam præter id, quod argento vivo infigniter læduntur, ex inunctionis caliditate hepar inflammari, & sanguinem aduri contingit. Contemperanda ergo erunt illa cum butyro, oleo rosaceo, cæterisque refrigerantibus. Igneas destillationes his ne dederis. Biliosis, calidis inquam, siccisque temperaturis ligni Indici primum deco- B ctum, propter caliditatem & siccitatem, non confert, nisi cum pluscula aqua fiat, & longiorem decoctionem non sustineat. Sunt qui secundario decocto uti malint, utpote minus calefaciente, nec adeo siccante. His validæ destillationes non prosunt. Inunctiones vero, loturæ, emplastra permolesta sunt, nec periculo vacant, cum ob virium resolutionem, tum ob venosi generis, atque hepatis ipsius ab intensa remediorum caliditate adustionem, & nimiam argenti vivi penetrationem in raro corpore, & incredibile ejus nocumentum. Suffitus his valde perniciosus est, optimum apozema nostrum solutivum. Pituitosis conveniunt, & septimi modi purgationes, & lignum Indicum, quando materia valde crassa non est. Nam quando & lenta & crassa nimis est, à sudorificis decoctis abstinendum. Neque enim adeo crassa tenaxque materia apta est in vapores resolvi, & in sudores transcolari. Quin si sudorifica illa adhibueris, exhausta per sudores subtiliori humorum substantia, reliqua postea residebit multo crassior, ac tenacior, medicamentis difficilius cedens C quam antea, resoluta nimirum ea substantia, per quam fluere & ferri solebat. Propterea præstat hos inunctionibus aut emplastris curare. Suffitibus minus, quam cæteri molestantur, destillatis aquis juvatur. Melancholicis lignum Indicum, cæteraque sudores moventia non conferunt, tum ratione siccitatis, qua melancholici læduntur, tum quod is humor non facile, nec sine periculo in continuos illos sudores vertatur. Periculum enim est, ne resoluta subtiliori ejus substantia, reliquum humorem nimis tenacem, crassumque reddi contingat, & partibus tam pertinaciter adhærere, ut postea medicamentis exstirpari, educive nullo modo possit. Idque magis in melancholico humore, quam in pituitoso, propter naturalem illius tenacitatem, ac crassitiem medicamentis, ac concoctioni repugnantem. Satius ergo est melancholicos sanare septimi modi purgationibus, crassum illum humorem sæpe concoquendo, attenuando, incidendo, citra evidentem siccitatem, qua melancholicos offendi diximus. Hos inunctionibus, ceratis, suffitibus curare D non verearis. Suffitus ex cinnabari raro adhibetur, præterquam ubi cætera remedia non conferunt, aut ea recusat æger. In recidivis certis partibus sine periculo adhiberi potest, in feris gummositatibus, nodis, ulceribus, & infestissimis doloribus. Medicamenta molliter purgantia conferunt mollibus delicatisque corporibus, pueris, senibus, & biliosis temperaturis. Plethoricis & pituitosis valentiora. Melancholicis primo quidem blandiora, postea vero efficaciissima. In valde pustulosis, ulcerosis, & elephantico fere habitu, utimur *pilulis ex turbith*, *elaterio*, *aloë cum theriaca formatis*. *pilulis arthriticis*, *fœtidis*, *Indis*, *ex hermodactylis*, *ex cuphorbio*, *ex lapide Armeno*, *ex lapide lazuli*, *ex pulvere mercuriali*, *aut ipso argento vivo*, ut diximus. *Elleborus* vero, cum recte præparatur, ac corrigitur, cæteris omnibus jure præferri potest. Alioqui morbus cum exacerbatus non est, fortia medicamenta non requirit, immo sæpe exasperatur illis, tollitur vero mollibus, facilibusque purgationibus.

## CAP. XXV.

*De symptomatum curatione.*

Expositis sex remediorum generibus, restat de symptomatum & morborum, tanquam symptomata succedentium, curatione dicere. Sunt autem ea pustulæ, gummositates, tuberositates, nodi, ulcera, dolores, ardor urinæ, capillorum & unguium procidentia, dentium mobilitas, cutis defœdatio, & similia, quæ magna ex parte octo illis modis ad sextam intentionem pertinentibus eliduntur, paucis exceptis, de quibus in secundo libro latius dicetur. Si quod ergo symptoma, si quis morbus prædictis modis aboleri non potuit, ad particulares eorum curationes, quæ in secundo libro tractabuntur, recurrendum erit. Transeamus ad octavam, & ultimam intentionem.

## CAP. XXVI.

*De remediis contagionis.*

Octavo loco proposuimus infectionis, ac contagionis seminaria extinguere, ac interimere: quod tamen non solum in fine curationis, verum etiam per totum morbi decursum tentandum admonuimus; sed in fine potissimum toto conatu, ac studio huic uni remedio insistendum. Postquam ergo hujus quoque rationem habuerimus in victu, in præparatione, in sudorificis, cæterisque remediis, ultimo loco mistiuras sequentes ad consummandam curationem, prohibendasque recidivas, utendas dabimus. Recipe *radicis tormentillæ*, *& angelicæ*, *seminis fraxini ana drach. ii. corticis citri*, *cinnamomi*, *seminis cardui benedicti ana drach. iij syrupi de corticibus citri q. s. misce & confice elect. liquidum.* Recipe *rad. vincetoxici*, *rosarum rubrarum*, *cinnamomi ana scrup. ij. seminis pæoniæ*, *behen albi & rubri ana scrup. unum*, *dictamni*, *& xylobalsami ana drach. ß. sacchari in aqua scabiosæ resoluti q. s. misce*, *& confice elect. in tabulis* excedente caliditate addes *semina acetosæ*, *intubi*, *cucumeris*, *melonum*, *citrulli*, *santalos*, *ebur*, *gemmas*. In pituitoso humore audenter calidis utendum, in melancholico, *cortices capparum*, *tamaricis*, *fraxini*, *& conservæ buglossi*, *boraginis*, *inulæ* utiliter adjicientur. Hisce compositionibus octo diebus continuis utetur, qui inunctiones, cerata, loturas, suffitus, destillationes, aut decocta sudorifica adhibuit. In aurora quidem sumet mistiuræ liquidæ portiunculam magnitudine avellanæ, à prandio vero duabus aut tribus horis ante cœnam tabellam unam. Qui septimi modi purgationibus utuntur, diebus, quibus non purgantur, hisce antidotis prædictis horis uti poterunt. Sunt qui eadem intentione dant *theriacæ*, *aut mithridatii drachmas duas*, *cum aquis intubi & cichorei* biliosis, *cum aquis betonicæ*, *melissæ*, *scabiosæ*, *boraginis*, *buglossi*, *ocymi*, *menthæ*, *balsamitæ*, pituitosis & melancholicis. Nos vino aut aqua decoctionis ligni Indici in prandio, & cœna semel utendum præcipimus. Ergo hujus generis remedia calida esse oportet, ut illis tanquam igne purgetur, ac consumatur, quidquid humores inficit, ac corrumpit. Frigida tamen aliqua misceri possunt, partim ad reprimendum caliditatis excessum, partim ad roborandas principes particulas, videlicet, *rosæ*, *violæ*, *flores cichorei*, *myrti*, *nymphææ*, *semina acetosæ*, *citri*, *intubi*, *margaritæ*, *coralli*, *santali*, *ebur*, *gemmæ*, *bolus Armenus*, *terra sigillata*, moderata portione tamen, ne aliorum vim obtundant, ac nimis reprimant. Calida ergo illa, quæ contagioni resistunt hæc sunt, *lignum Indicum*, *radix chynarum*, *calamus aromaticus*, *apios*, *gentiana*, *dictamnus*, *angelica*, *melissa*, *calendula*, *pimpinella*, *carduus benedictus*, *iris*, *acorus*, *rhaponticum*, *vincetoxicum*, *hypericum*, *betonica*, *cyperus*, *scordeon*, *thlaspi*, *caryophyllata*, *scabiosa*, *schœnanthos*, *galanga*, *zeduaria*, *behen*, *caryophylli*, *macis*, *zingiber*, *cinnamomum*, *xylobalsamum*, *carpobalsamum*, *lignum aloës*, *semina pæoniæ*, *ocymi*, *juniperi*, *ammios*, *crocus*, *myrrha*, *thus*, *theriaca*, *mithridatium*, *tryphera*. Media quodammodo temperatura sunt, *verbena recta & supina*, *verbascum*, *tormentilla*, *tamarix*, *asparagus*, *oxylapathum*, *filix utraque*, *gingidium seu chærefolium*, *cortex radicis mori*, *& folia ejusdem*, *hedera*, *cortex citri*, *jecur lupinum*, *cancrorum fluvialium cinis*.

FINIS.

# AUGERII FERRERII,

DE

# PUDENDAGRA

## LIBER SECUNDUS.

### CAP. I.

*De veteri morbo, & recidivis.*

De recenti morbo Hiſpanico, & multiplici ac varia ejuſdem curatione in primo libro ſatis dictum eſt. Tranſeamus nunc ad inveteratum, & recidivas. Horum curatio ex prædictis nullo negotio haberi poterit. Primo enim inſtituendus victus. Secundo facili purgatione minuenda materia. Tertio ſecanda vena, in quibus expedit. Quarto præparandi humores. Quinto evacuandi. Sexto particularibus evacuationibus inſiſtendum. Septimo ſymptomatis occurrendum. Octavo contagionis ſeminaria penitus conſumenda. De quibus omnibus, præterquam de ſeptima intentione, copioſe diximus. Verum cum ſextæ, particularium inquam evacuationum, varias formas tradiderimus, ſcire convenit, in recidivis & veteri morbo præſtare ſeptimi modi purgationes, & decocta ſudorifica. Quibus ſi forte morbus elidi non poſſit, ad inunctiones, cerata, & ſuffitus tranſeundum erit. Dicamus nunc de ſymptomatum, & ſuccedentium affectionum, curatione. Sunt autem ea ulcera oris & faucium, capitis, colli, ſcapularum, & articulorum dolores, gummoſitates, tuberoſitates, nodi, ſcirrhi, alopecia capitis & barbæ, unguium caſus, gingivæ putrefactæ, dentes mobiles & infecti, puſtulæ & maculæ cum faciei, tum reliqui corporis, pedum & manuum ulceratæ rimæ cum pruritu, porrigo, fœtor corporis, hepatis incendium, renum, veſicæ, & meatuum urinalium ulcera, virgæ puſtulæ, abſceſſus inguinum. Quorum ultima morbum non ſolum conſequi, verum etiam præcedere, & tanquam latenter ſerpentis contagionis anteſignani præire ſolent.

### CAP. II.

*De oris, & faucium ulceribus.*

Ulcera oris, quæ luem hanc conſequuntur, aut comitantur, de genere corrodentium & malignorum eſſe conſtat, ut mirum non ſit, ea curationi tam pertinaciter repugnare. Egent itaque & victu refrigerante & ſiccante, & poſt purgationes localibus, & refrigerantibus, & ſiccantibus, admiſto ſemper aliquo abſterſorio, in hunc modum. Recipe *plantaginis, & caudæ equinæ ana manip. unum, roſarum, balauſtiorum, ſummitatum abſinthii & ſalicis ana p. j. hordei integri unc. j. nucum cupreſſi, lenticularum, ſumach ana drach. iij. decoquantur ſufficienter in aquæ partibus decem & una aceti, & in colatura diſſolve mellis roſati, vini granatorum, & diamori ana unc. j. fiat gargariſmus.* Vel ſic. Recipe *aquarum plantaginis, roſarum, & caprifolii ana unc. ij. aquæ portulacæ, & diamori ana unc. j. rob de ribes, mellis roſacei, omphacii ana unc. ſſ. miſce pro gargariſmo.* Si prædictis nihil proficeris, ad valentius siccantia tranſeundum. Recipe *fæcis vini, & fæcis aceti, æruginis, aluminis, nitri, ana ſcrup. j. bulliant in aquis roſarum, & plantaginis una eaque levi ebullitione, mox colentur ſine expreſſione valida, & xylo in hanc aquam infuſo tange ulceroſa loca.* Chirurgi utuntur *aqua ſublimata*, aut *aqua forti*, quibus malum exaſperari ſolet, niſi cum *aquis roſarum, & plantaginis* artificioſe mitigentur. Oſtentant empyrici *oleum ex mercurio.* Excellit *aqua ex theriaca, cum aquæ vitæ, & aceti partibus æqualibus per cucurbitam vitream impoſito capitello deſtillata, diſſolvendo in ea terram ſigillatam, aut Armeniam*, & partes eroſas molliter contingendo. Hujus loco uſus ſum hac miſtura. Recipe *aquarum roſarum, plantaginis, & prunellorum agreſtium ana unc. j. aceti, & aquæ vitæ ana drach. vj. diamori, & mellis roſati ana drach. iij. theriacæ, boli armenæ, aluminis ana drach. ij. ſient aliquot horas ſuper prunas abſque ebullitione, poſtea colentur leviter.* Si fauces malignior & remediis difficile cedens ulcus obſederit, una cum prædictis ſudores decocto ligni Indici procura, & miraberis effectum. Prudenter non faciunt, qui inunctiones, cerata, & ſuffitus hydrargyricos adhibent; quod his nova ulcera produci, & jam facta exaſperari ſoleant.

### CAP. III.

*De dolore Capitis.*

Materiam dolorem capitis adferentem retrahere oportet hoc aut ſimili clyſtere. Recipe *betæ, althææ, mercurialis, rutæ, foliorum lauri, cataputiæ, urticæ ana manip. j. radic. polypodii unc. j. corticis geniſtæ, & ſeminis carthami contuſi ana unc. ſſ. florum ſtœchadis, & chamæmeli ana p. j. fiat decoctio, & in colatura diſſolve ſucci radicis iridis per reſidentiam depurati unc. j. catholici, hieræ picræ, diaphœnici ana unc. ſſ. olei rutacei, de caſtoreo, & anethini ana unc. j. mellis anthoſati drach. x. ſalis communis drach. ij. fiat clyſter.* Poſtea applicetur capiti hoc decoctum. Recipe *ramentorum tenuiſſimorum ligni Indici unc. ij. ſalviæ, ſtœchados, rutæ ana manip. j. vini antiqui flaveſcentis optimi lib. ſ. olei antiqui lib. j. ſ. decoquantur ſimul ad conſumptionem mediæ partis, & de colatura fiat embrocha.* Vel *cum oleo rutaceo miſce rutam ipſam in pulverem redactam, & caſtoreum, & crocum*, Vel *ex pulegio, ſerpillo, ſatureia, origano, ſalvia, calamintha, ſabina, hyſſopo, lauri baccis, olibano, coſto, zingibere, pyrethro, pipere, croco, caſtoreo, euphorbio, fiat pulvis, & cum oleo rutaceo, laurino, irino, nardino & ſimilibus inungantur.* Sunt qui *theriacam, & mithridatium, cum oleo rutaceo, & aqua vitæ imponunt.* Sunt qui *ſaccules ex ſale & milio calefactos.* Alii *naſturtii, ſinapi, & carvi ſemina in aceto infundunt, & torrent, & ex eis ſaccules conficiunt.* Atque hæc frigida & flatulenta exiſtente materia conveniunt. Calida vero concurrente cauſa, adjicies *oleum roſaceum, acetum, omphacium, oleum violaceum, ſemina pſyllii, hyoſcyami, & cætera frigida.* Fracaſtorius, in capitis doloribus ex Lue Hiſpanica procedentibus, teſtatur ſe nihil juvantius inveniſſe, quam inungere interna brachia, præſertim qua venæ cephalicæ protenduntur, hoc linimento. Recipe *ſucci inulæ, ſucci bryoniæ, ſtyracis liquidæ, terebinthinæ ana unc. j. gummi elemni unc. ſſ. pinguedinis urſi, anſeris, butyri ana unc. j. ſſ. thuris, iridis ana drach. iij. olei irini quod ſufficit, argenti vivi octavam partem, miſce, fac linimentum.* Quinto autem, aut ſexto quoque die catapotiis corruptum in cerebro humorem elicientibus utendum. Interdum etiam ſanguinis miſſione, & cucurbitulis avertenda materia. Hæmorrhoides quoque aperiendæ, & menſtrua ducenda mulieribus. Aut ſi neque his quieverit malum, ſudorificis decoctis aliquot diebus utendum.

### CAP. IV.

*De doloribus Artuum.*

Cum dolores artuum relinquuntur aut redeunt, foventur partes affectæ unguentis, ceratis, & emplaſtris Joannis de Vigo, cæterisque remediis argentum vivum recipientibus. Nos hoc unguento, licet Mercurium non recipiat, proſpere tamen uſi ſumus. Recipe *unguenti Martiati, reſumptivi, aragon, & de althæa ana unc. iij. pyrethri, hermodactylorum, nitri, zingiberis ana drach. unam, olei chamæmelini, vulpini, laurini ana unc. unam, olei de lateribus, & de terebinthina, aquæ vitæ ana unc. ſſ. petrolei drach. iij. ariſtolochiæ rotundæ drach. ſ. ſ. ceræ q. ſ. miſtis omnibus fiat unguentum*; conferunt etiam *olea ex ligno Indico, aut gravis lauri, vel juniperi per chymiſtarum deſcenſorium extracta, aut ſpuma ipſa in ligni Indici decoctione collecta, & axungia hominis, leonis, urſi, cati, & ſimiles.* Sunt qui *ex ramentis ligni in nobili aliquo vino decoctis, addito antiquo oleo, linimentum parant.* Alii, cum cætera non proſunt, *ligni Indici decoctum* propinant, aut *ſuffitum ex cinnabari* adhibent. Alii ad balnea naturalia, ſulphurea, nitroſa, aluminoſa, bituminoſa, & metallica ægrum remittunt. Empyrici rationale hoc remedium introduxerunt. *Accipe 40. ovorum vitellos coctione indura-*

*tos,*

*tos, & dissipatos cum unciis sex pyrethri in pulverem redacti, confundito, & per vitrei vasis genus, collum retortum habentis, sine capitello destillato, lento primum igne, postea vehementiore. Iterum liquorem, qui fluxerit, cum uncia una castorei & semuncia thuris albi commisceto, adjectis hermodactylorum drachmis sex, permistaque ut ante, destillato. Tertio, liquorem cum fœcibus suis subigito, & lauri baccas adjicito, & destillato.* Si sæpius id feceris, oleum elicies in discutiendis Morbi Hispanici doloribus nulli remedio conferendum. Proderit interim septimi modi purgationibus infestantem materiam adimere.

## CAP. V.

*De gummositatibus, tuberositatibus, nodis, scirrhosisque tumoribus.*

Accidunt sæpe tuberositates in capite, brachiis & tibiis molliusculæ, quæ fere suppurantur, sed, si discutientia mature adhibueris, resolvuntur. Suppuratæ autem offis corruptionem minantur. Qua de causa candenti ferro aperiuntur, facta postea abstersione & deliccatione, sanantur. Accidunt quædam duriores, ac compactiores, materia tanquam nodis constricta, ac condensata. Has etiam nonnunquam mollire ac resolvere tentant, sed tandem cauterio incidunt. Fit autem incisio secundum tumoris longitudinem & profunditatem. Sunt tamen qui malint in radice, qua nodus in partem inferiorem & expurgationi idoneam definit, intacto ipso nodo cauterium leviter affigere, ut nodi materia, ad eum locum sponte confluens, paulatim evacuetur, & ab offis invalione revellatur. Cauteriis enim profundioribus offium putredinem, ac cariem verentur. Interim imponenda nodo mollientia, & cætera, quæ convenire videbuntur. Absque incisione sponte discutiuntur septimi modi purgationibus, plerumque etiam usu ligni Indici, aut si localibus opus sit, curantur spuma in decoctione ligni collecta, cæterisque remediis ad dolores artuum facientibus. Fit plerumque, ut cum maxima duritie, & dolore intolerabili in longitudinem tibiæ protendantur. Conferunt his *emplastra ex radicibus cucumeris agrestis inulæ, bryoniæ, ebuli, iridis, & ammoniaco, bdellio, opoponace, sagapeno, styrace, terebinthina, cum pinguedinibus ursi, cati, leonis, hominis, hirci, cervi, vituli, porci, & butyro, adjecta fere argenti vivi quarta omnium parte.* Quidam *suffitum ex cinnabari* adhibent. Alii, quod Galenus in tendinum scirrhis faciebat, *in accensum, & candentem pyritea, aut molarem lapidem, acetum spargunt*, & fovent locum. Recentiores *aceti loco ligni Indici decoctum usurpant.*

## CAP. VI.

*De alopecia capitis, & barbæ.*

In procidentia capillorum, & depilatione fove locum *olei myrtini, lentiscini, & de meliloto æqualibus partibus vel absinthio, & corticibus avellanarum ustis, coctisque cum oleo myrtino, vel aqua decoctionis myrtillorum, & fœnigræci, vel vino nigro austero cum aloë cocto, vel ligno Indico in vino adstringente cum melle, & ladano percocto.* Conferet etiam hæc mistura. Recipe *myrtillorum, spicæ nardi, radicis asphodeli, corticis pini ana unc. j. ladani, seminis apii, foliorum sennæ, cyperi, ana unc. ſ. seminis papaveris albi, corticis tamaricis, seminis absinthii, rosarum albarum, seminis hederæ, ana drach. iij. ferveant in duplici vase in vino adstringente, aut in oleo myrtino, & lentiscino ad tertiæ partis consumptionem.* Ad idem valet hoc odoriferum. Recipe *pomatæ unc. ij. ladani unc. ſſ. musci grana iij. aquæ rosatæ, in qua grana sex sublimati bullierint, unc. unum, misce omnia, & linc partes depiles, & deformes.* Conferet etiam *aqua ex theriaca, aceto, & aqua vitæ destillata.*

## CAP. VII.

*Ad ungues cadentes.*

Iisdem fere remediis retinebis ungues, quod si commode fieri non possit, accelerabis casum cum *unguento basilico*, aut cum *farina triticea, cum butyro, & violarum malvarumque decocto confecta.* Remoto ungue abluatur locus *cum aqua hordei saccharata*, postea cum *oleo ex vitellis ovorum*, & tandem tegatur *cera nova odorifera, cum paucula terebinthina, & pauco oleo rosaceo subacta.* Sic enim novus succrescet unguis.

## CAP. VIII.

*Ad gingivas putrefactas.*

Gingivas putrescentes & erosas collues primo *decocto ligni Indici, aut tormentillæ*; postea absterges hac mistura. Recipe *mellis rosacei unc. j. ſſ. eboris usti, rosarum albarum, ossis sepiæ, myrrhæ, aloes ana scrup. j.* Deliccabis tandem *cum pulvere gallarum ustarum, & aluminis*, vel cum communibus dentifriciis. Si hæc non prosunt, ad ea, quæ oris & faucium ulcera sanant, recurrendum.

## CAP. IX.

*Ad commotos, & infectos dentes.*

Confirmabis & absterges commotos & infectos dentes *aluminis usti in aceto extincti, & cornu cervini similiter præparati æqualibus portionibus, facto inde dentifricio.* Absterguntur optime cum *aqua forti mistione aceti, & aquarum adstringentium mitigata.* Confirmantur *alumine rotundo cum duplo sale dentibus adsperso, adjecto interdum rosarum, & corallorum pulvere.*

## CAP. X.

*Ad pustulas, & maculas faciei, & reliqui corporis.*

Pustulas & maculas lividas, rubentes, nigras, quotidie bis ablues aqua sequenti. Recipe *mastiches, olibani, tragacanthi, ladani ana drach. j. succi limonum unc. j. aquarum plantaginis & rosarum ana unc. ij. sumach, tartari rubri, corallı albi, boracis ana drach. ſſ. sublimati in pulverem redacti gr. iij. bulliant simul in vase vitreo lento igne ad quartæ partis consumptionem. Postea fiat colatura clarificata, & aromatisata cum granis aliquot musci.* Biduo aut triduo pustulas omnes & maculas delebis hac mistura. Recipe *albumen unius ovi recentis, agitetur donec spumescat, deinde adde sublimati & camphoræ ana gr. iiij. agitentur iterum simul, & misceantur, donec unguenti formam recipiant:* Sunt qui *suffitibus ex thure, borace, styrace, marcasita, & sublimato* utuntur. Pustulas tamen, cum in declinatione fuerint, *oleo balanino, aut tartareo* inungere convenit, ne fœdas cicatrices, aut maculas relinquant.

## CAP. XI.

*Ad pedum & manuum ulceratas rimas cum pruritu.*

Pruritum exstingues cum *succis limorum, & sempervivi*, aut *epithemate ex aloe in aceto scillitico, & muria cocto.* Rimas vero simul & pruritum sanant *oleum tartareum; oleum de vitriolo, tartarus & vitriolum, & æruginis concorporata cum axungia porcina recente, & limonum succo.* Conferunt etiam *borax, camphora, sublimati grana aliquot cum pomata & oleo rosato subacta*, & post *fomentum ex malvis, rosis, violis, absinthio, inula, oxylapatho, fumaria* illita. Cum cætera non prosunt, adhibentur *suffitus ex marcasita, auripigmento, mercurio sublimato, cinnabari.*

## CAP. XII.

*Ad porriginem & cutem furfuraceam, cum faciei, tum reliqui corporis.*

Furfures, qui in capite multiplicantur, discutientibus & tergentibus sanantur, admisto semper aliquo adstringente ad roborandam partem affectam, ne facile suscipiat influentes serosos humores, sed resistat, eosque repellat. Qua de causa parantur loturæ, unguenta, linimenta *ex beta, absinthio, apio, iride, styrachade, fœnogræco, parietaria, amygdalis amaris, fabis, ervo, lupinis, alumine, nitro, pumice, atramento sutorio, aqua marina, lixivio, aceto, urina, muria, balneorum naturalium aquis.* Quibus etiam ad totum corpus uti licebit. Facies tamen cum furfuribus inficitur, blandiora parabimus in hunc modum. Recipe *amygdalarum amararum, farinæ fabarum, & orobi ana unc. i. aluminis, boracis, mastiches, olibani, tragacanthi ana unc. ſſ. succi limonum unc. ij. aquarum plantaginis, rosarum, & liliorum albornm ana unc. iij. lactis caprini recentis unc. iiij. mista omnia diligenter destillentur lento igne more solito.* Vel, Recipe *farinæ fabarum unc. j. mastiches, tragacanthi, boracis ana drach. i. ſſ. stent simul per diem integrum in aquis rosarum & plantaginis, & postea bulliant leniter in duplici vase, & sine expressione colentur, & tandem addito aut vino albo aut aceto albo fiat lotura.*

Sunt,

Sunt, qui jejuni *aquam rosaceam* in ore continent, & rosata illa saliva faciem abluunt. Sunt, qui urina propria utuntur. Alii *limones cum vino coquunt in minutissima frusta concisos*. Alii *micas panis albi adhuc calentis coquunt in vino albo, & aquis fabarum, rosarum, nymphææ*. Excellit hæc destillatio. Recipe *mellis rosati colati, aquæ rosatæ, & succi limonum ana unc. ij. tragacanthi, masticbes, cerussæ, amyli, olibani ana drach. iij. aluminis, coralli albi, spumæ vitri, ossis sepiæ, boracis ana drach. ij. salis gemmæ drach. i. ß. farinæ fabarum unc. i. aquæ vitæ unc. i. ß. albumina ovorum. iij. limacum cum suis testis contusorum drach. vj. camphoræ drach. ß. cinnamomi unc. ß. misce, & destilla more chymico.* Utantur hac aqua tanquam præstantissima mulierculæ, & quicunque nutrire formam, & venustatem sibi conciliare student. Verum in exitu balnei præstabit hæc adhibere remedia. Balnei loco esse poterit *vapor ex decocto florum malvæ, violarum, rosarum, cichorei, liliorum albornm, chamæmeli, & roris marini exceptus.*

## CAP. XIII.

*Ad fœtorem corporis.*

Exhalat plerumque fœtidus sudor, & putridus vapor è corporibus eorum, qui pudendagra laborarunt, contagionis ac infectionis seminariis in corpore adhuc vigentibus. Curabis hos purgationibus, vaporario, lavacris, & contagioni resistentibus medicamentis, de quibus diximus in primo libro. Lavacris autem inseres *absinthium, fumariam, origanum, serpillum, salviam, pulegium, thymbram, inulam, mercurialem, oxylapathum, scabiosam.* Præstabunt balnea naturalia, nitrosa, & sulphurea. Odoribus præterea, & bene olentibus perfusionibus & pulveribus extremitates & indumenta adspergere convenit.

## CAP. XIV.

*Ad Hepatis incendium.*

Augetur hepatis calor & putredine, & inunctionibus, & decoctorum calidorum usu. Emendatur hoc linimento. Recipe *succi filicis, & succi cichorei, utriusque depurati unc. i. santalorum omnium ana scrup. i. olei rosati unc. ij. farinæ hordei drach. i. ceræ albæ q. s. misce, confice linimentum.* Bibendi etiam succi cichorei scariolæ, intubi, rostri porcini, atque herbis ipsis & radicibus partim cum saccharo conditis, partim in jure decoctis, aut in patinis aceto & oleo adspersis in prima mensa utendum. Proderit etiam hoc electuarium. Recipe *succi cichorei depurati unc. ii. succi portulacæ unc. i. ß. succi fœniculi unc. ß. seminum cucumeris, & intubi ana drach. i. oxysacchari quantum satis erit ad commiscendum.* Detur jejuno magnitudo avellanæ, aut nucis juglandis, cum jure pulli, aut alio conveniente liquore, aut citra dissolutionem devoretur. Victus refrigerans esse debet. Vino non nisi dilutissimo utendum. *Ptisana hordei, & lac amygdalarum cum seminibus frigidis coctum, panata etiam cum omphacio, & alica cum succo granatorum, aut cum aceto* cibi erunt convenientissimi.

## CAP. XV.

*Ad ardorem urinæ, & renum, vesicæ, meatuumque urinalium ulcera.*

Ardor urinæ his ex ulcere potissimum accidit. Deprehendes autem renum ulcera ex dolore in lumbis cum gravitate & veluti quodam pondere, ex urina purulenta, innatantibus carnosis particulis, aut veluti pilis. Urina præterea facile & citra dolorem emittitur. Vesica vero affecta, vehemens cruciatus pectinem, imumque ventrem invadit, urina magna cum anxietate redditur, & fæculenta simul excernuntur, aut mucosa, aut farinæ instar crassa subsidunt. Aliquando etiam squamulæ circumferuntur, & lamineæ quædam substantiæ. Furfureæ vero hypostases vesicam scabie laborare significant. Ureterum exulcerationem denotant puris non adeo crassi mistura, & veluti capillamenta urinis innatantia, dolor etiam in media inter vesicam, & renes regione. Si pus aut sanguis solus absque lotio excernatur; non in dictis particulis, sed in pudendo denotatur exulceratio. Curantur instrumenta urinæ sic affecta. Primo quidem facilibus totius corporis purgationibus. Secundo abstergentibus. Tertio deficcantibus, glutinantibus, & simul urinæ, humorumque acrimoniam exstinguentibus. De purgationibus satis diximus. Abstergentia sint *aqua mulsa, fœnigræci decoctum cum pauculo melle, aqua passularum & hordei, decocta seminum cucumeris, melonum, malvæ, zizypharum, glycyrrhizæ cum mulsa, aut lac cum melle.* Deficcabunt *electrum, semen plantaginis, bolus Armena, terra Lemnia, coriandrum tostum, ebur ustum, cornu cervi ustum, santali, coralli, glutinabunt amylum, tragacanthum, gummi Arabicum, semina melonum, cucumeris, portulacæ, papaveris*, contemperabunt, & acrimoniam obtundent *semina malvæ, melonum, cucumeris, cucurbitæ, citrulli, portulacæ, papaveris albi, amylum, tragacanthum, succus & pulvis glycyrrhizæ, zizypha, myxa, uvæ passæ.* Lac vero ad tergendum, glutinandumque ulcus, & reprimendum mordacitatem mirifice conducet. Proderunt etiam *nuclei pineæ nucis, amygdalæ, & pistachia aqua rosarum madefacta.* Extrinsecus affecti renes & ureteres post detersionem inungendi erunt *oleo rosaceo, myrtino, mastiche, thure, rosis, corallis, santalis.* Vesica vero affecta, per catheterem injicies tergentia illa, quæque siccant, glutinant, & acrimoniam obtundunt. Pubi vero impones *cataplasma ex symphyto, & equiseto, aut equisetum cum oleo myrtino in pila plumbea contundes, postea exprimes succum, & pubem inunges.* Quæ remedia etiam in penis exulcerationibus præstantissima esse constat. Sed refrigerantibus injectionibus crebro utendum non est, ne, quod sæpe accidit, nimio frigidarum rerum contactu, musculus collo vesicæ adhærens resolvatur, eoque resoluto urina sponte decidat, & defluat. Notandum etiam, valenter adstringentia, per os ingesta, hic minime excellere. Sibi ipsis enim sunt obstaculo, ne ad tam remotas particulas penetrare queant, quippe meatus, per quos ferri debent, valida eorum facultate constringi ac condensari contingit, ut longius eorum vis propter constrictionem conduci non possit. Qua de causa *terram Armeniam, & terram sigillatam cum mulsa*, aut cæteris ad vias urinales cito confluentibus propinare solemus. Nos peracta cum mulsa detersione hoc pulvere utimur. Recipe *granorum halicacabi paria vij. seminum cucumeris, portulacæ, & papaveris albi ana drach. iij. amyli, ramentorum eboris, glycyrrhizæ, radicis tormentillæ ana drach. ij. margaritarum orientalium, coralli albi & rubri, ana scrup. j. sacchari ad pondus omnium, fiat pulvis.* Conferunt etiam hæ tabellæ. Recipe *pinearum purgatarum horis duabus in aqua rosata calida temperatarum drach. ij. seminum cucumeris, melonum, portulacæ, papaveris albi ana drach. i. glycyrrhizæ, santalorum albornm, & rubrorum ana scrup. i. sacchari in aquis rosarum, graminis, & solani resoluti q. s. misce & confice elect. in tabulis.* Proderunt etiam *nuclei pineæ nucis, mixa, zizypha, quæ diem integrum in aqua solani maduerint.*

## CAP. XVI.

*Ad virgæ pustulas.*

Pustulæ virgæ, quædam leves sunt & paucæ malignitatis, quædam maligniores, ac pertinaciores, suspicionem præbentes imminentis jam, aut recidivantis morbi Hispanici. Leves localibus abstergentibus & siccantibus, admistis, propter imminentes inflammationes, refrigerantibus, curantur, nimirum hac mistura, quæ *recipit tutiæ cum aqua rosata præparatæ, æruginis ana drach. ij. anethi combusti, abrotani usti ana drach. i. bulliant in aquis rosarum & plantaginis unico fervore, mox sine expressione colentur.* Maligniores post catholica remedia terges, & siccabis *cum unguento Ægyptiaco in dictis aquis dissoluto*, postea etiam cum pulvere mercuriali, aut mistura sequenti. Recipe *æruginis, aluminis, pulveris mercurialis ana drach. i. vini albi unc. ß. aquarum plantaginis, & rosarum ana unc. i. bulliant leviter & non colentur, utere mistis omnibus.* Interea sumendo, quæ contagioni resistunt, ne infectionis seminarium partes internas irrepat, & venoso generi, principibusque particulis, malum communicetur.

## CAP. XVII.

*Ad abscessus inguinum.*

Inguinum abscessus post venæ sectionem, & medicamentis factas evacuationes, resolvere aut maturare convenit: maturatos vero aperire, apertos tergere, & tandem siccare, & ad cicatricem perducere. Resolves eos *ammoniaco in aceto, & aqua vitæ resoluto, & diachylone treato, & similibus.* Maturabis, &, quod tutius hic esse putatur, concoques hoc unguento. Recipe *ficuum contusarum, radicum liliorum albornm sub prunis coctorum ana unc. i. axungiæ porcinæ, & terebinthinæ ana drach. vj. farinæ tritici unc. ß. olei olivarum, & de lilio ana unc. i. ß. croci scrup. ij. ceræ q. s. mistis omnibus fiat unguentum.* Proderit hoc etiam. Recipe *radicum bryoniæ, & althææ elixarum, & postea contusarum, radicum liliorum albornm sub prunis coctorum ana unc. i. axungiæ porci colatæ, terebinthinæ, & olei olivarum antiqui ana unc. i. ß. misce, & confice unguentum.* De paratu facilibus est *farina tritici in oleo anti-*

*antiquo decocta, & cum terebinthina confecta.* Maturus tumor candenti ferro aperiri debet. Neque enim hic tuta sunt, quæ potentialia vocantur, cauteria. Apertus mundetur *cum melle rosato, myrrha, aloë, admisto interdum unguento apostolorum, aut Ægyptiaco*; quibus *theriacam aut mithridatium* adjicere non erit inutile. Conferet hac de causa unguentum sequens. Recipe *farinæ fabarum unc. ss. terebinthinæ, theriacæ, mithridatii ana drach. iij. mellis rosati unc. ij. myrrhæ, & aloës ana drach. i. ss. o-* A *lei de absinthio, & ceræ q. s. fiat unguentum.* His peractis deliccabis, & ad cicatricem perduces ulcus *cum unguento ex pompholyge, cum triapharmaco, cum deliccativo rubro, & cæteris hujus farinæ.* Interim, ne putredo serpat, adhibebis remedia, quæ contagionis seminaria extinguunt, ac interimunt.

FINIS.

# PETRI HASCHARDI,

*Insulani, Medici, Chirurgi,*

DE

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS.

### CAP. I.

*Quid sit morbus Gallicus.*

Magna inter doctos fuit olim de hujus morbi nomine contentio, aliqui Lichenas, aliqui Mentagram, alii Asaphati vocantes, nec defuerunt, qui Elephantiasin quadam decepti similitudine putaverunt, quidam prunam sive ignem Persicum aut Sacrum, de quibus licet abunde videre apud Leonicenum, Joannem Manardum, ac Leonhardum Fuchsium, viros doctissimos, sed cum non sit (præcipiente Galeno) de nominibus à Medicis litigandum, has contentiones nunc omittemus (nam ut hic morbus novus est, ita & antiqua caret nuncupatione.) Dicimusque hunc morbum prius in Italia ortum, maligno astrorum aspectu, quæ aërem corruperunt, & ob id contagiosum, ac Epidemialem in principio sui adventus fuisse, quippe totum vulgarium morborum genus, Galeno autore in Epidemia, ex cœli statu proficiscitur, jam autem duntaxat contagiosum, quod astra suas influentias absolverunt. Et à multis Neapolitanum vocatum, quod prius in illis partibus sese manifestaverit: à plurimis Gallicus est nuncupatus, quoniam eo tempore apparuit ac irrepsit, quo Carolus, Galliæ Rex, in Neapoli belligerabatur, circa annum à Christo nato 1493. quidam Hispanicum vocavere, hac ratione moti, quod (ut testatur Huttenus) hic morbus vulgaris adeo sit in Hispaniola Insula, ut apud nos puerorum variolæ & exanthemata. Inde etiam quidam à thesauro regis Hispaniæ nobis primus attulit illud lignum, quo ipse ab Insulanis curatus fuerat. Theologi vero volunt hanc pestem à Deo in terris missam propter hominum insolentiam. Sed vocet, cui libitum fuerit, Gallicum, vocet Hispanicum (nota sunt historiæ tempora) vocet ad extremum suo quisque arbitratu, mihi videtur recte sic describi: Morbus Epidemialis propter nimiam aëris intemperiem, ac soluta continuitas ab exultis humoribus maxime in concubitu genita, à malignis quibusdam pustulis incipiens, pudenda plerumque, deinde reliquas corporis exteriores partes, occulta quadam qualitate, & caput præcipue inficiens, dehinc intimas partes ingressa, dolores circa articulos & ossa, præcipue noctu, facit, abscessus duros in pessima adeo ulcera, ut ossa quoque plerumque vitient, post longum tempus delinentes.

### CAP. II.

*De origine morbi Gallici.*

Duplex præcipue est hujus morbi origo, contagium nempe, & generatio. Contagia autem multiplicia sunt, sed præcipua, quæ per concubitus fiunt, alia autem, ut sunt dormire in iisdem linteaminibus, vel induere vestes infectorum, non sunt usque adeo periculosa, & solum corpora rara, ac ad externa omnia facile obnoxia, inficiunt. Per generationem vero, quoniam hic morbus humores vitiat & corrumpit, unde semen corruptum, qui sic affecti sunt, emittunt, & ex hoc proles vitiata ac corrupta procreatur, nam teste Hippoc. libro de aëre, aquis & locis, semen genitale ab omnibus corporis membris procedit, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, igitur qui à talibus procreantur parentibus, cu- B ratu admodum difficiles sunt, & magis si mater fuit infecta, quoniam duplici modo inficiuntur, cum ob generationem tum ob nutritionem, quam lactando accipiunt, adeo ut in his morbus fere vertatur in habitum ac naturam ut plurimum, tamen non scatent ulceribus sicuti parentes, sed sunt cacochymici, ac doloribus pleni, adeo ut plerique putarint eos arthriticos esse.

### CAP. III.

*De signis morbi Gallici.*

Quoniam plurimi, atque adeo vulgares Chirurgi hodie magno detrimento omnium (præcipue juvenum) omnia fere accidentia ad hunc morbum referunt, misere hominibus imponentes, ut ab ipsis (ut opinor) plus pecuniæ emungant, non incommodum judicavimus, huic nostro libello inserere signa, quibus potest hæc lues in principio ab aliis discerni, quæve Symptomata, ac accidentia eam comitantur. Cum quis igitur primo hoc morbo capitur (prius enim humores infectat, ac corrumpit quam partes præcipuas, aut solidas) sentit per universum corpus quandam lassitudinem ulcerosam, ac punctiones dolorosas cum leni febricula, præsertim corpore excalefacto. Liquantur enim tunc humores illi crassi, ac veluti moventur, exacerbanturque, præterea gravitates capitis, & dolores junctarum, eoque magis circa noctem, nonnunquam præcessere bubones venerei, gonorrhœæ, aliæque pudendorum exulcerationes, quæ non debite fuerunt curatæ, & expurgatæ, cætera ex relatu laborantium Medicus intelligere poterit. Quisquis autem hæc signa non perceperit, sciat suum morbum non esse hujus generis, sed alterius cujusdam fortassis pertinacioris, aut turpioris, eradicatuque difficilioris.

### CAP. IV.

*De ligni Guajaci viribus, natura, electione.*

Quidam hoc lignum in tria genera distinguunt, in lignum Sanctum, Ebenum, & Guajacum, nos autem idem genus censemus, sed diversas species, ob diversas, in quibus reperitur & crescit, regiones. Plantæ enim, Plinio & Theophrasto testibus, mutant colorem, formam, ac sæpe etiam vires, si in solum diversum plantantur, seminanturve, ob id concludimus omne esse Ebenum, de quo plurimum veteres scripserunt, ac præsertim Dioscorides, & Theophrastus. Tres igitur hujus ligni Ebeni sunt species. Prima, quam Guajacum vocant, densior, gravior, crassior, interiore parte nigricantior, exteriore subpallida, & veluti lineis quibusdam ad fuscum inclinantibus, in æque distantibus per longum interfecta. Altera ad albius magis vergit exterior pars, neque est tam manifestis lineis distincta, nigrum tamen & ipsum colorem intrinsecus ostendit, sed minore orbe quam præcedens. Tertia, quam valentiorem esse non dubito, quoniam & acrior est & odoratior, crescitque in regione calidiori, nempe in Insula Sancti Dominici, cujus etiam indolem (sicut & aliis simplicibus contingit) retinet, propterea nostro instituto non convenit, nisi fortassis in valde pituitosis & frigidis. Hæc autem tertia, quod præcipue lignum sanctum vocant, tam intrinsecus quam ex-

trinſecus albicantem colorem præ ſe fert, exilibusque valde lineis ejus diſtinguitur longitudo. Ex tribus hiſce lignis ego in caſu noſtro primum prætulerim, quod procul dubio verum Ebenum Indicum eſſe puto, nec ab eo cætera duo, niſi forte natalibus, differre, hoc divi Joannis Inſula ſuppeditat, multoque ſucculentius cæteris eſt, propter regionem minus peruſtam ſolibus, nam octo fere partibus, quos gradus nominant, ab Æquinoctiali longius, quam Sancti Dominici Inſula, remota eſt. Vires autem ac temperatura omnium eſt calida & ſicca temperate, aperitiva omnium pororum & viſcerum, præcipue hepatis, ſi cum medicinis has partes reſpicientibus (ut poſtea docebitur) detur. Poteſtque ipſius decoctio fere in omnibus morbis, ac temperaturis dari, tam calidis quam frigidis, humidis quam ſiccis, modo diverſimode coquatur, præparetur, permiſceaturque: fere enim ſinguli, in hujus ligni adminiſtratione & præparatione, in hoc uno peccarunt, quod omnes uno calceo (ut ajunt) calceandos exiſtimarunt, ſicuti fuſius in ſequentibus oſtendemus, cum ipſius præparationes diverſas, prout ſunt diverſæ naturæ, ac diverſi morbi, dabimus. Eligatur igitur lignum quantum fieri poteſt magis recens, mediocris craſſitudinis, ſuis corticibus adhuc veſtitum, odoratum, ac veluti gummoſum, ſeu oleaginoſum, ponderoſum, duriſſimum, guſtu ſuave quantum amarefcente, in potione tamen ſubacidum, quod hujuſmodi facultatibus præditum non eſt, emortuum ac obſoletum eſt. Non deſuerunt tamen quidam, qui vice hujus curationem aggreſſi ſunt decoctione ligni Buxi, ſed quantum hi à vero aberravere, doctis judicare relinquo, quum enim omnibus animantibus inviſum ſit, adeo ut ſomnum ſub hac arbore capere cerebro vehementer incommodet, quod ejus odor naturæ prorſus adverſetur, ab illo cavendum erit, alii non ſine optimo ſucceſſu ſcobem ligni Geniſtæ viridis decoxerunt, id quod etiam aliquando experti ſumus, tenuis enim eſt ſubſtantiæ, ac per urinam, & ſudores humores pellit. Verum cum nobis tanta copia ſit ligni Guajaci, non opus erit ex aliis remedium quærere, quoniam ſecundum in hac operatione non habet.

## CAP. V.

*De ligni Guajaci varia præparatione, ac decoctione.*

Communis modus inter Medicos præparandi hanc medicinam eſt, *accipe ramenta lima, torno, vel ſcobina, aut alio inſtrumento in tenuiſſimum, quantum fieri poteſt, pulverem redacta, in decuplaque puriſſima aqua, vitreo vel vitreato vaſe tamdiu claro igne, nec admodum vehementi bulliat, donec tertia pars excoquatur, quam aquam, pro medicata potione mane & veſperi bibenda, accipit.* Aliam vero aquam ex eodem quidem ligno, ſed in craſſiuſculas partes diſſecto, hoc modo parant. *Sunto ligni pars una, aquæ vigecupla, mundoque vaſe, vehementioreque, claro tamen igne bulliant, donec quarta tantum aquæ pars conſumpta ſit*, qua aqua inter prandendum, & cœnandum non alio potu ægri utuntur. Major pars vulgo *accipit libram unam dicti pulveris, aquæ libras octo, & coquunt ad medietatis conſumptionem, pro prima medicata potione bibenda mane & veſperi, hac decoctione colata, rurſum affundunt ſuper eundem pulverem aquæ limpidiſſimæ libras octo, iterumque decoquunt ad conſumptionem tertiæ partis, qua decoctione ægri, in prandio & cœna, interdiuque utantur, quotieſcunque ſitiunt.* Verum inter hos conficiendi modos magis laudarim priorem, quo etiam nonnunquam uſi ſumus. Sed qui hujuſmodi decoctiones parant, duplici modo peccant, altero quod non debite illas bulliant, ac coquant, altero quod uno calepodio omnes calceare velint, dantes unicuique laboranti eandem decoctionem, eodemque modo paratam, quum tamen eo pacto uni noceat, alteri opituletur, ſicut in ſequentibus patebit. quî enim fieri poſſet, ut una & eadem medicina eodem modo præparata, morbos omnes, & utplurimum invicem contrarios curet? conſtat enim non omnes ab omnibus ſimiliter affici, quare difficile creditu eſt unum medicamentum naturis omnibus convenire, fierique poſſe, ut naturæ, quæ interdum ſibi contrariæ ſunt, ab eodem reſtituantur, cum idem Ariſtoteli ſimiliter ſe habens ſemper comparatum ſit facere idem, contraria enim nunquam efficiet, quod contrariorum contrariæ ſint cauſæ, & perit quidque in contrarium, & à contrario. Cumque nihil, quod agit in eadem diſpoſitione, producere habeat effectus contrarios, ita ut proportio ejus, quod habet potentiam contraria operandi, cum ſe habuerit ad contraria, neutrum illorum efficiet eadem potentia. Plurimi tamen viri celeberrimi hujus medicinæ permiſtionem cum aliis nullo modo ferunt: neque ego is ſum, qui tantorum virorum, atque ſic de ſtudiis publice, privatimque bene meritorum, exiſtimationem maculare ſtudeam. Sed ſi quiſquam alius, ego certe cuique teſtis eſſe locupletiſſimus potero, quam ſit non modo laboris, ſed & periculi plenum, in novis ac inauditis novorum morborum curationibus verſari, quandoquidem hodie Rinocerotibus plena ſunt omnia, qui magis neſcio quomodo ſunt ſuſpicioſi, & ad contumeliam omnia accipiunt, nihil niſi, quod ipſi faciunt, aut dicunt, rectum putantes. Neque ob id hunc libellum edidimus, ſed ut ex mutua hujuſmodi collatione veritas magis eniteſcat. Porro nos potius veritati, ac noſtris quotidianis experientiis, quam opinionibus adhærere maluimus: quapropter relictis vanis, ac inutilibus diſputationibus, jam ad veram præparationem hujus medicamenti mature accedimus, porro cum hoc lignum medicina ſancta, ac prope adoranda ſit, & omnium affectuum utile Pharmacum, neceſſe erit illud, pro variis morbis, varie præparari, habet enim ingentem, ac occultam vim expellendi omnem materiam peccantem cum per urinam, tum per ſudores. Quamobrem Medicus ſolers, ac prudens eſſe debet, circa cognitionem cauſarum morborum, & corporis temperaturarum, quandoquidem multo exercitio, & diligenti inquiſitione uniuſcujuſque rei temperatura, naturæ facultas, & effectus cognoſcendus eſt. Niſi enim Medicus totius hominis, omniumque ejus particularum naturam, præterea omnium cauſarum ſalubrium, inſalubriumve vires exacte & ad unguem tenuerit, fieri nequaquam poterit, ut intemperatum ad eucraton reducat, ut ſanitatem tueri, & quo minus in morbos incidant præcavere, non etiam, ubi jam morbi advenerint, eoſdem depellere noverit, potius pro remedio ſæpe venenum porriget. Nam quantum intereſt inter cæcum aliena trepide & cunctanter veſtigia ſequentem, & inter oculatum ſecure & expedite incedentem, tantum intereſt inter rationalem, & imperitum ſeu Empiricum Medicum. At qui horum omnium habuerit notitiam, facile hanc noſtram medicinam omnibus accommodabit, addendo (verbi gratia) pro morbis calidis plus aquæ, & minus pulveris ipſius ligni, pro frigidioribus minus aquæ, ſed plus ligni: Imo ſæpe vice ipſius aquæ in frigidioribus & humidioribus addimus vinum, vel ſaltem dimidiam partem vini, aut alia ſimplicia morbis adverſantia, ſicuti poſtea exemplari demonſtratione declarabimus. Quibus patet, quam parum fidendum ſit indoctis & vulgaribus Chirurgis, qui magis hanc tractant, quam Medici ipſi.

## CAP. VI.

*De modo coquendi, ac præparandi decoctum ligni Guajaci.*

Pro vera & exacta hujus medicamenti decoctione. Recipe *pulverem Guajaci tenuiſſimum: hunc in vaſe lapideo ſeu vitreo ſuperiori parte ſtricto ponet, cum aquæ aut vini tali quantitate, atque affectus requirit, pro quo præparas talem decoctionem, deinde diligenter obſtrue orificium vaſis, adeo ut nullus vapor inde exhalare poſſit, poſtea pone dictum vas in lebetem aquæ plenum, adeo ut ipſa aqua ſuperet ea, quæ in priore vaſe ſunt, per ſpatium duorum, aut trium digitorum, mitte ad ignem carbonum bene accenſorum, & ſic bulliant per ſpatium decem horarum.* Quantum emolumenti ac fructus adferat hic modus coquendi, & præparandi medicamenta, licet videre ex Galeno, qui eo modo omnia medicamenta juſſit confici, item ex Joanne Maynardo Epiſtola quinta libri quinti decimi, ex Joanne de Rupeſciſſa, & in libro deſtillationum Raimundi Lullii, & ex recentioribus Hieronymi Brunſuicenſis, Gualteri Riffii, aliorumque plurimorum virorum celebriorum, & Chymicorum: eo enim pacto liquores ſtillatitii, ac alia pharmaca coqui deberent, & etiam cibus ægrotantium, vulneratorumque, ſicuti faventibus ſuperis dilucidius in noſtra Chirurgia demonſtrabimus. Sed nunc, proh dolor, inertia neſcio an magis dicam Medicorum an Pharmacopolarum factum eſt, ut nullis adhibitis rationibus, aut regulis omnia, propter ſuam avaritiam, ſuo more tractent, ac depravent, ſed de his alias.

## CAP. VII.

*De regimine eorum, qui potionem ligni Guajaci aſſumunt.*

Cum ratio victus maxima ac potiſſima pars ſit curationis (omnis enim ægritudo, teſte Galeno, non ſemper curatur ſuo contrario, ſed ſæpe ſufficit bene inſtituta victus ratio) de illa inprimis aliquid à nobis dicendum eſt, antequam hujus morbi curationem aggrediamur. Hoc igitur obſervabis, ne valde tenui diæta ægrum (ſicuti vulgus facit)

laceſſas, ſed dabis illi tantum cibi boni ſucci, quantum ipſius natura poſtulat. Nam ut inquit Hippocrates Aphoriſmo quarto libri primi, Victus tenuis & exquiſitus in morbis longis ſemper periculoſus eſt, & Aphoriſmo quinto ejuſdem. In tenui victu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. Hic autem morbus ex eorum numero eſt, quare illi non conveniret hujuſmodi diæta, quoniam fames magis vires infirmat, quam conſervat, & qui ægritudine longa laborant, vires augere non debent, ſed bene conſervare, aliter uſque in finem non ſufficerent, propterea hi modico, bonoque victu cibandi ſunt, qui etiam ſanis convenit, in quibus vires augere non cupimus, ſed illas ſolum conſervare animus eſt. Conjectare enim oportet, ut Hipp. monet Aphoriſ. nono libri primi. Num æger cum victu ſufficiat perdurare citra virium lapſum, donec morbus conſiſtat. Nimia enim inedia vires dejicit, humidum ſubſtantificum depaſcit ac diſſipat, caloremque naturalem extinguit, adeo ut vitam hominis abbreviet. unde plurimi, qui talem abſtinentiam, cum curarentur, obſervavere, poſtea cum ad priſtinam vivendi rationem reverterentur, in plurima ac prava inciderunt accidentia, ut ſunt hydrops, cachexia, & his ſimilia, qua de cauſa non erunt ægri his extremis diætis lacerandi, duntaxat abſtinebunt à pravis cibis. Utantur igitur carnibus vitulinis ovillis, pullis, avibus monticolis, perdicibus, phaſianis, & in genere omnibus, quæ nata ſunt bonum ſanguinem procreare, iiſque aſſis, præcipue in frigidioribus & humidioribus, elixis autem in calidioribus, & ſiccioribus naturis, & morbis, ſed elixari, ac coqui debent, quemadmodum ſuperiori capite ſexto oſtendimus de ligno Guajaco præparando, addendo herbas convenientes, & ſal in quantitate ſufficienti ad inducendum bonum ſaporem, quamvis vulgus medicorum hoc tanquam venenum prohibeant, nos autem nugas eorum hoc tempore nolumus perſequi, ſcimus illud unum eſſe ex his, quæ corporis ſubſtantiam conſervant & conſtituunt, quod manifeſtum fit ex omnibus excrementis ab ipſo corpore egredientibus, ſalſa enim ſunt omnia. Menſuram cibi juſtam non poſſumus dare, nam unus majori, alius minori quantitate contentus eſt, prout diverſæ ſunt naturæ. Sed illud addere oportet, quod unicuique tantum dandum erit, quantum natura ſua requirit, moderate tamen, ita ut à menſa ſurgat adhuc cum appetitu, qui modus virium conſervativus erit, tutius tamen videtur, ut cœna minor ſit prandio, quo mane, dum aqua bibenda erit, ſit plene concocta. Quotidianus potus erit ipſa Guajaci decoctio præparata, ut in ſequentibus oſtendemus, quod ſi vires nimis debilitentur, dabimus in prandio & cœna modicum vini Rhenenſis, aut alterius odoriferi, lymphati ex dimidia parte dictæ decoctionis. Veruntamen ab omni cereviſia, alioque potu, & ab omni ſomno diurno, & venere arceatur, talis erit victus ratio omnium tam Juvenum, quam Senum & mulierum.

## CAP. VIII.

*De cura eorum, qui ſibi vacare poſſunt, & liberi ab externis negotiis ſunt.*

Qui liberi omnino ſunt, neque civilibus negotiis detinentur, facilius cæteris curabuntur. Præcedentibus igitur tam particularibus, quam univerſalibus evacuationibus, prout diverſi morbi, ac humores peccantes poſtulant, mane diluculo circiter horam quintam dabitur illis ligni decoctio ad uncias octo calida, quantum ferre poterunt, poſt cooperientur diligenter, ita ut egregie ſudent per duas horas, ſi tantum tolerare poſſint, maneantque valde quieti illo tempore, vel dormiant, poſt hæc calidis linteaminibus, & mundis abſtergatur ſudor, potiſſimum circa caput, novoque induſio veſtiantur, deinde igni lignorum quercus bene accenſo accedant, cæteraque veſtimenta induant, & leviter tamdiu inambulent per cubiculum (quod natura, aut artificio ſemper tepere debet) donec aqua è ventriculo deſcendiſſe videatur, tuncque prandeant circiter horam octavam, aut paulo poſt, & prius ſumant jus carnium ſupra dicto modo coctarum, cum modico panis αὐτοπυρᾶ, qui melior in hoc negotio cæteris eſt, poſtea carnes ad quantitatem, antea à nobis præcriptam, à cibo rurſum conveniet levis illa deambulatio in cubiculo, vel lectio alicujus faceti autoris, aut confabulatio jucunda cum amicis, vel ludus aliquis delectabilis, quo ipſi maxime delectantur. Veſperi ubi jam concoctum prandium erit, quod fiet circiter horam quartam pomeridianam, rurſum viij. uncias ejuſdem aquæ bibant, non valde calidæ, deinde ſudent ut ſupra, poſt horam unam cœnent, & ad lectum ſe transferant, totaque nocte dormiant, eandemque præciſe ordinem per continuos dies ſeptem ſervabunt, die vero octava ex præſcriptis purgatoriis potionibus accipient, nec eo die primam illam aquam bibent, ſequenti, hoc eſt nona die ad potum primi decocti revertantur, eoque per alias ſeptem dies, quo ſuperius diximus, modo utantur, ſicque uſque in finem curationis tractentur, his niſi alvus ſponte ierit *Clyſmatibus ex eadem aqua factis, adjecto melle roſaceo, & oleo chamæmelino, ſalis modico molliendа erit*, quod etiam prioribus diebus agendum, ſi opportunum videbitur, abſoluta cura diebus tranquillis & ſerenis domum exire poterunt.

## CAP. IX.

*De ſervorum, & qui ab externis negotiis liberi non ſunt, cura.*

Plurimi adeo ſuis divitiis addicti ſunt, ut, quid ſit libertas, protinus ignorent, & magis ſerviles ipſis ſervis ſunt, alii ob bonorum penuriam ad talem ſervitutem rediguntur. Hi autem omnes cum ſibi vacare non poſſint, accipient iiſdem horis, ac in ſimili quantitate potionem ex vino, ut poſtea dicemus, præparatam, ſudabuntque eodem tempore, prandebunt etiam, ac cœnabunt ut reliqui, poſt exire poterunt, & tractare pro lubito ſua negotia, caventes ne exeant tempore nubiloſo aut frigido, flante borea, vel auſtro, qua propter iſtis non erit aptius tempus ipſo vere: hoc pacto nos plurimos curavimus. Tempora ad hujus morbi curationem maxime apta, ſunt in primis Ver, ſecundo loco Autumnus, ultimo Hyems. Æſtas vero nullo modo conducit, niſi vehementer frigidis, & humidis naturis.

## CAP. X.

*De modo præparandi decoctionem ligni Guajaci pro pituitoſis, & melancholicis.*

Pro pituitoſis, frigidis ſcilicet & humidis, & melancholicis, frigidis & ſiccis, parabis iſtud ſalutare medicamentum. Recipe *pulveris ligni Guajaci pulveriſati, ut in principio hujus dictum eſt, uncias duodecim, aquæ fontanæ pro pauperibus libras ſex, pro divitibus vini tantundem, macereturque per diem & noctem, dein in vaſe ponatur, coquaturque, ut ſupra demonſtratum eſt capite ſexto per decem horas; deinde colatur pro prima potione*; quæ mane & veſperi exhibenda erit quantum ferre poterit calida ad uncias octo. Pro ſecunda autem. Recipe *dicti pulveris untias ſex, aquæ vel vini libras duodecim, coquantur in eodem vaſe per ſex horas, colenturque pro ſecunda potione bibenda in prandio, cœna & interdiu.*

## CAP. XI.

*De modo decoquendi Guajacum pro biliioſis, ac ſanguineis.*

Recipe pulveris dicti ligni uncias octo, aquæ fontanæ puriſſimæ libras octo, macerentur, atque decoquantur, prout in ſuperioribus oſtenſum eſt pro primo potu. Pro ſecundo autem, Recipe *dicti pulveris uncias quatuor, aquæ libras vj. coque, ut ſupra, per quatuor horas.* Quod ſi hujuſmodi ex illiberalibus ſint, ita ut ob negotia in cubiculo minime manere poſſint, decoquendo adde vini dimidiam partem, & fac ut in aliis.

FINIS.

GUILLELMI RONDELETII,

*Medicinæ in Schola Monſpelienſi Profeſſoris Regii, & Cancellarii,*

DE

# MORBO GALLICO,

## LIBER UNUS.

Morbum Gallicum novum eſſe morbi genus, omnes ingenue fatentur. Qui quidem contagioſus eſt, & maxime ſi per coitum maris & fœminæ contractus ſit. Eſt autem intemperies humida, & multorum ſymptomatum cauſa. Et hoc pro diverſitate humiditatis, & corporum patientium. Quare ſic deſcribemus. Morbus Gallicus eſt intemperies mala partium externarum cum humore contagioſo, ex venereo contactu mediate, vel immediate contracta. Ad quam puſtulæ plurimum, & mala ulcera, vel dolores ſequuntur. Hujus deſcriptionis partes explicare, & demonſtrare conabimur, quia cum iis, qui hodie de hac materia ſcribunt, non convenit. Nos hunc morbum ſub intemperie collocavimus, quia primum intemperies maſſam ſanguinis inficit, deinde cacochymia naſcitur, à qua puſtulæ, tumores, ulcera, doloreſque naſcuntur. Nemo ibit inficias, morbum eſſe intemperiem, quæ humores corrumpit. Nam in hoc omnes fere conveniunt. Sed à nobis in ſpecie diſſentiunt, ut Montanus vir doctus putavit eum morbum calidum & ſiccum eſſe, quem tamen curat calidis & ſiccis medicamentis, ut Guajaci decocto, & aliis omnino exſiccantibus, quibus, ſi ſtaret ejus ſententia, potius foveretur & exacerbaretur morbus, quam curaretur, aut mitigaretur, frigida nimirum & humida poſtulante, & imperante, morbi natura. Verum cum frigida & humida huic morbo plane, & velut ex diametro contraria eſſe nos & experientia, & eorum, quos mala hæc lues infeſtat, teſtimonia doceant, quis ita in Montani verba juravit, ut illam ejus definitionem mordicus retinere, & pertinaciter defendere conetur? A frigidis autem & humidis humoribus tantos excitari dolores nemini mirum videri debet. Nam vidi ego multos ex ſola capitis & pedum lotione in ſummos & acerrimos incidiſſe dolores, ob introductam frigiditatem & humiditatem nimiam, quos tamen dolores multum calidis ſedari quotidie experimur. Quare ſi à juvantibus & lædentibus ſumitur indicatio, haud dubie morbus hic, intemperies frigida & humida erit, ut ex rei natura, atque affectibus apparet. Cæterum materia illa humida diutius moram in corpore trahendo incraſſatur, & acrimoniam acquirit, tandemque partium temperamentum immutando, ipſaſque partes divellendo, aut arrodendo, continui ſolutionem, quam vocant, efficit. Hæc autem humida intemperies, pro corporum, in quibus concluditur, varia natura, alia atque alia evadit. Nam ſi corpus, quod hoc morbo corripitur, ſanguine abundet, ſtatim infecto ſanguine puſtulæ erumpunt ſine dolore; quod arguit materiam non eſſe aduſtam. Sunt & in aliquibus puſtulæ, veluti carnoſæ, in aliis ichores in capite à ſubſtantia craſſa & viſcida, quæ quidem puſtulæ mitiores ſunt ob humiditatem, minus frigidæ, ob ſanguinis calorem. Sed hoc tantum in principio, & eo tempore, quo maligna illa qualitas nondum infecit ſanguinem, neque immutavit. Poſtea vero oboriuntur dolores, qui noctu infeſtant, & interdiu ceſſant. Mitigantur autem calidis, frigidis vero & humidis exacerbantur. Procedente vero magis morbo, & corpore magis affecto, frigidior redditur morbus. Et cum fiant ulcera, id à pituita ſalſa fieri certum eſt. Quare nos materiam pituitoſam & viſcidam hujus morbi cauſam eſſe hinc colligimus, quod dolores articulorum ſine calore fiant circa noctem, & citra manifeſtum tumorem in partibus carne denudatis, ac ligamentoſis, ut circa cervicem, claviculam, caput, ſternum, anteriores tibiæ partes, & in aliis oſſibus multum à capite diſtantibus. Nam hæ partes omnes frigidæ cum ſint, alimento pituitoſo nutriuntur. Et cum hi dolores à recrementis partium fiant, ut in tibia, vel à defluxione à capite, à quo pituita redundat, vel ab illis oſſibus, non poteſt eſſe alius humor. Et hinc fiunt dolores omoplatarum, qui pituitam ſubeſſe declarant. Fiunt etiam in pituitoſis corporibus per defluxionem, cum ſubito tumores & dolores contingunt. Fieri autem à pituita, tumorum apertio oſtendit, qui cum ſecantur, vel uruntur, pituitam viſcidam & pus viſcoſum emittunt. Quare miror, cur alii melancholiam, alii aſſatum humorem, vel aliam materiam eſſe dicant. Hoc enim unum argumentum ſatis eſt (ut opinor) efficax ad ſententiam noſtram probandam; quo etiam Galenus utitur, cum docet inflammationes à ſanguine fieri, tum alibi, tum libello de tumoribus præter naturam. Illud quoque probare poſſumus ex iis, quæ poſt ſudationem excernunt. Quandoque enim exſpuitione liberantur à dolore, & perfecte curantur. Morbum hunc humidum eſſe ſatis oſtendit ſanatio. Curatur autem reſiccantibus & moventibus ſudores, potius, quam moventibus urinas vel ventrem laxantibus. Quare colligendum eſt, morbum eſſe partium externarum, ut cutis, carnis, junctura-rum, & partium frigidarum. Ob id infeſtantur frigidæ partes doloribus, ut caput, articuli, ſura, ſternum. Partes vero internæ non multum inficiuntur, quia calidiores ſunt, & excrementa facilius concoquunt, aut expurgant. Quod autem ſint partes externæ primum affectæ, deinde internæ, hinc manifeſtum eſt. Cum enim fiat per contactum hic morbus, quæ prius tanguntur partes, & excrementis pituitoſis, vel humidis abundant, primæ omnium inficiuntur. Et ſi ulcus primum in pene ſit, ex coitu fiat neceſſe eſt, à contactu partis affectæ. Deinde emunctoria inguinum, quia hæ partes agitatæ incaleſcunt, vel à materia venenoſa tanguntur. Si vero ob dormitionem, tunc cutis afficitur ob panni, aut hominis venenoſi contactum. His autem partes oris & pulmonum læduntur, qui inter cœnandum, aut accubandum, & ore tetram & venenatam auram hauriunt, & veluti venenatum alterius ſpiritum excipiunt. Quo fit, ut qui feſtinanter & ſine oſculo, averſoque capite coëunt, non tam facile hoc morbo corripiantur, neque illis puſtulæ in fronte & occipite excitantur, quia non multa materia in eo loco abundat, & quia partes illæ excrementa tertiæ concoctionis, quæ morbum faciunt, facilius expellunt, quemadmodum videre eſt tempore ſanitatis. Nam cum ſudamus, ſudor fere à fronte incipit, & nunquam aliquis ſudat, quin circa caput ſudet, ob humiditatis, excrementorumque copiam. Steatomata, & exoſtoſes (Gallice, ſubros, Italice, quies, vocantur) non niſi à materia viſcida & craſſa fieri contingit, ut diſſectio eorum, qui mortui ſunt, & tumorum præter naturam apertio, denique ipſa curatio oſtendit. Non me latet in multis herpetes fieri, ſed miliares, qui ex bilis & pituitæ admixtione ortum habent, idque in corpore bilioſo. Neque tamdiu durarent herpetes, niſi illa pituitæ admixtio adeſſet. Fiunt etiam furfures, aut inæqualitates in cute, & pruritus. Quæ omnia, non minus à pituita ſalſa fieri exiſtimandum eſt, quam à bile. Quod nemo ſana mente negabit. Quod ſi ulcera fiant, non curantur, niſi corpore prius evacuato, & hoc potiſſimum per ſudores. Quare ſi à materia calida & ſicca morbus fuerit, hiſce remediis potius foveretur, quam curaretur. Nec vero minus ridendi ſunt, qui frigidum & ſiccum morbum eſſe ſtatuunt. Nam hæc remedia ſicciorem redderent, atque ideo magis læderent. Et tamen, quæ ſicca ſunt, curant, ut *lignum Guajaci, China, ſalſaparilla, argentum vivum, & ejuſmodi alia.* Ergo nullo modo frigidus, & ſiccus morbus eſt. Quod dolor ſit potius in externis, quam in internis, indiſectione patet. Pericranium enim læditur, à quo dolores fiunt extenſivi, ita ut videantur pili ſurſum erigi. Circa ſternum etiam, & in epomide, & in ſuris eſt dolor. Oſtendit etiam id ſolutio, quod non niſi ſudore morbus ſolvatur, aut frequenti & magna alvi dejectione, quæ longo temporis tractu habitum corporis ſiccat, & inedia, quæ tales humiditates abſumit. Quare cum elephantiaſi convenit, quia partes occupat externas. Sed in hoc differt, quod morbus Gallicus à partibus externis incipit, Elephas ſive lepra à partibus internis ortum habet. Et ad externas progreditur Elephas, ad internas vero repit morbus Gallicus. Hoc etiam in pueris natis ex matre, vel patre infecto oſtenditur, hic enim morbus in partibus externis relucet, ac apparet. Ego vidi puerum naſci totum coopertum puſtulis morbi Gallici. Hoc facit etiam, ut morbus ſit contagioſus. Nam partes externæ, ſi externis ob-

*Morbi Gallici deſcriptio.*

*Montani error.*

*Doloris cauſa.*

jectis apponantur, magis afficiunt, ut qui carne sunt molliore & rariore cute, citius hoc morbo corripiuntur per contactum. Quare non mirum, si ophthalmia videndo acquiratur, scabies & hic morbus contactu, quia cum in extremitate cutis exiitat, effluit aliquid, quod intro receptum, oculum inficit, sic carnem jecur, reliquum corpus. Argumento est, quia morbus Gallicus, qui neque scabiem, neque pustulas habet, sed dolores tantum, raro contactu illo contrahitur, nisi cum ulcus, vel scabies, vel pustulæ ægrum infestant. Neque etiam post sudationem morbus hic, ut prius, infestat, neque ab aliis corripitur, nisi per contactum venereum. Qui excernunt excrementa pituitosa, satis declarant morbum esse frigidum. Neque aliquis contrarium docere potest, etiamsi in quibusdam aliqua bilem ostendant, ut herpetes, aliqua sanguinem. Hoc enim evenit, quia morbus in corpore pleno bile factus sit, vel melancholico, vel sanguineo. Et hoc in principio. Nam morbus tandem corporum illorum temperiem immutat, & pituitosus morbus vere tunc fit & apparet.

Mediate vel immediate aliquis corripi hoc morbo potest. Nam qui per contactum patitur, vel à nutrice, vel à parentibus, vel ab aliis accepit, vel per veneris contagionem. Et per contactum, vel cum nutrice, vel cum parentibus, vel cum aliis mediate. Non enim contingit videre aliquem tali morbo correptum, qui caste pudiceque vixerit, nisi qui cum infecto sit versatus. Quare neque vitio alimentorum, neque ab astrorum influxu, ortum habere potest hic morbus, sed ex India, in quo loco frequens est, & forsan familiaris ac proprius morbus, ut olim Carbo in Gallia Narbonensi, Lepra in Alexandria, Bronchocele in montibus Sabaudiæ. Hanc luem veneream contagiosam esse nemo negare potest, nisi qui sensum & experientiam negare non veretur: Nam ex contactu venereo primum fit, & magna ex parte tunc à pudendis incipit. Fiunt enim extra ulcuscula, quæ quamvis parva sint, dysepulotica tamen sunt, & curatu difficillima. Vel intus fit inflammatio, in glandulis paraftatis, qua parte fluit semen cum pure. Ob id hoc aliqui appellant gonorrhœam. Si vero spuma, vel sanies aliqua, inguina contingat, vel cum hoc plus justo moventur, vel cum partes reseratæ internæ, vel externæ sanguinem trahunt, tunc bubones fiunt venerei. Pueri lac sugendo vitiosum ore malum contrahunt. Cum vero nutrices à pueris accipiunt, tunc in mammis primum fiunt ulcera. Fit etiam hic morbus iis, qui post aliquem hoc infectum bibunt. Alii cum ægrotis dormiendo hanc luem contrahunt, & tunc in cute tota apparet, & præsertim in ea parte, qua ægrotum tetigerunt. In principio fiunt papulæ & ichores, & potissimum in inguinibus in iis, qui concubitu sibi morbum contraxerunt. In pituitoso, vel in eo, qui recidivam patitur, dolores ac tumores frigidi & duri fiunt. In biliosis, ulcera κακοήθεα. In habentibus tenues humores, alopecia (de qua dicemus in fine hujus tractatus) in aliquibus fissuræ manuum & pedum. Omnia hæc à pituita salsa fluunt: sunt, quibus cuticula sola deperditur, quia humor serosus & salsus ob suam tenuitatem cutim penetrat, ac cuticulam abscedere facit, ita ut siccata decidat in frusta. Dicere vero, quod morbus habeat occultam quandam naturam ac venenum, est confugere ad sacram illam divûm anchoram. Non nego in quibusdam morbis proprietatem quandam inesse, in aliis idiosyncraliam. Sed in quibusdam magis est evidens, quia magis familiaris. Quemadmodum phlegmone differt ab Erysipelate, febris tertiana à quartana & ephemera. In aliis minus evidens, ut in epilepsia, suffocatione uteri, apoplexia, & etiam in hoc morbo. Cui si inest aliqua vis deleteria occulta, & in scabie quoque erit, quia scabies non minus contagiosus est morbus, quam Gallica lues. Quod si in scabie idem sit, etiam in herpete, erysipelate, & aliis morbis idem erit. Verum in hoc morbo proprietatem, & singularem quandam naturam concedamus. Corpus enim ita inficit, ut ossa dura emolliat, afficiatque tumoribus & carie, nullo extrinsecus apparente vitio in cute. Dolores pituitæ motum sequuntur, vel serosorum humorum naturam. Quare non tam occultus est, ut sibi, & aliis multi magni viri persuaserunt. Et quia hoc crediderunt, remedia à proprietate occulta curare, coacti fuerunt dicere. Quanquam rationem non minus evidentem reddere possumus, quam cur *aqua maris* scabiem curet, vel *lixivium* siccet partem præhumidam, & quæ detergunt, vel per halitum digerunt, curent ictérum. indocti & imperiti est ita tim ac subinde ad sacram illam anchoram confugere. Sed hoc à plerisque fere omnibus fit, ut levi negotio tese à multis difficultatibus extricent. Hoc autem tum faciendum, cum evidens causa nulla est. Tunc enim verisimile est à tota substantia, vel cæca causa provenire, ut cum dicimus *rhabarbarum*, vel *scammoneum* hunc, vel illum humorem trahere cum delectu. Cujus rei rationem reddere nemo potest, nisi ob similitudinem substantiæ, vel quandam sym-

*Quemodo fiant bubones venerei.*

*Occulta proprietas.*

*Scabies contagiosa.*

*Hujus morbi proprietas.*

pathiam. Sed quod *argentum vivum Guajacum*, *China*, *salsa parilla*, & *alia multa* curent hanc affectionem, causa evidens est non occulta, scilicet, quia morbo adversantur, & siccando movent sudores, & evacuant à partibus affectis humorem morbum facientem. Quod postea monstrabimus, si prius de notis, & curatione in universum dixerimus.

Morbus hic sincerus est, & nulli permixtus, cum partes externas occupat, nec offuscatur alio morbo evidenti, vel symptomate aliquo. Tunc manifestus est lippis & tonsoribus scilicet, cum ulcera in pudendo post coitum, & pustulæ in fronte & capite erumpunt. Quod qui videt, morbum esse Gallicum secure potest pronunciare, & præsertim si accidat ei, qui cum scortis versatur. Quod si virgini, aut religioso accidat, dubitamus quodammodo, & talem morbum esse dicere veremur, sed fucate pronunciamus calorem hepatis esse, cum fissuræ manuum, vel papulæ, vel alia exanthemata apparent. Item, si herpetes appareant cum tali morbo, vel tali dispositione, tunc morbo evidenti omnia appingimus, & sub manifesto alium occultamus, utpote Gallicum, cum quo difficillime dignoscitur, & sic tectus facile latitat. Si in capite, ac aliis partibus nihil mali extra apparuerit, tunc multi negant se morbum pati propterea quod neque ulcera, neque tumores habent in manibus, aut aliis membris. Quare oportet hunc morbum dividere in primum morbum & recidivum, & rursus in primum, & secundum, & secundum in causas morbi, & in corporis intemperaturas. Nam alius est, si contactu venereo immediate factus, vel mediate fuerit. Alius in sanguineo, alius in biliosо, alius in melancholico, alius in recidivam patiente, alius, si renascatur, vel à novo concubitu, vel quia imperfecte fuerit curatus.

### *De signis morbi Gallici incipientis.*

Deprehenditur morbus ex causis præcedentibus, & ex iis, quæ mox apparent, & quæ sequuntur. Si vir aut mulier vago concubitu utatur, hujus morbi suspicio habenda est. Si vero, qui nos adit & consulit, morbum hunc fit passus, nobis suspicio augetur. Magis etiam, si in fronte papulæ carnosæ, vel in capite pustulæ aut crustæ appareant sine dolore, & subito obortæ sint, aut si cum his signis ulcus in pudendo, vel intus, vel extra sentiatur humidum, curatu difficile, vel cum tumore, vel exuberantia carnis, vel gonorrhœa, quam vocant. Sunt enim hæc certissima morbi Gallici signa & indicia, quæ fere in sanguineis & biliosis apparent. Hinc etiam conjecturam facere licebit, si post concubitum nulla purgatione usi fuerint, aut sanguinem sibi mitti non curaverint. Hoc enim solent facere, qui morbi hujus suspicionem habent aliquam, unde solent morbum incipientem curare, aut ita debilitant, ut non nisi post longum tempus se ipsum extra prodere aut proferre possit. Quare cum in aliquo aliquas notas morbi Gallici videmus, debemus interrogare, utrum illa supradicta egerint, an aliquo morbo correpti fuerint ab eo tempore, qui quidem potuerit immutare, & retardare morbum Gallicum, ut febre tertiana aut alia, in qua multi sudores erumpunt. Quod si morbus sit in habitu corporis, & refrigeretur, tunc latitans morbus erumpet. Ut accidere vidi cuidam, qui morbum latitantem patiebatur, ut ex fissuris & crassitie volæ manuum & pedum conjeci. Is dysenteria correptus fuit, qua curata gravissimo capitis dolore fuit divexatus, qui dolor nunquam sedari potuit, nisi inunctione argenti vivi. Si qui dolores omoplatæ, clavicularum, & sterni, cum vel sine ulcere, & tumores illos duos in capite, vel brachiis, vel labiis patiantur, præcesserintque exulceratio in mentula intra vel extra, & bubones venerei, qui non profluxerint, sed retrocesserint, vel indurati sint, eos morbo Gallico laborare certo & intrepide, etiamsi negent, affirmare possumus. Si ulcus in aliqua parte ortum sit ei, qui aliquando morbum Gallicum passus est, a thibita fuerint remedia convenientissima, & non curetur, hunc in cachexiam ex morbo Gallico incidisse certum est. Itaque *in unguento sublimatum vel argentum vivum addere oportet*, ut ulcus curetur. Quod si non cessat ob id, verendum ne in habitu corporis retineatur, ac tegatur aliqua morbi Gallici lues. Quare toti corpori adhibenda erunt remedia. Si corpus extenuetur, & ischiadicum dolorem patiatur, morbum Gallicum esse censendum est, & remediis opportunis curare oportet. Si quis dolorem dentium frequenter sine carie, cum Ischiadico dolore sentiat, vel cum dolore capitis, vel omoplatarum, vel sterni, & dolor magis noctu, quam interdiu infestet, & post aliquam levem calfactionem, tunc morbum Gallicum certo pronunciare possumus. Si quis areas habet circa crotaphitas, & in occipite, à morbo Gallico, est vulgo dicta (la Pelade.) Quod si barba cum supercilиis decidat, magis etiam certum erit. Qui fissuras manuum & pedum frequentes habent, à morbo Gallico imperfecte curato ista si-

*Certissima morbi Gallici signa.*

*Historia.*

*Qua certo morbum Gallicum indicant.*

*Cachexia ex morbo Gallico.*

bi accidere credant. Si quis ungues veluti leprosos habeat, hoc morbo Gallico referat acceptum. Hæc autem affectio vulgo ab unguibus (unglade) vocatur. Denique qui cuticulam manus sine pruritu mutant, hinc sciant morbi Gallici esse sobolem, quæ vulgo (la parulelle) dicitur. Hæc autem, quæ sequuntur, inter notas morbi Gallici non obscuras licet agnoscere. Qui hoc morbo corripiuntur, tristes sunt, & statim post contractum morbum in illis exstinguitur venus, & mentula mollis & humida efficitur, dummodo non sit ulcus in interna vel externa ejus parte. Nam ulcus solet priapismum, sive distentionem provocare, & aliquando ad venerem irritare, ob excrementa acria. Sternum dolet in hoc morbo, quæ una est ex certissimis notis. Sentiunt & contractionem thoracis sine difficultate manifesta respirationis. Dolet etiam epomis & omoplata, quia musculi illi tenues & membranosi sunt, atque etiam pars occipitis dolet.

### *De Curatione.*

Morbus à plenitudine est, itaque evacuatione curabitur. Sed cum plenitudo possit esse conjuncta cum aliqua prava qualitate. morbo correptus non refrigerabitur, etiam si evacuetur per sanguinis missionem, quæ quidem conveniens erit, modo ætas, regio, tempus & vires consentiant, & modo morbus sit in principio, & cum pustulis, scabie, vel ulceribus. Nam si dolores capitis & articulorum dimvexent ægrum, missio sanguinis tunc non competit, quia refrigerat, & refrigerando morbum auget, ac deteriorem reddit, latitantemque frequenter detegit. Quare cum summa animadversione videndum est, an sanguis mitti debeat. Quod si morbi magnitudo ac corporis vires, & temporis constitutio sudeat, primum excrementa alvi & ventriculi evacuanda erunt, vel bolo, vel syrupo. Pillulis, si alias formas remediorum assumere non possit, vel si pituita evacuanda sit. Pillulæ erunt *ex aloë tantum non lota, vel ex hiera, vel pillulis ante cibum, vel sabellis, & aliis quæ plus aloës recipiunt.* In omni morbo Gallico inter omnes pillulas convenientiores erunt *pillulæ ex aloë.* Nam sola *aloë* morbum curat exsiccando.

*Quando vena secta non competit.*

In principio morbi, & temperaturis calidioribus sic erit progrediendum. Si morbus initio est cum scabie, vel herpetibus, vel ulceribus, minoretur *syrup. ros. solutivo*, qui syrupus magis dicetur convenire, & etiam in temperaturis calidioribus. Paretur ergo ut sequitur. Recipe *syr. ros. lax. unc. iij. decoctionis mercur. unc. iij. misce*, capiat mane die præcedente missionem sanguinis, vel si quis malit *cassiam cum cathol. in forma boli* poterit accipere. Si morbus inveteratus & pituitosus magis sit, vel in corpore pituitoso, ea quæ componuntur *ex senna, carthamo, & agarico*, sunt efficaciora, vel *ex diaphœnico, vel indo majore, cum aqua enulæ camp. vel betonicæ vel absinth. misceantur.* Quare talibus, ut postea docebimus, erit utendum. Sed nunc morbi incipientis curationem trado, & in plethorico, vel multum sanguineo. In crastinum ergo minorativi, mittatur sanguis è vena basilica dextri brachii, nisi ulcus, vel affectus in altera parte fuerit, altera illæsa, vel minus affecta. Quantitas sit unc. iij. vel iiij. primum, in crastinum vero unc. vi. vel vij. si vires ferant, rursus detrahantur. Hic affectus, ut lassitudo, curandus est, in qua lassitudine Galenus iterat missionem sanguinis ad animi usque deliquium. Quod nunc non censeo faciendum, sed quantum vires ferre poterunt. Si morbus sit adhuc in principio, & materia sanguini permixta, materiam illam ab habitu retrahere non possumus nisi evacuatione magna. Quæ etiam ratio instituenda erit in iis, quibus sanguinem mittere non licebit Eos enim purgabimus multum, & frequenter, apozematibus, & syrupis compositis ad serosos, & pituitosos humores detergendos; quales sunt *syrupus de fumaria compositus, syr. de epithymo, qui dantur cum sero lactis* si bilioſus, vel calidior fuerit, vel *cum decoctione mercur. & boraginis, vel cum aqua absinthii*, quæ in ista specie optima est, ac etiam pituitosa. Siccat enim, & adstrictionem depositi separata aquea & aërea, ac ignea substantia à terrestri, vel fiat sic.

*Vena secta.*

Syrupus ad serosa recrementa, & aquea, & ad illa quæ satis sunt præparata à natura, & separata ab humoribus laudatis, qui quidem purgat, sed prius præscribendum est medicamen laxans, utpote minorativum ex supra scriptis. Recipe *cichor. endiviæ, scariolæ, lupuli, fumi terræ, acetosæ, herbarum capil. ana m. j. brassicæ marinæ m. ß.* (*si sicca fuerit ponatur ad unc. iij.*) *prunorum, sebesten, passul. ficuum ana par. 20. anisi drach. iij. semin. carthami, polypod. querc. ana unc. iij. fœnæ orient. unc. iiij. si brassica sit, sin minus lib. ß. florum bugloſſi, borag. ana p. j. anthos, & chamæmeli ana p. ß.* (*chamæmelum caput & partes relaxat, & dolores ventris, à senna & polypodio excitatos, compescit, aut inhibet ne fiant*) *Sacchari q. s. fiat. syr* quem continuet per quinque dies. Priusquam autem præscribatur medicamentum laxans, consideretur evacuatio facta per syrupum. Quod si non moverit syrup. ob corporis constrictionem, ei adde *syr. ros. lax. unc. j.* Et alternis diebus tunc utatur, vel die præcedente medicamentum eradicativum. Quod si laxaverit quinquies, sexies, vel pluries, considerata corporis plenitudine, vel cacochymia, *medicamentum paretur ex confect. hamech, vel succo ros. vel electuario diacarthami.* Utile enim est corpus bene purgare. Quod si non possit tolerare, frequentius non erit dandum medicamentum. Neque tamen evacuationem per cutim tentare oportet, quin prius corpus sit mundatum à recrementis, ne fiat major attractio, quam per cutim evacuari possit. Quod si fiat, vel non curabitur, vel recrudescet brevi morbus, vel deterior reddetur. Novi ego multos, qui post inunctiones & diætas, dolores, vel exostoses passi sunt, cum antea nihil tale passi essent, quia materia fuit attenuata, liquefacta, & ad partes externas attracta, non autem evacuata. Quare multum vel frequenter corpora illa vacuanda censeo in principio. Si vero minus licet tantopere vacuare, post tres certe inunctiones exhibendum medicamentum, ut quæ liquata sunt, evacuentur. Medicamentum debile non potest vacuare ob sudationem, quæ extra ad cutim evacuat materiam. Forte vero medicamentum periculosum est, tum ob virium imbecillitatem, tum quia frequenter materia per ventrem evacuatur. Quare neque debile, *ut cassia, vel catholicon*, neque forte, ut prius dictum est, sed medium convenit, ut si detur *confect. hamech ad drach. ij. cum aqua hordei, & unc ij. syr. ros. laxativi* vel si volumus naturam excitare, ventrem primum, deinceps partes inferiores inungemus unguento circa umbilici regionem. Si unguentis utamur, vel decoctione Guajaci, semel in hebdomada medicamentis purgantibus alvum movemus. Purgato corpore materiam conjunctam, quæ in habitu corporis est, evacuare oportet. Evacuatur autem per masticatoria, si morbus firmatus sit in capite. Si in juncturis, cucurbitulis, cum scarificatione. Si cum frequenti squallore, vel ulceribus corporis, missione sanguinis è venis linguæ, si aliqua pars oris ulcerata sit. De masticatoriis, quibus evacuandum sit, postea dicemus. Nunc de causa, quæ sanguini permixta est, nobis institutus est sermo. Evacuamus, quod in carne collectum est, sudore per cutim, tanquam per propinquiorem, & convenientiorem regionem. Sudor provocatur vel externis auxiliis, vel internis. Verum alia sunt aliis efficaciora ad hunc morbum propulsandum, & curandum. Provocabunt sudores balnea, stuphæ, emplastra, unguenta. Verum balnea, quæ siccant digerendo citra adstrictionem, longo usu hanc affectionem curare possunt. At quæ ex aqua dulci fiunt, plus nocent sua humiditate, quam evacuando prodesse possunt. At *sublimata* in doloribus & ulceribus: *nitrosa* in ulceribus & scabie: *alumino-sa* in doloribus articulorum. Stupharum frequentior usus maxime proderit. Nam morbum debilem curare potest, sed longo tempore. *Emplastra ex argento vivo* eadem ratione curant, qua unguenta. Sed magis per insensibilem transpirationem, & siccando, quam evacuando sudores. Quare in iis, quibus ob negotia sudare, & domi manere non licet, emplastra conveniunt, sed in doloribus magis, quam ad scabiem, vel ad tumores, & aliqua ostracosa ulcera. De emplastris dicemus suo loco, si prius de unguentorum utilitate, & eorundem diversitate docuerimus.

*Quibus medis evacuetur materia conjuncta.*

*Quæ & quomodo sudores provocent.*

*Balnea aquæ dulcis non conferunt, & cur.*

### *De Unguentis.*

Unguenta fiunt ad materiæ eductionem. Nam quæ solet morbum facere, evacuatur per poros cutis. Igitur unguenta ex chalasticis, areoticis, & epispasticis, & moventibus sudores paranda sunt, si morbi dispositionem per totum habitum sparsam videamus. Quod si vel ulcus particulare, vel scabiem, vel herpetem, aut alium quemdam morbum curare voluerimus, nobis particulari remedio erit utendum. Solent enim illa particularia impedire sudorem, qui tamen necessarius est ad dispositionem universalem, quæ quamprimum emendanda venit. Deinde veniendum ad particulares cujuslibet membri curationes, quæ (ut jam dictum est) universalem & sudores impedire solent, ut quæ fiunt per *cinnabrium factitium ob sulphur, cerussam, acetum, oleum amygdalarum*, quæ quidem solent vim argenti vivi imminuere. Et illa particularia sunt. Est autem ad id maxime accommoda *axungia porci*, quæ veluti basis, & fundamentum horum unguentorum est, quia relaxat, emollit, & argentum vivum excipit, si præparata sit, ut debet, scilicet non salita non liquata, sed recens, vel sine sale servata, a qua ablatæ sint membranæ, diligenter in mortario contusa, ut melius misceatur. Liquefacta vero axungia, nunquam post liquefactionem bene coalescit, aut retinet argentum vivum. *Axungia gallinæ, anseris, ursi* ponuntur, sed ob particularem affectum, & in parva quantitate, quia tam magna quantitas non reperitur. Quæ cum te-

*Syrupus.*

*Chamæmeli vis.*

tenuium ſint partium, minus retinent argentum vivum, & tantum in doloribus poni debent. *Butyrum* his ſuccedit, quod tamen multo magis, quam prædictæ axungiæ, argentum vivum retinet. Veruntamen ad dolores & papulas præſcribi ſolet, quia papulas magis & melius digerit, quam aliud quodvis, & majori quantitate, quam *axungia anſeris*, & aliæ ſimiles poni non debet. Olea conveniunt rarefacientia & digerentia, ut *chamæmelinum*, *liliorum*, *laurinum*, *irinum*, *rutaceum*, *de ſpica*, & ſimilia, *Ol. amygd. commune*, *ſeſaminum*, *anethinum*, quia nimium humectant, non conveniunt, nec valent. Sed in hac prima ſpecie, quia corpus calidius eſt, *oleo chamæmelino*, & *liliorum* poſſumus uti, & magis uſurpari debent. Quibus etiam adduntur *aliquot unciæ laurini*, ſi ſcabies & papulæ adſint, quia illas curant emolliendo, & digerendo. At *oleum irinum*, *anethinum cum laurino* & *de ſpica*, in doloribus articulorum valent. At in doloribus capitis propter odorem inſignem minus valent. Et ſi poſuerimus, parum admodum erit ponendum, ut in extremo morbo. *Terebinthina abietina*, & *aliæ liquidæ* conveniunt, quia acopa ſunt medicamenta, corpus calfaciunt, & humores evacuant, ac digerunt. *Reſina cocta* & *cera*, ad inſpiſſationem ponuntur, ſcilicet, cum pulveres non recipit unguentum. Tunc etiam unguento apponimus *lithargyrium*, etiamſi aliqua ex parte ſudores ſupprimat. Non enim ponimus, niſi cum multis relaxantibus aliis, & magna argenti vivi quantitate. Argentum vivum & axungia, unguenta conficiunt. Sed quia illud nimium penetrat, ac diſſolvit, minori quantitate ponitur, tumque neceſſaria ſunt ea, quæ ſuperius adjunximus, & alia multa. Novi aliquos, qui *ſolo argento vivo*, *axungia porci*, & *cineribus* curabant morbum Gallicum, & pauciſſimis diebus. Verum vidi etiam aliquos in tremorem incidiſſe ex intempeſtivo argenti vivi uſu. Itaque ſatius eſt remedia minus efficacia habere, ac longiori tempore curare, quam periculoſa exhibere, quia ſat cito, ſi ſat tuto. Non enim bonum eſt repente evacuare, vel replere, vel calfacere, vel refrigerare, eliquare, vel multa excrementa attrahere ad partem, per quam egredi non poſſunt. Hoc enim eſt periculoſum, & plus lædit, quam profit. Recipe *axungiæ porci non ſalitæ*, *nec liquefactæ lib. ſ. ol. chamæmel.* & *irini ana unc. iij. terebinth.* & *reſinæ ana unc. ij. ceræ parum*, *argenti vivi extincti in ſucco limonum unc. iij. miſce*, *fiat unguentum*. Et ungantur partes extremæ circa junctúras, & emunctoria, & ſpinam, & ſenſim provocetur ſudor, cooperiendo lateres. Tegatur bene, ne ab aëre frigido tangatur, aut impediatur perſpiratio, & evacuatio integra fiat. Ungatur ſemel propria vice, deinde bis, deinde ſemel, & ſic fiat, donec medicamenti vis ad partes internas penetraverit. Conficietur hoc modo efficaciſſimum, quod nunquam me fefellit. Recipe *unguenti martiati* & *aragon ana qr. ſ. axungiæ porci non ſalitæ*, *nec liquefactæ lib. ſ. ol. chamæm. aneth. ana unc. ſ. ol. laurini unc. ii. argenti vivi unc. v. reſinæ*, *terebinth. ana unc. ij. miſce*, *fiat unguentum*, quo ungatur, ut dictum eſt prius.

Si ſint ulcera, & affectus ſit cum multis papulis, & ulcuſculis, tunc *thus*, *maſtix*, *iris*, *ærugo æris*, & *alia hoc modo miſcebuntur*. Recipe *axungiæ porci lib. ſ. butyri recentis*, *terebinth. lotæ in aqua vitæ ana unc. ij. reſinæ* & *unguenti ana unc. iij. argenti vivi unc. v. thuris*, *maſtichis*, *iridis ana drach. iij. viridis æris drach. ij. ol. irini* & *laurini ana unc. iij. lithargyrii auri unc. ſ. miſce*, *fiat linimentum*, quo utatur, ut prius. Si vero ſint ulcera majora & curatu difficilia, addantur uni parti unguenti, quæ ulceri conveniunt ad deterſionem, vel mundificationem carnis. Vel ſi ſit doloroſum, & quoquo modo non poſſit ſigillari, fiat hoc modo. Recipe *unguenti præſcripti qr. ſ. ung. apoſtolorum unc. ſ. miſce*. Applicetur ſupra ulcus putridum, & ſordidum. Ad majorem corroſionem faciendam, &, ut quicquid eſt putridi auferatur, neceſſum erit addere *parum ſublimati*. Quod multum proderit, ubi una vel duabus applicationibus uſi fuerimus, ne, frequenter partem vexando, lædactemus, vel intemperiem calidam inducamus. Cum vero deterſum fuerit, & ad ulceris naturam revocatum, tunc addemus *uni parti unguenti plus reſinæ*, *maſtichis*, *thuris*, *aloës*, *ſarcocollæ*, *vel panacis*, *vel ceruſſæ*, *vel minii*, *vel plumbi*, *vel antimonii*, *ſemper iſta augendo*, & *mercurii quantitatem minuendo*. Sed de ulcerum curatione integre ſuo loco dicemus. Redeamus ergo ad univerſalem curandi rationem. Si ſcabies & herpetes appareant, hic morbus eſſe videbitur potius, quam aliquid aliud, & tale parandum eſt unguentum, quale ſequitur, & ſic utendum, ut prius. Evacuatis igitur interni corporis ſeroſis recrementis, paretur tale unguentum. Recipe *ung. enulati lib. ſſ. terebinth. lotæ in vino vel ſucco fumariæ unc. iij. ſtyracis*, *myrrhæ*, *ana unc. ſſ. argenti vivi extincti in ſucco limonum unc. iiij. ol. roſ. antiqui completi*, *ol. irini ana unc. ij. reſinæ unc. iij. lithargyrii unc. ſſ. fiat unguentum*, *cujus uni parti adde cinnabaris*, & *ceruſſæ ana unc. ſſ.* Sed hac parte non utatur, niſi poſt tres primas inunctiones, ac ſudationes. Et ungantur manus & pedes hac ultima parte unguenti. In herpetibus cum ſcabie, fiat modo ſequenti. Recipe *ſucci lapathi acuti*, & *limonum ana unc. ij. olei irini unc. i. ol. tartari unc. ſſ. unguenti martiati unc. ſ. ſſ. argenti vivi unc. v. ceruſſæ lotæ in aqua vitæ unc. ſ. reſinæ* & *terebinth. ana unc. iij. argentum vivum exſtinguatur cum ſuccis*, *deinde incorporetur cum axungia*, & *fiat linimentum*, *quo linantur partes affectæ*. Poſt aliquam morbi Gallici caſtigationem, ſunt addenda quæ fortiter ſiccare poſſunt, *ut alumen*, *ſulphur*, *chalcitis*. Quæ quidem fortiter ſiccantia non erunt primum apponenda, quia illa ſudores compeſcunt, & ſic retinendo, morbi curationem impediunt, quamvis ſiccent. cum enim adſtringant, vim morbi altius impellunt, ac profundius deliteſcere, ac hærere faciunt per aliquod tempus. Deinde revireſcit, & recrudeſcit, & quam prius, deterior redditur. Hæc ſunt linimenta, quibus uti poſſumus in biliоſis & ſanguineis, in ſcabie, papulis & ulceribus. Iſtis omnibus utile erit, ſi non fluat alvus, ſyrupum laxativum præſcribere, vel apozema illud, quo initio uſi ſumus. Porro hæc evacuatio impedit effumationem ad os, à qua ulcera oris, & dentium ſordes proveniunt, ab effumatione & ſorde, ulcus: ab ulcere pituitæ fluxus. Raro autem ejuſmodi effumatio ſine ulcere accidit. Quare ad hæc vel majora vitanda, utile erit purgare. De caſtigatione autem accidentium ſuo loco dicemus. Ubi ergo fluxus ventris accidet, vel anhelitus fœtidus emittetur, tunc pituitam inflammari, certiſſimum eſt ſignum. Itaque ceſſandum erit ab unctione, & mutanda linteamina erunt. Quibus vero iſta non apparent, certo conjicere licet non ſufficientem eſſe argenti vivi quantitatem, vel aſtringentia, aut obſtruentia, aut emplaſtica addita fuiſſe unguento, quæ vim medicamenti impediverint. Itaque fortius erit reddendum, vel frequentius inungendus æger, ut, ſi ſemel inungi conſueverit, bis inungatur. Inungantur etiam emunctoria. In quibus autem videmus paucam evacuationem factam fuiſſe per ſudores, morbum fore contumacem certo præcognoſcere poſſumus. Interdum non erit inutile purgare per os, ſi vires ferant, & uti *decoctione Guajaci*, *vel Chynæ ſimplici*, ſi talis ſit affectus, qui ſcabiem, vel tenuia ulcera habeat. At ſi contumacia ſint, laxantia medicamenta erunt propinanda. Si vero dolores, & tophi adſint, compoſita erunt adhibenda, quorum deſcriptiones poſtea dabimus.

### *De morbo inveterato.*

Si morbus fuerit inveteratus cum doloribus & tumoribus duris, tunc primum diſtinguere oportet, an morbus ſit cum corporis conſumptione, an non, an dolores ſint capitis ſine tumoribus, an vero cum tumoribus: an denique ſint cum oſſis carie, an non. Et pro variis his modis remedia varia erunt adhibenda. Si morbus eſt inveteratus, ſciſcitandum eſt ab ægrotante, uſusne ſit aliquo remedio, an non, ut intelligamus, quid fuerit in cauſa, cur minus fuerit curatus. Quod ſi ob unguenti imbecillitatem curatus non fuerit, fortius erit exhibendum, quia fortius medicamentum expoſtulat hujus morbi contumacia. Si ob defectum evacuationis, videndum ne in eundem errorem incidamus. Cum ergo inveteratus morbus frigidior ſit & materia craſſior, magis calefaciendum, atque attenuandum, & fortius trahendum erit per aſſumpta, & admota. Primum itaque fiat hoc modo *minorativum ex diaphœn.* & *cathol.* ut pituitoſa excrementa ventriculi & inteſtinorum purgentur, & incidentibus, ut medicamentum ad partes deducatur. Sic Recipe *Cathol.* & *diaphœn. ana drach. iij. cum ſaccharo fiat bolus*. Vel *diſſolve cum aqua betonicæ*, *vel hyſſopi*, & *fiat potus*. Vel utatur *pillulis ex hiera*, *fortificatis agarico*, *vel pillulis ſine quibus*, *vel aureis in minori quantitate*, *ſcilicet ad drach. ſſ. vel ſcrup. ii.* Deinde utatur ſyrupis incidentibus, qualis eſt *ſyrupus de ſtœchade*, *de artemiſia*, *cum melle ſcillitico*, *vel anthoſato*. Alii vero ſyrupi non conveniunt; quia frigidi, vel humidi, vel quia corpus non eſt funditus mundum. Quare *ſyr. de fumar. roſ. laxat.* non conveniunt hoc tempore, vel in hoc modo inveterato, niſi approprientur cum decoctis. Decocta ergo fiant, ex quibus talis ſyrupus paretur. Recipe *decoctionis beton. calaminthæ*, *hyſſopi lib. i. ſſ. ſyrup. de ſtœchade unc. vi. aromatiſetur cum drach. ij. diarrhodon*, & *fiat ſyrupus*. Utatur in quinque diebus. Vel ſic. Recipe *ſyrupi de artemiſia lib. ſſ. aquarum abſinthii*, *hyſſopi*, *cichor. bugloſſi ana quartarium i. aromatiſetur cum drach. i. aromat. roſ.* capiatur in quatuor diebus.

Tertio quoque die capiat *drach. i. pillularum ex aloë*, *vel ſabelliarum*.

Finitis ſyr. cap. *medicamentum ex electuario de citro*, *vel diacarth. vel Indi major. vel in forma boli*, *vel in forma*

*ma potionis.* Recipe *elect. de citro fol. drach. iii. confect. hamech drach. i. Diſſolvantur in decoctione mercurialis, & cum unc. j. ſyrup. roſ. laxat. fiat potio.* Capiat mane, & in craſtinum detur *maſticatorium ex pyrethro*, ſequenti modo præparato. Recipe *pyrethri cocti in oxymell. maſticet per tres dies mane exſpuendo.* Poſt cujus aſſumptionem detur *tab. i. elect. diagalangæ*, & relinquatur æger per aliquot dies ad virium refocillationem. Poſt quod tempus & virium refocillationem utetur ſyrupo ſequenti laxativo. Recipe *radicis helenii unc. ii. galangæ majoris unc. i. herbarum capill. bugloſ. borrag. cichor. ana man. ſſ. beton. hyſſopi, acetoſæ, ſamſuchi ana man. i. aniſi drach. iij. polypodii, ſennæ, ana unc. iiij. agaric. unc. i. florum anthos, ſtœchados, chamæmeli, bugloſſ. borrag. ana p. i. fiat decoctio in aqua fontis & in aqua bugloſſ. & abſinth. lib. i. In colaturæ lib. iij. diſſolve ſyrup. de ſumar. compoſ. & ſyrup. roſ. laxat. ana unc. iiij. mellis anthoſati unc. iij. ſacchar. q. ſ. fiat ſyrup. cujus media pars coquatur ad perfectionem, & ſervetur uſui. Reliquam mediam partem, quæ erit mediæ* B *decoctionis, capiat in quinque doſibus. Prima die cap. unc. vi. mane. Secunda unc. v. mane & ante cœnam unc. iiii. & tantundem die ſequenti.* Quod ſi fatigetur, ob majorem laxationem, quieſcat per unum diem poſt duas dotes, vel capiat ſemel tantum in die.

Talis ſyrupus ſolus poteſt incipientem morbum curare, ſi bis in die aſſumptionem continuet, & magnam evacuationem ferre poſſit. Et plus prodeſt hic ſolus ſyrupus, quam fortiores pillulæ, vel alia medicamenta ex longis intervallis aſſumpta, quia in illis intervallis viſcera replentur recrementis, quæ attractionem materiæ habitus corporis impediunt. Verum cum illa recrementa continue evacuantur, ut mane communia, à prandio ſecunda, & hepate tertia, potio matutina à vena magna, & quarta ramis, ſic curantur, quia evacuantur exquiſite. Ego curavi incipientem morbum quinque diebus, ſimilibus medicamentis. Si ergo facta fuerit inſignis vacuatio, pauca erit materia, quæ in cuti & carne remaneat. Quare illud remedium, quod ſequetur, vehemens non ſit oportet. Nam C mediocri uti neceſſe eſt, quia longius eſt ſecurius. Corpora enim extenuata non poſſunt fortiſſima medicamenta ferre. Parabitur ergo unguentum ſequens, utendum poſt excellentem ſyr. laxativum, quod erit pro ulceribus, ſcabie, doloribus cum corporis extenuatione à longo tempore. Recipe *axung. porci non ſalitæ, neque liquatæ, butyri recentis, axungiæ gallinæ & anat. anu unc. ii. ol. chamæm. & aneth. ana unc. iii. ol. de ſpica unc. i. argenti vivi extincti in prædicta axungia unc. vi. maſtich., myrrhæ, iridis ana unc. ſſ. terebinth. lotæ in aqua vitæ unc. iii. reſinæ & ceræ parum, fiat unguentum.* Ungatur, ut artis eſt, incipiendo à juncturis, deinde ungatur ſpinæ inferior pars, poſtea tota ſpina cum emunctoriis. Iſta autem debent fieri ſine magna calefactione, ut ſenſim trahantur excrementa, fundantur, & evacuentur. Unguentum ad dolores capitis, junctiurarum, & ad duros tumores, quod ſedat dolorem materiam calefaciendo, liquando, evacuando per ſudores, & per oris expurgationem. Recipe *quat. unguentorum calidorum ana qr. i. axung. porci* D *lib. i. ol. laurini, aneth. & irini ana unc. ii. ol. de ſpica unc. i. argenti vivi unc. vi. terebinth. lotæ in aqua vitæ unc. iii. florum chamæm. leviſſime pulveriſatorum, radicis iridis ana unc. i. reſinæ & ceræ ana unc. ii. fiat unguentum.* Ungantur partes dolentes externæ, excepto capite. Incipiat ab inferioribus, & emunctoriis inguinum, ut materia à capite divertatur. Quo facto ungatur ſpina & cervix, donec os calefactum ſit, & ſpuat frequentius. Et in hac ſpecie diutius purgetur per os. Si vero tumores adſint duri, hoc idem unguentum valet, non quod ſupra duros illos tumores ponatur, ſed melius erit ſequens ceratum apponere. Recipe *unguenti præſcripti lib. ſſ. euphorb. unc. j. gummi hederæ drach. iij. ammoniaci, opopanacis, bdellii diſſolutorum in ol. liliorum ana unc. j. ſtyracis rubeæ & calamitæ ana drach. iij. ariſtol. longæ & rotundæ ana drach. ij. terebinth. abietinæ unc. ij. ol. liliorum & laur. ana unc. ſſ. argenti vivi unc. ij. miſce.* Ungatur pars. Vel *addendo ceræ multum, fiat ad formam ceroti*, idque ut diutius ſupra partem hæreat. Vel ſi malueris *emplaſtrum de ranis*, id eſt, *de Vigo*, adde *argenti vivi, euphorbii, ac iridis ana unc. j. malaxentur cum terebinth. lota in aqua vitæ: & applicetur.*

Aliud emplaſtrum ad tumores duros morbi Gallici inveterati. Recipe *emplaſtri filii Zachariæ, & ceronei ana unc. iii. euphorb. unc. ſſ. Malaxentur ſimul & fiat emplaſtrum.*

Emplaſtra omnia ex gummi idem efficient, addito argento vivo.

Sunt autem iſti tumores à pituita viſcida & concreta, quæ nonniſi calidis diſſolvi poteſt. Si os carioſum ſit, cute adhuc integra, primum cauterio, aut novacula, aut ruptorio aperienda cutis, ac detergendum os, tum aufe- A rendum quicquid in oſſe, vel circa os præter naturam eſt. Quibus peractis, cum volemus ulcus ad cicatricem ducere, tale parandum eſt linimentum. Recipe *axung. porci lib. ſſ. quatuor ung. calidorum ana qr. i. ol. irini & laurini ana unc. iij. ol. de ſpica unc. i. argenti vivi unc. v. maſtich. thuris, ſarcocollæ, ariſtoloch. rot. ana drach. iii. opopanacis diſſoluti in aqua vitæ unc. i. myrrhæ unc. ſſ. reſinæ pini unc. iiii. miſce. fiat linimentum*, quod eſt admovendum poſt mundificationem, & oſſis reparationem. Eo ducemus ulcus tumorum durorum morbi Gallici inveterati ad cicatricem. Quod ſi velis oſſis diſciſſionem accelerare, potes uti ſupra partem unguento, vel emplaſtro ad duritiem facto, quia *euphorbium* recipit, quod quidem deſquammat oſſa eadem die, ut ait Dioſcor. Et optimum eſt. Vel huic unguento adde *euphorb. unc. i.* vel uni parti unguenti tantum, qua parte utatur in circuitu partis affectæ, & ſupra partem. In hac ſpecie utiliſſimum erit etiam uti diæta ex Guajaci decocto ad pituitæ reſiccationem. Sunt qui ad dolores ung. parant ex decoctione herbarum calidarum. Sic Recipe *beton. marrub. conyzæ, abſinth. calaminthæ, florum ſtœchad. roriſm. chamæmeli. ſampſuci ana man. i. Omnia hæc in vino albo antiquo decoquantur, & oleo. Deinde facta colatura & expreſſione, ad inſpiſſationem linimenti, addantur terebinth. & ceræ pro lib. i. quart. i. Et axungiæ porci non ſalitæ lib. i. argenti vivi in axung. præcedente extincti unc. v. miſce.* Si vero ad dolores paretur, ut diximus, addemus *euphorb. & ſtaphyſag. ana unc. i. hermodact. & ariſtoloch. ana unc. ſſ. Et fiat unguentum.* Alii *myrrham, thus, ſarcocollam, maſtichem addunt*, ſi cum ulceribus ſit morbus. In ſcabie vero & ulceribus alii utuntur viridi æris, quod valde prodeſt, ſi poſt inunctiones aliquas apponatur, quia compeſcit ſudores. Alii *ſal* apponunt, quod in ſcabie & pruritu valet detergendo. Verum minus laudatur, quia ſudores nimium impedit; ſed poſt ſudationes addi debet, ut & *ſulphur, chalcitis*, & alia aſtringentia. Alii *ex cineribus ſarmentorum, & argento vivo, parant linimenta*, & efficaciora ſunt, C ſed minus tuta. Sunt qui duo remedia ſimul adhibent, alii bene, alii male. Qui bene, utraque veluti conſpirantia adhibent. Qui vero male, inter ſe pugnantia. Conveniunt autem quæ ſudores movent ſive intro aſſumpta, ſive exterius admota. Externa ſunt unctiones & ſtuphæ, quæ quidem ſtuphæ præparant corpus ad ſudationem, & ad humores trahendos ad partem externam. Et ſatius eſt primum ingredi ſtuphas, deinde uti unguento, quia apertis poris facilius penetrat unguentum. Etiam in fine ingredi ſtuphas utiliſſimum, quia attrahunt humores, & linimenti ſordes auferunt.

Alii in principio dant *decoctum Guajaci*, & poſt aliquot dies linimentum applicant. Quod malum non eſt, in quibus frigidi ſunt humores & in alto delitescentes, ut qui doloribus afficiuntur articulorum capitis.

Alii in fine diætæ linimenta adhibent. Quod non fit tuto, quia corpus redditum debile non poteſt tam forte & inſigne remedium ferre. Itaque ſatius eſt poſt primam à diæta hebdomadam, vel ante diætam, uti unguento. Deinde dum ob imbecillitatem, vel ob oris affectionem delitescunt, in cubiculo decoctione Guajaci in potu mane uti poſſunt, etſi non provocetur ſudor. Sunt alii, qui alia duo adhibent remedia, & illa contraria, ſcilicet ſudationem, & alvi ſubductionem. Quæ duo ſimul & ſemel fieri nec bene, nec facile, nec utiliter poſſunt. Nam ſi multum ſudet, non poteſt alvus fluere. Si fluit alvus, non poteſt ſudare. Quare ſatius eſt viciſſim, ſeu alternatim fieri. Poterit igitur ſudare per tres vel quatuor dies. Quinta vero ſubducatur alvus decoctione jam præſcripta. Vel quotidie ſubducatur alvus eadem decoctione, ut jam diximus, & non cogatur ad ſudorem. Nam cum iſti motus ſint contrarii, ſimul fieri debent, quia purgans medicamentum à circumferentia ad centrum trahit, ſudor vero contra. Utile autem erit poſt uſum unguenti, quando non fluet alvus, uti medicamento purgante, ſcil. poſt tres aut quatuor dies, ut, quod diſſolutum eſt intus aut commotum, expurgetur. Iſta autem plurimum juvant decoctiones, ſyrupi cientes ſudorem, aquæ, ut aqua illa noſtra theriacalis, quæ data potentiſſime movet ſudores. Cujus præparatio, ne quid E omittamus, à nobis nunc dabitur.

Aqua theriacalis provocans ſudores in morbo Gallico inveterato, & curans dolores, ſi detur cum aquis infra ſcriptis. Recipe *Theriacæ veteris à nobis diſpenſatæ lib. i. acetoſæ man. iii. flor. chamæm. pulegii, graminis, cardui benedicti ana man. ii. Temperentur omnia in vino albo, & deſtillentur, & aqua ſervetur uſui. De qua cap. unc. ii. cum unc. iii. aquæ acetoſæ & bugloſſæ.* Hoc autem faciendum eſt, cum ingredietur lectum aut ſtupham. Hæc aqua curat dolores, ſi per ſe detur, vel *cum decoctione milii ſolis, vel Chinæ, vel bardanæ.* Ego cum optimo ſucceſſu curavi multos pueros, & ſenes, & debiles, hac aquæ theriacalis potione, vel addendo guttas aliquot decoctionis communis Guajaci. Nam propter tenuitatem cito

pe-

penetrat, & extra propellit. Hæc, cum aqua exſtinctionis auri omne vitium argenti vivi emendat.

Eſt & alia ratio curandi morbum Gallicum, & potiſſimum quando cum doloribus ſit. Et ea eſt ratio, quæ fit per decoctum rerum odoratarum. Cui quidem decocto addetur *mel*, & dabitur *cum vino*, ut materia incaleſcat, attenuetur, & expellatur. Fiatque ſic.

Decoctum quod calefacit, attenuat, expellit materiam morbi Gallici inveterati. Recipe *galangæ major. & min. macis, caryophyll. cinnamom. ſcœnanthi, ſpicæ celticæ ana unc. i. florum anthos, ſtœchados, chamom. ana p. ij. fiat decoctio in vino albo. Et de hac decoctione cum mell. fiat potio.* Capiat ſingulis matutinis unc. iij. Et provocetur ſudor.

Ego curavi pauperem facta evacuatione aqua illa ablutionis aloës ad pillularum aloëphang. præparationem. Quam quidem aquam abjiciunt Pharmacopolæ. Et eſt *aqua ciſternæ, in qua decocta ſunt odorata, & in qua abluitur aloë*, & quia relinquitur in ea aliqua vis ſiccandi, quam deſideramus ad morbi curationem, & præcipue ejus, qui cum doloribus, vel ſcabie infeſtat, hanc retinemus, & utimur. Fit etiam *decoctum ex Guajaco, palma ſancta, China, ſalſa parilla.* Sed primum cœpit fieri ex magnis truncis Guajaci, & cortice. Deinde ventum eſt ad palmam ſanctam, quæ materia eadem eſt. Et fiebat *decoctum ex raſuræ Guajaci lib. i. & unc. iiij. corticis, cum lib. 12. aquæ poſt infuſionem 24 horarum.*

Hoc facto rationales quidam Medici magnifice de ſe ſentientes, aliquid addendum exiſtimarunt, & addiderunt caſtigantia calorem & tenuitatem partium. Et id facere ſe affirmabant, ne corpus calidius redderetur. Sed hi, dum caſtigationis caloris curam habere ſe exiſtimant, tantum abeſt, ut calorem caſtigent, ut omnino ipſum calorem impediant. Verum ſatius erat morbum curare cum levi aliqua noxa, quam non curare. Poteſt enim vitium amoto morbo emendari. Nam hi rationales exiſtimarunt lignum calidius eſſe, quam oporteat, & ſunt decepti tenuitate partium. Præterea hi addebant *endiviam, ſcariolam, lactucam*, & alia ſimilia, & ſic præſcribendo impediebant ſudores, atque adeo morbi curationem. Sunt & alii, qui non caſtigare nituntur, ſed juvare. Alii vero ocientia ſudorem dant: Alii purgantia ſudorifica præſtantiora putant, quia juvant operationem medicamenti: alii vero addunt laxantia medicamenta, ut *veratrum nigrum*, non fine multorum magno malo. Alii *colocynthida*, alii *ſenam, agaricum, turbith*, & alia laxantia. At hoc non eſt methodice factum, velle & per alvum & per ſudorem ſimul & ſemel evacuare. Quare ſatius erit unam partem decoctionis accipere, & in illa purgantia diſſolvere, & de illa dare tertio, vel quarto, vel quinto die, ut jam dictum fuit, vel quotidie, & non provocare ſudorem. Quod utile eſt in principio, quando morbus externas partes non infecit adhuc, vel læſit. Fiant ergo decoctiones ſimplices & compoſitæ. Simplices *ex ſimplici raſura ligni Guajaci, & aqua*, ſic. Recipe *raſuræ ligni Guajaci lib. i. cort. ejuſdem unc. iiij. fiat infuſio in lib. 12. aquæ, & decoctio ad conſumptionem tertiæ partis.* Utatur.

Fiat decoctio ſecunda ex eodem ligno, id eſt, ex reſidentia primæ decoctionis, ut prius. Deinde addunt vinum, quod bonum eſt, aliquando tamen malum in doloribus externorum membrorum, & in duritiebus, & aliis. Valet tamen illa vinoſa decoctio in doloribus capitis. Deinde facta eſt decoctio compoſita. Nam alii addiderunt multa, hoc modo præparantes. Recipe *ligni Guajaci lib. i. rad. betenis. benzoini, ſantal. omnium, ſenæ orient. ana unc. ij. hermodact. unc. i. colocynth. drach. iij. fiat infuſio, deinde decoctio. Cujus colaturæ adde mell. lib. ij. fiat ſyrupus clarif. & aromat. cum unc. ij. cinnamomi, Quibus adde vini lib. ij.* Alii mediam partem addunt. Vel ſic faciunt. Recipe *ligni Guajaci lib. i. cort. ejuſdem unc. iij. polypod. querc. recentis, mumiæ, ſantal. carabæ, benzoini ana unc. ij. ſenæ orient. quartar. i fiat infuſio in æquis partibus aquæ & vini, cui adde mellis lib. ij. fiat ſyrup. arom. unc. ij. cinnamomi electi.*

Decoctio, quæ hodie fit efficaciſſima in aquis deſtillatis, quæ cito morbum curat, laxat potenter & ficcat. Recipe *raſuræ ligni Guajaci lib. i. cort. ejuſdem unc. iij. agar. unc. i ſenæ orient. lib. i. aloës quart. i. fiat decoctio in lib. vj. aq. bugl & tantundem aquæ abſinthii: Et fiat decoctio ad conſumptionem quartæ partis. De cujus colat. capiat mane & ſero unc. vj.* Multum laxat & ficcat, ob id curat potenter. *Aloë & abſinthium*, quia potenter ficcant, huic morbo multum profunt. Itaque iis, qui dolores patiuntur, utile eſt uti *pillulis ex ſola aloë*, ſed quia in pillulis non poſſumus juſtam quantitatem *aloës* apponere nec accipere, utilius erit *hieram picram devorare, vel quotidie ſaltem ſcrup. iij.* Infinitæ aliæ decoctiones parari poſſunt additis aliis, ut *rad. cyclaminis*, quia urinas & ſudores movet, vel *milio ſolis*, quod potenter ficcat, & ſudores movet.

A In pauperibus uſus ſum *ſyr. ſancti Ambroſii, qui ex decocto milii paratur, & ramentis ligni ficuum.* Non dubito *raſuram buxi*, quia ſudores movet, morbum curare poſſe. Sed quia dolorem capitis facit, & fœtidior eſt, negligitur. Non deſuerunt, qui *ramenta juniperi* uſurpanda cenſerent. In qua ſententia erat Franciſcus Rex Galliæ, & Caſtellanus. Pugnavi nixus authoritate Dioſc. qui ex antiquorum ſententia *ramenta juniperi* occidere dicit. Quam ſententiam cum negarent eſſe apud Dioſc. oſtendi, poſtea requirebant, cur ſemina juniperi uſurparent in medicamentis, ramenta vero rejicienda cenſerent. Ego rationem ſic reddidi. Compertum eſt obſervatione multa, partes multarum plantarum diverſas habere facultates, alias utiles, alias inutiles, ut patet de *centaurio minore*, cujus flos uſurpatur & quotidie in uſum venit, radix vero prorſus negligitur & inutilis eſt. Sic de *coriandro*, cujus ſemen odoratum eſt, & in uſum medicum venit, herba autem fœtida eſt, & plane venenoſa. Itaque non mirum eſt, ſi dixerimus fructum juniperi alium ſuccum magis coctum habere, & alterius eſſe facultatis, alterius vero
B ipſum lignum. Semen juniperi in decoctionibus Guajaci ponitur, quia ſudores movet, & digerit potenter ac articulari dolori à morbo Gallico, atque etiam in declinatione alterius morbi prodeſt. Quod de ligno demonſtrari & probari non poteſt.

Sunt qui dum herbas humidas in principio addunt, medicamenti vim corrumpunt. Inter laxantia medicamenta, *ſena* maxime laudatur, quia ſuo ſapore non eſt moleſta, & minus impedit ſudores. Alia autem laxantia, vel quia potentius trahunt, vel quia adſtrictionem ſervant, minus laudantur, ut *rhabarbar. polypod.* quæ non niſi in declinatione debent dari. *Rhabarb. & polypod. cum vino propinantur*, cum dolores in articulis ſentiuntur. *Rhabarb.* cum ſcabies, herpes, ulcera ægrum infeſtant, aſſumi debet. Poſteaquam autem ad ſumenda venimus, non erit præter inſtitutum de aliis remediis, quæ ad hunc morbum faciunt, aliquid in medium adferre, & de illis tractare. Sunt qui ligni ſubſtantiam in forma pulveris, vel conditi adminiſtrant. Sed id parum emolumenti ac adjumenti adfert, quia ramenta illa ſunt nimium craſſarum partium, atque adeo ſudores movere nequeant. Quare hunc mo-
C dum curandi tanquam inutilem relinquimus.

Alii ad tophos, vel exoſtoſes digerendas, doloris materiam abſumendam in morbo antiquo aliud remedium uſurparunt, quod quibuſdam profuit, nonnullis vero vitium in ventre reliquit, quod emendari non potuit. Vocatur autem illud remedium, pillulæ Barberouſſe. Vel ſimiles paratæ ex cordialibus & laxantibus medicamentis, & argento vivo. Sed inter harum pillularum compoſitiones melior eſt hæc.

Pillulæ ac morbum antiquum, ad exoſtoſes & tophos digerendos, doloris materiam abſumendam, quæ Barberouſſe dicuntur. Recipe *rhabarb. & agar. ana drach. ij. aloës unc i. argenti vivi extincti in ſucco roſ. drach. iij. cinnamom. ambræ ana ſcrup i. myrrhæ, maſtich. ana drach. i. Cum terebinth. excipiantur. Et fiant pillulæ 8. pro drachma cape ſcrup. i. pro prima doſi, deinde ſcrup. i. ſſ. poſtremo ſcrup. ij.* Pro divitibus adde *limaturæ auri, vel pannorum auri ſcrup. iiij.* Non deſunt qui *diagrydium, colocynth.* & fortiora remedia, addi velint, & addant. Verum novæ materiæ deſcenſum nimium acceleD rant, ſicque corpus minus ſiccatur: Itaque parum juvant. Sed quia timetur, ne remaneant in corpore ob tam parvam quantitatem, idcirco ingrediuntur *rhabarb. & agaric.* ad leviter laxandum. Nam, ſi tam parvam moram in corpore traherent, nihil aut parum juvarent. Poſſunt & fieri pillulæ alio modo, ut ſequitur. Recipe *ladani puri, hypociſtidis ana drach. i. aloës unc. i. ambræ, moſchi ana ſcrup. i. argenti vivi loti in vino drach. ij. incorporentur ſimul cum ſyr. roſ. laxativo, & fiant pill. capiat ſcrup. i. ſingulis diebus.* Verum hæ pillulæ non debent aſſumi niſi purgato corpore. Et qui utentur, debent uti, donec aut venter laxetur liberalius (quod pro quantitate medicamenti fiet) aut in ore fœtor aut calefactio appareat & ſentiatur. Hæ pillulæ debent ſervari, pieque in officinis præſcribi ob calumniam. Quia etiamſi poſt decem annos aliquo morbo corriperentur, qui hoc remedio uſi fuerint, huic impingerent ac imputarent. Quare Medicus ipſe poteſt parare, ac paratas ſervare, & quotidie propinare, aut quando neceſſum erit, idque ne argentum vivum cogno-
E ſcant, quod non poteſt latere cuidam datum. At ſublimatum dare cavendum eſt, quia urit, ut præcipitatum. Sunt qui ob negotia non poſſunt domi reſidere, ſed equitare, & ad negotia ire coguntur. Alii morbum detegere nolunt. Omnibus talibus pillulas dare oportebit. Atque etiam emplaſtris eos curare poſſumus, præmiſſis tamen ac prius propinatis multis purgationibus, ut jam ſupra imperatum eſt. Illis autem fient emplaſtra magna ad formam lati ſcuti, ut omoplatas & ſternum uſque ad lumbos in-

tegere poſſint, vel latiſſimæ faſciæ, quæ, veluti zona, corpus cingant, ita tamen ne in anteriore parte emplaſtri materia ponatur, ſed in lateribus, & parte poſtica. Poſſunt & fieri manilia, & carpis, & malleolis apponi. Sed multo melius erit, ſi emunctoriis apponantur dicta emplaſtra, & locis affectis. Sed emunctoriis primum, deinde ſuper tumores, vel partes dolentes. Emplaſtra fiunt ex iis, quæ ex alto trahunt per ſudorem, vel per inſenſilem tranſpirationem. Parari etiam poſſunt ex ſupraſcriptis unguentis *minuendo ol. quantitat. & addendo picis vel reſinæ q. ſuffic.* poſſunt etiam fieri ex omnibus emplaſtris digerentibus & malacticis, *addendo argenti vivi unc. iiij. pro lib. j. emplaſtri.* Fieri etiam poſſunt emplaſtra ex *emplaſtro de meliloto, oxycroceo, ceroneo.* Vel fiat hoc modo. Emplaſtrum pro iis, qui ob negotia domi manere nequeunt, vel nolunt omnibus morbum patefieri. Recipe *maſſæ emplaſtri de meliloto, vel oxycrocei lib. ſſ. argenti vivi unc. ij. malaxentur cum terebinth. & ol. laurino, vel irino, vel ruta-ceo, vel de ſpica, & reducantur ad formam cerati.* Eſt *emplaſtrum* paratum in officinis *de Vigo* nomine, vel *de ranis,* quod adhiberi poteſt. Verum erit efficacius, ſi doſis argenti vivi augeatur, ut pote *pro lib. j. emplaſtri, unc. j. addatur argenti vivi.* Conveniet hyeme, vel cum fuerit tempus frigidum, & quando oſſium fragmenta trahenda ſunt. At ſi ulcera oſtracea caſtiganda ſunt, vel cicatrizanda, *emplaſtro divino, vel diachalcit addito argento vivo & cinnabrio* citius curabuntur, quam aliquo alio. Nam argentum vivum videtur eſſe antipharmacum morbi Gallici, tum ob ſiccandi vim, quam tantam habet, tum ob tenuitatem partium, & evacuationem quam facit, potius quam alia qualitate, ut poſtea declarabitur. Nam ut ex India morbus allatus eſt, ſic etiam inde remedia hujus allata ſunt, & multa, ut *Guajacum, echyna, ſalſa parilla.* Quæ quidem oſtenduntDeum omnia ſumma prudentia compoſuiſſe, qui eo in loco, ubi morbus populariter graſſabatur, ibi remedia quoque multa, & convenientia præſto eſſe voluit, locique incolis divinam remediorum vim detexit. Verum rei propoſitæ conſentaneum videtur, ut de echyna ac ejus præparatione aliquid dicamus. Echyna radix eſt cujuſdam junci, ſimilis ferme radici rhodiæ, nodoſa, rara, ponderoſa, cum recens eſt, cum vetus, leviſſima. Quæ quidem levitas eam antiquatam & deteriorem eſſe oſtendit. Hæc echyna ad colorem galangæ majoris accedere debet, ſi bona ſit, viribus tamen differt. Nam eſt plane ſine ſapore, unde dicta eſt à nonnullis apios. Quod nomen multos & Medicos & Pharmacopolas decepit, exiſtimantes eſſe ἄπιον Dioſc. quæ quidem viribus & forma differt & nominis impoſitione. Nam Dioſc. ἄπιον dicitur, quod pyri agreſtis formam referat: hæc autem, quod nullo ſapore prædita ſit. At ſatius eſt eam echynam nominare, ne abutamur nomine. Cujus uſus talis eſt.

*Præparatio rad. echynæ in diæta morbi Gallici.*

Radix echynæ dividatur in taleolas, & decoquatur in aqua fontis, & ex illa aqua bibant ægri mane & ſero. Decoqui debet ter. Et ſecunda ac iii. decoct. cum minori quantitate aquæ debet fieri, quam prima, vel diutius coquenda, facta prius infuſione per 12. horas. Eſt autem decoquenda ſine fumo, & ſervanda in loco calido. Præſcriptio talis eſt. Recipe *radic. echynæ in taleolas diviſæ unc. ij. aquæ fontis lib. 12. infundatur per 12. horas & decoquatur ad conſumptionem tertiæ partis.* Et de hac capiat tepide mane, & cooperiatur: & ſudet in lecto. Fiat & ſecunda decoctio ex eadem radice jam cocta, quæ prius ſiccetur oportet. Fiat & tertia eodem modo. Delicatis & iis, qui aliquibus aliis ſunt uſi remediis, ſufficit iſta, etiam ſi addatur mel, vel ſaccharum, vel vinum. Si autem nullis remediis ſint uſi, nec uſuri, illa ſine melle, vino, & ſaccharo, uti debent, quia minus nutrit & magis ſiccat. At hi poſſunt uti amygdalis, pineis, prunis, & pane aſſo. Delicatis, & qui nullo alio remedio utuntur, vel qui diu hoc volunt uti, conceditur uſus avicularum toſtarum. Si vero hi utantur decocto Guajaci, quia magis nutrit, tenuante victu eſt utendum, quia illud habet aliquem ſuccum qui nutrit. Ob id diutius erit utendum, & parcius vivendum, ut tota materia abſumatur Abſtineant à carnibus & vino, utantur pane puro fermentato & bene cocto, & regantur hoc modo.

Facta prius purgatione, ut ſæpius dictum eſt, ægri accipiant bis in die decoctum echinæ, mane hora quarta, & ſero hora tertia poſt meridiem, ad quant. unc. vj. Et ſudent in lecto. De ſecunda autem decoctione bibant, quantum voluerint. Poterunt uti fructibus lenientibus alvum, paſſulis, ficubus, amygdalis, pineis, prunis coctis, pane bis cocto. In Guajaci vero diæta, nihil ultra. In diæta vero ſalſæ parillæ, ut echinæ, uſus avicularum multum toſtarum conceditur, ſero vel mane. Abſtineant à juſculis, aliiſque, niſi in die quo medicamenta aſſumuntur. At ſi æger imbecillior ſit, ſemel in hebdomada capiat de ſyrupo laxativo jam præſcripto, vel de opiatis laxantibus ſequentibus. Vel *infunde unc. j ſennæ.* Et hæc in levi morbo. Et capiat mane. Et eo die nullo modo provocet ſudores. Opiata vero conficiatur ſic. Opiata quæ poterit exhiberi qualibet hebdomada, dum fiet diæta. Recipe *cathol. & confect. hamech ana partes æquales, quibus adde unc. ij. ſennæ orient. pro libra. capiat ſemel hebdomada, ut dictum eſt.* Et detur in forma boli, vel diſſolvatur in parte decoctionis.

Ex ſalſa parilla eadem decoctio paratur, quæ ex echina, & eadem victus ratione uti oportet, ut dictum eſt, quia non nutrit, ut Guajacum. Quare conceditur caro avicularum aſſatarum, & eodem modo adminiſtratur, purgato jam exacte corpore, etiam ſemel in hebdomada aſſumendo medicamentum laxans, provocando ſudores cooperturis, vel calidis lateribus.

Si poſt uſum iſtorum remediorum aliqua remaneant, ut erant prius, ſignum eſt, aliquid eſſe, quod impediat curationem, ut intemperiem alicujus partis, quam caſtigare oportet, idque contrariis remediis. Vel ſi os eſt corruptum, vel ulcus adſit nondum ſatis deterſum, illa omnia ſenſim caſtiganda erunt. Verum huic morbo quædam accidentia ſæpe eveniunt, ut videlicet inter ſudandum ex nimia ac repentina calefactione juxta ignem, incidunt aliquando in animi deliquium. Qui quidem ſunt ſublevandi aeris frigidi inſpiratione, & aſperſione aquæ frigidæ cum pauco vino revocandi. Quod ſi ſymptoma illud poſt multos ſudores accidat, recreandi ſunt pane immiſſo in vinum, & infectos unguento pannos permutare optimum erit, ut reſumant vires. Quo ſymptomate ſedato, ſenſim erunt rurſus ungendi, ut curentur. At ſi fluxus ventris ſequatur, ſinendus, ſi vires ferre poſſint. Sin minus, ſucco carnis, juſculis, panatella, hordeato referre oportet, & leviter adſtringentibus aſſumptis mederi Sed primum evacuanda materia commota Quod ſi non tota evacuari poſſit, moderanda tamen eſt, & non in totum relinquenda Aliquando etiam dyſenteria huic morbo ſupervenit, quam clyſteribus detergentibus curare oportet, in quibus *pinguedo hirci* addenda erit, vel *axungia porci*, ſi magna ſit acrimonia. *Axungia enim porci* optima eſt ad retundendam acrimoniam medicamenti inducentis dyſenteriam *Theriaca recens cum limatura auri, vel cum pannis auri* curat dyſenteriam mala qualitate caſtigata Hæc dyſenteria curanda eſt ut alia, aſſumendo ſcilicet *rhabarb myrobal.* & hoc ad humoris evacuationem. Utendum etiam erit adſtringentibus, detergentibus, & cicatricem inducentibus. Aliquando etiam fiunt ulcera in ore, quæ quidem in principio gargariſmatibus detergentibus erunt detergenda, deinde *aqua ſorti temperata aqua roſarum & plantaginis* erunt tangenda, poſtremo gargariſmate adſtringente, etiam fortiter ſiccante curanda. Sed ut ordine procedatur, ſic erit faciendum. Primo gargariſmata paranda *ex decoctione hord. mundati, & ſyrup de roſis ſiccis* hoc modo. Rec. *hord. integri p. ii. roſſ. p. ſſ. fiat decoctio, & in libra i. colat. diſſolve ſyr. violati (ob calorem & fœtorem) unc. iii. fiat gargariſma*, quod quidem refrigerabit, & non adſtringet multum. Si autem ulcera fuerint à principio, gargariſma ex adſtringentibus parare oportet, ne pars affecta tam avide materiam recipiat, fiat igitur ſic. Recipe *foliorum oleæ, myrthi, lentiſci an. man. i. plantag. mas. ſſ. roſ. p. ſſ. hord. p. ii fiat decoctio ad lib. ii. in colat. diſſolve vini malorum granat. unc. ii. diamoron. & ſyr. roſ. laxativi ana unc. i. miſce fiat gargariſma. ſyrup. roſ. laxativus* abſtergit. Magis adſtringit & ſiccat *ſyr. de roſ. ſiccis.* Quare poſt deterſionem, vel ſufficientem exſiccationem adſtringentia fortiora addi debent. Ut cum ulcus ſiccandum eſt, efficaciſſimum erit hoc gargariſma. Rec. *piloſellæ man. ii. foliorum pyri ſylveſtris, vel myrthi, vel mali cydonii, vel ſumach, vel ſorborum man. i. cort. mali granat. vel balauſtiorum unc. i. roſ. p. i. fiat decoctio in aqua & vino albo, & in lib. iii. colat. diſſol. mell. roſ. col. ſyr. de roſ. ſiccis ana unc. iii. fiat gargariſma clarificatum*, (quia cortex mali granati denigrat linguam, & aſperam reddit,) *huic adde aluminis unc. i. & ſiccabit, vel aquæ fortis drach. i. in unc. iiii.* Nota quod nunquam ceſſat defluxio, donec ulcera integre curata ſint, & dentes deterſi. Nam illa lippitudo, vel fuligo, quæ exſpiratione fit, exulcerat linguam. Itaque oportet aqua forti confricare dentes, ut auferatur vis illa arrodendi vel putrefactiva. Hæc aqua detergit dentes & dealbat, & firmat. Fricantur deutes panno alligato ſpecillo, vel bacillo, & immiſſo in aquam illam, caſtigatam *aqua roſ. & plantag.* Si ulcus perſeveret, & inflammatum appareat, oportet tundere linguæ venam, & cucurbitas cum ſcarificatione admovere cervici, deinde gargariſmis ſupradictis repellere, ſiccare, & cicatricem inducere. At quia aliquando peccat jecur, ad ejus deterſionem & purgationem bonum erit uti ſyrupo ſequenti, qui ægros vindicat à recidiva, & aliis ſubvenientibus affectionibus. Syr. ad deterſionem & purgationem jecoris iis, qui exulcerationes, ſcabies, herpetes, & alia cutis vitia patiuntur. Recipe *rad lapathi acuti, acetoſæ & bugloſ. borrag. endiviæ, cichor. ſcariolæ, ceterach, polytrichi, adianthi, agrimon. ana man. i. paſſul. prun. ſebeſt. ana num. 20. auſi drach. ii. quatuor ſemin. frig. majorum ana drach. i. ſennæ orient. & polypod.*

*querc.*

*querc. ana unc. iiij. tamarind. unc. ij. myrob. citrin. chebul. ind. confric. in ſucco roſ. ana unc. i. florum cord. ana p. i. fiat decoctio in decoctione Guajaci, aquæ bugloſſ. & abſinth. ana lib. i. Et in lib. i. ff. vel ij. diſſol. ſyr. roſ. lax. unc. vj. rhab. electi tenuiſſ. pul. & in panno ligati unc. i. arom. cum drach. iij. cinnamomi, & cap. unc. vj. bis in hebdomada.* Duobus diebus ſequentibus ad reſocillationem virium fiat talis opiata. Recipe *Conſ. florum cichor. & bugl. ana unc. i. conſ. capil. unc. ff. pul. diamarg. frigid. drach. iij. roſtri eboris, & limaturæ auri ana drach. ff. triaſant. & diarrhod. abb. ana drach. i. Cum ſyr. conſervat. corticis citri, fiat opiata, capiat ad quantitatem avellanæ, ſuperbibendo parum aquæ cichor. & abſinth.* Si vero articulorum dolores, & tophos, vel tumores duros paſſi ſint, aut etiam patiantur, hoc modo, fiat ſyrupus. Recipe *Eleuti unc. i. galangæ majoris & echinæ, unc. ff. betonicæ, abſinth. menthæ, marrubii ana man. ff. herbarum capil. cichor. & bug. ana man. i. paſſul. dactyl. mund. ana N. 20. aniſi drach. iij. polypod. querc. lib. ff. ſenæ orient. quart. i. ſem. carthami unc. ij. turbith. unc. i. agar. unc. ff. florum anthos, ſtœchad. ana p. i. cortic. citri unc. fiat decoctio. Et in lib. iij. colaturæ diſſol. mell. roſ. & ſyrup. roſ. laxat. ana unc. vj. ſacchari q. ſuffic. fiat ſyrupus aromat. cum drach. ij. diagalangæ.* Et capiat duobus diebus ſequentibus continuis unc. vj. ſemel in hebdomada per menſem, poſtea bis in menſe, deinde ſemel. Accedente hyeme capiat bis in hebdomada ut in principio. Vel ſi malit, utatur pillulis *ex aloë*, ſi curatus ſit. Sin minus *pilulis ex hydrargyro*, ut ſupra imperatum eſt. Pillulæ quæ poterunt accipi loco ſyrupi ſupraſcripti, vel loco pillularum ex aloë. Recipe *aloës unc. i. galang. myrrhæ, agaric. ſalis gemmæ ana drach. i. ſucci abſinth. drach. i. ff. & cum aqua abſinth. fiant pillulæ. Capiat mane in exitu lecti drach. i. bis, vel ter in hebdomada.* Et ſi non ſit bene curatus, vel timeat recidivam, utatur *theriaca, vel mithridatio vel aur. alexandr.* Et hoc in craſſinum ſyrupi, vel pillularum, bis in menſe. Vel fiat talis opiata, quæ poterit accipi loco *theriaces, vel mithridatii, vel aur. alexandr.* Recipe *conſ. anthos, ſtœch. & cort. citri ana unc. i. confect. arom. roſ. unc. ff. pul. diamoſchi, vel diambræ drach. ij. cum ſyr. de ſtœch. fiat opiata. Capiat mane ad quantitatem avellanæ, ſuperbibendo aquæ abſinthii parum.*

Aliquando fiſſuræ in manibus apparent, quæ argumento ſunt morbum non eſſe curatum. Itaque repetenda erit inunctio, qua parte ſunt fiſſuræ manuum. Quod ſi non curentur, etiam univerſali purgatione facta, poſſumus hoc modo tentare curationem.

*Linimenta, unguenta, & decoctiones, quæ poſſunt fieri poſt univerſalem purgationem, & unctionem univerſalem, & hoc in fiſſuris manuum non curatis à morbo Gallico.*

Rec. Sublimati drach. ij. aluminis drach. i. albuminum ovorum fortiter agitatorum quantum ſuffic. Applicentur ſupra partem affectam. Vel ſic. Recipe *unguenti enulati unc. iij. argenti vivi unc. i. ſublimati drach. i. miſce, ungantur manus.* Vel ſic. Recipe *aq. parietar. chelidon. major. plantag. ana unc. iij. ſublimati ſcrup. iiij. chalcitidis & aluminis ana drach. i. decoquantur leviter.* Et ſero cum ibit dormitum, fricentur & abluantur partes tantum cruſtatæ, & quæ in circuitu ſunt. Hunc affectum aliqui falſurari, aliqui phlegma ſalſum vocant: & hoc à materia, quam ſudant, creduntque hanc materiam morbum committere. Sed ſciſſura eſt affectus partis internæ manuum, & pedum. Itaque oportet proprium eſſe morbum, vel ob exactam partium illarum temperaturam, vel potius ob tendinem, vel muſculum illum latum, qui conſtituit manuum pedumque plantam ſenſibilem & mollem. Aliquando herpetes in facie & aliis partibus eveniunt, & curantur remediis herpetibus aptis, & *ſublimatum, vel argentum vivum addatur cum aquis acetoſæ, parietar. vel plantag. Quibus aquis adde ſublimati decocti cum aqua forti drach. i. in qua ponendum eſt argentum vivum.* Vel tale fiat linimentum. Recipe *reſinæ pini unc. i. ceruſſæ unc. ff. argenti vivi drach. iij. ſucci citri, & lapathi acuti ana unc. i. ff. incorporentur ſimul & fiat linimentum, quo linatur pars.* Sic herpetes curantur, nec amplius redeunt. Efficacius erit, ſi *drach. i. ſublimati* addatur. Sed quia calefacit, moleſtiam adfert. *Aqua in qua extinctum eſt ſublimatum*, quod ad tucum paratur, etiam curat herpetes, *vel alumen, maxime ſi uſtum albumine ovi exceptum ſit, cum ſucco arantiorum vel citri*, etiamſi non præceſſerit ſudatio, quemadmodum *aloë diſſoluta in oxymelite ſcillitico.* Aliquando fit alopecia ſine dolore articulorum, aut capitis. Sed ſi aliquando accidat cum dolore, certiſſimum eſt ſignum morbi Gallici. Fit etiam ſine magnis ulceribus, quia humor ſeroſus eſt ſub cute arrodens pilos. Cognitio alopeciæ eſt, cum non ſolum pilorum deperditio fit in ſupercilliis, uti in lepra, ſed in mento, ac etiam in capite fiunt areæ: quæ ſi in occipite, vel in lateribus fiant, hoc demonſtrat eas eſſe à ſolo morbo Gallico. Nam hæ partes calvitio & capillorum deſtuvio ab aliis cauſis reſiſtunt, ob carnis humiditatem. Retinemus alopeciam abluendo partes affectas lacte. Quæ potius curatur unguento, quam diæta. Quare hunc in modum cura erit aggredienda. Purgetur frequenter & fortiter, primum ſcilicet minorativo, deinde apozemate ex herbis, quæ purgant aquas, & ſeroſa recrementa, ſive ichores, ut *ſyr. roſ. laxativo cum decoctione mercurialis, ciclæ, braſſicæ marinæ, ſenæ orient.* Deinde *confect. hamech. electuario de ſucco roſ.* ut ſequitur. Minorativum pro alopecia à morbo Gallico. Recipe *ſyrup. roſ. laxativi unc. iij. decoctionis mercurialis, & ciclæ unc. iiij. fiat minorat. capiat mane.* Apozema pro alopecia à morbo Gallico. Recipe *herbarum capillarium, abrot. ciclæ, agrimoniæ, fumi terræ, lapathi acuti, acetoſæ ana man. i. braſſicæ mar. ſenæ orient. ſemin. carth. & polypod. querc. ana drach. iij. aniſi drach. iij, florum anthos, bugloſſ. borrag. ana p. i. fiat decoctio. Et in lib. i. ff. diſſolve ſyr. de ſumar. compoſ. unc. vj. miſce, capiat in quatuor diebus.* Poteſt dari *cum decoctione ſimplici Guajaci*, & uti per quinque dies mane. Quibus finitis, capiat ſequens medicamentum eradicativum. Recipe *confect. hamech. drach. iij. electuarii de ſucco roſ. drach. i. ſyrup. roſ. unc. i. aquæ borraginis, & capil. ven. ana unc. ii. miſce, capiat.* Quod ſi non ſatis medicamentum hoc evacuaverit, rurſus accipiendum erit de apozemate, addendo *ſyr. roſ laxativi* tantam quantitatem quantam appoſuimus *ſyrupi de fumo terræ.* Et capiat bis in hebdomada, *mane unc. iiij. ſero unc. vj.* Internis partibus purgatis quicquid in habitu corporis continebitur per ſudores evacuare poterimus, hoc ſequente unguento. Recipe *pinguedinis urſi unc. iiij. ol. de abrotano unc. iij. unguenti martiati unc. ij. argenti vivi unc. iiij. myrrhæ, thuris, olibani ana unc. ff. cineris abrotani, & pellis talparum ana drach. iij. reſinæ, & terebinthinæ lotæ in aqua decoctionis abrotani unc. iij. ceræ parum, fiat unguentum*, quo ungantur primum partes inferiores cum brachiis & ſpina: deinde ſuperiores, ac etiam hæ, in quibus multi ſunt pili, addendo in fine unctionis in reſiduo unguenti quod ſequitur. Recipe *ladani depurati unc. i. cineris pellis urſi, & pilorum mulieris, vel viri ana unc. ij. mellis unc. i. fricetur pars affecta mane & ſero, ac ungatur, deinde cooperiatur.* Poſt unguentum fiat lixivium, quo abluentur partes tentatæ alopecia, hoc modo. Recipe *cineris abrotani unc. iiij. cineris abſinth. unc. i. cineris talpæ, & pellis urſi ana unc. i. aquæ lib. iij. fiat lixivium*, in quo decoquantur herbæ ſequentes. Recipe *herbarum capill. abrotani, beton. ſalviæ, pulegii, ana man. i. Et cum decoctione abluantur partes.* Et ſi talpa reperiatur in illa regione, erit decoquenda, & pars leviter confricanda. Aliquando etiam fit dolor capitis à morbo Gallico: & hoc evenit quando materia pituitoſa, vel ſeroſa & putreſcens eſt: & tunc dolorem in parte anteriore capitis, & circa tempora & aures, & maximè cum quadam gravitate facit. Aliquando is dolor in internis partibus eſt, aliquando in externis. At quando in externis eſt, & ſentitur extra calvariam, nec oculorum, nec aurium dolor eos vexat. Et aliquando in hoc dolore alopecia apparet, & hoc in aliqua parte capitis, & ſæpiſſime in lateribus, tuncque eſt certiſſimum morbi Gallici argumentum. At internus externo, & nocte magis afficit, quam interdiu, ac magis in mutatione Auſtrina ad Borealem, & à Boreali ad Auſtrinam, quam alio tempore. Et in palpebris dolor ſentitur gravis, ita ut pili videantur ſurſum erigi. Verum aliquando recens eſt, aliquando antiquus. Si recens ſit, ſine tumore fit, qui etſi aperiatur, nulla ſanies aut materia apparet. Et hoc eſt, quia incipit diſtendere pericranium à cranio. Alia quoque ſigna morbi Gallici præceſſiſſe oportet. Ut ſi diuturnus fuerit, & tumorem faciat, verendum de abſceſſu oſſis & carie. In aliquibus primum incipiunt apparere tumores ob uſum unguentorum multorum, quæ quidem potuerunt humorem tenuare, & in vaporem mutare, ſed non reſolvere, aut etiam quia æger, ante perfectam curationem, ſe aeri frigido commiſit, unde relicta fuit materia ſub cute, quæ pericranium diſtendendo dolorem facit. Aliquando etiam cum dolore capitis ſentitur dolor in acromio, ſterno, cervice, & junctûris extremitatum, nulla tamen apparente exulceratione, vel ſcabie. Et ob eam cauſam multi putant dolorem hunc à morbo Gallico nec procedere, nec oriri. Et levis calfactio hunc dolorem movet, ac exagitat, magnus vero calor mitigat, quemadmodum videre eſt de cibo aſſumpto qui eum evidenter ſedat ac mitigat, etiamſi per conſenſum non fiat dolor. Hic aliquando primarius affectus eſt, id eſt, accidit in recenti morbo, aliquando ex recidiva. Ad cujus curationem injiciendus eſt primum clyſter præſcriptus in dolore capitis à pituita: deinde exhibendæ *pillulæ ſtomachicæ, vel de hiera cum agarico, & ſale gemmæ.* Poſtea coquatur materia cum *ſyrupo de ſixchade & melle roſ. vel anthoſato, vel ſcillit. diſſolu-*

*ſolutis in aq. beton meliſſæ, hyſſopi, vel in decoctione herb. capill. vel Guajaci.* Et capiat in quatuor diebus. Quibus finitis purgetur potenter pillulis evacuantibus pituitam, ut *cochiis & de ſarcocolla, de agarico ac aliis ſimilibus, vel electuario diacarthami, vel de citro ſolut. vel Indo majore vel diaphœnico*, ut de dolore capitis à pituita monſtratum eſt. Facta evacuatione præſcribatur *maſticatorium ex pyrethro*, quo utatur per ſpatium quatuor aut quinque dierum mane & ſero. Poſt uſum vero maſticatorii *exhibeatur theriaca antiqua, ſuperbibendo parum aquæ vitæ, vel parum decoctionis Guajaci.* Vel detur *aqua theriacalis* provocans ſudores, quæ quidem aqua parabitur ſic.

*Aqua theriacalis pro dolore capitis à morbo Gallico.*

Rec. *Theriacæ antiquæ lib. ſſ. rad. helenii, Chynæ, ana unc. iiij. cyclam. unc. vj. ligni Guajaci, & corticis ejuſdem maceratorum per diem in vino albo lib. ij. ponantur omnia in vaſe vitreo, & deſtillentur, ut ſolet deſtillari aqua vitæ. Capiat pro doſi ab unc. ij. ad unc. iiij.* At ſi ſit corpore multum pituitoſo ac obeſo, neque facile ſudet, utatur decocto ſequenti. Recipe *rad. helenii unc. iij. polypod. quer. unc. iiij. ebuli unc. ij. raſuræ ligni Indici lib. i. follicul. ſenæ lib. ſſ. Macerentur maceranda, & decoquantur in lib. x. aquæ ad conſumptionem tertiæ partis. In fine injice ſennæ, & drach. iij. ſem. colocynth. mell. lib. ij. fiat ſyrup. arom. cum. unc. ſſ. cinnam. vel zingib. cap. mane & ſero unc. iiij.* Et non provocet ſudorem. At pro imbecillibus, fiat *ſine colocynthide.* Utatur per octo dies, donec dolor ſedatus fuerit, vel mitigatus.

Super caput apponantur præſidia topica deſcripta cap. de dolore cap. à pituita. Si autem ſit pauper, nec tantam impenſam ferre poſſit, aut ob ſua negotia non poſſit retineri domi, utatur ſequenti unguento. Recipe *unguenti martiati, & aragon. ana unc. iiij. euphorb. unc. i. argenti vivi unc. iiij. (extinguatur in lib. ſſ. axung. porci) ol. chamæm. & rutac. ana unc. iiij. terebinth. lotæ in aqua vitæ unc. ij. ceræ parum, fiat unguentum.* Ungantur primum partes dorſi, deinde cervicis, poſtremo juncturæ extremitatum.

Quod ſi hiſce remediis dolor ſedatus non fuerit, ut funditus auferatur, fiat ſequens emplaſtrum. Recipe *emplaſtri divini unc. iiij. unguenti de vigo unc iij. euphorb. unc. ſſ argenti vivi unc. ij. malaxentur cum ol. rutaceo & fiat emplaſtrum.* Apponatur ſupra caput pilis prius abraſis. Quod ſi multa alia remedia præceſſerint, oportet primum talia emplaſtra partibus remotis admovere, deinde capiti.

Multi in curatione hujus morbi Gallici univerſali medicamenta frigida adhibent magno errore, quia hæc frigida humores refrigerant, & incraſſant.

Aliquando accidit etiam ulcus narium, quod difficillime curatur. Et ut hic poſſimus mederi, ſicut & reliquis accidentibus, hic appoſuimus exemplum tale.

*Curatio ulceris narium a morbo Gallico.*

Ad ulcus narium à morbo Gallico, quod non potuerat curari neque à Medicis Italiæ, neque ab aulicis, neque à cæteris Monſpelienſibus. Recipe *cortic. thuris, ſang. drac. ana drach. i. cort. mali gran. drach. iij. gummi tragac. leniter aſſi drach. i ſſ. fiat pulvis tenuis, qui immittatur naribus cum tenta, addita mucagine ſequenti.* Recipe *ichthyocollæ unc. ſſ. calcis vivæ novies lotæ in aqua ciſterne, deinde cum aqua plantag. unc. i. fiat mucilago.* Recipe *cort. thuris, maſtiches, olibani, myrrhæ, ſtyracis, gummi juniperi ana unc. ſſ roſ. rub, ſantal. omnium ana drach. ij. auripigmenti rubei drach. iij. marcaſitæ, id eſt, lapidis pyritis drach. ij. cum mucilag. gummi tragac. fiant troch. quibus ſuffumigentur cooperimenta capitis, addendo balauſt. & ſpongiæ bedegar ana drach. iij.* Recipe *cortic. mali gran. drach. i. gallas num. x. plantag. caudæ equinæ, polygoni maris. herniariæ ana man. i. herbæ tetrahit man ſſ. fiat decoctio in aqua ferrata, de qua abluantur partes affectæ.* Deinde apponatur *pulvis cum mucagine præſcripta.*

*Troch ad ſuffumig.*

Reiteretur ſuffumigium prius ordinatum addendo *cinnabaris drach. iij.* Et formentur trochiſci *cum terebinth.* Et fumigentur ut prius.

Hic omiſimus omnia alia, quæ illi & in Italia, & in Gallia præſcripta fuerint, tum propter multitudinem præſcriptionum, tum quia ab eis non fuerat curatus. Hæc ſunt accidentia, quæ fere ſolent evenire in morbo Gallico, quibus debetur curatio. Nunc ad ſuffumigia veniendum, quibus etiam ſolent uti in hoc morbo. In curatione dolorum à morbo Gallico, utimur ſuffumigio, & ad curationem ulcerum humidorum, quæ difficile conſolidantur, vel etiam cum ulceris conſolidationem accelerare volumus: ut ego feci in quodam nobili, qui per ſex menſes Lugduni à Medicis & Chirurgis tractatus fuerat, neque tamen ulla diæta, ullove medicamento curari potuerat. Ego vero quatuor diebus curavi ejus ulcus, ita ut priuſquam perveniret domum ſuam, quæ quatuor dierum itinere diſtabat, integre curatus ſit.

*De ſuffumigiis.*

Hoc remedium (ſcilicet fumigium) deſiderat vires robuſtas, quia forte eſt, & periculoſum. Itaque in præhumidis & fortioribus eo eſt utendum. At debilioribus, & qui multa alia remedia fruſtra ſunt experti, quod ſit in lecto, fumigium optimum erit, ut nunc oſtendam. Purgato corpore diligenter, iterum, atque iterum, utendum erit maſticatoriis per aliquot dies, modo non ſit ulcus in ore. (Nam tunc errhinis, non maſticatoriis eſt utendum) deinde ſuffumigio mane vel ſero in lecto, cujus fumum per canalem, dum accenſum cremabitur, ducet. Tale autem erit, quod ſudorem provocabit. Ponantur carbones accenſi in olla, & in eadem ſuperinjiciatur fumigium ſuper carbones, & cooperiatur operculo, a quo fiſtula deducatur in interiorem partem lecti. Quod ſi æger non poſſit ferre odorem, exferat licet caput extra lectum, modo cervix exacte pannis & linteis circumdetur & obvolvatur, ut fumo per ſuperiorem partem nullus pateat exitus. Hæc autem fiunt in debilibus, & iis, qui cubiculum calidum, & pavilionem (ut vocant) commodum habere non poſſunt. Fit autem pavilio ex linteis ſimul ligatis, & ex alto dependentibus, & undequaque ægrum involventibus, in quo ſedet æger ad ſudandum, & imponitur fumigium ſuper multos carbones, ut aër ſub pavilione incluſus calefiat multum, atque adeo madore ſuffumigii infectus, ſudores alliciat, ſicque corpus ſiccet. Si vero odorem ferre nequeat, extra pavilionem caput teneat, & paulo poſt lecto impoſitus egregie ſudet. Reiteretur ſuffumigium pro viribus ægrotantis, & morbi contumacia, donec fiat excretio per os. Quod ſi ob imbecillitatem continue uſum ferre non poſſit æger, utatur ex intervallis, ut per tres dies, deinde quieſcat per quatuor vel plures, deinde ad idem redeat ſuffumigium.

*De ſuffumigiorum uſu.*

Interim vero utatur optima victus ratione attenuante, & leviter exſiccante, aut ſaltem non multum humectante; alimenta ſint laudata, & quæ facile concoquantur. Et abſtineant à vino. Cum hoc ſuffumigio utentur, ſit illis vini loco hydromel, vel decoctum ſecundum Guajaci. Nam vini potio eo tempore una cum argento vivo facit paralyſim. Cæterum poſt has tres fumigationes purgetur rurſus univerſum corpus, ut prius imperatum eſt in diæta, idque ſingulis hebdomadis, ſyrupis ſcilicet laxantibus, vel opiata, vel denique pillulis ad humorum pituitoſorum evacuationem accommodatis.

*Victus ratio*

Suffumigia vim habent à *cinnabrio, ob argentum vivum.* Quare oportet illud quantitate ſuperare alia. Sed adduntur aliqua, quæ ad odoris caſtigationem faciunt, alia vero ad curationem morbi, alia denique ad excipienda medicamenta. Sed illud à me ſemper obſervatum eſt, quod lib. de medicamentorum quant. & lib. de formis remed. nobis monſtratum eſt, ut ſcilicet ea uſurpentur, quæ ob multas rationes uſurpari debent, ut ſi fieri poſſit, forma remedii pluribus nominibus juvet Ut exempli gratia. *Cinnabrio* ſunt addenda aliqua, quæ odorem caſtigent, non *cinnamomum*; non *moſchum*, non *muſcum arborum*, non *hypociſtidem* non *ladanum*, quia etiamſi ſunt odorata, ſunt tamen adſtringentia, & actionem præcipuam retardarent, vel impedirent ſudorem: Sed ſunt uſurpanda odorata, quæ ſudores movent, ut *benzoin, ſtyrax calamita & liquida.* Sic ergo ſcopus ſit procurare ſudores pro doloribus ſedandis, ſufficiunt ſupradicta cum *cinnabrio*, ſic. Recipe *cinnabrii unc. i. ſtyrac. rub. & calamitæ, nucis moſc. ana drach. iij. benzoin unc. ſſ. Excipe terebinthina, & fiat trochiſci drach. ii.* quibus utatur ut diximus. *Terebinthinam* præſcribimus, quia confert ad dolores ſedandos, & ad faciendum multum fumum. Quod ſi ex aridis fieret, pinguedo vel oleum addenda eſſent, ut fumum facerent. Ob id lachrymæ, & quæ fuliginem excitant, ſunt materia fumigiorum.

*Forma ſuffumigii ad mouendos ſudores.*

Si ad ulcera curanda fumigium parare voluerimus, parabimus ex iis, & aliis ulcera detergentibus, & ſiccantibus, qualia ſunt *myrrha, maſtix, olibanum, opopanax, gummi ladani, ligna pinguia quæ reſinam fundunt, ut lignum aloes, ramenta juniperi, cortex pini, macis, nucis moſchatæ.* Sunt alia, quæ arida ſunt, ut *ſantala*, & illa minus probantur, quemadmodum neque *theriacam* & ſimilia iſtis remediis addi bonum putamus (ut neque unguentis admiſceri, quemadmodum inepte quidam fecerunt) quia neque materia apta eſt ad fumigia facienda, neque conferunt extrinſecus adhibita, ut neque theriaca introaſſumpta. Sed fiat ſic fumigium ad ulcera curanda. Recipe *cinnabris unc. i. benzoini, ſtyracis, myrrhæ, olibani, opopanacis ana unc. ſſ. maſtich. macis, thuris ana drach. ij. Excipiantur terebinthina & fiat fumigium.* At ego in ulceribus addo *sandaracham, vel auripigmentum*, & potiſſimum, cum ulcera in pulmonibus, vel naribus, vel aliis partibus internis opinor eſſe. Addimus etiam *marcaſitam*, id eſt, *lapidem pyritem*, quia ulcera ſiccat, & emol-

emollit durities, ut monſtravimus in cura ulceris narium.

*Magma hedychroi maceratum in ol. laurino, & de caſtoreo*, dolores ſedat, ſi *cinnabrium* admixtum ſit.

Si ulcus remaneat poſt alia remedia, nec curatum fuerit, ſufficit partem ulceratam fumigare poſt deterſionem, vel offis caſtigationem. Et hæc ſufficiant pro curatione per ſuffumigia.

Ex ſupradictis ſatis apparet, *argentum vivum* eſſe antidotum, & maxime accommodatum remedium ad morbum Gallicum, quia quomodocunque adminiſtretur, morbum curat. Nam ſudores movet, & ob tenuitatem partium ſiccat. Quod alia medicamenta non faciunt, quia vel adſtringunt, vel ſudorem impediunt. *Argentum* autem *vivum* ſiccando ob aëream quandam ſubſtantiam cum tenuitate, quam habet, curat, & ſuo calore moderato, non autem ſtupefaciendo vel refrigerando, ut aliqui ſomniarunt, adverſus quos in noſtra digreſſione de argento vivo ſatis ſuperque diſputavimus.

Curatio per *unguenta ex argento vivo* ab empiricis primum tentata fuit, qui cum ſcabiei & illi generi tumoris, quod ἀχώρ dicitur, & aliis hujuſmodi conferre vidiſſent, eoque ſcabiem capitis & totius cutis curari, huic morbo accommodare non veriti ſunt, eoque deinceps ratione optima, atque adeo feliciſſimo ſucceſſu uſi ſunt.

FINIS.

# DIONYSII FONTANINI, *Monſpudienſis*,

# CEPHALALGIÆ A GALLICO MORBO CURATIO.

## *Ex Libro Primo Cap. 8. De morbis interius curandis deſumpta.*

Infeſtat hic dolor magna ex parte anteriorem capitis partem, & tempora, nonnunquam etiam poſteriorem.

Curandi ratio ſtatim auſpicanda ab enemate molliter revellente, ne tanta & vaporum, & humorum copia ad caput efferatur. Recipe *malvæ, mercurialis, betæ, ana man. j. furfuris frumenti, chamæmeli, ana man. ſſ. calaminthæ, majoranæ, ana tertiam partem man. j. decoquantur in ſ. q. aquæ uſque ad ſextæ partis conſumptionem. Exprimantur, & colentur.* Deinde *accipiatur juris decocti lib. j. ſſ. caſſiæ unc. j ſſ. ſacchari ſemel duntaxat cocti, mellis à ſpuma purgati, ana unc. ſſ. benedictæ laxat. hieræ Archigenis, ana drach. ij. olei antiqui unc. ij. butyri veteris. unc. j ſalis foſſilis. drach. j. miſceantur omnia, fiatque enema, quod immittatur ante paſtum.* Deinde concoquatur humor. Recipe *ſerap. conſervat. acori, ſcarpii, fumariæ, ſerapii bugloſſ. ana unc. ij. ſtillatitiorum liquorum chamæpityos, meliſſophylli, lupi ſalictarii, bugloſſi, ana unc. iij. miſceantur* & a jejuno diluculo bibantur per quatriduum. Recipe *electuar. diamoſchi dulc. unc. ſſ. utatur cum ſerapiis.* Ubi herbarum copia fuerit, præſtiterit hoc apozemate uti. Recipe *radicis acori, glycyrrhizæ ana unc. j. quinque radic. com. macerata rum in aceto, & vino albo ana unc. ſem. meliſſophylli, betonicæ, ſummitatum lupi ſalictarii, fumariæ, bugloſſi integri, cirſii ana manipul. unum, hermodactylorum unc. ſem. uvarum paſſarum detractis vinaceis unc. j. trium florum com. florum roriſmarini ana pugil. unum, thymi drach. tres, foliorum ſennæ unc. ſem. polypodii querc. unc. j. ſſ. Decoquantur in ſ. q. aquæ, donec dimidium abſumatur, dein exprimantur, & colo tranſfundantur.* Accipiantur *juris decocti colati unc. viginti, quæ ſaccharo dulces reddantur, adjectiſque cinnamomi ſelecti drach. duab. & pul. diarrhod. abb. drach. una. reddantur jucundioris & ſaporis, & odoris.* Sumantur a jejuno *unc. iij.* diluculo diebus quinque.

*Potio purgans.*

Recipe *pruna damaſcen. xij. glycyrrhizæ expurgatæ, oxyphœnicon, uvarum paſſarum detractis vinaceis, violarum ana unc. ſſ. hordei pugil. j. ſeminum aniſi, & fœniculi ana drach. duas, polypodii querc. unc. ſſ. foliorum ſennæ, unc. j. ſſ. hermodactylorum drach. duas. Decoquantur. in ſ. q. aquæ fluvialis, aut fontanæ uſque ad dimidii conſumptionem.* Deinde accipe *hujus decocti unc. iiij. cathol. drachm. ſex, compoſitionis hamech, diaphœnici ana drach. duas, ſerapii bugloſſ. unc. j. ſſ. commiſtis omnibus fiat potio purgans, quæ detur hora quarta à media nocte.* Eo die domi ſe contineat, & poſt horam nonam bibat lotorium ſequens. Recipe *ſacchari ſemel duntaxat cocti unc. ſem. cum jure cicerum rub. fiat lotorium.* Recipe *Theriac. veteris drachmam, conſerv. bugloſſ. drachmas duas, miſceantur*, & ſumantur poſtridie, ſex horis ante paſtum.

*Aut purgetur pilulis.*

Recipe *pil. fœtidarum, pil. Indarum ana drach. ſem. excipiantur ſtillatitio liquore meliſſophylli, fiantque pillul. v.* quæ ſumantur circa noctis dimidium, aut cum primum experrectus fuerit. Cætera deinde ut ſupra fiant. Ubi autem quieverit tres aut quatuor dies, utatur decocto ſequenti. Recipe *ſcobis tenuiſſimæ ligni Sancti lib. j. decoquatur in lib. quatuor aquæ fontanæ, uſque ad dimidiæ partis conſumptionem. Cum autem ad decoctionis terminum prope acceſſerit, addatur meliſſophylli, betonicæ, chamæpityos, bugloſſ. integri, fumariæ, lupi ſalictarii ſummitatum ana manipulum unum. Juris hujus decocti unc. vj. bibat dies quatuor*, hora quinta matutina, & provocetur ſudor (ut humores, qui ulcera plerumque cicatrice obduci prohibent, qui in totius corporis ambitu ſunt, nedum capitis, diſcutiantur) qui quidem accurate abſtergatur. Quod ſi ægroto, poſt epotum hoc decoctum, ſomnus obrepat, dormire licebit. Herbæ autem illæ, quæ decocto ligni ſancti admiſcentur, ligentur, ne ſe ſcobi commiſceant, ab eaque ut facile ſegregari queant. Rurſumque *ſcobs illa, detractis herbis, decoquatur in ſex libris aquæ fontanæ, uſque ad tertiæ partis abſumptionem.* Et hoc ſecundo utatur reliquo tempore, quoties ſitiet, cui poterit adjici modicum vini, ſi quidem debilis valde fuerit ægrotus. His perfectis, topicis præſidiis utendum. Recipe *emplaſtri nobilis ab Joanne de Vigo compoſiti lib. ſſ. emplaſtri filii Zachariæ, emplaſtri de meliloto, emplaſtri ceronei, emplaſtri diachyli, cui iris adjecta ſit, ana unc. ij. farinæ ſeminis lini, farinæ fœnugræci ana unc ſſ. bdellii, ammoniaci, diſſolutorum in oleo de lil. ana drachm. iij. croci drach. ſem. adjecta terebinthina q. ſ. commiſceantur, & ex omnibus fingatur maſſa emplaſtri, magdaleonem appellant, de qua ſumatur. q ſ, ut ſuper alutam extendendo fingatur pileolus, qui capiti ſuperponatur, nec inde avellatur, niſi ſedato dolore.* Nec tantum id capiti fiat, ſed & aliis corporis partibus, ſi qua ſit, quæ ob hunc morbum dolore infeſtetur. Interea ſingulis hebdomadis utetur catapotiis ſequentibus. Recipe *pil aſaſeret, agarici in paſtillorum formam redacti, ana drach. ii. pil. fumariæ, pil. ſine quibus, ana drach. i. hermodactylorum ſcrup. iiii. maſtich. ſcrup. i. myrobalanorum flavorum, myrobalanorum cæruleorum confractorum ol. amygd. dul. ana drach. i. cum ſerapio conſervationis acori fingatur globus, qui dividatur in drachmas & ſingulæ drachmæ in pil. vi.* de quibus tres ſumet ſingulis menſibus ter, horis quatuor poſt cœnam frugalem & tenuem. Tempore quoque frigido proderit ægroto non mediocriter ſumpſiſſe *drachm. unam theriacæ veteris cum unc. i. ſſ. conſerv. bugloſ.* ſex horis ante paſtum, ſingulis hebdomadibus ſemel. Conducet etiam plurimum, ſi quid aliud, ſequenti uti enemate ſingulis menſibus quater, uſque ad perfectam hujus affectus curationem, quod & humores, & vapores, qui ſurſum efferuntur, & jam elati ſunt, qui ſane doloris ſunt in cauſa, revellet, & pharmaci ſolutivi vicem complebit. Recipe *malvarum, linozoſtidos, belxines, origani, calaminthæ, betonicæ, rutæ, meliſſophylli, ſalviæ, ana manipul. unum, byſſopi, pulegii, ana manipul. ſem. feminum aniſi, fœniculi, cumini, ammios ana drach. duas, centaurii minoris manipul. i. polypodii querc. drach. vi. agarici, medullæ colocynthid. drach. ii. foliorum ſennæ ſcrup. iii. florum ſtœchados,*

*florum roriſmarini, florum chamæmeli ana p. i. Decoquantur in ſ. q. aquæ, donec dimidium abſumatur, deinde colentur, & recipiantur juris decocti unc. xvj. hieræ picræ, benedictæ laxativæ ana unc. ſſ. compoſitionis Indi majoris, drach. iii. diaphœnici drach. i. ſucci betæ unc. i. mellis roſacei colo transfuſi unc. i. ſſ. olei chamæmeli, ol. rutæ, ol. anethi, ana unc. i. ſalis foſſilis drach. i. ſſ. Commiſtis omnibus fiat enema, quod ante paſtum immittatur*, cæteriſque enematibus diutius ab ægrotante retineatur. Utetur præterea ægrotus ſequenti compoſitione quotidie, uno tamen, aut altero die per hebdomadam prætermiſſo. Recipe *conſervæ acori, conſervæ radicis bug. ana unc. ii. ſſ. pulv. diamoſchi dulc. drach. ii. pulv. diarrhod. abb. pulv., roſatæ novellæ ana drach i. ſſ. pulv. diamargar. frigidi drachmam unam, excipiantur ſerapio conſervativo acori, fiatque electuarium molle.* Magnæ autem avellanæ magnitudo indicabit, quantum de hoc electuar. ſumpturus ſit ægrotus, duabus aut tribus horis ante paſtum matutinum.

FINIS.

# JOSEPHI STRUTHII,

*Posnanienſis Medici,*

DE

# MORBI GALLICI PULSIBUS

## CAPUT.

*Ex lib. quarto ſphygmicæ artis deſcriptum.*

Morbi Gallici inveterati pulſus ſunt parvi, tardiores, rariores, languidi.

Morbum Gallicum, alii morbum Neapolitanum, alii ſcabiem Hiſpanicam, alii elephantiaſim, ſed improprie, ſicut & lichenem, ſeu impetiginem, alii & mentagram, & ſaphatum vocant. Quemadmodum autem nomine diſcrepant multi, ita & definitione. Alii enim ſolutam continuitatem hunc morbum eſſe definiunt, ut Manardus in Epiſtolis, alii intemperiem. ſed utrique, meo judicio, laterem lavant. Quum enim hic morbus non ſit unus ſimplex, ſed ex pluribus ſimplicibus, unum illi genus ſubalternum dari non poteſt, nec definitio una, ſed deſcriptio potius. In deſcriptionem vero ejus non tantum ſpectanda medico forma eſt, quæ eſt tum intemperies, tum mala compoſitio, tum ſolutio continui, quantum materia ejus, & ſeminaria. Nam cauſas ejus effectrices, quæ ab initio fuerunt planetarum ſuperiorum inſolitæ conjunctiones, & deterrimæ, nunc vero ſunt homines ipſi, qui contagione alius alii autor eſt ejus mali, ſciens, volensque prætereo.

Materia porro ejus morbi eſt ut plurimum phlegma craſſum, viſcidum, ſordidum, id quod indicant puſtulæ latæ, tubera craſſa, veluti gummata, dolores chronici, fluxus phlegmatici, qui inſectis ferro quibuſdam ægrotorum corporibus apparuerunt, veluti muci quidam lenti, & tenaces, quibus nervi, membranæ, & muſculi oblinuntur. Ineſt autem huic materiæ, præter jam recenſitas qualitates, & alia quædam qualitas, de numero earum quæ in tertio ordine reponuntur, quas Græci ἀσωμάτους δυνάμεις id eſt, incorporeas ſeu ſpiritales efficacias vocant, Philoſophi vero noſtri virtuales & ſpecificas qualitates nuncupant, Græci etiam ἰδιοτήτας ἀῤῥήτους, id eſt occultas proprietates appellant, quæ revera in materia morbi Gallici venenoſa eſt, & fraudulenta, demoliens & labefactans facultates membrorum, nonnunquam & ſubſtantiam eorum corrumpens, rebellemque belluam faciens ad medicamenta, quæ primis vel ſecundis qualitatibus operantur, ut neceſſe ſit adhibere alexipharmaca, ſeu amuleta, inter quæ præcipuum eſt lignum ſanctum, ſeu Guajacum, China deinde Indica, ſparta parilla, & hydrargyrum.

Seminaria, per quæ hic morbus contagioſus eſt, ſunt exigua corpuſcula, veluti atomi (non tamen Epicurei) quæ exhalant & efferuntur ſimul cum vaporibus, & humorem phlegmaticum, propter ſympathiam, facile inficiunt, ac alia ex ſe in analogo hoc humore procreant. De qua re Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis pulchre differit, in *libro de Sympathia & antipathia rerum*, & paſſim in *libris tribus de morbis contagioſis*, quem riſit Joannes Baptiſta Montanus in *ſua ſuper Quartam partem primi libri Avicennæ metaphraſi*, doctrinam Fracaſtorii abſurda Epicureorum figmenta, & nova quædam commenta eſſe judicans. Quaſi vero non vetera hæc ſint dogmata, & quidem veriſſima, quorum etiam Galenus meminit, ubi agit de febre peſtilentiali, in *libro de Differentiis febrium*. docet enim, in aëre ambiente nonnulla peſtilentiæ ſemina contineri, ac ea quæ ab ipſo corpora continguntur, alia analoga eſſe, & apta infectioni, quæ multis excrementis referta, ex ſeipſis ad corrumpendum ſunt parata. Idem etiam ſenſit Hippocrates *libro de Natura humana ſecundo*, quum ποσιὴν ἀπόκρισιν id eſt, morbidam excretionem aëri aliquando ineſſe docet, quæ nihil aliud eſt, quam morborum ſemen, quod ex primis qualitatibus non conſtare, neque ex illis proficiſci, ſed divinum, id eſt, occultum & admirabile quiddam eſſe aſſerit *lib. Prognoſt.* 1.

Percontati autem ſunt me ſæpius artis Medicæ ſtudioſi, cur morbus Gallicus novus eſſe cenſeatur, quum omnia, quæ in ipſo conſpiciuntur, ſint vetera? Nam colis, & totius habitus corporis cruſtuoſas puſtulas, faucium prava ulcera, impetigines cutis, articulorum dolores, nocturnas rheumatum acceſſiones, oſſium nodos ſeu excreſcentias, ut vocant, eſſe mala vetera, veterum ſcriptorum monumenta declarant. Ego vero non propter hæc, quæ recenſui, nec propter horum miſcellaneam multitudinem, morbum Gallicam novum eſſe reſpondi, ſed propter qualitatem ejus novam, & ſeminaria nova. Qualitas autem hæc, ut antea docui, materiæ eſt & ſeminum ſpecifica, carens nomine proprio, eſtque ſenſui noſtro occulta, effectus tamen indicat quam prava ſit & efficax.

Iis igitur probe perceptis, facile eſt intelligere, cur in morbo Gallico inveterato ſint languidi pulſus, nimirum quia facultas tum propter reſolutos, tum propter aliena & mala qualitate occupatos ſpiritus, male habet, & eſt debilis. Parvus etiam eſt non ſolum propter hanc ipſam cauſam, ſed etiam quia uſus eſt diminutus, ex ſuccis frigidis, quæ etiam raritatis in pulſu cauſa eſt. Oſtendimus autem antea, frigidum humorem, nempe phlegmaticum, pabulum eſſe hydræ hujus Lernææ. Quod ſi febricula accedat, ut ſæpe fit, putreſcente eodem phlegmate, crebriores tum erunt pulſus, & celeriores, ſi licebit per facultatem. Docuimus enim, facultatem nimis debilem non admittere celeritatem motus.

FINIS

BAR-

# BARTHOLOMÆI MONTAGNANÆ

*Junioris, Philoſophi, ac Medici præſtantiſſimi,*

PRO ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISS. EPISCOPO ET UNGARIÆ VICEREGE,

DE

# MORBO GALLICO

## CONSILIUM.

Sperabam, vir præclariſſime, Petre Zene, cum Patavio præ ingenti peſtilentia Venetias me huc contuliſſem, aliquantulum poſſe animi & corporis vacare otio, quod tamen minime fieri potuit, tum ex nimia Venetorum nobilium ægrotantium me moleſtantium multitudine, qui non ſolum à ſcribendis conſiliis, verum etiam à cogitandis me diſtrahunt plurimum, tum quoniam mihi grandem admodum provinciam attuliſti, ſubtili & laborioſa conſideratione dignam. Non aliunde porro grandem exiſtimo provinciam, niſi quod de diſpoſitione Gallica illuſtriſſ. virum moleſtante, me voluiſti verba facere, de qua ab antiquis illuſtribus Doctoribus noſtris conſcriptum non reperio, etſi quamplura auctorum volumina, quæ ad noſtras manus pervenere, diligenter pervolverim, attamen ſi mihi vel majorem impoſuiſſes provinciam, ut tuæ voluntati, & illuſtriſſimo huic Viro ſatisfacerem, omnino mihi ſubeundam putavi. Moleſtatur enim Illuſtriſſimus dominus (ut mihi retuliſti) diſpoſitione, quæ dicitur morbus Gallicus, quæ apud me eſt mala diſpoſitio epidemialis, teſte Simone Januenſe in *littera p. doctrina pandimon.* auctoritate Oribaſii. Pandimon vero Græci dicunt, quando communis ægritudo in pluribus hominibus occurrit, cujus ſpecies eſt peſtilentia, ſcilicet cum fiunt ægritudines maxime mortiferæ. Idem aſſerit Auctor pandectarum, dictione epidemia. Cum ergo morbus dictus Gallicus plurimos homines ſimul invadat, & pandimon & epidemialis appellari debet. Gentilis etiam, qui merito nomen ſpeculatoris ſibi vendicavit, *quarto con. ſen. 1. cap. de febre peſtilentiali ad principium* inquit. *Dicitur epidimia quando ex aëris mutatione fit in hominibus pluribus determinatum genus morbi, ut quaſi omnes fiant phrenetici, vel pleuritici aut tertianarii, aut aliter affecti.* Ex quibus dictis habetur primo eundem morbum eſſe quandoque epidemialem ſcilicet quando ab aëris mutatione cauſatur, & multos invadit, ſecundo quod quandoque non, ſcilicet quando ex cauſa propria alicui accidit. & ideo propter hoc non oportet morbum epidemialem à non epidemia i ſpecie differre, ſed ſolum in ordine ad aliquas cauſas ab eis extrinſecas. Quod etiam confirmatur auctoritate principis 16 *tertii*, *cap. de cura colicæ ex retentione fœcum* dicentis, quod quandoque accidit colica & ileos ſecundum ſemitam accidentium ægritudinum peſtilentialium, & perveniunt de regione ad regionem, & de homine ad hominem. & paucis interpoſitis verbis ſubdit, & erat plerumque ejus ileos, & lædebatur colon ſecundum ſemitam permutationis ſimilis in criſi. In quibus ultimis verbis voluit princeps paſſionem illam principaliter fuiſſe iliacam, & fieri colicam, quia materia permutabatur ab ileo inteſtino ad colon, ut fit in criſi, ſupple imperfecta, in qua materia non evacuatur ab extra corpus, ſed permutatur de membro ad membrum, ex ſententia principis *ſecunda quarti*. Nicolaus quoque Florentinus vir ampliſſimæ ſcientiæ *ſermone quinto, capit. de colica*, declarans ſententiam principis allegatam dicit, colicam illam fuiſſe contagioſam, merito diſpoſitionis aëris, nunc iſtud corpus, nunc illud ad colicam perducentis, non tamen quod unum corpus aliud inficeret, ut voluit ipſe colicam poſſe multos ſimul invadere, ex aëris diſpoſitione ad illud diſponentis, & ex conſequenti colicam eſſe morbum epidemicum, quæ colica cauſata ex cauſa propria alicui homini, & non ex aëris diſpoſitione non erit epidemialis. Quare ſecundum quod habetur ex verbis Gentilis, morbus Gallicus eſt epidemialis, cum multos ſimul invadat ex aëris mutatione. Si enim morbus Gallicus non fieret ex mutatione aëris, ſed ex cauſa propria alicui homini, utique eſſet morbus ſæpe conſuetus accidere, ſicut morbi particulares. Confirmatur id auctoritate Alexandrini commentatoris in *proœmio libri epidemiorum*, ubi hanc facit morborum diviſionem. Morborum namque hi quidem ſunt particulares, id eſt particulariter ſparſi, alii vero communes. Communium vero hi ſunt conſueti, & cogniti, & dicuntur endimici, qui ſecundum Galenum appellantur regionales. Alii vero ſupervenientes & inconſueti, & nuncupantur epidemici: particulares quidem ſunt, quando in eadem civitate differentibus hominibus differentes morbi ſupervenium, quemadmodum huic tertiana febris, alteri vero quartana, alteri vero ſquinantia. Endimici autem ſunt, ſicut qui in aliqua civitate, aut propter aquas conſuetas, aut propter aliquid tale conſuetum commune, morbi contingunt, ut nephreſis, endimia, quæ paſſio nephretica poteſt eſſe etiam non endimia, ut ſi alicui ſoli accideret ex cauſa ſpeciali, & illi propria, & propterea morbus endimicus, à non endimico, non differt ſpecie neceſſario, ſicut ſupra dictum eſt: de epidemico poſtea ſubdit. Epidemici autem ſunt, qui fiunt ex mutatione aëris, ſecundum ſubſtantiam, aut ſecundum qualitatem. Ex quibus omnibus concludo, quod morbus Gallicus non ſit particularis, ex quo ſimul plures invadit: neque endimicus, cum non merito alicujus rei propriæ alicui civitati, multos invadat. Sed merito diſpoſitionis aëris, ex quo epidemicus eſt, & appellari debet. Cum enim diviſio illa poſita à Commentatore Alexandrino ſit ſufficiens, omnes ſimul morbos complectens, ut intelligenti manifeſtum eſt, (quæ etiam confirmari poteſt authoritate Galeni *primo reg. acutorum c. quarto*) cumque morbus Gallicus non contineatur, nec ſub primo membro illius diviſionis, nec ſub ſecundo, ut dictum eſt, ergo continebitur ſub tertio, & ſic erit epidemialis morbus, cum ex aëris mutatione cauſetur. Quæ aëris mutatio apud me non eſt ſecundum qualitatem, ſed ſecundum ſubſtantiam, quia non video aërem magis eſſe mutatum in qualitatibus manifeſtis (ſaltem mutatione, de qua ſit curandum) tempore eventus iſtius morbi Gallici, quam in aliis temporibus, ſed antea non fuit hic morbus, ergo nec hoc tempore debuiſſet apparere, quod etiam poteſt ratione probari, quia malitia iſta non eſt ſubſtantia, quia tunc eſſet tranſmutatio ſubſtantialis, & etiam ſubſtantia non lædit immediate, ſed mediante aliqua qualitate (unde Ariſt. *in de ſenſu & ſenſato, ignis*, inquit, *non agit in quantum ignis, ſed in quantum calidus.*) Sin autem malitia iſta eſt in aëre, aut occulta exiſtit, aut manifeſta, non utique manifeſta, quia velcalida eſſet, vel humida, &c. & ſic de aliis dicendum foret qualitatibus manifeſtis ſenſibilibus, quod tamen non datur, tum quia non apparuit diverſitas, & mutatio aëris in temporibus eruptionis hujus morbi, magis quam in aliis temporibus, ut ſupra dictum fuit. tum etiam quia aër humidior & calidior (& ſic de aliis qualitatibus) eſſet magis nocuus, & putridus, & peſtilentialis, quod tamen eſt contra Principem, & veritatem, ergo qualitas erit occulta, & hoc eſt, quod dicebat Princeps 1. *quarti capitulo de febre peſtilentiali*, loquens de aëre & aqua putridis, (accidit aëri mala qualitas,) quæ mala qualitas non poteſt eſſe manifeſta, ut deductum eſt, ergo occulta, mala, venenoſa, & propterea appellatur mutatio in ſubſtantia, mutatio autem ad qualitatem manifeſtam appellatur alio modo, ſcilicet vel ad calidum &c. Verum non negamus, quod ad talem qualitatem occultam ſcilicet cauſandam requiratur certa proportio caliditatis & humiditatis præter naturam, ſicut eſt de aliis qualitatibus occultis, quæ requirunt certam proportionem qualitatum primarum, ut voluit Avic. 2 *primi*, dicens, quod ex complexionibus aëris parata magis ad putredinem eſt calida & humida complexio. Et iſta qualitas occulta, cum eſt valde maligna, cauſat diſpoſitiones malas, quas enumerat Averzoar 3. *Theiſir cap.* 1. Et ſecundum quod iſta putredo aëris cum proprietate eſt malignior, vel minus mala, poteſt gignere ægritudines deteriores, vel minus malas. Et eo uſque quandoque procedit

cedit putredo, & mala qualitas venenosa, ut non solum homines moriantur, sed animalia bruta & plantæ, ut inquit Hali Abbas *5. theorices cap.* 11. Et licet corpora cœlestia, ut in pluribus sint causa generationis & corruptionis hominis, & reliquorum animalium (juxta illud philosophi secundo physicorum, sol & homo generant hominem. & 1. *metheororum*, necesse est hunc mundum inferiorem superioribus lationibus esse contiguum, ut omnis virtus gubernetur inde,) tamen aliquæ stellarum conjunctiones & influxus possent esse causa corruptionis. imo idemmet planeta quantum ad diversa loca, juxta illud philosophi 2. *de generatione*: propter motum solis in obliquo circulo fiunt generationes, & corruptiones; accedens enim est causa generationis, recedens vero est causa corruptionis. Concludendum est igitur corpora cœlestia, non tantum generationis, imo etiam corruptionis esse causas per se, non tamen immediate: neque est inconveniens, idem esse causam diversorum, mediate tamen, & secundum dispositiones diversas, ut est sententia philosophi, & commentatoris 2. *de generatione circa finem.* Ex quibus omnibus manifestum est, quid sit morbus Gallicus, & quæ sint ejus causæ primitivæ. Inter causas enim primitivas est intemperies aeris in calido & humido, cum qualitate occulta mala, ut supra dictum est, quæ forte magis est debilitans nervos, & panniculos, quam alias partes, & magis partes ossibus propinquas, quam alias, propter ossium frigiditatem. Et forte propter hanc causam morbus Gallicus non absolvitur à doloribus, sive intentis, sive remissis, ut patet intelligenti. Antecedentes vero morbi Gallici causæ sunt humores melancholici, multiplicati in hepate, & venis, propter malam complexionem in eis impressam ab aëre mutato secundum substantiam, ut prius dictum est. Non tamen nego, quin cum istis humoribus possit aliquis alius humor permisceri non adustus, ut phlegma salsum, sive non salsum, cum materia hujus morbi non elongetur à materia asaphati. Et sicut temperie febrium epidemialium, mala qualitas occulta existens in aëre, respicit ipsum cor, spiritus & sanguinem corrumpendo. Ita ista mala qualitas occulta, respicit omnia membra corporis humani, & præcipue hepar, & venas, & disponit eas ad generationem humorum melancholicorum, quare causæ antecedentes prædictæ hujus morbi Gallici, dolorum & pustularum, veluti accidentium ipsum morbum consequentium, sunt quatuor humores, in materiam hujus morbi tranlire parati, propter eorum dispositiones: conjunctæ porro causæ sunt humores jam prædicti, conversi in materiam hujus morbi, propter impressionem factam ab aëre, in venis & hepate, & ipsis humoribus propulsis ad musculos & panniculos ipsos involventes, & nervos, & ad partes cutaneas, qui quia à virtute debili non possunt expelli ad superficiem corporis, vel quia humores non sunt apti, ut expellantur ad superficiem corporis, vel propter oppilationem pororum tunc moventium ad prædicta membra, scilicet musculos & eorum panniculos, & ad nervos etiam. Neque tamen ita partes istas afficiunt, ut transitum impediant spirituum, & inducant paralysim, neque usque ideo ipsas contrahunt secundum longitudinem ut generent spasmum. Sed eatenus quidem, ut causent malam complexionem diversam, vel solvant continuum, vel faciant utrumque, & quia materia illa movetur ad panniculos involventes musculos, qui ossibus sunt propinqui, propterea videtur, quod dolor sit in ossibus, cum tamen ossa non sentiant, vel forte cum ossa vel panniculi & nervi nutriantur sanguine melancholico, qui, cum infectus sit à mala qualitate, non convenienter transmutatur in substantiam nutriti, hinc fit, ut superfluitates plurimæ multiplicentur, quæ ibi stantes, sunt causa dolorum prædictorum. Nec est mirabile, si magis doleant morbo Gallico affecti de nocte, quam de die, propterea, quia de nocte propter ejus frigiditatem & pororum clausionem, materia illa minus transpirat, vel quia deficiente sole, virtus panniculorum debilitata facilius recipit materiam dolorem facientem, & forte ambæ concurrunt causæ. Materia vero faciens pustulas, quia magis subtilis est, pellitur ad superficiem corporis, magis autem grossa, remanens intus, causat dolorem, vel forte è converso subtilior cum non sit apta expelli ad cutem pellitur ad nervos, & panniculos. grossior vero pellitur ad superficiem corporis, & forte hoc fit à natura symptomatice operante, sicut materia colicæ quandoque ad nervos expellitur, & facit paralysim, & dolores junctura: m, ut colligitur à Principe 22. *tertii*, & 16. fortasse materiæ illæ non multum differunt, & natura symptomatice operans illius materiæ partem pellit ad nervos & panniculos, & non ad superficiem corporis. Et hinc est quod quandoque apparent dolores, & non pustulæ, & quandoque utrumque. Qui quidem morbus apud me capitulari (ut dici solet) neutiquam potest, quis enim morbus est, de quo facta sit mentio apud illustres auctores, quem sequantur accidentia prædicta? quique ut in pluribus incipiat in virga? profecto anxius licet multa pervolverim volumina, ab auctoribus de hoc morbo scriptum nihil invenio. Quamvis enim discurramus per omnes ægritudines cutem defædantes, perque omnes dolores positos à Principe, non tamen videtur adhuc morbum hunc, aut ejus accidentia posse in aliquo cap. collocari. Ex quibus corrolarie concludo errare illos, qui dicunt hunc morbum esse asaphati, cum ex sententia Serapionis *primo Breviarii*, & Rhasis *nono ad Almansorem*, & in *libro divisionum*, similiter ex sententia Metuæ, & Avenzoar, asaphati sit ægritudo appropriata capiti & faciei, & non toti corpori, sicut est morbus Gallicus. Nec obstat quod Princeps non collocaverit capitulum de asaphati in numero capitulorum ægritudinum capitis & faciei, quoniam recte considerans, quod asaphati est ægritudo appropriata capiti & faciei, & quod ob id debuisset eam collocare in latitudine ægritudinum capitis, & faciei, se excusavit dicens, quod propter consuetudinem, quæ jam currit in pluribus libris, ut dicatur de asaphati in *cap. decorationis*, collocavit in *septima sen de decoratione*, & hoc propterea, quia Rhasis in *divisionibus* commemoravit multas capitis ægritudines in rubrica de decoratione, ex qua excusatione Principis volentis insequi cursum consuetudinis apparet ipsum tacite confiteri, asaphati esse ægritudinem appropriatam capiti & faciei, licet quandoque asaphati large sumptum possit communicari aliis partibus, ut apparet in *cap. de cura asaphati.* Rursus remedia, quæ conferunt asaphati, non conferunt pustulis morbi Gallici, ut manifeste compertum est, neque in asaphati apparent dolores, quemadmodum apparent in morbo Gallico ex sententia Doctorum omnium scribentium de asaphati. Præterea dolores, qui accidunt in tali morbo, non sunt de numero dolorum junctura rum de quibus determinavit Avic. 22. *tertii*, cum illi dolores causentur à materia recepta in concavitate junctura rum, quæ augmentata extendendo junctu ras, & nervos, & musculos, ipsas continentes, causat dolores, non quod materia recipiatur in nervis, & hinc fit, ut podagricus non spasmet, quia materia illa in nervis non retinetur, neque nervi tument, licet junctu ræ intumescant propter causam dictam, quam sententiam accepit Avicenna, à Galen. 6. *aphor. com.* 49. ut quodam loco testatur, licet de spasmo aliter videatur dicere Galen. sed in morbo Gallico junctu ræ sine tumore dolent, & ita iste dolor non causatur sicut dolor junctu rarum, dolent enim aliæ partes à junctu ris sine tumore, & aliquando cum tumore magno, & adeo duro, ut videatur lapis, cum remisso tamen dolore & cum colore livido, sive ad nigredinem tendente, ut puta si fuerit materia melancholica grossa. Et aliquando dolor Gallicus urget cum colore non variato à colore particulæ sanæ, quod arguit materiam phlegmaticam grossam permixtam cum humore melancholico remittentem nigredinem humoris melancholici, ut bene declaravit Princeps 3. *quarti cap. de apostematibus duris*, inquiens, quod quando melancholia mixta est cum phlegmate, tunc color est declivis ad colorem corporis. De quo dolore neque Avic. neque Galen. neque alii fecerunt mentionem, neque modum dederunt, secundum quem causetur iste dolor, & tamen fecerunt mentionem de doloribus aliorum membrorum scil. capitis, aurium, oculorum, pectoris, stomachi, hepatis, splenis, intestinorum, renum, dorsi, & matricis, testiculorum, & ossium junctu rarum. Hic enim dolor, qui accidit in morbo Gallico, non est inter illos recensendus: neque videtur causari, sicut causantur illi, & maxime sicut dolores junctu rarum, & propterea videtur, istiusmodi dolores veteribus medicis fuisse incognitos, ex quo de eis nihil prorsus loquuti sunt. Præterea hic morbus secundum plurimum incipit in partibus pudendis, deinde expanditur per universum corpus, Quis est quæso morbus, qui isto modo incipiat, de quo ab Auctoribus habeamus capitulum? incipit autem judicio meo in pudendis propter maximam proportionem currentem inter pudenda, & talem morbum, merito influxus cœlestis, ut dicunt Astrologi, ex conjunctione Saturni in capite arietis cum scorpione dominante pudibundis, aut forte dicendum quod quemadmodum de natura asaphati est, primo occurrere capiti, licet quandoque aliqua species ejus expandatur ex aliqua causa particulari ad alias partes corporis, ut visus est Princeps velle 7. *quarti cap. proprio.* Ita hæc ægritudo, quæ dicitur nuper morbus Gallicus, de sui natura primo occurrit pudibundis, non enim quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum in determinatum. Ex quibus probabiliter concludi potest hunc morbum Hipp. Galen. Avic. & aliis medicis antiquis incognitum fuisse, & propterea ejus nomine proprio caremus, si enim Avic. ipsum cognovisset, utique aliquod de eo capitulum fecisset, & ipsum nomine proprio appellasset, sicut in cæteris multis fecit. Neque propter

*Si vis scire an materia aqua pellitur ad cutem fic materia grossa, vel subtilis vide Gamilem 7. quarti cap. de scabie & pruritu dubio quinto ubi quærit an materia quæ facit pruritum fit grossior materi quæ facit scabiem.*

hoc noſtri Illuſtres Auctores ſunt de inſufficientia crimi-
nandi. Sunt enim aliquæ ægritudines, quæ non accidunt,
niſi longis temporum intervallis, & forte ſequuntur ſtel-
larum conjunctiones, quæ non fiunt niſi raro, & in ma-
gno temporis decurſu, & forte etiam alias cauſas raro
contingentes, & cum diuturno annorum intervallo. Ga-
lenus enim, ut refert Avic. 3. *quarti cap. de vena mede-
ni:* nunquam vidit illam ægritudinem, neque vidit febrem
ſeptenam, aut novenam, & propterea negat eas dari, ut
inquit Avic. 1. *quarti cap. de febre ſextana & ſeptena*, &
ſimilibus illis, ut inquit ibi Avic. Et non oportet, ut ne-
gentur ægritudines, quas non contingit videre in tempore
quodam, & quadam regione. Aliquando enim pertran-
ſit magna annorum revolutio, in qua non videntur fieri
aliquæ ægritudines, ſicut non videtur lapis egrediens ab
inteſtinis, ſicut ipſe recitat in *libro de interioribus*, & ta-
men Gentilis vidit eum bis, neque fuiſſet conveniens Ga-
lenum negare hoc. Affirmat etiam Gentilis ſe vidiſſe la-
pidem à ſtomacho egreſſum per vomitum poſt vehemen-
tes ſtomachi dolores, quod à præceſſoribus noſtris non
fuit viſum, & tamen non debet hoc negari, ſed concedi
ſicut monſtruoſum raro evenieus. Sicut ergo ægritudo
iſta, ſcilicet lapis in ſtomacho, fuit incognita Galeno,
Hippocrati & Avicennæ, quia illis temporibus, non ap-
paruit. Et ſimiliter ſicut febris ſextana & novena tempo-
re Galeni, non acciderunt, eo quia non fiunt niſi ex
longis temporum reverſionibus. Ita pariter non videtur
inconveniens, quod morbus Gallicus appareat temporibus noſtris, qui tamen temporibus Hippoc. Galeni & Prin-
cipis non fuit. Non tamen dico, quod nunquam fue-
rit, immo neceſſe eſt ipſum alias fuiſſe, ſi mundus eſt æ-
ternus, ut voluit Ariſt. 8. *phyſicorum* & *primo cœli*. Eæ-
dem enim revolutiones, & ſtellarum conjunctiones &
cauſæ ipſarum productivæ infinities fuere, & eædem di-
ſpoſitiones ex parte paſſi, ergo idem affectus, & ex con-
ſequenti idem morbus. Si vero mundus eſt factus de no-
vo (ut eſt rei veritas) credendum eſt, etiam talem mor-
bum alias fuiſſe, non tamen tempore illuſtrium Aucto-
rum prædictorum, quorum opera temporibus noſtris vi-
gent. Sunt enim aliquæ ægritudines non apparentes, ni-
ſi ex diu revolventibus Zodiaci curriculis, ut toties dixi.
Avenzoar enim dragunculum Græcorum, vena medeni
Avic. poſuit ægritudinem cauſatam à verme genito inter
carnem & cutem, neque iſta ægritudo eſt vena medeni,
ut apparet per ipſum Avenzoar, quia de utriſque diſtin-
cta facit capitula, & diverſa applicat remedia, hanc ta-
men ægritudinem non cognovit Avic. ut patet intelligen-
ti, nam determinat de vermibus in inteſtinis genitis 16. 3.
& de vermibus in capite genitis facientibus ſodam 1. 3. de
verme autem generato inter carnem & cutem nullibi fe-
cit mentionem, & ex conſequenti talem ægritudinem
ignoravit: proinde & Galenus & Hippoc. quorum Avic.
interpres & recitator fuit. Ignoraverunt etiam omnes me-
dici excepto Avenzoar ægritudinem cauſatam ab animalibus
genitis in canna pulmonis, & locis vacuis, quæ animalia
minora ſunt muſcilionibus, quæ animalia cum transfe-
runtur de loco ſuæ originis, reſultat tuſſis ex illorum
motu, & quando quieſcunt in loco ſuo quieſcit tuſſis,
ut voluit Gentilis 10. 3. *cap. de tuſſi:* neque eſt hoc mi-
rum propter cauſas prædictas. Cognoſcuntur autem pu-
ſtularum materiæ per pruritum, colorem, figuram, do-
lorem, & his ſimilia, nam ſi puſtulæ fuerint rubræ, do-
lor non multus eſt, & pulſativus non multæ magnitudi-
nis, fiunt enim ex aduſtione ſanguinis. Si vero dolor
acutus fuerit, & ſubito eveniens, & puſtulæ ſint parvæ,
ad citrinitatem tendentes & ulcerantes, & in cute aſperi-
tas appareat, à cholera aduſta proveniunt, ſi vero dolor
fuerit extenſivus aut gravativus, paulatim eveniens, &
puſtulæ fuerint latæ ad albedinem tendentes, à phlegmate
fiunt aduſto, & ſi cum his ſignis notabilis fuerit pruritus,
& aliqualis ardor, judicandum eſt à phlegmate ſalſo com-
mixto cum ſanguine melancholico eas provenire, verum
ſi tendant ad nigredinem, & parvæ etiam exiſtant, dolore
maxime exiſtente parvo, ſunt à melancholia. Attamen
quia raro accidit, ut ſolus humor peccet, ut teſtis eſt
Galenus *primo regiminis acutorum*, & Princeps 3. 4. *cap.
primo*, ideo ſigna iſta quandoque confunduntur propter
permixtionem diverſorum humorum. Quare oportet ſi-
gna in mente colligere, & comparando ea ad invicem
comprehendere, quæ magis dominantur, & tunc compre-
hendere per cognitionem, quinam ſit humor dominans &
ſubdominans. Idem faciundum erit in cognitione mate-
rierum dolorem gignentium, nempe diſcurrendum per co-
lorem particulæ doloroſæ, & per cognitionem ſpecierum
dolorum in intenſione & remiſſione eorum, & in veloci
vel tardo adventu eorundem, ut ſupra dictum fuit de pu-
ſtulis. Verum quia nihil ſcriptum fuit de qualitate dolo-
ris moleſtantis illuſtriſſimam Dom. Reverendiſſimi D. E-

A piſcopi Viceregis Ungariæ, neque de complexione ejus
naturali, ex quibus devenire potuiſſem in notitiam cauſæ
conjunctæ doloris moleſtantis Reverendiſſimam ac illu-
ſtriſſimam Domin. ſuam, hinc fit ut localia particularia
convenienter minime applicari poſſint. Nam ſecundum
ſententiam Galen. 9. *de ingenio ſanitatis*, Scientificus me-
dicus in quocumque actu curativo tria potiſſima conſide-
rare debet, complexionem ſcilicet naturalem, cauſam æ-
gritudinis, ſi cauſam habuerit, & aëris diſpoſitionem.
De quibus duobus, ſcilicet complexione naturali, & cau-
ſa doloris, D. S. moleſtantis, & de accidentibus, cum
ſcriptum non fuerit, ex conſequenti inſtrumenta particula-
ria curativa minime applicari poſſunt. Quare neceſſe eſt
in univerſali inſtrumenta curativa hic in ſcriptis redigere,
ex quibus non ſolum. D S. à deteriori lapſu præſervabi-
tur, verum fortaſſe etiam à præſenti doloroſa diſpoſitione
curabitur, ſed ſi habebimus literas illuſtriſſimæ D. S. de-
clarantes colorem particulæ læſæ, ſpeciem doloris, inten-
ſionem ac remiſſionem ejuſdem, & ipſius doloris tardum
B aut velocem eventum, ad particularia tunc remedia de-
ſcendendo, ſaluberrima & inſallibilia curativa inſtrumenta
noſtris literis conſcribemus. Nunc vero circa univerſalia
procedendo, ad regimen ſex rerum naturalium deveniemus. Eligatur aër igitur temperatus, aut ab æqualitate
pet caliditatem & humiditatem parum elevatus, tempera-
tum enim habet naturam medii, medium vero reſpectu u-
nius extremi ſapit naturam alterius. Et ideo ſi tempe-
ratus fuerit, quæcunque materia fuerit peccans, conveni-
re poterit, ut apud intelligentem facile conſtat. Eligatur
itaque aër boni odoris & bene eventatus, qui tempore æ-
ſtatis poterit artificialiter præparari, ſternendo folia ſalicis,
vitis, roſas, violas, & eis admiſcenda parum lauri, &
res boni odoris in loco ſuæ habitationis, & in æſtate eligat
loca montana. In hyeme vero loca plana, ut habeat aë-
rem temperamento magis propinquum. Circa cibum &
potum, panis ſit de ſimila, id eſt, de puriſſima farina,
non calidus, neque pluris ætatis trium dierum, bene co-
C ctus & fermentatus. Vinum ſit gaurum, medii ſaporis,
non dulce, neque ponticum cum aqua cocta debite per-
mixtum, aut cum aqua bugloſſæ & borraginis. Carnes
ſint ex pullis gallinaceis, caponibus juvenibus non pin-
guibus, ex hœdis etiam, & vitulis lactantibus. Carnes
phaſianorum & perdicum, & avicularum parvarum præter
paſſeres, nec multum diſtantium à principio ſuæ genera-
tionis etiam conveniunt: Evitet illuſtriſſ. D. S. omnium
animalium interiora, & proprie pulmones, cor, hepar,
ſplenem, inteſtina, renes, etiam teſticulos, exceptis te-
ſticulis pullorum & hepatibus; caveat illuſtriſſima D. S.
aſſumere diverſa cibaria in eadem menſa, & apponere in-
digeſtum ſupra indigeſtum, & non aſſumat cibum in ho-
ra non conſueta, nam hæc ſunt, quæ digeſtionem fieri
prohibent. Digeſtio autem læſa eſt mater & fundamen-
tum fere omnium ægritudinum, ut recitat princeps 13.
3. De piſcibus probantur petroſi, ſquammoſi, & viven-
tes alii in bonis aquis & laudabilibus. De ferculis lauda-
tur juſculum factum ex ovis & brodio pulli, & modico
D agreſtæ, & far proprie dictum. panicum vero cum lacte
amygdalarum convenire poteſt, legumina omnia, & pro-
prie lentes, & fabæ ab illuſtriſſima D. S. vitari debent.
De ſaporibus vero, vinum granatorum muzorum, vi-
num cydoniorum, ſapor amygdalarum, quem ſaporem
album appellant, convenire poſſunt. Herbæ vero con-
veniunt, ſpinachia, betæ, abjecta tamen prima aqua ea-
rum decoctionis, quæ in brodio laudabilium carnium im-
ponantur & decoquantur. De ſalatutiis autem, cicho-
rea, lactuca, bugloſſa, cum modico aceto paſſulato, ſci-
licet in quo decoctæ ſint paſſulæ, illuſtriſſimæ D. S. conve-
niunt, lacticinia omnia, & caſeus, & lac fugienda ſunt,
licet quandoque (ſed raro) concedi poſſunt. Ova con-
veniunt ſorbilia & recentia in aqua decocta. De aroma-
tibus convenientibus ſuper ferculis ponendis eſt cinnamo-
mum electiſſimum, non tamen in multa quantitate. De
fructibus laudari poſſunt poma apia bene matura, & quan-
doque melones conveniunt, item amygdalæ, avellanæ,
pruna damaſcena, & Perſica deſiccata. Somnus ſit no-
E cturnus ad minus ſeptem horarum, non ſuperfluus, nam
Avic. 3. *primi de regimine ſomni & vigiliæ*, inquit quod
ſomnus temperatus virtutem naturalem potentem efficit in
perficiendis ſuis operationibus, & animalem virtutem
quieſcere facit, & in ejus ſubſtantia augmentum præbet,
& prohibet ſpiritus reſolutionem, & propter hoc conco-
ctionem adjuvat & reliqua, quæ tu ibi vide, quia pulchra
ſane ſunt, meridianus autem ſomnus non competit, niſi
præ nimio dolore, ſi non potuiſſet in nocte dormire. Un-
de princeps *ſen & cap. præallegatis* inquit. In die dormi-
re malum, etenim ad malas præparat ægritudines rheuma-
tiſmos generat & corrumpit colorem, & laxat nervos &
efficit pigritiam, & debilitat deſiderium, & generat apo-

ſtemata: fugiat etiam in dormitione recubitum ſuper dorſum, tanquam inimicum mortalem. Motus vero ſit temperatus & ante cibum factus, expulſis tamen prius ſuperfluitatibus primæ & ſecundæ digeſtionis, exercitium enim immoderatum ſubtiliat humores, & ponit eos in motu, quo fit ut præcipitentur ad nervos jam ex dolore debilitatos, quare evitet illuſtriſſima D. S. omne exercitium immoderatum, & venationes, & equitationes cum equis fortibus & ſuperbis male vehentibus homines. Caveat illuſtriſſima D. S. à nimia repletione cibi, & potus, imo ſurgat à menſa cum reliquiis famis, & aſſumat potum cibo proportionatum, ita quod cibus non natet, neque fluctuet in ſtomacho. Ventrem habeat lubricum, & ſi non natura, ſaltem arte, diebus interpoſitis faciendo tale clyſma. Recipe *ficlæ, malvæ, violarum ana man. i. mercurialis man. ſſ. bulliant in ſ. q. aquæ, & fiat decoctio, & de ſupra dicta decoctione* Rec. *l. i. ſſ. olei violati unc. iij. ſacchari rub. unc. i. vitellum ovi num. i. ſalis communis drach. i. ſſ. & quandoque unc. i. caſſiæ, & unc. i. electuarii lenitivi*, vel leniatur venter D. S. illuſtriſſ. cum *unc. i. floris caſſiæ & unc. ſſ. electuarii lenitivi, quæ miſceantur, & fiat bolus*, aſſumendo ipſum per horam ante prandium. Utatur etiam vomitu bis in menſe una die poſt aliam, niſi ſit ex parte ſtricturæ pectoris aliquid quod prohibeat, & proprie poſt cibum & ante cibum, ſi vomitus ei fuerit facilis, eſt enim theſaurus in præſervando à doloribus, ut colligitur 22. 3. expellit enim ſuperfluitates groſſas per viam contrariam viæ, cui motus eſt ad nervos. Vitandæ ſunt triſtes animi paſſiones, ſicut, ira, furor, triſtitia, timor, ſollicitudo, iſta enim exſiccant, & exterminant, & removent homines ab ea, quæ eſt ſecundum naturam, conſiſtentia, ut voluit Galen. 3. *techni.* Verum confert lætari, gaudere, bene ſperare de ſalute ſua, & converſari cum amicis delectabilibus, juxta illud Galen. in *libello de ludo parvæ pilæ ad Epigenem*, dicentis, quod tanta eſt vis motionis & regulationis humorum in gaudio, quod multi ex perniciotiſſimis ægritudinibus liberati fuere, gaviſi ſolum. Coitus vero ſit temperatus, & incundus celebrata jam 1. & 2. digeſtione cum mediatur diſpoſitio in digeſtione tertia juxta doctrinam Principis 2. 3. *cap. de horis coitus.* Reliqua omnia dimittantur tamquam contraria. Reliquum eſt ut veniamus ad regimen medicinale diſpoſitionis Gallicæ. Quare imprimis minoretur materia cum *electuario lenitivo fortificato cum electuario de pſyllio Montagnanæ*, avi mei paterni clariſſimi faciendo ſic. Recipe *electuarii lenitivi unc. i. de pſyllio Montagnanæ drach. ij. ſacchari fini. q. ſ. & fiat bolus*, & aſſumatur per duas horas ante prandium. Divertatur poſtea materia cum provocatione hæmorrhoidarum, erit enim divinum & ſingulare remedium huic diſpoſitioni, ut intelligenti patet. Digeratur deinde materia cum infra ſcriptis digeſtivis, vel eorum altero materiæ peccanti magis proportionato. Recipe *ſyrup. de bugloſſa: de endivia ſimp. geleniabim de ſaccharo ana unc. ſſ. aquarum cichorei, lupulorum, fumi terræ ana unc. i. miſce*, vel ſic. Recipe *ſyrup. de fumo terræ unc. i. miſce*, vel ſic. Recipe *ſyrup. de fumo terræ unc. i. de endivia unc. ſem. geleniabim de ſaccharo drach. ij. aquarum bugloſſæ, lupulorum ana unc. i. miſce.* Verum ſi materia faciens dolorem R. D. S. eſſet valde ſubtilis & in motu, detur ſyrup. iſte. Recipe *ſyrup. de fumo terræ unc. i. roſati unc. ſſ. Aquarum endiviæ, acetoſæ, bugloſſæ ana unc. i. miſce.* Vel ſic. Recipe *ſyrup. de pomis deſcriptione ſabor* (ut in practica habetur Meſuæ cap. de melancholia) *unc. i. de endivia unc. ſſ. geleniabim de ſaccharo drach. ij.* In materia vero groſſiori utor ego pro digeſtivo *ſyrup. de epithymo permixto cum ſyrup. violato* ſic faciendo. Recipe *ſyrup. de epithymo unc. i. violati unc. ſſ. aquarum fumi terræ, lupulorum, bugloſſæ ana unc. i. miſce.* Et quandoque exhibeo *unc. ij. decoctionis epithymi deſcriptione Meſuæ in antidotario cum unc. ij. aquæ cichorei, vel bugloſſæ.* Facta vero materierum digeſtione, quæ cognoſcitur per colorem, & ſubſtantiam urinæ, cum acquiſita jam hypoſtaſi alba & æquali, inferius deſcendente, ſecundum tamen figuram pyramidalem ſimilem hypoſtaſi aquæ roſatæ, ut colligitur à principe 2. *primi. Summa de urinis cap. de ſignificationibus ſpecierum hypoſtaſis*, quæ tamen ante non aderant, tunc evacuetur materia digeſta cum infra ſcripta medicina ſumendo ipſam ſummo mane, & tardando cibum ad minus per quinque horas. Deinde ſi bene operata fuerit, aſſumatur lavativum, quod erit brodium pulli, in quo ſit decoctum *hordeum excorticatum.* Deponit enim medicinam, & minuit vigorem ejus, ut colligi poteſt à principe 16. 3. *cap. de cura fluxus facti à medicina*, & licet loquatur de aqua calida, tamen brodium pulli juvenis & macri non multum in nutrimento diſcrepat ab aqua, nam præterea habet proprietatem temperandi humores, ut eſt ſententia Principis 3. *primi cap. de regimine cibi & potus.* Verum ſciendum eſt, quod in hujuſmodi diſpoſitionibus melancholicis medicina ſolutiva debet eſſe commenſurata, non excedens, aut modicum ſaltem recedens à gradu medicinarum incolumium; ita quod natura poſſit eam regulare, & non ipſa regulet naturam. Neque dimittat medicinas lætificativas humectativas & cordiales, hoc enim eſt, quod medicinam beatificat, & ideo detur medicina talis. Recipe *thymi, epithymi, florum bugloſſæ, borraginis, violarum ana ſcrup. ſſ. myrobalanorum citrinorum, Indorum, ſenæ ana drach. ii. polypodii quercini drach. ſſ. granorum ſebeſten numero x. prunorum damaſcenorum numero iiii. paſſularum drach. ii. liquiritiæ raſæ drach. i. aquarum endiviæ, lupulorum, fumi terræ, ana q. ſ. miſce, & fiat decoctio ſecundum artem.* Recipe *decoctionis ſupraſcriptæ unc. iii. rhabarbari electi drach. i. agarici trochiſcati ſcrup. ii. ſpicæ gr. iij. vini malvatici cochleare unum, miſce & fiat infuſio, & facta diligenti expreſſione addantur infraſcripta.* Recipe *electuarii de ſebeſten, lenitivi ana unc. ſſ. mannæ orientalis unc. i. electuarii de pſyllio Montagnanæ drach. ii. ſucci roſarum puri, ſyrupi violati ana unc ſſ. miſce, & fiat potio.* Ego quandoque ſolitus ſum addere in materia groſſiori *electuarium de epithymo deſcriptione Montagnanæ avi*, & quandoque *diaſenam* ſecundum exigentiam materierum, & virtutis tenorem. In die vero ſequenti dentur unc. iiii. brodii ſummo mane, & deſuper dormiat. Deinde cum à ſomno expergefactus fuerit, fiat ſibi *enema lavativum cum unc. i. ſſ. ſacchari rubri, aut unc. ii. mellis roſati cum brodio pulli, ſale, vitello ovi, & oleo violato* ad abſtergendum reliquias materierum, & eas extrapellendum, quas medicina ſolutiva reliquit juxta doctrinam Principis 4. *primi c. de enematibus.* Verum quia materia hæc dependet à melancholia, & ex ſententia Principis 1. 3. *cap. de melancholia* theſaurus curæ, & apud me non ſolum melancholiæ, de qua ibi loquitur, ſed cujuſcunque diſpoſitionis melancholicæ, principiis vitæ contrariæ, eſt confortare cor, quod eſt vitæ fons, in quo altera elaboratione elaboratur ſanguis, ſine cujus influxu cætera membra in operationes exire nunquam poſſunt, ut colligitur à conciliatore differentia 136. in 3. dicendorum, & ab Averroe. 3. *colliget.* Ideo merito confortandum erit cor. Ex confortantibus autem cor laudatur *lætificans Guilielmi, lætificans Meſuæ deſcriptione filii Zachariæ. Et electuarium de gemmis, & electuarium chermes, ut in antidotario Meſuæ.* Videtur etiam mirabile *lætificans Rhaſis* 9. ad *Almanſorem cap. de melancholia*, aſſumendo de altero eorum, ut libet, *unc. i. ſacchari violati, bugloſſati ana unc. i. ſſ. ſem. citri, boli armenæ ana drach. ſſ. hyacinthi ſcrup. i. & cum ſyr. de acetoſitate citri fiat mixtura, de qua ſumat per quatuor horas ante prandium cochleare unum, ſupra bibendo nonnihil vini clari albi odoriferi lymphati cum aqua bugloſſæ, aut roſata.* Verum tribus mirabilibus inſtrumentis ſolitus ſum confortare cor in ſimilibus paſſionibus, quorum primum deſcripſit conciliator noſtræ Urbis Patavinæ decus eximium, differentia 196. licet enim videatur ad caliditatem declinare, mirum in modum tamen cordiale, & delectabile exiſtit, & virtuti celeriter ſubveniens uſque adeo ut in riſum cum alacritate inducat hominem etiam recedente vita. Aliud vero inſtrumentum eſt *electuarium Gentilis*, deſcriptum in ſecunda particula ſui tractatus de corde, quod parum dixit ab æqualitate recedere, & poſſe dari in omni ætate, & tempore præterquam quod enim confortat, clarificat etiam ſpiritum & ſanguinem, & inſtaurat, confortando omnia membra nutritiva. Tertium & ultimum inſtrumentum eſt *electuarium Montagnanæ*, avi mei in ſuo conſilio de melancholia, in quo virtus latet mirabilis confortandi cor & cerebrum, & purificandi ſanguinem, & defendendi ſpiritus ab impreſſionibus qualitatum melancholicarum, quorum alterum, ut magis placet, permiſceatur *cum ſaccharo bugloſſato & violato*, & reliquis. Et eodem modo, ut ſupra ſcriptum eſt, adminiſtretur. Verum quia ægritudines cum aliquo tempore perdurant, permutant complexionem in membris, ita ut acquiratur diſpoſitio malorum humorum generativa, ut voluit Averroes 3. *colliget*, ideo oportet corrumpere malam diſpoſitionem in hepate, & venis impreſſam, & mundificare ipſum ab omni virulentia in ipſo exiſtente, & adeo confortari, ut generet laudabiles humores, quo facto, in morbum Gallicum Illuſtriſſima D. S. non redibit amplius. Ad quam intentionem complendam potenter concurrunt duo inſtrumenta infraſcripta. Quorum ex quotidiana experientia mirabilem vidi effectum, primum eſt hoc electuarium. Recipe *caſſiæ ligneæ, cinnamomi electi ana drach. ii. croci ſcrup. i. roſarum rubrarum ſcrup. iiii. ſantalorum rubrorum unc. ſſ. paſſularum cum grillis, non bene maturarum unc. ii. ſem. citri. boli armenæ ana ſcrup. ii. Et cum mixa cydoniorum fiat mixtura. Secundum inſtrumentum eſt hoc.*

Re-

Recipe *electuarii regum, unc. i. (in cujus descriptione ponantur avellanæ loco pinearum) mithridatii electissimi drach. ss. boli Armenæ drach. i. sem. citri drach. i. conservæ cydoniorum unc. i. ss. Et cum miva cydoniorum & syrupo de endivia fiat inixtura, de qua accipiat drach. ij. vel cochleare unum per duas horas, vel tres ante prandium.* Et hæc sunt Clarissime Petre Zenè, quæ celeri calamo tabellario instanti sub brevitate conscripsi, quæ omnia summus ille omnium opifex, qui omnes languores infallibiliter sanat, sua divina miseratione benedicat, & in sanitatem illustrissimæ D. suæ dirigat.

FINIS.

# MARINI BROCARDI,

*Veneti, Philosophi & Medici Clarissimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS.

Scribunt omnes medicinæ authores, nullam penitus ægritudinem curandam, nisi prius cognoscatur, hoc volunt princeps prima quarti, hoc Galen. *primo regiminis acutorum com. tertio*, ac etiam *primo de febribus ad Glauconem* idcirco sæpius mecum cogitavi, nunquid nova hæc ægritudo, quæ eo tempore, quo Galli Italiam armis infestarunt, humanum genus vexare cœpit, possit à nobis aliquo pacto cognosci. Ad partem negativam sunt hæ rationes, quarum prima est talis, præcognitio quid nominis præcedit præcognitionem quid rei, sed præcognitio quid nominis non est nobis nota, ergo tenet consequentia, minor probatur, quoniam nomen est adhuc ignotum, alii namque eam dicunt elephantiasim, lichenas nonnulli; plerique asaphati, aliqui prunam, multi ignem Persicum, multi dispositionem mediam inter scabiem & lepram, vulgares morbum Gallicum, nec adhuc aliquod nomen certum ei impositum videtur; præterea, cum medicus sit artifex sensitivus, à posteriori per signa & effectus venatur essentiam ægritudinis, sed nullum est signum, nec accidens, nec affectus in hac dispositione, quod ducat in ejus cognitionem causæ, igitur, minor probatur; in subjecto patiente talem ægritudinem videmus primo dolores varios & diversos, nunc pungitivos, nunc extensivos, nunc gravativos, nunc ulcerativos, nunc frangitivos, ac fere omnes doloris species, quas enumerat princeps *secunda primi*, ergo hæ tales tantæque dolorum varietates in unicam ac determinatam causam resolvi nequeunt, videmus secundo tot pustulas, tot apostemata, tubercula, crustas, ut nemo, quantumvis optimi judicii & perfecti, omnia hæc possit perfecte cognoscere, ac in sua referre principia, namque in eadem fere brachii particula, aut alterius membri, adsunt apostemata sanguinea, cholerica, phlegmatica, melancholica, dixero à prædominio, raro enim dantur hæc singularia, ut voluit princeps *tertia quarti*, nullus etiam humor est purus, sed omnes sunt permixti, dixit Galen. *secundo prognosticorum com.* 38. autoritate Hippocratis, patet igitur ex hac tanta accidentium varietate, quod ægritudo hæc ignoratur, nec aliquo determinato capitulo capitulari potest, tertio hæc ægritudo non solum dependet à causis inferioribus, sed etiam superioribus, & est dicta epidemialis, ergo non potest nobis esse ex toto nota, consequentia patet ex Avic. *prima quarti cap. de pestilentia*, quæ dicitur dispositio epidemialis, ubi enumerat aliquas ejus causas, & tandem concludit, quod sunt formæ, ex cœlestibus pestilentiam producentes, quarum cognitionem hic inferius ignoramus; idem habetur *tertia primi doctrina quinta capitulo de regimine temporum cum rectificatione aëris*, ubi innuit, quod multoties accidit corruptio aëris propter rem cœlestem, cujus qualitas non est hominibus nota; antecedens probatur, quoniam hæc dispositio non est per universum disseminata, ut sunt epidemiales; præterea apparuit post trium luminarium conjunctionem pessimam, quam tot bella, tot strages, tot incendia, tot regnorum mutationes sequutæ sunt, igitur quarto signa, per quæ investigantur causæ ægritudinum, sunt signa humores peccantes declarantia, sed ista non sufficiunt ad declarandum causam hujus ægritudinis, ergo, nam præter humores aliæ etiam causæ concurrunt, ut cœlestis influxus, ut dictum est, unde pulcherrime dubitavit conciliator in consilio 94. utrum febris pestilentialis esset de numero humoralium, cum non sit ab uno humore tantum, sed ambiat omnes humores, cum etiam non dependeat ab humoribus solum, sed & à formis superioribus, quare ex his satis constat, ægritudinem hanc esse difficillimam, cum ejus cognitio nec à priori, propter causæ ignorantiam, nec à posteriori, propter confusissimam accidentium cognitionem, & varietatem haberi ullo modo queat, dicam tamen quod sentio theorice, & practice, teneo igitur ægritudinem istam debere dici epidemialem, quæ nec uno nomine, nec eadem quidditate, nec eodem capite comprehendi potest, quamvis nonnulli ex neotericis effectus istos in astra retulerint, aliqui ex medicis recentioribus in illam aquarum inundationem, quæ eo anno, quo morbus Gallicus cœpit pullulare, per universam Italiam apparuit, ut testis est Roma, in qua Tibris ita intumuit, ut tota facta sit navigabilis, in agro etiam Bononiensi Rhenus, in Ferrariensi & Mantuano Padus, in Veneto Athesis extra solitos limites exundarunt, tantis, ut dicunt, imbribus annus ille maduit, ut, terris inde humentibus atque stagnantibus, minime mirandum sit ipsas ad illam venisse intemperiem calidam & humidam, quam medici & philosophi omnium putredinum matrem confitentur esse, quæ talis morbi principalis causa fuit. Eandem aquarum inundationem, vel forte majorem, eo tempore fuisse, quo Gothi Italiam bellis infestarunt, author est historiarum scriptor diligentissimus, cujus hæc sunt verba: *imbribus namque multos dies continuantibus diluvia ferre apparuit Tybris, tunc mense octobris prope exacto, adeo aquis intumuit, ut Romæ mœnia alicubi superaverit, undeque regiones urbis, proximæ flumini, maxima acceperunt incommoda, per Italiam ubique latuere campi, & ex montibus, collibusve, omnis aratri gleba in cœnum liquefacta, simul cum aquis in imum delapsa est, ut fluminibus postea intra ripas coactis, campi aqua destituti, limo nihilominus manserint obtecti, & fata, quæ tunc primas jecerant radices, putrefacta sint, nec eo autumno, obtinente omnia luto, aliud semen terræ potuerit mandari, unde fames maxima sequuta est, sed non solum famem ea attulit inundatio aquarum, verum etiam aërem, sicuti & terram corrumpens, pestilentiam oriri fecit adeo ingentem, ut maximam populorum partem ubique per Italiam absumpserit.* Hæc ille. Dicunt alii ex hujusmodi inundatione aquarum, nedum fame & peste fuisse Romæ laboratum, sed etiam quadam sorditie, quæ ita tendebat ad elephantiam, ut deformitate cognosci homines non possent: has igitur causas, vel consimiles istiusmodi ægritudinis assignare conantur, sed ego nec rationes istas, nec exempla concludere arbitror ad causam concludendam Gallicæ dispositionis, quoniam causæ, & effectus, correlative dicuntur, & posita se ponunt, & peremptа se perimunt, teste philosopho *in capite de relatione*, sed ablata aquarum inundatione, & aëris intemperie, adhuc durat hæc ægritudo, ergo: oportet itaque aliam assignare causam, nec meliorem afferre possumus, quam illam trium luminarium conjunctionem, quæ adhuc durat, ac etiam per aliquot annos perseverabit, & fortasse aliæ sunt formæ ex formis superioribus, quæ ad hoc idem conjurarunt, quæ nobis adhuc sunt incompertæ, ex hoc itaque superiori pessimo influxu humana disponuntur corpora (mundus namque inferior superioribus rationibus est continuus, ut omnis inde virtus gubernetur, primo metheororum) alterantur, & ad varias, diversasque præparantur ægritudines, quatenus varii, diversi, ac omnino heterogenei multiplicantur humores, qui derelicti à regimine naturæ foras truduntur, si virtus habet proportionem majoris inæqualitatis ad expellendum res à centro ad circumferentiam, & ad partes extrinsecas corporis secundum eorum grossitiem aut subtilitatem, secundum distemperantiam in qualitatibus activis & passivis, secundum majorem & minorem putredinem, secundum majorem aut minorem passi dispositionem, cum causa uniuscujusque ægritudinis sit passuri corporis dispositio, *primo de differen-*

*rentiis febrium cap de febre peſtilentiali*, ubi inquit Galenus, oportet in hoc toto ſermone memoria repetere, quod nulla earum ſine patientis aptitudine agere poteſt, ſic variæ puſtulæ, aut bothor, varia apoſtemata, variæ infectiones cutaneæ, ac tandem varia morborum genera in partibus corporis extrinſecis cauſantur, ex quibus corollarie infertur reſponſio ad illud quæſitum, propter quid in uno duntaxat membro tot varia apoſtemata, tot ulcera diverſa, prurigines tot, ac malignæ ſerpigines, & innumerabiles fere infectiones reperiantur, hoc enim non aliunde dependet, niſi ab humorum putridorum heterogeneitate, qui tum à cauſis ſupercœleſtibus ita indiſponuntur, tum etiam propter paſſi diſpoſitionem, ut diximus, verum ſi propter humorum malignitatem, aut virtutis debilitatem, vel viarum clauſionem, aut pororum denſitatem hæ materiæ ad corporis extrema pelli nequeunt, ſed circa articulos, juncturas ac nervos retinentur, tunc varii & diverſi eodem modo cauſantur dolores, quandoque extenſivi, quandoque ulcerativi, quandoque perforativi, & aliarum materierum, ſecundum humorum ac materierum diverſitatem, & hæ ſunt cauſæ, quæ quoquo pacto poſſunt aſſignari B iſtius ægritudinis, primitivæ enim imprimis ſunt influxus ſupercœleſtes, concurrente etiam fortaſſe indebito regimine vitæ in omnibus ſex rebus non naturalibus, præparante corpus ad talem lapſum, antecedentes ſunt infectiones in tota fere humorali maſſa, ac humorum maxima permixtio, à quibus tot diverſæ emerſerunt ægritudines, ut dictum eſt, conjunctæ cauſæ ſunt himet humores actu hujuſmodi ægritudinem cauſantes, ex quibus primo corollarie ſequitur, hanc ægritudinem nec uno comprehendi capitulo, nec in unam determinatam cauſam poſſe reſolvi; ſecundo quod non unica medicina, nec unico etiam vitæ ordine poteſt curari, ſed variis ac diverſis medicaminibus, ſicut in ægritudinibus dependentibus ab humorum mixtione docet princeps curare *prima quarti*. Tertio ægritudinem eſſe difficillimæ curationis, cum & apoſtemata, & dolores à diverſis, ac penitus oppoſitis fiant humoribus, diverſas, ac varias intentiones, imo contrarias exigentibus, in his enim oportet ſubtile adhibere ſtudium, ut in fine *primi capitis quarta primi* poſuit princeps, ac *penultimo capite ejuſdem*, in exemplo quando complica- C tur colica cum febre, aut cum dolore intenſiſſimo narcoticis indigente, quæ ſui frigiditate nocent materiæ facienti colicam, ut pariter habetur à Galeno *prima aphoriſmorum in com. aphoriſmi*, humidæ dietæ, quando febris conjungitur cum hydrope aſcite, hæ namque ægritudines ideo ſunt difficiles, quia, quod uni opitulatur, alteri nocet, eodem igitur modo in hoc Gallico morbo, quare &c. quarto dolores, quantum poſſibile eſt, & quam citius ſunt removendi, quoniam de maxime proſternentibus eſt fætor, & dolor tertio techni, nunc ad curam accedendum, his theorice tractatis. Porro indiget hæc ægritudo omni inſtrumento, quo res medicinis completur *quarta primi cap. primo*, diæta ſcil. potione, & manuali operatione, & quamvis hæc ægritudo ex prædicta humorum mixtione dependeat, ut diximus, tamen quia omnes fere hi humores ſapiunt quandam aduſtionem, propter cœleſtem influxum, qui humana corpora, præſertim cholerica, ad lepram, cancrum, maligna ulcera, cæteraque id genus adeo diſponit, ut corpus fere totum inhoneſta ſpecie deturpet, nec aliqua quandoque arte medica poſſit curari, idcirco teneo, quod omne regimen vitæ in omnibus ſex rebus non naturalibus habeat declinare per calidum & humidum, quæ tamen calida & humida moderentur habito reſpectu ad ætatem, complexionem, tempus anni, & imprimis ad humores, qui aduruntur, nam humores calidi, cum per viam aduſtionis efficiuntur melancholici, non indigent tot calefacientibus, ſicut frigidi, ut docet princeps *tertia quarti cap. de cura quartanæ*, idem canon ſervari debet quantum ad qualitates paſſivas, ſit igitur aer declinans per jam dictas qualitates, ſimiliter cibus, & reliquæ etiam res non naturales eo adminiſtrentur ordine, ut corpus taliter diſponatur, nec ad particularia devenio, quoniam & nimia uterer ſcribendi prolixitate, & hæc dicta doctorum ſatis facilia videntur. Quantum ad potiones (& eſt ſecundum inſtrumentum) dico hanc ægritudinem indigere minorativis, digeſtivis, & evacuativis, ſi aduſtio eſt in humore cholerico, exhibeatur hoc minorativum in forma boli. E Recipe *electuarii lenitivi, floris caſſiæ noviter tractæ ana drach. vj. ſacchari q. ſ. miſce, & fiat dactylus, qui exhibeatur per horas duas ad minus ante prandium in forma liquida, diſſolutus cum aqua violarum, fumi terræ ana q. ſ. ſyr. violati unc. i.* digeſtivum in tali humore ſit hoc. Recipe *ſyr. violati unc. i. de fumo terræ unc. ſſ. aquarum florum violarum, bugloſſæ, endiviæ ana unc. i.* detur tale digeſtivum ad minus per octo dies, deinde ſic fiat evacuatio eradicativa. Recipe *florum violarum, boraginis, bugloſſæ, fumi terræ ana drach. i. prunorum damaſcenorum num. iiij. granorum ſebeſten num. vj. paſſularum drach. ij. liquiritiæ ra-* A *ſæ drach. i. ſſ. capillorum ven. drach. ij. aquarum violarum, bugloſſæ, fumi terræ, endiviæ, capillorum ven. ana q. ſ. miſce, & fiat decoctio ſecundum artem.* Recipe *dictæ decoctionis unc. iij. rhabarbari electi drach. j. ſpicæ gr. ij. vini albi odoriferi drach. i. ſſ. miſce omnia per tempus debitum, & facta expreſſione.* Recipe *electuarii lenitivi, de ſebeſten completi ana drach. vj. ſyrup. de bugloſſa, ſuccirosarum puri ana unc. ſſ. miſce, & fiat potio, quæ mane exhibeatur per horam ante lucem*, deinde dormiat per horam, cibus vero per horas quinque differatur, die vero ſequenti vel capiat *cyathum aquæ hordei calidæ, cum modico ſacchari optimi*, vel tantundem *brodii pulli macri*, deinde fiat clyſma lavativum, nam in enematibus ſit juvamentum in expellendo reliquias, quas inanientia reliquerunt, *quarta primi capitulo decimo ſeptimo*, & quoniam evacuationes, quæ fiunt fortes, ſunt duplices (ut patet *ſecundo regiminis acutorum com. primo*, altera fit per pharmaciam, altera vero per phlebotomiam) dubium eſt, utrum præter eradicativam evacuationem in hac ægritudine competat phlebotomia, licet ad utramque partem aliquæ rationes fieri poſſent, dicam tamen breviter, quod niſi corpus fuerit valde ſanguineum (in quo licet ex parte ægritudinis phlebotomia non ſit neceſſaria, attamen eam fieri jubet Avic. *quarta primi cap. vigeſimo*, ut virtus reddatur fortior ſupra reſiduum) aut ſanguis eſſet valde multus; ita quod peccet in quanto, aut quali, non auderem, nec ratione dolorum, nec ratione ulcerum, nec ratione humorum peccantium, facere phlebotomiam, quia ubi non eſt ejus intentio, phlebotomia humores ſubtilizat, & eos per corpus fluere facit, & ſano ſanguini admiſcet, *quarta primi capitulo*, ut ſupra, præterea phlebotomia accreſcere facit humores, & facit eos currere in corpus, & non extrahit illud, quod neceſſe eſt ut extrahatur, 22 *tertii cap. ſeptimo de curationibus dolorum junctturarum*, igitur, non exiſtente ejus intentione ex cauſis jam dictis, ipſam omnino prætermitterem, veruntamen in hoc caſu omnino, præcipue tempore veris, facerem hæmorrhoidarum provocationem, quoniam earum curſus plurimum opitulatur multis diſpoſitionibus, quæ in hac ægritudine contingunt, ut ſcribitur ab Avic. 17. *tertii, textu primo, cap. tertio*, præterea melancholicis, & phreneticis hæmorrhoides innatæ bonum, ſexta aphoriſmorum, ubi Galenus in brevi commento declarat pulcherrime aphoriſmi veritatem, ſed ægritudo illa eſt de numero melancholicarum, ſaltem per viam aduſtionis. Igitur & hæc pro reſponſione ad dubium; ſi vero humor fuerit phlegmaticus aduſtus, competit hoc minorativum. Recipe *electuarii lenitivi unc. i. agarici præparati drach. i. ſacchari q. ſ. miſce, & fiat bolus*, vel *cum aqua fœniculi, ſalviæ, & fumi terræ fiat potio*, in forma vero ſolida. Recipe *pillularum de tribus, de hiera cum agarico, aloephanginarum ana ſcrup. i. formentur pillulæ iij. cum aqua bugloſſæ*, materia vero ſic digeratur. Rec. *ſyrup. de fumo terræ, oxymellis ſimp. ſyrup. de bugloſſa ana unc. ſſ. aquarum betonicæ, bugloſſæ, fœniculi ana una. i. miſce.* Eradicativa poſtea evacuatio ſit talis. Recipe *radicum fœniculi, petroſelini ana drach. ii. ſeminum fœniculi, aniſi ana drach. i. radicum acori drach. i. ſſ. capillorum veneris drach. i. fumi terræ drach. ſſ. myrobalanorum chebulorum drach. ii. aquarum fœniculi, acori, bugloſſæ ana q. ſ. miſce & fiat decoctio ſecundum artem.* Re- D cipe *dictæ decoctionis unc. iii. agarici præparati, & in oxymelite ſimp. per ſex horas infuſi drach. i. ſſ. electuarii lenitivi unc. ſſ. Indi, de dactylis ana drach. i. ſſ. ſyr. roſati, oxymellis ſimp. ana unc. ſſ. miſce & fiat potio.* In die vero ſequenti reges infirmum regimine pharmacati, ut ſupra diximus, cum propriatis ad humorem jam dictum, verum peccante melancholia fecali exhibetur minorativum tale. Recipe *diacatholiconis unc. i. electuarii hamech drach. i. ſſ. ſacchari q. ſ. miſce & fiat dactylus, vel cum aqua fumi terræ, lupulorum, capillorum veneris fiat potio*, digeſtio fiat præterea. Recipe *ſyr. de fumo terræ, de bugloſſa violati ana unc. ſſ. aquarum caſei deſcriptione Meſuæ unc. iii. vel lupulorum, fumi terræ, capillorum veneris ana unc. i. miſce*, celebrata digeſtione per octo aut decem dies, & amplius, quoniam materia exiſtens inepta digeſtioni, indiget multa digeſtivorum copia, ad hoc ut abſolute digeratur, & ideo in hoc caſu non ſolum dant medici x. ſyr. ſed xx. & xxx. & adhuc amplius, quanto enim melior, perfectiorque digeſtio fit, eo facilius humores expurgantur, deveniendo poſtea ad evacuationem eradicativam. Recipe *florum bugloſſæ, boraginis, violarum ana drach. i. epithymi drach. i. ſſ. folliculorum ſenæ drach. i. polypodii drach. ſſ. paſſularum drach. iiij. fumi terræ, capillorum ven. ana drach. ii. granorum ſebeſten num. x. myrobalanorum Indorum drach. i. aquarum fumi terræ, bugloſſæ, capillorum veneris ana q. ſ. miſce, & fiat decoctio ſecundum artem*, deinde. Recipe *dictæ decoctionis unc. iii. electuarii lenitivi, diacatholiconis ana drach. iii. confect. hamech drach. ii. ſyr. violati, Byzantini ana drach. iii. miſce & fiat potio*, quæ ſumatur cum jam ſupradictis canonibus, verum ſi magis in forma

pillu-

pillularum placeret, exhibeatur hoc modo. Recipe *pillularum Indarum, de fumo terræ ana drach. ß. de lapidis lazuli ſcrup. ß. miſce & fiant pillulæ v. cum ſyr. violato, & aurentur*, poſt iſtas pillulas immediato ſumatur hic ſyr. loco apozematis. Recipe *ſyr. de Byzantiis, violati, geneliabin ana unc. ß. ſyr. de fumo terræ drach iii. aquarum bugloſſæ, meliſſæ, borraginis ana unc. i. miſce*, ſervetur ordo in ea ſumptione pillularum, ſicut in aliis evacuationibus dictum eſt, & hæc quantum ad ordinarias purgationes dicta ſufficiant, infraſcripta præterea ſunt minorantia, digerentia, & evacuantia, quæ poſſunt in hoc caſu adminiſtrari, quæ omnia prætermitto cauſa brevitatis, nam apud auctores tam illuſtres antiquos, præſertim Serapionem, divum Joannem Meſuen, & recentiores plurimos, copioſa iſtorum omnium fit mentio, ad eos igitur recurrendum eſt, ſi vero volumus ad dolores intentionem habere particularem in hoc caſu, placet multum, ſi ſæpius exhibeatur *drach. i. agarici, cum unc. i. ſyr. violati, vel oxymeilis ſimplicis*, placet ſi frequenter infirmus aſſumpſerit ſaltem ſemel in hebdomada has pillulas. Recipe *pillularum fœtidarum ſcr. ii. de hermodactylis ſcrup. i. de fumo terræ ſcr. ß. formentur pillulæ v cum aqua violarum, & aurentur* pro delicatis, iſtæ pillulæ in hoc caſu ſtantibus doloribus plurimum conveniunt, ſi ſumantur in mane, & differatur cibus per horas v. placeret etiam ſi ſyr. ſupraſcriptus loco apozematis ſumeretur poſt pillulas, præterea, ſi poſt cœnam una ex infraſcriptis pillulis ſumatur, erit valde præſtans. Recipe *pillularum cochiarum, de fumo terræ, fœtidarum ana ſcrup. i. formentur pillulæ iii. cum aqua betonicæ*, ſunt enim convenientes, nam peccantes humores craſſi non poſſunt unica evacuatione purgari, ſed paulatim evacuandi ſunt, & paulatim digerendi, & licet ſyr. ſupraſcriptus loco apozematis ſit conveniens, tamen reſtantibus doloribus, plus laudo iſtum. Recipe *ſyr. roſati, ſtœchados ana unc. ß de fumo terræ drach. ii aquarum ivæ, acori, althææ, vel ſalviæ, aut betonicæ ana unc. i miſce*, imo ſi ter in menſe cum jam dicto apozemate iſtas pillulas ſumeret, prodeſſet multum, fiat ergo ſecundum emergentem neceſſitatem, & quanto frequentius, tanto melius. Enemata etiam ſunt juvamenti *cum decoctione blitis, malvæ, violarum, furfuris, & cum ſeminibus lini, althææ ana unc. i. cum lenitivo, benedicta, caſſia, melle, oleo violato, amygdalarum dulcium, ſale, butyro, vitellis ovorum*, fiant ergo, ubi erit expediens, & ſingulo die procuret omnino habere ventris beneficium, aut artificialiter cum jam dictis, aut naturaliter, & hic omnino ſervetur canon. Pro membrorum confortatione placet *ſyr. de corticibus citri ſyr. de pomis, roſatus, aut geleniabin*, ſi quandoque per duos aut iii. dies accipiatur cochlear unum in mane, & poſt ipſum dormiatur, etiam per duas horas poſt cœnam accipiatur rotula iſtius confectionis. Recipe *ſpecierum diambræ, diamoſchi dulcis ana drach. i. ß. corallorum rubrorum drach. i. ſacchari optimi q. ſ. miſce, & cum aqua bugloſſæ fiat confectio in rotulis*, placeret inſuper *theriaca, & mithridatium uſque ad drach. i. cum cochleari vini aromatici*, ſi ſtomachus, ſi cor, hepar, & alia membra læſa fuerint, conſulo ut eis, prout opus fuerit, ſucurratur, laudo ulterius, ut vinum in hoc caſu lymphetur *cum aqua decoctionis acori, aut ſalviæ*, vel utatur, *aqua mellis cum vino, acori etiam conditi* ſumme præſtarent, & hæc de particulariter convenientibus in hoc caſu, nec unquam deſiſtendum eſt, nunc digerendo, nunc paulatim evacuando, nunc confortando membra, ſic enim ſæpius ego proceſſi in multis patientibus talem morbum, quos ſola dieta, & potionibus procul dubio ſanavi, at his non conferentibus, neceſſe eſt devenire ad extrinſecus applicanda, & manualem operationem, & eſt ſecundum inſtrumentum, factis igitur purgationibus jam dictis, & univerſalibus, & particularibus, fiat infra ſcripta unctio, quæ & cruſtas & bothor & apoſtemata, ac imprimis dolores omnino aufert, eſt enim mirabilis. Recipe *axungiæ porcinæ mundæ unc. vj. pinguedinis gallinæ, anſeris, anatis, tauri, urſi ana unc. i. oleorum laurini, hypericonis, chamæmeli, roſati ana unc. i. ß. gentianæ, ivæ, ana drach. i. ß. maſtichis, thuris ana unc. ii. ſalis nitri drach. ß. tartari drach. i. ceruſſæ unc. iii. vitellorum ovinum. iiij. mithridatii unc. ii. ß. electuarii * unc. i. mercurii unc. iiii. miſce, & fiat unguentum ſecundum artem.* Cum quo unguento calido ungatur infirmus apud ignem, & in camera bene clauſa ungantur junctiræ omnes brachiorum, & crurum, præterea optime faſcietur, & lectum ingrediatur, & ſic fiat ſingula die, lectus ſit bene calefactus, ſi voluerit dormire, dormiat, & ſi ſudabit, abſtergatur ſudor in omnibus locis, præterquam in junctiris unctis, ſtet enim faſciatus uſque ad ſequentem unctionem, & perſeveret in tali unctione, quo tempore utatur cibariis virtutem confortantibus, & vivificantibus, quantum poſſibile eſt, & præſertim ovis ſorbilibus, vinis optimis & brodiis, carnibus caponum, & phaſianorum, vel perdicum, hepatibus gallinarum, vel ſimilium, tragæis, confectionibus inſtaurativis, & aliis virtutem optime foventibus, ſi vero tempore inunctionis ex vaporibus elevatis ad os apparent ulcera ut bothor in ore, fiunt talia gargariſmata. Recipe *aquæ hordei unc. vi. mellis roſati colati unc. ii. miſce*, & ipſi os ſuum ſæpius colluunt, ſecundo. Recipe *aquæ plantaginis, ſolani, roſarum ana unc. iii. oxymelitis ſimplicis, ſyr. roſati ana unc. ß. diamoronis drach. iii. miſce, & fiat gargariſma:* tertio fiat cum lacte vaccino tepido, & eſt mirabile, non aſcendo ad ulteriora, quoniam iſta ſatis ſufficiunt, juvat ad hæc ſæpius tenere in ore *mel roſatum, lac etiam emulſionis ſem. melonis, aut hordei* mirifice præſtat hoc in caſu, completa inunctione, fiat balneum ſiccum, in quo ſudet. Accipiatur ergo vas magnum, in quo ſedeat ſuper nudus penitus, & ſit totus coopertus cum tectorio & culcitra, præter faciem, poſtea ponantur tres aut quatuor lateres ad ignem, qui ardenter calefiant & accipiantur duo ſic ſuper calefacti, & ponantur infra pedes ſedentis, & aſpergantur infraſcripta decoctione, poſt ſudorem vero copioſum cum ſpongia infuſa decoctione totum corpus abſtergitur: ea porro talis eſt. Recipe *ivæ, roſarum rubrarum ana man. i. ſalviæ, roriſmarini, betonicæ, ſtœchados ana man. i. ß. florum chamæmeli, meliloti ana man. ß. foliorum lauri, rutæ, hypericonis ana man. i. radicum acori unc. i. & contundenda contundantur, & bulliant in vino albo boni ſaporis, & odoris pro medietate & alia medietas ſit aquæ & ſint utriuſque ſtituli, & bulliunt bullitione convenienti addendo flores poſtremo:* cum hac decoctione calida aſpergendo ſuper lateres recipiat infirmus vaporem, bene ſudet cum eo, & fiant omnia ſervata virtutis incolumitate, unde etiam in balneo exhibeantur vitelli ovorum, vel vinum aromaticum, vel tragea, ſi fuerit expediens, poſt ſudorem cum tali decoctione mundificatur totum corpus ab unctione facta, mox intret lectum calidum, & bene coopertus dormiat, & ſi ſudaverit, abſtergatur, jaceat poſtea per duos dies cum cibariis optimis: ſed addo aliud unguentum ad dolores, & cruſtas valde conveniens. Recipe *pinguedinis porcinæ unc. iiii. gallinæ, anſeris, anatis ana unc. i. ß. urſi, crurum vituli ana unc. ß. mucilaginis althææ unc. iii maſtichis, thuris ana unc. i. croci drach. iii. oleorum laurini, de coſto, amygdalarum dulc. chamæmelini ana q. ſ. vitelli ovorum num. iiii camphoræ drach. ii. mithridatii unc. ß. mercurii unc. iiii. miſce & fiat unguentum* quod erit mirabile. Et cum talibus remediis æger evadet incolumis, Deo tamen optimo præſtante, qui ſolus languores ſanat, cujus nomen benedicatur in ſecula ſeculorum amen.

FINIS.

# BENEDICTI RINII,

*Veneti, Philoſophi & Medici Clariſſimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS.

*Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo* ANTONIO CAUCO, *Archiepiſcopo Corcyrenſi digniſſimo,*

FABRITIUS RINIUS, *Medicus*, S. P. D.

*Tractatum de Morbo Gallico, olim à patre meo conſultationis cauſa in gratiam Illuſtriſſimi cujuſdam Antiſtitis conſcriptum, ad te mitto, Vir Ampliſſime, quem, ut precibus Jordani Ziletti, celeberrimi Viri, omnium qui hac tempeſtate florent conſecrandis immortalitati ſtudioſorum virorum laboribus, ſatisfacerem, qui volumen Scriptorum omnium hac de re agentium eſt complexus, in publicum proferre non re uſavi, & tibi ea ratione inſcribendum putavi, ut eum patrocinio tuo foveres, atque à maledicis hominibus, & obtrectatorum calumniis tua authoritate defenderes. Cum itaque tibi erit otium, & à ſtudiis tuis longe gravioribus vacabis, libellum hunc leges, fortaſſe non injucundum, perveteris in te meæ obſervantiæ pignus, & teſtimonium, te namque omni bonarum artium, & ſtudiorum genere ſemper eſſe delectatum cognovi. Munuſculum hoc meum Amplitudini tuæ impar, tibi gratum fore confido, ſi animum offerentis inſpexeris. Quod ſi ita, ut ſpero, acceperis, me ad alia multa, quæ in animo habeo, perficienda incitabis, quæ omnia tua erunt, & nomini tuo dicabuntur. Vale.*

Sperabam, Vir nobiliſſime, in tanta hominum occupatione, ac vitæ diſcrimine ob graſſantem peſtilentiam, id quod maxime optabile eſt bonis ac felicibus, cum dignitate otium nactum, ut in ſtudiis conquieſcerem meis, & aliquid pro velle meo conſcriberem. Quod minime fieri potuit, ob continuam meorum ægrotantium Venetorum vocationem, quibus refragari haud poſſum, nec debeo. Verum, ut Domino illi, votiſque tuis, aliqua in parte ſatisfacere videar, uti potero per nocturnas excubias inſudabo aliquid conſcribere. Rem quippe arduam, & difficilem quæris, ſubtili, & laborioſa, diuturnaque conſideratione dignam, nec aliunde ſcitu difficilem exiſtimo, niſi quia de diſpoſitione hac, qua Illuſtriſſimus ille affligitur, vulgo (morbus Gallicus) dicta ſententiam quoque meam deſideras. Quæ qualitve ſit, qualiterque curari poſſit, cum de ea nihil conſcriptum reliquerit antiquitas, etiamſi quamplurima veterum Authorum volumina, quæ ad manus noſtras aliquando pervenere, ſtudioſe perlegerim, mea tamen fert opinio (ſicut ex graviſſimorum virorum lectione conjicere potui) quod diſpoſitio hæc præternaturalis, ſeu morbus hic Gallicus dictus, dicatur eſſe mala quædam diſpoſitio Epidemialis, in membris humani corporis ſedem ſuam tenens, præſertim in hepate, & in venis, ex quo ſua hæc veluti accidentia conſequuntur, dolores videlicet, tumores, & puſtulæ, aliaque hujuſmodi generis vitia per univerſum corpus. Eſt utique morbus epidemialis. Teſte Simeone Januenſe in *litera* P. *in ſuis ſynonymis*, in dictione Pandimion authoritate Oribaſii, Pandimion Græci dicunt, quando communis ægritudo in pluribus hominibus concurrit, cujus ſpecies eſt peſtilentia, & eſt cum contingunt ægritudines ut plurimum mortiferæ. Idem aſſerit author Pandectarum, dictione Epidemia. Cum ergo morbus dictus Gallicus, plurimos ſimul invadat viros, recte debet dici Pandimion, & Epidemialis, Gentilis quoque, qui merito ſpeculatoris nomen ſibi vendicavit, *capite de febre peſtilenti ad initium*, inquit. Dicitur Epidemia, quando ex aëris mutatione fit in hominibus pluribus determinatum genus morbi, ut quaſi omnes fiant, vel phrenitici, vel Pleuritici, aut Tertianarii, aut aliter. Ex quibus documentum hoc haberi poteſt videlicet. Quandoque unum eundemque morbum dici poſſe epidemialem, cum ob aëris immutatam qualitatem cauſatur, ſimulque multos invadat, tunc ſic ex univerſali cauſa pendere neceſſe eſt. Cum vero ex cauſa propria morbus idem acciderit alicui, & non multitudini, morbus proprius, ac particularis, non autem epidemialis dicetur. Quare nec etiam morbum epidemialem à non epidemiali ſpecie differre oportet. Sed ſolum in ordine ad cauſas aliquas ab eis extrinſecas. Quod adhuc authoritate Principis *cap. de cura colicæ ex retentione fæcis*, confirmatur, ubi inquit, *Et quandoque accidunt ægritudinum peſtilentialium, advenientium, Colica, & Ileos ſecundum ſemitam accidentiæ & perveniunt de Regione ad Regionem, & de homine ad hominem.* Et paucis interpoſitis ſubinfert. *Et erat plurimum ejus Ileos, & lædebatur colon ſecundum ſemitam permutationis, ſimilis criſi.* In quibus verbis ultimis, voluit paſſionem Iliacam fieri & colicam, quia materia permutabatur ab ileo inteſtino ad colon, ut fit in criſi, videlicet imperfecta, in qua materia non evacuatur extra, ſed permutatur de membro in membrum, & hæc quoque eſt ſententia principis. Nicolaus Florentinus & ipſe ampliſſimæ ſcientiæ Vir, *ſermone Quinto. cap. de colica*, declarans ſententiam Principis ſupraſcriptam, aſſerit colicam illam fuiſſe contagioſam merito diſpoſitionis aëris, nunc iſtud corpus, nunc illud ad colicam perducentis, non tamen quod corpus unum aliud inficeret. Et voluit ipſe, colicam ſimul multos invadere ex aëris diſpoſitione, ad illam perducentis, & ex conſequenti colicam eſſe morbum Epidemialem. Quæ vero colica ex propria cauſa alicui acciderit homini, & non ex aëris diſpoſitione, Epidemialis haudquaquam erit. Quare ex Gentilitiis verbis concludi poteſt, quod Morbus Gallicus Epidemialis ſit, cum multos ſimul invadat ex aëris mutata qualitate, ſeu ex univerſali cauſa. Si quidem fieret morbus Gallicus non ex univerſali influxu, ſed ex cauſa alicui homini propria, morbus utique eſſet ſæpe conſuetus accidere, ſicuti & morbi alii particulares. Confirmatur & hoc authoritate Alexandrini commentatoris, ubi morborum diviſionem conſtruit. Nam alii inquit, ſunt particulares. 1. particulariter diſperſi, alii vero communes. Communium autem alii quidem ſunt conſueti, & cogniti, iique dicuntur Endemici, at ſecundum Galenum regionales appellantur. Alii deinde ſupervenientes, & inconſueti Epidemici nuncupantur. Particulares enim ſunt, quando in eadem civitate differentibus hominibus diverſi itidem morbi ſuperveniunt, verbi gratia. Tertiana febris huic, & illi febris quartana, alii ſquinantia, Endemici utique ſunt, cum tales morbi ſoliti accidere publice graſſantur in aliqua regione, vel civitate ex aliquo conſueto aſſumi immutato, ut propter aquas, vel aliquid tale conſuetum, ſicque morbi communes accidunt, ut Nephritis Endemica, quæ & non Endemica poteſt eſſe, ſi quando alicui acciderit ex ſpeciali, ſeu propria cauſa. Quare Morbus itidem Endemicus à non Endemico ſpecie nequaquam differret, ſicut ſuperius quoque de Epidemico dictum fuit. Poſtea ſubdit idem Graviſſimus Author. Epidemici vero ſunt, qui fiunt ex mutatione aëris, aut ſecundum qualitatem, aut aliter. Ex quibus omnibus confirmo, quod morbus Gallicus non ſit particularis morbus, ex quo plures ſimul invadit, neque Ende-

*Definitio Morbi Gallici.*

*Quod Epidemialis dicatur.*

*Avic. lib. 4. Fen. prima.*

*Gal. in 3., de morb. vul. com. 24.*

*F. 16. 3. & Paul. L. 3 cap. 43.*

*Lib. 4. F. 2.*

*In præmiis lib. Epidem. Gal. in p. de morb. vul. In p. de morbo vul. c. p.*

*Gal. ibidem.*

Endemicus, non enim merito rei alicujus, propriæ civitati alicui, multos insectantur. Sed merito universalis aëris influxus, talisve constitutionis epidemialis evadit, ac denominari debet. Cum ergo divisio illa ab Alexandrino posita, sufficiens sit, eo quia simul omnes morbos complectatur, ut cuique sanæ mentis est manifestum, (quæ etiam authoritate Galeni confirmari potest) cumque talis affectio, de qua fit sermo noster, non sit sub primo divisionis membro, nec sub altero, de necessitate utique erit sub postrema divisionis particula, sicque Epidemialis affectio dicetur, pendens ex aëris permutati influxu. Quæ aëris permutatio non fuit facta secundum qualitates ejus manifestas. Sed judicio meo pendet ex ejus immutata natura secundum ejus essentiam, seu secundum ejus qualitates specificas, ac occultas. Non enim est asserendum hoc accidere ex mutatione aliqua in qualitatibus manifestis, cum nullus fuerit visus qualitatum suarum excessus aliquis insolitus ab eo tunc temporis, quo pestis hæc ortum habuit, in hunc usque diem, nec itidem dicendum pendere tantum ex ejus immutata substantia, quoniam facta tunc esset substantialis transmutatio. Et substantia cum non lædat, nec imprimat aliquid, nisi aliqua qualitate mediante. (unde ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus,) Quare contactus iste aëris morbosus erit à qualitate, non quidem manifesta propter rationem jam dictam, sed innominata, & occulta, & hoc illud est, quod asserebat Avicenna loquens de aëre, & aqua putrefactis. Accidit, inquit, aëri mala qualitas, quæ mala quidem qualitas non potest esse manifesta, ut assertum est, ergo occulta, mala & venenosa, & propterea dicitur quoquo modo mutatio in substantia, sed quæ est ad qualitatem manifestam, alio modo dicitur mutatio ad calidum, ad frigidum &c. Verumtamen non inficior ad talem qualitatem occultam causandam requiri quandam caliditatis & humiditatis portionem præternaturalem, sicut & in omnium proprietatum occultarum operibus requiruntur nonnullæ qualitatum primarum dispositiones. Unde voluit Avicenna, quod ex complexionibus dignior, ut quæ convertatur ad putredinem, sit calida, & humida communio. Hæcque occulta qualitas cum valde maligna fuerit, causabit eas dispositiones malas, quas enumerat Avenzoar non obscuri nominis inter Arabas author. Quod si, inquit, putredo illa aëris simul cum proprietate occulta fuerit maligna, vel etiam deterior, potest ægritudines mitiores, tum vel deteriores causare, & adeo aliquando progreditur putredo, & mala qualitas venenosa, quod non solum homines moriuntur, verum etiam animalia bruta, & plantæ quoque ut asserit Hali abbas. Et licet corpora cælestia ut in pluribus sint causa generationis & conservationis hominis, tum reliquorum animalium (juxta illud Philosophi, Sol, & homo generant hominem, tum etiam illius verbi, necesse est, mundum hunc inferiorem superioribus lationibus esse contiguum, ut omnis virtus inde gubernetur) Aliquæ tamen stellarum conjunctiones, & influxus esse possunt origo, & causa corruptionis. Imo planeta idem secundum diversos suos situs, & loca varia, potest esse in causa generationis, tum corruptionis juxta dictum Philosophi, quod motus Solis, tum aliorum planetarum in orbe declivi, est principium generationis, & corruptionis. Quare corpora cælestia non tantum generationis, sed & corruptionis esse per se causas comprobatum est, non tamen immediate. Inconveniens quippe esset, idem esse immediate contrariorum causam, prout est sententia philosophi, & commentatoris versus finem 2. *de generatione*. Ex quibus jam dictis omnibus patere potest, quid sit Morbus Gallicus. Quæ sint itidem causæ primitivæ ipsius. Causa si quidem ejus primitiva talis concludatur. Intemperies scilicet aëris in calido, & humido cum qualitate occulta ex cœli statu, seu influxu pendens, debilitans forte magis nervos, & panniculos, quam alias corporis partes, tum etiam partes ossibus maxime propinquas, quamque alias partes, propter ossium frigiditatem, & fortasse propter hanc causam non est à ratione alienum, quod morbus Gallicus, à doloribus sive remissis, sive intensis non absolvatur. Antecedens vero causa sunt humores melancholici multiplicati in hepate & venis, propter malam complexionem in ipsis impressam ab aëre immutato secundum substantiam, eo quo diximus modo. Nec inficior cum his humoribus posse complicari, seu admisceri phlegma salsum, sive non salsum aliquando, sed & bilem flavam, maxime cum aduritur. Quoniam materiam morbi hujus haud teneo valde distantem à materia Saphati. Et sicut tempore febrium Epidemialium mala qualitas occulta immittitur in cor, spiritus, & sanguinem ipsum, corrumpendo in corde ipso etiam existentes humores. Ita mala hæc qualitas occulta morbi hujus respicit membra omnia corporis humani, & præsertim hepar, & venas, unde ea disponit ad melancholicorum humorum generationem. Quare colligendo fragmenta ne pereant, tales erunt causæ antecedentes morbi hujus Gallici dicti, tum dolorum, &

*Primo Regiminis in acutis c. 4.*

*Arist. lib. de sensu, & sensili.*

*Prima 4. c. de Febre pestilenti.*

*Secunda primi Doct. 1. cap. 4.*

*Tertio Theysir. cap. p.*

*Secundo Theor. cap. 2.*

*Ari. 2. Phy. tex. 26. & 12. p. philos. 13.*

*Primo Metheo. p.*

*Arist. 2. de generat. t. c. 56. 12. Meta. t. c. 39. 40.*

*Causa Procatarct. Gallici morbi Qualis.*

*Causa antecedens qualis.*

A pustularum, veluti illius accidentium, quatuor videlicet humores in materiam hujusce morbi transire parati, propter humorum, tum membrorum dispositiones. Hæc de antecedentibus talis affectus causis dicta sufficiant. Transeamusque ad alias quæ conjunctæ dicuntur. Conjunctæ siquidem causæ erunt prædicti humores jam conversi in materiam morbi hujus, propter impressionem jam susceptam in hepate, & venis, & in humoribus ipsis jam dudum propulsis ad musculos, & panniculos ipsos involventes, & ad nervos, & ad partes cutaneas. Et quia à virtute debili non possunt omnes expelli ad corporis superficiem, vel quia humores non sunt apti, ut expellantur ad eam, vel propter oppilationem pororum remittentium, ad prædicta membra, sed musculos, & eorum panniculos, & ad nervos quoque, non tamen, ut oppilent transitum spirituum, & causent paralysim, nec eos contrahant secundum longitudinem, vel latitudinem distendant, ut inferant spasmum, sed in tali dyscrasia existant, ut malam complexionem, ac diversam causent, vel quod solvant continuum, vel quod faciant utrunque. Et quoniam materia illa movetur ad B panniculos involventes musculos, qui ossibus propinqui sunt, & propterea videtur, quod dolor insit ossibus, cum tamen ossa nequaquam sentiant. Vel forte eveniat, quod ossa, & panniculi, & nervi sanguine melancholico nutriantur, qui infectus cum mala qualitate, non recte transmutatur in nutriti substantiam, ita quod superfluitates plurimæ multiplicantur, quæ ibi morantes causa existunt ipsorum dolorum, nec mirum est, quod de nocte magis, quam die affligat morbus hic, eo quia frigiditas nocturna obsit, tum etiam obstruat transpirationis meatus, Sole quoque ipso, qui vitæ dator est, tum pater caloris dicitur, deficiente, seu absente, insurgit debilitas virtutis nervorum, unde proniores redduntur ad susceptionem materierum dolorem facientium. Quare partes illæ destitutæ calore, omnia sibi nocua admittunt, unde dolores dicti insurgunt eo tunc præsertim tempore. Et hæc de causis dolorem efficientibus conjunctis scilicet sufficiant. Nunc ad easdem causas efficientes pustulas, ulcera, & cætera hujusmodi per universum corpus, transeamus. Materia quidem faciens pustulas & ulcera per ambitum corporis, est subtilis, C quæ sui tenuitate facile expellitur ad extima corporis. Quæ autem sui crassitie ac tenuitate expelli non potest, detrusa interius, causat dolores, vel forte aliquando subtilior materia non satis apta expelli ad cutim, ad nervos, & ad panniculos propellitur. Crassior vero ad superficiem. Hocque fortasse fit à natura symptomatice operante, sicut diximus de materia colicæ. Quandoque enim propellitur ad nervos, & paralysim causat, ac dolorem juncturarum, ut ex Principe colligitur. Et fortasse etiam aliquando contingere potest, quod materiæ illæ non multum inter se differant, sed natura potius symptomatice operans, illius materiæ portionem unam ad corporis superficiem, alteram ad nervos, & panniculos modo transmittit, sic quandoque dolores, modo pustulæ, nonnunquam utraque apparent. Talis itaque morbus sic constitutus per talia accidentia, in qua particula, seu quo capite medicinæ reponi debet, mallem alios audire. Quale item morbi genus sit secundum veterum sententiam, nullibi reperio. Et si percurramus singulas ægritudines cutim deturpantes, ac omnes dolores positos, seu descriptos ab authoribus, præsertim à D Principe, non video in qua libri parte Morbus hic cum talibus accidentibus reponi debeat. Quare illi maxime errant, qui collocari dicunt sub specie saphati, cum ex sententia Serapionis, tum Rhasis, tum de mente omnium pene Arabum, Saphati sit ægritudo capiti, & faciei contingens, non autem toti corpori, sicut Morbus hic Gallicus. Nec enim obstat, quod Princeps nequaquam posuerit tractationem de Saphati in ordine ægritudinum ipsius capitis, & faciei, eo quod ipse se ipsum excusat, causam reddens, quare in serie ægritudinum capitis non disposuerit, inquiens quod propter consuetudines, quæ currunt in pluribus libris, hinc est, quod de Saphati agitur in *capite Decorationis*, & ob hoc Rhasis in *Divisionibus* connumeravit tot capitis ægritudines in *serie capitum de Decoratione*. Ex qua Principis expurgatione, volentis insequi consuetudinis cursum, tacite conjicere nobis datur, Saphati ægritudinem capitis, & faciei, licet aliquando Saphati improprie, seu communiter sumptum, aliis humani corporis partibus communicari possit. Sicut ex *capite de Saphati curatione* satis E apparet: Rursus remedia Saphati convenientia, minime conferunt pustulis morbi Gallici, ut experientia manifeste compertum est. Nec præterea in Saphati dolores apparent, sicut ex doctrina eorum, qui de Saphati conscripsere: insuper, qui accidunt in tali morbo dolores, non existunt de numero eorum, de quibus Avicenna in *tertio sui Voluminis libro* conscripsit. Cum dolores hi efficiantur à materia imbibita, seu contenta in cavitatibus juncturarum, unde ipsa aucta, & ipsæ juncturæ, & nervi, & ipsæ continentes partes extenduntur, unde dolores causantur mole-

*Causa conjuncta morbi Gallic. quales tum horum accidentium.*

*Galen. de utilitate resp. Galen. 6. Metho & de natura. sper.*

*Gal. de mot. Aver. 12. Meta. c. 18. & Homerus Ilia. 12. Gal. com. 6. Apho. 13.*

*Fen. 16. 3*

*Primo Breviarii 3. ad Almans. & L. Divisio.*

*Lib. 4. F. 7. & 3.*

*Fen. 22. c. 2.*

*Avic. lib. 3. Fen. 22. t. 2.* leſtiſſimi, non quod materia ipſa in nervis excipiatur, quoniam Podagricus non ſpaſmatur, quare nec nervi tument, licet junctura intumeſcant propter jam dictam cauſam. Hancque ſententiam teſtatur Avic. accepiſſe ab ipſo Galen.

*Com. 49. in 6. Aphor.* Quanquam Galenus aliter videatur de ſpaſmo ſentire. In morbi autem Gallici doloribus tumores nequaquam apparent, quare ſimiles haud exiſtunt doloribus junctura rum. Dolent utique partes aliæ à junctu ris in affectibus Gallilicis, ſineque tumore, & ſi quando cum tumore adeo magno apparent, adeoque duro, ut lapis videatur, cum remiſſo tamen dolore, ac colore livido ad nigredinem tendente, ut puta, ſi fuerit materia melancholica craſſa, & nonnunquam cum colore minime immutato a colore partis ſanæ, cujus ſiquidem rei cauſam arguit materia ſuperabundans phlegmatica, & craſſa remittens humoris melancholici nigredinem, ſicut Avicenna *cap. de Apoſtematibus duris* manifeſtum fecit, inquiens. *Quando materia melancholica fuerit plurimum commixta phlegmati, tunc color ejus eſt declivis ad colorem corporis.* Quare cum dolores in morbo Gallico contingentes adeo varii, tum multiplices, tumque inſoliti ſint priſcis illis temporibus, non habeo unde reperiam aliquid conſcriptum ab antiquis authoribus, ſicut Galenus, Avic. & reliqui hujus generis viri. Præterea, affectus hic ſecundum plurimos initium ſumit in pudendis, indeque expanditur per univerſum corpus, neque alius reperitur morbus, qui ſic initiatur. Sed exſtimo ego hoc contingere propter Analogiam quandam inter pudenda, & morbum hunc, merito cœleſtis influxus, ut affirmant Aſtronomi, ex conjunctione Saturni, & Jovis in tertia ſcorpionis facie, in 23. gradu tranſacta 1484. tumque aliarum ſtellarum fixarum configuratione tunc temporis ſimul concurrentium, unde in longis temporum ſpatiis multi viſuntur morbi inſurgere, ſimulque veteres deperire, ut infra clare oſtendemus. Cumque merito Stellarum concurſus morbus hic originem traxerit, tumque ab eodem foveatur, præſertim à ſcorpionis ſigno, quod pudenda reſpicit, & in quo Mars ſuum tenet domicilium, ut hinc eorum caliditate, tum ſiccitate humorum aduſtio inducatur. Sicque melancholicas affectiones per ſemitam quandam aduſtionis in membro, pro natura ſigni ſubjecto, conſpicimus. Unde & eandem de ſaphati rationem aſſignare non eſſet à veritate alienum. Cur videlicet caput primo inficiat, licet aliquando ejus aliqua ſpecies per univerſum expandatur, nonniſi ex aliqua particulari cauſa, uti videtur voluiſſe Avic. in *proprio capite*. Quare morbus hic Gallicus dictus pro natura ſui occurrit primo pudendis ex ratione dicta, nam quodlibet non agit in quodlibet, ſed determinatum in determinatum. Ex quibus neceſſario inferri poteſt, morbum hunc veteribus illis fuiſſe incognitum, unde & nos nomine ejus proprio caremus, nec ob id tot Illuſtres authores de inſufficientia criminari debemus. Sunt enim, ſicut dixi, aliquæ ægritudines, quæ non accidunt, niſi diuturnis temporum intervallis, quoniam conſequuntur Stellarum concurſus, qui non fiunt, niſi raro, & magno temporis decurſu. Et etiam forte alias inſequuntur cauſas raro contingentes, Galen. enim ut refert Avic. *cap. de vena Medeni*, nunquam vidit ægritudinem illam, nec vidit febres ſeptenas, nec novenas, nec ob id negat eas dari, uti etiam refert Avicenna *cap. de febrium illarum genere*. Neque enim oportet eas negare ægritudines, quas nunquam videmus accidiſſe temporibus noſtris, vel in noſtra regione. Aliquando enim pertranſeunt variæ annorum revolutiones, in quibus tunc non apparent ægritudines aliquæ, quæ deinde emergunt. Sicut tempore Galeni, nunquam ab eo viſus eſt lapis ab inteſtinis egrediens, quem tamen ſe bis vidiſſe affirmat Gentilis, immo etiam aſſerit ſe lapidem vidiſſe à ſtomacho egreſſum poſt diuturnos, ac vehementes ſtomachi dolores, quod nunquam à primis noſtris perſpectum fuit, nec ob id negari hæc ab aliquo debet, licet inviſa ſint temporibus ſuis. Sic nullum abſurdum ſequi debet, quod noſtris temporibus Morbus hic Gallicus exortus fuerit, quem priora ſæcula non viderint, aut cognoverint, unde de eo nihil conſcriptum reperiamus, ſicuti quoque de ægritudine illa ex verme genito inter carnem, & cutim, quam refert Avenzoar *lib. ſuo*, minime cognitam ab Hippocrate, Galeno, nec ab ipſo Avic. Neque temere afferendum eſt eam eſſe, quæ vena Medeni inſcribitur, cum ab eodem authore duobus diſtinctis capitibus, diſtinctiſque remediis percurrantur. Quod illam nec Avic. maximus rerum inquiſitor cognoverit, cuiſque cum perlegenti innoteſcet, dum agit de vermibus in inteſtinis obortis, tum de illis in capite genitis ſodam facientibus, nullam tamen facit mentionem de iiſdem genitis inter carnem, & cutim. Quare talem ignoravit ægritudinem Avicenna, tum etiam antiquiores, ſicut fuere Hippocrates, Galenus, & cæteri illius ætatis viri hanc ignorarunt, cum inter tot eorum monumenta mentio nulla, nec verbum quidem de illa conſpiciatur. Unus ſolus Avenzoar eam cognovit, eam vidit, ac curandæ illius rationem nobis dereliquit. Nec præteribo recenſere admirandam tuſſis cauſam relatam ab Alzarabio libro ſuo, quam nec Avicenna, nec Alexander, nec Paulus, nec Galenus unquam viderunt, ſicut affirmat Gentilis *commento ſuo libri tertii*. Inquit enim Alzarabius, vel tuſſis ex animalibus generatis in canna pulmonis, & locis vacuis, quæ animalia ſunt minora ſatis Muſcilionibus ipſis, & ubi transferuntur de loco ſuæ originis, reſultat tuſſis ex illorum motu, & quando quieſcunt in ſuo loco, quieſcit tuſſis. Hæc ille. Neque de his mirari debemus propter jam dictas cauſas, nec mirum utique eſt, quod aliqui morbos quoſdam viderint, quos nec ætas prior, vel poſterior cognoverit. Et hæc contingunt, ut dixi, de mente quoque Avic. propter configurationes cœleſtes, tum propter terreſtres propinquas diſpoſitiones varias in longis temporum intervallis contingentes, unde affectiones de novo quaſdam accidere, quaſdam deperire videmus, & legimus. Hactenus parum digreſſi revertamur ad cognitionem cæterorum accidentium, morbi Gallici naturam, ſeu eſſentiam conſequentium, veluti ſunt puſtulæ, ulcera, pruritus, ſcabies, & reliquæ hujus generis impetigines, quorum omnium natura, & malignitas dijudicatur ex illorum ſitu, loco, figura, colore, mordacitate, magnitudine, vel parvitate, tum multitudine, vel paucitate. Si itaque hæc omnia, vel quædam primo invaſerint pudenda, deinde caput, & cæteras corporis partes exteriores, earum malignam naturam, ac Gallicam affectionem præ ſe ferent: Quæ ſi aliqualiter inveteraſcunt, intimas corporis partes permeant, ubi, uti diximus, articulos, nervos, junctura s, & panniculos contegentes, & oſſa quoque capitis occupabunt: Hinc dolores, hinc ulcera peſſima, & oſſium vitia inſurgunt, quæ omnia morbi Gallici definitioni recte conveniunt. Pro igitur natura humoris excedentis, varia inſurgunt puſtularum, ſeu impetiginum, conſimiliumque accidentium genera, & perſæpe horum ſigna confunduntur propter variorum humorum ad invicem miſcelam, eo quia unus ſolus humor raro contingit, ut peccet, prout libris ſuis [a] Galenus, & [b] Avicenna atteſtantur. Sed quales humores in morbo hoc, ejuſque conſequentibus latitent, ſeu dominentur, ii prorſus ſunt veluti humores cholerici, tum melancholici, tum phlegmatici, & ut plurimum ſalſi: Quales etiam [a] Galeno, ab [b] Avicenna, à cæteriſque authoribus de talium affectuum curationibus enumerantur. [c] Si quis igitur morbum hunc cum ſuis conſequentibus recte curare voluerit, omnia antedicta inſpicere, ſigillatimque hominum humorum dominium perſcrutari, indicationibus ſumptis ex natura moleſtantis morbi, tum ex patientis complexione maxime conducit. Porro, & jecore infecto, & naturalibus membris, prout à morbo Gallico infici continuo ſolent, ad extimas (uti diximus) partes, veluti ad inguina ipſa, perſæpe inter initia demandantur humores varie inficientes, ac deturpantes corpus noſtrum, quos per proprias indicationes deprehenſos, priuſque paratos, evacuabis per loca convenientia, uti inferius clare oſtendam, tum quoque quomodo fingula accidentia localibus remediis, ac auxiliis parare, tollereque ſimul debeas, ſigillatim per capita propria tradam.

Quoniam igitur curandi primus & præcipuus ſcopus in omni ægritudine eſt exacta victus ratio, ſine qua nulla curatio ad perfectum traducitur finem. Ideo ab ea exordientes, breviter quædam tangamus, cum de eadem in cura prævifiva longiorem ſermonem ſimus facturi. Sit itaque victus talis per dies illos, quibus medicatio celebratur, & eo uſque, quo abſoluta fuerit omnium remediorum collatio, perduret. Contentus enim ſit ille rebus his, videlicet pullis, junioribus elixis, hœdis aſſatis, vel avibus, præſertim montanis, quæ cæteris præſtantiores ſunt. Utatur aliquando amygdalis, & paſſulis inter cibi initia, ut alvus facilior reddatur, ſicque modo hæc, modo illa aſſumat, ne cibi faſtidium apportent. Vinum, & aër, ſomnus, & quies, ſint tales, ſicut infra in de cura prævifiva longius enarrabo.

His ergo conſtitutis curam ipſam aggrediamur medicativam, præmiſſis indicationibus, præſertim illis, quæ ex natura morbi, ſeu ex magnitudine ipſius deſumuntur, cæteris etiam non neglectis, & omnia auxilia majora, ac præſtantiora exhibeto, qualia deſcribam, præfixis temporibus, ſeu horis convenientibus, jubeto hoc aſſumi primo pro ventris lenitione. videlicet Recipe *electuarii lenitivi, floris caſſiæ nuper extractæ ana unc. ſſ. confectionis hamech drach. iii. Cum ſaccharo albiſſimo fiant boli.*

Digeri deinde incipiatur materia ſyrupis his mitioribus prius, ut ad minorationem peccantium humorum devenire tuto poſſis. Recipe *ſyrupi de bugloſſo unc. i. endiviæ, fumo terræ ana unc. ſſ. aquarum bugloſſi, lupulorum, cichorei, fumi terræ ana unc. i. Miſce & fiat ſyrupus.*

Tribus igitur ex iis aſſumptis, ſanguinem ſecta vena communi, ad uncias ſex, vel ſeptem, vel novem etiam

fluere

*Lib. 4. F. 3. Gal. 2. art. cur. ad Glauc. c. 4.*

*Quare Morbus hic pudenda primum invadat.*

*Lib. 4. F. 7. t.*

*6. de loc aff. c. 3.*

*Lib. 4. Fen. 3. t. 2.*

*Galen. primo de diffe. feb. c. 5. & com. 3. in p. Hip. de morb. vul. Lib. 4. F. p. 2. 2. Gal. li. 2. de inter. c. 5.*

*Lib. 3. F. 16. t. f. & eodem. Fen. prima.*

*Altzar. lib. cap. de Tuſſi.*

*Gal. 1. de differ. morb. cap. 12. & 2. regim. acut. lib. 4. Fen. tertia cap. 2. Lib. de Tum. præternat. & 5. de accidenti & morb. & 5. de comp. med. ſecundum loca. Lib 4. Fen. 3 c. 3. Morbi, & accidentium ſuorum curatio va Methodus. Qualia membra in morbo ipſa inficiantur. Gal. de rem. med. parat. ſanit. c. 10.*

fluere permitto, pro judicio Medici assistentis. Tandem aliis tribus, vel quatuor ebibitis, materia ad expulsionem aliqualiter parata, minorativum hoc fortius exhibito vid. Recipe *Diacatholiconis drach. vij. electuarii hamech, de psyllio ana drach. ij. ß. vel iij. de succo rosarum drach. ij. syrupi rosf. solut. unc. iij. aquæ florum, & fructuum, additis folliculorum senæ drach. iij. q. s. & fiat potio.* vel si malueris in forma solida, ita præcipies. Recipe *diacatholiconis, vel lenitivi drach. x. electuarii hamech. drach. iij. de psyllio, de succo rosarum ana drach. ij. cum sacchara albissimo fiant boli.* vel etiam si malueris in forma pillulari, ita jubeto. Recipe *pillularum de fumo terræ, de hermodactylis ana scrup. j. vel sem. fœtidarum scrup. j. vel sem. Diagrydii gr. iij. reformentur pillulæ quinque, vel tres cum syrupo de pomis sabor.* vel has, si acciderit simul capitis dolor, jubeto accipi. Recipe *pillularum de fumo terræ drach. j. cochiarum scrup. j. diagrydii gr. iij. vel v. cum syrupo de fumo terræ formentur pilulæ quinque, & inaurentur,* capiat hora quarta ante auroram. Peracta hac purgatione, sic materiam de novo parabis pro ipsius morbi eradicatione. Recipe *syrupi de epithymo, de fumo terræ ana unc. ß. de pomis sabor unc. j. vel ß. decoctionis senæ unc. iiij. vel v. misce, & fiat syrupus,* quem similiter jejuno stomacho ebibat.

*Gal 6. Apho. 12. Gal. 4 Apho. 25.* Tribusque ebibitis, jubeto quarto die hirudines ano admoveri, sanguinemque extrahi pro judicio prudentis Medici. Sanguis enim, qui inde extrahitur, crassus est, ac mixtus humori melancholico: Immo ejus extractio potissimum est remedium melancholiæ, quare & morbis omnibus ab ea pendentibus, & præcipue morbo huic nostro, & multis quoque ejus accidentibus maxime proderit, deinde tres, vel quatuor itidem ebibat syrupos, quibus expletis, paratam jam materiam sic omnino evacuabis sequenti medicina. Recipe *polypodii quercini unc. ß. folliculorum senæ drach. iiij. passularum mundatarum drach. v. liquiritiæ bene rasæ emundæ drach. iiij. myrobalanorum nigrorum, drach. ij. ß. chebulorum, citrinorum ana drach. ij. thymi, epithymi ana drach. j. ß. hellebori nigri drach. ß. florum cordialium drach. j. ß. misce, omniaque contundito, seu incidito, decoctioque fiat secundum artem,* deinde. Recipe *dictæ decoctionis unc. iiij. rhabarbari electi scrup. iiij. spicæ gr. iij. vini malvatici parum, agarici præparati drach. j electuarii lenitivi. drach. vii. hamech drach. iiij. de psyllio Montaguanæ drach. j. ß. succi rosarum puri unc. j misce & fiat potus.*

In aurora sequentis diei assumat *brodii pulli scutellam unam, & sacchari buglossati, & violati cochlear unum,* & sic desuper dormiat quantum voluerit, deinde à somno solutus cum fuerit, jubeto sibi fieri clysterium hoc lavativum, videlicet *ex unc. j. ß. sacchari rubri, vel etiam ex duabus unc. mellis rosati, & brodio pulli, salis pauco, vitello ovi, & oleo violato.* *Avic. lib. 1. fen. quarta c. de clyst.* Hoc utique valet ad abstergendas reliquias materierum, quas medicina solutiva dimitit circa parietes intestinorum, juxta doctrinam Principis. Si quis autem medicinam jam dictam abnueret, pro ea jubeto assumi pillulas has hora sexta noctis, & ad libitum dormire permittito, quibus optime alvus secedet. Recipe *pillularum de fumo terræ drach. j. de nitro Alexandri. scrup. j. vel j. ß. misce, & formentur pilulæ v. cum succo rosarum, vel cum electuario de succo rosarum.*

Huc usque universalem totius purgationem præmisimus. *4. Method. med. cap 4. Galen. 6. de comp. med. secund. loc. cap. 1.* Qualiter eam scilicet administrare possimus, ac debeamus, nam recta methodo progredientes, dictum Galeni observabimus, quod purgandum sit prius totum corpus, antequam pars aliqua remediis subjiciatur: Nec particularem aliquem affectum aggredi oportet, nisi prius toto evacuato. Ideo utrumque in sequentibus tractabimus, tum localia auxilia, tum particularium affectuum curam, post *Galen. 3. de loc. aff. cap. 3.* universalem doctrinam de totius corporis purgatione tractemus: Topica siquidem remedia aliter adhibenda non sunt. Id enim est commune præceptum in omnibus morbis, quod observare debemus, volentes sane totum corpus rarefacere, tum per cutim, tum per os, quod reliquum est materiæ expurgare per linimenta, seu unguenta, oportuit prius universum vacuare. Quo expleto, ac interposito die uno, vel duobus, imperato hoc unguento illini partes extremas, sicut brachia, pedes & juncturas quoque, stomacho jejuno, per tresque horas ad minus sudare consulito. Unguentum hæc habet. Recipe *thuris, masticbis ana drach. ij. myrrhæ, cinnamomi, gingiberis, piperis longi ana drach. j. cubebæ, sandarachæ Græcorum, minii ana drach. ß. cineris tamarisci unc. iij. butyri recentis unc. iiij. pinguedinis suillæ lib. ß. succi plantaginis, argenti vivi extincti, cum succo limonis ana unc iij misce, & in mortario lapideo fiat unguentum, quo illiniatur, uti dictum est.* Vel si maluerit, sequenti uti poterit, eo quod magis loca dolentia respiciat, ac ab omni molestia ipsa liberare omnino queat; quare eo sic utetur per sex dies, mane, & sero inungendo brachia, spatulas, crura, nucham, ac dorsum universum, jejuno stomacho, deinde in lecto cubando bene calido, ut sudoris haberi beneficium possit ad minus per horas tres, sic enim materiæ plurimum per sudorem, tum per os, emittetur; quare hoc tanquam magis sedativo dolorum, & in ætate calidiori, ac anni tempore calidiori tutius uti possumus. Priori autem utitor pro complexione frigidiori, & pro morbi natura frigidiori, ubi videlicet majori rarefactione opus fuerit, valentius enim sudorem evocabit, quam hoc, quod sequitur, & tale est. Recipe *adipis leonis, humani, vulturis, anatis, anseris ana unc. ij. & ponantur in olla vitreata, & hæc addas.* Recipe *resinæ pini unc. iiij. mastichis, thuris ana unc. ii. cerussæ unc. iiij. succi arantiorum num. vj. argenti vivi unc. iij. terebinthinæ unc. j. ß. extinguatur argentum vivum cum terebinthina in mortario marmoreo per mediam horam illud agitando. cinnabrii unc. ß. olei chamæmelini unc. iij. misce, ut supra omnia in mortario in formam unguenti redigendo.* Per hæc utique unguenta variis succurres morbi hujus accidentibus, sicut sunt dolores, tumores, scabies, seu pruritus, casus capillorum, seu pilorum etiam; quoniam plurimum (uti dixi) materiei morbum facientis, tum per os, tum per sudorem expurgabitur.

Quare interim providus existas, si oportuerit gargarismum, seu lavacrum parare, ex medicinis abstergentibus, exsiccantibus, & constringentibus, ac ulceribus convenientibus, qualia solent accidere propter morbum hunc, tum etiam propter dictorum inunctionem, solent siquidem ulcera, pustulæ, corrosiones in ore apparere, quare talibus utere, qualia sunt *rosa, balaustium, myrtus, plantago, polygonum videlicet centumnodia, lentes, hordeum, alumen crudum, vel ustum, unguentum Ægyptiacum, & similia.*

Tali siquidem lotione tuto uti poteris, quæ sic habet. Recipe *aquarum rosarum unc. iiij. plantaginis, solani ana unc. iij. julep violati unc. j. ß. diamoronis unc. j. misce.*

Prudens autem Medicus alia consimilia parare ex dictis poterit, prout necessitas exposcet.

Unguentum optimum pro affectibus, qui solent membro genitali accidere in consimili morbo, quod habet. Recipe *axungiæ porcinæ unc. iij. argenti vivi unc. j. ß. diu hæc agitabis in mortario, ac deinde addes.* Recipe *minii, cerussæ lotæ in aqua rosarum ana unc. ß. cinnabrii drach. ij. thuris electi drach. j. aloes optimæ scrup. ij. misce, secundum artem fiat unguentum.*

Ad idem sequitur lotio optima pro pustulis mortificandis, quales solent in ore, vel in membro genitali apparere. Recipe *aquæ rosarum unc. iiij. argenti sublimati finissimi unc. ß. misce. & parum bulliant simul in ampulla vitrea,* ac ea utere pro pustulis mortificandis, bis in die eas tangendo cum dicta aqua,

Pro conclusione dictorum reserabo mirabile, & optimum quoddam inventum cujusdam non obscuræ authoritatis viri, magnique experimentatoris, sed à nobis sæpe comprobatum, *Arnaldus de Villa nova Breviarii libro.* contra varia hujusce morbi accidentia, scilicet scabiem, pruritum, pustulas, & reliquas impetigines, & mirabiliter valet ad confortationem, ut etiam dixerim ad renovationem omnium membrorum nostri corporis quasi jam deperditorum, omnemque morbum ex solutione continuationis pendentem tollit, seu curat, & aqua metallorum dicitur, quæ hæc recipit. Recipe *limaturæ ferri, chalybis, auri, argenti, æris, stanni, plumbi, ana q. volueris. myrobalan. aloes ana ad pondus omnium. Terantur omnia simul, & misce, & ponantur omnia in olla vitreata, vel alchimica, quæ vas destillationis supra se habeat & supra ignem fornacis apponatur, & aquam, quæ per alembicum destillat in vase vitreo, colligas, & usui reserva,* quoniam mirabilis est ad supradicta, & ad majora etiam.

*Method. prævisiva morbi Gallici.* Huc usque satis me dixisse duxi de Methodo curativa morbi hujus, nunc, prout ab initio tetigimus, Methodum ejusdem prævisivam aggrediamur; si quando enim contingeret enumerata auxilia (à nobis jam sæpe non sine laude comprobata) optato fine frustrari, quod adhuc scilicet aliquis propter novum hujus pestis genus, & prioribus sæculis invisum (uti exordio tractatus nostri narravimus) se non sine ejus molestia posse vivere sentiret. *Lib de sang. missione, & lib. meth. medi.* Huic expediet ex præcepto Galeni recurrere ad Methodum morbi hujus prævisivam, sine qua morbi rebelles, ac auxiliis contumaces nec debellari, nec convinci possunt. Prævisiva autem Methodus curativa, quatuor clauditur terminis, prout attestatur nobis maximus Experimentator Rhasis. *Rhasis suo continentis. lib. Galen. lib. de Dynamidiis.* Primus, bis in anno, veris præsertim initio, nec alterius Solstitii tempore vacuationem admovere. Secundus erit, Regimine vitæ in sex rebus non naturalibus uti. Tertius membra morbum foventia corroborare. Quartus denique consistet in totius, ac principalium membrorum confortatione.

*6. comm. in Apho. Hipp.* Purgari siquidem veris initio maxime proderit, sicut ex Galeni doctrina habetur, diuturnas siquidem passiones, ac melancholicas tali vacuatione sæpissime tum sublatas vidi-

vidimus, ex plenitudine enim mala hæc dispositio tollitur venæ sectione; ex humorum autem corruptione purgatione sanabitur, sin autem utraque causa aderit, tuto venæ sectionem prius aggredere, quoniam purgationem præcedere debet ex Galeni, & Avicennæ omniumque authorum doctrina, illaque peracta, peccantes humores digeres secundum doctrinam jam traditam in arte medendi curativa, aliter enim nisi præparaveris materiam vacuandam, multa sequentur incommoda, qualia narrantur à Galeno in libris suis. Iis demum paratis medicamine aliquo purgante ex jam prænarratis utere, nam hic illa repetere justum non videtur, cum tu quoque, si prudens fueris, quod magis judicaveris expediens, ex dictis imperare poteris, ulterius si indicationes ex natura morbi cum iis, quæ ex natura patientis desumuntur, simul concurrerint pro altera purgatione fienda, consulo ego ex Galeni, tum Avicennæ authoritatibus prædictis, eam debere fieri autumnalis Solstitii tempore. Quoniam aliqui sunt, quibus non satisfit purgatio una, sed altera etiam indigent pro sanitatis tuitione. Sicque venaberis modum ex Methodo medendi curativa jam præscripta pro ratione prudentis Medici. Hæcque de priori parte Methodi prævisivæ.

*[Gal. 10. de cemp. med. secundum loc. c. 2. — Gal. com. 2. Aph. 2. — Gal. 6. de sanit. tuen. — Gal. 6. de sanitat. tuen.]*

Secunda autem utique est regimen vitæ in sex rebus non naturalibus, videlicet in aëre, cibo, & potu, motu, & quiete; somno, & vigilia, inanitione, & repletione; Animique passionibus. Hæc enim vario modo à nobis administrata, seu assumpta dicuntur salubria, tum insalubria. Aër siquidem salubris, ac maxime conveniens tali jam passo morbum hunc pro sui sanitate est Aër temperatus, ad aliquam caliditatem levem vergens potius, quam ad frigiditatem, ne meatus claudantur, ac insensibilis transpiratio prohibeatur acrium scilicet, seu salsorum vaporum, qui detenti interius, sunt in causa, ut morbus hic molestiam inferat. Aër nunquam frigidior dolores causat, calidioris autem adventu tolluntur, dolores autem in morbo hoc maxime cavere debemus. Aër insuper purus sit, hic enim omni ætati convenit. Cibus autem, & potus, in quibus ratio victus consistit, quatuor complectitur regulas, pro sui recta administratione, ut omnino obesse non possit. Prima erit, ut cibus assumendus sit boni succi, & secundum illam qualitatem peccet pro naturæ humorum excessu sibi contrariam. Quoniam in iis, quæ præter naturam sunt, indicatio victus sumi debet à contrariis qualitatibus, ita tamen quod qualitatum activarum excessus maximus vitetur, natura quippe ab eis valde læderetur, ob id parum declinent in contrariam qualitatem. Cibus itaque debet esse boni succi, eo quia talis vim detergendi habet, nec glutinosus, nec crassus succus inde efficitur, nec etiam valde nutrit, sic enim talis victus ratio in morbo hoc maxime expetitur. Comedat itaque recentes, ac laudatas carnes, quales sunt pullorum, hœdulorum, vitulorum parvorum, castratorum animalium, perdicum, & omnis generis avium montanarum, sed cæteras sylvestres carnes dimittat, tum etiam salitas, ac crassas, sicut anserum, porcorum, boum, & aliorum, quæ succum impurum, crassum, vel salsum generent. Tuto etiam uti potest ovis recentibus sorbilibus, vel elixis, non duris. Lacte quoque caprarum aliquando, jejuno siquidem stomacho. Pro ferculis suis assumat far, hordeum, lactucam, endiviam, buglossam, acetosam, dimittat tamen omne genus caulis, naones, risum. Pisces aliquos etiam comedere potest, sed naturæ talis existant, videlicet parvi potius, quam magni, squamosi, degentes in aquis puris, non paludosis. Edanturque assati, vel elixi, sed assatura in hyeme sit potius quam in æstate. Ex fructibus, moderate eis utatur, sicut sunt poma Appia, pyra bene cocta, pruna bene matura, & similia, fugaces etenim fructus evitet omnino. Vino mediocriter utatur, sit bonum, ac æquale inter vetustum, & novum, clarumque fit, boni odoris, æqualis saporis, seu mixti, nec acre, nec acutum, nec dulce sit, sitque pauciferum, non fumosum. Cibos denique omnes nimium dulces caveat, sicut sunt ficus, dactyli, confectiones ex melle, amara itidem omnia, & acuta fugiat, sicut allium, cepas, raphanos, erucam, & sinapi, omneque salsum, si possibile est, dimittat. Hæcque de ratione victus in quali. Secunda victus ratio consistit in quanto, pro mensura videlicet virtutis digestivæ assumatur. Quoniam licet cibus esset in se ipso bonus, & corpori conveniens, virtutis tamen digestivæ si vim superaret, tunc ex eo nutrimentum malum generaretur. Hæc igitur victus ratio prudentiæ Medici relinquitur. Tertia victus ratio stat in ordine assumendorum, quid videlicet priori, quidve secundo sumi debeat loco: Inordinata siquidem cibi acceptio sanitatem valde perturbat, eo quia digestio impediatur, corrumpuntur potius cibi sic assumpti, quam quod nutriant. Ideo quæ fluxibilia, quæ lenitiva, quæ corruptibilia magis, & quæ velocioris digestionis sunt, præmittantur, hæc sit universalis regula: Quæ vero opposito modo se habent, secunda mensa accipiantur. Quarta denique victus ratio, tempus, seu horam respiciet; Assumat quæ assumenda sunt hora consueta, ni aliquid aliud impedierit. Post prioris cibi descensionem, ubi motus, vel aliquid huic simile, vel etiam somnus secutus fuerit, secundus assumatur cibus.

*[Gal. lib. Artis medic. c. 85. — Gal. 3. de loc. affec. — Gal. 1. de sanit. tuend. c. 11.]*

Motus autem, & Quies, cum sint homini necessaria, dicuntur quandoque salubria, & insalubria quandoque, prout administrantur, vel non. Motus siquidem, seu exercitatio homini est necessaria, eo quia mirum in modum faciat ad sanitatem, & præsertim cum moderatum fuerit exercitium, insuper naturalem calorem commovet, & validas reddit, quæ in membris sunt, virtutes naturales, animales, & vitales. Purgat enim quandoque humores, qui sunt in profundo corporis. Exiguos insuper meatus mundificat, ac excrementa per eosdem expellit. Verum in eo tria hæc sunt maxime consideranda, videlicet tempus, quantitas, & Modus utendi. Tempus siquidem ejus sit ante cibum, sicut *libro de parvæ pilæ exercitio* Galenus docuit. Quantitas temperata, seu moderata sit pro virium ratione, sicut idem Galenus *de salubri diæta.* Modus denique, non sit motus violentus, vel vehemens. Quies autem cum sui contrarii sit remedium, solvit lassitudinem viresque reparat, sed nisi temperata fuerit, sanitati maxime obest, aggregat enim excrementa, ex quibus inde fiunt incommoda varia, præsertim in morbo hoc, ubi excrementorum omnis generis expurgatio desideratur. Somnus, & Vigilia, cum sit unum ex rebus non naturalibus, necessario nos eo indigemus. Somnus siquidem nocturnus sit ad minus septem, vel octo horarum, non superfluus, unde Avicenna in eo de Regimine somni, inquit. Somnus temperatus virtutem naturalem potentem efficit perficiendi suas operationes: Et est animalem virtutem quiescere faciens, & in ejus substantia augmentum præbens, prohibetque spirituum resolutionem, & ob id digerere facit, multique nocui vapores expelluntur. Somnus autem meridianus minime competit, nisi assuetis, vel his, qui ob dolores, vel ob aliquam aliam causam noctu dormire non potuerint, aliter in die dormire malum est, ad multas enim, & maximas ægritudines corpus disponit. Repletio autem, & evacuatio, seu inanitio præter modum facta, noxia valde est repletis, siquidem nimia dolorem facit, multaque alia incommoda. Evacuatio autem sit moderata, non violenta, temporibus congruis, singulo fere die habeat beneficium corporis, & si natura obediens non sit, juvet eam clystere aliquo vel suppositorio, vel etiam potione hac singulis, vel alternis diebus utatur. videlicet Recipe *aquæ casei unc. iiii. epithymi unc. i. ʃʃ. Exprimatur in mane, & bibat*, vel si malueris pulverem hunc, quo ego in consimilibus morbis uti soleo, & hæc habet. Recipe *turbith albi, zingiberis boni, sem. anisi, fœniculi ana unc. i masticbis scrup. i. tragacanthi drach. ʃʃ. hermodactylorum, sacchari finissimi ana drach. i. misce, & fiat pulvis subtilissimus, cujus drachmam pro vice cum vino assumat.*

*[Gal art. Med. c. 85. — Gal. 2. Aphor. 48. — Gal. 2. Aphor. 48. — Lib. 1. Fen. 3. doct. 2. c. 9. — Avic. ibid. — Gal. in sextum de mor. vulg. com. 3.]*

Cavere tamen opus est passiones animi omnes excedentes, iram præsertim, & tristitiam, sollicitudinem, & animi mœrorem, quæ sane exsiccant, ac exterminant corpus nostrum, resolvunt etenim vires, retinent insuper multa excrementa, unde morbus hic ex talibus vires sæpe assumit. Quare maxime fugienda tibi sunt: Verum summe confert, lætari, gaudere, & bene sperare de salute, cum amicis conversari, juxta illud Galeni, quod anima nostra tam potentis motionis est, ut ex ipsius gaudio permulti ex gravissimis morbis evaserint.

*[Lib. de ludo pilæ ad Epigenem.]*

Coitus, seu ipsa venus licet sub quinto non naturali tractari potuisset, hic tamen seorsum egisse de venere volui, eo quia Galenus post sex rerum non naturalium enumerationem, capite proprio de ea conscripsit, inquiens eam conferre, & obesse posse, ubi nullam, vel aliquam resolutionem senseris, ubi tempus opportunum, vel incongruum servaveris, Ubi denique moderatam, vel immoderatam exercueris: sic modo uno calorem excitabis, adenes testiculorum purgabis, à variis passionibus eos liberando. Præter id, quod retentum sperma id agit, quod venenum; Ex eoque retento talia suboriuntur incommoda, qualia in virginibus, & viduis sæpe conspici solent, & plurimæ ante tempus commoriuntur. Quare ea aliquando uti bonum est, non autem semper malum, uti Epicurus sensit Modo altero, nervos lædes, cerebrum debilitabis, stomachum dejicies, hinc tremores, hinc dolores podagrici, hinc comitiales morbi, hinc corporis exsiccatio, ac omnimoda consumptio, & mors tum ipsa consequitur. Hæcque de vitæ regimine in sex rebus non naturalibus sufficiant.

*[Lib. Art. Med. c. 86. — Gal. lib. de spermate. — Gal. lib. art. Med. c. 86. — Gal. in tertium de mor. vulg. com. 1. — Gal. 5. loc. aff.]*

Nunc prævisivæ methodi postremas duas particulas simul aggrediamur, ac prosequamur, & eo magis uno sermo-

*[Partium rectificatio, tum corroboratio qualit.]*

sermone complectamur utramque particulam, cum finis unus & idem in iis desideretur, instauratio videlicet, ac rectificatio, tum ipsa corroboratio. Jecur siquidem, cerebrum, & cor, cum sint præcipuæ nostri corporis partes, in quibus vita nostra præsertim consistit, diligenti indigent consideratione prudentis Medici. Quod si nonnullæ, vel omnes ex dictis partibus in aliquo defecerint, statim captanda est præsidiorum opportunitas, ut ipsis succurratur, eædem rectificentur, & corroborentur. Cumque antea dixerimus, Gallicam hanc affectionem primarias nostri corporis occupare partes, jecur præsertim ipsum, & naturalia membra omnia. Jusum nunc videtur tradere doctrinam, & rationem, seu modum instaurandi, corrigendi, tum fovendi jecur ipsum, cæteraque naturalia membra (præmissis tamen jam omnibus enumeratis purgationibus pro ipsius morbi propugnatione) aliter enim frustra quæreremus partium rectificationem, atque non tantum nostra intentio ad hepar ipsum dirigatur. Quoniam naturalis ipsa vis ab eodem in omnia membra diffunditur, ut non mirum sit, si in hoc præsertim morbo cætera quoque membra, primaria præsertim, compatiantur simul, atque inficiantur. Quare non solum ipsum, sed & alia instaurare, corrigere, ac munire opus est. Per hæc utique præsidia, reliquiæ morbi omnes, ac ejusdem impressiones in omnibus fere membris factæ tollentur, sicque à novo hoc pestis genere libera esse dicentur. Diximus affectum hunc persæpe dependere à pluri na materia melancholica, tum à salsa pituita. Ideo sic sequentibus præsidiis impressiones illarum, tum morbi reliquias auferre foleo, ac universum corroborare. Inter cætera *Theriacam Andromachi* accipio, ac ea sæpissime utor in affectibus hujusmodi diuturnis, ac ab humore melancholico pendentibus, qualiter Galenus affirmat eam corrigere posse vitia melancholiæ. Et aliquando utor etiam *lætificante Joannis Mesuæ*, tum *electuario de gemmis*, tum *lætificante Rhasis* in divisionibus cap. de tremore cordis: item ejusdem 9. ad Almansorem, præcipiendo. Recipe *cujusvis illorum unc. i. sacchari violati, buglossati ana unc. i. ß. hyacinthi scrup. i. seminis citri, boli armenæ ana unc ß.*

*Gal. libr. de loc. mor. c. 7.*

*Gal. de præsag. ex puls. c. 12.*

*Lib. de Theriaca ad Pisonem.*

*Cum syrupo de acetositate citri fiat mixtura, de qua assumat cochlear unum ante prandium per quatuor horas, desuper bibendo vini parum albi, clari, & odoriferi cum aquæ bugloss. vel rosarum commixti*, sic pariter *de theriaca assumat ad quantitatem fabæ cum vino ejusdem generis.* Alia plurima sunt electuaria confectionesque variæ, quæ habent vim instaurandi, corrigendi, tum corroborandi membra nostri corporis primaria, tum virtutes animales, tum vitales, tum naturales præcipue, quæ sæpe corrumpuntur ex maligna natura morbi hujus. Et hæc sunt, *mithridatium, aurea Alexandrina, diarrhodon Julii, diaboraginatum, diamargariton, rosata novella, dianenupharinum, triasandali, conserva acetositatis citri, tryphera Galeni*, sicut Mesues eam nobis commendat. *Aromaticum rosatum ex descriptione Gabrielis. Aromaticum muschatum*, & consimilia magnopere commendantur, quorum tamen electio discreto judicio prudentis Medici relinquatur.

*Impressiones morbi Gallici qualiter tollendæ.*

Verum maxime advertendum, quod cum hæc affectio Gallica sit ægritudo ex genere earum, quæ diuturno perdurant tempore, uti diximus. Unde ex hac permanentia diuturna permutantur complexiones membrorum, atque ipsa acquirunt dispositionem illam malorum humorum generativam, hæcque Averroës *suo colliget.* affirmat. unde aliquando ægritudines existimantur curatæ, cum tamen adhuc lateant. Ideo debemus esse multum solliciti in talibus impressionibus tollendis, & in reparandis virtutibus membrorum, quare non erubescam quædam approbatissima præsidia in medium afferre, ut omnino possimus malam illam impressionem, præsertim in hepate factam tollere, tum etiam in aliis membris. Et hæc sunt. Valde proderit sæpe uti *electuario illo Montagnanæ*, cujus est ampla, & mirabilis vis in confortando cor, & cerebrum, tum in rectificando sanguinem, tum etiam in servandis spiritibus à malis impressionibus qualitatum melancholicarum, cujus est hæc descriptio. Recipe *florum boraginis, bugloss., seminis acetosæ, scariolæ, endiviæ, violarum, adianthi, polytrichi, capil. ven. ana unc. ij. granorum fisticorum infusorum in succo bugloss. per duos dies unc. iiij. corticis myrobalanorum Indorum unc. i. hyacinthi, smaragdi, saphyri ana unc. i. ossis de corde cervi, doronici, zedoariæ, ana unc. i. ß. lapidis armeni, & lazuli præparatorum ana scrup. ij. sacchari secundæ decoctionis lib. i. ß. foliorum auri num. x. margaritarum electarum drach. i. ß. misce, & fiat secundum artem. Scias, quod saccharum lento igne debet concoqui cum libra una succi pomorum appiorum usque ad succi consumptionem, deinde cum electuarium hoc tepefieri inceperit, adde muschi gr. ij. ambræ gr. iiij.*

*Aver. 3. col liget.*

*Montagnana in consilio de melancholia.*

Scias, quod maxime vellem, ut uteretur *electuario hoc cum bugloss.*, & *violarum conserva*, & *similibus*, sic enim permixtum cum talibus melius administrabitur. Non occulto aliud electuarium experientia quotidiana maxime comprobatum, & tale est, quod recipit. Recipe *cassiæ lignea, cinnamomi electi ana drach. ij. croci scrup. i. rosarum rubrarum scrup. i. ß. sandalorum rubrorum unc. ß. passularum non bene maturarum cum arillis unc. ii. seminis citri, boli armeni ana scrup. i. misce, & fiat in forma electuarii cum miva cydoniorum:* optima, & mirabilia ex his juvamenta apparebunt, sumi enim debet cochlear unum per horas duas, vel tres ante prandium.

Hæc ergo de methodo morbi hujus, suorumque accidentium curativa, tum prævisiva, satis superque dictum existimo. Quamplures etenim præsidiis his tantum enumeratis, vel aliquando omnibus, vel saltem aliquibus præstitis, pro ipsius naturæ morbi lævitie, persanatos, ad pristinamque naturam restitutos vidi, ac ego sæpe felicissime curavi. Ita reliquum est Deum summum opificem, sanitatis vere largitorem exorare, ut auxiliis jam præscriptis omnibus suam præstare dignetur gratiam, sine qua omnis homo in vanum laborabit.

Sermonem nostrum claudere, mens erat, nisi nobis se exhibuisset novum quoddam posteriori hoc nostro seculo inventum, ac tanquam per Deorum manus traditum auxilium pro morbi Gallici expugnatione, ac omnimoda illius evictione, quale est decoctum quoddam ligni Guajaci dicti, cum victus quadam institutionis ratione satis exili. Unde priusquam dicti ligni usum, seu utendi modum aggrediamur, vires, ac utilitates ejus omnes sub compendio enarrare intendimus per suas Areolas, Avicennam nostrum imitati, de simplicium naturis pertractantem.

*Guajacilignum ex natura, & virtute omnes.*

Lignum Guajacum quid est? Est arbor semper virens, alta ad XII. cubitos, frondosa, folia habens non dissimilia foliis plantaginis, ramosa, luteos flores, nucesque gignens acris saporis. Perdura, & ponderosa, odore non insuavi, cum uritur, accensa gummi emittit, corticem habens nigrum, & subcineritium, resinosum, interius colore buxeo, sed in medio nigrescenti, asportaturque ex Indiæ regionibus, ex America, Peru, insulisque aliis noviter repertis. *Electio.* Quod nigri, & unctuositatis plurimum habet, & sit corticis multam resinam habentis, maximi ponderis. Levitas enim senectam, & macredinem ostendit. Quod & in minutissimas partes incisum, vel rasum, in aqua gravitat, ac subsidet. Quod etiam est radicibus propinquius, illud & melius. *Natura.* Calidum in tertio, & siccum inter initia secundi esse censetur à nonnullis. *Operationes, & proprietates.* Subtiliat, & exsiccat sua caliditate, tum siccitate, resolvit, & abstergit, exasperativam vim habet, ut utentibus notum est, ob id corrigitur saccharo, & similibus. Adæquat, vim habet aperitivam, & diureticam. Dirumpit ventositates stomachi, & hypochondriorum. Mundificat sanguinem, ac ejus vitia emendat. Dolores varios, præsertim morbi hujus, sedat, est rectificativum putredinis, ac confortativum membrorum ex sua stipticitate. Digerit, nocumenta aquarum expellit. Est multi nutrimenti, aliter enim ipsum assumens tantam inediam haud toleraret, nisi etiam valde nutriret. Confert maxime ægritudinibus melancholicis. Pituitam extenuat, ejusque nocumenta expellit. Fluxiones sistit, vel avertit, earumque ortum eradicat, ac tollit. *Decoratio.* Mundificat, ac varios morbos, corpus deædantes, aufert. Malos odores corporis rectificat, bonum anhelitum facit. Dentes, & capillos decidentes præsertim ex morbo hoc confirmat, ortumque accelerat, si deciderint. Impinguat. Vidimus enim multos à morbo Gallico persanatos per lignum hoc obesulos factos, ac valde pingues, bonumque colorem habentes. Membra insuper extenuata, & imminuta auget, ac complet. *Apostemata, & bothor.* Tumores varios, collectiones, ac durities, sinus, & tubera, seu & parvas pustulas solvit, dissipat, ac omnino curat, sed etiam, si qua in intimis latent, eruit, curandique ansam, & commodum præbet. *Vulnera, & ulcera.* Ulceribus malignis, & antiquis, & sordidis medetur, ac auxiliatur, ossaque usque ipsa ex hoc morbo ulcerata rectificat, carnemque bonam in ulceribus suboriri facit, fistulas aliquando vidimus ex eo persanatas. fertur etiam emendare vulnera prius male curata. Scabiei antiquæ, præsertim ulcerosæ, & melancholicæ, & ex morbo Gallico pendenti, tum etiam pruritui medetur ex tali præcipue causa. *Instrumenta junctvrarum.* Doloribus junctvrarum præsertim frigidis, tum etiam ex morbo hoc pendentibus confert exsiccando, ac corroborando, sciaticæ. Paralysi ex frigida causa in primis, tremori, nervisque laxis, seu mollificatis auxiliatur, membraque ex hoc morbo stupida confirmat, ac ad motum revocat, sicut multi multos persanatos attestantur. *Membra capitis.* Sodæ præsertim frigidæ, seu melancholicæ, & antiquæ, vel ex hoc morbo pendenti mirum in modum auxiliatur. Cerebrum, ac universum caput corroborat, virtutesque ejus animales excitat. Resolvit ventositates, ex humore melancholico factas, aperit ejus oppilationes, quare ad Epi-

lepſiam, ſeu ad comitialem morbum parato, vel jam paſſo ſuccurrit. Confert vertigini, melancholiæ. Memoriam corroborat. Dolori aurium antiquo, tinnitui, & ſurditati, ex flatulentis & melancholicis humoribus pendentibus auxiliatur. Catarrho, ſeu catharrhali fluxioni antiquæ, & frigidæ confert, fluxionemque ſiſtit. Purulentiis gingivarum, earundemque fœtori, & dentium valde prodeſt. *Membra oculi.* Fluxiones frigidas oculorum, fiſtulas eorundem, & ulcera curat antiqua, viſumque acuit. *Membra pectoris, & anhelitus.* Corroborat membra anhelitus, medetur enim ſuſpirioſis, & anhelantibus, ſi fuerit præſertim contractum vitium ex morbo hoc, vel ex unguentorum inunctione. Aſthmaticos & aliquando perſanatos ex convixerunt aliqui. Cor confortat, ejuſque complexionis malitiæ, & præſertim melancholicæ mirifice auxiliatur, tremorique ejuſdem frigido. Apoſtematibus, ulceribus mammillarum, melancholicis humoribus, vel etiam ex morbo Gallico pendentibus, ſanitatem præſtat. *Membra nutrimenti.* Stomachum confortat, hepar-
B que frigidum mirabiliter corroborat. Bonam efficit digeſtionem, ut in perſanatis ex hac curatione videre licet. Oppilationes ſtomachi, & hepatis aperit, apoſtematibus frigidis, eorundemque duritiei confert. Omne genus Hydropis, cunctaque vitia hepatis à cauſa frigida præſertim pendentia curat, & emendat. Splenis durities, variasque ejus ægritudines tollit. Refrigeratos, ac frigoris moleſtias emendat, ac prohibet, bonam denique univerſi corporis conſtitutionem condonat, eam ſervat, tuetur, ac confirmat, ſicuti videre licet in perſanatis curatione hac ex morbi Gallici lue, qui meliorem ſortiti ſunt naturam, quam unquam habuerint. *Membra expulſionis.* Solvit ac digerit humiditates, humoreſque craſſos, melancholiamque ipſam præſertim extrahit, ut hilariores reddat aſſumentes. Quare humores dictos per loca varia derivat, ac extrahit, vel per ſudores, vel per urinas, vel per ſedis excrementa, ſicut fertur quoque curaſſe colicam antiquam ex frigida, vel flatulenta cauſa pendentem. Et quoniam urinam maxime provocat, creditur poſſe juvare calculoſos. Mirachiales paſſiones, variàque Matricis accidentia ex melancholica materia, tum
C frigida quaque alia, curaſſe nonnulli atteſtantur, & impræ-gnationem prohibentes aliquas cauſas tollit. Ani, & veretri ulceribus, puſtulis, ſed ani præſertim rhagadiis, morbo ex hoc pendentibus, auxiliatur, illaſque omnes partes ad valetudinem poſſe reduci diſponit. *Febres.* Antiquas, diuturnaſque febres, ac promiſcuas, quotidianas, quartanaſque præcipue poſſe ipſum curare, abſtuliſque plurimas nonnulli affirmant. *Venena.* Venenoſas, putridaſque materias, eas maxime vermium productrices, hoſque tollere, ac necare fertur, calorem rectificando, materias illaſque expellendo, locaque talium generativa in meliorem naturam reducendo. *Permutatio.* Loco ejus nonnulli aſſumi poſſe aſſerunt Buxum, aſſerentes hæc duo niſi Soli natura differre, ſed maxime falluntur. Alii cypreſſum eadem præſtare affirmant, quod mihi à veritate alienum non videtur. Alii Chynæ radicem eadem, ac majora præſtare poſſe confirmant. Sed & alii faſſam parillam poſſe ſupponi dicunt, ſed hæc debilis, & obſcuræ eſt
D impreſſionis ad ea præſtanda, quæ cupimus, niſi per addita quædam alia virtus ejus corroboretur. Hæcque de ligni Guajaci facultatibus ſatis me dixiſſe puto, ad ejuſque uſum accedamus.

*Regula vera conficiendi ac propinandi Guajaci decoctum a grotis ipſis. Ægrotans qualia præſtare debet, ut impune accedat ad Decocti ebibitionem.*

Jam nunc tempus erit, ut aggrediamur Methodum decocti ligni hujus conficiendi, ac ægrotis exhibendi. Etſi quam plurimi de ejus uſu conſcripſerint, ita dilucide tamen, ita plane, ac compendioſe magis, nullus forſan ante nos rem totam exhibuit. Veram igitur regulam, ſeu methodum aggredientes, dicamus inprimis, quicunque prædicti ligni decoctum aſſumere conſtituerit, multis ante diebus, optimo victus genere, quale nos ab initio inſtituimus, utatur. Et a Venere quam maxime abſtineat eo curationis tempore, & poſt ipſam peractam, per menſem unum, & duos etiam. Locum, & tempus opportunum eligat ad hoc opus, ſicut nos ſupra conſtituimus in cura prævitiva, aliaque ibidem tradita obſervet. Medicum etiam conſulens expertum, purgetur ſyrupis, aut decoctis, & medicinis talibus, quales antea conſcripſimus. Sanguinemque minuat, ſi expedierit, ab ea regione eum extrahendo, qualem fidelis Medicus pro rei neceſſitate elegerit, vel ſectionem venæ, vel inciſas cucurbitulas, vel ani venis hirudinum appoſitionem. Corporeque ſic parato, ad Decocti exhibitionem impune accedat, ubi victus rationem parciſſimam imperare opus eſt, perſpecta patientis virtute, ne ad purgationis, ſeu ebibitionis terminum vires conſiſtere valeant. Qui terminus aliquando xx. & xxx. ſæpe xl. & plures etiam dies complectitur, prout indicationes ex natura morbi, tum aſſumentis, aſſumptæ offenderint. Sit igitur victus parciſſimus, qui ſumme commendatur in regimine hoc. Nam quanto quis magis à victu abſtinuerit, eo melius ſibi erit, ſic parcus ſit æger, paucisque contentus, videlicet unc. vj. biscocti panis abſque ſale, ſed vice ejus ſaccharo parati, tum etiam uvis paſſis pro ventris lenitione præſertim abſque alio obſonio, eo uſque curatio, ſeu ebibitio protrahitur, modo vires ſuffecerint, uti diximus, vel ſaltem per xv. & plures etiam dies, deinde largior in dies ſingulos inſtituatur victus ex rebus iiſdem, tum ex avibus, quales ſunt perdices, phaſiani, & reliquæ montani generis, aliquando & carne vitulina utatur, quæ omnia aſſabuntur, vel potius elixabuntur in ſecundo ligni decocto. Amygdalæ autem in ſero, vice carnium, ſibi ſatis ſint. Decoctum igitur multipliciter ſic paretur. Recipe *ligni Guajaci electi, inciſi, vel lima parati, unc. viij. corticum reſinoſorum, quales conſcripſimus, unc. iij. in libris xvj. aquæ infundantur per horas xxiiij. in olla nitidiſſima majoris capacitatis, ſic lento deinde igne, abſque fumo decoquatur, ſpumaque diligenter collecta, & jervata, ad ulcerum, & tumorum ablutionem, donec ad libras viij. vel x. pervenerit, ſic utique magis, ac minus decoquitur pro majori, vel minori rei neceſſitate.* Scire quoque licet, poſſe varia commiſceri in dicta decoctione, prout rei opportunitas indicaverit. Qualia ſunt *ſenæ folia, ſeu folliculi, polypodium quercinum, cortices myrobalanorum, uvæ paſſæ, liquiritia, ſemina & radices variæ.* Facta igitur decoctione, ac colatura, *ſaccharum* addi poteſt, quod in hoc decocto vim maximam habet, abſtergit enim & lubricam reddit alvum. Summeque attendendum, ne per Decocti hujus ebibitionem alvus reſtringatur, ſed ſi opus fuerit, ſingulis quinis, vel denis diebus pilulam aliquam ex dictis aſſumat, vel clyſteribus ex decoctione paratis utatur, vel *pulveris Guajaci ſemiuncia decocta mane aſſumantur in potu.* Remanentes deinde viij. vel x. libræ partiantur in viij. vel x. ſyrupos, binos ſingula die aſſumendo, alterum quidem in aurora, & bene lectulo coopertus, & bene calidus ſudorem attendat, ut per duas vel tres horas exire permittat, tunc deinde linteolo calido abſtergatur ejus ſudor, horaque una deinceps, vel altera potius prandium aſſumat. Interpoſitiſque horis quinque à prandio ſyrupum alterum bibat, eadem quæ prius obſervet. Cœna offeratur deinde parcior ipſo prandio, ubi vice vini in utraque menſa ſecundum decoctum bibat, quod ita paretur. *Dimiſſo ligni pulvere illo, ſi volueris, ſuper addendo uncias iij. vel iiij. pulveris ligni novi; quibus lib. xvj. aquæ ſuperaddantur, ad dimidii ponderis conſumptionem dimittantur*, ſicque de hoc quantum voluerit, ebibat. Peractis igitur diebus omnibus ſibi ab aſſiſtente imperatis, aſſumat per xv. & plures etiam dies de illis electuariis vim habentibus corroborandi, tum rectificandi, tum etiam emendandi ipſorum membrorum impreſſiones, ſicque in ſex non naturalibus rebus per dies multos, ac menſes etiam ſe optime regat, ut curationis beneficium (Motore primo aſſentiente) attingat.

*Ebibitionis terminus non unus eſt.*

*Victus ratio non eadem ſemper.*

*Partium decoctum non uno modo paratur.*

*Qualia commiſceri poſſunt a primo decocto.*

*Qualitas alvus ſervanda debeat.*

*Secundum accentum quæ vice vini ſumitur qualiter paretur.*

FINIS.

FRAN-

FRANCISCI FRIZIMELICÆ,

*Patavini, Doctoris Clarissimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS.

In tractatione curæ Gallicæ affectionis operæ pretium est, ejus essentiam in medium afferre, cum à morbo dicat Galen. indicationes curativas eliciendas, nam quantum à recta ipsius cognitione recedimus, tantum à vera curatione discedimus. Est itaque morbus Gallicus pestilens affectus, & hepatis inditum venenum primo. Deinde ab hepate ad corpus universum transmissum. Cum vero plurima symptomata comitentur morbos, & sæpe ad se trahant curam, perpendendum erit, nunquid ipsis, aut morbis sit attendendum, de quibus inferius tractabimus, ut insequamur naturæ ordinem, à causis ad morbum, à morbo ad symptomata. Quodcunque enim affectio est cum materia (ut ista) indicatio ab ipsa sumitur, quia remota causa, removetur effectus. Et quia causæ sunt plures, de primitiva nihil dicam, cum hæc non faciat ad curam, sed potius ad cognitionem morbi, aut ad ejus quantitatem. Antecedens vero quia potest esse causa morbi, ut plethora, & cacochymia, hujusmodi quidem indicat sui remotionem. Impossibile autem est corpus affectum esse morbo Gallico, ita ut non sint duæ causæ, antecedens scilicet, & conjuncta, nam cum hoc morbo semper totius corporis immundities adest, & maxime nostra hac tempestate ex ingluvie, hepatis enim alteratio redundantiam humorum, aut cacochymiam sequitur, & maxime cacochymiam, quæ tollenda est ante morbi curationem. Symptomata autem interdum, ablato morbo, per se tolluntur, & si non, arte medici tollenda sunt, etiam quod non distrahant a primo intento, quod raro est. Incipiendum itaque est à causis. Removebuntur porro hæ, incipiendo ab evacuatione, quæ cum multifariam fieri possit, scilicet pharmaco, venæ sectione, inedia, exercitio, balneis, & hujusmodi, non erit præter rationem de his omnibus, quantum præsens locus exigit, verba facere. Utimur enim his, quantum vires corporis permittunt, ætas, tempus, magnitudo morbi. A victu igitur & inedia incipiamus. Cum ergo supposuerimus morbum hunc comitari humorum multitudinem, tenuissimo sane victu esset hic utendum. Tamen cum sit ex longioribus morbis, non puto tenuem admodum in eo victum competere, ne aut virtus forte caderet, aut intempestive reficiendus esset æger. Hoc autem est compensandum infallibili judicio Medici (semper concurrente ætate, virtute, consuetudine) ne ægrum fames cruciet, multitudo repleat. Cæterum cum dictum sit hujusmodi corpora esse malorum plerumque humorum plena, advertendum est id, quod dicit Hippocrates, quanto magis talia nutries, tanto magis lædes. Si igitur cibatione eguerint, eligas alimenta magis aliena à corruptione, & superfluitatibus, ne analitia corporis corrumpantur, aut augeant superfluitatem. Sed quo tempore plenius, aut tenuius est nutriendum in hujusmodi morbis, qui materiam ad unam criticam expulsionem servant? Sane in principio pleniori victu utendum est, postea paululum diminuendum. Debet autem esse victus ex attenuantibus secundi gradus in omnibus, & maxime in phlegmaticis, & crassorum humorum plenis, (clarioris vero doctrinæ causa tabellam inferius ponam.) Sint itaque cibaria facilioris concoctionis, paucarum superfluitatum, quæque symptomatibus hunc morbum sequentibus non noceant, ut nervorum, & articulorum doloribus, qualia sunt acria, & acetosa, & frigida, ut olera fere omnia, & cibaria crassæ substantiæ, ut carnes crassi chymi, ut porcinæ, bovinæ omnes, pisces, legumina, caseus, lac, butyrum, pasta, & omnia quæ ex pasta fiunt, ova dura, & similia, hujusmodi namque omnia vitanda. Potus autem vini perpendendus est, an in hoc affectu conveniat: sane visum est vinum huic ipsi affectui contrarium esse, vinosi enim maxime in hunc morbum incidunt, unde quo parcius vinum sumitur, eo melius est, quamvis consuetudo aut stomachus non indicent omnino, id tollendum esse, usque adeo tamen auferatur. Convenientior enim potus multæ parari posset, aut sacchari, aut cinnamomi, aut seminum habentium vim concoquendi. Exercitio minuuntur humores, & evacuantur, ideo moderato est utendum. Neque enim forte exercitium ante evacuationem per pharmacum, aut purgationem decet, ut plerique putarunt, dicentes hunc morbum solo exercitio posse curari, conveniunt enim jam evacuato corpore, exercitia interdum mediocria, interdum vehementia, ut ambulatio, parvus lusus pilæ, equitatio, ita ut nullo modo in otio Gallicosi vivant, ex his enim habebimus humorum attenuationem, & resolutionem, pororum apertionem, quam tentare oportet pensitata virtute, quo usque veniamus ad solutionem corporis. Si quis modo negat uti exercitio, instituendæ huic sunt frictiones ventre vacuo, ne indigesta attrahantur. Quia tamen, velimus nolimus, utimur aëre, itaque præeligendus est salubrior, quantum fieri potest, qualis autem hujusmodi aër sit, agemus loco opportuno. Spontanea balnea licet humores minuant, penitus vitentur, experientia enim videmus ipsa huic morbo multum nocere, & forte quia jecori, in quo morbus viget cum adustione aliqua, noceant. Tria vero cum sint instrumenta, quibus medicus ad morbi curationem utitur, diæta, chirurgica, & pharmacia, deque diæta dixerimus huc usque, restat modo de aliis pertractare. Cum itaque sit morbus cum materia, indiget evacuatione juxta illam regulam (contraria contrariis curantur) evacuatur autem corpus maxime ventris subductione, aut sectione venæ, forte utrumque, aut alterum saltem à nobis erit administrandum. In primis itaque virtute, ætateque consentientibus, vena secanda. Nihil enim est, quod tutius corpus evacuet, quam phlebotomia, nec quod magis jecur refrigeret, aut affectum curet in hac Gallica affectione, modo pro virium quantitate, & aliarum mensura fiat. Advertat autem medicus, ut quando humorum malitia est superinducta, & affectus est valde venenosus, paulatim & iteratis vicibus phlebotomiam jubeat, quia hoc pacto poterit malignitatem humorum tollere, & virtutis robori consulere: sed primo basilica secetur cum sit affectus in hepate. Sin autem affectus complicaretur, ita ut alterius venæ sectionem exposceret (ut menstruorum suppressio, quæ saphænam tantum exigit) prius tunc basilica est secanda, deinde saphæna. Quod si splen tumidus existeret, sinistra esset secanda, in capitis affectu cephalica prius secta, basilica aperienda foret dextra. Interdum stante affectu in capite secatur communis, quæque ex basilica componitur. Numquid autem per alias partes sit extrahendus sanguis? peteret quis, ut per hæmorrhoidas (de cucurbitulis suo loco dicemus:) sanguisugarum sane applicatio à me non laudatur, plurimum enim subtilioris sanguinis exhauriunt, & parum crassioris. Scarificatio autem quantum conferat, ubi infectio cutis sit, & necessaria sit menstruorum apertio, non est quod referam, sed quia sectio venæ penitus corpus non evacuat, sed quandoque supersunt humores per pharmacum educendi, ideo purgatio ita molienda est, ut virtutem non destruat, sed humorem educat, & non semel, aut bis, sed sæpius, cum non una vice, sed pluribus educantur isti humores. Sed non est facienda purgatio, nisi prius concocta materia optime sit. Sunt enim ita contumaces, & in partes nostri corporis ita impacti, ut ad ipsos educendos egeamus robustioribus medicamentis. Verum quia hujusmodi cura à nobis non tantum ratione & methodo molienda est, sed etiam experimento, ideo ad magis particularia descendam. Dicebam prius concoquendam esse materiam, cum autem diversa materia sit, sunt etiam diversa concoquentia, nam si pituita peccat, concoquentia calida, & ficca sunt eligenda, & subtilium partium, ad hanc rem sunt syrupi plurimi, & decocta multarum herbarum, simplicium radicum, seminum, fructuum, & hujusmodi. Hæc autem enumerabimus ponentes gradum & ordinem inter ipsa. Imprimis sunt syrupi simplices, & compositi *syrupus de betonica simplex*, *de hyssopo*, *de calamintha*, *de prassio*, *oxymel simplex*. *Syrupus acetosus*, *de duabus radicibus*, *mel rosaceum*, & melior syrupus est *geleniabim cum saccharo*, fortiores essent *oxymel squillitticum*, & plurimi alii syrupi, ut *syrupus de ruta*, quo utimur, *de hyperico*, & fierent *decocta ex betonica*, *salvia*, *hyssopo*, *calamintha*, *pulegio*, *origano*, *thymo*, *dictamno*,

& hujuſmodi, ex granis, fructibuſque comparari etiam poſſunt, præſtantiſſima ſunt *ex carthamo*, *fœniculo*, *aniſo*, *ſeſeli*, & aliis ſimilibus odoratis. Sunt autem & radices bonæ in hunc uſum ut illa, *quam radicem aromaticum calamum dicunt*, *bryoniæ*, *ſerpentariæ*, & ſimilium. Poteſt autem eſſe interdum, ut phlegma ſit adeo craſſum, ut non ſufficiant hæc, unde etiam aromaticum aliud miſcendum præſtantiſſimum ſemper putavi, ut aliquid addendo *cinnamomi*, digerit enim, & malignitati materiæ adverſatur. Sic inter tot & tanta ſemper ego modum hunc omnium præſtantiſſimum reperi, & pro phlegmatis quantitate, & qualitate eligo ſimplicia, & decoquo in *hydromelite* ſic, Recipe *hydromelitis unc. vi. betonicæ*, *ſalviæ*, *ana m. ſſ.* Fuit autem apud me ſemper commodiſſimo in uſu, peccante phlegmate, *prædictam aquam accipere ad unc. iii. cum ſcrup. i. cinnamomi integri*, & *decoquere*, & *exhibere percolatam*: Sed ſi in pectore ſit phlegma, ſunt accipienda, quæ pectus reſpiciunt, ut *iris*, *praſſium*, *hyſſopus*, & *hujuſmodi*, quæ tamen & aliis membris proſunt. Nota idem de *oxymelite*, niſi aut dyſenteria, aut matricis affectus urgeat, *oxymel* ſolum non eſt dimittendum, maxime vero quod eſt temperatum.

Quæ autem choleram digerunt, plura ſunt, ſed raro choleræ coctionem quærimus, niſi ſit aduſta, licet quoque ſint etiam commiſcenda, quæ choleram digerant ob hepatis aduſtionem, & caliditatem. Summe frigida tamen vitanda ſunt, quia ingroſſant materiam, & immobiliorem reddunt. Præſtantiora autem in digerendo ipſam ſunt *ſyrupus de endivia*, *de bugloſſa*, *de ſoncho*, quem nos conſtituimus, *de cichoreo ſimplex*, *oxymel*, *ſyrupus de ſucco acetoſæ*, ſed *ſyrupus de ſoncho* eſt præſtantior. Decocta plurima fieri poſſunt, ut *endiviæ*, *cucurbitæ*, *cichorei*, *bugloſſæ*, *borraginis*, *lupulorum*, radices etiam omnium iſtarum rerum conveniunt, *petroſelini ſcilicet*, *fœniculi*, *aſparagi*, quia choleram craſſam digerunt, ſed potiſſimum phlegma. Inſuper *radices blitis*, & *parietariæ*; ſed in digerendo phlegmate præſtantiſſimæ ſunt *radices fœniculi ſylveſtris*. Eorum vero, quæ melancholicum humorem præparant, potiſſimum eſt *polypodium*, *epithymum*, *fumus terræ*, ut dictum eſt de cholera, & phlegmate aduſtis, ad hoc utile ſunt *ſyrupus de bugloſſa*, *de pomis compoſitus* & *ſimplex*, *de epithymo*. Nota quod nos arbitrantes materiam concoquere, ſæpe cum fortioribus ſyrupis concoquimus, quod minime oportet facere in principio, tunc enim cum mitioribus decoquenda eſt materia, poſtea ad fortiora deveniendum eſt, ut eſt *ſyrupus de fumo terræ*, *epithymi*. Simplicia autem ſunt quam plurimæ herbæ, radices, ſemina, & flores, ut *bugloſſa*, & *flores ejus*, *fumi terræ*, *borraginis*, *epithymi*, *folliculi ſenæ*, *chamædrys*, *radices polypodii*. Nota autem quod ſunt quædam herbæ indifferenter humores concoquentes attenuando, incidendo, abſtergendo, ſive ille, ſive iſte humor fuerit, & in hoc morbo præſtantiſſimæ eſſe ſolent, *ut ſcordeon*, *radices pentaphylli*, *tormentillæ*, *biſtortæ*, *radix ariſtolochiæ* (*quamvis amara valde ſit*,) *radix enulæ*, *ireos jam exſiccatæ*, miſcendo aliquam harum radicum ſecundum exigentiam hujus peccantis corporis, ſed cave reſpicias unicum tantum humorem peccantem, quia plures, aut omnes commiſtos reſpicere debes. Verum eſt autem, quod unus prædominatur, & ſecundum neceſſitatem eligenda ſunt digerentia materias præ dominantes, & ſubdominantes. Nunquid autem ſyrupi ſunt temperandi cum aquis deſtillatis aut aliis? Video certe hujuſmodi aquas parum in ſe virtutis ſuarum herbarum continere? morbus autem iſte cum ſit fortiſſimus, etiam remediis fortiſſimis eget, & non aquis deſtillatis. Plerique enim morbi, qui ex aduſtione fiunt, adeo magni ſunt, ut medicamento non vincantur, ut eſt de elephantia. Temperantur itaque ſyrupi cum decoctionibus, *ſcilicet ivæ*, *betonicæ*, *fumi terræ*, *ſalviæ*, & ſi intemperata ſint in caliditate, adde *pauxillum cichorei*, *ſonchi*, & hujuſmodi; & ſi æger abhorreat has decoctiones, temperentur *cum ſeminibus aniſorum*, & hujuſmodi. In iis autem decoctionibus miſceto aliquid mellis, & ſacchari, ut res exiget, ut gratæ ſint patientibus, nec attendes numerum ſyruporum, ut aliqui faciunt, ſed materiæ concoctionem, qua concocta, purgatio facienda eſt: humorem autem peccantem cognoſces, ejuſque qualitatem ex viribus temperaturæ, colore, urinis, fecibus, & aliis. Licet autem iſta univerſalia poſſent ſatisfacere, tamen in particularibus verſari volo; concocta materia, venter evacuandus pharmaco ſibi proportionato, namque phlegma educentia ſunt *agaricus*, *turbith*, *colocynthis*, & *euphorbium*. Quod ſi eſt animus utendi fortioribus, exiſtente virtute forti, morbo magno, & multitudine phlegmatis, talis erit modus. *Accipio euphorbii quantitatem quam volo*, & *lenio ipſum oleo amygdalino dulci*, & *revolvo in paſta*, & *in elibano decoquo*, *de quo poſtea accipio gr. vi. aut vii. uſque ad x. cum pillularum aloephanginarum drach. i.* & *mire educit*. Si volo uti *turbith*, & fortius evacuare, *infundo ipſum in ſucco cucumeris aſinini per aliquot dies*, *deinde lavo cum vino albo*, & *in pulverem do utrumque ad grana xii.* & *robuſtioribus uſque ad ſcrup. i. cum drach. i. aloephanginarum*; ſimiliter ſi adhibere *colocynthidem* mihi præparo: hoc modo volo, *accipio trochiſcorum aloes*, *colocynthidis præparatæ drach. i. aut drach. ſſ. hieræ ſimp. drach. ii. miſce*, & *da*. Habes *radices eſulæ*, quam puto à Dioſcoride *cypariſſum* vocari, exhibere potes hanc *uſque ad drach. i. cum maſtiche*, & *roſis*. Sunt etiam *florum tithymalorum radices*, quæ hoc modo poſſunt præparari. Sed quo potiſſimum utor eſt hic. *Accipio herbam*, *quam ſeſamoides Dioſcorides appellat*, *in pulverem redigo*, *mixa cydoniorum ſpargo*, *cumque decocto*, & *cum aceto*, *quo uſque aceſcat exſiccari permitto*, *poſtea hujuſmodi pulveris drach. ſſ. exhibeo*, *uſque ad ſcrup. ii. cum cinnamomi ſcrup. i.* adhibet autem *diacarthamum*, ſive *diacymimum* Galenus tertio de tuenda ſanitate, ſed leve eſt. Quæ autem commode poſſunt adminiſtrari ſunt plurima vulgata, ut *cochiæ Rhaſis pilulæ paratæ* à Galeno *tertio miamir*, & *quinto Therapeutices*. Sunt enim & electuaria hic conferentia, ut *electuarium Indum*, *de dactylis*. Prodeſt etiam *agaricus præparatus*, *pilulæ de agarico Meſuæ*, *de ſarcocolla*, *de hiera cum agarico*. Adde tu aloephanginas, quæ etiamſi phlegma educant, tamen aliquid choleræ etiam extrahunt, *hiera* tutiſſime, & *pillulis aloephanginis* in phlegmate utor.

Si autem flava bilis dominatur, quod cognoſces ex colore urinæ, & hujuſmodi, habes imprimis *ſcammoneum*, quod eſt egregium in bile educenda, quod optimum elige cum cydonio coctum, & hujuſmodi, ſed caveat medicus à ſcammoneatis, ac eorum uſu, niſi neceſſitas urgeat valde. Eſt & aloë, quæ eſt danda ad bonam quantitatem aut lota, aut non lota, ſecundum neceſſitatem ſubducendæ alvi, aut confortandi. Cæterum ſi materia eſt leviſſima, *ſyrup. roſatus ſolutivus*, & *violatus*, *pillulæ aureæ*, *aggregativæ*, *electuarium diaprunis ſolutivum*, *electuarium roſatum*, *de pſyllio conveniunt*: præſtantiſſimum eſt *reubarbarum* quocunque modo adminiſtratum, quod commiſcendum eſt ſicut *agaricus*. Inter ea autem, quæ ſolvunt melancholiam in hoc morbo eſt elleborus, qui non datur niſi concocta materia, & eligentur veri ellebori, & optime præparentur, niſi enim optime præparentur, maximam afferunt moleſtiam. Modus autem præparandi elleborum multiplex eſt, in primis *decoquo radicem ellebori cum ſeminibus odoratis*, ut conſuevit Hippoc. & addo *modicum mellis roſati*, & *ſcammonei*, verbi gratia. Recipe *ellebori drach. ij. ſſ. ſeminum aniſorum*, *fœniculi*, *carvi ana unc. ſſ. aquæ q. ſ. bulliant ad tertias*, *deinde adde mellis roſati unc. ſſ. ſcamm. nei præparati gr. iij. vel iiij*, & exhibe, ſi & præparetur cum cydoniis, erit optimum *ut detur cum iis tribus granis ſcammonei*, hoc modo. Recipe *poma cydoniorum bene matura optime*, *fiat concavitas in ipſis pomis*, *quæ impleatur corticibus radicum ellebori*, & *involuta in paſta*, *infurno decoquantur*, *exſiccenturve*, deinde. Recipe *prædicti pulveris drach. i. aut drach. i. ſſ. ſcammonei præparati gran. iij* & ſi vis *cum modico cinnamomi* exhibe, hic enim modus educendi melancholiam potiſſimus eſt apud me, eſt autem *epithymum* præſtantiſſimum, ſi detur *decoctum ejus ad unc. ij.* ſemper addendo *grana ſcammonei*. Confert & *polypodium* eodem modo paratum, eſt & *lapis armenus*, & *lapis lazuli*, quamvis Alexander in capite de melancholia præſtantiſſimos vocat iſtos lapides (cui conſentiunt omnes Arabes) tamen quia difficile eſt habere hos, aut ſaltem optimos, ideo non utor ego lapidibus his libenter, nec *pillulis lazulis*. *Confectio* pariter *hamech*, licet ſit violenta, tamen præſtantiſſima eſt, ubi fuerint affectiones cutaneæ, ulcera corroſiva, & puſtulæ; ſunt aliqui qui ſubtrahunt *ſcammoneum*, mitiorem credentes eam reddere, profecto temerarii, & imperiti, neſcientes conſtare pharmaca in quadam certa proportione, quam ſi immutant, corrumpunt operationem pharmaci. Leviora electuaria ſunt *lenitivum*, *diacatholicon*, *pillulæ item de fumo terræ*, & *Indæ*: violentæ autem ſunt *cochiæ miſtæ cum elleboro ad quantitatem drach. i. accipio enim partes duas cochiarum*, & *unam ellebori*, iſtæ enim pillulæ ſunt valentes apud me, ſi juxta etiam accipiantur *duæ partes ſpecierum hieræ*, ut puta. Recipe *ſpecierum hieræ drach. ij. ellebori drach. i. ſcammonei præparati ſcrup. i.* & *facio pillulas*, & *doſis conſtituitur ana drach. i. uſque ad ſcrup. iiij.* Hic itaque modus eſt evacuandi, quo ego frequenter utor, & cum debito victu in principio morbi Gallici multos ſane liberavi, ita ut ulterius non laborarint. Adhibeo autem phlebotomiam, & *decoctionem fumi terræ cum epithymo*. Sed ne juniores errent, ponemus formulam unam harum decoctionum, ubi cum aduſtione fuerit multitudo choleræ, & phlegmatis, ita enim facio. Recipe *foliorum ſonchi*, *endiviæ ana drach. ij. vel iij. ſeminum aniſorum*, *fœniculi ana drach. ſſ. cum aquafiat decoctio*, *cujus decoctionis dentur unc. vj. vel viij. vel viii. cum mellis roſati unc. ſſ.* Ubi autem ſunt diverſi humores

pec-

peccantes, ſecundum illorum diverſitatem elige ſimplicia, & quia ut plurimum in hepate viget ſuperfluus calor, ideo recte *hordeum verbi gratia ad unc. ij. decoquetur cum ſyrupo, aut ſeminibus frigidis diureticis, ut melonum, & hujuſmodi*, aut cum herbis jam enarratis. Ad leniendum ſunt, qui ponunt *paſſulas, & pruna*, leniunt autem *pruna* magis, *paſſulæ* magis conſtringunt, & corroborant hepar, quantitas horum ſit uti libet medico, ut verbi gratia *ad v. aut vj. pruna & ad unc. i. paſſularum*. Præterea his decoctis addunt quosdam *flores dictos cordiales*, & profecto ſunt nullius uſus, evaneſcit enim illorum virtus, *ut bugloſſæ, borraginis, violarum*. Nam ſi aſpiciamus antiquiores, non colligunt flores, niſi cum conveniunt ad ſemen, ut dicit Dioſcorides capite de chamædry. Sed ſi volo aliquid miſcere, quod cordi proſit, libenter admiſceo *ſcordium ad quantitatem drach. i. vel ii.* ſed ſi timeo *ſcordii* caliditatem, amaritudinemque, addo *borraginem*, quæ ſanguini puritatem reddit, aut *bugloſſam*, & ita facta decoctione, *exhibeo ad unc. vj. vel vij. cum proportionatis ſyrupis, ut bugloſſæ, mellis roſati*. In melancholia, & phlegmate, & ita in aliis, & ſi eſſet aliquod ſymptoma vehemens eo tempore, quo materiam digero, ad ipſum etiam reſpicio, inſpiciendo locum ſymptomatis, & cauſas, & ſi eſſet fortis dolor articulorum, facio decoctum cum reſpicientibus hoc, ut *cum herba hypericone*, ſi capitis dolor, *cum betonica*, ſi cutis infectio, & ulcerum corroſio, cum *herba fumi terræ, & ſyrupo*. Sed quia plerumque evenit, ut interna pars oris inflammetur, & rodatur, ſimul commiſceo aliqua ſtiptica, & infrigidantia, ſed in pauca quantitate, ut *plantaginem, ſolanum*, & hujuſmodi, ſed hoc exiſtente ſymptomate libenter commiſceo *pentaphyllon*, quæ omnia fuſius tractabuntur in cura ſymptomatum. Sed nota, quod non eſt ſtatim veniendum ad fortes decoctiones, ſed poſt leviores; aliquando in robuſtis corporibus, ubi materia phlegmatica, & rebellis pituitoſa eſt, ad *radicem bryoniæ* devenio, *ſumendo drach. ij.* eſt enim fortis radix, addo *ſcrup. i. ſcammonei*, & infundo in vino odorato per diem & noctem, eodem modo *radices ellebori* præparatæ valent. Sunt plane iſtæ valentes medicinæ, nonniſi valentibus corporibus, maxime urgente morbo, & aliqualiter materia concocta, ſunt dandæ. Commiſceo & *radices enulæ* cum his digeſtivis, ubi fuerit multum phlegmatis, & digeſtio plurima præceſſerit, at ubi adſunt fortiſſimi dolores, commiſceo aliquid *centaurii*, ſed in pauca quantitate, & cum magna animadverſione, puta *drach. i. uſque ad ſcrup. iij. aſcendendo in decoctione*. Et niſi quis ſit valde paratus ad vomitum, libere commiſceo *althææ*, quæ lenit quamcunque aſperitatem, & præcipue cum quis renibus, aut veſica laboraverit, & ſi in faucibus aſperitas, aut accidens aliquod eſſet, *liquiritiam* miſcerem. Ubi materia eſſet valde frigida, adderem aliquid *calami aromatici*, aliquando & *ſalviæ, & ſatureiæ*, & decoctum facerem, & exhiberem. Conſideramus autem corporis habitudinem, locum, tempus, ne faciamus Gallicoſos in febrem incidere. His igitur materia dum apparet concocta, eſt evacuanda ſecundum menſuram diverſitatis materiæ, virtutis, ætatis & aliorum. Sed ſi inſtat humor evacuandus phlegmaticus, non eſt admiſcendum in principio aliquod eductivum aduſtionis, ſed accipienda erunt evacuantia phlegma, deinde melancholiam, hoc modo, Recipe *pillularum cochiarum ſcrup. ij. ellebori præparati ſcrup. i.* Et ita in electuariis, ſumendo *electuarium de dactylis ad tres partes cum una parte Indi, aut hamech*. Sunt ejus rationis, & pillulæ, ut accipiatur *agaricus ad ſcrup. iij. & quarta pars pillularum de fumo terræ*, & melior fit proportio medicinarum ſolventium ſecundum proportionem humorum peccantium, commiſtionem eorum facile notabit diligens medicus. Illis ita peractis, deveniendum eſt ad corporis alterationem, & ad mali affectus impreſſi remotionem.

Curatio cum ſit malæ qualitatis remotio, non video quomodo per inunctionem mercurii, additis & aliis mineralibus, fieri poſſit, cum potius ex iis mala qualitas ſi non ſit, inducatur, aut ſæpius augeatur. Hæc inunctio propter duo inventa eſt. primo propter materiæ evacuationem, ſecundo propter quorundam accidentium correctionem, quæ ſequuntur evacuationem materiæ, evacuatur materia ita, quia compingitur ad os, & extruditur ab argento vivo, & aliis metallis. expuitur autem cum oris eroſione propter materias acutas. Unde qui non patiuntur hujuſmodi eroſiones, non ſanantur, verum non ſolum ex compingentibus materiam conſtat inunctio, ſed etiam ex reſolutivis, lenitivis, emollientibus, & dolorem lenientibus. Metallica præcipue ſunt *argentum vivum*. Sunt qui *atramentum ſutorium, ſive vitriolum* commiſcent, & plurima alia uſque ad *arſenicum*. Reſolventia alia plurima ſunt, ut *oleum de junipero, de coſto, de nardo, oleum philoſophorum, maſtichinum*: lenientia & dolorem mitigantia ſunt, ut *pinguedo anſerum, anatis, canis, & aliorum*, de quibus dicemus. Sed ad metallica omnia revertamur, ut argentum vivum, quod in nobis inducit malam qualitatem, & metallica ea omnia, ex quibus ſcilicet fit inunctio, quæ corrigi optime deberent. Hoc idem de ſuffumigiis, quæ fiunt ex eiſdem materiebus dicendum, materia enim quamvis expurgatur, remanet tamen mala qualitas in membris, quæ materiam congregat, & facile recidivam facit: ſuffumigia autem fortaſſe plus lædunt, quam inunctiones, purgatio corporis & phlebotomia materiam à corpore educit, quæ eductio materiei, etſi non ſit nocua, tamen ſola non ſufficit, eo quod remanet mala qualitas, quæ accidentia pejora prioribus operatur, & per evacuationem non tollitur, id eſt, nec per pharmacum nec per phlebotomiam, niti pharmaco vehementiſſimo, ex quo membra afficiuntur, unde alteratione poſtea indigent, nec etiam facta evacuatione poteſt mala qualitas ſuperari, niſi modicus ſit affectus, ut in tertiana pura, ſed cum magni ſint affectus, ſicut præſens, non poteſt. Sunt præterea hæc ipſa ſymptomata adeo magna, ut nullis auxiliis queant ſuperari, ut cancer, & elephantiaſis. At in principio plurimos ſolis purgationibus cum bono victu convaluiſſe vidi, non confido tamen in proceſſu, niſi & malignitati obſiſtam cum his, ex quibus hunc morbum poſſe leniri arbitror. Si quis autem ſolis purgationibus curam ſibi ſpondeat, ſic faciat, in primis phlebotomiam inſtituat, ſi opus erit, ſecando baſilicam, niſi aliquid obſtet, deinde digerat, & evacuet materiam diligentiſſime bis in anno, vere ſcilicet & autumno, frequentiſſime autem poſt has purgationes utatur iis, quæ malum affectum hepatis tollunt, ut *theriaca, & mithridatio*, & aliis deſcriptis in ſecundo de antidotis Galen. & Athanaſii, & hujuſmodi, de quibus inferius. Sed quo ſemper feliciſſime ſum uſus, eſt *ſcordeum cum ſaccharo roſato*, aut alio modo, ut ſi ex decocto ipſius fieret ſyrupus, aut ex ſucco in ſole denſato fierent pillulæ. Eſt optimum *pentaphyllon, & tormentilla, radices ariſtolochiæ rotundæ, marrubium, & hujuſmodi*. Sed quia hæc calida ſunt, ideo ne augeatur aduſtio humorum, utor his caute, potius tamen eligenda eſſent, quæ reſiſtunt malignitati, & frigida ſunt, quorum longus eſt catalogus (niſi ſi quid craſſorum humorum remanſerit, quod obſtructionem operetur) ut eſſet *camphora, ſyrupus de acetoſitate citri, de ſucco acetoſæ, de berberis*, & hujuſmodi. Sed ego *ſyrupo de ſoncho, & endivia* utor, hæc enim duo hepar refrigerant, malam qualitatem tollunt, & nullam obſtructionem cauſant, & hæc accipiantur aut in ferculis, aut decocta, aut pulverizata, aut ſucci, ut condenſati in catapotiis cum *aloe* darentur: caveant acria in victu, viſcoſa, frigidaque cibaria, vina potentia, aromaticum quodcunque, utantur victu attenuante primi gradus, ut in loco de attenuante victu dictum eſt, vitent omnia, quæ facere poſſent malignitatem & debilitatem corporis, & plurimum alterantibus inſiſtant, & malignitati humorum reſiſtentibus. Notet medicus, ut ſciat prognoſticari, hanc curam plurimum temporis expoſtulare, difficile enim eſt magnos morbos hujuſmodi auxiliis curare cito. Unde Gal. 4. Therap. Difficile eſt, inquit, cito & tuto curare. Sed nullus putet, morbum hunc ſolis purgationibus poſſe curari.

Si autem ſuffumigiis curam tentare vellet quis, quamvis deteſtanda & periculoſa ſint, ita tamen poſſet fieri, facta phlebotomia, & pharmaco, prout corpus exigit, & inſtituto moderato victu, eligi debent metalla, quibus fiant ſuffumigia, per quæ fit evacuatio materiæ, quæ compingendo, & conſtringendo tranſmiſſa ad os exſpuitur. Compingitur autem materia cum iis metallis, & maxime cum *argento vivo*, ego tamen magis utor *cinnabari*, quam *ſublimato*. Mirum eſt de iis, qui utuntur *atramento, arſenico rubro & albo*, quæ mere venena ſunt, & omnino omittenda. *Accipiatur igitur certa quantitas cinnabaris puta unc. i. deinde rectificetur, addendo ſulphuris citrini drach. ii* ego libenter adhibeo *belzoinum*, addo & *cinnamomum, caryophyllos, roſas ad certam quantitatem, puta drach. i. uniuſcujuſque, & cum oleis odoratis facio globulos, aut ſuffumigia*, poſtea mane, aut veſpere jejuno corpore ægrum ſuffumigo, ita pannis coopertum, ut fumum ſuffumigii recipiat. Stet autem ibi per dimidium horæ, aut per tres, aut per quatuor horas, deinde lectum ingrediatur, ut quærat ſudare, & dormiat, poſtea deterſus, & mundatus edat, & quieſcat. Sed quia hæc ſuffumigia nocent, æger aliquid in ore teneat, ut *ſyrupum roſatum*, ſubinde exſpuendo, & accipiendo ſuffumigium ſemel tantum in die ſuffumigetur, debiliora tamen corpora hoc minime ferunt. Aliqui ſuffumigium ſeptimo & octavo die ferunt. Notandum quoque quod his oris corroſio, ulceraque ab exſpuitione ita eveniunt, ut humores corruptos mordicantes exſpuant, quæ exſpuitio minime cohibenda eſt, intermiſſis aliquando ſuffumigiis per diem, poterimus *pillulis cochiis* corpus purgare, aut *de hiera cum agarico*, aut *de hiera ſola*, prout exigit ægri virtus, & diſpoſitio, ſic enim cavebimus periculum epilepſiæ, apoplexiæ, ſyncopis, & hujuſmodi, quæ ex ſuffumigiis facile fiunt; quæratur ſingulis diebus collutio dentium, & oris *ex decoctione roſarum*,

*rum, myrtillorum, fumach, balauſtiarum, modici alumnis, & id generis in vino ſtiptico; aut ex cornu cervi combuſto & melle dentes liniat.* Sed cave, ne vi medicaminum incurrat febrem aut pleureſim. Advertas, quod autumno, & vere minuenda eſt materia per phlebotomiam, & pharmacum congruum, & debitus victus eſt ſervandus, maxime à vino eſt abſtinendum, intentio autem curandi hujuſmodi morbum per inunctiones, & linimenta, eſt eadem cum ea, quæ per ſuffumigia. Primo tamen facienda eſt evacuatio per ſuffumigium, quæ fit per repercuſſionem, ita ut compingatur materia per exſpuitionem, vel per ſeceſſum. Unde aliquando ſuperfluus ventris fluxus accidit, & dyſenteria. Sed utplurimum per ſputum fit, ad quod faciendum nihil eſt argento vivo præſtantius, & quia quandam habet malignitatem, inſurgit intentio ut corrigatur, & quia aliquando etiam ſunt ſæva accidentia, tollere hæc oportet, ut duritiem emollire, ulcera exſiccare, cruſtas removere. Sed prius ad percutientia veniendum, corrigunt aliqui *mercurium cum omphacio*, alii *cum ſucco limonum*, alii *cum camphora*, alii *cum theriaca*, ſed nihil melius invenio quam *pinguedines anatis, canis, lupi*, & *olea calida*, quæ tria ſunt præſtantiſſima, *maſtichinum, nardinum*, & *de junipero*, & fortaſſe nihil melius iis corriget, quia argentum vivum eſt frigidiſſimum, & humidiſſimum, eſt craſſarum forte partium, unde & membris nocet, & nervis, & aliquando paralyſim inducit. Hæc autem cum ſint ſubtilium partium & calida, è regione adverſantur mercurii qualitatibus. Accidentia autem ita corriguntur, ſi enim ſint duritiæ, quæ vulgo gomæ dicuntur, egemus mollientibus, quorum leviores ſunt *radices enulæ, ſmyrnii, liliorum alborum*, minus levia *radices ariſtolochiæ, ireos, ſerpentariæ, utriuſque bryoniæ, caulorum, cyclaminis, vitis nigræ, quam appellant ſamiam uvam, cucumeris aſinini.* Eligantur autem hæ medicinæ ſecundum quantitatem morbi, virtutis, ætatis, & id generis. Modus eſt, ut extracta parte intrinſeca decoquantur in tanta olei quantitate, ut cum apparuerint coctæ, ſit conſumptum oleum, deinde aliis miſceantur, ut poſterius dicetur, emolliunt enim hæc, & abſtergunt ulcera, & malignitati mercurii adverſantur. Sunt & gummi, ſeu lachrymæ, ut *maſtiche, terebinthina, thus, lachryma abietina, quam oleum dicunt abietis, reſina pini*, & *olea tria, ut irinum, ſeſaminum, liliorum alborum, roſaceum* autem raro accipimus, aut nunquam, hæc enim doloribus ſuccurrunt. Eſt & *oleum de cucumere aſinino*, ſed potiſſimæ ſunt *radices althææ, oleum de lumbricis*, quod ita deſcribitur. Recipe *lumbricorum terreſtrium lib. i. laventur cum vino optimo albo bis, aut ter*, & *in vino per horas duodecim infundantur*, deinde Recipe *olei ſatibi l. i. olei optimi l. iiij. vini odorati l. i. ſ.* & ſi magis mitigativum volueris. *Fœni Græci, ſeminum lini contuſi ana unc. ij. decoquantur in duplici vaſe ad conſumptionem vini*, & *colentur omnia*, & *ſervetur hoc oleum*, eſt enim præſtantiſſimum. Si autem fuerint ulcera, addemus metallica, inter quæ *lithargyrium*, & *ſulphur* laudo, niſi maxime corporis exſiccatio timeatur. Utor etiam oleo de ſulphure, ubi habet fortiſſima corpora, & materiam frigidam, & craſſam, & in tempore frigidiore utor *oleo de terebinthina*, exſiccat enim, emollit, & reſolvit, & confortat, æger autem ſi poſſet maximo ſumptu medicinas ſibi comparare, hæc eſſet optima, ut ſi *diſtillando fieret oleum maſtichis*, vel *ex terebinthina*, aut *pice liquida.* Cætera autem, quæ ſolent miſceri ab aliis his inunctionibus, ut *theriaca*, & *mithridatium*, facile evaneſcunt, nec *ſcammoneum* eſt admiſcendum, quia plerumque inducit ad dyſenteriam, & mortem, formula autem inunctionum talis eſt, Recipe *argenti vivi optimi unc. vj. olei de junipero, pinguedinis anatis ana unc. iiij. olei de maſtiche unc. ij. agitentur forti agitatione, quo uſque non appareat argentum vivum.* Recipe *radices liliorum alborum, ariſtolochiæ, ſerpentariæ ana unc. ii. ſſ. olei maſtichini, irini ana unc. ii. lithargyrii unc. i. ſſ. miſturæ prioris unc. v. miſce & fiat unguentum.* Utor ego unguento hoc, ut inferius dicemus, alia formula. Recipe *pinguedinis porci unc. xij. argenti vivi unc. vj. miſce, & fiat, ut prius.* Sunt qui *hominis pinguedinem* in his unguentis adhibent, ſed modicam differentiam video inter eam, & *porcinam*, nec memini me vidiſſe apud aliquem authorem aut antiquum, aut modernum, qui hanc magni faciat. *Viperæ pinguedo*, & *canis* eſt optima, ſi ita paretur. *capiatur canis pinguis, extractis omnibus viſceribus, venter ſeminibus lini, fœnugræci, radicis althææ perforato dorſo impleatur*, & *in furno imponatur, colligaturque pinguedo*, quæ ad alia etiam valet, præparata inunctione talis erit utendi modus. Prius corpus ſit mundum per phlebotomiam, & pharmacum, poſtea mane expurgatis fæcibus, nudetur corpus prope ignem, & inungatur, primo incipiendo à pedibus calefactis, & manibus fricando inunctione uſque ad genu, & à genu uſque ad coxam, & à junctura coxæ uſque ad ſuram, cavebimus inguina, ventrem, ſpinam dorſi, & totum os ſacrum. A Sunt enim loca nobilia, in quibus reſident membra interna, & ubi eſt principium membrorum, quæ ſunt principalia motus, quæ afficerentur à frigiditate, & malitia argenti vivi. Poſtea incipiamus ab altera manu fricando, & inungendo totum brachium uſque ad humerum, vitanda ſunt ea, quæ ſunt ſub axillis, pariter dorſum, & pectus, deinde faſciis, & pannis hæc membra ligentur, maxime cum lino, aut cannabe, poſt in lecto poſito ægro, evocandus eſt ſudor, ſaltem artificialiter, ut *cum decocto uniſorum, fxniculi*, & *ſimilium*, & inter ſudandum non detur cibus, ſed abſterſo ſudore ſunt modeſte cibandi, ſemel tantum in die inungantur ea membra, quæ dicta ſunt. Si corpus repletum videtur, intermiſſa inunctione per diem dabis levem medicinam. ut *ſyrupum violatum ſolutivum, caſſiam*, & *ſimilia*, & hoc quo uſque oris exulceratio appareat, & ſi os exulceratur, ſtipticis non debet exſpuitio ſupprimi, & ſic modus curandi per inunctionem, ſi diligenter fiet, optime ſuccedet.

Quatuor jam modos poſuimus curandi iſtam affectionem Gallicam cum pharmaco, phlebotomia, cum ſuffumigiis, cum inunctionibus Sequitur quintus, qui eſt cum decocto ligni Indi, quod his, in quibus ulcera apparuerint, tuto dabitur. Corpora vero non tolerantia decoctum hoc ſunt febricantia extenuata, in quibus non apparuerunt ulcera. In aſſumptione pro iis, quibus exhibendum eſt, advertendum, ut ſi prima aſſumptio non juvat, ſumatur ſecunda, & tertia, & quarta, quo uſque juvet, ſed, ante quam ſumatur, fiat diligens corporis mundificatio cum phlebotomia, & pharmaco, prout res exiget, deinde eligatur optimum lignum, & optime præparetur. Creditum eſt à pleriſque lignum hoc eſſe hebenum, & ſane plurimæ B conditiones hebeno attributæ, in hanc ſententiam eos deduxere, bonus odor ſcilicet, & pondus, eligatur autem hoc lignum non antiquum, quia vires perdidit, non tenue, non ſuperflue craſſum, ſed mediocriter, ponderoſum admodum, rugoſo cortice non corrupto, maxime pars intrinſeca nigra ſit, & minime alba, etiam unctuoſum ſit naturaliter, non artificialiter, ſit tale, ut ex guſtu, dum eſt redactum in fruſtula, percipiatur amaritudo, & ex odoratu, odor delectabilis. Modus decoquendi eſt C multiplex, quidam *cum vino* decoquunt, quidam *cum aquis ivæ, betonicæ*, & ſimilibus, quidam *cum aquis, additis cinnamomo, myrobalanis Indis, citrinis & hujuſmodi*, ſed nullus iſtorum mihi placet, ſed ſola aqua lignum decoquo, & id hac ratione, quia cum aqua ſit materia omnium medicinarum, facile virtutem ligni recipit, eſt enim in potentia, reliqua autem cum ſint miſta, non facile ſuſcipiunt virtutem, dicebat enim Galenus *primo catagenæ à principio*, & *ſecundo reg. acutorum x.* Sæpe ſimplicis medicinæ à tota ſubſtantia operatio per aliquod miſtum corrumpitur. Idem habetur etiam *primo de ſimplic. med. ſecundo*, ſic igitur lignum præparetur ſectis interioribus partibus optima aqua electa. Recipe *aquæ l. x. ligni minutim inciſi l. i. aliquando accipiuntur aquæ l. xii. Infunde per horas xv. poſt infuſionem decoctio facienda eſt in vaſe puriſſimo terreo, lapideove, non metallico, lento igne, ſi emittat ſpumam, removeatur paulatim*, & *ſervetur, valet enim in ulceribus exſiccandis, decoquatur uſque ad medietatem, non ulterius, quia amarior fit, deinde coletur*, & *ſervetur aqua in vitreis vaſis anguſti oris, aſtrictis, ne virtus aquæ diſſolvatur.* Facta ea colatione, *lignum illud iterum infundat in xiii. aut xiiij. l. aquæ*, D & *ibi ſtet per ſeptem, aut octo horas*, & *decoquatur ad tertiam, deinde coletur*, & *ſervetur*, non amplius autem debet coqui lignum illud, niſi forte pro lotura pedum.

Exhibitionis autem modus talis eſt, primo eligatur cubile ad orientem vergens in ſuperiori parte domus, clauſis feneſtris, & oſtio, ne aër frigidus ingrediatur, non tamen lumen omnino prohibeatur, aër enim frigidus poros conſtipat, evacuationemque prohibet, calido autem per ſudorem, & inſenſibilem evacuationem, multæ materiæ diffluntur. Prohibeantur, quæcunque aërem impuriorem, male olentem reddunt. Autumno aut vere commode adminiſtratur, hyeme autem non niſi difficulter, oportet enim ſibi parare cubile calidum, à quo nunquam recedat. Æſtas autem moleſta eſt, diffluntur enim tunc corpora, & relaxatur virtus. Sed ſi medicus prudens eſt, & æger validus, optimum tempus eſt æſtas, facile enim cauſantur ſudores, ſuperfluitates facile reſolvuntur. Symptomata gravia tolluntur, nullus eſt, qui hoc tempore non liberetur, ſi victum poteſt ſufferre. In primis ægri hoc E tempore in cubili non ſuperflue calido committendi ſunt, cibaria, nec in ampliori copia, nec ita omnino ſicca adminiſtranda ſunt, nec ita ciendus eſt ſudor, ut in aliis temporibus, ſponte enim, & facile exit. Unde ſi quis magis vellet ſudorem elicere, facile diſſolveret ægrum. Parato ægro cubili, cibaria tendant ad aliquam ſiccitatem, ideo panis ſit biſcoctus, fermentatus, & ſalitus, nec ego conficio panem ſeminibus, aut cum ſaccharo, niſi forte ad delicias ægrotantium. Inter bibendum autem aquam

ple-

Plenior ſit victus in principio, deinde tanto ſubtilior, quanto magis ſtatui appropinquamus, & pro quantitate virtutis damus interdum paſſulas, & piſtachia, qui duo fructus jecori proſunt, quantitas panis mediocris eſt ad *unc. ii. ſſ. uſque ad iii. minima ii. paſſularum ad unc. ſs.* vel paulo plus, ita & piſtachiorum. Carnes ſecundum virtutis quantitatem, & opportunitatem: bis in die cibetur, & 4. aut 5. horis poſt ſyrupum ex aqua, potus autem non ſit aliud præter eam aquam ad libitum. Suſpectæ ſunt amygdalæ, olivæ tamen poſſent dari, ubi corpus eſſet ſuperflue humidum. Vinum omnino negandum, faciat exercitium in cubili deambulando, & ſi non poteſt, fiant frictiones, poſt aſſumptam aquam, & ſudores provocentur, ſtet lætus, in bona ſpe, fugiat triſtantia, virtutemque diſſolventia, adhibeat quaſcunque evacuationis ſpecies, & ſi aliquando non obediunt, modo aſſumat *unc. ſ. caſſiæ* (purgandum enim eſt corpus octavo aut decimo quoque die) modo *pillulas cochias*, modo alias, prout res exigit: in die purgationis abſtineat mane à ſyrupo, bene cooperiatur, dormiat, ſudoremque quærat poſt quatuor, vel quinque horas. Sudor detergatur, deinde aſſumpto cibo quieſcat ſaltem per quinque, aut ſex horas, & iterum ingrediatur lectum calidum, eandem quantitatem aquæ, ut prius, bibens, quieſcens, & comedens. Continuetur autem talis potus per dies 24. ſaltem, in tot enim diebus luna curſum unum cum dimidio peragit, in dimidio enim curſus hujus paratur corpus ad ſuſcipiendam impreſſionem, quæ reliquo dimidio perficitur. His peractis, ſenſim in naturalem conſuetudinem ad victum ſolitum paulatim revertatur. Abſtineat primo à vino, bibens per aliquot dies ſyrupum. Nec deſperet quis, ſi his peractis integre ſanus non videatur, cum poſt tempus aſſumptionis majores operationes decoctum hujus ligni Indi faciat. Sudor autem, ſi non adveniat, evocetur cum applicatione rerum calidarum, non autem potionum exhibitione, ne potus aquæ impediatur. Si *lignum Indum* non adeſt, accipiatur *lignum juniperi*, & eodem præciſe modo *bonum puto lignum ex fraxino meridionali, aut orientali.*

*Cura ſymptomatum morbi Gallici.*

Symptomata alia ad morbi curationem tolluntur, alia virtutem exſtinguentia, mortiſque periculum minantia ſunt, de quibus nobis agendum eſt, forſan & de his, quæ reddunt corpus deforme, ob cutis infectionem, & cicatrizationis deformitatem: ſed cum ſymptomata alia virtutem naturalem, alia animalem, alia vitalem labefactatam conſequantur, primo de naturali agemus, ut ſi quis non nutriatur bene, ita ut hoc eveniat, vel vitio ſtomachi vel jecoris, vel ſplenis. Modus autem curandi ſtomachum eſt, ut leviuſcule mundetur corpus. Deinde roboretur, verbi gratia, dando *ſyrupum de cichoreo, pillulas de hiera, maſtichinas, confectionem aromatici roſati, aut ſaccharum roſatum.* Confirmetur cum inunctione, ut *cum oleo de ſpica, maſtichino, de abſinthio*, bona ſemper cibaria exhibeantur, nunquam curam morbi tentes, ſtomacho male ſe habente, ſed prius vitium ſtomachi corrigatur, poterit & hoc fieri, ut ſi altera die aqua ligni, altera ſtomachum confirmantia propinentur: fortaſſis melius eſt aquam ligni exhibere, quam inungere, aut aliquid aliud operari. Quoniam ejus decoctum, ſtomachum roborat, redditque fortiorem ut puta abſtergentis aliquid habens, & partes ſubtiles, ſin autem in ſtomacho ſit ſuperflua caliditas, mitigetur cum levibus frigidis, ut *ſyrupo roſato, de endivia, aqua hordei:* ſi vero hepar imbecillum ſit per aliquem fluxum materiæ (ita tamen ut non immineat periculum hydropis) corroborandum eſt aliquantiſper ſtipticis, ut cum *ſyrupo de cichoreo*, mundato enim corpore ab oppilationibus, mala temperatura tolletur, pariter ſi caliditate affectum ſit, cum frigidis rectificetur, ut cum *ſyrupo de endivia*, ſi autem ex aquæ potione ſit aliquis magnus fluxus, confortantia hepar hoc modo fient. Recipe *cinnamomi unc. i. Cum ſaccharo fiat electuarium*, Doſis ejus ſit ſingulo mane *drach. i.* ſyrupus & iſte poteſt dari. Recipe *ſyrupi de ſoncho, ſyrupi roſati, ana unc. i. Sine aquis detur*, præterea pro tenuiori diæta inſtituatur plenior victus, non detur autem vinum, ſed quæ corroborent ſtomachum, ut *mel roſatum, ſyrupus roſatus, de cichoreo ſimplex, & compoſitus*, ſi autem fuerit maximum periculum ex debilitate corporis, tumore, & cæteris id generis, tunc cura eſt intermittenda, & corpus ad contrarium alterandum. Si vomitus ſuperfluat, tum relaxantibus, tum confirmantibus locus eſt fovendus, & *amygdalino*, ſed præcipuum putavi ſemper *roſatum completum, oleum ſabinum*, in quo aliquid aromatum decoquatur, ut *ſpica, cinnamomum*, ſyr. autem ſtipticus exhibeatur, ſi maxime ſuperfluat, ut *de mentha, vinum granatorum, agreſta*, ſi autem ita fluat, ut non contineatur cibus, facias cataplaſma ex rebus frigidis, ut *cydoniis, ex plantagine, maſticbe, & balauſtiis, hypociſtide, oleo cydoniorum, & farina hordei.* Et ſi materia mala à toto ad ſtomachum tranſmiſſa fuerit, non ſiſtatur vomitus, niſi in quantum impedit retentionem ciborum. Accidit autem ſæpenumero fluxus ventris innumeris. Et hoc, quia aut materia tranſmittitur ad ſtomachum, & inteſtina, aut quod pertranſeunt ad eas partes inunctiones factæ. Qui ſi materia à toto ad ſtomachum, & inteſtina deferatur, non ſiſtes fluxum, niſi fiat moleſta dyſenteria, ſed levibus remediis ſedando, corroborandus eſt ſtomachus, & inteſtina, nec ſuper ipſum ſtiptica imponantur, fierent ſæva accidentia. Prudenter ergo facito, faciendo inunctionem *cum oleo ſabino, in quo concoquantur herbæ, ut ruta, ſcordium, marathrum, pentaphyllon cum modico roſarum*, ſi autem fluxus ſuperveniat dyſentericus, munias inteſtina pinguedinibus, cavendo ſtiptica, quia plerumque defluit materia ducens ſecum, aut argentum vivum, aut aliud corroſionem faciens, & mala ulcera, & forte mortem, ſudor autem, ſi ſuperfluat, virtutem diſſolvat. Unde aliqualiter ſiſtendum, non tamen corpus ita diſcooperiatur, ut pori claudantur, & materiæ prohibeantur evacuari. Et ſi putrida febris ſuperveniat, tunc Gallici morbi cura dimittenda, & febri attendendum. Febres enim veniunt, quia non bene purgata ſunt corpora, vel inediis, vel purgationibus ubicunque virtutis defectus timendus non eſt. Præterea ſi rames ſit magna, caveat nimiam repletionem. Accedet & ulcus oris, plerumque tendens ad gulam, cum quo ſtrangulatio, & anhelitus difficultas conjungitur, maxime inunctionibus, cum non eſt purgatum corpus, aut quia materiæ calidæ, diſſolutæ orthopnœam, & aſthma inducunt, & quia multitudo materiæ non debito modo exſpuitur. collocetur ergo æger ut bene poſſit exſpuere materiam, ſi multitudo ſit materiei, quæratur exſpuitio multa, ſi in ſtomacho eſt, per vomitum educenda, aut per clyſterem, ſi in pectore, aut pulmone, lambitivis, & ſputum facilſtantibus, & partem mundificantibus, ut ſi *decoquerentur radices ſerpentariæ, & cum paſſulis fieret mixtura*, eodem modo, *& radices Enulæ, pectoralia decocta, ut folia, & ſemina urticæ decocta paranda*, injungatur victus tenuiſſimus, ſi autem vitio corporis, conſtante virtute, facta phlebotomia, purgetur *cum cochiis*, fiat diverſio cum ventoſis, & frictionibus, in cibariis, *piſana* eſt præſtantiſſima, aut ſola, aut, ſi res urgeat, *cum decocto fœniculi, & petroſelini.* Fiunt præterea tumores in gutture & collo, minantes ſuffocationem, quos devertendo, & evacuando curabis, interdum cum phlebotomia. Et ſi interdum ad ſaniem deducantur, aperiantur vel intus, vel extra. Gargariſmata conveniunt plura, ſunt in primis *loch, decoctiones liquiritiæ, & paſſularum.* Et ſi craſſior ſit materia, procedatur *cum caricarum inunctione, cum oleo amygdalino, ſeſamino, pinguedine gallinæ, & hujuſmodi relaxantibus.* Reſolventia ſunt *liliaceum, chamæmelinum, irinum*, indigebitis interdum emollientibus, & attenuantibus, ut eſt *radix althææ, malvæ, chamæmeli, iridis, farinæ hordei, fabarum, pinguedines, olea.* Si autem ſit tumor induratus, applicetur *diachylon cum amygdalino liliaceoque diſſolutum, vel oleum reſolutivum Galen. 14. Therapeuticæ, oleum de cucumere aſinino, diapyrites Gal. lib. catag.* Et eſt tale. Recipe *combuſtæ marcaſitæ unc. i. reſinæ pini, terebinthinæ ana q. ſ. cum oleo liliaceo. Fiat ceratum*, & durum non apponatur, quia dolorem & attractionem materiæ faceret; ideo melius eſt *diſſolutum cum irino, aut liliaceo*, cave apponere extrinſecus ſtiptica, aut frigida, aut repercutientia. Accidit & ſæpe ſpaſmus oriſque torturæ, ex inunctione. Quare nervoſæ partes inunguntur confortantibus, ut *irino, coſtino, nardino.* Et quia materiæ multitudo fluit ad os, & caput, tunc diverte, & evacua fortibus clyſteribus. Et ſi ferat virtus, & res urgeat, phlebotomia, aut utere medicina, poſtea conforta cum extrinſecus adhibitis, cum pharmacis adverſantibus, & cum *Mithridatio, & Theriaca*, præcipuum eſt *ſcordium cum roſaceo.* Accedit & tremor corporis, & niſi curetur, plerumque in paralyſin tranſit. Accidit & oris fætor, qui fit vel ſtomachi affecti vitio, vel humorum malitia, ad ipſum fluentium, & cura evacuando & confortando ſtomachum maxime *cum Hiera pillulis aloëphangini, maſtichinis*, vel ratione catarrhi à capite ad ſtomachum fluentis. Quare primo caput, deinde ſtomachus curetur, ratione infectionis dentium propter malam complexionem corporis, acquiſitam vitio medicamenti, tunc etiam curetur caput primo. deinde dentes mundentur, reſpiciendo ſemper ad affectionem Gallicam malignam. Hæc ſunt communiora accidentia, ſunt & alia accidentia, non negligenda, ut dolores articulorum, tumores, ulcera, oſſium corroſiones, ſerpigines, cruſtæ præcipue in vola manus, puſtulæ, cutaneæ infectiones, cicatrices, & veſtigia ulcerum, quæ faciunt inunctiones. Cura doloris articulorum duplex eſt, una reſpiciendo morbum morbi, id eſt cauſam, ideo tunc cum evacuationibus per pharmaca, & per phlebotomiam interdum cum diverſionibus procedemus, & in evacuando materiam erimus audaciores, reſpicientes membra dolentia

raro autem virtute forti, & dolore vehementi exiſtente præ- A termittitur *colocynthidis*, *id eſt*, *trochiſci de Alhandal.* In digerendo etiam digerentia fortia damus, victus tenuior convenit doloribus vigentibus, ſi autem fiant inunctiones, ſemper addendæ ſunt, quæ articulos reſpiciunt, *pinguedines*, *olea*, *ut maſtichinum*, *irinum*, ſunt convenientiſſimæ *decoctiones ivæ*, *hyperici*, præſtantiſſima ſunt ad tollendos dolores, *euphorbium aut elleborum.* Si vero reſpiciamus ad loca doloris, anodynis quandoque utimur, quandoque cogimur ad narcotica venire, ſed facta aliquali corporis mundificatione, aut per pharmacum aut per phlebotomiam, anodyna autem ſunt ut *chamæmelinum*, *anethinum*, *amygdalinum lac cum panis medulla*, *vitellis ovi*, *cum roſato.* Eſt præſtantiſſimum apud me, ſi foveatur locus *cum oleo roſato completo ſolo*, aut *cum oleo de ſemini lini. Si decoquatur ſemen lini*, *& fœnugræci in ſabino*, *& hoc modo foveatur locus*, aut ſi *decoquatur in ſabino ſola radix althææ*, *poſt addatur ſexta pars adipis gallinæ*, *aut anatis*, *vel canis præparati*, *ut dictum eſt*, *cum quarta parte roſacei*, *aut modico ceræ citrinæ.* Præterea decoctiones factæ ex reſolventibus, & *chamæmelo*, *anetho aut rapo decocto in oleo ſabino*, B *aut condito cum melle*, *vino dulci & farina hordei*, præſtantiſſima ſunt omnia, quibus foveatur locus, hoc modo. Recipe *olei ſabini lib. i. ff. vini lib. ij. vermium terreſtrium cum vino præparatorum unc. iij. abſinthii*, *chamæmeli*, *meliloti ana man. i. radicum althææ*, *malvæ*, *branchæ urſinæ ana unc ij.*

*Decoquantur omnia ſimul ſecundum artem uſque ad conſumptionem vini*, nec tranſeas ad narcotica, niſi res urgeat, & primo ad moderata. Quæ ſi non ſufficiant, tentabis fortiora moderata, ſicut *oleum violatum*, *nenupharinum cum vitello ovi*, *ſuccus plantaginis*, *ſolani*, *nenuphatis*, *ſolani*, *quod bella donna vulgo dicitur*, *& cum farina hordei fiat emplaſtrum.* Compoſita moderata eſſent hæc, *unguentum roſatum Meſuæ*, *infrigidans Galeni*, *populeon*, & ſi conjungeretur *aliquid opii*, eſſet potiſſimum, *cerata facta ex oleo violato*, *roſaceo*, *lactucæ*, *ſyrup. violatus*, potiſſimum omnium eſt *Philonium*, & ſecuriſſimum eſt, ſi in ſuo tempore detur per os, re urgente. Alii *in clyſteribus imponunt ipſum mixtum cum oleo nardino*, *coſtino*, *opio* caveas uti, niſi neceſſitas urgeat, præſertim in membris nobilibus, do- C lores ſedantur ut plurimum per phlebotomiam, niſi quid repugnet, aut per pharmacum, præſt antiſſimum autem omnium eſt uti victu tenui, & à vino penitus abſtinere. Quandoque tumores in articulis, & brachiis, quandoque in capite, in fronte maxime, & alii duri, alii molles apparent, & facile tolluntur aqua calida ligni, maxime ſi liniantur *cum ſpuma ligni*, *aut lineo panno*, *aut cannabino in aqua ligni calida madefacto.* Caveat omnino inungere caput cum *argento vivo*, ſi autem duri tumores fuerint, & contumaces, primo tentetur eorum reſolutio cum *oleo chamæmelino*, *irino*, *maſtichino*, *liliaceo*, *adipe anatis*, *canis cum emplaſtro diachylon.* Sunt etiam emplaſtra à Galeno deſcripta, ut *diapyrites*, *quod eſt Apoſtoliçon Nicolai*, *emplaſtrum de betonica vulgatum*, ſi non poterunt hæc tumorem diſſolvere, chirurgia utaris, ſed primum fortiſſimis utaris cataplaſmatibus maturantibus, ut *ex malva*, *porci axungia*, *farina tritici*, adde mollientia, incidentia, linientia, ut *paſſulas*, *ficus*, *fermentum*, *coagulum*, *cepas ſub cineribus decoctas*, ſic faciendo, Recipe *malvæ man. i. ceparum coctarum ſub cineribus n. ii. caricarum*, *paſſularum*, *ana unc. i. fermenti unc. i. axungiæ porcinæ*, *anatis una unc. ff. olei liliorum alborum unc. ij.* D

*Fiat emplaſtrum cum farina triticea*, eſſet etiam *diachylon conveniens cum adipe*, *Galeni tetrapharmacum*, *& Macedonicum Galen & ammoniacum*, & multæ inunctiones maturantes Sunt & cauſtica, & potiſſimum eſt, quod Dioſcorides deſcripſit in *cap. de lixivio*, ſic paratum. Rec. *cineris ficus*, *ſabarum ana lib iij. calcis vivæ lib. i. ff. aquæ l. iij.*

Ita vero facias. *Accipe iſtos cineres puverizatos in caniſtro* (*ut ajunt*) *ex paleis*, *deinde aquam ſuperinfunde*, *& cum deſcenderit*, *collige*, *& iterum atque iterum ſuperinfunde per duos dies*, *aut tres continuos. Deinde coque in vaſe æneo*, *quo uſque dirigatur ad ſal*, *poſt ſerva in vaſe vitreo bene obturato*, mox apponatur ſuper tumorem, & ſtet per duas, aut tres horas, quo uſque facta ſit eſchara, quæ inciſa foveatur relaxantibus, ſi autem, remota eſchara, materia apparet dura, apponatur iterum hoc cauterium, ſed in minori copia, aut *cum vitriolo* temperatum (quod vocant magiſtrale) aut *cum unguento de lithargyrio*, & ſi non obediat, ferro violentiaque E utatur, aliquando *cum iſide* temperato, vel non temperato, ut locus corporis, & ſenſus permittit, item temperato *cum ſquamis æris*, *ex ære uſto*, *& aliis metallicis.* Quo autem iſta parentur dictum eſt à Dioſcoride, & Galen. Sunt etiam leviora ut *trochiſci Phuſionis.* Quidam tamen utuntur *fece vini combuſta cum melle*, ut removeantur materiæ craſſiores, utuntur at *corticibus oſtrearum craſſarum combuſtis cum melle*, ſecundum rei tamen exigentiam ſemper, ne inducatur inflammatio. Si autem durities ſuper oſſa diu morata ſit, tunc vel in panniculis efficitur vel in tota ſubſtantia oſſis, ſi panniculis appoſitis fortibus accidit convulſio, & maxima febris, ſi ferro tangatur, ſi putruerint, apponantur quæ ſquammas æris, & panniculum putrefactum removeant, ut eſt *ariſtolochia*, *iris*, *mauna*, *thus*, ſi erit in capite, magis attendendum eſt, ſi oſt ad cephalica deveniendum eſt, ut *ad emplaſtrum diapalma*, *ad ſacrum diptham num*, *plerumque miſta cum diachylone*, ubi fuerit durities loco infixa, mundificando exſicca *cum unguento diapalma*, *cum pulveribus exſiccantibus*, *ut eſt ſquamma cum vitriolo temperatis*, *cum pulveribus cephalicis*, *ut ariſtolochia*, *iride*, *panace*, *ſarcocolla*, *myrrha*, *aloe*, *bolo armeno*, ut natura corporis, & alia permittunt Demum aſſumendum *Triapharmacum*, *diapipereum*, ſi in membro nervoſo ſint, caveat omnia acria, dolorem facientia, & ſurſum adducentia, ſed cephalicis auxiliis utendum, & dictis pulveribus; ſi mundificatione egemus, *iſide* utendum eſt, quamvis cum aqua abluti. ſi oſſa ſint affecta, primo detergantur, deinde aſpiciendum, an omnino ſunt corrupta, vel in ſuperficie tantum, ſi hoc, exſquamanda cum dictis pulveribus, ſi illud, removenda ſunt oſſa paulatim, ne dolor incidat, ſin autem ſint ulcera, quæ frequenter fiunt, inſpiciendum eſt an apoſtemata ſuccedferint à principio, an ex aliqua manuali operatione, ut remotione duritiei, & numquid malignitatem habeant, ſi in corpore ſunt mundo, aut plethorico, aut cachochymo, & an fuerint irritata acrioribus medicamentis, ſi ſucceſſu apoſtematum, aut ex operatione manuali, difficilis eſt curatio, præcipue adhibitis acrioribus medicinis, & primo videndum erit quæ ſint tales operationes factæ, ut nunquid biberit aquam, vel inunctum ſit, ſi nil ex his adhibitum ſit, tunc ex aliqua harum operationum poterunt ulcera curari, & tunc levioribus medicamentis erimus contenti, exſiccantious quidem, & mundificantibus, exſiccantia dicta ſunt, *diapalme*, *perfuſio aquæ ligni*, *& ſpuma*; ſi magna ulcera, fortioribus utendum erit, ut *iſide*, *ſquammis*, ſi fuerint maligna, difficilis erit cura, & tunc ad fortiora exſiccantia, & mundificantia erit recurrendum, *& ad ſquammas*, *& uſtum*, *æruginem totam cum aceto:* ſunt qui ad *argentum vivum*, *præcipitatum*, *iridem*, & hujusmodi frequenter accedunt, vel in capite, vel in pudendo curandis. In capite quidem ſunt difficilia contumacia, corrodentia, ſed pudendi ulcera non curantur, quamvis fortiti curatione, niſi corpore mundato, & niſi facta fuerint alia. Fugiant medicamenta corrodentia, & inimica, ut *aqua ex chalcantho*, *& nitro*, *& ſublimato cum albumine ovi*, & relaxantia, ut *panace cum vitello ovi*, *& roſaceo*, quoniam membri corruptionem faciunt, ſed ſi dolor adeſt, apponenda ſunt mitigantia cum certa ſiccitate, ut eſſet *album unguentum.* Recipe *infrigidantis Galen. recentis*, *unguenti de lithargyrio partes utriuſque æquales.*

*In mortario plumbeo cum roſaceo deducantur*, ſi autem plus vis exſiccare, majorem quantitatem *lithargyrii* apponas: ubi ſit maxima inflammatio, & tamen egemus exſiccatione, facias ſic. Recipe *ſucci ſolani*, *vel plantaginis*, *vel endiviæ*, *vel lactucæ*, *vel ſanguinariæ partes ij. ceruſſæ lotæ*, *aut lithargyrii loti partem i. olei roſati partem i.*

*Ducas in mortario plumbeo*, *uſque ad ſpiſſitudinem unguenti*, *& appone*, ſedato dolore, & inflammatione redeas ad exſiccationem, & mundificationem, ſi adeſt putrefactio, eam prohibeas cum fortibus exſiccantibus, ut ſi fieret hoc linimentum. Recipe *mellis deſpumati partes ij. farinæ hordei*, *aut fabæ partem i. hypociſtidis partem i.*

*Miſce*, *& appone*, aut *oxymel cum hypociſtide.* Aliquando etiam ſcarificatione indigemus, aliquando etiam actuali cauterio, raro tamen, licet accidat aliquando ex corroſione arteriæ, aut venæ maximus ſanguinis fluxus, potiſſimum vero ſunt apponenda *balauſtia*, *hypociſtis*, *bolus armenus* & hujusmodi alia, ut *calamin. gypſum*, *aqua frigida cum aceto*, *ligaturæ fortes*, *ignis*, *ferramenta*, *phlebotomia*, potiſſimæ ſunt *radices conſolidæ exhibitæ*, hujusmodi enim fluxus ſæpe perducit ad corruptionem & interitum. Accidunt & his membris œdemata, & duri tumores, ita ut glans diſcooperiri non poſſit, & tunc remanent non potentes coire, tunc primo egemus balneis emollientibus, ut *ex althæa*, *malva*, *chamæmelo*, *& ſupertus dictis oleis reſolutivis mollientibus*, *ut . . . extracto cum aceto*, ſi autem durities ſupervenerit, ſemper miſceantur ilipticæ, ne quid maturatione producatur, & accidat ex pudendo corruptio talis, ut neceſſarium ſit ipſum abſcindere, vel ejus partem. Emortua, putridave pars eſt abſcindenda, poſtea exſiccantia ſunt apponenda, *ut balauſtiæ*, *ſuccus plantaginis exſiccatus*, ulcera capitis, ſi ex mala cura, & ex inunctione argenti vivi facta ſint deteriora, ut pote corroſiva, his eſt diligentius attendendum, & animadvertendum, ulcera enim ex morbo Gallico diligentiori, & majori cura egent, ſi in cute facta fuerint, fortioribus abſtergentibus indigent; ſi ad os, aut pericranium devenerint, mitioribus, ut *iſide temperato*, ſed hoc fit poſt corpus mundatum, aquam etiam ligni exhibemus, ſi materia retrocedens ingentes dolores facit, evacuanda eſt ſanies, & aperienda ulcera, ſed prohibe putredinem, aut pericranii, aut cum emollientibus & abſtergentibus, ut ſi fiat *lixivium ex hordeo*, *beta*, *malva*, *& furfuribus*, item leviora exſiccantia

ap-

apponantur, ut *ſimplex linimentum* amotis capillis *diſſolutum cum roſaceo*, aut ſiccetur ulcus levioribus medicamentis; ut *ex decocto ligni*, & uſque ad pericranium, Emplaſtris res tractanda eſt, ſicut in afflicto oſſe. Si autem ulcera fuerint malæ curæ ſucceſſu in unctione, removenda eſt ex ulceribus impreſſa malitia attrahendo, & alterando, & potiſſimum eſſet *emplaſtrum diadiptamnum diſſolutum cum roſato*, maxime in affectibus capitis, ſi autem ſucceſſu tuberculorum ulcera plura fuerint, ſolis abſtergentibus eſt utendum, ut lixivio dicto. Cætera autem ſecundum partium diverſitatem tractentur, quæ autem ſæpe contingunt in palato, gulave ulcera, difficiliora ſunt, quæ ſponte fiunt, ſunt aliquando indicia morbi Gallici, quæ ad ejus curam curantur, tamen his interim ſunt exhibenda ea, quæ à Galen. ſtomachica dicuntur, & exſiccantium, mundificantiumque herbarum decoctiones, ut *plantaginis*, *ſolani*, *ſanguinalis*, antiquorum potiſſima ſunt *ſuccus*, *aut decoctum extremitatum rubi cum melle*, *aut ſuccus pentaphylli*, *& decoctio*, *relinquo diamoron*, *& ſimilia*; ſi res urgeat, *ſuccus granatorum cum alumine* multum exſiccat ulcera palati. Cave ne corroſiva fiant, namque corrodunt plerumque os ita, ut male loquentes homines fiant, ſi enim ad nares ulcera ſerpant, & concavæ nares ſint, prohibebitur corroſio, ſi corpus, & caput mundificetur cum pillulis, ne materia fluat ad locum læſum, ut exſiccetur locus cum gargariſmatibus, ſumendo *hypociſtidis verbi gratia p. ii. aluminis partem mediam*, ita ut decoquantur in vino ſtiptico, vel fiat hoc linimentum. Recipe *hypociſtidis drach. ii. aluminis drach. ſſ. mellis q. ſ.* Aliud. Recipe *pulveris caudæ equinæ drach. ij. fac linimentum cum melle*, *& applica*. Valent *ſyrup. ex ſucco plantag.*

Hoc autem eſt optimum linimentum. Recipe *pulveris Ariſtolochiæ drach. i. ſſ. pulveris foliorum plantaginis*, *hypociſtidis ana drach. ſſ.*

Confice cum melle, deinde Recipe *aquam*, *vel lixivium ſupradictum*, *quo fiebat cauterium*, *& intinge bombycem*, *& tange locum*, ſed cave ne pars illius aquæ deſcendat. Accidunt puſtulæ, & tubercula in toto corpore, maxime circa frontem, & faciem, quæ curato morbo evaneſcunt: ſi quis ante curam morbi vellet ea removere, primo mundet corpus, deinde foveat rarefacientibus, ut *cum decoctione chamæmeli*, *betonicæ*, *malvæ*, poſtea apponendum eſt linimentum hujusmodi. Recipe *ceruſſæ lotæ*, *vel lithargyrii unc ſſ. olei myrtini*, *vel roſati incompleti q. ſ.*

*Fiat linimentum*, *& ponatur modicum aluminis combuſti*, *aut floracis*, *farinæ lupinorum cum melle*, *& modico floracis*, ſi in capite ſint, *ſæpe decoctio lupinorum*, *& betæ* imponatur, ſi in facie una, aut altera puſtula fieret, poſſemus aliquantiſper purgato corpore in loco non periculoſo fortiter conquaſſare *cum aqua roſata grana v. argenti ſublimati ad ultimum tenuitatis reducti*, *& linire locum*, cruſtæ enim decident, poſſet item conquaſſari *cum roſaceo*, *& decocto ſarſaræ*, ſi locus fuerit cum magnis puſtulis, abſceſſibuſque, ſufficit mihi accipere *pinguedinem hirci lotam cum aqua ſarſaræ uſque ad unc. i. ſublimati drach. i. vel gr. iiij.* ſi autem adfuerit multitudo puſtularum, non audeas fortiter exſiccare. Accidit etiam calus capillorum, & maxime barbæ in viris, & capillorum, & ſuperciliorum in mulieribus, aliquibus ubique. Mundato igitur corpore, & ſublata cacochymia partis patientis, oportet procedere cum evaporantibus, & fortiter emollientibus, ut eſt *chamæmelum*, *bryonia*, *malva*, & lavare caput cum lixivio, in quo ebullierunt jam dicta. Potiſſimum etiam arbitror, ſi quis inunxerit locum cum reſolventibus, & alterantibus, ut *bryonia*, *abrotano*, *dracunculo*, *hyſſopo*, *modico euphorbii*, attrahentia cum aliquali ſtipticitate juvant, *ut oleum hircinum*, *in quo decoctum ſit laudanum*, ſi hoc ex ſiccitate accidit, corpus optime nutriatur, deinde locus fovea-

A tur linimentis, ut *pinguedine gallinæ*, *olio ſabino*, ſi libet addo aliquid attrahentis, ut *radices ireos*, & inungo. Accidit etiam impedimentum in curſu propter durities, quæ ſub pedibus ſunt, quæ ut removeantur, prius in aqua pedes imponantur, in qua decocta ſint *malva*, *aut althæa*, *aut branca urſina*, deinde *extremitatibus caſtratorum*, *vitulorum*, *& lardo*, *& axungia porcina* emolliendus, leniendusque eſt locus, *aut amygdalino oleo*, *aut porci pinguedine*. Accidunt & durities. & ſquammæ in manibus difficiles curatu, tamen ut prius mundato corpus, poſtea tutiſſimum eſt accipere *oleum ex amygdalis amaris ad unc. ij. & addere modicum aluminis*, *calaminthæ*, *& cum cera facere linimentum*. Omitto multa abſtergentia domeſtica ut *radicem dracunculi*, *& hujusmodi redacta in pulverem*, *& miſta cum melle*, *& farinis*, *ut fabacea*, *& hujuſmodi*, & locus inungatur. Accidunt & maculæ corpora valde infeſtantes, quæ corpore purgato tolluntur, ſi fuerint rubeæ, ſanguiſugæ applicentur, quæ materiam ſugant, ſi nigræ fortiter abſtergentibus utendum eſt, ſi cum

B his fuerint tubercula, difficilius removentur, ſi ſolæ, *amygdalinum oleum cum modico aluminis*, mire juvat, *amygdalæ amaræ cum oleo de tartaro* juvant, ſecundum diſpoſitionem corporis. *Farina utriuſque ſerpentariæ cum melle* juvat, item *vitis albæ*, *& nigræ*, ſolent quidem uti *aqua deſtillationis fraxinelliæ cum alumine*, ſi magis vis abſtergere, adde aliquid chalcanthi hoc modo. Recipe *radicum polygonati lib. ij. aluminis combuſti unc. i. ſſ. ſacchari optimi unc. ij.*

*Deſtilla*, & ſi iſta aqua eſſet moleſta, ut contingeret in mulieribus, temperetur *cum aqua plantaginis*, *aut ſolani*, ut res exigit, ſoleo ego uti *aqua deſtillationis portulacæ cum butyro*, ſi quis poſſet pati laborem deſtillandi, miro modo has maculas tollit, ſi cum his contingant tubercula, vehementiora exſiccantia ſunt adhibenda, & abſtergentia fortia, ut radices, uſque ad metallica, caventes tamen inflammationem. Si autem cicatrices ex ulceribus ſupervenient, & eſſent magnæ, & eminentes, cum ferro removendæ ſunt. Si non cum exſiccantibus, ut eſt *emplaſtrum diadiptamnum*, *miſtum cum modico aluminis*, *redactum cum oleo myrtino*. Si autem non eminentes fuerint, nil video præſtantius, quam laudanum in vino diſſolutum, ſæpe applicatum. Contingunt plerumque morbo Gallico affectus plurimi difficiles, ut eſt tumor ſplenis, & elephantiaſis, quos videndum eſt, ſi poſſibile eſt, ſanare, ſanantur quidem aliqui ad curam morbi Gallici, aliqui autem trahunt ad ſe curam. Si autem ſit elephantiaſis, oportet in ejus cura uti frequenter phlebotomia, fortibus purgationibus, & fortibus adhærentibus, ut *trochiſcis de carne viperarum*, qui dandi tamen ſunt cum animadvertione, ne nimiam ſiccitatem inducant, mundato corpore ſcilicet, ſi autem hæc diſpoſitio ſit cum interventu febris, ſemper minus exſiccare oportet.

Hæc de cura morbi Gallici ſatis ſunt. Reſtat modo, ut deſcribamus electuarium præſervativum à morbo Gallico, quod in hujusmodi affectus ſuſpectu adhiberi poterit.

D Recipe *ſacchari roſati unc. vj. ſcordii unc. ſſ. ſpecierum triaſantalorum drach. ij. ligni ſubtiliter pulverizati drach. vj. cum ſyrupo roſato fiat electuarium. Doſis drach. iij. vel unc. ſſ.* ſingulo mane per quatuor horas ante cibum. Aliud. Recipe *ſacchari roſati unc. ij. pulveris ſcordii drach. iij. ſpecierum diarrhodonis abb. drach. j. cum ſyrupo roſato fiat electuarium.* Aliud. Recipe *ſacchari roſati unc. iij. ſpecierum triaſantalorum drach. ij. camphoræ drach. ſſ. miſce cum electuario.*

FINIS.

# EJUSDEM FRANCISCI FRIZIMELICAE

## ADVERSUS

# DEFLUVIUM PILORUM

## LUCUBRATIUNCULA.

Frequens ſymptoma hac tempeſtate ſolet evenire his, qui patiuntur morbum Gallicum, incurrunt enim alopeciam, & defluxum pilorum ſuperciliorum, & palpebrarum, quod quidem ſolet eſſe moleſtum, & calus etiam ipſius barbæ, ſolet autem illud evenire ratione malorum humorum corruptorum, qui, expulſi à natura ad cutim, corrodunt

E radices pilorum, & pilos corrumpunt, ita ut cadant omnino, & eſt ſicuti de herba, quæ naſcitur in aliqua terra ſalſuginoſa, ſive quod ſit abluta aliqua ſalſuginoſa aqua, radices enim ipſarum herbarum corrumpuntur, & ita areſcit herba, ſicuti docebat Galen. *ſecundo de temperamentis cap. 4. vel 5. & primo de medic. ſecundum loca*, ubi loquitur *de Alopecia*. Nunquid poſſimus ſiſtere defluen-

fluentes pilos, inquirendum est à nobis, scio enim quosdam studere huic defluxui, & inaniter interdum studere, ita quod pilos non retinent. Interdum vero retinent, sed cum maximo incommodo ægrotantium, non retinent enim quia apponunt solum stiptica, quæ cum non possunt penetrare ad radices pilorum, imprimunt humores malos transmissos ad cutim, & expressi, repulsi à cuti, transeunt ad radices ipsorum pilorum, & tunc causant majorem defluxum. Sunt quidam qui cum stipticis apponunt calida, & quæ sunt subtilium partium, & faciunt quidem penetrare stiptica ad intimas partes, & tunc prohibent materiam transmissam, sive quæ transmittitur ad cutim, & transit ad intimas partes corporis, & maxime capitis, & fiunt maxima incommoda, sicuti videmus, quosdam incidisse in vehementem dolorem capitis, in vertiginem, Epilepsiam, aut saltem in catharrum, & ideo oportet animadvertere ad prohibendos hos defluxus, ut prohibeantur, insimulque ne fiant incommoda, quod hoc modo fiet, in primis eligantur quidem stiptica, quæ roborent pilos, & radices pilorum. Cum hoc & apponantur, quæ faciunt pervenire ista stiptica medicamenta ad intimas partes corporis, & radices pilorum. Tertiò commisceantur, quæ obtundunt, tolluntque malitiam humorum, qui sunt ad radices pilorum, proposita prius evacuatione, purgationeque corporis, per pharmacum, & per venæ sectionem, instituta recta ratione victus, sicuti in libello nostro de morbo Gallico dictum est, sed ut exerceamus hanc propositam methodum, demus unum vel alterum exemplum, possunt enim fieri olea, & aquæ: fit tale oleum. Recipe *olei amygdalarum amararum, dulcium ana lib. i. ladani dissolati cum vino nigro unc. ij. foliorum myrthi, balaustiarum, hypocistidos ana man. i (Sint hypocistidos vel folia, vel integra, & non succus.) mastichis unc. ij. lapathi, borraginis, sonchi, fumi terræ, scordii ana man. ß. cinnamomi, macis, nucis muscatæ ana unc. ß. vini nigri austeri unc. viij.*

*Bulliant in duplici vase, & colentur*, habes hic adstringentia, *myrthum, balaustias, hypocistim*, & pro parte *ladanum*, & pro parte *mastichem*, quæ roborant: habes quæ deducant, *ladanum*, pro parte aromata. Habes quæ resistant, & abstergunt *lapathum, scordium*, & alia istius generis, habes materiam *oleum ex amygdalis dulcibus*, & ex *amygdalis amaris* abstergit, lenit ex *amygdalis dulcibus*, si alia volueris habere olea, ad typum & formulam istius exempli alia facere poteris, juxta quæ sunt *lupini, ciceres*, & alia, quæ poteris decoquere in aqua, & facere lixivium, unde omnia hæc habes, inter quæ est *betonica, rosæ, radices ireos exsiccatæ*, ut si hoc modo facias. Recipe *foliorum betonicæ, rosarum, calaminthæ, pulegii ana man. ij.*

*Folia myrti recentia, si possunt haberi, sin minus folia rubi, aut extremitates, folia salicis, decoques in aqua, commiscendo aliquod aromaticum, ut cinnamomum, macerem, nuces muscatas, & ita facito hic de ipso lixivio.*

Oleum vehementissimum ad hoc. Recipe *ladani, styracis calamitæ ana drach. iij. succi hypocistidos drach. ij. myrrhæ drach. i. nucis muscatæ drach. ß. olei amygdalarum amararum lib. i vini austeri unc. iiij. Euphorbii drach. i. Bulliant in duplici vase*, sed cave oculos ab hujusmodi oleo propter euphorbium.

*Caput de præservatione à morbo Gallico.*

Quia quæsitum fuit à nobis, invenire methodum, & viam componendi aliqua electuaria, quæ facerent ad præservationem morbi Gallici, ideo decrevimus prius tradere methodum, qua talia electuaria conficiantur. Porro Methodus, & ars componendi hujusmodi electuaria. Et ista decocta, quæ partim servant à morbo Gallico, & partim servant, & curant, talis est, sumpta indicatione à morbo Gallico, qui quia est affectio quædam venenosa, & pestilens, ideo primo habeamus, quæ curant pestilentem affectum, & præservant ab ipso, sunt autem ea, quæ exsiccant, & roborant, & sunt subtilium partium, sicuti *scordium*, habet enim amaritudinem, unde acuta est herba, calida, & sicca, levem quandam adstrictionem habens, & est vehemens in hoc. Sunt & aliæ herbæ, quæ hoc præstant, & non sunt ita calidæ sicuti *cichoreum, sonchus*, & hujusmodi, sunt frigidiores herbæ, & magis humidæ sicut *borago, bugloſſa, acetosa, oxyphyllon*, quam isti appellant, sunt & aliæ, quæ veneno adversantur, ut *bolus armeniaca, & mithridatica compositio*. Ista medicamina sunt, quæ sunt præcipua ad illam intentionem, merito cujus talia medicamenta sumimus, & ideo debet esse ista consideratio, eligenda à medico pro fortitudine, & robore virium ægrotantis, pro quantitate morbi, pro anni tempore, pro regione, & consimilibus. Secundo sunt ea, quæ corrigunt caliditatem, & vehementiam, possunt esse quæ solum corrigunt, & simul corrigunt, & resistunt venenis, quæ solum corrigunt, essent istæ species, *trium santalorum, diarrhodonis, lactuca, & interdum nenuphar, sive nymphæa*. Neutrum quæ faciunt, essent ut *acetosa, bolus armeniaca, borago*, eligatur genus, & species istorum medicaminum corrigentium pro qualitate corporis calidi vel frigidi, vehementis, vel imbecillis, aëris, regionis, constitutionis, symptomatum convenientium cum morbo Gallico, & ita animadvertito, ut si cum morbo Gallico adesset febris, corrigas, quæ sunt calidiora, item pro qualitate gustus elige amara, vel dulcia. Aliud medicamentum, quod ingreditur compositionem hanc, est materia istius medicaminis, & in electuario *saccharum, vel mel, in decocto, vel aqua, vel serum lactis* elige materiam, quæ sit penitus in potentia, sicuti aqua, vel quod abstergat, & aperiat, sicuti serum lactis. Etiam pro diversitate qualitatum eligatur materia. Nam in calidiori affectu, & non in calidiori tempore eligimus frigidiora, veluti faciamus eligendo *saccharum rosatum, boraginatum*, medium est *rosaceum*, ubi volumus calefacere magis, accipimus *saccharum roris marini, sive de melle, sive de saccharo*. Animadverte tamen, quod semper consulat ipsi gustui, quantum fieri potest, quia quod est in ore, est etiam in ventriculo. Aliud medicamentum est hujusmodi. Nam nos plerumque cum istis commiscemus, quæ solvunt, sicuti *elleborum, polypodium, epithymum, senam, myrobalanos*, eligenda autem sunt hæc, ubi est opus evacuare, & educere. Unde ubi corpus non indiget purgatione, demittito hæc solutiva, nec solvas indifferenter, sicuti plerique faciunt. Item nec ista solutiva sunt administranda in principio, nisi fuerit concocta materia, cum volueris commiscere ista solutiva, etiam quod non indigeant corrigentibus, nihilominus, quæ venenis resistunt, addes, nam corrigunt ista solutiva, sicuti *sonchus, borago, acetosa*. Corrigunt *elleborum, saccharum rosatum* pariter corrigit ista solventia, & hoc modo animadvertendo facies ista electuaria, & potiones infrascriptas.

Electuarium ad prætervandum à morbo Gallico, & ad ipsum curandum, præcipue cum inceperit vires allumere aliquantisper, tunc enim æger evacuato corpore, & per sanguinis missionem, & per pharmacum, recta institutaque victus ratione, singulo mane saltem per tres horas ante cibum utatur hoc electuario ad quantitatem magnæ nucis, in hyeme cum *modico vino*, in æstate cum *modico vino dilutissimo*, aut cum *decocto boraginis, & sonchi*. Electuarium hoc modo fiat. Recipe *sacchari rosacei unc. iij. scordii drach. ij. specierum trium santalorum drach. i. cum syrupo rosato fiat electuarium.*

Aliud electuarium efficacius, & maxime in hyeme. Recipe *sacchari rosacei unc. ij. scordii drach. ij. mithridatii optimi drach. i. boli armenæ, specierum diarrhodonis ana drach. i. cum syrup. rosato fiat electuarium.*

Aliud omnibus efficacius, cujus debet usus esse in summa hyeme. Recipe *sacchari rosacei, conservæ anthos, mithridatii optimi ana unc i. boli armenæ, diarrhodonis abb. ana drach. i. cum syrup. rosato fiat electuarium.*

Accipiatur summo mane, sicut dictum est, vel cum *aqua mellis potentissima*, vel *cum modico vini aromatici*, id est, quod post assumptum electuarium duos haustus alicujus istorum bibat, electuarium in summa ætate, & pro pueris, & imbecillioribus est tale. Recipe *sacchari rosacei, boraginati, violati ana unc. i. scordii, boli armenæ, specierum trium santalorum ana scrup. ij. cum syrup. violato fiat electuarium.*

Decoctum ad hoc præstantissimum, quod habet fere easdem vires cum electuariis, quod poteris exhibere post assumptum electuarium, est hoc. Recipe *foliorum sonchi man. i. scordii man. ß. foliorum betonicæ, florum fumi terræ ana man. ß. foliorum acetosæ, boraginis ana man. ß. Aquæ quantum sufficit, fiat decoctum secundum artem.* Recipe *prædicti decocti lib. i. ß. mellis despumati optimi unc. iiij. bulliat ad quasdam ebullitiones, & dosis sit ad uncias quinque.* Aliud decoctum vehementius. Recipe *foliorum scordii, sonchi ana man. i. ß. foliorum boraginis man. i. bulliant, & cola*; adde *unicuique lib. decocti unc. iiij. mellis, & coque, & serva.* Aliud decoctum vehementissimum. Recipe *scordii man. i. sonchi man. ij. florum fumi terræ, epithymi ana man. ß. myrobalanorum omnium unc iij. Seri lactis vaccini quantum sufficit, fiat decoctum, & serva, addendo saccharum, aut mel quantum sufficit, dosis sit ad unc. iiij.* Aliud vehementissimum. Recipe *scordii, sonchi, acetosæ ana man. ß. ellebori nigri drach. ß. myrobalanorum omnium drach. ij. bulliant in sero caprino, & cola*, adde *pro singulis quatuor unciis, sacchari rosacei drach. vj.* & da singula quarta, aut quinta die. Levissimum decoctum in ætate est hoc. Recipe *foliorum boraginis, sonchi, acetosæ, polypodii ana man. i. bulliant, adde boli armenæ drach. i.* Dosis sit usque ad uncias sex. Aliud decoctum odoriferum, & optimum. Recipe *seminum citri drach. iij. polypodii drach. ij. ellebori drach. iij. foliorum acetosæ, cicborei, sonchi ana man. i. fiat decoctum secundum artem in aqua, sit dosis unc. v. cum duabus unciis syr. rosati recentis.*

FINIS.

PE-

PETRI TRAPOLINI,

*Ordinarii Theorici Patavini,*

DE

# MORBO GALLICO

## TRACTATUS.

Dubitatum eſt à viris illuſtribus circa morbum, qui vulgariter Gallicus dicitur, & primo utrum ſit epidemialis, ſecundo, quo nomine à veteribus medicis fuerit nominatus, utrum ſcilicet anthemata, ſaphac, palſumera, puſtulæ epidemiales, vel male morigeratus morbus, tertio utrum talis morbus comprehendatur, ac numerari debeat inter morbos nominatos ab Hipp. 3. *Aphoriſ.* ubi æſtuales morbos enumerat, quarto à qua materia cauſetur, utrum ſcilicet ſolum ab humore melancholico, an etiam ab aliis poſſit cauſari humoribus. De quo primo dico, ſalvo ſemper meliori judicio, morbum iſtum eſſe epidemialem, eſt enim morbus epidemialis, teſte Simeone Januenſe morbus ſuperveniens, nam epidemon adveniens ſignificat, & videtur eſſe generatus ad pandemon, & peſtilentiam. Idem ponit in litera P. dicens, Pandemon Græci dicunt, quando communis ægritudo in pluribus hominibus concurrit, cujus ſpecies eſt peſtilentia, ſcilicet cum fiunt ægritudines maxime mortiferæ, quod aſſerit auctor pandectarum in dictione epidemia. Cum igitur morbus dictus Gallicus plurimos homines ſimul invadat, & Pandemon, & epidemialis appellari debet. Gentilis etiam, merito nomen habens Speculatoris, *prima quarti capitulo de febre peſtilentiali, ad principium* dicit, quod epidemia fit, quando ex aëris mutatione, in hominibus pluribus, genus morbi determinatum populatur, ut quando eſſent, fierentque phrenetici, pleuritici, aut tertianarii, aut aliter, ex quibus dictis tandem colligitur, eundem morbum eſſe quandoque epidemialiter, ſcilicet quando ex aëris mutatione cauſatur, & ſimul multos invadit, & quandoque non, ſcilicet, quando ex cauſa propria alteri accidit, & non multiplicatur, nec oportet morbum epidemialem à non epidemiali ſpecie differre. Sed ſolum ordine, ad cauſas aliquas ab eis extrinſecas, quod etiam confirmatur auctoritate Avicennæ, *lib. 3. cap. de colica, ex retentione fecis*, dicentis, & quandoque accidunt colica, & ileos ſecundum ſemitam, accidentium, ægritudinum peſtilentialium, advenientium, & perveniunt de regione ad regionem, & de homine ad hominem, & paucis interpoſitis, dicit, & erat plurimum ejus ileos, & lædebatur colon ſecundum ſemitam permutationis, ſimilis criſi; in quibus ultimis verbis, voluit Avicennas paſſionem illam, prius fuiſſe iliacam, & demum fieri colicam; quia materia permutabatur ab ileon inteſtino ad colon, ut fit in criſi, & ſupplendum, imperfecta, in qua materia non evacuatur ad extra corpus, ſed permutatur de membro ad membrum, ut eſt ſententia Principis *ſecunda 4. cap. 2.* Nicolus quoque Florentinus vir magnæ famæ, *ſermone quinto cap. de colica* declarans ſententiam Principis allegatam dicit, colicam illam fuiſſe contagioſam, merito diſpoſitionis aëris, nunc iſtud corpus ad colicam perducentis, nunc illud, non quod unum corpus alteri communicat, & voluit ipſam colicam ſimul poſſe multos invadere, ex aëris diſpoſitione, ad illud diſponentis, & ex conſequenti eſſe morbum epidemialem, & peſtilentialem, differunt enim apud Simonem Januen. ſicut ſuperius, & inferius, licet apud Alexandrum & Galenum aliter eſſet dicendum, ut ſupra dictum eſt; colica vero cauſata ex cauſa propria alicui homini, & non ex aëris diſpoſitione, non erit epidemialis, ſecundum quod habetur ex dictis Gentilis, eſt quod morbus Gallicus eſt epidemialis, cum multos ſimul invadat ex aëris mutatione, quod confirmatur auctoritate Alexandrini Commentatoris *libro epidemiarum in proœmio*, ubi hanc fecit morborum diviſionem. Namque alii quidem ſunt particulares, id eſt particulariter ſparſi, alii vero communes, & communes, hi quidem conſueti, & cogniti, & dicuntur endemii. Alii vero ſupervenientes, & inconſueti, nuncupanturque epidemici, & particulares quidem ſunt, quando in eadem civitate differentibus hominibus differentes morbi ſuperveniunt (verbi gratia) huic quidem tertiana febris, alii vero quartana &c. endemi autem ſunt, ſicut quando in aliqua civitate, aut propter aquas conſuetas, aut propter aliquid tale conſuetum, communes morbi hominibus contingunt, ut nephritis endemia, quæ paſſio nephritica poteſt eſſe non endemia, ut ſi uni ſoli accideret ex cauſa ſpeciali, & illi propria, & propterea morbus endemialis à non endemiali non differt ſpecie, ſicut non differt epidemicus, à non epidemico ſpecie. Imo, ut diximus, poſtea ſubdit, epidemici autem ſunt, ſicut quando mutatur aër ſecundum ſubſtantiam, ſive ſecundum eſſentiam, aut ſecundum qualitatem, ſicut dicit præcipue Hippoc. Si enim hyems ſicca, & borealis fuerit, ver vero pluvioſum, & auſtrinum &c. Si autem ſecundum eſſentiam corrumpatur, generat morbos peſtiferos, & paucis interpoſitis verbis dicit, nunc igitur non intendit Hipp. determinare de particularibus morbis, hoc enim facit in *Aphoriſ.* neque de endemis, quia de his determinat in *libro*, qui dicitur *de aëre, locis, & aquis*, ſed de epidemicis determinat, & paucis interpoſitis, facit unam diviſionem morborum inquiens, hi quidem ſunt particulares, hi quidem endemici, alii vero epidemici, & paucis interpoſitis, & ad ea, quæ ſunt extra naturam, devenire, & determinare in his particularia, & univerſaliter dicta, ſicut habent aphoriſmi, ibi enim, ſicut à divina quadam virtute univerſaliter morbos compilavit, poſtea oportet determinare endemicos morbos, ſicut fecit in hoc, qui eſt de aëre, locis, & aquis, poſt autem epidemios &c. ex quibus duo concludo, primo quod morbus Gallicus, cum non ſit particularis, ex quo plures affirmant, nec endemicus, cum non merito alicujus rei propriæ alicui civitati multos invadat, ſed merito diſpoſitionis aëris, qui epidemialis convenienter appellari debeat. Cum enim diviſio illa poſita à Jo. Alexandrino ſit ſufficiens, omnes morbos amplectens, hic autem morbus non contineatur ſub primo membro illius diviſionis, nec ſecundo, ut dictum eſt, ergo continebitur ſub tertio, & erit morbus epidemialis ex aëris diſpoſitione cauſatus, ut omnes concedunt, & infra declarabitur. Secundum, quod infero, eſt, quod fruſtra laborant, qui morbum Gallicum ab Hipp. 3. *Aphoriſm.* illo Aphoriſm. ubi morbos æſtivos enumerat, volunt eſſe comprehenſum, non enim Hipp. in hoc Aphor., ut dicit Joan. Alexandrinus, determinat de morbis epidemicis, ſed de particularibus univerſaliter, tamen quia ſcientia de univerſalibus exiſtit, ut habetur *primo poſteriorum*, & 7. *metaphyſicæ*. morbus etiam Gallicus univerſalis, & epidemicus eſt, & ideo determinatio, & enumeratio, non ad librum Aphoriſmorum, ſed epidemiarum pertinet, ſicut quoque endemiorum morborum determinatio non ad librum Aphoriſm. ſed ad *librum* Hipp. qui *de aëre, aquis, & locis* inſcribitur, pertinet, neque propter hoc de inſufficientia in hoc Aphor. redarguendus eſt noſter Hipp. ut intelligenti manifeſtum eſt, ac confirmatur auctoritate Galen. *primo regiminis acutorum, commentario decimo, ad principium* dicentis: ſignificavit Hipp. per ſermonem ſuum illum, quæ ex ægritudinibus eſt ægritudo, quæ communicat multis hominibus in hora una, & quando ægritudines ſunt pernicioſæ, nominatur ægritudo illa mortalis, & quando ſunt faciles, nominantur nomine alio, quod ipſam ſignificat, nominatur itaque ægritudo Algueſed, ita ut ſit ægritudo Algueſed hæc ægritudo, quæ multiplicatur in una regione, & ſit mortalis ipſa ægritudo Algueſed pernicioſa, & hoc forte melius eſt, & eſt generans aliud ex generantibus ægritudinum aliarum communicans multis, & nominatur ægritudo diverſa, & proprie coram omnibus iſtis ægritudinibus, ſicut illæ quæ accidunt ex regione, & læduntur per eas homines, ſecundum modos diverſos multoſque, & non eſt earum generatio communis, & quibuſdam interpoſitis dicit. Nam ægritudines pernicioſæ parum accidunt, de eventu autem harum, quas Hipp. diverſa nominavit, cucurrit conſuetudo, & ſunt illæ, in quibus eſt ſermo ejus in hoc libro, in ægritudinibus autem, quæ nominantur Algueſed, loquitur in libro ſuo, qui nominatur epidemis, & loquitur de ægritudinibus regionalibus in libro ſuo, de aëre, aqua, & locis, & non ſingulariter de ægritudine, vocata mortalis, facit librum proprium, quoniam

narravit in libris ſuis, quoniam eſt una ægritudinum Algueſed, ubi advertendum, quod ubi textus Hipp. ex Arabico translatus habet Algueſed, textus ex Græco dicit epidemi, vel epidemialis morbus, & ex conſequenti Algueſed ægritudo eſt epidemialis, ex quibus dictis Galen. habetur diviſio quadruplicis ægritudinis, ſcilicet quædam ægritudines dicuntur conſuetæ, de quibus loquitur Hipp. in *libro regiminis acutorum*, quædam ægritudines inconſuetæ ſunt, de quibus loquitur in *libro de aëre, & aqua*, quædam Algueſed, de quibus loquitur in *libro epidemiarum*, quædam mortalis Algueſed, de quibus loquitur in *libro proprio*, quem de illis compoſuit; ex quibus omnibus concludenda illa duo, quæ fuerant concluſa ex dictis Joan. Alexandrini, primo quod morbus Gallicus ſit ægritudo communis inconſueta, non pernicioſa, nam continetur niſi ſub tertio membro illius diviſionis, & ex eo conſequenti, quod ſit ægritudo epidemialis, ut in conſequenti patet. Secundum quod ſi de tali ægritudine Hippoc. non fecerit mentionem, non eſt mirum, cum ejus determinatio non ad librum epidemiarum, verum ad librum Aphor., pertineat.

De ſecundo quæſito, licet ſit de nomine ſolum, de quo medicus artifex realis non debet eſſe ſollicitus, tamen bonum eſt videre, utrum veteres medici, ſcilicet Hipp. Galen. Avicen. & reliqui iſtam ægritudinem cognoverint, & quo nomine ipſam nominaverunt, conſtat enim quod hoc nomen male morigeratum nomen eſt commune ad occulta ulcera, & tumores cauſatos à melancholia, ut voluit Galen in *libro de tumoribus cauſatis præter naturam, capitulo de rheumatibus melancholicis*, & ex conſequenti non eſt nomen proprium morbi Gallici, nec Galenus per illud verbum intellexit, alumera, quod eſt agere de variolis, & morbillis teſte Avicen. *prima quarti. cap. de morbillis*, & exponitur ab auctore pandectarum . . . . . variola etiam non eſt nomen proprium morbi Gallici, nec Avicen. per alumera morbum Gallicum intellexit. exanthema etiam non eſt nomen proprium morbi Gallici, eſt enim in ſummitate cutis ulceratio ſubrubra, & aſpera, cum his puſtulis, quæ ex urtica, & calore naſcuntur, ut Simon Jan. refert in dictione exanthemata, authoritate Alexandri, vel ſcabies ulceroſa, & maxime faciei, ut idem dicit authoritate Theodori Priſciani, puſtula rubra auctoritate lib. de doctrina Græca, idem dicit ex auctoritate Pandectarum, dictione exanthemata, Joan. etiam aliter. ſecundo epidemiorum, alia ſunt phymata, & alia exanthemata, phymata quidem ſunt à profundo carnis egredientia, & carnem erodentia, exanthemata vero ſunt, quæ cutem ſolum lædunt, multoties autem phymata exanthemata, & exanthemata vocant abuſive phymata, ex quibus concluditur, tale nomen exanthema non eſſe proprium morbi Gallici. Sed ſecundum aliquam ejus interpretationem, poſſet eſſe nomen commune ſibi, & aliis morbis. Nec ſaphati nomen eſt proprium morbi Gallici; quoniam ab auctore Pandectarum, in nomine ſaphati exponit, id eſt puſtulæ faciei, morbus autem iſte non tantum eſt in facie, ſed totum occupat corpus cum capite. Serapio vero *primo Breviarii, cap. de ſaphac*, inquit, ſaphac eſt tumor, qui accidit in cute, quæ eſt ſupra caput, & eſt de genere apoſtematum, carnem aggredientium . . . . . à proprietate ſequentium ea, quod eſt, quando cum ea accidunt quædam foramina parva tenuia valde, ex quibus reſudat aqua, & humor ſubtilis. Rhaſis ad Almanſ. cap. 16. inquit, ſaphac ſunt ulcera habentia cruſtas, quæ in capite naſcuntur, vel facie. Idem Rhaſis cap. diviſionum cap. 110. de parvis puſtulis in capite, ex quibus concluditur, quod ſaphac eſt paſſio capitis, & totius corporis, ſicut morbus Gallicus, & ex conſequenti non eſt ſibi nomen proprium ſemper conveniens. Prædicti enim auctores, & Meſues & Avenzoar, loquentes de ſaphac, ſimul ponunt capitulum de ſaphac, cum aliis capitibus, in quibus loquuntur de paſſionibus capitis, & faciei, quod non eſſet, ſi eſſet ægritudo communis toti, ſicut morbus Gallicus, unde Avenzoar inquit, ſaphac eſt ægritudo, quæ accidit in carne, coloris, pulmonis, cum parvis puſtulis, & accidit in cute capitis hæc ægritudo, ſive in facie, tamen verum eſt, quod ſynomina Avicen. faciunt differentiam inter ſaphac, & ſaphati. Primum enim ſunt maculæ rubræ, quæ fiunt cum puſtulis parvis, ſecundum vero eſt Botor humida, quæ emittit virus, & videtur eſſe ſpecies ſaphati, de quo loquitur 7. *fen. quarti. tract.* 3. *cap.* 1. & ibidem etiam appellatur ceſſerugi, & propterea Avicen. quaſi ſe excuſando, quod determinet de ſaphac in ſen. de decoratione, cum reliqui doctores allegati, de ipſa determinantes in tractatu de diſpoſitionibus capitis, & contentorum, volunt eſſe paſſionem capitis, dixit, & currit conſuetudo in pluribus libris, ut dicatur in cap. decorationis, quia Rhaſis ait in lib. diviſ quod paſſiones capitis apparentes, ſunt diſpoſitiones capillorum, de furfure capitis, & puſtulis parvis capitis, quorum tractatus in rubrica de decoratione habetur, & ægritudinibus, quæ ſunt in manifeſto corporis. Credimus ergo Avicen. accepiſſe ſaphac, ſicut fecerunt Serapio, Rhaſis, & alii Arabes, tum propter excuſationem, tum quia remediis, quibus ipſi utuntur, in ſaphac, & ipſe utitur, itaque apud ipſum erit paſſio capitis, & non totius corporis, ſicut morbus Gallicus, & ex conſequenti ſaphati non erit nomen proprium morbi Gallici, etiam ſecundum Avicen. Quod etiam morbus Gallicus non ſit aliquod apoſtematum calidorum enumeratorum ab Avicenna, 3. *fen. quarti*, in qua agit de omnibus apoſtematibus calidis, & frigidis, patet diſcurrendo per omnia illa apoſtemata, nam non eſt phlegmon, cum ſit ſolum apoſtema ſanguineum, nec eryſipelas, ut ſatis eſt clarum, ſi legatur capitulum ejus. Similiter nec formica abſolute, nec formica miliaris, nec ignis Perſicus nec pruna, nec inflatio, nec eſſare, uti ſatis patet legenti illa capita, & multo minus non eſt gangræna, nec aſchachilos, nec eſtiomenon, nec altoin, id eſt, anthrax nec eſt de numero apoſtematum . . . . . in glandulis, ut patet per ſe, nec eſt morum, cum plurimum accidat in ano, aut vulva, & ideo non continetur sub aliquo capitulo apoſtematum calidorum, enumeratorum a principe ibidem, & non eſt etiam aliquod frigidorum, primo non eſt endemia, nec de numero nodorum, aut glandularum, uti ſatis conſtat, nec ſcrophularum, non eſt etiam almilanus, id eſt nodus . . . . . ut patet, non cancer, nec eſt de numero apoſtematum ventoſorum, & . . . . . vet non eſt, non vena, nec altoin, non lepra, etſi ei ſatis aſſimiletur, non igitur eſt aliquod de apoſtematibus enumeratis in *tertia fen. quarti*. Non eſt etiam de apoſtematibus dictis bothor, ut non variolæ, aut morbilli, aut eſſare, aut deſudationes, nec formica, aut clavus, aut verruca, aut ſcabies, nec ampullæ, dependentes ab aquoſitate, nec inflativæ dependentes à ventoſitate. Non eſt etiam de numero bothor junctarum, de quibus Avicen. 22. *tertii capitul.* 28. non eſt etiam varix aut elephantia, & ideo videtur, quod Avicen. nec in tertio, nec in quarto, de hujuſmodi morbo determinaverit, & ex conſequenti nec Hipp. nec Galen. ejus interpres, ut refert Avicenna *prima primi cap. de ætatibus*, ex quibus probabiliter concludi poteſt, hujuſmodi morbum Hipp. Galen. Avic. fuiſſe incognitum, & aliis medicis antiquis, ac propterea ejus nomine proprio caremus. Si enim Avic. ipſum cognoviſſet, utique de eo capitulum aliquod ipſe feciſſet, ac nomine proprio appellaviſſet, ſicut in cæteris morbis fecit, quibus propria dicavit capitula, licet ex multis humoribus poſſint generari, ſicut pleureſis, ſquinantia, quæ licet à quolibet humore poſſint cauſari, tamen Avicen. eas proprio nomine appellavit, & de eis propria fecit capitula, ipſe etiam Bothor nomina dedit propria, & de eis propria capitula fecit, ut de variolis, morbillis, eſſare, eryſipelate, verrucis, deſudationibus, de morbo vero dicto Gallico, nec ab ipſo fuit nominatus, nec de ipſo capitulum aliquod fecit, præterea dolores, qui accidunt in tali morbo, non ſunt de numero dolorum junctarum, de quibus determinat Avicenna *vigeſima ſecunda tertii cap.* 5. cum illi dolores cauſantur à materia recepta in concavitate junctarum, quæ augmentata extendit juncturas, & nervos, & muſculos ipſam continentes, cauſat dolorem, non quod materia illa recipiatur in nervis, & propterea podagrici non ſpaſmantur, quia materia illa in nervis non recipitur, nec nervi tument, licet junctura intumeſcat, propter cauſam jam dictam, quam ſententiam accepit Avic. (ipſo referente) à Galen. 6. *Aphor. com.* 49. licet de ſpaſmo videatur dicere Gal. ſed in morbo Galliço juncturæ ſine tumore dolent, & videtur dolor ille non cauſari ſicut dolor junctarum, cum in morbo Gallico juncturæ non intumeſcant, dolent etiam aliæ partes à juncturis, de quo nec Avic. nec Gal. nec alii aliquam fecerunt mentionem, neque modum dederunt, ſecundum quem cauſetur dolor, & tamen mentionem fecerunt de doloribus aliorum membrorum, ſicut capitis, aurium, oculorum, pectoris, ſtomachi, hepatis, ſplenis, inteſtinorum, dorſi, renum, matricis, teſticulorum, & omnium junctarum, hic autem dolor, qui accidit in morbo Gallico, non eſt aliquis illorum, nec videtur cauſari ſicut illi, & maxime dolor junctarum, & propterea videtur, quod iſti dolores veteribus medicis fuerint incogniti, & ideo de eis minime loquuti ſunt, nec propter hoc de inſufficientia ſunt redarguendi, ſunt enim aliquæ ægritudines, quæ non accidunt, niſi longis temporum intervallis, & fortes ſtellarum conjunctiones non fiunt, niſi in magno temporis decurſu, & forte ſequuntur alias cauſas, raro contingentes & in magno temporis intervallo, ut refert Avicenna, *tertia quarti cap. de vena medena*, nunquam enim inquit ſe vidiſſe talem ægritudinem, nunquam vidit febrem ſeptenam, aut novenam, & ideo negat eas dari ut inquit Avicenna 1. 4. *cap. de febre ſextana*, & *ſeptena*, & ſimilibus eis, ac ibi inquit, non debemus negare ægri-

ægritudines, quas non contingit videre in tempore quodam, & quadam regione, nam hoc genus comprehenditur per multitudinem gentium, & eodem cap. dicit, & aliquando pertransit magna annorum revolutio, in qua non videntur fieri aliquæ ægritudines, sicut Galen. non vidit lapidem egredientem ab intestinis (ita ipso referente *libro de interioribus*) & tamen Gentilis vidit ipsum bis, non tamen fuisset conveniens Galen. negare hoc, affirmat etiam Gentilis, vidisse lapidem se à stomacho per stomachum egressum, post vehementis stomachi dolores, à præcessoribus nostris non visum, & tamen non debet hoc negari, sed concedi sicut monstruosum, raro eveniens, sicut ergo ægritudo ista, scilicet lapis in stomacho fuit incognita Galen. Hipp. & Avic. quia suis temporibus non apparuit, quæ tamen apparuit tempore Gentilis, & sicut vena medena apparuit tempore medicorum præcessorum Galen. & sicut febris septena, & novena, quæ tamen ægritudines temporibus Galen. non acciderunt, eo, quia non fuit nisi cum magnis temporum periodis, ideo non reputatur inconveniens, B quod morbus Gallicus apparuerit temporibus nostris, qui tamen temporibus Hipp. Gal. & Avic. non fuit, non tamen dico, quod nunquam fuerit, imo necesse est, ipsum fuisse, si mundus est æternus, ut voluit Arist. 8. *phys. & primo cœli*: etenim oppositiones infinities reversæ sunt ad nos, ut primo cœli: & idem judicium de omnibus aliis erit rebus propter easdem factas stellarum conjunctiones, & causas ipsarum productivas, si autem mundus est factus de novo, ut rei veritas est, credimus etiam talem morbum alias fuisse, non tamen tempore Hipp. Galen. & Avicen. Avenzoar etiam *secundo tractatu, sui theisir cap. vigesimo secundo*, posuit ægritudinem causatam à verme generato inter carnem, & cutem, quem si medicus occidere neglexerit, potest inde magnum sequi nocumentum, nec illa ægritudo est vena medena, ut patet per ipsum Avenzoar, qui de eis distincta fecit capitula, & diversa applicat remedia, hanc tamen Avic. non cognovit, uti patet legenti libros suos, nam determinavit de vermibus generatis in intestinis, *decima sexta tertii tract. quinto cap. primo* & C *de vermibus generatis in capite*, & *facie*, *eadem prima tertii tract. secundo cap. tertio*, de verme autem generato inter cutim & carnem nullibi mentionem fecit, & ex consequenti talem ægritudinem ignoravit, & ex consequenti Galenus & Hipp. quorum ipse est interpres, & . . . . . ignoraverunt autem omnes medici excepto Azaravio tussim causatam ab animalibus generatis in canna pulmonis, & locis . . . . quæ animalia minora sunt mustillionibus, & transeunt de loco suæ originis, & concitatur tussis ex illorum motu, & quando quiescunt in loco suo, quiescit tussis ipsa, ut voluit Gentilis *decima secundi cap. de tussi*, ideo si curantur propter causun superius dictam. . . . nec omnium ægritudinum cognitarum temporibus suis Hipp. Galen. & Avicen. causas curativas perfecte enumerant, ut expresse Hipp. in suo jurejurando artem extrahendi lapidem ex vesica perfecte se ignorare fassus est, quam tamen perfectam habet his temporibus Jacobus, quem ego vidi extrahere lapidem magnifice, & mire ex vesica, & postea locum consolidare, & quasi omnes e- D vadunt, Conciliator *differentia* 193. inquit, & fortassis est medicina, nobis tamen occulta, quæ curare posset præsertim juxta illud Hermetis, mineralibus, & vegetabilibus insunt virtutes mirandæ, quæ si noscerentur, eis homines operarentur, quæ arte magica conficiuntur, talia autem magis brutis quam nobis nota sunt, unde Zoar, sunt medicinæ ulcerationis pulmonis, & ejus infirmitatis existentes in mundo, nobis tamen ignoratæ, quoniam quando in pulmonibus ovium alteratio existit; exeunt tunc à communitate gregis quærentes aliquid auxilii, & dicunt nobis pastores, quod comedunt illæ oves herbas, quibus comestis mox reviviscunt, & perfecte sanantur ex suis ulceribus, & ego (inquit) vidi pulmones ovium, in quibus jam inceperat fieri vestigium solutionis continuitatis, & apparebat tale vestiginm in ipsis in aliqua parte, in alia vero parte apparebat opus sanationis, & consolidationis carnis pulmonis manifestum. Nunc autem non est aliquis, qui sciat illam herbam, nec credo ante nos fuisse, qui sciverit illam, quod etiam potest confirmari quando medicinæ sunt E qualitate operantes vel manifesta, vel occulta, si manifesta, calefaciendo, infrigidando, humectando, & exsiccando, quod maxime via experimenti cognoscitur, ut inquit Avicenna *secundo canonis capitulo secundo*, nam contingit, quod aliqua erit medicina calida ad corpus hominis comparata, quæ comparata ad corpus equi vel leonis, erit medicina frigida, Rheubarbarum. Si vero à qualitate occulta operatur, ut Pœonia, ab Epilepsia liberat: hoc experimento sciri poterit, & ab effectu, ad hoc autem nisi experimentum faciendum, & medicinam exhibendam moti fuerunt medici, ut inquit Conciliator *differentia prima* aut à casu, ut *septima quarti, capitulo de lepra*, ubi recitatur historia de leproso sanato ex potu vini, in quo vipera erat suffocata, vel casu, quo quis eo vino volebat homines interficere, & sanatus est ille, ex quo postea medici cognoverunt, carnes viperinas in curatione lepræ plurimum conferre, vel ex somnio sicut *secundo can. cap. de urina*, ubi refertur de splenitico curato, & etiam *sexta tertii capite 15. de apostemate* linguæ curato ex succo lactucæ, vel exemplo, sicut dicit cognitum fuisse cœniculum oculis conferre exemplo serpentis egredientis cavernas, & oculos cœniculo fricantis, vel Dæmonum revelatione in somno, vel in vigilia, quod etiam Angelorum revelatione fieri poterit, ut Arist. & Averr. in *de somno & vigilia*, & nomen Dæmonis etiam ad Angelos referas, cum ergo possint esse multa animalia, mineralia, plantæ, ægritudinibus proficua, nobis tamen ignota ex defectu casus, vel somniorum, vel exemplorum, vel ex Demonum revelatione nobis illa notificantium; non videtur à veritate alienum Hippocratem, Galenum, Avicennam, & alios medicos clarissimos illa latuisse, quia ad eorum cognitionem per Dæmonem, & à priori, aut certitudinaliter, & scientifice perveniri non potest, sed solum modis istis casualibus, & contingentibus, & propter hoc videmus Avicennam in parte curativa mulierum medicinam recitare & in *prima tertii* 38. *cap. de cura hemicraniæ*, & in aliis locis, & ideo non est mirandum, si quandoque aliqui empirici aliquas ægritudines melius curant, quam doctissimi viri, & id de facto in morbo Gallico contingit, qui ut in pluribus non nisi à barbitonsoribus, & empiricis curantur. Cum medicinæ illius morbi curativæ, magis ipsis, quam doctissimis viris notæ sint. Sed ut negotium hoc perficiatur, opus est declarare, quid sit iste morbus Gallicus, & quæ sint ejus causæ primitivæ antecedentes, & conjunctæ. Ego salvo semper meliori judicio, credo morbum istum non unum, sed plures, videlicet tres, duo quorum possunt simplices appellari, tertius vero compositus ex illis duobus, primus est pustulæ diversorum colorum, & quæ . . . quandoque enim majores, quandoque minores, à quibus quandoque emanat virus, & sanies, & quandoque non, ut plurimum sine pruritu, forte propter materiæ grossitiem, totum corpus quandoque à capite usque ad pedes occupantes, quandoque non totum corpus, sed magis eam partem superiorem, vel inferiorem, utplurimum tamen magis superiores partes, ut caput, faciem, & collum, manus, & brachia infestat, quam inferiores, videlicet ventrem, coxas, tibias, pedes, pudibunda tamen ut in pluribus occupant, in quibus, quandoque, immo frequentissime incipiunt, nonnunquam tamen à capite, vel facie, raro autem, vel nunquam caput & facies ab his pustulis absolvuntur. Causa conjuncta istarum pustularum ut opinor, humor est in quali peccans, vel in quali, & quanto, non unus, sed plures, raro enim apostema ab uno solo humore fit, teste principe *tertia quarti, capitulo primo ad finem*; forte aliquando isti humores sunt æquales, ut in pluribus: tamen sunt alii, vel aliis dominantur, hic dominans, ut in pluribus, videtur esse melancholia, cum hujusmodi apostemata semper fere dura sint, & ad nigredinem trahentia, vel fuscedinem, vel etiam phlegma salsum, atque ista sua materia, faciens pustulas in morbo Gallico non est longinqua à materia faciente scabiem, unde morbus iste scabies magna potest appellari, & forte est illa scabies magna, de qua loquitur Avenzoar *tertio tractatu Theysir, capitulo primo*. Materiæ enim istarum trium dispositionum scilicet saphati, impetiginis, & scabiei, non sunt multum differentes, & videntur conjunctæ, ut patet ab Avicenna, in propriis capitibus ægritudinum istarum, immo scabies quandoque ad saphati, & ad impetiginem permutatur. Causa antecedens, sunt humores mali, in quali peccantes, nam sunt in via expulsionis à partibus interioribus, & profundo corporis ad exteriores, & virtus expelleus, volens mundificare membra principalia, & partes interiores ab hujusmodi malis humoribus, (quæ sunt nobiliores partibus exterioribus, & forte ex multitudine superfluitatum ipsarum quandoque aggregantur in corpore) expellit eas ad cutis exteriora, & corrumpit, ut inquit Serapio *quinto sui breviarii, capitulo primo*, & *secundo*, ex quibus infero non esse unum universaliter, quod quanto pustulæ istæ multiplicantur, morbus fit minor, imo est major, cum significent majorem quantitatem humorum peccantium, sicuti & in scabie, & variolis maxime videmus ægritudines illas esse deteriores, quanto magis pustulæ illæ multiplicantur, ut est sententia principis *prima quarti capitulo de variolis*, verumtamen est si fiunt à virtute volente mundificare partes interiores, & nobiliores ab illis malis humoribus, quod quanto hujusmodi mali humores magis pelluntur ad extra, tanto magis ægritudo est salubris, quod si hujusmodi materia remaneret in partibus interioribus, & nobilioribus, tunc causaret ægritudinem deteriorem, sicut universaliter ægritudines membrorum intrinsecorum, & principalium, sunt deteriores cæteris partibus membrorum exteriorum ægritudinibus, & vilium, tamen comparando pustulas ex-

exteriores inter se, quanto sunt plures, tanto deterior est ægritudo, licet sit minus mala, quam si materia remansisset ad intra. Causa autem primitiva est mutatio non naturalis aëris ad calidum, & humidum, deterior inter omnes mutationes ad qualitates manifestas, ut inquit Avenzoar *tract.* 3. *Theysir cap. primo*, & Avic. 2. *primi*, *cap.* 4. mala ergo qualitas illa debilitans virtutem est causa, quod humores non bene regulentur à virtute debili ab aëre calido & humido, præternaturaliter alterato putrescente, ac quandoque ad qualitatem venenosam permutato, ut in febre pestilentiali, medici enim habent proprietatem occultam, concedunt que eam proprietatem, ut Avic. in *tract. de viribus cordis*, *cap.* 10. *de proprietate*, & Mesues *de consolatione medicinarum cap. primo*, ubi dicit, quasdam medicinas conferre à qualitate occulta, ut patet ab Avic. 2. *primi cap.* 2. dicit enim medicinam curare aliquando à proprietate occulta, sicut pæonia epilepsiam 2. *can. cap. proprio de cura epilepsiæ*. similiter hyacinthus liberat à fulgure, ut 5. *de simplicibus cap. de hyacintho* habemus, & hoc non est à qualitate manifesta, ergo præter qualitates manifestas, est ponere occultas, licet Arist. *prima problem.*, particula videatur eas negare, sicut ergo Pæonia confortando virtutem, quæ est illa, quæ universaliter curat, ut *tech.* omnium natura operatrix, medicus vero minister, & Avic. *de cura putridarum in generali*, ait, quod medicus facit quod virtus super naturam reddatur potentior, & sic morbus curatur, igitur per oppositum qualitas illa occulta mala in aëre, debilitando facit, ut humores facilius vincantur, & superentur à calore & humiditate aëris, & universaliter à caliditate præter naturam, vel à quolibet agente, ipsos præter naturaliter disponente, quodcunque sit illud, sed tunc esset locus speculationis, quid sit illa fortificatio, & debilitatio virtutis, & utrum virtus intendatur, vel remittatur, & quid sit illud, quod ipsam requirit, vel deperdit, ratione cujus efficitur fortior, vel debilior ad agendum, vel patiendum, ex quo non est aliqua ex qualitatibus manifestis, & forte est qualitas occulta membro impressa, cum qua membrum, vel virtus redditur fortior, vel debilior ad agendum, vel patiendum, sed non quod virtus in se sit facta debilior vel fortior, intensior vel remissior, sicut appropinquatio agentis ad passum, vel ejus distantia faciunt, quod agens redditur fortius, vel debilius ad agendum, & non propter hoc redditur intensius, vel remissius, sicut cum caliditas in membro denso redditur fortior ad agendum, quam in subjecto raro, licet non intendatur, aut remittatur, & si . . . . . cui illa difficilia sunt, & propter hoc forte Arist. non posuit illas qualitates occultas, causæ, dicent, hujus malæ dispositionis aëris sunt formæ cœli, facientes esse nunc illud, nunc aliud, cujus adventus ignoratur, per formam autem planetarum, constellationes, & stellarum constitutiones exponit Gentilis, & licet causæ terrestres possint esse causa hujus aëris dispositionis, quæ dicitur quædam aëris putrefactio, similiter sunt venti deferentes ad locum bonum malos vapores, vel fumum ex locis fætidis, in quibus sunt valles profundæ, corpora extincta occisa, non tumulata, & fortasse etiam propinqua loco, in quo vivimus, & quandoque accidunt putredines in interioribus terræ, propter causas, quarum eventus ignoratur, id est constellationes respicientes sinus terræ, ut exponit Gentilis, quia hujusmodi mala qualitas occulta, & quandoque venenosa, ut in feb. pestilentiali, plurimum videtur causari à corporibus cœlestibus, & stellarum conjunctionibus determinatis, quia omnis forma in actu continetur in primo motore, & in potentia in prima materia, ut Averr. ait *duodecimo metaph.* licet ergo in visceribus terræ, & vaporibus elevatis à corporibus mortuis fit hujusmodi qualitas occulta, quia tamen non potest reduci in qualitatem manifestam tanquam in causam, sicut in cæteris proprietatibus, ideo . . . . . & . . . . . horum sunt formæ ex formis cœli; & hoc est quod dicebat Mesues dotatum esse unumquodque duplici virtute, elementali scilicet, & cœlesti, aër enim putridis causat febrem pestilentialem mortalem, quod non facit principaliter propter calidum & humidum, ut ait Avicenna *secunda primi*, *capitulo de impressionibus aërearum mutationum*, quod vero in ejus existit substantia, est ut ejus substantia ad malitiam convertatur, non ideo quod aliqua suarum qualitatum valde fortior facta fuerit secundum augmentum & diminutionem, & hoc est pestilentia, in quibus verbis voluit Avicenna, istum aërem habere magnam rationem qualitatis occultæ, quam mutationem in substantia appellavit, sicut medici universaliter dicunt operationem provenientem à qualitate occulta, provenire à tota sui substantia, quæ non est aliqua qualitatum manifestarum, calidarum, frigidarum, humidarum, aut siccarum, & hoc est quod subdit: hujusmodi vero aër putrescit quandoque, & convertitur ejus substantia ad malitiam, per hujusmodi malitiam in aëre, & aqua, intellexit qualitatem istam occultam malam, venenosam, quod potest ratione probari, quia malitia ista non est substantia, quoniam tantum esset transmutatio substantialis, & omnis substantia non lædit immediate, sed mediante aliqua qualitate, ut habetur ab Aristotele in *de sensu & sensato*, ignis enim, inquit ipse, non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus, si autem est à qualitate, tunc, aut ab occulta, aut à manifesta: non à manifesta, quia vel calida, vel humida, & sic de aliis qualitatibus manifestis, & scibilibus, & tantum aër calidus & humidus esset magis noxius, & putridus, & pestilentialis, quod est contra ipsum, & veritatem, ergo qualitas erit occulta, & hoc est quod dicebat princeps *prima quarti*, *capitulo de feb. pestilentiali*, loquens de aëre, & aqua putridis, accidit aëri, inquit, mala qualitas, quæ mala qualitas non potest esse manifesta, ut deductum jam est, erit ergo occulta, venenosa, mala, & propterea appellatur mutari in substantia, mutatio autem quoad qualitatem manifestam vocatur alio modo, scilicet ad calidum. Veruntamen ad talem qualitatem occultam, calidum requiritur in certa proportione caliditatis, & humiditatis præter naturam, sicut est de aliis proportionibus occultis, quæ requiruntur cum certa proportione qualitatum primarum, sicut formæ substantiales & illam requirunt, & hoc voluit Avicenna *secunda primi*, *doctrina secunda*, *capitulo quarto*, dicens ex complexionibus aëris dignior, ut convertatur ad putrefactionem est calida & humida complexio, & ista qualitas occulta . . . . . maligna, quæ causat dispositiones malas, quas enumerat Avenzoar *tertio Theysir*, *capitulo primo*, videlicet quod supervenit hominibus incendium magnum, ita quod videbantur esse ab igne adusti, & in principio habebant pruritum magnum, & multis hominibus ceciderunt crura, & coxæ, & musculi, & ossa in magna quantitate, & paucis interpositis dixit, quod febres, quæ tunc temporis veniebant, non erant fortes, nec violentæ, sed erant lentæ, & quietæ, in tantum quod quasi occultæ esse reperiebantur, & paucis interpositis, & febres deteriores sunt valde cæteris febribus, & longiores à salute, quod credo esse ratione malæ qualitatis occultæ, & venenosæ, & non ratione caliditatis, quia erant lentæ, & quod à tempore Hippocratis hucusque non fuit epidemia illa pessima, ex quo sequitur, ut supra dicebatur, quod sunt aliquæ ægritudines, quæ non accidunt nisi in longissimis temporum intervallis, & subdit, sed bene vidimus pruritus validos, & scabies magnas, & variolas, & morbillos, & putridas febres, & apostemata pernicios, ex quibus patet aërem ad calidum & humidum alteratum cum illa dispositione occulta, causare & febres pestilentiales, & morbum Gallicum, quem, ut puto, intellexit Avenzoar per scabiem magnam, & secundum quod illa putredo aëris cum proprietate occulta, est malignior, vel minus mala, potest causare ægritudines deteriores, vel minus malas, & in tantum quandoque procedit putredo, vel mala qualitas venenosa, quod non solum homines moriuntur, sed animalia bruta, & plantæ, ut inquit Haly abbas *quinto Theoricæ capitulo undecimo*. Utrum autem illa qualitas occulta interficiens homines, & bruta, & quandoque homines, & non bruta, & aliquando bruta, & non homines, ut aliqui dicunt, sit una diversificata ex majori malitia vel minori, vel sint plures, erit dignum speculatione, & licet corpora cœlestia, ut in pluribus, sint causa generationis, & conservationis hominum, & reliquorum animalium (juxta illud philosophi, & aliorum philosophorum: sol & homo generant hominem, quod intelligendum est universaliter de corporibus cœlestibus omnibus, & universalibus, quia non est major ratio de uno quam de alio, unde Aristoteles, *primo Meth.* Necesse est hunc mundum inferiorem superioribus esse contiguum, ut inde omnis virtus gubernatur) tamen aliquæ stellarum conjunctiones, & influxus possunt esse causa corruptionis. Immo idem Planeta quantum ad diversa loca, juxta illud philosophi secundo de generatione, propter motum Solis in obliquo circulo fiunt generationes, & corruptiones, accedens enim est causa corruptionis, mortalitates enim magnæ, & prælia, in quibus multi homines moriuntur, ut innuere videtur Avicenna in sua sufficientia, sunt ex intentione naturæ universalis, ut præsentia cedant futuris, non enim est dignum, ut ea, quæ sunt, semper sint, & ea, quæ sunt non entia, semper sint non entia, & nisi essent istæ mortalitates, terra non sufficeret ad alendam tantam multitudinem hominum: concludendum ergo, corpora cœlestia non tantum generationis, imo corruptionis esse causas per se, non tamen immediate, nec est inconveniens idem esse contrariorum effectuum secundum dispositiones diversas, atque ista est sententia philosophi & commentatoris *secundo de generatione* ad finem, ex quibus omnibus patet, quid sit morbus Gallicus, sumptus pro pustulis solum, & quæ sint ejus causæ primitivæ, antecedentes, ac etiam conjunctæ. Secundus autem morbus Gallicus, sumptus pro dolore,

vel

vel ægritudine, ad quam ſequitur dolor, qui eſt mala complexio, vel ſolutio continuitatis vel utrumque, exiſtens in muſculis, & panniculis ipſos involventibus, & nervis, cauſa autem conjuncta ſunt humores mali, expulſi ad illa loca à virtute debili, non potente illos malos humores expellere ad corporis ſuperficiem, vel propter oppilationem pororum, non tamen taliter moventur ad nervos, ut oppilent tranſitum ſpirituum, & cauſent paralyſim, nec taliter, ut eos contrahant ſecundum longitudinem, & dilatentur ſecundum latitudinem, quia tantum cauſarent ſpaſmum, & taliter quod cauſarent in eis malam complexionem diverſam, vel ſolutionem continui, vel faciunt utrumque, & forte materia illa ſolum movetur ad panniculos involventes muſculos, qui oſſibus ſunt propinqui, & propterea videtur, quod dolor eis ſit in oſſibus, cum tamen oſſa non ſentiant, nec credo verum eſſe, quod dolor ille ſit accidens apoſtematis intrinſeci, cum nulla ibi ſint apoſtemata, nullus tumor in membris appareat, quæ tamen membra ſunt valde extenuata, ut experientia docet, & facta Anatomia, nulla intrinſeca apoſtemata apparuerunt; præterea ſemper dolerent, cum tamen videamus, eos magis laborare nocte quam die, cujus cauſa forte eſt, quod de nocte propter ejus frigus, & pororum clauſionem materia illa minus tranſpirat, poteſt etiam eſſe, quoniam, quando deficit Sol, virtus panniculorum debilitata, facilius recipit materiam dolorem facientem, & forte ambæ concurrunt cauſæ. Cauſa autem antecedens ſunt humores illi in via ad nervos, & panniculos, cauſa autem primitiva eſt aëris intemperies in calido, & humido, una cum qualitate occulta mala ut ſupra, forte magis debilitans nervos quam alias partes, & magis partes oſſibus propinquas, quam alias, propter oſſium frigiditatem, & ideo juncturæ magis recipiunt, ac dolent, quia ſunt frigidiores, & debiliores, ut inquit Avicenna *vigeſima ſecunda tertii capitulo quinto.* licet alias etiam aſſignet cauſas. Tertius morbus eſt aggregatum ex puſtulis & doloribus, & forte materia faciens puſtulas, quia magis ſubtilis pellitur ad ſuperficiem corporis, magis autem groſſa remanens intus cauſat dolores, vel forte ſubtilis non ſatis apta expelli ad cutim, pellitur ad nervos, & panniculos, groſſior vero pellitur ad ſuperficiem corporis, forte hoc fit à natura ſymptomatice operante, ſicut materia colicæ quandoque pellitur ad nervos, & panniculos partim ad ſuperficiem corporis, hæc tamen probabilia ſunt; neceſſaria fortioribus relinquantur. Hæc ſunt de morbo Gallico, quæ mihi viſa ſunt probabilia. Si vero has ægritudines Avicenna, Galenus, & alii cognoviſſent, de illis aliquid tradidiſſent, ſicut apud me ſatis eſt veriſimile, tantumque dicendum, quod puſtulæ ſaltem confuſe & univerſaliter comprehenſæ ſunt à principe in *capitulo de ſaphati*, *tractatu tertio de his*, *quæ accidunt in cute*, non in colore, ut ſaphati, ceſerugi, & balniati, & alvatus, ſecalbotus, ut nonnulli volunt, & ſunt ulcera melancholica, quæ apparent in cute, & ſunt ex eadem materia, ex qua fiunt varices, ex quibus colligo Rhaſim, Serapionem, Meſuem, Avenzoar, & alios; ſaphati ſolum accepiſſe pro cutis paſſione: Avicenna tamen largius uſus eſt hoc nomine, ut etiam ſe extendit ad paſſiones cruris, niſi enim nomen ſaphati extenderetur ad Algueſex, inconvenienter Avicenna de ipſis determinaſſet in *cap. de ſaphati*, idque cum aliis ſpeciebus ſaphac, nec videtur convenienſ, quia naſcitur alvatum in cute, ſicut ſaphac, ideo de ipſo determinavit in *cap. de ſaphac*, quia eadem ratione debuiſſet determinare in *cap. de ſaphac* de omnibus, de quibus determinat in illo tractatu tertio, ex quo omnia illa naſcuntur in cute, ut inquit rubrica, & ideo de verrucis & deſudationibus debuiſſet facere capitulum. nec mirum quod Avicenna aliter ſumpſerit ſaphac, quoniam nomina ſunt ad placitum, juxta illud doctr. ad placitum poni propria multa notavi, & ipſe eſt de illis, qui volunt nominibus ad placitum uti, ut de ipſo affirmat *libro naturalium capitulo de virtutibus interioribus*, ubi virtutem . . . . . nomine alio à nomine conſueto appellat, & ita facit Avicenna de nomine Saphac, quod confirmatur ex verbis ſuis in *capitulo de cura ſaphac*, & ſi fuerit in membris inferioribus phlebotomentur duæ ſaphænæ, & ita ſaphac apud ipſum non ſolum reperitur in capite, & membris ſuperioribus, ſed etiam in membris inferioribus, & ita in toto corpore reperiri poteſt, præterea impetigo videtur eſſe ſpecies ſaphac, ut patet per ipſum Avicennam in *cap. de impetigine*, ſed ipſa non eſt tantum capitis, immo poteſt eſſe in toto corpore, ut ait in cap. de cura ejus, & quando expanditur impetigo, & multiplicatur, tunc cura ejus eſt cura lepræ. præterea etiam ſaphac ſunt propinquæ cauſis lepræ, ſcabiei, impetiginis, & eis approximantur in curatione, ut inquit Avicenna *capitulo de ſcabie*, ſed ſcabies eſt paſſio totius, ergo & ſaphac apud ipſum poteſt totl communicari, & apud me eſt illa ſcabies magna, de qua loquitur Avenzoar *tertio Theyſir*, *capitulo primo de epidemia.* & in fine *capituli de ſcabie* ait Avicenna, & ſcabies fæda permutatur ad impetigines, & alſaphac, quid clarius, ſaphati ergo apud Avicennam eſt bothor non tantum in capite, ſed & in toto corpore, & ſic morbus Gallicus puſtularis convenienter à clariſſimo doctore magiſtro Simeone dictus eſt Saphac & non abſolute, ſed epidemialis, poteſt etiam large extendendo nomen puſtulæ exanthemata epidemialia appellare, ut patet ab expoſitionibus ſupradictis. Quo autem ad ſecundum morbum, qui ſunt dolores illi, poteſt reduci ad *ſecundi tractatus ſen vigeſimamſecundam*, *tertii*, unde Avicenna, *capitulo de dolore dorſi* ad principium ait, dolor dorſi ſit in lacertis, & chordis intrinſecis, & extrinſecis, quaſi cum dorſo, & in *capitulo de dolore junctura-rum*, *paragrapho de ſciatica*, loquens de loco ubi materia continetur, inquit, & quandoque accidit, ut non ſit in junctura, immo in nervo . . . . . ut ſupra dixerat, & materia quidem ſciaticæ quandoque eſt in junctura, & procedit ex ea in nervo lato: ex quibus patet, Avicennam velle non ſolum dolorem cauſari ex eo, quod materia recipiatur in juncturis, & extra nervos, ſed etiam quia in nervis, chordis, & muſculis recipitur ſecundum modum ſuperius dictum. Tertius morbus reducitur ad duo capitula, ſcil. ſaphac, & de doloribus junctura-rum, cum ipſe etiam non ſit unus morbus, ſed duo. Tertium eſt dubium, utrum morbus iſte comprehendatur ab Hippocrate, *tertia aphoriſmorum particula*, necne, & primo videtur quod non; quia temporibus ſuis non fuit cognitus, ut ſupra dictum eſt, vel dicendum ſecundo, dato, quod fuiſſet cognitus, ex quo eſt morbus epidemialis, ejus determinatio non pertinet ad *lib. aphoriſmorum*, ſed ad *lib. epid.* & propterea bene dicebat clariſſimus doctor dominus Simeon de Piſtorio, quod male inter eos morbos enumeratur, cum ibi loquatur Hippocrates, de morbis cauſatis ex mutatione aëris ſolum in qualitatibus manifeſtis, & mutatione temporum, non autem de morbis cauſatis ex mutatione aëris in ſubſtantia, ad qualitatem occultam, ut ſuperius dictum eſt, ergo videtur dato, quod in aph. comprehendatur, non tamen ubi loquitur de morbis æſtivis, & putredinibus pudendorum: nam dicit Marſilius de Sancta Sophia, ubi illam partem exponit, quod per putredines habemus intelligere multas, & fædas illarum partium ſuperfluitates, aut etiam poſſumus intelligere per varias putredines, puſtulas putridas, aut alias putredines, quæ cauſantur in ætate, maxime verſa ad humidum, licet enim pudenda nervea ſint ſatis, quia tamen ſunt loca expulſionum, quia etiam fortiter confricantur, & delicioſe, multæ decurrunt ſuperfluitates, plures tamen ad pudenda . . . . . cum eſt; ægritudo ergo illa eſt propria pudendis membris, & communis toti corpori, ſicut cauſa jam ibi aſſignata eſt propria ipſis pudendis, & non toti corpori: & ideo per illa verba morbum Gallicum minime intelligere poſſumus, licet ipſa etiam pudenda infeſtet, ſicut & reliquas partes corporis, à quibus etiam difficilius removetur, ut experientia docet, quia ſanies in pudendis remanet, puſtulæ vero illæ in aliis partibus remanent, & maxime in capite: idem voluit Galenus in commento ad finem, ubi inquit quoſdam quæſiviſſe medicos, cur putreſcunt partes circa anum, & pudenda, cum tamen hæc membra non humida, immo nervoſa potius ſint, & dicit, defluxum humiditatum ad illa membra, eſſe cauſam putrefactionis, non quia illa membra ſint humida ſecundum naturam, & maxime pudendorum, hæc Galen. ex quibus patet Hipp. & Galen per putrefactiones pudendorum non intellexiſſe morbum Gallicum, ſed morbum illorum membrorum eis contingentem ex cauſa appropriata illis membris, ſcilicet continuo defluxu ad illa membra: præterea dolor, qui accidit in morbo Gallico omnium fere membrorum, nullo modo continetur in aph. in quo Hipp. enumerat morbos æſtivos, ut patet legenti ipſum, & totam Galen. expoſitionem. Si ergo in hac aphoriſmorum particula continetur iſte morbus, videtur quod contineatur ſub morbo, in quo enumerat morbos in vere accidentes, in quo enumerantur lichenes, & alphi & dolores arthetici, & exponitur ab excellentiſſimo doctore de Sancta Sophia, lichenes, id eſt, defædationes cutis excoriatione, procedentes à phlegmate ſalſo. Alphi vero ſunt conſimiles defœdationes, proveníentes magis à cholerica materia, de quibus omnibus defœdationibus tractatio diffuſa habetur *ſeptima quarti cap. de ſaphac*, & iſte morbus Gallicus, quantum ad puſtulas, poteſt comprehendi per lichenas & alphos, quantum vero ad dolores, per artheticos.

Quartum dubium eſt, utrum à ſolo humore melancho-

lico, vel etiam ab aliis possit fieri & causari, ex dictis patet responsio, quod non solum ab uno humore, sed diversis potest causari, & maxime à phlegmate, & melancholia, & quod ejus materia non longinqua est à materia scabiei, ut ex dictis patet. Dubium principale, in quo à prædictis clarissimis doctoribus fuit dubitatum, an aër per solas qualitates manifestas agendo in corpus humanum sit causa hujus morbi Gallici, an etiam cum qualitate occulta, ad quod dicitur (salvo semper meliori judicio) quod mihi videtur esse dicendum, quod aër in qualitatibus manifestis, scilicet caliditate, humiditate concurrit, & qualitate etiam occulta ad talem morbum causandum, cum aër in calido & humido non sit multum distans ab aëre aliorum temporum, in quibus dictus morbus non apparuit, præterea ille morbus est epidemialis, epidemialis autem morbus caustatur ex aëris putrefactione, vel corruptione ob mutationem in substantia, quæ mutatio, ut ex dictis patet, est ad qualitatem occultam, & ista videtur sententia Avenzoar 5. *theysir*, *tract. tertio*, *cap. primo*, ubi vult epidemiam ex corruptione aëris provenire. Idem tradit Haly abbas v. theoricæ, capitulo 11. quod potest confirmari ratione, quam innuit Haly abbas allegato cap. ad finem, ubi inquit . . morborum quidam sunt regulares, quidam epidemiales, epidemiales quidam lethales, qui morte terminantur, quidam autem qui salubres sunt, pestilentiales sunt . . . . harum regionum proprii sunt, sive alii regionibus regionales appellantur, cum ergo morbus Gallicus sit communis, & regionalis, cum in pluribus regionibus reperiatur, & in tota Italia, & Gallia, & Germania, ergo erit epidemialis, & non lethalis, sive pestilentialis, ubi advertendum, quod per morbum pestilentialem intellexit morbum ex corruptione aëris provenientem, communem pluribus regionibus, & salubrem, & ita aliud intellexit per morbum pestilentialem ab eo quod Gallicus est, tamen in re conveniunt, quod doctores usi sunt nominibus ad placitum. Nihilominus in hoc conveniunt, quod dictus morbus Gallicus ex putrefactione aëris, & ejus mutatione in substantia facta proveniat, quod erat propositum, est ergo morbus Gallicus pestilentialis secundum modum loquendi Haly abbatis, non autem secundum modum loquendi Galen. & hoc voluit Simeon Pistoriensis ac bene, & est notandum quod putrefactio aëris, seu hujusmodi qualitas occulta aliquando est multum maligna, & causat ægritudines mortales, & accidentia sæva universaliter, & febres mortales, quæ apud Galen. & Hipp. appellantur pestilentiales, ideo aliquando est tanta malignitas, ut quasi subito interficiat, ut patet in fontibus coopertis, & puteis longo tempore, ad quos si homo accedat, quasi subito moritur, ut ait Avenzoar 3. *theysir*, *tract.* 3. *cap.* 2. propter corruptionem illius aëris, & ejus conversionem ad qualitatem malam venenosam, quandoque autem non est multum maligna, & tunc causat ægritudines salubres, & non mortales, & accidentia non multum difficilia. quæ ægritudines sunt diversarum specierum, sicut pruritus, scabies magna, variolæ, morbilli, dolores intensi, fluxus, vomitus, quæ omnia colliguntur ab Haly abbate loco allegato scilicet 5. *suæ theoricæ*, *c.* 11. & ab Avenzoar 3. *theysir tract.* 3. *cap. primo* & intelligo, quod illæ diversæ ægritudines causantur in diversis temporibus, & non simul secundum diversum modum putrefactionis, & diversam malitiam illius qualitatis occultæ, ex quibus concludo, pustulas in morbo Gallico apparentes, & dolores, esse ægritudines ex corruptione aëris, non multa, & qualitate occulta, non multum maligna provenientes, qui ex Haly abbatis sententia epidemialis appellari potest, & est verum, quod licet mala qualitas sit causa morborum, non tamen est causa adæquata, sed ad ipsos morbos causandos concurrit & dispositio ex parte corporis patientis, si enim omnia corpora essent, eodem modo disposita, omnia quidem in magnis mortalitatibus morerentur, ut inquit Haly abbas, 5. *theoricæ suæ cap.* 11. autoritate Galen. in *lib. de feb. differentiis*, & mali humores, qui aliquando sunt infecti hujusmodi mala qualitate, ut in febre pestilentiali, licet forte non semper in aliis ægritudinibus epidemialibus, corpora cœlestia etiam, quæ sunt causa istarum ægritudinum, non sunt causa totalis, cum concurrant & alia, ut Avic. *prima* 4. *cap. de feb. pestilentiali*, & quandoque ait, necessario concurrunt virtutes agentes cœlestes, & virtutes patientes terrestres, & mali humores ut dictum est: & hoc voluit Simeon Pistoriensis, & bene, in aliquo tamen causando non esset inconveniens, quod causa primitiva esset immediata causa alicujus ægritudinis, atque ista videtur sententia principis 2. *primi*, *cap. de causis.* Quod autem dicitur, quod effectus particulares debent habere particularem causam, & universales universalem 2 *phys.* & 5. *metaphysicæ*, verum est, referendo singula singulis particulis in prædicando ad particularia in prædicando, ut hæc domus ab hoc domificatore, & domus à domificatore, effectus autem particularis in prædicando, universales vero in causando possunt causari a causa particulari in prædicando, universali tamen in causando, ut ab ista mala qualitate in aëre causata ab hac tali conjunctione stellarum, quæ mala qualitas licet sit particularis in prædicando, est tamen universalis in causando ægritudines multas in multis hominibus, nec inconvenit aliquando, causam universalem in causando producere aliquem effectum particularem in passo, magis dispositio ad receptionem illius effectus quam alterius, sicut sol liquefacit glaciem, & lutum condensat, atque ita auctoritates allegatæ intelliguntur de universalitate prædicationis, non autem de causalitate. Tertio à prædictis doctoribus dubitatum fuit, utrum astrologia medico sit necessaria: ad quod (salvo semper meliori judicio) respondendum est, ut mihi videtur, quod sit necessaria, nam satis constat per Galenum, Hippocratem, Rhasim, Avicennam, & alios clarissimos doctores, per eximium quoque magistrum Simeonem Pistoriensem hoc ita attestantes, quibus auctoritatibus non desunt rationes. Medicus enim videtur considerare tempora anni, & colligere quæ illarum sint magis convenientia ad pharmaca exhibenda ipsis ægrotantibus, & quæ minus, & regiones, quibus medicinæ convenienter dari possunt, & in quibus non, ut est sententia principis *quarta primi capitulo quarto* ad finem, temporibus fortibus medicinas fortes dare non debemus, & *capitulo tertio ejusdem*, hora multum calida, & multum frigida ab ea scilicet medicamenta prohibent, & regio meridionalis calida, & septentrionalis frigida ab ea quoque prohibent, sed distinctiones temporum anni, & regionum ignorato motu solis non satis comprehendi possunt, ut liquide constat, motum autem solis in circulo Zodiaco, & de tropico ad tropicum, secundum quos motus & tempora anni, & regiones distinguuntur, hæc omnia astrologus docet, est ergo astrologia medico etiam necessaria, item Hipp. 4. *aphorismorum* ait, sub cane & ante canem molestæ sunt pharmaciæ, qui aphorismus sine astrorum cognitione non potest intelligi, quare astrologia medico est necessaria, præterea Medicus habet considerare de naturis temporum, de quibus Avicenna *secunda primi* facit longa capitula, & est certum, quod sine astrologia intelligi non possunt, atque hoc ipsemet Avicenna attestatur in eodem capitulo dicens, istius vero longinquitatis, & propinquitatis comparatio in parte astronomica parte difficili prophetiæ declaratur. Item medicus habet considerare de impressionibus aëris, quæ non valde cursui naturæ contrariæ existunt, de quibus Avicenna facit unum capitulum, & tractatum *secunda fen.* quod sine astrologia intelligi non potest, cum ibi loquatur de propinquitate, & distantia solis à nobis, & à rectitudine, & obliquitate radiorum, & de ejus oppositione ad capita nostra, & declinatione, & de signis in Zodiaco, per quæ discurrit sol, & de tropicis, quæ omnia sine astrologia minime comprehendi possunt, sicut Avicenna in eadem secunda primi loquitur de ventis septentrionalibus, & occidentalibus, similiter & de locis habitabilibus meridionalibus, septentrionalibus, occidentalibus, ac etiam de regionibus distemperatis: item *prima primi capitulo de complexionibus* loquitur de climatibus, & quod sit temperatum clima, & de numero climatum, quæ ignorans astrologiam minime intelligit, item eclipsim solis, & lunæ medicus volens medicinam exhibere, debet considerare, quia tali tempore medicina dari non debet, ne vires hominis defectu solis & lunæ multum debilitentur, medicina etiam data amplius debilitat, & ideo debet exspectare tempus, in quo virtus sit fortior, sicut & per istam rationem non debet medicus dare medicinam in regionibus calidis, teste Avicenna *quarta primi*, *capitulo tertio.* Item non debet medicus exhibere medicamenta in conjunctione lunæ cum sole, vel oppositione, regulariter operando, in conjunctione quidem, quia virtus humana multum debilitatur, & diminuitur influxus lunæ ad hunc inferiorem, cujus rei signum est, quia si panni linei eo tempore ponantur in lixivio, & mundentur, & abstergantur à sordibus, ut fieri solet, putrescunt, & dilacerantur, & mulieres pannos lineos lavare volentes tale tempus maxime observant, ligna etiam debent tali tempore esse incisa, & etiam luna crescente brevi tempore, & Architecti domos construere volentes observant, ne ligna, ex quibus construere debent domum, sint incisa in conjunctione lunæ, vel oppositione, vel etiam luna crescente, quoniam crescit in eis humiditas, quæ postea est causa citæ putrefactionis, ut voluit Arist. 4. *meteororum*, nam dicebat humiditatem esse matrem putrefactio-

ctionis, ſed hæc ſine aſtrologia cognoſci non poſſunt. Item Avicenna *quarta primi cap.* 21. *de ventoſis*, dicit ventoſas debemus apponere in medio menſis, ſcilicet in pleniſunio, quando humores ſunt abundantes, & in ſui augmento hujuſmodi in corpore lunæ augmentum ſequentes, & augmentatur cerebrum in eorum craniis, & aqua in fluminibus acceſſionem non recipientibus, nec receſſionem, & Cancri eo tempore pingues ſunt, ſicut Ariſt. 4. *de part. animali. cap.* 11. teſtatur, non quia copioſius paſcuntur, ſed quia caliditas, ac humiditas maxime in eis abundant propter lucem plenioremi. at omnia hæc nota ſunt in aſtrologia tantum, per illud ergo utitur aſtrologia medicus, & ei neceſſaria eſt. Sed tantum eſſet difficultas, quando ventoſæ conveniunt in plenilunio, & non pharmaciæ, & ratio apud me eſt, quod humores augmentantur in tempore plenilunii, & de centro ad circumferentiam feruntur, & moti de centro ad circumferentiam, à caliditate lunæ magis reſiſtunt medicamento trahenti à circumferentia ad centrum, & propter hanc cauſam in regionibus calidis, medicinæ conveniunt, ut voluit Avicenna *quarta primi*, *capitulo tertio*. Sed tunc ventoſæ trahunt à centro ad circumferentiam, & tunc humores ſunt magis augmentati ebulliendo, & magis verſus circumferentiam, ideo convenit & ſimul phlebotomia, & propterea Medici volentes mulieribus menſtrua provocare per phlebotomiam ſaphænæ, illud tempus expectant, ut ad hoc magis idoneum. Ratio tamen in oppoſitum adducit, & primo dum Avicenna *prima primi in proœmio* dicit, quod non ſuperadditum eſt, incomprehenſibile eſt, bene ſolvitur per Clariſſimum Simeonem Piſtorienſem, hoc referendo ad doſes, & genera medicamentorum, & tempus determinatum, & loca determinata, quæ circumſtantiæ nec calamo ſcribi, nec lingua proferri poſſunt, & eſt expoſitio Jacobi Forilivenſis, viri Clariſſimi, vel poteſt exponi, quod non ſuperadditum eſt, incomprehenſibile eſt, quia illud eſt habitus experimentalis, qui à Truſiano *primo techni* dicitur ars medicativa, & hoc non per demonſtrationem, ſed per operationem manualem acquiritur, & aſſuefactione, & ideo per demonſtrationem non eſt acquiſibilis, nec comprehenſibilis, & eſt expoſitio Gentilis de fulgineo, vel quod ſuperadditum eſt, ſunt operationes particulares, & cauſæ particulares, quæ ſunt infinitæ, infinitum autem eſt incomprehenſibile ex primo phyſic. Infinitum, ſecundum quod infinitum, eſt ignotum, & eſt expoſitio Bartholomæi Varignana. Vel poteſt quarto exponi, quod ſuperadditum eſt, & cætera, quia ſi quæ concluſiones poſſunt addi, illæ non ſunt neceſſariæ, vel virtualiter in iſto libro, & ideo ſuperadditum, non tamen comprehenſum, vel comprehenſibile eſt, vel incomprehenſibile, quia poteſt addi, quod non ſit incomprehenſibile, & eſt expoſitio Marſilii de ſancta Sophia, eſt ergo intelligendum dictum Avicennæ de his, quæ pertinent ad medicum, quia non poteſt addi libro ſuo, quod non ſit comprehenſum, vel comprehenſibile, ut dictum eſt à Clariſſimo Simeone Piſtorienſe, cum quo tamen ſtat multa eſſe neceſſaria ad finem medici, quæ non in hoc libro ſunt ſcripta, quis dubitat Logicam eſſe neceſſariam, ne dum ad medicinam, imo ad alias ſcientias? ut inquit Ariſtot. & Averr. *ſecundo metaph.* abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi, & intellexit Averr. qui modus eſt . . . . . ſcientiæ, ſimiliter philoſophia eſt neceſſaria medicinæ, cum medicina philoſophiæ ſubalternetur, ut patet in *de ſenſu & ſenſato*, quæ tamen non continentur in *libro canonis*, Avicenna ergo vult, quod Logica & philoſophia medico ſit neceſſaria, ut patet etiam per Averr. *primo colliget.*, ubi admonet, ne quis librum ſuum aggrediatur, niſi inſtructus fuerit in logica, & cognoverit tres modos demonſtrationum, de quibus loquitur in proœmio phyſicorum, & ſunt demonſtrationes ſigni vel cauſæ, & demonſtratio ſimpliciter, ſimiliter niſi fuerit introductus in radicibus naturalium ſcientiarum, non tamen credendum eſt Avicennam voluiſſe logicam, aut philoſophiam eſſe partem medicinæ. Idem voluit Haly abb. *primo tech.* qui com. 2. dividit doctrinas, ut invitaret nos ad diſcendum dialecticam artem, & dicit, & faciet nos ſcire quod impoſſibile eſt apprehendere artem medicinæ ſine arte logicæ facultatis, non tamen voluit dialecticam eſſe partem medicinæ, ſimiliter dicendum de aſtrologia, ſine qua medicus perfectus eſſe non poteſt, non tamen eſt pars medicinæ, nec comprehenſa in *lib. canon.* Avicennæ. Quod vero dicitur, ſi aſtrologia non eſt pars medicinæ, quomodo eſt neceſſaria? & quod intellectus non comprehendat, quod aliquid tale ſit neceſſarium, niſi ſit pars ejus, imo principaliſſimarum partium. Jam id ſolutum eſt, quia logica non eſt pars alicujus ſcientiæ realis, nec medicinæ, & tamen omnibus iis eſt neceſſaria, ut deductum eſt, complexio, & virtutes hujuſmodi ſunt neceſſariæ, non tamen partes, quia nihil eſt pars ſubſtantiæ, niſi ſubſtantia, ut homo in prædicamentis, *capitulo de ſubſtantia, & primo phyſicorum*, nec omne alterum neceſſarium eſſe ejus partem; Aër enim reſpiratus, & inſpiratus, cibi & potus, hujuſmodi ſunt neceſſaria, ut ait Galenus *tertio tech.* namque in continenti morari, comedere, bibere, vigilare, dormire, homini ſunt neceſſaria, non tamen illa ſunt partes hominis animati, ut patet. Quod vero tertio additur, quod medicina alicujus humoris evacuativa ſemper habet illam virtutem, ſive eclipſi exiſtente, ſive non, ſive luna conjuncta ſoli, ſive non, verum eſt, plus tamen vel minus debilitat uno tempore, quam alio, facilius etiam uno tempore humores, quam alio, evacuantur, & hoc eſt medico neceſſarium cognoſcere, eſt enim Medicus adjutor naturæ, non impediens eam, *prima quarti*, *capitulo de cura putridarum* in generali auctoritate Hippocratis, Aſtrologus etiam poteſt pariter ex aſtris futura prædicere, omnes inferiores effectus ab aſtris, tamquam a cauſis, virtualiter dependeant, & in eis contineantur, ex quo fit, ut cauſas cognoſcens poſſit effectum futurum ab illis cauſis prognoſticari, verumtamen tale judicare non eſt omnino certum propter numerum iſtarum mutationum, & propterea dicebat Ptolomæus in centiloquio, judicia, quæ tibi trado, ſunt media inter neceſſarium, & contingens, ſunt etiam maxime fallentia hujuſmodi judicia, de his loquor, quæ à voluntate noſtra dependent, quæ libera eſt, & aſtris minime ſubjecta, in aliis autem effectibus, ſeu mutationibus habet veritatem, ſi ex toto corporibus cœleſtibus ſubjiciantur, teſte philoſopho *primo metaph.* neceſſarium eſt hunc mundum inferiorem ſuperioribus lationibus eſſe contiguum, ut omnis virtus inde gubernetur: & Avicenna in ſua metaphyſica ob hujuſmodi dependentiam inferiorum à ſuperioribus corporibus neceſſario agentibus concludit, omnia de neceſſitate evenire, & Joannes Scotus poſuit primum agens libere agere, ut hoc evitaret, & ideo non eſt mirum, ſi aſtrologus bene cognoſcens diſpoſitiones aſtrorum, & corporum cœleſtium futura prædicere poſſit, cum omnis inde virtus, & effectus neceſſario & inevitabiliter cauſentur à corporibus cœleſtibus, ut Avicenna, & Albucaſis voluerunt, ut ait Beatus Thomas, *tertio contra Gentiles*, loco allegato, & in *prima parte* 9. 25. ait, & loquor de his effectibus, qui voluntati noſtræ minime ſubjiciuntur, nec fidei noſtræ repugnant, ut dicit Beatus Thomas, declarat quoque bene Clariſſimus Doctor Magiſter Simeon Piſtorienſis, quod ſicut medici poſſunt ex ægritudinibus futura prognoſticari, ſimiliter aſtrologi ex aſtris futura prædicunt, his duntaxat exceptis, quæ voluntati noſtræ ſubjiciuntur. Quod vero objicitur; diſpoſitiones corporum cæleſtium omnes cognoſci non poſſunt, ergo aſtrologus non poteſt futura prædicere. Ad hoc multipliciter reſponſio dari poteſt, primo negando antecedens, omnia enim cognoſci poſſunt ab intellectu noſtro, ut voluit Ariſt. *tertio de anima*, & *primo de generatione*, apud ipſum eſt . . . . . incognitum, & maxime de rebus naturalibus, eſt tamen intellectus poſſibilis omnia potens fieri modo univerſali, ut eſt ſententia Ariſt. *tertio de anima*, & ſuorum expoſitorum, ſecundum quod aliquis Aſtrologus melius alio cognoſcit aſtrorum diſpoſitiones, & corporum cœleſtium, etiam melius prognoſticatur futura, qui ſi Aſtrologi noſtri temporis in judicando falluntur, cauſa eſt eorum ignorantia, non autem ſcientiæ defectus, ſicut accidit medicis extemporaneis, qui in curandis morbis deficiunt ex eorum ignorantia, non autem ſcientiæ imperfectione. Accedit ad hoc, ut dictum eſt, quod judicia aſtrologorum ſunt media inter neceſſarium & contingens, ut allegatum eſt ſupra ex ſententia Ptolomæi in centiloquio, & ideo effectus inferiores dependent à ſuperioribus corporibus non neceſſario, ſed contingenter, & ut in pluribus, & propterea quandoque etiam perfectiſſimus Aſtrologus fallitur, ſed poteſt reſponderi, quod licet non omnes diſpoſitiones corporum cœleſtium cognoſcantur, tamen, quia plurimæ cognoſcuntur, iſtæ ſufficiunt ad judicium proferendum de futuris, quod ut in pluribus verificatur, ſicut multotiens medicus curat ægrum, licet ejus cauſas non ex toto definire cognoſcat, ut intelligi poteſt, tertio poteſt dici, quod non omnes hujuſmodi diſpoſitiones corporum cœleſtium ſunt neceſſariæ cognitionis ad tale judicium ferendum, contingens ut in pluribus de rebus futuris, ſicut videmus ruſticos, & nautas ferre judicium de pluvia, aut ventis futuris, aut ſerenitatis futuræ ex cognitione alicujus diſpoſitionis in aëre, vel ſtellarum, ſicet non omnes cauſas illius effectus cognoſcant, nec omnium corporum cœleſtium diſpoſitiones, ſimiliter Medicus in phtiſico videns granum ſuper ſpatulas ſicut fabam, debet prognoſticari, quod morietur infirmus poſt quinquaginta duos dies, ut eſt ſententia Avicennæ *decima terti capitulo de ſignis phthiſis* ad finem. in iſto caſu mediquare illud granum ſit ſignum futuræ mortis, nec ni, nec quare morietur magis in 52. die, & non ante, vel poſt. quare morietur magis in 52. die, & non ante, vel poſt.

idem contingit in multis aliis signis, significantibus mortem, positis à principe in multis cap. auctoritate Hippocratis in *libro de secretis*, & quia mors accidat magis in illo tempore quam alio, difficile est intelligere, quibus tamen ignoratis, medicus ex tali signo affirmative potest futuram mortem prognosticari. Præterea Astrologi ponentes excentricos epicyclos teste Aristot. 12. *metaph.* prognosticantur futura eclipsis solis, similiter conjunctiones, & oppositiones, . . . . . tamen altera illarum scientiarum non omnes dispositiones corporum cœlestium cognoscet. & ego cognovi Astrologiæ ignarum medicum, qui ex quibusdam suis experimentis, futuras lunæ A conjunctiones & oppositiones se dicebat cognoscere, & prognosticari, non ergo debemus prognosticari effectum futurum omnium corporum cœlestium, dispositiones, omnes causas illius effectus, licet ad habendam simpliciter perfectam notitiam & scientiam de aliquo causato, oportet omnes causas ejus cognoscere, ut patet *primo posteriorum*, & *primo physicorum* ad principium, licet ad habendam scientiam perfectam in genere non requiratur cognitio omnium principiorum, & omnium causarum, ut declarant Doctores *primo physicorum*. Reliqua desiderantur.

FINIS.

# BERNARDINI TOMITANI,

*Patavini, Philosophi ac Medici clarissimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## LIBRI DUO.

### PROOEMIUM OPERIS.

*Quintus supra vigesimum nunc annus agitur, ex quo ego Dialecticam, publico munere mihi demandato, professus sum; domestice vero, & illam, & Aristotelicam Philosophiam sæpissime interpretatus, cum Illustrium virorum, tum aliorum nobilium multorum precibus, quæ mihi jussa fuere, obtemperans. Verum, cum differendi rationem, & magistram, invito animo potius, quam infeliciter tractaverim, nihil tamen, aut naturæ meæ rationi magis consentaneum, aut dignitati meæ opportunius fore abitrabar, quam quod mihi dabatur otii, post ipsam explicandi rationem, in Medicæ artis exercitatione consumere. Cum vero factum sit, ut hoc tempore, respirandi mihi spatium aliquod concessum fuerit, ineunda mihi ratio est, ut medicæ nostræ hujus exercitationis aliquod specimen præbeam, demque operam, ne turpiter vitam cum silentio transeam, pecorum more. Atque ideo libentius faciam, quo plurimi bonarum artium studiosi, qui me summa benevolentia, incredibilique studio prosequuntur, mirifice hortati sunt, ut quam brevissime, de re medica non nihil conscriberem. Ita enim fore ajebant, ut minus molestæ laborum meorum cessationem, atque ipsam silentii mei rationem æquo animo perferrent. Ego verò, cum me amicis, amice rogantibus, honesteque petentibus, nihil pro naturæ meæ instinctu, negare posse intelligerem, statim me ad hanc ipsam scribendi exercitationem contuli. Ac primum illud, quod mihi ob oculos versabatur, fuit de lue Gallica pertractatio, quum deinde sequentur libri tres de Pestilentia, ac duo de ægritudinibus, quæ magis ætatis nostræ propriæ esse videntur. Quo genere laboris, putabam me duplicem utilitatem, commoditatemque consecuturum, & ut amicorum voluntati, ac desiderio, aliqua ex parte satisfieret, & ut eorum sanitati, diuturnæque vitæ, non tam ad eorum salutem, quam nostri usum, ac delectationem, consulerem. In hoc autem commonefaciendi sunt studiosi, ne in his, quæ à nobis in toto hoc opere tradentur, quærant styli candorem, excogitatamque orationis seriem, atque structuram, quando de rebus ipsis rationem tantum persequi consilium fuit, non autem Latini sermonis puritatem, atque elegantiam, aut etiam eloquentiam, summumque dicendi studium, in re medica profiteri. Præsertim, cum id alii, partim superioris ætatis, partim nostrorum temporum homines eximii, feliciter, & accurate sint persecuti. Neque etiam volumus, eorum nomina recensere, hoc est nigro carbone notare, quorum opiniones, vel minus placere nobis poterunt, vel etiam confutabuntur. Nihil enim est, quod vel impium magis, vel ab ipsa humanitate remotum esse existimem, quam eos taxare, qui vivunt. Id enim sæpenumero non veritatis disquirendæ causa fit, sed ut alios infectemur, quæ sane conditio ferarum potius est, quam hominum. Cum his etiam danda est nobis opera, ut à superstitiosa illa locorum Hippocratis, & Galeni, & aliorum scriptorum illustrium, testificatione, hoc est librorum, sectionum, capitum, & paginarum congerie, abstineamus. Hæc enim inter legendum viva voce magis commoda esse videntur, quam in scribendo. Nam locorum crebra coagmentatio, præterquam quod orationis filum interrumpit, seriem etiam rerum pervertit, rationes, quas adducimus, perturbat, & lectoris animum ab intelligentia, & comprehensione deflectit. Quid enim est tot numeris libros explere, quam tractare Arithmeticam, aut supputationes de familiæ expensis perscribere? Accedit quod ratio, non locus aut authoritas hominum est, quæ Philosophorum, ac Medicorum moveat animum. Quoniam vero sine certa ratione ac via, quæ Græcis est μέθοδος, in unaquaque disciplina tradenda, procedendum non est, aliter persimiles essemus his, qui noctu absque lumine incedunt, quo fit ut multa subeant pericula, & manifesta patiantur incommoda, idcirco, in re nobis proposita, semper Methodo, hoc est via & ratione adhibita, progrediemur. Etenim Hippocrates, quamquam brevitatis, & compendii causa, non adeo methodum servasse visus est, usus est tamen latenter quodammodo, ordine ac methodo. quem postea Galenus eleganti ac copiosa magis oratione patefecit. Usus est & Aristoteles, immo scientias methodos appellat. Plato vero ipse, suam methodum profitetur. Eam autem quasi ab inferis revocavit, ætate nostra Montanus, vir eloquentissimus, & in medica facultate ita insignis, ut cum veteribus jure quodam magis sit, quam cum ullo ætatis nostræ conferendus. Verum de Methodo fortasse alius erit dicendi locus, tempus enim est, ut rem ipsam aggrediamur.*

CAP.

## CAP. I.

*Quis ordo ſervandus nobis ſit.*

In recta ratione ordinis ſervanda ab illis, qui rationalis medici nomen profitentur, incipere oportet ab his, quæ ex natura rei principem locum tenent, ſervato inquam ordine à rebus univerſalibus ad ea, quæ magis ſingularia ſunt, quod agendum eſſe in diſciplinarum traditione, Galenus & Ariſtoteles frequenter aſſeruere. Cum vero omne, quod noſtræ cognitioni ſubjicitur, in primis quæratur à Dialecticis εἰ ἔστι, hoc eſt *an ſit*, deinde τί ἐστι, hoc eſt, *quid ſit*; interim vero augentes magis proprietates ejus contemplentur, poſtremo cauſam eorum abſolvant, non ab re facturus ſum, ſi de Gallica affectione pertractans, eundem mihi ordinem propoſuero, ad eorum præſertim inſtitutionem, facilemque comprehenſionem, in quorum gratiam auſus ſum, poſt tot, tamque celebres ſcriptores, meam quoque ſubſcribere ſententiam, quamquam in indaganda morbi hujus vi, eſſentia, atque natura, propria ratio petenda erit, à medicis fontibus, qui paulo poſt nobis patefaciendi erunt. Non enim ea, quæ à Philoſophis traduntur, ſemper Medicorum placitis adverſantur, ut imperitiores putant, immo ſeſe viciſſim plurima confirmant, cum de ratione veri ſermonis ſit, ſibi ſemper congruere. Quocirca non ob Philoſophiæ imperitiam, plurimi à recta ratione medendi adeo deflexere, ut innumeros medicinæ remediis, ceu gladio furioſi faciunt, enecaverint. Verum priuſquam propoſita ζητήματα, hoc eſt quæſtiones, attingam, dicendum erit, quodnam ſit rationalis medici munus, atque officium.

## CAP. II.

*Quodnam ſit rationalis medici munus, atque officium in recta cujuslibet morbi curandi ratione, ex Galeni ſententia, locis ejusdem adhibitis.*

Ex opera, ſtudioque noſtro percipient literarum, & medicinæ ſtudioſi, quantum illos juvare conſilium nobis fuerat, dum hæc conſcriberemus. Nam, quæ Galenus in tanta librorum ſuorum mole, ut ita dicam, copioſiſſime, atque elegantiſſime complexus eſt, ea ad ſtudioſorum commoditatem, breviſſimo veluti compendio, perſtringemus. Si quis vero uberius hæc ipſa explicari deſideret, ad fontem mittendus veniet, unde illa conſideratius, ac copioſius depromat, Galenum nempe, qui medicam artem, ab Empiricis, & Methodicis, ad unum rationalem Hippocratem tranſtulit, quaſi Augeæ ſtabulum repurgans. Verum tunc ad propoſiti noſtri rationem aſſequendam, directa, atque expedita nobis via patebit, cum generalem profligandorum morborum cognitionem, ei de quo acturi ſumus, propriæ explicationi inſeruerimus. Id autem ut commode fieri poſſit, nullatenus deſpicienda ſunt duo illa ὄργανα, hoc eſt inſtrumenta, quibus tota ars medica conſtitit, & viget, ratio nempe, & experientia, authore Galeno, *primo & ſecundo artis Therapeuticæ*, atque aliis in locis pleriſque. Sunt enim illæ, ceu duo crura, quorum altero neglecto, artem claudicare neceſſe eſt univerſam. Tunc aut ratione procedimus, cum methodo utimur, methodus vero contraria ratio eſt his, quæ nobis fortuito occurrunt, quoniam ratio caſui omnino contraria eſt, eo ſane modo, quo neceſſarium ei, quod ex accidente fit, opponitur. Atque hanc definit Galen. *libro quarto methodi*, quod ſit certa quædam, & generalis via omnium particularium communis. Nam illam eſſe rerum univerſalium, uti exercitationem particularium, conſtat ex *libro nono Therapeuticæ*. Inventa autem eſt methodus, ea ratione, ut certo quodam artificio veritas nobis comperta patefiat. Porro tunc veritas invenitur, cum initium viæ, quæ ad res cognoſcendas ducit, recte nobis ſuppeditaverimus, ut legentibus *librum nonum de placitis*, liquido conſtat. Accedit, quod uti omnis ars à finis ratione conſtituitur, ita & methodo traditur, exponiturque univerſa. Itaque, quoniam medicina ars eſt, ex *libro de artis conſtitutione*, neceſſe eſt ut finem habeat, à cujus ratione conſtituatur tota, necnon methodo tradatur, efficietur enim hoc modo ars omnibus numeris abſoluta. Poſt hæc ordinatæ doctrinæ manum dabimus, quæ licet triplex ſit, ex *lib. artis medicæ*, potiſſimum tamen utemur definitiva, quoniam ad compendium totius artis, & ad memoriæ ſummam confirmationem valde eſt accommodata. In dividendis autem rebus, non recedemus à Platonis doctrina in Philebo, ac aliis in locis tradita, quæque ab Ariſtotele explicabatur in reſolutoris, tum ad medici uſum adhibita fuit à Galeno *lib. primo artis curativæ*. Tunc autem recte principium me aſſecutum fuiſſe noſtræ tractationis exiſtimavero, ubi quælitæ rei eſſentiam, à qua ſemper ordiendum eſt, inveſtigavero, quod eodem in loco diligenter Galen. animadvertit. Cæterum quia medica ars ad humani corporis uſum, & curationem tradita eſt, idcirco humani corporis natura, & diſpoſitio, quam maxime eſt penſitanda, ex *libro primo artis curatricis*, his, qui morbum profligaturi ſunt. Natura autem corporis, ſpiritu, ſolidis particulis, necnon & carnoſa ſubſtantia perficitur. Hæc autem, quam licet accurate, erunt nobis cognita, atque perſpecta, ſi humani corporis partes ſimilares, atque organicas omnes, per ipſam ſectionem noverimus, quæ cognitio curatrici medicinæ parti, quam maxime eſt dicata. Nam corpora, atque eorum ſingulas partes, tunc rite cognoſcimus, cum earum ſubſtantiam, magnitudinem, formationem, poſitum, facultatem, officium, actionem, numerumque comprehendimus, id autem cognitionis ratio ſuggerit, humani corporis incidendi. Scrutanda eſt etiam ad eundem modum temperaturæ ratio, quæ alter ſcopus eſt curationem aggredientis, quod legentibus *librum undecimum methodi* liquido conſtabit. Certe enim hæc una temperies menſuram contrarietatis, certa ratione definit, *lib. xj. Terapeuticæ*, tum & receſſibus à naturali conſtitutione docet præſcripto ordine occurrere, exiguis ſcilicet exigua alteratione adhibita, & maximis maxima, quod norunt intuentes *lib. vij. methodi*. Neque rurſus medicatrices indicationes commode ſumi poterunt, hac una deſpecta, ex *primo lib. artis curativæ*. Et hæc uti contraria victus ratione mutabitur, ita ſimili cuſtodietur, *lib. ſexto de tuenda valet.* interim libet hic commemorare morbi eſſentiam, quem uti alterum ſcopum curationis rimabimur. Eſt enim medici munus morbos adimere, ſi affuerint, ex 2. & 3. *artis curativæ*. Suppoſita vero affectuum præter naturam in morbum, cauſam, & ſymptoma ea quidem ratione, ut morbus ſit qui proxime lædit actiones, cauſa quæ morbum gignit, ſymptoma quod morbum, uti umbra corpus, inſequitur, ejus naturam doctrina definitiva complectar, additis quibuſdam differentiis, quibus illud omnino conſtabit, num Gallica affectio, quæ vere morboſa eſt, in intemperantia ſit collocanda, ſive potius in ſoluto continuo, an organicus morbus, ſit vocitanda. Morbi quoque partitione multiplici excogitata, ex Hippocratis, Galenique teſtimonio, illud conſtabit, quis ille morbus ſit dicendus, quove nomine notandus, rurſus num morbus ſit magnus, an parvus, & ſi magnus, affectus magnitudinem tribus rationibus partiemur, quas Galen. accuratiſſime complexus eſt *lib. vij. Therapeuticæ*. Quia vero nihil ſine cauſa evenire ſolet ex *primo lib. methodi*, morbi cauſæ erunt ſive curatrices, ſive præſervatrices, ſive morboſæ explicandæ, adde & quæ procatarcticæ, ſeu præincipientes, externæve appellantur, tum etiam, quæ internæ, & antecedentes dici noſtris hominibus conſueverunt. Cauſæ autem ſunt, quibus præſentibus afficimur, ablatis vero, quibus morbi ſedantur, *lib. 1. de locis affectis*. Hæ ubi diverſæ fuerint, corpora immutantes, alia atque alia ratione tollentur, uti eadem, cum eædem fuerint; ex *lib. de optima ſecta*. Quamquam vero innumerabiles exſtare cauſas dicit Galen. *in introductione in pulſus*, nihilominus earum numerum compendiaria ratione ita colligemus, ut in re nimis longa breviſſimi videamur. Ad has referentur cauſæ illæ, quibus immutantur, & alterantur corpora, nempe quæ vocantur admovendæ, educendæ, faciendæ, & incidentes, ex *lib. de tuend. val.* Adde & naturales, præternaturales, & non naturales, *lib. 3. de cauſis pulſuum*. Tum ſalubres, inſalubres, & neutras, ex *lib. artis parvæ*. Cumque aliam extare cauſam dictum fuerit, quæ interna eſt, aliam externam, obſervabimus haud externam lædere corpus, niſi præſentia interioris, hoc eſt antecedentis, quæ externæ vim, atque impetum foveat, ex *lib. de opt. ſecta*. Subjungam & illas, quas Galen. appellat in *lib. artis medicæ*, προφυλακτικὰς, hoc eſt præcaventes, quæ in ipſis conſiſtunt humoribus, quæque occaſionem exhibent, ut venturis morbis proſpiciamus. Verum cum de morbo acturi ſimus, quem multi, vel timore, vel infamiæ cauſa, vel verecundia, vel alia quavis ratione diſſimulant, cauſæ non tantum expoſitæ, atque perſpicuæ erunt dignoſcendæ, ſed & occultæ, modis adhibitis artificioſis, & quaſi extra artem medicam poſitis, uti ample docet Galen. in *lib. de ſimulantibus morbos*, & *lib. j. de præcognitione ex pulſibus*. Diximus extare tertium genus rerum præter naturam, hoc eſt ſymptomata, idcirco inveſtiganda ratio eſt, ut de his quicquam agamus. Ante omnia vero hæc differre ab accidentibus ſupponemus, ex his quæ ſcribit Galen. *lib. 1. Therapeut.* Horum enim nomen interdum generatim ſumitur, interdum ſpeciatim, & proprie, ex *lib. de Symptomatum differentiis*. Generatim enim ſymptoma eſt omnis à naturali ſtatu mutatio. Proprie vero eſt, noſtri corporis affectus, vel actionis oblæſio, vel utrumque ſimul. Adeo vero hæc ipſa interdum Symptomata urgere conſtabit, ut deſpecto morbo, primum dimovenda ſint, quinimmo & morbos deſumpſiſſe nomen

interdum à Symptomatis conſtat *lib. 2. artis curativæ*, quamquam ex ſe curationem non indicant, quod aperte commonſtrat *lib. 12. methodi.* Ex quo etiam loco graviores eorum differentiæ liquido conſtabunt, hoc eſt ubi vel actiones vitiant, aut in immodico exceſſu vacuatorum, & retentorum conſiſtunt, aut in ipſorum corporum affectu. Actionum ſymptomata triplicia ſtatuentur, nempe actionis abolitæ, diminutæ, depravatæ, *lib. 3. de Sympt. cauſis.* Ex his autem morbos cognoſci, atque eorum ſpecies conſtabit, ex *lib. 3. de criſibus*, ea ratione adhibita, quod hæc à morbis efficiuntur, quod patet legentibus lib. de conſtitutione artis, & de ſymptomatum differentiis, nam ſimilis fere ratio com .... rationis eſt, cauſæ ad affectum, uti affectionis ad ſymptoma. Referentur & ſymptomata quædam, quæ pathognomica dicuntur, hoc eſt paſſionem indicantia: quæ neceſſario morbos ſequuntur, eodemque tempore invadunt, ac fere affectuum eſſentiam attingunt, neque ab illis manentibus dimoveri poſſunt, quod abunde cognoſcere quilibet poterit ex Galeno, *lib. iij. de morbis vulgaribus*, & ex eo, qui *de artis conſtitutione* eſt inſcriptus. Extabunt & alia, quæ ſeparari poſſunt, ex quibus aut morborum diſcrimina ſuſcipiuntur, aut mores, aut magnitudo. Ad vires demum noſtri corporis gubernatrices me conferam, in quibus maxima, atque præcipua medici verſatur induſtria. Harum etenim robur ſemper eſt cuſtodiendum, neque enim alia eſt virium indicatio, ex *lib. viiij. methodi*, quinimmo maximus, hoc unum eſt, ac primus curativi medici ſcopus, quod aperte oſtendit Galen. *lib. xj. Therapeuticæ*, quoniam ad virtutem fovendam omnes medici actiones, & commenta diriguntur. Neque propterea inde efficitur, ut virtus nos doceat curationem moliri, ex quo illud ſequitur, ejus conſideriationem non ſimpliciter, ſed mediocri quadam ratione, medico eſſe neceſſariam, ſi Galeno fidem adhibemus, in his, quæ *nono libro Therapeutices* ſcripta reliquit. Servabuntur autem nobis vires, primum ſi quod ex illis detractum fuerit, vel immutatum correxerimus, deinde ſi, quod eas vel imminuere, vel immutare poſſunt, ne id faciant, prohibuerimus, doctrinam ſecuti, quæ eſt in *lib. xiiij. artis curatricis.* Ex *libro* autem *xij. ejuſdem tractationis*, vires conſiſtere ponemus tum in ſpiritibus, tum in ſolidorum corporum temperamento. Addenda quin etiam erit illa animadverſio, num morbus Gallicus ex eorum genere ſit, in quibus ipſa ſola virium tutela, ſit ſalus, necne, quod in quibuſdam morbis aliquando uſu venire aſſerebat Galen. *libro x. methodi.* Nam Gallica affectio pro ſymptomatum varietate, ac magnitudine, inedia ſola ſanari poſſe creditur, contra vero ob morbi longitudinem haud tenui victu utendum eſſe videtur. Ad tuendam autem virtutis conſiſtantiam, non modo ea ſervabuntur, quæ in cibi, & potus exquiſita ratione exhibendi, conſiſtunt, ſed & cætera illa, quæ diligenter & copioſe enumerat Galen. *lib. xiv. artis curativæ.* Sed enim quæ ad ipſam morbi curationem pertineant, quave methodo incedendum nobis ſit, quæ noſtræ induſtriæ altera pars eſt, tum qualis tradendorum ordo ſit futurus, in ſequenti capite quam potero diligentiſſime explicabo. Nolo enim legendo quemquam defatigari, quod ad officium pertinet, præſertim cum hæc omnia paſſim conſtent apud Galeni monumenta, ſintque à noſtræ ætatis viris eximiis ſemel, atque iterum aucta, atque explicata diligenter, nam multi præter veterum inſtituta, de ſuo largiuntur quotidie, largienturque in poſterum, ni fallor, cum rerum dicendarum copia, aut ſaltem recens earum ordo nunquam humanarum mentium indaginem deficiant. Quod ſi in aliis prodeſſe rebus ſtudii & contentionis noſtræ ratio non poterit, poterit tamen excogitatus nobis ordo, feliciora ingenia ad illuſtres magis, ac magis, excitare conatus. Quod ſi fato aliquo dabitur, laborum noſtrorum haud exiguum me tuliſſe fructum, quinimmo cumulatiſſimum, atque uberrimum exiſtimavero.

## CAP. III.

### *Quo ordine, quave methodo procedendum ſit in curatione Gallici affectus, ex veterum authorum monumentis, qui de re medica ſcripſere luculenter, additis locis Galeni.*

Haud inepte, & à Galeni præceptis aliena ratione, ſenſiſſe mihi videntur, qui morbum quemlibet curaturum dixerunt, oportere in maximis atque præcipuis hiſce rebus verſari, nempe affectæ ſedis cognitione, deinde affectuum præter naturam, & eorum cauſis, necnon futurorum præſagio, ac demum curatione ipſa, ſi ſpes ſanandi medicum non deſerat. Atque hæc ad tria genera retulerunt, dignotionem, prognoſticum & curationem. Porro ex his duo prima genera, cognitio inquam, atque prædictio, habitudines ſunt ad aliud, hoc eſt curationis cauſa, ſi Galeno credimus *lib. i. de ratione victus in acutis.* Curatio vero per ſeſe conſiderem videtur, quoniam ad ſanitatis poſſeſſionem, & morbi propulſationem ſtatim dirigitur. In Gallico itaque morbo nobis conſtituendo, ab hoc ordine minime recedendum erit. Ut autem in univerſalibus primum theorematibus verſemur, deinde ad particularium exercitationem deſcendamus, curationem variari pro locorum differentia, & affectuum præter naturam oſtendemus. Nam primum inſpiciemus, in ægris quæ pars corporis ſit affecta, rurſus num ex ſe, an conſenſione cum alia afficiatur, ex i. ac ij. lib. de patientibus locis. Habent & Græci voces illas pervulgatas, quibus utramque rationem referant, nam ſympathia eſt ipſa conſenſio, uti idiopathia, paſſio per ſeſe & propria dicitur. Sed, unde digreſſi ſumus, revertamur. Medici itaque conſideratio ab inſtrumento contaminatæ actionis ordietur, deinde ab ipſa, quæ jam lædit, affectione, ex *lib. i. de locis affectis*, quando ex utriſque tota curandi indicatio ſuſcipiatur, quod tertius ejuſdem tractationis liber demonſtrat. Noſcuntur autem inſtrumenta, ſive partes ipſæ (neque enim intereſt, ſi altero, aut altero nomine appelles, quando de nominibus nulla apud philoſophos, ac Medicos agitetur controverſia) ex earum natura, actione, facultate, compoſitione, connexione neque cum aliis, tum ex *lib. i. de locis affectis*, tum in eo de conſtitutione artis. Horum cognitio humani corporis ſectioni, quæ Græcis eſt anatome, accepta referri debet, quod antea dictum fuerat. Docet enim hæc præcipua medicinæ pars curare, & prædicere, ut vere aſſeruit Galen. *lib. ij. de anatomicis adminiſtrationibus.* Cæterum affecti loci cognitionem triplici genere exercitationis colligemus, hoc eſt, ex locis ipſis, ex cauſis, ex differentiis ſymptomatum, quod veteres medici ante Galeni tempora, ac Galenus ipſe tandem obſervat, ut traditum eſt ab eo *lib. ij. de locis patientibus.* Eadem quoque cognitio confert ad curationem, & præſagium, ex *lib. i. ejuſdem explicationis.* Sunt & affectæ partis propriæ quædam notæ, quibus deprehenditur actio læſa, excrementorum forma, loci poſitio, diverſa doloris ratio, & propria ſymptomata. Spectant ad hanc enumerationem ſexcenta loca. Verum, ne quis diligentiæ noſtræ fructum ullum deſideret, ad ea feſtinet, quæ ſcribit Galenus *lib. i. & iii. de locis affectis*, *ſexta parte Aphoriſmorum aph. v.* & Hippocrates *lib. vj. de morbis vulgaribus.* Dixi de inſtrumentis, ſive partibus affectis, ſed & affectum ipſum ex corporis diſpoſitione, natura, ætate, & conſuetudine, noſcemus. Inſuper & ex ſymptomatis, quod conſtat ex *lib. de differentiis ſympt. de conſtitutione artis*, & *iii. libro de judiciis.* Item excrementis, ſi morbus fuerit internus, ex primo de locis affectis. Necnon ex his, quæ præfuerunt, ex eodem loco, ac tandem ex proprietate accidentium, ex doloris modo, & natura partis lapſæ. De his autem ſigillatim, & copioſe diſſerere, ad eos pertinet, qui de arte tota præcepta tractare aggrediuntur. Sub his vero, quæ dicta ſunt, præſagitionem addemus, quæ ad medicinæ partem ſpectat, quæ σημειωτικὴ, Græcis vocatur. Hæc à morbo, & affecta parte, ſumenda erit, ut triplicem illum uſum adipiſcamur, propriæ dignitatis tuendæ adverſus infamiam, ægroti in nos obedientiæ, in morbum imminentem occurſus, quod Galenus aſſerebat *lib. i. præſagiorum*, & *de conſtitut. artis.* Prævidere autem debet medicus ſalutem & mortem, ſalutis, & mortis tempus, ac demum utriuſque modum, ex *lib. iij. de criſibus, primo ad Glauconem*, & *lib. iiij. de præſagiis ex pulſibus.* Vires autem laborantis erunt veluti hujus induſtriæ ſcopus ex *prognoſticorum lib. ij.* Vires autem quamquam ex multis ceu fontibus depromuntur, potiſſimum tamen ex pulſibus dignoſcentur, authore Galen. in *lib. de curatione per ſanguinis miſſionem.* Et ad prævidendum ſalutem, aut mortem, cæteraque antedicta, morbi magnitudo valde accommodata, non aliter quam ſi de bajulo, onus ſuſcipiente, num comportaturus ſit illud necne, an potius mole, & pondere preſſus caſurus ſit, judicium ſtatuere velimus. Quod exemplum Galeni eſt *lib. iij. de criſibus.* Magnitudinem autem morbi indicabunt partis laborantis præcellentia, affectus magnitudo, atque ejuſdem malignitas ex *iiij.* & *vij. methodi.* Qui autem in hoc genere laudis, quaſi ſtadio quodam ſeſe exercere voluerit, primum ſteneat oportet, quid ac quotuplex κρίσις ſit, hoc eſt judicium, ex *lib. j. epidemiorum* & *præſagiorum lib. iij.* atque aliis in locis. Item morborum tempora quatuor, cruditatis & coctionis ſigna, ſalutis & mortis, & quæ judicatoria vocantur. Ad hanc partem pertinere maxime putandum eſt, inſpectiones urinarum, egeſtionum, ſputorum, & pulſus, adhibitis eorum omnibus differentiis, quæ paſſim univerſos Galeni libros, & aliorum quoque ſcriptorum, multiplici cognitione, referſerunt. Quia vero Gallica lues, vel jam factam plenitudinem, utplurimum, in humanis corporibus ſequitur, vel aliqua mox illum comitatur, quæ morbi vim fovet, & ſuſcipit, hyeme præſertim, ac vere, ob id, utriuſque plenitudinis notas, nempe quoad vaſa, vel viribus comparatæ, atque earum differen-

ferentias ſupponemus ad Galeni ſententiam in *libro de plenitudine*, & *eo, qui de ſectione venæ* inſcribitur. Utramque autem evacuatione egere, in confeſſo ſit, ex *lib. de curandi ratione per ſang. miſſ.* plethoram nempe ſanguinis detractione, uti cacochymiam medicamento purgante, ex *lib. xiij. Therapeutices*. Jam vero de indicationibus curatricibus agendum veniet, in quibus tota medicinæ pars conſiſtit, quæ à Græcis ἰδιαστικὴ vocatur, hoc eſt curandi rationem inſtituens. Prius vero generalis illa occurret indicatio profligandorum morborum, quæ ex Hippocratis ſententia, ex contrariorum uſu perficitur. Hæc enim veluti curationis prima, & umbratilis dici poteſt configuratio. Nam quamquam privatorum morborum privata quoque ſit curandi cognitio, attamen, ut methodo agamus, anticipanda perpetuo eſt univerſalium indicationum ratio. Poſt id, auſpicabimur ab ea, quæ præter naturam facta eſt affectio, ut Galeni præceptum obſervemus *lib. iiij. methodi*, ab ea enim maxima, atque præcipua ſuſcipitur indicatio, in qua diligentis induſtriæ ratione, morborum illis differentias non ignorabimus, nempe ſimplicium, aut organicarum partium, aut utriſque communium, qui dicuntur in intemperie poſiti, organici, & continui divortium, horumque indicationes ſumemus, ex lib. omnibus de methodo, & lib. artis medicæ, & ex his, quæ ad Glauconem perſcripſit Galenus. Nec minorem eam exiſtimabimus, quæ ſumitur à laborante particula. Hæc enim tam magna eſt, tamque late patens, ut ars medica ex ea tantum longa cum Hippocrate merito dici poſſit. Nam partium affectarum cognitione adempta, ac penitus ſublata, medicina adeo brevis fieret, ut ſex diebus cuilibet diſci poſſet, ſi Galeno aſſentimur *lib. xiij. Therapeutices*. Affectorum vero locorum indicatio ea partitione commode ſuſcipietur, quæ ait, aliam ſumi ab affectæ partis temperamento, aliam ab ejus actione, aliam à figura, quartam à ſitu, quintam à ſenſus acumine, vel hebetudine, *lib. vij. artis curativæ*, & *ij. ad Glauconem*. Quæ omnia ſuas præſtare videntur indicationes proprias. Siquidem temperamentum nobis indicat, quanam ratione ſint corrigendi, atque emendandi lapſus, ſive receſſus jam facti in corporibus, tantundem alterantibus nobis per contrarium. Actio autem oſtendit, an ſpectet ad omnium animantis partium uſus, an quarundam, an unius duntaxat. Figura enunciat, quo pacto vacuandum ſit quod officit, ut ventrem vomitu, aut dejectione, veſicam per urinam, cerebrum per nares, atque alia ſimili modo. Situs præmonſtrat, quo modo auferenda ſit nobis intemperies ſolidarum partium, rurſus malorum ſuccorum vitium, ſive per ſumma corporis fuerit intemperies, ſive in profundum coacta. Senſus acumen facile indicat, patientem particulam diſſolvi vi medicamenti, uti ægre, quæ retuſi eſt ſenſus. Præter autem has indicationes, non item eas aſpernabimur, quæ ſumme ab ambiente nos aëre, ætate, vitæ ſtudiis, conſuetudine, regione, anni parte, & conſtitutione, tum ipſo affectus tempore. Sed generalis, atque una fuerit horum omnium indicatio, ut ea deligamus, quæ animantis naturæ maxime ſint accommodata, ſive ea cibaria ſint, ſive medicamenta, ea omittentes, quæ his omnino adverſantur. Addendæ etiam illæ fuerint indicationes, quæ à facultatibus partium deſumuntur, nam hæc plerumque curationem certam ſtatuunt, aliam atque aliam ſibi vendicantes, *lib. ij. ad Glauc.* Quia vero otioſa eſt omnino, atque inutilis partium corporis indicatio, ſi per ſe ſola ſuſcipiatur, citra medicamentorum cognitionem, cum haud ſufficiat ad morbos tollendos, ob id ſummopere eſt amplectenda, atque omnibus numeris abſoluta prædicanda, ubi eam cum methodo medicamentorum conjunxerimus, authore Galen. *lib. xiij. Therapeut.* Porro neque remediorum conferentium indicationem ſoli morbo referemus acceptam, quando idem affectus eorum rationem evariet, ubi in diverſis partibus ſuſcipiatur, ex *lib. de opt. ſecta*. Quinimmo à natura partis affectæ multiplicem deſumi auxiliorum indicationem docet eleganter Galen. *lib. vij. meth.* Medicamenti vero componendi interdum unica fuerit indicatio, ubi unus erit morbus, interdum vero contrariæ coibunt, pugnantibus inter ſe ſcopis, & affectibus, quod Galen oſtendebat *lib. xj.* & *xiij. artis curatricis*. Noſtri quoque fuerit inſtituti, affectus cauſam accurate penſitare, num illa adhuc permanens morbum efficiat, aut augeat, an omnino deſierit, etenim ut alterutro modo ſe habeat, permagni intereſt. Nam quæ à cauſa jam abolita ſumitur indicatio, inutilis omnino eſt nobis exiſtimanda *lib. iiij. methodi*, quæ vero à permanente & vere effectrice, maxime medico perveſtiganda eſt, ex *lib. de opt. ſecta*. Ad quæ pertinere videbuntur illa, quæ Galen. conſcripſit in *arte parva*, ubi ſublata cauſa, morbo relinqui unicam indicationem protulit, uti duas, ſi cauſa affuerit. Sed nolim quemquam putare, me nimis multa attuliſſe de indicationibus, cum etiam in re ſumme neceſſaria breviſſimus fuerim ne propoſitam compendii rationem pervertam. Id norunt, qui artem medendi profitentur, præſertim eam ſectantes, quæ à puriſſimis Græcorum fontibus emanavit. Etenim nihil in tota arte præſtabilius, ac omni laudis genere dignius excogitare poſſumus, hac una de indicationibus diſputatione, ſi ſexcenta Galeni loca perluſtraverimus. Sufficiat autem locus ille, pro innumeris, *lib. ij. methodi*, qui habet, eatenus fore medico neceſſariam indicandi rationem, quatenus medendi methodo finem artis opratum aſſequimur, per ipſam rite progredientes. Conabatur & Galenus eam definiens, appellare conſecutionis imaginem, ubi à natura rei ordimur, in *lib. de opt. ſecta*. Quo in loco, & eam dirimit ab experientia, oſtendens quam vim, & dignitatem obtineat. Accedit, quod ab illa generali indicatione, quæ ſemper ſumenda eſt à viribus, de illarum inſtauratione, aut cuſtodia, alia quoque ſuboritur de alimento exhibendo laborantibus. Hæc enim à ſummo vigore morbi, & viribus ægrotantium commode ſuſcipitur, ex *lib. x. methodi*: quamquam nutrimenti quantitas à viribus indicatur, qualitas vero non tam ab affectu, quam ipſa quoque corporis noſtri temperie. His ita ſe habentibus, ad propoſiti morbi Gallici curationem properantes, rationem cum experientia conjungere, ut per nos licuerit, adnitemur, hoc eſt, quæ de eo genere morbi indicationes, præſagia, & auxilia, ex veteribus recentioribusque ſcriptoribus, deſumi poſſint, curativis intentionibus deprehenſis (ut ajunt) afferemus. Affectum ex ſublatione cauſæ dimovebimus, ſublata plenitudine, ſi qua fuerit, aut venæ ſectione, aut medicamento purgatorio, aut utroque genere auxilii ſimul, ad longinqua revellentes, ad vicina derivantes, ſi opus fuerit, perpetuo tamen ſuppoſita morbi magnitudine, una cum valentibus viribus, ceu ſcopo mittendi ſanguinis, ex *lib.* 4. & 12. *methodi*. Medicamento autem purgante vacuantes, alvum primum leniter ſubducemus, fluidum corpus reddetur, concocta educemus, ſolventes partium imbecillitates contraria alteratione dimovebimus, addentur & ſex rerum non naturalium leges, in quibus non tam profligandorum morborum judicium, quam ſanitatis tuendæ ratio conſiſtit, ex *lib. artis medicinalis*. Quo autem pacto, qui Gallica lue laborant, ſint reficiendi, præſertim ubi convaluerint, quove uſu ſit eorum naturalis temperies cuſtodienda, explicabimus ad Galeni præſcriptum *lib.* 7. *methodi*, & *in arte parva*, ex qua tractatione facile colligemus omnia genera præſervatricium cauſarum, ut eas, quæ ad propoſiti noſtri rationem fuerint accommodatæ, deligamus. Abſolvi opus ſane quam longum, & aliis tentatum, quod forte minus probabunt alii, ſed ut ſpero, haud ſtudioſis inutile futurum, præſertim, cum in re omnium longiſſima, compendii rationem, recentique ordine explicatam, excogitaverimus. Ut autem ſit, placuit Galeni ſententias ſuis locis inſerere hoc in loco, ne poſtea in toto opere eſſent nobis proferendæ, quando non ad pueros ſcribimus, ſed ad medicinæ ſtudioſos, quibus hæc ipſa tum utilia, tum grata in primis fore ſperabam. Hæc autem non admodum pervulgata ſunt, uti neque valde recondita apud eos, qui Galenum manibus verſant non tam diurnis quam nocturnis, cujus induſtria, ſummumque ſtudium totam artem expolivit, atque ornavit in poſterum, præceptionum egregia atque illuſtri copia comparata. Interim dum ad ſpecialia magis ac propria mea feſtinat oratio, nobis faveant, ac bene precentur Philoſophiæ, ac Medicinæ ſtudioſi, quorum præclara exiſtimatione nihil mihi ſive jucundius, ſive etiam glorioſius, accidere poteſt.

## CAP. IV.

### *Nomen morbi in primis ſupponendum eſſe.*

Superfluum, ac perambitioſum fore exiſtimavi, velle, morbi nomen diu, atque multum recenſere, cum id ab aliis fuerit plene agitatum. Præſertim cum Galenus eos irrideat, qui nominum religionem tantopere conſectantur, quando de rebus, rerumque natura Philoſophi ac medici peritiores differant. Supponatur itaque nobis hanc luem ortam, & quaſi e tenebris ad auras revocatam fuiſſe, quod Hiſtoriæ ferunt, anno ſalutis noſtræ 1494. eo ſane tempore quo Galli numeroſiſſimo exercitu, duce Carolo eorum Rege, Neapolim obſederunt. Inde enim factum eſt, ut Gallicus morbus dictus ſit, ab exercitu Gallorum, qui paſſim hoc genere morbi periclitabantur. Quod cum Galli perciperent, convitioque ſibi, atque ignominiæ quodam modo verti id ſibi nominis exiſtimarent, morbum Neapolitanum eum magis appellabant. Id vero fatis ample teſtatus eſt pervenuſtus, atque elegans ætatis noſtræ poëta, Hieronymus Fracaſtorius, hunc in modum.

*Qui caſus rerum varii, quæ ſidera morbum*
*Inſuetum, nec longa ulli per ſecula viſum*
*Attulerint, noſtra qui tempeſtate per omnem*
*Europam, partemque Aſiæ, Libyæque per urbes*

*Sæ-*

*Sævit, in Latium vero per triſtia bella*
*Gallorum irruptt, nomenque à gente recepit.*

Cœpit autem hæc infectio eo quidem tempore emergere, nova tane, inſueta, atque auribus hominum, Italiæ præſertim, inaudita. Quod etiam ſuperioribus ætatibus, accidiſſe conſtat, aliis morborum generibus. Nam Elephas, & λειχὴν hoc eſt Lichen Italorum urbibus atque oppidis ignoti fuere morbi per eorum initia, cum tamen Aegyptiis populis notiſſimi, & familiares valde ſemper extiterint, cujus cauſa alio in loco diſquirenda eſt. Fomes vero hujuſce morbi fuit inordinatum regimen victus militum, nec non crebri Veneris complexus, cum meretrices quamplurimæ eo loci confluxiſſent, ſive quæſtus gratia, ſive ab Hiſpanis depulſæ, ob annonæ charitatem, ut nonnullis magis placet. Id enim ad nos, morbique cognitionem parum ſpectare videtur. Sat tamen eſt, tunc temporis primum in lucem Italis prodiiſſe, deinde Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Germaniam, Ungariam, Sarmatiam, ac cæteras orbis partes, peragraſſe, poſſeque jam non Gallicum amplius, ſed Europæum appellari. Indicio eſt, quod non modo occidentalem plagam invaſit, ſed & orientis partes nunc fere omnes hoc genere contagii infectæ ſunt, quando Veneti mercatores illud expreſſe referant, nullibi hanc peſtem ſævire magis, quam in pleriſque orientis civitatibus. Quibus eo magis fidem adhibeo, quo ego ſuperiore anno, virum allocutus ſum, qui Veneta quinqueremi vectus Syriam petierat, aromatum comportandorum cauſa. Quo in loco, hac lue correptus eſt, cum meretricis infectæ inibi commercium habuiſſet. Dicebat autem, poſt factum, audiviſſe ſe nullam eo in loco extare fœminam, quæ pernicie illa non laboraret, eſſeque ibi morbum fere incurabilem. Quod miſer ille, ſummo ſuo cum periculo eſt expertus, nam ſævitie tandem hujuſce affectionis, poſt multas conſultationes, & auxilia extinctus eſt. Sive ergo hic morbus Gallicus ſit vocandus, ſive Hiſpanus, ſive Italus, ſive Neapolitanus, ego nunc communem infectionem dixerim; cum jam orbem pene totum pervagarit. Id quod elegantiſſime poëta expreſſit, hiſce carminibus.

*Præterea & tantum terrarum tempore parvo*
*Contages non una ſimul potuiſſet obire.*
*Aſpice per Latii populos, quinque herbida Sagræ*
*Paſcua & Auſonios ſaltus, & Japygis oræ*
*Arva colunt, ſpecta Tyberis qua labitur, & quæ*
*Eridanus centum fluviis comitatur in æquor,*
*Centum urbes rigat, & placidis interfluit undis.*
*Uno nonne vides ut tempore peſtis in omnes*
*Sævit, & ut ſortem pariter tranſegimus unam?*
*Quin etiam externos eadem per tempora primum*
*Excepiſſe ferunt.* & reliqua.

Neque etiam magnam vim in eo facerem, ut morbum, vel peſtem, vel contagium, vel mentagram, vel ſcabiem, vel Variolam Gallicam appellemus, vel etiam Pudendagram, vel alio quovis nomine eum vocemus, ut Syphilidis, aut κακαφροδίτης, hoc eſt malæ veneris, nam controverſia à nominibus petita, uti Galeno medicorum præſtantiſſimo ſemper diſplicuit, ita parum, vel potius nihil, ad propoſitum noſtrum inſtitutum, pertinere videtur.

## CAP. V.

### *Primaria morbi origo.*

In incerto eſt, an hæc pernicies Gallos invaſerit primum, & ante alios, an potius per contagem fuerit ab aliis attracta. Nam non deſunt ſcriptores, qui ferant, tunc temporis habuiſſe ſuæ generationis primordia, hoc eſt bello Neapolitano, adduntque ex humorum malitia, valde noxia, irrupiſſe primum, qui humores, malo victu militum congeſti fuere, partim ex cibariis inſalubribus, & aquæ potu, & quidem cænoſæ plurimum, partim armorum calefactione & pondere, nec non manſione ſub cœlo, inordinato motu, & quiete, aëre indebite attracto, & eo quidem cadaverum putreſcentium fœtore, maloque habitu contaminato: Addunt etiam, Hiſpanos cæterorum hominum maxime callidos, atque ſagaces, jure belli, hoc eſt ſuperandi ſtudio, ſive etiam propriæ defenſionis, & præſidii cauſa, cum ſe longe numero impares Gallis eſſe intellexiſſent, Gallorum miniſtros pretio corrupiſſe, quo illis panem gypſo, & calce permixtum exhiberent, & fontium aquas, venenatis rebus adhibitis, interturbarent, unde mali ſucci, ac noxii humores, originem duxerunt, atque ex eo factum eſt, ut ferme omnis exercitus laborarit, commercioque militum inter ſe multi perierint, potiſſimum vero concubitu ſcortorum, ſicque ſenſim ad alios, atque rurſus alios delata eſt infectio. Verum, quod me minus in hanc ſententiam ducit, ea ratio eſt, non ſufficere novæ hujus infectionis cauſam attuliſſe militum inordinatum regimen, & coëundi licentiam, aut etiam veneforum uſum, militiæque incommoda, quando hæc in caſtris perpetuo ſpectari poſſint. Quis enim eſt, qui non intelligat, bellum, & caſtrametationem hæc, & majora incommoda perferre? nihilominus inauditum eſt hoc genus morbi, à conſimilibus cauſis, in lucem prodire. Aliis itaque videtur hunc affectum ξένον, hoc eſt peregrinum eſſe, & ab Hiſpanis invectum ex inſulis occidentalibus, quæ Indicæ appellantur, eo quidem tempore, quo Italia pene omnis, Gallorum bello, exardebat. Referunt enim, eos ex Indis perluſtratis, hanc pernicjem in Latium pertuliſſe, qui Chriſtophorum Columbum ducem, non tam hoc nomine, quam & ipſo cognomine, maxime dignum, ſecuti ſunt, novarum rerum, & telluris cupidi milites. Nam eo quidem in loco ajunt ſcriptores, regnare ſcabiem, quæ Gallico omni ex parte reſpondet. Præterquam quod inibi mitior paulo, & tractabilior longe videtur, apud nos vero ſævior, & curationis quam difficillimæ. Hanc eandem opinionem videtur feliciter admodum expreſſiſſe poëta ipſe, hoc modo.

*Dic Dea, quæ cauſæ nobis poſt ſecula tanta*
*Inſolitam peperere luem? num tempore ab illo*
*Vecta mari occiduo, noſtrum perveni' in orbem,*
*Ex quo lecta manus ſolvens de littore Ilcro*
*Auſa fretum tentare, vagique incognita ponti eſt*
*Æquora, & orbe alio poſitas perquirere terras?*
*Illic namque ferunt, æterna labe per omnes*
*Id morbi regnare urbes, paſſimque vagari*
*Perpetuo cœli vitio, atque ignoſcere paucis.*
*Commercl ne igitur cauſa acceſſiſſe putandum eſt*
*Delatam contagem ad nos, quæ parva ſub ipſis*
*Principiis, mox & vires, & pabula ſenſim*
*Suſcipiens, ſe ſe in terras diffuderit omnes?*

Sed enim opinio hæc ex eo maxime difficilis, aut ſaltem minus probabilis redditur, quod fieri non poſſe Fracaſtorius exiſtimat, ut tot ſimul infecerit provincias, tot orbis partes, & populos invaſerit, quod ille hiſce verbis teſtatur.

*At vero ſi rite fidem obſervata merentur.*
*Non ita cenſendum, nec certe credere par eſt,*
*Eſſe peregrinam nobis, tranſque æquora vectam*
*Contagem, quoniam inprimis offendere multos*
*Poſſumus, attactu qui nullius hanc tamen ipſam*
*Sponte ſua ſenſere luem, primique tulere,*
*Præterea & tantum terrarum tempore parvo*
*Contages non una ſimul potuiſſet obire.*

Eleganter quidem, & venuſte Fracaſtorius, ſed ad veritatis ſcopum, parum hæc ratio ſpectare viſa eſt illis, qui Gallicum fuiſſe Italis per contagium communicatum defendunt. Nam inquiunt, negandum eſſe quempiam extitiſſe in Italia, qui ſponte Gallicum fuerit perpeſſus. Potuiſſe tamen ab Hiſpanis ex Indis deferri, qui Gallorum exercitum infecere, ab illo vero & cæteræ nationes, commercio, centum præſertim annorum ſpatio, contaminatæ fuerunt. Ego vero putarim Fracaſtorium ita voluiſſe, ut in Aerem, & Aſtrorum inſpectiones, cauſam referret, ſive authoritatem eorum ſecutus, qui Gallicum ἐπιδημίαν, hoc eſt popularem morbum extare defendunt, ſive potius Aſtronomicæ diſciplinæ ſtudio, atque amore, quam illæ vehementer callebat, & profitebatur. Quod ejus Syphilides liber primus indicat apertiſſime. Verum non eſſe Gallicum Epidemicam affectionem, ſuo loco dicemus. An vero in Neapolitano bello ſponte ortus ſit, an potius delatus, illud conſtanter affirmo, non eſſe certam cauſam, quod hic morbus, ipſa ſola humorum per ſeſe malorum ratione, potuerit excitari, magis tamen rationi conſentaneum videri, ut potuerit ab Hiſpanis contagio deferri Neapolim, coëpiſſeque in Gallico exercitu ſævire, utpote majore, ac numeroſiore, Hiſpano, forte etiam licentiæ, deliciiſque majoribus dedito, quod jure & conſuetudine belli accidere ſolet, his præſertim, qui hoſtes primi invadunt, atque eos omni animorum ſtudio, & impetu aggrediuntur.

## CAP. VI.

### *An Gallicus morbus ſit, necne.*

Nominum & originis ratione expoſita, non inutilis quæſtio eſt, qua quæritur, an morbus, quem Gallicum vocant, revera ſit, an potius commentum aliquod ſit Medicorum recentium. Non certe hanc quæſtionem tractamus, ut in controverſiam ponamus ea, quæ luce ſui perſpicua ſunt, cum nemo ſollicitus, anxiusque eſſe debeat, aliis ſemper veritati adverſantibus, quod Ariſtoteles ipſe in Topicis dicere ſolebat. Etenim qui ſenſum negat, ſenſus pœnam dare tenetur, neque firmum habet cerebrum, qui ratiocinationes ſenſui videtur anteponere. Id autem proponitur, ut dementia eorum noſcatur, qui rebus quantumvis

tumvis manifeſtis, & notis ita adverſantur, ut Paradoxis magis, quam proloquiis oblectentur. Dicunt itaque nonnulli haud extare Gallicum morbum, ſed eſſe noſtrorum hominum illuſionem quandam. Nam quod Gallicum dicimus ajunt eſſe diverſas affectiones, quibus ætate noſtra, corpora corripiuntur, forte ob depravatam vivendi normam, & rationem noſtræ tempeſtatis. Quaſi quod ſuperiorum ætatum homines nihil adverſus tuendæ ſanitatis præcepta commiſiſſent, imo omnia ad unguem ſervaſſent, nihil voluptatis, aut ſenſus percepiſſent, ſed continenter, & moderate ſemper vixiſſent. Quod ſi dicere voluerint, ridiculi erunt putandi, cum Galenus affirmet ſæpius in *libris Therapeutices* homines ſui temporis corruptiſſimam habuiſſe vivendi rationem, deteſteturque Romanas ſuæ ætatis cœnas, comeſtationes aſſiduas, compotationes crebras, Venereos congreſſus innumeros, balneorum frequentiam, atque alia, quæ Satyricis ſcriptoribus laborem injunxerunt maledicendi, atque objurgandi. Verum eorum rationes audiamus. Si quis inquiunt, capillorum patiatur defluvium, Gallico laborare creditur, cum tamen Ἀλωπεκίαν, aut Ὀφίασιν, hoc eſt vulpinam, aut anguineam patiatur, aliam capitis affectionem. Si gummata vocata, hoc eſt tumores præter naturam habeat, profecto themata ipſa pati aut ſteatomata, aut melicerides, vel aliud his ſimile neceſſe eſt. Si pudendorum eroſione & carie infeſtetur, jam morbo laborat, Hippocrati, & Galeno perquam noto, cum Hippocrates pudendorum affectionem inter eas reponat, quæ æſtivo tempore fiunt. Si doloribus excrucietur patiens, qui ad articulos pertinent, cur articularis affectio dici illa non poſſit? Eſt itaque de Gallica lue contentio, de omnibus ægritudinibus inſtrumentalibus, & in intemperie poſitis, & in continuo ſoluto conſiſtentibus, communis controverſia. Nihil enim accidere aſſerunt, affectis hoc genere mali, quod apud veteres non fuerit & cognitum, & auxiliis interdum curatum. Qui, ſi non facile ſuccedat eorum, quæ dicta ſunt, curatio, ut evenire ſolebat antiquis, id fieri contendunt ex mala victus norma, temporibus noſtris obſervata. Addunt & terribile, atque horrendum hoc Gallici morbi nomen fuiſſe non tam imperitia Medicorum, quam aſtu, & calliditate repertum, quoniam cum ægritudinem veterem, aut illis ignoratam curare neſciunt, ſtatim Gallici afferunt argumenta, dicentes, ægrotum ipſum Alpes tranſegiſſe, cum rege Gallo conſœderatum eſſe, militiam Tranſalpinam exercere, atque aliis nugis ſexcentis à ſe excogitatis, ſatis eorum dignitati & judicio conſultum eſſe exiſtimant, ſi propriam ignorantiam, aliorum culpa, tanquam velo operiant, aut in aliorum crimen transferant, quod illi medicæ artis auxiliis conſequi minime poſſunt. Quod ſi forte objiciatur affectio in puero, aut puella, aut virgine intacta, illi inquiunt, Medicos ſtatim miſeratione quadam excitata proferre, id morbi vel à parentum procreatione fluxiſſe, vel nutricis lacte, vel commercio infecti, vel alia quavis commentatione adhibita. Neque obſtare contendunt, quod hic morbus in multis curari non poſſit, ſed eos ad rogum uſque inſequatur, cum dicant, & alias exſtare ægritudines impreſſas, & inſolubiles, quales ſunt, Podagra, Hectica febris, Aſthma, Comitialis morbus, articulorum dolor, inſania. Inſania eorum profecto eſt, cum ita dicunt. Nam omittamus omnino verum eſſe, cuncta hujuſce morbi ſymptomata fuiſſe veteribus, Hippocrati, Galeno, Paulo, Actio, Oribaſio, Rhaſi, Avicennæ, & aliis, plene cognita, hoc eſt, eos noviſſe dolores, puſtulas, caſum pilorum, capillorum defluxum, tumores, caries, bubones, callos, exanthemata, eroſiones, uredines, achores, & reliquos hujus Principis ſatellites, quis tamen eſt, qui non videat hunc morbum contagio & commercio ortum habuiſſe? immo & in præſentia eadem de cauſa fieri, atque foveri, præſertim ex concubitu, Veneriſque complexibus? Hoc autem, cum antiquis ignotum fuerit, putandum eſt omnino, horum ſymptomatum cauſam novam eſſe. Si nova eſt, (quia nunquam audiri potuit ex concubitu paſſiones illas fieri, ut ipſi etiam fatentur) novus erit qui inde provenit effectus, cum effectus ſemper cauſas inſequatur, novi novas, uti antiqui antiquas. Effectus autem, qui à cauſa fit morbificia, neceſſe eſt ut ſit morbus, præſertim cum proxime actiones lædat ac vitiet, igitur Gallicus erit morbus novus, quem in Medicorum inſcitiam, aut etiam ſagacitatem transferunt. Quod vero hæc infectio contagioſa ſit, præter rationes alio loco dicendas, præter communem omnium teſtificationem, qui de hac ipſa re copioſe, præter innumera exempla, quæ paſſim uſurpari poſſunt, hoc unum quod dicturus ſum juvenes meos, ſtudioſos præſertim, accipere volo, ac frequenti memoria repeterem, ut illis ſtudendi potius occaſionem præbeat, quam cum ſcortis diverſandi. Res autem ſic ſe habet. Juvenis erat, ætatis 22. annorum, temperaturæ ſanguineæ, corporis dexteritate, & viribus validioribus præditus, qui ſtudiorum cauſa Patavium venerat, ut philoſophiam profiteretur. Jam inſtabat Aſcenſionis feſtum, quod Venetiis omni genere pulcherrimarum rerum celebratur. Ab amicis invitatur, ſtudio viſundæ ſolemnitatis. Ille pecunia congeſta, Venetias it. Accerſitur à ſocio, ut puellam mirifice formoſam & elegantem ſecum adeat. Recuſat ille, ut erat omni vitæ candore & probitate præditus, alter vero recuſantem increpat, quod gallus non eſt, ſed capo, dicitque eum indignum eſſe, ut inter ſcholares numerari debeat. Ille ſe virginitatem adhuc ſervare aſſerebat, contra alius irridere cœpit talia proferentem. Juvenis vero, ut erat ingenuus, ac pudibundus, veritus ne à ſocio illuderetur, ad ſcortillum acceſſit. Erat meretrix perpulchra, & omni genere deliciarum referta, cœpitque illi blandiri, & crebris oſculorum repetitionibus, juvenem ad laſciviam, & concubitum excitare. Ille naturæ ſtimulis agitatus incenditur, & puellam tandem comprimit. Verum ut erat inexpertus, & verecundia perfuſus, ſemel tantum meretriculam agnovit, vixque illa attacta opus abſolvit, confeſtim inde recedens. Sequenti die præputio dolere cœpit, ille nil cogitat. Alia vero die indoluit magis, tandem adſpiciens videt levem quandam eroſionem, in altera glandulæ parte cum rubore, inde caries adnata eſt. Diebus 14 tranſactis bubo in femore ſupervenit, opem medicam implorat. Medicus cariem ſanat, bubonem præparat ad inciſionem, inciditur tandem, ſubinde exquiſita ratione expurgatur leniente pharmaco, præparante & ſolvente, facta quoque venæ ſecatoriæ ſectione, ſanus denique & ſalvus judicatur. Ille ſtudiis operam navabat, de Minerva potius quam Venere ſollicitus. Ubi vero menſes tres præteriiſſent; cœpit dolere totus ſecundum articulos, & depilari, ex quo ſupercilia, capilli, & menti lanugo tota concidit, factuſque eſt deformis, macer, livens, piger, ad motiones ineptus, mœſtus, gemebundus, & ad omnes actiones impotens, cum tamen ætatis, ac juventæ flore potiretur. Ille vero ſalſam periliam, cujuſdam Medici conſilio accepit, menſe februario, quo genere auxilii mitigatus eſt dolor, non ſublatus. Cumque morbi radices altius cerneret infixas, alterius Medici conſilio decoctum Guajaci aſſumpſit, circa veris dimidium, quo plene curatus, & judicatus evaſit. Dicant modo Paradoxorum defenſores, an hic morbus, ab hac cauſa emanans, ſi ex antiquis affectionibus, an novus, & inauditus? Si novus, cur in falſis eorum deliramentis perſiſtunt? & medicos damnant? ſi antiquus, cur Galenus, & Hippocrates, qui minima quæque, ceu egregii morborum pictores conſectantur, atque exprimunt, non hanc cauſam tetigere? Nam ſi viderimus *libros* Galeni de *ſymptomatum & morborum cauſis, deque horum differentiis, de locis patientibus, de judiciis, de temperamentis, de facultatibus naturalibus, de ſemine, de medicamentis ſecundum loca*, nec non & ſecundum genera, nihil profecto cognoſcemus, quod ad hanc infectionem ſpectare poſſit. Idem dico & in *commentariis Aphoriſmorum, acutorum, prognoſticorum, & epidemiorum*. Quod ſi adverſarii caſum negaverint, & ſenſum, jam indigni erunt, ut cum illis congrediamur, imo puniendi erunt potius ſupplicio ſenſus. Nam cogendi eſſent, ut cum meretrice, & impura agentes, tandem ſero ſaperent, & ab eorum ignorantia aliquando deſiſterent.

## CAP. VII.

### *An Gallica infectio Morbus proprie dici debeat.*

Proxima præcedenti inſania eſt eorum, qui hanc ipſam affectionem negant eſſe de genere morborum. Eorum major ratio eſt, ſi morbus eſt, vel in intemperie, vel in ſoluto continuo, vel in organicis partibus conſiſtit, nullo ex his modo conſiſtit, idcirco morbus non eſt, aſſumptio ex his conſtat, quæ à Galeno in *libris Therapeuticæ artis* conſcribuntur, non enim morbus eſt, qui ſub ea partitione non continetur. Quod vero Gallicus morbus non ſit ex illis alter, ea perſuaſione confirmant, quod nullam habet conſiſtentiam determinatam, ac præfinitam, in aliquo horum trium generum, quod omnibus aliis affectionibus contingit. Nam ſi temperamenti vitio emanaret, cur tumores, & caries, & bubones & defluvium pilorum induceret? ſi ſolutio eſſet continui, quomodo in quibuſdam abſque ulcere, & dolore fieret, ſola intemperie? Quod vero non ſit morbus in indecenti conformatione partium, numero, magnitudine, aut compoſitione, id omnium conſenſu ex ſe conſtat, neque diſquirenti ullum negotium faceſſit. Oppoſitum vero dicendum vult rei veritas: Nam ſi lædit actiones, non modo illas principes, quæ ſunt vitalis, animalis, naturalis, ſed etiam membrorum proprias, ſequitur ut morbus ſit dicendus, ſi vera ſunt, quæ à Galeno traduntur *libro ſecundo artis curativæ*. Neque eorum audienda eſt opinio, qui dicunt, Gallicum eſſe morbum compoſitum ex omnibus his, quoniam ſi dicant, neceſſario fieri, ut lædat omnes di-

ctas actiones simul, id falsum est, & experientiæ contrarium, cum non semper id videri possit: si vero compositum, & communem esse eum velint, ea de causa, quod potest tam in partibus similaribus quam dissimilaribus reperiri, jam non magis eum compositum facient, quam sit ipsa destillatio, quæ ob varias actionum læsiones, & loca nostri corporis, potest diversas sortiri appellationes, quod tamen ipsi non admittunt. Nos vero dicimus, Gallicum esse morbum in intemperie (quæ vero hæc sit, suo loco tradetur) constituendum, ad quam postea sequi possunt læsiones multæ partium nostri corporis similarium & dissimilarium, sive ob intemperiei modum, & rationem, sive ob susceptientium membrorum præparationem, mollitiem, vicinitatem, & ipsam etiam imbecillitatem. Est itaque Gallicus inter morbos non solum reponendus, verum etiam in Arce ipsa, & summo veluti fastigio collocandus, cum regalis affectio sit, βασιλικὸς etenim & crudeliter agit, cum omnes actiones lædere possit, cum homogeneas, atque heterogeneas partes vexet, cum tam multis accidat, ac demum cum tot, tamque varia symptomata illum consequantur, habeatque causam unde fiat, quæ alibi disquirenda erit. Itaque ad Galeni imitationem, hoc modo methodum exerceamus. Hæc infectio manifeste, ac proxime lædit humani corporis actiones, igitur necesse est, eam esse morbosam affectionem, ac vere morbum appellari. Quia vero morbus omnis affectus est in corpore naturali, ob id causam habeat omnino est necessarium, cum omne quod fit, unde fiat, causam & originem quandam teneat Galeni decreto *libro primo Therapeuticæ*. Rursus cum experientia, ministroque sensu videamus, Gallicam infectionem plurima consequi accidentia necesse est, ut dicamus, eam sua habere symptomata, quæ illam uti umbræ, & comites insequantur. Sunt autem inter accidentia, potissimum enumeranda hæc omnia, dolores, achores, gummata, uredines, verrucæ, calli, crustulæ, dentium casus, profluvium pilorum, & capillorum, lichenes, rhagades, ulcera, tophi, ossium caries, pustulæ, papulæ, bubones, gonorrhœa, pudendi erosio, atque alia, de quibus uberius tractandum erit, cum res, atque usus postulabit. omnia autem hæc à medico primæ classis, hoc est rationali, sunt diligenter tractanda, præsertim vis, & natura morbi, quod per ejus convenientem definitionem, facile consequemur, cum definitio ea res sit, quæ esse uniusque rei explicat, si Aristoteli in resolutoriis, & Galeno in *arte parva*, fidem adhibemus. Id enim pertinet maxime ad eam quæstionis partem, quam τὸ τί ἐστι, id est, quod quid est, appellant.

## CAP. VIII.

*Qua ratione, & methodo, tenenda sit nobis definitio morbi Gallici.*

Quamquam Aristoteles asserebat in postremis resolutoriis, viam divisivam nihil concludere ex necessitate, idem tamen Platoni assentiens constantissime affirmavit, eam summo usui, incredibilique utilitati esse, in colligendis partibus definitionis. Nam genera congrue dividentes per differentias, ea omittimus, quæ aliena sunt nostro proposito, & ea tantum assumimus, quæ opportuna sunt, sicque certis gradibus procedimus, usque ad ἄτομον hoc est individuam speciem. Quod si constituenda sit Gallici morbi definitio, primum, sub quo genere sit collocandus, disquirendum est, deinde ad alia procedendum. Cum autem Gallicus sit res præter naturam, quæ vero hujusmodi sunt, vel sunt morbi, vel causæ, vel symptomata, morbi autem sunt, qui depravant primum actiones, igitur cum Gallicus primum vitiet actiones, necesse est ipsum sub morbo contineri, tanquam sub communi genere. Priusquam autem ad cætera pergamus, ex Hipp. & Galeno, scriptoribus summa fide dignissimis, nonnullæ morborum differentiæ sunt tenendæ, ut cognoscamus, ad quam illarum potius sit Gallica lues referenda.

## CAP. IX.

*Morborum quædam differentiæ, huic proposito apprime utiles.*

Morborum plurimas exstare differentias, apertissime docuit Galenus, cum in commentariis Hippocratis, tum in his, quæ ex professo de hac re conscripsit. Quæ vero ad institutum præsens faciunt, hæc & tot sunt. Alii enim organici, sive instrumentales vocantur, vulgo officiales dicti, quoniam instrumenta naturalia magnitudine, forma, compositione, & numero vitiant, quibus partes nostri corporis, quæ Græcis dicuntur ὀργανικὰ μόρια, seu dissimilares, afficiuntur. Alii exstant morbi, qui in intemperie consistunt, & partes depravant similares, sic dicti, quod à morbosa intemperie ortum habeant. Præter hoc sunt illi, qui in soluto continuo esse dicuntur, quos partes tam ὁμοιομερεῖς, hoc est similares, quam ἀνομοιομερεῖς; vocatæ, seu dissimilares suscipiunt, & ob id communes etiam morbi à nonnullis vocantur. Atque hæc vetus est, & trita eorum partitio. Rursus neque illa prætermittenda est divisio, qua habemus morbum alium esse universalem, alium particularem. Universalis est, qui omnes corporis partes afficit, ut febris, quamquam determinatum ac certum habet membrum, in quo residet, & est cor. Alii sunt particulares, qui duplices sunt, vel enim uni tantum parti congruunt, non autem alii, ut ophthalmia, quæ oculi est, ozæna narium, tinnitus aurium, podagra pedum. Vel partem occupant indifferenter corporis, ut abscessus, ulcus, vel alia hujusmodi. Sunt & ex morbis simplices alii, qui unicam causam habent, alii compositi, qui plures. Simplex est, exquisita tertiana, quæ à pura, simplicique bile efficitur. Compositus, ut non pura tertiana, quæ causam habet bilem cum pituita permixtum. Cum vero plures morbi in unum coëunt, ut febris quartana, cum fluxu sanguinis per alvum, complicatus morbus dicetur magis, quam compositus, quamquam hæc nomina interdum vicissim confunduntur. Rursus ex morbis sunt, qui acuti, & qui diuturni vocentur, item qui peracuti. Peracuti sunt, qui post quartum diem, vel paulo ultra, non protenduntur. Diuturni vero, qui terminum acutorum excedunt, mensurantur & solis motu, hoc est annorum numero. Acuti duplices sunt, vel simpliciter acuti, vel intercidentes vocati. Priores sunt, qui xiiii. diebus terminant, intercidentes vero, qui usque ad xxxx. producuntur: lunæ circuitus sequentes, si Galleno credimus, in *libris* quos *de judiciis*, & *judicatoriis diebus* conscripsit. Morborum etiam differentiæ esse possunt, quod alii peregrini sunt, & invecti, alii germani & proprii, ut elephantiasis, quæ Ægyptiis propria est affectio, nobis autem communicata, peregrina dici potest. Accedit, quod morbus alius est novus ac recens, antiquus alius. Est enim antiquus omnis, qui à veteribus cognitus fuit scriptoribus artis medicæ, ut φθίσις, sive tabes, costalis dolor, calculus renum. Novus vero à veteribus ignoratus, cujus causa ab eisdem discussa non fuit, neque attentata curatio: ut maculæ illæ nostri sæculi, quæ pestilentes febres concomitantur, papulæ & peticulæ vulgo dictæ, quamquam ego hoc symptoma, in veterem causam referam, in libello de ægritudinibus nostræ ætatis propriis. Verum nunc de exemplis volumus esse valde anxii. Aliis item videtur morbos ex ejus ætate trifariam dividi posse, quoniam alius est novus, alius novissimus, alius antiquus. Novum vocant, qui annorum centum spatio continetur, novissimum, qui intra terminum hunc in lucem prodiit. Antiquum qui sæculi spatium pertransit, ex quo ortus est, aut ad auras revocatus videtur, cum antea latuisset. Addebat Galenus in *lib. Epidemiorum*, exstare morbum communem (communem autem nolumus hic illum, qui partium corporis relatu universalis est, ut febris, nam de hoc genere satis actum est in præcedentibus) qui pluribus communicari solet, ut cum multis hominibus eandem civitatem, vel regionem incolentibus eodem tempore advenit squinantia, vel costalis passio, vel articulorum dolor, vel item aliud. Vocatur autem hic morbus ab Hippocrate communis, à Galeno vero popularis, quoniam cum multis habet communionem, & vulgo passim grassatur, nam & epidemialis affectio est, quæ sævit in populum. Est & morbus alius, qui ex eo, quod σποραδὸν efficitur, ob id etiam sporadicus dicitur, cum eadem regio, alio, atque alio genere morborum laborat, v. g. hic pleuritide, ille angina, alius fluore alvi. Ex communibus quidam sunt, qui jugiter, ac perpetuo regionem infestant, ut Memphiticos pestilentia, contra alii desinentes sunt, ut si æstatis tempore, alvi profluvio laboret hæc regio, quod appetente autumno, vel hyeme solvatur. Alterius vero generis communes morbi, endemici & endemiales vocantur. Quorum causas Hippocrates vult esse aërem, locum & aquam. Atque hi sunt, qui perpetuo regiones infestant ob aëris, & aquæ depravatam constitutionem, quæ semper eodem modo mala se habet. Qui vero non semper regionem vexant, causas habent desinentes, hoc est aërem, aquam, & locum, quæ non semper noxiam habent constitutionem, & modum, sed ex accidenti alterata sunt, atque hi sunt, quos Hippocrates & Galenus epidemiales vocant. Qui ad anni tempora relati, quadrifariam postea dividuntur, nam vel æstivi sunt, vel verni, vel autumnales, vel brumales. Epidemialis morbus, duplex etiam reperitur. Quidam mitior est, quidam sævior. Mitior, ut si tussis, vel scabies, vel lippitudo, vel aliud simile, populum invadat. Sævior autem, cum major pars laborantium exstinguitur, ut in pestilentia contingit, in quo malignitas quædam conspicitur, & contages. Atque hæ sunt morborum differentiæ supponendæ nobis, deligendæ modo sunt illæ, quæ ad propositum nostrum spe-

spectare omnino videntur. Ita enim fiet, ut quæsitæ affectionis vim, & naturam commode teneamus.

## CAP. X.

*Sub quo genere morbi contineatur Gallica infectio.*

Cum Gallicus morbus non semper efficiat solutionem continui, profecto dici non potest, ut sit affectio in dissoluta unitate consistens. Assumptio experientia apertissime confirmatur. Quod vero neque conformationem, magnitudinemve, neque numerum, aut compositionem necessario vitiet, id per se manifestum est, quo circa neque morbus organicus dici potest. Quia vero Gallicus morbus habet symptomata, quæ perpetuo intemperiem consequuntur, ut paulo post ostendemus, hinc ex suppositione concludamus, esse morbum, qui intemperies noxia est, & depravata. Atque hoc est proximum genus Gallici, intemperies scilicet. Neque hoc dixerim, ut velim definientes uti duplici genere, nam proximum genus accipiendum est, remotum autem solum cognosci debet, ut sub illo proprium magis deligamus. Qui enim definit ternarium, dicebat Arist. *in resolutoriis*, non ignorat genus remotum, hoc est quantum: illud tamen in definitione non assumit, sed proximum, hoc est numerum. Item Avicenna febrem definiens ajebat, febris est calor accensus in corde &c. pro genere calorem usurpans, cum proximum sit, non autem dicebat, febrem esse morbum, qui calor est accensus in corde. Nam genus remotum supponitur, & potestate in genere proximo continetur. Quod si actu veniat in usu, debet rectius in definito assumi, quam in definitione collocari. Nam poterat dicere Avicenna, febrilis morbus est calor accensus in corde &c. Sic definimus morbum articularem, morbum coitalem, & morbum Gallicum. Nam omnes scriptores ita appellant, & definiunt, usurpantes particulam illum morbum, cum re definita. Concludamus igitur, proximæ rei nostræ genus esse intemperiem, quæ prior erit definitionis pars, atque hæc sufficiant de prima morborum divisione. Si autem quæratur, an sit morbus corporis partibus comparatus, universalis, vel particularis, dicendum est, eum esse particularem, cum determinatum membrum occupet, quod hepar esse suo loco demonstrabitur: licet ejus symptomata variis communicari partibus possint nostri corporis, atque ea ratione fieri quodammodo universalem. Eodem modo satis constat hunc simplicem esse, non compositum, cum unicam habeat causam internam, intemperiem scilicet solam, aut etiam externam, contactum. Ex se autem nullam rursus habet complicationem, cum simplex sit affectio. Quod si adveniat casu quodam, alium morbum patienti, ut fluorem alvi, vel podagram, jam complicatus, & connexus dici poterit. Quia vero neque in quarta die necessario terminatur, neque xiv. neque etiam xxxx. sed longe amplius protenditur, hinc est, ut diuturnus sit morbus vocandus, non autem de genere acutorum, neque minus ex peracutis. Numquid vero ξενικός, id est, peregrinus sit, & nobis invectus, an potius sponte ortus in Italia, profecto dubitatio est discussione digna. Inclino tamen in eam partem, ut ex Indis sit delatus communicatusque, eo quidem tempore, quo Hispani illum detulerunt, & Gallicum exercitum, Neapolim obsidentem, infecerunt. Constat enim Indis hunc esse communem morbum, atque illis nativum. Si vero ambigat quis, nunquid sit novus, an novissimus, an antiquus, profecto dicendum est, eum non esse novissimum, cum jam sæculum repleat: non item antiquum, cum Hipp. & Galeno fuerit ignotus. Erit itaque novus, quia annorum centum spatium non pertransit. Postremo cum neque aëris vitio, neque loci, aut aquæ malignitate noxia producatur, necesse est, ut neque ille endemicus morbus sit, neque epidemicus, (ut nonnullis visum est) neque etiam sporadicus, sive disseminatus. Quocirca inter morbos illos communissimos vocatos non est reponendus: cum determinatum viscus habeat, in quo resideat, jecur scilicet & venas, neque ab elementis, sed à sola contage ortum habeat. Per communionem tamen asserendum omnino est, Gallicum diversas partes nostri corporis respicere, nam ossa, cutim, & junctiuras impetit, item caput, thoracem, pudenda, os, linguam, & palatum vexat, interdum pulmones, & ventriculum, quarum partium communis affectio ab hepate emanat, ceu fonte primo, & præcipuo infectionis. Neque eorum sequor opinionem, qui dicunt Gallicum esse ἄδηλον morbum, hoc est incerti generis, quoniam suapte natura occultus est, & ambiguus, cum modo solutio continui, modo intemperies esse videtur. Itaque ob hanc causam, vagum, & errantem morbum eum appellant, diversis ejus accidentibus, & noxis adducti, quas humano corpori afferre videtur. Quin imo posthabita rei natura, ad fabulas vergunt Poëtarum, cum tamen in re maxime seria loqui ἰσοδαιμόνως debuissent, eum quasi Protheum, vel Chameleonta describentes, quoniam varias formas, atque figuras, quasi pro suo arbitrio, suscipere solet. Nam & ipsa quoque destillatio ob varias ejus læsiones & loca, communis morbus esset dicendus, quod tamen illi negant, cum certum membrum habeat, unde emanat. Conferentes itaque manum, dicimus Gallicum esse intemperiem, non organicum morbum, aut continui dissolutionem, particularem partim, partim etiam universalem, ex se simplicem, non compositum, diuturnum, non acutum, aut peracutum, peregrinum, non nativum, novum non antiquum, item non endemicum, non epidemialem, neque disseminatum, sed contagio corporum, & perfricatione productum, quo quidem modo communis quodam modo dici potest.

## CAP. XI.

*Invento genere Gallici, quærendas esse differentias.*

Supposito itaque genere hujusce affectionis, quod intemperies est, colligendæ sunt quoque ejus differentiæ, secundum quas universa morbi natura, atque substantia cognoscitur. Præsertim cum differentia εἶδος, hoc est formæ locum teneat, uti ὕλης, sive materiei, genus, si Aristoteli & Porphyrio credimus, imo & Galeno, qui suas definitiones, eodem artificii genere constituit, necnon & Avicennæ, & medicarum definitionum collectori. Differentiæ autem intemperiei quatuor sunt (omitto enim simplices, & solas compositas intelligo) calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca. Verum cum Gallicus neque calida & humida sit, neque frigida & humida, neque frigida & sicca intemperies, relinquitur eum esse calidam & siccam. Assumptio hoc constat argumento, nam omnia, quæ in Gallico visuntur, sive signa, sive symptomata, exustionem indicant apertissime, exustio calidi est, non frigidi, idcirco Gallicus erit intemperies calida, non frigida, deinde sicca, non humida, cum exustio illa insignis sit admodum, quæ nonnisi à certo gradu caloris fieri potest cum siccitate conjuncto, quoniam humidum, imbecillem atque hebetem semper reddit calorem. Constat igitur, morbum hunc esse intemperiem calidam & siccam. Quia vero morbi sunt passiones præter naturam corporis naturalis, passiones vero accidentia sunt, in definitione autem accidentis, præsertim proprii, convenit adhibere ὑποκείμενον, hoc est subjectum, cum subjectum accidenti collatum, vicem sortiatur differentiæ & formæ, ut author est Aristoteles *lib. vii. rerum post naturalium*, ac *primo* ἀναλυτικῶν *posteriorum*, & hoc ipsum observat Avicenna, dum febrem definiens, subjectum cor adhibuit, hoc modo, febris est calor præter naturam accensus in corde &c. idcirco & nos Gallici membrum, partemque præcipuam (mineram nostri vocant) dicimus esse jecur, ac venas, cum per illas, ab hepate transmittatur noxia qualitas ad reliquas corporis partes. Erit igitur intemperies calida & sicca hepatis, & venarum Quamquam non adhuc integra, atque absoluta est definitio, quoniam neque reciproca, siquidem non omnis calida & sicca intemperies, Gallica dici debet infectio, ob hanc causam, addendum aliquid est, quod eam absolvat, ducatque ad atomam, hoc est individuam speciem.

## CAP. XII.

*Quænam sit ultima differentia, quæ Gallicæ infectionis definitionem reddat undequaque reciprocam.*

Qui hujus morbi vim, & naturam conati sunt explicare, ac veluti commendare posteritati, vario quidem modo ejus definitionem proferre contendunt Cujus rei causa est, morbus tam reconditus, tamque obstrusus, ac sensum nostrum effugiens, unde excusandi potius, quam incusandi sunt illi, qui à scopo aberrarunt, nec, quod maxime cupiebant, assequuti sunt. Horum autem, pro varietate opinionum, diversæ quoque adductæ fuere definitiones, ut infra ostendemus. Qui vero morbum hunc consistere in intemperie, (quamcunque posuerint intemperiem, hoc est, calidam vel frigidam, humidam vel siccam) dixere: hi pro extrema differentia aliquid excogitare aggressi sunt, quod repleat definitionem, ac reciprocam faciat. Primum vero sunt illi, qui certum ὅρον, hoc est terminum, quem vulgo gradum vocant, hujus intemperiei calidæ, & siccæ constituunt, quem dicunt esse nobis incognitum, & à quo lues Gallica accipit esse formale vocatum, gradum vero illum (sic enim & nos appellabimus uti à communi usu non abhorrentes) temperamenti proprietatem esse dicunt, quæ rationem specificam facit, & ob id necesse est, ut dicamus, definitionem sic

esse dicunt, quæ rationem specificam facit, & ob id necessе est, ut dicamus, definitionem sic esse proferendam, Gallicus morbus est intemperies calida & sicca jecoris, secundum quendam gradum nobis occultum. Quam definitionem primum voluisse Montanum constat, virum omni genere virtutum præcellentem, deinde & alios, qui adhuc supersunt, probatissimos, ac in medica arte professores eximios, quos etiam plurimum colo. Hæc autem additio mihi summopere probatur; quamquam bifariam possent eam reprehendere, qui in re medica subtilitate oblectantur. Primum enim, quod illa definitio videtur ad commune refugium tendere, hoc est, proprietatem occultam. Sic enim unumquodque definiri posset, ad ea, quæ occulta sunt, recurrentibus nobis. Galenus proprietatibus ignotis, quantum potest, sæpius abstinet, deridetque earum occultationem. Alia quoque ratio est, quo minus placere possit, quod partes definitionis nullæ occultæ esse debent, quoniam definitio debet explicare definitum, atque illud distincta ratione proponere, si ergo ignotum gradum dixeris in definitione Gallici, jam rem ignotam per aliam ignotiorem patefacies. Neque obstat, quod dicunt, ultimas rerum differentias ignotas esse, quoniam ex illis non conduntur definitiones, sed ex his, quæ illas circumscribunt, ut si definias hominem, quod sit animal rationis compos, mortale, circumscribis ignotam differentiam, ex illis verbis, rationis compos, & mortale, quæ ignota nobis non sunt. Verum adhuc defendi potest propolita definitio, neque obstant quæ dicta sunt. Nam dicimus, vanum esse ad proprietates occultas confugere, ubi excogitari potest res manifesta. Neque item Galenus irrideret proprietatem specificam, quæ in magnete est, dum ferrum trahit. Rursus secundæ objectioni dicimus, haud tenere argumentum, quod in definitione ponatur particula ignota, hoc est gradus temperamenti, nam ille tacite subintelligitur, non autem expresse profertur in propolita definitione. Quod si etiam expresse id fieret, dicendum quoque esset, gradum illum esse nobis ignotum, naturæ vero perspicuum. Verum quæ definitionem constituunt, debent esse secundum naturam manifesta, non autem qua ad nos: imo definitum circulum, dicebat Aristoteles, notius esse nobis, quam ejus partes definientes. Sit ergo hunc in modum firmata, & constituta Gallici definitio. Neque etiam displiceret nobis, ut hoc modo proponeretur, Gallicus morbus est intemperies calida & sicca jecoris, à tali contagio producta. Sic enim per propriam contagii rationem commode definitur, ceu ex modo proprio, quo gignitur. Nam quid vetat, ut etiam ab externis causis, ne dum à modo, quo efficitur, non possit res ipsa definiri? Etenim causæ omnes definitionem constituunt, modique ipsi differentiarum locum obtinent, authoribus Aristotele, Platone, & Galeno. Id propterea dico, quod alibi constabit Gallici modum, quo fit, esse contagium, sed hæc, & tot nobis, de ipsa rei quæsitæ definitione, dicta esse volumus.

## CAP. XIII.

*Subjecta materia Gallici quænam sit, hoc est pars affecta, secundum aliorum opiniones, quæ XII. sunt, & confutandæ.*

Cum diversæ exstiterint opiniones authorum de morbi hujus vi, & natura, necesse etiam fuit aliam, atque aliam exstare sententiam, de subjecta illius parte, quæ pars est nostri corporis, subjectum vero morbi, ob id itaque non inutilis quæstio est, quæ de hac ipsa re proponitur. Etenim dicebat Galenus, medicum teneri, diligenter noscere affectæ partis constitutionem, ac temperamentum, si velit suas σκέψεις, & considerationes curativas probe elicere. Quocirca, pauca quædam, de hac ipsa re, in medium I afferemus. Nam qui Gallicum esse Avicennæ Albotim, seu Græcorum τέρμινθον, quem furunculum vocant, credidere, hi crura dicunt esse membrum, quod per se & primum inficitur. Quæ opinio ex eo confutanda est, quod interdum hic morbus superiores nostri corporis partes occupet, II cruribus illæsis. Qui vero voluere, eum esse scabiem illam, quæ Saphatum apud Arabas est, materiam subjectam caput esse, defendunt. Improbandi vero sunt ea ratione, quoniam Gallicus interdum sedes corporis infernas occupat, integris & sanis manentibus superioribus III partibus omnibus. Qui ἀρθρῖτιν, id est articularem esse morbum dicunt, junctiuras, articulos, & perioistia, asserunt subjectum esse. Falluntur autem, quoniam citra dolores articulorum fieri potest, præsertim tunc, cum solas pu- IIII stulas inducit, & cariem. Quibus visum est Gallicum idem esse cum Pfora, his quoque videtur subjectum esse cutim. Ex eo vero decipiuntur, quod Gallicus intacta cute plerumque contingit, & quidem sæviissimus, ut accidit his, V quorum contages in profundum sese recipit. Qui vero epidemialem morbum esse voluere, subjectum dicunt esse pudenda, saltem plurimi. Horum rejecta fuit sententia, cum diceretur Gallicum non esse endemicum, neque epidemicum morbum. Item ex eo falsum id esse constat, quod homines sæpenumero inficiuntur, pudendis bene se habentibus. Rursus qui elephantiasim dici contendunt, VI subjectum statuunt esse cutim universi corporis. Redarguuntur vero ex his, quæ paulo post nobis dicentur, quod hæc lues non ita horribilem reddit aspectum hominis, nec tota ejus cutis crustis obtegitur, interdum & citra omnem cutis infectionem accidere solet. Minus vero eorum sa- VII tisfacit opinio, qui dicunt, morbum hunc esse τὸ ἐνεῖναι, hoc est in universa corporis nostri substantia, quam modo formam nostri corporis appellant, modo substantialem essentiam, modo etiam formalem habitum. Eorum ratio est, quod hic morbus universam corporis substantiam lædit, hoc est, partes omnes similares, atque dissimilares. Confirmant ex eo, quod non sanatur hæc lues nisi rebus formali substantia, sive specifica proprietate conferentibus, B ut est Guajacum lignum, salsa perilla, & cætera hujus generis. Verum interrogandi essent, quid per ipsam hanc ἐνεῖναι, sive substantiam intelligant? vel enim κρᾶσιν, hoc est temperamentum totius corporis accipiunt, vel substantiam, quæ ab accidentibus separatur, vel cum accidentibus conjunctam? Si temperamentum, jam sibi adversabuntur, cum hi nolint hunc esse morbum in intemperie. Si substantiam accidentibus denudatam, hac quidem pati non potest, cum omnis substantia afficiatur ratione qualitatum tertiæ speciei, quæ sunt passio & passiva qualitas, ab Aristotele in cathegoriis appellatæ. Quod si substantia fuerit qualitatibus prædita, hæc autem est congeries ex humoribus & elementis, quæ cum nil aliud sit quam corporis, inde efficitur, ut necessario hunc morbum statuant in ipsa intemperie, quod illi magnopere contendunt non esse dicendum. Aliis visum est, caput esse morbi sedem præcipuam, & ut illi dicunt, adæquatum subjectum, ratione hac adhibita, quod caput est, quod primum depile appa- ret: quod maxime dolet: quod pustulis integitur: quod C tumoribus afficitur: demum, quod maxime pulsantibus arteriis, spirituum inflammationem indicat: cujus item vitio oculi caligant, aures tinniunt, nares obstruuntur, ὀζαίνας, & erosiones subeunt, fauces exulcerantur, os & palatum perforantur, lingua carie intabescit. Verum nullius ponderis hæc ratio erit apud eos, qui multoties intellexerunt, hæc non primum interdum capiti accidere, sed post bubones & glandis cariem. Accedit, quod omnes hujus artis scriptores dicunt, plerosque Gallico laborare, citra omnem capitis læsionem: non itaque hoc erit propria & determinata pars laborans. Nonnulli autumant, VIIII hanc luem esse solutæ continuitatis affectum. Qui si interrogarentur, quodnam sit membrum nostri corporis, quod primum, & necessario afficitur, puto eos respon- suros universum continuum. Ea vero ratione id asserere visi sunt, quod in Gallico pustulæ, ulcera, crustulæ, caries, erosiones, putredines, marcores, sanies, verrucæ, atheromata, dolores etiam clamosi, foramina palati, D & linguæ, ac cætera apparentia cum solutione continui fiunt, vel ipsæ etiam sunt solutiones. Puto tamen, eos etiam, qui parum in hac arte exercitati sunt, facile posse illorum rationes evertere. Nam demus hæc, quæ dicta sunt, ut revera est, fieri in Gallico affectis, quis tamen est, qui nesciat etiam sine his Gallicam perniciem accidere posse? Hominem novi, qui cum infectam compressisset pluribus, reiteratisque vicibus, absque dolore, tumore, ulcere, carie, aut bubone, cœpit ad omnia piger & segnis evadere. Accessit & illi mœror animi diuturnus, & virium labefactatio. Quarto nondum mense peracto depilatus est totus. Ille vero cum nollet pharmaco, nec venæ sectione curari, neque consuetis auxiliis uti, quasi irridens puerilem Gallicum, devenit in malum quendam habitum, imbecillitatemque universam virium, præsertim ventriculi labefactationem, quam diu passus est: Guajaci vero potu Venetiis à præstantiss. Medico liber factus est. Sed ratione agamus, non esse tuendam horum opinionem. Si universum continuum laborat, vel causa propria laborat, vel ratione intemperiei, vel vitio mem- E bri demandantis. Si ratione propria, affignanda erat causa ab his, cur id fieri possit, quod tamen non ausi sunt fecisse. Si causa intemperiei, non erat id ad continuum referendum. Si vitio membri demandantis, illud profecto erat primum subjectum Gallici, non aliud. Existima- X runt alii non inferioris classis authores, Gallicum consistere in soluta unione hepatis: quod falsum esse cognoverunt peritiores Anatomici: qui hepata infectorum marium, & fœminarum diligentissime secuere: neque tamen ullam continui solutionem cognoverunt, in eorum viscеribus. Quamquam alii testantur, se ex anatome percepisse, jecur viri infecti, scabie & pustulis veluti quiousdam affectum. Atque ego memini vidisse, cum 18 ætatis

tis meæ annum agerem, meretricis insignis sectionem Patavii, cujus hepar altera ex parte scabiosum pene totum erat, cum tamen nil aliud incidentibus magistris, aut intrinsecus, aut extrinsecus appareret, quod præter naturam exstaret. Fœmina erat pinguiusculi habitus, candore corporis eximio prædita, cui amator zelotypiæ causa gulam fregerat. Quia vero satis constabat eam meretriciam artem exercuisse, forte 30. annorum spatio, (agebat autem illa annum 46. ut ferebatur) omnes eam suspicabantur non semel tantum, sed pluries morbo Gallico laborasse: & ut erat benefica, & rerum suarum liberalis, eam purabant sua plurimis poscentibus, atque requirentibus, bona distribuisse. Interea secatur mulier, extruditur jecur, rei exitus summa cum attentione expectatur. factum autem est, ut intuentibus nobis, nulla in visceribus noxa visa fuerit, præter scabiem, in convexa jecoris parte. Hæc autem etsi vera sunt, raro tamen id evenire testatur Anatome ex experientia: ad quam transmittendi sunt illi,
XI qui de hac re ancipites esse non desinunt. Dixere alii, Gallicum esse malorum omnium veluti σύνοξιν, hoc est copulationem, ac veluti congeriem quandam. quoniam cum hac illuvie omnes ægritudines complicantur: immo omnia accidentium, & symptomatum genera: suntque illi, quibus placet hunc morbum communem esse dicendum, habereque pro subjecto singulas nostri corporis partes, & particulas. Ut autem intelligatur magis, verbum commune usurpant, communem morbum distinguunt in eum, qui totum corpus occupat, ut febris, vel lepra: quæ communes sunt ad corporis partes omnes simul relatæ. Est & communis morbus ad totam speciem collatus, qui eodem tempore potest diversos homines, diversæ ætatis, & sexus simul corripere: sub quo genere Gallicum reponunt. Sed recentiores hunc damnant opinionem ex eo, quod sæpius una & sola pars corporis laborat: item si ita communis esset, omnibus medicamentis simul adhibitis sanari oporteret: quod profecto non est, cum sua habeat propria auxilia, sibique maxime accommodata. Nos autem dicimus actu hunc morbum proprium esse, cum sedem unam ac præcipuam teneat, quæ hepar est, potestate vero communis est, cum multos simul afficere possit, nec non &
XII multas, imo & omnes corporis partes. Postremo fuere aliii, qui Gallicum dicunt esse morbum πλανητὸν, vagum, ancipitem, & erroneum, neque sub determinato genere esse collocandum, ea persuasione adducti, quod modo unam partem corporis, modo aliam affligit, atque impetit. Quæ opinio, si certum membrum neget, in quo morbus resideat, falsa omnino dicenda est, ut paulo infra constabit. Si vero ob symptomatum ejus varietatem, & multiplicitatem, ambiguus dicatur, id potestate quadam affirmare possumus, & per quamdam veluti similitudinem: proprie autem eum habere determinatam sedem, & viscus dicimus, quodnam autem sit illud, proxima indicabit pertractatio.

## CAP. XIV.

### *Vera opinio de parte nostri corporis, quæ præcipue læsa est in lue Gallica.*

Quæramus modo nos, quodnam sit membrum proprium, & perpetuo affectum. Hic autem oportet meminisse, atque animo repetere eam distinctionem de his, quæ sub certa scientia cadunt, quæ & Aristotelis est, *libro primo de posterioris resolutoriis*, quadrat tamen & consentit, omni ex parte sui, proposito nostro. Quæ à nobis noscuntur, ea quidem vel semper, atque uno modo sunt, vel utplurimum, aut etiam perraro existunt. Atqui perraro existentia, neque definitionem suscipiunt, neque demonstrationem, unde efficitur, ea neque sciri posse, neque arte ulla comprehendi: cum artium principia universalia sint theoremata, quæ certum finem respiciunt, atque opus. Sciuntur vero, atque artis judicium subeunt, quæcunque vel semper vel sæpius sunt, quum & definiuntur & demonstrantur. Idem quoque in Gallici morbi cognitione, quæ ad medicam artem pertinet, usu venire solet. Nam si hujus affectionis sedem, locumve proprium, artificiosa ratione deprehendere volueris, non ad ea, quæ raro in eo contingunt, vel modo sunt, modo non sunt, te ipsum conferas necesse est, sed quæ vel semper, vel utplurimum fiunt, observanda sunt. Quamobrem, si caput languere diceris in eo genere morbi, vel corium, vel etiam pudenda, hallucinabere: utpote, qui rem contingentem, atque interdum factam, pro necessaria, vel frequenti usurpas. Quod si in hujusce morbi constitutione, perpetuo observaveris exustionis signa, quæ universum morbum sequuntur, atque ejus symptomata quot quot exstant, verbi gratia, bubones, caries, gummata, pustulas, ac cætera hujus ordinis, jam artificiosa ratione colligere poteris id vitii ad sanguinis naturam, & formam omnino spectare. Sanguis vero ab hepate, ceu à proprio fonte, ortum habet, estque naturalis illius facultatis opus, itaque necesse est, hepar una cum universo sanguine, esse Gallicæ affectionis propriam sedem. Atque hæc physica ratione dicta sint. Docebat autem Galenus, Erasistratum sequutus *lib. ii. de locis patient.* qui loci affecti cognitionem, & morborum curationem aggredi vult, eum omnino debere in tribus potissimum exerceri, quæ sunt, naturæ partium cognitio, causarum & dispositionum inspectio, symptomatum atque eorum differentiarum opportuna collectio. Cæterum, partium cognitionem præstant earum substantia, situs, formatio, quod Galen. in *lib. de constitutione artis* asseruit. Prima autem ratio inveniendi locum affectum sumitur ab actione læsa; deinde sunt excrementorum species: quam sequitur partium positus: subinde doloris modus: postremo propria, quæ illis accidunt, symptomata. Hæc autem è Galeni fontibus petenda sunt. Neque item illud venit dissimulandum, affectum esse interdum proprium, idiopathiam Græci vocant, interdum vero non proprium, ob communem sympathiam, consensionemve. Nam si continens fuerit affectio, propria dicetur, uti consensione facta, quæ hoc modo minime se habet. Age vero ad propositi nostri rationem, eadem methodo utamur. Nam si partes non unæ corporis nostri Gallice infecti, laborant, sed aliæ, atque aliæ, verbi causa, cutis ulceribus corripitur, aut pustulis, articuli doloribus infestantur, palato, & linguæ, erosiones, atque ulcera contingunt, caput, atque ejus ossa, dolorem & solutionem patiuntur, capilli concidunt, pudenda ficis & cariebus læduntur, dentes exstirpantur, manus ac pedes lichenis & rhagadibus fœdantur, tophi præduri, ac lapidosi innascuntur, ossa carie marcescunt, bubones & seminis fluor patientes viros invadunt, iidem quoque verrucis torquentur, tum sexcentis aliis symptomatis, quorum catalogum præsentis non est recensere instituti, necessario efficitur, hunc morbum, si multiplex non est, sed à propria substantiæ suæ ratione & forma unitatem recipit, ut tot tantæque dispositiones ab aliquo principum membrorum, cujus vitio unus est morbus, producantur. Hæc autem in cordis lapsum referri non possunt, quia hæc affectio citra vitalis facultatis noxam provenire potest. Potest & præter animalis functionis culpam accidere, nunquam vero absque naturalis facultatis vitio, igitur Hepatis causa efficitur. Atque una hæc ratio ex læsæ actionis vitio desumitur: cum argumentatio omnis, quæ partium naturam & substantiam considerat, ad affectus hujus cognitionem parum, vel nihil pertinere videatur. Rursus ex symptomatum varietate, & eorum ratione, libet hunc in modum ratiocinari. Etenim si naturalis facultatis actiones sunt attractrix, retentrix, concoctrix, assimilatrix, expultrix, atque hæc ab hepate, ceu communi fonte, corrivantur, quæ Gallicæ passionis vitio depravantur, aut imbecilles redduntur, opus est, jecur esse affectionis sedem præcipuam, ac maxime primam. Facultates vero illas hepatis labefactari, hoc genere morbi, judicant apertissime hæc symptomata, membrorum torpor, gravitas, color depravatus, dolores, ulcera, pustulæ, verrucæ, rhagades, caries, bubones, lassitudines spontaneæ, dentium casus, capillorum defluvium, gummata, tophi, gonorrhœa, ossium corruptio, ac cætera hujusmodi, atque hæc naturalis facultatis culpa efficiuntur, idcirco necesse est, hepar membrum esse, quod præcipue laborat. Adde, si libet enumerare hujusce morbi incommoda: qui ita laborant, segnes & invalidi ad omnia redduntur, noctes agunt insomnes, aut insomnia patiuntur horrenda, tristes & cogitabundi vitam ducunt, pallentes fiunt, & lividi à naturali statu immutantur, sanguis à bono ad malum & præternaturalem habitum convertitur, plurimis reduudant excrementis, ac demum tanta fit naturalium facultatum labefactatio, ut vis attractrix alimenti copiam respuat, ægre retentrix contineat, concoctrix non conficiat, similatrix abunde non apponat, expultrix, quæ noxia sunt, minime propellat. Si itaque humorum generatio, atque immutatio, hepatis opus est, hæc autem quæ in Gallica lue fiunt, ad humores immutatos referuntur, oportet, jecur esse hujusce affectionis originem. Læditur etenim forma, hoc est, hepatis temperamentum: quoniam Galenus partium formationem & substantiam, ad temperamenti genus tantummodo referre soleat: quamquam illud minime ignoro, formam alia considerari ratione à Dialectico, & post naturali Philosopho; sed à Medico nonnisi, uti proxime dictum est, cognoscitur. Hæc itaque, cæteris aliis tutior ratio inveniendi sedem affectus Gallici mihi videtur, quæ à læsis actionibus (cæteris prætermissis minime conferentibus) & symptomatis colligitur. Quod vero exustio omnia Gallici symptomata consequatur, tusius alias, ac copiosius ostendemus. Sat sit tamen, quam sequimur, opinionem leviter attigisse, ne studiosos in re necessaria remoremur. Verum ut nunquam aliena mihi propria adscribere volui (id enim inopis, atque infelicis est ingenii) ita libe-

re fateor, nolle me hanc unam opinionem meæ fidi diligentiæ acceptam referre, quoniam ab aliis discussa fuerit & tractata diligenter: profiteor tamen, me eam pro viribus defendere: præsertim, cum rationes circumferantur multæ, quibus nonnulli nituntur eam pervertere, ac funditus de medio tollere. Ut ut autem sit, rem judicabunt studioli, qui nulla animi perturbatione affecti, incorruptam judicii formam & rationem sequuntur.

## CAP. XV.

*In quibus conveniat Gallica infectio cum quibusdam aliis morbis, & in quibus differat.*

Similitudinis ratio sæpenumero deceptionis causa exstitisse videtur. Idcirco nemini mirum esse debet, si scriptores varii, varias quoque sequuti sunt opiniones de lue Gallica. Id enim magna ex parte accidisse puto, ob hujus morbi cum aliis conformitatem, parilemque conditionem: sævioribus præsertim, & à quibus magis homines abhorrent. In primis enim convenit cum Alboti Avicennæ, B sive Termintho Pauli, & Aëtii, in qua quidem Alboti, pustulæ conspiciuntur crustulosæ, atque subrubræ, estque affectio cruribus familiaris. Qua similitudine decepti sunt, qui voluere Gallicum non esse novum morbum, sed antiquum, videntes illum sævissime tractare crura, imo ad unguem Albotim imitari. Verum quammaxime inter se differunt, quod Alboti crurum tantum affectus est, Gallicus vero & crura, & caput, & medias corporis partes, interdum simul, interdum seorsum affligit. Convenit item cum Sahafato Avicennæ, quæ scabies altera est: in quo crustulæ capiti innascuntur plurimæ: Succeditque illis dolor & gravitas capitis una cum defluvio capillorum, & contagiosus est omnino. Differt autem, quod altera species sahafati, quæ solum caput occupat, Gallicus dici non potest, cum ille & crura, & partes corporis medias, petere valeat. Ab eo vero sahafato, (est enim altera species, lichen Græcis) quod universum corpus occupat, ex eo separatur, quod pili, qui hujusmodi affectione concidunt, non amplius reflorescunt in cute, aut ægre, parceque renascuntur, in Gallico vero resurgunt collapti. Unde ridiculum illud, & in aliorum periculum, facete dictum emanavit, Gallico laborantes ad instar Phœnicis renovari. Magis vero constabit horum differentia, si sahafatum Tinea est, hoc est, Græcorum λειχὴν, ut recentiores asserunt chirurgi: quibus ut assentiam, me movet eorum cum ratione conjuncta authoritas. Consonat item cum dolore articulari, quoniam in Gallico junctura dolent, & clamosi excitantur cruciatus, quo adducti sunt nonnulli, ut crederent hunc esse morbum articularem, qui à Græcis ἀρθρῖτις appellatur. Differt vero, quod articulares dolores remediis tolluntur qualitatibus manifestis agentibus, calidis præsertim, & siccis, cum humor fuerit crassus, & lentus, Gallicus vero his curatur, quæ à specifica proprietate illi adversantur, ut Guajaco, Salsi, china, atque aliis. Rursus & hic morbus, citra omnem articulorum dolorem, accidere solet interdum. Accedit quod in chiragra, & podagra, tophi gypsei sunt, in Gallico ossem habent duritiem. Consentit cum Psora, in qua pustulæ teretes, & subrubræ excitantur, squammæ decidunt, & crustulæ plurimæ, ac insignis sequitur pruritus. Longe tamen inter se distant ex eo, quod in Gallico sunt atheromata, ossium putredo, dolores, caries, atque permulta alia, quæ in psora non visuntur. In ea quoque adsunt pustulæ, subjectam carnem corrumpentes, dum cadunt, Gallicæ non adeo subjectam carnem vitiant. Postremo remedia hujus, non sunt illius salutaria auxilia. Similis etiam videtur epidemialibus morbis. Nam cum epidemica affectio sit, quæ passim vulgo grassatur, hoc est, qua laborant cujuscunque ætatis, sexus, atque ordinis homines, causa adhibita ex elementis, aëre præsertim, & aqua, item & sole, pari quoque ratione Gallico corripiuntur, cujuscunque generis homines absque sexus, ætatis, ordinis & fortunæ discrimine. Quam quidem sententiam, primi hujusce morbi scriptores, & magistri sequuti sunt. Quia vero epidemiales affectus, ab Hippocrate distincti sunt, secundum quatuor anni tempora, idcirco addunt hi, non esse hunc, epidemialem hyemalem, non vernum, non autumnalem, atque hoc indiciis, & passionibus, quæ horum temporum propriæ sunt, ex Hippocrate deducunt, igitur dicunt, erit æstivus: maxime vero cum æstivo tempore accidant putrefactiones pudendarum partium Quod vero hic morbus possit in communes causas epidemialium referri, ex eo constat, quod hic videtur ortus, ex aëris putrefactione, ob inundationes, quæ eo tempore, non tam plurimæ, quam etiam maximæ, in Italia contigere Amplius, si mundus hic inferior, superioribus lationibus attiguus est, ut ab illis regatur, immo cœli motus, ceu inferiorum vita quædam esse solet, ut autho est Aristoteles, putandum omnino esse videtur, ut hic epidemialis morbus dici debeat, cum ab elementorum alteratione, & noxia qualitate originem duxerit: conspirantibus præsertim iniquis astrorum inspectionibus, & motionibus superiorum orbium. Quandoquidem ferunt, inchoante hac pernicie, cœli faciem totam, ac pene omnem siderum, stellarumque congeriem ussam esse id mali indixisse terris, mortalibusque minitasse. Nam Mathematici omnes, eo tempore observarunt, astra noxias habuisse inter sese conspectiones, atque cœli infelices mansiones. Quod, quia à recentioribus scriptoribus, diligenter relatum fuisse intelligo, ob id, ne trita & vulgata passim recensceam, prudens præteream necesse est. Sufficiat autem unius Poëtæ testimonium, quod ita se habet.

*Cujus forte suo sit cunctas ordine causas*
*Nosse cupis, magni primum circumspice mundi*
*Quantum hoc infecit vitium, quod adiverit urbes.*
*Cumque animadvertas tam vastæ semina labis*
*Esse nec in terræ gremio, nec in æquore posse,*
*Haud dubie tecum statuas, reputesque necesse est*
*Principium, sedemque mali consistere in ipso*
*Aëre, qui terras circum diffunditur omnes,*
*Qui nobis se se insinuat per corpora ubique,*
*Suetus & has generi viventum immittere pestes:*
*Aër quippe pater rerum est, & originis author,*
*Idem sæpe graves morbos mortalibus affert,*
*Multimode natus tabescere corpore molli,*
*Et facile affectus capere, atque inferre receptos.*

Posse vero elementa ab astris immutari, paulo post hunc in modum, ostendit.

*In primis tum sol rutilus, tum sidera cuncta*
*Tellurem, liquidasque auras, atque æquora ponti*
*Immutant, agitantque: utque ipso sidera cœlo*
*Mutavere vicem, & sedes liquere priores*
*Sic elementa modis variis se grandia vertunt.*

Quod vero Gallicus, originem duxerit primam, ab astrorum defluxu, sive potius eorundem lumine, ac motu, id expresse testatur his verbis.

*Concussus olympus*
*Intremuit, tactusque novis defluxibus æther*
*Paulatim aëris tractus, & inania lata*
*Accepere luem, vacuasque insuetus in auras*
*Marcor iit, cœlumque tulit contagia in omne.*
*Sive quod ardenti tot concurrentibus astris*
*Cum sole, è pelago multos, terraque vapores*
*Traxerit ignea vis, qui misti tenuibus auris,*
*Correptique novo vitio, contagia visu*
*Perrara attulerint: aliud sive æthere ab alto*
*Demissum late aërias corruperit oras.*

Ego vero tanti non sum, ut astronomorum placita irridere audeam, eorum præsertim, qui rationibus physicis, & mathematicis adhibitis, nihil casu, aut temere pronunciant. Præsertim vero, cum Galenus ex solis, lunæque motionibus, totam dierum crisimorum rationem colligat (quicquid Miranduanus comes, Italica phœnix, vocatus, de hac re conscripserit) velitque morbos, luminum horum circumvolutione, terminari universos, acutos scilicet lunæ, & diuturnos solis motione, quod non fieret, si horum inferiorum eventus superioribus corporibus non referantur accepti. Dicam tamen medicis rationibus excogitatis, ex eo Gallicum differre ab epidemialibus morbis, quod ille perpetuus est, ac toti orbi κοινὸς hoc est communis, hi vero, neque perpetui sunt, neque orbem replent: cum natura pati nequeat universalem elementorum ἀλλοίωσιν, aut etiam putredinem, pro universi harmonia, temperatione, ac conservatione tuenda. Nam quamquam elementa vices patiuntur, secundum eorum partes, ex toto autem immutari nequeant, cum universi partes, & membra esse Physici affirment. Quod nos interdum, cum juniores essemus, ac jucundissimum musarum otium nacti, ausi sumus exprimere hisce numeris, quos referam, ad Physicæ rationis confirmationem potius, quam nostri ingenii ostentationem.

*Adspice ut immenso labantur sidera cœlo,*
*Utque sibi varios peragant errantia cursus*
*Legibus æternis, spatiosa in sæcula, miro*
*Ordine, sic Diis, & Fatis poscentibus ipsis.*
*Utque suo semper liberetur pondere tellus,*
*Alluit Oceanus, liquidus quam circuit æther,*
*Occultisque fovet cœli vis ignea flammis.*
*Quæ nec tempus edax, nec jam longæva vetustas*
*Immutare queunt, sæclis labentibus, aut hæc*
*Officiis variare suis: quorum ordine pulchro*
*Alma parens natura, suas producit in auras*
*Tot rerum facies, gremio quas concipit alto,*
*Seminibus variis, arcana & mente recondit.*
*His ergo æternis rerum moderatur habenas*
*Principiis, late & vastum contemperat orbem.*
*Cum tamen adspicias, rutili modo lumina solis*

*Nube tegi denſa, tenebroſa & nocte recondi,*
*Et modo tellurem ſiccis ſqualleſcere glebis,*
*Inzemere & longum pelago freta lata ſonante:*
*Necnon aërios tractus, per inania, ventis*
*Miſceri, & crebris collidi nubila flammis,*
*Non tamen ex toto ſolvuntur, ſed ſibi certo*
*Tempore, reſtituunt violatæ fœdera pacis:*
*Uſque adeo rerum cauſas & ſemina prima*
*Omnipotens genitor validis firmaverat olim*
*Legibus, atque operi longum proſpexit amato.*

Differt etiam Gallicus ab eo morbo qui ἑπτάμηνος, id eſt, æſtivus dicitur, quoniam hic univerſas anni partes, æqua fere ratione, inſequitur, ille vero æſtatem duntaxat. Quod ſi æſtate corrumpantur, exulceruntur pudenda, id fit à ſola, & ſimplici qualitate caloris æſtivi temporis, citra omnem contagem, Gallicus vero una ſit cum contagio, & in quocunque anni tempore; longe itaque alia eſt horum cauſa, ſigna, modus, & ſymptomata. Accedit quod Gallicus fieri poteſt citra putredinem pudendorum, non itaque par ratione eſt eorum; neque idem generationis modus. Expreſſe hoc ipſum indicant lactentes pueri, qui ſola ac B ſimplici lactis, infectæ nutricis, ſuctione, hoc morbo ſæpiſſime, citra omnem pudendi offenſionem, corripiuntur. Plurimi ex earundem communium veſtium uſu infecti ſunt, vel etiam cum ſocio dormientes, præſertim exſudante. Alii vero ſolis oſculorum ſuaviis, lingua præſertim utrinque micante, morbum tulerunt, ſalivæ, aut ſaniei facta inter eos communicatione, abſque pudendi noxa. Conſonat item lues hæc cum elephantiaſi, quoniam cum utroque hoc morbo puſtulæ fiunt horridæ, quæ cutim inæqualem, & aſperam reddunt. Pili & capilli defluunt, efficiturque homo, utriuſque adventu, deformis, aſpectuſque horribilis. Quique à parentibus alterutro infectis procreantur filii, morboſi ſunt, ægreque curantur ambo, & contagioſæ ſunt ægritudines. Mira profecto ac magna eſt hæc accidentium conſenſio, ingenue fateor: verum ex eo fallax eſt ſimilitudinis ratio, quod multa ſunt, in quibus differant Gallicus, & elephantiaſis. Etenim hæc coitu non attrahitur, ut ille: neque in ea accidunt articulorum dolores, gummata, bubones, caries, atque alia hujus ordinis plurima. Gallicus item contingere poteſt citra omnem cutis deformitatem, & corii cruſtas, ac puſtulas. Medi- C camentis, quibus alterum tollitur, non ſanatur alterum. Inſanabilis eſt elephantiaſis, Gallicus utplurimum curatur. Illa horribilem reddit humanum aſpectum, hic non adeo, quin immo, cum depilatur quis Gallico affectus, junior evadit: cutis huic mollis, illi aſpera, color hunc ſequitur varius in multis, pro humoris exuſti ratione, illum ſemper idem, & æqualis, hoc eſt cineritius, ac lividus. Poſtremo in elephantiaſi totum corium iuncitur, in Gallico vero pars illius duntaxat. Ex his itaque concludendum eſt hunc non eſſe in veteres morbos referendum. Nam quamvis ſimia eſt aliarum affectionum, ab illis tamen commode diſtinguitur, ſi rationis, & intelligentiæ opem exercemus, cum diverſam habeat cauſam, modum, generationem, & ſymptomata. Qua vero ratione factum ſit, ut hic ſit aliorum morborum æmulator, & ſimia, non admodum cognoſcere, difficile eſt, nam cauſa eſt ſimilitudo accidentium: ob innumerabilem quaſi congeriem Gallici accidentium. Nam cum ille ſit morbus magnus, ac ſævus, occupetque membrum, ac viſcus noſtri corpus præcipuum quod jecur eſt, naturalis facultatis organum, & officina D ſanguinis, quæ univerſas alit corporis partes, cumque ex malis in eo humoribus ingenitis, ac cæteris partibus communicatis, lædi poſſit cor, ventriculus, pulmones, nervi, articuli, caro, oſſa, cerebrum, & cutis, nil mirum, ſi innumera ſunt ſymptomata, quæ illum ſequuntur, quorum plurima & aliis conveniunt affectionibus, unde ſimilitudinis ratio deſumitur. Ex quo recte eos dixiſſe puto, qui Gallicum poëtice deſcribentes, hunc eſſe veluti Protheum, aut Chameleonta dixere, qui variis formis, & coloribus immutatur. Sed de poëticis comparationibus alias: quoniam medicus rem totam ſerio proſequatur.

## CAP. XVI.

*Diverſæ Gallici deſcriptiones adducuntur, pro diverſitate authorum.*

Differentiæ opinionum, diverſas quoque deſcriptiones morbi hujus attulere, ſtudioſis judicandas. Etenim I qui putant hunc eſſe terminthum, ſic definiunt. Gallicus E morbus eſt, qui crura fœdat, atque exulcerat, contagioſus affectus, confutata eſt hæc deſcriptio in præcedentibus, neque opus eſt de novo telam retexere. Qui voluere hunc II eſſe ſahafatum, ſic dicunt. Gallicus morbus eſt ſcabies contagioſa, caput ulcerans, ac depile faciens. Rejecta autem & hæc fuit, in ſuperioribus, nobis. Quibus placet, ut articularis morbus dicatur, hi hoc modo deſcribendum putant. Gallicus morbus eſt contagioſa affectio III articulorum, dolorofa atque excrucians, quæ item damnata fuit. Qui vero φύσιν Pſoram eſſe contendunt, ſic putant eſſe proferendum. Morbus Gallicus eſt paſſio con- IV tagioſa cutis, quæ eam fædat, depilat, & cruſtis inficit. Hanc quoque deſcriptionem fallacem eſſe ſatis oſtenſum eſt in præcedentibus. Qui epidemialem, & æſtivum morbum eſſe dijudicant, eum ſic determinant. Gallicus mor- V bus eſt affectio æſtiva, quæ vulgo graſſatur, aëris infectione, ab inundationibus aquarum noviſſime producta, pudenda maxime lædens. Hæc autem ſublata eſt, cum epidemialem morbum hunc dici nullo modo poſſe, ratiocinati ſumus. Qui eſſe elephantiaſim voluere, deſcribunt hoc pacto. Gallicus morbus eſt infectio univerſam cutim VI corporis vitians, quæ hominis formam fædat, atque ejus aſpectum reddit horribilem. Hoc autem quam falſum ſit, ipſi viderint. Quibus videtur, hunc eſſe morbum in ſubſtantia tota, ſive forma, ea ratione illum explicant. Gal- VII licus morbus eſt affectio, lædens univerſam corporis ſubſtantiam, vitio, contagione acquiſito. Minus placere hanc diximus, cum adverſus hoc ſubſtantiæ nomen ratiocinare- mur. Qui capitis eſſe ægritudinem ajunt, ſic proponunt. Gallicus morbus eſt affectio, ſingulas capitis actiones læ- VIII dens, contagio invecta. Qui ſolam continui ſolutionem malunt, ſic definiunt. Gallicus morbus eſt affectio, uni- IX verſum lædens noſtri corporis continuum, ineptam hanc eſſe adeo conſtat, ut dementia ſit, eam confutatione proſequi. Qui vero, ſolam hepatis ſolutionem continui eſſe voluere, hoc more deſcribunt. Gallicus morbus eſt affe- X ctio hepatis contagioſa, ejus unitatem ſolvens, hæc item rejiciebatur in præcedentibus. Qui congeriem omnium malorum eſſe putant, ſic ejus definitionem colligunt. Morbus Gallicus eſt congeries omnium malorum, con- XI tagioſa, univerſas corporis partes lædens. hæc item culpanda eſt, ut à ſcopo aliena. Qui incertum morbum eum appellant, ſic ſtatuunt. Gallicus morbus affectio eſt, in XII nullo determinato genere morborum reponenda, ſed vaga, & ambigua, partes ſimilares & diſſimilares lædens, contagio producta. Hæc cur non placuerit, ſatis oſtenſum eſt alibi. Qui vero, illum eſſe intemperiem frigidam, atque humidam voluere, ſic definiunt. Gallicus morbus XIII eſt intemperies frigida & humida jecoris, in tali gradu conſtituta. Qui vero calidam eſſe & humidam volunt, hoc pacto pronunciant. Gallicus morbus eſt intemperies cali- XIV da & humida hepatis, in tali termino, ſeu gradu conſtituta. Quas deſcriptiones haud eſſe veras oſtendemus in ſequentibus. Poſtrema autem definitio eſt, quam una cum aliis ſequimur, quæ ſic ſe habet. Gallicus morbus eſt in- XV temperies calida & ſicca hepatis, in tanto & tali gradu, ſive termino conſiſtens, contagioſa. Atque hæc ſatis dicta ſint de Gallici morbi vi, natura, atque eſſentia. Nunc ad alia pergendum.

## CAP. XVII.

*Gallicum morbum apud quoſdam eſſe intemperiem frigidam atque humidam, quo argumento concludatur.*

Tanta quoque eſt hujus affectionis fallacia, multiplexque varietas, ut etiam inventa parte affecta, quæ ἕπαφις, ſive jecur eſt, dubium faceſſat de illius qualitatibus intemperatis. Etenim videntes quidam in Gallico labefactari ventriculum, concoctionem ægre, tardeque fieri, pituitæ copiam incredibilem excerni, tumores albos, & frigidos ingenerari, articulos lentis, craſſiſque humoribus impediri, atque obſtrui, dixere intemperiem eſſe hepatis frigidam, atque humectam. Poſtremo ex eo confirmant, quod Guajaco ſanatur, hoc eſt remedio calfaciente atque exſiccante, igitur morbus erit frigidus humiduſque.

## CAP. XVIII.

*Solutiones prædictæ rationis.*

Sunt qui tollant jam dictum argumentum, dicentes non eſſe conferendam pituitam, quæ in ventriculo fit, & quæ vera, atque exquiſita eſt pituita, cum illa quæ in jecore conficitur: quoniam poteſt eſſe pituitæ excretio in patiente, ventriculi vitio, non autem ex hepate. Ex quo inferunt poſſe accidere, ut laborantes Gallico, pituitam plurimam exſpuant, culpa ventriculi, non jecoris. Verum hæc improbatio non plene ſatisfacit, cum in hoc genere affectionis, etiam lædi poſſit ventriculus, hepatis communione, atque conſenſu, quocirca educentibus pituitam à ventriculo, videtur communionem illam ab hepate productam, teſtari ſimilem humorem, & ob id etiam intemperiem frigidam, atque humidam hepatis. Longe autem evidentius tolletur eorum ratio, ſi ad ea deveneri- mus,

mus, quæ experientia paſſim comprobantur, quæ medicinæ alterum eſt ὄργανον, hoc autem eſt, non verum eſſe, omnes laborantes emittere pituitam per os, etſi plurimi id faciunt. Qui vero eam excernunt, ob id faciunt, quod ventriculus jecoris noxia intemperie affectus, vim contrahit invalidam, atque imbecillam, adeo ut labefactetur concoctio, plurimaque in eo redundent excrementa. Item in lue Gallica, magna fit ſpirituum reſolutio, ex qua frigeſcere corpus neceſſe eſt, unde ventriculus calore nativo imminuto, non perficit opus ſuum, uti naturæ convenit, atque inde plurima efficiuntur recrementa, pituitoſa præſertim, & quæ frigida apparent, & humecta, cum vero poſtremo rationem afferunt ex calidis, ac ſiccis remediis, quæ morbi cauſam tollunt, dicendum, ea quidem auxilia, non convenire uti calida & ſicca tantum, ſed uti eorum qualitates perſpectæ cum proprietate ſpecifica ſunt conjunctæ, ſive Guajaci, ſive ſaſſæ, ſive chinæ, vel aliorum. Quæ autem ſit hæc proprietas, alibi copioſius perſequemur.

## CAP. XIX.

*Quibus rationibus adducuntur alii, ut dicant, Gallici intemperiem eſſe calidam atque humidam.*

Alii inquiunt, hunc morbum, intemperamentum calidum, atque humidum, cum putredine. Id probant ex eo, quod contagioſus eſt: contages putredinem indicat, putredo autem fit à calido & humido ex Ariſtotele *lib.* 4. *Meteorologicorum*, & Gal. *lib.* 4. 15. & 11. *methodi*. Igitur Gallicus erit intemperies calida & humida. Confirmant quoque ea ratione, quod membra calida & humida maxime, hoc genere morbi corripiuntur, ut lingua, glans, & reliqua pudenda omnia. Item ſymptomata illa caries, & ulcera humecta ſunt. Accedit, quod ille tollitur exſiccantibus medicamentis, quocirca humidus erit affectus. Rurſus cibis, & ratione victus attenuante eliditur, hæc autem exſiccandi facultatem habent, igitur morbus erit humidum intemperamentum. Præterea vere appetente, maxime hic morbus, vel acquiritur, vel inveteratus efflореſcit, cum illa anni pars ſit calida & humida. Poſtremo ajunt experientia confirmari, eos, qui humidam habent temperiem, facile hoc morbo infeſtari.

## CAP. XX.

*Confutantur argumenta adducta in præcedentibus.*

Quidam, de hac ipſa cognitione medica bene meriti, ob eorum doctrinæ, ac experientiæ præſtantiam, dixere ad rationes ſuperius adductas ſuam, quam ſequuntur, opinionem: ſupponentes primum, Gallicam luem eſſe morbum unum, non plures, deinde putredinem eſſe morbum diverſum, à calido & humido intemperamento, ob idque damnant eos, qui hanc intemperiem calidam & humidam complicant cum putredine. Verum hoc non aſſequuntur, ut hanc tam facile complicationem tollant. Nam quamquam hæc diverſa in aliis eſſe poſſunt, dicerent hujuſce opinionis authores, in Gallico tamen unitatem conſtituunt, cum inter ſe ſubſtantiali ordine inhæreant. Etenim cum conſtet morbum hunc habere occaſionem per contagium, à quo excitatur putredo, hinc conſtat eam fieri intemperiem. Nam hæc ex accidenti non conflantur ſimul, ſed ſubſtantiali ordine, ac nexu connectuntur. Perſimile enim hoc eſt ei, quod Dialectici dicunt, quod ex pluribus differentiis circumſcribitur ultima forma, quæ cum tota ſpecie reciproca eſt: nam & Gallica affectio apud eos tribus verbis, vim & naturam morbi explicantibus definitur, quæ ſunt intemperies hepatis, calida, & humida, cum putredine tali, hoc eſt uſque ad talem terminum. Itaque puto aliter his eſſe reſpondendum, admittentes Gallicum fieri ex contagio, atque etiam illis, dicendi cauſa, conceſſo hoc uno, cum putredine conjunctum eſſe, ſervata unitate morbi, (quamquam negari debet ſemper ex contagio ſuboriri putredinem, ut in tabe, & ophthalmia, immo & in Gallico, præſertim illius initio, & aliis contingere ſolet) cum vero ajunt, putredinem fieri in calido & humido, etiam id concedamus, non tamen ſequitur, ut morbus ipſe ſit calidus & humidus. Quod non ſequatur, exemplo tertianæ exquiſitæ manifeſtiſſime dignoſcitur. Hæc enim fit ex putredine bilis tantum: bilis autem humor eſt actu humidus, ſive fluidus, poteſtate tamen ſiccus, in quo nihilominus putredo recipitur. Tertiana ergo morbus eſt calidus & ſiccus, licet in humore conſiſtat putreſcente, qui actu humidus eſt: quod ad putredinem ſufficit ſuſcipiendam, concurrentibus cæteris, quæ putreſcere faciant. Rurſus melancholicus humor, etſi frigidus, & ſiccus poteſtate eſt, cum actu fuerit calidus, & humidus, putreſcere omnino poteſt, non itaque neceſſe eſt, ut à qualitatibus, quæ putredinem efficiunt, denominetur morbus. Quare neque admittere oportet, Gallici intemperiem eſſe calidam, atque humidam, licet ex contagio fiat, & putrefactione, quæ in calido, & humido conſiſtit. Rurſus animadvertendum eſt, terminum putredinis (etſi hæc in humido ſit, tamquam in materia propria, & ſubſtrata) non eſſe humidum: quoniam cum inſignis eſt putredo, terminat ad eam reſolutionem, quæ à noſtris incineratio dicitur, hoc eſt ad ſiccum. Quod vero in altera ratione dicunt, partes noſtri corporis humidiores inſici magis, non aliquid concludere videtur: nam partes illæ, ut lingua, palatum, glans, & cætera pudenda, non ratione, qua humidæ ſunt, afficiuntur, ſed quia earum ſubſtantia laxior eſt, mollior, apertior, & ad ſuſcipiendum quidpiam, paratior. Verum nonne videmus, oſſa alioqui ſicciſſima, contagioſa hac illuvie laborare? item nervos, membranas, perioſtia, cutim, & ſimilia? Præterea quid prohibet, partem noſtri corporis humidam, ſicco morbo torqueri? cum ægritudines accidant, quæ toti corpori, ac etiam illius partibus repugnent, præſertim cum validiores habeant cauſas. Adde & eorum ſolutionem, qui poſtremo ordine de hoc morbo ſcripſere doctiſſime. Hi etenim, quod ratio ſupponit, eunt inficias, nempe pudenda eſſe membra humida, nam cum nervea ſint, indicant potius, hæc ſicca eſſe vocanda, quam alio nomine. Qui etiam ad tertiam rationem dicunt, cariem, & ulcera, haudquaquam eſſe humidas affectiones dicenda, nam cum in illis exuſtio plurima, atque perpetua ſit, dicendæ erunt potius ſiccæ, quam humidæ. Nos quoque etiam dicimus, affectiones illas humidas apparere, humore actuali, excrementoſo, atque aſcititio, cum ad ea confluant, qui in toto corpore reſident, & redundant ſucci: præſertim, cum partes noſtri corporis ſint ſenſibiles valde, & ad doloris ſenſum excitandum, magnopere accommodatæ. Cum vero ajunt, hunc morbum vere magis ſævire, ac gigni, quam aliis temporibus, profecto id poſſumus inficiari, cum æſtatis tempore frequentius hæc ſe ſe nobis offerat curanda illuvies, nam plurimi eo tempore, ob attritionem, & perfrictum pudendorum, & ob ſolis, atque agitationis fervorem in γονορροίαν, id eſt, ſeminis fluorem, atque pudendi eroſionem incidunt. Quod vero antiquus morbus magis in vere, quam aliis efflореſcat, cauſam habet, quæ à Galen. in commentariis Aph. affertur, eſt autem illa, quod eo tempore humores, qui hyeme reſident pacati, & in profundum coacti, veris calore excitantur, trahunturque ab intimis ad extimas corporis partes, quocirca & in cute maxime efflореſcunt. Quod vero ultimo loco referebatur, ſanguineis magis uſu venire, ut inficiantur, quam bilioſis, vel aliis, id forte pernegari poſſet, cum experientiæ teſtimonio pateat, hunc morbum nemini fere parcere, ob ejus, quam in cunctos ſæviſſime exercet (ut ita dicam) tyrannidem, veruntamen hoc admiſſo, dicimus, ſanguineum priore loco lædi poſſe, ob raritatem ſubſtantiæ partium, quibus noxium virus attrahitur, quæ ſanguineam maxime temperaturam ſequi videtur.

## CAP. XXI.

*Concluditur, luem Gallicam eſſe intemperamentum calidum & ſiccum.*

Montanus Veronenſis, vir acerrimi judicii, ſingulariſque eruditionis, quique non tam doctrinæ ratione, quam eloquentia, pene cunctis admirabilis viſus eſt, cum Patavino Gymnaſio medicam artem profitetur, ac primas omni ſibi jure vendicaret, ut erat nobis ſumma neceſſitudine conjunctus, dicere ſolebat, irridendos eſſe eos, qui rem oculis ſubjectam ac ſenſibus maxime perſpicuam, in controverſiam adducunt, cum ſenſus rationi in omnibus præferendus ſit, præſertim in re medica, ubi conjecturæ ſenſilium rerum ſummopere perquiruntur. Gallicum vero ſenſui patere, ex ſuis ſymptomatibus ajebat (quod & viventibus aliis, præclaræ virtutis hominibus, quorum nomina prætereo, ut verbo deſit invidia, viſum eſt eſſe dicendum) quibus omnibus non modo adhibita eſt aduſtio, ſed etiam illis ſubſtantialiter annexa, perpetuoque conjuncta. Quocirca ille hoc modo ratiocinari ſolebat, morbum hunc eſſe omnino intemperamentum calidum & ſiccum, primum ratione ſumpta ab origine morbi, quæ in patiente fit: deinde ex ejus definentia: poſtremo ex omnibus accidentibus, atque exeuntibus mutatis. Ex origine ſic. Morbus hic incipit cum ulcere, igitur à calida & ſicca intemperie pendet. Aſſumptio ſenſui nota eſt, illationis autem vis ex eo liquet, quod ἕλκος, ſive ulcus, maxime erodens & depaſcens, ut in Gallico laborantibus contingit, fieri nequit ab alio intemperamento, quam calido & ſicco. Ex definentia rurſus eodem modo argumenta-

tabi-

tabatur. Hic morbus desinit in ulcus, itaque causam habet internam, hepatis vitium calidum & siccum, cujus rationis assumptum, & illatio, per se se æque manifesta sunt: cum hæc ulcera cognoscantur sensu pendere à materia acri, erodente, vitio jecoris ingenita, qua sanguis inficitur, sitque alimentum noxium, neque aptum in substantiam nostri corporis converti, aut corrigi à calore nativo. Ex recrementis vero, & accidentibus, sic ratiocinabatur ille. Egestiones, urinæ, sudores, sanies, ulcerum livores, & nigredines, dolores acuti & vellicantes, callosæ particulæ pudendis adnatæ, pustulæ, bubones, verrucæ, & cætera omnia, quæ Gallicum morbum consequuntur, perpetuam habent sociam & dicatam exustionem, at exustio fit à calido insigni, cum quo hujusmodi utiditas consistere non potest, igitur à calido & sicco. Erit itaque morbus hic sub calido & sicco hepatis intemperamento constituendus.

## CAP. XXII.

### *Quomodo contendant nonnulli superiores rationes evertere.*

Solvuntur prædictæ rationes à quibusdam, oppositam partem tuentibus, hoc more. Quandoquidem ajunt, in priore argumento negandum esse, Gallicum fieri semper ab ulcere: item in secundo, semper in ulcus desinere. Dicunt enim id fieri interdum, non perpetuo, hoc est ubi hepar biliosis humoribus incaluerit, aut alia quavis causa. Ad illud vero, quod de excrementis affertur, dicunt non semper illa habere exustionis signa, sed aliquando hæc accidere ob concitatum hepatis fervorem, vel ex imbecillitate suarum actionum, vel aliam ob causam, quæ indies magis apparet. Siquidem per initia morbi dicunt, non. insigniter jecur calefieri, & exsiccari, paulo post id sensim irrepere: adeo ut calor sit de consequentibus Gallicum, non substantialiter inhærentibus.

## CAP. XXIII.

### *Improbationes prædictarum solutionum.*

Prior solutio nihil assequitur, licet enim hic morbus non semper exordiatur ab ulcere, tamen utcunque incœperit, semper ab eo inchoat, quod exustionis signa subostendit. Montanus vero, cum ita argumentabatur, ab eo rationis vim colligebat, quod plurimum contingit: memor illius præcepti Aristotelis *in Physicis*, ac *resolutoriis libris*, scientiam, & præsertim naturalem, esse de his, quæ semper, vel frequenter fieri solent. Sic quoque secundæ solutionis vis refellenda est. Tertia quoque eorum responsio nullius ponderis existimanda est ex eo, quod experientiæ adversatur: nam cum morbus inchoat, profecto si in pudendis appareat ulcus, aut pustula, aut caries, semper cum illis vel erosio emergit, vel livor, vel inflammatio, vel durities, vel alia, quæ exustionem attestantur: non autem (ut illi fingunt) tractu temporis hæc adveniunt. Forte illud admitti poterit tractu temporis fieri in patiente corpore putredinem, quæ profecto per initia non exit in lucem, cum vis morbi sensim incrementa suscipiat, atque indies magis gliscat, quo tempore sequi possunt perspicuæ putredinis notæ, sed ab ejus ortu semper exustionis signa sunt manifesta, quæ si quis negarit, sensum se omnino negare fateatur, necesse est.

## CAP. XXIV.

### *Argumenta, quibus falso nonnulli putant evertere hæc dicta, sunt de Gallici morbi intemperie calida & sicca.*

Jam vero audiamus adversus veram opinionem reclamantes. Ajunt enim, si morbus Gallicus est intemperamentum calidum & siccum, igitur biliosum: quo posito, materia illius non erit indifferenter omnis humor, quod absurdum est, cum in omni humore possit Gallica infectio suscipi, atque foveri. Item si biliosa est intemperies, recrementa omnia in omnibus erunt hujusmodi, quod experientiæ adversatur. Rursus Gallico affecti sanarentur omnes per contrarium frigidis atque humidis medicamentis, quod tamen verum non est, cum tollatur hisce auxiliis, quæ potius facultate excalfactoria, atque exsiccante sunt prædita: ut sunt Guajacus, salsaperillia, Chyna, exercitatio, victus attenuans, aër calidior &c. Præterea qui pituitosi sunt, vel melancholici, hoc genere morbi, vel ægre, vel nunquam inficerentur, quod falsum esse experientia docet. Postremo est illa ratio, quæ ait, si in Gallico hepar intemperie afficitur, illa quidem vel æqualis est, vel inæqualis intemperies, non æqualis, quia hæc (sic enim putant) non est a medico tollenda, sed veluti natura altera fovenda, ac conservanda, non item inæqualis, quia hæc dolorosa est semper, ut in libris de symptomatum causis author est Galenus (quod illi confingunt) verum hepar Gallico morbo affecti minime quidem dolet, igitur nulla erit intemperies, qua eos laborare dicamus, qui hoc morbo corripiuntur.

## CAP. XXV.

### *Refelluntur argumenta, in præcedenti capite adducta.*

Ad eorum primum argumentum, facile dici potest, non inde sequi, biliosam esse infectionem Gallicam, tametsi calida, & sicca sit intemperies, cum infectio ipsa in frigidis etiam humoribus consistere possit, eos adventitia intemperie immutans. Ad secundam pariter eorum rationem dicimus, Gallico laborantium excrementa omnia exustionem præ se ferre, atque apertissime indicare: neque ex eo sequi, necessarium fore, ut hæc biliosa sint penitus, cum exustio non solius sit bilis. Tertiam rationem tollunt recentiores, hoc modo. Exhibentur (inquiunt) in Gallico medicamenta calfacientia, non uti calfacientia, sed quia exhibita una cum evacuationibus, & aliis exustionem corrigentibus, & humorem peccantem moderantibus, immo & minuentibus, tollunt morbum. Concidit vero quarta ratiocinatio ex eo, quod pituitosi, & melancholici, vexari possunt Gallica pernicie, quoniam introducta intemperie ex contagio, eorum etiam sanguis exuri potest, quamquam minus parati sunt ad contagem suscipiendam frigida corpora, quam calida, & ex calidis sicca magis, quam humida. Erit itaque vir intemperamenti biliosi, qui facilius hoc morbo corripi potest: secundo loco sanguinei, tertio qui melancholicam habet constitutionem, postremo qui habitu pituitoso præditus est. Sic juvenis magis aptus erit ad hauriendam hanc luem, quam puer, puer quam vir, vir quam senex. Ex anni pariter temporibus, in eam propensiores sumus æstate, quam vere, vere quam autumno, autumno magis quam hyeme. Caveant tamen homines, omnibus vitæ suæ, atque anni temporibus, ne Galli regis fiant milites, cum id contagii nemini parcat, sive forti, sive invalido, sive juveni, sive seni, absque sexus, ætatis, ordinis, & temporis ullo discrimine. Extremæ autem rationi, quæ concludebat nullum esse intemperamentum jecoris in patiente morbum dictum, plerique manum dant, volentes eam justam esse demonstrationem, ut inde colligant, luem Gallicam nimirum esse morbum, in quodcunque aliud genus, quam in intemperiem, referendum. Quorum opinionem alias offendimus audiendam non esse, nempe in præcedentibus, ubi morbum hunc haud consistere dicebamus in vitio totius substantiæ, ut illi asseruisse visi sunt. Sed ad eorum argumentum, sunt qui dicant, affectionem hanc esse intemperiem inæqualem, cum autem ajunt illi, igitur erit dolorosa, quod tamen falsum esse constat, cum hepar Gallico laborantis minime quidem doleat. Solvunt, verum esse, inæqualem intemperiem fieri cum dolore, cum id apertissime voluisse ferant Galenum in *lib. de inæquali intemperie*, & *secundo de causis symptomatum*, sed tunc, cum pars affecta de genere earum est, quæ aptæ sunt dolere. Minime autem hepar carnem habet dolori obnoxiam, cum illa ex toto fere expers sensus esse videatur. Nam quamquam innumerabiles fere nervorum propagines in carne jecoris disseminatas, atque dispersas, observariut recentiores Anatomici, eos tamen non adeo sensibiles esse dicimus, ut dolorosum sensum excitare valeant. Exiles enim sunt, & parenchymam carnem jecoris imitantes: præter quod multi etiam inficiantur, eos vere nervos esse appellandos. Quæ sane responsio, cum in controversiam adducat, quæstionem de nervis in substantia hepatis dispersis, in aliud tempus judicanda differtur. Aliis visum est, morbum Gallicum non fieri ex jecoris intemperamento calido, & sicco, sed hoc modo, ut hepar paulatim, ac sensim hoc intemperamentum contrahat tractu temporis, sitque æquale, non inæquale: quoniam citra dolorem fit, item consequatur morbum ipsum, non autem morbus sit. Quæ quidem eorum sententia ex eo falsa deprehenditur, quod per initia, morbo jam inchoante, exustionis signa apparent *in* urinis, cariebus, verruculis, bubonibus, lingua, ac cæteris locis affectis. Itaque si æquale est hoc temperamentum, veniet conservandum, non ope medica repellendum, quod ridiculum puto esse, si diceretur. Nos itaque aliter dicimus, Gallicum affectum omnino esse intemperiem inæqualem, & ob id arte dimovendam, atque propellendam, non autem conservandam: quandoquidem quis est adeo infelicis providentiæ, qui de hoc ipso thesauro custodiendo, ac retinendo, velit esse solicitus? Quæ responsio ut clarius constet, pauca quædam nobis ex Galeno constituenda sunt, quæ ad propositæ rationis nodum dissolvendum sunt quam maxime accommodata, hæc autem

sunt, ex *lib. de inæquali intemperamento* desumpta. Æqualis intemperies est qualitas quædam totius corporis, vel ejus particulæ, quæ ad naturæ modum propius accedit. Hæc autem indies, ac sensim, contrahitur: neque medico artificio venit corrigenda (una excepta febre hectica) cum in naturalem veluti habitum commigraverit, atque ex eo fit, ut hæc morbus minime dici debeat. Talis autem intemperies est, quæ ætatis mutationem consequitur, vel loci, vel exercitationis. Ætatis, ut si quis calidum habuerit in juventute hepar, senescente vero, illud ipsum frigidum consequatur. Loci, ut siquis frigidioris erat habitus septentrionalem habitans regionem, postea calidior efficiatur, Libyam frequentans. Exercitationis, ut si quis calidior ac siccior, piscatoria diu arte delectatus, temperiem frigidiorem, atque humidiorem contrahat. Inæqualis autem intemperies, (authore Galeno) est partis, vel totius corporis, præternaturalis quædam immutatio, quæ illis non æqualiter advenit. Totius autem, ut hydrops illa, quæ Ἀνασάρκα dicitur: partis vero dupliciter, vel affluxione affectæ, ut tumor, vel qualitatum alteratione, ut febris quælibet, excepta hectica. Atque hæc est intemperies, quæ morbus jam est, quæque à medico omnino tollenda, ac propulsanda venit. Hæc autem, si Galeno credimus, una cum dolore fit, cum sit vehemens immutatio partis à naturali constitutione ad præter naturalem statum. Unde *lib. ii. de symptomatum causis* asserebat ille, æqualem intemperiem nullo dolore affligere, cum veluti acquisititia quædam natura particulæ nimirum affectæ adveniat. Ubi vero in corpore quopiam, vi sentiendi prædito, suboritur inæqualis intemperantia, quanta fuerit vis, & magnitudo intemperiei, tantus quoque erit afflictionis, & molestiæ sensus. Partes vero, quæ inæqualem suscipiunt intemperantiam, quæ sint, declarat copiose Galenus in *lib. de inæquali intemperie*, diviso corpore in partes maximas, & minores, ac demum in similares, quæ brevitatis causa à me consulto prætermittuntur. Non dissimulandum tamen est, tunc dolorem gigni, cum pars mutatur, aut corrumpitur, ubi vero jam immutata est, atque corrupta, dolor amplius non affligit. Ad doloris vero sensum acutiorem edendum, pertinet mutationis magnitudo, & partis corruptæ sensibilitas suprema, quemadmodum ut longus sit dolor, mutationis diuturnitas requiritur. Verbi gratia in costali passione dolor eximius est, ob ejus magnitudinem, quæ fit ab ejus causa & humoribus maxime aptis mutare, ac corrumpere: item ob membranæ costas succingentis sensibilitatem magnam. Diuturnus autem fit ex longa humorum affluxione, quæ sensibilem partem invadit. Quod si inæqualis intemperies partibus adveniat minus sensilibus, minor percipitur dolor, immo interdum percipitur pro dolore lassitudo, dicit Galenus *lib. ii. de causis symptomatum*. Lassitudinis vero sensus triplex est, contundens, tensivus, ulcerosus. Quibus constitutis, dicerem ad propositum jam argumentum, Gallicam affectionem, cum sit de genere morborum, esse inæqualem intemperantiam. Cum autem ajunt, eam non fieri sine dolore, id concedendum est (quamquam de ea, quæ sensim fit, plerique negant) ubi pars laborans sensibilis sit: item ubi intrinsecus fit immutatio, & corruptio ex affluxu humorum, vel qualitate ingenita. In Gallico mutatio ortum habet ab externo contagio, recipiturque in carne parenchyma hepatis, de cujus sensibilitate non valde constat. Idcirco nil mirum, si statim inchoante morbo non percipitur dolor hepatis: percipitur tamen paulo post id, quod dicebat Galenus sequi inæqualem intemperiem, lassitudo, virium contusio, quoniam Gallica lue infecti panduculantur, omnesque partes distendunt; suntque hebetes, & inepti ad munia exercenda: nonnulli horrescunt, mœstitia & languore affecti: plerosque spontaneæ lassitudines invadunt: omnes tamen se se mutari percipiunt, plus, minusve, pro rata portione infectionis. Atque hæc, tot nobis dicta sint, pro diluendis rationibus, quæ veritatis lumen offuscare posse videbantur. Quæ non studio contradicendi dicta esse volumus, sed veritatis tuendæ causa, ut ingenuos decet viros, quibus amicis omnibus amicior veritas esse solet.

## CAP. XXVI.

### *Natura Gallici reassumitur, ac modus, quo generatur.*

Hactenus abunde, copioseque tradidimus, per definitionem, Gallicæ affectionis vim totam & naturam, cum dicebamus eam non esse inter morbos veterum reponendam, neque referendam in endemicos, sporadicos, aut etiam epidemiales affectus: sed esse morbum, in intemperantia calida, ac sicca jecoris constitutum, appellandam, usque ad talem terminum, contage productum, ex quibus factum satis est, quæstioni quid est, à Dialecticis vocatæ. Nunc quonam modo ille prima sui fundamenta jaciat, quasve radices altius hepati infigere soleat, diligenter & accurate percurramus: sermonis initio sumpto ab eo, in quo vel omnes, vel plurimi saltem scriptores conveniunt. Conveniunt enim in hoc, ut contagio per contactum suboriatur: itaque supponendum nobis est, contagem esse ab uno in aliud communicatam infectionem. Nam proprie, atque simpliciter, contagem accipio, quæ duarum diversarum rerum relatione mutua perficitur: nam cum pars partem inficit sub eodem toto, ea quidem non absoluta contages dici potest. Dixi autem communicatam infectionem ob id, quod contagium similitudinis rationem significat, cum eadem sit qualitas secundum speciem, quæ ab uno ad aliud pertransit. Differt autem contagium à corruptione, quod corruptio, quæ patienti advenit, non necesse est, ut agentem causam inficiat. Nam sol, & elementa possunt inferiora corrumpere, neque tamen illa vicissim corrumpi necesse est. Quæ vero contagionem in aliis patiunt, & ipsa infecta dicuntur, retinentque communem qualitatem. Ex quo sequitur, contagem haud posse citra putredinem fieri, non quidem ex toto, sed secundum partes minimas, ac sensiles: posse tamen corruptionem accidere absque contagione. Nunquid vero contages actio fit, & passio in accidentibus, an potius in substantiis, & an rerum sit materialium tantum, an etiam se se diffundat ad ea, quæ sensilia non sunt, rursus si mistorum passio est, an ea afficiat per adventum contrarii, an per ipsam misti dissolutionem, quæ sit per minima, hæc quidem omnia, quamquam cognitu pulcherrima sunt, & ut sciantur dignissima, tamen quia longiorem sibi poscunt explicationem, ad aliud tempus differantur, & ad propositum institutum revertentes dicimus, tribus affici contagione, quicquid hoc modo afficitur, vel enim solo contactu corporum se se tangentium afficitur, quo modo fructus fructum inficit: vel fomite relicto, ut cum quis scabiem contrahit, aliudve quidpiam, ex usu vestium infecti: vel ubi contages transfertur ad distans, quo modo lippitudine oculorum laborans spectantes alios inficit. Porro Gallicus morbus & contactu corporum, & per fomitem contagiosus est. Contactu, hoc modo. Juvenis mundus cum puella infecta concumbit, in congressu vehemens fit agitatio, perfricatio, & attritio, quibus fervidus calor excitatur, plurimaque spirituum hinc inde fit emissio, atque susceptio, qui vicissim emissi, atque recepti, in causa sunt, ut juvenis inquinatus recedat, atque eodem modo, mulier munda, ab impuro viro compressa, ex fervida illa agitatione, & concussione, per susceptum spiritum infecti maris vitium inquinata reportat. Docebat autem Hipp. in his, quæ de natura fœtus conscripserat, fic posse per spirituum intromissionem, & communicatam agitationem, inquinari homines vicissim. Consimilis autem infectio est, si mundus cum immunda eodem in lectulo dormierit. Nam communicatur utrique idem calor, & sudor, & cum his spiritus incalescentes & fervidi evaporant, vir, meatibus jam calore adapertis, venenum, hoc est fuliginem, haurit, quod statim vim naturalem inficit, ac jecur. Eadem quoque fit communicatio, si mari, aut puellæ pudendum fuerit inquinatum: nam præter hæc, quæ dicta sunt, saniei quoque participatio concurrit, quæ vicissim contagium infert. Interdum etiam solis suaviis, atque linguarum ictibus, ob communicatam sive salivæ, sive saniei substantiam. Pueri quoque, cum ubera siccant infectæ nutricis, lac inquinatum excipiunt, quod, cum eorum sanguis sit futurus, puerile jecur immutat, & in idem periculum ducit. Fit autem infectio major, minorve, pluribus de causis. Primum enim ob majorem, minoremve agitationem, venereamque concussionem, ex qua fervor plus minusve sequitur, nec non & spirituum receptio, substantiæque contagiosæ communicatio. Accedit & delectationis modus, reique possessæ dilectio, longaque concubitus mora, nec non & inquinati major, aut minor infectio, tum & viarum dispositio, hoc est ductuum & meatuum corporis apertio, partium mollitudo, viscerum infirmitas, habitus haud probe attemperatus, corpus excrementis plurimis refertum. Hæc enim omnia occasionem faciliorem, difficilioremve præstare solent, acquirendæ plus, minusve, hujus affectionis: quod tunc apertissime constabit, cum morbum hunc in ejus causas retulerimus. Hæc autem quomodo se habeant, sequens tractatio subindicabit.

## CAP. XXVII.

### *Quæ causæ sint morbi Gallici.*

Jam satis constat, morbum hunc esse affectum, remque præter naturam, actiones primum vitians, necesse ergo est, ut causam habeat: hoc est suæ generationis initium. Causarum autem tractatio duplicem partem habebit, nam & de causis morbi, & suorum symptomatum agendum est, cum nihil sit in rationali medico præstantius, aut laudabilius, quam morbi, & accidentium rationem facile & commode referre posse. Id enim non solum mirabilem reddidit posteritati Galen. sed etiam Hipp. Galen. testimonio, qui in *lib. de Elementis*, ob id se plurimum colere hunc virum prædicat, quod solidas de his, quæ dicit, demon-

demonſtrationes afferat: empiricos vero damnat & irridet, quod ineptiſſimi ſint aliorum, cum ſolis remediis incumbant, nulla adhibita ratione, vel demonſtratione rei quæſitæ. Neque ab hoc genere præceptionis abhorruit Ariſt. cum ille *lib. 4. phyſicæ auſcultationis*, ſermonis veridici, ac demonſtrativi opus eſſe dixerit, ut eorum, quæ dicuntur, cauſam adhibeat: immo ut omnes ſolvat propoſitas quæſtiones, & ambiguitates, quæ in eo rei genere ſuboriri poſſunt. De cauſis igitur dicendum eſt. Quamquam ſcio exſtare controverſiam inter Medicinæ ſcriptores, an cauſæ triplices ſint conſtituendæ, ſcilicet præincipientes, antecedentes, & conjunctæ, an duplices tantum, quæ Græcis procatarcticæ dicuntur, & quæ internæ à noſtræ ætatis ſcriptoribus vocantur. Ad hunc vero locum haud ſane pertinet hæc ſubtilis diſcuſſio, quare conſulto venit omittenda: ſumus enim in præſentia ea ſola partitione contenti, quæ cauſas dicit eſſe duas, externam, atque internam. Externam autem Gallici cauſam dicunt omnes eſſe contactum, per ſaniei vel vaporum communionem, ſive participationem, quod prima morbi origo, & modus acquirendæ affectionis, nempe contages ipſa, teſtantur. Contagium autem id fieri diximus participatione ſpirituum, fuliginis, caloris, ſudoris, ſalivæ, ſaniei &c. Cujus ſive concauſæ, ſive auxiliatrices cauſæ erant præparationes partium, quæ magis aptæ ſunt infici, quales ſunt, mollitudo, fervor, rarefactio, coeundi delectatio vehemens, concubitus diuturnitas, amatæ rei cupiditas, veſtium communio, oſcula, complexus, linguæ morſus, mammillarum ſuctio, vaſorum comedendi ac combibendi communis uſus. Internæ vero cauſæ enumerantur ab authoribus conſenſio temperamenti, ſpirituum imbecillitas, præſertim naturalium, amplitudo venarum, arteriarum, viarum, & ductuum: nec non mollities partium, cutis raritas, excrementorum redundantia, ſanguinis, atque humorum ad fervorem concipiendum expedita facilitas, lenitas membrorum. Sunt qui addant amorem, mutuamque benevolentiam eſſe inter cauſas internas reponendam. Quæ ſane opinio mihi videtur Platonica potius, quam medica. Plato enim in ſympoſio, & ejus interpretes videntur aſſerere, amoris vim eſſe veluti venenum, oculis imbibitum, aut præſtigii, faſcinationiſque ſpeciem: medici vero ex his, quæ ſenſibilia magis ſunt, judicant. Nam qui ſe mutuo amant, frequentius ſe ſe exoſculantur, ſimulque ſæpius concumbunt, & ardentius quodam modo ſe complectuntur, ex quibus ſequitur infectio, ſit itaque amor, & dilectio de genere præparantium cauſas potius quam vera cauſa morbi hujus. Ad quod reſpiciens lepidiſſimus poëta Petrus Bizarius, ſingularis doctrinæ vir, & in pangendis carminibus ingenio amabili, amorem & venerem venuſtiſſimo carmine increpat, quod ſe Gallica peſtilentia tam fœde, tamque infeliciter polluerint, cum potius conjungendi eſſent, ubi coitus violentior eſt, vel citra amoris, ac mutuæ benevolentiæ communem participationem. Apponam carmina ad muſarum cultores oblectandos.

*Quis furor hanc peſtem in miſeros transfundit amantes?*
*Dulcia quis tanto pocula felle replet?*
*Sunt hi, ſæve puer, ſunt hi Cytherea laborum*
*Fructus? hæc veſtris præmia militibus?*
*Non equidem irati ſed vos immittitis atram*
*Perniciem, vobis provenit iſta lues.*
*Parcite jam precor, at ſi mens iraſcitur, hoc ſit*
*In quibus eſt diſpar, vel violentus amor.*

Idem quoque aliter hunc in modum.

*Eumenidum è gremio prorupit Gallica peſtis,*
*Et Cypriæ infecit regna beata Deæ.*
*Tunc & deliciæ, tunc & laſciva voluptas,*
*Tunc Charites magno delituere metu.*
*Non hoc, alme puer, non hoc Cytherea ferendum eſt,*
*Ne veſtrum prorſus corruat imperium.*
*Ille ſit hoc tantum morbo torquendus acerbo,*
*Cui nulla eſt cordi dulci in amore fides.*

Sit itaque prima, atque præincipiens cauſa morbi, extrinſecus alterans contactus. Interna autem, agitatio ſpirituum naturalium, efferveſcentium, concuſſione, attritu, & perfricatione mutua. Cætera vero omnia ad hæc referentur, vel ut concauſæ, vel ut præparationes auxiliantes.

## CAP. XXVIII.

*Signa Gallici morbi obſervanda à medico, pro illius certa, atque exacta cognitione.*

Qui de hoc affectu ſcripſere recentius, diligenti, & accurata ratione, ſigna partiti ſunt in quatuor morbi totius tempora. Quorum alia morbi initium ſignificant, alia incrementum ſummum, alia conſiſtentiam, alia deſi-

A nentiam ipſam. Prius tamen ſupponunt, ſigna quadrifariam ſpargi, quorum alia ſumuntur à natura, & eſſentia (ut ipſi dicunt) morbi: alia ab affectionis cauſis: alia ab his, quæ affectationem conſequuntur, alia vero a proportione. Quibus conſtitutis, dicunt non eſſe quærenda ſigna à natura morbi, quoniam hepar cum pars ſit latens, ejus vitium quoque occultum eſt. Hæc ratio pro vera minime eſt audienda, cum dictum ſit, maxime hepatis vitium patere in affectis lue Gallica, ex ipſis exuſtionis notis, hæ enim ſtatim indicant hepar laborare calida & ſicca intemperie. Itaque tantum abeſt, ut hæc ſigna, à natura morbi deſumpta, dicamus ſenſum effugere, ut ab hoc fonte potius, quicquid certi eſt, pronuntiari debeat. Verum hæc teſtificatio à poſteriori eſt, & conjecturalis, cum exuſtio ſit intemperamenti calidi & ſicci effectus: quia vero notior eſt intemperamento jecoris, ob id ex illo ratiocinamur. An vero Gallicum præſentem eſſe denotent ſigna, quæ à cauſa deſumuntur, dicendum eſt, hæc parce admodum ac diminute ſi facere, cum neceſſaria ſigna non ſint, ut concubitus, aut cum infecto dormiiſſe. Itaque rectius ponendum eſt, ſigna eſſe capienda ab ipſis conſe-
B quentibus. Quorum quædam ita leviora ſunt, ut dici ſoleant accidentia tantum, uti animi mœror, laſſitudo, virium depreſſio, levis dolor in ſterno, aut capite, pruritus, parvæ puſtulæ, pilorum & capillorum defluvium. Quædam acriora ſunt, atque vehementiora conſequentia ſymptomata, quæ morboſæ etiam affectiones appellantur, uti gummata, ulcera, caries, bubones, puſtulæ magnæ, verrucæ, &c. Quæ vero à proportione ſigna ducuntur, ea quidem parum ad hoc inſtitutum pertinent. Alii ſigna diſtinguunt ex Galen. in παθογνωμικὰ, & aſſidentia. Pathognomica ſunt Gallici morbi, lotia, quæ tenuia apparent, flava, pellucida, contentis ſabuloſis referta, nec non arenulis, & fruſtulis inæqualibus, & ſcabris. Hæc enim indicant temperamentum hepatis calidius, ac ſiccius. Poſt hæc ſuccedunt ſigna, quæ aſſumuntur ab affectione corporis immutata, ut ſunt durities, calli, livor, nigredo, eroſio, ulcus, puſtula, &c. Sub his ea colligunt ſigna, quæ à læſis actionibus oriuntur, ut extenuatio, languor, laſſitudo, vitioſa alitio, vigilantia, timor, mœſtitia &c.
C Quibus jecoris vitium ſubeſſe cognoſcimus: Præſertim vero hæc certiſſimam fidem de morbo jam imbibito faciunt, ſi conjunxerimus illa cum dormitione, vel concubitu habito, una cum Gallico laborante, animadvertentes, num bubones ingeniti ex eo fuerint, num caries, & hujuſmodi. Signa vero poſtremo à differentiis petita, quædam vocant eſſentialia, quæ vim & naturam morbi indicant, atque hæc ſunt, quæ à ſymptomatis capiuntur, quæ ſi magna ac ſæva fuerint, magnitudinem, & feritatem intemperantiæ ſubindicant: contra vero parvitatem & manſuetudinem, ſi parva fuerint, ac mitia. Quædam vero hujus generis ſigna dicuntur eſſe proxima, ut eſſentialia vocentur, quæ ſumuntur à tempore, vel à materia peccante, hoc eſt humoribus redundantibus, quorum illa ſunt propria: & hæc ab eorum fontibus hauriuntur, nempe à ſymptomatis, à cauſis, à rebus cum naturalibus, tum præter naturam. Exſtant & ſigna, quæ accidentalia omnino dicuntur, quæque complicatione fiunt diverſorum accidentium, atque morborum, qui cum Gallico conjunguntur, de quibus ſolliciti non ſunt, cum per ſeſe per-
D ſpicua dicantur. Ut ut autem ſit, inter omnia ſive Gallici ſigna, ſive accidentia, ſive ſymptomata, nullum aliud exſtare dicimus, quod maxime morbum neceſſario ac perpetuo conſequatur, quam exuſtio, hæc inſeparabilis ab illo eſt omnino. Ex ea ſiquidem hepatis ſtatum, & conditionem facile dijudicamus, etſi vitium illud ſenſum noſtrum effugere ſolet. Nam qua ratione cor laborare percipimus, ubi corpus febrem pati cognoſcimus: cerebrum ubi delirium, aut ſenſuum imbecillitatem, motionis depravatæ notas videmus: ventriculum, ubi dejectionem appetitus, vel nauſeam cernimus: pulmones, cum ſpirandi difficultas adeſt, ſic in Gallicâ lue laborare dicimus jecur, & venas, ubi uſtionis ratio, ac præſentia maxime liquet. Liquet autem ex recrementis, egeſtionibus nempe, lotio, carie, & bubonum ſanie, coloreque ſimili humoribus in cute effloreſcente, aliisque rebus, igneam vim ſanguinis indicantibus. Signa vero, quæ à cauſa morbi aſſumuntur, eatenus dicebamus obſcura eſſe, ac per ſe ſe exiguam afferre teſtificationem, quatenus contagii ratio minus patens eſt quam cætera, quæ ſenſilia magis ſunt.
E Videmus enim ex coëuntibus cum eadem puella inquinata, infici quoſdam magis, minus alios: contra nonnullos citra omnem noxam ſanos abire. Quæ vero etiam conſequuntur morbum, tanquam ſymptomata, apertiſſime indicant morbum, non quidem per ſe ſola ac ſeparata, ſed cum aliis conjuncta: ut defluvium pilorum per ſe non eſt Gallici ſignum: ſed cum dolore capitis, vel carie, vel bubone, vel alia re conſimili illum ipſum indicat. Raro enim admodum contingit, ut unicum ſit ſymptoma: præſer-

tim cum tam ferus hoſtis glomerata manu incedat, habeatque ſecum ſuorum militum catervam, qua corporis ſanitatem perturbet, ac fundjtus interdum evertat. Hæc autem numero exſtare permagno, dixere curioſi ſcriptores, cum ea trecenta atque amplius colligant, de quibus perambitioſum fuerit, nomina & rationem ſingulorum recenſere. Quæ autem maxime in uſu apud patientes videntur, quæque à Medicis tractari ſolent copioſius, ea ſunt dolor excrucians, dentium caſus, pilorum defluxus, lichenes fœdæ, tophi præduri, oſſium eroſio, ulcera depaſcentia, morboſæ puſtulæ, bubones mali, ſeminis profluvium, verrucæ, glandis caries, ſpontaneæ laſſitudines, articulorum dolor, coloris immutatio, livor, calor manuum, & pedum, membrorum gravitas & torpor, ſomnus fere aſſiduus, mœror, metus, diffidentia, languor, melancholia, vigilantia, pectoris ac ſterni ſenſus doloroſus, pudendi callus, uveæ mollities, fauces humectæ, vocis raucedo, glandularum tumores in faucibus, palati perforatio, dentium & gingivarum corruptio, Atheromata hoc eſt tumores gummoſi, rimæ manuum, difficultas anhelitus interdum, interdum & aurium tinnitus, ac denique exeuntia mutata, urinæ præſertim, quæ ſubflavæ, & pellucidæ cernuntur, ſabuloſis particulis, arenuliſque anguloſis, & ſcabris refertæ. Ab his autem, quæ dicta ſunt, omnia genera ſignorum aſſumuntur, ſive Pathognomica fuerint, ſive aſſidentia, ſive eſſentialia, ſive eſſentialibus proxima, ſive accidentalia. Adde & quæ inchoantis ſunt morbi, quæque creſcentis, ac conſiſtentis, nec non & deſinentis. Rurſus & quæ à natura morbi aſſumuntur à cauſis, à conſequentibus: quæque ſimpliciter ſunt accidentia, aut etiam morbi nominantur. Poſtremo, quæ ſeparabilia ſunt, & quæ ſeparari minime poſſunt: de quibus paulo ante diſſeruimus.

## CAP. XXIX.

*De cauſis ſymptomatum Gallici morbi, deque his quæ multifariam quæri nobis poſſent, problematum more.*

EX dictis partim, partim etiam ex ſequentibus dicendis, poterunt ea omnia diſſolvi, quæ in dubium cadunt, de Gallica affectione, atque ejus ſymptomatis, hæc autem, majoris lucidioriſque doctrinæ cauſa, ſub problematum forma, nobis proponentur, ad Ariſtotelis imitationem, ut facilius ſingulæ pateant quæſtiones, ſintque ſtudioſis maxime expeditæ, atque inventu commodiores.

1. Cur eſt, ut mulier affecta, ſanum virum venereo complexu, inficere poteſt? item infectus vir mulierem mundam pariter inquinare valet?

An quia contagii ratio hæc eſt, præſertim cum per contactum, vel fomitem efficitur, ut ab uno ad aliud procedat, maxime vero ubi ſimilitudo eſt juxta eandem ſpeciem.

2. Cur Gallica lues per venerem maxime contrahitur?

An quod in ea fit univerſi corporis concuſſio, agitatio, attritio, & perfricatio, quibus effervet calor nativus, fitque viciſſim coëuntibus ſpirituum emiſſio, atque ſuſceptio, exhalatque ultro citroque fuligo, vel etiam fit ſaniei participatio, ſalivæ, ſudoris, & ſimilium, unde contagium oritur, & venenoſa veluti qualitas, ab uno corpore in aliud tranſlata.

3. Cur partes ſimplices, & organicæ hoc genere morbi laborant, adeo ut poſſit dici morbus omnis, ſive in intemperie, ſive organicus, ſive continui divortium?

An quod intemperies ſola eſt hepatis calida & ſicca, potens tamen diverſis ejus ſymptomatis, diverſi corporis partes affligere, præcipue vero ubi corpus excrementoſum fuerit, malisque ſuccis refertum. Hi etenim noxia qualitate affecti, rebelles naturæ efficiuntur. Qui ſi propelli nequeant extra corporis ambitum, pervagantur à partibus validioribus ad imbecilliores tranſmiſſi. Indeque excitatur tumor, qui organica affectio eſt, cum quo intemperies juncta, partes tam ſimilares, quam & diſſimilares afficere poteſt, particularum actionibus ſenſibiliter læſis. Cum vero & vehemens acrimonia cum humoribus illis conjungatur, interdum ex eo fit, ut eroſio concitetur cutis, ac cæterarum partium, quales præſertim ſunt, carnes, nervi, membranæ, cartilagines, & oſſa. Sicque fit continui diſſolutio, quæ pro diverſitate humorum, ac locorum patientium, vel ſola cum intemperie, vel cum tumore efficitur. Sed tamen tam ſolutio continui, quam tumor, ſymptoma eſt calidæ atque ſiccæ intemperantiæ hepatis, eſtque morbus ipſe unus, & ſimplex, non autem compoſitus, aut multiplex exiſtimandus.

4. Cur morbus Gallicus facile ad ſe, vel τύφον, ſive tumorem trahit, vel ἕλκος, id eſt, ulcus, vel puſtulas, vel omnia ſimul?

An quod calida intemperies ob ejus vim id facere poſſit, hinc eſt, ut tumores ipſi, qui hoc genere mali fiunt, per ejus initia, de genere Phlegmones eſſe conſpiciuntur, tractu vero temporis etiam in tumores præduros, & abſceſſus deſinunt interdum.

5. Cur Atheromata, ac cæteri tumores conſimiles præter naturam, generantur?

An quod humores, à modo recedentes, in parte intumeſcente gignuntur, vel ab aliis particulis validioribus eo propelluntur, vel attracti inibi coacervantur. Gignuntur autem, ubi partis vitium eſt, hoc eſt, ubi ejus facultas concoctrix laboraverit, atque ipſa expultrix, imbecillitatis cauſa, eos continuerit. Propelluntur vero, ubi vel multitudine corpus affligunt, vel qualitate noxia, naturam infeſtant, vel utroque modo. Attrahuntur autem, naturali illa lege, quæ prohibet, locum inanem & vacuum conſiſtere poſſe.

6. Cur humores Gallico laborantis continui divortium facere poſſunt?

An quod humores noxii & inquinati, ob eorum pravas qualitates, vim habent ſcindendi, contundendi, diſtendendi, erodendi, & exurendi. Scindunt, qui tenuem habent calorem, & frigiditatem. Contundunt, qui duri ſunt, & graves. Diſtendunt, qui copioſi ſunt, atque immodici. Erodunt, quos acrimonia, & fervor inſignis conſequitur. Exurunt, qui igneo calore præditi ſunt.

7. Cur eſt, quod affecti Gallico dolore plurimi laborant junctura rum & articulorum?

An quia ad ea loca plurima pituita demandatur, quæ quidem ex caloris imbecillitate, vitioque concoctricis facultatis efficitur, affecto præſertim hepate. Pituita vero nervoſas partes, vel duritie, & gravitate contundit, vel multitudine diſtrahit, vel etiam cum bilis flavæ parte aſſociata vellicat, hinc dolor & gemitus.

8. Cur nonnullis, junctura rum cruciatus habentibus, dolores ſunt fixi, ac diuturni, nonnullis vagi, & inſtabiles?

An quod firmos habentes dolores, imbecilliores habent articulos, qui ſemper ſuſcipiunt, nec ſuſceptum humorem pellere poſſunt, vel quia materia craſſa admodum eſt, & contumax, quæ non facile cedit, vel ob humorum copiam, qui à facultate expultrice pelli nequeunt, poſtremo quia pituita ſimplex valde, & purior exiſtens, inepta fit, ut depellatur à loco. Contra his accidit, quibus articuli ſunt validiores, neque materia tam lenta, tamque multa, atque ea cum aliqua bile permixta, à qua ſuſcipit agitationem, & motum. Rurſus dolores vagi poſſunt ex vaporibus tantum; atque fuliginoſis exhalationibus generari.

9. Cur dolores fere in omnibus magis noctu, quam interdiu patientes affligunt?

An quod nox frigidior & humidior eſt, idcirco humores eo tempore aut increſcunt magis, aut ſaltem validiores facti, minus à calore nativo corrigi poſſunt. Item noctu calor naturalis ad interiora revocatur, quocirca articuli frigeſcunt magis, ac magis dolent. Vel quod corpus (ut aliis placet) noctis frigiditate denſetur, digeſtionemque acrium vaporum algor ille inhibeat, unde membranæ, & perioſtia vi majore erodantur.

10. Cur illis dentes concidunt?

An, quod capite non probe affecto vitiatur alimentum, à communicata affectione hepatis. Hinc vaporibus malis, per loca lata, & communia, ſublatis, & ſanguine per venas noxio ad caput delato, gingivæ aut eroduntur, aut laxiores fiunt, vel acrimonia, vel humore nimio, quibus dentes concidant neceſſe eſt.

11. Cur cilia, ſupercilia, pili, atque capilli defluunt?

An quia radix pilorum & capillorum enecatur à materia ſalſa, acri, & nitroſa, eo loci tranſmiſſa, quæ vim habet erodendi. Vel etiam, quia ejus venenoſa qualitate, & maligna infectione id poſſit humor ille producere.

12. Cur Lichenes, & Rhagades illis contingunt, præſertim in plantis pedum, & volis manuum?

An quod maligni humores, & erodentes ad ea loca mittantur, vel ſymptomatice, vel natura providentiæ lumine exercente, ut nobiliora membra, atque interna, magis ab illa pernicie ſublevet, exoneretque commodius.

13. Cur fiunt in eorum corpore gummata, hoc eſt tumores præduri, tophoſi, & contumaces valde?

An quod alimentum eo tranſmiſſum hepatis vitio infectum eſt, unde à calore nativo non poteſt in membri ſubſtantiam commode converti, remanetque ſub excrementi forma, alitioni penitus ineptum: fit autem contumax ex pituitæ copia, & lentore.

14. Cur oſſa carie afficiuntur, præſertim vero quæ in palato ſunt, item naſi os, & cartilago?

An quod tunc extrema ac deperdita viget morbi pernicies, hoc eſt ſumme noxii, & mali humores, erodendi facul-

cultate præditi, in ſummo eorum vigore conſiſtunt. Palati vero, & narium, cum hæ particulæ facile ſint eroſioni, ac putrefactioni obnoxiæ.

15. Cur ulcera tam ſæva, tamque membra depaſcentia fiunt, ut uſque ad oſſa carnes exedant?

An quod materia non minus eſt multa, quam etiam maligna, & jugi affluxione tranſmiſſa.

16. Cur circa caput puſtulæ viſuntur plurimæ, item circa anum, & alias partes corporis?

An quia aduſti humores, & bilioſi, ab hepate tranſmiſſi ad cutim, eas partes inficiunt, ſuſcipientes, vel naturæ conatu, vel partium illarum imbecillitate.

17. Cur βουβῶνες fiunt in coxis? hoc eſt tumores denſi, qui ad femora pertinent.

An quia muliebri pudendo infecto, noxia contages communicatur inguinibus, tanquam partibus peni proxime adjacentibus. Vel quia inguina ab hepate emulgent, trahuntque humorem, ab eodem vi ſua depulſum.

18. Cur in altero femore interdum, interdum in utroque efficitur bubo?

An quod tanta eſt copia materiei demandata, ut utrumque latus ſubeat, vel id fit à ſummo jecoris conatu, cum eodem tempore bubones duplicati fiunt. Cum vero unicum latus invadunt, ut plurimum ob minorem redundantiam humoris peccantis efficiuntur, vel exiguam expultricis facultatis vim.

19. Cur in illis fit Gonorrhœa?

An quia contages illa, teſtibus communicata, ſui acrimonia eos una cum ſeminariis meatibus adeo exſtimulat, ut hi ſemen continere nequeant, interdum & ob ſpirituum labefactationem id accidit, quia redditi teſtes & ductus ſeminarii imbecilliores nequeunt continere ſemen, proinde humor ille liqueſcit.

20. Cur fiunt verrucæ, ficus vulgo appellatæ, & μυρμηκιαι, ἢ ἀκροχορδόνες modo in pene, modo in ano?

An quod partes illæ molliores ſunt, & raræ admodum ſubſtantiæ, quocirca & ad ſuſcipiendum valde idoneæ. ad quas plurimæ ſive venæ, ſive arteriæ, ac nervi confluunt, idcirco maxima contagione, ubi ſumma eſt putredo, & inſignis exultio, partes illæ, hoc genere affectus, maxime laborant.

21. Cur ἰυγὰς, ſive caries gignitur in pudendis?

An quia pudenda partes ſunt ſenſibiles, ac molles, idcirco facile peregrinas impreſſiones ſuſcipiunt, præſertim, cum aliis pudendis infectis occurrant, hoc eſt ſanie, & ulcuſculi cujuſpiam humore madefactis. Qui humor uti acris & viroſus eſt valde, ita aptus eſt afficere ſimile in ſpecie, maxime vero contagione interveniente, quae communicationis cauſa eſt proxima.

22. Cur initio morbi fiunt κάτοι αὐτόματοι, hoc eſt laſſitudines ſpontaneae? ut Hippocratis verbo utar.

An quia id perpetuum eſt, ut in magnis morbis futuris, ſpontanei fiant labores, veluti eorum diſpoſitiones prænunciae, authore Hippocrate.

23. Cur colorem immutant?

An quia neceſſe eſt, ut humores, niſi in profundum coacti, ac detenti fuerint, tales efloreſcant in cute, quales ab hepate emanant, & in venis abundant.

24. Cur πελιδνὸς color, hoc eſt lividus, illis efficitur?

An quod hoc ſummæ exuſtionis in jecore & venis indicium eſt.

25. Cur volæ manuum, & pedum plantæ incaleſcunt?

An quod vapores ab hepate urente exhalant, terminantque ad partes maxime diſtantes, natura ſuam exercente providentiam, ut noxia, quantum poteſt, longius propellat. Vel quod, reſoluto aliqua ex parte calore nativo, vis illarum partium efficitur imbecillior, & ad ſuſcipiendum paratior.

26. Cur poſt cariem ſublatam ſequitur in glande plerumque durus quidam τύλος calluſve, qui longo tempore perdurat?

An quod æger non plene curatus eſt, ſed exſtant adhuc morbi reliquiæ, hoc eſt hepatis intemperies, quæ in parte prius laborante aſſueta eſt tranſmittere.

27. Cur per os, linguam, & pudenda maxime communicatur infectio?

An quod partes ſunt maxime ſpiritibus mittendis atque ſuſcipiendis idoneæ: item quæ motione, attritione, & perfricatione maxime incaleſcunt. Rurſus quia partes ſunt molliores, & rarioris ſubſtantiæ, item quia maxime ſenſibiles, quoniam nerveæ ſunt, & humiditate, ad eas labente, ſumme refertæ.

28. Cur tinnitus aurium in illis fere inſolubilis efficitur?

An quod jugi & perpetua tranſmiſſione vaporum ad caput vitiatur aer ille, qui auditui præbet occaſionem, quo fit, ut perturbatus toties, atque affectus habitum concipiat malum, quem poſtea tinnitus ſequitur, qui contumax, atque inſolubilis qualitas evadit. Vel quod flatus, vi detruſus, ſonitum ciere poteſt, præſertim ſui craſſitie.

29. Cur gravitatem percipiunt in univerſo corpore, præcipue ſomno experrecti?

An quod ſpiritus naturalis patitur, qui vires toti corpori ſubminiſtrat, à ſomno vero, quod membra ex contractione caloris nativi ad interiora, fuere magis infectis humoribus, vaporibuſque expoſita.

30. Cur mœſti, triſtes, atque cogitabundi fiunt?

An quod hepar ſua intemperantia calida, & ſicca, humores exurit, à quibus fuligines excitantur, quæ capiti ſublatæ, vaporem noxium impertiuntur, quo animi vires, & animales ſpiritus, qui in ſano corpore clari atque perlucidi erant, perturbantur, turbulentique agitatione, & fervore, vi morbi contracto, offuſcantur, inde autem triſtitia & mœror.

31. Cur febris in illis interdum accenditur?

An quod ab infectis humoribus, ubi maxime patiens multitudine laboraverit, & malis ſuccis refertus fuerit, concurrente hepatis fervore, attolluntur fuligines, quæ cordi communicatæ, ipſum excalfaciunt.

32. Cur in eiſdem fit uveæ, ſive gurgulionis mollitudo, vociſque vel aſperitas, vel raucedo?

An quod nimia humiditate pars illa laxior, & mollior efficitur, quæ facultatis naturalis vitio, & labefactatione ſuboritur. Vel quod univerſum caput prave affectum eo tranſmittat. Vel quod ventriculus imbecillior factus non valenter concoquit, & pituitæ copiam gignit, quæ ad ſuperiora regurgitat. Vocis autem aſperitas, & raucedo, vel inſtrumentorum læſione fit, hoc eſt aliqua ſolutione continui, vel lenti, ac craſſi humoris participatione.

33. Cur in faucibus fiunt ulcera?

An quod humores nimio calore aduruntur, fitque in illis acrimonia inſignis, aut ſalſus, nitroſuſque ſenſus, qui erodit, exedit, & continuum diſſolvit.

34. Cur tumores, & glandulæ faucibus inhærent?

An quod caput manifeſte laborat, idcirco emunctoria infectos humores excipiunt. Excipiunt autem vel imbecillitate ſui, vel ſubſtantiæ raritate, vel natura pellente.

35. Cur in quibuſdam tertius menſis, vel quartus agitur, in aliis etiam quintus, vel ſextus ad ſummum, anteaquam morbus expreſſe pateat, affligatque vehementius?

An quod hepatis infectio, ſenſim communicatur ſingulis partibus corporis. Cum vero corporum quædam ſint calidiora, frigidiora alia, item magis, minuſve excrementoſa, aut etiam ſpiritibus validioribus imbecillioribuſve prædita, hinc eſt, ut citius alii, alii vero tardius, ſe infectos eſſe oſtendant.

36. Cur plures viri cum eodem ſcorto male affecto concumbentes, non omnes inficiuntur, ſed quidam morbo corripiuntur, quidam impune, & citra noxam recedunt?

An quod non omnium corporum eſt æquabilis diſpoſitio. Non enim æque omnes in coitu calefiunt, vel ſudant, vel fervent, vel ſpiritum infectum hauriunt. Non item omnes eodem modo aut puri ſunt, aut excrementis redundant, aut vires habent validas, atque imbecillas. Rurſus neque par ratio eſt concumbendi, agitandi, atque oblectandi ſeſe. Confert etiam ad morbum ſive fugiendum, ſive recipiendum, penis forma, magnitudo, parvitas, duritiei, mollities, raritas, denſitudo, dormitio nocturna, vel poſt concubitum diſceſſus: poſtremo à puellæ, ſcortive compreſſione penem abluere, aut non abluere. Nam lotio, aut vino, aut aqua abluti minus hoc malii incurrere conſueverunt, magis vero, quos nulla ſui cura, vel ſtudium ſollicitos reddit.

37. Cur illis interdum accidit ἱρυσιπέλας ignis inquam ſacer, atque ἕρπης, id eſt, Herpes?

An quod hepatis calida & ſicca intemperie, bilis flavæ copia excitatur, fervetque ſanguis plurimum, ex quibus eryſipelas fit, ex ſanguine ſcilicet nimium incalefacto, & flava bile permixtis. Hinc color ſanguineus, & flavus efloreſcit in cute una cum loci patientis calore haud exiguo, ad tactum effugiente, mox repetente locum. Quod ſi bilem tantum tranſmittat facultas expultrix, atque eam paulo craſſiorem, inflammatio illa cutem depaſcitur, & aliquid ſubjectæ carnis, fitque Herpes depaſcendi facultate præditus. Ubi vero tenuior eſt bilis, miliaris Herpes generatur, qui ſolam cutem inurit. Cæterum ad haſce inflammationes referri poſſunt, quæ penis glandem affligunt, & muliebria pudenda, nec non labra, os, palatum, fauces, frontem, pubem, & alias quoque corporis particulas.

38. Cur putant (ſed longe ratius) recentiores, in illis excitari nonnunquam Phlegmonem omnium teterrimum, quæ Carbo dicitur ab eiſdem authoribus?

An quod experientia comprobatum eſt, fieri in Gallica lue

lue laborantibus inflammationem, quæ ulcus parit, cum cruſtis, partibuſque adjacentibus ſubatris, ac turgidis: in qua fervor plurimus ineſt, plurimus & dolor. Interdum vero ſeroſus quidam, ac tenuis humor emanat, qui bullas turgidiuſculas cute tenus excitat. His vero adapertis, ulcus & cruſtas ſubeſſe, perſpicuo cernitur. Cauſa vero eſt ſanguis abunde fervens, & craſſus, qui venenoſa qualitate infectus hepatiſque intemperie adauctus, poteſt conſimiles inflammationes gignere. Quarum ſymptomata ſunt dolor vehemens, fervor exurens, corii aſperitas & inæqualitas.

39. Cur illis accidunt tumores, & oedema?

An quod humorum congeries, & excrementa partium noſtri corporis id facere poſſunt, præſertim vero, ubi vis naturalis languidior reddita eſt, & a proprio munere deſiſtit, infectione illa labefactata, ob quam vitioſe decoquit, male decoctum apponit, noxia detiner, excrementoſa non depellit. Hinc congeſtis humoribus laborant articuli, oſſa, & perioſtia. Eſſe autem naturales functiones, & facultates, attrahere, retinere, coquere, apponere, aſſimilare, & expellere, alibi proditum eſt. Oedema vero cum ſit mollis quidam tumor, cauſam habet flatuoſum ſpiritum interdum, interdum vero pituitæ affluxionem. Cui aſſociantur color albicans, & cutaneus, mollitudo, fovearum impreſſio. ſenſus doloris expers. Porro hæc omnia Gallicam infectionem facile ſequuntur. Nam & ſpiritus flatuoſus, & pituitoſi humores, æque à caloris imbecillitate nativi ortum habent, quæ ob hepatis vitium & naturalis facultatis detrimentum, in Gallicum morbum patiente, efficitur. Nonnunquam accidit, ob humorum frigidorum affluxum, qui in articulis decumbunt, vel circumjacentibus partibus, ob earum partium dolorem, qui attrahit ex aliis regionibus corporis. Nam œdema maxime articulorum loca invadere ſolet.

40. Cur Gallico morbo affectis accidit aliquando σκίρρος, hoc eſt ſcirrhus, ſive exquiſitus, ſive non exquiſitus?

An quod aliqua corporis infecti particula poteſt ob naturalis facultatis labem, & imbecillitatem, male concoquere, incocta apponere, & nihil crudi, atque excrementoſi excernere, idcirco tumor effici poteſt ſcirrhoſus & prædurus, qui ſi ſenſus omnino expers ſit, jam exquiſitus erit, non exquiſitus autem, ſi difficilem ſenſum habuerit. Uterque autem fieri tumor poteſt in morbo Gallico affectis, ubi humores affluxerint glutinoſi, ac lenti, particula imbecilliore nihil boni attrahente, male concoquente, noxia apponente, recrementa haud propellente. Quo fit ut impactus humor, & contumax, ab infectione & contagione totus, nativi caloris actionem reſpuat, atque inde lapidefcat.

41. Cur in illis fiunt abſceſſus?

An quod humores, ſuccique vitioſi Gallicum patientis, ab hepate & venis ad alia loca tranſmittuntur, ut membra præſtantiora liberentur, niſi id multitudine fiat, quod aliam cauſam habet. Ex his autem abſceſſus fit, qui affluxio eſt mali cujuſpiam humoris in aliquam partem corporis, apti in purulentam & ſanioſam ſubſtantiam immutari. Fit autem neceſſario in abſceſſu cavitas in his partibus, quæ ſeſe tangebant, ex alieni humoris interpoſitione, quæ quoniam præter naturam eo tranſmiſſa eſt, idcirco putreſcere apta, & in pus converti. Morbus itaque Gallicus, cum hepar & ſanguinem inquinarit, facile materiam ſuggerit abſceſſibus producendis, ut & cæteris affectionibus, ac ſymptomatis, quæ continui ſolutionem inducit.

42. Cur in glande penis ulcera interdum contingunt calloſa & dura, quæ impedimento ſunt, ut glans è præputio detrudatur, tollaturque coeundi uſus?

An quod ulcera illa, cum fuerint in interna præputii circumtegentis glandem particula, & Medici ſive inſcitia, ſive ſocordia, male ſanata, factum eſt impedimentum illud, quod contrarium penitus ſolutioni continui eſſe dicunt recentiores ſcriptores, nam unitatem ſolubilium id vocant, neque inepte, cum in eo caſu continua facta ſint ea, quæ ſolvi debuerant. Vel etiam id mali accidit, ob adurentium humorum acrimoniam, & vim, qui callos præputio intulerunt, unde concreta, atque indurata, vel etiam contracta eſt particula illa, & idcirco inepta ad cooperiendam, detegendamque penis glandem.

FINIS LIBRI PRIMI.

# BERNARDINI TOMITANI, ETC.

## DE

# MUTATIONIBUS GALLICI MORBI,

## LIBER SECUNDUS.

### CAP. I.

*Quoad ejus ſymptomata, quæ labentibus annis, alio atque alio tempore, diverſa ratione humana corpora infeſtarunt.*

Non injucundam, atque inutilem, eam fore ſtudioſis tractationem exiſtimamus, quæ mutationem ſymptomatum Gallicæ infectionis explicaverit. Nam ex ea quidem cognitione, facile cuivis patere poterit, quam ſæva, quamque atrox, & ut ita dicamus, tyrannica ſit hujus principis poteſtas, cum tot ſymptomatis, ceu ſatellitibus ſtipatus incedat, imo tot tormentorum generibus humana corpora affligere ſit aggreſſus. Quamquam rerum omnium humanarum communis conditio eſt, imo præternaturalium omnium certa atque inviolata lex, ut ortum habeant initio magnum atque vehementem, deinde vero remiſſius agentes, tractu temporis imbecilliores ſenim efficiantur, donec tandem relidentes quieſcant, ac definant, certum atque exploratum habemus, hunc jam morbum ſævius, ac truculentius cœpiſſe, extare vero nunc longe mitiorem, & hiſce noſtris temporibus tractabiliorem. Nulli etenim non perſpicuum eſt, cum primum cœpit mortalibus in Italia apparere, ſigna illum contagii intuliſſe, omnibus manifeſta. Contagii ratio ex eo conſtabat, quod corpora ſana, robuſta, validis viribus prædita, formoſa optime habitu conſtantia, abſque ulla cauſa, vel præcedente affectione, & morbo, commercio infectorum, brevi temporis ſpatio, ægra, imbecilla, invalida, & deformia, maloque corporis habitu affecta reddebantur. Id autem non tam novum, quam miſerum, & horribile videbatur. Contagionis itaque cognitione habita, tanquam ejus præincipiente occaſione, cœperunt homines ſuo periculo experiri, non à quacumque contagione id mali accidere, ſed ab ea, quæ per contactum occaſionem ſumit. Nam cognovere illi, ex dormitione & conſudatione intici multos, alios vero ex uſu indumentorum, eorum maxime, quæ ſanie fœda, & conſpurcata erant, rurſus ex ſuctu lactis puerorum, qui ulceribus ac puſtulis miſerabiliter prius ſenſere hujus Tyranni ſupplicia, quam peccare cœpiſſent, potiſſimum vero ex oſculis, ſuaviis, complexibus, Venereoque concubitu, noverunt contagionem corporibus noſtris communicari. Ex quibus, qui tunc temporis perſpicacioris erant ingenii, diligenter obſervarunt, id veneni maxime hauriri per motum, concalefactionem, attritionem, frictionemque corporum ſimul humanorum, ac tandem, ut in cæteris rebus fieri ſolet, multorum particularium experientia, univerſalem notionem acceperunt, de ſumma morbi origine, cauſaque conſtituenda, ſigna autem manifeſta afferebat, duorum, triumve, aut etiam quatuor menſium ſpatio. In quibuſdam ſerius producebatur tam feri hoſtis adventus, in aliis citius. Nam ſic ille videbatur quaſi deliteſcere, & de futuris aliorum calamitatibus & ſupplicis meditari. Sed qualenam intus virus concluderet, extrinſecus certis quibuſdam conjecturis indicabat. Etenim conceptam infectionem & labem ſuboſtendebant haec omnia, corporis inertia, & ſegnities præter laborem, atque exercitationem ullam, ſpontaneae laſſitudines, gravitas membrorum, lentor & tarditas actionum, ſomnolentia fere aſſidua, macies corporis, virium ſublatio, perturbatio animi, mœror, diffidentia, metus, pallor faciei, ſub oculis nigror, vultus novitas, manuum & plantarum calor, atque alia plurima. Praeterea in plurimis ſuborta videbatur caries pudendis enata, quae ulcuſcula afferebat erodentia una cum colore rubro, qui inflammatae particulae indicium afferebat. Quae, ad phœnicis exemplum, emortua revivifcere videbatur, interdum etiam, velut hydra

quæ-

quædam obtruncata, in plura capita regerminabat. Interea cruſtis inæqualibus, & ſcabris, corium inficiebatur, fœdis puſtulis laborabat, ſatyriaſim diceres modo, modo Elephantiaſim adeſſe, interdum lichenem, aut etiam terminthum, vel Pſoram, cutis aſpera, ac fere oſtracoſa reddebatur, erumpentibus humoribus, qui miſerabilem, & horrendum corporis habitum reddebant. Verum primum puſtulæ, parvæ admodum, initio prorumpebant, mox ſenſim adaugtæ, ad nuciſque magnitudinem producebantur. Quamquam & harum differentiæ plurimæ videbantur. Nam aliæ majores, minores inerant aliæ. Rurſus aridiores quædam, quædam autem humectæ magis, viſebantur. Interdum livido, & cinereitio colore affectæ, interdum pallido, & ſubrubenti, prodibant. Cum vero dehiſcerent, mucore praevolente madidæ conſpiciebantur, qui ſordidus ac fœtens perenni inſtillatione manabat, mucilagineum humorem effluxiſſe diceres, non tam viſu injucundum, quam ſui copia, & effluvione immodica, admirabilem. Succedebant puſtulis ulcera, quæ membra atque artus uſque ad oſſa miſerabiliter depaſcebantur, Phagedœnas exiſtimaſſes ipſas, hoc eſt exedentia ulcera ſubeſſe. Neque oſſa, utcunque dura, ab illa pernicie tuta eſſe videbantur, cum illa etiam tacta atque eroſa excernerentur. Illuvie autem caput petente, & ſuperiores corporis particulas inquinante, ſtatim deſtillationibus falſis & nitroſis corripiebantur homines, quæ linguam modo acredine perforabant, modo palatum, & fauces exulcerabant, modo & Gurgulionem & tonſillas exedebant. Nonnullis labia erodebantur, quibuſdam naſus, vel aures, vel oculi, plurimis virilia membra funditus eripiebantur, gummoſi tumores in aliis concreſcebant, glandis, ovi, & mali magnitudine, qui vel Atheromata, vel ſimiles his tumores eſſe conſpiciebantur, his guttis proxima, quæ ex arborum corticibus emanant, hæc autem adaperta, mucorem ſubalbidum effundebant, non admodum fœtentem. Tophis articuli moleſtabantur, moleſtabantur & callis tenacioribus, atque indureſcentibus, potiſſimum brachia, genua, dolebantque vehementer ſcapulæ, ſternon, & tibiæ. Dolores vero aliquando perpetuum, inceſſabilemque cruciatum afferebant, intermittebant in aliis, in utriſque vero nox luce gravior accedebat. Qui nonnunquam cum puſtulis, ulceribus, & tumoribus conjuncti crudeliter affligebant affectos, interdum & ſoli, atque ab aliis disjuncti ſæviſſime eos tractabant. Hinc ſatietas oriebatur, & cibariorum faſtidium, hinc inſtantiæ vigiliarum, tum ſomni interruptio, ſomniorumque horror, ac terribiles viſiones, excandeſcentia fere aſſidua, dolor capitis, ac poſtremo omnia malorum affectuum animi genera, quæ maxime perturbandi vim habent, ſummum vigorem capiebant, ac quaſi ab interis, excitatis furiis, eorum mens æſtuabat, cruciabaturque ſupplicio veluti jugi atque immortali. Quæ exſpuebantur cralla erant, & ſpumoſa, ſudores olidi, egeſtiones ariæ, mucore aliquo refertæ, loria ſubrubra, oleaginoſa, craſſa, ſubſidentia eorum inæqualia, perturbata, atque divulſa. Cum autem morbus trigeſimum quaſi ætatis ſuæ annum attigiſſet, cœpit nonnihil immutare naturæ ſuæ conditionem, variatis inquam ſymptomatis, au eorum ordine. Nam ferunt ſcriptores, puſtulas cœpiſſe minus videri, crebrius autem gummata, & dolores quaſi ſæviores fieri. Rurſus urinæ, quæ prius craſſæ & ſubrubræ viſebantur, effectæ ſunt tenuiores, perlucidæ, nubecula pauca & divulſa, ac ſanguis, qui primum detrahebatur, perturbatus, & mucoſus, minus qualitatibus hujuſmodi affectus, viſus eſt emanare. Atque hunc tenorem, & modum ſervaſſe viſus eſt hic morbus, quo uſque poſtularum magna pars extincta eſt, item & ulcera illa exedentia evanuere, totque tumores, tamque ſævi dolores, rarius ac mitius corpora invadebant. Temporis autem lapſu, uſque ad noſtram ætatem, quæ morbi centeſimum fere annum, aut circiter, explere videtur, puſtulæ fere nullæ conſpiciuntur, dolores perpauci, & hi quidem vagi & inſtabiles, gummata vero permulta, atque incredibilis copia pilorum, & capillorum defluvii. Accedit, prima contagionis ſemina exſtare in præſentia bubones, cariem, verrucas, & gonorrhœam. Nam quotuſquiſque eſt, qui lue Gallica inficiatur auſpicio gonorrhœæ? profecto qui hoc tempore laboret citra hoc ſeminis profluvium, vix unus, aut alter extat. Vidit ætas proxime acta, in multis fieri dentifluvium, parcius nunc id videmus, ac multo ſæpius cadere ſupercilia, capillos, & barbam experimur, quæ utcumque ſe habeant, aperte indicant, remiſſius morbum vires ſuas exercere, mantueſcereque quodam modo, nec non patientis infamiam reddi ſolito minorem. Nam ſuperioribus annis, qui hoc genere mali vexabantur, aut etiam ab eo curatos fuiſſe aliquando conſtabat, ſuæ civitatis, aut oppidi toto populo cogniti erant, atque infames adeo, utcuncti eorum commercium ſubterfugerent, veluti ſi poſtilentia ſumma correpti eſſent. Horum non modo concubitum oderunt puellæ, non modo amici oſcula, atque complexus, ſed ab halitu quoque abſtinebant, dabaturque in conviviis (ſi eos intereſſe opus erat) proprius locus, & vaſa ciborum atque vini ab aliis ſeparata, ne inficerentur illis utentes. Hunc autem exuiſſe timorem homines ætatis noſtræ, ex eo conſtat, quod in conviviis nullum eſt fere diſcrimen, nullus metus. Quin imo in contrahendis nuptiis hac tempeſtate pauci admodum ſunt, qui à lue Gallica abſtineant, controverſiæ autem inter ſponſi ac ſponſæ affines, ſunt de dotis ſumma, deque ære numerando, de Gallica vero contage, aut nihil, aut parum admodum. Cauſa autem hujus eſt, mitior morbi conditio, ac facilior per conſueta medicamenta curatio.

## CAP. II.

*Quodnam præſagium fieri poſſit de generali, ac ſpeciali ſtatu hujus morbi.*

Qui morbum Gallicum dixere eſſe elephantiaſim, vel Pſoram, vel Albotim, vel ſabaſatum, vel lichenem, vel aliud ſimile, convenere in hoc omnes, ut dicant præſagientes, labentibus annis affore tempus, ut occaſum patiatur, atque adeo deleatur, ut nomen illius obmaneat apud ſeros duntaxat nepotes. Rationem autem probabilem, aut etiam oratoriam ſolum, adhibere videntur, quod omnia orta ſemel intereunt. Cum autem ortus ſit morbus, neceſſe eſt ut aliquando definat. At non bene hi mihi ratiocinari videntur ex eo, quod hi videntur acriter defendere, Gallicum eſſe ad morbos antiquos referendum, non autem novum eſſe appellandum. Quod ſi antiquus eſt, nulla videtur afferri cauſa, cur aliquando ſit ceſſaturus, etenim hæc eorum renovatio videtur potius atteſtari quandam immortalitatem. Præclarius vero, ac longe melius dixiſſe mihi videntur illi (quamvis eorum opinionem, haud ſequimur) qui hanc affectionem in aërem, & ſtellarum converſiones retulerunt. Non enim ſimplici contagione contenti fuere, ſed longe majora principia excogitantes, dixere morbum hunc non fuiſſe ex una in aliam regionem delatum, ſed cum primum irrupiſſet, apparuiſſe Indis, Hiſpanis, Gallis, Luſitanis, Germanis, Scythis, atque orientalibus populis, tanquam à communi cauſa, hoc eſt aëre ipſo dependens. Sæpe numero vero uſu venire dicunt, ut quædam ſint morborum genera, quæ raro emergunt, quorum cauſa in ſuperiora corpora eſt referenda. Commodiſſima autem ſument exempla à Mentagra, quæ veteres affixit, cujus tamen vix nomen noſtro ſæculo ſupereſt, item à lichene, & elephantiaſi, quæ paſſim in vulgus graſſabantur apud Ægyptios, & Aſſyrios. Poſtremo nova cum veteribus exemplis conferentes, eodem modo ajunt, in lucem exiiſſe febres illas exitiales, quæ maculis apparebant, & quæ Peticulæ vulgato nomine vocantur. Quin imo contingere ſæpius affirmant lippitudines contagioſas, difficultates anhelitus, marcorem viſcerum, dolores coſtales, noſtris quoque temporibus annus jam ſeptimus elapſus eſt, ex quo Patavii, Vincentiæ, Venetiis, atque aliis civitatibus Epidemialis tuſſis ſupervenit, quæ contagioſa erat, cum febricula leviter incenſa, qua pauci emortui ſunt, plurimi vero correpti. Cum itaque aëris conſtitutio ſit in hoc caſu principium & cauſa afferenda, & morbum eſſe de his, quæ raro in lucem prodeunt, hinc patere dicunt, potuiſſe tot orbis partes quaſi ſimul ac ſemel eodem morbo laborare. Addunt & hunc morbum jam contagioſum analogiam habere cum pituita craſſa ac ſordida, quod ex ſymptomatis facile colligunt, quocirca & ſeminaria ipſa, quae contagionis cauſae ſunt, lenta quoque & mucoſae pituitae analoga exiſtiſſe arbitrantur. Quid autem aërem, atque ejus ſeminaria, potuerit ita afficere, ut putrefactionem ſordidam & mucilagineam, adde & acredinem exedentem contraxerint, commode contemplantur, ad cœli converſiones, & ſtellarum motus recurrentes. Nam referunt Aſtrologos eo quidem tempore obſervaſſe trium ſuperiorum conventum, ac veluti conjurationem Jovis, Saturni, & Martis, quae res uti nova & monſtroſa videbatur, ita in cauſa fuit, ut morbos ſævos & inauditos praenunciaret mortalibus. Nam aſtra haec poteſtate incredibili praedita ſunt, rurſus eorum conſpiratio, ac conjunctio diuturna eſt, ob tarditatem agitationis Saturni & Jovis, ex ea vero conjunctione factum eſt, ut plurimae exhalationes attractae aërem petierint, peſtum agitaverint, agitatum corruperint, corruptum ſordidum effecerint, una cum ſeminariis, atque inde contagium emerſerit. Annorum autem decurſu factum eſt, ut mitior morbus evaſerit, tum ex eo, quod aëris putrefactio benignis aſtrorum aſpectionibus corrigitur, tum natura bonum à malo excernente pro univerſi conſervatione, tum etiam materia, ac ſeminariis, & vi caloris ſolis reſolutis. Hinc aëre ipſo jam putrefactione abſoluto, non amplius corpora vexabat achoribus humidioribus, neque pinguioribus puſtulis, neque mucilaginea,

ginea, mucoſaque pituita, uti per initia aſſuerant, quoniam ſola erat per contactum unius ad alium infectio ſuperſtes, cumque contages à proprio principio recederet, ſiccior, ac reſoluta magis facta eſt, ob idque ſicciores puſtulæ, & ulcera viſa ſunt. Quod autem terreſtre magis ſupererat, in gummata convertebatur. Nunc autem fere ad incinerationem (ut ita dicamus) deveniſſe contagium patet, ex defluvio capillorum, & colore cutis, pilis decidentibus, prodeunte. Ex quibus prænunciant, morbum Gallicum jam ad extremum ſenium perveniſſe, hoc eſt ad occaſum, & declinationem tendere, properareque celerrime; brevique tempore fore, ut non amplius per contactum, venereoſque complexus propagationem ſuſcipiat, materia indies frigeſcente, & ſeminariis imbecillioribus factis. Hæc autem affectio poſt multos annorum decurſus forte redire etiam tum poterit, redeuntibus ejuſdem cauſis, quæ potuere eam in lucem emittere. Exſtare autem hanc ipſam luem, Indis quibuſdam inſulis familiarem ſatis, conſtat ſcriptorum teſtimonio, quoniam perpetuum inibi aëris vitium vigeat, ob peculiarem cauſam, alio tempore diſquirendam. Quæ opinio authorem habuit, de re medica mirifice bene meritum, Leonicenum, virum omni genere litterarum præcellentem, cui Fracaſtorius ſubſcripſiſſe videtur, non ſolum in his quæ de morbis contagioſis graviter ſcripſit, ſed & in ſyphilide, ait enim, de morborum differentiis, ſub quibus Gallicus continetur, hunc in modum.

*Ergo & morborum quoniam non omnibus una*
*Naſcendi eſt ratio, facilis pars maxima viſu eſt,*
*Et facies ortus habet, & primordia præſto,*
*Rarius emergunt alii, & poſt tempore longo*
*Difficiles cauſas, & inextricabile fatum;*
*Et ſero potuere altas ſuperare tenebras.*

Exempla autem morborum, qui raro in lucem emergunt, ſtatim affert.

*Sic elephas ſacer Auſoniis incognitus oris,*
*Sic Lichen latuere diu, quibus incola Nili*
*Gens tantum, regioque omnis vicina laborat.*

Sub his autem contineri Gallicam luem, teſtatur ſubjungens.

*De genere hoc eſt dira lues, quæ nuper in auras*
*Exiit, & tandem ſeſe caligine ab atra*
*Exemit, duroſque ortus, & vincula rupit.*

Continua vero cœli revolutione, infectionem Gallicam alio ſeculo fuiſſe, ac multoties contigiſſe oſtendit, hiſce verbis.

*Quam tamen (æternum quoniam dilabitur ævum)*
*Non ſemel in terris viſam, ſed ſæpe fuiſſe*
*Ducendum eſt: quamquam nobis nec nomine nota*
*Hactenus illa fuit, quoniam longæva vetuſtas*
*Cuncta ſitu involvens, & res, & nomina delet.*

Vitiari autem aërem, ac vitiatum, cauſam eſſe morborum, etſi hujuſce poëtæ teſtimonio alias confirmatum fuerit, ut tamen Leoniceni opinionem magis expreſſam ob oculos ponamus, placet & pauca illa ſubjungere, quæ ſic ſe habent.

*Quæ cum perſpicias, nihil eſt, cur tempore certo*
*Admirere novis magnum marceſcere morbis*
*Aëra, contagesque novas viventibus ægris*
*Sidere ſub certo fieri, & per ſecula longa.*

Verum aërem fuiſſe aſtrorum, igniumque cœleſtium converſionibus, atque malis conjunctionibus inquinatum, per hæc oſtendit.

*Hinc diræ facies, hinc ſe diverſa malorum*
*Oſtendent portenta, una hac ſub parte videbis*
*Magna coiſſe ſimul radiis ardentibus aſtra,*
*Et conjuratas ſparſiſſe per aëra flammas.*

Quæ vero ſidera exſtiterint, quorum conventu infectus ſit aër, ſubindicat dicens, fuiſſe Jovem, Martem, & Saturnum.

*Jupiter acciri ſocios in rebus agendis*
*Saturnum, Martemque jubet, bipatentia cancer*
*Limina portarum reſerat, diſque atria pandit.*

Infecto aëre communicari contagium multis quidem modis ſignificat, hoc eſt ſtirpibus animantibus, & hominibus. Stirpibus ſic.

*Solis nam ſæpe arboribus ſit noxius aër,*
*Et tenerum germen, florumque infecit honorem.*

Animantibus.

*Interdum pœnas animalia ſola dedere.*

Humano generi.

*Illa quidem non muta maris, turbamque natantum*
*Non volucres, non bruta altis errantia ſylvis,*
*Non armenta boum, pecudeſve, armentave equorum*
*Infecit, ſed mente ingens ex omnibus unum*
*Humanum genus, & noſtros eſt paſta ſub artus.*

Præſagium autem de futura morbi terminatione, paucis hiſce deſcribit.

*Namque iterum cum fata dabunt, labentibus annis*
*Tempus erit, cum nocte atra ſopita jacebit*
*Interitu data: mox iterum poſt ſecula longa*
*Illa eadem exſurget, cœlumque auraſque reviſet,*
*Atque iterum ventura illam mirabitur ætas.*

Nolebam tot aliorum congerere, neque item ſtudioſos in re parum neceſſaria remorari, præſertim cum hæc elegantiſſime ſcripta ex ſyphilide pateant, verum iſta hæc recenſuimus, ut videremus Leoniceni mentem, à graviſſimo poëta, adeo egregie & luculenter expreſſam, ut ne quidem facilius penicillo fingi, atque exprimi potuiſſet. Quam certe opinionem veritati proximius acceſſiſſe cæteris aliis, quæ de morbo Gallico auditæ ſunt, arbitramur, quamquam nec illam attigiſſe ſcopum undequaque diximus in præcedentibus, quæ repetenda non ſunt. Ad extremum hoc dixiſſe ſufficiat, nos una cum aliis convenire ſcriptoribus, de morbi terminatione. Qui utcumque originem duxerit, cum contagioſus ſit, & omnis contagio res ſit præter naturam, ac violenta, neceſſe eſt, ut deſinentem cauſam habeat. Nam quæ vi fiunt, & præter naturæ propoſitum, ea quidem in perpetuas cauſas referenda non ſunt, quocirca neceſſe eſt, ut finiant, ac conquieſcant ſemel. Ex mitigata autem morbi natura, & placatis ſymptomatis, pro certo aſſerere poſſumus, eum jam proximum eſſe terminationi, quod maxime patet ex his, quæ dicebantur. Cum enim unius ad alium contagio communicata novam ſemper caloris vim, atque imactas vires membrorum naturalium reperiat ſibi obſtantes, atque occurrentes, neceſſe eſt, ut ſeminaria hepatis infecti imbecilliora, aſſiduoque hauſtu exilia, ac pauciora reddantur, maxime vero cum attenuentur ab ea reſolutione, quæ ſit à nativo calore, noxia digerente, aut propellente, quo fit ut terminante affectionis hujus cauſa, affectio quoque ſit aliquando terminatura. Cæterum cum ea ſit præſagiendi ratio, ut vires metiamur ipſas, atque eas cum morbi viribus conferamus, ut Hippocraticum nos oraculum monuit, in his quæ de præſagiis ſcripta fuere, ob id dicimus, in hoc genere morbi poſſe nos partem hanc exercere prognoſticam, quicquid alii voluerint, qui ob morbi novitatem ſuſpicati ſunt, fore prædicendi opus rem penitus inutilem, & ſupervacaneam. Nos autem eorum potius ſententiam ſequimur, qui morbi novitatem ad cauſam referunt, quæ eſt contagium contactu, aut fomite acquiſitum, non autem ad modum ſymptomatum. Etenim nihil eſt in Gallica lue, tam vel rarum, vel admirabile, quod Galenus, Hippocrates, Dioſcorides, Avicennas, Aëtius, Paulus, & alii non plene vidiſſe potuerint. Erant enim illis temporibus bubones, caries, verrucæ, lichenes, rhagades, tophi, gummata, dolores nervorum, & articulorum, caſus dentium, profluvium capillorum, gonorrhœa, puſtulæ, ulcera, inflammationes. Erant & horum omnium conſequentia, rubor, pallor, flavities, nigredo, livor, mollities, durities, mucor, ariditas, tenſio, remiſſio, dolor, infenſibilitas, purulentia, contumacia, benignitas, malignitas, intemperies calida, frigida, ſicca, humida, ac cætera alia ſexcenta. His itaque conſtitutis, dicimus poſſe Medicum natura prudentem, & optima ratione præditum, ſuis adhibere prædictiones in morbi Gallici curandi, vel non curandi, ratione. Nam ſi morbum viderit inveteratum, patientem vero contumacem, vires languentes, curationem fruſtra ab aliis attentatam, atque alia hujus ordinis, inſanabilem affectionem, quid prohibet Medicum prædicere poſſe, immo etiam eundem interiturum? Contra vero, ſi morbum noverit recentem, ægrum parentem mandatis, vires validas, & remedia exquiſite parata, immo affidentia, & exteriora recte ſe habere, quid vetat Medicum haud poſſe infirmo corpori ſalutem prædicere? Adde & morbi diuturnitatem, longitudinem & brevitatem, facilem, & difficilem curationem. Præterea nonne in hoc morbo præſagium conſtituunt ea, quæ ex patientis corpore emanant? qualia ſunt egeſtiones, lotia, ſudores, ſputa, ſanies, vomitiones, narium excrementa, eructationes, ventris crepitus, ventriculi flatus, ſternutamenta, atque alia. Etenim cum horum corporum, quæ Gallicam affectionem ſuſcipiant, natura & conſtitutio par cæteris ſe habeat, cumque facultatem habeant, uti reliqua, naturalem, animalem, vitalem, naturaliſque facultatis opus ſit attrahere, continere, & propellere, animalis rationem, ſenſum, & motum impartiri, uti vitalis pulſum & ſpirationem moderari, neceſſe profecto eſt, ut dicamus ex harum virium actionibus, vel bene ſe habentibus, vel læſis, vel ablatis, poſſe interdum nos certum conſtituere judicium, de magnitudine, & parvitate infectionis, deque ſalute, & morte ægrotantis. Horum autem certam rationem, exquiſitamque cognitionem, ſibi rationalis medicus adſcribere poſſit, conſideratis omnibus rebus, quæ per occaſionem ſibi conſideranda diligenter, offerentur. Nam ad particularia deſcendere, uti opus immenſum eſt, ita nec calamo ſcribi poſſe videtur, quod Galenus etiam ſcripſerat *ad Glauconem*. Sed de prædictio-

ctione, atque præſagio, hæc quæ dicta ſunt, ſufficiant.

## CAP. III.

*Intentiones curativæ eliciendæ in Gallici morbi curatione.*

Cum medicus rationalis in quolibet morbo, authore Galeno, elicere teneatur propoſita ſua, quæ curativæ intentiones dicuntur, operæ pretium eſt, & in enarrata affectione hanc ipſam judicii & rationis partem exercere. Quia ergo Gallica lues eſt intemperies, hæc primum venit ex contrario tollenda, ut ad temperamenti ſtatum, & formam conducatur. Tantundem autem opus eſt corpus elanguens ad temperationem ducere, quantum à ſua naturali conſtitutione deflexit, id autem fit, contrariis alterando, debita ratione, & conſideratione adhibitis. Quia vero intemperies illa calida eſt & ſicca, indicatur corpus eſſe refrigerandum atque humectandum, hepar præſertim, quod primum eſt affectionis ſubjectum, & ſubinde venæ, & ſanguis univerſus. Cum vero infectio reddiderit naturalem facultatem imbecilliorem, propoſiti ratio erit, eam refovere, & roborare, ut recte & valenter naturalia munera obire poſſit. Rurſus cum tractu temporis effici poſſit putredo humorum cum illa intemperie, hæc quoque auferenda eſt. Et hæc, cum contagione venenoſam qualitatem ſibi injunxerit, illa quidem ſubmovenda eſt hiſce auxiliis, quæ ſpeciatim noxiæ illi qualitati adverſantur. Cæterum quia morbus non tollitur, niſi cauſa, à qua pendet, reſcindatur, propoſitum erit, cauſam auferre, hoc eſt, contagioſam illam qualitatem hepati invectam communicatamque. Quia vero contages communicata hepati, ac toti ſanguini, alimentum vitiavit, ac ſpiritus fervore multo inflammavit, ex quo varia ſequuntur ſymptomata, idcirco contemperandum eſt alimentum univerſum, ſpiritus corrigendi, & accidentia profliganda, bubones vel reſolvendi, vel aperiendi, item tumores & gummata, caries, atque omnis continui diſſolutio, removenda, atque conjungenda, dolores ſedandi, ac prohibendi, capilli vel ſiſtendi, vel inſtaurandi, puſtulæ obliterandæ, verrucæ ſuccidendæ, ac cætera omnia depellenda, quæ præter naturam acciderunt, vel actiones ipſas vitiare poſſunt. Cum vero, contagione ſuſcepta, ſanguis inquinatus ſit, & vis naturalis labefactata, neceſſe eſt, ut plurima congerantur excrementa in univerſo corpore, quæ ſæpe numero ex æquo redundare videntur, cum in una parte corporis erumpant gummata, quæ pituita referta eſſe videntur, in alia puſtulæ, quæ bilioſam præ ſe ferunt ſpeciem, in alia vero, quæ melancholiæ copiam indicant, interdum autem in patientibus corporibus videtur magis ille, quam alter, humor efflorefcere, pro naturalis temperamenti ratione, proque tenore humoris quacumque cauſa redundantis. Primus itaque, ac præcipuus ſcopus eſt, ut vim & naturam affectionis tollamus, ex ejus cauſæ ablatione. Alius vero, (quod jam dictum eſt) ut ſpirituum, ſanguinis, atque hepatis vires, reficiamus. Verum quia nullum horum commode præſtari poteſt, ut monet Galenus in *libris artis Therapeuticæ*, ſi redundarint mali ſuci, atque recrementa, ob id hæc minuenda ſunt, ne occaſionem ſalutis eripiant. Quamquam ego excrementorum evacuationem, non inter principes indicationes enumero, quod alii voluere, cum in hoc caſu præparantia quædam ſint ad ea conſequenda, à quibus ipſa ſumitur indicatio. Hinc ſcopi duo principes, & vulgati oriuntur, qui ſunt materiæ vacuatio, & membrorum alteratio, quibus intemperantia omnis vel profligatur ex toto, vel magna ex parte corrigitur. Tollitur autem materia, ſive totius corporis, ſive particulæ, tribus illis modis, qui fontes ab aliis, ab aliis inſtrumenta inanitionis appellantur, Pharmaco nempe, ſanguinis detractione, & ratione victus. Membra vero alterantur his, quæ contraria qualitate intemperiei prædita ſunt. In univerſum autem, & quæ evacuant humorum multitudinem, & quæ eorum qualitates immutant, quæque noſtri corporis partes alterant, ſunt à rebus non naturalibus petenda, quæ ob eam cauſam non naturales vocantur, quod corporis noſtri partes non ſunt, ſed probe atque opportune adhibita corpus ſanum conſervant, & ægrum à malo ad bonum ſtatum revocant, uti indebite atque inſalubriter aſſumpta corpus ſanum vel deſtruunt, vel ad malam conſtitutionem perducunt. A Galeno autem conſervatrices cauſæ vocabantur, in his quæ de arte curativa conſcripſit, quoniam certa ratione, modo, atque menſura propoſitæ, nimirum corpora ſalubriter alterant, tum etiam eorum conſtitutionem integram atque incolumem tuentur, & ſunt aer, cibus & potus, ſomnus & vigilia, inanitio & repletio, motus & quies, animi paſſiones. De quibus ſigillatim pauca quædam nobis dicenda ſunt, quæ ad præſentem uſum maxime neceſſaria fore arbitramur, ab aëre omnium primo initio accepto.

## CAP. IV.

*De Aëre.*

Aër principem facultatem agendi in corpora noſtra, authore Hippocrate, obtinere videtur. Affert enim nullo non tempore perpetuam pulmonibus exercitationem, idemque ab illis agitatur. Quandoquidem præſtantiſſimum membrum, cui vitæ ratio accepta refertur, hoc eſt cor, pulmone exſpirationem atque inſpirationem efficiente aërem, inde concipit, & refundit, fitque ejus fervoris temperatio quædam ad animalis vitam tuendam. Atque eo maxime nomine aër eſt à medico conſiderandus, quod ſine eo nec morbi profligari poſſunt, nec ſanitas foveri, eſt enim cordis refrigerium, ac totius ſanguinis & ſpirituum contemperatio. Cum vero hoc uno elemento uſque adeo egeamus, ut ſine eo (quod Ariſtoreles ait) vita noſtra ne quidem tantillum temporis perdurare valeat, tantum abeſt, ut longiore ſpatio hujus uſura carere poſſimus, ob id ſemper nobis hauritur, eſtque de maxime alterantibus, atque afficientibus corpus noſtrum. Hujus probatur puritas & libertas. Libertatem tollunt montium juga, loca circumquaque obſita, atque coërcita, cavitates, anguſtiæ, quæque hunc ipſum præſepiunt & occludunt, aut alio quovis modo coarctantia, reſtringunt. Puritati adverſantur loca paluſtria, cœnoſa, vada ſtagnantia, cloacæ immundæ, ſpeluncæ gravcolentes, cavernæ iniquum halitum ſpirantes, caligines, ac nebulæ craſſiores, diu illi inſidentes, flumina nivium deſtillatione creſcentia, aquæ diu immotæ, agri ſtercorati, ac plurimis fimi acervis referti, (quod maxime probat Heſiodus,) macellariæ, piſcariæque tabernæ, animalia putreſcentia, aſſerente Galeno, olera, atque legumina. Verum uteumque aërem vitient res ipſæ, duo ſunt, quæ potiſſimum eundem inquinare poſſunt, quies rerum humidarum, & ſuperventus caloris. Etenim res humectæ ſunt veluti pabulum putrefactionis, calor autem efficiens cauſa, ut putreſcant, quod Ariſtoteles voluit *libro quarto Metheorologicorum*. Quies vero eſt veluti præparans, ac putredini facilitatem tribuens, ut *in problematis* idem author ſcriptum reliquit. Cavernoſus itaque aër quiete putreſcit, marceſcit autem humore nimio paluſtris, uti nebuloſus qualitate adventitia afficitur. Quocirca à Medicis & Philoſophis probatur aër ille, pro tuendæ valetudinis ratione, qui ſincerus eſt, apertus, ſerenus, afflante ſpiritu agitatus, quique in his locis eſt, quos aquæ plurimæ, nitidæ, ac celerrimi curſus præterfluunt. Ex eo fit, ut regio clivoſa, ac parum montana præferatur imæ planitiei, præſertim ſi ea ſenſim in ſublime conſurgat. Ut autem ab aëre commoda plurima oriuntur, ſalubri præſertim, & opportuno, ſic ab eodem impuro & male affecto, corpora noſtra detrimenta patiuntur. Præcipue vero id evenit corporibus, quæ tranſitus illos, quos Græci πόρους ſive meatus vocant, apertiores habent, ac maxime permeabiles, quod Galenus in his libris monuiſſe videtur, qui de tuenda ſanitate inſcribuntur. Temperatus autem aër temperatis quoque corporibus prodeſt, ea lege, quæ ait, ſimilia ſimilibus conſervari, uti intemperatus intemperatis. Nam frigidam habentes intemperiem calido aëre ſanantur, calidam vero frigido. Hinc eſt, ut prudenter conſulant Medici, arte parandum eſſe aërem interdum, ad morbos propulſandos. Accedit & illud, in morbis diuturnis prodeſſe, immutare loca, ac terrarum regiones, ut author eſt Hippocrates *lib. ſexto Epidemiorum*: quod profecto fieri non poſſet, niſi hujus elementi hauſtu corpora ipſa languentia, jucunda quadam qualitate, quæ varietatem ſequitur, recrearentur. Cum autem ab aëris conſtitutione regionis conditio oriatur, ſive ſalubris, ſive inſalubris, hinc eſt, ut Hippocrates primum, deinde & Galenus *libro ſecundo de tuenda valetudine*, regionem ſoli obverſam orienti ſalubriorem exiſtimarint. Minus autem, quæ ſeptentrionem ſpectat, vel in faucibus montium poſita eſt, vel ad anguſtias ſcopulorum protenditur, vel ubi violentior auſter inſpirat. Damnatur quoque regio lapidoſa, quod æſtate calore nimio torrida ſit, hyeme vero frigore immodico affligat. Poſtremo & argilloſa, quæque ſicca atque arida exiſtit, ſi Hippocrati credimus: rurſus ubi metallicæ ſunt officinæ. Aërem tamen & regionem plurimum commendant incolarum color floridus, optimi mores, præclara ingenia, & habitus corporis perquam

elegans, & laudabilis. Verum nolebam hic de aëre præcepta conſcribere, cum hæc ab Hippocrate diligenter & graviter tractata fuerint *in lib. de aëre, aquis, & locis*, attamen ut hæc nobis, ceu elementa, propoſito noſtro inſervirent, libuit hæc pauca, veluti ſummos flores, excerpſiſſe, ad præſens inſtitutum ſumme neceſſaria. Dicimus itaque ex his, fieri non poſſe, ut Gallico laborantes eadem lege non teneantur, aut bonum eligere aërem, aut inſalubrem effugere. Etenim qui poſt curationem imbecilliorem habitum contraxere, ſalubrem aërem diligant, inſalubrem evitent, neceſſe eſt. Quo fit, ut inepte dixerint, qui docuere, Gallico infectis non eſſe magis calidum quam frigidum aërem proponendum, aut ſiccum, quam humidum, aut ſincerum, quam turbidum, aut craſſum, quam tenuem, vel quomodocumque alium. Hi enim videntur hujuſce morbi novitate, fere corporum formas, & naturæ leges etiam renovare, ac ſi Gallica lue correpti, ſub ſanitatis & morbi præceptis non reponantur, veluti novum quoddam genus hominum. Placet autem nonnullis recentioribus aërem maritimum, ſaluberrimum, atque præſtantiſſimum eſſe hoc contagio laborantibus, quod qua ratione ducti defendant, plane non video. Forte ideo experientia edocti auſi ſunt dixiſſe. Ego vero experientiam fallacem appello una cum Galeno, quæ ratione conformari non poteſt. At experientia didicimus & nos, innumeros eſſe Venetiis infectos, rurſus & aliis Italiæ civitatibus, ſupero atque infero mari adjacentibus, tum demum exterarum gentium locis, ac regionibus, quæ alio, atque alio mari alluuntur. Quia vero mediocritas in omnibus fere cafibus deligenda eſt, ob id aëris mediocritatem in hoc genere morbi laudamus magis, quam exceſſum. Quod ſi à temperatione, & mediocritate ſit recedendum, forte minus erit incommodi, aërem deligere paulo frigidiorem quam calidiorem, cum hepatis vitium ſit calida intemperies. Qui autem valde calidus exiſtit, morbi naturam auget omnino, inſigniter autem frigidus humores conſtipat atque reſtringit, quo minus per inſenſibilem diffiationem tranſpirent, aut arte vacuari poſſe videantur. Cæterum hæc dicta nobis eſſe volumus de aëre generatim quodam modo, nunc autem de eo dicendum eſt ſpeciatim, hoc eſt de loco & ſtatione, quam patienti proponere debet Medicus, dum curatur infectio, bibiturque decoctum, ſeu Guajaci, ſeu ſaſſæ, ſeu Chinæ, ſeu cujuſvis alterius auxilii: eſto itaque locus, & ſtatio infirmi ſalubris in primis, nullo fœtore olens, nulli ſpiritui expoſita, in contignatione potius, quam in pede plano collocata, ubi commode ignis accendi poſſit, menſa parari, lectulus ſterni, & quo infirmus molliter ambulare poſſit, ſi velit. Orientem ſolem ſpectet, aut meridiem, ſitque cubiculum ſordibus, atque omni immunditia carens, rurſus ab omni tumultu & perturbatione remotum, & ſi fieri poteſt, tranquillum, & ſilens. Mane feneſtræ orto jam ſole aperiantur (nolumus enim cocyti tenebras illas, quæ veteſtioribus hujus morbi magiſtris miriſice laudabantur) ea tamen lege, ut aër non ingrediatur libere, hoc eſt ſpecularibus clauſis, præſertim hyeme, & autumni poſtrema parte, & veris initio: ob eam aëris injuriam, quæ à frigida conſtitutione ſit, hanc autem diximus eſſe meatuum conſtrictionem, quæ in hoc affectu ſumme vitanda eſt. Cœlo autem ſereno, ac lucido, tum ſolis vi calefacto, ne quidem aër prohibendus eſt, certo diei ſpatio, dummodo ſub veſperis adventum feneſtræ claudantur. Aeſtate vero minus ab aëre abſtinendum. Ut ut autem ſit, cavendum eſt ab extremis: hoc eſt, ne xxxx. dierum ſpatio patientes concludamus, atque alamus in tenebris, ut primi illi Medici facere conſueverunt, cur autem id facerent, cauſam puto exſtitiſſe, ſummam illam inediam, ac repetitas vacuationes, quas adverſus primam illam, ac veterem morbi ſævitiem, proponebant, veriti, ne vires ægrotantis imbecilliores redderentur, luminis viſu, aut animalis facultatis defatigatione. Cavendum item eſt, ne tantam aëris uſuram patientibus concedamus, ut vel frigiditate denſentur meatus, vel vento, aut caligine lædantur. Sit itaque mediocritatis ratio, medici judicio, ſervanda: ne nimia libertate patiens oberret, neve immodica ſervitute frangatur, aut animi mœrore obruatur. Atque hæc de aëre, loco, & ſtatione dicta ſufficiant.

## CAP. V.

### *De cibo & potu.*

Aſſumendorum uſus cibariorum magna quidem medico in omnibus ratio habenda eſt. Nam his alimur, conſervamur, & corrumpimur. Quocirca non levis cura nobis ponenda eſt, ut in propoſita affectione ſciamus debitam qualitatem, quantitatem, ac modum cibandi, recte inſtituere. In primis autem generalia illa de cibo & potu præcepta obſervanda conſtituo, de quibus Hippoc. Galenus, ac omnis tandem medicorum turba, longa tractatione ſcripſere. Ea autem ſunt bonitas, menſura, qualitas, conſuetudo, delectatio, ordo, tempus, horæ, & ætas. Cibi enim, qui laudabilis ſucci ſunt, ἐυχυμίαν pariunt, uti qui mali & vitioſi eſſe dicuntur κακοχυμίαν. Nam utraque corporis noſtri ratio, atque habitus, laudabili aut vitioſo conciliatur alimento, quod Galenus copioſe perſecutus eſt *in lib. de cibis boni & mali ſucci*. Ut autem bonitatem & malitiam cognoſcamus cibariorum, egemus primum præceptione generali, deinde & ſpecialibus. Lex autem, & præceptio generalis eſto, ut ea ſint levia, tenuium partium, coctu & concoctu facilia, minime excrementoſa, laudabilis alimoniæ. Specialia vero præcepta ſunt, quæ ex his libris colligere poſſumus, qui à Galeno *de alimentorum facultatibus* editi fuere copioſius. Menſuram cognoſcimus, cum certam cibi quantitatem animo perpendimus, quam natura exigit, hoc eſt quæ modum non excedit. Id autem aſſequitur quis, ubi nihil ſupra vires aut nativi caloris gradum ingeſſerit. De hac vero menſura plurimos reperies Aphoriſmos, ab Hippocrate pronunciatos, in priore ſectione præſertim. Qualitas eſt in ſanis ſimilis, in ægris contraria adhibenda. Conſuetudo eſt, ut aſſueta cibaria proponamus, quo conſuetudinem, quaſi alteram naturam, conſervemus, monente id Hippocrate. Delectatio quoque eſt unice conſideranda, quoniam hæc parum deteriora cibaria poteſt nonnunquam utilibus præferre, ſi eidem Hippocrati credimus. Ordo autem ſervatur, cum priores cibi ingeruntur, qui ob eorum qualitatem, vim, & naturam, primum locum ſibi vendicant, poſteriores vero qui poſtremum. De quo ordine pauca quædam exſtant apud Galenum *in conſilio pro puero epileptico*, ubi ad ciendam alvum monet, olera primum eſſe illi ingerenda, deinde reliqua. Tempus autem eſt, quod unice præcavet, ne intempeſtive cibi aſſumantur, ut ſani verbi cauſa ante exercitationem, aut ægri in acceſſionibus. Horæ autem diei poſſunt temporis determinata pars, qua commode ſanis atque ægris corporibus cibi ſunt ingerendi. Ut ſi dicamus, ſani cœnam à prandio horis octo diſtare, uti novem ægrotantis. Sub quo capite colligunt recentiores Medici partitionem ciborum, qui ſecundum quatuor anni tempora ſunt diſtribuendi. Ætati vero accommodatur victus, ubi puerorum naturam, adoleſcentium, juvenum, & ſenum ob oculos ponimus, diſtinguentes, quid, quale, & quantum ſingulis conveniat. De his autem copioſius alio in loco diſſeremus, nunc vero pauca quædam de victus temperatione, hoc eſt, ſobrietate ipſa, dicenda ſunt, quando nihil ſit præſtantius in hoc genere mali, de quo modo agimus, quam hæc una virtus, & moderatio, quæ abſtinentia dicitur. Nam præter id, quod divina lex monet, ut parce moderateque ſit vivendum, non autem ventrem ipſum nobis Deum conſtituamus, ingluvici, ac temulentiæ operam dantes, exſtat & naturæ præceptum, paucis ac modicis rebus naturam egere ad ſui conſervationem. Hinc eſt, ut ſobrietate duce recte eos ſenſiſſe exiſtimem, qui dicunt minus egere ſobrietate utentes homines medicorum conſiliis. Plato etiam dicere ſolebat, vitam humanam haud egere legum præſcriptis, medicinæque dogmatibus, ſi eam recta ratione regamus, hoc eſt, temperantia, atque ſobrietate. Quæ autem intemperatum hominem ſequuntur, ea ſunt, divinæ legis contemptus, moralium præceptionum prævaricatio, nominis dedecus, atque ignominia, in Venerem propenſio, corruptæ cogitationes, depravata conſilia, mala facinora, inopiæ, ac demum caloris nativi imbecillitas, virium hebetudo, labefactatio ſpirituum, membrorum gravitas, ſanguinis inconſtantia, humorum noxiorum copia, corporum frigiditas, cruditas, exuſtio, ſuffocatio, convulſio, tremor, dolor, languor, laſſitudo, tenſio, obſtructio, inflammatio, febris, ſenectus præpropera, ac mortis celeritas. Nam ubi quis cruditatem cruditati injunxerit, exſangue ejus corpus redditur, ac pallens, guttur grave ſpirat, os pituita ſcatet, dentes luridi atque inconſtantes viſuntur, oculi caligant, aures tinniunt, ingenium fit hebes atque retuſum, memoria labilis, ſomni profundiores, ſenſus omnes hebetiores, ad motiones tarditas & pigritia ſubinde excitatur, quæ hominem ſegnem & ad omnia reddit invalidum. Contra vero victus moderatio divina mandata perficit, moralia præcepta confirmat, famam ac decus comparat, caſtiorem vitam proponit, cogitationes incorruptas facit, conſilii atque judicii rationem exercet, prudentiæ vim roborat, moderationem in omnibus præſtat, laudandos mores ſuggerit, ab egeſtate præſervat, tum demum calorem ingenitum fovet, vires tuetur, ſpiritus recreat, membra communit, ſanguinem ſincerum reddit,

dit, humores temperat, facultatem vitalem, animalem, & naturalem instaurat, morbos atque intemperies demolitur, senectutem viridem & robustam præbet, mortem denique ipsam longiore spatio retardat. Cum enim corpus alimenti ratione congrua atque opportuna fovetur, nec caloris mensuram, aut virium robur excellit, jam color in cute laudabilis efflorescit, pulmones suave spirant, sensus sua munera valenter obeunt, memoria efficitur tenax, ingenium acre & præclarum evadit, animus vigilat, motiones celeres, atque expeditæ cernuntur, ac tandem homo ad omnia redditur facilis, & paratus. Nil mirum itaque, si abstinentiæ usu medici omnes testati sunt, tam ferum, tamque immitem hostem, hoc est Gallicum morbum, profligari: ali vero, atque foveri epularum copia, & varietate plurima. Quo circa hæc evitanda, illa deligenda magis est. Cibus itaque deligatur concoctu facilis, ob ventriculi imbecillitatem, quæ Gallicam luem domestico usu insequitur. Tum etiam qui laudabilis succi sit, ob hepatis intemperantiam corrigendam, & sanguinis puritatem conciliandam. Sit autem & tenuis, quoniam huic maxime morbo, qui talis est victus, adversari videtur. Tum etiam attenuandi vires exerceat, ubi crassi, ac lenti humores affuerint. Refrigeret nonnihil, atque humectet, ob fervorem & adustionem temperandam, putredini, si qua fuerit, demum resistat, quæ qualitate contagii tractu temporis indita est. Et ut generatim rem persequamur (nam singula quæque seorsum ex Galeno & aliis petenda sunt) leguminum usus in primis est damnandus, cum eorum vis & natura magnam flatuum copiam excitet, immo & dolores pedum, ac genuum, adde & crurum imbecillitatem afferat, Hipp. testimonio. Olerjbus quoque abstinendum, cum laxiorem reddant ventriculum, atque intestina, sintque valde pituitosa, & spiritum flatuosum progignant. Fructus vitari medicis omnibus scio, quia crudiores sunt, vique caloris plurima egere solent, tum etiam ex eo, quod humidiorem succum congerunt, atque aquosum, flatus cient, spiritus naturales & sanguinem refrigerant magis, quam sit opus, unde sequitur fervor & ebullitio, quæ morbi qualitates augere noxias videtur. Vitandæ & carnes, quæ vel humidioris sunt succi, vel quomodocunque mali, quales præsertim sunt aguinæ, atque suillæ, tum & earum avium, quæ stagna & paludes incolunt, adde pecoris, hirci, & capræ, adde & columborum, quos domestica cura educat, bovilla quoque, ac omnis vetus caro damnandæ, tum & animalium particulæ minus laudandæ, uti inveteratorum testes. Querquedulæ, cerebra, vulvæ, caudæ, hepar, renes, aures, cor, dorsi medulla, ac demum interanea quæque. Eodem argumento anserum atque anatum carnes effugiendæ sunt, pavonum, cuniculorum, cervorumque, quod illæ crudioris sint atque humidioris alimenti, hæc autem densioris, maximeque inepti. Cum enim ex carnibus multum succi congeratur, inde efficitur, si malus sit, ut plurima paretur materia, apta continere, atque fovere morbum. Etenim si ipsa sola carnium copia nobis ingesta laudabilium, πλουσίως parere solet, authoribus Plutarcho, & Celso, quid illaudabilis carnis usus efficere poterit? Vetusta autem caro omnino laborem adhibet, & molestiam ventriculo, succumque gignit melancholicum. Sed eam ad salubritatem sale biduo, aut triduo, insperge Galen. quo humiditas omnis tolli ac dissipari queat. In universum valentius alit caro domestici, quam feri animalis, tum subhumido cœlo alti quam sicco, in otio degentis, quam laborantis, domestico victu saginati, quam per se se pastum quærentis, obesi, quam macilenti, maris quam fœminæ, nigri quam candidi, pilosi quam glabri, juvenis quam veteris, recenter mactati; quam sale conditi, sæpius id attestantibus Hipp. in *lib. de ratione victus*, & Galen. *in his*, quæ scripsit *de patientibus locis*. Hæc autem à propriis fontibus petenda sunt. Verum, ne in re opportuna, apprimeque utili, dormitasse videamur, pauca quædam de avium carnibus hoc in loco referemus. Nam quamquam volucrum caro non adeo ut quadrupedum animalium valenter alit, ex his tamen uberius nutriunt, quæ grandiores sunt, quam quæ minores, quæ pede feruntur, quam quæ alis sæpius utuntur. Rursus enutriunt magis pinguiores aridioribus, domesticæ sylvestribus, tardiores celerrimis, juniores vetustis. Præferenda autem omnibus est Gallinaceorum, quæ laudabilem succum magnopere subministrat. Damnat pavonem Paulus quod difficilis sit concoctu, sanguinemque ad supercalefactionem proritet: quocirca & Gallicum patientibus evitandus erit. Vitentur & pisces, qui humidiorem afferunt alimoniam, ac quali pabulum morbo conciliant. Excipiuntur tamen à Galeno qui saxatiles sunt, uti bonos succos proferentes. Horum autem nonnullæ differentiæ minus improbantur, præsertim perca, carpio, lampetra, trutta, aurata, murena, carpius, dentix, trilia, gobius, mullus, lupus, scarus, mena, atque alii hujus ordinis. Probantur pisces, qui in puro mari natant, & ventorum vi, atque æstu crebrime concutitur, quique in dulcibus aquis, glarea & saxis, frequentius agitatis, degunt. Qui colore albi sunt, carne jucunda, substantia friabili, pinguedine mediocri, corruptioni haud obnoxii, odore suavi, ætate virili, nitido ac puro humore natantes, cursu celerrimo, asperis arenosisque locis degentes, squamis & spinis referti, exercitationis atque agitationis cupidi, ac tandem qui minus excrementosi sunt, minimeque carnem habent mucosam, & concoctu difficilem. Contra vero improbandi penitus sunt; qui in cœnosis ac sordidis locis versantur, nec non stagnantibus aquis, aut lenti cursus fluminibus, aut pacato mari degentes, quo plurimæ ferantur sordes, aut purgamenta corriventur, aut noxiæ innascantur herbæ. Qui colore distent ab albo, carne injucunda, subsantia viscida, pinguedine permulta, corruptioni facile obnoxii, odore gravi, ætate vel tenella, vel admodum vetusta, impuris aquis natantes, cursu cunctantes, mollibus locis se se recipientes, squamis ac spinis vel nullis vel paucioribus præditi, otii & moræ cupidi, demum qui maxime excrementis redundant, minimeque carnem habent friabilem, afferuntque ventriculo, dum concoquuntur, molestiam. Cæterum si parandi sint pisces, omittenda sunt in lue Gallica lautiora illa condimenta, quæ forte in aliis casibus prodesse poterunt, ex zingibere, caryophyllo, cinnamomo, croco, pipere, cepa, porro, salvia, roremarino, siliquastro, hyssopo, amaraco, atque aliis. Eam autem coquendi formam potius deligamus, quæ uti simplicior est, ita salubrior visa est Galen. *lib. tertio de Alimentorum facultatibus*. Ad extremum eos pisces rejicito, qui testis occluduntur, tales sunt cochleæ, testudines, cancri, astaci, adde & ostrea, atque conchilia omnia, quæ carnem habent duriorem, ægreque concoquuntur. Omnium pessimi sunt, qui fumo exsiccati asservantur. Nam succum deterrimum præbent, tardeque à nativo calore superantur. Jam vero in hoc genere morbi falsa fere omnia sunt profligando: quod hepatis vitium augeant, calidioremque intemperantiam foveant. Incusandus & aromatum usus, quamquam *caryophylli*, *aut cinnamomi pars in decocto Guajaci* non improbatur à Montano, & aliis scriptoribus: præsertim vero auferenda sunt aromata, ubi palmæ & plantæ pedum incaluerint, & virga carie laborarit, aut pustulæ corium fœdarint, aut ulcera carnem invaserint, aut sanguis quocunque modo fervorem attraxerit. Acetaria, mihi quædam non improbanda ex *sonchо*, *lactuca*, *ferio*, *intubo*, *lupulo*, *seu salictario lupo*, *cicerbita*, *bugloſſo*, *atque aliis similibus*: damnanda vero, quæ ventriculo valde obsunt, vel sanguinis fervorem conciliant, vel etiam immoderate refrigerant. Itaque *spinachiæ* tollantur, quæ humore nimio stomacho adversantur, & cum his *fœniculum*, *& petroselinum ac mentha*, quæ fervoris materiam suggerunt, tum & *acetosa* valde, quoniam quæ sic se habent constipant, atque obstruunt. *Asparagus hortorum* commendatur à Fracastorio, damnantur bulbi, tum ab aliis scriptoribus rejiciuntur *fungi*, *boleti*, *cardui*, *raphani*, *cariotæ*, *napi*, *mala aurantia*, *mala citria*, *limones*, *pastinaca*, *olivæ*, *caricæ*, cæteraque alia hujusmodi, vel quia laborem afferunt ventriculo, vel quia mali succi sunt, vel quod ex his nonnulla obstruunt, ac ductus, & vias interaneorum constringunt. Admittimus fercula ex *hordeo*, *oryza*, *& farre vulgo vocato*, *tum boragine*, *blito*, *beta*, *cicerbita*, *interdum & cucurbita*, *vel etiam jure cicerum*, *pane contrito*, *ovo recenti*, *ac modico cinnamomi*. Quod si parum alere cupio, *panicum* propono, cui modica nutriendi facultas injungitur, si paulo magis *milium*. Abstineo ab omni farciminum genere, vel quia illa utplurimum salita sunt, vel quia rerum varietate obsint. Etenim, quæ salsa sunt, vellicant ventriculum, sanguinem exacuunt, hepar intemperanter calfaciunt. Varietas vero & acervatio ciborum pernicioſa existimatur à Plinio, & Aegineta aliisque, qui veluti rem pernicioſam, nedum parum salubrem, infectantur. *Garum* amoveo, ob eandem causam quæque in sartagine coquuntur, hæc enim cerebro vapores conciliant, & pectori adversantur, plurima item obstruunt. Ex pasta vero quæ parantur (sic enim vocant) condimenta, omnia ab Gallicorum mensis arceto, quod crassum nimis ac lentum humorem procreent, tum ex lacte fercula, cum Hipp. scriptum reliquerit, lac dare caput dolentibus malum. Quæ vero tortae vocantur nostra tempestate obsonia, hoc est ex bellariorum genere, quia lac, caseum, butyrum, & aromata plurima recipiunt, ob id minus probantur. Ex saccharo condita minus damnant Medici quam melle. Qualia sunt marzapanes, ac caetera alia. Verum si de salubri victu agimus generatim, laudandi erunt *coriandri saccharo obvoluti*, *amygdalæ*, *pinea*, *pistachia*, *melonum semina*, *lactuca*, *cucurbita*. Quia vero in Gallici curatione vitanda sunt & quae valenter nutriunt, ob id de hac condimentorum varietate solliciti esse non tenemur. Tenemur autem ubi

vel consternato appetitui, vel dejectis viribus patientis, consulendum esset. *Palmarum fructus* non despicio, neque etiam *passularum* usum, aut *uvæ Creticæ Smyrnæque*, præsertim ubi modica, aut nulla vis affuerit adstringendi. Verum ne diu suspensos teneam studiosos, cætera quæ supersunt edulia, summatim & compendiaria ratione perstringam, ab ovis exordiens. Hæc enim sorbilia, atque recentia, opportune ac celerrime alunt. Quocirca & tantundem sanguinis ad pondus reddere existimabat Averroës. Salubrem succum gignit plus, minusve, pro rata portione coctura, ac condimenti. Mollia citius nutriunt, sed celerrime dejiciuntur, dura diutius continentur, ac ægre concoquuntur. Commendatur autem mediocritas. Deligenda magis sunt recentia, quam vetusta, candidiora quam aliarum avium, ex gallinis domestico usu altis, optimoque farre, quam ruri, aut herbis, sordibus, vermiculisque enutrita. Ex vetustis autem minus improbantur sale obruta, aut paleis, furfuribusve, quam quæ arena asservantur, vel milio, quod alii faciunt. Coctura commendatur duplex, vel quæ ea sorbilia reddit, vel quæ in æstuantem ahenum injicit pertracto cortice, ova dispersa vocant Italorum plurimi, damnantur vero quæ utcumque in sartagine perfrixeris, Galeno authore, quoniam insalubrimum succum progignunt, hoc est crassum, lentum, atque excrementosum. Veneno item proximum fieri ovum arbitrantur nonnulli recentiores, si sub cineribus effervescentibus assum coquatur, Ficino, atque aliis viris probatissimis, id unum attestantibus. Ad extremum vitanda est ovorum copia, quæ facile in stomacho marcescit, succumque præbet crassiorem, atque ob id Galenus frequentem eorum esum scabies prohibet. Lactis vero usum, in hoc genere morbi, minus admittimus, ex eo maxime, quod patientes utplurimum, per initia saltem, dolore capitis afficiuntur. His vero, qui ita dolent, lacte abstinendum esse, ajebat Hippocrates. Rursus à causis calidioribus in suliginem & vaporem verti, in acetum vero à frigidis, asserebat Galenus. Accedit quod casei, butyrique permixtione, excrementis plurimis redundat, ac destillationem parit, suggeritque pituitam. Quamquam non me latent hujus commoditates à medicis decantatæ, quod primum sit humanae vitae pabulum, & alimentum à natura institutum, alvum moderate dejiciat, humorem laudabilem gignat, mordaces ac vellicantes succos repurget, carnem reddat salubriorem, fluorem ventris acrimonia quacumque excitatum compescat, lotii stillicidio ac difficultate affectis unice prosit, erodentes fluxiones corrigat, acrimoniam sanguinis temperet, membra serosis particulis abstergat, humores aliquo confluentes suo lentore sistat, ac cætera hujus ordinis auxilia plurima suppeditet humano corpori. Rursus neque dissimulandæ sunt lactis differentiæ. Nam probatur, quod herbis montanis magis suggeritur, quàm humidis & palustribus, junioris quam veteris animalis, bovilli, quam caprini, vel ovium, asinini quam bovis, humani quam Asinæ. Verum de vario lactis usu, si quis est, qui copiosius perlegere cupiat, Galenum adeat *libro quinto de tuenda valetudine*, Aëtium quoque & Plinium, atque alios posteriores. Caseus plane omnis vitandus est Gallicis. Is enim, si recens fuerit, lentos ac viscidos succos adhibet, vetustus pravos, incidentes, atque æstuantes, quod Galenus & Aëtius observant. Hujus esu excitari Gallicos dolores plurimum compertum est, gummata augeri, pustulas sævire, articulos impediri, quo circa neque his ostendendus. Verum non hunc semper improbat Hippocrates, parcius assumptum non omnino damnat Plutarchus, plurimo pane ingestum admittit Aëtius, senibus tandem videtur duntaxat eum prohibuisse Galenus, in *libris de sanitate tuenda*, quid ad nos istud? Gallica lues non admittit, experientia id comprobat. Hinc minus ineptam fuisse ineptissimi carminis sententiam existimem, si modo id carmen est, quod cum risu circumfertur, ait enim.

*Caseus est sanus, quem dat avara manus.*

Salitus vero caseus, qualis Creticus, Liburnus atque Epirota, amovendus est in hac Gallica ob rationes de salitis cibariis alias nobis dictas. Secundo loco, qui vetustior est aliis, cum fervorem conciliet, parvumque succum, ac resident præbeat, postremo qui nuperrime pressus est, quod tenacem humorem conciliet. Deligendus autem magis caprinus quam ovillus, ovium quam bovinus, mollis quam durus, suavis potius, quam mali odoris, cui magna pars butyri admixta est, quam exigua, ac demum qui ex lacte laudabiliore, quam pravo conficitur. Butyri quoque usus abnegandus, quod viscidum atque residem humorem submministret, inter enim pinguia edulia reponendum, iccirco venit quod famem compescit, si Plinio credimus. Sapam abigo, quia obstructiones affert, flatus producit, alvum restringit. Passum non adeo improbo. Mellis crudi acrimoniam timeo, ventrem parum commode proritantem: cocti alimentum rejicio, cui A plurimæ obstructiones junguntur. Addo & hepatis fervore vitari oportere, tum ventriculi nausea, ac ventris perturbationibus. Oleo lentor inest haud exiguus. Quod in Problematis ait Aristoteles. Tussim excitat, gulamque exasperat, oculos lædit, ac vellicat, horumque lachrymas ciet, calefaciendi vim possidet, lubricam alvum reddit. Non illud incuso, quod ex dulcibus amygdalis exprimitur, cui succedit ex olea. Nam quod ex lini seminibus educitur, tum nucibus, raparumque semine noxium est, & ad alendam lucernam potius, quam corpus, accommodatum. Omne vero oleum aërea quadam partium tenuitate refertum esse, testatur medicorum consensus. Ex eo non inepte conjiciunt alii causam, cur facile odorum qualitates suscipiat, Plutarchi atque Plinii testimonio. Acetum omnibus numeris in Gallico rejicio: quod illud frigiditate constringente ductus arctet, nervos ac partes nerveas vellicet, siccitate alteram morbi qualitatem augeat, acrimonia erodat, hoc enim mulieribus uterum torquet, robur corporis imminuit. Sanguinem melancholicum conciliat, ut Hipp. visum, *libro tertio de victu in acutis*. Salis quoque immodicum usum amoveo, quia omnes morbi qualitates, & intemperantiam ex æquo adaugeat. Quod vero vulgo agrestam, sive omphacium dicimus, unice prohibeto. Id enim ventriculo summe obest, remoraturque caloris & concoctionis officium. Idem quoque, sed alia ex causa præstant res oleaginosæ, pinguedines, adipes, atque similia, nam ægre superantur à calore, crassumque & glutinosum humorem gignunt. Saccharum tenuitate partium in bilem flavam facile convertitur, atque ob id omittendum. Cepa, allium, porri, ac cætera hujus ordinis ob insignem acrimoniam, ac fere nitrosum sensum, virosumque succum, non minus quam venena sunt Gallicis auferenda, neque enim in hoc diligentia ulla est adhibenda, ut cautiores reddantur medicæ artis studiosi, cum id suapte natura satis cuilibet minimeque erudito patere possit. Panis (ut ad omnia satis accurate simus) diligenter & ipse venit considerandus. Quid enim magis pro vitæ tuendæ ac retinendæ ratione nobis est necessarium, quam Panis & Aër? Triticeus cæteris est præferendus. Sed siligineus probatur magis Plinio, & Celso, quod delicatior sit, ac firmior. In quam sententiam pedibus omnibus venisse constat Senecam *in Epistolis*, ac Juvenalem *Satyra sexta*. Quamquam Columella contrariam partem sustinuisse videtur, qui triticeum siligineo anteponit, uti præstantiorem, melioremque. Ego autem tritici ac siliginis nomina puto vetustate transposita, indeque factum esse, ut homonymiæ ratione in scirpos & mæandros incidamus. Sed neque is locus est de hac re differendi, plura autem & erudite excogitata de hac ipsa re petent studiosi ex nostræ ætatis scriptoribus, Hermolao, atque aliis. deligendus est magis qui bene, quam male fermentatus, probe coctus, quam vel crudus, vel torrefactus, rursus pondere levior, quam gravior, magnitudine mediocris, quam exiguæ, vel liberalis, substantiæ spongiosæ, quam densioris, parum furfuraceus, quam sincerus, ex farre novo, quam vetusto, ex tritico sublimi horreo condito, orienti soli, aut septentrioni exposito, quam alio quovis modo, atque ex eo tandem, quod à putredine, & humore præservatum est, tum messe felici collectum, tum nulla rubigine attactum, quodque mundum est, & loco sublimi, salubriorique ortum, quam quod contraria ratione se habet. Ex milio panis confectus longe minoris est alimoniæ, minus quoque ex panico factus suggerit nutrimenti, deterrimus qui ex vicia paratur. Fabaceus flatulentus est, uti qui ex castaneis mali succi. Ex zea salubrior est, quam hordeaceus. Veteribus autem nonnullæ ex his panis confecturæ visæ fuissent horribiles, ac portentosæ. Nam apud priscos hæ maxime differentiæ in usu extiterunt. Panis triticeus, siligineus, similagineus, hordeaceus, furfuraceus, ex amylo, panico, & milio. Probatur magis medulla, quam crustæ, quod hæ minoris sint alimenti, difficilioris que concoctionis, in Gallico vero video crustas anteferri interiori parti, ubi minus sit alendum, victus tenuis causa. Vitandus est, qui ex clibano calidior adhuc educitur, nativum enim calorem labefactat, capiti exhalationem noxiam impellit, lentum quoque humorem gignit. Antiquior atram bilem excitat, azymus ægre concoquitur, glutinosumque succum gignit, estque putrefactioni obnoxius. Panis etsi repletionem deterrimam visus est Avicenna asseruisse, forte ex eo, quod ille sanguinem resident, ac segnem procreat, qui difficile venas permeat, facileque obstruit. Aliis autem visum est existare hujus rei causam, quod ille diutissime in ventre moratur, ita enim fieri videtur, ut plus justo detentus magnopere corrumpatur. Verum hisce constantibus, non inepta quæstio videbitur illa, num Gallico laborantibus conveniat panis triticeus, an ex alio genere, rursus an semel, an potius bis coctus? Verum prior quæstionis pars dilucide explicatur, nam triticeus panis convenit, qui ex

eo

eo frumenti genere conficitur, quod hodie piſtrinæ uſurpant. Siligineum etiam addimus, ſi liceat priſcam vocem in re dubia proferre. Hic enim delicatior eſt, & probe nutrit. Biſcoctum vero improbant multi, quod nativum humorem abſumit, quod ægre concoquitur, quod laudabilis ſucci minus exiſtat, quod obſtruat, pigrumque ſanguinem, ad inſtar eruſtarum præbeat, ſitque alimenti perpauci. Contra communis medicorum uſus tempeſtate noſtra hunc panem inſtituit, quia ſuperfluitates corporis tollit, humores exæquat, ſanguinem minime glutinoſum producit, ac ſui tenuitate hepatis vitium compeſcit, putrefactionique reſiſtit. Nos vero in re ambigua, variiſque tractata rationibus, certum afferre judicium veremur, dicemus tamen probabilem ſententiam, hoc modo. Si in Gallica lue occurrat vir, aut mulier, quibus ætas, habitus, & corporis conſtitutio imbecilla ſit, ac vires infirmiores, delicatæque fuerit educationis, & mollis, pane uterer probe fermentato, diutius ſubacto, in clibano inſigniter cocto, atque eo ſpongioſæ leviorisque ſubſtantiæ, triticeo, exiguæ magnitudinis. Si vero juvenis appareat, robuſto corpore, viribus validioribus, & inſigniter affecto, jam victu tenui egere videtur, ut morbi cauſa tollatur, idcirco etiam per ipſa curationis initia, biſcocto alerem. Neque vero dicendum ob id nativum calorem abſumi, cum malorum humorum attenuatione, reſolutioneque, potius vires aſſumat, tantum abeſt, ut minus poſſit. Minus dixeris difficile concoqui, nam bene manſum conficit ventriculus, humore præſertim oris madefactum. Ipſum vero quid prohibet bonum ſuccum producere poſſe? Si ex præſtantiore materia conditus eſt? coctura duplex, (dixeris) eſt illi adverſa. Quid iſtud? immo hæc internæ medullæ lentorem corrigit. Non enim in carbones eſt reducendus, ſed igne moderato & ſuavi percoquendus. Poſtremo neque admittendum ſit, biſcoctum obſtruere, ſanguinem ſegnem & impermeabilem ſuggerere, cum lentore vacet crudo & incocto, qui medullam ſequitur, ubi ignea vis minus juſto ad interna panis penetrarit. Minus vero alere, quam faciat panis ſemel coctus, citra omnem controverſiam admittimus, at hoc ipſum volumus in Gallici curatione, hoc eſt tenui diæta morbi cauſam funditus evertere, cum ad eum profligandum nulla vis aut major, aut efficacior excogitari poſſit, tenuitate victus. Vinorum autem naturam, vim, differentias, atque eorum locorum, ſubſtantiæ conficiendique modi diſcrimina, nomina item Italis, Græcis, ac cæteris nationibus familiaria, adeo accurate à priſcis noſtrique temporis ſcriptoribus fuere tractata, præſertim Dioſcoride, Galeno, Aëtio, Plinio, Barbaro, Ficino, Fracaſtorio, Rhodigino, atque aliis, ut pudor atque dementia ſit, horum ſive induſtriæ, ſive diligentiæ, partem operis addere tentare. Nos vero, quantum Gallici curatio poſtulat, de vino diſſeremus quam breviſſime, hujus, quæ à colore differentiæ ſuſcipiuntur, ſunt. Nigrum, rutilum ſive rubrum, flavum, pallidum, candidum. Quæ à loco ſumuntur, ſunt cum dicimus Lesbium, Rhodium, Creticum, Campanum, Sabinum. Quæ ab ætate, ut muſtum, novum, vetus, bimum, trimum, quadrimum. Quæ à viribus, ut potens, debile, mediocre. Quæ à ſapore, uti dulce, auſterum, acerbum. Quæ ex ſubſtantiæ tenore, uti craſſum, tenue, mediocre. Quæ ex ipſa permixtione, uti ſincerum, dilutum. Quæ ex odore, uti odoratum, non odoratum. Quæ ex ſui conſervatione deſumuntur differentiæ quoque ſunt, firmum, & infirmum. Itaque in Gallico affectu vinum prohibeo nigrum, gilvumque, quod ſegnem ſanguinem, ac reſidem faciat, multumque repleat vaſa, capiti noxa communicata. Quod vero album vi & ſtudio paratur, adeo ut aquæ colorem æmuletur, rejiciendum eſt, quia caput non tam impetit quam ferit, & ſanguini mirifice fervorem conciliat. Flavo vis ineſt, ut liberius penetret, facile extrudatur, & flatus interdum excitet. Pallidi eadem ferme ratio eſt. Rubrum ſaluberrimum eſſe exiſtimatur, niſi ex permixtione aliarum qualitatum vitietur. Quæ vero à loco ſumuntur differentiæ, non ſunt in præſentia attingendæ, nam hæc juſtum volumen expoſcunt, itaque de aliis carptim ſermo eſt habendus. Improbatur muſtum, quod incoctum ſit, atque obſtruat, quodque flatus excitet plurimos, ventriſque fluorem provocet. Tum etiam, tametſi minus, novum. Laudatur quod quartum menſem excedit, damnatur vetuſtum valde, quod inſigniter repleat, & calfaciat: quorum neutrum in Gallicis eſt affectandum. Quod potens & forte eſt, ægerrime ſuperatur à calore, vim impetit animalem, hepar calfacit, ingenii vires hebetat, atqe obtundit, caput lædit univerſum. Debile magis convenit, mediocriter quod mediocre eſt. Generoſi vis eadem eſt cum facultate potentis. Vile, quod ita fuerit ſui tenuitate eligendum, ac quod inter utrumque medium eſt. Dulce obſtruit, quamquam Aëtius illud ipſum, cum luteo colore injunctum, ſaluberrimum eſſe dicat. Auſterum diu reſidet, capiti obeſt. Acerbo facultas ineſt refrigerandi, ac conſtringendi, ventriculoque adverſatur. Craſſum tollendum, quod plus juſto repleat. Tenue ac mediocre deligendum. Sinceri caliditas major, diluti moderatio, pro dilutionis ratione. Odoratum caput replet, ſi & potens & generoſum fuerit: odoris expers minus id facit, niſi aliæ qualitates obſtiterint. Firmum, quia à putrefactione conſervatur magis, magis quoque ſalubre eſt, minus infirmum. Probatur itaque vinum colore rutilum ſive rubellum, tenue, ſubacerbum, aut etiam luteum, ſplendidum, cui grata & lenis jungatur acrimonia, adde & exiguum quendam ſenſum dulcedinis, ſi libeat. Fæcem vini fugio, quod nitroſa ſit, & perflagrationi obnoxia: item & quod in ſumma dolii parte enatat, id namque flatuoſius magis. Mediam dolii partem occupans commendat Macrobius, non inepte uti ſincerum atque præſtantius magis. Deteſtarer ebrietatem, atque eos, quos Græci βιβιγμένους vocant, niſi vidiſſem, Hippocratem in *Aphoriſmorum libris* id vitii fuiſſe acerrime inſectatum, nec non copioſius Platonem *libro ſecundo de legibus*. *De temulentiæ* autem *morbis, deque periculis, quæ hanc unam ſequuntur*, legendi ſunt, Galenus & Plinius, qui plurimos vini immoderate, aut inopportune etiam hauſti cauſa, mortis incurſu pœnas dediſſe teſtantur. Nam neque hiſtoriam ſcribimus, neque de vini abſoluta explicatione, ſed de potu eorum, qui Gallico morbo afficiuntur.

*Sapor ſalſus.*

Nunc qui ſapores conveniant, quique minus idonei ſint, Gallico laborantibus, dicendum. Proſunt cibaria, quæ modico ſale condiuntur, obſunt inſigniter, quæ falita fuerint. Hæc enim ſanguinem irritant, hepar incendunt, concoctionem remorantur, ſtomachum vellicant, venerem cient, oculos lædunt, macilentis corporibus adverſantur, dolores acuunt, puſtulas proritant, ulcera inflammant. Illa vero (authore Celſo) ventriculum oblectant, naturæque amica eſſe videntur. Humidiores cibi ſalis inſperſione corriguntur, ſicciores vero exareſcunt magis. Adde nullum ſalis genus hic afferre momentum. Nam marinus caliditate, foſſilis autem denſitate partium obeſt, neque id videre eſt perdifficile.

*Sapor dulcis.*

Dulcia eſſe naturæ amica, vulgato proverbio dici ſolet. Id ab Ariſtotele emanaſſe videtur in *libro de longa ac brevi vita*. Sunt enim ſanguini perquam ſimilia. Verum, quia valde & copioſe enutriunt, ut Plinius & Aëtius aſſeruere, ob id relinquenda: nam tenuem victum quærimus, non pleniorem. Noxæ dulcium cibariorum ſunt, facile corrumpi, valenter obſtruere, flavam bilem gignere, ſpleni atque hepati adverſari, dentes interdum lædere, ſi Galeno, Aëtio, Oribaſio, & aliis aſſentimur.

*Sapor acris.*

Acria omnia naturæ adverſantur, quod eam proritent, ſtimulantiaque affligant. Rurſus hepar fervore nimio exurunt, acrimonia ſanguinem vellicant, cariem & ulcera ad malignitatem uſque perducunt. Itaque compertum eſt in Gallico, allium, cæpe, porrum, naſturtium, crithmum, eruculam, piper, atque alia hujus ordinis ſæpius ingeſta augere mirifice morbum, excitareque omnia ſymptomata, ad patientis cruciatum, doloremque clamoſum.

*Sapores auſterus, acidus, acerbus.*

Conferre poſſent ſapores auſterus, acidus, & acerbus, ob eorum frigiditatem hepati, niſi in aliis Gallico laboranti officerent. Etenim frigiditate ventriculo non arrident, denſitudine autem & conſtrictione ductus arctantur, anguſtioreſque reddunt, quo minus ſpiritus libere ferantur, aut etiam noxia morbi qualitas tranſpiret. Ad extremum nativi caloris vim obtundunt, atque hebetant.

*Sapor amarus.*

Amara etſi calidiora ſunt dulcibus, ex eoque minus hepati opportuna videntur, quia vero aut ventrem ſolvunt, aut ventriculum roborant, aut jecur fovent, aut ob aliam ſpecificam qualitatem permixtam corpori beneficium adhibent, idcirco in hoc genere morbi utilia eſſe videntur. Hic eſt, ut in Gallicis *hiera*, *colocynthide*, *veratro*, *agarico*, *aloë*, *catapotiiſque amaris* utamur. *Guajacum* item amarum eſt, ac cætera plurima. Amari notæ ſunt præſtantiores, ſtomachum ſtabilem reddere, meſeraicas ac jecur exobſtruere, bilem educere, ſpiritus puriores gignere, putre-

factionem tollere. Atque hæc de saporum differentiis, quantum ad præsentem usum sufficit, sat sit dixisse. Nam qui plura velit, se se transferat ad Platonem in Timæo, nec non Aristotelem in *lib. de sensu ac sensili*, Galenum in *his*, quæ *de placitis* Hippocratis & Platonis conscripsit, ac Plinium tandem, & alios. Hi enim ut accurate, ita exquisite omnia, ac diligenter, complexi sunt.

### *Cibi assi & elixi.*

Adducor ut credam, operæ pretium me facturum, si pauca de cibi condiendi ratione coquendave his, quæ dicta sunt hactenus, inseruero. Præsertim cum nostræ tempestatis medici, in hujus affectionis curatione, disparem sequantur consuetudinem, alii probantes carnes assas, quod exsiccent magis, alii contra elixas, quod laudabilius nutriant. Verum si Aristotelis sententiam sequimur, satis exploratum habebimus, quantum coquendi discrimina illa inter se differant. Elixa caro inquit externe humecta est, interne arida. Contra assa intus humecta est, extra vero sicca. Addit Galenus, assam carnem calfacere atque exsiccare: elixam autem refrigerandi facultatem quandam obtinere, author est Cornelius Celsus. Præterea medici consentiunt omnes, assam alvum sistere, elixam ciendæ conferre potius, quam restringendæ. Rursus assa concoctu difficilis, atque impedita magis est, atque ob id capiti facile vapores improbos concitat, elixa non item. Ex quibus facile cuilibet patere potest, Gallicis proferendam esse carnem elixam potius quam assam. Neque obstat, quod ferebatur, assum exsiccare magis, & idcirco conferre: nam morbi qualitates sunt calidum & siccum, quorum neutrum est augendum. Dixeris forte ipsum exsiccare pituitam, quæ in ventriculo est, non hepar, atque idcirco prodesse, præsertim cum laborantes pituitæ copiam habeant. At nil moliris, dum hæc refers, quia ea conferentia non sunt adhibenda, quæ in alio lædant magis. Exsiccat certe assum, sed hepati obest, & ventriculo laborem injungit, quæ in Gallicis sunt unice evitanda, ob naturalis facultatis imbecillitatem. Neque obstat, quod Hippocrates scripsit, & Polybus, atque alii, per hyemem convenire assum magis, quam elixum, nam hi de sanis corporibus loquuti sunt, quorum hepar à siccis rebus non est arcendum, neque vis naturalis est agitata, quique per noctem multum dormire possunt. Gallici autem neque sani sunt, neque vim habent naturalem validam, & pervigiles jacent, aut certe impeditos habent somnos. Illud tamen non negarim, his interdum assi particulam exhiberi posse, ubi ventriculus valentior fuerit, tum exustio moderata ac consuetudo hujusce coctura, quod Gallis, atque Germanis usu venire solet, hi enim creberrime asso utuntur, sed Germani elegantius hoc ipsum parant, Galli vero longe minus coctum assumunt. Exhiberi item potest ad ventriculi blandimenta, ubi appetatur insigniter, nam & Hippocrates asserebat, cibum interdum paulo deteriorem utiliori esse præferendum, cujus causam reddebat Galenus, id appetentiæ, delectationisque ratione contingere.

### *Prandii cœnæque portio.*

Periculum alieni judicii subire me satis video, si difficilem atque impeditam quæstionem tractavero, à præclaris scriptoribus agitatam, de cœnæ & prandii portione, in qua non modo conciliator Aponensis, cunctique Avicennæ interpretes, & Galenus dissentire videntur, sed recentioribus quoque plurimum laboris & negotii injunxisse videtur. Conciliatori visum cœnam fore prandio parciorem, uberiorem autem Curtio Ticinensi primum, deinde Odo Patavino, utrique præceptori meo, ac proximis temporibus viris eximiis. Me vero quasi perfugium recreat, quod de hac ipsa re, quantalibet sit aliorum controversia, dicendum eatenus solum est, quatenus ad præsentem usum sufficiat. Prandium intelligo, meridianum cibi apparatum, sic enim tempestate nostra usurpamus. Cœnam, vespertinum. Quamquam haud ignoro nomina transumpta fuisse, ætatis vitio. Prisci etenim cœnam vocabant, quod nos prandium, Vespernam, quod nobis cœna dicitur. Utra igitur uberior, cœnæ an prandii portio sit Gallicis exhibenda, forte quis ambigat. Sed enim video medicorum turbam in eo omnem convenire, ut dum curationem aggrediuntur, æquale prandium cœnæ præcipiant, immo ad pondus æquale. Nam tot panis uncias mane, palsularumque & Guajaci potus, eundemque amygdalarum numerum instituit, quot vespere. Qui sane usus neque conciliatori, neque Galeno satis convenire videtur. Cæterum, quod sentio, juvat libere proferre. Namque ubi patiens curationem subit, & se se medici imperio submittit, bibitque aut salsæ, aut Chinæ, aut Guajaci decoctum, eo quidem tempore putarim posse prandium institui cum cœna æqualis mensuræ, cum nihil superflui eo tempore exhibeatur, neque domum extra feratur laborans. Ubi vero desierit curatio, patiens pro tuendæ valetudinis causa, proque firmanda virium ac membrorum imbecillitate, poterit ad consuetam vivendi rationem redire, aut sensim, tractuque temporis naturæ suæ tenorem fingere ad Galeni præscriptum, quod ille instituit, in *consilio pro puero Epilepti eo*, ubi cœnam uberiorem prandio præscribit. Semper tamen excipio, qui destillatione laborant, aut suffusione, aut alia quavis oculorum affectione, ac cæteros, qui ab hac vivendi norma sequestrantur.

### *Ventriculorum vis diversa.*

Gallica lue correpti, si stomachum habuerint calidiorem, poterunt paulo largiorem cibi mensuram assumere, verbi gratia panis aut biscocti unciam unam plus aliis. Hi enim valentius concoquunt, quam appetant, Galeno teste. Qui vero frigidioris sunt ventriculi, panis aut biscocti unciam minus fingerant, cum paulo aridiores sint, minus autem valida ad concoquendum.

### *Quæ sequantur Inediam.*

Animi impetus cibo molliri, testatur Plinius. Macies enim exasperat vias, & ductus internos corporis, spiritus hebetat, atque dissolvit, membra elanguida reddit, viresque prosternit. Quæ autem corpora maxime inedia læduntur, sunt calida & sicca, quæ minus, frigida atque humida. Læduntur item magis, qui consuetudine diuturna multum cibi assumere consuevere, qui labore defatigantur, quique calida regione cœloque utuntur. Postremo pueri, ac juvenes, tum hi, qui extremum senium attingunt, quique cruditate nulla referti sunt, aut modica. Sequuntur autem & inediam oris ventriculi labefactatio, furor, bilis flavæ redundantia, syncope, & caloris exstinctio. Nam quod accidit lucernæ ob olei defectionem, ut lumen exstinguatur, aut exstinctioni proximum sit, si parum admodum suffeceris, & nostris quoque corporibus usu venire dicebat Galenus, si aut alimentum subtraxeris, aut nimis modico ea refeceris. Ex his itaque minus approbo eorum consilium, qui aut omnia corpora Gallica æqua cibi portione enutriunt, aut ad extremam maciem perducunt, hoc enim crudele, & tyrannicum est, illud vero imperiti ingenii. Itaque ob oculos tibi ponito Hippocratis præceptum, condonandum esse aliquid tempori, ætati, consuetudini, ac cæteris, quorum ratio semper est habenda à rationali medico, in hac arte probe exercitato, ac pene trito.

### *Cibi biliosi.*

Hoc loco nolebam plura inferere de ratione victus, cum medici, in morbi Gallici curatione, tot tantaque minus observent. Verum quia laborantia corpora alia biliosa magis sunt, alia pituitam magis referunt, melancholico succo redundant alia, hinc est, ut pauca quædam, pro horum varietate, scire studiosos velimus. Juvat etiam hæc recensere ob eos, quibus post morbi curationem imbecillitas corporis, & ejus membrorum facultatum læsio relinquitur. Item eorum, quibus curationem per aliquod tempus differre necesse est, consilium habendum, quo ita victitent, ut non magis luem proritent. Vitanda itaque cibaria biliosa erunt in his, quibus bilis succus redundare videbitur, tum & in cæteris ad evitandas pustulas, caries, erodentia ulcera, hoc est, ne plus justo exasperentur. Quæ ratio est, quare minus velim Aromata, cæpe, allium, porrum, mel, sinapim, siliquas, cinaræ succum, nasturtium, vina fortia, dulciaque, ac cætera hujusce ordinis, quæ quoniam medicis tradita sunt diligenter, inutile fuerit sigillatim præscribere.

### *Cibi pituitosi.*

Qui pituitam augent, omittenda sunt in talem habitum obtinentibus, ne gummata, articuli, doloresve, ac nervorum distensiones sæviant magis. Qualia sunt fere omnia fructuum genera, præsertim incocta, uti poma, pyra, cerasa, poma Persica, cucumeres, rapæ. Rursus cum his una connumerari possunt, lac, aqua, caseus recens, pisces, juris plurimus usus, caro agnina, aves lacustres, animalium nervosæ particulæ, quadrupedum alvi, intestinaque, pelles, cerebra, pulmones, omenta, medullae, spinae praesertim, testacea, tum demum immodica saturitas, immoderata quies, glutinosarum rerum usus.

### *Cibi melancholici.*

Melancholicum habitum prae se ferentes, aut etiam hi, qui-

quibus ſymptomata fiunt hujuſmodi, cibis abſtineant, qui ſimilem ſuccum gignant. Hujuſmodi ſunt caro bubula, hircina, taurina, caprina, cervina, aprina, leporina. Salitæ carnes quoque, ac vetuſtæ vitandæ ſunt, & piſces ſalſi, legumina item, & ex his maxime lentes, caſeus vetus, panis furfuraceus, vina atra, braſſicæ, milii uſus.

*Cibi concoctu difficiles.*

Non me piget in eo ſtudioſos commonefacere, ut vim naturalem tueantur, ventriculi præſertim, qui ut plurimum labefactari ſolet. Id fiet, ſi ægre concoctiles cibos amoveamus. Tales ſunt carnes omnes enumeratæ, anſeres, anates, ſues vetuſtæ, animalium internæ partes omnes, ova duriora, aves aſperiores, oxygala, cancri, caſeus vetus, farinæ, obſonia quæque, ac quicquid citra fermentum pinſum eſt, tum legumina & fructus, tum napi & bulbi. In quam legem veniunt cochleæ, olivæ, oryza, milium, olera, muſtum, panis incoctus, vinum craſſum.

*Cibi mali in univerſum.*

Ne videar, me velle, ſub compendii forma, totam rationem victus perſtringere, aut abſque certa ratione, arbitri honorarii officio fungi, quam breviſſime negotii hujus rationem abſolvam. Etenim per tranſennam, (ut dici ſolet) ciborum quorundam nomina attigimus, quaſi exempla rerum dictarum. Eſto itaque generale præceptum, cibaria illa auferenda Gallicis, quæ crudos humores gignant, aut tenacem ſuccum, aut craſſum. Quæque violenter calfaciant, & refrigerent, aut etiam inſigniter humectent vel exiccent, ſed ea inſtituantur, quæ temperata ratione, tenuique modo enutriant, praeſertim ubi curationem morbi aggredimur. Vitanda & quae ſpiritus exaſperant, vias obſtruunt, flatus excitant, immoderate alunt, concoctionem remorantur, ventriculum, caput, ac jecur laedunt, excrementa coacervant, facile putreſcunt, alvum ſiſtunt, diffationem cohibent, ac modo quocunque malum ſuccum perferunt. In quo negotio abſolvendo ne media in luce oberres, ad Galenum te transferas, atque alios neceſſe eſt, qui doctrina atque experientia valuerunt, quique ſumma diligentia rem totam de ſalubri victus ratione perſequuti ſunt. Verum ne longius juſto ſermonem protrahamus, ad caetera non naturalia explicanda properandum eſt.

## CAP. VI.

*De Somno & Vigilia.*

Viciſſitudinem Somni, Vigiliaeque, eſſe caloris nativi modo ad internas, modo ad externas corporis partes, revocationem quandam, explicat non tam Ariſtoteles in propria tractatione *de ſomno & vigilia*, quam Hippocrates *lib. ſexto Epidemiorum*. Rurſus ſomnum λήθαργον eſſe quandam, hoc eſt impotentiam ſenſuum, monet idem Ariſtoteles, qui utili, proficuoque humore cerebrum aggravat. Caeterum hic à labore pene contrarium agit. Labor enim ad carnes & articulos corrivat, ſomnus ad viſcera, author eſt Hippocrates in *Epidemiis*. Somnum eſſe primi ſenſitivi refrigerationem aſſerebat Galenus, in *Aphoriſmorum interpretatione*, hoc eſt cerebri, quae vaporum communicatione excitatur, cibi manſi atque ingeſti occaſione. Quamquam autem nocere naturae ſomnus videtur, quod revocet materiam ad viſcera, & in profundum cogat, emendat tamen vitium ea, quam molitur, humorum concoctione, ſi Galeno aſſentimur. Quod ſi laborem praeſtet ægrotantibus, lethale indicium eſſe dicebat Hippocrates, cum animalis facultatis vis male ſe habeat, quæ ſomni cauſa conquieſcere, non laborare, debuerat. At ſomni, vigiliæque modum prætereuntes æque damnari, Hippocratis verbis ſignificatum ſatis video, cum ait, malum omnino eſſe, cum utraque modum exceſſerint. Gaudet enim natura mediocritate & temperatione, eadem alterationem patitur quovis immodico. Moderati ſomni commoda feruntur hujuſmodi. Corpus reficit, diſtributionem molitur, ſanguinem elaborat, humores æquat, dolorem ſedat, vires recreat, interna fovet, curas abigit, animum inſtaurat, vim animalem conquieſcere facit, inſaniam temperat, cerebrum refrigerat, nervos madefacit, vigilias digerit, corpora calore exſiccata ſuavi quadam temperatione humoris irrorat, authores ſunt Hippocrates & Galenus. Sed commendationem ſomni quære ex Ariſtotele, Plinio, atque Ægineta. Hic ſi debite, riteque peragatur, naturæ neceſſitati ſatisfacit, inopportune vero eam pervertit. Quocirca interruptus, aut impeditus, mirifice animalem vim lædit univerſam. Rurſus in cauſa eſt, ne defatigati, cibisque multigenis referti, morbos incurrant, Galeno id monente *lib. primo de facultatibus alimentorum*. Cæterum & ſomnus ſua ponit incommoda, ubi modum exceſſerit. Nam excrementa, ne ſuo tempore expellantur, prohibet, corpus plus juſto refrigerat, ſenſus hebetat, membra torpore afficit, ſpiritus ſegnes reddit, & invalidos, cerebrum offuſcat, articulos impedit, animum ad omnia facit ineptum, & elanguidum, pinguedinem corporis adducit, vitam denique morti aſſimilem facit, quod Ovidio viſum fuit, cum hoc modo diceret. 2. *Amor. Eleg.* IX. *vſ.* 14.

*Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*

*Longa quieſcendi tempora fata dabunt.*

In ſomno obſervant Medici tempus, durationem, formam decubitus, inſomnia, locum, cubile. A tempore laudatur nocturnus, non interdiu, Hippocratis teſtimonio in *præſagiis*, nec non Aëtio, & aliis. Eo vero nomine commendatur, quod naturæ monitu fiat, atque ſuaſu, utpote humiditatem excitat, quæ ſomni pabulum eſt, tenebris & ſilentio intervenientibus ceu Somni miniſtris. Diuturnus, hoc eſt meridianus, improbatur ex eo, quod vigilia ſomni contraria excitetur potius diei ſiccitate, lumine, & perſtrepitu. Addit Ariſtoteles, nocturnum ſomnum, vigiliamque matutinam conferre ad ingenii conſervationem, & bonitatem, quod & Ficinus unice confirmat. Humore autem excitari, alique ſomnum, præter phyſicam rationem, Maro quoque poëtarum graviſſimus his verbis ſignificavit. *Lib. II. Æneid. vſ.* 8.

——*Et jam nox humida cælo*

*Præcipitat, ſuadentque cadentia ſidera ſomnum.*

Meridianus ſomnus prodeſſe interdum ſolet his, qui pervigilium nocturnum patiuntur, cruditate laborantibus, aut feſſis, item dolentibus caput, mœroreque animi correptis, denique & aſſuetis, in quibus major noxa ex immutata conſuetudine excitatur, quam ſit ipſum, quod ex ſomno contingere poteſt, detrimentum. Duratio ſomni eſſe debet, quo uſque ventriculus bene coxerit, productior autem factus lædit, quod urinæ, alvique dejectionum ratione judicatur. Itaque minus apte ſentire puto, qui certum ſpatium dormitionis præſcribant. Frequentius tamen corpora egere octo horarum ſpatio arbitrantur nonnulli; alii ſeptem malunt, ſex alii. Nam æque omnes non eodem tempore cibum conficere poſſunt. Producendus autem, aut forte repetendus his venit, quibus impedita eſt concoctio ex aliqua cauſa, quibus minime id factum, mane ſurgendum erit, ac vigilandum, author eſt Cornelius Celſus. Si breviorem ſomnum cogimur neceſſitate quadam inire, prodeſt parciorem cibum aſſumere, id aſſerente Galeno, argumento è contrario ſumpto, quod diutius dormituri longiorem quoque cibum ingerere poſſumus, dicente Hippocrate, ventrem hyeme & vere natura calidiſſimum eſſe, quo tempore & ſomni longiores ſunt, & alimenta copioſiora aſſumuntur. Porro illud non omittendum, conciliari ſomnum humidis quibuſque rebus & frigidis, tum maxime, nymphæa, lactuca, piſcium eſu, labore, laſſitudine, balneis, frictione plantarum molli, lotionibus, animi quiete & ſecuritate, ſilentio, tenebris, lenioribus ſuſurris, voce rauca proferente, recitatione diutina, neque admodum grata. Tollitur autem horum contrariis, prout ſua cuique natura eſt. Vigiliæ vis eſt, ut calfaciat atque exſiccet. Hæc moderata vires corpori conciliat, calorem excitat nativum, immoderata diſſolvit. Rurſus morbos parit, concoctionem ſubruit, calorem reſolvit, cerebri bonam temperiem evertit, vires dejicit, cruditates & furorem adducit. Verum ut hæc in Gallicorum uſum transferamus, eos cæteris ſervatis, quæ ſervanda ſunt, à meridiano ſomno arceamus: ſomnumque adhibeamus nocturnum, horarum ſeptem, vel octo, hora poſt cœnæ refectionem transacta, qua ſubſidat cibus. Decumbant inflexa potius quam recta corporis figura, ad caloris jucundam inſinuationem, cubiculo temperato, minuſque vibrato ſolis lumine, quod orientem ſolem, aut meridiei reflexum capiat potius, quam cœli faciem aliam, in contignatione poſitum, non in pede plano, aut ſub tegulis. Cubilis probatur mollitudo, ex lana, bombyceve, improbatur ex plumis. Pulvini mollis, & alti ratio commendatur ab authoribus. Sit autem decubitus in latus ſiniſtrum, deinde in dextrum, ſic enim fiet, ut hepar minus comprimatur, adjuvetque ventriculum per initia concoctionis, pronus enim decubitus favet ſtomacho, ſed obeſt thoraci atque pulmonibus, ſupinus venerem proritat, ſpinam lædit, renes calefacit, apoplexiam, incubonem provocat, item & nervorum reſolutionem.

## CAP. VII.

*De Motu, & Quiete.*

Ut in ſanis, atque ægris corporibus, ſalubritatis cauſa, habenda ratio eſt de motu ac ſtatu, ita obſervatione, ſtudioque Medicorum factum eſt, ut qui Gallica pernicie

nicie laborant, maxime operam dent, ut congrue dimo- A
veantur, riteque conquiescant. Plurimi etenim refert, ut
diligenter accurateque horum utrumque pensitemus, quod
statim fiet, præmissa brevi quadam, ut nostri moris est,
anticipatione. Atque illud in primis occurrit, motum
& quietem effectus esse naturæ rerum, sic Aristotele in
*Physicis* definiente. Quæ sane contraria vicissim sunt, per-
inde atque habitus & privatio. Quocirca neque omnino
inepte Poëtæ existimant, qui motum vitæ, quietem mor-
ti assimilant, quamquam metaphoræ vitiosæ ab Aristotele
in doctrinis reprehendi solent. Platonici motum magis
animæ retulerunt, uti quietem corpori, & materiei. Plato
quoque motu cantuque delectari natura nos homines, ex
eo significabat, quod vagientes pueruli ploratum remit-
tunt, si cantu permulceantur, & cunæ agitatione con-
cutiantur. Moventur autem res aut ex toto, aut secun-
dum partem, quarum differentiarum vim accurate disqui-
runt medici, ad corporis salubritatem fovendam. Etenim
hi non corporum motionem contemplantur, uti natura il-
li principium est, cum id Philosophorum labor & cura es-
se videatur, sed uti exercitatio est vim habens alterandi, B
sive corpus universum, sive ejus partes. Nam magnum
obtinere momentum motum & statum in tuenda, ac vi-
tianda valetudine, vel maxime ex eo constare potest, quod
Aristoteles in *problematis* comminiscitur, ubi motum fa-
cere ad rei conservationem, uti statum ad putrefactionem,
ostendit. Hæc autem in nostris corporibus mutua quæ-
dam, & jucunda vicissitudine, temperanda sunt, atque al-
ternanda. Jugis enim incessabilisque exercitatio corpus
frangit, enervatque, uti assidua, diuturnaque cessatio, ipsum
emarcescere facit, affertque vitia illa, ignaviam, pigritiem,
torporem, desidiam, gravitatem, socordiam, quæ non
tam corporis statum, quam animi vires demoliuntur. Ex-
ercitationi igitur, (ut primum de hac ipsa loquamur) an-
nectunt prisci, recentesque scriptores, eas differentias,
maxime vulgatas, quæ ab ipsa movendi varietate oriun-
tur. Hæc autem sunt, ambulatio, cursus, equitatio,
curru vectatio, navigatio, saltatio, lucta, disci jactus,
palæstritarum exercitatio, pilæ ludus, perfricatio, labor
denique utcunque. Ambulationis differentiæ sunt, longa, bre-
vis, modica, immodica, cita, quieta, matutina, vespertina, C
meridiana, nocturna, recta, flexuosa, ascendendo, descen-
dendo, subdivo, sub porticu, per loca aprica, per opaca, sub
sole, in umbra, per loca calida, vel frigida, arida vel mollia
In quibus majorem minoremve consistere aut sanitatis, aut
morbi causam copiose explicant Aristoteles, Hippocrates,
Galenus, Plutarchus, & Aëtius, tum apud nostros Fi-
cinus & alii. Harum quoque plurimæ differentiæ cursui
adhibentur, cum cursus sit intenta ac summe cita ambu-
latio, hoc est celerrima facultatis motricis exercitatio. E-
quitationis genera plura sunt, quædam enim, præter su-
periores differentias, fit mutatis jumentis, ad itineris ce-
leritatem, quædam eodem equo. Hæc autem vel molli-
ter equitando, vel succussando, vel cursitando etiam fieri
solet. Vectio, quæ vehiculo fit, multiplex est, uti alia
atque alia sunt vehiculorum genera. Nam hæc fieri po-
test (si libeat vetusta nomina vehiculorum afferre) Car-
pento, carruca, rheda, plaustro, curru, cisio, basterna,
arcera, essedo, vehia, pilento, saraco, liburno, petorito, le-
ctica, aut quovis alio carri genere, seu biroti, seu qua-
driroti. Navigatio rursus scinditur in brevem, longamve. D
Navi, scapha, phaselo, triremi, lyntriculo, crate, aut
aliis consimilibus, adde lacu, flumine, mari, eoque vel
tranquillo & pacato, vel perturbato, ac fluctibus æstuan-
te. Saltationis sunt differentiæ ante, retro, dextrum si-
nistrum, sursum atque deorsum, recta, in gyrum, tri-
pudium, cujus sunt partes, accursus, retrocessus, acces-
sio, depressio, elevatio, circumlatio, numerosa pedum
modulatio. Luctæ vero, disci que jactus, ac cæterarum
gymnasticarum exercitationum differentias non colligo,
ne rem parum commodam persequar, aut nostri sæculi
hominibus parum usitatam. De pilæ ludo exstant pluri-
ma apud Galenum, in *libello de hac ipsa re conscripto*, uti
de superioribus exercitationibus quædam in *consilio pro E-
pileptico*, tum & *libro secundo de tuenda sanitate*, com-
mode legi possunt. Quibus etiam locis *Frictionis differen-
tias sex* colligas licet, quæ sunt dura, mollis, multa,
mediocris, aspera, levis. Laboris differentiæ plurimæ
sunt, uti sunt, molam vertere, pinsere, fodere, obtun-
dere, onus ferre, navim trahere, ac cætera id genus, quæ
unico canone singula explicabuntur. Jam vero exercita- E
tionis commoda referam generatim, tum ejusdem incom-
moda. Hæc enim instrumentorum duritiem & constan-
tiam molitur, ob mutuum ipsorum attritum, calorem in-
genitum auget, spiritus citatiores reddit, actiones roborat,
deducenda in corpus validius attrahit, immutationem ex-
peditam facit, nutritionemque feliciorem, quam Græci
ἀνάδοσιν vocant, probamque alimoniam conciliat, quæ eis-
dem est ἰσχυρία, solidarum partium firmitudinem, hu-
midarum attenuationem, meatuum laxitatem, excremen-
torum repurgationem, membrorum vegetationem, tollit-
que prohibitam transpirationem, quæ malorum multo-
rum ac putredinis causa existit. Immodicæ exercitationis
noxæ sunt, aut etiam inopportunæ, hujusmodi, corpo-
ra siquidem cruditatibus referta subruit, distributionem cum
ciborum in ventre, tum humorum in vasis vitiat, inco-
ctos humores, priusquam mature concocti fuerint, in
membra vitiosa distributione corrivat, à cibo nuper inge-
sto meatus obstruit, calorem ad extimas partes revocat,
easque excrementis & cruditatibus replet, roridum corpo-
ris humorem absumit, unde citius senescimus, Aristote-
lis testimonio. Nunc age & quietis rationem accurate
pensitemus. Quies nimia, immodicumque otium crudi-
tates parit, calorem segnem, ac resident facit, spiritus
hebetiores suggerit, corpus pene elanguidum, & moro-
sum præstat, pinguem plus justo hominem reddit, vi-
tiosos succos coacervat, si Galeno credimus in *lib. de ci-
bis boni malique succi*: quietem autem & desidiam plu-
rimam facere membrorum torporem & ignaviam, o-
stendunt animantia. Hæc enim robustiora, ac salu-
briora sunt, quæcunque in sylvis & saltibus pastum
quæritant, quam quæ otio domestico, inter privatos lares,
aut in stabulis aluntur. Hippocrates quoque *lib. sexto E-
pidemiorum* sanitatis studium esse testatur, ad labores non
esse impigrum. Profert causam Plato *in Timæo*, cur ex-
ercendus sit animus una cum corpore, ad sanitatem tuen-
dam, vitamque feliciter peragendam. Quæ ne opus no-
strum remoretur, prætereunda nobis est. Monet Hippo-
crates, *in Epidemiis*, exercitationem præmittendam omni-
no esse cibi assumptioni. Aristoteles magnam partem oc-
casionis putredinis nimiæ quieti otioque adscribit. Gallica
ergo lue correptis, horum utrumque, motum & quie-
tem, temperata quadam vicissitudine propono, haud de-
spectis viribus, ætate, consuetudine, & loco. Vereor
enim mutatione repentina, ac subitaria eos lædere, cum
natura violenter ægreque toleret omnem ad contraria su-
bitariam alterationem. Equitationem celerrimam prohi-
beo, ne oculis injuriam faciat, ex Aristotelis præscripto
in problematis, tum renibus, atque vesicæ, quod mo-
net Aëtius, tum ne in venerem solvantur, authore Arist.
*in Politicis*. Demum, ne tumores doloresque coxendi-
cum incurrant, quod monet Hippocrates, in *lib. de Aëre,
aqua, & locis*. Quamquam autem (Aëtio authore) ve-
ctatio gestatione magis perturbare videtur humores, hoc
exercitationis genus non improbo, moderatis exceptis.
Lenius tamen exercet placida navigatio, & lectica, quam
currus, ut videtur Asclepiadi. Equitationem laudat Aë-
tius, & Celsus. Navigationem Plinius, quibusdam ani-
madversis. Omnes tamen ambulationem commendant,
quæ moderata sit, ascendendo & descendendo, matutina,
meridiana, stomacho neque famescente, neque mox re-
pleto. Cursum amoveo, capiti nocentem, & crura in-
tumescere facientem, Aristotelis sententia. Exercitatio-
nem etiam demo, quæ partem magis quam totum dimo-
vet, opinione Galeni, qui ob id fullonem atque aliorum
artem improbat, parvæ autem pilæ ludum magis laudat,
excipio tamen senes, quorum debiliores partes, ob earum
imbecillitatem, agitandæ non sunt. A prandio labor nul-
lus patientibus esto, sed, longa mora interjecta, mollem
ac brevem ambulationem præcipio. A cœna item leniter
ambulent, ob futuram, per noctis quietem, moram. Cor
poribus excrementosis, ut exerceantur magis tutiusque
prædicimus, ad difflationem peragendam, quod Aristote-
les edocet *in Problematis*. Porro qui laborantes sunt, a-
lii præsentem curationem exposcunt, alii instaurationem,
& virium membrorumque refectionem. Qui reficiendi
sunt, leni, mollique motione utantur oportet, ne exsic-
centur magis, ac subinde resolvantur. Conferet tamen
loca, varietate quadam eundo ac redeundo, immutare,
hoc est modo urbem repetere, modo oppida adire, modo
ruri agere, tum hortulis virentibus, obstrepentibus rivu-
lis, amœnissimis receptibus, sylvisque comantibus oble-
ctari. Firmioris vero ætatis, viriumque majorum negotia
sint, expiscari, aucupari, venari, agellum colere, quæ
felicioribus illis sæculis prisci Romani observare solebant,
non tam ad fœcunditatem soli, quam corporis salubrita-
tem comparandam. Atque hæc maxime peragenda sunt
his, qui humido corpore præditi sunt, vel excrementa ex
alimento colligunt, vel morbi reliquiis non omni ex par-
te liberi esse videntur, vel animi mœrore, ob morbi sæ-
vitiem, diu confecti, proximi fuerunt ut melancholici ef-
ficerentur. Verum ut moderata exercitatio spiritus colla-
psos roborat, sensus repurgat, acutioresque reddit, sto-
macho prodest, ac tandem crasim ipsam intemperat, quod
Aëtius profert, ita inunda ratio est, ut hos præcedentibus
vacuationibus, atque inedia confectos acri, vehementique
exercitatione non torqueamus, ne in majoris periculi
discrimen eos revocemus. Generatim omnibus fame-

ſcentibus laborem omnem amoveo, Hippocratis juſſu. A Nam inde excitatur macies, colliquatio membrorum, humidi reſolutio, inſenſilisque diffiatio plus juſto excernit, tum cibus, qui poſt aſſumitur, avidius attrahitur, quo fit ut incoctum alimentum exſugant venæ, vi naturali vitiata. Minus autem laborare impero bilioſos, quam humidos. Cæterum, qui valde pituitoſi ſunt, vehementi labore ſtrangulantur, vel anhelitus difficultate corripiuntur, vel animo delinquunt, mediocri juvantur. Ludicræ vero exercitationes, quales ſunt, voce modulari, ſcacchis præliari, ac cætera hujus ordinis, ſi modo honeſtæ fuerint, hoc eſt ingenuo ac libero homine dignæ, facient potius ad animi affectiones temperandas, quam ad ipſam valetudinis rationem comparandam. Deſpectum autem genus eſt exercitii, quod honeſtatem nominis ſurripit, & bonos mores demolitur. Cum vero laborantes ſe domi continent, biduntque decoctum ſalſæ, aut Guajaci, pauciſſimo illo contenti alimento, corporis exercitationem unicam adhibeo, non quidem palæſtricam aut laborioſam, ſed mitem ac lenem ambulationem per horam, morulis quibuſdam interjectis, & quidem cum mane ſurrexerint, idem quoque poſt meridiem, ubi cibus abſolute fuerit confectus. B Sic enim puto contingere, ut corpus vegetum magis ac prævalidum conſervetur, membra integra atque compoſita retineantur, animum vegetum alacremque reddamus, quod ait Galenus in his, quæ *de parva ſphærula* conſcripſit. Divinum autem fuerit, ſi noverimus animum honeſtis rebus, ac corpus ſalutaribus motionibus, non tam ſimul, quam temperata ratione exercere, quod maxime agendum eſſe dicebat Plato *in Timæo*. Id quo modo fiat, brevitatis ſtudio prætermittam: unumque aliud, præſenti negotio magis conſentaneum, paucis expediam. Intelligo, obſervatione ſtudioque majorum factum eſſe, ut luem Gallicam ſola vehementi motione, & labore curare tentaverint, quod difflationi, tranſpirationi, ſudoriſque perfuſioni acceptum referebant priſcæ illius atque obſoletæ ætatis medici. Ita efficiebatur, ut corpora bene compacta & robuſta, cum primum lue tacta fuiſſent, ſeſe exercerent laboribus immodicis, agros paſtinando, feras venando, ligna cuneis ſcindendo, luctam, pilæque ludum acriter repetendo. In quam ſententiam pedibus omnibus veniſſe Fracaſtorium conſtat, dum ille hiſce verbis rem explicat C univerſam.

*Hic jubeo tibi nulla quies, nulla otia ſunto,*
*Rumpe moras, agita aſſiduis venatibus apros*
*Impiger, aſſiduis agita venatibus urſos,*
*Nec tibi ſit labor, aërii curſu ardua montis*
*Vincenti, rapidum in valles deflectere cervum,*
*Et longa luſtrare altos indagine ſaltus.*

Profuiſſe multis hoc genus exercitii & laboris, experientiæ teſtimonio ſtatim confirmat.

*Vidi ego ſæpe malum, qui jam ſudoribus omne*
*Finiſſet, ſylviſque luem liquiſſet in altis.*

Colligit ſubinde alia laborum genera, quibus ſanatos fuiſſe plurimos affirmat, eleganter ac poëtice perſuadens, vitandum omnino eſſe otium.

*Sed nec turpe puta dextram ſummittere aratro,*
*Et longum trahere incurvo ſub vomere ſulcum:*
*Neve bidente ſolum, & duras proſcindere glebas,*
*Et valida aëriam quercum exturbare bipenni,*
*Atque imis altam eruere ab radicibus ornum.*
*Quin etiam, exercere domi quo te quoque poſſis,*
*Parvam mane pilam verſa mihi, veſpere verſa,*
*Et ſaltu, & dura potes exſudare palæſtra.*
*Vince malum: nec te fallat, quod deſidis otî*
*Aſſidue deſiderium, lectique ſequetur,*
*Tu lecto ne crede, gravi ne crede ſopori.*

Quæ curatio, cum fallax ſit, ex eo quod pauciſſimis contulit, evitanda eſt. Accedit, eam eſſe periculoſam valde. Cum enim corpora plethorica ſunt, labore nimio intendi, atque urgeri, non debent, athletarum, palæſtritarumque more. Tum enim neſcio quid aliud ex eo labore ſperare poſſimus, quam ea incommoda, quæ Athletas ſequuntur, authore Galeno, libro quo ad bonas artes capeſcendas hortatur, ſi modo Galeni liber ſit legitimus: & in *de ludo parvæ pilæ*. Nam præter ſuffocationem, difficilem anhelitum, atque animi deliquium, facile etiam incurrere poſſunt apoplexiam, comitialem morbum, aut vaſis in pulmone eruptionem. Sit tamen, ubi quis hoc genere exercitii veniat curandus, juvenis in primis, robuſtus, bene muſculoſus, neque corpulenti, neque gracilioris habitus, minimeque plethoricus, exercitationi aſſuetus, morbo non valde, hoc eſt crudeliter, affectus, ac per initia morbi, hoc eſt, ubi radices non valde firmas atque altas jecerit in viſcera. Qui hæc non habuerint, ad communem curationem, quaſi ad ſalutare certumque perfugium ſe ſe transferant.

## CAP. VIII.

### *De affectibus animi.*

Quo animus corpore præſtantior eſt, eo quoque animi mores, motus, & affectiones vim habent majorem ad valetudinem firmandam, aut demoliendam, ſi Galeno medicorum ſapientiſſimo credimus. Quocirca permagni intereſt, ut in Gallica lue detentis animi motus perpendamus, cum eos penſitandos eſſe medicis monuerit *libro ſexto Epidemiorum* Hippocrates. Horum ſiquidem cognitio eo pertinet, ut noxios evitemus, utiles & conferentes deligamus. Inter animi motiones, ſtudia quoque literarum, & contemplationem, quæ per liberales diſciplinas efficitur, connumerant Medici omnes, forte Galenum ſequuti, qui in *medendi Methodo* non modo ea confiderat, quæ in parte animæ concupiſcibili, atque iraſcibili, παθήματα reſident, ſed etiam in rationali. Rurſus partem hanc maxime ſpectare medicos conſtat ex libris illis à Galeno editis, quod animi mores corporis temperiem ſequantur, tum de vitiorum animi cognitione & auxiliis. Ab his enim pendere ſanitatem, & morbos, demolitionem aut conſervationem valetudinis, perſpicuo colligit Galenus in *libro τίχνης*, & in his, quæ *de methodo* perſcripſerat. Hinc poëtæ appoſite, atque perpulchre finxere nomina Furiarum, habitum & tormenta, pro malis affectibus deteſtandis, tum Oreſtem & Pentheum eiſdem agitatos, tum Tytium viſceribus vulturem alentem ſuis, atque alios pœnas alias dantes, ad ſuperandos animi æſtus, & perturbationes. Nec modo ex eo tantum improbandi ſunt affectus, quod corporis formam & ſtatum vitient, ſed quod hominem minus ſibi ſimilem reddunt. Etenim vir divinus Plato *in Timæo* inquit, nimia geſtire lætitia, aut immodico dolore angi, cauſam eſſe, ut neque intueri, neque audire quicquam probe rectèque valeamus: quin imo rabies excitatur in nobis, quæ minus rationis compotes reddit homines. Sed ad Galenum revertamur, qui *libro primo de tuenda valetudine* monet, temperandos eſſe affectus ad ſalubritatem corpori conciliandam, quot quot fuerint, hoc eſt ſive in parte animæ rationali, ſive iraſcibili, ſive concupiſcibili, reſiderint. Plato vero ad vitæ uſum humanæ formandum conſulit, in omnibus ſervari oportere tranquillitatem animi, quæ, ut ille ſcribit *libro ſeptimo de Rep.* media eſt inter voluptatem, & dolorem. Quo forte referri poteſt illud Homeri, cum Circem inducit imperantem Ulyſſi, ut mediam ſervet viam, navigetque inter fumum & ignem. Vetere autem communique ſapientum voce, atque præſcripto cautum eſt, ut non ignoremus, motibus animorum immodicis naturalem ſtatum corrumpi, temperiem vitiari, calorem reſolvi, ſpiritus modo ſuffocari, modo diſſipari, mentem perverti, ſenſus hebetari, firmam valetudinem labefactari, febrem ſubaccendi, atram bilem excitari, ſolicitudinem prævalere, frugalem vitam concidere, opinionem vacillare, excelſum, infractumque animum tolli, cor inquietum ſtimulis curarum agitari, puſillanimitatem prodire, puritatem morum, vitæ candorem, innocentiamque funditus everti, ac tandem fluctuare hominem, vitæ moleſtia ſpinoſiſque cogitationibus agitatum. Sed enim animi perturbationes & paſſiones nil aliud ſunt, quam men- D tis æſtus, & agitationes. Fiunt autem hæc, quoties animorum motus turbidi & concitati redduntur. Concitantur enim vel boni, vel mali cujuſpiam cauſa. Unde illa nomina vulgo effluxere, ira, odium, metus, furor, lætitia, mœror, & alia. Priſca atque obſoleta vetuſtas, quam Platonici ſequuti ſunt, brevi quadam partitione cuncta genera affectuum in quatuor ordines diſtribuit. Hoc eſt in affectum boni, malique præſentis, aut futuri. Eſt enim dolor præſentis mali, uti futuri ſpes: præſentis vero boni gaudium, uti metus exſpectati, vel imminentis. Cicero autem in Tuſculanis longe majorem tradidit, ad quam perlegendam incitandi ſunt, qui rem ipſam totam accurate diligenterque tenere deſiderant. Gallico itaque morbo correpti, cum malam & vitioſam attraxerint intemperantiam hepatis, ac ſanguinis, cumque in illis labefactari videatur calor & ſpiritus, læſa nonnihil facultate animali, & naturali, ceu ſcopulos vitent affectus, præcipue vero, modum excedentes. In primis autem timorem. Hoc enim ſanguis in ſe ipſum cogitur, introrſum evocatus, ſpiritus quoque ad interna contrahuntur, uti ad eorum ſcatebram, & perfugium, extimæ partes inhorrent, gelidæ E redditæ, ceu vitali calore deſtitutæ. Nam & plurimi præ timore mortui ſunt reperti: quod imbecillis animulæ cuidam contigiſſe juveni, teſtatur Jacobus Forolivienſis. Ira autem fugienda eſt, uti peſtilentia, qua ſanguis excandeſcit ebulliens, fuſuſque circa præcordia, cum Gallici fervore nimio & exuſtione laborent, ſic enim inflammabuntur magis, ac arteriarum motus majores & concitatiores efficientur.

Iracundia (quicquid alii voluerint negantes, quempiam hoc affectu ullo unquam tempore periisse) vidimus hominem enecatum Patavii, cui Petrucius nomen erat, ubi per injuriam quidam illi in faciem sputum injecisset: etenim subitaria affectus vi oppressus, confestim occubuit. Verecundiam omitto, quod lenius vim animalem perturbet, nam primum sanguinem leviter cogit, mox eundem affatim extrorsum revocans facit in cute & genis efflorescere. Mœstitiam autem præcipue abigant, tristiumque rerum aut cogitationes, aut recordationem. In qua non confertim sanguis & spiritus, uti in pavore cogitur, sed sensim, & quasi occulte cohibetur. Horum affectuum noxas visus est significasse Maro, cum eos in Tartari limine constituisset cubantes, hoc modo.

*Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus orci*
*Luctus & ultrices posuere cubilia curæ.*

Quod si cum magnis & præclaris rebus tenues atque exiguæ sint conferendæ, nos quoque in poeticis nostris lusibus, malorum affectuum injurias & detrimenta sumus complexi, tranquillitatem etiam animorum, sub Elysii nomine ex Platonicis fontibus, poetico more exprimentes. Recitabo carmina, non equidem ad ostentationem ingenii (quod scio quam perexiguum in me fuerit semper) sed ad laboris in legendo relaxationem. Sic enim res ipsa se habet.

*Aspice quos adeo vulgus putat esse beatos*
*Corporis aut forma, congesto aut ære acervo,*
*Fascibus, aut populi plausu, luxuve potenti:*
*Quos, ubi desernere auras, & lumina vitæ,*
*Aterna Lethes tandem caligine condit*
*Atra dies, quæ facta illis & nomina delet,*
*Nec mer tis putnere graves superare tenebras,*
*Nec monumenta horum seri videre nepotes.*
*Contra, qui ingenium claras coluere per artes*
*Semideumque tures, fulgentia sydera cœli,*
*Heroumque animas inter, sedesque beatas,*
*Producunt semper Diis cum immortalibus ævum.*
*Hic dulcem Elysium spectant, camposque virentes,*
*Sanctorumque patrum felicia littora, nulli*
*Visa homini ignavo, aut infecto labe profana.*
*Stat nemora & myrteta inter per roscida ludens*
*Gramina turba frequens, choreas ductare parata,*
*Pars foliis, apioque comas circumdat amaro,*
*Pars Tuscis, Latisque modis, & pectine Grajo*
*Intentam pascit dulci modulamine turbam.*
*Hic sol perpetua collustrat lampade cœlum*
*Aureus, & nulla nubis caligine tectus*
*Purpureos torquet radios. Non Hesperus illum,*
*Humida non unquam demisæ velamina noctis,*
*Noctivaga aut Phœbe, summo depellit olympo,*
*Tethydis aut vasto laxum lavit æquore currum.*
*Non hic æruinæ, non vitæ incommoda mille,*
*Non livor, non æris amor, non dira Cupido,*
*Aut regni vesana sitis: non anxius hæres*
*Incusat tardo venientia funera gressu.*
*Barbaries non ipsa gravis, non horrida Martis*
*Prælia, non sævæ miscent aconita Novercæ,*
*Nec simulatæ artes, nec virus: livida Erynnis*
*Hispereum torquet, diris armata colubris.*
*Sed procul ignotis circumerrant sedibus iræ,*
*Furgiaque, insidiæque, dolis & amica libido,*
*Lethalisque odii latitantia semina corde.*
*Denique non luctus, ultrix non littora cura*
*Sancta tenet, longeque absunt à limine primo*
*Et dolor & mœror, nec non gemitusque, metusque,*
*Dura fames, tabesque urens, & tristis egestas,*
*Tum labor & furor, & suspiria longa trahentes*
*Curæ hominum, insomnes curæ, quæ turbine denso*
*Exagitant animum, & sensim præcordia mandunt,*
*Non minus ac Tytii depascat viscera vultur.*

Quod si nostrorum lusuum licentia, nimiaque libertate, defatigatus sit lector, libet ad gaudium explicandum devenire, id enim molestiam pene omnem levabit. Moderate itaque hoc ipso utantur affectu laborantes nostri. Nam & hoc ipsum causa est multories, ut corpora, vitæque humanæ periclitentur: tot sunt mortis viæ, tot lethi facies. Immodica enim lætitia facultatem animatam ad exteriora propellit, eam prius laxans, atque extendens, spirituque ob meatum amplificationem, dilatationemque foras evocat. Hæ sunt illæ affectiones, quæ immodicæ fuerint, ut rationis imperio nequeant obtemperare, non modo ægritudines parere possunt, sed & mortem subitariam quam plurimis pertulerunt, valido affectus congressu prosternatis, vel exstinctione superveniente: quorum ex Historia petenda sunt exempla, apud Livium, Plinium, Aristotelem, Gellium, & Valerium: qui plurimos testantur præmortuos fuisse aut immodico mœrore, aut ingenti gaudio, nonnunquam & pudore ipso, repente illis occursantibus. Alii vero, qui forte minus valido pathemate A corripiuntur, jugi tamen atque intenta perturbatione vexantur, sævioribus morbis laborant, quod in Aphorismis scribit Hippocrates, dicens, qui timore assiduo, diuturnaque mœstitia torquentur, necesse est, ut melancholici fiant. Cæterum & nimiam illam voluptatem damnare soleo, quam jocus ingens, & profusior risus insequitur, quod ingenitum calorem foras deducat, cumque refrigeret, atque illis generatim maxime obest, qui pituitosi sunt, & excrementosi, quique aut plethoram habent, aut paulo pinguiores sunt cæteris.

## CAP. IX.

### *De inanitione, ac repletione.*

Ad inanitionem, & repletionem recte cognoscendam, B conferunt res omnes non naturales, superius explicatæ. Nam in cibo, & potu, somno, & vigilia, exercitatione, & quiete, magna pars inanitionis & repletionis posita esse videtur. Conferunt & ea, quæ Hippocrates in Aphorismis, & in *libris de ratione victus* conscripsit: tum illa quoque, quæ à Galeno edita fuere, in omnibus fere ejus operibus, præsertim in commentariis Aphorismorum *libro de plenitudine*, *libro quos*, *quando*, & *quomodo purgare oportet*, atque aliis locis permultis. Cæterum uti inanitio multiplex esse potest, ita & repletio potest: nam contraria inter se, totidem modis vicissim dici necesse est. Nam si corpus exinanitur fluore alvi, urinis, sudoribus, venere, vomitione, inedia, pharmaco, sputo, exercitatione immodica, insensili diffiatione, fruitionibus, mensibus, marisis, sanguinisque detractione, ac cæteris hujusmodi, par ratio est, ut ex eorum oppositis repleatur, hoc est, alvi adstrictione, urinæ paucitate, sudoris inopia, castitate, ventriculi contumacia, ciborum assumptione, evacuationis intermissione, sputi prohibitione, quiete nimia, transpiratione detenta, cutis densitate, mensium, marisarumque suppressione. Est autem repletio, quod Græci πλεονεξίαν vocant, nostri vero, modo plenitudinem, C modo abundantiam: non autem idem sunt πλεονεξία cum eo, quod à Græcis dicitur πλησμονή. Nam hæc species est, illa genus. Est enim πλησμονὴ satietas cibariorum, quæ repletionis altera species est, proinde ex toto incusandus non est Leonicenus cum hoc modo Hippocratis Aphorismum transtulit, quicumque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio. Nam repletionem pro satietate posuit, quæ generalis repletionis species est altera, quicquid alii adversus doctissimum virum commenti sint. Abundantiam exstare duplicem, author est Galenus, in quali scilicet, & quanto. Prior est citra omnem humorem, alia vero aut cibi, aut humoris copia. Est & plenitudinis partitio alia, virium nempe, aut vasorum: quod Galenus, & in Aphorismorum commentariis, & in *libro de plenitudine* testatur. Rursus humorum copia duplex esse potest, vel unius, vel omnium, utraque autem repletio dici potest, quamquam secundam alii multitudinem dici malint. Quæ autem est humorum multitudo, Græcis πλεθώρη vocitatur, uti quæ unius duntaxat est, ut vitiosi, κακοχυμία. Sum- D mopere replent, authore Celso, quies immodica, perexigua exercitatio, frequens unctio, balneum à cibo, alvus adstricta, hyems tepida, somnus profundior, mollis thorus, animi tranquillitas, cibaria dulcia, pinguiaque, dulces potus, cibus frequens, ac plenior, ita tamen ut commode concoquatur. Ferent autem exinanitionem oppositæ horum, hoc est exercitatio permulta, rara inunctio, balneum stomacho jejuno, alvus lubrica, hyems frigidior, somnus brevis, asperum cubile, animi perturbationes, cibaria salsa, acria, acida & austera, potus modici atque perpauci, cibi abstinentia, victus tenuis, & attenuans, aqua calida, si quis in eam se se injecerit, calor, cursus, cita ambulatio, vomitus. In Gallico vero experientia docet, repletionem quamcumque ciborum pestem esse. Contra victum tenuem (tenuem autem pro parciore semper intelligo) unice prodesse, cum ad humores dirigendos, tum ob virtutis naturalis imbecillitatem. Nam si quis paulo copiosius alat ægrum, impedit naturæ opus, ne valide exerceatur, quod Galenus asserebat in Aphorismo- E rum commentariis, & *libro primo de judiciis*: quoniam duabus rebus nequit ventriculus simul obeundis, valenterque conficiendis, satis esse. Adde & abstinentiam convenire ob malorum humorum redundantiam, monente Hippocrate, corpora non pura, hoc est vitiosis succis referta, eo magis lædi, quo plus nutriuntur. Et est ratio, quod advenientis alimenti copia, nequit exacte confici à calore ingenito, quin imo infectis succis depravabitur totum, redderturque una cum illis noxium, & impurum. Minus autem his congruere laborantibus constat, qui pituitosi, pinguioriſque habitus esse perspiciuntur, cum in illis minor sit refectionis & instaurationis occasio, quo cæteris magis referti esse videntur. Neque item probarim morem illorum, qui cum Gallico affectis exhibent Guajaci potum, tan-

tam

tam inediam inſtituunt, ut fere patiens exanimetur. Idenim eſt vires proſternere, non curare morbum. Damnat eos Hippocrates, ubi inquit, in tenui victu ægros delinquere: deinde & Galenus *libro decimo artis curativæ:* in quo loco eorum explodit ſententiam, qui plenitudinem putant opportune omnem tollere, inſtituta triduana illa inedia, qua victum adimunt univerſum. Quia vero ſub inanitionis nomine tota morbi hujus curatio continetur, danda opera nobis eſt, ut de curationis ordine modoque diligenter agamus. Ordo autem ſic ſe habet. Cum tres dictum ſit ad omnem morborum curationem perficiendam exſtare rationes, & vias, nempe victus rationem, Pharmacum, & Chirurgicum opus, unde medicinæ partium trita illa nomina effluxere, quas Græci, διαιτητικὴν, Φαρμακευτικὴν, χειρουργικὴν vocant, adhibenda in ſingulis hiſce diligentia eſt, ut partes hæ probe, exacteque inſtituantur univerſæ.

*Victus ratio.*

Victum parciorem convenire prædiximus, non tam ratione adhibita, quam teſtimonio omnium, qui, duce experientia, morbum hunc ipſum curare attentarunt. Is autem maxime ex communi uſu perficitur panis biſcocti exhibitione, amygdalarum, paſſularumque, nec non Guajaci potus hauſtu. Cum autem ab hoc ordine, ob alienam cauſam illis ſupervenientem, diſcedendum ſit, ad pleniorem paulo properare ſolent, hoc eſt, ad ova ſorbilia recenter edita, carniſque particulam, & panem probe fermentatum, & bene coctum. Nos autem pane probe cocto, carniſque particula utimur, ſublatis amygdalis, quæ non valde ſunt probati ſucci: idque in toto Guajaci hauſtu fere ſemper obſervamus.

*Pharmacorum differentiæ.*

Pharmacorum differentiæ, in Gallica lue tenendæ, ſunt primum leniens ad communes materias excernendas. Præparans, ad fluidum corpus efficiendum, hoc eſt, ad humores, qui peccant, concoquendos. Solvens ad ea evacuanda, quæ purgari oportet, hoc eſt, quæ morbum gignunt, aut fovent. Roborans, ad confirmandas particulas evacuatione labefactatas. Formoſum faciens, ad fœditatem amovendam, procurandumque ortum ſive pilorum, ſive capillorum, ſive etiam ſimul omnium. Addo & quæ vim habent tuendi hepatis, quod præſertim in morbo oblæditur membrum. Rurſus quæ attenuandi facultatem nacta ſunt pro diſcuſſione, inciſioneque craſſorum humorum, quamquam hæc in concoquentia redigi poſſunt. Poſtremo quæ decocta roborant, actionemque adaugent in decoctis, ſingulis humoribus, pro rata eorum portione, congruentibus.

*Opus Chirurgicum.*

Sanguinis miſſio maxime opportuna erit, ſervatis ſervandis, ob cauſas à Galeno relatas, in *libro de curandi ratione per ſanguinis miſſionem.* Id autem maxime efficietur jecoriæ venæ ſolutione, interdum vero hirudinibus, cucurbituliſque, prout caſus nobis oblatus tulerit. Sunt & chirurgicam opem poſcentia, ulcera, puſtulæ, achores, tumores, inflammationes, verrucæ, caries, bubones, atque alia, de quibus, cum de ſymptomatis agemus, abunde dicturi ſumus.

*Curatio major vocata.*

Curatio major vulgo appellata ea eſt, quæ vel extrema exercitatione perficitur, vel ſuffumigio, vel inunctione, vel decocto xl. diebus aſſumpto. Quæ omnia ſigillatim tunc patefient, cum primam curationem, quam alii regiam, alii ordinariam, alii rationalem vocant, abſolverimus: a leniente pharmaco initio aſſumpto.

*Lenientia.*

Decet, ut in aliis morbis efficitur, Gallici quoque laborantis alvum prius leniter ſubducere his, quæ neque violenter agunt, neque (ut dicunt) elective humores educunt, hoc eſt, quæ facile & leviter ſolvunt. Nam exſtat præceptum, violentas ac repentinas quaslibet immutationes naturam ægre perferre. Idcirco prudenter conſulit Hippocrates, oportere corpora evacuanda primum fluida facere, hoc eſt humores concoquere, ac vias ductuſque reddere habiliores, ac maxime expeditos: id autem efficitur, ex communium materierum, quæ in ambitu inteſtinorum concluduntur, expurgatione opportuna adhibita. Id operæ præſtabit *caſſia fiſtula*, cujus temperatura æqualis eſt, pauloque humidior, quam calida, *aniſo*, *aut cinnamomo* caſtigata. Conveniet *& tamarindorum pulpa*, æſtivis temporibus præſertim, aut in delicato biliioſoque corporis habitu, quorum vis eſt uſque ad ſecundum ordinem refrigerare. *Manna* quoque non improbatur, cujus ſatis eſt æqualis temperies, vixque ad calidum ordinem inclinans: præſertim ubi viſcera ſupra modum incaluerint. *Diacatholicum*, ubi robur eſt addendum, proderit, maxime vero aut jecinore, aut liene vitiato. Proderit & *diaſenæ leniens vocatum*, ubi melancholicus ſit factus æger, aut morbi impetu triſtis & cogitabundus appareat. Quod autem *diaſebeſten non completum* vocant ſeplaſiarii, hoc eſt, ſine *diagrydio*, quodque *ex prunis damaſcenis* pari modo conficitur, placebit ille, ubi habitus corporis uriuæ ardore, aut alio conſimili vitio laborarit, hic, ubi paulo biliioſior patiens extiterit. Eandem ob cauſam non damnatur *roſacea illa ſolutiva compoſitio*, officinis frequens, quæ roſarum ſit infuſione, ubi ſitis infeſtarit patientem, fueritque ventriculus laxior, & labefactatus, ſolent & nonnulli horum vim interdum modice ac leviter augere, ſi opus fuerit, particulæ adjectione *confectionis hamech*, ubi puſtulæ, aut cruſtæ, aut impetigines irruperint, aut melancholici ſucci quævis alia ſigna conſtiterint. Quamquam exſpectandam eſſe concoctionem magis conſulo: ſed hæc in communem medicorum uſum dicta ſint.

*Concoquentia pituitam.*

Cum nefarium ſit, purgamenta corpori adhibere, abſque præcedenti concoctione, una excepta materia turgeſcente, Hippocratis teſtimonio, ob cauſas à Galeno in commentariis Aphoriſmorum relatas, ob id concoquendi ſunt Gallici humores ante omnem evacuationem. Primum autem pituitoſi occurrunt, qui aſſuetis auxiliis præparari poſſunt, nempe *melle roſaceo colo tranſfuſo*, *oxymelite ſimplici*, *ſerapiis ex betonica*, *lupo ſalictario*, *floribus ſambuci*, *geniſtæ*, *ſtœchados*, *ex duabus radicibus*, *mentha*, *abſinthio*, *eupatorio*, *artemiſia*, *praſſio*, *calamintha*, *hyſſopo*, *glycirrhiza*, *acetoſo compoſito*, *byzantino ex pomis*, *thymo*, *borragine*, *bugloſſo*, *acetoſo ex prima radice*, *ex matricaria.* Stillatitiæ autem aquæ, aut decocta, quibus contemperantur ſerapia, poterunt eſſe ex *adiantho*, *betonica*, *hyſſopo*, *praſſio*, *bugloſſo*, *pulegio*, *ruta*, *mentha*, *artemiſia*, *matricaria*, *aſparago*, *agrimonia*, *eupatorio*, *ſalvia*, *fœniculo*, *ſampſuco*, *rore marino*, *ſcabioſa*, *abſinthio*, *aqua mellis.* Neque hoc dixerim, ut confertim his omnibus utamur, refugit enim natura multitudinem, pauciſque lætatur rebus: ſed tot congeſſimus, ut diſcant ſtudioſi, pituitam præparantia pro varietate partium corporis diſtribui oportere. Nam ex his, alia cerebro conveniunt, alia ventriculo, nonnulla hepati, cordique, quædam pectori, & matrici. Quæ quoniam à recentioribus ſcriptoribus certo ordine complexa fuere diligenter, ad eorum fontes tranſmittendi ſunt ſtudioſi.

*Concoquentia bilem flavam.*

Ex ſerapiis, bilem flavam concoquentibus, probantur qui maxime ex *ſeri & intubo* parantur, item ex *cucurbita*, *acido citri ſucco*, *nymphæa*, *roſis recentibus*, *ſucco bugloſſi*, *andrachne*, hoc eſt, *portulaca.* Rurſus ex *ſerapio violaceo*, *acido ſimplici*, *oxyſaccharo*, *& ex jujubis vocato.* Stillatitiæ aquæ commendantur *ex ſeri*, *intubo*, *cucurbita*, *ſolano*, *tuſſilagine*, *bugloſſo*, *borragine*, *roſis*, *violis*, *nymphæa*, *lactuca*, *papavere*, *feminibus frigidis*, *oxalide.* Atque hæc ſunt, quibus pro varietate partium corporis, & affectionis, humoriſque peccantis modo, alia atque alia ratione uti ſolemus. Si quis autem plura in hoc genere rerum ſcire deſideret, adeat eorum commentaria, qui de hiſce ſigillatim ſcripſere noſtræ ætatis viri quamplurimi, ſolertes in primis atque induſtrii, tum etiam de medica arte bene meriti.

*Concoquentia bilem atram.*

Præparant melancholicum ſuccum, ex ſerapiis, quod ex *lupulo* conficitur, ex *ſtœchade*, ex *betonica.* Rurſus ex *byzantiis vocato*, *epithymo*, *fumaria*, *borragine*, *bugloſſo*, *oxymelite ſcillitico*, *e pomis*, *e thymo*, *e mentha*, *e ſapa.* Ex ſtillatitiis vero humoribus ad hunc uſum ſpectantibus hi ſunt, *liquor ex lupulis*, *borragine*, *bugloſſo*, *thymo*, *epithymo*, *fumariaque expreſſus*, *aut deſtillatus.*

*Sanguinem depurantia.*

Notum eſt quantopere aliis in locis nobis laborem intulerit quæſtio illa ſane quam difficilis, de febre ſanguinis vocata. Nunc autem, cum à præſenti explicatione res omnino diſtracta videatur, ſat fuerit monuiſſe ſtudioſos, ut conſtanter exiſtiment, ſanguinem carere rebus concoquen-

quentibus, ob eam ſane cauſam, quod ille non putridus efficitur, uti cæteri humores, ſed ubi corrumpitur, deſinit eſſe ſanguis, & mox bilis atra, aut flava, pro putreſcentis partis qualitate, tenuis inquam, aut craſſæ ejus particulæ, efficitur. Sed careat licet ipſe concoquentibus, eget tamen interdum depurantibus auxiliis, quoniam citra omnem putredinem compertum eſt, eum turbari ſæpius, atque infici poſſe. Neque hoc valde alienum eſſe conſtat in his, qui Gallico malo laborant, quando per ejus morbi initia ſanguis commaculetur contagione adhibita, ablque putredinis minima quidem nota. Convenit itaque puriorem reddere ſanguinis ſubſtantiam *ſerapiis*, & *liquoribus ex borragine paratis*, *nec non bugloſſo*, *fumaria*, *abſinthio*, *lactuca*, *ſoncho*, *lupulo*, *ſucco roſarum*, *cichoreo*, *adiantho*, *ſero lactis*.

*Bilem flavam evacuantia.*

Non inepte dicunt, qui purgantia medicamenta ajunt eſſe in duplici genere conſtituenda, nempe ſub mediocriter, aut valenter purgantibus pharmacis. Primi generis ſunt lenientia vocata, hoc eſt, quæ leniter alvum ſubducunt, quæ tamen, adaucto pondere, in vehementer evacuantia facile abire poſſunt: quando & *caſſiam fiſtularem* compertum fuerit interdum uſque ad ſanguinem ſolviſſe. Hæc autem mollia medicamenta, vel ſimplicia erunt, uti quæ nunc dicta eſt *caſſia*, *manna*, *ſuccus roſarum*, *pulpa prunorum damaſcenorum*, *nec non tamarindorum*, *pulvis*, *qui ſenæ dicitur*: vel erunt ex pluribus condita, uti *diacaſſia cum manna*, *aut quæ cum foliis*, *vel ſine foliis ſenæ parantur*. tum etiam *lenitivum ſimpliciter acceptum*, & *lenitivum è manna*. Eſt & ſub hoc genere, quod vocant, *diaſebeſten non ſolvens*, *ac diaprunum compoſitum non laxans*, rurſus & quod officinæ *diacatholicon* appellant. Haec autem omnia, quae dicta ſunt, ad leniendam alvum, aut molliter vacuandam, inventa ab eorum authoribus fuere: exiſtimantur & valere in omni delinquente humore: atque ob id communes indifferenteſque medicinæ vocantur. Ego autem malim concoctionem morari, atque alvum ſolvere, ſi opus eſt, aut *caſſia*, aut *manna*, aut etiam clyſtere. Aliud quoque eſt medicamentorum genus, quod valenter ſolvit: quod item rurſus duplex dicitur, hoc eſt ſimplex aliud, aliud compoſitum. Utrumque autem horum, ſingulis humoribus, pro rata portione diſtinguendum eſt, hoc modo. Nam quæ ſimplicia bilem flavam educunt, uſu, atque obſervatione diuturna adhibita, hæc ſunt, *rhabarbarum*, in ſecundo ordine calidum, & ſiccum, ejus vitia corrigunt, *croci*, *ſpicæ*, *ſchoenanthi*, *ac vini odorati permixtio*. *Manna* (neque miretur quiſpiam, quod lenientia medicamina inter ſolventia connumerentur, cum hæc, pro menſura alia atque alia, poſſint utramque ſuſcipere facultatem) quæ æqualis eſt temperamenti, ad calidum tantillum vergentis, & ſecundum humidi participationem, primi ordinis eſſe dicitur, quæ etiam corrigitur ſuis emendantibus, nempe *cinnamomo*, *aniſo*, *caryophyllo*, *fœniculo*, interdum & *maſtiche*. Bilem quoque ſolvit *ſcammoneum*, tertio ordine calfaciens & ſiccans, quod διακρύδιον fit, cotoneo malo emendatum. Item & *tamarindi*, *ſero lactis madefacti*: tum *aloe*, cujus item in tertio ordine excalfaciendi, atque exſiccandi facultatem exſtare compertum eſt. Compoſita medicamenta, flavam bilem purgantia, ſunt *Diaprunum ſolvens*, *roſatum*, *è ſucco roſarum*, *è pſyllio*, *diacarthamum*, *roſatum cum rhabarbaro*, *roſatum cum turbith*, *hoc eſt thapſia*, *è dactylis*, *ſolidæ* & *mollis ſubſtantiæ*, *confectio hamech major vocata*, *Eleſcoph ſive Epiſcopi medicamentum*, *diaturbith cum rhabarbaro*, *diacatonem*. *Catapotia*, (vulgo pilulæ) *aggregativa*, *de aſſajeret*, *de eupatorio majori*, *de fumaria*, *ex hiera ſimplici*, *ex aloë* & *maſtiche*, *ſine quibus dicta*, *ſtomachica Meſuæ*, *ex quinque myrobalanis*, *aurea*. Nemo autem putet, me tam multa congeſſiſſe, ut liber excreſcat: ſed hæc deſiderio juvandi incitatus, ac ne tandem ſervati ordinis filum, quod in aliis factum eſt, interrumpam, tot & tanta in medium adducere non recuſavimus: quod & in cæteris humoribus nos facturos eſſe, omnino pollicemur. Quo modo vero, hæc in lue Gallica ſint adhibenda, paulo infra, cum de hac re agetur, latius, apertiuſque legentibus conſtabit.

*Pituitam ſolventia.*

Mollia medicamenta, quæ pituitam pellunt, ea ſunt, quæ cum utraque bile communia habentur: de quibus paulo ante dictum fuerat. Quæ autem valentius ac magis pituitoſum humorem attrahunt, quamquam nonnulla ex his cum bile flava communia eſſe poſſunt, ea quoque vel ſimplicem, vel compoſitam habent conſiſtentiam. Ex ſimplicibus ſunt, *agaricum*, quod primo ordine calefacit, ſecundo exſiccat. Emendatur, ſi quod in eo vitium reſidet, *zingibere*, & *ſale*, *cui gemmæ cognomen eſt inditum*. *Turbith*, cui facultas eſt calefactoria in tertio ordine. Reprimitur *zingibere*. *Colocynthis* ſuccedit, in tertio itidem ordine, calidæ & ſiccæ facultatis, cujus vis infrenatur *maſtiche*. *Cnicus ſive carthamus*, cujus ſemine utimur ad alvum ſolvendam. *Tithymali*, qui rebus odoratis commode parantur. *Emblica myrobalana*, tantillum frigida, & in primo ordine ſicca: nec non & *bellerica vocata*. *Euphorbium*, ſecundo ordine calefaciens, & exſiccans, cujus vitium caſtigant, *aniſum*, *ſpica*, *maſtix*. *Hermodactyli*, primo ordine calidi & ſicci: corrigitur eorum impetus, *ſpica*, *maſtiche*, *lactis ſero*. *Elaterium*, hoc eſt ſuccus concretus ex ſylveſtri cucumere, aſinino vocato, quod tertio nempe ordine calfacit, & ſiccat, *tragacantho* addendum, quod noxiam ejus vim retundit. *Serapionum*, cujus *rutæ liquor* acrimoniam hebetat. *Mezereon*, quod *myrobalana*, & *portulacæ ſuccus* moderantur, item & *ſativi intybi liquor*. *Lathyris*, quam vulgo *cataputiam majorem*, *aut mirabolem* vocant: cujus grana, ad ciendam pituitam, numero vii. aut viii. comeduntur, authoribus Actuario, ac Dioſcoride. Horum quoque granorum vim noxiam, odorato aliquo ſemine mitigarem. *Opopanacem* tandem his addo. Ex compoſitis medicamentis, eundem uſum præſtantibus, ſunt hæc, quibus officinæ pene omnes, in Italia præſertim, refertæ ſunt, *diaphœnicum*, *pulvis turbith ab Avicenna confectus*, *catharticum imperiale*, *hiera pachii*, *hiera lagodion*, *hiera picra compoſita*, *hiera picra cum agarico*, *hiera picra ſimplex*, *diacarthamum*, *diaturbith minus*, *majuſve*, *diaturbith cum rhabarbaro*, *eleſcoph*, *benedicta laxans*, *compoſitiones*, *quæ dicuntur Indum majus*, & *minus*. Præter hæc ſunt *catapotia aloëphangina*, *aſſajeret*, *arthritica*, *aggregativa*, *benedicta*, *cochia*, *fœtida*, *lucis*, *maſtichina*, *imperialia*, *ſtomachica*, *ſine quibus*, *de mezereo*. Quæ item ſequuntur, eadem facultate prædita, *de octo rebus vocata*, *ex quinque myrobalanis*, *ex aloë*, & *maſtiche*, *è ſerapino*, *è ſarcocolla*, *è colocynthide*, *ex euphorbio*, *ex agarico*, *ex hermodactylis*, *ex hiera ſimplici Galeni*, *ex hiera cum agarico*.

*Atram bilem ducentia.*

Quæ leviter admodum ſuccum melancholicum attrahunt, ſunt lenientia illa, cum bile flava, & pituita, communia: neque id, ceu male orſum retexere, neceſſe eſt. At quibus acriter ſolvendæ atræ bilis facultas indita eſt, ſi ſimplicia fuerint hæc numerantur, *myrobalana Inda* primo ordine frigida, ac ſecundo ſicca. *Sena* officinis, quam alii *Theophraſti coluteam* eſſe ſuſpicantur, calida aliquantiſper, & ſicca in primo ordine, lætatur *zingiberis* ſocietate, & *ſale foſſili*, *cui gemmæ nomen exſtat*, *item caryophyllorum*. Interdum roboratur, *aniſo*, *dauco*, *fœniculo*, *cinnamomo*, *paſſulis*, *aqua mulſa*, *macere*, *cardamomo*, *palmarum fructibus*, *floribus bugloſſi*, prout cuique ex opportunitate, occaſioneque obiter oblata, ſibi agendum videbitur. Præter hæc ad eundem ſcopum pertinere videtur *epithymum*, tertio loco calefaciens, & ſecundo ſiccans. Corrigitur *ſale vel Indo*, *vel gemmæ*. Commercium patitur *olei amygdalarum dulcium*, *myrobalanorum*, *ac mellis*. *Lapis lazuli*, calidus in ſecundo, ſiccus in tertio ordine, *roſacea* abluitur. *Armenius lapis*, cujus temperamentum in primo ordine calidum eſt: paraturque *liquore ſtillatitio roſaceo*, cui grata omnino eſt *ſuavis odoratique vini* permixtio. *Polypodium*, cujus vires moderatur *aniſum*, *zingiber*, *cinnamomum*, *caryophyllum*, *atque alia odorata*. *Elleborus niger*, cujus vitium reprimunt, quæ nuperrime dicebantur, adde & ſuccum mali cotonei, quo maxime his utuntur temporibus officinæ. Ex compoſitorum vero genere pharmacorum ſunt, *pulvis ſenæ præparatæ*, *confectio hamech*, *diaſena*, *diacatholicon*, *caſſia cum foliis ſenæ*, *lenitivum de manna vocatum*, *diaturbith cum rhabarbaro*, *hiera pachii*, *catharticum imperiale*, *tragea laxativa*. Ex hac etiam claſſe obſervatum eſt, non tam ratione, quam experientia, exſtare *catapotia è colocynthide*, *è fumaria*, *Inda*, *è lapide cyaneo*, *officinis lazuli vocato*, *è lapide Armenio*, *lucis minora*, *ſine quibus*, *è quinque myrobalanorum generibus*. Non defuerint, ſat ſcio, qui cavillantes hanc nobis propoſitam enumerationem improbarint. At ſciant ſtudioſi, me non hæc ſcripſiſſe, eo ſane conſilio ac ſpe, ut omnibus placerem, tum quia id ἀδύνατον eſt, tum quia ingenui eſt animi, quibuſdam cupere ut diſpliceat, vulgaribus præſertim, atque his, quorum nec ſana mens, nec rectum eſſe judicium ſolet. Quæ tamen ratio meam in hanc mentem, ut ita ſcriberem, impulit, ea potiſſimum fuerat, ut quiſque paratis copiis, ac veluti claſſibus medicamentorum, quibus paſſim ac populatim utuntur, facile poſſet ea deligere, quæ ad omnem laborantium habitum naturamque pertinere videbuntur. Nam Gallicus morbus, quod ſæpe dictum eſt, nullam refugit intemperiem, nullam corporis conſtitutionem, ac nul-

nullam tandem humorum qualitatem: quoniam passim videmus hac lue sanguineos & bilioſos periclitari, uti melancholicos atque pituitoſos. Item morbum illum ſe ſe, (uti medulla ſingulis oſſibus inſerta, atque intruſa conſpicitur) cunctis humoribus, pro modo & ratione cujuſcunque redundantis ſucci, conjungere, trahereque in ſuum conſenſum plenitudinem qualemcunque, hoſtiliter cum ea conſpirans, ad ſanitatis profligationem parandam. Quamobrem in evacuandis corporibus ea labe affectis plurimum operæ impendere oportuerit, in miſcendis medicamentis, quæ non ſolum Gallicam exuſtionem tollant, ſed foventes humores excernant. Quia vero in uſu poſitum eſt, ut, alvi ſolutione adhibita, univerſi corporis vires roboremus, noſque ſecundum eandem viam, ac rationem, ut in cæteris obſervatum eſt, progredientes, quam breviſſime hanc eandem partem abſolvemus.

*Roborantia medicamenta.*

In habitu pituitoſo, ex ſimplicibus congruere compertum eſt, *aſarum*, *betonicam*, *ſalviam*, *ſtœchadem*, *myrobalana*, *præſertim emblica*, *bellerica*, & *chebula*: vulgatis enim nominibus utor, ad uſum proſpiciens. Aromata autem illa, quæ inſigniter calefaciunt, vitanda omnino ſunt, ob cauſas alio in loco adhibitas. Quamquam non deſunt, qui compoſitis medicamentis audacter utantur, cujuſmodi ſunt confectiones aromaticæ permultæ, *theriaca*, *withridatium*, *conditura anthos*, *quæque ex betonica*, *aut ſalvia*, *aut ſtœchade paratur confectio*, *officinis conſerva appellata*. In bilioſis commendantur ex ſimplicibus *roſa*, *viola*, *myrobalana citrina*, *corallia*, *ebur*, *ſantali*, *ſemina frigida*, *citrii mali*, & *oxalidis*. Ex compoſitis, *ſaccharum roſaccum*, *è bugloſſo*, *è borragine*, *violaceum*. Melancholico vero humore imperante, ſimplicia medicamina erunt *lapis lazuli*, *armenius*, *margaritæ*, *fragmenta gemmarum*, *citrium malum*, *citrea*, hoc eſt, *meliſſa*. Compoſita, *ſaccharum bugloſſo*, *aut borragine confectum*, tum aromata, quæ condituram illam, *diarhodon* vocatam, conſtituunt.

*Pro tuendo hepate in quocunque Gallice laborante.*

Speciatim remedia adhibenda, ad robur virium, ex communi fere uſu dicta ſunt: quæ vero generatim in quocumque Gallice affecto ſunt obſervanda, ea erunt, quæ pro tuendo hepate, contemperando ſanguine, ſunt exhibenda. Porro ex ſimplicibus, quæ ad eam facultatem pertinent, ſunt *ſcordion*, *cichoreum*, *cucurbita*, *malum citrium*, *meliſſa*, *bugloſſum*, *filix*, *borrago*, *roſa*, *viola*, *ſantali*, *lupus ſalictarius*, *vulgo lupulus*. Ex compoſitis deligunt *confectionem paratam ex ſaccharo roſaceo*, *violaceo*, *ex boragine & bugloſſo confecto*, *bolo armenia*, *ſucco concreto ſcordei*, *cucurbitæ*, & *cichorei*, *ſucco glycirrhizæ*, additunque *ligni Guajaci ſcobes*, *atque corticis contuſi ramenta*. Præter autem hepatis fovendi, contemperandique rationem, non improbarim conſuetudinem, quæ nobis in hoc genere mali ſuperioribus annis ſemper obſervata fuit in hujus curatione morbi. Nam qui eo infeſtantur, tractu temporis craſſos humores ſibi conciliant, atque obſtruentes, ſive caloris nativi imbecillitate quadam, ſive crudorum ſuccorum multitudine. Ob id itaque illud ſibi auxilii videntur expoſcere, ut attenuandi, incidendique ſint, qui eo genere vitii delinquunt humores. Talem uſum præſtabunt *oxymel ſimplex*, *ſcilliticum*, *ſerapium ex hyſſopo*, & *acidum compoſitum*, *atque diarhodon*. Sunt & roboranda omnium laborantium decocta, quæ ore aſſumuntur, modico aromatum uſu, ob cauſas ante explicatas parce vero hæc admixta gratum in primis potum reddent, deinde & ſalutarem. Proderit itaque in aquis decoctis, quibus ſerapia conficiuntur, addere exiguam aut *piperis*, aut *cinnamomi*, aut *caryophylli* particulam, adde & *corallorum*, & *citrii mali cum ſemina*, *tum corticem*: muliere ita affecta, *nucis moſchatæ* modicum quiddam adhibeo. Commendare ſolent alii (atque id non injuria) cordialia vocata medicamina: ad quem uſum ea ſpectare aſſerebat Ficinus, ſuperioris ætatis vir doctrina ſingulari, amabilique rerum varietate ornatus. Is enim in his *libris*, quos *de triplici vita* conſcripſit, mirifice probat, in cordis tuendi ratione prodeſſe *myrobalana*, *aurum*, *argentum*, *ebur*, *corallum*, *pretioſos lapillos*, *radices bcenias*, *ſuccinum*, *roſas*, *citri ſemina*, *ſantala*, *coriandrum*, *myrtum*, *zedoariam*, *lignum aloës*, *citri corticem*, *caryophyllum*, *nucem moſchatam*, *macerem*, *olibanum*, *maſtichen*, *doronicum*, *ſalviam*, *zingiber*, *cinnamomum*, *crocum*, *moſchum*, *ambram*, & *marathrum*. Verum hiſce temporibus tanta haberur reconditarum rerum copia, noſtrorum hominum induſtria illuſtratarum, quæ alios paulo ante latuerant, ut deridendus ſit, qui rivulos adeat, ubi fontes perpetuo ſcaturientes emanant Si itaque vis cordis, ſive tuenda fuerit, ſive refocillanda, non deerunt ad hunc uſum confectiones permultæ aromaticæ, fomenta, linitiones, paſtilli, pulveres, rotulæ, ſive trageæ, ſucci, liquores odoramenta, condita, ſacchara, atque antidota, ex veterum atque novorum hominum fontibus petenda. Montanus, ſingularis, atque excellentis doctrinæ vir, cum quo ſæpius, dum viveret, publicas habui tum de lue Gallica, tum de aliis affectibus conſultationes, ſerapium condidit in hac re magnopere commendatum, quod nonnulli juniores medici, poſt depravatam illam formam, qua circumferebatur, (quaſi Montani manes parentantes) ad germanam lectionem, candoremque ſuſcipiendum reſtituerunt. Hoc autem, non tam pie, quam humaniter eos feciſſe exiſtimo, cum eorum, qui de præclaris artibus bene meriti fuere, laudis ſtudioſi eſſe teneamur, ſintque rerum bonarum, atque uſui excogitatarum, legitimi authores recognoſcendi. Verum, qui hujuſce medicamenti compoſitionem reſtituere contendunt, diligenter animadvertant, Montanum haud illam adhibuiſſe in ſolius atræ bilis ſucco redundantibus, ut forte illi ſunt arbitrati, ſed in omni Gallice laborante. Cum enim unumquemque hoc genere morbi affectum judicaret (uti & nos facimus) exuſtis ſcatere ſuccis, fierique melancholicum, ob id Montanus illam ſerapii formam edidit, quæ *recipit myrobalana omnia*, *in aqua fumariæ madefacta integro diei ſpatio*, *quibus addit polypodium*, *folia ſenæ*, *epithymum*, *glycirrhizam*, *caryophyllos*, *citri ſemina*, *ellebori atri cortices*, *efficiturque ex his decoctum*, *ad artis normam: demum illi adjungit ſerapium ex fumaria*, & *corticibus citri*. Horum autem pondera, quilibet ſuo arbitrio adductus, poterit è recentiorum libris deſumere: quando etiam vix medicinæ profeſſores eos eſſe judicem, qui pondera, & rationes, doſes vocatas, non plene noverint, tantum abeſt, ut eruditi ſint dicendi. Vini quoque excellentis confecturam edidit Antonius Muſa Ferrarienſis, vir præſtantis doctrinæ, ſummæque eruditionis, qua per aliquot dies in Gallice affectis utitur, poſt actam, atque etiam, ſi opus eſt, repetitam purgationem. Hæc vini confectio *accipit folia ſenæ*, *atque ejus folliculos*, *polypodium*, *myrobalana omnia*, *agaricum*, *rhabarbarum*, *macerem*, *maſtichem*, *gummi Arabicum*, *lignum aloës*, *fumariam*, *epithymum*, *ellebori atri cortices*, *zingiber*, *atque hæc omnia per bene contrita*, *in vino odorato*, *vel etiam Cretico*, *ſinit per totum diem noctemque madeſcere*: *quibus addit borraginem*, *bugloſſum*, *roſas*, *violarum*, *ac citrii mali flores*. Fracaſtorius Veronenſis, qui in poëtica dicendi felicitate, ſtudioque cœleſtium rerum, cauſam præbuit, ut noſtra ætas parum majorum ævo noſtrorum invideret, cum de contagioſis morbis diſſereret, fatetur pleroſque jam peractis vacuationibus ſolo vel *theriacæ*, vel *mithridatii* uſu, ſaluti fuiſſe reſtitutos, cum hæc medicamina præcellentem teneant facultatem in curanda contage, initio morbi præſertim. Quod ſane dictum, uti non improbo, ob eximiam hujuſce viri teſtificationem, ita cum nunquam Gallice laborantem ſanari eo genere præſidii viderim, vehementer aſſerere non audeo. Si vero lentos ac craſſos humores redundare forte vidiſſet Fracaſtorius, ſtatim peccantem materiam concoquebat, rebus calefacientibus, atque attenuantibus: ob idque afferre ſolitus eſt *ſerapium ex oxymelite*, *melle roſaceo*, *è praſſio*, *è betonica*, *è calamintha*, *è lupulis*, *ex epithymo*, *ex hyſſopo*, *atque aliis hujus ordinis*. *Aquas addebat*, *iridis*, *enulæ*, *epithymi*, *agrimoniæ*: *parabatque decoctum*, *ex fœniculo*, *apio*, *pulegio*, *origano*, *pimpinella*, *carano benedicto*, *cucurbita*, *chamædry*, *ſcordeo*, *dictamno*, *thymo*, *betonica*, *ſchœnantho*, *verbena*, *ſiderite heraclea*, *amomo*, & *agallocho*. An vero uſus calidorum adeo medicaminum conveniat in eo morbo, qui ſummam ſibi hepatis & ſanguinis exuſtionem conſociat, viderint alii. Sed mirari quoque non deſino, cum vir tantus eſum quoque calidiorum ciborum commendarit in Syphilide, ait etenim ille.

*At tibi ſi ex horto victus, menſæque Deorum*
*Sunt animo, atque olerum ſimplex & inempta voluptas,*
*Non menthæ virides, non læta ſiſymbria deſunt.*
*Intybaque & toto florentes frigore ſonchi.*
*Et Sia fontaneis ſemper gaudentia rivis.*
*Et thymbræ ſuaves, & odoriferæ calamintha.*
*Lætaque meliphylla, & riguo bugloſſus ab horto*
*Carpantur: pleniſque ferax erucula palmis,*
*Atque olus, atque rumex, & ſalſi gramina crithmi.*
*Ipſa lupum dumeta ferent. hinc collige primos*
*Aſparagos, albæ aſparagos hinc collige vitis.*

Forte ea ratione defendi poteſt hæc medendi ratio, quod calefacientium rerum uſus frigidorum temperatur acceſſu. Nam quis non videt, hiſce carminibus, quaſi teſſelatum opus, quibus calida cum frigidis ſemper immiſcentur. Ut inde ſuſpicari poſſimus, id non temere, ſed data opera virum hunc ita juſſiſſe, forte ubi reſides ac lenti coacervati fuerint ſucci. Id quam ſæpe accidat, perſpicuum magis

est, quam ut comprobari desideret. Parant alii *confectu-* A
*ram ex saccharo rosaceo, violaceo, buglossaceo, borraginaceo, bolo armenia, succo scordii, cichorei, aromatibus trium santalorum, diarhodonis, corallis, mithridatio, ligni Guajaci cortice in pollinem redacto, ac serapio è corticibus citri, sive rosato recenti, vel alio consimili*, his debita, opportunaque ratione adhibito.

## CAP. X.

*De curatione morbi Gallici, partim ratione, partim experientia, inventa.*

Exercenda quoque methodus est, in curatione Gallici affectus, ea ratione, quæ cum à communibus fontibus medicæ artis hauritur, tum ab his, quæ usu atque experientia compertæ sunt, præceptionibus. Quocirca absoluta rerum omnium partitione inchoata, sic dicendum est, singula capita dividentes. Curatio hujusce morbi, in universum quadruplex est: exercitatione corporis, suffumigio, unctione, aut his, quæ per os ingeruntur. Ex- B
ercitatio rursus dividitur in violentam & moderatam. In eam, quæ insensilem diffiationem provocat, aut etiam sensilem, per sudorem. Rursus, qua totum, vel pars exercetur. Ante vel post cibum, corpore vel vacuato, vel repleto. Suffimenti vero partes sunt, particulare, universale. Totius corporis inquam, aut partis cujuspiam. Moderatum, immoderatum. Ex materia benigna, aut maligna, quam nonnulli venenosam etiam vocant. Rursus suffitus, aut per pulveres, aut per solidiorem formam, quam pillulas dicunt, efficitur. Unctio itidem duum generum erit, è rebus levioribus, hoc est, quæ tolerari facillime possint, aut validioribus. Per os vero assumenda, duplicia vocabuntur, vel medicinæ, vel cibi. Medicinarum vero aliæ erunt ratione, aliæ empirica experientia inventæ. Ratione compertæ sunt, lenientia, concoquentia, solventia, roborantia, formosum facientia, adde & opus omne chirurgicum. Experientia comparatæ sunt, lignum quod coquitur, quod multiplex est, sanctum sive Guajacum, hetechen domesticum. Item radix China. Salsa perilia. Præcipitatum. Tot enim sunt horum genera. Cæterum C
ratio victus erit duplex (quantum ad præsens facit institutum) parcior, aut mediocris.

## CAP. XI.

*De exercitatione laborantium.*

Quonam modo salubris exercitatio sit Gallice laboranti proponenda, abunde in ea parte disseruimus, ubi de motu & quiete sermonem feceramus. Nunc autem sufficiat dixisse, multos sanitati fuisse restitutos, sola hac exercitatione perpetuis motionibus comparata. Quamquam eam periculo non vacare, medici omnes constanti asseveratione dixere. Sed & illas sibi conditiones requirit, ut corpus patientis sit juvenile, robustum, exerceri assuetum, musculosum potius, quam pingue, carnosum magis, quam macilentum, purum, non malis succis refertum, vacuatum, non purgandum, per initia morbi, non autem eo jam altius infixo, & progressum agente. Qui aliter agendum permiserit, se vel imprudentem exstare, aut etiam D
artis imperitum intelligat: nam sævissima evenire symptomata miseris laborantibus solent, quibus nec tuto, neque facile, cum voluerit, opem ferre possit.

## CAP. XII.

*De suffumigandi ratione, per digressionem quandam.*

Suffitum diximus secundum locum tenere in curatione Gallica. Porro, qui hoc genere auxilii utuntur, exsiccationem procurant totius corporis, si universalem suffumigationem adhibeant, uti partis, si particularem moliantur. Item benigna facilique ratione id præstant, ubi levis sit exsiccatio tractanda, contra ex venenosis rebus parabitur, ubi altius hærentem morbum propellere voluerint. Hujus medicamenti facultates sunt, corporis ductus ac transitus aperire, aperiendo penetrare, penetrando alterare, alterando contagium sistere viscera detergere, per nervos qualitatem cerebro & spinali medullæ impartiri, cordi per pulmones & arterias salubrem vim ferre, uti per E
venas jocinori. Interdum vim habet, ut ventrem solvat, sæpius vero, ut plurimam per pulmones materiam, nec non per os, fauces, & linguam, excernat. Utcunque vero ipsa hæc curatio se habeat, animadvertere oportet, eam passim damnari, uti incertam primum, deinde & gravem, periculosamque. Nam & ulcera doloris plena in ore, faucibus, palato, & lingua parere sæpius assuevit, estque capiti, ac pectori permolesta. Quod suo maximo periculo experti sunt, qui vel difficulter spirant, vel destillatione corripiuntur. Sunt qui velint, bifariam hanc ipsam tutius exhibendam esse curationem, vel ubi sæva adsit oculorum lippitudo, quæ Græcis est ὀφθαλμία, vel ubi periculum infamiæ imminet, hoc est, ubi defluvium capillorum & barbæ veremur, quod fit in viris sane quam illustribus, aut excellentem quempiam ordinem ac dignitatem adeptis. Verum hæ mihi rationes parum constare videntur. Nam si damnandus est suffitus, quia capiti obest, cur lippitudini convenit? Quod si huic symptomati auxilium certum præbet, cur non item aliis affectibus capitis? Accedit, quod hæc, quæ per suffumigium fit, expurgatio ad caput excrementa conducit, quo fit, ut humores eo corrivet, quo affectio ipsa suos attrahit humores, unde augeri lippitudinis causam necesse est. Postremo quis non videt in omni immodica vacuatione spiritus animales vim pati, fierique sensuum omnium imbecillitatem? quamobrem & visum pati videmus in his, qui hoc genus auxilii susceperunt: itaque minus in lippitudine par est, ut suffumigemus. Quod vero additum est ad evitandam aliorum infamiam, certe id artis medicæ non est, sed ad civilem pertinet considerationem: aliud enim est medico officio uti, aliud aliorum cultum dignitatemque tueri. Neque etiam in eo immorabor, ut in dubium revocem, an fumigandi ratio fuerit ab antiquis authoribus, an nostri sæculi hominibus, tradita. Etenim hanc ipsam fumigationem fuisse in usu veterum constat Hippocratis testimonio, qui fumigia jubet esse paranda ex odoratis rebus, ad pestilentiam fugandam. Hinc illa apud priscos emanarunt, pro fumigii alimento, *laurus, juniperus, rosmarinus, salvia, thus, myrrha, mastix, terebinthina, myrtus, rosa, santala, camphora, cortices pomorum, mala granata, aqua rosacea, acetum, vinum odoratum, cupressus, cedrus, lignum aloës, atque alia sexcenta.* Hinc illud de Circe Virgilianum, *Lib.* VII. *vs.* 11.

*Dives inaccessos ubi Solis filia lucos*
*Assiduo resonat cantu, tectisque superbis*
*Urit odoratam nocturna, in lumina cedrum.*

Id autem ab Homero sumpsisse constat Maronem ex eo loco, qui libro Odysseæ v. vs. 65. Calypsus Nymphæ specum describit, his verbis.

Πῦρ μὲν ἐπ' ἰοχαίρουσι μέγα καίετο, τηλόθι δ' ὀδμὴ
Κέδρου τ' ἠυκέτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει
Δαιομένων· ἡ δ' ἔνδον ἀοιδάζουσ' ἐπὶ καλῇ,
Ἰστὸν ἐποιχομένη, χρυσείῃ κερκίδ' ὑφαίνεν.

Quæ nos, utcunque potuimus, his verbis, Romana reddidimus.

*Illa foco incendit flammas, olet insula longe*
*Arenti cedro, & Thii perspirat odorem*
*Ardentis. nec non jucunda voce canebat*
*Hæc eadem, aurato percurrens pectine telas.*

Fumigationem exstitisse in usu apud eos, qui magicis incantationibus operam dare consueverant præter Theocriti testimonium, ex illis Virgilii verbis constare potest, quæ leguntur in Pharmaceutria, hoc modo. *Eclog.* VIII. vs. 64.

*Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta,*
*Verbenasque adole pingues, & masculа thura.*

Rursus ex illis vs. 82.

*Sparge molam, & fragileis incende bitumine lauros.*

Sed & Apes suffitu curare docet Maro *lib.* 4. *Georgic.* Nec miretur quis, quod ab hominibus ipsis, ad Apum curationem progrediamur, quando hoc genus animantium, æmulari videatur quascunque hominum actiones, quod Poëta gravi atque eleganti complexus est carminum contextu. Ait ille *lib.* 4. *Georg. vs.* 264.

*Hic jam Galbaneos suadebo incendere odores,*
*Mellaque arundineis inferre cahalibus ultro.*

Sed ad medicorum suffimenta revertentes (cum & alia pro luxu, atque deliciis invenerint prisci illi Romani, quibus cubicula, mira quadam suavitate odoris, replebant, tantaque jucunditate fragrantia reddebant, ut Sabæis, Arabibusque minus inviderent, si Plinio credimus) dicimus hæc esse, quæ à Græcis θυμιάματα vocantur: Suntque exhalationes ab igni factæ, occasione præstita à rebus, quæ sensim ac paulatim in halitum & vaporem resolvuntur, qui corporum meatibus concipiuntur, atque illa salubriter afficiunt, si moderata ratione adhibeantur. Verum, cum lues Gallica magnus morbus esse dicatur, constat, suffitus leviores haud illi opem tribuere, vehementiores autem E
obesse plurimum. Quod si peragendi sint, observanda omnino erunt illa, ne corpus sit elanguidum, neve Cacochymum, item non senile, aut macilentum, neque fluori alvi, destillationi, difficultati anhelitus, peripneumoniæ, tussi, aut alii thoracis vitio, obnoxium: quicquid *libro* 7. scripserit Ægineta. Res autem, quibus Empirici utuntur, in fumandis patientibus, ab eisdem in duo genera dividuntur, benignas scilicet & venenosas. Benignas vocant, quæ non valde corpus exsiccant, aut immutare possunt.

Hæc autem ſunt odoramenta fere omnia, uti *caſtoreum*, *ladanum*, *calamintha*, *ſtyrax*, *thus*, *maſtix*, *eryſimum*, *tuſſilago*, *ſalvia*, *ſampſuchus*, *Gallia moſchata*, *roſmarinus*, *macer*, *myrrha*, *caryophyllum*, *cinnamomum*, *lauri folia*, *lignum aloës*, *moſchum*, *ambra*, *pulvis cyprius*, *cortex mali citrii*, *ſpica nardi*. Proxima ſunt dictis *nux moſchata*, *carabe*, *ſantala omnia*, *ſchœnanthum*, *camphora*, *aſtarum*, *cortices mali odorati*, *belzuinum*, *gummi hederæ*, ex quibus modo pulvis carbonibus inſpergendus conficitur, vel cum *reſina terebinthina* paſtillos conficiunt, ad eundem uſum. Qui vero ex re maligna, ac venenoſa, ſuffimenta componunt, hi utuntur *cinnabare*, *myrrha*, *thure*, *maſtiche*, *aloë hepatica*, *ſandaracha Arabum*, *ſtyrace ficca*, *belzuino*. Interdum vero cum *cinnabare* commiſcent *ſandaracham Græcorum*, *myrrham*, *thus*, *lignum aloës*, *ladanum*, *ammoniacum*. Sæpius vero prædictis addunt *auripigmentum*, *præcipitatum*, *maſtichem*: ex quibus vel paſtillos, vel pollinem conficiunt igni cremandum, aut carbonibus inſpergendum. Horum ſuffituum validiorum, ſi quid eſt, quod venenoſam habeat facultatem, (ut certe obtinere ſatis conſtat) id tribus rebus duntaxat acceptum venit referendum, nempe *cinnabari*; *ſandarachæ Græcorum*, *auripigmento*. Quocirca Fracaſtorius *Lib. III. de contagioſis affectibus*, cum Syphilidis, hoc eſt Gallici morbi, curationem aggrederetur, temerarios auſus Empiricorum rejicit, idque non injuria. Etenim hi uti ſunt audaces, & ad omnia aliorum pericula parati, ſic ſuffituum auxilia facile proponunt, miſerabiliter corpora torquentes, eorum præſertim, qui valetudinis recuperandæ ſtudio flagrantes, quicquid eſt periculi, hilari animo pertentare, atque aggredi, magnopere cupiunt. Neque unquam ſcribit ille, tali ſe genere medicamenti uſum fuiſſe, quamquam in Syphilide certis in caſibus admittat id auxilii poſſe tentari, his verbis.

*Hinc alia inventa expediam: quæ triſtia quanto*
*Sunt magis, hoc tanto citius finire labores,*
*Ærumnaſque mali poterunt*

Paulo vero poſt medicaminis adjicit compoſitionem, cum inquit.

*Sunt igitur ſtyracem in primis qui, cinnabarimque*
*Et minium, & ſtimmi agglomerant, & thura minuta:*
*Quorum ſuffitu pertingunt corpus acerbo,*
*Abſumuntque luem miſeram, & contagia dira.*

Fallax autem & permoleſtum eſſe hoc ipſum medicamenti genus, ex his, quæ ſequuntur, oſtendit.

*At vero & partim durum eſt medicamen, & acre:*
*Partim etiam fallax: quo faucibus angit in ipſis*
*Spiritus, eluctanſque animam vix continet ægram.*
*Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti*
*Judice me.*

Excipit autem nonnullos caſus, in quibus ſi non tutius, minus tamen periculoſe fumigio utimur.

*Certis fortaſſe erit utile membris*
*Quæ Papulæ informes, chironiaque ulcera paſcunt.*

Cæterum qui velit formam cubiculi cognoſcere, pro ſuffitus parandi ratione, item quæ linteamina ad illud opus agendum requirantur, quis ſitus, moduſve manendi in his, qui halitum ſuſcipiunt, quæ eorum debeat reſpirandi ratio, quis ignis, quive carbones, quæ clauſura velorum aut papilionum, rurſus quanto illis tempore ſit fumigatio exhibenda, quotve diebus fumandi ſint, quæque cibaria eo tempore conveniant, quis potus, qualis exercitatio, ac demum quæ reſtaurare laborantes valeant medicamenta, eorum commentaria adeant, qui de Empirico uſu ſolliciti fuere, quique curioſi dum ſunt, optant diligentes videri. Hæc autem nos conſulto omittemus, cum rationali, optimoque medico, ſit hæc medendi ratio perpetuo fugienda.

## CAP. XIII.

*De modo inungendi eos, qui Gallica lue detinentur.*

Ungendi ratio uti vetuſtiſſima, ita quoque in noſtræ ætatis uſum recepta eſt, licet alia atque alia ratione adhibita. Etenim corpus inunxiſſe oleo veteres, conſtat ex eo quod in certaminibus, palæſtriciſque exercitationibus, ac lucta, oleo deliniri congredientes aſſueverant. Romani deinde non tam rerum, quam deliciarum, domini, thermas publicas & balnea conſtruxerunt, quibus homines lavarentur, inungerenturque. Id autem in ſanitatis tuendæ partem a priſcis medicis poſitum fuit, cum per ſudorem vacuatio, ac poſt illam, quæ per oleum fit, refectio magnum habeat ad ſanitatis cuſtodiam momentum. Quo autem pacto balnea in varias dividerentur cellas, caldariam inquam, frigidariam, tepidariam, ex Vitruvio quilibet cognoſcere poteſt, item quomodo fornicatis tectis, concameratiſque locis uterentur veteres ad denudanda primum corpora, deinde ad ſudorem large educendum, lavandoſque homines in labro, rurſus ad ſudorem detergendum ſtrigilibus, ad eum uſum paratis, ac tandem ad ipſam inunctionem adhibendam, oleo è gutto perfuſo, partim ex Galeno *lib. X. Therapeutices*, partim ex aliis ſcriptoribus conſtabit, qui de partibus ſive thermarum, ſive balneorum tractavere copioſius. Quantum autem ad præſens attinet inſtitutum, illud non ignorandum eſt, Balnei partes IIII. exſtare, ſi Galeno credimus, quorum primam ξηρὸν τόπον, vocat, hoc eſt ſiccam teſtudinem. Secundum conſtat fuiſſe piſcinam, in qua lavabantur, quam lavacrum Latini vocant, & Cicero in familiaribus labrum. Tertia pars frigidum ſolium appellabatur, eo quod frigida in ea lavarentur. Quarta erat locus, in quo detergeretur ſudor, atque etiam inungerentur. Quintus autem Cecilius, majoris Plinii nepos, ubi ſuarum ædium delicias commemorat, aliam partem præter has Galeni quatuor addit, quæ ordine cæteras anteit, in qua exuebantur homines, ac veſtimenta reponebant, quamque tepidarium Romani vocavere: Græci vero ἀποδυτηρίου, quod illic exſpoliarentur adeuntes. De hac vero parte, quia ad ſanitatis rationem nihil attinebat, ne quidem verbum Galenus fecit in *decimo libro artis curatricis*: cum alias diligenter & accurate fuiſſet perſequutus. Cæterum pars illa, quæ ſicca dicta fuit teſtudo, à Vitruvio caldarium nominatur, ab aliis ſudatorium, à Græcis ὑπόκαυσον, Martialis eam quoque Laconicum vocat. Lavacrum vero, quod Piſcinam Plinius junior interdum appellat, ab aliis calidum Solium, Vas balnei, Ciſterna, Alveus & Lacus dictum eſt, id autem à Romanis modo ligneum exſtrui, modo ex ære, nonnunquam etiam ex pretioſiſſimo marmore, ſatis conſtat ex veteſtiſſimis Romæ ruinis, quæ publice viſuntur hodie, tum etiam de loco in locum poſſe illud ipſum transferri, facile ea Ciceronis verba teſtantur, in quibus, ad Terentiam uxorem ſcribens, eam admonet, ut labrum ſi in balneo non fuerit, det operam, ut ſit. Quam partem Galenus ὑπόκαυσιν vocare aſſuevit, hoc eſt introitum. Verum balneorum veterum figuram, ac veriſſimam imaginem reſtituit, noſtro ævo Gulielmus Choulus, atque alii antiquitatis ſtudioſiſſimi, quibus curæ fuit, ut collapſæ vetuſtatis monumenta in lucem revocarentur. Licet & illud addere his, quæ dicta ſunt, ad aliorum uſum, præſertim qui rerum antiquarum ſtudio oblectantur, Balneum fuiſſe à quibuſdam hoc nomine vocatum, quod curas abigat, & animi propellat affectus, idque Homeri teſtificatione adductis, qui hoc ipſum voluiſſe vitus eſt, cum diceret, Odyſſeæ *Lib. X. vſ.* 361.

Λοῦσ' ὀπὶ τρίποδος μεγάλοιο.
Ὀφρά μοι ὀπὶ κάματον θυμοφθόρον ἄλιτο γυῖα.

Quia vero veteres in more poſuerunt, ut Balanos incenderent, ob id volunt alii Balnea fuiſſe dicta ἀπὸ τῶν βαλανῶν. Partes Balneorum geminas exſtitiſſe, ait Julius Pollux *lib.* VII. hoc eſt ἐγκαῦσιν, καὶ ἀλειπτήριον, Eſcharam, & Alipterium. Eſt autem Alipterium idem, quod unctuarium, ubi poſt ſudationem inungebantur corpora. Vaſa autem Thermarum, eodem authore, fuere Aryballus, Aritæna, Pyelus, ſive theca. Major autem lacus, piſcinave, in qua natantes plurimi æſtuabant, quadam veluti ſimilitudinis ratione, Oceanus vocabatur Lampridii teſtimonio. Labri vero pars, à Vitruvio ſchola dicta fuit, quæ ab aliis occupabatur, qui circumſtantes præſtolabantur, hoc eſt qui lavacrum ingreſſos, cum priorem locum pro tempore uſurpaſſent, commode circumſpectabant, extremæ labri oræ inhærentes. Cæterum balnea ea ratione conſtructa reperio, ut interdum per feneſtras totius diei ſolem ampliſſime exciperent, quædam autem, quæ Blattaria dicebantur, non item. Res autem eo devenit, ut illis obſcuris, ac peranguſtis Romani uterentur, inquit Seneca, cum ea, niſi tenebricoſa eſſent, calida minus exſtare exiſtimarent. Hinc balneator dictus, qui ex eo loco quæſtum captaret, cui, qui lavarentur, pro mercede quadrantem ſolverent, author eſt Seneca, & Horatius *Lib. I. Sat.* III. *in fin.*

——— *Dum tu quadrante lavatum*
*Rex ibis.*

Deteſtatur autem Seneca tantam balneandi licentiam, non ſolum ob incredibilem thermarum ſumptum, ſed etiam ob corporum detrimenta, quæ illa miſerabiliter conſequerentur. Nam decoquebantur nimio calore adeuntes, immoderataque ſudatione exinaniebantur, mox in aquam mergebantur, quaſi tartareis pœnis, & ſuppliciis affecti. Hinc Martialis *lib.* III. *Epig.* 7. ridiculoſe balneatorem elixum vocat, ubi de quadrantibus loquitur, hoc eſt de illius mercede.

*Quos dividebat balneator elixus.*

Romanos autem, poſt ablutionem, deliniri conſueviſſe, oſtendit Plutarchus, quod paſſim etiam teſtatur Galenus, qui ad corporum curationem, ſanitatemque tuendam, id genus exercitationis quam ſæpiſſime proponit: ac poſt illum Cornelius Celſus, atque alii memoriæ prodiderunt.

runt. Quia vero ea eſt humanarum rerum conditio, ut, ſoluto rationis fræno, eo loci perveniant, ut ab exiguis initiis ad mediocritatem tollantur, mox ab illa ad ſupremam perditamque licentiam rapiantur, ſic veterum quoque luxuria à minimis orta principiis, mox ſenſim adaucta, ad prodigioſum quendam exceſſum ſublata videtur. Nam pro oleo, quo inungerentur membra ad ſalubritatem comparandam, tot unguenta pretioſæ exiſtimationis reperta fuere, ut regum opes tanto vix ſumptui viderentur poſſe ſufficere. Item à privatis, anguſtiſque balneis, ad tantam publicarum thermarum magnitudinem devenerunt, (quod Ammianus teſtatus eſt *lib.* XVI.) ut illæ provinciis pares viderentur. Nam earum parietes magnis pretioſiſque orbibus radiantes effulgebant, Alexandrinis marmoribus, & Numidicis cruſtis diſtincti. Cameræ vitro integebantur abſconditæ. Loca omnia circumquaque operoſis teſſellis, vermiculato ordine, & circumlitione varia, ad picturæ æmulationem intextæ, ſuſpiciebantur. Piſcinæ Thaſio lapide, quo vix minima templi pars decorari conſueverat, circundatæ, corpora excipiebant, diuturna ſudatione decocta, & elanguida, ſæpius etiam fere exanimata. Aqua (ut inquit Seneca) argenteis epiſtomiis effundebatur. Statuæ innumeræ, ingenteſque columnæ ſolas delicias ſuſtinentes, & ad ornatum, luxumque merum collocatæ viſebantur. Solum, quod pedibus calcarent, ex gemmis conſtructum ſpectabatur. Quod ſi quis extremam, ac perditam illorum temporum luxuriam, qua Romani in exſtruendis thermarum ædificiis abuſi ſunt, copioſius intelligere cupiat, Senecam in primis lectitet, mox utrumque Plinium, atque alios plurimos. Sed veniam dabunt nobis ſtudioſi, ſi paulo digreſſi fuerimus, cum de inunctione tractaturi, de balneis tam multa dixiſſe voluerimus, ut fere antiquitatis memoriam ſcribere, vel ipſam Hiſtoriam texere videremur. Id autem factum eſt eo conſilio, ut intelligant legentes, hanc quoque vetuſtatis partem ad medicum uſum quam maxime pertinere. Balneo itaque, corporis inunctione priſca ætas, quo diximus modo utebatur. Hæc autem uti ſatis conſtant legentibus Galeni *librum decimum Methodi*, ita quonam pacto corporis unctio ſit adminiſtranda, oſtendit *libro ſecundo de tuenda valetudine*. Neque illud aſpernari debere exiſtimo, inungendi corporis occaſionem à meatibus noſtræ cutis, quos etiam Græco nomine poros dicimus, ortam fuiſſe. Nam ſi cutis continua exiſtiſſet atque uniformis, nihil ſane uſus præſtare poſſet adhibiti linimenti præparatio, præſertim ubi corporis internas partes alterare contendimus. Medici itaque cupientes hepar corrigere, ſanguinem caſtigare univerſum, ac totam contagii Gallici maculam delere & morbum ab radicibus funditus exſtirpare, *linimentum ex hydrargyro* excogitaverunt, quod chymiſtæ *Mercurium*, populari autem voce *argentum vivum* appellant medici. Cæterum ut *hydrargyrum* facilius unguenti formam ſuſcipiat, admiſcent *ſuillam axungiam*, *butyrum*, *terebinthinam*, *ſtyracem liquidam*, *thus*, *myrrham*, *maſtichem*, *iridem*, *ariſtolochiam*, *gentianam*, *ac cætera hujus ordinis*. Quod ſi velint mitem eſſe unctionem contenti ſunt his quæ diximus. Si vero violentius, validiuſque deliniri voluerint addunt *nigrum veratrum*, *ſulphur*, *nitrum*, *ſuccum enulæ*, *opiique*, *adhibita particula aceti*, *item oleo laurino*, & *roſaceo*. Ne autem laborantium vitæ ex hoc medicamenti genere periclitentur, præcepta illa in animo cuſtodienda ſubſcribunt, corpus, priuſquam linimentum aſſumpſerit, exactiſſime vacuari debere, neque tantum ſanguinis detractione, verum etiam pharmaco purgante, idque non ſemel tantum, ſed bis, aut ter, atque amplius, ſi opus fuerit. Rurſus & illa jubent obſervanda, ut inungendus ſtationem, aut locum calidum habeat, ſit robuſtus, vires ſufficiant, ætatem agat floridam, non valde macilentus, inungaturque ſemel in die, & mane horis v. ante prandium, ſecundum ſingulas partes, excepto capite & pectore, voluntque id fieri continuatis diebus decem. Neque putant, patientem abſtinere debere ab uſu ovorum recentium, juſculorum, & carnium laudandarum, item à potu vini meraci, atque odorati. Quod ſi os eorum intabeſcat, exulceratione correptum, mandant ſtatim adhiberi *lac*, *aquam hordei*, *decoctum malvæ*, *glycyrrhizæ*, *lactucæ*, *ſolani*, *portulacæ*, *tuſſilaginis*, *diamorum*, *ſeraſpium roſatum recens*, & *mel roſaceum*. Cur autem *hydrargyrum* talem ac tantam vim, poteſtatemque obtineat, eas cauſas referunt, quod facultatem habet cauſticam & exurentem, ut pote, quod igneis tenuiſſimiſque particulis conſtet, quæ ubi à calore nativo noſtrorum corporum ad actum provectæ fuerint, aptæ efficiuntur, ut plurimum calefactæ, vel ex propria vi, vel caloris ope nativi, exurant contagionis ſeminaria, proprietatemque illam cauſticam intro perferant, qua denſiores materiæ molliuntur, ſubtiliores vero reſolvuntur omnes. Hanc voluiſſe curandi rationem Fracaſtorium, ſatis in ejus Syphilide conſtat. Quod ne temere dixiſſe videamur, aut falſam alicui opinionem adſcripſiſſe, quo nihil ineptius aut turpius excogitari poteſt, referam loca ex ſecundo libro Syphilidis. Primum enim illum voluiſſe, tutiorem, ac magis in uſu poſitam eſſe curationem, quæ fit unctione, quam ſuffitu, conſtat ex illis verbis, quæ ſtatim fumigatione abſoluta, & ab eodem damnata, ſic leguntur.

*Argento melius perſolvunt omnia vivo*
*Pars major.*

Hactenus hydrargyri uſum, ſuffitui antepoſuit. Mox hunc ipſum laudibus extollit.

*Miranda etenim vis inſita in illo eſt.*

Vivi autem argenti efficaciam phyſica ratione comprobat his verbis.

*Sive quod id natum eſt ſubito friguſque caloremque*
*Excipere, unde in ſe noſtrum cito contrahit ignem.*

Paulo poſt ad occultas rerum proprietates ſubterfugit, ceu ad ſacram anchoram.

*Sive aliam vim fata illi, & Natura dedere.*

Compoſitionem vero hydrargyri cum aliis rebus oſtendit, cum ait.

*Haud fallax medicamen. cœptaque primum*
*Miſceri argento fluitanti axungia porcæ*
*Mox etiam oriciæ ſimul adjuncta eſt terebinthi,*
*Et laricis reſina aeriæ.* & ſequentia.

Hortatur laborantes, ut eorum corpora ſinant inungi, dicens.

*His igitur totum oblinere atque obducere corpus,*
*Ne obſcœnum, ne turpe puta, per talia morbus*
*Tollitur, & nihil eſſe poteſt obſcœnius ipſo.*

Excipit autem caput & pectus, cum inquit.

*Parce tamen capiti, & præcordia mollia vita.*

Non eſſe inungendum ultra decimum diem, per id ſignificat.

*Hæc tibi bis quinis ſatis eſt iteraſſe diebus.*

Auxilii hujus difficultatem & duritiem explicat hunc in modum.

*Durum erit: at, quicquid tulerit res ipſa, ferendum eſt.*

Salutem autem certam inde laboranti pollicetur.

*Aude animis, tibi certa ſalus ſtans limine in ipſo*
*Signa dabit. liquefacta mali excrementa videbis*
*Aſſidue ſputo immundo fluitare per ora.*

Cæterum, per eaſdem rationes damnari poteſt inunctio, quibus etiam improbati fuêre ſuffitus. Accedit, quod nemo viſus eſt exacte ſanatus hoc genere auxilii, aut ſaltem diuturno tempore. Nam aliis tertio fere anno tranſacto, aliis quinto ad ſummum, rurſus ferus illi hoſtis bellum indixit, cæpitque truculentius gliſcere, ac ſævius vexare patientem: præter illud quoque detrimenti, quod permultis attulit hoc, quod jam inſtitutum fuerat, medicamentum. Ut jam liceat hoc modo ratiocinari. Inunctiones in lue Gallica adminiſtrandæ vel erunt mites, vel violentæ. Mitioribus non auferri morbum omnes conſentiunt, vehementioribus periclitari multos, experientia teſtatur, itaque nullis inunctionum generibus eſt confidendum.

## CAP. XIV.

*De his, quæ in Gallica affectione per os aſſumuntur.*

Diximus in his, quæ præceſſerunt, aſſumpta per os duum eſſe generum, medicamenta, & cibos. At medicamina vel erant à ratione profecta, vel ab ipſa inventa experientia. Quæ autem ratione ducuntur, ea omnia diligenter complexi ſumus in ea parte, quæ de inanitione, & repletione differuit. Nam eo loco dicebatur quo ordine, quave methodo ſint Gallice laborantes vacuandi, habita ad humoris peccantis qualitatem conſideratione, qui cum lue conſentit. Nunc autem de his medicamentis ſermo habendus eſt, quæ ex ipſo experientiæ ſinu effluxere, quæque longo uſu comperta ſunt, ad hujuſce morbi profligationem conſequendam. Ex quibus alia erunt certa, & opportuna, alia autem incerta & periculoſa, quædam autem veluti media. Voco autem certa medicamenta ligna Guajaci primum, deinde ſaſſæ periliæ potus. Incerta autem, nec periculo vacantia, uti *præcipitatum* vulgo appellatum. Media autem ſunt, uti hauſtus decocti, quod ex *ligno Hetechen* (ſi modo id haberi poſſit) conficitur, aut *radice China*, aut *olivaſtro*, & *junipero*, vel alio domeſtico ligno, ad hunc uſum adhibito. Sed initium capiamus ab *hydrargyro præcipitato*.

## CAP. XV.

*De vivo argento præcipitato, quod per os aſſumitur.*

Argentum vivum, hoc eſt hydrargyrum, è fluido ære, in otioſum ac reſidem pulverem verti humanæ ſoler-

tiæ

tiæ atque indaginis opus exſtitit. Cum autem hoc modo paratum eſt, jam non amplius hydrargyrum, ſed præcipitatum, chymiſtica voce, à Medicis nuncupatur. Paratur autem multis modis, hoc eſt alia ratione, quod nonnulli copioſe ſunt perſecuti. Nos autem conſulto hanc partem præteribimus, cum de re venenoſa, parumque utili, quin imo periculi ac detrimenti plena, parum ſoliciti eſſe teneamur. Accedit, quod hæc tractatio chymiſtica eſt magis, quam medica: itaque chymiſtarum ſcrinia non ſunt reſeranda, ſed potius rei vim & facultatem penſitemus, ut inde ſtudioſi intelligant, recte ne, an perperam, hoc medicamentum ſalutem poſſit languentibus polliceri. Ego autem ſic reor, à præcipitato abſtinendum non minus eſſe, quam à quacumque alia veneni aſſumptione. Quod ſi quis caſu aut ſorte ſanatus fuerit, hunc ipſum una cum mille aliis conferamus, qui eo genere remedii, exulceratione inteſtinorum correpti ſunt, vel valis in pulmone eruptione laborarunt, vel in hydropem prolapſi ſunt, aut alias exitiales ægritudines ſubiere. Quamobrem ſive ex eo paſtilli formentur, ſive catapotia, ſive etiam tenuiſſimus pulvis conficiatur, rectius exſtare judico, ut illius uſum omnino evitemus. Verum de hydrargyri temperamento, naturaque, non modicas exſtare controverſias inter ſcriptores reperio. Quorum plurimi arbitrati ſunt inter illa medicamenta eſſe reponendum, quæ antidota vocantur. Contra alii venenum eſſe verius dicendum. Item calefaciendi facultate præditum eſſe alii, alii frigidam vim obtinere contendunt. Res autem eo loci devenit, ut quilibet ex ea, quam ſequitur, opinione illius uſum vel laudet, vel improbet. Nam qui illud antidotum eſſe voluere, maxime exhiberi poſſe contendunt, ſive extra adhibitum, ſive per os ingeſtum. Qui venenum dici malunt, hortantur homines ad illius abſtinentiam. Qui calidum eſſe fatentur, volunt id inunctione acceptum poſſe contagii Gallici ſeminaria exurere: uti hepatis exuſtionem auferre, qui frigidum illi temperamentum injungunt. Qui partes tenues habere recipiunt, hi calidam obtinere vim, ac facile permeare corpora dijudicant. Contra, quibus videtur craſſioribus eſſe particulis præditum. Jure autem dubitatum fuit de omnibus his, quæ dicta ſunt, cum probabiles hinc atque illinc rationes ſcriptorum adducantur. Etenim aſſerentes ejus temperamentum indicare, antidotum eſſe, ad experientiam confugiunt, quando illud conſtare apertiſſime fateantur, non modo corpus non interimere, verum etiam multas tollere affectiones, non modo virilem ætatem agentium, ſed & puerorum. Idcirco tantum abeſſe volunt, ut inter venena connumeretur, quod etiam minus efficaciter agit, quam *mithridatica confectio*, cujus uſum pueruli ferre non poſſunt, cum tamen hydrargyrum ferre poſſint, lumbricis aſcaridibuſque vexati. Tum etiam his, qui ileo laborant, teſte Ægineta, optimum ajunt exſtare medicamentum. Contra autem dicentes, id eſſe omnino venenum, ea ratione utuntur, quod hoc ſæviſſima pariat ſymptomata: quod interdum enecet: quod ejuſdem ſit efficaciæ cum *myſi*, *ſory*, & *chalcantho*: quod hoc ipſum volverit. Dioſcorides: quod denique comburat interanea, erodatque tactas ab eo particulas. Addimus & nos non levem illam conjecturam, quod, quæ ex eo artificioſa conficiuntur, venena ſunt lethalia. Etenim quis neſcit ex hoc uno & *ſale ammoniaco* à chymiſtis fieri *argentum ſublimatum*? quod hauſtum ventriculo adhæret ſtatim, ac paulo poſt ejus tunicas ad interitum uſque corrodit & lacerat. Item ex eo *cinnabaris* artificioſus, una cum *ſulphure* permixto, conficitur: qui rurſus enecat aſſumentem. Dixi autem artificioſum, factitiumque cinnabarem, quoniam & mineralis alter reperitur, qui naturæ opera producitur, de quo paulo poſt ſermonem habebimus. Accedit quod, qui hydrargyri caveas exercent artifices, illud ipſum effodientes aſſueti ſunt linteolo, aut conſimili re alia os, nareſque occludere, ne frequenti anhelitu vapores illius attrahant, quoniam eo maxime lædi compertum eſt. Quin imo ferunt tractu temporis eorum membra fieri trementia, & imbecilla, ſæpius etiam ad omnia invalida ac ſegnia, interdum & dentes illis concidere univerſos, quod certe haud in aliam cauſam referri poteſt, quam in venenoſum halitum, à maligna illius ſubſtantia perſpirantem. Quo autem pacto hominem enecet, oſtendit Dioſcorides *lib. v. rei medicinalis*. Etenim ſuarum partium pondere (inquit ille) interanea frangere, ac diſſipare compertum eſt. Nec obſtat, quod dicitur, aliud eſſe hydrargyrum naturale, aliud factitium, quoniam utrumque genus venenoſum, atque exitiale eſſe, idem author teſtatur. Indicat & noxiam ejus, mortiferamque qualitatem cinnabaris naturalis ſocietas. Nam qui caveas, unde illud educitur, diligenter obſervarunt, argenti vivi mineram ajunt eſſe non leviter rubram, ac permagni ponderis, quæ mox eruta, tenuiſſime teritur, deinde ignis vi, atque impetu exprimitur. In quibus item caveis, una cum vivi argenti minera, permixtus eſt lapis, gravioris ponderis, coloris rubri, non admodum durus, qui totus fere manante hydrargyro ſcatere videtur, atque hunc, cinnabarem nativum, & mineralem vocant: cujus item defoſſores halitum & vaporem nequeunt ultra quadriennium ſuſtinere: nam ægri pariter fiunt, ac tremebundi. Itaque ex his omnibus facile colligunt, venenoſam hujus mixti ſubſtantiam, noxiumque temperamentum. Galenus autem in hujus eſſentia perveſtiganda anceps, breviſque admodum fuerat, quod aperte conſtat legentibus *lib. viii. de ſimplicium medic. facult.* Nam primum ſe ignorare oſtendit naturalis hydrargyri productionem, cum dicat id parari tantummodo, uti *ærugo*, *lithargyros*, *pſoricum*, & *ſimilia*: deinde an interimat devoratum, an exterius adhibitum, ſe nondum periculum feciſſe ſubjungit. Niſi hæc verba velimus hunc habere ſenſum, ut velit Galenus id omnino interficere, ſed ambigat an devoratum, an externe exhibitum, interimat. Id autem alii viderint. Aëtius vero *ſermone xiii.* conſtanter aſſerit enecare, eodem ſane modo, quo argenti ſpuma: quin imo & conſimilem curationem expetere, ubi abſorptum. Lac item aſininum, recens mulctum, hauſtum, vomitioneque rejectum, illi prodeſſe teſtatur, uti & in aliis quibuſdam venenis, ſæpe obſervare conſuevimus. Quod etiam Æginetæ viſum eſt eſſe dicendum, ſi quæ ab eo ſcribuntur *lib. v.* legerimus, tum etiam quæ *lib. vii.* apud eundem authorem ſcripta reperiuntur. Nam argentum vivum ægre in medicinæ uſum accommodari oſtendit, quod veneni ſpeciem referat: quamquam exſtitiſſe quoſdam ait, qui hoc ipſum in cinerem concremarum, at cum aliis rebus immixtum, colicis atque ilioſis epotum propinaverunt. Quod uti non improbat, ita nec laudat Ægineta. Adducor itaque, ut credam venenis potius quam aliis eſſe connumerandum. Neque obſtant, quæ in adverſum ferebantur. Etenim id ſanare homines, Gallicamque perniciem tollere, conſtanti animo pernegandum eſt. Illud certe contingere poteſt, uti permixtione aliarum rerum minus noxiam vim exercere poſſit: nam & alia exſtant venena, quæ vel in modica quantitate exhibita, vel frenantibus eorum vim caſtigata, nihil inferant detrimenti, ac citra omnem læſionem, expultricis virtutis impetu propellantur, nec obexiguam illorum morulam, qua in interaneis reſident, ſuas exercere vires poſſint. Eo quoque ſpectare videntur Pauli verba, qui ilioſis & colicis prodeſſe ipſum retulit, ſed concrematum inquit, & aliis rebus, ſpeciebus, permixtum. Quamquam neque hoc dixiſſe Æginetam ex proprio ſenſu ſatis conſtat: neque hunc uſum omnino probare videtur. Nec minor ea eſt exiſtimanda difficultas, quæ hydrargyri temperamentum quærit, num calidum, an frigidum ſit. Nam frigidum exſtare putantes, urgent primum his rationibus confiſi, quod pondere gravitateque ſui non exigua frigidum ſit dicendum. Item ex ea, quam actu perpetuo obtinet, frigiditate inſeparabili, hoc ipſum colligere non deſinunt: tam ex aqueo illo fluore, quem inceſſabili agitatione diffluere conſpicimus. Accedit, quod argentum vivum eſt materia una cum aliis omnibus metallorum generibus ſociabilis, habetque cum illis veluti συμπάθειαν quandam, hoc eſt conſentionem: atque ob id à Phyſicis, & Chymiſtis modo radix, modo origo cæterorum metallorum dici ſolet. Id autem non fieret, inquiunt, ſi actum haberet, & caliditatem inſignem, nam quæ calore excedunt, aliorum commercium reſpuunt, contra quæ frigida ſunt, ad reſiſtendum aliis inepta videntur, unde & magis miſcentur, quod in aqua aperte quilibet intueri poteſt. Sed & Avicennæ viſum fuit, ipſum frigidas parere ægritudines, tremorem, lethargum, reſolutionem, convulſionem, & ſimilia: quo fit, ut omnino frigidum habeat temperamentum. Poſtremo idem ſenſiſſe adſtipulantur, cum ſolo pondere & gravitate voluerit inteſtina dilacerare: eroſione autem, & aliis caloris actionibus enecare dixiſſet, ſi venenum eſt calidioris conſiſtentiæ. E diverſo ſtant alii, dicentes illud calidum eſſe putandum, quia exulcerat, & erodit, quibus inhæret, corporis particulas. Tum etiam eodem modo obeſſe ajunt, quo & argenti ſpuma, immo & eiſdem auxiliis ſublevari eos, qui illud devoraverint, perinde atque illi, qui ſpumam argenti potaverint, authoribus Dioſcoride in primis, deinde Aëtio, & Ægineta: Ad extremum Phyſicas rationes addunt, quod argentum vivum ab indefinente motu nunquam vacat: quo fit, ut jugis ille & inceſſabilis motus non alia fieri ratione poſſit, quam vegeti cujuſdam caloris, requieſcere neſcii, ratione. Rurſus id calidum exſtare confirmant ex eo, quod coagulari non poteſt, quæ autem ſic ſe habent, calida dici debere neceſſe eſt, quod ipſi Ariſtotelis teſtimonio comprobant *lib. iiii. Metheorologicorum*. Hactenus eorum ſectam ſecutus ſum, qui caſidam facultatem illi adſcripſerunt. In quam ſententiam conſtat præſtantis doctrinæ viros, quamplurimos veniſſe, qui vivunt, quorum nomina ex eorum monumentis, præclariſque lucubrationibus, ſatis illuſtria ſunt. Fuit & hu-

jus eximius opinionis cultor Fracastorius, cum de hydrargyro sermonem haberet in his libris, quos de morbis contagiosis conscripsit. Sed & in Syphilide eandem hoc modo tueri partem visus est, cum de eo loqueretur.

*Miranda etenim vis insita in illo est.*
*Sive quod id natum est subito frigusve caloremque*
*Excipere: unde in se nostrum cito contrahit ignem*
*Quodque est condensum humores dissolvit, agitque*
*Fortius, ut candens ferrum flamma acrius urit.*
*Sive aeres, unde id constat, compagine mira*
*Particulae nexuque suo, vinclisque solutae*
*Introrsum, ut possint secorsum in corpora ferri*
*Colliquant concreta: & semina pestis inurunt.*

Contrariis autem rationibus occurrere non admodum difficile est. Etenim hujus gravitas non frigido elemento accepta referenda est, sed partium densitudini. Deinde ea, quæ actu frigida sunt, necesse est potestate talia judicare. Rursus neque hujus fluor aqueus dicendus est, nisi in re seria poëticis translationibus uti velimus. Erit itaque motio & agitatio quædam, naturæ & substantiæ illius adhibita, quæ formam argenti vivi, specificam vocatam, consequitur. Quod vero consensionem habeat cum aliis metallis, id profecto non efficit, ut frigidum ex eo sit dicendum, sed quod cum illis naturalem habeat amicitiam, qualem & plurima alia obtinent in natura, quæ nihilominus frigiditatis sunt expertia. Forte id convincerent advertarii, si, cum miscetur hydrargyrum cum auro, argento, ac cæteris metallis, facile in eorum substantiam converteretur. Contrarium autem evenire docent Chymistarum perpetui miserabilesque conatus, nam hi pertinaciter suo inhærentes propolito, totum ævum conterunt, ac tandem oleum & operam (quod dici solet) amittentes, & ad instar Sisyphi saxum volventes, aut cerebri ægritudine aliqua corripiuntur, aut summa egestate vitam miseram agunt. Quod item Avicenna dixerit, frigidas parere hoc ipsum ægritudines, certe id verum esse pronunciamus, testimonio etiam adhibito eorum, qui foveis metallicis operam dare consueverunt, quod etiam in superioribus satis demonstratum fuerat: verum illud effici potest ex diuturna illa inspiratione noxii vaporis, qui cerebrum repleat, atque, ipso calefacto, in causa sit, ut à toto corpore etiam attrahantur materiæ, quæ multitudinis ratione obstruant, ac nervos afficiant, quibus animalis functio vires suas exercet: indeque affectiones illæ emergant. Cum autem ajunt Dioscoridem dixisse, sui gravitate & pondere enecare, cum frangere & dissipare interanea videatur, id profecto admittendum est, nam ab eodem veneno varia possunt contingere symptomata. Quo circa & hoc ipsum ponderis impetu, hoc est partium densitate, poterit id molestiæ parere: poterit & corrodere, vi causticæ facultatis. Quod autem hoc Dioscoridi non adversetur, indicat quod subdit auxilium, nam lac jubet plurimum esse potandum assumpto hydrargyro, cujus causam videntur afferre Paulus, & Aëtius, qui eadem cum argenti spuma parere symptomata videtur, quæ exulcerando, inurendoque interimit. Sed hæsitabit quispiam ex eo, quod à nobis dicebatur, hujus partes densiores esse, crassioriſque substantiæ, cum potius tenuissimis videatur constare particulis. Nam qui caveis metallorum incumbunt, telluris viscera contrectantes, ajunt, hydrargyrum commode recondi marsupiis, è corio confectis, cum ex aliis loculis, vasisque facillime dilabatur, effugiatque continentem materiam. Id autem indicio esse videretur, minimas habere, atque exiguas partes. Hic vero dicendum est, illud habere diversas partes, quorum aliæ densiores sunt, ac magis crassæ: aliæ facilius sui tenuitate dilabuntur. Atque hæc causa sunt, ut una cum vapore halituque diffiantes, metallorum artifices lædant, uti antea prædiximus. Hinc etiam liquet, Avicennam minus recte damnasse Galenum, ac Dioscoridem, qui *libro rei medicinalis v.* asserebat: Argentum vivum suarum partium pondere exitium parere, intestinorum fractura producta. Nam de ejus gravitate sensus judicat, quæ ex partibus oritur sulphureis, atque terreis. Hæ autem uti densiores sunt, ita à vi caloris nativi nequeunt confici, neque expultricis virtutis impetu propelli, quo fit ut erodat, laceretque intestina. Aliis visum est, dicendum argentum vivum sui pondere detineri diutius, & cunctari: mox calorem concipi, indeque exitium afferre. Postremo illud non nesciendum est, ex hydrargyri diversis partibus, densioribus aliis, aliis tenuioribus, & vaporosis halitibus, posse medicum afferre causas de his, quæ ab eo contraria ratione efficiuntur, symptomatis, qualia sunt cerebri affectus illi, apoplexia, vertigo, lethargus: item oris ulcera, & ventriculi erosio, nec non penitiorum corporis partium laceratio, quod Dioscorides asserebat.

## CAP. XVI.

*De lignis, quorum decoctis utimur in re Gallica.*

Omissis his, quæ aspera admodum, & peracerba remedia sunt, ad ea deveniamus, quæ uti sunt mitiora, ita & certa magis putantur auxilia. Sunt autem hæc decocta alicujus ligni, quibus prisca ætas, Indorum hominum imitatione, qui hoc genere medicamenti opportunum, salutareque remedium afferre solent, Gallico affectui, qui familiaris est illis, & germanus, ac fere endemicus. Nam alii cœperunt *juniperum* incoquere, alii *oleam*, alii *pinum*, plerique delegêre *quercum*, vel *buxum*. probarunt & nonnulli *ebenum*, *Guajaci æmulum*, &, quod ridiculum est, *sagum*. Quibus testantur, plurimos fuisse sanatos: quod ego, ut credam, vix audeo pronunciare. Etenim hinc illustrium authorum me movet authoritas, illinc nil certi habeo, quod proferam. Ut ut autem res fuerit, puto si quis unquam sanatus eo venerit auxilio, id accidisse ob præcedentes vacuationes, & tenuem victus rationem, juvante etiam quicquam ligno, ubi facultatem exsiccandi nactum fuerit. Quod forte respiciens Fracastorius *lib. iij. de contagiosis morbis*, ausus est dixisse, deficiente *Guajaco* posse nos tuto uti *junipero*, *citro*, *cupresso*, *tæda è terebintho*: *cedro*, *ebeno*, *calamo aromatico*, & *radice gentianæ*. Ex his autem, si interrogaretur, quodnam cæteris præstabilius sit, puto eum responsurum, *juniperum*, non quidem ob vim, aut facultatem occultam illi inditam, sed ex siccitate, quæ satis auxilio solet esse putredini, & contagii seminariis, cum sui præsertim acredine humores digerat, ac dissipet, authore Dioscoride *lib.* i. & Plinio *naturalis historiæ lib. xvi.* Atque hæc de domesticis lignis dicta sint obiter. Experientia vero majorem, lateque patentem, usum secuta, novi hujusce morbi, ex novo orbe, nova quoque comperiit medicamenta. Nam alii contenti sunt partitione illa, quod ligna Gallico morbo opportuna sint, *Hetechen*, *China*, *Salsa perilla*, *Guajacum*. Qui majorem afferunt partitionem, addunt *lignum Gallicum appellatum*. Sed horum vim & naturam breviter attingamus. *Hetechen lignum* vocant eximii quidam Medicinæ Professores, quod populis Lybicis, atque Afris est notissimum, senticosum, spinis munitum, crassum, coloris subrubri, palmarum fructus instar. Hoc autem Italiæ volunt esse ignotum, ac cæteris provinciis nostratibus, quocirca cum Afris maneat, quoad videri nobis patietur. *China* vero, sive *China vocata radix* est mediocris longitudinis, nodosa, fungosa, levis, coloris subruffi, saporis, odorisque expers, radicum cannarum nostratium æmula, quam etiam herbarum Professores egregii, radici Rhodiæ persimilem esse, testantur. Deferri volunt nonnulli à regione Sinarum, ab his, qui ultra Calicut, & Taprobanem, adnavigant: alii inquiunt à Lusitanis, Hispanisque è meridionalibus regionibus: alii malunt ex India Occidua transferri. Plerique arbitrantur ignorari prorsus, unde delata ad nos perveniat. Ac si necessarium omnino sit, patriam exactissime cognoscere medicamentorum ad eorum vires metiendas. Sit tamen ex quovis loco delata, certum est, eam nasci in arenosis littoribus, & ab incolis exstirpari. Utuntur hac una radice in morbo Gallico, ac cæteris affectibus plurimis tollendis, Galli, Lusitani, Flandri, ex Italis autem Ligures, Ethrusci, & Veneti. Probatur ruffa, ponderosa, haud carie exesa, interne albicans, substantiæ fungo persimilis. Cujus temperamentum frigidum & siccum esse creditur, estque tenuium partium. Quo modo autem sanet, Fracastorius ostendit in his, quæ de contagiosis morbis conscripsit. Sudore etenim multo concitato, laborantes restituit. Quod ne anxium remoretur auditorem, scire licet, veterum nostrorum fuisse studium, ut Gallicam luem exstirparent, prodiga consudatione provocata. Sudorem autem copiosissimum educebant sublimatis medicamentis, longa indagine, acrique cogitatione, repertis. Atque hæc Elixir vitæ appellabant, uti etiam nostra tempestate utuntur plurimi. Verum nihil est, quo sudor copiosius emanet, quam sit hæc, qua de agitur, China. Quocirca ex hac non tam insensibili, quam sensibili dissipatione concitata, fertur plurimos fuisse sanatos. Præsertim Carolum V. omnium mortalium invictissimum, qui hoc genere præsidii à podagra, articulorumque cruciatu, tum etiam lue Gallica, liber factus esse existimatur, uno omnium scriptorum consensu. De curatione autem per sudorem, videtur intellexisse poëta, cum ait

*Destillantis aquæ cyathum sub lumina prima*
*Luciferi potare jubent, stratisque parare*
*Sudorem: nec certe ab re. vis utilis olli est*
*Reliquias morbi tenues dispergere in auras.*

Sed ad Chinam revertentes dicimus, ejus decoctum assumi dierum 25, vel etiam 30, si opus est, spatio. Curatio hæc inter mitiores est reponenda, & ad mediocritatem accedens. Quod si hac una destituamur, sunt qui sudatio-

tionem cient *decocto dictamni*, *scordii*, *caſſiæ ligneæ*, *iridis*, *ariſtolochiæ*, *coſti*, *biſtortæ*, & *gentianæ*. Fracaſtorius *arundines noſtrates*, hoc eſt earum radices decoquit, *addito calamo aromatico*. Interdum utitur *radice perſonatæ*, *adhibitis iride*, *xyride*, *acoro*, *calamo aromatico*, *ſchœnantho*: pluribus tamen diebus continuato hauſtu, quam de Chinæ potu dictum fuerat. Cæterum hujus nobilis radicis (quando Cæſaris ſalute redd'ta ſit illuſtris) vim, & poteſtatem damnat acerrime Veſalius, vir doctiſſimus, & ab ineunte ætate ſumma mihi familiaritate conjunctus, eo præſertim tempore, quo Patavii eoſdem una audivimus præceptores, ac paulo poſt, uterque noſtrum in Gymnaſio publico interpretandi munere fungebatur. Verum uti ille amarulentior viſus eſt exſtitiſſe, radicem unam adverſus, ita ejus ſucceſſores, plus juſto, videntur hujus laudes decantaſſe, ac veluti in cœlum tuliſſe. Nam ajunt in Hydrope mirifice eam prodeſſe: quod qua ratione dixerint, minime video. Etenim Chinæ decoctum inſipidum eſt, cum ſuſpicione frigidi temperamenti, quoniam ſaporis, atque odoris penitus eſt expers. Accedit, quod hi referunt, eam mirabiliter conferre intemperiei oculorum calidiſſimæ, & hepati nimio fervore vexato. Hæc autem quo modo facile una conſpirare, conſtarique poſſint, alii viderint. Hujus itaque vim uti non improbo, ita nec magnopere laudo: mediocritate ſervata: nam mitiorem curationem facere, experientia docet, validiorem facere non poſſe, teſtatur ejus mediocre temperamentum, cum nullo ſuarum qualitatum exceſſu. Hinc conſtat, toto cœlo aberraſſe, qui dicunt, Chinam, in re Gallica, vi & poteſtate ſuperare Guajacum: quod certe uti ſine ratione dictum eſt, ita experientiæ minus conſonare videtur. Sed jam pergamus ad reliqua. Succedit planta, quæ populari voce dicitur *ſalſa perilla*. Hæc uti minus certam affert curationem morbi, quam Guajacus, ſic efficacius radice China ſanare poſſe, creditur. Defertur, ut multi opinantur, ex Hiſpanis, occiduiſque inſulis, noſtro ævo repertis. In ſolo naſcitur arenoſo. Radix eſt longa, tenuis, tuberculis diſtincta, quibus fibræ capillorum inſtar erumpunt, ſatis prolixæ, interne candet, externe cortice ſatis duro ac fere nigro tegitur, odore caret, ſapore ad amaritiem tantillum inclinat, & facillime flectitur. Quibuſdam viſum eſt hanc eſſe radicem Ebuli, ſimilitudinis rationem ſequentes. Præſertim cum eum habere conſtet radices, quibus haud levis indita eſt facultas exſiccandi, colligendi, ac digerendi, ut author eſt Galen. *lib. vj. de ſimplic. facultatibus:* tum etiam venenis auxilio eſſe, atque ob id viperarum morſibus occurrere ſcribit Dioſcorides *lib. iiii.* Verum ſingula ſingulis conferentes, reperient ſalſam magis eſſe dicendam (quod major pars herbariorum cenſet) radicem ſimilacis aſperæ, quæ diverſis Italiæ locis plurima enaſcitur, præcipue vero in Ethruria, agro Piceno, Umbria, &, ut alii etiam referunt, Campania. Hujus hiſtoriam explicat Dioſcorides *lib. iiii.* & poſt illum Galenus *lib. vii. de ſimpl. facult.* Nam ejus frondes acrem inferre ſenſum teſtatur, atque ob id excalefacere. Ex quo ego minus probare ſoleo ſimilacis, ſive milacis dixeris, uſum. Primum, quia, num hæc ſit ſalſa perilla, minime certum eſt: deinde, da ut eadem radix ſit ſimilacis cum illa, verendum eſt, ne minoris ſit efficaciæ, quam ejus, quæ ex India defertur, cum ea utantur occidui in Gallici morbi ſanatione. Cæterum ſalſæ temperamentum alii volunt eſſe calidum, quoniam gummata & articulorum tophos diſcutit. Alii, quod odoris, & ſaporis expers omnino ſit, malunt frigidum appellari. Certe immoderatum exceſſum nullum in ea judicamus, non quidem calidum, cum omnium conſenſu, & experientia comite conſtet eam frigido, atque imbecillo ventriculo ſemper obeſſe. Non item frigidum, cum qualitate diſcuſſoria, & attenuante ſit prædita. Paratur hujus decoctum, cum jure pulli interdum, imbecillitatis & atrophiæ cauſa. Sæpius in aqua decoquitur, interdum in vino. At de vino paulo poſt dicemus. Adderem confecturas ſalſæ diverſas, atque uſitatam noſtris temporibus, niſi viderem eas diligenter, atque accurate fuiſſe à præclaris ſcriptoribus complexas, tum etiam omnibus pervulgatas. Quocirca ad Guajacum, atque ejus explicationem, properandum eſt. Guajaci nomen, Indum eſſe, teſtatur Fracaſtorius his verbis:

*Tractu jacet inſula longo,*
*Hiſpanam gens inventrix cognomine dixit:*
*Auri terra ferax: ſed longe ditior una*
*Arbore, voce vocant patrii ſermonis Hyacum.*

Deferri hanc arborem ex inſula Hiſpaniola ſatis ex his conſtat: quam ex inſula Beata etiam voluerint alii. Sunt qui Guajacum dicant à ligno ſancto diſtare plurimum. Nam hoc poſtremum ex inſula D. Joannis volunt ad nos perferre Hiſpanos. Huic proceritatem & magnitudinem adſcribunt mediocris Fraxini, folia arnogloſſi, flores luteos, corticem cineritium. Iidem fatentur, interne lignum exſtare pullum, odoratum, oleaginoſum, acre, minus Guajaco amarum, ſubſtantiæ flavæ, citra ullam nigredinem internam. Addunt poſtremo, non amplius ad nos hoc ipſum deferri ut ſolebat. Contra peritiores alii eandem eſſe plantam adſtipulantur: dicuntque earum diſcrimina, in cœli faciem, ſoli varietatem, aut etiam aliam, atque aliam colendi rationem eſſe referenda. Ego autem exiſtimo, in hac re diligentiam minime ad noſtrum attinere negotium. Inanis enim eſt de re, quæ non amplius exſtat, ut illi dicunt, controverſia: neque enim medicis uſum ullum ſuppetunt, quæ ſunt abolita, aut pernegata. Deinde ſubtilis illa diſcuſſio, plantarum locum, & nativam ſedem expoſcere, & viciſſim collatas facilius judicare poſſemus. Poſtremo, quid ad nos pertinet hæc differentia, cum eaſdem vires, facultates habeant, lignum ſanctum, & Guajacus? Hujus notæ ſunt, ſi Hiſpanis negotiatoribus, & Hiſtoricis credimus partim, partim etiam conſpectui noſtro. Arbor eſt Guajacus altiſſima, juglandis proceritate, cortice pullo, & viridi colore maculata. Folia habet arbuti, fructus luteos, junctos, uti gemini eſſent lupini. Ligno ineſt durities inſignis: quod item ponderoſum eſt, in media parte nigrum, & circumquaque ſubalbidum, amarum, acre, pinguedine aliqua refertum. Notæ hujus à poëta adeo appoſite deſcribuntur, ut nequidem penicillo expreſſius.

*Ipſa teres, ingenique ingentem vertice ab alto*
*Diffundit ſemper viridem, ſemperque comantem*
*Arbuteis ſylvam foliis. nux parva, ſed acris,*
*Dependet ramis: & plurima frondibus hæret.*
*Materia indomita eſt: duro & pene æmula ferro*
*Robora: quæ reſinam ſudant incenſa tenacem.*
*Diffectæ color haud ſimplex in cortice lauri*
*Exteriore viret livor: pars altera pallet*
*Buxea: at interior nigro ſuffuſca colore eſt,*
*Juglandemque, ebenumque inter, quod ſi in le ruberet:*
*Jam poterat variis æquare coloribus irim.*

Hinc damnari merito eorum opinio debet, qui, cum diverſas plantas exſtare commenti ſint Guajacum, & lignum ſanctum, mox addunt lignum ſanctum efficacius, validiuſque morbo Gallico opem ferre. Quod qua ratione dictum fuerit, ſane non video. Si vero excellentis doctrinæ viri authoritati hærendum ſit, malo cum Fracaſtorio eſſe, qui unicam, eandemque arborem modo Guajacum, modo ſanctam appellat. Nam de Guajaco loquens, ſic ait.

*Mihi nunc magna Deorum*
*Munera, & ignoto devecta ex orbe canenda*
*Sancta arbos.*

Rurſus & illud

*Age diva beatum*
*Uraniæ venerare nemus.*

Tum paulo poſt.

*Et ſanctos populis oſtendere ramos.*

Quod ſi quiſpiam quærat, num hujus ſit calidum, vel frigidum, ſiccum vel humidum temperamentum, ſolvendum, calidum & ſiccum eſſe in fine ſecundi ordinis, atteſtantibus hoc ſapore amaro, acredine, partium tenuitate: linguam enim & palatum ſtimulat, ulcera vellicat, ventriculum calefacit & roborat, gummata digerit, tophos diſcutit, nervoſiſque partibus omnibus vim & robur conciliat. Cortex vero validius hæc eadem præſtat, & citius, quo fit, ut ligno magis caleraciat, ac ſiccet. Numquid vero Guajacus aliis conveniat ægritudinibus, necne, dicendum ex ejus manifeſtis qualitatibus duntaxat convenire morbis, quorum curatio calefactione, exſiccatione, & attenuatione perficitur: uti ſunt frigidi omnes morbi, in quibus victus tenuis & attenuans requiritur, vel vini uſus prohibendus eſt, aut dilutiſſimus convenit. Sum & eorum veſtigia ſecutus uſque ad hæc tempora, qui dixêre, non eſſe Guajacum Avicennæ Karon, non Ebenum, non Eganum. Etenim quis ignorat, Avicennam ſcripſiſſe medicos canones, ſupra quingentos annos, ante perluſtrationem inſularum occidentalium? Ebenum item qui non vident nigredine ſuperare Guajacum? ac tandem eganum nec cortice, nec ligno, nec foliis, nec fructibus convenire cum Guajaco. Sed ad ejus electionem deveniamus. Probatur id, quod fuerit ponderoſum non rimis hiulcum, odoratum, reſinoſum, ex vetuſta arbore, multa nigritie repletum, pingue, quod vellicet, amarum, album viridibus lineis diſtinctum habens, cortice craſſo intectum, & ligno tenaciter inhærente, ac demum quod incoctum turbidum ac fere lutulentum reddit. Cortex ſit craſſus, durus, interne cineritius, & ater, concavitate ampla, carie non exeſus, neque item rimoſus. Neque etiam ſit nobis neglectui, quod prudenti ratione peritiores obſervant, ut conferamus lignum cum viribus morbi, ætatem quoque cum ætate ægritudinis, & patientis ac etiam cum partibus anni: nam morbus quo major eſt, aut altiores radices intulit, vult efficaciorem Guajacum, minus vero, qui non

item. Quæ omnia recentiorum authorum monumentis satis constant. Confecturæ hujus variantur. Alii in pollinem versum exhibent tenuissimum. Alii catapotia, & pastillos condunt. Alii electuarii formam commendant. Non pauci flores concitos submiserant. Serapium quidam propinant ex succo expresso foliorum. Vinum Guajaci præferunt alii non ultimæ classis authores. Lusitani serapium exhibent. Succum laudant nonnulli ex tenuioribus ramis expressum. Plurimi (quod maxime nos sequimur) decoctum ex aqua conficiunt purissima, contra alii vini partem miscere non desinunt. Verum nulla ratio decoctum superat, cum id suo fluore universum corpus penetret, amaritie digerat, & aperiat, potumque cibum primum alteret, deinde & hepar contemperet. Sunt qui Guajaci decoctum in duo genera distinguant, nempe simplex & compositum. Primum illud vocant, quod ex sola aqua, ligno, & cortice conficitur. Secundum est, cui vel jus, vel vini particula injungitur pro imbecillis mulieribus, gracilioribus morbo jam inchoante, aut aliam ob causam. Sub composito collocare possumus decoctum, quod fit præter lignum & corticem ex rebus solventibus ventrem, *rhabarbaro nimirum, agarico, thapsia, elleboro, senna, & similibus.* Item quod antidotis, aut quavis alia planta, simul incoquitur. Sed priusquam de decocto agamus, sive id simplex sit, sive compositum, sectionis modum agamus: Secatur lignum à quibusdam in minimas tessellas, ab aliis torno abraditur. Sunt, qui serra dissipent minutissime. Sed hi modi quamquam à nonnullis referuntur, sunt tamen deridendi. Nam in scobes minimas, ac fere sensum fugientes secatur lima ampliore ad hunc usum fabrefacta. Id itaque observandum. Qui radicibus utuntur, eas primum contundunt, mox in particulas secant. Quem usum nemo sanæ mentis acciperet, cum radices excrementis scateant, capianturque, ubi cætera desierunt. Macerantur ligni scobes in humore, quem volumus (sive in vino, sive jure, sive aqua stillatitia, sive aqua fontis purissimi) spatio horarum 24. Humor ad corticem & lignum comparatus, variatur pondere, pro modo affectionis, ætatis, temperamenti, virium, consuetudinis, partis anni, sexus, vitæ studiis. Cum maceratur, alii aqua frigida utuntur, alii ferventi, deinde occluso vase, furfuribus regunt, pannis intectum, valentius decoctum habebimus in antiquo morbo, uti ex aqua frigida minus est efficax, ubi tale haberi opus erit. Coctura non una est. Nam in duplici vase decoctum ligni effici potest pro Regibus, ac Principibus, sive etiam delicatioribus corpusculis. Passim vero in vase conficitur testaceo vitreato, aut æneo, stanno intecto, aut lebete lapideo, ad ignem posito, suavi flamma subjecta, servata tamen quæ inde colligitur spuma. Consumitur autem humor ille, prout scopus ipse curativus poposcerit. Nam decoctum volumus, aut vehemens, aut imbecillum, aut mediocre. Si vehemens, duas tertias partes absumemus: si imbecillum, unam: si mediocre, dimidium. Colo transfunditur decoctum sive frigidum, sive calidum, sive tepidum, linteolo perquam nitido, ac denso. Coctura duplex esto: prima & secunda vocata: quando ex priore serapia propinant, uti ex alia potum cœnæ & prandii. Nec desunt, qui ad abluendas manus patientis, vel pedes, vel ulcera, tertiam conficiunt, ex eodem semper ligno, & cortice. Quod ne obscuritatem pariat, discamus hoc modo. *Prima ebullitio & maceratio si fuerit librarum* 12. *aquæ fontanæ, addita lib.* 1. *ligni, & unciis* 3. *corticis, decoquemus usque ad dimidii consumptionem, deinde colo citra expressionem transfundetur decoctum. Mox eisdem scobibus in lebetem rursus injectis, adduntur totidem aquæ libræ, & igni absumetur tertia pars humoris, rursus & colo diffluat.* Primum itaque decoctum pro medicamento bis in die assumetur, hoc est vice syruporum. Secundum pro potu reservandum est, cum æger cibos assumet. Quod si pro ablutione aliqua, ad tertiam decoctionem sit deveniendum, utemur eodem ordine, plus minusve de aqua, prout libuerit, adhibentes. In æstate vero, aut habitu calidiore corporis, aut pro consuetudine, in homine large bibente, augemus secundæ decoctionis humorem, ut satis illi esse possit. Quod si valenter fuerit exsiccandum, fiet major consumptio, si mediocriter, quæ dicta est, contulerit. Si autem infra mediocritatem, dilutius erit decoctum, aut etiam cum jure pulli contemperandum, quod maxime probo. Nam sæpe hoc unum sibi arrogat, vel tenera ætas, vel vires invalidæ, vel symptomata quæ inde sequuntur, mulieres præsertim, & delicatos, aut eos, qui parvæ sunt animulæ. Dixi de simplici decocto, nunc ad compositum descendamus. Compositi hujusce medicamenti differentiæ binæ sunt, vel etenim compositio, ad humorem, in quo lignum incoquimus, refertur, vel ad ligni cum aliis rebus permixtionem. Ad humorem, triplex est comparatio: vel ubi cum aqua jus pulli adjungimus, quod fit imbecillorum causa, ut dictum est. Vel ubi cum aqua vinum, aut totum vinum apponitur, aut cum pro vino, aquave, stillatitios humores herbarum accipimus. Compositio autem, quæ ad lignum, ac cætera cum eo permixta, refertur, quadruplex est, quarum prior illa dicitur, quæ fit ex permixtione eorum, quæ ventrem solvunt. Secunda est, in qua roborantia decoctum ponimus, uti *cinnamomum, vel caryophyllum, vel aliud simile.* Tertia est, ubi Antidota commiscentur. Quarta ubi simplicia quædam alterantia adhibentur. At singulas has differentias breviter attingamus. Primum autem dictum est, pro delicato, aut imbecillo corporis habitu, licere vel juris partem addere decocto, vel etiam totum decoctum in ipso jure conficere. Quod judicio medici omnino relinquitur. Interdum stillatitiis aquis uti possumus, non enim qui ita faciunt errare puto, cum sublimata medicamenta in usu fuisse per omnia tempora satis constet, sed longe rectius eos facere putandum est, qui pro stillatitiis aquis, simplicium herbarum decoctis utuntur. De vini autem permixtione, soleo interdum quartam illius partem aquæ adhibere, ubi vel ventriculi, vel cordis imbecilli ratio habenda est. Raro tamen id facio, ne aut plus justo repleam, aut hepatis exustionem augeam. Scio existare viros, sane quam eruditos, qui vino meraciore utuntur; uti Antonius Musa Ferrariensis, atque alii posteriores de simplicium plantarum cognitione bene meriti, quorum ea est consuetudo, ut, vacuatis patientibus, vinum hoc potui propinent. Quod uti non improbo, ita in æstivo tempore, habitu calidiore, & exustione plurima, exhibere non auderem. Hoc conficiunt recentiores *ex ligno, cortice, cardui benedicti, adiantho, asplenio, floribus cordialibus, senæ foliis, saccharo, & vino albo, odoratoque.* Confecturæ pondera & mensuras apud eos petere poterit, qui uti voluerit. Jam vero, qui medicamentum componunt ex solventibus pharmacis, damnari ab aliis solent, quod ligni Indici vim universam impediant, atque retundant, nam cum major sit medicamenti vis solventis, quam decocti digerentis, hebetatur illius facultas. Accedit, quod contraria simul ratione pugnare videntur decoctum, & solventis medicamentis opus: siquidem decocto aperimus, digerimus, transpirationem molimur, ad corporis veluti circumferentiam trahimus: contra pharmaci impetu humores alio ducimus, ad centrum protrahentes. Quæ uti violenta sunt, & præter rationem, ita naturæ quam maxime adversantur, læduntque magnopere laborantem. Quibus rationibus adducuntur nonnulli, ut credant non esse in toto dierum spatio, quibus bibitur decoctum Guajacum, aliquo genere solventis pharmaci vacuandum. Verum decoctum roborari (quod secunda erat permixtio) aromaticis rebus, ubi opus fuerit, in habitu delicatiore, aut valde frigido, utile futurum esse existimo, nempe *cinnamomo, aut caryophyllo, aut nuce moschata, aut alio consimili.* Tertiam quoque compositionem non improbo, quæ fit, ubi antidota miscentur, præsertim quæ venenis, & contagiis adversantur. Qualia sunt *carduus benedictus, scordium, ac cætera hujus ordinis:* cum naturalis Philosophiæ verissimum sit dogma, quod ait, causa roborata, effecti vim fieri validiorem. Fatendum tamen est, ut in miscendis his ea vitentur, quæ ligni vires obtundere valeant, rursus & multitudinem eorum, quæ miscentur: quando Galenus illud constantissime proferat, fugiendam esse multorum medicamentorum congeriem, quæ quoniam ad unum actum redigi a calore nativo difficile potest, ob id ea naturæ fastidium concitant, minimeque illi opem conciliant. Minus item damnare soleo rerum alterantium usum, quod quartam facit compositionem. Quod maxime efficitur, ut habitus corporis frigidior incalescat, aut calidior temperetur. Hinc illa effluxere, quæ cum ligno Guajaco miscentur, dum decoquitur: quorum alia miscentur ad calorem ligni remittendum, alia ad frigiditatem corporis laxandam, alia autem ob alias causas, pro modo & ratione opportunitatis. Sunt autem hæc *fonchus, borrago, bugloſſus, endivia, cichoreum, ſium, ſiſymbrium, rumex, olus, lupulus.* Quæ quoniam vim habent refrigerandi, hinc & alia colligunt, quæ facultatem contrariam præstent, ubi his uti posse ratio dictaverit. Sumunt itaque *mentham, thymum, epithymum, thymbram, calamintham, melisphyllum, eruculam, crithmum, asparagum, fœniculum, fumariam, filiculam, adianthum, asplenium, phyllitim, chamædryn, betonicam, pentaphyllum, rosmarinum, salviam, sampſuchum, flor. ſtœchados, amiſum.* Alii etiam addunt, ubi opus fuerit, *flores cordiales, cortices & semina citri, glycyrrhizam, radices enulæ campanæ, althææ, iridis,* Nunc cætera percurramus, quæ ad hujus usum maxime spectare videntur. Hæc autem sunt plurima. Quorum in primis occurrit anni tempus, quo tutius exhibetur. Communi autem scriptorum consensu Ver cæteris antefertur temporibus, secundo loco probatur autumnus: quæ duo moderata sunt tempora. Tertio loco hyemem collocant, quarto æstatem. Nec desunt, qui æstatem hyemi antepo-

nant.

nunt. In more autem nobis positum est, ut in veteri morbo opportunissimum tempus eligamus, nisi aliud obstiterit, id autem erit ver. Quod si laborans jamjam morbo fuerit, hoc est nuperrime, correptus, quocunque tempore ad curationem ducendus est, posthabitis caniculatibus diebus tantummodo. Quantitas potus variari poterit, pro mensura ætatis, ventriculi, morbi vigoris, habitus corporis, consuetudinis in bibendo, sexus, temperamenti, virium. Cum autem potum dico, eum intelligo, qui, dum comedit æger, assumitur, & qui bis in die sub syrupi nomine bibitur. Dierum numerus huic assumptioni dicatus, non unus est, sed variabilis, pro diversa ratione temporis anni, ac cæterorum, quæ pridem enumerabantur. Hinc est ut in levissimo affectu XXV. dies sufficiant. In paulo validiore triginta. Communi autem consuetudine jam confirmata quadraginta dies numerantur. Quod si morbus fuerit pervetustus ac contumax, quinquaginta, ac etiam plures, illi destinamus. Æger itaque singulis diebus duo ex Guajaco serapia capiat: primum sole oriente: secundum, hora sexta, aut septima à prandio, tertia tamen ante cœnam. Matutino assumpto, dormiat si potest: ac serus è stratis consurgat. Manus abluat, tertia, si velit, ex Guajaci decoctione parata: molliter ambulet, interdum etiam requiescat. Vespertino syrupo degustato, per horam in lectulo decumbat, vestimentis indutus, atque vigil. Mox ubi surrexerit, aliquantisper se se in ambulando exerceat. Sit tamen meridianus syrupus parcior aliquanto matutino: verbi causa, quarta parte minor. Nam si mane octo uncias biberit, vesperi sex sufficient. Utrumque tamen calidum accipiat. Frigidum enim si biberit, laborem afferet ventriculo, uti suoversionem, si tepidum, quod animadvertit Galenus, ac nobis observandum est. Victus esto tenuis, & si opus sit attenuans. Panis biscoctus communi usu adhibetur, ad tres uncias usque, & passularum unciæ duæ, additis amygdalis depilatis sex, aut octo. Verum nos pane ut plurimum utimur probe subacto, & cocto, carnibus interdum laudabilibus, vel ovis recentibus, additis. Passulas non improbo, aut aliud his simile, ad ciendam alvum. Hæc autem leviter calefaciunt, humectantque, si Averroi credimus. Detergunt, quia dulces sunt, quando hæc sit dulcium rerum facultas authore Galeno *lib.* II. *de facultatibus aliment.* Crudos humores concoquunt, maligna coercent, neque Guajaco adversantur, introrsum se se recipientes, cum vim obtineant educendi, quod Dioscorides asserebat. Demum stomacho robur conciliant, ejus vellicationes hebetant, probe enutriunt, jecinoris affectibus mirifice conveniunt. Amygdalas prohibent nonnulli, earum succum damnantes, uti ineptum, ac vitiosum, maluntque exhiberi nuces, aut pinearum nucleos. Verum dulces amygdalas reperio temperato calore præditas, ex Galeno *lib. IV. de simplic. medic. facult.* nec non Ægineta, *lib.* VII. Hæc item obstructiones hepatis & lienis tollunt, vim attenuandi, atque incidendi possident, quo circa eas probat Galenus, ubi attenuare volumus, in *lib. de attenuante victu.* Rursus alvum emolliunt authoribus Dioscoride, & Plinio. Damnantur autem ab his, quod ægre concoquantur, quod caput repleant, quod oleaginosum habent substantiam, atque ob id in ventriculo æstuantes bilem moveant. Sed Galeno tutius adhærendum puto, nisi in contrarium ratio magis urgeat. Sunt, qui pineos nucleos dant, quoniam exsiccent, leniant, digerant, bilemque propellant. Adde quod corruptos humores emendant, ventriculi acrimoniam, & erosionem sedant, probe & valenter nutriunt, authore Galeno *lib.* II. *de facultatibus aliment.* Hoc tantum illis vitii tribuitur, quod ægre concoquantur, humorisque crassioris copiam gignant. Quod si libeat minus alere, minimumque in concoquendo laborem ventriculo injungere, utemur pistachiis, quibus fovetur hepar, mirificeque tolluntur obstructiones: quod Galenus comprobat. Atque hæc de victu. Cæterum eum morem laudo, qui initio potus Guajaci illud observant, ut sensim, à paulo pleniore ad minus plenum victum progrediantur, mox, si opus fuerit, ad tenuiorem: ea lege edocti, ut ab uno ad aliud extremum per media procedamus: quando natura quascunque mutationes, quæ derepente fiunt, ægre perferre valeat. Non antea tamen hæc proponantur laborantibus, quam illi fuerint exactissime vacuati cum his, quæ multo antea dicta fuere, tum digerentibus, tum solventibus medicamentis, item sectione venæ parata, è regali vena, si scopi illi affuerint, quos in extractione sanguinis servandos esse docuit Galenus in *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem.* Nunquid vero condonandum sit bibenti jam decoctum, ut domum egrediatur, profecto video exstare controversiam inter medicam artem exercentes. Alii enim cubiculo occlusos tenent affectos, uti noctuas: alii licentiæ finem nullum dantes, committunt eos exire, & negotiari. Horum utrumque extremorum usum magnopere damnaverim. Nam semisepultis illis atque obstrictis materiam dabimus, ut humor melancholicus augeatur, qui patientibus molestissimus est: & quo maxime illi redundare videntur. Qui vero libere egrediuntur domum, aëri plurimo se se exponunt, nubilo interdum, aut pluvio, quo fit ut maxime lædantur, accedente etiam detrimento, quod consequitur imbecillos, & attenuatos, ubi plus justo agitantur. Mediocritatem amplector: ut patiens luminosum habeat cubiculum, & salubrem stationem, moderate amplam, quam à prandio egrediatur, æstate, ac vere, per totam domum inambulans, cœlum frigidum, flatuosumve, aut humidum vitet: sese autem domi contineat, si fieri potest, sin minus, haud procul eat, neque item concitato gressu. Quamquam medicus, nisi assentator esse velit, suum exercere imperium debet, ut laborantes obtemperent, illis præcipiens, quæ ad eorum salutem pertinere cognoverit. Quod si eo tempore, quo Guajaci potus assumitur, strictior, quam par est, efficiatur alvus, ea quidem lenienda venit, sive pharmaco, quod levissime id præstet, *sive clystere, aut etiam sena, epithymoque in eodem Guajaci decocto madefactis, incoctisque ad tertias.* Ab aliis autem pharmacis valentioribus abstinendum, quo usque finem imposueris ligni potui. Quo tempore si valentius vacuare oportuerit, libere purgandum erit corpus medicamento fortiore. Tale est *confectio hamech vocata, catapotia fœtida, è fumaria, aut cochia vulgo præparata, rursus epithimo, sena, atque elleboro.* possis etiam malos succos, si qui supererint, congrua & opportuna ratione subducere.

## CAP. XVII.

### *De morbi Gallici symptomatis.*

Jam me vocant symptomata, quorum multiplex est differentia. Contenti autem erimus illa partitione, quæ ait, omnem symptomatum Gallicorum congeriem duum exstare generum maxime communium. Vel enim hæc ad partes nostri corporis internas referuntur, vel externas, hoc est oculis subjacentes atque editas. Priora sunt, vel quæ ad ossa pertinent, uti eorum caries, vel ad junctiuras & periostia referuntur, quales præsertim sunt interni dolores, vel vasa seminaria concernunt; cujusmodi est feminis profluvium, sive gonorrhœa. Externarum partium symptomata quatuor dicuntur modis: quoniam vel capitis sunt, vel articulorum, vel pudendi, vel quomodocunque cutis. Porro quæ capitis sunt, rursus bivio secernuntur: hoc est intus, vel foris constituunt. Intus sunt, oris ulcera, linguæ caries. Foris dentium casus, pilorum, superciliorum, ac capillorum defluvium. Articulorum autem affectus sunt tophi, eorumque impedientes infarctique tumores. Pudendorum vero affectus erunt in maribus, vel glandis, vel canalis urinarii: glandis, uti caries, tumor, inflammatio, præputii duricies, verrucæ. Canalis, erunt vel occulta caries, vel erosio, in fœminis autem hæc eadem, exceptis his, quæ sexui repugnant. Cæterum cutis symptomata fuerint, ulcera, bubones, pustulæ, rhagades, gummata, atque aliæ corium inficientes quomodocunque passiones. Ut itaque certa serie, atque ordine in his explicandis utamur, singulas hasce affectiones, ut poterimus, breviter attingemus, initio sumpto à carie, quæ ut plurimum tempore, atque ordine prior exstare, gignique consuevit.

### *Caries.*

Caries putredinem, vulgato nomine, lignorum significat, authore Aëtio *sermone primo:* cui & Paulus succensit. Græcis ἰχώρ dicitur, & σαπέδων lignorum, hoc est eorum putrilago ac sordes. De his locutus est Gal. *lib. de simplicium medicamentorum facultatibus octavo.* ossis affectus etiam dicitur interdum, ex lib. de artis constitutione. Fit autem id humoris cujuspiam erodentis causa, si Galeno assentimur, *in lib. de causis morborum.* Quia vero id mali, hoc est erosio pudendis obvenit, occasione Gallicæ infectionis, hinc est, ut hoc ipsum Symptoma cariei nomine fuerit appellatum: quod glandem & partes penis exedat: quodque etiam sæpe numero duricies callosa concomitatur livore sordescente, aut corrodente inflammatione. Ut plurimum accidit hisce temporibus, per initia morbi, occasione desumpta ab ea, quæ per coitum fit, pudendorum perfrictione, & saniei communicatione. Plurimi cariei genera tria constituunt, mitis, sæva, mediocris. Curantur omnes, exquisita corporis vacuatione primum: deinde exsiccatione adhibita, cum refrigerantibus etiam levissima caries tollatur. Proinde in mitiore utuntur tonsores & alii *ablutione ex Rosacea, & his item liquoribus stillatitiis, qui parantur ex portulaca, plantagine, solano.* Mediocri auxiliantur hæc eadem, *addito alumine rochæ.* Magnam, sævioremque tollimus *pulvere insperso è colocynthi-*

*thide, pompholyge, anethi cineribus.* In quem uſum etiam A veniunt *aloe, molybdæna, ſcoria æris,* & ex unguentis, *roſatum, Ægyptiacum, diapompholygos, diapalmæ.* Addunt empirici, atque tonſores, quæ exurentem & cauſticam vim poſſident, uti eſt *aqua auri ficum, quæ metalla diſſociat.* Cæterum tuto utimur ablutione, quæ *per Guajaci, ac ejus corticis decoctum* efficitur, cui additur *tuſſilago.* Item *vino, in quo ebulluerint lignum, cortex, roſa, portulaca, & thus:* inſperſis in pollinem exſiccantibus. Ubi in extremo ſit exſiccandum, utuntur *Præcipitato,* vel cum unguentis miſcentes, vel ſolum inſpergentes bis, aut ter ad ſummum. Adhibito ſtatim madefaciente aliquo, uti *roſacea, vel portulacea, vel plantaginis liquore.* Si detergendi ſcopus fuerit, hunc aſſequimur *Iſidis compoſitione.* Nec deſunt, qui in extrema, ac perdita carici malignitate, ad *argentum vivum* confugiant, cum *thure & ſuilla axungia* permixtum. Cæterum ſi quis abluere ſedem affectam maxime ſtudeat, præter illam, quæ ex Guajaco confici dictum fuit, poterit & has aliquando, pro affectionis modo, proponere, quæ fiunt *ex vino, lacte, granatorum liquore, aqua chalybe alterata, & ſtillatitiis aquis jam dictis.* Pulveres, qui in hac curatione ſunt in uſu, & quorum copia abundare nos oportet, conficiuntur *ex metallis, oſſibus uſtis, corallio, bolo armenia, lapide hæmatite, maſtiche, thure, tormentilla, ſcabioſa, ebore exuſto, aloe, roſa, atque ſimilibus.* Quorum catalogum ſi quis eſt qui noſſe deſideret, ad eos Galeni libros mittendus eſt, qui de medicamentis κατὰ γένη inſcripti fuere: unde illa omnia apud noſtros homines emanarunt, quæ hactenus dicta ſunt, quæque etiam ſunt referenda. Nam præter enarrata addunt, *cornu cervi uſtum, cortices granatorum, lentes, oſtrea combuſta, rubum, vitis folia, atque oleæ, praſſium, polygonum, lolium, hordeum, pentaphyllum, agrimoniam, eupatorium vetus, ariſtolochiam, betonicam, radices cucumeris aſinini, citrulorumque, dracunculos ambos, alumen, chalcanthum, æris florem, æris ac ferri ſquamam.* Cum vero ſuppuratur caries, detergunt chirurgi locum *decocto è ſeminibus lupinorum, hordeo, lolio, apii ſucco, oxymelite, & aqua cauſtica ex Arſenico probe confecta.* Sunt & ſerapia huic negotio opportuna, *ex roſis ſiccis, myrto, & melle roſaceo.* Malignitate nondum ceſſante, ad ignem properandum: uti ad fiſtulam plumbeam, ſi præputium exeri nequeat quia plus juſto intumuerit. Ferro item ſecabitur interdum præputium, ubi callus durior & contumax in cauſa fuerit, ut glans detegi nequeat, cæteris prius tentatis auxiliis. Quod ſi inverſum recurrere nequeat, ad plumbeum inſtrumentum conſugiendum, quo peritiores Chirurgi noſtrorum temporum utuntur: uti ad exiguum clyſterem, ſi eroſio fuerit in virgæ canali, injectis rebus ante dictis. *Peſſaria* quoque excogitantur ad mulierum uſum *ex terebinthina lota cum aqua ſcabioſæ, vel plantaginis, vel roſacea, addito melle roſaceo, & pulvere tormentillæ, boli armeniæ, roſarum, ſcabioſæ, thuris, eboris uſti, cornu cervi, aloe, farina lolii, ſive hordei.* Atque hæc de carie.

### *Verrucæ.*

Et Gallicæ Verrucæ fiunt. Has Græce θύμους vocant: & per quandam ſimilitudinem à loco eminentiori, & educto acceptam, eas carnis accretiones ſignificant, quæ præter naturam in corporibus accidunt: quæque alio nomine tubercula vocitantur. Hæc Gallicæ contagionis cauſa, ſordidæ ſæpenumero viſuntur, ficus veluti, cum dolore, & rimoſis ſciſſuris, ubi intignis fuerit exuſtio. Referuntur in eaſdem cauſas, quas lib. 1. copioſe narravimus. Ex his majores aliæ, aliæ minores apparent. Quædam etiam magis aliis, quædam minus dolent. Rurſus ſiccriores aliæ, aliæ ſunt humidiores. Græci vero, & Galenus in duo genera dividunt: hoc eſt in habentes latiorem baſim, aut tenue appendiculum; quibus adhærent cuti. Priores μυρμηκίαι vocant, uti poſteriores ἀκροχορδόνας. Sunt etiam fere ejusdem naturæ, adnatæ caruncuiæ, quæ non adeo in ſublime attolluntur, atque editæ ſunt, quaſque vulgo critas appellant, pudendis adnatas, & ab eiſdem pene cauſis pendentes, cum Verrucis. Has volunt nonnulli, eſſe Græcorum, & Aetii Thymos. Hic etenim *ſermone* xiv. ſub eodem capite tractationem de Thymo, ſedis Ficis, Verrucis, & clavis complexus eſt. Et Paulus *lib. iij.* agens *de ani affectibus*, eiſdem docet auxiliari. Galenus vero in his, quæ de tumoribus præter naturam edidit, thymos, epulidas, & parulidas cenſet eſſe carneas excreſcentias, his profecto ſimillimas, quas morbi Gallici occaſione ſæpiſſime ſuboriri videmus. Has Aetius in albas & ſanguineas ſecat: item mites & malignas: quæ etiam poſtremæ differentiæ cognoſcuntur in Myrmeciis, & acrochordonibus. Cæterum Verrucæ omnes, atque carnium ſuppullulationes Gallicæ non tollentur, niſi exquiſita fuerit parata corporis vacuatio. Quæ vero appendiculo hærent cuti, interdum ſectione tolluntur, ſæpius autem ligamento. Quæ lata baſi reſident, molliuntur primum, deinde erodente medicamento ſubmoventur. Conferunt ad hunc uſum *ſquama æris, ammoniacum cum aceto paratum, chalcanthum uſtum, aſſa fœtida, & ſimilia.* Utimur & cauſticis, ut *aqua aluminoſa, oleo ſulphureo, arſenico cryſtallino, auripigmento parato, præcipitato.* In quibus maxime modus eſt ſervandus. Aetius vero multis ſane auxiliis docet, Verrucas & caruncularum accretiones ſanare, quæ ſingula recenſere inutile, & tædioſum eſſet: cum late patere cuilibet poſſint, ſermonem ejus xiv. legenti Hoc tantum dixerim, illum in hiſce profligandis tuberculis, valentioribus cauſticis uti ſolere, interdum etiam candenti ferro: quorum unum periculoſum eſt, uti aliud horrendum. Modus tamen conunendatur.

### *Bubones.*

Bubones de genere ſunt tumorum, Galeno teſte in *lib. de tumoribus præter naturam.* A Græcis, ſimili voce, βουβῶνες dicuntur. Eos Galenus ſimul cum his conjunctæ phyma, & phygethlon, dici ſolent: quod glandularum affectiones exiſtant, una cum iliis. Differre autem oſtendit ex eo, quod bubo inflammatio eſt: Phyma ſtatim auctum ad ſuppurationem properat: Phygethlon eryſipelas inflammationis, vel inflammatio eryſipelatis particeps, exiſtit, Galeni teſtificatione, in *libro ſecundo artis curatricis ad Glauconem.* Ab eodem vero deſumens Paulus, hoc ipſum teſtatur *libro quarto.* Sunt itaque & Gallici bubones tumores præduri, circa femora, atque inguina provenientes, hoc eſt circa partes glandoſas. Horum differentiæ ſunt, quoniam alii in concavitate oriuntur, alii in ipſa glandula intumeſcente. Rurſus quidam magni ſunt, quidam parvi. Quidam dolorem & moleſtiam afferunt, quidam doloris expertes exiſtunt. Cauſam diximus in priore libro. Primum autem conſiderandum eſt, num materia illorum craſſa admodum ſit, & frigida, hoc eſt, quæ ad ſuppurationem duci nequeat, an ex ea, cui magna portio humoris tenuioris ſit permixta, quæ maturari queat Quod ſi craſſa fuerit, & inepta maturationi, inane profecto opus erit, cutis ruptionem morari: aut ſuppurationem tentare, cum potius ſit ponendus labor in vacuatione corporis: nedum caneſcaris, morbi vis gliſcat, atque altiores radices infigat. Purgatione itaque adhibita, addes reſolventia, & quæ diſcutiunt. Siquidem tali exiſtente materia, nil de ejus repulſu timendum erit. Cum vero permixtionem cognoris ex humore craſſo cum tenui, ſcopus eſt, ut à repellentibus ſit abſtinendum: ne materia introrſum evocata ſæviorem morbum efficiat. Itaque in eo caſu, ut maturantibus rite utamur, conſulo: quoſque opus erit vel ſectione, vel cauſtico medicamento aperite bubones. Ubi vero fuerit referatum, ſtatim purgatio, & exquiſita ratio victus parandæ erunt. Quod ſi, maligna exiſtente materia, inflammationem repuleris, Gallici morbi adventum ſtatim exſpectare neceſſe eſt, tum etiam pilorum & capillorum defluvium. Reſolventia ſunt, *oleum amygdalarum amararum, chamæmelinum, liliorum alborum, atque alia hujus ordinis.* Pauperibus, & vulgaribus mos eſt, ut *urina humana* locum madefaciant, *lana adjecta.* Emolliunt bubones, *oleum amygdalarum dulcium, reſina, butyrum, adipes omnes, medullæ, oleum vetus, Galeni cataplaſma ex oleo, farina, & aqua, atque alia ſexcenta.* Specialim vero in lucem provocant *cepæ, fermentum, caricæ.* Suppurant item *radices althææ, farina è ſeminibus lini, diachylon ex gummis, diachylon magnum.* Dolor, ſi quis excitetur, *chamæmelino* mitigabitur, & *roſaceo.* Inciſione adhibita communi curatione chirurgica utemur. Habes & Galeni curationem bubonum, neglectui non tenendam *libro duodecimo artis curatricis:* ac multa tibi in hunc uſum ſuppeteut ex Ægineta *libro quarto*, quæ hoc loco minime ſunt referenda. Neque inutilem quæſtionem illam putaverim, quæ ait, nunquid in bubone curando, magis opportunum dicatur, cauſtico aperire, an ſectione quæ ferro efficitur? Etenim utiliorem eſſe ſectionem putaverim, ſi ampla fuerit, & patens, quo craſſiora educantur. Nam cauſticum medicamen poteſt facilius ulcus producere. Accedit, quod foramen cauſtico inductum rotundum eſt: atque ex eo fit, ut maxima humorum copia eo loci corrivet, unde difficilis plerumque ſequitur conſolidatio. Neque enim vulgi tonſorumque opinioni aſſentior, qui profuturum exiſtimant, ſi per annos bubonis conſolidationem differamus: quando perpetua humorum affluxio apta ſit malignum ulcus efficere, quo laborantes interdum male ſe habeant. Alii cenſent, exſpectari oportere extremam tumoris maturationem. Id qua ratione adducti voluerint, conjectura ſatis aſſequi non queo. Contrarium autem ex eo potius affirmaverim, quod longior mora vacuationem remoratur. Quæ cum plus juſto differtur, majoris incommodi cauſa eſt, hoc eſt, ut morbus altius hæreat, fiatque validior, & major. Hoc autem majus eſt incommo-

modum, quam quod sequitur paulo acerbioris bubonis sectionem. Neque obstat quod scribit Hippocrates *libro secundo de medici officio*, cum inquit, non esse tubercula immatura secenda. Nam id verissimum esse pronunciamus, ubi cunctando non majus incommodum periculumve subimus.

### *Pilorum & capillorum defluvium.*

Accidit interdum in capite, superciliis, & mento, nec non in cæteris aliquando corporis particulis, ut pili concidant, & capilli universi. Nonnunquam areæ duntaxat conspiciuntur, adeo ut non omnino glabra sequatur depilatio, sed spatiis quibusdam, interjectoque tempore aliquo, id mali obveniat, Gallicam luem patientibus. Veteres capitis, deciduique capilli fluorem, soliti sunt vocare ἀλωπεκίαν: ubi vero serpens malum non universum caput, sed quasdam hujus partes depiles reddidisset, ψείρια appellabant. Calvitium autem Latini deformitatem vocant, quæ ex capillorum naturali quadam inopia, ablationeque oriri consuevit, quamque iniquissime plurimi ferunt: Cæterum ubi à causa Gallica efficitur capilli defluxus, quam in primo libro sumus copiose persecuti, eum sic dividimus, quod vel ex toto sit, vel secundum partem. Rursus vel sensim, vel confertim fit depilatio: sive per intervalla, aut confestim. Scopus itaque fuerit, ut quibus ipse imminet casus, occurrendum sit, ne cadant. His vero, quibus jam cecidere, restaurationem, ac regenerationem præproperam adhibeamus. In sistendis autem capillis, bifariam procedimus, empirice, & rationali Methodo. Empirice firmantur lotionibus, & suffumigiis: interdum & linimentis. Ratione vero sistimus, solius evacuationis præsidio. Quamquam certa non omnino est hæc firmandi ratio: cum illud aperte constet, multos post exquisitas purgationes, ac sanguinis missionem, tum & Guajaci potum, non potuisse fluorem ulla ex parte continere. Vacuatio, huic negotio salutaris, commendatur à nonnullis, per ἀποφλιγματισμούς, sive masticatoria. Hæc fiunt ex *staphysagria*, *masticbe*, *caryophyllo*, *pyrethro*. Quibus materia à cute introrsum revocatur. In eandem usum faciunt *catapotia capitalia vocata*, *elleborum*, *thapsia*, *sive turbith*, *sudatio plurima*, *lotiones ex abrotano*, *betonica*, *asaro*, *absinthio*, *roremarino*, *calamintha*, *pulegio*, *rosis*, *nucibus cupressi*, *agarico*, *sapone pauco*, & *quidem damasceno vocato Venetiis*, *utimur*. Damnatur *sapo artificiosus*, quem alii condunt è rebus stipticis, & claudentibus corium: quoniam materia intrusa potest sæviora perferre symptomata. Omittenda quoque sunt facultate adstringentia, ob eandem causam: qualia sunt *Hypocistis*, *acacia*, *thus*, *santala*, *corallia*, *myrrha*, *cortices granatorum*, *balaustia*, *galla*, *succus ladani*, *oleum myrtinum*, & *omphacinum*. Minus item admittimus, quæ aliis placuere, *cinnabarim*, *auripigmentum*, *camphoram*, *galliam moschatam*. Improbandi etiam veniunt suffitus, non ob eas modo rationes, quas diximus in præcedentibus, verum etiam ex ea quam dicturi sumus. Etenim quærendum est, num suffitus parandi sint, ubi casum veremur lanuginis, vel ubi jam adest. Cum adest, suffimen nihil prodesse certum est, materia jam cuti transmissa, & radicibus capillorum affectis. Cum autem suspicamur eos casuros, tutius tentanda est vacuatio per sanguinis missionem, & purgatorium pharmacum. Si cadant omnes capilli, statim ad ea properandum est remedia, quæ in alopecia, & aliis similibus affectibus adhibentur ex Galeno, *libro primo* κατὰ τόπους. Item ex Ægineta *libro tertio*, nec non Aetio *sermone sexto*. Cautius item in pilorum provocatione animadvertendum, ne aliam materiam trahamus ad cutim, quæ caput, vel faciem ulcerosam efficiat. Verum ut summatim agam, hujusce curativæ partis scopus fuerit, cutem siccare, repurgare, detergere, meatus recludere, materiam pilorum citius irritare.

### *Pustulæ.*

Pustulæ nomine, generatim quæcunque tubercula in cute efflorescentia, erumpentiave comprehendunt. Has in quatuor genera deducit Cornelius Celsus *libro quinto*, hoc est in phlyctenas, exanthemata, ptydracia, & epinyctidas. Neque ullam vocem, quod sciam, habent Græci, quæ harum communi generi plene respondeat. De his autem pustulis, sive papulis, copiose scribit Aetius *sermone quarto decimo*, tum etiam Ægineta *libro quarto*. Exstant & pauca quædam de capitis pustulis apud Galenum *libro primo de medicamentis secundum loca*: uti in *quinto de eruptionibus menti*, quædam obiter scribit. Pustularum nomine in præsentia, eas omnes sive siccas, sive sordidas eruptiones cutis comprehendimus, quæ Gallicæ infectionis causa, hoc est sanguinis diversa ratione affecti vitio, contingunt. Hæc maxime infestant capitis corium, faciem, anum: A suntque occipiti familiares: interdum etiam inguinibus. Sunt autem hæc aliquando crustis obtitæ, aliquando non item. Earum sanies pro humoris redundantis qualitate variatur. Quocumque autem loco per cutem eruperint, tolluntur (facta vacuatione) decocto Guajaci: madefactis primum crustis, & emollita earum asperitate. Si contumaces fuerint, *aqua aluminis utuntur*, *vel simplici*, *vel cum rosacea permixta*, *aut alio liquore*: qualis est *humor stillatitius solani*, *portulacæ*, *plantaginis*, & *similium*. In hunc usum maxime recipiuntur *lac*, *aqua hordei*, *decoctum foliorum rubi*, *spuma ligni Indici* & *ejus corticis*, *sevum hircinum*, *gallinaceus adeps*, *oleum scorpionum*, *unguentum rosatum*, *ibidis compositio*, *diapompholyx*, *oleum è viperis*, *præcipitatum*, *sublimatum*. Quæ partim cum jam dictis oleis ad perungendum, partim cum unguentis artificiosa, congruaque ratione miscentur.

### *Articulorum dolor.*

B Dolent item, hoc morbo affectis, interdum caput, articuli, & internodia: noctu magis, quam interdiu: cujus sane rei causam primus liber copiose explicavit. Dolor acutior sæpius, aliquando obtusior invadit. Nam ubi materia dolorem concilians attingit periostia, cum redditacutiorem, & punctionis sensu præditum. Contrario huic existente humore, dolor hebes & modicus efficitur: hoc est, ubi ea non pertingit. Potest & acutus dolor à tenui materia suboriri, uti à crassa distendens. Cum vero, ubi simul convenerint, qui sequitur dolor, jam laceret, ac vellicet, necesse est. Tollitur dolor Guajaci potu, ac validioribus medicamentis solventibus. Hujusmodi sunt, *confectio hamech*, *hiera diacolocynthidis*, *turpethum*. Nec parum profuerint *catapotia fœtida*, *cochia*, *ex hermodactylis*, *elleborum*. Fomentorum usum non recipio. Nam calidiora plus attrahunt, quam discutiant: frigida omnino sunt inepta, aut etiam noxia: adstringentia impediunt excrementi propulsionem: laxantia, cum aditus pateraciant, C occasionem præbent humoribus, ut eo ferantur. Oleis utuntur nonnulli calidioribus, aut cataplasmatibus, & emplastris, quæ parantur *ex salvia*, *rore marino*, *ruta*, *pulegio*, *anetho*, *calaminthæ*, *chamæmelo*, *sale*, *milio*, *aceto rosaceo*, *ex olivis immaturis*, *oleo viperino*, *laurino*, *scorpionum*. Hæc autem volumus suspicione quadam, & non sine diligenti consideratione, in usum venire, ob causas in superioribus relatas. Tutiora ac certa magis afferet auxilia *frequens madefactio*, *quæ fit per decoctum Guajaci* & *ejus corticis una cum tertia parte salsæ perilliæ*. Vitanda quoque tibi sint stuporem inducentia, ne excrementa reddant crassiora, & contumacia valde. Veteris tamen, ubi summa urgeat necessitas, hoc est, ubi dolor vires prosternit, atteritque laborantem, anodyna probarem, nisi illud obstaret, quod dolor perpetua humoris affluxione fotus, quodammodo aspernatur, despicitque hoc ipsum auxilii genus. Etenim cum hæc sint moderate calida, moderateque digerant, & discutiant, inutilis fere eorum usus videtur, & doloris viribus minime respondens. Itaque solius causæ abla- D tioni studendum veniet.

### *Gummata.*

Succedunt Gummata. Hæc autem sunt tumores præter naturam, Gallicæ passionis causa oborti. Est autem tumor Latinis, qui ὄγκος Græcis dicitur. Hujus omnes differentias complexus est Galenus unico *libro*, *qui de tumoribus* inscriptus est. Inter cæteros vero, qui Gallicis simillimi sunt, enumerat Galenus in eo libro tres illos, qui dicti sunt atheroma, steatoma, meliceris: quos ita distinguit. Nam in atheromate quid pulti simile continetur: in steatomate sevo: uti in meliceride melli. Causa horum alibi relata. Sed enim differentiæ dictæ omnes à recentioribus in Gallicos tumores referuntur: quos in molles & tophaceos dividunt. Affecta sedes, cui tenaciter hærent, sunt caput, articulorum ligamenta, ossa & periostia in tophis. In tophis materia omnium crassissima est. In steatomate minus crassa, atque etiam melancholica. E Minus adhuc, quæ in atheromate: uti in meliceride pituita una cum bile flava permixta conspicitur. Curationis scopus est duriora emollire & discutere, molliora dissipare atque resolvere. Ad quem usum reperta sunt *oleum tenuium partium omne*, *althææ radix*, *oleum chamæmelinum*, *laurinum*, *ammoniacum*, *sagapenum*, *bdellium*, *terebinthina*, *olea scorpionum*, *amygdalarum dulcium* & *amararum*, *axungia suilla*, *pinguedo anserina* & *gallinacea*, *sevum hircinum*, *oleum viperinum*, *caseus vetustus*, & *cætera his similia*. Sunt qui audacter utantur aqua ardenti, & ad incisionem festinent, si opus fuerit. Utrumque autem horum non absque diligenti meditatione præstiteris, quando ex ipsa præsertim sectione acerbiora subsequantur ulcera. Atque ob id minus uti soleo medicamento inu-

rente:

rente: cum alia suppetant auxilia. Etenim tophosi tumores, quia crudiores sunt, ac peracerbi semper, aliquando etiam indolentes, incidendi non sunt, Hippocratis lege in *vj. lib. de medici officin.* Molles vero exsiccare tentabis & resolvere, ablutione etiam sæpius adhibita ex decocto ligni Indi. Itaque, quoad fieri potest, fugienda semper est incisio: ac primum tentanda fuerint cætera remedia, ne maligno cuipiam ulceri occasionem præbeas. *Sussa* est optimum auxilium, bibita: aut *Guajacus cum multo cortice incoctus:* cujus etiam decocto, probe calido, abluenda sæpius in die sunt gummata. Quod si minime maligna, ac pertinacia fuerint, opportune ea curaveris *potu salsæ perilix*: dum per ejus haustum procuratur sensibus, atque insensilis dissatio.

*Ossium caries, & corruptio.*

Ossibus convenire putrilaginem interdum, Galenus aperte testatur, tum in *lib. de constitutione artis*, tum in *viij. artis curativæ.* Id genus mali, quo nomine a Græcis dicatur, ostensum est, tum, cum de carie sermonem haberemus. Corrumpuntur ossa, humoris demandati acrimonia, malignitateque insigni. Siquidem aliis ossa capitis corrumpuntur, aliis ulnæ, tibiæ, palati: item & nati cartilago, ut inde ozæna excitetur. Cum id vitii affuerit, aperiendus est locus sive ferro, sive inurente medicamine, ut quod ossis corruptum est, detergatur, atque sobras educatur. Inflammatio si qua fuerit, contrariis auxiliis, nempe refrigerantibus auferenda. Durities mollientibus sedatur. Ulcus ubi probe fuerit alteratum, expurgatumque, sarcoticis opportune consolidabitur. Partes ossium proximæ, ne intabescant, remediis erunt præservandæ, haud leviter exsiccantibus. Qualia præsertim fuerint, *oleum è sulphure, & chalcantho, ærugo, squama æris usta, aqua aluminosa, hyoscyamus, sublimatum, præcipitatum, euphorbium, thus, myrrha, sagapenum, opoponax, peucedani, & aristolochiæ pulvis, iridis succus, unguentum sisidis, diapalmæ, diapompholygos.* Si hisce remediis tolli nequeat affectus, igne os venit corrigendum.

*Rhagades.*

Sedi non tantum rimæ adveniunt, quas Græci ῥαγάδας vocant, sed & manibus & plantis. Affectus est, quo cutis experitur. Nam rimis & scissuris partes illæ corripiuntur, nec citra dolorem: quales sunt tabularum rimæ, quæ his divortium ob resolutionem humidi pariunt, vel quibuscumque causis, de quibus ample Vitruvius disserit *Architecturæ lib. j.* Est autem & scissio nervi affectus, hoc est ejus unitatis solutio, authore Galen. in *l.b. de artis constitutione.* Cæterum de plantarum rimis, ubi à causa Gallica oriuntur, sermo futurus est, non autem alio modo: quando de his copiose tractaverint veteres scriptores: quod illis liquido constiterit, qui Actium legerint *sermone* xiiij. & Paulum *lib.* iij. & vi. Accidunt autem hæ Gallica affectis propter humoris acrimoniam, exustionemque plurimam, natura expultrice illum irritante, ac propellente: interdum etiam multitudinis ratione, quæ etiam, ut longinquas partes inficiat, sufficere potest. Sunt autem illæ non tam visu sordidæ, sed & laborantibus permolestæ. Probe vero tollun- D tur *salsæ perilix, & Guajaci hausta.* Tum etiam *ablutione ex ligno Indico & cortice parata: additis santalis, rosis, corallis, acacia, bolo armena, aloë, thure, & similibus.* Ubi non admodum malignæ fuerint, commode auxiliantur, *unguentum rosatum Mesuæ, & vulgata confectio è pomis.* Ubi vero contumaces fuerint, hæc medicamenta, uti leviora, neglectui habebunt: tollentur tamen *præcipitato.* Si tamen duræ, & callosæ exstiterint, has primum madefaciunt, & molliunt, *decoctis è radicibus althææ, malva, violis, lapatho, & similibus.* Olea & unguenta adhibent, uti *rosaceum, amygdalarum dulcium, axungia porcina, cerussa.* In quem usum veniunt, pro earum curatione, *hydrargyrum exstinctum, aqua aluminis, trochisci andronis, vinum granatorum, fructus myrti, terebinthina, butyrum recens, succus limonum, ovorum albumen, ammoniacum, galbanum, mastix, sublimatum, pinguedines ursi, taxi, anseris, auripigmentum, chalcanthum, alumen rochæ.* Ad extremum, si devenerint ad supremam deperditamque malignitatem, suffitum parant recentiores, ad manus aut pedes fumandos, *ex cinnabare, additis auripigmento, Græcorum Sandaracha, præcipitato, ligno aloës, gummi juniperi, styracc sicca, thure, myrrha, belzuino.* Probatissimum fuerit hæc parce & mediate adhibere.

*Gonorrhœa.*

Non alienum fuerit, jam ad seminis fluorem, quem Græci γονοῤῥοίαν vocant, descendere: ut qui temporibus hisce magna ex parte, Gallice laborantibus negotium facessat. Indicant id mali, à contage illa fieri, habita per coitum infectio, ardor primum mediocris, deinde eximius, præputii erosio, inflammatio partis, excreti seminis exustio. Scopus curationis his magnopere conducens est, infrigidare ac lenire tum semen, tum seminaria vasa, vetitis adstringentibus. Tunc nimirum lædi laborantes videbis, cum ad adstringentia medicamenta ducentur. Nam civem nostrum superioribus annis vidimus, hoc genere præsidii adhibito, semine non adhuc præparato, in ulcus incidisse, inter anum & testes obortum, quo tandem malo victus, & exstinctus est. Opportuna remedia, quibus ægri tutius ab hoc malo vindicantur, sunt *cassia fistula, glycirrhiza, atque papaveris seminum expressio*; laudatissima quoque sunt *frigidorum quatuor semina, bolus armenia, nymphææ radix, viticis & lactucæ semina.* Jam vero ubi adstringendum fuerit, & illa conducent, *thus, mastix, corallium, rosa, gummi tragacanthi, aut jure cum aliquo epota, quocunque modo alio adhibita.* Vincit autem, in hoc genere affectus, *Guajaci aut salsæ decocto addere refrigerantia*, quæ semen intemperent, uti sunt *sonchus, rosæ, santala, hordeum, & similia.* Nec propterea despectui sunt habenda, quæ privatam afferunt gonorrhœæ curationem: qualia maxime ex Galeno, Paulo, Aëtio, atque aliis petenda erunt.

*Dentium laxitas & casus.*

Concidunt aliis dentes: aliis ex eorum titubantium laxitate casus imminet. Id vitii, ex noxio recremento, ad gingivas, atque earum rimas, transmisso provenit, hoc est fluido humore laxante, & gingivas scalpelli instar circumscribente. Qui si jam conciderint, curationem ex ea, quæ fieri nequit, instauratione relinquimus. Ubi titubant, scopus est eorum confirmatione, his quæ causam primum dejiciunt, deinde quæ fluorem propellunt, materiam exsiccant, carnem laxiorem densant, & gingivis adstrictoriam facultatem conciliant. Profuerint itaque *hypocistis, acacia, & rosæ siccatæ.* Cibi, qui ægre mandi possint, arcendi. Mirifice item opitulantur, *balaustia, punici mali cortices, bolus armenia, terra sigillata, corallium.* Ex his autem, uti ex jam dictis vel simul, vel privatim, *cum ligni Indi ramentis* paratur decoctum, quo sæpius dentes irrigantur, abluunturque gingivæ. Adjuvant hoc item genus mali *portulacæ & plantaginis succus; rursus limonum probe paratus, tum etiam aloë, & myrti fructus, vino austero, atque adstringenti incocta.* Sunt qui salutare, ac primæ notæ existiment remedium, *aquam aluminis, & præcipitatum*, parcius magis quam liberaliter adhibitum, sive insperssum, sive cum aliis immixtum. Verum hæc ipsa, me judice, exhiberi possunt, ubi insignis fuerit dentium inconstantia. Nostri vero non fuerit instituti, singula recensere incommoda, quæ dentibus laborantibus eveniunt: quando de eorum dolore, inflammationibus, nigritie, inconstantia, stupore, attritu, deque gingivarum laxitate, & erosione, copiose, & diligenter tractaverit Ægineta *lib. iij.* Quod non minus exacte, ac luculenter complexus est Aëtius *sermone* viij. & Galenus in plurimis locis sparsim, maxime vero *lib. v. de compositione medic. secundum loca*, præter ea, quæ Celsus, Plinius, Largus, atque alii perscripsere. Quæ singula si referantur, ineptum, ac superfluum negotium facesserent.

*Ulcera.*

Quod Græcis ἕλκος dicitur, Latinis ulcus, est carnis solutio, hoc est ejus continui divortium, authore Galeno *lib. de differentiis morborum, & de artis constitutione.* Fit autem ab internis humoribus vitiata qualitate affectis, quibus aliquo confluentibus caro ipsa divortium experitur, perinde atque ab externo ictu vulnus efficitur. Eodem quoque pacto Gallica ulcera, vitiati hepatis & sanguinis causa, gigni necesse est, parte etiam sæpius imbecilla, ad suscipiendam materiam influentem, opportuna. Quæ omnia in priore libro explicari copiose, manifesto legentibus liquet. De ulceribus itaque, quæ concubitus occasione suboriuntur, sermo nobis habendus erit: quando de cæteris cumulatissime veteres tractarint, Hippoc. inquam, & Galen. *lib. iiij. Methodi*, tum etiam in his, quæ *de medicamentis* edidit *secundum genera.* Tum Paulus *lib. iiij.* & Aëtius *sermone xiiij.* præter ea, quæ Plinius, Largus, & Celsus scripsere diligenter. Neque vero illud dissimulandum est, ulcera Gallica superioribus annis contigisse, longe quam in præsentia, sæviora. Quæ uti sanatu difficillima, ita fuerant visu, atque conspectu prorsus horribilia. Erant enim phagædena, hoc est depascentia, nec minus cacoëthe. Nunc mitiora nascuntur, nec valde sæpe accidunt. Exercentur autem dolore, atque inflammatione: interdum difficile suppurantur: aliquando ex humorum qualitate noxia cava efficiuntur, plerumque etiam

for-

sordida. Horum item caro gliscit interdum, uti nonnulla putrida redduntur, & serpentia. Fœtent alia, alia humiditate plurima flaccescunt. Duritiem plurimi contrahunt, & callos crustasque eorum oris, ac labris adnatas: quemadmodum alia dolosa sunt & maligna, quæ chironia Græci & Paulus vocant. Quædam rursus liviescunt, sinusque contrahunt, fistulasve: quædam post ipsam consolidationem rursus erumpunt, in lucem iterum atque iterum exeuntes. Sed enim hoc loco præstat, pauca quædam de malignis ulceribus proferre, ut cætera, collatione cum his facta, expressius, faciliusque judicentur. Ulcera cacoethe ea nimirum existare omnes norunt, quæ maligna à Galeno, Paulo, Aëtio, Celso, Plinio, Oribasio, & aliis dicuntur. Tunc autem hujusmodi fiunt, ubi rite factis, quæ peragenda fuerant, sanari nequeunt. Eo nomine vocantur, quasi contumacia, & rebellia, Galen. authore *lib. iiii. Methodi.* Eadem Dyscpulotica dicuntur, hoc est ægre ad cicatricem devenientia. Causa horum sunt humores multi, vel etiam acres, eo loci confluentes, ex *lib. i. de comp. medic. secundum genera.* quamquam Galen. vult, malignitatem interdum oriri, cum pars affecta tam vitioso habitu prædita sit, ut vel ipsum sanguinem corrumpat, eo, nutrimenti causa, demandatum. Porro non sanantur, quæcunque salutaria remedia non agnoscunt, quod Galen. copiose persequitur *lib. iiii. artis therapeutices*, vel cacochymiæ causa, vel plethoræ, vel affectæ particulæ imbecillitate, vel ob labiorum pravam affectionem: vel ob intemperiem loci patientis: adde & ob intemperantiam cum tumore. Ubi vero callosa, ac fistulosa fuerint, id ad alios atque alios humores, sive crassiores, sive acriores, est referendum; Gallica affectione perpetuo adjutos. Recrementa maxime adusta perspicies, nec omnino livoris expertia. Hæc ubi malignitatem contraxere, cava etiam necessario redduntur, ita scribente Galeno *lib. iiii. artis curat.* Curantur autem, ratione empirica, & methodo. Nam illa aliquandiu floruit opinio, ut, qui ita laborent, ad inunctiones & suffitus ducerentur. Minus autem mirari soleo Empiricorum audaciam, ubi illa in animum veniant, quæ Fracastorius, alioqui feliciſſimi ingenii vir, protulisse videtur hoc modo, cum de Argenti vivi suffimentis ageret.

*Quocirca totum ad corpus nemo audeat uti*
*Judice me. certis fortasse erit utile membris:*
*Quæ Papulæ informes, Chironiaque ulcera pascunt.*

Quamquam, ex ea voce, fortasse, dubitare videtur ille: neque id inepte. Nostris autem temporibus res contra adeo cecidit, ut multi, eo genere præsidii, malo victi fuerint. Methodo autem & ratione utentes, primum causa submovenda venit, deinde localibus auxiliis curationem moliatur optimus, probatissimusque Chirurgus. causæ tollendæ rationi conducet *Guajacus, atque ejus cortex liberali modo adhibitus, qui ad aquæ dimidium percoquantur*, eamque dierum quinquaginta spatio bibant laborantes. Neque mihi ullo modo dubitandum videtur, quin & *falsa, cum Guajaci cortice incocta*, sit illis profutura. Neque enim multum interesse puto, quod ex his magis recipiatur. His plenior victus maxime circumcidendus veniet. Potus ex superioribus decoctis adeo large concedendus, ut bibat quantum quisque maxime concupierit. Eodem humore sæpius, liberaliterque ulcera abluat. Neque eorum morem improbarim, qui & in potu, & in ulcere abluendo, simul omnia incoquunt, *Guajacum, Corticem & salsam*, ea ratione adducti, quæ ait, *salsam* corii affectibus mirifice prodesse, uti *Guajacus* internis humoribus, qui postmodum in cute erumpunt, præsentaneum est remedium. Cæterum ulceris curandi alter scopus est, ut contrariis curetur, uti similibus ulceratum corpus, ex Galen. *lib. ii. de medicamentis secundum genera.* Nam curationem minime assequimur, nisi subjecta caro pro naturali modo se habuerit, ex *artis curatricis lib. iii.* Ea omnia arceto, quæ vel eximie calefaciunt, vel etiam vehementer refrigerant, licet siccandi facultatem nacta fuerint. Quocirca prudenti admodum ratione Galen. *iii. Methodi, hyoscyamum, & mandragoram* improbat, utcumque exsiccantia, quia frigida sunt, uti *picem, resinam, & asphaltum*, quia calida, tametsi siccare valeant, prohibet. Excessibus autem evitatis, summus erit scopus, ut citra vellicationem & morsum medicamen exsiccet. Non item exasperandum est ulcus, prius quam corpus fuerit exquisite repurgatum, ne ineptissimum Thessalum, quem Galenus non injuria damnat *lib. iiii. Methodi*, pari vitio insulsissime imitemur. Mutare autem curationem oportet, per singulas corporis partes: quem generalem scopum præscribit Galenus *lib. v. Methodi.* Maxime vero capitalia ulceris curandi consilia fuerint. Si simplex est, ut solam agglutinationem moliamur *lib. iii. artis curativæ*: deinde, sordida detergere, profluentia siccare, quæque in fluxu sunt, repellere, copiose effluentis causam amputare, inflammationem, si qua fuerit, primum auferre, carnis intemperiem ad temperamentum ducere, sinus implere, simul atque cum his duritiries labiorum, ubi mitescere nequit, excidenda ad sanam carnem usque, tumor, si quis affuerit, ante omnia tollendus, cavitas primum resarcienda, mox illi inducenda cicatrix est. Quæ omnia fusius Galeni libros legentibus patebunt, præsertim *tertium*, & *quartum Methodi*, *secundum κατὰ γένη*, & *artem medicinalem.* Cæterum ubi ulceri curando vocaberis, post totius vacuationem, illud non nescias, præstabit huic oleosa, & acria omnia plurimum adversari, nam æque lædunt. Exsiccantia, adstringentiaque citra erosionem probe conducent, initio præsertim: obsunt humida, *lib. iii de medicamentis secundum genera.* Ejecto pure, ulcus est abluendum ex *lib. ii. ad Glauconem, Melicrato, oxycrato, vino, & mulso.* Adde etiam *Guajaci, & salsæ decocto.* Ubi agglutinandum fuerit, medicamenta valenter exsiccent, oportet: hoc est plus aliquantum, quam carnem gignant. Hanc ubi inducere volumus, vitabimus astringentia: uti eligenda erunt detergentia, atque siccantia, in cavitatibus saturandis. Quæ omnia licet amplissime cognoscere ex Aëtio, & Paulo, qui à communi fonte, hoc est Galeno, desumpsere, tum in *libris de Methodo*, tum in his, quæ *de medicamentorum compositione* inscripti fuere. Cæterum recentiores chirurgi in Gallicis ulceribus, quæ nunc Glandulam penis infestant, nunc anum, & palatum: interdum ossa latentia, exesis carnibus, corrumpunt, nec non cartilagineas, atque nervosas partes aliquando, maxime sibi familiaria reddidere auxilia, *succum iridis atque apii. Mel rosaceum. Suillum axungiam. Butyrum valde recens. Terebinthinam elotam. Ceratum ex cerussa, lithargyrio & æris squama.* Unguenta, quæ vulgo dicuntur, *rosatum Mesuæ, diapompholygos*, cum ad validiora fuerit properandum, ad ipsam festinant *aluminis aquam, præcipitatum elotum: interdum ad hydrargyrum extinctum, aut ipsum etiam sublimatum.* Plura autem quærenti, cura fuerit se se ad veterum scriptorum monumenta transferre, quando nimis etiam multa hoc nobis loco tradita videri possint.

Hæc super tot, tantisque illustrium ætatis nostræ scriptorum, monumentis, de re Gallica, in lucem exire passus sum: plura daturus, si post Deum Opt. Max. faverint studiosi: meum quos erga perpetuum studium, singularisque propensio facit, ut nostrorum laborum fructus, si non omnino quales velim, quales tamen possum, ad eorum commodum, usumque perferre perpetuo cogitem. Absit tamen interea nostris septis lupus, hoc est livor: & præclaram in nos voluntatem conservent casti, ac boni laudandarum artium Professores: quorum eximiam opinionem, omnibus semper fortunæ bonis atque deliciis, anteferendam esse existimavi.

*Sed me digressum cursu, totoque remenso*
*Jam pelago errantem, & pandentem carbasa ventis,*
*Dum lassum male tuta secat salis æquora rostrum,*
*Illisamque trabem refero spumantibus undis,*
*Monstraque contorquent squalentia lumina ponto,*
*Excipiant portus, & amati littoris ora.*
*At vos æthereï radiantia sidera olympi,*
*Cuncta quibus renident cœlestia templa Deorum,*
*Emicat & late pulsis nox atra tenebris:*
*Et vos immensi nitidissima lumina mundi;*
*Quæ (quoniam rapido labuntur tempora cursu)*
*Ducitis Oceano surgentia plaustra profundo,*
*Partibus & certis longum distinguitis annum,*
*Si mihi fallaces fortunæ mobilis auras*
*Tentanti, & scopulos, & inhospita littora Syrtis,*
*Velaque jam dudum in noctem male fida legenti,*
*Fluctibus in mediis toties luxistis, & ultro*
*Me quoque servastis, vestro cum numine fretus*
*Hærebam clavo immotus, cœloque locabam*
*Lumina, & insigni, stellis fulgentibus, Arcto:*
*O date post varios casus, durosque labores*
*Jam finem ærumnis, optatam & tangere metam*
*Confecto curis gravibus, senioque propinquo.*

FINIS.

# JOANNIS SYLVII, *Inſulenſis*,

## DE

# MORBO GALLICO,

## TRACTATUS.

Quoniam in quibuſvis actionibus magnum emolumentum, magnamque gratiam adfert lumen, & facilitas: quo dilucidiores, & magis perſpicui eſſemus, tractatum hunc de morbo Gallico in partes quatuor diſtribuere ſtatuimus; in quarum prima morbi originem cum definitione, in ſecunda notas, ſeu indicia, in tertia curationem, & in quarta præcautionem demonſtrare ſumus conaturi. Definitur itaque malum ipſum hoc modo: Gallicus morbus eſt ſoluta continuitas ab exuſtis humoribus, per contagium fere in concubitu genita, à malignis quibuſdam puſtulis incipiens, pudendaque plerumque, deinde reliquas corporis exteriores partes, & caput præcipue inficiens: dehinc intimas partes ingreſſa, dolores circa articulos, & oſſa, noctu præcipue faciens, atque abſceſſus duros in peſſima adeo ulcera, ut oſſa quoque plerumque vitient, poſt longum tempus deſinentes. Eſt vero hæc definitio viri inter neotericos medicos eminentiſſimi Joannis Manardi, quam quidem ſi verboſiorem, & prolixiorem, quam definitionis natura fortaſſe poſtulet, eſſe dixerit quis, fatebimur quidem: ſed id vir doctiſſimus fecit, ut cavillandi occaſionem omnem, tanquam Tinedia bipenni amputaret. Non deerant enim ejus ætate, qui affectum hunc elephantiaſin, lepram, mentagram, ſiphatum, vel lichenem eſſe, mordicus defundere vellent, cæterum quam toto cœlo aberraverint, & pluſquam ὀκ ἀμφὶ πατῶν (ut Græcorum fertur proverbio) ab ipſius morbi ſincera cognitione abfuerint, ex modo audita definitione, & iis, quæ deinceps dicturi ſumus, indicari poterit. Sed jam definitione tradita, morbi originem ut aperiamus, ratio poſtulare videtur: quamquam tam varie (adeo difficile negotium peſtis iſta medicis faceſſivit) a variis proditam repererim, ut cui opinioni adſtipularer, prope anceps nobis relictum fuerit. Quidam enim cum Joanne Baptiſta Montano medico ſane celebri ſentiunt ab Indicis quibuſdam gentibus ortum habere, ſic autem ille narrat: anno à Chriſti nativitate 1492. quidam miles Columbus nomine, & natione Genuenſis una cum multis Hiſpanis acceſſit in Indias illas novas, in quibus permulti Hiſpanorum hoc morbo, cum ſit ibi familiariſſimus, & non ſecus atque apud nos ſcabies, frequentiſſimus, correpti fuere: qui deinde ad ſuas regiones, & ad nos revertentes multos ex noſtris infecere. Sunt deinde & in his, qui ad hujus opinionis adſtructionem addunt, nos ab eo populo hunc morbum curandi rationem, per lignum illud, quod ſanctum, ſive Indicum nominamus, didiciſſe. Sed horum ſententia nobis non eſt viſa veroſimilis. nam etſi loca illa à nobis nova nuncupentur, & noſtro ſæculo, aut fortaſſis aliquot retroactis non fuerunt noſtro orbi cognita: quomodo tamen credibile fuerit, ut illa tam multos coſmographos, medicos Italos, Græcos, Afros, Ægyptios, Arabas, Chaldæos, qui univerſum prope orbem peragrantes ſurſum, deorſum curſitarunt, ut artem ſuam locupletarent, & confirmarent, latere potuiſſent? Sed neque ſententiæ eorum ſubſcribere potui, qui hujus affectus cauſam eclipſibus, & infortunatorum adſpectibus, Saturni videlicet cum Marte in vigeſimo quarto gradu Scorpionis, adſcendente decimo gradu Leonis aſſignandam contendunt, dicentes ex Saturni ſiccitate, & Martis caliditate, in ſigno frigido & humido, plurimam in humoribus natam eſſe exuſtionem, & putrefactionem, ex quibus lues illa emanaverit. Siquidem (ut rectè Manardus *epiſtolarum medicinalium ſeptimo* colligit) nihil huic morbo cum aëris vel humore, vel qualitate aliqua commune eſſe poteſt, & proinde Epidemicus nequaquam dici poſſet: cum ille dicatur (Galeno in *proœmio enarrationis in librum Epidemiarum* Hippocratis teſte) qui pluribus ex inſpirato aëre communis eſt. At quæcunque, inquit Manardus, ſit aëris conſtitutio, ſi vir infectæ, aut mulier infecto miſcea-

A tur, raro accidit, quin uterque polluatur. Sanior igitur nobis videtur eorum ſententia, qui annis ab hinc ſexageſimo ſecundo, quo tempore Carolus octavus Gallorum rex, cognomine Gibboſus, Neapolim oppugnaturus in Italiam exercitum introduxit, hunc morbum ſuppullulaſſe arbitrati ſunt. Nam dum quidam ex Gallis dulci fortuna forſitan ebrius (victores enim Galli per totam Campaniam graſſantes luxuriabantur) libidinoſa titillatione obſideretur, in meretricem quandam incidit forma admodum venuſta, & plane illice, quæ paulo antea (ut avarum genus mulierum pecuniæ gratia nihil non ſubire audet) cum quodam, qui elephantiaſi, malo lepræ ſimili, laborabat, rem habuiſſe comperta eſt. Ex hoc igitur cum ea amplexu miſer Gallus mirificum illud donum eſt conſecutus. Porro quia, uti diximus, Harpyia iſta ſpecie, & vultu eſſet admodum decoro, & blando (neque enim adhuc tabes illa ejus faciem contaminaverat) complures milites illius noctes incauti redemerunt, qui & ipſi inquinati alias mulieres inquinantes tandem contagem iſtam, quam antea nulla ætas

B fuerat experta, quam latiſſime propagaverunt. Et nunc adeo noſtræ Europæ hominibus familiaris facta eſt, & frequens, ut quidam tam horrendum, tamque exitiale malum experti, tamen cavere non poſſint, quin ſubinde idem incurrant; adeo ut jam vulgari feratur proverbio, illum nobilitatis titulum promeruiſſe, quem tertio morbus repetiverit. Nimirum iſti divi Jobi ſymmiſtæ ſeſe in hac tanta afflictione joculari dicto conſolantur, cum nullus ſani cerebri homo non debeat tenuiſſimæ, & viliſſimæ ſorti, taliumnobilium conditionem poſthabere. Illi tamen, ſi diis placet, hac ignobili nobilitate ſibi placentes, jam aulicorum mores, & ritus ſibi imitandos proponunt. Ocreas ex tenui aluta tibiis ſuis inducunt. Candidulas &

C tenellas manus chirothecis odoriferis veſtiunt. Puellas, matronaſque domi, in viis, in foro, in templo, nuſquam non ſuaviter batiant, atque molliter medias amplectuntur, hoc unum nobilitatis exercitium in eis deſideres, quod membra trahentes amplius tripudiare, & lacertos exerere non poſſint. Sed mirum fortaſſe quibuſdam videbitur, quod ad mulierum oſcula admittantur, cum intus corruptis humoribus graviſſimam ore mephitim exhalent. Sane habent, habent, inquam, illi ſycophantæ antidotum, qua puellis facile imponant: paſtillos enim ex ſuaveolentibus condimentis confectos aſſidue manibus ſuis ita rotant, ut ab imprudentibus non facile teter faucium vapor percipiatur. Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet. Porro cum ſit, ut diximus, hic morbus tam multis jam nationibus prope domeſticus, nullam tamen reperias, quæ nominis etymologiam ſibi adſcribi patiatur. Gallus morbum Neapolitanum, ſeu Parthenopæum, Italus Gallicum, quemadmodum & Hiſpanus: at Germanus Hiſpanam ſcabiem appellat. Sed cum hæc dira lues non Europam modo, verum & Aſiam, & Africam invaſerit, non inſcito, neque inepto nomine Blaſius quidam Holerius, in *libello ſuo de morborum curandorum inſtitutione*, κοσμικὸν, hoc eſt, mundanum mihi

D nominaſſe videtur. Quocunque tamen vocetur nomine, poſtquam de re ipſa nulla exiſtat controverſia, hic multum mihi laborandum non exiſtimavi. Quare ad ſecundam noſtri inſtituti partem, quæ hujus morbi corpus affligentis ſigna proditura eſt, tranſire conſultius nobis viſum eſt. Præpollet enim multis modis ſuperiori & ubertate, & utilitate: quia namque malum niſi cognitum declinare nequimus, pedibus, manibuſque imo toto corpore nobis adnitendum eſt, ut quæ notæ tabem iſtam aperire poſſint, non omnino ignari ſimus, ſive ab eo jam inquinati, ſive ab eo adhuc immunes. Quiſquis enim in urticetum iſtud corruerit, niſi tempeſtive depoſito omni pudore ſeſe perito medico patefaciat, periculum eſt, ne partibus, quas vocant

cant principes, labefactatis, tandem in tabem incurabilem incidat, unde præpopere sequatur mors, aut vita morte calamitosior. Quod si qui continentes ita hactenus vixerint, ut malus ille hospes nondum apud eos diversatus sit, quid illis debeat prius esse? quid antiquius? (cum sit hic morbus maxime contagiosus) quam indicia quædam habere familiaria, quorum beneficio tam crudelem belluam adventantem tectis suis depellere, atque arcere queant? Adde quod quidam medici, atque chirurgi nomine indigni, male affectos ad se venientes sæpe mentiantur hac labe correptos, quo nummorum majorem copiam emungant, quorum imposturis facile occurreris, si morbi signa non ignoraveris, quæ sunt hujusmodi. Ægri pudenda pustulis quibusdam crustosis, siccis, & interdum etiam saniosis inficiuntur. Bubones nunc in dextro, nunc in sinistro, sæpe in utroque inguine insurgere percipiuntur, quos Galli caballos, in re tam seria ludentes, appellitant, propterea quod quem bubones invaserunt, is incedere nequeat, nisi ita divaricatis tibiis, ut caballo insidere videatur. Sed ad signa revertor. In fronte, item & circa capillorum radices, papulæ quædam tanquam gemmulæ pyropi, aut tanquam exanthemata, iis similia, quæ ab igne excitantur, erumpunt, & quasi efflorescunt, caput vero gravedine molesta affligitur, dolores præsertim nocturni, cum colli, & scapularum cruciatibus, qui temporis progressu ad brachiorum, & crurum junctiuras dilabuntur, insurgunt. Adsunt & cum doloribus tumores præter naturam in ipsis articulis, qui difficulter admodum resolvuntur, & raro ad suppurationem perduci possunt. Cæterum non videbitur, opinor, omnino πάσχειν, si qui colores in supradictis pustulis, & abscessibus imprimantur, hic aperuerimus, quod quidem ut debite præstemus, de humorum qualitatibus, a quarum corruptione ille morbus originem accipiat, prius dicendum nobis fuerit. Constat autem apud medicos eum ex quatuor humorum corruptela, sanguinis videlicet, pituitæ, & utriusque bilis, scaturire posse: sed tamen fere semper est unus aliquis, qui reliquis altius caput erigit. Si itaque sanguis principatum obtineat, abscessus in inguinibus, quæ Græci apostemata dicunt, rubentes, & calidi, nonnihilque intumescentes exoriuntur, qui continuam sæpe febrim ægroto pariunt. Pustulæ autem, quæ circa collum potissime, & frontem eminent, subtumidæ, & rubentes erunt, quemadmodum & oculi ipsi. nec ea tantum signa sanguinis exsuperantiam indicabunt: sed etiam venarum intensio. deinde ab hora noctis nona, usque in tertiam diei horam ægrotanti labores increscent. Si vero bilis flava dominatrix in corpore existat, ea cum pudenda expugnaverit, ulcere statim virulento, serpenti carioso, cum summo rubore, & inflammatione debacchatur. Pustulæ autem, quæ se exterius egerent, citrinum colorem referunt: & à tertia potissimum diei hora, usque ad sequentem nonam dolor ingravescere sentietur. Quod si pituita redundantiæ imperium obtineat, rarius pustulæ per corporis habitum visuntur, eo quod pituitæ ea sit natura (Galeni 6. *Aphor.* testimonio) ut magis ad junctiuras defluat. unde omnium junctiurarum, & articulorum incredibiles exoriuntur cruciatus, qui occiput maxime, tibiasque infestant, atque à tertia noctis hora usque ad nonam mire ægrum excarnificant. Si vero bilis atra imperium exerceat, supercilia, cranium, brachia, pernasque tuberibus callosis, & apostematibus, quæ Græci τὰς σκιῤῥους dicunt, non dissimilibus infestari duriter videbis. Pustulæ autem liventes verrucarum speciem repræsentant. Color laborantis cineritius, & plumbeus exittit. Hinc thoracis inflammatio, ventriculi imbecillitas, splenis gravitas, & durities, acidi ructus, pedum tumores, crurum varices, & alia quam plurima mala longo agmine adrepentia miserum ægri corpus aggravabunt. quin excrementa ipsa tristi nigrore infecta dejicientur. Atque hæc quidem de ista lue inquinatorum signis sufficere posse videbantur, nisi & aliud quoddam restare (tametsi nullam necessitatem inferat) quod & ego, & vos sæpe experti estis. Illud autem est, quod suaves isti Veneris milites hominum sanorum commercia, & propiora colloquia assidue venentur, & inter colloquendum ita propinque faciem admoveant, ut olidum virus, quod in ore natum est, in nostras fauces evomere velle videantur. Unde tam jucundum, & amœnum plerumque odorem percipimus, quam si vetulæ baghuttæ recens oletum nares nostras oppugnet. Sed jam utrumque, morbi signis à nobis proditis, ad tertiam nostræ declamationis partem, nimirum curationem, ut sese deflectat oratio, tempus postulare videtur. neque tamen velim, ut minutim singulas antidotos, & pharmacorum temperaturas nos vobis tractaturos expectetis, cum id opus esset longe prolixius, quam temporis mihi concessi ratio pateretur, & inutiliter prope vocabulorum horridulorum congerie me obtusurum vobis persuasum habere. Quapropter summa sequar tantum fastigia rerum, contentus ea attingere, quæ nullo negotio intelligatis, & unde emolumenti nonnihil ad vos derivari possit. Quem igitur hujus affectus suspicio invaserit, signisque nuper rite perpensis admonitus fuerit, citra dilationem, aut moram ullam, medico non inerti, non obtusæ naris, non analphabeto (cujusmodi plerumque sunt omnes, qui hujus morbi curationem profitentur) sed litteris, & dexteritate prædito, se se perfricta fronte, & facie denudabit, morbi sui circumstantias omnes ei aperiens, nihilque eum celans de iis, quæ ad mali sui cognitionem facere possint. Nam, si uspiam, parænesis ista

*Principiis obsta, sero medicina paratur,*
*Dum mala per longas invaluere moras.*

In hoc sane morbi genere locum maxime habitura est. Quoniam si tempore labente altiores in corpore radices eum agere permiseris, tam certo credas, quam si me audias folium Sibyllæ, ita profunde in corporis penetralia se se reconditurum, partibusque internis ita tenaciter hæsurum, ut postea medici industria placari quidem, exstirpari haud temere possit. ne si Apollo quidem pharmaca omnia sua attulerit, adeo inveteratum istud malum humanæ naturæ adversum est, & noxium. Porro adhuc recens, & maxime quod sincerum offenderit laborantis sanguinem, non difficili negotio è corpore omnino profligari à medico non indocto, atque exterminari poterit. Nam & si morbum hunc novum esse, nostræ memoriæ prope medici omnes aperte fateantur, & proinde medicos omnes, chirurgosque initio perspecta mali pravitas valde attonitos reddiderit: industria tamen, & ingenio (Credo equidem auxilium Divum monstrante supremo) eo tandem penetrarunt, ut quæ esset hujus sævientis monstri essentia, penitius cognoscerent: qua cognita causam amoverent: atque ea amota hominem pristinæ sanitati restituerent. Vidimus ipsi, & familiariter novimus in Lovanienſi Academia Chirurgum quendam Insulensem Franciscum Stephanum, qui dum olim adhuc adolescens Lovanii arti suæ daret operam, morbi hujus radicem nescio cujusmodi aqua (neque enim id quenquam mortalium docere volebat) in vitrea ampulla inter prunas sine flamma diutile cocta, exstirpaverit. Mentior, nisi simile quiddam medicorum excellentissimus Petrus Andr. Matthiolus tradat de potu quodam, quem ipse secretum appellare consueverat, quo morbum Gallicum nuper contractum se creberrime curavisse graviter affirmat, ex quocunque etiam humore indiscriminatim conflatum. Alioqui idem auctor aqua, quæ philosophica nuncupatur, affectum hunc facile posse depelli, indubitanter asseverat. Quid vero de ligno illo, quod propter energiam, quam producit, divinam ἀγιόξυλον, id est sanctum lignum appellatum est, dicturi sumus? certe uno ore præstantissimi quique medici hujus unius virtute, morbo Gallico correptum in corporis integritatem redire posse, modo tamen noxiæ materiæ præparatio, & conveniens purgatio antecesserit, profitentur. quo fit, ut non injuria Hieronymum quondam Fracastorium medicum insignem, poëtamque nobilem, postquam in hujus ligni laudes longe, lateque exspatiatus esset, credam entheo quodam furore agitatum in sua Syphilide exclamasse.

*Salve magna Deum manibus sata semine sacro*
*Pulcra comis, spectata novis virtutibus arbos,*
*Spes hominum, externi decus, & nova gloria mundi.*

Sunt tamen apozemata quædam, olea, unguenta, cataplasmata, & nonnulla alia antidota, quibus omnino sit opus ad istius mali, præsertim utcunque adulti, depulsionem: quorum cum uberrimam tibi suppeditent complurium medicorum libri copiam, absurdum fore putavi, & tædiosum, si eis describendis aliquibus aures onerarem; cum pleraque verbis scateant horridis, & exoticis, neque eorum, nisi præscribente perito medico, nobis ullus usus esse possit. Familiariora autem sunt, nec minus tamen necessaria, quæ de rerum non naturalium observantia medici tradiderunt. Sunt autem illæ numero sex: nimirum aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excretio & retentio, atque animi affectus, qui à Galeno, & aliis Græcis πάθηματα simpliciter, & cum adjectione πάθηματα τῆς ψυχῆς nominantur. hæc autem medicorum scholæ res non naturales appellant (ut hoc obiter dicam) eo quod ad naturam nostram, seu corporis constitutionem nihil faciant: sinistre tamen aut dextre adhibitæ vel officiunt, vel humanæ naturæ conducunt. In his vero quid observandum censuerint medici, breviter dicemus. Curando igitur aër, atque anni tempus prudenter seligenda sunt. Cum enim anni partes constituantur quatuor, in eis ver curationi maxime est accommodum. propterea quod reliquæ partes plerumque aliqua vehementi qualitate exsuperent, qua aerem ipsum afficiunt, quem moderatum in calore & humore (cujusmodi sine contro-

verſia vernum aërem omnes eſſe prædicant) ad hanc curationem eſſe convenichat, atque ob id habitationes, quæ ſunt frigidæ, & pluviis obnoxiæ, fontes limoſi, ſtagna, lacus, flumina inundantia, & paludes maxime ſunt fugienda: quia iis inficitur aër, quo plurimorum aliorum morborum veles nobis adducuntur. Cibus autem, & potus non minorem curam, quam ipſe aër requirunt: eo quod (ut inquit Haly) illa corpus noſtrum multis mutationis ſpeciebus immutent. Sit ergo panis non calidus, nec vetuſtatem trium dierum excedens: ſit bene coctus, & fermentatus, modiceque ſalitus, & ex optimo grano ſubactus. Carnibus vero æger utatur paucarum ſuperfluitatum, cujuſmodi ſunt vitulina, hœdina, caprina, quas ſequuntur gallinarum, caponum, perdicum, turturum, phaſianorum, turdorumque carnes. Sed potius elixæ, quam aſſæ eſitari debent, propterea quod facilius concoquantur. Quod ſi occaſio ſe ſe offerat, ut piſcibus veſcendum ſit, curet, ut ſaxatiles ſint, ſquamoſi, & ſinceris aquis degentes: potu autem utatur vinoſo. Sed cautio eſſe debet, ne vinum nimium ſit dulce: quia tale parit in corpore oppilationes: neque etiam novum, quia id ebullitionem humorum, & dyſenteriam generat: ſit igitur medium inter antiquum, & novum, ſit boni odoris, & ſaporis. Inſuper, ut id univerſaliter dicam, cœna prandio ſit ſemper parcior, eviteturque cum inanitio, tum plenitudo: illa enim corpus ita attenuat, ut morbi doloribus æger par eſſe non poſſit, hæc vero (ut Galenus *ſecundo de accidenti, & morbo* ſcripſit) morborum frigidorum cauſa exiſtit. Quare optime divinus ille Hippocrat. protulit *ſectionis ſecundæ Aphor. 5. Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam, quod naturæ modum excedat, bonum.* Quod autem ad ſomnum, & vigiliam attinet, nihil aliud dicturi ſumus, niſi ut tanquam ex tripode reſponſo, fidem æger habeat Hippocrati, *ſectionis ſecundæ Aphor. tertio* dicenti: *Somnus, vigilia, utraque ſi immoderata exiſtunt, malum: vigiliæ enim vehementer exſiccant corpus: ſomnus autem æquo longior pravis humoribus gignendis eſt fomentum. ſi tamen in alterutrum peccatum ſit, diuturniore ſomno, quam vigiliis minus offenderetur.* Meridianum tamen ſomnum tanquam maximam perniciem fugere oportet, niſi forſitan præcedente nocte omnino æger dormire nequiverit. Motus vero, ſi moderatus ſit, probari videtur, modo ante cibum ſuſcipiatur, juxta Hippocratis *ſexto Epidemiarum, ſectionis quartæ Aphor. ultimum* hunc: πόνοι σιτίων προεγέσθωσαν, hoc eſt, labores cibos antecedant. declinare tamen ad ſuperfluam quietem quam ad vehementiorem motum ſatius eſt, imo quando pharmaca traduntur, omnino exercitiis abſtinere convenit. Vitanda eſt inſuper ira, triſtitia, timor, ſollicitudo, contra lætari, bene de ſalute ſua ſperare, & cum amiculis converſari ſolantibus, mire conducit: ſiquidem.

*Anxia mens non ipſa ſibi, non rebus agendis*
*Conſtat, ab hac vitium corpora ſæpe trahunt;*
*Hinc variæ peſtes, morborum hinc mille figuræ:*
*Crede animum noſtri corporis eſſe ducem.*
*Sæpe graves iſta veniunt ex arce labores,*
*Sicut ab aëriis peſtilis aura plagis.*

Denique (ut tandem ad ultimam rem non naturalem deveniamus) diligenter curet æger, ut ventrem lubricum habeat, ſi non natura, certe artificio, & medici induſtria. Venerem autem tanquam peſtem, in ultimas terras relegare oportet: nihil enim eſt nocuum magis. ſi tamen ab ea omnino abſtineri non poſſit, videndum eſt, ne ea, niſi ultima concoctione peracta, advocetur. Reſtat modo, ut memores eorum, quæ in frontiſpicio ſumus polliciti, rationes aliquas tradamus, quibus hanc contagem, quia triſtius haud ullum monſtrum, nec ſævior ulla peſtis, & ira Deum Stygiis ſe ſe extulit undis, devitare poſſimus. nam etſi ex concubitu potiſſimum ſcaturiginem habeat, cum tamen & continentiſſimi in iſtam Scyllam incidere poſſint, accurata præcautione quis eſſe opus inficiabitur? nam adeo præſens venenum fovet iſta peſtis, & tam multas reperit vias, quibus, proh dolor, in corpus humanum, & in id ſolum (cætera enim animalia ab hac lue immunia eſſe aſſerunt) irrepat, ut incautos, quaſi poſitis inſidiis facile opprimat: per contactum ſiquidem, etiam ſine ullo uſu Venereo, maxime ſudore per aërem ex corpore diffuſo ipſius laborantis: per veſtimenta, præſertim linea, quæ cutem contegunt: per cibum, in quem affectus halitum evomuerit, aut gingivis putrilagine corruptis contigerit, per potum ex eodem calice ſumptum: per oſculum in amoris ſpeciem exhibitum, & alia his affinia in hominum præcordia hæc dira peſtis illabitur. Quare ea omnia ſuſpecta habere debet, quiſquis colloquium, aut conſuetudinem cum infecto habere coactus fuerit. ſiquidem aſſerit Nicolaus Maſſa medicorum præcipuus, ſe inter alios amicum quendam ſuum curaſſe, qui per ſolum contactum linteaminum, in quibus quidam, qui in crure ulcus Neapolitanum habebat, ſe dormiturus compoſuerat. Quocirca conſultiſſime mihi facere videntur mercatores, & viatores noſtrates, qui dum foris peregrinantur, diligenti indagine perſcrutantur, num munda, recenſque lota ſint lintea, in quibus jacere debeant, quin imo oculis ſuis, ſuorumque diverſoriorum præfectis diffidentes, allato per ſervitia faſci coculario ea diligenter exponunt, & tam diu protendunt, dum virtute attractoria ipſius ignis, quicquid ineſſe poterat contagii ſudorifici, eductum ſibi perſuaſerit. Evenit tamen, ut aliis alii facilius, & citius hoc malo corripiantur. melancholici enim, ſive per muliebrem amplexum, ſive per ſolam contagem, facilius inquinari poſſunt propter morbi ſimilitudinem, cum ille ſit maxime ſiccus: deinde qui corpora habent delicata, & rara: ſed omnium velociſſime, qui corpus pravis humoribus habent oppletum: cum etenim hujus morbi officina, ſeu ut ipſi vocant, minera, ſit hepar, cujus munus eſt quatuor ipſos humores procreare, ſi ipſum prius male affectum fuerit, ſequitur facillime hac infectione imbui poſſe. Cæterum ad imilites iſtos Cupidineos, qui pruritu quodam libidinoſo ardentes, amplexus meretricios difficulter evitare queunt, priuſquam finiamus, deveniendum eſt: nam & illis quoque præcautionis aliquæ rationes præſcribendæ ſunt. Cum igitur effrenis ille ardor in præcordia, & medullas ſeſe inſinuaverit, ſubeat mentem illorum jubeo, quam multis calamitatibus hominum tota vita ſit obnoxia: miſera & ſordida eſt nativitas, laborioſa educatio, multis injuriis expoſita pueritia, plurimis ſudoribus onerata juventus, graviſſima ſenectus, duriſſima denique mortis neceſſitas: taceo multorum morborum ultro irrepentium agmina: taceo infeſtam paupertatem, infamiam, pudorem, tormenta, inſidias, convicia, lites, contumelias: quæ ſane omnia, etſi mirum in modum gravia, moleſtaque quilibet ſanæ mentis cogatur fateri, ſi tamen adamuſſim perpenſa, aut ad trutinam examinata fuerint, ea dubio procul execranda iſta lues longe exſuperat, quam tamen iſti inſani, & amentes ſuo jumento accerſunt, & ſæpe magno redimunt: ſed ubi eam nacti ſunt, quid aliud (ut non inſcite dixit quidam) quam vivum cadaver gerunt? Porro audiri mihi jam videor in hoc cœtu adoleſcentes quoſdam plane Veneris filios obſtrepentes, ſe nonnunquam conſodalium ſuorum perſuaſionibus prope inevitabilibus ad fornices pertrahi, interdum etiam, ubi Bacchus (ſine quo frigere Venerem merito dixit Comicus) pluſquam dimidium mentis illis abſtulerit, eo rapi, & ſe tum imprudentes in ſpurcarum luparum baratrum impurum prolabi. age, his quoque medeamur. Imprimis igitur edocti à nobis ſigna ſupra indicata, videant, ſi fieri poſſit, ut rem cum non infecta habeant, quod ſi ne id quidem cavere poterunt, ſimul atque flagitioſam ſuam libidinem expleverint, pudenda aqua calida, aut vino (quod melius, ſed imparabilius eſt) candido ablui ſollicite curent: hac enim ablutione peſtifer ille humor pudendis inſidens conſumetur, exterminabiturque. Longe tamen tutior (ut illud tamen coronidis vice addam) & ſalubrior antidotus foret, ab iſtis horrendis lathomiis pedem referre, meretricum laſciviam cane pejus & angue odiſſe, oculorum petulantiam, corporis illecebroſum geſtum, ſermonum blanditias, crines criſpos, labra inſidioſe ridentia, mamillas ad alliciendum compoſitas in tempore diſcere aſpernari: balia, ſuavia, contactus, oppreſſiunculas, affrictiones, luctas, reliquaſque omnes captioſas, quibus puellæ incautos amatores in ſuam naſſam ſæpe pertrahunt, veluti fimum deſpicatui habere: denique ſibi adoleſcentes illos apud Menandrum imitandos apponere, qui, dum inter pocula leno quidam impurus illis inſidias, formoſas aliquot & bene cultas meretrices producendo, moliretur, in ſeſe demiſſis oculis arrodebant bellaria, ne auſi quidem illos in eas deflectere. Iſta ſane, atque eis ſimilia ſi in animum non gravatim demittatis, altaſque radices agere permittatis, à damnoſæ Veneris ſtimulo facile vos liberabitis, & alleretis; cum præſertim brevis illa titillatio aliud ſit nihil (ut recte dixit Socrates) quam morbi comitialis quædam ſpecies, à qua graviſſime corpus humanum labefactari experimur. Quocirca merito Pythagoram interrogatum à quodam, quando cum fœmina eſſet congrediendum, reſpondiſſe ferunt. *Cum voles te ipſo fieri debilior.* cujus quidem rei non ignarus Demoſthenes, Laidem accedens, ejus noctem (ut elegantiſſime Gellius in *ſuis Atticis noctibus Lib. 1. cap. 8.* refert) expetiturus, concubitum pœnitudinem appellavit, ſed ipſius egregii ſcriptoris uti verbis libitum eſt: quia & lepore, & jucunditate, quibus in narrando uſus eſt, vobis gratiſſima fore exiſtimavi. Ad ipſam, inquit *Laidem ille Demoſthenes clanculum adit, & ut ſibi ſui copiam faceret, petit: at Lais decem millia drachmarum* (quæ faciunt noſtræ monetæ mille coronatos) *poposcit. Tali autem petulantia mulieris, atque pecuniæ magnitudine ictus, expaviduſque Demoſthenes, avertit iter, & diſcedens in animum,*

in-

inquit, μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν, hoc est, non emo decem millibus drachmarum pœnitudinem. Posteaquam igitur hujus horrendi morbi adeo turpem originem, notas fœdas, curationem molestam, & aleæ plenam, præcautionem periculosam tradidimus, moneo, ut procul à vobis hanc deformem, & sanioſam psoram arceatis, hanc in barathrum, in sterquilinium, in foricas projiciatis, ac proscribatis, ne tam exitiali scabie correpti, toto vitæ curriculo doleatis.

FINIS.

# MICHAELIS JOANNIS PASCHALII, *Valentini*, DE MORBO GALLICO, TRACTATUS.

*Descriptio morbi Gallici.*

Est morbus Gallicus, quem & Hispanum, & Neapolitanum nominant, nostro sane malo hisce temporibus affectus notissimus, antiquioribus vero ne per somnium quidem notus: detestandus tamen perpetuo, qui cum à putredine incipiat, in linguam terminatur vario, & dolorum, & pustularum proventu, ac præcipue noctu corpus discruciatus. Fit autem à quatuor humoribus, à naturali temperie per exustionem in malignam quandam naturam degenerantibus, à contagio ut plurimum primo affectis. Deprehenditur hoc malum, quia in pudendis à principio pustulæ apparent, crustis obtectæ siccæ, & lenta nonnunquam sanie manantes. Jam & in fronte, & circa radices capillorum pustulæ, seu verius dixeris, tubercula diversi coloris oriuntur, modo citra ullius medicamenti opem deficcata, modo hinc inde frequenter renascentia. In capite summa inest gravitas, in collo, humeris, atque adeo omnibus articulis perpetuus cruciatus, dolorificis ibi tumoribus præter naturam obortis: qui cum difficile discutiantur, tardeque suppurentur, in nodos sæpe ac durities migrant. Ad extremum fauces, palatumque, & insuper lingua nigris, fœtidisque erumpentibus pustulis turpiter exeduntur.

*Causa.*

*Signa.*

*Curatio. Primo Victus.*

Hic morbus curatur primo victu humectante, & in activis temperato, vel parum calido. Quæ atram bilem efficiunt, maxime nocent, ut caro leporina, bubula, hircina, & cervina, caseus antiquus, omnia salsa, & omnia legumina: similiter quæ facile putrescunt, ut pisces & lac.

Conferunt, quæ bonum succum efficiunt, ut panis optimi tritici, pullus gallinaceus, gallina, caro arietina Hispanica, vitulina, hœdi, coturnicis, & similium: de quibus libello de bono & malo succo, libris de tuenda valetudine, & de facultatibus alimentorum multa à Galeno tradita sunt copiosissime: perpetuo tamen considerandæ sunt vires ægri, & morbi magnitudo. Consideranda quoque est sententia Hippocratis *lib. Aphorismorum*, quibus semel aut bis &c. in cibandis omnibus ægris. Utatur si potest exercitatione præsertim ventriculo vacuo, abstineat a venere & animi perturbationibus, quæ bilem atram augent, ut sunt ira, tristitia, & similes.

*Secundo Sanguinis missio.*

Secundo, sanguinis missione, præsertim si fuerit morbus recens: ubi vires sunt majores, secta vena jecoraria, aut communi, ut sanguinis copia respondeat plenitudini, fiatque vacuo ventriculo & intestinis, nisi timeatur subita suffocatio, aliquando bis aut ter sanguis est mittendus.

*Tertio Concoctio.*

Tertio, concoctione per hæc, vel similia. Recipe *syrupi fumariæ. simp. & borraginis ana unc. vi. syrupi fumariæ compos. & de epithymo ana unc. ij. misce.* Item, Recipe *aquarum fumariæ, borraginis, lupulorum, & quinque radicum ana unc. viij. misce*, & facta jam concoctione diebus novem.

*Purgatio.*

Quarto, vacuatione atræ bilis per hoc, vel simile medicamentum. Recipe *medullæ cassiæ fistulæ recens extractæ drach. vj. confectionis medicaminis quod scripsit Hamech drach. iij. ff. diacarthami drach. ij. ff. syrupi borraginis unc. i. decocti florum cordialium quod sufficit, misce, & fiat potus.* vel Recipe *pilularum de fumo terræ, & hermodactylorum majorum ana drach. ff. diagrydii gran. iiij. cum aqua bugloſſæ fiant pilulæ vij.* Deinde per aliquot dies roboretur ventriculus, & partes principes, sanguisque purior efficiatur *electuario diarhodonis Abbatis, vel conserva borraginis aut bugloſſæ cum aqua aut decocto borraginis, vel bugloſſæ vel fumi terræ.* fiat quoque bis vel ter in mense corporis purgatio, his, aut similibus pilulis. Recipe *pilularum de fumo terræ, hermodactylorum majorum, & Indarum ana scrup. ij. cum aqua bugloſſæ fiant pilulæ xv. adde cuilibet earum granum i. optimi diagrydii. Dosis vero sint tres.*

*Exercitatio & balneum.*

Quinto, exercitio forti & balneo, donec sudet copiose, bibant tunc per aliquot dies *oleum commune*, quantitas erit *unc. iiij. cum unc. i. optimi sacchari.* His omnibus solet curari Gallicus morbus si fuerit recens: qui si habuerit pilorum decidentiam, eget præter jam dicta frequenti capitis rasione, frictione, & lotione frequenti, *decocto pulegii, stœchadis, origani, salviæ, rorismarini, & chamæmeli, & similium.* Si his omnibus mederi non possumus huic morbo, adhibebitur syrupus sequens. Recipe *corticis ligni Indici seu Guajaci in minimas partes divisi unc. viij. interioris ejusdem similiter incisi unc. iij. senæ unc. ij. epithymi, polypodii ana unc. i. fumariæ, borraginis, cichorei, rostri porcini, radicum bugloſſæ ana man. ij. florum cordialium ana man. i. liquiritiæ, radicum diureticarum ana unc. ff. fiat decoctum in libris viginti quatuor aquæ optimæ, prius per diem in ea infuso ligno Guajaco ad medietatem secundum artem. Cujus percolati accipe libras decem, & cum quatuor libris sacchari fiat syrupus non perfecte decoctus ad modum mulsæ, cui addes pulveris hermodactylorum unc. ij. pulveris diarhodon Abbatis drach. ij. cinnamomi electi drach. i. Cujus dosis summo mane erunt unciæ quinque vel sex.* Hic syrupus in omni tempore etiam prægnantibus, & febrientibus exhibendus est intrepide, & si opus fuerit, dum bibit hunc syrupum æger, evacua eum per pilulas superius scriptas, vel per medicamentum hoc, si non possit devorare pilulas. Recipe *cassiæ fistulæ præparatæ, & diacathogaliconis ana unciam i. confectionis medicaminis Hamech, & diaseuæ ana drach. vj. diacarthami, & conservæ bugloſſæ ana drach. iij. syrup. borraginis, quod sufficit, misce, & fiat confectio ad modum opiatæ. Dosis cochlearia duo semel in hebdomada.*

*Syrupus ex decocto Guajaci.*

*Laus hujus syrupi.*

*Altera purgatio.*

*Aqua ligni Guajaci.*

Si his peractis semper morbus permanserit, forsan curabitur *aquis ligni Guajaci*, prima valentioti, quæ bibitur bis in die, in aurora nimirum, & nocte à cœna parca per quinque horas: & altera clementiori seu debili, quæ sola in prandio & cœna, & inter prandium & cœnam erit potus. quarum formæ sunt hæ, quamvis secundum variam naturam morbi, & ægri, temporis, & regionis possint fieri valentiores, vel clementiores. Recipe *ligni Guajaci lima vel torno in minimas partes divisi lib. i. aquæ optimæ lib. xx. maneant per diem simul, deinde decoquantur ad medietatem, cujus colatura, rejecta parte terrestri, servetur in vase vitreo, quæ erit prima potentior: ejus dosis est unciæ quinque vel sex.* Deinde *accipe lignum primæ aquæ, & iterum cum libris xxx. aquæ decoquatur donec quinta pars consumatur, & hæc erit secunda remissior prima.* Quibus jam bibitis fiant aliæ duæ ejusdem formæ, vel similis, mutata aliquantum natura earum, si opus fuerit. Et finitis aquis secundæ libræ ligni Guajaci, fiant ex tertia & quarta libra eodem modo, donec æger sanetur. Accipiat qualibet hebdomada tres ex pilulis superius scriptis, vel duo cochlearia confectionis purgantis.

*Aqua smilacis asperæ.*

Fiunt ad idem efficiendum aquæ ex aspera smilace nostri temporis, & est Sarza Parilla, quæ ex India in Hispaniam advehitur, forma earum est. Recipe *uncias sex dictæ Sarzæ Parillæ conquassatæ, & per diem naturalem infunde in libris xij. optimæ aquæ, deinde decoquatur ad medietatem, cujus colatura in vase vitreo conservetur, sumenda mane & vesperi quantitate unciarum quinque*, & hæc est prima valentior. Deinde accipe *eandem smilacem asperam prius decoctam, & in lib. xxx. aquæ decoquito, donec quinta vel sexta pars consumatur:* & hæc erit secunda mitior ad potum in prandio & cœna, & inter prandium & cœnam. Quibus finitis parentur aliæ ejusdem, vel similis formæ quemadmodum fiunt ex ligno Guajaco. Tempus accipiendis iis commodius est Ver, deinde autumnus. Æstas ve-

*Tempus curandi morbum Gallicum.*

ro eſt vehementer inepta & adverſa. Hyems accommodatior ætate, vere & autumno deterior. Noſtris quoque temporibus reperta eſt radix China, cujus aqua ſolet curare morbum Gallicum, & articularem. De qua exſtat liber ſcriptus à doctiſſimo Veſalio. Lege etiam methodum propinandi decoctum hujus radicis apud Amatum Luſitanum *Centur. 2. Curat. 31.* rectiſſime traditam. victus ratio, dum bibuntur hæ aquæ, præſcripta eſt jam ſuperius, quamvis in cœna nullæ carnes ſint exhibendæ, ſed panis nauticus, vulgo biſcoctus, uvæ paſſæ, vel radix bugloſſæ condita, vel cucurbita condita, præcipue ſi fuerint Caſtellani. Semper tamen eſt ſequenda Hippocratica veritas ſuperius dicta, quibus ſemel, aut bis &c.

*Vinum ſanctum.* Curatur quoque morbus hic uſu vini ſancti, quamvis biliosis & ad hecticam diſpoſitis minus, quam aqua ligni Guajaci, conferat. Ejus forma hæc eſt. Recipe *corticis ligni Indici lima vel torno diviſi in partes minimas unc. ix. interioris ejuſdem unc. iiij. folliculorum ſennæ, epithymi, polypodii ana unc. i. fiat decoctum in lib. xxiiij. aquæ ad medietatem, de cujus colatura accipe lib. x. quibus probe calefactis adde vini generoſi lib. xv. & omnia ſimul maneant in vaſe fictili, donec calor abſumatur, poſtea conſervetur mixtura in vaſis vitreis: quibus adde pulveris hermodactylorum unc. ij. bibat in aurora, & veſperi lib. ſemis hujus vini, loco primæ aquæ potentioris, & fiat ex ligno, & cortice jam prius decoctis aqua pro potu in prandio, & cœna cum lib. viginti quatuor aquæ, donec quarta pars conſumatur, qua bibita, ex vino fiat ſecundo modo eodem, ut dictum eſt ſuperius, cum de aqua ligni Guajaci ageremus.* Hoc tamen brevius, quam aquæ ſolæ curare poteſt etiam antiquum morbum Gallicum.

Si fuerit antiquus, & curatu difficilis, fortioremque poſcat curationem, facta jam clementiori medicina, niſi morbi & ſymptomatum magnitudo ſolitum ordinem invertat: (nam auctore Cor. Celſo, *lib. ij.* non poteſt vehementi malo ſuccurrere, niſi æque vehemens auxillum) potentioribus opus erit. Inter quæ à multis expertum eſt, & à me laudatum medicamentum ex Mercurio & aliis, partibus externis admotum ordine conſueto, conſentientibus viribus ægri, quia ubi illæ non adſunt, non oportet laborare: neque facultas ipſius argenti vivi eſt tunc pertimeſcenda, cum olim ſæpe morbis multis levioribus admoveretur, ut ſcabiei. Galenus tamen nunquam fecit periculum de eo, an interius ſumptum, vel exterius admotum, interficiat.

Expertum à nobis unguentum hoc. Recipe *axungiæ porcinæ ſine ſale unc. iij. oleorum laurini, de lilio, & rutæ ana unc. i. ſſ. theriacæ magnæ drach. iij. rubiæ tinctorum drach. iij. argenti vivi unc. ij. croci, cinnamomi ana drach. i. moſchi, & ambræ ana gr. iij. miſce, & fiat unguentum.* Poterit augeri, vel minui, auctо vel imminuto Mercurio, habita ratione virium ægrotantis, & morbi. Certa rei quantitas neque prætiniri poteſt, neque ſcribi. Aliquando ſufficit prima unguenti admotio, aliquando duæ ſunt neceſſariæ, aliquando tres, & plures quam ſex, quod per ſudores, alvi excretiones, & oris deprehendes. Partes, quibus admovetur, ſunt extremæ, videlicet brachia, tibiæ, ſpina, & venter verſus inferiores partes.

At cor, & ventriculus omnino cuſtodiantur, ne ab illo medicamento lædatur pars nobilis, vel ei, vel toti ſerviens. Unguentum cum admovetur, ſit actu bene calidum, & habitaculum etiam, & ſi non ſudaverit, ægri pedibus apponantur lateres calidi cum vino: quod ſi cum his non ſudaverit, neque oris excretiones, neque alvi dejectiones habuerit: cum iis, vel ſaltem aliqua ex ipſis evacuationibus ſoleat hoc medicamentum hunc morbum curare: tunc totius corporis ſuffitu erit opus, dempto capite, ne vis venefica per nares & palatum cordi & aliis partibus noceat. Quare æger ſtans veſtiatur Conopeo, vulgo dicitur Pavellon, capite ſolo nudo apparente, & inter illius tibias ſuper prunas ſpargatur ſequens pulvis. Recipe *cinnabaris drach. i. ſ. rubiæ tinctorum, cinnamomi, & croci ana drach. ſſ. miſce, & fiat pulvis ad primum ſuffitum*, & ſi opus fuerit fiant duo, vel tres. Tunc, immo etiam tempore unguenti ſex mercurio, habeat æger in ore cryſtallum, vel aliquem liquorem adſtringentem, & repellentem, ad defenſionem dentium & oris. Si vero fuerint ulcera & caliditas, quemadmodum ferme ſemper eſſe ſolent, lavetur ſæpe os ſequenti mixtione. Recipe *aquæ plantaginis unc. iiij. aquæ portulacæ, roſarum, & lactucæ ana unc. ij. ſſ. rhodomellis, ſyrupi roſarum, & oxyſacchari ſimpl. ana unc. ij. pulveris aluminis uſti, & maſtichis ana drach. ij. miſce*, hoc vel ſimili medicamento curantur oris ulcera. Aliarum vero partium ulcera omnia, ſi fuerint ſine oſſium corruptione, ſolent curari ſine medicamentis externis, facta curatione totius corporis per ea, quæ diximus. Oſſium tamen corruptio cauterio eget, & propria curatione, quæ ab erudito chirurgo adminiſtrabitur. Nonnulli in curatione hujus morbi antiquiſſimi, & fortiſſimi, præter jam dicta utuntur pilulis addendo grana aliqua pulveris Joannis de Vigo. ego non auderem uti illo pulvere, ne in parva, quidem quantitate, & correcto, quia eſt corrodens medicamentum. Fit autem *ex argento vivo, & aqua ſeu lixivio forti, & potenti, quo aurifices utuntur.* Illius tamen auctor Vigo ſecunda parte ſui operis, in peſte dat duo grana hujus pulveris, quæ (ipſo dicente) vomitu, & ventris profluvio violenter purgant. In colica quoque grana duo ejuſdem pulveris cum drachma ſemis Philonii Romani, laudat tanquam utile, & optimum auxilium.

Ejus tamen vis corrodens externis partibus clemens eſt, & ſine periculo, & pauci doloris. Aliquando tamen opus eſt miſcere parum unguenti albi, ne dolor magnopere intendatur, & ideo unguento ſuperiori loco argenti vivi indere parum hujus pulveris, potentius hoc eſſet & tutius, quam interius aſſumere. Qui devorandum eſſe hunc pulverem cenſent, aquis frigidis, & cordialibus, & aliis corrigunt. Hujus pulveris emendatio, auctore Petro Andrea Matthiolo Senenſi fit. Recipe *pulveris præcipitati ex Mercurio, (qui fit ut docet idem Matthiolus lib. de ratione curandi morbi Gallici) unc. ij. aquarum plantaginis, & acetoſæ ana unc. ij. macerentur per noctem, & ſummo mane prioribus aquis ejectis, de integro alias ejusdem ponderis ſuperinfunde, in vaſe æneo, vel teſtaceo ad ignem collides, & non ceſſes agitare ferrea, vel lignea ſpatula, donec in pulverem redigantur, ex quo ſic correcto, poteris pilulas quæ ſequuntur componere, & fiet major correctio.* Recipe *electuarii cordialis conciliatoris ſcrup. ſſ. margaritarum præparatarum, hyacinthorum, pulveris præcipitati ſeu Joannis de Vigo. ana gran. v. pulveris diamoſchi, & diamargaritonis frigidi ana unc. ſſ. fiant ex his catapotia quinque, quæ ſumantur ante ſolis exortum.* Hæc enim eodem auctore brevi tempore Gallici morbi dolores tollit, educendo vomitu, & ejectione pituitam, & atram bilem. Plurima aliorum morborum genera idem doctor hoc pulvere curavit, addendo diverſa medicamenta, pro ratione diverſorum morborum. Quod ego, quemadmodum dixi, periculoſum exiſtimo, etiamſi præter auctoritatem Pauli Æginetæ, & Arabis Avicennæ, tot experimentis ſit credendum, & cum Hippocrate extremis morbis, extrema exquiſite remedia optima ſint. Laudat ſimiliter hic auctor in hoc, & aliis morbis, qui ex atra bile fiunt, *pilulas ex helleboro, quas Meſue capite de eo ex Haly deſcribit*, earum tamen uſus in vere tantum juvenibus, & robuſtis confert.

F I N I S.

PRO-

# PROSPERI BORGARUTII,

*Medici & Philoſophi,*

DE

# MORBO GALLICO

## METHODUS.

*Illuſtriſſimo, ac Colendiſſimo* D. D. FRANCISCO MARIÆ *de Marchionibus Montis, Abbati Sanctæ Crucis, &c.*

## PROSPERUS BORGARUTIUS,

*Medicus, & Philoſophus* P. F.

*Si vere dici ſolet, Abbas Illuſtriſſime, quamlibet promiſſionem debiti loco habendam eſſe, eumque, qui quid cui promittat, omnino debitorem appellari debere. Ego, qui proximo ſuperiore anno, dum cum nonnullis acutiſſimi, & præſtantiſſimi ingenii nobilibus viris in ædibus tuis de abditis quibuſdam naturalium, moraliumque rerum cauſis Academicorum more diſſererem, promiſi tibi me breviſſima quadam methodo regulam traditurum, qua dignoſci nullo negotio poſſet, quiſnam morbi Gallici (quem vocant) contagione laboraret: quænam huic tam deteſtando, & execrabili malo remedia applicanda eſſent, & ſi quæ alia ad hanc rem pertinerent, jure viciſſim optimo debitor tuus ſum exiſtimandus. Id vero mihi ſæpe ſæpius animo cogitanti, viſum fuit in præſens tempus idoneum, (ut me bonum nomen judicares) quo & debitum hoc perſolverem, & ſimul hoc obligationis vinculo, quo me jam diu adſtrictum habes, quantum fieri poſſet, liberarem. Et quamvis paulo diutius exſpectaſſe videri poſſim (duplici nimirum tertiana febri continuo ſex menſium ſpatio graviter in lectulo decumbens) ſpero tamen pro animi tui generoſitate, & ſingulari, qua polles, humanitate, te haſce noſtras lucubratiunculas minime aſpernaturum, quin potius pro innumeris Illuſtriſſimæ familiæ tuæ beneficiis perpetuo tibi fuerim deditiſſimus, diuturniorem hanc meam moram æqui, bonique conſulturum. Illud autem majorem in modum etiam, atque etiam peto, ut ſi conceptæ de me opinioni minus ſatisfecero, tu munuſculum hoc noſtrum levidenſe (ut ille inquit) ex animo potius, quam ex re ipſa metiare. Cæterum opuſculum hoc, qualecumque tandem ſit, tibi unido, dico, & addico, ut ſi quid ex hac re (quod vix auſim ſperare) emolumenti communi hominum ſocietati accedet, tibi, ſub cujus nomine libellus in lucem prodit, omnes acceptum ferant. Non me fugit te longe majore volumine donandum fuiſſe, niſi ſubjectæ rei natura obſtaret: quippe cum omnia, quæ ad hanc rem ſpectant, diligenter à me ſint inſerta, & pro ſubjecti ipſius tenuitate, libellus ſatis ſuperque ſibi reſpondeat. Et ſane nihil hoc loco attinet, te animo tecum evolvere graviſſima in me collata beneficia, quin potius, qua motus ſum, præſentis temporis opportunitatem conſiderare. Jam vero nihil opus eſt à me diffuſius commentari, quanta dignitas, quantuſque ſit ſplendor, non dicam Illuſtriſſimi, ſed plane Regii ſtemmatis tui, Colendiſſime Abbas, cum illud nil aliud ſorct, quam Solem (quod ajunt) facibus velle illuſtrare. Quis enim hac tempeſtate ignorat Heroicam Marchionum Montis familiam ex regia Borbonum ſtirpe ortam, originemque habuiſſe? Conſtat profectò ex hac veſtra nobiliſſima progenie (quemadmodum ex equo Trojano fortiſſimi Duces prodierunt) quamplurimos belli, pacíſque artibus præclariſſimos, ac fortiſſimos viros deſcendiſſe. Hæc tu cum præferas generis ornamenta, unum illud noctes dieſque cogitas, ut veram, ſolidamque gloriam perpetuam virtutis comitem aſſequare. Macte virtute nobiliſſime Juvenis, ſic ibis ad aſtra, clariſque majorum tuorum imaginibus, quibus nihil addi poſſe videtur, immortalem gloriam, famam, poſteriſque tuis perfectum, quod imitentur, exemplares relicturus. Sed nolo ſic ego pluribus laudes tuas attingere, tum quod inſtituti hujus ratio id non patitur, tum quod in aliud tempus eas mihi prædicandas diſtulerim. Tu velim hunc noſtrum laborem hilari animo accipias, ſpereſque futurum, ut majora aliquando à me ſub tuo nomine in vulgus prodeant. Vale, Patavii, pridie Non. Aprilis 1567.*

### CAP. I.

*De origine, & nomine morbi Gallici.*

Morbus Gallicus, Hiſpanus, Neapolitanus, Indus, vel Catholicus, aut Venereus, ſive Mevius, nihil aliud eſt, juxta antiquorum noſtrorum præcepta, niſi affectus quidam præter naturam, ſenſibiliter actiones lædens, & eo nomine nuncupatur, quoniam indubitata omnium fide conſtat, anno poſt Chriſtum natum 1493. aut ſequenti, quando Galliarum Rex Carolus Octavus in Italiam arma moveret, incepiſſe. At Galli hanc ignominiam minime ferentes ex Hiſpania, aut incolarum ejus navigationibus, ex novo (ut ajunt) orbe, in quo hæreditaria vindicta, ſimili labe corripiuntur omnes, peſſimum malum in reliquas nationes irrepſiſſe clamitant. Hiſpani vero, cum hujuſcemodi Gallorum rationes animadverterent, viderentque apud Neapolitanos populos luem iſtam magis regnaſſe, eam potius Neapolitanam, quam ſecus, voluerunt appellari. A Verum Itali, cum præoccupati admodum à Gallorum caſtris eſſent, & inter Gallos apparuiſſet principio peſtis iſta, ideo morbum Gallicum eam maluerunt nuncupari. Ut ut tamen hæc res ſit, novus in Italia morbus eſt, antiqua carens appellatione, affectuſque horribilis exſtat contra naturæ limites, qui quidem corpori noſtro infidet, illiuſque actiones primo, ac per ſe vitiari dicitur, quemadmodum reliqui omnes morbi hoc habent innatum, ut unicuique conſtat.

### CAP. II.

*In quo morborum genere ſit morbus Gallicus conſtitutus.*

B Morbum Gallicum inter novos connumerari morbos, ac merito, & legitime in morborum ſerie connumerandum eſſe ex prædictis nobis abunde demonſtratum fuit, cum nulla habeatur ejus mentio apud Hippocratem, Galenum, Avicennam, & alios antiquos. Dictum etiam

abunde

abunde fuit quot, & quibus in diversis orbis istius Christiani partibus, denominationibus dignosci possit, & quamobrem omnes nationes eodem morbo quodammodo affectæ fuerunt. Nunc igitur relinquitur, ut ad rem ipsam explanandam descendamus, ad genus scilicet morborum, in quo merito constitui possit, vel prava nempe intemperie, vel mala compositione, sive continui solutione: idque præcipue nobis perscrutandum principio ante oculos accedit, cum præsertim diversæ auctorum rationes hinc inde publice conspiciantur, ex quibus liquido constat, nostros in hac re medicos hujus temporis seniores anxios sæpenumero fuisse. Verum enimvero, cum videamus morbum Gallicum multoties cum ulceribus quibusdam, pustulis, ac gummis, quæ actiones corporis cum lædant, inter morbos illos idcirco connumerari potest, qui continui solutionem præ se ferunt: & quoniam pustulæ, ac ulcera prædicta minime fieri possunt absque sanguinis, ac humorum aliorum in corpore mala qualitate, acri scilicet, ac corrodente, & sæpenumero cum febre conjuncta. igitur, judicio meo, morbus iste cum mala erit etiam qualitate. Patetque præterea eum esse morbum in compositione, quoniam affectio in membris organicis continetur, ut omnes propemodum confirmant. Nonnullos siquidem videmus hac lue prava affectos, brachia, & tibias valde extenuatas habere, ac præter naturæ limites, easque alios tumidiores solito, atqui una caput, scapulas, ac reliquas corporis partes. unde constat, eos aperte incurrere in vitiatam partium compositionem, & ideo respectu ejusdem figuræ, membrorum quantitatis, ac dispositionis, morbum in compositionis genere comperiemus. Qua propter lues ista genus omne malorum generale complectitur, nec ideo mihi satis videntur experti, qui asserunt, eum non esse calidam intemperiem, non humidam, non siccam, non frigidam, nec continui esse solutionem, non tumorem præter naturam, non passionem in conformatione, & numero, quoniam ex prædictis facile conjicere unusquisque potest, an talis hæc affectio exsistat. Constat præterea, eum esse morbum (ut dictum abunde est) & cum omnis morbi natura aut sit partium similarium (& hoc consistit in temperamento) aut partium instrumentalium, & consistit in conformatione, numero, & situ, aut sit communis ambobus, & consistit in unitate soluta, cum morbus Gallicus palam sit ex istis; ergo erit morbus, atque malorum genus generale complectetur (ut ita iterum dixerim) satis aperte. Imo manifestum etiam nobis conspicitur, hunc pravum, atque horrendum morbum esse quoque in tota substantia, atque id ipsum demonstrare commode possumus, cum non ceciat medicamentis inventis ratione, sicut medici illi, qui aderant in principio, manifeste declararunt. quandoquidem, licet doctissimi, desperarunt tamen in arte, cum viderent se methodo non potuisse invenire optimam rationem curandi, atqui in maximo despectu medici tunc temporis apud omnes nationes fuerunt: & nisi Hispani illi supervenissent, edocti quomodo apud Indos morbus sanaretur, & nisi casu chirurgici audacissimi argenti vivi medicamen invenissent, adhuc rebellis esset morbus, & adhuc maxime sæviret. Sed quoniam doctissimi etiam recentiores medici multoties de integra morbi Gallici resolutione desperarunt, hinc factum sane est, ut empirica curatio prævaluerit. Et ideo non desunt, his nostris temporibus, carnifices medici, qui nulla vel generis morbi, aut speciei habita consideratione, statim ad morbum profugandum accedunt. Sed utinam non usque adeo credulum esset vulgus perditissimis istis impostoribus medicos mentientibus, titulo quodam secretorum, quæ hic à patre accepta jactabat, ille partim empta, partim compilata gloriatur, alius ex pharmacopœorum diario consarcinata venditat. Attamen an secreta hæc, hoc est efficaciora, ac probatiora sunt remedia, an verius cacodæmonum manus? Nam per se remedia nec salutem efficiunt, nec morbos, sed cum à medico natura prudente, & in rationali methodo probe exercitato exhibentur, deorum manus & salutaria vocabantur Herophilo: cum à stolido literarum omnium ignaro, venefica manus quidni appellentur? Quam rem operibus quotidianis aperte testantur, dum purgantia indies ægris imperant, quibus tolerandis ne quidem equus fortissimus par fuerit. Vides totius orbis miraculum Italia, quam inique ab Æsopicis istis corniculis, & purpuratis simiis illudaris: sed communis hæc arrogantia, atque usurpatio pharmacopæis, rhopopolis, tonsoribus, aliptis, reunctoribus, obstetricibus, clinicis mulierculis, ac ægrorum ministris. Quid? quod anus surdastra, sorditie, annis, pannis oblita, lippa, in medio prostibulo educata, etiam ex lotio morbos, & partes affectas judicare, apud rudem plebeculam simulat? In quibusdam optimis civitatibus, si quis horum nebulonum se medicum mentiatur, mox raptus in asinum strigosum, & si invenitur, scabidum sublimis tollitur, aversus urbe tota circumducitur, scommatis undique inceditur, conspuitur, lacteratur, pulsatur, sordibus omnis generis conspurcatur, postremo expiata urbe ejicitur, illuc nunquam rediturus, nisi malo suo maximo. Quam vellem legibus nobis idem ubique licere, non enim omnes ex professo morbos curatu difficillimos, aliorum utique vitæ periculo, expellere tentaremus. Sed ad rem tandem redeamus, id ipsum omnino concludentes, quod nisi optime morbi cujusvis naturam perspexeris, eum minime curare tuto poteris. Et idcirco non sat est nobis dixisse, hic laborat morbo Gallico, ergo remedia ei exhibeamus, quæ alterum ab eodem affectu liberarunt, sed præstat ejusdem genus inter cætera comperire, & alias contemplationes ante oculos habere, antequam ad remedia præcipitemus. Morbus igitur iste tam diram habet naturam, ut merito concludamus, omnia morborum genera cum ipso conjuncta quodammodo fuisse, videlicet quæ vel pravam habeant intemperiem, vel malam compositionem, aut continui solutionem. Aut præterea dici possit æstivus, epidemialis, aut communis, judicent obsecro medicinæ studiosi, quibus per manus hic noster tractatus pervenerit. Commode satis enim ex antedictis unusquisque cognoscere poterit, an eodem oriatur modo Gallica lues quo cæteri prædicti morbi, & numquid causas suas habeat communes cum ipsis, necne: atque ita facile rem omnem comperiet dilucidatam, quibus jam brevibus enarratis, commode satis, ac tempestive ad prædicti morbi Gallici specierum enarrationem devenire fas erit.

## CAP. III.

### *De numero morbi Gallici specierum.*

Modo ad particulares morbi istius species ordine pervenire debemus, easque, antequam ulterius nostra extendatur oratio, modo quo genus prædictum examinemus, ut inde facilior accidentium omnium cognitio universa patefiat, morborum enim species, atque naturas in primis considerandas vetustissimus prodidit Hippocrates *libro secundo de ratione victus acutor., text.* 38. tum & symptomatum naturas, quæ affectus ipsos velut umbra corpus sequi solent. Octo igitur nostris præteritis medicinæ scholis simplices primum morbi Gallici species connumerantur, quibus optime tandem perspectis statim, quæ compositæ etiam dicuntur, manifeste admodum apparent. Inter primas autem antedictas simplices species ea principio confideratа fuit, in qua scabies quædam satis venefici ordinis per corpus universum conspicitur, cum pustulis quibusdam, ulceribus, ac similibus supercutaneis affectibus. Ubi quidem manifesta est continui solutio, ortum habens ab humoribus, qui malam susceperunt qualitatem, acrem inquam & erodentem, & cum ea continui solutione erit etiam depravata figura. Hanc, quam dixi, speciem quidam ex doctoribus medicis existimarunt non esse inter alias, quas infra demonstrabimus species connumerandam, ea tantum ratione commoti, quod adeo supercutaneus affectus sit, ut minime actiones membrorum lædat, & per consequens minime morbus, aut morbi species merito dici possit. Attamen color cutis, quia nullam edit certam operam, sive mutetur, sive non, non est morbus re vera, quemadmodum de caliditate, & frigiditate etiam dicendum moderata, quia ex ipsis non dependet opus, sed quia dictum est, quod ortum illæ superfluitates habent ab humoribus, qui malam susceperunt qualitatem, idcirco necesse est, ut musculorum, cutis internæ, ac aliarum partium, actiones depraventur, & morbus præterea consequatur. Quandoquidem sancitum est in particulis ipsis, ad quæ consequuntur necessario actiones, tria reperiri, temperatura scilicet manifesta, temperatura formalis, & omnia, quæ pertinent ad conformationem. Prima scilicet est caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, quæ res causæ à medicis dicuntur quarundam operationum in particulis, sive sint simplices, sive compositæ. Unde os sua frigiditate, & siccitate agit. Secundum est harmonia resultans ex quatuor qualitatibus. nam quando dicimus os esse frigidum, & siccum, non est formalis illa temperatura ossis, sed proportio, quæ sensibus latet, quæ est forma ossis, ab hac oritur operatio, & hæc est, ut os generet os. Tertium genus est numerus, quantitas, conformatio, figura, unio, & dissolutio, quæ quidem hoc loco tantum enarrata nobis sint, ut revocemus in mentem causam, cur in natura morbi necessaria læsa actio requiritur. Quibus tandem declaratis manifeste conspicimus, an merito affectio prædicta inter morbi Gallici species simplices (ut ajunt) connumerari debeat, an minus. Secunda præterea morbi istius simplex species illa dicitur, quæ dolores, ac cruciatus maximos affert absque aliqua manifesta tumefactione, sine ulceribus, vel pustulis. Prædictam autem secundam speciem vulgus nostrorum medicorum dolores Gallicos vocare consuevit, quos quidem ortum habere dicunt à mala ac vene-

venefica morbi hujus qualitate, ab excremento ſcilicet in partibus congenito, & ex ventriculo, & hepate tranſmiſſo, eſt enim materia (ut plerique volunt) pituitoſa, & melancholica facta per aduſtionem, quod quidem ſymptoma primum capitis univerſi, vel dimidii, deinde articulorum ſuperiorum, & inferiorum, & præcipue internodiorum peculiare exiſtit, atque die quieſcit, noctu vero, vel ante cœnam, vel poſt ſolet excruciare, & inſomnes reddere homines, cum doloribus pungentibus, & quaſi diſtendentibus. Nocte autem excruciat, tum quia humor frigidus eſt, & nox frigida, tum propter naturæ ſimilitudinem, vel cum tota die, & ob motus, & ſolem corpus habeat meatus apertos, fiunt diffationes: ac nocte ſtipantur pori, & ideo dolor accedit: pungunt autem dolores iſti, quia fiunt circa membranulam illam, quæ oſſa undequaque cingit, unde nomen adepta eſt, Græcis enim perioſtion dicitur, ut melius demonſtratum eſt jam antea in noſtris Anatomicis contemplationibus. Altera deinde hujus morbi Gallici ſimplex ſpecies illa dicitur, in qua accidit, ut cum doloribus prædictis inflatæ quoque fuerint particulæ affectæ, vel tumores, aut gummata apparuerint aliqua doloribus omnino expertia. Verum accidit, ut poſt dolores etiam tumores infeſtent circa articulos, internodia, in medio cubito, in media fibula, & circa caput. Qui quidem tumores, cum contineant materiam craſſam, quæ eſt veluti gummi eliquatum, ideo gummata Gallica medice nuncupantur. Duorum autem ſunt generum, alter ſcilicet tophaceus eſt, alter autem minime: tophaceus eſt conſtans ex materia penitus lapidoſa, ut ego multoties animadverti, tanquam oſſei tophi, vel materia illa, qua ligantur oſſa fracta: alter vero, quando materia eſt mollis; quæ tripliciter apparet, nam aliquando eſt veluti laridum, aliquando eſt minus craſſa, & eſt ſimilis polentæ. tertia poſtea ſpecies eſt ſicut mel ipſum, ſed nequaquam dulcis, & melicceris Gallica dicitur. in capite ut plurimum ſunt ſubſtantia, vel laridi, vel mellis, vel polentæ: circa pedes ſunt majori ex parte lapidoſi, & tophacei quemadmodum idem evenit in tibiis, in intermediis nunc tophacei, nunc molles exiſtunt: loca ſunt ligamenta articulorum, corpora oſſium, perioſtia, in quibus tumores doloroſiſſimi ſunt: aliquando in ſuperficie oſſis concreſcit affectus iſte. Materia eſt, ut plurimum pituitoſa, tenax, & melancholica, quum natura bene concoquere non poteſt: aliquando miſcetur biſis, & ita fit meliceris: aliquando eſt pituita minus craſſa, & fit atheroma: aliquando craſſa eſt, & melancholica, & fit tophus, vel ſteatoma. Ubi autem iſthæc evenerint, nemo quidem inficias ibit, morbum tunc eſſe in continui ſolutione, ut antedicta majoribus adhuc vinculis corroborentur, mala qualitate, ac pravo compoſitionis miniſterio: tumores etenim deformem introducunt figuram, malamque ſimul compoſitionem in membris, in quibus conſiſtunt. Quartam deinceps morbi iſtius ſpeciem, quæ inter ſimplices connumeratur, eam dixerunt eſſe, in qua oculorum viſus depravatus eſt, vel cæcitas tandem conſequitur: non enim quam primum ipſos oculos amittit ægrotus, ſed potius pedetentim affectio quædam ophthalmiæ conſequi videtur, rubenteſque eos oculos proſpexeris, ac venulas eorum tumentes: unde manifeſte concluditur, talem eſſe malam qualitatem, continui ſolutionem, & malam etiam partium ſtructuram. Similiter cum dentes dolent, & cadunt in morbo Gallico, ultra depravatam qualitatem ad eorum uſque gingivas permeantem, ipſæ etiam gingivæ exulcerantur, ſitque ſtatim continui ſolutio: ſed ſi præter illa dentium caſus omnino ſequetur, ſtatim hominum deformatio (ut ſic dixerim) apparet. labia ſiquidem, os, ac genæ plus ferme ſolito ſtringuntur, & inde fit tandem, ut hoc modo morbus in maſa ſit qualitate, compoſitione, & continui prædicti ſolutione. Id idem in unguium caſu perſpiciemus, ac modo eodem judicium proferemus, acres quandoquidem humores hoc ipſum facere omnes medici confirmant, in radicum unguium tali eroſione, ut ſimiliter dixeris adeſſe continui ſolutionem (ut antea ſancitum eſt) qualitatis depravationem, & malam quoque compoſitionem. Altera deinde ejuſdem morbi Gallici ſimplex ſpecies, ea dicitur, quando capillorum, ſuperciliorum, & barbæ defluvium ſuccedit. Antiqui calvitiem, alopeciam, ac ophiaſim cognoverunt, quæ genera defluvii diſtant longe à noſtro, de quo jam agimus. noverunt etiam pilorum caſum in lepra. cum itaque ſolet incipere morbus iſte, ita afficit aliquando partes capitis, ut pili cadant: cadunt, inquam, ea de cauſa, qua dixit Galenus *primo de compoſitione medicamentorum per genera cap. ſecund.* quod cito Italica lingua converſum cum aliis ejuſdem generis publice trademus; qua ſcilicet arborum plantæ: nam pili ſunt veluti arbores corio inſerti, & ſicuti areſcunt arbores, ita etiam areſcunt pili. Plantæ autem areſcunt, aut quia deeſt alimentum, aut quia ſuffocantur à malo, & ita pili. In Gallica deinde affectione cadunt pili ob malum alimentum, non autem ob ſiccitatem. nam turgent genæ, incraſſantur palpebræ, & lucidæ fiunt, & perlucent ſicut bombyces illi ſericini, quando habent ſericum maturum: hoc autem provenire arbitramur, quia vapor, & humiditas multa infecta colligitur ibi, quæ cum tenuis ſit, facit ſplendorem: hoc ita poſito, incipit defluvium pilorum. Altera præterea, quæ medicis noſtris præceptoribus aſſignata fuit, ſimplex morbi hujus ſpecies ea fuerit, in qua gonorrhœa quædam conſpicitur, per indicia valde conſpicua ab altera gonorrhœa non Gallica, quæ variis rationibus aliquando accidere ſolet. Eſt autem gonorrhœa autore Galeno *libro ſexto de locis affectis*, inſtrumentorum ſeminis affectio, ſeminiſque excretio invita, quam involuntariam quoque nominare licet. In ea gonorrhœa Gallica idem color ſeminis apparet, ut in altera uſu evenire ſolet, & uti ex coitu una provenit, ita & altera: habemus tamen conjecturas, & multas: quarum prima apud me eſt, quando incipit gonorrhœa Gallica, non eſt ardor, vel pruritus ingens, qui eſt illa gonorrhœa non Gallica dicta, in qua quidem canalis exulceratur urinarius, & tunc ſuccedit ſtranguria, qui eſt appetitus ſemper mingendi. ſecundum indicium eſt à diuturnitate, quia Gallica longa eſt, altera vero citius cedit, niſi fuerit ex catharro. tertium quod in gonorrhœa non Gallica (ſi copioſa fuerit) conſequitur corporis conſumptio; Gallica etiam diuturniſſima non ita corpus abſumit: præterea gonorrhœa Gallica brevi temporis ſpatio ſine moleſtia, & ſemel coëundo concipitur. deinceps gonorrhœa Gallica non poteſt cedere medicamentis localibus, at reliqua per inunctionem teſtium, renum, & aſſumptionem medicamentorum per os facilius cedit. Atque iſtæ erunt octo ſimplices ſpecies morbi Gallici à noſtris prædeceſſoribus diligentiſſime jam enarratæ: & quamquam mihi in ordine minime ſatisfaciant, eas tamen proponere volui, ut judicium à poſterioribus expetam. Ego enim hoc altero potius modo totam brevibus ſpecierum prædictarum obſervationem tradam, præpoſitam non penitus rejiciendo. Tres, inquam, primum reperio hujus affectionis ſpecies, quæ recte admodum nuncupari ſimpliciores poſſunt, quibus optime perſpectis, ad reliquas deinde obſervandas accedemus, illam, quæ puſtulas tantum habet, ſive bullas dixerimus, quam vulgus Gallicam ſcabiem nominavit, alteram vero, quæ cum doloribus tantum permanet, quam dolores morbi Gallici dicimus, tertiam deinde cum doloribus ſolummodo obturatis, quam Gallicos tumores, ſive Gallicas duriſies appellare idem vulgus conſuevit. Iſtæ igitur erunt ſpecies hujus morbi ſimplices dictæ, ex quibus præterea tres itidem reſultant compoſitæ ſpecies: ea videlicet, in qua puſtulæ cum doloribus una comprehenduntur, quam quidem Gallicam cum doloribus ſcabiem appellare nobis licebit, eo nomine puſtularum utentes, vice ulcerum, bullarum, ac ſimilium apparentium in ſuperficie morborum: ſecunda vero ex compoſitis ſpeciebus illa eſſe poterit, in qua puſtulæ cum tumoribus, ac tuberculis complicantur, quam nempe Gallicam ſcabiem cum tumoribus duriſſimis vocare omnes conſueverunt. atque altera deinde ſpecies illa erit, quæ dolores tumoreſque ſecum habet conjunctos, ea inquam, quæ dolores cum tumoribus Gallicis nobis dici ſolet. His tribus conſtitutis, ac præſignatis ſpeciebus, alteram poſſumus nos quoque modo cum aliis conſtituere, in qua tandem tres ſimplices prædictæ ſpecies complicantur, hoc eſt dolores, tumores vel duri, vel molles, ac puſtulæ: atqui hujuſmodi ſpeciem ſcabiem Gallicam cum tumoribus, & doloribus appellabimus. Aliæ quædam adhuc ſurrexerunt noſtris temporibus ſpecies, ſed tamen non omnino ſimplices, ſicut præcedentes nobis videntur, & præſertim illæ (quas enarravimus) quinque ſpecies, in quarum una erat caſus pilorum, dentium reſolutio, unguium deperditio, viſus amiſſio, & gonorrhœa quædam: quamquam de hac ultima ſpecie multi hodie valde decipiantur, nec ullo modo conſentiant inter morbi vel Gallici, vel cujuſvis ſpecies eſſe adſcribendam, atque hoc ipſum inepto, ſi Diis placet, argumento eorum opinionem corroborare videntur: quod ſcilicet nullas manifeſte lædit corporis actiones, mingunt enim, qui Gallica gonorrhœa laborant, modo quo antea mingebant dum ſani eſſent, ſemen in actu venereo eadem dulcedine exſpuunt, tumefactionem nullam percipiunt, caliditatem ſuperfluam minime, nec aliud niſi cujuſdam albæ materiæ fluxum, quare concludunt iſti, quod neque actiones lædit, neque morbus erit, & minus morbi alicujus ſpecies. Sed utinam legitimam Gallicam gonorrhœam iſti tales experirentur ſemel, ſcirent enim, quam haberet in concludendo vim eorum egregia argutaque ſyllogizatio. Tot igitur morbi Gallici ſpecies ſimplices eſſe dicimus, quot enarravimus, & cum ipſis multæ poſtea complicantur, quas quidem nos conſulto ſilentio prætermittemus, ne maxime videamur laborem è manibus abripuiſſe Braſavoli Ferrarienſis, tum doctiſſimi, tum medici excellentiſſimi, à quo egregie ſatis, qui cupiat,

ſpecierum morbi hujus percognoſcere commode poterit complicationes multas. Multæ inquam ab ipſo autore enarrantur, & ab aliis adhuc aliæ ſubjunguntur, ita ut hoc tempore nonnulli ſatis argute, ac docte dicant morbi Gallici tot eſſe manifeſtas ſpecies, quot ſunt modi licentiandi (ut utar verbo) aliquem è domo : quemadmodum ſi dicas infinitas pene dicti morbi ſpecies eſſe, ſicuti infinitæ reperiuntur viæ, quibus nos uti poſſumus, cum quemquam amplius nolimus ædes noſtras accedere, atque inquiunt illi, quomodo viæ illæ abſolutam oſtendunt licentiam ſi clare dixeris abeas ex hac domo in pravam crucem non ulterius reverſurus, ita etiam Gallica lue ea eſt ſpecies, quæ dolores, ac cruciatus membrorum hominibus generat maxime unicuique manifeſta, atque id ipſum confirmare quodammodo videntur, qui dicunt morbi Gallici tot ſunt ſpecies, quot ſunt dies in anno quamvis ex prædicti viri peritiſſimi Braſavoli auctoritate non recuſanda ſatis clare cognoſcamus eas numero 234. reperiri, ſed de his hactenus. Unde conſtare manifeſtum eſt, tandem morbum Gallicum hoc modo legitime poſſe nobis definiri, ut ſcilicet ſit paſſio ab univerſali oriens infectione, non in maſſa ſanguinea vel in hepate tantum, ut paulo poſt dicemus, ſive dicamus morbum Gallicum eſſe ægritudinem nobis novam, in qua ſæpiſſime apparent puſtulæ diverſæ ac aliæ infectiones cutaneæ, doloreſque membrorum, dura apoſtemata, & ulcera omnino maligna, & in quibuſdam ſunt omnia, ac in aliquibus nequaquam comperies, ſed ſunt puſtulæ tantum, aut infectiones, vel dolores tantum, ſive apoſtemata tantum, ſive una cum doloribus puſtulæ, ſive dolores cum apoſtematibus, vel cum ulceribus, quæ à puſtulis fiunt, aut apoſtematibus. Quare, ſi quis dixerit affectum hujuſmodi nihil aliud eſſe, niſi puſtulas à partibus obſcœnis incipientes, mox totum corpus, atque ipſam præcipue facicm occupantes, præterfœditatem, magnum inſuper cruciatum plerumque afferentes, manifeſte quidem inveniet, nequaquam omnia complecti poſſe, quæ ad prædicti noſtri temporis morbi Gallici faciunt definitionem. Quandoquidem ſi dicamus eſſe puſtulas tantum, quæ ortum a partibus obſcœnis habent, ac corpus mox univerſum, & faciem occupant, indubitato omnium judicio talem affectionem hoc ævo comperiemus ſine puſtulis, & cum doloribus ac cruciatibus tantum, vel cum tumoribus per corpus univerſum apparentibus, puſtulis vero minime, quæ quidem ratio longe differt à Leoniceni doctiſſimi definitione, ut melius alias demonſtrabimus ab aliis recentioribus computatam eſſe. At poſtquam de ſpeciebus ac de generibus abunde ſatis pertractavimus, tempus jam eſſe idoneum exiſtimamus orationem noſtram ad cauſarum contemplationem totam omnino convertere.

## CAP. IV.

### *De origine, & cauſis morbi Gallici, ejus natura, ac ſymptomatibus.*

Cæterum quando huc uſque de ſpeciebus generalibus morbi Gallici ratiocinando pervenerimus, atque ordinem earum pro neceſſaria rei medicæ, atque utili cognitione, breviter demonſtraverimus; operæ pretium eſt, huic ſermoni morbi originem, cauſas, naturam, dira, & multiplicia ſymptomata obiter adjungere, ut multorum hominum opiniones, ac ſententias genuina doctrina cognoſcamus, atqui una conſideremus nunquid inter morborum ſpecies illas morbus iſte connumeretur, quæ ab aliis antiquis medicinæ auctoribus declaratæ fuerunt. Itaque principio mali hujus cuipiam Divo nimirum Jobo, aut Evagrio, aut Rocho appellationem hanc tribuebant plerique. Inde mox alia nomina commiſcebantur. Poſtea latius crudeliſſima peſte, calamitoſaque ægritudine, ſe ſe diffundente, imo univerſam Europam devaſtante, Itali Gallicum morbum (ut principio retulimus) Galli Hiſpanum, Germani ſcabiem Hiſpanam, & Mevium, alii Indicum malum, alii Neapolitanum, quidam luem Veneream dicere occeperunt: cujuſmodi voce Fracaſtorius *tertio Syphilidos* uſus eſt, dum eleganter ſane ejus exordia canit. At in primis teſtatum volumus, nullam gentem qualicumque appellatione hic notari, ſed nos ex vulgari tantum hominum conſuetudine vocabula uſurpare. Definitionem vero, quam hnic morbo attribuebat Leonicenus, evidenter, ac civiliter Manardus Ferrarienſis medicus *libro ſeptimo*, *epiſtola ſecunda* ut minus perfectam confutat, ſimiliter Antonius Gallus ut inſufficientem improbat, *libro de ligno ſancto non permiſcendo*. Sunt qui Saphatum, ſive Græcorum Achoras, ſunt qui elephantiaſim, qui Lichenem ſive impetiginem, qui Variolas, Carbonem, Perſicum ignem, Epinyctidas, & Cornelii Celſi Phygethlon vocaverunt, quos omnes tum Manardus convellit, loco citato, ac *epiſtola prima libri ſecundi*, tum etiam Fallopius doctiſſimus in *tractatu de morbo Gallico*. Sunt qui lepram, quos etiam manifeſtiſſimis ſcripturæ teſtimoniis vincit Fracaſtorius *lib. ſecundo contagioſorum morborum capitulo decimo tertio*. Sunt adhuc qui Mentagram, ac Pudendagram exiſtimarunt, atque hi ſuos correctores habent, ut mihi non ſit neceſſe operæ quicquam hic inſumere. Haud tamen negarim iſtos affectus ſingulos, & complures ſibi mutuo ſupervenire, & alium ex alio gigni poſſe. Attamen propriis appellationibus utentes nemo ſupradictorum ullum, vere Gallicum ſive Hiſpanicum dixerit, aut veterem morbum putaverit. Nam ut Plinii ætate novi accidebant antiquis prorſus incogniti (velut ipſe ſcribit 26. *cap. primo*) ita noſtra memoria, & indies etiam, nova morborum genera accedunt priſcis ignota, & cum arte medicæ, & inſidiis belligerantia. Neſcio autem cur Nicolaus Maſſa Venetus, vir tantæ auctoritatis, doctrinæ, ac experientiæ, *libro tertio cap. ſecundo de morbo Neapolitano*, hunc antiquum probare voluerit, Avicennæ auctoritate *lib. ſecundo cap. 535. de Olibano*, cum ne verbum quidem illhic ad hanc ſententiam legatur : ſed ſolum transfert Dioſcoridis ſcripturam *primo cap. 70. de Thure*, cum ait formicantes verrucas in initio, impetigineſque ex aceto, & pice illitum tollit. Unde manifeſtum omnino apparet, quantum male oculi cryſtallini auxilio nobilis hic vir perlegiſſe crediderit, quæ Avic. excogitavit nunquam. Atqui optime omnibus conſtat, quo anno poſt Chriſti nativitatem inceperit, & radices ſuas altas fecerit. cæterum cauſas diverſas diverſi aſſignant huic morbo, quas legere volentes poſſunt apud diverſos ſcriptores. Ego conſtitueram eas breviter hoc loco contrahere, ſed video dictionem uberiorem fieri, quam putaram, itaque deſino, & ad cætera examinanda percurro. Sed quis me clanculum, ut eum laborem ſubeam, ſtimulat ? Certe genius meus, totius aleæ iſtius auctor, qui reluctantem impellit, ut hoc quoque officio Apollinis ſtudioſos demerear, cui nunc obſequendum eſt. Celeberrimus Ambianus *lib. ſecundo cap. 14. de abditis rerum cauſis*, pituitoſam materiam veneni maleficio perfuſam acrimoniæ participem fœdiſſimæ hujus luis occaſionem præcipuam monſtrat. Doctiſſimus Fracaſtorius *de morbo contagioſo libro ſecundo cap. 12.* originem, principiaque ejus, ad craſſum ſordidumque phlegma referri jubet, in quo ſeminaria productiva acria delitescunt, & conjuncta hærent. Talia autem initio fuiſſe in aëre, ac per potentes, pluresque fiderum conſtitutiones, ſordidam quandam putrefactionem raro contingentem habuiſſe, quæ mox ad ejuſmodi materiam, in nobis analogiam, ſive conſenſum agendi ſortita, effectrices omnis ſordis hujus cauſæ exſtiterunt. Atque hanc doctrinam conſtanti equidem fide tuetur. Quidam præterea ejus ſectatores acutiſſimi volunt, quod morbus iſte venereus ex prava aëris qualitate oriatur, quæ quidem (ut ipſi argute oſtendunt) pejor longe in corruptione exiſtit, ſi humiditatem, & caliditatem ſequatur, quam ſiccitatem, quamvis unicuique conſtet morbos à ſiccitate ortos majorem ſemper inquirere in curationibus obſervationem. & ideo cum morbus novus aliquis nobis appareat (ſequuntur præterea egregii ſectatores iſti) ut plurimum ſubſequitur maxima humiditas, atque ſubſequuta fuit, humiditas ergo erit novorum morborum cauſa, & præcipue luis iſtius. Sed ſi quis dixerit, unde humiditas proveuit jam dicta, optime tunc ſatisfaciunt, cum dicunt, eam à multis pluviis, ac fluminum inundationibus oriri. Deinde ſi quæramus, unde pluviæ illæ oriuntur, neceſſum fuerit tandem cælitus pervenire, atque cum Aſtronomiæ ſectatoribus una confiteri, ut totius videlicet rei in cauſa neceſſario ſint cœleſtes influxus, quoniam eodem ſemper modo ſe ſe haberent inferiora hæc, niſi à cauſa ſuperiori gubernarentur. Hæc itaque erunt prædictorum hominum argumenta, quæ, antequam ulterius noſtra procedat oratio, tanquam inepta repellere conemur, ne tam prava hominum hæreſis continuo magis efflorescat. Reperiunt enim cauſam ſatis communem doctores illi, cum dicunt inundationes aquarum aërem corrumpere. Ad eos igitur, qui morbum Gallicum ab aſtrorum motu depravato ortum habuiſſe dixerunt, hoc eſt cauſam morbi iſtius ad abditum cœlorum, ſiderumque influxum, certumque eorum curſum aſſignare ſophiſticis argumentis, ac enarrationibus penitus voluerunt accedentes, falſam quidem, ſive inutilem eos opinionem præpoſuiſſe, eodem modo, quo jam antea diximus in noſtro de Peſte tractatu, nunc nobis demonſtrabitur. Non eſſe ullum cœli, ac ſiderum concurſum talem, aut configurationem, unde morbus iſte naſcatur, ea breviter adferam, quæ dicto fidem afferre poſſint, & ſatis nunc eſſe ſcio, ſi ſummorum auctorum non dilutæ auctoritatis citatis tantum locis id expurgem, à quorum teſtimonio provocari nullo pacto fas ſit. Quapropter

legant:

legant obsecro, qui rem totam dilucidatam desiderant, ea omnia, quæ doctissime à Platone illo divino *in Epinomide* conscripta fuerunt, quando vult eam astrorum esse naturam, ut & visu pulcherrima sit, & progressu choreaque insignis, animalibus cunctis commoda præbeat. Quod si absque pernicie sint astra, & sidera omnia, suntque divina, & sempiterna, quonam pacto morbum Gallicum his inferioribus largietur? cum sint purissima ipsa, ætherea, & ab omni prorsus labe, & morbo alienissima. Rursus legant precor ea omnia, quæ ab eodem divino auctore describuntur ulterius in epinomide, dum cœlorum virtutes recenset, Solis, & Lunæ, ac quinque reliquorum planetarum, ac stellarum omnium potestatem, atque naturam admirans, sorores omnes appellat: nefasque cuiquam esse putat, existimare horum siderum legitima alia, alia illegitima esse, taliaque, qualia nefas est pronunciare: quasi velit impium esse sentire astrorum alia esse bona, alia illegitima, hoc est mala. Desinant itaque nobis isti astrorum observatores prædictionibus suis imponere, at quod suæ eorum artis scientissimi se nescire arbitrati sunt, ne ipsi scire se arbitrentur: postquam non Plato solum, sed Aristoteles quoque Chalcidius, Averroës, Plotinus, Marsilius, Ficinus, Picus Mirandula eos omnino aberrasse fusissime, maximisque demonstrationibus non tam confirmarunt, quam certe demonstrarunt. Sed jam cum auctorum non dilutæ auctoritatis citationibus nostrum paradoxon abunde firmaverimus, rationibus nunc validissimis roboremus: quo nullum prætugii locum adversum sentientibus relinquamus. Quod conservat, ac continet, cæterisque omnibus est veluti forma, id morbo Gallico afficere, quæ conservat, ac continet, minime potest. cœlum autem, & astra hujusmodi sunt, ut Averr, *prim. de cœlo comm.* 24. testatur. Si enim adversaria nobis cœlestia corpora essent, corrumpi statim universum consequens plane esset, ut idem auctor *comm.* 28. *libro de cœlo prim.* conceptis verbis confirmat. Quin quod vitam vegetabilem, sensibilem, & animalem præstat, id Gallicam luem inferre minime potest, ut cujus sit natura, atque vis vitam perdere, æque antipathia quadam adversari. Quamobrem si à siderum certo congressu affectio Gallica oriatur, eodem morbo affecta ipsa esse omnino oportet. Quod cum impium sit dicere, atque nefas, divinissimis utique, ac purissimis existentibus corporibus, corruptionis ac passionis expertibus, fateri omnino necesse est, nec à cœlo nec sideribus tantum mali in mortalium perniciem derivari. Ego autem aliorum pace dixerim, causam præsentis affectus sanguinis quandam esse infectionem ex vitiato succo per contagium ex venereis præcipue congressibus contractam esse arbitror; quæ tam nefanda luxuria, quam muliebri libidine potest adipisci, & lactis suctione, osculis, longo, vel frequenti corporum infectorum contactu (velut evenit obstetricibus inquinatæ mulieris partum suscipientibus, ac condormientibus, qui iisdem stragulis, & linteis ad sudorem usque conteguntur) & quibusdam insuper, cum infectis ex eodem poculo potantibus, sed omnium promptissime (inquam) ex contagioso concubitu, atque impura venerea mistione. Quare obscœnæ partes fere plerumque primo putredine inficiuntur, si ad scortationem, sive nefandam luxuriam sequatur, hoc est virga, glans, præputium, coles, cunnus, anus primos aggressus patiuntur, deinde sensim in omne corpus virus perreptat, sævitque: & ex levi alioqui occasione, gravia initia, & vires immanes suscipiens, in multa hominum millia, in multa oppida, in multa castra acerbissime grassatur. Fauces, labia, gingivæ à primordiis afficiuntur, si diuturno corporis contactu vel vestium communi assiduoque usu, non dorsi vel artuum cutis, quod hæc dura sit, nec nisi longo temporis tractu vincatur. At germina prima indicant in puerulis fauces, labia, anus, & scrotum, sed statim minime hæc à contactu apparent, quemadmodum in iis, qui scortatione captantur, vel lactis suctione, vel osculis, eo quod virtus facilius in partibus tenellis, ac tenui cute munitis vires suas imprimat, quam in iis, quas dura (ut dictum est) cutis obtegit. Quum itaque cerebrum vitiatur, calvariam, frontem, tempora, faciem abominabili aspectu fœdat: cum gravius serpit, erosionibus sæpe palatum, gargareonem, fauces, tonsillasque infestat, ut prorsus exedentium ulcerum naturam imitetur: quibusdam nasus, quibusdam oculi, quibusdam genæ, ac labia depascuntur: aliis capilli è capite, mento, palpebris defluunt: aliis dentes labuntur, plerisque labefactantur, quod non ex medicaminibus tantum, sed morbi malignitate fieri omnino censendum est. Cum adhuc amplius dilatatur malum, in toto corpore virulentæ pustulæ adversorum generum exsurgunt: maligna ulcera immenso dolore, & perniciosa contagia serpunt, quæ ossa nudant, nervos destruunt, venas corrumpunt, pleraque corporis partes horribili tabe maculant, & intolerabili cruciatu miserrime affligunt, moleste simeque devastant tam exitiali pernicie, tam putrida fœditate, ut nec tolerari, nec videri, nisi cum horrore ab intuentibus queant, atque ipsi ægroto vitæ odium optabili morte gignant. Hæc (inquam) lues semper fœta uberrimam diramque prolem indies producit, cutaneos videlicet morbos, & intimos, ut pilorum effluvium, impetiginem, scabiem, herpetes, erysipelata, exanthemata varia, verrucas, ulcera, vomicas, & id genus innumera: intimos vero, ut dolores in penitioribus musculis, in articulis, in ossium medullis, in cerebro, in hujusque involucris, quos ossis caries, intestinæque aliæ rosiones, collectiones ac putrilagines sequuntur. Volunt quidam inextricabile hoc fatum Valentiæ in Hispania Taraconensi primo ortum, ubi elephantiosus unius noctis libidinem à nobili meretrice quinquaginta aureis impetravit: qua cum mox alii salaces gregatim sese miscentes, paucis diebus atrociissimum contagium in quamplurimos dissipatum fuit. Equidem experimentis sexcentis constat, quo quis est in qualemcumque venerem præcipitantior, & immoderatior, eo celerius calamitosiusque horrenda ista labe apprehenditur. Et hæc hactenus nobis dicta sufficiant de nostra morbi Gallici causarum originis, & symptomatum opinione, quæ satis manifeste unicuique ostendit, per quas partes per contagium lues ista recipiatur, & numquid per molliora membra, vel duriora, nunquid per omnia eodem omnino tempore, vel potius pedetentim, atqui tandem ea omnia nobis demonstrata hactenus fuerunt, quæ necessaria esse videbantur ad prædictarum causarum, originis, symptomatum, & rerum aliarum declarationem. Quapropter relinquitur modo, ut de forma hujus affectionis breviter verba faciamus, nam minime fieri potest hac non exquisite explicita, ut ratione ulla morbum profligare possis.

## CAP. V.

### *De morbi Gallici forma.*

Nemo quidem penes se est, qui humanum intellectum plerumque errare non approbet, quum is per gradus universas extremasque rerum naturalium causas assignare nititur. Hac igitur de causa operæ pretium me fecisse putabo, si præsentis affectus formæ tantum imaginem expressero, quæ sese medicis tanquam totius curationis ducem præbeat. Fretus igitur sapientum modestia, curiosam plus nimio, quam sit æquum, disputationem omittens, ad utiliora me totum convertam. Non est (ut arbitror) satis difficile autores connumerare, quibus hucusque pateat exacti morbi Gallici forma, neque illam qui examussim patentem reddere suis monumentis valeant, quamquam multis circa hanc rationibus ultro citroque ferantur scriptores varii. Oportet itaque, medicum hæc omnino cognovisse, antequam ulterius nostra procederet brevissima methodus, scilicet morbum Gallicum in corpora nostra agere, principio humores vitians, & postea solidiores partes, quod vitium cavere, vel imminuere, vel prorsus corradere rationalis ac diligens exercitatio variis præsidiis insinuavit (abstrusa tamen speciali sua forma) & ideo jam demonstrare, quid de hac tam gravi contemplatione medici recentiores opinantur, alienum minime erit, cum plerique nihil de forma soliciti fuerint, sed subjectum solummodo, in quo hic morbus foveri videtur, ostendere conati sunt. Quorum aliqui pituitam propolluisse volunt, quoniam morbo Gallico affectos copiose per alvum pituitam dejicere, vel per os excernere multoties observaverit, qui vel medicamentorum purgantium munere, vel argenti vivi operatione morbum superasse affirmant. Aliqui vero flavam bilem potius proponunt, quum depascentia, ac livida ulcera, erysipelata, & alia ejus generis morbo prædicto affectos animadvertunt vexare quotidie. Quidam deinde atrum humorem esse contendunt, hoc tantum commoti argumento, quod illos oblæsos scirrhosos tumores, callosa depascentiaque ulcera, ossium tubera carieque demonstrasse principio videant. Aliqui præterea neque hanc bilem, aut illam potius, sive pituitam esse argumentis quibusdam proponunt, sed vincentem in affecto corpore humorem, eo quod varia, ac quidem ferme contraria symptomata, nec in corporibus tantum diversis manifestantur, sed in eodem patiente, eodemque membro, ac tempore eodem, erysipelas nimirum, vel simile quippiam aliud, huic proximæ. Plerique postmodum festinantes nihil de hac re pertractant, sed silentio consulto prætermittunt, & potius ad curationem statim, & jejune fortasse demigrantur, quam quæstionem procul dubio necessariam nugatoriis eorum verbis attingant: dummodo satis curiose mulieribus, ac ineptæ plebeculæ satisfaciunt. Aliqui præterea acutissimi ingenii non desunt, qui formam huic morbo potius intellectualem assignant, quam in re ipsa, & illam dicunt caliditatem cum siccitate materiæ expertem fuisse,

quæ quidem in hepate impreſſa temporis proceſſu materiam ſibi comparat. Sed nemo judicio vel modice ſanus horum tam ſubtilem, argutamque obſervationem revera peterit nobis demonſtrare, quandoquidem nulla eſt (quod ſciam) vel antiquorum philoſophorum doctrina, qua quidem intemperiem ex contagio ſine materia comparare aliquis unquam poſſit, nec rationem quilibet oſtendet, quo pacto ſcilicet ad hepar ſubjecto vacua pervadet, quandoquidem ſi venenum id eſſe affirmamus, quomodo deinceps inveniemus, in quod hæc infigatur: neque puram eſſe qualitatem oſtendemus, quoniam antiquis ſancitum jam eſt, ut ſublunaria omnia vel corpora ſint, vel corporibus annexa eſſe neceſſum ſit. Quapropter (eorum jam pace dixerim) neque etiam morbi Gallici formam dicemus caliditatem ſicca cum materia, nam affectus, ac ſymptomata omnia unius eſſent generis, nihilo inter ſe diſcreparent, ſed ſecundum magis & minus tantum diverſitas eſſet, eo quod agens unum naturam minime habeat eſſentialiter largiendi, niſi unum. flammea igitur erunt ſymptomata omnia, ſicca aridaque fient membra, ubi hæc intemperies prævaluerit. Sed omnia pene putredinem quandam præ ſe ferre oſtendunt. rerellunt hanc opinionem licet valde argutam cerebri tumores, laxi, diuturni, obtuſique dolores, qui hoc morbo laborantes affligere conſueverunt, quæ quidem non ſane ſiccæ caliditatis, ſed ichoris, vel pituitæ prædominantis ſunt potiſſima ſuperiorum argumenta. At nos hoc loco poſtquam multorum prædictas egregias opiniones præpoſuerimus, eorumque diverſa argumenta demonſtraverimus, noſtram quoque cenſuræ poſteriorum conſtituemus, maſſam ſcilicet ſanguineam, hoc eſt miſcelam in venis receptam formam hujuſce luis venereæ peculiarem eſſe concedimus, mox corpora ſolidiora, non autem particularem aliquem humorem vel caliditatem cum ſiccitate materiæ expertem confirmamus. Unde elicere merito poteſtimus humanum corpus eſſe hujus pravæ ac deteſtabilis ægritudinis non ſecus, atque cæterorum morborum ſubjectum: formam vero humores, & eos primum, qui minus utiles eſſe poſſunt. Perinde ut uſtile corpus ignis eſt legitimum ſubjectum, verum cum hoc heterogeneum ſit, non æque cito agit in unum atque in aliud: hoc penitus modo morbus Gallicus in humanum corpus (ut plerique experientia cognoverunt) agit Quamobrem ſi unum tantum humorem hujus pernicioſæ luis & ſubjectum, & formam eſſe confirmaremus, in quod agat, hæc ſane corruet ſententia, ubi objecta fuerint & corpora ſolidiora exeſa, cæterorumque humorum corruptela, & adverſa contrariaque ſymptomata, quæ his corporibus frequenter maxime obſervantur. Unde neque tota ſanguinis maſſa, vel miſcela ſanguinis in venis recepta corrupta apparet; neque hepar illud eſt, in quo hujus morbi ſeminaria conſervantur, & infiguntur, quemadmodum ſuperiores aliqui falſo opinati fuerunt. id ipſum (ut opinor) tantum cogitantes, quod nihil fieri poſſit in noſtris corporibus calidius vel frigidius, vel alia intemperie immoderatius, niſi id ab aliquo membro principali tanquam agente, in quo talis exceſſus vigeat, fuerit impertitum. Sed aliter & rationibus, & experientia rem ſe habere intelligemus, ſi ſingula legitime explorabimus. Si quidem ſi calidam ſiccamque intemperiem obduxerit hepar in morbo Gallico, exareſcet perinde atque membra, quæ tabeſcunt: quod ſi eveniat, non modo ſalutis, ſed etiam morbi remiſſionis penitus exempta ægrotis omnimoda ſpes erit: oſtendit autem id aliorum membrorum, quæ tabe exercentur, ſanatio: hæc autem raro ſine multo labore contingit: at morbo prædicto laborantes non modo in meliorem ſtatum, ſed in ſanitatem plerumque reſtituimus. Præterea ſi tale hepar in ægrotantibus aſſignatis fieret, dum vivunt, poſt eorum mortem tale etiam reperiremus, vel ſaltem manifeſta admodum veſtigia apparerent, nec tamen hujuſmodi memini unquam me perſpexiſſe, licet multa corpora publice Patavii, Lutetiæ, & quamplurimis civitatibus diligentia qua potui ſecuerim, quæ indubitata omnium fide hac adverſa lue uſque ad ultimam diem laboraſſe cognovimus, nec quemquam eſſe opinor, qui tale jecur in iis, qui hoc morbo intereunt, vidiſſe fateatur. Atque hæc nobis de forma morbi Gallici hoc loco dicta penitus ſufficiant.

## CAP. VI.

### *Quos vehementius morbus Gallicus exagitet.*

Morbi Gallici originem talem jam eſſe oſtendimus, ut venereis præcipue congreſſibus contrahatur, lactis ſuctione, oſculis, longo vel frequenti corporum affectorum contactu, veſtium communi uſu, eodem poculo potando, & hujusmodi rebus exercendo. Unde ſatis manifeſte conſtat & mares & fœminas hanc luem inire poſſe, & puerum & juvenem, adoleſcentem & ſenem, & hominem integrum & caſtratum (ut ita dicam) & eunuchum, nobilem & ignobilem, herum ac ſervum, patritium & ruſticum, & ex quolibetvis hominum, ac mulierum ordine. Nam anſa omnibus data eſt, ſed non æque omnes eodem modo ſuppeditat, imo divites interdum ob eorum innumeras, quas habent commoditates, minori affectionis faſtidio rem ipſam ferunt: interdum vero contra hoc evenire proſpexeris, quandoquidem vel pauper, vel ruſticus, vel ſervus, vel famula ob continuum corporis exercitium virus morbi hujus reſolvere, aliquando melius accommodatus erit quam dives, vel nobilis, vel herus, aut patritius, & hujuſmodi, ut in coquis videre eſt heroum, fornacariis, piſtoribus, & ſimilibus aliis, qui conſuetis laboribus nulla cauſa parcentes, jugi exercitio, hos noxios humores plerumque abſumunt. Mulieres etiam eadem ratione nec tam ſævis divexarentur affectibus, ſi rem medicis ſtatim patefacere auderent, pleraſque ſiquidem menſtruis purgationibus tutas ſtatim evaſiſſe memini, imo omnes procul dubio evadere mulieres videbis, ſi à congreſſu ſeptem, vel octo dierum intervallo menſtruæ ſuperveniant purgationes, tutius etiam ſi ante prædictos dies id eveniat. Homines vero, infantes, nutrices, nullos natura reintegrat ſola, ſed medici artificio indigent, cum non habeant, unde morbus acquiſitus commode ejiciatur, niſi ſupervenerit dyſenteria, aut alia quælibet alvi colliquatio, vel crebra hæmorrhoidarum effuſio, vel diuturnum ſeminis profluvium, vel pingues benignique bubones, vel aſſiduus ſudor. Mulieres autem plerumque exagitat, licet adhuc harum nonnullæ evadant, ſi menſtruæ purgationes præverterint non integro menſe peracto, quod enim intectum jam erat, una cum reliquo ſanguine deturbatur, quem jam à natura propellendum eſſe confidero, & eo fortaſſe modo integrum atque purum retidet corpus: ſed ubi parce, vel poſt aliquod longum tempus menſes prædicti non fluunt, infixis firmatiſque interea radicibus, vix ſine artis auxilio detruditur. Conſtat igitur mulieres commodius tutari poſſe quam homines, dummodo menſes (uti dictum eſt) in tempore ſuccurrant, ſed ſi per contrarium contingat, & quocunque vis modo ſæva hæc lues eas infectas reddat, aſperior quidem erit ſæpe mulieribus, quam viris, quoniam illæ verecundo pudore virus in ſinu occultantes, medicos ad ſecretiora mala conſcios eſſe nolunt. Atque hinc forte fortuna factum eſſe poterit, ut noſtra hac tempeſtate non deſint ſurdaſtræ quædam mulierculæ, quæ poſtquam ulterius in earum officina merces non habeant, quas vendant, ſtatim medicam artem, nemine penitus medicorum diſcrepante, aut diſſentiente penitus, exercent, & mulieres hoc morbo tam diro excruciatas ex profeſſo curant: idipſum fortaſſe concludentes, ut ſi ægrotantem mori contingat, virus humorum eas potius ſtrangulaſſe, quam pravum deliratæ artificium. at ſi evaſerit, cœlitus maximi clamores de ejus doctrina ſtatim extolluntur; ſed miſſas eas nunc faciamus, & ad reliqua hujus methodi redeamus. In ſumma, apud omnes confeſſum eſſe debet, infinitos intemperantes, ſolo venereo turpi complexu, ſera nimis pœnitentia contaminari. Caveant igitur hujuſmodi ſpurca vinaria, qui calamitatem iſtam evadere cupiunt: caveant inquam, tametſi ipſo vultu oreque Cyprinam mentiantur meretriculæ, quia multis locis deformem tabem, veluti occultum venenum, circumferunt: quod magno pretio, celerique voluptate emitur. Et hæc hactenus dicta ſint de noſtra morbi Gallici ad eos, qui ſcire cupiunt, quos hæc lues vehementius, vel minore negotio exagitet, breviſſima quidem opinione, licet omnis inutilis futura ſit, alicujus tamen occaſionis optime philoſophandi; nam multæ hinc hauriuntur quodam modo egregiæ dubitatiunculæ, quæ quidem cum parvi admodum momenti nobis hoc loco vitæ fuerint, nos penitus conſtrinxerunt, ut ſilentio eas potius prætermiſerimus, quam longiori oratione lectorem offendiſſe. Quare ad ſignorum inquiſitionem tandem accedamus.

## CAP. VII.

### *De morbi Gallici ſignis.*

Ad eam nunc morbi Gallici partem ordine accedere ipſa tractationis inſtitutæ ratio admonere videtur, quæ de ſignis ipſius contagioſi affectus breviter pertractet, poſtquam ſatis hactenus nobis cognita eſt ea morbi Gallici natura, quæ ex conſequentibus affectibus cognoſci poteſt, atque patefacta cauſa, forma, & reliquis, ſupereſt (inquam) ut de ſignis ſermo aliquis habeatur, quibus facile cognoſcamus, talem morbum adeſſe corpori humano: quanto enim ſunt hujus affectus germina curatu faciliora, tanto cognitu ſunt obſcuriora, at ubi pedem (ut ita dicam) firmatum habuerint, ſecus evenire conſpicies, nam morbum tunc univerſa jam plebs diſcernit. Attamen cum morbus Gallicus ſit affectio utique diuturna (ſicut manifeſtum

erit

erit ex prædictis observationibus nostris) & semper in diuturnis morbis à nostris medicinæ scholis dentur tempora, principium scilicet, incrementum, status, & declinatio, merito ergo eum distinguemus in sua quælibet tempora, atqui hoc modo in duas resolvemus partes omnia ejus symptomata, quarum prima affectus morbi Gallici jam incepti continebit, & omni ingenio navare in hac re convenerit, ut is, dum pullulat, dignoscatur: altera vero affectus ejusdem morbi jam inveterati demonstrabit. Apparent autem tanquam præludia ulcuscula quædam statim in affecta parte, defloratо circumpositæ cutis colore; mox duritie aliqua circumventa in labiis, vel papillis, si suctu morbus contractus fuerit, si scortatione in glande, vel præputio, vel cole, scrotoque, in ora matricis, vel hujusmodi. In hac itaque prima hæc signa manifesta concluduntur, ut statim cum infectus fuerit puer, levem percipiat lassitudinem omnium corporis membrorum, morbum Gallicum pronunciantem, cum prius tamen robustissimus fuisset. Adest gravitas per universum corpus, & præsertim à somno, adest quoque ignavitas, torpor, segnities in omnibus partibus, adest dolor parvus, vagus, atque post membrorum lassitudines nunc dolet caput, modo cessat, & humerum modo dextrum, modo sinistrum accedit, quos quidem cruciatibus maximis linquit, & sic facit de omnibus corporis membris. Deinde in principio hujusce affectus, color, sive habitus faciei manifeste immutatur, & loco vivacis hominis splendidæque faciei, statim apparet inter quatuor, vel quinque dies mutatio in deterius. Suboritur etiam calor insignis in vestigiis manuum, & pedum, somnolentia sæpe interrupta, & quasi corporis inertia, mœstitia, caries moderata, bubones moderati, febricula quædam & gonorrhœa. Quæ quidem signa omnia morbi Gallici incipientis non in pueris tantummodo (ut principio dictum fuit) sed in qualibet ætate manifesta nobis occurrent. Cynædus etiam hæc eadem patitur, & cristas insuper, vel etiam verrucas. Hæc tamen sui sceleris conscius tantum, dum cogit dolor, pateracere audet, quo tempore & alia cum iis symptomata conjunguntur primam de re fidem præbentia, qui solo concubitu, vel infectis vestibus, vel oculis, vel poculis inficiuntur. Progressæ vero, & confirmatæ luis istius venereæ signa hac facili ratione percipere licebit, ut scilicet pustulas animadvertamus, quæ in universo sunt corpore jam affecto, duræ quidem, & graves in capite, & barba aliquando cum crusta (ut hac dictione utar) aliquando sine ipsa, aliquando cum sanioſa quadam materia, aliquando sine sanie, sicut practicantibus videre sæpe sæpius occurret; quæ quidem signa ut plurimum nobis ostendunt, morbum Gallicum habuisse antea quatuor, quinque, vel sex mensibus hominem captivum. Quoties videmus, quod caries in membris, ubi sita erat, sanata jam sit, & remaneant tamen adhuc calli quidam minime spurii, sed admodum circa cicatricem legitimi, certum erit nobis hoc signum, confirmatam jam luem Gallicam esse. Uvæ etiam mollificatio, unde facta est vocis raucedo, tumores glandularum in faucibus, corruptio palati, & dentium dolores firmi, & clamosi, corruptio capitis ossium, & brachiorum tumores (ut Græce loquar) ateromatici, ulcera maligna in universum corpus oblidentia, quæ cutim totam, caput & reliquas omnes partes exulcerant, crustæ, vel calli, rhagades dicti, vel impetigines, & præcipue in vola manuum, & planta pedum, affectiones quædam, veluti asthma, vel id genus omnia morbum Gallicum jam esse confirmatum penitus ostendunt unicuique. Unde constat, verum admodum esse, quod præstantissimi medici ante nos dixerunt, & præsertim doctissimus ille Antonius Musa Brasavolus Ferrariensis in *libro de morbo Gallico*, & cum ipso plerique alii, quod licet in cæteris morbis, & plurimum signa ex urina capi medico soleant, sputis, excrementisque aliis similibus, in hoc tamen contagioso morbo neque certum faciendum est ex urina judicium, neque ex sputo, & hujusmodi tuta habentur morbi Gallici signa, quia urinæ humorum ratione variæ sunt, & præterea dolores, ac reliqua, quæ dicimus symptomata, urinarum variatione faciunt: si quæ tamen urinæ sunt hac lue affectis propriæ, sunt urinæ crudæ, albæ, vel cum modica hypostasi, vel sine ea: quia materia, quæ per urinam exire deberet, & hypostasim prædictam facere, ad juncturas potius tendit, ad pustulas, ad caput, & reliquas corporis partes. Neque etiam peculiaria, & propria signa ex sputis percunctari tuto poterimus (ut jam uberrime enarratum fuit) nisi intelligamus, quod sputa de affectu quidem in faucibus judicare quodammodo possunt, quoniam quandoque crustæ aliquæ exspuuntur, quibus dignoscimus statim faucium exulcerationem diuturnam jam factam esse. Non igitur in sputis morbo Gallico affectis ea quidem attendenda esse arbitror, cujusmodi sunt substantia, color, screandi modus, & similia, quæ cæteris in morbis locum habere comprehendes: non sputum modo consideramus an tenue sit, vel crassum, aut aquosum: non cruentum potius, an flavum, rufum, viride, livens, vel nigrum exspectamus: non facilitatem, aut difficultatem in screando huic morbo attendimus, vel promptitudinem, doloris carentiam, aut illius incrementum, vel morbi ex screatu alleviationem, aut in deterius lapsum, nos enim hæc in Gallica lue attendentes ut plurimum sputa deciperent. Ex pulsibus quoque difficulter cognoscitur hic præsens morbus, quia variat semper secundum humorum variationem, & ut dolores intenti sunt, ac remissi. Sed pulcherrima modo nobis insurgit quædam quæstio, animadversione non indigna, quæ talis quidem exitlit. an nobis huic morbo signa constituere liceat, cum novus esse dicatur, secundum eas regulas à Galeno, & aliis nobis universales præpositas: & quidam ex recentioribus hoc fieri omnino posse minime consentiunt, atque hoc argumento partes eorum defendere conantur, quod scilicet quemadmodum talis morbus non habet nisi apud recentiores medicos particularem observationem, sic etiam non potest perfecte signa habere secundum antiquorum doctrinam. Quorum syllogismus, vel ratio curiosa quantum claudicet, quantumque insipida appareat, peritis omnibus est judicare. Quoniam unicuique satis constat, quod signum omne, vel id quod præsens est declarat, vel quod futurum est pronunciat, vel quod præteriit in memoriam revocat. Et si sanitatem, & morbos omnes ad hæc corporis partiumque ejus temperaturam signis propriis dignoscamus, quam dignoscendi rationem exacte Galenus cum *libro de sanitate tuenda*, tum *libro de affectorum locorum notitia*, tum in *arte medicinali* præcipue complexus est. cur igitur cum ea ratione non possumus Gallici morbi signa optima reperire? quid tandem obstat? Constat autem, sine morborum exacta dignotione curari eos minime posse, ut idem præcitatus Galenus *lib. 2. method. medendi*, & item *lib. 2. de rat. vict. in acut. morb. comm.* 38. & princeps Arabum Avicenna *fen prim. quarti* consuevit. Quamobrem cum signorum consideratio tanti sit momenti, ut per ea affectus corporis noxam inferentes cognosci commode possint, subindeque curari, efficitur, ut in signorum indagatione medico sit non minimum, nec leviter insistendum, ut pravi morbi istius fundamenta jactata libere possit funditus evellere. Quæ quidem res quanti sit momenti, ita à senioribus, ac primariis nostris medicis excogitata fuit, ut multis in locis apud eos talis de signis tractatio habeatur, ut omnes per eosdem gradus possimus etiam novis, & incognitis antea morbis, & præcipue morbo Gallico, signa optima reperire. Et ideo non erit mirabile, si apud recentiores prædictæ Gallicæ luis tam facili negotio signa inveniri possint, duce tantum antiquorum optima doctrina. Quapropter incumbant juniores medici huic maximæ commoditati: auctorum scripta assidue perlegant, atque ea diligenter considerent, quoniam hoc modo haud difficulter præsentia indicare, & futura prædicere, & præterita in memoriam revocare probe scient. sed ad reliquorum signorum, si quæ adhuc fuerint, indagationem nostra se convertat oratio, atque missa tandem hæc faciamus. Evenit itaque in hoc morbo, quod in morsu canis rabidi, in aliquibus enim cito apparet, quid noceat, in aliquibus vero occultatur ad menses, & annos, atque propterea facilis colligitur lapsus eorum, qui morbo acutissimo aliquando laborant, sine aliquo vel venereo concubitu, vel quovis alio commercio per sex, septem, & decem menses susceptо. Unde multis modis licet extorqueantur, nequaquam tamen morbo Gallico ægrotare credunt, & illa cum hæresi acerrime vitam per mille mortes perpetuo conducunt. Signa vero complexionum, & dispositionum hanc luem contrahentium, sive patientum enarrare superfluum visum est, cum hæc copiose à medicis præstantissimis prioribus, & posterioribus scripta reperiantur. Nobis autem hoc loco memorare sufficiat, quod si complexio patientis fuerit frigida, & humida, & repletio phlegmatica, defædationes phlegmaticæ, & dolores ex eadem materia insurgentes aderunt. Si vero calida, & ficca fuerit, & repletio biliosa, cutis defædationes prædictæ cholericæ erunt, & dolores ex eadem materia excitati aderunt nec ab re dicitur repletio biliosa. Quis enim biliosæ complexionis existens repletionem pati potest pituitosam, & hoc in usu ciborum immodico, qui pituitam generandi vim habent? & sic de cæteris complexionibus dicendum est. & propter hoc diximus antea, quod secundum variam complexionem, dispositionemque, & secundum dominium in sanguine peccantis humoris, varia genera infectionum cutis in hoc morbo eveniunt, ac etiam secundum quod morbus novus, vel vetustus fuerit.

## CAP. VIII.

*De morbi Gallici prognoſticis.*

Mox ad prognoſtica accedere debemus, cum venientium præſagia, ſeu futurorum prognoſtica ex præſentibus ſumantur, invento ſcilicet affectu, ac parte affecta, qui præſentes ſunt quidem. Quicunque igitur calidum venenum morbi Gallici aſſumpſerit, cito infectio apparet, & cito curatur cæteris paribus, & ideo hoc ſtatim poſt cauſarum & ſignorum indagationem accuratus debet medicus ſuo munere præſagire, tum ut facilior ſit æger ad ſingulorum accidentium declarationem, tum etiam ut melius medici mandatis ſit obediens. Qui vero poſt coitum cum infecta frigidum potius, non calidum virus ſuſcipiat, tardius in eo infectio apparebit, & tardius quoque curabitur cæteris paribus, & hæc quoque inquirere debet prædictus excellens medicus, non ſolum propter remediorum applicationem, verum ut quoque has rationes aſſignet ægroto, ut quieſcat: quamplurimos enim reperies medicos, qui ſtatim octo primis dieous ſalvum facere pollicitationibus vanis volunt hominem, & cum ægrotus deceptus fuerit, non facile deinde credunt, quæ libere futura prædicuntur. Si vero morbus hic recens fuerit, & remedia opportuna adhibeantur & æger obediens ſit, prognoſticum tale fiat meis quidem ſumptibus, quod faciliter, & brevi quidem tempore curatus evadat. cum autem inveteraſcit, tardioris, & difficilioris eſt curationis, & quandoque curationem non admittit præſertim in ſenibus, & debilibus naturæ. At juvenum prognoſticatio ea diverſis rationibus erit, ut facilius curentur, cæteris paribus quam ſenes, qui talis validæ naturæ ſint, ut curari aliquando contingat. Lenones vero, & adulteri, & quicunque in venerem ſunt proni, huic morbo magis obnoxii ſunt; & qui cerebrum humidum, & frigidum naturaliter habent, & hepar calidum & ſiccum. Quod autem nonnulli dixerint, quod huic morbo magis obnoxii ſint, qui melancholici dicuntur, & maxime per aduſtionem, quam omnes alii propter ſimilitudinem, ſecundum Ariſtotelem *ſecundo de generatione*, & *corruptione*, in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. Ego autem non ita ſentio, ſed diverſam ab ejuſmodi auctoribus ſententiam præpono, quandoquidem melancholicam complexionem non ſimplicem, ſed duplicem eſſe ſcio, una ſcilicet à generatione contracta, altera acquiſita per caliduras, & ſiccæ apud tranſitum ætatis decidentiam ſtatus, ad eam quæ ſenectutis exiſtit: & talis complexio eſt alia ab ea, quæ adipiſcitur ex temporis aliquo decurſu, ſive ætatis in quocunque homine. Facilitas deinde compaſſionis, ſive alterationis, infrigidationis vel calefactionis ex duobus dependet; ex parte ſcilicet complexionis, & ex parte compoſitionis. & primo ex compoſitione, ut ſi corpus ſit raræ texturæ, & habeat poros latos, dico illud facile pati a calido, & à frigido; ex complexione deinde, nam membrum naturaliter calidum citius calefit, & naturaliter frigidum citius frigefit, contra ſi corpus ſit durum, & denſæ texturæ, tunc ipſum difficilius pati confirmo. Quibus præpoſitis dico, quod morbus Gallicus contagioſus exiſtit, & ab extrinſeco, ut puta, coitu cum infecta, vel cum infecto corpus occupat, & quamvis corpus melancholicum reſpectu affinitatis, vel ſimilitudinis, & complexionis, ſed etiam ex parte compoſitionis. verum cum corpora melancholica natura ſint dura propter exſiccantem ſiccitatem, & inſpiſſantem frigiditatem, & inde poris privatum non piloſum, ſequitur, quod talia corpora difficilius patiantur à cauſis extrinſecis, & per conſequens ad hunc morbum non erunt magis parata. De corporibus deinceps melancholicis, per decidentiam talibus, dicendum quoque, quod dura exiſtunt, & duriora etiam reſpectu eorum, quando erant in ſtatu, & per conſequens difficilius patibilia a cauſis extrinſecis. Quare merito confunduntur prædictorum autorum argumenta, quod huic morbo magis obnoxii ſint melancholici, quam omnes alii; & ſi eveniat, ut ejuſmodi corpus tali aliquando occupetur maligno morbo, vehementius re vera excruciatur, ad ulcera enim maligna morbus Gallicus & nodoſitates ut plurimum tale corpus deducit, quibus maxima cum difficultate curatio adhibetur. Et hæc ſint ſatis de morbidæ hujus luis prognoſticis.

## CAP. IX.

*De morbi Gallici remediis, & primo de præſervatione.*

Ex quibus partibus tres hactenus abſolvimus, hoc eſt de natura hujus affectionis, de ipſo morbo, cauſis, ſignis, & ſymptomatibus pertractavimus. Superſunt reliquæ duæ tractandæ, ſanitatis conſervatrix, & morbi prædicti depultrix. De his nobis agendum ordine eſt, à ſanitatis præſervatione exorſi, quoniam ſuaviſſimum eſſe ſcimus, immanes dolores reſcindere, & morbos confectos reficere, & jucundum etiam nuper irretitos ſolvere, ſed forte nec minus utile, quam volupe humano generi futurum cenſemus, ſi hanc latentem ſagapenam divertere noverit, præcipue cum nec ſumptu, nec longa diſciplina, vel labore magno id conſequatur. Si quis igitur cupiat ab hoc morbo præſervari, videat cauſas productivas ejuſmodi, & eas, quantum poteſt, effugiat, quas diffuſe ſuperius memoravimus. & quia morbus hic non ſolum ex concubitu cum infecta contrahitur, ſed quamplurimis antedictis modis comparatur, idcirco cavendum erit ab earum occaſionum commercio, quantum fieri poſſit, ab eorum vel habitibus, vel poculis, vel deoſculationibus, vel lactis ſuctione, vel frequenti corporum affectorum contactu: & quoniam genus noſtrum ut plurimum ad luxuriam, & libidinem detrenatam pronum eſſe conſtat, ideo maximo ſtudio hac ratione cavendum eſſe arbitror. Videlicet, ut ſtatim à coitu aqua calida totum abluamus penem, una & ſcrotum, virgamque præputio denudatam in aliquo vaſculo, ac calida prædicta aqua repleto per octavam, vel dimidiam horæ partem foveamus, tutiſſimi ſiquidem procul dubio erimus omni morbi Gallici ſuſpicione, hoc ſi fecerimus repente. Aqua autem talis eſſe debet, qualem ferre poſſimus calidam, quæ cum brevi frigeſcat, licebit aliam calidam paratam habere, ut pro arbitrio contemperemus. Præſtabit hæc mane, & ſero feciſſe bidui tantum ſpatio: & idem facere poſſunt mulieres etiam, penicillos ex goſſypio in eadem aqua abunde madidos, vulvæ imponentes: quod ſi hæc perpetuo præſto non habeamus, protinus ſaltem urina totum penem lavabimus, & præcipue glandem, quod facile id faciemus, ſi mingendo quam primum ora præputii digitis perſtrinxerimus. ſubinde in proprio hoſpitio recepti, quanto citius poterimus præſcripto more lavabimus, fovebimuſque eadem die, vel nocte, mox ſequenti. Hac etiam arte fovenda tum labia infantium lactentium, tum nutricum papillæ, ſi ſuctione afficiantur: balneum etiam univerſo corpori adhibitum, idem efficiet, ſi cum infecto quavis occaſione cubueris. Confert etiam ſi vino hæc feceris, vel etiam fere quovis liquore, modo calidum ſit: verum aqua ſimplex cæteris omnibus præfertur, diſſolvit enim quantum ſatis fuerit, nec plus æquo exſiccat, vel à foru reſtringit. Nam ſcopus hic eſt, ut leviter fovendo diſſolvamus, nec ullam cuti qualitatem, excepta naturali, relinquamus: quod quidem nihil aqua melius efficere poteſt. Quod ſi contigerit cum talibus coire, & poſt coitum ardorem quendam in virga ſtatim præſentire, vel inde in ea ulcus apparere, non ſupervenien-dum eſt, ut inepti faciunt empirici, qui volentes curare, maximopere nocent, propinantes medicamenta exſiccantia, frigida, ſtiptica, quorum natura eſt impingere, & figere materiam, eamque ad interiora propellere; ſed potius ingenio elaborandum eſt, ne virus tale ad partes internas aliquo modo impingatur, ſed ad exteriores ſenſim educatur, & eductum tandem reſolvatur. Confeſtim itaque *accipiatur lutum armenum* (*ſi legitimum habere poſſis*) & *ſanguis draconis*, & *diſſolvantur cum ſucco arnogloſſæ, vel aqua ejus cum modico aceto nigro, acri*, & *fiat mixtura, ex qua linea faſcia operi accommodata liniatur*, & *ex ea virga circumligetur; in radice ejus prope pectinem cum decenti ſtrictura*, & hoc ne materia illa venenoſa libere per corpus ſpargi poſſit, imo viis clauſis, ac conſtipatis retrocedat, & cum ſicca fuerit iterum madefiat, & applicetur. Deinde talis conficiatur aqua. Recipe *ſalis communis drachmam unam* & *ſemis, argenti ſublimati ſcrupulum unum, aquæ plantaginis*, & *fumi terræ, ſingularum uncias quatuor, bulliant omnia ad ignem in vaſe vitreo ad conſumptionem decimæ partis*, & *ex hac ulcus contractum madefiat*, & continuo ſupra illud tale ponatur unguentum. Rad. *radicum ariſtolochiæ rotundæ, lilii, viridis æris, ammoniaci temperati in aceto, myrrhæ ana drach. duas, terebinthinæ optimæ, picis, olei communis, ana drach. quinque, conficiatur unguentum ad ignem.* Hæc ſi feceris in principio, tantum abeſt ut polluaris, quin potius jam pollutus, & ulcere penis affectus, in priſtinum ſtatum reſtituaris, modo intra paucos dies id fuerit diligenter præſtitum. Poſt dies autem aliquot talis non expedit curatio. Subſequenter *pullum gallinaceum, vel columbam habeas*, & *cum per medium ſtatim ſcinde, virgamque ulceratam in carnem illam caleſcentem immittas*, & *tam diu contineas, donec caro actu calida percipiatur, iterando ſæpius priorem abjiciendo.* Hoc enim eſt de melioribus auxiliis in tali caſu, venenum enim ipſi membro virili affixum, movetur, afficitur, diſpergitur, hebetatur, & conſumitur in carne illa ſanguinolenta, & adjuvat, ad hoc caliditas actualis cum virtute ſua attractiva. ab ipſo deinde principio ſingulo mane jejuno ſtomacho capiat perturbatus *drach. unam optimæ theriacæ Andromachi, cum unc. quatuor aquæ fumi terræ*, ſenibus tamen, & debilibus in mi-

nori mensura, & alternis diebus est propinanda: cavendo etiam, ne æstivo tempore præbeatur, & præsertim cholerico, sed potius ejus loco *trochiscos de tyro*, & *carnes viperinas* exhibebis. Expediens etiam est per venæ sectionem sanguinem mittere, dummodo ætas, complexio, virtus, & reliquæ sumendæ indicationes permittant, sed non modo, quo cæteri quamplurimi hujus ætatis medici consueverunt, immisso scilicet prius clysmate, quoniam morbum potius confirmares, quam boni aliquid perfeceris, ut rationibus, & auctoritate inferius maxime demonstrabo. *Syrupis etiam, & cassia fistul. sjuphaque* (ut ita dicam) *quæ vapore aquæ, in qua lapathum acutum, fumus terræ, & scabiosa ebullierint, calefit*, sanguinem purgare necessarium probamus. Diætam vero in cibo & potu observet, prout inferius dicemus. Si vero interea in corpore perterrefacti oriri videas pustulas, & eundem doloribus torqueri, in hac curatione non amplius laborandum, imo ab hoc opere quiescendum, jam enim diffusum esse venenum scias per corpus, peractus est morbus, tunc præservativam cogimur differere, & curativam partem complecti, quod nos quoque opportuno jam tempore hoc loco faciemus.

## CAP. X.

### *De morbi Gallici curatione in generali.*

Medendi methodum partium medicinæ omnium, ut ordine postremarum, sic certe fine, & effectu longe utilissimam esse ac veluti reliquarum omnium finem, & Galeni, & omnium medicinæ auctorum constanti assertione arbitror. Finem namque medicinæ sanitatis adeptionem esse Galenus merito est arbitratus. Ea vero, cum medendi methodi præsidii opportunis paretur, sequitur profecto, partem hanc, quæ curare morbos docet, reliquarum medicinæ partium finem esse. Quare cum uniuscujusque morbi curatio in triplici compleatur, in debita scilicet rerum non naturalium adhibitione, sive medicamentorum applicatione, sive chirurgico munere, ut testatur Johannitius in *fine sui introductorii*, idcirco nobis hoc loco operæ pretium erit, per eosdem gradus procedere, si morbi Gallici curationem perfectam præscribere voluerimus, idipsum primum præponentes, quod de ea morbi Gallici affectione curatio illhæc delucidetur, quæ eam recipere valeat, non autem de illis ejusdem ægritudinis radicibus, quæ quidem evelli, atque minime eradicari possunt. Diversa igitur erunt præsidia, quæ huic ineundæ, perficiendæque curæ existunt, ut moribus, aëris temperies, patientis ætas, habitus, mores, officium, reique repræsentabunt. hæc etenim tria postrema cæteris ex animo tanquam in quamplurimis necessario indicantia addere visum fuit, ubi præcipue affectus diuturnus egenum, vel immorigerum patientem sollicitat, quos alia ratione tractare quidem debemus, quam eos qui temperati sint, ac bonorum fortunæ, scilicet divitiarum, commodi sint, & qui sumptibus resistere possunt, & dierum plurium, sive mensium diætam ferre possunt, nulla contentione, quæ præcipiat assistens, prudensque medicus, præstare parati. Causa igitur morbi hujus multis, diversisque ingeniis minui, evellique & potest, & solet, instrumentis videlicet, quibus medicus morbis aliis curationem molitur, victus discrimine, medicinarum oblatione, atque manuum operatione, cujusmodi sunt sanguinis detractiones, purgationes, lotiones, fomenta, balnea, linimenta, liquantia, sive urentia medicamenta, ac cætera localia auxilia, quæ omnia in multiplici habentur differentia, ut suo loco singula patebunt. Cumque nobilius à tota medicorum schola in hoc morbo expellendo instrumentum sit ratio victus, ut perbelle ostendit Galenus *Aphoris. prim. & prim. de ratione victus in morbis acutis*, operæ pretium ob id esse duxi primo morbi Gallici curationem per ipsam diætam moliri; postea per medicinarum oblationes, deinde per manuum opera, quæ chirurgia perficit, ut docte ait divinus Hippocrates in *libro de medicorum officina*, & Galenus cum ipso sexcentis in locis, quos quidem accuratus sectator perquirere poterit.

## CAP. XI.

### *De universali victus ratione in morbo Gallico.*

Modo sciendum est quod victus ratio nihil aliud est, quam sex rerum non naturalium approximatio indebita scilicet qualitate. Et cum instrumenta hæc in morbi Gallici curatione habeant primas partes, ab eis idcirco curationem incipiemus. Sed inter ea, à quibus necessario contingit corpus humanum alterari, in quibus etiam tota victus ratio consistit, primum est continens nos aër, ob hanc igitur causam ad veram hujusce morbi profligationem in primis aëris electio est necessaria. In qua quidem diversis maximisque rationibus non satis mehercle probare possum eorum opiniones, qui dixerunt, quod circa aëris electionem in morbo Gallico nihil sit notandum, quoniam ab ipsa quotidiana experientia edocemur, ut ea lue prava laborantes non prohibeantur ab hoc, vel ab illo aëre. Imo ego eos consulerem, ut habitatio eorum esset in aëre utique sereno, lucido, subtili, ac puro, sive ita fuerit per naturam, seu artem, quia talis aër sanguinem mundificat, spiritus clarificat, cor lætificat, mentem serenat, digestionem in omnibus membris procurat, ex quibus omnibus natura fortificatur ad expellendum nocua, & retinendum juvantia, & eidem convenientia. Quapropter ego laudo, ut morbo Gallico detentus moram ducat in aëre calido, & sicco; calido siquidem, tum ut materiæ vitiosorum humorum propensiores efficiantur ad perspirationem, poris caliditate apertis, tum ut nervosa membra, quæ in hoc morbo plurimum patiuntur, caliditate vigorem comprehendant, ut perbelle nos docet divinus Hippocrates, & Galenus *quinto Aphoris. tex. & commento* 18. Non sit tamen aër electus nimis calidus, quoniam tunc facile Gallici putrescentes humores adurerentur, unde morbus acutior redderetur. Aërem etiam humidum nequaquam ego laudo, uti qui stagni, & paludis halitu est infectus, & qui ex cloacis malam spirat auram: neque etiam mihi satis placet aër crassus, aut nubilosus, qui talis fiat ob flumen vel stagnum vicinum. Habitent igitur patientes hoc incommodum in aere calido: sintque satis bene cooperti bonis vestimentis. & circa illorum habitationes incendatur suo tempore ignis ex bonis lignis, non putridis, vel malæ proprietatis: caveant quoque igni se se appropinquare, quia ex fumo ignis intenditur dolor, ut sæpissime visum est mihi, atque aliis medicinæ quamplurimis auctoribus. Eligatur ergo aër boni odoris, & bene eventatus, quem poteris æstivo tempore artificialiter præparare sternendo res boni odoris in loco suæ habitationis. In æstate eligat etiam montana, in hyeme autem plana loca, ut habeat aërem temperamento magis propinquum. Nam licet eligi (ut modo dictum est) debeat aër, qui siccus, & calidus sit, non ideo debet excedere, sed parum ad siccitatem, & caliditatem æqualitate tendere debet, ex quo temperatum naturam possidet medii: medium autem respectu unius extremi susceptæ naturam alterius: & ideo si fuerit temperatus, convenire poterit cuicunque naturæ materiæ peccantis. Atque hæc de aëris electione satis nobis dicta sufficiant. Nunc properandum est ad secundam rem non naturalem, quæ cibum & potum complectitur, cujus quidem ratio est habenda, ut taliter cibetur æger, quod virtus nutriatur, & non morbus, ut inquit Galenus. Resistant illi cibi semper putredini, & fervorem etiam impediant. In curatione igitur mali hujus debemus inquirere panem optimum, qui parum nutriat, non calidus, nec pluris trium dierum, bene coctus, & fermentatus, alvum reddat mollem cum furfuris aliqua semper portiuncula, & semper bene ab ægroto dentibus perfricetur, ut facilius concoqui possit. In istis enim facultas concoctiva imbecillis redditur, & ideo oportet, ut optime ipsi præparent in ore ea omnia, quæ ab eis comeduntur. Sed quoniam non semper iidem cibi in hac curatione requiruntur, ut inferius declarabitur, ideo cavere debet accuratus medicus, ut omnia suo tempore præcipiat, quoniam si respectum habuerit specialis ægrotantis, considerationis, ac etiam complexionis & dispositionis ejusdem, non eandem semper diætam convenire animadvertet; imo eam variare oportet, secundum ipsius rei diversam specificationem, & secundum variam patientis com[illegible]onem, dispositionemque. Vinum autem vix ego concederem, quoniam talis potus damnum non mediocre infert morbo Gallico laborantibus, & quoad animum, & ad corpus etiam: cum ergo eorum corpori maxime sit noxium, tum quoniam ipso suo halitu caput offendit, ac replet, tum etiam quia irruit ad partes internas, in iisque gravedines, & motuum earum impotentias, & dolores excitat: quibus corpus totum ocyssime vehementerque cruciatur: igitur nullo errore adductus convenienter crediderim vinum non esse exhibendum. Sed si tamen æger talis fuerit naturæ confectus, ut absque hoc potu curationem non possit admittere, concedam saltem (idque non sine aliquo timore) vinum album, impotens, & imbecillum cum aqua cocta debite permixtum, sive *cum aqua borraginis, vel buglossi*, & hoc præcipue cum morbus fuerit in declinatione, quoniam in aliis temporibus possent plures materiæ conduci ad loca dolorum, & tanto magis cruciatum augere: & idcirco si plures adfuerint dolores, bibatur potius vinum colore rubrum eodem modo dilutum. Fructus vero, qui sua frigida, atque humida natura morbi Gallici temperaturam adaugent, sunt omnino fugiendi, quales sunt *cucurbitæ*, *melones*, *citrulli*, *cucumeres*, & hujusmodi humidæ consistentiæ, atque larga humiditate præditi. Alios vero fructus, quos arboreos medici appellant,

lant, quia corporibus noſtris tenuem & humidam alimoniam afferunt, atque flatuoſam, quæ quidem exteuſione, & doloribus Gallicis ægrotantibus non mediocre præbent nocumentum, idcirco eos ex tota eorum natura prohibendos exiſtimamus, quales erunt *pyra*, *poma*, *ficus*, *perſica*, *mora*, *pruna*, *ceraſa*, *armeniaca*, & *ſimilia*, quorum mollis, atque humida eſt conſiſtentia. At ſi tamen ex his, quæ diximus, fructibus Gallicus aliquis comedere aliquando deſideret, poſſumus ſaltem ei concedere *ficus exſiccatas*, *poma*, & *pyra etiam ſub ferventibus cineribus decocta*, quoniam ejuſmodi generis fructus ab ipſo ignis calore ita præparantur, ut nedum humidum eorum minuit nocuum, verum etiam flatuoſum ſpiritum ſenſim excernit, ac ſolvit. *Nuces* vero *avellanas*, *atque juglandes*, quoniam facultate quadam adſtrictoria pollent, ea de cauſa minime exhiberem, quemadmodum etiam *cydonea*, *meſpila*, *punica*, *ſorba*, & *hujusmodi*, qui quidem ſolidæ ſunt conſiſtentiæ, atque non ſolum in tranſitu inceleres ſunt, verum & craſſum, & glutinoſum, adſtringentemque ſuccum producunt perſpirationi vitioſorum humorum obnocuum, & ideo tales prædictos fructus ſic affectis ingratos eſſe penitus pronuntiamus. Olera vero, quæ Gallica lue laborantibus ſunt apprime utilia, ea quidem erunt, quæ ſiccandi, & caletaciendi naturam habent, quemadmodum *hyſſopus*, *calamintha*, *fœniculum*, *ſalvia*, *betonica*, & *ſimilia*, quorum obſervationes ſubtiliſſime jam antea demonſtravimus in noſtra Fabrica Pharmacopolitcrion ſuis propriis capitibus, ut quilibet videre poterit, atque per contrarium ea olera, quæ humidam, & frigidam habent facultatem, uti erunt *lactuca*, *endivia*, *blitis*, *malva*, & *ſimilia* omnino vitare debent morbo Gallico laborantes, quandoquidem eorum frigida natura vitioſos in corpore humores compingunt, & eorum perſpirationem impediunt. *Cepæ deinde communes*, *cepæ aſcalonitides*, *allia*, & *porri*, atque hujuſcemodi terræ tubera, vitanda omnino erunt, nec quidem olfaciendo, aut oculis aſpiciendo, quoniam licèt facultatem quandam alendi corporis obſcuriſſimam habeant, nihilominus tamen ob eorum mordacem acrimoniam plus corpori obnoxia ſunt, quam prolint, & ideo nihil magis fugiendum eſt. Eadem quoque ratione fugienda maxime erunt quædam alia terræ tubera, quæ quidem quovis modo condiendi parata fuerint, ſemper tamen obnoxia eſſe apparent, cujuſmodi ſunt *fungi*, & id genus, qui non mali ſucci ſolum ſunt, atque alimonia ex his prognata, pituitoſa, ac gelida, verum & omnibus accidentibus ex hac lue prodeuntibus obnocua evadunt. Carnes humidas omnino fugiant, atque præſertim agninas, arietinas, caprinas, bovinas, & hujuſmodi alias, quæ peſſimæ huic rationi vivendi admodum ſunt. ſuillæ etiam erunt fugiendæ, vel recentes fuerint, vel ficcæ, & ſalitæ, & in ſumma tantum carnes iſtas, quantum piſces multos conſonum eſt vetare his, qui hac Gallica affectione laborant, atque maxime ſi piſces quoque fuerint ſaliti, à quibus in univerſum caveri debet. Caſeum etiam, & lac quodcumque multis rationibus his, qui hac lue prava fatigantur, erit conſonum pernegare, atque cum ipſis leguminum eſum, quandoquidem legumina flatibus ventrem implent. Inter aromata deinde, poterunt in cibis, ut delicatius vivant, & utilitatem ex eis majorem recipiant *nuce muſcata*, *caryophyllis*, *cinnamomo*, & *ſimilibus uti*, quæ quidem vim roborandi viſcera habent. atque hæc omnia de cibo & potu nobis dicta ſatis erunt, ſi rationem aliquam adhuc inſtituamus, qua ægrotantem nutrire debeas in unctionibus applicandis, & poſt illitiones etiam, quoniam differt tunc neceſſario illa victus ratio, ab [illegible] quæ cum antedictis ordinari poteſt. Quo igitur tempore [illegible]erveneris ad eas unctiones, quas ulterius demonſtrabimus, non debes (ut quidam exiſtimarunt empirici) victum liberalem ægrotanti re vera concedere, nec vinum generoſum ei propinare, quandoquidem tali victu neceſſum eſt ut corpus pituitoſum refarciatur, & tanto impetu ad fauces irrumpit pituita, vel ad alvum detruditur, ut negotium plerumque formidabile faceſſet, &, cum hoc volueris præcavere, temperate potius nutriri jubeas, & vino vel abſtineri, vel ſaltem modo, quo diximus, conceſſeris. Conceduntur eo temporis intervallo carnes boni ſucci, dum mandere poſſint, vel contuſæ, dum os pituita, ulceribus, & inflammatione ſcatet, & epulæ ex pane tritæ in optimo carnium jure concocto, vel offæ ex pane tenuiter inciſo in eodem jure paratæ, quæ omnia, cum facile deglutiri poſſint ſine maſticatione, admodum conducibilia eſſe cognoſces. Aluntur etiam quibuſdam ſorbitionibus amygdalatis, hordeatis, gelatinis & ſimilibus. Potus autem commodus ſatis is erit, ſi vino abſtinere æger poſſit, *ut aquam præbeas*, *in qua mel*, *hordeum*, & *liquiritia fuerint decocta*, *addita cinnamomi in fine aliqua portiuncula*, *qua decenter aromatizetur*, vel ſi *mel* ægro non ſatisfaciat, *ſaccharum* loco ejus imponatur, vel etiam, ſi libeat, *ſine hordeo* aquam parabis, & ſolam concedes. Bis tantum in die ægrotos comedere ſat eſſe opinor, & horis conſuetis. Sed quoniam temperate modo diximus, potius quam liberaliter cibandos eſſe prædictos ægrotantes, idcirco non debemus hoc loco uberiorem curam habere de ciborum particulari quantitate; ſatis enim id eſſe ſcimus, quod accuratus, ac diligens medicus de virtute aliquando ſolicitus, & anxius ſit, ut nos eſſe docet Hippocrates in ægritudinibus chronicis, & poſt ipſum Galenus. Et quoniam eadem ſequitur cibandi penitus ratio poſt ſatis applicatas unctiones, ne bis aliqua recenſeamus, in cauſa tandem eſſe poterit, ut de cibo, & potu nihil aliud quicquam hoc loco ſit conſtituendum. Modo ad ſomni, & vigiliæ conſiderationem opportune accedamus, & ad ea ulterius, quæ facient ad rerum non naturalium exactum tractatum. Dicemus itaque ſomnum animantibus ad quietem datum eſſe: ſiquidem cum diurnis, aſſiduiſque laboribus, atque motionibus defatigata animalium corpora virium reſolutionem ſentiant; admirabili Dei providentia factum eſt, ut ſomno ceu ſalutari laborum remedio laſſitudini, ac viriuin diſſolutioni, ſibi conſulant. Unde conſtat, quantum ſomnus commoditatis, ac beneficii hoc Gallico morbo affectis afferre poſſit, ſi modum præſertim non exceſſerit juxta Hippocratis decretum, nam qui immodicus eſt membra omnia laxat, excrementa detinet, colorem habitumque corporis deteriorem reddit, caput gravat, multoque vapore implet, calorem nativum hebetiorem, partes omnes ad motum pigriores facit, & crudos ſuccos concoqui prohibet, & viſcera graviora reddit. Quamobrem cum multa nobis à ſomno immodico, & intempeſtivo damna accedant, curare id omnes debemus, ut ſomno naturali & temperato utatur, qui morbo Gallico correptus fuerit, quia perfectior (ut jam diximus) digeſtio celebratur. Ut autem ſomni ratio conſtet, plurima in eo obſervanda erunt, tempus ſcilicet, menſura, ſeu duratio, decubitus, inſomnia, & acceptorum copia, vel defectus. Aptiſſimum ſomno tempus nocturnum eſt, quod per alta ſilentia noctis, commodius, prolixiuſque dormiat ægrotus, & ab ejus frigiditate facilius innatus calor intro trudatur, ac ab extimis partibus in intimas revocetur, qua revocatione mox concitatur ſomnus, qui commoda multa præſtat, uti diurnus maxima detrimenta adfert, non ſolum hæc prava lue laborantibus, ſed plerumque omnibus: quod eſt ab Hippocrate *ſecund. præſag. lib.* in hæc verba notatum. *Interdiu* (inquit) *vigilandum*, *noctu dormiendum eſt*. Si contra commutetur, peſſimum eſt. Ob id potiſſimum diurnum ſomnum damnat, quod cerebrum humore nimio, vaporibuſque plurimis imbuat, quos vigilia potius abſumi oporteret, præcipue in Gallico morbo affectis, tum quod id tempus, quo interdiu ſomno indulgemus, breviſſimum cum ſit, concoctioni explendæ minus ſufficiat. Menſura porro ea ſomni ſit, atque duratio, ut probe confeciſſe nos, robuſtioreſque inde effectos intelligamus. Quæ menſura etſi non eadem in omnibus eſt, ſed pro nativi caloris in quoque aut copia, aut penuria, & temperamenti bonitate aut infelicitate, ſic & ipſa variatur: tamen commune id omnibus fere eſſe ſolet, ut ſeptem ad ſummum horarum ſpatio, & recte conficiant, & ſomno commode indulſiſſe ſibi videantur. De vigilia deinde pauca ſunt omnino ea, quæ nobis hoc loco dicenda veniunt: ea enim cum ſomno contraria ſit, contrariorum autem contrariæ ſint effectiones, ex his quæ de ſomno jam dicta ſunt, quid vigiliæ in corporibus lue venerea affectis præſtare poſſint, elicere facile fuerit. Temperata ergo vigilia concedatur, quia nullum nocumentum in corpore efficit: ea enim ſi modum exceſſerit, magnam infert corpori noxam, ac proinde magnopere cavendam nemini non exploratiſſimum eſſe puto. Vigiliæ enim ſi immodicæ & intempeſtivæ fuerint, vires corporis labefactant, ac perdunt, cruditates pariunt cerebri, & functiones ſenſuum debilitant, naturales enervant potentias, pallorem, maciem, pravumque omnino habitum producunt, corpora reſolvunt, & ſiccant: denique menti plurimum nocent, & alienationem ſæpe, ac mortem adferunt. Intenti igitur in id eſſe omnes debemus, ne nos vigiliis conficiamus, neve aut ſtudiorum amore, aut rei agendæ nimia cupiditate plus æquo nimium vigilantes, una cum vigilia vitam perdamus. Propterea in patientibus hanc enarratam lucm venereain, propter fortes dolores in membris corporis eorum, multæ vigiliæ ſuperfluæ fiunt, & corpora eorum, quando longo tempore durant, deſiccantur, & maraſmantur, & ut plurimum ad ethicam ſenectutis perveniunt. & hoc præcipue in habentibus complexionem calidam, & ſiccam. Atque hæc de aëris, cibi & potus, ſomni & vigiliæ declaratione eandem nobis ſint ſatis. Quamobrem ad repletionis, & inanitionis obſervationem noſtra convertatur oratio, quoniam certum eſt, quod omnino cavere unuſquiſque prudens medicus debet ſæpe numero, ne in corpore humano vel aliquo membrorum morbum Gallicum patientis repletio fiat. De repletione autem non ſolum dico cibi & potus, ſed etiam de humo-

rum

rum naturalium & non naturalium repletione & congeſtione eorum paulatina, quæ ſæpe contingit ex mala membrorum complexione, quantumcunque reficientia in ſe laudabilia exiſtant, ut facile percognoſcere poſſumus in cholericiſſimo (ut ita dicamus) homine temperata diæta enutrito, in quo non parva choleræ quantitas multiplicatur, quemadmodum de ſanguineo, phlegmatico, & melancholico id ipſum quoque evenire concipimus. Hi igitur morbo Gallico laborantes attenuante victu utantur, licet non immoderato (ſicut antea dilucidatum eſt) quod is comitialem morbum facile progignere poſſit: præſertim ubi ventriculus immoderate inanitus fuerit. De motu autem & quiete in præſentia jam agamus, quoniam ad morbum Gallicum expellendum haud minimum momentum eos habere, non autorum tantum conſtanti aſſertione, ſed & ipſa experientiæ fide, exploratiſſimum omnibus ſemper habitum eſt. Motus igitur ſit temperatus, factus ante cibum, ſuperfluitatibus primæ, atque ſecundæ digeſtionis expulſis. Exercitiorum enim quoddam non ſolum corpus, ſed animam lætam reddere poteſt, tam enim in ipſo exercitio potens motionis ſit anima, quod multi quidem liberati ab ægritudinibus perniciosis, ut perbelle nos docet Galenus in eo *libello*, quem *de exercitio* nuncupavit, & idem confirmat *tertio Aphoriſm. comment.* 20. & Rhaſis *quarto Almanſor. capite.* Hipp. in *libello de aëre*, & Averr. *ſeptim. colleg.* Utile quidem eſt exercitium, nam commovet calorem naturalem, & validas facit, quæ ſunt in membris, virtutes naturales, & animales, & vitales fortificando, autore Galeno *ſecund. Aph. comm.* 48. & *lib. ſecund. de ſanit. tuend.* & *lib de bon*, & *mali ſucci cibis.* Quamobrem, quantam adferat utilitatem Gallicis affectis unicuique exercitium tale, conſtat, in eis ſiquidem neceſſario propter ſymptomata antea enarrata calor naturalis perterrefactus eſt, virtutes prædictæ etiam egent aliqua fortificatione, auxilio ſcilicet exercitii. Quare ego tanti eſſe in omni vitæ curſu exercitationem moderatam exiſtimo, ut primas omnino illi partes in vita ſervanda jure attribui debere cenſeam: ut ex illius commodis manifeſtum omnino apparet. Unde tanti etiam facio exercitium in omni morbo Gallico homine affecto, cum ſcilicet moderata aliqua menſura, ut multos hac tantum ratione liberos evaſiſſe proſpexerim; quemadmodum ex quamplurimis militiam exercentibus videre licet: qui quamquam facillime hanc pravam venereamluem percipiant, eam nihilominus exercitio quodam expellunt omnino, vel ſaltem ita humiliant, ut vix actiones eorum lædat. His omnibus tamen conſtitutis non ſemper exercitium prævalere Gallicis ægrotantibus conſideramus, nam quo tempore medicamenta eis exhibemus, ſatius eſſe exiſtimo ad ſuperfluam quietem, quam motum declinare, quia tunc virtus totaliter attenta eſt ad morbi profligationem. Modo ad accidentia animi noſter merito tranſeat ſermo, videlicet iram, furorem, triſtitiam, gaudium, timorem, invidiam, & id genus: quoniam manifeſtum eſt, quod medicus de his animi accidentibus maximam curam habere debet in Gallica præſenti occaſione, quæ enim moleſta ſunt, animum implent, ac deprimunt, motuque ſuo averſum à recta ratione vexant, lacerant, ſtimulos admovent, ac præ anguſtia reſpirare ægrotum aliquando non ſinunt. Abſtinendum ergo eſt ab ira, triſtitia, & ſimilibus animi accidentibus in corporibus habentibus aptitudinem ad incurrendum morbum Gallicum, quemadmodum obſervare licet ex Rhaſis *lib. quart. cap. nono Alman.* Idcirco omnia animi accidentia, quæ nocumenta, & indiſpoſitionem in his affectis corporibus inducunt, ſunt fugienda cum patientia, & bona tolerantia: & quam citius poſſibile fuerit expellenda, ac propulſanda: cum multa nocumenta talia, & conſimilia accidentia inducunt. Firmatur enim morbus Gallicus in corporibus vexatis dictis animi accidentibus, maxime quæ triſtia erunt: quoniam corpora eorum replentur humoribus melancholicis. Si autem immoderata fuerit triſtitia in frigidarum complexionum hominibus, corpus eorum refrigeratur: calorque exſtinguitur naturali ſua in corporis interiora converſione. Propterea triſtitia omnibus eſt nocens corporibus, & maxime ea lue laborantibus. Hæc omnia Haly Abbas *quinto theoric. cap. ult.* ſcripſit. Hoc idem voluit Avicenna *tert. prim. cap. quart.* dicens. *Triſtitia multum exſiccat*, & *pigritia virtutes laxat animales.* Quid autem in corpora unaquæque perturbationum animi pariat, non ipſa modo experientia, plenaque ſenſuum fides, ſed & omnis tum philoſophorum, tum medicorum ſchola, omnis hiſtoricorum pleniſſima bonæ frugis lectio docet. Perturbationum porro animi ad confirmandam corpori Gallico luem omnium promptiſſima, timor, mœſtitia, pavor, tum ira, effuſumque gaudium haberi ſolent. Nam cum ad hæc repentinæ animi motiones, celereſque ac fortes nativi caloris alterationes conſequantur, fit omnino, ut diſſolutis, quæ in nativo calore conſiſtunt, animi viribus, iisdemve nimia refrigeratione exſtinctis, mors conſequatur ab ipſis cavere oportet animi affectibus, quod corpus alterent, & à naturali ſtatu evertant. Cum itaque (ut plene patet) & metus, & lætitia, ſi immodica ſint, mortem adferre queant, cavendum id primum prudenti medico erit, ne vel rebus advertis ac triſtibus animo ægrotantis cadat, ſeque mœrori conficiendum det: vel ſecundis nimium lætetur, atque efferatur. convenit autem lætari, gaudere, & expellere penitus graves omnes curas, ſed ad extremum nequaquam. Bene etiam de ſalute ſua ſperet ægrotus, verſeturque cum amicis delectabilibus ſuis, & medicus eidem ſemper ſalutem promittat, licet ipſe deſperet, complexio enim corporis animi affectui ſemper inhæret: ut Damaſcenus in *Aphoriſm.* & Commentator Alexandrinus *comment. trigeſimo octavo lib. Epidemiarum.* Atque de omni animi perturbationum natura tantiſper dixiſſe ſit ſatis.

## CAP. XII.

*De morbi Gallici curatione per varia medicinæ inſtrumenta, videlicet evacuationes, phlebotomiam, pharmaca, ſyrupos, lotiones, balnea, ſuffumigia, & alia quamplurima remedia.*

Curationis omnis, univerſæque medendi methodi ſcopus unus, atque præcipuus eſt, ut ægrota corpora in ſanitatem vindicemus. Id vero eſt, naturales partium actiones, ſi quæ vitiatæ ſint, corrigere. Quare, ſi prudens aliquis medicus cauſam hujus pravæ ægritudinis removere, & abſcindere voluerit, eo prædicto obſervato ordine ſatis commode fecerit: atque omnino debet ſecundum Galeni ſententiam dicentis. Unum commune oportet præceptum habere, efficientem unamquamque cauſam abſcindere. Poſtea vero ad eam, quæ facta eſt, dyſcraſiam pervenire, quod quidem affirmaſſe eſt viſus Princeps etiam Avicenna *prim. quart. capit. ult.* Et ſic breviter dicimus, quod ſi in lue illa venerea antecedentis, ut conjunctæ materiæ repletio contigerit: cum evacuatione curatio auſpicanda erit, per pharmaca ſcilicet, vel venæ ſectionem, ſecundum quod ſigna demonſtrabunt, quæ quidem maximopere medicis perſcrutanda venient, cum principaliter intentio in hujuſmodi morbi curatione ſit digerere, evacuare, divertere, ſive extra adducere. In principio igitur morbi Gallici, ſi materia fuerit ſanguinea, hoc eſt groſſus utique ſanguis, vel ſi fuerint reliqui humores, ut puta phlegma uſtum, vel cholera uſta, vel melancholicus humor, & fuerint permixti, ſcilicet cum ipſo ſanguine, tunc primo incipiendum erit à venæ ſectione, niſi ſponte ex naribus, hæmorrhoidibus, ſive menſtruis ſanguis effluxerit ſatis copioſus. Talis autem venæ ſectio debet utique fieri in principio, antequam incipiant apparere puſtulæ in cutis exterioris ſuperficie corporis partium, cum enim ea morbi Gallici materia externas petierit partes in multa præſertim quantitate, nullo modo fieri debet venæ ſectio autore Avicenna. Fortaſſe phlebotomia mala fuerit: quoniam convertit ſcilicet, & repellit id ad partes corporis internas, quod ad externas procedere videtur, & ſic ad motus oppoſitum naturæ operatur. Sed indicationes contrarium nobis oſtendunt, ut ſemper ſcilicet, & in omni morbo, cum vitium eſt in ſanguine, à venæ ſectione inchoandum eſt. hæc enim triſtiſſima eſt in medicina propoſitio, & ab omnibus tam antiquis, quam neotericis medicis comprobata, experientia quoque ipſa nos idem aſſerimus, & ideo nullatenus hac indicatione à phlebotomia eſt dubitandum. Imo quotidie experientia nos docet, quod illæ mulieres, quæ tali morbo infectæ fuerunt, quia ſingulo menſe conſueta menſtrua fluebant, citius liberatæ fuerunt, nec ita acriter ab eodem moleſtabantur, niſi illæ, quæ ex aliquo impedimento menſtruis ipſis carebant, tunc & ipſæ acriter affligebantur, cum morbi longiore mora. Hæc igitur venæ ſectio ſatis conveniet, & proderit, propter cauſam antecedentem: quoniam eſt vehementis neceſſitatis in principio (ut dictum eſt) & maxime in plethoricis, cum videantur ſigna exuberantis ſanguinis, & robur, & ætas ipſa conſentiant, antequam indureſcat ſanguis. Quare cum tanti commodi, ac utilitatis in prædictis principiis phlebotomia ſit, conſiderare omnibus modis debemus ea omnia, quæ huic rei conſideranda apparent, videlicet quod melius ſit infra ſubſiſtere, quam exquiſitiſſime evacuare, ut inquit Avicen. *prim. quart. capit. de phlebotomia.* Inveterato autem morbo, & ſanguine indurato, venæ ſectio ſuſpecta eſt, maxime copioſa, perquam dolores augentur, & ulcera malignitatem acquirunt: ſuſpecta eſt etiam propter virium imbecillitatem. hi enim neceſſario debiles ſunt propter morbi etiam longitudinem, deinde ex malignitate ſanguinis, quam ſequitur defectus nutrimenti. Sanguinis igitur detractio non debet fieri in iis, in quibus fien-

da est, per sanguisugas, vel scarificationes, ut quidam male existimati sunt, sed potius per phlebotomiam, neque prius immittendus est clyster, ut omnes vulgares medici non solum in morbo Gallico, sed in omni fere morborum genere nulla ratione vel experientia comnioti facere consueverunt, seducti fortasse Avicennæ auctoritate *quart. prim. capit. de phlebotom.* ubi inquit non faciendam venæ sectionem fæce exiltente ficca, existimant semper ante sanguinis missionem clysterem esse injiciendum, quod quantum habeat erroris ex eo probari potest, quod eodem Avicenna auctore multis in locis clysterem præcedat phlebotomia, quos legant apud illum omnes nostrici medici, ut sui erroris conscii fiant, qui tantopere illum colunt, ac venerantur. Adde etiam, quod ipse Avicennas canonem illum universalem loco citato de clysteris exhibitione ante venæ sectionem sumpsit ex Galeno in *lib. de præsagio experimento confirmato*, ubi semel in uno particulari solum casu, quando scilicet alvus constipata est fœcibus, alibi vero semper debere præcedere, imo subsequi Hippocrat. & Galen. docent. Nec etiam credendum est de Avicen. ut tam libere repugnare velit Galen. cujus se interpretem esse fatetur, qui nunquam excepto illo casu, cum videlicet intestina fœcibus constipata sunt, jubet ante venæ sectionem injicere clysterem, imo semper ut subsequatur, non solum ille, verum & Hippocrat. qui *lib. quarto de victus ratione in morbis acut. comment. septuagesimo secundo* post factam venæ sectionem, inquit clysterem postea exhibebis, ubi Galen. in *commento* quasi generalem regulam ponit dicens, quod Hipp. post sanguinis missionem clysterem adhibere jubet, nisi spontanea excrementa bene exierint. Sed ne lectorem fastidio legendo novas regulas sancitas offendam, satis est, ut pro hac hæresi eradicanda locos tantum Hipp. & Galeni ostendam. Videat ergo, quæ scripta fuerunt, ab optimo sene in eodem *lib. 4. comm. decimo octavo*, & paulo post in *texto decimo nono.* & Galen. *lib. secundo de compos. medic. secund. locos capit.* 10. *lib.* 1. *artis curat. ad Glauconem cap. de cura quartanæ.* & cum ipsorum autorum præcitatis locis, rationibus multis rem quoque examinet. Quod si adferuntur aliquot Avenzoaris, Avicennæ, & Averrois auctoritates, quibus jubent ante venæ sectionem clysterem esse exhibendum, dicimus illorum esse sententiam interpretandam de cura non quidem præsentis morbi, sed illius præservandi & cavendi gratia. Quare meminerint posthac, qui pravis sectis tantopere deditι sunt, hanc nostram sententiam meliorem profiteri, ut errorem execrandum hunc de usu clysteris ante phlebotomiam omnino obliviscantur, tum in aliis quamplurimis morbis (ut principio paradoxi diximus) tum maxime in Gallica lue, in qua quidem hæc erunt nobis post ea, quæ jam enarravimus, consideranda. Et primum ut ea tantum in hominibus fiat per venam illam hepaticam, quam olim in nostris *Anatomicis Contemplationibus*, *cap.* 12. *lib. tertii* cum Græcis & aliis basilicam nuncupavimus, atque sectio talis potius fieri debet à dextro brachio, quam sinistro; vel si non licet eam secare basilicam dextram, secemus nos medianam saltem, sive communem dicamus, ex eodem prædicto latere: quandoquidem licet ipsam depravatam materiam divertat ab exterioribus ad internas partes, non tamen talis dicta materia sic veneno quodam est prædita, ut est illa & morbillorum, & variolarum, ob quam causam inepta quidem ratione nonnulli eam prohibent sectionem. At nos communiter magnam inde utilitatem perspicientes ita præcipere solemus, ut dictum est, dummodo ægrotantis virtutem correspondere satis inveniamus, quam quidem merito una cum Galeno semper diligentia qua possumus maxima observamus, ut ipse dixisse est visus *lib. prim. de regim. morb. acut.* hoc modo. Sublimior intentionum omnium est intentio ab ipsa virtute desumpta, quoniam curans est virtus, & non medicus, siquidem cum fortis non fuerit, non prodest curatio quomodocumque fiat: ut Avicenna etiam in *prima quarti* dixisse est visus. Propterea solicitudo medici esse debet circa corporis virtutem integratam, vitalem scilicet, animalem & naturalem. atque hæc nobis sint satis de rationibus, & observationibus in venæ sectione pro diligenti præcepto à morbi Gallici natura selecto, si hoc unum adhuc adjunxerimus, quod in mulieribus affectis, utile est vena malleoli secta ciere menses, si retineantur, quo tempore fluere solebant. Nunc ad alia medendi instrumenta consueto ordine præveniendo dicimus, quod ægrotus debet ab omni penitus laxativo elongari, donec infirmitas ejus declinaverit, tunc enim commode & sine aliquo periculo materia poterit evacuari, sed minime tamen cum illis vehementissimis medicamentis, quibus hodie quamplurimi Empirici medicinæ sectatores uti consueverunt: imo benigna, ac sancta illa lenientia medicamenta eligemus, quæ omni remota jactura, opus nostrum ad perfectum finem conducere poterunt, cujusmodi sunt *cassia fistula*, *manna*, *myrobalani*, *rhabarbarum*, *agaricus*, *aloë*, & *alia id genus purgantia*, *ac benedicta medicorum simplicia pharmaca*, *cum decocto florum cordialium*, *prunorum damascenorum*, *passularum*, *fœnæ*, *epithymi*, *thymi*, *polypodii*, & *liquiritiæ*, cum quibus fieri poterit evacuatio. Et si compositis medicamentis uti nos res ipsa constringat, tuto etiam id fiet evacuando *cum electuario lenitivo*, *diajenæ Rhasis*, *diacatholicone*, *electuario Indo*, *confectione Hamech*, *diaphœnicone*, & *similibus*. Et quoniam præceptum satis enucleatum ab Hippocrate habemus *primo Aphorismo*, quod ea, quæ oportet ducere, undecunque repit natura, inde ducere opus est per convenientes regiones, ideo nos, cum in morbo Gallico inceperint pustulæ, naturam fumino studio juvare debemus ad expellendum materiam ad cutis externæ superficiem cum iis nempe medicamentis, quæ porositates omnium membrorum aperire valent: & maxime nervosorum, ubi recondita & recluſa esse dicitur materia luis illius. Ideo ægrotantibus hoc potissimum morbi tempore exhibere quidem commode poterimus *apii succum depuratum*, & *fœniculi cum melle rosaceo optime præparato*, præcipue hyemali, & frigido tempore, nam calido, & æstivo præstat dare *cum hordei optimo decocto*, & si volumus, *succum etiam pulegii* addere tuto poterimus, vel etiam *aquam fœniculi cum oxysaccharo composito* exhibebimus, ex quibus scilicet medicamentis id totum, quod quærimus, indubitata fide contrahemus. Nos autem in hujusmodi intentione non solum eo modo procedere consuevimus, sed quibusdam etiam aliis medicamentorum compositionibus, quæ adeo quidem à naturali simplicium ingredientium facultate prædita esse apparent, ut perbelle pustulas extra cutim expellere possint. & quoniam eorum experientiam multoties ratione observavimus indubitatam, ideo hoc loco recensere non ægre feremus. Solemus igitur quibusdam pro ejusmodi intentione præsens hoc medicamentum ordinare, videlicet. Recipe *ficuum siccarum*, *passularum communium*, *vel earum legitimarum*, *lentium excorticatarum*, *seminis fœniculi*, *laccæ*, *santalorum rubrorum*, *ana unciam semis*. *pistentur pistanda*, & *postea decoquantur in libris duabus aquæ fœniculi*, & *libra una cum dimid. aquæ apii ad medietatis consumptionem*, & *percoletur*: *in cujus colatura dissolvatur drachma una optimi croci*, & *usui reservetur in vase aliquo vitreo*, *vel saltem vitreato*. Hujusmodi namque decoctum satis commode, ac liberaliter provocat materiam, ex qua scilicet multæ pustulæ generantur, & exsiccantur, & tandem cadunt, & à doloribus ægrotantes deliberantur. Quibusdam vero hoc alio modo medicamentum aliud ordinamus, scilicet. Recipe *ficuum albarum exsiccatarum numero viginti*, *passularum enucleatarum unciam unam*, *croci scrupulos quatuor*, *tragacanthi drachmas sex*, *fiat decoctio in libris tribus aquæ apii*, & *tantumdem fœniculi*, & *deinde secundum artem diligenter formentur syrupi cum saccharo optimo albo*, *vel melle delicato*, & *selecto*. Aliquibus deinde hoc alio diverso modo medicamentum hujusmodi jubeo parari. Recipe *ficuum citrinarum siccarum numero viginti quatuor*, *lentium excorticatarum*, & *laccæ*, *ana drachm. sex*, *tragacanthi*, *marathri*, *ana drachmas quatuor*, *aquæ fœniculi*, & *bugloſſi*, *vel boraginis quantum sit satis*, *misceantur*, & *fiat decoctum ad medias*, *percoletur*, & *ut decet*, *exhibeatur*. Aliis autem ejusmodi pharmacum ordinamus, id est. Recipe *aquæ fœniculi*, *asparagi*, & *brusci ana uncias tres*, *aquæ apii unciam unam*, *anisorum*, *carui*, *seminum melonum ana drachmas duas*, *sacchari uncias tres*, *fiat potio secundum artem*, & *de ea detur mane*, & *vesperi*. Alia adhuc quamplurima reperiuntur apud peritissimos recentiores autores medicamenta, quæ hujusmodi quidem prædictas intentiones habent, sed nobis tamen hoc loco satis sit, illhæc tantum enarrasse ad nostrum integrum institutum. reliqua siquidem ex prædictis aliorum monumentis quisque pro arbitrio percipiat, atque interim nos ulterius curationem nostram contexemus. Et quoniam in præcedentibus demonstratum abunde fuit, morbum Gallicum diversas habere intentiones, pro diversis ejusmodi temporibus, idcirco operæ pretium esse duxi, antequam ulterius nostra procedat oratio, curationem etiam talem constituere, ut optime prædictis respondeat. Et ideo cum morbus Gallicus fuerit in declinatione, talem tunc curationem ordinabimus, scilicet primo ordinando decoctum, quod loco syrupi accipere æger poterit satis opportunum, atque utile post præcedentes alvi lenitiones, quod quidem hoc modo paretur diligentissime. *Accipe florum borraginis*, *bugloſſi*, *violarum*, *herbarum fumi terræ*, *cichorei*, *melissæ*, *cuscutæ*, *scabiosæ*, *scolopendrii*, *eupatorii*, *serpilli ana manipulum i. corticum myrobalanorum citrinorum*, & *chebulorum ana unc. ſſ. seminis unisi*, *fœniculi ana drach. duas*, *liquiritiæ rasæ*, *uvarum passularum ana unciam unam*, *polypodii unc. ſſ. thymi*, *epithymi ana drach. ii. ficuum pinguium siccarum numero viii. folliculorum sennæ sine stipulis unc. ii. agarici incisi unc. ſſ. avari ponderis*,

*ris, cinnamomi, zinziberis ana ſcrup. ii. ſpicæ ſcrupul. ſſ. fiat omnium decoctio in aquis boraginis, bugloſſæ ana libr. ii. ſecundum artem ad medietatis conſumptionem, deinde coletur, & clarificetur, & addatur oxymellis ſimplicis unc. i. fiat potus pro quatuor vicibus*, ex quo quidem quantum utilitatis poterit ſuſcipere ægrotus, unicuique vel parum in compoſitionibus medicamentorum verſato, manifeſtum maxime erit. Poſt uſum præterea quatuor iſtarum potionum, ſtatim altera die capiat æger hoc aliud compoſitum medicamentum, nempe. Recipe *floris caſſiæ non depravatæ, noviter extractæ drach. v. diaſennæ Rhaſis drach. ii. ſſ. confectionis hamech. drach. j. rheubarbari electi ſcrup. ii. ſpicæ gr. ii. ſyrupi ſuperius deſcripti unc. j. aquarum lupuli, & fumi terræ ana unc. i. ſumat mane in aurora actuali caliditate*, & poſtea jejunet horas quinque, vel circa. Suſcepto tandem hoc præſcripto medicamento quieſcat æger in lecto per integrum illum diem, nec curet omnino lucidum quemvis perſpicere aërem, ne aliquo pacto impediretur evacuatio futura: & quoniam evenire ſolet, ut illi, qui purgativam medicinam accipiunt, debilitentur, & membra eorum langueſcant; idcirco nos die altero ſequenti ordinare iſtis ſolemus membrorum confortativum hoc præſenti modo, ſcilicet. Recipe *lætificantis Galeni drach. iii. diamuſci dulcis drach. vi. aromatici caryophyllati drach. i. electuarii regum ſcrup. iiii. electuarii de gemmis ſcrup. ii. conſervæ boraginis, & bugloſſe, & cydoneorum ana unc. i. ſyrupi de pomis quantum ſufficit. fiat ſecundum artem electuarium, de quo accipiat æger mane cochleare unum vel drach. ii.* & ſic membra percipient mirabilem utilitatem. At ubi eveniat, ut ſanguis in ægro corpore paulo craſſior exiſtat, & non æque per cutem dejiciatur, quod in illo vitiatum eſſe conſtat, & hoc modo per partes paulo profundiores vagans appareat, muſculos tum eorum involucra gravando, tendendo, & tandem erodendo, tunc ſecta vena affectæ parti maxime proxima, mox ſtatim alia alterius membri dolentis, ſive crus, ſive brachium fuerit, purgantia tunc medicamenta hujuſmodi conferre pro comperto millies habemus. Recipe *agarici optimi non trochiſcati drach. unam, aloës electi drach. ſſ. diaphœniconis drach. iii. miſce. fiat bolus. capiat cum involucro, & juleppe roſato*, ne amaritudo ſtomachum ſubvertat: quamquam hos juvet quam maxime vomitus. quod ſi bolus averſetur potionis cupientior, ejuſmodi accipiat potionem, hoc modo ordinatam. Recipe *folliculorum ſennæ unc. ſſ. turbith. electi drach. i. ſſ. cinnamomi uſualis drach. j. aquæ cichorei unc. iiii. macerentur per noctem, & mane expreſſis adde oxymellis ſimplicis unc. iii. miſce, fiat potio, quam capiat ſummo mane*, & reliquis aliquot diebus utatur hoc infra ſcripto. Recipe *hyſſopi, hyperici, origani, pulegii, cichorei ana manipul. i. polypodii quercini unc. ii. ſeminis carthami unc. i. ſſ. fiat decoctio ad libras duas, & circa finem decoctionis adde turbith electi contuſi unc. ſſ. & iterum parum ferveant, & mox ab igne ſemotis adde ilico cinnamomi drach. ii. carvi unc. ſſ. ſeminis fœniculi drach. ii. contuſa craſſo modo: quæ macerabis horis quatuor, inde excolabis, & de colatura capiat æger omni mane ſub diluculum unc. v. cum unc. ii. oxymell. ſimp.* & decoctione hac epota, reſumat iterum primam purgationem, vel ſi magis placuerit ſecundam, quæ recipit *folliculos ſennæ, & cætera*. Si vero dolores infeſtant, & cruciatus membrorum non deficerint, tunc ego ad *agaricum optimum* devenio, vel ad *pillulas de hermodactylis*, cis ſuper addendo *aliquantulum rheubarbari*, ut puta ordinando in hunc modum. Recipe *pillularum de hermodactylis ſcrup. ii. rheubarbari optimi ſcrup. i. formentur pillulæ novem cinnamomo involutæ*. At ſi æger magis deſideret loco pillularum accipere potiunculam, quos ſæpius inveniſſe memini, *turbith jubeo accipi, agaricum, folliculos vel folia ſennæ, & ejuſmodi*, ita ſcilicet ordinando. Recipe *agarici optimi drach. i. turbith electi drach. ſſ. pulveris foliorum ſennæ drach. iii. zinziberis ſcrup. ſſ. cinnamomi drach. ſſ. aquæ meliſſæ vel abſinthii unc. iiii. macerentur omnia per horas xii. mox optime expreſſis colaturæ adde oxymellis compoſiti unc. iii. vel oxymellis ſcillitici unc. ii. miſce, fiat potio*, quam exhibebis hora matutina, & nitatur patiens eam non evomere per horam, ſi fieri poteſt; deinde hora una elapſa, ſi nauſea premat, regerat liberius, nam pituitas multas, quibus ſimilium patientium viſcera ſunt referta, una evomet: ſic duplicem ex hoc medicamento contrahet utilitatem, vel (ut clarius dicamus) duplex hoc medicamentum præſtabit officium, utrumque ad rem maxime conferens, nimirum quod in inferioribus inteſtinis erat collectum, per alvum deturbabit, & quod ventriculo inhæret per os rejiciet. Quod ſi contingat, ut repente æger ejiciat, paululum quieſcere concedatur, mox ſtatim potet *decoctum drach. vi. folior. ſennæ cum unc. iii. oxymel. ſimp. vel unc. ii. oxymel. ſcillitici*, & ſequentibus diebus utatur infraſcripto apozemate, donec perduraverit. Recipe *pulegii, origani, ſerpilli, ivæ arthreticæ ana man. i. menthæ, meliſſæ, abſinthii ana man. ſſ.*

A *polypodii quercini unc. i. ſſ. fiat decoct ad lib. ii. ſoluta ferme decoctione adde turbith electi unc. ſſ. ariſtolochiæ rotundæ drach. iii. & leviter, parvoque tempore ſubferveant. deinde ab igne remotis adde foliorum ſennæ unc. i. ſeminis aniſi, carvi, cinnamomi ana drach. duas, macerentur per horas decem. mox colatis, & expreſſis leviter, colatura ſervetur in vitreo, vel picato vaſe:* utaturque ejuſmodi colatura per octo, aut decem dies, ſi vires ferant, illam denuo conficiendo, cum prima ante id tempus fuerit abſumpta, ex qua capiant ſingulo mane *unc. v. cum unc. ii. oxymell. comp. vel unc. una cum dimidia oxymel. ſcillitici*. Interim dolentes partes aqua vitæ exquiſita laventur, & eadem foveantur ſemel, vel bis in die, donec dolores inſtant, lanaque ſuccida abundanti panno inſuta circumducantur. Attamen ſi ex iſtis quovis modo levari dolor videatur, ſæpius luce, noctuque lana optima calefacienda, & reponenda; hæc enim frequens repetitio hos dolores plerumque mulcet, unde robur partes ſuſcipiunt, requieſcentibus ſic quandoque viribus. Quod ſi ulcera corpus ægrotantis Gallica offendant, atque ea ægre ſanabilia eſſe conſpicias, ſtatim ab ægro ſciſcitandum erit, num talia ſponte apparuerint, vel potius poſt uſum rodentis alicujus medicamenti. quod ſi immediate poſt medicamentum rodens evenerit, per duos, vel tres dies ab iis ceſſandum eſt, tantum parti ulceratæ medicamentum appones, *quod mellis recipiat partem unam & ſemiſſem, ſuccі roſarum, & terebinthinæ ſingulorum partem unam, unguenti Ægyptiaci partem ſemiſſem, ad ignem omnibus bene permixtis*, nam hoc medicamentum leviter abſtergit, ac concoquit, ſic ut ſi duricies, vel putredo ex medicamentis, antea forte irrationabiliter adhibitis, pervenerit, tum hujus medicamenti auxilio, tum naturæ munere corrigi conſpicies. Si vero interea nihil in iis videatur remiſſi, augeanturve, vel ea etiam ex ſe ad hunc ſtatum pervenerint, ſtatim poſt baſilicæ venæ ſectionem dextri brachii ad univerſi corporis purgationem deveniendum cenſeo, prout ægrotantis natura medico demonſtraverit. inſerere autem hic purgationem pro junioribus non extra negotium fore credimus. Finge igitur amaræ bilis hominem eſſe, & in tempore non extreme calido, nam ætatem conſtat eſſe vel juvenilem, vel virilem: impuberes, vel ſenes non facile coëunt. Recipe *igitur acetoſæ, cichorei, origani ana manip. i. graminis, liquiritiæ raſæ ana unc. ſſ. radicum lapathi acuti, & fœniculi mundatarum ana unc. i. polypodii quercini unc. ii. ſſ. fiat decoctio ad libras duas, quæ aromatizetur cum ſemine petroſelini ad drach. i. ſſ. cinnamomi ad drach. ii. de qua ſumptis unc. iii. adde ſyrup. roſar. laxativi unc. iii. electuarii roſar. Meſues drach. ii. mixta albente cœlo potet, & de reliqua decoctione ſumat ſingulo mane unc. v. addita unicuique doſi ſyrupi roſ. laxat. & ſyr. de ſumo terræ compoſ. ana unc. i.* nam hujuſmodi pharmacum bilioſos humores, & craſſos, vel etiam ſeroſos, qui reperiuntur in venis, quæ proximiores ſunt inteſtinis, revocat, id quod in corporibus paulatim ſolet acervari deturbans, ulcus poſtea commodius ſanabis, vel cum medicamentis chirurgis aptatis, vel cum remediis, quæ ulterius adnotabimus, ut puta *linimentis ex hydrargyro, vel ligni Indici decocto*. Si vero contingat, ut ſeminis profluvio gravetur morbo Gallico affectus, principio mediocri negotio curabitur, primum virgam abluendo, & ſerotum, & coles ea aqua calida ſuperius adnotata, & corpus leviter purgando, *cum portiuncula lotæ terebinthinæ, aloë, rheubarbaro, & ejuſmodi*, bolum ordinando ut puta hoc modo. Recipe *terebinthinæ clarè lotæ primo in aqua plantaginis, mox in vino albo unc. ſſ. rheubarbari optimi drach. i. aloës electi ſcrup. i. cum pulvere liquiritiæ, & ſaccharo fiat bolus, capiat matutino tempore, & ſuperpotet decoctum caulium viridium, & parietariæ, ex carnium jure factum, vel cum butyro, ſale, & aqua.* Hac purgatione utatur bis interpoſitis duobus, vel tribus diebus, ſi prima libere eduxerit. interea exiguo clyſteri in virgam injice lavacrum illud, ſcilicet. Recipe *aquæ lactis, lixivii, aquæ roſ. ana unc. iiii. roſarum rubearum ſiccarum drach. ii. tutiæ opt. præparatæ, lithargyrii ana drach. iii. bulliat parum, colentur, & utere bis in die, blande injiciendo, ne exulceres, & tepide:* quod ſi ad ſextum diem molеſtus adhuc affectus ſit, venam inſtituo ſecari baſilicam dextram, & deinde ſequentem potionem ordinari committo. Recipe *malvarum, mercurialis, parietariæ, borraginis ana man. i. polypod. unc. ſſ. fiat decoctio pro una doſi, in qua infunde turbith electi drach. i. ſſ. foliorum ſennæ drach. ii. cinnamomi drach. ſſ. omnibus contuſis macerentur per noctem, mox expreſſuræ adde ſyrupi roſati laxat. unc. ii. & potet mane die ſequenti.* Si vero pharmacum copioſe alvum non eduxerit, capiat æger *jus calidum caulium viridium & parietariæ ad unc. quinque cum unc. ii. ſyrupi roſati ſolut.* & ſi potione prima naviter dejecerit, ſecundum omittes, & per dies ſex vel ſeptem præſens diureticum matutino tempore potet. Recipe *parietariæ, capillorum veneris, cardui ſylveſtrium ana manip. i. radicum apii, eringii, & fœniculi mundatarum, liquiritiæ raſæ,*

*ligni Indi ana unc. ſſ. caperi drach. iii. mellis deſpumati, unc. iii. fiat decoctio ſecundum artem ad lib. ii. quæ aromatizetur cum drach. iii. cinnamomi, & tantundem ſeminis petroſelini, de quo capiat matutino tempore unc. viii. calide,* & ſtragulis mediocriter coopertus, modeſte ſudare tentet. & poſtea iterum altero die poſt exactam decoctionem ſumat purgationem præſcriptam. & ſi alvus non libere excernat, devoret alternis diebus per horas duas ante cœnam, vel matutino tempore, quod mihi magis arridet, *pillulam unam aggregativam doſis unius ſcrupuli*, quod ſi nihil moveat, die ſequenti ſumat *drach. ſſ. in duabus pillulis diſpoſitam*, nec aliquo modo eorum argumenta curet, qui maximam in morbis profligandis fidem imponunt in exhibitione pillularum per numerum imparem, ut puta per tres, quinque, ſeptem & hujuſmodi: quoniam incertæ admodum ſunt tales obſervationes. interim vero hanc novam injectionem in uſu ponet. Recipe *aquæ roſ.*, *ſucci plantaginis depurati, ana unc. vi. mirobal. citrin. drach. iij. tutiæ drach. ii. ſſ. bulliant parum, mox percolatis, tepide bis in die virgæ infundes*, ſed manu levi ſine impetu, ne virgæ fiſtulam, quæ jam aliqua excoriatione tentatur, plus exulceres. At ſi puſtulæ lædant membra ipſius ægrotantis, ego eo tempore poſt venæ ſectionem toties repetitam, vel præbeo *fœtidas pillulas*, *vel alias de fumo terræ*, ſive potius ei ordine certo liniri inſtruo ventrem *cum manna, caſſia, confectione hamech, electuario lenitivo, Indo*, & *ſimilibus*, ut puta. Recipe *mannæ granatæ electæ*, *floris caſſiæ recentis ana drach. v. confectionis hamech*, *ſcrup. iiii. cum ſaccharo fiat bolus*, vel potius hoc alio modo, & præſertim pro pauperibus, quibus non licet magnas expenſas admodum ſuſtinere. Recipe *electuarii lenitivi*, *diacaſſiæ ana drach. v. electuarii Indi drach. i. ſſ. diſtempera cum aqua fumi terræ:* deinde ſequenti ſyrupo digeratur prava illa materia, ſcilicet. Recipe *ſyrupi de bugloſſa, de fumo terræ ana drach. vi. aquæ lupulorum, endiviæ, cichorei ana unc. unam, miſce fiat ſyrupus pro una vice*, & ſic pro aliis, donec perſpiciat optimus, ac diligens medicus ſigna materiæ prædictæ digeſtæ, tunc enim non refert ulterius ſecus procedere cum iſtis digeſtivis ſyrupis, ſed ſtatim ſequenti die deveniendum eſſe cenſeo ad medicamenta illa, in quibus facultas optima ſit eradicandi quod depravat, & lædit, ſemper tamen ea omnia conſiderando, quæ ab autoribus decreta ſunt in tali tempore, nec ſtatim ad fortia medicamenta debemus accedere, ſed graduatim à levioribus inchoandum eſſe putamus, ſicuti exemplis infra poſitis quiſque percipiet. Recipe *igitur floris caſſiæ noviter extractæ*, *diaſenæ Rhaſis ana unc. ſſ. confectionis hamech, electuarii Indi ana drach. i. decoctionis communis, unc. iiij. in qua bulliant ſtœchados, florum fumi terræ ana man. ſſ.* Quo autem pacto fieri debeat decoctio illa communis, cum univerſis ejuſmodi intentionibus, locus ejuſdem declarationis ſatis diffuſus antea fuit in noſtra Fabrica Pharmacopoliterion, & ideo non refert hoc loco aliud ulterius pertractare, nec cura præſens id ipſum requirit, ut pharmacopolam inſtituamus medicum. Si præterea contingat (ut perſæpe vidiſſe memini) quod temporis progreſſu nullam forte humani corporis particulam hæc ſordes excipiat, caput tamen præ cæteris principibus expugnare conatur, illud perennibus, aſſiduiſque, ac lethiferis doloribus exagitans, tunc habita nobilitatis membri conſideratione, ſecta vena cephalica dextri lateris, talia ſtatim medicamenta inſtituo, ut vim habeant primum expurgandi, cujuſmodi jam diximus eſſe *rheubarbarum*, *agaricum*, *diaphœnicon*, & *ſimilia*, hoc modo ſcilicet ordinando. Recipe *diaphœnicon is drach. iii. agarici optimi, drach. ſſ. rheubarbari electi ſcrup. ii. cum ſaccharo*, & *pulvere de ſtœchade, fiat bolus devorandus hora opportuna cum involucro*, & *julep. roſ. inſperſo*, quo amaritudo non percipiatur, nec vomitu tentetur. At ſi potionem patiens magis quam bolum expetat, eam præbeas infra poſitam poſt hanc decoctionem vel aliam ejuſdem generis ex arbitrio prudentis medici, qui patienti præſit. Recipe *origani, betonicæ, ſerpilli, ceterach*, & *acetoſæ una manip. i. rad. eryngii, fœniculi, petroſelini, polypodii*, & *acetoſæ ana unc. i. graminis, liquiritiæ, paſſ. ana unc. ſſ. ſeminis carvi, petroſelini, coriandri ana drach. i. ſſ. fiat decoctio ad lib. ii. in qua diſſolve ſyrupi de ſtœchade comp. unc. iij. ſyrupi de capillis veneris unc. ii. capiat ægrotus in quatuor doſibus ſingulo mane unam, incipiendo die poſtero ab aſſumpto prædicto pharmaco*, ut puta. Recipe *ſtœchad. pug. i. betonicæ manip. ſſ foliorum ſenæ drach. iii. coriandri, aniſi ana drach. i. fiat decoctio pro una doſi tantum, in colatura infundendo rheubarbari electi drach. i. ſſ. cinnamomi ſcrup. i. macerentur horis octo, vel decem*, & *expreſſuræ adde ſyrupi roſ. ſolut. unc. i. diaphœnicon is drach. ii. ſſ. diſſolve & præbe hora electa.* Utatur poſtea præſcripta decoctione ad ſeptem vel octo dies calide, mox lodicibus contectus afflictus ſudores promoveat alternis diebus, quod ſi æſtas fuerit loco *ſyrupi de ſtœchade ſume oxyſaccharum*, *vel acetoſum ſimp.* Poſt autem ſudores exſiccatos, voret *pillulam unam cochiam ponderis unius ſcrupuli*, & poſtridie ab aſſumpto medicamento caput lavet *ex lixivio parato ſarmentitiis cineribus, vel ficulneis, in quo ſerpyllum fuerit infoctum*, repetatque quarto quoque die, nec ſit lotio longa, nec exſiccatio abundantior, quo plus non trahas quam diſſolvas, vel nimia cutis exſiccatione plus conſtipes, quam ſit æquum. Si vero hoc medendi modo dolor adhuc minime cedat, tunc nos jubemus ſecari venam, quæ patentior fiet in capitis ex parte dolenti fronte, ſive ſecetur media, ſi utraque pars conflictetur, & die eodem à ſecta vena exhibeo pharmacum aliquod, quo ventrem ſolverem, *cum agarico, rheubarbaro, diaphœnicone*, & *ejuſmodi*, quæ quidem maximas in hoc morbo partes obtinent ſi probe, & debito tempore exhibeantur, atque hoc modo compono. Recipe *agarici opt. drach. i. rheubarbari drach. ſſ. diaphœniconis drach. iij.* & *in bolis fiat*, & *voret ut ſupra, vel in aqua cichorei diſſolvat*, & *potet, aut cochias pillulas ſumat ad drachmam.* poſtea diebus ſequentibus, utatur *decocto cum origano, betonica*, & *ſimilibus*, ut puta. Recipe *origani, betonicæ, ſerpylli, acetoſæ, endiviæ, ana manip. i. radicis lapathi acuti, eryngii, bugloſſæ ana drach. ſſ. polypodii unc. i. ſſ. ſeminis carthami unc. i. bulliant in aquæ fontanæ lib. iij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſub finem coctionis adde foliorum ſenæ unc. i. carvi drach. iij.* & *tantillum ferveant, mox ab igne dictis frigefactis, ac per colum liquore transfuſo, huic adde ſyr. roſ. ſolut. unc. iiij. oxymellis ſcillitici unc. ij. miſce* & *in vitreo vaſe reconde pro quatuor doſibus*, quas capiat diebus continuis ſingulo die unam. Quod ſi ægrotus ob aſſumptiones tot medicamentorum, & cruciatus ab affectibus malignis fuerit viribus collapſus, tunc ego ab ea curandi ratione deſiſto, ordinando ei *opiatam ex conſervis radicis acori, elenii, florum ſalviæ, anthos, cichorei, bugloſſ. roriſmarini, borraginis, cortice citri condito, theriaca, diamargar. frig. elect. lat. ſ. Galen. diarhodon Abb. triaſant.* & *ſimilibus*, quæ quidem opiata ſumat conflictus mane, & veſperi, ad cerebrum, ventriculum, cor, & hepar roborandum. Si vero mulier affecta curatur, non debemus quidem omittere in medicamentis, quæ uterum juvant, cujuſmodi ſunt *matricaria, verbena, ſabina, ſyrupus de artemiſia*, & *de radicibus.* Atqui perſæpe maxime utile fuerit aperire, purgare, & roborare uterum prædictum hoc noſtro præſertim pulvere, ſcilicet. Recipe *ſeminis fœniculi unc. ij. meliſſæ man. ij. florum artemiſiæ man. iij. polypodii unc. i. macis unc. ſſ. pimpinellæ unc. i. fiat pulvis, de quo devoret mulier in omni cibo.* Si præterea res ipſa poſtulet, ut ad fortiora medicamenta in curatione, & profligatione morbi Gallici, percurramus, prætermiſſo antimonii pulvere diligenter præparato, ex quo mehercule quotidie Venetiis miracula conſpiciuntur, & quamplurimis in civitatibus hoc modo gradus eorum conſtituemus, & primo. Recipe *decoctionis communis* (*cui adde polypodii quercini*, & *ſenæ ana unc. ſſ. hermodactylorum drach. ii.*) *quantum ſufficit, in qua diſſolve diacatholiconis drach. vj. confectionis hamech*, & *diaphœniconis ſingulorum drach. ij. miſce, fiat potio*, vel hoc ſequenti modo. Recipe *electuarii de pſyllio*, & *de ſucco roſarum ana drach. i. ſſ. catholic.* & *trypheræ perſicæ ana drach. iij. rheubarbari electi, in jero caprino infuſi, ſcrup. iiij. cinnamomi grana quinque, ſyrupi violacei unc. i. aquarum lupuli*, & *fumi terræ ana unc. i. ſſ. miſce, fiat potio*, quam exhibere tepide debes ſummo mane, vel altero modo, ut puta. Recipe *electuarii Indi majoris*, & *diaphœniconis ana drach. iij. diacarthami drach. ij. aquarum betonicæ*, & *bugloſſæ ana unc. ij. ſyr. roſ. ſolut. unc. i. miſce*, & *fiat potio.* vel Recipe *conſervæ rad. bugloſſ.* & *florum ſtœchados ana drach. i. ſſ. theriacæ veteris ſcrup. iiij. ſaccharo modicum*, & *fiat bolus.* Loco autem potionis, hyberno præſertim tempore, nos multoties purgare ſolemus humores, ægrotum maxime infeſtantes, cum diverſa pillularum maſſa, prout ſigna apparuerint hujus, vel alterius peccantis humoris, quos quidem ex prædictis facile dignoſces, ut puta *pill. de agar. cochiis, fœtid. lucis, de hermodact., artriticis pro pituitoſis*, & *aureis, aggregat. aſſajeret, hinc quibus, de reub., quinque gen. myrobal. pro bilioſis*, poſtea ordino ſyr. hoc modo. Recipe *ſyr. de ſtœch. unc. i. ſyrupi de fumo terræ unc. ſſ. aquarum bugloſſæ, boraginis, lupulorum ana unc. i. miſce, fiat ſyrupus pro una vice*, & ſic pro aliis, donec pervenire poſſimus ad medicinæ eradicantis exhibitionem, quæ quidem hæc erit. Recipe *prunorum damaſcenorum numero v. liquiritiæ raſæ, uvarum paſſularum ana drach. iij. fumi terræ, capillorum veneris, ana manip. ſſ. florum violarum, boraginis, bugloſſæ ana manip. ſſ ſebeſten vij. tamarindorum unc. ſſ. bulliant in aqua communi, deinde coletur*, & *hujus colaturæ accipe unc. iij. ſſ. in qua diſſolve diacatholiconis, electuarii de dactylis ana unc. ſſ. ſyrupi de ſtœchade drach. vj. miſce fiat potio.* Deinde ſi opus fuerit accipiantur ſyrupi fortiores, quales ſunt *de epithymo, cum aquis fœniculi, petroſelini*, &. *ejuſmodi.* Facta

cta itaque, quantum licuit, materiæ diligenti evacuatione, tempus satis tunc opportunum fuerit, ut ulterius practica actio progrediatur, quod commode omnino fiet, ordinando ægro balneum quoddam, sive (ut vulgus ait) stuffam cum aqua dulci, *in qua bulliant malva, bismalva, melilotum, chamæmelum, rosæ, lapathium, fumi terræ, & hujusmodi*, in quo statim sequenti die à purgatione prædicta intret ille, qui morbo Gallico fuerit affectus, quandoquidem eo pacto conveniens fit alteratio, & humectatio, quæ maxime requiritur, sed hoc tamen animadvertendum medico fuerit, ut statim inter sudandum ægroto hanc præbeat egregiam aquam, quæ hoc modo præparetur. Recipe *radicum althææ, fumi terræ, lapathi, enulæ, ana lib. ß. & minutim incidantur, & ponantur in quatuor libris vini optimi, & legitimi malvatici, aut aromatici, ad remolliendum per integrum diem, & noctem, postea addatur theriacæ ætatis decem annorum, unc. i. ß. & omnia simul ponantur in alembico destillatorio, & igne temperato extrahatur aqua, de qua (inquam) exhibeat medicus unc. iij. cum unc. ij. aquæ buglossæ* quum incipit æger sudare, ut jam demonstravimus, & balneum istud reiteretur omnibus sex diebus, aut semel fiat in hebdomada, aquam prædictam potando, quam optimam quidem, & singularem multoties ego inveni, ne dum adversus ejusmodi depravatam temperiem, sed alias adhuc quamplurimas. At si ulterius res ipsa postulet, ut membra nostri patientis confortemus, & præcipue post balnei prædicti reiteratum usum, tunc tuto ordinare poterimus præsens hoc medicamentum. Recipe *theriacæ Andromachi senioris decem ad minus annorum, unc. i. mithridatii optimi unc. ß. seminis citri, boli armeni, ana drach. i. incorporentur omnia ultimata contritione, & cum aqua rosar. mustata fiat electuarium, de quo accipiat ad drachmam unam ægrotus.* Item potest fieri hoc aliud medicamentum. Recipe *lætificantis Galeni unc. iij. diamusci dulcis drach. vj. aromatici caryophyll. drach. ß. elect. regum drach. i. conservæ buglossæ, cynoneorum, boraginis, ana unc. i. syrupi de pomis q. s. fiat secundum artem electuarium, de quo accipiantur mane drach. ij. vel cochleare unum.* Verum si dolores adhuc nimium intolerabiliter infestaverint, & requies nulla, vel pauca propterea infirmo advenerit, tunc tuto devenire poterimus ad unctiones illas blandiores, cujusmodi est si *accipiamus radicis liliorum, seminis hyosciami, ana drach. iij. ceruſſæ unc. i. medullæ cervi, & vituli, ana unc. ij. olei antiqui, & ceræ q. s. & fiat unguentum*, quo liniatur locus doloris, & si tandem ultima necessitas urgeat, tunc *opii modicum* omnino imponemus. Sed antequam ad narcotica ista deveniamus, consulo ut omnes alias tentemus vias, quoniam semper in narcoticis timor aliquis existit, si Avic. credendum est. Quare hujusmodi dimittantur pro posse, & prius anodyna tententur, & vere sedantia, cujusmodi erit, si inungantur membra patientis hoc præsenti unguento, videlicet. Recipe *olei amygdalarum dulcium unc. unam & ß. pinguedinis anatis, & gallinæ, ana unc. ß. mucilaginis fœnugræci cum aceto extractæ drach. vj. ceræ albæ parum, fiat unguentum*, quo uti possumus ad dolores sedandos, & mollificandos nodos, sive tumores in lapideitatem (ut ita dicam) conversos. Aliud etiam unguentum poterimus ad dolores ordinare, & ubi præsertim materia grossa imbibita fuerit, quod fit *accipiendo castorei, myrrhæ, costi ana partes æquales, pulverizentur, & fiat unguentum molle cum oleo rosaceo.* Vel hoc aliud potius ordinabimus nobilissimum quidem unguentum, *quod recipit vulpem pinguem excoriatam, intestinis etiam evulsis, & imponitur ammoniaci, galbani, bdellii, thuris, mastichis, ana uncias quinque, fœnugræci, seminis lini, radicis althææ ana unc. i. pinguedinis ursi, pinguedinis gallinæ, & anseris, ana drach. ij. assetur in veru rebus prius ingestis, & assuto vulpis corpore, totum quod inde destillatur, usui reservetur*, quia certissimum est auxilium. Si vero omnibus prædictis factis dolor nequaquam cessaverit, & æger ad virtutis destructionem timet pervenire, tunc tandem non sine maxima diligentia ad *opium prædictum*, & cætera etiam narcotica poterimus provenire, quæ stupefaciendo sensum membri auferunt, & hoc modo dolorem sedare possunt, quamvis eorum auxilium non sine maximo periculo concedere valeamus, sicuti manifeste totum confirmatur à Galeno, Avicenna, & plerisque aliis medicinæ doctoribus, inquientes, quod talium usus non sit, nisi instare ad symptomata, augent enim hæc dispositionem istam, & eam difficile solubilem reddunt, virtutem debilitando, calorem, & spiritum obtundendo, & suffocando. Quare cum ad remedia hæc cogamur tandem pervenire, habita prius diligenti virtutis observatione, ea exhibebimus, atqui non per se simpliciter (ut quidam empirici hoc tempore inanimes faciunt) sed permiscendo ipsa cum aliis medicamentis, quæ facultatem habere possint rectificandi eorum malignitatem, cujusmodi esse poterit hoc præsens unguentum. Recipe *opii, croci, ana drach. j. ceræ albæ, drach. ij. olei rosacei unc. j. fiat unguentum.* Aliud adhuc fortius. Recipe *opii thebaici, corticis mandragoræ, radicum hyoscyami, ana drach. ij. spicæ, croci ana drach. ß. olei nenupharini, olei rosarum ana unciam ß. fiat unguentum.* Atque hæc sint jam satis de narcoticis unguentis, quibus nullo pacto utetur accuratus medicus, nisi prius à levioribus inceperit inunctionibus, sicuti erit *oleum nenupharinum, hyoscyami, violarum, & hujusmodi*, à quibus postea discedat, & paulatim ad fortiora sese convertat. Atque hoc semper animo reservet, ut partes corporis cum illis præscriptis narcoticis inunctæ, post horæ spatium aceto irroreutur, & suaviter fricentur cum panno aliquo calido. Cumque ita laboraverit peritissimus medicus, ut dolores omnino subleventur, ac pustulæ cum suprascriptis medicamentis fuerint extra cutim redactæ, & patiens nihilominus curatus non sit, signum erit, quod materia illa nimis esse debet furiosa, & vix curabilis. Quare operæ pretium erit, ut ilico curationem convertamus ad unguenta illa saluberrima, cum quibus multos me recte admodum curasse, & sanos reduxisse memini, unguendo quotidie bis junctiuras in parte domestica, & hoc modo paucis diebus pustulæ omnes cadebant, & membra omnia sana evadebant continuo, ex quibus unguentis ego primum hoc ipsum experientia comprobavi multoties. Recipe *ceruſſæ unc. j. thuris, mastichis, lithargyris ana unc. ß. olei rosacei loti cum pluribus aquis, & diu ducti in mortario plumbeo cum pistillo etiam plumbeo quantum sufficit ad incorporandum.* Item Recipe *butyri recentis, terebinthinæ, axungiæ gallinæ, olei violarum, ana unc. ij. lithargyri, plumbi usti, ceruſſæ, aloës hepaticæ, ana unc. ß. misce, & secundum artem fiat unguentum.* Hoc autem unguentum efficax est valde in crustosis, & pessimis pustulis, sed aliud, quod sequitur, plagas egregie sanat, & vestigia etiam, quæ remanserunt, resolvit. Recipe *ossium adustorum, lupinorum, costi, aristolochiæ rotundæ ana partes æquales, fiat unguentum cum axungia porcina.* Fricatio etiam cutis cum furfure triticeo multum valet in hac intentione, ut ego sæpe sæpius expertus fui. Adsunt præterea diversorum unguentorum compositiones, quas quidem plerique doctissimorum virorum renunciant, reprehendunt & damnant. plerique vero comprobant, sequuntur, & laudant. cujusmodi sunt ea omnia unguenta, quibus argentum vivum permixtum fuerit, aut alia metallica medicamenta, quæ prudentes medici prosequi haudquaquam debent, nisi cum timore, & cautela, ut quisque certificari poterit ex his, quæ à Galeno scribuntur *lib. nono de simplicium medicamentorum facultatibus.* Sed quando huc oratio nostra deflexit, operæ pretium esse duxi ea omnino adscribere, quæ probabiliter de qualitate, & usu hujus prædicti medicamenti, Græcis Hydrargyri vocati, dici, ac disputari queant. Interim industriis candidisque ingeniis calculum, atque judicium suum defero, atque ita commodius omnino unguenta tandem prædicta præponam, quæ nobis probabiliora visa fuere.

## CAP. XIII.

### *De argenti vivi consideratione.*

Postquam Gallici morbi curationem illam aggressi sumus, quæ non minoris contumaciæ & periculi est humanæ naturæ, quam proxima præcedens, cum medicinis, (ut dictum fuit) utatur metallicis, quæ medicus prosequi minime debet nisi cum timore. Atque postquam clare nobis demonstratum est, quod topica medicamenta purgato egent corpore, nihil aliud relictum nobis fuisse videtur, nisi ea tantum recensere, quæ de hydrargyro dicenda veniunt. Initio igitur originem, ac discrimen: mox ambiguas & differentes scriptorum sententias proponam: deinde incolumitatem ejus, postremo, quatenus noceat, ostendam. Dioscorides *libro quinto, cap.* 60. factitium genus unum, naturale duplex constituit. Alterum hujus vomicam liquoris æterni. Plinius alterum argentum vivum appellavit: quod vero arte ex minio paratur, hydrargyron dixit. Et ideo à Leoniceno reprehenditur, cum tam nativum, quam factitium Græci, ac Latini postrema voce ex aqua & argento inscribant, quoniam huic colore, illi aquositate est simile: quod non neglexit Ludovicus Cælius *lib.* 26. *cap.* 30. *Antiq. Lectionum.* Indubitatum haberi debet, in minii (quod cinnabaris fossitia hodie appellatur) olim venis, sicut etiam nunc, reperiri, cujus tria apud veteres metalla leguntur. Primum in Hispania, unde Romam afferebatur, secundum in regione Attica, tertium in Ionia, ex Theophrasti, ac Plinii testimonio. De argento vivo naturali pauca veteres literis mandarunt, hoc ævo in Germania aliquot locis exsudat, quod ostendit Georgius Agricola *libro de Natura fossilium.* Quinque differentias manifestat Antonius Gallus *libro de ligno Sancto* non permiscendo. Atque hæc de ortu, & differentia sufficiant. Nunc autorum placita audiamus, ubi in primis necessarium est, Pauli Æginetæ scripturam *libro septimo, capite sim-*

*plicium tertio*, examinare, ubi medicorum plerosque concrematum hydrargyri cinerem aliis speciebus mixtum, coliicis, & iliosis propinasse dicit. Avicenna *lib.* 2. *cap.* 47. & 4. *Fen.* 6. *Tract.* 1. *cap.* 2. plurimos sine læsione bibisse scribit. Egreditur enim integrum per intestina: quod de impermixto intelligendum prorsus arbitror, cujusmodi exemplum refert *de Natura fossilium lib.* 8. Georgius Agricola. Cæterum, priusquam latius progrediar, Pauli dictionem, ut mancam, curtatam, ac depravatam corrigere, restituereque per Serapionem, statui, qui *cap. simplicium suorum* 385. ad sequentem modum scripsit. Quidam sumpserunt argentum vivum mortificatum, & mortui fuerunt ex iliaca passione. Mihi equidem postrema hæc orationis series apud illum neglecta videtur. Hæc est, cur Paulum excusemus, dicentes, eum de extincto, ac quibusdam speciebus mixto, utpote innoxio, verba facere: nam & Serapion diserte mortificatum scripsit, quod est extinctum: nihilo tamen minus eo usos, dixit mortuos. Et manifestum est, intra corpus utentibus, deleterium omnino ac mortiferum esse, quocunque modo adumbretur, quod non præteriit Dioscorides noster. Qui vero mihi parum credunt, malo suo experiantur. Moneo certe quoscunque, ne quis vitam temere periculo exponat. Moneo quoque in primis refractarios aliquot chirurgos, ut à confidente scelere desistant, dum sæpe pulveratum argentum vivum quod subinde aquam fortem, & chalcanthum, sive vitriolum Romanum, subinde sulphur, ac argentum vivum admixta habet (præcipitatum vulgo vocant) exitiali pernicie offerunt. Neque audiendus est Matthiolus, eundem pulverem, ceu veram argenti vivi extinctionem, linimentis tuto admisceri posse existimans, ad finem curationis morbi Gallici ex melancholico humore: neque item Massa, in pulvere suo angelico, *libro sexto*, *capite quinto*, sicut ostendit Antonius Gallus, libro suprascripto. In sermonis progressu, temperamentum, & incolumiter fotis hydrargyron usurpari posse, monstrare incipiam. Nicolaus Massa *libro quarto*, *capite primo*, *& tertio*, *de morbo Neapolitano*, dum tutus in eo studio versatur, Gentilis testimonio fretus, medicinam quarti ordinis, ad secundum reduci aliarum mistione autor est, quoniam hæ illius vehementiam, sive malignitatem, contemperant. Constat autem ex Avicenna *lib.* 2. *cap.* 47. argentum vivum, frigidum ac humidum esse in secundo; cui Guilhelmus Placentinus *lib.* 4. subscribit. Ex recentioribus Joannes Ambianus in Illustrissimo Opere suo, *de additis rerum causis secundo*, *cap.* 14. adeo frigidum, humidumque asserit, ut vi narcotica dolores omnes sopiat & leniat, præduros tumores molliat, concretosque dissolvat. Adversum hos Isaac *secundo Praxeos* calidissimum pariter ac humidissimum excessus quarti constituit. Similiter Constantinus *de medic. virtutibus*, & Pandectarum autor *cap.* 22. & Platearius *cap. simplicium quinto*. His acquiescunt Massa *cap. supra citato*, atque Almenar Hispanus *cap. sexto*. Matthiolus autem, per Aristotelem, atque Arnoldum de Villanova, calidum, siccumque, mox per alios summe frigidum humidumque decernit. Similiter quoque *comment. suo in lib.* 6. Dioscor. Deinde per Geberum insignem metallorum scriptorem, à calore temperatissimo cum sulphure sic per minima unito, ut siccum humido, & humidum sicco æqualiter in eo temperentur, probat. Amatus Lusitanus frigidum, siccumque firmiter credit *enarr.* 70. *in* 5. Dioscoridis *lib.* In summa ex his colligitur, argenti vivi naturam medicis haud satis exploratam fore, dum tam repugnantes de eo sententias proferunt. Sed ut ut est, illud velut duabus anchoris fultum, ex Gentilis doctrina, firmum manere debet, hydrargyron ad temperatam qualitatem, ex convenienti mixtura, reduci. Fit autem hæc, longa nunc consuetudine, & confirmata experientia, quæ fidem rebus conciliare solet, *per jejuni hominis salivam*, *adipem porcinam*, *& ursinam*, *oleum terebinthinæ*, *juniperi*, *butyrum recens*, *styracem liquidam*, *theriacam*, *storchadem*, *castoreum*, *myrrham*, *thus*, *iridem*, *& id genus correctoria*, *pro diversis medicandi scopis*, quæ quidem artis periti gnaviter utiliterque conjungunt, ut nullam aut valde exiguam malitiam illud de se præbeat, nili omnino usurpantis inscitia, aut magna morbi ipsius sævitia. Item si quis instet, urgeat, accuset, exsuperantem adhuc malignitatem, unde crudelia symptomata (quæ in autorum libris promptum est reperire) ceu semina quædam enascuntur; dicimus constanter ac vere, eadem arroganti ungentium imperitia & crudelitate fieri, & magna ex parte diligenti probi artificis præmeditatione caveri posse, quod nemo in arte exercitatus diffitebitur. Adde his, neque Avicennam, neque Serapionem, neque Mesuen, neque Alzaharavium, neque Arabum quemquam, neque eorum sequacium, consuetudinem ejus formidasse, sicut capitibus de Scabie, ac titulis unguentorum ex cerussa probari potest. Et hic quid dicam igitur calamitosam luem Veneream tam contumacem, tam malignam, tam horribilem esse, ut non facile ullis aliis remediis cedat aut expugnetur, quam hoc flaxili Mercurio? Quapropter iure abditam ejus vim, nec satis rationi adhuc exploratam, sive unam experientiam hoc loco prædicare verisimile est. Cum itaque nulla alia via salutis sit accommodatior, necessarium arbitror cum quodam periculo aliquid agere, quam omnino sine eo, interitum quendam experiri, velut Galenus 10. *methodi*, ex Thucydide refert. Ecquis autem non malit pauculas molestias breviter tolerare, quam per omnem ætatem fædis cruciatibus misere torqueri? Ecquis non eximiam utilitatem, propter inevitabilem necessitatem parvo malo præferat? Ecquis non pauculis diebus graviusculum ejus usum admittat, & patiatur potius, quam longo tempore amarorum medicamentorum assumptione excarnificari, ac tandem difficulter, aut prorsus ambigua fide curari? Præsertim quando celebratissima sit omnium sententia, è duobus malis minus eligi tutissimum esse. Quidam fætus mirabili parturientium nixu, periculo summo eduntur, interdum deploranda opera evelluntur. Sed quid fieri potest in irremediicabili calamitate? Cogimur sæpe magno discrimine in aliquam salutis spem, artus pungere, urere, secare, dividere: cogimur torturas, truncationes, supplicia vitæ extrema per enses, perque ignem, ancipiti medicationis ratione subire: & tam nobilem, tamque multis nominibus utilem, ac necessarium mercurium damnamus? Offerimus quotidie haud leviter suspecta pharmaca, ab ultimis Garamantis, atque Indis petita, ut sunt colocynthis, scammonium, euphorbium, turbith, & id genus quamplurima. nec est qui magnopere calumnietur, cum tamen frequenter formidanda atque horrenda mala inferant, nisi medicus prudentia sua occurrat: & argentum aquosum bene castigatum, foris cum judicio usurpare non licebit? At quid non dicemus adversus eorum medicorum opiniones, qui nostrum usualem *coronicum* minime damnant, cum manifestis experientiis erga canes, gallinas, mures, porcos, lupos, & quævis bruta animalia ita mortiferum, & formidabile sit venenum, ut vix oblatis drachmis quatuor unica vice ex eorum substantia, spatio sex, aut septem horarum hæc prædicta animalia suffocando destruat, quemadmodum multoties maxima astantium admiratione experientia non inutili nobilissimus patritius Patavinus Jacobus Antonius Cortusius doctissime demonstravit, fretus eo solum desiderio, ut Illustrissimi Principes hoc adeo usitatum medicamentum inter cordialia remedia connumeratum in hominibus experirentur, atque nos medicos certiores facerent, utrum sine mortalium detrimento administrari liceat, nec ne, quemadmodum antea latius de re eadem verba fecimus in nostra Fabrica pharmacopoliterion, uti cuilibet videre licet. sed ad vivum argentum jam redeat oratio nostra. O præposteras hominum opiniones. Divinus Hippocrates Cous extremis morbis extrema exquisite remedia optima adstruit: & nos in acerbissimo malo, quod multis vitæ odium gignit, medicamen mediocriter tutum aversamur? Idem, febrem convulsioni supervenire melius esse, quam convulsionem febri testatum reliquit. Et Avicenna omni spasmo materiali febrem conferre scripsit *libro tertio fen. prim. tract. quint. cap. oct.* Amplius *quarto fen. sept. c.* 7. veterem scabiem medicamentis, ad excoriationem usque vehementibus curat: Ejusmodi testimoniis pleni sunt autorum libri. Quid igitur dicemus? Nonne satius, moderatum argenti vivi usum admittere, cum qualicumque corporis difficultate, quam intolerabili diuturnoque anni timul ac vitæ mœrore perire? Præterea, si quæ ex illo metuendæ esse possunt afflictiones, nonne convenienti antidoto tempestive corrigemus? præcipuaque corporis membra alexipharmacis industria nostra tutabimur? His addere possumus, quod nocere aptum est, nunquam ægris juxta, ac sanis afficere, quoniam contrariorum contraria sunt remedia. Itaque hi similia, illi dissimilia de necessitate requirunt. Proinde statuendum, etti forte integra salubritate degentes queat lædere, non tamen atroci Gallico correptos, aut verius possessos: quod alia sit horum, quam illorum habenda ratio. Imo quando ad unum omnes cathartica sive evacuantia omnino necessaria hic decernant, quis quæso medicandi modus tolerabilior, tutior, atque emendabilior censebitur, per hydrargyron ne, an per enormes ac prorsus dubias purgationes (quæ tantisper humores movent, donec aut nimis imbecilliter, aut nimis violenter, ad septem aut octo tantum horas educat) quod optimum est, moliri? Ut autem finiam, hæc mea est sententia, & sic animum induco meum, hydrargyri correcti usum, post factas concoctiones, & humorum peccantium necessarias medicationes (præcipue quando alia remedia frustra explorantur) quam cujuscunque alterius pharmaci, in effera Veneris labe, incolumiorem existere. In summa, Amuletum libidinosæ luis plane credi oportet, quod ego, præterquam ex medicorum libris, experientia rerum omnium magistra, in deploratissimis ex hoc morbo hominibus, sum edoctus. Hæc igitur cum vera credantur,

tur, quis perniciem ejus nunc velut lethalem accusare aut velit, aut possit? quamquam non ignorem singulari prudentia cautioneque exquisitissima arte id fieri oportere, atque homines imperite temerarios cane pejus, & angue fugiendos esse: siquidem humiditate sua modum excedente, initum cordi natura humidum sæpe corrumpit, & universo sanguini putredinem infert. Hactenus hydrargyri inventionem, differentias, repugnantes autorum scripturas, & usum cum judicio incolumem explicavimus, consequenter, quatenus noxia habeatur ejus qualitas, recensebo. Dioscorides *lib. 5. cap.* 60. omnem materiam, præter vitrum, plumbum, stannum, & argentum exedere testatur, quod sæpissime sum demiratus. siquidem in ejusmodi vasis repositum, pauco tempore ea corrodit, ac depascitur. Unde melius in ligneis pyxidibus, inspersо furfure, & pipere servabitur, aut coriaceis sacculis, ut nunc plerumque fieri solet. Plinius 33. *cap.* 6. venenum rerum omnium, vasaque perrumpere, dira tabe, dixit. Actius 13. *cap.* 79. & Paulus 5. *cap.* 67. in censu venenorum collocant. Galenus alias Dioscoridem sequutus *lib.* 4. *simplic. cap.* 18. *ac.* 5. *cap.* 18. tota sua substantia sive essentia lædere scripsit: nemo autem simplic. lib. cognovisse factitium tantum videri potest, cujus periculum se se intro aut foris fecisse negat. Sed & horum verba, de pondere, non de nuda qualitate, intelligo: quam & si solo odore crudelem experiuntur, dum bracteas aureas argenteis vasculis superinducere laborant argentarii (quoniam alios immedicabili tremore, alios molesta paralysi, malignis oculorum vitiis, alios gravi auditu, oris fœtore, & frigidis cerebri intemperiebus corripi videmus) non propterea eandem veneficam vim corporibus ex illinitione, dumque probe castigata fuerit, inferri existimabimus: quoniam aliam absque dubio facultatem retinet, atque imprimit, vehementi ignis calore, diutinaque ejus assiduitate, & intra os, ac nares, auræ attractu: aliam sane moderata, supra artuum internodia, placidaque ex intervallo unctione, juxta cujuscumque naturæ commensurationem, affectusque magnitudinem. Quare nihil video obstare, cur inunctionibus ex hydrargyro minime uti debeamus in morbo Gallico, tum præcipue, cum reliqua medicamentorum auxilia prodesse non possunt. Sed tamen hæc ulterius ab aliis omnibus autoribus non perspecta consideranda veniunt, quod si nos immodice lue Gallica laborantes inunxerimus præter maxima, quæ succedunt, accidentia, ita testes, & reliquæ omnes partes, per quas sagax natura semen humanum administrat, subläeduntur, ut ulterius non generent amplius, ut ego innumeros pene novi & homines, & mulieres, qui post indebitas unctiones filios nunquam habuerunt. Et ideo cavendum maxime erit, ne nimium inungamus, non autem ne argento vivo utamur, quoniam si ipsum debito quodam modo correxerimus & quantitatem aliquam idoneam susceperimus, utile procul dubio erit ægrotantibus, & sanus evadet omnino, qui morbo Gallico erit correptus hac prædicta medicandi ratione. Quamobrem si hydrargyro unguenta perficere velimus, quæ innocua nobis evadant, operæ pretium utique fuerit cum simplicibus jam enarratis eum diligenter corrigere: & licet satis egregie correctus appareat, nihilominus tutius semper erit cætera omnia medicamenta probasse, & tandem ad ipsum pervenire. Si autem cum exquisita consideratione, non impetuose hanc curandi rationem quilibet accipere velit, nequaquam eam existimet vel fallacem vel periculosam, ut quidam comprobaverunt. Describam igitur aliqua unguenta, quibus ego multoties, post alias omnes rationes, curavi Gallicum morbum, & ægrum sanitati restituisse memini, & primo. Recipe *salis ammoniaci drach. i. baccarum lauri unc. i. aquæ vitæ unc. i ß. thuris, lithargyrii ana drach. ij. argenti vivi optime exstincti drach. iij. axungiæ porcinæ recentis quantum sufficit.* Utor etiam hoc modo scilicet. Recipe *argenti vivi extincti, sulphuris vivi, thuris, lithargyrii, ana partes æquales: terantur, & ponantur omnia in forti aceto, & iterum exsiccentur, postea terantur super lapidem cum oleo ros. quantum sufficit.* Aliud Recipe *cinnabaris, picis Græcæ ana drach. ii. succi allii unc. i. axungiæ porcinæ unc. ij. argenti vivi exstincti, salis communis ana unc. ß. terantur super lapidem, & fiat unguentum.* Item Recipe *radicem calami aromatici, rad. menthæ, rad. zedoariæ ana unc. ß. baccarum lauri unc. ij. argenti vivi drach. iij. olei laurini, olei rosacei ana quantum sufficit.* Item Recipe *cerussæ, lithargyrii ana unc. ß, sanguinis draconis, myrrhæ, mastichis, olibani ana drach. ij. camphoræ drach. i. argenti vivi drach. iiij. axungiæ porcinæ, olei laurini, olei communis ana unc. ß. fiat unguentum.* Item Recipe *argenti vivi, medullæ ursinæ, axungiæ porcinæ veteris, salis communis, floris calcis, ana partes æquales, simul omnia incorporentur & fiat unguentum.* Item Recipe *axungiæ porci masculi unc. viij. axungiæ anatis unc. i. aquæ vitæ unc. ß. argenti vivi mortificati unc. iiij. cerussæ unc. ij. lithargyrii drach. vij. thuris, mastichis, ana unc. ß. aluminis adusti unc. ij. misce fiat unguentum in mortario diligenter incorporando sine igne, & utere.* Hæc itaque sunt quædam unguentorum formulæ, in quibus semper commixtum, & mortificatum apponimus argentum vivum, ex quorum tandem exemplo facile unusquisque poterit alia adhuc unguenta reperire. Quapropter relinquitur modo, ut rationem integram demonstremus inungendi corpora, Gallica lue correpta, qua scilicet hora, quo modo, quamdiu, qua victus ratione, quo loco, & quibus necessariis conditionibus, atqui hoc modo integram de hydrargyro tractationem, & contemplationem expediemus. Antequam igitur ad ejusmodi unguenta perveniamus, semper debemus ad regia omnia auxilia diligenter accurrere, & si tandem rebellis fuerit morbus ille (ut multoties evenit) iplis hac conditione uti poterimus, videlicet optime prius expurgando corpus, cum medicamentorum assumptione illa, quam superius patefactam reliquimus. Post vero universalem pravorum humorum expurgationem, statim deveniendum putamus ad Guajaci ligni decoctionem, de qua inferius pertractabimus subtiliter, & acriter omnino. Dabimus autem tale decoctum ad viscerum robur, capitis, cerebri, & hepatis, tunc argenti vivi (si qua est venefica) facultas non ita offendit sed potius conjuncta cum supradictis adversus ejusmodi morbi malignitatem fortius operatur. Deveninus deinde ad tales argenteas unctiones non ordine eodem cum antiquis quibusdam, qui à prandio & à cœna statim ungere ægrotantes consueverunt; ut vires robustiores essent, sed statim expergefacto ægro jubemus ei imponi clyster, nisi solutam habuerit alvum, postea acceptis carbonibus, & clausis undique fenestris, ostiis, & omnibus cubiculi spiraculis, statim inungimus pedes per transversum, ubi est tarsus, postea tibiarum internodia, deinde media femora, medias ulnas, & media brachia, postea totum dorsum semper tricando ad partes interiores: dum autem internodia inungimus, id per transversum agimus, fricando, ut melius penetret, postea stuppam ex lino, sive cannabe calidam super imponimus, & fasciis præparatis membrum ita contectum alligamus, atque strato interim optime lecto, & ubique calefacto hoc modo imponimus ægrum, caput ejus, & totum corpus ita tegentes, ut sudet, si potest, vel saltem ad horas duas, vel circa dormiat. Hoc autem facto surgit æger ita perunctus, & linteis obvolutus, & comedit bonos cibos, scilicet facile concoquibiles, cum præstantissimo vino, levi, suavissimo, & dulcissimo. Atque ita solemus ægrotos inungere, per tres dies primos, per tres adhuc secundos, & si interim superveniant symptomata, statim ab unctione cessamus, sin autem minime, tunc per alios quoque tres dies inungimus, & postea per tres dies exspectamus, atque nisi hoc spatio prædicta symptomata appareant, non antea ulterius inungimus, quam iterum corpus totum expurgaverimus, breviori admodum via, & per aliquot adhuc dies ligni Guajaci decoctum exhibuerimus. quibus peractis iterum devenimus ad easdem inungendi rationes, nunquam tamen argenti vivi quantitatem augentes, ut quidam pessime faciunt, sed modo prædicto continuo utentes. Cum autem ea symptomata, quæ exspectamus, supervenerint, vel primis tribus diebus, vel secundis, vel aliis, statim ab unctione cessamus, & præsertim, cum accidit, ut palatum infletur, excorietur, lingua ita crassa, ut loqui vix homines possint, minime deglutire, cum doloribus satis vehementibus, & hujusmodi appareant gravia symptomata, quæ nos (inquam) invitant ad aliam auxiliorum præparationem. Adhæc succedit tanta copia saniei, ut vix tantum exspuere possit ægrotus, dentes omnes laborant, yacillant, suo dimoventur loco, & sordes tanta colligitur circa os, ut non appareant, & sæpe, ac sæpius concidant. Instituimus autem in hoc tempore, ut æger cibos tales comedat, quales substantiam habeant facilem, concoquibilem, vinum subdulce, & fercula ex jure, & similibus, atque si interim præter modum intumuerit lingua, & fauces ægrotantis jam inuncti, ad revellentia statim deveniendum arbitramur, & ita vel cucurbitulas imponimus, vel venam secamus cephalicam, prout præsens nos urgeat necessitas. Sed quoniam argenti vivi materia haud difficulter imbibitur in palato, & dentibus, exitum semper sua natura inquirendo ad superiores partes illas, ideo corrigere procul dubio debemus omnia symptomata quæ superveniunt, & aliquibus idoneis instrumentis efficere, ut hydrargyrum deveniat sine corporis detrimento. Quapropter si magnus in ore adfuerit dolor, & intolerabilis molestia, primo concedemus, ut ægri os *lacte* abluatur, & si nullus adfuerit dolor, vel permittemus cursum suum, vel ad summum os detergemus *cum mellis rosacei modica quantitate.* Et si reprimere aliquando cogamur, *aquam tunc hordeaceam accipimus, cui super addimus syrupum myrtinum, vel diamoron, vel nenupharinum*, & similibus utimur medicamentis, quæ vim habeant reprimentem, & si dentes fortiter labant, & timeamus eorum deperditionem, tunc ad medica-

dicamenta ipsis idonea devenimus, cujusmodi est *oleum de sulphure*, *vel purum*, *vel mixtum cum aqua plantaginis*, in qua virtus quidem existit detergendi sordem, desiccandi, & gingivas corruptas exedendi. Cum autem fuerint optime hoc modo mundati, tunc *accipimus plantaginis aliquot folia*, *olivæ*, *& salviæ*, *& in vino albo austero decoquimus*, *& hujusmodi decocto colluitur os*, *& dentes firmantur*. Annulum præterea aureum debet æger inunctus ore retinere, ut vivum argentum, quantum fieri possit, extrahamus imbibitum in palato, & dentibus, atque hoc modo bis, & ter annulum prædictum extrahemus argento vivo contectum. Atque hæc de hydrargyrio, inunctionibus, & integra morbi Gallici unctuosa curatione dicta sufficiant. Et quoniam satis patuit huc usque, quod omni modo semper ligni Guajaci decocto cogimur uti, idcirco ordine præscripto ad ejusmodi ligni considerationem, præparationem, decoctionem, exhibitionem & reliquas ejus intentiones deveniemus.

## CAP. XIV.

*De ligno Guajaco, ejus decocto, & eis quæ ipsi connectuntur.*

Cum medicus naturæ opera sequi debeat, & natura in suis functionibus cum recte operatur, semper id, quod melius est, intendit. Pariter quoque & medicus in humano corpore operans, semper quod melius, & minus periculosum est, operari habet. Igitur cum omnibus morbi Gallici curativis intentionibus expeditior sit, atque securior, & minus periculosa illa, quæ potu decocti ligni Guajaci efficitur: ideo in hoc sermone aggredi proposui ad majorem utilitatem, & perfectionem salubritatis hominis. Quod satis quidem commode faciemus, ubi de ligni hujus conditionibus tractationem absolverimus. Sciendum itaque recens hoc lignum inventum esse, quod ex incognita patribus nostris orbis parte, ad pernicioli morbi hujus, ac novæ pestis curationem, ante annos plus minus septuaginta, ex India, per Hispanorum atque Lusitanorum navigationes, transferri ad nos cœpit: cujus etsi pretium ampliſſimum, attamen ob eximias naturæ suæ dotes nemo tunc refugiebat: quoniam eo solo, ceu alexipharmaco, & divites, & passim omnes, qui contagioso hoc morbo torquerentur, utebantur. Mox quia singulari efficacia, aut verius divina benevolentia, morbi tum grassantis malignitatem ac impetum reprimebat, aut si commode in usum verteretur, exstinguebat, lignum sanctum quamplurimis est appellatum: aliis post Indicum, quoniam ab Oceani interioris insulis advehebatur. Deinde experientia compertum, aliud alio generosius esse, pro locorum natura. Cæterum quando ut medicamento novo, in novo morbo, medici uti cœperunt, fieri non potuit, quin graves errores contingerent, aliis aliter discrimine magno usurpantibus. Proinde in magnam quoque controversiam agi occepit, dum nemo veram ejus notitiam indicare potuit. Fuerunt ea ætate, qui pares cum Hebeno facultates obtinere, quin ipsum Hebenum fore contenderent, idque sane haud levibus argumentis: quæ opinio etiamnum firmiter multorum animis insedit, quam paulo post aperiemus. Atqui cum promiscue pars hominum ingens, immani horrendaque lue corripitur, unaque miserrime nobilis quidam eques Germanus, Ulricus Huttenus, ac præter totius pene orbis fidem, atque omnium medicorum spem, solo hoc ligno, Dei clementia restitutus esset, nolens hanc felicitatem solus cognoscere, auspicatus est ipse, ut omnium opinor primus, ita etiam doctissimus idem lignum peculiari calamo illustrare, quod Huajacum, alias Guajacum verissimo nomine ab Hispanis pronunciari scribit *cap. Voluminis sexto*. Et ortum ejus in Spagnola, insula juxta Americam, ubi longitudine in septentrionem definit, assignat. Quidam præterea Hyacum, Huyacum, & arborem sanctam dixerunt: nec desunt, qui Guajacum, aut Guaycanum sonent. Scripserunt deinde diligenter de eodem ligno & morbo diversi, ex quibus aliqui ex insulis ultramarinis Calecuti vocatis testatum reliquerunt. Quamquam non nulli alii celeberrimi scriptores distinctius tres insulas, à Sancto Joanne, Dominico, & Cruce, denominatas, patriam ejus, ac solis propinquitate distantiaque, lignum commendari, atque inter illas principem locum habere oram D. Joannis, decernant. Atqui hæc breviter de nomine, & loco. Nunc quod fieri potest breviſſime attingam, an jure Hebenus dici mereatur, mox an veteribus cognitum lignum, & declaratum sit. Hebenus celebratissima olim arbor, quam unice Poëta Virgilius decantavit, velut Indiæ propriam, regibus fuit Persidis tributaria, ac Pompejo Magno, devicto Mithridate, Romanis facta triumphalis. Ejus duo genera Theophrastus *Plantarum quarto*, *capitulo quinto* ostendit: alterum laudabili materia pulchrum, vile vitiatumque alterum: illud rarum, hoc multiplex habetur. Huic subscribit Plinius *duodecimo cap. quart.* Spississima omnis materiæ, & gravissima, natura perpetua, Theophrasto autore, *primo Plantarum capite octavo*, cujus lignum colore Buxo simile, sed decorticatum redditur nigerrimum. In aquis non fluitat, ac tota mergitur, nec cariem, nec vetustatem suscipit, eodem teste, *nono*, *cap. vigesimo secundo*, & Plinio 16. *cap.* 41. Dioscorides optimam pronunciavit Æthiopicam nigram, deinde Indicam, *lib. prim. cap. iii.* dixitque Plinius *sexto cap.* 30. in meridie Æthiopiæ sylvas ejus existere. Julius Solinus *capit.* 55. exigua sui parte tantum crescere autumat. Nunc an hæ notæ cum vulgari Indico, sive Guajaco, doctissimorum virorum testimonio, conveniant, expediam. Joannes Manardus *libro decimo quinto*, *epistola* 5. Ruellius *lib. stirpium primo cap.* 45. Hebeni genus credunt. Aliquorum autem nonnulli, veriſſime utriusque faciem pingentes, negant, etsi in plerisque notis non distare confiteantur. Amatus Lusitanus secundam Hebeni speciem pronunciat. Matthiolus, Guajacum nigritia sola ab Hebeno dissidere, autor est, *Comment. in Dioſc.* Malui hic solum loca adscribere, ne Lectorem sermone longo fatigem: & promptum & jucundum alioqui est, ipsos autores versare. Fallitur senex Nicolaus Massa *lib. tert. cap. secundo*, dum proclivis est, in Karon Avicennæ scriptum *lib. secund. cap.* 386. ubi ait. Est lignum, quod affertur ex India, ad terram nostram, &c. Falluntur quoque qui ejusdem *capit.* 337. Hestedeen suspicati sunt, quod etiam malim lectorem, ex Alphonso *lib. primo*, *capite secundo*, ac plenius ex Antonio Gallo, & Matthiolo, quam me intelligere, sicut & totam Guajaci, sive Indici arboris historiam. Ne tamen nihil dixisse, omnemque operam subterfugisse videar, primo breviter ex uno, aut altero, qui cæteris rem acutius inspexerint, ejus ligni genera, mox delectum diligentissime, deinde præparandi rationem, ac facultatem summa fide ostendam: postremum de reliquis morbum profligantibus medicamentis verba faciam. Manardus *lib. decimo septimo epist. tertia*, tria distincta genera numerat. Primum est densum, grave, crassum, interna parte nigricans, externa subpallida, lineis quibusdam in fuscum vergentibus, per longum æque distantibus interfectum. Alterius pars exterior magis albet, cum minore nigredine media. Tertium genus præcipue sanctum vocatum, totum fere albicat, cujus longitudo exilibus valde lineis distinguitur. Hoc valentissimum asserit, quia acrius, & odoratius. Reliqua duo in Hebeni censu plane collocat. Certe ab hac sententia non est alienus Antonius Gallus *libro de ligno sancto non permiscendo*, ubi duas præcipuas ejus differentias demonstrat. Etenim quod plurimum in medio nigri repræsentat, cum cortice firmiter adhærente, levi, duro, Guajacum proprie: alterum colore fusco, sive flavo, aut potius plurimum albicante, cortice laxiori, cinericio, pulvuloso, Buxum ementiente, Palum ac lignum sanctum appellatum, præstantissimum semper animadvertit. Sed omnia vitiantes, ac fraude corrumpentes, impostores, propter vicinum utriusque colorem, Buxum sæpe pro Sancto in Italia præsertim exponunt. Est & ejusmodi discrimen: Guajacum accensum pinguescit, & resinam fundit, Sanctum contra est macrum, nec resinaceum spirat, adeo ut ne ab inflammato quidem quicquam defluat. Plerique radices tota arbore potentiores ajunt, sed nos arborem laudamus ætatis integræ, succi bonitate turgescentem, fructu maturo vigentem, viribus firmam, ex qua neque caules ampli, neque surculi exiles, neque truncus arboris radicibus proximus eligi debent, sed quæ inter hæc sunt media, ex temperatiore ora, qualis D. Joannis censetur. Qui igitur cum utilitate sanctum lignum tractare volet, ei tuaserim, ut ex isto Palo recens advecto, nihil grave spirante, nec situ obducto, nec carie arroso, aut evanido: sed halitu odoro nares vibrante, sternutamentumque movente, gustu acri & subamaro aromatico, pondere gravi, denso, duro, cortice extuberante, colore tam exterius, quam interius albescente, ætate media (quia nimis tenella arbor crudo aqueoque humore plena est: vetustior vero exsucca, aridaque, ac ideo iners & ignava) ex tali, iuquam, Palo sancto scobem ferra contumaci elimatam, & tenuissime dissectam, & si necesse sit, subtiliter tusam, cribratamque (quod non est in minimo ponendum, ut efficaciam suam potentius exerat, quia durum seligat, atque ea recenti utatur: alias exspirat, & vim vetustate deponit. Porro maceratur die uno, brevius, ac diutius, ut vel acrius, vel clementius pharmacum desideratur, aqua pluvia, nequaquam frigida, ut quidam solent pharmacopolæ, sed in aqua calida potius, ita ut ferveat; optime vas obturando, ut fiat maceratio perfecta, & decoctio utilis. Vasa autem, in quibus possumus decoctum parare, vel sint lapidea, qualia ex lacu Lario, vel Comensi deferuntur, vel saltem ollæ testaceæ vitro obductæ, quoniam si essent æreæ, cum decoctum pingue sit, & omne oleum alteret æs, acquire-

ret

ret malam qualitatem, & malum saporem. *Fit autem decoctum istud igne potius lento, quam vehementi, excitando lignis in principio fervorem, & cum incipit fervere, parva flammula carbonibus uti possumus, lignis ereptis. Deindè coquitur ad medias, sive ad tertias, aut ad dimidias, vel plus, minusve, pro morbi constitutione, & medicorum consilio (etenim quo contractius coquitur, eo vehementius agit) idque vase ad quartam partem inani, seu vacuo, ut sursum ac deorsum effervere queat, semper operculato, nisi quando spumam auferre volemus, quæ circa coctura initium colligitur, supra ignem purum, ut dixi, moderatum, fumi expertem, magna cura, attentaque diligentia. Aqua sit sextupla, octupla, decupla, duodecupla, sedecupla, aut vigecupla.* Nam in mensuris multiplex, ac controversa opinio est, secundum multam variamque ejus coctionem, ex ligni & aquæ proportione: similiter juxta morbi, & usurpantium diversitatem, & potionum quantitatem. Sed hæc absolute intelliget, quicunque remedia vitiis, corporibus, ætati, sexui, membris, aëri, atque iis propinquis rebus, secundum rationem accommodare novit. Igitur suam quisque voluntatem, ad ægrorum salutem, sequatur; nec alienam calumnietur, nisi evidenter falsam. Nos vero rationibus, ac experientiis quam pluribus edocti, & una præceptorum nostrorum non mediocri auctoritate confirmati, si negotium curativum habeamus cum tenero admodum adolescenti, calido habitu, & ætate, tunc solemus *pro qualibet uncia ligni accipere libram unam cum dimidia aquæ:* cum cæteris vero ætatibus, ut plurimum ista nobis est consuetudo, ut *pro qualibet uncia lib. aquæ accipiamus*, ita ut in conficiendo decocto *adsit libra una prædicti ligni, & duodecim libræ aquæ*, nisi ætas impedierit, in qua quidem propter vehementem calorem syrupus diutius non perduraret, & ideo tunc accipimus *sex uncias ligni, & sex libras aquæ*; hyeme autem contra *capimus libram unam cum dimidia ligni, aquæ vero libras xviij.* & sic habita temporum ratione decoctum hoc modo simplex paramus, ne corrumpatur. Hoc itaque ordine solemus ligni Guajaci primam decoctionem præparare; sed si ulterius volumus procedere ad secundam ejus decoctionem, quæ omnino necessaria esse dicitur, *idem accipimus lignum, neque amplius maceramus, & in eadem aquæ quantitate decoquimus, eodem prorsus in consumptione habito respectu, ut supra jam dictum fuit.* Solemus quoque pro manuum, & faciei ablutione parare aliquando tertium decoctum, novam addendo eidem ligno puram aquam, quod quidem optimum invenimus. Atqui hæc erit simplex ligni Guajaci decoctio, prope quam non alienum esse dicimus imponere alias rationes faciendi quoque compositam, quemadmodum hodie est in usu. Fit igitur decoctionis species quædam composita *accipiendo ligni libram unam, corticis ejus lib. semis, aquæ lib. xviij. macerantur hæc secundum artem, deinde bulliunt ad consumptionem tertiæ partis, postea imponitur cardui benedicti, chamædryos, betonicæ, pentaphylli, ana manipulum unum, iterum bulliunt ad medias, & tandem adduntur vini lib. iij. & post unicam ebullitionem colatur, exprimitur, & utitur.* Quæ quidem decocti ratio est satis quidem composita, & fortior præcedenti, sed fortior adhuc erit, si *accipiamus idem lignum, eundem corticem, & eandem quantitatem aquæ, macerando, bulliendo eodem modo, & addendo flœchados, fœniculi, betonicæ, rorismarini, ana manip. unum, semin. anisi unc. unam, iterum ad medias bulliendo, & tres vini lib. super addendo.* Fortius etiam decoctum erit *si capiamus eandem ligni quantitatem, & corticis, & addamus post macerationem, & ebullitionem rad. siccatarum ireos, rad. enulæ, rad. althææ, ana unc. unam, flœchados, capilli veneris, liquiritiæ, ana unc. ss. bulliunt simul ad medias, & in fine imponamus tres vini lib. eodem, quo diximus, modo faciendo.* Habemus præterea decoctionum diversas alias compositiones, sed quoniam in morbo Gallico simplex decoctio præstantissima nobis perspecta est, igitur reliquas omnes, nisi necessitate quadam cogamur, relinquimus aliis medicis, & empiricis. Atqui nunc postquam genera, delectum, parandi ritum edocuimus, reliquum est, ut facultatem ligni recenseamus. Anxie hanc, nec una omnes statera pendunt: siquidem nonnulli caliditatis secundum ordinem, non autem siccitatis transcendere auctores sunt, cum humiditate temperata, quamvis alii quidam calere dicant, sed impentius exsiccare, alii in secundo gradu calidum, & siccum asserunt, alii subtilissimarum partium: & calidarum, siccarumque circa gradum tertium magis voluerunt. Sed si quis vero judicio, quam habeat naturam, cognoscere volet, actiones suas omnes expendat: nam incidit, terget, tenuat, calefacit, sudores movet, vehementer nutrit, roborat, mollit, laxat, stringit, anodynum est, aliasque præclaras dotes, ac contrarias edit, admirandâ æquitate, citra ullam injuriam. Quis igitur ista bene versans, inter calida temperamenta quam temperatissimæ naturæ non decernat? Ac quamvis ex primarum qualitatum conditionibus agere probari queat, attamen indubitatum infinitis exemplis est, frigidis articulorum doloribus, quibuscumque nervorum affectibus auxiliari: tumoribus, collectionibus, sinibus, tophis, & similibus malis mederi: ad hæc ventriculi, jocinoris, lienis, capitisque morbis pituita genitis mirifice succurrere. Et quod incredibili jure quis miretur, in abigenda, vincendaque hac lue prava, tam efficaciter, tam celeriter, tam familiariter, tam tuto calidos juxta ac frigidos, humidos perinde ut siccos humores discutit, ut omnium ore in ultimis orbis finibus celebretur. Quapropter constanter credo, omnem hanc vim ex substantiali proprietate, atque abdita naturæ causa fieri. Ac ideo pessime faciunt, qui tam celebre donum, ineptis miscellaneis vitiant, & divinam ejus virtutem turbant. Et ideo hoc loco mirari subit inscios aliquot sycophantas, qui confidenti temeritate, ac temeraria confidentia, ubique & apud quosvis tam torquatos nobiles, quam mediocris fortunæ homines, se se in morborum curationes ingerunt, plenisque buccis aureos montes pollicentes, dum nihil aliud, quam lignum lignum crepitant, aut ungendum ungendum clamitant. Ignavum pecus, tortores potius quam unctores, & carnifices verius, quam medici: quia nihil norunt ejusmodi, quibus frequenter hic opus sit, dum alia, atque alia, pro virium collabentium necessitate, ac morbi discrimine interveniunt accidentia. At nimis trusta hæc queritor, quoniam pars populi maxima falli gaudet. Hos itaque propellamus, & ad decocti quantitatem exhibendam deveniamus, in qua semper considerare debemus affectuum magnitudines, quia nisi magni sint & rebelles, non egemus magna quantitate, sicuti in puero minorem exhibemus portionem, quam in adulto: in habitu calido parum, in frigido multum, ætate minus, hyeme magis, in debili ventriculo parvam damus quantitatem, in robusto immensam. Atqui hisce optimis considerationibus à quatuor unciis ad decem usque distendimur & duodecim, sed raro, exhibemusque continuo majorem decocti quantitatem hora matutina quam vespertina, quoniam matutinus ventriculus evacuatus exstat, & ob somnum adest major vis, neque omittendus est ordo egregius illorum, qui in primis tribus aut quatuor diebus non exhibent nisi quotidie syrupum unum, idem faciendo in extremis quatuor diebus in fine, at in reliquis duos propinant mane scilicet, & vesperi. Verum non in omni loco decoctum possumus administrare, nec omnibus anni temporibus, & idcirco prætermissa antiquorum ultra 40. annos medicorum strictissima carcere, ægrum exponimus in aliquo commodo, & sicco admodum cubiculo, ventis non expositio, & si venti ipsi quiescant, tunc sine noxa concedimus quoque domum exire, dummodo cum ipsis pluviæ & nebulæ hoc permittant, tum præsertim, si ipse ægrotus mœrore afficiatur. Quæ autem tempora huic rei opportuna magis in anno esse dicantur, sunt principium ætatis, & veris medium, ac autumnus: hyems vero & æstas inopportuna sunt propter frigus immensum, tum propter nimium calorem. Sed interim non est amittenda hora illa, qua decocti syrupum præbere debemus, quot diebus, & qua etiam observatione. Usus igitur obtinuit, ut decoctum ligni Indici exhibeamus matutinum per horas quatuor ante prandium, & vespertinum, per tres, vel quatuor horas ante cœnam, eumque continuo calidum valde præparemus, ut sudor facilior exeat, & ideo solent nonnulli mandare statim post eam potionem cooperiendum optime totum ægrum, & laterem calidum vino insperstum, panno obvolutum linteo ad pedes ponunt, atque adhuc aliis rationibus sudorem omnino facilitant. Quapropter istis omnibus consideratis decoctum propinamus per viginti quinque dies, per triginta, per quadraginta, & usque ad sexaginta ascendimus aliquando: si enim morbus inveteratus fuerit longam requirit curationem, quoniam symptomata, à quibus indicationes suscipiuntur, à decocto desistendo non statim cessant: immo si in sexagesimo die adhuc restent, instituendo victum egregium non linquimus, sed usque ad centesimum, & ulterius progrediemur, ne morbus magis confirmetur; at si in viginti quinque prædicta symptomata evanescant, statim desistimus. Itaque symptomata nos manu ducunt ad integram decocti propinationem, & ideo ea perpetuo observare debemus, vitando interim actum venereum omnibus modis, & animi passiones fugiendo.

FINIS.

# BARTHOLOMÆI MAGGI,

*Bononienſis, Excellentiſſimi Medici ac Philoſophi,*

IN

# MORBUM GALLICUM,

CUM HEPATIS ALIQUALI DURITIE, ATQUE HUMORIS MUCOSI PER INTESTINA DEPOSITIONEM, UNA CUM RHAGADIIS, ET ULCERIBUS IN ANO,

# CONSILIUM,

ANNO MDL. CONSCRIPTUM.

## PROOEMIUM.

*Illuſtriſſimus Comes Galeotus Picus Mirandulæ, & Concordiæ Dominus, ætatis annorum* XLII. *variis laborat morbis, ſymptomatibuſque, quorum unus eſt morbus Gallicus, quo anno* MDXLI. *cum ſcortum quandam pertractaret, infectus fuit. qui quidem morbus tunc per varia ſigna apparuit, cum ſibi in pene ulcera ſatis maligna contigerint. puſtulæ quoque per aliquot dies ſiccæ admodum, in capite, una cum nonnullis aliis pathognomonicis ſignis. quæ tantæ malignitatis, & ſævitiæ fuerunt, ut abſque pilorum defluvio, & omnium unguium caſu, tam manuum, quam pedum curari non poſſet. à quibus tamen non ſine pauco labore, & per purgantia medicamenta, & per Guajaci ligni decoctum, liberatus fuit. ſed cum talia medicis pertractarentur, amantiſſima, & Illuſtriſſima ejus uxor, ob amorem erga maritum ſuum, hæc minime timens, ſecum jacebat, cum illo (honeſte tamen) verſabatur, ita ut ſimiliter tali labe infecta fuerit. cum vero Illuſtriſſimus iſte Dominus ignoraret uxorem ſuam jam morboſam eſſe, quoniam nulla ſigna in ea apparebant, ſecum ut verus maritus jacebat. itaque denuo morbus illi ſubortus eſt, quod ſibi facile evenit, cum eo jam paulo antea fuiſſet affectus. ipſa vero ſanata ambobus res ſatis moleſta contigit, quoniam uno ſanato, alter (ipſis tamen neſcientibus) alterum tali morbo inficiebat. ſed Illuſtriſſimo Domino ſemper aliqua ſtigmata in manibus, pedibuſque derelinquebantur. Anno vero* MDXLVII. *cum Venetiis ſpatiatum eſſet, ſubortus eſt illi dolor intenſiſſimus in ano, abſque tamen in externa parte tumore, quem medicis, quamvis ſolliciti eſſent, nunquam per medicamenta modo anodyna utroque genere, modo per diſcutientia ſedare licuit. una tandem die præter omnium medicorum opinionem, naturæ beneficio ruptus eſt locus, & illico dolores ſedati fuerunt. Sed in eruptione materia exivit non pauca pituitoſa, cum ſanguine aliquo. quapropter aliqui præſtantiſſimi medici judicaverunt abſceſſum fuiſſe à natura ruptum intra anum, quem nonnulli alli hæmorrhoidas cæcas eruptas fuiſſe exiſtimaverunt. ſed quomodocumque ſemper poſt illud ab eo loco emanaverunt ichores, & ibi adfuerunt ulcera Rhagadioſa cum notabili exulceratione intra principium ani, quæ ſingulis diebus adaugeri videbantur, una cum duritie aliqua intra ani foramen. à quibus quandoque ichores tantæ caliditatis deſcendunt, ut vix pati poſſit. decem vero menſibus præteritis incidit in febrem putridam una cum morbo arquato, ex quo peſſime ſe habuit. ſequenti vero anno abſque nova alia infectione (ut referunt) incidit in barbæ pilorum caſum, cum maxima totius corporis demaceratione, & decoloratione faciei tendente ad fuſcum, una cum quadam cutis aſperitate, in variis partibus cum maculis rubeis, quæ aſſimilantur Eſſaræ Arabum, quas Græci vocant exanthemata, tamen cum majori depreſſione apparentes magis quibusdam temporibus. Similiter ſemper fere cum inteſtinorum excrementa dejiciuntur in egeſtionibus, quantitas aliqua, modo notabilis, modo pauca humoris pituitoſi à natura expellitur, qui pinguedini aut albumini ovi aſſimilatur. quem recentiores vocant mucorem; eſt quidem, cum deſcendit, tantæ mordacitatis, ut ægrum non parum cruciet aliquando; imo ſæpius cum aliquibus ſanguineis grumis, & fæces deſcendentes ſemper duræ ſunt admodum, ut ſæpius digitis propriis eas cogatur rumpere, quas ſi libere non deponit aut cum difficultate, a febris quibuſdam acceſſionibus corripitur. Ita etiam in hypochondrio dextro videtur aliqua durities eſſe: in inguinibus quoque tumores aliqui duri apparent. unde ſi illi aliquod nedum catharticum, ſed leniens medicamentum propinatur, pro duobus diebus febre corripitur. de quibus Illuſtriſſimus iſte Dominus cauſam, & eorum curationem quærit.*

A

## CAP. I.

*De corporis temperamento.*

Ut igitur morbis iſtis ac ſymptomatibus facilius ſuccurrere poſſimus, cum tria ſint inter cætera genera rerum præter naturam, ea conſiderabimus, ut inquit Galen. *de conſt. art. med.* primum genus erunt affectus, qui lædunt naturales functiones. Secundum horum cauſæ. Tertium ſymptomata. verum antequam ad hæc tranſeamus, de temperatura totius corporis aliquid eſſe dicendum nobis videtur. cum dicat Galenus *primo methodi*, morbos non commode poſſe curari niſi corporis univerſi natura ſeu temperatura cognoſcatur. rationem reddens, quoniam opportune medicamenta admoveri non poſſunt. ſed cum maxima ſit difficultas propriam corporis temperaturam exacte dignoſcere, ut Galen. dixit *primo de temp.* cauſam oſtendens, oportet enim per multas corporis partes diſcurrere, tamen per univerſalia diſcurrendo poterimus ad propriam laborantis temperaturam proxime accedere; ut inquit Galenus *primo ad Glauconem*, & Aver. 4. *Collig. cap.* 8. Avic. *prima primi cap. primo doc.* 3. diſcurrendo igitur ſuper cordis, hepatiſque temperaturam, à quibus reſultat totius corporis temperamentum, ut Galeno placuit 2. *techni*, ab activis tamen qualitatibus incipiendo dicimus, Illuſtriſſimi Domini cordis temperamentum magis ad calidum, & humidum, quam ad alium lapſum declinare. quoniam (ut dicit Galenus *ſecundo artis parvæ*, & *ſecundo de temperamentis*) iis, quibus tale ineſt temperamentum, ſatis commoda eſt reſpiratio, & audaces ſunt, ad actiones natura reperiuntur prompti, pectoris lati (data tamen totius corporis æquali proportione) pulſus eorum magnus, & mollis, ad iram proclives, ſed facile ſedari poſſunt, maxima cum humanitate, corpus totum ſatis molle & humidum potius reperitur, non hirſuti. quæ omnia in iſto Illuſtriſſimo Domino reperiuntur, atteſtantia quidem calidam & humidam cordis temperamenti naturam, quam tamen ab iſtis affectibus & ſymptomatibus adhuc mutatam non percepimus. de hepatis vero temperamento, quoad actiones naturales, ad calidum & humidum potius tendere putamus, cum venarum latitudo appareat in toto corpore, membra ſatis muſculoſa, ſanguinis dominium cum totius corporis mollitie, ilia glabra ſint, facile à morbis capiatur, qui à putredine generantur. Quantum vero ad hepatis temperamentum accidentale, putamus eſſe factum temperamenti calidi, & ſicci propter Gallicam paſſionem: infectio enim Gallica ſua malignitate venenoſa (ut dicemus alias) omnes affectus, omnia ſymptomata caliditatis & ſiccitatis inducit. videmus quidem ex iſto ulcera phagedænica generari, pilorum omnium caſum in capite & in univerſo corpore, puſtulas admodum ſiccas, in pedibus, manibuſque, ſtigmata ſcabroſa, & arida, oſſium denique corruptionem ſeu ſphacelationem apparentem. præterea tempore, quo tali morbo laboravit, varia & diverſa aſſumpſit medicamenta calida & ſicca, ut mirum non ſit, ſi jecur calidi & ſicci temperamenti redditum fuerit. Inſuper addam capitis temperamentum, quod credidimus ab activis qualitatibus & paſſivis eſſe calidum & ſiccum moderate. eſt enim optimæ memoriæ, callet ingenii ſubtilitate, velox promptuſque in motu & ſenſu, cito eſt calvus factus, ſi capitis vertex manu palpatur, non mediocris calor percipitur; pauca, at fere nulla excrementa per palatum, nares, aures, & oculos egrediuntur. His omnibus conſideratis, exiſtimamus Illuſtriſſimum iſtum habere ſubjectum à temperamento ſuo naturali lapſum ad calidum & ſiccum, ut jam patuit, cum etiam dicat Galenus *de conſt. art. med.* & 3. *meth.* oportere in morbis curandis non ſolum totius corporis temperamentum noſcere, ſed & partis affectæ rationem aſſignare: & quoniam docet, quantum refrigerandum, calefaciendum, humectandum & exſiccandum ſit aliquid, ideo de partis exulceratæ temperamento dicemus. eſt igitur locus calidi & humidi temperamenti, quoniam anus ex tribus muſculis conſtat, quorum unus ſphincter vocatus in ani foramine exiſtens, qui circularis quoque dicitur, ani foramen conſtringens. duo ſunt alii à latere iſtius, rectum inteſtinum ad ſuperiora, quando opus eſt, trahentes, ut inquit Galen. 6. *de anatom. admin.* & recentiores, qui de re Anatomica ſcripſerunt. quos omnes non modica pinguedo in clunibus, & aliis in partibus ambientibus recti inteſtini principium circumdat, ut merito dicatur illius humidi & calidi temperamenti, quod etiam affirmatur à Galen. 14. *methodi*, cum oſtendit locum illum facile ad putredinem & corruptionem verti.

## CAP. II.

*De morborum eſſentia, eorumque loco.*

Quamvis vero corpus à proprio temperamento lapſum ſit ad calidum, & ſiccum, nihilominus optimis adhibitis remediis licebit reducere ad priſtinam temperiem, conſiderata tamen prius affectuum natura, ſeu morborum eſſentia, ut ſupra dictum eſt. quod confirmatur ab Avicenna 4. *primi*, *de febribus in univerſali.* ubi inquit, non eſt poſſibile febrem curare, niſi prius ejus naturam noveris quod quidem aſſequemur conjectura, ut dicit Galen. 2. *techni*, *cap. de veſica* 6. *de tuenda valetudine.* Diſcurrendo igitur ſigna, & ſymptomata, ut dicit eſſe faciendum Galen. 4. *de ratione vict. acutorum*, non longe à medio exiſtimamus iſtius morbi eſſentiam, inter alios (ut uno verbo dicam) morbum Gallicum eſſe, à quo cæteri alii affectus & ſymptomata dependeant, una cum mala intemperie calida, & ficca venenoſa, quem Gallicum B jam diximus per propria & pathognomica ſigna novem annis elapſis apparuiſſe: nunc etiam idem aſſerimus, cum ſuperſint aliquæ reliquiæ, quas atteſtantur ſtigmata, quæ ſæpius renovantur, modo in manibus, modo in pedibus. depilatio quoque barbæ, quæ anno præterito ſuborta eſt, & ad hanc uſque diem perſeverat. quamvis poſt hac à concubitu mulieris infectæ non fuerit inquinatus. Item cutis, faciei, & colli decoloratio ad fuſcum tendens, ac totius corporis demaceratio abſque alia cauſa apparente, maculæ ſubrubeæ in femoribus & brachiis, quæ in toto corpore ſemper apparuerunt, cum aliqua cutis ſubaſperitate, ut dictum eſt. patet quoque per crebram generationem novæ exulcerationis, ſeu, ut melius dicam, excoriationis, quæ modo in uno narium foramine, modo in altero excitatur. in inguinibus etiam, ab hinc tribus menſibus, nonnulli tumores duri geniti ſunt, tum in glandulis inguinum, tum etiam in illis, quæ diviſiones roborant magnæ illius venæ ad internam femoris partem percurrentis, ſine tamen coloratione ac dolore, qui merito καυσ῀α. i. e. ſcirrhi in glandulis dici poſſunt. Inſuper in hepate modica duritiei tactu apparuit, una cum aliqua obſtructione, quæ per urinæ ſubtilitatem apparebat, ac per alicujus pharmaci, non ſolum cathartici, ſed lenientis propinationem, quoniam febri ſtatim non pauca corripiebatur. quæ omnia, quamvis pro majori parte potius ſymptomata dici poſſint, tamen atteſtantur luem Gallicam. quod vero jecur intemperiem calidam & ſiccam patiatur, à natura rei cognoſcitur, & ex affectibus ſuis notum eſt omnibus, ex Galeni ſententia, quomodo jecur morbo generat ſuæ temperaturæ ſimiles, cum ideo prædicti affectus à caliditate & ſiccitate videantur generari, merito dici poteſt, jecur eſſe in temperie calida, & ficca. quam quidem affirmant urinæ tinctæ à maxima citrinitate, maximaque excrementorum ſiccitate, quæ per inteſtina dejiciuntur, ut plurimum dura ac ſubcinerea, quemadmodum dicit Galen. *de criſibus*, atteſtantia caliditatem & ſiccitatem hepatis, quæ ſunt tantæ duritiei, ut rumpere digitis propriis ſit coactus, ut jam narratum eſt. Alium quoque patitur morbum minime contemnendum, propter pejora, quæ ſibi contingere poſſent, ut infra declarabitur, eſt quidem in ſingulis fere egeſtionibus humoris mucoſi depoſitio ſeu pituitoſi, qui aſſimilatur pinguedini, quæ vel à natura ſponte fiat, vel à pharmaco exhibito, vel ex enemate injecto pauca vel multa deponitur, etiam quod fæces non deponantur. talis mucoſa materia propellitur, abſque tamen dolore aliquo inteſtinorum, ventriſque vel ani foramine, ſolumque aliquando acredinem, ſeu caliditatem aliquam in illius humoris mucoſi exitu percipit, ſed unum aliud notatu dignum apparet, quaſi ut plurimum talis mucus, cum deponitur, inquinatus ſanguineis grumis reperitur, verum aliquando alii coloris, ſine ſanguinis coloratione; pariter fæces quamvis duræ, ſæpius ſine grumis ſanguineis, & ejus coloratione egeruntur. præter iſtos affectus alium patitur, qui eſt rhagadioſa ulcera in podice ſatis notabilia profundaque, cum aliquo ſinu tamen parvo intra foraminis ani principium, circa rectum inteſtinum. quæ tanti fuerunt mali ſucci, ut portio aliqua muſculi circularis exeſa fuerit, una cum aliqua duritie circum circa. quapropter E reliqua illius muſculi circularis pars quodammodo corrugata eſt, ut quaſi prohibeat libere fæcum ſiccarum exitum. quod ſi contingit, ut earum exitus impediatur, febre cum rigore corripitur, per totum diem perdurante. pariter interpoſitis diebus ſine certo periodo, nec ulla præcedente cauſa procathartica, ſupervenit febris cum horripilatione ſeu rigore, ut rectius loquar, cum pulſus aliquali alteratione ex calore acriori, durans tamen una die, ut videatur eſſe inter diarias reponenda. Nihilominus, cum dicat Galenus *primo de diff. feb. cap.* 7. & *primo ad Glauconem in ephemeris* calorem eſſe ſuavem, & iſtius febris

calor mordacior videatur, dicimus putridum esse eo magis, cum systole velocior efficiatur solito. id enim signum est pathognomicum, quod in humoribus accenditur putredo, ut primo de differ. feb. nec propter hoc extra rem erit, si putridam dicemus aliquando uno paroxysmo resolvi ab ulceribus illis, tamen egreditur ichor calidus & siccus, qui quasi in exitu cutem excoriat. sunt igitur morborum istorum essentia præsertim majoris momenti Gallicus morbus, cum intemperie calida & sicca, humoris mucosi per alvum excretio, & ulcera rhagadiosa in ano, quæ curanda veniunt. Sed cum Hipp. dicat *libro de flatu*, medicum debere locum, in quo sit ægritudo cognoscere; locus enim in quo est affectus, facit differentiam curandi, ut etiam Galen. *de constit. artis med.* ostendit. videndum est igitur qua ex parte principaliter sit intemperies ista Gallica dicta, cum variæ fuerint opiniones, quoniam aliqui, cum viderent arthriticos dolores, principale membrum læsum esse cerebrum dicebant, alii, cum tantam impressionem & malignitatem cognoscerent, cor esse putabant, de febre hectica exemplificando, quæ summa difficultate removeri solet. Alii vero, cum principaliter infectiones cutis, decolorationemque corporis perciperent, hepar esse attestati sunt, quam nos pro veritate affirmamus, & dicimus Gallicam istam luem seu intemperiem calidam & siccam, venenosam, præcipue imprimi in hepate. deinde ad totum corpus per venas propelli usque ad membra principalia. verum istam non adhuc impressam esse in corde, neque in cerebro proferimus. quod vero in hepate sedem habeat, ostendit inter cætera corporis decoloratio, & alteratio à proprio temperamento, una cum pustularum seu ulcerum depascentium generatione, & mala totius corporis distributio, ut jam diximus ex Galeno, dicente ea vitio jecoris contingere, sed cum mala qualitas calida & siccа esse possit cum materia vel sine materia, asserimus eam primis diebus, cum Illustrissimus Dominus morbo Gallico corriperetur, absque materia fuisse, sæviente vero morbi malignitate cum materia redditam esse, quæ continuum solvebat. maculando suam naturalem intemperiem, & adurendo omnes in eo humores existentes, quos postmodum natura fortis conata est transmittere, modo ad cutim, modo ad pedes, modo ad pilorum originem, donec totum infectum sit corpus tali materia, qualis in hepate superior reperiebatur. in quo cum adesset bilis flava superabundans, & propter regimen & propriam temperaturam calidam, una cum morbo calido & sicco, ea super affata, & acrior reddita est, idcirco pustulæ, ulcera, depilatio, unguium casus, & alia genita sunt. Humoris vero illius mucosi generatio quo in loco reperiatur, & unde veniat, cum dicat Galenus *sexto de locis affectis*, *secundo*, non mediocriter conducere ad curationem noscere, in qua intestinorum parte constat ulcus, seu affectus, idcirco videndum est, an aliquod ulcus super musculum circularem reperiatur, cum excrementa illa mucosa seu pituitosa non pauca egrediantur, quæ statim post illius abscessus eruptionem (de quo diximus) incepit effluere. ex quo videtur ab aliquo ulcere vel sinu emanare, tamen rimando, quæ dicuntur à Galeno *de locis affectis*, quando de dysenteria sermonem habet, dicimus nullum existare ulcus supra circularem musculum in recto intestino, quoniam in egestionibus nullus omnino dolor sentitur, nec in recto, nec in ventre. quapropter si ulcus ibi reperiretur, dolores non pauci interesserent, ut Galeni sententia fuit. præterea videtur arduum, si ulcus adesset, quod aliquando non deciderent crustulæ vel intestinorum ramenta aliqua, ut fieri solet, in hujuscemodi ulceribus, quemadmodum dixit Galenus esse *tertio de causis symptomatum*, insuper tentaretur à vehementi tensione, & prompta dejiciendi cupiditate, si ibi reperiretur ulcus. cum ideo nobis non videatur, aliud ulcus adesse præter rhagadas, quærendum est an à rhagadiis, vel à crassis intestinis, aut à gracilibus descendat. quamvis nos aliquando similem materiam mucosam à fistulis ani valde antiquatis stillare viderimus. Hunc à rhagadiis istis provenire nequaquam affirmamus, quoniam semper in omni excrementorum depositione talis mucus non dejicitur. nihilominus ulcera semper permanent. quibus si descenderet, æquum esset, ut semper aliqua portio exiret, vel aliquo modo portiuncula rhagadiis adhæreret. quod adhuc nunquam compertum est. eo magis inde provenire non credimus, longe enim major est copia humoris mucosi exeuntis, quam sit ulcerum seu rhagadiarum capacitas. nec etiam à gracilibus intestinis putamus descendere, verbis Galeno *sexto de locis affectis* pensitatis, cum dicit, si sanguis vel abrasio valde permixta sit fæcibus, illud indicare à gracilibus provenire. quod in nostro casu non evenit. immo statim principio egestionis talis mucus dejicitur, demum fæces. verum sæpius solus absque fæcum expulsione talis humor dejicitur, vel propellitur minima portio stercoris, deinde mucus absque dolore & permixtione ulla, quæ omnia secundum Galenum loquens *de dysenteria*, & Avic. 3. *lib. fen.* 16. *cap. de intestinorum affectibus*, attestantur, mucum à crassis intestinis descendere. quod magis confirmatur à Galeno, cum loquitur *de tenesmo*, qui est intestinorum affectus, tamen ab eo inquit quandoque pinguia & pituitosa descendere. sed quæ ab isto Illustrissimo Domino dejiciuntur, semper ejusdem coloris & substantiæ non reperiuntur, quoniam modo crassa, modo mollia, modo alba, modo subrubea, modo subnigra, tamen ad pituitam reducuntur. Verum unum aliud venit mihi discutiendum, an materia hæc tota à recto tantum intestino defluat, vel à colico propter prædictam Galeni auctoritatem *de tenesmo*. videtur quidem à recto procedere. tamen hoc non tollit, ut etiam à colico non possit provenire, præsertim cum videam maximam copiam istius humoris mucosi. credo à colico etiam emanare, quoniam non videtur mihi possibile, ut à recto tantum effluat talis humoris mucosi quantitas, & in dies magis excrescere videatur, nullo adaucto symptomate.

## CAP. III.

### *De morborum causa.*

Notis istis, venit istorum morborum causa quærenda, ut jam diximus ex Galen. *de const. art. med.* & ex Hippocratis *libro de arte*, quam nisi amoveamus, morbum ipsum impossibile est tollere, ut clamat Galen. 7. *methodi*, & ubique. sed cum duplex esse possit morborum omnium causa, scilicet una externa, altera interna, ut dixit Galenus *de natura humana*, dicimus Gallici istius morbi causam procatarticam fuisse à muliere infecta acquisitam in concubitu, à qua emanavit virus, quod impressum fuit in pene, cum esset pars laxior, & mollis, apta recipere istas qualitates venenosas, paulatim ascendendo per parvas venas ad majores, donec hepar contigerit, causando intemperiem calidam, & siccam eo modo, quo diximus, & narium ulcera, propter humorum adustionem, qui in hepate fuerunt super assati: quos quidem natura potens ad diversas corporis partes ablegat, ut si ad pilos, præ tanta siccitate & malitia, qua abundat, pilorum alimentum destruunt quapropter cadere coacti sunt, & adhuc cadere non desistunt, ut habemus à Galeno 14. *methodi* in fine, & *primo de compositione med. secundum loca*, dicit pilos cadere vel ex malo alimento, aut ex ejus defectu, cadunt ideo isti ex malo nutrimento ad eorum originem delato, propter Gallicas reliquias adhuc morbum foventes, qui pariter sua siccitate & caliditate causa sunt demacerationis & decolorationis faciei, quæ ad fuscum tendit, cum sua subtilitate ascendat ad caput, & faciem, parteisque illas superassando, nonnulla portio ad cutem manuum & pedum. quæ cum sanguine crasso permixta sint, effecerunt infectiones, seu maculas illas subrubras in femoribus, & brachiis cum asperitate, de quibus locuti sumus, ob sanguinem, ut dicit Galenus *de const. art. med.* quoniam inquit rubet caro & sanguis tantum, imæ cum asperitate sunt propter humorem adustionem. ista autem in re unum quæri posset, cur in annorum septem spatio nunquam deleri potuerint. in qua duo potissima assignare possem, vel id fuisse ob cutis densitatem, quæ cæteris aliis membranis densior est, ut inquit Galen. *in comm. de fracturis*, quæ non permittit ita facile humores crassos sub se inclusos in habitum digeri, aut enim semper adfuit materia fovens illas, quæ morbi Gallici reliquiæ fuerunt. Rhagadiarum itidem ani causa fuit altera humoris istius adusti portio, quæ ad illas propulsa fuit, quemadmodum sæpius fieri solet in Gallico morbo, cum tanta adustione, & humoris melancholici admistione, veluti contingit per hæmorrhoidas, ad talem locum deferri, ut profundas exulcerationes excitaverit, una cum alicujus partis extensione circum circa, ac etiam duritia, duritiei vero causa quænam sit, videmus enim duritiem fieri duabus de causis, vel à pituita crassefacta, vel à melancholia. non à pituita quidem crassefacta, quoniam non erotisset. dicemus igitur propter humoris melancholici adustionem causatam fuisse, ut Galenus *ae tumoribus præter naturam*, & *sexto cartageni*, cum phagædena loquitur, inguinum etiam tumores qua de causa geniti sint, cum à jecoris superfluitatibus demissis ad glandulas provenire possint, tanquam ad cloacam, ut Avicenna 4. *primi*. vel ab aliquo ulcere existente prope locum nervosum & sensibilem, sua sensibilitate attrahente humores: qui cum loca illa vacua glandulosaque ac debiliora inter alias corporis partes adinveniant, quemadmodum dixit Galenus *de inæquali intemperie*, in illis retinent, ut idem dixit Galen. 13. *meth.* & Avic. 3. 4. crediderim igitur ego, tumores istos potius ab ulceribus in ano existentibus per rationes dictas, quam à jecoris superfluitate, quoniam corpus sæpius mundatum fuit, & hi tumores non vere omnes sint in glandulis inguinum, sed in illis prope eas existentibus, quæ ut plurimum

rimum propter ulcera pedum solent intumescere, & propter rhagadias factas in ano à causa procatartica. Humoris mucosi autem generationis causa nunc venit investiganda, quæ videtur inter alias causas potior, cum non parum posset jecoris coctionem lædere. putamus autem, nos super satis ostendisse mucum illum à rhagadiis non dependere, nec solum à recto, sed in colo colligi, non tamen diximus illis in partibus generari. cum non possit igitur hic generari, nec in jecore etiam dicemus. proprium enim jecoris non est materiam pituitosam procreare, sed sanguineam ad modum loturæ carnis, de quo Galen. 8. *de medicamentis secundum genera*, & *quinto de loc. affec.* & præcipue 4. *de usu partium*, ubi dixit ipse Galenus, quo pacto ipsæ venæ sanguinem generent in virtute ipsius hepatis, aut bilio sam, ut Galenus 6. *de loc. affec.* & 8. *de medic. compositione secundum loca*, & Avicenna 16. 3. *de fluxuum genere*. Relinquitur igitur, ut à capite, aut à debili concoctrice virtute ventriculi proveniat. à capite quidem possumus affirmare, quoniam in eo nullus affectus adhuc perceptus est, de quo sit dubitandum à tali parte defluere, aut in ea generari. necessum est igitur, ut à ventriculo proveniat, cum proprium ejus sit officium, existente debili virtute sua concoctiva, materiam pituitosam generare, seu mucosam, quæ tamen ad pituitæ naturam deferuntur. quod facile credi potest, quoniam scimus Gallicum morbum omnes virtutes concoctrices, ventriculi præsertim, debilitare, sua mala qualitate, & morbi diuturnitate, ut Galen. sæpe dixit, morbos longos virtutem digestivam ventriculi imbecillam reddere. quapropter non mirum, si tales humores mucosi generantur ab eo præsertim, cum videamus flatus multi generationem, & fæces non fœtidas, quæ solent indicare ventriculi frigiditatem, ut Galen. 8. *mirabitur*, & Avic. *loco citato* 16. *fen.* affirmant. pariter hæc obstructio, durities in jecore existens, quæ nulla alia de causa fiebant, nisi quod ex debili concoctione ventriculi humores pituitosi generabantur, cujus portio ad jecur demissa sua crassitie obstruebat, si superassabatur à jecoris caliditate, & siccitate indurabatur, & duritiem causabant, quemadmodum Galen. 6. *de loc. affect. cap. de hepatis affectibus*, si illis adjungitur putredo, ob hepatis caliditatem facile accenditur febris, quæ cum modica sit, materia parum durat, & una accessione tota resolvitur: quod patet. nam si sæpius evacuetur benignis pharmacis, minus febre molestatur, quoniam humoris crudi multitudo tollitur. præter dicta quidem ventriculi virtutem concoctivam esse debilitatam existimamus, etiam ex ligni Guajaci decocto quater assumpto. quod solet pluribus hominibus illud assumentibus (nisi à medicis custodiantur) evenire, ita ut quandoque incidant in lienteriam, in quam Illustrissimus Dominus incidit tamen aliquo modo unctionibus quibusdam roborata fuit, sed non usque ad perfectam restitutionem. præterea ex cibariis & dulciaribus assumptis & unctuosis non parum redditus est imbecillis, quod experientia patuit, cum illis uteretur, copiosiorem humoris mucosi quantitatem deponebat. quod nobis attestatur à debilitate virtutis concoctricis ventriculi provenire. insuper raro contingit, ut habentibus jecur calidum sit ventriculi virtus concoctiva valida, ut Avicenna *decima quarta tertii*. quod longum esset enarrare. Unum aliud me movet ad id confirmandum, ex remediis enim adhibitis à medicis putantibus humorem illum mucosum ab intestinis crassis generari, quæ fuerunt fere innumerabilia, quæ si scribere vellem, supervacaneum videretur, & tandem nunquam ullo modo profuerunt; ut ipse roboraretur optime, non illis forte illud evenisset (ni fallor, servata hominum peritorum reverentia) si modo quispiam vellet ex abscessu illo talem humorem generari, quoniam erupto abscessu statim decidit mucus ille. super tamen satis ostendimus quibusdam rationibus, illud non posse esse, præterea erupto abscessu non tollitur. quia eo tempore generationis illius mucosi humoris non potuerit esse principium, aut prius inceperat, quod astantes, ut aiunt, non animadverterunt. posset quoque aliquis dicere, Illustrissimum istum optime appetere, quod videtur indicare ventriculum bene se habere in omnibus. tamen dicimus nos Galeni sententia *tertio Catageni*, & Avicennæ *decima sexta fen.* posse esse, ut ventriculus bene appetat, tamen non perfecte totum cibum in chylum vertat, ob suam frigiditatem, à qua sit appetitus ille, ut prædicti affirmant: quemadmodum credimus esse in isto Illustriss. Domino. præter dicta confirmatur, cum nullam sitim patiatur. quod signum est frigidæ affectionis ventriculi, ut dicit Galenus *octavo de compositione medicamentorum secundum loca*, nec quidem chylum intestina perficiant, quoniam rectum & colon jam per consensum ulcerum in ano existentium debilitata sunt, quod efficere possint dicit Galen. *in de potentiis naturalibus*, ventriculum in chylum mutare cibum primario: intestina vero secundario, si quid à ventriculo incoctum delabitur, virtute tamen accepta à ventriculo. quod si etiam virtutes istas esse debilitatas diceremus, ob continuum sanguinem perfluentem ab ulceribus in crebris egestionibus, quæ aliquando in die naturali perveniunt, pro minori numero, ad sex vel septem vices, quod quidem non parum solet ventriculum & jecur refrigerare, ac debilitare, ut Galenus, & Avicenna *de fluxu hæmorrhoid.* & *de causis hydropisiæ*. Sed cur ita perfluat sanguis iste, ego rhagadias, seu ulcera in musculo recto existentia in causam esse crediderim, cum descendant fæces, quæ ut plurimum duræ & siccæ sint, sua duritie ulcera atterunt, vel humoris mucosi, qui aliquando mordaces effecti ab eâ abradant, eo magis cum pertranseant per foramen ani angustius factum ex corrugatione, & sæpius digitorum impositione renoventur ulcera, ut jam dictum fuit, à quibus facilius in continuis egestionibus aliquid sanguinis non grumosi modo ad loturæ carnis similitudinem egrediatur. quem si aliquis diceret à jocinore ortum ducere, aut à venis meseraicis, illi dicerem, id non esse posse per ea, quæ dicit Galenus *sexto de locis affectis*, cum non fæcibus sit permixtus, nec à longinquis partibus descendere videatur, cur non depositis facile excrementis febre illa sic cum rigore corripiatur, putarem illum non esse verum rigorem, sed potius horripilationem, una cum febre ephemera, ex conatu & ira, quam Avic. *quarto Can.* vocavit accidentalem, quæ fieri solet, quoniam ex conatu, doloris specie, multi vapores acres elevantur ad superiora, qui sua acredine causant illam horripilationem, ut patet etiam in mictu, per Aristotelem, *in problemate* illo, in quo quærit horripilationis causam, quæ fieri solet ex vaporibus elevatis ab aliquo acri humore ad superiora. ultra prædicta febris ephemera excitatur propter accessionem caloris præter naturam in spiritibus ex dolore & ira in excrementorum depositione.

## CAP. IV.

### *De prognostico.*

Considerandum igitur est à nobis, an morbi isti sanari possint, vel non, ut faciendum esse dicit Galen. 1. *de loc. affec. cap.* 4. ubi præmittit morbi cognitionem, secundo præsagitionem, insuper ægri medicis facilius parent, & à calumniis medicum multum præservant, ut Galen. *de const. artis med.* cum ait, præsagia namque & medicum ab omni mortis culpa reddunt immunem, & ægros ad obtemperandum faciles: occasionemque remediorum præmonstrant. quantum vero ad principalem affectum, qui est morbus Gallicus, existimamus sanari posse, optimis adhibitis remediis, non tamen cum facilitate. mala enim intemperies non facile corrigi potest, quæ jam impressa est in membro tam nobili, videlicet jecore, quæ quidem cum calida sit, & sicca, plurimum de humido radicali assumpsit, per annos novem, una cum temperatura calida, biliosaque, ex quibus patet, quomodo non ita facile penitus morbum istum eradicare liceat, ut jam patet, cum quater assumpserit Guajaci ligni decoctum, & nunquam in totum potuerit liberari, quod fortasse fuit, vel quia denuo infectus fuerit, quod facile evenire potuit, cum aliis mulieres & Venetiis, & Galliæ pertractaverit, ut relatum est; aut quoniam nondum tota illa malignitas per medicamenta penitus discussa fuit; tamen quomodocunque tolli posse dicimus, nempe bono regimine, & aliis opportunis remediis. quo ablato, facilius morbi alii, ac symptomata amovere permissum erit. sperarem pariter totius corporis demacerationem, & faciei decolorationem, ac narium ulcuscula, jecoris quoque obstructionem, una cum febribus illis erraticis tolli posse: de muco autem quid sentiam, si continuis remediis virtus concoctiva ventriculi jam debilitata roborabitur, possibile erit, ut tollatur, si non totus, saltem majori ex parte, tamen cum difficultate, cum jam per triennium tali excretione laboratse perspicuum, & illi varia ac diversa enemata a peritis medicis applicata fuisse, & tandem nunquam coalescere potuisse; nihilominus non videtur esse à remediis desistendum, quoniam periculum imminet, nec usque eo progrediatur ista ventriculi imbecillitas, rectique intestini, à colo ut ad jecur perveniat, & illud quidem impense refrigeret: quo facto periculum instat, ne in aquam inter cutem incidat, (quod Deus avertat) ut dicit Galen. *sexto de loc. affec. cap.* 1. & Avic. 16. *tertii*. tamen major existat spes, quod res non tanti periculi sit, cum viderim sæpius hæc fieri in patientibus Gallicum morbum, qui sua mala & pessima venenositate solet istas mucositates parere, quæ non tantum affligunt, ut si aljo ex morbo descenderent. Sed, ut verum fatear, non tantam adhuc quantitatem exeuntem in aliis percepi, non tamen desistendum est, cum spes maxima sit in prædictis, & in ægrotante bonæ habitudinis, præsertim cum medico pareat. quid vero de rhagadiarum consolidatione sentiam, cum ea

videam, quæ dicantur ab Avic. 17. *fen. tertio canone, de ani vitiis*, & à Paulo *tertio libro*, ac à Galen. *octavo de compositione medicamentorum secundum loca*, ubi plures difficultates ostendunt in consolidandis ulceribus istarum partium. locus enim ille pati non potest medicamenta valida, & crebre deponuntur excrementa. insuper alia suboriuntur, quæ curationem magis difficilem ostendunt, cum Galen. & alii auctores dicant, ulcera ani, cum tanta malignitate non existentia, esse difficillima curatu, eo majus negotium dabunt hæc complicata cum lue Gallica satis maligna, quæ jam per triennium ipsum affligunt. Medicamenta præterea retineri non possunt in loco propter assiduam excrementorum depositionem, & ob profundas rhagadias, quibus si applicantur remedia, cum anus constringitur, ea propelluntur, & ita sine remediis permanent, si forte aliqua ulceris portio consolidatur, modo à fæcibus exsiccatis in suo exitu rumpitur, modo ab humore mucoso disconsolidatur. quandoque enim est adeo acris, ut ardorem in ano, & phlogosim efficiat. ex quibus dicimus magnam, atque adeo maximam difficultatem esse in sanando has rhagadias, seu ulcera, non propter hoc à curatione est abstinendum, quoniam nisi curarentur, & summa diligentia, multa possent sibi mala evenire, præsertim si cum nimis acribus remediis locus ille percuraretur, posset quidem abscessus aliquis calidus suboriri, qui ad sphacelos facile converteretur, propter locum satis putrescibilem, ut Galenus *decimo quarto methodi*, aut ad ulceris corrolivi, vel ad carcinomatis naturam tendere posset, eo magis cum genita sint ulcera ex calida & sicca materia, veluti probatum fuit, quomodocunque tamen sperarem, medicorum ope hæc posse præcaveri.

## CAP. V.

### *De morborum curatione.*

Nota igitur morborum &. symptomatum essentia una cum præsagio, restat intentiones curativas elicere, ut admonet nos Galenus 7. *methodi* 11. sed cum sint res præter naturam tres, ut dicit Galen. *de differentiis symptomatum*, morbus nempe, causa morbi, & symptomata, & hæc quidem de sui remotione indicent, ut inquit Galen. *de consti. artis medicæ*, quandoquidem hæc omnia removere oportet, videndum est, à quo trium istorum incipere debeamus, an scilicet à causa morbi, vel à morbo ipso, vel à symptomatibus. à morbo quidem esset incipiendum. prima enim est occasio, quæ nobis occurrit. *tertio methodi primo*. tamen cum morbus tolli non possit absque causæ remotione, quemadmodum dixit Galen. *tertio* ejusdem, deinde symptomata urgentia non adsint, & gravia, quæ possint totam curationem ad se trahere: quoniam eo tempore, ut inquit Galen. 11. *methodi*. incipiendum est à symptomate, ideo incipiemus à morbi causa, non tamen morbum & symptomata negligendo, ut Galen. 10. *methodi primo*, dicit esse faciendum. cum igitur morborum istorum causa duplex fuerit, una videlicet à muliere infecta, altera vero ab intemperie calida & sicca, venenosa cum materia, quam Gallicam vocavimus, de prima nihil loquemur, quoniam jam ablata est: cum dicat Galen. *tertio methodi*, esse agendum de morbis, de causa procatartica provenientibus. de secunda autem dicimus in primis materiam esse evacuandam, deinde per rationem victus tendentem ad frigidum & humidum, tamen ratione morbi, qui curari debet per contrarium, tum ratione temperaturæ, ut jecur restituatur ad propriam temperiem naturalem, non possumus enim intemperiem revocare, nisi prius educta sit materia superflua in eo existens: ideo evacuandum esse, demum alterandum cum frigidis & humidis, ut symptomata alia adaugeantur, ut infra patebit. Sed illustrissimus iste cum millies evacuatus fuerit humoribus præparatis cum suis syrupis à peritis medicis semper ibi astantibus, & multa alia, quæ si vellem enarrare, sermo noster nimis in longum protraheretur: descendam igitur ad ea, quæ magis necessaria videntur, summopere quidem extollerem, cum ex imbecillitate virtutis concoctivæ ventriculi multæ superfluitates aggregentur in primis venis & intestinis, ut sæpius percepimus, quoniam illi fuerunt aliqua medicamenta propinata, quod multas & varias materias depositi, non sine omnium adstantium admiratione, quantuncunque levia fuerint, ut exhiberentur illi medicamenta aliqua purgantia, levia tamen, & absque *Turpetho*, *scammonio*, *hermodactylis*, & *aliis similibus*: quoniam existente intemperie illa calida & sicca in jecore magis incalesceret, stante pariter ejus obstructione, major copia humorum deduceretur ad membrum obstructum, ex quibus febris & agitatio excitaretur, ut alias tali de causa illi evenit, propinarem ergo tantum singulis decem vel 15. diebus *mannam solam vel rhenbarbarum*, *cum uvis passis absque nucleis*, *aut cassiam simplicem*, *sebestem expressione*, *aut mixtis prædictis*, *quibus si opus esset adderem decoctum aliquod pro vigoratione*, & *pro humoris melancholici eductione ex folliculis & foliis senæ conficerem decoctum*, *simul aliquas radices filiculæ decoquendo cum modico veri thymi*, *loco epithymi quo caremus*, *adderem etiam flores cordiales*, & *uvas passas*, & *hæc similia*, dummodo humores calidos & siccos commode educerent, quæ etiam non parum conferent difficultati expultionis excrementorum, quam sæpe patitur ob hepatis caliditatem. Si oporteret syrupos aliquos tradere, sint alterantes, aperientes, & abstergentes, non negligendo continui ventriculi roborationem, prout videbitur medico curam illius Illust. D. gerenti, a quo etiam instituetur victus boni succi, facientisque sanguinem puriorem, tendens tamen potius ad frigidum & humidum, semper memoria tenendo ventriculum jam debilitatum, ne adeo frigida sint, ut illi obsint, darem ergo *omnes intybi species*, *ut endiviam*, *cichoreum*, *boraginem quoque*, *lupulos*, *qui mirum in modum sanguinem purificant*, *oxalidem*, *quam acetosam vocant*, *cucurbitam cum omphacio*, *vel arantiorum succo præparatam*, præsertim tota ætate ista. Superveniente vero autumno, poterit calidioribus oleribus vesci, *vel salviam*, *mentham*, *draconem*, *quem vulgus vocat draconcellum*, *thymbramque de se in acetariis*, *aut cum frigidis*, *vel in condimentis*. panis, qui exhibetur, bene fermentatus sit cum suis conditionibus declaratis à Gal. 1. *de facult. alim.* carnibus etiam vitulinis, hœdinis, hircinis, & pullis gallinaceis utatur, qui tamen non educati sint in carceribus, quoniam sunt minoris bonitatis, ut dicit Galen. *de euchymia*, & *Cacochymia*. pariter accipiat aves omnes, in pratis & montibus degentes, quæ vel assæ fuerint, vel elixæ, quomodocunque suo ventriculo placuerint. cibaria condiantur cum amygdalis, aliquando etiam cum pistachiis, quoniam obstructionibus jecoris prosunt, tamen non sint frequentes in omni mensa, quoniam unctuosa ventriculum solent relaxare, & debilitare, quibus non extra rem erit addere malorum aureorum succum. pisces saxatiles marini & fabulosi cum aceto conditi non vituperantur. caveat modo salsa valde, acriaque, piperata, & omnia impense calida. pullos quoque columbinos fugiat, quoniam cum vesica bilis destituti sint, valde bilem generant, præsertim in ægro temperaturæ calidæ & siccæ, ut iste est, ideo non inutile erit ab illis abstinere, fructus ferme omnes fugiat præter *pruna damascena*, *vel syminiana pyra*, *etiam poma decocta cum modico sacchari absterso*. Itidem non negaverim *cydonia cocta*, *vel conditum ex cerasiis*, *quam marenatam appellant*, *vel diacydonitem* assumptum post prandium pro ventriculi roboratione, & ad crapulationem prohibendam ne cerebrum patiatur, ovis & elixatis uti potest, si stomacho grata sunt. vinum album non vinosum, nec aquosum, sed mediocre, dummodo sit adstringens. Sed quoniam assuetus est nigrum potare, tale assumat, ut consuetudini aliquid concedatur. reliqua medico permittemus. ipsi vero præcipiemus, ut quantum possit mœrores, iras, & animi affectiones fugiat, quoniam à Galeno *tertio techni*, non solum in ægris, sed in sanis maxime detestatur. quæ si vellem enarrare, nimis longum esset. de morborum autem curatione, quoniam malignus est, & venenosus quodammodo, tolli minime potest cum his, quæ à qualitatibus manifestis operantur. ideo oportet etiam ad medicamenta bezoardica, seu alexipharmaca, aut antidota descendere. quæ remedia sunt morbos à qualitate multa respicientia, qualia sunt in morbo Gallico lignum Guajacum & argentum vivum. sed de argento vivo pro Illustrissimi Domini curatione non est loquendum. de ligno decocta fiunt, ut omnibus notum est, quod quidem quamvis sæpius assumserit, & tali morbo non convaluerit, nihilominus à tali antidoto non est desistendum, quoniam tutius est cæteris aliis in hoc morbo, qui satis malignus est, & impressus. hac ideo de causa mirum non est, si remotus in totum non fuit, quamvis per plures dies assumserit. tamen item aliquos syrupos traderem, in diluculo more solito, ut reliquiæ pænitus eradicarentur, ex ligno Guajaco cum cortice confectos, quoniam cortex magis exsiccat, & roborat sua stipticitate, quibus non displicet, si addatur *fumchi herbæ succus depuratus*, cum remittat intemperiem calidam, quamvis sua frigiditate adversari videatur ventriculo debili & frigido, ut inquit Dioscorides, tamen cum misceatur ligni & corticis decocto, atque decoquatur, ventriculum roborat, ut Paulus & Galen. *de simplici medicina* ajunt, intemperiem calidam jecoris remittet, ventriculum roborando sua adstringenti virtute. nec vererer, immo maxime laudarem, ut singulis aut alternis diebus traderetur *scrup. j. rhabarbari optimi ante syr. dictum jam sub forma pilulæ*, *aut cum aliqua conserva*, quod equidem mirum in modum ventriculum roboraret, jecoris obstructionem tolleret, ut patet ex virtutibus ipsius rhabarbari, nec minus intestinis prodesset, quam aliis partibus, ut laudavit Avicenna 16. *fen.* 3. *canone*, cum de intestinorum ulceribus loqueretur. quapropter prædictis,

dictis, & victus regimine, morbus Gallicus tolli poterit. A quo adempto succeſſive alii morbi curabuntur, & ſymptomata, veluti ſiccitas corporis, facici decoloratio, ſeu cutis defœdatio, jecoris obſtructio, ſiſtetur depilatio, febris quoque erratica, quoniam facta humorum multorum diminutione, & aperta obſtructione, illa tolletur, ut jam majori ex parte factum eſt. hæc tuto per viginti dierum ſpatium menſis Junii ſervari poſſunt. demum ſiſterem ob ingentes calores æſtivos uſque ad Auguſtum completum. iterum ad eoſdem ſyrupos redirem ſecundum morbi afflictionem, & iſto interim quotidie mane perfecta ſyruporum aſſumptione, darem iſtius electuarii bolum. iſtud enim membra principalia roborat, morbo Gallico medetur, abſumendo illas malas qualitates, ut per ingredientia patet, quod ſolemus tali in caſu poſt Guajaci ligni decoctum tradere, cujus deſcriptio talis eſt. Recipe *conſervæ bugloſſæ, borraginis, violarum, roſarum ana unc. ij. aromatici roſati unc. j. ſſ. diarhodon abbatis unc. j. ligni Guajaci in pulverem ſubtiliter redacti & cribrati unc. j. ſſ. corticis optimæ admodum farinæ attritæ unc. j. rhabarbari electi unc. j. ſſ. pulveris hepatis lupi in furno exſiccati & abluti cum aquæ endiviæ unc. j. ſecundum artem miſceantur cum ſyr. de corticibus citri, & fiat electuarium.* de iſto nos ſolemus per menſem integrum bolum unum tradere, ex quo vidimus multas optimas operationes, & in iſto caſu valde commodum exiſtimamus, præſertim pro ventriculi roboratione, cum inter cætera membra maxime patiatur, à quo putamus primario mucum illum pervenire, cui inter alia medicamenta propinentur, pariter illud jecur roborat, ut patet non ſolum ex compoſitis, ſed etiam ex lupi hepate, quod ab Avic. 16. 3. tam commendatur in decoloratione corporis, & ejus demaceratione, ac pro jecoris roboratione, utatur quandoque *aliquo pulvere ſtomachali confecto ex ſeminibus ammios veri, macis, cinnamomo, vel ſimilibus*, aut capiat ante cibum unam rotulam ex iſta confectione, vel conſimili. Recipe *ſpecierum aromatici roſati ſecundum Gabrielem, ſpecierum dialaccæ ana drach. ſſ. ſpecierum dialigni aloes ana drach. j. ſpecierum cordialium drach. ij. & cum ſaccharo puriori fiat confectio in rotulis ad pondus drach. ij. pro rotula.* iſtud enim ventriculum roborat, jecur quoque, ut patet per ſuas operationes, ſed aſſumenda non ſunt, niſi æris temperatioris conſtitutione. extra vero ventriculi regionem inungerem tali vel conſimili medicamento. Recipe *olei maſtichini, ſpicati, abſinthii ana unc. j. macis, menthæ, ana ſcrup. j. caryophyllorum ſcrup. ij. & cum cera quantum ſufficit fiat unguentum.* de quo inungerem mane antequam è lecto ſurgeret. quod ſit calidum & non tepidum, quoniam dicit Galenus tepida ventriculum exſolvere, quo uti vellem, vel tali alio uſque ad autumnum. in quo ſi vellem fortiora habere propter aërem ambientem illis temporibus frigidiorem, ſic præpararem. Recipe *maſtichis unc. ſſ. macis, caryophyllorum, ammios veri ana drach. iij. ſemina in aqua ardente, quam vitæ vocant, infundantur, demum in bocia cum maſtiche ad balneum mariæ ſublimetur, ultimo oleum colligendo, quo ventriculus modo ſupra dicto inungatur*, quod eſt majoris roborationis, & penetrationis, præſertim in longioribus morbis, aut ceratum ex ſimilibus conficiatur. omnia hæc pro ventriculi roboratione parentur, quoniam iſtis ventriculum roborari poſſe ſperaremus, & mucus, ſi non in totum ſanaretur, ſaltem majori ex parte. nec quidem vitupero medicamenta, quæ per inferiora injiciuntur, facta *ex aquis thermalibus ſalſis, aluminoſiſque in quibus decoquatur lignum Guajacum, cui addi poſſunt mellis roſati, nuces cupreſſi, abrotanum, modo cum vino, modo cum hydromelite, vel cum aquis ſalſis*, quas Avicen. laudavit 16. *fen.* 3. *canonis*, cum de inteſtinorum affectibus loquitur, quæ ſua ſiccitate inteſtina roborant, quibus etiam non vererer *modicum boli armeni* injicere, quoniam etiam ulceribus ani prodeſſet. omnia hæc per inferiora commode poſſunt immitti, cum in craſſis inteſtinis ſit illa imbecillitas, cum Galen. præcipiat, exiſtente affectu in illis, per inferiora medicamenta injiciantur: ſi in ſuperioribus, per ſuperiora exhibeantur, *lib. de loc. affect. & lib. de conſt. art. med.* & alibi. De macularum curatione cum aſperitate exiſtentium, ſi prædictis non tolluntur, uterer lotione, *in qua decoctæ eſſent lapathi radices, furfur cum modico ſulphuris*, quoniam abſtergeret & diſcuteret, vel ſimilibus. quæ ſi tandem non prodeſſent, ad hypocauſtum ducerem, & illi aliquas cucurbitulas cum ſcarificatione admoverem in brachiis, & femoribus, quibus omnino ſperarem ut tolleretur, quod ex Galen. auctoritate elicio, *ſecundo ad Glauconem*, ubi loquitur de phlegmone inveterato, cui jubet ſcarificationes etſe faciendas, ut materia craſſa, quæ per habitum reſolvi non potuit, ſcarificationibus egrederetur, cum in iſtis maculis adſit materia viſcida, quæ per habitum non reſolvitur, dicerem convenire, quod tutum eſſet, non enim fluunt humores. & corpus peroptime purgatum eſt, ut præcipit Galen. prædicto loco obſervandum eſſe. adveniente autem autumno, ſcarificationem venæ laudarem uſque ad ſanguinis evacuationem per unc. viii. conſiderata conſuetudine, ut dicit Galenus *de ſectione venæ*, quoniam largius mittimus ſanguinem iis, quibus ſæpius ſecta fuit vena. poſt modum præparatis humoribus peccantibus, darem medicamentum aliquod, ut ſupra diximus, ex quibus crederem Illuſtriſſimum Dominum poſſe convaleſcere, ſi non in totum, majori ſaltem ex parte. ſi adhuc aliud (quod Deus nolit) ſupereſſet, vinum ex Guajaco hoc modo conficerem, Dioſcoridem imitando cum vinum betonicatum, & abſinthiatum docet conficere. *Adveniente tempore, quo uvæ colliguntur, peroptimas uvas albas colligerem, & eas contunderem, eo modo, quo ſolent ruſtici vinum condere. deinde in vas ligneum, quo ipſi ad eas contundendas utuntur injicerem, ſupra quas duæ libræ ligni Guajaci in pulv. redacti cum ſuo cortice aſpergantur, alteram menſuram demum ſuperaddendo cum duabus aliis libris ligni, ſtratum quodammodo ſuper ſtratum componendo, uſque ad conſumptionem* 36. *librarum ligni, illud permittendo ebullire*, & B *vinum more ſolito extrahendo, & ſervando, quod in dolio ſervetur*, de quo vellem tota hyeme, vel vere adveniente, primum cyathum iſtius vini in menſa potare. eſt quidem ad tollendas reliquias morbi Gallici, & ad illum inveteratum ſanandum præſtantiſſimum, ſi longo tempore aſſumitur, ut alias experti ſumus.

## CAP. VI.

*De ulcerum ſeu rhagadiarum curatione.*

Ulcerum modo curatio, cum ad operationem manus pertineat, quod eſt ultimum medicinæ inſtrumentum, quemadmodum dixit Celſus *proœmio primi libri*, à nobis ſervata eſt in ultimo. ulcera equidem rhagadioſa, profunda, cava eſſe diximus, cum ſinu, duritie, intemperie calida, & cum labiorum callofitate. conſultandum autem videtur, à quibus ſit incipiendum, id eſt ab ulcerum curatione, id eſt, an à morbis, an ab eo, quod magis urget, C aut à ſine quo non, ut admonet nos Galen. *tertio methodi nono*. à morbo quidem primus ſcopus eliciendus, ſed propter complicata non licet, quoniam de ſui natura indicant conſolidationem, quam ſi volumus tollere. calidis eſt levanda, quæ inflationi obſunt, nec propter cavitatem, niſi repleantur, quoniam non reperiuntur ſymptomata, quæ urgeant: ideo non ab eo, quod magis urgeat eſt incipiendum. Relinquitur igitur, ut à ſine quo non initium ſumamus. non enim amotis impedientibus conſolidationem, impoſſibile eſt ulcera ipſa conſolidare. ulcera quidem ad conſolidationem minime reduci poſſunt, propter callofitatem. repleri vero non poſſunt, niſi abſtergantur, nec abſterſio ſtante intemperie calida ſunt abſtergentia. ab ipſa igitur intemperie, tanquam à ſine quo non, id eſt ſine amotione iſtorum, non poſſet curatio perfici. tolletur intemperies à medicamento aliquo polychreſtico, ut noſtrum eſt, quod deſcribetur; quo facto ipſam callofitatem exſtirpare licebit, ut cum pulvere præcipitati loti, D quod eſt in hoc caſu præſtantiſſimum, morbum Gallicum reſpiciens à ſpecifica forma, propter argentum vivum. ſed ſit quoque remiſſus *cum tertia parte ſandicis*, quæ in officinis minium dicitur, aut illa removeatur cum *æris ſquamma rubra, cum aceto præparata.* iſtis impoſitis partibus ulcerum penitioribus, ex linteis turunda, ad digiti minimi craſſitudinem efficiatur, & illiniatur noſtro medicamento. poſtmodum in anum mittatur, quæ duobus modis proderit, & ulceribus curandis, & ani foramine jam aliquo modo corrugato apertum retinendo, ut inde fæces facilius egrediantur. quæ ſi ita commode hoc pacto non exirent, *tenta ex gentianæ radicibus commodis* conſtruatur, & intromittatur eodem modo illita, ſed filo lineo ligetur, ne quandoque ex caſu nimis ſuperaſcenderet. ſed talis tenta non ſemper ex iſtis radicibus conficiatur, cui ſuperaddetur plagula linea emplaſtrata prædicto medicamento, quod quidem ultra ulcerum curationem cætera poterit tollere, & præſervare, ut dicemus, præſuppoſitis lotionibus pro inteſtinorum roboratione, & pro ulcerum ani abſterſione. E è quibus evitari debent calida & acria. facile enim poſſent inflammationem irritare. quæ ſi ad ſuppurationem devenirent, darent majus negotium, & ad peſſima ſymptomata perducerent. ſi forte (quod Deus admoveat) ad naturam ulceris depaſcentis commutaret, ut facile tali in loco fieri ſolet, laudarem in primis *paſtillos Andronii*, ut diacarta. qui tantum convenire videntur in depaſcentibus ulceribus, ut dicit Galenus 9. *de compoſitione medicamentorum, ſecundum loca*, non autem alia cauſa, quoniam nimis acris eſt, ut patet ex ingredientibus. poſtmodum ad prædicta declarata, pro callofitatis labiorum remotione recurrerem, cum ſint debiliora, & Galen. *lib. Catagen.* in depaſcentibus ulceribus incipiat à fortioribus ad debiliora, rationem reddendo, quoniam ſordes in principio reſiſtit acui-

acuitati, & cætera. Unguentum tale eſt. Recipe *unguenti pompholygis, id eſt, ex cadmia confecti, loco pompholygis, unguenti albi camphorati ana unc. iii. olei myrtini, olei roſati omphacini ana unc. i. Thuris, mannæ, aloës ana drach. ii. lithargyrii drach. ſſ. ſucci ſolani hortenſis, flomos id eſt verbaſci, plantaginis, ana quantum ſufficit pro unguento, ſecundum artem, in plumbeo mortario facto* quod certe operatur ad ulcera facta a materia aduſta, ut dixit Galenus *ſecundo ad Glauconem*, ad duritiem pariter propter unctuoſa, ad intemperiem propter ſuccos, & prædictorum temperamentum. abſtergit quoque ex aloes, & aliorum virtute, replendo etiam cavitatem, conſolidando ulcus. de quo etiam poterit uti in ulceribus naſi *cum modico camphoræ*, pro inguinum modo tumoribus medicamenta apponentur, quæ emolliant & digerant ſimul, ut docet Galenus 14. *de ingenio ſanitatis.* quoniam ſi cum digerentibus tantum ſubtiles partes reſolverentur, & craſſæ derelinquerentur, idcirco ſint talia ut *chamæmelinum oleum, cum pinguedine Gallinacea.* poſſem autem pro iſtorum ulcerum & morborum curatione, alia quam plurima remedia ſcribere: ſed quoniam ſcio negotium iſtud non pertractaturum iri ab empiricis, finem ideo imponam. in quo ſi nimis prolixus fui, non meæ naturæ attribuendum eſt, ſed & morbis in hac ægritudine exiſtentibus, & ob maximam meam in iſtum Illuſtriſſimum Dominum obſervantiam, cui Deus gratia ſua ſalutem donet, & eam voluntatem, qua iſtis paucis diebus, ad ejus ſalutem, & præſervationem, pro viribus noſtris ſumus conati hæc ſcribere. hac tamen conditione, à peritioribus res emendaretur, quibus nos in totum committimus. Vale.

# ALEXANDRI TRAJANI PETRONII,

*Philoſophi, ac Medici præclariſſimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## LIBER PRIMUS.

### CAP. I.

*De prima (prout putatur) morbi Gallici origine ac moribus.*

Morbum Gallicum anno à Chriſto nato 1493. quo tempore (ut memoriæ proditum eſt) Carolus viii. Gallorum Rex Alpes ſuperabat, Neapolim petiturus, in Italiam primo irrepſiſſe conſtat: militibus ſcilicet quibuſdam, qui ab India Occidua, nuper inventa, cum Rege Neapolim veniebant, hac lue infectis, ob uſum venereum cum ejus loci mulieribus, & noſtrates, quibuscum miſcebantur, paſſim inficientibus. Hic primo meretrices, & eos, qui cum his rem habebant (horribile dictu) mille modis depravata natura corrumpebat. Multis tum ſacer ignis, tum inflammatio hujus mali occaſione, nunc maculis quibuſdam rubris per totum corpus expanſis, nunc quibuſdam parvis ulcuſculis figuram mori, tum rubri, tum albi, ſed aliquanto ſolidioris imitantibus in toto corpore obortis, præcipue circa caput accidebant. Pleriſque horum ante omnia obſcœnæ partes inflammabantur, ſimulac exulcerabantur: Subinde oculi, nares, columella, epiglottis, magna ex parte exedebantur. Hinc aliis vox rauca, aliis non niſi ſibilans, nonnullis amiſſa, gingivæ corroſæ, dentes nigricantes, carnes exeſæ, oſſa denudata, decidentia. Multæ, ac variæ ſimul excitabantur fluxiones: dolores item articulorum vehementes. nunc cum tumoribus præduris, nunc ſine, quos ſi forte premeres; tantum aberat, ut dolorem augeres, ut interdum ita ſe juvari ægroti faterentur, ut hoc unum haberent in tantis cruciatibus levamen. Hæc omnia per noctem potiſſimum exacerbabantur, raro admodum ſine fluxione, ſine ulcere, ſine corporis extenuatione: Nunquam ſine aliqua putredine apparebant, ita ut non ſæpe morbus hic non putrefacere, liquare, ulcerare, extenuare, cenſeri poſſet: Quamquam affectum ipſo corpus plenius factum ad tempus videretur: Præſertim ubi pilorum defluvium (ut infra dicetur) propinquum eſſet. His nunc aberat, nunc adjuncta febris erat. Miſeri ægrotantes ex his non ſtatim quidem interibant; ſed longo poſt tempore acerbiſſimis doloribus, contumacibus ulceribus, vigiliiſque confecti. Magna pars ipſis curationibus magis lædebatur: Nempe tum eos magis celeriter, & multum undique exercebat ſacer ignis. Mox gangræna, deinde morbus ille, quem Græci σφάκελον vocant Medici ejus temporis poſt varia præſidia cum nihil proficerent, id malum curare tentabant, alii quidem ex hydrargyro (quod argentum vivum Latini appellant) unguento adminiſtrato, alii vero ſuffitibus ex minio (quod cinnabarim dicunt) & aliis hujuſmodi remediis. Interim admirabili copia mucoſæ ſalivoſæque fœditatis, per ægrorum ora manante, magno cum halitus fœtore, gingivarum putrefactione & dentium omnium commotione, & quidem tum hi, tum illi quoſdam ſanitati, ſed magno cum periculo, reſtituebant. Interea temporis tam celeriter, tam prompte in omnes homines id malum tranſibat, ut eos non ſolum coitu inquinaret, ſed etiam infantes ſuctu, alios oſculo, quoſdam contactu cujusvis rei, quam quis hac lue affectus tetigiſſet: nimirum, cibo, potu, cubitu, ſupellectili, veſtibus, linteis, & hujuſmodi rebus: nullo diſcrimine, tum ægros, tum ſanos, invadebat, tam qui malo, quam qui bono victu utebantur, tam qui optimo, quam qui vitioſo erant corporis habitu: Senes, juvenes, mares, fœminas, graciles, obeſos, liberos, ſervos, tam æſtate, quam hyeme, tam vere, quam autumno. Id enim malum ſentiebant magiſtratus, ſentiebat humilis plebs, veloci unius ad alterum tranſitu, ſentiebant & ipſi fœtus in utero: Quippe qui ex inquinatis generati, ut oriebantur, ita ſtatim puſtulis diverſorum colorum, duris, aſperis, fœdis, inſuetis per caput, per reliquum corpus, undequaque pleni inveniebantur. Jamque per Hiſpanias, Gallias, Italiam, totamque Europam, magno mortalium malo, vagabatur, donec ab eo loco, unde primum ad nos irrepſiſſe putatur, ligni Guajaci decoctum, quod multifariam fit, advectum eſt. Id, poſtquam in uſum venit, malum id horrendum, ferum, inſanabile, evaſit tolerabile, mite, ſanabile: Nam huic in dolores duntaxat articulorum vertebatur, illi in tumores per caput, & reliquum corpus cum dolore, & hos quidem præduros, perſeverantes, illos vero molles, modo apparentes, modo deliteſcentes: alii in ulcera per cutim pullulantia, alii in defluvium pilorum capitis, & ſuperciliorum, & palpebrarum cum quadam oculorum, totiuſque corporis immutatione, ita ut homines ridiculos redderet. Nonnullis in multam deſtillationem, quibuſdam in aurium ſonitum & oculorum caliginem, aliis in vertiginem, aliis in febrem longiſſimam, aliis in ſummam corporis extenuationem, aliis in feminis profluvium, in difficilem reſpirationem. In empyema porro, ut ante hac, ita etiam nunc vix quemquam, ubi ſemel invaſit, niſi longo temporis ſpatio relinquit, modo magis, modo minus infectum. Neque unquam ipſum per ſe vi ſua quenquam interficit; ſed nulli corporis particulæ parcit. Denique nullum fere eſt morbi genus, in quod non illud, ut Protheus in quaſcumque viſum eſſet ſpecies, convertatur, retenta tamen ſemper facultate in omnes homines cujuſcunque ætatis, cujuſcumque habitus, quovis anni tempore, tum in utero, tum extra uterum prompte tranſeundi, quamvis in hos citius, in illos tardius migret: Hos gravius, illos levius affligat: ut hac noſtra tempeſtate mulieres, quibus menſtrua aut partus frequentes fiunt, multo minus lædit, quam ubi hæc deſunt, utpote magna huius mali parte per uterum expurgata: Cæterum nec ſatis ſcio, nec, ſi ſciam, dicere auſim, vix quemquam hac noſtra tempeſtate (ut quibuſdam placet) inveniri, qui hanc labem vel omni, vel aliqua ex parte, graviter leviterve non ſentiat, propterea quod poſtquam hoc malum manſuetius apparuit, hi, qui mundi ſunt, non uſque adeo ab ejus immanitate ſibi timentes & cum immundis magis audacter conſueſcentes, nunc eos manibus ſine diſcrimine palpare, nunc alio modo liberalius tangere, nunc eorundem veſtibus ſe induere, nunc ſupellectilibus uti cæperint, unde factum quoque fuerit, ut pauci in Europa, præſertim vero in Italia, ſint qui vel

hac

hac labe afflati vel affecti non ſint, ut pote qui paſſim vel ipſum malum Gallicum, vel hujus ſimulachrum aliquod experiatur: ſimulachrum inquam id, quod cum hoc morbo inveniri quidem ſolet, ſed ubi videlicet ſine feritate, ſine longa perſeverantia, ſine pertinaci ad curandum contumacia, aut ſine ulla fere moleſtia conſpicitur, ut pilorum defluvia ex conſuetudine cum infectis hac lue orta ſtatim apparentia ſtatimque ceſſantia, ut pruritus, ut puſtulæ per totum corpus cito & accedentes, & recedentes, ut impetigines & vitiligines, & mille alia hujuſmodi: quæ ſi non aliunde, certe à nutricibus, quæ alias lue Gallica laborarunt, poſtea ſanitati reſtitutæ videntur, infantibus à primo fere ortu inferuntur: & ſicut canis rabidi lues longo tempore hominem quieſcere permittit, mox in rabiem furiamque præcipitat. Ita poſt arrepta occaſione comparent: hinc forte triceſimo quinto abhinc anno exanthemata, & rubra, & alterius coloris, & plana, & elevata, ſine febribus, & cum febribus, tum acutis, tum non acutis, tam frequenter cernuntur, ante tamen quam hic morbus ſe paſſim oſtenderet, ætate noſtra nunquam ferme viſa, quaſi quod hæc labes, etſi valde tenuiter, pleraque infecerit corpora, ubi tamen illa morbis afficiuntur, hos eoſdem in ſui ſimilitudinem aliquo modo deducat, ſed hæc & his ſimilia utcumque animadverſa, aut exiſtimata non in magno equidem ponam diſcrimine, ad illa mihi pro ſe quiſque acriter intendat animum, quæ deinceps explicabo.

## CAP. II.

### *Morbus Gallicus an morbus novus ſit.*

Medici, quia morbus novus is à multis eſſe putabatur, ubi primum in noſtris oris apparuit, ne illum ignoraſſe viderentur, omni ſtudio, cura & opera nitebantur, ut hunc eundem non minus antiquis, quam nobis cognitum fuiſſe oſtenderent; quo factum eſt, ut hi lichenas, illi epinyctides, alii Arabum lepram, id eſt, elephantiaſim, alii alium morbum appellarint, prout cuique magis viſum erat: quos contra illud eſt ſatis, quod ut antiquorum auxilia eos morbos, quibus dedicantur, facile tollunt, hunc vero magis irritant: ita morbus hic, quia novis duntaxat auxiliis, non autem antiquis hactenus cedit: morbus eſt, ſi non cognitione, certe curatione novus, & antiquis incognitus, quemadmodum elephantiæ quoque morbus fuit: nam (ut Celſus *lib. tertio cap. 25.* inquit) ignotus pene in Italia, frequentiſſimus in quibuſdam regionibus is morbus eſt, quem ἐλεφαντίαν Græci vocant. Neque mirum fuerit, tum hunc, tum illum, & alios pleroſque antea ignoratos, poſtea vero cognitos fuiſſe, quum vita brevis ſit, omnia enim videre non poteſt: ars vero longa, quæ extento ævo in ſe omnia congerere poteſt. huc accedit, ſi quis ſingula ejus ſymptomata ſpeculetur, etenim in omne fere morbi genus ille convertitur, nullus vero talis morbus apud antiquos legitur. Quamquam minime negaverim, olim ſæpius in noſtra ora inventum eſſe: quale forte fuit malum illud, quod Plinius *lib. 26.* Tiberii Cæſaris principatu refert primum in Italiam irrepſiſſe, omnique ævo priore univerſæ Europæ, ne dum Italiæ, incognitum. Tanta quidem fœditate, ut quæcunque mors huic præferenda eſſet: tanta etiam contagione, ut oſculo ſolo veloci tranſitu inficeret, ſed principes maxime: hæc lues à mento oriebatur, unde nomen illi factum eſt mentagra, quale quoque fuit, quod Hipp. (ut quidam arbitrantur) *Epidemiorum 3. ſectione 3.* his verbis ſcriptum reliquit. *Multis quidem ſacer ignis tum occaſione ex quibuſlibet, & admodum parvis ulcuſculis in toto corpore accidebat, præcipue vero ſexagenariis ſecundum caput, ſi vel minorem paulo quis curam adhiberet magna pars in ipſis etiam curationibus magnis inflammationibus corripiebantur, ſacerque ignis multum celeriter undique depaſcebatur, pleriſque itaque horum in ſuppurationes abſceſſus contigerunt, atque carnis multum, & oſſium nervorumque decidit. Erat autem illa fluxio, quæ collecta erat non aſſimilis puri, verum alia quæpiam putredo, ipſaque fluxio multa, & varia, quum ergo caput horum quid tentaret, iis caput totum glabreſcebat, & mentum, oſſaque denudabantur, decidebantque, multæque exſtiterunt fluxiones: his aliquando, & aliquando non erat febris; erant autem hæc formidabiliora, quam deteriora, quibus enim ad ſuppurationes hæc ſpecies devenit, plurimi ſuperſtites eorum erant. at vero, quos inflammatio reliquit, & ſacer ignis, nec talem abſceſſum effecit ullum, hi frequentes interierunt, & ſi uſquam loci alterius oberraret, evenerunt hæc: etenim multis brachium, vel totus cubitus decidit: quibuſdam hæc anteriora latera afficiebant, vel poſteriora, nonnullis totum femur, & tibiæ denudabantur, pesque totus: erat omnium id graviſſimum, cum pubem, & pudenda urgeret, atque ulcerum, & eorum, quæ occaſionem habuerunt, hæc fuit conditio:* Hæc ille; & ſi forte non de tali morbo, ſed de ulceribus ex occaſione aliqua illatis mox de præter naturam affectibus, ubi hæc eadem ſequebantur, loqui potius ille videtur. Cæterum tale quippiam ſæpius ab antiquis videri potuiſſe confiteor, ejus vero curationem ab iis traditam eſſe nullam experimentis credo. Poteſt enim morbus aliquis aliqua ætate exiſtere, ut quondam mulier quædam Romana ex naturalibus partibus carne prolapſa, & arente intra paucas horas exſpiravit: id quod novum fuit. poteſt quoque illius curatio prætermiſſa eſſe, ſi vel paucos infeſtarit, vel multos quidem, ſed conſequentibus annis, aut non reciit, aut minus perſeveravit.

## CAP. III.

### *De his, quæ prænoſſe debet, qui morbi Gallici, & naturam, & curam recte aſſequi velit.*

His poſitis, primum oportet non ignorare, complures eſſe morbos cum Gallico morbo quadam naturæ cognatione conjunctos, tum quod ſingulos homines in quibuſdam locis nunc ſponte naturæ, nunc ex contagione promiſcue inficiant, tum quod in alia loca tranſlati contagione potiſſimum ſimiliter inquinent, quemadmodum eſt elephantiaſis, morbilli, variolæve, & alii morbi, quorum cognitio non dum apud nos certa, ut prædictorum, invenitur; Quippe elephantiaſis neminem in Ægypto, aut certe in ejus medio non exercet, aut ſi forſan aliquis id nunc concedere noluerit (quandoquidem propter magnas inundationes, propter novos ritus novoſque vivendi modos, ut infra dicetur, facile mutari poteſt:) concedat tamen antiquitus id ita fuiſſe: hinc Celſus (ut ſupra quoque citavimus) frequentiſſimus in quibuſdam regionibus is morbus eſt, hinc plenius *lib. 26. de elephantiaſi* loquens Ægypti (inquit) peculiare id malum. Hinc Lucretius: eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili gignitur Ægypti in Medio; neque præterea uſquam, ſed in noſtras oras invecta, ubi contagionis datur occaſio, æque inficit. hoc idem de morbillis variolifve nuper contigit: nam ubi in Indiam occiduam hinc irrepſerunt (ut multi perhibent) homines ejus loci, in quem devenere, non ſolum promptiſſime, ſed etiam graviſſime affixerunt, ita ut alicubi ſingulos homines breviſſimo temporis ſpatio pene conſumpſerint. De Gallico morbo quid opus eſt dicere, quum illud ſit jam ſippis, & tonſoribus notum? decet igitur eum, qui tum valetudinem integram ab hoc malo ſervare, tum ejuſdem curationem recte inſtituere voluerit, non ignorare prædictis morbis omnibus hoc eſſe commune quod ſinguli homines (ut jam ſatis patet) his promiſcue obnoxii ſunt. Itaque ſcire oportet, quidnam ſit id ipſum, quod omnes homines ad hos morbos accipiendos promiſcue paratos facit. At vero id, ut nemo antehac inquirere tentavit; ita maxime omnium cognitu difficile eſt, quippe quod nec paucis, nec levibus controverſiis implicatur, ſed quia id bifariam intelligi poteſt, videlicet, aut tamquam materia ex qua, aut tamquam efficiens à quo promptitudo talis naſcitur, ſcire licet nos materiam per ſe quidem non inquirere, tum quia hæc ſine viribus exiſtens nihil ferme agit (adverſus quam medicus obniti non ſolet) tum quia neminem latet, quod ex materia his malis, & aliis omnibus obnoxius ſit homo. Sed efficientem cauſam adeo inſignem, quæ omnes homines indifferenter his morbis præcipueque labi Gallicæ aſtringit, & obligat. hanc enim contra omnis medicina pugnare conatur, atque hanc eo magis avide ſcire cupimus, quo major nos capit admiratio, dum morbi Gallici contemplamur originem, naturam, magnitudinem, motum, & moremn. Nam intelligere, quod in homine ex materia promptitudo quædam oritur ad hos morbos ſuſcipiendos; nihil aliud eſt quam noſſe quod hos pati poſſit, id quod & leve admodum eſt, & nulli fere non manifeſtum. ſed perſcrutari quid hanc materiam his morbis aptam reddat, & omnino quidnam ſit, à quo tanquam ab efficiente promptitudo hæc proficiſcitur, & à quo diſtinguitur, cur homo his morbis, & non tertianæ, aut quartanæ (exempli gratia) neceſſario exponatur? Hoc præcipuum & ſcitu dignum exiſtit. profecto id non eſt materia, prout nuda patiendi poteſtas conſideratur: Hæc namque per ſe (ut diximus) nihil efficit, nihil diſtinguit; ſed aliquid actu ſit homini aſſiſtens, vel inexiſtens oportet. Nam homo propter id, quod non eſt (ut dicitur) actu: non magis in hunc morbum, quam in illum proclivis eſt: alioqui, quod non eſt actu ad id, quod eſſet actu, eum movere poſſet. ſed ſicut abundantior bilis eundem bilioſæ febri magis quam pituitoſæ ſubjicit, & quaſi aſtringit, ita id commune his morbis magis quam aliis hominem devincit. Atque ut bilis actu eſt, & non ſimplex patiendi poteſtas, ita id quoque actu inveniri, & aliquid efficere neceſſe eſt. Efficiens voco non ſimpliciter, ſed lato vocabulo (ut medici) quod non abit, non relinquit effectum, ſed poſtquam effecit, adhuc remanet, & adhuc effectum fovet. Verum ſi quis id materiæ potius attribuere contendat, nihil ſane refert, modo aliquid actu eſſe concedat, à quo homo coactus incurrat in horum morborum aliquem, aut ſimilem.

Tale igitur sive materia, sive efficiens vocetur (de nomine enim non sit quæstio, modo res ipsa intelligatur) ut ordine, & via procedat ejus inquisitio. in primis nosse oportet, An extrinsecus adveniat an intus existat?

Sin intus, utrum necessario, an non necessario.

Si necessario, num semper (hoc est per totam vitam) an non semper?

Si semper, utrum ab ortu primo ante partum ipsum ad usque decrepitam ætatem, an post partum?

Deinde utrum secundum naturam, an præter naturam insit?

Mox an sicuti sciens, dum non contemplatur, aut ut sciens ubi contemplatur, & agit?

Si veluti sciens, dum non contemplatur, utrum interim in corpore usum aliquem præbeat?

Demum quid id ipsum commune sit.

His cognitis tum inquirendum, an hoc idem per totum hominis corpus (quum secundum omnem corporis partem homo infici soleat) extendatur, & ubi potissimum resideat?

Rursus, quum semper insit, cur non semper agat.

Cur item in aliquibus nunquam, aut nimis sero agere videatur?

Interea quoque cur horum morborum nova iterum atque iterum orta contagionis occasione aliqui, ut morbilli, variolæve, raro, aliqui, ut morbus Gallicus, sæpe nascantur.

Similiter cur tale morborum genus ab humana natura non nisi raro vitari possit?

Quare etiam, si una communis causa sit dictorum morborum, non unus tantum morbus ab illa oriatur?

Deinde quamobrem horum unusquisque certis in locis, ut hic in Europa, ille in India occidua singulos homines promiscue inficiat, mares, fœminas, pueros, senes, graciles, obesos, sanos, ægros, tam eos, qui malo, quam qui bono victu utuntur?

Mox cur in alia loca translatus hoc idem per contagionem similiter efficiat?

Deinde si horum morborum idem est principium, cur eisdem una, eademque curatio non convenit?

Et utrum hic quidem in Europa, ille in India occidentali in alium morbum mutari queant: an non necesse sit eundem perpetuo esse, sed alius alii invicem succedere possit?

Demum quæ sedes affecta in his existat, utrum certa pars aliqua corporis, an quælibet sine discrimine?

Post ad ea, quæ sunt Gallici morbi propria, veniendum, quærendumque est, utrum si morbus quemadmodum ex contagione crebro nascitur in nostris oris, ita etiam sponte naturæ oriri possit; & si non sæpe, an certe aliquando?

Deinde cur singulos homines sine delectu inquinet, tam æstate quam hyeme, tam vere, quam autumno, tam in Hispaniis, ac locis sane præcalidis, quam in borealibus plagis, ac frigidissimis?

Cur in omnes morbos indiscriminatim fere permutetur, non autem elephantiasis, morbilli, variolæque?

Quare modo carnes lædat, ita ut aliæ corporis partes integræ esse videantur, modo pilos, tum ossa, alias nervos, interdum oculos, aliquando aures?

Utrum illius agens (cum impulsore indigeat) morbi speciem, unde impulsor primum emanat, semper sequatur?

Cur aliquibus accidat, ut longo post tempore, quam inquinati sunt, infectio appareat, aliquibus vero nunquam, sed hoc ipso cognoscantur infecti esse, quod sine ejus labis specie alios, quos obnixe tetigerint, inquinent?

Quare, cum ab initio maligne sæviret, nunc vero mitius agat?

Cur etiam nunc aliquando æque gravis atque ab initio nascatur?

Cur ubi primum sævire desiit, pustulas aut rubores circa caput, & reliquum corpus efficere cœpit?

Quam ob causam tam prompte accipiatur?

Propter quid alios quidem promptius, alios vero lentius, magna tamen ex parte promptius inficiat?

Cur, etsi ea prompta accipitur, difficulter expellatur?

Quapropter jam non interimat, sed fere totam vitam perduret, inducias quidem cum ægro componens, pacem vero (ut existimant) nunquam?

Demum an ut ante non fuit, sed aliquando cœpit, ita post non erit, & penitus desinet.

Ad hæc si morbillorum, variolarumque, & morbi Gallici (ut infra dicetur) eadem communis est causa, sicut ante communiter, ita nunc privatim inquirendum, cur eidem homini morbus Gallicus tam sæpe redeat, tamdiu duret, & ex coitu tam frequenter eveniat, variolæ autem morbillive semel bisve, aut ad summum ter eundem corripiant, brevique tempore?

Præterea postquam morbus hic universam Europam passim exercet, cur pestis (ut aliquibus videtur) in quibusdam locis, ut puta in Italiam, non tam sæpe homines sollicitet, in quibusdam (si forte nascitur) non tam vehementer (ut ante ipsum solebat) infestet?

Jam vero, si ita est, an hoc morbo penitus profligato, aut fere devicto (id quod facile accidere, ut lib. 2. dicetur, potest) sicut ante ipsum pestis sæpe oriebatur, ita post orietur?

Deinde utrum hepar, aut etiam qua calidum, sit morbi Gallici sedes?

Et utrum hepatis calida intemperies sit hic morbus?

An si vel hepar, vel caput in morbo Gallico semper afficeretur, potius caput, quam hepar affici deberet.

Denique quid morbus Gallicus sit.

Cur aliqui eodem infecti pinguescere videntur, deinde in pilorum defluvium incidunt, & in eisdem oculorum nigrum in albidum permutatur.

Atque cum is maxime extenuet, cur victus ratio extenuans illi potissimum conferat?

Deinde quæ signa sint hujus mali, quando sponte naturæ gignitur, & quæ quando ex contagione?

Qui nam eum evitare possint, qui non, qui citius inficiantur, qui non, ac ex infectis qui minus perclitentur, & qui non, qui facilius curentur, qui non?

Quid prospiciendum, illum evitare, curareque volenti?

Utrum statim, ubi invasit, ad auxilia, quæ illum exstirpare solent, ut puta ad Guajaci decoctum, sit deveniendum?

Utrum Guajaci, sarzæ parillæ, & radicis Chinarum decoctum à proprietate (ut dicunt) occulta (ut omnes opinantur) agat, an etiam à manifestis causis, & quomodo, & quando?

Quis item usus, quæ item causa sit auxilii, quod tum unguentum ex hydrargyro, tum suffimentum ex cinnabari huic morbo præstare solet?

Mox utrum balnea, & qualia eidem conferant?

Postremo quæ curatio huic malo adhibeatur ex arte, quæ item ex conjectura, & quæ ex horum neutro, sed vel ex sola ratione, vel sola experientia inventa?

Hæc & alia hujusmodi sunt, quorum causas investigare operæ pretium esse ducimus.

## CAP. IV.

*Morbos quosdam ex accidenti, quosdam necessitate naturæ generari, & quid primo inquirendum.*

Sed illud interea positum sit primum, morbos quosdam ex accidenti, quosdam ex naturæ necessitate gigni, morbos vero (clarioris doctrinæ causa) nunc appellari (ut antiquioribus quibusdam visum est) quæcunque hominem infestant: & illos evitabilem causam sequi, hos inevitabilem. Deinde etsi morbi omnes præter naturam sint (siquidem horum nullum appetit natura) ex his tamen quosdam (quia illorum causæ vitari non possunt) ab ortu primo in suis causis contineri, & aliquibus temporum curriculis necessario existere, universosque homines (ut multi putant) ab ortu fatales quasdam, & infensas affectiones in se (exceptis necessariis earum principiis) continere. Hinc homini (ubi dentire incipit) gingivas dividi, nulli non crescere ad fastidium usque tum ungues, tum pilos. Hinc fœminis, ubi primum menses apparent, lumbos, atque inguina, aut uterum dolere, primo vero coitu sanguinem (dirupto (ut ajunt) hymene) cum molestia reddi, deinde in partu dolores non leves accedere. Hinc hominem, ubi ad vitæ metam naturaliter pervenit, innato calore propriam humiditatem absumente senescere. Hinc neminem in senectute non decrescere, nullum ætate nostra (ut fertur) vocatos morbillos variolasve in Europa effugere: nullum in Ægypto elephantiasim, nullum in Indiis occiduis morbum, qui illic bughæ, hic Gallicus appellatur. præterea ex his, qui naturæ necessitatem sequuntur, quosdam contagiosos esse, ut morbillos, variolas, morbum Gallicum, Elephantiasim: Quosdam non contagiosos, ut gingivarum divisionem dentibus primum erumpentibus, ut partum cum dolore: Atque hos, ut naturæ necessitatem sequuntur, ita licet præter naturam sint, à natura tamen creari. Neque id mirum alicui videri debere, cum etiam monstra (etsi præter naturam sint) à natura tamen gignantur. Contra pleuritides, anginas, phthises, volvulos, atque alios hujusmodi morbos, qui non inevitabilem, sed evitabilem causam sequuntur, & præter naturam esse ab aliis causis, quam à natura, oriri. hos quidem à distillatione, illos autem ab ulcere, cæterisque hujusmodi, atque id genus quoque tum contagiosos, tum non contagiosos esse. Contagiosos quidem tabem ex pulmoni-

monis ulcere, febrem ex infecto aëre: non contagiosos vero tertianam exquisitam, quartanam, & hujusmodi. Denique morbos omnes præter naturam quidem esse, sed aliquos (ut ante diximus) à natura procreari, aliquos ab aliis causis. Atque illos, quia causam habent inevitabilem, ut nemo fere possit illorum aliquem, aut similem effugere, inevitabiles vocari: hos vero, quia causam evitabilem sortiuntur, ut illa ab unoquoque evitari potest, ita evitabiles esse. In his pleuritides, anginas, volvulos, & reliquos hujusmodi morbos numerari, in illis morbillos, variolas, elephantiasim, morbum Gallicum, & quemlibet generis ejusdem. Non quod nemo illos vitare nequeat, sed quod homines nulli, aut omnino pauci (ut infra quoque dicetur) illorum aliquo, aut simili non afficiantur. Neque illa sane justa reprehensio est, si variolæ, atque morbilli (ut quibusdam placet) aliquando non fuerunt, eos à naturæ necessitate proficisci non posse, cum semper, & eadem sit ipsa natura, illi vero neque semper, neque iidem. Nam (ut infra planius explicabitur) morborum, ex naturæ necessitate contagiosorum, una & eadem est communis causa, à qua promptitudo quædam in homine semper est ad hos morbos contrahendos, ut in ferro ad rubiginem: sed ut ferrum rubigine non semper afficitur, ita neque homo semper his morbis; hæc igitur, quod semper hi morbi non sint, quod vero neque semper iidem, id quidem non ex communi causa contingit: quippe quæ (quantum ad ipsam attinet) non magis in hunc morbum, quam in illum inclinat: sed à loco, ab aëre, à victu, quæ causam ipsam pro hominum habitudine (ut infra dicetur) ita distinguunt, ut nunc unum, nunc alterum dictorum morborum postea creet. Sicut enim sol pro natura rei nunc liquat, nunc astringit, nunc relaxat, contrariasque edit actiones, ita hæc causa, quamquam una eademque omnibus est: pro subjecti tamen natura, quæ loci, aëris, & victus ratione mutatur, varia morborum genera efficit. ut in Europa morbillos, atque variolas suscitet, in Indiis novis eum morbum, qui ab illis bughæ, à nobis Gallicus nuncupatur, in Ægypto elephantiasim, adeò, ut mirum non sit, si longe ante morbilli variolæque non fuerunt, ac etiam si postea omnino desinent, in eorumque vicem morbi alii ex naturæ necessitate contagiosi succedent. Sed de his post explicatius: nunc ad propositum redeamus. Quum enim omnes homines morbis aliquibus etiam contagiosis (ut proxime diximus) ex naturæ necessitate obnoxii sint. Ut Europæi morbillis, variolisve: Indi occidui morbo bughæ nuncupato: Ægyptii elephantiasi: atque alii aliis morbis, quos fere cavere non possunt, jure quis inquiret; quam ob rem omnes homines morbo inevitabili sint expositi? Ac primum quænam ista communis naturæ necessitas sit, qua hisce malis subjiciuntur? Deinde an aliqua peculiaris reperiatur, quæ in Europa morbillos, variolasve vitari non sinat: in Indiis occiduis morbum Gallicum, & in aliis locis morbos alios?

## CAP. V.

*Qualis esse debeat morbi Gallici, variolarum, morbillorum, elephantiasis, & similium communis causa, & an foris adveniat, an intus existat.*

Quia ergo hi morbi omnes homines (ut ante diximus) promiscue tangunt, necesse est, communem illorum causam id statuere, quod hominibus omnibus commune est: quodque omnes homines ubique locorum, omni tempore, omni ætate, quocunque habitu, utrovis sexu, & in omni corporis parte (quoniam omnes corporis partes indifferenter inquinant) semper commune habent, quod si foris advenit, utique aliquid ex his, quæ foris communia sunt, hominibus erit, atque (ut ad præsens negotium attinet) vel aër, quem semper spiritu ducimus, vel alimenta, quæ communiter sumimus, vel cœlum ipsum, prout influxu movere nos existimatur: Porro aër esse non potest, quum neque ubique locorum, neque omni vel ætatis, vel anni tempore idem, sed maxime varius sit. Ut omittam, quod naturæ necessitate unum eundemque aërem attrahere nequaquam cogimur; quin imo in alio migremus, nos illum vitare facile possumus: id vero commune, quum naturæ necessitati referatur acceptum, ut vitari non possit, oportet. Huc etiam spectat, quod sine contactu solidi firmique corporis ii morbi, præsertim Gallicus, in alienis locis evenire non solent: aër vero nullo hujusmodi intercedente corpore ab omnibus semper attrahitur, & subinde inficit. Atque hæc ad docendum, quod aër non sit dictorum morborum communis causa, dixisse sufficiat, jam vero alimentum non esse clarius est, quam ut probatione aliqua indigeat; neque enim necessario, neque uno, eodemque alimento singuli homines vescuntur: quin imo ita varium est; ut maxime differat alterum ab altero tum loco, tum temperamento, tum natura, atque hoc repudiari, & illud eligi hominis arbitratu potest: id vero commune, quod quæritur, non potest. Eadem fere ratio valet, si cœlestem speres influxum, influxum inquam planetarum, aspectum, non autem peculiarem in singulis locis totius cœli conditionem. Hic enim neque semper durat, quoniam, ut incepit, ita quoque desinet, & ut hic ante malus, ita post alter nimirum bonus, qui hunc aut moderari, aut summovere posset, exoriri solet, neque ubique locorum idem est. Id vero commune, cujus causa hi morbi creantur, jam inde à priscis seculis homines exercet: neque ullus locus est, ubi id homo non sentiat. Id autem inde perspicitur, quod ubique locorum, dum occasio sese offert, his morbis, & aliis hujusmodi inquinatur homo. Dices ab initio influxum cœlestem dedisse causam, & quasi sponte naturæ hos morbos imprimis apparuisse, & subinde suo contagio aliis, atque aliis inquinatis adhæc usque tempora perdurasse, & quavis serpsisse, ac serpere, ut in India occidentali primum ab influxu cœlesti morbus Gallicus ortus sit, postea per contagionem singulos homines fere occupaverit, & nunc occupet; sed quum ibi tum sponte naturæ, tum ex contagione nunc oriatur, minimeque verisimile sit influxum illum nunc adesse. non video quamobrem primum potius, quam nunc ab influxu cœlesti ortum duxisse credendum sit. Respondebit aliquis, ut ignis ex silice excussus, plures deinceps ignes ex pluribus stillibus gignit, ipse vero jam exstinctus est, ita cœlestis hic influxus sese habet, impressit enim in corporibus luem & velut ignem effecit, deinde substitit, lues vero, quæ restillat per contagionem, continenter inficit; Verum hic animadvertat, quod, ut ignis è silice non per se quidem, sed ex accidenti nascitur, alioqui ex alio nasci non posset, siquidem unius per se effectus, una est per se causa, ita lues hæc, etsi primum à cœlo oriri ponitur, non per se tamen, sed ex accidenti oritur: nam si per se oriretur nunquam sponte sua sine hoc peculiari influxu, vel nunc in Indiis occiduis, vel alibi gigneretur: sin ex accidenti, cur magis hunc cœlestem influxum, quam aliquid aliud, à quo similiter creari posset in causam ducemus? Idem enim esset, ac si quis influxui cœlesti acceptum referre contenderet, quod Gygas Lydius picturam in Ægypto, in Græcia vero Pyrrus Dædali cognatus invenerint, aut quod Danaus omnium primus navem in Græciam, ex Ægypto advexerit, & Midacritus plumbum ex Cassiteride insula apportarit. Unde etiam ridenda videtur eorum opinio, qui à Saturni & Martis conjunctione, quæ (ut dicunt) anno fuit à CHRISTO nato 1496. morbum Gallicum fuisse ortum volunt, siquidem hic anno 1493. in nostras oras primum irrupit. Præterea interrogandi sunt hi, si longe pluribus ante annis in Indiam occidentalem navigatum esset, an putent morbum hunc Gallicum etiam illinc ad nos tunc transferri potuisse? si annuant, ad cœlestem influxum quomodo recurrunt? si negent, cum his contendere vanum est: quum quotidie videamus, nova Gallicæ luis inquinamenta ex dicta India huc advehi. Præterea id commune, de quo disseritur, quum omnibus hominibus semper & ubique obvium esse necesse sit, neque omnes in eodem cœli tractu versentur, sed varii in variis locis degant, quomodo ab eodem influxu omnes ubique affici possunt? Denique hoc concesso, quod influxus cœlestis horum causa sit: quid utilitatis curationi, quam in præsenti quærimus, afferet? Quare quum nullum ex his, quæ foris communia sunt homini, videlicet nec aër, nec alimentum, nec cœlestis influxus hujusmodi morborum causa esse possit, eam internam esse statuendum est. Atque hæc autem necessario inerit, aut non necessario, ac etiam vel secundum naturam, vel præter naturam: sed si non necessario, non semper homo aptus erit ad hujusmodi morbos contrahendos, quum tamen per omne tempus, per omnem ætatem, ac etiam in utero (ut antea dictum est) contrahi possint. Utrum vero secundum naturam, an præter naturam insit, dubitatione non caret: quomodo enim fiet, ut secundum naturam semper & necessario insit in corpore id, quod illi detrimento est, & morbum accersit? natura enim id, quod bonum est, appetit, non autem quod malum; quomodo item continget, ut præter naturam insit id, quod per omnem ætatem, etiam usque ad decrepitam, in corpore semper & necessario inesse dicimus? nam etsi quis sexto digito ab ortu ad extremum usque vitæ præter naturam redundet, etsi quis etiam per totam vitam similiter valetudinarius sit, non tamen ob id humanum genus universum valetudinarium naturaliter esse convenit; alioqui natura non mater, sed injusta esset noverca; quo fit, ut hic, aut ille peculiari aliqua causa loci, vel aëris, vel victus, facile possit aliquid præter naturam perpetuo pati; homo autem ipse in universum ut hoc idem patiatur, nequaquam oportet; An sic quidem secundum naturam inest, sic vero præter naturam: secundum naturam quidem per se, præter naturam vero aliunde, quod per accidens vocant, qua scilicet ei accidit, ut morborum sit id, quod præter naturæ propositum evenire necesse est. Quemadmodum enim in ferro

ferro quippiam ineſt, unde ad rubiginem aptitudo in illo naſcitur, quod partim naturale eſt, partim non naturale, naturale quidem, qua ferri naturam ſine illius corruptione perpetuo ſequitur: non naturale vero, qua cum noxa eſt, quæ ferrum rubigini paratum facit: ita in homine quiddam invenire licet, unde promptitudo quædam in eodem ad hujuſmodi morbos oritur: quod prout in eo ſemper exiſtit, naturale eſt, prout vero morbum accerſit, præter naturam. Et quia non ſemper id agit, id inquam, cujus cauſa in homine illa promptitudo ſemper ineſt, (neque enim ſemper in ferro rubigo, neque in homine ſemper ii morbi inſunt) intus inerit, velut ſciens, dum non contemplatur, & (ut inquiunt) in actu primo, non in ſecundo: ita ut non ſemper hos morbos excitet, ſed egeat impulſore quodam, qui ipſum ad agendum impellat. Atque (nihil enim otioſum natura patitur) ut aliquem uſum in corpore præbeat, tantiſper dum hos morbos cunctatur, oportet: Proinde aut temperamentum, aut ſanguis, aut alius humor, aut ſpiritus, aut innatus calor, aut aliqua corporis pars, aut ſemen, aut menſtruum, aut quodpiam excrementum, aut aliquid aliud, quod internum ſit, horum morborum cauſa efficiens erit; efficientem voco non ſimpliciter, ſed lato, ut ab initio diximus, vocabulo.

## CAP. VI.

*Quum aliquid, quod internum ſit, horum morborum cauſa ſtatuatur, proprium tamen hominis temperamentum eſſe non poſſe, neque item ſanguinem neque alios naturales humores.*

Porro fieri non poteſt, ut temperamentum hominis aliquod proprium ſit primum, quia id naturale eſt, non autem partim naturale, partim non naturale, quale id, quod quærimus, eſſe debere probavimus. Nam ſi temperamentum quandoque præter naturam ſit, non ſemper tamen ita in corpore eſt, aut non ſemper ita eſſe debet. Deinde non omnes idem habent temperamentum, ſed aliqui frigidum, hi calidum, illi ſiccum, alii humidum. Præterea ſi id calidum eſt (ut quidam opinantur) non promiſcue, quocunque tempore, quovis loco, cujuſcunque temperaturæ homines inficeret, niſi ſupra modum exſuperaret, ut calor igneus, qui tum calida, tum frigida, quæ pati poſſunt, indifferenter urit, licet hæc citius, illa tardius. Hæc vero qualitatis exſuperatio, tantum abeſt, ut in ſingulis hominibus communis ſit, ut in nullis omnino deprehendatur. Qui contra frigidum eſſe contendunt, argumento, quod auxilio calido, ſcilicet Guajaci decocto, tollatur: conſiderent non ſimpliciter quidem calidum id eſſe, ſed amarum quoque cum aſtrictione quadam & lentore quodam, neque profecto juvare, quia calefaciat frigidum temperamentum, ſed quia vel ſudore, vel aliqua alia evacuatione corpus inanit. Neque ſequitur ex eo, quod calidum prælidium prodeſt, ideo frigidum eſſe temperamentum, nam tertiana febris calido medicamento, utpura rhabarbaro, ſummovetur, non tamen frigida eſt intemperies, ſed calida. His accedit, quod Guajaci decoctum à proprietate (ut dicunt) occulta morbum Gallicum ſanare arbitrantur, quocirca licet id calidum ſit, non tamen calore contrario, ſed alio (quod occultum vocant) morbo Gallico reluctabitur: Proinde morbus Gallicus non quatenus temperamentum frigidum, ſed quatenus aliquid aliud decocto ligni Guajaci opponetur. Denique ſi frigidum temperamentum eſſet, non ſingulos homines cujuſcunque temperaturæ (ut de calido proxime dicebamus) promiſcue inficeret, ſed frigidos magis, calidos minus, aut contra.

Si vero ſanguinem horum malorum cauſam eſſe velimus, tum aut in quantum ſanguis, aut in quantum aliud, quod illi accidere ſolet, erit, ſed quum ipſe omnino ſecundum naturam ſit: hæc vero cauſa partim ſecundum naturam, partim præter exiſtat: profecto non quatenus ſanguis, ſed quatenus aliquid aliud, quod forſan eidem præter naturam ineſt, erit. Huc accedit, quod morbus Gallicus partes corporis tam ſanguine refertas, quam non refertas, æqualiter infeſtat, ac homines tam bono, quam malo ſanguine præditos ſimiliter inficit. Quocirca non ſanguis, ut ſanguis: ſic enim bonus, & non malus eſt, talis cauſa erit. Ad hæc copioſiſſima ſanguinis evacuatio ipſum expelleret, quæ tamen vires debilitando ſæpius eum graviorem reddit. Quod ſi nonnunquam venæ ſectionem huic morbo prodeſſe contingat, id certe non ob aliam cauſam fieri cenſendum eſt, quam quod, ſanguinis quantitate imminuta, aditus, quem copia intercludebat, medicamentis paretur: Id infantes, & plerique alii ſuadent, qui abſque ſanguinis miſſione ab hoc morbo paſſim vindicantur. Quod item nec in omnibus æqualiter ſibi invicem mixtis humoribus, neque in aliquo ſeorſum aucto cauſa horum malorum collocanda ſit, patet; quod neque ii, qui omnibus his humoribus æqualiter præditi ſunt, neque item bilioſi, aut pituitoſi citius, aut gravius, quam alii hoc morbo infeſtentur: neque enim magis ſanguineis, aut bilioſis, quam pituitoſis, aut melancholicis hæc peſtis parcit; licet interim non negaverim, inter pituitoſos, & etiam alios peculiari humore abundantes, aliquos citius, aliquos tardius, alios magis, alios minus affici. Magis quoque afficeret humoris ſedem, quam aliquam aliam partem; quia ſi in bile flava conſtitueretur, magis noceret veſicæ felleæ, quam capiti, magis enim affectæ eſſent eæ partes, quæ magis ſunt bilioſæ: aut ſi in atra bile poneretur, multo magis obeſſet lieni, (ſiquidem lien atræ bilis ſedes eſt) quorum tamen nullam hucuſque diſtinctæ cognitum eſt. Recipitur item hæc lues, in oſſibus, in carne, & in aliis, quæ nullum habent ſimilem humorem, ſive æqualiter, ſive ſeorſum accipias; nam alius eſſe carnis humor creditur, alius oſſium, alius lienis, & alius pulmonis. Sanos item, ac ægros inficit, pueros, ſenes, mulieres, viros; licet hos quandoque ſerius, illos vero citius, ac modo gravius, modo levius, quo fit, ut in uno humore, vel in omnibus æqualiter conſtitui nullo modo poſſit. Huc pertinet, quod, ut *lib. de natura humana* docet Hippocrates, alio tempore unus humor, & alio alius excellit, utputa vere ſanguis, hyeme pituita: ſed hic morbus non magis vere, quam hyeme, neque minus æſtate, quam autumno viget, ſive recentius dicas, inficit: quippe qui, ſi proprium aliquem humorem vel omnes æqualiter ſequeretur, tutum eſſet viris ipſis per aliquod tempus cum impuris mulieribus conſueſcere; quod ferme nunquam evenit. In ſumma, quum victu quovis utentes ſimiliter inquinet, & humorum peculiarium purgationibus vix unquam, aut ſaltem difficillime obediat, neque in humoribus æqualiter commixtis, neque in aliis ſeorſum conſideratis, ut puta ſimplici ſanguine, aut bile cum flava, tum atra, aut pituita, talis cauſa collocanda erit: ſi quando enim ſanguinis miſſio, frequenſve purgatio prodeſt, illa quidem, quia medicamentis locum relinquit, prodeſt, hæc vero, quia hominem ad ſummam extenuationem deducit, & internum horum malorum principium (ut infra dicetur) dum putredinem expurgat, ab opere prohibet: neutra tamen, quia ſanguis, aut aliquis humor ſpeciatim cauſa ſit, prodeſt.

## CAP. VII.

*Quod neque ſpiritus, neque meatus calor, neque aliqua corporis pars, neque ſemen, neque menſtruum, neque aliquod excrementum ſit cauſa propoſitorum morborum.*

Hactenus neque in ſanguine, neque in aliis humoribus horum morborum, & præcipue morbi Gallici cauſam deprehendi poſſe docuimus; quæ omnia ſi quis diligenter conſideret, atque hujuſmodi rationes ſequatur, ſtatim quoque indicabit, neque ſpiritum, neque innatum calorem, neque aliquam corporis partem hanc cauſam eſſe, ſed neque etiam ſemen, neque menſtruum, neque ullum excrementum, quippe non id, quod quotidie excernitur, quia id non ſemper ineſt, neque illud, quod omnino excerni debet, aliquando enim non ineſſet; his adde, quod excrementum omne præter naturam omnino ineſſe videtur, hæc vero cauſa, ſic quidem ſecundum naturam, ſic vero præter (ut ante diximus) ineſt. Sed ſi ſemen hæc cauſa eſt, quæro ſit ne cauſa quatenus ſemen abſolute, an quatenus ſemen humanum? ſi prius, animalibus omnibus, quæcunque ex ſemine gignuntur, tale quid uſu veniret, ut canibus, bobus, equis, quod quum neque perſpicuum ſit, neque ulla ratio comprobet, ſemen hujuſmodi non erit: ſi poſterius, pueri, dum impuberes ſunt, & ſemine carent, hoc malo nunquam corriperentur, quum tamen frequentiſſime corripiantur, eadem ratio eſt, ſi menſtruum eſſe ſtatuatur; quandoquidem & menſtruorum expertibus tum viris, tum mulieribus, & ſenibus, & puellis hic morbus accidit. Dices in ſemine, vel in menſtruo eſſe, quum homo generatur, atque ideo pueros ſeminis, & fœminas menſtruorum expertes his morbis obnoxios eſſe: ſed cur non in ſemine menſtruoque brutorum, ut omittam, quod natura injuſta feciſſet, ſi ſemen, aut menſtruum, ſive homo ex illo fiat, ſive ex hoc augeatur, neceſſario per ſe maleficium feciſſet: ſiquidem ex naturæ neceſſitate, hi morbi exiſtunt. His etiam adde, quod qui ſemen habent, & mulieres, quibus adſunt menſtrua, multo magis his morbis affici deberent, quam quibus deſunt: in illis enim ſeminis, in his menſtrui vis potior eſſe videtur, quam ubi defecit, ut in ſenibus, aut ubi nondum perfecta eſt, ut in pueris, id quod ut minus verifimile eſt, ita contra mulieres, quibus menſtrua fluunt, ſi forte inquinentur, experientia compertum eſt minus lædi, quam quibus non fluunt. Itaque ſi ex his, & ex aliis proxime dictis communis horum morborum cauſa, neque corporis pars, neque excrementum, neque aliquid, quod in eo naturaliter ineſt, eſſe poteſt.

potest. sequitur ut vel nihil omnino sit, quod absurdissimum est, vel si aliquid est, certe horum aliquid sit, quod antea retulimus.

## CAP. VIII.

*Dictorum morborum causam statuendam esse in alimento: id est, in eo, quod jam nutrit.*

Si rursum singula perpendamus, idem saxum revolvimus, nisi forte in alimentum ipsum, quo fœtus in utero nutritur, ea causa referatur. nam quamquam supra probare tentaverimus hanc nulla ratione alimento attribuendam esse, quod nimirum alimentum omne varium esse videatur, ac foris accedere, atque etiam privatim vitari posse, neque intus perpetuo contineri, neque hoc aut illud ex naturæ necessitate ab homine sumi, tamen quum alimentum aliud sit, quod fœtus in utero, aliud, quod extra uterum capit, atque aliud (ut inquit Hippocr.) quod nutrit, aliud quod quasi est nutriens, aliud quod nutriturum est: allatæ rationes contra id, quod extra uterum, non autem intra capitur, & quod apud Hippocratem tertia significatione dicitur, faciunt, non autem contra id, quod prima, & secunda: præsertim quum, prout in utero à fœtu sumitur, consideratur: id enim & intus inest, & necessario, & semper, neque varium est, sed unum specie universis hominibus commune, quod nullo pacto vitari potest, atque partim naturale est, partim præter naturam. Denique omnes conditiones, quas propositæ causæ convenire diximus, in se continet. Quod ut clarius intelligatur; sciendum est, unumquemque hominem, ubi in utero est, simili alimento nutriri, neque fieri posse, ut alio quopiam nutriatur. id vero de matre sumi, atque hanc id ipsum illi semper nimium suppeditare (quod patet ex menstruorum copia, quibus mulier omnium maxime redundat) idque in utero, ac in reliquo corpore usque ad partum novem sive decem menses magna ex parte retentum non posse aliquo modo non corrumpi, immo propter moram adeo diuturnam nonnihil putredinis in se contrahere, cujus rei testimonium præbent purgamenta partus (ut plurimum) fœtida, situs multus circa infantem, qui dudum ortus est, sordes, illuvies, pedor, fœtumque & in illo, & ab illo, atque cum illo vitam omnem in utero ducere, sicuti ranas in aqua palustri, quæ jam putruit, neque ita fieri putre, ut interitum aut magnum aliquid ei detrimentum afferat: sed proprio matris alimento commixtum (ut infra dicetur) fœtum absque vitæ dispendio nutrire, & augere, id etiam, quia fœtum totum nutrit, in omnes corporis partes recipi, ejusque putredinem (qualiscunque tandem illa sit) à primo ortu ad extremum usque vitæ retineri, haud aliter, ac testa recens odorem, quo semel imbuta est, perpetuo servat, neque item aliter atque biliosa intemperies ab ortu naturæ contracta, quæ per totam vitam plerumque perseverat. hujus itaque vitiati alimenti causa, quod haurire, & in propriam substantiam convertere humanus fœtus cogitur, necesse est prædictos morbos contingere, ac ob id ipsum passim, atque invicem gigni. quod quamquam unum atque idem est apud omnes: varias tamen morborum species inducit; prout aeris, victus, & loci, in quo oriuntur, ratio postulat. Hinc etiam constat, quum id adeo commune, adeoque familiare cunctis hominibus sit, mirum non esse, si ubi contagio præsto est, ii morbi cito recipiantur, ac nemini parcant. Atque hæc ad probandum, quod communis horum morborum causa sit alimentum, quo fœtus in utero nutritur, dicta sufficiant.

## CAP. IX.

*Quomodo alimentum, quod in utero fœtus haurit, morborum jam dictorum causa esse possit.*

Verum objiciet aliquis, si alimentum, quod in utero sumitur, horum morborum causa statueretur: necesse esset etiam animalia bruta his morbis subjici: cum & illa, quemadmodum homines, menstruo sanguine nutriantur. ubi enim illorum matres ad coitum stimulantur, prominet ipsis vulva, atque ad eam non nihil humoris defluit, quod nimirum & ipsis aliquid mulierum menstruis proportione respondens adsit: tamen pauciſſima, si unum hominem excipias, animalia hisce morbis teneri conspicimus: tum etiam si alimentum hos morbos inducit, fatendum esset unum ac idem & vitam & morbos procreare. quod certe quam absurdum sit, nemo est, qui nesciat. quo enim pacto id, quod vitam largitur, eamque fovet, ac sustinet, morbos adeo execrabiles afferet? Huic respondendum: Bruta quidem his morbis non affici, quoniam illorum matres & rarius & parcius quam mulier sua menstrua habent, neque plus alimenti (quemadmodum mulier suo fœtui) quam par sit, eisdem porrigunt: sed ubi dum uterum gestant (ut infra dicetur) nimia pabuli fœcunditate luxuriant. Tunc nihil prohibere, quo minus earundem fœtus hisce ac similibus malis tententur; ut oves, sues & hujusmodi. Deinde alimentum non parere morbos quatenus alimentum, sed quatenus vitiatum, vitiari vero, quia nimium: quum enim mulieri uterum gerenti plus sanguinis menstrui, quam alendo fœtui ex usu sit, retineatur, fieri non potest, quin vitium aliquod ceu putredinem quandam indipiscatur: quod succis plerisque, ubi nimii sunt (quia dum retinentur, male transpirant) accidere solet.

Sed ut hæc evidentiora sint, ante omnia investigandum, quomodo alimentum in hominis corpore necessario nimium fiat.

Mox cur mulier frequentius & uberius, quam bruta fœmina, sanguinem menstruum sortiatur.

Et utrum plus alimenti suo fœtui, quam ejus natura requirit, suppeditet.

Deinde cur idipsum, hoc dato quod nimium sit, vitiari oporteat: ex hoc enim morbi hujusmodi gigni videntur.

Scire itaque in primis decet, omne quod alitur, sive naturaliter ut plantæ, sive cum electione ut animalia, alatur: ubi alimentum familiare ac jucundum præsto ac plurimum adest, idipsum plus æquo, id est, plus quam quotidiana vivendi necessitas requirit, capere. Natura enim omnibus (nisi exsatiata sint) perpetuum cognatæ rei desiderium injecit: exemplo sunt plantæ, ut amygdalæ & punicæ, quas agricolæ (quoniam per hyemem nimio alimento luxuriant) castigare solent. illas enim, ut nimia alimenti ubertas detrahatur, perforant: has, ut humor diffusus admota plaga effluat, incidunt: similiter radices vitium summas, cum sarmentis luxuriant, evellunt: ficorum non solum radices amputant, verum etiam obducto cinere obstruunt, & passim caudicem scindunt: pinum etiam obesitate atque pinguedine strangulari apud omnes in confesso est; idem videre licet in equis, si multum tritici illis apponatur. In ovibus, si totum diem pascere permittantur. In avibus, si frumenta copiosa reperiant. hæc enim & similia sæpe adeo suos ventres explent, ut nimio alimenti pondere gravata, loco se se movere vix queant, & nonnunquam in subitum exitium incidant, quin etiam infantes fere nunquam fugere cessant, donec ventriculus ad ipsas usque fauces distentus plerumque lac vomitu expellat. quid quod & viri ipsi, ubi pluribus diebus multa tum esculenta, tum poculenta eis apponuntur, quin aqualiculum plus æquo expleant, se continere non possunt: atque utinam insatiabilis hæc vorandi cupiditas in brutis solum, quæ natura prona ventrique obedientia finxit, reperiretur. Non enim ita frequenter vulgi illud dictum (plures gula quam gladius occidit) quotidie experiremur. ex quibus tamquam exemplis non obscurum est, alimentum (si jucundum fuerit) ubi paratum est, naturaliter sumi nimium, id quod à natura factum esse verisimile est, ut videlicet, quantum possunt, semper assumerent, tum quoniam viventia omnia suum alimentum (ut infra dicetur) aliunde capiunt, ne interdum illius defectu perirent, tum quia generandi causa, præsertim quæcunque perfecta sunt, instituuntur. Hæc enim non solum sibi ipsis, sed etiam seminibus, fructibus, fœtibus, qui subinde oriuntur, ut alimentum abunde suppeditarent oportebat.

Verum in animalibus id quoque aliter probari potest, nimirum si tum plantarum, tum animalium corporum quoad alimenti usum convenientia & differentia simulque fabrica, & ornatus considerentur: itaque supponatur, viventia omnia nutrimentum, quoad vivendum egent, sibi aliunde quidem comparare, sed plantas à terra ubi oriuntur, & cui inhærent, animalia, tum à terra, tum à mari, tum ab aliis: differre autem nutrimentum plantarum ab animalium nutrimento, quod illud præsens est, hoc absens, in animalibus quidem, quæ locum mutant, ob loci mutationem, in his vero, quæ fixa sunt, zoophyta, siquidem à loco ubi hærent (ut quibusdam placet) vel nihil, vel parum accipiunt non ob loci mutationem, quia locum non mutant, sed quod illa, per quæ alimentum ipsis advehitur, ut puta mare, modo alimentum advehant, & modo nullum suggerant. differre etiam quod illud à terra præparatur, & in liquorem vertitur, qui deinde à plantis trahi, perque omnes partes diffundi facile potest, hoc in ventribus animalium reponitur, & in succum permutatur, qui ab internis partibus illic trahitur, mox in corpus universum distribuitur. plantis igitur, quoniam alimentum aliunde paratum, & in liquorem conversum capitur (id enim ut in terra semper est, ita semper in promptu habetur) non opus fuit instrumento aliquo, in quod veluti in penum reconderent, ac in liquorem præpararent: & quamquam haberent tum alimenti desiderium, tum familiaris ab eo quod non familiare est distinguendi facultatem, alioqui ab eadem terra suum allia nutrimentum, & lactucæ suum neque quaquam caperent: alimenti tamen sensus contra quam

animalibus datus non est: quia ex eodem loco, unde primum ortæ sunt, proprium alimentum sumunt: si enim ex simili primum ortæ sunt, nihil omnino sentientes: cur simili quoque, nisi illud ante sentiant, non nutrient? Quippe animalia, si paratum haberent id, cum quo primum orta sunt, æque ac plantæ sensu carere potuissent: itaque cum alimentum præsens naturaliter habeant, illis non opus fuit sensu, quo irritatæ expergiscerentur ad illud inquirendum, & ubi offerretur sentirent, atque utile ne esset, an secus distinguerent. animalia vero, quoniam non aliunde præparatum attrahunt, sed in se ipsis conficiunt, non modo ventribus, quibus tum reconderent, tum præpararent in terræ vicem, indiguerunt, verum etiam, quia non præsens sed absens est, sensu maxime opus habuerunt, quod ad illud inquirendum excitarentur, & ubi præsto esset, statim sentirent, cognoscerent, discernerent; ne id ubi abesset, abesse vero solet, inquirere negligerent, neve ubi offerretur contemnerent, alimentique defectu perirent. Hinc nobis ventriculum, & aliis ventres natura largita est, bobus omasum, abomasumque, avibus ingluviem, & alia aliis receptacula, quibus velut penuariis cellis alimenta conduntur, mox in liquorem præparantur. Denique in alimenti usu animalium structura à plantarum fabrica plurimum differt: hæ enim sine sensu, sine ventribus: illa ventribus ornata, & sensu, qui cum ad alimentum inquirendum, tum ad id, quod jam quæsitum est, accipiendum impellit prædita sunt.

Si quis interim objiciat, nutrimenti appetitum in plantis sentu non carere, argumento quoniam hic idem in animalibus reperitur; ut enim in his utile ab inutili per electionem discernitur, ita in illis familiare ab alieno per cognitionem distinguitur. is sciat non unum, sed duplicem in animali esse nutrimenti appetitum, alterum, qui plantis communis est, alterum, qui ab hoc maxime distat: illum naturalem, hunc cognitionis appetitum vocari: illum internis animalium partibus inesse, hunc primis animalium locis, in quibus primum alimenta discernunt, recondunt, conficiunt: quia igitur alimentum sensu suo discernunt, prius quam in suos ventres illud recondant, non opus fuit, postquam reconditum est, ut idem ab internis partibus amplius discernatur, sed satis fuit si tale ab eis, quale distinctum prius est, attrahatur. Ideoque hunc attrahendi appetitum non cognitionis participem, sed naturalem appellari, non quod sine discrimine quidvis internæ partes appetant (id enim & rationi, & eventui repugnat: illud namque præcipue appetunt, quod sibi simile, familiareque est, hoc ubi præsto est, alienum relinquunt) sed quod ubi propter resolutionem tum ab interno calore, tum ab aere circumfuso, aut propter aliam causam familiare nutrimentum deest, attrahunt quicquid intus occurrit, neque attrahere desinunt, quandiu egent. Planta igitur, quoniam id alimentum, quod ei à terra, unde primum orta est, offertur, solummodo accipit: (siquidem ex tali quopiam ante genita est, quale post suam generationem ad se tuendam exigit) ut alimenti cognitio necessaria non est, ita neque alio appetitu quam naturali opus fuit. animal vero præcipue perfectum & loco non fixum, præter hunc, qui tam plantis quam interioribus ejus partibus inest, appetitu altero, qui sensus est, necessario indiguit. quia enim in id, quod absens, & futurum est, incumbit, atque contendit, nisi id aliquo modo cognoscat, aut sentiat, neque illud appetere, neque illuc naturaliter impelli potest. ex his consitare arbitror in plantis videlicet unicum alimenti appetitum. Et hunc longe aliter, quam objicitur, cognitionis expertem esse: in animalibus vero non hunc solum, qui in plantis, sed & alterum & quidem sensu præditum deprehendi. itaque cum in his alimentum naturaliter absit, ideoque avide naturaliter appetatur, rursumque appetitus alter, qui sensus est, datus sit, cujus ope alimentum alioqui absens, ne aliquando deesset, in eorum ventres satis superque reconderetur, fateamur necesse est (nisi animal aut male affectum, aut nimis continens sit) ubi jam illud præsto est, suaveque fuerit, tamdiu sumi, quamdiu durat hic appetitus: durat autem, quoad ventres, præsertim primi, qualis est in avibus ingluvies, in nobis ventriculus, repleri possunt: atque hos ita repleri, ut multo plus alimenti recipiant, quam quotidiana necessitas requirit: proinde sumpti alimenti copiam in primis ventribus animalium multo majorem etiam naturaliter fore, quam opus sit pro nutrimento, quod singulis diebus suppeditari convenit, ne illud, quoniam (ut diximus) abesse solet, internis partibus aliquando desit: sed ex his ventribus tanquam ex penu reconditum succum, quotiescunque incidat necessitas, sibi depromere possint; hinc boves adeo immodice, ubi datur occasio, se se semper implent: hinc aves suam ingluviem ita frumentis onerant, ut vix se se alis attollere queant: hinc leones, lupos, aliaque animalia, quibus in sylvis cibus venatione quæritur, tantum cibi unica hora, ubi jucundi alimenti commoditas datur, ingurgitare videas, quantum per tres, quatuorve dies sufficeret. idque profecto non sine mirabili naturæ instinctu, ne si duntaxat, quantum quotidiana requirit necessitas, alimentum caperent, postridie forsitan alimenti defectu (quandoquidem id non semper se se offert) fame interirent. Internæ enim animalis partes (haud aliter quam plantæ) semper sibi præsens alimentum desiderant. Quare optimo jure (ne aliquando ipsis quicquam desit) natura animalibus non naturalem solum, ut internis partibus appetitum insevit: sed huic etiam vocatum sensitivum, seu cognitionis participem adjecit: quo videlicet non præsenti solum, sed futuræ etiam necessitati prospicerent: unde vulpes, leones, apes, formicas aliaque quamplurima non solum ventres suos, quantuncunque possunt, ubi jucundi alimenti commoditas incidit, explere, sed etiam in latebras suas, quantum per plures menses sufficerit, rapere, ac recondere sæpissime animadvertere liceat. Ergo (ut generatim patet) viventia omnia, quo plus alimenti præsto habent, si familiare fuerit, eo plus sumere; ita considerata peculiari animalium fabrica & alimenti appetitu cognitionis participe: quo plantas superant, speciatim quoque intelligi potest, animalia omnia plus alimenti (si jucundum id fuerit) ingurgitare, quam quotidiana indigentia postulet. Ne tamen (cum non minor sit virtus, quam generare, genita tueri) superflua hæc alimenti copia subinde vitium aliquod corpori inferret, natura summa industria instrumenta quædam viventibus machinata est, per quæ quæcunque abundantius, quam internæ partes requirant, assumpta usui alicui esse nequeunt, commode excerni possent. Scire itaque licet, plantas quidem alimentum duntaxat molle, liquidum, succosum, concoctum, quale esse debet, quicquid in aliti substantiam subire, & eandem augere vel instaurare potest, à terra haurire: animalia vero alimentum incoctum assumere multis permixtum, utputa pulvere, nucleis, spinis, ossibus, lapillis, quæ plerumque nullo pacto in alendi corporis substantiam converti queunt: Verum ne vocatus chylus, quem plantis terra, animalibus sui ventres conficiunt, ab internis partibus attractus, & per universum viventis corpus ad extimas usque particulas distributus redundantia sua quandoque officeret: natura plantis quidem corticem & extimas partes, tanquam superflui chyli copiam excipientia instrumenta instituit; animalibus vero præter totius corporis meatus, seu poros, per quos concocti alimenti abundantia similiter expelli debeat, etiam alia peculiaria instrumenta, ut intestina, vesicam, nares addidit, per quæ tum ea, quæ redundant, tum quæ concoqui omnino nequeunt, expellerentur. Nam plantis, quoniam à terra nil nisi concoctum, & in sui substantiam converti aptum attrahunt, hujusmodi instrumentis minime opus fuit. Utrum autem vera expellendi facultate, sicut animalia polleant: an potius (ubi alimenti copia laborant, velut aquæ currentis impulsu partis post partem, quam expulsu ad corticem sua superflua mittant) aliud tempus postulat. Interim non ignorandum, fructus (dum in arbore sunt) non minus quam arborem ipsam nutriri, nullas tamen expellendi vias, quæ cernantur, habere, ut persica, pyra, mala, & hujusmodi. Quomodo enim eorum partes viciſſim constringuntur, aut dilatantur? (his namque motibus ad expellendum opus est) quum similiter tensæ, solidæ, firmæ, & immobiles quantum ad hos motus semper excitant? Eadem ratio ramorum, & caudicis est, his adde, quod expultrix facultas sine molestæ rei sensu (ut uno omnes ore asserunt) ad expellendum non excitatur: alioqui nunc sæpius, nunc rarius, nunc amplius, quam opus esset, excerneret: aut quum movere oporteret, certe quiesceret: plantæ vero cum sine sensu sint, molestæ rei irritationem nequaquam percipiunt. Hinc Arist. 2. *de partibus cap. x.* inquit, stirpium genus locum supervacui excrementi nullum habet, cibum enim concoctum ex terra trahit. Et *lib.* 4. *cap.* 5. nulla planta excrementum habet. Ac Theophrastus 6. *de plantarum causis cap.* 14. quoniam genus plantarum nullam vim excrementorum egerendorum obtinet, nihil attrahat sibi, quod minus alere possit, verisimile est: quippe egestionem quoque illius aliquam subsequi oporteret.

Quod si quis asserat, quemadmodum animalibus, ubi excrementosum quid in corpus assumitur, necessaria est expultrix facultas, ne intus retentum detrimento sit; ita plantis, quas nimio alimento subinde luxuriare monstravimus, ne id parti alicui superfluens, eidemque velut onus incumbens, molestiam afferat, expultrice opus esse, quæ id alio pellat: is animadvertat, non quoties aliquid ceu superfluum ab aliquo relinquitur, expultricem statuendam, sed id alias partes, tanquam utile, sponte sua attrahere, atque ita ordine quodam partem nimio succo gravatam ab aliis exonerari: nisi forsitan aliquid naturaliter incoctile huic permixtum fuerit: quod plantis, utpote solum id, quod alere possit, naturaliter attrahentibus, minime usu venit. Hæc obiter, sed si quis contra neget animalia

malia ab alimenti nimietate toties lædi posse: cum tanta industria abundantium, & incoctilium alimentorum excernendorum instrumenta in illis condita sint. Huic respondetur, expulsionis instrumenta non semper patere: neque etiam expellendi vim attractrici facultati parem animalibus datam esse. Et si enim id imprimis animali, ut pote cui hoc pacto copiæ noxa facile vitari posset, optandum videtur: quoniam tamen animalibus non ita semper alimentum præsto adest, sed hujus sæpe non levis penuria incidit, adeo ut non semper in ejus potestate sit, pro ratione indigentiæ nutrimentum capere, maluit sagax rerum natura animal repletioni, qua nutrimentum abunde suppeditatur, vitaque conservatur, obnoxium reddere, quam superstitiose, atque adamussim, quicquid esset superfluum, evacuando, subinde in summum vitæ discrimen adducere. Quo fit, ut expultrix facultas tum solum par esse possit attractrici, dum modice replet: quod animali, cui acerrimum frequenter bellum cum fame gerendum erat, minime expediebat; nisi enim copiosiore alimento contra instantem nutrimenti defectum optime munitum fuisset: sæpissime fame durissima confectum esset. Quare, cum abundantioris alimenti repletioni expultrix facultas in animalibus minime respondeat manifestum est, ubi major accipiendi cibi commoditas datur, ibi majorem plerumque repletionem relinqui. Hac vero commoditate, quoniam homo reliquis animalibus felicior exitit, mirum non est, si sæpius quoque, quam illa ab alimenti repletione noxam patiatur, unde eos, qui Cereri & Baccho studiosius litant, plerumque cum alimenti cruditate colluctari videas. Quamvis enim hominibus ratio data sit, ut insatiabili huic abundantioris alimenti appetitui frænum injicerent: paucos tamen reperias, qui non noctes diesque studium suum omne huc conferant, ne quidpiam ventri unquam desit. Ergo si vivens unumquodque, ubi familiare alimentum paratum est, naturaliter sumit nimium, si expellendi vis tum in bruto, tum in homine naturaliter imbecillior est, quam ea, quæ appetit, atque attrahit; si animal unumquodque ventres habet, in quos alimenta quoad potest recondit: si appetitu pollet, quo hos eosdem pariter expleat: denique si homo sua industria alimenta, quæ alioqui abesse solent, sibi magis ad manum parat quam brutum: necesse est ut homo (nisi mutilus sit, aut nisi velit abstinere) nimium alimentum sæpius quam brutum in ventres suos congerat, ac proinde alimenti redundantia sæpius laboret. quod enim dicitur, optimam naturam, quantum appetit, tantum concoquere, si ad corporis vel temperaturam, vel habitudinem (ut author voluisse videtur) referamus: re ipsa verum esse nunquam inveniemus.

His positis, non arduum est explicare, cur mulieri menstrua contingant, deinde cur crebrius, mox cur secundum hanc crebritatem uberius quam brutis accidant. Sed imprimis non oportet ignorare, menstrua generatim quidem nuncupari excrementa humida, quæ statu quodam tempore per uterum, antequam conceptio fiat, naturaliter prodeunt, speciatim vero cruenta quædam, quæ singulis mensibus ab utero naturaliter excernuntur: illa communia esse tum brutis, tum mulieribus, hæc propria mulieribus. ideoque menstrui nomen sortiri, quod per singulos menses mulieribus accidant. sic enim Græci κατα μῆνια . . . . perinde ac si diceres κατὰ τὸν μῆνα id est juxta mensem vocant; licet aliqui potius κατὰ τὴν μήνην id est juxta lunam vocari contendant, ac si lunæ motum sequentur: sed quia nunc luna increscente, nunc deficiente, nunc lumine plena, nunc vacua contingunt; non quia lunæ motui subjiciuntur: sed quia intra tantum temporis spatium, quanto luna totum orbem circuit, qui mensis appellatur, fieri solent, menstrua nuncupari convenit. cur vero per circuitum quoque mense revertantur, in ipsum continens, atque contentum rejicere licet: illud enim humorem ad uteri venas circumvicinaque loca sensim repentem, intra mensem plus, minusve continere, hoc autem contineri pro natura hominis potest: hinc forte Hipp. *in libro de septimestri partu* peculiarem in corporibus vim mensem habere opinatus est.

Hactenus quid menstruum dicatur, & unde illius nomen derivetur. Jam, cur fiat, investigemus. Plerique omnes id & secundum naturam esse, & à natura pro fœtu alendo mulieribus dari putant, quia enim brutæ fœminæ, licet singulis mensibus talia excrementa non sortiantur, ubi tamen concipere volunt, his vulva prominet, & succus quidam crassus mucosus hinc profilit, jure aliquis afferet menstruum secundum naturam effluere; id mulieres aliquæ palam ostendunt, quippe quæ triennium, quinquennium, septenniumve menstruis carent, deinde concipiunt, ante vero quam concipiant (si non sæpe) saltem semel in menstruis sunt (ut obesæ cuidam Romanæ nunc accidit) & omnino quæ concepturæ sunt, plerumque his menstrua anticipant, & bis terve antea fluunt; adeo ut menstruis præcedentibus magna ex parte conceptio fiat (si enim aliquæ, utputa quæ lactant, & nonnullæ quæ non lactant, absque his interdum concipiunt, id raro contingit) quod autem magna ex parte fit, id maxime secundum naturam est. Sed pro fœtu alendo gigni, partim verum, partim non verum est; quippe natura nutriendi fœtus studiosa (ubi concipiendi tempus adest) alimentum pro fœtu alendo in uterum mittit: sed quod ita superet, ut foras effluat, necesse non est; quum satis sit (nam aliquæ nullis menstruorum vicibus concipiunt) si tantum humoris utero continetur, quantum prolificis remanet à purgatione: Unde ad fœtum nutriendum (si eo quod effluit idcirco menstruum dicitur) institui non videtur? At id quoniam matri superabundat (alioqui ad concipiendum non mitteretur) nisi postquam in uterum devenit, conceptio sequatur, foras excerni utpote supervacuum oportet, pro fœtu alendo institutum esse (quamquam ab hoc fine defecerit) probare licet. quum igitur constet, menstrua secundum naturam esse, & sic quidem pro alendo fœtu, sic vero non, institui, simulque matrem plus alimenti, quam sibi soli opus sit, capere, & non tantum id in uterum mittere, sed antequam conceptio incipiat, & postquam incœpit, si forte frustretur, extra pellere: menstruorum quidem causa, gratia cujus vocata fœtus. unde vero motus principium: matris nutrimentum, quod eidem in utero, aut circa uterum redundat, & naturam ipsam ad expulsionem stimulat, erit. Hæc in brutis aperte conspicimus: quippe quibus, dum conceptura sunt, vulvæ os humescit, unde crassum quiddam modo subalbidum, modo subrutsum, subrubidumve destillat: ubi coire non appetunt, concepturaque non sunt, uteri os siccum est: nihilque prorsus illinc effluit: sed hoc illis hyeme, ubi pabuli inopia est, accidit: illud vere, ubi quam plurima nutrimenti copia? Hæc eadem in mulieribus videre licet: quod tum senescentes, tum impuberes, neque menstrui quicquam sortiantur, neque uterum gestent, quoniam hæ in pueritia, etsi multum alimentum conficiunt, tamen propter incrementum alimento multo, quod fœtui alendo sufficiat, non abundant (licet Hipp. *lib. de genitura* non huic quidem rei, sed venarum tenuitati, quæ puellis hac ætate contingit, id ipsum acceptum referat) in senecta vero ætate propter caloris imbecillitatem multum conficere non possunt: ultra vero pubertatem, & citra senectutem, quia plurimum alimentum concoquunt, eodemque redundant, & menstrua naturaliter habent, & passim concipiunt: alioqui si parce nutriantur, jejunent, si se ipsas abstinentia premant: & si per ætatem habere menstrua possunt, sæpe tamen neque habent, neque concipiunt. Natura enim magis sollicita est de eo, quod jam est, quam de eo quod futurum est: primum siquidem matrem nutrire studet, deinde quicquid nutrimenti supersit, id conceptui ad fœtum alendum tribuit: ubi non supersit, pro matre ipsa, quicquid alimenti est, servat.

Itaque quum menstrua concipiendi gratia sint, & ab alimento, quod matri superabundat, ad uterum misso primum, unde motus accipiant, perspicuum est qua de causa fiant: Nunc cur mulieribus crebrius quam brutis contingant, inquirendum, sane videtur aliquibus non minus sæpe in his quam in illis menstrua gigni, sed in brutis latere: quod fœminis, quæ pilosæ sunt, in pilos absumantur: his, quæ pennatæ, in pennas: his vero, quæ squamosæ, in squamas, id quod etsi valde durum est, facile tamen recipi posset, si leæna pilosior quam leo, si pavo fœmina magis pennata quam mas, quod de cæteris quoque brutis dici licet. Huc accedit, quod hujusmodi mares, quia semen emittunt, contraria ratione minus pilosi, minus pennati, minus squamosi quam fœminæ, quæ secundum eos seminis expertes sunt, esse deberent: quum contra fere semper accidere videamus. Neque recte quis ad hæc respondens afferet, brutas fœminas magis quam mares exiguis pilis penniſve naturaliter esse: Mox quemadmodum mulieri, cui pili vix apparent, si menstrua supprimantur (ut *Epid.* 6. *sectione ult.* Hipp. innuit) pili crescunt, barbaque nascitur, ita brutis, quum menstrua deficiunt, his quidem in pilos, his autem in pennas abire: demum, quia masculorum comparatione sine pilis penniſve naturaliter sunt, non sequi, quod magis pilosæ, pennatæve, quam mares esse debeant, eo quod menstrua illis retineantur. Sed sequi, si tum fœminæ, tum mares æqualiter pilosi antea essent. sed hæc puerilia sunt. quis enim equorum, bovumque fœtus, quum mares, tum fœminas, aut trimestres septimestresve, aut annuos, antequam menstruorum aut concipiendi tempus adsit, æque pilosos esse negaverit? quod si antequam menstrua accedant, & mares, & fœminæ æqualiter pilosi sunt, fœminis vero, postquam accedere debent, in pilos vertuntur, necesse est brutam fœminam, & seipsa, & mare, qui æque pilosus ante erat, pilosiorem fieri. Sed adhuc eundem sermonem de his, quæ pilis ornantur (quo veritas magis eluceſcat) privatim persequamur. Itaque si quem-

ad-

admodum mulieri, ubi menſtrua ceſſant, pili creſcunt, ita A brutis, quæ pilis inſigniuntur, hoc idem contingeret. contraria ratione, quia per hyemem his menſtrua ſupprimuntur, per id tempus pili magis apparerent: quum tamen decidere ſoleant. Præterea ſi menſtrua ubi effluunt, tum pili decidere deberent: his autem vere potiſſimum effluunt, vere utique brutis pili deciderent: quum tamen per id tempus augeri manifeſte cernantur, neque rectum eſt reſpondere, quod ubi menſtrua fluunt, tum retinetur aliquid, quod idoneam pilis materiam ſuppeditat: quia ſic quoque non ſolum vere, ſed aliis temporibus brutæ habere menſtrua poſſent, & pilis nihilominus ornari. neque item mulieri, licet in menſtruis ſæpe ſit, quo minus tamen piloſa quam vir eſſet, impediret. Quæ quum ita controverſa ſint, probabilius eſt à frequenti alimentorum redundantia, qua mulier (ut ſæpius à nobis dictum eſt) animalia omnia antecedit, quam ab aliqua alia cauſa, ita frequenter menſtrua proficiſci, atque horum portionem aliquam, ubi aliquantulum retinentur, & exigua effluunt, in pilos quidem abſumi poſſe, quemadmodum vere brutis evenire comperimus, quippe quibus per id tempus & menſtrua contingunt, & quia pro pabuli copia multo parcius, B quam mulieribus (ut infra dicemus) prodeunt, potiſſimum pili creſcunt; Sed non ideo menſtrua illis ſæpius quam mulieribus deficere, quia in pilos vertuntur, ſed quia nutrimenti ubertas crebrius deficit, idcirco menſtrua crebrius deficere. Hæc enim matribus ad fœtum alendum à natura contingunt, ubi plurimum alimenti eiſdem redundat. Itaque mulier, quoniam humana prudentia quotidie paratum habet alimentum, ita ut fere nunquam id ei deficiat: & quoniam parato expleri (ut proxime diximus) commune eſt animalibus omnibus. hinc fit, ut quotidie hoc eodem repleatur, alimentumque in ea multo ſæpius quam in brutis redundet. Hoc igitur, quia frequentius evenit, frequentius quoque in uterum pro conceptu tranſmittit? At brutis quia minus ſæpe præſto ſunt alimenta, tum propter temporum injurias, tum propter illorum ſocordiam, qua futura negligunt, & non niſi id, quod præſens eſt, plerumque vident, idcirco minus ſæpe in eis ſupereſt, quod conceptui futuro ſatis ſit. Hinc equæ, aſinæ, vaccæ ineunte vere in menſtruis ſunt, quia per id tempus magna pabuli copia ſuppetit, qua explentur, atque C pingueſcunt. non quod natura magis hoc tempore, quam alio conceptum appetat. (ſemper enim hunc appeti juſtum eſt) ſed quia per aliud tempus tantum his alimenti non ſupereſt, quantum conceptui ſimul & matri ſufficiat: Quamquam minime negaverim, quod cæteris paribus multo promptius vere quam aliis anni temporibus conceptus fiant, propter ſolis, & cœli, & aëris, vim, tum exiſtentem in locis, ubi degunt animalia, tum ingenitam alimentis, quæ ſumunt. Hinc & caniculæ, quæ nobiſcum veſcuntur, quia nutrimento frequentius fruuntur, crebrius concipiunt, & domeſticæ columbæ fœcundiores ſunt quam ſylveſtres, his enim major pabuli commoditas; proinde plus alimenti ad ova concipienda ſuppetit. quo fit, ut ſylveſtria, quia minus pabuli reperiunt, minus ſæpe concipiant. Ubi vero hæc eadem domeſtica fiunt, quia parata magis reperiunt alimenta, frequentius concipiant: fœcundioraque evadant.

Ex his patet, cur menſtrua mulieri frequentius quam brutis contingunt. cur vero quoties contingunt, mulieri quoque per id tempus magis abundanter effluant, exiſtimandum non eſt, quod mulier frigidior, aut calidior ſit, quam fœmina bruta, neque item quod otioſiorem vitam degat, quoniam & inter bruta fœminæ tum frigidiores, tum calidiores, tum magis otioſæ reperiuntur: neque quod major alimenti commoditas ſit mulieri: quædam enim domeſticæ animantes præcipue quadrupedes, ut caniculæ, equæ, vaccæ, præſertim vere, arbitratu ſuo bibunt, comedunt quantumlibet, & quantum poſſunt: menſtruum tamen æque copioſum atque mulieres per id tempus habere minime conſpiciuntur: ſane mirum eſſe videbitur, quod tum equabus, tum vaccis minus ſit menſtrui, dum concepturæ ſunt, quam mulieribus, quæ cæteris paribus, ut minore ſunt corpore, ita minus comedunt, atque bibunt: niſi id fiat, quia tum eæ, tum alia bruta prono ſunt corpore, mulieres autem erecto, in illis enim ſuccus omnis, qui ad uterum tranſmittitur, non per locum à ſummo ad imum ut in muliere, ſed per planum illuc defertur, & ſubinde foras erumpit: ita ut ille in præceps defluat, hic vero ſenſim repat: quo fit ut lentius, ac difficilius illinc extra prodeat, ac multo pluribus diebus indigeat: nos vero non turbet, quod inter mulieres, quæ plus E comedunt bibuntque, plus habent menſtrui, quæ vero minus, minus: ita ut majorem minoremve alimenti copiam plus minuſve menſtrui ſequi videatur, non autem ſtaturæ ſitum rectum aut planum: nam non inter mulieres comparatio nunc fit, ſed inter has & fœminas brutas. quippe in muliere (quia recta eſt ſtatura) quod fluit, magis confertim fluit, ſed in hac multo plus quam in illa, quo plus minuſve alimenti acclpitur: ac ut plurimum intra tres dies, aut quinque, aut paulo plures naturaliter excernitur, ac majore etiam copia, quam requiratur: in brutis vero poſtquam incœpit (ut diximus) longiori tempore opus eſt, ut expurgetur: quia licet id quoque copioſum ſit: propter ſtaturam tamen eorum pronam paulatim fluit, tantumque abeſt, ut plus juſto illinc defluat, ut propter ſitum æque planum ſemper illius aliquid retineatur. Hinc forte canes maſculi fœminarum vulvas tam frequenter lambunt, quia illæ niſi repurgentur, coitum detrectant, nimis vero diu repurgatio durat, frequentiore linctu repurgandi tempus accelerant, quod ſi alia bruta idem non faciunt: id quia non æque atque canes lingua utuntur, contingit. ſed hæc tamquam ridicula omittantur. Itaque cauſa, quamobrem per id tempus, quo menſtrua fluunt, majore copia mulieribus quam brutis fluant: ſtatura earum recta eſt, licet in utriſque æqualis pabuli commoditas atque eadem in corpore alimenti ubertas conſtituatur, quod enim in brutis per plures dies paulatim excernitur, id in illis propter figuræ rectitudinem, per pauciores effluit, multoque plus apparet eſſe. niſi forte his quoque B accedat nutrimenti, quo mulier quam quo bruta veſcitur, opportunitas promptior, atque ad copioſum ſanguinem gignendum aptitudo major: ſed his omnibus potior eſt dicta rectitudo ſtaturæ. Adde, quod hic figuræ ſitus non modo quantum pro corporis ratione ſatis eſt, ſed etiam aliquanto plus quam opus ſit, deorſum irruere ſuccum invitat, qui naturaliter, quia gravis eſt, eo fertur; contra vero in brutis (ut diximus) eundem potius retineri, quam effluere facit: utrumque perſpicuum eſt contideranti, quod in mulierum menſtruis ſanguis quamplurimus, in brutorum autem ſæpe vel nullus, vel admodum exiguus cernitur; utpote quem natura, quanto maxime poteſt (niſi quid impediat) perpetuo retineat. Ideoque mulieres (ubi menſtrua cohibere volumus) non ſtare quidem, ſed ſupinas jacere jubemus. Et quia per hanc ætatem, qua menſtrua illis contingunt, proprii alimenti aliquid foras effluit (ut ex ſanguine prodeunte perſpicitur) plerumque plus atque frequentius quam viri pro corporis habitudine comedere bibereque coguntur: quemadmodum nutrices, utpote quibus magna nutrimenti copia in lac abit, imnodice potant C eduntque. Hinc etiam cædem citius quam viri ſeneſcunt, quoniam iis plus alimenti quam par eſt cum his menſtruis excernitur, quod ut vires ipſas minuit, ita vitam efficit breviorem, id quod brutis fœminis uſu venire non ſolet. Hinc minus piloſæ quam viri, & ſæpe ſine pilis ſunt, quoniam excrementum, quod pilis gignendis ſufficeret, per uterum plus æquo delabitur. At ſi brutæ fœminæ magis vere, ubi menſtrua ſortiuntur, quam hyeme, ubi eisdem carent, pilis inſignire videntur, id quidem non à menſtruis aſſequuntur, ſed ab eo, quod quum in menſtruis ſunt, & alimenti ubertate luxuriant, & propter ſuam ſtaturam planam ſemper aliquid intus retinent, quod, quia redundat in pilos prompte converti poteſt. Quod igitur mulier in menſtruis tum crebrioribus, tum pluribus quam bruta ſit, ſatis oſtenſum arbitror, ſimulque cur fœminis in univerſum menſtrua fiant, atque hæc omnia à nimio alimenti uſu contingere, eo quod animal unumquodque, ubi alimentum familiare ſit & plurimum, id naturaliter capiat minium.

Cæterum dubitanti, quum vir non minus quam mulier D alimenti ubertate luxuriet: quo ſe tanta copia vertat: non enim ille, ut mulier, menſtrua ſortitur. Reſpondetur, non exiguam ejus partem, tum in pilos tum in ſemen abire. Ideoque mulieres, quibus menſtrua defunt, piloſas fieri, & viros proportione ſui corporis quam plurimum ſemen emittere, atque quum coëunt, multo plus alimenti quam mulieres requirere. Non exiguam etiam conſumi exercitatione & labore. Quippe mulier otioſam, vir laborioſam vitam vivit. proinde mulieres, quæ multum exercentur, multumque laborant, minus menſtrui habent: viri autem, qui in otio degunt, ſanguinis fluori tum è naribus tum ex aliis locis obnoxii ſunt, & nunc podagra. nunc arthritide, nunc calculo, nunc aliis morbis, qui alimenti copiam ſequuntur, gravius & frequentius, quam mulieres, per eas ætates, ubi menſtrua fluunt, afficiuntur. unde illud Hippocratis, *Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint:* hinc gentes quædam apud orientem, quia parce victitant, fere ſemper incolumes vivunt. Hinc quoque Hippocrates *de morbis quarto: ſi homo parum edit* (inquit) *& parum bibit, nullum morbum hos ipſi inducit.* Atque id (ut arbitror) quantum attinet ad morbum, qui tum à cibi tum potus redundantia creari poteſt.

CAP.

## CAP. X.

*Vitium quoddam putredinis in alimento, quod intra uterum humano fœtui ſuppeditatur, & dictorum morborum cauſa dicitur, ineſſe.*

Quum igitur mulier multo plus menſtrui, multoque ſæpius quam bruta fœmina ſortiatur, id vero, poſtquam concepit, novem decemve menſes (ut moris eſt) ſuppreſſum ferat: neceſſe eſt id ipſum, tum in toto ejus corpore, tum in utero præcipue, quia fœtui alendo deſtinatur, multo maxime redundare. Nam quod ſingulis menſibus multo plus quam opus eſt (ut ex dictis patet) ad uterum fluit, ſi novem menſes (ut uterum gerentibus evenire ſolet) retineatur, quomodo non erit nimium? Id etiam alicujus brutæ fœminæ exemplo facile probari poteſt: Vaccæ enim & equæ non ſæpius, quemadmodum mulier, ſed ſemel tantum intra decem menſes aut paulo plures tale quid habent: neque interea tametſi ſemel tantum, plus tamen quam mulier pro corporis ratione habent: quin immo (ut ante diximus) aliquanto minus: ambæ vero ſuis fœtibus ſufficiens præſtant alimentum: & quod mirabilius eſt, hoc eoſdem perfectiores multo quam mulier pariunt: quæ omnia plane ſignificant alimentum in earum utero neque abundare neque deficere. At mulier quum non modo ſemel ſed novies intra novem decemve menſes habere menſtrua ſoleat, atque ſigillatim majori copia ferme quam brutæ fœminæ neceſſe eſt, ubi concepit, quia tunc illa ſupprimuntur, neque aliqua naturalis evacuatio ſubinde ſequitur, ut alimentum in ea pro fœtu plus octies noviesve quam in bruta fœmina redundet. quocirca non exiguum erit, quod in corpore prægnantis mulieris ob menſtruorum retentionem relinquitur, ſed multum atque ſuperfluum. Cujus rei non leve teſtimonium quoque eſt partus purgamentum adeo copioſum, tunc enim tanta ſuccorum copia non prodiret, niſi intus ſupervacanea atque inutilis fuiſſet, ſecus quam in brutis. quum enim in his fere totum utile ſit, quod in utero pro ſuo fœtu retinent; poſt partum aut nullum purgamentum aut exiguum & perraro habent. Utrumque ſici arboris exemplo fidem acquiret: ſi enim maturæ ficus ab ejus ramulis avellantur, quia jam alimentum fere nullum ab arbore ad illas fertur, nihil lactis in eo articulo, quo ramulus pediculo jungitur, invenitur, id quod brutorum partui ſimile eſt. Sin immaturæ, lac non exiguum illinc prodit foras: licet enim id veluti quidam abortus ſit, quoad tamen ſuccum, qui poſt exit, mulieris partui non parum convenit. adde quod ubi nutrimentum adhuc adeſt, avulſa ficu lac exit, ubi non adeſt, nihil exit: adeo ut etiam ſimilitudine rationis, quæ à ſucci redundantia & defectu poſt avulſum ex arbore fructum ſumitur, aliquis non inepte argumentari poſſet: quoniam ſucci multi fluor mulieris partum ſequitur, alimentum ejus fœtui non modo ſufficere, ſed affatim abundare. hinc mulieribus uterum gerentibus, non autem brutis, tot vomitus, tanta cibi faſtidia, tot tantique præter naturam affectus, qui expletionem aut plenitudinem ſive multitudinem ſequi ſolent. hinc infantibus pleriſque poſt ortum & capita & vultus puſtulis replentur, lactimen noſtri vocant: hinc aliqui, licet id minime animadverterint, tamen tamquam fato quodam ducti morbillos atque variolas à menſtruis, propter graviditatem retentis, creari cenſuerunt. Id etiam illinc ſuaderi poteſt, quod videre liceat humanum fœtum à generationis principio ad partum uſque ſucco quam plurimo ſemper obductum eſſe, in eoque totum immerſum ſemper natare: fœtum vero brutum contra parum admodum ejus ſucci habere, ut tum ex allatis rationibus, tum ex anatome ipſa facile intelligi poteſt: niſi forte mater ejus, donec uterum gerit, pabulo affatim fruatur, ut aliquæ capræ, oves, ſues; quia enim fœmina bruta minus habet menſtrui, non poteſt multo alimento fœtus in ejus utero laſcivire, ſed neceſſe eſt, ut à matris quoque venis accipiat, & ad ſe trahat. non quod nihil ſucci in tunicis ejus ſit, ſed quod non æque atque in utero mulieris redundet. His accedit anatome, quia fœtus in brutis quanto major fit, ut in vaccarum conceptibus videmus, tanto minus habet ſuccorum, tum in allantoide, tum in amnio: id quod aperte redarguit ſupinam illorum ignorantiam, qui amnio fœtus ſudorem, allantoide urinam contineri commentantur: non animadvertentes, quod quanto majores ſunt fœtus, tanto plus ſudoris, pluſque urinæ in tunicis habere cogerentur: quum tamen in brutis contrarium anatome ipſa & paſſim & palam oſtendat. Sed hæc alias. fœtus vero humanus, niſi quid obſtet, uſque ad partum ſemper illorum quam plurimum habet: amnios enim tunica ſucci ſemper plena hac undique involvitur, contentoque in ea liquore undequaque ſemper circumfunditur: id quod etiam aliquibus brutis evenire quidem ſolet, ſed neque ſemper, neque ſæpius: pleraque enim, exſiccatis conſumptisque ſuccis, in lucem prodeunt. tanta igitur ſucci copia tum in utero mulebri, tum in tunicis, quæ fœtum ambiunt, exiſtente, ſupra etiam modum ob dictas cauſas abundante, diuque propter prægnationem retenta loco undique clauſa, calore præſenti, fieri non poteſt, quin corruptionis aliquid contrahat, quale ſuccis omnibus una cum calido alicubi diu clauſis uſuvenire ſolet; id autem vitium quia rei dulci contingit, dulcia vero celeriter putreſcunt, putredo ipſa eſt major, minorve, prout ſuccorum ſuperfluitas, naturaque patitur, mulier namque non ſolum antequam gravida fiat, ſed etiam poſt (ſi menſtrua ſupprimantur) ut ante ſignificavimus, ſuperfluitate laborat: atque utrovis tempore, quia illa ſupervacanea ſunt, & retinentur, & male tranſpirant, putredini fiunt obnoxia: quod vero ante conceptum id contingat, probare non eſt neceſſe, in conceptu autem id fieri oſtendit, tum quod, dum fœtus naturaliter oritur, ſuccus multus ſubinde prodit, ſæpe viridis, ſæpius pallidus, ſæpiſſime albidus, interdum ſubcruentus, non raro fœtidus: Adhæc circa alas circaque inguina ſitus quidam nunc pallidus, nunc ſubviridis invenitur: tum ipſius fœtus antequam perfecte abſolvatur exitus; is quippe ante perfectionem acceleratur, aut quia locus non late patet, ſed anguſtus eſt; aut quia deeſt alimentum, ut in canibus, felibus, atque aliis hujuſmodi: aut quia etiam ſi redundat, vitiatum tamen eſt. Primum hoc loco admitti non debet, quia ut gemellis etiam valde magnis mulebris uterus ſatis amplus eſt, ita uni ſoli, donec omnino ſicut equinus fœtus abſolvatur, ampliſſimus eſſe poteſt: ſecundum etſi quidam magni viri concedant in homine, nemo tamen (ut reor) qui ſuperius à nobis ſcripta perlegerit, afferet. Relinquitur ergo vitiatum eſſe, & (ut narravimus) putre. Id enim, donec ſemiputre durat, alere quidem fœtum (ut proxime diximus) poteſt, ſed ubi eo putredinis pervenit, ut valde putre evaſerit, tantum abeſt, ut à fœtu tunc attrahatur, ut eum ad exitum properare magis cogat, quo fit, ut non æque perfectus atque bubulus, & equinus prodeat humanus fœtus: nimirum propter alimentum ab initio quidem modice putre: poſt vero tam longo temporis ſpatio longe magis putre, atque contrarium.

Sed quoniam id, quum nemo hactenus dixerit, nedum ſcripſerit, authoritatis vel tenuis vel nullius exiſtit: lector nobis indulgeat: ſi paulo ulterius digrediamur, ut quod novitas illi demit, id frequens ejuſdem repetitio pluribus dubitationibus & rationibus viciſſim adjectis reſtituat. Dicet enim aliquis, ubi mulier uterum gerit menſtrua ſecundum naturam ſupprimi, quod ſecundum naturam ſupprimitur, ſi non tranſpiret, ſi obſtruatur, neque lædere neque putreſcere debere: putredo enim præter naturam: Ideoque Hippocratem recte docuiſſe libro de pueri natura, gravidam à retentis menſtruis non lædi, quando inquit, mulier quum uterum gerit à menſibus prodeuntibus propterea non dolet, quod ſanguis non conturbatur, acervatim abire ſolitus ſingulis menſibus, ſed procedit ſenſim & modice citra dolorem quotidie in uterum ipſum, & quod ineſt intus in utero augeſcit. Sane ſi ſanguis iſte menſtruus appellatus, qui à natura pro fœtus nutrimento (ut ponitur) in uterum mittitur, tantus ad unguem eſſet, quantus nutriendo fœtui ſufficeret, quemadmodum in brutis multis videmus, verum utique eſſet id, quod objicitur: ſed cum multo plus ad uterum (ut ſupra declaravimus) deferatur, quam fœtus humanus egeat, neque id prius expelli queat, quam partus ipſe abſolvatur, alioqui reliquum, quod uſui eſt, una expelleretur; non omnino ſecundum naturam retinetur, ſed partim ſecundum naturam, partim præter naturam, ſecundum naturam quidem, qua fœtui alendo ſervit, præter naturam vero, qua nimium redundat: natura enim menſtruis omnibus viam claudens propter conceptum, quamquam omnibus nequaquam eget, non poteſt tamen non retinere omnia: quia ſic hac diſtinctione uteretur, ut eorum partem expelleret, partem retineret, aut natura non eſſet, aut ſi eſſet, ſæpe numero eluderetur, ut pote quæ, dum ſuperfluum vacuare tentaret, plerumque fœtum ipſum vel imbecilliorem vel morboſiorem redderet, vel ante tempus expelleret. Itaque tanta ſuperfluitas non tota ſecundum naturam (ut ponebatur) in utero retinetur, ſed partim ſecundum naturam, partim præter, ex quo ſequitur, ut neque penitus putreſcat, quia partim ſecundum naturam eſt, neque omnino non putreſcat, quia partim præter naturam diu incluſa manet: ſed ut aliquo modo putris fiat, & eam putredinis ſpeciem ſubeat, quæ, quo minus ali fœtus poſſit, nequaquam impediat: quemadmodum lacuſtris paluſtriſve aqua ſe interdum habere ſolet, quæ licet putredinis cujuſdam particeps ſit, in ea tamen ranæ, cancri, piſces naſcuntur & vivunt. Ad Hippocratem vero, quia quotidie experimur gravidas vo-

mitibus infestari & citta & aliis præter naturam affectibus corripi, atque hæc omnia à retentis menstruis (ut ante probavimus) evenire. respondendum, comparate non autem simpliciter fuisse locutum: comparat enim gravidas ad non gravidas, ut sequentia verba declarant: atqui uterum non gestantibus, ubi menses non prodierint, propterea dolor oboritur, & reliqua. Hæc igitur comparatio non prohibet, quo minus gravida propter menstrua retenta tum doloribus tum aliis malis afficiatur, sed prohibet quod magis quam non gravida. Porro melius erat tantam sanguinis redundantiam in graviditate non retineri, sed foras expelli, aut infra corpus in aliquam particulam seorsum delegari: & omnino si quemadmodum agricola, ubi pinus alimenti copia laborat, hanc eandem multis in locis perforat, ut redundantia foras affluente, strangulatio, quæ illinc imminet, auferatur. Ita natura, suppressis propter graviditatem menstruis, aliquam vacuandi viam inveniret: humanus fœtus in hujus putredinis incommoda nequaquam incideret. Sed quoniam illa, ut manifestum est, ad fœtum nutriendum à natura instituuntur, simulque quoad hic in utero naturaliter inest, retinentur, necesse erat hanc redundantiam aut intra uterum incorruptam servari, aut plane corrumpi atque putrescere, nam per uterum, aditu sensim facto, passim evacuari, ut nunc minime contingit, ita fieri ante non poterat: siquidem natura dum expellit, & rationis expers, & bruta est, periculum erat, ne via patefacta & uteri ore hiante æque fœtum ejusque alimentum totum atque sanguinem redundantem expelleret. At vero si hæc redundantia incorrupta permansisset, quia sanguis natura dulcis est, dulce autem rapide attrahitur, & quia innatum est viventibus omnibus (ut supra docuimus) alimento familiari, si copiosum & præsto fuerit, immodice repleri: tanta nimirum copia fœtus obrutus ubi secundum sua membra distinctus fuisset, qui fieri poterat, quin antequam in lucem prodiret alimenti nimietate suffocaretur, aut tabescret atque periret? quemadmodum arbores, quæ in tædam mutatæ sunt, (ut Theophrastus & *quinto & sexto de plantarum causis* & alibi docuit) alimenti nimietate moriuntur: quum enim auram attrahere nequeant, nec ullo pacto spiritu uti possint, propter obesitatem condensationemque strangulantur. Sic Hipp. *quarto de morbis*, cui plantæ (inquit) in terra cognatus humor multo uberior est, quam convenit, ea planta ægrotat. Quippe sanguis, quoad quidem animantis partes confusæ atque indistinctæ sunt, quia intro recondi ab attrahente nequit, tantus attrahitur nisi quid accidat, quanto opus est, ut seminibus in terram pinguissimam jactis ortu primo, antequam eorum particulæ distinguantur, usu venit, ubi vero loci jam absolutis animantis partibus adsunt, in quos arripi continerique possit, si multus simul ac suavis est, immodice replet, neque vinci neque coqui potest; per universum igitur effusus, sicut oleum immoderatum lucernam, & multa lignorum strues igniculum (talis enim in utero fœtus est) meatus obturans opprimit, ita fœtum sua copia singulas ejus partes subiens atque opplens exstingueret. quippe propter copiam repleto atque obturato chorio & umbilico, per quæ ceu per radicem, ut planta à terra, sic ab utero fœtus trahit, aut suffocaretur, aut impedita via novi alimenti tabesceret atque periret.

Quis contra forte diceret, quod simili ratione brutus fœtus æque ac humanus puri alimenti copia opprimi posset, quum à nobis ante concessum sit, hunc aut numquam aut raro vitiatum alimentum in utero capere, verique simile videatur, tanquam humanum fœtum multa nutrimenti copia redundare, quum non minus succi in tunicis, quæ illum involvunt, quam in his, quæ humanum fœtum, præsertim in generationis principio (ut anatome ostendit) reperiatur. Verum hic scire debet, in animalibus omnibus alimentum à matre pro fœtu alendo, & intra conceptionis initia, & postea quotidie, prout illa plus minusve nutrimenti capit, in uterum transmittit, neque solum fœtui, sed etiam tunicis & aliis, quæ cum illo gignuntur. & crescunt, sufficere oportere: in brutis vero circa principium longe plus quam in medio & fine redundare, quoniam exigua neque satis distincta sunt omnia, quæ augmentum desiderant, postea vero quo magis crescunt magisque distinctis partibus sunt, eo plus absumi, ac eo minus succi in eorum tunicis inveniri: adeo ut circa finem succus omnis pene desit, totumque hujusmodi alimentum utile sit, & minime superfluum: alioqui per partum superfluitas ista excerneretur, quæ tamen nunquam, nisi forsan ex accidenti, quum mater (ut diximus) multo pabulo præter morem luxuriaverit, contingit. Itaque licet in brutis purum alimentum ab initio superfluere videatur, re tamen vera nequaquam superfluit, succedente enim tempore, antequam fœtus oriatur, totum absumitur, & novum de matre, prout illa plus minusve parat, per chorium & umbilicum quotidie attrahitur: quemadmodum in ovo quantum cubantis calore præparatur, tantum à fœtu quotidie capitur, non enim sicut in homine, ubi venæ arteriæ & cætera nutrimenti receptacula distincta atque ampliata sunt, ita in hoc vel in illo metus est, ne alimenti ubertate strangulatio tabesve contingat; quippe in homine alimonia parata est & superfluit; in bruto, postquam membra distincta sunt, nisi mater quotidie suppeditet, deficit: in ovo autem, nisi cubantis calore aut alterius, quod eidem proportione respondeat, paretur; trahi nequit. Non ergo recta comparatio est ex eo, quia nutrimentum nimium in utero tum mulieris tum brutæ fœminæ circa graviditatis initia cernitur, idcirco in brutis superfluere & fœtum sua copia interimere posse. Hic enim omnino circa finem deest, illic valde redundat. Quoniam igitur humani fœtus nutrimentum purum & nimium esse non poterat. relinquitur ut intus retentum, quia nimium est, idcirco corrumpi & putrescere debeat. Humidum enim caloris particeps, ubi superfluum est, ibidem inutile quoque fit, oportet: ibi quoque tanquam onerosum atque molestum à natura derelictum, mox à proprio calore, qui continebat, destitutum, ab hoc eodem tum foras prosiliente, atque in alienum mutato, & circum circa detento, quemadmodum carni vase terreo undique obturato exceptæ usu venit, corrumpitur, ex terminato interminatum efficitur atque putrescit; putrefactio namque terminatum humidum dissolvit, effluere cogit, præter naturam calefacit, & ei, quod ante erat, contrarium reddit: nimirum ex dulci aut acidum, ut vino contingit, aut amarum ut melli. quamvis igitur non omnino bonum sit superfluum, quod in humani fœtus nutrimento reperitur, putrescere, minus tamen malum est ex causis, quas recensuimus, quam si per uterum expelli, aut intus purum atque sincerum conservari contigisset. Hæc addocendum, quod fœtus in utero nimium habet alimentum, & id putredine quadam vitiatum.

## CAP. XI.

*Quondam & quale humani fœtus alimentum, quod in matris utero putrescit, & morborum ex naturæ necessitate contagiosorum causa est.*

Sed hic non levis oritur quæstio, nempe quodnam id sit, quod putrescit, & quale: si enim sanguis est, hic ubi putrescit, quia natura dulcis est, in amarum utique permutabitur, putredo namque corruptio quædam est, omnis vero corruptio de contrario in contrarium: dulci autem amarum contrarium, unde plerique non ignobiles medici sanguinem, ubi putrescit, in bilem, quæ amara est, permutari censuerunt. sin alius succus est, ut puta is, qui parum abest, quin in sanguinem convertatur, eadem ratio est, dulcis enim is quoque fit oportet: Siquidem animalia omnia (ut inquit Arist.) nutriuntur dulci aut commixto. Itaque uter putrescat, si mox in amarum degenerat, quomodo poterit fœtum nutrire? amara enim animalibus inimica. Huc pertinet, quod post ortum amaris potissimum delectaremur, quoniam hæc nos in memoriam atque consuetudinem alimenti primi reducerent, ut enim id tale, utpote quod primum hauserimus, & in nostram substantiam converterimus, maxime omnium appetimus ita quicquid offerretur, quod ei simile esset, videlicet amarum, id omne quocunque alio jucundius esse deberet. An ista putredo sane corruptio est, non in extremum contrarium neque secundum totum, sed in medium, & secundum partem, prout ejus, quod corrumpitur, natura patitur. Quippe videmus dulce, quo magis minusve humido conjunctum est, eo plus minusve ad extremum, quod est amarum, accedere. humidum appello non simpliciter, sed commixtum, ut etiam siccum: lac enim, si putrescit, parte qua humidum est, acidum sentitur, qua vero siccum, subamarum: sed quanto humidius quam siccum, tanto magis acidum quam subamarum: mel etiam quatenus aquæum est, acescit, quatenus siccum, amarescit: sed quanto siccius quam lac, tanto magis amarum, ubi putrescit, quam acidum: At vinum dulce, quia his omnibus humidius est, si putrescat: fere semper acidum est: sed si magis exsiccetur, modo liquidum remaneat, ex acido non in amarum, sed in acre decidit: ut acetum factum acrius, adeo ut, si dulce putrescat, non statim in extremum amarum permutetur. Sed quanto humidius fuerit in acidum, & id quanto magis exsiccatur, modo liquidum restet, in acre; sed si aliquid siccum insit, in amarum. sic igitur dulce matris alimentum, quod in ejus corpore propter suam nimietatem sibi transpirationem impedit, & putrescit, non in amarum omnino transibit, sed quia humidius est quam siccum, majori ex parte in acidum vel subacre, minori autem in amarum aut subamarum. Non igitur recte objiciebatur, quod, si corrumpebatur, in amarum penitus abiret. Ideoque nutrire non posset; quippe quod mixti plus humidi quam sicci exsistens in acidum aut subacre plurimum, & in ama-

amarum aut ſubamarum exiguum, non autem in amarum ſimpliciter vertetur. Sed quale ex multo hujuſmodi acido aut ſubacri & exiguo amaro aut ſubamaro reddatur, & ſi nemo antehac inquirere tentaverit, nunc tamen non admodum erit difficile, ſi primum intellexerimus: quod his duobus ſaporibus nempe amaro & acri invicem convenientibus ſalſus ſapor emergere ſolet: quemadmodum ſal ipſe guſtanti ſeſe offert: ſtatim enim, ubi integrum ore verſatur, primum acre, deinde amarum percipitur, aqua vero fuſum, primo amarum ſubinde acre: Unde manifeſtum ſatis eſt ſaporem ſalſum ex acido jam acri una cum amaro conſtitui: ſicut etiam experiri licet, ſi dulcis aqua putreſcat: mixtum enim humidum, quod in ea eſt, in acidum, ſiccum vero in marcidum quiddam male olidum, & guſtui valde ingratum primo vertitur, deinde ſi id per æſtatem fervido ſoli exponatur, ac de loco altero in alterum, ut in ſalinis fieri ſolet, mutetur, illud in acre, hoc in amarum, & tandem utrumque ſimul in ſalem commutatur. Ut igitur ex acido jam acri & ſicco amaro ſalſum gignitur, ita ſi humidum mixtum, quod in dulci reperitur, non admodum acidum acreve fiat, itemque ſiccum non admodum amarum, ſed alterum ſubacidum ſubacreve, alterum ſubamarum: veriſimile eſt id, quod ex utriuſque miſtura conflabitur, etſi non ſalſum, certe ſubſalſum fieri. ſi igitur conceſſerimus, quod ſanguis ſua natura dulcis ſit, quod is fœtum in utero alat, quod tum in gravidæ corpore, tum in utero diuturnæ retentionis cauſa putreſcat; propterea tamen propoſita non remanet quæſtio: non enim ſecundum humidum corrumpetur in extremum acidum, aut acre, neque ſecundum ſiccum in extremum amarum, nova namque materia, quam mater pro alimento quotidie ſumit, ſingulis diebus corruptæ miſcetur: quocirca novi humidi novique ſicci adjectione prohibetur internum ſiccum, ne penitus amareſcat, & internum humidum ne in acidum acreve omnino permutetur: ſed hoc ſubacidum ſubacreve, illud ſubamarum, aut utrumque paulo remiſſius redditur; ita tamen ut ex utriuſque mixtura non amarum non acre non exquiſite acidum noſcatur, ſed medium, ut puta ſubſalſum, aut quid ſimile: id quod tamquam per ſuppoſitionem in re tam nova tamque ancipiti dictum eſſe nunc velim; apud eos præſertim, quibus forte videbitur hujus communis in omnibus hominibus putredinis ſaporem certum determinari non poſſe; argumento, quod veteres naturæ interpretes ſapores eſſe innumeros aſſeruerunt, ſimulque rerum miſtarum numerum certum nullum: ſed ſicuti Plato, Ariſtoteles, & reliqui poſteriores ſaporum genera numero quodam finito complexi ſunt. Hiſque deſcriptis mixtorum exinde differentias acceperunt, ita nobis id putre non amarum, non acre, non exquiſite acidum eſſe cenſentibus liceat inter hæc ſubſalſum aut huic proportione reſpondens appellare. ſiquidem qualis miſtura putredoque fuerit humoris, talis quoque ſapor producatur. Itaque huic quæſtioni dicendum, id, quod putreſcit, matris alimentum atque ſanguinem eſſe, qui ad uterum pro fœtu alendo delegatur, taleque evadere, quale id quod ſubſalſum aut huic ſimile ſentimus. Hinc puerorum adhuc lactentium lacrymæ, licet lac dulce ſit, tamen ſalſæ ſunt, & ſaliva ſalſa, atque ſic dicta, quod fere ſalis ſaporem habeat. Hinc omnes & pueri, & ſenes, aut ſale, aut aliquo hujuſmodi tantopere delectamur: quippe quod in ſimilitudinem primi alimenti nos ducit: quod quanto prius nos intus affecit, tanto magis avide poſt ortum appetimus. Nutrix item li ſalitis aut ſale liberalius utatur, quia præexiſtens ſalſitudo augetur, & ſe & infantem ulcuſculis repente inficit; & ſcabioſi, ubi ſalitis veſcuntur, ſcabie multo gravius infeſtantur. hinc mulieris gravidæ lac ſalſum primo ſentitur, id quod etiam Ariſtoteles *ſeptimo de animalium hiſtoria* animadvertit. hinc ſanus homo illatum vulnuſculum aut gingivas exſugens, ſi ſanguinem extrahat, ſubſalſum ſentit, & urina noſtra, utpote quæ de ſanguine manat, naturaliter ſubſalſa eſt, ſudorque ſubſalſus, ac ſi totum hominis corpus ſalſedine quadam ſcaturiat: hinc forte Hippocrates *epid. 6. ſectione 5.* ſi carnes inquit guſtanti ſalſæ eſſe appareant, redundantiam indicant. quali hominis corpus, ubi alimento nimio impletur, ſalſum ſentiatur: Ex quo nuper expertum eſt, adverſus morbum Gallicum nihil æque valere, atque ſale ipſo penitus abſtinere: utpote quod univerſo hominis corpore quadam ſalſugine naturaliter affecto, hanc eandem augere, & principium hujus communis mali propter ſimilitudinem aucto in ſalſilaginem nutrimento, geminare irritareque poſſit.

Quum vero jam conſtet, alimentum in utero putreſcere & ſubſalſum ſaporem acquirere, ſtatim aliquis objiciet, ſal omnis putredinem prohibet: videmus enim carnes putrefactum iri. mox ſale aſperſas à putredine vindicari. ſal item à ſcabie, quæ putredo quædam eſt, hominem liberat. quomodo igitur quippiam ſubſalſum, aut ſali ſimile per putredinem in utero gignetur? quomodo nutrix ſale cum cibis utens tum ſe ipſam tum infantem ſcabioſum red-

A det? Præterea ſi locus omnis, (ut dicunt) in quo ſal reperitur, ſterilis eſt, mihilque gignit, atque ob nimiam ſalſedinem in mari mortuo (ut Galen. refert) ſi nullum animal vivit. quo pacto continget, ut fœtus in utero tenerrimus alimento ſubſalſo, quod ob redundantiam ſalſo æquale eſt, nutriatur, creſcat, & vivat? Huic reſpondendum, quod amara quoque ex putri fiunt, nihilominus tamen putredinem tollunt: ſed id, quatenus quidem putreſcunt, minime faciunt, ſed quatenus abſtergunt, purgant, & ſiccant. ſic etiam ſalſa non, in quantum putreſcendo fiunt, alia putreſcere prohibent, ſed in quantum præſentem materiam exterunt, repurgant, disjiciunt & ſimilia, quocirca poteſt ſalſum ex putredine fieri: deinde, poſtquam factum eſt, putredinem arcere. ſed quia variis facultatibus pollet, aſtringit enim, exterit, repurgat, disjicit, reprimit & extenuat, pro locorum differentia putredinem quoque movere poteſt. foris enim adhibitum à putredine liberat. intus vero ſumptum, ſi modus abſit, putredinem parit: illic enim ſi humor liquatur aut disjicitur, eidem locus patet alio abeundi. hic vero; nempe
B intus, ſiquid tale contingat, ſæpe retinetur deinde putreſcit, alioqui ſi ſuccus omnis, qui in corpore eſt, intus ſalis uſu penitus abſumeretur, omnis quidem putredinis cauſa ceſſaret, ſed homo ipſe una periret. Itaque ſal ex putri quidem fieri nihil verat, ſed ut foris applicatus putredinem arcet, ita intus aſſumptus ſæpius commovet. Ideo ſalita ſalſaque omnia ſcabioſis cum cibo potuque interdicuntur, cum unguentis vero ſalubriter conceduntur. Hæc ad primum dubium. Ad alterum vero reſpondendum, quod ubi mare aut terra immodice fuerit ſalſa, nihil fere pariunt, ſed ubi modice ſe habent, tum id tum illa, nihil prohibet, quominus ibi plurimæ plantæ, hic infiniti piſces, naſcantur, ut notiſſimum omnibus eſt de magna parte inferi ſuperique maris. Salſa enim hæc ſunt, in eiſque piſces innumeri naſcuntur & vivunt. hæc ſatis huic quod ſalſum ex putredine creari & quod eo animal nutriri queat. Rurſum aliquis inſtabit, ſi putrefactio corruptio eſt, omnis vero corruptio ſubſtantiæ, quæ corrumpitur, eſt abolitio, in hoc autem caſu ſanguis corrumpitur, fœtus igitur non ſanguine ſed ſucco aliquo putri, qui ex ſanguiC ne corrupto manat, in utero nutrietur. huic dicendum, putrefactionem in omnibus putreſcentis rei partibus non ſtatim fieri, ſed veluti nutritionem nunc in aliquibus, poſtea in aliis: & ſicut animal ſentit ſe nutriri, quum aliquæ ejus partes nutriuntur, ita unumquodque putreſcere quoque vocari, quum aliquæ illius partes putreſcant: reliquæ vero in putredinem aliquantum vergant: hoc eſt etſi totum non putreſcit: certe putredinis qualitate quadam afficitur, ut puta vel ſapore, quem illa ſecum affert in partes putreſcentes, vel odore, vel aliquo hujuſmodi. quo fit, ut totum magis minuſve putre nuncupetur, prout plus minuſve illius ſaporis odoriſve particeps eſt. In exemplo aquam optimam amphora excipe. huic aqua putris utputa ſalſa vel amara librarum duarum admiſceatur, tota quidem aqua non nihil amari ſalſive præ ſe feret, non tamen tota putris re vera erit, verum ſi hujus putridæ plus iterum addatur, tota multo quoque magis amara vel ſalſa erit: ſic igitur cogita partes aliquas totius aquæ optimæ putreſcere, reliquis adhuc integris exiſtentibus: trahent enim reſiduum totius aquæ in conſenſum quendam, per quem tota quiD dem aqua ſapore odoreve novo inficietur & ad putreſcendum apta fiet: nondum tamen tota putreſcet. Id hinc quoque probari poteſt, ſi putridam aquam, utputa ſubamaram, ſabulo alicui maſculo aut argillæ diligenter commiſceamus, mox agitemus & percolemus: prodibit enim hinc aqua dulcis plus minuſve, prout magis minusve erat amara; &, quod putridum inerat, in ſabulo argillave relinquitur. Hoc certiſſimum eſt indicium, quod licet aqua illa putrida nuncupetur, non tamen tota putreſcat: alioqui dulcis aqua illinc collecta minime fuiſſet. Hinc etiam (ut quibusdam placet) ea, quæ in mari naſcuntur, non ſine dulcedine, aut aliqua cæterorum ſaporum ſuavi qualitate proveniunt, ut piſces & reliquum animalium genus, quod in aqua ſalſa verſatur. Id enim patet, ſi maris aqua per argillam, per arenam, per vas aliquod terreum colatur: colata enim dulcis invenitur, illic relicta ſalſedine. quia ergo ſanguis, qui fœtum in utero alere ponitur, quibuſdam putredinis notis affectus non omnino putreſcit (ſalſus enim eſt quoad affectionis modum ſicuti maris aqua, ſed quoad qualitatis gradum longe remiſſior) poteſt
E per ſe ſufficere alendo fœtui abſque eo, quod alius ſuccus, ex eodem putrefacto natus, eundem alat. Sanguis namque totus in hoc caſu non corrumpitur, ſed bona ejus pars integra manet: hoc differens à puro, quod alii vitiato commiſcetur: omnis enim putrefactio ſubſtantiæ, quæ re vera putreſcit, eſt abolitio, non autem totius, cui hæc putreſcens mixturæ cognatione conjungitur. Quippe vinum aceſcens interdum in vini ſpeciem revertitur, non totum quidem ſed aliquanto minus: quia partibus, quæ re ve-

ra putrescant, consumptis, integrum remanet, quod mixturæ consensu cum illis acidum ante sentiebatur. Sic medica putredo (ut in opere nostro de aqua Tiberina docuimus) ab ea, quam Arist. *meteororum* 4. definivit, minime differt, sed eadem illi est: bile enim putrescente, si putredo paucas ejus partes obsideat, has quidem de medio tollere, & foras expurgare convenit, sed reliquas alterare & intus relinquere. Hæc quod in sanguinis putrefactione, quæ, dum fœtus in utero alitur, fit, sanguis etiam adhuc non putris inveniatur: Simulque ex his patere jam potest, quali alimento fœtus in utero nutriatur, nempe sanguine tum puro tum impuro, qui videlicet ex putri & non putri ac ex dulci & subsalso commixtus resultat. Neque id mirum alicui esse debet, siquidem ranæ, cancri, pisces & reliquum animalium genus, quæ in palustribus & corruptis aquis nascuntur, his quoque putridis nutriuntur; quibus enim quodque consistit, his etiam nutritur. Nec obstat, quod putria omnia incocta sint, quoniam hæc ei, quod illis nutritur, cocta sunt. neque item quod dicitur sanguine purissimo fœtum in utero ali. Nam id partim verum est, partim non verum; verum quidem ratione habita ad eum, qui in matre reperitur, non verum autem considerata putredine, quod sanguis propter importunam sui retentionem effugere non potuit. Hac enim per totum (ut ante docuimus) effusa, reliquus sanguis inquinatur, & ex puro impurus efficitur, ita tamen ut cum impuro purus quoque reperiatur, & fœtus sanguinem quidem impurum trahat, sed ex hoc impuro eum, qui minus impurus, & magis suavis familiaris ac dulcis existit. Quippe cum proprium in se vitæ principium contineat, & attrahendi vi, quam habet, multo magis quam mater polleat propter sui corporis incrementum, utero veluti radici adhærens, quicquid in matris corpore suavius est (id enim naturaliter appetimus) quoad fieri potest, pro se rapit. Hinc gravidæ non cœnatæ dormitum eunti (ut quibusdam placet) data mulsa circumtorqueri uterum facit: quoniam hæc alimenti egena, ea vesci contendit, ille contra ad attrahendum potentior, eandem violente ad se arripit, utrisque igitur contra pugnantibus, atque huc illuc vicissim contra trahentibus, uterum ipsum circum circa torqueri necesse est. Hinc etiam gravida, quæ forte pauci sanguinis fuerit, sæpe cum virore pallida fit, & alienos cibos appetit, & debilior evadit, quoniam quotidie semper ac valide attrahente fœtu, melior sanguis ex matris corpore aufertur, mox in uterum destillat & in fœtus augmentum convertitur. non igitur simpliciter, sed hoc modo verum est, sanguine purissimo fœtum in utero nutriri: quo etiam modo nihil prohibet, quin corrupto & putri nutriatur: siquidem nec vitæ nec victui adversetur: velut animalium generi, quod in aqua putri degit, usuvenit. Ita Galenus 1. *de symptomatum causis cap.* 7. Inquit: *primis duobus mensibus parum sanguinis in fœtum attrahitur utpote adhuc minimum, scilicet quod in utero est, hoc tempore nec embryon Græce vocetur, sed cyema adhuc id est uteri gestatio: hoc autem auctius redditum, tum ipsum ampliore nutrimento utitur, tum non solum, quicquid optimum in venis est, id attrahit (seu prius dixi) sed etiam, quia plus indigeat, ejus, quod vitiosum est, aliquid una trahit: atque ita totum matris corpus tum plenitudine laborare desinit, tum minus vitioso est succo: Ipse autem fœtus alimenti, quod attrahit, excrementa in duplicibus membranis reponit, ac fit quidem magna ex parte ipse quoque & vitiosioris succi & intemperantior, ut pote ex vitioso nutritus sanguine, nisi si quæ eum gestat in reliquo gestationis tempore salubribus utatur alimentis.* hæc Galenus. Sane utilius quidem erat puro quam impuro nutriri: Id quod fieri poterat, si quantum menstrui in asinabus, in vaccis, in equabus, & in aliis brutis fœminis est, tantum & non amplius in muliere quoque reperiretur, nam præter alias utilitates mulier neque propter prægnationem in tot morbos incideret, neque fœtum adeo morbosum adeoque imperfectum naturaliter pareret, sed uti bruta uterum gerens, & à graviditatis morbis vindicaretur, & fœtum saniorem, ac æque fere perfectum ederet. Quia vero in tanta pabuli copia, & vescendi opportunitate, replendi appetitu fere perpetuo existente, fieri non poterat, quin alimenti nimietate sæpius lasciviret, minus malum fuit alimento (ut diximus) impuro fœtum nutriri, crescere, in lucem prodire & morbis ex naturæ necessitate contagiosis obnoxium reddi, quam puro & superabundanti. quod, si quis diligenter animadvertat (ut proxime diximus) ante partum ipsum interitus periculum afferebat.

His adde quod utilitas, quam ex hac putrefactione fœtus acquirit, multo major existit quam noxa, propter quam morbis ex naturæ necessitate contagionis subjicitur. Quippe illi suapte natura non interimunt, &, ubi in locis propriis fiunt, facile tolerantur. Hæc vero putrefactio, inquam, nisi adesset redundante nimirum alimento, sæpissime autem redundat, sæpissime alimenti copia fœtus humanus ante partum interiret, id enim superfluum, quod, ubi putrescit, subsalsum aut huic proportione respondens fieri indicaviimus, reliquo, quod sincerum est (continua namque sunt) plus minusve primum permisceri, & subinde à fœtu trahi oportet, proinde hoc idem ad uteri venas & ad chorium velut apud radicem immorari potius, quam alibi, probabilius est, ibi autem adeo redundans simulque putrescens occupare viam alimento, quod quotidie novum & purum à matre ad fœtum delegatur, ne libere trahi queat; hoc est ne per eum locum, ubi major copia hujus putris est, per chorium inquam, & umbilicum, utputa per radices sine hujus mistura trahatur. Licet enim ab eadem terra suum lactuca nutrimentum, & caulis suum, & cæpa suum hauriat, ubi tamen apud horum radices salem, aut cinerem, aut quid tale inspersseris absque hujus mistura, quia proximius est, jucundum & proprium haurire non possunt. Ut igitur id superfluum putre jam factum puro alimento commistum ejusdem suavitatem perturbat, & minuit; ita infinitam ejusdem quoque aviditatem moderantur, & cohibet, facitque jam distinctis fœtus particulis, & in se ipsas alimenti nimium reponere valentibus, ne tam avide illud rapiant, & ne adeo copiose, ut strangulari metus sit, in se ipsas accumulent; nisi forsan talis quoque salsugo, quemadmodum Theophrastus 4. *de plantarum causis cap.* 9. scribit, ad perficiendum aliquid aliud conferat, humorem scilicet exsiccando, qui modum excedit, omnino autem quemadmodum bonus agricola plantis, quæ nimio alimento lasciviunt, aut cinerem, ut fico, & rutæ, aut salem, ut palmæ, aspergit & agrum minus frugalem his quærit: quo superfluam nutrimenti attractionem moderetur: ita natura id subsalsum, aut huic proportione respondens, tantæ alimenti ubertati commiscet, ut minus jucundum hausta factum præsente nimietate replere fœtum non possit. Hinc fit, quoniam genus sativum suam alimoniæ copiam excoquere nequit, ut rei rusticæ studioti Theophrasto autore cinerem aliis congerant, aliis respergant: sic fortasse palmæ, siquidem his sal aggregatus unice prodest, salsa terra melius fructificant, & in olerum genere quædam ab humoribus salsis juvantur, ut brassica, beta, ruta, eruca; hæc enim, cum aquis salsis rigantur, longe meliora evadunt, quamobrem nonnulli nitro aqua permisto aspergunt brassicam, ut Ægyptii. Itaque cum fœtus humanus immodicam alimenti ubertatem in utero effugere non potuerit, opusque sit tam ad fructuum proventum, quam ad animalium partum, non hujus excessu, sed mediocritate, siquidem, ubi excedit, aut tabem, aut strangulationem inducit putredo, quam veluti salsuginem esse dicimus, huic superfluitati contingens, dum alimentum nimium & jucundum, alioqui noxium & inutile, sua mistura minus suave reddit; tantum abest, ut noceat, ut huic eidem modum imponat, hoc est ut immoderate attrahi non permittat; & hominem à vitæ periculis, quæ hujus copiæ causa imminent, liberet, æque sane ac si quis opinaretur id qualitatis subsalsæ nativum esse fœtus humani alimento, ut ille valeat conservari, quasi genus istud saporis ei permixtum sui gratiam custodiendi à natura acceperit, quamdiu in utero est.

## CAP. XII.

*Quod fœtus alimento putri in utero nutriatur, & quod tale nutrimentum causa sit propositorum communium morborum, atque quomodo in homine talis putredo semper sit.*

Ex quibus jam satis patet in mulieris prægnantis utero menstrua modo quodam putrescere, alimentumque fœtus humani non omnino sincerum esse, sed inquinatum, & quodammodo putre: quod cum ille utero incluſus non possit non trahere, si vivere, si augeri, si absolvi, debet, necesse est, quia fere statim ab initio, ad partum usque hoc putri nutritur, quia in suam totam substantiam illud sumit, ut propria humani fœtus substantia putredinem quandam habeat, quæ cum tolli non possit, nisi tota substantia tollatur, tota vero tolli nequeat, quamdiu homo vivit: quoad homo vivet, hujus inquinamenti putris erit particeps. quod enim homo ab ortu primo penitus insitum toto corpore contraxit, non prius ab eo evelletur, quam corpus ipsum omnino dissolvatur. exemplo sunt recentia vasa, quæ saporem, quo primum imbuta sunt, perpetuo retinent. licet enim natura, quia ob materiæ (ut dicitur) fluxum quotidie corpus fluit, consumitur, (dissolvitur) novum alimentum quod minime putre est in locum substantiæ, quæ deperditur sufficere possit; id tamen quum adjicere, unire ut dicunt & assimulare ei quod deperditum est, debet; ut illi, quod prius inerat, simile faciat oportet. quia vero quod remanet in corpore, id multo plus est quam quod sufficit, alioqui nunquam priori simile redderetur; à potentiore, & copiosiore permutabitur, atque convertetur in ejus naturam, id quod debilius, & minus est,

eſt, quanquam utrumque agendo invicem patitur: veluti bilioſa temperatura quicquid tale immutat, in ſui ſimile immutare ſtudet. quocirca nutrimentum novum quod accedit, nequit putrem illam qualitatem in eo, quod ſic affectum eſt, & multo majus, multoque robuſtius ſubmovere. quin imo quandiu animal vivit, hanc eandem in eodem remanere neceſſe eſt, neque obſtat, quod aliqui opponunt, morbillis, aut variolis ſemel, bis, terve in aliquo homine apparentibus conſumi ejuſmodi omne ſeminarium, ſicut enim terque quaterque expolito ferro, quin in eo rubiginis fomes reſtet, fieri non poteſt; ita licet iterum, atque iterum quis morbillis, variolisve, afficiatur, ſeminarium tamen vitioſum, quod intus eſt, non tollitur: Non ſemper autem oriuntur, quia illud (ut infra dicetur) impulſore indiget, qui eum ad agendum excitet. Scireque licet, putredinem hanc non eam eſſe, quæ mortem, aut morbum per ſe afferat, quin imo cum hominis vita ſemper manere, ſicut eam quam cancri, ranæ, piſces ex aqua putri nati, & in eadem continue degentes, perpetuo ſervant, & vivunt, ſed ſi magis augeatur, aut irritetur id, quod ab impulſore (ut proxime dicetur) ſit: tum ſæpe morbos, nonnunquam mortem accerſere, quippe ipſam veluti ſeminarium ineſſe, quod non ſemper agit, ſed præſtita occaſione amplificatur, creſcit, & in fructus erumpit ac omnino eſſe ceu rubiginis fomitem in ferro, quod tamen læve, politum integrumque eſt. Atque hæc eſt communis cauſa propoſitorum morborum, & aliorum hujuſmodi, nempe vitium primi alimenti à putredine in matris corpore nata contractum. In hoc enim conditiones omnes, quas tali cauſæ neceſſarias eſſe probamus, manifeſte convenire videntur. Hæ ſunt (quemadmodum ſupra docuimus) ut intus in homine ſit neceſſario, & partim ſecundum naturam, partim præter. atque ut per totam vitam ſemper inſit, & quanquam ſemper hujuſmodi morbos non inducit, in corpore tamen ut minime otietur. Quia igitur id alimentum eſt, quo ſolo fœtus in utero nutritur; ſatis conſtat, quod intus eſt in homine ſimul, ac neceſſario; ex eo enim illius corpus conſtituit? quia item non qua alimentum, ſed qua nimium eſt, vitiatur, partim ſecundum naturam erit, & partim præter, ſecundum naturam quidem, quatenus in utero jam nutrit, & in hominis ſubſtantiam vertitur. præter naturam vero, quatenus eidem non per ſe quidem, ſed ex accidenti, hoc eſt propter copiam putreſcere contingit. quia etiam hominis corpus ex illo conflatur, ſemper quoque cum homine invenietur, quia inſuper putredine quadam hunc eundem in perpetuum afficit, & ſi non ſemper ita creſcit, ut in putredinis morbos ſemper erumpat, agens interim erit non otioſum. Nam præter id, quod in hominis corpus immutatur, illud etiam opus efficit, quod ſimilem ſibi putredinem quotidie regenerando ſe ipſum fovet, ſed tantiſper dum hos morbos non agit, veluti ſciens (ut præfati ſumus) inerit quum non contemplatur; ita quidem ut quum iſti communes morbi gignuntur, id quoque ſimul minime gignatur, ſed ante, & in actu (ut dicunt) primo exiſtens in corpore, tunc poſtea in actum (ut dicunt) ſecundum prorumpat, & ſimiles morbos excitet, quemadmodum aliqui nunc primum peſtis labe affecti, tum viginti, trigintaque diebus incolumes videntur, mox peſtifera febre corripiuntur, quippe cum hac febre peſtis ipſa labes non gignitur, ſed multo prius exiſtit: ante vero non egit, non quod ipſa non ineſſet, ſed quod corpus aut paratum non erat, aut aliquid deerat, quod eam impellere, juvareve debebat: hinc homines calidæ & humidæ (ut dicunt) temperaturæ, qui hircum olent, & quibus ſudor fœtidus, & urina fœtens, atque aliquæ gentes, quæ annum unum aut alterum pane ex tritico fœtido & putri veſcuntur, univerſam pene corporis ſubſtantiam putredine affectam ſortiuntur, non ſemper tamen putredinis morbis corripiuntur: ſed tum ſolum, quum nova quædam ad inexiſtentem putredinem excitandam occaſio naſcitur. Sic igitur fomes (verbi cauſa) morbi Gallici ab ortu primo in nobis eſt, ſæpius vero agit longe poſt, non quod interdum non inſit, ſed quod ſæpius deficit aliquid, quod fomitem, quominus agat, impedit. Itaque alimentum in utero vitiatum, ex quo fœtus ipſe componitur, cauſa erit, quæ tum elephantiaſi, tum morbillis, variolisve, tum morbo Gallico ſingulos homines promiſcue obnoxios facit. id quod ab initio inquirebamus. id enim propter neceſſitatem jam dictam in corporis humani conſtitutionem aſſumptam, & quodammodo ſimul vitiatum communis putredinis, quam dicti omnes morbi ſequuntur, ſeminarium in homine eſt, ſicut res quædam in ferro communis rubiginis fomes. in quo explicando prolixior, quam præſens negotium poſtulabat, noſtra fuiſſe oratio videri poſſet, ſed quia nemo hactenus communem cauſam propoſitorum morborum (quod ſciam) inquiſivit, neque quiſquam ad ipſum, quod nos in eam cauſam retulimus, attentavit, neque item quæſtiones, ac dubitationes, quæ inde & multæ, & graves oriebantur, explicuit, non niſi longa tractatione abſolvi potuit.

## CAP. XIII.

*Quomodo id morbi ſeminarium per hominis corpus diſpergatur, ubi potiſſimum reſideat, & qui ex his morbis leviores, magisve curabiles, & qui non.*

His expoſitis quale ſit id, quod dictorum malorum communem cauſam eſſe diximus, intellectum puto. Reliquum eſt, ut an ita revera ſit (ut eſſe dicitur) inveſtigemus, atque rurſus quædam, quæ proxime retulimus, ad majorem explicationem repetamus. quærenti enim, quomodo iſta putredo undequaque expanditur, & ubi nam magis reſideat, Reſpondendum, ſicut alimentum per univerſum corpus fertur, eique per omnes partes infunditur, & inſeritur, ita quando vitiatum eſt tale quoque totum reddit, in quod permutatur. itaque quia totum hominis corpus hujuſmodi alimento in utero nutritur, ac augetur. in toto quidem erit dicta putredo, ſed in ipſa cuti, & circa ipſam præcipue, fœtus enim in utero (ut dicitur) plantæ vitam vivit. Hæc ubi propter egeſtatem non poteſt non attrahere alimentum, & ſi vitiatum eſt, tum poſtquam id intro rapuit, viciniores partes ex eo, quod minus malum eſt, pertrahunt, quod reſtat magis vitiatum, quam prius, ſit oportet: ex hoc tamen, quod minus pravum eſt, aliæ fugunt, atque ita deinceps, donec ad extimas deveniatur: quæ ſimiliter indigentes id, quod ab omnibus relictum eſt, tanquam maxime alienum, ut attrahant neceſſe eſt. Atque adeo ut alimentum longe magis corruptum ſit, quod ab extimis partibus recipitur, quam quod à primis, & ſecundis, & reliquis. Enimvero foras verſus rem hujuſmodi excerni conſentaneum eſt, utpote alienam: quemadmodum ſalſugo ciceri innata (ſiquidem ubicunque feritur, naſciturque, aliquid ſalſuginis ſemper capiat) per ſumma tantum conſiſtere videtur, quædam etiam ſuis in foliis, ramisque talem ſortiuntur ſaporem, qui eiſdem ablutis guſtatu aquæ cognoſcitur. Nec in his modo, ſed in fructibus quoque ipſis itidem eſt, quod ſenſus late dijudicat, ſi quis non fructum manducet, ſed linguam ei duntaxat apponat, quippe non in pulpa, ſed in putamine ſalſugo magis eſſe percipitur. nec minus amaritudinem cucumerum per ſummitatem ſentimus, genus quoque pyrorum Cariæ domeſticum fertur lanugine tam ſalſa obductum, ut niſi aqua ſubluatur edi non poſſit. nihil igitur mirum, ſi ejuſmodi plura creantur, ſi internæ hominis partes id, quod minus habet corruptionis, attrahant, & ſi quid in eo magis putre eſt, ad cutim protrudant. Ex quo fit, ut quamquam in utero malum quodammodo ſit alimentum partium corporis omnium, ultimarum tamen pejus exiſtat, eaque putredo, de qua diximus, licet omnes corporis partes occupet, maxime tamen in externis communes morbos (ubi datur occaſio) cieat. quippe qui ad internas verti non poſſint, niſi vi quadam coacti, & contra naturæ impetum. Proinde hi quidem, ſi ad extima prorumpunt, leniores, & curatu faciliores ſunt. ſin ad intima, difficulter & feruntur, & curantur. Ex quo ſatis patet quomodo id morbi ſeminarium per hominis corpus diſpergatur; ubi magis inſiſtat; & morborum quos inducit, qui leniores, magisque curabiles; & qui non.

## CAP. XIV.

*Cur communium morborum fomes in corpore ſemper exiſtens non ſemper agat, cur item in aliquibus nunquam agat; aut nimis ſero, & quis ſit illius impulſor, qui item ex his morbis ſpontanei & qui contagione vocentur, & quibus inter ſe differunt conveniantve.*

Rurſum interroganti, quomodo in hominis corpore ab ortu primo ad ſenectutem uſque talis putredo inſit, ac ſi ineſt, cur non ſemper id genus mali homines corripiat. Reſpondendum non ſemper in promptu eſſe, quod illam ad agendum moveat. Eget (ut infra dicetur) impulſore quodam. Nam ſicut videndi facultate integra, ſi lumen abſit, oculus videre deſinit. Et Architecto præſente, ubi cæmenta, lapides & ligna deſunt, non fit domus, ita quanquam internum homini eſt, quod hunc morbum efficit, eum tamen non ſemper efficit, quia non ſemper præſto ſunt, quæ ad ejus creationem requiruntur, ut agens in actum ſuum erumpat. Proinde illud mirabile non eſt, quod hujuſmodi ſeminarium proclive ſemper ad agendum, interdum tamen centum annos in homine latitet, ſubinde veluti novum quoddam careat; interdum vero nunquam omnino quicquam ejus in hoc vel in illo cernatur, ut in morbillis, & vario-

lis experimur. siquidem interdum in Europa contingit, aliquem tota vita naturaliter, & ad centum fere annos usque protracta, nunquam in hos morbos incidisse. quum enim ad agendum impulsore indigeat, nisi is aliquando adsit, nunquam aget. Sic & maleficæ pestis seminaria non solum in homine, sed etiam in bruto, in veste, in ligno interdum insunt, & nihil agunt, aut longe post. sic etiam labes rabidi canis duos tresve menses & quandoque annum in homine latet, postea sese prodit.

Atqui hujus fomitis impulsor, illi aut similis, aut contrarius sit, oportet: sed quia contrarium suum contrarium corrumpit, impulsor vero illum vel excitat, vel auget; non contrarius, sed similis erit. Quum igitur fomes hic putredo quædam sit primi alimenti vitio per totum corpus diffusa: putredo autem nunquam sine calore aliquid agat, aut moveat; hujus fomitis impulsor, aut calor ex simili putredine intus in corpore natus, aut aliunde profectus erit: Aliunde proficiscetur: si ab inquinato corpore prodeat; id quod, ubi aliquis ex his communibus morbis per contagionem acquiritur, perspicuum fit. Similis vero putredo intus gignetur, si pluribus diebus multum alimenti in omnibus corporis nostri ventribus, venis, atque cavernulis coacervetur, atque retineatur; deinde putrescat; ibi enim quemadmodum in matris graviditate corrumpitur, & à singulis partibus attrahitur, ita putredinem, quæ prius inerat, veluti salitorum esus immodicus, fovet & auget: id quod, si forte per communes expulsionum vias non expellatur, quia propter copiam in corpore contineri non potest, foras per alias partes ad cutim (ut proxime declaravimus) erumpat, oportet: quippe id copiosius existens atque alere potens, quo magis per universum corpus attrahitur (alimentum est) eo magis reliquum, quod intus est, ulterius pellit, etenim re nova subeunte intus, quæ intus est, impingitur, cedit, locum impingenti relinquit, ipsa vero impulsa, usque ad corporis extimum, hoc est ad cutim facile quidem succedit, sed ulterius progredi non potest, nisi meatibus apertis prorumpat foras, aut transpirans, aut resudans. Huc igitur compressa & alia atque alia re nova subeunte, ubi à natura propter copiam, quæ sibi ipsi viam intercludit, vinci nequit, calor novus multo amplior exoritur, qui priori propter putredinis similitudinem (utraque enim in toto est) conjunctus, eundem ad agendum excitat. Quia enim talis putredo ex re dulci, quæ mixti multo plus humidi quam sicci obtinet (quale nostrum alimentum est) nascitur, ejusdem qualitatis, nempe subsalsæ aut huic proportione respondentis cum ea, quæ à prima generatione contrahitur, erit: & calor ex hac nova ortus, atque per totum corpus perinde ac ille, qui ex primigenia oritur, effusus, eidem ferme similis erit, cui, (quemadmodum exposuimus) tum propter novæ putredinis amplum undiquaque additamentum, tum propter similitudinem summam, obnixe conjunctus, hunc eundem augebit & una cum illo morbum aliquem ex his communibus, qualem subjecti natura pro loci, aëris, & victus ratione patitur, aget: & morbi illi, qui ex nimia alimenti copia oriri solent, emergent. Hi vero sunt (modo plenius quam consueverit factum sit corpus) furunculi in facie multi, scabies, tuberculis scatens, exanthemata nunc fastigiata nunc lata, ulcera quam plurima, lassitudo gravis, quam sive ulcerosam, sive tensivam, sive phlegmonicam dicas nihil refert, prurigo, impetigo, psora, lepra, elephantiasis, pilorum defluvia, febres inflammationibus similes. qui morbi ut per cutim prodeunt, ita morbosæ rei, quæ ad cutim sponte fertur, naturam imitantur. Sed ubi hæc eadem foras exire prohibetur, & ad interna retrocedere cogitur, dictorum morborum vice distillationes fiunt, tusses, gonorrhœæ, alvi fluores, menstrua plura, tum alba, tum rubra, tum alterius coloris, vel aquosa, & hujusmodi morbi alii. atque tum hi, tum superius dicti, pleniore jam facto corpore primum oriuntur, postea vero quam progressi sunt, corpus ipsum colliquant, extenuant, absumunt. atque hoc modo à se ipsis differunt, ubi propter aliam causam, quam propter alimenti redundantiam fiunt. Sed ex his aliqui citius aliqui tardius inquinare videntur, prout cum inquinatis consuetudo magis minusve intercedit, aut ab his vapor abundans pressusve prodit: quippe infantium lactimina, quæ similiter oriuntur, tum nutrices, tum eos, à quibus obnixe & sæpe amplectuntur & osculantur, inficiunt: alios vero non item. morbilli quoque & variolæ quum vigent (quia vapor copiosior exit) facilius inquinant, quum vero declinant (quia ille deficit) difficilius. Quomodo calor ob redundantiam susceptı alimenti obortus calorem innatæ putredinis augeat, satis diximus. sed quomodo ille, qui foris advenit, eundem excitet, manifestum est: contactu enim infectæ rei calor alter alteri conjungitur, & tales morbi contingunt: calor namque corporis, quod deinde inficitur, cum tota interna putredine latitans, ab altero, qui foris inquinat, excitatur & simul cum illa in totum augetur: hic igitur, ubi corpus integrum, in quo est, ab inquinato tangitur, sive ob motum vehementem, quem invicem utraque faciunt, sive quia se nimis arcte amplectuntur, sive quia nimis diu conjuncta manent, sive etiam aliter magnopere quidem augetur, deinde morbum aliquem ex naturæ necessitate contagiosum excitat, ac plerumque talem, quali id ipsum, quod inquinat, ante affectum est: Calor enim inquinati corporis quoniam cum ea putredine, quæ innata nunc agit, alterius calori conjunctus ob mutuam similitudinem hunc eundem in eum actum deducit, in quem ipse prius deductus est: ut enim antequam inquinaretur, huic similis erat, & æque atque hic tum ad patiendum tum ad agendum aptus: ita postquam inquinatus est, causæ ejusdem subiens rationem, à qua primum infectus est, hunc similiter inficit: atque ita calor ab inquinato corpore manans, calorem innatæ putredinis in corpore sano ad agendum provocat: & tum hic, tum ille, qui novam alimenti redundantiam sequitur, impulsor est, quo prima horum morborum causa intus in corpore latitans ac veluti dormiens, ut excitetur, indiget licet autem in ipso infectu particula quædam integri corporis & non totum corpus tangatur, quia tamen nixus utrinque insignis intercedit, totus calor, qui in integro est, commovetur, talisque fit, qualis ab ortu naturæ successit, ut fieret, quoties nova putredo magis minusve in toto corpore gigneretur. Quamquam enim corpus interdum juxta præputium tantum manifeste inficitur, facile tamen potest (si calor interim vehementer excitetur) non solum tactu præputii, sed etiam osculo vel amplexu alterum inficere, tamquam non in præputio solum existente labe, sed in corpore universo, & si in præputio tantum aperte, in aliis vero partibus occulte videtur.

Innatæ igitur putredinis, quæ adhuc otiatur, impulsor erit tum calor intus ex nova & simili putredine nuper natus, tum calor inquinati corporis, alterum integrum attingens. ille enim innatam putredinem, quæ alioqui ad putrefaciendum proclivis est, sed propter exiguitatem otiatur; sua accessione auget, hic suo motu excitat. Aget igitur, dicta putredo ab impulsore (ut diximus) ante mota. Non aget vero in eo, cujus mater peculiari sua natura multo pauciora menstrua habet, quam aliæ mulieres, mox uterum gerens frugaliter vivit, deinde filius ab aliis quæ hunc fomitem movere queunt, se continet: hic enim minorem tenuioremque putredinem sortitus, mox quoad potest ab his, quæ illam movent, se temperans, fere neque sponte naturæ neque ex inquinamento in aliquem eorum morborum incurret. Hinc aliqui, licet pauci, donec vivunt, nihil horum malorum sentiunt, aliqui in senectute solum: quia forte in ante acta vita magis sobrie se gesserunt: hinc citra juventutem variolæ morbillive (horum exemplo, quia notiores sunt, uti magis decet) sponte naturæ sæpius contingunt, ultra vero rarius: citra enim hanc ætatem propter magnum corporis incrementum plus alimenti coacervatur in singulis nostri corporis locis; quod si forte per expulsionum vias non minuatur, similes morbos accersere solet. ita igitur responsum sit quæstioni, cur si principium semper insit, non tamen semper agit: & quis sit ejus impulsor.

Cæterum illud non oportet ignorare, quod ubi communes ii morbi non ex contagione creantur, sponte naturæ creari dicuntur. ex contagione autem, quando quis integer alicujus inquinati contactu inficitur: utrique quia homo nimium alimentum (ut ante narravimus) & naturaliter & frequenter sumit, ex alimenti redundantia sæpius, quam ex alia quavis causa proficiscuntur. Ideo morbilli variolæve in Europa sæpius pueris (ut proxime innuimus) quem senibus contingere solent: illis quidem sæpius, quia nimis crebro replentur: his vero rarius, quia magis temperate vivunt. Differunt vero præter alia, quæ diximus, quoniam illis, qui sponte gignuntur, major alimenti copia opus est ut gignantur, his autem, qui ex contagione, minor: quippe copia major, velut arbor fœcunda est, quæ sicut ultro fructus affert: ita hæc sponte sua id generis morbos cum interna putredine parit: minor autem tamquam arbor sterilis est, quæ non nisi per insitionem fructum reddit, insita vero contagione hujusmodi morbos, prout contagionis natura fuerit, efficit. Differunt etiam, quod spontanei, ubi semel aut iterum & ad summum ter (ut in morbillis varioliſve quando sponte fiunt, cernere licet) infestarunt: non amplius reverti solent. At ex contagione multo sæpius: prout alimenti quædam copia subest, & contagio sese offert. In spontaneis enim à nimia nutrimenti copia tum singuli ventres, tum universa cutis maxime extenditur: hinc morbillos variolasve passi amplioribus membris aucti videntur: proinde propter immensam suarum partium extensionem & cutim magis raram & expulsionum vias magis apertas fortiuntur. Postquam igitur tanta totius corporis extensio facta est, repletio vix major, quam quæ præfuit, contingere potest: quippe quæ si contingat, patentioribus jam existentibus expulsionum viis

aut

aut non retinetur, aut si retinetur; iterum tertiove ad summum tolerari potest: ultra vero, quia membra immodice aucta tandem rumpuntur, aut vires ipsæ succumbunt, non potest.

Hinc fit, quod hi morbi non tam sæpe revertuntur quam qui extrinsecus adveniunt. sed ubi neque cutis, neque ventres ita distenti sunt, ut non amplius extendi queant, tum hi morbi possunt iterum, tertiove sponte redire, donec illi summam nacti extensionem à majori copia, quippe quæ in vasis supradictis amplius coacervari nequit, extendi magis non possint. Verum ex contagione sæpius revertuntur, quia non tanta nutrimenti copia ad eos excitandos opus est, sed satis inesse multam supra naturæ vires, quæ contagione ascita facile prorumpit in hos morbos, præsertim si calor aliquis accedat. quippe calor inquinati quum se se calori corporis integri conjungit: tum aliquo intercedente invicem motu, præcipue arcto hunc eundem apprime agitat: humida omnia, quæ in corpore sunt, subinde commovet, rarefacit, ampliat, locaque replet. Quamobrem quod repletio ex multo supra modum alimento sæpius sumpto facit, id calor impuri corporis repletionem modicam, quæ in corpore puro est, excitans præstat. Cognoscitur hujusmodi excitatio, ubi post coitum vir mundus, aut infans post suctum, aut nutrix, post quam lactavit, calidiore carne fiunt, & facie tumidiore, quam consueverunt: Hoc quidem per aliquod tempus, sed calor tantisper, dum morbus inest, magis minusve perdurat. Patet igitur, quinam communium morborum spontanei, & qui ex contagione vocentur, & quomodo differant, tum præterea constat, morbos ex contagione sæpius redire posse, spontaneos vero non item.

## CAP. XV.

*Cur morbi aliqui communes ex contagione fieri raro videantur ut morbilli, variolæve, & cur vix fieri possit, quin singuli homines eorum aliquo afficiantur.*

Interim petet aliquis, cur raro etiam ex contagione tum morbilli, tum variolæ oriuntur. Huic respondetur, ut in his contagio sæpius agat, opus esse (quemadmodum dictum est & dicetur) multo, arctoque contactu, qui calore citato copiam ipsam commoveat, & latentem putredinem (ut ita dicam) in actum secundum promoveat, qualis in hisce morbis, ut compertum est, usuvenit. his adde, quod calor ille tametsi aliis causis, maxime tamen coitu, quoniam in hoc valde arctus motus contingit, excitatur, qui vero morbillos, variolasve patiuntur, plerumque pueri sunt, qui non coëunt. qui autem adultiores sunt, etsi coire possunt, tamen propter febres, vimque morbi non coëunt. si enim in his, velut in Gallico morbo coire contingeret, profecto non minus frequentes morbilli variolæve ex contagione, quam morbus Gallicus, essent, sed dum his malis opprimimur decumbimus lassi, tristes, imbecilli, febricitamus, sitimus, rejicimus alios. qui vero integri sunt, non ita arcte se se conjungunt nobis: ideo fit ut minus sæpe morbilli variolæve propter contagionem revertantur. quibus adde vitium, quod ab alimento in Europa contrahitur, non esse ita vehemens, sicut id quod in nova India, & in Ægypto, neque hic alimentum tam siccum tamque solidum quam ibi: proinde vapores ad inquinandum hinc manare tenuiores & imbecilliores, illinc vero crassiores & robustiores: ita ut Gallicus debilis fere potentior sit ad inquinandum quam variolæ fortes. At si quis id ipsum negaverit, atque hos morbos minimo contactu ex contagione accidere contenderit. Huic respondendum, non minus sæpe hos morbos, quam Gallicum, redire, si contagio præsto sit, sed non videri, quia natura sua mites sunt, & primo quidem in morbum ipsum sui similem cadunt, postea vero præcedente tempore, quemadmodum morbus Gallicus jam consuevit, nunc in febres alias, nunc in tussem, nunc in destillationem, & in id genus aliqua degenerant, prout ejus, qui inquinatur, natura patitur. Ex quibus innotescit non solum, cur morbi aliqui communes raro ex contagione revertantur, sed etiam cur morbilli variolæve non æque frequenter, ac morbus Gallicus, ex contagione generentur. Cæterum multo plures in hujusmodi morbos incidunt: quia universa hominis natura ut nutrimentum sibi perpetuo parare studet, ita ejus commoditate semper gaudet: quo fit, ut ob alimenti redundantiam matres copiosis menstruis affluentes, alimentum (sicuti diximus) quodammodo vitiatum suis fœtibus suppeditent. cujus occasione non solum post quam orti sunt, sed etiam antequam oriantur in utero ipso interdum horum aliquo morborum occupantur: ubi mater, aut pater ante infectus est, aut alimentum, quod à matre fœtus accipit, ob superabundantiam magis, quam soleat, noxium evaserit. post ortum vero longe quoque plures afficiuntur, quia longe plures non possunt non peccare alimenti abundantia, quæ interdum eo devenit, ut communis in toto corpore facta communiter vitiata, internam putredinem ad aliquem communium morborum efficiendum suscitet. His accedit, quod multi temere admittunt omnia: cum infectis etiam temere versantur. sed hæc vitari forsitan facile possunt: alimenti vero redundantia non facile: in hanc enim hominis natura (ut ante declaravimus) valde propensa est, non propter quotidianum quidem usum, sed propter totius vitæ necessitatem. Quamobrem non pauci homines, sed plurimi, communium morborum aliquo corripiuntur.

## CAP. XVI.

*Quum una communis causa sit dictorum morborum, cur non unus tantum morbus ab illa fiat, & cur in quibusdam locis communis morbus hic est peculiaris, in quibusdam ille. cur etiam horum quilibet in alienas regiones invectus singulos homines promiscue inficiat.*

Rursum inquiret alius, si una communis causa propositorum morborum, & aliorum similium est putredo videlicet, quæ in utero à nimio alimento (ut diximus) oritur: quamobrem non unum morbum, sed tot, variosque in nobis parit. una enim causa unius effectus esse videtur. An sicuti sol pro subjecti natura nunc dissolvit, nunc adstringit, contrariasque edit actiones: ita hæc putredo, quamquam una eademque in omnibus semper est, pro subjecti tamen natura in varias morborum species hominis corpus immutat, atque omnino unicus secundum genus, nomine hoc large sumpto, effectus est, qui fere omnes homines ejus loci, in quo est, afficiat, & alterius loci alios, si contagionis occasio præbeatur, facile inquinet. ut igitur tum horum morborum, tum similium omnium, unum idemque principium est, hoc est una eademque secundum genus in utero contracta putredo: sic unus idemque effectus est, hoc est dicta communis affectio in varios deinde modos illa distinguitur, quoniam non omnibus privatim eadem alimenta sunt, non omnibus idem aër, non omnibus eadem regio (quippe quæ situ vario & aquarum penuria & abundantia ac bonitate & vitio valde immutatur.) neque eadem contagionis occasio. Hæc enim in causa sunt, ut in Ægypto idem principium sit ipsius elephantiasis, quod in Europa variolarum atque morbillorum, sicut in Indiis occiduis morbi Gallici, quem illic bughe appellant, non quod illic elephantiasis, morbilli seu variolæ nasci aliquando non possint, sed quod passim, & speciatim morbus Gallicus eorum loco gignatur: Hæc tamen putredo in pejorem morbum, & apud Indos, & apud Ægyptios, quam apud Europeos convertitur: quoniam illic alimenta pejora sunt, & regio, cœlumque calidius: illa magis vitiatum succum præstant: Hæc celerius atque cumulatius, quam par sit, ad cutim trahunt. Ideoque morbilli ac variolæ (ut quibusdam videtur) magis æstate, quam vere & autumno, gignuntur. licet enim hyeme quoque magis, quam per hæc duo tempora: id tamen contraria ratione contingit. Quippe circumfusus aër, nimirum frigidus, cutim constringit, quominus ad eam delatus succus pro sui vitii quantitate, prout solet, quotidie transpiret. Quocirca ibi vi frigoris retentus magis corrumpitur, & hujusmodi morbos excitat. Sicut igitur nimia succi copia æstate quidem vi caloris ad cutim attrahitur. Hyeme vero prohibita transpiratione ibidem retinetur: ita, quia neutro tempore potest à natura regi, morbilli, variolæve magis hyeme, & æstate (quicquid opinetur Avicenna) quam vere, & autumno secundum illos creantur. Sed ad rem nostram. Sane ut unum idemque horum omnium est principium, ita ubique indifferenter gigni deberent. sed quia regio, aër, alimentum in mulieris corpore sanguinem, qui deinde fœtui in utero est alimento, mutant non solum ad siccum, humidum, calidum, frigidum, sed etiam ad lene, asperum, durum, molle, & similia. Hinc fit, ut si à sanguine materno (verbi causa) id genus morbi contingat, ut qualis in quibusdam regionibus hic est, tales hi morbi privatim evadant, sed ii præterea in alienas regiones invecti singulos homines eadem labe afficiunt, cujus ipsi sunt, quoniam omnes homines (ut ante diximus) commune dictorum seminarium continent, quod ut in actum privatim prodit, ubi alterum corpus tetigerit simili seminario præditum, statim illud propter communionem, quam sibi invicem in eodem ipso acceptam referunt, in suum actum, quo tum pollet, immutat. qui si Gallici morbi actus est, morbum Gallicum gignit. si elephantiasis, elephantiasim, si morbillorum, morbillos, quocirca mirum non est, si

noſtri in novam Indiam morbillos, atque variolas, quemadmodum in Europam vocatum morbum Gallicum invexerunt. Jam igitur conſtat, quo pacto una communi cauſa exiſtente, plures, variique morbi communes oriantur. mox cur alius ſit Indis peculiaris, alius Ægyptiis. deinde quamobrem idem in aliena loca tranſlatus ſingulos homines promiſcue inficere poſſit.

Verum dubitanti, ſi non eadem alimenta ſunt omnibus, quomodo eadem in omnibus putredo in utero à nutrimenti redundantia generetur, alio enim mulier Indica, alio Ægyptia, alio Scythica utitur: Reſponſum fit, quod etſi diverſa privatim aliis alimenta ſunt, antequam intro ſumantur, ubi tamen intus in unum coëunt (verbi gratia) in ſanguinem, eadem in omnibus ſecundum ſpeciem eſt putredo: ſingulatim igitur differt. ſpeciatim vero in idem coit. idem malum efficere poteſt: quod tamen poſtea peculiaris loci, germani aëris, & proprii victus ratione diſtinguitur. patet itaque, quo pacto, non eiſdem exiſtentibus omnium hominum alimentis, omnibus tamen ab alimenti redundantia emanet una communis cauſa, ut ita dicam, morbifica, quam velut in ferro rubiginis ſomitem eſſe docuimus.

## CAP. XVII.

*Et ſi principium idem horum communium morborum eſt, non in iis convenire curationem eandem, & cur bruta ſimilibus quoque morbis ob naturæ neceſſitatem à nimia nutrimenti copia æque atque homines non corripiuntur.*

Objiciet aliquis, ſi idem principium eſt morbillorum, variolarum, morbi Gallici, & elephantiaſis, cur non eadem curatio his omnibus convenit? ſed alia elephantiaſi adhibetur, alia morbillis, ac variolis, alia morbo Gallico? An licet ſpeciatim idem principium ſit: particulatim tamen (ut proxime diximus) varium eſt, prout loca quædam peculiaribus quibuſdam alimentis donata ſunt, & alia aliis. Propterea non difficile eſt reſpondere dubitanti, cur morbillorum ac variolarum curatio tum facilis, tum brevis ſit, morbi vero Gallici, & elephantiaſis tum difficilis, tum diuturna. Vitium enim putredinis, quod in Europa ab alimento contrahitur, non eſt tam grande quam in Indiis novis, & Ægypto, quum alimentum, quo nos utimur, & magis fluidum ſit, atque ſalubrius. Ut enim vitium, quod hinc oritur, magis quoque fluidum eſt, ita facilius, atque citius ſubmoveri poteſt. Nunc opportunum eſt illam quæſtionem diſſolvere, cur bruta ſimilibus quoque morbis ob naturæ neceſſitatem à nimia nutrimenti copia æque atque homines non afficiuntur, quum & ventres, & appetitum, & reliqua, quibus nimia nutrimenti copia congeritur, ſicut homines habeant, quod enim (ut de cæteris brutis taceam) ſues nimia copia redundent, tam notum eſt, ut nemo ſit, qui neſciat. quod item communibus quibuſdam malis, ubi ſaginati ſunt, corripiantur, æque notum eſt, utputa raucedine, alvi profluvio, ſtrumis, & quod noſtri feſcenini vocant, caput acto. Præterea oves puſtulis quibuſdam interdum communiter laborant, invicemque inquinantur ſicuti pueri variolis. An etiam bruta vitare omnino non poſſunt, quin aliquam, etſi levem, ab alimento, quod in utero trahunt, putredinis ſpeciem ſubeant? Illud enim in utero primis menſibus ſæpe redundat, per id tempus inibi clauſum male tranſpirans, atque ſuperfluens, ut aliquantum putreſcat oportet. Quo fit, ut ipſa quin etiam bruta malis hujuſcemodi communibus ſubjiciantur. ſed non æque frequenter, nec æque prompte atque homo in illa incidant. cujus rei cauſa in promptu eſt, quoniam in his multo levior quam in homine eſt hic putredinis fomes, quia illorum matres paucioribus menſtruis quam mulieres abundant: Quocirca ut excitetur, longe maiore indiget impulſore. Hinc canicula quædam præpinguis, quæ in deliciis habebatur, & ex matre, quæ nimio alimento luxuriabat, orta, lambens puellulæ inquinatæ ſputa, ſola ex multis aliis in pruriginem, in ſcabiem, tandem in pilorum omnium defluvium incidit: quin etiam pullaſter unus tantum inter quam plurimos meretricis cujuſdam Gallica labe affectæ ſputa crebro ſorbens pennas omnes amiſit, & reliquis integris, deplumis factus eſt. Hinc fœtus illi, quorum matres uterum gerentes multa pabuli copia luxuriarunt, non minus facile quam homines hujuſmodi malis redduntur obnoxii, ut ovium, & caprarum, & ſuum: ubi per totum tempus, quo illorum matres uterum geſſerunt, eædem fortuito ſe pabulo affatim repleverunt. Hinc quoque ſæpius fit, ut his malis per totam vitam ex fœtibus brutis plurimi nunquam infeſtentur, quia tum illis inſita putredo pertenuis eſt, tum matres eorumdem, dum uterum gerunt, pabuli redundantia raro laſciviunt. Hinc ſatis patet, cur bruta quamquam ventres, & appetitum, & reliqua, quibus nimia nutrimenti copia congeritur, ſicut homines habent: pleraque tamen ſimilibus morbis ob naturæ neceſſitatem a nimia nutrimenti copia æque atque homines non afficiuntur, cur item pauca quædam afficiantur.

## CAP. XVIII.

*Communes morbos alicubi peculiares, interdum mutari in alios, atque alios: neque neceſſe eſſe, ut idem ſemper ſint: ſed aliquos ante nequaquam contagioſos poſt in eorum locum ſuccedere, contagioſoſque fieri: Mox quomodo à ſe ipſis differant. denique cur homo magis quam brutum putridæ febri ſit obnoxius.*

Ex quo mirum alicui non videatur, ſi forte aliquis ex his morbis in ſua regione, cui peculiaris eſt, in alium morbum æque communem aliquando abeat, atque hic in alium, & ita deinceps, ut regio ipſa nunquam ſine communi aliquo morbo, non tamen ſub illo ſemper ſit. ut enim communis hæc cauſa, quam in omnibus hominibus ab ortu primo ineſſe dicimus, mutatione locorum, aëris, & victus privatim mutatur. ita in eadem regione, ſuccedente novo aliquo victu, novo item aliquo cœleſti ſtatu, facile poteſt, qui ante graſſabatur, in alium morbum converti, quin imo nunc hanc, nunc illam morbi ſpeciem induere: quemadmodum enim in Europa videmus morbum Gallicum in omne fere genus morborum permutari: Ita ſeminarium hoc in ea regione, ubi morbum aliquem communem peculiariter exercet: poteſt hunc eundem, ſive dicas ſe ipſum, in morbum alium, atque alium vertere: mutato videlicet victu cœlique ſtatu: Hinc quidam non injuria ſunt arbitrati, morbillos atque variolas in Europa quingenteſimo abhinc anno, vel circiter, primum extitiſſe, ante vero nunquam, quod ſciatur. quum enim adeo communes eſſent; priores medici illorum curationem aliquam nobis tradidiſſent, quum tamen nullam reliquerint. ut ex poſteriorum medicorum libris, qui de his ſcripſerunt, conjicere licet. Huc accedit, quod neque Hipp., neque ullus antiquior illo de his eiſdem ullibi ſpeciatim locutus ſit. nam exanthemata, ectymata, & id genus alia, quæ apud eum inveniuntur, non hi morbi quidem erant, ſed forte pro illis oriebantur. Probabile namque eſt ante ortum eorum aliquid ſimile fuiſſe, in cujus locum ii poſtea ſucceſſere. futurumque eſſe, ut his deſinentibus quidam alii æque communes deinde ſequantur. atque interim, dum ii penitus non abolentur, ut alii etiam illis ſubſtituantur: mox decidant, & illi reſurgant. velut interdum in Europa videmus biennium, trienniumve morbos aliquos communes in omnes homines promiſcue ferri: interea vero tum morbillos tum variolas definere, poſtea repullulare: illos vero deficere, nihilque prohibere, quin ii quoque morbi, qui nunquam inficere ſolent; ut aliquando communes evadant, & contagioſorum ſpeciem induant. ut quinquageſimo abhinc anno pleuritides fuiſſe accepimus. liquet itaque, morbum communem, qui alicui regioni nunc proprius eſt, non ſemper eundem eſſe oportere, ſed in alium atque alium converti. Proinde putridas quoque febres, quæ non inficiunt, interdum inficere poſſe, & communium morborum ex naturæ neceſſitate ſpeciem induere, qui ſimiliter ex putredine naſcuntur. quando vero non inficiunt, ſcire licet differre à ſe ipſis, & ab aliis morbis, qui non ex naturæ neceſſitate, ſed ex accidenti tum contagioſi, tum non contagioſi ſunt. non ipſa quidem putredine, hæc enim in utriſque eadem eſt ſecundum genus, ſed peculiari putredinis qualitate: quippe putredo, à qua morbi ex neceſſitate naturæ gignuntur, homini innata eſt: à qua vero morbi ex accidenti creantur, aliena. illa ex naturæ neceſſitate fit, hæc ex accidenti. illa intus ineſt, hæc foris advenit. illa per totam vitam durat. hæc non niſi aliquando. illa partim ſecundum naturam, partim præter, hæc penitus præter naturam, illa per ſe non interimere ſolet, hæc ſolet. illa etſi jam eſt, non tamen malum ſemper agit, hæc nunquam eſt, quin ſemper magis minuſve infeſtet. illa omnino aboleri non poteſt, niſi homo pereat, hæc tota poteſt. Illa per ſe contagioſa, hæc ex accidenti. illa, quoniam in toto eſt propter generis cognationem, cuicunque alii putredini ſuſcipiendæ promptum hominem facit, hæc contra, quum in parte privatim ſit, non facit, niſi motus aliquis intercedat, qui totum in conſenſum trahat, quemadmodum penis puſtulas interdum videmus Gallicam luem excitare, interdum vero non; ſiquidem aliquando motus accedat, qualis eſt hujus mali impulſor: aliquando vero nullus: eadem ratio eſt de oris, papillarum, ani, & labrorum ulceribus. adeo ut omnis quoque putredo, ſi motus cum ea fiat, qui hanc internam putredinem in actum ſecundum impellat, ex naturæ neceſſitate inquinare poſſit, alioqui niſi hic interveniat, non poſſit. ex quibus ſequitur, quod quamquam tertianæ febris putredo eadem ſecundum genus eſt cum illa,

illa, quæ communis morbi ex naturæ neceſſitate contagioſi, non tamen dictam putredinem, quam inſitam eſſe ſtatuimus, ad actum ſecundum perpetuo provocet. ſiquidem actio ritu naturæ in re fiat, ſecundum quod apta eſt pati, & ab agente, ſecundum quod aptum eſt agere. tertianæ enim putredo non omnem putredinem, ſed terminatam, apta eſt vel irritare, vel augere: quum quodlibet non fiat à quolibet, ſed terminatum à terminato. Proinde ſi quis putri ſcabie laborans mox tertiana corripiatur, tantum abeſt, ut ſcabiei putredo creſcat, ut ſæpe conſumetur tota: alioqui tertiana inſultante, cum in aliquibus reliquiæ menſtrui ſanguinis inſint, cujus cauſa tum variolæ, tum morbilli exiſtunt, morbillos, variolaſve ſtatim oriri oporteret, id quod minime uſu evenire ſolet. licet enim in parte, cui ea corruptio ineſt, tertianæ quoque febris putredo gignatur: ob hoc tamen, ut illa ſimul ad agendum excitetur, non eſt neceſſe, niſi partis læſioni totum quoque ex neceſſitate conſentiat. poteſt enim ea pars ex peculiari ſua natura penitus putreſcere, cæteris omnino incorruptis: poteſt emori, ſalvis aliis omnibus; ut in morbo, quem σφακελον Græci vocant, poteſt amputari, eo, quod reliquum eſt corporis, integro manente: ita ut interdum pars aliqua putreſcere tota poſſit, non poſſit tamen hanc innatam putredinem ad agendum movere. quamquam in ea parte, ubi hæc ineſt, ſi putredo altera moriatur, in cauſa ſit propter cognationem generis, ut illa multo facilius, ac maturius, ſæpiuſque naſcatur, quam ſi non ineſſet. quemadmodum enim ignis citius accenditur in loco, ubi calor ſubeſt, quam ubi frigus; ita putredo promptius fit in corpore putredine affecto, quam in alio: ideoque putridis febribus magis obnoxii ſunt homines quam bruta, quoniam ii fere omnes (ut ante diximus) ab ortu primo putredine quadam non leviter affecti ſunt, hæc vero vel perexigua, vel admodum levi. quocirca petenti, cur homo magis obnoxius ſit putridæ febri, quam bruta, reſpondendum (quod in opere noſtro de re medica dialogo 2, ne nimis prolixus eſſet, dicere omiſimus, & in hunc locum diſtulimus) id evenire quidem non poſſe, quoniam homo animi curis magis affligitur. nam & pueri, & mulieres multæ ſine curis degunt, nihilominus tamen putridis febribus facilius quam bruta corripiuntur. neque item propter eas cauſas, quas ibidem recenſuimus, ſed quoniam homo innatam (ut dictum eſt) putredinem habet: quæ putredini cuivis alii faciliorem ſemper aditum propter ſimilitudinem præbet. Hactenus quod putridæ febres interdum inficiant, interdum non inficiant. Et cur tertiana febris excitare non poſſit innatam putredinem ad hujuſmodi contagioſos morbos efficiendos. cur etiam homines magis quam bruta his febribus ſunt obnoxii, ſatis oſtendiſſe vobis videmur.

## CAP. XIX.

*Quomodo morbus Gallicus & alii hujuſmodi morbi tum inevitabiles tum ex naturæ neceſſitate à vobis vocentur: quum extrinſeco impulſore indigeant, & magna victus, aëris & luci facta mutatione, ut in magnis crebriſque diluviis in alios morbos atque alios tranſire poſſint.*

Sed tum ex his, tum ex aliis antedictis non levis oritur quæſtio: quippe aliquis aſſeret morbos, qui à nobis ex naturæ neceſſitate contagioſi atque inevitabiles dicuntur, non ex naturæ neceſſitate, neque inevitabiles, ſed ex accidenti ac evitabiles eſſe. Si enim abſque impulſore, qui extrinſecus advenit, non creantur, ſi magna & communi quandoque orta loci, aeris & victus mutatione in alios, quam prius erant, vertuntur, illorum cauſæ vitari poterunt, & aliunde, quam ex naturæ neceſſitate, creabuntur. Nam ſi quis ſe à nutrimenti nimietate contineat, ſi ab inquinatis ſe cuſtodiat, in hos morbos fere non incidet: ſi magna communique aëris, loci & victus facta mutatione tales morbi in alios atque alios permutantur: quo modo hic prior, ille poſterior ex naturæ neceſſitate erit, quum natura ſemper eadem ſit.

Huic reſpondetur, ex naturæ neceſſitate dictos morbos oriri, ſi homines ipſi non abſtinenter ſed naturaliter vivant, ſimulque primi alimenti vitio (quod inſitam putredinem appellamus) omnes communiter affecti eſſe ponantur. Quum enim homo ab ortu primo internam putredinem naturaliter ſortiatur, neceſſario cogitur, ut putrido alicui morbo communiter obnoxius ſit: in quem ubi inciderit, non ex aliquo accidenti, quod inſitam putredinem nunc excitaverit, aut quod novam aliam induxerit, incidit: ſed ex naturæ neceſſitate quæ in utero coacta fuit hominem putri (ut diximus) alimento nutrire & augere: alioqui niſi vetus putredo præexſtitiſſet, hæc nova vel morbum nullum, vel non promiſcue communem, omnibus attuliſſet. Itaque quod morbus hodie & non heri gignatur, quod huic in juventute, illi in ſenectute contingat: quod hunc non capiat, illum capiat, ex accidenti quidem evenit: ſed quod quacunque ætate, quocunque tempore, quemcunque hominem vel hac, vel illa mali ſpecie promiſcue afficiat, id non ex aliquo accidenti, ſed ex naturæ neceſſitate fit. quippe quum illa putredinis vitium in utero effugere nequiverit, ſingulosque homines in alimenti nimietatem proclives (ut ante docuimus) effecerit: non potuit hominem putrido morbo aliquando non afficere. Impulſor igitur & aër, & locus, & victus agunt quidem exempli gratia morbum Gallicum non neceſſario, ſed hic, quatenus accidit integrum corpus ab inquinato tangi, aut novam putredinem in corpore gigni. illi vero, quatenus internam putredinem ad hanc mali ſpeciem & non ad illam præparent. Verum quod nunc ſinguli homines, exceptis paucis hoc morbo promiſcue corripiantur, non impulſor, non victus, non aer, non locus in cauſa ſunt; ſed neceſſitas quæ naturam coegit alimento putri humanum fœtum in utero nutrire, & extra uterum nimio alimento replere; morbus igitur Gallicus partim evitabilis, partim inevitabilis eſt: evitabilis quidem, quatenus victum, locum, aerem, à quibus interna putredo, alioqui putridis morbis omnibus communis, in eum ſpeciatim convertitur, & quatenus contagionem ab eodem emanantem vitare licet: inevitabilis vero, tum quatenus cauſam, hoc eſt, internam putredinem, ſequitur, quæ vitari non poteſt, tum quatenus in regione propria neminem fere non attingit. Partim quoque ex accidenti, partim ex naturæ neceſſitate creatur: ex accidenti quidem, quia privatim vitari poteſt; ex naturæ vero neceſſitate, quia generatim vel ipſe vel ipſius ſimilis aliquis non poteſt. Genus enim humanum & propter inſitam iſtam putredinem, & propterea quia nutrimenti nimietate (ſi naturæ ſuæ relinquatur) laborare ſolet; putrido aliquo morbo quandoque affici non poteſt.

## CAP. XX.

*Licet una parte tantum affecta morbi ex naturæ neceſſitate interdum contingant, non tamen unam partem tantum interea mutatam eſſe, ſed omnes, neque in his unam corporis partem magis quam alterum primogenio affectu laborare.*

Adhuc dubitavit aliquis, ſi dicta putredo per totum diſperſa eſt, ſi in univerſum moveri debet, ubi aliquis propoſitorum morborum exoritur, cur ulcere unam ſolam corporis partem nimirum penem exercente inquinamentum morbi Gallici ſæpe conſequitur: quippe totum corpus infectum non eſſe facile ſuaderi poteſt, quum una pars tantum videatur infecta. An per totum quoque contagio ipſa fuſa eſt? quum per id tempus is, qui ulcere circa penem afficitur, non ſolum ſi pene tangat alterum, ſed ſi eum obnixe amplectatur, vel arcte oſculetur, inficiat. Affectio itaque in pene quidem magis apparet, ſed nihil minus in toto exiſtit: ſiquidem inquinatum corpus, quacunque ſui parte corpus integrum arcte tetigerit, illud etiam inquinet. Quum ergo, ut inquinamentum ſequatur, non referat, quænam pars in corpore primum ulceretur; ex hoc manifeſtum fit, nullam ſedem affectam ſibi propriam hos morbos præſcribere. Videmus enim infantes ulcere in labris primum orto in luem Gallicam incidere, nutrices in papillis, viros in pene, meretrices in vulva. Proinde hi minus recte cenſent, quicunque primam Gallici morbi ſedem hepar eſſe volunt: etſi enim in contagioſis ex accidenti pars una certa potiſſimum affecta reperitur (ut in tabidis quibuſdam pulmo) ſecus tamen in his, qui ex naturæ neceſſitate naſcuntur, uſu venit: in his enim non in una tantum parte putredinis innatæ locus eſt, ſed in toto: ita non pulmonem privatim affici, ſicut in tabe, oporteat, ſed ſingulas corporis partes ſine diſcrimine, id eſt hanc aut illam affici ſatis ſit. Adde quod nulla contagio, quoad ad ipſam attinet, locum peculiarem, quo ſuſtineatur, exigit, quippe quæ non ſolum in ſingulis inquinati partibus, ſed etiam in veſtibus, in ſupellectilibus conſervatur & reſidet, ut enim aliquis inquinatus nihil magis una parte quam altera tangens, integrum corpus inficit, ita non magis una pars, quam alia primum proprieque affecta ſit, ut contagio ſervetur, neceſſe eſt. Sed ſi in aliquibus morbis ſecus videtur, id ex accidenti, non ex contagionis natura fit. nam experimur tabidorum veſtes, ſupellectiliave alios inquinare, quemadmodum eorundem conſuetudinem, amplexum, oſculum, ac ſi contagio non aliquam cer-

certam ſedem requirat, & ſi requirit morbus: Proinde mirum non ſit, ſi morbi ex naturæ neceſſitate contagioſi non magis unam partem, quam aliam privatim affectam exigant: non enim à corpore particulatim, ſed generatim, affecto dependent. licet itaque tabidi ex pulmone contagio peculiariter lædat pulmonem: & ex cute cutim, ut in quibuſdam ſcabioſis. morbus tamen Gallicus, quia modo cutim, modo caput, modo jecur, modo alias particulas lædit, neque in ulla firmiter perſtitit, non unam ſedem certam, veluti tabes habebit, ſed aliam, atque aliam. Verum hæc longe clarius infra, ubi de morbo Gallico ſeparatim loquemur, nunc attigiſſe ſufficiat. Patet igitur, qui morbi ſint ex accidenti, qui ex neceſſitate naturæ, atque horum qui contagioſi, qui non contagioſi. Et morborum ex naturæ neceſſitate contagioſorum quænam communis cauſa. Hancque intus in homine ſemper, & neceſſario, neque in una aliqua corporis parte tantum, ſed in ſingulis indifferenter haberi. Denique alimentum eſſe, quod in utero fœtus neceſſario ſumit, & omnino ipſum fere menſtruum, id quod plerique medici, qui morbillos, variolasque à menſtruo ſanguine exiſtere cenſuerunt, atque ſcripſerunt, attingere quidem viſi ſunt ſed longe admodum; & veluti per tranſennam aſpexerunt: primum quia horum aliqui ab aliis cauſis ſine menſtrui ſanguinis occaſione, contra quam ſupra declaraverimus, hos communes præter naturam affectus, hoc eſt morbillos, variolaſque gigni tradiderunt; deinde quia omnes neque elephantiaſim, quem morbum apprime noverant; neque alios hujuſmodi morbos, qui naturæ neceſſitatem ſequuntur, ad talem cauſam retulerunt: quia cognita non ſolum ea, quæ dubitata ſunt facile diſſolvuntur, ſed multa quoque alia, quæ putredinis ſpeciem aliquam reſpiciunt, tum evidentiora, tum firmiora redduntur.

FINIS LIBRI PRIMI.

# ALEXANDRI TRAJANI PETRONII,

*Philoſophi, ac Medici præclariſſimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## LIBER SECUNDUS.

### CAP. I.

*Utrum morbus Gallicus in noſtris oris ſponte oriri queat.*

Quum igitur non ſolum eæ dubitationes, quæ tum morbo Gallico, tum elephantiaſi, tum variolis, atque morbillis communes erant; ſed etiam aliæ multæ, quæ ad id genus morbos pertinebant, jam ſolutæ ſint; ac ſimul, quænam horum communis cauſa ſit, jam ſatis conſtet: Reſtat ut ad ea, quæ ſpeciatim de morbo Gallico propoſuimus, primum accedamus. Deinde ut rectam, quoad poſſimus, illius tum evitationem, tum curationem explicare tentemus. Itaque ſuppoſito eo, quod proxime probavimus, hoc eſt elephantiaſis, morbillorum, variolarum, morbi Gallici, & aliorum hujuſmodi morborum cauſſam eſſe alimentum, quod in matris utero non ſine quadam putredine humanus fœtus neceſſario trahit. idque per totum hominis corpus diffundi, perque totam vitam, quia in hominis ſubſtantias ab ortu primo convertitur, tale perdurare: non difficile eſt reſpondere quærenti, utrum morbus Gallicus in noſtris oris ſponte gigni queat. nam quod alicubi ſponte ſua ſine contagione natus aliquando ſit, hinc facile ſuaderi poteſt, quod omnis ex contagione morbus ſemper aliquem ſui generis, qui ante ſponte ortus eſt, ſequitur: licet enim ab altero (verbi cauſa) lue Gallica inquinato, alter inquinatus ſit: & hic ab illo, atque ita deinceps præterita omnia repetendo: quandoque tamen ſiſtendum eſt, tum quia cauſæ in infinitum non abeunt, tum quia nullus morbus humanum genus perpetuo afficit. quum igitur aliquando penitus ceſſet, tum ubi rurſum incipit, non ex contagione, ſed ſponte incipiat oportet. verum ad propoſitum noſtrum revertamur. ſi enim idem principium tum ejus, tum morbillorum, tum variolarum, & elephantiaſis (ut dicebamus) eſſe ſtatuatur; quum ii affectus (ut notum eſt) in noſtris regionibus ſponte interdum contingant: nihil prohibere videtur, quo minus ſimiliter Gallicus morbus apud nos interdum oriatur. ſed ſtatim aliquis objiciet: cur olim, antequam illius contagio ſerperet, non oriebatur ſponte naturæ? ac ſi oriebatur, cur non ſecuta eſt contagio antequam ab India occidua huc importaretur? niſi forte hic quidem olim ſponte naſcebatur, ſed tamen horribili ſpecie, ut homines conſuetudinem eorum, quos corripuiſſet, vehementer fugientes non facile inquinarentur, quemadmodum elephantiaſim aliquando natci videamus, quæ ſolum eum, qui primo affectus eſt, cæteris contagionem diligenter vitantibus, exercet, alium vero poſtea neminem: aut certe velut elephantiaſis ex Ægypto huc ante invecta, jam hic ſponte naturæ oritur; ita morbus Gallicus, poſtquam huc irrepſit, ſponte quoque ſua hic gigni poteſt: putredine videlicet, quæ in nobis eſt, non ſolum communiter; ſed ſpeciatim ob contagionem multo ante præcedentem, ad morbum Gallicum apta, & jam parata: quæ licet diu lateat, neque unquam ante ſua ſponte apparuerit: poteſt tamen in aliquod tempus poſt erumpere, ut in aliqua familia hominum alioqui alborum conſpicimus puerum nigro colore nati avo ſuo, qui Æthiops fuerat, ſimilem. itaque priuſquam Gallici morbi contagio huc migraret: probabile magis eſt, eos neminem expertum fuiſſe, cum victus, aër, & locus, qui apud nos ſunt, huic maxime opponantur. adeo ut non tolerent ſive hunc, ſive aliorum aliquem ex naturæ neceſſitate abſque contagione in noſtris oris haberi, alioqui jamdiu Gallicus morbus, ut proxime objiciebatur, ſponte ſua apud nos paſſim apparuiſſet: quemadmodum elephantiaſis, quam ob locorum commercia ex Ægypto in noſtras regiones olim invectam fuiſſe facile exiſtimare poſſimus. ideoque jam pridem apud nos & ſponte, & ex contagione ortam fuiſſe planum eſt: ſed ſi victus noſter, & aër, & locus idem eſſet ac Indorum, neque minus frequenter, neque aliter apud nos, quam apud illos morbus Gallicus naſceretur. Idem enim nobis atque in illis (ut primo libro declaravimus) eſt hujus morbi principium, ſed differt varietate loci, aëris, & victus, ſiquidem varias morborum ſpecies in hominibus gignit, prout varie à victu, ab aëre, & à loco paratur: utrum igitur morbus Gallicus apud nos ſponte oriri queat, & quod præcedente contagione gignatur, ſatis ex his, quæ diximus, conſtat.

### CAP. II.

*Cur ſingulos homines promiſcue inficiat tam æſtate, quam hyeme &c.*

Cur vero ſingulos homines ſine delectu inquinet, tam æſtate, quam hyeme, tam vere, quam autumno, tam in Hiſpaniis, ac locis ſane calidis, quam in Borealibus plagis, ac frigidiſſimis, hinc ſcire licet, quum enim in homine ſemper inſit dicta putredo, ex qua morbus hic nasci poteſt, ubicunque, & quandocunque fuerit homo ſine delectu inficietur, ſi contagionis detur occaſio, quæ latentem putredinem excitet. Quippe quæ (ut primo docuimus) nulli parcit temperamento, neque calido, neque frigido, neque humido, neque ſicco. Sed nullo diſcrimine hunc, aut illum inficit, prout contagium ſeſe offert, & qualis humani corporis ſubſtantia ratione loci, aëris, & victus apta reperitur.

### CAP. III.

*Cur in omnes putredinis affectus immutari ſoleat, non autem elephantiaſis, morbilli, variolæve.*

In omnes vero morbos fere immutatur, in omnes inquam qui putredinem ipſam, hujuſque calorem ſequi ſolent: quoniam prima hominis conſtitutio in univerſum ac

putri

putri (ut diximus) ſubſtantia conſtat, quam nulla corporis pars effugere potuit, quia in omnem penetravit. quippe quæ alimentum eſt, quo primum homo nutritur, & vivit. itaque cum id principium in ipſa hominis ſubſtantia ſit, ubi agendi occaſio præbetur, homo in eum morbum incidet, in quem maxime proclivis eſt, prout ratione loci, aeris, victus & contagii ad patiendum ſit aptus. proclivis autem eſt propter generis ſimilitudinem putredinis affectum, quum non magis ad hanc, quam ad illam putredinis ſpeciem vergat: in omnem igitur morbum, qui putredinem, aut ejus calorem comitatur, propter hoc principium Gallicus morbus vertetur, ſed elephantiaſim, variolas, morbillos in tot varios putredinis morbos æque atque morbum Gallicum minus permutari, ea ratio eſſe poteſt, quod Elephantiaſis ubi ſemel infecit, tum in uno, aut altero homine, & vix in tertio (quia fere omnes ab hac ſibi cavere quam maxime ſtudent) regignitur: ita ut ab ea, quæ per corpora fit, tranſmutatione, non admodum à ſua natura permutetur, quin imo intra ſuam ſpeciem, qua primum viſa eſt, fere ſemper invenitur, ſuamque formam retinet. At morbus Gallicus, quum fere in infinitos homines (ut ita dicam) transvehatur, ut is quem primum cepit, deinceps pluſquam mille alios ab uno ad unum inquinarit, varias morborum à putredine ſpecies induit, prout ſubjecti homines hac parte magis quam illa, vel uno modo magis quam altero apti ſunt pati, vel inquinari, ſiquidem in tam multa crebraque tranſitione à prima ſua ſpecie immutatur, & aliam, prout locus, victus, aër, & hominis corpus patitur, inducit.

## CAP. IV.

*Quomodo nunc carnes ſolas offendere videtur, nunc ſolos oculos, nunc tantum aures, & hujuſmodi.*

Quominus mirari quis debet, quod modo carnes lædit illæſis, quoad ſenſus notionem, reliquis corporis partibus modo pilos, nunc oſſa, nunc nervos, nunc oculos, nunc aures, & ideo magis hanc quam illam partem: ſubjecti enim promptitudo, prout magis, minuſve ob victum, regionem, & cœlum præparatur, ut ab hoc agente permutetur, in cauſa eſt. Nam quod ad id principium, ſive ad hanc innatam putredinem, attinet, æqualiter fere ſingulas partes offendit, niſi quis malit extimas quam intimas ob rationes in primo libro allatas, ubi morbus pro ſua natura ſe habet, offendi. Sed quum interdum evenit, ut quis antequam morbo Gallico corripiatur vel auditu debili ſit, vel oculis hujuſmodi. Tunc ſive exiguum, ſive magnum ſit inquinamentum, eas partes, quæ primo læſæ ſunt, potiſſimum lædit. ſi magnum quidem, omnes: ſed ante depravatas maxime, ſin exiguum, vel paucas, vel eas tantum, quæ prius male erant affectæ. Hinc quidam in oculis tantum experitur hunc morbum, quidam duntaxat in auribus quidam ſolummodo in pilorum defluvium incidit, quidam ſumma virium imbecillitate, quidam gonorrhœa, quidam deſtillatione ex capite, quidam articulari morbo laborat, ut hi qui coitu nimis immoderato utuntur, ut enim hunc citra morbum Gallicum ſequi ſolet pilorum caſus, ſpirituum maxima reſolutio, gonorrhœa, liquefactio, articulorum dolor, ſi Gallicus morbus ſuperveniat, hujuſmodi partes, unde hi affectus emergunt, potiſſimum lædit. Hinc quoſdam etiam magis, quoſdam vero minus offendit, ut mulieres in ea videlicet ætate, qua menſes ſentiunt, minus quam viri hoc malo infeſtantur, quod menſtruorum purgatione illorum corpus minus aptum reddatur, ut ab hoc agente ſuperetur, contra vero his deſinentibus ſive propter ætatem, ſive propter aliquem præter naturam affectum, tum ſæpius, æque atque viri. tum aliquando multo magis patiuntur. de eo, quod morbus Gallicus quaſdam corporis partes peculiariter aliquando lædat, hæc ſatis dicta ſint.

## CAP. V.

*Verum hujus mali efficiens quum impulſore indigeat, morbi ſpeciem, unde impulſor primum emanat, ſemper ſequatur.*

At vero cum hoc agens in actu primo (ut dicitur) intus exiſtit, ac propter victum, regionem, & cœlum in his locis in morbum Gallicum, in illis in variolas, morbilloſve peculiariter immutatur, quoniam etiam impulſore indiget, ut in opus ſuum prodeat, & in actu ſecundo (ut inquiunt) ponatur: quæret aliquis utrum (exempli cauſa) in India occidua, ubi excitatur ab impulſore, qui non Gallicum morbum, ſed variolas præ ſe fert, tum non in morbum Gallicum, ſed in variolas, morbillosve tantum immutaretur, quia enim illud ex æquo ſe habet tum ad Gallicum morbum, tum ad variolas, videtur excitantis ſpeciem, & non alterius ſequi debere. ſi ergo excitans ex variolarum genere fuerit, variolas, & non Gallicum, aut quempiam alium morbum excitabit. Contra vero, quoniam variolarum impulſor has eaſdem præter earum morem pene omnes in India occidua (ut audivimus) lethales facit, longe alium morbum, quam ipſas variolas inibi procreabit. Quippe quæ (ut apud nos omnes notis conſtat) ſuapte natura ſalubres, & mites eſſe comperiuntur: quare ſalubrium variolarum impulſor non ſemper eas æque ſalubres: ſed ut à propria conſuetudine magis recedunt, magiſque lethales ſunt; Ita eaſdem tamquam alterius morbi ſpeciem inducentes excitabit. An idem impulſor, qui eundem actum intra initia perpetuo ſequitur: eundem quoque morbum circa principia (nam circa media, & fines in alium, atque alium verti nihil vetat) ſemper creabit, ſed hunc in alienis regionibus magis ſævum, quam in ſuis, quoniam & ſi tum in his, tum in illis, naturam lædit, magis tamen in his quam in illis præter naturam exiſtit, quod patet exemplo Gallici morbi, qui apud Indos ſponte naturæ paſſim oriri ſolet, apud nos vero nunquam ante contagionem ortus fuiſſe perhibetur: quanto autem à natura magis recedit, tanto ſævior gignatur oportet. Quum igitur in homine ea putredo (ut dictum eſt) partim ſecundum naturam, partim præter naturam inſit: quatenus præter naturam æqualiter tum in nobis, tum in Indis invenitur, ut tamen morbo, quem hic impulſor inducit, conſimilis eſt, ita eundem in ſe facile, promptequeque contrahit. quatenus vero hæc eadem magis ſecundum naturam, quam Indorum naturam ſpeciatim in nobis ineſt (exemplum ex morbo Gallico, quando incepit, clarioris doctrinæ gratia, ſumam) contingit, ut poſtquam hunc Indorum morbum contraxerimus, non leviter hic idem naturam noſtram evertat. Quocirca ea putredine multo magis præter noſtram naturam in morbum Gallicum, quam ſi in variolas morbillosve mutaretur, abeunte, & omnino natura noſtra, propter peculiarem contrarietatem, jam depravari, ac deformari incipiente, neceſſe eſt, quandiu tanta contrarietas durat, & ſæviorem eſſe morbum, & ægrotos multo gravius affligi, non quia morbus alius inducatur, ſed quia naturæ, quam nunc exercet, contrarius magis eſt quam illi, unde per impulſorem ante manavit, proinde mirum non eſt, ſi in Indiis occiduis (ut quidam perhibent) variolæ alioqui ſalubres univerſos homines in quibuſdam inſulis penitus abſumpſerunt. non enim hic morbus apud nos ita immanis, ut illic exiſtit: ſed quoniam propriæ Indorum naturæ valde adverſantur, id, ut opinor, factum eſt: quod namque res aliqua valde officiat, non ſolum eſt illius, ſed etiam ejus, cui officit, natura ſpectanda: quæ ut officienti diſſimilis eſt, ita magis minusve lædituri: nobis roſarum odor ſuaviſſimus eſſe ſolet, noſtrum tamen aliquis ita eo offenditur, ut ſtatim odore percepto in animi defectionem incidat. Id quod non ſolum à roſa, quippe quæ perjucunda homini eſſe putatur, ſed ab illius natura, cui tantopere adverſatur, evenire cenſendum, ex quibus plane intelligitur, hoc agens ab impulſore non aliam morbi, quum incipit graſſari, ſpeciem, quam cujus eſt impulſor, accipere. quomodo vero hi morbi temporis longinquitate miteſcant, quum eadem ſit in hominibus natura, poſterius dicetur.

## CAP. VI.

*Cur aliqui contracta Gallica labe longo poſt tempore affici videntur, aliqui non affici quidem, ſed alios afficere.*

Roganti vero, quamobrem aliqui multo poſtquam inquinati ſunt, hujuſmodi morbo afficiantur, aut ſi non afficiuntur, cur alios afficiant: quis factum ſatis eſſe putabit, eo quod primo libro, ubi quærebatur, quomodo in hominis corpore ab ortu primo ad ſenectutem uſque latitat hujus mali fomes, illud evenire dicebatur, quoniam antequam ille agat, impulſore indiget, at nunc impulſor egiſſe ponitur: quo fit, ut alia reſponſione opus ſit, quando quidem mirum eſt, poſtquam contagio infecit, hanc eandem in eo, qui infectus eſt, non apparere, niſi longo poſt tempore, aut ſi nunquam apparet, in alio tamen, quem hic ante infectus tetigerit, conſpici. Si enim hæc jam ineſt, ſi jam impulſor excitat eam putredinem, de qua tam multa diximus: quid prohibet, quo minus eadem ſtatim agat? An ſicut videndi facultate integra in ſe ipſa exiſtente, & lumine jam præſente, id quod nunc ceu impulſor eſſe ſtatuitur, interdum vitio non fit, ubi clauſis oculis homo manet, mox vero fit, ubi illos attollit: ita contagione jam inquinante, & omnino impulſore ipſo innatam nobis putredinem excitante, affectus in eodem homine, qui inquinatus eſt, quoniam aliquid impedit, latet, ſublato autem impedimento, quod paulo aut

multo post amoveri potest, apparet. Atque ut pannus laneus pestifero vapore infectus pestem non afficitur, sed alios, quos tetigerit, afficit; Ita mulier aliqua, contagione hujusmodi inquinata, sana interdum alioqui videtur: sed alios, quibus conjungitur, facile contaminabit, & morbo aliquo pro inquinamenti qualitate simul afficiet. Sane horum omnium causa est subjectum ipsum, quod patitur, prout aptum est inquinari, deinde morbo affici, aut non affici, & alios afficere, illud ita se habet, ut homo à cane rabido morsus, qui longe post rabie afficitur, hoc tale est, quale id quod suapte natura potest à calore immutari, & aliquid in se concipere putre, non tamen morbo, quem suo contactu homini infert, laborat: ut pannus laneus, qui transpirare prohibitus putrescit, & à tineis absumitur: quum enim calorem alienum in se recipiat, potest calorem vitiatum, quod pestiferum inquinamentum est, admittere, non tamen in pestem incidere, sed, ut homines in illam incidant, efficere, sic sordida suppellectilia pestiferum calorem propter sorditiem servant, lota vero & munda non servant. Jam ex his constat, cur aliqui multo postquam contaminati sunt, morbo Gallico affecti cernuntur, aliqui vero non affecti videntur, sed afficiunt alios.

## CAP. VII.

### *Cur ab initio tam maligne sæviit.*

Jam cur ab initio tam graviter sævierit, explicare tentandum, id forsan evenisse quibusdam videbitur, quia tunc aut sine ulla curatione relinquebatur, aut omnino male curabatur: & id quidem ab ignaris factum, ne si æger deficeret, quicquam omisisse viderentur, illud vero à bonis medicis, qui quum propter rei novitatem neque genus mali, neque remedium invenirent, nihil tentabant quasi quod nemo per illud tempus in homine periclitari conjectura sua voluerit, ne occidisse, nisi servasset, censeretur. Sed his obstat, quod hac nostra ætate, postquam hic morbus evasit mitis, eadem curatione, qua olim ex hydrargyro utebantur, adhibita, facile cedit: ac etiam nulla prorsus injuncta quoidam non graviter, sed leviter affligit. Quemadmodum contra priori tempore, quo primum apparuit, eos, qui non curabantur, non leviter, sed graviter affligebat: Itaque si olim & curati & non curati se graviter habebant: nunc vero contra leviter, sequitur neque malam, neque omissam curationem in eam causam referri posse: præsertim cum hac quoque ætate interdum immanis appareat, sive recte cures, sive omnino non cures. neque item ob repentinam mutationem, utputa quam natura non toleret, id ipsum evenisse credibile est, quippe natura repentinam mutationem ferre non potest, non ubi leviter, sed ubi vehementer alteratur. quamobrem asserere, quod repentina mutatio incipiente morbo Gallico causa sit immanitatis in eo, idem est ac dicere, quod idcirco sit, quia homines vehementer infestabat, quo fit ut adhuc in controversia sit, cur ab initio tam vehemens, tam immanis, hic morbus in Europa fuerit, neque illud pro causa afferendum esse videtur; quod contrarietas major quam nunc in subjectis corporibus tunc erat, utpote quæ, dum huic morbo resistebat, hunc eundem magis exasperabat, ut fabri ferrarii aqua ignem vehementius incendit: Æstivus calor frigus in cellis vinariis magis auget: nam si qualis contrarietas est aquæ in ignem, & frigoris in calorem, talis esset subjectorum hominum, qui nostras incolunt oras, in ipsum morbum Gallicum, posset quidem ex accidenti horum alterum (ut dicunt) antiperistatis ratione augere alterum, sed nequaquam generare, sive inducere; non enim frigus calorem, qui nondum est sive per se, sive ex accidenti unquam producet. Sed jam inexistentem, ut crescat, efficiet: alioqui si contrarium à contrario per se fieret, quodlibet à quolibet gigneretur. Non igitur talis contrarietas subjectorum hominum in morbum Gallicum erit, qualis dictorum contrariorum. Ad hæc id contrarium in subjecto, in quo est, non facile admitti finit suum contrarium: in nostris vero hominibus ut olim, ita nunc sæpius contingit, ut is morbus facile magis quam non facile contrahatur. Præterea finge natura nostra sit id contrarium: itaque ab initio aut valida, aut invalida erat, si valida, cur hic morbus, qui alterum contrarium sed minus potens esse ponitur, per illud tempus semper erat immanis, ferus horrendus? cur id non aliquando succumbebat? quemadmodum, postea quam mitior factus est, succubuisse fatentur? Sin invalida, ergo statim huic morbo cedere debebat: proinde quia imbecillis erat & brevis & modica contra eum pugna, hunc vel pro patientis debilitate multo majorem fuisse, vel pro agentis robore omnes homines, qui infecti tunc erant, penitus absumpsisse oportebat, quod tamen, si dictam rationem sequamur, & eventui, & ei, quod proxime dicetur, aperte adversatur: ea vero ratio est, ideo sæviorem A hunc morbum ab initio fuisse, quia major tunc quam nunc in nobis erat in illum contrarietas. Si enim tunc major erat, non igitur invalida, sin minor nunc est quam ante, quomodo morbus hic non major, non gravior, non acerbior, sed multo benignior nunc factus est? An inter naturam nostram & Gallicum morbum quoad ejus sævitiam, & clementiam contrarietas quidem est, non qualis dicta, sed qualis inter aquæ guttas, & lapidem, quem deinde cavant, ut enim hæ non singulæ, sed simul omnes illum atterunt, sic natura nostra non singulatim, sed tota simul est huic morbo contraria, atque ut aquæ gutta unaquæque per se, quo propior est principio, eo magis à lapide dissipatur, quo autem longius abest, eo magis in illum subit, atque illum atterit. ita quoque natura nostra (quia vires suas non nisi temporis longinquitate potest in morbum Gallicum exercere) ab hoc eodem magis initio evertebatur, & ille sævior evadebat. Post vero contra hæc illum compescuit, mitioremque reddidit, & victui, & aëri, & loco, qui in Europa sunt, parere paulatim assuefecit. Id quod, quia tempore & spatio ad agendum indi- B gebat, ut ab initio consequi nequivit, ita quin ab eo per illud breve tempus immaniter tractaretur, & aliquando vinceretur, atque succumberet, effugere non potuit. Deinde vero nostrorum corporum invicem hac lue inquinatorum ab uno in alterum sæpius facta transmutatione lues hæc debilitata est, & ex fera mitis evasit, quemadmodum vinum potens, quod sacco iterum atque iterum (ut antiqui solebant) percolatum, viribus infirmum redditur, veluti quoque cultellus acutus, qui ceram permollem frequenter incidens acie obtusa tandem efficitur. his positis, jam nemo non intelliget, cur morbus Gallicus primum asper, deinde lenis fuerit.

## CAP. VIII.

### *Cur hac nostra ætate morbus Gallicus plerumque fit mitis, nonnunquam vero asper.*

C Contra quis statim objiciet, si morbus Gallicus (ut dictum est) initio sæviebat propterea, quod contrarius erat naturæ nostræ. cur etiam nunc non sævit? quum eadem sit nostra natura? cur item nunc etsi passim in plerisque omnibus mitis est, in aliquibus tamen interdum graviter sævit? Huic primo respondendum, naturam nostram sua ipsius ratione semper eandem esse; hujus tamen morbi respectu non semper, nam sicuti semina peregrina ad terræ, ubi sunt, naturam tandem redeunt, licet eadem terra sit: ita morbus hic ex frequenti hujus & hujus corporis in illud atque illud (ita loqui liceat) transitione, naturæ nostræ tandem obedit: quod enim hæc eadem statim non potest, id progressu temporis una cum victu, aëre, & loco potest. Deinde hunc morbum hac etiam nostra ætate interdum esse acerbiorem, quia is (ut dictum est) nunquam in nobis mitescit, nisi per frequentem in varia, multaque hominum Europæorum corpora transmutationem. quippe qui, juxta contagionis vim ab altero in alterum migrans, defervescit, suamque naturam cogitur in melius immutare. ubi vero evenit, ut vel ex Hispaniis novis nuper migrarit, vel in paucis nostratibus, & ne- D quaquam in multis sese mutarit, tum hominem nostræ naturæ reperiens, qui nunquam hoc morbo sive per se, sive per patrem, aut avum affectus vel afflictus sit, & omnino qui æque se habeat, atque illi, qui, antequam hic morbus huc serperet, se habebant, in hunc eundem (quia nihil obstat) perinde ac initio asper evadit. Idem enim huic uni est atque aliis, quos à principio torquebat, quemadmodum Hispanis aliquibus accidit, quando morbus hic, ex India occidua invectus, hos primum inficere sæpe solet, ideoque mirum non sit, si in his etiam hæc ætate aliquando sævus velut ab initio reperiatur: sed si aliquot, hoc eodem jam per varia multaque corpora transmutato, nunc quoque graviter laborare videantur, ut infantibus, qui ex impuris parentibus gignuntur, accidere consuevit, ii pro subjecti corporis ratione, & loci, & victus, non æque, atque à principio ubi novus erat, afficiuntur. ut enim infantes inquinati nunc vivi pariuntur, ita tunc mortui aboriebantur, atque ut nunc post ortum pustulis scatent, ita tunc pustulis scatentes, exesis natibus, aut cossis & hujusmodi nascebantur, & nunc, post- E quam nati sunt, tardius pereunt, ita tunc citius & magis misere moriebantur. nihil ergo reliquum est, quod quis dubitet, cur hac etiam tempestate morbus Gallicus aliquando sævus, qualis erat ab initio, efficiatur.

CAP

## CAP. IX.

*Cur ubi primum sævire desiit, pustulas, aut rubores circa caput, universumque corpus afferre cœpit.*

Postquam vero mansuetior evasit, tum magna ex parte vel cum maculis rubris per totum corpus expansis, vel cum tuberculis figuram mori referentibus apparuisse justum est: quoniam in Europa morbus, qui ex naturæ necessitate contagiosus est, multis abhinc annis in variolas, morbillosque permutatur: quo fit, ubi morbus Gallicus naturæ nostræ magis cedit, ut tum cum his symptomatibus inveniatur: utque cum pustulis circa caput, circaque universum corpus, variolas, aut morbillos imitantibus, jam se nobis offerat: quoniam natura nostra parte aliqua superior, illum in morem, figuramque morborum, quos ex necessitate in nobis modo gignere solet, convertere obnixe conatur: Id quod ubi fit, eo minus noxius est, quo magis naturæ nostræ consentit. Hæc, quamobrem nostra ætate circa caput, & reliquum corpus, pustulæ nunc morbillis nunc variolis similes cum Gallico morbo appareant, & cur ille sub hac ipse minus lædat.

## CAP. X.

*Cur hic morbus tam facile contrahatur.*

Jam cur tam facile contrahatur dicendum est: licet itaque omnis in re aliqua receptio, ejus rei; quæ recipit, mutatio quædam esse, atque omnis mutatio à contrario in contrarium abire videatur, hanc tamen omnem à contrario quidem in principio, sed à simili in fine fieri compertum est, quocirca philosophorum aliqui veteres, simile à simili pati scriptum reliquerunt: sic enim ignis minor à majori propter similitudinem rapto pabulo statim extinguitur: sic ubi diu circa materiam aliquam elaboratum est, statim inducitur forma: sic forte sensus ipsi à sensilibus moventur, non enim recipiendo corrumpuntur. quemadmodum in contrariis fit, sed (ut *animæ* 2. scribit Arist.) magis perficiuntur: ita ut à contrario, & à simili, tum mutatio, tum receptio fieri possit. A contrario quidem, prout maxime distat à natura rei, quæ recipit, à simili autem, prout propinquissimum est: At vero prompte citoque aliquid recipi necesse quidem est propter exiguam, & fere nullam subjecti repugnantiam; sed id bifariam potissimum inveniri contingit, hoc est aut propter contrarii vehementiam, quod etsi longissime differt à recipiente: multo tamen potentius contra quam illud existit, aut propter ejus, quod recipitur, & ejus quod recipit, similitudinem summam. Ut enim in subjectis rebus, ubi satis superque præparatæ sunt, receptio propter similitudinem repente contingit; ita in homine, ubi eo deventum est, ut parum absit, quin verbi causa elephantiasis insit: Tum is morbus, si contagium præsto sit, propter similitudinem prompte contrahitur, ita quoque sulphurata statim igne accenduntur. Contra vero, si caro à novacula illico inciditur, si in fornacem jacta subito exuritur, si homo à vipera morsus statim inficitur, quia in contrarium suæ naturæ cito permutantur, non propter similitudinem, sed propter vehementem contrarii exsuperationem id patiuntur. Hæc enim mutatio præter ejus rei naturam, cui accidit, fit. ideoque rem ipsam, quæ patitur, plerumque & corrumpit, evertit, illa vero secundum aliquid, quod in re ipsa naturaliter inest, existit, atque illud ipsum ad ejus finem ducit & perficit, quippe in hac subjectum, utpote quod suapte natura nunc ineptum sit, nihilque sui ipsius ad suscipiendum (ut dicunt) actum conferat, violenter patitur. in illa vero tamquam ante paratum, & agenti simile factum, atque aliquid per se conferens ad recipiendum, naturaliter immutatur. Ergo Gallicum morbum prompte citoque recipi oportet, aut propter nimiam contrarietatis exsuperationem, aut propter summam similitudinem; sed ob nimiam contrarii exsuperationem recipi non posse, illud ostendit, quod hujusmodi unumquodque in his, quæ non arte fiunt, rem subjectam plerumque corrumpit, raroque videtur (nisi illi occurratur) eandem, pro ut subjicitur, non ducere ad interitum, aut totius, aut partis, ignis enim carnem in cinerem mutat, novacula dividit, venenum insigne aut partem, aut totum evertit, aut si non evertit, certe vehementer immutat, atque id non raro, sed crebro. Itaque morbus Gallicus, si propter contrarii exsuperationem cito reciperetur, aut hominem pene interimeret, aut saltem vehementer infestaret, atque utrum contingeret, id non raro, sed crebro, & non paucis, sed plerisque contingeret, alioqui si paucis, & perraro, cur magis propter vehementem contrarii exsuperationem, quam propter defectum, aut aliquam similitudinem evenire censere deberemus? sed quis assereret, quod morbus Gallicus, qui nunc grassatur, plures homines quam paucos vehementer affligeret? ex ævo enim mitis passim effectus est, & quotidie mitior efficitur, ita ut non amplius graviter, sed leviter plerumque inficiat: atque (sive recte curetur, sive nulla curatio adhibeatur) tantum abest ut interimat, ut (si forte aliqua arte non tollatur) ad senectutem usque provehatur, & non paucos, sed quam plurimos, sine gravi noxa teneat: quod si ante hac olim ad mortem trahebat, id non ob contrarietatis exsuperationem, sed ex accidenti, quod natura nostra (ut proxime dicebamus) intra illos primos congressus non modo parum huic morbo reniteretur, sed etiam quod statim cederet, eveniebat. quod enim per se potentior non sit, quam natura nostra, illinc patet, quia quum olim sævissimus esset, hac tamen ætate non modo auxiliorum, sed etiam naturæ nostræ vi (ut ante docuimus) fere mitissimus evasit, quod item non violenter accipiatur, illud nobis suadere potest, quod putredo propter alimentum in utero susceptum homini innata, & per universum corpus effusa, in illum proclivis est. atque adeo ut hujus morbi receptio peculiaris quædam homini sit putrefactio similis ferme communi rerum omnium putrefactioni, quemadmodum enim illa (ut *Meteororum* 4. docet Arist.) viventibus omnibus secundum naturam est corruptio, ita hæc propria quædam homini secundum naturam in affectum putrem est transmutatio. Itaque quum propter vehementem contrarii exsuperationem cito recipi non possit, relinquitur, ut ob nimiam similitudinem cito recipiatur; sed quum ea, quæ ob ipsam similitudinem prompte recipiuntur, postquam recepta sunt, homini vel molesta, vel jucunda fiant, (molesta sunt, quæ contingunt timore subsequente, aut mœstitia, aut ira, & aliis hujusmodi animi affectibus, denique ea omnia, quibus ad id, quod præter naturam est, itur: Jucunda vero, quæ voluptatem afferunt, & ad propriam naturam deducunt) quum etiam in singulis hominibus (ut priori libro declaravimus) putredo quædam semper insit, quam fœtus humanus ab utero matris non potuit non contrahere, quæ rubiginis fomiti, quem etiam ferrum effugere nequit, perfimilis est, atque hujus causa morbi omnes, quos ex naturæ necessitate contagiosos appellamus, oriantur: necesse est, ut propter hanc putredinem morbus Gallicus prompte, citoque accipiatur. Hæc enim in singulis hominibus semper existens, ubi impulsor morbi Gallici præsto fuerit, hoc eodem propter communem similitudinem, qua in omnes putredinis morbos, qui ex naturæ necessitate contagiosi sunt, facile fertur. hominem ipsum subito inficit, quæ quoniam ad id, quod præter naturam est, id est, ad morbum, ducit, morbus Gallicus propter similitudinem, quæ deinde molestiam affert, prompte, citoque recipietur. Quippe hæc putredo in actu (ut ita dicam) posita, ubi alterum corpus tetigerit simili putredine præditum, statim illud in suum actum immutat. Quod si Gallici morbi actus est, morbum Gallicum gignit; sin Elephantiasis Elephantiasim; sin morbillorum, morbillos. Quocirca mirum non est, si nostri (ut quidam opinantur) in Indias occiduas morbillos variolasve, quemadmodum illinc in Europam morbum Gallicum invexerunt, sicuti qui simul infectam aquam biberint, aut infectum panem ederint, multo facilius alter ab altero jam inquinato inficitur, quam ab eo, qui neutrum horum sumpserit. quoniam unum, idemque mali principium illi intus habent, hic non habet. Hactenus quamobrem morbus Gallicus prompte citoque recipiatur.

## CAP. XI.

*Propter quid aliquos citius, aliquos serius inquinet, & cur magna ex parte citius.*

Hinc quoque perspicuum fit, quamobrem hos promptius id est, magis facile; illos lentius, id est, minus facile inficiat. Et cur ut plurimum promptius. Etenim coeuntibus una corporibus, atque his infectis, illis mundis; ex mundis hæc quidem multo citius, illa vero serius inquinantur: licet utraque insitam putredinem sortita sint: quoniam hæc plurimam, illa exiguam (ut lib. 1. retulimus) ab utero contraxerunt. Hæc item postquam orta sunt valde frugaliter, illa contra nimis luxuriose vivunt: hæc semen cum facilitate statim emittunt, illa tarde, & cum labore non parvo: hæc in coitu nihil fere incalescunt, illa maxime: atque hæc, cur aliqui promptius, aliqui lentius, inficiantur: sæpe autem numero evenit, ut facilius quam difficilius inquinentur. quoniam dicto putredinis seminario universum corpus occupante, simulque repletioni (ut dicunt) aut repletionis speciei cuidam se se frequentius conjungente, ubi calor, qui impulsoris vicem subit, excitatur, tum illud statim in actum (ut inquiunt) secundum prodit: quum nihil impediat: paratum vero sit utrumque tum agens, tum patiens effectus ipse sequatur, oportet: quod ut nobis multo sæpius accidit, ita magna ex parte morbus Gallicus oblata contagione nos magis, quam mi-

minus facile, & promptius, quam lentius inficiet. Verum hæc infra clarius, ubi de fignis eorum, qui promptius inquinantur, & qui non, agetur.

## CAP. XII.

*Quare morbus Gallicus fero, ac difficulter expellatur.*

Hic dubitabit quiſpiam, quum hic morbus propter internam putredinis contractæ ſimilitudinem prompte recipiatur, quamobrem difficulter expellatur? videtur enim rationi conſentaneum eſſe, ubi quippiam ſic recipitur, modo id præter naturam inſit, ut cito recipitur, ita cito amoveri debere. dices propter dictam ſimilitudinem nimis eſſe nobis familiarem: ideoque poſtquam contractus eſt, vix à nobis expelli poſſe. Sed cur morbilli, variolæque, non æque difficulter expelluntur? ſiquidem utrorumque idem eſt principium: ii tamen intra 14. dies plerumque ſanantur, illæ vero non, niſi longo poſt tempore, aut forte nunquam. An ab ipſo putredinis principio, quod intus eſt, non evenit, ut videlicet hæc vel illa affectio plus, minuſve duret. Principium enim unum idemque apud omnes eſt, ſed à morbi ſpecie, quæ ab hoc principio una cum aëre, loco, & victu (ut ante diximus) gignitur, quippe alimentum, quod fœtus ab utero matris haurit, & morborum ex naturæ neceſſitate contagioſorum principium eſſe ſtatuitur: prout magis minuſve fluidum eſt, ita eoſdem nunc tenaciores atque diuturniores, nunc faciliores & breviores reddit; quin etiam ex facilibus brevibuſque, ubi ſolidius duriuſque fuerit, firmiores & prolixiores: proinde morbillos variolaſve, quanquam inter leves & veloces, qui ex naturæ neceſſitate contagioſi ſunt, cenſentur: probabile tamen eſt in Hiſpaniis ſiccioribus aliquanto minus breves quam in Italia eſſe, ubi magis fluida propter humiditatem ſunt in matrum uteris alimenta: niſi forte circumfuſi aëris calor illos æque acceleret: contra vero morbum Gallicum & elephantiaſim, quia in locis multo aridioribus primum oriuntur, & ibidem durius atque ſolidius maternum alimentum, quod fœtus ab utero capit, exiſtit; veriſimile eſt non ſolum apud nos, ſed etiam in locis propriis, ſtabiliores, atque longiores eſſe, & alibi magis, alibi minus pro hujus alimenti duritie & ſoliditate, ita ut variolæ, morbillique faciles & breves, ii vero tenaces & diutini naturales ſint. Quocirca non putredinis innatæ ſimilitudo longitudinem Gallico morbo præbebit. Sed alimentum tenax & firmum, quod à matris utero fœtus trahens in ſe convertit, & huic morbo ſe obnoxium reddit.

Sed adhuc reſtat dubitatio; cur inquam in nobis diuturnior, quam in Indis eſt? noſtrum enim alimentum, quod à matre primum accipimus, quum mollius atque liquidius ſit, hujus contagionem minus tenaciter ſervare deberet; an ab impulſore, ab aëre, à loco, & à victus genere (victum appello non hunc tantum, qui cibo, & potione conſtat; verum etiam qui omnibus aliis, ut otio, exercitatione, balneo, venere, ſomno, vigiliis, & hujuſmodi) id provenit, impulſor enim ſpeciem morbi Gallici referens, qui natura ſua longus eſt, eadem longitudine, ſi quem inquinaverit, afficit: Aër vero calidior, qualis Indorum eſt, morbum hunc natura ſua ad exteriora repentem, magis ad cutim trahit & velocius finit: at noſter nunc calidus, nunc frigidus illum intro impingit, neque ſecundum ejus naturam foras erumpere permittit. quamobrem ſæpius intro repellens diutius detinet, eadem loci ratio eſſe videtur, ſiquidem propter varium illius ſitum, iidem morbi multum inter ſe differunt, non enim æquales vires ſunt ad Septemtrionem ſiti & vergentis ad Auſtrum, neque ejus, qui Solem exorientem, & qui eundem occidentem ſpectat; neque ſi aquas in medio vel circum extrema ſortiatur, & aut paluſtres mollesque, aut duras, & ex montibus prolabentes & ſcaturientes ex petris, aut ſalſas & crudas; neque item ſi terra nuda ſit; & aquis careat, aut denſa & aquoſa, vel concava & æſtuoſa; vel alta & frigida, & hæc ſimul tum in parte aliqua, tum in toto. Unde veriſimile eſt, quantum aër ad hunc morbum citius arcendum in India occidentali confert, tantum fere locum ipſum valere, & in Europa, ut eidem contrarius eſt, ita perpetuo repugnando, & nequaquam hactenus vincendo, in cauſa eſſe, quod in longius protrahatur. Victus quoque eundem in Europa in longum producit, quoniam ii, qui per coitum infecti ſunt, coire non deſinunt; unde in recidivas recordatione per coitum acquiſitæ rei crebrius incidunt, accedit vini uſus, quo paſſim & intemperanter utimur, ut enim id morbis, qui à calore excitantur, qualis eſt Gallicus, obeſſe ſolet, ita quotidie & immodice propter hominum intemperantiam epotum, hunc eundem quotidie irritans, in longum protrahit. Accedit & expletio frequens ab alimentorum commoditate, quibus Indos ſuperamus, quotidie fere nobis contingens, & multa alia, utputa dulces fructus, ſalitæ carnes, de quibus tertio libro loquemur, quæ omnia putredinem innatam, poſtquam in nobis excitata eſt, aut fovent, aut augent. Ideoque in India occidentali minus tenax, quam in Europa, eſt morbus iſte, quippe illic aër, locus, & victus naturam ab ejus longa contumacia defendunt: hic vero propter eorum privatam in ſingulis hominibus imbecillitatem, & ſi nunc (ut proxime animadvertimus) defendere incipiunt, ante hac tamen defendere non potuerunt, ut mirum non ſit, ſi olim quoque in noſtris oris aut lethalis, aut longiſſimus fuerit, nunc vero mitior, & in aliquibus brevior eſſe incipiat. longo enim temporis tractu cum loco, aëre, & victu vis ejus ſenſim retunditur, & (ut infra dicetur) non ſolum mitius atque brevius affliget noſtra corpora, ſed etiam forte penitus affligere deſinet. Ergo quod Gallicus morbus in Europa diutius duret, & difficilius expellatur, cauſa non eſt innatæ putredinis cum illo affinitas, ſed aër, locus, qui quum per ſe huic morbo repugnent (quod patet, quia per ſe in Europa fieri non ſolet) atque illo imbecilliores ſeorſim in ſingulis hominibus huc uſquam ſint: dum huic perpetuo reluctantur, quia nondum vincere poſſunt, perpetuo irritant, & continent. & ſi nihil vetat (ut ante dictum eſt & poſtea quoque dicetur) aliquando breviorem fore, & forte deſiturum eſſe.

## CAP. XIII.

*Qua de cauſa hic morbus ſuapte natura non interimat aliquem, ſed tota vita interdum exerceat.*

Hic ſatis quoque conſtare poteſt, ex hoc morbo quemquam non interire, velut in India occidua compertum eſt, & jam apud nos experientia ipſa quotidie comprobatur: quia enim illius principium quodam modo ſecundum naturam nobis ineſt, non erit hic morbus naturæ noſtræ omnino contrarius, ſed ut partim ſecundum naturam, partim præter eſt, ita partim adverſabitur, partim non admodum oberit: adeo ut naturæ quidem poſſit obſtare, ſed non perniciem per ſe afferre. ex naturæ namque neceſſitate, quæ cum hominis vita eſt, oritur: quod ſi aliquando mortem attuliſſe viſus eſt, id non ſuapte natura, ſed ex accidenti, utpote ex violenta malaque curatione, factum eſt. Sed quod tota vita permaneat, id neque neceſſum eſt, neque ab hoc morbo; ſed aliunde contingit: nam ut in Hiſpaniis novis ab eo ægri penitus vindicantur: ita quoque in noſtris oris evenire par eſt, nunc præſertim quum & minus ferus ſit, & auxiliis adhibitis facile obediat.

Cæterum hujuſce durationis & ſi plures cauſæ in antecedenti capite dictæ ſunt, tres tamen potiſſimæ videntur: quarum una eſt mala curatio, quæ tantum abeſt ut malum tollat, ut ſæpe numero magis irritet, ac mortem interdum oppetere cogat: Altera eſt (ut proxime quoque diximus) incontinentia: quippe, qui & dum curantur, & dum curati ſunt, plerunque non ceſſant venere uti, quam uti vel cum muliere immunda exercent, ſæpe recidant, oportet. Hinc ſponſi & ſponſæ intra primum annum, ubi conjunguntur, ſcabie frequenti afficiuntur. Namque calor, qui ex mutuo, arctoque corporum contactu (ut priore lib. ſignificavimus) oritur, ob reciprocum inter corpora motum (præſertim ſi alterum infectum fuerit) internam ejuſdem putredinem ad agendum movet: ad agendum, inquam, tale, quale corpus eſt, quod aptum eſt pati, & qualis ipſe calor eſt, qui ex infecto corpore prodit. Quocirca mirum non eſt magis lædi ab hoc malo eos, qui intemperanter coëunt, quam qui ſe penitus continent, & ſi nihilominus ii, quam illi jam infecti fuerint. quoties enim venere utuntur, toties à calore, quem venus ſæpius mota movet, id principium ad agendum excitatur, ut paſſim videre licet in his, qui hoc malo inquinati, ſed à puſtulis rubris jam liberi, dum rurſum coëunt, rurſum eiſdem puſtulis corripiuntur. hæque tum accedunt, tum recedunt, prout coitus frequens, rarusve eſt. id quod etiam non parum confert ut in Indiis occiduis malum id mitius exiſtat. non ſolum enim quia locus, victus, aër hunc eundem leniunt, ſed quia homines ejus cœli (ut audio) per id tempus, quo infecti ſunt, venere abſtinent. qui ergo hac lue inficiuntur, ubi deinceps coire non deſinunt, ſibi id malum continenter magis imprimunt. ita ut non niſi difficillime ab ipſis expelli queat. atque hæc de ſecunda cauſa, quamobrem hic morbus tamdiu duret. Tertia eſt tum prima morbi Gallici origo, hic enim ab Indorum alimento primum oritur, à quo ut magis vitiatur quam morbilli, variolæque à noſtro, ita ubi nos tangit propter ejuſdem ſoliditatem, magis pertinaciter nobis hæret: tum naturæ noſtræ imbecillitas, quæ una cum aëre, loco & victu huic malo adverſatur. quippe hæc (ut proxime declaravimus) non ſubito poteſt id ipſum evertere, contra quam morbillos, ac variolas in Europa, licet ab eadem putredine pendeant, ut enim illud facile vincere, abolereque poſſit, longo egeret temporis ſpatio,

quo

quo id malum per varia corpora subiens miteſcere, & aëri, & victui, & loco aſſueſcere ſoleat. Hactenus quamobrem hic morbus homines per ſe non interficiat, & cur tamdiu in uno & eodem perſeveret.

## CAP. XIV.

*Ab aëre, victu, & loco putredinis fomitem, qui in novis eſt, præparari, ut in diverſas morborum ſpecies prodeat, morbumque Gallicum aliquando deſiturum.*

Neque mirum alicui videatur, quod aër, locus, & victus id putredinis ſeminarium, quod nobis inſitum eſt, in varias morborum ſpecies immutet, & alicubi hos morbos arceat, atque prohibeat: & alicubi creet, alicubi creatos deinde penitus tollat. Quamquam enim unum idemque in ſingulis hominibus putredinis principium eſt, ratione tamen aëris, victus, & loci id variatur: ut etiam ſemina locorum, & temporum mutationibus. Quemadmodum Hipp. *lib. de aëre, & locis* ſcriptum reliquit; immutantur, diverſaque fiunt. Ut aſperi homines in locis aſperis, lenes in lenibus gignuntur, atque adeo ut in Indiis occiduis aër, locus, & victus faciant, ut ab hoc principio morbus Gallicus, qui illic bughe vocatur, procreetur. In Ægypto elephantiaſis, in Europa morbilli, variolæque. Cujus rei non leve teſtimonium eſt, quod in quibuſdam Africæ locis aliqui hoc morbo graviter affecti, quaſi deſperata ſalute, quod ibidem acerrime affligerentur, in Numidiam egreſſi (ut novarum Hiſpaniarum ſcriptores prohibent) ſola aëris, & loci, & victus ratione, abſque ullis aliis præſidiis omnino incolumes evaſerunt. Quocirca ſperandum felicioribus annis ex diutina loci, aëris, & victus collectatione tandem qu ſi alteram Numidiam huic malo Europam eſſe futuram. Atque id, aut hinc exulaturum, tanquam aliena occupans loca, aut omnino in morbos naturæ regionis peculiares evaſurum, quemadmodum enim ex diverſis animalibus (ut *de animalium generatione* 2. docet Ariſt.) primi partus ſimiles communi generi utriuſque ſpecici eduntur, deinde ad fœminæ ſpeciem redeunt: ſicut etiam ſemina peregrina terræ, ubi ſunt, naturas ſortiuntur; ita malum id temporis diuturnitate ad loci, aëris, & victus conditionem tanquam ad terræ naturam redibit in morbos videlicet converſum, qui in Europa vel peculiariter, vel paſſim ubique oriri ſolent, hoc autem vel ex eò facile conſtat, quod ætate naturam ex fero jam mauſuetum factum eſt, quaſi jam diſceſſurum; itaque dubitandum non eſt, quin & aër, victus, locuſque dictam putredinem in varios morbos abire faciant, & morbus Gallicus in Europa aliquando tandem ſit exſtinguendus.

## CAP. XV.

*Licet morbilli, variolaque ab eadem cauſa gignantur, a qua & morbus Gallicus: non tamen oportere, ut illi tam ſæpe redeant, neque tamdiu perſiſtant, neque ex coitu tam ſæpe revertantur, quam morbus Gallicus.*

Ex his facile cognoſcere licet (ut primo libro diſſeruimus) etſi eadem communis cauſa eſt tum morbillorum, atque variolarum, tum morbi Gallici, cur iitamen non æque frequenter revertantur, atque morbus Gallicus? cur tam breve diſcedant? ac ex coitu non tam ſæpe procreentur? non enim ita frequenter in his malis coire contingit, ut in morbo Gallico: neque item adeo vitiatum in nobis eſt alimentum, à quo variolæ, atque morbilli oriuntur; ut illud à quo morbus Gallicus primum naſcitur. Quod ut in Indiis novis, unde primo migravit, ſolidius, firmiuſque eſt ob loci, aëris, & victus rationem; ita eum, quem creat, morbum in alienis oris, vel omnino contrarium, atque lethalem, vel magis pertinacem, contumacemque per aliquod tempus reddit. His accedit, quod morbus Gallicus in noſtris oris ex contagione ipſa gignitur, ita ut quoties occaſio inquinandi datur, quæ nimirum ſæpe datur; toties quoque gigni poſſit: hi autem morbi variolæ, inquam, & morbilli, quia mutuus atque arctus ille contactus, qui ad contagionem inferendam requiritur, in his (ut priore lib. admonebamus) maxime vitatur, ſæpius ſponte naturæ, quam ex contagione naſcuntur; vero ubi ad cutim multa materia defertur putris: Id quod maxime uſuvenit, ubi vel multo alimento corpus repletur (quemadmodum ibidem dicebamus) vel circumfuſus aër nimis calidus, frigiduſve exiſtit. Illud enim foras trahit, id firmat in cute materiam. Ideoque temporum ratione potiſſimum ætate, & hyeme naſcuntur, magiſque ubi altera nimis calida, altera nimis frigida extiterit. Itaque omiſſa ea ſubtilitate, quæ hos in alios atque alios morbos per contagionem immutari contendit, ubi ſemel, bis, terve ſponte apparuerit. Si forte expletio, quæ eos potiſſimum efficit, adhuc adſit, non amplius revertuntur, aut quoniam illa per aliam viam (id quod non raro poſt evenit) evacuatur: aut vaſa ipſa (quum non amplius extendi queunt præcipue poſt juventutem) rumpuntur, aut innatus calor propter copiam extinguitur, & homo utrovis modo perit: neque tempus aliud relinquitur, quo illis in poſterum ſæpe corripi poſſit, ad docendum, quod morbilli, atque variolæ non æque redeant, non tamdiu perſeverent, non adeo frequenter ex coitu gignantur atque morbus Gallicus, hæc dicta ſint.

## CAP. XVI.

*An idcirco peſtis Europam, & præcipue Italiam hac ætate minus ſæpe infeſtet, quia morbus Gallicus pro ea graſſetur; an etiam morbo Gallico profligato, ut forſan profligabitur, tunc ipſa non minus quam antehac, poſtea redibit.*

Reliquum eſt explicemus, cur hoc morbo univerſam Europam præcipue vero Italiam jam obſidente, peſtis per eam (ut aliquibus videtur) non æque frequenter atque antea graſſetur, ſic ſi graſſatur non adeo ſæva eſt adeoque contumax, ut prius erat. Neque id ſane à ratione alienum eſt quærere: quum antehac vigeſimo quinto quoque anno ad ſummum (nam ſæpius decimo quinto) in Hetruria, in Umbria, in Latio erumpere ſoleret. Jam vero ſeptimus & trigeſimus agitur annus, nuſquam tamen horum locorum illa ſentitur, licet interim tum Senis, tum Florentiæ bella ſæpe fuerint: tum in tota Hetruria penuriæ frequentes, quas antehac peſtis ſæva ſequi ſolebat: cæterum antequam id dicere aggrediamur, non inutile fuerit ſcire peſtis genus, quod ad præſens negotium attinet, duplex eſſe: Alterum ab hac putredine, quæ homini inſita eſt, ſicuti alios contagioſos morbos, qui ex naturæ neceſſitate creantur, orii: Alterum ab aliis cauſis, ut puta ab infecta aqua, à tritico, à carnibus, & hujuſmodi corruptis. hoc ab illo differre, quod non promiſcue omnes homines afficit, ſed eos potiſſimum, qui eandem corruptam aquam biberint, aut eundem cibum corruptum ederint, hoc in peregrinas gentes tranſlatum, ubi homines ſimiliter affecti non ſunt, ut paucos inficit, ita cito aboletur. Illud ubicunque ſuſcitatur repente in quinat alios, atque omnes promiſcue, quoſcunque tetigerit: nec æque cito in paucos deſinit: quoniam in omnibus eadem communis invenitur cauſa, quam innatam putredinem appellamus. Interim ubi viget, ſi verbi cauſa in Europa, alii morbi, qui naturæ neceſſitate ex contagione ſequuntur, utputa morbilli, variolæve, aut rari, aut nulli gignuntur. Præterea, quum primum oritur, adeo immane eſt, ut nihil immanius: licet deinde ſenſim deſerveat, neque id alicui admirationem afferat: quod quum ab interna putredine, quæ aliquo modo ſecundum naturam (ut ante diximus) ſe ſe habet, oriatur; minus ſævum, minuſque perniciosum eſſe deberet: tum fere nemini parcat, & pene unumquemque interimat. Nam & variolæ in Indiis occiduis (ut dictum eſt) ubi primum ortæ ſunt, lethales omnes fuerunt, & morbus Gallicus, ut memoriæ proditum eſt, intra initia ubique ferus quidem, ſed alicubi paſſim lethalis extitit, neque omnes, quum ſenſim deſervet, ſimili modo, ſimilique mali ſpecie ſemper & ubique inficit, ſed varie tum hos tum illos, prout peculiaris victus, locus, aër, regio, ſubjecti apticudo, inquinamenti vis, mos & mora ferunt, ita ut ſæpe, qui ab inquinato leviter contactus fuerit, levi affectione laboret, qui graviter, gravi: & qui per id tempus, ubi tangitur, febri aptus eſt, ſæpe febri afficiatur; qui articulorum dolori, plerumque in hunc eundem incidat, qui tuſſi in tuſſim, qui pruritui in pruritum, qui ſurditati, in ſurditatem, & non in alium affectum, & ſimilia: quoniam in omne fere morborum genus (ut notum eſt) paſſim immutatur. Neque item omnes, ubi primum apparet, & viget, ſimili mali ſpecie ſemper inficiat oportet, ſed varie tum hoc, tum alio tempore, prout præſens atque communis, non inquam præteritus, & particularis victus, aër, & locus permittunt: quum non omni tempore idem victus, idem cœli ſtatus, idem locus ſit, ſed propter diluvia maxima, propter æſtus intolerabiles, propter ſiccitates eximias, propter novas vivendi inſtitutiones, inſignem mutationem recipiant: cui diu perſeverante vetus putredo, ut apud nos in morbillos variolaſve nunc vertitur, ita poſt in aliud morbi genus migrare poteſt: id quod & propter novitatem & propter naturæ noſtræ (ut ante monuimus) imbecillitatem, in principio quidem pernicioſe inficere, atque interimere, & peſtis vicem ſubire nihil vetat, ſed poſtea paulatim non unius morbi ſpeciem, ſed aliam atque aliam induens, in morbum aliquem Europæ familiarem deſinere neceſſe eſt, ita ut, ſi omnino ſuperetur, ad morbillos & variolas redeat:

ſin

sin superet, aliud morbi genus, quod deinde salubre sit & minime perniciosum, inducat. Sicut, antequam morbilli & variolæ apparerent, ei malo, quod eas attulit, contigisse putandum est. Itaque si nemo fere jam est (ut in principio hujus operis dicebatur) qui Gallicum morbum uno vel altero modo non sentiat, ac si mater infectum filium tanget, soror fratrem, medicus ægrum, amicus amicum, etiamsi se diligenter custodiant: propter tamen innatæ putredinis familiaritatem non possint modo quodam non infici, ita ut huic si non semper gravis aliquis præter naturam affectus, saltem levis: utputa huic pruritus, illi tussis, alii vitiligo, alii auris tinnitus, & omnino aliquis ei similis, quem Gallica labes gignere consuevit, usuveniat: Verissimile est hac nostra ætate, qua morbus Gallicus universam fere Europam, sed Italiam præsertim exercet, ipsius pestis, quæ ex naturæ necessitate creatur, seminarium in morbum Gallicum exhauriri, atque consumi: ut hoc morbo perseverante, nihil fere huic pesti gignendæ relinquatur: quasi omne ejus vitium in illum transfundatur, contra quam ante hujus novi morbi adventum evenisse cognovimus, & post ejus discessum (ut proxime admonuimus) futurum esse suspicamur: tali enim putredine in nobis semper existente, neque amplius in morbi Gallici generationem affecta, ut alii morbi ex naturæ necessitate contagiosi gigni possunt: ita & pestis hujusmodi, quæ similiter oritur, ita enim invicem se se habent, ut quum alter cesset, succedat alter. Nihilominus tamen scire licet, pestis alterum genus, quod non ab internis, sed ab externis primum oritur, non prohiberi, quin hoc morbo perseverante gigni queat: quoties res ipsa, quæ foris in corpus ingreditur, ita se habeat, ut genus illud ad sui generationem requirit. Sic in Indiis occiduis (ut audio) pestis genus est, quod Indos tantum inficit, ac interimit: nostrates vero, etsi cum eisdem sine discrimine versantur nihil offendit. Non enim id ab interno putredinis seminario (siquidem omnes indiscriminatim offenderet) sed à victu provenit & à victu inquam, qui per id tempus aptus non est, ut innatam putredinem excitet, nam alio victu Indi, alio Europæi in eisdem locis utuntur. Jam cuique notum esse puto, cur Europam morbo Gallico passim nunc exercente, pestis hanc nostram ætatem, maxime vero in Italia, minus infestet: atque utrum, ubi hic recesserit, tum illa in ejus locum aliquando successura sit: simulque pestis genus aliud ab interna putredine, aliud ab aliis causis oriri. quod si aliter antiquissimi medici partiti sunt: scilicet tum morbum, tum febrem in id genus, quod ab aëre, & in illud, quod à victu nascitur, proinde pestem habend secus, quam à victu vel aëre gigni: nemo tamen hanc nostram divisionem statim repudiet; sed si eam diligenter attenderit, non temere dictum intelliget, absque aëris, aut victus primario vitio, pestem etiam ab internis oriri, posse.

## CAP. XVII.

*Quod in morbo Gallico Hepar necessario non sit prima sedes affecta, & utrum, si qua pars ex internis privatim afficeretur, potius caput, quam jecur affici deberet.*

Sequitur ut, an hepar in hoc morbo prima sedes affecta sit, perscrutemur. quanquam enim quicunque de Gallico morbo hactenus scripserunt, & affectæ sedis meminerunt, omnes uno ore locum affectum id esse statuunt, quia tamen multi proprio arbitratu sic dicunt: aliqui rationes quidem afferunt, sed obscuras, atque admodum frivolas: abs re non est nunc id ipsum inquirere, sed si præfati fuerimus, primam sedem affectam modo appellalari, qua læsa malum omne, quod curari debet, hinc oritur. Rationes itaque, quibus id suadere nituntur, hæ sunt. Morbus omnis Galeno autore per se lædit actionem. morbus unus unam partem requirit quam lædit, morbus Gallicus unus est morbus, actio, quam per se lædit, illa est, quæ naturalis nuncupatur: hujus actionis hepar est principium. Morbi igitur Gallici prima principesque sedes hepar erit. Illud probant, quoniam naturali actione nutrimentum attrahitur, retinetur, concoquitur, apponitur, assimilatur, & quicquid excrementi est excernitur: In hoc autem morbo primum gravitas corporis, & torpedo quædam apparet, color item niger, pallidus, albidus, morti similis, excrementa in particulis omnibus retinentur, immundæ gummitiones, tubercula, pilorum defluvia, sanguis à sua natura immutatus. Quippe natura in his aut crudum non coquit, aut concoctum non apponit, aut excrementum per convenientes vias non expellit: quo fit, ut naturalis actio à morbo Gallico semper lædatur. Alii rursum, quoniam inter ea, quæ Gallicam luem sequuntur, unum tantummodo symptoma est, quod illum perpetuo comitatur: alia enim non semper, sed aliquando, comparent. Id autem exustio est, ut ulcera in pene, in ore, in vulva, ut pilorum defluvia, ut gonorrhææ, & urinæ mordaces ostendunt. nulla vero alia corporis pars est, quæ id efficere possit, quam jecur, quippe quod humorum officina est, à quo tanquam à fonte scaturiunt. Jecur igitur erit Gallici morbi principalis sedes. Alii sic argumentantur, fere nunquam sine pustulis Gallicus morbus nascitur, pustulæ à vitiato sanguine oriuntur, sanguinis autor hepar est, præterea plerumque ortum in pene ulcus bubo in sanguine sequitur, qui locus (ut dicunt) hepatis emunctorius existit: Quocirca morbi Gallici potissima sedes hepar erit, id etiam facile probari posse videbitur consideranti id, quod nos supra scripsimus, nimirum quod vitiosum alimentum in utero susceptum hujus mali causa sit: deinde quod per umbilicum ad hepar intro primum feratur, sicut enim prima sedes, quæ id recipit, hepar est, ita quoque læsionis, quæ ab eo fit, primus locus hepar erit. Nisi aliud sit dicere, jecur primo accipere vitiatum alimentum, quod morbi Gallici causa est, subinde ab eodem infici, aliud vero primam Gallici morbi sedem hepar esse. Namque umbilici vena, quæ intus quoque post ortum in nobis remanet, priusquam hepar, recipit, & inficitur, nemo tamen eam esse primam sedem contendet: prius etiam os venenosam potionem recipit, & eadem inficitur: non tamen prima veneni sedes os semper est, sed interdum ventriculus, jecur, cor, sequitur ergo prius forsan esse quoad tempus, & ordinem inficientis alimenti, non autem prius quoad vim, & inquinamentum novi mali. Quamquam etiam non inepte quis responderet, alimentum humani fœtus in utero non ab hepate tantum, sed aliunde quoque in corpus distribui: Verum hoc, ne contentiones innumeras excitemus, de industria prætermittamus. quia tamen aliquis adhuc urgere posset, asserens in fœtu ipso primum omnium hepar creari, atque in hoc præparari sanguinem ad aliorum membrorum nutritionem, proinde majorem ibi moram trahere, & hepar inquinamento, quum illud excitatur, magis promptum quam reliqua membra reddere, ideoque primam morbi Gallici sedem esse. Huic rursum dicatur: quum sanguis elaboratus in hepate matris ad fœtum alendum delegetur: non opus illi amplius esse, quod in fœtus hepate in sanguinis naturam permutetur. jam enim sanguis ipse est, & omnino; quoniam sanguis in hepate matris probe conficitur, illius nova regeneratione fœtum in utero non indigere, sed sola nimirum mutatione, qua sicut in matris corpore nutriendis ejus membris dedicatur, ita fœtui toti & generando, & alendo, & augendo subvenit: adde quod asserere quoque licet, ex sanguine matris omnia fœtus membra constare, simulatque generatur: non autem hepar multo ante fieri, quo deinde sanguis in illo gignatur ad aliorum membrorum nutritionem, sed simul & hepar, & reliquas partes, prout cujusque natura postulat, ex hoc sanguine fieri, nutriri, & augescere, id suadere, tum quod aliqui singulas partes simul fieri tradiderint, sed has intra initia magis apparere quam illas, quia per id tempus hæ plus alimenti, atque citius sumunt quam illæ: tum quod fœtus in utero paratum habeat alimentum, quemadmodum & planta: quæ sicut hepate non eguit, ita neque fœtum hujus causa in utero egere. Hæc responsa sint ei, qui probare conatur quod hepar prima morbi Gallici sedes existat: quoniam primo recipit alimentum vitiatum, quo fœtus in utero nutritur, & quoniam in eo primum permutatur ad usum reliquorum membrorum, sed ad alia argumenta transeamus: illi ergo se ipsos fallunt, quum assumunt, ac si compertum esset, morbum unum unam affectam sedem privatim habere, Galen. enim, cui soli credunt, aliquibus morbis illam aufert: quando inquit 2. *de differ. febr. cap. ultimo.* quæ circuitum non habent, in his nulla est corporis pars, quæ præcipue sit affecta. Præterea potest intemperies tum calida vel frigida, tum sicca vel humida in toto corpore præter naturam creari, nulla parte peculiariter affecta, sed id nihilominus concedatur. quomodo probabunt, quod hepar naturalis actionis sit principium? nonne in plantis hæc actio similiter est? in quibus nec hepar, nec hepati aliquid proportione respondens invenitur? Verum id quoque detur: quoniam pacto naturalis actio à morbo Gallico læsa esse dicetur? ubi eum sola surditas, aut sola cæcitas, aut sola vigilia (ut 1. lib. narravimus) & nihil aliud, sequitur, quænam indicatio curandi hepatis hinc oritur? sicut ubi unguento ex argento vivo, aut suffimento ex cinnabari hic morbus curatur: quænam hepatis magis, quam aliorum membrorum, ratio habetur? Deinde si jecur principaliter læsum esse oportet, quia natura male coquit: tum in omni febre putrida, quia coctio læsa est (id ostendit putredo) hepar similiter affectum esset: quum tamen Gallicus, à quo ne latum quidem unguem discedere volunt, *in* hac lienem, in illa ventriculum, in alia jecur affici 1. *ad Glauc.* admoneat. Quo item pacto gravitas corporis atque torpedo speciatim hepar affectum magis quam cerebrum,

brum, quo læso plerumque usuvenire solent, significabunt? Neque color niger, neque pallidus, neque morti similis, signa hepatis læsi magis sunt, quam doloris capitis, aut ventriculi, aut cujusvis alterius membri, aut vigiliæ, aut melancholiæ, & hujusmodi: sicut etiam neque in ipsis particulis excrementa supervacua & destillationes, atque gummitiones, neque item sanguis immutatus, quippe qui ut hepate mutato mutatur, ita etiam hoc illæso, sed aliis partibus offensis, aut dolore aliquo vehementer infestatis, perturbatur, atque corrumpitur. In summa signa hæc, quoniam aliis præter naturam affectionibus communia sunt, per hæc eadem non attestari affectum jecur licet, sed suspicari: attestari vero liceret, si orto penis ulcere privatim in hypochondrio dextro, sub quo manet hepar, ad septum usque transversum circa spurias costas, aut calor insignis, aut dolor, aut mordicatio, aut tumor, aut tensio, aut gravitas, aut quid tale sentiretur. Quippe horum quibusdam, vel omnibus apparentibus, tum alia, quæ prius dicta sunt, tamquam in syndromem euntia fidem facerent: sed quum, Gallico morbo præsente, illorum nullum necessario adsit, ex illis, quod hepar primaria morbi Gallici sedes necessario sit, colligi non potest. Eadem ratio est contra eos, qui proprium Gallici morbi symptoma exustionem esse volunt, atque hanc ab hepate tantum nasci, ideoque hepar ejus affectionis primum locum esse, contra item illos, qui tum à pustulis, tum à bubone argumentantur: hæc enim omnia aliunde, quam ab hepate, oriri possunt, sed nisi talibus indiciis, qualia nunc recensuimus, hepar offensum esse ante noverimus, neque ab illo se creari tetrabuntur, neque illud simul affectum esse certo indicabunt. Quippe exustio alimentis vitiatis gigni potest, hepate nihilominus recte se habente, hoc est hepate sanguinem vitiatum generante, non sua quidem, sed alimenti, quod sumitur, culpa: ac si quis salita sæpius comederet, pustulasque per cutem exurentes pateretur. Curandi indicatio esset non hepar (ut dicitur) alterare, nisi ex accidenti: sed salita ipsa removere. Præterea quod prohibet bonum sanguinem ad cutim delatum in ipsa cute (nihil consentiente hepate) putrescere? quemadmodum inflammationem ex optimo sanguine (ut *ad Glauc.* 2. Galen. docet) ortam suppurare? Nonne in eo, quod puerorum lactumen vocant, sanguis in capite, & non in hepate corrumpitur? Neque pustulæ jecur affectum privatim ostendunt. siquidem Galenus passim omnibus corporis partibus peculiarem nutriendi vim inesse statuat: Quocirca ubi forte vis ista errat, potest alicubi succus aliquis putrescere, ut in furunculis, qui in manibus, & alibi nascuntur, experimur, nihil hepate prorsus patiente. Neque perspicuum est, quod supponunt, hepar sanguinis fontem esse. licet enim Galen. id affirmet: contrarium tamen antiquissimi viri, tum Hipp. tum Arist. tradiderunt, quippe qui cor esse volunt. Neque item ubi penis ulcusculis laborat, si bubones in inguine gignantur, propterea jecur affectum esse declarat. plerumque enim ex humore, qui per penis ulcus ante purgabatur, ad inguem retrocedente bubo creari potest: ut videmus etiam ulcusculo pedem infestante, mox humori, qui per ipsum purgabatur, itinere clauso, talem in inguine abscessum gigni: quemadmodum succo, qui in morsu aspidis relinquitur, foras non extracto, reliquum corpus intumescere. nam quod dicunt in destillationibus, aut articulorum doloribus hepatis calore vapores caput petere, deinde humores, qui in capite sunt, ab eodem liquefieri, & destillationem ipsam oriri. id ex arbitratu, & nihil quidem medice dicunt: siquidem in Medicina (ut docet Hip.) nullam aliam certitudinem invenies, quam corporis sensum. At hi nullum indicium sensui notum ostendunt, nisi eventum ipsum, qui non magis ab hepate, quam ab aliis partibus, nasci potest. Huc pertinet, quod hic morbus in Europa plerumque foris advenit: utputa ex coitus contagione, aliquo circa penem exorto ulcere: olim vero, antequam ille innotesceret, simile quoque ulcus ex coitu gignebatur. verum id facile, brevique tollebatur, & reliquum corpus integrum relinquebat, contra illud & curationi contumax est, tardeque submovetur, & corpus ipsum subinde inquinat. cur igitur in hoc volunt hepar principaliter affici, non autem in illo. quod sexagesimo abhinc anno nihil minus, quam id, ex coitu cum meretrice nascebatur? cur nunc magis quam prius sedes mali, quod in pene gignitur, hepar est? Profecto non, quia diversa est ulcerum figura, quippe quæ eadem plerumque est, non quia locus primus alter est: nam idem quoque cernitur. nec quia id ex contagione oriatur, illud vero non item: siquidem utrunque à coitu fœdo creatur, & contagio ipsa, ut primo lib. cap. ultimo declaratum est) non magis hepar quam caput, aut cor, aut aliud membrorum primo affici significet. Respondebit aliquis, ex hoc ulcusculo multa alia per cutim subinde gigni, id quod hepatis proprium esse receptum est, ex illo nullum: præterea quod curandi ratio varia est. Etenim illa facilis, hæc difficilis, illa vetus, hæc nova, ideoque morbum hunc ab illo valde differre, ut vero id ita sit, quis tamen credet, ubi soli articulorum, aut ossium dolores, aut sola cæcitas, surditasve, aut soli simplexque vigilia, ut nobili Romano accidit, aut alii præter naturam affectus, corpore nequaquam mutato, sine cum ulceribus, sine manifestis crosionibus, sine gummitionibus, hominem infestant, quod hepar principalis hujus mali sedes jure statuatur? ac licet hujus cura nova sit atque difficilis. Quid tamen ad probandum, quod ejus primaria sedes hepar sit? pariter enim morbi novi omnes, & qui curationi reluctantur, pro loco affecto hepar haberent: quod ut verum non est, ita hepar hujus mali sedes neque necessario, neque semper erit: quanquam aliquando esse potest, ut cæteræ quoque corporis partes. Etenim sedes affecta videtur esse, tum quæ primum afficitur, tum quæ ita se habet, ut ab ea malum omne subinde procedat: talis in hujusmodi contagiosis non hepar est, non aliquod unum, sed pars illa corporis quæ primum afficitur, & à qua simul omne malum manat: quemadmodum in aspidis morsu nemo recte dicet, partem hanc corporis magis quam alteram affectam semper esse, si namque ferit aurem, auris est, si manum, manus, si pedem, pes, si nasum, nasus, quæcumque ergo pars corporis icta sit, hæc affecta sedes est, & non perpetuo certa aliqua. quippe illa statim amputata non ulterius serpit malum, manente vero non solum serpit, sed plerumque statim interimit: ita etiam si penem Gallicum ulcus, exempli gratia, primum occuper, affecta sedes penis est, si labra, ut in infantibus labra: sin in nutricibus papillas, papillæ: atque adeo sicut aspidis morsus, qui ubi partem aliquam pupugit, tum reliquas omnes celeriter quidem, sed partem post partem inficit, digito enim puncto, sedes mali digitus punctus est, à quo malum omne mox per universum corpus diffunditur: ita ubi Gallicum ulcus ex coitu cum impura muliere penis accepit, mali sedes penis, qui primo infectus est, erit, non hepar, non aliud corporis membrum. Petet aliquis, ubi penis omnino curatus est, & jam ab omni malo liber, remanente adhuc in corpore lue Gallica, quænam relinquitur in corpore hujus mali sedes? huic respondetur, quod ea pars, quæ deinceps primum afficitur, mox altera & altera, per partem post partem, veluti per circuitum; ita ut in multis per aliquod tempus gula sit, in multis nasus, in aliis aures, in aliis palatum, prout malum firmatur, aut cedit: & omnino ut morbus Gallicus in omne morborum genus, qui à putredine oriuntur (quemadmodum antea diximus) convertitur, ita nullam in corpore peculiarem sedem sibi præscribit. quum enim illi non unicam sibi sedem vindicent, sed alii caput, alii jecur, alii lienem, alii ventrem, & alii aliud membrum: Verisimile est, hunc morbum & variam, & non omnino certam sedem sortiri, prout singuli morbi, in quos passim immutatur, non unum affectum locum, sed alii alium sequuntur, denique si qua pars ex internis partibus privatim afficeretur, potius caput quam jecur affici deberet: exorto enim in pene propter fœdum coitum ulcere, fere statim illud cernitur dolore, aut destillatione, aut gravitate, aut pulsu tentari, aut calescere, aut pallere, aut sudare, variasque mutationes accipere tanto manifestius quam hepar, quanto minus circa hypochondrium dextrum, sub quo hepar est, neque calor, neque frigus, neque tumor, neque tensio, neque dolor, neque gravitas, neque aliquid hujusmodi tum à medico tum ab ægro per id tempus sentitur, huc accedit, quod non levis consensus inter caput & penem (ut experientia docet) invenitur: superioribus namque annis nostra etiamnum ætate, quodam magni nominis chirurgo rem quandam, quæ veluti filum album in penis ulcere dextrum versus hærere videbatur, volsella rapiente, statim caput, & collum ægri in dextram partem, qua filum erat, reclinatum est, atque ita octo vel novem menses permansit. Ad hæc chirurgus alter ægri cujusdam præputium, Gallicis ulcusculis inquinatum, unguento ex hydrargyro semel tantum, & id solum vespere inungens, mane faciem illius totam, caputque totum, reliquis partibus integris, excepto pene, inflatum reperiit. Præterea lanio cuidam, urinæ suppressionem patienti, argentea fistula in virgam violenter immissa, tum sanguine prodeunte statim cervix ingenti cum dolore convulsa est, aures obtusæ, temporaque velut re aliqua infigniter comprimente, depressa. Atque hodie hic Romæ vir quidam nomine Bassaninus apud officinam veterem, ubi nummi figurabantur, urinæ difficultati ob carnem in virgæ canali natam obnoxius, quando urina forte supprimitur, statim vehementissimo frontis dolore afficitur, quando autem illa subinde solvitur, statim ab eo vindicatur, huic simile est, quod Illustrissimo Evandro ex nobilissima comitum familia nuper accidit, per hyemem enim scabie quadam laborabat, circa præputium ingenti pruritu afficiebatur, id sæpe apud ignem ambabus manibus vehementer fricabat, sed cum hujus immoderatæ frictionis causa id solum, neque sane totum, sed summa ejus pars, & non alia in gangrænam, deinde in sphacelon, intra breve spatium incidisset, statim surdus effectus est, in faucibus velut aculeos sensit, devorare non potuit. Huc pertinet, quod caput ex coitu maxime o-

mnium imbecillum redditur, quod item & capaciſſimum, & veluti cucurbita medica (ut inquit Hipp.) univerſo corpori ſuperſtat, ita ut, quæ infra ſunt, facile ad ſe trahat, perinde ac tum multo morboſius, quam hepar exiſtat, tum pene affecto longe promptius, quam hepar, afficiatur, plura referre poſſem, ſed hæc ſatis nunc ſint ad docendum quod caput pudendis valde conſentiat, & quod ſi pene Gallicum ulcus patiente caput, aut jecur, primo ſemper afficeretur, multo prius caput quam jecur affici deberet, tum propter dicta, tum quia caput in utero potiſſimum repletur vitiato alimento, à quo morbum hunc oriri probavimus, ut oſtendit vocatum lactumen, quod paulo poſt ortum in capitibus puerorum præcipue naſcitur, ſed re vera neutrum (ut proxime diximus) neceſſarium eſt: poteſt enim prima ſedes affecta hepar eſſe, poteſt caput, poteſt lien, poteſt in mulieribus non niſi uterus, poteſt in viris penis ſolus, poteſt internorum locorum quilibet primo affici poſt penem, poſt labra, poſt mamillas: non enim refert, unde morbus hic incipiat, ſe ubi ſiſtat, minimeque in morbis nullam ſibi ſedem peculiariter aſſumentibus (quales ſunt ex naturæ neceſſitate contagioſi, (ut *primo lib.* docuimus) perpetuus eſſe primus affectionis locus idem poteſt. Quocirca hepar in morbo Gallico neque ſemper neque neceſſario eſt prima ſedes affecta.

## CAP. XVIII.

*Quod hepar, qua calidum, non ſit morbi Gallici ſedes: neque quod hepatis calida frigidave intemperies ſit morbus Gallicus: neque item, quod ſit (ut quidam dicit) à tota ſubſtantia morbus.*

Jam multo minus difficile eſt, illos confutare, qui primam morbi Gallici ſedem in jocinore ſemper ſtatuunt, prout intemperie calida laborat; proinde id quoque malum intemperiem eſſe calidam; ſi namque (ut proxime diſputavimus) hepar non perpetua eſt hujus mali ſedes, neque plane erit, prout calidum eſt; quod enim forte in locis calidis, ſcilicet in Africa (ut quibuſdam placet) magis quam in Germania ſæviat. id non prohibet, quo minus & calidi & frigidi hepatis homines in his locis æqualiter inquinet, nam omnes fere quotquot in Africa ſunt (ut memoriæ prodiderunt) ſive calidi, ſive frigidi, ſive humidi, ſive ſicci, indiſcriminatim affecti ſunt, quemadmodum etſi in Germania (ut ab aliis audio) magis fervet, magiſque contumax eſt, quam in Africa (id quod veriſimile eſt propter aërem, & locum, qui ſua frigiditate morbum Gallicum ab ejus naturali ad cutim impetu prohibet, & ſolidas partes invadere, eaſque graviter depaſci cogit) ſimiliter tamen & calidi, & frigidi hepatis homines lædit. At vero ſi calida hepatis intemperies id malum eſſet, aut ſecundum naturam, aut præter naturam eſſet, utrovis modo vel ii ſoli, qui hepate naturaliter calido ſunt, afficerentur, vel ii ſæpius atque celerius, quum tamen neutrum uſu veniat. Præterea non ita promiſcue (ut ante oſtendimus) inficeret omnes, ſive ſanos, ſive ægros, tam qui calido, quam qui frigido, hepate ſunt, calidos namque aut magis, aut minus, aut citius, aut tardius infeſtaret, & omnino diſtinctio quædam aperte cerneretur quoad contagionem hujus, qui intemperie calida eſt, & illius, qui frigida. Ut enim ex corporis partibus hepar, quum intemperiei calidæ ſit, ut hujus mali ſedem eſſe volunt, ita homines intemperie calida affectos huic malo plus minuſve obnoxios eſſe diſtinguere deberent, propriaque ſigna ſenſui manifeſta, quibus id privatim cognoſceretur, docere, quod quum minime contingat (quum nihil horum ſeu vulgus ſeu peritus aliquis quoad infectum hunc uſque docuerit, aut docere ſecundum ſenſum, cui ſoli medicina credit, poſſit) relinquitur, à vero alienum eſſe ſtatuere non ſolum, quod hepar ſit hujus mali ſedes, ſed etiam quod, ubi calida præter naturam intemperie afficitur, & quod intemperies calida ſit omnis Gallica lues. eadem ratio eſt contra eos, qui ad frigidam referunt: ſiquidem hæc lues (quemadmodum variolæ morbillique) ſingulos homines tam calido quam frigido temperamento præditos indifferenter inficiat. Aſſerere vero, quod ſit (ut quidam opinatur) à tota ſubſtantia morbus, prima fronte aliquid effatu dignum eſſe videtur, in receſſu vero nihil ferme aliud, quam quod æque ignotum ſit, ac antequam quid eſſet inquireretur: perinde enim hic loquitur atque ii, qui à proprietate occulta aliquid agere aſſeverant: quod ſimile eſt ac ſi dicerent ab ignota, id quod nihil eſt dicere, nihilque definire. Sed is à Galeno, quem maxime omnium ſequitur, longiſſime recedit; quippe ille tria tantum morborum genera ſtatuit, quibus hic morbus nequaquam comprehenditur, quartum igitur morborum genus ponere oporteret. Deinde licet auxilia quædam à tota ſubſtantia vocentur, & morbus Gallicus à ligno Guajaco, à ſarza parilla, à Chynæ radice curetur, quæ à tota ſubſtantia agere creduntur, propterea tamen non ſequitur, ut is quoque à tota ſubſtantia morbus exiſtat, quandoquidem tum hæc, tum alia hujuſmodi his morbis, quos hoc genere non complectimur, opitulantur, ſicut lupi inteſtinum colico, magnæ beſtiæ unguis epilepſiæ, meſpilorum officula renum calculis, adde quod non ſolum his præſidiis, ſed multis aliis atque herbis variis (ut novarum Hiſpaniarum ſcriptores perhibent) in Indiis occiduis hic morbus ſanatur, & in noſtris oris interdum exercitatione multa, interdum vaporarii uſu, ſi ſudor multus citetur, interdum alvum paulatim, & ſæpe, & diu ducendo; quæ omnia ſimiliter à tota ſubſtantia agere aſſeverare pertinacis animi eſt.

## CAP. XIX.

*Quid morbus Gallicus ſit.*

His itaque cognitis jam ſatis conſtat, morbum Gallicum perinde ac variolas, morbillos, & elephantiaſim, affectionem eſſe ex naturæ neceſſitate contagioſam, hujuſmodi vero quamlibet (ut primo lib. docuimus) ortum habere ab alimento in matris utero propter copiam vitiato, idque fœtum humanum non modo non poſſe intus incluſa non aſſumere, ſed neque in omnem ſuam ſubſtantiam non convertere, & vitium plane putredinis eſſe, quemadmodum in ferro rubiginis fomes, ſimulque oſtenſum eſt, quomodo hæc putredo omnibus fere hominibus communis, loci tamen, & victus, & aëris ratione permutetur in morbos alicui regioni peculiares, ut apud Europam in morbillos, variolasve, apud Ægyptum in elephantiaſim, apud Indos occiduos in Gallicum morbum: ita ut morbus Gallicus non injuria nuncupari poſſit affectio putris in omnibus corporis partibus, ob vitium primi alimenti converſa in contagioſam, quæ ex naturæ neceſſitate reperitur apud Indos occiduos, putris enim eſt, quia inſitam homini putredinem, qualis ea eſt, ex qua menſtruis putrefactio, morbillos ac variolas aliqui aliquando creari voluerunt, comitatur: & hoc differt à pura intemperie, & ab affectione alia, quæ putrida non eſt: ponitur vero in omnibus corporis partibus, quoniam alimentum vitiatum, unde hæc oritur, non poteſt in univerſam fœtus humani ſubſtantiam non permutari: quo nomine ab affectione putri, quæ unam tantum partem peculiariter afficit, aperte diſcernitur. Sed additur ob vitium primi alimenti, quoniam affectio quædam putris in omnes corporis partes diffuſa invenitur, ut peſtis aliqua, quæ licet à vitiato quoque alimento gignatur, non tamen ab eo, quod primum eſt, & quod in utero ex naturæ neceſſitate accipitur. At quanquam hactenus Elephantiaſi, morbillis, variolis, & aliis id genus morbis communis eſt (nam quod ad hanc putredinem attinet, in morbum Ægypto, Europæ, atque aliis locis peculiarem æqualiter immutari poteſt) quia tamen nunc morem, naturamque ejus morbi refert, qui peculiariter Indiam occiduam exercet, id circo dicitur converſa in eam, quæ apud Indos eſt ex naturæ neceſſitate contagioſa, & à reliquis aliorum locorum morbis ex naturæ neceſſitate contagioſis diſtinguitur. Hæc eo confirmantur, quia in confeſſo jam eſt morbum hunc ex Indiis occiduis huc irrepſiſſe, ibique talem eſſe: qualis apud Ægyptios Elephantiaſis, quales apud nos variolæ, atque morbilli. ſemper item calorem quendam corpori ſuperinducere, nunc fumidum, nunc aërem, nunc fœtidum, quæ omnia putredinem præ ſe ferunt. Neque tum putredinis expers eſt, quum oculos ſola videndi facultate privat, vel aures ſurditate duntaxat afficit. Nam ulceribus vel in pene, vel in ore, vel alicubi primum exiſtentibus, vel ipſa gonorrhœa, aut aliquo hujuſmodi malo, quod ex putredine naſcitur, præcedente, tales affectus oriri ſolent: atque his ſive perſeverantibus, ſive etiam adhuc ſanitati reſtitutis, vapores acres putres, hujus mali cauſa, in corpore ante concitari poſſunt, & ſubinde ad oculos, aut aures deferri, & eorum ſpiritus corrumpere, & videndi, vel audiendi ſenſum penitus tollere, quemadmodum quoque ab inquinato corpore in id, quod integrum eſt, pellunt, & ſpiritibus commixti hos eoſdem ſolos, & nihil aliud lædere ſolent: tum etiam gummitiones, & alii morbi, qui pituitam præ ſe ferunt, ex hoc morbo naſcuntur; putris enim calor, quemadmodum ignis glaciem, aut nivem, humiditatem, quæ jam concreta eſt, in corpore liquans, tales affectus generat. Sed ſtatim dubitabit aliquis, cur labes Gallica, quum affectio putris eſſe ſtatuatur, putredo autem nunquam ſine calore ſit, indiſcriminatim inficiat tum calidos quam frigidos? nam, ut apud medicos communi uſu receptum eſt, putrida febris celerius in calido humidoque temperamento gignitur, quam in alio quocunque: proinde magis in calido, quam in frigido. Huic reſpondetur, non idcirco putridam febrem in corpore calido & humido citius creari, quia illud ſimpliciter calidum, aut ſimul calidum & humidum ſimpliciter ſit: calidum enim & cum putredine, & ſine putredine reperitur. Ideo Hipp. *lib. de veteri medicina*, non propter calidum ſimpliciter homines (inquit) febricitant, neque hoc eſt ſimpliciter affectionis cauſa, ſed eſt & amarum & calidum

dum idem: & calidum & acidum, & falsum ac calidum, A & alia infinita. Sed qui calido & humido temperamento sunt, maxime omnium putredinis morbis sunt expositi, propterea quod per ipsam sanitatem putredinis non nihil habent, veluti tum ex sudoribus conjicere licet, qui graviter his olent, tum vero ex urinis, dejectione, atque etiam ipsa exspiratione. etenim qualis est hircorum, talis est & talium naturarum temperies, ideoque prompta est ex qualibet occasione tum aliis ex putredine morbis, tum vero febribus corripi. Ergo non propter temperamentum simpliciter calidum putrida febris celerius gignitur in his quam in aliis, sed quia temperamentum calidum & humidum putredo quædam comitatur, frigidum vero non similiter quocirca sicuti putrida febris non in quolibet calido temperamento, sed in eo, quod putredinis aliquid contraxit, facile creatur: ita licet morbus Gallicus affectio putris esse dicatur, à qualibet tamen putredine non oritur, sed ab ea tantum, quam proxime diximus: nec qualiscumque calor hujusve putredinis calor est, sed qualis ab illa requiri gignique solet, ita ut non febris tertianæ, non quartanæ, calor hanc putredinem (ut etiam primo libro B retulimus) excitet, sed is, qui ab eadem in omnibus corporis partibus existente manat, non autem quo ab homine quovis modo vel febricitante vel apud ignem nimis calefacto. Itaque interroganti, cur morbus Gallicus indiscriminatim gignitur tam in calido, quam in frigido temperamento, quamvis affectio putris existat; respondendum, quia cum quocunque calore non facile conjungitur, sed cum eo potissimum, qui à simili putredine, cujus ipse est, oritur. Hinc aliqui, quorum frigidius est temperamentum, citius inficiuntur, quia plus insitæ putredinis habent: & aliqui natura calidi, tardius, quia minus: ita etiam alii, ut plus minusve alimenti putris in utero contraxerunt, variolas, morbillos, morbum Gallicum, elephantiasim, & alios id genus morbos, magis minusve patiuntur.

## CAP. XX.

*Cur aliqui lue Gallica infecti pingueſcere videntur, dein in pilorum defluvium incidunt, & nigri eorum oculi in albidum permutantur.*

Hinc pustulæ per totum corpus, & cum ulcere, & sine ulcere, ignes sacri, gangrænæ, & alia putredinis vitia: hinc fluxiones, gummitiones, articulorum dolores: nam licet ab aliis causis, quam à putredine gigni queant, quia tamen hac præcedente cum hoc morbo gignuntur, æquum est, ut magis hinc, quam aliunde gignantur. hinc aliqui morbo Gallico affecti pinguescere præter consuetudinem videntur, & horum oculi ex nigris cæsii, & ex cæsiis albi fiunt, pilique dealbantur, omnes enim succi, qui in corpore sunt, interna putredine, quæ jam sopita erat in universum excitata, & ad secundum actum deducta, quum permutantur, si natura huic permutationi (ut solet) interfit, in album colorem in primis vertuntur, quemadmodum ubi sanguis natura adhuc agente suppuratur, album colorem primo indipiscitur, & in pus convertitur, quod dicunt album, læve & æquale: quemadmodum etiam aquæ foveis contentæ, ubi putrescunt, primum albidæ, deinde, pro ut plus minusve à natura recedunt, flavæ, vi- D rides, ac nigræ cernuntur. Itaque universa hominis substantia in putredinem, ut sic loquar, secundi actus abeunte, morboque Gallico mitiore jam existente & natura nostra huic eidem ad resistendum non æque debili atque ab initio, sed quasi robusta, totius substantiæ putrescentis color (quia putredo mitis est, & naturæ concedens) albidus fit, atque oculi similiter, aut cæsii, ut alias ab alba pituita, ita ab hujusmodi putredine albi redduntur, corpus vero totum impendio magis tumescit, ita ut maxime pinguescere existimetur: tum quia forte per id tempus nimio plenum alimento est: tum quia jam actu secundo putre totum efficitur, putredo vero quælibet acrimoniam quandam præ se fert, quæ carnosum corpus intra initia tangens tanquam urtica mordicat, & in tumorem attollit. Adde quod ut totum putre fit, ita magis calescit, calescens vero, utpote primum tenuioribus factis succis, majorem locum requirit, & universum corpus tumefacit. nec ignoro & ab alba pituita, & ab alimento, quod primo album à natura fit, per universum corpus attracto posse corpus ipsum tum pinguescere, tum albescere, sed quod ad præ- E sens negotium attinet, ab hujusmodi putredine (ut retulimus) hæc duo provenire censendum, quæ quum sine calore non sit, his, qui morbum Gallicum intemperiem calidam esse volunt, concedamus ita esse, hoc est calidam, non simpliciter quidem ut opinantur, sed prout à putredine homini insita gignitur.

## CAP. XXI.

*Quum hic morbus extenuet, cur victu extenuante tollatur.*

Ex his quoque non difficile est nosse, cur hic morbus quum extenuet, vehementer extenuante tamen victu maxime indigeat: quandoquidem à crassiore fovetur & crescit. quippe verisimile est ab extenuante magis augeri debere, quam minui: ei namque, quod suapte natura extenuat, si alterum extenuans addideris, multo magis extenuet, oportet: nisi extenuandi modus alius sit in hoc atque in illo, siquidem morbus extenuat, quia putredinem in toto corpore suscitans non permittit illud (ut par est) nutriri: quo fit ut gracilescat, ac emarcescat, victus vero, qui extenuat, humiditatem subtrahens, quæ putredini materiam subministrat, ut morbi causam minuit, ita vires ipsas adauget. Huc pertinet, quod victus, qui in hoc morbo dari solet, hoc est, cibus exiguus, quo minor est, eo magis amplam medicamento viam permittit, per quam in universum corpus efferri debet, alioqui si copiosus esset tum valde obstaret, quominus illud efferretur, tum rei vitiatæ commistus, & in illius substantiam immutatus, vitium ipsum geminaret. Ad hoc accedit totius corporis transpiratio amplior atque facilior, quæ sicuti justum, extenuantem, & cibum exiguum sequi solet, ita his, quæ in corpore sunt, passim putrescere incipientibus, vias aperiens atque amplificans, perflatum præbet, & refrigerante perspirato calorem alienum, qui novæ putredinis author est, foras expungit, hæc dicta sufficiant dubitanti, cur morbo huic extenuanti victus etiam extenuans conducat.

## CAP. XXII.

*De signis morbi Gallici, quando sponte naturæ gigni poteſt, & quando ex contagione jam gignitur.*

Jam, ut opinor, ex his, quæ si non eleganter, dilucide tamen, & ut nobis videtur, vere diximus, satis con- C stat, quid morbus Gallicus sit, utrum novus an antiquus, quæ illius causa, cur omnes homines inficiat, cur tam facile contrahatur, cur tam difficulter expellatur, cur etiam quod ad ipsum attinet, non interimat, & alia multa, quæ brevitatis causa nunc omittimus. Proximum est non ignorare, quoniam hic morbus nunc sponte naturæ, hoc est sine ulla contagionis suspicione, quæ propinqua sit, aut manifesta, quemadmodum morbilli, variolæve, ac elephantiasis, nunc ex contagione palam gigni solet, cognosci sponte naturæ oriri, ubi contagium nullum vel in proximioribus parentibus, vel in ipsis jam natis, ejusdem morbi præcesserit: manifesta vero repletionis adsunt indicia, quæ quum in corporis totius putredinem feratur, hanc eandem excitat, atque ex actu (ut dicunt) primo in secundum, & juxta impulsoris naturam in morbi speciem ex necessitate contagiosi deducit. scire autem licet hujus repletionis signum esse, ubi crescunt nimis tum pili, tum ungues, simulque plenum cernitur corpus, minimeque tabescere, (tabidis enim ungues, pilique alia ex causa crescere videntur) item si corpore nequaquam extenuato vel oculorum rubor vel tussis adest, si facies plenior, si caput grave, aut dolens, si urinæ crassæ albidæ, si calor præter morem est auctus, si nullius contagionis est suspicio. Hæc omnia vel plurima morbum hunc, ubi jam est, sponte naturæ gigni significant. Sed ex contagione creari justum est, quum hæc ipsa non affuerint, vel si etiam affuerint, aliquid tamen, quod manifeste inquinarit, antecesserit, subsequantur vero ulcera vel in pene, ut in adultis, vel in ore, ut in lactentibus, vel in papillis, ut in nutricibus, vel in utero, ut in aliis mulieribus; deinde bubones in inguinibus, pustulæ mori fructus figuram imitantes, dolores juguli, lterni, articulorum, dentium, gonorrhœa, menstrua alba, lassitudines totius corporis, graves calores interdum à lumbis incipientes, mox in ventriculum, ad thoracem, aut scapulas, in caput usque ascendentes, febres diuturnæ, sed parvæ, destillationes, tusses, tubercula dura, inflationes, extenuationes, impinguationes, pruritus per totum corpus, ac pustulæ sæpe rubentes in toto carnis genere, sensus ac si corpus universum urtica pungeretur, fusteque minutim cæderetur, crepitus ventris præter consuetudinem, ructusque crebri, atque spiritus per os cum calore molesto prodiens, & nonnunquam male olens, neque non & dentium malum inexplicabile, quippe qui nunc astringi, nunc laxari, nunc prurire, nunc torpere, nunc ex alveolis extra prorumpere, nunc intro subire sentiuntur: præterea oculorum aut aurium perturbationes, sed insuetæ, vox rauca perseverans, cum facies pallore non consueto, pustulæ siccæ, asperæ præsertim in fronte, cum

cruſta vel alba, vel pallida, vel livida, vel nigra vel ex A
his miſta: pilorum item defluvia, & alii præter naturam affectus, modo longi ſint, & communibus antiquorum curationibus contumaces, nam & olim, antequam lues hæc innoteſceret, ex coitu cum meretrice cum ulcera in pene, tum bubones, & gonorrhœæ creabantur, ſed hæc non magno negotio curabantur. Denique ubi contagii ſuſpicio eſt, morbo autem naturæ ſuæ impetum retinente (id quod ex inquinante cognoſci poteſt) ſemper homo, niſi propter timorem aut dolorem aut vacuationem, aut aliquam aliam cauſam extenuetur, primum bene appetit, pulchrior ac longe plenior, quam pro conſuetudine fieri videtur, poſtea non appetens fit, & triſtior atque gracilior: quippe hic morbus (ut ante diximus) naturaliter ad extima prorumpit, ſæpe etiam numero liquefacit, liquefaciens vero primum repiet, ſubinde ſenſim extenuat. Illud quoque non leve indicium eſt, cum contagii notis, & curandi contumacia, & tarditate tandem id malum uſu decocti Guajaci, de quo proxime loquemur, retunditur, aut ſuperatur, ſi perpetuo calidior, quam natura patitur, æger apparet, ſi à coitu, à luctu, à lactatione, tumidio- B
re facie fiat, idque perduret, ſi ulceribus ortis in pene, in utero, in papillis, in labiis, aut ſi nullo apparente ulcere, modo cum inquinato conſuetudo intercefferit, vir, mulier, puer, diutino capitis dolore, aut longa vigilia conficiuntur: ſi præcipue manuum volæ, pedumque plantæ calidiores præter naturam redduntur, ſi has eaſdem rubor inficit, ſi pruritus privatim infeſtat, ſi veluti rhagadia, & apoſyrmata, hoc eſt rimæ, deſquamationeſque in eiſdem oriuntur, ſi in capite aut pueri, aut viri, aut mulieris, ceu vocatum lactumen generetur, pediculi vero neutiquam ſubſint: hoc enim ſigno diſtingui quidam arbitrantur ab eo, quod ſine lue Gallica eſt, in hoc enim pediculos ſubeſſe, in illo minime, quin etiam ſi morbus Gallicus inſit, ſubinde pediculi multi oriantur, morbum hunc cito, & omnino exulaturum eſſe ſignificari. Id quod eo minus eſt negligendum, quo magis ſcriptores novarum Indiarum affirmant, noſtrates in his locis ſine pediculis potiſſimum eſſe, & quod tranſacta diametro è directo inſularum (ut dicunt) Azorum, ubi pyxis nautica differentiam oſtendit inſignem eorundem flatuum, quibus C
in Europam navigatur, tum pediculi, qui in navibus ad Indias occiduas tendentibus (mirabile dictu) ſtatim evaneſcunt. In Europam vero deinde redeuntibus ad eundem locum, ac ſi naves præſtolarentur, ſtatim apparent, tanquam Europa pediculorum ferace exiſtente, India vero occidentali vel minime vel parum admodum, ſed quoniam aliqui non ſcriptis quidem, ſed voce mihi retulerunt, non minus ibi, quam hic pediculos haberi, ſatis ſit nunc id ſolum admoniſſe, quod ſi pediculi ibi quoque ſint, non admittatur, ſi non ſint, non temere negligatur, & ſi nihil prohibet, quod cum pediculis quoque hic morbus ſit, præſertim quum aliqui apud nos illum in phthiriaſim degeneraſſe ſcriptum reliquerint. Sed nihil ultra quærendum eſt, ubi contagionis ſuſpicio præceſſerit, umbilicus vero præter conſuetudinem exulceratur; quippe veriſimile eſt eam partem, ad quam in noſtro corpore terminatur umbilici funiculus, quo (tanquam caudice in planta) vitiatum alimentum in utero continetur, ſubinde à fœtu hauritur, aut primo facile inquinari. Hæc ſimul omnia vel plurima morbum Gallicum ex contagione ortum eſſe no- D
bis oſtendunt. Quidam addunt urinas flavas, lucidas, contenta habentes veluti ſabuloſa, vel arenoſa, vel etiam fruſtuloſa, & inſtar ſcopuli cujuſdam ſciſſi dirupta, & inæqualia, ſic enim dicunt. Quidam incipientis morbi ſigna eſſe volunt, totius corporis laſſitudinem, metum præter rationem, gravitatem membrorum omnium, præſertim à ſomno, torporem, ſegnitiem, dolorem (ut dicunt) vagum, parvum dolorem item capitis modo accedentem, modo recedentem, faciei colorem immutatum, defloreſcentem, gonorrhœam, ſub oculis lividum circulum, niſi forte hic illis, qui nimium coiverunt, occidat: ſoporem interruptum, in ulceribus cariem. Jam vero progreſſi atque firmati, puſtulas in vniverſo corpore duras, graves tum in capite, tum in barba interdum cum cruſta, interdum ſine hac, modo cum pure, modo abſque illo calloſa in pudendis ulcera, aut in eiſdem curatis callos, columellæ mollitiem, laxitatem: abſque perſpicua deſtillatione raucedinem: tonſillas tumentes, palati, dentiumque corruptionem, dolores firmos, moleſtos, qui inter octavam horam & noctem potiſſimum exacerbantur, oſſium E
abſque ulcere apparente corruptiones, gummitiones, &, quas proxime diximus, manuum & pedum aſperitates, aurium tinnitus fere incurabiles, aſthma, quod ubi acciderit, inſanabile quoque eſſe putant.

## CAP. XXIII.

*Qui cum inquinatis conſuescentes, aut vix, aut tarde in morbum Gallicum incidunt, & qui cito.*

Cæterum in primis ignorare non oportet, ſi quis ab Indiis occiduis procul abſit, & hac lue infectos omnino fugiat, hunc minime omnium huic morbo fore obnoxium.

Neque ſolum expedire cum infectis non verſari. Sed etiam neque cum his, qui cum aliis infectis verſantur, conſueſcere, licet enim nondum ipſi palam infecti ſint, adhuc tamen ab his eiſdem contrahere labem, & retinere vitium, atque alios inficere poſſunt: ſicut feles & canes, ubi peſtilentia graſſatur, peſte nequaquam afficiuntur, alios tamen, nimirum homines ipſos afficiunt. Alioqui ſi in his locis aſſidue quis degat, ſi cum inquinatis vel hic vel alibi temere verſetur, ſi non frugaliter, ſed incontinenter vivat, non leve periculum eſt, ne in hunc morbum incidat. De his ergo, qui cum inquinatis conſuefcunt, ſcire licet, eos, qui natura ſua graciles ſunt, alioqui bene ſani, & parum comedunt, parumque bibunt, utpote qui modice fluentibus menſtruis (ut prægnantibus aliquibus accidit) utero geſtati fuerint, quemadmodum minus habent innatæ putredinis, ita vix, aut tarde hoc morbo corripi.

Tales quoque eſſe, qui poſt multos partus poſtremo naſcuntur, utpote matribus maxime ante purgatis.

Sic hi, qui ſe laboribus perpetuo dedunt, & facile, ſæpeque ſudant, aut vix aut tarde inficiuntur.

Æque ſe habent, qui minus libidinoſi ſunt, minusque frequentant venerem.

Qui glande detecta dura, & veluti calloſa ſunt, ut enim hæc in coitu minus ulcera ſortitur, ita per hanc partem homo difficilius inficitur.

Et qui, dum coëunt, parum comprimunt ſe, minusque caloris inter coëundum movent, ut qui jejuni ſunt, atque turgentes, ſed parum admodum concupiſcunt, hi enim & celerius concumbunt, & fere ſine contactu ſemen C
ejiciunt (qui enim frequenter adeunt infectas, interdum minus incidunt in hanc luem, tum propter alias cauſas, tum quia multi feminis ſunt, parumque morantur, ut ſemen emittant, ita ut minime calefiant.)

Vix etiam aut tarde inquinantur, qui veſicam, alvum, cæterasque expellendi vias pro ſua natura apertas habent.

Qui vacuationem aliquam vel præter naturam, utputa hæmorrhoidem, crebro patiuntur.

Qui nihil lactuminis habuerint, atque his ſimul naſcentibus, nihil aut parum purgamenti mater ejecit, ſanaque remanſit: quippe qui parum vitiati ſucci in utero contraxerunt.

Qui per variolas, aut morbillos, aut lactumen copioſe, facile, citoque ſe expurgarunt, quaſi interna putredine jam effecta.

Neque non in regione frigida, quia contra ſuum naturæ impetum movetur, poſtquam contracta eſt contagio, tardius quam in calida apparere, proinde tarde quoque inficere videri.

Mulieres item, quæ non amant, & quæ nihil concu- D
piſcunt, & quæ in coitu parum incaleſcunt, vix aut tarde inſici ſolent, quid dixi tarde, imo pleræque nunquam inficiuntur, ut quamplurimis, quæ invitæ ſine ulla libidine, præcepto legis, cum ſuis viris inquinatis coibant, eveniſſe cognovimus.

Tardius quoque mulieres non prægnantes quam prægnantes inficiuntur.

Et omnino donec menſtrua fluunt per hæc tempora, id eſt, per omnem ætatem, in qua fluunt aut vix, aut tarde afficiuntur, ac ſi ægrotent, non ægrotare videntur.

Quin etiam ignorandum non eſt, ſive mares ſive fœminæ, qui decocto Guajaci curati ſunt, idque poſt curationem non ſemel tantum ſed ſæpius per dies x. aut xiiij. ſumpſerunt, tanquam circulatoris lapide, advertus ſerpentum morſus, epoto, ſi rurſus cum infectis coëant, ſecuros magis eſſe, quam qui nunquam ægrotarint, neque unquam tali præſidio uſi fuerint.

Verique ſimile eſt, ſi quis huic decocto aut alicui hujuſmodi ab ortu primo aſſueſcat, aut vix, aut tarde inſici.

Senes item tardius quam juvenes, & hos quam pueros inquinari; quo enim proximiores ortui ſumus, eo promptior eſt ad agendum interna putredo. Hi ergo omnes, tam mares quam fœminæ, ſi cum inquinatis verſentur, aut vix aut tarde inquinantur, vel inquinati levius ut plurimum offenduntur.

Contra vero cito inficiuntur, qui in pueritia multum lactuminis, quod & curationi parum obediverit, & diu duraverit, & ſui nonnihil adhuc reliquerit, ſortiti ſunt: ut-

pote

pote qui plus vitiati succi in utero contraxerint.

Qui nec variolas, nec morbillos adhuc experti sunt.

Quibus urinæ albæ præter consuetudinem sæpe videntur: ut enim hæ repletionem significant, ita suspicionem faciunt, ne homo data occasione in hunc morbum prompte incurrat.

Quemadmodum si plenior, & speciosior, & coloratior, quam consueverit, factus est.

Qui ventri indulgent, quotidieque se cibo potuque explent.

Qui libidinosi sunt, quia ob libidinem maxime commoventur, calore oborto citius inficiuntur: videmus enim uxorem, & maritum, alioqui mundissimos, primo anno sæpe scabiosos evadere, quia per id tempus præ amore sese in coitu nimium comprimunt, talis enim coitus humores ad extima movet, vaporemque putrem ad cutim, ideoque coëuntium corpora fœtent, & calent.

Qui glandem præputio fere semper obductam habent, atque hanc mollem, teneramque, facile enim per coitum ulceratur, & inquinamentum in se excipit.

Promptius etiam accipitur inquinamentum, si vacuatio aliqua vel naturalis vel consueta supprimatur.

Si alvus naturaliter astricta sit, si exercitatio prætermittatur.

Si mulieri menses subsidant, aut ex rubris in albos vertantur, si uterum gerat.

Si puer sit, citius quam juvenis, & juvenis citius quam senex (ut proxime innuimus) inficitur.

Frater item à fratre, parens a filio, filii à parente, Italus ab Italo, Hispanus ab Hispano, denique quicunque aut cognationis, aut loci, aut victus speciem aliquam communem habent, alter ab altero facilius inquinatur, quam qui non habent.

Hactenus de his, qui facile inquinantur, ubi cum inquinatis consuescunt.

## CAP. XXIV.

### *De Gallici morbi magnitudine, atque de infectis qui gravius, & qui levius afficiantur.*

Neque silentio prætereundum est, mitius esse malum, quod cum pilorum defluvio reperitur, gravius autem si ad ossa, si ad interna repat. Et in regione calida, quoniam secundum naturæ suæ impetum ad cutim fertur, minus sævire, in frigida vero, quoniam contra suam naturam ad interna migrare cogitur, magis. Mitius quoque si tubercula, quæ variolis, aut rubores qui morbillis respondeant, per cutim exoriantur; significari enim à morbis, qui apud nos ex naturæ necessitate contagiosi sunt, non admodum recedere.

Minus etiam sævire, si dolores cum tumoribus, quam sine his secum afferat, ac multo melius, si tumores fuerint molles quam duri.

Et omnino, qui pustulas habent, minus ægrotare, qui gummitiones aut articulorum dolores, magis.

Adhæc gravius se habere senes, quam juvenes, & hos magis quam pueros: Tum quia ut magis naturale est nuper natis, quam ulterius provectis, corripi variolis, morbillisve, ita & morbo Gallico (quod autem magis naturale est, id minus infestare solet) tum quia quicunque morbi senibus contingunt longi, qualis est Gallicus morbus, hi magna ex parte (ut *aph.* 2. inquit Hipp.) comitantur ad mortem.

Neque non verisimile est eos gravius lædi, nisi forte multo parcius victitent, quos, etsi cum infectis consuescunt, minus tamen facile inquinari diximus. Contra vero eos levius, præsertim si moderate vivant, qui prompte inficiuntur, ut enim illic vehementiore causa, hic autem leniore ad morbum excitandum opus est, ita illic morbum validiorem, hic imbecilliorem excitari necesse est.

Proinde gravius affici, qui lactuminis multum in pueritia passi sunt, & adhuc ultra hanc ætatem aliquid retinent.

Sed levius affligi, qui frugaliter vivunt.

Qui continuis laboribus dediti, quotidie ubertim sudant.

Quia venere abhorrent.

Quibus omnes expulsionum viæ tum apertæ sunt, tum in dies quamplurima excrementa redduntur.

Quorum matres à partu exigua purgamenta habuerunt, & sanæ remanserunt, & his nihil lactuminis post partum exivit.

Quos variolæ, aut morbilli multo ante copiosissime purgarunt.

Neque dubitandum est, quin hi graviter ægrotent, qui inquinantur nulla alia præcedente contagionis nota, quam quod cum inquinatis versati sint: utpote filii, qui cum parentibus infectis dormiverunt: suscepto enim per spiritum morbo, ut ille per universum corpus repente migrat, diu latet & se non prodit, ita hic pertinacius inhæret, & se per partem aliquam non evacuans gravius affligit.

Denique malum id in muliere gravida gravius esse, quam in ea, quæ non gravida.

Et in hac multo gravius, si menstrua non fluant, quam si abunde fluant.

## CAP. XXV.

### *Ex infectis qui facilius difficiliusve curentur.*

Ante omnia nosse oportet, morbum hunc, quia natura sua longus est, quum penitus insedit, difficiliorem esse curatu, quo autem recentior est, eo faciliorem.

Neque una tantum curatione, ut funditus tollatur, indigere: sed eadem aut similis bis, terve, aut quater, statis quibusdam temporibus repetita.

Atque ethicam (ut dicunt) febrem, tabem ex pulmonis ulcere, marasmum, & alios hujusmodi incurabiles affectus, à morbo Gallico genitos, minus esse incurabiles.

Quin etiam surdos, cæcos, comitialesque, nisi prius omnia, quæ morbum Gallicum arcere solent, consumpta sint, majore curandi spe esse, quam qui aliunde sic affecti sunt.

Facilius item, qui cum pilorum defluvio inquinati sunt, quam qui cum gummitionibus, & articulorum doloribus, nisi urina multa cralla facta sequatur.

Facilius quoque illos, qui tuberculis, quæ variolas, aut cum ruboribus, qui morbillos imitantur, affecti sunt.

Ac eos, qui post infectum nunquam coëunt, facilius curari, quam qui nihil minus libidinantur. Ideoque in Numidia forsan, quia mulieres (ut novarum Hispaniarum scriptores tradiderunt) cum alienis viris non consuescunt, hi, qui Gallico morbo affecti, quasi desperata salute, aliunde illuc se contulerunt, liberati sunt: quamquam & locum & aërem & victum illis quoque vel maxime profuisse nequaquam negaverim.

Facilius etiam eos, qui extrinsecus leviter tacta cuti inficiuntur, nisi deinde frequens idem contactus fiat.

Difficilius vero senes, quam juvenes, & juvenes, quam pueros curari.

## CAP. XXVI.

### *De morbi Gallici more.*

Porro morbus hic fallax & subdolus est: nam inquinatis si subinde non augetur, aut si se non prodit, nulla securitas est: etsi namque per aliquod tempus nihil grave alioqui pati videntur, suspecta tamen bona sua habere debent: paulatim enim conficitur corpus, deinde, ficut in morsu canis rabidi, post duos vel tres vel quatuor vel multo plures menses, interdum post annum exactum (ut 1. *commentario in primum prorrhet.* Galeno placet) venenum subito apparet.

His etiam, quo sæpius coëunt, eo magis recrudescit hic morbus: ex hoc enim si quæ pustulæ ante receſſerint, illico revertuntur.

Sed si quis ab inquinamento, à pustulis, atque ab aliis hujus morbi affectionibus brevi liberatus fuerit, adhuc tamen propter causæ cognationem in idem relabi solet, nisi enim deinceps parcissime comedat, bibatque, nisi simul exerceatur, & venere penitus abstineat: ob seminarium semper intus existens, & in actu secundo nunc positum, facile recidet.

Ut mirum non sit, ubi semel hic morbus invasit, cur frequentius revertatur.

Hinc qui alias ob coitum hoc morbo laborarunt, & tandem sanati sunt, si deinde vel cum inquinata vel cum munda muliere immoderate coëant recordatione per coitum ante suscepti mali, in idem uno vel altero modo prompte incurrunt.

Neque nos lateat, in ambiente (ut dicunt) calido, quoniam ad cutim attractio fit, morbum hunc & secundum naturæ suæ impetum creari, & simul ad exteriora prorumpere solere: In frigido autem, quia intro repellitur, contra suæ naturæ motum retroverti, & solidas corporis partes sæpius depasci.

Frequentius etiam in regione calida quam frigida apparere: hic enim circumfusus aër, ne morbus ad cutim extendatur, prohibet, (nam intro pellit) illic vero & ad cutim trahit, & eandem circa retinet. qui quum sponte sua huc quoque feratur: sæpius quoque appareat, oportet.

Cæterum scire licet, morbum hunc non brevem, sed longum esse.

Atque hominem mille quidem modis torquere, sed suapte natura neminem interimere.

## CAP. XXVII.

*De quarundam rerum prædictione, quæ Gallicum morbum hujus, alteriusve modi consequuntur.*

Neque silentio transeundum est, qui, antequam inquinarentur, parte aliqua laborant, his, postquam inquinati sunt, morbum vel in eam partem tantum vel maxime abire.

Hinc nonnullos fieri cœcos, nonnullos surdos, & nihil aliud.

Hinc etiam qui podagra laborabant, post Gallicum inquinamentum molestius torqueri.

Qui gonorrhæa primum orta inficiuntur, magis obnoxios distillationibus, doloribus & gummitionibus esse, quam qui ulceribus primum ortis in penem, in labiis, in ano, in vulva: illic enim à liquatione, quæ toti corpori communis est: hic à carnis erosione, quæ partem respicit, morbus incepit.

Quibus oculi intro in cerebrum retrahi sentiuntur, & collum dolet, neque facile verti potest, his articulares dolores instare.

Quibus præter consuetudinem pluribus diebus alvus adstringitur, deinde orto pruritu caro tota tumescit, scabiosas pustulas per totum corpus creari.

At eos, quibus penis ulcere sanato callus quidam veluti calvi caput, & quibus ceu nervus durus per pudendum extensius in longum relinquitur, ut ab hac lue per hæc signa nondum liberati videntur, ita in recidivas sæpius incurrere.

Sed qui medicamento, quod peculiarem humorem (ut opinantur) educit, adversus hunc morbum nimis frequenter purgantur, hos sæpe in colli convulsionem incidere, non raro in oculorum vehementem cavitatem, & cum dolore intro retractionem, nonnunquam in comitialem & interdum in mortem: alia enim materia, quam ea quæ peccat, foras exeunte, interna vero putredine, quæ in actum secundum prodiit, prout in hoc eodem actu est remanente, corporis partes liquari simul, atque ad expulsionem irritari convenit: quæ quum expellere id, quod eas stimulat, nequeant: propter medicamenti autem vim assidue liquentur, dum id, quod infestat, expellere, & id, quod ex eis liquatur, retinere conantur, tum una convelli probabile est.

Verum si homo plenior, atque coloratior, quam solet, factus est; si pruritus, & subinde pustulæ in capite, in supercilliis, in palpebris, in mento, & in reliquo corpore nascantur: si pili aridi, duri, rectique præter consuetudinem sentiantur; si tum oculi nigri quidem ad cæsium, reliqui vero ad album mutentur, cum palpebrarum circulis factis rubris, & omnino cum quadam ceu nova totius corporis metamorphosi in id, quod est plenius, in primis vergente, pilorum defluvium fore significatur.

Sed ut is, qui ulcerato pene, aut aliqua alia corporis parte primum inquinatus, pilorum defluvium vereri debet: ita qui nullo accepto ulcere, articulorum doloribus aut gummitionibus afficitur, à pilorum defluvio vindicari solet: illic enim corrodens humor ad cutim, hic ad interna repit.

Quemadmodum autem vere ex terra herbæ floresque nascuntur, ita hoc morbo juxta suæ naturæ impetum infestante, pustulæ in corpore per id tempus pullulare solent.

Et qui vere primum inquinantur, quia subsequens æstas secundum morbi impetum ad cutim ut plurimum trahit, ii pustulis circa cutim crebrius infestantur.

Sed qui autumno primum inficiuntur, quoniam accedente hyeme morbus ad interiora contra propriam morbi naturam sæpe repellitur: doloribus, & gummitionibus plerumque afficiuntur.

Scireque licet raro morbum hunc tolli, quin aliquid in corpore relinquat: scilicet vel ulcus in ano, in vulva, in ore: vel hæmorrhoidas, vel coxendicem, vel distillationem, aut tussim, & hujusmodi: atque id, postquam apparuit, tanto magis tutum esse, quanto periculosior ante fuerit morbus.

Neque terreri quis debet, si epilepsia, aut melancholia, aut asthmate, aut alio fere incurabili morbo ante affectus, postea labe Gallica inquinetur: licet enim illa per se curationem non recipiatur, possunt tamen hac labe contracta, quia universa hominis natura innovatur, recipere.

Sed quicunque notam aliquam ab hoc morbo relictam, utputa ulcus aut gummitionem, aut quid aliud patiuntur: deinde, hac præter rationem amota, in alium morbum incidunt, scire licet hos omnes & diutius, quam per hunc morbum alias consueverint, ægrotare, & raro absque aliquo adversus morbum Gallicum auxilio curari.

Interim memoria perpetuo tenendum est, si cui cutis hujus morbi causa ulceribus scateat, advenientibus morbillis aut variolis, aut utrisque per propinqua tamen intervalla cutim tota sponte sua mundari, morbumque omnem quasi divinitus aboleri, quum enim Gallicæ labi variolæ morbillive contingunt, signum est eam & mitescere, & naturæ nostræ concedere.

Sed qui vulnus aliquod acceperunt, & qui ulcus aliquod patiuntur: si Gallica lue ante infecti fuerint, illos quidem tardius ab his vindicari, hos vero vix posse.

Neque ignorandum est, senes hoc morbo magis periclitari quam juvenes, & hos magis quam pueros, ac eos magis, qui difficulter inquinantur.

Demum, si forte propter continua nostrorum hominum cum Indis occiduis commercia rursum sævire incipiat. Nihil impedire, quo minus ceu malum vocatum sancti Lazari paucos tantum affligat, & in seccessum aliquem relegetur: sin, quemadmodum hac nostra ætate experimur, continue magis mitescere perseveret, futurum esse, ut vel omnino ex nostris oris exsulet, vel in morbum aliquem Europæ cognatum sensim vertatur, & similiter evanescat.

Hæc de morbi Gallici tam præsentis quam futuri signis, de magnitudine, de facilitate ad curandum, atque difficultate, de more, & de præcognitione quorundam, quæ illi superveniunt

## FINIS LIBRI SECUNDI.

ALEXANDRI TRAJANI PETRONII,

*Philosophi, ac Medici præclarissimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## LIBER TERTIUS.

### CAP. I.

*Quid inspiciendum sit, evitare curareque morbum Gallicum volenti, & quid potissimum sit præscribendum.*

Postquam de morbi Gallici causis, tum communibus, tum propriis, ac de ejusdem signis satis abunde scripsimus, simulque jam patet, quid ille sit, non ex hypothesi, ut alii hactenus fecisse videntur, qui potius, quid non esset, quam quid esset ostenderunt, reliquum est dicere, quomodo vitari queat, si nondum est, & quomodo curari, si jam est. Quamquam igitur hic morbus (ut diximus) hominem ipsum non interimit, quia tamen plerumque graviter affligit, milleque modis excruciat, optimum quidem esset hunc eundem omnino prohibere, ne oriretur, aut ubi ortus est, penitus abolere, aut si id non licet, saltem maxime mitigare. Primum & in Indiis occiduis, unde huc invectus est, & hic, modo mutuus & arctus inquinamento præsente contactus accidat, cæteris aliis concurrentibus fieri nequaquam potest: alterum aliquando, sed non sæpe: Tertium utrobique & quam sæpissime. de tertio tanquam faciliore, prout tamen nostrum hemisphærium infestat, nos potissimum loquemur. Sed cum hoc si quis primum & secundum respicere voluerit, non ineruditam utriusque assequendi rationem adipiscetur, quum interea etiam de utroque sermo aliquis fiet. In universum vero dicendum minui id malum, & reddi mitius, victu, loco, aëreque mutatis, proportione præsertim ad Indiam occidentalem, unde primum ad nos penetravit, habita, ut quemadmodum illi neque carnibus (ut quidam dicunt) neque vino utuntur, ita hic infecti, his utrisque potissimum abstinent, vinci autem & fere penitus aboleri, si absit repletio multa, præsertim quum æmulatur eam, quæ in utero fœtum inficere solet: si contagionis occasio caveatur, & omnino si calor, qui vitium primi alimenti excitat, prohibeatur: Prohibebitur autem, si non modo calor omnis, qui peculiariter dictam putredinem moveat, non excitetur, sed si ne ullus alius quidem præter naturam oriatur, præsertim si neque mutuus neque arctus inter duo corpora contactus fiat: si vitium primi alimenti naturaliter se habeat: naturaliter se habebit, si (ut diximus) contagionis occasio auferatur, & omnis expletio evitetur, maxime vero sanguinis: sanguinis inquam ejus totius succi qui in venis est, non autem privatim sanguinis ab aliis distincti, quum à sanguine menstruo, qui ex omnibus humoribus conflatur, primum nobis alimentum suppeditetur. hoc enim aucto morbi, qui ex naturæ necessitate contagiosi vocantur, sponte quidem gignuntur, sed juxta loci, aëris, & victus rationem differentes: inquinato autem, tales quoque morbi, quale vitium est (ut diximus) impulsoris, qui sopitam intus putredinem excitat. Repletio procul aberit, si ea præcipue, quæ multum sanguinem gignunt, quis vitet, quæ vero minuunt, sequatur: si parum comedat, parumque bibat, si maxime per exteriora, hoc est per cutim, ad quam primi alimenti vitium (ut 1. lib. ostensum est) naturaliter fertur, frequens evacuatio fiat, hæcque vel sensilis, ut sudores provocando, vel insensilis, scilicet per halitum resolvendo, modo utraque naturam non excedat. Adhæc, ubi opus est, si venæ sectio adhibeatur, si solitæ tum sanguinis, tum aliorum succorum, atque excrementorum expultiones, ubi suppressæ sint, aperiantur: si amaris quibusdam (ut infra dicemus) aut etiam his, quæ lentore levi tenuique adstrictione participant, homo assuescat. quippe quæ, ut minus alunt, ita præsertim si liquida fuerint (ut etiam explicabitur) per universum corpus diffusa, sopitam in eo putredinem, sed subinde excitatam temperant, abstergunt atque repurgant. Calor pravus minime movebitur, si corpus undique transpirabile, atque permeabile reddatur, ita ut consuetæ vacuationes omnes pro more succedant, si Solis, aut cujusvis alterius, ardori sese homo temere non committat, si salitis, si aromatibus, si rebus facile putrescentibus, si multis ac frequentibus frictionibus, ac exercitiis (nisi utilitas aliqua manifeste sentiatur) abstineat. Ideoque nemo vereri debet multa ac frequenti exercitatione uti, siquidem hac expurgetur æger: Compertum est enim, non paucos hoc vero auxilio curatos fuisse. quanto igitur per motum magis expurgatur corpus, tanto facilius calor transpirat, tantumque abest ut putredo augeatur, ut omnino consumetur. Cæterum quomodo id intelligendum sit, quod Hipp. *epidemiorum sexto sectione 5.* scriptum reliquit, ulcera nascuntur, siquis impurgatus laboret: alterius est negotii, illud nequaquam silebo, quod multi morbo Gallico affecti, dum valde exercentur, sive laborant, non impurgati fiunt, sed plane purgati: id enim evenit, quia insita putredo (ut supra diximus) natura sua ad cutim fertur: exercitatio vero licet in impuris ulcera moveat, simul tamen vitiosos succos, qui intus exsiliunt, secundum putredinis impetum ad cutim movet, & internas partes ab illis liberat: denique postquam in cute omnia firmata sunt, jam puriore reddito intus corpore, frequenti iterum citato motu, ulcera, quæ forsan in cute nata sunt, dissipat atque resolvit. Hoc igitur modo juvat, non profecto, quod ulcera primo nunquam suscitet, sed ubi illa suscitantur, internas partes expurgat, subinde postquam nihil intus vitiosum relinquitur, quod foris est, tandem exsiccat, exsolvit, & finit: ita ut non semel sed sæpius peragenda sit, nam una tantum irritare, frequens vero sanare potest. Hæc igitur paucis exceptis observanda sunt, prout singulos homines ea putredo per omne tempus promiscue afficit, ut vero in alios morbos pro loci, aëris, & victus ratione mutatur, utputa in morbis, in elephantiasim, in morbum Gallicum, tum hæc generatim, tum alia speciatim & prospicienda & facienda sunt, prout horum cuique magis idonea fuerint. In præsenti quomodo in morbum Gallicum conversa curetur (ut propositum est) potissimum differemus: quamquam ex hoc etiam aliorum morborum, in quos illa degenerat, cognitionem atque curationem quis facile poterit tum habere, tum exequi. quoad vero quis ab hoc morbo (ut dicitur) præservari possit, partim hoc capite, partim secundo lib. cap. de his, qui illum evitare possunt, dictum est. partim etiam sexto libro, ubi de medicata quadam tela, siquidem huic credere dignum est, & partim, ubi de penis, ani, vulvæ, & papillarum ulceribus agitur, dicetur.

### CAP. II.

*Ubi morbus Gallicus invasit, non longo post tempore, sed statim ab initio studendum esse, eum auferre, neque cunctandum, & quæ sint communes ejus curandi indicationes.*

Nunc quia communis hæc putredo, quam à vitio primi alimenti in nobis necessario fieri diximus, in Gallicum morbum degenerans, ab Indiis occiduis huc invectum, contagione sola nos plerumque inficit, & morbos varios in nobis parit, prout loci, aëris, victus, & subjecti ratio postulat. In primis si fieri potest studendum est, ut hac lue affectos omnino fugiamus, sin minus, prospiciendum ante omnia, ne morbus hic, ubi incepit, augeatur, depascaturque corpus nostrum, sed statim ei per ea quæ illum expellunt occurrendum: ἀρχὴ γὰρ ἰᾶσθαι πολὺ λοιπῆς ἡμίσεια τελευτῆς hinc illud quoque ζητεῖται ἴλλει φάρμακα φυσικῶς unde autor de locis in homine, morbos (inquit) à principio curare oportet, & *lib. de morbo sacro*, tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus, non augere morbos, sed festinare, ut ipsos exteramus, id quod advertissimum est morbo exhibendo, non quod amicum & familiare. quocirca illi audiendi non sunt, qui suadent miseris ægris, ut sinant morbum hunc sponte sua per sua tempora (ut dicitur) serpere, deinde auxilia, quæ illum expellant, adhibere:

bere: postquam enim expers est nostrum corpus obsedisse, id, quod ab initio intra 40. dies utplurimum innotescit, vanum est in aliud tempus præsidia, quæ illum sanare possunt, differre. Profecto si morbus esset suapte natura cœtilis, & qui sponte sua superari soleret: id certe exspectandum sedulo esset: sed cum neque hujusmodi sit, neque sponte sua sine prætidiis tolli consueverit, committendum non sit, quo minus ab initio submoveri tentetur: ne in longius spatium tractus, & robustior fiat, & curationi minus obediat. Hi ergo neque id, quod veteres jubent, sequuntur (Hipp. enim inchoantibus inquit morbis, si quid videtur movendum, move) neque morborum tempora cognoscunt: siquidem hæc non sensu, qui rei medicæ judex est, sed sua quadam opinione ducti, tanquam ex arbitratu distinguunt, statuuntque in quibusdam tale augmentum, talemque vigorem, in quibus sensus ipse nunquam experitur, nec intelligunt sese longissime à medicina recedere, quippe quæ nullam aliam certitudinem habet, quam corporis sensum. Itaque, horum opinione tanquam inutili exposa, festinemus ad ea, quæ morbum hunc tam cito expellere solent, quam celeriter adhibentur. Sunt vero hæc tum quæcunque de communi morbo proxime recensuimus, tum alia quædam peculiaria, quæ mox enarrabimus. Nam præter id, quod morbus Gallicus per omne tempus omnes promiscue inficit, quia tamen semper cum putredine infestat, his, quæ putredinem arcent, semper utendum. Quia etiam sæpius liquat, distillationemque movet, ea quæ cogunt, quæque destillationem sistunt, sæpius admovenda sunt, & quia per omnes corporis partes primum mali seminarium dispergitur, per has omnes auxilia ipsa ferri debent: quod ut fiat, hæc eadem non solida, sed liquida esse oportet, quæ videlicet facile per corpus universum diffundantur, & non crassa sed tenui substantia constent. Tandem quia omnes (ut proxime diximus) promiscue inficit, & putredo, cujus causa sit hoc inquinamentum, modo cum sanguineis aut melancholicis, modo cum pituitosis aut biliosis inveniturr, & prout cum his est, ita pituitosum sanguineumve inquinat: si inquinamentum in corpore pituitoso sit, pituitæ rationem magis habere quam aliorum humorum: si in sanguineo, sanguinis, & reliquorum oportet. & quia morbus hic sua sponte ad cutim fertur: ubi sic se habet, is qui curatur in aere calido, qualis est Indiæ occiduæ, ubi mitior est, & unde huc accessit, collocari debet. Ad summum curandi indicationes tum communes, tum proprias nobis rursum in memoriam revocantibus, convenit calorem, qui vitium primi alimenti ad agendum excitat, temperare. Repletionem, si qua ineft, minuere: causam tum putredinis tum liquationis amovere, denique per universum corpus, quia totum affectum est, talia omnia distribuere. caloris tollendi gratia vel moderatis, vel certe refrigerantibus uti. liquationem his, quæ sistunt, cohibere, putredinem, quia nunc vacuationem, nunc alterationem, indicat, vacuare, ubi omnino aliena est à natura, neque ulla fieri ratione potest, ut suæ naturæ gratiam recipiat, alterare vero, ubi substantia, in qua est, integra remanere potest. Tandem hujusmodi omnia & liquidis & tenuibus, & his quæ facile per totum ferri possunt (quia totum illis eget) admiscere.

## CAP. III.

*Unde petenda sint auxilia, quæ morbum Gallicum submovent, utrum ab ipsa ratione vel ab experientia, vel ab utrisque.*

Hæc quidem facilia, & dictu, & cognitu sunt: sed quæ, sine quibus ea perficiamus, intelligere difficile est: Nam si hos sequamur, qui natura rei (ut dicunt) supposita, quam sæpius imaginantur, quam quod ita sit, sæpius anticipabimus ratione dicere sic esse, antequam ita fieri videamus; proinde quod non est, esse: & quod est, non esse sæpius asseremus. Hinc quidam sine judicio, sine experimento, præcipiunt nullo pacto adhibendum senibus esse Guajaci decoctum; indicatione (ut dicunt) sumpta & à senum & à Guajaci temperamento: utrunque enim siccam esse ponunt, mox senem ab hoc decocto siccari nimium, & omnino graviter lædi contendunt, quum tamen pluris faciendus sit morbus, majorisque æstimanda experientia, quam ista horum indicatio, quæ re vera indicatio non est, siquidem hæc (ut *lib. de opt. sect. ad Thrasybulum cap.* xi. Galen. docet) juvantis comprehensio est simul cum comprehensione nocentis adveniens sine observatione, aut ratiocinio, non profecto quod ad eam experientia vel ratiocinium afferri non possit, sed quod adeo clara est, ut neque hoc neque illo indigeat; hæc autem, qua isti nunc utuntur, præter id quod utroque eget, valde obscura est, & inanis, quippe his tum experimenta, tum sensum, cui soli medicina confidit, negligentibus, nudas vero curandi indicationes solum probantibus, tantum abest, ut veram curationem inveniant, ut plerumque adversam omnino rei, cum mederi studeant, postea experiantur, quum multo magis præstaret primum expertis his, quæ sanant, deinde ratiocinari, quomodo judicentur talia esse, quam his absque sensu per solam rationem indicatis ad illorum experientiam devenire. Ubi enim neque monstrante sensu, neque viso experimento, aliquid faciendum cogitamus: ratio, quæ id suadet, æque est atque pictura rei alicujus, quæ hactenus neque à pictore, neque ab aliquo unquam visa fuit, quocirca utrum sit an non sit, judicari non potest: Talis itaque est ea ratio, quæ ante sensum & ante experimentum inventa est, ut enim rem cujus est experiri teneat, & hanc non esse sæpe reperit, ita eandem sæpe non esse, contra quam ante affirmatet, fateri cogitur, quandoquidem si res illa, quam successuram putat, negetur esse, sensum non habeat, cui inniti queat. Cæterum si res post hanc rationem aliquando sequatur, id non à ratione, sed à casu plerumque contingit, quippe quum similem rationem sæpius non sequi quam sequi soleat. Tanquam hac non continente utrum utendi modum, qui medico necessarius est, sed levem aliquam & inanem persuasionem, nam postquam per eam inventa res est, non solum alter, sed ne inventor quidem eadem recte uti novit, utpote quæ ita se habeat ad usum, ac si citra rationem hanc inventa esset: Nam dicere, quod neque fortuna neque casu sit, quia secundum inventoris propositum reperta est, verisimile quidem videtur, sed quando inventoris propositum non est artis ratio, non secundum artis intentionem erit: quum adhuc utendi modo egeat, quo duce, dum res inventa rursus in usum venit, fallere non possit, alia enim est artis ratio, alia professoris. sed hæc alias. Porro est his, qui hujusmodi rationem secuti volunt, quale quantumque sit auxilium sumi citra experientiam citraque sensum, à morbo, à morbi causa, ab ægri intemperie, à viribus, sed quodnam sit hoc tale, quod nam hoc tantum, neque morbus, neque morbi causa, neque item ægri intemperies, neque virtus unquam monstrant, nam & Galen. quali veritate coactus 2. τὸ κατὰ τόπους *cap.* 1. universum, inquit, curationis scopum singularum affectionum ratio nos docet, at vero materiæ facultates experientia ipsa demonstrat, quippe sex, aut quinque propositis 5. ptisana, pane loto jusculo gallinaceo, lactuca, boragine, quorum unum, quodque tale tantumque ponatur, quale quantumque opus est, neque opus est, neque morbus, neque morbi causa, neque aliud prædictorum indicabit lactucam esse magis dandam, quam panem lotum, ptisanam, quam boraginem: nisi enim aliquid in sensum cadat, cui, si forsan hæc indicatio negetur, inniti possis, inanis est omnis hujusmodi ratio. Itaque licet auxilia, & qualia & quanta esse debent, inventa sint, ut tamen recte habeant, atque ipsi respondeant operi, vel ipsa prius in sensum cadere oportet, & experientia plane cognita atque prospecta esse: Id quod artis principium est: aut hæc eadem jam explorata in quibusdam malis, per similitudinem ad aliorum usum convertere, quod ipsius est conjecturæ. Ergo cum ex dictis facile patere possit, quale quantumque esse debeat auxilium, quod huic malo subveniat. Id solum restat, ut quodnam potissimum eligendum sit, ab experientia (ut proxime diximus) accipiamus: deinde nuda ratione (de qua nunc loquuti sumus) omissa, & inventa ea, quæ utendi modum ostendit, distinguamus, artis ne sit, an conjecturæ, an neutrius, hoc est an experientiæ aut opinionis. Neque enim inter initia ab hujusmodi nudis indicationibus, seu verius opinionibus, credendum est in Indiis occiduis profectam esse mali medicinam. sed ab experimentis, ægrorum enim, qui sine medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum sumpsisse, alios propter fastidium abstinuisse, levatumque magis eorum morbum esse, qui abstinuerant. Itemque alios in hoc malo decoctum Guajaci potasse, alios noluisse: optime deinde his cessisse qui id acceperint: hæc similiaque, quum quotidie acciderent, diligentes homines notasse, quæ plerumque melius responderent: deinde ægrotantibus ea præcipere cœpisse, sic medicinam hujus mali ortam, subinde aliorum salute, aliorum interitu pernicioſam discernentem à salutaribus. Itaque repertis jam hujus mali remediis, de illorum rationibus, quæ utendi modum ostendunt, & rectum à non recto distinguunt, differre nos decet: nec post nudam rationem (ut ante diximus) medicinam hujus mali invenire: sed post inventam medicinam, inquirere rationem, non inanem quidem, sed utilem, hoc est, quæ utendi modum cum experientia conjungat. ut intelligamus, quando secundum artem, quando secundum conjecturam, & quando juxta horum neutrum curatio fiat. sic enim neque nos decipiet, neque alios temere decipiemus: quod præcipue in omni opera, quam medicus præstat, semper est observandum, ne histrionis aut circulatoris dictum factumque subeat.

CAP.

## CAP. IV.

*De his, quæ præmitti debent ante usum decocti ex Guajaco, aut sarza parilla, aut Chynarum radice, & utrum venæ sectio his præmittenda sit, atque huic utrum clyster aut alvi lenitio.*

Incipiemus ergo ab his, quæ hactenus frequenti usu recepta sunt: hæc quinque potissimum habentur, decoctum ligni Guajaci, quod aliqui lignum sanctum, aliqui alterum ab hoc esse dicunt, decoctum sarzæ parillæ, decoctum radicis Chynarum, unctio ex argento vivo, suffimentum ex cinnabari: simul & jam explicare tentabimus, quis nam sit horum adhibendorum modus, quæ occasio; quæ item ea præcedere, quæ subsequi debeant: & quæ universum corpus, & quæ partem aliquam sanare possint; deinde ad alia descendemus, quæ ab aliis quotidie passim inveniuntur, de aliquibus inquirentes, quæ ad artem, quæ ad conjecturam, & quæ ad neutrum, hoc est, quæ ad solam experientiam, aut ad nudam rationem referantur. Ante vero quam ad Guajaci, sarzæ parillæ, radicis Chynarum, & aliorum hujusmodi decoctum deveniatur, plerique omnes, si æger vel parum vel nihil egesserit, mane præmisso clystere, quem communem appellant, & subinde reddito, sanguinem ex vena jecoraria statim mittunt ad v. aut vi. usque uncias: postea vespere ad tres quatuorve. Nos, ubi sanguis mittendus est (nisi affectio in thorace sit, quæ ventre repleto crescere, inanito minui solet) si æger parum aut nihil egesserit, semper clysterem statim ante sanguinis missionem infundere, sæpe inutile, non raro noxium esse ducimus: ut enim hunc, morbo aliquo medicamentum purgans flagitante, bis terve prius quam medicamentum exhibeatur, iterare conducit (quoniam interdum ejus subiens rationem, ne medicamento deinde opus sit, efficit) ita prius quam sanguis mittatur, hunc eundem adhibere tantum abest ut profit, ut sæpe numero noceat: tum quia non æque sanguinis mittendi ac purgantis medicamenti vicem subire solet: tum quia aliquibus, vel in admittendo, vel in remittendo, animus deficit: aliquibus vomitus cietur: aliquibus corporis turbatio non levis excitatur; aliquibus sitis, si qua subest, augetur; Os amarum evadit, spiritus densior redditur: quæ omnia vel singula ubi contingunt, pessimum est illico sanguinem mittere, simulque contrarias (ut infra dicetur) evacuationes moliri. Probant id omnino faciendum esse, ne, sanguine misso, venæ de ventre succum, qui cum stercore est, attrahant: ac si clystere, quem ante subito adhibent, stercus omne, cum quo talis succus est, certo sciant foras emitti; cum tamen post copiosam sanguinis missionem (ut *meth.* 9. *cap.* 4. Galen. asserit) alvus sponte moveri soleat, contraque id foras statim excerni, quod illi à venis intro trahi tantopere formidant; si enim copiosa facta sanguinis missione, cum alvus sponte ducatur, venæ à stercore nihil attrahunt: quo magis hæc parca fuerit, eo minus attrahant, æquum est; talis vero ponitur hæc, de qua loquimur, quocirca hujus causa clysterem non solum non adeo celeriter, sed ne præmittere quidem oportebit; Aut enim venæ sectio tanta fit, quanta opus est, aut minus, aut magis: hoc postremum quia inconveniens est, ex se ipso refellitur. reliqua nihil cogunt, sive enim quanta opus est, sive minus quam utile sit, nunquam trahent. huc accedit, quod natura sæpenumero nulla præcedente nova alvi dejectione, sanguine de naribus fluente hominem sanat: hanc vero recte agentem medicus imitetur, oportet. Sed hic potissimum, si ejusdem rationes sequamur, vel contra naturam, vel contra suam intentionem conatur, ubi clysterem venæ sectioni statim præmittit. nam ante ad interna trahit (ut ille putat) postea statim ad externa ducit. Alii pridie quam sanguinem mittant leniendum esse ventrem *cassia* (ut dicunt) *fistula*, vel *diacatholico*, vel aliquo hujusmodi (ut infra scribetur) quod *lenitivum* appellatur, censent: exhibentque ex horum aliquo, *huic unc. j. illi drach. x. aut unc. j. s.* alii tertio ante die id faciunt: ac eo die, quo sanguis mittendus est, si æger parum aut nihil dejecerit, nihilominus clysterem quoque ante injiciunt: utrinque eadem ratione reprehendi possunt: aut enim sperant hac alvi (ut dicunt) lenitione sanguinis missionem prohiberi, aut non: si sperant, cur postea sanguinem semper mittunt? si non sperant, cur hominem frequenti dejectione vexant, debilemque reddunt priusquam huic sanguinem mittant? Cæterum illud haud quaquam negaverim, ubi sanguinis missione opus est, æger vero vel à stercore gravitatem in imo ventre senserit, vel consuetudinem mutarit, utputa qui singulis diebus semel, bisve solebat dejicere. Jam triduo quatriduove aut nihil, aut semel tantum dejecerit, tum sicuti valde noxium est clysterem, mox simul venæ sectionem adhibere, ita non inutile est, aut pridie quam venæ sectio fiat, aut certe eodem die, sed hunc mane, illam vespere, aut hunc vespere, & illam sequenti mane administrare: quo symptomatibus his, quæ retulimus, subortis, spatium detur ægro, ut ante sanguinis missionem quiescat atque reficiatur, aut si tempus & spatium minime datur, satius est id, quod magis urget, scilicet venæ sectionem, dein debito interposito tempore clysterem adhibere, ut antiquos imitari, qui non statim ante venæ sectionem, sed postea clysterem injiciebant. Hip. namque *acutorum* 4 *circa initium:* præcipuum (inquit) in his propositum est imprimis sanguinem mittere, deinde clysterem exhibere. & paulo inferius sanguinem detrahere oportet, utque copiosior sit purgatio, si dolor fuerit acutus, ad animi defectionem ducere, postea clysterem exhibere. ac 3. *de morbis*, cum sic habuerit, primum sanguinem de capite mittito, undecunque tibi visum fuerit, & post sanguinis missionem raso capite refrigerantia ipsi adhibeto, & si alvus non subeat, infusum per clysterem immittito. Sic Aëtius *lib. x. cap.* 18. *de cura arquati.* A venæ incisione (inquit) etiam commode clyster assumitur, qui propter stercorum evacuationem spirandi facilitatem inducit, intestinaque irritando, ac mordendo humores ad cutis superficiem delatos ad ipsa retrahit & revellit. Hæc de clystere dicta sufficiant, an videlicet ante venæ sectionem infundi, atque obiter, an alvi appellata lenitio venæ sectionem præcedere debeat. Clysteres igitur, quos adhibent ex his constant. Recipe *foliorum malvæ, althææ, violarum, mercurialis ana man. i. bulliant in aquas. a. postea fiume hujus decocti lib. j. violacei unc. iiij. cassiæ recens extractæ unc. j. salis communis drach. ii.* Alii *loco cassiæ* imponunt *ex lenitivis*, quæ proxime dicemus aut tantundem, aut paulo minus.

Aliqui clysterem quem communem appellant, injiciunt, qui habet. *foliorum malvæ, violarum ana man. j. fiat decoctum in aqua communi, hujus accipe lib. j. vel unc. xvj. cassiæ, ut dicunt, tractæ, mellis despumati, sacchari rub. ana unc. iiii. olei communis unc. iiii. salis drach. ii.* Aliqui loco dicti decocti imponunt *jusculum pulli, aut vervecis pari pondere.*

Quidam, si nihil aliud impediat, clysterem magis probant, quem Hip. mitissimum ad hominis naturam appellat, qui constat. *ex vini albi optimi unc. viiii. olei communis, mellis defæcati, ana unc. iiii. salis parum.* Lenitiva vero ex his astruuntur, nempe *ex diacatholici drach. x. fiant boli cum hostia, aut saccharo, aut penidiis*, mox paulo ante prandium, aut sicuti diximus, devorentur. Item *cassiæ recens extractæ unc. j. specierum* (ut dicunt) *hieræ Galeni drach. ii.* Item *electuarii de sebesten unc. j.* aut *diapruni non solutivi drach. x.* aut *infusionis* (ut dicunt) *senæ, aut epithymi unc. iii.* aut *infusionis aquæ casei Mesuæ unc. iiii.* aut *decocti capil. Ven. unc. iiii.* aut *syrupi de polypodio unc. iii. aquæ lupulorum unc. j.*

His & hujusmodi statu anni frigido potissimum utuntur: Infrascriptis vero, licet etiam in aliis temporibus, maxime tamen appetente ætate, & jam constante habent autem *trypheræ Persicæ drach. vi.* aut *cassiæ recens extractæ drach. x.* aut *ejusdem cassiæ, & mannæ calabræ ana drach. vi. julapio violaceo liquata manna.* aut *cassiæ recens extractæ drach. vi. pulpæ tamarindorum unc. semis.* aut *electuarii lenitivi drach. x.* aut *syrupi rosacei sol. unc. iiij. aquæ capil. ven. unc. j.* aut *syrupi violacei sol. unc.* v. *aquæ violaceæ unc. i.*

Siqui ægroti bolos renuunt, potius vero potare volunt: his quædam horum præbent aucta paulo plus (ut dicitur) dosi, hoc est *additis drach. ii. aut iii. liquata tamen jusculo aliquo, aut sero caprino, aut decoctio, quod vocant cordiale commune aut decocto foliorum senæ vel cap. ven. vel epithymi, aut lupulorum, & similium.*

Hactenus de clysteribus, & lenitivis ante venæ sectionem adhibendis, ac utrum præmitti debeant nec ne, & quomodo.

## CAP. V.

*De sanguine adversus morbum Gallicum mittendo.*

Singulis vero, qui Gallica lue affecti sunt, sanguinem mitti debere, id sanè non minus noxium est, quam temerarium, & ab arte alienum; quid enim confert ei venam secare, qui moderate vivit, qui singulas excretionum vias apertas habet, qui neque multo, neque vitioso sanguine præditus est, si forte in luem Gallicam incidet? quin imo huic nisi recens aliquis vehemens-

que dolor subortus est, id decoctum aut aliquid hujusmodi citra hoc auxilium statim adhiberi potest, dices, ut corpus extenuetur, conferre: Et si homo victus rationi, quæ subtrahit, obedit, tanto tutius est in hoc statu sanguinis missione abstinere, quanto hæc nimis cito extenuat, illa vero magis lente, quod enim paulatim fit (ut inquit Hipp.) id tutum est, præsertim ubi ab extremo ad extremum transitus fit. hinc quidam nulla præcedente sanguinis missione solis laboribus atque sudoribus sanantur. Sic etiam in Indiis occiduis (ut quidam perhibent) ubi quis hoc morbo inquinatus est, nulla alia præmissa vacuatione: sed solo victu tenui utens, statim ad id decoctum devenit, integreque sanatur. quod idcirco fit, quoniam non in sanguine, sed in alia re (ut primo libro docuimus) dictæ labis seminarium existit: quippe quod non sanguinis missione, sed expiatione ita dicam, & temperamento putridi innati, de quo etiam ibi loquuti sumus, tollitur, aut cohibetur: omitto quod si quis, antequam incideret in hanc luem, valde imbecillis, aut, postquam incidit, multo debilior factus esset, nemo sanæ mentis huic sanguinem mittet, verum, si quandoque mitti debet, his quidem, qui suapte natura parum comedunt ac bibunt, sanguinis parum subtrahere expedit, his vero, qui hoc morbo contracto nihil fere deinde potant eduntque, nihil: vix enim hi reficiuntur, & si quid erratum est, præcipites aguntur in mortem. Et ubi fructuum esu, aut rerum cito putrescentium, sanguis auctus est, in his tuto mittitur: atque illico mitti debet, alioqui si cunctaberis, totus, antequam vacuaveris, celeriter inquinabitur: & morbus longe major infensiorque reddetur. Tuto etiam mittitur, ubi quis pluribus diebus nimium comedit, aut bibit, aut nimium se exercuerit, subinde plenior & speciosior factus inquinamentum conceperit. Ubi vacuatio aliqua sanguinis suppressa sit, neque ulla alia sit inde secuta. Ubi bene spirantibus pulmonibus venæ ampliores plenioresque cernuntur. Idque non solum ante hujusmodi decoctum, sed etiam ubi sumitur: si forsan ita quoque venis contigerit, faciendum. Ubi quis sanguinis missioni assuetus fuerit, præsertim si in locis maritimis ac australibus versetur: crassus enim horum locorum aër sæpius inspiratus venas, simul ac arterias replet, & intus existens non sinit hujusmodi decoctum, ubi sorbetur, intro subire. Quibus melancholicis horum plurima aut aliqua apparuerint, sanguis quidem mitti potest, sed minime omnium. Pituitosis paulo uberius, sed biliosis amplius: sanguineis ampliſſime: verum ut his postremis longe uberior sanguinis missio convenit, ita non semel tota, sed bis terve paulatim absolvenda est. non enim eos imitari decet, qui ab Hipp. perperam extorquent, in aliquibus missionem sanguinis copiosissimam, & ad animi usque defectionem, perutilem esse: quippe hæc (ut in *commentariis in Hipp. aphorismos*, deo annuente, dicemus) & periculosissima est, & ab arte aliena, & contra ipsum Hipp. Potest igitur in morbo Gallico ante usum hujus vel illius decocti vena secari, potest quando sumitur, potest etiam numquam.

## CAP. VI.

*Serapia, quæ purgationem pro morbo Gallico antecedunt, quo tempore adhibenda sint.*

Sed ad propositum revertamur. Ubi sanguinem miserunt, sequenti die in aurora serapia ægrotis exhibetur, melancholicis quidem, quæ melancholiam respiciunt, pituitosis, quæ pituitam, biliosis quæ bilem, sanguineis, quæ sanguinem. In aurora forsan juxta illud Galen. *acut.* 3. 34. non porrigendum oxymeli, nisi cremor concoctus fuerit, qui si coctus fuerit, licet tum nocte tum appetente die ante sorbitionem sumere. Sed ut nihil tam adversum est secundæ valetudini, quam matutino tempore præter consuetudinem interrupto somno potare, ita si ægri noctu semper vigilarunt, & in aurora, quod tempus natura sua leviſſimum est, dormire cœperunt, molestum simul atque pernicioſum est serapium tunc illis præbere; molestum quidem, quoniam importune ex somno excitantur, pernicioſum vero, quia ventriculus (ut *acut.* 2. inquit Hipp.) graviter ferre solet tum cibos, tum potiones, quamvis suapte natura vitio careant, si præter consuetudinem ingerantur. Sed contra si per id tempus, quo quiescere dormireque solent, propter sitim nec quiescant neque dormiant, tantum abest, ut serapium his in aurora vigilantibus exhibitum oblit, ut mirifice prosit, sitim enim moderatur, & sæpe somnum conciliat. Cæterum, si dormitur, id tamen propinare necesse sit, propinandum est, vel antequam appetat aurora, si probe concoxerint, vel postquam dormiverint, modo prius cibos non capiant, quam ab assumpto serapio quarta vel quinta præterierit hora.

## CAP. VII.

*Qua hora medicamentum purgans pro morbo Gallico exhibendum sit.*

Atque hæc de serapiis quando propinari debent. His vero ter, quinquies, sexiesve, prout cuique libet, assumptis medicamentum purgans plerique omnes in aurora præbent, decepti, quod huic semper eadem, quæ serapiis, hora conveniat; contra quos præter ea, quæ de his proxime diximus, multa alia in medium adduci licet; nam serapia non ita ut purgantia medicamenta turbant, ideoque minus lædunt in aurora pota, quam illa. hæc enim hominem à somno prohibent, coctionemque impediunt, quæ somno finiri debet. Hinc qui in aurora medicamentum purgans potant, toto die fessi, stupidi, tristes, plerumque cernuntur: & apud Galenum, cui soli credunt, quæ sit hora præbendi medicamenti non invenitur: sed id tantum 7. *methodi cap.* 11. utendum hoc tempore, & ptisanæ cremore est, qui primus à balneo sumetur, nam medicamen ipsum (loquitur vero *de hiera picra*) solito purgantium medicamentorum tempore dabitur. ac etiam *methodi* 14. *cap.* 8. visus mihi est usitatis mihi pilulis, quæ ex *aloë*, *scammonео*, & *colocyntide* constant, vesperi datis purgandus, & 7. τοῖς τέλεσι. *Cap. ultimo* Andromachum, qui mane & vesperi catapotia exhibebat, minime damnavit: ita ut mane, & vesperi Galen. autore medicamentum purgans præberi possit; quodnam vero id tempus privatim sit, forte veluti notum ætate sua non explicavit, & dubium nobis reliquit, nisi velis secundo de alimentis cap. de prunis id ipsum decidisse, quum inquit, cocta in melicrato, in quo pluſculum sit mellis, alvum admodum dejiciunt, etiam si quis sola ipsa sumpserit, & multo magis, si post ipsa melicratum sumpserit: perspicuum autem est, quod ad alvum dejiciendam confert post sumpta ipsa vinum dulce adhibere, temporisque aliquid interponere, non autem statim post prandere, atque etiam id omnibus, quæ alvum dejiciunt, commune memoria est tenendum. Sed hic de vocato lenitivo (ut omnes uno ore consentiunt) non autem de medicamento purgante loquitur verum quia plurimi in aurora illud exhibent: aliqui tamen paulo ante cibum, præcipue vero id, quod lenitivum vocant, aliqui post cœnam, ut puta catapotia, id est pilulas, & alii aliter: non levis adhuc ambiguitas est, quando potiſſimum exhiberi debeat: de quo nunc si paulo prolixius loquemur, lector id tanto benignius ferat, quanto minus clare est ab aliis explicatum. Sane Paulus Ægineta ut plurimum quidem jejuno, interdum ei qui cibum assumpsit, exhibet: *libro* enim 7. *cap.* 6. summatim (inquit) in omni purgatione efficaci medicamentum homini, quem certa prius victus ratione alueris, jejuno, & ei qui probe concoxerit, trades: ac ejusdem *libri cap.* 4. scribit, bilem flavam optime educit *aloës denarius cum melicrato* matutino tempore exhibitus: nam qui vespere eam propinant vel post cibum, lædunt: quoniam alimentum distrahit corrumpetque: sed *lib.* 1. *cap.* 43. de his quæ secunda valetudine alvum molliunt: *aloë* quoque à cœna (inquit) quæ trium cicerum magnitudinem æquet, identidem assumere expedit: neque sibi (ut quidam putant) in hac re controversus est: illic enim de ipsa bile purganda, hic de alvo mollienda loquitur: alvum enim mollire volenti, expedit à cibo *aloëm* minima tamen quantitate dare, quippe quæ perpauca existens naturam, utpote quæ segnis est, (alioquin, si pro necessitate ageret, hoc auxilio nequaquam egeret) ad expellendum leviter irritat, non turbat, non corrumpit: atque cibo commixta paulo celerius deorsum movet, deque intestinis foras educit, quemadmodum quoque *vocata cassia*, si exigua quantitate, ut puta ad *drach. iii.* à cœna sumatur, facit: naturam irritando, quæ felle utitur, quod tanquam amarum & infestum hebetem intestinorum sensum ad expellendum excitet. Sed bilem ducere volenti, à cibo dare, & noxium, & sæpe pernicioſum est; aut enim exigua medicamenti portio est, aut tanta quanta fere dari solet: Si exigua vel bilem non ducet, vel parum admodum: sin aliter, alimentum distrahet atque corrumpet. Itaque hic autor, ubi efficax fuerit medicamentum, id ante cibum quidem dari præcipit: sed ubi valde debile, tenueque, & forsan amarum, ut fellis vice alvum molliat: tunc post cibum dari nihil vetat. Hæc igitur sibi invicem non opponuntur. Avicenna vero 4. 1. *cap.* 5. tum ei, qui leviter nutritus est, tum jejunanti præbet: hoc tamen discrimine, quod huic semper, si nihil obstiterit: illi vero propter calidam intemperiem, & compositionis (ut dicit) & ventriculi debilitatem aliquanto levius ante nutrito. Præstat ejus interpretis verba subscribere (inquit enim) *quum medicinam bibere voluerit ca-*

*lida*

*tidæ existens complexionis & debilis compositionis & debilis stomachi, erit ei melius, ut eam bibat, postquam prius biberit aliquid, quod sit sicut aqua hordei, aut succus granati, aut ut utiliter dicam, cum stomachus susceperit nutriens subtile, & leve: sed qui non ita fuerit, erit ei melius, ut eam jejunus bibat,* & paulo inferius, *oportet ergo ne medicinæ potator comedat vel bibat, donec medicina suam perfecerit operationem,* at 22. *tertii tractatu* 2. *cap.* 3. *summo mane peculiariter exhibet:* Inquit enim *expedit ei, qui vult sumere medicinam, ut summo mane sumat, & tardet cibum, deinde sumat post tres horas decem aureos panis cum vino, & aqua panca.* Hactenus Avicennæ interpres. Verum Hippocrates medicinam cum alimento nunc laudare nunc damnare videtur: siquidem in *libr. de alimento* inquit: in alimento medicina optimum, in alimento medicina malum. & *acutorum* 1. 19. ubi clyster, aut medicamentum adhibetur, à ptisanæ usu abstinendum jubet; ac si cum medicamento illam miscere vereatur: verba ejus sunt, qui autem in hujusmodi morbis ptisana utetur, ne uno quidem die vasa, ut ita dicam, inaniri permittat; sed ab usu ejus nequaquam desistat, nisi vel propter medicamentum vel clysterem desistere opus sit, contra vero 2. *acut.* 12. ptisanam post medicamentum statim sorbendam esse præcipit: cum inquit. Ubi quis medicamentum ebibit, ptisanam protinus sorbendam dato, neque insigniter minus, quam consuetum est, quantitate: Neque rectum est, quod quidam una cum Galen. arbitrantur, ptisanam statim dari, non ut alat, sed ut medicamenti vitium, quod in ventriculi superiori parte relinquitur, abstergat. verba namque sequentia oppositum ostendunt, ubi legitur ἐπεὶ καὶ κατὰ λόγον ἐστὶ μεταγὺ τῆς καθάρσιος μὴ διδόναι ῥοφῆν quod est, *etenim secundum rationem est in media purgatione non dare sorbitionem:* ac si velit, sumpto medicamento statim esse sorbendum, non ut os ventriculi abstergatur, sed ne cogamur propter alimenti defectum in media purgatione sorbitionem præbere: utpote quod nocuum sit. hic igitur medicamentum cum alimento fere miscet. illic prohibet. Denique ex Galen. tum vesperi, tum alio tempore medicamentum purgans dari potest, ex Paulo Ægineta & matutina hora, & paulo ante cibum, ubi quis probe concoxerit. & post quoque cibum. ex Avicenna, nisi homo debili ventriculo sit & reliqua, nunc summo mane, nunc non magis matutina, quam alia hora, modo jejunus sit. Ex Hipp. tum potissimum, cum nutriendi tempus adest, ita ut non summo mane, non matutina hora, sed ea, qua æger nutriri solet; quoniam per id tempus & probe concoxit, & à consuetudine non mutatur, siquid sorbeat aut devoret: nihil autem refert paulo prius, posteriusve dare, modo dicti temporis ratio habeatur. Sane si homo sine alimento diu perdurare posset, multo melius esset nihil dare: sed quoniam illud, antequam purgatio absolvatur, sæpius requirit, committendum non est, quo minus intelligamus, quando ante purgationis finem adhiberi debeat. Itaque considerandum, an æger cibis, an sorbitionibus utatur, si sorbitionibus, quia hæ parum nutriunt, neque hinc potest æger longam inediam ferre, sumpto medicamento (modo nihil aliud prohibeat) statim sorbitio sumenda est, sin cibis, quia hic, qui his utitur, plerumque validus est, & ab his eisdem multum nutritur, sumpto medicamento (nisi aliquid cogat) abstinere potest ad usque cœnam, quæ tamen solita minor existat, quoniam ventriculus propter purgationem imbecillior factus consuetum cibum, antequam robustus fiat, conficere nequit. Ideo Hippocr. *acutorum* 2. ubi ad purgationis finem deventum est, sorbitio detur, minor tamen quam pro consuetudine, sed si quis consuetudine cibi mutata nimium lædatur: utpote qui alias id ipsum sæpe expertus est, si medicamentum quantitate admodum exiguum sit, minimique fastidiat, ubi illud sumptum est: nihil obstat, quo minus statim cibus detur, minor tamen quam pro consuetudine, aut saltem tanta detracta mole, quanta est medicamenti, quod ingeritur. statim vero post medicamentum sorbitionem aut cibum dare prohibemur: si æger illud vel propter copiam, vel propter amaritudinem, vel aliquam aliam nauseam abhorreat, quomodo enim ventriculus alimentum amplectetur, si renuit? quomodo coquet, si cum medicamento tam molestè fert, quam medicamentum fastidit? quocirca non recte agunt, qui *vocata cassia*, quæ propter copiam, aut calorem, alicui nauseam movet, absorpta paulo post huic comedendum præcipiunt, in quo opere tantum abest, ut juvent, ut mirifice lædant: tentant enim eo tempore nutrire, quo ventriculus subvertitur, & alimentum præsens abhorret. respondent, quia medicamen leve est, & veluti alimentum, ne in nutrimentum vertatur, cibum super dare: sed si ventriculus (ut ponitur) illud prorsus abhorret, quomodo fiet, ut in suum nutrimentum convertat? quin imo si ubi de quibus minus videtur, ubi modum excedunt (ut *lib. de purgatoriis* inquit Hipp.) purgant, tanto magis *vocata cassia diacathol.* & hujusmodi quodlibet purgabit, si ille, qui sumit, ab hoc prorsus abhorret: neque opus erit cibum insuper assumere, quo minus in nutrimentum medicamen permutetur. Itaque non modo solutivum (ut dicunt) sed lenitivum quoque ubi nauseam moverit, alvum ducet: quamquam eo sumpto nullum alimentum statim sumitur. Id circo Hippocr. *acutor.* 1. (ut dictum est) ptisanam prætermitti nolebat, nisi clyster aut medicamentum impediret: impediebat enim perturbatione propter causas dictas ac similes insigniter factas: alioqui sorbitiones medicamentis miscere *acut.* 2. non parum commendat. Cum inquit (Græce prius scribam, ut & recta interpretatio & verus orationis sensus teneatur, siquidem huc usque truncus obscurusque fuit.) ἐπεὶ καὶ τὰ τοῦ τοῖσι ῥοφήμασι διδόμενα ὑπάλματα, ἀρέγα, ὀκόσα μὲν ἄγαν ἐστὶν ἁδέα, ἢ διὰ πικρότητα, ἢ δι ἄλλην τινὰ ἀηδίην, ἢ διὰ πλῆθος, ἢ χροιὴν, ἢ ὑποψίην τινά. Τὴν μὲν πτίσανα ὀκόταν πίῃ τὸ φάρμακον, ἐπιῤῥοφῆν αὐτίκα χρὴ διδόναι, μηδ' ἔλασσον ἀξίως λόγου, ἢ ὀκόσον εἰθίσται. quod est, *quoniam & quæ alvum ducunt sorbitionibus mixta juvant quæcumque non valde insuavia existunt, vel propter amaritudinem, vel aliam quampiam injucunditatem, vel quantitatem, vel colorem vel suspicionem aliquam, ubi quis medicamentum ebibit, ptisanam protinus sorbendam dato, neque insigniter minore, quam consuetum est, quantitate.* Hactenus Hipp. id quod Galenus forsitan imitatus 13. *meth. cap.* 15. *per ventrem* (inquit) *vacuare, si hepatis causum afficitur, circo cibis admixto, & urtica, & mercuriali, & epithymo & polypodio, omnibus præterea, quæ modice alvum dejiciunt, magisque in remissionibus tum his ipsis audacius quam ante utendum. Tum vero, quæ his sunt valentiora, partim in ptisana incoctis, partim tusis, & in tenuissimum pulverem redactis: exhibenda vero hæc sunt, vel ex ptisana, vel ex aqua, ego namque aliquot polypodii in ptisana aliquando incoxi, & nigri veratri corticem.* Hæc Galen. Sed si æger inter purgandum debilior fiat: nihil impedit, quo minus aliquid in media purgatione sumat. quod tamen leve admodum existat, quo æger & aliquantulum refici, & præstolari quoad absolvatur purgatio, possit. quamquam enim in media purgatione *acut.* 2. sorbitionem detestetur Hipp. leve tamen aliquod alimentum capere non est, quemadmodum dicere solemus, sorbere aut esse, sed hæc ex superabundanti. ad propositum redeamus, quod est, ubi purgatio fieri debet, qua potissimum hora facienda sit, an matutina, an meridiana, an vespertina, an alia quapiam? Itaque primum ea, quæ inducias non patitur, modo per morbum & per ægrum liceat, nullo tempore non facienda est, sed quæ tempus eligere concedit tum maxime ubi maxime vacuus alimento est ventriculus; quod quum hora sumendi alimenti potissimum contingat, hac hora potissimum facienda est; alioqui alimentum intus ante inclusum alterius purgationem aut minuit aut prohibet: deinde eo tempore, quod huic proximius est, adeo ut cœteris paribus, quanto magis ab hoc abfuerit, tanto minus eligenda sit, quocirca tum mane satis completo somno, tum paulo post, tum fere statim ante solitum nutriendi tempus, tuto dabitur, vesperi autem & si ante cœnam similiter exhiberi queat, verendum tamen est, ne siquid tunc moverimus, fiat aliquid asperius, ne nox, quæ quietem adferre soleat, propter purgationis momentum, infensior reddatur. At si finito somno vel paulo post medicamen exhibeatur, nisi tunc homo consuetus sit sorbere aut cibum capere, neutrum est super assumendum: sed expectandum donec ad purgationis finem deventum sit, alioqui si timor est, ne inter purgandum deficiat, ab re non erit, accedente hora sumendi alimenti, tunc dare aliquid, sed perquam leve, & quod neque sua copia naturam alio revocet, neque imbecillitatem fami prodat. Hinc hora nutriendi porrigatur, satius est solitum alimentum, aliquanto tamen minus quam consuetum est, statim offerre, quam postea ubi purgatio fit: quod si forte, quia medicamentum nauseam movet, nihil oblatum est, abstinendum penitus quoad illa perficiatur, alioqui si propter imbecillitatem necessitas urget, satius est conflitente jam impetu purgationis, aliquid offerre, quam increscente, satius instante quam incipiente, cum eo tamen ut nullo tempore is qui deficit non sit sustinendus. Quidam objiciunt, nequaquam expedire, statim sumpto medicamento, sorbitionem aut cibum aliquem offerre, alterutrum enim à medicamento, quod raptim una deorsum trahat, prohiberi, ne nutriat, subinde impediri medicamenti opus. & avocari naturam ab expellendo: huc accedere quod Galen. 2. *de alimentis* (ut ante citavimus) sumpto medicamento non statim quidem sed postea prandendum jubet. Contra quos Hipp. imprimis est, qui medicamenta alvum ducentia sorbitionibus mixta utilia esse nos docet; facilius enim tolerantur, utpote quæ cum alimento non admodum adversa sint homini atque aliqua ex parte nihil detur, illico deficere solent: & (ut ille innuit) à

ſuo opere minus fruſtrantur, ſi ſtatim, quam ſi poſte ſorbitio detur; cunctari enim, poſt medicamentum ſorbere: ſorbitionem in impetu purgationis offerre, ſæpe nos cogit: quo tempore & purgationem illa intercipit, & nihil fere nutrit, utpote quæ vel à natura nimis jam occupata non trahetur, vel raptim una cum medicamento deorſum trahatur. Quod vero ſimiliter adverſum nos dicunt, ſumpto medicamento, ſi ſtatim alimentum exhibeatur, nutrire non poſſe, quia repente una cum medicamento ad infera rapitur, dicunt ex arbitratu, non ex ratione, neque experientia: quid enim prohibet reliqua, quæ alvum ducit, primo ſumpta, mox altera quæ talis non eſt; quod hæc in ventriculo diutius moretur, illa fere cito deſluat foraſque prodeat. Id quod etiam experientia ſæpe numero comprobamus, quum comeſtis primo ficubus, deinde reliquis cibis, qui duriores ſunt hora 3. 4. vel 5. poſt ficus excernimus, cæteris intus uſque ad perfectam elaborationem remanentibus; niſi forte quis ſe nimis impleverit, tunc enim propter copiam, vel una cum ficubus, vel paulo poſt, alii cibi fere crudi foras exeunt, huc accedit, quod ii qui ſolis ſorbitionibus utuntur, ſi ſtatim ſumpto medicamento ptiſanam ſorbeant, ſubinde inediam facile ferunt, donec purgatio abſolvatur: ſi vero non ſorbeant, in media purgatione ſorbere propter imbecillitatem coguntur. Id quod non leve teſtimonium eſt ad docendum, ſumpto medicamento ſtatim epotam ptiſanam nutrire. Nec minus diſſolvitur, quod etiam in medium adducunt, poſt medicamentum ſumpto ſtatim cibo in dejectionibus ipſius cibi recrementa cruda videri. quippe id fit, vel ubi nimius cibus ingeſtus eſt, quem natura propter copiam ſuperare nequit, vel ſi is exiguus admodum fuit, medicamentum tamen citius exhibitum eſt, quam antecedens cibus concoctus ſit; id quod his, qui in aurora ſumunt medicamentum uſu venire ſolet: hunc enim in itinere ſibi obviam factum una ſecum rapit: ſed ſi probe concoctus jam ſit, tunc ſumpto pharmaco, ſi exiguum alimentum detur, niſi horum profecto continget, bona vero nutritio fiet, quia natura ſemper id, quod in ventrem ingerit, primum attrahere, coquereque, ſive dicas retinere, permutareque ſolet: quomodo enim niſi retineat permutabit? Tale igitur ſi medicamentum fuerit, ſtatim quidem attrahere alterareque incipit, ſed ubi id ſibi inimicum, atque contrarium experitur, non amplius trahit, ſed reſpuit, & foras, quoad poteſt, expellit: ſin alimentum, quoniam id amicum familiareque eſt, apprime retinet, & coquere tentat: quod vero ſimul poſſit id expellere, illud retinere atque concoquere, illinc patet: quia nunquam expulſio in nobis fit ſine aliqua apud nos ipſos retractione, tum ante, tum poſt expulſionem alioqui dum quotidie difflamur, dum ſudamus, dum mingimus, dum egerimus, minime nutriremur. Ei vero, quod Galen. 2. *de aliment.* præcipit, non ſtatim eſſe prandendum ſumptis his quæ alvum ducunt: Primum reſpondere licet Hipp. (ut ante dictum eſt) aliter ſenſiſſe, magiſque huic quam illi credendum. Deinde ſi de vocato lenitivo (ut omnes arbitrantur) ſermo eſt, atque id (ut etiam fatentur) facile tranſit in nutrimentum, melius eſſe ſtatim exiguum prandium ſumere quam differre: natura enim utrumque ſimul alterans, id quod magis familiare eſt, magis retinebit: medicamentum vero, utpote minus amicum, promptius reſpuet, & vacuatio ſubinde ſequetur, quæ alioqui (ut putant) impeditur, ſi tale medicamentum abſque alimento capiatur. ideoque cur non vident, quo magis prandium differtur, eo minorem fore vacuationem. ubi enim vocatum lenitivum aliquanto prius ingeſtum eſt, certe per id tempus à natura ad nutriendum parabitur, tanquam id, quod nutriendo eſt: itaque ſi deinde cibus alius devoretur, natura tanquam contrarium, omne enim alimentum (ut philoſophus inquit) à principio contrarium eſt, magis renuet, quam iſtud lenitivum, quod jam ſibi cæpit aſſimilare; proinde id ipſum in nutrimentum convertet, & vacuatio duntaxat inchoabitur, aut nulla fiet. Huc pertinet, quod natura humana plantæ ritu, non autem cum delectu, in internis inquam partibus agit: ubi ergo id, quod in alimentum converti poteſt, permutare jam cœperit, quoniam huic intenta eſt, hinc minime avocabitur, ſi alterum paulo poſt ingeratur; quum plantæ ipſæ, & quemcunque naturaliter ſibi aliquid in nutrimentum aſſimilant, id quod primum aſſimilare cœperunt, niſi valde reluctetur, altero nuper ablato minime reſpuant, quin imo ſuavitate hujus, quod primo ſibi aſſimulant, affectæ, alterum alias ſuavius negligunt, renuuntque: quum etiam ſi ad id, quod poſterius offertur, ſtatim ſe verterent, primum eas evomere ita dicam id, quod ante trahebant, poſt alterum ad ſe trahere oporteret; id quod tum in alimentis, tum in his, quæ facile poſſunt eſſe, contingere naturale non eſt. quocirca ſi prandium differatur, contra, quam ii opinentur, eveniet: tantum enim aberit, ut lenitivum iſtud alvum ducat, ut fere in alimentum mutetur, & ventrem minime moveat, ſed interim ſilentio prætermitti non debet, quod Alexand. Trallianus, alioqui non vulgaris medicus, in calce ſui lib. VI. catapotia quædam ex helleboro nigro à cibo danda eſſe præcipit. Id vero cum aliis, quæ narravimus, miſcere noluimus, ne legentium animos continuis ambiguitatibus urgeremus: hic vero ſubſcripſimus, ne omiſiſſe videremur. quum multo plura ſint purgantium medicamentorum tempora, quam medentium capita. Diximus igitur, ubi tempus eligendæ purgationis datur, quodnam magis ſit eligendum. quid Galen. Paulus, Avicenna. Hipp. de hoc ſenſerint, quid nos arbitremur, & quæ contra objiciebantur, quoad vires noſtræ potuere, diſſolvimus. In quibus enarrandis etſi longiores fuimus, quam liber iſte poſtularet, fuimus tamen, ne de re tam gravi & neceſſaria hic à nobis jejune, atque exiliter ageretur.

## CAP. VIII.

*Qualia ſerapia in morbo Gallico exhiberi ſoleant.*

Conſequens eſt primum ſerapia, quæ offerri ſolent, deinde de purgantia medicamenta recenſere, melancholicis itaque hujuſmodi præbent, quod conſtat *ex epithymi Cretenſis, folliculorum ſenæ, cap. veneris, florum boraginis, violarum, roriſmarini, meliſſæ, ana man. j. radicis centauri majoris, polypodii, rhabarb. electi, ana drach. j. ſucci ſcabioſæ unc. iiij. radices contundunt, deinde ſ. a. in aqua, quæ ſatis ſit, coquunt, donec dimidium conſumatur, ex hoc decocto accipiunt. unc. iij. ſyr. de epithymo, de fumo terræ compos. ana unc. j. ſimul miſcent* (ut dictum eſt) ante prandium propinant tribus quinque ſeptemve diebus. Aut *ſyr. de fumo terræ, de lapulis, de epithymo, rhodomellis, ana unc. ſ. aquæ fumi terræ, bugloſſi, lupulorum, meliſſæ ana drach. vj.* Aut *ſyr. de cichor. compoſ. unc. ſ. de epithymo, de fumo terræ ana drach. vj. aquæ fumi terræ; capil. vener. ana drach. vj. bugloſſi, lupulorum, meliſſæ ana unc. ſ.* Aut *ſyr. de epithymo, de fumo terræ ſimp. ana unc. j. Infuſi ex folliculis ſenæ cum paſſulis, & aniſo. unc. iij.* Aut *ſyr. de pomis ſimpl., de thymo. ana drach. vj. de calamintha. unc. ſ. aquæ boraginis, meliſſæ, lupulorum ana unc. j.* Aut *ſyr. de pomis compoſit. Meſuæ, de boragine ana drach. vj. decocti ex naſturtio, bugloſſo, ſcolopendrio Græcorum cum aquæ communi ſ. a. confecti unc. iiij.* Aut *ſyr. ſabor., de ſcolopendrio Arabum ana drach. vj. de fumo terræ ſimpl. unc. ſ. decocti ex calamintha, ex rad. rubiæ. tamariſci, ex borragine cum aqua communi ſ. a. confecti unc. iij.* Aut *ſeri caprini lib. j. foliorum fumi terræ lupulorum, boraginis, ana man. ſemis. florum fumi terræ man. j. Infundunt 7. horis: deinde leviter calefaciunt, poſtea colant.* ex hoc *accipiunt unc. v. ſyr. lupulorum unc. j. & ſubinde propinant.* Aut *rad. boraginis, bugloſſi, polypodii, cort. rad. capparum, cort. rad. tamariſci, ana unc ij. cuſcutæ, chamædryos, chamæpityos, ſcabioſæ ana man. j. folliculorum ſenæ, ros. rubrarum, florum violarum ana drach. ſ. epithymi drach. iij. aquæ ſcabioſæ, fumi terræ, lupulorum ana libr. j. ſeri caprini lib. ſ. Tereuda, ut dicunt, terunt, & ſimul omnia nocte infundunt, deinde coquunt ad uſque dimidii conſummationem, poſtea colant: colato addunt ſacchari albi lib. ij. aceti modicum, & ſyrupum. ſ. a. conficiunt,* ex hoc accipiunt *unc. ij. aut iij. aquæ boraginis, lupulorum, fumi terræ ana unc. j.* mox potui præbent. Aut *rad. boraginis, bugloſſi, polypodii, cort. rad. capparum, tamariſci ana unc. ij. cuſcutæ, chamædryos, chamæpityos, ſcabioſæ ana man. j. Folliculorum ſenæ, epithymi, florum violarum, roſarum ana unc. ſ. ſucci lapathi acuti lib. ſ. coquunt cum aqua ſcabioſæ, & cum ſaccharo, quod ſatis ſit, ſyrupum conficiunt,* ex hoc quantum diximus ex præcedenti ſyrupo cum aquis prædictis, ſyrupum alterum parant, & ſimiliter porrigunt:

Aliqui ſua quadam opinione, quam exquiſitiſſimam eſſe putant, ducti, primo diluendum jubent humorem melancholicum, ſubinde attenuandum: diluunt vero videlicet *ex ſyr. de duabus rad. ſine aceto, ſyr. Byzantino ſimp. de pomis ſimp. ana drach. vj. decocti ex boragine, glycyrrhiza, bugloſſo, capill. veneris, cichoreo, endiviæ in aqua communi confectis unc. iij.* triduo, quatriduove aliquid tale propinant. mox alterum quod attenuare dicunt ex *ſyr. de fumo terræ compoſito, Byzantino compoſito ſyr. ſabor. ana drach. vj. proxime dicti decocti unc. iij. præbent.* Interim *elect.* exhibent paulo ante cibum *ad drachmas uſque duas*, quod conſtat *ex ſacchari, bugloſſati, boraginati, roſacci ana drach. vj. pulveris ſcordii drach. ij. ſucci concreti ſonchi drach. j. ſpecierum ut dicunt diarrhodon abbatis ſerup. iiij.*

Cæterum melancholicis ex choleræ (ut dicunt) aduſtione quidam peculiariter exhibent hæc videlicet. *Succi endiviæ, lactucæ, boraginis, bugloſſi, fumi terræ, lupulorum, omnium defecatorum ana lib. ſemis, lactis feminum communium frigidorum extracti cum aqua ſimpl. unc. viij. foliorum, & ſeminum portulacæ ana unc. iiij. jujubarum, prunorum Damaſc. ana n. xv. epithymi. drach. iij. florum violarum,*

*ros. rubrarum ana man. ij. rhabarb. electi, & linteo ligati scrup. ij. terenda* (ut dicitur) *terunt, post coquunt usque quo dimidium consumatur, deinde colant. colato addunt sacchari albi lib. ij. aceti modicum: & syrupum. s. a. constituunt cujus unc. i. s. ad usque unc. ij. cum unc. iij. aquæ endiviæ, aut lupulorum, & similium potui præbent.*

Hæc & hujusmodi serapia sunt, quæ ante usum remediorum generosorum in morbo Gallico melancholicis propinari solent.

Cholericis vero hunc in modum exhibent, videlicet. *scariolæ, endiviæ, cichorei, lactucæ, portulacæ, acetosæ, florum violarum, ana man. j. s. seminum communium frigid. majorum unc. j. rhabarb. electi scrup. ij. radicis centaurii major. unc semis spicæ gr. iij. seminum papaver. albi. florum nenuphar. ana drach. ij. s. santal. omnium ana scrup. iiij. contundunt una rhab. spicam, rad. semina, santal: mox in aquæ endiviæ fumi terræ lupul. ana lib. j. diebus continuis macerant. postea capiunt quæ hordei lib. iij. vini malorum punicorum. lib. j. deinde simul omnia præter flores coquunt usque quo dimidium consumatur, & in fine flores addunt, postea colant, & exprimunt prælo, mox addunt sacchari unc. viij. & syrupos. 7. constituunt.* Aut *syr. acetosi simp. de infusione ros. ana drach. vj. syr. de fumo terræ unc. s. aquæ endiviæ, acetosæ, lupul. ana unc. j.*

Unicum syrupum ex his astruunt, dein triduo, quatriduove propinant. Aut *syr. de acore citri, de succo cichor., oxysacchari, syr. violati, ana unc. s. aquæ cichor., portulac. lactuc. ana unc. j.* Aut *syr. de duab. rad. cum acetos. unc. j. de lupul., de endivia, ana unc. s. aquæ endiviæ, acetosæ, scolopend. Græc. ana unc. j.* præsertim cum crassa fuerit bilis, sed si tenuis. *syr. de cucurb., de suc. acetos., ana unc. s. nenuphar. unc. j. aquæ lactucæ, violac. portul. ana unc. j.* Aut *syr. de fumo terræ, de cichor. simpl., de pomis simp. ana unc. s. decocti ex aqua cum fumi terræ sonchi, & seminum, atque cort. citri. unc. iij.* Interim aliqui gloriæ magis studiosi quotidie mane, & vesperi parum ante cibum exhibent *electi. pondo drach. ij.* quod habet. *sacchari rosacei, violacei, ana unc. iij. coral. rub., pulver. eboris., semin. citri ana drach. j. succi concreti ex soncho, suc. concreti ex scordio, ana scrup. ij.* Hæc, & talia biliosis pro serapiis præbent, Pituitosis vero. *Amaraci, salviæ, origani, menthæ, absinth.. eupat., fumi terræ, bacchar., lavandul. calaminthæ, pulegii, thymi, saturejæ, stœchados. ana man. j. calami aromat., zedoariæ, dictamni albi, Dermodactylorum, hellebori nigri, ana scrup. ij. rhabarb. electi drach. ij. spicæ, schœnanthi ana scrup. s. Ex aqua usque ad dimidium coquunt, deinde colant, colato addunt. syr. stœchados, fumi terræ, mellis ros. ana unc. iij. & syr. 7 constituunt,* Aut *syr. de stœchade, oxymel. compl. ana drach. vj.* vel *rosacei unc. s. aquæ salviæ unc. ij. lavandulæ, amaraci, ana unc. s.* Item *oxymel. simpl., syr. de stœchade, de prassio, de absinthio, ana unc. s. aquæ absinthii, ivæ, ana drach. vj. melissæ, unc. j. prassii unc. s.* Item *syr. de duab. rad. cum aceto unc. j. rhodomel. sacchar. unc. s. aquæ apii, fœniculi, ana unc. i. s.* Item *syr. de hyssopo, mellis ros. colati ana unc. j. syr. de epithymo unc. s. Infusionis ex sena unc. iiij.* Item *syr. de epithymo, acetosi simpl., de endivia, ana unc. s. aquæ fumi terræ, endiviæ, scabiosæ, ana unc. j.* Item præcipue, si pituita salsa fuerit. *rad. apii, fœniculi, petroselini, polypodii, endiviæ, buglossi, ana unc. ij. chamædryos, calaminthæ, ana man. j. s. aquæ fumi terræ, lupulorum, scabiosæ ana q. s. ad decoquendum. coquunt omnia, donec dimidium consumatur; deinde colant,* colato addunt *Succi fumi terræ, lapathi acuti, scabiosæ, depuratorum ana unc. iiij. aceti modicum, sacchari q. s. & syrupum conficiunt:* de quo *ab unc. ij. usque ad unc. viii.* modo & more (ut ante dictum est) ægro præbent. Item *mel. ros. oxymel simp. ana unc. s. syr. de cichoreo unc. j. decocti ex aqua cum cichor. betonica. fumo terræ, scordio unc. iiij.*

Interim aliqui, ut se prudentiores ostenderent, mane & vero paulo ante cibum exhibent *hujus electi. drach. ij.* quod habet *sacchar. boraginati, rosacei, buglossati, ana unc. i. mithridatii. drach. j.*

Interdum hujus loco pillulas porrigunt *pondo drach. s.* quas astruunt ex *succi concreti scordii, succi concreti cichorei ana unc. s. mithridatii scrup. iiij.*

Hos syr. & alios hujusmodi exhibere pituitosis consueverunt.

Sanguineis vero, ut illorum mores, atque usus non prætermittam, tales videlicet. Cape *rhab. electi drach. ij. florum violarum, boraginis, buglossi, capil. veneris, lupulorum, rad. intybi, ana man. j. hordei unc. s. seminum communium frigidorum majorum ana drach. ij. pulpæ tamarindorum, prunorum Damasc. sebesten, ana drach. s. Contundantur hæc omnia leviter, macerenturque ex aqua lupulorum, intybi, fumi terræ, tridnum. deinde bulliant donec aquarum dictarum quarta pars consumetur, postea colentur, & prælo diligenter exprimantur, expressioni adde sacchar. q. s. mox defœcetur, & fiant syrupi fere septem.* Aut *syr. de cichor. comp., de fumo terræ, rosacei, ana unc. s. aquæ lupulorum, intybi, fumi terræ, ana unc. j. misce fiat syr. &c.* Aut *syr. de succo citri, de fumo terræ, de succo intybi, de lupul. ana unc. s. aquæ portulacæ, intybi, ana unc. s. lupulorum, violarum, ana unc. esto syr.* quemadmodum diximus. Aut *syr. de capill. vener., de endivia ana unc. j. Infusionis sennæ unc. iiij. misce pro syr. &c.*

Tot talesque sunt adversus Gallicum morbum pro ægrorum intemperie syruporum modi.

Quidam vero id ipsum negligentes omnibus passim præbent, utputa. *oxymel. simpl. syr. de fumo terræ, mel. ros. colati ana unc. s. aquæ fumi terræ, scabiosæ, cichorei ana unc. i.* vel *syr. de lupul. de fumo terræ, mel. ros. colati ana unc. s. aquæ betonic., lupul., acetosæ ana unc. j.* vel *oxymel. comp. syr. de fumo terræ, de endivia, ana unc. s. aquæ acetosæ, fumi terræ, lupul. ana unc. j.* Quidam alii *syr. de endivia de fumo terræ. de cichor. ana unc. s. aquæ lupulorum, cuscutæ, boraginis, buglossi ana drachm. vj.* aut *florum borraginis, buglossi, valerianæ, thymi ana manip. j. rad. cichor., endiviæ ana drach. semis. Seminum communium frig. ana drach. ij. lupulorum, absinth., cuscutæ, chamæpitys ana manip. j. s. bulliant in lib. viii. aquæ communis usque ad dimidii consumptionem, adde sacchari lib. j. s. fiat syr.* de quo Recipe *unc. ij. aquæ lupul. unc. iii.* aut *seminum fœniculi, anethi, ana unc. j. polypodii quer. recent. unc. iii. Hæc omnia cum aceto, quodquod satis sit, per noctem unicam vase aliquo terreo contineantur, postea illinc eximantur, mox in lib. iij. aquæ communis coquantur usque ad dimidii consumptionem, deinde colentur,* colato adde *succi fumi terræ, succi lapathi acuti depurat. ana unc. iiij. mellis lib. iij. aceti quod remanfit ex infusione. misce, fiat syr. de quo cape unc. ii. aquæ decocti ex fœniculo unc. iii. misce fiat syr.* utatur quemadmodum aliis. præsertim vero, ubi materia fuerit crassa, contumax, & diuturnus morbus.

Quidam pustulas respiciunt, quæ si fuerint cum humoribus tenuibus hoc utuntur syrupo, qui constat ex *syr. de fumo terræ simp. de endivia, syr. rosacei ana unc. s. aquæ lupulorum, endiviæ, solani ana unc. j.*

Si cum crassis, & caput doleat, aut humeri, hoc valet ex *mel. rosacei, syr. de stœchade ana unc. vj. aquæ ivæ, trifolii, fumi terræ ana unc. i.* Itaque hisce syrupis, & aliis hujusmodi ad præparandum corpus, quod Gallico morbo affectum est, utuntur.

Quidam cum magna putredine morbum Gallicum esse opinati, eos potissimum in hac re commendant, qui putredinem arcent, simul tamen habita & temperaturarum & humorum peccantium, & affectarum partium ratione: illius generis sunt, (ut putant) ii, qui vel siccant vel abstergunt, vel absque obstructione refrigerant, vel absque multo calore aperiunt: in quorum numerum ascribunt *oxymel simplex, syrupum acetosum simpl., de succo acetosæ, rosaceum, de succo cichorei, de endivia, de succo ros., de succo limonum, de succo* (ut dicunt) *arantii, de corticibus citri, de acore citri, oxysaccharum.* Ex his modo unum, modo duos, modo tres, quatuorve, *ad uncias usque duas* ad summum accipiunt, mox ex infra scriptis aquis, quas easdem cum dictis syr. vires fere habere existimant, unam aut plures, ad uncias usque tres admiscent. id genus est *aqua florum mali medici, florum citri, aqua destillatitia ex limone, sed hujus non plus uncia, destillatitia ex succo citri simili mensura, quæ proxime dicta: aqua ferri, cichorei, myrti, endiviæ, aqua rosacea, aqua ex aceto, quam poscam aliqui vocant.* Ex his igitur syrupos construunt, & si pars aliqua simul affecta manifeste sit, alios, qui eam respiciunt cum suis aquis admiscent: si enim caput patiatur: *syr. nenupharinum. syr. de stœchade, rosaceum, de papavere, de acore, de succo betonicæ, aquam betonicæ, salviæ, rutæ, majoranæ, pulegii, calaminthæ, saturejæ, serpilli, nenuphatis, lactucæ, violarum, rosarum,* sin pulmo, thoraxve, *syr. de hyssopo, de prassio, de calamintha, de glycyrrhiza, violaceum, de capil. vener. jujubinum, de papavere, aquam hyssopi, betonicæ, scabiosæ; capil. vener, melissæ, urticæ, violarum;* si cor *syr. de acore citri, de succo acetosæ, de boragine, de pomis simpl. de pomis comp. aquam melissæ, buglossi, boraginis, rorismarini, acetosæ, nenupharis, rosarum, violarum;*

Si ventriculus; *syr. de absinthio, de mentha, mel rosaceum, oxymel. comp., oxymel. scillit., syr. acetos. simp., rosaceum, de granatis* (ut dicunt) *oxysaccharum, aquam absinthii, menthæ, fœnicul. serpilli, rosarum, violarum, solani, portulacæ, plantaginis, cuscutæ.*

Si jecur; *syr. de eupatorio, de absinthio, de fumo terræ de cichor. comp., de endivia, de succo endiviæ, de succo cichorei, acetosum simpl. de granatis, de nenuphare, violaceum, aquam absinth., eupator. fumi terræ, endiviæ, lactucæ, portulacæ, rosaceæ, solani, nenupharis, cichorei.*

Si lien. *syr. de eupatorio, de epithymo, de calamintha, oxymel. comp.; syr. acetosum simpl., de endivia, de scolo-*

*pend. Aquam scolopend. tamariſci, calamínthæ, naſturtii, lactucæ, endiviæ.*

Si renes; *ſyr. acetoſum ſimpl. de ſucco endiviæ, de nenuphare, de capil. vener. violaceum, de Glycyrrhiza, aquam ſaxifragiæ, parietariæ, pentaphylli, artemiſiæ, urticæ, erucæ nenupharis, endiviæ, portulacæ, lactucæ, virgæ paſtoris, plantaginis.*

Si mulier ſit, & uterus una patiatur: *ſyr. artemiſiæ, de calamintha, acetoſum ſimpl. aquam artemiſiæ, ſabinæ, pulegii, calaminthæ, rutæ, capil. vener. chamæmeli, nenupharis, lactucæ, endiviæ, roſarum, cucurbitæ, portulacæ, virgæ paſtoris.*

Ex his igitur, & cum his ſyrupis ante uſum ligni, & reliquorum, quæ retulimus, auxiliorum ad præparandum corpus conficiunt, ſtudentes potius agere, ut mihi videtur, id quod medicis licet, quam quod ægrotis ſit ſalutare: quaſi malint medici videri, quam eſſe. recenſui vero, non quod neceſſarium illorum uſum opinarer, ſed quo ea, quæ ab aliis ad hanc rem ſcribuntur, non omitterem.

## CAP. IX.

### *Qualia purgantia medicamenta morbo Gallico affectis præbeantur.*

Poſtquam igitur hujuſmodi ſyrupos ter, quinquies, ſeptiesve propinaverint, medicamentum purgans, qua diximus hora, exhibent. Quidam, ut charitate & amore pleni & diligentes reputentur, non niſi vocatis lenitivis utuntur, qualia ante venæ ſectionem ab eiſdem exhiberi proxime docuimus. ſed qui temperaturas obſervant, melancholicis præbent, quale eſt quod componitur ex *myrobalanorum Indorum drach. ij. florum bugloſſi, epithymi ana man. i. polypodii recentis unc. ſ. Contundantur hæc primo, deinde ſero caprino decem horarum ſpatio macerentur, mox exprimito expreſſioni adde conſect. hamech, diaſenæ, ana drach. ij. diacathol. unc. ſ. ſucci fumi terræ unc. i. ſyr. de epithymo, unc. ij. ſ. fiat potio &c.* Aliter *elect. lenitivi, confect. hamech, ana drach. iij. pulveris ſenæ, drach. i. ſucci fumi terræ unc. i. ſyrupi de bug. unc. iiij. ex aqua fumi terræ fiat potio.* Alio modo. *myrobalanorum Ind. drach. i. epithymi Cretenſis, rhab. electi ana drach. i. Contundantur hæc leviter, deinde die nocteque aqua fumi terræ & bugloſſi macerentur, mox exprimantur,* expreſſo adde. *elect. lenitivi, diacatholici ana drach. iij. confect. hamech drach. ij. elect. Indi drach. i. ſyr. de epithymo unc. i. fiat potio.* Vel *rad. nigri veratri recent. drach. iij. ſemin. dauci, aniſi, piperis, ana drach. i. florum bugloſſi drach, ſ. muſci gr. vj. epithymi ſcrup. ij. Contundantur leviter, deinde diem & noctem in vini Cretici lib. ſ. macerata vehementer exprimantur,* mox *cape hujus expreſſi drach. iij. pil. fumi terræ, cochiarum, aurearum ana drach. ij. ſ. miſce ſimul & exſiccari permittas, deinde ter, quaterve, hoc idem facias admiſcendo ex dicto expreſſo, quantum primo diximus, & fiat* (ut dicitur) *magdaleon de quo ſume drach. i. fiant. pilulæ num. v. cum aqua betonicæ,* capiat æger convenienti (ut ante dictum eſt) hora. Sunt & catapotia, quæ ex præcipitato vocant, & hac in re ad ſummum extollunt. Fiunt vero hunc in modum: *cape aquæ, qua aurum ab argento dividitur, lib. iiij. argenti vivi lib. i. ſ. hæc excipiantur vaſe vitreo, oris anguſti, colli obtorti, undique argilla præmunito, quod ab altero* (ut chymiſta ſolet) *recipiatur: compages inde vaſorum luto figulino diligenter obturentur: deinde ſubdatur ignis ex carbonibus conflatus, ita ut ſemper creſcat, uſque quo tota abſumpta ſit aqua, poſtea vas illud frangito, in illius fundo reſidentem placentulam rubeam leniter extrahas, quod album inhæſerit, projicias, rubeam vero in pulverem redigas.* Itaque *cape prædicti pulveris unc. ij. maceretur per noctem in aquæ plantaginis, & acetoſæ ana unc. ij. tunc ſummo mane dictas aquas exhaurito, & novas alias eodem pondere ſuperinfundito, mox vaſe teſtaceo excipiantur, ignique exponantur, interim rudicula lignea ſemper agitentur, donec in pulverem penitus redigantur,* poſtea *ſume hujus pulveris, margaritarum, hyacinthi, ana g. v. elect. conciliatoris, pulver. diamoſchi, diamargarit. ana ſcrup. ſ. fiant catapotia v. cum ſyr. de pomis, aut de borragine,* quæ ſumantur hora medicamentorum, quæ jam dicta eſt. Hæc catapotia non modo melancholicis, ſed etiam pituitoſis conferre prædicant, brevique Gallicos dolores amovere, pituitam & melancholiam tum vomitu, tum alvi dejectione conſumere. Hunc etiam pulverem multa alia commoda præſtare, nimirum, ſi carni putridæ inſpergatur, non ſolum ſaniem carnemque delere, verum etiam non difficulter ad cicatricem ulcera deducere, Peſtilentiam *pauxillo, theriaces addito ſuccoque herbæ quam cardunum benedictum vocant, ſive cum electuario de gemmis* ante illius confirmationem, mirum in modum ſuperare. Multos etiam faſcinatos, lymphaticos, melancholicosve curare, ſicut etiam quartana confectos *addito ſaccharo bugloſſato, ſive theriaca, mithridatioque pondere granorum quinque, vel* 7. pro ætate, & robore affecti corporis: quin etiam colicis, atque ileoſis magnopere prodeſſe, id quoque Paulum Æginetam perſuadere, qui *lib.* 7. inquit, ſunt qui argentum vivum comburentes velut in cinerem redigunt, quem aliis ſpeciebus permixtum colicis, & ileoſis potandum exhibuerunt. hactenus Paulus. Cæterum faſcinatis, lymphaticis, melancholicis, & quartanis quibuſdam (non inquam omnibus) auxilio eſſe arbitrandum eſt, non alia ſane ratione, quam quod novum ingenſque periculum afferendo removet eam, quæ in animis dictorum hominum hæret, imaginationem, unde affectus illi aliquando proveniunt; neque peſtem pellere aliter, quam quod majus malum inducendo, minus obſcuratur; quippe in peſte datum ſæpius interimere, ſed non videri, quoniam interitus non huic pulveri aſſumpto, ſed peſti, utpote lethali, ab idiotis tribuitur. Neque ſequitur, aliqui tum colicis tum biliofis Paulo authore propinaverunt, ergo juvat: poteſt enim aliquid à quibuſdam offerri, quod tamen oblatum tantum abſit ut profit, ut mirifice noceat. Tandem periculoſiſſimum eſſe illius uſum, ſi intro ſumatur, proinde à recta medendi arte in hunc modum penitus exterminandum eſſe: ſed foris ulceribus, & aliis hujuſmodi adhibitum ſæpius conferre experimentis credendum. ſed hoc infra diligentius. Ad propoſitum revertamur. Præter hæc purgandi cauſa melancholicis alia quidam exhibent, videlicet. *polypod. querc. epithymi ana drachm. iiii. ſenæ unc. j. hellebori nigri unc. j. florum boraginis, bugloſſi, violarum, roſarum, ana drach. ii. gingiberis, cinnamomi, aniſorum, amomi, ana drach. ſ. mox infundunt aqua fumi terræ q. ſ. poſtea exprimuntur, preſſo addunt ſaccharum, quoad dulceſcat,* deinde potui dant. Aut *pil. de lapide lazuli, hoc eſt cyaneo drach. j. plus minuſve, dividunt in pil. v. cum aqua fumi terræ,* quas ægro (ut dictum eſt) præbent. aut *pil. de lapide armeno drach. i. plus minusve,* aut *pil. Indarum, fœtidarum majorum, de fumo terræ, ana ſcrup. ſ. de colocynthide Meſuæ ſcrup. ſ. fiant pil. n. v. cum ſyr. de epithymo.* aut *pil. aggregativarum ex inventione Meſuæ ſcrup. ij. pil. de helleboro ſcrup. j. fiant pil. v. cum ſyr. de fumo terræ.* aut *pil. de quinque generibus myrobalanorum ſcrup. iiij. fiant pil. v. cum aqua fumi terræ.* aut *pil. de colocynthide ſcrup. i. fœtidarum ſcrup. ij. fiant pil. n. v. cum ſyr. de epithymo.* aut *pil. de turbith ſine quibus ana ſcrup. ij. fiant pil. v. cum ſyr. de fumo terræ.* aut *diaſenæ Nicolai, confect. hamech, ana drach. ij. diacathol. unc. i. ſyrup. de fumo terræ unc. ii. infuſionis ſenæ q. ſ. fiat potio.* aut *hieræ ruffini, hieræ Logadii, ana drach. j. ſ. myrobalanorum Indorum cond. drach. ij. decocti ex epithymo unc. ſ. aquæ caſei q. ſ. fiat potio.* Propinant quidam purgandi cauſa, præcipue humorem melancholicum, ſyr. quem Auguſtino Sueſſano tribuunt *ab unc. iij. ad v.* habet iſte deſcriptiones duas: Prima eſt ex *myrobalan. omnium ana unc. iij. rhapontici, foliorum ſenæ, epithymi ana unc. i. polypodii quercini lib. i. foliorum fumi terræ, lupulorum recento ana lib. i. ſ. yvæ artheticæ unc. j. ſ. glycyrrhizæ mundat unc. iiij. florum boraginis, bugloſſi, violarum ana unc. ſ. Coquantur omnia ſ. a. in aqua communi, donec liquor omnis ad lib. ij. deveniat, tum colatur, colato adde ſucci fumi terræ, lupulorum ana lib. j. ſaccharı optimi q. ſ. fiat. ſyr. odorus ex muſci, & ambræ modico, quod tela rara incluſum ſuſpendatur intra vas hujusmodi ſyr. continens.* ſecunda deſcriptio conſtat ex *ſenæ, epithymi, myrobalanorum citrin., rhapontici ana unc. j. corticum ligni Indi, polypodii quercini ana lib. i. aquæ fontis lib. xij. bulliant ad dimidium, mox adde paſſularum exucleatarum, florum boraginis, bugloſſi, violarum ana unc. ſemis, foliorum fumi terræ, lupulorum ana lib. ſemis. glycyrrhizæ mundat unc. i. yvæ artheticæ unc. ſemis. Coquant ſ. a. deinde colentur, colati ſume lib. ij. ſucci fumi terræ, lupulorum depurati, ſaccharı q. ſ. fiat ſyrup. ana lib. i. ſ.* Aliqui *ſyrup. de polypodio* nuncupatum præbent, qui habet *ſucci boraginis, ſucci roſ. rubearum ana lib. i. myrobalan. citrinorum, chebul. Indorum ana unc. ij. ſ. dictis ſuccis infundantur, mox leviter bulliant, & colentur,* deinde *accipe polypodii querc. recent. lib. i. radicis acori unc. j. ſem. fœnicul. drach. ij. Coquantur ſ. a. ex aqua fontis, poſtea colentur: liquori colato adde ſaccharı. q. ſ. & fiat ſyr.* ex hoc exhibe nunc *unc. ij.* nunc *iij.* nunc *iiij.* valet non ſolum in morbum Gallicum (ut putant) ſed etiam in dolores articulares, podagricoſque.

Aut ſume *myrobalan. omnium ana unc. ſ. Contundantur modice, mox infundantur aquæ fumi terræ lib. vij.* ubi validius exigis medicamentum, *loco aquæ pone ſucci fumi terræ defœcati lib. vij. 24. horarum ſpatio, adde folior. ſenæ orient., polypodii, epithymi ana unc. i. glycyrrhizæ raſæ, caryophyllorum, ſem. citri ana drach. ij. cortic. belleb. nigri unc. ſ. Omnia ſimul bulliant ad lib. iij. ex his accipe unc. vj. ſyr. de fumo terræ unc. j. ſ. ſyr. de cortic. citri unc. ſ. datur quinquies, aut ſepties* donec corpus medenti purgatum videatur.

Ha-

Hactenus de purgatoriis melancholicorum. Atqui cholericis commendant, quale est, quod habet. *sem. 4. com. frigid. major. ana drach. ij. sem. papaver. albi drach. iij. Contundantur in mortario lapideo, interim addendo aquæ intybi de fumi terræ ana quantum satis est: deinde compressa colentur, liquori misce syr. ros. sol. unc. ij. elect. rosat. Mesuæ, diacatholici, ana drach. iij. fiat potio.* Vel *diacathol. unc. s. elect. de psyllio, confect. hamech. ana drach. ij. infusum ex rhabarb. drach. j. misce, fiat potio.* Vel *syr. ros. sol. de cichoreo comp., mannæ electæ ana unc. j. elect. lenit. drach. iij. elect. de suc. ros. drach. j. s. rhab. electi in pulverem subtilem redacti drach. s. spicæ, sive cinnamomi gran. ij. cum decocto florum, & fructuum cord. fiat potio.* Vel *scammonei drach. j. rhab. elect. myrobal. luteorum ana drach. s. infusionis senæ unc. iiij. infundantur decem horis, postea exprimantur, liquori expresso adde saccharo modicum:* & potionis loco sumatur. Vel *diapruni sol. drach. iij. cassiæ nuper extract. drach. vj. fiant boli involuti hostia, aut saccharo,* sumantur ut dictum est. Vel *trypheræ Perficæ, elect. de sebest., ana unc. ſ. elect. de succo ros. drach. s. s. misce fiant boli.* Aut *confect. mannæ ex inventione Mesuæ, trypheræ sarracenicæ ana drach. iij. elect. rosarum Mesuæ drach. ij. Misce fiant boli.* Aut *diarob. cum rhab. drach. ij. s.* Aut *pil. aurearum scrup. iij. fiant pil. v. ex aqua endiviæ.* Aut *pil. de rhabarb. de hiera Gal., ana drach. s. aggregativarum scrup. j. fiant pil. v ex aqua boraginis..* Aut *syr. ros. sol. unc. iiij. aquæ lup.* (ubi fuerit nimis densus) *unc. j. s.* Aut *syr. violat. solut. unc. v.* Aut *rhab. elect. drach. j. s cinnamomi, schœnanthi ana gr. j. aquæ endiviæ unc. ij. infundantur novem horis, post fortiter exprimantur, liquori expresso adde. mannæ electæ unc. ij. decoct. cord. q. s. Aut accipe dict. m rhabarbari infusum, adde expressi ex pulpa tamarindorum cum aqua cichor. unc. s. syr. ros. solut. unc. ij.* Aut *floris cassiæ, diacathol. ana drach. v. fiant boli.*

Hæc cholericis offerri solent. Pituitosis vero. *Cape, rhab. electi drach. ij agarici præparati drach. j. aloës hepat. lotæ drach. i. s. turbith. gran. x hermodact. gr. vj. gingiber. gr. iiij. spicæ. gr. iij. Hæc simul aquæ salviæ libra macerentur per noctem, deinde ad dimidium coquendo consumentur, postea colentur, liquori colato adde oxymel. simp. unc. i.* Aut *rhab. electi, agarici præparati, turbith albi & gummosi, ana drach. s. spicæ gr. iij. gingiberis, hermodact., ana scrup. j. Contundantur leviter, & aquæ lavendulæ aut amaraci unc. vi. decem horarum spatio infundantur, mox exprimantur, liquori expresso adde elect. lenitivi unc. s. elect. Indi, diaphœnici ana drach. i. s. mel. ros. drach. vj. fiat potio.* Aut *rhab. electi drach. j. schœnanthi gr. v. hæc in pulverem redigantur, mox adde agarici præparati scrup. ij. turbith. gr. v. gingiber gr. iij. aloës lotæ scrup. s. elect. lenit. drach. ij. diaphœnic. drach. i. cum saccharo fiant pastilli, sive boli.*

Ex his tribus proxime recensitis, primum medicamentum validius quidem est, sed difficilius ob suam amaritudinem sumitur. Aut *turbith. drach. s. myrobalan. chebul. drach. i. s. agarici drach. s. gingiber. cinnamomi, anisorum, camphoræ, salis gemmæ, ana gr. x. infusionis senæ unc. iiij. decem horas commixta simul macerentur. post exprimantur, & cum modico saccharo potui dentur.* Aut *pil. cochiarum scrup. iiii. fiant pil. v. cum oxymel. simp.* Aut *benedictæ, hieræ picræ, ana drach. ij. fiant boli cum saccharo.* Aut *hieræ lagodii drach. i. diaturbith, diarob. ana drach. i. s. fiant boli cum oxymel. simp.* Aut *pil. aloephanginarum, aggregativarum maj. ana scrup. ij. fiant pil. v. cum oxymel,* Aut *pil. de agarico, cochiarum, ana drach. s. aggregativarum ex inventione Mesuæ scrup. j. fiant pil. v. cum oxymel.* Aut *pil. de hermodact. drach. s. fœtidarum, sine quibus ana scrup. j. fiant pil. v. cum syr. acetoso.* Aut *pil. stomach. primarum Mesuæ scrup. ij. pil. de euphorbio scrup. j. fiant pil. v. cum rhodomelle.* Aut *pil. de serapino ad paralysim assayeret, de sarcocolla ana scrup. j. fiant pil. v. cum syr. de Byzantiis.* Aut *pil. de colocynthide scrup. j. de turbith. drach. semis pil. fiant iij. cum syr. ros.*

Hæc pituitosis lue Gallica affectis medicamenta purgantia plerique præbent, sanguineis vero (ut quatuor temperaturarum numerum expleant) hujusmodi, quod habet *electuar. lenitivi drach. iij. de succo ros. de psyllio ana drach. ij. syr. ros. solut. unc. j. s. Cum decocto florum, & fructuum cord. q. s. fiat potio.* Aut *mannæ electæ unc. ij. dissolve cum decoct. florum, & fructuum cord. adde diacathol. unc. s. elect. ros. Mes. drach. ij. syr. de cichoreo comp. unc. j. fiat potio.* Aut *rhab. electi drach. ij spicæ scrup. s. aquæ lupul. endiviæ ana unc. j. s. vini optimi unc. s. infundantur per noctem, deinde vehementer exprimantur, liquori expresso adde mannæ Calabræ unc. j. s. syr. ros. sol. unc. ij.*

Quidam vero sanguineis tale medicamentum porrigit, non quo sanguinem, sed quo alios humores, qui in hujumodi temperaturis redundant, educat, quod habet *pulpæ colocynthidis scammonei, ana scrup. j. turbith, hellebori nigri ana scrup. s. gingiber. cinnamomi, camphoræ, anisorum, ana gr. x. infusionis senæ unc. iiii. infundantur una per x. horas, postea exprimantur, expressus liquor addito sacchare dulcis fiat, dein potui detur.* Aut *pil. aurearum, cochiarum, de lapide lazuli, ana scrup. i. fiant pil. v. cum syr. de pomis comp.*

Hæc, & hujusmodi medicamenta purgantia sunt, quæ morbo Gallico affectis pro temperaturarum varietate quidam speciatim exhibent.

Quidam vero his neglectis, utpote nimium curiosis talia generatim præbent, utputa. *florum violar., boragin. ana drach. iii. glycyrrhizæ mundatæ, passul. enucleat. ana drach. ii. prunorum damasc. sebestica ana num. v. folliculorum sennæ, epithymi ana drach. j. Ex aqua communi coquantur s. a. hujus decocti R. quantum satis. elect. Indi, confect. hamech ana drach. j. elect. lenit. drach. vj. Misce, fiat potio, sumenda ut ante dictum est.* aut *pil. de fumo terræ, fœtidarum ana drach. s. Fiant pil. v. cum rhodomelle.* Aut *glycyrrhizæ mundatæ, passul. enucleat. ana drach. ii. sebestan, num. iiij. florum boraginis, bugloss. ana man. s. folliculorum sennæ unc. s. pulpæ tamarindorum unc. i. aquæ bugloss., fumi terræ ana q. s. Coquantur s. a. hujus decocti R. unc. ij. rhab. electi scrup. iiii. agar. scrup. ii. spicæ gr. iij. Infundantur una per octo horas, mox exprimantur, liquori expresso adde elect. lenit. unc. s. elect. Indi minor. confect. hamech ana drach. i. s.* aut *foliorum sennæ unc. j s. fumi terræ unc. i. capil. vener., scolopend. ana unc. s. epithymi, thymi ana drach. vi. polypodii unc. iiii. florum bugloss., borraginis ana unc. s. glycyrrhizæ mundatæ drach. iii. colocynthidis drach. ij. hellebori nigri drach. j. s. myrobalan. Indorum drach. vii. prunorum damasc. n xii., sebestenum. x., tamarindorum unc. i. succi fumi terræ lib. i. aquæ fumi terræ q. s. Coquantur s. a. postea exprimantur, hujus expressi R. unc. v. pius minusve.* Aut *foliorum sennæ unc. ij. aquæ lactis lib. ii. s. Infunde simul die nocteque una, postea bulliant s. a. hujus decocti R. unc. iiii. elect. sine ros., confect. hamech ana drach. i. s. misce &c.* aut *turbith., gummosi, hermodact. albi ana unc. ii. diagrydii scrup. v. gingiberis scrup. ii. mastiches scrup. i. sacchari albi unc. s. redigantur in pulverem, hujus dosis fit usque ad drach. ii.* Aut *diatragacanthi, succi citrinorum ana unc. ii. mucilaginis semin. carthami, hermodactylorum, gingiberis, bdellii ana unc. s. diagrydii drach. iii. mannæ Calabræ, succi ros. depurati, turbith albi gummosi ana unc. i. sacchari (ut dicunt) fini unc. xvi. fiat confectio in forma solida, de qua capiant drach. ii.* Aut *hieræ ruffini, cathartici imperial. ana drach. i. turbith, colocynthidis, hermodact. ana drach. s. Esulæ (pityusam aliqui vocant) scrup. i. mastiches, bdellii ana scrup. j. s. seminum fœniculi, anethi, ana scrup. semis. Fiat pulvis, misceatur cum electuario ros. Mesuæ,* postea Rec. *hujus drach. j. sive scrup. iiii. fiant pil. v.* Aut *myrobalan. citrinorum, chebulorum, Indorum, ana unc. ij. contundantur, & aquæ fumi terræ q. s. infundantur die nocteque, postea fume polypodii, folliculorum sennæ, epithymi, ana drach. iij. glycyrrhizæ drach. ij. caryophyllorum drach. j. seminum citri, cinnamomi, ana scrup. s. thymi scrup. i. cortic. bellel. nigri drach. s. aquæ lupulorum lib. iiij. bulliant simul omnia donec liquor ad lib. ij. s. revertatur, ex hoc R. unc. vj syr. de suc. ros. unc. s. Misce fiat potio,* sumatur alternis diebus bis terve, prout purgatione opus erit. Tot tantisque tum syr. tum purgatoriis utuntur ad præparandum corpus, antequam decoctum Guajaci, aut hujusmodi aliquid affectis lue Gallica præbeant. nos vero neque hæc omnino damnantes, neque necessaria esse censentes, satis esse putamus, si communes vias in hac re ante purgemus: ne si quid in his præter naturam forte retineatur, Guajaco iter impediat: aut si unam cum Guajaco intro feratur, ne morbum ipsum geminet: quum enim ille, ut 2. lib. declaravimus, affectio putris sit in omnibus corporis partibus existens, medicamento eget, quod in omnes corporis partes conveniat, quodque singulas partes per eas vias, per quas purgari solent, expurget: non autem per unam tantum: quum hæ quidem per alium: sed illæ per cutim, aliæ per veficam, per nares, per os, per uterum, aut aliquam aliam hujusmodi particulam expurgentur, non autem per alvum solam: dicta vero medicamenta, ut neque omnes corporis partes attingunt, ita neque per singulas, sed per alvum solam expurgant: quo fit ut necessaria propter hunc finem minime sint. huc accedit, quod hujusmodi medicamenta peculiarem quendam humorem evacuant, morbus vero Gallicus (ut diximus) in aliquo humorum peculiariter non est, sed in substantia quadam putri, quæ cum singulis humoris indiscriminatim invenitur. At vero licet aliquid hujusce putredinis vacuare possint, sic tamen, aut altera tantum vice exhibita, parum admodum, & fere nihil possunt: quum alius modus, alius usus ad hanc putredinem arcendam requiratur. Itaque priusquam Guajaci decoctum offeratur, expedit quidem eo purgare

gare corpus, quo communes viæ, hoc est ventriculus & intestina, purgentur, reliquum vero decocto sumendo relinquere, nisi forte nimis redundet humor aliquis, aut quid aliud urgeat, tunc enim hæc eadem simul respicere nihil vetat. Cæterum quia præstat tum ventriculum tum intestina, antequam acuentur, mollire syr. aut sorbitione aut potus biduo, triduo, quatriduove, aut etiam pluribus diebus, exhibebimus, qui id ipsum efficere possunt. qui etiam, si corpus interim pituitosum sit, pituitam respiciant, si biliosum, bilem, si melancholicum, melancholiam; si quid aliud, id ipsum: cum hoc tamen, si corpus integrum alioqui sit, neque superfluitatibus scateat, aut si adeo extenuatum est, ut humoris nihil fere superesse videatur: omissis his, atque aliis hujusmodi, statim ad Guajaci decoctum transeatur. quemadmodum in India occidua plerumque fieri legimus, & nos aliquando experti sumus. Tales itaque syr. sunt videlicet. *syr. de juc. rosar. de juc. acetosæ, de acore citri ana unc. s. decocti ex boragine, cichoreo, acetosa. s. a. in aqua communi unc. iiij.*

Hic syr. fere omnibus communis est qui lue Gallica inquinati sunt. Aut *oxysacchari unc. j. syr. nenupharini, violati, ana unc. s. decocti ex endivia, bugloſſo, lupulo s. a. in aqua communi unc. iiij.*

Hic juvenibus præcipuus est. Aut *syr. acetos. simp., ex infusione ros. ana drach. vi. decocti ex nenuphare, cucurbita floribus boraginis, violarum. s. a. in aqua communi unc. iiij.*

Hic & juvenibus & pueris præsertim: Aut *syr. de cichoreo simp., de lupulis de fumo terræ s. ana drach. vi. decocti ex fumo terræ, lupulis, cichoreo. s. in aqua bugloſſi unc. iiij.*

Hic juvenibus, & consistentibus maxime convenit. Aut *oxymellis simp. rhodomel. ana drach. vi. decoct. ex agrimonia sive eupatorio Græcorum, n.eliſſopyllo. bugloſſo s. a. in aqua communi unc. iiij.*

Hic senioribus magis. Aut *florum bugloſſi, boraginis, violarum, ros. rubearum, ana parum. lupulorum m. s. seri caprini unc. viiij. infundantur tota nocte, deinde leviter bulliatur, mox colentur, ex colato Rec. unc. vi.*

Hic etiam omnibus competit.

Qui talia renuunt, possunt horum loco vel ptisanam potare, vel jusculum aliquod, in quo flores dicti cum hordeo cocti sint. atque etiam sive in aurora sive statim ante cibum tum mane tum vesperi, modo tantum cibo aut potui dematur, quantum ex his additur, sed si aliquis humor superet, aut membrum aliquod peculiariter patiatur, syrupi, qui talem humorem aut id membrum respiciant, his admiscendi sunt. hos itaque postquam triduo quatriduove, aut etiam pluribus diebus æger sumpserit, ducenda alvus est purgante medicamento. Hujus causa recurrendum ad ea, quæ paulo superius lenientia proposuimus, hoc addito, si quidem statim ante cibum sumantur, ut tantum cibo dematur, quantum ex his adjicitur.

Æstate quidem optimus est *syr. rosaceus solut. ad unc. v. aut iiij.* ac similiter *violaceus solutivus*, nullo tempore *manna Calabra*, sive jusculo aliquo liquata mox epota, sive sicut est manducata delicatis, non convenit, utputa. *Cape mannæ Calabræ unc. iii. jusculi gallinacei q. s. fiat potio.* Aut *mannæ Calabræ unc. ii.* manducet æger ut diximus.

Sunt quædam alia pro his, qui omnino abhorrent medicamenta, vel *fume foliorum senæ orient. drach. vj. anisi drach. ii. aquæ communis plus minusve lib. iii. Coquantur donec aquæ lib. i. superſit, deinde colentur, leviter exprimendo, mox liquori expresso infunde passularum dulcium nigrarum lib. s. addendo sacchari albi unc. iii. aut unc. i. s. iterumque coquantur, donec adeo densetur liquor, ut fere passulæ solæ superſint. ex quibus capiat æger unc. i. aut unc. i. s.*

Quidam *primo incoquunt polypodii querc. unc. vi deinde folia senæ, & reliqua ut dictum est*, addunt, hunc in modum. Recipe *polypodii quercini diligenter politi unc. vi. aquæ communis plus minusve lib. iii. coquantur s. a. mox adde fol. senæ orient. unc. vi. anisi drach. ii rursum coquantur quoad aquæ l.b. i. plus minusve superſit, deinde passul. nigrarum dulc. lib s. infunde, atque sacchari unc. iii. aut i. s. ac iterum bulliatur quoad liquor fere omnis à passulis absumi videtur. tum ex his sumat infirmus unc s. aut unc. i. &c.*

Aut sumat *electuarii nostri quod Alexandrinum vocamus unc. s. plus minusve* quod habet *polypodii quercini recentis ac mundi unc. iiij. foliorum senæ orient. radicum althææ recent. & diligenter à medullio, hoc est interiori bacillo, mundatarum, abrasaque extrema pellicula tenui ana unc. ii. anisi drach. ii. coquantur s. a. aqua communi vase terreo quod vitro oblitum sit, excepta: deinde exprimantur, liquori expresso adde pulpæ vocati zibibi antea enucleati, & vino Cretico loti; mox per setaceum transmissi lib. s. sacchari albi unc. ij rursum coquantur donec veniant ad cydoniati consistentiam* vel *pulveris fol. senæ orient. drach. ii. pulver. coriandrorum præparat. anisi ana scrup. s. Sacchari dissoluti cum aqua ros. plus minusve unc. i. fiat confectio ut dicunt in rotulis, capiat æger totam.* aut *pulpæ tamarindorum unc. s. foliorum senæ orient. drach. ii. sebesten num. x. florum boraginis, bugloſſi, violarum, fumi terræ, malvæ ana parum. rosarum (ut dicunt) incarnatarum præcipue recentium man. j s. anisi, coriandrorum præparat. ana drach. i. Coquantur s. a. in aqua communi donec his expressis liquor omnis in v. unc. abeat. huic adde syr. ros. sol. unc. i. misce & potui trade.* aut *lapidis lazuli præparat. drach. ii. vel drach. i. s. margarit., terræ sigill., terræ armeniæ ana scrup. s. ligni aloës, cinnamomi, anisi, coriand. præparat. ana g. iii. sacchari dissoluti aqua rosacea quantum satis sit, fiat confectio (ut dicunt) in rotulis*; & totam semel devoret æger. Hanc vero, licet non modo ducat alvum, sed etiam humores tam melancholicos, tum aduſtos & crassos: placuit tamen inicibere, quoniam & facile sumitur, & sine molestia purgat, si recte præparatus sit lapis.

De syr. igitur, deque his, quæ alvum ducere debent; antequam Guajaci decoctum, aut aliquid ex generosis remediis, quæ retulimus, adhibeatur, satis abunde diximus.

FINIS LIBRI TERTII.

# ALEXANDRI TRAJANI PETRONII,

*Philoſophi, ac Medici præclariſſimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## LIBER QUARTUS.

### CAP. I.

*De ligno contra morbum Gallicum eligendo, & de Guajaci deſcriptione, ac viribus.*

Reliquum est imprimis ponere quot modis in usum veniat Guajaci decoctum, deinde inquirere utrum à proprietate (ut dicunt) occulta juvet, an à manifestis quibusdam causis, postea quisnam dictorum modorum re vera magis expeditus sit & quando conducat hoc eodem uti, tandem utrum artis inventum sit, an conjecturæ, an neutrius. Sed interim oportet non ignorare eos, qui negant lignum Guajacum esse lignum sanctum: Guajaci quidem figuram, & speciem describere, ligni vero sancti nequaquam: ita ut quale sit hoc, quod alterum à Guajaco esse volunt, difficile admodum nosse contingat: quum aliqui solum dicant hoc in insula olim borichem apud Indiam occiduam, nunc vero sancti Joannis appellata inveniri: Illud vero tum hic, tum in aliis locis, sed præcipue in insula quæ beata vocatur. Aliqui ex tribus ligni generibus, quæ hactenus ad nos contra morbum Gallicum passim feruntur, primum quod densius, gravius, crassius, interiore parte nigricantius, exteriore subpallida, & veluti lineis quibusdam ad fuscum inclinantibus, ac æque distantibus per longum interfecta Guajacum nominant. Alterum, cujus exterior pars ad albius magis vergit, neque est tam manifestis lineis distincta, interior vero nigrum quidem colorem ostendit, sed minori orbe quam prius, nullo peculiari nomine insigniunt. Tertium, quod tam intrinsecus quam extrinsecus albicantem colorem præ se fert, exilibusque valde

valde lineis ejus distinguitur longitudo, lignum sanctum peculiariter appellant, hoc quoniam odoratius, amarius, atque acrius est, decoctumque ex illo corpulentius ac densius, majore vi pollere quam cætera, & quo senior, ac vetustior fuerit morbus, eo magis convenire, præsertim in juvene, ac natura robusta, secundum ut virtute medium est (acrius enim, atque odoratius quam primum existit, sed minus quam ultimum) ita corporibus delicatis, & in quibus malum inveteratum non est, potissimum conferre. Primum vero cæteris imbecillius, tanquam longe senius, & veluti truncum reliquorum.

Eligendos aliqui censent ramos potius quam truncum, aliqui contra truncum potius quam ramos, illi quidem si mediæ ætatis arbor extiterit: hi vero si valde juveris: lignum vetus distinguunt cortice crasso, rugoso, trunco magno, minore tum amaritudine, tum acrimonia: juvenescens insigniori amaritudine atque acrimonia, gracili trunco, & tenui, levioreque cortice: Utrumque sit, quoniam hæc non facile est apud nos discernere: ex dictis eligendum semper quod magis recens ad nos fuerit invectum: & quia singula plerumque biennium, quadrienniumve ante resecta sunt, quam ad nos vehantur, viresque cum tanto temporis intervallo post resectionem magis amittunt parva, quam magna, & cortice denudata quam corticata, ab re non erit magnum lignum sæpius quam parvum eligere, & cortice obducto magis quam decerpto.

At vero novarum Hispaniarum scriptores sic lignum Guajacum describunt, arbor est paulo minor nuce, magna ejus copia, densæque sylvæ in India Occidua, cortex ejus maculis quibusdam variegatur viridibus plus minusque, ac etiam venetis, hoc est (ut vulgo dicitur) berettinis, folia velut arbuti, sed ut paulo minora ita magis viridia, fructus flavus parvus, ac si lupini duo simul juncti spectarentur, lignum densissimum, robustissimum, & grave admodum, medulla fere nigra solidissima in venetum colorem inclinans, hinc novus Poëta Veronensis:

*Oceano in magno ardenti sub sidere Cancri,*
*Sol ubi se nobis media jam nocte recondit,*
*Hac ignota tenus, tractu jacet insula longo,*
*Hispanam gens inventrix cognomine dixit.*
*Auri terra ferax. Sed longe ditior una*
*Arbore, voce vocant patrii sermonis Hyacum:*
*Ipsa teres, ingensque ingentem vertice ab alto*
*Diffundit semper viridem, semperque comantem*
*Arbuteis Sylvam foliis. Nux parva sed acris*
*Dependet ramis, & plurima frondibus hæret.*
*Materia indomita est, duro & pæne æmula ferro*
*Robora, quæ resinam sudant incensa tenacem*
*Dissectæ color haud simplex: in cortice lauri*
*Exteriore viret levor, pars altera pallet*
*Buxea, at interior nigro suffusca colore est.*
*Juglandemque ebenumque inter, quod si inde ruberet,*
*Jam poterat variis æquare coloribus irim.*
*Hanc gens illa colit, studioque educere multo*
*Nititur, hac late colles, campique patentes,*
*Hac omnis vestitur ager, nec sanctius illis*
*Est quicquam aut potiore usu. quippe omnis in illa*
*Spes jacet hanc contra pestem, quæ cœlitus illic,*
*Perpetua est.*

Hactenus Poëta.

Vires ejus adversus Gallicum morbum præcipuæ sunt, quamquam non desint, qui hecticis febribus, & tabidis, aliisque id genus malis, quam morbo Gallico, expedire prædicent. Sed hecticos tabidosque sanat, qui morbum Gallicum sequuntur, alios vero tantum abest ut juvet, ut mirifice lædat, quemadmodum ex his, quæ deinceps scribentur, facile innotescet: quum enim extenuet, humiditatemque absumat, qui fiet, ut morbis natura siccis, & humidi egenis conveniat. Itaque quum homines per Europam Gallico morbo immaniter afficerentur, hoc auxilio ex Indiis occiduis, unde morbus Gallicus ad nos irrepserat, huc invecto, statim cœperit illius sævitia moderari: atque inde ab eo tempore magna ex parte mitescere perspicuum est lignum Guajacum adversus hunc morbum nobis magnopere opitulari. licet quidam de morbo Gallico scribentes, id ipsum non leviter irrideant, sibique suadeant non Guajacum sanare, sed diætam, quos contra nihil aliud adducendum quam eventum. At vero non omnes quidem, sed eos potissimum curare comperium est, quorum morbus (ut infra dicetur) ad exteriora prorumpit, & cutim exercet; Gummitiones item Gallicas, nisi antiquissimæ, & contumacissimæ sint, crebro resolvere, destillationes compescere, dolores tum capitis, tum aliorum membrorum lenire, ulcera siccare, ad cicatricem deducere, sudorem sæpe movere, stomacho accommodatum esse, sed utrum thoraci, & pulmonibus conferat, nondum satis constat, non raro enim officere visum est. postquam ejus decocto ulcera remota sunt, si adhuc Indies continuetur, summam cutim aridam quandoque reddere, & rursum exulcerare, pruritum intolerabilem nonnunquam excitare, præterea amarum quidem esse, sed non insuave, modice item acre sentiri modiceque calefacere, atque siccare, lentoris cujusdam simul, ac adstrictionis cujusdam particeps esse, odore non injucundum, denique aqua elixatum vires suas illi magna cum hominum utilitate relinquere. Atque hæc de ligni contra morbum Gallicum electione, & Guajaci notis, & viribus dicta sufficiant.

## CAP. II.

### *De ligni contra morbum Gallicum propinandi modis.*

Sane omnes, præter quosdam empiricos, ubi decoctum hujus ligni ministrant, suos ægrotos (ut priori lib. diximus) antea purgant: aliquibus etiam, & fere omnibus, nisi quid vehementer impediat, venam secant, atque dum exhibent, octavo vel decimo quoque die repurgant, simulque tenuem victum præscribunt, omnia vero moderantur, prout ægri temperamentum, habitudo, ætas, morbus, anni tempus, præsens aëris constitutio, regioque postulant, de quibus infra copiosius. Quidam igitur hunc in modum parant, cuilibet ligni hujus limati, aut tenuiter dissecti unciæ pondo simplicis aquæ admiscent utputa. *Sume aquæ communis lib. xii. scobis ex dicto ligno lib. i. vase terreo quod intus vitro delinitum sit 24. horis super cineres calidos diligenter tecta recondi, mox lento igne coque, quo usque quatuor, aut sex aquæ lib. fugerint, prout magis minusve in animo fuerit siccare, calefacere, extenuare. Id ad mensuram hanc decoctum finito in eodem vase probe tectum, donec sponte refrigeretur, deinde colato, ex hoc unc. vj. plus minusve, sed valde calidum mane & vesperi quatuor horis antequam æger comedat bibere dato.* Nunc 14. nunc 20. nunc 30. nunc 40. dies, ut morbus citius tardiusve obedierit.

Æger hoc sumpto in cubili jaceat modice coopertus, ut, quoad fieri potest, sudor provocetur, si sudat, tum una aut altera hora post abstergatur, ac se cubiculo contineat, quoad calidus est: aut flatus aliquis spirat aut frigidus aër infestat.

Deinde quarta hora cibum capiat: hoc observato, ut à prandio ad vespertinam potationem sex horæ ad minimum intercedant, à cœna vero ad matutinam novem decemve: per noctem enim, & in cubili absque ulla exercitatione concoctio cibi sive absolutio longiori tempore indiget, quam interdiu extra cubile, atque cum motu: Intra quinque, aut septem dies primo tertiam, mox dimidiam cibo partem subtrahat, deinde multo tenuius alatur, ubi vero ad finem accedit, tum paulatim augendo alimentum aliquot ante diebus ad solitum revertatur.

Potum die primo, & altero, ne repentina mutatio fiat, solitum bibat.

Postea Recipe *dictum lignum, quod jam primo coctum est, adde communis aquæ lib. xxiii. cognatur leviter quod lib. quatuor plus minusve consumantur.* Id quod secundum decoctum vocant, tum inter cibos in potu sumito, nunc quidem vinum modicum miscendo nunc absque vino, sed illud silentio prætereire non decet, ne fa, sicut multi faciunt, temere sine siti, nimis copiose quis bibat: attollitur enim primo lien, subinde jecur, pulmo quoque frequentiore potu repletur: & obstructio in eisdem ingeneratur. mox postremæ partes intumescunt, hydropsque oritur, quocirca moderatus pro siti, pro potandi consuetudine, sit hujus secundi decocti potus.

Quidam jam vetere existente morbo, quidam etiam novo, *scobi prioris decocti detrahunt unc. iiii. addunt vero in hujus locum corticis ejusdem ligni tantundem*, reliqua similiter exequuntur, simulque volunt in eodem cubiculo, ubi æger degit, dictum decoctum fieri debere, quod vapores, qui de vase prodeunt, aërem multo magis opportunum reddant. Ideoque vasis operculum ita præparandum, ut, quum fervet, apte vapores exhalentur.

Reservandam etiam esse spumam, quæ decoquendo fit, & hac sive pustulas, sive tumores duros illinendos.

Hic modus, quo simplicior, eo commodior atque com-

communior eſt, ut enim decoctum plus minusve bulliendo conſumitur: ita ſanguineis, biliosis, pituitosis, melancholicisque accommodatur, modo ea, quæ dicta ſunt, ſedulo præſtentur. ſed illud ſcire decet, quod ubi aures tantum, aut oculi tantum (ut quibusdam accidit) à Gallico morbo læduntur, præſertim ſi nimius coitus, aut nimia purgatio præceſſerit, cæteris partibus aut parum aut nihil ferme offenſis, ſuſpectus admodum eſt (ut infra quoque dicetur) hujus decocti uſus: quum enim per cutim ſolvat vitioſam materiam evacuare, hanc eandem ad affectam partem ducit, malumque geminat, eoque magis, quo illam imbecilliorem reperit, hinc hi cœci, illi ſurdi penitus evaſerunt: Neque his, qui calorem in lumbis, ac manibus habet, niſi ſudorem moveat, convenit. Alii complura incoquunt, quidam quæ tum purgant, tum alterant: quidam quæ ſolum alterant, ubi enim ad decocti finem deventum eſt, ſubinde colant, mox in id, quod colatum eſt, infundunt. *Senæ unc. iiii. polypodii unc. i. s. florum boraginis, bugloſſi, roſarum, violarum ana unc. s. gingiberis, cinnamomi ana drach. i.*

*Tum s. a. coquunt*, deinde quemadmodum priore utuntur, ſecundum vero decoctum pro potu ex eodem ligno, quod reſtitit & ebullivit, velut ante quoque dictum eſt, faciunt. hoc decoctum ubi alvum ſenſim movet, niſi diſtillatio in thoracem repat, & niſi pectus, aut pulmo patiatur, non parum prodeſt tum doloribus articulorum tollendis, tum pilorum defluvio amovendo, tum his, qui edaces, bibacesque ſunt, atque obeſi: Vel *ſenæ unc. iiii. polypodii unc. ii. roſar rub., florum violarum boraginis, bugloſſi ana unc. s. gingiberis, cinnamomi ana drach. i. turbith, hermodactylorum ana drach. i.*

Id quoque ubi alvum paulatim ducit, idem præſtat, quod proxime dictum: ſed ubi confertim multumque movet, magnopere lædit: Guajacum enim ſecum citius trahit quam vim ſuam poſſit imprimere, neque quod peccat, educit: ſed quod ſanum eſt, liquat. his vero, qui ex pulmonibus, aut pectore laborant, nihil magis pernicioſum: eadem ratio eſt aliorum omnium, quibus potens ineſt purgandi vis. Vel *ſenæ unc. iij. polypodii unc. j. epithymi, thymi ana unc. s. florum violarum, boraginis, bugloſſi, roſarum ana drach. ii, gingiberis, cinnamomi ana ſcrup. i. aniſorum, fœniculi, maſtiches, gummi arabici ana drach. i.*

Id valde plenis atque humidis confert, ſive gummitionibus, ſive articulorum doloribus, ſive puſtulis laborent: ſemper ea habita diſtinctione, ne nimis evacuet. Vel *hellebori nigri, turbith, hermodactyl., ſcammonei, colocynthidis ana unc. i.*

Aliqui hæc eadem cum ligno non aquæ ſed vino infundunt, deinde coquunt, & ſimiliter utuntur. ſed hoc poſtremum abſque ulla præparatione præbent, eſt mos quorundam empiricorum: valenter alvum ducit, nec unquam ſane prodeſt, niſi quum ad extremam extenuationem deducit: quod periculoſiſſimum eſt; ut enim omnem fere putredinem morbi Gallici abſumit, ita ſummum affert vitæ diſcrimen; ſed eo deterius eſt, ſi non cum aqua ſed cum vino valenti coquatur: Id enim calefaciendo vel fovet vel auget morbi Gallici ſeminarium: quam putredinem in omnibus corporis partibus eſſe ſecundo lib. ſtatuimus. Adde quod in Indiis occiduis, ubi morbus Gallicus multo mitior quam hic eſt, nullus eſt vini uſus, ac ſi vinum in Europa, niſi conſuetudinis gratia modice præbeatur, magis exacerbare, quam mitigare morbum hunc poſſit. modus alius eſt videlicet. *Cape ſenæ unc. ij. polypodii, epithymi ana drach. i. myrobalanorum Indorum, lutcorum, chebulorum ana unc. s. agarici, rhabarb. electi ana drach. vj. florum boraginis, bugloſſi, roſarum, violarum ana drach. iii. gingiberis, cinnamomi, caryophyllorum ana drach. i. paſſularum unc. i. Miſce*, & eodem modo cum ligno ſive mero infundantur, ſive utrique ſimul, ſed pari portione, deinde coquantur, & potui dentur.

Aliqui addunt *ſalviam, mentham, libanotim, hyſſopum, & ſimilia:* aliqui, ne hepar nimis caleſcat, *cichoreum, endiviam, bugloſſum, oxalida, & hujusmodi:* eſt id ſatis curioſum, valet nihil minus adverſum dolores articulares, gummitiones, puſtulaſque: ſi cum vino tantum coquatur, eadem ratio eſt quæ proxime dicti. ſi cum aliqua vini portione tantum abeſt ut obſit, ut alimenti familiaris citaque penetrantis ratione per totum corpus promptiſſime feratur, & mirifice juvet.

Apud aliquos alius modus eſt, valet Recipe *ligni Guajaci conciſi (ut dictum eſt) lib. ii. rhab. electi. rad. centaurii drach. i. follicul. ſenæ man. i. ſchœnanthi ſcrup. s. Contuſa hæc omnia cum lib. xx. vini albi odorati, & lib. x. aquæ communis biduum macerentur, inde decocta, quo uſque tertium ex liquore ſuperſit, colentur.* qui liquor ſyrupi loco præbeatur. Dein Recipe *Guajaci lib. i. vini albi mediocris lib. xv.*

*Per diem macerabis ita ut poſtea bulliendo reſtent lib. x. ſubinde infunde aquæ ferventis lib. xv. quæ ſimul cum vino bulliant quo uſque libræ viginti tantum reliquæ ſint, poſt modum colentur, ferventurque in potum prandentis cœnantisque affecti.* Hoc æque atque antedictum profectſorem oſtentat, æquis tamen viribus pollet.

Modus alius olim valde celebratus. Recipe *ligni Guajaci (ut dictum eſt) conciſi lib. i. Aquæ ſimpl. lib. xii. Infundantur una bene tecta per 24. horas, additis carduis vocatis benedictis ſive ſanctis num. iiii. aut v. deinde lento ſimul igne bulliant, inter bulliendum immitte corticis ejuſdem ligni unc. iii. bulliant ſimul omnia quo uſque lib. vi. aquæ ſuperſint: poſtea colentur, in id quod colatum eſt infunde vini albi optimi lib. iiii. dein probe tegito, totamque noctem, aut diem ita manere ſinito: ſequenti die in aurora 4. horas ante prandium, & veſperi quatuor horas ante cœnam unc. vi. plus minusve calidum potato:* ac inter prandendum & cœnandum eodem utitor, prout ſitis magis minusve urgebit.

Sudorem provocare ſolet, & conferre mulieribus, ac viris præſertim humidis, frigidisque. vel Recipe *dicti ligni lib. i Aquæ ſimpl. lib. xii. Simul maneant bene tecta per 24. horas, deinde bulliant quo uſque lib. iiii. ſuperſint, colato, id quod colatum eſt rurſum ſuper lib. i. dicti ligni ultra eam, quæ jam decocta eſt, infunde, quanto calidius, ſimulque vini albi optimi lib. viii. bene tecta repone. vaſe aliquo, aut vitreo, aut quod vitro illitum ſit, quo uſque refrigeretur;* deinde ſimiliter utitor, niſi major eſſet vini copia quam aquæ tuto ſumi poſſet, minus tamen aſſert periculi, quam ubi cum ſolo vino datur, confert valde adultis, & quibus caput non imbecillum, ſed primum eſt. Recipe *dicti ligni lib. s. Aquæ communis, lib. xx. Coquantur quo uſque ſuperſint lib. viii. poſtea refrigerata colentur, colatis adde ſacchari optimi lib. s. mellis deſpumati unc. iii. Iterum bulliant quo uſque pars octava conſumatur,* de reliquo Recipe *unc. v.* cape diebus 40. in aurora, & ſero (ita enim jubent) poſt cœnam: forte quum ſitis adeſt, non obeſt, alioqui ſuſpectum eſt hora ſomni.

Alius modus valde laudatus, convenit vero morbo Gallico jam inveterato, ejus cauſa ſublatam appetentiam, & labefactatas vires excitat, inſtaurat, & vegetat. Recipe *ligni Guajaci recent., corticis ejusdem ana lib. i. aquæ betonicæ, hordei, vini albi optimi, lupulorum ana lib. vi. Infundantur per 24. horas poſt bulliant quo uſque redeant ad libr. xvi.* de hoc mane in aurora, & ſero 4. horas ante cœnam dant *unc. vi. aut vii.* plus minusve, & in potu inter cibos pro bibentis arbitrio, nunc 14. nunc 20. nunc 40. dies, prout malum citius tardiuſve tollitur.

Sed ille multorum illuſtrium virorum experimento probatus eſt, qui habet. *ligni ſancti conciſi, corticis ejusdem ana unc. viiii. aquæ lupulorum, betonicæ, hordei ana lib. iiii. vini albi optimi lib. vj. Infundantur 24. horas: poſtea ſenſim lento igne bulliant, quo uſque ſuperſint lib. xii.* de hoc accipe *unc. viii.* plus minus in aurora calidum, & mane & ſero ſtatim ante cibum diebus 20. aut 30. aut 40. Prodeſt tum morbo Gallico antiquo, tum præcipue doloribus, qui ſine ullo tumore hominem infeſtant, maciequeque conficiunt. *ligni Guajaci lib. i. cortic. ejuſdem lib. s. Aquæ communis lib. xviii. Macerentur s. a. deinde bulliant ad lib. xii.* poſt adde *cardui benedicti, chamædryos, betonicæ, pentaphylli ana man. i. radic. pentaphylli unc. i. Rurſum bulliant, quoad ſuperſint lib. vj. ſimulque miſce vini albi odorati* (præter Malvaticum ſive Creticum, quod Arviſium eſſe quidam volunt, & ita mixtum cito corrumpitur) *lib. iii.* exhibetur mane, & veſperi ſyrupi loco, ſudorem movet, alvum fluentem moderatur, confert tuſſientibus, ſanguinem exſpuentibus, acida ructantibus, cibum non continentibus, dyſentericis, hydropibus, urinæ anguſtiis, articulorum doloribus, potiſſimum vero mulieribus. Modus alius. *Sume ligni Guajaci s. a. limati lib. i. corticis ejuſdem lib. s. aquæ lib. xviii. Macerentur s. a. poſt bulliant lib. xii.* Mox adde *roriſmarini, fœniculi, ſtœchados, betonicæ ana man. i. ſem. aniſi unc. i. Rurſum bulliant, quoad ſuperſint lib. vj. deinde adde vini albi* (ut proxime dictum eſt) *lib. iii.*

Eodem modo ſumitur, quo antecedens decoctum, auxiliatur peculiariter capiti, thoraci, ſenſus inſtrumentis omnibus, & renum & veſicæ vitiis, ſed biliosis periculoſum eſt. Alius modus habet. *Ligni Guajaci lib. i. cortic. ejuſdem lib. s. aquæ lib. xviii. Macerentur s. a. poſtea bulliant ad lib. xii.* mox adjunge. *rad. inulæ campanæ, althææ, ireos ſiccati ana unc. i. capil. veneris, glycyrrhizæ, ſtœchados ana unc. s. Iterum bulliant ad lib. s. tum adde vini albi lib. iii.* ſimiliter (ut ante dictum) accipitur.

Pri-

Privatim prodeſt capitis, & nervorum doloribus, renum calculis, urinæ anguſtiis, cruditates coërcet, inflationes ſubmovet, tuſſim ſedat, denique ſuſpirioſis, ſanguinem excreantibus, Jecorariis, lienoſis, ictericis, dyſentericiſque opitulatur. Qui aliquod ex his tribus nunc dictis decoctis exhibent, potus loco tum in prandio, tum in cœna propinant id, quod habet. *ligni Guajaci lib. iiij. cort. ejuſdem pulverati lib. ii. capil. vener., ceterach, florum cord., foliorum cichor., radicum bugloſſi ana man. i. ſacchari albi lib. iiij. Excipiunt hæc omnia vaſe ligneo, mox ſuperinfundunt vini albi pauciferi lib. cl. triduum bene tecta ſimul macerant, poſtea colant.* Id colatum modo purum, modo commixtum ſecundo decocto ſimplici, quod antea referebamus, pro potu præbent.

Alius modus. Recipe *mellis crudi lib. iiii.. Succi ex herba vocata primo flore, ſive flore cujuſque menſis, à Dioſcoride Scorpiuro lib. i. ligni Guajaci (ut dictum eſt) lib. s. Aquæ communis lib. vj. Infunde ſimul prius lignum, & aquam 24. horas, poſtea bulliant quo uſque ſuperſint lib. iii. mox adde dictum mel, atque ſuccum, unaque aloës lotæ unc. iij. aceti ſcillitici unc. ii. atque iterum bulliant quoad ſubſtantiam inter julep, & ſyr. accipiat. In fine adde cinnamomi optimi unc. ij. finito bene coperta diem, ac noctem ita manere, poſtea hujus liquoris potato unc. iiij.* plus minusve, & mane ac veſperi quatuor horas ante cibum pluribus diebus, prout videbitur, pituitoſis, atque biliosis auxiliatur, modice purgat.

Alius modus, quem nos in plurimis quidem experti ſumus. Sed præcipue tum in Ill. quodam Florentino, qui ad extremum extenuationis devenerat, tum in nobili juvene Peligno, qui ſimiliter ob morbi diuturnitatem extenuatus, ſimul alvi flore nunc flavo, nunc porraceo, nonnunquam nigro, vehementique febre laborabat, neutri propter imbecillitatem ſummam fuit miſſus ſanguis; neutri purgatio ante adhibita; uterque feliciter ſanatus eſt. *Accipitur itaque capo ſive pullus gallinaceus, mox eviſceratur, deinde repletur ſcobe dicti ligni, tum in aqua elixatur, quo uſque ad lib. ii. conſumatur ex hac unc. vi. plus minusve mane & veſperi, tres quatuorve horas ante cibum calidæ ſumuntur,* nunc 30. diebus nunc 40. nunc 60. nunc multo pluribus, modo æger in melius proficere videatur, & ſi placebit ex eodem pullo piſtatum eadem aqua dilutum, ſtatim ante cibum ſorbere utiliſſimum eſt. In hoc ſtatu non victus ratio tenuis, ſed potius quæ renutritoria dicitur, convenit. In optimum auxilium eſt his, qui morbo Gallico affecti ad extremum extenuantur, & ſumme debilibus.

Quidam decoctum laudant, quod ſic ſe habet in modum. Recipe *Guajaci limati lib. iiii. cort. ejuſdem lib. ii. cardui benedicti lib. ſ. s. capil. vener. ſcolopend. Græcorum, florum cord., foliorum ſenæ lib. i. ſacchari albi lib. iiij. Excipe hæc omnia cado aliquo ligneo, in quem funde vini albi optimi mediæ ætatis, quod tamen tunc ferveat, libras* 150.

*Mox diligenter contege, triduoque permittas intacta, deinde per colum linteum diſtilla donec clareſcat, & cado altero adamuſſim clauſo reconde.* Id aliorum menſuram tum mane veſperique 4. horis ante cibum, tum in prandio cœnaque præbent, morbo veterato & in corpore valde admodum provecto confert, ſed quibus caput naturaliter infirmum eſt, non parum officit, ac eo magis damnari poteſt, quod ex vino ſolo ſine aqua conficitur: quidam id non niſi in prandio & cœna ſumendum eſſe volunt, ii vero huic anteponunt quoddam ſuum inventum quod ſic habet. Recipe *prædicta omnia, & in dolium patentis oris confunde, & proportione ſervata uvas calcatas ſimul injice, finito manere, donec bulliant, & vinum clareſcat, id in prandio & cœna pro potu exhibent, mane vero; & ſero 4. horas ante cibum,* hoc videlicet. Recipe *lupulorum, capil. vener., fumi terræ, glycyrrhizæ, centaureæ majoris, polypodii, boraginis ana unc. iiii. ſem. aniſi, florum cord., ſantalorum omnium, cinnamomi ana unc. s. aquæ communis lib. xx. Bulliant ſ. a. donec tertia pars abſumatur, poſtea exprimito, liquori expreſſo, & adhuc ferventi infunde ſol. ſenæ orient. lib. ii. vaſe terreo, quod vitro ſit oblinitum include, ita ut nihil reſpiret, ſimulatque involvas pulvinari aliquo plumeo, quo diutius ſervetur fervens, neque ante 24. horas amplius tangito, poſt manibus totum exprime, ſimulque cola, tum adde infuſionis roſaceæ ſolventis lib. vi. ſacchari lib. viii. rurſum coque, donec pars tertia conſumatur & ſubinde addito rhab. in pulverem craſſum redacti unc. i. poſtea finito bullire quoad julapii craſſitiem acquirat, atque iterum cola, & clarifica, vaſeque ex vitro reconde.* Sed ſi morbus cum multa pituita fuerit, adjunge *turbith albi & gummoſi unc. i.* alioqui non opus eſt. fluvius itaque decocti Recipe *unc. ii. decocti ex Guayaco, quod appellamus ſimplex, atque commune unc. vi. miſce,* capiat æger mane & ſero 4. horis ante cibum. Id niſi alvum nimis duxerit, admitti poteſt: frequens enim & multa per alvum vacuatio no niſinit Guajaci decoctum in corpore manere, quod æque eſt, ac ſi non præbetur.

Aliqui nunc ſcobem dicti ligni aquæ infuſam, nunc ſcobem ipſam ſolam vocato lambichio excipiunt, mox ad ignem diſtillant, ex hoc tum mane, tum veſperi æque ac primum decoctum præbent ac & potus, præcipue illud, quod cum aqua diſtillatur & in prandio & in cœna. Id ſane vires exiguas habet, utpote quod diſtillando eas fere omnes amittat, hoc ſiquis experiatur ſtatim intelliget. Aliqui capiunt. *ligni Guajaci conciſi unc. iii. centaurii, cardui ſancti, dictamni ana parum. vini albi lib. iii.*

*Infundunt per totam noctem, poſtea per horam integram leviter coquunt,* ex hoc in aurora calido *unc. vi.* plus minuſve 20. 30. 40. diebus conferre videtur præbent. Id præcipue ſudorem provocare teſtantur, vini potoribus magis idoneum eſt, quam aliis.

Denique aliqui pueris ſpeciatim præbent quod habet *lib. ligni Guajaci limati ſ. a. unc. iii. aquæ graminis lib. iii. Infundunt macerantque ſ. a. poſt coquunt ad lib. ii. mox addunt ſacchari modicum, Julep. conficiunt, quod ſyr. loco ad unc. ii.* plus minusve propinant. In potu vero exhibent diſtillatitium, quod paratur hunc in modum. *Capiunt Guajaci limati unc. ii. aquæ communis lib. vi. mox balneo (ut vocant) Mariæ deſtillant.*

Porro mixturarum ex Guajaco cum aliis compoſitio varia quidem eſt. neque hujus ullus modus unus, quum ex ſimplicibus alia demantur, alia adjiciantur, iisdemque ſervatis ponderatio mutetur, ita quum facultatum materia non ita multiplex ſit, innumerabilia mixturarum genera ſunt, quæ comprehendi ſi poſſent, tamen eſſet ſupervacuum, quocirca contentus his ero, quas proxime recenſui, nam ſi reliquas ſequi velim, in infinitum abſque ulla fruge fruſtra ibit oratio. Plerique enim mixturas ante parant, atque anticipant prius dicere, quod hoc aut illud præſtent, quam id ipſum experti ſint, & ii in infinitum tendunt, quum contra faciendum eſſet, nimirum mixturam experiri prius quid faciat, deinde illius rationem, vireſque docere, quod minime infinitum eſt, atqui mixturas ex ratione ipſa componere, propterea vituperandum non eſt, licet enim has effingere ad aliquid experiendum, ſed ab his certum aliquid fieri prius aſſerere, quam ita comperiamus, & temerarium, & periculoſum exiſtit, ſæpe enim evenit, ut quis emplaſtrum ad maturandum abſceſſum inſtituat, quod tamen; ubi experitur, eum longe crudiorem reddit & contra, quemadmodum chymiſtæ fere ſemper faciunt, qui dum mixturas pro auro efficiendo ex ſuis rationibus aſtruunt, ubi experiuntur, non aurum quidem, ſed plumbum, aut æs, aut ſtannum, aut quid omnino aliud reperiunt, utinam ii prius noſſent, an ex mixtura quam animo concipiunt, natum aliquando fuiſſet aurum, quod ubi compertum eſſet, tum mixturarum rationem, & vim ſpeculari tentarent non autem mixturarum rationem, quod aurum ex his fieret, aſtruerent, priuſquam aliquando factum eſſe viderent. Profecto ſi hac aggrederentur via, ii nec ſua ſpe fruſtrarentur, nec pauperes evaderent, illi vero nec ægris officerent, nec odio eſſent, nec vilipenderentur.

Hactenus de Guajaci exhibendi modis, omnes autem hi, quia morbus Gallicus ſuapte natura longus eſt, & ſæpius recidit, parum præſiciunt, niſi longo tempore ſerventur, & per intervalla, quum morbus quieſcit, dimittantur, & quum ne revertatur timor eſt, tum reiterentur, ac ita viciſſim iterum atque iterum.

Sed illud præterea oportet non ignorare, ubi mane & veſperi ſerapiorum loco Guajaci decoctum ſumitur, ſive æſtate, ſive hyeme, vere vel autumno, ſemper calidum ſumi debere, quo facilius in ventre præparetur, promptiuſque per univerſum corpus (quum univerſum affectum ſit) feratur: purgare vero vel octavo, vel decimo quoque die (ut multi ſolent) noxium eſſe, quum enim decoctum id, ad exteriora vitioſum humorem transmittat, in contrarium ad interiora medicamentum purgans revellit, ſed aliquo, quod ea, quæ forte in ventriculo & intestinis retinentur, educat, & alvum leniter molliat, per hæc intervalla uti nihil vetat. Id non ſolum decocto Guajaci, ſed ſarzæ parillæ, & radici Chynarum commune eſt.

## CAP. III.

### *Utrum Guajaci decoctum à proprietate occulta vel à manifeſtis cauſis agat.*

Hæc igitur ſatis ſint de modis variis decocti Guajaci, atque de his, quæ præcedere debent, antequam propinetur. Reliquum eſt utrum à proprietate (ut dicunt) occulta, an à manifeſtis cauſis agat, explicare, quod enim non modo partem aliquam corporis, ſed totum quoque ſanet, adeo notum eſt, ut nulla ferme probatione indi-

indigeat. Itaque Guajacum lignum ab occulta proprietate in morbum Gallicum valere, nemo eſt qui hactenus non aſſeveret, ſed quum hæc proprietas ſive natura ſive facultas ſunt, ut nunc penitus ignoretur, ſtudioſi viri officium eſt, an cognoſci poſſit investigare, neque quieſcere, quoad vel aperte cognoſcatur, vel ſi id fieri nequit, certe quoad aliquid inveniatur, quod aliis animum ab hac negligentia ad diligentiam excitet.

Imprimis igitur oportet non ignorare lignum omne, tum Guajacum, tum ſanctum (ut ſupra quoque docuimus) amaritudine quadam præditum eſſe, non vehementi quidem, ſed leni nec injucunda, quæ calorem fere ſecundi gradus (ut dicunt) non excedit, & acrimoniæ non admodum inſigni juncta eſt, deinde gummi cujuſdam particeps eſſe, quod aqua liquatum bullas quamplurimas non ſine lentore quodam emittit; præterea levi quadam aſtringenti qualitate pollere, quæ quum ſentitur, aut guſtatur, nequaquam exaſperat, odore conſtare non ingrato, & liquori commixtum, præſertim aquæ, per univerſum corpus promptiſſime ferri. Qui ergo per hæc qualitates, atque per hos modos à Guajaco morbum Gallicum ſuperari dicet, hic cauſas non ignotas quidem, ſed perſpicuas afferet: At contra quis objiciet, quod adhuc ab occulta qualitate, non autem manifeſta hic agat, quoniam non omnibus, ſed aliquibus confert, multos enim ab eo lædi cognovimus, & puſtulis ante liberatos mox ejus uſu in eaſdem incidiſſe, quod ſi manifeſta eſſet illius actio, eos, qui utuntur, tam ſæpe fruſtaretur. Nec quia amarum, quod potiſſimum in illo æſtimatur, nec item quia gummoſum ſit, ubi morbum Gallicum ſanat, ſanare dicendum, quoniam & Sarza parilla, & Chynarum radix eundem ſanat, neutra tamen amara, neutra evidenter gummoſa eſt: nec quia ad exteriora materiam deducit ſudore copioſius citato, aut frequentiore totius corporis tranſpiratione exiſtente, prodeſſe. Nam unctio ex argento vivo quanquam tollit hunc morbum, hæc tamen tantum abeſt ut per externa potiſſimum purget, ut contra materiam intro pellens per alvum interdum, per palatum, atque os ſæpius evacuet. Denique ſi prodeſt (ut quibuſdam placet) quia vitioſam materiam evacuet, neque refert, quomodocunque evacuet, tum quæcunque evacuant, (quod minime cernitur) in hoc affectu juvarent. Hæc & hujuſmodi ſunt, quæ ſuadent magis ignorari quam ſciri, quamobrem Guajaci decoctum Gallico morbo opituletur, proinde à qualitate quidem occulta id evenire, non autem à manifeſta. Quæ tamen ſi diligentius perpendantur, non arduum erit, tum an hæc recte dicantur, tum an illud ſciri poſſit, intelligere. Nam quod dicitur, non omnibus conferre, non tollit, quin à qualitate manifeſta quibuſdam conferat: pleraque enim ſunt, quæ non omnibus conferunt, quibus tamen conferunt, aperte conferunt: ut venæ ſectio, victus ratio tenuis, aut plena: quod vero multa, quæ neque ſimilis temperaturæ, neque ſimilis facultatis ſunt, luem Gallicam curent, quid prohibet, quominus Guajacum manifeſte curet, ut enim in urbem hac & illa imus via, ita variis ingeniis diſſimilibusque remediis hominem ex ægritudine ad ſanitatem ducimus; quippe illum à tertiana febre nunc vomitus arte factus vindicat, nunc victus ratio tenuis, nunc ſudoris eductio, nunc purgatio, nunc venæ ſectio, quæ tum varia, tum contraria inter ſe eſſe videntur. Demum licet vacuatio purgatio huic morbo conducat, non tamen quæcunque (ut ponitur) utilis eſt, ſed ea quæ ordine quodam & modo quodam, ac numero (ut proxime narrabimus) adhibetur. Ergo quum prædicta nihil cogant, quominus luem Gallicam à manifeſta qualitate Guajacum ſanet: committendum non eſt, ut id quomodo fieri poſſit, ſilentio prætereamus, ac ut recte intelligatur, paulo altius oportet exordiri, & quæ tum primo, tum 2. *lib. de morbi Gallici cauſis* diſputavimus, rurſum repetere.

Eſt itaque in corpore noſtro (ut ante diximus) vitium ex putredine primi alimenti, quod evitari non potuit, id ab ortu naturæ ad uſque vitæ finem ſemper nobiſcum eſt, generationem quidem ſumens ab initio, ſtatim fere ubi fœtus nutriri incipit, perſeverantiam vero atque continuationem juxta alimenti additionem pro ſua portione perpetuo recipit. Nimirum ut alimentum corpori additur, ita in ejus naturam indies adjicitur, tale unumquodque quoniam alit & modo quodam putre eſt, ad extimas partes impetum naturaliter habet, prout naturaliter ea, quæ nutriunt, ſed vitioſa ſunt, ad cutim (ut 2. lib. docuimus) plerumque diſtribuuntur. Ex quo incidit putredinem quandam, quam rubiginis fomiti, qui in ferro eſt, comparamus, univerſo corpori ſemper ineſſe, quæ quum in actu primo eſt, nullum homini negotium faceſſere, quum vero ad ſecundum excitatur, & morbum Gallicum, & alios hujuſmodi morbos afferre, deinde ab his omnibus ſingulas corporis partes putredine manifeſta magis minuſve affici, cum calore ſimul & liquatione ſubſtantiæ univerſæ.

Ex quibus, ut ſatis conſtat, morbum Gallicum ſua natura potiſſimum putrefacere, calorem alienum inducere atque liquare, ita decoctum Guajaci, quamobrem illi auxilietur, non difficulter cognoſci poteſt, ſiquidem amarum, & modice acre, ac lentoris, & aquæ particeps, atque leniter aſtringens eſt. quippe quæcunque amara ſunt (ut experientia novimus) corpus à putredine liberant, abſtergunt enim, repurgant, & meatus aperiunt, atque modicæ acritudini conjuncta, magis penetrant, adde etiam quæ lenta ſunt, (ut infra dicetur) abſtergunt ſimul ac purgant: quæ frigida, calorem alienum retundunt, ac temperant, quæ aſtringunt, liquationi obſiſtunt, ſi deinde una cum his facultatibus per omnes corporis partes diffundantur, omnem in eis putredinem, calorem malum, atque liquationem facile ſuminovebunt. Hæc in Guajaci decocto reperiri, ubi non ex vino, ſed ex ſola aqua conficitur, ſi quis animum advertat, in promptu fatebitur. Quia enim non valde amarum eſt, & odore non ingratum, ab internis partibus nequaquam reſpuitur, neque in alvum abire cogitur quemadmodum id quod inſigniter amarum eſt, neque item ejus lentor (nam exiguus eſt) impedire poteſt, quæ namque valide, non autem tenuiter lenta ſunt, per corpus ferri nequeunt, utpote quæ per ventrem promptius deſcendant; quia etiam moderate acre eſt, & facile admittitur, & prompte in ima penetrat; huc accedit, quod aqua fuſum, refrigerandi facultatem ab illa ſortitur, quippe quæ non ſolum actu, ſed etiam poteſtate contra quam quidam opinentur, refrigerat. Id patet, quoniam calefacta, & facile, & ceu ſuapte natura revertitur frigida: præterea liquidum ex ſolido factum, accedente ſua levi aſtringendi qualitate univerſum corpus undequaque ſubit, & expurgatis partibus, ne rurſum liquentur, robur inducit: & ſi vero aſtrictionis natura eſt, ut meatus occludere præoccupans, vicinamque ſubſtantiam ad ſe contrahens, conſtipansque iis, quæ penetrare valent, impedimento exiſtat: At quæ adeo infirma eſt, ut in hoc decocto (vincitur enim potius quam vincat) tenues ejus particulas prævertere quidem nequit, ſed ubi illæ altius penetraverint, in ipſam jam ſuperficiem agere incipit pro viribus conſtipando, contrahendo, ac condenſando: ex quo ſequitur, ut quæ ingredi meatus anteverterint exigua corpuſcula, intro propellantur, & meatibus præcluſis foras regredi inhibeantur, quo fit, ut levis aſtrictio, qualis in hoc decocto reperitur, & ad penetrandum maxime conferat, & membris, quæ liqueſcunt, quoniam aliquantum ea contrahit, atque conſtipat, ne rurſus diffluant, vim quandam imprimit. Itaque propter ſuam amaritudinem, atque lentorem purgandi facultate pollens: propter moderatam vero acrimoniam, & aquæ mixturam, & ſuam tenuem aſtringendi vim in omnes corporis partes ſubiens, has omnes abſtergere, purgare, temperare, ac roborare, & ab omni putredine calorem, atque liquationem, qualis morbi Gallici eſt, vindicare poteſt, non ab occulta quidem qualitate, ut omnes hactenus arbitrati ſunt, ſed à manifeſta, quemadmodum oſtendere polliciti ſumus, nimirum ab amaritudine, à lentore, à moderata acrimonia, ab aſtringendi vi exigua, & aquæ mixtura. Hac eadem ratione quæcunque modice amara, modiceque acria, & aliquantulum lenta, & odore non ingrata ſunt, & quæ leviter aſtringunt, ex aqua communi decocta mox epota, velut in Guajaco fit, huic morbo interdum æque atque Guajacum profunt; fere ſimile eſt *roriſmarini*, *juniperique decoctum*, quod nuper in uſum venire cœpit. Et qui hac via incedit, multa alia tum ſimplicia tum commixta, fortibus robur detrahendo, debilibus addendo, poterit invenire: quæ non minus quam Guajacum ſive lignum ſanctum huic morbo conducent. Hæc quod Guajacum à manifeſtis cauſis in morbum Gallicum valeat: ſimulque quod ex aqua confectum, utilius ſit, & quia quanto per pauciora ſimplicioraque tanto expeditior eſt curatio: ex tot propoſitis decoctis id, quod ex aqua, & Guajaco tantum ſit, primo eſt eligendum.

## CAP. IV.

### *De occaſione decocti ex Guajaco exhibendi.*

Jam de illius occaſione diſſeramus, ſi ergo morbus Gallicus (velut ante quoque dictum eſt) ita ſe haberet, ut peccans ejus materia maturationem per ſe reciperet, quam deinde aut natura ſponte ſua vacuaret, aut ars naturæ vicem gerens vacuationis ejus defectum ſuppleret. Quemadmodum tertiana exquiſita, variolæ, morbilli, & plerique alii hujuſmodi affectus ſe habere ſolent, non modo vanum, ſed valde noxium eſſet, ſive in morbi principio, ſive in alio ejus tempore, antevertendo materiam vacuare tentare, priuſquam illam natura maturaverit, & ubi maturaverit, priuſquam ſtatum vacuandi tempus, quod natu-

ræ datur, præterierit, nisi forte ad maturationem ex se concitaretur admodum: In hoc enim statu, si ad exitum properaret, nec tamen exiret, quis adeo rudis est, qui ei adminiculum, quo foras educeretur, præbere nollet? Respondebis maturationem exspectandam esse, sed quomodo maturabitur id, quod naturam refugit, irritat, infestat, & sui expulsionem accelerat? nisi enim foras expellatur, intus remanens aut præsentem morbum geminabit, aut alium longe graviorem inducet, ut enim foras exiens morbum aut minuit aut tollit, sic intus existens, adhuc tamen gestiens foras erumpere, & medica ope, qua interdum ad eruptionem eget, non excitum, aut morbum, cui finem exiens imponere poterat, certe producet, aut aliquid omnino malum intus relinquet, si itaque talis esset Gallicus morbus, quale prædicti, non aliis præsidiis quam ope naturæ interdum egeret, neque item ante illius maturationem (siquidem maturaretur) ægris aliquid exhibere conduceret, quod noxiam ejus putredinem vacuaret, nisi forte ad vacuationem illa per se properaret, sed quoniam ab his maxime differt, utpote qui ætate nostra maturationem sponte sua nunquam recipiat, sed sicut ascites, hydrops, cancer, elephantiasis, crudus, id est naturæ cum refugiens magis minusve exitiat, neque ejus maturandi spes aliqua præbeatur: stultum est, & omnino inutile, atque pernicioſum, hunc eundem naturæ relinquere maturandum, & postquam maturaverit, vacuandum, quippe quæ per se nunquam eum hactenus ante maturare, deinde vacuare solita sit: Ergo quum in hoc morbo maturatio sperari non possit, occasio ejus vacuandi atque omnino tollendi non multo postquam incepit (ut plerisque placet) sed in ejus principio, & in reliquo tempore, quandocunque sese nobis offeret, erit: nisi aliqua symptomata supervenientia curationem hanc aut illam, quoniam varie curatur, impediverint: quemadmodum animi defectio, extrema virium imbecillitas, & hujusmodi: his namque existentibus, neque cinnabari suffite, neque hydrargyro corpus inungere licet. sed ad rem nostram revertamur. Quia igitur morbus Gallicus suo quovis tempore vacuari potest, decoctum vero Guajaci eundem evacuet, nunc per veticam, nunc per alvum, nonnunquam per os, crebro per cutem multo aut vapore, aut sudore citato, possitque non ut cinnabaris & hydrargyrus tum in virium imbecillitate, tum in animi defectione (siquidem hæc à Gallica lue gignantur) tuto dari, præsertim ex Jure aliquo (ut ante monuimus) confectum. sensim enim morbi causam summovens, prædicta mala retundit ac superat: ubi morbus hic dudum incepit, & ubi jam progressus est, decocti ex Guajaco exhibendi, quod ad morbum ipsum attinet opportunum tempus erit: Cæterum quia frigida anni constitutio eidem valde adversatur, non enim sinit foras expelli, quod ab hoc præsidio paulatim movetur, si quis in media hyeme inquinetur, non inutile est hunc, si fieri potest, sustinere post hyemem usque ad tepidiorem statum, & in hoc ubi talis fuerit, dictum decoctum exhibere. in aliis vero anni temporibus passim dare: melius tamen est desinente vere, quam incipiente, melius incipiente autumno quam desinente, non malum æstate media, nisi nimium æstum excitet. alioqui tempore hyberno, quamquam arte in domibus paratur calidus aër: ars tamen in hoc statu minus multo quam natura potest, sæpeque evenit, ut ille (dum hi qui eundem calidum servare student alieni aëris ingressum prohibent) in eodem loco diu clausus, minimeque spirans crassescat, ac putrescat. quocirca mirum non est, si interdum in Galliis atque aliis frigidioribus locis Guajaci decoctum aut nihil aut sero admodum juvet, ubi enim frigus adest, quicquid ad cutem virtute sua decoctum pellit, id intus coërcetur, quominus exire queat: quia vero vitiatum est, internas partes corrodit: hinc pustulæ in carne rotundæ, planæ, nigræ, gignuntur, mox ulcera, quæ ad ossa usque penetrant, ac si terebra quis carnem illuc usque perforasset. Quando igitur Guajaci decoctum propinare conveniat, hæc dicta sint; modo illud non prætermiserimus, quod ubi finiti sunt dies, quibus sumi debet, rursum purgare corpus (ut plerique nituntur) curiosum est, & minime necessarium: nisi forte aliquid superfluum in primis vasis, utputa in ventriculo, & intestinis interea cumulatum fuerit.

## CAP. V.

### *Guajaci decoctum an artis inventum sit, aut conjecturæ, aut experientiæ, aut opinionis.*

RESTAT investigare, an id artis inventum sit, an conjecturæ, an neutrius, hoc est an experientiæ, aut opinionis: hæc namque multum inter se differunt. Ars enim soli sensui innititur, quippe quæ illud solum ex his quæ sunt, admittit, cui ratio secundum sensum inventa, statim acquiescit. At experientia ejus est, quod revera quidem, & non adumbratim, nec ficte invenitur: adhuc tamen, quomodo ita sit aut fiat, ignoratur: sed opinio rei dubiæ semper est, ratione citra sensum assi mata aut negatæ. Conjectura vero similitudo esse videtur ejus, quod ab opinione, aut experientia, aut arte nascitur, quæ in futurum contingens nos dirigit: experientiæ exemplum est: à magnete ferrum attrahi: re namque vera trahitur, sed quomodo trahatur adhuc nescitur. Artis vero: qui purgationis egeni non sitiunt, ii, quum purgantur, non quiescunt, priusquam sitiant: id enim verum esse jam compertum est, & ratio secundum sensum illi adstipulatur, sed opinionis specimen est: cum calido hepate frigidum ventriculum plerumque esse: id namque dubium est, & ratione absque sensu tale esse censetur: Conjecturæ, quæ artem imitatur, exemplum est, valde calefactis, etsi nondum febricitant, victum humidum conferre: hoc enim à similitudine ejus, quod ex arte dicitur, febricitantibus omnibus victum humidum conferre, accipitur; conjecturæ, quæ experientiam: à succino, antequam tamen expertum sit, sed similitudine ejus, quod in magnete visum est, ferrum attrahi: Conjecturæ, quæ ab opinione sumitur est, posito eo, quod dicunt calidum hepar, frigidus ventriculus sequitur, deinde asserere pulmones calidos cum frigido corde esse: illud ab experimento, quod verum est, hoc à ratione, quæ titubat, sumitur. Neque aliquid prohibet, quominus idem nunc conjectura, nunc opinio vocetur, mutato videlicet respectu: opinio igitur ignorantiam, ars scientiam affert, opinio errorem, ars certitudinem, experientia sæpius quidem certitudinem, quam errorem, sed conjectura, quia rem futuram atque contingentem respicit, nunquam sine ambiguitate, nunquam sine fallaciæ suspicione est, sive ab arte, sive ab experientia, sive ab opinione nascatur: minus tamen fallax, quæ ab arte, quam quæ à pura experientia oritur; minus ea, quæ ab hac, quam quæ ab opinione: hæc enim omnium maxime fallax. Ex his patet, quantopere differant, ars, experientia, opinio, conjectura, sed hæc obiter, ad rem nostram revertamur. videtur enim omne artis inventum his tribus egere, nimirum occasione ad illud cognoscendum aut habendum prompta, experimento, quod, ubi fit, non fictum, non incertum, sed verum certumque sit; & experiendi modo, qui non difficilis, intricatus dubiusque sit, sed facilis, expeditus, securus; quis enim in artem ascribet id, quod celerius fugit, quam à nobis cognosci, aut haberi possit? quemadmodum systole in pulsibus: quis enim hanc vere sentit? quemadmodum etiam subitam sideration em, ac exsolutionem interea prohibere, dum repente fiunt: citius enim quam spatium & tempus detur, quo illis occurratur, factæ sunt: quis item alchymistarum experimenta pro auro efficiendo artis esse contendat? quæ nunquam vera, sed adumbrata sunt: nullo enim modo aurum unquam reddunt: quis præterea purgandi modum ex *rhabarbaro*, *agarico*, *scammoneo*, & aliis tam simplicibus, quam compositis purgatoriis in artem referat? quanquam enim *rhabarbarum* apud aliquem, & quantum & quale oportet, forte semper purgat, atque in experiendo non vanum, non fictum, sed verum apud eundem perpetuo reperitur, occasionemque sui experiundi promptam nobis præbet: quia tamen experiundi modus nondum sensui patet, nondum securus est, sed adhuc obscurus, periculosus, difficilis, non artis inventum est, quod bilem purget: sed aut nudæ experientiæ, aut conjecturæ quæ ab hac proficiscitur: quum apud alios interdum non purget, interdum pluſquam oportet, interdum non, quale opus est, purget. Quum itaque omne artis inventum oporteat ut prompte commodeque inveniatur, ut verum ac certum, & non fictum, atque incertum sit, & facile, tutoque, & absque periculo fieri possit: tale vero in morbum Gallicum sit Guajaci decoctum; id profecto si singula perpendamus, artis erit inventum, & non experientiæ nudæ, neque opinionis, neque conjecturæ. Ut enim toties in superioribus divimus, Gallica lues affectio putris est in singulis corporis partibus, quæ tametsi nunc internas, nunc externas, nunc utrasque male afficit, magis tamen in externas proclivis est, & ad cutim sua sponte potissimum fertur. simplex vero Guajaci decoctum (ut proxime disputavimus) morbum hunc re vera sanat. Sanat autem quoniam liquida substantia fusum & per omnia means, ea quæ liquescunt in corpore sua tenui astringente facultate compescit; sanat item, quoniam sua levi amaritudine, levioreque lentore, omnem ejus putredinem tolli, atque hanc secundum ejusdem naturam ac morem per cutim evacuat: Inventum igitur artis erit, morbum Gallicum à Guajaci decocto sanari. ubi illud simplex (ut admonuimus) fuerit: nec vero ad cutim feratur, nulla intus parte peculiariter læsa manente; Quippe occasionem sui experiundi promptam nobis præbet, & ubi quis experitur, ita se habere manifeste cognoscitur, & apud aliquos, qui eo utuntur, semper tale esse reperitur, atque modus, quo id fieri statuitur, facilis, non adumbra-

bratus, neque periculosus existit, adeo ut si quis illo recte utatur, nunquam in posterum errare queat. Id quod ipsius artis est. Cæterum ad cutim repere morbum hunc ostendit, si pilorum defluvium, si maculæ, si pustulæ, si pruritus, si ulcera circa cutim oriantur: intus vero nullam relinqui partem peculiariter læsam, si nullus tumor, nullus dolor, nullum ulcus intra corpus percipiatur, si expulsiones omnes tum naturales, tum consuetæ, pro ægri natura, & consuetudine semper fluxiles sint, denique si ægri corpus bene permeabile, ac transpirabile sit: decoctum vero recte & opportune administrari, si neque loci, neque aëris frigiditas refrigeret, sed contra calor utriusque in partem trahat extrinsecam. Sed deinde aut caro in tumorem attollatur, aut sudor multus sponte sua citetur (non adjunctis (ut solent) Codicibus, neque circumfuso aëre intensius calefacto) si ea, quæ ante infestabant, paulatim remittantur, aut summoveantur: æger vero sensim ad suam naturam revertatur: sed contra importune tunc dari, si intra 7. aut XI. dies neque caro tumescat, neque sudetur, neque æger in melius proficere videatur. Hactenus utrum artis inventum sit, quod Guajaci decoctum luem Gallicam curet: Sed interim prætereundum non est, ægrotis non parum prodesse posse, si vasa ex Guajaco, velut ex tamarisco ad lienosos, effingantur, quibus & fercula & potiones accipiant, si pulvis ex eodem, quæ aromatum salisve loco utantur, vel in vocatæ trazeiæ locum addito saccharo fiat. Si vinum aliquod ex eodem ligno factitium quotidie æque atque simplex potent. hæc tria vero ex rationis similitudine proponi, nondum tamen artis, aut experientiæ inventa esse, sed conjecturæ, aut forsan opinionis huc usque: Quidam laudant *Guajaci flores saccharo conditos*, utpote qui, ultra alias commoditates, alvum quoque modice ducunt, alii *germina tenerrima saccharo similiter condita*, alii *syrupum ex foliorum ejus succo*, alii *radicem*: neque desunt, qui quotidie novas mixturas, novosque modos ex eodem constituant, adeo cupidus est novarum rerum humanus animus. Vinum paratur in hunc modum. Recipe *ligni limati lib. iiii. corticis ejusdem lib. ii. cardui benedicti (dicunt aliqui herbam turcam) lib. i. s. capil. veneris, scolopend. Græcorum, florum cordial. fol. senæ orient. ana lib. i. sacchari albi lib. iiii. Excipe vase ligneo amplo, mox vini albi optimi, quod tamen ferveat, infunde lib. 150. subinde sedulo claude. sine triduo ita manere, postea colo laneo, quoad probe clarescat, transfunde, tum altero vase diligenter claude.*

Aut Recipe *dicta omnia, mox adde uvarum albarum quantum satis est ad vini albi dari lib. 150. tum simul misce: mox tina aliqua conde, quoad vinum clarescat, quod ubi factum est, excipiatur altero vase diligenter obturato:* Utrumvis, ubi Guajaci decoctum primum datur, pro secundo præbetur: sed quotidie, donec ægritudo durat, eodem uti, quia nimis medicamentosum est, periculo non caret. Ideo tutius est hoc modo conficere. *Accipe ligni Guajaci limati lib. xii. corticis ejusdem lib. vi. uvarum albarum quantum in lib. 432. vini optimi clari liquetur, misce simul: tina aliqua excipe, quoad clarescat, postea dolio aliquo reconde, servataque proportione auge minuove, ac pro ægrorum natura modo corticem deme, modo vinum adde, modo subtrahe.* Id & ubi suspicio Gallicæ labis est, & ubi jam manifeste labefecit, per omne tempus consueti vini loco potari potest. Hactenus de ligni sancti, sive Guajaci notis viribus, modis, & usu.

## CAP. VI.

### *Quomodo nutriendi sint, qui decoctum Guajaci sumunt.*

Jam qua victus ratione uti deceat, quando potatur, explicandum: quia vero ipsa victus ratio non solum cibo & potu perficitur, sed somno, vigilia, motu, quiete, atque animi affectionibus, & aëre ipso, hæc omnia singulatim modo percurremus: sive igitur hoc aut illo Guajaci exhibendi modo quis utatur, victus ratione extenuante, nisi imbecillitas aliqua impediat, semper opus est, hæc enim (ut 2 lib. docuimus) Gallici morbi putredinem prohibet. Itaque nutriendi causa quidam tum in prandio, tum in cœna, præbent panis albi valde cocti *unc. iii.* carnis ex gallina, aut gallinaceo, aut capone, aut perdice, aut turdo, & hujusmodi assæ potius quam elixæ, tantundem, uvæ passæ *unc. ii.* Aliqui panis biscocti *unc. iii. aut iiii.* uvæ passæ *unc. ii.* Amygdalarum tostarum *unc. i.*

Porro unciarum numero neque cibum, neque potum metiri convenit quemadmodum neque vice una, aut altera; Refert enim qualis morbus sit, quale cœlum, quæ regio, quæ ætas, quod anni tempus, quæ consuetudo; In morbo, qui plus virium aufert, si nihil aliud impediat, plus alimenti, quod facile feratur per corpus, plus inquam potus, sorbitionisve dari debet. Itemque eo cœlo, quod magis digerit, quam eo quod minus; plus etiam in regione, hoc est in loco riguo, ubi fluida nutrimenta sunt, quam in loco inaquoso, ubi firma; quippe ptisana ex hordeo leviore plusquam ea quæ ex graviore præbenda est; plus etiam potus aut sorbitionis puero, servata proportione, quam juveni, ætate quam hyeme: ei, qui multum potare, sorbereve consuevit, quam ei, qui non consuevit; Contra vero edaci plus cibi, hoc est, solidi firmique nutrimenti, quam potori, plus item ex locis riguis accepti quam ex inaquosis: plus quoque cibi hyeme quam æstate, plus juveni quam puero. sed tum cibum, tum potum, sorbitionemve sæpius offerre, expedit eo morbo, qui plus virium aufert, quam eo qui minus: sæpius eo cœlo, quod magis digerit, quam eo quod minus; sæplus in regione, ubi alimenta fluida, quam in sicca, ubi firma sunt: sæpius etiam puero, quam juveni: sæpius æstate quam hyeme; sæpius ei, qui frequentius esse potareve solet, quam ei qui non solet.

## CAP. VII.

### *De pane biscocto diprithen vocant.*

Biscoctum vero panem perpetuo præbere suspectum est. Is enim tum astringit, tum siccat, atque eo pejor est, quo difficilius, quam mediocris concoquitur: quocirca & his, qui alvo astricta sunt, & qui à sua natura nimis sicci, & qui imbecillo ventriculo, & qui sedentariam vitam agunt, noxius est: quod astringat, Celsus est autor, qui *lib. ii. cap.* 29. astringit, (inquit) panis ex siligine vel simila magis si sine fermento est, magis etiam si ustus est, intenditurque vis ejus etiam si bis coquitur; quod siccet, & Hippocrates & Galenus suadent: Hippocrates quidem *lib. de internis affectibus*, Hydropi enim præbet, unde facile conjectari licet, cæteris aliis ficciorem esse: Galen. vero *quinto de simp. cap.* 9. quum de pane loquens inquit, sed is modice coctus sit oportet, nam qui plurimum coctus est, quodammodo siccior est; quo enim magis ab igne exuritur, ut 2. *de diæta* etiam Hipp. innuit, eo siccior est: quod vero magis ægre coquatur, illinc constare potest, quod idem ex pari mole ponderosior, atque gravior est, sed ut his, quos diximus, obest, ita illis, qui hac lue affecti, se multum exercent, & ventriculo humido, robustove sunt, & qui huic quoque consueverunt, non parum prodest.

## CAP. VIII.

### *De carne assa.*

Eadem ratio est assæ carnis: siccat enim magis quam elixa. Hinc Galen. *tertio de alimentis cap.* 2. quæ assantes (inquit) aut in sartagine frigentes mandunt, ea corpori siccius dant alimentum, quæ vero in aqua præcoquunt, humidius, ac XI. *de simp.* in principio: inter eas carnes, quæ salitæ non sunt, siccior est, quæ assa est, quam quæ in aqua elixa. Quis statim objiciet ab Arist. *meteor.* 4 tosta elixa humidiorem censeri, sed quum tosta intus humidior, foris siccior hoc eodem authore fit, contra vero elixa nimirum intus siccior foris humidior, majorque fit (ut experientia nobis ostendit) hujus externa humiditas, quam illius interna: hinc fit ut multo magis siccet tosta caro quam elixa. Aristot. *metcorum* 4. de elixis verba sunt ἐμπρόσθεν τὰ ἑφθὰ τῶν ἐντὸς, id est, *siciora elixa quam assa.* De assis vero τὰ ἐκτὸς ἐμπρόσθεν τῶν ἐντὸς, τὰ δὲ ἑφθὰ τοὐναντίον. quod est, *foris siciora quam intus, elixa vero contra.* Itaque assa caro magis, quam elixa siccat. Simulque si quis id attendat, calefacit, atque alvum astringit: humiditas enim atque pinguedo, ut 2. *de diæta.* inquit Hip. per ignem aufertur: quo fit, ut quum in ventrem inciderit, humiditatem ex ventre trahat, & oscula venarum concludat, siccetque, ac calefaciat: quare transitus humiditatis sistit: subinde difficilius coquitur, & propter acrimoniam, quam ab igne acquirit, aridam choleram (ut Hipp. & Galen. *acut.* 4. innuunt) gignit, & ulcera, si qua sunt in ore, aut faucibus, irritat. putredinem auget: his qui sicco ventriculo, habituque sicco, & non assueti, ac otiosi sunt, valde nocet. Confert his, quorum ventriculus humidus, alvus humida, corpusque humidum est: atque his, qui tali cibo uti consueverunt; plurimumque exercentur. In universum vero si carnem aut propter necessitatem, aut propter consuetudinem (abstinere enim (ut ante diximus) magis expedit) sumere oportet. tutior est elixæ quam assæ usus. Nihil vero differt hœdi sit aut vituli, aut vervecis, aut gallinæ, aut capi, aut phasiani, & hujusmodi: modo, quæ solita est, eligatur, præsertim si magis jucunda fuerit; sed negligendus non est, qui cothurnices prohibet, utpote quibus ex veneno sumitur cibus, neque is qui palumbes, neque item, qui animal Indiæ occiduæ ibi Ivana vocatur,

catur, quoniam (ut novarum Hiſpaniarum ſcriptores perhibent) eiſ, qui morbo Gallico affecti jam diu liberati ſunt, ſi illud comederint, eundem renovat.

## CAP. IX.

*Quod morbo Gallico affecti ſale omnino abſtinere debeant.*

Cæterum in hac re ſalubrior erit, ſi primum ea, quæ putredinem movere poſſunt, prohibeantur, ſi ea quæ conſueta quidem ſunt, ſed huic morbo reſiſtunt, adminiſtrentur: Si ſal quoque (ut multi jubent) omnino præcludatur: licet enim is, omnem fere humiditatem ſiccando, putredinem à quibuſdam corporibus arcere ſoleat: ubi tamen intro ſumitur ab his, quæ humida eſſe oportet, cujuſmodi ſunt animalia omnia: tantum abeſt, ut hujuſmodi putredinem tollat, ut eam multo magis foveat: aut enim humiditatem omnem abſumit, aut modicam: ſi omnem, vivere animal non poteſt: ſi modicam, calefaciendo, liquando ſimul & adſtringendo, quia humorem retinet, tum novam putredinem creat, tum mordendo latentem irritat: ut experientia in his, qui ſcabie laborant, paſſim oſtendit.

Ut autem ſale abſtinere conducit, ita ſalitis omnibus ſive carnibus, ſive piſcibus, etſi enim ſalſamenta (ut 2. *de diæta* docet Hip.) ſiccant, & attenuant, pleraque etiam alvum leviter movent: ſale tamen valde affecta, ſalis vires exerceant oportet. atque hæc de ſale ſalitisque.

Sed committendum non eſt, quo minus hic ſale utatur, qui ſale ſemper uti conſuevit, modo parcius atque frugalius, quam alias, alimentis illud admiſceat.

## CAP. X.

*Abſtinendum etiam acribus, & oleribus, & lacte, caſeo, leguminibus, piſcibus, fructibus.*

Nec minus acria fugienda, quam quæ ſalita ſunt, nam & ipſa quoque pungunt, mordent, calefaciunt, & fluorem in affectis partibus conciliant. Exempto eſt, *porrum*, *cæpe*, *allium*, *vinum vetuſtiſſimum*, *piper*, *gingiber*, *ſinapi*, & *hujuſmodi*. Sic etiam olera, quibuſcunque paſſim utimur, vitare oportet, alia quidem, quoniam acria ſunt, alia vero quoniam nimis aut ſiſtunt alvum, aut prave nutriunt, aut quia ſi multa ſumantur, nimis replent, nec ſinunt Guajaci decoctum ferri per corpus: Sin exigua: nihil fere nutriunt, ideoque imbecillum corpus reddunt, ut ſufficere curationi non poſſit. Sed cichoracea, & quædam hujuſmodi primum elixa, mox ſale, oleo, aceto, quemadmodum apud nos in uſu eſt, condita, per quam modice & perraro capere non admodum lædit. Fugiendum quoque lac, caſeus, & quæ ex lacte conficiuntur, illud enim in putredinem, quam reperit, facile vertitur, & quibus caput dolet (ut *aph* 5. docet Hipp.) inimicum eſt, qui vero hac lue laborant, & capite ſæpius dolent, & cum putredine fere ſemper luctantur. Hic vero cruditatem parit, concoctionique reſiſtit, atque his, qui ſe potu impleverunt, quales eſſe oportet, qui Guajaci decoctum potant, non alius cibus (ut etiam Hipp. *acut.* 4 commonet) nocentior eſt. Neque nos turbet, quod Avic. 3. 4. *in elephantiaſi*, quam lepram vocat, fævæ putredinis morbo, lac præbendum ſuadeat, aut enim à malo Dioſcoridis interprete id forſan accepit, quod namque interpres lacti, hoc author ſero attribuit: aut aliam indicationem, quam eam, quæ à putredine ſumitur (ut nos aliquando declaravimus) ſecutus eſt.

Cavere quin etiam legumina omnia expedit, omnia enim præter id, quod ſingula ſuum habent vitium, flatuoſa ſunt: quocirca dolores, qui cum tenſione morbum Gallicum comitantur, augent; vitioſe nutriunt, & imbecillum corpus reddunt.

Sed ova, tum quia flatuoſa ſunt, ex parva enim mole (ut 2. *de diæta* inquit Hippoc.) in multam diffunduntur, tum quia ad coitum, qui in hoc morbo magnopere lædit, hominem irritant, prohibenda eſſe videntur; re autem vera, niſi vehemens ſitis adſit, neque magna in ventriculo, & vicinis ei partibus putredo, non temere dari poſſunt, alunt enim (ut 2. *de diæta* monet Hipp) & robuſtum quid habent, illud quidem, quia pullorum ſunt lac, hoc vero quia animalium ſunt generationes.

At piſces, nemo fere eſt, qui in hoc morbo non damnet, neque id immerito, ſiquidem (ut multis placet) cito in putredinem incidunt, ſiquidem etiam quoniam vel exſangues, vel exigui ſanguinis ſunt, ac frigidi, humidique pituitæ gignendæ magnam præbent occaſionem: illud univerſum morbum fovet: hoc diſtillationes, gummitiones, articulorum dolores, qui eundem plerumque ſequuntur, auget.

Sic etiam fructus omnes vitandi: horarii quidem, quod in promptu putreſcant, & multum & vitioſum humidum ſuggerant. Reliqui vero, quod una cum his eo fiunt deteriores quo magis comedere non appetentibus ſuadent, præſertim in hoc morbo, in quo potiſſimum abſtinere conducit quum vero cutis oculique ab hoc morbo facile lædantur, ficus ipſas præſertim ſiccas peculiariter fugere oportet. hæ enim cutim facile inficiunt, oculisque mirum in modum obſunt. pediculos namque atque ſuffuſiones accerſunt. ſed ſi appetitus omnino deſit, nihil prohibet tum fructum aliquem, præcipue vero coctum, tum piſcem ſive ſalitum, ſive aſſum, ſive fructum ægrotantis gratia, ſemel biſve, modice tamen offerre.

## CAP. XI.

*De potu in prandio & cœna, dum Guajaci decoctum ſumitur.*

Hactenus de cibo: de potu autem non aliter dicendum, quam quod antea dictum eſt, illud ſolum memoraverimus, magis opportunum eſſe uti ſolo decocto quam vino; ſi tamen id quoque potandum eſt, utilius eſſe album, ubi id frequens eſt, quam nigrum, & ubi nigrum duntaxat eſt, quod à nigro magis recedit: & omnino ſive album, ſive nigrum, quod magis conſuetum eſt. Sed id utilius, quod à ſexto menſe ad integrum uſque annum, quod mediæ ætatis apud nos nunc eſſe videtur, quam valde vetuſtum: utilius quod minus, quam magis odorum, quod pauciferum quam vinoſum, ſubſtantiæ neque nimis craſſæ, neque admodum tenuis, nam valde tenue, etſi leve eſt, caput tamen, quod in hoc morbo fere nunquam non lædit, plerumque tentat; quod non dulce ſit, non acidum, non auſterum, ſed inter hæc medium. Interea ſilentio prætereundum non eſt, quod aliqui & eſculenta, & poculenta omnia cum Guajaci decocto miſcent, panem cum hoc efficiunt, carnes elixant, fercula conſtruunt, ſubinde ægrotis præbent: hæc enim niſi admodum injucunda fuerint, quiſque utiliter ſumere poteſt.

## CAP. XII.

*Summa quædam de victus ratione ad eos qui Guajaco utuntur.*

In univerſum vero quod ad cibum attinet, parce comedere quam maxime confert, modo talia, quæ communi uſu paſſim habentur, & quæ proxime non prohibuimus, comedantur. ſed ne repentina mutatio fiat, primis diebus ad quartum uſque expedit quartam partem cibo ſubtrahere, inde ab hoc ad ſeptimum, tertiam: à 7. ad 14. dimidiam, atque ita perſeverare, quoad æger poterit ſufferre: ſin minus, tunc ſenſim addere primo quartam, poſtea tertiam, poſtremo dimidiam: Potum vero ſolitum primo die ſtatim mutare nonnunquam inutile: ſæpe tamen noxium eſt: ſed conducit ei tantum demere, quantum ex primo decocto, tum mane, tum veſperi ſorbetur, deinde ſenſim altero die mane ſemel ſecundum decoctum bibere, veſpere ſolitum, tertio autem, quoniam repentina mutatio non æque in potu, ac in cibo timenda eſt (ille enim facile, hic difficile ſuperatur) ad ſecundum in totum tranſire, atque id abſque vino melius quidem, ſed ſi cum vino; tantum hujus ad ſummum miſcendum, quantum ſecundi vires non excedat. quum vero cibi parſimonia diligenter ſervanda nunc ſit, vanum eſt quærere, utrum cœna quam prandium in hoc morbo uberior eſſe debeat, niſi quis mane magis quam veſperi aut contra, comedere conſuetus ſit: ubi enim frugaliter vivitur, ſubtracta videlicet tertia vel dimidia conſueti cibi parte: quid differt magis ne prandeatur, quam cœnetur aut ne tantum mane, quantum veſperi ſumatur? exiguus enim utrovis tempore cibus, ſi neque labor, neque dolor ſequitur, nihil eſt, quod impediat, quo minus facile coquatur, quia tamen nox ipſa cœnam ſequens morbum hunc ſæpe exacerbat, in hoc ſtatu ſæpius cœnandum parcius, quam prandendum.

## CAP. XIII.

*De ſomno, vigiliaque, ac de inanitione, ac expletione.*

Quod ad ſomnum attinet, nihil aliud obſtiterit, noctu dormiendum, interdiu vigilandum, ſed ſi homo à prandio dormire conſueverit, conſuetudo ſervanda eſt; poto ſyrupo ſi ſomnus acceſſerit, mane quidem dormire finendus eſt, veſpere autem minime, niſi forte ſudet. Interea igitur dum id decoctum ſumitur, erga cibum, potum, ſomnum, vigiliam (ita ut diximus) ſe ipſum præſtare oportet, quoad vero corporis purgationem, quidam 7

aut

aut x. quoque ex antedictis purgatoriis, prout eis magis opportunum videtur, exhibent. Nos vero, si alvus attricta sit, aut si parum reddat, nihil magis hactenus opportunum esse cognovimus, quam clysterem singulis diebus mane aut vespere paulo ante cibum, hyeme quidem *ex communi oleo*, æstate vero *ex violaceo, aut rosaceo ad integram usque libram*, huic ratio quoque consentit. Intestina enim stercore vacuantur, quod ubi redundat, pituitres ejus vapores plus, quam par est, à decocto Guajaci, cujus natura est ad cutim ire, ad cutim trahuntur, morbumque geminant, si clyster renuitur, non oberit *aloes vel communiter, vel alio quovis modo lotæ scrup. i.* statim ante prandium sumere, utque cito liquescat aliquid primi aut secundi decocti super potare; aut si æger tum clysterem, tum catapotia abhorreat, nihil obstat eligere aliquid ex his, quæ inter alvum moventia supra retulimus præcipue vero *pastulas dulces conditas aut electuarium Alexandrinum*, quod ante descriptimus. Quidam *ligni Guajaci pulverem* per id tempus maxime omnium commendant & hunc in modum parant, *accipe Guajaci diligenter limati ac triti drach. j. s. plus minusve, decocti ex anisi unc. iiii. hæc simul miscent*, subinde calida propinant quatuor aut quinque horis ante prandium nunc alternis, nunc singulis diebus prout opus alvum leviter ducere, eo die, quo porrigunt Guajaci decoctum, mane intermitti jubent, sed utrum id possit, quod dicunt, aut non, quia periculosum non est, cuilibet experiri licet.

## CAP. XIV.

### *De mótu, & quiete.*

Cum exiguo quidem cibo non exercendum, sed quiescendum magis, non enim solum mala victus ratio est, ubi quis multum comedit & parum exercetur, sed etiam ubi multum exercetur, & parum comedit. At si quis exerceri maluerit, multa enim exercitatio (ut ante diximus) huic morbo non leviter prodest: is aucto prius cibo exerceatur quanto maxime licebit. Idque ante cibum hora una aut altera, post autem hora 6. vel 7. Terminus sit, quoad carnes tumefactæ vel sudant, vel parum absunt, quin concidant, tum vero deinceps iterum atque iterum exercendum, si homo post exercitium non lædi, sed aliquanto levius se habere, alacrioremque fieri senserit.

## CAP. XV.

### *De animi accidentibus.*

Quum semper ægros securos agere conveniat, ut corpore tantum, non etiam animo laborent, si qua sunt, quæ ubi nunciantur exasperatura eorum animos sunt, optimum est eadem ægrotantium notitiæ subtrahere, si id fieri non potest, sustinere tum post cibum usque ad somni tempus, & quum experrecti sunt, tunc exponere, si qua vero corpus afficiunt, simulatque animum turbant, quemadmodum venti, æstus, inediæ, satietates, vacuationes, expletiones, providere oportet; quoad ejus fieri potest, ne contingant: sin evitari nequeunt, moderari, ne nimium aucta nimium lædant Itaque quum flatus infensi sunt, expedit se in cubiculo continere, quum æstus vexat, locum refrigerare, aërem sæpe mutare, ubi fames urget, esse, ubi expletio, vacuare, ubi vacuatio, modice replere, ubi satietas, cibum differre, aut jusculum aliquod tantum sumere, ubi pigritia, excitari, negotiari, huc & illuc agi, ubi ira, quiescere, ttatim quidem sed partem comedere ac bibere: somnum conciliare ubi metus aut tristitia, vinum liberaliter potare, sæpius plenum quam vacuum esse; quandoque uti coitu, modo hunc neque labor, neque langnor sequatur, & quamquam curæ omnes exsiccant, atque hic morbus siccari postulat, quia tamen illæ humiditatem caloris innati pabulum absumunt, quippe quæ non alienam humiditatem; sed propriam exsiccant: non solum inutiles huic morbo sunt, sed ultra modum noxiæ: naturam enim à corpore, ad animum evocant, trahuntque: neque sinunt eam corporis instaurationi interesse.

## CAP. XVI.

### *De aëre.*

Aër (ut ante docuimus) non frigidus, sed calidus eligendus est, qualis apud Indos habetur, unde primum hic morbus ad nos irreptit, ut sicut calidi cœli clementia, aut verius convenientia, mitior exitit, ita hic quoque reddatur: cui accedit, quod sponte sua (ut etiam declaravimus) ad cutim fertur, quantum vero frigidus aër intro contra naturam pellit, tantum calidus secundum naturam extra trahet, est vero aër ipse corpus nostrum perpetuo ambiens, ac semper attrahitur, ubi tamen assidue mutatur, & exspiratione ipsa & tactu cutis universæ vapores, tum qui circa ventrem, tum qui in thorace sunt, plerumque absumit & corpus evacuat, tangens enim atque apprime adhærens, nisi admodum humidus frigidusve sit, ubi sæpius innovatur, simulque à corpore decedit, ut aqua crebro fluens, lavat, abstergitque, ita hic vapores corporis secum trahit & purgat; hic pannus laneus situ inquinatus, aëri aperto expositus, situ purgatur, ac ex crasso tenuior redditur, contra si loco aliquo claudatur, ubi aër non spiret, præter naturam humectatur, crassescit, situque primum obducitur, & si postea putrescendo siccescat, adeo quod aër clausus quodammodo replet, id apertus vacuet. Unde hic in multis viventibus appetitum movet, ille tollit, hic vegetum, vivaxque corpus, ille marcidum torpidumque facit. Quanquam igitur in hoc morbo parum comedere semper expedit in aëre tamen aperto, quo major fit resolutio; eo magis comedere convenit: in clauso autem, quo minor, eo minus. Itaque ubi decoctum id sumitur, si se in cubiculo continet æger, cibum, quoad ejus fieri potest, subtrahere debet, atque hunc, qui facilius descendat, eligere, ut eam, quæ ab aëre ita clausa expletio fit, aliquantum imminuat, ubi vero foras quotidie prodit, paulo liberalius esse, & ea præsertim, quæ solidiora fuerint, potest, si non alia de causa, certe ut aëris resolutioni sufficiat. Sed illud magnopere attendendum est, primum quod locus, quem æger inhabitat, in altum editus sit, concameratus quidem superne non ex muro sed ex lignis. Ille enim loci mucorem fovet; hæc contra absumunt. Inferne pavimentus (ut moris est) ex lateribus, qui tamen non testudineo muro, sed tabulis trabibusque sustineantur, Soli item orienti altera fenestra pateat, altera occidentem aspiciat, qua Sol oriens suis radiis vapores, qui in eo clausi sunt, foras propellat, ut hinc inspiratio, illinc exspiratio sequatur; observandum etiam, quod qui foras exire nolit, hic ubi aër quietus serenusque fuerit, tum apertis fenestris Soli præsertim orienti cubiculum universum indies patefaciat, Sol enim loci humiditatem siccabit, mucoremque omnem fere absumet, tanto autem melius, quanto salubrior est oriens, quam meridianus, aut occiduus; qui vero foras prodit, is à flatu præcipue frigido se diligenter defendat, hic enim vitiosos haritus, quos decoctum vi sua deducit ad cutim, quia frigidus est, non finit extra mitti, sed eos intro repellens, in ipsam cutim impingit: quamobrem illi hanc circa retenti, utpote acres, atque mordaces rursus eam, alioqui ante mundatam exulcerant. de victus ratione, qua Guajaci decoctum potantibus convenit, hæc dicta sunt.

## FINIS LIBRI QUARTI.

ALEXANDRI TRAJANI PETRONII,

*Philoſophi ac Medici Præclariſſimi,*

# DE MORBO GALLICO LIBER QUINTUS.

## CAP. I.

*De Sarzæ parillæ notis, & electione.*

Jam Sarzæ parillæ, atque radicis Chinarum decocta per eaſdem rationes, quibus ad Guajaci proxime uſi ſumus, examinemus, ſimulque tum unctionem ex argento vivo, tum ſuffimentum ex cinabri ſimiliter expendamus: Sed ſi prius admonuerimus, quod ut in Guajaci decocto, ita in ſingulis his quædam præire, quædam ſubſequi oportet, quo circa ubi ventrem lenire, aut corpus præparare, purgareve, aut venam ſecare, aut victus rationem inſtituere propoſitum eſt, tum ad ea, quæ ſecundo libro de corporis lenitione, de præparatione, de purgatione, de venæ ſectione, de cibo, & potu, & reliquis tradita ſunt, recurrendum. His igitur, ac ſi rurſus expreſſiſſemus hic poſitis, ſatis ſit primum horum omnium ſingillatim notas, electiones, modos, quot & qui magis eligendi ſint, exponere, deinde quænam utendi occaſio, poſtremo utrum artis inventa ſint, aut experientiæ, aut neutrius.

A Sarza parilla exordiemur, advehitur quidem hæc ex Luſitania, ac Hiſpania citeriore, illuc (ut putant) ex terris nuper inventis in exiguos faſciculos ſarmentorum more, quibus Romani utuntur, congeſta: hujus decoctum ſubſtantiæ eſt ut plurimum craſſæ, coloriſque ſubrubri, & aquæ ex hordeo, aut ſeri caprini ſaporem præ ſe ferre videtur. Eſt radix longiſſima, teres, gracilis, Smilaci aſperæ prima fronte non diſſimilis, & ſecundum quoſdam ferme eadem. hoc tamen differens, quod nec æque ſpinoſa, nec æque ſecundum corticem lenis atque illa eſt, ſed rugoſa ſecundum longum, & aſpera, niſi forte vetuſtas id præſtet, raris quibuſdam articulis inſtar radicis arundinis, ſed longe minoris, ex quibus exiliores appendices exeunt, diſtincta, cortice foris interdum albido, interdum ſubnigro. Sæpius ſi ſaliva oblinatur ſubrubro ad cinereum, intus vero fere ſemper albo ad terreum, ubi vetuſtior eſt, non ægre frangitur, fracta vero ſtatim pulverem, ceu farinæ florem, reddit, intus lignoſa, lenta, fractu contumax, circum circa ſubpallida, interius vero, nimirum in ipſo exquiſite medio maxime alba, minimeque tenax, ſapore tota imprimis leniter acuto, ac ſubamaro, ſed ſtatim evaneſcente, quæ ſi diu ore teneatur, in levem quemdam lentorem ſubdulcem, ac ſi triticum manderetur, atque in exiguam aſtrictionem deſinit, ille ut ore ſentitur, ita ubi decoquitur, in vaſis fundo perſpicitur. Hæc licet exigua ſive dulcedo, ſive aſtrictio cognoſcitur, & ubi decoctum guſtatur, & ubi radix diu manſa exſpuitur, in lingua enim tum aliquid, quod lenit, & ad naturæ ſtatum reducit, tum ſiccitas quædam relinquitur, quæ leniter contrahit: quo fit ut Sarza parilla primum quidem acuta ſit ac ſubamara, deinde vero pauxillum lenta, ſubinde ſimul & aſtringens, ac (ut quidam putant) calida gradus primi, ſicca ſecundi, eligenda vero, quæ magis flexibilis, quæ colore ſubrubro ad cinereum, & quæ ubi frangitur, farinam, aut pulverem non reddit.

## CAP. II.

*De Sarzæ parillæ modis, ac viribus.*

Modi ex decocto Sarzæ parillæ tot ferme ſunt, quot Guajaci, immo plures, quidam enim Guajacum illi admiſcent, atque ii ſimiliter probabiliores, qui cum aqua, ſine vino, ſine purgatoriis exhibentur, ſimiliter etiam coquuntur, ſed non ſimiliter componuntur, ratio enim menſuræ mutatur, non in potando quidem, ſed in diſponendis materiis, nam ut ibi *pro qualibet Guajaci uncia, aquæ libra una* ponitur, ita hic *pro Sarzæ parillæ uncia una ſi recens ſit, aquæ lib. iii. ſin vetuſta libræ ii.* Referemus primo ſimpliciorem atque communiorem modum, ſubinde, utrum ab occulta qualitate agat, poſtremo utrum artis inventum ſit, inveſtigabimus. Itaque præmiſſis aliis, quæ opportuna ſunt, ſimplicior modus conſtat ex *Sarzæ parillæ recentis unc. i. aquæ communis lib. vi. infuſa ſimul. & bene tecta 24. horis ferventur, deinde bulliant, quoad lib. ii. aut iii. ſuperſint*, (prout magis, minuſque ſiccare in animo fuerit) *poſtea colentur*: hujus colati exhibentur *unc. vi.* plus, minusve tum in aurora, tum veſpere quatuor horis ante cibum, ſed ſemper calidæ, nunc 14. nunc 20. nunc 24. diebus. neque enim ſarzæ parillæ decoctum tot diebus accipitur, quot Guajaci, ut namque id plerumque diebus 40. ſic illa non amplius 24. citius enim illius vires à ſubjecto corpore hebetantur, quam Guajaci, licet enim illa celerius, id vero tardius agat, illa tamen imbecillior, id robuſtius eſt, quamobrem vires illa citius amittit, id diutius ſervat, ſed ad rem naturam. Rurſum *accipiunt dictam ſarzam, adduntque aquæ communis lib. viiij. paulo poſt leviter coquunt, id ſecundum decoctum appellatur potus loco, & in prandio, & in cœna nunc per ſe ſolum, nunc modico vino admixtum propinant.* In cæteris omnia, quæ de Guajaco diximus, obſervant. Hic modus, & communior & ſimplicior eſt, prodeſt, quemadmodum Guajaci decoctum omnibus lue Gallica inquinatis, ſed quanto quam illud tenuiorum partium eſt, tanto celerius auxiliatur, potiſſimum vero his, quibus caput inſigniter dolet, poſtquam Guajaci decoctum ante exhibitum aut parum, aut nihil contulit. Adde etiam quod (ut cuidam placet) ulcera, & circa ſedem rhagadia, multo celerius, quam decoctum curare, & gummitiones diſſolvere conſuevit, ſtatim ubi ſorbetur, calorem in thoracem, in faciem, in caput movet, qui tamen ſi eum non vi, ſed ſponte, ſudor ſequatur, momento durat; non ſequatur, ſæpe intus relinquitur, & ſitim accendit, præſertim ſi circumfuſus aër calidus quoque fuerit, alioqui ſi frigidus ſit, quia vitioſam materiam per cutim vacuari prohibet, nunc cuti impingit, & pruritum intolerabilem excitat, nunc interius repellit, & interdum capitis gravitatem, diſtillationem in thoracem, & ſpata, & tuſſim, & ſpirandi difficultatem accerſit, interdum quoque ventriculi gravitatem, & nauſeam, quia etiam levium, & ſubtilium partium eſt. Ad extrema corporis prompte fertur, & quia ſimul imbecilles habet vires, humorem, qui illuc repit, à proprio ejus impetu non divertit, ſed ſi ad exitum tendit, illum accelerat; ſin alio, qua exire nequit, ibidem impellit, & minime diſcutit, ut pote, quæ ſuo lentore, atque dulcore non poſſit humorem, qui in alto inſedit, & exitum facilem non habet, evacuare, quamobrem & arthritidi, & podagræ ut plurimum officit. Quibus thorax, aut ventriculus infirmus eſt, niſi ſudaverint, nunquam non obeſt, quemadmodum & his, qui tumultuoſa præter morem inſomnia patiuntur, & his, qui nimium vigilant; & qui capite velato vim ſibi inferentes ſudare nituntur, nam ſpiritu ipſos diſſolvens ſæpe ventris turbationem, quandoque inſaniam offert, ſi quando etiam ſudorem non moverit, alvi fluorem non raro accerſit, quippe illius decoctum, triduo, quatriduove intus retentum poſtea putrefactum veluti purgans medicamentum ventrem ſolvere conſuevit, id quod, etſi quidam vini potu tum in prandio, tum in cœna & hoc decocto ſublato ſe curaſſe putat, curavit potius, quoniam intermiſit, quam quia vinum potui dederit, atque hic alvi fluor, quo citius excitatur, eo minus moleſtus; ſed quo tardior eſt,

quia putrefactionem longe majorem sequitur, eo deterior esse solet, denique sarzæ decoctum si sudorem non movet, parum juvat; sin movet, apprime confert: quidam non modo Gallicam luem ab iisdem superari tradunt, sed etiam distillationem aliam, quam à Gallica lue natam à capite in subjectas partes fallam, atque acrem, cancros item nondum ulceratos & omnino tumores omnes curatu difficiles, quia etiam *si pulvis* (inquiunt) *ex pari ejus portione, & radicum ruscі conficiatur deinde 40. diebus ad usque drach. j. cum vino albo suavi propinetur*, strumas contumaciſſimas summovet, sin *radicum ruscі loco myricæ ponatur*, & similiter potui detur, lienis tumorem sanat. Alius modus *habet sarzæ parillæ unc. iiij. Corticis ligni Guajaci unc. ij. aquæ simplicis libr. x. vini albi optimi lib. v. Infundunt per 24. horas, deinde coquunt quoad libr. x. supersint, postea colant*, ex hoc colato propinant *unc. viij.* plus minus calidum mane, & sero 4 horis ante cibum.

Adhæc *accipiunt dictam sarzam, & ligni corticem, addunt aquæ communis, & vini tantundem, coquunt ad tertiæ partis decrementum, mox colant, colatum in prandio, & cœna pro potu præbent.* Profecto nisi vini mixtura, sicuti de Guajaco dicebamus, officeret, non inutile esset, ubi ulcera humidiora sunt, conduceret etiam adulto magis quam puero; & viro magis, quam mulieri.

Alius modus, *capiunt sarzæ parillæ minutim incisæ unc. ij. passularum unc. iiij. sennæ unc. ij. aquæ simplicis lib. xij. mixta simul 24 horas servant, deinde coquunt, ad tertiæ partis usque decrementum, ex hoc exhibent unc. vj.* plus, minusve in aurora calidum semel tantum per singulos dies. Hic modus inutilis est quoad sarzæ facultatem, non enim finit illius decoctum in corpore immorari quantum oportet. Quin imo cito ducens alvum easdem frangit, & summovet, forte juvaret, quia lenius purgat, sed id adhunc ambiguum est, & non sarzæ, sed alterius facultate juvaret; sicuti modus ille, qui habet *pulveris sarsæ parillæ unc. viij. foliorum sennæ unc. iij. ex hoc unc. j. cum vino aut jusculo aliquo singulis diebus jejuno præbent*: corpus immodice vacuat, proinde non finit sarzam in corpore immorari, & vires suas exercere, ita ut si quando prodest, non sarzæ, sed alicujus alterius ope prosit. hæc de sarzæ parillæ modis, ac viribus.

## CAP. III.

### *De occasione propinandi sarsam parillam, & an ab occulta, aut manifesta qualitate prosit.*

Nunc quænam occasio sit ejus exhibendæ, mox utrum ab occulta qualitate (ut omnes existimant) an à manifesta conferat, inquiramus, sane occasio eadem est, quæ & Guajaci, sed ut viribus est imbecillioribus, ita statum anni magis calidum postulat, & morbum, aut natura sua mitem, aut incipientem, aut declinantem, vel ex toto, vel ex parte. Modo per hæc tempora is quoque imbecillis sit. Ideoque si Guajaci decocto morbus deferbuit, non inutiliter exhibetur, si pilorum defluvium, si pustulæ hominem infestent, nulla intus parte peculiariter læsa mirum in modum juvit. hæc de occasione. Quod vero non ab occultis, sed à manifestis, causis illius auxilium veniat, tentandum (quemadmodum ubi de Guajaci decocto disputabamus) investigare. Quia enim gustatu primo statim acuta, & subamara sentitur, atque statim sentiri desinit, aquæ commixta per corpus universum repente distribuitur, præsertim si adhuc etiam calescens bibatur, & calorem in thoracem, in faciem, in caput sequente sudore mittet, mox omnem alienum temperabit, deinde levis astrictionis ope intro magis subiens, & liquationi resistens, ac ob tenuem lentorem subdulcemque substantiam, quicquid illi obviam fiet (modo non valde contumax sit) lavabit, absterget, ac vacuabit; cum enim multo remissior, longeque fugacior ejus amaritudo sit quam lentor, & quam dulcedo, non amaritudine sua, sed dulcedine, ac lentore suo, morbi Gallici putredinem vacuabit, & tiniet, dulcedine quidem lavans, lentore autem abstergens, & purgans: dulce enim (ut 5. *de simpl. cap.* 26. Galen. inquit) concoquit, laxat, rarefacit (ut vero *sect.* 23. *prob.* 40. Arist.) humor dulcis lavare potest, atqui lentor insignis in altum subire, & omnes corporis partes penetrare quidem nequit, densa namque tenacitas resistit, & obstruit, sic enim à lentore forsan excretionem retineri Galen. *aph.* 2. 18. tradidit, sed si exiguus, hoc est tenuis remissusque fuerit, tantum abest, ut obstruat, ut absterget simul, & purget, ut enim primum membris adhæret, & infigitur, ita subinde ab his sensim summoveri, ac evelli facile potest; ubi vero, tum quia mistus aquæ est, tum quia sponte cedit amotioni, jam avellitur. tunc ea, quæ præter naturam in his insederunt, infarctaque sunt, ob suam tenacitatem, qua illis conjungebantur, secum trahit, & immunditiis, ac sordibus libera relinquit, sic forte Dioscor. resinas alvum mollire, pectorisque vitia purgare dicebat, sic etiam Galen. 2 *de alimentis*, *pruna*, *malvaque* ventrem subducere, tum humiditate sua, tum lentore, & *hic* 3. partes animalium extremas ob lentorem facilius per alvum dejici. sic Arist. quoque *sect.* 23. *probl.* 40. quædam lentore suo purgare, quemadmodum trunculi, & quæcunque mucosa sunt, ut enim de lentore non vehementi, sed remisso dictos authores nunc loqui probabile est, ita lentorem levem abstergere, atque purgare, insignem vero infarcire, atque obstruere asserendum. Quocirca sarza parilla quoniam primo acuta est, & subamara, si aqua commisceatur, per universum corpus promptissime fertur, & licet subito desinat tum amarescere, tum acris esse, non tamen penetrare cessat, sed eo penitius subit, quo levior astrictio (ut antea docuimus) subinde sequitur, & adhuc adstringens liquationi, quam morbus Gallicus movet, resistit: subdulcis vero, & lenta remanens sua quidem dulcedine partes ipsas ab his, quæ superficie tenus hærent, vacuat; lentore autem, quæ altius insederunt, expurgat. Hinc satis constat, unde agat sarza parilla, nimirum à manifestis cautis, & non occultis, ut omnes hactenus existimarunt.

## CAP. IV.

### *Utrum artis inventum sit, quod sarzæ decoctum luem Gallicam sanet.*

Restat an artis inventum sit decidere, id enim contra tum adduci possunt, quæ adversus Guajacum proxime adducebantur, tum quod debilium virium exittens, ut parum valere in Gallicum morbum, ita minus artis inventum esse videbitur: verum his prætermissis, quæ de Guajaco dicebamus, quia sarzæ amaror, ac acrimonia statim evanescit, quia etsi lentor, & dulcedo uterque durat, uterque tamen exiguus est, quia etiam astrictio adeo est obscura, ut nonnisi magna cum attentione sentiatur: adde quod in ejus decoctum duplo plus aquæ miscetur, quam in Guajaci; copiosior vero aquæ mixtura, ut illius vires magis dissipat, ita quia debiles sunt, maxime prosternit: hinc sequitur, dicet aliquis, quum ejus decoctum Gallico morbo prodesse revera jam expertum sit, huic autem experimento nulla plane ratio astipulari videatur, non artis, sed puræ, nudæque experientiæ id inventum esse. Huic respondendum sarzam parillam adversus Gallicum quidem morbum pollere, sed non adversus omnem, sed adversus eum (ut ante diximus) quia sua natura mitis est, aut incipit, aut inclinat, aut liquidem lævus fuerit, aliis tamen remediis attritus, atque subactus adhuc hominem infestat: neque sequi, quia contra vehementem, atque immitem non statim valet, artis inventum esse non posse, valet enim contra mitem, & contra eum, qui ante immanis erat, deinde usu Guajaci, atque aliorum remediorum sæpius agitatus, atque comminutus, adhuc tamen urget, & Guajaco, quia ei natura jam assuevit, non obedit. Hinc forte vim magnam in morbum Gallicum habere sarza parilla creditur, utpote, quem Guajacum non sanarit, hæc postea sanet; sanat enim immanem, quem Guajacum aut quid hujusmodi ante mutavit, mitigavit, atque dissolvit: non sanat vero, si statim contra illum ab initio sumatur. Hæc de eo, quod dicitur contra omnem Gallicum morbum sarzæ parillæ decoctum non valere, proinde artis inventum non esse, quod autem & ejus amaror, & acrimonia citius disperdantur, quam illorum facultate quippiam agere queat, id non prohibet, quominus artis inventum existat; non enim amaritudine, neque item acrimonia luem Gallicam superat, nam ut utraque repente sentitur, ita repente refugit sensum, quocirca stultum est asserere, quod per ea agat, per quæ agere sensu percipi nequit, sed agit lentore, & dulcedine, & astrictione, quæ facultates nunquam in ea non sentiuntur, sive ipsum per se solam, sive illius decoctum experiamur: sed objiciunt, hæ omnes adeo exiguæ sunt, ut luem Gallicam evertere nullatenus possint. At ii desinant objicere, quoniam idcirco possunt, quia exiguæ sunt, alioqui si validæ essent, multo magis impedirent, quam juvarent, quia enim morbus Gallicus putrefacit, liquat, & præter naturam calefacit, insignis astrictio, amplus lentor, multa dulcedo, hæc quidem, quia putrefacienti cedit, lentor autem & astrictio, quia transpirationem prohibent, & obstruunt, putredinem ipsam ad fuminum deducunt, deinde calore aucto liquationem ex accidenti geminant; Quanto igitur exilior tum lentor, tum dulcedo, tum astrictio est, tanto magis tale decoctum proficit. Cæterum quod aqua copiosior in hujus decocto, quam in Guajaci, vires ejusdem, quum exiguæ sint, magis extenuet, & subinde tollat, partim quidem recte, partim vero non recte dicitur, quædam enim mensura in

omni

omni decocto est, quam ultra citraque vires ejus, quod decoquitur, consistere nequeunt, intra vero, (ut infra quoque narrabimus) longe lateque patent; non enim unico numero astringuntur, licet itaque nunc copiosior sit aqua in sarzæ decocto, quam in Guajaci, remanet tamen facultas in ipso, & lentoris, & dulcioris, & astrictionis; si quis enim illud ore diu, attenteque teneat, hæc omnia facile comperiet, nèque tamen quicquam prohibet, quin in futurum cum minori aquæ quantitate contectum propinari possit; quemadmodum Guajaco evenisse cognovimus: multæ enim plus aquæ olim, quam nunc, illi miscebant, sed paulatim usu, & experientia eam minuerunt, copiosior igitur aqua sarzæ vires subtrahet, si mensuram excedat, sin minus modo intra mensuram contineatur, vel multa, vel exigua sit, rectum non est, quod in contrarium afferebatur. Ergo cum Gallica lues, (ut toties diximus) affectio putris sit, quæ potissimum ulcerat, liquat, & calorem accendit, & in singulis corporis partibus, maxime vero in extremis, existit, sarzæ decoctum substantiæ quidem tenui, hoc est aquæ, commixtum in omnes partes prompte subibit, ab amaritudine enim, & acrimonia penetrationis initium primo accipiet, quia vero hæ statim pereunt, à sua levi astrictione (ut proxime declaravimus) finem assequetur, & aquæ præsertim ope calorem omnem temperabit, dulcedine putrescentium partium summa abluet, lentore profunda absterget, atque purgabit, astrictione non solum penetrationem adjuvante, sed liquationem quoque cohibente. Quocirca sarzæ decoctum luem quidem Gallicam evertet, sed quia debiles sunt ejus vires, non nisi mitem, aut incipientem, aut declinantem, aut omnino si sæva fuerit, postquam aliis remediis ante demissa, devictave sit, evertet, quoniam igitur judices id experiri quis potest (paratum enim fere semper est) expertus autem revera ita esse comperiet, & experiendi modus non difficilis, non confusus, non periculosus existit, si namque sudorem provocarit, aut cutim in altum extulerit, & conferat, ægerque bene toleret, tutissimus est. His vero tribus conditionibus aliquid esse artis inventum, (ut proxime ostendimus) astruitur, quod sarzæ decoctum luem Gallicam ad extima naturaliter erumpentem, & mitem aut sævam quidem, sed jam labefactatam, depellat: artis erit inventum. Hactenus de sarza parilla.

## CAP. V.

### *De Chynæ radicis notis, & electione.*

Hæc affertur ex China loco amplissimo, majoribus nostris incognito, jam pridem reperto, nisi forte Sinarum regio sit: radix est foris subrubra, arundinis radicum speciem præ se ferens, sed intus suber esse dices, densior tamen est & suctu facilior, colore vulgaris acori sed remisso, sapore atque odore (ut ajunt) aromatico: utroque sane per quam modico: quippe sapor adeo adumbratus est, ut quum radix lentissime manditur, vix sentiatur: quum decocta est, paulo magis: hic subacido similis in acrem desinens aliquibus esse, aliquibus non esse videtur: aliquibus subamarus: aliquibus qualis in zingibere, aut galanga, quæ vim suam jam exhalarit; talisque semper in dicta radice inveniri. ac licet interdum evanescat, statim tamen reverti, atque differre ab eo, qui in sarza parilla percipitur, quoniam ille subito quidem sentitur; sed post subito deficit: neque in decocto unquam apparet; eoque magis ab illo differre, quo sæpius hic quam ille linguam pungit, si longo tempore sensim mandatur: licet utriusque punctio levis omnino sit & imbecilla. Aliis vero hæc minime probantur, quin imo apiam, hoc est sequalem & inodoram esse contendunt: namquod aromata oleat, id contingere dicunt, quia cum his ad nos delata eorundem odorem imbibit, & odorata fit: Utcunque tamen redarguendi non sunt, qui saporem, odoremque in hac radice constituunt: Uterque enim non admodum obscure sentitur, ubi quis ejus decoctum, quod ex aqua fit, vel pitissat, vel olfacit. Sed quum aliquibus odor ejus (ut dicunt) aromaticus sit, aliquibus nullus: & sapor aliquibus subacris, paucis subacidus, paucioribus subamarus, neque tamen sensus his admodum astipuletur: hæc tanquam ambigua & tanquam parum proficientia ad id, quod nunc quærimus, omittamus, quæ evidentia sunt, subscribere convenit: itaque scire licet, quod sive radix ipsa ore teneatur, sive ejus decoctum gustetur, manifeste sentitur & modice siccare, & leviter astringere, & in ejusdem decocto lentorem quendam, valde tamen debilem, sæpe retidere, saporem, odoremque decocti ex hordeo, quod apprime sincerum, & optime siccum est, referre, sed hoc distare, quod sapor, odorque hujus, multo gratior est, & quodammodo magis tenuis, magisque in linguam subiens, & veluti leviter acutus, præsertim si calidum poretur. Probatur quæ densior, quæ magis ponderosa, quæ nulla teredine, aut carie, aut odore, saporeve malo infecta est, & omnino, quæ recentior est, adulteratur terra quadam rubra, cum aqua ferveracta, & oblinita, quæ notæ sint radicis Chinæ, & quænam eligenda sit, jam satis est dictum.

## CAP. VI.

### *De Chinæ radicis modis, viribusque.*

Modi ejus decoquendæ, non æque varii sunt, ac sarzæ parillæ, lignique Guajaci: sed ut plurimum simplices, ex aqua, & radice tantum, ita ut his duobus servatis sola ponderum ratio mutetur, forte quia non adhuc apud omnes medicos, æque in usu est, atque sarza parilla, Guajacumque: similiter enim varie misceretur, adeo enim inquietus, atque ambitiosus est quorundam medicorum animus, ut si nihil aliud his, quæ compertum est recte fieri, adjicere deberent, quotidie tamen conentur; non quod ea post melius fieri videant, sed ut ipsi ab aliis melius facere videantur. Quocirca non deerunt, qui hujus radici, *polypodium, fenam, kermodactylos, turpethum, helleborum, cichoreum, melissophyllon, borraginem, & alia hujusmodi* adjungere studeant, quemadmodum nunc aliquos, (ut proxime dicetur) incepisse audivimus: sed ad rem nostram. Decoctum quotidie faciendum jubent, quantum uno die sufficiat, alioqui, si diutius fervetur, acidum reddi, & fere citius quam hordei decoctum corrumpi. Modus itaque communior, atque simplicior est, si pro qualibet ejus, quæ recens est, dragma, cultello acuto in tenuissima frustula tranversim incitæ, simplicis aquæ lib. una, & semis accipiatur, utputa *radicis Chinæ recentis s. a. incisæ unc. j. aquæ communis tepefactæ lib. xii. infundantur per 24. horas. postea bulliant quoad sex libræ superstent, deinde colentur, ex hoc colato accipiant unc. vi.* plus, minusve, mane, & vesperi quatuor horis ante cibum, & quatuor post cœnam, si litis adsit, atque id semper calidum: reliquum in prandio, & cœna propinant, neque refert, calidum an frigidum id fuerit, nisi hyems sit, nam si per id tempus forte datur, semper expecit calidum esse. In hunc modum usque ad dies 24. exhibent præmissis vacuationibus, & præparationibus, & victus ratione, non modo in cibo & potu: sed in omnibus aliis, quas res non naturales appellant, instituta (velut in Guajaci decocto.) Si quispiam naturaliter alvo astricta sit, aliqui eidem decocto *radicis apii semunciam* addunt, & simul coquunt, id, quod utrum recte fiat, nondum satis constat; quum enim *apium* præsertim saxatile, lateris, vesicæ, renumque doloribus, & urinæ ciendæ potius, quam alvo ducendæ conferre videatur, ad hæc magis quam ad alvum molliendam ejusdem mixtura probari potest. si vetusta radix fuerit, conveniet. nunc tertiam ejus partem addere, nunc dimidiam, nunc tantundem, prout magis, aut minus antiqua fuerit, non mutata tamen aquæ mensura: hoc est *pro aquæ lib. una & semis nunc accipere radicis dictæ drach. i. & scrup. j. nunc drach. j. & semis, nunc drach. ii.* quidam servari jubent ejus frustula, quæ semel decocta sunt, & sub umbra siccari, deinde finitis 24. diebus rursum ex eisdem decoctum per aliquot dies ægroto præberi, decocti hujus modum esse, *dictæ radicis sub umbra siccatæ unc. iii. aquæ simplicis tepidæ lib. xii. infundunt, coquunt, administrant, prout in priori decocto dictum est.* Sane aliqui sic præcipiunt, ut majorem cautionem, atque diligentiam adhibere videantur, aliqui si nondum æger sanatus est, ut hoc residuo curetur, aliqui quoniam carius venit, ut sumptus fugiant, aliqui alia de causa: sed si novæ copia fit, non opus est vetere, aut excocta prius. Proponitus modus aliorum omnium optimus est: prodest morbo Gallico inquinatis, dummodo his non immanis fuerit: talem enim, vel Guajaci decocto, vel quovis alio auxilio ante mitigatum esse requirit, quam illum evertere possit. Incipientem igitur morbum Gallicum, & declinantem, si per hæc tempora manfuetus est, & tum, qui natura sua mitis est, & ad cutim prorumpit, potissimum curat. Tanto autem præstantius, quam sarzæ decoctum, quanto Chinæ radicis, minus lentoris, atque astrictionis habet, & gratius est, atque suavius exsiccat: quia vero non crassarum, sed tenuium partium est, ubi potatur, præsertim si caleat, & circumfusus aër calidus sit, prompte in universum corpus distribuitur, & sudorem aut movet, aut cutim in tumore attollit, postea succus, aut flatus, qui sub tumore est, exhalet, efficit: podagricis, arthritidique, secus quam sarzæ decoctum non parum prodesse solet; quamquam enim, fluente in articulos humore, fieri vix possit, quin propter vires suas adeo exiguas cum eodem illuc una feratur, quia tamen non impense, sed modice siccat, infarctum in illis succum moderate siccando non indurat quidem, sed minuit, atque resolvit, & quia leviter astringit, in affectibus partibus robur contra succorum

fluxionem relinquit. Non minus etiam opitulatur hydropicis, asthmaticis, sive anhelosis ex pituita, venarum hepatis & lienis, diuturnis obstructionibus, longæ apoplexiæ, paralysi ex humorum copia, aut crassitie, aut lentore. præterea redundantiam pravorum, & quantum variorum succorum consumere consuevit ventriculo pituita intestato remedio esse, illis, quos calculus excruciat, mucos absumens efficaci præsidio esse, fluxiones omnes raro quodam beneficio sistere, ulceribus omnibus internis non parum auxiliari; externis, si panniculi linei ejus decocto infusi superponantur mirum in modum prodesse, mulieri, quæ propter uteri humiditatem non concipit, genituram conciliare: atqui tabidis non ex pulmonis ulcere, non ex putredine Gallici morbi, sed ex calore, qui consumit, & siccat, magnopere nocet, adversissima est partibus, quæ ab aliquo communi totius corporis morbo peculiariter extenuantur, ut oculo alteri si in morbo Gallico privatim extenuetur, ad cæcitatem enim deducit. De viribus Chinæ radicis, & modo communiori ejus exhibendæ hæc latis sint. Non desunt (ut ante diximus) quidam alii modi, ut puta *cape radicis Chinæ, farzæ parillæ, ligni Guajaci, corticis ejusdem, ana unc. j. aquæ simplicis lib. xvj. mixta simul servant 24. horas, deinde decoquunt, quoad tertia pars aquæ absumatur, mox ubi refrigerata sunt colant, hujus colati propinant unc. vii.* plus, minusve mane, & vero quatuor horis ante cibum calidum, *postea sumunt dictum lignum, corticem Chinam, & farzam, adduntque aquæ communis lib. xvj. similiter coquunt, atque colant pro potu in prandio, & cœna.* sumitur 40. diebus. hunc modum efficaciorem esse antedicto volunt, verum nisi quis eum ante quoque expertus sit, neque id asserere, neque rationem inquirere, quamobrem efficacior existat, debet; ne chimillis similis fiat, qui rem anticipant imaginatione dicere, quasi ita sit, antequam ita fieri videant: Interim enim suspicio est, ne Chinæ lentor, tum a farzæ, tum à Guajaci lentore, siccitas vero, & à Guajaco, & ab ejusdem cortice nimis augeantur, quæ singula magis sunt impedimento, quam augmento ad aliquid efficacius agendum, quod enim aperiri oportet, à geminato obstruitur, quod vero minus, resolvique id ab aucta siccitate induretur. Alius modus habet. *Radicis chynæ s. a. incisæ unc. j. aquæ communis, vini albi optimi ana lib. vj. mixta simul servant 24. horas, deinde coquunt, quoad sex lib. juxta sint, postea colant*, hoc similiter exhibent atque primum, quod proxime recensuimus, potissimum vero ad Gallicum inveteratum, sed ut vinum in Guajaci decocto detestabamur, ita in hoc damnare licet. Hactenus de modis Chinæ radicis, & viribus.

## CAP. VII.

### *Utrum ob occulta proprietate ac manifesta Chinæ radix agat.*

Quod non occulta, sed aperta sit illius facultas, qua morbum Gallicum sanat, hinc quis facile intelliget, quippe morbus hic (ut jam sæpe diximus) affectio putris est in omnibus quidem corporis partibus, sed potissimum extimis, quæ calefacit simul ac liquat: quocirca si Chinæ decoctum per totum corpus deferatur, & ad extimas partes delatum, inde putredinem expurget, liquationem coërcet, & caliditatem contrariam temperet, non occultum, sed manifestum erit, quamobrem agat, quærenti ergo, qua ratione id decoctum per totum corpus ferri queat, respondendum: quoniam ex aqua, quæ tenuium partium est, constituitur; hæc enim, nisi frigiditas obstet, promptissime subit in corpus omne, quod pervium est, non obstat vero, si decoctum id & calidum potetur & aër externus calidus extiterit, huic adde tum levem hujus radicis astrictionem, quæ (ut ante monuimus) penetrationem accelerat, tum levissimam ejus tenuitatem, & ceu levissimum quoddam acumen, quod, & ubi ejus decoctum adhuc calidum est, non obscure sentitur, & ad penetrandum coadjuvat; hoc enim quo minus est, eo minus acriter pungit corpus, prohibetque ne in se contractum illi obsistat, & ne ejus in reliquum penetrationem impediat; etenim corpus sensu præditum, ut huic levissimo acumini, sive acrimoniæ facile concedit, ita hoc ipsum & totum decoctum in se facile recipit. Adde quod alii in hac radice vituperant, utpote, quod valde exiguum sit hoc ipsum acumen: id illi mirabilem penetrandi facultatem affert. Ideo enim prompte penetrat, quia non valide, sed exigue acutum est, alioqui si infinite tale esset, partes ab illo deinceps affectæ, dum eandem, utpote molestam, nimis niterentur expellere, in reliquis prompte ferri non sinerent. Hactenus quare per universum corpus Chynæ decoctum distribuatur, ex quo simul etiam constat, quo pacto calorem alienum in morbo Gallico excitatum temperare possit, si enim ex aqua decoctum fiat, tum quia aquæ vis est refrigerare, tum quia radix ipsa minus calida est, quam corpus Gallica putredine affectum, proportione minoris inæqualitatis frequenti ejus usu calorem omnem alienum è corpore pellet. deinde si petas, qua de causa liquationem firmabit, & demum ipsam putredinem auferet, non negligas ejus astrictionem, etsi levis est, hæc enim quo levior, eo facilius per universum corpus ferri medicamentum id & permittit, & efficit; efficit enim quia portionem ejus, quæ jam progressa est, retro verti, quoniam illi quodammodo viam claudit, prohibet: permittit vero, quia non magnopere astringit, non enim primo statim contactu superficiem ita condensat, ut meatus occludat, vicinamque substantiam ad se contrahat, atque constipet; sed liquorem ante ingredientem, quasi manus leviter post impellens, retro movet in altum. hæc igitur astrictio, ut per totum expenditur, ita singulis corporis partibus robur, ne liquescant, inducit, putredinem vero ab hoc eodem summoveri posse noverimus, si ejus tum lentorem, tum exsiccandi vim diligenter perscrutemur, etenim exiguo ejus lentore putredinis vitia, quæ in superficie sunt, abstergi nemo non asseret, qui ea, quæ de lentore proxime disputavimus, non aspernabitur: tum namque lentor abstergit, & non obstruit, quum exiguus est.

Ejus vero modica siccandi vi omnem Gallicæ putredinis materiam absumi, si quis non credat, certe animadvertat, quod siccitas humidum absumit, humidum vero putredinis est subjectum, hoc igitur summoto, putredo subsistere nullo modo potest: quia ergo siccitas, quæ in Chinæ radice perquam modica est (non enim tanta est ut exasperet, sive ut humidum, quod ei vehiculum est, statim consumat, & interius penetrare non possit) humido aqueo conjuncta, ut simul cum eo per totum corpus effertur, ita singulas corporis partes attingit, & earum humido commiscetur, quo ubi deventum est, tunc humidum, quod in corpore est, leviter exsiccans, parte qua ad suam naturam reduci potest, à putredine vindicat, qua vero in naturæ gratiam redire nequit, nihil impedit, quo minus ab affectis partibus foras expellatur; quippe illud quatenus putre est, ab iisdem, quia onerosum, & infensum est, quoad fieri potest, perpetuo rejicitur, ipsa vero, quia propter suam & lentoris, & siccitatis exiguitatem illis non obnixe inhæret, illud ipsum à natura reliquis Chinæ viribus innixa expelli permittit. Interea vero si decoctum non semel, sed sæpius, (ut moris est) propinetur, reliquum sensim exsiccat, & ab ipsa putredine tuetur. Nec alicui sit admirationi, quod adeo exilis siccitas adeo gravem putredinem summovere queat, si enim tempus & spatium datum sit, id optime præstat: alioqui siccitas quanto vehementior est, tanto minus per corpus fertur; densa enim nimis ea substantia, cui inest, efficitur, & ad penetrandum inepta; adde quod sicuti humido putri commixta, ubi fluxilis est, & perexigua, illud foras emitti, si forsan emittatur, non prohibet, ita si solida firmaque substantia sit, quia tenaciter inhæret, illud contra retinet, firmat, auget. Id quod illos non parum errare demonstrat, qui putridis aliquibus febribus, ea, quæ non leviter, sed vehementer exsiccant, adhibere contendunt. Hi ergo irari desinant, qui nolunt Chinæ radicem à manifestis, ut dicitur, qualitatibus morbo Gallico prodesse posse, siquidem (ut inquiunt) nullas habet, & si habet, exiguæ sunt, nam idcirco, ut ostendimus, potest, quoniam illæ exiguæ sunt:

Itaque Chinæ radix aquæ commixta, tum aquæ tenuitate, tum sua levi acrimonia, & astrictione per universum corpus facile fertur, & robur partibus, ne liquescant, reliquit, mox aquæ ejusdem frigiditate, & sua remissa in calore natura calidum, quod Gallici morbi putredo excitat, obtundit, ob exiguum vero lentorem, & modicam siccitatem, putredinem omnem absumit, denique Gallicum morbum, qui putris affectus est in omnibus corporis partibus, & calefacit simul ac liquat non occulte, (ut putant) sed manifeste propulsat, tanto autem hæc omnia promptius, faciliusque efficit, quanto suavius est ejus decoctum reliquis omnibus, quæ in Gallicum morbum sumuntur.

## CAP. VIII.

### *De occasione exhibendi Chinæ decoctum, & an sit artis inventum, quod lucm Gallicam curet.*

Qui debiles hujus medicamenti vires esse cognoscit; ejus exhibendi occasionem quoad morbum tunc statuet, ubi morbus, vel suapte natura debilis est, vel ex immani mansuetus tactus est, aut cum incipit, aut decedit, modo per hæc tempora mitis existat, & omnino ubi sua sponte ad exteriora prorumpit, & ulceribus scatet, quoad vero ægrotantem, ubi is aut naturaliter, aut ex accidenti, imbecillis est, ubi facile sudat, ubi puer, aut senex est. quoad loca, ubi regio calida est, & non frigida. Idcirco uti-

utilius in Italia, quam Germania, utilius in Hiſpaniis, quam in Italia, quoad tempora, ubi conſtitutio calida fuerit, ut puta vere, & æſtate: ſed efficacius æſtate, nox vere, minus efficax autumno, minime omnium hyeme. Hæc de occaſione, quæ omnia ſi quis diligenter ſpeculetur, non inepte aſſeret, artis inventum eſſe, quod Chinæ decoctum luem Gallicam ſanet. Id enim in promptu ſe nobis offert, verumque, & non fictum eſſe comperitur, & abſque periculo, & abſque difficultate fieri poteſt, quæ tria (ut ſupra diximus) in omni artis invento maxime requiruntur, ut enim tale ſit, occaſione ad agnoſcendum, faciendumve commoda indiget, experimento, quod verum, & non fictum ſit, & experiendi modo non difficili, non periculoſo, ſed facili, atque ſecuro: facile igitur atque ſecurum id experimentum erit, ſi in morbo, qui mitis ſit, & ad cutim potiſſimum tendat, exhibeatur, ſi in anni conſtitutione calida, ſi ſudorem, ubi datur, in facile moveat, ſi deinde conferas, & æger facile ſolcret, cognoſcetur vero, & tuto & facile fieri poſſe, ſi exiguam illius acrimoniam, aſtrictionem, lentorem, & modicam ſiccitatem, una cum aquæ mixtura (ſicut proxime declaravimus) conſideraverimus, de Chynæ radicis, & ſarzæ parillæ, & ligni Guajaci decoctis iſta ſufficiant.

## CAP. IX.

*Cur poſtquam Guajaci, aut ſarzæ parillæ, aut Chynæ decocto quis à Gallicis puſtulis liberatus eſt, ſi adhuc horum aliquid potare non deſinat, in pejores puſtulas, aut in pruritum incidat.*

Sed interim non importunum eſt explicare, poſtquam Guajaci, aut ſarzæ parillæ, aut radicis Chynæ decoctum à puſtulis hominem vendicarit, ſi ulterius potetur, cur puſtulas deteriores, aut pruritus moleſtos iterum excitet. Nam reſpondere, quod homo poſtquam ſanatus eſt, & ſi decocto utatur, non tamen æque accurate, ut antea, utitur, vanum admodum eſt, quia eadem victus ratio ad amuſſim ſervata, nihil minus idem contingit, vanum quoque quod nimium calefaciat, quomodo enim præſentes puſtulas, quæ intenſiorem calorem præ ſe ferunt, quam quum ablatæ, ſummoveret, quomodo ad quadrageſimum uſque diem eporum priore calore jam temperato juvaret? quibus accedit, quod licet calor quidam in Guajaci decocto ſentiatur, tamen in ſarzæ parillæ, & radicis Chynæ, aut nullus, aut multo minor ſentitur, neque etiam recte dici videtur, id evenire, quia hic morbus naturaliter ſæpe recidit, proinde ſi reditus ejus renovetur, ſiquidem tamdiu ſumi decoctum poſſet, quamdiu tandem omnis hujuſmodi reditus conſumeretur. Id quod hactenus minime uſu venit, an probabilius eſt ad ipſum accedere, quoniam decoctum materias ad cutim ducit, quippe quod poſtquam in hoc ſingulari corpore ita ducere conſuetum eſt, quamdiu deinde ſumitur, ſemper ad cutim ducit, ſanato igitur homine, & conſumpto ſucco, qui per id tempus in carne puſtulas excitabat, & expulſioni aptus erat, quum nihil hujus nunc relinquatur, alia excrementa, ſuperfluave, quæ in corpore ſunt (bonos namque, & minime redundantes ſuccos partes pro nutrimento ſibi, quoad poſſunt, obnixe retinent) pro ſua conſuetudine ad cutim præcipue movet, horum vero, quia plurima per veſicam, plurima per alvum, aliqua per os, aut nares vacuari naturaliter ſolent, nunc vero, & vi hujus decocti, & contra ſuam naturam ad carnem, & demum ad cutim pelluntur, neceſſe eſt, in his particulis hæc eadem remorari, atque diutius, & magis retineri, quam vacuari, propulſioni enim ad cutim maxime reluctantur, quoniam igitur, quæ pelluntur, plurima quidem excrementa ſunt, & illa plerumque ſalſa, hæc acria, quædam nec excrementa, nec talia ſunt, ſed propter moram in loco alieno, ut puta in carne vel in cute, vitiantur. ſubjecti autem natura in putredinem proclivis eſt, oportet, hæc fere omnia huc delata corrumpi, ſubinde putreſcere, & in puſtulas aut pruritus converti, in puſtulas quidem, ſi tum plura, tum craſſiora fuerint: in pruritus, ſi pauciora ſimul & tenuiora: deinde ſenſim vacuari, & viciſſim regenerati, donec decoctum ſorbetur, quo tandem dimiſſo, tanquam remota cauſa, interdum penitus abolentur, interdum remanent atque perdurant, quoniam continuo decocti uſu ad cutim natura tum excrementa, tum ſuperflua mittere conſuevit, cognoſci vero puſtulas, aut pruritus in hoc caſu futuros, quod ubi decoctum potatur, tunc mictio juxta, atque dejectio, & reliquæ expulſiones naturales minuuntur, corpusque nutriri deſinit, cognoſci etiam ea de cauſa, quam duximus id contingere exemplo ejus, qui dudum à ſcabie liberatus, utitur aut hypocauſto, aut exercitio, quod omnino non purgat, ſcabie enim rurſus repletur. Sic ergo reſponſum ſit, quamobrem Guajaci decoctum, aut ſarzæ, aut Chynæ puſtulas, ubi non ſunt, quandoque movet.

## CAP. X.

*Cur minus aquæ Guajaco, quam ſarzæ parillæ, & Chynæ radici, admiſceri ſoleat.*

Quum vero minus aquæ (ut ex dictis patet) Guajaco, quam ſarzæ parillæ, & radici Chynæ admiſceri conſuetum ſit, juſta nunc oritur dubitatio, cur ita uſu venerit? quippe illud robuſtius, hæc imbecillior, à pluri autem aqua diſſolvi vires ejus, quod imbecillius, probabile eſt, quemadmodum in Guajaco quotidie experimur, copioſiore namque aqua commixta, decoctum, ut debilius, & minus amarum redditur: minore autem, & gravius, & amarius: Quidam arbitrantur plus aquæ opus eſſe, verbi cauſa ſarzæ parillæ, quia tenuiorum eſt partium, vim enim ejus in majorem aquæ copiam promptius fundi, quam Guajaci, quod craſſiorum eſt, deinde ſi minor aqua immiſceretur, multo potentiorem evadere, quam ferri poſſit, verum id neque ſenſu cognoſcitur (non enim magis acuta, magisque amara eſt, cum exigua mixta ſit aqua) neque experimento probatur, quoniam ſi ea ſimiliter utamur, nihil magis agit, dicunt alii propter ejus lentorem id fieri, quod lentor cum minore aqua non æque penetrare, atque cum copioſiore, poſſit; quippe cum copioſiore attenuari, cum minori craſſeſcere, & magis obſtruere, quam abſtergere, & expurgare, ſed huic quoque neque ſenſus, neque experimentum adſtipulatur, quidam reſpondet, ſarzæ parillæ plus aquæ miſceri, quia minus aquæ turbidius reddit illius decoctum, at id non tanti eſt, quanti eſt omittere id, quod utile eſſe debet, ſanitatis enim cauſa longe turoidiora potamus: præterea Guajaci decoctum turbidius eſt pro ligni *uncia una*, ſi aquæ *libra una*, quam ſi *libræ duæ* imponantur. Nunc tamen magis eſt in uſu *pro unc. i. lib. i. quam lib. ii.* Adhæc decoctum radicis Chynarum plus, minusve aquæ miſceas, ſæpius clarum eſt, quam turbidum, tamen hac tempeſtate ſemper plus aquæ miſcetur, quam ſarzæ, & quam Guajaci decocto. An quemadmodum Guajacum cum primum in uſum venit, diverſis aquæ & ſcobis menſuris componebatur, ita & ſarza parilla, & Chynarum radix nunc componuntur, quidam enim *pro ligni unc. i. lib. i. aquæ* ponebant, ut qui *pro lib. ii. & ſemis lib. xxx.* Quidam *lib. i. & unc. iii.* ut ii, qui *pro lib. i. ligni lib. xv. aquæ* infundunt, aliqui *pro unc. i. unc. viii.* ut qui *pro lib. i. & ſemis lib. xii.* aut qui *pro lib. ii. lib. xvi.* Aliqui *pro unc. i. lib. ii. & ſemis*, ut qui *pro lib. i. lib. xv.* Aliqui *pro unc. i. lib. j. & unc. ii.* ut qui *pro lib. i. lib. xiiii.* Aliqui *pro unc. i. libr. i. & unc. iiii.* ut qui *pro lib. i. lib. xvi.* Atque alii aliter, prout cuique viſum eſt, miſcuerunt. Quinimo cum ab initio carius conſtaret, tum pauper quidam *lib. i. Guajaci*, & eadem fere decies cocta (ut literis proditum eſt) à morbo Gallico ſe penitus vindicavit, denique tot varia ex Guajaco fiunt, quot varii ſunt medentium vultus. Itaque ſcire licet Guajacum, ſarzam parillam, & Chynæ radicem cum aqua potiſſimum coqui, non ut illarum vires obtundamus, aut craſſitiem attenuemus, aut excrementa, flatuſve, & alia hujuſmodi diſcutiamus, temperemuſve, ſed ea præcipue ratione, ut earum facultas, dum elixantur, in aquam aſſumpta per totum corpus facile ferri queat, alioqui lignoſa, & dura intra ſuam ſubſtantiam contenta nullatenus per corpus ferretur, hoc poſito tantam aquæ portionem eorum portioni miſcere convenit, quanta eorum facultatem abſumere, retinereque valeat; hæc mixturæ ratio, non exquiſitis numeris terminari, non adamuſſim fieri; ſed longe, lateque patere poteſt, modo medicamenti vires in ſe contrahat, atque retineat, *pro ſarzæ igitur unc. i. poteſt aquæ lib. i. miſceri, poſſunt duæ, poſſunt tres*; ſic etiam *pro Chynæ radicis unc. i. poſſunt aquæ libr. viii. poſſunt ſex, poſſunt quatuor, poſſunt duæ, poteſt una*; ſed quia *cum aquæ lib. viii. radicis Chynæ unc. i.* ſuas vires ſervat, nihil prohibet, quo minus hoc, an illo modo utamur. Ut vero plus aquæ ab initio, quam poſtea, Guajaco immiſceretur in cauſa fuit, tum ejus inexperientia, tum egeſtas, ſuccedente, deinde tempore, ubi vilius vendi, & melius probari cœpit, tum minus aquæ admiſceri quoque cœptum eſt; ita ſarzæ parillæ, & radici Chynarum in poſterum continget; ſi poſthac videlicet viliori pretio veneatur, & majori experientia probetur. Interroganti ergo, quapropter plus aquæ ſarzæ parillæ, & radici Chynarum quam Guajaco nunc miſceamus, hæc reſponſa ſint.

FINIS LIBRI QUINTI.

# ALEXANDRI TRAJANI PETRONII,

*Philosophi, ac Medici præclarissimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## LIBER SEXTUS.

### CAP. I.

*De argenti vivi notis & viribus.*

Quum de ligno Guajaco, sarza parilla, radice Chynarum, & generatim & speciatim, satis abunde disputaverimus, sequuntur unguentum ex argento vivo, & suffimentum ex cinnabari, quippe hæc quidem curant morbum Gallicum, non minus quam singula prædicta, sed sæpe cum tanta fæditate, tantoque cum periculo, ut ægri, dum curantur, malint se se non incepisse, quam curatos esse. Inventum est unguentum id, quoniam morbus Gallicus sæpe numero multis, & contumacibus ulceribus scatet, ad quæ unguentum ex argento vivo apud quosdam in usu fuit, ut illud adversus scabiem, quo manuum palmæ inunguntur, apud Mesuem 3 *de Antidotis* videre licet. Suffimentum vero forte repertum est ex conjectura, quod interdum morbus Gallicus nimio sudore consumatur; ut enim suffimentum ex cinnabari inspirando attractum, intro potissimum penetrat, & subinde sudorem una cum sputo movet, ita morbum hunc sanare posse judicarunt. Quamquam aliqui dicunt à curationis similitudine, quam posteriores in malam scabiem, & in malum mortuum appellatum scripserunt, utrumque sumptum fuisse, siquidem utrumque in ea curatione describunt, sed hæc obiter.

Suffimentum argento etiam vivo, sicut unguentum constat; est enim cinnabaris alia quidem antiquorum, alia recentiorum. Illa Dioscoridi vires habet, quales hæmatites, neque venenum est, hæc & venenum & duplex existit, nimirum fossilis & artificialis. Altera sit ex sulphure & argento vivo. Altera lapis est ruber non admodum durus, sed (ut quidam dicit) valde gravis. Interdum adeo refertus argento vivo, ut sua sponte id stillet. Itaque quum utrunque tum unguentum tum suffimentum argento vivo confletur, atque hujus causa (ut notissimum est) ille, qui his utitur, sæpe quidem sanetur, sed non leviter periclitetur, inquirendum maxime est, quamobrem id ita contingat, sed si prius recensuerimus quasdam argenti vivi notas & vires, deinde quantum eligendum sit in mixturis componendis, & quot ejusdem mixturæ.

Argentum vivum, ὑδράργυρον Græci vocant, notius est, quam quod describi debeat, quippe candidum est, argento per quam simile: unde forsan argentum est appellatum, stare loco nescit, micat, tremitque, & suo pondere huc atque illuc facile fertur, unam hanc rationem in eo fortassis contemplati veteres Romani, rei alioqui sensus experti, vitæ sensum tribuerunt, vivum vocantes, Græci è diverso non motum sed fluidum ejus habitum admirati, ὑδράργυρον quasi aquosum argentum nominarunt. Qui morbos atque horum causas ad calidum, frigidum, humidum & siccum potissimum referunt, alii calidum, alii frigidum esse statuerunt. Avicenna enim 2. *canone* frigidum quidem & humidum 2. gradus. Sed Aëtius *lib. 1.* & multi alii calidum, sane hi, quia corrodit, extenuat, penetrat, & morbos calidos creat, ut puta febres putridas atque ulcera. Illi vero quoniam fluidum & tactu semper frigidum est, quoniam morbos frigidos, nimirum comitialem, paralysim, apoplexiam gignit, quoniam ponderosissimum est, quia calorem maxime fugit, quia fere nunquam ita ignitur, quo minus ad suam naturam reverti possit, quia si in vasculum vini plenum æstate injiciatur aut extinsecus, & subtus, & circum circa fundatur, vinum ipsum quam maxime refrigerat. Addunt quod Arist. *metheor.* 4. 43. ἄργυρον ὑγρὸν argentum vivum interpretantur, aquam esse dicit, si enim aqua est, frigidum & humidum esset, utcunque tamen sit, quia nimis à sensu remotum est asserere quod sua frigiditate, caliditateve ea possit, quæ ab ipso fieri perspiciuntur, quum alii quoque ejusdem ferme frigoris caloriscve reperiantur, quæ tamen ea minime præstare queunt, alio mentem vertere oportet, quo intelligamus, unde nam argenti vivi hujusmodi vires nascuntur, præsertim hæ, quæ morbum Gallicum arcent, sudore nonnunquam per cutim fluente, nonnunquam vapore nimio per eandem exhalante, sæpe per os multa putri materia manante, raro per alvum, rarissime per veticam. sed hæc paulo inferius, nunc quædam veluti supposita, ut causas facultatum ejus facilius investigemus, de eodem subscribamus. Itaque scire licet argentum vivum potum (ut *lib.* 5. author est Dioscor.) lethale esse pondere suo interanea disrumpens, ut plenius *lib.* 33. *cap.* 6. venenum rerum omnium esse, ut Galen. *Epidem.* 6. *com.* 6. deleterium esse, & nunquam homini proficere, quum inquit ex de causa mihi plura medicamenta non vocare mortifera medici videntur, quod ipsorum temporibus quibusdam utilitas necessaria sit, ea vero appellare deleteria, id est pernicioſa, quæ nullo unquam tempore, neque ægrotis hominibus, neque valentibus opem ferunt; neque enim aconitum, neque argentum vivum, neque argenti spuma, neque marinus lepus in corpus accepta ullum nobis afferunt emolumentum, ut 4. *de simpl. cap.* 19. per erosionem interimere, quando, ignita itaque ferrum, lapisque, calce, cinereque sunt crassiora, multoque magis quam favilla, adhæc quoque & calidiora, sed ferro lapidique ignito ea, quæ per erosionem interimunt, medicamenta similia sunt, quæ à corporis nimirum calore huc perducuntur, velut chalcitis, mysi, sory, ad hæc arsenicum, hydrargyros, lithargyros, & alia innumera; crassarum enim sunt partium id genus omnia, ac potestate calida, ac proinde temporis spatio accensa per eam, quæ est in animante, mutationem, non aliter, quam lapis, ferrumque ignitum ventrem tum exulcerant, tum exurunt, quum scilicet in corpus distribui præ gravitate haud possint. Hactenus Galen. licet *nono de simp.* nullum argenti vivi se fecisse periculum afferat, neque quod interimat, si devoretur, neque ubi foris admotum sit. sed ut Paul. *lib.* 7. inquit, & mortiferum venenum est, & exustum colicis ac ileosis bibendum præbetur, his verbis argentum vivum haud ita multum momenti in re medica præstat, quum sit lethale venenum, sunt tamen qui id comburentes veluti in cinerem redigunt, quem aliis speciebus permixtum colicis & ileosis potandum exhibuerunt: ut vero Aëtius *lib.* 1. in principio scribit, ardorem invehit, & ulcerat, quum ait, chalcitis, mysi, atramentum sutorium, æris squama, sory, & adhæc pictorum armeniacum, & argentum vivum, milleque hujusmodi adstringentia simul ac mordicantia, utramque qualitatem occurrentibus corporibus imprimant, incompertum tamen relinquunt, utrum ob adstrictionem ardor ille invertatur, an ob acrimoniam; nam si hæc medicamenta intra corpus sumantur, quum crassiorum partium sint, ac virtute calidiora, transmutatione interim facta sensim ignescunt, ut in morem candentis ferri aut lapidis ulcerent, incendantque ventriculi partes, ita ut ob initam gravitatem ne digeri quidem possint. ut Avic. 2. *lib.* tradit, *est frigidum* (quemadmodum diximus) *& humidum in secundo, sublimatum est stipticum, quod ex eo exstinctum est, medicamen est pediculorum, & lendium, cum oleo recextinctum valet scabiei, aut cum medicinis scabiei, & ulceribus malis, ejus vapor facit accidere paralysim, & tremorem, & spasmat membra, seu inducit tetanum in membris, fumus ejus destruit auditum, & fumus ejus facit accidere fœtorem oris, quum transit per ipsum, fumus ejus destruit ipsum, sublimatum est interficiens propter vehementem incisionem, & ipsum interficit mures, & ex fumo ejus fugiunt animalia venenosa, & serpentes.* Hucusque Avic. Omitto si rei, quæ lentorem, aut densitatem habet, commisceatur, quia tum hæc, tum illud suæ continuitatis tenax est, hæc quidem quia densa vel lenta, vel utrumque simul est; illud vero quia densum est, adeo alterum ab altero una contineri, ut dum

illud

illud aliquo penetrat, hanc quoque secum vehat; hæc vero illud retrahat, atque retrænet, ne in fumum evanescat, nisi magna ignis violentia alio abire, & à consortio penitus discedere cogat velut iis, qui vasa ænea, vel argentea inaurant, usu venit. Omitto item si stanno, argentove (ut dicunt) parte aliqua perforato injiciatur, brevi momento per illa means utrumque dirumpere. Si tum eorundem, tum auri & æris laminas, propter eximiam suarum partium tenuitatem, intro penitus subeat, si adeo tenuiter atterat, ut quum illa sibi ipsis amplius constare & firma substantia esse non possint, ex solidis mollia, & fere quale ipsum est, talia efficiat. si cæteris metallis præterquam auro, quia gravius his est, semper subsit, si ignem fugiat, ut pote quod à calore, qui terræ intestinus est, fusum sit, quantum fundi naturaliter poterat; aut quia maxime aqueum sit, si perinde ac aqua à calore prius in fumum vertatur, quam crassetur. si non congeletur à frigore, quoniam calor, qui illud fudit, semper ineft, semperque fovet. si frigidum, grave, & album sit veluti vocatum sublimatum; si vivum retrigeret, quemadmodum sal nitrum; si super tabulam planam diffluens propter suarum partium, quæ sibi invicem obnixe incumbunt, cohærentiam, non ut alii liquores solent, eam humectet. Alterum illud non oportet ignorare, argentum vivum, ut aliqui putant vermes interimere, si *ad scrup. s. aut scrup. ii. aut ad unciam usque dimidiam, integramve* potetur, aut si extinctum prius, mox multo minore copia, ut puta *usque ad grana quinque commixtum succharo rosaceo, aut medullæ acidæ citri cochleatim deglutiatur* adhæc apud Coritienses *hujus non extincti scrup. s.* parturientibus, quo facilius pariant, potui dari, apud Corsos & pro vermibus & pro ventris doloribus passim plus minusve præberi, ignem maxime fugere, adeo ut si eidem vase aliquo vel clauso vel aperto contentum exponatur, tum magnopere stridere, titillare, salire, alio quasi furenter erumpere, tandem in vaporem insensibilem versum, ex hominum oculis abire; & evanescere. sed si in loco, ubi id contingit, plantæ atque arbores fuerint, easdem quandoque interimere, si homines, interdum aliquos surdos, aliquos tremulos, aliquos resolutos, lassos, invalidos aliquos paralysi, aut alio hujusmodi malo affectos reddere. In tenuissimas partes, & in aëre ipsum promptissime solvi, rursum in se ipsum facile redire, ac coagulari, nisi calor aliquis obstet, aut partes in locum ampliſſimum dissolutæ repagulum non reperiant, quo se collidant, & retroversæ in unum coëant: sed si calor absit, & locus undique ita septus sit, ut partes nimium & mobiles & tenues, dum alio irruere contendunt, ad ipsum tanquam ad obicem se collidant, mox collisæ reipsas retropellant, tum fere statim in idem, quod ante erat, reverti. Id quod videre licet tum quando quis ungitur, si tela super ipsum extendatur, parte enim qua ægrum respicit, granulis argenti vivi, quæ milio similia sunt, fere tota obducitur, tum in eorum corporibus, qui prius unguento ex argento vivo curati longo post tempore vitam obierunt, quippe in eorum capitibus, in humeris, in cubitis, & in aliis corporis partibus, tum in carne, tum in ossibus argentum vivum manifeste invenitur, quin etiam adhuc viventibus ulcere aliquo novo, v. g. in tibiis facto, per ulcus ipsum argentum vivum exire, & quod mirum est, quendam, qui ter duntaxat secundum brachia unctus fuerat, per aliquot dies pondus & angustiam in ventriculo sensisse, deinde, quum latrinæ semel insideret, argenti vivi pateram fere vomuisse, ut multi adhuc & testati sunt, & literis prodiderunt. Neque silentio prætereire nos decet, id quod nobis nuper vidisse contigit. Antonius enim Bergerius nobilis Gallus hoc anno à Christo nato 1565. menſe Majo hic Romæ primum decies, quater, deinde triduo interposito, ter unguento ex argento vivo unctus, nihil per os effectu dignum ejiciebat, huic non dentes commoti, non gingivæ tumefactæ, neque corrosæ, non palatum inflatum, non fauces exulceratæ, valde copiose & crebro sudabat, in ventriculo gravitatem quandam atque nauseam sentiebat, postridie quam ungendi finis factus est, nonis Junii atque deinceps per aliquot dies quotidie cum urina, quando spumosa erat, bullulas argento vivo obductas, & quod mirum est supernatantes, has quidem milio majores, has vero minores reddebat. cognoscebatur argentum vivum esse tum colore, tum agilitate, tum partium in se cohærentia, atque pertinacia, colorem enim argenti vivi cuilibet vel idiotæ seorsum ab aliis bullulis, quæ in eadem spuma referebant, & quum urinam extra in superiorem matulæ partem trahebantur, eidem adhærentes deorsum integræ relabebantur, neque propterea nisi obnixe premerentur atque concuterentur, dirumpebantur. Interrogantibus cur in fundum non peterent, respondebamus, quoniam illius partes tenuissimæ erant, ita ut bullas ipsas non intus replerent, sed tantum superficie tenus oblinirent, proinde tales tamquam intus vacuas propter aërem retentum supernatare. quando autem argentum vivum sine alterius mixtura in bullas rotundas dividitur, semper descendere, quoniam illæ intus quoque gravidæ sunt, & minime inanes. Huic astipulari, quod cerneremus, ubi urina sine spuma fuerat, tales bullas non apparere. Sed illud postremo dubium omne dissolvit, quod aureus nummus ab illis albo colore inficeretur. Adde quod hodie undecimo Junii, quum pituitam valde visciosam magno cum labore vomuisset, similes quoque bullas reperiimus, sed multo minores, in easque nummum aureum collidentes, extrema parte, qua tangebamus, albedine adumbratum esse perspeximus. Hanc vero historiam recensui, non modo ad ostendendum, quod argentum vivum, ubi repagulum offendit, ad se redeat, sed etiam quod post unctionem in corpore nostro relinquatur, & quod cum urina effundi, & vomitu rejici, & forsan ubi magna per sputum expurgatio sequitur cum sputo excerni possit, quod & si nemo ante hac perquisivit, accidisse putandum est, quia nunquam hactenus id à quoquam animadversum fuit. sed ad rem nostram revertamur. Præterea scire licet argentum vivum suapte natura densari, atque coagmentari, ex accidenti autem, ut puta calore extrinsecus, agitante, dissolvi, & in vaporem atque spiritum verti. Quamdiu dissolutum est, tamdiu semper oberrare, vagari, neque unquam quiescere, ubi ad se rediit, atque coactum est, nisi extrinsecus agitetur, in seipso manere, minimeque movere, proinde naturaliter quidem condensari, ex accidenti autem resolvi, atque attenuare, ubi vero dissolvitur, tum quicquid ei obvium fit, quod densitatem, aut lentorem habeat & fusile sit, quale est id, quod in corpore nostro vel ab innato calido, vel ab alieno densatur, aut lentescit, crassescitve, agitare, attenuare, aut dissecare, & secum propter suarum partium cohærentiam, si alio migret, illuc trahere, & facile mobile, atque liquidum propter suam cum illo misturam, quia perpetuo fere movetur, reddere, quemadmodum auri, plumbi, stanni, argenti, & æris laminas atterit simul ac liquat, nec discernere utile sit an inutile, modo id ab eo dissolvi possit, proinde sæpe liquefacere succos, qui concreti sunt in carne, qui in venis, attenuare, qui in arteriis, multo subtiliores reddere, qui ex densatis rarefacti, ut in ampliorem molem extenduntur, ita majorem quoque locum requirunt, quemadmodum liquata glacies. Unde mirum non sit, nisi vacuatio aliqua repente sequatur, uncto ex hydrargyro corpore, si tum longe plenius factum, si venæ & arteriæ tumidæ supra modum appareant, si interdum rupto aliquo vase sanguis per os, aut nares, aut anum, aut vesicam erumpat. Ut vero in minimas partes dissolvitur, minimeque quiescit, ita corporum meatus non recta subiens ut foras exeat, sed intus hac illac, sursum deorsum se insinuans & aberrans, atque illorum unitatem dissipans, illa eadem densata constrictaque rarefacere atque laxare: hinc quendam, qui antequam morbo Gallico afficeretur, altero oculo cœcus erat suffusione densissima, vulgus cataractam vocat, oculum occupante, hujus auxilio & à morbo Gallico & à suffusione, quod maxime mirum est, liberum evasisse: rursum quia ubi dissolutum est, tum in idem quale prius erat, quoad fieri potest, revertitur, rarefacta laxataque quibus commixtum est, interdum densare atque constringere. Ideoque aliquibus, qui gummitiones adhuc experti non sunt, ubi calor, quo ad agendum eget, citra modum inter ungendum exstiterit, interdum excitare, aliquibus contra, ubi moderatus fuerit, gummitiones ex densatis succis præexistentes apprime liquare dissolvereque, mox liquatos inde succos atque dissolutos; sibique commixtos propter partium cohærentiam secum ducere, & quandoque ad fauces protrudere, eodem (ut infra dicetur) extincto & in unguentum redacto, tibiis citra genua, & brachiis citra cubita, unctis triduo, quatriduove, aut paulo pluribus diebus ægrum sæpe & facie & reliquo corpore, nisi vacuatio aliqua statim sequatur, aliquantulum intumescere, deinde detumescere. Interim dentes alioqui firmissimos moveri, dolere gingivas, inflari, erodi, universam corporis scabiem auferri, ulcera fere omnia diuturna sanari, pruritum infestissimum tolli: sed si paralysis aliqua præfuerit, augeri; dolores in carnibus, in articulis, in ossibus (ut dicunt) minui, tollive; correptos Gallico morbo nunc omnino curari, nunc in meliorem statum reduci; sed sæpe tanto cum labore, tantoque cum vitæ discrimine, ut interea mallent ægri perire, quam ita curari cœpisse; plerumque enim in hoc casu tanta corruptæ fœtidæque materiæ copia per os prodit, ut ægrum nec quiescere sinat, nec dormire, nec potare, nec esse, nec aliud sane sperare, quam prope strangulari aut suffocari, lienosis magnopere obesse, horum aliquos ad hydropem deducere, dissolutis enim fere succis omnibus tam bonis, quam malis, qui tum in carne, tum in aliis solidis particulis insunt, atque magis attenuatis iis, qui per venas, & forte per arterias errant, sero per quam liquido corpus redundare oportet, subinde lie-

lienem, velut aqua nimia pota, eodem repleri, & intumescere. Si præterea corpus hoc unguento, ut dictum est, inungatur sæpe, carnes primum mutari, atque rubere, deinde vacuatione (sed per os potissimum) sequente, minui, pallere, extenuari: Interdum vehementes febres moveri, interdum sanguinem per os aut anum, aut vesicam, ut diximus, exire, interdum mortem, interdum longam ægritudinem sequi. De argenti vivi notis, & viribus, hæc satis.

## CAP. II.

### *Utrum à qualitate, ut dicunt, occulta, an manifesta unguentum argenti vivi curet Gallicum morbum.*

His positis opportunum est investigare. Utrum ab occultis caulis, (ut fere omnes arbitrantur,) an à manifestis agat, quod enim gummitiones, quod humores, qui nutrimenti loco sunt, tum in capite tum in carne liquefaciat, nemo est qui ambigat; sed quamobrem id contingat, adhuc in ancipiti est; nam (præter illa, quæ de ipsius caliditate frigiditateve proxime differuimus) eo quod calidum sit id præstare, valde dubium est, quum neque calidum (ut ita dicam) actu sit, neque ii manu, aut ore teneatur, neque si integrum devoretur, calefaciat; adde quod gravissimum est, & nunquam non condentari appetit; utrumque non calidi sed frigidi est. Præterea si gummitiones (ut quibusdam placet) à frigido calidum exprimente, succi vero, qui proxime nutriendo sunt, à calido humidum resolvente denſantur, & illæ quidem à calido, hi vero à frigido, humido solvi liquarique solent; quum utraque argentum vivum dissolvat, & liquet: id vel calidum frigidumque simul erit (quod plerisque absurdum est) vel non calore frigoreve hæc perager, contra vero si frigidum est, quum modice liquidum sit, cur ab igne non magis liquatur? aut cur à frigore non magis denſatur? quo item modo tam celeriter atrum, plumbum, argentum atterit simul, & liquat, & multa hujusmodi? An prout nostri corporis gummitiones, & humores, & alia id genus immutat, principium quidem ab alieno calore adipiscitur, mox in exhalationem conversum attenuat, atteritve, atque liquat quæcunque ab eo liquari possunt, à calore enim, quia illum magnopere fugit, dissilitur, dilatatur, diffunditur, & in aërem, spirituque vertitur, tale tactum (quum ubi semper cohærere studeat) quippe quod nunquam adeo tenuatur, & (ut dicunt) sublimatur dissolvitur que, quin ad se ipsum quoad fieri potest revertatur, ea, quæ denſata sunt, non autem omnino siccata, sed quæ potestate humida sunt, & liquari facile queunt, undiquaque permeans, agitans, attenuans, seque illis communicens, fluida, quale ipsum est, reddit, & secum quocunque vocetur, propter partium invicem cohærentiam (nisi calor aliquis vehemens consortium separet) trahit, quemadmodum ubi aurum, in tenuia fruſtula divisum, tangit, primum enim atterit, & (ut dicunt) devorat, subinde liquidum reddit, & secum, quocunque traducatur (nisi calor aliquis impediat) vehit. Movet igitur sudorem, movet per os tantum succorum copiam, quia primum attenuat, mox liquat, attenuat quidem tum, qui in tenuissimas partes prompte dividitur, & à calore vel extrinseco, vel nostro divisum, per corpus universum fertur, tum quia naturaliter in motu fere semper est, semperque ejus pars (ut aquis currentibus accidit) altera alteram pellit, ita si aliquo altera penetrat, altera subinde magis premit, & sua tenuitate hinc inde subiens, particulatque suo jecti corporis invicem comminuens attenuat, aut atterit, liquat vero non calefaciendo, non refrigerando, sed postquam rem ipsam in minima vertit, præsertim si illa fusilis fuerit, adjuncta sua liquida substantia, fluidam sicut aqua calcem, farinamve reddit. Quod enim nec qua calefacit, nec qua frigefacit, necessario liquet, ostendunt attringentia, quæ frigida esse statuuntur & exprimendo non autem frigefaciendo liquefaciunt, ostendit aqua, quæ sive frigida sive calida fuerit, calcem liquidam efficit, ostendit & ignis & sol ipse, qui calorem manifeste inducendo liquant, argentum vero vivum dum liquat, neque manifeste calefacit, neque frigefacit, nisi forsan ex accidenti. quod item nec qua calefacit, frigefacitve in tenuissimas partes necessario solvatur, exemplo est tum aqua, tum aqua vitæ nuncupata, hæc enim calefacit, illa frigefacit, utraque vero tenuium partium est, & in tenuissimas partes, ac etiam in vaporem convertitur. Porro ut id frigidum esse secundum Avicennam, & alios, qui eum sectantur, probari potest, ita calidum iis, qui à calore in terræ visceribus liquidum remansisse censent, concedere licet, sed non qua frigefacit, nec qua calefacit, hæc & multa hujusmodi in nostris corporibus agere, sed quatenus cum sua frigiditate, vel caliditate, ab alieno calido recalfactum in tenuissimas partes dividitur, subinde rem ipsam, cui commiscetur, attenuat, aut atterit, & si illa fusilis est, super eandem effusum, veluti super tritam calcem aqua, fluidum gignit. Hactenus quod argentum vivum à manifestis causis, & non ab occultis agat.

Sane hæc potest, quoniam à se nulla (ut plurimi chymistæ hactenus experti sunt) omnino corrumpitur, præterquam quod tenue magis, minusve efficitur: si enim (ut ajunt) præcipitetur aut sublimetur, ad tempus latet: deinde revivilcit, & si nihil prohibet, quominus perpetuo duret: Ut enim quandoque incepit, ita quandoque definat, oportet. ubi igitur a calido in exhalationem vertitur idem ipsum est tanquam insuperabile, sed tenuissimum evadens, & caloris vim penitus fugiens si in corpus, quod ei obviam fit, ingrediatur: congreditur vero quam æpissime (constat id ubi luto chymico vasis oblito undequaque incluſum igne oppoſito prosilit foras, nihil sui intus relicto) totum in universum, quoad fieri potest, subvertit: quod, si fusile est, fundit; si dissipabile, dissipat, liquat igitur quæcunque concreta, sed potestate in promptu fluida sunt: dissipat quæ coadunata quidem manent, sed tenuiora sunt quam liquari queant, illa sunt veluti gummitiones non omnino duratæ, siccataque, & succi, qui jam jam nutrituri sunt: hæc vero ceu spiritus, qui animæ deserviunt, sive sentienti, sive moventi, sive nutrienti; hos enim dissipando sæpius, quam humores liquando, nunc surditatem, nunc tremorem, nunc paralysim, nunc alios hujusmodi affectus, nunc mortem accersit. quippe illius exhalatio non quemadmodum aquæ, aut sulphuris est: aqua enim licet tenuium partium sit, ejus tamen vapor non facile intromeat; quoniam sæpe frigiditas, sæpe humiditas, impedimento est, illa ingressum prohibet, hæc quia facile cedit, retrogressum accelerat: idcirco sæpe foris, raro intus humectat. Sulphur in exhalationem conversum sæpius quidem intro subit, sed interdum propter partium infirmitatem repellitur; interdum ingreditur quidem, sed à corpore permutatur, ac temperatur. atqui argentum vivum ut natura sua fere insuperabile est, ita & illius exhalatio: hæc igitur. Ubi per corpus aberrat, ab eodem non permutatur, non temperatur, sed contra permutat & evertit; neque facile cedit, ut aquæ vapor; neque infirma est, ut sulphuris fumus: sed contra & constans est & fortiter resistit. Sed statim quæres, quum argentum vivum suapte natura semper ad se ipsum redeat, & in se constringatur, cur hæc, quæ dissipat, aut liquat, non magis coadunat? Respondetur quemadmodum ignis similaria congregat, dissimilaria segregat; ita id congregat se ipsum, reliqua quoad potest, evertit. quæ si fusilia sunt fusa relinquit; sin aliter se habeant, aliter finit. Ita ergo expositum sit, quomodo possit argentum vivum propter causas, quas attulimus, agere.

## CAP. III.

### *Causæ quædam & morborum, & symptomatum, quæ argenti vivi unctionem sequuntur.*

His ita se habentibus mirum non sit, si ex argento vivo (ut moris est) uncto corpore carnes in tumorem attolluntur, si venæ, & arteriæ magnopere tument, si sanguis aliquibus è pectore per os, aliquibus ex intestinis per alvum redditur, non solum enim (ut putant) quia corrodit, id facit, sed potissimum quia quæ concreta sunt ab eodem liquantur, & multo ampliorem exigunt locum, quam antequam liquarentur. Hæc igitur venas nimium extendentia frangunt, & sanguinem (ut diximus) movent, sæpius vero de capite per palatum & fauces, deinde per os tanta fit expurgatio, quoniam ubi argentum vivum à calore in exhalationem vertitur, ab eodem sursum in caput ferri potissimum cogitur, quemadmodum fumis & vaporibus omnibus, elevante calore, contingere solet, tunc enim simul quicquid fere in infernis partibus attenuavit, & liquefecit, huic impetum ascendendi sursum imprimit, & quia eidem commixtum est, propter suarum partium invicem cohærentiam secum rapit; Accedit capitis situs, figuraque tanquam enim cucurbita medica superstat, & implexus anfractusque tum venarum, tum arteriarum, multiplices quos habet, per quos ubi succi in caput ascenderunt, retroverti non facile possunt, alioqui homo erecto capite tamdiu manere, quam manere omnino requiret, quo circa quæcunque ab internis sursum moventur, ad se cumulatim attrahunt, retinet & eisdem repletur, nam & si per alias partes elevati tum vapores, tum succi oberrare queunt, quia tamen ulterius ascendere concupiscunt, ut pote calore eos perpetuo agitante, nullus vero locus datur, quam caput ulterior, neque ullus, quam caput, qui faciius retineat, hos & in capite firmari, & eisdem caput repleri necesse est, postquam vero huc devenerunt, quia propter argenti vivi naturam sibi invicem cohærere nituntur graveſque sunt, non

ut

ut alii ex herbis & radicibus vapores omnino in ſudorem A vertuntur, ſed (niſi forte calor aliquis immodicus vehementer exagitet, & foras expellat) intus morantur, & ſe coercent, ita ut deinceps putrefacti per palatum & os foras prodeant, quare licet argentum vivum per cubita, per tibias, quibus ſolum extrinſecus adhibetur, primum tranſeat, poſtea vero in caput repat, quia tamen priuſquam reliqua membra, repletur caput, quod vero prius repletur id prius quoque expurgari decet, præſertim ſi capaciſſimum & maximum eſt, quale id ipſum, idcirco prius & potius de capite, quam aliunde purgatio fit, quidquid enim alibi movetur, id fere totum hæc exhalatio caloris ope ſurſum in caput pellit, & caput ſua ſponte apprime trahit, retinet & obſtructioni primum, deinde putrefactioni, obnoxium reddit, tum propter copiam, quum ſibi ipſi vias claudit, tum propter ſitim, & faucium, palati, linguæ, & narium exſiccationem, quæ primis diebus ungendo naſci ſolet, forte vero copiæ ſufficit, quia materia non confertim tota in illud fertur, ſed paulatim per partem (ut dicunt) poſt partem. Ulcerantur vero tum gingivæ, tum palatum non profecto, quod argentum vivum in corpore noſtro naturaliter humido, per ſe rodat, B nam ex accidenti (ut proxime dicetur) id facit, ſed quoniam multa in capite coacervata materia, ſibi ipſi, propter ſui copiam, vias obſtruit, & replet maxime palatum, & gingivas, quod patet ex tumore, qui has partes circumſtat, unde quia tranſpirare, ut par eſt, non poteſt calet, & ſubinde putreſcit. Itaque putrefacta tamquam aliena exiſtens à ſuperioribus partibus ad inferiores protruditur, tumentesque gingivas tum palato magis replet, citiuſque corrodit, quemadmodum pituita in capite redundans, facta ſalſa, gingivas & palatum exulcerat. idcirco non ſtatim unctione adhibita gingivæ ulcerantur, ſed aliquanto poſt, & crebro primum dentes moventur, aut dolent, deinde gingivæ roduntur, quaſi non omni quidem ſucco mordaci prius exiſtente, ſed propter obſtructionem, poſtea putrefacta ſequantur in gingivis ulcera, licet his accedit Gallici ſucci vitioſi natura, cum ſano tamen etiam corpori talis unctio adhibita æque moveat dentes, ac gingivas ulcerat, non Gallico morbo, ſed putrefactioni unctionem ſequenti, talis exulceratio referri debet accepta. Sed ſi accidat quod venæ nimium repletæ, quoniam ſuccus, quem continent, tenuior factus ampliorem locum requirit, antequam C per os materia fluat, à copia rumpuntur, ut per os expurgatio fiat, non eſt neceſſe, ita neque ſi perpauca ſunt, quæ intus ab unguento liquantur, neque item ſi multa ſunt, talis, ac tanta per os vacuatio ſequetur, ubi forte aliqui morbi communes graſſantur, nonnunquam in eos materiæ impetus vertitur, ut puta ſi dyſenteria eſt, in dyſenteriam, ſi diarrhœa in diarrhœam, & hujuſmodi, ubi videlicet per id tempus unctio adhibetur, quod vero poſtquam unctio adhibita eſt, interdum ſera, interdum nulla vacuatio ſequatur, id partim à ſubjecto corpore, partim ab argenti vivi adminiſtratione provenit: à ſubjecto quidem, quia ſucos aut perpaucos, aut ſolidiores, quam ut liquari poſſint, habet ab argenti vivi adminiſtratione, quoniam aut minus quam ſatis admiſcetur unguento, aut inepte extinctum eſt, aut calor, qui ipſum movet, imbecillior eſt, quam quod penetrare faciat, hic autem eſt tum circumfuſi aëris, tum ſubjecti corporis, calor enim argento vivo penetrationem potiſſimum præbet, adeo ut ſiquid illi natura ſua calidum admiſceatur nihil fere velocius nihil efficacius penetret, quemadmodum ubi ſal ammoniacus unde ſublimatum (ut vocant) fit aut ſulphur, unde cinnabaris, D aut aqua ex vitriolo, alumine rochæ ſal nitro (ut dicunt) confecta, unde vocatum præcipitatum; hæc enim calore noſtro primum mutationis initium accipientia mox impendio magis, & corpus noſtrum, & argentum vivum, cui commixta ſunt, recalefaciunt, tum id ab intenſiore calore commotum, & intro magis penetrat; & reliqua ſimul, quibus adjunctum eſt, ſecum ducit, ideo ſal ammoniacus, ſulphur, atramentum ſutoriam argento vivo commixta, ut magis penetrant in corpus noſtrum, ita magis obeſſe, & corrodere, ulcerareque poſſunt, quam per ſe ſola, alioqui ubi argentum vivum his, quæ frigefaciunt (quemadmodum ceruſſæ, & pompholygi admiſcetur) quia caloris indigum eſt, haud æque ad penetrandum efficax eſt. At illud ſilentio præteriri non debet, quod etſi poſt unctiones (ut ante diximus) in humano corpore intus relinquitur: propterea tamen, ubi ad ſe redierit, & alicubi firmum permanſerit, non magis obeſſe, quam plumbum, ubi forte in aliquo hominis membro retinetur; ut enim id nihil permutat, ita nec illud, non enim tanta copia in ſingulis partibus eſt, ut ſuo pondere eas disrumpere, mox hominem necare poſſit. id ſuadere licet, tum quia E ceu plumbum, natura liquidum eſſe videtur. Ideoque ex plumbo plus ejus, quam ex alio metallo (ut quidam dicunt) extrahitur, tum quia ſi manu, ſi ore diutiſſime teneatur, nihil obeſt. ſed hoc differt, quod ubi motus aliquis ſolito vehementior fit, aut igni nimio ſe expoſuerit homo, ut accidit hyeme, & omnino ubi plus quam par eſt incalucrit: tum calore nimis multo citato argentum vivum, alioqui quod ad ipſum attinet quieſcens, agitatur, attenuatur, in exhalationem partealiqua vertitur, & hac illac per corpus errat, & pro corporis habitudine hunc febrem acutam, illi tuſſim, alicui coxendicis dolorem, aut aliquem alium affectum movet. Hinc quidam, qui alias uncti fuerunt, per ſingulos menſes febre adeo moleſta corripiuntur, ut parum abſit, quin moriantur, aliqui ſæpe afficiuntur tuſſi, quidam quibuſdam temporibus ſanguinem ore reddunt, quidam dyſenteria, quidam coxendicis dolore infeſtantur, quos ſi interrogaveris, ſtatim invenies calorem nimium paſſos fuiſſe. De cauſis igitur morborum tum ſymptomatum, quæ argenti vivi unctionem ſequuntur, hæc dicta ſufficiant.

## CAP. IV.

*Cur unctio ex argento vivo non inducat paralyſim, tremorem, apoplexiam & hujuſmodi, ii vero, qui ſupellectilia ænea vel argentea inaurant, ab argento vivo alia patiantur.*

Interim illud omittendum non eſt, quod pleriſque omnibus & nunc & antehac non leve negotium facit, nimirum qui fieri poſſit quod unguentum ex argento vivo paralyſim, tremorem, apoplexiam, ſurditatem & hujuſmodi non inducat, quum tamen (ut ex dictis præſertim Avicennæ patet) argenti vivi vapor fumuſve tum iſthæc, tum multa hujuſmodi efficere ſoleat, huic accedit experientia ipſa, ſiquidem ii, qui ſupellectilia tum argentea, tum ænea inaurant, (inaurant vero cum argento vivo) aliqui tremuli tum voce, tum corpore, aliqui paralyſi affecti, aliqui ſurdi quotidie cernuntur. Id facile diſſolvitur, ſi in memoriam revocaverimus, quod argentum vivum valde quidem refugit calorem, ſed maxime omnium ignem, & quod à calido in tenuiſſimas partes, nempe in fumum ſæpe inviſibilem vertitur, in longe vero tenuiorem atque ficciorem, à calido ſicco, ut puta ab igne, quam à calido humido, deinde quod quanto tenuior ficciorve ejus vapor, fumuſque fuerit, tanto magis efficaciter ſpiritus ipſos, qui animæ deſerviunt, diſſipat. Ut enim ii membris inſiti ſunt, eiſdemque obnixe inhærent, ita hujus vapor fumuſve genitus ab igne, multo maxime tenuiſſimus, atque ficciſſimus in membrorum intima ſubit, & violentia ſua ſpiritus inſitos interdum diſſipat, interdum deſtruit. Illinc tremores naſcuntur, hinc paralyſis, hinc apoplexia, nunc curabilis, nunc incurabilis, pro ut magis minusve diſſipati ſunt ſpiritus, quippe ii qui inaurant, ignem argento vivo ſupponunt, & ab hoc illud extreme attenuatur. at qui unguntur ad ignem quidem plerumque unguntur. Sed non ignis, ſicut ibi, unguento ſubeſt, quo fit ut neque illud ampliſſime ſolvat, neque extreme attenuet, neque admodum ficcet. Summa itaque eſt, argentum vivum affert paralyſim, tremorem, epilepſiam, apoplexiam, ſurditatem iis, qui inaurant, quoniam ab igne adeo attenuatur ficcaturque, ut ſpiritus corpori ingenitos diſſolvere deſtruereve poſſit, non affert iis, qui unguntur, quia non æque his, atque illis in tenuiſſimas partes dividitur & exſiccatur, cum humidis enim atque oleoſis miſcetur, neque igni æque ac ibi ſupponitur, quocirca ſi ſanis, non autem ægris (id quod omnes admirantur) obeſt, id non evenit (ut quidam putant) quia peculiare ſit illi ægris opitulari, & ſanis officere, ſed quia illius uſus apud ſanos alius eſt, quam apud ægros, quod ſi modo eodem utrique uterentur, utrique ſimiliter læderentur, at vero ſi nonnulli, qui unguntur, ſubinde tremore aut paralyſi aut epilepſia corripiantur, id evenit, quia cum valde ſiccis argentum vivum commiſcetur, ut puta cum cinnabari, cum ſublimato, & hujuſmodi, unde mirum non ſit, ſi ii, qui ſuffimentis ex cinnabari utuntur, his affectibus magis obnoxii ſunt, quam qui unguntur, argentum enim vivum in ſuffimenti cum re ſicca eſt, & igni ſubjicitur, à quo ipſum ut quanto maxime extenuari poteſt, extenuatur, ita deinde tenuiſſimum, & ficciſſimum factum, ſpiritus nobis innatos evertit, diſſipat, atque diſſolvit. Hactenus de eo, quod argentum vivum ſanis obſit & non ægris; quodque ejus unctio ægris tremorem, aut paralyſim, epilepſiamve non afferat. jam ad modos, uſusque hujus unguenti veniamus.

## CAP. V.

*De modis, & viribus unguenti ex argento vivo.*

Hujus unguenti ex argento vivo non unus, ſed perquam varius modus eſt: plerique multis illud admiſcent, ut ejus vitia corrigant, proinde qui ne venenum ſit timent, illi *theriacam*, *mithridatiumve* addunt, qui ne nimium calefaciat, neve corrodat, refrigerantia ut puta *lithargyrium ceruſſamve*, qui ne refrigeret, calefacientia videlicet *thus*, *aut myrrham*, denique alii alia prout cuique ceſſiſſe, aut ceſſurum eſſe videtur. Profecto hi ſi intelligerent illud agere (ut ante dictum eſt) tum quia in tenuiſſimas partes prompte dividitur, tum quia, quicquid ei occurrit natura ſuile, fundit & liquat, tot quia, quicquid ei occurrit natura ſuile, fundit & liquat, tot tantisque mixturis nequaquam inſiſterent. Si enim diligenter extinguatur, ſimulque alicui rei commiſceatur, quæ non dura ſiccaque ut lignum, ſed mollis facileque fuſilis, ut pin-

guedo, nec fluida tenuisque ut aqua, sed constans, crassaque ut butyrum, sic nulla plane alia mixtura indigebit, quippe si venenum est, ea ferme ratione est (omitto pondus) qua in tenuissimas partes à calore divisum, & in exhalationem conversum, aut nimium liquat, aut dissipat ea, quæ constare debent; sed *theriaca*, & *mithridatium* calorem, qui minor aliquando requiritur, augent, quo pacto magis lædunt, quam juvant. At vero si corrodit, hoc est si nostri corporis particulas putrefaciendo exurendove exedit (nam alio modo rodit, dum attenuare attereve dicitur) illud in homine non per se facit: si enim non valà, quibus continetur, neque ventriculum, neque os ubi integrum aliquando devoratur (ut ante diximus) corrodit, certe ubi post unctionem in corpore (ut anatome jam notum fecit) relinquitur, partes, quibus inhæret, perpetuo roderet: id quod minime videtur. sed quod penitus non rodat, absurdum est, rodit enim corpus nostrum, si cum re valde ficca, aut valde calida, ut puta cum *sale ammoniaco*, cum *sulphure*, cum *alumine*, cum *atramento sutorio* jungitur. quin imo illorum facultatem longe magis auget, tanquam id quod ad penetrandum maxime conferat; verum ubi fine rodentibus, fine vehementer siccantibus calefacientibusve fuerit, non rodit, id est, putrefaciendo, exurendove non exedit, quia illud sive in majores partes coadunatum, sive in minimas divisum nisi aliquid sui generis, ut *aurum*, *plumbum*, *stannum*, *argentum* ei occurrat, aut nisi cum aliquo fusili valde sicco calido erodenteve, ut puta cum *sale ammoniaco*, *atramento sutorio*, *auripigmento* misceatur; semper sibi ipsi cohæret, & per singulas partes obtusa, rotundaque; acie constans, obvium sibi corpus in minima terere, putrefacere, exurereve non potest: quemadmodum aqua (nam & aqueum illud est) quippe quæ cum *alumine*, cum *arsenico*, cum *sublimato* juncta corrodit, sola vero humectat, mollit, refrigerat, accedit & humor, qui in homine naturaliter est, qui nunquam sine aliquali crassitie, lentoreve reperitur, tale vero unumquodque tantum abest, ut argentum excitet ad rodendum aliquid, ut ejus impetum compescat, retineat, extinguat. Cæterum per se solum rodit, hoc est atterit, pulverat, & (ut dicunt) aurum devorat, plumbum, stannum, argentum, quoniam hæc & substantia solida sunt, quæ atteri potest, non autem fluida, quæ non potest, & potestate talia, quale illud actu est, existentia cum illo se se miscere non prohibent. Ideoque lignum siccum, & vitrum, & alia ejusmodi ab eodem non roduntur, quia licet ab alio atterantur, ab illo tamen, propter substantiæ dissimilitudinem, ut penetrari nequeunt, ita neque se invicem aggrediuntur, neque se mutuo permutant. Contraque ea, quæ in nostro corpore sunt, fluida enim & corpulenta, æque atque illud existentia ab eodem penetrari, juxta ac attenuari queunt.

Porro arborem, facto circa caudicem foramine, subinde intro futum interimit, non rodendo quidem, sed siccando, quippe quod per caudicem se diffundens, & suo pondere deorsum tendens, non finit alimentum in superiori trahi, & se se infra magis premens in radices usque fertur, & arborem ali prohibet: contra vero post unctionem per hominis ossa oberrans ea non æque siccat, non æque alimentum illis impedit, quoniam hæc divisa sunt, non continua, non fixa loco, non immobilia, non ab ima tantum parte nutrimentum trahentia sicut arbor. Quum igitur hinc inde, hac illac, sursum deorsumque moveantur, quantum *lithargyros* deorsum suo pondere incumbit, tantum illa suo motu impediunt, repellunt, & alio vertunt. quibus accedit humoris qualitas, qua veluti totum corpus (ut proxime diximus) afficitur, ita & ossa afficiuntur. Quod si quandoque post argenti vivi usum aliquorum ossa putrescunt atque roduntur, potest id quidem (citra Gallicæ labis vitium) ab argento vivo contingere, sed quia scilicet vel cum iis, quæ putrefaciunt uruntque miscetur, vel ignis, dum æger ungitur, nimis immoderatus est, utpote qui propter suam violentiam cogat argentum vivum in ossium medullas abire, quo postquam ingressum est, alimentum prohibet, & ossa, sicut arborem siccat, aut innatum calorem illis aufert, & perniciosam putredinem excitat, itaque si corrodit, sæpius ex accidenti quam per se corrodet, si videlicet ea, quæ id præstare solent, illi inungantur, ut *auripigmentum*, *atramentum sutorium*, *ærugo* hæc enim ab illo in altum ducuntur, & quanto celerius (ut infra quoque dicetur) tanto infensius corrodunt, ulcerantque; quocirca magnam ejus erotionem timere, si nihil tale illi misceatur, potius est ipsum impedire, quam ejus vitium aliquod corrigere, etsi enim, ubi ex solo argento vivo & axungia unctio adhibetur, tum palatum & fauces & gingivæ exulcerantur: id tamen non ab illo, sed ab humoribus, qui in ægri corpore putrefiunt (ut ante diximus) contingit, & quia nec impense frigefacit, neque impense calefacit, vanum est hujus frigoris, aut caloris, adeo curiosum esse: subscribam igitur modum simpliciorem atque commodiorem, reliquos referam, non quod necessarios, utilioresve esse putem, sed ne illos omisisse videar. At illud imprimis scire licet, omne quod ex argento vivo unguentum conficitur, ad omnem quidem morbum Gallicum auferendum valere, præsertim vero ad eum, qui non ad exteriora, sed ad interiora, ut puta ad ossa, maxime repit. Ulcera omnia præcipue circa cutim celeriter exsiccare sanareque valere, item tum ad mitem, tum ad sævum, & ad novum, & ad veterem, sed quoniam efficacissimum est, & nonnunquam sine magno timore hactenus adhibetur, in usu potissimum esse contra veterem atque contumacem, qui aliis auxiliis non obedit, & postquam hæc omnia jam consummata sunt, gummitiones tum recentes tum leves, si in carne fuerint, facile tollere, si in osse non facile, & antiquas atque præduras in carne quidem difficile, in osse autem nunquam hactenus visum esse, pilorum defluvium antequam inceperit prohibere, & postquam inceperit sistere, succum enim omnem vitiosum, qui ad cutim prorumpit, & pilos erodit, ad interna trahere, & alio avocare, lippitudinemque ex morbo Gallico natam, & aliis auxiliis rebellem, plerumque sanare oculorum hypocrima (suffusionem Latini vocant, vulgares floccum) ut alias discussi, quemadmodum experti sumus, ita in futurum discutere posse, atque hæ sunt illius utilitates. Nocumenta vero (nisi statim, aut sudorem, aut urinam, aut dejectionem, aut sputum, aut aliquam aliam vacuationem moveat, aut ante motam simul foveat) eum qui ungitur primis diebus carne & facie plerumque inflari, rubere, sitire, eidem caput turbari, attonitum fieri, corpus dissolvi, laxari, vires deficere, deinde gingivas tumescere, putrefieri, dentes moveri, linguam in tumorem attolli & interdum una cum labris nigrescere, quandoque delirium aut tremorem accedere; postremo tantam materiæ copiam cum tanta fœditate per os exire, ut non solum assistentes, sed etiam musceæ quandoque illam abhorreant, denique ad extremam extenuationem deducere: sed tum maxime hujusmodi symptomata creantur, quum ille, qui ungitur, ulceribus quam plurimis scatet, & ab eisdem quamprimum vendicatur, his enim propter argentum vivum citius justo siccatis humorem omnem in corpore retropellit, qui una cum argento vivo pererrans nisi vel aliquod ante pepigerit, in caput (ut diximus) ascendit & hujusmodi symptomata parit: neque ignorandum est magnopere obesse, quibus alvus perpetuo fluit, & quibus nimis adstricta est, & quibus angustum pectus, aut spirandi angustia, & quibus destillatio à capite in thoracem & valde imbecillis, & quibus venæ nimium plenæ sunt, & corpus omnino plenum & quibus nimis extenuatum & quibus obesis angustæ valde sunt venæ & sanguinem extussientibus: ut pote quod venas frangat. Minus vero nocere, si quis in ano fistulam, aut alibi patiatur (per hanc enim sæpe vacuari materiam, quæ turgenti similis facta est) minus etiam robustis, & validis, magis vero macilentis, & debilibus. Interea vero ubi æger ungitur, si circumfusi aëris calor, qui ab igne fit, ultra modum existat, ea parere mala, quæ diximus; sin citra liquare quidem humores in partibus inunctis, sed sæpe hos in eisdem relinquere, qui gummitiones, quæ minime inerant, accrescere, & subinde ossa corrumpere, putrefacere & carie afficere solent, imbecillis enim calor motum argenti vivi hebetat, & humorum, qui ab eodem moventur, expurgationem impedit; quare illi intus relicti nunc durescunt & in gummitiones vertuntur, nunc putrefiunt, & carnem & ossa corrumpunt. Hujus igitur unctionis nocumenta & hæc & talia sunt. Modus vero quidam est, videlicet *accipe argenti vivi lib. 5. butyri aut axungiæ, expurgatæ q. s. ad spissandum, & argentum vivum extinguendum*, hic modus quanto expeditior est, tanto magis est aliis præponendis: In reliquis argentum vivum in primis extinguunt, aliqui *cum hominis jejuni saliva* diu agitando fere decem pluribusve diebus, alii qui *cum succo citronali seu citrii*, aliqui *cum salvia*, aliqui *cum lentore limacum, cum oleo amygdalino, cum rosaceo, cum axungia, cum butyro, cum sulphure*, & alii aliter, modus igitur alius. *Accipe argenti vivi unc. iiij. sublimati q. j. rhodomellis unc v. deinde diu agita, mox adde butyri unc. i.*

Hic modus, quo pauciora continet, quam sequentes, eo probabilior est, sed quo plura, quam proxime dictus, eo inferior est quam ille, aut *Sume argenti vivi extincti, lithargyrii aurei vel argentei, bytyri ana unc. iiij. sublimati unc. s. Misce*, talis modus frequens est apud quosdam, communem tamen quam maxime diximus censuram subit. Aut *cape argenti vivi unc. iiii. styracis liquidi theriacæ ana unc. s. misce, fiat unguentum.* Aut *sume axungiæ liquatæ lib. i. unguenti Agrippæ, Martiaton, olei laurini, terebinthinæ ana unc. iij. mercurii*, id est, *arg. vivi extincti unc. vi. sublimati drach. ij.* Modus hic non est negligendus, nisi sublimatum cum his calidis cutim exurat, rubefaciat, in tumorem attollat. sic enim argentum citra cutim ut plurimum retinetur, parum intro penetrat; opusque suum minime absolvit. aut *accipe axungiæ liquatæ lib. i. butyri recentis lib. s. olei laurini unc. iiij. vulpini, hyperici, terebinthinæ ana unc. v. styracis liquidi, loti cum aqua chamæmeli & vino Cretico unc. ij. olei de sulphure unc. s. cinnabaris unc. i. s. argenti vivi extincti unc. vi. sublimati drach. i. ceræ q. s.*

Eadem ratio hujus est & præcedentis, propter *cinnabarim*, & *sublimatum*. Aut *sume salis ammoniaci drach. i. baccarum lauri unc. i. aquæ vitæ unc. i. s. thuris, lithargyrii ana drach. ij. argenti vivi extincti drach. iii. axungiæ porcinæ recent. q. s.* Aut *cape argenti vivi extincti,*

*mar-*

*marcasitæ argenteæ, sulphuris vivi, thuris, lithargyrii an.* A *partes æquales. Terantur, atque omnia cum acerrimo aceto reponantur die uno ac nocte, deinde siccentur, ac rursum terantur addendo olei ros. q. s. fiat unguentum.* Aut *accipe cinnabaris, picis Græcæ ana drach. i. succi allii unc. i. axungiæ porcinæ unc. ii. arg. viv. extincti, salis communis ana unc. s. Terantur super lapidem pro unguento*, aut *sume vulgaris calami aromat. radicis menthæ, radicis zedoariæ ana unc. s. baccarum lauri unc. ii. argenti vivi drach. iii. ol. laurini, rutacei ana q. s. misce pro unguento.* aut *cape cerussæ, lithargyrii ana unc. s. sang. draconis, myrrhæ, masticbes, thuris ana drach. ii camphoræ drach. i. arg. vivi drach. iiii. axungiæ porcinæ, ol. laurini, ol. communis ana unc. s. misce pro unguento.* ex his quinque modis proxime dictis, primus, tertius, quartus, & quintus pro qualibet unctione singulatim consummari possunt: secundus, qualem alii, qui scripti sunt & scribentur, mensuram habent, talem habeto. Singuli vero juxta id, quod ab initio admotavimus, culpa non vacant. Aut *cape axungiæ colatæ. lib. i. s. ol. terebinthinæ, mastichini, laurini, nardini ana unc. i. s. styracis liquidi, cerati oxycrocei ana* B *unc. ii. s. masticbes, thuris, myrrhæ ana unc. i. lithargyrii auri unc. v. cinnabaris unc. i. rad. inulæ vino albo bullitarum unc. iii. camphoræ unc. s. ceræ albæ unc. i. s. arg. vivi extincti unc. viii. Fiat ungnentum.*

Id quale sit, ex proxime dictis facile cognosci potest. olim, si æger validus erat, totum ejus corpus, præter ventriculum, hoc ungebant, sin imbecillis brachia tantum, & crura. Aut *sume rad ebuli, hederæ, dictamni, gentianæ, inulæ, brioniæ, hermodact. ana man. i. Contundantur hæc omnia leviter, & ex vini Cretici lib. xii. ad tertiæ partis decrementum coquuntur, subinde adde. Amaraci, baccharis, chamæmeli, absinthii, hyperici, lavendulæ, origani, thymi, nepetæ, pulegii, calaminthæ ana man. j. s.. Iterum ferveant ad dimidii decrementum, mox adde florum roris marini, primulæ veris, salviæ ana man. i. Deinde modico temporis intervallo bulliant, postea colentur, præloque exprimantur, & huic expresso adde ol. rosac. chamæmelini, hypericini, costini ana unc. i. s. terebinthinæ lib. s. resinæ pineæ unc. iii. Bulliant ad perfectam vini consumptionem, interim quum ab igne removentur, indantur, croci drach. ii. cinnamomi, calami arom., ligni aloës, styracis calamit. ladani, benzuin ana drach. i. cinnabaris unc. i. arg. vivi extincti lib. s. sublimati drach. iii. axungiæ porcinæ lib. i. ceræ q. s.*

Hic artificem magnopere ostentat: Nocet iis, qui vehementer calidi sunt, & qui cum calore alieno luem Gallicam patiuntur, & qui carne tenera mollique sunt, & tanquam spongia ad recipiendum prompta, *sublimatum* enim & *cinnabaris* accedentibus aliis valde calefacientibus (ut proxime diximus) cutim fere exurunt, & argenti vivi actionem sæpius remorantur, ut mirum non sit, si absque his multo melius, quam cum his interdum agat. Alius modus. *Accipe butyri unc. iii. Axungiæ nec veteris nec novæ lib. i. theriacæ x. annorum unc. i. s. mithridatii unc. i. argenti vivi unc. ii. s. lithargyrii auri, salis communis ana unc. i. Fiat unguentum s. a.* Alii addunt *cinnabaris unc. s. masticbes, colophoniæ ana drach. v. ol. laurini q. s. Lithargyros, theriaca, mithridatium* (ut ante diximus) superflua sunt, de *cinnabari*, vide quæ proxime scripsimus, de reliquis reprehendi non potest. Alius modus. *Accipe a-* D *xungiæ liquatæ lib. i. pingued. gallinæ unc. iii. ol. liliorum alb. unc. i. s. arg. vivi unc. v. plus minusve pulv. thuris, olibani, masticbes, salviæ, stœchados, lithargyrii, cerussæ ana unc. i. aquæ vitæ unc. ii. Inprimis argentum vivum cum axungia in mortario lapideo extinguatur; mox adde reliqua, continue agitando donec ad argenti spissitudinem deveniant, deinde duobus diebus plus minusve, quo fermententur, dimittito: postea utitor.* Si ulla mixtura cum argento vivo reprehensione careret, hæc certe careret, non enim æger periclitatur, quod illius facultas intra cutim remoretur (sicut in proxime dicto) neque quod intro subire non possit, nam quantum *lithargyros, & cerussa* refrigerant, tantum & multo plus reliqua temperant. Aut *sume axungiæ à suis membranis purgatæ, & absque igne colatæ lib. ii. argenti vivi lib. i. olibani unc. iii. cerussæ unc. ii. lithargyrii unc. i. Fiat unguentum, extincto prius argento vivo cum axungia.*

Hic modus, quo simplicior, quam proxime dictus, eo probabilior est. Aut *capias axungiæ purgatæ* (*ut dictum est*) *lib. s. pinguedinis anatis unc. iii. gallinæ unc. ii. ol. rosacei,* E *liliorum alb. ana unc. i. arg. vivi unc. v. lithargyrii aurei, olibani ana unc. i. myrrhæ unc. s.*

Addunt *gallinæ, aut anatis, aut anseris pinguedinem*, quando cum morbo Gallico multi adsunt tumores, quum tamen *argentum vivum axungiæ* duntaxat bene mixtum, illos, si apti sint detumescere, omnino resolvat, addunt etiam, si dolores adsint, *oleum liliorum alb. terebinthinæ, & baccarum lauri*, quum tamen *argentum vivum* distensionem solvendo, dolorem summoveat. Alius modus. *Accipe axungiæ liquatæ lib. i. s. argenti vivi unc. viii. ol. laurini unc. i. theriacæ, masticbes, thuris, myrrhæ ana unc. i. succi fumi terræ unc. i. s. lithargyrii, cerussæ ana unc. ii. misce, fiat unguentum.* de hac mixtura satis ante disputavimus. Alius modus. *Sumas axungiæ colatæ unc. viii. argenti vivi unc. ii. thuris unc i. ol. de junipero unc. x. aq. vitæ unc. i. misce, fiat unguentum.*

*Oleum juniperi* forte miscent, quoniam id contra dentium, & nervorum, & articulorum, ac totius corporis dolores à frigido provenientes potissimum valere putatur, id quod si cum hoc unguento præstaret, optimum factu esset illi commiscere: verum id experientia declarabit, siquidem id oleum cum argento vivo experiri multum periculum, quod ad ipsum attinet afferre potest, reliqua quantum commixta prosint, ex proxime dictis facile scire licet. Alius modus. *Capias axungiæ colatæ, pingued. gallinæ, anatis ana lib. s. olei liliorum alb. rosacei, laurini ana unc. i. thuris, masticbes, myrrhæ ana unc. s. salviæ, stœchados ana drach. viii. lithargyrii auri unc. i. unguenti dialtheæ unc. ii. argenti vivi unc. v. aquæ vitæ unc. i. misce, fiat unguentum.*

Valere dicunt, ubi tumores antiqui sunt, & præduri, neque solum solitas corporis partes esse tum inungendas, sed etiam eas, quæ tumoribus affectæ sunt.

Alius modus pro divitibus (ut dicunt) & æque valens atque prædictus. *Accipias maceris, cinnamomi, caryophyllorum ana unc. s. granorum paradisi drach. iii. rosarum rubearum, corticum citri ana drach. v. nuces moschatas unc. iii. Contundantur omnia, & in aqua communi per diem infundantur, postea impone axungiæ porcinæ veteris lib. v. deinde bulliant quoad aqua consumatur.* mox *cape dictæ axungiæ lib. ii. argenti vivi unc. vii. thuris unc. ii. cerussæ, lithargyrii ana unc. i. s. stœchados, myrrhæ ana unc. s. Misce in mortario lapideo semper agitando, in fine adde moschi resoluti in oleo rosaceo scrup. s. fiat unguentum.* Id ut pretiosius est, ita minus necessarium, non enim aliter divites, aliter pauperes curare oportet, eadem namque apud omnes est medicina: sed si quis uti velit, impediri non debet: minus enim lædetur, quam si multis ex supradictis utatur. C Aut *argenti vivi salviæ succo extincti unc. iii. ol. veteris unc. iiii. ol. thuris (ut autem si. ut oleum mastichinum) unc. ii. ol. mastichini unc. i. pingued. porcinæ unc. ii. s. ol. laurini unc. i. s. ceræ virginis unc. ii. dialtheæ unc. i. thuris, masticbes ana unc, i. sagapeni unc. i. s. Fiat unguentum secund. art. in fine addendo argentum vivum.*

Id utilius est, atque tutius quam proxime dictum. Alius modus. *Sume argenti vivi salviæ succo extincti. unc. v. plus minusve. Axungiæ porcinæ colatæ unc. xiii. pingued. Gallinæ unc. ii. ol. juniperi unc. i. thuris, salviæ, lithargyrii, cerussæ ana drach. vii. misce, fiat unguentum s. a.* Aut *axungiæ porcinæ, ursinæ ana unc. iii. pingued. gallinæ. ol. liliorum albornm, ol. laurini ana unc, ii. arg. vivi extincti unc. vi. Pinguedines non liquentur, sed extractis pelliculis in mortario diligentissime terantur, deinde argentum vivum jam extinctum sensim admisceatur.* Post adde *pulverem thuris, masticbes, myrrhæ, ammoniaci, styracis, salviæ, stœchados, lithargyrii, cerussæ ana unc. s. Fiat unguentum.* Aut *butyri diligenter loti unc. iiii. arg. vivi succo salviæ extincti unc. ii. succi limonum unc. vi. sublimati g. i. cerussæ* D *unc. i. lithargyrii unc. s. Fiat unguentum.*

Ex dictis videre licet, quantum hi modi valeant, sunt vero non spernendi, & si qui alii his similes, in usum admitti possunt. Alius modus. *Cape axungiæ porcinæ depuratæ & sine sale lib. i. argenti vivi succo salviæ extincti unc. iii. olei antiqui unc. viii. olei thuris unc. ii. olei mastichini unc. i. ol. laurini unc. i. s. fecis operis apiarii unc. ii. dialtheæ unc. i. thuris, masticbes ana unc. i scrapini unc. i. s. Secundum artem fiat unguentum.* Mox pro pituitæ, & bilis tum atræ, tum flavæ redundantia variant, tanta cum subtilitate, ut non solum legentes, sed seipsos sæpe lateant, porro unguentum id quo minus habet argenti vivi, eo minus efficax est, in cæteris non magis damnandum, quam reliqua perquam multis commixta. Alius modus. *Assume axungiæ porcinæ colatæ lib. i. ol. chamæmelini, anethini, mastichini, laurini ana unc. i. styracis liquidi drach. x. radicum inulæ, ebuli ana unc. iiii. schœnanthi, stœchados ana parum. euphorbii unc. s. vini odorati lib. j. s. Omnia simul bulliant, quoad vinum absumatur, deinde exprimantur, expressioni adde lithargyrii aurei unc. viii. thuris, masticbes ana unc. vi. terebinthinæ claræ unc. i. argenti vivi cum saliva extincti unc. iiii. ceræ albæ, resinæ pineæ ana unc. i. s. fiat unguentum s. art.*

Mediocres vires habet, tum multæ mixturæ, tum euphorbii reprehendi potest, illius quidem, quoniam argentum vivum (ut ante monuimus) paucioribus eget, hujus vero, quoniam id nimis calefaciendo cutim adeo exurit, ut argenti vivi penetrationem circa cutim remoretur, & impediat, quemadmodum de sublimati, & cinnabaris cum

illo mixtura paulo ante docuimus. Alius modus. *Cape axungiæ porcinæ liquatæ unc. vi. (alii unc. iii. Sed tunc nimis vehemens unguentum fit) argenti vivi unc. iiij. ſtyracis liquidæ, theriacæ ana unc. ſ. miſce, fiat unguentum ſ. art.*

Id efficacius eſt proxime dicto, parumque diſtat ab eo, quod omni cenſura vacat, quoad mixturæ conditionem. Aut *ſume axungiæ porcinæ purgatæ unc. v. olei laurini, argenti vivi extincti, ceræ mundæ, thuris albi, maſtiches ana unc. ij. ſalis communis unc. viii. ſucci plantaginis, ſumi terræ ana unc. ii. fiat unguentum ſecundum artem.* Alius modus. *Accipe unguenti Aragon unc. vi. butyri recentis, bene loti unc. iiii. axungiæ ſuillæ unc. ii. argenti vivi unc. iiii. maſtiches, colophoniæ, camphoræ, gummi arabici ana unc. ſ. ol. laurini unc iii. myrrhæ, ſtyracis, bdellii ana. unc. vi. miſce, fiat unguentum ſ. art.*

Hoc utuntur in temporibus mediis, & temperaturis neque calidis, neque frigidis. Ubi vehemens illud efficere volunt, *pro unc. iiii. argenti vivi, ſex imponunt.* Aut *cape unguenti Aragon unc. vi. axungiæ ſuillæ aqua roſacea lotæ, butyri eadem aqua loti ana unc. iiii. camphoræ unc. ſ. bdellii, ſtyracis, myrrhæ ana drach. iii. olei nenupharini unc. iii. maſtiches, gummi Arabici, colophoniæ ana drach. ii. miſce, fiat unguentum ſ. a.*

Hoc vero per æſtatem, & ad calidum temperamentum utuntur.

At per hyemem, & ad frigidum temperamentum infraſcripto, videlicet. *Sume ung. Aragon unc. viii. butyri loti cum aqua ſalviæ, pinguedinis equinæ ana unc. iiii. ol. laurini unc. v. myrrhæ, aloës, croci, ſtyracis, bdellii ana unc. ſ. maſtiches unc. i. ſ. mithridatii, theriacæ ana unc. ſ. arg. vivi unc. iiii. petrolei unc. iii. ſulphuris unc. ii. miſce, fiat ſ. a. unguentum.*

Interdum vehementius conficiunt, addentes *pro unc. iiii. argenti vivi unc. vi.* interdum imbecillius, ut puta *pro unc. iiii. unc. ii. aut iii.* admonentque per æſtatem nunquam plus argenti vivi quam *unc. iiii.* imponendum, quandoquidem ob æſtatis calorem vires nimium reſolvuntur. Aut accipias. *ol. chamæmelini, anethini, laurini, irini, roſacei ana drach. ii. terebinthinæ unc. i. axungiæ ſuillæ recentis lib. ſ. lithargyri aurei, ceruſſæ, ſublimati pul. ana drach. ii. Bulliant ſimul: quum ab igne removentur adde cineris vitis, thuris, maſtiches ana unc. ſ. Omnia ſimul miſceantur, ad unguenti formam conficiantur*; poſtea *cape argenti vivi extincti unc. iii. ſtyracis liquidi unc. i. Miſce omnia ſimul in mortario, diligenter pinſentur quoad probe ſimul mixta fuerint, & in unguenti formam redacta.*

Hac unctione quidam indifferenter utuntur tam in calidis, quam frigidis naturis, tam æſtate, quam hyeme, & mediis temporibus. Hactenus de variis ex argento vivo unguentorum modis adverſus Gallicum morbum, quibus adeo varie medici utuntur, ut magis, quid ſibi quisque perſuaſerit, appareat; quam quid evidenter comperit.

## CAP. VI.

### *De uſu unguentorum ex argento vivo.*

USus horum ita ſe habet, omnes poſtquam præparatum, & vacuatum corpus eſt (quemadmodum 3. lib. docuimus) ungunt apud ignem, quoad fieri poteſt, vehementiſſimum, quo unguentum magis intro penetret quippe quum argentum vivum (ut diximus) maxime refugiat ignem, quo hic vehementior eſt, eo magis illius motum accelerare videtur, & copioſiorem efficere purgationem; quo autem debilior, eo magis tardare, & purgationem aut prohibere, aut minuere, quidam vero ante cibum tribus ad minimum horis, tum mane, tum veſperi à genibus ad uſque pedes, & à cubitis ad uſque manus univerſas ungunt, quidam mane tantum, ſed ab humeris ad extrema manuum; & à coxis ad pedum ultima, quidam dumtaxat tertia poſt cœnam hora, primum à pedibus ad genua, ſubinde à cubitis ad manus, ac ſi virtus fortis, & morbus vehemens fuerit, inguina etiam ungunt, & illi oſſa, & ſcapularum articulos: quidam imitati Meſuem, qui unguentum pro ſcabie, quod argentum vivum recipit, deſcribens, manuum palmas ungendas, & non alia membra jubet, has easdem, & pedum plantas ad magnum ignem duntaxat ungunt. Omnes vero, ne principale membrum aliquod ungatur, præcipiunt. Quod Avic. 4. primi cap. 1. & 7. 4. à medicamentis fortibus, quale eſt unguentum ex argento vivo, in membris principalibus temperandum eſſe jubeat, ex iis tamen aliqui; ſi caput aut thorax gummitiones patiatur, nihilominus has partes inungunt; ſcrotum vero, ne ungatur, admonefaciunt, quod ſubinde acri pruritu afficiatur, & pelle exuatur. Tantum vero unguenti ſingulis vicibus adhibent, quantum *argenti vivi drachm. i. aut drachm. ii. & ad ſummum drachm. iii.* abſumat: his enim præſcribunt debile, mediocre, validum; unctione adhibita quidam faſciis uncta membra involvunt: quidam ſtupa cannabina; mox hominem in cubile calidum clauſo cubiculo locant tectum undique pannis laneis aut pellibus: forte, ut extrinſecus magis calefacto corpore promptius ad interna feratur unguentum; ſed ipſi dicunt, ut ſudorem cieant: idque per horam integram, dein per alteram tegmenta paulatim minuunt, & ſudorem abſtergunt; tertia quieſcere ſinunt; his tranſactis cibant, non autem licuti de ligno Guajaco ſumendo dicebatur, ſed longe aliter. exhibent enim ſemper aut gallinæ carnes, aut phaſiani, aut perdicis, aut avium non aquatilium, aut hædi, aut vituli, non aſſas quidem ſed elixas; ſi devorare nequeunt, pinſunt, & vocatum piſtatum ex eiſdem conficiunt, ſubinde propinant: dant & ova, præbent vinum validum album optimum, ſæpius abſque aqua, in ſumma id maxime ſtudent, ut æger & optime & liberaliter nutriatur: magnopere enim timent, ne vires ejus ab unctione nimium reſolvantur. quidam per ver duntaxat ungunt, alii & per ver, & per alia tempora, modo quæ dicta ſunt ſerventur, per hyemem calido cubiculo, donec unctio abſolvatur, ægrum continent: per æſtatem temperato, per autumnum & ver ad calidum inclinante. quidam ungunt quotidie, niſi quid impediat, ad uſque nonum diem. Interdum uſque ad duodecimum: tum quicquid evenerit ulterius non procedunt. neque permittunt interim lintea, camiſiasve mutari, ſed uſque ad unctionis finem eadem, quæ ab initio, teneri præcipiunt. Quidam quoad dentes doleant, & materia per os, aut per alvum aut per cutim accedente ſudore ſatis exire cernatur, ſimulque dolores, gummitiones, ulcera, & reliqua remittantur: neque dierum numero, ſed his apparentibus unctioni terminum præfigunt, adeo ut ſi quindecim diebus, aut pluribus adhibita unctione nihil mutatum ſit, ſiſtendum non eſſe velint priuſquam antedicta appareant; niſi forte virtutis defectio contingat, aliqui, ſi alvus (dum fit unctio) aſtringatur: mane ante illam præbent *ſcrup. i. pil. Alexandro attributarum* quæ habent. *hellebori nigri, turbith, ſcammonei ana drachm. i. agarici, rhabarb., epithymi, ana drachm. ſ. ſalis gemmæ, maſtiches, aniſorum, cinnamomi, gingiberis ana ſcrup. ſ. miſce, & cum ſyrupo roſ. quem ſolutivum appellant, fiat maſſa, ex qua cape, quod dictum eſt.* Admonent ii, non utendum eſſe forti unctione ultra nonum diem, mediocri ultra decimum, imbecilla ultra duodecimum. Secundo tertioque die ægrum, qui nuper infeſtus eſt, deterius habere, quarto dolores remitti, ulcerum cruſtas minui, dentes dolere, gingivas ulcerari: qui vero jam diu inquinatus eſt, ad ſextum uſque diem gravius infeſtari: poſtea priſtinæ ſanitati, materia perquam multa per os plerumque manante, fere omne reſtitui. finita (ut dictum eſt) unctione: inſtituto hujus gratia balneo, corpus, præcipue vero uncta membra, lavant; lavant vero mane ante prandium diebus minimum tribus, nunc quotidie, nunc alterno quoque die: lavacra quiſque fingit, prout ſibi videtur, horum aliqua idonea proxime dicentur. optima ſunt *ex furfure, malvis, althææ radice, ſemine lini, fœni Græci, & hujuſmodi.* Hæc de uſu unguenti ex argento vivo, pro ut alii tradiderunt, ut vero is redarguendus non eſt, qui nono dierum numero unctionem præſcribit, (non enim dies aliquis unctionis terminus, ſed, ut arbitror, plerumque intra hos dies Gallici morbi materia per os, aut per alias vias expurgatur) ita tutum non eſt, ſi poſt duodecimum nihil mutatum ſit uſque ad viceſimum, & triceſimum, & ultra inungere, & materiæ exitum expectare.

## CAP. VII.

### *De occaſione adminiſtrandi unguenti ex argento vivo.*

QUi id efficaciſſimum eſſe vident, putantque pro ejus uſu nihil referre, qualis morbus ſit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni, nullam ſane in eo adminiſtrando, modo præparatum ſit (ut diximus) corpus, occaſionem reſpiciunt: quidam vero in anni temporibus eam tantum ſtatuunt, alii enim vere magis quam alio tempore illud prodeſſe credunt, alii hyeme, alii circa veris initia. Porro ſi morbus juxta ſuæ naturæ impetum (ut 2. lib. declaravimus) ad exteriora prorumpat, levis an gravis fuerit, importunum eſt adverſus eum cum hoc unguento pugnare; quippe quod ad interiora violenter pellit, ille vero ad exteriora ſponte meat. In muliere quoque ſi membra pro conditione ſua ſortiatur, & in puero, & in ſene, & in homine ſucci pleno tutum non eſt, ut enim mulier per menſtrua purgari, ita illud contra ſurſum ad caput repere, & ſuperflua ducere ſolet, & ut puer tenera ſubſtantia conſtat, ita illud hanc nimium liquefacit atque diſſolvit, & ſenex ut paucos ſpiritus habet, ita id illos

illos protinpte deſtruit, & ſucci plenus ut diſtillatione citata graviter offenditur, ſic id & bona & mala, quæ ſunt in caput pellens aut trahens, infenſiſſimam deſtillationem excitat. Ex anni temporibus ætas non modo contraria eſt, quoniam ad externa revocat, illud vero ad interna vergit, ſed etiam quia magna per os vacuatione ſequente neceſſe eſt hominem difficulter nutriri, valde debilitari, & mortis diſcrimen ſubire, & hæc eo magis contingere, quo regio calidior fuerit, huc accedit, quod per ætatem homo calorem extrinſecum, ſi augeatur, pati nequit. Id vero, niſi calor tum loci, tum circumfuſi aeris, auctus ſit, ægre in corpus ſubit, ægre tum ſputum, tum alias vacuationes movet. Nunquam vero non periculoſum eſt vel eo nomine, quod materiam fere omnem ad caput coacervat, ſubinde confertim per os ducit cum tanta fœditate, inquietudine, labore, deſperatione, ut mors quælibet per id tempus eligenda magis eſſet. Sed res admonet, ut quando ſit hujus præſidii exhibendi occaſio, explicemus. jam enim potius quando non ſit, quam quando ſit, oſtendiſſe videmur. Hujus igitur adminiſtrandi occaſio tum erit, cum morbus contra ſuæ naturæ impetum (ut 2. libr. diximus) ad interna feratur, & carnes juxta ac oſſa depaſcit, omneque aliud curationis genus effugit, neque *decocto Guajaci ligni*, neque *ſarzæ parillæ*, neque *Chinæ radici* obedit. Satius eſt enim tandem id anceps auxilium experiri, quam nullum, etſi namque certa fiducia non eſt, dubia tamen ſpes certa deſperatione potior exiſtit.

Major vero fiducia eſt, ſi fiſtula vel in ano vel in alia corporis parte fuerit, ſi ægroto de capite in ventriculum ſubinde per alvum deſtillatio paulatim & modice prodire ſolet, utrolibet enim modo magna materiæ portio, quæ per os cum tanta moleſtia excerni debebat, per hæc loca evacuatur: adeo ut æger minus multo periclitetur. Minus etiam periculi ſubeſt, ſi dum unctio fit, nulla ſitis adſit, ſtatimque exſpuere, vel egerere ægrotus incipiat, ſi dum os, & palatum, & fauces incaleſcunt, ſiccantur, ſitiſque ingens oritur, tunc adhibitis idoneis remediis hæ partes facile humectentur, & ſitis exſtinguatur, acceleratur enim per os paulatim evacuatio, & ne confertim & cum periculo prodeat, impeditur, ac licet mulieribus ſecurum non ſit, minus tamen his officit, quæ copioſa menſtrua habere ſolent, quam quæ pauca aut nulla, minus tum his, tum viris, quibus latiores ſunt meatus expulſorii, ut veſicæ, alvi, palati, narium, & hujuſmodi, quibus ulcera magna ſunt intus & foris, quam quibus integra undequaque cutis eſt. Interdum enim per uterum, interdum per alias vias, ubi valde reſeratæ ſunt, interdum per magna ulcera, imminens vacuationis periculum ſummovetur, utpote materia, quæ in os magno cum impetu, & ſummo cum vitæ diſcrimine irruptura fuerat, aliunde diminuta, ſubinde modice irrumpat. Magis etiam à periculo aberit, ſi ſemel interdiu, & mane tantum (ut diximus) unctio fiat, cum hac obſervatione, ut quum primum os valde ſiccari aut valde incaleſcere una cum ſpiritu cœperit, tum removeatur, ſi vacuatio juxta ſuccedat, ſin minus, rurſum triduo, quatriduove adhibeatur, ſed ſi poſtea vacuatio ſuccedat aut non ſuccedat, ab unctione ceſſemus. ſi interea aurum ore (ut quidam laudant) teneatur, argentum enim vivum illuc ferri dicunt, & intus in corpore nequaquam relinqui. Quoad vero anni tempus, circa veris initia opportuniſſimum eſt, ſi enim hoc medicamento nimis inanitur æger, ſi vehementer extenuatur, ſi valde imbecillis ſit, ſuaviſſima conſtitutio ſequitur, quæ tum inſtaurando, tum replendo, & roborando, maxime omnium idonea eſt, cætera tempora magis ſuſpecta ſunt, ætas quidem quia nimium reſolvit, Autumnus quoniam extenuatis, nimiumque inanitis obeſt, eadem quoque hyemis ratio eſt.

In regione quoque frigida, quia in hac morbus Gallicus ad interna frequentius quam ad externa migrat, frequentior eſt illius occaſio, quam in calida, illic enim circumfuſus aër ad interna morbum peſſit, hic ad externa trahit, & licet evacuatio, quæ ad interna ducit, qualis illa eſt, quæ ab argento vivo giguitur, huic morbo naturalis non ſit, quia tamen hic in locis frigidis intro ferri ſolet; non contra, ſed ſecundum morbi impetum illa nunc fiet. Id igitur unguentum experiri magis conducet in Germania, quam in Hiſpaniis, magis in Gallis quam in Italia, magis in Gallia ciſalpina, quam in magna Græcia.

## CAP. VIII.

### *Utrum artis inventum ſit, quod unguentum ex argento vivo morbum Gallicum tollat.*

Satis de occaſione, metuoque, ne quis nimium putet; deinceps dicamus, utrum artis inventum ſit, quod unguentum ex hydrargyro luem Gallicam ſanet. Profecto ſi artis inventum occaſione commoda, experimento certo, & experiendi ratione facili conſtituitur, tale quidem alicui ſine controverſia eſſe videbitur; Id namque in promptu ſe offert nobis; paſſim enim invenitur, neque momento duret; quod autem certe, & non fallaciter ſanet, teſtantur meretriculæ, quod vero facilis ſit ejus experiendi ratio; illuc conſtat, quia & facile paratur, & ſine difficultate adhibetur ægrotis, licet etiam hinc ſuaderi; quia ubi ſemel interdiu, præſertim mane ante prandium, adminiſtratur, tunc medicus metiri vires ejus facile poteſt; & quum os incaleſcere, ſitim moveri, & ſpiritum calidum ſentiri perceperit, ſiſtere: & os interim paulatim humectare, ne propter ſitim retineatur ea, quæ per os fit, evacuatio, ſi hæc ſequatur, poteſt non amplius ungere; ſin minus rurſum poteſt ungere donec illa ſenſim ſuccedat, & minime lædet id, quod ipſius artis eſt. Præterea ſi ars ab experimentis differt, quod hæc cum ratione, illa ſecundum rationem fit. Jam vero (ut proxime docuimus) notum eſt, quamobrem unguentum ex argento vivo luem Gallicam curet: Id certe artis, & non ſolius experientiæ inventum erit; quum enim jam ſatis conſtet, quod agat, agat vero non (ut inquiunt) occulte, ſed quoniam argentum vivum à calore (ut ante quoque diſſeruimus) in tenuiſſimas partes dividitur, & natura fluidum eſt, & ſemper ſibi ipſi cohærere nititur, ratio experientiæ conjuncta erit; ubi vero hæc ambo ſimul coëunt, ars ipſa conſtituitur. Artis igitur inventum hoc eſſe videbitur, & non (ut ante hac) ſolius experientiæ. Sed contra quis ibit, negabitque artis inventum eſſe, quoniam difficilis eſt ejus experiendi ratio: quippe non ſolum quod facile paretur, facileque à medico adminiſtretur huic ſatis eſt, ſed etiam neceſſe eſt, quod facilis directio ſit ad ejus effectum circa ſanitatem, hoc eſt quod verus artifex id ipſum facile dirigere in opus cognoverit, ſic enim ars ab experientia diſtinguitur; experientia enim ut de præteritis certa eſt, de futuris autem anceps, ita experimentum omne, utpote unguentum ex argento vivo, quod luem Gallicam ſanet, ex præteritorum obſervatione tale quidem eſſe affirmat; ſed utrum in futurum quoque id certo poſſit, ambigit, utpote quæ illius vires probe non intelligat; verum ars, quia rationis eſt particeps, quæ nos ad expediendum dirigit, ipſius experimenti vires dirigere cognoſcat, oportet: Cognoſcit vero ſecundum ſenſum (ſenſui enim potiſſimum inhæret) cognitio autem, quæ ſenſu habetur, facilis atque evidens eſt; facilis igitur atque evidens ratio quoque ſit, quæ nos ad experiendum unguentum ex argento vivo dirigit, oportet. Itaque ſi artis inventum eſt, verus medicus id ipſum facile dirigere in opus intelliget; quumque illud adminiſtrabitur, minime titubabit, recte an non recte adminiſtretur. Sed cum hactenus nemo de ægroto, cui unguentum hoc adhibet, ſecurus ſit; inventum artis profecto non erit, ſpes enim ejus ſæpe fruſtratur, & magno cum periculo ſæpe curatur aliquis, quem medicus hujus ope tuto curandum ſuſceperat, & contra facile ſanatur, quem difficulter evaſurum timuerat: neque id evitare in tanta varietate corporum adhuc potuit. deinde medicum facile metiri poſſe illius vires, ſi quemadmodum prompte dicitur, ita prompte ſuccederet, verum quidem eſſet, ſed quia longe ſecius evenit, quam dicitur, ideo nihil eſt quod in medium affertur, eo quod illud facile moderari poteſt medicus; nam præter alia, ſi, dum ungitur, ægrum vehementi igni exponat, ſæpe argentum vivum diſſipatur, & ſudore immodico citato in fumum vertitur, exitque de corpore priuſquam proficiat, id quod tela linea ſupra ægrum, dum ungitur, extenſa, facile monſtrat, granula enim argenti vivi frequentia ſub illa cernuntur, aut ſi interius penetrat, propter vim ignis inimicam in oſſibus inculcatur, atque hinc amplius amoveri non poteſt, & mala, quæ ante diximus, affert, ſin exiguo igne utatur, carnes tantum attingit, & aut parum admodum, aut nihil juvat, neque ſequitur artis inventum eſſe, quoniam experimentum (ut monuimus) eſt certum, & eidem ratio conſentit, ac ſi ratio quælibet una cum experimento artis inventum conſtitueret, plane conſtitueret, ſi ratio eſſet, quæ recte agere ſeu facere doceret, quippe non omnis ratio eſt artis ratio, quæ enim ſcientiam parit, ſcientiæ eſt, non artis, quæ opinionem, opinionis eſt, non artis; quæ conjecturam, conjecturæ eſt, non artis, ſed quæ nos in opus recte dirigit, hæc artis eſt, antedicta vero ratio non in opus quidem dirigit, ſed in animum cauſam operis inducit, docetque non agere, nec facere, ſed agendi, faciendive cauſam explicat: proinde non rem facere, ſed ſcire nos monet: non enim ſatis eſt ad artis inventum conſtituendum, id quod proponitur, quoniam à calore in teniſſima minuitur, ac natura fluidum eſt, & ſibi ipſi ſemper innititur, ideo liquare, diſſipareve, ſed etiam noſſe oportet ſecundum id ipſum, gallicam luem facile, expedite, recteque curare; ſic enim artificioſum eſſet: quod

quum minime contingat, inventum artis ferme non erit. Huc accedit, quod vitæ discrimen sæpius affert, id quod ab arte omnino alienum est, sæpius etiam ad extremam vacuationem deducit, sæpius plurimum & repente simul evacuat; Utrumque (ut inquit Hipp.) fallax est, quod autem fallax, quatenus tale, artem extra penitus est.

Præterea medicus in faciendis evacuationibus naturam aliquo modo imitatur, nunquam vero natura per os evacuat, quemadmodum id unguentum ubi luem Gallicam sanat. In hoc igitur opere ut medicus naturam nullo pacto sequitur, ita secundum artem nequaquam aget.

Ad hæc Avicenna inquit, cave ducas vacuationem super membra principalia, evacuatio, quæ hoc auxilio habetur per hæc eadem fit, maxime utique cavenda erit. sic etiam *fen 7. quarti can.* elonga, inquit, illud, in quo ponitur argentum vivum extinctum, quantum poteris à partibus stomachi, & membrorum nobilium, licet enim foris talibus membris non adhibeatur, intus tamen ut per eorum aliqua in caput transeat, necesse est.

Adde quod Hipp. inquit, si vacuatio, qualis fieri debet, B fiat, confert, & bene toleratur. Id vero præsidium & quandoque confert, nunquam tamen bene toleratur, non igitur vacuat, quale oportet, nec est à quali oportet. proinde non artis inventum, sed aut solius experientiæ, aut conjecturæ erit.

## CAP. IX.

### *Quomodo unguentum ex hydrargyro minus periculose adhibeatur.*

Cæterum arti quodammodo propinquum erit, si verbi causa mulieribus & viris administretur, quibus venæ latiores, sed minus plenæ, & quibus expultionum viæ satis apertæ sunt, quibus intus & foris ulcera magna, quibus fistulæ, quibus ad intima morbus repit, & jam ossa depascitur, quibus nullum aliud auxilium relinquitur, his vero, si absque fistulis, absque ulceribus, sunt, cutim pluribus in locis aut exulcerando, aut ferro candenti, aut cauterio (ut dicunt) potentiali, aut vesicatorio in bra- C chiis, in tibiis, tribus aut quatuor, aut pluribus, ut moris est: si semel interdiu mane tantum ante prandium (ut exposuimus) unctio fiat, idque triduo, aut quatriduo ampliusve, quo usque os siccari, calescereque una cum spiritu sentiatur, subinde aut vacuatio succedat, aut æger in melius proficiat, si eo tempore, quo calorem externum, ubi augetur, facile ferimus, præsertim autem vere adhibeatur, alioqui per ætatem, quia calor exterior difficulter fertur, sæpe frustra fit: Si neque ultra novem dies, & ad summum quatuordecim unctio prorogetur: ulterius enim, etsi quandoque sanitas sequitur, magno tamen cum periculo sequi solet: si quum ingens sitis, vehemens siccitas in ore gignitur, sæpe sæpius, & sensim *unc. j. aquæ hordei aut decocti ex adiantho, ex melissophyllo, ex boragine, & gallinaceis ex carnibus levibus, & hujusmodi*, ægro propinetur, hyeme calidum, æstate semifrigidum, id enim & si nullius fere momenti esse videtur, tanti tamen est, ut impedimentum omne summoveat, quod siccitas atque sitis inducit, quo minus moderata purgatio subsequatur. Palatum enim & fauces & reliquas oris partes paulatim humectans, meatus omnes, qui propter siccitatem expurgandæ materiæ inepti erant, aptissimos reddit, & purgationem (quæ alioqui propter sitim atque siccitatem diutius, quam par est, retinetur & subinde nimis repente cum magno vitæ periculo prorumpit) citius incipere & moderatius succedere facit. At vero qui putat tantam humoris copiam, quæ ad os magna cum molestia, magnoque cum vitæ discrimine fertur, prohiberi posse, si videlicet sensim ad alvum trahatur, ut antequam fluere incipiat natura per leves purgationes singulis diebus assuescat, hanc eandem per alvum evacuare, existimat quidem id quod salutare esset, modo succederet, sed utrum succedat nec ne, valde dubium est. Si enim tunc vacuatio per os quoque sequatur, periculum est ne frequentibus purgationibus æger ante nimis debilitatus sufficere possit. Si vero non sequatur, periculum est ne alvi fluore violento utpote humoribus fere omnibus confertim ad alvum irruentibus, repente deficiat, aliter enim contingit, ubi medicus naturam ad alvum movendam suis medicamentis frequenter irritat, aliter ubi natura sponte sua humorem illuc (ut paulo ante E docuimus) mittit, & subinde sensim evacuat. Hæc fere, prout unguento ex argento vivo uti expedit, attendenda esse consulimus, his proximum est, prout non expedit, de hoc eodem loqui. Quippe quum adeo violentum, adeoque periculosum sit, in universum nulli expedire videtur: magis vero noxium esse pueris, & valde senibus, quam viris, magis puellis, quæ nondum menses expertæ sunt, quam quæ jam expertæ sunt: magis ætate quam hyeme, magis autumno quam vere, magis ubi cum pilorum defluvio morbus est, quam ubi absque hoc: magis ubi ad exteriora, quam ubi ad interiora, & usque ad ossa repit: obesse præterea consuevit his, quibus alvus perpetuo aut nimis fluida, aut nimis astricta est: quibus à capite in thoracem fluxio excitatur, quibus angustæ venæ sunt, quibus erysipelata sæpe contingunt, quibus hydrops instat, sanguinem exspuentibus, valde rubicundis, succi plenis, obesis, ad extremum extenuatis, imbecillis, lienosis, difficulter mingentibus, denique tanta est ejus inconstantia, ut nunquam omnino exacte administrari possit, quum enim nimio ejus usu nocere times, parum proficis, quam eo, quod satis sit, juvare cupis, sæpe numero valde lædis, adeo difficile est illius vires metiri, & rectum ab eo, quod non est rectum, in illo discernere. Dictum est igitur, quibus magis minusve periculosum sit unguentum ex argento vivo.

## CAP. X.

*Quomodo sit his malis, quæ unctionem argenti vivi sequi solent, occurrendum, primumque de capitis, faciei que tumore, ac rubedine, deque oris, faucium, & spirationis tum calore tum siccitate, ac obiter de faucium ac linguæ inflatione.*

Deinceps mala, quæ id sequi solent, corrigere antevertendum: talia sunt capitis & faciei tumor ac rubedo, siccitas calorque oris, palati, faucium, spiritus, astricta alvus, dolor, ardorque gutturis, & linguæ, simulque linguæ inflatio, dentium item motus, nigredo gingivarum, faucium & palati ulcera, syncope, virium imbecillitas, vigiliæ, vacuatio per os importuna, ubi impedimentum, alvi fluor, dysenteria, sanguinis sputum, argentum vivum intra corpus retentum. his omnibus facile occurretur, si ea, quæ aliis priora sunt, ubi apparent, statim prohibere tentemus; hæc sunt capitis faciei que tumor, ac rubedo, deinde oris, palati, faucium & spiritus calor, ac siccitas: sane id assequemur, si tum unctio, unde motus initium hæc omnia sortiuntur, uno die aut altero intermittatur; si ne sic quidem cessent, tum penitus interdicatur; interim neque capiti, neque faciei quicquam adhibendum, sed sputum omni ingenio, cura, diligentia provocandum, sic enim primo tumor, subinde rubedo tolletur; provocandum vero non his quæ acria sunt (hæc enim licet sputa vi quadam eliciant, ubi tamen oris caliditati applicantur, ab eoque molliuntur, & fervefiunt, ipsum vicissim recalefaciunt atque accedunt) sed humectantibus, & leviter refrigerantibus: quippe quæ oris, palati, & faucium siccitatem, atque calorem temperantia, meatus (ut paulo ante docuimus) aperiunt, & sputum movent, neque his confertim & semel utendum, sed paulatim & sæpius, quo simul spirationis calorem atque siccitatem moderemur, sic enim sensim in pulmones, per quas epiglottis, ubi clauditur, rimulas relinquit, descendent. Alioqui si confertim & semel adhiberentur, aliquantisper conferrent: sed calorem subinde magis accenderent: sin confertim & sæpius, innatum calorem prope exstinguerent, potus enim copiosus semel absumptus non semper, sed ad tempus juvat (nam repente sitis ipsa revertitur) si D rursum exhibeatur, similiter quidem juvat, sed quia crebro humectari refrigerarique affectio postulat, non potest autem tanta copia frequenter ferri (ei enim natura succumbit) sæpe & parum humectare, refrigerareque in hoc affectu expediet, ut quod semel auxilii parvitas præstare nequit, id assidua ejus exhibitio restituat, sic in siti, quæ pulmones sequitur, antiqui faciendum præcipiebant, ut in pleuritide, peripneumonia, & hujusmodi hujus potus mensura *unc. j.* plus minusve, & hyeme quidem calidus, æstate semifrigidus, quo promptius penetret, porrigatur, alioqui si valde frigidus existat, tantum abest ut sputum evocet, ut potius astringat, quemadmodum Hipp. *de aqua frigida acut.* 3. nos admonet. idoneum igitur tunc erit (sicut paulo ante diximus) *aquæ hordei unc. j.* paulatim & sæpe propinare, id quoque genus est *decoctum ex adiantho, ex oxalide, borragine, cichoreo, trifolio, melissa, ex nastilagine, ex glycyrrhiza, ex passulis, ex prunis damascenis, ex vocatis sebestem, ex tamarindis, & hujusmodi plerisque, addito saccharo*, & absque hoc, si imbecillitatem vereri cœperimus, expediet decocti tantundem dare, E ex carnibus levibus, ut puta ex vitulo, hœdo, capo, gallina, quod tamen aquosum sit, non autem (ut dicitur) consumatum (tale enim calorem accendit, & sitim inducit) in prandio & cœna *ptisanam ex hordeo*, cum aliquo dictorum jusculo, *& modico saccharo, ad uncias usque septem*, plus minusve præbere, aut si hanc æger abhorreat, ejus loco jusculum robustius ex dictis carnibus in quo herbarum, & rerum aliarum, quas modo recensuimus, ad os humectandum aliquid incoquatur. A cibis solidis interim

terim abſtinendum, & quoad ſitis, & calor ſiccus urget, ab ovis, quippe quæ ab igneo calore dureſcunt, & ventriculo graviter inhærent, & per corpus nequaquam diſtribuuntur.

Sed ſi venæ propter eam, quæ ab argento vivo in humoribus liquatio fit, nimis (ut ante diximus) repleantur, & undequaque ſimul obſtruantur, ita ut & plenitudine obſidente, & inflatis faucibus inflataque lingua non poſſit exſpectata per os vacuatio ſequi, tum internam cubiti venam aut ſemel, aut iterum ſecare conveniet, minus tamen, quam per vires liceat; ſatis eſt enim locum duntaxat aperuiſſe, & ſpiramentum copiæ alioquin obſtruenti præſtitiſſe: quo ſubinde vacuatio citius quidem, ſed moderate ſequatur, ut namque harpagio aqua pleno, ſuperiore foramine clauſo, nequit per inferiores meatus adhuc apertos aqua ipſa redundans, gravanſque prodire, illo autem reſerato, tota per eoſdem ſubinde ſenſim cadit, ita venis undequaque repletis ſuccus, qui eas diſtendit, & obſtruit, inde exire non poteſt: ſed poſtquam aut venæ ſectione, aut alio quovis ingerio quantitas diminuitur, tum ſpiratio, quæ ab illa impediebatur, aliqua ex parte reſtituitur, & tanquam ſupremo harpagii foramine adaperto, per alias venarum partes vacuatio ſuccedit: quæ quum in hoc ſtatu ad os maxime repat, per os vacuatio non impetuoſa, ſed moderata ſequetur.

At ſi per id tempus lubrica ſit alvus, cohibenda non eſt, niſi modum excedat, ſin aſtricta, molliri debet; utrumque proxime docebitur. Neque dubitandum, quin vix quiſquam, qui non immodice ungatur, ſed per hæc mature his malis occurrit, graviter ægrotet, his enim ingeniis anticipante per os vacuatione, & ſputum paulatim movente, oris ſpirituſque calor aridus auferetur, ceteraque ſymptomata ceſſant, neque deinde his aliter, quam dictum eſt, conſulere oportet.

## CAP. XI.

*Rurſum de gutturis & linguæ tumore, inflammatione, dolore de alvo aſtricta, iterumque de faciei & colli rubedine, atque calore.*

Si ne per hæc quidem movetur ſputum, neque oris & ſpiritus ardor extinguitur, gravis metus ſine certa tamen deſperatione ſubeſt, indicareque decet, neceſſariis periclitatis in difficili rem eſſe, ne ſi forte unctionis profeſſor victus malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur, neque committendum eſt, quo minus ſuccedentibus malis opitulemur, hæc ſunt (quæ paulo ante retulimus) gutturis & linguæ tumor, & reliqua, ſi ergo gutturis & linguæ inflammatio urgent, & ſuffocatio imminet: licet antequam æger ungeretur, vena ſecta ſatis fuerit, rurſum tamen quam primum ſecare expedit, modo vires omnino lapſæ non ſint. ſecare vero internam cubiti pro corporis, & ætatis, & naturæ, & regionis, & anni conſtitutionis, & quotidianæ inſtaurationis ratione. Id enim, ſi malum penitus mortiferum ſit, ſæpe liberat, aliud curationis genus abſque hoc vix unquam ſanitatem reſtituit, qui nam- Galen. 14. *methodi cap. de præternatura linguæ curanda* imitati, pilulis, quæ *ex aloe, ſcammonea & colocynthide* conſtant, citra ſanguinis miſſionem veſpere purgant: tantum abeſt, ut proſint, ut ſi tuſſis & ſpiratio difficilis adſit, vel mirifice obſint, vel mortem repentinam accerſant: Si alvus aſtricta ſit, levibus clyſteribus quotidie ante cibum ſemel ſaltem mollienda eſt, ut puta.

Cape *olei violacei lib. j. plus minuſve*, aut *olei roſacei tantundem*. Aut *ptiſanæ hordeaceæ cum jure gallinaceo aut vervecino pingui*, ſi debilis fuerit æger: ſin minus *cum aqua ipſa. hordei lib. i. ſacchari rub. unc. ii. cum vitellis ovorum duobus fiat clyſter.*

Aut Recipe *elect. lenitivi unc. j. clyſteris communis. q. s.* Quidam clyſteri communi nunc *hieræ compoſitæ*, nunc *benedictæ unc. j.* addunt: quidam purgant, dando pilulas, aut electuaria purgantia, qualia lib. iii. recenſuimus, ſed diligenter cavendum eſt, ne ſputo facile prodeunte, neve ſpiratione difficili, tuſſique urgente, hæc exhibeantur. Medicamenta enim purgantia, tum quia ſæpe ſitim inducunt, tum quia deorſum trahunt, ſæpius ſputum cohibent, quare tutius eſt, ſputo facile prodeunte, & his præſentibus ſymptomatibus, nimirum tuſſi, & ſpiratione difficili, alvum clyſteribus mollire, quam purgatoria exhibere.

Interim quoque mitigandus dolor gutturis & linguæ, ſimulque faciei, & colli rubedo, calorque temperandus. Id fiet extrinſecus uncta facie & collo *vel roſaceo, tum unguento, vel eo quod Galenus infrigidans vocat.* Interim *unguento ex ceruſſa ex hydrargyro ſubtiliſſime ſuper tela linea tenui & vetere extenſo.* Intrinſecus vero *aqua hordei*, hyeme quidem calida, æſtate ſemifrigida fauces, linguam & os ſæpe abluere, fovereque expedit, peculiariter vero linguæ tumorem (ut Galenus 14. methodi c. 8. docet) *ſucco lactucæ* colluere juvat ſi ardor intus in ore magis infeſtet. vino penitus abſtinere (hoc enim per id tempus nihil moleſtius eſt) deinde nunc *ſucco lactucæ* (ut dictum eſt) os totum oblinere, nunc *ſucco cucurbitæ*, nunc *cucumeris*, nunc *portulacæ*: Sin dolor vehementius urgeat, *oleum amygd. dulc. recens, aut jus pingue, aut lac caprinum, aut ovillum, aut bubulum ex quo butyrum extractum non ſit*, calidum tamen ore verſare, ubi hæc minus juvat, *butyrum* quod præſtantiſſimum ad dolorem hunc mitigandum eſſe putant, ore tenere, his non conferentibus cucurbitulas tum ſcapulis, cum natibus ſine ſcarificatione, quod ita, ut quibuſdam videtur, attrahunt, ſæpe apponere. eatenus vero hæc facere, quatenus dolor ita ſedetur, ut ne ſomnum, quietem, coctionem, & alia impediat, ſiquidem optima illius eſt curatio, quæ illius cauſam, nempe humorum in caput influxum, ſummoveat. hactenus quomodo ſuccurrendum ſit dolori, juxta atque ardori faucium, palati, gingivarum, linguæ, & privatim linguæ tumori, & colli, facieque rubori moleſto.

## CAP. XII.

*De motu dentium, de nigredine, de lentore circa illos.*

Si dentes valde moveantur, his vero utamur, quæ plerique ad humorem, qui mali cauſa eſt, coërcendum laudant, talia enim aſtringentia eſſe volunt, nos illum in dentium alveolis magis inpingemus, mox impactum juxta obſtruemus, putredinique obnoxium maxime reddemus, neque ſolus dentium motus negotium faciet, ſed putredo ſimulatque corroſio, quocirca melius eſt dictum humorem, qui dentes movet, alio avocare, aut per ipſas gingivas ſinere prodire foras, quam intus in dentium præſepiolis conſtringere, atque retinere: Non tamen omittamus, quod aliquid ad dentes firmandos, in hoc caſu ſcriptum reliquerunt, ut ſi quando, ne penitus decidant, periclitentur. his auxiliis ſubvenire quis poſſit.

Videlicet *accipe fol. plantag. fol. myrti, ſcordei ana par. æquales. Coquantur s. a in aqua communi*, hoc decocto, tanquam minus periculoſo, frequenter abluantur. aut Recipe *gallarum immaturarum combuſtarum, cyperi, balauſtii, granorum myrti, granorum lentiſci, myrobalanorum citrinorum enucleatorum, hordei aduſti an. drach. ſem. lachrymæ draconis drach. ii. s. roſ. rub. ſiccarum drachm. i. maſtiches drach. i. s. cinnamomi ſcrup. s. ſacchari optimi unc. j. s. fiat pulvis ſubtiliſſimus, quo gingivæ leniter & ſæpe fricentur.* Pulvis hic quoad neque valde repellat, neque ſuccum in dentium alveolis retineat, tuto adhiberi poteſt.

Dixi de motu dentium quid faciendum, ſed ſi nigreſcant, & lentore circum circa afficiantur, hoc utendum jubent, *Accipe ſpumæ maris, ſalis aduſti, ſalis gemmæ, utriuſque piperis, cineris oſtracorum, cineris rad. cannæ, ariſtolochiæ, ireos, hordei aduſti, gypſi aduſti, cyperi roſ. rub. ana drachm. i. ſic Carbonis rad. roriſmarini drach. ii. maſtiches drach. iii. ſpicæ ſcrup. i. ſacchari rub. unc. j. s. fiat pulvis ſubtiliſſimus*, quo dentes ſæpius fricentur.

## CAP. XIII.

*De gingivarum, palati, & faucium ulceribus, prout ab unctione ex argento vivo cum unguento gignuntur.*

Jam de gingivarum, & faucium, & palati ulceribus ſermo ſequitur, ſi hæc nimis moleſta fiant, non inutile eſt materiæ ad os impetum aliquo modo remorari. Id aſſequemur, ſi tum membra prius inuncta lavemus, & ab unguento expurgemus, tum ori gargariſmata inſtituamus, quæ modice refrigerant, ac adſtringant: Itaque aliqui in hunc modum abſtergunt à membris unguentum. Accipe *ſucci abſinthii, & albuminum ovorum ana q. s. miſce*, ungantur membra, quæ prius uncta fuerunt, non ſemel ſed ſæpius, ante tamen abſtergendo, quam ſecundo ungantur, aliqui hunc in modum lavant. Recipe *foliorum abſinthii, ſalviæ, roriſmarini, florum chamæmeli ana man. ii. roſarum, ſtœchados, ſchœnanthi, ſamſuci, calaminthæ, origani, manip. s. Nuces cupreſſi aliquantulum contuſas num. x. mellis lib. j. ſalis unc. ii. aluminis rochæ drach. x. lixivii communis q. s. vini odori parum. Miſce bulliant ad tertiæ partis decrementum*, hoc decocto his interdiu laventur aute cibum membra prius uncta, trahendo ſemper ad extrema: Putant enim prohiberi, ne ſucci tam facile ſurſum ferantur ad caput, & membra roborari ne in poſterum alios ſuccos recipiant. Aut Recipe *ſalviæ, roris marini ana partes æquales. Coquantur s. a. in aqua communi*: deinde laventur dicta membra ſimiliter. Aut Recipe *vini albi vinoſi libr. ij. roſar. rub. ſiccarum man. iiii. fiat s. a. decoctum:* quo pariter lavari poſſunt, ut dein exſiccentur diligenter,

ter, post lotionem & nova interula (hac voce camisiam secundum quosdam significamus,) & linteis novis & mundis utantur.

Interim, si neque imbecillitas, neque alvi fluor, neque astrictio nimia obstet, balneari hunc in modum possunt. *Accipe salviæ, menthæ, roris marini, ros. rubrarum, florum chamæmeli, stœchados, meliloti, foliorum lauri, rutæ, pulegii, calaminthæ, hyssopi, artemisiæ, absinthii, ivæ, ana man. iii. Misce bulliant in aqua q. s.* Æger tum hyeme; tum mediis temporibus lavacrum hujus decocti ingrediatur, & finito unctionis tempore, & ante quoque, si ante fuerit immodica per os vacuatio, tunc optime lavetur, neque refert plures herbas immiscere, aut pauciores.

Æstate sequentibus herbis balneum construatur. Recipe *ros. rubrarum, violarum, cap. vener. florum nenupharis florum chamæmeli ana man. iii. myrtillorum, nucum cupressi, balaustiorum, ana man. ii. meliloti, baccharæ ana man. i. Misce, bulliant in aqua s. a.* subinde æger hoc decocto lavetur, postquam fuerit bene lotus: ungatur *oleo vocato de rosettis* totus: aut *oleo nuncupato de floribus citranguli*, & in cubile ducatur: lectus vero sit albis & recentibus linteis, ac odoratis stratus, & æger alba recenti nitida, & odora interula induatur, his duobus postremis balneis possumus uti, dum hæc instant mala, sed potissimum dum homo sanitati restitutus est.

Cum hæc aguntur, & cum acta sunt, ori subveniunt hoc modo. Recipe *hordei mundi, rosarum, rhois obsoniorum ana man. i. aquæ ferri lib. vi. Bulliant simul omnia quoad tertia tantum pars superfit, deinde colato*, mox adde: *syr. rosacei unc. iii. mellis rosacei unc. ii. aluminis rochæ drach x. Iterum bulliant, sed leviter*, mox ore accipe, & versa quater, & quinquies interdiu. Aut Recipe *aquæ plantaginis, violarum, solani ana lib. i. sacchari rosacei lib. s. Bulliant leviter, deinde colentur*, postea gargariza, asserunt vero, tum id decoctum, tum proxime dictum mundare, lavare, & refrigerare, primum tamen siccare, gingivarum putredinem prohibere, & putrefactam carnem aliquantulum auferre. Aut *sume hordei man. i. rad. bugloss, florum violarum, passularum aul. ana man. s. sem. cydoniorum drach. i. Decoquantur in aqua s. a. addito modico julep violaceo*, subinde os lavetur, aliqui laudant intra os versandum esse continue *frustum auri, aut aluminis rochæ*, illud ad se trahere argentum vivum, id coacervatam pituitam expurgare, & affectas partes corroborare. Aliqui, quum vehementer calent, ardentque tum gingivæ tum palatum, timeturque immodice ulcerentur, tenendum ore per integrum diem præcipiunt quod habet. *aquæ hordei lib. iii. aceti acerrimi lib. s. Misce*, quod si ulcera prohiberi non possunt, ubi facta sunt, gargarizandum jubent diuque, noctuque, modo *lac bubulum*, modo *mel rosaceum*. Aut *aquæ hordei lib. i. s. diamori unc. i. s. syr. violacei unc. s.* Id gargarisma extinguere caliditatem, & locum affectum corrobare prædicant. Aut *sume aquæ plantag. lib. i. mellis ros. unc. iii. Misce*, & æger similiter gargarizet. Aut *aquæ bugloss, violarum, endiviæ ana unc. x. sacchari optimi unc. xv. Fiat julep*, quo sæpe os abluatur. Aut *aquæ intybi lib. ii. syr. ros. unc. ii. Misce*, abluatur similiter. Aut *diæ nucum unc. ii. aquæ solani, violaceæ, ana lib. s. aquæ plantaginis lib. i.* Aut *cytrini id est, florum mali Punici, florum & foliorum ligustri ana man. s. ros. rub. sic. man. i. Coquantur in aqua hordei. s. a. subinde colentur*, hujus colati *cape libr. i. rhodomellis saccharini unc. i. Misce*, lavato dentes, & gingivas. Aut Recipe *aquæ lactucæ, plantaginis, ana libr. i. syr. rosacei unc. ii. misce. &c.* Aut Recipe *boli armeni unc. s. Succi laureolæ*, (quam plantaginis speciem quandam esse volunt,) *lib. i. Misce* abluatur os.

Quidam ad cohibendum ex ore fluxum laudant ore *aquam frigidam* teneri, aut *aquam solani*.

Hæc dicta sint ad oris ulcera & gingivarum, quantum attinet ad materiæ, quæ illuc repit, revulsionem, & quandam repercussionem.

Quantum vero ad mundificationem. *Accipe foliorum olivastri, summitatum rubi ana man. j. lentium, ros. rubearum, sumach ana man. i, s. fol. plantaginis man. j. vivi rubri austeri lib. i s. Bulliant simul, quoad tertia pars vini decrescat, deinde colentur, colato adde mellis rosacei unc. ii. diamori unc. iii. Aluminis rochæ prius usti, & contriti unc. i. aristolochiæ, radicum ireos, ana drachm. ii. mastiches unc. i. nucis moschatæ parum caryophyllorum num. iiii. Terenda terantur, iterum bulliant, fiat gargarizatio.* Aut Recipe *aquæ plantaginis lib. i. mellis rosacei unc. iii.* Similiter gargarizetur. Aut Recipe *hordei, ros. rub., myrtillorum, salviæ, foliorum olivarum, ana man. i. Bulliant in vino q. s. deinde colentur*, ex hoc colato *accipe lib. ii. oxymellis simpl. unc. ii.* aut hujus loco *oxymellis scillitici unc. ii. misce*, fiat gargarizatio. Aut Recipe *decocti ex ligno Guajaco lib. i. rhodomellis unc. i. misce, fiat gargarizatio.*

Sin contumacia fuerint ulcera, *unguento Ægyptiaco* oblinenda sunt, deinde aliquo dictorum decoctorum lavanda.

Postremo ad illorum consolidationem, postquam mundata sunt, conferet id, quod habet *aquæ plantaginis lib. i. summitatum rubi, foliorum olivarum silvestrium, caudæ equinæ, ana man. s. aquæ hordei lib. i. s. licii communis unc. ii. mellis ros unc. iiii. aluminis rochæ drachm. vj. Bulliant omnia simul, donec dimidium supersit, & gargarizetur* De ulceribus oris gingivarum, palati, faucium, prout unctionem ex hydrargyro sequuntur, satis diximus, prout vero morbum Gallicum peculiariter, paulo inferius dicemus.

## CAP. XIV.

### *De syncope, & virium imbecillitate.*

Nunc quia syncope, viriumque imbecillitas huic unctioni interdum accidunt, utrisque consulere tentemus.

Plerique hujus causa electuaria quædam exhibent, & cordi epithemata adhibent hunc in modum.

Accipe *sacchari (ut dicunt) bugloss, borraginati, violacei, rosacei, ana unc. i. fragmentorum de gemmis drach. i. s. margaritarum præparatarum drachm. s. Cum syr. de pomis, misceat*, deinde hujus tantillum ægrotanti sæpius offerunt. Aliquando etiam vini vinosi odorati modicum cum panis oftula præbent. Aut *sacchari rosacei, boraginati ana unc. ii. letificantis Almansoris, diamoschi dulcis ana drachm. i. s. theriacæ magnæ drachm. i. boli armenæ, terræ sigillatæ, ana scrup. i. Misceatur cum syr. de cortic. citri, electuarium struunt*, quod nucis avellanæ magnitudine parum ante cibum mane & sero porrigunt, præsertim hyeme & autumno, sed æstate id, quod habet *sacchari ros., sacchari borrag. ana unc. iii. latificantis Almansoris, diamoschi dulcis, ana drach. i. camphoræ drach. s santalorum rub., santalorum luteorum ana scrup. i. Syr. de acore citri q. s. ad electuarii consistentiam.* Dant etiam mixturam, quæ confectio in rotulis appellatur: habet vero *pulpæ caponum, vel phasianorum, unc. vi. nucleor. pineorum, pistachior. am gd. dulc. ana unc. iii. cinnamomi drach. s. zinziberis, caryophyllorum ana scrup. s. moschi gr. i. Sacchari dissoluti in aqua melissophylli. q. s. misce fiat mixtura solida in frustula semi vaccia pondere singulatim divisa*, è quibus unum mane, & sero ante cibum ægro porrigunt.

Hæc in syncope, & virium imbecillitate per os intrinsecus exhibent, extrinsecus vero cordi epithema cum panniculis lineis tepidum mane, & sero, ter quaterve ante cibum adhibent: quod habet *aquæ rosac., violac. bugloss, borraginis, melissophylli acetosæ ana unc. i. aceti ros., vini punicorum, ana unc. s. pulveris cord. temperati drachm. i. croci scrup. i.* Aut *aquæ bugloss borrag. melissophyl. ana unc. v. aquæ rosaceæ unc. iii. vini albi odori unc. j. s. specierum (ut dicunt) cordial. temperat. drachm. ii. croci scrup. s.* aliqui accipiunt *aquæ rosaceæ, melissæ, florum citranguli, ana unc. ii. galiæ moschatæ, cortic. citri, ana scrup. ii. caryophyllorum, cinnamomi ana drachm j. aceti unc. j. moschi ambracani, ana gr. ii. croci, gr. iii. Hæc omnia simul misceant, deinde linteum in eis tepidis madefaciunt, & supra cordis regionem extendunt.* Idque potissimum autumno hyeme & vere, sed æstate sumunt. *Aquæ rosaceæ, boraginis, florum citranguli, ana unc. iiii. specierum (ut dicunt) trium santalorum, succi limonis, ana unc. s. succi florum nenupharis drachm. ii. aceti unc. ii. moschi, ambracani ana gr. i. croci gr. iii.* Postquam ter quaterve mane & sero ante cibum (ut diximus) cor his epithematibus foverint, tum locum leviter exsiccant non abstergendo quidem, sed tela aliqua antiqua, quia mollior est, & citius exsiccat, palpando carnem: mox autumno, hyeme, & vere, cor simul ungunt linimento (ut dicunt) molli, quod habet. *Olei florum citranguli unc iii. boli armenæ, terræ sigillatæ ana drach. i. theriacæ unc. s. ceræ modicum.*

Sed æstate subtrahunt prædicto linimento *theriacam*, addunt vero *santalorum rubeorum & luteorum ana drach. ii.*

Sic alii huic syncopæ & huic virium imbecillitati subveniunt, nos vero, si à copia gignantur; vacuationes, revulsiones, & purgationes, quas proxime retulimus, faciendas esse ducimus: sin ab eo, quod æger propter materiæ per os expurgationem diu comedere, bibereque nequivit, aut ab eo, quod nimium expurgatus fuerit, quia vires ob inanitionem debiles evaserunt, utendum esse tum his modo dictis, tum aliis hujusmodi, & odoribus præsertim, & sorbitionibus & potibus, citra cibos tamen, siquidem solida substantia constent, & parum, & sæpe: citra cibos quidem, quia hos adeo imbecillæ vires conficere non possunt: parum vero, quia multa non ferunt: sæpe autem, quia quum egenæ sint, multa exigunt.

Sane

Sane odores inter ea, quæ corpus noſtrum nutrire poſ- A ſunt à medicis recenſentur: unde Hipp. epidem. 6. tabella octava, odores oblectant, offendunt, implent, & placant: ac libro de alimento, quicunque celeri adjectione indigent, humidum remedium recuperandis viribus optimum eſt, ubi autem adhuc ociore, per odoratum. odores vero eligantur, quicunque ægris jucundi ſint, non ingrati: ut puta, ſi febris abſit, *oleum ex cinnamomo, ex caryophyllis, ex aniſo, ex ſiniculo dulci, ex ligno aloës, ex nuce moſchata, balſamum, & variæ vocatæ, quintæ eſſentiæ, ſive azuæ ſive olea*, quæ alchymiſtarum curioſitas ex accidenti adinvenit, ungendo tempora, nares, cor, & pulſus manuum, atque pedum: ſi febris urgeat, horum loco, eligendum *oleum roſaceum, violaceum, oleum ex ſantalis, acetum roſaceum, aqua roſacea, cucumis, pepo*, ubi habetur odoratus; quippe qui (ut *lib. ii.* inquit Dio) olfactu ſuo defectus animæ reſtituit; commune tum febricitantibus, tum febre carentibus, eſt *oleum ex floribus mali medici*; ſunt & multa alia, in quibus eo minus immorari nos decet, quo magis ad extrema deventum eſt, ubi animam odore reficere opus eſt, quamquam enim apud Laërtium legitur Democritum odore panis calidi vitam triduo duxiſſe, & apud Plinium ad extremos Indiæ fines ab oriente circa fontem omagis aſtomorum gentem halitu tantum vivere, & odore, quem naribus trahunt; nihil minus, quia mortem ille poſt triduum evitare nequivit: hi vero, ſi vivunt, odoribus inſpiratis naturaliter vivunt, noſtrum autem nullus ſic vivit. Ab odoribus animæ defectionem inſignem inſtaurari ſperandum non eſt, ni ſorbitiones, & potus, & alia plura ſimul adhibeantur, & juvent, ſorbitiones vero dandæ ex carnibus, piſſatum nun: vocant, ex ptiſana hordei, ex ovis, ex pane cum juſculo capi, gallinæ & ſimilium, per has enim pauca ex ſortibus multa aqua permiſcentes, ſortium robur, temperatura, & coctura detrahimus: quo fit ut & facilius ſumantur, & facilius concoquantur, potus vero ſunto jura tum hœdi, vituli, gallinæ, capi, phaſiani, & hujuſmodi, tum vinoſa, alba, placide odora, quibus tamen, dum propinantur, & aſſuetus ſit æger, minime febricitet. Nec importunum eſt, injecto clyſtere, ex jure pingui dictarum carnium, & vitellis duum ovorum, & ſaccharo rubro tueri vires: hactenus de ſyncope, & virium imbecillitate. B C

## CAP. XV.

### *De vigiliis.*

Vigiliæ ſummotis cauſis, à quibus gignuntur, una ſummoventur, gignuntur vero à ſiti, a fame, à fœtore, à metu, à triſtitia, à multa cogitatione, à dolore, à frequenti vacuatione, ab inſigni tum calore, tum ſiccitate, & hujuſmodi; ſed quia interdum ipſæ quoque per ſe vires dejiciunt, morbumve augent, committendum non eſt, quominus & ipſæ aliquando curentur, ſane curabuntur, ſi fricationes leves pedum & citra genua ſuaviter adminiſtrentur, ſi nares, temporaque non ſemel, ſed ſæpius (præſertim à cœna) unguntur *oleo violaceo, aut nenupharino, aut papaveris, aut manaragoræ, aut de ranis, aut unguento quod populeon dicitur, aut ex his commixto, aut unguento quod habet. cinnamomi, croci, opii, olei roſ. q. s. ana ſcrup. s.*

Poteſt etiam pomum odorari, & eodem fricari tempora, quod ſic habet. *Accipe opii, croci, cortic. mandragoræ ana drach. i. ceræ albæ drach. ii. miſce s. a.*

Poteſt item ſpongia adhiberi hoc infuſa decocto, quod eſt. *Accipe cortic. cap. papaver. cortic. radic. mandragoræ, foliorum hyoſcyami, lenticulæ paluſtris, ſalicis, ſolani ana man. s. florum violarum, nymphææ, comarum anethi, ros. rub. ana man. i. Coquantur s. a. in aqua lactucæ, in quo de cocto madefaciat ſpongia, ut dictum eſt.*

Poteſt caput hoc decocto irrigari. *Accipe foliorum nenupharis, cap. papaveris, foliorum apii, menthæ, ſemin. lactucæ, hyoſcyami ana q. s. Coquantur in aqua communi, & caput irrigetur.* Aut emplaſtrum ex his una *cum oleo roſaceo* capiti inponatur.

Si cum magna ſiccitate vigilia eſt: expedit raſum prius caput lacte mulieris irrigare, ſin hoc haberi nequit, vel aſinino, vel capritio, vel bubulo, aut eo decocto, quod proxime dictum eſt, hyeme quidem calido, æſtate autem frigido, aut hoc quod eſt. Recipe *ſucci lactucæ, portulacæ, ſemper vivi, hyoſcyami, ſolani ana partes duas. farinæ faburum, hordei ana partem mediam. opii ſextam unius partis, olei roſacei, olei mandragoræ, ana partes duas. mucilaginis ſemin. pſyllii partes iii. Coquantur ſimul, uſque quo pultis formam adipiſcantur*, poſtea refrigerentur, mox capiti applicentur. E

Si caliditas quoque ſubſit. *Accipe raſuræ (ut dicunt) cucurbitæ unc. s. ſucci ſemper vivi, portulacæ, lactucæ ana unc. ij. Mucilaginis (ut ajunt) ex pſyllii ſemine in aqua ſolani madefacto extractæ unc. i. s. olei roſac. quantum ſatis videbitur. Miſce, fiat s. a. unguentum*, quo deraſum caput, & tempora illinantur. Aut *Rec. olei roſ. unc. v. aceti roſ. unc. i. Miſce:* hoc infuſis telæ lineæ panniculis caput ſæpe humectetur, ac refrigeretur: oxyrhodinon vocant. D

Præſtant idem ſatis commode *lactis concreti fruſtra* tum capiti, tum fronti ſuper impoſita: hæc & hujuſmodi extrinſecus adhiberi licet, intrinſecus vero tutum eſt, *ſemina papaveris albi pinſere, mox aqua communi diluere, inſcereque, deinde telæ aliquæ percolare, colatum oilæ indere, leniter coquere, tum flos quidam aloidus, qualis confecto caſeo ex ſero rurſum calfacto, ſupernatabit. hunc cochleari excipe, patinæ adusque ſeminacium impone, tritum ſaccharum ſuperaſperge, ægrotantia cœna dato.* Aut *diacodii (ut dicunt) ſine ſpeciebus in tabulis. unc. s.* à cœna poſt unam, aut duas horas præbeto: aut *ſyrup. de papavere unc. s. ad uſque unc. i.* & ubi ſitis urget, *aquæ lactucæ unc. ii.* addito. ſunt & alia pleraque, utputa *pilulæ de cynogloſſa. uſque ad g. xiij.* poſt cœnam hora ſomni devoratæ, & *philm. rom. & elect. quod Nicolai requies vocatur*, & cætera, quæ *opiata* nuncupantur, verum hæc tum quia minus ſecura ſunt, tum quia forte longiores ſuimus, quam hujus vigiliæ cura requireret, omittamus.

## CAP. XVI.

### *De importuna nimiſque moleſta per os vacuatione, de cibi impedimento, de alvi fluore, dyſenteria.*

Tempus eſt, ut nimiæ & importunæ per os vacuationi occurramus. hanc quidam adſtringentibus gargarizationibus arcere tentant, ſed id tamen, niſi modice fiat, periculoſiſſimum eſt: ſi enim, ubi magno cum impetu ad os fertur, tum retinetur, neceſſe eſt, quia retrocedere non poteſt, aut in ore geminari malum: aut aliud multo gravius ſuboriri: jubent igitur accipiendum eſſe *terræ armeniæ drach. ii. ſucci plantaginis, quam lanceolam vocant, lib. s.* deinde his una mixtis os abluendum, aut *ſucci ſolani lib. i. aut diamoron, aut dianucum unc. i. aquæ plantaginis, aquæ roſarum ana lib. s.* aut *vini malorum punicorum unc. iij. rhodomellis, aquæ myrti, aquæ ſolani ana unc. viij.*

Interea vero non inutile eſt, portionem irruentis materiæ, quoad fieri poteſt, in ventriculum trahere, & per alvum evacuare, ideoque ſi æger deglutire bolos poteſt; præbere *caſſiæ recenter extractæ unc. s. aut drach. vi.* paulo ante cibum, aut ſi devorare nequit, *aqua hordei*, aut aliqua hujuſmodi eandem ſtatim diluere, & ſtatim, ne diu fermenteſcens nimis magnam molem acquirat, potui dare: idem præſtabunt *mannæ Calabræ unc. ii. juſculo aliquo dilutæ, diacatholici unc. i. ſyr. de polypodio unc. ii. s. & ſimilia*, quæ tertio lib. inter lenientia ventrem numeravimus, ſatis de eo, quod agendum ſit, multa & infeſta materia per os fluente; ſequitur de cibi impedimento: id non aliter moderari quis poteſt, quam eorum uſu, quæ corpus alere juxta, ac celeriter facileque poſſunt; talia ſunt ſorbitiones, ac potus. Itaque ſi febris abſit, & æger vino aſſuetus ſit, vini vinoſi potus magnopere juvabit. juſcula vocata conſummata, ſuccus ex oſſibus, carnibusque prius aſſis, aut elixis expreſſus, mox ſaccharo & ſucco citri aut uvæ acerbæ ſimiliumve conditus, ova item ſorbilia, niſi quis Galenum nimis mordicus obſervet; utpote qui ova *methodi* 12. *cap.* 6. non admodum prompte per corpus diffluere innuat. Si febris adſit, ptiſanitium ex gallina primum cum refrigerantibus quibuſdam herbis elixa, ptiſana hordei juſculo aliquo diluta & ſaccharo condita; amylum ex hordeo cum jure aliquo ſimiliter. Cæterum ſit aut non ſit febris, nunquam officit clyſtere ex eiſdem inteſtina replere: fere enim tueri vires ſolet, in hoc quoque ſtatu his utendum, quæ ad collapſas vires proxime docuimus, quomodo igitur, ubi quis unctus devorare nequit, ei ſuccurrendum ſit, hactenus dictum eſt. verum Alvi fluor, ſi modicus fuerit (ut ante monuimus) ſiſti non debet; ſin immodicus, compeſcendus eſt; quia vero talis potiſſimum gignitur, quod materia, quæ per os vacuari debebat, in ventriculum repit, mox in inteſtina, deinde per alvum ſecedit, hujus cohibendi nec leve, nec inutile auxilium eſt, per os ipſum hanc eandem, quoad fieri poteſt, retrahere, ad id faciet hoc decoctum. *Accipe caricarum, paſſularum, ſebeſten ana unc. s. Bulliant in aqua s. a. poſtea melle roſaceo addito, abluatur os.* hyeme quidem calide, æſtate autem tepide. Item *accipe ſyr. de glycyrrhiza, de hyſſopo ana drach. vi. ſyr. violacei unc. s. aquæ hordei valde excocti lib. ii.* utere ſimiliter.

Interim non parum proderit, ſi *ſtaphyſagriæ ſemen* per os verſetur, aut *thapſiæ radicis cortex*, aut apophle-

gmatiſmus, hunc in modum compoſitus. *Accipe piperis albi drachm. i. s. pyrethri, ſerup. ii. byſſopi, origani ana drach. i. ſinapi drach. ii. zinziberis drach. i. maſtiches drach. i. s. Trita excipiantur ſucco betæ, aut melle, formentur maniſles paſtilli, è quibus unus pro vice teneatur ore.* Aut Recipe *maceris drach. i. uvæ taminiæ, cubebarum ana drach. i. s. cortic. rad. cappar. ſerup. ii. radicis acori, nucis moſchatæ, ana drach. s. Trita excipiantur maſtiche, piſtillo calido adhibito, finganturque paſtilli manſiles.* Aut Recipe *cubebarum drach. i. s. piperis albi drach. i. uvarum paſſularum detractis vinaceis. drachm. ii. ſtaphiſagriæ, pyrethri, ſinapi, ana drachm. i. Contuſis ſingulis, excipiatur in plures partes diviſa panniculis linei & fiant facculi manducatiles:* licet autem uſum acrium medicamentorum ad materiam per os evacuandam paulò ante reprobaverimus, nunc contra commendemus, nobis tamen ipſis nequaquam opponimur, quippe illic, ne caleſcens os nimium calefaceret, prohibebamus, hic ne materia ex ore in alvum ruat, adhibemus; acria enim os, palatum, & fauces calefacientia mordicantiaque, ut materiam circa os remorantur, ubi illuc ruit, ita ſi ad alvum prorumpat, ab alvo revocant, & perexire parant. Atque hæc ſatis ſint de alvi fluore, prout materia, quæ prope fluxura eſt ab inteſtinis, ad os revocari poteſt: quæ vero jam per inteſtina fuit, hæc penitus quidem cohibenda non eſt (retenta enim dyſenteriam excitat) ſed modice continenda eſt, ne æger ea nimium & frequenter fluente fatigetur, vigiliis conſumatur, viribuſque deficiat. Ergo clyſteribus, qui partim aſtringendi, partim abſtergendi facultatem habent utendum, qui etiam, ſi fieri poteſt, vires ipſas foveant, ut puta. Recipe *ſeri caprini, aut juſculi gallinacei, aut vervecini lib. i. vitellos ovorum duos, olei roſ. unc. iiii. rhodomellis unc. ii. Miſce fiat clyſter* ante cibum non ſemel, ſed bis ſingulis diebus. Interim vires roborandæ ſunt uſu ſimilis conſuetique alimenti, *decocto item berberis, aut rhois obſoniorum, aut aqua ferri:* vinum, uoi potatur, diluendum.

Hactenus de alvi fluore, ſed ſi dyſenteria ſupervenerit: ubi ſine febre eſt, ſine variis dejectionibus, ſine hepatis aut hypochondrii, aut ventris inflammatione, ſine multo dolore, neque cibos intercipit, neque ſitim inducit, relinquenda naturæ eſt: quippe quæ ſanguine, & ramentis egeſtis 7. aut 14. aut 20. aut 40. aut intra hæc tempora deſinere ſolet; talis enim etiam eos, qui prius ſunt in corporibus, morbos ſanat, antiquiores quidem longiori tempore, recentiores autem breviore: Cæterum dolor potiſſimum mitigandus eſt: reliqua, ne noſtra nimis prolixa reddatur oratio, nunc præteribimus, mitigabitur ergo ſi tum mane, tum veſperi, aut ſaltem mane quatuor horis ante cibum potetur *ſerum caprinum, aut ptiſana hordeacea. aut lac ad unc. uſque octo*, plus minusve, ſi *ferrum candens* in his ante ſæpius extinguatur, non parum proderit, ſi ova tremula ante cœnam prandiumque ſorbeantur, conferet etiam, quoad fieri poteſt, conquieſcere (ſiquidem omnis agitatio exulcerat, in dyſenteria vero intus inteſtina exulcerantur) univerſum ventrem *oleo roſaceo*, aut *myrtino* inungere, ex inferioribus partibus tepidum infundere clyſterem aliquem ex his, quos proxime recenſuimus. *vel ptiſanæ cremorem vel lac, vel oleum roſaceum, vel cum roſaceo butyrum aqua ferri lotum, vel cum myrtino, album crudum ex ovis, vel aquam, in qua lini ſemen decoctum ſit, & nunc addere ovorum vitellos cum aqua, in qua roſæ decoctæ ſint, aut plantaginis ſuccum, aut unguentum roſaceum, nunc ſevum hircinum liquatum, nunc medullam cervinam*: hæc enim dolorem levant, & mitiora ulcera efficiunt, maximeque utilia ſunt, ſi cibi quoque ſecutum faſtidium eſt. Quomodo ſit dyſentericis occurrendum diximus.

## CAP. XVII.

### *De ſanguinis ſputo & de argento vivo poſt unctionem retento.*

Sequitur ſanguinis ſputum, id antequam fiat, auxiliis pugnare anticipando, ne fiat, optimum eſt; ſiquidem ubi jam apparuit, curatio raro juvat, & ſæpe fruſtra fit, ſi igitur imminet (quod cognoſcitur ex gravitate tum thoracis tum ſcapularum, ex difficili denſaque ſpiratione, ex tuſſi, quæ prius non erat, ex tuſſiendi cupiditate κίεχνος Græce dicitur) non cunctandum mittere ſanguinem, non ſemel quidem ſed ſæpius, biduo triduove per intervalla tamen, ſingillatim vero ad unciam uſque unam, aut duas: ſin ſanguis eruperit, ut maximum periculum afferr, ita ubi multus eſt ſtatim aſtringentibus, & refrigerantibus (ut putat Hip.) curare oportet, & ſi videtur, ſanguinem per intervalla revellendo parum & ſæpe mittere, mittendus, ſed ubi modicus eſt, non admodum aſtringere, neque ſanguinem adeo curioſe mittere expedit. juvat vero uti *ſaccharo roſaceo, aqua ferri, & lactis potu* quadraginta diebus vere & autumno, triennium, quatrienniumve, neque enim facile is morbus, quum inveteraverit, evincitur, balneum utriſque alienum eſt, ſummopere confert ſtatim intra initia brachiis & tibiis, prout moris eſt, cauteria quatuor, ſi corpus ulceribus non ſcateat, adhibere, per quæ argenti vivi ſpiritus exhalet, aſſueſcatque ubi alias agitatur corpus, non ad thoracem aut pulmonem decumbere, & ſanguinis ſputum rurſus accerſere, ſed per eaſdem partes, quæ ulceratæ ſunt, foras exire, id quod etiam omnibus, quicunque unguento ex hydrargyro oblinuntur, commune eſt, ut enim illud intus exiſtens (quemadmodum ante diximus) ubi magno motu corpus concutitur, attenuatur, & in ſpiritum vertitur, morbumque aliquem, ſi foras exitum non ſortitur, intus remanens excitat, ita per ulcera circa cutim iter apertum reperiens, ſæpe proſilit foras, & morboſum affectum, quem gignere aptum eſt, ſecum rapit, liberumque corpus crebro relinquit, ſed ad id, ad argentum inquam vivum in corpore poſt unctionem retentum, non parum confert, ſi poſt unctionem æger nunquam igni ſe exponat, & ſubinde perfectis atque confirmatis viribus multum & frequenter pluribus diebus exerceatur & ſudet, ſic qui ſpecularia faciunt, argento autem vivo citra ignem utuntur, experti ſunt illud e manibus, & è reliquo corpore foras excuti, & mala, quæ parere ſolet, auferri. Unde conjectura quadam aſſequi poſſumus, quemadmodum illis multa & crebra exercitatio prodeſt, ita his, qui uncti ſunt, rationis ſimilitudine opitulari poſſe, hæc de argento vivo poſt unctionem intra corpus retento, de ſanguinis ſputo, & de ſymptomatibus aliis quæ dictam unctionem ex argento vivo ſequi ſolent.

## CAP. XVIII.

### *De ſuffimento ex cinnabari, ac de ſulphure & cinnabari.*

Suffimentum ex cinnabari unde occaſionem acceperit, in hujus ſexti libri principio dictum eſt, nimirum quia ſudorem plurimum ab eo moveri verisimile eſt: morbus vero Gallicus multis exercitiis, ac ſudoribus multis plerumque conſumitur, aut quia poſteriores in morbum Gallico ſimilem tale remedium adminiſtrare conſueverunt, cinnabaris, de qua loquimur, conficitur ex ſulphure, & argento vivo, facta (ut dicunt) igne ſuppoſito ſublimatione, habet igitur tum argenti vivi, tum ſulphuris, tum ſuas quaſdam poteſtates, de argento vivo ſatis ante dictum eſt, De ſulphure ſcire licet (ut Galen. *nono de ſimplicibus* admonet) trahendi vim illud poſſidere, eſſeque temperamenti calidi, atque eſſentiæ tenuis, abſtergere, pſoras, lichenas, lepras, & omnes id genus affectus abſque ut in profundum repellat, quum alia multa medicamenta quæ illos curant, miſtam habeant potentiam, nempe ut digerant pariter, & repercutiant; ut autem Dioſc. *lib. v.* calefacere, diſcutere, celerrime maturare, corpori inſperſum ſudores compeſcere, ſanguinis profluvia prohibere, gravitati aurium, per fiſtulam ſubeunte ejus vapore in aures, mederi, ſuffitu veternoſis prodeſſe, & multa alia commoda præſtare. Sed adeo diverſa ejus natura redditur ex argenti vivi mixtura, ut niſi quis id ſæpius experiatur, vix unquam credat; quippe quod ſua tenui ſubtilantia, & calore tum ſuo, tum ignis in cinnabarim convertitur: quæ deinde propter argentum vivum tenue factum in intima penetrat, & omnia permeat, propter ſulphur vero caleracit atque celerius penetrat, ſed propter utrumque ſimul rodit, ulcerat, venenum eſt, ſuffocat, vapore ſuo gingivas putrefacit, dentes interdum cadere facit, aſthma movet, tuſſim, hydropem, marasmum, epilepſiam, apoplexiam, paralyſim; ſed maxime, omnium ſudorem, quoniam ad interiora pervadens, quæcunque obviam fiunt, quoad poteſt, calefacit, & impetu ſuo prorſum pellit, quæ quum intro repere nequeant, ſiquidem ab ejus vapore internus locus omnis fere obſidetur, atque caleſcit, ad extima prorumpere per cutim, & in ſudorem evadere, coguntur. Illud quoque ſilentio prætereundum non eſt, ſuffimentum ex cinnabari (ut omnes uno ore conſentiunt) æque atque unguentum ex argento vivo, morbum Gallicum arcere; omni fere materia partim per os ipſum ſputo, partim per totum corpus, ſudore deducta, ſed differre, quod multo periculoſius quam illud exiſtat; quod animi defectionem, dum adhibetur, frequentius inducat, & quod is, qui ſuffimento uſus eſt, multo ſæpius quam qui unguento, recidat, ſcireque licet principibus membris, præſertim cerebro, & cordi potiſſimum adverſari. anheloſis, & his qui tabe conſumpti ſunt, & acuta febre affecti & valde imbecillis ex-

exitiosissimum esse; proinde nisi morbo jam inveterato, & ferme desperata salute, viribus tamen constantibus, nunquam administrari debere. Hactenus de sulphure, & ipsa cinnabari, qua nunc utimur, ac de suffimento.

## CAP. XIX.

### *De modis suffimentorum ex cinnabari, & de eorundem usu.*

Suffimenta ex eodem hunc in modum parantur. *Sume cinnabaris unc. iii. myrrhæ, thuris ana unc. i. aloës hepaticæ, sandarachæ, styracis calamitæ, benzoini (laserpitium vocant) ana drach. iii. Misce, fiat pulvis crassus*, adhibetur singulis vicibus *ad unc. i. & scrup. i.* Aut *sume cinnabaris unc. iii. myrrhæ, thuris, ladani, aloës ana unc. i. Contundantur in pulverem, cum styrace liquido subigantur, inde fiant trochisci glandis magnitudine.* qui singuli suo tempore singillatim prunis subditi colliquescant. administrantur ad *unc. i. drach. i. scrup. i.* plus minusve singulis vicibus. Aut *cinnabaris unc. ii. thuris, styracis liquidi ana drach. i. s. Misce:* quinta hujus portio pro vice adhiberi debet. Aut *cinnabaris drach. v. theriacæ drach. ii. cortic. citri, mali apii ana unc. i. Compone simul, pro singulis vicibus*, in hominibus robustis. Aut *cinnabaris unc. iii. ligni Guajaci oleosi limati lib. s. Fiant trochisci cum styrace liquida pro v. aut vj. vicibus.* Aut *cinnabaris unc. s myrrhæ, thuris ana drach. i. styracis drach. s. &c.* Aut *cinnabaris unc. i. myrrhæ, xyloaloës, ladani, thuris ana drach. ii. gallic moschatæ scrup ii. theriacæ scrup. i. Aquæ melissæ, vel styracis liquidi q. s. fiant trochisci.* Aut *cinnabaris unc. s. benzoini, aut ladani unc. i. s. theriacæ drach. s. doronici, tormentillæ, dictamni ana drach. i. corticum citri unc. ii. poma acida num. iii. Terenda terantur, & pinsenda pinsantur, dein tria vasa seorsum accipito, prunis plena. super uno cinnabarim, super altero cortices citri, & poma, in tertio reliqua ponito*, ita ut tria suffimenta in unum postea coëant, id suffimentum pro delicatis (ut dicunt) instituunt, tam curiosum vero negotium adhibent, potius ut videantur, quam ut prodesse putent. Aut *cape santalorum omnium, thuris, ligni aloës ana unc. s. myrrhæ, cinnabaris, auripigmenti ana unc. i. Misce pro sex vicibus plus minusve.* Aut *aloës, thuris, benzoini, camphoræ ana drach. iij. gallæ moschatæ drach. i. ligni aloës drach. ij. cinnabaris, auripigmenti, marcasitæ aureæ ana unc. i. Misce pro sex vicibus similiter*, putant hunc pulverem validiorem esse, sed nihilo magis, si diligenter experiaris, valere videbitur. Aut Recipe *cinnabaris unc. ii. s. auripigmenti, cadmiæ argenteæ ana drach. iij. thuris, aloës, myrrhæ, styracis calam., ladani ana unc. i. Misce, & in pulverem crassum redige*, est id (ut dicunt) aliis dictis potentius. At pro delicatis sume. *cinnabaris unc. ij. auripigmenti drach. ij. dictamni albi, tormentillæ (frestaphilon aliqui vocant) gentianæ, Been albi & rubei, angelicæ ana unc. semis. sem. citri, aceteosæ, ocymi, doronici, ana drach. ij cinnamomi, caryophyllorum, calami aromatici, croci ana scrup. ij thuris, sandarachæ, styracis calamitæ ana drach. s. ligni aloës unc. s. Redigantur in pulverem, vel cum theriaca formentur trochisci.* Aut *rec. cinnabaris unc. s. thuris drach. ij. fiat pulvis.* Aut *sume cinnabaris unc. vj. auripigmenti unc. ij. thuris, myrrhæ, sandal. rubrorum ana unc s. fiat pulvis.* Aut *cape cinnabaris unc. iij. auripigmenti unc. i. marcasitæ unc. s. thuris, myrrhæ, ligni aloës ana unc. s. fiat pulvis.* Aut *rec. cinnabaris unc. ij. thuris, myrrhæ, benzoini ana unc. s. gallæ moschatæ drach. i. s. theriacæ unc. s Aquæ melissæ, vel styracis liquidi q s. fiant trochisci.* Aut *rec. cinnabaris unc. ij. s. thuris, styracis liquidi ana unc. i. fiat pulvis.* Aut *R. cinnabaris unc. iij. mastiches, gummi Arabici, colophoniæ, styracis calamitæ ana drach. ij. antimonii drach. ij. fiat pulvis.*

Tot & tales sunt ex cinnabari suffimentorum modi. Hos aliqui pro temperaturarum varietate variare, plura detrahendo addendoque, volunt. id ubi faciunt, non certe quo quicquam prodesse putent, faciunt, sed quo diligentiores esse videantur, profecto enim melancholicus natura, vel biliosus, vel sanguineus æger fit, nihil sane refert hoc an illo suffimenti modo utatur, nisi ipsius cinnabaris copia, & administrationis tum tempus tum numerus varietur, refert enim quantum, quoties, & quando adhibetur, alioqui pro temperaturarum diversitate (nisi quod proprium alicui sit) nulla secundum sensum mutatio perspicitur, quippe idem utendi modus juvat, lædit ve tum imbecilles tum robustos, tum mares tum fœminas, & omnino cujuscunque sint temperaturæ.

Omnes vero pro singulis vicibus non excedunt *unciam* neque *minus semiuncia* ministrant.

Plures semel duntaxat intra quatuor & viginti horas suffiunt, alioqui bis, sed magis semel, quam bis expedit, ne bis æger præter alia prava symptomata, animi defectione singulis diebus periclitetur.

Omnes etiam ita sequuntur triduo quatriduove, & ad nonum, decimum, ac decimum quartum diem: quin etiam donec sputum appareat, sicut in unctione argenti vivi.

Sed magna inter eos discordia est, utrum jejuno, aut ei, qui ante aliquid sumpserit, adhiberi debeat. hi, quia venenatum est, aliquid ante sumendum esse, quod vires tueatur, suadent, illi ne nutrimentum novum intus existens, suffimenti ingressum prohibeat aut corrumpat, inutile esse prædicant aliquid ante porrigere; venenum autem omne moderatum esse in ipsa mixtura, ex qua suffimentum conficitur. Qui nutrire prius volunt, quam suffimen attrahatur, duabus aut tribus horis ante suffitionem præbent ova duo sorbilia, simulque vini albi optimi potum aliquem, aut ex eodem vino panis modicum, aut *tragea ex margaritis nuncupatæ vel aromatici rosacei drach. ij. vel sacchari rosacei unc. i.* subinde haustum magnum aduque semilibram, & amplius ex jure capi, aut gallinæ, & similium: utra secta rectius dicat, quia remedium valde periculosum est, difficile est decidere. Jejunus enim plenusve suffitus, si subinde pereat, quemadmodum propter suffimentum, ita propterea quod jejunus, aut plenus suffiebatur, mortem obiisse asseverare licet: sin evadat, ut quia suffitus est, sic quia jejunus, aut plenus suffiebatur, evasisse probari potest; cæterum eos, qui jejunium facile ferunt, forte minus lædet jejunos suffire: qui vero nullatenus ferunt, paulo ante suffitionem modice nutrire, verum id totum experientiæ relinquendum, ubi non semel suffiendum est, sed sæpius; si quis enim jejunus suffitionem ferre non potest, plenus vero potest, & si quis contra plenus non possit, jejunus possit, ille ante nutritus, hic jejunus deinceps suffiatur. Præparare vero corpus, antequam æger suffimento exponatur, oportet: quemadmodum de usu unguenti ex argento vivo dictum est; similiter etiam dum suffitur, postea nutrire, & symptomatibus, quæ contingunt, eisdem ingeniis occurrere, præmissa itaque (ut diximus) universi corporis præparatione, papilionem sive conopeum ab humo in altum erigunt, atque ita constituunt, ut æger inclusus non aliunde quam intus spirare possit, & si forte suffitum pati nequit, ut tunc caput commode exerere (toto corpore citra caput intus remanente) statim valeat, deinde ægrum penitus nudant, ut suffimenti vis singulas corporis partes attingat, & conopeo includunt: si robustus est intus stare permittunt, sin minus, super scamno perforato, ut quam maxime nudum sit corpus & suffitionem in universum recipiat, sedentem locant mox intra tibias vase terreo posito excepta prunia, super illam alicujus ex dictis suffimentis *unciam unam aut semis* imponunt, foventque ægrum quoad sudare cœperit, nisi quid mali accidat, subinde in lecto collocant, stragulis multis tegunt, quo magis excitetur sudor; id horæ unius spatio servant, postea paulatim tegmenta removent, sudoremque abstergunt, ubi vero arteriarum motus propter sudorem concitatus quieverit, & spiratio ad suam naturam redierit, tum nutriunt: Quidam absque papilione suffiunt, hunc in modum, cannulam stanneam in summo angustam, quanta ore teneri queat, in imo amplam, quanta nidorem totum suffiminis amplectatur ad instar infundibuli aptant, tum æger pro cubili, vel alibi sedens, angustiorem partem ore capit, & strictis labris vaporem trahit, hoc interdum cessans, quo respiret, interim digito, aut alia re foramen quod ore tenebat, claudit, ne vapor omnis exhalet: recreato spiritu, mox ad idem revertitur, atque ita vicissim donec sudare cœperit, deinde cætera quæ post suffitionem aliis præcepimus, exequuntur, sed hic modus, ut temerarius est, ita summe pernicious, sed ille omnium damnandus est, quo æger jejunus, sive rectus sive sedens in cubiculo tamen angusto & bene clauso, sed sine conopeo suffimentum ore aperto trahit, idque non tanto tempore, quantum alii jubent, sed multo minori, & fere centesima horæ particula. & cætera, sicut in aliis, facit.

## CAP. XX.

### *De occasione administrandi suffimenti ex cinnabari.*

Occasio ejus adhibendi est quoad morbum quidem, ubi ille intus, & in cute graviter affligit: qua enim interna depascitur, confert ut unguentum ex argento vivo, vitiosum enim succum per sputum educit, qua vero fortis infestat, juvat sudore ejus ope per cutim manante. Profecto autem nunquam adhiberi debet, nisi morbus inveteraverit, & (ut proxime diximus) nisi tibi nulla spes ab aliis auxiliis offertur, & fere desperata salus est, & ubi propter assiduos labores æger vivat, an pereat, nihil æstimat, in hoc discrimine satius est idipsum experiri, quam nihil,

alioqui nullo pacto experiundum, & enim aliquando sanitatem restituet, ita non raro mortem vel subito vel novo aliquo inducto morbo tandem accersit. Quoad anni tempus; quoniam sudore accito sanare videtur, opportunior æstas, quam aliud tempus esse putabitur, ut enim æstate naturaliter sudamus, ita si naturæ conjungatur ars, magis sudabimus; sed illud obstat, quod calor, qui sudorem movet, labefactat, confunditque habitum corporis, atque etiam laxiorem, quam conveniat, eundem reddit: adde, quod intimum calorem foras educit, diminuitque, ita ut calido æstatis cœlo, quod indies vires nostras exsolvit, hyems restistere non possit. Autumnus vero, quia corpus æstatis calore ante debilitatum excipit, deinde suffitione impendio magis afflictum gelida hyemis constitutio sequitur, valde suspectus est. Sed hujus auxilii occasionem penitus rejicit, quod hyeme naturaliter non sudemus, quod jam humores hoc tempore magis concreti, magisque coacti quam alio sint, quare minus dissolvi, quam in sudorem vertantur, possunt, quod si forte sudemus, tum circumfusi aëris frigus succos in cutim impinget, tum humor externus, qui per hyemem redundat, se expeditius nostris corporibus infert, quum laxiora jam foramina propter sudationem arte factam satiantur: quo fit, ut quo plus sudant, eo magis repleantur & minime vacuentur. An igitur tempus magis opportunum ver erit; non ab ejus inquam initio, sed finem versus, sequitur enim æstas his, qui sudore egent, maxime omnium amica; quippe si quid relictum erit, quod vere sudor arte motus non hauserit; facile poterit is, qui sj onte fit æstate, consumere, aut si vere malum omne sudor absumpsit, æstas tamen debile corpus excipiens, calore suo minus offendet, quam autumnus, atque hyems frigore. Quoad ætatem, in juventa minus intempestive quam in pueritia vel senectute adhibetur; quoad corporis habitum, & quædam alia, minus obest habitui mediocri, quam pleno, aut gracili, minus gracili & natura robusto, quam pleno, & natura imbecilli, minus his, qui firmo tum capite tum pectore sunt, quam qui infirmo, minus mulieri, cui menses proxime fluxerunt, quam cui dudum instant; quoad regionem, minus in regione calida quam frigida nocet, minus in sicca quam in humida: licet enim in humida sudor facilius provocetur, facilius tamen apertis per sudationem meatibus corpus repletur, hactenus de occasione administrandi suffimenti ex cinnabari.

## CAP. XXI.

*Utrum à causis manifestis agat suffimentum ex cinnabari, & utrum sit artis inventum.*

Cur sudorem moveat, cur sputum, cur gingivas ulceret, denique cur morbum Gallicum sanet, si quis ea, quæ de argento vivo diximus, perscrutetur, facile intelliget, quippe sudorem movet, sicut alii quoque suffitus, sed sputum excitat, non ideo, quia per vapores in caput repit, nam & alii suffitus, qui absque argento vivo, absque cinnabari, absque vocato tum sublimato, tum præcipitato, absque minio naturali, absque auripigmento, & similibus componuntur, in caput repunt, non tamen sputum movent, neque gingivas erodit, quoniam argentum vivum, ex quo cinnabaris gignitur, sua natura ulceret, si quidem (ut ante diximus) ex accidenti; non autem per se ulcerat: nam si manu, si ore diu teneatur, non modo non ulcerat. sed ne calefacit quidem; sed sputum movet eisdem causis, quibus argentum vivum, ex quo vel arte paratur, vel natura constat. Verum gingivas ulcerat, tum quia (ut supra narravimus) multa materia illius usu in capite collecta putrescit; subinde adjacentes partes corrodit, tum quia cum re sicca & calida jungitur, morbum vero Gallicum curat, & quia sudorem movet; is enim sudore multo & crebro consumi solet. & quia argentum vivum, ex quo constituitur, facultatem habet (ut supra monuimus) dictum morbum sanandi: nimirum quia calidæ rei ope in tenuissimas partes dividitur, & concretos succos, qui attenuari possunt, attenuat, seque illis commiscens, quoniam substantia fluida, & fluidos facit, & loco, cui molesti sunt, quoniam agente calore, perpetuo movetur, secum alio eripit, atque compingit. his enim de causis gummitiones liquat, ulcera siccat, destillationes finit, ex quibus non obscurum est, quod à causis cognitis, & non incognitis suffimentum ex cinnabari morbum Gallicum tollat.

Utrum vero id quoque inventum artis sit, ex his, quæ diximus de unguento argenti vivi, constare omnibus potest, licet enim experimentum sit verum, & non fictum, quippe quod aliquando morbum Gallicum re vera sanat; est tamen adeo periculosum, ut arte dignum nulla ratione fieri possit, tantoque periculosius quam unguentum est, quanto argentum vivum magis exitiosum est ubi igne supposito (ut ante diximus) in usum venit, & rei calidæ siccæque, utpote sulphuri, commiscetur.

## CAP. XXII.

*De aliis auxiliis adversus Gallicum morbum, & 1. de candela ex minio naturali, & de ceratis ex argento vivo.*

Hactenus de quinque auxiliis, quæ in universum arcere morbum Gallicum existimantur, nimirum de ligno Guajaco, de sarza parilla, de radice Chynarum, de unguento argenti vivi, ac de suffimento ex cinnabari. Sunt quædam alia hujusmodi, est candela, quæ ex minio naturali, & cera conficitur, hæc accenditur, & vaporem ab incensa inspirat æger, admovent quoque ulceribus, ut puta in tibiis, in brachiis, in capite, ut suffitu suo illa exsiccet, & sanet, adhibetur etiam ulceribus intra os, intra anum excepto vapore per infundibulum: similis est suffimento, sed sub diversa specie, sunt & cerata aliqua, ex argento vivo constructa; sunt & panniculi linei aqua sublimati, de qua loquemur, infusi, brachiis, & tibiis, velut unguentum ex argento vivo applicati. est adhæc pilula ex præcipitato, quæ deglutita solet id malum ex toto tollere. Singula præter pilulam æque præparari, & nutriri corpus exigunt, atque unguentum quod diximus est suffimentum: neque non per tot etiam vices, ac dies administrari per quot illa. Candelam aliqui hunc in modum astruunt. *Sume minii naturalis unc. viij. styracis liquidi, myrrhæ, thuris ana unc. ii. s. ladani unc. i. s. ceræ q. s. Fiant candelæ novem*, ex quibus unam singulis vicibus suffitus loco adhibent, miscetur interdum *præcipitatum*, aliquando *cinnabarim*, nunc *sublimatum*, & singillatim & simul: sed (ut arbitror) commentum quoddam est professoris, qui mavult videri quam esse: quippe verisimile non est, quod hujus ope magis speret proficere, quam usu unguenti ex argento vivo, aut suffimento ex cinnabari.

Cerati formula quædam hæc est. *Accipe pinguedinis porcinæ colatæ argenti vivi extincti ana libr. i. s. Misce in simul in mortario, mox adde thuris in pulverem redacti, lithargyrii, ceruſſæ ana unc. i. s. Diligenter in dicto mortario una omnia misceantur*, deinde Recipe *serapini, ammoniaci ana unc. viii. resinæ pini, terebinthinæ ana unc. x. Dissolvantur in aqua ardenti, ad ignem continue agitetur, ubi vero refrigerationi proxima sunt, adde supraſcriptum unguentum ante factum, simul etiam perpetuo agitando donec probe misceantur, postea junge ceræ albæ unc. iiij. ac rursum lithargyrium pulverem redacti drach. v. & s. a. fiat ceratum*, quod extensum in pannis lineis, aut in corio, ut moris est, super omnibus articulis ponito, dein tertio quoque die removeto, rursum apponendo, quoad novem, aut 14. dies absolvantur: aut donec sputum per os prodire incipiat, aut gingivarum tumor insignis apparere. Id præterea ceratum valere tradunt ad summovendos dolores Gallicos, ad resolvendas gummitiones, ad ulcera sananda, ad generandam in his carnem, & eadem consolidanda, demum super omnes junctiuras positum, in universum tollere morbum Gallicum, administratum eo modo, quo dictum est; potentius vero reddi, si plus argenti vivi addatur, ut puta *libra media*, aut *libra una*. Aliud ceratum. Recipe *olei chamæmeli, anethini, de spica, de lilio ana unc. ii. olei de croco unc. i. pinguedinis porcinæ colatæ. lib. i. euphorbii drach. v. thuris drach. x. pinguedinis viperæ unc. ii. s. ranas viventes num. vi. lumbricorum vino lotorum unc. iii. s. succi radicum ebuli, succi rad. inulæ, ana unc. ii. schœnanthi, stœchados, matricariæ, ana manip. i. vini odoriferi lib. ii. Bulliant simul omnia quoad vinum consumatur, subinde colentur, colato adde lithargyrii auri lib. i. terebinthinæ claræ unc. ii. ceræ albæ q. s. Fiat ceratum, in fine addendo styracis liquidi unc. i. s. mox ab igne auferatur, baculo nihil minus agitando. adjunge argenti vivi saliva extincti unc. iiii. diligenterque misce.* Ceratum id affirmant securius esse, quam unguentum, & magnopere prodesse tum doloribus tum ulceribus auferendis. Aut Recipe *pinguedinis porcinæ colatæ lib. i. argenti vivi extincti unc. viii. styracis, theriacæ, ana unc. j. Ceræ & resinæ pini ana q. s. misce fiat ceratum.* Aut Recipe *argenti vivi extincti unc. iiii. pinguedinis anseris unc. vi. gummi arabici, mastiches, colophoniæ, ana drachm. ii. camphoræ drachm. i. mucilaginis psyllii unc. j. olei ros. omphacini, ceræ, resinæ ana q. s. Misce fiat ceratum:* Id præcipue in calidis temperaturis putant administrari debere. At in frigidis hoc infrascriptum scilicet. Recipe *proxime dicta omnia præter camphoram mucilaginem psyllii, oleum ros. omphacinum, adde vero styracis liquidi, styracis calamitæ ana drachm. ii. olei laurini q. s. misce fiat ceratum*, ut dictum est. Id quod & vehementius, & mediocrius, & imbecillius reddi potest plus minusve argenti vivi adjungendo detrahendove, ut puta si vehemens, *argenti vivi unc. vi.* si mediocre *unc. iiii.*

*iii.* ſi imbecillum *unc. ii.* horum quodlibet (ut ante monitum eſt) ſupra novum linteum, aut corium extendunt, quatuor digitis latum & longum, quantum membra ambire queant, itaque ſupra utrumque talum, utrumque genu, utramque coxendicem, utrumque carpum, utrumque cubitum, utrumque humerum ponunt, denique ſuper omnia membra. Aut Recipe *empl. de pelle arietina unc. iiii. empl. triapharmaci, ad ignem confecti, diachylon. majoris ana unc ii. reſinæ pineæ unc. ii. Liquefiant ad ignem, ubi refrigerari cœperint, immiſce argenti vivi extincti unc. v. cinnabaris unc. ii. ſublimati unc. iii. Fiat ceratum*, quod linteolis exceptum tibiis citra genua, & brachiis citra cubitos, donec ſponte ſegregari videantur applicata manere permittantur, verum uſus horum valde fallax eſt, raroque ſanitatem deducit.

## CAP. XXIII.

### *De aqua ſublimati, & de catapotiis ex præcipitato.*

AQua ſublimati variis modis paratur, hanc pro theſauro habent artifices, neminem docere volunt, quæ tamen eo eſt perniciioſior, quo magis argentum vivum in ſublimato adjunctum eſt rei corrodenti, peſtilentius enim (ut ante diximus) evadit, nec aqua ſua frigiditate humiditateve quicquam veneni hujus moderatur, quin imo liquatur in illa, cauſam præbet & penetrandi magis, & magis officiendi, ideoque membra, quibus applicatur, exulcerat, ſputum movet & alvum & ſanguinem, ſed interdum cum periculo tam proclivi ad mortem, ut nihil quidem promptius. Modus communior hic eſt. Recipe *ſublimati drachm. viii. plus minuſve, nam aliqui accipiunt pro qualibet aquæ libra ſublimati unc. ſ. & interdum unc. j. coque ſimul diligenter poſtea cola*, ſi opus fuerit deinde panniculis lineis hoc decocto uſque *ad libram ſemis* per ſingulas vices infuſis calide involvantur ſingula membra nunc bis, nunc ſemel in die, ut de ceratis eſt dictum. catapotia ex præcipitato ſunt, ut puta *ſume præcipitati gr. v. plus minus margaritarum præp., hyacinthorum præp. terræ ſigillatæ, bolı armeni orient., ana gr. iij. ſpecierum diamoſchi dulc. gr. iiii. Fiant pil. iii. cum rhodomelle*. capiat æger in aurora, ſeque in lecto contineat, ad minus per horas quinque. Aut Rec. *præcipitati unc ii. aquæ plantag. acetoſæ, ana unc. ii. Simul una nocte maneant fictili teſtaceo excepta, mane aquas exhauri, ſubinde earundem tantundem infunde, mox ad ignem rudicula ſemper agita, quo uſque pulverem revertantur.* poſtea Recipe *hujus pulveris gr. v. ſpecierum diamoſchi dulcis, dia margarit., elect. conciliatoris ana ſcrup. ſ. margaritarum præparatarum, hyacinthi præp. ana gr. v. fiant catapotia num. v. cum ſyr. de pomis*, ante diluculum ſumantur, inde cubili ſe contineat æger ad minimum horis quinque, hæc & pituitam & atram bilem vomitu & alvi dejectione vacuare, & morbum Gallicum penitus abolere dicunt, ego quidem non ſemel, ſed bis terve ab his vidi convulſionem moveri cum ſudore frigido, quæ diem integrum vexabat ægrotum, tanto cum periculo, ut parum abeſſet, quin fatis cederet. Cæterum ut ante quoque diximus hæc quidam adeo extollunt ut nihil ſupra, neque ſolum Gallico morbo prodeſſe, doloreſque ab illo natos omnino ſummovere putant, ſed varia quoque morborum genera mirabiliter curare, quin etiam hujus præcipitati pulvere ſorditiem, carnemque putridam ab ulceribus, ſi ſuper eiſdem aſpergatur, aptiſſime deleri, & hæc eadem ad cicatricem deduci, quod nos non improbamus, ſin uſque *ad gr. v. ſeptemve* plus minuſve devoretur, *pauxillo theriaces addito, ſuccoque tunecis herbæ, cardauum benedictum vocant, ſive elect. de gemmis*, peſtilentiam omnem ante illius confirmationem arcere, ad coli & ilei dolores magnopere valere, denique lymphaticos, melancholicos, item faſcinationes, quartanave affectos ſanare, niſi ſit, quod hi ex animo plerumque laborant, utpote qui vel ex metu in quartanas inciderint, vel aliquid ſibi in animo finxerint, quod aut lymphationis, aut melancholiæ, aut faſcinationis ſpeciem incuſſerit: ubi ergo præcipitatum ſumpſerunt, maximos eiſdem affert labores, coguntur enim ſumma cum moleſtia tum vomere, tum egerere propter ejus violentiam ſentiunt ſeipſos ſtrangulari, oculos e ſua ſede prorumpere, ventriculum atque inteſtina inflari, diſcindi, lacerari, denique mortem ipſam in propinquo eſſe, tanto demum orto vitæ diſcrimine, aliud cogitare incipiunt, veterem opinionem, unde malorum principium fuit, mutant, ſubinde novo metu priorem excutiunt, & ut ab hoc priore ſe liberos reddunt, ita quoque ab his malis, quæ ab eodem pendebant, vindicantur, non profecto quod præcipitatum atram bilem, quam omnes horum affectuum cauſam ſtatuunt, peculiariter ducat: Sed quod intolerabili, quam ægris infert, moleſtia eos cauſæ morborum, quos patiuntur, cogit obliviſci, & aliud imaginari, quam ſint verbi gratia ſe gallum aut dolium aut fungum eſſe. verum hæc ex præcipitato catapotia, & aquam ex ſublimato, & ſuffimentum ex cinnabari & ex candela ſcripſi: non profecto, quod alicui adminiſtrari debere putem. Sed ne omiſiſſe videar.

## CAP. XXIV.

### *De quibuſdam aliis, quæ univerſum Gallicum morbum ſummovere poſſunt, ut puta de aqua ſalſa factitia, de vino factitio, de roriſmarini, juniperi, pini, buxi, & ſimilium decoctis.*

SUnt vero alia præſidia, quæ multo ſecurius, & non minus quam prædicta univerſum Gallicum morbum ſummovere dicuntur, ut puta *decoctum roris marini, abſinthii, Radicum tamarices cum paſſulis, juniperi, pini, buxi, & ſimilium*, & etiam arboris, quæ junipero ſimilis eſt apud Africanos medicos contra morbum Gallicum jampridem inventa eſt, & vinum factitium, & aqua ſalſa factitia, quæ ex rei natura (ut dicunt) inventa, poſſet in horum numerum aſcribi. hæc habet *aquæ puræ lib. j. ſalis communis drach. j.* plus minuſve: ita enim temperari debet, ut neque mordeat, neque admodum aſtringat, neque inſigniter calefaciat neque liquet, bullire ſimul & aquam & talem ſalem prius oportet, deinde colari: quia ergo ſal omnis (ut Dioſc. inquit) aſtringit, exterit, repurgat, disjicit, reprimit, extenuat, exedentia ulcera compeſcit, magnum momentum ad ſalutem in morbo Gallico habere poſſe videtur ſi quis aquam hanc, tum mane tum veſperi ſicut Guajaci decoctum *ad lib. ſ. aut unc. viii.* potarit: ut enim leviſſimam habet aſtrictionem, ita tenui ſimul, ac fluida ſubſtantia conſtans, per corpus univerſum facile ferri poteſt, ac ſua ſalſedine ſuaviter mordente illud expurgare, juxta ac a putredine vindicare, facultate leniter aſtrictoria partes omnes roborare, frigiditate, quam aqua naturaliter obtinet, calorem omnem moderari, denique ulcera omnia ad ſanitatem deducere, cunctasque morbi Gallici curandi indicationes abſolvere, nec obſtat id, quod de ſalis nocumentis primo lib. dicebamus, nam ſi cum cibis accipiatur, & intus ea, quæ vi ſua movet, remoretur, lædere quidem poteſt, ſed ſi medicamenti vicem ſubiens, illa eadem foras educat, tantum abeſt ut obſit, ut mirifice profit: verum id quidem ratio (ut videmus) nobis dictat, ſed utrum ita futurum ſit, nec ne, quemadmodum illa pollicetur, experienti relinquendum eſt, ne id. antequam fieri noverimus, futurum eſſe temere affirmemus, nunc igitur ſatis ſit tantum innuiſſe. *Vinum factitium habet ſolorum, & folliculorum ſenæ ana lib. ii. polypodii unc. vi. myrobalanorum omnium ana unc. j agarici, rhabarbari ana unc. j. ſ. macis, maſtiches, ana unc. ſ. guammi Arabici, ligni aloes, ana drach. iii. ſumi terræ, epithymi, ana unc. ii. corticum hellebori nigri unc. ii. ſ. zinziberis drach. v. vini albi optimi q. ſ. terenda ſ. a. terantur, ſimulque infuſa 24. horis ſerventur*, deinde his adde *florum boragin. bugloſſi, roſarum, florum mali citri, corianorum præparatorum unc. ii. paſſularum lib. ii. Omnia ſimul modice bulliant, poſtea colentur, hujus colati ſume unc. vi.* mane hora purgantium medicamentorum, quam ſupra declaravimus, præcipue vero quarta quintave ante prandium, ſæpe 14. ſæpius 20. diebus deinde per plures quoque dies: ſumat æger eadem hora hujus elect. *drach. i. ſ.* quod habet. *ſacchari bugloſſati, roſacei, boraginati, violati, ana unc. iij. ſucci ſcordii concreti, ſucci cichorei concreti, ana unc. i. mithridatii drach. ii. ſpecierum diarrhodon abbat., ſpecierum triaſandal. ana drach. i. ſ. ſyr. roſ. recentis q. ſ.*

Id vinum, atque electuarium à quibuſdam magnopere probatur, ſed imaginatione potius inventum eſt, quam experientia aut arte, interea vero taceam an dixerim, aquam noſtram, quam nos felici ſucceſſu experti ſumus non ſat ſcio: hæc enim præter alia commoda privatim habet, quod incipiens pilorum defluvium ſiſtit, futurum prohibet, quod ſatis eſt ſi ſemel duntaxat ad uncias uſque ſex, plus minuſve ſingulis diebus uſque ad 20. aut 30 aut 40. horis quatuor ante prandium potetur, quod neque actiones conſuetas tunc impedit, quod neque cibum potumve præſcriptum requirit, cæterum hujus deſcriptionem hic modo non afferimus, tum ne præſens opus in immenſum augeatur, tum quia proprium opuſculum illi dicavimus, quod Deo annuente proxime edemus, ſed ad rem noſtram. Itaque *decoctum roriſmarini habet ſolorum roriſmarini pugillos vj. aquæ communis lib. vj Coquantur ad dimidium, de quo Rec. unc. vj.* plus minuſve: pota calidum mane, & ſero quatuor horis ante cibum viginti diebus aut 30. aut 40.

Victus ratio in cibo, potu, aëre, motu, quiete, expletione, inanitione, & in reliquis, talis eſto, qualis ubi decoctum Guajaci ſumitur: in prandio etiam & cœna potari poteſt: ſed ſi non potetur, nihil minus prodeſt. Provocat ſudorem, pruritum arcet, neque parum confert, ſi mor-

morbus Gallicus ad exteriora prorumpat nec ossa nec in alto carnes depascatur, agit vero non occulte ut dicunt, sed ea ratione, quam ubi decoctum Guajaci examinabamus recensuimus.

*Absinthii decoctum* aliquando propter amaritudinem plus aquæ requirit, sed ut plurimum similiter conficitur, ac præter id, quod Gallicum morbum summovere solet; concoctiones adjuvat, suffusis felle opitulatur, urinam movet, purgat quæ in stomacho, & alvo biliosa hærent, putredinem prohibet.

*Radicum myrices cum passulis decoctum* nemo adhuc, quod sciam, in hoc morbo expertus est, in horum numerum ascripti, tum quia Serapio ex Alchanzi sententia duas mulieres lepra, id est, elephantiali, affectas eo poto sanatas fuisse tradit, tum quia id rationis similitudine quis facile transferre ad morbum Gallicum potest; uvas passas privatim postulat: componendum vero est conjectura sumpta ab aliis decoctis quæ *ex tamaricis radice cum aqua* passim parantur, & æque atque illa non semel sed sæpius propinandum.

Juniperi decoctum *accipe foliorum juniperi majoris minorisve, parum admodum refert, pugn. vj. fructus ejusdem nu. xij aquæ communis lib. xij. coquantur ad octo libras, hoc est, quod octo superfint, hujus decocti accipe libram. s. plus minusve*, pota mane & vesperum quatuor horis ante cibum calide; reliquum in prandio & cœna, nisi molestum admodum sit, in potu sume. Cætera ut in decocto Guajaci servanda sunt, sed cavenda sunt, Dioscorides innuit, ligni ramenta, hausta enim lethalia sunt, id & propter suam amaritudinem, & astrictionem atque acrimoniam, quæ singulæ in eo ad lenitatem accedunt, fere æque ac decoctum Guajaci prodesse solet, urinam ciet, crassa extenuat, stomacho accommodatum est, ad pectoris vitia, tussim, ad inflationes, ad tormina facit.

Pini decoctum Recipe *foliorum pini pugn. iiij. corticis ejusdem, nucis ejusdem, ana unc. iiij. aquæ communis lib. xij. Infundantur xij. horis, subinde bulliant ad lib. sex.* Id sumatur quemadmodum juniperi decoctum, aliqui corticis loco ligni scobem ponunt, sed cortex præstantior est. Urinam peculiariter ducit, vulnerum inflammationes lenit, confert jecinorosis, vetustis tussibus, his qui in phthisim labuntur, dentium doloribus, alvi fluoribus, & ulceribus tum internis tum externis, morbo autem Gallico non minus quam quodvis prædictorum.

Buxi decoctum. Licet aliqui nullum buxi in medicina usum esse tradiderint, præter quam, quod folio tantum cum materiei scobina ex lixivio capillum ruffet, nihil minus quia non pauci asserunt ejus decocto multos à morbo Gallico liberatos esse, ut inventum novum est simul & nostrate adversus morbum novum, ita silentio præteriri non decet. Itaque *sume buxi limati: incisi lib. s. aquæ communis lib. vj. infundantur 24. horis, deinde bulliant ad duas libras, ex his Rec. unc. vj.* plus minusve mane, in aurora, & vesperi quatuor horis ante cœnam calide, præterea *sume sebis ejusdem unc. xij. Aquæ communis lib. viij. Statim bulliant ad libr. viij.* serventur pro potu in prandio & cœna.

Id sane decoctum verisimile est ab aliis quæsitum esse, potius æmulatione decocti ex ligno Guajaco, quam animo magis proficiendi, ubi Guajacum haberi possit, recensui tamen non quod valde admodum efficax illud esse putem, sed ne quod à me prætermissum esset temere accusarer. Commune autem his omnibus, hoc est decocto rorismarini, absinthii, juniperi, pini, buxi, est, si sudor sequatur, prodesse, si minus, inutilia esse.

## CAP. XXV.

### *De vaporationibus absque cinnabari.*

Præter hæc non pauca quoque sunt, quæ sudorem valde provocando similiter juvant, ut puta vaporationes quædam rerum aliarum, quam cinnabaris, exercitatio ipsa, balneum. Vaporatio arida. *Accipe styracis, myrrhæ, thuris, mastiches, ladani ana drach. ii. maceris scrup. s. nucis moschatæ unc. s. cortic. nucis pineorum, cupressi ana unc. j fiant trochisci. s. a. cum styrace liquido, è quibus unc. s.* plus minusve fingulis diebus in usum veniat, quemadmodum de suffimento ex cinnabari locuti sumus, præparato scilicet ægro & intra conopeum sive papilionem locato. Aut Recipe *ligni aloës, nucis moschatæ, cinnamomi ana scrup s. caryophyllorum unc. i. benzoini unc. s. styracis liquidi. q. s. fiant trochisci*, qui similiter usui sint. Aut Recipe *hyssopi, salviæ, ivæ, rorismarini, foliorum lauri, pulegii, calaminthæ, cardui benedicti, amaraci, artemisiæ, rutæ, polii montani, millefolii, calendulæ (calcham esse quidam volunt) semin. carthami, (hoc est) cnici, anisi, ammios, fœniculi, seseleos, vulgo siler montanum, carvi (carum dicunt) cumini, zinziberis, ana man. j. fiat pulvis, è quo unc. s. plus minusve in suffimenti vicem accipiatur.* Aut Recipe *ligni Guajaci limati. unc. iij.* plus minusve sensim super pruna spargito, suffitoque singulis diebus quemadmodum de suffimento ex cinnabari locuti sumus.

Vaporatio humida habet *furfuris panniculo inclusi lib. x. calaminthæ, salviæ, majoranæ, rorismarini, betonicæ, hyssopi, prassii, florum chamæmeli, ana man. j aquæ communis, q. s. Una bulliant*, subinde simul cum vase intra papilionem tum admittantur, suffiatur æger una aut altera hora. Interim lapides molares accensi in eadem aqua extinguantur, quo calor ipse foveatur.

Sed licet hæc suffimenta quoque sint, & sicut ex cinnabari suffimenta administrentur, interea tamen quæ ex cinnabari constituuntur, non secensuimus, quoniam ab eis maxime differunt, nam ut illa experientiæ inventa sunt ita hæc opinionis, quippe quæ morbum Gallicum tollere ratione quidem arbitramur, sed re ipsa nondum experti sumus, secius quam ex cinnabari suffimenta, quæ notum est eum morbum aliquando summovere, neque aliqua suspicio est, quominus id possint. Cæterum quædam vaporationes sunt sine cinnabaris mixtura, quæ non ad opinionem, sed experientiam pertinent, utpote quibus adhibitis Gallicus morbus manifeste interdum curetur, & si enim aliam præcesserant contra illum administrata, dubitatio tamen aliqua non oritur, quin ab his, & non ab illis sublatus fuerit, hujusmodi est ægrum dolio magno excipere, intus circum circa ardenti arena excalfacere quoad sudor insignis provocetur, aut arenæ loco lapides molares ignitos imponere, atque interim in eosdem acetum acerrimum leniter inspergere. Talis vaporatio nonnullos Gallico affectos re vera sanavit, sicut & jam multæ vaporationes (ut dicunt) naturales, ubi è terra profusus calidus aer ædificio includitur, quemadmodum in Italiæ pictisque locis, ubi aquæ naturaliter calidæ scaturiunt, hinc mulier quædam fornaria filium Gallico morbo infectum conspiciens, fere de illius salute desperans, tum propter morbi sævitiam, tum propter paupertatis onus, sudore nimio citato morbum Gallicum summovere tentavit, hunc enim in furno prius diligenter calefacto, subinde prunis amotis, capite tantum foris prominente, locavit, adeoque sudare fecit, ut unico die morbus consumptus sit, & sanus è furno filius exiverit. hinc etiam quidam è grege mendicabulorum, qui lue venerea scatebat, aliquot diebus universum corpus equino fimo obruit, ut tantum esset, quare spiraret, erat stercus stabularium equino lotio sæpius perfusum, quodque jam computruerat, effecit ille hac arte, ut totum virus exprimeret, addidit aliquoties *enebriston ex axungia, larigna & hydrargyro*, nec alia vitæ lex servata est, præter eam, quam mantica afferebat, atque his remediis curatus est. Præparatione autem cura, modo, tempore, & victu utendum est, tum in horum in proxime dictis, velut in his, quæ ex cinnabari constant utendum præcepimus. Cæterum hæ vaporationes conveniunt his, qui pilorum defluvia patiuntur, non quo pilos decidere prohibeant, nisi forte sudorem & cumulatim & celeriter moveant, sed quo causam, quæ pilos erodit, celeriter auferant, & quibus ulcera circa cutim scatent, & quibus Gallica lues ad exteriora prorumpit, sed non interiora depascit, in his enim humor, qui intus nocet, per corpus digeri ad cutim naturaliter properat: natura igitur & medico simul convenientibus ad extra pellendum, ut id, quia naturale est, his præsidiis adhibitis facile assequimur, ita morbum ipsum cito summovemus, præsertim si in locis calidis circa finem veris, & ætatis initia adhibeantur.

## CAP. XXVI.

### *De exercitatione vehementi, quæ Gallicum morbum superare solet.*

Sed magnopere cavendum est, ne quis exercitationem, quæ morbi Gallici curandi causa instituitur, in loco frigido aggrediatur, neque anni constitutione frigida, neque flantibus ventis, sæpe enim sudore cedente circumfusus aer intro in corpus subit, meatus stipat, superflua, quæ alioqui ob motum vacuabantur, intro pellit, compingit, firmat, malumque geminat: In hac etiam illud maxime attendendum est, si conferat leviterque feratur: alioqui continuanda non est: Neque verendum, si primum ulcera forsan augeantur, aut plurima pullulent (antea namque monuimus, quomodo morbus Gallicus, ubi ad cutim repit, exercitatione uti potissimum expedit) quippe humor, qui intus obest, in hoc statu per cutim digerendus est: id vero commode præstat exercitatio vehemens & frequens, & multa, quæ tametsi primum ulcera suscitat, post tamen eadem dissipat: hæc semper antecedere cibum debet: hujus generis sunt luctari, fodere, equum agitare, aut quid tale: ad hæc arma, pila, cursus, ambulatio, atque hæc non utique plana commodior est, siquidem melius ascensus, & descensus cum quadam varietate corpus mo-

movent, melior autem est sub Dio, quam in porticu, melior, si caput patitur in sole quam in umbra: melior in umbra, quam parietes aut viridarium efficiunt, quam quæ tecto subest, melior rectà quam flexuosà: neque hic audiendi sunt, qui sudore aut certe lassitudine, quæ citra fatigationem fit, finiunt quantum aliquis exerceri debeat. In hoc enim statu nisi & frequenter, & copiose sudor excitetur, aut nihil, aut parum prodest, sæpeque vitiatos succos ad cutim pelles, subinde nequaquam excutiens, magnam pilorum defluvio ansam porrigit, ideoque debilibus, quia id ipsum ferre non possunt, inutilis est, robustis mirifice confert: Tam vero vehemens, tam etiam frequens esto, quam maxime sustineri potest, eodemque die, si vires patiuntur, bis terve, quaterve ubertim sudare subinde toties tepefactis linteis singula membra paulatim detergere, & lanationem accelerat, & corpus excitat, & robur firmat, ubi sudor omnis finitus est, calor omnis sedatus, & arteriæ conquieverunt, idoneus cibo æger est, sed ubi huc ventum est, nunquam utilis est nimia satietas, sæpe etiam inutilis nimia abstinentia, sæpe si qua intemperantia subest, tutior est in potione, quam in esca. hactenus de exercitatione.

## CAP. XXVII.

### *De balneis, tum naturalibus, tum artificiosis.*

At balnei duplex modus est: interdum enim ex pluribus rebus arte cum aqua mixtis componitur. Interdum ex aquis naturaliter calidis tantum attruitur, utrumque, si fluxio adhuc ægrum sollicitat, molestissimum est, articulos laxat, cutim in tumorem attollit, humores liquat, subinde dolores geminat, ejus enim calor humorem ad loca, ad quæ fluere solet, ducit ac trahit: verum ubi fluxio firmata est: neutrum inutile est, quippe dolores lenit, humorem, qui ad articulos flaxit, ibique infarctus est, resolvit, sed quoniam cognoscere difficile est, ubi dolor adest, an fluxio cessarit, balnea vero, ut dolores mitigent, potissimum petuntur; non nisi periculosus est in hoc statu illorum usus: Cæterum quia in Indiis occiduis non pauci, qui hac lue infecti sunt, se naturalibus balneis statim committunt, atque (ut aiunt) cito feliciter sanantur, ab re non est investigare, utrum aliquibus Gallica lue affectis balnea, quemadmodum ibi, ita hic in Europa conveniant, sane videmus eos, qui sine ulceribus, sine pustulis, sine pilorum defluvio sunt, si balneentur, gravissime lædi, qui vero his affecti sunt, sæpius juvari, ergo illos offendi verisimile est, quia morbum contra ejus impetum balnea movent, quippe qui ubi sine ulceribus, & sine aliis hujusmodi oritur, morem sortitur, contra quidem naturam suam, sed ex aliquo accidenti, ut ad interna repat, in hac itaque contrarietate dum ille intro fertur, & balneum foras trahit, dolores excitari, tumores augeri, morbum denique exacerbari necesse est, hos vero juvari, quia quum morbus (ut toties diximus) sponte sua ad exteriora feratur, simulque balnea illuc ducant, fieri non potest, quin vitiosi humores celerius vacuentur, & sanitas citius atque facilius sequatur, his videlicet duobus una conjunctis, nempe natura foras ad cutim expellente, balneo autem attrahente, quocirca si balneum obest, his obest, quorum morbus ad interna meat, utpote qui sine aliquo insigni cutis affectu, sine ulceribus, sine pustulis affliguntur, tales præcipue sunt qui altis doloribus cute penitus integra passim cruciantur, si vero prodest, his maxime prodest, qui circa cutim tum ulceribus tum pustulis scatent. Atqui balnea magis eligenda sunt, quæ naturalia nuncupantur, quam quæ arte fiunt, licet enim ars in aliquibus naturam imitetur, in aliquibus superet, in his tamen non modo naturam non superare, sed ne parem quidem ei se præstare hactenus potuit, sed quoniam ætate nostra nonnulli tentarent hoc aggredi, id est, artificioso balneo uti, referam id ipsum, non quo quis uti debeat, sed ne quod aliquis maxime opportunum esse putarit, id me temere omisisse redarguat. hujusmodi est quod recipit *florum chamæmeli, meliloti, semin. anethi, fœni græci, lini, anisi, ana manip. ii. fol. absinthii, menthæ, pulegii, calamintheæ, abrotani, rutæ, herbæ paralysis, chamæpityos, chamædryos, fumi terræ, lapathi acuti, rosarum rubearum, schœnanthi, ana man. j. Bulliant omnia in aqua q. s. ad ægrum balneandum, deinde colentur, & strictè premantur, colato addas salis & aluminis ana unc. iiij. sulphuris vivi unc. ii. rursum una bulliant, subinde colentur, colatum balnei loco in usum veniat*, mane ante prandium, servatis tempore, & modo, & conditione, & victu, & præparatione corporis, quæ supra de unguenti ex argento vivo, & suffimenti ex cinnabari administratione admonuimus. id tamen (ut dixi) commentitium est, & si experiaris, aut parum respondebit, aut nimium lædet. Verum inter naturalia illud omnibus anteponendum est, quod perpetuo calidum existit, ut proclivem humorem ad cutim ipsam magis ducat, ac trahat, quod sordities & saniem, sive ichorem abstergit simul & liccat, ut ulceribus apte medeatur, quod non vehementer astringit, ne ea, quæ ad cutim fluunt, in eandem magis impingat, quod non oleosum admodum est, ne ulcera foveat simul ac augeat, quamobrem tum aluminosum, tum bituminosum ineptum est, illud enim, ubi alumen maxime prædominatur, exsiccando conflipat, id nimium emollit, aiterutrum vero aliis modice commixtum haud æque inutile est, maxime vero omnium eligendum est id, quod sulphure, saleque constat, sed primo sulphureum, secundo salsum, atque rationis similitudine nare ipsum, ubi caluerit, quippe sulphur ut calefacit ita etiam discutit, & celerrime maturat, ut lepras, itemque impetigines terebinthina resina exceptum sanat, ex aceto autem vitiligines tollit, & cum nitro confricatum pruritus in toto corpore sedat, ita balneo fusum potest morbum Gallicum, qui ad cutim sponte repit, & hanc inficit, summovere, atque penitus finire. Rursum quia sales omnes multiplicem vim habent, si aqua naturaliter fusi, balnei vicem subeant, nihil fere minus quam sulphur Gallicam luem, quæ cutim ulceribus, pustulis, maculisque exerceat, amoveat, astringunt enim, exterunt, repurgant, disjiciunt, reprimunt, extenuant, & crustas urendo inducunt, solo magis & minus inter se differentes, exedentia sistunt. miscentur & his, quæ ad exterendas cutis asperitates & scabiei conficiuntur, tollunt præterea carnis excrescentias omnes alias, calentes iidem faccis inditi, impositique dolores leniunt, prurigines sedant, ex oleo & aceto usque ad sudorem apud ignem inuncti, impetigines quoque lepras itidem, & scabies, neque non sacros ignes, & ulcera, quos herpetas dicunt, ex aceto aut hyssopo impositi compescunt, adeo ut quum sales tot virtutibus præditi sint, quot fere ad Gallici morbi curationem requirimus, facile possunt hoc morbo affectis auxiliari. Sed non oportet ignorare, quod ut balnea naturalia his prosunt, ita eorundem frequens & copiosa, non ut de aquæ tussæ potu proxime differebamus, sed quemadmodum nostra ætate utuntur, periculosissima est, quum enim putredo Gallica in totum corpus effusa sit, & solidas fluidasque partes omnino corruperit, illa vero epota violenter atque confertim evacuent, omnes quidem humores, & quæcunque fluida sunt, utputa ductu facilia fere penitus expurgant, sed malum in nervis in musculis, in ossibus, in his, quæ solida substantia constant, quia firmius hæret, & nonnisi longo temporis spatio tolli potest, relinquent, quo fit ut repentina atque immodica vacuatione imbecillum redditum corpus ante opprimatur ab eo, quod relictum est, quam adeo velociter instaurari queat, huic accedit, quod contra morbi impetum movent, quod quanto celerius atque vehementius faciunt, tanto magis illius curationem impediunt. Hæc de balneis, an his utendum & qualibus, quantum vero, & quomodo, & quando ex his, quæ proxime diximus, facile intelligi potest, sed illud negligendum non est, quod balnea tum sulphurea, tum salsa per initia quidem utenti statim molesta fieri solent, post vero perseveranti valde proficua, simulque scire licet hæc eadem neque experientiæ neque artis adhuc inventa esse, proinde his ipsis non omnino fidendum, sed partim opinionis esse, partim conjecturæ, sumptæ tamen ab eo quod in Indiis occiduis experientia probatum est. Id quod legentem admonere volui, ne nostris verbis confisus deciperetur, ratus forsan hæc experimenta esse quum sint conjecturæ.

## CAP. XXVIII.

### *De balneis ex brutorum sanguine adversus Gallicum morbum, de mixturis ex serpentibus nigris, ex viperis, de sulphuris oleo, de Theriacæ distillatione, de cucurbitulis.*

Id genus quoque est, si quis balnea ex sanguine boum, aut vervecum, aut aliorum animalium nuper occisorum instituat, immergatque in his adhuc calentibus eos, qui Gallica scabie, leprave conficiuntur, similitudine sumpta tum ab eo, quod Plin. *libr. 26. capit. primo* ubi de elephantiasi loquens inquit. *Ægypti peculiare id malum, &, quum in Reges incidisset, populis funebre, quippe in balneis folia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam*, tum à ratione suadente, quum morbus Gallicus à sanguinis vitio, quod ab utero matris contrahitur, ortum habeat, sanguine circa cutis ulcera undequaque fuso, non humano quidem (ne impietatis accusaremur, licet hic forsan efficacior esset) sed bruto virus ulcerum omne ab eodem propter naturæ communitatem in se hauriri, trahi, & demum absumi. Sed id una cum aliis multis (ut dixi) non experientia, non arte, sed aut opinione, aut conjectura constat. Quidam plura remedia instituerunt, quæ universum morbum Gallicum (ut ipsi pollicentur) mirabiliter sa-

nant.

nant. Sed horum quædam periculosa sunt, quemadmodum sola victus ratio tenuis, aut purgatio frequens in longum tempus protracta, illa enim virium defectionem, hæc improbum distillationem, aut convulsionem, aut tremorem, utraque tabem accersere solet & si aliqui *sulphure* per plures menses *ad uncias tres, quatuorve drachmas* quotidie bis epoto (ut quidam perhibet) à doloribus, ulceribus, denique ab omni labe Gallica liberati sunt, aliqui vero devorata *resina terebinthina*, sive *oleo* (ut dicunt) *abietino*, & aliqui hac potione quæ constat *ex aloës optimæ unc. s. mellis lib. s. Aquæ communis libr. v. coquunt enim hæc simul omnia, donec quarta pars absumatur: subinde calide ad unc. vi. in aurora potant*, per multos videlicet menses & ter in hebdomada nonnulli *pulverem radicis quæ vocatur Mecohacan* I loco in Indiis novis, unde huc affertur, sic appellatæ *ad drach. ii. cum vino albo* pluribus diebus hora purgantium medicamentorum potato, à luc Gallica se vindicasse narrantur: est radix alba in fruticula quædam divisa, gustui primum insipida, sed si diu ore versetur, non nihil acre, perquam tamen tenuiter & obscure pungens relinquit, dicunt sine molestia alvum ducere. Sed si forte multum ducat, tunc jusculo aliquo absorpto statim cessare, ad inveteratum Gallicum morbum maxime valere, sed hæc obiter, illud interim non silebam, quod aliquos ego viderim à frequenti per medicamenta purgantia vacuatione in ea symptomata, quæ retulimus, succidisse, aliquos vero ab his, quæ proxime recensita sunt, curatos fuisse experimentis credam, nam ea quæ alvum placide ducunt, neque vim aliquam naturæ incutiunt, id posse quis neget? si frequenter & sensim exhibeantur, morbis vero quum ægrotum medico tempus & spatium ad id præstandum relinquat? quædam vero sunt ejusmodi, ut nonnisi longo spatio temporis singulari diligentia, attentissima cura effici possint, & ubi perfecta sunt, aut dubium & incertum exitum habeant, aut liquid adjumenti afferant, id non tanto labore & impensa dignum esse videatur, quare ne frustra scribendi laborem susceperimus, ea omnia consulto prætermittimus, quemadmodum etiam eam, quæ tum quatuor serpentibus (ut dicunt) longis & nigris, ea quæ cum quatuor viperis conficiunt, quid enim his opus est, quum longe plura parentur, quæ tum minus abhorremus, tum multo securiora esse cognoscimus, quam iitas ex serpentibus nigris, & ex viperis mixturas? quum etiam viperæ, quarum esu & elephantiasin tolli putant, ita magis Gallicum morbum, utpote leviorem, hanc plane minime tollant: hæ enim comestæ, ut præcipit, suo quidem exitiali veneno cutim universam in tumorem attollunt, mox illa undequaque pungentes, id quod in eadem tuberosum, ulcerosumque & velut ostracorum tegmen est foras expungere cogunt, subinde cutis munda integra sanæ similis cernitur, sed non multo post ad pristinam sordidiem illa revertitur, surrumque morbus, qui cessasse videbatur, recidit, & sæpe deterior evadit. Cæterum qui id audire nolit, sed aliter sentientibus credere malit, is primum experiatur, deinde utrum illi an ego recte sentiant videre licet. Quidam *oleum de sulphure* mirum in modum extollunt si *ad scrup. j. aut ij. trefve cum aqua melissæ unc. iij.* mane diluculo per multos dies potetur: addunt si *ad guttas sex aut septem cum aqua tamarisci, aut capill. vener. unc. iij.* unica hebdomada sumatur, ventriculi & intestinorum dolores ex materia flatulenta sedare, lienis vitia corrigere, vulvæ malis & urinæ difficultatibus succurrere, quin etiam *ex tribus aut quatuor guttis cum absinthii distillato* lumbricos pellere, præterea contra scabiem, impetiginem, lichenem, strumasque, si illinatur, valere, doloribus podagricis frigidis magnopere opitulari, quidam *distillatitium ex theriaca* huic anteponunt, præsent autem in aurora per complures dies *ad unc. i. aut ij aut iij.* prout plus minusve *theriacæ* cum aliis in hac distillatione miscuerunt. Sed id commentitium est, quippe quod imaginatione quidem inventum est, sed huc usque compertum nunquam; aliqui, quum solæ pustulæ urgent has eadem quinto aut septimo quoque die multis admotis cucurbitulis foras extrahere nituntur, id quod purgato prius corpore, si totum malum in pustulis sit, noxium est, nec utile.

## CAP. XXIX.

### *Examen telæ cujusdam medicatæ, & fussiminis cujusdam privatim pro evitanda Gallica lue.*

Quidam, ne ab infecta muliere in luem istam quis incidat, magnopere laudat statim post coitum priapo loto, aut urina aut aqua tepida, aut aliqua re hujusmodi, lineam telam glandi adhibere, medicamento quodam imbutam, quod siccare, & omne vitium foras extrahere, dissolvereque pollicetur, quin imo alii innuunt, quod si quis quatuor quinqueve horis, antequam fœdam mulierem ineat, hac tela glandem tegat, hunc ab omni periculo liberum fore. Id quod & si ad locum, ubi de vocata præservatione sermo fit, delegari debuisset, quia tamen mixtam obtinet curationis & præservationis speciem, magis placuit hic ipsum subscribere, habet vero in hunc modum. Recipe *radicis gentianæ, Aristolochiæ longæ, rotundæ ana drach. j. santalorum alborum, rubrorum, ligni aloës ana scrup. ii. coralliorum rubrorum, spodii ex ebore, cornu cervi usti ana drach. s. foliorum scordii, sonchi, betonicæ, scabiosæ, tormentillæ (quinque folium dicunt) ana man. i. ros. rub. man. i. s, vini albi vinosi lib. i. s. aquæ sonchi, scabiosæ ana lib. ii. ligni Guajaci limati unc. ii. Infuso Guajaci 24 horas cum dictis aquis & vino, subinde adduntur, cætera, simulque bulliunt, mox vehementer exprimuntur, in hac expressione adhuc turbida existente tela linea pura tenuis per integram noctem maceratur, deinde ad umbram siccatur, & rursus altera, & tertia nocte similiter maceratur, & postea siccatur*, ex hac fiunt fruticula ad glandis mensuram, & usui servantur, ut narravimus, aliud simile traditur, quod habet. *Radicis Aristolochiæ rotundæ, gentianæ, dictamni albi ana drach. ii. scordii, torichi, rutæ ana unc. i. s. ligni aloës, santalorum omnium, semin. citri ana drach. i. rhabarbari, tormentillæ, hyperici ana drach. s. mithridatii drach. ii. Guajaci limati unc. ii. vini albi vinosi opt. aquæ sonchi ana lib. i. s. Conficiatur simili modo tela linea, deinde in usum veniat.* Hæc ille tamquam insignia, & præcipua medicamenta tum ad præcavendum, ne quis per coitum in luem Gallicam incidat, tum postquam coiverit, si inquinamenti suspicio est, ad prohibendum, ne inquinamentum sequatur, his adjungit, quod si quis post coitum jam pruritum in pudendo sentiat, tunc signum esse contractæ labis, sed efficaciissimum illi remedium esse, si tum glans tum præputium ter aut quater suffiatur super pruna sparso pulvere, qui constat. *ex ros. rub. absinth. santal. rub. ana scrup. i. s. benzoini, camphoræ, thuris, aloës, myrrhæ ana scrup. ii. cinnabaris drach. i. s. præcipitati drach. i.* Aut *ros. rub absinth. sandarach rub. scrup. i. s. benzoini, camphoræ, thuris ana scrup. i. cinnabaris scrup. ii.*

Iste pulvis potentior est priore, usui est eo modo quo dictum est, sed utrum hæc ita sint necne, sola experientia docere potest. Author se felici cum successu millies expertum esse asserit, sed rectius scripsisset sibi ita visum fuisse, differt enim maxime alterum ab altero, verisimile namque est, æque hos, qui glandem hac tela & ante & post coitum obduxerunt non incurrisse in morbum Gallicum, ac eos, qui sine ulla hujusmodi cautela cum fœdis mulieribus rem habuerunt, minime tamen infecti sunt, proinde illos nihilo magis usu hujus telæ à morbo Gallico se vindicasse, quam si non usi fuissent, nam ubi sola suspicio est neque pruritus, neque ullum ulcusculum, neque tuberculum adhuc in pene natum cernitur, quid magis præstitisse hæc tela videbitur quam si non adhibita fuisset? quippe neganti, quod illa juvet, quomodo quis id persuadebit? nisi enim ex his, qui fœdas inierunt, omnes aut plerique circa glandem inficerentur, sed qui hac tela, aut aliquo hujusmodi præsidio usi sunt, ii soli à glandis ulceribus, & ab aliis id genus malis se vindicarent; quis illud credet? neque refert quod ille millies (ut scribit) hoc feliciter expertus sit, potuit enim triduo, quatriduove, & uno atque altero mense latere malum, sed conjuncto tempore longe post (ut sæpe solet) apparere, ita ut quod in præsens tempus accidit, ille mordicus observarit, sed quod in futurum terebatur, id aut neglexerit, aut minime animadverterit, sicut etiam id, quod in hujus telæ testimonium adducit, si postquam glandi apposita est, removeatur, inveniri sanioſam (ut dicit) & citrino aut pallido aut subnigro colore infectam, nam & alii, qui post coitum cum mulieribus probis & mundis, si glandi telam aliquam, vel simplicem appoſuerint, tale aliquid in ipsa tela reperiunt, id quod quilibet experiri facile potest. Præterea si tam vehementer trahit (ut author dicit) sicut post coitum venenum illatum foras extrahet, ita ante illum, nam ante quoque adhiberi quidam illius auditores asserunt, humores ad glandem confertim trahet, eandemque labi suscipiendæ promptiorem reddet, quod siquis non credit, experiatur in homine bene sano omnis Gallicæ suspicionis experte, videbit enim post telæ amotionem glandem à sua natura mutari, & mali alicujus speciem præ se ferre. Huc accedit, quia glans statim post coitum, & valde tumida, & non solum spiritu, sed etiam humore propter motum & attritionem referta, simulque insigniter calida est, huic igitur si aliquid, quod valenter attrahat, atque calidum sit, quale id ipsum ponitur, de quo differitur, addatur, humorem collectum, qui alioqui sponte dissipari poterat, remorabitur, novum alium accersiet, & malum quod forte substitisset, excitabit, adhæc aut glans præputiumve ex coitu fœdo aliquid labis Gallicæ contraxit, aut non, si non profecto hujusmodi tela nihil omnino proficiunt, si contraxit,

id

id vero nunquam ſine aliquo ardore, pruritúve contingit, ut ulcera, quæ ſequuntur palam faciunt, qua ratione ſive qua fortuna aliquis fœtus, ubi digna eſt in glande (quemadmodum in hoc caſu) ardoris, proritúſve ſuſpicio, ſtatim per patientem locum, nempe per glandem ipſam, tam vehementer attrahere audebit? neutro enim ſine fluxione oriri ſolet, longiſſime vero à parte, quæ fluxione incipit, quod redundat, revellere, nequaquam ad eam trahere convenit, neque eo confugere licet, quod nulla fluxio tum in glande concitetur, quo enim modo inflammationis periculum in propinquo eſſet, ſi nihil prorſus illuc efflueret? adde quod læſionem in glande natura ſentiens, eam ceu noxiam conatur expellere, hanc igitur ejicere dum properat, fluxionem in particulam concitet, niſi omnino ſiccum ſit corpus, neceſſe eſt, quum enim ſuis primis conatibus nihil profecit, vehementius aggreſſa, quod infeſtat, expellere ſanguinis aliquid & ſpiritus ex ſuperpoſitis partibus in affictam ſimul exprimit, ſi quis igitur id quod valide attrahit, quale ſuum medicamentum, de quo agitur, autor eſſe putat, particulæ, in quam humor irruit, adhæbeat, quis non videt, quod fluxionem geminat, malumque auget, forſan exiſtimabit, quemadmodum in aſpidis caniſque rabidi morſu expedit affectam partem ſtatim incidere, & ſimul ore, aut ſanguiſugis, aut cucurbitulis fugere, demum omne venenum extra trahere, ita in labis Gallicæ inquinamento particulæ alicui, ut puta glandi, illato licere tale quid inſigniter attrahens ſtatim adhibere, ut virus omne abſorbeat, foraſque trahat, ſed longe differt alterum ab altero, primum quia licet tum ad hanc tum ad illam partem humor confluat, ad hanc tamen, quia præſens incumbit vitæ periculum, utilius eſt attrahere, quam ſinere venenum quod alioqui ſubito mortiferum eſt intro ſubire, ad illam vero tanto periculoſius eſt, quanto minus inſtat vitæ diſcrimen, ſi intro repere permittatur, & quanto majus eſt, ſi attrahentibus irritetur, quippe quæ fere velut oculus, perſpicacioris ſenſus exiſtens, irruente ad illam humore, & medicamento attrahente, mirifice lædatur oportet, deinde quamvis tum hæc tum illa humoribus irruentibus juxta atque attractis magnopere inflatur, hæc tamen inciſionibus atque ſuctionibus detumeſcit, & hiat: Illa vero per illa remedia, de quibus nunc diſſeritur, tantum abeſt ut minuatur, ut multo magis in tumorem elevata turgeat, & in aliquam gangrænam, aut ſphacelum proclivis, intempeſtivam mortem, cujus nullus arte metus erat, minetur, & afferat, quod vero ad pulverem attinet, ſibi author ſuadet hunc tum propter alia, tum præcipue propter cinnabarim, & præcipitatum omne vitium è corpore foras attrahere, quum tamen ſiquis diligenter ea, quæ nos de argento vivo, atque de his utriſque hoc lib. docuimus, conſideraverit, hic facile intelliget, utrumque potius intro pellere, quam foras educere, quod patet, quia per hæc auxilia curatis pudendorum ulceribus, ſæpe bubones in inguinibus oriuntur, aliquando dentes dolent, & gingivæ inflantur, & ſputa moventur, quaſi vitiato ſucco, qui per ea ulcera extra manabat, ad partes intro repulſo, neque aliquis objiciat, quod ſiccat & ad cicatricem ulcera utrumque deducit, id circo attrahere, & humorem omnem conſumere, quippe ſiccat fateor, atque trahit, quia ſiccantia quædam argento vivo junguntur, ubi cinnabaris præcipitatumve paratur, adeo ut cinnabaris quoad quidem ſulphur, cum quo gignitur, atque præcipitatum, quoad chalcanthum, alumen, & ſal nitrum, cum quibus creatur, vere ſiccabit, ſed quoad argentum vivum, ex quo utrumque potiſſimum conſtat, quia (ut quinto libr. docuimus) à calore intro ſubire in corpus cogitur, & ſubinde humores obvios intro rapit, alio modo quam attrahendo ſiccat atque conſumit, quum vero major vis argenti vivi in utroque ſit, quam cæterorum, utrumque materiam multo minus foras evocabit, quam intro rapiet, huc pertinet, quod ſuffimenta propter ſuarum partium tenuitatem maxime omnium in corpus ſubeunt, quocirca hujuſmodi ſuffitus vitiatum ſuccum intro magis impingent quam foras extrahent. Jam vero cur hic author, hac ſua tam admirabili methodo tale aliquid non excogitavit pro miſeris quoque mulieribus, præſertim his, quæ meretrices aut erant, aut futuræ fuerant. nam hæ poſtquam à coitu ſemen reddidiſſent, & ſe laviſſent, quid prohibebat, quominus prodicto ſuffitu, quam viri uterentur, & ſi vero tela his nihil proficere videbatur, ſimilitudinis tamen ratione docere poterat, quod non idem decoctum, quo tela illa imbuitur, per uterinos clyſteres ῥαντηγκύτας Græcis dicuntur aut per aliquem paſſum ſibi in vulvam funderent, aut imponerent bis terve, prout neceſſum erat æque enim vel id infuſum vel peſſus mulieri atque tela viro prodeſſe poterat, quo igitur fato ductus mulieres prætermiſit, de ſolis viris meminit, an ut hos eoſdem magis animaret ad morbum Gallicum capeſſendum, quam ab illo defenderet? aut potius ut ſe ipſum oſtentaret & portento jam ſcientiæ ſuæ laudem in hominum animis excitaret? nam quominus hæc pro mulieribus, quarum rationem ſi nihil aliud ſaltem parem, ne viri ab illis inficerentur, in hac re habere oportebat, excogitavit, eo magis futilia commentitiaque eſſe videntur, adeo ſi quis dictam telam, aut pulverem ulceribus penem occupantibus experiri velit, utrumvis ſæpe vanum, & inutile, non raro noxium inveniet, & non ad artem, non ad experientiam, ſed ad meram opinionem referri debere cognoſcet, quemadmodum etiam ſtatim poſt coitum goſſypio, aut tela aliqua ſimplici, & munda univerſam glandem integere, utpote quod ſiccitate & puritate ſua venenum omne ad ſe rapiat.

Simile quoque eſt, ſi quis imminentis magnique mali timore perterritus, & nuda ratione abſque experientia ductus arbitraretur ad evitandam Gallicam labem ſummopere conducere. Tale ulcuſculum ſtatim fugere, aut cucurbitula appoſita, aut hirudine, aut aliquo alio hujuſmodi, quod ſimiliter traheret, & vitium omne foras avelleret, ſi locus inflaretur, ſenſim incidere, atque illinc ſanguinem effluere facere, neque id ſemel biſve, ſed ſæpius, neque verendum ſi tum ſuctum, tum hirudinem, aut cucurbitulam magnus humoris ad læſam partem confluxus ſequeretur, quippe quum quanto magis illuc aliquid ferretur, perque affectum locum tranſiret, & hinc foras abiret, tanto majorem expurgationem ſuccedere & inquinamentum, quod humori alioqui nondum infecto obviam fieret, extra repelli. Atque hæc primo ſecundove die antequam contagio per corpus migraret adhibita prodeſſe, poſt vero ſi tententur, graviter officere, ſed quia ſola ratione ſuadente aſſeruntur, experientia vero neque adhuc cognita neque firmata ſunt. Tanquam figmenta quædam ſimul cum iſta tela medicata derelinquamus: obſtat enim ſimiliter affectæ partis ſenſus perſpicax æque fere atque ipſius oculi, obſtat ejuſdem partis ſubſtantia ſpongioſa, quæ vaporem, ſuccumve acquiſitum & facile imbibit, & difficulter derelinquit: obſtat humoris ad patientem locum attractio, & quod adeo cruciari partem primo læſam in hoc caſu non expedit. quum alioqui mortis, ſicut in aſpidis canisve rabidi morſu, metus non ſit. Quum igitur morbus Gallicus nunc aliquam ejus partem privatim exerceat, ac ſatis abunde docuerimus ea quæ totum reſpiciunt, tempus eſt ad ea, quæ partem, accedere & operi finem imponere.

## FINIS LIBRI SEXTI.

# ALEXANDRI TRAJANI PETRONII,

*Philosophi ac Medici Præclarissimi,*

DE

# MORBO GALLICO

## LIBER SEPTIMUS.

### CAP. I.

*De penis, ani, vulvæ, labiorum, & papillarum ulceribus curandis.*

Partium nostri corporis aliquæ, antequam Gallicus morbus totum corpus obsideat, inficiuntur, aliquæ & postquam penitus obsedit, & postquam curatio per ea, quæ proxime retulimus, adhibita est, nihil minus infectæ remanent, aliquæ una cum toto privatim infectæ quidem sunt, sed ex his, quædam, quando totum curatur, propriam quoque curationem requirunt, quædam cum totius curatione simul curantur, has igitur sub eo, quod de totius cura dictum est, relinquemus, cæteras in præsenti percurrere operæ pretium est, & primo earum affectus, quæ primo afficiuntur, mox illarum, quæ tametsi totius medicationi consentiunt, peculiarem tamen etiam exigunt. postremo aliarum, quæ post totius curationem, adhuc tamen affectæ restant. Primi affectus sunt velut ulcera in pene, in vulva, in ano, quæ coitu contrahuntur, in labiis quæ tum suctu, tum osculo, in mammillis, quæ nutricibus inquinatos infantes lactantibus usu venire solent, præputii tumor, callus, tuberculum durum, verrucæ, caruncula adnatæ peni, ano, vulvæ, gonorrhœæ, faucium & oris ulcera, bubones in inguinibus; secundi utputa ulcera in capite, in facie, pilorum defluvia, dentium atque unguium casus, oculorum obscuritas, aurium hebetudo, pruritus, impetigo, scabies lepræ similis, dolores intolerabiles, postremi videlicet ulcera in faucibus, in tonsillis, in ano, in aliis corporis partibus inveterata, interdum etiam contumax gonorrhœa, rhagadia, apostyrmataque, id est rimæ desquamationesque. atque calli in manibus, in pedibus, in præputio, in utero, in labiis, in papillis; gummitiones quoque præduræ, veteres, pertinaces, quæ communibus medicamentis non cesserunt, ossium corruptiones, ulcerum vestigia in facie, quæ turpitudinem afferunt.

Itaque ulcusculum in pene, quod etiam cariosum vocant, quia sæpius carie quadam obducitur, quidam trifariam dividunt, nempe in benignum, sævum, & pessimum, benigni signa tradunt pustulas primum calidas & parvas, non majores ferme quam panici semen, postea his ruptis ulcusculum etiam rotundum, cui in medio punctum candidum inest, intro subiens, taleque esse interdum simplex, interdum duplex, interdum totam glandis coronam, veluti linea quadam cingens cum exiguo dolore, vel nullo, & cum levi pruritu: Sævum appellant ubi rotundum est, modice profundum absque puncto illo, quod album in alterius medio est, sed livor eidem adest, & labra leviter attolluntur, punicio, ut dicunt, infecta colore; Pessimum vero minime rotundum, variis tum figuris, tum coloribus affectum, callosis labiis, magna cum molestia serpens; sed quia hoc ita dividere secundum sensum difficile est, potiusque ratione quadam imaginaria dici videtur, quam quod ita esse distincte cognosci possit, melius est in ipsum partiri bifariam, hunc in modum, aut enim serpit, aut non serpit, ubi firmum in parte hæret, neque alibi in corpore quicquam ejus naturam referens gignitur, neque antiquum est: id quod quadraginta diebus plerumque judicatur, his enim præteritis latenter serpi per totum est suspicandum, ob eum, qui in nobis est, partis ad totum, & totius ad partem patiendi consensus, serpere vero dicitur, aut ubi subjectam partem exedit, circumstantem vero corrumpit, ideoque nomades à quibusdam appellatur, aut ubi permanente quidem ipso, in alia tamen corporis parte malum quid ei simile nascitur, aut veluti diximus, ubi jam inveteratum est. Curationem igitur, ubi serpit, aliam, & ubi non serpit, aliam requirit, perpetuo tamen, tum in hoc, tum in illo memoria tenendum est, infecta particula, nisi quam citissime succurreris, totum celerrime subinde infici, ergo quamprimum receptum est, eidem non cunctanter est occurrendum, quia vero malum id (ut posuimus) per contagionem extrinsecus advenit, quemadmodum in aspidis, rabidique canis morsu, indicatio est venenum extrahere foras, atque omnino prohibere, ne intro subeat, ita quoque in hoc ratio suadet inductum inquinamentum, quoad fieri potest, extra movere, ab impetu penetrandi revocare, ab illius sede foras penitus pellere: id fiet, si quum primum sentitur, tum statim ipsum colem, medicamento aliquo prohibente, ne virus per illum in reliquum corpus subeat, foveris, quale est, si *acetum & aquam rosaceam, vel aquam ferri, vel plantaginis, vel communem, pari mensura, si terram armeniam, aut synopicam, aceto rosaceo dilutam*, aut aliquid hujusmodi acceperis, mox linteo infuso, totum colem citra tamen ulceratam partem, involveris, simul etiam si statim abstergentibus, atque laxantibus, modo tamen aliquantum caleant, locus affectus sedulo lavetur. Neque Galenum objicias, qui ad calcem libri quinti de medendi methodo, relaxantia in penis ulceribus tantopere damnat, valde siccantia tam maxime laudat: ille enim cicatricem inducere, nos contra ulcus apertum esse volumus; neque item quod per patientem locum instante fluxione attrahere tentemus, non enim hoc pacto humorem, qui ad affectam partem fluit, ad eandem provocamus, sed hanc ipsam superficietenus leviter abstergentes juxta atque laxantes transpirationi, cujus ope virus exhalare foras queat, promptiorem reddimus, abstergentibus ergo utimur, ut induta sordities avellatur, laxantibus vero, ut ulcus hiet, quo receptum inquinamentum exspiret, sed calentibus (ut dicunt) actu non potestate, ac etiam moderate, non insigniter, ut vis ipsa remedii per universum affectum locum promptius feratur, tale erit *hydromel ex multa aqua, tum simplici, tum hordeacea*, item *sola hordeacea, decoctum radicis malvæ, althææ, semen lini, fœnu græci, foliorum malvæ*, tum simul, tum seorsum, & similium. Interim quoque valde expedit panniculos lineos, sive lintea sive linamenta dictorum aliquo infusa, mox expressa, vel sicca, si patitur, ulcusculo imponere, & rursus ulcusculum vicissim lavare, eodemque die non semel, bis, terve, sed multo sæpius hæc facere, & in summa subito, crebroque ea, quæ modice exhaurire, quicquid impressum in carne est, possunt, adhibere. Ventrem autem clystere aut potione, aut bolo, aut catapotio, lenire, cibum potumque aliquantum subtrahere, & ab aliis abstinere, quæ (ut tertio libro docuimus) in morbo Gallico fugienda sunt. Hæc facere convenit, ubi labis Gallicæ suspicio est, alioqui ulcusculis, qualia priusquam hic morbus innotesceret, apparebant, nihil utilius quam ea quæ siccant, & cicatricem celeriter inducunt, adhibere, quorum sylva copiosissima est, quæ si Gallicis ulceribus statim adhibueris, pravæ illorum qualitati non modo viam, unde migravit exireque potest, præcludes, sed eam intro multo magis compinges; cæterum id & si recte dictum esse videtur, nos tamen latere non decet, quod ipsius conjecturæ sit, non autem experientiæ, quod si experientiæ quoque esse velimus, hanc plane incertam hactenus esse fateri debemus, quippe cum hac adhibita curatione, si Gallica lues in toto corpore non sentitur, potest quis tamen asserere ulcusculum illud tale esse, quale, antequam morbus Gallicus in nostras oras inveheretur, accidere solebat; proinde labem per totum corpus non reliquisse, non quod curatio prohibuerit, sed quia non inerat: Verum ubi non solum aliqua penis ulcera, sed multo plura, & fere omnia, quæ hac diligentia tractaverimus, labem Gallicam deinde secutam minime fuisse noverimus, tum id non modo experientiæ certæ, sed artis simul esse affirmare licebit, utpote quod una cum experientia certa, & non adumbrata rationem sensui consentaneam sortiretur, hoc admonuisse volui, quoniam in eo multos labi, errare, & decipi reperio; plerumque enim putant mali alicujus curandi artem se habere, cum ne nudam quidem experientiam habeant; quid dixi experientiam, ne ipsam quidem conjecturam, sed solam opinionem, id quod si animadverterent, atque passim distinguerem, neque ægros,

ne-

neque seipsos, tam fæpe fallerent, ut de illa tela medicata, proximo libro disputatum est, sed hæc obiter. Ex his autem intelligi potest, ab his medicis talia ulcera in principio perperam curari, qui statim lavanda præcipiunt *urina aut vino, aut aqua rosacea, aut rosarum decocto, aut infuso ex pompholyge, aut aqua plantaginis*, & similibus, aut *aloë* curant, aut *viridi æris usto*, & *luto*, aut *præcipitato*, aut *unguento ex pompholyge, ex cerussa, ex argento vivo, ex cinnabari*, & hujusmodi, quippe dum siccare aut crustas aut cicatricem inducere illico tentant, prohibent virus extrinsecus receptum ne extrinsecus exhalet, quod quia neque ibidem subsistere, neque foras progredi potest, retro quasi ruina quadam ad interiora revolvitur, & universum corpus corrumpit, & inficit: tametsi minus peccant; qui *unguento ex pompholyge*, aut aliquo hujusmodi utuntur, quam qui *præcipitato*, *aut cinnabari*, *aut sublimato*; hinc tamen repente bubones in inguinibus nascuntur, capitis dolores intolerabiles, & alia innumera mala, quæ vel evitare, vel antevertere medicus primo secundove die (ut diximus) occurrens facile potest.

Atque ut per id tempus abstergere, laxareque ulcuscula hujusmodi, & vicissim panniculos, aut filamenta eisdem apponere, ac removere, & mutare jugiter debemus, ita si præterea nihil serpant, in eadem curandi specie ad quadragesimum usque diem persistere, nisi forte vitari non possit: quin antea sponte sua sanentur. Postea si reliquum corpus integrum sit, totum est ad consueta redire, verum si dum illa fiunt, serpere tamen ulcus non definit, aliam certe curationem requirit, sed maxime omnium animadvertendum est, ut, quoad fieri potest, apertum sit, donec morbus reliquum corpus exercet, ut locus, unde primum iter fuit morbo ad ingressum, æque pateat ad egressum, id quod eo utilius erit, quo magis certum impediet, siquidem inquinati (ut secundo libro docuimus) quanto minus coëunt, tanto minus læduntur, itaque si stabile quidem fuerit, sed quadraginta dies ab eo, unde primum incepit, præterierint, si denique palam serpit, firmare quidem ipsum, ante vacuato, aut mollito (ut tertio libro docuimus) corpore oportet, sed ita ut adhuc apertum, ob rationes quas proxime diximus, servetur, & præcipue quoad totius curatio, *vel decocto Guajaci*, *vel sarzæ parillæ*, aut aliquo dictorum auxiliorum administretur, quæ totum & intus & in cute vitium finiat, sed quoniam quæ firmant fere omnia humiditatem absumunt, adstringunt, siccant, periculumque est, ne inquinamentum, clausa via, per quam receptum est, intro compellant, ab re non erit simul atque sistere ulcus deliberaverimus, atque si forsan ipsum omnino sanare contigerit, cutim in utroque humero, & utraque tibia (ut moris est) inunctione, seu cauterio (ut dicunt) actuali perforare, qua labes ipsa si forte intro compingatur, per alias cutis partes exhalare queat. Deinde quæ hactenus experientia comprobavit, particulæ primum affectæ adhibere, hac tamen observatione, ut ne mordicent, & ne dolorem incutiant, idcoque humida (ut dicunt) actu, quippe quæ dolorem minus irritant, eligenda magis sunt quam arida; & unguenta magis quam pulveres, licet quidam hos magis laudent, ubi ulcus profundum non est, sed ubi profundum est, pulveribus unguenta præponunt, referam tamen tum hæc tum illa; potes igitur inter prima sumere *aquæ marinæ quantum sufficit*, & calida ulcus eluere, quippe mare (ut libro de humidorum usu narrat Hippocrates) pruriginosis, & qui ab acribus humoribus vellicantur, prodest, ut & lavent & foveant ex calido, qui vero non assueti sunt aliquantum læduntur; verum ad ulcera & ambusta & desquamata, & quæcunque talia, contrarium est, aptum est autem puris, bonum est & ad attenuandum, & ad piscatorum ulcera, hæc enim neque suppurantur, nisi vellices, & ad ulcera cuniculosa, & depascentia proserpendo sedat & sistit, velut *sal*, *salsugo*, *nitrum*, omnia autem hæc si quis parum utatur, irritant, si excellenter, bona sunt, melius autem est calidum ad plurima. Hæc Hippocrates. Potes accipere *decoctum oxalidis* (acetosam vocant) & eo similiter eluere, ut enim Dioscoride autore prurigines tollit, & lepras ac impetigines, scabiosque ungues sanat, ita Gallico ulceri auxiliatur. Aut hujus loco *accipe aquam ferri*, quæ non semel, bis, terve, (ut multi solent) extincto ferro fiat, sed toties quoad ferri saporem referat acidumque sapiat, hæc præter id, quod adstringit, siccatque, simul etiam extenuat ac erodit, patet, quia lienem coërcet, & minuit, id quod animadversum est in his animalibus, quæ apud fabros ferrarios educata exiguos lienes habent, ac erosionis causa non ferrum quidem est, sed quæ illi insita est rubigo, quæ licet in eo sæpe non videatur, semper tamen intus latitat, & vires suas exercet, ut ostendit eventus. Hinc quidam ex posterioribus rubiginem adstringere sicut *atramentum sutorium* tradit, sed rodere minus illo, tanquam ipsa quoque rodat, hinc olim utebantur ad scabrities genarum, pustulasque totius corporis *cum cera*, & *oleo myrteo*. Item ad scabiem, paronychia digitorum, & pterygia in linteolis, atque sic telephum proditur fanasse Achilles, quippe qui rubiginem gladio decutiens depingitur. Quidam fumo nigro laudant aquam, quæ, dum acuuntur ferramenta, de cote cadit, fortasse moti verbis Dioscoridis *libro quinto* scribentis, inungitur contra capillorum defluvia, quas alopecias dicunt, expletque eas quod contricato in naxia cote ferramento detritum fuerit, Virginum mammas augeri idem prohibet, bibita cum aceto ad minuendos lienes, & comitialibus prodest, hæc ille, quidam calcis aquam his omnibus anteponunt, utpote cujus ope ulcerum dolor cesset, tumor desideat, sordities mundetur, ichor siccetur: Alii *scabiosæ decoctum*, *succumve* anteponunt omnibus, sed ii potius opinione, quam experientia, aut arte duci videntur. *Accipe quoque, ligni Guajaci, limati, corticis ejusdem, diligenter triti ana unc. j. s. aquæ plantaginis lib. ii. rosaceæ lib. i. Infundantur (ut supra dictum est) subinde bulliant ad lib. i.* hoc decoctum non colato, immo quoties uti volueris, semper agitato, quo rerum bullitarum facultas magis conservetur. Id quod in cæteris quoque decoctis, quæ proxime referemus, sedulo animadvertendum est, mundat, siccat, & cicatricem inducit, modo ulcus neque malignum sit, neque raro administretur; sed quia nos, ut paulo ante monuimus, cicatrice obduci ulcus non nisi tarde laudamus: ubi id apparuerit, tum hoc auxilium auferre expedit, & panniculis aut filamentis utendum tantisper, dum tolerari potest, & totius inquinamenti metus recedit, quod etiam in reliquis, quæ dicemus, perpetuo servandum est. Aut *accipe ros. rub.*, *balaustiorum*, *terræ armeniæ ana unc. s aquarum proxime dictarum q. s. Fiat decoctum*, potissimum siccat. Aut *sume tutiæ præparatæ unc. s. aluminis rochæ drach. ii. saccchari albi. drach. i. Cum similibus aquis una coquantur*, & *in usum veniat*, hujus eædem sunt facultates: sed præterea superfluam carnem leviter erodit. Aut *accipe viridis æris usti, dein aqua rosacea loti drachm. iii. s. pompholygis (tutia dicitur) præparatæ drachm. i. s. aquæ plantaginis q. s.*

Hac mixtura tepide infunde panniculos, mox ulceri appone, superfluam carnem erodit, calorem alienum retundit, modice siccat. Aut *cape plantaginis lib. i. s. salis ammoniaci unc. i. viridis æris drach. ii. tutiæ drach. i. saccchari optimi unc. s. Misce simul*, & *vase auri calchi excipe, triduum agitando*; mox hac mixtura, panniculos, sive filamenta madefacito, & ulceri apponito. Aut *sume aluminis rochæ unc. j. plus minusve. aquæ plantaginis lib. i.* Aut *aquæ plantaginis lib. s. aquæ rosarum, vini albi, ana unc. ii. aluminis rochæ unc. s. fir. rosaces unc. i. floris æris. drachm. ii. plus minusve.* Potenter exsiccat. Aut *accipe aloës hepaticæ, tutiæ præparatæ, ana drach. i. virid.s æris usti aruchm. s. camphoræ scrup. i. saccchari albi unc. s aquæ plantag. rosaceæ, ana q. s. ad formam collyrii.*

Siccat & erodit absque multa mordicatione. Aut *sume tutiæ cum vino albo præparatæ viridis æris usti, ana drach. ii. aquæ plantaginis unc. ii. Misce, simul bulliant*, & *utere*, ut de aliis dictum est; mundat, & cicatricem inducit, atque ubi magis glutinare sive consolidare in animo est. *Accipiunt tutiæ ejusdem drach. ii. viridis æris usti drach. s.* Sin magis mundare. *viridis æris usti drach. iii. tutiæ præparatæ cum vino albo. drachm. i. vini albi optimi unc. s. aquæ plantaginis unc. i. s. Hæc simul coquunt*, mox eisdem eluunt ulcus, agitato semper prius vase, quo continetur, panniculoque, aut filamenta infundunt, & ulceri adhibent; Hæc quidam & nihil aliud adversus virgæ ulcera commendant. Aut *accipe granorum myrti rosarum rub. corticum mali punici, id est mali granati, ana man. i. vini albi. q. s. bulliant ad tertiam partem, postea colentur*, colato eluatur ulcus, mox unguentum proxime scribendum tenuissimo linteo extensum apponatur, quod est. *Accipe unguenti albi unc. iii. aloës hepaticæ drach. i. tutiæ præparatæ unc. iii. camphoræ gr. vi. aluminis usti drachm. i. s. viridis æris drach. i. olei ros. unc. s. Et in mortario plumbeo fiat unguentum.*

Hæc duo, modo dicto administrata, magnam vim obtinent abstergendi, erodendi & siccandi, sunt quoque mitia, & non aspera. Aut *sume tutiæ præparatæ, aluminis rochæ, viridis æris usti, ana drach. i. Bulliant cum vino albo, si calor timetur, cum aqua plantaginis*, post ulcus hoc decocto elue, deinde infrascripto unguento inunge, quod est. *Accipe unguenti Ægyptiaci drach. i. pinguedinis anseris drach. iii. argenti vivi extincti drach. ii. Fiat unguentum s. a.* quod ut in ulcere facilius detineatur, linteolum *cerussa cocta* delinitum superpone.

Horum alterum propter *tutiam*, siquidem (ut cuidam placet) vera cadmia est, duobus aliis simplicibus consentientibus, astringendi vim habet, concava explet (ut Dioscorides dixit) sordida purgat, siccat, crustas ignis modo obducit, carnium excrescentias reprimit, malenca ulcera obducit, carnium excrescentias reprimit, malenca ulcera ad cicatricem perducit. Alterum & quia dolorem movet, &

& quia labem Gallicam ulcuſculo exceptam propter argenti vivi mixturam ad interna pellit, quod patet, quia pene ſolum inuncto ſputum non raro excitat, valde periculoſum eſt, recenſui vero, non quod eo utendum eſſe velim, ſed ne quis, dum eo utitur, auxilii ſpecie deciperetur.

His denique non conferentibus. *ſume præcipitati drach. ii. aquæ plantaginis unc. ii. Simul agita leniter, calefacto*, ſubinde his caleſcentibus ulcus elue, & infuſos panniculos, aut filamenta ſuperpone id carnem ſuperfluam abſque multa moleſtia corrodit, ulcus apprime mundat, nec inflammationem, neque dolorem effatu dignum movet, niſi quis immodice utatur, & pene aliorum omnium optimum eſt. Quidam pulvere ſolo utuntur quidam illius mordicationem veriti *cum unguento roſaceo, aut axungia lota, aut butyro loto* commiſcent, quacunque ſpecie adhibeatur, mirum in modum, quoad ulcus attinet, prodeſſe ſolet.

Unguenta præter illa, quæ proxime retulimus, ſunt alia pleraque, ut puta. *Accipe olei antiqui l.b. i. ceruſſæ per ſecerniculum purgatæ, ut dicunt cribellatæ unc iii. s. ceræ citrinæ q. s. Fiat unguentum*, id quidam ad ravim uſque magnificat, principum medicamen appellat, neque ſolum ulcera virgæ, ſed etiam aliorum membrorum curare, & quam maxime ad cicatricem perducere.

Eſt *unguentum de ceruſſa tum coctum, tum crudum*, quod calorem retundit, ulcus durum moliit, tumidum extenuat, leniter præterea excreſcentia reprimit.

*Unguentum de ceruſſa nuncupatum* ad phlegma ſalſum, valentiores vires habet, quam duo alia nunc dicta.

Eſt *Unguentum de calce recenti lota, addito roſaceo oleo*, leniter enim erodit, mollit, abſtergit, & ad cicatricem perducit.

*Unguentum Diapompholygos*, refrigerat enim, abſtergit, ſiccat, repler, & cicatrizat, poſſunt præterea multa, quæ ſupra narrata ſunt, & quæ mox de pulveribus narrabimus, oleo & cera excipi, & unguentorum vicem ſubire, præſertim ubi intentio eſt, ut altius penetrent. Quocirca quidam *præcipitati drachm. i. cum unguenti roſacei drach. i.* excipiunt, & adminiſtrant, ſicut aliqui *unguentum ex argento vivo*, ſed utrumque tutum quidem eſt ad ulcus ſanandum, ſed valde periculoſum ad inquinamentum à toto removendum, vim enim Gallicam, quæ dudum in foribus eſt, celeriter intro pellit, hinc quidam uncto pene fere ſtatim, nimirum citius integra nocte, viſi ſunt & facie & capite tumuiſſe, ubi tamen valde contumax eſt malum, quidam hoc utuntur unguento, quod habet, *axungiæ porcinæ colatæ unc. ii. thuris, aloës, ana drachm. i. argenti vivi extincti drach. ii.* Sin contumacius fuerit *Ægyptiaco unguento* ſiccare tentant. Ex pulveribus ſunt, ut puta *præcipitatum dictum, myrti folia, & in farinam trita, mox inſperſa, ſemen anethi uſtum*, id quod etiam antiquis ulceribus privatim confert. Item *roſar. rub., balauſtiorum, terræ armeniæ, ana drachm. i. Fiat pulvis ſubtiliſſimus*, qui ſuper ulcus inſpergatur, ejuſdem facultatis, cujus eſt decoctum ex eiſdem, quod proxime recenſuimus. Aut *accipe aluminis rochæ drach. i. aloës drach. ſ. Fiat pulvis ſubtiliſſimus*, putredinem arcet, carnium excreſcentias abſumit, ſiccat, demum ulcera, ſi agere permittatur, ad cicatricem perducit. Aut *cape tutiæ præparatæ cum aqua plantaginis, antimonii, plumbi uſti, lithargyri auri, ceruſſæ, ana unc. ſ. Simul omnia bene trita laventur, terque, quaterque aqua roſacea, ſubinde ad umbram ſiccentur, poſt adde lachrymæ draconis, aloës hepaticæ, ana drach. ii. ſ. laricis ligni drach. iii. Ex omnibus una fiat pulvis tenuiſſimus*, qui deinde inſpergatur ulceri, inflammationem arcet, calorem retundit, carnium excreſcentias reprimit, leniter erodit, & propter *aloëm* exulceratis genitalibus privatim medetur, ſiccat, & ad cicatricem perducit, ſi frequenter utaris.

Aut *accipe pulveris barbæ ſylvanæ (plantaginem aquaticam dicunt) unc. i. myrrhæ, thuris, ana drachm. ii. oſſis ſepiæ drach. i. Fiat pulvis tenuiſſimus*, quo aſpergatur ulcus, mirabilem hunc eſſe quidam prædicat. Aliqui lavant primo ulcus, ſubinde pulverem inſpergunt hoc modo. *Accipe foliorum roris marini, ſalviæ, foliorum chamæmeli ana man. ſ. vini albi q. s. Buliant ſimul, poſtea colentur, colato adde vini granatorum unc. ii. mellis roſ. unc. ſ.* lavetur ulcus, deinde pulvis hic ſuper aſpergatur. *Accipe lithargyri aurei, ceruſſæ, ireos, tutiæ, nucum cupreſſi ana drachm. i. Fiat pulvis*, ut dictum eſt, cui poteſt addi. *thuris, maſtiches, myrrhæ, ana drachm. i.* Aut *ſume cinerem ſeminum anethi, ſquamæ æris præparatæ ana drachm. i.* linteolo, quod maderactum ſit *decocto Guajaci*, nunc cum *aqua ſimplici*, nunc addita *plantaginis aqua*, nunc *roſacea*, nunc *vino albo auſtero* excipe, & ulceri appone, reprimendi, & extenuandi, ſiccandique vires habet, ſerpentia ulcera ſiſtit, carnem ſuperfluam exeſt, & ad cicatricem percucit. Aut *cape ſquamæ æris, aloës hepaticæ, tutiæ præparatæ, ana drachm. i.*

Similiter linteolo madefacto excipe, mox appone: id priori ſimiles vires habet, & præterea genitalibus exulceratis medetur. Sunt etiam pulveres non pauci, ad penis ulcera, quos Galenus *quinto de medendi methodo* ſic ſcribit. *Medicamen, quod ex papyracea charta combuſta fit, hoc ſcilicet nobis uſitatum, id genus ulcerum ſanat, ſicuti etiam anethum uſtum ſimili modo inſperſum. Itemque cucurbita ſiccat, atque uſta ad eundem modum. Alia præterea multa ex his, quæ vehementer, ſicut illa, ſiccant, ſi qua vero ejuſmodi ulcerum ſine madore ſunt, ac recentia, iis ſola aloe ſalutare medicamen eſt. inſpergitur autem ſicca: ſed in tenuiſſimum ceu pollinem redacta. Hæc vero etiam, quæ in ſede conſiſtunt, ſicca ulcera probe percurrat. ſimillimam huic vim habet, & cadmia vino elota, & ſicca, abhac quoque non longe abeſt argenti ſpuma, lithargyros Græce dicta. Deinceps vero molybdæna ſequitur, omnibus vero tum minus inferens doloris, tum nullo minus efficax pompholyx eſt, ſin humidiora ſunt, ipſe per ſe pini corteæ, itemque lapis hæmatites vocatus, idoneus eſt. Quod ſi profunditas quædam ipſis adſit, ubi exſiccata fuerint, dictorum alicui tantulum mannæ admiſcendum eſt, quantum ſit ad carnem gignendam ſatis.* Hactenus Galenus; licet enim ut ſupra quoque diximus, hæc tradat eo animo, ut dicta ulcera ad cicatricem perducat, nos vero contra aperta teneri jubeamus, qui tamen his uritur, poteſt per intervalla uti, & nunc apponere, nunc ſubtrahere, ita quidem & ulcus mundum, ſiccumque ſervetur, ſed nihilominus hiet, ut labes in totum forte nondum tuſa, poſſit illinc exire unde primum ingreſſa eſt.

Laudant nonnulli herbam, quæ à Dioſcoride *ſecundum umbilici veneris genus* vocatur, hujus folia nunc integra, nunc aliquantum contuſa penis ulceri adhibent; Nonnulli *clymenon* ſimiliter adminiſtrant: Alii *matriſylvam*, quæ multis *periclymenon* eſt. Nonnulli *oleum vitrioli* nunc ſincerum, ſed perquam exiguum, goſſypium enim in ſtili ſummitate adaptant, mox in eo parciſſime intingunt; nunc illud aliis temperant, poſtea ſimiliter faciunt, vehementer aſtringit, valde corrodit, ſerpentia ulcera compeſcit, malefica in ſtatum benigniorem deducit. Alii *oleo ex tartaro, aut ex tritico, aut ex vitellis ovorum* utuntur. Hactenus de his, quæ ad ulcera penis ex Gallica lue paſſim inveniuntur. In quibus curandis illud me repetere non piget, quod aperta ſerventur, quam maxime poſſunt, & quoad univerſum corpus in tuto ſit, niſi forte alio malum ſe verterit, ut puta ad anum, ad fauces, aut ad aliquam aliam particulam, eiſdem fere uti licet ad ulcera, quæ priuſquam lue Gallica totum corpus obſeſſum ſit, vel in papillis, vel utero, vel ano, aut labiis recipiuntur.

## CAP. II.

### *Ubi præputium intumuerit, & glandem præter naturam clauſerit, quid agendum.*

Quia vero cum his ulceribus coles adeo intumeſcere ſolet, ut reduci ſumma cutis fere nullo modo poſſit, licet inſtitutum noſtrum excedere videatur, ab re tamen non erit pauca quædam de illo ſubſcribere. Itaque *multo lacte bubulo calido, aut ovillo, aut caprino*, præcipue ſi dolor adſit, aut *multa hordei aqua calida, aut mulſa*, aut aliquo alio ex his abſtergentibus, & laxantibus, quæ ſupra narravimus, fovendus locus eſt, ubi vero glans contecta non cedit, oriculario quoque clyſtere inter eam, cutemque, aut *lac* aut *aqua hordei*, vel *mulſa calida* inferenda eſt, ſi mollita ſic & extenuata cutis ducenti paruit, expeditior reliqua curatio eſt: ſi tumor vicit, imponenda eſt ſub emplaſtri, aut cataplaſmatis ſpecie, (ut aliquibus placet) *vel lenticula, vel marrubium, vel oleæ folia ex vino cocta*, ſic ut cuilibet eorum, dum teritur *mellis parum* adjiciatur, ſurſumque coles ad ventrem deligandus eſt, quod in omni curatione ejus neceſſarium eſſe putant, uſque homo continere ſe debet, & abſtinere à cibo, & potione aquæ tantum de ſiti vindicari, poſtero die rurſum adhibendum iiſdem rationibus idem fomentum eſt, & cum vi quoque experiundum, an cutis ſequatur, eaque ſi non parebit, leviter ſumma ſcalpello concidenda erit, nam quum ſanies fluxerit, extenuabitur hic locus, & facilius cutis ducetur, ſive autem hoc modo victa erit, ſive nunquam repugnaverit, ulcera vel in cutis ulteriore parte, vel in glande ultrave eam in cole reperiuntur, quæ neceſſe eſt, aut pura ſiccave ſint, aut humida & purulenta, qualiacunque ſint, curentur prout ac aliis abunde traditum eſt, nobis ſatis ſit tumoris curationem admoniſſe, quam magis probamus, aliqui enim aliter curant, quippe hoc decocto membrum fovent, ut puta. *Accipe foliorum malvæ cum rad., plantaginis, violarum, ana man. iii. aquæ q. s. Fiat fomentum*, quod certe redarguere non li-

cet,

cet, ſed intrinſecus infundunt, quod aſtringendi & ſiccandi ſit facultatem habet, cum humectare, & laxare deberet, quando inquiunt. *Accipe hordei pugn. i. fol. plantaginis man. i. abſinthii man. ſ. balauſtia contuſa num. iii. aquæ pluviæ, vini albi ana q. ſ. Bulliant una deinde colentur, colato adde viridis æris uſti drachm. iii. rhodomellis unc. iii.* ita quidem oriculario deinde infundunt, aut id quod habet *decocti ex ligno Guajaco lib i. decocti ex ſcabioſa, betonica, agrimonia, roſis, tormentilla, plantagine libr. iii. tutiæ præparatæ, ſquamæ æris præp. aloës hepaticæ, boli armeni orientalis ana drach. i. ſ. modice ſimul coquunt, poſtea colant, & ſimul infundunt*, extrinſecus vero linteolum imponunt unguento oblitum, quod conſtat *ex unguenti roſacei unc. i. & præcipitati drachm. i.* aut *unguento diapompholygos, aqua roſacea, & plantaginis fuſo*, aut *emplaſtro diapalma cum oleo roſaceo liquefacto*, quod hæc putredinem ſimul arceant, & modice ſiccent.

Alii paulo rectius agunt, dum inquiunt. *Accipe malvæ, violarum, althææ ana manip. i. pingued. anſeris, gallinæ ana unc. ſ. Bulliant in aqua, quæ lanæ lotæ ſint*, poſtea tumefacta pars tota, irrigetur ac foveatur, inter cutim vero, & glandem oriculario infundunt decoctum hoc. *Sume foliorum malvæ, violarum, plantaginis, quinque nervia, tapſi barbati, balauſtiorum ana manip. i. Bulliant in aqua fumi terræ*, &, ut dictum eſt, injiciatur. De præputio igitur tumefacto, hæc ſatis.

## CAP. III.

*De callo præputii, de tuberculo duro ſimiliter calloſo, & quodam veluti nervo per pudendum ſecundum longum extenſo, ac de verrucis, & carunculis adnatis ano, vulvæ, & peni.*

Sed interdum ubi adeo calloſum efficitur, ut per hæc remedia nulla omnino curandi ſpes ſit, tum multi ſecant illud, velut veterinarii equorum nares, quidam foramini, quoad fieri poteſt, fiſtulam plumbeam imponit, cogit ægrum per illam mingere, interim foris *oleo amygdalarum dulcium*, vel *pinguedine gallinæ*, vel *vocata pomata* totum inungit, ſecundo die majorem fiſtulam adhibet, atque ita ſenſim augendo intra octo dies callum emolliri, & præputium dilatari aſſerit, quomodocunque ſit, neutra curatio negligenda eſt, quemadmodum neque ea, quæ callo, quod veluti clavi caput in ulcere carioſo relinquitur, adhibetur, neque item ea, quæ cuidam ſicuti nervo duro per pudendum in longum extenſo: licet enim horum optima curatio ſit per ea, quæ univerſum morbum ſummovent, linteolis tamen *decocto Guajaci* dudum calido madefactis, & affecto loco impoſitis, aut *ſpuma ejuſdem Guajaci* inuncta tentare attenuare, & digerere nihil obeſt, ſicut etiam verrucas, adnataſque carunculas, thymos quidam vocant, tum ano, tum peni, tum vulvæ, aut ferro candenti, aut forcipe amovere inciſione facta, ſanguinem, niſi animi defectio ſequatur, finere affatim exire, hoc poſtea ſuppreſſo, *ſquamæ æris præparatæ pulverem exiguum* particulæ inſpergere, aut *aquæ aluminis cum ſuccimalo guttulam* infundere: Verum ſi incidere non conceditur, diſcutere, & omnino ſiccare, primum quidem hoc auxilio, quod habet *ammoniaci præparati cum aceto unc. i. aſſæ fœtidæ drach. i chalcanthi uſti, & rubefacti ſirup. ii.* ex hac mixtura modicam portionem ſuper verrucam imponere, & quotidie mutare, & novam ejuſdem mixturæ particulam indere, continereque ſe à fricatione, quum interim valde prurire ſoleat: Verum, ſi glans intumeſcat, tum hoc medicamentum amovere, & *unguentum ex ceruſſa* per id tempus adhibere: ſin per illud non curetur, ad cauſtica, quæ recenſebimus, devenire, inter quæ potiſſimum eſt (ut cuidam placet) quod habet *arſenici cryſtallini, & aurei præparatorum ana drach. ii. plus minusve, fit pulvis*, deinde ex hoc quantum ſpecilli acumen ſaliva intinctum capere poteſt accipitur, ita ut minima hujus pulveris portio ſumatur, alioqui tumorem magnum excitat, & ſubinde totum exedit ſpecilli itaque acumine ſic affecto verrucam tangere jubent, mox ſupra medicamentum, aut goſſypium ſiccum, aut lineum panniculum addere, nam unica vice, & ſine dolore (ut ferunt) verrucam exedit. Præparatur *arſenicum cryſtallinum* hunc in modum, *Arſenicum ſupra marmor teritur, mox vaſe excipitur, & acetum ſuperfunditur, ita ut ſupernatet, deinde ſoli æſtivo exponitur, donec acetum exſiccetur*, idque ter repetitur, poſtea tribus aut quatuor vicibus maceratur aqua pura, ſimili modo præparatur aureum, quidam præterea utuntur *oleo* (ut dicunt) *ex ligno cornu arboris*, quidam *oleo ſulphuris*, quidam *oleo vitrioli*, quidam *aqua partitoris*, qua argentum ab auro ſeparatur.

## CAP. IV.

*De gonorrhœæ curatione, quæ morbi Gallici nuntia eſt, deque faucium, & oris ulceribus*

Ubi quis inquinatam iniit, ſubinde in gonorrhœam incidit, magna ſuſpicio eſt, ne lues Gallica contracta ſit, quæ tanto periculoſior eſt (ut ſecundo libro docuimus) quanto gonorrhœa diuturnior, quum enim calore per coitum excitato, ſemen intus firmum exiſtens, currat & fluat, tum ſi calor Gallicæ labis accedat, eam partem, unde ſemen potiſſimum emanat, ſua qualitate primum inficit, & quia ſeminis liquefactione intercedente inquinat, juxta primum patiendi modum hanc eandem liquefactioni obnoxiam reddit, ſubinde fluorem continuat. Huc pertinet, quod qui per coitum in feminis fluorem magis, quam in penis ulcera, & quam in bubones incurrit, hic in eum natura proclivior eſt, quam alii, & coëundi cupidior; quam illi, qui quam quotidie ac ſæpius id naturaliter imaginetur, & cogitet, frequenti recordatione rei, unde fluor primum ortus eſt, ac ſi coitus quotidie renovaretur, fere perpetuo ſemen emittit, quo fit, ut diuturnus deinceps ſeminis fluor ſubſequatur, & tanto difficilior ſit curatu, quanto magis in liquefaciendi conſuetudinem pars ipſa deducitur, ſufficit vero in tempus adeo prolixum, quia quicquid ex alimentis naturæ inſtituto ad ſeminis generationem; aut ex corporis ſubſtantia, ſymptomatis alicujus cauſa ad eam partem delegatur, ut ſenſim in ſeminis naturam vertitur, ita ſenſim in profluvium abit: Differt hæc gonorrhœa ab illa, quæ vel ex ſeminis copia, vel acrimonia, vel nimia coëundi cogitatione, vel aliis cauſis gignitur, quod circa, nequis miretur, ſi aliam exigit curationem; differentiæ notas quidam conatur afferre, quod videlicet Gallica in principio abſque ingenti tum ardore, tum pruritu ſit, quod canalis fere ſtatim in altera exulceratur, in hac non item, quod hæc diuturna ſit, illa vero non, niſi ex catarrho contingat, & illam corporis conſumptio, præſertim ubi copioſa fuerit, ſequatur, hinc vero minus; quod hæc brevi temporis ſpatio, ſine moleſtia ſemel coëundo creatur, ac ſi altera non ſimiliter fiat. Poſtremo quod hæc localibus medicamentis non cedat, altera vero per teſtium, & renum inunctionem, per epota medicamenta facilius vincatur. Sed quoniam gonorrhœa, quæ non Gallica eſt, nihil minus quam Gallica plerumque, ſine acri ardore pruritive oritur, non raro diuturna eſt, neque ubi ſeminis copia gignitur, corpus abſumere conſuevit, & interdum ex improviſo naſcitur, interdum quoque aliis medicamentis non obedit. hæc ſigna relinquamus illis, qui cum his ſe bene ſcire putant, nos vero Gallicæ gonorrhœæ notam dicimus, ſi poſt conſuetudinem cum inquinata muliere nata eſt, deinde puſtulæ, aut articulorum capitiſque dolores, aut alia ſymptomata, quæ Gallico morbo peculiaria eſſe videntur, ſecuta ſunt. Primis igitur diebus tum abſtergentia, tum laxantia, quemadmodum in ulceſculorum cura proxime diximus, ac etiam modice refrigerantia, in potione, ciboque ſumere oportet, deinde ad quadrageſimum uſque, ſi per id tempus affectio minime ſerpere videatur (indicio enim tunc erit, quod neque ulceſcula, neque dolores, neque alia morbi Gallici ſigna poſt apparebunt) abſtergentia quidem, utpote quæ injectam labem omnem adimere, & hinc divertere, illac prohibere, & foras educere poſſint, laxantia vero, ne malefica infectio intus conſtringatur, quippe quæ partem affectam velut hiantem reddentia, virus ipſum facilius extra prodire permittant. Refrigerantia quoque, ut his calor acquiſitus obtundatur, ac temperetur, inter ea vero, quæ communiter manduntur, proderit *malva, beta, lupulus, aſparagus, atriplex, amygdala, cicer album, peponum ſemina, violæ, ptiſana hordei*, quippe hæc abſtergent juxta, ac laxabunt, item *cichoracea omnia, borrago, lactuca, rumices omnes*, ſiquidem refrigerabunt, neque admodum aſtringent, inter potiones *vinum album dulce pauciferum, lactis ſerum, hydromel, decoctum antedictorum, decoctum radicis hibiſci, glycyrrhizæ, fœnugræci, ſeminum lini, ana hordei*: ex officina medica *ſaccharum violaceum, caſſia fiſtula, ſyrupus violaceus, ſyrupus glycyrrhizæ, manna Calabra, prunæ Damaſcenæ, & ſimilia*, interim quoque tum præputium, tum glandem abſtergentibus, ac laxantibus modo, quo ſupra de colis ulceribus diximus, in dies lavare expedit, ne ſemine forſan ibi remanente ulcera ſubinde gignantur, abſtinereque à ſale, à ſalſis, à motu nimio, ab aromatibus, denique ab omnibus calefacientibus & mordicantibus, & ab omni veneris non ſolum uſu, ſed etiam imaginatione, quippe hæc tantæ eſt energiæ, in his quæ ab illa dependent, quemadmodum eſt coitus, ut nemo non ſit expertus, eam ſolam ad ſeminis profuſionem ſufficere, & profecto (ut proxime docuimus) potiſſima diuturnitatis ejus cauſa hæc ipſa eſt, quæ quoad perſiſtit, purges corpus, tem-

temperes, optima victus ratione regas, nihil proficis, quid quod nos haud raro vidimus, plerosque diuturna gonorrhœa vexatos rite quin etiam omnibus adhibitis curari prorsus non potuisse, ubi vero mutatis locis longius equitarint, in ipsa equitatione; quæ alias movere semen solet, liberatos omnino fuisse. Id quod non equitatio præstitit, non loci mutatio, sed mentis & ejus oblivio, quod coitum irritabat: sic etiam alii, quia in exilium missi sunt, alii quia in carcerem detrusi, aut graviore animi cogitatione affecti sunt, ab antiquissima gonorrhœa se vendicarunt, ita ut mirum non sit, si viris vel postquam incepit nunquam coëuntibus, diuturna tamen illa contingat, eadem quoque ratio, in quibusdam mulieribus est, sed hæc obiter. Ut vero ratione, & via procedat ista curatio, ubi sitis abest, aut hyems est, *accipe floris cassiæ unc. ij. plus minusve fiant boli cum penidiis aut saccharo*, capiat æger mane & sero statim, (ut tertio libro disputavimus) ante cibum singulis diebus, ad quadragesimum usque, nisi ventriculus interim perturbetur, aut lues per totum sparsa sentiatur, exigua ejus quantitas magis prodest quam multa, quippe hæc, quia sua copia plurimum turbat, per alvum præcipue fertur, illa quia sic subtrahitur minus infectat, una cum alimentis, in venas subit, deinde per renes & vesicam, quos abstergere, laxareque oportet, transit. Aut *accipe mannæ Calabræ unc. s. aut syrupi violacei unc. ij.* aut *syrupi glycyrrhizæ tantundem*, aut *sacchari violacei unc. s.* aut *unc. i.* sumat æger mane & sero ante cibum ut docuimus, sin sitis adsit, aut æstas fuerit, melius est largis potionibus, quam bolis, aut exiguis potibus uti. *Accipe igitur ptisanæ hordeaceæ libr. s. plus minusve, sacchari albi unc. s.* misce, sumat æger in aurora, si per id tempus sitiverit, vigilque fuerit, subinde, si somnus accedat, permittendus est. Aut *cape seri caprini, vel bubuli, vel ovini unc. viii.* plus minusve, aut alicujus ex dictis decoctis tantundem, similiterque potet, ac etiam tum ante prandium tum ante cœnam, ubi sitis affuerit, itidem agendum, si alvus astricta sit, *clysteribus ex oleo violaceo aut rosaceo aut communi ad unam usque libram*, singulis aut alternis diebus ante prandium mollienda est, interim præputium, & glandem intus forisque præsidiis, quæ narravimus, adhibitis identidem lavandum, ab omni commercio, quod venerem excitare potest, abstinendum, & omne aliud animo versandum, syrupumque, cui titulus est, *de agno casto*, à nobis hujus causa institutum, pro ut moris est sumendum, qui hunc habet in modum. *accipe seminum endiviæ, lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, melonis, ana drach. ii. seminum psyllii, drach. j. florum nenupharis, foliorum menthæ, ana man. s. seminum rutæ, cannabis ana drach. s. seminum agni casti unc. iiii. aquæ coriandri, decocti lentium, ana partes æquales. Bulliant s. a. postea colentur, ex hoc colato, accipe lib. j. succi limonum unc. ii. sacchari q. s. misce fiat syrupus*, neque ab re erit post hujus syrupi usum, accipere *camphoræ grana v. plus minusve, carabæ vulgaris scrup. j. aquæ nymphææ unc. iij.* deinde singulis diebus usque ad decimum quartum, ante prandium tertia quartave hora jejuno propinare, atque interim renes, pectinem, & testes, & *camphoræ quoque scrup. j. mucilaginis seminis psyllii, aut succi uvæ acerbæ aut succi solani unc. ii. illinere:* non solum enim gonorrhœam, sed etiam alba menstrua tollere consueverunt, si per hæc nihil proficitur, sed pustulæ, dolores, vigiliæ multæ, aut alia Gallici signa comparuerint, jam morbus confirmatus est, & ad communia præsidia, quæ totam corpus curant, recurrendum. satis de gonorrhœa, prout Gallicum morbum antecedit, sequuntur faucium, & oris ulcera. Hæc quidem, nisi magnæ molestiæ sint, nisi sermonem aut deglutitionem impediant, curanda non sunt, priusquam ea præsidia, quæ totum curant, administrata fuerint, quippe quæ una cum toto sæpe sanari solent, neque tanquam frontis & faciei ulcera, ne videantur ab aliis, propter turpitudinem, quam afferunt, curari desiderant. Cæterum, quia nonnulli hæc eadem sine impedimento sint, sive non sint, per initia quoque curare volunt, committendum non est, quo minus horum curationem referamus, & si nos satis esse arbitremur illa, quæ admonuimus, jubent igitur hunc in modum, ut puta. *Sume aquæ plantaginis lib. iij. ligni Guajaci unc. ij. corticis ejusdem unc. i. Infundantur, & bulliant s. a. postea colentur* colato (quod tamen calidum adhuc sit) æger, suum os & fauces abluat, id abstergere ulcera & siccare, & ad cicatricem deducere solet. *aut sume decocti ex Guajaco lactis recentis, ana lib. s. misce, & similiter utere*, habet enim fere easdem facultates, quas prædictum, superat vero, ubi cum dolore ulcera sunt.

Aut *accipe lentis decoctum ex aqua cisternæ q. s.* os & fauces ægrotantis simili modo laventur, id ulcera quoque repurgat, inflammationes lenit, magnisque finibus prodest, præsertim *cum malicocco, siccisque rosis, & admixto melle confectum.* Aut *cape diamori unc. ii. aceti rosati unc. i. aquæ plantaginis lib. j. Misce*, gargarizet æger, facit id potissimum ad ea, quæ pascendo serpunt, & tonsillarum inflammationes, pruritus lenit, reprimit in fauces destillationes, maleficis dolosisque ulceribus prodest, & his, quæ ad elephantiam, qualis quoque est morbus Gallicus, accedunt. Aut *cape rosarum rub., balaustiorum, terræ armeniæ, acaciæ, hypocistidis, ana drach. ii. aquæ plantaginis lib. i. s. aceti unc. ii. Bulliant ad libram unam pro gargarismate*, majore vi tum astringendi, tum siccandi est, quam proxime dictum. Aut *accipe florum quatuor cordialium, ana pugn. i. sebestem, jujubas, ana num. x. passularum enucleatarum unc. i. aquæ pluviæ, plantaginis, ana lib. j. s. Bulliant s. a. deinde colentur, colato adde floris cassiæ unc. s. rhodomellis saccharini, diamori ana unc. j. Misce pro gargarismate*, tenuem in ulceribus distillationem ad mediocritatem perducit, ardorem redundit, asperitatem lenit, sorditionem abstergit, modice refrigerat, juxta atque astringit. Aut *accipe fructus tamaricis, calicum, id est, cupularum vocatarum glandium rosarum rub., baccarum myrti, ana unc. s. hordei pugil. i. foliorum rubi, olivæ, ana man. j. s. aquæ pluviæ, lib. ii, s. vini albi odorati lib. s. Bulliant s. a. deinde colentur, colato adde, aceti scillitici, oxymel. scillitici, unc. j. s. rhodomellis, unc. ii. Misce pro gargarismate*, siccat, astringit, sordida repurgat ulcera, si cum his crassi succi sint, attenuat, si viscidi, incidit. Aut *accipe florum, & foliorum ligustri, ana man. j. rosarum rub. man. s. aquæ hordei. lib. ii. Coquantur s. a. deinde adde rhodomellis unc. ii. pro gargarismate*, ad oris ulcera & faucium valde efficax est, & mirabiliter juvare solet. Aut *cape rosarum rub., baccarum myrthi, cynoglossi, bisling* (*hippoglossum dicunt*) *plantaginis ana unc. s. balaustiorum, gallarum, ana drach. v. aluminis rochæ drach. iij. aquæ plantaginis lib. i. s. Bulliant ad tertiæ partis consumptionem, deinde cola, colato adde, syrupi acetosi, vel antimonii, aut mellis rosacei unc. iij.* postea tepide gargarizetur, resolvit quin etiam tumores, materiæ defluxum prohibet, saniem exsiccat, pus abstergit, & cicatricem inducit. Aut *cape aluminis liquidi, aluminis scissilis, ana unc. s. terræ armeniæ drach. ij. aquæ plantaginis lib. j. Bulliant s. a. mox adde aceti acerrimi unc. ii. oxymel. comp. unc. i. misce*, id æger subinde gargarizet, destillationem enim reprimit, ulcera repurgat, exedentia compescit, carnium excrescentias absumit, & oris ulceribus speciatim medetur. Aut *sume rosarum rub. balaustiorum, baccarum myrti, berberis, ana man. j. gallas nu. vi. myrrhæ, aluminis rochæ, antimonii, ana drach. iii. aquæ plantaginis, in qua ferrum extinctum sit, vini austeri, ana lib. j. Coquantur s. a.* hoc decocto abluantur ulcera non solum in faucibus, sed alibi. Id valde quidem astringit, sed ulcerum sorditiem abstergit, carnem excrescentem absumit, siccat, opplet, ad cicatricem perducit. Ubi dictæ gargarizationes non profuerint, ab re non erit, si particulæ sensus ferat, pulveribus uti, ut puta. *Sume tutiæ præparatæ, terræ sigillatæ, acaciæ, corall. rub., ana drach. s. lachrymæ draconis, (cinnabarim Dioscoridis esse volunt.) thuris, seminum plantaginis, baccarum myrti, ana scrup. i. Fiat pulvis*, qui intra cannulam receptus insufflatur in ulcera, siccat hic, & actu (ut dicunt) & potestate carnium excrescentias coërcet, concava explet, & cicatricem inducit.

Aut *accipe pulverem herbæ vocatæ morsus gallinæ, quæ anagallis à quibusdam nuncupatur q. s.* cannula similiter excipe, mox in ulcera insuffla, leniendi vim habet, inflammationes arcet, quæ pascendo serpunt, cohibet.

Aut *accipe urticæ tenellæ summitates, fiat pulvis*, insufflatur, ut de alio diximus, aut similiter adhibe *sabinæ pulverem*, ille maleficis etiam ulceribus, & concrescentibus, atque sordidis prodest, hic ea, quæ pascendo serpunt, sistit, inflammationes lenit, sordes abstergit. Aut *cape aluminis saccharini, drach. i. lachrymæ draconis drach. ii. balaustiorum unc. s. Fiat pulvis*, qui pari modo in usum veniat. Aut *cape aluminis rochæ adusti drach. i. terræ armeniæ scrup. s.*

Similiter utere, valde enim efficax est. Aut *accipe rhodomellis unc. i. syrupi ros. unc. s. aluminis rochæ, viridis æris, ana drach. ii. vini albi optimi unc. j. Bulliant simul*, deinde summitas styli lignei aut ferrei gossypio, aut lana, aut aliquo simili involuta, mox hoc decocto intincta, tangat ulcera, & proxime dictus pulvis superaspergatur, ulcus hoc pacto facile siccatur, & si qua caro supersit, eroditur, & ad sanitatem ducitur, si pulvis fortasse ulcera exasperet, succus eorum, quæ recensui, eorum inquam quæ succosa sunt, illitus conferet. quemadmodum si acceperis *succi cucurbitæ vel oxalidis unc. ii. rhodomellis unc. i. coque donec ad linimenti consistentiam coëant*: mox ulcera illine. Ulceribus in ore puerorum potissimum auxiliatur. Aut adhibe *rorem qui ex cortice mali medici expressi prodit*, ulcera enim levia & lata, quæ difficulter sanantur, curare consuevit. Conferet etiam *oleo ex ligno corni arboris extracto* proposita ulcera inungere, id enim (ut quidam asserunt) non modo faucium & oris ulcera, sed etiam vesicæ sanat, neque non verrucas, & porros vocatos amovet;

sed

sed hæc, ut dixi, per initia conducunt, post quam vero malum invaluit, & alia non contulerunt, ad alia recurrendum, quæ paulo infra dicemus.

## CAP. V.

### *De bubonis cura, qui Gallicum morbum antecedit.*

Tumor in inguine præsertim in ejus glandulis bubo vocatus solet luem Gallicam præcedere, aut statim antequam aliud malum in corpore cernatur, aut postquam ulcuscula penis chirurgorum curiositate nimis propere sanata sunt, aut postquam gonorrhœa intempestive suppressa est; quocunque modo contingat, non repercutientibus, neque refrigerantibus, contra quam alii tumores, eget, sed relaxantibus, & mollientibus, & modice aut maturantibus, aut resolventibus: adhæc etiam modo quodam attrahentibus; ut affligens humor ex profundo ad cutim celerius advocetur, præsertim ubi periculum est, sicut in hoc statu, ne intus oberrans totum corpus contaminet. At vero cum vehementi impetu fluxus illabitur, nihil nos curiosius attrahentes, rem ipsam naturæ permittere oportet; si enim auxilium aliquod humores ex alto ad cutim attrahens admoverimus, vehemens dolor apprehendit: unde & vigiliæ fiunt, & febres succedunt, ac vires exsolvuntur, mitigare itaque tunc & non humorum influxui opitulari convenit per cataplasmatum maxime lenientium usum, velut est quod *ex frumenti aut hordei, aut seminis lini farina, cum aqua mulsa aut fœnu Græci, aut althææ, aut chamæmelorum decocto coquitur*, & quæcunque ad hoc, quod moderate humectam habent caliditatem, per quam mitigare dolores valent, etiam influentes humores concoquere possunt, ac suppurare; alioqui, si lentus sit fluxus, tum neque vehementer quidem, sed moderate attrahere expedit, ne vim naturæ inferentes alium etiam humorem, quam eum, qui peccat, ad locum repere cogamus.

Sed interim diligenter animadvertendum est utrum purgare, aut venam secare conducat, quippe multi hac ætate utrumque acriter prohibent, ne succus, qui utiliter ad inguen modo fertur, adhibita sanguinis missione aut purgatione alio perperam revocetur; quin etiam nullam victus rationem servandam esse suadent, sed omnia, quibus populus utitur, indifferenter comedendum atque bibendum, ut hæc victus confusio corpus repleat, & impetum vitiosi succi ad inguen acceleret. Atqui talia temere admittenda non sunt, sane indiscriminatim vivere & passim omnia comedere bibereque, quid aliud est, quam ægrotanti homini morbum ipsum geminare? si enim talis victus replet, replebit vero vitiose, qui fiet, quin vitiosus succus augeatur? si bubonis augmentum festinabit, quomodo sine maximis doloribus id continget? quomodo universi corporis recrementa, quæ nunc plurima sunt, illuc se non proruent? & diuturnum aut difficilem curatu morbum non parient? Igitur quoad victum salubrius erit, aliquibus se legibus obligare, & ab his abstinere, quæ (ut tertio libro diximus) morbum Gallicum augere solent, & his, quæ illum retundunt, aut summovent uti, ac modice tum bibere tum esse, continere se à coitu, à multo motu, communes expultionum vias secundum naturam apertas conservare, & reliqua, quod vero venæ sectionem & purgationem, si tanta copia repit ad inguen, quanta tumoris maturationem tardet, aut impediat, utpote quæ propter dolores perpetuos (unde vigiliæ molestissimæ nascuntur) non sinat coctioni naturam incumbere, tunc quis adeo vecors est, qui alterutrum, aut utrunque, prout opus erit, non approbet? levata namque, quæ corpus nostrum regit, natura, exoneratæque eo, quo velut farcina premebatur, haud ægre, quod reliquum est, maturabit, & vincet, itaque sui muneris haud oblita, bubonem subinde facile coquet, quem antea gravi onere impedita coquere non poterat. Sin fluor exiguus est, neque dolor, neque calor membri, in quo tumor est, urget, tum nil prohibet quominus, & venæ sectionem, & purgationem adhibeamus. Ad has igitur dubitationes ita respondum sit. Alterum illud oportet non ignorare in ancipiti adhuc esse, utrum hic tumor aperiri debeat immaturus an secus, qui maturationem exspectandam esse nolunt, his rationibus dicuntur, utile est in hoc statu materiam fluere ad locum; crudi incisio dolorem magis movet, quam maturi, ob dolorem vero materia magis attrahitur, immaturi ergo sectio utilior erit. Ideoque Archigenes Galeno *tertio κατὰ τόπους capite secundo*, referente, de parotide loquens, *ad chirurgiam* inquit *perveniendum est & crudi abscessus sectionem, optimum enim in his, ut quam celerrime fluxio foras evellatur*, hæc Archigenes. Præterea si maturationem moraberis, timor est erosionis futuræ, per inguina vero, juxta glandulas multi nervi extenduntur, periculum ergo erit, ne aliquis nervus erodatur. Huc accedit quod cutis, quæ inguina tegit, ut extrinsecus hebetis est sensus, ita extrinsecus sit verisimile est, quo circa prius jam geniti acrimoniam non admodum sentiens, diutius quam par sit illud intra se tolerabit. Deinde non solum erosionis, sed etiam fistulæ metus imminebit. Quid quod pure diutius retento bubo sæpe solet intus recrudescere, ac indurescere, & tum resolutioni, tum novæ maturationi, repugnare, & sectionem difficilius ferre. Tandem Hippocrates *libello de fistulis*, tuberculum in ano natum, quam citissime secandum esse jubet, priusquam suppuretur, ita enim ait, ergo rationis similitudine, bubo crudus & non maturus incidendus erit. Contra vero experientia est, quæ maturum incidendo magis prodesse videtur. Galenus quoque *sexto de loc.* hoc idem sectatur, quum *capite quinto* inquit, *nonnullis tumor in extrema ilium parte excitatur veluti virgis quoque eodem in loco nonnunquam oriri solet, qui ubi suppuratus aliquando fuerit, secari debet*, hæc Galenus. Præterea in inguine, ut etiam advertarii fatentur, quamplurimi subsunt nervi, ut vero Celsus *libro septimo capite secundo* docet, inter nervos ultima expectanda maturitas est, quæ cutim extenuet, eique pus jungat, quo propius reperiatur, ubi non solum maturitatem in bubone præstolari debemus, sed etiam ultimam, ac perfectam, ita ut neque suberudum incidere liceat. Huc pertinet quod sicut nervi, sic glandulæ multæ in inguinibus subsunt, ubi vero tumor est crudus, potest glandula cuti proxima adhærere, quæ tumore tunc inciso, simul etiam incidi facile poterit, quod maximum malum est, licet ignari chirurgici hoc negligant, *glandulas enim* (ut *libro de articulis* prope principium docet Hippocrates) *simul apprehendere non oportet, neque ea, quæ glandulis sunt interiora, magnum enim afferunt periculum, sunt enim nervis maximi momenti vicinæ*, hæc Hippocrates. Quamobrem magis tutum videtur maturum incidere, quam crudum, aut suberudum, ut etiam *libro de medico* innuit, quum inquit, tuberculum inæqualiter se habens exæquare oportet, similiterque totum maturum facere, & neque prius diducere, neque finere, ut sponte rumpatur: Nam ad eos, qui dicunt crudos inurere utilius esse, quia dolor incisione concitatus attractum juvat respondere licet multo plura citra dolorem & securiora ingenia esse, quæ id præstare queunt, quare non oportere dolorem movere, ut attractus fiat, deinde si maturus opportune incidatur, ita ut in longum sectio, ubi convenit, non protrahatur, neque rosionem, neque fistulam, neque novam eruditatem, neque duritiem formidandam esse, neque tuberculi in ano similitudinem ad id, quod in inguine oritur, quadrare, quippe illud, ubi rectum intestinum attingit, si tunc suppuret, fistulam affert, quod eo suppurato, intest num subinde facile perforetur, id vero nullum attingit membrum, quod, quum suppurat, æque facile in fistulam incurrat, utrum maturus, an crudus bubo secari debeat, hic disputatum sit. Sed committendum non est, quo minus illius curam particulatim subscribamus. Quando igitur Gallica labis suspicio fuerit, nisi membri calor, inflammatio, dolor impediat: *Accipe pinguedinem gallinæ q. s. cum lana succida appone* mollit, & maturat. Aut *sume butyri, œsypi, ana unc. s. olei liliacei aut chamæmeli quantum sufficit, misce:* ungatur sæpe locus, subinde lana succida superponatur. mollit, maturat, leniter resolvit. Aut *cape farinæ triticeæ q. s. in oleo & aqua bulliant, quoad cataplasma fiat*, ut secundo ad Glauconem Galenus ait, mox apponatur: id enim suppuratorium est. Aut *accipe foliorum malvæ, althææ; florum chamæmeli ana man. s. radicis althææ unc. i. Contusa bulliant in aqua, donec in consistentiam justam coëant, mox adjectis olei chamæmeli unc. i. liliacei unc. ii. bulliant rursus fingaturque emplastrum*, leniter maturat, laxat, discutit. Aut *sume radicum althææ lib. s. farinæ tritici unc. ii. ficuum siccarum in aqua coctarum unc. i. s. farinæ seminum lini unc. s. pinguedinis gallinæ veteris, pinguedinis porcinæ ana unc. ii. Misce, & cum decocto radicum althææ, & caricarum fiat s. a. emplastrum.* Id si quæ durities inæquales adsunt, leniter discutiendo exæquat, bubonemque mollit, & maturat. Aut *ceparum lilii albi coctarum, mellis optimi, radicum althææ, fermenti ana q. s. Fiat s. a. emplastrum*, hoc enim easdem proxime dicto facultates habet, validiusque attrahit extra.

Aut si tarde maturetur, *cape Diachylon magni (ut dicunt) Mesuæ unc. ii. adde ammoniaci, bdellii, sagapeni ana drach. ii. pinguedinis gallinæ parum.* Aut *sume radicum althææ unc. j. s. foliorum malvæ, violarum ana man. i. seminum lini, fœnugræci ana man. j. s. Contusa bulliant in aqua, deinde colentur colato adde farinæ tritici, hordei ana man. ii. coquantur donec in consistentiam justam coeant, tunc adde vitellos ovorum excoctos tres, olei ex ligno Guajaco, aut ex ligno juniperi aut nardini simplicis q. s. misce simul*

*simul omnia denuo bulliant*, & *informetur emplastrum*, laxat, maturat, trahit, disjicit, dolorem lenit. Aut *accipe ligni sancti limati s. a. lib. s. corticis ejusdem unc. iii. mucilaginis seminis lini, fœnugræci, succi radicum althææ ana unc. s. farinæ fabarum, orobi ana unc. iiij. Decocti ex Guajaco, ex olei ejusdem ana q. s. bulliant simul donec in emplastri formam redigantur*, mollit, trahit, discutit, inflammationem mitigat, leniter maturat, & affectam partem à maligna putredine vindicat, si calor aliquis circa membrum excitetur, conducit his oleum rosaceum adjicere, tantisper dum calor urget, ubi vero cessarit, auferre, si nimia sanguinis, aut aliorum humorum copia maturationem remoretur, non minus expedit (ut ante diximus) venam secare juxta rectitudinem membri patientis in cubito aut purgationem adhibere. Aliqui talia adhibent, videlicet *accipe malvæ, violarum, florum chamæmeli, melilloti ana man. i. farinæ hordei unc. vj. Cum oleo amygdalarum dulcium*, & *rosaceo propter inflammationem conficiunt cataplasma*, & triduo quatriduove apponunt si bubo deinde foras non prodit, ut prodire deberet, alterum adhibent, quod habet. *Accipe malvæ, florum chamæmeli, stœchados, melilloti, rutæ, hyssopi ana man. i. Althææ, fœnugræci, seminum lini ana man. s. Bulliant in aqua deinde pinsentur*, & *adde farinæ orobi unc. vi. olei liliorum alborum q. s. misce, fiat cataplasma.*

Si adhuc hæret, nec extra se exerit nec molescit, tertium experiuntur, quod constat *ex althææ, radicum liliorum alborum, radicum iridis, foliorum urticæ, malvæ ana man. i. Bulliant in aqua s. a. postea pinsentur. mox adjunge galbani, bdellii, myrrhæ ana drach. ii. fermenti drach. i. stercoris columbini unc. s. Misce cum oleo irino, fiat cataplasma*, quod supra bubonem ponunt, *stercus columbinum* addunt, quo cutis attenuetur, & fatiscat. Interdum *emplastra è sinapi* horum loco apponunt, quo partem rubicundiorem, calidioremque reddant, & materiam extrinsecus trahant, mox *cataplasma ex farina, oleo*, & *aqua*, quod proxime recensuimus, adhibent.

Alii malagmatibus (ut dicunt) utuntur, ejusmodi est. *Accipe foliorum malvæ, brancæ ursinæ, (acanthum vocant) violarum ana man. i. radicum bryoniæ recentis unc ii. bulbos liliorum duos. In aqua bulliant, deinde terantur, mox* C *setoso cribro incernantur*, & *adde axungiæ porcinæ colatæ unc. ii. butyri recentis unc. s. olei liliacei, hyperici, violacei ana unc. i. s. farinæ fœnugræci unc. vi. Misce, addito jure eorum, quæ bullierunt*, quod satis sit. Id tum calidis, tum frigidis abscessibus prodesse prædicant.

Aut si bubo duriusculus sit, ejusmodi apponendum censent, utpote. *Accipe radicum althææ unc. ii. radicum bryoniæ recentis unc. i. s. bulbos liliorum tres chelidoniæ man. s. ficuum siccarum pinguium unc. ii. Bulliant in aqua, deinde terantur*, & *incerniculo setoso cribrentur, post adde axungiæ porcinæ, olei liliacei, butyri recentis ana unc. ij. alii sub prunis cocti unc. i. s. fermenti unc. iii. s. farinæ tritici, fœnugræci, seminum lini ana unc. iii. ammoniaci aceto liquati unc. iii. Misce fiat emplastrum*, apponatur ut dictum est. Alii utuntur eo, quod habet *mucilaginis althææ, fœnugræci, seminum lini ana unc. vi. fermenti, axungiæ gallinæ, radicum liliorum alborum sub prunis coctorum ana unc. iiij. ficuum siccarum pinguium diligenter tritarum unc ij. Misce simul omnia*, fiat emplastrum, maturat etiam duros bubones, & extra educit. Aut *accipe radicum liliorum alborum, althææ ana unc. vi. Bulliant in aqua communi, deinde subtiliter pinsentur, mox adde farinæ fœnugræci, seminum lini, tritici ana unc. ii. s. Cum decocto prædicto fiat emplastrum s. a. in fine addendo pinguedinis gallinæ, porcinæ, butyri recentis ana unc. ii.* Aut *accipe radicum althææ unc. vi. Bulliant in aqua, deinde per incerniculum setosum trahantur, mox adde axungiæ porcinæ colatæ tantundem*, & *fiat emplastrum*; maturat, & resolvit: Idem præstat *Diachylon magnum*, item *unguentum mollitivum sive de mucilaginibus*, quippe quod maturat, & resolvit. Aut *accipe radicis Bryoniæ elixatæ*, & *per incerniculum setosum extractæ, axungiæ porcinæ colatæ ana partes æquales misce, fiat emplastrum.* Id maxime omnium extollunt, & maturare, & resolvere mirabiliter prædicant.

Hactenus de præsidiis, quæ bubonem foras educunt & suppurare faciunt, si pus igitur maturuit, raro incidere convenit, nisi festinare curantis præsidii imbecillitatis cogat, satiusque est cataplasmate efficere, ut per se pus aperiatur, id quod non est sinere, ut sponte rumpatur, ne forte quis nos capiat, sed agere, nam fere sine molesta cicatrice potest esse is locus, qui expertus ferrum non est, illud præstare potest ut puta. *Accipe radicis narcissi, (vulgarem tribulum aliqui vocant) aqua mulsa bullitæ*, & *liquefactæ unc. iiij. olei irini q. s. misce s. a.* deinde loco affecto impone. Aut *accipe seminum lini, stercoris columbini, fermenti ana part. æq. Misce cum sapone liquido aut mucilagine seminis sinapi.* Aut *fume cineris cochlearum terrestrium unc. i. fermenti unc. s. croci scrup. s. Misce cum* A *sapone molli*, aut *cape turbith ex monte sancti Angeli (Thapsiam esse volunt) unc. i. olei veteris, vini optimi ana unc. iiij. Bulliant ad vini consumptionem*, hoc oleo tangatur locus aperiendus. Aut *mollis radicis ex arundine libr. s. Bulliat in aqua mulsa, deinde teratur, si opus erit, mellis modicum addendo.* Aut *tantundem dictæ radicis cum pice ficca*, & *sordidis alveorum apum, alii comolira, alii pissoceron vocant ana q. s. fiat emplastrum.* Aut *radicis aristolochiæ rotundæ, sive longæ lib. s. mellis q. s. fiat emplastrum s. a.* Aut *propolis, picis siccæ ana partes æquales. fiat emplastrum s. a.* Aut *ceræ, resinæ, butyri ana unc. i. picis sive mellis ana unc. i. s. floris æris drach. ii. visci q. s.* Aut *ammoniaci unc. vj. ceræ unc. iiij. terebinthinæ, sulphuris vivi, salis nitri, ana unc. iii.* Aut *medullæ granorum xyli sive gossypii, bombacium dicunt, nucis rancidæ, fermenti, caulium coctorum, ceparum coctarum, sinapi, fimi columbini, ana parum. Fiat emplastrum*, velociter enim aperire pus dicunt, Aut *mellis anacardini, picis humidæ, ana partes æqual. Misce ad ignem.* imponunt per medium diem, subinde locum rumpere dicunt. Aut *aluminis cathini, calcis vivæ, ana partes æqual.* B *Pone in aqua ad proportionem dictorum sesqui alteram, bulliant simul, deinde colentur, colatum vase æneo excipe, rursus coque quoad in salis consistentiam coëat*, postea accipe *hujus salis unc. iiii. salis ammoniaci unc. i. misce tum mucilagine seminum nasturtii, addito modico mellis anacardini*, & *utere.* Aut *fume Cantharides q. s. terantur subtiliter, interim instilletur oleum antiquum*, & *sensim igne levi tractetur, donec totum fiat unum, deinde teratur sicut unguentum, mox adde non nihil anacardini, stercoris passerum, anatis*, & *vocatis falconis.*

Hæc sunt auxilia, quæ bubones suppuratos aliosque tumores, aperire queunt, sunt & alia quædam validiora quidem, sed minus secura, quippe antequam apponantur, defendente, ut dicitur, medicamento locum circumcirca vallari requirunt, ne amplius, quam animus sit, rodant, rumpant, lancinent, atque lacessant, primum itaque signato loco quantus aperiri debet, circa reliquum tale unguentum extendatur quod est. *Accipe terræ armeniæ, sanguinis draconis, acaciæ, ana unc. s. unguenti plumbei unc. i. albuminis ovorum, aceti ana q. s. camphoræ parum stupa excipe*, & *adhibe.* Aut *cimoleæ, terræ armeniæ, sanguinis draconis, acaciæ ana unc. s. camphoræ scrup. s. albuminis ovi, aceti, ana q. s.* Aut *unguenti de cerussa cocti q. s.* Aut *olei rosacei odorati completi, olei rosacei omphacini ana unc. i. s. albuminis trium ovorum, succi lactucæ, plantaginis ana unc. s. Misce stupa excipe*, circum circa pone. Aut *olei rosacei unc. i. s. olei myrtini unc. s. ceræ albæ unc. i. terræ armeniæ unc. s. sanguinis draconis, terræ sigillatæ, ana drach. i. s. Misce fiat unguentum s. a.* Aut *olei rosacei unc. ii. terræ armeniæ unc. s. aceti drach. i. Misce s. a.* Aut *succi solani unc. iiii. succi plantaginis unc. ii. aceti parum misce & utere.* Aut *aquæ ros. unc. iii. aceti unc. s. misce.* Hoc administrato, tunc aliquid horum adhibere licet, quod cauterium potentiale nuncupant, ut puta. *Accipe sublimati scr. iiii. plus minusve opii gr. iii. unguenti populei drach. i. s. lapidis hæmat. gr. v. misce s. a.* Aut *sublimati drach. iii. opii gr. v. lapidis hæmatitis scrup. s. Misce*, si minus rosionem sentiri volueris, dupla opii dosim ad eam, quæ sublimati, oportet vero hæc & similia, ubi commixta sunt, non illico adhibere, sed duobus tribusve, aut pluribus D mensibus ante miscuisse, & parata servare, neque plusquam sex horarum spatio super loco relinquere, ubi autem removentur, statim *butyrum aut axungiam porcinam*, quoad crusta cadat, imponere, & super injicere *caulis folia aut cineris lignorum ficus, aut vitis lib. x. aquæ fontis lib. xxx. bulliant ad tertiam, adde calcis vivæ paulo minus, quam ab hoc decocto extingui possit, ita ut decoctum sive aqua deinde aliquantulum supernatet hebdomada una, sic sinito, quotidie tamen semel agitando, deinde cola: Colato adde aluminis rochæ, vocati Tartari ana unc. vi. sine rursum hebdomada altera simul esse, postea iterum cola; mox hujus colati, accipe lib. i. aquæ, cum qua fit sapo, vocatæ la magistra, sive capitelli lib. s. (cognoscitur id idoneum esse, si ovum in eo supernatet) excipe æneo vase ad ignem, donec ad mellis consistentiam redigantur.* Id mirabile cauterium esse testantur, Aut *accipe dicti lixivii sive capitelli lib. s. vitrioli romani drach. i. s. opii scrup. i. Bulliant una præter opium, ubi spissantur, opium adde & sensim ab igne remove & utere.* Aut *accipe lithargyrii, lapidis hæmatitis, vitrioli romani, ana drach. ii. argenti sublimati drachm. ii.* E *s. Misce*, sed id validissimum est, & amputandæ carni, quam vocant obstracosam, summe idoneum, simile quoque est, quod habet *argenti sublimati drach. ii. s. unguenti populei, vel dialthææ drach. i. Misce.* Aut *cape succ. cyclaminis unc. i. s. lixivii prædicti unc. iiii. vitrioli romani unc. iii. aquæ, cujus vi aurum ab argento separatur unc. i. salis nitri drach. ii. s. opii drach. i. Omnia ad ignem modo proxime dicto simul coquantur.* Aut *accipe calcis vivæ lib. ii.*

*salis ammoniaci, vitrioli Romani, ana libr. s. cineris furcularum sabarum, nucum cum suis corticibus recentibus, ana lib. iii. Omnia pinsentur cum dicto lixivio, addita etiam pari portione, si haberi potest, succi corticum nucum, postea vase terreo excipe cujus fundus foraminibus scateat veluti vas, quod ἀσκάριον Græci vocant, sub hoc alterum, quod integro fundo sit & recipiat pone, post accipe tantum lixivii, saponis quantum undequaque per commixta prædicta penetrare possit, & in alterum vas effluere ad dimidiam saltem libram, cui adde vitrioli romani drach. i. Bulliant in vase æneo donec spissentur.* Id vero mirabilissimum & potentissimum ad aperiendum censent. Aut *accipe calcis vivæ, cineris ex ramis ficus vernæ an. partes æquales. Subigantur cum succo corticum viridium nucum, excipiantur olla, quæ in fundo hiet, vel uti harpagium, mox aliud vas figulinum absque foraminibus, quod recipiat, illi subjiciatur, subinde in ollam, qua recipitur, infunde lixivium saponis, plus duplo quam cinis & calx, simul id igitur, quod effluet per foramina, sume, & coque donec solidescat, & utere.*

Quidam asserebat super solio vasis perforati faciendum esse primo stragulum ex paleis tritis, subinde ex cinere ramorum ficuum sylvestrium mense majo, propter lac, quod habet per id tempus, deinde rursum ex paleis, postea ex pulvere calcis vivæ, mox iterum ex paleis, atque ita vicissim ex cinere, paleis, & calce, quoad vas ipsum impleatur, tum aquam calidam, tantam quantam cineris & calcis copia requirit, ter quaterve superfundendam, post hanc eandem lambichio destillandam, primum enim exire aquam, sed intus relinqui terreum quiddam, quod pro cauterio (ut dicunt) potentiali, optimum omnium esse prædicabat. Id tamen adhuc incompertum est, nisi forte aquæ loco lixivium saponis accipiendum esset. Aut *accipe vitrioli Romani unc. ii. arsenici unc. i. s. sublimati unc. s. cantharidum tritarum drach. ii. succi vitis albæ unc. vi. Omnia diligenter simul misce, lambichio destillentur, exibit liquor velut oleum, hujus igitur gutta una, aut altera, aut tertia tange locum.*

Quidam jubebat mense majo sumi debere *cineres omnium tithymalorum, deinde cinerem arboris ficus ad hæc calcem vivam, sal alcali, postea misceri, & lambichio destillari, deindestillatum rursum coqui*, referebat enim id mellis colorem acquirere, solidescere, & sonare, ceu vitrum, idemque egregium esse cauterium.

Omnia vero hæc postquam confecta sunt vase vitreo, aut quod vitro oblitum est, diligenter clausa servari debent, ne transpirent, alioqui vires amittunt, sed quæ *sublimato* constant, magis periculosa sunt, cætera minus; omnium autem facillimum & securissimum & efficacissimum est, quod ita fit. *Sume lixivii saponis, quod & capitellum & la magistra dicitur, incoque vase aliquo æneo, quoad solidescat, & utere.*

Hujus loco licet *oleum vitrioli* quod non minus efficax est, adhibere, Id aliqui hunc in modum parant. *Accipe vitrioli Romani unc. xxx. salis nitri, aluminis rochæ, ana unc. iiii. In pulverem redigantur, subinde misce, post, ut dicitur, calcinentur, tandem chymistarum more sublimentur, & oleum extrahatur.* Aut *cape salis nitri, aluminis rochæ, vitrioli Romani ana lib. ii. Extrahatur aqua chymistarum more*, quam aurum ab argento separare, quoque dicunt. Aut *vitrioli Romani, aluminis rochæ, ana lib. i. salis nitri lib. i. s. Similiter fiat aqua*, quæ etiam aqua separans aurum vocatur, utraque locum affectum corrodit, & aperit.

Tot vero tantaque potentialia (ut dicunt) cauteria scripsi, quoniam à multis multa deliderantur, ex his enim quisque potest, quod magis arridet, eligere; non quod necessaria esse arbitrer, satis namque est unum aut alterum. Sed ad propositum redeamus, si ergo per hæc remedia bubo sponte aperiri nequit, sed secare jam maturum oportet, candenti ferro, quo ad fieri potest, summo tenus aperiri debet, cujus hæc gratia est, quod exigua plaga diutius ad pus evocandum patet, parvaqua postea cicatrix fit; At si nervi juxta sunt, ignis alienus est, ne vel distendantur, vel membrum debilitent. Sin scalpellum absque igne necessarium est, id agendum est, si plures sinus sunt, ut quam minimæ & quam pauciſſimæ plagæ sint, cum eo tamen ut necessitati succurramus, & in modo & in numero, nam majores sinus latius, interdum etiam duabus, aut pluribus lineis incidendi sunt, dandaque opera, ut imus sinus exitum habeat, ne quis humor intus subsidat, qui proxima & adhuc sana rodendo sinuet, ac licet pleraque rectam plagam desiderent, bubones tamen obliquam magis exigunt, per transversum videlicet ducta longitudine, non autem secundum cruris aut corporis rectitudinem. Quippe ita ubi crus inflectimus, naturaliter sibi ipsi cubis applicatur, contra vero dehiscit, quo pacto myrti folii figuram hæc incisio non requirit, pure effuso in inguinibus linimento, quod intus locum ampliet, opus non est, cætera eadem facienda sunt, quæ alii in aliis tumoribus primum suppuratis, deinde apertis, facere solent; modo illud admonuerimus, operæ pretium fore, bubonem apertum ad quadragesimum usque diem sustinere. Sed si mali moris esse videatur, statim ad communia præsidia, quæ totum corpus curant, accedere.

## CAP. VI.

### *De pustulis, & ulceribus capitis & faciei.*

Hæc de Bubonis, antequam morbus Gallicus manifeste oriantur, curatione, deque primis affectibus, qui Gallicam luem antecedere consueverunt. Sequitur de secundis, inter quos capitis & faciei ulcera sunt, pilorum defluvia, dolores infesti, hæc quidem adhibita curatione summoveri solent, sed si facile non cedant, peculiariter curari desiderant, verum ulcera, pilorumque defluvia, non quod aliter curari nequeant, curæ alterius egent, sed quia turpitudinem afferunt. Dolores quia interdum morbum augent vireſque dejiciunt, propriam curationem requirunt. Exordiemur igitur ab ulceribus capitis, & faciei, reliqua deinceps persequemur. In his itaque prohibere oportet, ne succus ad faciem caputque feratur, deinde fores eidem claudere, ne fluenti exitus pateat, eum vero succum, qui jam impactus est, resolvere, dissipare, consumere. Primum ergo corpus universum, (ut tertio libro docuimus) evacuare conducit, ut si succus retrocedat, illi intus aliquis relinquatur locus, deinde singulis alternisque diebus revulsionis causa sensim ducere alvum, postea partem affectam, quoad fieri potest, expurgare, abstergere, siccare, & cuti velut propria obducere; Sic enim quicquid impactum est, submovebitur, & humori foras erumpere volenti janua obstruetur. Has indicationes circa partem læsam exequemur, si pustulas primo *spuma decocti ex Guajaco* oblinamus, deinde *sapone nigro purissimo* aut *succo herbæ, quam alii verrucariam, alii heliotropium, alii scorpiuron vocant.* Si hæc non prosunt, *præcipitato cum unguento ros. Mesuæ mixto*, aut *unguento ex pari portione olei scorpionum, pinguedinis gallinæ veteris, & sevi hircini*; at his non conferentibus, mirum esse prædicant, *oleum viperarum*, Quod ita fit, *Accipiunt duas viperas viventes, (mares aut fœminæ sint, nil refert) in frusta secant, excipiunt vase vitreo oris anguſti, deinde superfundunt commune oleum, quantum satis videtur, & solibus canicularibus exponunt:* id acerrimi odoris esse, & vim acutissimam habere, simulque, ne pili cadant prohibere, denique, si id non proficiat, inungunt quidem hoc eodem oleo pustulas, sed subinde hac aqua madefaciunt, quæ habet *aquæ plantaginis, rosaceæ ana libr. i. Aluminis rochæ, argenti sublimati ana drach. ii. tritis terendis, omnia simul coquunt, deinde triduo, quatriduove relinquunt, quoad aluminis, sublimati reliquiæ, in imum repant*, postea *extrahunt aquam limpidissimam, qua utuntur nunc simplici, nunc cum aqua ros. aut solani, aut plantaginis.* Quidam sumunt *succi lactucæ plantaginis, ana unc. ii. infrigidantis Galeni unc. i. albumina duorum ovorum sublimati optimi triti drach. i. In mortario plumbi linimentum conficiunt postea illinunt.* Quidam vero capiunt *aluminis rochæ, salis gemmæ ana drach. iii. lixivii lib. i. aquæ ros. unc. iiii. Coquunt simul omnia ad lixivii tertiæ partis consumptionem, deinde utuntur*; Interdum etiam nonnihil æruginis adjunt, prout magis siccare volunt; Quidam *aquæ vitæ, succi mali Medici acidi ana unc. i. sublimati scrup. ii. Simul miscent, atque agitant, deinde facta (ut dicunt) residentia, sumunt hujus aquæ drach. ii. aquæ rosaceæ unc. s. plus minusve, & illinunt.*

Idque non solum pustulas delere, sed etiam excrescentes carnes erodere solet, si per hæc nihil profecerimus, non parum valet id, quod constat ex *axungiæ colatæ lib. ii. argenti vivi extincti lib. i. lithargyrii unc. iii. cerussæ unc. ii. thuris unc. i. Fiat unguentum, s. a.* Id quod, etsi supra quoque libro sexto recensuimus, quia tamen his pustulis peculiariter prodest, repetere nequaquam piguit, hoc igitur singulæ pustulæ, nisi gingivarum, orisque læsio sequatur, mane & sero ante cibum singillatim unguntur. Aut *sume aquæ ardentis, aquæ rosaceæ ana unc. vi. sublimati drach. ii. Bulliant lento igne, quoad sublimatum dissolvatur, tum vase vitreo aut aliquo hujusmodi serva*, subinde hoc eodem singulas pustulas tangito, solet illas apprime delere. Aut *accipe sublimati drach. i. aquæ ardentis, aquæ rosaceæ ana unc. iii. Bulliant igne lento, &c.* Aut *accipe sublimati, viridis æris ana drach. ii. aluminis rochæ drach. s. aquæ maris, rosaceæ*

*faceæ ana unc. iii. Bulliant ad quartæ partis consumptionem, subinde colentur, colato adde aquæ segregantis aurum ab argento unc. i. misce & utere.* Aut *succi limonum, aquæ plantaginis, solani ana unc. i. Tartari ex vino rubro, mastiches, thuris ana drach. i. sublimati grana iii. Misce s. a.* deinde gossypio infuso ulcera illinito. Aut *succi sambuci, olei rosacei ana unc. vi. Valde bulliant, postea colato, mox adde salis drach. ii. cerussæ unc. i. s. camphoræ scrup. s. Fiat unguentum s. a.* Id puero nobili ulcera Gallica contumacia belle curavit. Aut *folia cardui*, alininum, plebs nostra vocat, emplastri modo appone, sæpe enim contulisse visa sunt, præterea fricare crustas ipsas aut *rumicum radicibus integrum diem atque noctem aceto acerrimo infusis*, aut *fuligine*, & *sale* linteo aliquo exceptis, mox *eodem aceto* humectatis non parum prodest. Aut *accipe lixivii saponis capitellum, sive la magistra vocant unc. iiij. aquæ rosaceæ unc. ii. salis ammoniaci, aluminis rochæ ana drach. ii. Bulliant lento igne, similiter utere.* Aut *aquæ maris, aquæ rosaceæ ana unc. iii. sublimati, viridis æris ana unc. i. s. Bulliant ad partis quartæ consumptionem.* Hoc decocto pustulæ bis quotidie tangantur. Aut *aquæ rosaceæ unc. vi. arsenici albi scrup. i. s. salis ammoniaci, salis gemmæ ana scrup. iiii. aluminis rochæ scrup. ii. Fiat ut proxime diximus.* Aut *argenti vivi drach. iiij. Immittatur in ovum crudum, facto prius foramine, mox eodem clauso, deinde sub cinere, & in aqua coque, quoad induretur, postea hinc excipe dictum argentum vivum, sublimati drach. i. aluminis rochæ drach. ii. Misce simul pistillo ligneo in mortario lapideo semper agitando, subinde nonnihil aquæ rosaceæ, aut violaceæ, aut cucurbitæ commiscendo, atque id mane tantum fiat per multos tamen dies, quotidie, donec ceu nix albescat: mox id totum vase vitreo aliquo excipe, tum super infunde aquæ pluviæ claræ lib. ii deinde lento igne ad dimidium coque, postea depone, & quiescere permitte, donec id, quod corpulentum est, in fundo resideat, & abjecta aqua tantundem aquæ superadde, idemque facito ut ante factum est, postremo diligenter colato*, id quidem non modo pustulas sanat, sed etiam cutim crassam attenuat, squamosam tergit, nigram dealbat, pustularum vestigia emendat. Aut *accipe aquæ segregantis aurum ab argento drach. ii. Aquæ rosaceæ unc. i. plus minusve.*

Prout alterius aquæ acrimonia intensior remissiorve fuerit, misce & utere.

Id quoque non solum pustulis exterioribus removendis confert, sed etiam interioribus, si eo tangantur, & ulceribus oris, palati, gulæ, virgæ, vulvæ, modo illud observetur, ne inflammationem accersat. Aut *cape sumach, (rhus obsoniorum dicitur) fructus tamaricis, thuris, mastiches ana drach. i. tartari ex vino rubro drach. ii. s. cerussæ drach. ii. sublimati grana iii.* Aut *hujus loco aluminis rochæ drach. i. s. aquæ plantaginis, rosaceæ ana unc. i. s. succi limonum majorum unc. i. Bulliant simul lento igne, excepta vase quod vitro sit oblitum ad quartæ partis consumptionem, clarificetur, ut dicunt s. a. mox colatur.* Aut *succi lactucæ, plantaginis ana unc. ii. infrigidantis Gal. unc. i. albumina duum ovorum. Sublimati bene triti grana v. plus minusve, post in mortario plumbi dicunt, & unguentum parant*, id ulcera exsiccat, verrucas etiam delet. Aut *aluminis rochæ, salis gemmæ ana drach. iii. sublimati drach. i. salis ammoniaci drach. ii. lixivii lib. i. aquæ ros. unc. iiij. Coquunt quoad tertia pars consumetur, addunt interdum viridis æris modicum.* Aut *succi verrucariæ (heliotropium majus & scorpiuron vocant) q. s.* delere enim mirabiliter has pustulas tradunt, sicut verrucas, & thymos, id quod illi tribuit Dioscorides. Aut *accipe albumen unius ovi, rudicula vehementer agitetur, subinde adde pulveris sublimati grana iii. iterumque agitentur, donec ad unguenti consistentiam deveniant, tum pustulas illinito.* Triduo enim integre curare solet.

Non minus his erit *oleum tartari, oleum sulphuris, oleum vitrioli*, aut aliquid ex his, quæ in cauteriorum (ut dicunt) potentialium numerum ascripsimus.

Interdum si pustulæ mitiores fuerint, juvare solet *oleum ex tritico*, aut *ex ovorum vitellis*, sed præcipue *oleum ex ligno Guajaci*, item *destillatitium ex foliis vitis albæ*

Sed ubi valde siccæ duræque fuerint, non parum prodesse consuevit, *inunctio ex sevo hædino, aqua simplici scelium similiter lota aut etiam axungia sine sale*, siccitatem enim humectans, & duritiem emolliens, ulceratas cutis particulas ad cicatricem perducit, quæ alioqui propter nimiam ariditatem à mediocritate, quam sanitas requirit, recedentes curari non possunt.

## CAP. VII.

*De pilorum defluvio, & unguium dentiumque casu.*

Hactenus de pustulis capitis ac faciei. Jam ad pilorum defluvium deveniamus, primum admonentes, si nihil aliud lædit, quam quod aliquantum deturpat, non purgatoriis quidem utendum, ne malum quod sponte foras ad cutim repit, ad interna violenter, trahatur, sed exercitio, & multa sudoris provocatione juvandum, at quoniam id quomodocunque sit molestissime ferunt, committendum est, quo minus illud prohibere tentemus. Porro defluvium, de quo nunc agimus, humore corrodente ad cutim delato, potissimum gignitur. Ergo hunc eundem, vel antequam sub cute rigatur, celeri & copioso sudore, & vi quadam adhibita, subito consumere oportet, per ea remedia, quæ, ut supra retulimus, confertim & repente sudorem elicere possunt. Alioqui si id lente præstent, succus vitiatus, qui eorum auxilio ad cutim rejicitur, ibidem longiorem moram trahens, commodius ad erodendos pilos spatium sortitur, sic *decocta Guajaci, sarzæ parillæ, radicis Chinæ*, pilorum defluvium, quod ante non erat, aliquando moverunt; quod vero jam erat, auxerunt, & geminarunt. At si plurimum & repente sudorem excitare humano corpori periculosum, & inimicum esse putatur, humorem tamen, quia secundum morbi naturam sit, in magno vitæ discrimine, non ponet, sed si quis id nimium vereatur, ab re non erit, vitiatum hunc succum ad contrarium locum, hoc est ad ventrem, tanquam à toto corporis ambitu ad centrum revocare, quod quia contra humoris impetum fit, neque semel, neque bis tantum, sed sæpius id efficere, neque confertim, sed paulatim, ut revulsio frequens, & exigua, cui æger sufficere possit, in consuetudinem retrovertendi, humorem deducat, hac ratione, tum *unctio ex argento vivo*, tum *suffitio ex cinnabari*, pilorum quidem defluvium prohibet, sed quia confertim purgat, non leve periculum affert. Exigua vero per alvum purgatio, crebro facta, magis tuta est, deinde ubi pruritus adest, quæ repellunt, & quæ humoris acrimoniam temperant, ubi vero minuitur, aut cessat, ea, quæ calefaciendo pilos generant, cuti applicare licet, alioqui ubi pruritus insigniter vexat, multa, quæ pilos curare solent, non modo inutilia, sed valde noxia sunt, quippe quæ magna ex parte calefaciendo attrahunt, proinde pruritum, qui hominem infestat, geminant, & cutim vitiato succo replent. Cæterum valde ambiguum est, & fere fallax, id quod dicitur, tantam videlicet spem esse regenerandi pilos, quantum frictione adhibita cutis rubescit, inquiunt enim primum quidem capillos novacula tollere oportet, deinde affectam cutim per linteolum, neque asperum, neque molle nimis confricare, ac videre, ad quantum ruborem per hujusmodi motionem ac confricationem pervenit. Hoc enim tibi ex usu ad spem curationis est futurum, namque si per exiguas defrictiones rubefiat, moderatam affectionem opineris. Si vero per multas, graviorem præsertim, quum quædam cuticulæ, etiam si multum confrices, non rubefiant, manifestum igitur has omnium difficillime curari, sicut contra facillime, quæ facile rubescunt, quæ vero inter has medio modo habent, tantum inter se differunt, quantum vel ad pessimas vel moderatissimas accedunt. Hæc illi, nos vero sæpe vidimus cutim levi frictione rubescere, pilos autem non oriri, ut quivis in aliquibus calvis, & secundum ætatem, & non secundum ætatem experiri potest, atque contra vehementi ac multa frictione difficulter rubescere, nihilo tamen minus pilos facile renasci, ut in his, qui ex aliquo morbo extenuati in capillorum defluvium inciderunt. quocirca si quod futuræ spei signum est, illud profecto est, quod neque lucida neque valde lævis, neque tensa, neque ex toto glabra cutis est, sed contra subobscura tanquam vapore quodam circa ipsam errante, & aliquantum aspera, & modice laxa, atque omnino vel sine pruritu, vel cum hoc quidem, sed perquam exiguo, quibus adde, quod pili morbo aliquo palam præcedente, non autem per se velut ex improviso, decidere cœperint, sed ut hæc spem aliquam recuperandi pilos porrigere solent, sic ad eosdem recuperandos assidua rasura uti experimentum est similiter anceps, quum indies experiamur, novaculæ usu pilos, qui deinde nascuntur, crassiores quidem ac duriores fieri, non autem creari, quippe rasura, si pili subsunt, propter exiguitatem vero difficile videntur, visu faciles reddit, si non subsunt, non educit, non trahit, non gignit, hinc aliqui posteriores

pilos

pilos novaculæ opera & tardius & difficilius nasci tradiderunt, ne autem vera in hoc affectu id solum utilitatis præstare potest, quod affectam partem medicamentis susciendis promptiorem reddat, sed ut hic novacula in universum parum prodest, ita sanguinem medicamentis rubificantibus, aut aciculis pungentibus, aut scalpellis scarificantibus, ad partem evocare inutile est. Siquidem non ex sanguine, sed ex alio pili gignantur, & nisi magnam contentionis occasionem multis præbere vererer, dicerem pilos in nobis renasci, sicut dentes, sicut ungues, sicut squamas in piscibus, in his enim omnibus quiddam, veluti radix, latitat, & alterius decedentis vicem subit. Id quod bis terve aut paulo sæpius his regenerandis sufficere potest, ultra vero, qui intra tot regenerationes consumitur, non potest, sed ad rem nostram. Itaque interea dum corpus ipsum purgamus, particulæ, quæ pilis exuitur, pruritus ante omnia qualis sit considerandus est, deinde servata humoris qualitate, & purgationis modo ac numero, prout hic innuimus, & tertio libro monuimus, si pruritus insignis fuerit, tale præsidium convenit adhibere, quod est. *Sume recrementum luto simile, quod è cote, dum ferrum atteritur, decidit*, affectæ partis tepidum quotidie bis appone, & quoad sponte sua siccescat, finito, subinde hac lotione vicissim abstergito. *Accipe radicum cannarum, radicum nymphææ ana unc. iii. foliorum, & ramorum & fructuum myrti ana man. iiii.*

*Lambichio excipiantur, mox aqua, quæ subinde prodierit, lavetur locus*, lavetur item *vino albo nigrove, in quo myrti folia fructusve bullierint*, lavetur etiam *pueri urina*, lavetur *rumicum decocto*, id enim prurigines summovere solet, illud pruritum compescere, calorem temperare, pilos foras evocare, ideoque Dioscor. *libro quinto*, quasi rationis similitudine usus, inungitur contra capillorum inquit defluvia, quas alopecias dicunt, expletque eas, quod confricato in naxia cote ferramento detritum fuerit. Aut *testudinis sanguinem* illine, aut sume *cinerem ex radicibus corticibusve arundinis unc. iii. aceti q. s. misce ad unguenti consistentiam*: similiter illine, deinde lava ut dictum est. Aut *rumicum betarumve folia* emplastri modo impone, aut *vinum ex myrto, aut nymphææ radice cum betæ succo, aut marini cancri cinerem tum cancrorum fluviatilium cinere ex aceto corticum castanearum cum faba ex aqua emplastri modo. Apes siccatas subinde tritas ex oleo myrteo & cera*, aut *terram cimoliam cum vino*, aut *rosaceo*, aut *omphacino*, aut *acacia*. Hæc in principio, prurigine infestante, præcipue adhiberi debent, ut vero illa recedit, sic alia, quæ ab alto evocant, administranda sunt, & primum quidem leviora, deinde vehementiora. Ut puta *nymphææ radicem cum pice mixtam* impone. Aut *spongiolæ, quæ in mediis spinis cynorrhodi nascitur cinerem cum melle. Concisa & cum vetere suillo adipe cocta cynoglossi folia. Caprini aut hircini cornu cinerem cum sale, tamaricis semine, butyro, oleoque*, prius tamen capite raso. *Crematum erinacei terrestris corium cum pice liquida. Crudum adianthum citra radicem emplastri modo, aut cum ladano, myrteove, & lilino oleo, vel hyssopo etiam, addito & vino.* Aut *trichomanem*, (vulgare polytricum cuidam est) emplastri modo. *Ladanum cum oleo rosaceo, aut anethino, & vino. Crematum alcyonium* (maris spumam officinæ vocant) *ex vino*, emplastri modo. *Juglandium putamen crematum, tritumque ex vino, oleove. Rorismarini decoctum. oleum ex oleastro. Nuces avellanas totas crematas, mox concisas cum axungia, ursinove adipe. Cremati leporini capitis cinerem ex ursino adipe, sive aceto. Amygdalas amaras integras ustas, & in cinerem versas. Apium silvestre.* Item *abrotani decoctum, aut in aqua, aut in oleo raphani, aut cheiræ. Abrotani quoque cinerem ex oleo vetusto.*

Deinde, quo magis cessarit pruritus, administra *ferruginem ex aceto. Caprinarum ungularum cinerem ex aceto. Ungularum muli, vel mulæ cinerem ex oleo myrteo. Murium* (quas muscerdas vocant) *tritum fimum ex aceto. Caprarum præsertim in montibus degentium fimum ex aceto, acetove mulso. Brassicæ folia, ejusdemque succum cum sale. Aliorum cinerem cum melle subactum. Myrrham ex ladano, vino, myrteove oleo. Thus aceto acerrimo confectum. Ladanum vino, myrrhæque, & myrteo oleo commixtum. Laserpitii liquorem (quem belzuinum vocant) ex vino, additis pipere, & aceto. Aloën ex vino. Anseris vino, additis pipere, & aceto. Aloën ex vino. Anseris adipem, vulpis, ursi, hyenæ, pardalis, leonis. Viperæ pinguedinem, ejusdemque pellem exustam. Picem liquidam. Laurinum oleum per se, vel cum cera. Fel tauri, fimumque. Mel anacardi.*

Ubi vero prurigo penitus defierit, expedit adhibere *eruce sylvestris semen tritum ex oleo laurino. Rhaphanum emplastri modo. Veratrum utrumque. oleum scillæ. oleum de viperis antescriptum. Sinapi sico mixtum subactumque. Fimum item columbinum. Cuminum. Urticam. Cepe. Cyclaminis radicem ex aceto, & melle. Asphodeli* (hastulam regiam vocant) *radicis crematæ cinerem, sandaracham resina exceptam. Sulphur. Staphysagriæ grana ex oleo. Nasturtii semen. Batrachii, hoc est ranunculi folia emplastri modo. Cepe quinetiam, aut ficuum foliis particulam fricare. Cantharidem item tritam cum pice liquida*, prius tamen sale leniter præparata cute apponere, atque etiam *saponem nigrum*, ut posteriorum quidam experti sunt, *thapsiæ succo* illinere. Illud vero in his calidioribus validiorique præsidiis perpetuo animadvertendum est, quod peccatum intra modum nullum plane affert detrimentum, supra vero aliquando exasperat, & ulcerat cutim, atque suscitat inflammationem, quæ ubi contigerint, conducet tum adipes dictas, tum olea quædam, aut *ladanum* illinere, adeo quidem ut hæc non solum regenerandis pilis profint, sed aliorum quoque multorum excessum moderentur. At illud oportet non ignorare *armenium lapidem* ex uno palpebrarum pilis peculiariter prodesse. *Terrestres item cochleas*, si quis per earum carnem trajecta acu, & mucoso lentore, quem secum acus attulerit, palpebras inunxerit. *Gummi* (mastichæ simile,) *quod in imis ramulis chondrillæ* (quam *sylvestrem endiviam* aliqui vocant) *fabæ magnitudine invenitur, recentem quoque ejusdem radicem, demersa in eam acu, & palpebris cum humore illo admota.* Præterea *æsypum. decoctum spicæ nardi.* Alii vero sua quædam propria magis commendarent, quemadmodum est. *Accipe foliorum sennæ orientalis manip. i. radicis oxylapathi unc. i. florum rorismarini man. i. s. Coquunt in aqua marina, dein decocto partes affectas lavant*, non semel bisve, sed sæpius, *Decocto item sennæ græci*, quod magnopere extollunt, *decocto aloës cum vino rubro.* Præterea *serpentis aut talpæ pinguedine ungunt.* Aut *sume ladani, succi fructuum myrti ana unc. i. papaveris nigri, spicæ nardi, capill. veneris, ana man. i. cyperi, corticis pini, sem. apii ana unc. s. olei sesamini, myrtei ana lib. i. Terantur terenda, mox duplici vase bulliant, postea colentur*, colato lavetur affectus locus. Aut *foliorum viridis absinthii manip. i. cort. avellan. ustarum unc. ii. cum oleo myrteo coquantur, deinde colentur, & locus illinatur.* Alii *lixivium ex cineribus juniperi, aut pini, aut lentisci, aut laricis, aut myrti*, & similibus conficiunt, mox lavant membra, quibus decidunt pili. lavant item *decocto Guajaci, aut abrotani, myrti, sennæ, radicis cannæ, lapathi, fumi terræ*, & simul, & seorsum. subinde ungunt hoc pacto videlicet. *Cape favi mellis cum suis apibus unc. iii. pingued. ursi unc. ii. ladani unc. j. abrotani unc. s. Misce, diu pistillo ducantur in mortario, quo ad unguenti consistentiam deveniant*, mox ungebis, terve quotidie. Aut *accipe succi fructuum myrti, succi abrotani, succi capillorum veneris, ana unc. ii. olei sesamini, ladani, ana unc. ii. s. spicæ unc. s. Bulliant simul lento igne, donec in unguenti consistentiam coeant.* Aut *ladani unc. ii. olei ex abrotano, mellis optimi ana q. s. Fiat unguentum s. a.* id ad fidera tollunt. Alii jubent videlicet. *Accipe rosarum rub., foliorum plantaginis, absinthii, fructuum myrti, balaustiorum, ana man. i. fructus cupressi num. v. aluminis rochæ, mastiches, acaciæ, ladani, ana unc. i. myrobalanorum citrinorum unc. s. mellis, aceti, omphacii, ana lib. ii. vini rubri, lixivii, ana lib. iiii. Misce pro lotione.* Deinde *sume olei myrtini, rosacei, omphacini, mastichini, nardini, ana unc. s, ladani unc. i. Misce pro unguento.* Alii accipiunt *fructuum myrti partem unam, ladani partes duas, salis nitri partes. vi. olei myrtini q. s. Fiat unguentum.* Aut *capiunt nuces recentes mense Julio num. centum contundunt, mox admiscent aluminis scissilis lib. iii. excipiunt vase aliquo, quod vitro oblitum sit, subinde viginti dies in loco modice humido ponunt*, hinc oleum haberi affirmant, quod fluentes pilos compescit. Aut *accipe ladani, hyssopi, olei myrtei, lilini, ana partes æqual. vini vinosi, & lixivii ana q. s. Misce, fiat lavatio.* Aut *accipe spumæ maris unc. x. salis, sulphuris vivi, gummi è ruta sylvestri, euphorbii, ana drach. ii. seminum staphysagriæ, cantharidum, ana drachm. i. fœcis ex oleo antiquo q. s. Misce.* Aut *accipe sanguisugarum, vesperum, apum, carnium limacum, salis usti, ana part. æqu. Misce, post excipe vase, quod vitro oblitum sit, & fundo perforatum æque atque vas, quod harpagium appellatur, mox die noctuque alterum integri fundi supponе, à quo illud contineatur, exibit. deinde succus quidam, quo partes affectæ illinuntur.* Aut *accipe ciceris rubei, abrotani, ana drach. x. ventrium cantharidum, ladani ana drach. iii. avellanarum ustarum drach. ii. gallæ moschatæ drach. i. Terantur cum oleo veteri ad unguenti consistentiam.* Aut *sume cicadarum drach. vi. pinguedinis gallinæ unc. i. pul. sanguisugarum ustarum, lacertæ ustæ, viridis æris, ana unc. i. s. pulv. talpæ ustæ, solearum ustarum, setarum porci ustarum, ana drach. i. Mellis q. s. ad unguenti consistentiam.* Aut *cape cineris capillorum hominis unc. j. fœcis olei ex semine lini. unc. iiii. mellis depurati unc. iii. myrrhæ unc. i. s. Fiat unguentum.* Alii hæc quidem omnibus indiscriminatim adhiberi posse consulunt, hæc vero speciatim biliosis, illa pituitosis, alia melancholicis, sanguineos vero prætermittunt, ac si hi pilorum defluvio nequaquam corriperentur. Sed hæc ficta quadam opinione, non

experientia, non arte distinguunt, quum ea, quæ biliosis peculiaria prædicant, pituitosis prosint, & contra, recensebimus tamen, prout ipsi præcipiunt, ne illorum scripta occultare velle existimemur.

Itaque inquiunt in unaquaque specie hoc decocto uti simpliciter solemus. *Accipe lixivium ex cinere radicum cannæ q. s. ladani unc. s. spicæ nardi, hyssopi ana drach. iij. acaciæ, terræ armeniæ, mastiches, balaustiorum, thuris ana drach. ij. Bulliant s. a.* hoc decocto sæpe lava partes quibus pili decidunt, permitteque siccari sponte, magis vero conferre dicunt, si *chalybs candens* in eodem decocto frequenter extinguatur.

Interdum raso membro *resinam terebinthinam* undequaque illinunt integrumque diem, & noctem ita relinquunt, postea hoc decocto lavant. Sume *lixivii ex cannarum cinere. lib. vi. hyssopi, spicæ nardi, nasturtii, asphodeli ana manip. i. ladani, myrrhæ, aloës ana drach. j. Misce bulliant s. a.* deinde membrum abluatur, rursum *terebinthina* superponatur, postea lavetur, atque ita vicissim, octo novemque diebus. Interim tamen ter, aut quater raso membro.

Quandoque vino validissimo lavant, superponunt subinde *terebinthinæ partem unam, thapsiæ partem quartam simul miscendo*, quandoque pro *terebinthina felle taurino* utuntur.

Pauperibus ægri membra prius *urina* lavant, deinde ungunt hoc videlicet. *Accipe calcis vivæ lib. i. olei rosac. omphacini unc. vi. Misce*, & super membro, quod lotum est, extendatur, idque vicissim singulis quatuor, aut quinque horis fiat, duum aut trium, dierum spatio, prout expedire videbitur citissime enim pilos foras evocare pollicentur.

Hæc igitur si omnibus quibus pili decidunt indifferenter adhibent privatim vero biliosis videlicet. *Sume lixivii ex cannarum radicibus lib. iij. adianthi, ladani, cineris cancrorum, radicis nymphææ, rosarum sylvestrium, foliorum myrti ana man. i. Misce bulliant ad quartæ partis consumptionem*, hoc decocto membrum ante lava, deinde inunge sequenti mixtura. *Accipe adipis ursini unc. ii. myrrhæ, ladani, aloës, cupularum vocatarum glandium, corticum juglandis crematarum, corticum avellanarum crematarum ana scrup. i. Misce cum oleo ex oleastro, vel omphacino.*

His ad biliosos utuntur.

Ad pituitosos vero videlicet. *Cape lixivii ex radicibus cannarum lib. vi. adianthi, myrrhæ, ladani, seminum nasturtii, aloës, sinapi, radicis asphodeli, ranunculi, thapsiæ, fructuum myrti, hyssopi, corticum raphani, ferruginis, laserpitii ana unc. s. Misce bulliant s. a. colentur*, colato membrum lavetur, deinde inungatur hoc videlicet. *Accipe adipis ursini unc. iiij. felis taurini unc. i. laserpitii, sandarachæ ana drach. ij. sinapi, myrrhæ, ladani, aloës ana drach. i. terebinthinæ unc. ii. Olei ex oleastro, vel olei omphacini q. s. Misce fiat unguentum*, adhibeatur, ut dictum est. Ad melancholicos vero. Cape *lixivii ex cannarum radicibus lib. vj. sennæ unc. i. polypodii drach. ii. ladani, myrrhæ, seminum nasturtii, corticis raphani, myrti fructuum, laserpitii, radicis asphodeli, batrachii ana drach. iij. Bulliant s. a. deinde colentur*, colato locus affectus abluatur, mox sequenti unguento illiniatur, quod est. *Sume adipis Ursini unc. vi. terebinthinæ unc. iiij. fellis taurini unc. ij. laserpitii, ladani, aloës, thapsiæ ana unc. s. sinapi, radicis asphodeli, batrachii ana drach. ii. glandium quercus, glandium fagi ana drach. i. lapidis armeni drach. i s. olei myrtei unc. iij. olei ex oleastro q. s. Misce fiat unguentum*, quod in usum veniat, ut dictum est.

Quidam affectum locum, utpote humore erodente refertum, & privatim caput ipsum respiciens, nunc per interna apophlegmatismis, nunc per externa lixivio digerente, & sapone attenuandi, dirigendi, & vacuandi vim habente, purgat, pro apophlegmatismo nihil præstantius esse putat, quam jejunum os intra vertere modo *radicem pyrethri*, modo *semen staphysagriæ*, *aut mastiche aut piper aut caryophyllorum fructus*, his enim copiosissimum sputum citari, & ab affecta capitis cute humorem insitum, si diis placet, attrahere: pro lixivio capit *foliorum absinthii, betonicæ, rorismarini, calaminthæ, pulegii, abrotani ana pugillum unum, asari drach. i. rosarum man. i. nuces cupressi contusas quatuor interdum agarici drach. ij. hæc tonsoris lixivio excipit, postea fervefacit, deinde colat*, & hoc caput lavat, saponeque utitur, qui constat, *ex rosis rubris, aloës, gallarum, corticum granatorum nardi Indicæ, sarcocollæ ana unc. i. balaustiorum myrrhæ, sandarachæ Græcorum, spicæ nardi, ana drach. s. zedoariæ communis drach. ij. saponis candidi communis q. s.* octo diebus ita caput lavat, post adstringentia adhibet, inter quæ præcipuum existimat esse *ladanum oleo myrteo & rosaceo omphacino liquatum* mane & sero per caput fundere.

Interdum, si per hæc adstringentia pili non renascantur, tum *decocto raphani acris, cum aceto* caput irrigat, deinque, si nihil horum juvat, ad suffitus recurrit. Ubi vero pili penitus deciderint, primum caput lavat singulis diebus *tonsoris lixivio, in quo pulegium, calamintha, & abrotanum bullierint.* siccari enim hac lavatione locum putat, & materiam extra duci, ideoque subinde caput ipsum madefacit, primum *destillatitia ex melle*, si id non confert, *stillatitio ex urina*, sin hæc minus juvat, hac aqua, quæ habet. *Vini albi vinosi & optimi, urinæ pueri, lactis vaccini, ana lib. i. mellis communis crudi lib. s. Lambicbio excipit, deinde distillat* atque hanc præstantissimam esse ait, gignendis pilis, quæ tandem si forte non prodest, ad unctionem refugit, quam adeo extollit, ut unica die ac nocte pilos extra ducat. Hæc habet. *Euphorbii drach. ij. thapsiæ unc. s. turbith orient. drach. i. caryophyllorum drach. iii. olei amygd. dulcium lib. i. s. Tritis terendis, simul omnia vase aliquo vitreo excipit, mox in aqua ferventi, quæ vase altero ad ignem calescenti continetur, tribus diebus per intervalla coquit, hoc est singulis per horas octo*, deinde definit fæces ad imum descendere, & quarto aut quinto post die, quam omnia ut dictum est, bullierint oleum colligit, & usui servat, id valde acre esse tradit, proinde nonnisi parce & caute ungendum esse, quod si ardor forte sequatur, *oleo violaceo aut amygdalarum dulcium, aut lacte* ardorem mitigat, sed utrum id tanti fit, quanti ille facit, sola experientia probare potest.

Hæc sunt adversus pilorum defluvia, quæ luem Gallicam sequuntur comperta, tum à nobis, tum ab aliis. Qui vero ab hoc affectu pudoris causa sibi gravissime timet, celeremque curationem requirit, neque dentes infirmos habet, is *unguento ex hydrargyro, aut suffimento ex cinnabari*, aut contra sudorifico aliquo, quemadmodum ante docuimus, utens se ab eodem vindicare poterit.

Ad dentes, ungues que decidentes transeamus: ii quidem eadem causa cadunt, qua & pili ipsi, humore videlicet erodente ad illos delato, cadunt vero magis prompte, quam reliquæ corporis partes, tum quia novam habent regenerationem, ita ut quin interdum penitus expungantur, altero succedente nihil vetet. Tum etiam, quia in corpore nostro fere nunquam augeri desinunt, quemadmodum & pili: sed in his augmentum perspicitur, in illis latet, quoniam ii ubi aliis, aut sibi ipsis occurrunt, cedunt, illi resistunt, atteruntur, consumuntur: tum maxime, quia extremis partibus inhærent, ubi quotidie, sæpeque agitantur, & secum ipsis, aut cum aliis crebro colliduntur, quoniam ii augmento nunquam repugnant, & motu quasi continuo singulis diebus cientur, quicquid in corpore superfluit, ad horum loca, utpote quæ facile recipiunt, perpetuo fertur, quod ubi vitiosum, multumque est, tam dentes, & ungues, quam pilos corrumpit, dissolvit, expellit. Itaque, si una cum pilorum defluvio, dentes ungue sve decidunt, eisdem curandi rationibus, quas proxime diximus, citra tamen unguentum ex hydrargyro, & suffimentum ex cinnabari utendum. sin pilorum defluvium absit, ne cadant, prohiberi possunt communibus auxiliis omnibus, præter illa, quæ ex argento vivo, vel ex cinnabari conficiuntur, quamquam enim decocta vel Guajaci, vel sarzæ parillæ, vel radicis Chinarum susp cta sint (tanquam periculum sit, ne simul cum morbo ad has partes sponte sua prorumpente, & ipsa ad easdem per se tendentia, multo plus quam conveniat vitiatæ materiæ illuc deducant, & dentium unguiumve casum accelerent, sicut aliquando pilorum defluvium geminarunt, & quemadmodum) ut sequenti capite dicemus (in oculorum, auriumque læsione passim experimur: Multi enim aliquo ex his decoctis utentes obcæcantur, surdique fiunt) quia tamen aliqui in his malis illa mirum in modum profuisse testantur, differuntque ab oculorum, & aurium læsione, de qua mox loquemur, quod in his morbi vitium intus retinetur, in illis foras erumpit, differuntque à pilorum defluvio, quod pili facilius decidunt atque renascuntur, quam dentes, & ungues, ab re non erit per hæc quoque decocta curationem tentare, simulque interim dentes abluere. *Destillatio ex aquæ plantaginis lib. iiii. aluminis rocchæ unc. viii.*

Id vim habet tum resolvendi, tum repellendi, sed si *aceti modicum* addideris, ad penetrandum longe validius reddes. Aut sume *vini optimi albi ut dicitur lib. i. aluminis rochæ unc. i. boli armeniæ unc. s. Misce*, deinde hoc dentes lava, quod ante dicto magis resolvet. Aut *aquæ ardentis lib. i. boli armenæ drach. i. aluminis liquidi unc. s. acaciæ, thuris, mastiches ana drach. i. s. Misce & utere*, resolvit vero quam maxime. Aut *accipe aquæ ardentis lib. iij. salviæ, rorismarini, baccarum, hyssopi, ros. rub. ana man. s. aluminis liquidi unc. ii. Die simul, ac nocte vase aliquo bene tecta contineantur, postea s. a. distillentur.* Hoc distillatitio abluantur dentes, id valde potens est, magnam resolvendi vim habet, atque roborandi, confert etiam *ablutio ex myrrha, vino acetove, & oleo.* Item *ex aceto scillivo, ex oleo omphacino ex conditurum olivarum muria.*

*Unctio*

*Unctio ex ſucci mali medici acidi unc. i. cluminis rochæ uſti q. ſ. ad unguenti conſiſtentiam*, id lentiſci fruſtulo aliquantum contuſo excipitur, & dentes circum circa fricatur, firmat ſaniem, ſimul & mundat, confert præterea *decoctum pyrethri cum aceto, corticis tamaricis cum aqua ferri, rubiginis cum vino. Maſtiche ore ſæpius detenta, & verſata, corallium, cornu cervi uſtum*, & his ſimilia, quorum ſylvam in libris, quibus de firmandis dentibus caput aliquod inſcriptum eſt, paſſim invenies. Hactenus de ea, quæ dentibus cadentibus debetur, curatione.

Ungues vero quoad communia æque tractandi ſunt, atque dentes, ſpeciatim vero hoc decocto abluuntur, quod habet. *myrti fructuum, acaciæ, balauſtiorum, coralliorum alborum, maſtiches, thuris ana drach. ij. aquæ plantaginis q. ſ. Bulliant ſ. a.* poſtea digitos, ungueſque hoc decocto ſemihoræ ſpatium fove, mox linimento inunge, quod habet *olei myrtini unc. ii. pinguedinis taxi unc. ſ. picis Hiſpaniæ, gummi Arabici, maſtiches ana drach. i.*

Sin aut deciderint, aut ſcabie perfracti, ſciſſique ſi fuerint, ceratum aut locis, unde ceciderint, aut unguibus ipſis, ſi adhuc inhærent imponito ex *ceræ novæ unc. ii. reſinæ pini, olei myrtini ana q. ſ.*

Juvat etiam, ut jubent, *licium verum*, ſi haberetur. Juvat *utraque pix cum pari ceræ pondere, decoctum ſeminis cupreſſi cum aceto, cera viridis dicta, acetum præcipue calens*, quod maxime conducere unguibus leproſis, *licet de humidorum uſu*, monet Hippocrates. Item *medulla ſeminis olivaſtri cum farina & axungia. Allium cum lumbricis terreſtribus modo, lumen aqua liquatum, & calens illitum. Caprinum ſevum cum Arabum ſandaracha*, & alia pleraque. Sed hæc ab aliis petenda ſunt, qui de unguibus aſperis, corroſis, atque cadentibus copioſe ſcripſerunt.

## CAP. VIII.

### *De aurium, atque oculorum læſione.*

Sequitur aurium hebetudo, & oculorum acies obtuſa, quibus ſatis me feciſſe exiſtimaverim, ſi illud ſolum admonuerim, nempe Gallicum morbum (ut toties docuimus) ſua ſponte ad cutim deferri, deinde ubi hujus cauſa aures hebetantur, aut oculi obtunduntur, vitiatos ſuccos ad oculos, atque aures, tanquam ad particulas, & læſas, & imbecilles, magis repere. Ideoque in hoc ſtatu periculoſiſſimum eſſe illorum prælidiorum uſum, quæ materiam ad cutim pellunt utputa ligni Guajaci, ſarzæ parillæ, & radicis Chinarum: Quippe pravis ſuccis ex morbi natura ad cutim, & oculos aureſque tendentibus, mox addita dictorum remediorum vi, quæ ſimiliter illuc eoſdem mittit non modo geminari malum contingit, ſed ſæpius in his quidem extremam cæcitatem, in illis vero ſurditatem creari, ut in pleriſque hac noſtra ætate fieri cognoſcimus; vidimus enim quoſdam ante Guajaci decoctum ſurdaſtros quidem eſſe, ſed ubi illud potare cæperint, ſurdiores fieri, nolentes vero à potu deſiſtere, tandem penitus ſurdos evaſiſſe. Sic etiam quoſdam viſus obſcuritate ante Guajaci decoctum laborantes, qui poſtquam hoc uti tentarunt, licet ſe deterius videre perſpicerent, adhuc tamen, ſe liberatum iri ſperantes, ulterius progreſſi in calamitoſam cæcitatem inciderunt. Quinimo quidam nobili genere natus, quum uſu radicis Chinarum oculo dextro captus eſſet, rurſum per hæc remedia curari volens, ſiniſtro quoque ſimul orbatus eſt. Sed cum aliqui nihilo fere minus affecti, deinde ſimiliter curati, ſuæ priſtinæ ſanitati de integro reſtituti ſint, committendum non eſt, quo minus intelligamus, quando his decoctis adverſus hæc mala utendum ſit, & quando non, ſiquidem multum interſit, utrum contingat. Scire itaque licet, interdum oculos ita affici, ut lue Gallica inquinato corpore nulla tamen in eis læſio relinquatur, quam viſus obſcuritas, quæ ſolum ab ægrotante ſentitur.

Interdum citra id, rubore, tumoreque, & lippitudine corripi. Interdum ſimul cum viſus obſcuritate, lippitudine quoque laborare. Ubi ergo integer oculus cernitur, neque aliud in eo vitium apparet, quam quod æger ſe præter naturam diminutim videre refert, alioqui ſi taceret, nec idiota, nec medicus id animadverteret, tum ab his decoctis omnino abſtinendum eſt, motu enim ſuo una cum morbi impetu ad oculum plus materiæ illuc impingunt, quam diſcuti, vacuarive à decocto poſſit, ſubinde cæcitatem accelerant, ſpemque omnem amplius videndi adimunt, quippe morbus in hoc caſu, licet ad oculum repat, per eum tamen non exit foras ſicut alias ſolet, ſed intus in eo ſe coërcet. ejuſque aciem immutans obſcurat, quo autem magis propere, propter Guajaci, ſarzæ parillæ, aut Chinæ decoctum ad oculum fertur, eo magis hujus morbi vitium illic inculcatur, & quemadmodum intus in oculo ſe coërcens, & hinc minime foras prodiens, oculi aciem A obſcurare cæpit, ita impetu accelerato, priuſquam ſuas vires decoctum exerceat, illam penitus obſcurat & tollit, ſic etiam qui ſuffuſionis patiuntur, quum valde exercentur, interdum obtuſius vident, exercitatio enim rem exagitat, & illuc pellit, minime vero digerit; Atqui licet cum Guajacum potatur, gummitio ipſa in qua intus ſe continere malum & minime foras erumpere (ut in hac oculi obſcuritate) videtur, plerumque diſſolvatur, non tamen id perpetuum eſt. Quippe interdum confertim irruente illuc humore, adjuncta Guajaci propulſione, tantum abeſt, ut diſcutiatur, ut multo grandior fiat; Sæpius vero diſcutitur, quoniam fluxio illuc materiæ minor multo eſt, quam Guajaci reſolutio, ſed id huic oculi obſcuritati nequaquam par eſt, gummitio enim multo poſtquam incœpit morbus, & ſæpe jam deſinente illius ad affectam partem fluxione conſpicitur. Acies autem obſcuritas, & circa morbi principium, & fluxione adhuc perſeverante apparere ſolet, eadem ratio eſt de auditus hebetudine, aut enim auditio ſola læditur, aut hac ſalva, dolor, tumor, inflammatio, ſordities, ſanieſve autem exercet, aut hæc ſimul cum illis B affligitur. Itemque aut prius aut poſterius, quocirca propter morbum Gallicum obtuſo oculo, hebetatoque auditu, ſi nihil aliud mali in his cernatur, ſemper periculoſum erit uti Guajaci decocto, aut ſarzæ parillæ, aut radicis Chinarum, quia dum materiam ad exteriora propellunt, ejuſdemque motum accelerant, faciunt quod ſenſus confertim aboleatur, qui paulatim incipiebat aboleri. Sed ſi qua in hoc caſu ſanationis ſpes eſt, materiam alioqui extra ſponte prorumpentem, contraria via ad interiora, vel frequentibus purgationibus vel unguento ex hydrargyro, vel ſuffimento ex cinnabari, & hujuſmodi (ut ante diximus) revocare nitendum, & inde per os, aut alvum evacuandum, quia melius eſt contra materiæ impetum ire & graviorem fortaſſe, diuturnioremque reddere morbum, modo non interimere conſueverit, qualis hic eſt, quam illius naturam ſequi, celeriuſque à morbo Gallico hominem vindicare, ſed ex audiente ſurdum, aut ex vidente cæcum efficere, verum ubi acies adhuc ſana eſt, oculus autem & rubet, & tumet, lippitudineve torquetur, tum his decoctis morbum ſummovere nihil vetat, ut enim malum ſe C foras prodit, intus vero neque hæret neque ſe coërcet, ita decocti vis ſuccos à morbo vitiatos, neque in oculum intro impellet, neque in eodem coacervabit, quo minus foras extrahat, atque diſſolvat. Sed ſi tum acies, tum oculus una læduntur, oportet non ignorare uter prius, an uterque ſimul, ſi primum acies, deinde oculus, decocta ipſa propter antedictas rationes penitus fugienda ſunt, ſin oculus primum, deinde acies, quaſi hæc oculo & non hic illi conſentiat, tunc æque, ac ſi oculus ſolus læderetur, per hæc decocta curare licet, ſed ſi uterque ſimul lædatur, aut difficile ſit diſtinguere, uter prius, ſatius eſt ex his aliquid experiri, quam malum augeri ſinere, ſæpius enim eo res devenire ſolet, ut poſtquam penitus increvit, nullus alius relinquatur in melius mutandi locus. Ergo interea non parum expediet aliquid ex propoſitis decoctis præbere, hac tamen conditione, quod ſi non juvet, ſed lædat, ſtatim removeatur, ſin contra non lædat quidem, ſed paulum juvet, nequaquam prætermittatur, quia profectus tempore expletur. Si vero nec juvet, nec lædat, non ſtatim condemnetur, quia cum juvare ſoleat, ſi non lædit, ſpe- D randum eſt auxiliaturum potius eſſe quam nociturum. At ſi forte deinceps obeſſe videatur, non cunctandum quam primum id ipſum amovere, quia exiguum malum, ut remoto eo, quod effecit, facile tollitur, ita eodem adhuc efficere permiſſo inſanabile redditur, quidam oculos & venæ ſectione & purgatione & Guajaci decocto & tenui victus ratione curare contendit, atque in principio, tum ad repellendum, tum ad mitigandum dolorem, collyrium adhibet quod habet. *Aquæ roſaceæ, plantaginis ana unc. ii. tutiæ, antimonii ana drach. i. Miſce*, deinde aliud collyrium, quod partim (ut dicit) repercutit, partim reſolvit. Id conſtat. *ex aquæ roſ. lib. ſ. tutiæ drach. ii. aloës lotæ drach. i. ſ. Miſce*, mox aliud quod leniter reſolvit, *ex meliloti, fœnugræci ana unc. ſ. aquæfœniculi unc. vj. Miſce & modice ſimul bulliant.* Rurſum aliud valde reſolvens *ex aquæ fœniculi, rutæ ana unc. iij. myrrhæ, bdellii, meliloti, fœnugræci, ſarcocollæ ana drach. i. ſimiliter bulliant &c.*

Interdum ante hujus uſum ſupra oculos ex duabus ſpongiis fomentum imponit, quod habet *malvæ, violarum,* E *meliloti, fœnugræci ana man. i. aquæ communis q. ſ. una bulliant.*

Jubet quoque tum venis poſt aures, tum naribus ſanguiſugas applicari, & ſanguinis copiam educi, neque non etiam occiput ſcarificari. Sed quia hic nihil, quod ad hanc curationem peculiariter attinet, dicit, melius eſt ad authores, qui de oculorum læſione communiter ſcripſerunt, ægrum delegare, & quemadmodum de his, ita de aurium hebetudine ſentire. Hactenus de oculorum obſcuritate, & au-

aurium hebetudine, quæ morbum Gallicum aliquando comitantur, dictum sit.

## CAP. IX.

### *De pruritu, petigine, & scabie, quæ Græcis lepra dicitur.*

Tempus est ad pruritum, petiginem, lepramque accedere, quum igitur Gallica labes putredinis acris particeps sit, atque ad cutim naturaliter prorumpat, ubi huc se proruit, molestè mordicare, & maculas asperas, crustasque altas inducere solet, hinc pruritus infestus, hinc petigo, & scabies lepræ similis. Cæterum impetiginem non dixi, quoniam varie admodum à Latinis id nomen usurpari video. Petigo & latina vox est, & vulgi appellationem magis imitatur, quippe quæ cutis aspredo est gyris obliquis, & rotundis, angustis se parum supra cutim, sed inæqualiter elevantibus, sæpe rubris, nonnunquam albidis, pallidis, lividis, per corpus serpens, fitque ex his continuate exulceratio pruriens, exit ex quibusdam sanies exigua, & interposito tempore squamulæ resolvuntur, serpitque in quibusdam cito, in quibusdam tarde, atque in aliis quidem ex toto desinit. In aliis vero certo tempore anni revertitur, in aliis nunquam fere cessat, sed nunc minuitur, nunc augetur. singuli ii affectus crescere consueverunt decocto Guajaci, sarzæ parillæ, rad. chynarum (ut ex antedictis colligi potest) intempestive adhibito aut ægro vitiosis, atque acribus succis, nimium redundante, id cognoscitur, si rebus, quæ facile putrescunt, aut suapte natura acribus, aut nimium assis, salsisve immodice vescatur: Si ex Gallica labe natum est ulcus in pene, in ore, in ano, & similibus particulis, aut gonorrhœa, aut quid tale, & subinde ii affectus apparere cœperint, si denique notæ acrium succorum multæ sint. Illud vero si vel hyeme, vel constitutione valde frigida existente aliquid ex his decoctis præbeatur, & recta victus ratio non servetur, aut si servetur, æris tamen frigiditas interdum potentior fuerit ad oppugnandum, quam medicamenti facultas ad agendum. Quippe hujus ope una cum morbi impetu delati ad cutim humores ob aërem circumfusum frigidum apud eandem retinentur, & minime foras prodeunt, sed impendio magis putrescentes, insignem pruritum excitant, cutim asperant, ulcerant, crustis obducunt, & impetigo leprave nascitur. Quoad curationem, utrique convenit, nisi cutis proprium vitium in se contraxerit, causam, à qua singula fieri diximus, amovere, huic quidem purgare corpus, ut libro 3. traditum est, acria, salsaque nutrimenta prohibere, Gallicum inquinamentum generosis remediis, quæ recensuimus, tollere, illi vero decoctum, quodcunque illud fuerit, omnino subtrahere, & aërem ex frigido calidum moderatumve reddere.

Sed si cutis per se infecta est, ita ut integro adhuc reliquo corpore quicquid ad eam delegatur, etiam si optimum sit, æque ac ipsa infecta est, vitiet, cutim solam respicere oportet. Si ergo hujus inquinamentum pura intemperies esset, hac plane summota, malum omne facile tolleretur, sed quoniam à putredine primi alimenti jam pridem in secundum actum (ut & primo, & altero libro docuimus) excitata nascitur, hanc eandem ab hoc actu, quoad fieri potest, retrahere potissimum expedit, quia vero hic ita se habet, ut postquam incœpit non prius agere cesset, quam idonea illius actioni materia deficiat, hanc fere omnem, aut quamplurimam, quæ vel interim ad cutim fertur, vel in eadem residet, auferre conandum est, illam quidem alio revocando, hanc vero per ipsam eandem cutim educendo, & quia cutis ipsa longo temporis spatio materia hujusmodi privari sine gravi noxa non potest, necesse est has duas indicationes, nempe alio avocandi, & per patientem locum evacuandi non cunctanter exsequi, ut cutis citius inanita, citius corrumpere putrefaciatque desistat, quam nova materia corruptioni putrefactionique apta suppeditetur. itaque ubi ea tantum læsa pruritus insignis, aut dicta petigo, leprave hominem infestarit, festinandum est, ut alimentum, quod quotidie ad cutim ferri solet, illuc ferri prohibeatur, partim inedia, partim purgatione per alvum, aut venæ sectione, utra magis conferre videatur aut utraque simul adhibita, non quo humor malus in reliquo corpore insit, sed quo putrefaciendi occasio cutis calido præter naturam affecto demanatur, deinde non cunctandum aut vehementem sudorem citare, aut cutem omnem cucurbitulis, quas cornetulas vocant, & scarificationibus quamplurimis vacuare, aut pustulas, squamulas, bullulas, papulas, scabiesque omnes unctione, at quovis alio exteriore præsidio eximere, ut præsenti sublata putredine, & ea, quæ futura erat, non tarde prohibita, neque tempus neque spatium alterius novæ gignendæ cuti relinquatur, sed quum horum curationem in antedictis sparsim, & veluti adumbratim tradiderimus, ab re non erit hanc eandem exemplis aliquibus propositis hic perstringere, & tanquam in compendium colligere. Itaque postquam venæ sectione, purgatione, & inedia nutrimentum ab ipsa cute satis revocatum iri videbitur, pruritusque tantum adsit, æger vero facile sudet, sudore ante omnia tentandum est, vitiatum in cute succum foras expurgare. id præstabunt suffitus absque cinnabari, aut vaporationes, aut exercitationes modo, quo in sexto libro docuimus, aut etiam balneum dulcis aquæ (omitto Guajaci, sarzæ parillæ, & radicis Chinarum decocta, quoniam ab his importune adhibitis id malum procreatum esse nunc ponimus, non quo putemus non juvare, si sudorem moverent, sed quia suspecta sint cum læserint prius) neque semel ista faciendum, sed sæpius, nempe biduo, triduo, quatriduove, & mane & vesperi ante cibum quoad ferre potest æger. Verum his non conferentibus, ad cucurbitulas, atque scarificationes, sed has & frequentes, & exiguas deveniendum, aut si tolerare potest, sale acetoque affecta loca in sole, vel apud ignem ante perfricandum, mox illitu, & unctione utendum, ut puta sume *foliorum, radicumve lapathi m. v. aquæ communis q. s. coquantur s. a. postea colentur*, tunc triduo quatriduove, & mane & vesperi ante cibum foliis radicibusve sese perfricet æger, deinde colato adhuc calente lavet. Quidam summovere laudat *Unguentum ex radice recentis lapathi, folia (ut dicit) habentis rubra, & axungia colata confectum*, quippe lapathum omne rumicem Latini vocant, (ut Dioscorides tradit) prurigines sedat, ejusque radices ut in aceto coctæ, crudæque mox emplastri modo impositæ, lepras, impetigines, scabrosque ungues, eodem authore sanant ita prurigines omnes fere summovere queunt.

Simile est *salviæ sylvestris, sive in asperis locis natæ, decoctum. Unguentum etiam ex terebinthina, oleo, & melle*, de qua Dioscorides scripsit hunc in modum, contra saniem destillantes aures, & naturalium prurigines ex oleo, & melle inungitur, de illa vero, finit genitalium prurigines, foliorum ramentorumque salviæ cum vino decoctum si abluatur. *salis quoque ex oleo, & aceto* usque ad sudorem prope ignem inuncti prurigines sedant. *Sulphur* item in toto corpore pruritus *cum sale confricatum* tollit. Idem præstat *argenti scoria* per se sola, & cum aliis mista, *ervi farina, ciceris, lupinorum, fœnugræci, aqua maris, sulphurea, cortices nucum recentes, aquæ ex calce* tum per se sola, tum per panniculos lineos ea madefactos illita: *Interior peponis caro, qua semina conduntur. urina humana, calaminthæ montanæ decoctum, Ficuum cum sinapi decoctum. origani decoctum. lupinorum decoctum. cucumeris sylvestris decoctum. colocynthidos decoctum. oleandri decoctum. aluminum quorumvis ex aqua decoctum. sal ammoniacus cum aceto. furfur cum aceto. fex vini cum alumine humido. alumen rochæ cum pice liquida. alumen scissile cum melle inunctum. succus apii. ebuli. capparis. Siclæ. malvæ, acetosæ, sambuci, oleum ex costo, oleum schœnanthi, ptisana hordei cum melle, & sale tosto. Balneum, quod fit ex decocto foliorum fumi terræ, & florum chamæmeli, quantum amphoræ Italicæ quatuor capiunt, sulphuris quant. in chenices duæ, olei communis, quantum sextarii tres, semen staphysagriæ tritum cum auripigmento, & oleo mixtum*, id quod non solum prurigini, sed & pediculis, & scabiei non admodum ulceratæ mirum in modum conferre solet.

Sed pruritui, quo pueri afficiuntur, præsertim circa pedes, & à vermiculis, quos pedicillos vocant sub cute perrantibus orto, non parum prodest panniculum lineum tenuem, ante tamen cultello ultro, citroque corrasum, quo mollior fiat, & magis adhærescat, affectæ parti alligare, mox ovi tosti albumen adhuc calidum in frustula quam minima divisum imponere, & panniculo altero super adstringere, deinde per horas aliquot sinere, post enim amotis omnibus interior panniculus pedicillis plenus inveniri consuevit, quod patere quidam affirmant, quia si super ignem excutiatur, pedicillorum, qui uruntur crepitus sentiri solet. Generatim vero sume *rosarum alb. unc. ii. aceti acuti modicum pinse simul diligenter, & adde sulphuris albi unc. i. Misce*, deinde hac mistura corpus fricа, postero autem die balneo lava. *Apium item tritum*, & in balneo super corpus fricatum, & citra balneum non parum prodest, sic etiam *apii decoctum cum aceto, oleo ros. & sale*. Lavatio præterea calens, quæ habet *ros. rub. sic., hordei ana man. iii. aluminis rochæ unc. i. s. aquæ quantum satis sit. Oleum item rosac. cum picis liquidæ modico. Semen staphysagriæ tritum cum auripigmento, & oleo mixtum*, id quod non solum pruritui, sed etiam pediculis, & scabiei non admodum ulceratæ prodest. Item *accipe sacci, solani, lithargyrii, olei rosati ana q. s. Fiat unguentum*, id & pruritivi, & scabiei simul confert. Æque valet, *unguentum ex diachylon parvo cum oleo ros. & sale confectum*. Aut *cape terebinthinæ claræ lib. s. vitellos ovorum iiii. olei sesamini unc. iii. salis Indi drach. iij. pulveris rad. inu-*

*inulæ, myrrhæ, ligni aloës, ſarcocollæ, ſandarachæ arabum, A una drach. i. Fiat linimentum in mortario citra ignem mox bulliat lento igne, cum ſucci inulæ lib. i. donec ille penitus abſumatur.* Aut *cape ſucci inulæ ſucci lapathi, ſucci ari, conſolidæ majoris, ana lib. s. diſtillatitii ex ficubus ſiccis unc. iiij. vitellos ovorum viii. farinæ fabarum unc. iiii. Miſce fiat linimentum.* Quidam & hoc & proxime dictum cæteris omnibus anteponit, ſeque ſæpius felici cum ſucceſſu expertum fuiſſe tradit. Aut *cape lithargyrii, myrrhæ, aloës, ana unc. s. ceræ, drach. ii. olei chamæmelini, unc. iiij. aceti parum, miſce s. a. fiat unguentum*, ſed multo efficacius erit, ſi *dempta cera, & oleo chamæmeli addas olei laurini unc. iiii. argenti vivi extincti unc. s.* Aut *ſume foliorum ſumi terræ viridis, radicum inulæ, ana man. i. olei communis, lib. ſ. farinæ fœnu græci unc. ii. ſulphuris bene triti, unc. s. lithargyrii, myrrhæ, aloës, ana drach. iij. aceti parum. Miſce fiat unguentum.* Aut *accipe olei maſtichini unc. ij. terebinthinæ unc. j. Miſce*, id unguentum mirabile quidam appellat. Aut *ſume calcis novies lotæ unc. ii. lithargyrii auri & argenti ana unc. iij. ceruſſæ unc. ii. s. tutiæ drach. ii. olei roſ. omphacini unc. vi. olei roſ. completi lib. j. s. ſevi vituli liquati unc. viij. ſucci plantaginis, ſucci ſolani, ſucci lactucæ, ana unc. iiij. Miſce fiat unguentum s. a.*

Valet id non modo ad pruritum, ſed ad ignis uſtionem, ad eryſipelas exulceratum, ad vocatam volaticam, & ad excoriationes à calido natas. Aut *Accipe olei roſ. lib. iii. unguenti populei, unguenti roſacei, pinguedinis gallinæ, ana unc. ii. ſucci plantaginis, ſucci ſemper vivi, ana unc. i. vini granatorum unc. s. aceti roſ. drach. ii. lithargyrii auri & argenti ana unc. iij. tutiæ drach. ii. s. ceruſſæ, drach. x. fiat linimentum s. a.* Citra pruritus juvamentum prodeſt etiam tibiarum inflammationibus & ulceribus. Item *accipe lithargyrii ceruſſæ lotæ, ana unc. ii. aceti parum. olei roſ. q. s. fiat unguentum adacto piſtillo plumbeo, in mortario quoque plumbeo.* Aut ſume, *unguentum album, cum acri aceto*, & ſimiliter utere. Aut *cape radicum lapathi recentis, chelidoniæ recentis, ana unc. i. aluminis uſti, ſalis communis, ana drach. ii. s. axungiæ porcinæ ſalitæ, & rancidæ, unc. iii. ſucci plantaginis unc. s. fiat unguentum. s. a.*

Sed ubi eo deventum eſt ut homo neque dormire nec ullo modo quieſcere poſſit, ab re non erit ſenſus perſpicaciam aliquantum obtunderem, ut inducto torpore tantiſper quieſcat, dum ſucci acrimoniam minus ſentiat, tunc igitur expediet *ſativi erraticive papaveris folia, vaſculaque, ſi recentia fuerint, cum aceto terere*, deinde prurientes partes illinere, aut *ceratum aliquod cum opio* ſimiliter adhibere, utputa ſume *diachylon parvi Meſuæ unc. iii. opii drach. iii. ſtyracis liquidi parum olei roſacei, ceræ, ana q. s. fiat ceratum*, quod ſuper panniculo extenſum apponatur loco prurienti.

Cæterum ſi pruritus pudenda vexat *ſume ceruſſæ drach. vi. ſulphuris albi drach. i. opii drach. s. aceti parum.* Aut *ceruſſæ unc.* i. *ſulphuris vivi unc. ii. ſtaphysagriæ drach. i. aceti parum, fiat unguentum*, id vero teſticulis præcipue dicatur, ut etiam illud quod habet *acaciæ arabum, memithæ, ana unc. s. aloës ſuccotrinæ, ſumach, ſalis ammoniaci, ana ſcrup. iii. croci parum. uſneæ (muſcum arborum vocant) ad pondus omnium, olei ſambucini quantum ſatis eſt. Miſce fiat unguentum. s. a.*

Ano autem & vulvæ prurienti peculiariter prodeſt id, quod conſtat *ex aluminis rotundi aſſi unc. ii. picis unc. i. aceti parum.*

Panno lineo excipitur, & intus & foris utiliter imponitur. Item *aliud ex olei ſeminis lini unc. i. roſacei unc. s. ſevi vituli drach. iii. aluminis rochæ drach. ii. vini albi unc. iii. Bulliant ad vini uſque conſumptionem, deinde colentur, colato adde ceræ albæ drach. iii. s. lithargyrii aurei, argentei, ana drach. v. plumbi uſti, tutiæ, ana drach. i. s. In mortario plumbi fiat unguentum.* ſed ſi oculi pruriant. Sume *aquæ roſ. aquæ plantag. ana unc. ii. ſucci ſempervivi drach. iii. albumen ovi recentis, tutiæ, drach. i. Miſce ſimul die una ac nocte, ſubinde cola*, & oculum, parte qua prurit, illine. Aut *cape aquæ roſ. unc. ii. vini albi unc. i. myrobolanorum citrinorum drach. s. ſimul bulliant, ſubinde adde floris æris drach. i. Dum ab igne removentur bene tecta biduum ſimul ſerva, deinde cola*, & *utere.* id ſane valde utile eſſe conſuevit. Aut *accipe butyri recentis drach. ii. lardi porcini, tutiæ præparatæ, ana drach. i. in mortario plumbi fiat unguentum.*

Atque hæc de pruritu tum univerſi corporis, tum quarundam partium, ad quem etiam faciunt, quæcunque ſupra de his, quæ dolorem ſedant, narravimus.

Petiginem, quæ tamquam cute tantum viciata gignitur, ſummoveret, & hæc, quæ pruritum, & alia quædam, utputa *lapathi hortenſis ſuccus, betæ ſuccus, ſuccus ex ligno agreſtis oleæ, dum uritur. ſaliva jejuni hominis, per ſe, & cum camphora. urina ejuſdem. peponum carnes. quibus eorum ſemina conduntur. lichen cum aceto. galla cum aceto. cicer cum hordei farina, & melle. propolis & per ſe, & cum aceto. panis triticeus cum aqua & ſale coctus. idem aqua ſalſa infuſus. item aqua ſalſa ſola. aqua ſulphurea. lixivium ex ſuci arboris cinere. glutinum cum aceto. halcyonium, id eſt, maris ſpuma. pix humida cum pari myrrhæ portione. thus cum oleo roſ. & aceto. item cum pice, lacte, & aceto. Mel coctum addito aceto, aut farina fabarum aut pulvere coſti, aut radicum iridis, aut alumine liquido, aut alumine ſciſſili, & ruta. Belzuinum*, quod aliqui laſerpitium eſſe putant, *cum aceto, aut pipere, & ruta, rubia cum aceto. raphanus cum melle. rhabarb. cum aceto illitum. capparis folia cum aceto. fici lac una cum polenta, vel hordei farina. naſturtii ſemen cum melle ſinapi cum aceto. allium cum melle. ſcylla cum melle. cyclaminis ſuccus. ſemen ejuſdem & recens, & ficuum cum ſaba, & melle mixtum. ſulphur cum aceto. lolium cum raphano, & ſale. lolium cum ſulphure vivo, & aceto. tithymali, qui characias dicitur, lac. helleborum nigrum cum aceto. gummi prunorum cum aceto*, præſertim in pueris. *gummi Arabicum cum aceto. gummi amygB dalæ amaræ cum aceto. gummi Perſici cum aceto. gummi pini. Styrax liquidus cum aceto. oleum ciceris, orizæ. tritici. lupinorum. juniperi, de ovis, de tartaro, de ſerpentibus, mali medici acor, vocati limonis acor, citri acor. mel anacardi*, interdum ubi calor urget *mucilago pſyllii, mucilago ſeminum cydoniorum, ſuccus portulacæ, ſuccus lactucæ, papaver rubrum cum herbaceo nucis cortice.*

Ubi vero aſperitas infeſtat, non ineptum eſt *butyro loto aut ſevo hœdino, aut pinguedine gallinæ, aut medulla vituli*, & ſimilibus exaſperatum locum illinere, de quorum uſu cum lepræ curationem docebimus, diligentius loquemur.

Petigini vero, præcipue puerorum, magno auxilio eſſe ſolet quod conſtat *ex gummi prunorum aut Arabici, glutini, id eſt, taurocollæ ana unc. i. ſtyracis liquidi, aceti ana parum.* Si cum excoriatione ſit *accipe thuris, aloës, gummi tragacanthi, ſulphuris ana drach. i. gummi Arabici drach. ii. aceti parum.* Aut *ſume ſucci oxylapathi, ſucci plantaginis, ſucci ſolani ana unc. s. pinguedinis porcinæ colatæ, unC guenti populei, ana unc. ii. olei roſ. omphacini, olei myrtini ana unc. i. olei de ovis drach. x. lithargyrii aurei, argentei, ana unc. s. tutiæ unc. s. plumbi uſti drach. vi. ceruſſæ drach. x. Argenti vivi extincti drach. viii. Fiat linimentum in mortario marmoreo*, dolorem tollit, & ad cicatricem perducit.

Sed antiquæ petigini non parum confert quod habet. *ſeminis juniperi contriti unc. i. aquæ communis q. s. Coque ſimul, deinde cola*, colato adde, *axungiæ porcinæ expurgatæ unc. vi. terebinthinæ unc. i. ſulphuris vivi unc. ii. fiat unguentum s. a.* Aut *farinæ fabarum, lupinorum, ciceris, oryzæ. ana drach. iii. gallarum, oſſium myrobalanorum torrefactorum ana unc. s. ſucci ari, mellis, ana q. s. Miſce fiat unguentum s. a.* Aut *cape lithargyrii utriuſque ſtercoris caprarum, æris uſti, foliorum rutæ, agni caſti ana unc. i. vitrioli, ſulphuris vivi, viridis æris ana drach. iii. aceti q. s. Bulliant ſimul ad unguenti conſiſtentiam.* Aut *ſulphuris vivi, auripigmenti rubri ana unc. ii. ſucci fumi terræ q. s. Fiant* D *trochiſci, qui poſtea liquati cum unguento citrino illinantur.* Aut affectis locis panno aſpero, aut *ſalviæ foliis*, ante diligenter fricatis, epithema hoc adhibeto, quod habet. *ſucci oxylapathi unc. i. furfuris unc. s. aceti ſcillini unc. x. aluminis rochæ, floris æris ana drach. i. s. ſublimati drach. s. ſalis gemmæ ſcrup. i.* Huic nulla impetigo fere non cedit. Aut *ſaponis gallici unc. i. s. vitri optime triti drach. vi. furfuris drach. iii. ſtyracis liquidi, ladani ana drach. ii. lithargyrii aurei, argentei ana drach. v. argenti vivi extincti unc. s. terebinthinæ, olei laurini, ana drach. iii. s. Fiat linimentum*, id quod brevi juvare ſolet. Aut *pinguedinis porcinæ, olei laurini, ana unc. s. unguenti roſ. drach. iii. auripigmenti drach. ii. ſublimati, lithargyrii utriuſque ceruſſæ, argenti vivi extincti ana drach. v. floris æris drach. i. s.* Id efficaciſſimum omnium, quæ nunc retulimus, eſt, ſed huic non eſt impar viribus, licet ex paucioribus conſtet id quod ex *cera, cinnabari, & oleo roſ. paratur.*

Satis de petigine: lepra ſequitur. Quoniam hanc non aliunde oriri poſuimus, quam à cute, quæ proprium viE tium in ſe ipſam contraxit, topica remedia quæcunque ab aliis ad illam arcendam traduntur, ut eidem idonea ſunt, ita nimirum approbare debemus, & minime multis lectorem morari, ſed illuc delegare, modo eundem admonuerimus, interdum lepra affectas partes adeo aſperas, duras, ſiccaſque eſſe, ut ſine ullo humore, omnino cernantur, ut etiam neque nova cute, neque cicatrice propter extremam ſiccitatem obduci poſſint, quæ alioqui, ſi nihil intrinſecus impediret, ſanitatem, quod ad eas attinet, facile adipiſcerentur: ſiccum enim, ut de ulceribus inquit Hippocrates, ſano quidem proximius eſt, & lepra quin etiam ulcus eſt, ſed extreme ſiccum, quia nimis à mediocritate recedit, non ad ſanitatem tendit, verum illius metas ultra progreditur, & à ſano multo longius diſtat.

Ita-

Itaque quum hæ partes valde aſperæ, duræ, ſiccæque fuerint, tunc eas non amplius ſiccare, ſed contra earundem ſiccitatem modice humectare, duritiem mollire, aſperitatem lenire, & ad temperiei mediocritatem, ut ſanentur, perducere expedit, ſic enim propinquæ ſanis fiunt. Nam licet ulcera omnia ſicca eſſe oporteat, non tamen extreme ſed moderate, atque hoc pacto adipes, pinguedines, medullæ, olea, tum lepræ, tum ulceribus competunt, id quod plerique medici negligentes, neque hæc experiuntur, nequeſi quandoque experiantur, eiſdem uti norunt, Utpote qui cauſa quamobrem juvent ignorata, neque rectum, neque non rectum, in eorum uſu diſcernunt, ita ut mirum non ſit, ſi nunquam utantur, aut quum utuntur, ſi ſæpius officiant quam proſint: ergo ubi talis fuerit lepra, quia partes in extrema duritie, aſperitate, ſiccitateque manent, non parum proderit, *oleo aliquo loto vel butyro, aut adipe, aut pinguedine, aut medulla* crebro tenuiterque illinere, ſolo namque hoc præſidio plerumque ſanantur. Quippe quod ſiccitatem, ſine qua ulcera curari non poſſunt, nimis ultra progreſſam retrotrahit, & ad mediocritatem, quæ ſanitas eſt, tuto deducit. Cæterum committendum non B eſt, quo minus dicamus inter præcipua lepræ remedia calcis quoque unguentum eſſe, id quod & nos plerumque experti ſumus, & Hippocrates *Epid. 2. ſect. 5.* innuit, inquiens ad vitiliginem & lepram, calcem in aqua adhibeto, ut ne exulceres, ſcireque licet ex ejuſdem ſententia *libro de humidorum uſu*. Acetum lepra affuſum ad calidum ſolem non leviter auxiliari. Denique ſi pruritui, petigini, lepræ, nihil horum, quæ tum à nobis, tum ab aliis tradita ſunt, opituletur, ad unguentum ex argento vivo aut ſuffimentum ex cinnabari recurrendum, licet enim contraria ratione his, quæ præcepimus, agant, periculoſaque ſint, ubi tamen hi affectus valde moleſti ſunt, ſatius eſt periculoſis remediis pugnare, quam ſpe adempta perpetuo affligi aut forte perire. De lepra igitur iſta ſufficiunt.

## CAP. X.

### *De doloribus qui tum articulos, tum carnem exercent.*

Jam ad dolores, qui tum in articulis, tum in carne ſubſunt, tranſeamus, & ſi enim hi, cauſæ oblatione curantur, id quod & purgationes antedictæ & decocta Guajaci, ſarzæ parillæ, radicis Chynarum, & unguenta ex hydrargyro, & ſuffimenta ex cinnabari, & alia, quæ ſupra recenſuimus, præſtare queunt, quia tamen his interdum aut nihil aut ægre obediunt, topicis vero remediis leniri ſolent, non alienum videtur ea proponere, quæ vel à nobis, vel ab aliis expertum eſt affectis locis impoſita, ſive illita profuiſſe. Sed ante fieri volo ſingula potiſſimum prodeſſe, ubi ſine ulcere fuerit dolor, deinde ex his quædam juvare, quia torporem inducunt, proinde narcotica quoque dici. Quædam vero, quia materiam, quæ dolorem movet, aut leniter reſolvunt, aut retrocedere faciunt, nunc partem affectam conſtringendo, ne recipiat, nunc materiam ipſam repellendo, idque bifariam, videlicet aut modice refrigerando, aut contrarietate naturæ in fugam vertendo, quemadmodum aliqua tum amara tum fœtida ſolent, & hæc anodyna communiter appellari, alioqui ea proprie dici, quæ tenui ſubſtantia conſtant &, primi ordinis D calefacientium ſunt, vel ita temperata, ut familiaritate elementorum naturæ partium conſentiant, præterea illa ubi ſenſum valde ſtupidum reddunt, narcotica inquam, periculoſa eſſe, neque unquam applicari debere, niſi cum gravis neceſſitas urget, hæc ſecura eſſe, & ubicunque, & quandocunque adhiberi poſſe. Ante vero de anodynis, tum de narcoticis dicam, & quum quædam id genus ſimplicia ſint, quædam vero mixta, primum de ſimplicibus, deinde de mixtis.

Itaque ex anodynis ſimplicibus, quæ leniter reſolvunt, aut dicas digerunt, diſcutiuntve ſive disjiciunt, talia ſunt utputa *flores chamæmeli, meliloti, ſemen lini, fœnugræci, anethi, malvæ folia radixque, althææ radix, axungia porcina, pinguedo gallinæ, anatis, anſeris, butyrum, omnis medulla, omnes reſinæ, & ex his olea, oleum dulce & fex ejus, oleum amygd. dulc. & amararum, oleum ſeſaminum, è ſemine lini, è juglandibus, è fœnugræci, ex avellanis, ex nuce Indica, balaninum, ex ligno Guajaco*, quod non modo pellere dolores, ſed puſtulas amovere, & alia ulcera ſanare, & gummitiones mollire, diſſolvereque con- E ſuevit.

*Oleum Juniperi*, id quod etiam ore detentum, dentium dolorem lenit, & reliquos dolores tum articulorum, tum muſculorum convulſorios frigiditatem amovendo tollit, paralyſique auxiliatur. *Lana succida, œſypus, ladanum, farina fabarum, ciceris, amygdal. dulc., phaſeolorum, ſeſami, furfur, medulla panis calidi, albumen ovi aſſi adhuc tamen calidum emplaſtri modo.* item *vitellus igne duratus, paſſarum uvarum pulpa, aqua calens, acetum calens. Aqua* A *marina* parte qua extenuat & repurgat. *Vinum auſterum ſi caleſcat.*

Quemadmodum & *aqua ferri, aluminoſa, ſulphurea, bituminoſa*. Hæc & talia ſunt, quæ quum reſolvunt, dolorem levant, quæ vero cum adſtringunt hujusmodi ſunt.

*Vitellus ovi crudus illitus*, qui licet calore ſuo amicus naturæ eſſe videatur, proinde hac ratione prodeſſe, prodeſt tamen, q[illegible] illitus paulo poſt ſiccatur, & affectum locum leniter amplectendo conſtringendoque roborat.

Sic etiam *ſanguis humanus, aut brutus*. Sic *aloë* facit.

*Albumen ovi*, quod etſi quia frigidum eſt repellere materiam poteſt, magis tamen poteſt, quia familiariter conſtringit partem, ubi ſiccatur. Ita quoque *cochlearum carnes crudæ, terreſtres lumbrici, omnes mucilagines, althææ radix*, quæ alio modo reſolvit, *terræ omnes lenes, ut armenia, lemnia, & aqua marina*, vi ſua adſtringenti *aluminoſa, vinum auſterum, acetum, aqua roſacea, helxine* (parietarium vocant) *ſedum majus & minus*, prout adſtringunt, *coriandrum recens, vitis folia, rubi, oleæ, myrti & folia & fructus, plantago, polygonum*, (ſanguinalem dicunt) *& mas & fœmina, roſæ, ſymphyti radix, rhuſbofoniorum, vocata berberis, acacia, licium, crocus*, leniter enim adſtringit, *nucis muſchatæ ſimplex oleum.*

Quæ partem affectam conſtringendo dolorem, ſummovent nunc diximus.

Sequuntur, quæ materiam doloris cauſam repellunt, & primo, quæ refrigerando id agunt, deinde quæ contrarietate naturæ in fugam vertunt, illa ſunt ut puta *violæ umfolia, & flores, nymphææ flores tum albi tum citrini, cucurbitæ & pulpa & cortex, arundinis folia*, quæ etiam aliquantulum ſiccando mulcent, *lactuca, ſolanum*, modo non nimis actu frigida imponantur, *acetabulum ſive umbilicus veneris appellatus, hepatica nuncupata, oxalis, lens paluſtris, portulaca, cucumeris pulpa, citrulli, peponis, cydonii, myrtillorum, ranæ*, quæ edendo ſunt, *farina milii, hordei, lac aut humanum, aut brutum illitum, aut balnei modo, liquidum item aut concretum. Aqua* molice *frigida*, quippe quæ ſi vehementer frigida eſt, torporem inducit. C *Aqua marina* parte qua frigida adhibetur, ſic etiam *vinum cujuſque generis, & acetum non acerrimum. Aqua roſacea, ſuccus citrulli, cucumeris, peponis, cydonii, myrtillorum*, & ante dictorum, quæ ſuccum ſortiuntur. Nam & ſi horum quædam juvant adſtringendo, juvant tamen omnia refrigerando.

Hæc & hujuſmodi vi ſua modice frigida, dolorem mulcent, aut ſummovent.

Quæ vero naturæ contrarietate reprimunt, talia ſunt. *aloë, fel omne, aqua putris fœtidaque in foveis terrarum reperta. Aqua in veſicis ulmi aut alterius arboris inventa, quæ peſſime omnium olet. Abſinthium quoque ipſum*, quippe quod & ſi quoniam conſtringendo roborat & retropellit humorem noxium, atque calefaciendo diſſolvit, juvare ſolet, magis tamen juvat quoniam amarum eſt, tanquam id à quo natura noſtra paſſim abhorret: alioqui non niſi frigido affectui opitularetur. Quum tamen emplaſtrum ex eo & vino vinoſo (ut vulgo receptum eſt) particulis nuper percuſſis calentibus & fluxionem adhuc patientibus, non parum prodeſſe ſoleat.

Sic *aloë* quoque juvat, nam etſi dolorem ſedat, quoniam diſcutiendi & adſtringendi vi pollet, ſiquidem ubi cum liquore aliquo miſcetur, tum leniter ſiccatur, & partem, cui illinitur, leniter amplectitur, atque conſtringit, magis tamen ſedat, quoniam amaritudine ſua naturæ noſtræ adverſatur, ita ut ſanguis quoque illam refugiat, tanquam qui propter dolorem ad affectam partem movetur eadem parte amaro quodam illita, ſe ſtatim retro una cum aliis ſuccis reflectat, dicet aliquis id maxime mirum eſſe, ſiquidem ex eo ſequatur, quod ſanguis & reliqui humores ſenſu præditi ſint, quodque guſtus non ſolum in lingua, ſed in aliis quoque locis ſit, & olfactus non modo in naribus ſed alibi. Huic reſpondetur, quod ſenſus ipſe brutus maxime eſt, hic in omni corporis parte (pro ut dicitur) exiſtens, ubi quid moleſtum alicubi ſentit, tum illuc ſe totum proruit, & ſuccum omnem, quoad poteſt, illuc dirigit non ut obſit, ſed ut rem moleſtam propulſet, hinc tumores atque inflammationes gignuntur. Quum igitur in hoc tumultu aliquid illi extrinſecus offertur, quod cum ſua moleſtia multo interius penetret, tum ſe ipſum, & quos ultra foraſque movebat humores, citra introque quoad licet ſtatim revocat, ut enim id, quod moleſtum eſt, expellere nititur, illuc ubi læſio eſt impetu fertur, ita contra, ubi ab altero forte magis moleſto abhorret, ſe retro trahit ac fugit, quo fit, ut locus dolens humorum copia extenſus atque tumefactus tunc detumeſcat, relaxetur, dolere deſinat, ſed alter impendio magis inſtabit, ſi quis læſum locum ſcalpello graviter incidat, repellet ne ſenſum aut naturam alio, an humores illuc magis compin-

pinget. Huic dicendum omnia, quæ naturæ molesta sunt, cum statim alio repellere. Ut enim quæ jucundissima sunt naturam ad explicandam se atque ad dulcedinem, quam præstant, quoquo versus extendendam provocant, ita contraria ratione ab his, quæ sunt injucunda, recedit fugitque ad profundum, quo minus mirum est ex offendentium contactu stipari, constringi, ac durari corpora, tenuesque eorum meatus cogi ac densari, sed ex his quædam esse, quæ ubi corporis locum aliquem attigerint, ibidem ut plurimum hærent, neque ulterius nisi ex accidenti progrediuntur, quædam vero per suos halitus, sive spiritus, longe magis penetrant, & non in summis hærent, sed ad ima repunt, illa esse vulnera percussus, ligamenta stricta, statim enim ab initio succos repellunt, sed paulo post ad se revocant, hæc vero quæcunque penetrabili substantia constant, utputa quæ vel vapore, vel odore, vel aliquo alio affectu ingrata sunt ut amara, fœtida, ignea, nos itaque non de illis sed de his loqui, quippe quæ sensui atque naturæ maxime molesta sunt, nam ut dulci & odorato fere omnes delectamur, ita amarum & fœtidum omnino renuimus, ubi ergo hac illi exempli gratia sensui se una cum sanguine aut aliis humoribus in partem dolentem conferenti extrinsecus occurrunt, tunc naturæ contrarietate, & illum & humores, quos invehit, intro repellunt, non quia gustui aut olfactui ingrata sint, sed quatenus per se infesta, & molesta sensui sunt, sicut etiam ignis ustio, quæ maxime inimica sensui est, licubi contingat, raro illuc humores sanguinemve natura mittit, sed contra retro trahit, licet enim quidam magni nominis vir humores ustione, utputa cauterio (quod alioqui foramine facto illis exitum parat) non retroverti, sed foras semper attrahi existimet, quia tamen ustæ partes fere perpetuo siccæ reduntur, quod ad ustionem attinet, non humores foras attrahi, sed aut alio pelli revocarive, aut absumi fateatur oportet. Ideoque perraræ vel exiguæ inflammationes ustionem sequuntur, hinc aliqui, quibus crus aut brachium penitus abscinditur, ubi candenti ferro sanguis nimis curiose supprimitur, ut plurimum in alvi fluorem incidunt, sæpeque moriuntur, nimirum humoribus fere omnibus, propter summæ molestiæ sensum à loco, qui inuritur, alio revocatis, sane refugiunt humores non quia sentiant, sed quia ut à sensu doloris participe promoventur aliquo, ita illinc, ubi idem retrocedere cogitur, una retrovertuntur, non enim impedire aliqua amara aut fœtida imposita: humorum retractio fit, quia ibidem gustus aut olfactus sit, sed quia res tum amara tum fœtida non modo speciatim gustui, & olfactui, sed etiam naturæ humanæ generatim inimica est, quippe quæ sicuti planta ab alimento, quod ei alienum est, ac injucundum abhorret atque retrahitur, ita fœtidum & amarum fugit, sic humanum stercus podagricis illitum dolorem lenit, sic gallinaceum, sic aqua illa, quæ in ulmi veticis invenitur. Patet igitur amara fœtidave dolorem summovere, quia materiam retroverti cogunt, sed ob id neque humores sentire, neque gustum neque olfactum alibi quam in suis propriis locis esse, sed illud interea expedit admonuisse, quod & si hæc in numerum eorum, quæ anodyna vocantur & secura sunt, ante adscripsimus, talia tamen esse, si modice adhibeantur, sin immodice sine gravi periculo non adhiberi, sed jam ad Narcotica id est stupefacientia recensemus; hujusmodi sunt. *Aqua insigniter frigida*, sic enim podagricis confert, quia (ut inquit Hippocrates) modicus torpor dolorem solvit. *Lactuca*, *sedum majus*, & *minus*, *solanum*, si videlicet hæc quatuor eximie frigida quoque sint (ut dicitur) actu. *papaver*, *cicuta*, *hyosciamus*, *mandragora*, *opium*.

Expositis simplicibus, quæ dolorem mitigant, dicendum est, quemadmodum misceantur, quæ partim ex his, partim ex aliis fiunt. Præcipua sunt cerata quædam ex argento vivo, quæ proximo libro recensuimus, verum hæc ubi decoctum Guajaci, aut sarzæ parillæ, aut radicis Chinarum sumitur, maxime periculosa sunt, ut enim illa vitiatum humorem foras ad cutim propellunt, ita hæc contra de cute intro movent. Tuta sunt hæc videlicet. *Oleum chamæmelinum*, *meliloti*, *anethinum*, *sambucinum id est ex vulgari gelsimino*, *lininum*, *leucoinum*, *id est cheyrinum*, *sampsichinum*, *althææ*, *è lumbricis terrestribus*, *è croco*, *ex hyperico*, *id est perforata*, *vulpinum*, *irinum Joannis Damasceni*, *moschatum id est muscelinum*, *mastichinum*, *vernix factitia*, *quæ liquida dicitur*, hæc sicut ignis ustionibus, tumoribus, doloribusque hæmorrhoidum privatim confert, ita dolores Gallicos, qui cum magno calore non sint, leniter adstringendo, molliendo, resolvendoque sedat.

Hæc quidem potissimum resolvunt, licet eorum aliqua simul adstringant.

At vero refrigerant, & quædam adstringunt. *Oleum rosaceum*, *myrteum*, *cydonii*, *violaceum*, *nymphæatum*, *populinum*. Si hæc non prosint, *vitellum ovi cum oleo rosaceo misce*, & *illine*, quippe id actu calidum dolorem à re frigida, actu vero frigidum à re calida natum lenire consuevit, utilis est & *spongiæ mollis magnæque*, *atque ex aqua calida expressæ applicatio*, præterea si & *hordeum* & *ervum in aceto ita diluto*, *ut paulo acidius sit*, *quam ut quis bibere possit*, *madefacta persufaque*, & *fervefacta atque in sacculos conjecta particulæ affectæ apponantur*. Si ad hunc modum *furfur*, si etiam sicci fomenti quæ *ex sale milioque fricatis torre factisque*, *atque in sacculos conclusis*, parantur. Non parum confert *absinthium*, *asperso vino super lapidem ignitum emplastri modo*, nam etsi calefacit, ita ut dolori propter frigidum orto tantum conferre deberet, quia tamen adstringit, & contrarierate naturæ, quoniam amarum est (ut proxime diximus) fluentem humorem repellit, dolorem qui cum calore quoque vexat summovere consuevit. Aut *cape medullæ panis albi infusæ aquæ ferventi mox expressæ lib. i. vitellos ovorum trium*, *olei ros. q. s. misce*, utile magis est, si calor aut inflammatio subest. Aut *foliorum malvæ man. iij. Bulliant in aqua*, *deinde cribro secernantur*, *adde furfuris in hoc decocto bulliti*, & *similiter cribro secreti man. i. Misce fiat emplastrum*, dolorem mitigat, modice refrigerat, & humentem partem leviter exsiccat. Compertum est etiam prodesse, si quis *foliorum pulegii*, *calaminthæ*, *salviæ*, *rorismarini ana man. i. Coquat in aceto acerrimo aut in lixivio*, *acri*, *aut in vino potenti*, *deinde colet*, *colato dum valde fervet*, *infundat sacculum furfure dudum calefacto*, *plenum*, atque ita humectatum atque calentem, parti dolenti apponat, id enim modice resolvit, particulam roborat, & dolorem lenit, verum si calor inflammativve urgeat. Sume *succi plantaginis unc. ii. olei rosacei unc. i. albumina trium ovorum. Misce*, & *locum illine*, aut *ovorum recentium vitellos duos*, *sacchari optimi drach. iii. olei ros. parum. Fiat unguentum*, quod etiam dolentibus hæmorrhoidibus subvenire solet. Aut *accipe foliorum malvæ*, *violarum*, *umbilici veneris ana man. i. mucilaginis seminum psyllii*, *seminum cydoniorum ana unc. s. farinæ hordei unc. iij. olei rosa. & violacei ana q. s. Misce fiat emplastrum s. a.* Ad eadem valet atque prædictum. Sic & *unguentum de Lithargyrio*, *de cerussa alba cum camphora*, *de minio*, *de tutia*, *de plumbo*, *rubeum camphoratum*. Aut *accipe lithargyrii unc. i. albumina duum ovorum olei ros. q. s. Agita simul*, *quoad linimenti consistentiam veniat*, *mox pistillo plumbeo diu ducito in mortario plumbeo*, *subinde infunde succi semper vivi lib. i. ac rursum lento igne bulliant ad succi consumptionem*: leniter mollit, ac adstringit, valde refrigerat, dolores, qui cum calore inflammationeve sunt, lædat. Aut *cape foliorum malvæ*, *plantaginis ana man. iii. Bulliant in aqua*, *per incerniculum cribrentur*, *cribrato adde furfuris triti infusi hoc eodem decocto unc. iiij. olei ros. q. s. Coquantur ad emplastri consistentiam*; modice refrigerat, adstringit, partem roborat, non leviter siccat, ubi calor adest, & vacuato corpore fluxio adhuc perseverat, totum est. Item *accipe terræ armeniæ*, *vel sigillatæ drach. ii. olei rosacei*, & *aceti parum. Misce fiat linimentum*, futuram inflammationem prohibet, præsentem lenit. Aut *accipe succi solani*, *aut semper vivi lib. i. aceti parum.*

Ad eadem valet, ad quæ id, quod proxime dictum est, sed efficacius est. Aut *accipe farinæ semu græci lib. s. mellis optimi q. s. aceti* & *olei rosac. ana patum. Misce fiat emplastrum s. a.* partim retropellit, partim in summa trahit, simulque mollit, & disjicit. Aut *sume mucilaginis fœnæ Græci*, *seminum lini ana unc. i. olei sesamini q. s. Misce ad mellis consistentiam*, deinde illine, mollit, disjicit, & quæ in nervis crassiora concreverunt, discutit. Aut *accipe farinæ seminum lini*, *hordei*, *florum chamæmeli*, *meliloti ana unc. i. salviæ*, *absinthii*, *stœchadis ana unc. s. Vini albi vinosi q. s. tritis terendi s. a. fiat emplastrum*, resolvit, doloremque mitigat, præsertim si materia subest crassa. Aut *florum chamæmeli*, *stœchados ana unc. s. hermodactylorum unc. i. olei chamæmelini*, *vini vinosi*, *mellis optimi ana unc. ii. mucilaginis seminum lini*, *fœnugræci*, *radicum althææ ana unc. i. Misce fiat emplastrum s. a.* doloribus juncturarum speciatim auxiliatur. Aut *furfuris*, *florum chamæmeli ana partes æquales. Cum sapa*, & *vino dulci bulliant ad emplastri consistentiam*, modice calefacit, siccat & extenuat, si multus calor urget, noxius est ejus usus, si mediocris, anceps. Si nullus aut exiguus, utilis. Aut *cape florum chamæmeli*, *meliloti*, *stœchados*, *seminum anethi*, *foliorum salviæ*, *absinthii ana man. i. Bulliant in vino vinoso albo*, subinde spongiis intusis calide foveatur locus dolens, modice calefacit, discutit, & extenuat, sed aliquantum astringit, & reprimit, si calor absit, magis proficit. Aut *accipe foliorum malvæ man. i. s. farinæ sem. lini*, *fœnugræci ana unc. s. olei chamæmelini*, *liliorum alborum ana drach. vi. olei rosacei unc. iii. mucilaginis althææ unc. i. s. farinæ hordei q. s. Cum duobus vitellis ovorum fiat emplastrum s. a.* dolor cum calore sit aut non sit, prodesse potest. Aut *accipe ceræ albæ unc. iiij. olei ros. unc. v. santalorum albo-rum*, *rubrorum*, *rosarum rub.*, *myrrhæ*, *thuris*, *mastiches ana drach. ij. terebinthinæ unc. ij. s. camphoræ drach. s. Misce fiat unguentum*, nisi calor cum dolore superet, totum est. Aut *accipe salviæ*, *menthæ*, *rorismarini*, *stœchados*, *yvæ*, *perforatæ ana man. i. Bulliant in albo vino s. a. deinde colentur*, *hujus colati accipe lib. i. olei costini*,

*liliorum alborum, rutacei ana unc. iii. Bulliant ad vini* A *consumptionem, post adde galangæ, thuris, mastiches ana unc. s. terebinthinæ unc. ii. styracis calamitæ, unc. i. Ceræ modicum, misce fiat unguentum liquidum.* Id potissimum juvat, si cum doloribus tum scirrhi, tum crustæ sint. Aut *fume salis dissoluti vino oleo vinoso drach. ii. terebinthinæ unc. iii. olei communis unc. i. s. Bulliant ad olei consumptionem.* Aut *accipe terebinthinæ, galbani ana partes æquales. Misce ad unguenti consistentiam*, tum hoc, tum antedictum, si cum dolore calor aut inflammatio fuerit, noxium est, & magis hoc quam illud. Aut *accipe olei sesamini, amygdal. dulcium, ana unc. viii. pinguedinis anatis, anseris, medullæ vaccinæ, ana unc. ii. butyri unc. iiii. vitellos ovorum sex croci scr. iiii. ceræ q. s. Fiat unguentum*, id fere omnibus doloribus convenire putatur. Aut *fume olei chamæmelini, anethini, lilini, nardini, ana unc. ii. olei rosacei, sampsuchini, unguenti agrippæ, dialthææ, pinguedinis gallinæ, anseris, anatis, ana drach. x. florum rorismarini, chamæmelini, meliloti ana man. i. ivæ moschatæ, calaminthæ, matricariæ, salviæ, stœchados, schœnanthi, ana parum. ligni aloës drach. iii. radicum inulæ ebuli ana unc. i.* B *s. pinguedinis vitulinæ, vaccinæ ana unc. iiii. vermium terrestrium vino lotorum unc. ii. s. Omnia cum vini albi vinosi lib. i. Bulliant usque ad vini consumptionem, & addita cera alba, fiat unguentum subliquatum*, addendo etiam *styracis liquidi drach. vj.* Sedat antiquum dolorem, præcipue podagricum, & articularem, & dorsalem. Aut *accipe olei communis dulcis lib. i. s. olei ros. odorati, chamæmelini ana libr. i. olei de spica, vulpini, hyperici ana unc. ii. anethini unc. i. s. florum chamæmeli rorismarini, foliorum absinthii, matricariæ, calaminthæ ana man. i. schœnanthi man. s. seminum hyperici man. i. s. pinguedinis anatis, anseris, ana unc. iii. medullæ crurum vituli, vaccæ ana drach. x. radicum inulæ, ebuli ana unc. iiii. ranas viventes num. vii. vermium terrestrium vino lotorum unc. iiii. vini albi vinosi lib. v. Simul manere permittantur diem unum ac noctem, deinde, lento igne bulliant ad vivi consumptionem, postea vehementer exprimantur, expresso adde terebinthinæ unc. ii. s. croci scrup ii. rursusque leviter bulliant*, hinc liquor prodibit, qui non solum his doloribus, sed articularibus & convulsionibus mirifice confert, *si hujus unctis tribus ceræ novæ unc. i. s. addideris, ceratum* C *efficies* his affectibus maxime idoneum, ad hos dolores multa alia invenio, credo autem quo pejores sunt minusque facile discutiuntur, eo plura esse inventa, quæ in pertonis varie respondent. Alii præcipiunt. *Accipe medullæ panis lacte vaccino (ut in usu est) maceratæ subinde expressæ. lib. s. olei chamæmel., rosacei, ana unc. i. pinguedinis gallinæ, anatis ana unc. s. croci scrup. s.* Componunt emplastrum s. a. Id quod etiam podagræ non parum confert. Aut *seminum hyperici man. ii. florum rorismarini man. i. butyri recentis lib. s. olei rosacei, chamæmelini, anethini, violacei, hyperici, ana unc. ii. pinguedinis vituli unc. iii. medullæ cruris vaccini unc. ii. olei amygd. dulcium unc. i. s. pinguedinis anatis recentis, gallinæ, anseris ana unc. i. s. vermium terrestrium vino lotorum unc. iii. s. vini albi vinosi lib. s. Omnia simul coquunt ad vini consumptionem, deinde colant, colato adjiciunt, ceræ albæ q. s.* Hinc unguentum conflruunt permolle, quod etiam convulsoriis doloribus, eximie prodest. Aut *foliorum malvæ, violarum, althææ, foliorum ejusdem ana man. i. florum chamæmeli, meliloti, seminum anethi ana man. i. s. radicum buglossi, umbilici veneris, parietariæ ana man. ii. Coquantur in aqua* D *communi, postea per incerniculum cribrentur, mox adde medullæ panis infusæ & nutritæ in eorundem decocto lib. i. olei chamæmel. rosacei, anethini, ana unc. ii. pinguedinis anatis, axseris, gallinæ ana unc. ii. s. croci drach. i. vitellos ovorum quatuor. Misce fiat emplastrum s. a.* materiam resolvendo dolorem mirabiliter sedat. Aut *accipe prædicti decocti q. s. farinæ hordei, fursuris valde tritis, farinæ fabarum ana lib. s. pinguedinis anatis, anseris, gallinæ ana unc. s. olei anethini, amygdalarum dul., ana unc. i. s. croci scrup. i. Misce fiat emplastrum s. a.* easdem fere vires prioris habet. Aut *fume florum meliloti, rosarum rubrarum ana unc. i. stœchados, foliorum salviæ, absinthii, ana unc. s. farinæ seminum lini, fœnugræci, hordei, ana unc. i. s. Cum vino albo dulci q. s. fiat emplastrum s. a.* quod æque fere valebit atque id quod proxime dictum est, nisi aliquanto calidius esset, ubi minor calor, minorque inflammatio subest, tutius est. Aut *succi radicum ebuli lib. i. pinguedinis gallinæ colatæ unc. viii. Ad unguentum redigantur*, quod præcipue articulorum doloribus prodest. Aut *farinæ hordei, fabarum, fursuris valde tritis ana libr. s. florum chamæmeli man. iii. sapæ q. s. Bulliant ac crassescant, adde olei rosacei, chamæmelini, anethini, ana unc. ii. pinguedinis anatis unc. i. s. Et in fine vitellos trium ovorum, misce fiat emplastrum*, dolori cuivis ex commixta materia potissimum auxiliatur. Aut *accipe butyri sine sale lib. i. olei violacei lib. s. pinguedinis anatis, gallinæ, anseris, medullæ bubulæ recentis ana unc. i. ceræ q. s. Misce fiat unguentum.* Quod etiam peculiariter doloribus matricis, & nervosorum locorum succurrere solet. Aut *accipe unguenti martiati, agrippæ, olei laurini ana unc. i. olei moschati, muscellinum vocant. unc. s. olei de ben, balaninum dicunt, olei nardini, ana unc. i. s. ceræ q. s. Fiat unguentum*, quod præterea nervis non minus opitulatur, quam aliis dolentibus corporis partibus, quid dixi non minus, immo magis.

Quum medicamenta, quæ anodyna dicebantur, tum simplicia tum mixta propoluerim. Narcotica vero simplicia solum. Jam ea, quæ mixta sunt proponam. Hæc multa sunt. sed paucis contentus ero, quoniam unicuique licet eadem varie miscere, & multiplicem eorundem materiam ostendere, expeditum igitur erit. *oleum ex floribus papaveris, ex hyosciamo, mandragoratum, oleum, in quo viva torpedo bullierit. unguentum populeum*, Aut *accipe radicis lilii seminum hyosciami ana drach. iii. cerussæ unc. i. medullæ cervi, vituli, ana unc. ii. olei antiqui, & ceræ q. s. Fiat unguentum*, quod ut leviflimum est ad stupefaciendum, ita tutiflimum, cui tamen si *opii drachm. ii.* admiscueris, satis efficax reddes. Aut impone *folia papaveris albi, ex oleo rosaceo, aut nympheato, aut violaceo emplastri modo*, quod tutum erit, & leve. Item *folia mandragoræ emplastri modo* quod efficacius aget. Item *folia hyosciami cum aliquanto flo-* B *rum chamæmeli pulvere, & aliquo ex dictis oleis.* Aut *philonium Persicum* illine. Item recens, tum *mithridatium*, tum *theriacam.* Denique *opium lacte ovillo, aut muliebri liquefactum.* Aut *accipe unguenti ros. Mesuæ, populei, de tutia, ana unc. s. lithargyri argentei, acaciæ, ana drachm. i. succi solani q. s. Misce in mortario plumbeo diligenter*, confert etiam ubi cum ulceribus dolores fiunt. Aut *accipe cerati ros. unc. iii. opii drach. i. castorei scrup. ii. Misce.* Item *unguenti ros. unc. s. terebinthinæ unc. s. opii scrup. s. croci grana iiii. Misce.* Aut *accipe dialtheæ unc. ii. galbani unc. s. opii scrup. ii. croci gr. vi. Misce*, id gravissimis plerisque doloribus singulari ope succurrit.

## CAP. XI.

*De localibus remediis ad ulcera faucium inveterata, & quædam de fistulis.*

Sed quum proposuerim topica præsidia, quæ doloribus C fere omnibus cummunia esse consueverunt, ad ea quoque transibo, quæ aliis affectibus, quos paulo superius postremos appellavimus, prodesse putantur. Exorsus à faucium ulceribus inveteratis, de recentibus enim satis supra dictum est. Sed si prius quædam in universum, tum de his, tum de illis ulceribus admoverim. Interdum enim accidit, ut totius morbi Gallici (quemadmodum ante diximus) absoluta curatione, nihil minus pars aliqua relinquatur affecta, in quo casu maxime omnium nosse oportet, utrum illa curari debeat nec ne, discernere vero, quæ curationem recipit, ab ea quæ non recipit, nemo scire potest, nisi tempore, & experimento. Ergo ubi primum, id vitium notatum est, imponi debent medicamenta, quæ dicemus, si prompte levatur malum, minuunturque ejus malignitatis indicia. procedere curatio potest, si vel protinus vel paulo post irritatum est, scire licet aut immedicabile esse, aut medicari non debere removendaque sunt omnia acria, omniaque vehementia, vel hæc leviter admodum admovenda. Quum interim D plerique nulla vi, quæ tollere id malum posset, adhibita, sed levibus tantum medicamentis, quæ quasi blandiantur, impositis, quo minus ad ultimam senectutem perveniant, non prohibentur. Quippe ulcere perpetuo hiante, virus omne putredinis vitiatæ per ipsum expurgatur, impeditur-que quo minus interiora labe rursum afficiat, siquidem plurimi, dum ipsum omnino sumniovere voluerunt, eodem sublato vel in morbum aliquem lethalem, vel in Gallicum priori longe pejorem inciderunt: Itaque ulcera in faucibus relicta si curationi facile obediant, curare oportet, (signum est enim intus grave malum non inesse) sin irritantur. & quo major vis adhibetur, eo magis, tum quiescere, sed tantisper ea leniter tractare, dum ne sæviora fiant agere valeamus. Quidam igitur à leviflimis inchoandum jubent, deinde sensim ad validiora transeundum. Verum id per initia quidem, & antequam curatio per decocta Guajaci aut sarzæ parillæ aut unguenta ex hydrargyro, aut alia hujusmodi facta sit, tentare conducit, sed postea ubi malum penitus insedit, semper inutile, sæpe noxium esse consuevit. id genus multa paulo supra recensuimus, E nunc quia malum partem ipsam privatim obsedit, neque communibus auxiliis cessit, salubrius est uti eo, quod habet *alicujus ex antedictis gargarismatibus lib. i. s. unguenti apostolorum unc. i. aut unguenti Ægyptiaci unc. s.* & subinde æger gargarizet, sed quoniam mordicat, & exurit, statim *lac* gargarizare confert, aut *oleo amygdalarum dulcium* partes ferventes inungere. Aut *accipe seminum lactucæ, endiviæ, portulacæ, ana unc. s. aquæ plantaginis lib. i. Bulliant s. a.* postea gargarizet æger, fervorem enim dictum lenit.

Si

Si hæc non juvant, neque malum exacerbant, expedit ſpeciilo involuto, lana aut goſſypio, aut ſpongia deinde aqua ardenti infuſo ulcera tangere quotidie bis, hoc eſt mane & ſero, pituitoſis hoc plurimum prodeſt. Aut hujus loco *chalcanthi*, hoc eſt *vitrioli oleum* uſurpa. Item *oleum tartari*, *ſulphuris*, *aut aquam aurum ab argento ſeparantem*.

Mixturæ etiam quædam, quas capite de faciei & capitis ulceribus narravimus, idem præſtant brevitatis cauſa hic ſilentio prætermittimus. Aut accipe *aquæ aurum ab argento ſecernentis unc. ii. aquæ roſaceæ*, *hyoſciami*, *ana drach. iii. Miſce*, tangatur locus ut dixi. Aut *accipe aquæ ſaponis unc. ii. vitrioli Romani unc. ſ ſalis ammoniaci drach. i. Miſce & ſimiliter utere*, carnem conſumit, ulcera mundat, puſtulas verrucoſas ex Gallica lue non minus amovet. Aut *cape aluminis rochæ unc. ſ. ſacchari electi drach. ii. viridis æris ſcrup. i. aquæ plantaginis*, *roſarum*, *ana unc. iiii. Bulliant ad tertiæ partis conſumptionem ſubinde cola, & utere.* Aliqui id variant hunc in modum. *Accipe aluminis rochæ drach. ii. ſacchari electi drach. i. viridis æris ſcrup. ſ. aquæ plantag.*, *roſaceæ*, *ana unc. ii. Coquunt ad tertiæ partis conſumptionem, poſtea utuntur.* Aut *ſume aquæ qua aurum ab argento ſeparatur unc. i. aquæ roſaceæ unc. iii. Miſce*, & tange ulcera, ut ante diximus.

Hæc aqua vehementior eſt, quam proxime ſcripta, præterquam enim quod exſiccat ſerpere ulcus prohibet, & fluxionem reprimit. Aut *cape ſublimati drach. ſ. camphoræ ſcrup. ii. opii ſcrup. i. aquæ roſaceæ*, *plantaginis ana unc. iii. ſacchari unc. ſ. Miſce*, hæc mitior his eſt, & tutior. Aut *accipe ſucci limonum*, *aquæ plantaginis*, *ſolani ana unc. i. tartari ex vino rubro*, *maſtiches*, *thuris ana drach. i. ſublimati grana. iii. Miſce*, deinde goſſypio infuſo tange ulcera, neque ſolum his id confert, ſed & ſcabici faciei, & furunculis, ut paulo etiam ſuperius docuimus. Aut ſume *lactis tithymali*, *quem paralium vocant unc. i. aquæ roſaceæ unc. ii.* Aut *ſublimati gran. i. aluminis rochæ drach. ſ. aquæ communis unc. vi.* Id leviſſimum eſt. Aut *aquæ fontis lib. iii. in hac laminas æneas candentes quatuor*, *aut quinque*, *pluſquam decies extingue*, *deinde ſume hujus aquæ lib. i. aquæ plantaginis*, *roſaceæ ana unc. iii. ſublimati drach. iii. ſacchari optimi unc. ſ. Bulliant quoad dimidium aquarum conſumatur*, *clarificetur (ut dicunt) ovi albumine*, *poſtea ſimiliter utere.* Hanc aquam non ſolum adhæc ulcera, ſed fere ad omnia alia ſiccanda & conſolidanda, mirabilem eſſe prædicant. Quin etiam pus atque oſſa putrida extrahere, ſimulque carnem aggenerare.

Hæc & hujuſmodi ſunt, quibus tum ad ulcera gutturis, oriſque, tum ani & vulvæ contumacia (ut monuimus) uti licet.

Ad fiſtulas accedamus, de quibus id ſolum nunc dixerim, magis expedire præſertim, ſi in ano, aut vulva fuerint, neque magnam moleſtiam afferant eas non curare, quam curare, quippe non curatæ univerſo morbi Gallici vitio apertum exitum ſervant, ita ut intus contaminare non poſſit, curatæ vero contraria faciunt, ſed ſi valde moleſtæ ſunt, tunc ad ea præſidia, quæ ab aliis paſſim tradita ſunt, recurrendum.

## CAP. XII.

### *De gonorrhœa contumaci.*

His ita ſe habentibus, ordo ipſe rerum, quas proxime propoſuimus, commonet, ut ad gonorrhœam diuturnam, & aliis curationibus rebellem tranſeamus. Hæc igitur ſi vires imbecilles non reddit, ſi corpus eodem habitu eſſe ſinit, quo antequam oriretur, erat, ipſi naturæ relinquenda eſt, ſæpe enim hac exiſtente, reliquum corpus ab interna Gallici morbi labe vindicari conſuevit. At ſi valde moleſta eſt, utpote quæ tum corpus extenuet, tum colore malo & δυσουρίᾳ, id eſt, mingendi difficultate afficiat, periculumque ſit, ne interpoſito ſpatio tabe hominem conſumat, non relinqui, ſed curari debet. Itaque poſtquam neque medicamentis alvum ducentibus obedivit, neque per cutim, neque per alias corporis partes evacuantibus, neque item communiter alterantibus, ſed tandem firma pertinacia, infeſta etiam admoto Guajaci decocto, aut ſarzæ parillæ, aut unguento ex hydrargyro, & hujuſmodi adhuc reſtitit, aliis ingeniis, aliisque modis inſiſtendum, quibus hanc eandem ſummovere poſſimus, ſane hic affectus bifariam, quod ad præſens negotium attinet, contingit, aut enim ſemine vitiato, & partibus calida intemperie male affectis gignitur, aut omni vitio ſeminis amoto, & partibus omnibus præter glandulas, quæ σπερματικαὶ dicuntur, ad integritatem reductis, nihilominus perſeverat, tanquam ſemen per ulcera, quæ in his glandulis adhuc aperta manent non exire non poſſit. Utriuſque communia ſigna, ſunt liquefactio, extenuatio, mingendi difficultas, circa glandem aut dolor, aut ardor: propria vero illius quidem lumborum calor, dolorve ſemper, teſtium ſæpe, perinæi & reliqui corporis aliquando, ſed hujus contra, calor enim dolorve nec in lumbis nec in teſtibus, nec in pene, nec reliquis partibus, niſi forte in perinæo ſentitur. Uterque difficulter quidem curatur, ſed ille ad alterum comparatus difficilius, hic facilius. In illo igitur tot fere curandi indicationes erunt, quot cum eo ſunt præter naturam affectiones, hæ vero ſunt dolor calorve, liquefactio, extenuatio, mingendi difficultas, in hoc autem & ſi convenit occurrere calori aut dolori, qui circa perinæum, & liquefactioni, & extenuationi, & urinæ difficultati, potiſſima tamen curationis indicatio eſt ulcera ipſa in paraſtatis ſanare, ſed ne curandi modus ordove confundatur, imprimis communes curandi indicationes, deinde proprias exequamur, modo antea quoque monuerimus, & ſi multa, quæ tum pro victus ratione in Guajaci uſu, tum pro Gallicæ labis curatione prohibebamus, nunc facienda eſſe conſulimus, id tamen haud fieri, ut prius inſtitutum evertere velimus, ſed poſtquam omnia rite adhibita penitus non contulerunt, quum lues Gallica fere quidem evicta quippiam tamen in parte aliqua malum reliquerit, ut huic malo ſuccurrere valeamus, quaſi ſolutis habenis, quæ nos ad inſitam putredinem perpetuo reſpiciendam retrahebant, alio, tanquam deſperata priore curandi via, animum vertere tentemus, oblato igitur corpore, quod per majora remedia, quæ ante retulimus expurgatum ſit. & ut ſic dicam expiatum, atque ſuppoſitis his quæ de gonorrhœa morbum Gallicum antecedente proxime monuimus, primum omnium oportebit calorem temperare, dolorem lenire, liquefactionem ſiſtere, extenuationi adauctum opponere, urinæ difficultati facilitatem, ſed rurſum alvum crebro ducere, aut urinam provocare, ut huc fluxus omnis derivetur, mutile nunc eſt, tum quia his ingeniis alias non obedivit, tum quia hæc materiam hujuſmodi ad locum affectum ſæpius movent, quam alio divertant, atque ut id ſæpe fruſtra, quandoque perperam fit, ita ultra dies quadraginta, ſi malum id per has indicationes non tollatur, ſcire licet peſſimum eſſe, & niſi aliquo longe deteriori ſecuto curatum vi non poſſe. Itaque calorem temperabunt, juxta atque dolorem lenient, tum ea quæ intrinſecus ſumuntur, ut *lactuca*, *borrago*, *cicerbita*, *portulaca*, *cichoracea omnia*, *rumices omnes*, *lac humanum*, *aſininum*, *caprinum*, *cucumis*, *pepo*, *cucurbita*, *ptiſana hordeacea*, *milium*, *aquæ potus*, *caro hœdina*, *vitulina*, *gallinacea junior*, tum ea quæ lumbis extrinſecus adhibentur, videlicet *aqua roſacea*, *oleum roſaceum*, *violaceum*, *nenupharinum*, *unguentum roſaceum*, *violaceum. Infrigidant galeni*, *ſolanum*, *hyoſciamus*, *unguentum ceruſſæ: Plumbi lamina perforata lumbis adhærens*, *acetum aqua dilutum*, ſiſtent liquefactionem, tum hæc eadem quia refrigerant, tum quæ incraſſant, & cogunt, ſiſtent item ſimul, ac extenuationem prohibebunt, quæ tanquam à corporis centro ad ambitum attrahunt, & carnem modo quodam tumefaciunt, incraſſant, coguntque, *lac* præcipue *caprinum*, *ova recentia cum albumine*, *far*, *oryza*, *paſtilli ex hordeacea*, *triticeave farina*, *lagana:* ad cutim atque ad corporis ambitum trahunt frequentes moderatæque frictiones, balnea dulcis aquæ, cucurbitulæ exiguæ, cornetulas vocant; complures toti corpori, præter quam ventri, ante cibum ſtatim admotæ, & ſtatim amotæ, Dropaces per lintea diviſi, & æque atque cucurbitulæ appoſiti, ſed raſo prius toto corpore, ſi pili impediant, deinde hora vel dimidia, vel paulo citius tardiusve permiſſi inhærere, mox vi quadam excerpti, ut hinc tumefactæ carnes ſuccum copioſiorem ex venis trahant: venæ ſubinde inanitæ à locis ubi liquefactio gignitur. facile vero redditur urina, ſi ulcera, quæ gonorrhœam hanc in virga ſequuntur, curemus, ſane curabimus, quia interdum ulceribus auctis ceu extuberantibus urina ſubito ſupprimitur, ſi ea quæ ſubito, ſed ſine acrimonia (quoniam vetica acria non tolerat), corrodunt vel extuberationem reprimunt, adhibere noverimus, deinde ſi tempus, & ſpatium detur, ulcera ipſa ſenſim ſine moleſtia detergere, ſiccare, & ad cicatricem deducere. Hæc in quacunque hujusmodi gonorrhœa perpetua ſunt, nunc ad ſingularia deſcendam, ut curandi ratione per hæc inventa, qualis curatio deinde ſit, reipſa videatur. Igitur ſi cui lac familiare eſt, hic mane quatuor quinqueve horis ante prandium ſumat *lactis caprini illicti*, *mulcti unc. v.* plus minusve, lumbos manu ſua *ex aqua roſacea*, *aut aceto aquæ multa diluto*, *quotidie bis terve irriget*, æſtate quidem frigida, hyeme autem tepida, ſic etiam teſtes, & alias vicinas partes, ſi calor obſideat, mox hora una ante prandium, aut cœnam vocatæ cornetulæ (ut dictum eſt) admoveantur, ſubinde amoveantur, aut harum loco dropaces qualis eſt. *Accipe nuncupatæ picis Græcæ lib. iii. reſinæ unc. iii. plus minusve. Miſce ad cerati conſiſtentiam, & utere.* Aut *ſume ceræ lib. i. picis aridæ*, *brutiæ*, *pituitæ*, *frictæ ana lib. i. ſ. Miſce*, *paratur dro-*

*pax:* aliis quoque adjunctis, tum valde calefacientibus, tum exurentibus, utputa *euphorbio*, *pyrethro*, *sulphure*, *sinapi*, *cantharide*. Sed hi duo sunt nostro negotio magis opportuni, si quis cucurbitulas dropacesque non admiserit, in balneum dulcis aquæ tepidum, nisi frigus impediat, ducatur, ibi horam aut semihoram moretur, quoad caro tumescere cœperit, id ubi apparuerit, tunc statim, ne deinde caro concidat, è balneo recedendum. Postquam hæc facta sunt, tantisper differre cibum potumque oportet, dum calor spiritusve uter concitatus est, conquiescat, tum ex his propositis, aut similibus, aliquid comedendum, bibendaque aqua, si ventriculus patitur, sin minus vinum pauciferum, vel quam maxime dilutum, sed tantum prandio subtrahendum, quantum ex lacte adjicitur, interim vitare oportet cruditates, omnia inflantia; omnia acria, nihil ex his assumere, quæ cum aromatibus, aut multo sale condiuntur, non spectare, neque legere ea, quæ rei venereæ usum in memoriam revocare possunt, non supinum obdormire, sæpius quiescere, quam moveri, hoc autem pacto ad quadragesimum usque diem, nisi antea cessarit procedere, modo tamen conferat, facileque feratur. Sed eos in hoc casu imitari non decet, qui adeo commendant, *tutam*, *mentham*, *calamintham*, *nepetam*, *polium*, *matrisylvæ*, (*periclymenon vocant*) *tum semen*, *tum folia*, *anethum*, *semen staphysagriæ*, *vocatas cubebas*, *caseum salitum veterem una cum sapa*, *succum petroselini cum nuce muschata*, & *ovi albumine*; *catapotia ex camphora cum cinnamomo*, quæ alias valde prodesse solent, ut etiam *thuris masculi grana iij. aut iiij. cum ovis recentibus duobus aut granum unum sumptum*, *mane* & *sero ante cibum*, *tribus diebus aut quinque*, *aut aloës drach. s. cum ovo per dies viginti*, & multa hujusmodi, sive mandantur, sive cum aliquibus liquoribus bibantur. Hæc enim extenuatum corpus multo plus siccant, & in tabem magis proclive reddunt. Verum hi negligendi non sunt, qui *pro aqua communi*, *aquam*, *in qua ferrum sæpius exstinctum sit*, *præbent*, *qui decoctum radicis halicacabi communi aqua*, *aut decoctum lentis*, *aut seminum lactucæ*, *aut portulacæ*, *aut cannabis*, *aut violæ*, *aut nymphææ*, *aut gallæ immaturæ*, *aut salicis*, *vel florum tum salicis tum populi*, *qui limonis*, *aut mali punici succum una cum julep rosaceo*, & *aqua prout moris est commistum*, *qui carabæ succum*, *padanum vocant*, *cum aliquo ex dictis liquoribus scrup. ii. propinant*, *qui rasuræ eboris drach. i. cum ovo recenti*, *aut tantundem mandibulæ inferioris ex pisce lupo in pulverem redactæ*, *qui ex floribus vocatæ primulæ veris cum saccharo mixturam conficiunt*, *deinde pluribus diebus unc. i. plus minusve jejuno præbent*, *aut albumen ovi recens cum aqua rosacea septem diebus*, *qui frusta panis albi in ovi albumine primum undique madefaciunt*, *deinde siccant*, *mox in pulverem redigunt*, *postea hujus unc. semis plus minusve cum modico saccharo*, & *jure gallinæ duobus mensibus in aurora potui dant*, *qui cortices ovorum simul*, & *corallia rubra æquali portione accipiunt*, *mox cum aqua rosacea super lapide porphyride diligenter atterunt*, *deinde hujusce pulveris drach. i. pulveris juli*, *id est lanuginis coryli*, *thuris*, *specierum diatragacanthi frigidi ana drach. s. olei amygdalarum dulcium recentium*, *butyri recentis utriusque loti cum aqua rosacea ana unc. i. saccbari q. s. Postea vocatam saoneam mediocris consistentiæ s. a. conficiunt*, & *ex hac unc. s. plus minusve compluribus diebus jejuno exhibent*, qui etiam ter aut quinquies per intervalla tamen *floris cassiæ unc. i. elect. diasebesten conciliatoris drach. i. pulveris coralliorum rub. terræ armeniæ orientalis corticum ovorum*, *ana scrup. i. miscent*, & *boli*, prout in usu est, jejunanti præbent, qui *pulveris violarum albarum scrup. i. Cum ovo novem aut undecim diebus*, *qui pulveris ex interiore cortice juglandis*, *qui crucis figuram emulatur scrup. s. cum ovo viginti*, *aut quadraginta diebus.*

Qui *terebinthinæ*, *cum aqua ros lotæ unc. i. s. bis terve* per intervalla tamen, id enim aliquibus fere statim gonorrhœam coërcuit.

Qui *pulveris foliorum mori scrup. i.* aut *crystalli subtilissimi triti drach. i. cum aquæ plantaginis unc iij. s.* & *saccbari unc. s.*

Pluribus diebus jejuno propinant, qui *lactis ovini unc. iiij. Pilorum leporis usturum diligenter subinde triturum drach. ij.* Mane & vesperi duabus horis ante cibum per aliquot dies porrigunt.

Qui *succum vocati limonis ad unc. vi.* jejuno ventriculo semel & ad summum ter præbent, quam primum enim gonorrhœam omnem exstingui dicunt.

Quidam vero hæc administrant, utputa. *farinæ fabarum lib. ii. olei nymphæati parum*, *aquæ communis q. s. Emplastri modo testibus imponunt*, præsertim, ubi junior fuerit æger. Aut *cicutam una cum semine*, *emplastri modo.* Aut *hyosciami succo* pudenda, testes lumbosque illinunt. Aut *annulum ex ferro*, *quo quis occisus fuerit*, *constructum*, ægrotantis digito immittunt, diuque ferre jubent, quod se quoque sæpius expertos esse jurant, sed id nisi veneris cogitatio seminis fluorem moveat, ridiculum est, quippe æger annulum crebro inspiciens, occisi hominis recordatione sæpe terretur, & subinde veneris obliviscitur. Aut pudenda & testes inungunt, unguento quod hunc in modum constituunt. *Accipiunt enim sem. hyosciyami*, *mandragoræ ana unc. i. s. opii scrup. i. s. olei de papavere q. s. Coquunt s. a. in duplici vase*, *deinde colant colato ceram miscent q. s.* postea hoc & pudenda & testes inungunt. Aut *santalorum alborum* & *rubeorum ana scrup. i. foliorum menthæ*, *florum violarum ana unc. s. thuris*, *mastiches ana unc. i. succi plantaginis*, *vini optimi ana unc. viiij. Subinde miscent*, mox linteis infusis, ac semi frigidis, lumbos testes, & alias vicinas partes illinunt. Aut *sumunt farinæ glandium lib. s. aceti parum*, *albumina ovorum tria*, *aut quatuor* excipiunt stupa, & prædictis locis imponunt. Aut *suliginem cum aceto emplastri modo* ad has partes. Aut *unguenti rosac. refrigerantis Galeni ana unc. i. olei violacei unc. s. pulveris rosarum rubearum*, *santalorum citrinorum*, *spodii ana drach. i. camphoræ gran. v. aceti ros. parum.* B *Miscent*, & adhibent similiter. Aut *terræ armeniæ*, *sigillatæ*, *sanguinis draconis*, *coralliorum rubeorum*, *rosarum rubearum*, *electri*, *spodii*, *santali citrini ana drach. ii. acaciæ*, *thuris*, *mastiches ana unc. s. picis navalis*, *colophoniæ ana unc. i. s. terebinthinæ*, *ceræ ana unc. i. rob. myrtini unc. ii. Emplastri modo his locis imponunt*, sed his, nisi calor insignis insit, facile prodesse potest; aut *gummi tragacanthæ dissoluti in aqua rosacea q. s. postea ducti in mortario plumbeo s. a. donec ad unguenti consistentiam coëat*, *interim lactis muliebris aliquantulum addendo*, mox inungere lumbos, & perinæum & testes. Præstantissimum est, ut id quidam expertus affirmat.

Quidam *viridem mentham* quo minus calefaciat, ficcetque, *cum aceto* comedendam jubent.

Item *herbam*, *quæ in Hetruria presura* dicitur, *cardui speciem* esse putant. At *solanum*, id enim, ut ex authore de diæta frigefacit, & semen in somnis effundere non permittit, ita tum in somno tum in vigilia illud retinebit. Item *accipiunt seminum salicis drach. vij. calaminthæ drach. vj. sem. viticis alb. drach. v. rutæ drach. iiij. sem. cicutæ* C *drach. ij. Cum aqua rosacea in pastillos digerunt*, *deinde ex his drach. s. plus minusve cum poscæ unc. iiij.* quatuor horis aut quinque ante prandium singulis diebus, ad vigesimum usque propinant. Aut *sem. portulacæ drach. i. menthæ siccæ*, *coriandrorum præparatorum*, *ana drach. s. rasuræ eboris*, *sem. agni casti ana scrup. i. aquæ plantaginis unc. viij. Coquunt s. a. postea vehementer exprimunt*, *expresso addunt syrupi de mentha unc. i. s.* perinde (ut proxime dictum est) propinant. Aut *sem. lactucæ drach. iii. s. agni casti drach. i. rutæ drach. s. Terunt cum aceto*, *subinde saccbari rosacei unc. i. s. admiscent*, ex hac mixtura *unc. s.* jejuno similiter præbent. Aut *balaustiorum*, *semin. portulacæ ana drach. iij. anethi*, *rutæ*, *arnoglossi ana drach. ij. Hæc omnia in pulverem redigunt*, *postea ex hoc accipiunt drach. s. syr. myrtini unc. i. aquæ rutæ unc. iij. s. Deinde simul miscent*, & viginti diebus in aurora loco antedictorum præbent.

Quidam magnopere commendant *radicum ireos*, *foliorum menthæ*, *calaminthæ*, *sisymbrii*, *lapidis hæmatitidis*, *sem. portulacæ*, *agni casti ana scrup. i. saccbari candi rosa*- D *cei unc. iii. s. Conficiunt pulverem*, *ex hoc drach. i. itidem porrigunt.* At licet incrasset, quia tamen nimis siccat, suspicione non caret.

Hactenus communiter quidem de utraque gonorrhœa, quæ morbum Gallicum sequitur, sed præcipue, & proprie de altera ejus specie, quæ curationi contumax est. de altera vero, quæ non adeo reluctatur, quia curatis ulceribus, glandulas paraltatas exercentibus summovetur, ubi sequenti capite de his, prout mingendi difficultatem creant, scribetur, dixisse sat erit.

## CAP. XIII.

### *De mingendi difficultate ex ulceribus, & caruncutis natis circa vesicæ osculum, & virgæ canalem, & de urinæ suppressione.*

Summota ergo gonorrhœa, quæ morbum Gallicum sequitur, non difficile est mingendi difficultatem cura- E re, quæ ab ulceribus tum in collo vesicæ, tum in canali virgæ, propter gonorrhœam primum obortis creatur, sed quoniam hæc semper cum ardore est, non nunquam vero cum urinæ suppressione; de utrisque quidem agendum, sed primum de urinæ suppressione, quoniam id malum & gravius est, & ejus curatio alterius docet curationem. Interim antea scire volo, in hujusmodi curationibus maxime fugienda esse tum medicamenta valde acria, tum ea, quæ dolorem vehementer movent, siquidem ut *prognost. 2.* Hipp. vesicæ dolores validam necandi vim obtinent

hent, & ut Cel. *lib. 7 cap. 26.* læsa vesica nervorum distentiones cum periculo mortis excitat, neque modice acria corrodentiave diu perferenda esse, longo enim continuove horum usu vesica læditur, excitatque inflammationes mortiferas, adeo ut quidam interea dum curarentur, quum vesica nimis diu continenter patretur, paulo post è vita discesserint.

Urina igitur non redditur, quod ad præsens negotium attinet, aut quia ejus itineri sordities aliqua ulcerum intus se opposuit, aut quia horum carunculæ intus auctæ viam illi obstruunt, utrumque sæpe usu venire solet, nam quemadmodum ex bono sanguine caro inculpata gignitur, sic ex succis ulcerum vitiosis, aut aliquid in globuli modum nascitur, aut spongiosa quædam caro crescit, & meatum urinæ opplet. Commune utrique est tum foris aut emplastri aut illitus modo, tum intus per os, ut quibusdam placet, aut per oricularium clysterem, id quod mingendi viam intercludit, quoad fieri potest laxare, leniter abstergere, expurgare, & dolorem, si quis est urgens, mitigare. Profecto autem interea dum urina retinetur, ea, quæ urinam movent, propinare, valde periculosum est, metus est enim, ne quo magis movent, eo magis inculcent, obstruantque mingendi viam, subinde vesicam multo citius distendant, & dolores vehementissimos excitent.

Nihilominus tamen, quoniam aliqui non obscuræ famæ ita faciendum jubent, committendum non est, quo minus hic quædam ab eisdem inventa subscribamus. Propinant igitur ad id, quod virgæ canalem intercepit, expurgandum, *destillatitii ex corticibus fabarum lib. s.* Aut *destillatitii ex pulpa, & cortice limonum, aurantiorumve tantundem*, aut *destillatitii ex floribus sambuci, destillatitii ex siliquis (carobas vulgus vocat) libr. s.* Aut *vulpini sanguinis recentis, & adhuc calentis mactata vulpe lib. s.* Aut *leporis combusti drach. i. aquæ ceterach. unc. iiii.* Aut *stercoris palumbini albi drach. i. vini albi unc. v.* Aut *pulveris mandibulæ inferioris piscis lupi, drach. i. aquæ graminis unc. v.* Aut *stercoris columbini terrestris non albi drach. i. urinæ pueri lib. s.* Aut *armoraciæ decocti, aut cicerum nigrorum decocti lib. s.* Aut *lumbricorum terrestrium exsiccatorum pulveris drach. i. decocti ex anetho lib. s.* Aut *foliorum urticæ, malvæ, ana manip. i. radicum petroselini unc. s. cinnamomi scrup. s. aquæ communis q. s. Coquunt s. a. deinde hujus decocti libr. s. præbent*, triduo aut quatriduo, aut *jusculi gallinæ castratæ, in quo folia malvæ elixa fuerint lib. s. butyri unc. s.*

Hoc auxilium tutius est, quam antedicta, sicut etiam *terebinthinæ, cum albumine ovi, sensim adeo diligenter agitatæ, ut velut oleum bibi possit unc. ii.* denique omnia, quibus ad lapidem frangendum, ad urinamque ducendam utuntur, huc vertunt, & similiter propinant jejunis, nunc semel, nunc sæpius, quæ cum innumera fere sint, ne legentem tædio afficeremus, de industria prætermisimus, sed si talibus utendum est, nullum præstantius (ut opinor) est quam id, quod nos primo quidem ad lapidem atterendum, deinde vero ad urinam provocandam invenimus, habet autem hunc in modum.

*Sume argenti vivi diligenter extincti*, (alioqui ducit alvum, & ad urinæ vias minime fertur) *drachm. ii. terebinthinæ in aqua malvæ coctæ unc. i. Misce.* deinde ex hoc *scrup. i.* & mane, & vesperi devorandum ante cibum præbe. Non leviter etiam prodest *vermes multipedas*, (ὄνους Græci vocant,) *vino albo incoquere, deinde hujus decocti libr. s. accipere, atque addere pulverem aliorum id genus vermium drach. i. mox jejuno in potu dare.* Nos enim haud raro experti sumus. Sed his omissis scire licet, quod eorum, quæ laxare, abstergere, & dolorem mitigare queunt, non exigua sylva est in his, quæ ad penis ulcera laxanda, & abstergenda, & ad gonorrhœam curandam, & ad dolores leniendos ante docuimus. Privatim vero dolorem mitigabit *ex hyoscyami semine, & ovi albumine cum modico aceto emplastrum pectini, & renibus appositum.* Præterea quidam sumunt *foliorum malvæ man. i. Radicum althææ, apii, fœniculi ana unc. iii. seminum lini, fœnugræci ana unc. i. florum chamæmeli, meliloti, pulegii, origani, ana pug. i. caricarum ping. unc. i. s. Coquunt omnia simul in aqua communi ad radicum usque dissolutionem, deinde pectini, perinæo, & pudendis fomenti modo tum per se, tum per spongiam adhibent* Hæc laxant, abstergunt, juxta ac aperiunt, totuque suo dolorem leniunt. Aut *accipe unguenti, dialthææ agrippæ, œsypi, butyri ana unc. i. olei amygd. dulc., liliorum alb., chamæmelini ana unc. ii. ammoniaci unc. i. s. succi apii, chamæactes ana unc. iii. mucilaginis althææ, fœnugræci ana unc. ii. Fervent simul usque ad succorum consumptionem, postea pinguitudo excolata in unguentum cogatur, addito ceræ momento*, quo deinde antedictæ partes illinantur, mox fasciis cum lana succida amiciantur, easdem cum prædicto facultates habet sed longe validiores. Aut *foliorum porri siccatorum* A *man. iii. helxines, (parietariam dicunt,) man. i. s. melis & vini albi ana q. s. emplastri modo.* Aut *radicum althææ unc. iiii. radicum raphani lib. s. foliorum caulium, parietariæ ana man. i. fœniculi marini (crithmum esse volunt) ana man. s. olei anethini, chamæmelini, pinguedinis, cuniculi, ana unc. ii. butyri unc. iii. farinæ cicerum, fœnugræci ana q. s. Fiat emplastrum s. a.* quo similiter utendum est, id præstantissimum urinæ movendæ prædicant. Aut balneum adhibeatur, quod habet *radicum althææ, raphani, ana lib. s. radicum brusci, petroselini, asparagi ana man. s. cumini, fœniculi dulc., ammeos ana unc. i. mellis lib. i. & s. seminis lini, fœnugræci ana unc. iii. sem. anethi, florum chamæmeli, meliloti, foliorum marrubii, ana man. i. parietariæ, caulium nigrorum ana man. i. s. vini albi optimi lib. xii. aquæ q. s. Coquunt, donec tertia pars aquæ consumatur*, mox aut spongiis infusis irrigant pubem & virgam, & perinæum, aut has omnes partes huic decocto immergunt. Aut *cape œsypi, butyri, olei amygd. dul. ana unc. i. misce, subinde similiter illine.* Aut *cuniculi animalis pinguedine*, cui quidam magnopere confidunt, pubem B & virgam & perinæum illine, mox ejusdem animalis pellem super impone, aut *oleo petroleo* (saxi dicunt) aut *scorpionum* similiter inunge, ac intra virgam injice, aut hujus loco collyrium tale. *Sume radicum althææ, seminum lini, fœnugræci, ana drach. ii. aquæ communis libr. s. plus minusve. Simul bulliant ad unc. iiii. postea colentur, colato adde olei amygdalarum dulcium unc. i. Misce*, & tepide per siphonem injicito.

Si hæc nihil profint, nondiu quidem sustineri debent, sed cito removeri. Affectus enim hic acutus est, in acuto enim breve curandi spatium datur, intra quod si quid non statim prodest, rejicere statim oportet, alioqui æger exstinguitur. Tunc igitur aut tenero malvæ apiive cauliculo, aut candela ex forti quodam filo, atque cera cui non nihil terebinthinæ inditum sit, ne alioqui, præsertim hyeme, intus in vesica meatuve frangatur conflata, mox oleo amygdalarum dulcium aut scorpionum illita, tentandum de medio tollere congeriem recrementorum, quæ canalem obstruunt intro videlicet ea impellendo, aut in vesicam retrusa disgregentur, mox interim dispersa, urinam prodire sinant, & foràsim dissipata, paulatim profluant foras. Quia vero non in viris tantummodo, sed in fœminis quoque caules hujusmodi, aut candelæ necessariæ sunt, candelæ, ut omni corpori ampliori minorive sufficiant, non paucæ sed multæ, tum ad mares tum ad fœminas medico habendæ sunt, ex virilibus maxima decem & quinque sit digitorum, media duodecim, minima novem, ex mulieribus major novem, minor sex, quæ tamen incurvari facile possint & neque nimis plenæ, neque nimis tenues existant, sed si neque cauliculi, neque candelæ in vesicam penetrare queunt, aut si penetrant, his tamen remotis aut urinæ nihil, aut parum exit, scire licet (omissa renum contemplatione) & solo penis canali & vesicæ osculo considerato, carunculam unam aut plures longe potius, quam ulcerum sordities urinæ iter claudere, quod ubi contingit, cunctandum non est ea remedia adhibere, quæ carunculam intus urgentem summovent, sane illa quidem excidenda est, sed cum id gladio fieri non possit, corrodentibus medicamentis, quæ tamen exiguæ sint acrimoniæ, quo citius fieri potest, extenuanda est, D alioquin interim fistula argentea, syringa vulgo dicitur, carunculam violente superare velle, & vesicam intro pertingere, atque inde urinam foras haurire, tam grave periculum ex hac violentia dolor excitatus affert, ut vel sanguinis fluor terribilis, vel febris acuta, vel mors intempestiva sæpe sequatur, ergo ubi carunculæ sedes comperta est, tum candelam ceream infrascripto emplastro (ut dicemus) illitam statim in canalem immittere oportet, interiusque premere, quoad fine multa molestia teratur, deinde si nec dolor, nec quid aliud impediat, sinere trium, quatuor, quinque horarum spatio, consuevit enim caruncula ipsa, quoniam plerumque spongiosa est, ab hoc auxilio, & cito liquefieri, & corrodi, & attenuari id quod habet. *terebinthinæ coctæ drach. ii. picis liquidæ drach. vi. præcipitati scrup. iiii. plus minusve. Fiat emplastrum*, postea candelam ea parte, qua putas, carunculam pertingere, subtracta cera in ejus locum, & in eundem modum hoc emplastro involve, tanta vero quantitate, quantum E existimaveris carunculam ab illo contactum iri, aut si candelam non patiatur, licebit per oricularium clysterem injicere *præcipitati scrup. s. plus minusve cum aqua hordei unc. ii. aut iii.* Id ut maxime præsentaneum est, ita minime omnium, quæ hactenus ego noverim, dolorem inducit, celeriter enim carunculam serpere prohibet juxta ac liquefacit, extenuat, erodit, siccat, ad cicatricem deducit, & dolorem quidem aliquem movet sed admodum tolerabilem, si præcipitatum recte paretur. Parabitur autem si cum auro (ut proxime dicemus) aut aliquo alio simili construatur, absque rebus acribus & corrodentibus, con-

tra quam multi expensis parcentes & lucri cupidi nunc A faciunt, & antehac omnes, quia non aliter noverant, faciebant. Nam (ut proximo libro declaravimus) argentum vivum, ex quo præcipitatum omne fit, rei calidæ & erodenti conjunctum, hanc eandem vehementius, & celerius penetrare facit: quod ubi evenit majorem dolorem ab illa excitari necesse est, quam ubi lentius & debilius subit, sed si auro mixtum, deinde vi ignis in præcipitatum vertatur, id solum fere habet, quod quia pulvis est, impendio magis humido ulceri adhæret, commodiusque unguentis commiscetur & quia ignem leviter expertum est, ignis modo leviter crustam inducit. Cætera fere omnia, velut argentum vivum agit, id quod quia ubi partem aliquam nostri corporis tangit (quemadmodum exposuimus) humores alio fugat, aut secum intro penitus vehit, dolorem fere omnem, qui propter humorum fluxionem illic creari solet, prohibet: hinc est quod præcipitatum cuidam Illustrissimo, in cavo ejus manus ulceri & non alibi positum, paulo post gingivas tumefecit, dentes commovit, & salivam putrem quamplurimam tanquam ex ulcere huc propulsam, per os confertim evacuavit, quo circa ulceratæ parti impositum, non modo dolorem futurum non excitabit, sed præsentem aut minuet, aut forte tollet, succos videlicet alio trahens pellensve, præterea caruncolam adauctam extenuabit, consumet, ulcus crusta obducet, & tandem ad cicatricem perducet. Placet vero tum ejus, quod in usu passim habetur, tum ejus, quod apud quosdam quasi thesaurus nunc inventum est, id quod nos maxime omnium probamus, exempla quædam perstringere, ut intelligatur quantum alterum ab altero differat, & utrum illud dolorem vehementem excitare, id tollere possit. Sed antea oportet non ignorare, quod hactenus nemo novit ex solo argento vivo sine alicujus alterius mixtura præcipitatum efficere, semper enim aliquid cum illo miscent, cujus ope firmatur atque coercetur, ne igni expositum in vaporem, in aerem, & velut in nihilum dissolvatur. Tale communiter quidem apud omnes habetur ex argento vivo, cum aqua qua aurum ab argento dividitur, nunc aqua fortis, nunc aqua partitoris nuncupatur. Proprie vero & velut à secretis apud quosdam invenitur ex argento vivo cum auro ipso argentove in tenuissima folia diviso, apud quosdam vero (ut audio) ex argento vivo cum pulvere ex lateribus coctis: Aqua dicta à quibusdam in hunc modum paratur. *Sumunt aluminis rochæ unc. xvi. vitrioli Romani lib. ii. salis nitri lib. i. Excipiunt vase vitreo colli obtorti, oris angusti undique argilla præmunito alchymistarum more, mox aquam extrahunt.* Alii *aluminis rochæ unc. viiii. vitrioli Romani lib. i. salis nitri lib. s.* Alii *salis nitri, aluminis rochæ, vitrioli Romani ana lib. ii.* Alii *vitrioli Romani, aluminis rochæ ana lib. i. salis nitri lib. i. s.* Alii *auripigmenti citrini, floris æris, ana unc. ii. salis nitri lib. i. s. aluminis rochæ lib. ii. vitrioli Romani lib. iii. Similiter aquam conficiunt.* Communis vero præcipitati exemplum sic habet, *sumunt aquæ fortis, primo loco dictæ lib. viii. argenti vivi lib. i. s. His mixtis alchymistarum more pulverem rubrum in vasis fundo relictum, præcipitatum vocant*, sed id non potest dolorem non movere, cum tantæ aquæ fortis copia misceatur, quæ ex acribus, & rodentibus tota constitit. Alii *argenti vivi, aquæ fortis primo aut secundo loco scriptæ ana lib. i.*

Deinde præcipitatum similiter parant, id dolorem propter hujus aquæ mixturam non potest non excitare, minus tamen excitat quam antedictum. Alii *aquæ fortis ultimo loco recensitæ lib. i. s. argenti vivi lib. i.*

Mox eodem modo præcipitatum efficiunt, sed id eo magis dolorem incutiet, quo pluribus tum acribus, tum rodentibus quam priora miscetur.

Illud vero fere doloris est expers, quod hunc habet in modum, sumunt *argenti vivi per caninam pellem, ut fieri solet, sæpius transcolati & defæcati unc. viii. aut lib. i. foliorum auri aut argenti unc. i. Tum diligenter miscent, post vase vitreo excipiunt, deinde alchymistarum more cætera faciunt, quoad præcipitatum assequantur*, id certe nisi adulterium sit, dolorem affatu dignum vix unquam afferet, quippe quum nihil illi junctum sit, quod rodat, ulcera vero potissimum sanat (ut dixi) quoniam humores ab eisdem alio per interna pellit, aut retrahit, quemadmodum in unctione argenti vivi quotidie experimur, æque etiam doloris quasi expers erit, quodcunque aliud sine acribus & corrodentibus confectum, atque id ipsum quod narravimus, at si verum est, (ut à quibusdam accipio) E ex solo ipso argento vivo, absque ulla alia mixtura confici posse, id profecto & omnibus ante poni debet, & minime omnium do ore afficiet. Neque nos deterreat, quod iidem dicunt id egere longissimo temporis spatio, utputa decem pluriumque mensium & summa tum cura tum diligentia, hoc enim quo minus paretur, impedire quidem potest, sed ubi paratum est, quin magis quam alia prosit, non potest. Probus etiam Medicus ea, quæ in medicina optima sunt, procurare debet, quæ si longum tempus requirunt, providentia prius adhibita sibi comparare, ut quum offeratur occasio, tum se prudentem, utpote qui futura prospiciat, tum artem abundantem, & minime mancam esse, unde ægris salus & professoris existimatio speratur, ostendere possit, de eo igitur, quod præcipitatum modo dolorem affert, modo parum & fere nihil affert, deque præcipuo auxilio, quod urinæ suppressionem ex caruncul is auctis, ubi breve spatium est, prohibet, hæc satis sint, alii vero adversus id malum multa peculiariter invenerunt. Aliqui enim. *Sumunt olei amygdalarum dulcium unc. i. ceræ albæ scrup. iiij. cerussæ lotæ, præcipitati ana scrup. ij. Unguentum ex his efficiunt*, deinde candelam inungunt, & in canalem immittunt, si præcipitatum, quod ei admiscetur, tale est, quale vulgus usurpat, nulla ratione admittendum est, sin quale nos diximus. innocuum erit, & doloris exsors, & salutare. Alii *sumunt minii naturalis unc. s. ceræ parum, mellis albi cocti q. s. subinde ceratum construunt.*

Alii loco *minii naturalis cinnabarim factitiam* ponunt, Butrumque tamen, ubi dolores insignes non moveat, experiri licet, qu madmodum etiam (si æger patitur) per fistulam argenteam, aut cannulam in virgæ canalem immissam suffi nenta omnia ex cinnabari quæ super recensuimus.

Aliqui oleo vitrioli caruncul am tangunt, sed id dolorem insignem movet, & sæpe inflammationem malumque geminat, sic etiam lædit, *oleum aut tartari, aut sulphuris & hujusmodi.* Tale quoque est quod hunc in modum parant. Accipiunt enim *æruginis, auripigmenti, chalcitidis, id est, vitrioli, aluminis rochæ ana drach. ii. Perfundunt aceto acerrimo, mox inter duos lapides marmoreos sub sole diebus octo accuratissime terunt, & in pulveremredigunt*, hoc est, sub sole quotidie perfundunt, siccant, terunt, donec partium summa tenuitate acquisita omnem fere acrimoniam & mordacitatem amiserint, postea sumunt, *hujus pulveris, lithargyrii ana unc. ii. olei rosacei unc. iiij. Subinde diligenter miscent, donec in emplastri consistentiam coëant*, mox candelæ partem, (ut diximus) hoc involvunt & virgæ canalem immittunt. Id sub nomine Philippi ex Hispania ulteriore, qui nostra ætate complures ab hoc malo vindicabit, à multis celebratur, utrum revera sit id, quo ille utebatur nemo certe novit. Aliqui *capiunt, æruginis ustæ, antimonii usti ana drach. s. præcipitati scrup. i. emplastri Diachylon q. s. Ad commiscendum*, deinde candelæ (ut dictum est) indunt.

Aliqui *aluminis usti q. s.* candelæ circa summitatem admiscent, id cujusdam, qui ob id solum experimentum in magno pretio apud nos habetur, esse dicunt, quum vero alumina omnia exterant, quæ claritati oculorum officiunt, palpebrarum carnosa vitia, aliasque carnium excrescentias absumant, exedentia compescant, mirum non est, si tum virgæ, tum veticæ, quæ oculis fere pares sunt quoad sensus perspicaciam tantopere opitulentur, aliqui illud esse asserunt, quod habet. *unguenti resini, unguenti apostolorum ana drach. i. unguenti Ægyptiaci drach. s.* plus minusve, prout dolorem magis minusve movet.

Aliqui *oleo amygdalarum dulcium*, candelam prius ungunt, mox in virgæ canalem immittunt, ut carnem adnatam macerent, & aliquantum ante putrefaciant, sic enim dicunt. Postea *capiunt unguenti diapompholygos unc. i. squamæ æris ustæ ac lotæ drach. ij. plus minusve miscent*, candelæ adjiciunt, & similiter utuntur, huic mixturæ vis est moderate refrigerare, mollire, corrodere, extenuare, & carnium excrescentias compescere, tempus tamen & spatium aliquod ad auxiliandum requirit. Aliqui *sumunt pulverem foliorum sabinæ, aut radicum hellebori nigri drach. ij. diachylon magni drach. i.*

Hac mixtura candelam signata parte involvunt, mox canali indunt. Utrumque an id præstet, quod pollicetur, suspectum est quemadmodum & illud quod recipit *antimonii cremati drach. i. corticis cucurbitæ usti scrup. i. mellis excocti cerati q. s. cerati modo.*

Vis enim huic propter *antimonium* quidem est carnium excrescentias compescere, & ulcera ad cicatricem perducere, sed ubi mal m celeritatem requirit, aut parum aut nihil prodesse potest.

Quemadmodum pulvis proxime scribendus, quem tantopere prædicant, si in virgam injiciatur, aut per caruncul am insufflatus, aut cum liquore aliquo mixtus, dicunt enim rodere carnem absque ullo dolore, tutioremque esse, quam præcipitatum, fieri vero ex fece mellis distillati, aut ex melle (ut ferunt) calcinato. Tale quoque est quoad agendi tempus, quod habet *hujus pulveris unc. i. stercoris canis unc. ii. tartari ex vino albo drach. s. sacchari optimi drach. i. aluminis rochæ usti, tutiæ ana scrup. iiii. ceræ viridis, mellis rosacei ana unc. vi. succi foliorum olivæ, succi foliorum plantag., ana q. s. ad linimentum. Liquidissimum*, ut facile possit in virgam injici, diximus de præsidiis, quæ uri-

urinæ ſuppreſſionem ab ulcerum virgæ veſicæque caruculis ortam ſummovere queunt. Ad urinæ ardorem accedamus.

## CAP. XIV.

### *De urinæ ardore.*

Licet itaque ardor urinæ multis de cauſis gignatur, in hoc tamen caſu, vel quia ulcera carne nuda ſunt, & minime calloſa, vel quia carne aliqua nova ſupercreſcente perſpicaciorem ſenſum ſortiuntur, gigni ſolet, utrovis modo contingat. Indicatio eſt ſenſum ipſum, ſi nimius ardor infeſtat, ante omnia leniter obtundere, deinde carnem auctam diminuere, nudam cicatrice obducere, quibus ſi ſordities ſanieſque conjuncta fuerit, abſtergere ſimul atque ſiccare: ſenſum modice hebetabit, *lac* ipſum & epotum (ut ante diximus) & per oricularium clyſterem injectum, *lac* item *ſeminum peponis, cucumeris, citrulli, cucurbitæ cum aqua hordei.* Aut *ſume mucilaginis ſeminum pſyllii unc. ſ. decocti lactucæ unc. v. ſyrupi violacei unc. i.* B Aut *albumina duum triumve ovorum recentium, ſacchari violacei, quod candum vocant unc. ſ. decocti glycyrrhizæ unc. vj.* aut *ſyrupi nenupharini unc. ii. ſ. decocti radicum althææ unc. v. gummi tragacanthi drach. ſ.* aut *ſyrup. de papavere unc. i. ſ. lactis aſinini unc. vj.* aut *trochiſcorum alkekengi ſcrup. ij, decocti florum violarum unc. vj. ſyrup. de jujubis unc. ſ.* aut *ſume quatuor ſeminum frigidorum majorum mundatorum ana unc. ſ. gummi Arabici, tragacanthi ana drach. i. ſ. ſeminum portulacæ, ſeminum papaveris albi ana drach. ij. ſantalorum rubeorum drach. ſ. ſ. ſeminum hyoſciami albi drach. ſ. Fiant trochiſci cum mucilagine ſeminum pſyllii, deinde dictorum trochiſcorum drach. ſ. ſyrup. de ſucco cucurbitæ unc. ſ. decocti radicum nymphææ albæ unc. v.*

Hæc omnia tum ſeorſum, tum invicem commixta ſimul mane in aurora per plures dies propinari poſſunt, & per oricularium clyſterem quotidie ſæpius injici, modo tamen calida injiciantur. Quidam injiciunt *oleum roſaceum, oleum nymphæatum, oleum è ſemine cucumeris, citrulli, peponis, è ſemine lactucæ, oleum violaceum,* item *lapidis hæmatitis diligenter triti unc. ſ. lactis muliebris unc.* C *ii.* Deinde *decocti ex floribus aut ſemine hyoſciami albi unc. ij. ſyrup. roſacei unc. ſ.* poſtea *oleum ex papavere, oleum mandragoræ,* & tandem *decocti capitum papaveris albi lib. ſ. amyli drach. i. ſucci glycyrrhizæ unc. ſ. opii ſcrup. i.*

Horum quoque vice accipere quædam licet ex his, quæ paulo ſuperius ad dolores mitigandos conſcripſimus, cum quibus de urinæ ardore finem nunc faciemus.

## CAP. XV.

### *De ulcerum veſicæ, & virgæ canalis curatione.*

Eas vero indicationes, quæ abſtergendum & ſiccandum ſuadebant, nunc opportunum eſt perſequi, ubi de ulcerum curatione compendiarius ſermo fit. Quippe hæc remota gonorrhœa, ſublata urinæ ſuppreſſione, lenito ardore nihil aliud nobis indicant, quam ſorditiem abſtergere debere, ſaniem, qui ſuccus tenuior eſt, ſiccare, carnem præter naturam auferre, demum ad cicatricem perducere. Neque aliud peculiare poſtulant ulcera illa, quibus præ- D ſentibus gonorrhœam, alioqui per ſe facile curabilem, perſeverare dicebamus, de quorum quoque curatione nos proxime ſcripturos eſſe promiſimus, verum & horum & reliquorum curam abſolvemus, ſi his quæ adverſus carnis extuberationem, quæ in his ulceribus oritur, propoſuimus, moderare utamur. & deinceps cætera, quæ ad horum conglutinationem faciunt, perſequamur. Præter hæc vero quidam injiciunt *viridis æris drach. i. aquæ ſeniculi unc. viij.* aut *aquæ plantaginis lib. i. ſ. ſalis ammoniaci drach. iii. viridis æris drach. ii. tutiæ drach. i. Hæc mixta ſimul per integram diem, ac noctem vaſe ex aurichalco continent, ſubinde adminiſtrant.* aut *aquæ plantaginis lib. i. alumînis rochæ unc. ſ.* aut *aloes hepaticæ drach. i. tutiæ præparatæ drach. ij. æruginis uſtæ drach. i. ſ. ſacchari unc. ſ. camphoræ ſcrup. ſ. aquæ plantaginis & roſaceæ ana lib. ſ.*

Hoc auxilium apud aliquos in frequenti uſu eſt, & ſæpe juvat. Aut *unguenti apoſtolorum ſive emplaſtri, quod ſis epigoni dicitur q. ſ.* deinde candelam parte, qua ulcus tangere debet, illinunt, mox virgæ immittunt, ſubinde decoctum injiciunt, quod habet. *Radicis centaurii majoris unc. i. glycyrrhizæ unc. i. ſ. paſſularum, hordei ana* E *man. ſ. mellis deſpumati unc. ii. aquæ ciſternæ q. ſ.* poſtremo & hoc quod conſtat, *ex aquæ limacum, aquæ malvæ, aquæ ſiliquæ, aquæ florum, ſabarum ana unc. iii.*

Viciſſim vero imponunt, ſed primo candelam, ſecundo *centaurii decoctum*, tertio *limacum, malvæ, ſiliquæ, ſalſæque aquarum mixturam:* conferunt hæc duo, ut opinantur, potiſſimum ulceribus glutinandis, ſicut etiam ubi ſumunt. *corticum granatorum, balauſtiorum, myrtillorum ana unc. ſ. foliorum plantaginis, florum chamæmeli, roſarum ana man. ſ. radicum ſymphiti petræi, tormentillæ, (pentaphylion quidam vocant) ana unc. i. thuris, maſtiches, aloës, pulpæ tamarindorum ana drach. ſ. aquæ roſ. vini nigri ana q. ſ. Coquunt ſ. a. poſtea decoctum pro more inijciunt,* cætera, quæ detergunt ſiccant & ad cicatricem perducunt, ab aliis authoribus petenda ſunt, qui volumina his refertiſſima reliquerunt.

## CAP. XVI.

### *De rhagadiis, & apoſyrmatis, ſive fiſſuris, rimis, & deſquamationibus manuum, pedum, labiorum, papillarum, præputii, vulvæ.*

Satis de cura ulcerum, & veſicæ, & canalis virgæ. Sequuntur apoſyrmata, rhagadiaque (fiſſuras rimas & deſquamationes vocant) manuum, pedum, labiorum, papillarum, præputii, vulvæ.

Hæc omnia, tanquam impreſſa nota, morbus Gallicus diſcedens reliquiſſe videtur, perinde ac in ea decubitum, ſive abſceſſum fecerit, ut Apoplexia in paralyſim, aut comitialis in alicujus particulæ tremorem, aut convulſionem, adeo ut alia ſigna quærere utrum Gallica ſint, vanum exiſtat, licet quidam ex eo velit Gallica eſſe, quod cœparum & aliorum eſu ſtatim recrudeſcant, gravioraque fiant, ac ſi reliqua hujuſmodi, quæ aliunde quam a lue Gallica naſcuntur, acrium ciborum uſu nequaquam exacerbarentur. Si ergo hæc ipſa penitus tollere tentaverimus, ſæpenumero uſu venit, quod ſuccus vitiatus, qui per eadem expurgatur, intro revertens per univerſum corpus luem Gallicam innovet, ſicuti ſublata nota, quam comitialis reliquit, ſtatim ille redire conſuevit. Verum ſi hæc eadem aut valde moleſta, aut nimium turpia fuerint, ita ut omnino curationem requirant, purgare corpus iterum atque iterum, prout tertio libro docuimus, & antequam curentur, & dum curantur, & poſtquam curata ſunt, oportet, alioqui aut revertuntur, aut malum intus multo C gravius excitant, quamquam enim exigui affectus eſſe videntur, poteſtate tamen vehementiſſimi exiſtunt, ſed ut id facilius evitetur, conducet purgato corpore, antequam alia remedia moliamur, cucurbitulas ſeu vocatas cornetulas volis manuum & plantis pedum affectis adhibere, mox ſcarificare & rurſum per caſdem attrahere, ut omnis pravus humor, qui in particula reſedit, foras evocetur, id quod per ſanguiſugas etiam & alia hujuſmodi facere conveniet. Ad manus igitur & pedes, & ſimilitudinis ratione ad reliquas corporis partes, quæ ſic afficiuntur, multa quidem invenio, ſed credo quo pejus id malum eſt, minuſque facile vincitur, eo plura eſſe tentata, quæ in perſonis varie reſponderunt. Valent vero ea omnia, quæ ad ulcera faucium & penis & puſtulas tum faciei, tum capitis recenſuimus: plurimum quoque valet. *oleum tritici, oleum ex vitellis ovorum, oleum (ut dicunt) ex tartaro.*

Tum per ſe, tum mixtum, neque non *præcipitatum,* & *aloë ipſa* præſertim ſi ulceratio carne aliqua ſuper excreſcente affuerit item *acetoſæ decoctum. Aqua fabrorum ferrariorum,* quo magis & nigra & turbida eſt. *Aqua quæ* D *decidit ex cote, qua cultelli acuuntur, & enſes; fabulum quod in figulinis vaſis aquam Tiberinam Romæ continentibus invenitur. Aquæ maris.*

Prodeſt item præcipue, ubi pruritus abeſt, decoctum id quod habet *hordei man. iii. roſarum rub. ſiccarum man. ſ. ſ. aluminis rochæ unc. ſ. plus minusve, aquæ communis q. ſ. Deinde coquantur ſ. a.*

Hæc vero ſingula profunt illita, ſed aliqua etiam ſuffitu.

Quidam ſuffimentis tantum utuntur, quorum aliqui ſumunt. *phaſeolorum, ſabinæ ana partes æqual. aquæ q. ſ. Una coquunt,* deinde pluribus diebus affectas partes ſuffiunt, id enim ſecuriſſimum eſt, & multis profuit.

Idem fere eſt celebratiſſimum illud, teſtimonio nobiliſſimæ meretricis, quod habet. *phaſeolorum lib. ii. ſabinæ man. ii. aquæ quod ſatis ſit.* Aliqui *aſcipiunt galangæ, caryophyllorum, piperis ana unc. ſ. Fructus cupreſſi contuſos, tres quatuorve, aceto acerrimo ſimul omnia coquunt, poſtea* E *ſuffiunt.* Nonnulli capiunt *foliorum, caulium, urticæ ana man. i. radicum inulæ unc. i. aquæ communis q. ſ. ſimul coquunt, & poſtea ſuffiunt,* deinde pannis lineis exſiccant, mox alteri ſuffimini ſubjiciunt, in quo ſunt. *zinziberis, caryophyllorum, arſenici, ana unc. i. foliorum hederæ, thymi, epithymi ana man. ſ. Aquæ communis quod ſatis ſit,* ita vero per plures dies mane & ſero ante cibum quotidie experiuntur.

Quidam *ex ligno lentiſci* ſuffimentum adhibent. Quidam *ex hyoſciami ſemine,* ſed id tum præcipue ubi uſu alio-

liorum medicamentorum manus, aut pedes inflammatione aliqua infestantur.

Quidam *solearum retrimenta capiunt ad libras usque tres. vervecis caput unum., radicum althææ, libr. i. foliorum malvæ man. v. aquæ q. s. Coquunt simul omnia quoad caput dissolvatur*, postea pluribus diebus hoc decocto affectas partes suffiunt, & hoc eodem subinde lavant, sed hæc ubi malum vel sua natura leve est, vel incipit, vel ubi multis & variis medicamentis attritum, & fere devictum est, prodesse solent, sequentia, & ubi validum, & ubi debile malum est, passim auxiliantur, majoris tamen & minoris facultatis, ratione inter se differentia. Id genus est quod habet *foliorum malvæ, fumi terræ, Helxines (parietariam dicunt) ana man. s. radicum althææ, symphyti utriusque ana unc. iiii. aquæ communis q. s.*

Primum coquunt, postea partes affectas his calidis lavant, deinde unguento illinunt, quod habet *albumina duum ovorum, aluminis usti drach. s. sevi hircini unc. s. sublimati scrup. ii.*

Si præterea mordicatio, vel inflammatio aliqua sequatur, tum *butyro recenti, & loto* dictas partes identidem ungunt. Aut sumunt *foliorum oxylapathi man. ii. malvæ man. i. radicum althææ, lapathi ana unc. i. aquæ hordei lib. iiii.*

Hoc decocto similiter fovent, deinde *sublimati drach. i. succi limonis unc. ii. vase, quod vitro oblitum sit, excipiunt, super cineres calidos locant, quoad succus exsiccetur, secundo & tertio & quarto idem faciunt, postremo sublimatum idem similiter terunt, admiscentque aquæ ros. moschatæ unc. iii. itidemque parat, donec omnis aqua absumatur, quibus actis sublimatum rursus terunt, mox addunt olei amygdalarum dulcium, olei rosacei, ceræ albæ, ana unc. i. butyri recentis, sevi hircini ana unc. s. cerussæ lotæ, lithargyrii loti ana drach. i. s. Mox hoc unguento illinunt*, aut eo, quod habet *trochiscorum Andronis drach. ii. unguenti ros. Mesuæ q. s.* Aut *alio, quod constat ex squamæ æris præparatæ, squammæ ferri præparatæ ana drach. i. s. lithargyrii cerussæ ana unc. s. olei myrtini, rosacei ana unc. iii. coralli aloi, terræ armeniæ orientalis, lapidis hæmatitis, cerussæ gallarum ana scrup. i. olei myrtini, ut ne durescat q. s.*

Est etiam proficiens in his malis post dictam lavationem membra illinere unguento, quod ex his constat. *olei ros. ceræ ana unc. iii. sevi hircini unc. i. succi hircini unc. i. succi rapi, aut napi unc. vj. Buliant ad unguenti consistentiam*, id vero non solum his prodest, sed ulceribus omnibus, quæ frigida hvems, tum in his particulis, tum in reliqua cute vel in calcaneo movere solet.

Quidam mane & vesperi ante cibum manus pedesve diu fovet hoc decocto, quod habet *foliorum malvæ, violarum, radicum lapathi, radicum althææ ana man. ii. vervecis caput unum aquæ quod satis sit. Coquit quoad caput dissolvatur*, subinde utitur, postea ut manus fovit & mollivit, ita singulis quoque vicibus tum ungit hoc unguento, quod habet *olei amygdalarum dulcium, rosacei axungiæ porcinæ colatæ, ana unc. i. cerussæ, hydrargyri extincti ana drach. s. ceræ albæ unc. i.*

Si calli non cedant, ubi prædicto decocto aliquantulum molliti fuerint, aut novacula radit, aut tela aspera fricat, ita ut sanguis copiosus prodeat, tum *aqua ex alumine & sublimato supra descripta tangit*, ubi siccatur *trochisco Andronis diluto cum vino mali punici vel syrupo myrtino illinit.*

Si hæc non juvant, *coquit hordeum quoad rumpatur, mox lapathi folia addit, sacculo includit, utraque, deinde super hunc valde calentem, volas manuum, plantasque pedum ponit & fovet*, postea illinit unguento, quod habet. *olei rosacei completi, butyri recentis ana unc. i. cerussæ drach. ii. terebinthinæ lotæ unc i. Sublimati supra marmor pictorium molliti, & succo limonum loti scrup. ii.*

Sed si ægrotantes incidere velint, tum solea ex hoc cerato conficiunt, & pedibus supponunt, constat id ex *ammoniaci præparati, galbani ana drach. vi. thuris, mastiches, aloes, cerussæ, ana drach. s. pinguedinis ursi, taxi, suis ana unc. i. terebinthinæ, resinæ pini ana unc. olei ros. completi unc. ii. auripigmenti, chalcanthi, alumnis rochæ ana drach. ii. s. argenti vivi extincti unc. i. ceræ q. s.*

Si hæc non prosint, suffitione utitur, sed primum mollire tentat prædicto decocto, postea *sapone nigro*, quod callos attenuet, & dissolvat, fricans inungit, & una hora post lixivio abluit, subinde suffimentum adhibet, quo ferme omnes liberari tentatur. Id constat *ex cinnabaris, auripigmenti, sandarachæ Græcorum ana unc. i. præcipitati unc. s. ligni aloes, gummi juniperi, styracis sicci, belzuini, myrrhæ, thuris, ana drach. ii.*

Post hunc suffitum affectis partibus *andronis trochiscum, aut ceratum* nunc proxime descriptum imponit.

Expeditius ad eadem quidam putat, si quis primum lavatione utatur quæ habet. *Radicum althææ, malvæ ana unc. s. foliorum malvæ, violarum ana man. i. sevi arietini lib. s. Decocti ex capite castrati q. s.* deinde panno aspero diligenter exsiccet, postea aquarum aliqua ex his, quas cum *sublimato* confici tradidimus, singula ulcuscula privatim tangat, atque ita pluribus diebus agat. postea vero sumat. *caulium veterum man. ii. auripigmenti tenuiter triti unc. ii. pinguedinis equinæ lib. s. aquæ communis q. s. Coquat, & interim horum vapore calenti affectas partes madefaciat*, post cujus usum linimento inungat, quod habet *olei sesamini, aut amygdalarum dulc. lib. s. polypodii quercini recentis per secerniculum cribrati unc. ii. s. coquat & colet, colato addat lithargyrii aurei, antimonii, plumbi usti, cerussæ, tutiæ præparatæ ana unc. s. succi radicis oxylapathi, chelidoniæ ana unc. i. Ad unguenti consistentiam redigat, cui si sublimati grana v. aut vii. adjunxerit multo potentius reddet.* Prodest etiam linimentum, quod fit *ex lithargyrii, cerussæ lotæ, ana unc. i. s. olei rosacei unc. ii. aceti acerrimi q. s. in mortario plumbi confictur.* Item *aliud ex radicum lapathi, chelidoniæ ana unc. i. aluminis usti, salis communis ana drach. ii. s. axungiæ porcinæ salitæ & rancidæ unc. iiii. succi plantaginis q. s.*

Valentque ad idem est, sed apud ignem ut intro subeat illitum, quod constat *ex axungiæ porcinæ antiquæ expurgatæ unc. iii. tartari, thuris ana unc. s. argenti vivi diligenter extincti unc. ii. succi absinthii q. s.* Aut *axungiæ ejusdem unc. iiii. aceti acerrimi unc. ii. s. argenti vivi extincti unc. ii.* Aut *sevi castrati, medullæ bovis ana drach. ii. succi salviæ unc. i. s. argenti vivi exstincti unc. ii. thuris drach. vi.*

Aliqui manus pedesque mane & vesperi ante cibum dimidia hora fovent decocto, quod habet. *foliorum malvæ, violarum, caulium ana man. i. radicis althææ unc. i. s. pinguedinis hirci, anseris, ana unc. i. seminum lini, fœni græci, ana unc. s. aquæ quod satis sit.*

Deinde tela leni exsiccant, mox aspera valde fricant, & ungunt linimento, quod habet *pinguedinis anseris, axungiæ suillæ, ana unc. i. argenti vivi diligenter exstincti unc. s. masticches, gummi Arabici, colophoniæ ana scrup. s. olei laurini quod satis sit.* Aut *saponis vocati fiat unc. iiii. argenti vivi exstincti unc. s. sublimati drach. i.*

Sed quoniam argentum vivum deturpat, magis eligunt id, quod habet *saponis unc. i. sublimati scrup. i.* interdum etiam hoc, quod fit *ex oleo amygdalar. dulcium, olei liliorum alborum ana unc. iiij. polypodii triti unc. ii. radicum althææ unc. i. Coquunt in aqua, deinde colant, mox addunt. lithargyrii aurei, plumbi usti, tutiæ præparatæ, antimonii, cerussæ, alcyonii ana drach. iij. succi radicum althææ, rumicis, chælidonii ana unc. i.*

Postea diligenter commiscent, adjungendo *sublimati grana xv. ad unguenti consistentiam.* tradunt præterea hoc linimento, si manus & alia sic affecta membra inunganter, ab omnibus rimis & desquamationibus, & callis mirabiliter vindicari, verum ubi nocte unctionem tulerint, lavari debere hoc decocto. *ex aquæ cisternæ lib. iiii. vini albi libr. ii. rosarum rub., capillorum veneris, aluminis rochæ ana unc. s. Coquunt ad libras duas, & subinde lavant.*

Denique plerique experti sunt, atque id felici cum successu, quod constat ex *gummi Perfici, aceti acerrimi liquati drach. i. s. sulphuris vivi drach. s. succi cepæ q. sufficit ad unguenti consistentiam.*

Hactenus de auxiliis adversus desquamationes, atque asperitates, sive in manibus, sive in pedibus, sive in aliis corporis partibus sint. privatim vero ad rimas labiorum, & papillarum quædam alia inventa sunt, quale est, quod fit *ex olei amygdal. dulcium unc. i. s. zinziberis scrup. i. camphoræ scrup. s. ceræ rubræ q. s.*

Quidam *sevo hœdino* tenuiter ungunt, subinde *pulverem aut florum geniste, aut aluminis rochæ usti insperguntur*, sed hic per aliquod tempus non levi afficit dolore. Non injucundum est unguentum quod habet *myrrhæ drach. s. lithargyrii unc. s. caryophyllorum scrup. i. mellis & olei rosacei q. s.* aut quod constat ex *myrrhæ drach. i. zinziberis scrup. i. lithargyrii drach. s. ceræ virginis, olei communis, mellis communis ana q. s.* neque minus valet, quod habet *succi solani hortensis unc. iii. aquæ rosaceæ succi semper vivi ana unc. i.*

Hoc sæpissime illinunt, postremo *aqua hordei* lavant.

Alii inungunt oleo, quod circa ferreum palum, super quo mola movetur invenitur, deinde ceram rubram imponunt. Id quoque genus est eadem affectas partes sordidie aurium illinere, aut lateribus calefactis, mox tela linea involutis ante suffire, postea *ceræ rubræ, olei rosacei ana drach. ii. cepa incoquere, mox extracto liquore inungere.* Aut *decocto foliorum olivæ plantaginis, & florum rosarum.* Primo lavare papillas aut labra, deinde pannis lineis exsiccare, mox inungere hoc quod habet *vitellos duum ovorum recentium, ceræ novæ drach. ii. olei rosacei unc. s. tutiæ præparatæ cum aqua ros. drach. i. s.* Alii *decocto aluminis rochæ ex aqua communi* prius lavant, deinde

de illinunt ungento, quod habet *olei nucum unc. i. sevi hœdini, ceræ virginis ana q. s.* Præcipue vero ad papillas utuntur aut *succi plantaginis, succi solani ana unc. i. s. tutiæ præparatæ unc. s. lithargyri lotæ drach. ii. s. ceræ parum. in mortario plumbi ad unguenti consistentiam redigunt.* & subinde utuntur.

Quidam quoque in manuum rimis, & desquamationibus speciatim docent prius lavare, deinde fricare manus hoc modo. *capiunt radicum althææ, malvæ ana unc. i. furfuris man. s. aluminis rochæ drach. ii. aquæ communis q. s.* Atque hoc decocto lavant, postea sumunt *farinæ lupinorum, fabarum, hordei, ana unc. ii. tartari unc. i. s. radicis ireos unc. s.*

Pulverem conficiunt, quo, postquam laverint, fricant, interdum pluribus diebus mane & sero unguento illinunt, & post illitum siccari permittunt, quod habet *gummi Persici unc. ii. viridis æris unc. s. succi lapathi parum.* Postquam siccatum est, lavant destillatitio, in quo sunt *lactis lib. iii. medullæ panis calidi lib. i. aquæ cucurbitæ lib. ii.*

Ex his vero licet aliqua privatim ad manuum, papillarumve affectus instituantur, sunt tamen singula quoque, & aliis ut puta pedibus & labris, & peni, & ano, & vulvæ utilia, prout quisque uti noverit, quocirca quemadmodum ad unam, aut duas harum particularum dicta remedia scripsimus, ita ad omnes & singulas scripta esse putandum.

## CAP. XVII.

### *De gummositatibus contumacibus.*

Sed tempus est ad gummitiones transire, quæ relinquuntur tanquam immedicabiles, post usum singulorum auxiliorum, quæ totum corpus à Gallica lue vindicare consueverunt. Itaque gummitio postquam magnis auxiliis, quæ totum corpus curant, non obedivit, considerandum est primum doleat an non, si non dolet, quia superna cutis, nisi admodum laxa sit, ut in bronchocele, tumorem valde extendi plerumque prohibet, & interdum retroverti, sponteque minui, aut omnino consumi cogit, satius est eam, qualis est, ferre, quam aliis curationibus irritare, nisi forte aut vehementer impediat, aut insignem deformitatem afferat, quippe cum ante tanta cum diligentia, studio, & cura tolli nequiverit, indicium est labis Gallicæ vitium adhuc intus inesse, & illuc ferri quidem, sed subsistere, quia cutis dura, aut aliquid tale obstat, deinde cum aut in carne aut in osse sit, tum in hac, tum in illo erit, aut re aliena super accedente, aut non aliena sed simili, ut puta illic quidem carne sola adaucta, hic etiam osse, accidit enim persæpe sicut caro naturalis præter naturam augetur, ita hos naturale præter naturam exacrescere, quemadmodum cujusdam nobilis Romanæ exemplo hac nostra ætate restari licet, utrovis igitur modo contingat, postquam celebratissimis præsidiis minime paruit, & difficile & periculosum est illam summovere, loco namque aperto, siquidem res aliena subest, ut antequam aperiretur, quiescebat, ita diviso tumore, quasi referatis foribus, mirum in modum exagitatur, materiaque altera exeunte, & altera, quæ intus turgebat, illuc invicem prorumpente malum ipsum geminatur, multoque deterius redditur, hinc carnea gummitione dissecta, ulcera latiora, ossa vero caries ampliata aut quid tale, in utraque pertinax ad curationem rebellio.

Sin res similis subest, quia natura hujus voti nunc est, ut carnem aut os in ea parte augeat quo magis curas, eo magis excitas quiescentem, & ad augendum irritas: adde quod ubi secueris, quum natura forte ab auctione desistere potuisset, membrana exteriore, aut hujusmodi aliquo ampliationi reluctente, nunc illa incisa, nihil prohibebit, quominus in majorem atque pejorem molem se extendat, unde ulcera immedicabilia, & teredines insanabiles, atque hæc, quod relictæ gummitiones, quoad fieri potest, curari non debeant.

Sed si dolor ingens, aut deformitas, aut impedimentum ad aliqua necessaria urgeat, primo diligenter animadvertendum est, ut antequam gummitio curetur & dum curatur, & postquam curata est, corpus ipsum sæpius expurgetur, ut ipsa frequens per alvum evacuatio Gallicam labem, quæ alioqui intus obest, in consuetudinem hinc discedendi, & per alvum exeundi deducat, deinde ceratis quibusdam, quæ ex argento vivo (ut ante retulimus) constant tentandum gummitionem dissolvere, aut exteriorem cutim sinapismo, aut aliquo hujusmodi auxilio, quod ex alto ad superficiem extrahat, (rubificans aut vesicatorium nostri vocant) inductis pustulis exulcerare, vel cruento calore suffundere. Interdum enim id ab imo ad extimum evocato succo magnopere prodesse solet, tale nunc *fit ex unguento resino, & sublimato*, nunc *ex fermento cum cantharidibus, & modico tum croco, tum aceto*, quibus si non obedit tum quidem aperire licet, non cauterio (ut dicunt) potentiali, materiam enim, quæ quievit, commovere, & quæ in malignitatem proclivis est, in hanc eandem impellere solet, sed ferro candenti, quod naturæ aut morbi impetum (quemadmodum de igne supra docuimus) coerceat, & retrocedere cogat, postea, sicut in aliis hujusmodi malis præceptum est, facere. Quidam vero *althææ radicem in aqua ardenti* (sic enim vocatur) *macerat*, & hoc medicamento tales gummitiones illinit, ut discutiat, id quod & mollit, & discutit, nunc emplastrum particulæ imponit. Quod habet *olei laurini, mastichini, chamæmelini, ana unc. i. ammoniaci, sagapeni, bdellii ana drach. i. s. myrrhæ drach. i. terebinthinæ drach. ii. ceræ q. s.*

Nunc *scorpionis oleum cum oleo amygdalarum amararum commistum*, nunc *antiquissimam aliquam pinguedinem gallinaceam, aut suillam*, nunc *medullam ex perna salita*, torret enim os super craticula, mox ex osse tosto medullam eripit, nunc Galeni medicamentum, quod x. de simpl. ad tophos in articulis instituit, *crure suillo salso decocto, caseum veterem & acrem & decocto macerat, & probe in mortario subigendo, miscendoque, his gummitionibus imponit*, nam sicut hujus medicamenti usu quotidie citra dolorem (ut ibi Galenus inquit) tophorum particulæ rupta sponte sua cute absque incisione videlicet effluxere, ita gummitionibus accidere opinatur, postremo *ad oleum viperinum*, quod supra descripsimus *cum sevo hircino aquæ portione mistum* se confert. De cura gummitionum, quæ post usum magnorum auxiliorum, utpote maxime contumaces supersunt, sic dictum sit.

## CAP. XVIII.

### *De corruptis ossibus.*

Corruptum os tum quod his gummitionibus subesse solet, tum quod nullis remediis generatim adhibitis cessit, primo fere pingue fit, deinde vel nigrum, vel cariosum, qualia supernatis gravibus ulceribus, aut fistulis, hisque vel longa vetustate, vel etiam cancro occupatis eveniunt. Oportet autem, modo locus apertus sit, ante omnia os nudare ulcere magis excisо, & si latius ejus vitium est, quam ulcus fuit, carnem subsecare, donec integrum os undique pateat, tum id, quod pingue est, semel iterumve satis est admoto ferramento adurere, ut ex eo statu secedat, aut eradere, donec jam aliquid cruoris ostendatur, quæ integrioris nota est. periculosum vero apud quosdam est adurere cranium, vertebras, costas, & spongiosa ossa, sed reliqua sine gravi noxa etiam usque ad medullam, licet finis quoque radendi adurendique est, quum vel ad album os, vel ad solidum ventum est, albo enim finiri ex nigritie vitium, soliditate quadam ex carie manifestum est, denique quod totum vitiatum est, totum eximendum est, quale est cubiti, radii, tibiæ, & id genus aliorum, femoris tamen, capitis, aut coxæ, aut vertebræ alicujus minime, si inferior pars integra est, eatenus quod corruptum est, excidi debet. Neque audiendi sunt, qui osse nudato diem tertium expectant, ut tunc excidant, ante inflammationem enim tutius omnia tractantur. Itaque quantum fieri potest eodem momento, & cutis incidenda est & os detegendum, & omni vitio liberandum est, sed os quoque rasum totum levandum est, ut sine noxa postea caro cutisve increscat, quæ aspero ossi innascens, non sanitatem, sed novos dolores movet. Hæc vero quamvis maxime conveniunt capiti, tamen cæteris quoque ossibus communia sunt, ut ubicunque idem incidet, sive caries, sive nigrities, eodem remedio sit utendum. Quidam medicamentis os extrahere tentant, sed hæc cujuscunque fortis existant, neque cariem, neque nigritiem per se auferunt, quinimo inducunt, quippe quæ os innato calido privantia, id amplius aut nigrum aut carioſum reddunt, sed eatenus juvant, quatenus, quod ante vitiatum est, ne id quod circinum atque integrum est sua qualitate ulterius viciet, prohibent: prohibent vero, quia integrum os alia vitii specie, quam ea, qua alterum afficitur, corrumpendo, faciunt ut obnixe adhæreat integro, quo fit, ut vitiatum ab integro eximi facile possit. Juvant etiam, quia ubi os neque radere, neque urere licet, nihil vero aliud mali habet, quam quod denudatum est, & ab alio osse amoveri debet. Ubi enim hujusmodi medicamentis exsangue factum est, & nutriendi facultate privatum, tum facile ab altero osse discedit. Juvant præterea, quia ossis discessum accelerant, quem alioqui natura in longum tempus differre consuevit, multo enim citius & sanguinem siccant ex osse, & nutriendi vim illi adimunt, quod vero citissime reliccatum, ac testaceum est, ex hoc facto celeriter dimittitur ab alio osse, quod sanguinolentum, ac vivum exitit, & quum exsangue & siccum sit, à sanguinolento & vivo sponte discedit.

dit. Itaque omnia id genus medicamenta innatum offis calidum exſtinguunt, ſed aliqua (ut quidam volunt) extreme refrigerando, ut *papaverum omnis materia*, *Hyoſciami folia ſemenque*, *mandragoræ radix*, & *hujuſmodi*, aliqua valde calefaciendo, ſiccandove. Illa (ut arbitror) ratione potius, quam experimento comperta ſunt, alioqui ſuperficie tenus calidum exſtinguere quidem poſſunt, ſed ubi in altum ſubire oportet, ſua frigiditate ſibi ipſis viam præcludere veriſimile eſt. Communiter vero omnes fere laudant *radicem peucedani*. *Iridis communis*, *Ariſtolochiæ tum longæ tum rotundæ*, *opopanacis radicem*, & *ſuccum*, *radicem quoque gladioli*, *bryoniæ*, *aſphodeli* (*haſtulam regiam dicunt*) *radicem majoris* & *minoris dracunculi*, *betonicæ folia recentia*, *deinde contuſa*, *vermium terreſtrium cinerem*, ad hæc *ſagapeni vulgaris lacrymam*, *æris ſquamam exuſtam*, *æruginem*, *oleum fervens*, *ſulphur ignitum*, *ſulphuris oleum*, *vitrioli chalcanthum vocant*, ſed palma *euphorbio* tribuitur, tantæ enim eſt efficaciæ, quum os ſi imponitur, ut carnem etiam, quæ circum circa eſt, niſi cerato aliquo, aut aliqua tela præmuniatur, penitus corrumpat, & urat. Præter hæc ſimplicia ſunt, pleraque varie mixta, quæ ſimiliter offis extrahendi facultates habere dicuntur, utputa *ficus acerba*, *cum papaveris foliis*, & *papaveris folia cum ficus foliis emplaſtri modo*, *oſſi impoſita*, item *cinis vermium terreſtrium*, *cum melle crudo*. *Bryoniæ radix cum vino*, *radix majoris minoriſve dracunculi cum axungia*. Aut ſume. *Radicis reos ſylveſtris*, *partem unam*. *Floris verbenæ partes tres*. *Radicum centaurii majoris partem i. ſ. Cum melle fiat emplaſtrum*, quod etiam dolorem mitigare putatur. Aut *cape radicum ireos ſylveſtris*, *ariſtolochiæ ana drach. i. centaurii majoris drach. ii. corticis pini*, *fiat pulvis*, qui ſuper corruptum ſpargatur, poteſt etiam in unguenti ſpeciem *cum melle* confici, & uſui eſſe, ſed hæc debilia ſunt; validiora creduntur. Videlicet. *Ægyptiacum*, *aut quod habet Ariſtolochiam*, *ireos radicem*, *myrrham*, *aloën*, *opopanacis corticem*, *pumicem aduſtum*, *æris ſcoriam*. *Pini cortices*. Id enim mirabile eſſe affirmat Avicenna, ad oſſa deſquamanda, & carnem regenerandam. Aut *aquam ex alumine*, & *ſublimato* ſupra deſcriptam, in os infunde, quam præclariſſimam eſſe prædicant, eo quod valde ſiccet, carnem non abſumat, neque dolorem inferat.

Aut aquam ultimo loco ad ulcera faucium, contumacia recenſitam. Aut ſume, *pulveris peucedani*, *ariſtolochiæ rotundæ*, *opopanacis*, *euphorbii ana drach. ſ. terebinthinæ unc. ſ. olei liliorum alborum*, *ceræ ana q. ſ.*

Hæc ſimul ad ignem coquunt, donec cerati conſiſtentiam adipiſcantur, deinde oſſi affecto imponunt. Aliqui *cum melle roſaceo*, *aqua vitæ*, & *chalcantho aduſto*, *ceu vocatum linimentum parant*, & tenui ſpecillo excipiunt, & affectum os tangunt.

Similiter utuntur aqua, quæ aurum ab argento ſeparat, partitionis aqua vocata.

Quidam pulverem commendant, qui habet *Ariſtolochiæ rotundæ*, *ſarcocollæ*, *aloës ana drach. i. aluminis liquidi drach. ii. argenti ſublimati ſcrup. i.* Item *aluminis liquidi drach. ii. ceruſſæ drach. i. euphorbii*, *argenti ſublimati ana ſcrup. i.* Præterea *præcipitati drach. ii. chalcanthi uſti*, *ſulphuris vivi ana drach iij.*

Ex his tribus pulveribus, primus & ſecundus in oſſe capitis periculoſi ſunt: Cæterum nihil præſtantius ad oſſa removenda, ubi corrupta ſunt, quam aut radere, aut urere, his enim duobus modis antiqui maxime credidiſſe videntur, & ut experientia quotidiana declarat, præcipui ſunt.

## CAP. XIX.

### *De palati oſſe amoto, vel amovendo.*

Hactenus de oſſe corrupto, quod amoveri debet, ſed ſi palati os, vel amotum ſit, vel amovendum fuerit, peculiarem quandam diligentiam requirit, ſi enim ſponte cadat, vel arte tollatur, impedita locutio ſequitur, ſimulque naſus in turpem hominis deformitatem ſubſidet. Nam (ut *epid. 6. ſect.* 1. inquit Hipp.) quibuſcunque os à palato receſſit, his medius naſus ſubſidet. Itaque ſi hoc os ceciderit, deformitatem ars recuperare non poteſt, ſermonis vero impedimentum poteſt, non ſemper quidem, ſed aliquando, ubi videlicet natum in palato foramen, aut goſſypio, aut cera, vel auro, vel alio quovis ingenio, commode replere juxta naturalis concamerationis formam licet, ſi foramen carne ſubnaſcente repletur, neque palati naturalis figura permutatur, neque ſpiratio, neque vox impeditur cicatrix prohibenda non eſt, ſed propriis ad id remediis, quæ omnibus nota ſunt, inſiſtendum, ut inducatur. Sed ſi caro extra modum creſcat, ne ad cicatricem perducatur, diligenter agere oportet, alioqui impedimentum multo moleſtius redderetur, *oleo igitur vitrioli*, *aut ſulphuris*, aut aliquo alio hujuſmodi tale crementum minuere convenit; ſi deinde ita decreverit, ut à naturali figura palatum receſſerit, mutilumque fuerit, tum medicamentum aliquod ſarcoticum adhibere expedit, quod ad moderatam magnitudinem palatum deducat, quale eſt, quod *ex Guajaci decocto*, *ex myrrha*, & *thure* conſtat, hoc enim intra os ipſum ſæpe verſum, gignendæ carnis magnam vim habet. Sicut etiam ſi ceratum aliquod particulæ apponatur, quale eſt, quod habet gummi, quod vocant *electri ſuccini* (*quod charabe Arabibus eſt*) *ana unc. ſ. Reſinæ pini colatæ unc. i. maſtiches*, *thuris ana drach. i. ceræ* & *olei communis ana q. ſ.*

Atque ita viciſſim modo creſcentem carnem erodentibus medicamentis amovere, modo ſarcoticis decreſcentem augere, pro ut opus videbitur. Hæc ergo facienda ſunt, ubi os palati amotum fuerit, ſed ſi nondum quidem amotum eſt, propter ulceris tamen pravitatem fieri non poteſt, quin cadat, nihil præſtantius, nihil utilius, quam palatum exurere, ignis enim ſubter illatus, propterea quod omnes corporis partes (ut ante monuimus) ab illo, dum urit, penitus abhorrent, palati interſeptum ſupra pellet, & propter ſiccitatem, quam inducit; firmabit, ita ut naſus non omnino concidat, cavitatem vero deinde natam, propter vocem, explere, prout præcipimus, enitendum, neque palatum, quia ſpongioſum ſit, exurere vereamur. Nam & Hipp. 2. *de morbis* tumorem in palato exurendum eſſe jubet. Utrum vero ferro candenti, aut fungis, (quemadmodum antiqui faciebant) tum palatum, tum alia oſſa exurere conveniat, etſi parum intereſſe videatur. Illud tamen non prætermiſerim, quod Hippocr. ſive quis alius antiquus author *libro de locis* in homine urere inquit oportet carnoſa quidem ferro, oſſea vero, & nervoſa fungis.

## CAP. XX.

### *De maculis puſtularum relictis.*

Jam vero ſatis omnibus, quæ polliciti fuimus feciſſe videbimur, ſi maculas, quæ curatis puſtulis relinquuntur delere, (quemadmodum promiſimus) doceamus, licet enim, ut quidam arbitrantur, tum has puſtulas privatim curare, tum harum notas amovere, pene ineptiæ ſint, quia tamen eripi cura cultus ſui nemini poteſt, abſurdum non erit, de hac re nunc aliqua ſcribere, præſertim quum ad medicinam quoque id negotium (ſi principem medicorum omnium Hippocratem ſequamur) pertineat, quippe qui *libro de præceptionibus*, *laudabile eſt*, inquit, *ægrorum quidem curam gerere gratia ſanitatis*, *ſanorum vero curam ſuſcipere*, *ea gratia ut ſine morbis degant*, *ſed* & *ſanorum cura habenda eſt*, *gratia boni*, *ac decori ornatus*. Hæc Hippocrates. Hinc *libro de medico* præcipit, ut videat quo bono colore, & bona ac carnoſa corporis habitudine præditus ſit, juxta exiſtentem in ipſo naturam. Maculæ igitur, ut in univerſum dixerim aut cum calore, rubedine & mordicatione quadam ſunt, aut ſine his. Recentes plerumque prurientes calidæ rubræque ſentiuntur, ad has igitur idoneum eſt, quod habet. *Ceruſſæ lotæ*, *amyli*, *farinæ fabarum*, *cicerum*, *phaſeolorum*, *gummi tragacanthæ ana drach. ij. Lactis mulieris q. ſ. ad unguenti conſiſtentiam.* Aut *ceruſſæ*, *lithargyrii argentei ana unc. i. Succi uvæ acerbæ*, *aut ſucci limonis q. ſ.*

Rubedinem peculiariter aufert. Aut *pulveris tenuiſſimi ex corticibus ovorum drach. iij. Succi uvæ acerbæ*, *aut limonis q. ſ. ad commiſcendum.* Aut *cryſtalli veri* & *uſti*, & *ut dicunt calcinati*, *ſucci fructuum fragariæ ana q. ſ.* aut *ceruſſæ lotæ aqua florum fabæ*, *gummi tragacanthæ ana unc. ſ. lactis mulieris q. ſ.* aut *olei ex ſeminibus perſicorum*, *olei ex ſemine cucurbitæ ana unc. i.* aut *aquæ ciſternæ lib. i. aceti roſacei unc. i.* Aut *ſucci uvæ acerbæ recentis*, aut *medullæ peponis q. ſ.*

Prodeſt item *ptiſanæ ſuccus*, *aut betæ*. Ad hæc *ovi candidum*, quod, ut cuidam antiquiſſimo placuit, & faciem ornat, & ſolares appellatas maculas tollit. *Viperæ exuvium cum aceto vinoſo tritum*, & *illitum*, quod etiam impetigines extrahit, ut *rumicis ſylveſtris radix ſimiliter trita* & *illita*. Præterea *lithargyrus cum aceto unguenti modo*, denique *calcis extinctæ aqua*, quæ etiam, ſi pruritus adſit, juvare ſolet. Aut *ſume aceti lib. i. lithargyrii argentei lib. ſ. Bulliant*, *deinde per pannum laneum colentur.* Rurſum *aquæ roſaceæ unc. viij. ſalis gemmæ unc. i. boracis unc. ſ. camphoræ ſcrup. iij. Hæc etiam ſimul bulliant*, *ac ſimiliter colentur*, *poſtea prior aqua*, *quæ ex aceto*, & *lithargyro conſtat*, *filtro excepta*, *ſuper poſteriorem guttatim inſtilletur*, *emergit enim veluti lac*, *quod appellatur virgineum.* id non ſolum refrigerat, ac repercutit, ſed etiam erodit.

quam-

quamobrem vocato panno faciei confert. ſed ſi neque calor, neque pruritus, neque rubor ſubſit, adhibere licebit. *ut puta farinæ, lupinorum, fellis capræ, ſucci limonis, aluminis ſaccharini ana partes æqual. Unguento confecto, quod etiam vocatos pannos delet.* aut *aluminis rochæ uſti drach. ii. albumen unius ovi recentis.* Aut *lacertas virides vivas, oleo incoquere ad tertiam partem, ſubinde colare, & addita cera alba in unguentum redigere.* Aut *raphanum, qui in Gallia reperitur, emplaſtri modo*, cicatricem enim ſicut *thapſia* tollit. Aut *aquam in veſicis ulmi repertam illinere*, ſed hæc valde fætet. Aut *aquam ex nucibus pineis deſtillatam*, quam peculiariter quidam ad faciei ruborem uſurpare ſolent. aut *camphoræ, ſulphuris vivi ana drach. i. tutiæ præparatæ, thuris albi, ceruſſæ ana unc. ſ. aquæ roſaceæ q. ſ. Vaſe vitreo excipere, mox quindecim diebus ſoli exponere*, poſtea faciem, & alias partes lavare. aut *aquæ roſaceæ, ſuccí limonis ana unc. viij. ſublimati drach. ii. Albumina quatuor ovorum prius diligenter agitata. Vaſe vitreo ſimiliter excipere, octo diebus ſoli exponere, quotidie ſimul agitare*, id non ſolum his maculis amovendis confert, ſed veſtigiis variolarum, & morbillorum, præſertim ubi admodum denſa craſſaque cutis fuerit.

Aliqui *oleo ex tartaro:* Aliqui *ex ſulphure* inungunt.

Aliqui accipiunt *radices viridis chelidonii majoris, cum ſulphure contundunt, & ungunt*, nigredinem enim auferre dicunt.

Idem præſtat *cucumeris ſylveſtris pulvis cum melle*, maxime vero omnium laudatur *unguentum citrinum*, quod Nicolao adſcribitur.

Sed ne omnia nimis ad vivum velle reſecare videamur, ſatis ſit hæc pauca indicaſſe. qui plura deſideraverit, illorum volumina revolvat, qui de his ad omne macularum genus ex profeſſo ſcripſerunt.

FINIS SECUNDI TOMI.

# INDEX

## Rerum omnium ſcitu digniſſimarum.


A.

*Abluentia* medicamenta ulcera, 581, C
*Ablutiones* ad dentes decidentes, 1336, D
*Abolæi* defenſio 121, B &c. 122, 123, 124
*Abſceſſus* quare ita appellentur, 732, D
—— inguinum quomodo ſanandi, 928, D
*Abſinthii* uſus liberavit à morbo Gallico, 98, E
*Abſtergens* ulcus medicamentum, 1142, B
*Abſterſivæ* medicinæ deſcriptio, 535, A
*Abſterſiva* medicamenta, 539, B
*Accidentia* unctionem mercurialem comitantia quomodo tollenda, 166, E
*Achores* quid? 23. D. 126. D
*Achores* inter & favos differentia, 23, E
*Actiones* noſtri corporis quoties lædantur, 4, C
*Aer* non eſt communis cauſa morbi Gall. 1173, D
—— principem facultatem agendi in corpora noſtra obtinet, 1051, A & *ſeqq.*
—— mutatus non eſt cauſa morbi Gallici, 958, B
—— qualis eligendus morbo Gallico laborantibus, 317, C
*Aëris* regimen in cura morbi Gallici, 48, B
*Æger* quomodo differat ab ægroto 255, B
—— quomodo peccare poſſit, 890, B
*Ægritudinis* per eſſentiam tibiarum definitio, 518, C
*Ægypti* qua ratione morbos curabant, 236, C
*Affectus* animi magnam vim valetudinem firmandi aut demoliendi habent, 1074, A & *ſeqq. vid.* Animi affectus.
*Agrimonia* noſtra veterum eſſe Eupatorium probatur, 31, D
*Albaras* nigra quid? 22, E. 23, B
*Albotim* quid? 24, E. 25, A
—— non eſt idem cum morbo Gallico, 764, E
—— credita morbus Gallicus, 1031 D
*Album* animæ quale medicametum, 808, B
*Alchitra* quid? 19, C
*Aldi Manutii* laus, 24, D
*Alguatui* curatio, 444, B
*Alguefed* quænam ægritudo, 1002, D
*Alibium* apud Arabes quid? 26, B
*Alimentum* non eſt communis cauſa morbi Gallici 1173, E
—— quod in utero fœtus haurit, quomodo cauſa morbi Gallici eſſe poſſit, 1177, D & *ſeqq.*
—— quo fœtus in utero nutritur, an ſit cauſa communis morbi Gallici 1177, A & *ſeqq.*
—— quomodo in hominis corpore neceſſario nimirum fiat 1178, B & *ſeqq.*
—— quod fœtus in utero haurit, an habeat vitium quoddam putredinis, 1185, A & *ſeqq.*
—— nimium fœtui in utero ſuppeditatum, quomodo ex naturæ neceſſitate morbi Gallici cauſa eſſe poſſit, 1188, C & *ſeqq.*
—— in utero putreſcit & ſubſalſum ſaporem acquirit, 1189, E
—— quo fœtus in utero nutritur, eſt putre, 1192, D
—— in utero vitiatum eſt cauſa morbi Gallici, 1193, E
*Aloë* quare dolores ſedet, 1344, D
*Aloës* uſus liberavit à morbo Gallico 98, E
*Alluatim* quid? 24, D. 25, B
*Alopecia* quid, & quomodo curanda, 714, C
—— ejus cauſæ, *ibid.* D
—— Thitia & Tirea ſunt tres diſtincti affectus in capite, 715, D
*Alopeciæ* ſignum, 716, E
—— ejus cura pro diverſis ratione humorum ſpeciebus, 717, A & *ſeqq.* 858 E. & *ſeqq.* 925, C. 950, A. 999, B
*Alterationes* in humoribus noſtri corporis tres ſunt, 533, A
*Altoim* Arabum quid? 26, A. 132, D
*Alvus* adſtricta nocet morbo Gallico correptis, 50, E
—— —— in morbo Gallico quomodo curanda, 72, B
—— minus conſtipata tempore ſalivationis quomodo emollienda 98, A
—— quomodo lubricanda 301, B
—— qualiter ſubduci debeat, 984, C
*Alvi* fluxus tempore ſalivationis quomodo curandus 97, D
*Alvum* lenientia medicamenta, 254, B &c. 256, E. 257, B
*Alumera* non eſt nomen morbi Gallici, 1003, B
*Aluminis* vires, 1356, C
*Amalgama* quid? 467, B. 812, B
*Amygdalæ* capiti nocent, 49. C
*Anglicus ſudor* qui morbus, & quando ortus, 671, C
*Animi affectus* quales eſſe debent in laborantibus morbo Gallico 51, D &c.
—— —— quid valeant ad valetudinem firmandam aut demoliendam, 1074 A
*Animalia* in canna pulmonis genita, 961 C
*Annulus* præſtigiatorum, 810, C
—— ex ferro, quo quis occiſus, conſtructus gonorrhœam ſanare dicitur, 1351, E
*Anthrax* quid? 26, A
—— unde generetur, 26, E
—— Galeni apud Arabes varia nomina habuit 34, C 35, B
*Ani* & vulvæ ulcera quibus aquis ſananda, 1349, A. B
*Apii* radix an ſit ejuſdem efficaciæ ac ligna Indica, 917, C
*Apoſtemata* ſtomachi quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis 428, D
—— frigida quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis 432, E &c.
—— oſſibus adhærentia quomodo curentur 542, C
—— reſolventia medicamenta, 543, A
*Apoſyrmatum* curatio, 1358, B & *ſeqq.*
*Apozema* oris ulceribus conducens, 437, E
—— pro oſſibus eroſis in morbo Gallico, 878, E
—— purgans pro pudendagricis, pro ratione temperiei, 918, D
—— pro alopecia à morbo Gallico, 950, A
—— ad cephalalgiam, à morbo Gallico, 953, C
—— purgans, 1141, E
*Aqua* delens maculas in facie poſt morbum Gallicum relictas 167 D
— ſanans fiſtulas & maligna ulcera 180, A
— curans puſtulas morbi Gallici, 102, C. 103, A. 239, D
— philoſophica adverſus morbum Gallicum, 272, B, C
— calcis quomodo paranda 282, A
— calcis ulcerum morbi Gallici dolores mitigat, 282, B
— theriacalis 364, E. 365.
— ad puſtulas morbi Gallici curandas, 437, B
— chryſulca quæ, 465, E
— fortis utentibus noxia, 466, A
— pluvialis in decoctionibus adhibenda, 476, & *ſeqq.*
— theriacalis ſudores, in morbo Gallico inveterato provocans, 944, E
— theriacalis pro dolore capitis à morbo Gallico, 951, A
— metallorum mirabilis pro morbi Gallici accidentibus, 978, C
— ſublimati adverſus morbum Gallicum quomodo paretur, 1305, B
— falſa factitia ad morbum Gallicum abigendum conducit, 1306, B.
— præſervativa a morbo Gallico, 1132, D
— ferri dolores levat, 1344, A
*Aquæ* ſeparationis auri ab argento præparatio, 109 C
— mirabilis in confortatione membrorum, formula. 513, B
— fortis pro præſervatione à carie Gallica, deſcriptiones, 819, C
— aluminoſæ magiſtralis deſcriptio, 824, D
— philoſophicæ uſus, 852, A
— fortis componendæ exemplar, 902, D
— ſingularis, olei balſami, atque ipſius balſami faciendorum formula, 902, D
— eorum præſtantia & nobilitas, *ibid.*
*Aquæ* philoſophicæ an curent pudendagram, 918, A
— curantes ulcera Venerea gutturis & faucium 110, C &c.
— actu calidæ tempore frigido capiendæ, 524, A
— mineralium an morbo Gallico ſint inimicæ, 638, D
— ad abluendas puſtulas in varia temperie, 703, C.
— ad ulcera gutturis oriſque tum ani & vulvæ, 1349, A. B
*Aquarium* differentiæ, 477, & *ſeqq.*
*Arabum* ſcriptorum laus, 143, B
*Arbor* lignorum & ejus explanatio, 368, E

*Argentum vivum* lædit nervos 90, D
— — incaute potatum mortem intulit, 91, C
— — improvide hauſtum hominem necavit, 159, A
— — frigidum eſt, 159, A
— — omnibus metallis originem dat, 176 D
— — in offibus cadaverum inunctionem paſſorum repertum fuit, 268, B
— — quomodo exſtinguendum ſit, 231, B
— — quare curet morbum Gallicum, 367, A
— — quando adhibendum in morbo Gallico, 407, A
— — factitium & nativum utrum melius, 471, A
— — ſive arte factum, ſive foſſum eaſdem habet vires, 560, A
— — in cinerem cremari, & aliis medicaminibus ita miſceri, dicitur, 465, D
— — mortificatum differt a præcipitato, 466, B
— — ab hydrargyro differt, 496, D
— — præcipitatum exhibendi hora, 812, C
— — an venenum ſit, 839, C
— — quibus corrigendum, 991, A
— — utrum à manifeſtis cauſis vel ab occultis M. G. curet, 1279, B *& ſeqq.*
— — propter quas cauſas agat, 1280, A *& ſeqq.*
— — obeſt ſanis non ægris, 1282 B
— — poſt unctionem intra corpus retentum, ut foras exitum ſortiatur, quid faciendum, 1300, A
*Argenti vivi* temperies & virtus quales ſint 91, C. D. 368, 838, E
——— --- malignitas quibus corrigatur, 91, E. 96, A
——— --- definitio, 160, C
——— --- origo & eſſentia explicatur, 159, C. 160, 161. *& ſeqq.* 469, D. 1146, D. *& ſeqq.*
——— --- ambiguæ & differentes ſcriptorum ſententiæ, 1174, A *& ſeqq.*
——— --- uſus moderatus admittendus, 1148, D *& ſeqq.*
——— ---- noxæ quales? 177, A. 338. 1149, A *& ſeqq.* 441, D *& ſeqq.*
——— --- complexio qualis, & quomodo mutetur per exſtinctionem, 211, A. 440, A *& ſeqq.*
——— --- noxæ quomodo tollantur, 471, D
——— --- qualitates & vires explicantur 267, C. 268 560, B. 691, *& ſeqq.* 1275, A *& ſeqq.*
——— --- præparatio 695, D
——— --- mundatio duplex, 442, E
——— --- mundatio quomodo fiat, 443, A
——— --- uſus veteribus incognitus, 465, D
——— --- ſubſtantia, 840, A
——— --- difficultates de eo ſurgentes, 840, A
——— --- præcipitati præparatio Chymica, 812, A
——— --- præcipitati vis & facultas deſcribitur, 1089, A *& ſeqq.*
——— --- unctio cur non inducat ægris paralyſin, tremorem & apoplexiam, 1282, B
——— --- unguentum faciendi varii modi, 1282, 1284, 1285, 1286, *& ſeqq.*
——— --- unctionem qui ſequuntur morbi & ſymptomata, 1280, D *& ſeqq.* 1292, B, *& ſeqq.*
——— --- unctionem ſequentibus ſymptomatibus quomodo occurrendum, 1292, B *& ſeqq.*
*Argento vivo* præter aurum omnia innatant, 472, A *& ſeqq.*
— —— variæ à variis auctoribus adſcriptæ vires, 162, 165, C
*Ars*, experientia, opinio & conjectura quantopere diſtent, 1257, E *& ſeqq.*
*Artis* inventum quot egeat, 1258, B
Ἀρθρῖτις morbus articularis nonnullis viſus morbus Gallicus 1031, E
*Arſenicum* cryſtallinum quomodo paretur, 1321
*Arſenici* præparatio, 817, E
*Articulorum* dolor quomodo tollatur, 1102, B
*Artuum* dolor morbi Gallici inveterati quomodo curetur, 443, B
*Aſaphati* quid ſit? 367, D
—— non eſſe morbum Gallicum probatur, 669, E
—— eſt ægritudo capiti & faciei appropriata, 960, A
*Aſthma* eſt ſignum morbi Gallici inſuperabilis, 781, E
*Aſtrologia* an ſit neceſſaria medicinæ, 1013, D
*Aſtrologus* an ex aſtris futura prædicere poſſit, 1014, A
*Aſtronomorum* ſententia exploditur 252, B
—— placita an ſint irridenda, 1036, C
*Atram* bilem purgantia, 746, E *& ſeqq.*
—— bilem ducentia, 1080, C
*Attenuans* decoctum ad morbum Gallicum, 598, B
*Attractio* quotuplex, 495, B
*Avicennæ* errores 28, B. 29, A. *& ſeqq.* 30, B. C. 31, A *& ſeqq.* 31, C. 32, B. D. 34, D.
*Aurium* morbi quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 425, B
*Auripigmenti* præparatio, 817, E
*Aurum* argento vivo non innatat, 472, A

B.

*Balciati* Arabum quid? 24, B
*Balkiati* quid? 129, B
*Balneum* contra morbum Gallicum, 345, B
——— pro morbum Gallicum patiente, 631, C
——— in morbo Gallico adhibendum, 352, B. 364, E. 365
——— ad paralyſim 423, B
——— ad puſtulas ſcabioſas exſiccandas, 452, C
——— ad tubercula calloſa ex morbo Gallico, 646, C
——— pudendorum, 815, D
——— in morbo Gallico cum puſtulis ſine articulorum dolore, 854, C
——— ſiccum quomodo parandum, 970, B
——— ex brutorum ſanguine an Gallicoſo conducere poſſit, 1310,
*Balnei* artificioſi formula, 1309, D
——— ad morbum Gallicum formula, 652, B
in *Balneo* quamdiu commorandum, 901, E
*Balnea* ex ſanguine humano lepram ſanabant, 5, D
——— thermarum, uti & artificialia morbo Gallico laborantibus obſunt, 98, C. *& ſeqq.*
——— in morbo Gallico proſunt, 157, 328, A. &c. 329, D
——— quomodo præparanda ad curam morbi Gallici, 157, 158,
——— morbo Gallico curando accommodata, 178, B
——— pro ratione temporum in morbum Gallicum, 296, B
——— quæ pudendagra affectis conveniunt, 500, A
——— quibus potiſſimum conferant, 901, C
——— quibus interdicenda, 902, A
——— aquæ dulcis Gallicoſis non conferunt, & cur, 940, C
——— poſt evacuationes pro Gallicoſis, 1145, A
——— quæ adverſus M. G. ſint eligenda, an naturalia an artificioſa, 1309, B. *& ſeqq.*
*Balneorum* materia, 901, D
*Balneis* tempus accommodatum, 901, C
*Baras* Arabum quid? 23, B
*Bilis* flava non conſtituenda prima cauſa M. G. 1176, A
——— atra non habenda cauſa prima M. G. 1176, A
*Bili* conferens electuarium, 787, B
*Bilem* vacuantia, 786, E
——— atram purgantia, 746, E. *& ſeqq.*
——— flavam concoquentia, 1078, D
——— atram concoquentia, 1078, E
——— flavam evacuantia, 1079, B
*Blondus* Forlivienſis hiſtoricus, 37, A
*Bothor* quid, 34, B. 113, C. &c. 114, 128 B.
——— Arabum quid? 24, A. 25, A
——— quomodo dividatur? 114, B
*Bolus* alvum relaxans, 633, B
——— poſt balneum ſumendus, 631, D
——— purgatorius ad morbum Gallicum, 650, D
——— pro Gonorrhœa in M. G. 872, B
——— pro muſculoſarum partium affectu, 877, D
——— pro affectibus capitis in M. G. 881, E
*Brodetum* quid ſit? 49, B
*Bubo* quid & quomodo dividatur, 26, C
——— eſt ſignum morbi Gallici, 780, D
——— ad ſuppurationem excitandus & quomodo, 873, B
——— ſi ſit pervicax, quid agendum, 873, C
——— an crudus vel maturus ſit incidendus, 1326, B
*Bubonis* curatio, 873, B
——— G. M. antecedentis cura, 1325, B
——— aperti curatio, 874. C
*Bubonem* maturantia medicamenta, 821. A
*Bubones* Venerei quomodo fiant, 937, B
——— an immaturi ſint aperiendi, 684, A
——— quo tempore ſecandi, 821, B
——— quomodo facienda ſectio, *ibid.* C
——— quid ſint, 1100, B
——— eorum differentiæ, *ibid.*
——— quomodo ſanentur, *ibid.* C
*Bubonum* Gallicorum plura ſunt genera, 819, D
——— horum cauſæ, *ibid.* E
——— differentia inter Gallicum & non Gallicum, 820, A
——— horum ſigna, 820, A
——— eorum præſagium, 820, B
——— Gallicorum curatio, 820, C
*Bubones* diſſolutione curare æquum non eſt, 874, C
*Buxi* decoctum ad M. G. ſummovendum, 1307, C

C.

*Cachexia* ex morbo Gallico, 938 D
*Cadaver* mentagra laborantis inciſum copioſum phlegma in junĉturis exhibuit, 311, B
*Cadavera* morbo Gallico laborantium inciſa quid docuerint? 251, A
*Cali* herba quæ? 21, D
*Calor* eſt fomitis morborum communium impulſor, 1295, A
*Calvitium* unde, 714. C
—— quid ſit, 1101, B
*Cancer* inſanabilis 18, A
—— quid? 146 A & *ſeqq.*
—— matricis quomodo curetur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 430, E. 431
*Candela* ex minio naturali & cera confecta eſt auxilium adverſus M. G. 1304, A
*Capillorum* caſum prohibens medicamen, 438, D
—— defluvii cauſæ, 715, A & *ſeqq.*
—— defluvium ab alopecia eſt diſtinctum, 722, D
—— ejus cauſæ ſunt tres, 723, A
—— ejus curatio, 723, C. 997, C. *vid.* Alopecia.
*Caput* non eſt propria pars, quæ à morbo Gallico vexatur, 769, C
— quare aliquibus ſedes M. G. habita, 1032, B
— quare potius M. G. affici deberet quam hepar, 1218, C & *ſeqq.*
— ad hoc probandum exempla adducuntur, *ibid.* D
*Capitis* dolorum curatio, 1143, C
*Capnorgia* ad dolores capitis, 641, A
*Carbo* dicitur alias inflammatio, 732, C
*Cardiaca* medicamenta, 178, D & *ſeqq.*
*Caries* oſſis ex Gallico morbo quomodo curanda, 274,
— circa pudenda ſignum morbi Gallici, 780, C
— putredinem lignorum proprie ſignificat, 1098, D
— ejus genera ſunt tria, 1098, E
— quomodo tollatur, *ibid.* & *ſeqq.*
*Cariei* Gallicæ cauſæ, 813, A & *ſeqq.*
— Gallicæ benignæ ſigna, 813, D
— Gallicæ ſpecies tres, 813, D
— ex caleſactione & attritione curatio, 814, A
— Gallicæ non levis curatio, 814, A
— Gallicæ applicantia varia medicamenta, 814, D
— in ſinu muliebri curatio, 815, B
à *Carie* Gallica præſervatio, 818, A
*Caro* an aſſa vel elixa melior ſit, 1260, C
*Carnis* generativa medicina, 535, A
*Carnem* generantia medicamenta, 537, E & *ſeqq.*
*Carnes* quare affectione Gallica detentis ſint adverſæ, 625, D
*Caruncularum* curatio, 817, B
—— ſigna quando ſanatæ ſunt, *ibid.* C
*Caſeus* quare lue Gallica affectis prohibetur, 627, C
*Caſus* pilorum curatio, 438, C
*Cataplaſma* ad ſpaſmum 424, B
—— cardiacum, 255, D
*Cataplaſmata* ad bubones in inguinibus maturandos, 683, D
—— pro tophis in M. G. 858, B
—— adverſus bubonem, 1327 A
*Catapotia* pro cephalalgia à M. G. 954, D
—— Gallicotis præbenda, 1243, D
—— ex præcipitato adverſus M. G. quænam ſint, 1305 B
*Cauſa* morbi Gallici, 312, D. 670, B
— materialis morbi Gallici quomodo evacuanda & per quæ medicamenta 154, D. 155
— M. G. eſt infectio ex vitiato ſucco per contagium venereis præcipue congreſſibus contracta, 1125, C
— morbi Gallici una procatarctica eſt contagium. 616, A
— altera eſt attractio, *ibid.*
— tertia eſt cœli ſtatus, *ibid.* B
— pilorum caſus, 822, A
— lucidæ faciei, 822 C
— primitiva M. G. quæ, 1007, A
— primitiva M. G. eſt intemperies aëris, & quare, 959, B
— conjuncta M. G. 1006, C
— antecedens M. G. 1006, D
— morborum quærenda, 1160, B & *ſeqq.*
*Cauſæ* morbi Gallici enarrantur, 46, A. 170, D. 206, D. 207, & *ſeqq.* 222, 223, 224 225, 226, 227, 247, A. 279, D. 309, E. 310. 347, D. 361, B. 383, C. 389, D. 390, 391. 433, D. 731, C, 778, C & *ſeqq.* 1044, E
—— morbi Gallici quot ſint, 465, B.
—— morbi Gallici quales fuerint, 202, A
*Cauſæ* antecedentes M. G. ſunt humores melancholici, 959, B
----- cariei Gallicæ, 813. A & *ſeqq.*
----- doloris, 505, A & *ſeqq.* 935, B
----- inducentes dolorem ſolvendo continuum, 505, C
----- bubonum Gallicorum, 219, E
----- pudendagræ, 494, C. 905, E
----- inducentes dolorem in pudendagra quotuplices, 505, C & *ſeqq.*
----- ſolutionis continuitatis, quænam, 527, D
----- ſymptomatum M. G. ponuntur 42, 1047, B. & *ſeqq.*
----- morborum & ſymptomatum, quæ argenti vivi unctionem ſequuntur, 1280. D, & *ſeqq.*
----- morborum epidemialium tres ſunt, 767, D
*Cauſarum* morbi generalis diviſio 10, D
*Cauſticæ* medicinæ deſcriptio, 534, E
*Cauſtica* medicamenta in ulceribus, 536, B
*Cautelæ* in exhibitione ligni ſancti obſervandæ 69, B. C.
*Cauterium* potentiale quomodo applicandum? 106, D & *ſeqq.* 107, B
*Cauteris* potentialis deſcriptio, 106, D. 107, A
—— utilitates, 340, B. 341
*Cauteria* quibus in locis applicanda, 342, B
—— ad bubones aperiendos, 1329, A & *ſeqq.*
*Cedrea* quid? 19, C
*Cephalææ* curatio per decoctum ligni ſancti in omni temperie & ætate, 415, D. 416, 417
—— cauſæ, 415, B
*Cephalalgiæ* à G. M. curatio, 953, B
*Ceratum* ulcera Venerea curans 110, B
——— ad curanda gummi in morbo Gallico, 180, C. D
——— tumores duros abſolvens, 642, A
——— cicatrizandum, 683, A
——— pro pauperibus M. G. correptis, 886, D
——— mercuriale ulcerationem morbi Gallici quamcunque ſanans, 454, A
——— mercuriale pro pudendagricis, 913, B
——— mercuriale ad ſpinam & cervicem, 943, D
*Cerati* mercurialis parandi & applicandi modus, 96, C, D
—— de betonicâ deſcriptio, 110, A
—— de minio deſcriptio, 110, B
*Cerata* dolores Gallicos mitigantia, 1345, D
*Ceratorum* pro varia temperatura formulæ, 688, B. C
——— ex argento vivo formulæ ad ſummovendos dolores Gallicos, 1304, C & *ſeqq.*
*Cerebrum* quare putredini maxime patet, 465, A
*Ceria* quid ſint? 126, D
*Chamæmeli* vis, 939, E
*China radix* quibus morbis conducit, 654, C
*Chinæ radicis* locus natalis, habitus externus, odor, ſapor, temperies, vires medicatæ, 86,
—— —— deſcriptio, 382, D. 588, B. 653, D. 757, A. 802, C. D. 840, C. 916, C. 1092, C. & *ſeqq.*
—— —— electio, 757, E. 803, C. 1269, C. & *ſeqq.*
—— —— qualitates, 711, A
—— —— facultas, 802, D
—— —— vires, 1270, D. & *ſeqq.*
*Chinæ radix* an à manifeſtis qualitatibus M. G. profit, 1271, D
*Chinæ* decoctum quomodo parandum, 382, D. 803, A. 916, C
——— ejus decoctum conficiendi modus, 711, A. 1270, A. & *ſeqq.*
——— radicis decoctum parandi & exhibendi modus, 87, 88, C. & *ſeqq.* 89, D. & *ſeqq.* 595, D. 596, A. 654, C. & *ſeqq.* 712, B. 840, D
——— decocti primi offerenda quantitas, & propinandi tempus, 590, C
——— decocto primo quamdiu utendum, 593, D
——— decocti ſecundi apparandi & ſumendi ratio, 593, E
——— decocti quis potus ex uſu ſit, 592, B
——— decoctum nonnullis exitio fuit, 588, C. 586, A. B
——— radicis decoctum externe applicatum puſtulis morbi Gallici prodeſt, 89, B
——— decocto ſudor eſt eliciendus, 590, D
——— radicis decoctum, quamobrem puſtulas, ubi non ſunt, quandoque movet, 1273, B
——— decoctum quod luem Gallicam ſanat, an artis inventum ſit, 1272, E. & *ſeqq.*
——— radici, cur plus aquæ quam Guajaco admiſceri ſoleat, 1274, A
*China* radice utendi modus triplex, 758, B
*Cholera* rubra quibus remediis evacuanda, 228, C
—— nigra quibus remediis evacuanda, 228, C
—— qua hora moveatur, 554, A
*Cholericorum* à M. G. affectorum purgatoria, 1245, A
*Chryſulca* aqua, quænam? 465, E
*Cibi* aſſi & elixi, quinam optimi, 1067, A. & *ſeqq.*
---- bilioſi quinam ſint, 1068, C

*Cibi* mali in universum, quinam sint, 1069, B
---- melancholici, quinam sint, 1068, E
---- pituitosi, quinam sint, 1068, D
---- concoctu difficiles, quinam sint, 1069, A
*Cicatrix* callosa quomodo curatur, 816, D
*Cicatrices*, ex ulceribus remanentes, quomodo removendæ, 998, B
*Cicatrizativæ* medicinæ descriptio, 535, B
*Cineris* aurei conficiendi formula, 467, A. *& seqq.*
*Cinnabaris* an idem quod argentum vivum, 441, A. *& seqq.*
—— quibus hominibus & membris adhibenda, 913, D. *& seqq.*
—— unde conficiatur, 1300, C
*Cinnamomum* ligno Indico non convenit, 563, D
*Clysma* lenitivum, 379, B
—— lubricans, 363, C
—— purgans pro matrona nobili M. G. patienti, 963,
*Clyster* ventrem leniens in morbo Gallico, 680, C
—— ad dolorem capitis tollendum, 924, A
—— lavativus ad abstergendas materiarum reliquias, 977, C
—— an venæ sectioni præmittendus, 1233, B
*Clysteris* formula pro pudendagricis, 911, B
—— formulæ, ante venæ sectionem adhibendæ, 1233, B
*Clysteres* ex decocto ligni Indici, 574, B
—— ad tormina intestinorum tollenda, 648, B
—— communes pro decocto Chinæ radicis utentibus, 712, A
—— pro urinæ ardore, 1357 B
*Cœlestis* influxus non est communis causa M. G. 1174, A
*Cœlestium* corporum motus an sit morbi Gallici causa, 672, B
*Cœli* ac siderum concursus non est causa M. G. 1124, E. *& seqq.*
*Coitus* nocet morbo Gallico laborantibus, 52, A. 243, B
—— quare debilitet, 174, E. 215, D. E
—— solus an morbum Gallicum per se introducat, 785, A
—— utilitas & noxa, 308, C
*Collyria* ad oculorum lætionem, 1338, D
*Communis* morbus quinam dicendus, 1033, B
*Complexio* argenti vivi, 440, *& seqq.*
*Concoquentia* medicamenta, 1078, *& seqq.*
*Confectio* roborans 396, E. 397,
*Confectiones* roborantes, 365, A. 378, E. 379.
*Confidentia* quibus mediis comparetur, 493, A
*Confidentium* plus sæpe operari quam approximationem medicinarum, 491, D. *& seqq.*
*Confortans* cor medicamentum, 964, C
*Confortantia* membra medicamenta, 969, C
*Confortativum* membrorum remedium, 1141, B
*Confortativa* medicamenta quare dicantur frigida, & non calida, 513, A
*Conjectura*, ars, experientia & opinio, quantopere distent, 1257, E. *& seqq.*
*Consolidantia* medicamenta, 435, D
*Consolidativæ* medicinæ descriptio, 535, A
*Contagium* morbi Gallici quomodo præcaveatur, 48, C
*Continuitatis* solutionis causa est materia per se, 506, D
—— solutionis causæ quænam, 527, D
*Cor* confortans medicamentum, 964, C
— lætificans medicamentum, 964, C
*Corporum* cœlestium motus an sit morbi Gallici causa, 672, B
*Corrosivæ* medicinæ descriptio, 534, E
*Corruptio* ossis triplex, 444, A
*Cura* morbi Gallici 173, *& seqq.* 190, C. 217, B. 229, D. 230, 231, 232, 233, 234, 235, 236, 237, 344, E. 345, 348, D. 362, D. 370, 371, 372, E. 395, D. *& seqq.*
— — — qualis? 118, C. *& seqq.*
— — — minime differri debet, 371,
— M. G. est difficilis, 47, C
— morbi cujuscunque in quâ re consistat, 219, B
— — Gallici per potum decocti ligni Guajaci, 635, D
— præservativa à morbo Gallico, 399, B. 400.
— prophylactica morbi Gallici, 52, A. B
— viri morbo Gallico affecti, & ex Mercurii inunctione in sæviora accidentia incidentis, 575, B. *& seqq.*
— pudendagræ per potationem tribus completur intentionibus, 498, B
— specialis doloris in pudendagra, 517, B
— doloris in pudendagra est vera vel non vera, 510, B. *& seqq.*
— doloris in pudendagra irregularis, 520,
— ulcerum, 536, C
— generalis ulceris sumitur à soluta continuitate, 528, E
— ulcerum sordidorum, 538, C
— ulcerum putridorum, 540, C
*Cura* generalis doloris triplici perficitur instrumento, 512, B
*Curæ* generalis divisio, 12, A. 47, E
*Curatio* morbi Gallici 40, A. *& seqq.*
—— universalis in morbo Gallico, 434, D
—— vulgaris morbi Gallici unde sit accepta, 605, B
—— major, quæ? 1077, D
—— morbi Gallici medicinarum oblatione, 630, A. 650, D
—— morbi Gallici incipientis, pro ratione variæ temperiei, 680, B. *& seqq.*
—— morbi Gallici à sanguinis missione incipienda, 630, C
—— morbi Gallici per victus rationem, 623. *& seqq.* 649, A, *& seqq.* 782, E. *& seqq.*
—— morbi Gallici per exercitationem, 782, A.
—— per suffumigium, *ibid.* C
—— per hydrargyrum, *ibid.* C
—— per hydrargyrum præcipitatum, *ibid.* D
—— morbi Gallici per decoctum Chinæ, 840, C
—— per spartam vel falsam parillam, 840, E
—— per Guajacum, 841, B
—— morbi Gallici per radicem Chinæ, 853, D
------ morbi Gallici per pilulas Mercuriales, 855, B
------ M. G. per potionem & unguenta, 855, C
------ ultima morbi Gallici per suffitus, 855, D. 892, C
------ luis Venereæ per Mercurialia, 884, E. *& seqq.*
------ M. G. per argentum vivum improbatur, 904, A
------ M. G. partim ratione, partim experientia inventa, 1083, A
------ morbi Gallici duo capita continet, evacuationem materiæ & membrorum alterationem, 836, E
------ bubonis, 820, C
------ bubonum Gallicorum, 1100, C
------ cariei Gallicæ, 1098, E. *& seqq.*
------ casus dentium, 727, B
------ dentium laxitatis & casus, 1104, B
------ dolorum articulorum, 1102, B
------ Gonorrhœæ ex M. G. 1104, A
------ gummatum Gallicorum, 826, C. *& seqq.* 1101, E
------ manuum fissuræ per linimenta, unguenta & decoctiones, 949, C
------ ossium cariei & corruptionis, 1103, B
------ pilorum casus, 875, A. 1101, B. *& seqq.*
------ pudendagræ, 907, C
------ pustularum morbi Gallici, 437, B. 1101, E
------ perversa pustularum morbi Gallici, 32, A
------ Rhagadium, id est, fissurarum manuum pedumque, 1103, C
------ symptomatum M. G. 993, C
------ verrucæ Gallicæ, 1099, E
------ ulcerum Gallicorum per emplastra, 855, B. 1105, D
------ casus unguium, 727, D
*Curationis* morbi Gallici scopus, 632, C
—— exemplum hominis pudendagra affecti, 546, D. *& seqq.*
—— exemplum cujusdam ætatis 46. pudendagra affecti, 547, D
—— exemplum juvenis 30. annorum, pudendagra infecti, 549, C
—— exemplum viri in ætate consistente existentis, pudendagra vexati, 550, C
—— exemplum viri ætatis 55. annorum pudendagra infecti, 551, A
—— exemplum viri 38. annorum, morbo Gallico vexati, 651, C
—— exemplum viri cujusdam morbo Gallico infecti, 567, A. *& seqq.*
—— matronæ cujusdam, 568, A
*Curationes* morbi Gallici sunt duæ, vel ex parte temporis, vel ex parte materiei, 451, B
*Cutis* non est proprium subjectum morbi Gallici, 769, E
— furfuraceæ curatio, 926, D

D.

*Decoctio* oris refrigerativa, & materiam provocans, 454, C
—— lavativa ad pudendagram, 549, B
*Decoctionis* formula, qua corpus M. G. affecti sit abstergendum, 970, C
*Decoctiones* præservativæ à pudendagra, 546, A
*Decoctum* ligni Indici quomodo parandum, 270, B. *& seqq.* 357, C
------ ligni Indici quomodo parandum & exhibendum, 385, C. 386. 387.
------ ligni Indici primum, 574, A. 575, D
------ — — secundum, *ibid.*
------ ligni Indici quis primus modum exhibendi explicuerit, 705, C

*Decoctum* ligni Indici quibus ætatibus conferat, 707, C
------ an maribus, fœmellisve plus profit, *ibid.* D
------ quibus morbis, præter Gallicum præsentaneum sit auxilium, 708, A
------ an lienosis opem conferat, *ibid.*
------ si in thermarum aquis fiat, an magis proficiat, 708, B
------ ligni Guajaci primæ coctionis, 637, B
------ secundæ coctionis, *ibid.* C
------ simplex ligni Guajaci in vino, 701, A
------ Guajaci ad M. G. 904, D
------ secundum, quod loco vini sumendum, 905, B
------ Guajaci præparandi modus pro varia temperatura, 934, C
------ ligni Guajaci in vino cum vehementibus simplicibus, 701, D
------ Guajaci non uno modo paratur, 984,
------ qualia commisceri possunt in primo decocto, 984, C
------ Guajaci secundum quomodo paretur, 984, D
------ Guajaci in aquis destillatis efficacissimum, 945, D
------ Guajaci, sarzæ parillæ aut Chinæ quamobrem pustulas, ubi non sunt, quandoque moveat, 1273, B. & *seqq.*
------ ligni sancti valide nutrit, 407, D
------ ligni sancti quomodo parandum, 412, A. & *seqq.* 413.
------ ligni sancti quomodo exhibendum? 408, C. & *seqq.* 413. 414.
------ Chinæ radicis propinandi methodus, 654, C. & *seqq.*
------ radicis Chinæ, 803, A
------ Chinæ radicis dandi modus, 916, D
------ falsæ parilliæ, 803, D
------ rorismarini, absinthii, juniperi, pini & buxi, si sudor sequatur, prodest ad M. G. summovendum, 1306, E. & 1307, A. & *seqq.*
------ in declinatione morbi Gallici adhibendum, 327, C
------ lavativum, pudendagra sanata, 549, B
------ ad morbum Gallicum, 571, C. 681, D
------ attenuans ad morbum Gallicum, 598. B
------ ad ulcera in digitis lavanda, 577, A
------ ad ulcera narium, 578, A
------ ad præputium intumescens ex morbo Gallico, 683, B
------ inter glandem & præputium injiciendum, 683, B
------ in penem gonorrhœa laborantem injiciendum, 684, D
------ cum quo os abluendum, 690, A
------ ad sciffuras manuum pedumque, 728, D
------ ad tumorem præputii ex carie, 816, A
------ pro affectibus capitis ex M. G. 882, C
------ ad dolores capitis in pudendagra, 924, B
------ ad cephalalgiam a M. G. 954, B
------ ad pustulas educendas 352, B
------ materiam in pene ulcerato siccans, 1318, B
------ materiam M. G. inveterati expellens, 945, A
------ materiam in M. G. leniens, 1140, E. & *seqq.*
------ pro homine non facile sudante, 951, B
------ evacuativum, 977, B
------ purgans in M. G. 1141, C
*Decocti* Guajaci parandi modus, 194, C. 599, A. 697, A. 842, D
—— secundi ligni Guajaci confectio, 697, E.
—— compositi ligni Guajaci confectio, 699, E
—— simplicis ligni Guajaci confectio, 697, E
—— ligni Guajaci exhibendi tempus aptum, 698, B
—— ligni Guajaci exhibitionis terminus non est unus, 984, A
—— victus ratio non eadem, *ibid.*
—— ligni Indici parandi modus, 234. D. E. 235.
—— ligni Indici usus, 852, C. & *seqq.*
—— ligni Indici exhibitionis modus qualis, 992, D
—— quod vice ligni usurpari potest descriptio, 900, C
—— Chinæ apparandi modus, 590, A. 900, D
—— ellebori apparatio, 745, C
—— formula pro humore cholerico & phlegmatico, 988, E
*Decocto* ligni Sancti alia simplicia cum vino sunt miscenda, 446, A
*Decocta* purgantia, 329. 330
—— varia ex ligno Indico, 795. & *seqq.*
—— in quibus ægritudinibus utamur, 798, E
—— quo tempore exhibenda, 799, B
—— de loco in quo exhibenda, *ibid.* C
—— quantitas illorum assumendorum, *ibid.* C
—— quot diebus debent assumi, *ibid.* E
—— hora illorum exhibendorum, 500, A
—— quæ vitanda, quando exhibentur, *ibid.* B
—— Guajaci simplicia, 945, C. 945, D
*Decocta* in humore melancholico, 788, D
—— a M. G. præservantia, quæ, 999, D. 1000, D
—— adversus pustulas & ulcera capitis & faciei, 1331, B
*Definitio* morbi Gallici, 383, B. 433, C. 461, B. 603, D
*Definitiones* variæ M. G. 1037, D. & *seqq.*
*Defluvium* pilorum est lignum morbi Gallici, 781, C
*Defluvii* capillorum causæ, 715, A. & *seqq.*
*Deformitas* quid sit? 142, B
*Deliquium* animi ne in suffitu superveniat, 807, C
*Dentarola* species morbi Gallici, 659, B
*Dentarolæ* in luem Gallicam patiente, quomodo succurrendum, 727, A. & *seqq.*
*Dentes* decidentes curandi medicamenta, 1336, D. & *seqq.*
*Dentium* casus curatio, 727, B
—— corruptio est lignum morbi Gallici, 781, B
—— commotorum & infectorum curatio, 926, A
—— laxitatis & casus curatio, 1104, B
—— motus, nigredinis & lentoris curatio, 1294, B
*Diæta* in morbo Gallico qualis esse debeat, 12, B. & *seqq.*
—— tenuis in morbis chronicis nocet, 65, A. & *seqq.*
—— tenuis sola falso credita fuit morbum Gallicum sanare, 66, A
—— tenuis sola non sanat morbum Gallicum, 300, C. & *seqq.*
—— nimis tenuis curam morbi Gallici per decoctum ligni Indici impedivit, 79, D. & *seqq.*
—— observanda in curâ morbi Gallici per lignum sanctum, 61, D. & *seqq.* 63, D. & *seqq.*
----- observanda in curâ morbi Gallici per suffumigia, 100, B. & *seqq.*
----- plenior nocet decocto Guajaci utentibus, 285, D
----- tenuis curatis à morbo Gallico prodest, & recidivas impedit, 306.
----- in pudendagra, 497, D. 908, B
-- -- in ulceribus sit exsiccativa, 530, B
*Diætæ* regulæ quæ, 12, B
----- regula in morbo Gallico, 40, B. 70, C. 349. 350. 362, D. 363.
----- regulæ in curâ morbi Gallici observandæ, 119, D. & *seqq.* 120. 152, A. 213. 214. 215. & *seqq.* 286, A. 173, B. & *seqq.* 189, C. & *seqq.* 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 253, C. 258. 259. 260. 261. 262. 270, E. 271. 344, C. 387. 388. 389. 393, C. 394, C. 395. 408, E. 409. 410. 451, B. & *seqq.* 623, E. & *seqq.* 681, C. 740, B. 1059, E. & *seqq.* 1134, A. & *seqq.* 565, D. & *seqq.* 782, E. & *seqq.*
----- regulæ pro ratione ætatis, sexus & habitus naturalis, morbum Gallicum patienti observandæ, 751, E. & *seqq.*
----- regulæ observandæ in curatione per lignum Indicum, 241, D. 242. 243. 608, D. 801, D. 852, A
----- regulæ inter sumendum decoctum ligni Guajaci, 698, D. & *seqq.* 843, C. 932, E. 1259, D. 1262, C. & *seqq.*
----- regulæ post curationem morbi Gallici per Guajaci decoctum observandæ, 305, C. & *seqq.*
----- regulæ observandæ in usu decocti radicis Chinæ, 88, A. & *seqq.*
----- regulæ pro varia conditione decoctum Chinæ radicis sumentium, 711, E. & *seqq.* 591, D. & *seqq.*
----- regulæ in pudendagra, 546, E. 548, A. & *seqq.*
----- regulæ in pudendagra pro varia temperie, 516, E. & *seqq.* 523, A
----- regulæ pudendagricis decocto Chinæ radicis utentibus præscriptæ, 916, E
----- regulæ in potione ligni sancti, 483, B. & *seqq.*
----- regulæ observandæ in usu decocti falsæ periliæ, 82, E. & *seqq.* 83, & *seqq.*
----- regulæ observandæ illis, qui per unctiones mercuriales curantur à morbo Gallico, 92, C. & *seqq.*
----- regulæ tempore suffumigationis observandæ, 952, B
----- regulæ Galeotto Pico præscriptæ, 578, C. & *seqq.*
----- regulæ nobili matronæ M. G. patienti præscriptæ, 962, B. & *seqq.*
*Differentia* ultima M. G. definitionem illius reddens reciprocam, 1030, D
—— inter lepram, morum, asaphati, impetiginis &c. 551, C. & *seqq.*
*Differentiæ* morbi Gallici, 1030, B
—— morbi Gallici essentiales, 834, D
—— morbi Gallici accidentales, 835, B
—— quædam morborum, 1027, D. & *seqq.*
*Digerentia* materiam morbi Gallici, 395, D. 396, 963, C
—— materiam antecedentem medicamenta, 451, D
—— humores in M. G. medicamenta, 904, C
*Digestivus* syrupus in pudendagra, 498, C. D. E. 523, A
—— syrupus in M. G. 976, E
*Digestivum* medicamentum, 435, A
—— ad humorem phlegmaticum, 968, C

*Digeſtivum* ad humorem melancholicum, 968, D
—— per 8 dies ſumendum Gallicoſo, 969, E
*Digeſtivi* materiam ſyrupi, 963, D
*Digeſtiva* quando in ulceribus non ſunt applicanda, 531, C
*Diluvia* non ſunt cauſæ morbi Gallici, 767, D
*Dini* explicatio Avicennæ improbatur, 33, C
*Diſſolventia* dolorem medicamenta, 516, A
*Diverſitas* ciborum noxia eſt, 50, C
*Dolor* quid? 504, D
— ejus cauſæ, 505, A. & *ſeqq.*
— nimius oris tempore ſalivationis quomodo mitigandus, 97, A
— capitis ex morbo Gallico inſurgens, unde excitatur, 640, C
— quomodo illi ſuccurrendum, *ibid.*
— articulorum plerumque eſt nocturnus, 825, B
— ejus qualitas, *ibid.*
— cur nocte infeſtet, *ibid.*
— pro ſedatione hujus doloris medicamenta, 825, D
— articulorum quomodo tollatur, 1102, B
— articularis non eſt morbus Gallicus, 765, B
— artuum morbi Gallici inveterati quomodo curetur, 443, B
— in pudendagra cur humidis temporibus quam ſiccis, intentior, 495, C
— in manibus & pedibus ſignum Gallici morbi, 780, C
— pungitivus in pudendagra quomodo ſit tractandus, 524, D
— vagus morbi Gallici ſignum, 780, B
— extenſivus quomodo tractandus, 525, A
— proprie non poteſt dici morbus, ſed accidens morbi, 511, C
*Doloris* definitio, 126, B. 330 C
— cauſa, 935 B
— ſpecies, 507, D. & *ſeqq.*
— in pudendagra ſigna, 509, D
— in pudendagra cura quotuplex, 510, B
— capitis pudendagricorum curatio, 924, A
— articulorum curatio eſt duplex, 994, E
— cura generalis triplici perficitur inſtrumento, 512, B
— per Diætam, *ibid.*
— per potionem, *ibid.*
*Dolori* proprie non competit cura, 511, C
*Dolorem* mitigantia medicamenta, 15, B. & *ſeqq.*
—— mitigantia quomodo diſtinguantur, 331, B
—— ſolvendo continuum inducentes cauſæ, 505, C
—— ſubito mutando complexionem inducentes cauſæ, *ibid.*
—— ſedantia medicamenta, 179, B. & *ſeqq.* 191, B
—— diſſolventia medicamenta, 516, A
—— mitigantia ſunt mollificantia medicamenta, 516, B
—— faciens in pudendagra eſt duplex, 496, C
*Dolore* a communitate totius eveniente, quid faciendum, 521, C
—— a communitate membri particularis, quid tum? *ibid.*
*Dolores* & puſtulæ augentur in initio uſus decocti radicis Chinæ, 89, B
—— Gallici quo nomine vocandi, 367, D
—— in morbo Gallico quonam in genere ſint ponendi, 679, D
—— morbi Gallici cur circa occaſum ſolis in graveſcant? 118, D, 361, E. 330, D. 334, A. 496, A. & *ſeqq.* 508, A. & *ſeqq.*
—— morbi Gallici quibus ægris plures vel pauciores fuerint? 202, D
—— Gallici unde proveniant, 331, A. 333, B
—— Gallici quomodo ſedandi, 353, B. 354. 331, C. 335. 336.
—— muſculorum ex morbo Gallico genitos ſanans unguentum, 849, B
—— mulcentia ſummoventiaque medicamenta, 1344, C
—— articulorum ſanantia medicamenta, 1343.
*Dolorum* in morbo Gallico cauſæ & differentiæ, 115, B
—— morbum Gallicum comitantium remedia, 104, B. & *ſeqq.* 105, A
—— artuum in pudendagricis curatio, 924, D
*Dropacum* formulæ adverſus gonorrhœam, 1350, E
*Duricies* unde fit, 555, C
*Duritiei* in manibus curatio, 998, A
*Dyſenteria* quomodo curanda, 948, C. 1299, C
*Dyſenteriæ* ſupervenienti M. G. patienti quomodo occurri poſſit, 891, C

E.

*Ebenum* non eſt lignum Indicum, a quo decoctum in luem Gallicam conficitur, 706, C
*Ebeni* uſus in Italia, 706, C
*Echynæ* alias Chinæ, radicis Indicæ hiſtoria, 947, B
—— radicis in diæta M. G. præparatio, 947, C. *vid.* China.
*Egani* ligni deſcriptio, 561, E
*Electuarium* hepar confortans, 112, D
—— reſtaurativum, 271, E
—— ad hepatis incendium, 927, C
—— ex ligno Indico paratum, 64, C. 68, D. 69, A. B. 375, C. 386, A.
—— ex ligno Indo quomodo paretur, 270, D
—— ex ligno Indico præparatum ad curandum morbum Gallicum, 69, A
—— poſt decoctum Guajaci Gallicoſo dandum, 1165, A
—— ad pudendagra, 547, A
—— evacuativum in pudendagra, 498, D. 499, A
—— purgans pro pudendagricis, 919, D
—— in morbo Gallico ſumendum, 686, B
—— ad humores præparandos, 786, E
—— humorem melancholicum evacuans, 789, D
—— humores laudabiles generans, 964, E
—— ad cor & cerebrum confortandum, 981, D
—— bili conferens, 787, B
*Electuarii* præſervativi a M. G. formula, 998, D
*Electuaria* ad M. G. inveteratum, 943, A
—— in humore melancholico, 788, E
—— pro varia tempeſtate ante prandium ſumenda, 290, E
—— ad præſervandum a M. G. 1000, B
*Elephantia* quid ſit, 343, A
—— Arabum quid ſit? 204, B
—— quomodo curetur per decoctum ligni Indici, 431, E
*Elephantiæ* ſigna, 204, B
*Elephantiaſis* quid ſit? 5, A. C, 10, C
—— deſcriptio ex Galeno, 666, B. & *ſeqq.*
—— non eſt morbus Gallicus, *ibid.*
—— probatur id, 666, E. & *ſeqq.* 763, D
—— quibusdam M. G. dicitur, 1032, A
—— unde dicatur, 19, A. B. 204, C
—— Græcorum quid, 17, C. D. 18, A
—— Arabum quid, 17, C
—— Arabum & Græcorum diverſa, 17, C
—— ab Arabibus pro tumore pedum accepta, 19, C. D. 132, D. & *ſeqq.*
—— quomodo contagiô proſerpat, 11, A
—— Græcorum eſt lepra Arabum, 143, D
—— unus & idem cum leprâ morbus eſt, 203, D. & *ſeqq.*
—— quomodo differat a leprâ, 206, B
—— morbus eſt contagioſus, 204, C
—— quare ſuam formam ſemper retineat, 1205, A
—— ſanatur Cedrea illita vel inuncta, 19, C
—— cauſa materialis quæ, 3, D. & *ſeqq.*
—— ſigna, 248, B, C
—— adultæ jam tamen ſanatæ exemplum, 6, B
—— remedia, 19, E. 998, C
*Elephantiaſim* Galeni nobis lepram dici probatur, 5, C. & *ſeqq.*
—— inſanabilem eſſe probatur, 6, A
*Elephas* quid? 145, A. 146, C. 147, A. & *ſeqq.* 248, B. C. 249, 3, A
—— unde fiat? 19, D
—— cur morbus Satyricus vocetur, 3, A
*Elleborum* in quibus morbis ſit ex uſu, 746, D
*Ellebori* optimi electio, 744, C
—— decocti apparatio, 745, C
*Elleborum* exhibendi modi, 745, A
*Emplaſtrum* reſolvens gummata Venerea, 105, E
—— olei ſulpheris gummata Gallica digerit, 826, D
—— mitigans dolores morbi Gallici, 105, B. 336, C
—— bubonem maturans, 821, A
—— pro bubonibus rebellibus, 821, B
—— ad tumores duros M. G. 943, E
—— pro tuberoſitatibus, ſcirrhoſisque tumoribus in pudendagra, 925, C
—— ſuppurationem maturans, 644, B
—— pro Gallicoſis, qui ob negotia domi manere nequeunt, 947, A
—— ſaniem inducens, 534, C
—— in pudendagræ dolore extenſivo, 525, E
—— ſaniativum in materia frigida & groſſa, 534, D
—— apoſtema reſolvens, 543, C
—— mercuriale pro pudendagricis, 913, A
*Emplaſtra* maturantia gummata Venerea, 106, B. & *ſeqq.*
—— bubonem maturantia & reſolventia, 1327, D
—— bubonem rumpentia, 1328, A. & *ſeqq.*
—— adverſus bubonem, 1326, D. & *ſeqq.*
—— ad oſſa corrupta, 1363, B
—— pro oſſibus eroſis in M. G. 879, A
—— pro tumoribus in articulis & brachiis ex M. G. 995, C
—— dolores Gallicos mollientia, 1346, C. & *ſeqq.*
—— dolorem ſedantia in cauſa calida, 516, C. D
—— glutinativa, 516, B. C

*Emplastra* pro tophis in M. G. 858, C
—— ad virgæ ulcera, 436, D
—— dolorem in pudendagra removentia, 517, C. & *seqq.*
—— contra pilorum pruritum, 1333, C
—— ad hernias ex ligno ſancto parata, 431, D
*Endemia* quid ſit, 169, C. D
*Endemici* morbi à Galeno dicuntur regionales, 958, A
—— eorum cauſæ, 958, A
—— morbi alii ſunt conſueti, alii inconſueti, 971, B
*Enema* ſingulis menſibus ſumendum ad cephalalgiam à M. G, 953, B. 954, D.
*Epicraſis* quid? 475, D
*Epidemia* quid ſit, 169, C 971, B
*Epidemialis* morbus quare Gallicus non ſit, 765, D. & *ſeqq.*
*Epidemialium* morborum cauſæ tres ſunt, 767, D
*Epidemici* morbi unde fiant, 958, A. 971, C
*Epilepſia* quomodo curetur per decoctum ligni Sancti in ætate & temperamento variis, 421, C. 422
*Epithema* cardiacum, 379, A
*Epithemata* ad cor contortantia pro ratione temporum, 290, D
*Errhinis* quando utendum, 952, A
*Eryſipelas* ulceratum quid, 28, D
—— unde generetur, 27, A, 133, B & *ſeqq.* 732, A
—— vocatur exedens herpes, *ibid.*
—— Arabum aliquando apud Galenum anthrax dicitur, 34, A
*Eryſipelatis* curatio, 736, C
*Evacuantia* fortiora in Gallico morbo nocent, 55, A. & *ſeqq.*
—— medicamenta in cura morbi Gallici adhibenda, 262, D. 265, C. & *ſeqq.* 266, 268, E. 269.
—— medicamenta in cura morbi Gallici proſunt, 326, E. 327
—— bilem flavam, 1079, B
*Evacuatio* debet eſſe prima in curando morbo Gallico, 563, B.
*Evacuationes* particulares pro pudendagricis, 910, D & *ſeqq.*
*Evacuativum* Electuarium in pudendagra, 498, C. D. E. 499, C
—— ad humorem phlegmaticum, 268, C
—— ad humorem melancholicum, 968, E
*Evacuativa* humores malos Gallicoſi, 967, E
*Eunuchi* raro elephantiaſi correpti fuerunt, 204, C
*Eupatorium* quid? 31, C. & *ſeqq.*
—— veterum quid? 22, B
—— veram eſſe hepaticam probatur, 21, E
*Exanthema* non eſt nomen proprium morbi Gallici, 1003, B
*Excoriatio* oris inter ſalivandum quænam remedia requirat, 97, A
*Excrementorum*, quorum habenda ratio, ſunt duo genera, 800, E
*Exemplum* mirum hominis à morbo Gallico curati per unicam libram ligni Indici, plus quam duodecies decoctam. 71, B
*Exempla* ægrorum peſſime morbo Gallico laborantium & per decoctum ligni Indici curatorum, 79, & *ſeqq.*
*Exercitatio* quonam modo ſit ſalubris Gallice laboranti, 1083, C
—— qualis eſſe debeat, quæ M. G. curandi cauſa inſtituitur, 1308, D
*Exercitia* corporis proſunt laborantibus morbo Gallico, 51, C
*Exorciſta* an cantationibus ſanet ægrotum, 493, A
*Experienta*, ars, opinio & conjectura quantopere diſtent, 1257, E. & *ſeqq.*
*Experimentum* quid ſit, 164, A
*Exſiccantia* ulcera medicamenta, 537, C. & *ſeqq.*

F.

*Faucium* ulcerum curatio, 1348, E
—— ulcerum ab unctione ex argento vivo genitorum curatio, 1294, D. & *ſeqq.*
—— & oris curatio 1323, C. & *ſeqq.*
—— ruboris curatio, 754, D
*Faſtidium* cibi &c: quomodo curetur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 428, B
*Favus* quid? 23, D
*Favos* inter & achores differentia 23, E
*Febri* putridæ cur homo magis ſit obnoxius quam brutum, 1201, B
*Fiſſuræ* volæ, manus & plantæ pedis in morbo Gallico apparentes, 45, B. 46, D
—— volarum manuum & pedum in morbo Gallico quomodo curandæ 111, A. & *ſeqq.*
—— ſerpiginoſæ manuum & pedum unde oriantur, 438, E
*Fiſſurarum* manuum, pedum, labiorum, pupillarum, præputii & vulvæ curatio, 1358, B & *ſeqq.*
*Fluminum* incrementa futura mala portendunt. 37, B
*Fœtoris* corporis pudendagricorum ſanatio, 927, B
*Fomentum* ad ulcera virgæ, 398, C. 366, B
—— mitigans dolores morbi Gallici 105, C.
—— ad præputium ulceroſum, 683, C
—— ſanans ulcera Venerea in partibus genitalibus 111, A
—— adverſus glandis tumorem, 1321, A
—— adverſus oculorum læſionem, 1338, D
*Fomenta* contra morbum Gallicum, 257, D
—— pro ſedatione doloris articulorum, 825, D
*Fomentantia* medicamenta in pudendagra, 525, D
*Forma* morbi Gallici, 1126, C. & *ſeqq.*
*Formica* quid? 32, B
—— miliaris quid? 28, B
*Formicæ* corroſivæ nocent humectantia, 29, A
*Fotus* ad alopeciam capitis, 925, C
— pro tophis in M. G. 858, A
— pro pene, 870, B.
*Frictionum* utilitas, 307, D
*Frigus* morbo Gallico laborantibus admodum nocet, 62, D
*Fructus* qui lue Venerea infectis noxii, 627, D
*Fundamentum* morbi Gallici, 465, C

G.

*Gallicum* morbum ab elephantiaſi penitus diverſum probatur, 249, E 250.
------ morbum plerumque conſequantur ii morbi, quibus antea infecti laborarunt, 1227, A
*Gargariſma* ad oris ulcera 255, E. 264, C. 378, C. D. 380, D
------ ad oris ulcera curanda 365, D
------ ori exulcerato adhibendum, 339, D.
------ pro ulceribus oris, 1116, A
*Gargariſmata* pro ulceribus in ore, 948, C. & *ſeqq.* 970, B 856, D
------ adverſus faucium & oris ulcera ex M. G. 1324, A & *ſeqq.*
------ ad ulcera gutturalia, 685 B
*Gargariſmus* utilis ad oris ulcerationem, 238, A
------ oris ulcera reſolvens, 437, E
------ ad oris & faucium ulcera, 923, C
*Gargariſmi* ad ulcera gutturis ex morbo Gallico 647, B. & *ſeqq.*
*Gaudium* lue Venerea vexatis multum conducit, 629, D
*Gemurſa* quid? 7, D
*Generativa* carnis medicina, 535, A
*Gentilis* error detectus, 21, C
------ expoſitio Avicennæ improbatur, 29, C. D.
*Germanorum* antiquorum mores enarrantur, 295, D. & *ſeqq.*
*Gingivarum* putrefactarum curatio, 926, A
—— ulcerum ab unctione ex argento vivo genitorum curatio, 1294, D & *ſeqq.*
—— cæterarumque oris partium lotiones 455, A
*Gluten* albotoim quid? 99, A
*Gonorrhœa* quomodo tractanda, 684, C.
------ ſpecies morbi Gallici. 659, C
------ eſt ſignum morbi Gallici, 780, D
*Gonorrhœæ* ſigna, 1349, E
------ Gallicæ conjecturæ, 830, E
------ curatio, 1142, C. 1104, A. 871, A. 1322
------ ejus differentia, *ibid.*
------ curatio tam intrinſeca quam extrinſeca, 1350, C
*Granum* viride Arabum quid? 25, B
*Gravitas* in brachio deſignat plenitudinem ſanguinis, 134, E
*Guajacum* nulla alia medicamenta ſibi admiſceri patitur, 287, B
------ pulveriſatum alvum movet, 285, E
------ lignum quodnam optimum, 598, D
------ an aqua vel vino decoquendum, 842, E
------ an conducat jure pulli decoquere, 843, A
------ an ſolum vel medicamentis purgantibus ſit decoquendum, 843, B
------ morbo Gallico verum antidotum, 789, E
------ an antiquis notum fuerit, 792, E
------ creditum nonnullis in Italia naſci, 792, E
*Guajaci* nomen quale & unde derivatum, 282, D. 385, B. 194. B. 283, A. 696, B. 791, C. 841, B. 193, E. & *ſeqq.* 1249, B. 1151, B
------ —— arboris locus natalis &c. 357, 358
------ uſus contra morbum Gallicum ubi locorum & qua de cauſa inventus fuerit, 196, C & *ſeqq.* 194, B

*Guajaci* duo videntur genera, 841, C
—— ligni genus triplex, 656, B
—— ligni electio, 1245, D. & *seqq.* 1152, C. 1094, E 841. D
—— vires enarrantur, 303. & *seqq.* 930, D. 1249, D
—— ligni natura, 791, B. 982, B. & *seqq.*
—— ligni aqua ad M. G. 1114, C
—— ligni decoctum ad morbum Gallicum, 583, B. 1114, B. 1153, A
—— decoctum quomodo præparandum, 283, C. 1152, D. & *seqq.* 931, C. 932, C. 599, A. 697, A. 1095, A. B
—— confitiendi ac propinandi decoctum modus, 983, D
—— decoctiones simplices, 945, C
—— ejus decocta in duo genera distinguuntur, 1095, A
—— ejus coctura, 1095, C
—— ejus prima decoctio, 1095, D
—— secunda ejus decoctio, 1096, A. 1153, B
—— decoctionis species compositæ, 1153, C
—— ligni decoctum simplex in vino, 701, A
—— ejus decoctio cum vino, 1096, B
—— quæ cum eo miscentur, 1096, D
—— ligni decoctum in vino cum vehementibus simplicibus, 701, D
—— decoctiones compositæ, 945, D. 699, E
—— cætera quæ ad hujus usum spectant, 1096, E. & *seqq.*
—— decocti quantitas, 1154, B
—— ad decocti usum præparatio corporis, 842, A
—— pulvis alvum purgat, 386, D
—— decoctum in initio dolores auget. 302,
—— decoctum in aquis destillatis efficacissimum, 945, D
—— decoctum, quamobrem pustulas, ubi non sunt, quandoque movet, 1733, B
—— ejus contra M. G. propinandi modi, 1250, B. & *seqq.*
—— ejus decoctum utrum à proprietate occulta vel à manifestis causis agat, 1254, E. & *seqq.*
—— ejus decoctum quando propinare conveniat, 1256, E, & *seqq.*
—— ejus decoctum an artis inventum sit, 1257, E. & *seqq.*
—— decoctum omni ætati & sexui & nationi tuta datur 289, E, & *seqq.*
—— decoctum quibus in locis sit exhibendum 1154, C
—— quibus temporibus, *ibid.*
—— qua hora, 1154, D
—— decoctum quo tempore anni imprimis potandum, 291, D
—— ligni decoctum quamdiu sumendum, 700, B. 1154, D
—— decoctum qua lege sumendum 284, D & *seqq.*
—— decocto cur minus aquæ quam sarzæ parillæ admisceri soleat, 1274, A & *seqq.*
*Gummata* quid sint, 1102, D
—— eorum differentiæ, *ibid.*
—— Venerea unde generentur, 210, C
—— Venerea quomodo curanda? 105, D & *seqq.*
—— Venerea quomodo resolvenda, 218, B
—— Venerea rupta viscosam materiam dant, 43, D
—— sive tumores ateromatici sunt signa morbi Gallici, 781, C
*Gummatum* Gallicorum species, 826, A
— eorum loca, *ibid.* B
— — materia, *ibid.*
— — causæ, *ibid.*
— — signa, *ibid.*
— — curatio, *ibid.* C. 880, A
— — curatio, 1102, E
*Gummi* Venereum quid? quæ loca occupet, 44, E
*Gummositates* contumaces quomodo curandæ, 1361, C. & *seqq.*
*Gutturis* & linguæ tumoris curatio, 1293, C
— ulcera quibus aquis sananda, 1349, A, B

H.

*Habitus* nomine quid intelligatur, 162, C
*Hemicraniæ* causæ, 415, B
—— curatio per decoctum ligni sancti in omni temperie & ætate, 415, D. 416, 417.
*Hepar* est minera morbi Gallici, 42, A. 44, A & *seqq.*
— an sit fomes M. G. 859, E
— una cum universo sanguine an sit Gallicæ affectionis propria sedes, 1034, A
— rationes hujus positionis, *ibid.* & *seqq.*
— non est focus luis Venereæ, 862, B. & *seqq.* 1127, C. 1219, D
*Hepar* non est sedes M. G., quod frigida intemperies est M. G. 1219, D
— an sit pars subjecta propria morbi Gallici, 770, A. & *seqq.*
— quare in M. G. non sit prima sedes affecta, 1215, D. & *seqq.*
— prout calidum non est M. G. sedes, 1219, B
*Hepatis* morbi quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 428, E. 429.
— incendii curatio, 927, C
*Hepar* tuentia in Gallicoso, 1081, C
*Hernia* quomodo curanda per decoctum ligni Indici in ætate, & temperamento variis, 431, C
*Herpes* comedens quid? 35, D
— Cenchrias quid? 28, B
*Herpetis* vesicosi remedia, 28, B
— curatio, 737, A. 858, D
— in facie curatio, 949, D
*Hetechen* ligni brevis descriptio, 1092, C
*Historia* de quodam lue Venerea affecto, 884, A
— cujusdam M. G. correpti, 938, C
— qua infantibus posse illitiones prodesse demonstratum est, 888, A
*Homo* totus est sedes M. G. 1194, B
— cur magis putridæ febri sit obnoxius quam brutum, 1201, B
*Humor* quis sit proprius morbo Gallico, 674, C
*Humoris* mucosi generationis causa, quæ? 1161, A. & *seqq.*
—— mucosi locum noscere ad curationem conducit, 1159, C
*Humorem* melancholicum vacuantia, 788, E. & *seqq.*
*Humores* in pudendagra quo motu & quando moventur, 508, C
*Humorum* præparatio, 786, B
*Humores* præparandi modi pro varia conditione, 851, A. & *seqq.*
*Hydrargyrus* an venenum sit, 893, E. & *seqq.*
—— ejus historia, *ibid.*
—— & argentum vivum differunt, 469, D
*Hydrargyri* præparatio, 811, C
—— inunctio, 809, A
*Hydrops* quomodo curetur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 429, D

I.

*Jecur* est proprium subjectum M. G. 1030, C
— purgans syrupus, 948, E
*Ignis* Persicus quid? 132, E. 343, A. 27, A. 33, D. 34, B
— Persicus non est morbus Gallicus, 670, A
— sacer quid? 132, E
— sacer quid, & ejus signa, 34, B. 35, C. D. & *seqq.* 36, B, C
*Illitiones* quibus adhibendæ, 887, D
ab *Illitionibus* quando desistendum, 890, D
*Imbecillitas* virium, ex unctione argenti vivi quomodo tam intrinsecus quam extrinsecus occurrendum, 1298, B
*Impetigo* quid? 20, B
*Impetiginis* curatio, 830, C
*Inanitio* & repletio in quibus maxime positæ videantur, 1076, A
*Incisio* virgæ quo latere facienda, 436, D
*Indicia* morbi Gallici, 619, B
*Inediam* quæ sequantur, 1068, B
*Infusio* evacuans, 437, C
*Inguinum* abscessus quomodo sanandi, 928, D
*Instrumentum* in palato, ubi os deficit, 829, D
*Intemperies* calida & humida putredinum mater, 37, A
—— morbi Gall. quænam! 1159, A. & *seqq.*
—— frigida & humida non est morbus Gallicus, 771, E
—— calida & sicca non est morbus Gallicus, 772, A
*Intentiones* curativæ in M. G. curatione, 1057, A
*Intestinorum* erosionis curatio, 857, A
—— tormina quomodo tollenda, 648, B
*Invidia* quid sit? 261, C
*Inunctio* ex hydrargyro, 809, A
—— quis ejus inventor, *ibid.*
—— est periculosa, *ibid.* C
—— hora inungendi, *ibid.* D
—— modus inungendi, *ibid.*
—— ejus terminus, *ibid.* E
—— desistendi ab ea terminus, 810, B
*Inunctiones* in affectu Gallico pro temperiei ratione, 683, E. & *seqq.*
*Inundatio* an possit esse causa morbi Gallici, 670, B
*Inundationes* aquarum terræ motus prænunciant, 37, C
*Ira* quid sit? 260, D
*Juniperus* ut lignum Indicum adhibetur ad sanandam pudendagram, 917, D

*Juniperi* facultas & vis, 1092, B
—— oleum dentium dolorem reliquosque articulorum dolores tollit, 1343, E
—— decoctum an morbum Gallicum sanet, 790, B. & *seqq.*
—— decoctum ad M. G. summovendum, 1307, B

K.

*Karon* lignum Avicennæ quid sit, 60, A

L.

*Labiorum* fissurarum curatio, 1358, B. & *seqq.*
*Lac* morbo Gallico laborantibus prodest, 13, B
---- quare iis, qui lue Gallica afficiuntur sit inimicum, 627, A
*Lacrymæ* puerorum lactentium quare salsæ, 1189, C
*Lacrymarum* nimius fluxus quomodo curetur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 424, E. 425.
*Lactitium* quid? 129, A
*Lactuca* sanguinem frigidum generat, 78, B
*Lætificans* cor medicamentum, 964, C
*Lanam* comburendi modus Dioscor. 31, B
*Lapis* a stomacho egressus per vomitum, 961, B. 975, D
---- a stomacho egressus veteribus non est visus, 1005, A
*Lavamentum* ad pustulas morbi Gallici, 14, B
-------- ad lichenes, 382, B
*Legumina* iis, qui morbo Gallico vexantur, sunt contraria, 628, D
*Lenientia* alvum medicamenta, 963, A
------ medicamenta, 1077, E
------ materiam in M. G. remedia, 1139, E. & *seqq.*
*Lenitivum* medicamentum, 435, A
------ medicamentum pro pustulis scabiosis, 452, D
*Lenitiva* ante venæ sectionem adhibenda, 1233, C
*Lepra* quid, 7, B. 18, C. 20, C. 22, D. 23, A. 203, D. 390, D
---- unde oriatur? 146, A
---- Arabum erat Græcorum Elephantiasis, 8, D
---- quomodo differat a lichene, 144, D
---- Græcorum Celso dicitur impetigo, 22, C
---- & elephantiasis quomodo differant, 206, B
---- à Galeno in duas species distinguitur, 7, C
---- totalis cancer est, ergo insanabilis, 18, A
---- sanabatur esu viperarum, 18, C. D
---- Guajaci usu multum mitigatur, 303, D
---- balneo sanguinis humani curabatur, 204, A
---- non est morbus Gallicus, 558, B. 667, C. & *seqq.* 763, C
---- dedecus potius, quam morbus censendus, 601, D
---- quomodo curatur, 1343, A
*Lepræ* nomen ambiguum, 19, A
---- definitio, 144, C
---- definitio ex Paulo, 667, E
---- alia definitio, 668, A
---- divisio in species, 249, D
---- causæ quæ? 18, B
---- signa, 5, B
*Lepram* inter & psoram differentiæ, 23, A
---- ab Elephantiasi distinxerunt Arabes, 7, D
*Leuchis* quid, 5, C. 8, B
*Levis* lassitudo lignum morbi Gallici, 780, A
*Lichen* quid? 20, B. C. 22, D. 145, A. 252, A
---- Latine mentagra, 493, C
---- non esse morbum Gallicum demonstratur, 668, D
---- Latine impetigo vocatur, 668, D
---- osculo & quidem facili in alium transibat, 669, D
*Lichen* herba quid? 21, B
---- herba ictericis prodest, 21, C
*Lichenes* Græcis & Romanis quando cogniti, 17, A
---- a Plinio descripti, 669, A
---- quare Latinis Mentagra vocetur, 669, A
---- Græcorum papulæ Celso dicuntur, 22, C
---- quomodo nascuntur, 20, D
---- in lepram convertuntur, 20, C
---- Gallici quomodo curandi, 382,
---- parietariâ herbâ sanantur, uti & hepaticâ, inde lichene dictâ, 21, A
*Lichenum* descriptio, 493, D
*Lignum* Guajacum pulverisatum alvum movet, 244, B. *vid.* Guajacum.
---- Indicum unde ad nos deferatur, 269, B
---- Indicum quas debeat habere conditiones, 59, E. & *seqq.*
---- Indicum an viride magis prosit, quam siccum, 709, B
*Lignum* an ponderosum sit eligibilius, 707, C
---- quid in eo potius indagandum, *ibid.* D
---- an ipsius cinis alicujus sit roboris, 710, A
---- pulvis ejus si bibatur, an conferat, 710, C
---- an pulveris ejus vis brevi tempore exsolvatur, 710, D
---- Indicum quas vires possideat, 60, C. & *seqq.*
---- Indicum quod optimum, 564, C
---- Indicum quomodo assumendum sit, 242, C. 243.
---- Indicum 40 diebus morbum Gallicum sanat, 63, B
---- Indicum quibus prosit, 74, C. D. 750, B
---- Indicum podagricis prodest, 68, A. 75, A
---- Indicum catarrhosis prodest, & quâ de causa, 67, E. 74, D
---- Indicum in substantiâ datum purgat, 65, D
---- Indicum ad sudores movendos reliquis præstat, 900, A
---- Indicum an valeat ad alias infirmitates, 793, E
---- sanctum veteribus incognitum fuit, 403, E. 404.
---- sanctum ligno Guajacano efficacius est, 357, D
---- sanctum diu decoquendum, 411, D
---- sanctum cur diversa peragere valeat, 415, A
---- sanctum non eodem modo omnibus adhibendum, 403, A
---- sanctum & argentum vivum simul ad curam non sunt afferenda, 484, D
*Ligni* Egani descriptio, 561, E
---- Guajaci electio, 636, D
---- Guajaci decocti præparatio, 632, E
---- Guajaci decoctum primæ coctionis, 637, B
---- Guajaci decocti per potum morbi Gallici cura, 635, D
---- Indici historia, 59, D. & *seqq.* 269, C
---- Indici electio, 609, C. 794, D
---- Indici corticis notæ, 795, B
---- Indici optimi notæ, 795, A
---- Indici tria sunt genera, 914, B
---- eorum nomina, proprietates & virtutes, 914, C
---- Indici vires, 749, A. 750, C
---- ei adscribuntur ætates, 749, D
---- Indici qualitates & vires enarrantur, 269, C. & *seqq.* 793, B
---- ejus caliditatis gradus, *ibid.* C
---- Indici complexio qualis, 74, A
— — temperamentum quale? 67, C
— — decoctum quomodo parandum, 244, D. 246, B. 609, D. 914, D. 992, C
— — decoctum ex vino parandi & exhibendi modus, 71, E. & *seqq.* 72, C. D. 73, A
— — præparatio duplex, 795, D
— — decoctio simplex est duplex, 795, D
— — decoctio, 796, B
— — quibus in vasis paranda, *ibid.* C
— — decoctionis primæ faciendæ norma, 796, D. 564, D
— — secundæ decoctionis, 565, B. 914, D. 797, A
— — decoctionis tertiæ, *ibid.*
— — decoctiones compositæ, 797, B
— — decoctum ex ligno & cortice, 797, C
— — decoctum cum vino, *ibid.*
— — tertia decoctionis magis compositæ species, *ibid.* E
— — quarta decoctionis species, 798, A
— — quinta decoctionis species, 798, A
— — mixtio cum purgantibus an bona, 798, B
— — ultimum decoctum pro pueris, 798, C
— — secunda aqua pro pueris, 798, D
— — decoctum dilutius, 751, B
— — decoctum efficacius, 751, B
— — in formam electuarii redigendi modus, 64, C. 68, D
— — decoctum quomodo exhiberi debeat? 68, E. & *seqq.*
— — usus contra morbum Gallicum, 794, A. 852, C
— — tempus dandi decocta, 915, A. B
— — quæ ei adjungenda sunt, 915, D
— — exhibitio quænam requirat præmittenda, 62, A
— — decoctum ejusque utendi ratio pro affectibus capitis, 882, D
— — pro ratione temporis administratio, 900, A
— — meditullium an cæteris partibus sit efficacius, 708, D
— — decoctum nutrimentum dat, 65, B
— — usus homines ex macilentis pingues reddidit, 70, E
— — — decoctum sanat morbum Gallicum, sine tenui diætâ, sed longiori tempore, 78, A
— — — decoctum pueris & prægnantibus tuto datur, 69, E

*Ligni* Indici decoctum multis aliis morbis profuit, 75, B. *& ſeqq.*
*Ligni* Sancti deſcriptio, 791, D
—— Sancti electio & vires, 373, D. 404, D. 405. 792, B
—— Sancti dotes, 473, B. *& ſeqq.*
—— ejus natura, 405, C. 406. 474, E. *& ſeqq.*
—— ejus vis, 407, D. 475. B. 407, D
—— Sancti decoctum quomodo parandum & ægro exhibendum 62, E. *& ſeqq.* 68, E. *& ſeqq.* 374, 375. 358. D. 359, 360
—— Sancti decoctum cum vino quomodo paretur, 376, B. C.
—— Sancti decoctionis præparatio, 476, C. 470, D
—— Sancti ſecundarius cremor quomodo apparandus, 480, D
—— Sancti decoctionis conficiendæ tempus ſunt horarum ſex, 480, E
—— Sancti potionis modus, & menſura, 481, *& ſeqq.*
—— Sancti decocto alia ſimplicia cum vino ſunt miſcenda, 446, A
—— Sancti decoctum cum vino parandi modi varii, 71, E. 72, *& ſeqq.*
—— Sancti decoctum podagricos levat, non ex toto liberat, 75, B
—— Sancti decoctum multis aliis chronicis morbis profuit, 75, C. D.
—— Sancti unica libra duodecies decocta pauperem ſanavit hominem, 71, B.
—— Sancti decoctum, in morbo Gallico novo puſtulas multiplicat, 70, A. 76, C. D
—— Sancti decoctum pueris & prægnantibus ſine noxâ datum fuit, 69, E
—— Sancti decoctum ex vino in vetuſto morbo Gallico prodeſt, non in recenti, 71, D
—— Sancti decoctum homines pinguiores fecit, 70, E
*Ligno* ſancto quomodo utendum, 605, C. *& ſeqq.*
*Ligna* quot G. M. opportuna ſint, 1092, B
—— quæ, cum Indica deficiant, adhiberi poſſent in M. G. 1092, A, B
*Linimentum* Jo. de Vico non ſanat morbum Gallicum, 560, E
—— ad tollendum maculas rubras poſt puſtulas in morbo Gallico remanentes, 16, A
—— in quocumque tempore morbo Gallico adhibendum, 453, E
—— cum adeſt dolor articulorum cum tophis, 855, A
—— ſi dolor ſine puſtulis articulos & caput afficit, 854, D
—— ad dolores capitis in pudendagra, 924, C
—— ad herpetes in facie, 949, D
—— ad puſtulas in morbo Gallico, 14, A, B
—— ad cruſtas, puſtulas, ulcuſcula & tumores duros ex morbo Gallico, 703, B
—— ad ſciſſuras manuum ex morbo Gallico, 646, D. 728, D. 1360, A
—— ad hepatis incendium, 927, C
—— cum quo penis ſit inungendus, 684, E
—— ventris in M. G. 976, D
—— ad ulcera cum multis papulis, 941, C
—— membris, quæ dolent, inungendum, 706, A
—— poſt balneum in morbo Gallico, 854, D
—— Mercuriale ulcus ad cicatricem ducens, 944, A
*Linimenta* pro ratione temporum in affectum Gallicum, 689, B
—— ad reſtaurandos pilos, 584, B
—— qui fortiora juſto fiant, 890, B
*Linteolum* mundum magnam habet vim in præſervatione cariei Gallicæ, 818, C
—— ejus præparatio, *ibid.* C. & E
*Lipothymiæ* ex M. G. ſanatio, 857, A
*Lixivium* præſervativum à capillorum defluvio, 725, C
—— pro caſu pilorum, 822, D
—— pro alopecia ex M. G. 999, C
—— quo abluentur partes alopecia tentatæ, 950, C
—— cauſticum ad ulcera, 536, B
*Lixivia* pro pilorum defluvio, 1334, B
—— ad pedes confortandos, 524, C
*Localia* ſunt materiam digerentia, 826, C
*Lotio* ad puſtulas membri virilis, 682, D
—— ad puſtulas alias tarolos lavandas, 682, B
—— pro puſtulis mortificandis in ore & membro genitali apparentibus, 978.
—— mitiſcente morbo, adhibenda, 891, B
—— mercurialis pro pudendagricis, 913, C
*Lotiones* ad membra confortanda, 454, D. *& ſeqq.*
*Lotiones* gingivarum cæterarumque oris partium, 455, A
—— virgæ ulcera mundificantes, 436, B
*Lues* Venerea à Venereo concubitu contrahitur, 613, B
—— quare dicitur publica, 463, B
—— an progreſſu temporis ſit morbus acutus, 889, C
—— quos vehementius, & minore negotio exagitet, 866, D
—— quibus ſignis dignoſcatur, 867, A
—— vix ad cor commeat, 464, E
—— ſanguini venarum ab hepate remotiorum ne inhæret, 897, D
*Luis* Hiſpanicæ definitio, 462, B. 613, A
—— Venereæ cauſa efficiens, 613, A
—— Venereæ ſoboles, 859, D
—— Venereæ cauſa, 860, C
—— Venereæ origo, *ibid.*
—— Venereæ natura, 609, B
—— Venereæ vis, 609, B
—— Venereæ ſpecies, 613, C. *& ſeqq.*
—— Venereæ ſigna, 614, B
—— quibus in partibus potiſſime inferatur, 680, C
—— forma propria incognita eſt, 860, D
—— ejus ſeminarium, 861, A
—— proprium ſeminarium quod vere dici poſſit, 861, D
—— hepar non eſt focus, 862, B
—— proceſſus hujus affectus, 864, E
—— Venereæ curatio per Mercurialia, 884, E. *& ſeqq.*
*Luſitani* luem Gallicam curandi modum in Europam attulerunt, 705, C

M.

*Maculæ* puſtularum ex M. G. relictæ quomodo amovendæ, 1364, C. *& ſeqq.*
*Macularuna* corporis totius curatio, 998, A
*Maculas* in facie delendi medicamenta, 704, A
*Malagma* quid, 810, C
—— ſanans morbum Gallicum, 168, C
*Malagmata* ad maturandos tumores Gallicos, 273, E, C
—— adverſus bubonem, 1327, B
*Malagmatum* in morbo Gallico uſus unde manaverit, 165, B
*Manuum* ſciſſuræ curatio, 949, C. 1358, B. *& ſeqq.*
*Materia* morbi Gallici, 955, C
—— cauſans dolorem quæ? 959, E. 974, C
—— mala humoralis eſt cauſa malæ complexionis, 506, C
—— per ſe eſt cauſa ſolutionis continuitatis, 506, D
—— morbi Gallici quibus digerenda remediis, 262, C. 372, E. 373. 153, E. 154. 228, E. 229. 175, D, E. 176. 177.
—— morbi Gallici quomodo evacuanda & per quæ, 177, D. *& ſeqq.* 254, D. *& ſeqq.* 255.
—— conjuncta quibus modis evacuetur, 940, B
—— morbi Gallici quomodo minoranda & per quæ medicamenta, 175, D
*Materiæ* in morbo Gallico evacuatio, 785, B
*Materiam* digerentia in morbo Gallico, 363, E
*Materiæ* pudendagræ, 495, A. *& ſeqq.*
—— puſtularum quomodo cognoſcantur, 961, D
*Maturantia* bubonem medicamenta, 821, A
*Medica* ars in quibus conſiſtat, 1017, C
*Medicæ* artis diviſio ex Galeno, 31, D
*Medicamen* capillorum caſum prohibens, 438, D
*Medicamentum* nullum ligno Sancto permiſcendum, 485, D. *& ſeqq.*
—— digerens materiam in morbo Gallico, 14, B, C
—— digeſtivum, 435, A
—— evacuativum ad caſus pilorum, 645, C
—— lenitivum ad puſtulas ſcabioſas exſiccandas, 452, D
—— ad pilorum inſtaurationem utiliſſimum, 906, B
—— efficaciſſimum ad quaslibet cutis maculas tollendas, 906, A
—— mitius pro iisdem, *ibid.* B
—— tutius pro ſedatione doloris articulorum, 825, D
*Medicamenta* varia adverſus morbum Gallicum, 280. 740, D
—— contra morbum Gallicum pro varia temperie, 851, A. *& ſeqq.*
—— a pudendagra præſervantia, 922, B
—— pudendagricis pro ſexu, ætate & temperatura convenientia, 920, D. *& ſeqq.*
—— mercurialia, 811, D. *& ſeqq.*

*Medicamenta* mercurialia ſunt deteſtanda & periculoſa, 990, C
—— mercurialia ad morbum Gallicum, 633, C. & *ſeqq.*
—— mercurialia ad pudendagram fugienda, 527. A. & *ſeqq.*
—— minorativa, 351, C. 352. 354, D
—— alvum laxantia, 395, E. 396. 397, B. 401, B. 402.
—— ventrem lenientia in morbo Gallico, 175, C
—— evacuantia, 435, B
—— conſolidantia, 435, D
—— evacuantia materiam in morbo Gallico, 55, C. & *ſeqq.*
—— glutinativa, ſunt dolorem mitigantia, 516, B
—— mundantia, 435, D
—— confortativa, quare dicantur frigida & non calida, 513, A
—— digerentia materiam in morbo Gallico, 52, D. & *ſeqq.*
—— materiam antecedentem in morbo Gallico digerentia, 451, D
—— alvum ſolventia 363, D. E. 364, C. D
—— poſt purgationem in cura morbi Gallici adhibenda, 583, A
—— dolorem diſſolventia, 516, A
—— pro affectibus capitis, 881, C
—— oris ulcera ſanantia, 437, E
—— cum os cadit palati, 829, C
—— ad alopeciam, 717, A. & *ſeqq.*
—— ex Dioſcoride, 720, D
—— ex Plinio, 721, B
—— ad capillorum pilorumque defluvium, 723, D. & *ſeqq.* 1333, B. & *ſeqq.*
—— ex Dioſcoride, 724, B
—— ex Plinio, *ibid.* C
—— ad capillorum defluvium pro varia temperatura, 725, D. & *ſeqq.* 727, C
—— pilorum defluvium inſtaurantia, 584, A
—— poſt caſum pilorum, 823, C
—— maculas ex morbo Gallico ortas tollentia, 584, C
—— quæ contemnenda, quæ accipienda adverſus gonorrhœam, 1351.
—— ad puſtulas oris, 824, C
—— varia quæ cariei applicari poſſunt, 814, D
—— ardorem urinæ & renum, veſicæ meatuumque urinalium ulcera abſtergentia & ſiccantia, 927, E. & *ſeqq.*
—— dolorem pungitivum ſedantia in pudendagra, 524, D
—— contra hepatis & renum caliditatem nimiam, 238, C. D
—— ſymptomata ex inunctione hydrargyri ſupervenientia, corrigentia, 811, A
—— cauſtica in ulceribus, 536, B
—— an cum cibo aut ſine cibo ſint ſumenda, 1238, C. & *ſeqq.*
—— quæ 40 dierum ſpatio opus ſuum perfecerunt, 700, C
*Medicamentorum* hydrargyrum recipientium utilitas, 885, A
*Medicina* iatraleptica unde originem duxerit, 164, D
*Medicinæ* diviſio generalis, 253, A
—— eradicativæ in morbo Gallico adhibendæ, 328, C. 330, B
—— narcoticæ effectus, 520, B
*Medicus* ſcientificus in actu curativo quæ conſiderare debeat, 962, A
*Medici* rationalis munus & officium, 1017, C
*Medicum* cognitione ſimplicium indigere, probatur, 137, C. & *ſeqq.*
*Medici* muſicis ſunt ſimiles, 479, D
*Melancholia* qua hora moveatur, 554, A
—— quomodo curetur per decoctum ligni ſancti in ætate & temperamento variis, 420, B
*Melancholiam* præparantia, 787, C
*Melancholicum* humorem vacuantia, 788, E. & *ſeqq.*
*Melancholicorum* M. G. affectorum purgatoria, 1243, A. & *ſeqq.*
*Melancholicis* pudendagra affectis quæ regulæ ſint obſervandæ, 499, C
*Membra* quæ in M. G. inficiantur, 976, C
*Memoriæ* vitia quomodo curentur per decoctum ligni ſancti in ætate & temperamento variis, 419, A. & *ſeqq.* 420.
*Menſtruum* cur fiat, 1181, E
*Menſtrua* quid ſint, 1181, C
—— cur mulieri contingant, 1181, C
—— mulieribus crebrius quam brutis contingunt. 1182, D. & *ſeqq.*
*Mentagra* quid? 17, A. 310, B
—— qualis morbus, 1169, D
—— unde dicatur, 393, C. 669, A
—— raro lethalis, 315, C
—— quomodo præcavenda, 316, D. & *ſeqq.*
*Mentagræ* cauſæ, 311, A
—— incipientis ſigna, 315, A
—— materia, 314, D. 326, B
*Mercurialia* medicamenta ad morbum Gallicum, 633, C. & *ſeqq.*
—— medicamenta ad pudendagram fugienda, 527.
—— ſuffumigia, 808, C
*Mercurii* uſus in morbo Gallico unde primo originem traxerit, 193, B. & *ſeqq.*
*Merdaſengi*, quid, 436, A
*Mingendi* difficultas quomodo tollenda, 1353, B. & *ſeqq.*
*Minorantia* materiam medicamenta, 963, C
*Minorativa* potio, in M. G. 977, A
*Minorativum* in forma boli ad M. G. 967, E
—— ad humorem melancholicum, 968, D
—— ſi fuerit humor phlegmaticus aduſtus, 968, C
*Mitigantia* dolorem bubonum medicamenta, 821, D
—— cum ſtupefactione medicamenta, 521, B
*Mixturæ* ad virgæ puſtulas, 928, C
—— ad dolorem tibiarum, 519, D
*Mœſtitia* ſignum morbi Gallici, 780, C
*Mollificantia* mitigant dolorem, 516, B
*Morbilli* & variolæ quando in Europa ſunt orti, 1200, B
*Morbillorum* materia quæ ſit? 314, D
*Morbillos* & variolas nemo in Europa effugere poteſt, 1172, D
*Morbus* appellatur id, quodcunque hominem infeſtat 1172, C
—— quomodo definiatur, 1, B
—— vulgaris quinam! 463, C
—— univerſalis qui, 1028, A
—— communis certæ regioni proprius, in aliam regionem invectus, cur ſingulos homines promiſcue inficiat, 1198, E. & *ſeqq.*
—— communis cur in quibusdam locis hic eſt peculiaris, in quibusdam ille, 1198, C
*Morbi* generales diviſiones ſecundum Galenum, 1, B
*Morbus Gallicus* quid, 597, B. 929, B. 1220, A. & *ſeqq.*
—— —— unde ortum habeat, *ibid.*
—— —— eſt ægritudo compoſitionalis, 2, A
—— —— poteſt quidem deſcribi, ſed non definiri, 955, B
—— —— quid & unde vocetur, 17, B. 251, C. 312, B
—— —— variis nominibus vocatus, 312, B
—— —— quando ortus fuit, 341, C
—— —— quo tempore inceperit, 199, A. 493, C. 277, A. 903, D
— — quare Indicus appelletur, 433, D
— — an ſit natus ab aſtris, 765, D
— — an revera morbus ſit, 1024, E. & *ſeqq.*
— — an inter morbos ſit annumerandus, 664, D
— — quando confirmatus ſit nominandus, 456, C
— — eſt novus morbus veteribus ignotus, 201, C. 371, D
— — an veteribus fuerit cognitus, 1003, B
— — an novus an antiquus ſit morbus, 763, C. 956, C. 1169, B. & *ſeqq.* 847, B
— — eſt plane novus, 671, A
— — quomodo novus dici poſſit, & per contagium generatus, 605, B
— — quonam pacto morbus novus dicatur, 903, C
— — non eſt de novo ortus morbus ſed ſæpius viſus fuit, 184, B
— — quomodo dividendus, 939, B
— — cur varius eſt, 149, C
— — ad quam ex generalibus morborum claſſibus reduci debeat? 219, D. 220, & *ſeqq.* 1029, A. & *ſeqq.* 1118, B. & *ſeqq.* 666, A. 775, A. & *ſeqq.*
— — non eſt ponendus in capitulo de variolis, 502, D. & *ſeqq.*
— — an ſit a cauſa ſuperiori an inferiori, 503, C
— — per contractum evenit, 504, B
— — an ſit affectus ſolutæ continuitatis, 1032, C
— — an conſiſtat in ſoluta unione hepatis, 1032, E
— — an a conſtellatione corporum ſuperiorum eveniat, 493, C
— — in quibus cum aliis quibusdam morbis conveniat vel differat, 1035, A. & *ſeqq.*
— — non eſt diſtinguendus ratione humorum quatuor, 774, E
— — cum omnibus fere morbis complicatur, 249, B. 250, E
— — affectus & ſymptomata caliditatis & ſiccitatis inducit, 1157, C
— — in tres ſpecies ſimplices dividitur, 658, C. & *ſeqq.*
— — in quo trium ſpecierum genere ſit, 665, A
— — an ſit ſimplex, an compoſitus, 771, A. & *ſeqq.*
— — eſt intemperies calida & ſicca, 1030, C
— — an ſit calida & ſicca intemperies, 772, A

*Morbus Gallicus* non eſt calida & humida intemperies, 773, C
--- --- nec eſt putredo, *ibid.*
--- --- an ſit frigida & humida temperies, 771, E
--- --- cur indiſcriminatim tam in calido quam in frigido temperamento gignatur, 1221, B
--- --- bilioſus qualis & quomodo curandus. 256, C
--- --- pituitoſus qualis & quomodo curandus? 257, E. 271, C
--- --- melancholicus qualis ſit & quomodo curandus, 264, E. 265.
--- --- ſanguineus quomodo curandus, 253, B. ejuſdem ſigna ibidem, 171, C
--- --- epidemicus eſt, 36, D. 169, A. B
--- --- an ſit epidemialis. 957. B
--- --- non eſt epidemialis, 140, A. 971, B
--- --- ex epidemicâ aëris infectione originem traxit, 184, C. & *ſeqq.*
--- --- non eſt elephantiaſis, 142, C. & *ſeqq.* 143. & *ſeqq.*
--- --- an ſit elephantiaſis, 763, C
--- --- probatur eſſe idem cum Elephantiaſi Galeni, 2, B. 4, A. & *ſeqq.*
--- --- an idem cum lepra Arabum, 763, C
--- --- non eſt lepra illa, de qua in ſcripturis S. mentio fit, 668, D
--- --- quare Syphilis dicatur, 197, C
--- --- eſt contagioſus, 51, C. 141, A & *ſeqq.* 251, D. 252, A. 109, B. 344, A
--- --- etiam ſine contagio multos invaſit, 201, A
--- --- contagio inducitur, 768, C
--- --- an toti corpori ſit communis, 768, D
--- --- attactu linteaminum infecti contagioſus eſt, 41, E
--- --- differt à ſaphati, 127, C, D. 129, A & *ſeqq.*
--- --- non eſt Sanafatum Avicennæ,, 764, C. 974, D
--- --- non eſt morbus communis, 765, C
--- --- nec eſt epidemialis, *ibid.*
--- --- cum Albotim non eſt idem, 764, E
--- --- quæ membra primo occupet? 171, A. & *ſeqq.* 976, C
--- --- differt à tuſio, 130, B, C
--- --- in initio qualis fuerit, 279, A
--- --- quare diu latere poſſit, 202, C
--- --- cur ab initio tam maligne ſævierit, 1207, B. & *ſeqq.*
--- --- quale regimen ſex rerum non naturalium requirat, 13, A. & *ſeqq.*
--- --- utrum in noſtris oris ſponte oriri queat, 1203, B
--- --- cur ſingulos homines promiſcue inficiat, 1204, C
--- --- cur in omnes putredinis affectus immutari ſoleat, 1204, D
--- --- attactu contrahitur, 463 C
--- --- cur per coitum imprimis communicetur, 11, D
--- --- cur tam facile contrahatur, 1209
--- --- tractu temporis mitior factus eſt, 172, D. 1208, C
--- --- quando curatu facilior vel difficilior ſit, 1226, A
--- --- per quas partes recipitur, 673, A
--- --- non certam corporis partem occupat, ſed totum corpus inficit, 1202, C. & *ſeqq.*
--- --- quare nunc hanc, nunc illam corporis partem peculiariter lædere videatur, 1205, B
--- --- cur genitalia occupet? 312, E. 37, D. E. & *ſeqq.* 11, C. 975, B
--- --- non ſemper primo pudenda afficit, 769, A
--- --- quare aliquos citius, aliquos ſerius inquinet, 1210, D, & *ſeqq.*
--- --- quare ſero ac difficulter expellatur, 1211, A, & *ſeqq.*
--- --- quare non cito quem interimat, ſed tota vita interdum exerceat, 1212, B. & *ſeqq.*
--- --- olim citâ morte lethalis fuit, 5, B
--- --- quos vehementius exagitet, 1127, E. & *ſeqq.*
--- --- quando gravius vel levius infectos afficiat, 1225, C
--- --- febre caret. 152, E
--- --- quando inſanabilis? 43, C
--- --- apud Indos facile curabilis 357, A
--- --- quomodo præcavendus, 151, 13, D. 227, D. 1229, A. & *ſeqq.*
--- --- ab initio eſt curandus, 371, 1230, D
--- --- quomodo in primo puncto contagii curandus? 151, B
--- --- quomodo curari queat, 1230, A
--- --- quare non pervenit ad cor, ſicuti ad hepar, 556, D
--- --- cur victu extenuante tollatur, 1222, A
*Morbus Gallicus* an aliquando ſit deſiturus, 1213, A
--- --- an poſſit à nobis exſtirpari, 518, B
--- --- an curam admittere debeat ex potu aquæ balneorum mineralium, 638, D
--- --- recens per decoctum ligni ſancti quomodo curetur, in temperamento & ætate variis, 439, C
--- --- inveteratus quomodo curandus, 598, D. & *ſeqq.*
--- --- inveteratus quomodo curetur per lignum ſanctum in juvene, 443, C
--- --- quibuſdam dolores ſævos attulit, quibuſdam non, 38, D, E
--- --- cur ſæpe faciat recidivam, 211, C. 239, D
--- --- ſine argento vivo quomodo curandus, 234, B
*Morbi* in genere deſcriptio, 664, D
*Morbi Gallici* definitio, 41, A. 44, B. 139, C. & *ſeqq.* 359, C. 363, B. 433, C. 603, D. 834, D. 971, B. 1030, A. 1031, C. 1107, A
--- --- definitionis à Leoniceno datæ examinatio, 604, E. & *ſeqq.* 658, B
--- --- definitio qua methodo tenenda, 1027, C
--- --- variæ definitiones, 1037, D. & *ſeqq.*
--- --- deſcriptio, 38, D
--- --- confirmati deſcriptio, 304, C
--- --- deſcriptio Braſavoli, 675, D
--- --- deſcriptio, 903, A. 935, A. 113, B
--- --- falſa deſcriptio, 670, A
--- --- origo, 197, A. 761, A. 929, D. 1107, B
--- --- primaria origo, 1023, D. & *ſeqq.*
--- --- origo & mores, 1167, B. & *ſeqq.* 606, A. 1022, D. & *ſeqq.*
--- --- ortus & propagatio, 671, D
--- --- origo & nomen, 345, C. 389, B
--- --- origo, ratio nominis, ſymptomata enarrantur, 193, A. & *ſeqq.*
--- --- origo & nomina, 389, B. 1117, A
--- --- nomina, 502, A
--- --- varia nomina, 341, C. 449, A. 763, A. 554, D. 603, B. D. 462, A. 657, B. 955, B
--- --- nomen unde, 277, A. 309, D
--- --- qualitas, 674, D. 973, D
--- --- natura & eſſentia, 554, D
--- --- eſſentia, 831, C. & *ſeqq.*
--- --- effectus, 463, A
--- --- differentiæ, 1030, B
--- --- differentiæ accidentales, 835, B
--- --- differentiæ eſſentiales, 834, D
--- --- ultima differentia, definitionem ipſius reciprocam reddens, 1030, D
--- --- proprietas, 937, D
--- --- quidditas, 615, A
--- --- officina, 465, C
--- --- fundamentum, 465, C
--- --- magnitudo, 1225, C
--- --- ſubjectum proprium non eſt caput, nec cutis, nec crura, 769, C. & *ſeqq.*
--- --- ſedes & totus homo, 1194, B. 1127, B
--- --- ſubjecta materia, i. e. pars affecta, quænam ſit, 1031, D
--- --- variæ hac de re ſententiæ, *ibid.*
--- --- forma, 1126, C. & *ſeqq.*
--- --- mos, 1226, C. & *ſeqq.*
--- --- materia, 955, C
--- --- ſeminaria, 955, D
--- --- propagatio, cauſæ, natura ac ſymptomata, 1123, D. & *ſeqq.*
--- --- generatio & propagatio, 1043, E. & *ſeqq.*
--- --- generationis modus, 777, E
--- --- ſtatus generalis & ſpecialis, 1054, B. & *ſeqq.*
--- --- baſis eſt phlegma, 42, E
--- --- cauſa, 597, B 903, A. 670, B
--- --- cauſa qualis eſſe debeat, an foris adveniat, an intus exiſtat, 1173, D. & *ſeqq.*
— — cauſa materialis quæ, 3, C
— — cauſa ſubjunctiva quæ? 4, A
— — cauſa antecedens qualis, 973, D
--- --- cauſa conjunctæ quales, 974, A
--- --- cauſa primitiva eſt habendo rem cum muliere fœda, 450, C
--- --- cauſæ, 139, C. & *ſeqq.* 140. 433, D. 341, D. 615, B. & *ſeqq.* 778, C. & *ſeqq.* 1113, B. 1044, E
--- --- ſigna, 597, B. 903, A. 930, B, 675, E, & *ſeqq.* 836, A. 1109, A. 1045, E, & *ſeqq.* 1128, & *ſeqq.* 1113, B
--- --- incipientis ſigna, 148, D. 149. 779, D. & *ſeqq.* 938, B
--- --- ſigna, quando ſponte naturæ gigni poſſit, 1222. C
--- --- quando ex contagione gignatur, 1222, D. & *ſeqq.*

*Morbi Gallici* ſigna & indicationes, 561, C
--- --- indicia, 619, B
--- --- ſigna prognoſtica, 677, & *ſeqq.* 1131, A. & *ſeqq.*
--- -- Gallici ſymptomata, 434, B. C. 640, & *ſeqq.* 731, & *ſeqq.*
--- --- ſymptomatum mutatio, 1051, D
--- --- ſymptomatum cauſæ ponuntur 42, 1047, B. & *ſeqq.*
--- --- ſymptomatum genera ſunt duo, 1098, B
--- --- ſymptomatum curatio, 845, A. & *ſeqq.*
--- --- ſpecierum numerus 1120, B. & *ſeqq.*
--- --- ſpecies ſunt ducentæ & triginta quatuor, 664, C
--- --- aliæ quinque ſpecies ſimplices, 659, B
--- --- duplices ſunt viginti octo, 659, D. & *ſeqq.*
--- --- ſpecies ex complicatione ſimplicium ortæ ſunt viginti duo, 663, B
--- --- ſpecies triplices ſunt quinquaginta ſex, 660, & *ſeqq.*
--- --- ſpecies quadruplices ſunt ſexaginta quatuor, 660, D. & *ſeqq.*
--- --- ſævities poſt ſeptimum annum mitigata fuit, 279, B
--- --- methodus prævifiva quot terminis claudatur, 978, E. & *ſeqq.*
--- --- impreſſiones qualiter tollendæ, 981, C
--- --- inveterati pulſus ſunt parvi, 955 B
--- --- curationes ſunt duæ, vel ex parte temporis, vel ex parte materiei, 451, B
--- --- curatio vulgaris unde ſit accepta, 605, B
--- --- curatio, quatham habeat intentiones, 1057, A
--- --- curatio, partim ratione, partim experientia inventa, 1083, A
--- --- curatio generalis, 1133, B
--- --- curatio, 939, B. 1110, B. & *ſeqq.*
--- --- curatio per res non naturales, 649, A. & *ſeqq.*
--- --- curatio à ſanguinis miſſione incipienda, 630, C
--- --- curatio & quidem primo victu, 1113, C
--- --- ſecundo ſanguinis miſſione, 1113, D
--- --- tertio concoctione, *ibid.*
--- --- quarto vacuatione atræ bilis, *ibid.*
--- --- quinto exercitio forti & balneo, 1114, B
--- --- curatio per exercitationem, 782, A
--- --- per ſuffumigium, *ibid.* C
--- --- per hydrargyrum, *ibid.* C
--- --- per hydrargyrum præcipitatum, *ibid.* D
--- --- curatio per varia medicinæ inſtrumenta, 1138, B
--- --- curatio per victus rationem, 623. E. & *ſeqq.* 782, E. & *ſeqq.*
--- --- curatio medicinarum oblatione, 630, A. 740, D
--- --- curatio per potionem & unguenta, 855, C
--- --- cura per potum decocti ligni Guajaci, 635, D 841, B
--- --- Gallici curatio per decoctum Chinæ, 840, C 853, D
--- --- curatio per ſpartam ſeu ſalſam parillam, 840, E. & *ſeqq.*
--- --- curatio per ſuffitus, 892, C. 855, D.
--- --- per pilulas Mercuriales curatio, 855, B
--- --- ejus cura per argentum vivum improbatur, 904, A
--- --- neque novi neque inveterati curatio pro varia temperatura, 686, A
--- --- non confirmati cura, 449, A
--- --- recentis curatio, 597, C
--- --- incipientis curatio, pro varia temperie, 680, B & *ſeqq.*
--- --- confirmati cura, 453, A. & *ſeqq.*
--- --- inveterati curatio, 686, C. 942, C
*Morbo Gallico* an quisquam ratione mederi potuit, 465, B
--- --- an occulta proprietas inſit, 937, C
--- --- quis ſit proprius humor, 674, C
*Morbum Gallicum* curandi ordo ex veterum auctorum monumentis, 1019, D. & *ſeqq.*
— — non eſſe lichenes probatur, 20, B. 23, C
— — a leprâ non differre probatur, 390, C
— — non eſſe alaphati probatur, 23, C
— — Epidemicum eſſe probatur, 38, D
— — non eſſe endemicum probatur nec aliunde ad nos delata, 183, B. & *ſeqq.*
— — non eſſe elephantiaſim probatur, 204, D. & *ſeqq.*
— — eſſe epidemiam demonſtratur, 1001, A
— — novum eſſe probatur, 247, B
— — veteribus cognitum fuiſſe probatur, 221, E
— — Hippocrat. cognitum fuiſſe probatur, 38, C. & *ſeqq.*
— — non eſſe intemperiem frigidam atque humidam variis rationibus refutatur, 1038, D. & *ſeqq.*
— — non eſſe intemperiem calidam atque humidam confutatur, 1039, B. & *ſeqq.*
*Morbum Gallicum* non eſſe intemperiem calidam atque humidam confutatur, 1039, B. & *ſeqq.*
— — eſſe intemperiem calidam & ſiccam probatur, 1039, D. & *ſeqq.*
— — præcedens poſitio impugnatur, 1041, D. & *ſeqq.*
— — iterum refellitur, 1042, A. & *ſeqq.*
— — communicari per coitum ſed non ſemper probatur, 41, C. & *ſeqq.*
— — cur facile os, præputium & vulva recipiunt, 555, B
— — comitantes affectiones, 603, C
— — curandi indicationes, 1231, B
— — curaturus, quæ præneſſe debet, 1170, A
— — ſubmoventia unde petenda, 1231. D. & *ſeqq.*
— — curandi tempus, 1114, E
— — curativum Medico quid conſiderandum, 528, D
— — paſſi cadaver exhibuit multum phlegmatis in juncturis, 3, C
*Morbo Gallico* laborantes fatent, 4, E
— — infecti cur pinguſcere videantur, 1221, C
— — cur eorum oculi ex nigris cæſii & ex cæſiis albi fiant, *ibid.*
— — qui cito inficiuntur, 1224, E, & *ſeqq.*
— — quinam tarde inficiuntur, licet cum inquinatis conſuefcant, 1224, A. & *ſeqq.*
— — inquinati quare longo poſt tempore tum demum affici videantur, 1206, D
— — affecti fale abſtinere debent, 1261, A
— — affecti quare de nocte magis, quam de die dolent, 959, D
— — affectis abſtinendum acribus, oleribus, lacte, caſeo, leguminibus, piſcibus & fructibus, 1261, C
— — detenti, quomodo incundi, 1085, D
de *Morbo Gallico* variæ opiniones, 603, D
*Morbi* ſunt vel ex accidenti, vel ex naturæ neceſſitate, 1172, C
—— qui leniores magisque curabiles, & qui non, 1194, D
—— quinam per quadraginta dies curati ſunt, 700, C
—— evitabiles qui? 1173, A
—— communes quinam ſpontanei ſint, 1196, D
—— communes quomodo ex contagione creentur. *ibid.*
—— communes, horum differentiæ, *ibid.*
—— communes cum idem habent principium, quare iis non conveniat eadem curatio, 1199, B
—— communes alicubi peculiares; quare interdum mutentur in alios, 1200, A
—— communes quare ex contagione fieri raro videantur, 1197, C
—— quare ſinguli homines iis fere afficiantur, 1197, E
*Morborum* in genere ſunt tres ſpecies, 664, D
—— cauſa quærenda, 1160, B. & *ſeqq.*
—— quædam differentiæ, 1027, D
—— nomina à cauſa, ab effectu, a forma vel ab inventore, 501, D
—— prognoſticon, 1162, C
—— eſſentia ante curationem eſt noſcenda, 1158, A
—— communium, cum una communis cauſa ſit, cur non unus tantum morbus ab illa fiat, 1198, B
—— communium fomes in corpore ſemper exiſtens cur non ſemper agat, 1194, E
—— communium cur in aliquibus nunquam agat, *ibid.*
*Morbis* communibus quare bruta non æque ac homines ſubjiciantur, 1199, D
*Morbos* ex repletionibus factos evacuatio finat, 435, B
*Motus* & quies, quid conferant luc Venerea infectis, 629, A. 1070, E. & *ſeqq.*
—— & quies in quantum morbum Gallicum patienti proſint, 784, C
*Mulier* an plus alimenti ſuo fœtui, quam ejus natura requirit, ſuppeditet, 1185, A. & *ſeqq.*
*Mulieres* menſtrua habentes minus moleſtantur a M. G. quam quæ iis carent, 1138, D
*Mundantia* medicamenta, 435, D
*Mundatio* argenti vivi duplex, 442, E
—— argenti vivi quomodo fiat, 443, A
*Mundificans* oris ulcera pulvis, 438, B
—— lotio, 436, B
—— unguentum, 539, C
*Mundificativa* ad ulcera Gallica, 273, C, D
*Mutatio* coloris ſignum morbi Gallici, 780, B
*Myrices* radicum cum paſſulis decoctum ad M. G. ſummovendum, 1307, A

N.

*Narcotica* quando & quomodo adhibenda, 332, C. & *ſeqq.*
*Narcotica* medicina appellatur ſtupefactiva, 520, B
*Narcoticæ* medicinæ effectus, 520, B
in *Narcoticorum* exhibitione regulæ ſunt obſervandæ, 520, E. & *ſeqq.*
*Narium* ulceris à M. G. curatio, 951, D
*Naſi* morbi quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 425, D
*Natura* morbi Gallici, 771, A. & *ſeqq.*
*Nodoſitates* ſeu apoſtemata oſſibus adhærentia quibus modis curentur, 542, C
*Nomenclatura* luis Hiſpanicæ, 462, A
*Nominis* Gallici morbi origo, 251, C
*Nomina* Græca apud Arabes peſſime depravantur, 14, C
— morborum cur varia ſint? 312, A
— morborum unde deſumantur, 221, C
*Nominum* morborum origo & diverſitas, 121, B
*Nutrimentum* quomodo corpus mutet, 50, D

O.

*Obſervanda* quædam priſtinæ valetudini ope ligni ſancti reſtitutis, 485, B
------ poſt curationem ligni Sancti, 414, C
------ quædam poſt illitionem unguento Mercuriali, 885, E
*Occhiarola*, i. e. oculorum amiſſio, ſpecies morbi Gallici, 659, C
*Ochiarolæ* curatio, 728, A
*Oculorum* aciei obtuſæ ex morbo Gallico curatio, 1337, C. & *ſeqq.*
*Oedema* quotuplex, 739, B
— illius curatio, *ibid.*
*Officina* morbi Gallici jecur, 465, C
*Officium* Medici rationalis quodnam, 1017, C
*Oleum* ex ligno Indico quomodo paretur 269, E. 270
— quomodo extrahatur ex ligno Indico, & quibus morbis conferat, 708, C
— viperarum ad puſtulas faciei, 824, A
— juniperi quos dolores tollat, 1343, E
— ſulphuris quomodo præparandum, 267, A
— vehementiſſimum pro alopecia, ex M. G. 999, C.
— rutaceum ad doloris articulorum mitigationem, 825, C
— ad puſtularum maculas tollendas, 437, C
*Olei* abietini uſus liberavit a morbo Gallico, 99, A
*Olea* ad dolores artuum pudendagricorum tollendos, 924, E. & *ſeqq.*
*Olera* quæ morbo Gallico vexatis ſunt idonea, 628, B
*Ophiaſis* & Alopecia quomodo differant, 716, B
*Ophthalmiæ* curatio, 728, A
*Opiata* ad virium refocillationem 949, A
*Opinio* conjectura, ars & experientia quantopere diſtent, 1257, E. & *ſeqq.*
*Opiniones* variæ de morbo Gallico, 603, D
*Oris* ulcera quomodo ſananda, 181, A. 255, D. 856, C 923, C
— ulcera ſalivationis tempore orta quomodo curanda, 281, E.
— fœtor unde proveniat, 366, D
— & gingivarum morbi quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 426, B
— ulcera cur difficillimæ curationis ſint, 437, D
— ulcera quibus aquis ſananda, 1349, A. B
*Os* capitis quomodo tractandum, 828, E
--- corruptum quomodo curandum, 948
--- palati quomodo tractandum, 828, B
--- Remedia, cum os palati cadit, 829, C.
--- ubi deficiat, inſtrumentum in palato, 829, D
*Oſſis* corruptio triplex, 444, A
— curruptionis morbi Gallici inveterati curatio, 444, D
*Oſſi* palati amoto, vel amovendo, quid faciendum, 1363, D. & *ſeqq.*
*Oſſium* corruptio Venerea quomodo curanda, 111, C
— cariei & corruptionis curatio, 1103, B
— corruptio tantum in iis fit, qui Hydrargyro ſunt uncti, 827, C
— hujus curatio, 828, A. & *ſeqq.* 878, C.
— capitis & brachiorum corruptio eſt ſignum morbi Gallici, 781, C
— corruptis quomodo ſuccurrendum, 1363, A & *ſeqq.*
*Ovi* candidum ſolares maculas tollit, 1364, D
*Ova* quæ lue Gallica vexatis conveniunt, 626, D
*Ovorum* uſus qualis 307, B

P.

*Palati* corruptio eſt ſignum morbi Gallici, 781, B
— oſſi amoto, vel amovendo quid faciendum, 1363, D, & *ſeqq.*
— ulcera Gallica quomodo curanda, 274, D
— ulcerum ab unctione ex argento vivo genitorum curatio, 1294, D. & *ſeqq.*
*Pandectarius* corrigitur, 21, A
*Pandemon* qualis morbus, 957, B
— Græcis quid 1001, A
*Panis* recoctus quomodo paretur, 271, B
— biſcoctus an conveniat decocto Guajaci utenti, 1260, B
*Papillarum* fiſſurarum curatio, 1358, B & *ſeqq.*
*Papula* quid? 20, D
*Papulæ* remedia 20, E
*Paralyſis* cauſæ, 422, E
— quomodo curetur per decoctum ligni ſancti in ætate & temperamento variis 423, B
*Parſimoniæ* laus, 295, D
*Partes* per quas morbus Gallicus recipitur, 673, A & *ſeqq.*
*Paturſa* quid? 359, B.
*Pectoris* morbi quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 426, D
*Pedeſelli* qualis ſit morbus 114, D
*Pediculli* dicuntur vermiculi pueris ſub cute orti, 1340, D
— quomodo ſanantur, *ibid.*
*Pellarola* vel defluvium pilorum ſpecies morbi Gallici, 659, B
*Penis* ulcerati curatio, 870, B. 739, B. 1315, C. & *ſeqq.*
— ulcuſculum tritarium dividitur, *ibid.*
*Pedum* manuumque ulceratarum curatio, 926, C
— fiſſurarum curatio, 1358, B. & *ſeqq.*
*Peſtis* a tempeſtate humida orta, 37, A
— quare Europam præcipue Italiam minus jam infeſtet, quam antea, 1214, B. & *ſeqq.*
— differentiæ explicantur, 314, B
*Petigo* quid? 1339, A
*Petiginis* curatio, 1340, A. & *ſeqq.*
*Petiginem* curantia medicamenta, 1341, E. & *ſeqq.*
*Pharmacorum* differentiæ, 1077, B.
*Phlebotomia* quando neceſſaria, 27, D. 56, A. 58, B. & *ſeqq.* 323, B. 326, C. 334, D
— qua lege debet fieri, 254, C 344, E. 401, A
— non niſi in principio in pudendagra adhibenda, 523, B
— nocet morbo Gallico laborantibus, niſi in principio, 172, D. E
*Phlebotomiæ* in morbo Gallico uſus, 14, D
*Phlebotomiam* morbo Gallico affectis prodeſſe probatur, 153, A
*Phlebotomizandi* corpus quomodo præparandum? 153, A
*Phlegma* quid? 43, A
— eſt baſis morbi Gallici, 42, E
— qua hora moveatur, 554, A.
— quibus remediis evacuandum, 228, A
*Phlegmone* quid facit, 732, A. B
*Phtiſici* mors inſtans ex quibus prognoſticetur, 1014, E
*Phyma* quid? 39. A
*Phymatum* i. e. tumorum parvorum curatio, 737, D.
*Pili* non ex ſanguine ſed ex alio giguuntur, 1333, A
— quare decidant in morbo Gallico 203, B
*Pilorum* caſus cauſa, 822, A
— & capillorum defluvium quomodo prohibeatur, 1101, B. & *ſeqq.*
— & barbæ defluxus unde, 997, E
— quomodo curandus, 998, E. & *ſeqq.* 103, C. & *ſeqq* 645, C. & *ſeqq.* 875, A. 438, C. 822, C. & *ſeqq.* 906, B
— defluvium inſtauranda linimenta, 584, B
*Pilulæ* purgantes in morbo Gallico, 15, A, 650, D, 651, A. B, 1141, D. 631, A. 1244, B
— Barberouſſe dictæ, ad morbum antiquum G. 946, C
— in affectu Gallico adhibendæ, 686, B. 850, B
— ad morbum Gallicum pro varia temperatura, 681, A
— quotidie ſumendæ morbum Gallicum patienti, 631, D
— adverſus morbum Gallicum & peſtem miram virtutem habentes, 456, B
— mitigantes dolores in morbo Gallico, 104, C. & *ſeqq.*
— ad dolores capitis ex morbo Gallico ſedandos, 640, D. 953, D. 977, A. 969, A.
— ad humores præparandos, 786, D
— ad gravitatem corporis, 576, E
— ſumendæ poſt humores duros paſſos, 949, B
— aliæ ad M. G. inveteratum, 946, D

*Pilulæ* inter purgationem dandæ, 452, A
—— pituitam evacuantes, 786, D
—— ad pudendagram, 549, A
—— præservantes à morbo Gallico, 400, A. 638, C
—— prætervativæ à Pudendagra, 549, C. 548, B. & *seqq.*
*Piluiarum* mercurialium pro pudendagricis formula, 919, D
*Pini* decoctum ad M. G. summovendum, 1307, B
*Pisces* ob humiditatem largam affectione Gallica detentis non conveniunt, 626, B
*Pituitam* non semper inveniri prædominantem in laborantibus morbo Gallico probatur, 251, A
—— vacuantia, 786, D
—— solventia, 1079, E
—— concoquentia, 1078, B
*Pituitosorum* M. G. affectorum purgatoria, 1245, C
*Plumbum* gummata Venerea curat, 218, C
*Poculum* philosophicum quomodo componatur, 469, A, & *seqq.*
*Podagra* & dolores junctnrarum reliqui quomodo curandi per decoctum ligni Indici ætate & temperamento variis, 432
*Podagram* stercus humanum leuit, 1345, C
*Podagricum* dolorem sedans unguentum, 1347, B
*Pœonia* ab epilepsia liberat, 1005, E
*Pomi* anodyni descriptio, 350, C
*Porriginis* & cutis furfuraceæ, cum faciei, tum reliqui corporis, curatio, 926, D
*Potio* solutiva, 397, B
—— evacuativa, 977, C
—— purgans in M. G. 1141, C
—— purgans ad Cephalalgiam à M. G. 953, D
—— purgatoria post materiæ digestionem, 643, E.
—— præservativa à pudendagra, 545, B
—— minorativa ad pudendagram, 550, A.
—— ad pudendagram 550, D
—— minorativa ad pudendagram, 552, D
—— pro affectibus capitis in M. G. 882, A
—— pro ossis erosis in M. G. 879, C
—— pro musculosarum partium affectu, 877, D. & *seqq.*
—— ante balneum, 598, C
*Potiones* purgantes morbo Gallico affectis, & quidem melancholicis præbendæ, 1243, B
—— purgantes, usum ligni Indici præcedentes, 609, E & *seqq.*
—— adversus urinæ ardorem, 1357, B
—— adversus gonorrhœam, 1352. C
—— ad morbi Gallici curam, 572, D
*Potus* purgans in morbo Gallico, 14, C
— purgatorius ante decoctum ligni Guajaci, 636, B
— ad concoctionem, 630, D
— pro affectibus capitis, 882, A
— sudorem evocans, 1142, E
— ad Gonorrhœam in M. G. 1142, D
— proficui in cura morbi Gallici, 243, E
*Præcipitatum* quomodo præparandum? 266, B
*Præcipitati* faciendi forma, 902, B
—— ejus præstantia, *ibid.* C
*Præparatio* eorum, qui illitionibus defricandi sunt, 886, E
—— pudendagricorum ad inunctiones, 911, D
*Præputium* ubi intumuerit, quid agendum, 1320, D. & *seqq.*
—— quando intumescit, quomodo sanandum, 683, B
—— callosum curandi nova ratio, 816, B
*Præputii* tuberculum callosum quomodo sanandum, 1321, B
—— tumor quomodo curandus ut non recurrat, 816, C
—— fissurarum curatio, 1358, B. & *seqq.*
*Præsagium* quodnam fieri possit de statu generali ac speciali M. G. 1054, A. & *seqq.*
*Præsagia* seu prognostica M. G. 1131, A. & *seqq.*
*Præservantia* a pudendagra medicamenta, 922, B
—— a M. G. medicamenta, 998, D. & *seqq.*
*Præservationis* à pudendagra regulæ, 543, D
*Præservativus* pulvis à lue Gallica, 1312, B
*Præservativa* cura à morbo Gallico, 632, B. 1111, D. & *seqq.*
*Præservativum* medicamentum à lue Venerea ex tela medicata, 1312, A
*Præservativi* electuarii à M. G. formula, 998, D
*Præservativæ* pilulæ à pudendagra, 549, C
*Præservativa* remedia à M. G. 1132, A. & *seqq.* 581, E. & *seqq.* 859, B. & *seqq.*
—— à pudendagra medicamenta, 544, D. & *seqq.*
*Prandii* & cœnæ portio Gallicosis conveniens, 1067, D. & *seqq.*
*Prognosis* in morbo Gallico quomodo facienda, 240, B
*Prognostica* signa morbi Gallici, 677. & *seqq.*
*Proprietas* morbi Gallici, 937, D
*Pruna* quid, 26, A. 27, C. 114, D
—— non est morbus Gallicus, 670, A
*Pruritum* pilorum summovenda & compescentia medicamenta, 1333, B. & *seqq.*
*Psora* quid? 23, A. 203, D. 206, C.
—— nonnullis M. G. visus, 1031, E
—— non est morbus Gallicus, 765, B
*Ptbisis* quomodo curetur per decoctum ligni sancti in ætate & temperamento variis, 427, B
*Pudenda* cur primo inficiantur, 366, D. 975, B
—— non semper primo à morbo Gallico afficiuntur, 769, A
*Pudendorum* infectio semper & omni in casu est causa morbi Gallici, 207, & *seqq.*
—— balneum, 815, D
*Pudendagra* unde nomen acceperit, 494, B
—— ejus definitio, *ibid.*
—— quare universalis, *ibid.*
—— in decrepitis incurabilis, *ibid.*
—— est species scabiei, *ibid.*
—— unde oriatur, 494, C
—— fietus per ablationem causæ aufertur, 522, C
—— inveterata quomodo curanda, 923, A
*Pudendagræ* descriptio, 905, D
—— ejus causæ, *ibid.* E
—— species sunt plures, 496, D
—— signa, 907, A
—— materia, 495, A. & *seqq.*
—— curatio, 907, C
—— cura per potationem quibus intentionibus complectatur, 498, B
—— per evacuationem, *ibid.*
*Pudendagrâ* affecti homines variæ temperiei, ætatis & sexus quomodo curandi, 522, D
—— affectis melancholicis quæ regulæ sint observandæ, 499, C
in *Pudendagra* doloris signa, 509, D
*Pulsus* morbi Gallici inveterati sint parvi, 955, B
*Pulvis* confortans, 337, B
— incarnativus, 538, A
— contra cancrum, 180, B
— addentes, 238, B. 264, D
— Guajaci alvum movet, 285, E
— aromaticus cibis aspergendus, 363, B
— ad manuum fissuras, 1361, A
— inspergendus ulceribus virgæ, 366, B. 356, A. 398, C. D. 436, A
— ad ulcera penis, 644, E. 682, E
— oris ulcera mundificans, 438, B
— inspergendus ulceribus Venereis gutturis & faucium, 110, E
— adversus faucium & oris ulcera ex M. G. 1324, C. & *seqq.*
— Hermodactylorum pituitam evacuans, 786, D
— ulceribus inspergendus, 539, E. 537, D
— mitigans dolores morbi Gallici, 104, D. 686, B
— adversus mingendi difficultatem, 1356, E
— ad ardorem urinæ, & renum veficæ, meatuumque urinalium ulcera, 927, D
— ad dolores M. G. tollendos, 1116, C
— præservativus à lue Gallica, 1312, B
*Pulveris* Angelici Nicolai Massæ descriptio, 109, B
—— aurei conficiendi formula & usus, 467, C
*Pulveres* ad pustulas rubras ex morbo Gallico, 682, B
—— ad cariem Gallicam, 814, B
—— adversus virgæ ulcera, 1319, C
—— supra os corrosum aspergendi, 704, D, 1363, C
*Purgans* potio ad Cephalalgiam à M. G. 953, D
—— medicamentum pro M. G. qua hora exhibendum sit, 1236, A. & *seqq.*
*Purgantia* medicamenta, 801, C. 977, A. 1141, B. & *seqq.*
—— in profligandis affectibus venereis, 849, C
—— ventriculum & intestina à pituitosis excrementis, 942, D
—— atram bilem, 746, E. & *seqq.*
—— omnes humores simul, 747, B
—— medicamenta, pro varia temperatura, 842, C. 1243. B. & *seqq.*
—— generalia medicamenta pro Gallicosis, 1246, A. & *seqq.*
—— medicamenta in curatione M. G. per suffitus, 892, D
*Purgatio* pro Gallicoso, 572, D. 1114, C
—— ante usum ligni Indici præmittenda, 241, B
—— ante curationem cum Guajaco instituenda, 582, D
—— universalis bis in anno facienda, 456, B
—— est repetenda post diureticas potiones, 898, E

*Purgatio* pauperum, 891, E
—— ſub finem curationis cum ligno ſancto adhibenda, 484, D
*Purgationes* quales & quomodo adhibendæ in morbo Gallico, 324
—— poſt materiam digeſtam, 452, A
—— ad humores corruptos evacuandos pro pudendagricis, 910, C
—— minorativæ pudendagricis exhibendæ, 909, B
*Purgationum* utilitas, 878, C
*Purgatoria* pituitam trahentia, 742, E. *& ſeqq.*
—— medicamenta ad morbum Gallicum, 741, C
—— medicamenta, poſt attenuantia in morbo Gallico, 598, B
*Puſtulæ* Gallicæ duorum ſunt generum 824, A
—— harum forma & color, 824, A
—— earum ſaniei color, 824, A.
—— earum differentia inter Gallicas & non Gallicas, *ibid.* B.
—— earum curatio, 824, C
—— morbi Gallici ſecundum temperamentum variæ, 436, E. *& ſeqq.*
—— in morbo Gallico ſunt duplices, 679, C
—— ſunt ſigna morbi Gallici, 781, A
—— in lue Venerea ubi prius emergant, 464, E
—— in morbo Gallico apparentes alia ſymptomata mitigant, 44, C
—— Venereæ etiam in internis partibus aliquando hærent, 126, A. B
—— morbi Gallici quare potiſſimum in facie incipiant, 11, C
—— in morbo Gallico multiplicantur, dum decoctum ligni bibunt, 70, A
—— morbi Gallici quomodo curandæ, 102, C. *& ſeqq.* 327, A. *& ſeqq.* 328, C
—— capitis & faciei quomodo curandæ, 1330, C. *& ſeqq.*
—— ſcabioſæ & ulceroſæ quomodo ſanentur, 452, C
*Puſtularum* morbi Gallici materies quæ? 43 C, D
—— Venerearum diverſitates, 44, B. *& ſeqq.* 125, C, D
—— color & figura, 3, D
—— forma non ſemper una, 464, C. *& ſeqq.*
—— Gallicæ infectionis cauſa exortarum curatio, 1101, E
—— curatio, 32, C. 1143, B. 437, B
—— ſedis curatio, 824, C
—— macularumque faciei curatio, 824, E. 926, B
—— virgæ curatio, 928, C
—— veſtigia quomodo curanda, 825, A
—— oris curatio, 824, C
*Putredo* non eſt morbus Gallicus, 773, C
*Putredinis* munus, 464, C

Q.

*Qualitas* morbi Gallici, 674, D
*Quies* & motus quid conferant lue Venerea infectis, 629, C
—— & motus quid efficiant, 1070, E. *& ſeqq.*
*Quinam* magis obnoxii ſint morbo Gallico? 149, D. 150.

R.

*Radicis* Chinæ decocti præparatio, 900, D
*Raucedo* vocis eſt ſignum morbi Gallici, 781, A
*Recidiva* in morbum Gallicum quomodo caveatur, 111, E. *& ſeqq.* 239. 240.
*Regulæ* in narcoticorum exhibitione obſervandæ, 520, E. *& ſeqq.*
*Remedium* fortiter exſiccans, 30, C. D
*Remedia* prohibentia corroſionem, 30, B
*Renum* & veſicæ morbi quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 429, E. 430
*Repellentia* ori & vicinis applicata tempore ſalivationis periculoſa ſunt, 237, D
*Repercuſſionis* modus duplex, 453, C
*Repletio* ciborum ſemper noxia morbum Gallicum patienti, 629, D
*Reſolventia* apoſtemata medicamenta, 543, A
*Rhagades* five Rhagadia ſunt ſciſſuræ in manibus pedibusque, 831, A
—— earum curatio, *ibid.* B
*Rhagadium*, hoc eſt, ſciſſurarum manuum pedumque curatio, 1103, C
*Rhagadiorum* curatio, 1358, B. *& ſeqq.*
*Rimarum* manuum, pedum, labiorum, papillarum, præputii, & vulvæ curatio, 1358, B. *& ſeqq.*
*Roborantia* medicamenta, 1081, B
*Rorismarini* decoctum ad M. G. ſummovendum, 1306, E
*Rotulæ* hepar confortantes, 112, D. E
—— mitigantes dolores morbi Gallici, 104, D
*Ruboris* faucium curatio, 754, D
*Ruſci* fructus calculum frangit, 384, A

S.

*Sabaſatum* Avicennæ non eſt morbus Gallicus, 764, C
*Sal* quomodo concedi poſſit morbo Gallico laborantibus, 293, B
*Salis* energia, 1261, A. 1306, B
*Salivatio* nimia purgante ſumpto mitigatur, 98, A
*Salivationis* ſymptomata recenſentur, 281, A
*Salſa* eſt Regina in tumoribus Gallicis, 826, C
*Salſa perilla* differt à ſimilace aſperâ Dioſcor. 82, D
—— —— habet vires ligno Indico ſimiles, ſed debiliores, 84, D. 85, D
—— —— tuto datur omni ſexui & ætati, 82, C
*Salſæ perilliæ* locus natalis, habitus externus, qualitates medicatæ, 81, C. *& ſeqq.* 82, A. *& ſeqq.* 840, *& ſeqq.* 1093, B. *& ſeqq.* 1265, B
—— —— deſcriptio, 803, D. 1265, B
—— —— eſt duum generum, 804, A
—— —— differentia, *ibid.* B
—— —— ejus decocti conficiendi modus, *ibid.* D
—— —— ſecundi decocti cum vino modus, *ibid.* E
—— perilliæ facultates, 805, E. 1266, B. *& ſeqq.*
—— perilliæ decoctum præparandi modus, 83, B. *& ſeqq.* 84, A. *& ſeqq.* 1265, D
—— perilliæ decocti præparatio non differt à Chinæ decoctione, 901, A
—— perilliæ decoctum magis compoſitum, 84, E. 85, A. *& ſeqq.*
—— perilliæ cum cortice Guajaci mixtio, 805, A
—— decoctum ejus aſſumendi terminus, 805, B
—— decocti ejus uſus, 841, A. *vid.* Sarza Parilla.
*Sanies* ex puſtulis exiens qualis, 3, B
—— quid ſit? 532, A
—— unde ſit, *ibid.* C
*Saniei* cauſa, *ibid.* D
*Saniem* inducentia medicamenta, 534, C
*Sanguis* ut ſanguis cauſa prima M. G. non eſt, 1175, D
—— menſtruus mulierum prout in qualitatibus variat, ita varios gradus morbi Gallici producit, 149, A. *& ſeqq.*
—— menſtruus cauſa eſt morbi Gallici 148, E. *& ſeqq.*
*Sanguinis* miſſio qua lege debet fieri, 254, C
—— miſſio an omnibus & ſingulis adverſus M. G. conferat, 1233, E
—— miſſio eſt univerſalis medicatio, in omni morbo ex plenitudine orto, 630, B
—— miſſio, quare in M. G. frequenter inſtituenda, 897, D
—— quantitas, quæ in M. G. mittenda, 939, D
—— miſſio an ante uſum decocti ex Guajaco, ſarſa paſſilla, aut Chinæ radice inſtituenda, 1233, B
—— miſſio ante purgationem fieri debet, 898, B
—— ſputo quomodo occurrendum, 1299, D
*Sanguinem* depurantia, 1078, E
*Sanguineorum* M. G. affectorum purgatoria, 1245, E
*Saphati* quid? 24, A. 25, C. 115, D. 116, C. 126, D. 316, A
—— & ſaphac an differant, 1003, D
*Saphatum* M. G. habitus, 1031, E
*Sapo* Conſtantini pro caſu pilorum, 822, E
*Sapores* quinam conveniant, quique minus idonei ſint Gallico laborantibus, 1066, B. *& ſeqq.*
*Sarcotica* medicamenta, 830, A
*Sarza parilla* an agat à cauſis manifeſtis vel occultis, 1267, C. *& ſeqq.*
—— —— ejus decoctum an artis inventum ſit, 1268, B. *& ſeqq.*
*Sarzæ parillæ* decoctum, quamobrem puſtulas, ubi non ſunt, quandoque movet, 1273, B
—— —— cur plus aquæ quam Guajaco admiſceri ſoleat, 1274, A. *& ſeqq.*
*Satyriaſis* quid & unde dicatur, 19, A. B
*Scabies* non minus contagioſus eſt morbus quam Gallica lues, 937, D
*Scabiei* genus omne in morbo Gallico reperitur, 450, B
—— & aliorum cutis affectuum curandorum forma, 876, D
*Scammoneum* plerumque inducit ad dyſenteriam & mortem, 991, D
—— quod trahat bilem, nulla poteſt tradi ratio, 557, D
*Scapularum* gravitatis curatio, 754, B
*Scelotyrbes* origo, 847, C
—— ejus definitio, 847, D
*Sciniſes* quid? 24, B

*Scirrhus* eſt vel exquiſitus, vel non exquiſitus, 732, D
*Scirrhi* ſenſu præditi curatio, 739, D
*Sciſſurarum* manuum & pedum curatio, 728, C
*Sciſſuris* & corroſionibus in plantis manuum ex morbo Gallico quomodo ſuccurrendum, 646, D
*Scleroſi* tumores quinam, & quomodo curentur, 444, A
*Scopus* curationis morbi Gallici, 632, C
*Scrophulæ* cancroſæ quomodo curandæ, 433, A
*Scrophularum* curatio, 433, A
*Scythæ* nunquam morbo Gallico laboraverunt, 13, B
*Sedantia* dolorem pungitivum in pudendagra medicamenta, 524, D
*Semen* an quatenus ſemen abſolute, an quatenus ſemen humanum ſit cauſa prima M. G. 1176, D
*Seminis* profluvii curatio, 871, A
*Seminaria* M. G. 955, D
*Serapia* qualia in M. G. exhiberi ſoleant, pro varia intemperie, 1240, B. *& ſeqq.*
—— purgationem pro M. G. antecedentia, quo tempore adhibenda ſint, 1235, D
*Serpigo* quid? 20, D
*Serpiginoſarum* manuum & pedum fiſſurarum ortus & curatio, 438, E. *& ſeqq.*
*Siderum* politura inter cauſas morbi Gallici numeratur, 46, A
*Signum* quid vocetur, 171, C
—— per univerſum corpus luem Veneream eſſe diffuſam, 871, A
*Signa* morbi Gallici, 171, C. *& ſeqq.* 187, A. 361, E. 362. 372, B 392, E. 393. 394. 399, C, 346, D. 347. 836, A. 740, A. 675. *& ſeqq.* 1045, E. *& ſeqq.* 1109, A. 1128, E. *& ſeqq.* 930, B
—— certiſſima morbi Gallici incipientis, 938, B. 779, D. *& ſeqq.*
—— morbi Gallici confirmati & inveterati, 780, E. *& ſeqq.*
—— morbi Gallici demonſtrativa, 46 B
—— prognoſtica morbi Gallici, 46, D. *& ſeqq.* 362, B. 372, D. 677. *& ſeqq.*
—— M. G. quando ſponte naturæ gignatur, 1222, C
—— —— quando ex contagione gignatur, 1222, D. *& ſeqq.*
—— quatuor (vulgo ſic dictorum) temperamentorum, 223, A. *& ſeqq.*
—— melancholiæ, 370, C
—— choleræ, 369, C
—— ſanguinis. 369, B
—— phlegmatis, 370, A
—— bubonis Gallici, 820, A
—— benignæ cariei Gallicæ, 813, D
—— pudendagræ, 907, A
—— doloris in pudendagra, 509, D
—— gonorrhœæ, 1349, E
—— ulcerum in variis temperamentis, 531, D. *& ſeqq.*
—— an ulcera quæ curanda ſunt, an ſint facilis vel difficilis curationis, 529, B
*Sirengi* Arabum quid? 24, A
*Smilacis* aſperæ aqua ad M. G. 1114, D
*Soldanella* herba quæ? 21, D
*Solutio* continuitatis quid? 528, E
*Solventia* humores in M. G. medicamenta, 904, D
*Somnus* nimius quas noxas producat, 51, B. 784, C
—— multus morbum Gallicum patienti conducit, 629, B
*Somnus* interruptus ſignum morbi Gallici, 780, C
*Somni* commoda & incommoda, 1069, C. *& ſeqq.*
*Sordities* in quantum à putredine differt, 538, D
*Sparadrapum* applicandum corporibus morbo Gallico laborantium, 268, D
—— mercuriale, 380, C. 381, A
—— hypothecariis quid, 913, B
*Spartæ parillæ* deſcriptio, 594, C. 917, A
—— —— propinandi modus, 594, D
*Spasmus* quomodo curetur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 424, C
*Species* morbi Gallici tam ſimplices quam compoſitæ enumeratæ, 659, D. *& ſeqq.*
—— morbi Gallici octo ſimplices continens, 664, B
—— morbi Gallici ſunt ducentæ & triginta quatuor, 664, C
—— pudendagræ ſunt plures, 496, D. *& ſeqq.*
*Specierum* M. G. numerus, 1120, B. *& ſeqq.*
*Splenis* officium quale, 391, C
*Splenetici* per dies 40 per braſſicæ ſuccum ſanantur, 700, C
*Spuma* collecta in decoctione ſalſæ periliæ externe illita ulceribus Venereis prodeſt, 84, D
—— decocti ligni Indici ſanat ulcera Gallica, 375, E. 385, D. 66, C
*Spuma* decocti Guajaci ulceribus Gallicis prodeſt, 285, A
*Sterilitas* quomodo curetur per decoctum ligni Sancti, 430, D
*Stiptica* medicamina in principio morbi Gallici non ſunt exhibenda, 453, B
*Stomachum* curandi modus, 993 C
*Stuffa* quid ſit, 713, D
—— an ea morbus Gallicus curetur, *ibid.*
*Stupefactiva* medicina, quæ? 520, B
*Subjectum* M. G. eſt totum humanum corpus, 1127, B
*Subterranei* loci elegans deſcriptio, 192. 193.
*Sudor* quomodo provocandus? 411, A
— Chinæ decocto eſt eliciendus, 590, D
*Sudores* moventia in quibus laudentur, 899, E
—— provocantia, 940.
—— ante ſangu. miſſionem & purgationem ſunt pernicioſi, 899, E
*Suffimentum* ad manuum, pedum &c. rimas, 1359, E
—— ex cinnabari conficiendi modi, 1301, A. *& ſeqq.*
—— eorum uſus, 1301, E. *& ſeqq.*
—— ex cinnabari utrum à cauſis cognitis vel incognitis M. G. tollat, 1303, C
*Suffimenti* ex cinnabari adminiſtrandi occaſio, 1302, E. *& ſeqq.*
—— ex cinnabari & ex argento vivo differentia, 1300,
*Suffitus* pro morbo Gallico, 855, D
—— in rhagadibus, 832, B
—— facultates quæ? 1083, D
*Suffituum* cinnabarim recipientium præſtantia, 892, D
—— ſubeundorum modus, 893, B
—— locus ad ſuffitus qualiter parandus, 893, A
—— tempus, *ibid.* B
—— quamdiu ſuffitibus inſiſtendum, *ibid.* C
*Suffumigium* pro præſervatione à carie Gallica, 819, A
*Suffumigii* ad movendos ſudores forma, 952, D
*Suffumigia*, 381, E. 382.
—— curantia morbum Gallicum, 263, E, 264. 101, D *& ſeqq.*
—— mercurialia unguentis magis periculoſa ſunt, 99, D. E
—— mercurialia quomodo adminiſtranda, 100, B
—— maligna, 808, C
—— quibus vitanda, 806, B
—— ex materia valida ſed non venenoſa, 807, B
—— ex materia benigna, 808, A
—— in affectu Gallico inveterato, 687, C
—— in curatione dolorum à M. G. 951, E
—— ad faucium rubores, 755, A
*Suffumigiorum* norma, 807, D 100, B. 101
—— uſus, 381, E. 952, A
—— curatio non tuto procedit, 806, A
—— uſus illorum antiquis notus, 806, C
—— eorum vires, 806, D
—— eorum divitio, *ibid.* E
*Suffumigiis* utendi prima occaſio, 806, B
*Sulphuris* vires, 1300, C
—— uſus liberavit à morbo Gallico, 98, D
*Symptomatis* definitio, 1018, E
*Symptomata* morbi Gallici enarrantur, 199, C. *& ſeqq.* 170. 171 280, B. 640. *& ſeqq.* 434, B. C
—— ſalivationem comitantia recenſentur & curatio notatur, 97, A. *& ſeqq.*
—— Gallici affectus, pro varia temperatura, 731. *& ſeqq.*
—— quomodo corrigenda quæ in potu ligni Guajaci ſupervenient, 800, C
—— ex inunctione hydrargyri ſupervenientia, quomodo corrigenda, 810, D
—— pathognomica quæ, 1019, A
*Symptomatum* morbi Gallici enarratio, 77, D
—— morbum Gallicum ſequentium nomina, & numerus, 812, D
—— Gallicæ infectionis mutatio, 1051, D
—— morbi Gallici curatio, 845, A. *& ſeqq.* 993, C
—— ſupervenientium in potu ſalſæ periliæ cura, 805, D
*Symptomatibus* invaleſcentibus quæ præſtanda ſint, 890, D
—— unctionem argenti vivi ſequentibus quomodo occurrendum, 1292, B. *& ſeqq.*
*Syncope* ſalivationis tempore accidens quomodo curanda, 97, C. D. 112, B
*Syncopæ* & virium imbecillitati ex unctione argenti vivi quomodo intrinſecus occurrendum, 1298, B
—— extrinſecus quomodo occurrendum, 1298, C
*Syphilidis* nomen unde, 197, C
*Syphilus* quis fuerit, 197, A
*Syrupus* digeſtivus, 643, E
—— —— in M. G. 976, E

*Syrupus* magiſtralis digeſtivus, 330, A
— digeſtivus in pudendagra, 498, C. D. E. 523, A
— laxans humores in M. G. 939, E. 943, A
— purgatorius, 631, A
— lenitivus ad morbum Gallicum, 650, D. 651, A
— ad pudendagram, 547, A. 550, D 552, D
— ex ligno Indico quomodo parari debeat, 245, A. 564, D
— ex decocto Guajaci, 1114. B
— poſt tumores duros paſſos, 949, A
— ad jecoris purgationem, 948, E
— materiam morbi Gallici concoquens, 636, A
— in affectu Gallico inveterato ſumendus, 686, C
— vocatus de agno caſto, adverſus Gonorrhœam ex M. G. 1323, C
*Syrupi* fortificantes, 559, D
— purgantes in M. G. 942, E. 1244, C
— materiam digerentes, 451, D
— alvum ducentes, 1247, C. *& ſeqq.*
— ad molliendum ventriculum ratione ætatis, 1247, B. *& ſeqq.*
— ad pituitam præparandam, 786, C
— in M. G. ratione partium affectarum, 1242, D
— ad pudendagram, 548, D
— ad morbum Gallicum, 583, A
— ad morbum Gallicum pro varia temperie, 680, C. 1242, A
— ad eliciendos humores pro varia temperie, 909, E. *& ſeqq.*
— in morbum Gallicum non novum nec inveteratum, pro varia temperie, 686, A
— ſimplices ad concoquendam materiam malorum humorum pro varia temperatura, 980, D. *& ſeqq.*
— in humore melancholico, 788, D
— humorem melancholicum evacuantes, 789, B

## T.

*Talcum* quid, 787, D
*Taroli*, vel puſtulæ rubræ, quomodo curandi, 682, B
*Tela* medicata pro evitanda lue Gallica, 1311, E
*Telæ* medicatæ pro evitanda lue Gallica formula, 1312, A
*Temperamentum* corporis totius à quibus reſultet, 1157, B
—— hominis proprium non eſt prima cauſa M. G. 1175, B
*Tempus* quod illiniendis aptiſſimum, 888, D. *& ſeqq.*
*Terebinthina* gonorrhœam coërcet, 1351, D
Τέρμων Latine furunculus M. G. creditus, 1031, D
*Thapſia* medicamentum validum in profluvium capillorum patiente, 719, D
*Theriaca* de citro ad pudendagram, 544, E
Θερινὸς, id eſt, æſtivus morbus in quibus differat à M. G. 1073, A
*Thermæ* naturales patienti morbum Gallicum ſunt nocuæ, 639, B
*Thimus* vel thimion quid ſit? 130, B
*Thiria*, Alopecia & Tirea ſunt tres diſtincti affectus in capite, 715, D
*Tibiæ* quando dolent, quæ mixturæ adhibendæ, 519, D
*Tirea*, Alopecia & Thiria ſunt tres diſtincti in capite affectus, 715, D
*Tinea* quid? 23, C. 127, B
*Tinnitus* aurium Gallicus curationem non habet, 830, D
*Tophis* quomodo medendum, 858, A
*Topica* præſidia ad cephalalgiam à M. G. 954, C
*Tormina* inteſtinorum quomodo tollenda, 648, B
*Trochiſci* ad ſuffumigandum caput, 951, D
*Tuberculum* durum ſimiliter calloſum præputii quomodo ſanandum, 1321, B
*Tuberculorum* in M. G. curatio, 880, A
*Tuberculis* calloſis quomodo ſuccurrendum, 646, B
*Tumor* quid ſit? 261, A
*Tumores* in gutture quomodo tractandi, 994, C
—— glandularum in faucibus ſunt ſigna morbi Gallici, 781, B
—— ſcleroſi, qui? 444, A
—— quomodo curentur, *ibid.*
*Tumorum* in articulis & brachiis curatio, 995, C
*Tuſus* quid ſit? 115, C
*Tuſſis* cauſa ab animalibus in canna pulmonis generatis, 976, A
*Tuſſim* cauſantia animalia in canna pulmonis generata veteres ignorarunt, 1005, C

## V.

*Vacuationi* per os importunæ quomodo occurrendum, 1298, B
*Vacuantia* bilem, 786, E
—— pituitam, 786, D
—— humorem melancholicum, 788, E. *& ſeqq.*
—— medicamenta, cum bibitur decoctum ſaſſæ, 805, B
*Vaporis* nomine quid intelligendum, 162, C
*Vaporationes* abſque cinnabari ſudorem provocantes, quæ? 1307, D
—— quibus hæ vaporationes conveniunt, 1308, C
*Varix* quid ſit, 249, C
*Varices* unde fiant? 19, D
—— quomodo curentur per decoctum ligni Indici, 431, E
*Variola* non eſt nomen proprium M. G. 1003, B
*Variolarum* deſcriptio, 502, C
—— ſigna, 315, A
—— materia quæ ſit? 314, D
*Vena* medeni quid ſit? 114, D. 131, B
— an ſit ſecanda, ſi adſunt bubones, 785, C
*Venæ ſectio* quibus conveniat, 909, D
— —— in M. G. incipiente utilis eſt, 1138, C
— —— in antiquo eſt ſuſpecta, 1138, E
— —— quando in M. G. non convenit, 939, B
— —— quæ & quando fieri debeat, *ibid.*
*Venenum* veneno eſt antidotum, 466, D
—— quicquid eſt, non plane ab omni medicinæ uſu explodendum, 466, C. E
*Venter* quomodo leniendus eſt in curâ morbi Gallici, 235, C
*Ventoſæ* in morbo Gallico applicatæ proſunt, 55, E
*Ventriculorum* vis diverſa, 1068, A
*Venus* ſummopere noxia illis, qui Guajaci decocto utuntur, 292, C
*Vermis* inter cutem & carnem inventus, 961, C
—— inter cutim & carnem genitus, Galeno non cognitus, 975, D. 1005, B
*Verrucæ* quid ſint, 1099, C
—— quomodo tollantur, 1099, E
*Verrucarum* quædam ſpecies Græcis formica dicebatur, 32, B
—— curatio, 32, C
*Vertigo* quomodo curetur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 421, B
*Veſicæ* ulcerum curatio, 1357, D
*Veſicatorium* ad dolores capitis, 641, B
*Victus* tenuis morbo Gallico laborantibus prodeſt, 294.
—— qualis illitis concedendus, 887, C
—— ratio in humore melancholico, 788, D
*Vigilia* quare morbum Gallicum patienti neceſſaria, 629, C
*Vigiliæ* commoda & incommoda, 1069, C. *& ſeqq.*
—— nimiæ quomodo ſuccurrendum, 97, D
—— immodicæ à quibus cauſis oriantur? 418, A
—— immodicæ quomodo curentur per decoctum ligni ſancti in ætate & temperamento variis, 418, B. *& ſeqq.* 1297, C. *& ſeqq.*
*Vinum* Gallico morbo laborantibus noxium, 292, E
— utrum magis humanis corporibus conferat an aqua, 445, B
— morbis conferre veteres dixere, *ibid.* B
— quibus ægrotantibus præbendum, *ibid.* C
— affectione Gallica vexatis damnum magnum ingerit, 625, B
— in cura morbi Gallici per lignum Indicum nocet, 64, A
— quale ſit eligendum in exhibendis decoctionibus, 446, C
— Sanctum ad curandum M. G. antiquum, 1115, B
— factitium ad M. G. ſummovendum, 1306, C
— ad humores melancholicos, 789, C
— ex ligno Guajaco factitium, 1259, B
— ex Guajaco confectum Gallicoſo potandum, 798, B. 1166, A
— quale in decocto ligni Guajaci adhibendum, 702, B
— ligni ſancti quomodo parandum, 376, B. C
— ligni Sancti decocto non eſt permiſcendum, 485, D. *& ſeqq.*
*Vini* virtutes, 445, D
— dotes & noxæ, 437, A. *& ſeqq.*
— diverſæ operationes, 446, B
— ejuſque diverſæ qualitates, *ibid.*
— præparatio in decoctione ligni Sancti pro morbi & membri læſi exigentia, 446, D. *& ſeqq.*
*Viperæ* quomodo adhibendæ in morbo Gallico, 156, B

*Viperarum* uſus morbo Gallico affectis prodeſt, 155, E. 156
—— uſus elephantiacis prodeſt, 250, B
—— Syrupus quomodo præparandus, 156, D
*Viperatum* vinum profuit morbo Gallico laborantibus, 15, B
*Virgæ* inciſio quo latere facienda, 436, D
—— canalis curatio, 1357, D
—— puſtularum curatio, 928, C
—— ulcera quomodo ſanantur, 435, D
*Virulentiæ* deſcriptio, 536, C
*Virus* quid ſit, 536, C
*Vitellus* ovi crudus illitus locum in corpore affectum roborat, 1344, A
*Vitrioli* oleum quomodo præparetur? 106, E
*Ulcus* quid, 1104, D
*Ulcus* Venereum in cartilaginibus aſperæ arteriæ potando decoctum ligni Indici & ſpumam exterius imponendo ſanatum eſt, 81, A, & *ſeqq.*
*Ulceris* definitio, 116, C
—— etymologia, 527, C
—— deſcriptio, *ibid.*
—— regimen quatuor intentionibus completur, 535, B. & *ſeqq.*
—— cura generalis à ſoluta continuitate ſumitur, 528, E
—— narium à M. G. curatio, 951, C
*Ulcus* abſtergens medicamentum, 1142, B
*Ulcera* putrida, 540, B
—— ſordida, 538, C
—— habent quatuor tempora, 531, B
—— maligna per totum ſunt ſigna morbi Gallici, 781, C
—— morbi Gallici qualia, 45, A
—— faucium raro apparent niſi in morbo Gallico inveterato 46, C
—— virulenta in quantum differant à corroſivis, 536, D
—— oris cur difficillimæ curationis, 437, D
—— à nobis curanda, ſint facilis aut difficilis curationis, ſigna, 529, B
—— morbi Gallici quomodo curanda? 107, C. & *ſeqq.* 110, C. & *ſeqq.*
—— in ore quomodo curanda, 948, C
—— gutturis, oris, ani & vulvæ quibus aquis ſananda, 1349, A. B
—— gutturalia quomodo ſananda, 655, B
—— gutturis ex morbo Gallico quomodo gargarizanda, 647, B. & *ſeqq.*
—— renum, veſicæ meatuumque urinalium quomodo ſanentur, 927, E. & *ſeqq.*
—— virgæ quomodo curanda, 398, C
—— virgæ quomodo ſanantur, 435, D. & *ſeqq.*
*Ulcerum* genera omnia in morbo Gallico inveniuntur, 450, B
------ ſordidorum cauſæ, 538, D
------ eorum cura, *ibid.*
------ cura, 536, C
------ ſordidorum cura, 538, C
------ Gallicorum curatio, 1105, D
------ Gallicorum, quæ in univerſo corpore naſcuntur, curatio, 830, B
------ corroſivorum cauſa, 536, E
------ Gallicorum curatio per emplaſtra, 855, B
------ ægre ſanabilium curandorum modus, 869, E. & *ſeqq.*
------ putridorum cura, 540, C
------ recentium curandorum modus, 868, C
------ oris & faucium curatio, 923, C
------ ſeu Rhagadiorum ex M. G. curatio, 1166, B, & *ſeqq.*
------ veſicæ curatio, 1357, D
*Ulceribus* in pene quomodo ſuccurrendum, 644, D
*Ulcera* in ore ſanantia medicamenta, 541, B
—— exſiccantes medicinæ, 537, C
—— a virulentia mundificans unguentum, 538, B
*Ulcuſcula* in pudendis ſunt ſigna morbi Gallici, 781, A
*Unctio* mercurialis quomodo adhibenda? 377, 378
*Unctiones* ad dolores in M. G. 1145, C
*Unctionum* genera ſunt varia, 811, C
*Undimia* quid? 130, A
*Unguentum* mundificans, 539, C
—— ſarcoticum 355, A
—— antiſpaſmodicum, 355, B
—— anodynum, 365, B
—— ſudorem evocans. 950
—— ulcera conſolidans, 538, C
—— apoſtema reſolvens, 543, C
—— inflammationes membrorum removens, 541, A
—— inflammationem ſuppurans, 644, A
—— ulcera à virulentia mundificans, 538, B
—— curans morbum Gallicum, 16, A
—— ſanans morbum Gallicum 176, C
*Unguentum* ad pudendagram, 547, C
—— de ſulphure vivo ad pudendagram, 523, B
—— præſervativum à pudendagra, 545, A
—— præſervativum à M. G. 1132, D
—— de amylo præſervativum à pudendagra, 545, A
—— nobiliſſimum ad dolores Gallicos ſedandos, 354, A
—— mirabile ad cruſtas, bothor & apoſtemata tollenda, 970, A
—— ad ulcera Gallica maligna, 355, B
—— ad ſcabiem, 339, C
—— pro ulceribus, ſcabie & doloribus, 943, C
—— ad dolores artuum in pudendagra, 924, D
—— ex decoctione herbarum calidarum ad dolores, 944, A
—— contra cancrum, 180, B
—— pro dolore capitis à M. G. 951, B
—— ad dolores capitis, junctvrarum & ad tumores, 943, C
—— contra dolores muſculorum ex morbo Gallico genitos, 849, B
—— ad maculas delendas, 356, A. 549, A
—— contra rimas manuum, pedum &c. 1359, C
—— pro rhagadibus & ulceribus ex morbo Gallico, 1167, A
—— ad tumorem præputii ex carie, 816, A. 1321, A
—— ad ſanandos tarolos, 682, C
—— ad ſcrophulas, 434, A
—— ad tubercula calloſa, 646, C
—— tubercula gummoſa emolliens, 641, E
—— ad papillarum rimas, 1361, A
—— pilorum defluvium prohibens, 103, E. 104, A
—— curans puſtulas morbi Gallici, 103, B. 121, A. 179, E
—— ulcera virgæ conſolidans, 436, B
—— ulceribus mundis applicandum, 539, D
—— lenitivum in declinatione curæ morbi Gallici, 443, D
------- cicatrizans, 643, B
------- mercuriale in morbum Gallicum, 364, C. 365, C. 399, A. 434, A.
------- ------ quomodo parandum? 193, C. 693, B
------- mercuriale ad morbum Gallicum recens curandum, 439, E
------- mercuriale ad M. G. inveteratum, 1115, C
------- mercuriale odoratum pro divitibus, 95, B, C. 885, C
------- hujus quantitas pro ætatum varietate, 885, D
------- ungendi tempus & locus, *ibid.*
------- poſt illitionem quæ obſervanda, *ibid.* E
------- mercuriale pro pudendagricis, 912, B
------- quo ſolummodo plantæ pedum & volæ manuum inungendæ, 912, C
------- mercuriale in herpetibus cum ſcabie, 942, A
------- mercuriale ad dolores & cruſtas conveniens, 970, D
------- mercuriale pro affectibus in membra genitali accidentibus, 978,
------- mercuriale corporis recrementa ſeroſa attrahens, 941, E
------- mercuriale pro viro morbo Gallico infecto, 652, C
------- ex argento vivo quando non ſit exhibendum, 1288, D
------- quando ſit exhibendum, 1289, B
------- ex argento vivo quibus magis minuſve periculoſum ſit, 1291, B. & *ſeqq.*
------- ex argento vivo quod morbum Gallicum tollat, utrum ſit artis inventum, 1289, & *ſeqq.*
*Unguenti* mercurialis parandi & exhibendi modus, 93. A. & *ſeqq.* 94, B. & *ſeqq.* 95
---- mercurialis formulæ, 991, D
---- mercurialis levis & facile parabilis formula, 885, B
---- mercurialis modus, quos maximi dolores torquent, 886, A
---- quoties hoc unguento inungendum, *ibid.* B
---- quouſque frequentandum, *ibid.*
---- ex argento vivo formula, 635, A
---- ex argento vivo modi & vires, 1282, E. & *ſeqq.*
---- ex hydrargyro prima compoſitio, 811, D
---- ſecunda compoſitio, *ibid.*
*Unguenta* abſterſiva, 539, B
---- ſudores moventia, 854, B
---- mundificativa applicanda ulceribus venereis, 108, C. & *ſeqq.* 109, D. & *ſeqq.*
---- digeſtiva applicanda ulceribus venereis, 108, B. & *ſeqq.*
---- reſolventia gummata morbi Gallici, 106, A
---- curantia morbum Gallicum, 255, B. & quomodo adhibenda, 257, C. 263, C. 266, D
---- ad morbum G. 941, C

*Unguenta* ad pudendagram in variis temperie & ætate, 500, B
---- ad affectum Gallicum inveteratum, 689, A
---- ſedantia dolores Gallicos, 336, D. 337.
---- ad dolores in M. G. 1145, C. D. 1346, B. & *ſeqq.*
---- adverſus petiginem, 1340, B. 1342, C
---- pro pilorum defluvio, 1334, C
---- adverſus ſcabiem & pedicillos, 1340, E
---- ad curanda ulcera naſi in morbo Gallico, 181, D. 182.
---- ad tumores præduros aptiſſima, 704, B
---- ad gummata Gallica curanda, 365, D
---- ad lichenes, 382, B, C
---- ad puſtulas M. G. 339, C. 346, A. 352, C. & *ſeqq.* 365, C
---- adverſus puſtulas & ulcera capitis & faciei, 1330, C. & *ſeqq.*
---- adverſus pruritum, & excoriationes à calido natas, 1341, A
---- adverſus pruritum pudendorum, 1341, C
---- adverſus gonorrhœam, 1352, A
---- ad ulcera penis, 644, D
---- adverſus virgæ ulcera, 1318, D. 1319, B
---- mercurialia, 231, E. 232. 233. 339, B. 345, C. 346, B. 352, E. 353. 379, E. 380.
---- mercurialia multas chronicas ægritudines ſanant, 96, B
---- mercurialia ad ſudorem elicienda, 977, E, 978, A
---- mercurialia ad dolores & puſtulas in M. G. tollendas, 1146, B.
---- mercurialia ad ulcera ex morbo Gallico, 642, D
---- mercurialia tuto prægnantibus applicata ſunt, 71, C
---- mercurialia quibus horis dici adminiſtranda & quomodo, 99, B. 165 D. 338, C. 339. 1150, B
---- quo modo uſurpanda, 1150, D
---- quamdiu ſunt adhibenda, 1150, D
---- qua victus ratione, 1150, D
---- mercurialia fortiora, 885, B
---- quæ partes corporis his illinendæ ſint, 885, D
*Unguenta* quæ partes his non illini poſſunt, 885, D
*Unguentorum* ex argento vivo uſus, 1287, D
---- mercurialium uſus veteribus fuit cognitus 94, D
---- mercurialium effectus nimii quomodo tint compeſcendi, 94, A
---- mercurialium quorundam formulæ ad M. G. 1149, D
---- adminiſtrandorum contra morbum Gallicum ratio, 854, A
*Unguium* caſus, morbi Gallici ſpecies, 659, B
---- caſus curatio, 727, D. 925, E. 1337, A
*Volatica* quid? 20, B
*Vomitiva* medicamenta, 744, D. & *ſeqq.*
*Vomitus* prodeſt in morbo Gallico, 57, E
---- ſi ſuperfluat, quid faciendum, 993, E
---- quibus interdicendus & quibus concedendus, 899, B
---- quæ obſervanda in vomituum tempore ante & poſt vomitus, *ibid.*
---- ſæpe excitatus recidivam in morbum Gallicum præcavet, 112, C
---- provocandi modus, 899, C
*Urina* propria epota febrim curat, 289, A
---- materiæ digeſtionem indicans qualis ſit? 396, D
*Urinæ* ardoris curatio, 857, B
---- ardor quomodo tollendus, 1357, A. 927, E. & *ſeqq.*
---- ſuppreſſionis medicamenta, 1353, B
*Vulvæ* fiſſurarum curatio, 1358, B. & *ſeqq.*
---- morbi quomodo curentur per decoctum ligni Indici in ætate & temperamento variis, 430, C
*Uvæ* mollificatio eſt lignum morbi Gallici, 781, A

Z.

Z*ernæ* quid? 20, B

FINIS.

## EMENDANDA.

Pag. 49. E. diſpoſini *lege* diſpoſitioni.
56. lin. 70. pilulæ *leg.* pilulas.
58. lin. 81. furtis *leg.* fortis.
69. C. *dele* re.
73. lin. 49. quas *leg.* quæ.
--- 51. ſcriptis *lege* ſcriptæ.
83. lin. 6. ſacrificatione *lege* ſcarificatione.
100. lin. 17. celefacto *lege* calefacto.
---- 35. fumus *lege* fumum.
120. lin. 40. ſocis *lege* jocis.
139. lin. 36. exercuti *lege* exercuit.
289. lin. 76. conſtitutus *lege* conſtitutos.
295. lin. 19. fame *lege* fames.
316. lin. 68. generat *lege* genera.
327. lin. 27. ſentium *lege* lentium.
333 lin. 62. ante *lege* aut.
354. lin. 83. barbaræ *lege* barbæ.
387. lin. 69. ventrum *lege* ventrem.
420. lin. 37. morbis *lege* morbum.
453. lin. 11. a fine. receptam *lege* receptum.
475. lin. ult. adepicraſin *lege* ad epicraſin.
495. lin. 14. dcirco *lege* idcirco.
956. lin. 29. Gallicam *lege* Gallicum.
1160. lin. 26. a fine. Rhagadiarum *lege* Rhagadiorum. Sic & pag. 1166. lin 26. ut & lin. ult.
1188. lin. 37. Quondam *lege* quodnam.
1294. lin. 19. facietque *lege* facieique.
1330. lin. 11. *lege* oriatur.

## ADMONITIO AD BIBLIOPEGAS.

Tomus Secundus incipit pag. 761. Signat. Ccc.

*Waarſchouwing voor de Boekbinders.*

De tweede Affneidinge begint met de pag. 761. en Signatur Ccc.

Dominici Cotunnii

M. Kir. Ferenc József-Tudományegyetem
Bőr- és Nemikórtani Klinika Könyvtára
Szakl. sz.: 1386
Címtár: